[1]

Fausti Socini Senensis

OPERUM TOMUS ALTER

Continens ejusdem

SCRIPTA

POLEMICA.

Quorum Catalogum versa pagina exhibet.

IRENOPOLI

Post annum Domini 1656.

224057 III/2

BIBLIOTEKA SLĄSKA

Catalogus Operum Polemicorum

FAUSTI SOCINI SENENSIS.

Contra Palæologum de Magiſtratu.
De Chriſto Servatore, Contra Covetum.
De Statu primi hominis ante lapſum.
De natura Chriſti.
Contra Aſſertiones Theologicas Collegii Poſnanienſis.
Miſcellanea Sacra.
Contra Eraſmum Johannis.
Contra Wuiekum.
Breves tractatus.
Contra Eutropium.
Contra Chriſtianum Franken.
Contra Franciſcum Davidis.

z Biblioteki

Fauſti Socini Senenſis

BREVES

quidam de diverſis materiis ad Chriſtianam religionem pertinentibus

TRACTATUS.

Quorum ſeriem ſequens pagina monſtrabit.

IRENOPOLI
Poſt annum Domini 1656.

Series tractatuum qui in hoc opuſculo continentur.

1. Contra Chiliaſtas, de regno Chriſti terreno per annos mille.
2. Diſputatio breviſſima de Chriſti carne adverſus Mennonitas.
3. Ad objectiones Cutteni reſponſio.
4. Johannis Niemojevii epiſtolæ duæ, de Sacrificio & Invocatione Chriſti. Et ad eas Fauſti Socini reſponſio.
5. Animadverſiones quædam extemporales in D Johannis Niemojevii ſcriptum, adverſus partem quandam Diſputationis de Jeſu Chriſto Servatore.
6. Notæ in ſcriptum N. N. polonicum de Chriſti regno in terra.
7. Notæ in Eberhardi Spangenbergii ſcriptum de duabus beſtiis Apocalypſis.
8. Objectiones ſeu articuli Johannis Cutteni Miniſtri Euangelici & ad eos Fauſti Socini reſponſio.
9. Brevis diſcurſus de cauſis ob quam creditur aut non creditur Euangelio &c.

In reſponſionem pro Racovienſibus Auctoris præfatio ad ipſum Palæologum.

NOn dubitabam, Jacobe Palæologe, cum hanc tibi pro Racovienſibus reſpondendi provinciam ſuſciperem, quin tibi id non modò novum accideret, ſed etiam temerarium videretur, meque vehementer accuſares, qui abs te ne verbo quidem laceſſitus, tecum contendere, & in alienam meſſem (quod ajunt) falcem immittere auſus eſſem. Id quod mihi ipſi, ut verum fatear, mirum quodammodo videtur, præſertim cum conſidero, quis nam ego ſim, qui cum Palæologo tanto viro, tantaque eruditione, atque eloquentia pollente, diſputando congredi, & manum conſerere non dubitem. Nec ſanè hoc meum factum probare ipſe poſſem, niſi religionis negotium non privati, ſed publici cujuſdam juris eſſet. Ut cuilibet adverſus eos, qui veram pietatem, vitæque innocentiam, quibus univerſa religio continetur, aut convellere, aut labefactare quoquo modo tentant, divinis armis pugnare, ipſiſque fortiter reſiſtere ſemper licuerit. Maximè verò, ſi per ſpeciem pietatis, ſive prudentes, ſive imprudentes, tam impium facinus aggrediantur. Quod te libro tuo adverſus Racovienſes nuper edito facere, mihi quidem perſuaſiſſimum eſt, idemque omnibus piis, qui modò reſponſionem hanc meam perlegere gravati non fuerint, perſuaſum iri planè confido. Huc accedit, quòd Racovienſes iſti, ſive Racovienſis cœtus, quem tu petis, atque oppugnas, vel non ampliùs extat, vel ita hodie mutatus eſt, & in aliam quodammodo formam verſus, ut agnoſci non queat, atque ob eam ipſam cauſſam tu quidem cum larvis (ut dicitur) luctatus fuiſſe videare, ego verò nullo modo aliena, ſed, quæ innocentium hominum prorſus communia jam ſint facta, curaſſe, nec quod aliorum proprii muneris erat, in me tranſtuliſſe, ſed deſertam pœne cauſſam defendendam ſuſcepiſſe, jurè dici poſſim. Etſi enim vivit adhuc Gregorius Paulus, auctor ſcripti illius contra ſententiam tuam Racovienſium nomine conſcripti, tamen is, ut arbitror, non ſe, ſed cœtum illum ejus ſcripti auctorem agnoſci vult. Ac præterea, ut audio, ita præ ægeſtate, & familiaris curæ neceſſario onere à litterarum ſtudiis jam pridem alienus eſt factus, tamque non bona ſenectute utitur, & (quod huc maximè pertinet) tanto præſertim oculorum perpetuo vitio laborat, ut deſperandum omnino videatur, illum, ut tibi reſpondeat, calamum unquam in manus eſſe ſumpturum. Atqui tu benè cordatum virum, & doctum hominem, quique in Dei eccleſia nec parum, nec ſegniter laboravit, reſponſione tua ad ſcriptum illius ita conviciis, & maledictis inceſſis, atque proſcindis (nam, ut cætera multa omittam, veſanum eum & indoctiſſimum ſcriptorem nominas, & deſidem atque otioſum ventrem appellas) ut maximè pium mihi viſum fuerit non

ſolùm ea, quæ ab ipſo verè, & piè ſunt ſcripta, ſed eàdem operâ ejus quoque famam, & exiſtimationem, à tuis ſophiſmatis, & calumniis, quantùm in me erit, aſſerere, ac vindicare. Nam quòd ego, qui, tibi collatus, homuncio dici rectè poſſum, tecum dimicaturus in hanc harenam deſcendere ſim auſus, nulli mirum videri debet, qui, quanta juſtitiæ, & veritatis vis eſſe ſoleat, animadverterit. Præſertim verò, cum de pietate, ac religione agitur, ubi juſtitiâ, & veritate, propria & ſumma præpotentis Dei gloria continetur, quem cauſſam ſuam deſerturum, minimè credendum eſt. Tritum eſt exemplum pueri Davidis, qui gigantem Goliathum Dei ope, ac præſidio fretus, quamvis nudus propemodum, & inermis eſſet, ille verò armis undique ſeptus, & mirificè inſtructus, non modò eſt aggreſſus, verùm etiam facile vicit, atque proſtravit. Quiritaberis fortaſſe, quod meum nomen te celare voluerim: Sed injuriâ id à te fiet. Quid enim tibi nominis mei vel ignoratio in hoc certamine noſtro obeſſe poteſt, vel notitia prodeſſe? Non enim utrivis noſtrûm pugna cum homine ipſo eſſe debet, ſed cum illius ſententia. Nec minùs tibi tua defendere, & mea impugnare licebit ignoranti, quàm ſcienti nomen meum. Nec vero ego, quod mihi ſit notum nomen tuum, eo paratior ad te oppugnandum ero, niſi ex ipſo Palæologi nomine aliqua ſcommata in te jaciendi mihi facultatem ſuppeditatum iri dicamus. Ut (exempli cauſſa) quod vere παλαιολογίζει liber tuus, cum nihil in religione niſi vetuſta & antiquata quædam cogitet (ut ſic dixerim) atque loquatur. Sed me & ab hoc, & ab aliis omnibus temperaturum ſpero, ne ullo pacto impari conditione mecum pugnaturus eſſe videare. Ego quidem nomen tuum, id eſt auctorem libri illius, contra quem ſcripturus ſum, ignoraſſe mallem. Atqui in ea ſum ſententia, in litterariis diſceptationibus, multò autem magis in iis, quæ ad religionem pertinent, nomina diſceptantium cum aliis omnibus, tum alterius alteri ignota invicem eſſe præſtare, quàm cognita. Sic enim mutuis contumeliis, probris, irriſionibus, extra cauſſam, immo contra ipſam cauſſam, indulgendi minor datur occaſio, nec alicujus exiſtimationem lædendi periculum ſubitur. Quid, quòd ſæpius contingit, alterutrius partis ſententiam ejuſmodi eſſe, quæ vel ipſa per ſe omnino, vel pravè intellecta, vel ab adverſario aut verbis leviter deformata, aut argumentis (rectè ne, an ſecus) invidioſa reddita, poſſit auctorem in fortunarum, & capitis diſcrimen adducere? Qualis certè eſt ea de gerendo in Eccleſia magiſtratu ſententia, quam tu impugnas, immo ex cujus impugnatione, ſeu contrariæ ſententiæ defenſione, quamvis alia de re, hoc eſt de bello, tibi cum Racovienſibus præcipua controverſia eſſet, titulum tuo libro quæſiſti. Quare ſi te hominem Chriſtianum præſtare voluiſſes, non debueras ſaltem in ipſo libro edendo nomen alicujus adverſarii apponere. Quin potius, ne ullo modo apponeretur, quàm diligentiſſimè curandum tibi fuerat. Non enim ignoras, quàm neceſſe ſit, ut ipſi reges, in quorum manu vitæ, neciſque noſtræ imperium Deus poſuiſſe dici poteſt, illi ſententiæ ſint infenſi. Neq; verò minùs ſcriptum illud adverſus id, quod tu prior ea de re ſcripſeras, exaratum diligenter excutere, & refellere tua reſponſione potuiſſes, ſi & Racovienſium,

& Gre-

& Gregorii Pauli nominibus pepercisses. Nec minùs ei causſæ, quàm optimam esse arbitraris, opitulatus esses, si ne loci quidem, aut regionis, ubi ea quæstio agitata fuisset, ullam mentionem fecisses. Quod cum aliter factum à te fuisse videamus, haud sanè injuriâ complures bonos viros in eam sententiam venisse intelligo, ut tu non tam veritatis defendendæ, divinæque gloriæ, atque hominum salutis propagandæ studio ad eam scriptionem impulsus, quàm invidiam tuis adversariis conciliandi, tibique illorum incommodo, & ruina commodum aliquod, & stabilitatem quandam comparandi spe haud leviſſima adductus fueris. Qua tamen ego in re nihil affirmo, cum fieri possit, ut præ incogitantia in eum errorem nomina adversariorum publicandi incideris. In eo profecto, si id, quod isti putant, tibi propositum fuit, incogitans fuisti, aut potiùs vehementer deceptus es, quòd sententiam tuam de bello à Christianis hominibus gerendo iis, qui dominantur, planè acceptam esse debere existimasti. Cum tamen, si prudentes fuerint, eam non admodum (hoc præsertim tempore) sint probaturi. Qua de re aliquid fortasse apertius in ipsa responsione à nobis dicetur. Non ita tamen explicatè, ut res ipsa postularet, ne, dum nihil aliud curo, quàm ut adversariorum sententiam divinis oraculis consentaneam esse, tuam vero ab iis mirum in modum dissentire, ostendam, illos viris principibus caros, te autem iisdem invisum reddere voluisse videar, atque in eo ipso peccasse, quod tibi non injuriâ adscriptum fuisse, meritò suspicari licet. Id de te certò statuere quilibet omnino potest, te adversariis tuis, sive eorum scripto non pauca affingere, quemadmodum suis locis planum faciemus, aliterque, ac deceat, non rarò eorum mentem interpretari, & plerumque, quibus rationibus tuam sententiam oppugnent, suamque defendant, non rectè percipere. Quòd si ipsi vel in ipsis rationibus concludendis, vel in sacris testimoniis interpretandis alicubi fortè sunt lapsi, à teque meritò reprehensi, id sanè mirum videri non debet. Nam tu ipse in utroque istorum adeò frequenter laberis, ut nimis operosum futurum sit, omnia ejusmodi errata tua vel indicare. Quod certè nec fieri necesse est. Multa enim sunt, quæ ad rem non faciant. Non pauca tamen, Deo volente, retegemus, ut hac ratione possint rudes lectores agnoscere, quæ fides verbis tuis sit adhibenda, & tu ipse de tuis quibusdam quasi placitis, & decretis, si modò id fieri potest, aliquando tandem dubitare incipias, doctrinamque tuam, & stilum non ad Christi regnum (quantum in te est) demoliendum, ut facis, sed confirmandum, & amplificandum convertas. Id quod te privatim multò libentiùs, quàm publicè monuissem (ne me hîc contra Christiana præcepta peccasse dicas) si per tui libri editionem licuisset. Verùm, cum tu, libro isto edendo, publicè adversus homines pios, & Christo fidentes, adeòque ipsum Christum arma sumpsisse videaris, & metuendum sit, ne causſa, quam, etiamsi tui libri inscriptio aliud præ se ferat, potissimùm defendis, & pro qua tam acriter pugnas, ut quæ alioqui favorabilis admodum videatur, & propterea quia humanis commodis mirum in modum favet, vulgò etiam vehementer probetur, tantum patronum nacta, iis etiam probari incipiat, qui ei merito hactenus adversantur,

huic malo publicè obviam eundum fuit, & tuus in errore pernicioſiſſimo confirmando ſive error, ſive aſtus palàm traducendus. Mitto, quòd exigua admodum ſpes eſt, hominem, qui ita aſſeveranter, ac confidenter loquatur, ut tu facis, & alios, qui aliter atque ipſe, ſentiunt, ſcripto edito tanta cum ſeveritate docere,& objurgare inſtituat,quantumvis placidè atque amicè monitum, ſuarum opinionum falſitatem unquam agniturum, &, quæ jam dixerit, aut ſcripſerit, damnaturum. Tecum tamen in hac ad librum tuum reſponſione mea perpetuò loqui libet, cum, ut me animo in te inimico non eſſe, qua ratione poſſum, omnibus declarem, tum verò, ut conſilium meum faciliùs ſequar. Quod eſt, te nullis prorſus conviciis, aut maledictis appetere, ſed reprehenſionibus tantùm redarguere, & ratione, atque auctoritate convincere. Quòd ſicubi nihilominus te graviùs pupugero, judicabit, ſpero, æquus ac prudens lector, ſic locum ipſum omnino requirere, idque non aliquâ animi mei impotentiâ, ſed ſumma rei, cujus cauſſa te reprehendero, indignitate fieri. Te quidem contumelia afficere, ut mihi ipſi, & cauſſæ, quam acturus ſum, valde inutile foret, ſic à conſilio meo, ut dixi, atque propoſito vehementer abhorret. Decrevi enim, quemadmodum in ipſa cauſſa à te quàm maximè diſſideo, ſic hac in re tui quàm diſſimillimus eſſe, qui non Gregorium modò Paulum, ut dictum eſt, contumeliis oneras, ſed in Racovienſes illos omnes identidem acerbiſſimè invehcris, & tantùm non debaccharis. Non eſt hoc Palæologe (mihi crede) dignum gravitate tua, non eruditione, non rerum uſu, non denique Chriſtiani nominis profeſſione. Nec porrò quidquam eſt, quod, non dicam ipſos adverſarios tuos, ſed alios quoſvis non planè ſtupidos homines, à ſententia tua amplectenda, etiamſi veriſſima eſſet, æquè revocare poſſit, atque indigniſſimi modi, quibus adverſarios accipis, teque adverſus illos tueris. Qua re nihil magis propoſito tuo (ſi modò ejus, quam veritatem divinam eſſe contendis, propagatio tibi cordi eſt) contrarium eſſe poteſt. Sed de hoc ipſe videris. Nos ad id, quod nobis propoſitum eſt, accedamus, & quem ordinem, tibi pro Racovienſibus reſpondendo, ſervaturi ſimus, ante omnia breviter exponamus.

Primùm igitur, quidquid in expoſitione ſententiæ tuæ de bello reprehendenda rectè à Racovienſibus dictum fuerit, quod ad rem, de qua inter vos agitur, maximè pertineat, à reſponſionibus tuis vindicabimus, nec non, ubi opus fuerit, confirmabimus. Deinde præcipua ferè, quæ tu non rectè in illorum ſcripto reprehenderis, explicabuntur. Tum verò reliqua, ſi non omnia, ſaltem potiora, quæ à te pro confirmanda ſententia tua, & adverſariorum refutanda ubique congeſta, & allata fuerint, excutiemus, ac refellemus. Poſtremò inſigniora quædam errata tua, quæ antea attingere commodum non fuerit,ſive in priore tuo ſcripto ſint,ſive in poſteriore hoc, quo adverſus Racovienſes prius illud tutaris, colligemus, & patefaciemus. Quo facto, finis huic noſtræ reſponſioni imponetur. Itaque in quatuor partes tota diſputatio dividetur. In quibus ſingulis exequendis nullum ferè alium ordinem ſequemur præter eum,quem ipſa tua, tuorumque adverſariorum ſcripta nobis ſuppeditabunt, ut ſtatim apparere incipiet. Jamque ad rem ipſam aggrediamur.

RESPONSIONIS
AD
JACOBUM PALÆOLOGUM
pro RACOVIENSIBUS.

Pars prima.

CAPUT I.

DIxerant Racovienſes, ut in initio eorum ſcripti una cum ſcriptis tuis editi pag. videlicet totius voluminis 56 aperte conſtat, ſibi non probari ſcriptum tuum de bello. Primum quidem, quod fictum Chriſtum introducere videretur, deinde vero, quod aliena inſtituta contraria veris à Chriſto ipſo traditis induceret. Tu & hæc duo in unum conjungis, & ais, Racovienſes ad hunc modum adverſus ſententiam tuam argumentari. *Qui aliter interpretatur dicta Chriſti & Apoſtolorum quam ipſe Chriſtus & Apoſtoli ſenſerint, is fictum Chriſtum concionatur & introducit in Eccleſiam Chriſtianorum, & alicua inſtituta à Chriſti doctrina & Apoſtolorum edit. Sed nos (hoc eſt, ſcriptum meum) aliter &c.* Sic enim ad verbum legitur in poſteriore ſcripto tuo pagina 84. Hic primum vides, te adverſariis tuis argumentum iſtud affingere. Quod etiam repetis pagina 88. addens præterea in propoſitione explicanda verba illa, Per incuriam, hoc pacto. *Qui Chriſti verba per incuriam male interpretatur &c.* Quare cum umbra tua pugnas, cum falſam propoſitionem iſtam eſſe, probare contendis. Deinde, etiamſi ad eum modum argumenrati Racovienſes fuiſſent non tamen falſa eorum propoſitio eſſet, ſi modo recte explicetur. Videlicet, ut dictorum Chriſti, & Apoſtolorum, nomine non quidem quælibet ipſorum dicta intelligantur, ſed ea, quæ ad vitæ noſtræ inſtitutionem pertinent, de quibus ſine dubio in univerſa quæſtione agitur. Iis enim male interpretatis, ſive per incuriam, ſive quomodocumque id fiat, fictus Chriſtus omnino inducitur. Quandoquidem is verum Chriſtum non habet, qui ejus, & ipſius Apoſtolorum præcepta, quæ Dei præcepta ſunt, non tenet. *In Chriſto enim Jeſu* (inquit Paulus) Gal. 5 6. *nec circumciſio aliquid valet, nec præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Quæ poſtrema verba alibi ſic effert 1 Cor. 7. 19, *ſed obſervatio mandatorum Dei.* Et Johannes ait 1 Joh. 2. 3. de Chriſto, *In hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervamus. Qui dicit, ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & veritas in eo non eſt.* Verum quomodo Chriſti mandata conſervabit is, qui ea ignorat, & Chriſti, atque Apoſtolorum verba in iis tradendis male interpretatur? Jam Paulus alibi ſic ſcribit. Epheſ. 4. 20. *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Jeſu, deponere vos ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem*, &c. Ex quibus verbis, quemadmodum ex aliis multis ejuſdem Apoſtoli, & aliorum, quorum ſcripta extant, perſpicuum eſt, Chriſtum tunc ſciri, cum ejus præcepta tenentur, ob eamque rem fictum Chriſtum induci, quotieſcumque ejus, aut Apoſtolorum dicta, quæ ad vitæ noſtræ inſtitutionem pertineant, aliter atque ipſi ſenſerint, accipiuntur, & explanantur. Quamobrem inſigni culpa non vacas, cum, iis enumerandis, quibus Chriſti cognitio contineatur, præceptorum ejus nullam facis mentionem, in quibus cognoſcendis potiſſimum ea conſiſtit, & interim multa commemoras, quæ ad Chriſtum quidem aliquo modo pertinent, ſed tamen ad eam, qua opus eſt, Chriſti cognitionem parum omnino, aut nihil attinent. Qualia ſunt, Ubi, quando, ex quibus natus ſit Jeſus, quibuſcum convixerit. Quæ omnia, & his ſimilia Chriſti cognitionem ſecundum carnem reſpiciunt, cujus rei inquiſitio propria carnalium Judæorum, & eorum, qui eis ſimiles ſunt, cenſenda eſt. Namque ii, qui ſpirituales ſunt facti, ut de ſe, & ſui ſimilibus, hoc eſt de iis, qui veram Chriſti cognitionem habent, teſtatur Paulus 2 Cor. 5. 16, non amplius Chriſtum ſecundum carnem noverunt. Nam quid (obſecro) neceſſe eſt, eum, qui Jeſum Dei filium eſſe, & ejus dextra evectum in cælis vivere, Dominum, & Chriſtum, id eſt regem ab ipſo factum, & vivorum, ac mortuorum judicem conſtitutum cognoverit, hunc (inquam) noſſe, eundem Jeſum Bethleemæ in Judæa natum fuiſſe, cum imperio Romano C. Cæſar Octavianus, qui primus Auguſtus dictus eſt, præeſſet, exque Davidis ſtirpe genus ſecundum carnem duxiſſe, cumque Galilæis hominibus, inter quos etiam educatus fuerat, plurimum convixiſſe, & alia ejuſmodi? Numquid idcirco hæc noviſſe neceſſe eſt, quia de Chriſto prædicta fuiſſent, neque is Chriſtus, ſive, ut ſignificantius dicamus, ὁ χριστὸς eſſe poſſit, in quo ea non fuerint? Atqui, primum non omnia hæc ita prædicta fuerunt, ut de iis dubitare nemo poſſit. Deinde iſte, quem diximus, jam ea de Jeſu novit, quæ τῷ χριστῷ tantum conveniunt, & ex quibus vere ſit, ut Jeſus ſit Chriſtus Dei, id eſt rex ille æternus, quem DEUS olim ſe daturum populo ſuo promiſerat. Cætera, quæ modo recenſuimus, in eo etiam, qui Chriſtus Dei non eſſet, accidiſſe poterant, tantum abeſt, ut ea Chriſtum efficiant, & proinde ad veram Chriſti cognitionem pertineant. Quod ſi eorum tamen in Jeſu Chriſti hiſtoria fit mentio, ad majorem rei confirmationem id fit, ut ſcilicet, eum omnes notas habuiſſe conſtet, quæ venturo Chriſto à divinis vatibus, & ipſo Deo attributæ fuerant. Inter quas & iſtæ, ſaltem ex parte, ſatis expreſſæ erant, non quia per ſe ipſæ ad Chriſtum conſtituendum alicujus momenti eſſent, ſed ut haberent homines carnales, ſive animales, venturi Chriſti inde ab ejus ortu indicia quædam carnalia, & ipſorum ſenſui conſentanea, quibus ad ipſum vere poſtmodum cognoſcendum, & amplectendum quaſi manu ducerentur. Sed ad propoſitum revertamur. Non eſt igitur falſa, ut tibi videtur, prior propoſitio ejus argumenti, quod tu adverſariis aſcribis, quia is fictum Chriſtum non inducat, qui ea illi tribuit, quæ tu enumeraſti. Niſi enim ejus mandatorum vera cognitio, quam tu omittis, & quæ in ea propoſitione continetur, retineatur, id eſt niſi Chriſto ea ipſa præcepta tribuantur, & tanquam ab ipſo data agnoſcantur, quæ vere ipſe dedit, nunquam verus Chriſtus habebitur. Aſſumptio etiam, ſive altera propoſitio ejus à te, ut diximus, conficti, & adverſariis aſcripti, ſed recte tamen alioqui (niſi quod, ut mox apparebit, ipſam aſſumptionem non recte explicas) concluſi argumenti veriſſima eſt. Nempe te aliter Chriſti dicta interpretari, quam ipſe Chriſtus, & Apoſtoli ſenſerint. Nam quod ais, ea dicta non ad publicas, ſed ad privatas perſonas pertinere, id nihil ad eam propoſitionem falſitatis convincendam pertinet. Quamvis enim ea dicta ad privatas tantum perſonas ſpectare concederemus, ex iis tamen ſatis aperte probaretur, non licere Chriſtianis bella ge-

rere, & alia facere, quæ tu cuilibet privato concedis, ſive id deinde jubente, aut interveniente magiſtratu intelligas, ſive minus. Præterea, niſi extra rem locutus fuiſſe videri velles, neceſſe eſſet, ut adverſarii ideo potiſſimum aſſererent, te Chriſti dicta perverſe interpretari, quod ea, quæ ille indefinite de omnibus dixiſſet, tu ad privatas tantum perſonas referenda eſſe affirmares. Quare hoc idem nunc dicere non quidem adverſariorum aſſumptionem falſi convincere velle, ſed illud ipſum ſimpliciter negare eſſet, quod in te reprehenderent, & propter quod maxime aſſumptionem illam veram eſſe contenderent. Itaque in eum errorem incideres, quem illis objicis, quod ſcilicet ea, quæ dicunt, probare non curent. Sed jam video, cur ita locutus fueris. Nimirum illud agis, ut oſtendas, te, cum bellum gerere Chriſtianis non permittis modo, ſed etiam mandas, & alia ejuſmodi facis, non propterea contraria inſtituta inſtitutis Chriſti, & Apoſtolorum edere. Cum ea Chriſti, & Apoſtolorum dicta, quæ ab adverſariis citantur, non ad publicas, ſed ad privatas perſonas reſpiciant. Atqui, quod tu, & qui tecum ſentiunt, contraria inſtituta inſtitutis Chriſti, & Apoſtolorum, edatis, id, quamvis à te in ejus argumenti aſſumptione explicatum, aſſumptionis illius tamen pars nullo modo eſſe debet, aut poteſt, cum pars ejus ſit, quod concludendum eſt. Atque ob eam rem, ſi in aſſumptione illa, ſive minore argumenti propoſitione ponatur, ſit ea propoſitio non ſolum unum ex duobus extremis, & medium (ut vocant) terminum, quemadmodum par eſt, contentura, ſed partem etiam alterius extremi, quod ineptiſſimum eſt, & contra omnes dialecticas præceptiones. Quod etiamſi ab adverſariis ipſis, non autem a te factum fuiſſe contenderes, non ideo tamen à culpa liberareris, qui tam fœdum in argumentatione nectenda ipſorum errorem vel non animadvertiſſes, vel ſilentio prorſus præteriiſſes. Mitto, quod ne hac quidem ratione adverſariorum aſſumptionem falſam eſſe probaſſes, cum, ut dictum eſt, concedi tibi poſſit, ea, quæ ipſi ex Sacris Litteris ad eam probandam teſtimonia citant, ad privatas, non autem ad publicas perſonas referri debere, nec tamen ſequatur, in illis bella gerere, & alia id genus, de quibus inter vos controverſia eſt, hominibus Chriſtianis interdicta non fuiſſe, quemadmodum ex iis, quæ infra dicentur, apertius conſtabit.

CAPUT II.

SEd jam, argumento iſto, quod tu Racovienſibus falſo aſcripſiſti, omiſſo, ad ea, quæ adverſus ſcriptum tuum vere ab ipſis allata fuerunt, adque tuas reſponſiones veniamus. Nam ipſe ad te quodammodo rediens, cur te fictum Chriſtum inducere affirment (quod, ut diximus, ab aliena dictorum Chriſti, & Apoſtolorum interpretatione diſtincte, & ſeparatim tibi objiciunt) tandem exponis, & refellere conaris. Dixeras enim in expoſitione ſententiæ tuæ de bello, Chriſtum ante mortem quidem agnum fuiſſe, poſt mortem autem leonem. Hoc ajunt ipſi nihil aliud eſſe, quam duplicem fictumque Chriſtum inducere, ſibique contrarium. Hic tu exclamas, non te, ſed Sacra Biblia nuſquam non expreſſis verbis ea dicere, unde iſta ſententia colligitur. Atque ad id probandum & hic, & alibi permulta congeris: in eoque es totus, ut demonſtres, alium fuiſſe Jeſum Chriſtum à mortuis excitatum, quam fuerit ante mortem, in eo præſertim, quod antea quidem humilis, & injuriarum patiens fuit, nec inimicos ſuos ulciſcebatur, poſtea vero ferox & terribilis factus, de hoſtibus ſuis graves ac dignas pœnas ſumpſit. Nec propterea duplicem eſſe Chriſtum, aut ſibi contrarium, ſed duplicem ejus conditionem eſſe, & unum atque eundum Chriſtum diverſis temporibus contraria tuliſſe, vituperia, & honores. Verum animadvertere debueras, adverſarios tuos exiſtimaſſe, te in argumentatione, ſeu ratiocinatione tua, quæ pro exceptione ad ipſorum argumenta eſſe poſſit, ea voluiſſe dicere, quæ ad propoſitam quæſtionem facerent. Niſi enim ita mutatam Chriſti conditionem poſt mortem fuiſſe dicere velis, ut, quæ antea præcepta Chriſtus de injuriis patienter ferendis cum verbis, tum ſui ipſius exemplo dediſſet, immutata fuerint adeo, ut, quod ante fieri vetuerat, poſtea, ut fiat, permiſerit, aut etiam juſſerit, nihil agis. Atqui, ſi id ſignificant verba tua, cum ais, Chriſtum ante mortem agnum, poſt vero leonem fuiſſe, quis non videt, merito ea à tuis adverſariis reprehenſa fuiſſe, teque duplicem Chriſtum, & ſibi contrarium, ideoque fictum inducere, qui modo unum, modo aliud præcipiat, & cæleſtem diſciplinam illam ſuam, quam, dum in terris verſaretur hominibus propoſuit, poſtquam in cœlis eſt, in aliam quandam terreſtrem mutaverit? Huc autem potiſſimum adverſarios tuos reſpexiſſe, indicant ea verba, quæ concludentes dicunt pag. 59. *Cum ergo iſte Chriſtus novus aliter doceat nunc ſuos hoſtes vincere, quam ille verus cum ſuis Apoſtolis docuit &c.* Quamquam ratiocinationis tuæ, etiamſi ita accipienda eſſet, ut ad propoſitum non faceret, rationem tamen habuiſſe videntur, dum oſtendere conantur, Chriſtum etiam poſt mortem mitem & placidum fuiſſe, ſuoſque inimicos in gratiam recepiſſe. Sic enim breviter reſpondent. Primum negant, Chriſtum poſt mortem ex agno leonem factum fuiſſe. Deinde, etiamſi factus eſſet, hoc nihil ad immutanda ejus præcepta pertinere affirmant. Poſterius hoc ſic elegantiſſime probant. Nam ſi exemplo ſuo Chriſtus, qui poſt reſurrectionem ex agno leo ſit factus, docet nos bellum gerere, & inimicos noſtros ulciſci, expectandum utique eſt, ut & ipſi reſurgamus. *Interim autem, ſicut ille, antequam reſurgeret, agnus fuit, & ſe mactari permiſit, ita & nos agni ſimus, & nos mactari ſinamus potius, quam ut nos ipſos ulla ratione ulciſcamur.* Atque ad hoc tu nihil prorſus reſpondes, quippe qui, quod reſpondeas, nihil invenire potueris. Prius autem illud adverſus probationes tuas non male, ut arbitror, tuentur, atque confirmant. Nam, quod ex Apocalypſi probare niteris, Chriſtum, qui prius agnus fuerat, poſtquam reſurrexit, leonem eſſe factum, Primum ajunt, te non intelligere, quo ſenſu Chriſtus in narratione illa Leo nominetur. Non enim, quia ex agno leo factus carnalem aliquem gladium ſumpſerit, & hoſtes ſuos trucidaverit; ſed quia Satanam, & mortem devicit, poſt reſurrectionem leo eſt dictus. Id quod ex ipſis verbis patet. *Vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Nam eadem ſententia paullo inferius repetitur, & explicatur his verbis Apoc. 5. 5. *Dignus es accipere librum, & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro reges, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Ex quibus appareret, non de alia leonis illius Davidici victoria ſupra ſermonem fuiſſe, quam de ea, quam ſanguine ſuo adeptus eſt, in qua ſcilicet Satanam, & mortem devicit. Namque, ut ſcriptum eſt Heb 2. 14, per mortem abolevit eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt Diabolum. Atque non abſimili ratione etiam ante mortem leo dici poterat, eo quod in Dei forma exiſtens divinas vires exeruerit in dæmonum expulſione, mortuorum reſuſcitatione, & omnium morborum depulſione, tum imperio, cui cedere oportuit inanimata ferociaque elementa, ut ventos, & aquas. Sic enim ipſorum verba habent prædicta pagina 59. quæ tu, ut alibi dicemus, prorſus non intelligis. Deinde affirmant, in Apoca. Chriſtum jam regnantem agnum victorem vocari, & gloriam Deo, agnoque tribui, & thronum. Quæ omnia ex his locis manifeſte probantur. cap. 5. 13. cap. 17. 14. & cap. 22. 1, & 3. Et ſane mirum eſt, cum Chriſtus in ea vaticinatione tricies plus minus agnus nominetur, ſemel autem tantum leo, te ex Leonis appellatione argumentum ejus ſeveritatis duxiſſe potius, quam ex Agni, manſuetudinis, & eum ex agno leonem eſſe factum, ibidem probari, tam confidenter affirmaſſe. Quid quod manſuetudinis, aut

ſeveritatis rationem in appellationibus illis habitam non fuiſſe, id ſatis oſtendit, quod Agno ira tribuitur, ut patet ex cap. 6. 16? Quid quod ne id quidem verum eſt, quod tu aſſeris, unde conſtare putas, eum, qui agnus antea fuiſſet, leonem poſtea factum eſſe, Chriſtum videlicet ibi prius agnum, deinde leonem vocari, ut in fine paginæ 16. & initio 17. diſerte ſcribis? Nam manifeſte leo prius vocatur. Nempe cap. 5. 5. cum agnus nuſquam antea, ſed ſequente verſu primum nominetur. Neque vero opus eſt ad ea reſpondere, quæ in reſponſione tua pro explanatione complurium locorum Apoc. in quibus Chriſtus agnus etiamnum vocatur, quaſi paraphraſtem agendo, ſcribis. Satis eſt enim oſtendiſſe, Chriſtum alia ratione, quam tu putas, ibi ſemel leonem appellatum fuiſſe. Ex quo quidquid in explanatione illa tua adverſus ea, quæ modo à me dicta ſunt, continetur, prorſus corruit, atque diſſolvitur. Addunt præterea adverſarii tui, Chriſtum naturam non mutaſſe, etiamſi commutata habeat probra in gloriam. Quod profecto ſatis eſſe poteſt pro reſponſione ad ea omnia, quæ tu latiſſime perſequeris, ut Chriſti conditionem adeo mutatam fuiſſe doceas, ut leo ex agno factus fuiſſe dici poſſit. Non enim poſt reſurrectionem minus natura mitis minuſve placidus Chriſtus factus eſt, quam ante fuiſſet, nedum ut ſævus & ferox ex pacifico & manſueto evaſerit, quemadmodum agni, & leonis tranſlationes iſtæ præ ſe ferre videntur, etiamſi non modo ſummum imperium, quod antea non habuerat, poſtea ſit adeptus, verum etiam hoſtes ſuos, quod antea non fecerat, poſtea ſit ultus. Nam, cum adhuc in terris ageret, nondum ejus inimicorum ſcelera eo pervenerant, quo poſtea pervenerunt, ut omnino punienda, ac vindicanda eſſent. Quandoquidem ſcelus illud omnium maximum, quodque alia graviſſima multa vel arguebat, vel in ſe continebat, ipſum Chriſtum rejiciendi, utque ſuper ſe regnaret, recuſandi, non ante perfectum, & conſummatum fuit, quam poſt Chriſti reſurrectionem ipſum ab ejus Apoſtolis ſibi prædicatum, & ipſorum dominum, ac regem, Deo mirandis id operibus in ejus nomine factis atteſtante, declaratum, nihilominus repudiarunt, ac rejecerunt. Quod vel ex eo patet, quod ipſorum punitio, hoc eſt excidium Hieroſolymitanum, eorumque, qui ex tanta clade ſuperfuerunt, per orbem terrarum diſperſio, non antea extitit, quam plane ipſos Chriſti jugum poſt Apoſtolorum prædicationem abjeciſſe, ſeu ferre noluiſſe, conſtaret.

Ad hæc, quæ hactenus à nobis adverſus dictum illud tuum, quod Chriſtus, qui ante mortem agnus erat, leo poſtea factus fuerit, de Racovienſium mente, & ipſo ſcripto relata, & explicata fuerunt, nihil ſimiliter à te reſpondetur. Nam quæ de loco illo, *Qui, cum in forma Dei eſſet &c.* Phil. 2. 6. & de Satana à Chriſto ſuperato ſcribis, pro reſponſione haberi non poſſunt, cum inde appareat, te adverſariorum nec mentem percepiſſe, nec verba curaſſe, ut in ſecunda hujus laboris noſtri parte planum faciemus. Eam tantummodo hac in re eorum reſponſionis partem attingis, in qua, exemplis in medium prolatis, Chriſtum etiam poſt reſurrectionem, & acceptam poteſtatem in hoſtes ſuos clementem ac mitem fuiſſe, demonſtrare conantur, & quidquid hic ab illis dicitur, hoc enthymemate contineri autumas, *Chriſtus multos ſuos hoſtes reſipiſcentes recepit in gratiam, Ergo Chriſtus non eſt ultus ſuos hoſtes.* Quod argumentum magnæ inſcitiæ damnas, atque ad hunc modum refellere inſtituis pagina 92. *Hoſtes Chriſti pœnitendo ex palea parata incendio, fiebant frumentum, quod in horreum Dei erat reponendum. Sed hoc quid impedit ne reliquam paleam, poſtquam cribro bene diſcuſſiſſet frumentum, conjiceret, is qui ventilabrum tenebat, in ignem inextinguibilem?*

Verum, Palæologe, adverſariorum argumenti vis non in eo eſt, quod Chriſtus reſipiſcentes hoſtes ſuos in gratiam receperit, ut tu in enthymemate iſto ex eorum verbis formando exiſtimaſſe videris; Sed in eo, quod homicidis ſuis, etiam poſt reſurrectionem, veniam ultro obtulerit, & poteſtatem in gratiam ſecum redeundi fecerit. Quamvis enim receptionis in gratiam tantummodo meminerint, id ſine dubio brevitati conſulentes fecerunt, ut eodem tempore non fictam illam veniæ oblationem fuiſſe, ſed ex animo factam, & non oblatam modo, ſed etiam re ipſa præſtitam veniam ſignificarent. Quod etiam ſatis perſpicuum eſt ex illis ipſorum verbis, quæ ſtatim ſequuntur pagina 58. *Et eandem gratiam omnibus ubique Judæis & gentibus in nomine ſuo prædicari juſſit.* Legantur verba Petri, Chriſti Apoſtoli, & propterea ejus nomine ipſius homicidas ad pœnitentiam agendam invitantis. Ait enim Act. 3. 13. *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum, glorificavit filium ſuum Jeſum, quem vos tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & petiiſtis virum homicidam donari vobis. Autorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos videtis, & noſtis, confirmavit nomen ejus, & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrûm. Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri. Deus autem, quæ prænunciavit per os omnium Prophetarum, pati Chriſtum ſuum, implevit ſic. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, &c.* Potuitne unà cum decente quadam gravitate mitius loqui, aut efficacius eos ad pœnitentiam invitare, quantaque erga ipſos eſſet Chriſti clementia, ſimul oſtendere? Nam, quanta poteſtate Jeſus ille, quem ipſi interemiſſent, jam præditus, Dei voluntate eſſet, recente etiam teſtimonio ejus divinæ potentiæ docuit, & confirmavit, Eorum peccatum in ipſo occidendo quale, quantumque fuiſſet, ſimul oſtendit, ipſiſque ob oculos poſuit. Deinde vero, ne de venia deſperarent, quidquid ad illud ex parte aliqua excuſandum afferri poterat, attulit. Ac poſtremo ſpem certam veniæ, & receptionis in gratiam propoſuit. Equidem videre non queo, quomodo ſe mitiorem, aut clementiorem ſuis hoſtibus præbere potuerit Chriſtus, quam præbuit, qui cum ipſis interfectoribus ſuis tam placide, tamque benigne egerit. Quorum etiam reſipiſcentiam quadraginta perpetuis annis expectaverit. Tot enim, annos atque eo amplius, ab ejus morte ad Hieroſolymæ excidium numerari, nemo eſt, qui neſciat. Quod ſi nec illis, nec aliis impœnitentibus, ut ais, poſt reſurrectionem unquam pepercit, ne ante reſurrectionem quidem, quamvis tu aliter ſentias, id feciſſe, vel ſcribitur, vel veriſimile eſt. Certe cum, antequam moreretur, patrem rogaret, ut interfectoribus ſuis ignoſceret, cauſſam addidit, *Quia*, inquit Lucæ 23. 34, *neſciunt quid faciant*, eandem ſcilicet cauſſam, ob quam per Petrum Apoſtolum eiſdem poſt mortem ſpem veniæ fecit Actor. 3. 13, & propter quam, ut omnem clementiam in ſe Chriſtus oſtenderet, ſui miſertum fuiſſe, ait Paulus 1 Tim. 1. 13. Ut facile intelligas, eadem prorſus ratione ignoſcendi hoſtibus ſuis uſum fuiſſe Chriſtum poſt mortem, qua ante uſus fuerat, nec impœnitentibus magis ante, quam poſt mortem, ab ipſo ignotum fuiſſe. Itaque vides, germanam adverſariorum enthymematis aſſumptionem, quæ eſſe debuerat, *Chriſtus, poſteaquam à mortuis reſurrexit, ipſis interfectoribus ſuis veniam obtulit*, & veriſſimam eſſe, & rectiſſime ex ea concludi, quod ipſi volunt. Nempe Chriſtum poſt mortem ex agno leonem non eſſe factum, id eſt manſuetudinem, & clementiam erga ſuos hoſtes non depoſuiſſe, quam ante illis oſtenderat, neque earum loco iram, ferociamque ſumpſiſſe, ut tu affirmas. Non autem ſimpliciter, Chriſtum non eſſe ultum ſuos hoſtes, quemadmodum tu, fucum rudi lectori faciens eos loquentes inducis. Quaſi illi ſimpliciter negent, Chriſtum poſt mortem de hoſtibus ſuis juſtas pœnas ſumpſiſſe. Quod aliquando tandem factum fuiſſe, ipſa luce eſt clarius. Etſi enim pagina 58. negare videntur, à Chriſto etiam poſt reſurrectionem aliquas ultiones (ut ipſi loquuntur) factas fuiſſe, tamen

id ita accipiendum eſt, ut ad eas ultiones referatur, quas multa manſuetudo, atque patientia una cum aperta & conſtante veniæ promiſſione conjuncta non anteceſſerit, quemadmodum ex ipſorum verbis perſpicuum eſt. Quare jam ſatis conſtare poteſt, id verum eſſe, quod ab initio diximus, te adverſariis tuis multa affingere, eorumque mentem ſæpe aliter, ac deceat, interpretari, ea minime percipientem, quæ ab ipſis vel pro ſe, vel contra te in medium afferuntur. Sed hæc ex iis, quæ infra dicentur, adhuc apertius conſtabunt.

Jam vero abunde patere arbitror, recte à Racovienſibus in priore tuo ſcripto reprehenſum fuiſſe, quod affirmaveras, Chriſtum poſt mortem leonem ex agno factum fuiſſe, nec te eorum objectiones tuis reſponſionibus attigiſſe, nedum, ut debueras, diluiſſe. Quamquam quid eſt, cur tantopere, ut falſitatem tui illius dicti coarguamus, laborandum ſit nobis? Quid quæſo (quod ad propoſitam quæſtionem pertinere poſſit) tibi vis, cum ais, Chriſtum poſt mortem ex agno leonem eſſe factum? Numquid, eum præcepta humilitatis, & patientiæ, quæ ante mortem dederat, mutaſſe? Atqui iſtud nec probabis unquam, nec ullo modo veriſimile eſt, cum, ut dictum fuit, & duplicem, & ſibi contrarium Chriſtum inducat. Nunquid, non poſſe nos ex Chriſti, dum hic viveret, humilitate, atque patientia documenta ſumere injurias nobis illatas patienter ferendi, & omnem ſpiritus elationem vitandi, cum nunc in cœlis vivens ille non amplius humilis & manſuetus, ſed ferox & injuriarum impatiens ſit? Sed neque hoc, ut oſtendimus, verum eſt, nec, ſi eſſet, quidquam ad rem faceret, cum alia ſit conditio Chriſti in cœlo regnantis, & noſtrum in terris adhuc ſub cruce ejus voluntate gementium, Chriſtumque, & ejus facta imitari debeamus, non, cum longe alius factus eſt, atque nos ſimus, ſed, cum talis fuit, quales nos hodie ſumus. Illud ſcientes, nos, niſi, quemadmodum olim is in hoc ſtatu noſtro injurias omnes patientiſſime tulit, ſic adverſus eos, qui nos quantalibet injuria affecerint, mites & humiles ſimus, ad eum ſtatum, in quo ipſe nunc eſt, minime perventuros. Quinetiam eo perveniendi viam potiſſimam hanc eſſe, ut & injuriis afficiamur, & affligamur, & perſecutionem patiamur, quemadmodum hæc Sacra Teſtimonia nos docent Rom. 8. 17. Actor. 14. 21. & 2 Tim. 3. 12, præter innumerabilia alia, ex quibus eadem ſententia elicitur. Quorum omnium loco eſſe poteſt id, quod ipſe Chriſtus dixit Matth. 10. 24. Johan. 15. 20. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Etſi enim hæc dicens, Apoſtolos alloquitur, tamen rationes, quas ſui dicti affert, aperte demonſtrant, non ad ipſos Apoſtolos tantum, ut etiam pleraque alia, ſed ad omnes Chriſtianos illud pertinere, cum nemo Chriſtianus non ſit Chriſti Diſcipulus, nemo non ſit Chriſti ſervus. Verum id ſine dubio tibi vis (Nam ſic ipſe pagina 151, & deinceps te explicas) non eſſe à Chriſti perſona, dum hic ageret, exemplum pro magiſtratibus ſumendum, cum is tunc privatus eſſet, ſed poſtquam in cœlum aſcendit, & magiſtratus eſt factus. Itaque quemadmodum ipſe magiſtratus factus gladium exereet, & ſceleratos homines, ſibique rebelles perdit, ac ſevere ulciſcitur, ſic ejus exemplo magiſtratibus licere fontes interficere, atque hoſtes ſuos graviter ulciſci.

At vide, quam graviter erres, præſertim ſi (ut non dubium eſt, quin velis) hujus rationis vi privatis hominibus ex magiſtratus auctoritate bella gerere, & injurias ſuas vindicare licere, concludendum eſſe vis. Nam de hoc potiſſimum inter te, & Racovienſes controvertitur, ut ex ipſo priore ſcripto tuo, in quo primum iſtam agni Chriſti in leonem mutationem excogitaſti, manifeſtum eſt Primum enim non ejuſdem conditionis ſunt ii, quos Chriſtus perdit, atque ulciſcitur, & ii, quos hodie à magiſtratibus interfici, & in quos vindicari Chriſti exemplo ab ipſis poſſe contendis. Illi enim perditæ ſpei homines ſunt, animique deplorati. Hi vero plerumque vel commiſſa ſcelera deteſtantes, ac reſipiſcentes, aut certe ita præ ſe ferentes, vel de quibus adhuc ſpes haberi poteſt, ut ex hoſtibus amici fiant. Huc accedit, quod novit quidem Chriſtus hominum corda, & idcirco qui pro deſperatis habendi ſint, facile intelligit. At magiſtratus, quomodo aliquem pro deſperato habendum eſſe, ſtatuere poterit, cum vix ſuum ipſius cor recte noverit? Deinde conſiderandum eſt, Chriſtum in gladio exerendo errare non poſſe, quippe in quem nulla nec ignorantia, nec malitia cadere poſſit, & cui nemo, niſi ſumma cum injuria, hoſtis, aut contumax eſſe queat. At vero civilis magiſtratus vel ob ignorantiam, vel ob malitiam injuria aliquem gladio ferire poteſt, & injuſte bella aut ſuſcipere, aut defendere, cum fieri poſſit, ut quis jure optimo illi hoſtis, aut contumax ſit. Alioqui cum (exempli gratia) duo reges bellum invicem gererent, neuter ipſorum errare poſſet, & modo alter alterius hoſtis eſſet, utrique alterum tanquam hoſtem ſuum Chriſti exemplo ulciſci, ac perdere liceret. Quo nihil abſurdius excogitari poteſt. Cum neceſſe omnino ſit, alterutrum ſaltem peccare, eum ſcilicet, qui injuſtam cauſſam habeat. Nam ut uterque juſtam habeat cauſſam, id nempe fieri nullo modo poteſt. Plura in hanc eandem ſententiam dici poſſent. Sed hæc pauca ſatis erunt, non quidem ut civili magiſtratui (ne hic quiſquam calumnietur) gladium exerere non licere, ſed ut Chriſti in cælo regnantis exemplum ad noſtros magiſtratus ea ratione, qua à te fit, minime accommodari poſſe, appareat. Quare jam ulterius progrediamur.

Fac enim, civili magiſtratui idcirco & fontes interficere, & cum hoſtibus bella gerere licere, quod Chriſtus ſcilicet, poſtquam magiſtratus factus eſt, & peccatores perdat, atque è medio tollat, & cum inimicis ſuis bella gerat, quid hoc (rogo) ad privatos Chriſtianos, quibus interdictum eſt non modo, ne occidant, ſed etiam ne contumelia quemquam afficiant, quibuſque mandatum fuit, ut bene faciant inimicis ſuis? Num illis concedetur, jubente magiſtratu, Deo non obedire, & homines interficere, aut magiſtratus auctoritate, & poteſtate contra Chriſti præceptum ad ulciſcendas propias injurias abuti? Inveniet ſine dubio magiſtratus alios prærer veros Chriſtianos, qui belligerare non dubitabunt, & ſatis habebit, ſi ipſe vel ex officio, vel alio quopiam acculante, in eos, qui injuriis alios afficiunt, animadvertere jure poſſit, quamvis interim ii, qui injuria ſunt affecti (ita Chriſto jubente) taceant, & damnum potius patiantur, quam alteri ulla ratione malum, aut periculum creent. Imitabitur magiſtratus Chriſtum, ſi Chriſti exemplo bella gerere, & ulciſci hoſtes voluerit. Is enim bellum Judæis juratis hoſtibus ſuis, quique ſe interfecerant, illaturus, in eoſque vindicaturus, non Chriſtianos delegit, ſed Idololatras, Veſpaſianum, & Titum. In quorum exercitu univerſo ne unus quidem Chriſtianus fuiſſe legitur. Quod certe multo aliter fuiſſet, ſi Chriſtus poſt mortem exemplo ſuo juſtum bellum (à Chriſtianis videlicet militibus gerendum) approbare voluiſſet, ut tu pag. 18. ſcribis. Quos enim magis decere videbatur Chriſti injurias ulciſci, quam ipſos Chriſtianos, aut quod bellum magis vel juſtum, vel etiam pium excogitari poteſt, quam id, quod pro Domini ac regis ſui, atque adeo ſummi benefactoris, qui pro ſe vitam ipſam profuderit, honore, & gloria adverſus teterrimos & immaniſſimos hoſtes ſuſcipiatur, qui per ſummum ſcelus eum innocentiſſimum ſupplicio, ac morte omnium maxime deteſtabili affecerint, & vitæ datorem ſpreverint, atque rejecerint? Quid quod Chriſtus, æternus noſter ac cæleſtis dominus, & rex eſt, cujus honore, & gloria ipſius Dei gloria continetur? Cum igitur in omnium ipſis Chriſtianis convenientiſſima & juſtiſſima belligerandi cauſſa, non Chriſtianorum, ſed Idololatrarum opera uti Chriſtus voluerit, concludendum eſt, nullum eſſe tam juſtum bellum, quod Chriſtianum populum deceat, & debere

civilem

civilem magiſtratum, ſi hac in re Chriſtum imitari velit, non ex veris Chriſtianis, ſed ex aliis hominibus ſibi exercitum comparare, tantum abeſt, ut Chriſti exemplo Chriſtianos homines ad bellum gerendum adigere aut poſſit, aut debeat.

Jamque tandem, ut arbitror, intelligi poteſt, ex illis duobus, quæ Racovienſes tuo ſcripto objecerant (quidquid tu contra reſponderis) veriſſimum eſſe prius illud, videlicet duplicem, & fictum quendam Chriſtum ibi deſcribi, ſi modo, quæ dicis, cum vis, eum poſt mortem ex agno leonem eſſe factum, ad propoſitam inibi quæſtionem de bello à Chriſtianis gerendo aliqua ratione pertinent. Nunc ad alterum deveniamus, &, quod ſcriptum tuum aliena inſtituta ab iis, quæ Chriſtus ipſe tradidit, inducat, adverſus reſponſiones tuas tueamur, & rectiſſime ab illis dictum fuiſſe, demonſtremus.

CAPUT III.

QUoniam igitur Racovienſes, ut oſtenderent, idcirco tuum ſcriptum aliena inſtituta iis, quæ Chriſtus ipſe tradidit, introducere, quia Chriſtus ſuos pacificos, & humiles eſſe jubeat, nec malum malo rependere, aut vim vi repellere, adeo ut ne per magiſtratum quidem ſuas injurias eos ulciſci permittat, cum ſcriptum tuum è contrario, Chriſtianos bella quidem gerere poſſe, ac debere velit, in ipſiſque homines interficere, apud magiſtratum vero jus ſuum ſecundum leges quantovis cum adverſarii malo perſequi, Quoniam, inquam, ut hoc Racovienſes oſtenderent, ea ipſius Chriſti dicta, atque præceptum potiſſimum protulere, quæ habentur Matthæi cap. 5. videndum eſt, quomodo tu prædicta teſtimonia diluere tentes. Duplici igitur ad id via uteris. Primum negas, ea omnia præcepta ad omnes Chriſtianos pertinere, ſed Apoſtolis tantum, & verbi miniſtris data fuiſſe ais. Deinde longe aliam eorum ſententiam eſſe, quam adverſarii putent, nec ejuſmodi, quæ ſcripto tuo refragetur, demonſtrare aggrederis, idque rurſus duplici ratione. Nam & generatim omnia ſic interpretanda eſſe vis, ut tuæ ſententiæ non officiant, & ſingulatim unum quodque examinans, vel ex verbis ipſis, vel ex aliis conjecturis nullum ex illis tuo ſcripto adverſari, planum facere conaris. Itaque primum videamus, quibus rationibus, aut indiciis, ſive argumentis probes, ea præcepta ſolis Apoſtolis, & verbi miniſtris data à Chriſto fuiſſe.

In initio igitur explanationis illius tuæ in quinctum, ſextum, & ſeptimum capita Mathæi, pag. videlicet 100, & 101. hoc primum indicium affers, quod apud ipſum Matthæum, ſed paullo clarius (ut tibi quidem videtur) apud Lucam ſcriptum eſt, Chriſtum ad diſcipulos ſuos ſermonem ſuum convertiſſe. *Ut intelligeretur* (inquis) *orationem ad Apoſtolos, miniſtros ſcilicet verbi Dei dirigere.*

Hic, antequam aliud dicamus, monendus eſt lector, te pro conceſſo id ſumere, de quo vehementer dubitatur, immo, quod falſum eſſe, pluribus modis evinci poteſt, Lucam videlicet cap. 6. eandem eodem tempore habitam Chriſti concionem narrare, quam Matthæus cap. 5. exponere incipit. Cum tamen diverſas has duas conciones fuiſſe, plane diverſæ utrobique circumſtantiæ aperte doceant, & quæ à Luca narratur, multo poſt fuiſſe habitam, totius hiſtoriæ apud utrumque Euangeliſtam ſeries oſtendat. Ex quo illud neceſſario conſequitur, cum Chriſtus eam concionem habuit, quam Matthæus exponit, & de qua nominatim nobis agendum eſt, Apoſtolos nondum ab ipſo conſtitutos fuiſſe, tantum abeſt, ut ad ſolos Apoſtolos orationem ſuam dirigere potuerit. Veruntamen, ut exceptionis tuæ vanitas evidentius appareat, dabimus tibi utrumque Euangeliſtam eundem prorſus Jeſu Chriſti ſermonem exponere voluiſſe. Id quod etiam (quando fortaſſis vulgo opinio iſta recepta eſt) in reliqua univerſa diſputatione tacite ſemper ponemus. Atque jam aliis rationibus ea, quæ hoc loco dicis, refellere aggredior.

Itaque primum, judicio meo, in eo falleris, quod in ipſo narrationis quaſi veſtibulo, Lucæ verba tibi magis favere credis, quam Matthæi, cum immo contrarium cenſeri debeat. Matthæus enim dicit aperte, Chriſtum diſcipulos, qui ad ipſum acceſſerant, docuiſſe. Lucas vero tantummodo ait, ipſum, elevatis oculis in diſcipulos, dixiſſe, *Beati pauperes*, &c. Matthæus ſcribit, Jeſum, cum vidiſſet turbas, aſcendiſſe in montem. Lucas vero narrat, univerſam turbam quæſiiſſe, ut eum tangeret. Quis igitur non videt, ex verbis Lucæ, Chriſti ſermonis recitationem antecedentibus, multo magis dubitari poſſe, ne Chriſtus, licet diſcipulos intueretur, ad turbas tamen quoque verba ſua dirigere voluerit, quam ex Matthæi, præſertim cum in initio cap. ſequentis dicat Lucas ea verba, *Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures populi?* Quod Deinde ſatis oſtendit, quamvis, Matthæo atteſtante, Chriſtus diſcipulos ſuos docere inſtituiſſet, voluiſſe tamen, contra quam tu ſentias, ut reliquus etiam populus, qui circumſtans omnia ejus verba audiebat, ex illis doctrinam ſibi ſalutarem haurire poſſet, quippe quæ ad omnes, qui ipſum ſequi vellent, ex æquo pertineret. Cur enim alioqui populi omnia audientis Lucas mentionem feciſſet? An non tu ipſe pag. 119. aperte ais, Chriſtum turbis, ut audirent, doctrinam ſuam propoſuiſſe? Quod idem pag. 118 innueras in illis verbis, *Audiſtis, inquit, vos duodecim diſcipuli mei atque adeo vos omnes*, &c. Sed quid dico? Nonne ipſe Matthæus deinde apertiſſime ſcribit, Chriſtum in ea concione ipſas turbas docuiſſe? Chriſti enim univerſo ſermone expoſito, illico adjungit, *Et factum eſt, cum conſumaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.* Nam pronomen Eos, quod αὐτοὺς in Græco eſt, turbas referre, cæci ipſi videre poſſunt. Præſertim cum in Græco Turbæ non feminini, ut in Latino, ſed maſculini ſint generis, numeroque plurali, ne ulla tergiverſatio tibi relinquatur, enunciatæ fuerint, & dictum οἱ ὄχλοι Et tamen tu (neſcio qua fronte, nullo certe judicio) ut pronomen illud diſcipulos referre poſſit, eadem Matthæi verba recitans pag. 118. poſt vocem *hæc* ipſis de tuo addis, atque interſeris verba illa, *docens, ſcilicet diſcipulos ſuos.* Itane vero ſimplici ac rudi lectori imponere ſtudens, & ſacri ſcriptoris verba, quæ diſerte, turbas eo ſermone à Chriſto doctas fuiſſe, ajunt, ita additamentis tuis corrumpere, ut ſolos diſcipulos ſuos Chriſtum docuiſſe dicere videantur, nihil plane erubeſcis? Et hæc volo eſſe pro prima reſponſione ad primum iſtud indicium tuum.

Secundo reſpondeo, te non leviter labi, qui Diſcipulorum nomine eo in loco Apoſtolos tantum, & verbi Dei miniſtros intelligi putes. Plurimi enim erant diſcipuli Chriſti præter Apoſtolos. Nam ex diſcipulis Apoſtolos Chriſtus ſelegerat, ut patet Luc. 6. 13. nec dum alii, præter duodecim illos, fuerant ab ipſo verbi miniſtri deſignati. Nam ſeptuaginta illos poſtea creatos fuiſſe, teſtis eſt idem Lucas in initio cap 10. 17. Atque idem pariter teſtatur, cum Chriſtus eum ſermonem habuit, non illos duodecim modo, ſed turbam Chriſti diſcipulorum, hoc eſt ingentem eorum numerum adfuiſſe, ſeu mavis reliquos diſcipulos, quibus, quia præ illis duodecim vulgares diſcipuli dici poterant, ὄχλοι, ſeu Turbæ nomen accommodet. Cum igitur uterque Euangeliſta Diſcipulorum ſimpliciter mentionem faciat, non ſunt illi duodecim duntaxat intelligendi, qui ſoli, ut dictum eſt, Apoſtoli, & verbi miniſtri erant. Alioqui, contra manifeſtam veritatem, nullos alios diſcipulos præter illos duodecim Chriſtum habuiſſe, vel certe ibi præſentes fuiſſe, ſequeretur. Quod ſi velis, Diſcipulorum nomine κατ' ἐξοχὴν ſolos Apoſtolos ſignificari, reſpondeo, vel id nuſquam factum fuiſſe, niſi, ubi ex præcedentibus de ipſis ſolis ſermonem eſſe conſtabat, vel, ſi alicubi præterea factum fuit, nihil eſſe, cur hic quoque idem factum fuiſſe ſtatuamus, niſi pleriſque aliis in locis, immo fere ubique id fiat. Præſertim quod, ſi ullo in loco parum

veriſimile eſt, id factum fuiſſe, certe hic eſt, ubi id narratur, quod præſentibus aliis diſcipulis tunc fieri contigit, cum vix duodecim illi ab aliis ſelecti eſſent, immo cum à Matthæo ejus ſelectionis nondum mentio aliqua facta fuiſſet. Qui Matthæus tamen, etiam poſtquam ejus rei apertam mentionem fecit, cum de Apoſtolis illis loquitur, ſimplici Diſcipulorum nomine non eſt contentus; ſed addit Duodecim, ſive Undecim, ut cap. 10. 1. cap. 20. 17. cap. 26. 20. & cap. 28. 16: atque id ipſum alicubi facit, ubi minime erat opus, & ex ante dictis conſtabat, de duodecim illis eſſe ſermonem, ut cap. 11. 1. Patet igitur, ex eo, quod Chriſtus ſolos Diſcipulos allocutus ſit, non ſequi, cum ſolis Apoſtolis, & verbi Dei miniſtris ipſum fuiſſe locutum. Diſcipuli Chriſti ab Euangeliſtis, ut nominis ipſius notatio poſtulat, ii omnes appellantur, qui ejus diſciplinæ adhærebant, præſertim ſi id palam præ ſe ferrent, adeo ut etiam ab ipſo, id eſt, ab iis, qui jam ejus diſcipuli erant, baptizarentur, ut colligi poteſt ex Joh. cap. 4. 1, quamvis verbo DEI annunciando deſtinati ab ipſo non fuiſſent. Nam & Joſephus ab Arimathæa Joh. 19. 38, qui non tantum verbo Dei annunciando ab ipſo deſtinatus non erat, ſed neque etiam palam ejus diſciplinæ adhærebat, diſcipulus Chriſti appellatur. Hinc cæcus ille natus, cui viſum Chriſtus reſtituerat, ait Judæis de Chriſto Joh. 9. 27: *Numquid & vos vultis ejus diſcipuli fieri?* Quod certe nihil aliud eſt, quam Numquid & vos ejus doctrinam amplecti vultis? Propterea reſpondent ipſi, *Tu illius diſcipulus ſis, nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.* Vereor, ne in re apertiſſima pluribus confirmanda ineptus eſſe videar. Quare jam huic ſecundæ reſponſioni finem imponam.

Tertio reſpondeo, etiamſi tibi concederetur, Chriſtum ad ſolos Apoſtolos, & verbi Dei miniſtros orationem direxiſſe, nec, ut cæteri tunc vel audirent, vel intelligerent, curaſſe, non tamen continuo ſequi, id, quod tunc eos docebat, ad alios pertinere noluiſſe. Quin immo, cum perſpicuum ſit, non pauca ex iis, quæ in perpetuo eo ſermone dixit Chriſtus, ad vitæ, & morum inſtitutionem, & correctionem attinere, non quidem Apoſtolorum, ſed aliorum, ut ea præſertim magna ex parte ſunt, quæ cap. 7 continentur, ubi tu in explanatione tua pag. 187 aperte fateris, verba illa, *Hypocrita, ejice primum*, &c. ad Apoſtolos quidem dici, ſed ad Scribas, & Phariſæos torqueri, nullo modo dubitandum videtur, quin, ſi ſolis Apoſtolis eum locutum fuiſſe velimus, ipſos ea docuerit, quæ illi deinde cæteros docere, non autem, quæ ipſi tantum præſtare deberent. Nec ſane veriſimile eſt, etiamſi omnia, quæ in concione illa Chriſtus dixit, ipſis Apoſtolis, quos ſolos allocutus eſſet, accommodari poſſent, tam longo ſermone, idque publice, & in tanta frequentia, ad ipſos duntaxat inſtituendos eum uſum fuiſſe, & non potius ſummam quandam totius doctrinæ Euangelicæ eis propoſuiſſe, ac tradidiſſe, quæ ad omnes audientes pertineret, quibus, & eorum ſimilibus ipſi aliquando, munus ſuum exequentes, eam vel annunciare, vel in memoriam redigere poſſent. Nam, ut cætera multa omittam, & de iis tantum dicam, quæ quinto cap. ſcripta ſunt, in quo ea omnia leguntur, quæ ad inſtitutam diſputationem attinent, quis tam hebes eſt, quin videat, præceptum illud de divortiis, quamvis eo ipſi quoque Apoſtoli tenerentur, non propter ipſos præcipue, qui, cum huc illuc vagaturi eſſent, & per univerſum orbem terrarum ituri, vix de uxore habenda cogitare poterant, datum fuiſſe, ſed propter cæteros, qui domi manentes uxoribus ducendis, & liberis procreandis operam darent, quos ipſi ad eam normam Chriſti nomine inſtituerent? Niſi fortaſſe velimus, eo præcepto Chriſtum Apoſtolos privatim monere voluiſſe, ne ad Euangelium prædicandum profecturi, cum uxoribus, quas, jam tum, cum ipſe loqueretur, haberent, ut ſe illis liberarent, divortium facerent, quod & nimis incommodum eſſet eas ſecum ducere, & grave ſolas domi relinquere, neve eam ſatis juſtam cauſſam eſſe putarent, cur illas dimittere, ac repudiare poſſent. Quæ mentis Chriſti interpretatio quam coacta ſit, nemo non videt, ideoque à nobis cuilibet legenti per ſe refutanda relinquetur. Quid vero illud eodem capite 5: *Si ergo offers munus tuum ad altare*, &c. Quid item illud, quod ſequitur: *Eſto conſentiens adverſario tuo*, &c. (ſi modo proprie, ut tu fere facis, non autem metaphorice ea verba accipienda ſunt) quid, inquam? nonne ad eos, qui domi degunt, & negotiis ſæcularibus implicantur, omnino pertinent, ad ipſos vero Apoſtolos, qui & peregrinantur, & à mundanis commerciis alieniſſimi ſunt, vix, aut ne vix quidem? Sed præſtat tui-ipſius teſtimoniis te convincere. Sunt enim hæc verba tua in initio pag. 116: *neceſſe eſt ut non ad vitæ mores ſermo Chriſti dirigatur, quod eſt privatorum, ſed ad doctrinæ inſtitutionem, quæ eſt doctorum & miniſtrorum.* Et pag. 119, modum explicans, quo Chriſtus hic ſuam doctrinam proponit, ais: *Et turbis quidem ut audiant, diſcipulis autem ut alios inſtituant.* Si igitur ſermo Chriſti non ad vitæ mores dirigitur, ſed ad doctrinæ inſtitutionem, ſi ſuam doctrinam Chriſtus diſcipulus proponit, ut ipſi alios inſtituant, profecto ea, quæ in ſermone hoc dedit, præcepta, etiamſi ipſos ſolos Apoſtolos alloquutus eſſet, non ad reformandos ipſorum mores, ſed ad doctrinam illis dandam, quam aliis proponerent, omnino pertinerent. Certum igitur eſſe debet, indicium, ſive argumentum iſtud tuum primum, quo uteris ad oſtendendum, ſolos Apoſtolos omnibus illis Chriſti præceptis, quæ prædicto cap. 5 Matthæi extant, alioſque Dei verbi miniſtros teneri, quod ſcilicet cum ſolis diſcipulis locutus tunc Chriſtus fuiſſe legatur, vel plane commentititium eſſe, vel non ejuſmodi, ut aliquid momenti habere poſſit. Sed jam ad alia ejus rei argumenta, & rationes tuas veniamus.

Secundo loco rationem affers ex ipſis primis Chriſti verbis deſumptam. *Beati pauperes Spiritu &c.* Primum enim dictum iſtud de pecuniarum, ſeu fortunæ bonorum (ut ipſe loqueris) paupertate accipis pag. 101. Deinde pag. 102 ſic argumentaris (cum prius & populum, & paſtores agnos nominaſſes) *Si agni, hoc eſt, paſtores, & agni, hoc eſt, populus moneretur pauper fieri, cui juberetur ut agnos, hoc eſt, ſuos paſtores aleret? Cum enim nullus militet ſuis ſtipendiis, ſi populus tenetur milites alere, neceſſe eſt populum propria poſſidere. Paupertas igitur hæc miniſtrorum eſt verbi*, &c.

In hac tua mirum quam acuta argumentatione tripliciter peccare videris. Primum, quod de qua, ſeu cujus generis paupertate Chriſtus loquatur, non intelligis. Deinde, quod monitionem, id eſt præceptionem credis eſſe eam, quæ non eſt. Poſtremo, quod, ſi tamen monitio eſt, qualis ea ſit, non percipis. De quibus ſingulis diſpiciendum erit.

Putas igitur, ut de primo peccato videamus, Chriſtum de fortunæ bonorum paupertate loqui. Sed nonne in ejus verbis aperte legis, quam pauperratem intelligat? Neque enim Pauperes ſimpliciter dixit, ſed Pauperes Spiritu, id eſt, qui non ſunt inflati, aut ventoſi, quique Spiritum (nam ne Latini * quidem ab hac vocis Spiritus ſignificatione abhorrent) humilem atque exilem habent, hoc eſt animo non ſunt elati, ſed ſeipſos demittunt, & cæteris inferiores ſibi eſſe videntur, aut certe pro talibus ſe gerunt. At enim tu verbum Spiritu non ad paupertatis genus refers, nec cum verbo Pauperes conſtruis, aut omnino conjungis, ſed paupertatem ſimpliciter, & ob eam rem proprie, & ſecundum verbi frequentiſſimam ſignificationem intelligis, id eſt, ut dictum fuit, fortunæ bonorum. Paupertatem tamen, quæ Spiritu contingat, id eſt voluntarie. Hæc enim verba tua ſunt prædicta pag. 101. *Dicuntur autem pauperes, ſeu pauperes ſpiritu, deſtituti fortunæ bonis; ſed voluntarie, ſive ut ita ſis firmus ne abneges, quam noſti veritatem Dei, quod eſt pauperem eſſe Spiritu. Sicut apud Jacobum cap. 2. & Heb. cap. 10. legitur: ſive ut*

* Cæſ. de bello civili comm. 3. His rebus tantum fiduciæ, ac ſpiritus Pompeianis acceſſit, ut non de ratione belli cogitarent, ſed victiſſe jam ſibi viderentur.

aliis

aliis, &c. In quibus verbis ſane videris tuam iſtam interpretationem duobis illis divinis teſtimoniis confirmare velle. Atqui in poſteriore teſtimonio, nempe ejus cap. 34. quem locum ſine dubio intelligis, nec Pauperis, nec Spiritus nomen eſt ſcriptum. In priore vero extat quidem Pauperis nomen, ſed non Spiritus. Verum ſuſpicor, quid, iis teſtimoniis citandis, tibi volueris. Nimirum, de eo genere pauperum, quod tu hic intelligis, ibi mentionem fieri. Sed aliter omnino loquendum tibi fuerat, quemadmodum omnes animadverſuros ſpero. Adde, quod in poſteriore quidem loco iſtorum pauperum fit mentio (liquidem tuum illud *voluntarie* non Plane ſua ſponte, ſive Quia ſic ipſi per ſe omnino velint, interpretor, ſed Æquo animo, & libenter, aut etiam, cum gaudio) At in priore quis idem affirmare audeat, ubi ad Jacobi ſcopum id neceſſarium non eſt, ſed ſatis eſt, eos, de quibus loquitur, pauperes & contemptos eſſe, ſive id ipſi æquo animo ferant, ſive non? Cur autem nomen Pauperes apud Matthæum ſimpliciter, quod ad ipſam paupertatem attinet, & proprie acceperis, in cauſſa, ut apparet, fuit, quod apud Lucam Pauperes ſimpliciter legitur. Nam te id probe animadvertiſſe, oſtendunt ea tua verba, *pauperes*, *ſeu pauperes Spiritu*. Sed interim fortaſſe non ſatis animadvertiſti, apud eundem Lucam, eodem loco beatos dici, qui eſuriunt, ſimpliciter, ut de cibi inopia, & propria eſurie ſermo eſſe videatur, cum tamen apud Matthæum de alio eſuriei, ſeu famis genere Chriſtum locutum fuiſſe conſtet. *Beati* (inquit) *qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*. Quamobrem, ſicut illis apud Lucam verbis, *Beati, qui eſuriunt*, addendum ex Matthæo eſt, *juſtitiam*, ut non de panis, ſeu cibi, ſed de juſtitiæ fame verba fieri intelligamus, ita & illis, *Beati pauperes* addendum eſt, *Spiritu*. Ut non de fortunæ bonorum, ſed de Spiritus, id eſt animi elationis paupertate Chriſtum locutum fuiſſe ſciamus. Nec vero huic noſtræ rationi obſtat, quod apud Lucam deinde in antitheſibus illis dicitur, *Væ vobis divitibus, quia habetis (ſeu recipitis) conſolationem veſtram*, unde perſpicuum eſſe poſſit, ſicut de veris & propriis divitiis, ſic de vera & propria paupertate Chriſtum agere. Nam in iiſdem antitheſibus dicitur etiam, *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*. Ubi de vera & propria ſaturitate Chriſtus loqui videtur, cum tamen, ut ex Matthæo planum fecimus, non de vera & propria fame loquatur. Quamquam non ſecus, atque ſaturatos eos Chriſtus appellare potuit, qui ſat ſibi juſtitiæ habere videntur, eamque non appetunt, cujus fame deinde conficientur, divites quoque potuit illos vocare, qui adeo elati ſunt animo, ut ſe alios omnes inferiores ducant, & propterea feliciſſimi ſibi eſſe videantur. Præter quam conſolationem, id eſt animi jucunditatem, non eſt, quod aliam ſperare poſſint. Ut ſcilicet inter Lucam, & Matthæum nulla ſit prorſus diſcrepantia, ſed omnia plane conveniant. Non diſſimulabo tamen, antequam ad alia tranſeamus, me interpretationem, quam ſequor, eorum verborum, *pauperes Spiritu*, quæ Græce habent, οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, aliquanto alacrius (ut ita dicam) ſecuturum, ſi ſcriptum eſſet οἱ πτωχοὶ πνεύματι, non adjuncto videlicet articulo nomini πνεύματι. Quamquam fieri poteſt, ut vox πτωχοὶ, ſeu Pauperes idem hic ſignificet, quod humiles. Hebræi enim & Pauperem, & Humilem vel plane eodem, vel certe paullulum immutato nomine appellant. Quod ſi eſſet, recte omnino articulus nomini πνεύματι adjunctus fuiſſet, ut Pſal. 33. in Græca verſione v. 19. κύριος τοὺς ταπεινοὺς τῷ πνεύματι σώσει. Ex quo loco præterea intelligi poteſt (id quod etiam ex quibuſdam aliis conſtat) Spiritus nomen eo ſenſu, in quem nos hoc loco ipſum accipimus, in Sacris Litteris uſurpari. Sed jam alterum argumentationis tuæ peccatum explicemus.

Dicebam, te in ea argumentatione pro præcepto id accipere, quod non eſt. Non enim, ut ex verbis ipſis patet, dum ait Chriſtus, *Beati pauperes ſpiritu*, alicui præcipit, ut pauper ſpiritu ſit, ſed tantummodo, qui talis fuerit, eum beatum eſſe prædicat. Quemadmodum, cum deinde ait, *Beati, qui lugent*, nemini præcipit, ut lugeat, ſed tantummodo, ſi quis lugeat, (ea nimirum de cauſſa, quam facile erat intelligere) hunc beatum eſſe pronunciat. Nemini igitur ibi mandat Chriſtus, ut pecuniam ſuam omnem ultro abjiciat, & ſua ſponte pauper fiat. Sed ſi contigerit, ut quis propter Euangelium pecuniis privetur, bono eum animo eſſe jubet. Si modo (ut tu quidem in tua argumentatione ſumis) non ſolum de paupertate loquitur bonorum, & pecuniæ, ſed etiam ipſammet paupertatem, non autem alacritatem tantum ad paupertatem, ſi opus fuerit, ſuſtinendam intelligit. Qua de re mox videbimus. Atqui, niſi ii, quibus Chriſtus loquitur, in illis verbis, *Beati pauperes Spiritu*, jubeantur reipſa pauperes eſſe, diſſolvitur penitus argumentatio tua, nec ulla cauſſa eſt, quamobrem ad ſolos Apoſtolos, & verbi Dei miniſtros, eum idcirco verba direxiſſe velis, quod ſi non ipſi paſtores tantum, ſed populus quoque pauper eſſet, non haberet populus, unde paſtores aleret. Quod tamen, ut tibi videtur, fieri omnino neceſſe eſt.

Poſtremum in argumentatione tua peccatum erat, quod ſi tamen in Chriſti verbis monitio erat, ſeu præceptio, qualis ea eſſet, non recte in ipſa explicabatur. Id autem verum eſſe dicimus, etiamſi de pecuniæ paupertate Chriſtus omnino loqueretur. Non enim moneret, aut præciperet Chriſtus, ut re ipſa pauperes eſſent ii, quos alloquebatur, & propterea, ſi qua bona haberent, ea protinus abjicerent, quemadmodum in tua argumentatione ſumitur, ſed tantummodo, ut omnia potius relinquere parati eſſent, quam à ſancto accepto inſtituto unquam deficere. Cujus rei nullum locupletius, aut firmius teſtimonium, vel argumentum volo, quam tua ipſius verba ſupra citata. In quibus duos locos ex Sacris Literis proferens, ubi eorum mentio fiat, qui pauperes ſpiritu ſint, alterum ex iis facis caput 10. ad Hebr. Ibi enim nulli commemorantur, qui ultro bona ſua abjeciſſent, ſed tantum qui direptionem bonorum ſuorum cum gaudio accepiſſent, quod profecto ab aliis rapta fuiſſe bona, non autem ab ipſis ultro abjecta, declarat. Atque ob hanc cauſſam ſupra dicebam, adverbium Voluntarie in explicatione tua verborum Chriſti nihil aliud, meo judicio, ſignificare, quam Æquo animo, & libenter, aut etiam, cum gaudio, non autem Plane ſua ſponte. Nam alioqui nihil ad rem faceret locus ille. Et certe, niſi Pauperem ſpiritu eo modo, quo nos fecimus, interpretemur, & pecuniæ paupertatem ea appellatione omnino ſignificari velimus, nulla convenientior interpretatio excogitari poteſt, quam, ſi Pauperem ſpiritu eum eſſe dicamus, qui etiamſi multam pecuniam habeat, ſi tamen ejus ſpiritum ſpectes, quæ ea pars eſt in nobis, qua conſulto eligimus, & de rebus ad vitæ noſtræ inſtitutum pertinentibus deliberamus, pauper cenſeri debet, id eſt, eam pecuniam non habere. Quippe qui eam non amet, nec tanti faciat, quin eam relinquere, ſi opus fuerit, ſemper ſit paratus, neque ad vitæ ſuæ inſtitutum eam pertinere ſtatuat. Et ſicut iſte, quamvis bonis affluens, pauper tamen ſpiritu dici poteſt, ita, qui divitias non habens, eas appetit, ſpiritu pauper dici non debet. Sed hæc hactenus. Nam etſi multo plura tuæ illi argumentationi objici potuiſſent, tamen nimis multa ea, quæ ad illam convellendam attulimus, cuipiam fortaſſis videri poterunt. Præſertim cum unico verbo id præſtari potuiſſet. Quandoquidem, quicquid hoc loco Chriſtum de fortunæ bonorum paupertate præcepiſſe contendas, id omnibus, qui ejus diſcipuli eſſe velint, ab ipſo præceptum fuiſſe, fatearis neceſſe eſt, cum Luc. cap. 14. ad finem idem Chriſtus, turbas alloquens, dixerit, neminem ex ipſis ſuum diſcipulum eſſe poſſe, niſi omnibus, quæ poſſideret, renunciaſſet.

Tertio loco argumentum profers his verbis (ea ſunt ad finem pag. 106. & in initio 107.) *Mutatio etiam perſonæ ex tertia, ipſorum eſt regnum cælorum, in ſecundam, Beati eſtis, declarat, ſermonem hunc totum ad Apoſtolos præ-*

Præſentes pertinere, ſed quem ad alios qui ſucceſſuri eſſent muneri Apoſtolico deduci & tranſferri neceſſe eſſet.

Hoc tuum argumentum jam ſatis dilutum eſt in reſponſione ad primum. Ubi oſtendimus, non modo præter Apoſtolos, alios diſcipulos, & turbam ipſam præſentem, & Chriſti verba audientem fuiſſe, verum etiam Chriſti ſermonem ad omnes diſcipulos directum fuiſſe. Ut quidquid Chriſtus in ea concione dixit, omnino ad eos omnes pertineat, qui ejus diſciplinam amplecti velint. Siquidem, ut oſtendimus, diſcipulus Chriſti eſt, ut nomen ipſum declarat, quiſquis Chriſti diſciplinam amplectitur.

Quarto ex eo argumentari videris, quod ait Chriſtus, *Vos eſtis Lux mundi*, &c. Quaſi hinc manifeſte appareat, ad eos ſolos verba fieri, qui doctrina Euangelii cæteris prælucere debebant. Sed meminiſſe debueras, alibi eos etiam, qui miniſtri verbi non ſunt, ſi ſancte, & innocenter vivant, luminaria quædam mundi appellari. Paulus enim ad Philippenſes ſcribens ſic eos monet Phil 2. 15, *Omnia facite ſine murmurationibus, & diſceptationibus, ut ſitis irreprehenſi & ſinceri, filii Dei inculpati, in medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucete, ut luminaria in mundo.* Annon ipſe Chriſtus, cur eos, quos alloquebatur, lucem mundi appellaſſet, aperte indicat, cum poſtmodum ait, *Sic luceat Lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt?* Cui conſentiens Petrus ait 1 Pet. 2. 12, *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.* Non igitur de luce doctrinæ potiſſimum hoc loco, ſed de luce bonorum operum loquitur Chriſtus, quam tu quoque agnoſcis. Propter quam, ut ex Paulo oſtendimus, mundi luminaria homines ea prædiți appellantur, & ex qua ſola, ut ex Petro liquet, is finis conſequitur, propter quem monet Chriſtus eos, quibus loquitur, ut, poſtquam lucendo deſtinati fuerunt, unde Lux mundi vocantur, lucere etiam coram hominibus velint. Qui finis illuſtratio, & amplificatio eſt divinæ gloriæ. Quare nihil cogebat, hoc loco lucem doctrinæ, id eſt Alios viam ſalutis verbo docendi, cum luce bonorum operum, id eſt Scientiæ ejus viæ, & per eam inceſſus, conjungere, ut tu facis. Qui pag. 111. ita ſcribis, *Sicut autem bona vita miniſtri ſine doctrina regni cælorum caret luce:* &c. Quod multo aliter ſe habet. Nam bona vita ſive miniſtri, ſive unius de populo per ſe, & ab Euangelii prædicatione ſeparata, luce non caret. Immo, ut Pauli, & Chriſti verba nos docent, ipſa eſt, quæ maxime lucet. Præſertim vero in iis hominibus, qui cæteris præſunt, & tanquam in editiore quodam & magis conſpicuo loco ſunt poſiti, cujuſmodi certe ſunt verbi miniſtri. Et tu ipſe in fine pag. antecedentis ais, miniſtros verbi debere bona vita lucere, ut lucent bona doctrina. Et pag. 112. ſic Chriſtum loquentem inducis, *Ob hanc cauſam volo, ut una cum bona doctrina luceat Lux bonorum operum veſtrorum.* Atque etiam in priore ſcripto pag. 9. hæc tua verba leguntur, *Miniſtrorum enim erat prælucere populo, luce obſervationis legis divinæ.* Quod ſi, cum ais, bonam miniſtrorum vitam ſine doctrina regni cælorum luce carere, ea verba, *ſine doctrina regni cælorum*, (ut quidem videtur) pro eo, quod eſt Cum doctrina mala & regno cælorum contraria, vel non conſentanea, dixiſti (quanquam ſic unum diceres, aliud ageres, id enim ſcilicet perſuadere curas, bonam vitam in iis, qui non docent, lucem non eſſe ſeu luce carere, ut ad eos verba Chriſti non pertinere probes) primum dico, vix ac ne vix quidem inveniri poſſe, qui bene vivat, & male doceat, quamvis multi inveniantur, qui bene docent, & male vivunt. Nam quomodo poterit is bene vivere, qui artem bene vivendi non teneat, aut, ſi tenet, aliis eam invideat? Nonne, ut viam ſalutis docere præſtantiſſimum factum eſt, & inter bona opera Deoque grata numerandum, ſic eam dedocere turpiſſimum, atque inter peſſima opera Deoque maxime inviſa recenſendum? Non igitur bene vivere poteſt quis, & ſimul mala doctrina alios imbuere. Deinde, etiamſi aliqua ratione fieri poſſet, ut idem male doceret, qui bene viveret, dico tamen, eam bonam vitam luce non carituram. Non minus enim moventur homines exemplo, quam doctrina bona ad viam ſalutis capeſſendam. Quod etſi tunc demum videtur eſſe verum, cum utrumque ſimul conjunctum eſt, tamen, cum ea mala doctrina, quæ ab homine vere probo tradetur, nunquam in Dei, Chriſtique mandatis, quibus veram probitatem docemur, pervertendis verſatura ſit (alioqui probus non eſſet) tunc etiam ſine dubio ad veram probitatem, & porro ad viam ſalutis ingrediendam bonum illius hominis exemplum populum permovebit. Sed quid amplius laboro, ut oſtendam, bonam vitam per ſe, & ab Euangelii prædicatione ſeparatam in ipſis miniſtris lucere, ſive efficere, ut lux illorum luceat, cum tu ipſe præter ſupra recitata verba tua ſic pag. 113. ſcribas? *Cum ad Apoſtolos vero Miniſtros regni cælorum dirigatur tota oratio, qui non ſolum facere Dei legem debent, ut luceat lux illorum coram hominibus, viſis illorum bonis operibus, ſed etiam alios docere*, &c. Hic profecto, cum dicas, *ſed etiam alios docere*, manifeſtum eſt, te in ipſis verbi Dei miniſtris lucem bonorum operum, de qua ante locutus fueras, à doctrinæ luce, quam tamen hoc loco lucem non appellas, ſeparatam conſiderare. Quin etiam tu ipſe tibi parum conſtans alibi, id eſt pag. 201, in tua Chriſti verborum paraphraſi, lucem eorum, ad quos Chriſtus loquebatur, bona opera interpretaris, nulla prorſus bonæ doctrinæ facta mentione. Patet igitur, ut ad rem redeamus, non ad ſolos verbi miniſtros Chriſtum verba ſua convertiſſe, cum ait, *Vos eſtis Lux mundi*, ſed ad eos omnes, qui ſcientia divinæ voluntatis inſtructi cæteris exemplo ſuo ad æternæ ſalutis viam prælucere poterant. Idem autem dictum volo de verbis illis, *Vos eſtis ſal terræ*, &c. Quæ non verbi miniſtris tantum, ſed omnibus Chriſti diſcipulis convenire affirmo, quod verum eſſe intelliget, quiſquis finem cap. 14. Lucæ tantummodo ſemel legerit, quidquid tu in explanatione tua dicas, ut ea Apoſtolis, quatenus Apoſtoli ſunt, accommodes.

Quinto loco, Chriſti univerſum ſermonem ad ſolos miniſtros regni cælorum pertinere, ex illis verbis probari exiſtimas, *Qui autem fecerit, & docuerit*, &c. Pergens enim in explanatione tua ſic ſcribis in fine pag. 112, & ſeq. initio, *Fecerit & docuerit: quia miniſtris regni cælorum leges dabat, id ita loquitur. Nam privatis loqueretur ſi tantum diceret qui ſolverit, qui fecerit.* Itaque putas, ex eo, quod iis verbis uſus eſt Chriſtus, quibus id continetur, quod ſimul totum ad ſolos verbi miniſtros pertinet, ipſis etiam ſolis eum locutum fuiſſe, aperte conſtare. Nam alioqui, ſi privatis loquutus eſſet, eam partem tantum dixiſſet, quæ ad eos pertineret. Hancque tuam argumentationem adhuc clarius explicas paullo poſt, his verbis, *Tantum, inquam, dicere: fecerit & ſolverit, ſi privatis daturus eſſet mandata.* Deinde, iis adjectis, quæ in reſponſione ad ſuperius argumentum recitavimus, *cum ad Apoſtolos* &c. ita concludis, *proin concludendum eſt, ad eos qui à Deo mittuntur miniſtri ut doceant & colant Eccleſiam, totum hunc ſermonem (cum dicit, fecerit & docuerit) pertinere.*

Equidem, Palæologe, in hac tota argumentatione tua acumen tuum deſidero, præcipue vero cum ais: Si Chriſtus privatis daturus eſſet mandata, dicturum tantum Fecerit, & ſolverit, nec additurum ſcilicet Docuerit, & aliter docuerit. Quaſi vero vel nos contendamus, Chriſtum ſolis privatis mandata dediſſe, vel neceſſe ſit, ſi privatis dedit, cæteris non dediſſe. Quid enim vetat quominus utriſque & privatis, & miniſtris ſimul præcepta dare potuerit, atque duo dixerit, quibus utroſque complexus fuerit, quamvis ad alteros utrumque, ad alteros vero unum eorum tantum pertineat? aut quid opus eſt ad hoc, ut demonſtretur, eum privatis dediſſe mandata (hoc enim à nobis quæritur) ipſis ſolis dediſſe, ſeu miniſtris non dediſſe, oſtendere?

At enim inquies, vim argumentationis tuæ in eo eſſe quod,

quod, cum Chriſtus duo ſimul conjunxerit, ſimulque conjuncta requiſierit, Facere, & Docere, itemque Solvere, & Aliter docere, id quod in privatis haberi nequit, ſatis intelligi poteſt, Chriſti ſermonem ad privatos directum non fuiſſe, nec ad ipſos ulla ratione pertinere.

Reſpondeo primum, te non ita explicite loqui, & univerſam vim argumenti tui in eo videri ſtatuiſſe, quod ſi privatis daturus fuiſſet Chriſtus mandata, unius tantum ex illis duobus, ejuſque contrarii mentionem feciſſet. Quod à te minus recte concluſum eſſe, jam demonſtratum eſt. Deinde, te in eo falſum eſſe affirmo, quod putas, quia Chriſtus conjunctiva particula Et uſus fuerit, duo illa ſimul conjuncta ab ipſo requiſita fuiſſe. Quandoquidem haud raro ea particula non verba, inter quæ ponitur, ſed ſententias conjungit, nimirum quia aliquid, quod in antecedente ſententia, vel ſententiæ parte expreſſum eſt, tacite repetit. Exemplaque paſſim ſunt obvia. Unde factum eſt, ut vulgo traditum fuerit, particulam Et interdum pro Aut uſurpari. Et ſane hoc loco id factum fuiſſe apertiſſimum eſt. Namque ait Chriſtus, *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Jam enim ex verbo *fecerit*, quod in ſubſequente antitheſi verbo *ſolverit* ſine dubio opponit, atque ex ipſa explanatione tua apparet, ac confitendum tibi eſt, Solvere à Chriſto pro Non facere uſurpatum fuiſſe. Quod ſi verum eſt, ut profecto eſt, certiſſimum eſſe debet, particulam Et hoc loco non illa duo verba, inter quæ poſita eſt, in unam ſententiam conjungendi, ſed duas ſententias copulandi, & ſub uno verbo comprehendendi vim habere, repetito videlicet tacite pronomine Qui, hoc pacto, *Qui ſolverit, & qui docuerit ſic homines*, atque perinde eſſe, ac ſi dictum fuiſſet, Qui ſolverit, aut docuerit ſic homines. Alioquin ſequeretur, niſi quis ſimul & non faciat, & non facere doceat unum ex illis minimis mandatis, non fuiſſe Chriſti verbis comprehenſum. Cum tamen res ipſa nos moneat, nihil aliud dicere Chriſtum voluiſſe, quam ſive quis non fecerit, ſive non facere docuerit unum ex minimis Dei mandatis, futurum iſtum minimum in regno cœlorum. Quod teipſum vix negaturum crediderim. Nam etſi Regnum cœlorum Euangelii prædicationem interpretaris, tamen certum eſt, teipſo, ut vidimus, teſte, in iis, qui Euangelium prædicant, & bonam vitam, & ſanam doctrinam à Chriſto ſimul requiri, & Deum, ut ipſe in principio pag. 111. affirmas, eos miniſtros execrari, qui bona vita carent, quamvis bonam doctrinam habeant, & væ dici illis, qui alterutro ſunt privati. Quapropter merito, qui alterutro iſtorum careat, minimus in Euangelio prædicando dici poteſt. Neque enim verbum Minimus hoc loco in ſua propria ſignificatione accipiendum eſt, ſed idem cenſendum, ac ſi Parvus dictum fuiſſet, quemadmodum ex oppoſito in antitheſi verbo Magnus perſpicuum eſt. Minimum autem, non Parvum dixit Chriſtus, alludens ad id, quod dixerat, *unum de iſtis minimis mandatis.* Quæ tu quidem quodammodo animadvertis, ſed, dum Minimum pro Parvo dictum fuiſſe, docere debueras, contra facis, & Magnum pro Maximo dictum eſſe ſcribis. Quod ſi is, qui vel bona vita, vel ſana doctrina caret, minimus, hoc eſt, ut docuimus, parvus in prædicando Euangelio dici poteſt, certe, niſi tu nos fallis, quicumque unum ex illis mandatis non fecerit, parvus erit in Euangelii prædicatione. Vis enim eum, qui talis eſt, bona vita carere. Sic enim pag. 113. pronuncias, *Qui minima legis, quæ facilia ſunt obſervatu, deſerit, magnorum etiam deſertor eſſe convinci poteſt.* Sed quid dicemus de eo, qui ſana doctrina careat? Num parum liquet, iſtum, etiamſi bonam vitam eum habere poſſe velimus, tamen Euangelio miniſtrando plane ineptum eſſe, & propterea non parvum modo ea in re, ſed minimum etiam recte vocari poſſe? Atqui nequaquam ſanam doctrinam, id eſt ſalutarem, is habere dicetur, qui vel unum ex minimis Dei mandatis, docendo, pervertat, illudque ne faciat, populum moneat. Nam, ut ait Jacob. 2. 10, Qui in uno peccat, factus eſt omnium reus. Itaque, ut ad propoſitum revertamur, ſatis apparet, Chriſtum voluiſſe dicere & eum, qui ſolvat unum de minimis Dei mandatis, & eum, qui ſic doceat homines, minimum, id eſt, parvum, vocatum iri in regno cælorum, etiamſi regnum cælorum id eſſet, quod tu putas, niſi forte dicamus, hæc quidem vera eſſe, ſed hoc loco à Chriſto dicta non fuiſſe. Quod quam ſit veriſimile, judicabunt omnes. Præſertim cum, ſi ita res ſe haberet, non ſolum ea, quæ & veriſſima erant, & ejus propoſito maxime conſentanea, reticuiſſet, verum etiam, ea reticendo, falſa eſſe indicaſſet. Nam, ſi tantum dixiſſet, eum parvum vocatum iri in regno cælorum, qui & non feciſſet, & ſimul alios, ne facerent, docuiſſet, certe non male concludi potuiſſet, eum, qui in alterutro duntaxat iſtorum peccaſſet, in regno cælorum minime parvum futurum.

Sed dices fortaſſe, quæ diſſerui de verbis illis, *Qui ergo ſolverit, & docuerit ſic homines*, admitti poſſe, niſi ſequerentur in antitheſi verba illa, *Qui autem fecerit, & docuerit*, quibus interpretatio mea particulæ Et accommodari non poteſt. Si enim Chriſtus dixiſſet, Qui fecerit, & qui docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum, falſum dixiſſet. Nam ſine dubio non ſatis eſt docuiſſe, ni quoque feceris, nec rurſus, ſi verbi Dei miniſter es, ſatis eſt feciſſe, ni ſimul docueris.

Reſpondeo, Chriſtum ſermonis brevitati, & concinnitati pariter ſtuduiſſe, utque antitheſis hæc eleganter ſuperiori theſi reſponderet, curaſſe. Cumque duo hominum genera, qui ſui diſcipuli aut jam eſſent, aut futuri eſſent, alloqueretur, unum eorum, quibus faciendi onus tantummodo incumbebat, alterum eorum, qui & facere, & docere debebant, cum, ſi plene loqui voluiſſet, dicendum fuiſſet, Qui autem ſi docendi munus habeat, fecerit, & docuerit, ſin minus, fecerit; ut hanc verborum prolixitatem quandam vitaret, dixit conciſe quidem, ſed venuſte, *Qui autem fecerit, & docuerit*, atque eodem tempore verbis antecedentis theſis, *Qui ergo ſolverit, & docuerit ſic homines*, ut in antitheſibus fieri convenit, ad unguem reſpondit, auditori ea addenda relinquens, quæ ob prædictas cauſſas, tanquam indubitata, ipſe omiſerat. Quis enim ex auditoribus cum manifeſtum ſit, miniſtros verbi Dei non tantum docere, ſed facere etiam, quantumvis minima, Dei mandata debere, populum autem facere duntaxat, non Chriſti verba, ut nos antea fecimus, per ſe ipſe ſupplere potuit?

Sed vereor, ne jam longiores, quam par ſit, videamur in interpretatione noſtra verborum Chriſti confirmanda. Præſertim cum unico verbo ad argumentum reſpondere poſſimus, negantes, cum Chriſtus ita locutus eſt, rationem auditorum habuiſſe, quippe qui obiter iſta dixerit, calumniam depellere curans, quam ſibi propter multa, quæ mox dicturus erat, impendere videbat. Nempe quod legem ſolvere, & abrogare vellet. Ait igitur, tantum abeſſe, ut ipſe id facturus venerit, ut quiſquis ſeu factis, ſeu dictis id unquam, vel minima quidem ex parte, tentaverit, ſua ſententia nullius pretii futurus ſit in regno Dei. Qui autem contra fecerit, magni æſtimandus ſit in eo regno. Unde apparet, fruſtra quæri, ad quoſnam eorum, qui ibi præſentes eſſent, Chriſti verba illa pertinerent, cum pars inſtituti ſermonis non ſint, & potius ad ſe purgandum, quam ad auditores docendos à Chriſto dicta, & accommodata fuerint.

Sexto & ultimo loco ſub finem pag. 196. eam Jeſu Chriſti ſimilitudinem, ſeu comparationem explanans, qua in extrema ſua concione, quid de iis omnino cenſendum eſſet, qui, ipſius præceptis auditis, ea exequerentur, demonſtrare voluit, ad ea verba, *Et deſcendit pluvia*, &c. ſic annotas. *Hinc patet eum totum ſermonem directum eſſe ad Apoſtolos. Nam deſcenſus pluviæ irruptio fluminum, flatus ventorum, commotio turbinum, tribula-*

tiones ſignificant quas fert miniſter, &c. Si hujus tuæ argumentationis errores, turpeſque fallacias oſtendere velim, nimis profecto ſim longus. Quare ſatis erit eam tuis ipſius verbis manifeſte refellere. Addis enim illico, *& una cum miniſtro populus, doctrinam miniſtri complectens.* Si igitur, te ipſo teſte, non miniſter tantum, ſed populus quoque miniſtri doctrinam complectens iſtis tribulationibus eſt obnoxius, quomodo ex ipſis tribulationibus totum ſermonem ad Apoſtolos directum eſſe, & ſic ad miniſtros tantum pertinere, argumentari audes?

Hactenus ea exponere, ac refutare libuit, quæ à te in medium allata, vel etiam indicata fuerunt, ex quibus probari credas, ſermonem à Chriſto, ut Matthæus narrat, in monte habitum non ad alios pertinere, quam ad Apoſtolos, & verbi Dei miniſtros. In quibus explicandis ſicubi moroſiores viſi fuerimus, non ægre feret, ſpero, benignus lector. Maximi enim momenti in tota ipſa quæſtione, ac diſputatione eſt recte cognoſcere, ad quos is Chriſti univerſus ſermo pertineat. Quandoquidem adverſarii tui, ut dictum eſt, (nec quidem immerito) ex eo ſermone potiora ſuæ ſententiæ argumenta eliciunt. Quod tu animadvertens, totis viribus multo aliter, atque ipſi faciunt, accipiendum, & interpretandum eſſe, docere conaris. Et idcirco locorum, quos illi potiſſimum ſibi favere arbitrantur, examinatione non contentus, orationem illam univerſam, in qua pleraque ſunt, quæ nihil ad rem faciunt, explanare voluiſti, id que duplici modo magna ex parte. Nam partem illam, in qua aliquid difficultatis eſſe putaſti, non commentario tantum, ut reliqua omnia, ſed paraphraſi quoque illuſtrare voluiſti. Quanquam, modo id evinceres, de quo hucuſque actum eſt, ad ſolos videlicet verbi miniſtros Chriſti verba referenda eſſe, uno ictu adverſariorum ſententiæ validiora fundamenta convelliſſes. Quamobrem nobis non mediocriter laborandum fuit, ut, argumenta, & rationes, quibus id demonſtrari poſſe exiſtimas, nihil momenti ad eam rem habere planum faceremus.

Quinetiam, antequam aliud agamus, monitos lectores volumus, in tota illa Chriſti concione quædam pauca eſſe, quæ magis Apoſtolis, quam cæteris Chriſti diſcipulis convenire videantur. Quale eſt illud cap. 5. 12 *Sic enim perſequuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Hic enim omnino videtur cum Apoſtolis tantum loqui, qui Prophetis in Dei verbo miniſtrando ſucceſſuri erant Verum, ut diximus, hoc quidem ſic videtur, ſed non eſt. Nam, ut ſupra oſtendimus, indubitatum eſt, Chriſtum non Apoſtolos tantum, ſed diſcipulos ſuos omnes allocutum fuiſſe. Ad quos Prophetarum exempla, qui perſecutionem à populo ſuſtinuerunt, aptiſſime accommodantur. Sicut enim illi, ſic iſti, ut Deo magis obedirent, quam hominibus, à populo ſuo, à ſua ipſorum gente affligi æquo animo ferre debebant, idque eo magis, quod illis plerique iſtorum comparandi non erant. Si enim Dei vates ipſi nobiliſſimi à viliſſima plebe, ut Deo obediant, perſecutionem pati, & turpiter contemni, ac rejici non recuſant, quanto magis id facere debent ii, qui nullo ſingulari munere ſibi à Deo injuncto ab hominum vulgo ſunt ſeparati? Fuerunt igitur hi poſt illos, non quidem quia illis in munere divinæ voluntatis annunciandæ ſucceſſerint, ſed quia non ſolum tempore (quo pacto ſimpliciter fortaſſe quiſpiam verba illa, *ante vos*, interpretaretur, nam & apud Lucam ſcriptum eſt Luc. 6. 23. *Hæc enim faciebant Prophetis patres eorum)* illis poſteriores fuerunt, verum etiam eos, tanquam duces, & præmonſtratores quoſdam, in hominum injuriis patienter ferendis habuerunt, ſibique ea in re præcedentes imitari debent. Nam eadem hac ratione eos etiam, qui verbi Dei miniſtri non erant, ad patientiam adhortandi utitur auctor Epiſtolæ ad Hebræos ad finem cap. 11. exemplum videlicet afferens antiquorum Prophetarum, qui variis modis à populo, ejuſque principibus deluſi, vexati, cæſi, atque interfecti fuerunt, variiſque calamitatibus acti, nuſquam, ubi conſiſterent, habuerunt. De antiquis enim Prophetis ibi locutum fuiſſe auctorem illum, & vetus Sacra Hiſtoria nos admonere poteſt, & tu ipſe confiteris, ſeu potius contendis in priore tuo ſcripto pag. 6. in fine. Accedit eo, quod, cum Chriſtus exemplum afferre vellet eorum, qui ante eos, quos alloquebatur, id eſt ſub Lege, perſecutionem à ſuis propter juſtitiam in populo Dei paſſi eſſent, neceſſe habuit Prophetarum exemplum adducere. Namque iſtis ſolis, nec præterea aliis, id contigiſſe, aut veriſimile erat, aut certe in ſacra legebatur hiſtoria.

Ad ſolos præterea Apoſtolos ea Chriſti concionis verba pertinere videntur, quæ leguntur cap. 7. 6. *Ne date ſanctum canibus*, &c. Non prædicandum enim Euangelium eſſe indignis, & in veritatem divinam contumacibus, omnino dicere videtur Chriſtus. Atqui Euangelii prædicatio propria eſt Apoſtolorum, & eorum, qui illis ſucceſſerunt. Verum animadvertendum eſt, duplicem eſſe Euangelii prædicationem, publicam, & privatam. Publica Apoſtolorum, & eorum, qui illis ſucceſſerunt, eſt propria. Privata vero eſt communis omnium Chriſtianorum. De utraque autem locutum fuiſſe Chriſtum, rationes quas ſui præcepti affert, quæ in utraque locum habent, ſatis demonſtrant, aut certe, cur ad publicam ejus verba reſtringi debeant, nullam cauſſam eſſe, aperte docent. Hiſce duobus in Chriſti concione locis nobis occurrendum putavimus. Si qui ſunt reliqui, eos nihil ſententiæ noſtræ repugnare, facile per ſe quiſque intelliget. Tametſi non neceſſe eſt in hac diſputatione, nos ea teſtimonia diluere, quæ, ut ſolis Apoſtolis locutum fuiſſe Chriſtum oſtendatur, proferri poſſent. Siquidem, ut ſupra diſſeruimus, etiamſi omnino Chriſtus Apoſtolis tantum eſſet locutus, tamen ſatis habemus, univerſum ejus ſermonem ad eam diſciplinam pertinere, qua cæteros ipſi inſtituere debebant, non autem privatim ad mores ipſorum Apoſtolorum inſtituendos. Quod adeo verum eſt, ut ipſe ei rei teſtimonium dare identidem coactus fueris. Ut metuendum ſit, ne hæc noſtra legens, tibi, quod contra ſentias, falſo aſcribi clamites, te nihil aliud ſenſiſſe affirmans, quam Chriſtum ad Apoſtolos tantum verba direxiſſe, non autem ad alios quoque præcepta illa non pertinere, atque, ut id probes, ipſa verba tua non pauca in medium afferas. Sed tota de re facile omnes judicabunt. Nobis quidem, te id & aſſerere, & contendere, quod nos refellere ſtuduimus, non minus perſuaſum eſt, quam te ipſum veritatis vi compulſum parum tibi hac in re conſtantem (ut etiam in aliis non paucis) idem, quod nos aſſerimus, & contendimus, pluribus in locis confirmaſſe.

CAPUT IV.

SEquitur, ut de alia ratione agamus, qua teſtimonia illa adverſariorum apud Matthæum diluere tentas. Quæris enim docere, ea omnino ita interpretanda eſſe, ne ſententiæ tuæ refragentur, idque, ut diximus, duplici via. Quarum una eſt, ut id generatim oſtendas, altera, ut ſingulatim. Ac primum de priore agamus.

Unico igitur argumento, quanquam à te nuſquam (quod animadverterim) aperte explicato, probare conaris, ea cuncta, quæ Chriſtus apud Matthæum præcepta dat, tuæ ſententiæ adverſari non poſſe. Quæ eſt, Licere homini Chriſtiano magiſtratus auctoritate bella gerere, & ejus opem ſecundum leges adverſus quemcunque ad vindicandas quaſcumque injurias ſuas implorare. Argumentum tale eſt. Chriſtus in ea concione legi divinæ per Moſem latæ, in iis, quæ ad mores, & vitia pertinent, nihil addidit, multo minus aliquid ex ea detraxit, aut immutavit. Sed Lex divina per Moſem lata nec bella gerere auctoritate magiſtratus, nec ejus opem ſecundum leges, ad privatas etiam injurias ulciſcendas, cuiquam adverſum quemquam implorare interdicebat. Ergo Chriſtus in ea concione nihil dixit, unde, magiſtratus auctoritate licet interveniente, nec bella gerere, nec privatas injurias omnes ex legum præſcripto

ſcripto cuilibet adverſus quemlibet vindicare, non licere appareat. Aſſumptio, ſeu minor hujus argumentationis propoſitio nulla probatione indigere videtur, cum ex ſacris hiſtoriis conſtet, ante Chriſtum, utrumque ex prædictis Dei populo facere licuiſſe. Quanquam, ſi quis totum Moſem percurrat (quæ vera hujus rei probatio eſt) nihil inveniet, ex quo contrarium ſuaderi queat. Propoſitionem vero, ſeu majorem propoſitionem, in qua tota vis argumentationis eſſe videtur multis modis confirmare conaris. Quos hic eo ordine, quo in reſponſione tua explicati, vel indicati ſunt, aliam meliorem methodum, ſeu certam viam, & rationem hac in parte negligentes, exponemus, & ſigillatim rationes & argumenta tua, Deo bene favente, refutabimus.

Primo igitur, ut probes, Chriſti mentem in ea concione non fuiſſe Moſis legem ulla ex parte ſupplere, vel emendare, ea verba, quæ ante data præcepta Chriſtus dixit, conſideranda proponis, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus, quam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Nam, cum ſatis tibi demonſtraſſe videreris, ad ſolos Apoſtolos univerſum Chriſti ſermonem directum fuiſſe, ſic deinde pag. 115. ex prædictis verbis, ut rem paucis perſtringamus, breviter infers. Chriſtus requirit in Apoſtolis majorem juſtitiam, quam in Scribis, & Phariſæis. Ergo de quadam juſtitia loquitur, quæ utrorumque communis erat. Quadruplex autem juſtitia hoc loco conſiderari poteſt, Specioſa, Legis, Fidei, & Recitationis Legis. Specioſam non poteſt Chriſtus majorem in Apoſtolis requirere, quam in Scribis, & Phariſæis. Nam eam alibi damnat. Legis, aut fidei in Scribis, & Phariſæis nulla erat. Relinquitur igitur, ut de recitationis Legis juſtitia loquatur, quam velit majorem in Apoſtolis eſſe, quam in Scribis, & Phariſæis. Unde perſpicuum eſt, Chriſtum in iis, quæ poſtea dixit, non ſupplendam, ſive emendandam ſibi legem ſuſcepiſſe, ſed tantummodo eam à corruptelis, falſiſque commentis Scribarum & Phariſæorum, dum eam populo recitarent, vindicare, & perpurgare voluiſſe.

Hæc univerſa argumentatio tua vel ex eo ſolo plane convellitur, quod, ut ſupra demonſtratum fuit, non ad Apoſtolos tantum, ſed ad omnes diſcipulos ſuos, id eſt ad eos omnes qui eum pro veritatis magiſtro agnoſcebant, ejuſque diſciplinæ ſeſe addicebant, ſua verba direxit Chriſtus, eoſque docere inſtituit. In quibus omnibus cum iſta tua recitationis Legis juſtitia minime futura eſſet, ſequitur, de ea Chriſtum locutum non fuiſſe. At inquies, De qua ergo juſtitia loquutus eſt, cum ex cæteris tribus, quas enumeravimus, una à Chriſto in ſuis requiri non potuerit, reliquæ vero duæ in Scribis, & Phariſæis nulla ex parte eſſent? Reſpondeo primum, non meum eſſe explicare, de qua juſtitia locutus fuerit Chriſtus, ſed docere, ut equidem feci, non de ea locutum fuiſſe, de qua tu aſſeveras. Deinde nego, in Scribis, & Phariſæis nullam partem juſtitiæ legalis fuiſſe. Neque enim, quia pravi, & perverſi eſſent, & progenies viperarum ab ipſo Chriſto appellarentur, quique, cum mali eſſent, bona loqui non poſſent, ut ex locis à te in margine citatis apparet (nam Paulus Rom. 9. 31. non de Scribis, & Phariſæis, ut tibi videtur, loquitur, ſed univerſe de Judæis, hos autem alicubi, quantumvis peccaſſent, tamen juſtitiam Legis ſectatos fuiſſe ſcribit) Non enim, inquam, quia tales Scribæ, & Phariſæi, Chriſto ipſo teſte, eſſent, idcirco nihil prorſus eorum faciebant, quæ Lex jubebat. Immo multa eos, quæ Lex juberet, præſtitiſſe, indicat parabola Phariſæi, & publicani à Chriſto expoſita. Luc. 18. in qua ſine dubio Phariſæorum ſuperbiam notare voluit, qui, quod multa facerent in Lege præſcripta, propterea ſeſe jactabant, & juſti omnino ſibi eſſe videbantur. Ut enim ejuſmodi homines ſibi confidentes ipſorum erroris admoneret, atque redargueret, eam parabolam Chriſtum dixiſſe, docent Euangeliſtæ verba antecedentia. Nec porro in eam parabolam Phariſæi perſonam Chriſtus induxiſſet, aut illi, quæ tribuit, tribuiſſet, niſi ex Phariſæis multi ejuſmodi inventi fuiſſent. Atque de legali juſtitia, id eſt Legis mandatorum conſervatione, quæ etiam in Scribis, & Phariſæis aliqua ex parte eſſet, Chriſtum fuiſſe locutum, ipſe tibi contrarius confiteris, dum poſtea in Paraphraſi ad hunc modum Chriſti verba explicas pag. 202. *Hoc enim vobis dico, niſi juſtitia quæ à vobis præſtanda eſt, in obſervatione legis & Prophetarum, exceſſerit juſtitiam quam præſtant Scribæ & Phariſæi, qui, quæ maximopere laudantur à lege & Prophetis præcepta, non attingunt, minimorum ſunt obſervantiſſimi, & venditant ſe veluti legis & Prophetarum obſervatores, non eſtis in cœleſte regnum ingreſſuri.* Et in priore ſcripto in fine pag. 11. & ſeq. initio ais, ex iſtis Chriſti verbis apparere, Apoſtolos non fuiſſe ab ipſo ad miniſterium vocatos, ut ab obſervatione divinarum legum ſoluti eſſent, qui niſi juſtitia Scribas, & Phariſæos ſuperaſſent, non eſſent ingreſſuri in regnum cælorum. Et pag. præterea 165, & 166. alia tua verba leguntur, ex quibus conſtat, te juſtitiam iſtam Scribarum, & Phariſæorum ad Legis juſtitiam referre. Idem colligitur ex quibuſdam verbis tuis pag. 174, 178 & 260. ubi ipſe contendis, à Chriſto aſſeri, in Scribis inveniri juſtitiam, amando amicos, non mœchando corpore, non pejerando, & alia ſimilia faciendo, aut non faciendo. Verum, quod tu imprudens, vi veritatis impulſus, adverſus teipſum tam ſæpe, tam aperte ſcripſiſti, ita omnino ſe habere, & Chriſtum, ut dictum eſt, in iis verbis de Legis juſtitia egiſſe, intelliget quiſquis animadverterit, ea ab ipſo verba non propter ſibi dicenda (quo evicto, concidit univerſa argumentatio tua) ſed propter jam dicta prolata fuiſſe. Nam (quanquam in vulgatis Latinis codicibus aliter legitur) nectit ea verba Chriſtus cum præcedentibus per dictionem γὰρ ſive Enim, quæ non modo ad ſuperiora relationem haberi, ſed eorum rationem quandam reddi, plane arguit. Dixerat autem Chriſtus, eum, qui ſolviſſet unum ex minimis Legis mandatis, & ſic homines docuiſſet, futurum minimum in regno cælorum, qui autem feciſſet, & docuiſſet, magnum in eo regno futurum. In quibus verbis perſpicuum eſt agi de conſervatione, & non tantum de doctrina, ſeu recitatione, ut tu eam vocas, mandatorum Legis. Quoniam vero quiſpiam objicere Chriſto potuiſſet, ac dicere, Quid ais? Annon ipſi Scribæ, & Phariſæi nonnulla Legis mandata non conſervant? Reſpondet Chriſtus, Longe falleris amice, ſi exemplum Scribarum, & Phariſæorum ſequendum putas. Majorem enim juſtitiam, quam in Scribis, & Phariſæis reperiatur, in eo eſſe oportet, qui in regnum cælorum ingreſſurus ſit. Quæ omnia eorum verborum occaſione dixit, quibus ſibi viam ad ea, quæ poſtea ſequuntur, præcepta danda præmuniverat. Nempe eorum, *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem*, &c. Namque, ut ſatis conſtat, his verbis iis voluit occurrere, quæ ſibi Moſis Legi mox quædam addituro objici potuiſſent, atque auditorum de ipſius doctrina dubitationem præveniendo, dociles ſimul eos, atque attentos reddere. Itaque prædicit, & antea monet, ſe non veniſſe ad ſolvendam, ſeu potius deſtruendam, & evertendam (in Græco enim eſt, καταλῦσαι) id eſt abrogandam Legem, quemadmodum fortaſſe quiſpiam alioqui dicturus fuiſſet. Non enim eam abrogaturus, ſed impleturus, hoc eſt perfecturus venerat. Quod & veriſſimum eſt. Quid enim in lege (morali videlicet) per Moſem lata damnavit Chriſtus, aut abrogavit, quamvis illi non pauca addiderit? Numquid, cum Lex (exempli cauſſa) dixiſſet, *Ne occidito*, ipſe præceptum hoc ſuſtulit, & occidi poſſe dixit? Tantum abeſt, ut hoc fecerit, ut immo, ne iraſci quidem temere quenquam fratri ſuo poſſe, voluerit, eive convicium facere. Atque ita legem pleniorem (ut ita dicam) reddidit, eamque abſolvit. Sed hæc obiter hoc loco. Nam inferius hac de re latius differendi ſeſe offeret commodior occaſio. Hæc eo tantum dicta ſunt, quo cognoſcatur, verba illa, *Niſi abundaverit*, &c. non ad ea, quæ mox dicenda erant, ſed ad ante dicta reſpicere.

Unde fit, ut id, quod quæris, neque tu argumentatione tua ex ipſis ullo modo probare potueris, neque alius quiſpiam probaturus ſit. Etenim, ni fallor, aliquanto melius, quam tu feceris, pro ſententia tua de Chriſti præceptis illis ex prædictis verbis argumentari quis poſſet, ſi ea non propter antecedentia, ſed propter ſubſequentia dicta fuiſſent, ut tibi videtur. Id quod & inculcas, & apertius explicas pag. 220. atque ex eo ſententiam tuam de mente Chriſti in iis, quæ ſequuntur, præceptis dandis confirmare conaris. Quod etiam in priore ſcripto feceras, pag. 35. & alibi quoque idem facis. Cætera, quæ ut argumentationis tuæ vitia retegerentur, dici potuiſſe, quilibet ingenioſus lector facile animadvertet, alicui brevitati conſulentes, omittenda duximus.

Secundo loco, ut confirmes, non id egiſſe Chriſtum in præceptis illis dandis, ut legi Moſis aliquid adderet, ſed ut ei aſſuta Scribarum, & Phariſæorum commenta rejiceret, omnia præcepta, antequam ea diligentius examines, ſingulatim percurrendo (id quod pag. 119. facere inſtituis) quæ præter nuda Legis verba Chriſtus adjungit, ais eſſe rejectionem commentorum illorum. Qua tamen de re nihil prorſus conſtat, nec tu aliquid ad id probandum in medium affers. Quinimmo id plane falſum eſſe, declarant verba illa Chriſti ubique repetita, *Ego autem dico vobis.* Quæ illico, poſtquam ipſa Legis verba recitavit, ab ipſo adjuncta, planiſſimum faciunt, Chriſtum præcepta ſua non quidem Scribarum, & Phariſæorum commentis, ſed ipſi Legi opponere. De quo infra ſuo loco. Et tamen non ſolum præcepta Chriſti de non iraſcendo fratri, aut conviciando, præcepto Legis de non occidendo manifeſte addita, rejectionem interpretationis Scribarum, & Phariſæorum eſſe ais, ſed, cum de præcepto illo Legis, *Non mœchaberis*, verba facis, audes affirmare, ex Chriſti verbis patere, aſſutum fuiſſe illi commentum à Scribis, & Phariſæis hujuſmodi: *Quod ſi quis cum aliqua rem non habuerit, mœchus non eſt dicendus.* Verum ex quibuſnam Chriſti verbis id patet? Quid amplius hoc loco dixit Chriſtus, quod alibi non dixerit? Itane Palæologe in re tam aperta vel ipſe hallucinaris, vel aliis imponere auctoritate tua & curas, & ſperas? Sed quid dicam de eo, quod de præcepto non pejerandi ſcribis, non quidem loco prædicto, ſed pag. 228? ubi ſic ais: *Addiderant autem Scribæ & Phariſæi, huic legi partem illam: Sed perſolves Domino ea quæ juraveris, propter juramenta quæ fiebant de futuro ſuper aurum templi, ſuper dona altaris, ſuper victimas oblatas, lucello proprio conſulentes ut diximus.* Et in margine adſcriptum eſt, *Scribarum corruptela legis de juramento.* Equidem ſatis mirari non queo, quod tam immemor, aut incurioſus fueris, ne quid gravius dicam, ut iſta ſcripſeris. Non igitur vel legiſti, vel meminiſti verba illa capite 30. Num, in ipſo fere initio? quæ ex Hebræo verbum de verbo ſic verti poſſunt, *Vir, ſi votum voverit Jehovæ, aut juraverit juramentum, ad ligandum ligamento animam ſuam, non polluet verbum ſuum. Secundum omne, quod exivit ex ore ſuo, faciet.* Quid ais? num tibi videtur, cum Chriſtus inquit, *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non perjurabis. Reddes autem Domino juramenta tua*, partem illam, *reddes autem*, &c. eſſe additamentum Scribarum, & Phariſæorum ad legem Dei de perjurio, vel ipſorum corruptelam legis de juramento, cum in ipſa Moſis lege ea pars extet, copioſius etiam, & efficacius ab ipſo expreſſa, quam à Chriſto relata? Certe auctoritati tuæ, dum nimium fidis, parum conſulis, neque non levis ſaltem indiligentiæ crimine in ſacris quæſtionibus, & teſtimoniis tractandis apud ipſum Deum obſtringis. Quid quod ipſe tibi plane contrarius pag. 120. id eſt hoc ipſo loco, de quo agimus, totum hoc, *Non perjurabis. Reddes autem Domino juramenta tua*, verbum Legis eſſe, diſerte confiteris?

Sed jam de aliis præceptis videamus, propter quæ, aliquam errandi cauſſam tibi datam fuiſſe, dici poteſt. Et in præcepto quidem Chriſti de non dimittenda uxore, ſi ipſius verba perdendantur, non Moſis legem reformaſſe, ſed Scribarum, & Phariſæorum commenta reſpuiſſe videtur. Inquit enim. *Dictum eſt autem, Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii. Ego autem*, &c. Neque enim erant hæc ipſa omnino verba legis, ut Deut. 24. patet. Ubi non ita ſimpliciter loquitur Moſes, ſed requirere ſimul videtur, ut uxorem dimiſſurus in ea fœditatem aliquam invenerit, aut certe aliquid ejuſmodi in ea deprehenderit, propter quod ſibi merito minus grata ſit. Quare concludi fortaſſe poteſt, à Scribis, & Phariſæis ita ſimpliciter Legis verba expoſita fuiſſe, ut ſcilicet inde ſequeretur, propter quamcunque cauſſam licere uxorem dimittere. Hæc autem non quidem à te, ſed à me dicta ſunt, ut, quidquid magis hac in re tuam cauſſam juvare poteſt, in medium afferatur, & diligenter examinetur. Nam hic tu imprudens conceſſeras, Chriſtum ipſa Legis verba recitaſſe. Sic enim in ipſo pag. 120. initio tua verba habent, *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam det ei libellum repudii, verbum legis. Huic addebant Scribæ & Phariſæi: proprias ergo uxores licet dimittere quacunque ex cauſſa, modo id fiat dato libello repudii.* Vides, te affirmare, verbum Legis eſſe illud, cui Chriſtus ſtatim ſubjungit, *Ego autem dico vobis*, &c. Ex quo, ut ante attigimus, ſequeretur, ipſum non aſſuta commenta Scribarum, & Phariſæorum reſpuere, ſed ipſa Legis verba reformare.

Quid ergo, tua, quæ locum non habet, & tibi ipſi adverſatur, animadverſione omiſſa, ad ea, quæ à nobis animadverſa ſunt, reſpondebimus? Dico, quamvis verum ſit, Legis verba non ea plane eſſe, quæ Chriſtus recitat, ex iis tamen, quæ addit, perſpicuum eſſe, ipſum hoc loco non modo id reſpuere, quod ex ejuſmodi verbis colligi potuiſſet, ſed illud etiam, quod ex ipſis Legis verbis colligebatur, ex quibus manifeſtum eſt, Moſem permiſiſſe, ut propter aliquam fœditatem in ea inventam, uxorem quis repudiare poſſet, nec aliud præterea requiſiviſſe, niſi, ut id fieret, ſcripto, eique in manus dato libello repudii. Quod reformans Chriſtus, non ob aliquam fœditatem in uxore inventam, ſed ob ſtuprum tantum eam dimitti poſſe, concedit. Nam Fœditatis nomine apud Moſem aliud etiam præter ipſum ſtuprum, aut ſtupri indicia ſignificari, contra quam tu putas, infra demonſtrabitur.

Sequitur, ut de præcepto illo agamus, *Oculum pro oculo*, &c. Nam hic quoque Chriſtus non ipſam Legem reformare, ſed alienas interpretationes rejicere videtur. Lex enim, ut Exodi 21. cap. ℣. 24. Levit. cap. 24. 20, & Deut. cap. 19. 21. apparet, ea quidem verba habet, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, non tamen hæc licere privatis ait, ut Chriſtus prædicta verba interpretari videtur, cum, iis recitatis, illico addat, *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo*, & quæ ſequuntur, ex quibus conſtat ipſum privatis præcepta dare. Quocirca ſtatuendum videtur, Chriſtum, etſi ipſa tantum Legis verba recitat, ſimul tamen cum eis interpretationes magiſtrorum populi intelligere, quibus, non autem ipſi Legi, ſua præcepta opponat. Quæ interpretationes hoc loco ejuſmodi eſſent, ut, quod Lex de magiſtratu dixiſſet, cui mandat, ut curet, oculum pro oculo, dentem pro dente dari, ad privatos traheretur adeo, ut cuilibet privato per ſe id exequi liceret.

Reſpondeo, ut paullo ante feci, Chriſti verba non iſtas interpretationes tantum, ſed ſententiam ipſius Legis reformare Siquidem ex verbis Legis apparet, licuiſſe privatis, oculum pro oculo, dentem pro dente ſibi dari, à magiſtratu petere. Quod non concedit Chriſtus, quemadmodum infra ſuo loco adverſus opinionem hac de re tuam diſputabimus.

Reſtat præceptum illud, *Diliges proximum tuum*, &c. In quo major, quam in cæteris, difficultas eſſe videtur, cum in ipſa Lege ea pars nuſquam legatur, *Et odio habebis inimicum tuum.* Quinimmo Levit. cap. 19. ubi præceptum diligendi proximum datur, mandatur ſimul, ne quis injuriarum memor ſit, eaſve ulciſcatur Exodi 23. 4, & alibi præcipiatur, ut ſi quis bovem, aut aſinum

inimici

inimici ſui errantem invenerit, omnino illi reducat, &, ſi viderit aſinum ejus, qui ſe odio habet, ſuccumbentem ſub onere, eum non deſerat, ſed ipſi auxilietur. Quamobrem plane dicendum videtur; hic Chriſtum non de verbis ipſius Legis, ſed de additamentis Scribarum, & Phariſæorum, ſeu populi magiſtrorum agere.

Verum animadvertendum primo eſt, fieri poſſe, ut verba illa, *Odio habebis inimicum tuum*, ſcripta in Lege olim extarent, quamvis hodie non legantur, quemadmodum neque illud de Chriſto, *Nazaræus vocabitur*, ſcriptum apud Prophetas hodie extat, cum tamen teſtetur Matthæus, id à Prophetis dictum fuiſſe Matth. 2. 23. Quod ſi dixeris, ut nonnulli contendunt, etiamſi verba illa, aut ſimilia apud Prophetas non legantur, tamen ſententiam omnino legi, ego quoque dicam, etiamſi non legitur in ipſa lege, *Odio habebis inimicum tuum*, tamen horum verborum ſententiam omnino legi, ſi in quem ſenſum potiſſimum nomen Inimici hoc loco accipiendum ſit, recte intelligatur. Neque enim in his verbis, *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, vox Inimicus eum ſimpliciter ſignificat, qui odio habeat, ſeu quemlibet inimicum, ſed, ut ex verbis ipſis apparet, eum, qui opponitur proximo. Proximus autem hic, ut in tota Lege, is intelligitur, qui ex eodem eſt populo, id eſt Iſraëlita, ut ex ipſo capite 19. Levit. apparet. Ubi, quem prius appellaverat Filium populi tui, vocat poſtea proximum tuum. Unde intelligitur, præcepta illa de aſino, & bove inimici reducendis, & non deſerendis, ad propoſitum non facere, cum ibi Inimicus eum ſignificet, qui odio habet, quamvis ex populo Iſraëlitico ſit, hic vero eum, qui ſit alienus ab Iſraëlis republica, quem odio habere Iſraëlitis licuiſſe, poſtea docebimus. Deinde idem hic dico, quod in ſuperioribus duobus præceptis dixi. Verba enim Chriſti, quæ ſtatim ſubjungit, ejuſmodi ſunt, ut plane multum addant legi Moſaicæ. In qua nuſquam mandatum populo fuerat, ut orarent pro lædentibus, & inſectantibus ſe, ut bene precarentur maledicentibus ſibi. Atque, ut uno verbo dicam, juſſi non fuerant diligere inimicos ſuos, id eſt hoſtes, & ab Iſraëlis republica alienos. Quibus de rebus omnibus infra uberius diſputabitur.

Eſt autem, antequam ulterius progrediamur, animadvertendum, etiamſi in quovis ex tribus proxime examinatis dictis, quæ non ſecus, atque tria illa prius excuſſa, in populo, tanquam Dei præcepta, perſonabant, Chriſtus nequaquam id agere voluiſſet, ut Moſaicam legem ulla ex parte reformaret, ſed ea dicta, quippe quæ legis divinæ falſæ interpretationes eſſent, rejiceret; non tamen continuo idem de reliquis tribus dici poſſe, nec ex eo ſequi, Chriſtum in univerſo eo ſermone nihil prorſus legi Moſaicæ addidiſſe, ſed tantummodo Scribarum, & Phariſæorum aſſuta illi commenta ſuſtuliſſe. Namque diligenter conſiderandum eſt, diſcrimen hoc inter utraque hæc dicta eſſe, quod in illis purum ac ſimplex integrumque legis verbum refertur, in his vero vel aliquid ex eo, quod in lege ſcriptum eſt, omittitur, quod omittendum non erat, ut in dicto de dando libello repudii, cauſſa in Lege aſcripta dimittendæ uxoris, vel aliquid verbis legis additur, ut in hoc poſtremo ea pars, *Et odio habebis inimicum tuum*, quæ non minimi eſt momenti, vel denique, quamvis nuda legis verba recitentur, tota Lex tamen non recitatur, ex quo fit, ut aliam ſententiam ea verba habere videantur, quam vere in ipſa lege habeant. Ut in eo dicto evenire videmus, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Quæ verba quidem ipſius legis ſunt, ſed non tamen tota Lex. Quæ ſi tota recitaretur, apparerer, dictum ipſum, quod per ſe prolatum cuilibet injurias ſuas pari ratione vindicandi libertatem concedere videtur, & eum, qui injuria affecit, ſuo jure (ut loquuntur) retaliandi, in ipſa lege ad magiſtratum referri debere, cujus eſt talionis pœnam ei, qui alterum mutilaverit, vel alia ratione ejus corpus læſerit, infligere, atque irrogare. Hoc autem inter hæc, & illa dicta diſcrimen evidenter ſuis verbis notaſſe videtur ipſe Dominus Jeſus, qui in illis ſemper prius dixerit, Dictum eſt antiquis, in his vero ſemper, Dictum eſt, ſimpliciter præfatus fuerit. Nimirum fortaſſis ut intelligeretur, in illis de ipſa lege divina veteribus lata differi, in his vero de eo quidem ſimiliter agi, quod tanquam Dei præceptum in medio populi auditum aliquando fuerat, cæterum veteribus illis non fuerat dictum, nec verum & germanum antiquæ Dei legis præceptum erat.

Tertio loco pro argumento, quod Chriſtus non Moſis legem ulla ex parte mutare, ſed interpretationes Scribarum, & Phariſæorum in eo ſermone damnare voluerit, ea verba ipſius Chriſti perpendis, quæ in præcepto de libello repudii tractando alibi dixit, *ad duritiam cordis veſtri.* Itemque illa, quæ ſtatim ſequuntur, *permiſit vobis.* Matth. 19. 8. Et de prioribus quidem ſic ſcribis ad finem pag. 133. *Quartum eſt, quid ſit ad duritiam cordis veſtri. Nam patrum veſtrorum dici debuiſſet, ſicut ſæpe facit. Patribus enim loquutus eſt Moſes, non ipſis.* Cur vero ita ſcripſeris, id docet, quod de poſterioribus ſcribis pag. 135. hoc modo, *Et illud, quod dicit vobis indulſit, interpretibus ſcilicet Scribis & Phariſæis, cum leges tulerit Moſes non illis quibus cum loquebatur Jeſus Chriſtus, ſed eorum majoribus.* Vis igitur, cum ibi Chriſtus idem reipſa doceat, quod hic docuit, quia dixerit, *cordis Veſtri*, non *Patrum veſtrorum*, &, *permiſit Vobis*, non autem *Majoribus veſtris*, ſatis conſtare, Chriſtum non de ipſa lege Moſis, quæ non illis ipſis, quibuſcum loquebatur, ſed patribus, & majoribus ipſorum data fuerat, verba facere, verum de interpretatione Scribarum, & Phariſæorum loqui.

Fieri non poteſt, Palæologe, ut hæc ſerio, aut, quid diceres, cogitans ſcripſeris. Quid enim homine non plane rudi indignius, quam neſcire, ſi contigerit, cum populo, natione, genteve aliqua verba fieri; Vos, & Veſtra ſæpius dici, non illos ipſos, qui præſentes ſunt, ſignificando, ſed vel patres, & majores eorum, vel ipſorum genus? quemadmodum & Nos, & Noſtra facile dicent ipſi, non quidem ſeipſos qui loquuntur, ſed vel patres ſuos, & majores, vel ſuum genus intelligentes. Populus enim, natio, gens, tanquam unus quiſpiam, conſiderantur, qui toto illo tempore, ex quo eſſe cœperunt, vixerit, unde & ortus, & adoleſcentia, & ſenectus, & interitus illis apud bonos auctores, immo in ipſo vulgari quotidianoque ſermone paſſim tribuuntur. Numquid ejus rei præter frequentiſſimum loquendi uſum exempla quæris? Lege modo probatos ſcriptores in quavis lingua, vel potius eorum, quæ legiſti, recordare, & exempla tibi ubique præſto erunt. Sed quid multis moror? Lege ipſa ſacra Biblia, ipſius Novi Teſtamenti ſcripta, Chriſti ipſius verba recordare de hac ipſa re, id eſt de lege populo Iſraëlitico à Moſe tradita, & ſine dubio pudebit te iſta dixiſſe. Idem enim Chriſtus alibi Judæis, qui tunc erant, atque aderant, dixit Johan. 7. 19, 22, *Nonne Moyſes dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem?* Et paullo poſt, *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem.* Verum cur longius abeo? cum in hoc ipſo loco legatur apud Marcum, Chriſtum paullo ante dixiſſe Marci 10. 3, *Quid vobis præcepit Moyſes?* Stephanus quoque, cum de Moſe Judæis verba faceret, ait Acto. 7. 38, *Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris, qui accepit verba vitæ dare nobis.* Neque hic loquendi modus tunc ſolum uſurpatus invenitur, cum id, quod datum fuit majoribus, ad poſteros quoque eorum præſentes pertinet, ipſiſque datum pariter cenſetur, ut in Lege Moſis contingere videmus, ſed tunc etiam, cum majoribus tantum id datum fuit. Propterea idem Chriſtus, cum Judæi dixiſſent, ſuos patres manducaſſe manna in deſerto, ſicut ſcriptum erat Johan 6. 32, *Panem dedit eis de cælo manducare*, ait illis, *Amen amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo. Vobis* dixit, cum tamen patres duntaxat ipſorum intelligeret. Quomodo vero dicere potuiſti, cum Chriſtus dixit Judæis de Moſe, *permiſit vobis dimittere*, &c. id intelligendum eſſe, interpretibus

ſcilicet Scribis, & Phariſæis, cum ipſe velis, ea verba accipienda eſſe, ac ſi dictum fuiſſet, Etiamſi permiſiſſet vobis dimittere, &c. Sic enim paullo ante, in extrema videlicet pag. 134 ſcripſeras, *Ad hunc autem modum ordino textum: Moyſes etiamſi ob duritiam cordis veſtri permiſiſſet vobis repudiare uxores veſtras, quamvis ob cauſam, attamen ab initio non ita erat.* Cujus etiam tuæ explanationis inter alias hanc cauſſam affers, quod Chriſtus dixerit Vobis, interpretibus ſcilicet Scribis, & Phariſæis, cum Moſes non illis, quibuſcum is loquebatur, ſed eorum majoribus leges tuliſſet. Atqui hæc duo nulla ratione cohærent, aut ſimul ſtare queunt, tantum abeſt, ut unum alterius cauſſa eſſe poſſit. Nam ſi Chriſti verba ita explananda ſunt, ac ſi dixiſſet, Etiamſi Moſes vobis permiſiſſet, &c. profecto nomen Moſes ipſum Moſem ſimpliciter ſignificat, pronomen autem Vobis ad patres, ſeu majores, vel ad univerſam, poſtquam legem Moſes tulit, gentem refertur, atque ea de re eſt ſermo, quæ vere facta non fuerit. At vero ſi intelligendum eſt, Moſem, interpretibus Scribis, & Phariſæis, permiſiſſe, &c. illis ipſis duntaxat, quibuſcum Chriſtus loquebatur, certe Moſis nomine non ipſe Moſes per ſe intelligitur, ſed quatenus illius verba Scribæ, & Phariſæi interpretabantur, pronomen autem Vobis non ad patres, ſeu majores pertinet, nec ad gentem univerſam poſt Moſis legem latam, ſed ad eos ipſos tantummodo, quos alloquebatur Chriſtus. Atque ea de re verba fiunt, quæ vere facta fuerit. Præterea quomodo verba hæc vera eſſe poſſunt, Moſes, interpretibus ſcilicet Scribis, & Phariſæis, vobis ad duritiam cordis veſtri permiſit dimittere uxores? Numquid ipſi Scribæ, & Phariſæi vel propter duritam cordis illorum ita Moſem interpretabantur, vel ob eandem duritiam ab ipſo Moſe iſtam, quam ipſi populo obtrudebant, legem latam fuiſſe affirmabant? Poſtremo, an non animadvertiſti, Chriſtum ea verba ipſis Phariſæis dixiſſe, qui eum, an liceret uxorem dimittere, tentando, interrogaverant, ut Matthæus Matth. 19. 3, & Marcus Marci 10. 2. aperte teſtantur? Animadvertiſti omnino, ut ipſa verba tua pag. 131. demonſtrant Quæ ſic habent. *Hac de re diſputaſſe legimus Phariſæos cum Chriſto Jeſu*, &c. Sed fefellit te nimirum ingens memoria tua. Nam, ſi id deinde recordatus fuiſſes, nunquam ea verba, *Moſes permiſit vobis*, interpretibus ſcilicet Scribis, & Phariſæis, intelligenda dixiſſes, quaſi Chriſtus cum populo, non autem cum ipſis tantum Phariſæis locutus eſſet. Non igitur de Scribarum, & Phariſæorum interpretatione in illis verbis egit Chriſtus, ſed de ipſa Moſis lege. Qua de re nemo unquam dubitare poterit, qui apud utrumque Euangeliſtam locum ipſum vel oſcitanter legerit. Cum manifeſtum ex eorum verbis ſit, à Chriſto interrogatos fuiſſe Phariſæos, quid in ipſa lege Moſis ſcriptum eſſet, idque eos dixiſſe, & ſimul ex ipſis verbis Legis adverſus Chriſti de dimittenda uxore ſententiam argumentari voluiſſe, Chriſtum autem non negaſſe, id Legem dicere, quod ipſi putabant, ſed tamen ſuæ ſententiæ id non obeſſe docuiſſe. Quippe quod, ut ex antiquiſſimo Dei inſtituto intelligi poterat, permiſſio quædam ad tempus, non autem rata ac perpetua Dei voluntas fuiſſet. Sed jam de his ſatis hoc loco, alibi enim de tota ea lege accuratius videndum erit. Nunc nihil aliud quærebamus, niſi, ut oſtenderemus, in ea Chriſti cum Phariſæis diſputatione nihil eſſe, cur in præcepto iſto de non dimittenda uxore Chriſtum non ipſam Moſis legem reformare, ſed Scribarum, & Phariſæorum interpretamenta rejicere voluiſſe dicamus.

CAPUT V.

HUcuſque de priore parte alterius tuæ rationis actum eſt, qua teſtimonia ex cap. 5. Matthæi ab adverſariis allata, ut probarent, te inſtituta contraria Chriſti inſtitutis proponere, diluere conaris, &, niſi vehementer fallimur, abunde à nobis demonſtratum, nihil eſſe eorum, quæ protuliſti, quod vim aliquam habeat ſuadendi, Chriſtum in toto eo ſermone nulla ex parte Moſis legem immutare voluiſſe, ſed Scribarum, & Phariſæorum tantum commenta rejicere. Nunc de altera ejuſdem rationis tuæ parte agendum eſt, ſeu de altero modo, quo ſcilicet, ipſorum præceptorum vim ſingulatim perpendendo, evincere vis, præcepta illa nihil adverſus ſententiam tuam, quod bellum a Chriſtiano populo, jubente præſertim magiſtratu, geri recte poſſit, quodque cuilibet homini Chriſtiano injurias ſibi illatas per magiſtratum vindicare liceat, nihil inquam, adverſus hanc ſententiam ea mandata Chriſti in ſe continere. Cumque ſententia iſta duplex ſit, ſeu duas aſſertiones complectatur, ſeparatim de utraque videndum eſt. Prius igitur de privatis injuriis per magiſtratum vindicandis diſſeramus.

Itaque adverſus aſſertionem tuam, quod cuivis Chriſtiano homini, magiſtratus opem ad ſuas injurias ulciſcendas implorare liceat, attulerant adverſarii tui ea, quæ Chriſtus dicit, cum de Legis verbis illis agit, *Oculum pro oculo dentem pro dente*, dixerantque ex illis manifeſtum eſſe, Chriſtum ſuis præcepiſſe, ut à malis hominibus, & corporis plagas, ac perpeſſiones, & bonorum jacturam, & ſervitutem, ſeu labores omnes ferrent æquo animo potius, quam ut malum pro malo redderent, ſive id per ſe ſive per judices facerent. Et quidem in eo, quod maxillam dexteram percutienti alteram quoque præbendam eſſe ait, carnis ipſius perpeſſiones non vindicandas, ſignificaſſe. Dum autem præcipit, ut tunicam tollere volenti dimittatur & pallium, bonorum jacturam non recuſandam, ſi alioqui fieri non poſſit, ut ab ultione abſtineamus, declaraſſe. Cum vero poſtremo jubet, ut, ſi quis ad milliare unum conficiendum ab aliquo adigatur, eat cum illo & alia duo, labores omnes, & onera ſibi impoſita potius perferenda, quam cum rixa, & jurgio detrectanda, docuiſſe. Atque in his omnibus, ne ad magiſtratum quidem, ſi prædicta incommoda ſequi debeant, confugiendum eſſe, Chriſtum ſatis aperte dixiſſe, cum præceptiones ſuas verbis illis Legis, *Oculum pro oculo*, &c. oppoſuerit, quæ non privatam vindictam, ſed per judices permittebant, & ſimiliter cum ea verba dixerit, *Ei, qui velit tecum judicio contendere*, &c. Hæc, inquam, omnia à tuis adverſariis dicta ſunt, eaque leguntur pag. 62, & 63. Jam vero conſiderandum eſt, quid tu ad hæc contra ſcripſeris, & quo pacto tam manifeſta Jeſu Chriſti mandata obſcurare, vel potius inquinare, ac pervertere tentaveris.

Et primum quidem (quanquam hoc ad ſingulorum præceptorum examinationem minime pertinere videtur) non uno in loco, dum ea ſingulatim examinas, admones, Chriſti hæc præcepta non magiſtratui, ſed privatis data fuiſſe.

Atqui iſtud valere poteſt ad oſtendendum, magiſtratus civiles, & gladium geſtantes in republica Chriſtiana Chriſti præceptis non tolli, non autem ad evitandum, ne privatis magiſtratum ſuas injurias vindicandi cauſſa adire interdicatur. Nam tu ad utrumque iſtam tuam exceptionem valere vis, & ſæpius hæc duo, quæ omnino diſtinguenda ſunt, confundis, & de uno agens, altetum miſces. Eſto igitur. Privatis tantum dederit Chriſtus mandata hæc ſua. Quid tum? Jam hic de privatis agimus, & quid illis facere liceat, quærimus, an magiſtratum ſcilicet pro ſe ulciſcendis adire poſſint. De ipſius interim magiſtratus officio, (quod, etiam parte ipſa non accuſante, exerceri poteſt) num ſcilicet, ſi quis accuſaverit, jus reddere debeat, necne, ne verbum quidem facientes. Itaque faceſſat hoc loco exceptio iſta tua.

Sed ais deinde, cum perſpicuum ſit, Moſem legem illam, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, eo ſenſu magiſtratui tuliſſe, ut ipſe eam exequeretur, neque aut ſævire vellet in reum, aut impunita relinquere mala, ſed ſecundum peccati magnitudinem modum pœnæ exercere, Chriſtus autem legem hanc privatos exequi vetet, certe non, ne privati magiſtratum adeant, & oculum pro oculo, dentem pro dente repetant, ſed ne

ipſi

ipſi privato arbitrio injurias ſuas retalient, & ſibi, quod magiſtratui injunctum fuerat, permiſſum eſſe exiſtiment, Chriſtum præcipere voluiſſe. Ad hunc enim modum, ut ex iis, quæ pag. 144. ſcripſiſti, colligere potui, nihil ad rem Chriſti verba facere, oſtendere conaris.

Sed animadvertendum tibi erat, cum Chriſtus ipſa legis verba recitet, ſeſeque illis opponat, dicens, *Ego autem dico vobis*, &c. etiamſi tibi concedatur, privatis tantum dediſſe illum præcepta ſua, de eo tamen eum egiſſe oportere, quod vi legis, quantumvis ipſi magiſtratui latæ, privatis licebat. Nulli autem dubium eſſe poteſt, quin legis illius vi privatis licuerit oculum pro oculo, dentem pro dente, magiſtratum adeundo, repetere. Semper enim in legibus, quibus magiſtratui injuriarum pœna præſcribitur, tacite ipſo jure continetur, ut injuriam accipienti eam pœnam magiſtratus ope perſequi liceat. Quare, hoc ipſum ſuos facere, Chriſtum vetuiſſe, quicquid Lex illa concederet, indubitatum eſſe debet. Neque enim, ut tu arbitraris, legem illam magiſtratui latam ad privatos trahendam non eſſe, potiſſimum docere voluit, ſed ut dictum eſt, quemadmodum ipſius verba demonſtrant, id præcipue egit, ut dicta ſua ipſis legis verbis opponeret. Quæ legis verba ut antea dixi, non plane negaverim, ex Chriſti loquendi modo colligi poſſe, perperam in populo explicata, & accepta fuiſſe, ut ſcilicet privato cuique injurias ſuas per ſeipſum vindicare liceret. Verum tamen ejuſmodi ſunt, quæ ſubjungit Chriſtus, præcepta, ut, quemadmodum in legis verbis recitandis & ipſam legem, & pravam illius interpretationem complecti voluit, ſic in præceptis ſuis & hujus rejectionem, & illius, quod ad privatorum jus attinet, moderationem comprehendere eum voluiſſe, aperte conſtet. Quandoquidem univerſe ne malo reſiſtatur jubet, & ſummam injuriarum tolerantiam, omni prorſus ſemota vindicta ſive ultione, præſcribit, & denique diſerte, ne per judices id fieri curetur, monet.

Sed operæ pretium eſt videre, quomodo tu Chriſti verba in ſingulis, quæ modo recenſuimus, interpreteris. Cum igitur Chriſtus ait *Non reſiſtere malo* (ut multa verba tua, quæ pag. 144. ad finem, & deinceps leguntur, pauciſſimis complectamur) breviter ea ita accipienda eſſe dicis, ut ſive magiſtratus ipſe ſit, qui te injuria afficiat, ſive privatus, magiſtratu aut conſentiente, aut te non vindicante, id patienter feras, neque retaliare injuriam velis.

Ergo primum, ſi tibi credendum eſt, Scribarum, & Phariſæorum interpretationes, quibus, non autem ipſi Legi Chriſtum dicta ſua opponere contendis, id ferebant ſcilicet, ut quilibet privatus magiſtratui reſiſtere jure poſſet injuria ſe afficienti, & illi vicißim injuriam facere, ſeque ulciſci. Sed unde id habes? aut quomodo iſtud ullo pacto veriſimile videri poteſt, cum verba illius legis manifeſte de injuriis privatorum privato arbitrio illatis à magiſtratu vindicandis loquantur, non autem ullo prorſus modo de iis injuriis, quas magiſtratus in munere ſuo exequendo privatis infert, ab ipſis privatis ſuo proprio jure ulciſcendis in ea lege agatur? Nam quid potuiſſent Scribæ, & Phariſæi tantæ in lege illa interpretanda licentiæ, ſeu potius impudentiæ ſuæ prætexere? Quanquam ſatis eſt, ut innuimus, te id nunquam probaturum eſſe, quod in iſta tua explanatione ſumis, nec opus eſt, ut à nobis contrarium probetur. Sed quid dicemus, cum jam à nobis oſtenſum fuerit, Chriſtum non quidem Scribarum, & Phariſæorum interpretationes refellere, ſed ipſam Moſis Legem reformare? Cum enim Lex magiſtratui mandet, ut oculum pro oculo, dentem pro dente reddendum curet, quid ad hujus mandati reformationem pertinet jubere, ne ipſi magiſtratui injuriam inferenti quis reſiſtere audeat, & pari injuria illum afficere? Quid porro hoc ad docendum, non licere homini privato, etiamſi ſecundum Legem alioqui id facturus eſſet, ſuas injurias proprio quodam jure retaliare, ad quam ſententiam fortaſſe, ut diximus, in populo Legis verba trahebantur, idque perperam fieri, monere voluit Chriſtus? Certe hæc pars in Chriſti verbis indeciſa relinquitur, ſi explanationem tuam ſequi velimus. Quæ id tantum à Chriſto deciſum eſſe docet, quod ad magiſtratui nec ne reſiſtendum pertinet, cum vel ipſe eſt, qui injuria afficit, vel privato injuria afficienti conſentit. Quid enim, ſi neutrum ſit, neque is, qui injuria afficitur in eo ſit loco, ubi ad magiſtratum decurrere poſſit? Quid ſi non leges modo, ſed magiſtratum quoque ſibi favere pro certo ſciat, &, ſi ſe privato arbitrio ulciſci negligat, atque cunctetur, non modo, quam jam accepit, injuriam nunquam reſarcire queat, verum etiam novas ſit acceſturus? Non dubium eſt autem, ut ex pluribus tuorum ſcriptorum locis intelligi poteſt, præſertim vero ex verbis, quæ leguntur in priore ſcripto pag. 34. quin tu in ejuſmodi difficultatibus conſtituto injurias ſuas per ſe vindicare permittas. Quod tamen cum Chriſti verbis manifeſte pugnat. Qui, ut viſum eſt, ſimpliciter, ne malo reſiſtatur, præcipit. Nam, quod nomen Malo ad magiſtratum malum duntaxat, ſive ad malum hominem, qui, malo magiſtratu aſſentiente, injurius eſt, referri vis, quis hoc (iis præſertim perpenſis, quæ paullo ante diximus) tibi unquam concedet? Quænam tanta eſt auctoritas tua, ut verba indefinite prolata pro arbitratu tuo ad ea tantum accommodes, quæ placitis tuis non adverſentur?

At enim ais (ut video) Chriſti verba omnino reſtringi debere, nec ita univerſe, ut ſonant, accipienda eſſe. Alioquin ſequeretur, neque ulli malo, neque ulla ratione reſiſtendum eſſe. Cum tamen & Diabolo, qui profecto & malus eſt, & omnium, qui mali ſunt, caput, reſiſtere omnino jubeamur, & malis hominibus non una ratione reſiſtere poſſimus. Atque huc adde, quæ in priore tuo ſcripto pag. 53. leguntur, ubi multa recenſes, quibus malo reſiſtimus, nec tamen ea facere prohiberi videmur. De quibus explicatius alio loco agemus.

Hæc tua ratio nullius momenti cenſeri debet, cum apertiſſimum ſit, de quo malo Chriſtus loquatur, & quid Reſiſtendi verbo ſignificare voluerit. Ex eo enim, quod de verbis illis Legis agit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, de malo homine eum loqui, & Reſiſtendi verbo illatas ab ipſo injurias ulciſci, aut vi, quæ reipſa injuriam retaliare poſſit, adhibita, repellere, ſignificare voluiſſe, nemo eſt, qui non videat. Atque in hunc ſenſum ejus verba indefinite, ob eamque rem univerſe, ut ſonant, accipienda eſſe dicimus, non autem, ut tu facis, ſine ulla neceſſitate reſtringenda. Quare ſimiliter ſine ulla vel neceſſitate, vel etiam levi cauſſa tot verba fundis, ut, quid hic Malus, quidve Reſiſtere ſignificet, intelligatur, nec modeſte ſatis (fortaſſis quia non, ut tu, Græci nati ſunt) quaſi adverſariis inſultans, eis ignorationem ſenſus iſtorum verborum objicis, & ais, Apoſtolos Græce ſcripſiſſe, non Latine. Sed (eſt Deo gratia) non deſunt inter eos, qui cum illis ſentiunt, qui &, quid ſit Græcis ὁ πονηρός, & quid iiſdem ἀντῆναι ſignificet, optime norunt.

Verum denuo reſtrictionem iſtam tuam plane & tueri, & probare tibi fortaſſe videris ea ratione, quia, cum Chriſtus Apoſtolis, & verbi Dei miniſtris præcepta det, qui & magiſtratibus, & privatis invili futuri erant, neceſſe eſt, ut odium & magiſtratus, & privatorum adverſus eum ſit, cui, ne malo reſiſtat, hoc loco præcipitur. Sic enim ex verbis tuis pag. 149. colligere quis poſſet. Nam tu non ita rem explicas, &, ſi tua verba ſpectentur, ad eos ſolos, qui concionantur, hoc eſt ad ipſos tantum Apoſtolos, & verbi Dei miniſtros argumentatio tua pertinet. Quod ſane ineptum videri debet. Quaſi quæreretur, quando in iſtis tantum Chriſti præcepto locus eſſet, non autem (quod tamen plane ſit) in quem ſenſum, etiamſi adverſus opinionem tuam ad omnes privatos id præceptum pertineret, Chriſti verba accipienda eſſent.

Cæterum tota iſta ſive tua, ſive pro te mea argumen-

tatio vel ex eo diſſoluitur, quod à te probatum non fuit, Chriſtum ſolis Apoſtolis, & verbi Dei miniſtris præcepta dare, immo quod ejus rei contrarium à me ſupra, dum tua argumenta refello, ſatis, ut arbitror, oſtenſum fuit. Ex quo id præterea intelligi debet, nihil eſſe, quod ais, hæc, quæ Chriſtus præcipit, fieri debere propter juſtitiam regni, hoc eſt, cum juſtitia regni, niſi ita fiat, videatur à noſtra impotentia violari. Sic enim habent verba tua eadem pag. 149. in fine. Nam ſi non ſolis Apoſtolis, & verbi miniſtris Chriſtus mandata dedit, ſed omnibus diſcipulis, & ſectatoribus ſuis, non eſt, cur Juſtitiam regni ita interpreteris, ut ad Apoſtolos tantum, & verbi miniſtros referri poſſit, atque, ut alibi facis, ad ſolam Euangelii prædicationem id reſtringas, quod ſine dubio, quidquid ad jus cæleſtis regni pertinet, complectitur. Quod jus certe impotentia ſua violat, quicunque Chriſti nomen profeſſus, Chriſtum non imitatur, & in eo potiſſimum non imitatur, cujus exemplar is nobis propoſitus eſt, ne malum malo ulla ratione, nec publica, nec privata rependamus. Quanquam nuſquam ſcriptum extat, ea, quæ hic mandat Chriſtus, tunc demum fieri debere, cum juſtitia regni, niſi ita fiat, videatur ab impotentia noſtra violari. Adde, quod ne in ipſis quidem Apoſtolis, aliiſque verbi miniſtris id perpetuum eſt, ut & magiſtratus, & privatorum odio erga illos cauſſæ, quam (ut tu loqueris) concionantur, conjunctum ſit. Siquidem fieri poteſt, & ſæpe factum eſt, ut ejuſmodi homines vel magiſtratum, vel populum ſibi faventem, aut certe non repugnantem habeant, vel etiam utrumque. Interim tamen Euangelii cauſſa, quod prædicant, à privatis quibuſdam peſſime habeantur, & omni injuriarum genere afficiantur. Quid (rogo) illis tunc faciendum ex Chriſti præſcripto erit? Certe, ſi rationem illam tuam attendimus, vel hunc caſum verbis ſuis Chriſtus non comprehendit, vel potius tacite excluſit, atque Apoſtolis ipſis, & verbi Dei miniſtris, ſi quid tale eis accideret, præſertim, ſi ad magiſtratum confugiendi facultas eo tempore, aut ſpatium non daretur, ſeipſos, ſi poſſent privatim ulciſci permiſit. Atque ita eos ex ovibus, quas inter lupos mittebat, lupos & ipſos, aut ſaltem canes, ubi opus fuiſſet, fieri voluit. Quod ſi ne Apoſtolis quidem ipſis, verbique miniſtris interpretatio, & reſtrictio iſta tua accommodari poteſt, non eſt, cur exemplo aliorum verborum Chriſti allato, quæ de non reſiſtendo malo hic præcipit, ad Euangelii tantum cauſſam referri debere contendas. Exemplum porro eſt, cum Chriſtus præcipit, ut, ſi quis velit ipſum ſequi, tollat crucem ſuam. Tametſi hoc quoque ſolis Apoſtolis dictum fuiſſe velle videris. Atqui non animadvertis, exemplum ſimile loco noſtro non eſſe. Ibi enim manifeſte de iis agitur, qui Chriſtum ſequi veliint, & idcirco merito Crucis ſuæ nomine, (quod nomen alioquin etiam, & per ſe, mala, tanquam pœnas, ſibi illata ex vi tranſlationis ſignificat) afflictiones tantum, quæ propter Euangelii cauſſam ſuſtinentur, intelligi poſſunt. Hic vero nihil tale apparet, ſed univerſe, malo non reſiſtendum eſſe, præcipitur.

Sequitur, ut de præcepto illo agamus, *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Non potuit Chriſtus evidentius, aut ſignificantius omnem prorſus vindictam, ſive ultionem interdicere, quam jubendo, ut malam cædenti, alteram præbeamus. Hoc enim omni ultionis generi plane contrarium eſſe, nemo eſt, quin videat.

Hic tu multus es, ut probes, Chriſti verba nequaquam ſimpliciter, ut ſonant, accipienda eſſe. Alioquin erraſſet Paulus, qui, in os verberatus, non præbuit & tergus. Erraſſet ipſe Chriſtus, & ſuam ipſius legem plane violaſſet qui, percuſſus unam in malam, alteram non obtulit pulſandam Acto. 23. 3. Joh. 18. 22. Hæc ſcribuntur à te pag. 155. & repetuntur pag. 230. & 231. & pag. 321. & 322. & in priore quoque ſcripto eadem dixeras pag. 36. Atque in his omnibus locis vel tacite, vel aperte adverſariis objicis, quod Chriſti verba hæc mordicus retineant, ſententiam negligant, ex ipſius Chriſti, & Apoſtolorum factis eliciendam, quæ interpretamenta ſunt verborum Chriſti.

Atqui non opus erat, ut hac in re tantopere laborares, atque ea ratione adverſarios tuos in invidiam vocare curares, quaſi illi iſta negent, velintque, Chriſti verba omnino, ut ſonant, intelligenda eſſe, neque, quid vel ipſe Chriſtus, vel Apoſtoli ea in re fecerint, animadvertant, aut etiam curent. Fatentur adverſarii tui, idque ſua ſponte, Chriſti verba paullo aliter accipienda eſſe, ac prima fronte ſeſe legenti offerant, & ob eam rem potiſſimum fatentur, quia & Pauli, & Chriſti ipſius factum optime noverunt, eaque, ut decet, obſervarunt, etiamſi eorum, ut pote quæ in hac quæſtione & notiſſima, & (ut ita loquar) decantatiſſima eſſent, nullam mentionem fecerint. Relege, quæ ipſi in ſua ad te reſponſione pag. 62, & 63. hac de re ſcripſerunt, & me veriſſima loqui confiteberis. Sunt enim hæc ipſorum verba in extrema pag. 62, ubi de Chriſto eſt ſermo: *Et omnino non vindicandum eſſe ſuos docet, non oculum pro oculo, vel malum pro malo reddendum, ſed potius quam hoc fiat, & alia injuria patienda, quod ſub nomine alterius maxillæ obvertendæ intelligit*, &c. Vides; adverſarios tuos ſic Chriſti verba interpretari, non ut malam percutienti omnino altera præbenda ſit, quemadmodum verba ipſa præ ſe ferunt, ſed ut potius alia injuria accipiatur, quam ut ea, quæ jam accepta eſt, vindicetur. In quo igitur (dicet aliquis) diſſentiunt in Chriſti verbis interpretandis Racovienſes à Palæologo? Nempe in eo, quod illi, tropica iſta locutione admiſſa, (ſi tamen tropica locutio appellanda eſt, nam, quæ addi debent, ex præcedentibus, exque ſubjecta materia omnino proficiſcuntur) ſimpliciter cæteroquin, & univerſe Chriſti verba accipiunt, & omnem prorſus vindictam, ſive ultionem in illis damnari volunt. Palæologus vero de privata tantum vindicta Chriſtum loqui contendit. Sed animadverte, Palæologe, quam tuæ interpretationi illorum interpretatio præſtet. Primum tu Chriſti verba reſtringis, quæ indefinite prolata ſunt, illi vero indefinite prolata indefinite quoque accipiunt. Deinde, quod tu facis, non modo ſine ulla neceſſitate facis (non debent autem proferentis verba aliter intelligi, ac ſonant, niſi evidens neceſſitas id poſtulet) ſed adverſus omnem rationem, ut mox docebimus. Quod vero illi faciunt, neceſſario quodammodo faciunt. Nam, cum Chriſtus verbis Moſaicæ legis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, in quibus de publica vindicta manifeſte agitur, ſua dicta opponat, inquiens, *Ego autem dico vobis, Non reſiſtere malo. Sed, ſi quis te percuſſerit*, &c. certe indubitatum eſſe debet, ejus verba ſimiliter de publica vindicta agere: qua prohibita, conſequens plane eſt, ut privata quoque prohibita cenſeatur. Non autem ullo modo eſt veriſimile, ut de privata ipſa vindicta agant, publicæ nullam mentionem faciant: Unde Chriſtus unum propoſuiſſe, aliud concluſiſſe, ſeu de uno in propoſitione, de alio in concluſione inepte, ac ridicule locutus fuiſſe appareat. Nam, quæ tu ad interpretationem iſtam tuam confirmandam, adque probandum, Chriſtum privatis privatam, non publicam vindictam, interdixiſſe, in medium affers, nihili æſtimanda ſunt, quemadmodum alibi infra à nobis demonſtrabitur.

Nunc unum examinandum eſt, quod adverſariorum interpretationi objeciſti, vel potius, quo ex ipſa adverſariorum interpretatione eorum de præſente quæſtione ſententiam, atque adeo ipſam interpretationem everti poſſe, exiſtimaſti. Sunt enim, quæ ſtatim ſubjiciam, verba tua pag. 231. *Quod ſi Chriſtus non obvertendo malam, nec Paulus non vertendo tergus, non peccavit, & tantam vim habet legis: Obverte & alteram, quantam: ne deferas ad magiſtratum tuas injurias ut vindicentur, quod nuſquam ſcribitur, ſequitur ut qui defert ſuas injurias ad magiſtratum, ut illa vindicet, non peccet, poſtquam non peccat is qui ut non recipiat novam injuriam non obvertit alteram malam.*

Acute ſane. Atqui hac eadem ratione interpretatio

tua

tua evertetur, &, privatos privatam vindictam exercere posse, contra tuam ipsius sententiam concludetur. Nam, si *præbe ei & alteram*, tantam vim habet legis, quantam Ne tibi illatam injuriam privato arbitrio vindices, sed magistratum adi, sequitur, ut, quoniam Christus, non præbendo alteram malam, non peccavit, is similiter non peccet, qui injuriam sibi illatam, privato arbitrio vindicat, nec magistratum adit. Nonne vides, ista argumentatione tua adversus quacunque illorum Christi verborum interpretationem similiter disputari posse, atque ipsius vi Christum vel, dum præcipit, nihil dicentem, vel factis suis præcepta sua mutantem, & abrogantem fieri? An non agnoscis, te in argumentando termino (quos vocant) mutare, & in æquivoco, ut loquuntur, versari, à verbis ad rem transeuntem. Cum enim ais, *tantam vim habet legis: Obverte & alteram, quantam*, &c. tunc ipsa illa verba, *Obverte & alteram*, intelligis. Cum vero ais, *postquam non peccat is qui*, &c. *non obvertit alteram*, tunc rem ipsam intelligis, quæ verbis illis proprie significari solet, ipsumque factum alteram malam obvertendi cum verbis de altera mala obvertenda confundis. Nec enim dicunt adversarii tui, idem esse factum obvertendi alteram malam, & non deferendi ad magistratum injurias, ut vindicentur, sed dicunt, verba illa Christi de altera mala obvertenda ita accipi debere, ut in eis interdictum censeatur Christi discipulis, non tantum privato arbitrio, sed ne ad magistratum quidem deferendo, suas injurias vindicare. Spero, te jam argumentationis tuæ fallaciam, ineptitudinem, atque inutilitatem probe agnovisse. Quæ profecto in te tanto disputatore vix ulla venia dignæ sunt. Quare nihil addam amplius, sed ad ea verba excutienda me convertam, quæ prædictæ tuæ argumentationi statim adjungis.

Namque in iis adhuc adversariis aliquid objicis in explanatione illorum Christi verborum. Ais enim, *Desipit autem scriptor hic cum putat nomine maxillæ intelligi cruces & mortes, cum verba Christi persistant in rebus civilibus. In criminibus enim*, &c. Nolim adversus id, quod debeo, & ab initio pollicitus sum, te aliquo maledicto incessere, neque hoc præsertim loco, ubi de injuriis minime retaliandis disseritur, quam isti scriptori convicio tuo facis, injuriam alio simili in te convicio vindicare. Sed certe, uter vestrum desipiat, judicabit cordatus lector. Primum tu illum ea dicentem facis, quæ non dicit. Quandoquidem hæc sunt illius verba pag. 63. *Nam passiones seu cruces in carne sub nomine maxillæ cædendæ intelligit*. Vides, illum de mortibus nihil dicere, sed de perpessionibus, & plagis corporis tantum loqui, quas ipse passiones, seu cruces in carne nominat. Quod non minimi est momenti propter ea, quæ deinde addis de quibus postea videbimus. Vides item, illum non nomine maxillæ simpliciter, quod inepte dictum fuisset, sed sub nomine maxillæ cædendæ eas perpessiones, & plagas à Christo intelligi, dixisse. Quod tamen nihil moror, cum tu inde adversarium carpendi occasionem non arripias. Deinde eundem scriptorem non modo contra omne jus, sed contra teipsum, & tua ipsius dicta reprehendis. Quid enim? An non rectissime dictum est, sub maxillæ cædendæ nomine perpessiones, & plagas corporis intelligi? Nonne malam qui cædit, is corpus ipsum ferit, atque affligit? Quis igitur sine summa injuria eum desipere dicat, qui hæc scripserit? Contra vero quis risum continere queat audiens dicentem, sub maxillæ cædendæ nomine res civiles, non autem crimina intelligenda esse, cum ipsum malam cædere vel crimen sit, ut certe est, cum id injuria, & contra leges fit, vel ad res civiles nullo pacto pertineat? Præterea nonne perspicuum est, Christum hic de criminibus, non autem de civilibus caussis loqui, cum propter verba illa legis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, hæc dixerit? Quæ legis verba nemo tam hebes est, quin videat de criminibus, non autem de civilibus caussis agere. Ac post ipsa statim intulit Christus, *Ego autem dico vobis, Non resistere malo*. Quæ verba quis negare audeat ad crimina pertinere? His vero hæc de quibus disputamus, *Si quis te percusserit*, &c. plane adhærent, atque ab iis pendent. Et tamen audes tu affirmare, verba Christi persistere in rebus civilibus, de quibus hoc loco nihil omnino dixerat. Et hæc quidem, quod attinet ad id, quod dicebamus, te contra omne jus scriptorem istum reprehendere.

Quod autem contra teipsum, tuaque ipsius dicta id facias, animadvertet quisquis meminerit, te universum Christi sermonem ad Apostolos, & verbi Dei ministros pertinere velle, idque hoc loco potissimum, ut scilicet evincas, non de magistratu non adeundo hic verba fieri, sed de iis non vindicandis, quæ propter Euangelii prædicationem, aut certe publicam professionem quis ab ipso magistratu, vel à privatis, magistratu annuente, aut non repugnante, perpetitur. Id enim, explanans superiora verba, *Non resistere malo* (ad quæ hæc, de quibus nunc agimus omnino referri, id sane demonstrat, quod per adversativam particulam Sed cum illis nectuntur) aperte scribis. Præsertim vero pag. 149. in illis verbis, *In omnibus enim his concionibus Jesu Christi intelligere oportet, odium esse & magistratus & privatorum erga te causæ, quam concionaris & quam complexus es gratiam*. Ubi illud obiter notandum est, quod deinde addis hoc pacto, *Causa enim ipsa est quæ odium concitat hominum: Cujus gratia vult Jesus Christus nos omnia, quæ boni & probi viri solent, ferre*. Ergo nihil amplius Euangelii caussa perferendum esse Christus docuit, quam boni & probi viri ferre solent? Quid? An fortasse dubium aliquod ea de re futurum erat? Nunquid in mentem alicui venire poterat, eos, qui virtutem, & probitatem eximiam aut ipsi profiterentur, aut etiam alios docerent, quales sine dubio ii sunt, qui Euangelii caussa affliguntur, improbos & malos esse posse, id est nihil referre, utrum ii boni & probi, an vero improbi & mali essent, quos cæteris omnibus virtute, ac probitate antecellere debere constat? Cur igitur tot verba Christus, ipsis docendis, fecit, si tantum id eos monere voluit, ut bonos & probos viros imitarentur? En quale Christi Euangelium nobis fingis, quod ab ipsa philosophorum disciplina in homine instituendo superetur. In philosophorum enim fere omnium præceptis multa sunt eximia, & communem hominum virtutem, ac probitatem superantia, quæ etiamsi quis non fecerit, non tamen improbus, aut malus dicetur. In Christi autem Euangelio ea tantum præcipi vis, quæ boni & probi viri facere solent, idque tunc etiam, cum de ipsa Euangelii caussa asserenda agitur, & propaganda. Etsi enim in verbis tuis non est dictio Tantum, aut alia similis, hoc tamen te sentire, cum ex verborum ipsorum, quæ recitavimus, perspicua propter usum loquendi sententia, tum ex iis, quæ mox subjicis, apparet. Ais enim, *Legantur omnia scripta quæ extant Apostolorum, qui sunt fidissimi interpretes verborum & voluntatis Jesu Christi, omnia eo tendere cognoscentur, ne nos occasionem demus hostibus veritatis, avertendi se à causa & causæ amore seu cognitione veritatis, propter proterviam & animi nostri impotentiam*. Itaque, si tibi credimus, modo Apostoli, & verbi Dei ministri protervi & animi impotentes non essent, satis habebat Christus. Idque non per se, ac perpetuo ab illis requirebat, sed propter suæ disciplinæ propagationem, & tunc demum, cum de hominibus ad veritatis cognitionem perducendis, sive in ea confirmandis ageretur. Nam certe hæc tuorum verborum sententia esse videtur. Sed jam ad propositum revertamur.

Perspicuum est igitur, te in eo tibi adversari, tuaque ipsius dicta refellere, dum vis Christum in illis verbis sub malæ cædendæ nomine non crimina, sed civiles res intelligere, cum id maximopere contendas, eum de iis injuriis, quæ Euangelii caussa à malo sive magistratu, sive privato, cui magistratus non repugnet, verbi Dei ministris inferuntur, sermonem instituisse, quæ profecto crimina sunt, non autem res civiles. Quid, quod cum alibi ubique fateris, Christum hoc præcepto privatam

injuriarum vindictam prohibuiſſe, tum vero (eadem ſcilicet pag. 231.) hæc verba paullo ante ſcripſeras? *Si quis unam malam, inquit, cæciderit, obverte illi ut cædat & alteram, quis non videt collationem inſinuatam eſſe ſententiæ? Hanc ſcilicet, potius quam privatam injuriam vindices vi privata, feras novam injuriam tu qui tuliſti priorem, nec velis malam illi cædere qui malam tibi cæcidit. Hic eſt omnino ſenſus.* Hucuſque ſunt verba tua. Ergo ipſe confiteris, ſenſum verborum Chriſti omnino eſſe, ne vi privata injuriæ vindicentur. Num igitur, teipſo judice, Chriſti verba in cauſſis civilibus perſiſtunt? Numquid injuriæ crimina, ſeu delicta non ſunt?

Sed videamus, quomodo probes, Chriſtum hic de criminibus non agere. Addis enim ad finem prædictæ pag. 231. hæc verba. *In criminibus enim ipſe dixit: Omnes qui acceperint gladium & aliquem occiderint (privati cum ſint gladio) à magiſtratu peribunt.* Non eſt autem, quod hæc tua verba hic diligentius examinemus, & tua ad Chriſti verba additamenta, ſive interpretationes partim ſuis notis diſtinctas, partim non diſtinctas, ſed ipſius Chriſti verba eſſe præ ſe ferentes excutiamus. Concedamus ſane hoc loco, Chriſtum ea dixiſſe, quæ tu illi adſcribis. Quid hoc ad illud, quod quæris? Chriſtus alibi dixit, eum, qui, privatus cum ſit gladio, aliquem occiderit, à magiſtratu occiſum iri, ſeu mavis etiam occidi debere. Eſto. Quid tum poſtea? Num propterea hic dicere non potuit, ac jubere, ut corporis plagas, & perpeſſiones ab improbis hominibus patienter feramus, ut ſcriptor noſter, ait, & de criminibus loqui? Primum enim nec de ipſa morte hic agi, ut dictum eſt, in his ſcriptoris verbis affirmatur, nec ſub Accipiendi gladium verbo, cui tu verbum Occidendi, hoc ipſum ſentiens, addidiſti, omnia crimina intelligere potuit Chriſtus, ut verba illa demonſtrant, *gladio*, ſive, ut tu interpretaris, *à magiſtratu peribit.* Non perit enim à magiſtratu, quicunque crimen aliquod, ſeu delictum commiſerit, ſed is demum, qui capitale facinus perpetraverit. Deinde fac, vel ſcriptorem iſtum mortem quoque, paſſionibus, & crucibus in carne nominandis, intellexiſſe, vel Chriſtum Accipiendi gladium verbo omnia crimina, ſeu delicta ſignificaſſe, numquid repugnant hæc inter ſe, Delicta aliorum in ſe patienter ferre, & Ei, qui deliquit, gladio pereundum eſſe? An non magiſtratus ipſe nihilominus deliquentem plectere poterit? Jam (ut video) per te, diſciplinamque tuam, quam Chriſti diſciplinæ loco nobis obtrudere ſperas, non licebit mitem atque clementem eſſe, injuriarumque patientem, & nedum ut peccet is, qui per magiſtratum injurias ſuas ulciſcitur, is peccabit, qui non ulciſcitur, & injuria læſus ultro magiſtratum non adit, atque in ſe delinquentem non defert, eumque gladio puniri non curat. Certe hujuſmodi placita vix crediderim in ulla barbarorum religione reperiri. In multis ſane locis, in quibus Chriſti quidem nomen perſonat, cæterum omnis Chriſtiana religio extincta eſſe videtur, hoc tamen etiamnum obtinet, ut, quamvis injurias ſibi illatas privato arbitrio non vindicare turpe, ac dedecoris plenum eſſe ducant, multo tamen turpius, & dedecoris magis plenum cenſeant, atque adeo flagitioſum eſſe ſtatuant, magiſtratus opem ad eas vindicandas implorare. Quod non idcirco fit, ut aſſueſcant homines privato arbitrio ſuas injurias ulciſci. Id enim, ſi verum fateri velint, ſentiunt & ii quoque, quorum intereſt publice, non autem privatim injurias vindicari. Sed docet hoc nimirum ipſa ratio, Aut omnino condonandas eſſe injurias, aut, ſi vindicandæ ſunt, id per ſeipſum, non autem per alium fieri debere. Viliſſimi enim ac turpiſſimi animi eſt, impotentis ſcilicet ſimul atque ignavi neutrum iſtorum facere aut velle, aut poſſe. Sed hæc hactenus.

Nunc de Chriſti præcepto illo agendum eſt, *Ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* In quo diſerte judicia quoque ſuis fugienda eſſe docet Chriſtus, potius ſcilicet (huc enim omnia referuntur) quam, ut malum malo rependatur. Quod ne ullo modo fiat, id quoque cavendum eſt, ne alicui etiam injuſte nos injuria afficiendi occaſionem præbeamus, ut poſtea latius explicabimus. Meminiſſe enim oportet, Chriſti verba hæc, & quæ ſequuntur, uſque, ad alia verba Legis, *Diliges proximum tuum*, &c. ad ea Legis verba addita fuiſſe, aut certe aliquo modo pertinere, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, in quibus de injuriis retaliandis agitur. Sed tu appendices eſſe ais interpretationis legis de vindicta, ſive conjuncta quædam legi de talione, idque ſcribis pag. 144. & pag. 156. Verum bene habet, quod dum de vindictæ, ſeu talionis lege amplius Chriſtum loqui negas, ut ſcilicet miris quibuſdam tuis ejus verborum explanationibus ipſius præcepta eludas, interim aperte fateris, in ſuperioribus de ea lege actum fuiſſe. Quod ſi verum eſt, quomodo ſuperiora illa verba, *Si quis te percuſſerit*, &c. ad civiles cauſſas, non autem ad crimina pertinere contendis? Numquid Lex talionis, ſeu vindictæ non ad crimina, ſed ad civiles cauſſas pertinet? Jam vero ſi ejus legis, ſive interpretationis ipſius, quam Chriſtus attulerat, hoc, quod examinandum eſt nobis præceptum, una cum duobus ſequentibus appendix eſt, & conjunctum quiddam, videndum eſt, qua ratione tu hæc cum illa nectas, atque conjungas. Propterea jam, quo pacto ea explanes, conſideremus.

Tria igitur dicis eſſe hæc legi de talione conjuncta. Unum de judiciis, Alterum de vi, Tertium de mutuo. Et de judiciis quidem ais eſſe hoc primum, *Ei, qui vult tecum in judicio contendere*, &c. Cujus dicti ſententiam hac ratione inquiris. Ais, in duobus ſequentibus nullam mentionem judicii fieri. Quod plane indicare putas, in hoc aliquid ſubeſſe, quod in illis non ſit. Id autem, ut verbum ipſum Contendendi in judicio declarat, nihil aliud eſſe poteſt, niſi, quod in ſequentibus de re agatur, quæ ex voluntate pendeat ejus, abs quo petitur, in hoc vero de ea, quæ pendeat ex aliqua obligatione. Sic enim colligitur ex iis, quæ ſcribis pag. 158. Ut autem, quid hoc ſit, explicare poſſis, in quem ſenſum In judicio contendendi verbum hic accipiendum ſit, indagas, & pergens ais, Chriſtum ſupra judicii, & judicis feciſſe mentionem in iis peccatis, in quibus humana judicia locum non habent, ſed ad ipſius Dei judicium cauſſa defertur. De hoc igitur judicio eum hic ſimiliter loqui vis. Quod ſi verum eſt, de obligatione etiam eum loqui neceſſe eſt, quæ ſit non ſecundum homines, ſed ſecundum Deum. Quæ vero erit iſta? Nempe ea, cum quis, duas tunicas habens, divino jure obligatus eſt alteram non habenti dare. Itaque Chriſti verba, *Ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere*, ad hunc modum ex ſenſu tuo explananda ſunt: Pauperi, ſeu tunicam non habenti, cum tu duas habeas, qui te ad Dei judicium, atque tribunal ſiſtere poteſt, teque ea ratione cogere, ut ſibi alteram ex duabus tunicis concedas, dimitte & pallium, id eſt potius pallium una cum tunica des, quam tunicam deneges. Hocque Chriſti præceptum una cum duobus ſequentibus, quas tu modo ſententias, modo ſententiolas appellas, ad eleemoſynam pertinere ais, de qua mox dicturus erat.

Perpendamus (quæſo te) paullo diligentius mirabilem hanc tuam explicationem, & primum id, quod poſtremo loco dictum eſt, conſideremus. Nam, ſi ad eleemoſynam, ut inquis, hæc Chriſti præcepta pertinent, quomodo ea ad legem vindictæ, ſeu talionis accommodari queunt, etiamſi, ut tibi placet, appendices tantum, & conjuncta quædam eſſent? Quid commune habet eleemoſyna, ea præſertim, quam dare divino jure cogimur, cum injuriis privato arbitrio (ut ipſe interpretaris) non vindicandis, aut retaliandis? Cui enim injuria facta fuit, is nemini quidquam debet, immo ipſi ab eo, qui injuriam fecit, multum debetur. Quem vero Deus jubet eleemoſynam dare, ei non ſolum nihil ab aliquo debetur, ſed ipſe, quod Deus dare jubet, indigenti debere dici poteſt. Quod ſi de eleemoſyna quadam, ſeu liberalitate tantum ſermo eſſet, quam dare quis nullo jure cogeretur, id ad præceptum de injuriis non vindicandis aliqua ratione accommodari forte poſſet,

poſſet, ſeu cum illo conjungi Hoc nimirum pacto. Quemadmodum juri noſtro in injuriis non vindicandis erit renunciandum, & alteri de eo, quod noſtrum eſt, cedendum, ſic danda eſt eleemoſyna iis etiam, quibus ut detur, nihil cogit, aut jubet, & ita de jure noſtro quodammodo cedendum, & alteri, quod noſtrum eſt, concedendum. Sed aliud eleemoſynæ genus illud, ut dixi, non video, quomodo huc pertinere poſſit. Simul enim atque obligatio aliqua dandi adfuerit, evaneſcet omnis ad injurias non vindicandas relatio, & omnis pariter hæc conjungendi ratio. Atqui, ut vidimus, certum eſt, de iſto eleemoſynæ genere in primo hoc præcepto agi, ſi explanationem tuam ſequi velimus. Nihil autem dico, quod ſatis ipſe fateris, de eleemoſyna in primo hoc præcepto non agi, cum dictum quoddam eſſe velis de judiciis. Quid enim eleemoſynæ cum judiciis? Deinde, quo exemplo confirmas, verbum Volo pro Poſſum interpretari licere, nedum id fieri hoc loco debere? Etenim in explanatione tua verba illa, *Ei, qui vult*, ita omnino accipiuntur, ac ſi dictum fuiſſet, Ei, qui poteſt. Quinquam hoc non ſatis eſt, niſi verbum *vult* & Vult, & Poteſt ſimul ſignificet. Ex loco enim ipſo perſpicuum eſt, ea de re hic perpetuo agi, quomodo ſcilicet alterius in nos voluntati, aut facto, quod nobis detrimentoſum appareat, reſpondere debeamus, & tu alibi, quamvis hic id requirere non videaris, de petitione illius, qui tunicam non habet, mentionem facis, pag. videlicet 207, & 234, atque etiam pag 233. Verum numquid is tecum judicio contendere velle dici poteſt, qui nihil aliud agat, niſi id à te petat, quo tu abundas, ipſe caret? Deus bone, qualem, Palæologe, nobis Chriſtum facis, qui non quidem doceat, ſed ænigmata quodammodo ſolvenda proponat! Sphingem ſane aliquam, te vero Oedipum, qui ſolus ea ſolvere poſſis.

Nam quid de interpretatione tua dicemus ejus verbi *in judicio contendere*, quod in Græco eſt κριθηναι? Quam mire es acutus, qui de divino tribunali hic agi velis, & verbum κριθηναι ad judicium illud referas, de quo ſupra Chriſtus ſemel locutus fuerat, ac dixerat, *Omnis, qui temere iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio!* Certe oportuit, Chriſti quoque auditores non acutiſſimos modo, ſed optima etiam memoria eſſe, ut hæc percipere poſſent. At inquies, non in eo ſolo loco a Chriſto ejus judicii reipſa antea mentionem factam fuiſſe, teque id ſatis indicaſſe, cum non tantum dixeris, Chriſtum ſupra feciſſe mentionem judicii, ſed etiam judicis. Non enim in eo loco diſerte mentio judicis fit, ſed in illo, *ne forte tradat te adverſarius judici.* Verum eſt. Non animadverteram. Sic enim ad finem quoque pag. 159 ſcribis, *Nam contendere tecum videtur eo ſignificatu dictum, quo illud: Reus erit judicio, & illud: Et tradet te adverſarius judici.* Et ſtatim adjungis, *ejuſdem enim ſignificati eſſe oportet hæc omnia: Adverſarius, judex, judicium, carcer, miniſter, exactor, & quo unum refertur oportet omnia referri.* Recte quidem, quod attinet ad eum locum, ubi iſtorum omnium, præterquam judicii, fit mentio, ſi initio judicium nominatum fuiſſet. At vero, quod eodem etiam referri debeat, ſi quid in toto eo ſermone de judicio ſubeundo à Chriſto dicitur, non recte eſt dictum, præſertim ubi commodiſſime alio referri poteſt, idque non quidem nova & tranſlatitia ſignificatione aſcita, ut in interpretatione iſta tua fieri neceſſe eſt, ſed propria atque uſitata retenta. Quid enim prohibet, quominus verbum κριθηναι, ſive In judicio contendere, hoc loco propria & uſitata ſignificatione accipias, & ad humana judicia referas, ut fieri etiam vides 1 Cor. 6. 1, & 6? Nihil omnino, niſi quod ea ſignificatio tuæ ſententiæ plurimum obeſt, & in locis pleriſque Sacrarum Literarum interpretandis nihil penſi habes, modo tuis placitis, ſi tua interpretatio admittatur, vel faveant, vel non adverſentur. Hoc autem non injuria à me dici, confitebitur (ſpero) quiſquis meam hanc reſponſionem legerit. Nam, hoc ipſo loco explanando, ita nihil penſi habuiſti, ut tibi ipſi ſæpius non conſtiteris, atque adeo plane adverſatus fueris. Primum enim, ut jam vidimus, cum primum dixiſſes, Chriſti dictum hoc de judiciis eſſe, deinde una cum ſequentibus ad eleemoſynam pertinere dixiſti, quæ cum judiciis nihil commune habet. Quandoquidem Judiciorum ſimplici nomine non Dei judicium, ad quod tu Chriſti verba pertrahere conaris, ſed humana tantum judicia ſignificantur. Deinde, quæ in illis Chriſti verbis, *Eſto conſentiens*, &c. de judiciis dicuntur, quæque hic ad divinum judicium refers, eadem aliis in locis de judiciis humanis accipis. Legantur ea, quæ ſcribis pag. 121, 122, 124, 125, 233, & 252, & quæ in priore quoque ſcripto dixeras, ſuntque in principio, medio, & fine pag. 35, & initio 36. Ubi etiam paſſim ex illis Chriſti verbis magiſtratum ſtabiliri, & confirmari affirmas, quamvis id deinde in poſteriore ſcripto pag 126. dubium relinquas. Legantur, inquam, loci prædicti, & cum verbis tuis conferantur, quæ paullo ante recitavimus, in quibus verba illa Chriſti ad divinum judicium, ut vidimus, refers, & te ſtudio explanationis tuæ ejus loci, quem præ manibus habemus, confirmandæ tibi tam parum conſtitiſſe, nemo eſt, qui vehementer miraturus non ſit. Sed aliæ quoque in eadem hac re inconſtantiæ tuæ mox à nobis retegentur. Monendus enim prius eſt lector, ne ſuperiora quidem illa Chriſti verba, *reus erit judicio*, ejuſmodi eſſe, ut ad confirmationem explanationis horum verborum, *in judicio contendere*, mererentur in teſtimonium adduci. Quaſi in illis manifeſte Judicii nomine divinum judicium inteliigatur. Quod non ita eſt, etiamſi, id verum eſſe ab initio conceſſiſſe videamur. Etſi enim non dubium eſt, quin Chriſtus reipſa dicere voluerit, eum, de quo loquebatur, futurum reum judicio divino, tamen id ex ſententia potius ejus colligitur, quam ex ipſis verbis. Siquidem, cum dixit de eo, qui fratri temere iraſcitur, *reus erit judicio*, ad illud, quod ante ex Legis mente retulerat, omnino reſpexit, *Qui occiderit reus erit judicio.* Et perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Non ſolum ipſa cædes reum occidentem conſtituit, & dignum qui pœnas det, verum etiam ipſa ira, ſive odium adverſus fratrem temere ſuſceptum idem facere debet, ac faciet. Itaque, cum dixit, *reus erit judicio*, Judicii nomine non certum aliquod judicium, quod ipſe modo intelligeret, ſignificare voluit, cui obnoxius is, de quo loquebatur, futurus eſſet, ſed integra ea locutione id nimirum voluit dicere, Jure iſtum pœnas daturum, qui iratus fuerit temere fratri ſuo, non ſecus atque illum, qui hominem occiderit. Atque tu ipſe non abſimilem eorum verborum interpretationem es ſecutus, cum initio pag. 121. ita ſcriptum reliquiſti, *ut ſicut cædes ipſa ignominioſiſſima cæde à Magiſtratu ordinario eſſet punienda, ita odium in fratrem conceptum, levem aut nullam ob cauſſam, judicum conſeſſu eſſet examinandum & puniendum.* Sunt enim hæc tua verba ſine dubio explicatio ſententiæ Chriſti de eo, qui temere fratri iraſcitur, ut etiam ſequentia deinceps verba tua declarant, quibus ſequentes quoque Chriſti ſententias pari ratione explicas, atque eodem modo ad magiſtratum omnia refers. Quare jam videre potes inconſtantiam tuam, cum deinde verba illa, *reus erit judicio*, de Dei judicio accipis. Adeo autem verum eſt, te in proxime citato loco, ubi tota illa pars Chriſti ſermonis tibi explananda erat, ad magiſtratum, non autem ad Dei judicium ejus verba retuliſſe (quemadmodum intelliget, qui præter ſupra ſcripta verba, ea legerit, quæ pag. 122. ab illis verbis, *Cæterum judicium, Concilium*, &c. uſque ad finem ejus partis explanandæ ſcripſiſti) adeo, inquam, verum eſt, ut in ipſo fine auſus ſis dicere, Chriſtum ibi ſuis verbis magiſtratum conſtituere. Etenim ſic in fine pag. 123, & ſeq. initio ſcriptum extat, *Cum autem Magiſtratus nomina ſint, Judicium, Concilium, Princeps, ſequitur Jeſum Chriſtum his ſuis verbis Magiſtratum conſtituere.* Idem quoque aperte dixeras in priore ſcripto pag 35. in ipſo initio. Quod ibidem paullo poſt his verbis confirmaveras, *Nam ſi Chriſto judicia diſſolvere, exercereque jus gladii malum eſſe cognoviſſet, non dixiſſet, obnoxius erit judicio.* Sed nihili æſtimandæ videntur,

dentur, quas recenſuimus inconſtantiæ tuæ, præ, illa, quod hunc ipſum locum, ubi ſcilicet de danda tunica, & pallio agitur, alibi magiſtratus mentionem continere vis, & de magiſtratu adeundo in eo verba fieri, adeo ut hic magiſtratum ſtatui velis. Hoc autem veriſſimum eſſe deprehendet, quicunque iis lectis, quæ hic ſcribis, ea legerit, quæ pag. 234. ſcripſiſti, ubi tandem ita concludis, *Statuitur igitur judicium magiſtratus hoc dicto, non evertitur.* Nam quod pag. 162. ſcribis, ex hoc loco, cum in eo Judicii nomen legatur, legitimum magiſtratum ſtatui, quamvis in eo de judicio Dei agatur, unde adverſus id, quod & modo, & antea dictum à me eſt, concludi poſſit, te nequaquam in eo tibi non ſatis conſtare, quod ubi de Dei judicio agi velis, ibidem magiſtratum confirmari affirmes, hoc, inquam, non video, quo jure a te dicatur. Etenim ſi Judicii, aut Judicis nomen & hic, & alibi, in locis, de quibus ſupra diſputatum eſt, Dei judicium, vel Deum judicem ſignificat, quid hoc ad humana judicia, & homines judices, id eſt magiſtratus confirmandos? Num ex hoc propterea iſta confirmari dici poſſunt, quia alioqui fuiſſent Deo accommodata earum rerum nomina, quas ipſe non approbaſſet, idque veriſimile non eſt? Atqui non fuerunt Deo rerum aliquarum nomina accommodata, cum judex dictus eſt eique judicium tributum fuit, ſed maxime proprie hæc de ipſo ſunt dicta, qui verus judex eſt, & à quo vel apud quem vera judicia exercentur. Ut Judicis, & Judicii nomen, ſeu Judex, & Judicium ſint genera (ut loquuntur) analoga, quæ primum de Deo, deinde de hominibus prædicentur, & non ab hominibus ſumpta, Deo, ſed à Deo ſumpta, hominibus accommodentur. Quamobrem nihil prorſus ex appellationibus Judicis, & Judicia exercentis à Chriſto Deo tributis ad confirmandos magiſtratus, humanaque judicia elici poteſt. Sed probandum eſt (ut quidem facillime fiet) quod hominibus quoque hæc eadem tribuantur, id Chriſti præceptis minime adverſari.

Illud præterea animadvertendum eſt (nam & neceſſario id ex judicii, & judicis mutatione conſequitur) te, quod hic ad eleemoſynam refers, alibi ad reſtitutionem rerum ablatarum, aut contra leges retentarum non obſcure referre. Ut in paraphraſi tua pag. 207. ubi Chriſti verba, de quibus agimus, ita reddis, *Item ſi quis tecum litigare velit in judicio, quod illi abſtuleris tunicam, & ob id auferre abs te velit tunicam tuam, potius quam ut ob eam rem venias in judicium & damneris a judice, non ſolum tunicam ſed etiam togam offerendam eſſe petenti dico.* Quam diſſimilis eſt, immo contraria paraphraſis explanationi? In explanatione dictum fuerat, non de humanis judiciis, ſed de Dei judicio hic agi. In paraphraſi vero non modo Dei judicium non commemoratur, ſed ea dicuntur, quæ de humanis judiciis verba Chriſti accipienda eſſe, evidenter demonſtrant. In explanatione de eleemoſyna facienda, quod ad Dei judicium tantum pertinet, Chriſtum loqui affirmatur. At in paraphraſi, de re ablata reſtituenda ſermonem eſſe traditur, qua de re homines judicare ſolent. Itaque ſententiam mutaſti, & ab illa abſtruſa & mirabili opinione tua, quod hic de divino judicio agatur, receſſiſti, vel potius ad eam reverſus es, quam antea ſecutus fueras, popularem & omnibus expoſitam, quod de humanis judiciis hic verba fiant. Nam, ut jam diximus, antequam loci explanationem aggrederere, de judiciis hic agi confeſſus fueras, idque non ſemel, ſed primo ad finem pag. 144. deinde in initio pag. 156. Judiciorum autem nomine ita plurali numero ſimpliciter prolato (ut ſupra monuimus) nemo unquam erit, qui Dei judicium vel intelligat, vel ea appellatione contineri putet. Quinetiam in priore ſcripto pag. 37. Chriſti verba in eundem prorſus ſenſum acceperas, quem in Paraphraſi ſecutus es. Eo enim illa pertinere dixeras, ne patiamur trahi in judicium ab eo, cui abſtulimus ſua. Sed quamvis, quod ad genus judicii pertinet, de quo Chriſtus agat, recte ſententiam tuam vel mutaveris, vel repetieris, in eo tamen (ut ſcilicet hujus loci ſcopulum omnino vitares) in deterius es lapſus, quod, cum aliquando fatereris, hic ea de re agi, quæ ſaltem aliqua ex parte voluntaria eſt, nunc de ea, quæ plane eſt neceſſaria, agi velis. Nam ſi, quia eleemoſyna illa ab eo, qui duas tunicas habet, ei, qui nullam habet, præſtanda coram Deo, ipſiuſque judicio aliquid neceſſitatis habere videtur, idcirco de ea Chriſtum loqui non potuiſſe, oſtendimus, nec, de lege talionis exequenda loquentem, ejus mentionem inferre, multo magis id dicendum eſt de rei ablatæ reſtitutione, quæ & divino, & humano jure debetur, nec cum injuriis non retaliandis aliquid prorſus commune habet. Verum neque in hac, neque in illa ſententia, quatenus utrobique aliquam obligationem ex parte illius, à quo petitur, eſſe vis, ſatis conſtans fuiſti. Id enim alicubi veritate victus ipſe negare videris, & adverſus teipſum ea dicis, quæ ab adverſariis tuis dicenda fuerant. Etenim pag. 160. hæc verba leguntur; *Deinde cum dicit: tunicam tuam tollere, oſtendit nos totum jus in tunicam habere, nullum autem eum qui vult nos tunicæ cauſa in jus trahere, quod autem eſſet illud judicium, quod poſſet adjudicare alii id quod meum eſt toto jure?* Primum enim, cum hæc dicis, manifeſtum eſt, te ſententiam, quam poſtremo amplecti viſus es, plane deſtruere, quod attinet ad facti, ac petitionis genus, de quo judicandum ſit. Nam qui, propterea ſibi dari tunicam, ab alio petit, quod ille tunicam ſibi abſtuliſſet (ſic enim, ut vidimus, facti ſpeciem in Paraphraſi deformas) is certe in tunica illa multum juris habet, idque in omni judicio, alter vero, à quo petitur, nihil. Atqui in modo recitatis verbis, tuis, eum, à quo eſt, qui tunicam petat, totum jus in eam habere vis. Deinde ratio, cur hoc velis, alterius quoque ſententiæ tuæ id funditus evertit, quod petitio rei hic ſit, quæ petenti aliquo jure debeatur. Cum enim dicit Chriſtus, *tunicam tuam tollere, oſtendit* (inquis) *nos totum jus in tunicam habere.* Quamvis enim, cum hæc dicis, ad humana judicia verba tua referas, tamen ratio ipſa, quam verborum tuorum affers, illud judicium complectitur omnino, de quo ibi ſermo erat, qualecunque id tandem eſſet, atque eo vox Tuam referenda eſt, ut in eo ipſo judicio, non autem in alio quopiam, tunica ſit noſtra. Quemadmodum etiam ex ipſis verbis tuis apparet, dum ais, eum, qui tunicæ cauſſa vult nos in jus trahere, nullum jus in tunicam habere. Nam quis eſt, qui non intelligat, iſtum illius ipſius juris, ſeu judicii reſpectu, in quod nos vult trahere, nullum jus habere in tunicam, quæ noſtra eſt? Hinc apparet, vel de divino judicio hic non agi, vel certe non de danda ex duabus tunicis altera ei, qui nullam habet. In divino enim judicio non ejus eſt tunica, qui habet, ſed illius, qui non habet. Non igitur in eo judicio noſtra erit tunica, ſed aliena, vel teipſo teſte, qui non modo ubique id ſentis, ſed etiam diſertis verbis alicubi exprimis, pag. enim 233. ſic ais, *Hanc monitionem Jeſu Chriſti, quæ pertinet ad convitiatorem* (hæc autem verba ad Chriſti dictum illud refers, *Eſto conſentiens adverſario tuo*, &c) *iſte ſcriptor conjungit, cum monitione Chriſti, qua hortatur divites*, (hæc vero ad locum noſtrum accommodas) *ut ſi quis pauper petit tunicam, dent & pallium potius, quam ut ille cogatur judicio contendere, noſtramque tunicam ad ſe pertinere dicat, & judex Deus contra non dantes ſua pauperibus, in gratiam pauperum, ferat ſententiam.* Et mox. *Non vetat igitur Chriſtus expeti vindictam per judices, ſed monet, ut qui intulit injuriam, & qui habet apud ſe id quod alii dare tenetur, tanquam alienum, curet uterque*, &c. Atque eadem repetis pag. 235. his verbis, *Chriſtus monet illos, qui injuſtam cauſſam obtinent, vel quod convitiati ſint aliis, vel quod retinent aliena, (ea ratione qua diximus) ne expectent experiri diſcrimen judiciorum, ſed antequam illi qui injuriam ſunt paſſi, accedant ad judicem expoſtulatum, reducant illos quos offenderunt in gratiam, ille petendo veniam, iſte reddendo aliena.* Vides, te non ſemel diſerte affirmare, coram Deo judice non noſtrum, ſed alienum eſſe id, quod nobis ſupereſt, alii deeſt.

Quare jam iſta tuæ exoticæ ac ſpinoſiores quædam horum Chriſti verborum interpretationes relinquendæ

ſunt

ſunt tibi Palæologe, atque ea amplectenda, quæ, ut communior, ita planior eſt, quæque ex tui ipſius dictis colligi poteſt. Nam ſi id, quod alicubi, ut ſupra oſtendimus, ſcribis, hic de magiſtratu, & humanis judiciis agi, cum eo conjungatur, quod alibi confiteris, totum jus habere iſtum in tunica, abs quo eſt, qui eam auferre velit, certe veram loci explanationem facile habebimus. Quæ eſt, Potius tunicæ tuæ, quam quis abs te injuſte accipere velit, pallium, ſive togam addendam eſſe, quam cum ipſius damno jus tuum apud judicem perſequendum. Atque ita hæc vera appendix, (ut tu eam appellas) erit ad legem talionis, non autem dictum quoddam cum ea nullo pacto cohærens. Neque opus fuerit divinare aut potius ſomniare, eum, abs quo eſt, qui tunicam petat, vel duas tunicas habuiſſe, cum alter nullam haberet, vel alteri prius tunicam abſtuliſſe. Neque verbum κρίνεσθαι ſimpliciter poſitum, ubi de cujuſpiam voluntate contendendi in judicio agitur, nulla vel neceſſitate cogente, vel exemplo fortaſſe ſuadente, ad Dei judicium referetur. Nec denique verbum Velle pro Poſſe, aut pro Poſſe ſimul, & velle accipiendum novo exemplo erit, aut Velle tollere, ſive accipere, pro Petere interpretandum, ut in explanationibus tuis fieri neceſſe eſt, ſed omnia planiſſima erunt, atque perſpicua, nec ulli verbo vis aliqua afferetur, aut inuſitata ſignificatio tribuetur.

Immo (dices) Nam explanationi iſti communi & tuæ nunquam verba illa accommodabis, *Vult tecum in judicio contendere*, ex quibus manifeſtum eſt, iſtum, qui tunicam alterius habere vult, aliquod jus in eam habere. Id quod explanatio veſtra plane negat. In qua etiam præter id, quod in verbis Chriſti eſt, verbo Tollere, ſive Accipere adverbium Injuſte additur.

Reſpondeo, nihil impedire, quominus, is qui nullum jus in rem aliquam habeat, tamen prudens ſciens velit de ea cum Domino, & juſto poſſeſſore in judicio contendere, ut quotidiana experientia plus ſatis nos docet, & idcirco Chriſtum, qui id optime norat, ſuos monere voluiſſe, ut, ſiquando in ejuſmodi hominem incidiſſent, qui, quod ipſorum omnino fuiſſet, ipſis auferre vellet, etiamſi id juridica via tentaret, concederent tamen id, quod ille vellet auferre, &, ſi opus eſſet, aliquid etiam amplius darent potius, quam judicium ipſum, nedum quidpiam aliud experirentur, in quo ſcilicet is ſuæ temeritatis daret pœnas (erat enim antiquis legibus temere litigantibus gravis pœna conſtituta) atque ea ratione injuriam ſibi ab eo factam vindicarent. Quanquam, etiamſi temere litigantibus ac doloſe in judiciis agentibus nulla tunc pœna legibus conſtituta fuiſſet, tamen Chriſti monitio locum haberet, quamvis de non vindicandis injuriis agatur. Tunc enim ea locum habere putanda eſt, non cum ſimpliciter quis ob ſua defendenda in jus vocatur, ſed cum, ſi in jus eatur, appareat futurum, ut, qui noſtra capere voluit, per judicem condemnetur, ac puniatur. Nempe ob eam cauſſam, quod ea in re & nobis, & legibus ipſis vim aliquam afferre voluerit. Nec vero minus ad ejuſmodi caſum, quam ad ſuperiorem, accommodari poterit, quod iſte voluerit nobiſcum in judicio contendere. Is enim ſatis videtur velle contendere in judicio, qui manifeſtam occaſionem alteri præbet ſe apud judicem conveniendi, nec illi ullam præterea injuriam ab ſe acceptam vindicandi rationem ſupereſſe novit, quam judicem adire. Adde, quod ſolent iſti, qui aliena rapere tentant, atque ob eam rem à vi non abſtinent, conquerenti de ipſorum injuria dicere, Si quid habes adverſum me, in jus me voca. Nam, ut à Theodoro Beza hoc ipſo loco annotatum fuit, poteſt præterea non incommode τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι pro τῷ θέλοντι σοὶ κριθῆναι dictum videri, atque hoc pacto locus verti, Ei, qui abs te in judicium vocari velit. Summa hæc eſt, agi hic de injuriis non vindicandis, aut retaliandis. Quare ad hoc ipſum omnino verba Chriſti referri debent, atque eo libentius, ſi per magiſtratum id facere, alioqui licuiſſe appareat. Huc enim pertinent verba legis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, quorum occaſione hæc à Chriſto dicta ſunt. Quocirca non immerito in explanatione noſtra adverbium Injuſte verbo Tollendi, ſive Accipiendi additum fuit, cum conſtet, de eo, quod injuria fiat adeo, ut per magiſtratum vindicari poſſit, potiſſimum ſermonem eſſe. Quinimmo, ne addi quidem adverbium illud, dici poteſt, cum alienum ſua ſponte tollere, ſive accipere, (inquit enim, *& [vult] tunicam tuam tollere)* nemo niſi injuſte queat. Atque ex his tandem probatum eſt, merito hunc locum tibi ab adverſariis objectum fuiſſe, in eoque diſerte, contra ſententiam, & dogma tuum, à Chriſto vindictam etiam per magiſtratum expetendam prohiberi.

Nunc de ſequente Chriſti præcepto videndum eſt. Quod ſimiliter tibi ab adverſariis objectum fuit, ut probarent, nihil non eſſe perpetiendum ab altero potius, quam ut in eum injurias etiam per magiſtratum vindicemus. Etſi enim ex ſupra dictis ſatis id, quod volebamus, & opus erat, effectum eſt, nec obſcure indicatum ſimul, ac probatum, quo ſenſu (eo ſcilicet, quem tui adverſarii ſequuntur) Chriſtus id præceptum dederit, tamen quia tu ex eo, & ſequente, ſuperioris interpretationem tuam confirmari putas, non abs re erit non de ipſo modo, ſed de ſequente quoque, quantum ſat fuerit, explicare.

Ais igitur, utrumque ejuſmodi eſſe, ut in ipſis de re agatur, quæ pendeat ex voluntate ejus, abs quo petitur, & propterea in utroque partem illam de contendendo in judicio prætermiſſam fuiſſe, quæ in ſuperiore poſita indicat, ſuperius de eo agere, in quo aliqua obligatio ejus, a quo petitur, contineatur.

Jam à nobis, quid ſibi ea pars in ſuperiore velit, oſtenſum eſt, &, tui ipſius verbis, ac ratione allata, concluſum, totum jus in tunica eum habuiſſe, abs quo ea petebatur, vel potius auferebatur, nullum autem illum, qui tunicæ cauſſa alterum in jus trahere volebat. Non igitur ea pars in ſuperiore addita in his idcirco prætermiſſa eſt, quod in illo de obligatione aliqua, in his de re prorſus voluntaria ſermo eſſet. Ubique enim de re plane voluntaria agitur. Sed ad alterius rei diſtinctionem id factum eſt, ut ſcilicet is caſus, ubi quis in judicium vocatur, ab iis, ubi id non contingit, diſtingueretur, non quidem quo intelligeretur, diverſam utriuſque eſſe rationem, & diverſum de utroque ſtatuendum eſſe, utriuſque enim eadem eſt ratio, & de utroque idem ſtatui vult Chriſtus, ſed ut eo clarius, atque apertius utrumque caſum Chriſti præceptis comprehenſum fuiſſe, conſtaret. Quanquam ne in priore quidem ex his duobus præceptis monitio de magiſtratu non adeundo non intelligenda eſt, ut poſtea explicabimus. Nam præſtat prius videre, ecquid tibi in eo explanando magis, quam in ſuperiore, conſtiteris Certe minus etiam conſtans fuiſti. Primum enim, ut vidimus, duobus in locis, nempe pag. 144, & 156. dictum quoddam eſſe affirmas de vi. At alibi, hoc eſt pag. 159. ad eleemoſynam una cum aliis duobus pertinere ais. An non hæc plane repugnare videntur, Eleemoſynam dare, & Vim ſibi ad dandum adhiberi? Quod ſi non pugnare contendas, quis tamen præter te eleemoſynam illam appellaſſet, in qua vis aliqua interveniat? Quod quam abſurdum ſit, tu ipſe intelligens, atque in eo perſeverans, ut de eleemoſyna hic agatur, in explanatione ipſa verborum iſti ſententiæ à te bis antea repetitæ, quod dictum eſſet de vi, penitus deinde renunciaſti, & teipſum plane refellere non dubitaviſti. Nam ſic ſcribis pag. 162. *Angariare: vox hæc ſicut multæ aliæ ſignificationes, ſunt redactæ in Provinciam Romanorum, Hieroſolymæ. Eſt autem & amantis & odientis, nos ad amantem retraximus vocem.* Non examino autem diligenter hæc verba tua. Illud tantum abs te ſcire velim, unde habeas, verbum Angariare, ſive ἀγγαρεύειν & amantis (ut ais) & odientis eſſe. Nam in Sacris Literis duobus tantum in locis, ut arbitror, id verbum legitur, hic, & in eo loco, ubi & Matthæus, Matth. 27.32, & Marcus, Mar. 15.21, de Simone illo Cyrenæo loquuntur, qui ad mox crucifigendi Chriſti crucem bajulandam eſt adactus. Ubi, ut ipſe ſtatim poſt ſupra ſcripta tua

verba confiteris, ſine dubio odii eſt. Alibi vero extra Sacras Litteras vel ipſum verbum non legitur, vel ſi aut apud Græcos, aut apud Latinos uſpiam legitur, id ſine dubio in eadem hac notione eſt. Nam & ipſius origo, & quædam alia conjugata verba, ac nomina, quæ alicubi leguntur, eam perpetuam eſſe confirmant. Sed, quidquid ſit, vides, quam ſis varius, & quam apertè teipſum refutes, qui modo de vi hic agi, modo illud ipſum verbum, ex quo ſolo vis illa intelligi poterat, hoc loco amantis eſſe affirmas. Deinde (quod ſatis mirari non queo) in explanatione pag. 158. aperte dicis, (quod & antea attigimus) non poſſe hic eum, qui petit, ut ſecum eatur unum milliare, de ea re cum eo, abs quo petit, judicio contendere, ob eamque rem partem illam hic prætermiſſam fuiſſe, nec contentionis in judicio mentionem factam eſſe. At vero in Paraphraſi pag. 207. hunc locum ita reddis, *Et ſi quis te cogere velit ad unum miliare per judicem, quod tu ad tantundem itineris eum coegeris, comitare cum vel duo miliaria, potius quam ut velis cum eo judicio decernere.* Jam quæ (obſecro) inconſtantia eſt, ſi hæc non eſt? Potuitne quidquam ei, quod prius dixeras magis contrarium excogitari eo, quod tute ipſe deinde ſcripſiſti?

Sed jam verborum Chriſti ſententiam nos explanemus, & quomodo hoc cum ſuperioribus cohæreat, dicamus. Agitur, ut ſæpius dictum eſt, de injuriis non retaliandis, aut vindicandis, ne per magiſtratum quidem. Præcipit igitur Chriſtus, ut, ſi quis nobis vim attulerit, & coegerit, ſeu vim afferre & cogere voluerit, ut ſecum ad unum milliare eamus, potius, quam ut injuriam hanc ulciſcamur, eamus cum illo etiam ad duo milliaria. Ulciſci autem quis ejuſmodi injuriam vel per ſe, vel per magiſtratum poteſt. Quare de magiſtratu non adeundo hic quoque tacite fit mentio, & ad inſtitutum ſermonem Chriſti verba rectiſſime accommodantur.

At inquies (ut apparet) Quid de ſequente præcepto dices? *Abs te petenti dato, & volentem abs te mutuari ne averſeris.* Nam quid hic de injuriis non vindicandis, quidve de magiſtratu non adeundo dictum eſſe, comminiſci poteris? Nonne, cum in hoc dicto ne umbra quidem iſtarum rerum appareat, ſatis conſtat, in ſuperioribus quoque nullam ipſarum habitam fuiſſe rationem.

Reſpondeo, longe apertius eſſe, quam ut negari poſſit, ſuperiora iſta omnia ad verba illa, *Audiſtis, quia dictum eſt, oculum pro oculo, dentem pro dente*, referenda eſſe, in quibus nulli dubium eſſe poteſt de lege talionis agi, & porro, ut nobis quidem videtur, & ſupra abunde demonſtravimus, de magiſtratu verba fieri, cui eam legem exequendi cura incumbebat. Qua autem ratione referri debeant, & quæ in ipſis dicta ſint, ex quibus relatio illa appareat, ſatis jam explicatum fuit. Quod ſi in poſtremo hoc dicto nihil eſt ejuſmodi, quod vel ad legem talionis, vel ad magiſtratum referri poſſit, nemini mirum id videri debet, cum non, perinde ac cætera, ex antecedentibus pendeat, cum illiſve connexum ſit. Non eſt enim hic conjunctiva ſermonis particula aliqua, quæ in aliis omnibus legitur. Nempe quia non ita cum illis cohæret, nec ita ad illud, quod propoſitum fuerat, referendum eſt, quemadmodum illa inter ſe cohærent, & eo referenda ſunt. Eſt igitur hoc additamentum quoddam, ſive (ut à te quoque rectè dictum hac in parte fuit) appendix quædam ad legem de talione à privato homine in cauſſa propria, ne magiſtratus quidem ope, (ut quidem ego interpretor) exequendam. Atque ad hunc modum, appendicem eſſe, oſtendo. Præceperat Chriſtus, variis facti ſpeciebus propoſitis, ne ullum injuriarum genus ulciſci, aut retaliare auderemus. Nunc occaſiones quoque, ne injuria aliqua afficiamur, atque ita in periculum nos aliqua ratione ulciſcendi adducamur, devitandas eſſe docet: Vultque, ſi quis aliquid à nobis petat, quod facere, eive dare poſſimus, potius, quam ut, rem petitam denegando, illum contra nos irritemus, anſamque nos injuria afficiendi, ſive nos cædendo, ſive vi id, quod petierat, rapere tentando, ſive ad id, quod facere recuſamus, nos adigendo, ut in ante expoſitis exemplis eveniebat, illi præbeamus, potius, inquam, quam nos in haſce difficultates conjiciamus, & periculum in quempiam vindicandi ullum ſubeamus, ut nihil omnino à nobis petitum dare, aut facere recuſemus. Nulla igitur hic indigentiæ, ſive egeſtatis ejus, qui petit, ratio habetur, ut ſatis indicat Lucas, qui non *petenti* ſimpliciter, ſed *omni petenti* ſcripſit Lucæ 6. 30. Sive igitur egeat, ſive non egeat is, qui petit, quicumque tandem fuerit, dandum eſt ei, potius ſcilicet, quam in ſuperiora illa diſcrimina incurrendum. Nec vero aliter, ac nos dicamus, Chriſti verba accipienda eſſe, & indigentiæ, atque egeſtatus illius, qui petit, eum rationem habuiſſe (quamvis ita tibi videatur) docent ullo modo verba illa apud eundem Lucam Lucæ 6. 31. *Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Non enim, quia hæc verba illico conſequuntur, idcirco, veluti colophonem, ea addidit Lucas, ut tu arbitraris. Sed ſeperatum præceptum continent cum præcedentibus tamen conſentiens. Cujus præcepti dandi, ſeu commemorandi, quæ Chriſto cauſſa, ſive occaſio fuerit, ex Matthæo cognoſcendum eſt, qui illius mentionem facit cap. 7. vſ. 12. non autem ex Luca. Quandoquidem Matthæus, ut palam eſt, ſermonem illum Chriſti (quippe qui præſens, cum eum habuit, fuiſſet) miro ordine enarrat, ac diligenter exponit. Quod non facit Lucas, qui confuſè quodammodo, & imperfectè Chriſti verba recitat, etiamſi aliqua commemorat, quæ Matthæus, tanquam non neceſſaria, prætermiſerat, quales ſunt antitheſes illæ beatitatum. Quamobrem, certum eſt, Matthæi narrationi in eliciendis ſenſis verborum Chriſti ex antecedentibus, & conſequentibus, ſtandum eſſe potius, quam Lucæ, qui ſatis habuit pleraque eorum, quæ Chriſtus dixit, recenſere, & præcepta atque ſententias ipſas exponere, de exacto ordine, quo à Chriſto dictæ fuerant, non admodum interea ſolicitus. Præterea, ut verum ſit, verba illa, *Et prout vultis*, &c. eſſe à Luca, tanquam colophonem, præcedentibus additum, conſtat tamen ſententia, quam nos præcedentibus ſubeſſe affirmamus, nec neceſſe eſt, ullius indigentiæ, aut egeſtatis rationem habitam fuiſſe. Siquidem Chriſtus, ut occaſiones injuriarum vitentur, nihil aptius monere potuit, quam, ut aliis faciamus id, quod nobis fieri velimus. Quod præceptum ibi etiam, ubi nulla egeſtas ab utravis parte eſt, modo deſiderium, & voluntas adſit, locum invenire poteſt. Atque hæc volumus ſatis eſſe pro reſponſione ad ea etiam, quæ hac eadem de re à te dicuntur pag. 237, & 238.

CAPUT VI.

SUpra oſtenſum eſt à nobis, ni fallor, te, dum privatis injurias ſuas per magiſtratum ulciſci concedis, ſeu potius quibuſdam in locis præcipis, contrarium inſtitutum Chriſti inſtitutis in Eccleſiam inducere, & merito eo nomine à Racovienſibus reprehenſum fuiſſe, nec aliquid, ut iis reſponderes, quæ ipſi ex Matthæi quinto capite deprompſerant, in medium attuliſſe, quod te à Chriſti hac in parte violatis præceptis vindicare queat. Sequitur ex ordine nobis propoſito, ut, quid ad ea reſpondeas, videamus, quæ iidem adverſarii tui ex eodem loco protulerunt, ut te in bello Chriſtiano populo concedendo, vel potius præcipiendo, contrarium pariter inſtitutum Chriſti inſtitutis in Eccleſiam inducere demonſtrarent.

Quamquam autem, quæ ſupra examinata ſunt, præcepta Chriſti non vindictam modo per magiſtratum expetendam, ſed bellum quoque nobis interdicere videantur, ſunt tamen, quæ ſequuntur in eo ſermone, ad belli funeſtam facem in Eccleſia plane extinguendam magis propria, magiſque accommodata. Nam inquit Chriſtus, *Audiſtis, quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, dili-*

Diligite inimicos veſtros, benedicite devoventibus vos, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, &c. Equidem neſcio, an, ſi bellum Chriſtus diſertis verbis interdixiſſet, haud efficacius, quam his præceptis fecit, tantam peſtem à ſuorum animis avertere curaſſet. Immo perſuaſus ſum, multo plus, his præceptis dandis, eum ſignificaſſe, quam ſi, ne bellum ulla unquam ratione à ſuis gereretur, mandaſſet. Neque enim, cum hæc præcipit, ne malum modo pro malo rependeretur, aut vis vi repelleretur, cavit, quod & antea fecerat, & tantundem valet, ac ſi bellum quis diſerte interdiceret, verum etiam, ut & amore, & beneficiis quoſvis inimicos ſuos diſcipuli ſui proſequerentur, atque afficerent, expreſſe mandavit. Primum enim generatim inimicos diligendos eſſe docet, & dictum ſuum Legis dicto opponit, quæ non inimicum, ſed proximum diligere jubet. Deinde inimicorum ſpecies enumerat, & quid cum omnibus faciendum ſit, ſingulatim præſcribit. Sunt enim inimici, qui imprecationibus tantum nos impetant, quibus bene precandum eſſe ſtatuit. Sunt, qui interiore odio nos proſequantur, noſque animo penitus averſentur, his bene fieri à nobis vult. Sunt denique, qui ipſis factis nos lædant, & plane inſectentur. Iſtis omnium peſſimis ac nocentiſſimis ſummum omnium beneficiorum nos præſtare jubet. Quod eſt Deum pro illis orare, cujus in manu ſunt omnia, quique non ſolum innumerabilibus commodis eos afficere poteſt, quæ nullo pacto in noſtra ſunt poteſtate, ſed ipſum etiam eorum cor mutare valet, & ex malis bonos efficere. His præceptis addit Chriſtus præmium ſimul, & rationem, cur ita præcipiat. Inquit enim, *Ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos, & bonos, & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? nonne & publicani hoc faciunt? Et, ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? nonne & publicani hoc faciunt? Eſtote ergo vos perfecti, ſicut pater veſter, qui eſt in cœlis, perfectus eſt.* Præmium hæc ſua præcepta ſervantibus non obſcure Chriſtus proponit, Filios Dei fieri revera, id eſt æterna vita, atque immortalitate donari, quemadmodum imitatione fuiſſent, quod pro ratione affert, cur hæc præcepta à ſuis ſervari debeant, addens alioqui futurum, ut ipſi à cæteris hominibus, & ab ipſis in populo peccatoribus, quales publicani erant, non diſtent, & propterea nullam ampliorem, quam illi mercedem reportaturi ſint. Non futurum igitur, cur ad cæleſtem illam hæreditatem, ad mercedem illam, quam multam & copioſam repoſitam eſſe in cœlis ab initio dixerat, aſpirare poſſint. Quandoquidem nova hæc erat merces à Deo propoſita cujus in Lege Moſis nulla fit aperta mentio. Quare nova etiam vita ſanctitate, atque innocentia præter eam, quam Moſis lex præſcribit, ad eam conſequendam opus erat. Hæc, quæ nos breviter perſtrinximus late explicantur à veſano illo, ut tu eum appellas, ſcriptore (quo tamen, hac potiſſimum in parte, nihil mihi cordatius fieri poſſe videtur) à pag. 66. uſque ad pag. 70. ubi adverſus te, atque alios Chriſti hæc clariſſima & diviniſſima præcepta humanis commentis obſcurare tentantes, & revera hominibus potius, quam Deo obediendum eſſe ſtatuentes, ſic tandem merito exclamat. O *hominum cæcitatem, quæ cum ſua quærit, ea quæ ſunt Chriſti, & ſua in eo bona non videt, cum pro carne & terræ pugillo certat. Chriſti ſpiritum expellit, & cœlum centuplo majus terra non videt, & tamen ſe omnia videre putat, & Chriſto credere, ſeque Chriſtianum & filium Dei eſſe, cum nihil horum ne per umbram quidem habeat.* Nihil potuit verius dici, ut ex infra dicendis clarius patebit. Quamquam non O *hominum cæcitatem, quæ cum* &c. ut in tuo libro editum eſt, ſed O *hominis cæcitatem, qui cum*, &c. omnino legendum eſſe, & ita ſcriptum ab auctore fuiſſe, Latini ſermonis ratio, & res ipſa apertè docet. Nunc videndum eſt, quid tu contra ſcripſeris.

Quantum igitur, reſponſionem tuam accurate perlegendo, aſſequi potui, duobus modis hæc Chriſti præcepta eludere tentas. Primum aſſerendo, nihil hic Chriſtum præcepiſſe, quod Moſes itidem antea non præcepiſſet, ſed tantummodo Moſaicæ legis in hac, ut in reliquis partibus, veram interpretationem à commentis Scribarum, & Phariſæorum vindicaſſe. Deinde ipſorum præceptorum vim explicando, eaque ita accipiendo, ut, quibuſdam ſimul belli interpretationibus adhibitis, ſententiæ tuæ nihil repugnare videantur.

Quamvis autem adverſarii tui, etiamſi illud primum tibi concederetur, putent nihilominus, ex his Chriſti præceptis contra ſententiam tuam diſputari poſſe, ſive enim Chriſtus hic cum Phariſaicis larvis pugnet, ſive ſua dicta Moſis dictis opponat, firma, & rata ea eſſe debere ajunt, quæ ipſe tam clarè præcipit, tamen animadvertendum eſt, haud temere tibi iſtud concedendum eſſe. Nam, ut ſupra vidimus, tu, eo conceſſo ita argumentaris, aut certe argumentari potes: Si Chriſtus hic nihil præcepit, quod Moſes antea non præcepiſſet, ſub Moſe vero licuit Dei populo bellare cum hoſtibus, eoſque delere, idem quoque licebit ſub Chriſto, quidquid hæc ejus præcepta aliter præ ſe ferre videantur. Duplici autem ratione uteris ad propoſitionem hujus argumentationis probandam. Nam & quibuſdam argumentis, ac teſtimoniis allatis, demonſtrare quæris, nulla ex parte Moſis Legem, quæ ad virtutes, & vitia pertinet, à Chriſto unquam ſuppletam, aut immutatam fuiſſe, & hæc eadem quæ hoc loco Chriſtus præcipit, in Moſis lege contineri, quæque à Chriſto pro ſuarum præceptionum confirmatione dicuntur, in Moſaica lege locum habere, oſtendere conaris. De priore via non eſt hic agendi locus. Infra enim de tota re plenius diſſerendum erit, cum recte ab adverſariis tuis tibi objectum fuiſſe docebimus, quod Moſem cum Chriſto, & Legem cum Euangelio miſceas, atque confundas. Nunc de altera via agemus, & quæ Chriſtus hic præcipit, à Moſe præcepta non fuiſſe, nec rationes ſuorum præceptorum à Chriſto allatas eandem vim in Moſis Lege obtinere, ad ea, quæ tu contra affers, reſpondendo, planum faciemus. Quo facto, horum præceptorum explicationes, & belli ſimul interpretationes tuas, qui alter ex duobus modis erat, quibus ipſa eludere tentas, refellere aggrediemur.

Primum igitur, ut oſtendas, Moſem non minus, quam Chriſtum, præcepiſſe inimicorum dilectionem, in explanatione illa tua ad finem pag. 162. ita ſcribis, *Proximus autem eſt, quiſque amicus, hoſtis, ſenex, anus: Judæus, Samaritanus, & alius quivis conditus à Deo (ut nos ad imaginem ſuam, qui noſtro ſubſidio indigere cognoſcitur*, &c. Itaque, cum in lege Moſis ſcriptum ſit, *Diliges proximum tuum*, infers deinde, à Moſe ipſo ea omnia, quæ de inimicorum dilectione ſubjungit Chriſtus, eo præcepto mandata fuiſſe.

Sed quis tibi credet unquam, in Lege Moſis Proximi nomine quemvis hominem ad imaginem Dei conditum, quantumvis inimicum, ſignificari? Nam ipſum Proximi ſive רע nomen ſatis docet, propinquitatem aliquam, vel ſocietatem, atque amicitiam inter eos eſſe debere, quorum alter alterius ſit proximus, eamque ejuſmodi, ut non inter quoſlibet homines ſit. Ad diſtinctionem enim aliquorum hominum, qui non eſſent proximi, id eſt, inter quos ea conjunctio non reperiretur, nomen Proximi ab initio uſurpatum fuiſſe, plane neceſſe eſt. Cum igitur in populo Iſraëlitico univerſo alterius cum altero ſumma eſſet neceſſitudo, quippe qui omnes ejuſdem Dei cultores, eorundemque ſacrorum participes eſſent, omneſque ſelecti ab ipſo Deo in peculiarem ſibi populum, & à cæteris cunctis nationibus circumciſione, & aliis pleriſque ritibus diſtincti, ac ſeparati fuiſſent, qui denique una tantum reſpublica iiſdem omnino inſtitutis, & legibus vivens eſſent, ipſi inter ſe proximi in Lege Moſis omnes appellati ſunt, licet alioqui private inimicitiæ inter ipſos intercederent. Quæ appellatio reliquis hominibus, qui uno gentium nomine omnes appellabantur, & unus populus eſſe cenſebantur, ipſorum Iſraëlitarum reſpectu, tribui

non poterat. Nam reliqui homines, ut Paulus teſtatur Epheſ. 2. 14. ab Iſraëlis republica adeo erant alieni, ut medii parietis ſeptum quoddam inter utroſque eſſet, & alteri alteris inimici eſſe dici poſſent. Quæ diviſio, atque inimicitia per Chriſtum ſublata fuit, atque ex duobus unus tantum populus factus. Quare Proximi nomen, quod antea ad diſtinctionem utriuſque populi in Iſraële uſurpabatur, commune omnibus poſtea factum eſt. Itaque nunc Proximi noſtri nomine, abuſu tamen quodam (namque ut ſupra attigimus, nomen ipſum diſtinctionem quandam omnino indicat) quemlibet hominem intelligimus, etiamſi alioquin à nobis alieniſſimus ſit: ad ſignificandam nimirum neceſſitudinem, ac conjunctionem, quam poſt Chriſtum exhibitum inter homines Deus eſſe vult. Quæ tanta eſt, ut Fratrum quoque nomine omnes appellari poſſint, non ſecus atque Iſraëlitæ omnes, etiam ante Chriſtum, fratres appellabantur. Quo tamen nomine nuſquam Iſraëlitarum reſpectu eos, qui ex eo populo non eſſent, tunc temporis appellatos fuiſſe invenies. Quamobrem, cum in lege Moſis dicitur, *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, quamvis hoc idem præceptum à Chriſto datum, ſeu confirmatum, Proximi nomine omnes prorſus homines complectatur, tamen ibi ad ſolos Iſraëlitas ea appellatio pertinet. Quod vel ex ipſius Legis verbis valde perſpicuum eſt. Sic enim illic ſcriptum extat, *Ne ulciſcaris, neve ſis injuriarum memor erga filios populi tui, & diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Nemo enim non videt, Proximum hic appellari eum, qui ex eodem populo ſit, à quo acceptas injurias ad ulciſcendum non meminiſſe, ſed eum, tanquam ſeipſum amare, quilibet Iſraëlita jubetur. Quocirca merito à Tigurinis conjunctiva particula ante verbum Diliges per adverſativam Sed reddita eſt. Eam enim particulam apud Hebræos frequenter admodum eam vim habere, nemo eſt, qui neſciat. Verum quid ipſis Chriſti verbis apertius, quibus, ſive Legis verba, ſive Scribarum, & Phariſæorum interpretamenta recitet, planum fit, Proximum Inimico opponi? Neque enim vel tacite, vel aperte ait Chriſtus, Proximi nomine in ipſa Lege inimicum quoque contineri. Quinimmo non obſcure fatetur, alium quidem eſſe proximum, quem Lex intelligebat, ab inimico. Non tamen, ſi ſe audire vellent, illum diligendum, hunc vero odio habendum, ſed inimicum quoque a nobis amandum eſſe. Quare jam vides, tuam vocis Proximi interpretationem, ut ſcilicet id nomen ad quemvis hominem pertineat, quod ad Moſis legem attinet, ſuſtineri non poſſe.

Sed inquies, Quomodo negare potes, Proximi appellatione in Moſis Lege inimicum etiam contineri, aut quomodo affirmare, Chriſtum ipſum inter proximum, & inimicum ex Legis mente diſtinxiſſe, tu, qui paullo ante faſſus es, Proximum Iſraëlitis dictum fuiſſe, quicumque ex eodem populo eſſet, quantumvis inimicus fuiſſet?

Animadvertendum eſt, ut antea indicavimus, duplicem in Lege vocis Inimici, cujuſvis Iſraelitæ reſpectu, ſignificationem inveniri. Aliquando enim eum ſignificat, qui vere inimicus erat, & pro inimico haberi poterat, id eſt adverſus quem minus amicum animum gerere licebat, & cum eo, tanquam cum inimico, perpetuo agere. Quales inimici ſæpiſſime in ipſa Lege nominantur, qui ſcilicet ab Iſraelis republica alieni eique infenſi erant. Aliquando vero eum ſignificat, qui licet Iſraelita eſſet, cum eo tamen privatæ ſimultates exercebantur. Hunc quidem dico præcepto illo Legis proximum diligendi ſub Proximi nomine comprehenſum fuiſſe: Illum vero minime. Nam, ut ſupra oſtendimus, in ipſo præcepto pro eodem accipitur Proximus tuus, & Filius populi tui. Atque de eo inimico, qui Proximi appellatione non comprehenditur, potiſſimum Chriſtum locutum fuiſſe, præterquam quod alterum alteri opponi, ipſe, ut diximus, verbis ſuis ſatis aperte confirmat, illud præterea demonſtrat, quod infra ait, *Et, ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis?* Ex quo apparet, eum Inimici nomine illum intellexiſſe, qui fratri opponitur. Atqui Fratris nomen, ut antea monuimus, omnibus Iſraelitis inter ſe commune erat.

Ex his autem patet reſponſio, tum ad hunc, tum ad alios in Lege locos, in quibus deinde, etiam citra proximi mentionem, idem præcipi putas, quod hic à Chriſto præcipitur. Ais enim alibi, id eſt ad finem pag. 234. de Moſe loquens, *Non oderis, inquiens, fratrem tuum in corde tuo, non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, quod eſt: diligite inimicos veſtros, & alibi alia.* Neque enim animadvertis, hic Moſem de Iſraëlitis inter ſe tantum loqui, & tamen ejus verba apertiſſima ſunt, cum & fratres, & cives nominet. Quinetiam tu ipſe ante ſcripſeras, Moſem de civium injuriis condonandis non pauca mandaſſe, atque ad id probandum modo recitata verba illico ſubjeceras. Quomodo igitur hoc Moſis præceptum idem eſt cum Chriſti illo, *Diligite inimicos veſtros*, quod non tantum cives inimicos, ſive à quibus injuriam acceperimus, ſed quoſvis peregrinos, atque extraneos, licet nobis infenſiſſimos, complectitur? Nam quod ais, alibi alia ejuſmodi à Moſe mandata fuiſſe, credo, te eos locos intelligere, quorum ſupra mentionem fecimus, in quibus jubet Moſes, Exod. 23. 4. ut, ſi quis aſinum, aut bovem inimici ſui errantem invenerit, illi reducendum curet, & ſi aſinum viderit illius, qui ſe odio proſequitur, ſub onere ſuccumbentem, eum ne deſerat, ſed illi auxilietur. Verum quis non videt, in his præceptis, de inimicis, ſive odio habentibus ex ipſo populo tantum agi? Et ſane ante Chriſtum, quidquid de charitate, aut dilectione quidquid de injuriarum oblivione in Sacris Litteris juſſum, aut præceptum fuit, populi ipſius, cui id mandabatur, limites non excedebat, nec ad extraneos inimicos ullo modo pertinebat. Nec vero aliter eſt accipienda monitio illa Solomonis Prov. 25. 20, *Si eſuriat, qui te odit, ciba illum pane, ſi ſitierit, pota eum aqua.* Quin ex ipſis monitionis verbis apparet, de eo nos odio habente loqui Solomonem, qui ejuſdem nobiſcum regionis, & loci ſit, cujus ſcilicet & cibi, & potionis indigentiam ipſi animadvertere, & ſtatim levare poſſimus. Quamquam iſta Solomonis monitio non eſt pro præcepto Dei habenda, quam ſi quis contempſiſſet, pœnas daturus eſſet; Sed, ut reliquæ fere in eo libro ſententiæ, ac monitiones, ad hominem perfectiorem reddendum pertinet ſimul, & cautiorem, atque ad ſui ipſius commodum prudentiorem. Quemadmodum etiam docere poſſunt ſequentia verba, *Sic enim prunas tu incendis ſuper caput ejus, & Jehova reddet tibi.* Ac ſi dixiſſet, Quamvis hæc in Lege non mandentur, ſi tamen ea feceris, præterquam quod egregium quid feciſſe dici poteris, & perfecto homine dignum, de inimico etiam tuo maxime expetendam ultionem ſumes, & ab ipſo Deo tuæ beneficentiæ, atque clementiæ præmium reportabis.

Cæterum antequam ulteris progrediamur, illud obiter in prædictis Moſaicæ legis mandatis obſervandum eſt, non præcipi in ipſis ne quis omnino privato arbitrio vim vi repellat, ut ipſa natura dotet, atque concedit. Quod tamen fieri, ut antea vidimus, Chriſtus plane vetat. Sed præcipitur tantummodo, ne injuriæ antea acceptæ, cum jam non amplius præ iracundia propter præſentem injuriam animus æſtuat, ac fervet ſanguis, ob oculos illius, qui eas accepit, obverſentur, & in memoriam redeant adeo, ut eas ulciſci & velit, & curet. Hoc enim ad commune bonum totius reipublicæ pertinebat. In qua ægrè, aut potius nullo modo pax, atque concordia conſervata fuiſſet, niſi injuriarum oblivio in ea locum habuiſſet, præmeditata vero ultio inde exterminata eſſet. Pace autem, & concordia ex aliqua republica ſublata, omnia peſſum eunt, & tota reſpublica tandem plane concidit, atque deletur. Verum ſicut acceptarum injuriarum oblivio ab iis, qui in eadem ſunt republica, ipſi reipublicæ eſt utiliſſima, ita eos injurias obliviſci, nec vindicare, quas ab extraneis quis ſive publice, ſive privatim acceperit, reipublicæ

publicæ pernicioſiſſima cenſenda eſt. Fit enim ea ratione, ut ipſa reſpublica ab exteris contemnatur, & quilibet facile ejus imperium invadendi, atque occupandi & conſilium capiat, & ſpem habeat. Quæ ſpes plerumque minime fallax eſt. Ignavi enim, non vindicandis exterorum in ſe injuriis, cives redduntur, & ad hoſtium impetum ſuſtinendum, ac propulſandum inepti: Tantum abeſt, ut ipſi ſuos fines producendi ſpem aliquam habere poſſint. Quapropter, cum Deus per Moſem Iſraëlis rempublicam conſtitueret, cujus ſumma felicitas in terreni imperii conſervatione, ac propagatione futura erat, non modo ut injuriarum, quas ab exteris hominibus accepiſſent, obliviſcerentur, non juſſit, ſed inter cætera ſervatæ Legis præmia illud etiam propoſuit, ut ſi inimici adverſus ipſos inſurrexiſſent, cæſi corruerent ante ipſos Lev. 26. 7. Deut. 28. 7. quod certe injurias inimicorum vindicari jure potuiſſe, aperte docet.

Non eſt igitur, ut ad rem redeamus, in lege Moſis inimicorum hominum, id eſt hoſtium dilectio mandata, immo, cum, ut cives inter ſe ament, atque injuriarum mutuo obliviſcantur, in ea præcipiatur, & ex altera parte propter ipſam ſervatam Legem inimicorum proprio gladio facta cædes promittatur, ſatis conſtat, mentem Legis fuiſſe, ut exteros inimicos, ſive hoſtes odiſſe liceret, & idcirco rectè à Chriſto, non tanquam Scribarum, & Phariſæorum interpretamentum, ſive additamentum, ſed tanquam ex ipſa Lege manans, antiquis dictum fuiſſe, affirmari potuit, *Odio habebis inimicum tuum.* Quod ipſe in republica à ſe conſtituenda minime retineri voluit, quippe quod ei nocentiſſimum futurum eſſet, atque eam funditus deleturum. Nulla enim eſt Chriſti reſpublica, ubi odium aliquod locum habet erga quoſvis homines, quavis de cauſſa. Ea ſiquidem univerſa in amore, & charitate erga omnes homines potiſſimum fundata eſt. Habet quidem & ipſa ſuos hoſtes, cum quibus continenter bella gerit, ſed hi non ſunt homines. *Non eſt enim* (inquit Paulus Epheſ. 6. 12.) *nobis colluctatio adverſus ſanguinem, & carnem, ſed adverſus principatus, adverſus poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum hujus ſæculi, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Hi ſunt hoſtes noſtri, cum quibus alia ratione, aliiſque armis, quam cum hominibus fieri ſoleat, nobis pugnandum eſt. Idcirco ſtatim ſubjungit Apoſtolus, *Propterea accipite univerſam armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poteritis omnia tela mali ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Perſpicuum igitur ex Paulo eſt, Chriſtianæ reipublicæ hoſtes non homines, ſed dæmonas, ſeu malos ſpiritus eſſe, nec illi cum hominibus, ſed cum dæmonibus belligerandum eſſe, non armis carnalibus, ſed ſpiritualibus. Quod contra in Iſraëlitica & Moſaica republica fuit, in qua cum hominibus, tanquam cum veris hoſtibus, carnalibus armis bellandum erat, aut certe bellari jure poterat, ut ex Hiſtoria Sacra, in qua admodum frequentia ejuſce rei exempla ſunt, aperte conſtat. Quæ autem hujus differentiæ cauſſa ſit, partim ex iis, quæ paullo ante diximus, ſatis intelligi poteſt, partim ex iis, quæ infra dicenda ſunt, plenius intelligetur.

Nec vero eſt, quod dicas (id enim pag. 249. ſcribere videris) non minus in hac, quam in illa republica, privata auctoritate bellum cum hominibus gerere interdictum fuiſſe, ſed Dei mandato in utraque id licere, & licuiſſe. Nam Pauli verba, jam quid Deus hac in re perpetuo fieri à Chriſtianis velit, oſtendunt, & omnino cum hominibus bella gerenda non eſſe declarant, cum diſerte dicant, nobis cum ſanguine, & carne pugnam non eſſe. Præterea, cum ais ſub Lege, Dei mandato, bella geſta fuiſſe, videndum eſt, quid Dei mandati nomine intelligas. Nam ſi, quandocumque ſub Lege legitime belligeratum eſt, expreſſe id, & nominatim à Deo mandatum fuiſſe vis, primum, ex ſacra hiſtoria id falſum eſſe apparebit. Deinde ſequetur, ſub Euangelio quoque non aliter juſte bellari poſſe, quam ſi Deus id expreſſe, ac nominatim mandaverit.

Quod ſi ſub Lege ſatis à Deo mandatum fuiſſe dicas, ut bella gererentur, cum principes populi, & reges conſtituebat, quorum juſſu, atque auctoritate bella adverſus hoſtes ſuſcipiebantur. Et propterea ſub Euangelio quoque ſatis à Deo mandari, ut belligeretur, cum id jubet magiſtratus, qui à Deo, ut Paulus teſtatur, conſtitutus, & ordinatus eſt. Reſpondeo, ſi hac ratione explicandum eſt, quid ſit Dei mandato bella gerere, nunquam fortaſſis (ex tua quidem ipſius ſententia) futurum, quin mandato Dei bella cum hoſtibus gerantur. Nam, cum bella non à ſingulis, & privatim, ſed à populo univerſo, & publice contra hoſtes ſuſcipiantur, nec alia (ut quidem iis, qui tecum ſentiunt, placere video) magiſtratus, quam univerſi populi auctoritas ſit (Populus enim, ajunt, magiſtratui ſuam auctoriatem concedit) certe, ſi id, quod magiſtratus auctoritate fit, Dei mandato fieri dicamus, ſemper Deo mandante bella ſuſcipientur, niſi, ſiquando populus divideretur, & pars una, cumque ea magiſtratus bellum ſuſcipere nollet, altera vero vellet, &, quod vellet faceret. Quamquam, ſi ea pars, quæ bellum vult, id invita altera, magiſtratu etiam ipſo reclamante, gerere poteſt, apparet multo majorem & potentiorem eſſe. Verum, quicquid major & potentior pars populi ſtatuit, id ab univerſo populo ſtatutum fuiſſe, cenſendum eſt. Quod ſi dicas, eam partem populi potiorem judicandam eſſe, cum qua Magiſtratus eſt, dico, vel neceſſe eſſe, ut magiſtratus ſolus toti populo opponi poſſit, & illi merito prævaleat (ut nos quidem, præſertim vero in Monarchia, cenſemus) vel nihili æſtimandum, quod cum magiſtratu minor atque imbecillior populi pars conjuncta ſit. Siquidem ea per ſe nullo numero habetur, & populi major ac potentior pars pro univerſo populo eſt. Atqui neminem ex vobis eſſe arbitror, qui, ſi hoſtes injuſte in nos impetum faciant, agros noſtros populentur, ac vaſtent, ad murum etiam urbis propius accedant, eamque invadere, & capere tentent, etiamſi magiſtratus, ut arma capiantur, non jubeat, immo capi vetet, non cenſeat, à populo univerſo arma capi jure poſſe, & contra hoſtes bellum geri. Itaque ex veſtra (opinor) ipſorum ſententia apparet, magiſtratum ſolum toti populo non prævalere. Quare nec etiam majori & potentiori parti prævalebit, quæ, ut diximus, pro toto populo eſt. Quinimmo, ut populus univerſus, ſic major & potentior pars magiſtratui prævalebit, & auctoritatem magiſtratui conceſſam repetet, ac ſibi vindicabit. Quid igitur in bello cum hoſtibus gerendo inter id, quod privata auctoritate, & id, quod Dei mandato geritur, diſtinguere oportet, ſi nullum geri privata auctoritate poteſt? ut certe nullum poteſt, ſi id, quod ea ipſa auctoritate, quam magiſtratus habet, geritur, nequaquam privata auctoritate geſtum eſſe dicetur, omnia enim ea ipſa auctoritate, quam magiſtratus habet, ex ipſa ſententia veſtra, geri oſtenſum eſt.

Nec vero dixeris, te eam diſtinctionem in bello, quo laceſſimus, non autem, quo repellimus hoſtem, adhibuiſſe, me autem, cum ex ſententia veſtra populum univerſum ſoli magiſtratui prævalere oſtendi, exemplo uſum eſſe hoſtes bello, atque armis repellendi. Primum enim in ipſis verbis tuis prædicta pag. 249. de inimicis ulciſcendis aperta fit mentio, quod ſane id bellum complectitur, quod eos repellendi cauſſa ſuſcipitur. Deinde non video, cur minus in bello inferendo, quam in defendendo, populus magiſtratui prævalere debeat, ſi modo belli inferendi (humano more loquor) juſta ſit cauſſa. Nam, ſi nulla fuerit juſta cauſſa, ne magiſtratui quidem ipſi, ut bellum inferat, vos conceſſuros exiſtimaverim. Unde perſpicuum eſt, in eo te non leviter errare, qui, nulla diſtinctione adhibita, idem repetis, magiſtratum Deum eſſe in terra, & quidquid ille fieri juſſerit, Dei mandato fieri. Quaſi vero aut magiſtratus nunquam injuſtum bellum ſuſcipi jubeat, aut Deus injuſta bella unquam geri mandet.

Nam, ſi dixeris, magiſtratui quidem, ſi juſtam cauſſam non habeat, bellum, quod ſuſceperit, injuſtum eſſe, at populo juſtum fore, modo à magiſtratu mandatum fuerit; vix crediderim, quemquam eſſe, qui iſtud tibi concedat, & populo manifeſtæ magiſtratus injuſtitiæ miniſtrum jure eſſe poſſe confiteatur. Si enim iſtud in bello ſuſcipiendo admiſſum fuerit, nulla cauſſa eſt, cur in omnibus ſimiliter admitti non debeat. Nec ulla erit tanta iniquitas, quam populus, magiſtratu mandante, impune apud ipſum Deum petrare non queat, immo vero non debeat, ſi quidquid magiſtratus jubet, pro Dei juſſu populo eſſe debet, nulla juſtitiæ aut injuſtitiæ ejus, quod jubetur, ratione habita. Ita nulla diſtinctio, quod ad privatos attinet, inter Deum, & magiſtratum in mandando erit, nec, cum de magiſtratu quæritur, ullum locum habitura eſt regula illa, *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* Act. 4. 19. V. 29. quam tamen adverſus ipſum magiſtratum Apoſtolos uſurpaſſe, & ſecutos fuiſſe palam eſt.

Ut igitur ad propoſitum revertamur, Dico, ſi juſta fuerit cauſſa bello laceſſendi, idque magiſtratus facere negligat, aut etiam omnino nolit, poſſe populum, reſumpta quodammodo auctoritate ſua, bellum illud gerere, ſi modo eidem populo licet ex juſta cauſſa hoſtem bello repellere, etiamſi id facere magiſtratus aut negligat, aut plane nolit. Quamobrem exemplum, quod à me allatum fuit, ad rem omnino pertineret, ut tu non niſi de laceſſendo hoſtem bello locutus fuiſſes. Nam, ſi quis aut te, aut certe pleroſque eorum, qui tecum ſentiunt, intelligere velit populo permittere, ut injuſte bello hoſtem laceſſentem, etiam magiſtratu ipſo contradicente, repellat, conſideret, veſtris belli gerendi Chriſtiano populo conceſſionibus factum eſſe, ut contra ipſum magiſtratum Chriſti nomine gaudens populus arma capere non dubitaverit, vobis non modo aſſentientibus, & approbantibus, verum etiam ſuadentibus, atque impellentibus, & libris præterea editis, id & poſſe, & debere fieri, publice conteſtantibus, ac contendentibus. Teſtis eſt hodie eorum, quæ dico, orbis ipſe terrarum, qui hæc fieri aut vidit, aut certiſſima fama accepit, ſed teſtes potiſſimum ſunt duæ nobiliſſimæ Provinciæ, Gallia, & Germania inferior, quæ civili ſanguine jam diu madent, atque redundant, eo quod perſuaſum ſit, ex certis quibuſdam cauſſis populo, ſeu populi parti, adverſus Dominum & principem ſuum bellum gerere licere. Itaque hac ætate noſtra ab iis, qui Chriſtianos ſe eſſe præ cæteris jactant, per ſpeciem Chriſtianæ religionis aſſerendæ, id fieri vidimus, quod barbari atque efferati homines facere exhorreſcunt, ut ſcilicet contra proprios reges arma ferant. Et tamen (ſi Deo placet) eos, qui ob prædictam cauſſam ſive in ipſa acie, ſive alibi ceciderunt, & obtruncati ſunt, in martyrum Chriſti numerum referri, publice audivimus. O ſæculum! Hi nimirum ſunt, ut dixi, veſtrarum belli gerendi conceſſionum fructus. Egregii vos ſcilicet magiſtratuum defenſores eſtis, qui populos contra magiſtratum, id eſt reges ſuos armatis, dum, magiſtratu jubente, bella juſte geri poſſe docetis. Rege enim tyranno facto (quod quid ſit, quilibet ſuo modo interpretatur) non regem amplius, ſed populum ipſum, ſive aliquos ex regni proceribus magiſtratum eſſe, vulgus hominum, vobis ipſis indicantibus, vel certe annuentibus, contendit. Quibus auctoribus, ex veſtra diſciplina, tyrannum illum, ut ipſi putant, ejuſque vim armis repellere, cumque eo aperte bellum gerere non dubitant. Unde quot ingentia mala neceſſario proficiſcantur, plus ſatis jam experientia novimus, quæ miſere deplorari magis, quam apte verbis explicari poſſunt. Quod ſi eos, quos tantopere reprehenditis, &, tanquam magiſtratuum everſores, palam traducitis, imitati fuiſſetis, nec magiſtratus auctoritas ulla ex parte violata fuiſſet, & nos tanta damna lucrati eſſemus, & pro innumeris ſicariis, raptoribus, ſtupratoribus, ſacrilegis, parricidis aliquot ſaltem veros Chriſti martyres haberemus. Sed ad rem.

Sic igitur breviter concludo, aut falſam atque ineptam, aut certe tibi inutilem eſſe aſſertionem illam, quæ ex tuis verbis colligitur, non minus ſub Lege, quam ſub Euangelio, non privata auctoritate, ſed Dei mandato, bella gerere licuiſſe. Nam, ſi Dei mandatum magiſtratus juſſum, atque auctoritatem in bello gerendo eſſe vis; Primum nihil a veritate magis alienum dici potuit, cum hic non de re aliqua indifferente agatur (etenim res indifferentes, jubente magiſtratu, tanquam ſi ipſe Deus juſſiſſet, fieri debent) ſed de re, quæ per ſe mala eſt, & Chriſti præceptis contraria. Deinde vel falſo, vel inepte in gerendis adverſus hoſtem bellis iſti Dei mandato privata auctoritas opponitur, cum certum ſit, aut contingere non poſſe, ut privata auctoritate, quæ divino iſti mandato opponatur, cum hoſtibus belligeretur, aut, ſi id, quod populus, non jubente magiſtratu, facit, privata auctoritate fieri dicendum eſt, nihil eſſe, cur ex ipſa ſententia veſtra ejuſmodi privata auctoritate cum hoſtibus bella geri, ſi modo alioqui magiſtratus auctoritate id fieri poteſt, ſummo jure non poſſint. Sin autem Dei mandati nomine ſingularem & apertam aliquam Dei monitionem intelligis, nihil hoc ad quæſtionem noſtram. Nemo enim eſt, qui non minus ſub Euangelio, quam ſub Lege, quidquid Deus, ut fiat, ſingulariter, & expreſſe monuerit, faciendum omnino eſſe, neget. Sed certe, ſi Chriſtianus populus tunc demum bella gerere debet, cum à Deo ſingulariter ea de re monetur, ſperare juvat, nullum unquam bellum à populo Chriſtiano geſtum iri.

His, quæ jam antea diſſerueram, ut tota res melius aperiatur, illud addo, ſub Lege non idcirco cum hoſtibus bellare licuiſſe, quia ſic magiſtratus juberet, quaſi alioquin id neutiquam liceret, quippe quod Deus in lege ſua homicidia fieri vetuiſſet, quæ multa comitti in bello neceſſe eſt. Neque enim poteſt magiſtratus id fieri jubere, quod Deus vetuerit. Quemadmodum nullam (exempli cauſſa) habet auctoritatem magiſtratus jubendi, ut adulteria fiant, cum ea expreſſe in Dei lege interdicta fuerint. Sed ideo ſub Lege bellare licebat, & bellando hoſtes interficere, quia præceptum illud non occidendi, ad hoſtes non porrigi, multis modis Deus ipſe declaraverat, qui inter cætera hoſtium occiſionem, ut ſupra monuimus, ſervatæ Legis præmium populo ſuo ſtatuerat. Idque res ipſa ſecum omnino ferebat, ut, poſtquam eis Deus terrenam hæreditatem, ac poſſeſſionem aſſignaverat, quam etiam bellando adepti fuiſſent, terrenis quoque armis eam defenderent. Ad cujus rei confirmationem vide, quid Jephthes Ammonitarum regi hac de re dicendum mandaverit Judic. cap. 11. 23, & 24. Quare, cum non de aſſignata ſibi poſſeſſione defendenda, ſed de aliena invadenda agebatur, tunc juſtiſſimam aliquam cauſſam, ut puta gravis injuriæ ulciſcendæ, & bello hoſtem laceſſentem reprimendi, ac domandi, ſubeſſe oportebat, ut ex verbis ejuſdem Jephtæ eodem loco ſatis intelligi poteſt, dum rationem reddit, cur Iſraëlitæ Amorrhæorum terram occupaſſent, ab invadendis autem Edomitarum, & Moabitarum regionibus abſtinuiſſent. Quinetiam ipſum Davidem Dei unctum, ac regem, ſupremumque magiſtratum 1 Sam. 23. 2, & 4. 2 Sam. 5. 19, & 23, non modo Saule adhuc vivente, ſed etiam poſt mortem ejus, plenum ſcilicet jam regni, atque imperii jus habentem, cum de tutandis finibus, & urbibus, quas hoſtis oppugnabat, deque hoſtibus inſoleſcentibus, belloque provocantibus reprimendis ageretur, quid tamen ſibi faciendum eſſet, Deum conſuluiſſe legimus, quamvis tu, id unquam factum fuiſſe, negare non verearis, priore ſcripto tuo pag. 4. Non igitur ex magiſtratus auctoritate, ſed ex Dei conceſſu, ac voluntate, jus belligerandi ſub Lege pendebat. Quem Dei conceſſum, ac voluntatem, ſub Euangelio plane ceſſaſſe, tum Chriſti verba, de quibus controverſamur, aperte docent, tum res ipſa ſatis per ſe monet. Cum enim hominibus, qui ſub Euangelio futuri ſunt, hoc eſt Chriſtianis, nullam terrenam poſſeſſionem Deus aſſignaverit ſed eos, terra prorſus poſthabita,

bita, cælum inquirere jusserit, quid caussæ est, cur contra suum ipsius expressum & antiquissimum humani sanguinis non fundendi mandatum Gen. 9. 6, Christianis hominibus bella gerere, & homines occidere permittat?

Satis (arbitror) probatum est, quæ Christus de inimicorum dilectione præcipit, à Mose præcepta non fuisse, ad eaque testimonia responsum, quæ tu contra attuleras. Consequens est, ut rationes consideremus, quibus Christus sua hac de re præcepta confirmavit, num, ut tibi videtur, eæ non minus sub Lege, quam sub Euangelio locum habeant.

Duæ omnino videntur esse rationes, quibus Christus ad omnium inimicorum hominum dilectionem suis præcipiendam se moveri profitetur. Una, quod ita deceat Dei filios, cum ipse Deus omnibus suis inimicis bene faciat. Altera, quod alioqui nulla inter ipsos, & improbos homines hac in re differentia futura esset, cum improbi quoque homines, amicos, & fratres suos benevolentia complectantur.

Quod ad priorem attinet, cum Deus non minus sub Lege, quam sub Euangelio, omnibus hominibus, quantumvis inimicis suis, & solem suum exoriri faceret, & pluvias daret, quæ sunt illa Dei beneficia, quæ Christus commemorat, dicendum videtur, si hæc sufficiens caussa existimanda est, cur inimicos omnes diligere debeamus, sub Lege quoque inimicos diligendos fuisse. Nam sub ipsa etiam Lege filii Dei vocabantur ii, quibus Lex data fuerat Esa. 1. 2.

Verum animadvertendum est primum, si Christi hæc ratio ad Legis tempora accommodanda est, non debere eam populi Israëlitici limites excedere. Quidquid enim in Lege jubetur, quod ad alterum relationem habeat, semper ad alterum ex populo refertur, non autem unquam ad extraneum, nisi id aliunde constet, vel nominatim extranei mentio facta fuerit. Quare, etiamsi in Lege scriptum fuisset, Diligite inimicos vestros, &c. ut sitis filii patris vestri cælestis, qui solem suum oriri facit super malos, & bonos, &c. hoc nihil aliud sibi voluisset, quam Diligite ex populo vestro non amicos tantum, sed inimicos quoque, nam & Deus pater vester, quem imitari debetis, non eos tantum ex populo suo beneficiis afficit, qui boni, & justi sunt, sed malos quoque, & injustos. Quæ interpretatio nostra ex eo confirmatur, quod, si quis recte animadvertat, bonorum, & malorum, justorum, & injustorum in Lege discrimen ad eos tantum, qui sub ipsa Lege erant, pertinebat, non autem ad reliquas gentes, quæ prorsus immundæ habebantur, & quarum probitatis, aut malitiæ, justitiæ, aut injustitiæ nulla in verbis Legis indefinite prolatis habebatur ratio. Propterea Paulus ostendere volens, ea, quæ de hominum malitia generatim alicubi David disseruisset, ad Judæos omnino pertinere, ait Rom. 3. 19, *Scimus autem, quoniam, quæcunque Lex loquitur, iis, qui in Lege sunt, loquitur.* Deinde considerandum est, filios quidem Dei appellatos fuisse eos quoque, qui sub Lege erant, non tamen eadem ratione, neque ita proprie, ut ii appellantur, qui sunt sub Euangelio. Siquidem illi his comparati, non filii, sed servi dicuntur. Hinc Paulus Rom. 8. 15, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Qui idem Paulus toto fere cap. 4 Epistolæ ad Galatas nihil aliud agit, quam ut ostendat, sub Lege servos, aut tanquam servos fuisse, sub Euangelio vero & filios, & liberos. Legat, qui volet, caput illud ab ipso initio usque ad ℣. 10. & iterum à ℣. 21. usque ad ℣. 2. sequentis cap. & rem ita se habere plane intelliget. Mitto testimonia alia complura, quæ ex Novi Fœderis scriptis proferri possent, ex quibus apparet, divinam istam (ut ita dicam) filiationem, quam sub Euangelio habemus, à Christo primum in Dei populum invectam fuisse. Cujus rei præterea argumentum est, quod ipse Dominus Jesus frater noster, tanquam inaudito quodam prius atque inusitato inter angelos, nedum in populo nomine, filius Dei est appellatus. Vide Luc. 1. 32, & Hebr. 1. 5. Atque huc etiam pertinet vaticinatio illa apud Hoseam cap. 1. 10. *Et erit in loco, ubi dicebatur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.* Et certe, qui recte veteris, ac Novi Fœderis discrimen perceperit, hac de re nullo modo dubitare poterit, ut infra aliquanto explicatius differemus. Cum igitur non ita vere, ac perfecte filii Dei esse deberent homines sub Lege, ut sub Euangelio, non potuit hæc filiationis divinæ ratio tantam vim sub Lege, quantam sub Euangelio habere, sed, quemadmodum sub Lege imperfecte filii Dei futuri erant, sic imperfecte quoque Deum imitari satis erat. Atqui hæc Dei (ut sic loquar) virtus, omnibus tam amicis, quam inimicis bene faciendi, inter ipsius perfectas qualitates, seu proprietates numerari debet. Ut ex Christi verbis perspicuum est, quæ mox recitabimus. Quare, ut hac in parte filii illi Dei, qui sub Lege vivebant, Deum imitarentur, necesse non erat. At vero sub Euangelio, sub quo perfecte, quatenus mortalis conditio patitur, Dei filii esse debemus, perfectam etiam hanc Dei virtutem ut imitemur, necesse est. Propterea coronidem illam Christus præcepto, ac rationibus hisce suis imposuit, *Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester, qui est in cælis, perfectus est.*

Sequitur altera ratio, quia scilicet, si amicos tantum, & fratres diligeremus, nihilo præstantiores hac in re malis hominibus essemus, qui & ipsi amicos, & fratres diligunt. Quæ ratio nulla caussa esse videtur, cur non idem possit sub Lege, quod sub Euangelio, cum mali homines etiam sub Lege, ut ex ipsis Christi verbis, dum rationem hanc explicat, clare liquet, amicos, & fratres diligerent.

Verumtamen, ut appareat, rationem istam non eas vires habuisse sub Lege, quas sub Euangelio, id perpendendum est, quod ex iis, quæ paullo ante diximus, colligi potest, non fuisse sub Lege tantam justitiæ, ac probitatis perfectionem requisitam, quantam sub Euangelio. Nihil enim, ut inquit scriptor ille divinus Hebr. 7. 19. X. 1, ad perfectum adduxit Lex. Sed quemadmodum, ut idem ait, umbram tantum habuit Lex futurorum bonorum, sic umbram tantum futuræ Euangelicæ perfectionis habuit. Est autem hæc sine dubio justitiæ, ac probitatis divina quædam perfectio, ut pravos alioquin homines in iis ipsis, quæ recte faciunt, si fieri potest, superemus. Satis est enim ad humanam justitiæ, ac probitatis perfectionem, qualem Lex postulabat, malos homines in male agendo nequaquam imitari. Nec vero amicos, & fratres diligere non ex iis est, quæ recte facta dicuntur. Nec, si mali quidam alioquin homines, quales publicani erant, id faciunt, idcirco nemo tam malus est, quin idem faciat. Immo complures homines semper, & ubique inventi sunt, qui ipsis amicis, & fratribus suis infensi fuerunt, tantumque abest, ut eos amaverint, ut etiam pessime oderint, adeo ut manus quoque, Cainum imitantes, illis attulerint. Nec porro rationis Christi confirmatio illa, *quam mercedem habetis?* nullam mercedem deberi iis, qui amicos, & fratres amant, indicat, unde colligi possit, nihil boni eos facere, qui id præstant. Non enim, omni prorsus mercede istos indignos esse, vult Christus, sed alia majore, quam ob eam rem sint digni mali alioquin homines, qui idem faciunt, indignos potissimum ea mercede, quam copiosam sibi obedientibus in cælis repositam esse, antea testatus fuerat. Quapropter concludendum est, rationem hanc quoque alteram à Domino Jesu allatam non idem potuisse sub Lege, quod sub Euangelio. Euangelium enim homines cælesti illa mercede dignos plane requirit, cum Lex satis haberet, si terrena mercede digni homines essent. Præterea considerandum est, Christum non de ea mercede loqui, quæ ex pacto, sed de ea, quæ ex ipsius operis dignitate debetur, aut deberi videtur. Quocirca, etiamsi ex ejus verbis colligi posset, iis, qui amicos, & fratres amant, nullam mercedem deberi, non tamen inde sequeretur, istos ea in re nihil boni agere. Non enim omnia bona opera per se

ipſa digna ſunt, aut videntur aliqua mercede, ſed ea demum, quæ admodum excellentia ſunt, & operantis obligationem excedunt. Cætera, quæ vel ſunt vulgaria, vel ejuſmodi, ut ea quilibet præſtare omnino debeat, quale eſt amare fratres, & amicos ſuos, ea non per ſe ipſa, ſed ex pacto tantum mercede digna eſſe poſſunt. Huc illud accedit, quod in priore quoque ratione examinanda diximus. Videlicet, etiam hæc ratio locum ſub Lege habitura fuiſſet, non tamen præceptum de inimicis diligendis Iſraëlitici populi fines egreſſurum. Quod adeo verum eſt, ut ne tum quidem, cum Chriſtus locutus eſt, pro eo tempore eos fines præceptum illud exceſſerit. Quamvis enim, ut ante diſſeruimus, ejuſmodi verbis Chriſtus uſus fuerit, quæ omnino, ſi eorum vim, ac proprietatem ſpectes, quoſcunque inimicos ab Iſraëlis etiam republica alieniſſimos complecterentur, de quibus potiſſimum præcepta dare Chriſtus volebat, id tamen Chriſti verbis & hic, & alibi ſæpe contingit, quod Prophetarum de ipſo prædictionibus evenire ſolet, ut ſcilicet duplicem ſenſum habeant, Unum primo ad tempus, idque ſecundum aliquam ipſorum verborum uſitatam ſignificationem, Alterum vero deinde in perpetuum, qui verborum propriæ ſignificationi magis conſentaneus eſt. Antequam per Jeſu Chriſti Apoſtolos Gentibus fidei oſtium apertum fuiſſet, Chriſti præcepta, non ſecus ac præcepta Moſis, intra Iſraëliticæ reipublicæ fines continebantur, quibuſcunque tandem verbis illa concepta eſſent, niſi nominatim Gentium mentio eſſet facta, aut Gentium quoque in ejus verbis rationem habitam fuiſſe, aliunde aperte conſtaret. Itaque pro eo tempore Inimicorum noſtrorum nomine ii quidem intelligebantur, qui inimico animo contra nos eſſent, non tamen omnes, ſed ex populo duntaxat. Sic enim, ut alibi dictum fuit, ea vox in Lege, cum quid erga inimicum fieri jubetur, accipi ſolet, eaque nihilominus tamen voci Proximi opponi potuit Etſi enim hæc vox Proximus in Lege quemlibet ex populo proprie ſignificat, tamen fieri poteſt, ut communi uſu loquendi jam factum eſſet, ut non amplius tam late pateret, ſed eum tantummodo ſignificaret, qui nobis vel amicitia, vel cognatione conjunctus eſſet. Id quod revera factum eſſe, ſatis aperte indicant Chriſti ſequentia verba, quæ, quis proximus ſit, quodammodo declarantia, eos, quos amare præceptum illud, *diliges proximum tuum*, aut jubebat, aut certe jubere videbatur, in amicos, & fratres partiuntur. Nam Fratrum nomine, licet, ut alibi monuimus, in Lege, & in populi etiam ſermone omnes Iſraëlitæ comprehenderentur, multo frequentius tamen ex uſu loquendi cognati intelligebantur. Poſtquam vero Gentibus quoque pœnitentia in remiſſionem peccatorum per Chriſti nomen prædicata eſt, & una Iſraëlitarum, & Gentium reſpublica facta, tunc Chriſti præcepta, quæ indefinitis ac generalibus verbis concepta fuerant, ad omnes peræque tam Gentes, quam Iſraëlitas pertinere, & de omnibus prorſus inimicis, ut verba ipſa ſonant, eum locutum fuiſſe, intellectum eſt.

Quare non eſt, quod quis dicat, per ea, quæ hoc loco a nobis dicuntur, ea convelli, quæ ſupra affirmavimus, atque contendimus, Chriſtum ſcilicet Inimicorum nomine hoſtes potiſſimum intellexiſſe, Fratrum vero, & Proximorum omnes Iſraëlitas. Nam, quæ antea diximus, vera ſunt ſecundum poſteriorem & potiorem ſenſum, ſecundum quem hodie nobis Chriſti verba ſunt interpretanda. Qui ſenſus non ex loquendi uſu aliquo, qui tunc in populo obtineret, ſed ex proprietate verborum colligitur. Verborum autem proprietas ex Legis uſu petenda eſt. Atqui Lex, cum proximum diligere jubet, Proximi nomine, quemadmodum oſtendimus, quemlibet ex populo intelligit. Verum poſt Euangelii prædicationem Gentibus conceſſam omnes homines, ut dictum fuit, ex uno eodemque populo eſſe cenſentur. Quod idem in voce Fratris contingit, cum quid Lex erga fratrem fieri mandat, ut ex iis præcipue apparet, quæ ſcripta ſunt Deut. cap. 22. in initio. Ubi ea, quæ alibi erga ipſos inimicos facienda præcepta ſunt, erga fratres ſimpliciter fieri jubentur. Ex quo id interea confirmatur, quod à nobis conſtanter aſſeritur, quidquid Lex de diligendis inimicis præcipit id non ad alios inimicos, quam fratres, id eſt ex populo pertinere. Quæ tamen Lex, ſi aliquando inimicum proximo opponit, ut hoc loco factum eſt, tunc Inimici nomine hoſtem intelligi neceſſe eſt. Nam etiam ſine oppoſitione iſta vox Inimicus in Lege frequentiſſime hoſtem ſignificat.

At enim (dixerit quiſpiam) ſi prior ille ſenſus Chriſti verbis ad tempus ſuberat, illud evertitur, quod à te antea conſtitutum fuit, Chriſtum in his præceptis dandis non Scribarum, & Phariſæorum commenta rejicere, ſed ſua dicta ipſis Legis dictis opponere. Nam quomodo Legis dictis ſua dicta opponit Chriſtus, ſi Lex Proximi nomine quemlibet ex populo complectitur, ipſe vero, priore illo ſenſu, quamvis ad tempus, eo nomine amicos tantum & cognatos intelligebat? An non hinc, te ipſo teſte, apparet, Chriſtum non Legis ipſius, ſed receptarum tunc temporis interpretationum rationem habuiſſe?

Reſpondeo, me ſupra non negaſſe, quin in hoc de diligendis inimicis præcepto, ſicut in duobus aliis, de uxore non dimittenda, deque injuriis non vindicandis, ſeu retaliandis, potuerit Chriſtus, dum Legem abſolvere, ac perficere intendit, ejus quoque falſa intepretamenta rejicere voluiſſe, & propterea dicta ſua non tam Legis dictis, quam iis, quæ, tanquam Legis præcepta, vulgo jactabantur, his tribus in locis oppoſuiſſe. Nam præter ejus rei propria indicia, quæ in ſingulis iſtis præceptis dandis apparere, antea oſtendi, id omnibus commune extare monui, quod, cum Chriſtus præcepta recitat, quibus ſua opponit, non ait, ut in reliquis tribus, Dictum eſt antiquis, ſed, Antiquorum mentione omiſſa, ſimpliciter inquit, Dictum eſt. Extat autem in hoc præcepto de diligendo proximo, quod Chriſtus recitat, cuique ſua dicta opponit, aliud proprium indicium præter id, quod ſupra commemoravimus, non tam Legis ipſius, quam pervulgatæ in populo præceptionis rationem habitam fuiſſe, quod ea verba Legis omittuntur, *ſicut te ipſum*. Quæ ſane magnum pondus habere videntur. Nec tamen, ſecundum illum etiam priorem ſenſum, in poſtremo hoc præcepto dando non fuerat à Chriſto aliquid divinæ ipſi legi additum. Quandoquidem tanto plus eſt inimicos ex populo ſuo ita diligere, ut odio te habentibus bene facias, tibi maledicentibus bene dicas, pro te inſectantibus, & calumniantibus Deum ores, quemadmodum præcipit Chriſtus, quam eoſdem inimicos non ulciſci, quemadmodum Lex præcipiebat, quanto plus eſt, alicui bene facere, quam non male facere. Adde, quod Lex, cum de inimici dilectione aliquid præcipit, Inimici nomine eum quidem intelligere potuit, qui odio habere pergeret, non tamen eum intellexit, qui injuriis, ac contumeliis alterum etiamnum inceſſeret, ſed qui aliquando inceſſiſſet. Non enim, ne præſentes injuriæ vindicarentur, ſed ne præteritarum quiſquam memor eſſet, in Lege mandatum fuerat.

Nec vero eſt, quod quis objiciat, immo in Lege non modo præceptum fuiſſe, ne quis inimico male faciat, ſed etiam, ut bene faciat, eo quod ſcriptum ſit, *diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, &, Proximi nomine quemlibet ex populo ſignificari, jam conceſſum fuerit, quamvis inimicum, id eſt ejuſmodi, qui nos injuria affecerit. Namque ſciendum eſt, non ita accipienda eſſe in Lege verba illa, *ſicut te ipſum*, ut omnia complectantur, quæ quis ſibi fieri vellet. Alioqui nunquam aliquid mali proximo intentare ſub Lege licuiſſet. Quod tamen contra eſt. Hoc enim, ut ſupra attigimus, proprium eſt Euangelii. Nam ſub Lege vim vi repellere, non ſolum magiſtratus auctoritate, ſed etiam privato arbitrio licebat. Quod cum ex multis aliis, quæ in ipſa Lege ſcripta ſunt, perſpicuum eſt, tum ex eo patet, quod furem perfodientem ante ſolis ortum adeo verberare licebat Exod. 22. 2, ut, etiamſi ex verberibus illis

mortuus

mortuus fuiſſet, tamen percuſſor reus ſanguinis non eſſet. Sunt igitur verba illa, *ſicut te ipſum*, ad id accommodanda, de quo ibi ſermo erat, & ad alia, ſi qua ſunt ejuſdem generis: & præceptum illud perinde accipiendum, ac ſi dictum fuiſſet, Ne ſis memor injuriarum à proximo tuo acceptarum: Sed, quemadmodum optares, ne quis injurias à te acceptas ulciſceretur, ſic etiam tu illatas tibi à proximo tuo injurias ne ulciſcitor. Non autem ita interpretandum, ut non modo nihil omnino proximo fiat, quod quis ſibi fieri nollet, verum etiam omnia prorſus fiant, quæ quis ſibi fieri vellet, adeo ut & odio habenti bene facere, & maledicenti benedicere, & pro perſequente denique, ac calumniante orare Deum quilibet ex Legis præſcripto debeat.

Non eſt item, quod quis dicat inimicis bene faciendum ex Lege fuiſſe, præceptis illis bovem reducendi, & aſinum ſublevandi contineri. Iſta enim, & ſi qua ejuſmodi ſunt alia præcepta, ad injuriarum oblivionem pertinent Exod. 23. 4, & 5. Nemo enim fere eſt, qui bovem errantem domino reducendum non curet, aut aſinum alterius ſub onere ſuccumbentem, ſi poteſt, non ſublevet, niſi bos, aut aſinus ejus ſit, quem odio proſequatur. Quinetiam hæc, & ſimilia beneficia ejuſmodi ſunt, ut iis ipſis, quibus male volumus, quorumque injurias, quas accepimus, aliquando ulciſci in animo eſt, à nobis facile præſtentur, niſi impotentis omnino ac degeneris animi ſimus. Quod ſi quis Solomonis dicta huc afferat Prov. 25. 20, jam oſtenſum eſt, ea, non tanquam ex Moſis lege manantia, ſed tanquam ab ipſo Solomone ſapienter excogitata, accipienda eſſe.

Demonſtratum eſt à nobis (ut quidem credimus) neutram ex illis rationibus à Chriſto allatis ſub Lege eam vim habuiſſe, quam ſub Euangelio habet. Nunc videndum eſt de ipſarum rationum confirmatione quadam tua, quæ tertiæ rationis loco eſſe poteſt, quam pag. 163. his verbis explicas, *Si enim dilectio, quam jubet Lex divina, ad amicos tantum, non etiam ad hoſtes pertineret, quod diſcrimen eſſet inter legem Dei & legem non Dei ſed hominum?*

Hæc ratio nullius momenti exiſtimanda eſt, triplici de cauſſa. Primum quia leges, quamvis ab hominibus latæ, non tamen ipſorum hominum cenſendæ ſunt, ſed ipſius Dei, quando cum Dei voluntate conſentiunt, quales ſunt pleræque duodecim tabularum leges, ex quibus jus civile Romanorum derivatum eſt. Tunc enim Deus eſt, qui per eos homines, etiamſi oculis omnium id minime apparet, leges dat mundo. Atque hoc idem tu ipſe parum tibi conſtans contra Racovienſes urges pag. 290. Deinde non ſimpliciter, nec perpetuo verum eſt, debere inter hominum, & Dei legem diſcrimen eſſe. Quid enim ſi homines, natura, ac ratione duce, quapiam in re illud idem plane præceperint, quod Deus ipſe præcepit, aut præcepturus fuiſſet? Quod ſane factum perſæpe eſſe, omnes cognoſcent, qui Dei legem à Moſe latam cum aliis hominum legibus conferre voluerint. Nec enim Dei Lex in ſingulis, quæ præſcribit, divinius aliquid & perfectius habere debet, quam humana ratio præſcribendum eſſe, cognoſcere potuerit, præſertim ſi ad hominem vere divinum ac perfectum reddendum ea lata non fuerit: ut certe de Moſaica lege affirmari poſſe, umbræ, ac ceremoniæ, quibus tota referta eſt, quarumque ne ipſe quidem Decalogus eſt expers (nam diei Sabbati obſervationem ad umbras pertinere Paulus locupletiſſimus eſt teſtis Col. 2. 17.) aperte demonſtrant. Nam ne in Lege quidem ipſa Euangelica, quæ tota divina eſt, & ex hominibus angelos quodammodo efficere quærit, omnia prorſus præcepta ejuſmodi ſunt, ut nulla unquam humana lege quodpiam illorum exacte comprehenſum fuerit. Poſtremo, tametſi Dei Lex per Moſem lata non præcipit, ut inimicis quandocunque poſſumus, bene faciamus, non tamen propterea in eo, quod erga inimicos fieri debet, nullum inter ipſam, & humanas leges, ut arbitror, diſcrimen apparet. Quandoquidem, ut vidimus, in ea expreſſe mandatur, ne acceptarum injuriarum à ſuis civibus quiſquam memor eſſe velit, neve odio quemquam ex illis proſequi. Quod hominum communes ac pervulgatæ leges (de his enim loquitur ratio tua) nunquam fortaſſe mandarunt. Atque hæc, quæ de Dei, hominumque legis diſcrimine contra te diſſeruimus, ſatis ſunt pro reſponſione ad ea quoque quæ de diſtinctione inter Dei populum, & Dei non populum deinde ſubjicis: Nam, quod Dei populum alios diligere, ut ipſe Deus ſolet, debere ais, ad id in priore ex Chriſti rationibus examinanda abunde reſponſum fuit.

Cæterum illud inſuper pro reſponſione ad argumentum ex rationibus ductum, quibus vel Chriſtus ipſe ſua præcepta confirmat, vel ea confirmare aliquis poſſet, conſiderandum eſt; Nihil impedire, quominus eæ rationes ſub Lege eandem vim habere plane debuerint, quam ſub Euangelio, nec tamen habuerint, id eſt contra id, quod ipſæ omnino ſuadebant, aliquid conſtitutum, aut prætermiſſum in Dei præceptis fuerit. Voluit enim Deus non modo rerum omnium perfectionem ad Chriſti tempora reſervare, &, quidquid ſub Moſe præceſſit, adumbrationem quandam eſſe eorum, quæ poſtea fieri debebant 1 Cor. 10. 11, verum etiam in ipſa adumbratione, tanquam adumbratione, vitia aliqua ineſſe, ut ea poſtmodum argumento eſſent, illam vere adumbrationem, non autem rem ipſam fuiſſe, & merito aliquando ceſſaſſe. Hinc factum eſt (idque ad rem noſtram maxime pertinet) ut in ipſo Decalogo, qui legem æternam, & ad mores tantum pertinentem complecti debuerat, umbratile illud ac ceremoniale præceptum obſervationis ſeptimi diei incluſum fuerit, quod pro eo etiam tempore vitium exiſtimandum eſt. Ut ſcilicet aliquando vel hinc ſatis intelligi poſſet, non eo conſilio datam fuiſſe à Deo ipſam Decalogi legem, ut undiquaque perfecta, & omni ex parte abſolutiſſima in perpetuum cenſeri deberet. Eadem ratio eſt aliorum Dei operum, quæ vel jam finem habuerunt, vel habitura ſunt. Nam & præſens hoc ſæculum, quatenus à Deo conditum eſt, non ſolum typus quidam eſt ſæculi futuri, ſed etiam in eo, tanquam typo, vitia quædam animadvertere licet, ut vel hinc conjicere poſſimus, illud non perpetuo duraturum. Nec tamen jure Deum accuſare quiſquam poteſt, quod aliquid fecerit, aut condiderit vitioſum atque imperfectum. Nam cum id non præ negligentia, aut imperitia, ſive impotentia ab eo factum fuerit, ſed conſulto, idque in præſtantiſſimum aliquem finem, ea, quæ vitia in re, atque imperfectiones (ut ita dicam) alioqui per ſe ſunt, Dei ipſius facientis, aut condentis reſpectu, rei virtutes, ac perfectiones quædam exiſtimari debent. Atque hæc de Chriſti præceptorum rationibus ſatis, ſuperque eſſe poſſunt.

Jam vero cum demonſtratum fuerit, te, quin præcepta Chriſti de inimicis diligendis bellum omnino interdicant, nequaquam ea ratione negare poſſe, quod eadem præcepta ſub Lege eſſent, ſub qua tamen ſcilicet bellare licebat, ſiquidem falſum eſt, eadem præcepta ſub Lege fuiſſe, an eorundem præceptorum, & ipſius belli interpretationibus tuis id, quod quæris, efficere poſſis, deinceps videndum eſt.

Igitur, ut ex iis quæ pag. 250, & 251. ſcribis, colligere potui, duo in medium affers, quibus probari ſperas, præcepta Chriſti de inimicis diligendis non eam vim habere, ut hoſtes nunquam nobis interficere liceat. Quæ tamen, ut videbimus, & verba tua præ ſe ferunt, ad unum tantummodo redigi poſſunt. Primum ais, cum homo malus Dei juſſu occiditur, hoc eſſe amare, bene facere, & ex toto corde diligere. Pro conceſſo enim hic ſumis, hominem malum, qui magiſtratus auctoritate, ſive belligerando, ſive alia ratione occiditur, Dei juſſu occidi. Itaque videris omnino velle concludere, occidendis magiſtratus auctoritate malis hominibus, quales Dei populi hoſtes ſunt, nihil fieri adverſus id, quod mandavit Chriſtus, ut inimicos diligamus, amemus, eiſque bene faciamus. Nempe quia tunc etiam, cum iſtos occidimus, inimici à nobis diliguntur, amantur, eiſque bene fit. Verum, quam tui dicti rationem

adjungis,

ejus rei teſtimonium aliquod non profers? Cur ita obſcurus, tanquam Apollo aliquis Delphicus, in iſtis tuis quaſi reſponſis dandis eſſe affectas? Jam vero (ut de tertia interpretatione agamus) quis, vel fando, audivit unquam, Antiquorum, ſeu τῶ ἀρχαίων nomine plebem, aut populum ſignificari? Certe fieri non poteſt, quin tibi ea verba imprudenti, & incogitanti, atque aliùd plane agenti exciderint. Cujuſmodi caſus cum veritatem impugnantibus eveniunt, tunc juſtum Dei judicium animadvertere licet. Sed quid de poſtrema tua interpretatione ſentiendum? Ego ſane non memini, me vel locum legiſſe, vel ab aliis lectum obſervaſſe, ubi ſimplici τῶ ἀρχαίων appellatione antiqui dierum, ſeu grandævi ſignificentur. Illud equidem affirmare auſim, in Sacris Litteris, id eſt in Novo Teſtamento, non modo ejuſmodi locum non extare, ſed τῶ ἀρχαίῳ nomen ſemper Priſcum ſeu quod Latini proprie Antiquum dicunt ſignificare. Qui Latini nunquam (quod ſciam) antiquos dierum (ut quidem in vulgata editione loquitur Daniel 7. 9. 13, & 22. ſiquidem poterant ad verbum ii Danielis loci aliter verti: Neque enim Antiquus apud Latinos idem plane eſt, quod עתיק apud Chaldæos, quamvis inde fortaſſe deriveturˌ) ſeu grandævos, ſimpliciter Antiquos appellant. Niſi, Veterem Veteris Teſtamenti interpretem pro Latinitatis bono auctore habeamus, qui id nonnunquam in Hiſtoria Jobi Job. 12. 12. xv. 10. xxxii. 6, auſus eſt facere. Aut certe, cum Antiquos ita, ut id nomen ſubſtantivi (quod vocant) nominis vim habeat, ut noſtro in loco ſit, nominant, nunquam homines grandævos intelligunt.

Itaque apparet, nullam ex tuis interpretationibus verbo ipſi convenire præter primam, quæ eadem eſt cum adverſariorum interpretatione, quam impugnandam ſuſcepiſti, ut quæ ſententiæ tuæ nimis adverſetur, eamque funditus evertat. Sed, etiamſi aliqua ex reliquis tribus ipſi verbo accommodari poſſet, non tamen, communi interpretatione rejecta, ea admittenda eſſet: cum propter id, quod communis interpretatio magis propriam, ac frequentiſſimam vocabuli ſignificationem ſequitur, tua vero inſolentiorem, minuſque propriam, tum maxime, quia locus ipſe nullam ex iſtis tuis interpretationibus, quamvis vocabuli vis eam alioqui ferret, pati ullo modo poteſt, niſi fortaſſe eam, quæ plebem à Scribis, & Phariſæis inſtitutam voce Antiquis referri vult, quæ, ut ineptiſſima, quæque tibi incogitanti, ut dixi, atque adeo, ut arbitror, invito exciderit, nullo numero eſt habenda. Quid enim? Numquid ſenioribus tantum, ſive ſenatui, aut antiquis dierum ea dicebantur, quæ eos, quos alloquebatur, fuiſſe dicta, audiſſe ait Chriſtus? Nonne toti populo ea dicta fuerant? Nam quæ diſtinctio illa tua eſt inter ſeniores, & populum, quod ſenioribus quidem ea dicerentur, populus autem interim audiret? Quonam vel argumento, vel teſtimonio probas, Scribas, & Phariſæos (iſtos enim eos fuiſſe, à quibus ea dicerentur omnino vis) tunc, cum Moſis Legem recitabant, & explicabant, non populum, licet præſentem & audientem, ſed ſeniores, ſeu ſenatores, tantum allocutos fuiſſe? Nam tu pag. 118 cum, aſſidentibus ſenioribus, Scribæ, & Phariſæi Legem interpretarentur, turbam, & populum audiviſſe ſcribis. Sed quid quæro, cum tibi parum conſtans, pag. 207, ex cathedra, ubi Lex populo, audientibus ſenioribus, legeretur, ea dicta fuiſſe ais? Nonne tu ipſe (ſi modo eo in loco pluſquam figurate locutus non es) pag. 220, diſerte ais, plebem à Scribis, & Phariſæis inſtitutam fuiſſe? Sed ne plebi quidem, id eſt (ut tibi hoc concedamus) populo, ea dicta fuiſſe, Chriſtum dixiſſe, veriſimile eſt, cum ipſum populum, ſeu populi partem, quæ præſens erat, vel ipſo teſte, alloqueretur, ut ex verbis illis tuis apparet prædicta pag. 118. *Audiſtis, inquit, vos duodecim diſcipuli mei, atque adeo vos omnes quid dictum ſit à Scribis, &c.* Si enim ipſi populo ea dicta fuiſſe, intellixiſſet Chriſtus; non aliter, quam Audiſtis, quod dictum eſt vobis, vel ſimpliciter Audiſtis, quod dictum eſt, ſine dubio dixiſſet. Indubitatum igitur eſſe debet, nullam, ſive ipſum verbum, ſive ſententiam ſpectes, ex tuis illis tribus interpretationibus vocis Antiquis admitti poſſe, ſed communiſſimam ac receptiſſimam ejus verbi explanationem, quam ipſe prima interpretatione tua plane confirmas, omnino admittendam eſſe, ut ſcilicet Antiquorum nomine Veteres, ſeu Priſci intelligantur, unde planum fiat, Chriſtum de Veteribus Legis præceptis reformandis, non autem de recentibus Scribarum, & Phariſæorum interpretamentis rejiciendis agere.

Sequitur altera adverſariorum tuorum ratio, quod ſcilicet non in præſente Dici, ſed in præterito tempore dictum fuiſſe, ait Chriſtus. Ad hoc quid tu reſpondeas, non invenio. Et tamen reſponſione digniſſimum erat. Nam, cum pergerent Scribæ, & Phariſæi populum docere, & ſubinde ſtatis diebus Legem populo recitarent, atque explanarent, certe, ſi de recitatione, atque explanatione iſta loqui voluiſſet Chriſtus, non ſemper, idque ſexies Dictum eſt, ſed Dicitur ſemel ſaltem, atque iterum dixiſſet. Hoc dico, quia fortaſſis præter Hebræi ſermonis conſuetudinem, quæ præteritum pro præſente tempore ſæpe uſurpat, valde huic ſimilem etiam alioqui (ut quidem tibi videtur) locum afferre poſſes, in quo præterito tempore pro præſente idem Chriſtus uſus fuerit, cum ait Matth. 23. 1, *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, &c.* Ubi non videtur dubitandum, quin Sederunt pro Sedent dictum fuerit. Vel, quemadmodum ibi, etſi Scribæ, & Phariſæi ſedere pergerent, ſeu mavis identidem adhuc ſederent in Moſis cathedra, tamen à Chriſto dictum eſt Sederunt, non autem Sedent, ſic hoc loco, etſi pergerent iidem populum docere, & adhuc ſubinde id facerent, non tamen Dicitur, ſed Dictum eſt, Chriſtus dixerit. Verum potuit Chriſtus eo in loco ſemel figura illa ſermonis, ſive idiotiſmo uti, nullum enim periculum erat, ne ſatis mentem ſuam explicaſſet, cum ſtatim ea verba adjuncturus eſſet, *Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite, &c.* Ex quibus apparet, eum de re adhuc præſente loqui, & quæ identidem fieret, ac facienda eſſet. At in loco noſtro & nimis ſæpe eam locutionem uſurpaſſet, & ubi manifeſtum erat periculum, ne in alium ſenſum, quam ipſe voluiſſet, ejus verba acciperentur, ut reipſa comprobatum eſt. Mitto, quod illud Sederunt emphaſim quandam habere videtur, & non pro Sedent dictum, aut alia ſignificatione, quam ipſius præteriti temporis. Perinde eſt enim, judicio meo, ac ſi Chriſtus dixiſſet, Occuparunt Scribæ, & Phariſæi Moſis cathedram, ſeſeque in ea collocarunt. Qui loquendi tamen modus per ſe, non quidem quia præteritum tempus pro præſente uſurpetur, ſed propter ipſius rei naturam, & verborum propriam vim actionis continuationem deſignat, adeo ut ad præſens quoque tempus id, quod dicitur, pertineat. Qua rei natura, ac propria vi carent illa verba, Dictum eſt, quæ effectum quidem ejus, quod dictum fuit, adhuc permanere, aut perinde eſſe, acſi adhuc idem diceretur, non negant, Cæterum actionis ipſius continuationem nullam ſignificant.

Reſtat tertia ratio. Quod in una parte Chriſti verborum, cui alteram opponit, ipſa verba Legis recitantur. Quod tu ipſe fateris in reſponſione ad tertiam, quam facis, adverſariorum objectionem, pag. 222, his verbis, *Citatur quidem in hac juſtitiarum collatione à Jeſu Chriſto textus Moſis.* Idque alibi quoque concedis: Sed ais, citari una cum ipſis appendices Scribarum, & Phariſæorum, quibus ſcilicet ſua verba opponere voluit Chriſtus, non autem ipſi Moſis textui. Quem ideo citavit, non ut ipſum abrogaret, ſed ut, vel ſic, ſuam juſtitiam (ita loqueris) vanam Scribæ, & Phariſæi colligerent. Atque adeo appendices Scribarum, & Phariſæorum una cum Moſis textu à Chriſto citari, affirmare audes, ut non veritus ſis eadem pag. 222, ea verba ſcribere, *quibus* (verbis Moſis) *ut hic narrat Euangeliſta, Scribæ & Phariſæi ſuas conjungebant appendices.* Quaſi vero Euangeliſta id lectorem moneat. Qui tamen Chriſti tantum ſermonem recitat, ex quo id nequaquam intelligi poteſt. Nam quas appendices (rogo) Scribarum, & Phariſæorum

citat

citat Christus in præceptis Legis recitandis de non occidendo, de non mœchando, de non pejerando? immo etiam in illis Legis verbis commemorandis, quæ ad uxoris dimissionem, & ad talionis legem pertinent, quamvis non integre ea commemoret? Qua tota de re explicatum est à nobis supra cap. 4. An non certissimum est, ne somniari quidem posse, illum alibi appendices Scribarum, & Pharisæorum recitare, præterquam in præcepto de proximo diligendo, cujus tu propterea solius hic exemplum proponis? Quod tamen factum ab ipso fuisse, nullo modo asseverari potest, cum ea pars, *Et odio habebis inimicum tuum*, non appendix Scribarum, & Pharisæorum, sed vel pronunciatum ipsius Legis, quod hodie non extet, vel certe Legis ipsissima mens censeri possit, ut ante dictum fuit. Atque hoc posterius inter ea, quæ alibi à nobis disputata sunt, vel ex eo satis constat, quod Lex, ne à filiis populi sui acceptas injurias Israelitæ recordarentur, præcipiebat. Unde intelligi poterat, eorum, qui ex eodem populo non erant, quosque sub Inimici nomine potissimum in verbis illis, *Et odio habebis inimicum tuum*, ut supra demonstravimus, intelligere oportet, istorum, inquam, injurias recordari, & porro eos odio habere, Israëlitis à Lege permissum fuisse. Quamobrem futilis plane est ista tua ad hanc adversariorum tertiam rationem responsio. Et idcirco, cum ne unam quidem ex tribus illis eorum rationibus labefactare potueris, nedum ut omnes, quemadmodum necesse habebas, everteris, certum esse potest, id verissimum esse, quod illi earum vi concluserant. In priore scilicet parte verborum Christi ipsa Mosis præcepta contineri, quibus in posteriore sua dicta opponit. Nam, quæ tu ad contrarium probandum in medium affers, nullius momenti existimari debent, ut paullo post videbimus. Prius enim tuorum adversariorum sententia tribus præterea rationibus à nobis est confirmanda, sive tua convellenda: quarum duas ipsa Christi verba, de quibus agitur, non minus, quam tres illas ab ipsis Racovienſibus allatas, suppeditat, tertia vero aliunde petenda est.

Duarum igitur priorum una erit, quod, si Christus non de ipsis tantum Mosis præceptis, sed de interpretamentis simul Scribarum, & Pharisæorum agere voluisset, ipsorum Scribarum, & Pharisæorum nomen non reticuisset: nec simpliciter, idque perpetuo, ut fecit, dixisset Dictum est, sed semel saltem Dictum est à Scribis, & Pharisæis. Nec enim reverentia, aut timore aliquo fortasse ductum eorum nominibus Christum parcere voluisse, credendum est, quos nominatim cum paullo ante justitiæ ad intrandum in regnum cælorum minus aptæ damnaverat, tum vero postea acriter sæpe increpuit, atque objurgavit, & cum de lege Dei suis mandatis ab ipsis irrita facta differuit, tunc in os quoque eos reprehendere, ac vituperare non dubitavit Matth. 15. & 23. Mar. 7. Nec vero satis eos nominasse, satisque indicasse, ipsos eos esse, à quibus ea dicerentur, quæ dicta esse, auditum fuisse ait, propterea existimari potest, quod ipsorum antea mentionem fecisset in illis verbis, *Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam Scribarum, & Pharisæorum, &c.* Nam, ut cætera omittam, ea verba, ut supra disputatum est, non ad sequentia, sed ad antecedentia referri debent.

Altera ratio est, quod si Christus, ut tibi videtur, ea, quæ antiquis dicta fuisse affirmat, ab iis, quibus loquebatur, dum dicerentur, audita esse dicere voluisset, non ἠκούσατε, ὃτι ἐῤῥέθη, sive Audistis, quod dictum est, sed ἠκούσατε, ὅτι ἐῤῥέθη, sive audistis, cum dictum est, sine dubio apud Matthæum scriptum legeremus. Hæc enim verba, Audistis, quod dictum est, nunquam aliud significare poterunt, quam Ad aures vestras pervenit, id est Accepistis, dictum fuisse. Nec ullo modo, nisi pessime loqui velimus, hac loquendi ratione uti poterimus, cum quempiam aliquid tunc, cum diceretur, audivisse, significare volumus.

Tertia, quæ restat ratio, omnino suadet, Christum hoc loco mala Scribarum, & Pharisæorum Legis interpretamenta aliqua, cum ipsam Legem in synagoga exponerent (nam huc à te Christi verba trahuntur) minime rejicere voluisse. Etsi enim Christus, ut modo dicebamus, illos graviter alibi accusat Matth. 23. 14. XVI. 12. XXIII. 18. quod mandatis suis Dei mandata irrita fecissent. (Quare & ingredi volentibus eos claudere regnum cælorum, & cavendum esse à Pharisæorum doctrina dixit) ac præterea alicubi eorum theologiam ridet, ut cum dicebant, nihil esse, si quis per templum, aut per altare, sed multum, si per aurum templi, aut per donum, quod super altare esset, juraſſet; tamen nusquam eos eo nomine reprehendit, quod ipsam legem Mosis populum docentes, aut docere se profitentes, Mosis verba suis sive interpretamentis, sive additamentis perverterent, atque corrumperent. Quin potius aperte & turbam, & discipulos suos monet, ut ea faciant omnia, quæ Scribæ, & Pharisæi in cathedra Mosis sedentes docerent, secundum tamen opera eorum facere nolint. Ex quo satis constat, eos, cum ipsam Mosis legem populo in synagoga exponerent, eam, ut par erat, tractasse, atque ob eam rem statim addit Christus, *Dicunt enim, & non faciunt*. Quod quanam ratione dicere potuisset, si, ut ex tua mentis ipsius Christi hoc loco, de quo disputamus, interpretatione sequitur, & ipse constanter affirmas, illi tot præcipua legis Mosaicæ præcepta suis appendicibus, dum eam publice docerent, aut recitarent, depravare, & tantum non funditus evertere consuevissent? Nam, quam tu ad hunc nodum solvendum eorum Christi verborum explanationem alicubi attulisti, eam nos inferius alio loco, Deo volente, plane ineptam esse demonstrabimus.

Sed jam videamus, ecquid tu contra afferas, id est quibus rationibus ostendere coneris, Christum hoc loco nequaquam Mosis præceptis sua oppositisse, vel cum Mosis justitia (ut tu loqueris) suam contulisse: Primum ad utrumque probandum ea ratione uteris, quod jam satis præfatus fuisset, se de justitia hoc est, ut tu alibi interpretaris, de justitia recitationis Legis Scribarum, & Pharisæorum disputaturum, eamque correcturum in illis verbis, *Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Atque hanc rationem tanquam eam, cui plurimum confidas, identidem in tuis scriptis repetis, atque inculcas, huc dicens esse referendum universum Christi sermonem. Sed nos ad eam penitus convellendam satis esse credimus ea, quæ in initio cap. 4. disseruimus, ad quem locum lectorem rejicimus.

At deinde, ut separatim probes, Christum sua dicta dictis Mosis non opposuisse, quæ hic Christus præcipit, Mosis præceptis contraria non esse, demonstrare aggrederis. Tunc enim (inquis) opponerentur dicta dictis, si, cum Moses privatis dicat, Non occides, Non mœchaberis, &c. Christus (iisdem privatis scilicet) diceret, Occide, Mœchare, &c. vel, cum Moses magistratui dicat, Oculum pro oculo, &c. Christus (nempe eidem magistratui) diceret, Non oculum pro oculo, &c. Quod cum Christus non faciat, omnino perperam dici ais, eum sua dicta Mosis dictis opponere.

Hæc tua ratio, quæ scripta est pag. 221. non modo tuam causſam non juvat, sed etiam, ut postea videbimus, alias rationes tuas, & proinde ipsam causſam insigniter labefactat. Non juvat certe causſam tuam, quia, quidquid ejus vi concludas, nihil de re ipsa, sed de verbis tantum egeris, & adversarios tuos non quidem male sensisse; sed non bene, quod sentiebant, verbis expressisse, obtinebis. Atqui non de verbis, aut locutionibus, sed de re ipsa, & de sententia inter vos quæstio est. Sentiunt autem adversarii tui, Christum dedisse præcepta non quidem contraria præceptis Mosis, sed ab illis diversa, diversa, inquam, quatenus iis perfectiora, & absolutiora sunt. Perfectiorem enim multo atque absolutiorem charitatem, patientiam, dilectionem præscribunt, atque proponunt, quam illa præscripserint. Hæcque ex ipsorum adversariorum verbis apertissime constant pag 61, & 78. Nam, hoc evicto, id habent, quod,

quærunt. Nolunt enim, te ex eo, quod ſub Moſe facere licuerit, argumentari poſſe, idem ſub Chriſto licere, quaſi nihil prorſus inter utriuſque moralia præcepta interſit, & Chriſti præcepta nihil amplius jubeant, quam Moſis præcepta juſſerint. Nec tamen interea verbis utuntur, quibus aliud dicant, quam ſentiunt. Neque enim ex eo, quod affirmant, Chriſtum ſua dicta Moſis dictis opponere, colligi recte poteſt, eos aſſerere, Chriſti præcepta Moſis præceptis eſſe contraria. Nam quis eſt, qui neſciat multiplicem uſum, & ſignificationem verbi Opponendi? Opponitur rei alicui non id tantum, quod cum ea pugnat, ſed illud etiam, quod cum ea confertur, atque ea ratione (ut ipſum verbum proprie notat) ex altera parte ponitur, præſertim ſi id, quod confertur, tanquam præſtantius aliquid, atque ejus rei, cum qua confertur, loco reponendum, conferatur. Quoniam igitur ſentiunt, ut dictum eſt, adverſarii tui, Chriſtum ſua præcepta cum Moſis præceptis conferre, eaque, tanquam illis perfectiora, illorum loco populo ſervanda proponere, idcirco ſua dicta Moſis dictis eum opponere, proprie loquendo, dicere potuerunt.

At enim dices, adverſarios præterea addidiſſe, Chriſtum Moſis legem corrigere. Quid ni, quamvis contraria præcepta non dederit? Satis eſt enim, ut Chriſtus Moſis legem correxiſſe jure dici poſſit, eum perfectiora mandata dediſſe, & legi illi aliquid deeſſe, docuiſſe. Cui enim aliquid deeſt, id rectum nondum appellari poteſt, donec id, quod deeſt, ei addatur, atque ita rectum fiat, & porro corrigatur. Præſertim ſi, antequam illud, quod adhuc deerat, adderetur, jam pro re undique abſoluta ac perfecta habebatur, idque ipſum præ ſe ferebat Ejuſmodi autem erat lex Moſis ante Chriſtum. Qua nihil abſolutius, aut perfectius fieri poſſe credebatur, quæque tanquam talis data fuiſſe videri poterat. Quod cum contra ſe habere Chriſtum docuiſſe, & aliquid multo perfectius atque abſolutius attuliſſe, tui adverſarii ſentiant, certe ad id ſignificandum eam legem, tamquam non id habentem, quod polliceri videbatur, ea ratione à Chriſto correctam fuiſſe, merito dixerunt. Adde quod Chriſtus plane Legem corrigit, ſi non pauca, quæ vel tacite, vel aperte à Lege permittebantur, ipſe apertiſſime vetat, nec ulla ratione ſub Euangelio permittenda eſſe, perſpicue docet. Atqui id omnino ſentiunt, atque contendunt adverſarii tui. Quare jam vides, tametſi verum eſt, quod dicis, Chriſti præcepta Moſis præceptis contraria non eſſe, neque aliter ſentiunt adverſarii tui, tamen ipſos neque contra veritatem, neque contra ſuam ipſorum ſententiam locutos fuiſſe, cum Chriſtum ſua dicta Moſis dictis opponere, Legemque corrigere affirmarunt. Quocirca aliud ipſis objicere debes, ſi eos male locutos fuiſſe oſtendere velis, quam id, quod hoc loco de Chriſti præceptis, quod Moſis legi non adverſentur, diſputaſti.

Nam, ſi id objicias, quod deinde in hac tua ratione explicanda ſubjungis, Chriſtum, cum, exempli cauſſa, ne fratri conviciemur, præcipit, id dicere, quod fieri neceſſe eſt, ſi legem de non occidendo (à Moſe ſcilicet latam) obſervare cupimus, & ita nihil non modo contrarium legi Moſis, ſed ne diverſum quidem, aut exactius Chriſtum attuliſſe dicas, quam Moſes attulerit, ſed tantummodo ejus mentem interpretatum fuiſſe; Reſpondeo, te hic principium (ut loquuntur) petere. Nam de hoc potiſſimum diſputatur, utrum Chriſti præcepta interpretamenta, an vero additamenta ſint ad Moſis legem. Tui autem adverſarii additamenta eſſe affirmant, atque ejuſmodi additamenta, ut & ſua dicta dictis Moſis oppoſuiſſe, & Legem correxiſſe Chriſtus jure dici poſſit, quemadmodum, quæ Moſis dictis ſubjungit, & ſuis præfatur ubique, verba illa, *Ego autem dico vobis*, manifeſte oſtendunt.

Sed addis, Chriſtum nunquam leges Moſis correxiſſe, vel ex eo conſtare, quod eas ubique coluit, & obſervandas eſſe mandavit. Hæc tua ratio rectè concluſa fuiſſet, ſi Chriſtus nihil aliud, quam Moſis leges ſervandas præcepiſſet. Sed cum, etſi eas ſervandas docuit, non tamen ſolas dixerit, verum multa præterea præcepta dederit, negare non potes, quin eas correxerit, quatenus, ut antea diximus, eas perfecit, & multa, quæ illæ, aut tacite, aut aperte permittebant, fieri vetuit. Neque enim, cum quis leges aliquas ſervandas dicit, eorum, quæ permittuntur, ſed eorum, quæ jubentur, rationem habet. Itaque potuit Chriſtus præcipere, ut Moſis leges ſervarentur, & ſimul tamen cavere præceptis ſuis, ne aliqua fierent, quæ illæ fieri permitterent, modo id, quod ipſæ juberent, ratum, firmumque perpetuo maneret.

Et prædictis patet reſponſio ad id, quod ab initio dixeras, Chriſtum hic profeſſum fuiſſe, ſe Legem ſolvere non veniſſe, & ne jota quidem unum, aut apicem Legis ſolutum iri. Etſi enim Chriſtus multa Legi addidit, non tamen Legem ſolvit, id eſt, ut ipſe ex Paulo Rom. 3. 31. eam locutionem interpretaris, Legem abrogavit, ſed, quemadmodum alibi ſupra à nobis dictum eſt, eam perfecit, & quodam modo pleniorem reddidit, quod & ſe facturum eodem loco profeſſus fuerat, inquiens, non veniſſe ſe, ut ſolveret Legem, ſed ut impleret, hoc eſt perficeret, idque, quod illi adhuc deerat, adderet. Nec ſane aliis hic verbis uti opus eſt, quam iis ipſis, quibus tu imprudens adverſus teipſum in ſuperiore ratione afferenda uteris, tunc ſcilicet Chriſtum ex ſententia adverſariorum tuorum legem Moſis ſoluturum fuiſſe, ſi, cum Moſes dicat, Non occides, Non mœchaberis, ipſi ſentirent, Chriſtum è contrario dixiſſe, Occidito, Mœchator, ſive, Occidere, ac mœchari tibi permittitur. Nunc cum hoc ipſi minime ſentiant, immo (quod verum eſſe ex ipſis Chriſti verbis valde perſpicuum eſt) eum hiſce in rebus multo minus ſuis permiſiſſe, quam Moſes Iſraëlitis permiſiſſet, plane contendant, quid eſt, cur illis, quod Chriſtum Legem ſolviſſe dicant, aut dicere velint, tribuas, atque affingas?

Sed adhuc habes, unde oſtendere te poſſe ſperes, Chriſtum dicta ſua Moſis dictis non oppoſuiſſe. Nam pag. 222. inquis, *illi, qui petebat, quid faciendum ſibi eſſet, ut vitam æternam adipiſceretur, non aliud propoſuit quam verba Moſis.* Si ad hanc tuam rationem refellendam ea omnia hic congerere velim, quæ poſſem, longior multo ſim, quam præſens inſtitutum requirat. Pauca igitur quædam reſpondebo, eaque ad duo capita revocabo.

Primum igitur dico, Chriſtum, cum petenti, quid ſibi faciendum eſſet, ut vitam æternam poſſideret, Moſis verba propoſuit, id non ob eam cauſſam feciſſe, quod ſcilicet nihil præterea ab iis, qui vitam æternam adepturi eſſent, plane requireret, quam ut Moſis legem ſervarent, ſed ea ratione viam ad alia quædam perfectiora tradenda ſibi ſternere voluiſſe. Patet hoc ex eo ipſo loco, qui verbis tuis in margine adſcriptus eſt, Mat. 19. cap. Ibi enim, quamvis Chriſtus ab initio dixiſſet, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, tamen deinde, cum adoleſcens ille affirmaſſet, ſe mandata illa, quæ Chriſtus ipſe, quænam eſſent, ab eo rogatus expoſuerat, atque ex Moſis lege recitaverat, à juventute ſua ſervaſſe, addidit Chriſtus, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me.* Atque hinc apparet, te non leviter lapſum eſſe, cum dixiſti, Chriſtum iſti nihil aliud propoſuiſſe, quam verba Moſis. Non initium Chriſti verborum duntaxat, & medium, ſed finis quoque ſpectandus tibi erat. Debueraſque adoleſcentem iſtum imitari, qui, quamvis audiviſſet à Chriſto, ſi vellet ad vitam ingredi, debere ipſum ea mandata ſervare, quæ ſervata à ſe fuiſſe putabat, tamen hoc non contentus, denuo rogavit, num aliquid adhuc ſibi deeſſet, omnino ſentiens non nihil præterea additurum Chriſtum, quippe qui nondum rem totam aperuiſſet. Et certe id, quod Chriſtus addidit, cum ad interrogationem magis, quam id, quod ante dixerat, accommodatum fuit, propter Theſauri in cœlo mentionem, qui vitam æternam

nam aperte declarat, quod in priore reſponſione vitæ mentio non perinde faciebat, cum Vitæ nomine in ſacris litteris, etiam tanquam præmii, vita longa, & feliciter inter mortales tranſacta ſæpiſſime ſignificetur, tum vero ejuſmodi eſt, ut nec de eo in lege Moſis aliquid dicatur (nam ubi, quæſo, Moſes, ut omnia bona vendantur, & pauperibus dentur, præcipit? nec, ſi recte intelligatur, ſingulare præceptum ſit iſti adoleſcenti à Chriſto datum, ſed omnibus Chriſtianis commune. Nam alibi dixit ipſe Chriſtus Luc. 14. 33. *Omnis ex vobis* (turbæ autem loquebatur) *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Et hæc volumus ſatis eſſe pro reſponſionis noſtræ ad rationem tuam priore capite.

Deinde, ut non modo iſti loco apud Matthæum, ſed illi etiam, qui eſt apud Lucam cap. 10 à nobis ſatisfiat, & aliis ſimul, ſi qui præterea ſunt ſimiles, Dico, quamvis veriſſimum ſit, Chriſtum ipſi Decalogo, qui Moſis legem, de qua loquimur, continet, multa addidiſſe, ſi verba ipſa Decalogi, & ſenſum, in quem in Moſis diſciplina accipiebantur, ſpectemus, tamen, ſi ſpiritualem quemdam ſenſum, quem ex Chriſti diſciplina præceptis illis Moſaicis accommodare poſſumus, attendamus, quidquid Chriſtus præcepit, ad Decalogi præcepta, ut paſſim hodie in Catechiſmis (quos vocant) fieri videmus, revocari poſſe. Nam & Chriſtus ipſe ad præceptum de non adulterando, mandatum illud, ne mulierem, aut certe ne alterius uxorem concupiſcamus, revocavit, & ejuſmodi cupiditatem adulterium eſſe, ſtatuit, quamvis in Moſis diſciplina multo aliter eſſet, quippe qui vel id ipſum, quod Chriſtus præcepit, nuſquam præcepiſſet, vel inter cupiditatem iſtam, & adulterium manifeſte diſtinxiſſet. Cum igitur Chriſtus vitam ſperare jubet eum, qui Decalogi præcepta ſervaverit, ſi vitam æternam intelligit, & nihil aliud revera amplius requirit, tunc intelligendum eſt, ipſum ſentire, ut ea præcepta ita accipiantur, ut etiam ipſius præcepta, quemadmodum ſane poſſunt, complectantur. Quamquam eo in loco apud Lucam non ipſa ſingularia præcepta enumerantur, ut fit apud Matthæum, ubi ad alterum hoc caput reſponſionis noſtræ confugere, ut vidimus, non eſt opus, ſed duo illa generalia præcepta commemorantur, dilectionis Dei, & proximi. Ad quæ, omnia ſingularia præcepta, quæ etiam extra Moſem à Chriſto tradita fuerint, revocari poſſe, nemo negare audebit. Multo plura, ut ante monuimus, pro reſponſione ad rationem tuam nos afferre potuiſſe ſcimus. Sed hæc pauca in præſentia ſatis erunt.

At denique ad idem probandum, dum ad tertiam adverſariorum objectionem, quam ipſe facis, reſpondens, eadem pag. 222 ais, Chriſtum nihil feciſſe, aut dixiſſe umquam, quod non videret patrem facientem, & non audiret patrem dicentem. Quaſi vero pater nihil aliud, Chriſto audiente, diceret, niſi id, quod in Lege Moſis ſcriptum extabat, vel adverſarii tui velint, Chriſtum non à patre habuiſſe, ſed ex proprio capite finxiſſe ea præcepta, quæ Moſis præceptis eum oppoſuiſſe contendunt. Nam, quod adjungis, decipi ſcriptorem reſponſionis Racovienſium, dum Legis vocem unius ſignificati eſſe ubique in Sacris Litteris exiſtimat, Ego ſane quamobrem id à te dictum fuerit, non video. Non enim de interpretatione verbi Legis hic ullo modo agitur. Sed, omni de verborum ſignificatione controverſia remota, aſſeritur à ſcriptore iſto, Chriſtum in illis ſuis præceptis dandis aliud & dixiſſe, & dicere voluiſſe, quam Moſes in ſuis, quæ ibi ipſe Chriſtus recitat, aut dixerit, aut dicere voluerit. Debueras autem tu ad probandum, quod Chriſtus nihil dixerit umquam, niſi, quod patrem dicentem audiviſſet, alium locum citare præter eum, qui in margine adſcriptus eſt Joh. 5. 19. Ibi enim non de dicendo, ſed de faciendo tantum eſt ſermo. Quod ſi idem de dictis, quod de factis Chriſti cenſendum eſſe dixeris, non negaverim. Sed eodem prorſus ſenſu. Quemadmodum igitur, quod Chriſtus nihil faceret, niſi quod videret patrem facientem, nihil aliud ſignificat, niſi Chriſtum nihil feciſſe, cujus faciendi mandatum, & poteſtatem à patre non accepiſſet; non autem (ut tu interpretari videris) quod pater alia ratione, quam per ipſum non faceret, aut feciſſet; ſic quod Chriſtus nihil diceret, niſi quod patrem dicentem audiret, non id ſignificat ſcilicet, eum nihil dixiſſe, quod pater alia ratione, quam per ipſum non diceret, aut dixiſſet, (ut quidem neceſſe eſt te ſentire, niſi extra rem locutus eſſe velis) ſed cujus dicendi mandatum, & poteſtatem à patre non habuiſſet. Me autem Chriſti mentem in illis verbis apud Johannem rectiſſime expoſuiſſe, præter omnes loci circumſtantias, quæ id manifeſte confirmant; demonſtrant aperte, quæ illico ſubjungit, Joh. 5. 20, *Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit. Et majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini.* Nam Videre patrem facientem, & Sibi à patre demonſtrari opera, pro eodem Chriſtum dixiſſe, ex eo, quod in his ſuperiorum verborum ratio quædam redditur, manifeſtum eſt. Demonſtrari autem ſibi opera à patre, idem plane eſſe, ac Patrem ſibi mandare, & concedere, ut opera faciat, docent verba illa, *Et majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini.*

Hæc erant, quæ hoc loco adverſus ſententiam Racovienſium, quod Chriſtus in eo ſermone apud Matth. cap. 5. ſua dicta Moſis dictis oppoſuerit, Legemque correxerit, à te allata fuerant. Cætera, quæ alibi ad idem fere, quod hic dicis, confirmandum affers, ſupra cap. 4, ſatis diligenter à me confutata ſunt. Quod ſi qua adhuc ſuperſunt, ea non incommode aliis in locis infra excutientur. Hic tamen, antequam aliud agamus, id omnino examinandum videtur, quod priore ſcripto pag. 17, ſcribis, Chriſtum videlicet nuſquam vocari, aut dici legiſlatorem. Nam vel ex hoc fortaſſe probari poſſe credis, eum nulla præcepta à præceptis Moſis diverſa dediſſe. Quippe qui (ut pag. 21. repetis) ut appellatus non eſt, ſic neque etiam legiſlator fuerit, ſed Legis Dei vindex, & obſcuriorum locorum per manifeſtiora interpres. Quæ tamen argumentatio fallaciſſima eſſe deprehenditur. Cum ex eo, quod potius in ipſo eſt, unumquodque nominari ſoleat, nec neceſſe ſit, ut ex omnibus, quæ quis potiſſimum facit, nomen inveniat. Chriſtus quamvis legiſlator vere fuerit, quia tamen non ad leges ferendas, ſed ad ſervandum præcipue venerat, non Legiſlatoris, ſed Servatoris nomine vocatus fuit, præſertim cum jam aliqua moralis Lex à Moſe lata fuiſſet, quam ipſe revera non refixit, aut abrogavit præceptis ſuis, immo eam confirmavit, ſed ſimul tamen complevit, atque perfecit. Quapropter merito dictum eſt Joh. 1. 17, Legem quidem per Moſem datam fuiſſe, gratiam autem, & veritatem per Chriſtum extitiſſe. Quinetiam ne ipſe quidem Moſes fortaſſe uſquam diſerte legiſlator eſt appellatus. Quod ſi, cum negas, Chriſtum legiſlatorem vocatum, aut dictum fuiſſe, non de ipſiſſimo nomine tantum Legiſlatoris agis, ſed (ut quidem debes, & veriſimile eſt) verba alia idem ſignificantia, unum, aut plura tuo ſermone complecteris, atque idem intelligis, quod antea pag. 11. ſcripſeras, non legi, Chriſtum umquam ad populum aliquas leges tuliſſe, Primum hoc quoque admodum fallax eſt argumentum. Satis enim eſt ad hoc, ut jure affirmari poſſit, Chriſtum quædam præcepiſſe, quæ Moſes non præceperat, id ita ſe habere aliis teſtimoniis comprobare, etiamſi nuſquam ſcriptum extaret (verbi gratia) Chriſtum Legem tuliſſe, aut ſimile aliud quidpiam. Deinde dico, te memoria lapſum non recordatum fuiſſe, cum iſta ſcriberes, eorum Pauli verborum, licet vulgatiſſimorum Gal. 6. 2. *Alter alterius onera portate. Et ſic adimplete Legem Chriſti*, nec item illorum 1 Cor. 9. 2 *Iis, qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem, cum ſine Lege Deo non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.* Sic enim habent in poſtremis verbis omnes Latini vetuſti codices, atque eandem lectionem plane agnoſcit Syriacus interpres, quamquam ne ipſa quidem Græcorum codicum vulgata lectio ab hac interpretatione abhorret. Nam & Eraſ-

mus, & Tigurini, & quidam alii ea verba, ἀλλ' ἔννομος Χριστοῦ, ad hunc modum verterunt, *ſed obnoxius Legi Chriſti.* Quid quod tu ipſe in hac reſponſione tua quinquies minimum, ut aliud agens obſervavi, aut aperte dicis, aut non obſcure innuis, Chriſtum Legem, ſeu leges tuliſſe? Primum enim in initio pag. 98, ſic ſcriptum eſt; *Atqui ſi poſtremo illo tempore privatus erit, ulciſci ſuas injurias non poterit ſine culpa trangreſſarum, à ſe latarum legum, &c.* Ex quibus verbis apparet te ſentire, Chriſtum, de quo erat ſermo, non ſolum aliquas leges tuliſſe, ſed eas tuliſſe leges, quæ privatam omnem vindictam interdicunt. Quo nihil verius dici potuit, cum ante Chriſtum non omnis privata vindicta interdicta eſſet, ut ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, apertum eſſe poteſt. Jam vero de iiſdem Legibus à Chriſto latis, pag. 152, ad hunc modum legitur, *Iſtene eſt fictus Chriſtus, qui leges quas ipſe privatis dedit primus obſervavit, & factus à Deo Magiſtratus, non obſervat, quoniam Magiſtratibus has ipſe leges non tulit?* At deinde in extrema pag. 252, ea verba habentur, *Et hæc eſt Lex charitatis, lata à Chriſto omnibus Chriſtianis.* Nihil rectius dici poterat, quam charitatis legem aliquam à Chriſto fuiſſe latam. Quandoquidem charitas eſt novum illud mandatum Chriſti, quod tantopere, tamquam vere novum, eoque ſenſu, quo Chriſtus ipſum dabat, Moſi incognitum, urgent adverſarii tui, & (quidquid tu alibi contra dicas) ſolum poteſt quæſtionem, ſeu quæſtiones veſtras decidere, & adverſum te ſententiam ferre. Sed deinde iterum ad finem pag. 253, ſic ſcribis; *Quid enim hic prætexes? Chriſtum? cum ille nullas leges tulerit ne accedas ad magiſtratum, niſi cum pœnitet facinoroſum facinoris.* Tria in his tuis verbis notanda ſunt. Et priora quidem duo ad id ipſum pertinent, ad quod probandum ipſa verba attuli. Poſtremum vero ad controverſiam, utrum Chriſtus aliquid novi præceperit, omnino ſpectat. Unum igitur eſt, quod ſatis innuis, Chriſtum aliquas leges tuliſſe, cum ais, illum nullas tuliſſe leges, ne accedamus ad magiſtratum, niſi &c. Alterum, quod aperte confiteris, eum tuliſſe legem quandam, ne ſcilicet accedamus ad magiſtratum, cum facinoroſum pœnitet facinoris. Tertium eſt, quod, hoc confitendo, confiteris ſimul, Chriſtum aliquid præcepiſſe, quod Moſes nuſquam præcepit. Nam ubi (quæſo) iſtud præceptum apud Moſem invenies, ne injuria læſus, ſi lædentem pœnituerit, ad magiſtratum accedat? Quare, etiamſi nullam latæ à Chriſto legis mentionem feciſſes, tamen ad te in ipſa controverſia, cujus occaſione hæc omnia dicuntur, revincendum ſatis eſſet, te fateri, præceptum illud à Chriſto fuiſſe datum. Puto autem, te veritate victum, ideo & hic, & ſuperiore loco, ubi reipſa eandem ſententiam ſcripſeras, Ferendi legem verbo uſum fuiſſe, quod videres, præceptum iſtud novum plane eſſe, & ejuſmodi, ut Chriſtus, cum illud dabat, legem ferre merito dici poſſet. Poſtremo pag. 275. in ipſo initio hæc tua verba leguntur; *Quare nos, ut ſciatis, à vobis, quamvis in una Dei Eccleſia ſumus, differimus: quod nos mandata Chriſti legimus & exoſculamur ſecundum literam, ſed obſervare conamur ſecundum voluntatem & mentem Chriſti, diligentiſſime conſiderato & ductu orationis Chriſti, & exemplo, quod exhibuit Chriſtus in obſervatione legum, à ſe latarum, & collatione aliorum dictorum & factorum Chriſti, & Apoſtolorum.* Quid tibi videtur? Numquid contra teipſum adhuc, Chriſtum legiſlatorem fuiſſe, negare perſeverabis, qui ita dicerte pluribus in locis ſcribas, eum leges tuliſſe? Certe, ſi de ſimplici aliquo eoque confeſſo Propheta, & Legis interprete locutus fuiſſes, nunquam, quod leges aliquas tuliſſet, ei tribuiſſes. Sed tanta vis veritatis eſt, ut de Chriſto loquens, quamvis eum, quod ad hanc partem attinet, pro ſimplici Propheta, & Moſaicæ legis interprete habeas, tamen ei hunc honorem deferre, quod leges tulerit, imprudens coactus fueris. Nunc ad reliqua pergamus.

CAPUT VIII.

POſtquam adverſarii tui ſatis ſe univerſe atque indefinite probaſſe ſperabant, inter Chriſti, & Moſis præcepta aliquod diſcrimen eſſe, ad certa & ſingularia deinde ipſa utriuſque præcepta deſcendunt, &, exemplis prolatis, in compluribus altera ab alteris differre, demonſtrare aggrediuntur. Quorum exemplorum jam potiorem aliquam partem ſupra, dum aliud agimus, ſatis diligenter examinavimus, atque eorum præcipuas reprehenſiones tuas refutavimus. Quare hic de duobus tantum videbimus, &, quid tu contra afferas, perpendemus, atque ubi opus fuerit, tua dicta refellemus. Nam etſi de utroque etiam iſtorum, præſertim vero de priore, de quo mox acturi ſumus, non nihil ante diſputatum fuit, tamen multis partibus plura, quam, quæ fuere dicta, ſunt ea, quæ dicenda adhuc ſuperſunt.

Prius igitur exemplum erit, quod Moſes ob leves cauſſas propter duritiem cordis illorum populo divortium permittebat, Chriſtus autem non niſi propter adulterium, illud permittit. Hæc ab adverſariis tuis ſcripta leguntur pag. 61. à te autem incluſa ſunt in objectione ipſorum ſexta, pag. 225. Ubi in reſponſione negas, Moſem ob leves culpas, aut propter aliam cauſſam, quam illam unam à Chriſto allatam divortium, ſive uxoris repudium permiſiſſe.

Quoniam vero videbas, quam aperte tibi adverſarentur verba illa Chriſti Matth. 19. 8. *Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, ais neceſſe eſſe, ut Chriſtus aliud dicere voluerit, quam verba ipſa præ ſe ferant. Cum nuſquam extet apud Moſem licentia dimittendi uxores quamvis ob cauſſam.

Hoc, Palæologe, nihil eſt. Nam, etiamſi verba accipiantur, ut ſonant, non tamen, neceſſario ſequetur, Chriſtum dixiſſe, à Moſe permiſſum fuiſſe, ut uxores dimitterentur quamvis ob cauſſam, ſed tantummodo ſequetur, Moſem, teſte Chriſto, permiſiſſe, ut ob multas cauſſas uxores dimittere liceret. Hanc enim vim omnino habent indefinitæ ejuſmodi enunciationes. Quamvis ita etiam accipi poſſint, ut perinde ſit, ac ſi univerſalibus verbis conceptæ forent, & idem cuipiam videri queat, ſi quis ſimpliciter dicat, Licet dimittere uxorem, ac ſi addat, ob quamvis cauſſam. Quemadmodum ſupra cap. 4. dictum fuit. Verum, ut diximus, modo, ob multas cauſas uxorem dimittere liceat, veriſſima nihilominus erit, & propriis verbis concepta enunciatio iſta, etiamſi non ob quamvis cauſam id facere liceat. Nam ſi (exempli cauſa) aliquis diceret, te ſentire, populo Chriſtiano licere bella gerere, vere ac proprie loqueretur, quamvis non ſemper, neque ob quamcunque cauſam id ei licere ſentias, ſed tunc demum, cum cauſa juſta fuerit. Quod cum (ut tibi quidem videtur) multis modis contingere poſſit, recte indefinitis verbis enunciationem ſuam ille concepiſſet. Igitur, ſi probatum fuerit (ut poſtmodum fiet) à Moſe ob multas cauſas permiſſum fuiſſe uxorem dimittere, jam apparebit, nihil eſſe, cur dubitari poſſit, quin Chriſtus vere, ac proprie locutus fuerit, cum dixit, Moſem Judæis permiſiſſe, ut uxores ſuas dimitterent, aut aliter, quam præ ſe ferant, verba ejus accipienda ſint, etiamſi vel non appareat, ob quamvis cauſam id Moſem permiſiſſe, vel etiam, ob aliquas cauſas non permiſiſſe, conſtet. Nec vero Phariſæi ipſi, cum ea verba dixerunt Matth. 19. 7. *Quid ergo Moyſes mandavit dari libellum repudii, & dimittere?* (quod ita ſe habere Chriſtus confirmare videtur) ob quamvis cauſam uxorem dimittere, à Moſe permiſſum fuiſſe, dicere voluerunt, quemadmodum tu in fine pag. 131 ſcribis, ſed ob aliquas. Hoc enim non ad id ipſum confirmandum, de quo plane ſe dubitare Chriſtum interrogantes oſtenderant, ex Lege attulerunt, nimis enim ineptos, aut inſidioſos ſe prodidiſſent, ſed Chriſti reſponſioni objecerunt. Qui ſimpliciter negaverat, uxorem dimittere licere, & quod Deus conjunxerat,

xerat, ab homine ſeparari non debere, affirmaverat. Ac ſi dicerent, Quomodo ergo locum habebit præceptum Moſis, qui repudii libellum uxori dimittendæ dari mandavit, ſi verum eſt, quod ais, uxorem dimittere non licere? Cum enim ob unam tantum ſtupri cauſam id licere, ut deinde explicuit, ſentiret Chriſtus, recte, non licere, ſimpliciter dicere potuit. Hinc apud Marcum Marc. 10. 11, & Lucam Luc. 16. 18, nulla nec ante, nec poſt exceptione addita, negat præciſe Chriſtus, licere uxorem dimittere, & aliam ducere. Unde illorum errori occaſio data eſt, qui, ne propter adulterium quidem, id licere volunt. Non ſunt igitur (niſi aliud afferas) Chriſti verba aliter, ac ſonant, accipienda. Et, cum dicat, Moſem permiſiſſe Judæis, ut uxores dimitterent, id ob multas cauſas licuiſſe, eſt intelligendum. Immo, ſi nihil præterea quærendum eſt, quam, ut Chriſtus Phariſæorum dictum confirmaverit, ſatis eſt, eum voluiſſe dicere, à Moſe ob nonnullas cauſas repudia permiſſa fuiſſe. Qua de re cum ab ipſo aliter ſtatuatur, quin inter ipſius, & Moſis præcepta evidens diſcrimen appareat, nullo pacto negari poteſt.

Sed operæ pretium eſt videre, quomodo tu Chriſti verba interpretanda eſſe ſentias, & quomodo, à Moſe ipſo ob ſolam ſtupri cauſam repudia permiſſa fuiſſe, demonſtrare tentes. Igitur in extrema pag. 134, ſic ſcribis, *Ad hunc autem modum ordino textum: Moſes etiamſi ob duritiam cordis veſtri permiſiſſet vobis repudiare uxores veſtras, quamvis ob cauſam, attamen ab initio non ita erat, &c.* Subjungis deinde quatuor cauſas, quare ita ordines textum. Quarum primam, & tertiam ſupra refutavimus. Quanquam quid attinet primam refellere, cum ea verba, *Niſi abundaverit, &c.* 5. Matthæi capite ſcripta ſint, ea vero, de quorum hic interpretatione quærimus, capite 19? illa Chriſtus Diſcipulis ſuis, hæc vero Phariſæis dixerit? Agnoſcis, ut arbitror, turpem lapſum tuum, cum verba ipſa per ſe, neque eodem tempore, neque iiſdem dicta utraque fuiſſe, aut dici potuiſſe, ſatis aperte doceant. Quod vero ad tertiam cauſam pertinet, ea, ut ante monuimus, interpretationem iſtam tuam plane deſtruit. Nam, ſi ob eam cauſam, quod Chriſtus non Majoribus veſtris dixit, ſed Vobis, cum non de eo, quod Moſes dixiſſet, qui majoribus eorum, non autem iis ipſis, quibuſcum loquebatur, leges tulerat, ſed de eo, quod Scribæ, & Phariſæi tunc dicerent, verba facere neceſſe eſt, certe non Etiamſi permiſiſſet, quod ad Moſem ipſum omnino referendum eſſet, ſed Permiſit, ut ipſa verba habent, legendum eſt. Ut ſcilicet ad Scribas, & Phariſæos referatur, qui reipſa uxores dimittere permittebant. Quod quia, tanquam à Moſe traditum, populo (ut tibi videtur) obtrudebant, propterea ipſum Moſem id feciſſe Chriſtus dicere potuerit, interpretibus ſcilicet (ut ipſe loqueris) Scribis, & Phariſæis. Itaque vides, quam non modo tuo more parum tibi conſtes, ſed quam etiam à teipſo quodammodo abalienatus videare, qui duorum, quæ invicem repugnant, alterum ad alterius confirmationem afferas.

Sed de ſecunda, & quarta cauſſa videamus. In quibus illud primum à te peccatum eſt, quod unicam cauſſam in duas inepte diſſecuiſti. Sic enim dicere debueras: Cum & Deus ab initio, ipſo Chriſto teſte, & Chriſtus poſtea ob ſtupri cauſſam repudium permiſerit, atque ob hanc ſolam cauſſam Moſes repudium permittat, neceſſe eſt fateri, Moſem in repudio permittendo nihil feciſſe, quod Chriſtus ulla ratione improbare poſſit, ſive Dei ordinationem, ſive id, quod ipſe conſtituit, conſiderare velimus. Sed Chriſtus improbat id, quod de Moſe repudium permittente præ ſe ferunt ipſius verba illa, *Moſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* Igitur hæc verba aliter, ac ſonant, ſunt accipienda, nec intelligendum eſt, Moſem permiſiſſe, &c. ſed, Etiamſi Moſes permiſiſſet, &c. Ad hunc modum, inquam, te unicam hanc cauſſam explicare oportebat, non autem ex ea duas facere, Unam, quod Chriſtus ob ſtuprum repudium permittat, & hanc ſolam cauſſam Moſes bene intellectus in legibus datis adferat, Alteram, quod Deus, teſte hic ipſo Chriſto, ab initio ob ſtupri cauſſam matrimonium diſſolvi poſſe voluerit, & hanc ſolam cauſſam Moſes inter leges apoſuerit. Nec enim ſatis eſt, alterutrum, ſed utrumque verum eſſe oportet. Nam, ſi vel Deus ab initio, vel Chriſtus poſtea ob ipſum ſtuprum repudium non permiſiſſet, ſatis habuiſſet Chriſtus ad Moſis permiſſionem iſtam improbandam. Deinde in eo erraſti, quod utrobique id plane retices, ſine quo argumentationis tuæ nulla vis eſt, &, quo non explicato, quid tibi velis, vix quiſquam intelliget. Retices autem, Chriſtum id improbare, quod Moſi tribuere videtur. Jam vero iſta tua ſive unica, ſive duplex cauſſa, eo ſolo fundamento nititur, quod Moſes ob ſtuprum duntaxat divortium permiſerit. Quod ſane inepte factum cenſeri debet, cum hoc illud ipſum ſit, de quo potiſſimum controvertitur, cujuſque contrarium ne ex Chriſti verbis illis probari poſſit, idcirco inauditam iſtam eorum interpretationem commentus es. Verumtamen, ſi, quidquid, ut id probes, à te dictum fuerit, falſum eſſe fundamentum iſtud demonſtrabitur, corruet illico univerſum hoc ædificium tuum, & ſimul tota cauſſa cades, ac fateri neceſſe habebis, Moſem non conſentire cum Chriſto, qui manifeſte ob ſolum ſtuprum divortium permiſit.

Sed, antequam id demonſtrare aggredior, ea perpendere libet, quæ in explicanda quarta tuæ verborum interpretationis cauſſa ſcripſiſti. Ais igitur, *Et illud [in cauſa eſt, ut ita ordinem textum] quod cum Jeſus Chriſtus narret, quanam ratione ordinatum fuerit ab initio matrimonium, ſtupri cauſam inter illa quæ Deus ordinavit ad matrimonii diſſolutionem recitet, quam ſolam Moſem, appoſuiſſe inter leges videmus.* Hæc tua verba eam ſententiam continent, quæ & id, quod ipſis probare quæris, inſigniter labefactat, & falſa eſt, & denique cum eo, quod paullo ante dixeras, evidenter pugnat.

Quid enim tuæ ipſius interpretationi, quam his verbis confirmare ſtudes, magis contrarium videri poteſt, quam Deum ab initio non ſtupri cauſſam tantum, ſed alias quoque cauſſas ad matrimonium diſſolvendum conſtituiſſe, ut tu hic ſatis aperte dicis? An non eam interpretationem, quamvis ejuſmodi, quæ riſum legenti movere poſſit, idcirco commentus es, ne Chriſtus fateri videatur, a Moſe ob alias præter ſtuprum cauſſas uxores dimittere permiſſum fuiſſe? Atqui ſi Deus ipſe id fecerat, quid cauſſæ eſt, cur Moſes facere non potuerit? Hic ſane, mi Palæologe, tam fœde es lapſus, ut dubitari non poſſit, quin aliud ageres, cum hæc ſcriberes. At dices fortaſſe, verbum *ordinavit* in verbis tuis cum iis, quæ ſtatim ſequuntur, *ad matrimonii diſſolutionem*, conjungendum non eſſe, ſed cum ipſis priora illa, *ſtupri cauſam*, vel poſterius illud, *recitet*, conjungi debere. Certe, ſi ita res ſe habet, excuſandus tamen ego ſum, etiamſi te acriter reprehenderim, nulla enim diſtinctio inter id verbum, & ſequentia appoſita eſt. Tu vero accuſandus, non dicam, quod non appoſueris, nam id typographi operarum vitium eſſe poteſt, ſed quod ita ſine cauſſa verborum ordinem in oratione inverteris, & tibi ſoli imputandum eſt, ſi ſenſus, tanquam tuo multo ipſis accommodatior, ex verbis tuis eliciatur, non ſolum à tuo ſenſu diverſus, ſed tibi ipſi maxime adverſarius. Debueras enim ſic verba tua ordinare, *inter illa, quæ Deus ordinavit, ſtupri cauſam ad matrimonii diſſolutionem recitet*, &c. Quanquam nimis dure ea verba, *ad matrimonii diſſolutionem*, cum cæteris cohærere videntur, niſi ea cum verbo *ordinavit* conjugantur. Nolui tamen, præſertim cum alias duriſſimas verborum ſtructuras in tuis ſcriptis obſervaverim, hanc diſſimulare, ſi forte ea ex ſenſu tuo in verbis tuis eſſet.

Verumtamen dic, te obſecro, qua ratione probas, Chriſtum ſtupri cauſſam inter illa, quæ Deus ordinavit ad matrimonii diſſolutionem recitaſſe? Legat, quiſquis ſit, locum ipſum, nemo erit, qui, te falſa dicere plane non agnoſcat. Nam ne veſtigium quidem ejuſce rei in Chriſti verbis apparet. Quod enim pag 132. ais, non

conſtare Chriſti rationem, niſi (quæ ſequuntur ſunt ipſa verba tua) *ſicut quæ Deus conjunxit homo diſſuere non debet: Ita quæ Deus ſtupri cauſa disjunxit, homo copulare non tentet.* Iſtud, inquam, primum non ſatis eſt. Hic enim non ſolum, ſtupri cauſſam ad matrimonii diſſolutionem à Deo ordinatam fuiſſe, Chriſtum dicentem facis, ſed (ut quidem verba tua præ ſe ferunt) inter alia, quæ Deus ad matrimonii diſſolutionem ordinavit, eam cauſſam ipſum recitare affirmas, & ſic, alias etiam cauſſas præter cauſſam ſtupri Deum ad matrimonium diſſolvendum conſtituiſſe, à Chriſto affirmari ais. Deinde falſum eſt id, quod in ratiocinatione iſta tacite ſumitur, Debuiſſe ſcilicet Chriſtum, quemadmodum divino teſtimonio dictum ſuum de non dimittenda uxore confirmavit, ſic etiam unam illam cauſſam uxorem dimittendi confirmare, quam ipſe probaturus eſſet. In illo enim propterea divino teſtimonio eſt uſus, quia alioquin oſtendere non potuiſſet, Moſem ad duritiem cordis illorum populo uxores dimittere permiſiſſe, non autem, quia ſic ab initio eſſet. In hoc autem ipſe, tanquam auctoritatem habens, loquitur, nec alio præterea Dei teſtimonio indiget, cum ſatis ſuperque à Deo ejus verbis teſtimonium veritatis & jam datum fuiſſet, & identidem daretur. Poſtremo, dum ita, ut vidimus, ratiocinaris, in eo vehementer erras, quod hæc duo, Uxorem non dimittere, & Uxorem propter ſtuprum dimittere, quod attinet ad Dei inſtitutionem, & voluntatem, paria eſſe vis, cum tamen illud præceptum ſit, hoc autem permiſſum. Quare perperam à te dictum eſt, hominem copulare non debere, quæ Deus ſtupri cauſſa diſjunxit. Nihil enim propter ſtuprum diſjunxit Deus, ſed, diſjungi poſſe, tantummodo conceſſit. Sed tu, ſcilicet, uxoris repudium propter ſtuprum ipſi viro manifeſtum in Moſaica lege mandatum eſſe exiſtimaſti, quemadmodum ex iis conſtat, quæ ſcribis pag. 221. Verum ut diximus, id non mandatum, ſed permiſſum tantummodo fuit.

Reſtat ultimum, quod verbis, quibus hanc tuam quartam cauſſam explicas, objiciebamus. Nam paullo ante eis prorſus repugnantia dixiſti, cum ais, *Ab initio ordinati à Deo matrimonii, nulla fit mentio de repudio uxoris, verum dura & ferrea ætate emergente, Moſes libelli repudii intulit mentionem, ob unam cauſam, ſtuprum ſcilicet.* Moſes igitur, ut ibi affirmas, is fuit, qui de repudianda uxore ob unam ſtupri cauſſam mentionem fecit, cum antea, præſertim ab initio ordinati à Deo matrimonii, nulla ejus rei mentio facta eſſet. Atqui hoc ex diametro (quod ajunt) cum eo pugnat, quod in hac quarta cauſſa ſcribis, Chriſtum cum narraret, quanam ratione ordinatum fuiſſet ab initio matrimonium, ſtupri cauſſam inter illa, quæ Deus ordinavit ad matrimonii diſſolutionem recitaſſe. Quæ repugnantia ex iis verbis evidentius apparet, quæ ſtatim ſubjicis, *quam ſolam Moſem appoſuiſſe inter leges videmus.* Ex quibus ſolis ſatis conſtat, te hic ſentire, etiam ante Moſem eam cauſſam dimittendi uxorem extitiſſe, & eam ſolam ex aliis nonnullis Moſem in ſuis legibus retinuiſſe. Id quod cum eo conſentit, quod pag. 132. ſcripſiſti, dum Chriſtum ſic loquentem facis: *Ante Moſis tamen tempora hoc non erat, cum Deus conjugium diſſolvendum non permitteret niſi ſtupri tantum cauſa, & non quamvis ob cauſam*: niſi quod tecum ipſe iterum pugnans, ibi apertiſſime, ante Moſem Deum non niſi ob ſtuprum, hic vero non obſcure ob alias etiam cauſſas matrimonium dirimi poſſe, permiſiſſe affirmas.

Sed jam, quomodo probes, Moſem ob ſtupri tantum cauſſam divortium permiſiſſe, diſpiciamus. Permittit Moſes, ut ex initio cap. 24. Deut. apparet, uxorem propter aliquam fœditatem in ea inventam dimittere. Tu Alicujus fœditatis nomine ſtuprum clancularium intelligi debere affirmas, idque ad hunc modum probare inſtituis. Moſes ait, ſi quis dimiſerit propter aliquam fœditatem in ea inventam uxorem ſuam, eam pollutam & abominabilem factam eſſe coram Deo, id quod (inquis) apud Hieremiam Hier. 3.1. &c. quoque extat, ubi ait Deus, ejuſmodi mulierem pollutam, & contamitam eſſe. Sed pollutam eſſe, abominabilem eſſe, contaminatam eſſe, nihil aliud eſt, quam ſuſpectam, & infamen eſſe apud maritum de ſtupro. Igitur fœditatem aliquam in uxore invenire, nihil aliud eſſe poteſt, quam aliquas & non inanes ſtupri admiſſi conjecturas habere. Sic enim ex iis aperte colligitur, quæ pag. 132, & 133. ſcribis.

Jam attende, obſecro, & quam graviter, ac multipliciter in hac tua argumentatione erres, agnoſce. Primum non omnis repudiata uxor, ſive apud Moſem, ſive apud Hieremiam polluta eſſe dicitur, ſed ea demum, quæ alteri viro nupſerit. Alioquin alteri eam ducere non licuiſſet. Verum tu in Moſis verbis recitandis eam partem, in qua de ſecundis nuptiis fit mentio, aſtute omittis, quamvis deinde inepte verba illa, *prior maritus*, retineas. Quæ ſine parte illa cum præcedentibus non cohærent. Erat autem ejuſmodi mulier polluta non ſimpliciter & per ſe, ſed priori viro. Neque enim ſcribit Moſes, eam abominabilem factam eſſe coram Deo, ut tu, veterem interpretem ſecutus, eum ſcribentem facis, ſed ait, rem abominabilem coram Jehova eſſe, ſi prior maritus eam iterum ad ſe recipiat, & pro uxore habeat, ut cuilibet Hebræum codicem conſulenti conſtare poterit. Deinde, ſi pollutio iſta ex ipſa fœditate in ea muliere inventa profecta eſſet, ſequeretur, ejuſmodi fœditare à viro reperta illico, etiam ante repudium, eam mulierem illi pollutam fuiſſe, & propterea ab ipſo eam pro uxore amplius haberi non potuiſſe. Quod tamen falſum eſt. Nemo enim propter quantamlibet fœditatem in uxore inventam eam repudiare neceſſe habebat. Præterea quid cauſſæ eſt, cur affirmes, ſi polluta ejuſmodi mulier erat, neceſſe eſſe, ut ea ſuſpecta, & infamis apud virum de ſtupro fuerit, & fœditas, quam in ea vir reperiſſet, aliquæ & non inanes conjecturæ eſſent ſtupri admiſſi? Quis enim tibi conceſſerit, nulla alia ratione mulierem pollutam ſub lege Moſis eſſe potuiſſe, quam propter ſtupri non inanem ſuſpicionem? Nec enim, ſi Moſis verba cum iis, quæ apud Hieremiam leguntur, conjungas, aliud de muliere iſta dictum reperies, quam, eam pollutam eſſe, non autem, ut tu affirmas, pollutam eſſe, abominabilem eſſe, contaminatam eſſe. De Abominabili paullo ante vidimus, & cauſſam tui erroris oſtendimus. De Contaminata idem dicimus, nam eadem ratione hic quoque es lapſus. Legiſti enim apud Hieremiam in vetere tranſlatione, *Numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa?* Atqui Hebræa verba (ut Franciſcus Vatablus ea interpretatur) ſic habent, *An non polluendo polluetur terra illa?* Itaque vides, & unicum verbum Polluendi ibi ſcriptum eſſe, & illud non ad mulierem, ſed ad terram referri, nihilque præterea vel ex Moſe, vel ex Hieremia elici poſſe, quam, ejuſmodi mulierem pollutam eſſe, & propterea rem abominalem eſſe coram Deo, ſi prior vir eam iterum ad ſe recipiat, terramque pollutum iri, in qua id fieri contingat. Nec tamen prædictis tuis in argumentatione iſta nectenda peccatis contentus fuiſti, ſed illud etiam addidiſti, ut verba, quæ apud Hieremiam leguntur, auſus ipſe ſis fœde corrumpere, ea verba ſcilicet de tuo addendo, *& ob id à me repudiata.* Nempe ut mulierem quoque illam propter fornicationes ſuas repudiatam fuiſſe, incauto lectori appareret. Nec interim conſideras, quam inepte ſimilitudo illa explicata fuiſſet, ſi ea verba addita eſſent. Cum enim ſine ullo dubio pro eo, quod in ejus ſimilitudinis priore parte eſt Virum alium ducere (ut tu, veterem interpretem imitatus, imperite loquentem Hieremiam facis) id eſt Viro alteri nubere, in altera parte ſit Fornicatam eſſe cum amatoribus multis (non autem Tuis, ut ipſe ſcribis) quis non videt, ut ſimilitudo conſtet, quemadmodum non idcirco mulier illa repudiata fuerat, quod alteri viro nupſiſſet, quippe quæ poſt repudium nupſiſſet, ſic neceſſe eſſe, ut nequaquam eo in loco reſpublica Iſraëlis idcirco à Domino repudiata fuiſſe dicatur, quod fornicata eſſet cum amatoribus multis? Præterea, ſi ea verba, *& ob id à me repudiata*, apud Hieremiam legerentur,

rentur, quid tibi opus fuiſſet, ut mulierem illam propter ſtupri non inanes conjecturas à priore viro repudiatam fuiſſe probares, ad id confugere, quod ea mulier polluta, & contaminata inibi eſſe diceretur? Nonne ex altera ſimilitudinis parte perſpicuum fuiſſet, eam ob ſtuprum repudiatam fuiſſe à priore viro, quemadmodum Iſraëlis reſpublica à Domino, propterea quia cum amatoribus multis fornicata eſſet, repudiata fuerat?

Certiſſimum igitur eſſe poteſt, non ſolum argumentatione iſta tua id non effici, quod opinaris, Moſem videlicet, non niſi ob ſtupri unam cauſſam divortium permiſiſſe, verum etiam, uti prædiximus, te in ea explicanda graviter admodum, ac multipliciter lapſum fuiſſe. Er ſane, quod ad ipſam totius argumentationis vim attinet, Fœditatis alicujus nomine apud Moſem, admiſſi ſtupri tantum aliquas, eaſque non inanes conjecturas intelligere, ridiculum cenſeri debet: quandoquidem alia multa, quæ fœda ſunt, in muliere inveniri poſſunt, quæ hic commemorare non eſt neceſſe. Præſertim cum ſatis fuerit, ut ex ipſius Moſis verbis apparet, ejuſmodi fuiſſe fœditatem illam, ut ea mulier in viri ſui oculis gratiam non inveniſſet. Nec præterea aliam dimiſſionis cauſſam fuiſſe, ſignificare ibi fortaſſe voluit Moſes, niſi quod, poſtquam conveniſſent, viro uxor non placuiſſet. Ut, quæ de fœditate aliqua deinde commemorat, exempli cauſſa commemoret, non autem quia vel dimittendi cauſſam, vel rationem, cur uxor viro minus placuiſſet, ad fœditatem aliquam in ea repertam reſtringere velit. Certe Tigurini eum locum ita verterunt, *Ut ſi inveniat in ea rem aliquam fœdam.* Nam, ſi fœditatis tantum alicujus rationem habere Moſes voluiſſet, veriſimile admodum eſt, eum nullam prorſus mentionem facturum fuiſſe de non inventa gratia in oculis viri, & ad hunc modum dicturum, Si vir uxorem acceperit, eamque habuerit, &, quia fœditatem aliquam in ea invenerit, ſcripſerit ei, &c. (neque enim, ut Vatablus monet, eſt hic ſententia abſoluta, ſed debet hic verſus conjungi cum ſequentibus verbis, *non poterit prior*, &c.) Sed quia, quaſi aliud agens (ut quidem ego ſentio) permittere populo voluit uxores, quæ juſta quavis de cauſſa minus gratæ eſſent, dimittere, propterea non ita locutus eſt, ſed, quod uxor in viri oculis gratiam non inveniſſet, diſerte commemoravit, addens pro cauſſæ exemplo fœditatis in ipſa inventæ mentionem, ut, cauſſam juſtam eſſe debere, oſtenderet. Quod quia non ita apertum erat, idcirco haud ſtulte ambigebant Phariſæi, vel ſe ambigere ſimulabant, utrum quamvis ob cauſſam uxorem dimittere liceret. Stulti autem plane fuiſſent, ſi ex ipſius Moſis verbis ob ſtupri tantum indicia id licuiſſe conſtitiſſet, aut conſtare potuiſſet, & ineptus ipſe Chriſtus videri poſſet, qui quæſtionis eorum vanitatem, & in Moſis verbis intelligendis ipſorum ruditatem aperte non redarguiſſet. Ut igitur concludamus, cum Fœditatis alicujus nomine non ſtupri tantum aliquæ, eæque haud inanes conjecturæ apud Moſem intelligantur, ſed alia non pauca, quemadmodum nomen ipſum declarat, quinetiam non ad ſolam aliquam fœditatem ipſius verba reſtringenda ſint, ſatis conſtare poteſt, non propter ſtupri ſolam cauſſam, ſed propter alias multas Moſem uxores dimittere permiſiſſe, Chriſtique verba, dum ait, *Moſes permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, ut ſonant, accipienda eſſe, nec ulla ratione poſſe, nedum (ut tibi videtur) debere intelligi, perinde ac ſi dictum fuiſſet, Etiamſi Moſes vobis permiſiſſet, &c. Quod ſi quis mirabilem iſtam tuam verborum Chriſti interpretationem plane ineptam, ac ridiculam eſſe agnoſcere velit, eundem locum apud Marcum legat in initio cap. 10. Cum enim ibi in Phariſæorum interrogatione non habeantur illa verba, Quamvis ob cauſſam, nec Chriſtus in reſponſione aliquid dicat, unde colligi poſſit, eum Phariſæos reprehendere voluiſſe, quod permiſſionem illam Moſis ad quamvis cauſſam pertraherent, ſed ſimpliciter neget, uxorem dimittere licere, cum tamen ex Moſe propter unam aliquam ſaltem cauſſam id licuiſſe conſtaret, nullum ibi locum invenire poteſt interpretatio iſta tua. Itaque non opus eſt, quum alioquin ea inſolens, & fortaſſe ſine ullo exemplo ſit, oſtendere, & exempla, quæ affers, loco noſtro ſimilia non eſſe, demonſtrare. Id tantummodo addidiſſe ſatis fuerit, te ipſum paullo ante, id eſt eadem pag. 134. in cujus fine interpretationem iſtam tuam explicare inſtituis, nec ullam vel mutatæ ſententiæ, vel novæ Chriſti verborum explanationis ſignificationem das, longe aliter ea verba explanaſſe, &, ut ſonant, ea accepiſſe, niſi quod inepte eam Moſis permiſſionem ad caſum ſuſpicionis violati thori reſtringis. Sic enim [illegible] ea intepretaris, *Ad vitandam duritiam veſtri cordis, ſeu ad ſignificandam cordis veſtri implacabilitatem, indulſit vobis* (Moſes) *dandi libelli repudii facultatem, cum violati thori vobis obrepſiſſet ſuſpicio.* Quo facto, quædam ſubjicis, quæ ad hujus interpretationis confirmationem, & explicationem pertinent. Deinde addis ea verba, *Ad hunc autem modum ordine textum: Moſes etiamſi ob duritiam*, &c. Certe tantam tuam inconſtantiam ſatis mirari non poſſum, qui eodem orationis filo, tanquam unicam interpretationem, duas complectaris tantopere inter ſe diverſas. Jam vero prior illa tua interpretatio cum reſtrictione illa nullo pacto ſuſtineri poteſt. Perſpicuum enim eſt, Chriſtum, ſi ejus verba, ut ſonant, accipienda ſunt, Moſis permiſſionem non approbare, idque tu, ut ſupra diſputatum fuit, in poſteriore interpretatione confirmanda tacite reipſa contendis, ut ea ratione evincas, Chriſti verba aliter, ac præ ſe ferre videantur, accipienda eſſe, cum ſcilicet (ut quidem tibi perſuaſum eſt) in hac dimittendæ uxoris cauſſa nihil prorſus Chriſti præceptum à Moſis permiſſione diſcreper. Quod quam longe à veritate abhorreat, abunde me demonſtraſſe confido, & ob eam rem planum feciſſe, ſumma injuria à te Racovienſes fuiſſe reprehenſos, quod exemplum hoc ad te falſitatis convincendum attuliſſent, qui inter Moſis legem, & Chriſti præcepta in ejuſmodi rebus nullum diſcrimen conſtituas. Quare jam de altero exemplo videamus.

CAPUT IX.

ALterum exemplum diverſitatis inter Chriſtum, & Moſem in moralibus præceptis, quod inter ea, quæ à Racovienſibus allata fuerunt, à tuis reprehenſionibus defendendum aperte, ac nominatim ſuſcepimus, illud eſt, Quod Moſes pejerationes tantum vetat, Chriſtus vero etiam juramenta omnia, ut ex ipſius verbis patet, in quibus Eſt eſt, Non non tantum dicere jubemur Matth. 5. 37, &, quidquid præterea addatur, à Malo eſſe affirmatur, & propterea piis illicitum, id quod à Jacobo Jac. 5. 12. quoque ejuſdem Chriſti Apoſtolo traditur. Hæc ab ipſis dicta ſunt pag. 62. Quæ tu in reſponſione ad ſeptimam, quam facis, eorum objectionem, pag. 227. refellere inſtituis. Objectionem autem breviter ex eorum ſententia his verbis explicas, *Juramenta permittit Lex Moſis, Chriſtus non permittit.* Jam quæ pro reſponſione affers, ad duo referri poſſunt. Unum eſt, quod nuſquam Moſes jurare jubeat. Alterum, quod Moſes de juramento, magiſtratu deferente, præſtando, Chriſtus vero de jurejurando loquatur, quod ſua ſponte privatus jurare velit. Nam, ſiquid hic præterea dicis, id, tanquam vel obiter à te dictum, vel cum reliqua oratione non conſentiens, & alibi latius, atque apertius à te expoſitum, multo commodius ſeparatim poſtmodum excutietur. De priore igitur reſponſione, ſeu reſponſionis parte videamus.

Dicis, Moſem nuſquam juſſiſſe, ut juraretur. Sed quid hoc ad rem? Adverſarii tui non dicunt, Moſem juſſiſſe, ſed permiſiſſe juramenta, vel te ipſo teſte, ut vidimus, in eorum objectione formanda. Vide igitur, quam fœde ſis lapſus, & quam tibi adverſeris. Et ne quis me calumniari ſuſpicetur, cum dico, te pro reſponſione ad adverſariorum objectionem, afferre, nuſ-

quam Moſem juſſiſſe, ut juraretur, hæc ſunt ipſa verba tua pag. 228. poſt recitationem quorundam verborum Legis ad juramenta pertinentium, *Quibus in verbis nuſquam jubetur jurari*, &c. Et rurſus infra, *De juramento autem lege Exod. 22. Levit. 5. Deut. 6. 10, ubi nuſquam jubetur jurari*, &c. Et paullo poſt ita concludis, *Falſum igitur eſt, quod Lex Moſis jubeat jurari*, &c. Præterea quomodo audes affirmare, nuſquam legem Moſis jubere, ut juretur, idque ex à te prolatis locis concludere, cum, ut infra apparebit, non omnes locos, in quibus de jurejurando apud Moſem agitur, protuleris? Immo vero cum in aliquo ipſorum, quæ protuliſti, ut juretur, præcipiatur? Sic enim habetur Exo. cap. 22. 9. *Si dederit quis proximo ſuo aſinum, aut bovem, aut pecudem, & quamvis beſtiam ad cuſtodiendum, & [ipſa] moriatur, aut debilitetur, aut abigatur, nemine videnſe, juſjurandum Jehovæ erit inter iſtos duos*, &c. Ubi nemo non videt, ad invèniendam veritatem, & lites componendas juberi à Moſe, ut juretur.

Quod ad alteram reſponſionem, ſeu reſponſionis partem attinet, quomodo (quæſo te) probabis unquam, Moſis verba de jurejurando tantum à magiſtratu delato accipi debere. Certe ad id probandum nihil prorſus à te affertur, niſi quod auctoritate quadam tua, de qua ante non ſemel diximus, plane confiſus, hæc verba ſcribis ad finem pag. prædictæ 227. *Ita autem dicit Lex: Non aſſumes, proponente ſcilicet magiſtratu, nomen Domini Dei tui in vanum*, &c. Vide, quomodo verba Legis, quæ nullam prorſus magiſtratus mentionem faciunt, ex tuo capite ſupplere, & de magiſtratu loquentia facere audeas, ne minima quidem ratiuncula allata, cur id à te fiat. Præterea pag. ſeq. ea verba ſcribis, *De juramento autem lege Exod. 22. Levit. 5. Deut. 6. 10, ubi nuſquam jubetur jurari, ſed cum jurandum eſt rerum præteritarum cauſa, ad invenienſdam veritatem coram magiſtratu, per quid ſit jurandum demonſtratur*. In quibus verbis te non audacem modo, ut in ſuperioribus, verum etiam plane falſum prodis. In eo enim audax ſane es, quod cum in nullo ex à te citatis locis magiſtratus jusjurandum deferentis mentio fiat, nec porro, niſi in primo, ulla extent indicia, quod ea juramenta à magiſtratu deferenda eſſent, tamen audes affirmare, ibi de jurando coram magiſtratu agi. Idem dico de eo, quod conſequenter ais, in prædictis locis de jurejurando præteritarum rerum cauſſa adhibendo verba fieri. Nuſquam enim id, niſi in primo eorum locorum, apparet. Jam vero in eo ipſo es falſus, quod aſſeris, de juramento rerum præteritarum cauſſa coram magiſtratu præſtando in illis locis verba fieri, cum in ſecundo, id eſt, Levit. cap. 5. de alio genere juramenti manifeſte agatur. Scriptum eſt enim ibi ℣. 4, ſi ipſa Hebræa verba attenderis, ad hunc modum, *Aut anima, ſi juraverit proferendo labiis, ut male faciat, vel ut bene faciat, ſecundum omnia, quæ proferet homo jurando, & abſconditum fuerit ab ipſo, iſque [poſtea] ſcierit, & peccavit in unum ex iſtis, confitebitur, quod peccaverit ea in re. Et adducet ſacrificium pro delicto ſuo Jehovæ*, &c. Nemo tam cæcus eſſe poteſt, qui in his verbis de juramentis ſuper re futura ideoque à magiſtratu non delatis, agi non videat. Nam magiſtratus, ut ipſe pag. 227. fateris, non ſuper rebus futuris, ſed ſuper præteritis juramenta deferre ſolet, ut alia manifeſta indicia omittam, ex quibus, ibi de juramentis plane voluntariis privatorum verba fieri, aperte colligitur. Video enim, quid reſponſurus ſis, vel potius, qua ratione id, quod tibi hoc loco à me objicitur, non diluendum, ſed riſu excipiendum, ſis arbitraturus. Dices enim, me, qui te falſum eſſe dixerim, vere falſum eſſe, qui crediderim, locum à te Levit. cap. 5. citatum eum eſſe, quem protuli ℣. 4. cum is ſit in ipſo capitis initio, ubi ex antiqui interpretis tranſlatione ſcriptum eſt, *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis*, ſive *adjurantis*, &c. Unde etiam conſtare dices, non in primo tantum, ut ego affirmabam, ſed in ſecundo quoque loco magiſtratus jusjurandum ſuper re præterita deferentis aperta indicia eſſe.

Ad hæc duo, Palæologe, ſigillatim reſponſum accipe. Primum dico, ſi iſtum, non autem, quem ego protuleram, locum ex 5. Levit. cap. citare voluiſti, non me falſum fuiſſe, qui, ut jam cognoſcere potuiſti, & mox melius cognoſces, de te id, quod verum eſt, hac in parte ſum opinatus, &, ſi verum confitendum mihi eſt, pro certo habui: ſed te non leviter erraſſe, & mihi errandi, id eſt mentem tuam non percipiendi, quantum in te fuit, juſtiſſimam cauſſam dediſſe. Nam quis unquam, niſi de tua mente aliunde conſtaret, divinare poſſet, te, cum caput illud 5. Levit. citas, tanquam in quo jurisjurandi privatorum fiat mentio, eam capitis partem intelligere, ubi ejuſmodi jusjurandum non nominatur, non autem eam, ubi ejus fit aperta commemoratio? Nulla enim de juramento alicujus privati hominis in primis iſtis ejus cap. verbis fit mentio, ſed tantummodo judicis, ſeu magiſtratus (ut fere ſentiunt interpretes) adjurantis privatum hominem, ut dicat, quid de aliqua re viderit, aut cognitum habuerit.

At enim tu & hic pag 229, & ſupra pag. 141, & 142, affirmas, idem eſſe adjurari, quod ſibi jusjurandum deferri, & idem eſſe (verbi gratia) cum Cajaphas (non autem Annas, ut tu ſcribis) dixit Chriſto Matth. 26. 63. *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei*, ac ſi dixiſſet (ſunt ipſa verba tua) *Jura per Deum vivum, ſi tu ſis Chriſtus aut non ſis*. Et ſimiliter, cum Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens 1 Theſſ. 5. 27. ait, *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus*, illud, *Adjuro vos*, nihil aliud eſſe, quam *Juramento vos adigo*. Et addis, *Et ſi præſens eſſet, dixiſſet: Jurate mihi per Dominum, quod hanc Epiſtolam legetis aliis*. Igitur, ſi hæc doctrina tua vera eſt, cum dæmoniacus ille Chriſto dicebat Mar. 5. 7. *Adjuro te per Deum, ne me torqueas*, idem erat, ac ſi dixiſſet, Jura mihi per Deum, quod me non torquebis. Et cum Epheſi Judæi illi exorciſtæ, tentantes nomen Domini Jeſu ſuper eos nominare, qui malos ſpiritus habebant, dicebant Acto. 19. 13. *Adjuramus vos per Jeſum, quem Paulus prædicat*, nihil aliud dicere volebant, quam Jurate nobis per Jeſum, quem Paulus prædicat. Quid (obſecro) inſulſius, aut ineptius excogitari poteſt? Nam quis non videt, in his locis Adjurare per Deum, Adjurare per Jeſum, ſive ἐξορίζειν τὸν θεὸν, ὁρκίζειν τὸν ἰησοῦν, nihil aliud eſſe, quam Obteſtari per Deum, Obteſtari per Jeſum? Quod tu ipſe agnoſcis in verbis illis pag. 229. *Cum obteſtatio per nomen Dei ſpecies ſit juramenti*, &c. Nam quod ais, obteſtationem per nomen Dei eſſe ſpeciem juramenti, nec quiſquam id tibi unquam concedet, nec, ſi verum eſſet, quidquam ad rem faceret. Non enim hic quæritur, an is juret, qui obteſtatur, ſed is, quem ille obteſtatur. Quanquam apparet, te in verbis iſtis ſcribendis, lapſum eſſe, & Juramenti, pro Delati, aut Deferendi juramenti, ſcripſiſſe. Verum ne delati quidem, aut deferendi juramenti ſpeciem obteſtationem per Dei nomen eſſe, ab ullo tibi facile concedetur. Significat quidem aliquando verbum ὁρκίζω, ſive ἐξορκίζω jusjurandum exigere, ſeu curare, aut petere, ut quis juret, præſertim in Græca Teſtamenti Veteris interpretatione, quod Adjurare Latinus interpres dixit: Verum id non eſt perpetuum, & in duobus locis à te citatis ea ſignificatio neutiquam admittenda eſt, cum nullo modo, quod ad priorem attinet, veriſimile ſit, Cajapham voluiſſe, ut Chriſtus juraret, ſed tantummodo ut, quoniam nihil reſpondebat, ad reſpondendum obteſtatione illa per Deum viventem adigeretur, quod etiam eventus comprobavit. Neque enim juravit Chriſtus, ſed ſimpliciter reſpondit, *Tu dixiſti*. Ex quo etiam intelligi par eſt, Cajaphæ verba non id eſſe, quod tu ais, *Jura per Deum vivum, ſi tu ſis Chriſtus aut non ſis*. Namque ad hæc verba non potuiſſet Chriſtus reſpondere, *Tu dixiſti*. Sed tu nimirum ea verba ita concepiſti, ut ad jurisjurandi exactionem melius accommodari poſſent. Nam ipſa quoque verba Cajaphæ recitans, addidiſti de tuo ad finem duo illa verba; *aut minime*. Et ſane, ſi Cajaphas jusjurandum à Chriſto exegiſſet, plane veriſimile eſt,

est, illum aliter, ac fecit, locuturum fuisse, & non modo, ut tu fecisti, postrema sua verba concepturum, verum etiam dicturum, Adjuro te, ut nobis dicas per Deum vivum, an tu sis Christus Dei filius, nec ne. Quod perinde fuisset, ac si dixisset, Dic nobis, jurejurando per Deum vivum interposito, an tu sis &c. non autem, ut fecit, *Adjuro te per Deum viventem, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Quod si tamen ad juramenti delationem referri posset, nihil aliud, ut ipse ex parte confirmas, esset, quam Jura per Deum viventem, te nobis dicturum, an tu sis Christus filius Dei: cujus jurisjurandi petitio, sive exactio prorsus inepta fuisset. Quid enim attinet, cum id quæritur, ut quispiam in præsentia aliquid, nec ne sit, dicat, ab eo petere, sive exigere, ut id se dicturum juret, cum exigi ab eo possit, ut jam, interposito juramento, dicat? præsertim si, ut verum dicat, quæritur. Nam, qui juraverit, se aliquid, nec ne sit, dicturum, perjurus quidem erit, nisi dixerit, sed non erit perjurus, etiamsi falsum dixerit, non enim, se veritatem dicturum juravit, sed tantummodo aliquid affirmaturum, aut negaturum. Hæc tu ipse fortasse cum sentires, aut certe aliquam ineptitudinem ejus exacti jurisjurandi animadverteres, astute verbum Dicendi in tua interpretatione omisisti, ne scilicet videretur Cajaphas exigere à Christo, ut juret se dicturum, an sit, &c. quod, ut demonstratum fuit, plane ineptum esset, sed ut juret, an sit, &c. Quanquam haud scio, an apud probatum ullum scriptorem locutio ista inveniatur, & Jurare, an aliquid sit, pro Jurejurando interposito dicere, an aliquid sit, accipiatur. Illud certum est, cum verbum ὁρκίζω, sive ἐξορκίζω jurisjurandi petitionem significat, non solere requiri jusjurandum illud super præsentibus, aut præteritis rebus, quæ in juraturi potestate non sunt, idque sine determinatione, utra pars negativa, an affirmativa (ut loquuntur) eo jurejurando comprehendi debeat, ut Cajaphæ verba interpretari necesse est, si verbum ἐξορκίζω ibi ad jurisjurandi petitionem aut exactionem referri debet: sed super rebus futuris, quæ ex juraturi voluntate pendeant, idque cum determinatione certa alicujus rei, quam is, qui jusjurandum exigit, sibi, jurejurando interposito, promitti velit, quemadmodum Græcæ Testamenti veteris interpretationis exempla docere possunt, ut Gen. cap. 24. 3. & 37. & cap. 50. 5. & 6. Esdr. 10. 5. & aliis in locis. Et hæc quidem, quod attinet ad priorem ex duobus illis locis.

Quod vero attinet ad posteriorem, nullo modo admittendum est, Paulum juramento adigere voluisse Thessalonicenses, præsertim absentes, id est ab illis exegisse, ut jurarent, se lecturos esse Epistolam illam omnibus fratribus, cum à præsentibus, non autem absentibus, juramenta exigi soleant. Nam quod ais, Paulum, si præsens fuisset, dicturum, Jurate mihi per Dominum, quod hanc Epistolam legetis aliis, multis modis in eo ridiculum te prodis Primum, quod tanquam vates, aut divinus aliquis id pro certo affirmas, de quo humana ratione nihil constitui potest. Deinde, quia minime credendum est, præsentem quoque simplici per Dominum obtestatione Paulum contentum futurum non fuisse, & temere jusjurandum super re futura, id est ubi, vel teipso teste, ingens perjurii periculum est, à Christianis hominibus, quibus ne incidant in perjurium (ut tibi placet) ejusmodi juramenta potissimum interdicta fuerunt, exacturum fuisse. Postremo, quia, etiamsi verum esset, Paulum, si præsens fuisset, jusjurandum à Thessalonicensibus fuisse exacturum, tamen id nihil ad rem faceret. Non enim quæritur, quid Paulus præsens facturus fuisset, sed quid absens fecerit, & utrum verba illa, *Adjuro vos per Dominum*, &c. species quædam jurisjurandi exigendi sit, quemadmodum tu affirmas. Nam, si dixeris (ut omnino velle videris) si concedatur, Paulum præsentem à Thessalonicensibus jusjurandum fuisse exacturum, necessario sequi, ut absens id, quod tantundem valeat, exegerit, hic te rursus non uno modo ridiculum prodideris. Primum, quia multa præsentes facere possumus, quæ absentes non modo ipsa, sed ne eorum quidem paria possumus præstare, aut, si possumus, non solemus. Cujusmodi profecto est jurisjurandi exactio, quæ neque ipsa, neque id, quod tantundem valeat, à nobis, dum absumus, fieri potest, aut certe non solet. Deinde, si recte concluſa esset ratio ista tua, sequeretur, modum juramenti exigendi inter præsentes quidem esse, ut aperte, ac disertis verbis jusjurandum ipsum exigeretur, inter absentes vero per ejusmodi obtestationem, qua usus est Paulus. Cur igitur Cajaphas, cum præsens esset, à Christo apertis verbis jusjurandum non exegit, si (ut tu quidem affirmas) juramentum quoddam Christo deferre voluit, sed simplici illa obtestatione, ejus, qua Paulus cum Thessalonicensibus usus est, persimili, contentus fuit?

Sed jam nimis diu in hoc priore ad exceptiones tuas responsionis meæ capite immoror, quasi in initio quinti Levit. cap. verbum aliquod scriptum sit, quod verbo Græco ὁρκίζω, sive ἐξορκίζω plane, respondeat. Cum tamen ibi sit nomen Hebræum אלה, quod juramentum, vel execrationem significat, seu maledictionem. Cumque juramenti significatio ibi locum habere non possit, &, si posset, ad propositum non faceret, cum non de juramento aliquo judicis, aut magistratus, sed privati quæratur (nisi fortasse Moses, quem tu scilicet, ut supra vidimus, imitari volueris, lapsus est, & Juramenti, pro Juramenti delati, scripsit) maledictionis etiam simplicis significatio ad rem non faciat, nam aliquid quærimus, quod (ut tibi quidem videri possit) jurisjurandi exigendi vim habeat; restat, ut velimus, ibi execrationis fieri mentionem. Sed execratio, quamvis propius ad obtestationem accedat, quæ tibi vim jurisjurandi deferendi, vel exigendi habere videtur, tamen multo minus etiam, quam obtestatio, eam vim habere dicenda est. Non igitur, ut tu putasti, agitur eo in loco de jurejurando, quod homini privato à magistratu deferatur, sed de execratione, quæ à judice, vel coram judice alicui privato homini vel nominatim, vel generalibus verbis (ut ita dicam) impingatur, nisi dixerit, quidquid quapiam de re aut viderit ipse, aut alia ratione cognoverit. Et ait Moses, eum, qui execrationem istam audiverit, nec tamen, quidquid ea de re viderit, aut cognoverit, testatus fuerit, portaturum iniquitatem suam, nisi videlicet delictum suum ea ratione, quam inibi postmodum præscribit, expiaverit. Quis hic juramento delato locus esse potest, cum manifeste de dissimulatione tantum, aut simplici reticentia agatur? Inquit enim, *Nisi indicaverit*, &c. Idem habes apud Salomonem Proverb. cap. 29. 24. ubi idem nomen אלה legitur. Nam scriptum est ibi ad verbum, *Patiens cum fure odit animam suam, execrationem audiet, & non indicabit.* Si in eo Levit. loco jusjurandum à magistratu delatum fuisse intelligeretur, delictum illius privati aut in eo esset, quod jurare noluisset, aut in eo, quod juratus veritatem non dixisset, & sic perjurus fuisset. Si jurare noluisset, nec Moses simpliciter dixisset, *Nisi indicaverit*, & manifestum ejus delictum fuisset, ac contumacia, quæ non sacrificio aliquo, sed pœna quapiam à magistratu inflicta fuisset expianda. Sin perjurus fuisset, nec verisimile est, ejusmodi publico perjurio super re præterita, ac plane comperta, & idcirco prorsus voluntario, quodque aut cum proximi damno conjunctum, aut certe juridicundo impedimento est, expiationem aliquam per sola sacrificia constitutam fuisse, nec, si fuisset constituta, eadem esset cum ea, quæ perjurio privato, involuntario, & per oblivionem admisso, & ex quo nec jus publicum unquam læditur, & aliquando proximo consulitur, constituta fuit Atqui istius, de quo agimus, delicto, & huic, de quo modo diximus, perjurio, una eademque expiatio constituta est, ut paulo infra eodem capite apparet.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile intelligi potest, quam recte à me tibi objectum fuerit, quod falso dixeris, in eo Levitici quinto capite de jurejurando agi

rerum

rerum præteritarum cauſſa coram magiſtratu præſtando, eo quia ibi omnino de alio jurejurandi genere agatur, etiamſi caput illud citando, ejus initium intellexeris, cum non niſi in eo initio tacite magiſtratus mentio fiat, ubi nullum prorſus nec præſtandum, nec præſtitum juramentum commemorari, demonſtratum fuit. Ubi vero jurisjurandi fit aperta mentio, ibi magiſtratus (vel te ipſo judice) non commemoretur, & de rebus futuris, non autem præteritis agatur. Intelligi proinde poteſt, me minime falſum fuiſſe in percipiendo, quamnam ejus cap. partem citare intellexiſſes, ſed, ut tanto magis error tuus patefieret, cum ejus rei juſtam cauſſam haberem, in eo à principio quodammodo connivere voluiſſe. Et hæc ſatis ſint pro reſponſione ad priorem exceptionem tuam, quam ego ſcilicet pro te adverſus meas ipſius objectiones attuleram. Altera exceptio à me pro te allata erat, quod, cum tu non quartum, ſed primum ejus 5. Levit. cap. verſum citare volueris, non eſt, cur tibi objiciam, quod in primo tantum locorum, quos in teſtimonium adduxiſti, jurisjurandi indicia appareant rerum præteritarum cauſſa coram magiſtratu præſtandi, cum in hoc quoque loco, qui ex quatuor à te citatis ſecundus erat, magiſtratus præteritæ rei gratia juramentum deferentis ſatis aperta indicia extent.

Iſti exceptioni jam abunde in reſponſione ad priorem ſatiſfactum eſt. Nam, etiamſi non quartum, ſed primum ejus capitis verſum citare volueris, tamen non minus erraſti, quam ſi quartum citaſſes, cum, ut demonſtratum eſt, tametſi & magiſtratus, & præteritæ rei ibi mentio fiat: tamen de jurejurando coram magiſtratu præſtando nullum prorſus eo in loco indicium extet, immo manifeſta appareant indicia, de ejuſmodi jurejurando nullo modo potuiſſe ibi a Moſe verba fieri. Atque ita, ut ſpero, perſpicuum eſt, ea, quæ tibi in poſterioribus locis illis in teſtimonium pro ſententia tua adducendis objeceram, optimo jure à me objecta fuiſſe. Sed fac, me injuria tibi in teſtimoniis iſtis, & ſuperioribus proferendis & nimiam audaciam, & falſitatem objeciſſe, in illiſque omnibus de jurejurando agi à magiſtratu deferendo, num propterea ex illis efficietur, juramenta, de quibus Moſes loquitur, omnia à magiſtratu deferri? quaſi vero in iſtis ſolis locis Moſes de jurejurando loquatur. Qui tamen præterea & cap. 6. Levit. & toto fere cap. 30. Num. de juramento agit, quibus adde verſ. 4. cap. 5. Levit. ſi quidem tu non eum locum, ſed initium cap. afferre voluiſti. Sed & alibi fortaſſe de eo loquitur. In tribus autem iſtis locis non modo nulla magiſtratus jusjurandum deferentis fit mentio, ſed in ſecundo, & tertio de jurejurando, quod quis non quidem coram magiſtratu, ſed alibi ſua ſponte juraverit, manifeſte agitur, ut jam de tertio oſtenſum eſt, & paullo poſt de ſecundo oſtendetur. Præterea finge, Moſem nuſquam de alio juramento locutum fuiſſe, niſi de eo, quod a magiſtratu deferatur, num continuo verum erit, Moſem inter privatos in privatis cauſſis juramenta non permiſiſſe? ſic enim, cum te id ſatis probaſſe ſperares, tandem concludis in extrema pag. 228. *Falſum igitur eſt, quod Lex Moſis jubeat jurari & quod in privatis cauſis inter privatos permittat juramenta.* Numquid, ut aliquid permiſſum eſſe dicatur, neceſſe eſt, ut id expreſſum fuerit, & non ſatis eſt, non fuiſſe interdictum? Num fortaſſis adverſarii tui, quos hic falſitatis damnas, dixerant, eam permiſſionem in lege Moſis expreſſam fuiſſe? Atqui illi, eam ob cauſſam juramenta ſub Lege permiſſa fuiſſe, dixerant, quod non fuerant interdicta. Cæterum permiſſionis, immo ne commemorationis quidem ipſorum juramentorum in lege Moſis diſerte nullam mentionem fecerant, ſed ad hunc modum, ut ſupra dicta pag. 62. apparet, locuti fuerant, *Sic omnia juramenta Chriſtus ipſe ſuis vetat, ne omnino jurent. Pejerationes enim tantum vetabantur ſub lege, non juramenta.* Quod ſi tu ex eo ſolo, quod Racovienſes affirmaverint, juramenta ſub Lege vetita non fuiſſe, Moſem juramenta permiſiſſe (& quidem recte) eos dicentes facis, cur eadem ratione, ut Lex juramenta privata permiſiſſe dicatur, non ſatis habes, quod ea juramenta ab ipſa nuſquam ſunt vetita? Cur præterea, ut diſerte ejus permiſſionis mentio fiat, aut certe, ut ipſa privata juramenta aperte à Moſe commemorentur, tibi ipſi contrarius omnino requirere videris? Certe, etiamſi tibi concederetur, Moſem nuſquam privata juramenta, id eſt, quæ à magiſtratu delata non fuerint, commemoraſſe, tamen ſatis ingens diſcrimen, quod ad privata juramenta attinet, inter ipſum, & Chriſtum appareret, quod hic ea expreſſe vetuiſſet, ille vero minime. Quamquam non modo non vetuit Moſes privata juramenta, ſed eorum etiam (quod tu plane negare videris) expreſſe meminit, eaque ſe permittere eodem tempore aperte docuit. Vidimus ſupra, quid ſcripſerit Levit. cap. 5. 4. ubi non ſolum privati jurisjurandi mentionem fecit, verum etiam ſervari debere docuit, cum vel per oblivionem non ſervati, tamquam admiſſi delicti, expiationem conſtituit. Jam vero Num. cap. 30. de nulla alia re agit, quam de votis, & juramentis, quæ quiſpiam ſive vir, ſive mulier voverit, & quibus ſeſe ad aliquid faciendum obſtrinxerit. Quæ juramenta ſane privata ſunt, ſuperque re futura ad arbitrium jurantis facta, non autem à magiſtratu ſuper re præterita delata, & ad formam ab ipſo traditam concepta, de quibus tantum Moſem locutum fuiſſe ais. Nec vero ejuſmodi privata juramenta prædicto loco commemorare ſatis habuit Moſes, ſed etiam, à quibus, & quando ſervari debeant, diſerte docuit, & porro ea apertiſſime permiſit. Verum hæc ipſa juramenta ea ſunt, quæ nominatim vetuit Chriſtus. Sed tu ſcilicet credebas, dictum illud, *Reddes autem Domino juramenta tua*, cui præcepta ſua de jurejurando Chriſtus opponit, additamentum eſſe Scribarum, & Phariſæorum, cum tamen, ut ſupra docuimus, totidem fere verbis, ſed efficacius, & apertius id ab ipſo Moſe dictum fuerit eodem cap. 30. Numer. ℣. 3. Atque ex his tandem perſpicuum eſt, neutram ex illis rationibus, quibus hoc loco inter Moſem, & Chriſtum in juramentis interdicendis, aut permittendis nullum diſcrimen eſſe, adverſus Racovienſes probare te poſſe ſperabas, alicujus momenti eſſe, & nihil aliud, iis adducendis, te effeciſſe, niſi quod tuorum adverſariorum ſententiam non mediocriter confirmaſti.

Sed duo præterea, ut ab initio innueram, obiter quodammodo hic dicere videris, quibus adverſariorum objectionem, quam tu appellas, quamque indoctam eſſe affirmas, dilui poſſe fortaſſe credidiſti. Unum, quod Moſes in ſuis legibus, ubi de juramento loquitur, perjurium vetet. Alterum, quod ibidem ſerio caveatur, ne ſuper re vana juretur. Nam, poſtquam ea, quæ de jurejurando Exod. 20. Levit. 19. & Deut. 5. ſcripta ſunt, recitaſti, & nuſquam juberi, ut juraretur, dixiſti, illico addis, *ubique autem perjurium prohibetur & cavetur ſerio ne ſuper re vana juretur*, pag. 228. Ubi paullo ante manifeſta indicia apparent, te in hiſce duobus, (ſi tamen, ut poſtea dicemus, pro duobus ea accipis) non minimum momentum ad reſpondendum adverſariis ponere. Nam, loco Exod. 20. recitato, ſtatim ſubjicis, *clarius: Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui Levit.* 19. *apertius, Non uſurpabis nomen Dei tui fruſtra, quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen ejus aſſumpſerit.*

Quod ad prius dictum attinet, non video, quid illud ad rem faciat, cum adverſarii tui non ſolum, ne per ſomnium quidem videri queant aut dixiſſe, aut cogitaſſe, Moſem perjuria permittere, quaſi hinc diſcrimen apparere velint inter ipſum, & Chriſtum, qui perjuria vetet, ſed diſertis verbis, ut vidimus, perjurationes ſub Lege vetitas fuiſſe, affirment, in eo demum inter Moſem, & Chriſtum diſcrimen apertiſſime ſtatuentes, quod ille pejerationes tantum vetuerit, non autem juramenta, hic vero non pejerationes modo, ſed juramenta quoque ſuis omnino interdixerit, ut ante dicta pag. 62. liquido apparet. Quamquam, quod Chriſtus perjuria vetet, id non ex ipſius verbis colligitur,

ſed

ſed ex ſententia, & ex eo, quod Moſis legem perjuria vetantem ab ſe recitatam non mutat, ſed tantummodo juramentorum interdictum illi adjungit, tantum abeſt, ut quiſquam ſuſpicari poſſit, in eo Chriſtum à Moſe differre, quod perjuria vetuerit, quæ ille permiſiſſet.

Quod vero ad alterum dictum pertinet, ſi modo à te, tamquam à priore diverſum, prolatum fuit, propterea id dixiſſe videris, ut inde intelligi poſſet, privata juramenta, majore ſaltem ex parte, à Moſe quoque interdicta fuiſſe, quippe quæ (ut tibi videri poteſt) plerumque fiant ſuper re vana, id eſt (quemadmodum ipſe fortaſſe interpretaris) non neceſſaria, ſive non ejuſmodi, quæ jurejurando confirmari debeat. Nam hoc te ſentire, cum per ſe veriſimile eſt, ne plane *οὐδὲν πρὸς ἐπ⊙* (quod dicitur) locutus fuiſſe videare, tum illud vehementer ſuadet, quod pag. 137. hæc tua verba leguntur, *Malum enim eſt & periculi plenum, id quod ita eſt, ita eſſe dicere, & juramentum quod ita ſit, vana opera apponere, &c.* Ubi apparet, apud te Vana opera jurare, idem eſſe, ac Sine neceſſitate jurare. Jam vero, ſi id ſentis, falleris ſine dubio, cum Hebræa vox לשוא, quam in locis à te allatis vetus interpres modo In vanum, modo Fruſtra, modo Super re vana reddidit, numquam (niſi vehementer fallor) ſignificet Sine neceſſitate, ſed ſemper falſitatem aliquam, aut quam Latini proprie Vanitatem vocant, declaret. Ut, quemadmodum vetus interpres, uti diximus, interdum fecit, commode Fruſtra perpetuo verti poſſit. Quandoquidem hæc vox Fruſtra, ut ex idoneis linguæ Latinæ auctoribus conſtat, non Incaſſum modo, ſed Falſo etiam, ſeu Fallaciter ſignificat, non autem umquam, (quod credam) Sine neceſſitate. Vocem autem לשוא idem, quod Falſo ſignificare poſſe, ex eo percipi facile poteſt, quod verbum שוא mendacium, ſeu falſitatem ſignificare deprehenditur, ut Exod. 23. 1. *Non ſuſcipies rumorem* שוא (pro quo vetus interpres recte habet *mendacii*) id eſt, ut Vatablus explanat, *Ne fis author falſi rumoris contra proximum tuum: aut fingas in corde tuo, unde illius fama lædi poſſit, vel, Ne admiſeris rumorem falſum.* Et Deut. 5. 20. *Nec reſpondebis contra proximum tuum teſtimonium* שוא. Ubi שוא pro falſitate, ſeu mendacio poſitum fuiſſe, inter omnes conſtat, & vetitum ibi eſſe, ne adverſus proximum quiſpiam falſum, aut mendax teſtimonium dicat. Eſt igitur in locis à te prolatis Legis præceptum, atque ſententia, ne quis per Domini nomen falſo, aut incaſſum juret. Sed, ſi ſuper re præterita, aut præſente ejuſmodi jusjurandum adhibeatur, ſit ea res vera, & juranti comperta. Sin ſuper re futura, quam ſcilicet jurans ſe facturum promittat, fiat omnino id, quod promiſſum eſt, non autem, ne quis ſine neceſſitate juret. Sed tu ipſe fortaſſe non aliter ſentis, & pro eodem fere habes apud Moſem Pejerare, & Super re vana jurare. Libuit tamen, ut plenius tibi reſponderem, hæc pauca dixiſſe, præſertim cum ſciam, olim non defuiſſe, nec fortaſſe hodie deeſſe viros eruditos, qui In vanum jurare, apud Moſem pro eo acceperint, quod eſt Sine neceſſitate jurare Inter quos eſt Sanctes Pagninus, vir in Hebræa lingua doctiſſimus vulgo exiſtimatus.

Itaque vides, te nihil hoc loco attuliſſe, unde concludi poſſit, male locutos fuiſſe Racovienſes, qui nihil aliud affirmant, atque contendunt, niſi hanc inter Moſem, & Chriſtum differentiam eſſe, quod ille juramenta non vetuerit, ſed tantum perjuria, hic vero vetuerit. Quod ſane maximi momenti eſt. Nam hinc neceſſario ſequitur, ſub Lege omne jusjurandum, modo ſine perjurio, jurare licuiſſe, ſub Euangelio vero, etiam citra perjurium, jurare non licere, ſua ſponte ſcilicet, & ſine aliqua neceſſitate, ut verba ipſius Chriſti indicant, qui præceptum ſuum de non jurando voluntariis juramentis in Lege permiſſis manifeſte opponit. Quare nulla cauſſa erat, cur tu & hic, & alibi tantopere urgeres, ſub Euangelio, vel magiſtratu ipſo jubente, vel ob aliquam aliam neceſſitatem jurare licere, quaſi adverſarii tui vel id negent, vel negare neceſſe habeant. Quod negare neceſſe non habeant, ſatis, ut arbitror, à nobis demonſtratum eſt. Quod vero non negaverint, id quia ad præſentem diſputationem proprie non pertinet, alio loco infra, Deo volente, planum faciemus. Nunc ea examinanda ſunt, quæ tu alibi, hoc eſt in explanatione illa tua in concionem Chriſti apud Matthæum, ubi pluribus de jurejurando diſputas, nec non in tua paraphraſi, atque alio quodam in loco & uberius, & aliquanto clarius, quam hic feceris, jam differueras, ut inter Moſem, & Chriſtum hac in re plane convenire oſtenderes.

Quantum igitur, ea, quæ de hac jurisjurandi materia, deque ſententia verborum Chriſti juramenta vetantis à pag. 137. uſque ad pag. 144. itemque pag. 205, & 206. ſcripſiſti, ſæpius, ac diligenter legendo, cumque iis, quæ & alibi prius, & hic poſtea dicis, conferendo, ac conjungendo, aſſequi potui (non enim admodum proclive eſt recte percipere, quid tibi velis) tribus modis præter eos, de quibus hactenus egimus, oſtendere conaris, inter Moſem, & Chriſtum, in præceptis ad juſjurandum pertinentibus nihil diſcrepare. Primum, quia in illis Chriſti verbis, *Nolite jurare*, &c. ejus mens ſit, quædam juramenta, quæ à Scribis, & Phariſæis nihili fiebant, magni æſtimanda eſſe, docere, & perjurii reum futurum monere, ſi quis in ejuſmodi juramentis mentiretur. Deinde, quia Chriſtus non ſimpliciter dicat, non jurandum eſſe, ſed non jurandum, ne pejeretur. Poſtremo, quia Chriſtus non ſuper re certa, ſed ſuper incerta jusjurandum adhibere vetet. Atque hæc tria ex ipſis verbis tuis ad unum caput revocari poſſunt, quod eſt, Chriſtum in ſua illa concione, quod ad juramenta attinet, nihil aliud agere, quam ut perjuria, perjuriique pericula vitentur, non autem ut juramenta tollantur, præſertim ea, quæ permittebantur in Lege. Jamque de his omnibus ſingulatim, atque ordine videamus.

Ais, Chriſtum, cum præcipit dicens, *Nolite jurare*, &c. docere voluiſſe, perperam à Scribis, & Phariſæis affirmari, ſi quis per cœlum, per terram, per Hieroſolymam, per caput ſuum juraſſet, nihil iſtud eſſe, adeo ut, ſi quis ita jurando, pejeraſſet, perjurii tamen reus non eſſet futurus. Et, ne quis me tibi aliquid affingere arbitretur, tua ipſius verba hic deſcribere libet. Nam pag. 143. ſic ais, *Hinc intelligi poteſt, quid ſit, Nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque per Hieroſolyma, veluti ſcilicet ſi per hæc juratum fuerit, & pejeretur non jurari & pejerari in nomen Dei.* Et pag. 227. *cætera juramenta nihil eſſe dicebantur per cœlum, per terram, per Hieroſolymam, per caput proprium, etiamſi pejeraretur.* Eadem ſententia colligitur ex iis, quæ ſcripſeras in initio hujus tractationis, pag. 137. junctis præſertim iis, quæ ante ſcripta leguntur pag. 120. Atque idem ferme ſcripſiſti ad finem pag. 142. & pagina 205, & 206. Sed primum dic, quæſo te, undenam apparet, ejuſmodi juramenta, per cœlum, per terram, &c. nihili apud Scribas, & Phariſæos fuiſſe? Nonne, ut ex iis conſtat, quæ pluribus in locis ſcripſiſti, præſertim vero pag. 142. iſtud inde aperte colligi exiſtimas, quod Chriſtus apud Matthæum Matth. 23. 18. Scribas, & Phariſæos reprehendit, qui dicebant, ſi quis juraſſet per templum, nihil eſſe, ſi vero quis per aurum templi juraſſet, iſtum debere, &, ſi juraſſet per altare, nihil eſſe, ſi vero per donum, quod eſſet ſuper altare, ſimiliter debere? Atqui hic nihil audio eorum, de quibus quærimus, neque enim vel cœli, vel terræ, vel Hieroſolymæ, vel capitis proprii ulla fit mentio. Immo dices. Nam eodem loco jurisjurandi per cœlum fit aperta mentio, & docet Chriſtus, eum, qui per cœlum jurat, per thronum Dei jurare, & per eum, qui ſedet ſuper illum. Unde factum eſt, ut huc manifeſte reſpiciens, prædicta pag. 142. dixeris, Scribas, & Phariſæos affirmaſſe, jurare per cælum, per templum, per altare nihil eſſe, id quod etiam repetis pag. 205. quaſi ex Chriſti verbis ibidem perſpicuum ſit, Scribas, & Phariſæos docuiſſe, jusjurandum per cœlum nihil eſſe. At ego dico, multo veriſimilius eſſe, non propterea jurisjurandi per cœlum à Chriſto eo loco mentionem fieri, quod Scribæ, & Phari-

Phariſæi tale jusjurandum nihili facerent (objeciſſet enim illis hoc quoque diſerte, ut de jurejurando per templum, & per altare objecit) ſed ut exemplo ſatis manifeſto reprehenſionem ſuam confirmaret. Ac ſi diceret: Quemadmodum is, qui per cœlum jurat, per eum jurat, cujus cœlum eſt ſolium, quique in cœlo ſedet, id eſt per Deum, ſic, qui per templum jurat, per eum jurat, qui in eo habitat, &, qui per aram jurat, per ea jurat, quæ in ea ſunt. Et quoniam exempla, rerum apud auditores aut certarum, aut non plane incertarum, iiſque, quarum cauſſa afferuntur, minus obſcurarum afferri & ſolent, & debent; neceſſe eſt, apud Scribas, & Phariſæos, aut certum, aut non plane incertum fuiſſe, eum, qui per cœlum juraſſet, per ipſum Deum jurare, tantum abeſt, ut jusjurandum iſtud nihil eſſe affirmarent. Itaque, quantus ſit error tuus, animadvertere potes, qui prædicto loco id ſcriptum eſſe putaſti, unde potius contrarium intelligi par eſt.

Quod ſi non ex ipſis Chriſti verbis eo loco, ſed argumento à ſimili (quod vocant) colligere velis, Scribas, & Phariſæos, jusjurandum per cœlum nihili æſtimaſſe, quemadmodum jusjurandum per templum nihili æſtimabant, ut alia, quæ reſpondere poſſem, omittam, dico, argumentum iſtud non recte concluſum fuiſſe, inde apparere, Primum, quod illi hac in re, ut ipſe Chriſtus ait, vere ſtulti, ac cœci erant, qui juramenta per aurum templi, & per donum, quod in ara fuiſſet, pluris faciebant, quam ea, quæ per ipſum templum, per ipſam aram facta eſſent. Deinde, quod ejuſmodi juramenta ſervari omnino debere, docebant, quæ juramento per cœlum facto multo inferiora erant. Quare ne à majore quidem, nedum à ſimili, ducto argumento, quidquam ex iis, quæ perſpicuum eſt Scribas, & Phariſæos docuiſſe, quod ad juramenta attinet, de ipſorum non aperta ſententia concludi, aut conſtitui poteſt. Nam quod tu rationem quandam excogitaſſe videris, qua id, quod Scribæ, & Phariſæi in iis etiam, quæ expreſſa in ſacra hiſtoria non ſunt, de unoquoque jurisjurandi genere ſentirent, inveſtigari poſſit, nempe quod, ubi nec Dei nomen diſerte appoſitum fuiſſet, nec ipſorum lucrum eſſet, ea juramenta omnia pro nihilo ducerent, de hac, inquam, ratione tua alibi commodius agemus, &, Deo adjutore, ridiculum iſtud commentum tuum retegemus.

Jam vero, etiamſi indubitatum eſſet, apud Scribas, & Phariſæos juramenta illa, per cœlum, per terram, nihili fuiſſe, non tamen continuo ſequeretur, Chriſto errorem iſtum redarguere, cum de jurejurando agit, vel ſolum, vel etiam præcipue propoſitum fuiſſe, quia ſcilicet vetet, ne quis ea ratione juret. Nonne aliud potiſſimum agens, id interim eadem opera monere potuit Chriſtus? Certe potuit, idque ſine dubio fecit, ſi modo ea re opus erat. Nam, aliud ipſi propoſitum fuiſſe, ex ipſius verbis adeo manifeſtum eſt, ut talpa cœcior is dici merito poſſit, qui hoc non videat. Etenim, cum antea dixiſſet, *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua*, quis non videt, cum poſtea illico addit, *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*, quis, inquam, non perſpicue cernit, id omnino Chriſto propoſitum eſſe, ut à jurando ſuos vel plane abſterreat, vel ſaltem dehortetur, non autem, ut juramentorum quorundam vim, atque præſtantiam incognitam declaret? quis item non plane perſpicit, verbum *omnino* non cum ſequentibus conjungendum eſſe, ſed abſolute accipiendum, ut quibuſcumque verbis conceptum jusjurandum in iis rebus, de quibus Chriſtus agebat, complectatur, quæ vero ſequuntur, *neque per cœlum*, &c. *neque per terram*, &c. exempla eſſe? Quæ exempla fateor admodum veriſimile eſſe, immo ſatis aperte conſtare, eorum juramentorum fuiſſe, quæ vulgaria, & in frequente populi uſu eſſent (adeo ut, quemadmodum fieri ſolet, quamvis nullo pacto ſpernenda forent, vulgo tamen pro nihilo ducerentur, atque adeo pro juramentis minime haberentur, conniventibus ſimul (ſi ita placet) vel etiam idipſum docentibus Scribis, & Phariſæis) ut ſcilicet tanto magis à cæteris gravioribus & plane confeſſis juramentis abſtinendum eſſe, auditores intelligerent. Atque exempla tantummodo eſſe, & tu ipſe fateris, qui Chriſtum hoc loco eorum etiam juramentorum, per templum, per aram, rationem habuiſſe vis, & ſequentia verba aperte docent, in quibus monet Chriſtus, ut ſit ſermo noſter Eſt eſt, Non non. Quæ verba profecto, præter priora illa, apertiſſime demonſtrant, Chriſtum non quidem monere voluiſſe, omnino jurandum non eſſe neque per cœlum, neque per terram, nec per alia ejuſmodi, hac ſpe, quod jurando, ſi pejeras, non committas perjurium lege vindicandum, ut tu pag. 206. ſcribis, ſed ab omnibus juramentis, id eſt quibuſcumque verbis conceptis (ut quidem nos ſentimus) de iis tamen rebus, de quibus loquebatur, ſuos abſtinere juſſiſſe. Sed non admodum laborandum nobis eſt in hac prima tua Chriſtum cum Moſe prorſus conciliandi ratione refellenda, cum non modo ea ipſis verbis, ut ſatis demonſtratum eſt, nullo pacto conveniat, ſed etiam reliquis duabus adverſetur, ut deinceps oſtendemus, cum tamen tu non tanquam diverſas, ſed tanquam plane conſentientes, immo, tanquam rationem unam, omnes tres ſimul attuleris.

Ad alteram igitur pertranſiens, dico, te affirmare, idcirco, Chriſtum à Moſe non diſſentire, quod Chriſtus non ſimpliciter vetet juramenta, ſed, ne pejeretur, jurandum non eſſe dicat, quod, ut tibi videtur, Moſis dicto non adverſatur, qui jurandum quidem eſſe, ſed à perjurio cavendum dixit. Sic enim habent verba tua pag. 139. *Lex dicit: jurabis per nomen Dei tui, ſed non pejerabis, nam ſi pejeraveris puniam te per magiſtratum meum, quem in Eccleſia eſſe volo. Chriſtus dicit: ut non pejeres ne jures omnino. Hæc autem duo non adverſantur ſibi. Jurato, ſed caveto ne pejeres. Et, ut non pejeres ne jurato.*

Hic primum vides, ex tui ipſius verbis ea, quæ in prima tua ratione dixiſti, falſitatis convinci. Chriſtique mentem in verbis illis, *Non jurare omnino*, &c. non quidem fuiſſe, docere, ne quis per cœlum, per terram, & per alia ejuſmodi juraret ſub hac ſpe, quod, etiamſi pejeraſſet, tamen in perjurium lege puniendum non incurriſſet, ſed, ut perjurium caveretur, præcipere, ne omnino quis juraret. Sunt autem hæc duo non ſolum inter ſe diverſa, verum etiam repugnantia exiſtimanda, quatenus ſcilicet prius illud, modo perjurii rationem habeas, & caveas, ne pejeres, jurare plane permittere videtur, poſterius autem hoc, ne in perjurium forte aliquando incidas, omnino, ne jures, vetat. Atque hinc deinde apparet, quam, ridiculene potius, an confidenter? dictum à te fuerit, hæc duo non ſibi adverſari, Jurato, ſed cave ne pejeres, &, Ut non pejeres, ne jurato. Quid enim magis verbo, illi, Jurato, adverſari poteſt, quam Ne jurato? An non iſta duo prorſus contraria ſunt? Nec vero cauſſa, cur dictum fuerit Ne jurato, cujus etiam rationem eum habuiſſe apparet, qui dixit Jurato, repugnantiam iſtam tollit, ſed tantum minuit. Quæcumque enim ejus rei cauſſa fuerit, certiſſimum eſt, eum, qui dixit Ne jurato, juramenta ipſa vetuiſſe, qui vero dixit Jurato, etiamſi addiderit, Sed, ne pejeres, caveto, tamen ipſa juramenta diſerte permiſiſſe. Quod ſi fortaſſis ad id nunc confugere velis, ut dicas, Chriſtum non præceptum, ſed conſilium dediſſe, præterquam quod id nuſquam aperte ſcripſiſti, non deſunt etiam loci manifeſti, ubi, Chriſtum hic non conſilium dediſſe, ſed præcepiſſe, ipſe confiteris, qualis eſt ille pag. 229. *verum eſt, privatis in cauſſa privata, & vana & incerta Jeſum Chriſtum prohibere juramenta de futuris eventibus, ne labantur in perjurium.*

Tertia tua ratio Chriſtum cum Moſe plane conciliandi ea eſſe videbatur, quod Moſes tantummodo in rebus certis juramenta permiſerit, Chriſtus autem in incertis duntaxat vetuerit. Nam, Chriſtum in rebus plane certis juramenta non vetuiſſe, non ſolum aperte ſcribis, ſed rationibus etiam evincere ſummopere contendis

tendis Loci, ubi id affirmas, una cum examinatione rationum tuarum proferentur. Nunc multa prius conſideranda ſunt, quæ iſti tuæ aſſertioni objici poſſunt.

Primo loco conſiderandum eſt, etiamſi aſſertio iſta tua vera eſſet, tamen adhuc inſigne diſcrimen inter Moſem & Chriſtum extiturum, cum Moſes, ut ſupra demonſtratum fuit, manifeſte permittat juramenta ſuper rebus futuris, ob eamque cauſſam incertis, Chriſtus autem, ut in hac ipſa tua aſſertione dicitur, ea vetuerit. Atque eadem ipſa juramenta de rebus futuris Chriſtum interdixiſſe, quæ per Moſem concedebantur, ex eo, ut dictum fuit, apertiſſimum eſt, quod Chriſtus præcepta ſua de non jurando iſti conceſſioni opponit, id quod tu ipſe non negas, quippe qui, ut vidimus, conceſſionem iſtam additamentum Scribarum, & Phariſæorum ad Moſis legem eſſe credideras, vel potius ſomniaveras.

Te autem non negare, quin Chriſtus ea ipſa juramenta vetet, quæ in ea conceſſione commemorantur, id eſt de rebus futuris, & quibus (ut putaſti) vota concipiebantur, cum ex multis aliis verbis tuis, tum ex illis perſpicuum eſt, quæ leguntur pag. 227. *Quæ quis non videt privatorum fuiſſe, & de futuris eventibus in quibus includebantur vota concepta?* His enim verbis ea juramenta exponere voluiſti, quæ à Scribis & Phariſæis, non autem ab ipſo Moſe permiſſa fuiſſe exiſtimabas, à Chriſto autem interdicta, quemadmodum ex antecedentibus, & conſequentibus verbis patet, atque è regione iſtorum verborum in margine adſcriptum eſt; *Chriſtus quæ juramenta vetat.* Quamquam, ut hoc obiter dicam, in eo te lapſum eſſe plane crediderim, quod putaveris, vota jurejurando addito concepta fuiſſe, cum diſerte Moſes inter votum, & jusjurandum illud diſtinguat, quo quiſpiam ſeipſum ad aliquid faciendum obſtringebat. Quinetiam ſuſpicor, ea, quæ jurejurando interpoſito, ſe facturum quis pollicebatur, de quibus eo loco agit Moſes, ipſi Deo promiſſa non fuiſſe. Video enim, cum vota commemorantur, bis Domini, ſeu Jehovæ in ipſo initio mentionem factam eſſe, cui votum nuncupatum fuerit, cum autem altera illa obſtrictio, quæ cum jurejurando fiebat, commemoratur, nunquam Domini, ſeu Jehovæ Moſem meminiſſe. Nec vero huic noſtræ ſententiæ obſtat, quod Chriſtus, legis illius ſummam quandam explicans, dixerit, *Reddes autem Domino juramenta tua*, quaſi hinc aperte conſtet, juramenta illa iis, quæ Deo promittebantur, adhibita fuiſſe. Namque conſiderandum eſt, cum in quolibet jurejurando Dei mentio fieret, per quem jurabatur, ipſi etiam Domino perſoluta fuiſſe juramenta, recte dici potuiſſe, cum id, quod quis, jurejurando adhibito, pollicitus fuerat, præſtabatur, quamvis id per ſe ad ipſum Deum non pertineret. Jam enim, poſtquam jusjurandum fuerat interpoſitum, Dei (ut ſic loquar) intererat, ut pollicitatio illa vana non redderetur, alioquin ipſius gloria, & majeſtas, qui & teſtis, & vindex ejus rei appellatus fuiſſet, quodammodo obſcurata, atque imminuta foret. Sed hæc ἐδὲ πάρεργον, ut prædixi, & idcirco de ipſis nihil plane ſtatuo, niſi quod omnino credo, apud Moſem eo in loco aliud eſſe votum, aliud obligationem cum juramento. Nunc ad alia tranſeamus.

Nam ſecundo loco animadvertendum eſt, aſſertionem iſtam tuam, quod Chriſtus juramenta de rebus certis non interdixerit, pugnare cum eo, quod non uno in loco ais, Chriſtum, ut perjurii periculum vitetur, nulla ratione jurandum, ſive, omnino non jurandum eſſe, dixiſſe. Sunt enim, ut vidimus, hæc verba tua pag. 139. *Chriſtus dicit: ut non pejeres ne jures omnino*, itemque hæc, *quamvis Chriſtus & Jacobus dicant cavendum eſſe ab omni juramenti genere*, pag. 140. in ipſo initio & mox, *cujus periculi* (incidendi in perjurium) *vitandi cauſa, illi judicant omnino jurandum non eſſe.* Et infra eadem pagina, *Cum Chriſtus ob id dicat nulla ratione eſſe jurandum ne pejeretur.* Nam, quod video te dicere, Immo cum Chriſtus ob id juramenta vetet, ne incidatur in perjurium, ſatis conſtare poſſe, eum eâ juramenta non vetare, ubi nullum perjurii eſt periculum, Primum dico, ſi Chriſtus omnia juramenta vetuit, ſive, ut ipſe fateris, omne juramenti genus, etiamſi idcirco id fecerit, ne in perjurium quis labatur, tamen noſtrum eſſe, non quidem ſtatuere, quando nullum ejus rei ſit periculum, ſed Chriſti præcepto parere, & ita nullum jusjurandi genus jurare, quamcumque tandem ob cauſſam ipſe id præceperit, præſertim, cum vix ulla res nobis ſit adeo certa, ut in ea affirmanda labi nulla ratione poſſimus. Nam ſæpenumero contingere videmus, ut in rebus ipſis præteritis, aut præſentibus mirifice decipiamur, & pro certiſſimis, tamquam ii, qui teſtes fuerimus, aut ſimus, multa habeamus, quæ tamen non ſunt, memoria nos, aut ſenſibus ipſis plane fallentibus, nobiſque imponentibus. Deinde dico, te tibi ipſi reſponſionem iſtam eripuiſſe, cum explicans, qua ratione ex Chriſti mente in jurando perjurii periculum ſit, multo aliter loqueris, & ais, perjurii periculum in jurejurando eſſe, non quidem tunc demum, cum res eſt incerta, ſed tunc etiam cum res eſt certa, quia nimirum poteſt lingua aſſueſcere ad jurandum, & ita prolabi, ut juret etiam ſuper re incerta, ut apparet ex illis verbis tuis pag. 138. *Eſt igitur malum & incommodum id quod eſt, aut non eſt, jurare eſſe, aut non eſſe. Non quod malum ſit jusjurandum, ſed quoniam periculum eſt ne ad jurandum aſſueſcat lingua & prolabatur ut juret, eſſe aut non eſſe id quod incertum eſt ſit necne, & incidat nolens in perjurium. Hoc autem periculum, ne caſu incidas in legis de ſacramento violationem, Jeſus Chriſtus vocat malum.*

Itaque tertio loco dico, aſſertionem tuam à te ipſo manifeſte refutari, cum, ut modo oſtendimus, etiam ſuper re certa ne juretur, Chriſtum vetuiſſe affirmas, quamvis enim id à te diſertis verbis expreſſum non fuerit, tamen ex ipſa ſententia aperte colligitur, quæ ſine dubio ea eſt, quam nos paullo ante expoſuimus. Idque cum ex tota oratione conſtat, tum ex primis illis verbis evidenter apparet, *Eſt igitur malum & incommodum id quod eſt, aut non eſt, jurare eſſe, aut non eſſe* Nam verba illa, *id quod eſt, aut non eſt*, nullo modo ſimpliciter, ut ſonant, accipi poſſunt, quaſi aliquid excogitari queat, quod nec ſit, nec non ſit. Sed nimirum idem ſibi volunt ea verba, ac ſi dixiſſes, Id quod ſcitur (à jurante ſcilicet) eſſe, aut ſcitur non eſſe. Atque, te hoc omnino ſentire, præter rationem manifeſtam, demonſtrant ſuperiora alia verba tua, in quibus tuam iſtam aſſertionem, quod Chriſtus in rebus certis jurare non vetuerit, adhuc apertius refellis. Ais enim pag. 137, *Ut igitur perjurium vitetur & nullus ſit qui perjurii agatur coram magiſtratu reus, in loquendo, agendo, tractando privatus cum privato negotia, illud examinetur ſi res, de qua ſermo eſt, ita ſit, aut aliter. Et ſi quidem ita ſit, ita eſſe dicatur, ſi ita non eſt, ita non eſſe dicatur. Malum enim eſt & periculi plenum, id quod ita eſt, ita eſſe dicere & juramentum quod ita ſit, vana opera apponere, & id quod ita non eſt, ita non eſſe dicere & quod ita non ſit, juramento confirmare.* Vides, te hic aperte Chriſti præceptum de non jurando ita interpretari, ut eum quoque caſum comprehendat, cum quis examinans, utrum res, de qua ſermo eſt, ſit, nec ne, reperit eſſe, aut reperit non eſſe, & ita ad juramenta etiam ſuper rebus certis pertineat. Vides item, apud te hæc verba, Id, quod ita eſt, idem ſignificare atque, Id, quod, examinando, repertum eſt ita eſſe, & rurſus hæc, Id, quod ita non eſt, idem valere, quod, Id, quod, examinando, repertum eſt ita non eſſe, quemadmodum diximus, in aliis ante recitatis verbis tuis idem eſſe, *id quod eſt, aut non eſt*, ac ſi dictum foret, Id, quod ſcitur eſſe, aut ſcitur non eſſe.

Quarto loco conſiderandum cenſeo, te, cum affirmas, Chriſtum in rebus certis juramenta non prohibere, & idcirco ea permittere, aut tibi ipſi alia ratione plane adverſari, aut, quod ad juramenta attinet, minus permiſiſſe Moſem velle, quam Chriſtum, id quod ſane cum per ſe ridiculum eſt, tum idipſum con-

vellit prorſus, quod tu totis viribus conſtabilire niteris, nullum videlicet diſcrimen inter præcepta Moſis, & Chriſti de jurejurando eſſe. Si quis enim ea animadverterit, quæ ſcribis pag. 227, 228 & 229, videbit, te plane negare, Moſem privata juramenta permittere, nulla certarum, aut incertarum rerum, ſuper quibus juramenta fiant, diſtinctione adhibita. Quid enim attinebat verba Legis, ubi magiſtratus nulla fit mentio, de juramentis magiſtratu deferente præſtandis accipere, eoque tuis additamentis omnino referre, ſi, per Moſem, etiam non deferente magiſtratu, ſuper rebus certis jurare licuiſſe, exiſtimaſſes? Quid item ad hunc modum concludere? *Falſum igitur eſt, quod lex Moſis jubeat jurari, & quod in privatis cauſis inter privatos permittat juramenta.* An non hic aperte negas, Moſem id permittere, quod Chriſtum alibi permittentem facis? Nullum enim hic diſcrimen appoſitum eſſe vides inter res certas, & incertas, ſed ſimpliciter, falſum eſſe dici, a Moſe privata juramenta permitti. Quocirca, cum ſtatim addas ea verba, *Cui parti conſonat Jeſus Chriſtus, dicens privatis non eſſe jurandum ſuis verbis*, hinc quoque perſpicuum eſt, te ſuperiore, quam dicebamus, ratione tibi plane adverſari, quippe qui hoc loco, Chriſtum ipſum privata juramenta indiſtincte interdicere, atque ita etiam ſuper re certa, non deferente magiſtratu, ne quis juret, prohibere affirmes. Nec ſane ſuſpicari poſſum, quomodo inconſtantias haſce tuas, atque ineptias excuſare audeas, nedum poſſis, niſi forte dicas, te, ubicumque ais, Chriſtum non vetare, quin in rebus certis jusjurandum adhibeatur, de jurejurando à magiſtratu deferendo loqui. Verum, te huc confugere non poſſe, tunc planum fiet, cum rationes, quibus ſententiam tuam confirmas, expendemus.

Quinto loco illud omittendum non eſt, cum aſſeris, Chriſtum apud Matthæum juramenta ſuper rebus incertis interdicere, hoc non convenire cum eo, quod alibi dicis, & nos pro prima ex poſterioribus rationibus recenſuimus, quibus, Chriſtum à Moſe in præceptis de jurejurando nihil differre, perſuadere conaris. Nam, ſi, cum Chriſtus dixit, *Non jurare omnino*, &c. id ei propoſitum fuit, ut moneret, non eſſe jurandum per cœlum, neque per terram, neque per alia ſimilia, ſub ſpe, quod, etiam ſi pejeraretur, non incideretur in perjurii pœnam, non modo non id egit Chriſtus, ut juramenta ſuper incertis rebus vetaret, ſed neque id ullo modo ſuis verbis complexus eſt. Nec porro aliud ex ejus verbis elici poteſt, quam, quomodocumque pejeretur, in perjurii pœnam incidi. Sed neque id etiam plane colligitur, niſi ea, per quæ juretur, cœlo, terræ, & aliis, quæ ibi enumerantur, ſint ſimilia, in quibus ſcilicet tacite, ſi non expreſſe, Dei mentio fiat.

Sed jam videndum eſt, quibus rationibus adductus fueris, ut affirmare non dubitaveris, Chriſtum non vetare, quin in re certa inter privatos juretur, atque eodem tempore loci proferendi, ubi id omnino affirmas. Duæ autem videntur eſſe rationes, quæ te ad hoc impulerunt, quamvis tu eas non explices, & tamquam unam afferas, de quibus ſeparatim deinceps agemus.

Una ratio eſt, quod, cum Chriſtus nullam aliam ob cauſſam juramenta vetet, niſi, ne in perjurium incidatur, ſequitur, eum tunc jurare non prohibere, cum nullum perjurii periculum eſt, quemadmodum in rebus certiſſimis evenire conſtat. Nam hæc ſunt verba tua in fine p. 139. & ſeq. initio, *Cum certiſſimus es, rem eſſe aut non eſſe, jurare poteris, rem aut eſſe ſi eſt, aut non eſſe ſi non eſt, quamvis Chriſtus & Jacobus dicant cavendum eſſe ab omni juramenti genere. Non enim periculum eſt ut incidas in perjurium, cujus periculi vitandi cauſa, illi judicant omnino jurandum non eſſe.* Et aliquanto inferius, *violator verborum Chriſti exiſtimabitur is, qui certiſſimus de re qua de loquitur, jurat ſine periculo perjurii? Cum Chriſtus ob id dicat nulla ratione eſſe jurandum ne pejeretur.*

Hæc tua ratio jam à nobis tuis ipſius verbis refutata eſt, cum oſtendimus, quomodo illud perjurii periculum, quod à jurando non abſit, & propter quod juramenta Chriſtum vetuiſſe affirmas, ipſe alibi interpreteris, quæ interpretatio ejuſmodi eſt, ut à juramentis, etiam ſuper rebus quantumvis certis, abſtinendum eſſe, Chriſtum præcepiſſe demonſtret. Ex eo etiam jam ſatis convulſa videtur hæc ratio tua, quod ſupra diſſeruimus, vix aliquid tam certum reperiri poſſe, in quo affirmando nullo modo errare poſſimus. Vide, quæ aſſertioni tuæ, ſecundo, & tertio loco ante objecimus. Nam ad ea & te, & alios lectores rejicimus. Sed aliam præterea ob cauſſam nihili pendenda eſt ratio iſta tua, quod videlicet in ea pro conceſſo ſumas id, quod nec ullo modo verum eſſe conſtat, nec à te alibi probatum fuit, immo falſum eſſe, non obſcure deprehendi poteſt, Chriſtum ſcilicet non alia de cauſſa juramenta vetuiſſe, niſi, ut perjurii periculum vitaretur, qua de re poſtmodum videndum erit.

Altera ratio tua, quam tu tamen, ut diximus, cum ſuperiore confundis, vel certe pro qua confirmanda ſuperiorem affers, ejuſmodi eſt, ut in ea formanda, atque explicanda ingenii laudem prorſus quæſiviſſe videare. Quod quam feliciter, & ex animi ſententia tibi ſucceſſerit, mox videbimus. Ais igitur, cum Chriſtus præcipit, ut ſit ſermo noſter Eſt eſt, Non non, hic relationem haberi ad aliquem, qui interrogat de re quapiam, ſit, nec ne. Cui reſpondere debemus id, quod res eſt, eſſe videlicet, aut non eſſe, pro ut res, de qua quæritur, eſt, aut non eſt. Nunc fac, (inquis) neminem eſſe, qui quærat certe nihil coget, ut dicas rem eſſe, aut non eſſe. Fac rurſus, cum ille quærit, te incertum eſſe, ſit ne res, an minime, quis dubitat, quin tibi neutrum reſpondendum ſit, cum viro bono, ne mendacium dicat, ſummopere ſit cavendum? Et tamen Chriſtus dicit, ut reſpondeas rem eſſe, aut non eſſe, quod item Jacobus facit. Sicut igitur, cum aut abs te de re non quæritur, aut tu de ea incertus es, tacere potes, & nec rem eſſe, nec rem non eſſe, dicere cogeris, etiamſi & Chriſtus, & Jacobus, ut alterutrum dicas, moneant, ita etiam, cum certiſſimus es de re, ſit, an non ſit, poteris jurare rem eſſe, ſi eſt, & non eſſe, ſi non eſt, etiamſi & Chriſtus, & Jacobus, ab omni juramenti genere cavendum eſſe, dicant, cum hoc ab illis non niſi ob perjurii periculum vitandum dicatur, hic autem nullum ſit pejerandi periculum. Hæc eſt admiranda, ſcilicet, illa ratio tua, ut ex iis perſpicuum eſt, quæ ſcripſiſti pag. 139 & 140. Nam, epilogo quodammodo utens, ſic ais: *Quid enim? Nulla fraus admittitur, ſi minus facias quam Chriſtus dicat, taceaſque, cum aut non quæreris aut incerta tibi res reſt, quæ abs te quæritur. Cum Chriſtus dicat ut ajas aut neges, & violator verborum Chriſti exiſtimabitur is qui certiſſimus de re qua de loquitur, jurat ſine periculo perjurii? Cum Chriſtus ob id dicat nulla ratione eſſe jurandum ne pejeretur.* Et ſtatim, alio quodam pacto eandem rationem explicans, eamque ſimul confirmans, adjungis: *Sicut enim fieri poteſt, ut is qui cum negotium habes, minus petat quam Chriſtus poſtulet: Ita fieri poteſt ut plus exigat quam Chriſti & Jacobi permittat mandatum, nos debere dicere rem eſſe aut non eſſe. Quare ſi ibi minuere licet tacendo, hic licebit addere jurando.* Atque in hac potiſſimum explicatione, ac confirmatione tua libet ſuſpicari, te tibi ipſi vehementer placuiſſe. Sed jam, qualis ſit univerſa hæc ratiocinatio tua, accurate, ac breviter ſimul, quad fieri poterit, diſpiciendum nobis eſt. Jam vero, cum in hac ipſa ratione tua explicanda plurimum momenti in eo ponere videaris quod Chriſtus ideo jurare vetuerit, ut perjurii periculum vitaretur; Primum, quicquid à nobis hac de re contra ſententiam tuam ſupra diſputatum fuit, huc optime accommodari poteſt, & ex eo ſolo tota argumentatio tua labefactari: tametſi illud, quod de Chriſti mente aſſeris in juramentis interdicendis, nihil te juvare poſſe, tunc multo apertius conſtabit, cum non modo id aliter accipi debere, quam tu putes (quod jam ex tui ipſius verbis demonſtratum à nobis eſt) verum etiam,

etiam, ſimpliciter dictum, falſum eſſe, apparebit, quod poſtmodum, Deo volente, factum iri plane confido. Deinde animadvertendum eſt, in iſta argumentatione duo à te ſumi, quæ ex tui ipſius verbis falſa eſſe convincuntur. Unum eſt, quod Chriſtus, etiamſi nemo ſit, qui quærat, tamen, ut dicamus, res ſit, nec ne, dicere omnino videatur. Alterum, quod idipſum dicat, etiamſi de re, qua de quæritur, incerti ſimus. Atqui tu ipſe in ipſo explicandæ tuæ argumentationis initio utrumque refellis. Sic enim pag. 139. ſcribis, *Ad illum igitur qui quærit referri debet ſermo, ut ſi ille quærat, ſit res nec ne, tu dicas id quod res eſt, eſſe aut non eſſe, ſicut ipſa aut eſt aut non eſt, ſi neutrum ille quærit, tu neutrum reſpondeas.* Numquid non vides, te diſerte affirmare, Chriſti ſermonem ad illum referri debere, qui quærit, & ſatis aperte dicere, Chriſti verba id ponere, ut ſit, qui quærat, & tandem ex his dictis concludere, ſi nihil quæratur, nihil reſpondendum eſſe, nedum ut neceſſe ſit aliquid reſpondere? An non hoc prius illud, quod te ſumere dicebamus, plane refutat, eique penitus adverſatur? Nonne præterea in modo prolatis verbis tuis, Chriſti mentem exponens, ais, cum de re quæritur, ſit, nec ne, dicendum eſſe, non quidem alterutrum omnino, ſed id, quod res eſt? Verum quomodo dicere poterit quis id, quod res eſt, vel potius quomodo curare poterit, ut dicat, ſi incertus eſt, & neſcit, utrum res ſit, an non ſit? Ergo, te ipſo teſte, falſum eſt poſterius illud, quod, rationem tuam explicando, ſumebas. Idque etiam paullo poſt evidentius teſtaris, dum ipſum Chriſti dictum à te confictum in tuæ rationis explicatione exponis, & maxime urges. Sunt enim hæc verba tua, *quamvis Chriſtus & Jacobus dicant, ut alterum affirmes, aut eſſe rem aut non eſſe, ſi illa aut eſt aut non eſt.* Nam, ut ſupra dictum fuit, cum omnino ſit neceſſe, ut quælibet res, de qua quæritur, aut ſit aut non ſit, certe, niſi ineptiſſime locutus eſſe velis, cogeris verba illa tua, *ſi illa aut eſt aut non eſt*, non, ut præ ſe ferunt, accipere, ſed ita interpretari, ac ſi dixiſſes, Si aut ſciveris rem eſſe, aut ſciveris non eſſe, nam ejuſmodi verba hoc ſenſu à te proferri ſolere, jam bis antea oſtenſum eſt. Etenim, ſi dicas, ea perinde accipienda eſſe, tamquam ſi dictum fuiſſet, Prout illa aut eſt, aut non eſt, neque iſtam interpretationem dictio Si ullo modo patitur, nec tu alibi iſto ſenſu ejuſmodi verba protuliſti. Sed, cum id dicere voluiſti, non dictione Si, ſed Sicut, ut in ſuperioribus tuis verbis vidimus, uſus es. Præterea, cum Chriſtus, dum (ut tu quidem putas) dicit de quavis re dicendum eſſe, ſit, nec ne ſit, eodem ſimul tempore ſine dubio præcipiat, ut id ſimpliciter dicatur, nullo jurejurando adhibito, vanum quippe erit præceptum iſtud, ſi tua argumentatio recte concluſa eſt. Nam aut is, qui de re, ſit, necne ſit, dicturus eſt, id compertum habet, aut non habet: Si non habet, jam, ut ipſe vis, nihil dicere debet. Sin autem habet, jam ipſe contendis, tunc ei jurejurando confirmare licere, rem eſſe, ſi eſt, aut non eſſe, ſi non eſt. Itaque per te nullus erit præcepto Chriſti locus. Hic non video, quid reſpondere poſſis, niſi fortaſſe dicas, te tria genera rerum facere, incertarum, certarum, & certiſſimarum, & in incertis quidem, ac certiſſimis Chriſti præceptum locum non habere, in iis vero, quæ certæ ſunt, ei locum plane eſſe, & propterea in ejuſmodi rebus, affirmandum quidem, aut negandum, ſed tamen ſine jurejurando, Ob eamque cauſſam te, ubi contra, aut præter id, quod Chriſtus præcipere videatur, jurare licere contendis, non poſitivo (quod vocant) ſed ſuperlativo nomine uſum fuiſſe, cum rei certitudinem illam (ut ſic loquamur) propter quam id licere vis, declarare voluiſti, & modo, *cum certiſſimus es*, &c. modo, *is, qui certiſſimus de re*, &c. dixiſſe, non autem unquam Certus. Quod idem dices te optime ſervaſſe, cum, de Paulo, qui juraſſet, verba faciens, dixiſti, *graviſſimam & perſuaſiſſimam ſibi cauſam ingreſſus.* Videre potes (arbitror) Palæologe, utrum à me victoria, an potius veritas quæratur, qui pro te ſæpius adverſum memetipſum ea afferam, quibus tu meliora fortaſſe non invenies. Verumtamen, ſi forte reſponſio hæc pro te mea vel tibi arridet, vel etiam ea ipſa eſt, quam tu attuliſſes, & mentem tuam in ea recte ſum aſſecutus, animadvertere debes, diſtinctionem iſtam rerum certarum, & certiſſimarum nimis ſubtilem eſſe. Nam etſi uſus obtinuit, ut aliquid certum, aliquid vero certiſſimum dicatur, & ita res una alia certior appelletur, tamen revera eo, quod certum eſt, nihil certius eſſe poteſt, Quemadmodum eo, quod verum eſt, nihil verius poteſt inveniri, & tamen uſus obtinuit, ut aliud alio verius eſſe dicatur, nempe quia & Veri, & Certi nominibus minus proprie ſæpe utimur, & id verum, aut certum eſſe dicimus, quod ita eſſe videtur, quamvis, an revera ſit, non bene ſciatur, id eſt aliquo modo dubitetur. Cum quærimus, an aliquid certum apud eum ſit, qui de re quapiam affirmaturus, aut negaturus eſt, id nimirum quærimus, an is ea de re, ſit, nec ne, nihil dubitet. Hac (ut ita dicam) certitudine in humanis hiſce rebus, quæ & eſſe poſſunt, & non eſſe, vix ulla major inveniri poteſt, quandoquidem, ut ſupra dictum eſt, ſenſus ipſi aliquando falluntur. Qui hoc pacto rem certam non habuerit, is non jurare modo, ſed ne affirmare quidem, aut negare ſimpliciter poterit. Et ſane, ſi vera eſt regula illa tua, tunc jurari poſſe, cum nullum eſt perjurii periculum, non video, cur quidquam magis ſine jurejurando, quam cum jurejurando affirmare, aut negare liceat. Nam profecto, ubi nullum mendacii eſt periculum, ibi ne perjurii quidem periculum eſſe poteſt. Affirmari autem, aut negari aliquid jure poſſe, ubi mendacii ſit periculum, tibi quidem dicere non licet, qui pag. 139, ea verba ſcripſeris, *Nam ſicut perjurium, ita mendacium & falſum dicere cavendum eſt viro bono.* Ubi etiam vides, te, non minus à mendacio, quam à perjurio, cavendum eſſe, dixiſſe. Quare ex tua ipſius doctrina, quidquid conſtanter affirmare, aut negare licebit, id etiam jurejurando confirmari jure poterit. Itaque, teipſo judice, diſtinctio illa rerum certarum, & certiſſimarum, in quarum alteris affirmare quidem, aut negare, non tamen jurare, in alteris vero jurare quoque liceat, falſa cenſenda eſt, & proinde id verum cenſeri debet, quod diximus, ſi recte concluſa ſit argumentatio tua, Chriſti præcepto, ne quis juret, ſed tantummodo ajat, aut neget, nullum locum futurum. Sed quid dicemus, quod omnino vis, in Chriſti ſermone rationem haberi alicujus, qui quærat, utrum res ſit, an non ſit, cum tamen ea de re nullum prorſus indicium in Chriſti verbis appareat? Certe, ſi antecedentia verba ſpectare velimus, potius ad eum caſum referenda eſt præceptio Chriſti, cum quis ſua ſponte quidpiam affirmaturus, aut negaturus eſt. In Legis enim verbis, quibus præcipue ſua dicta opponit, de jurejurando agebatur, quo quis ſeipſum ſua ſponte ad aliquid faciendum obligabat. Quinetiam tu ipſe, huc fortaſſe reſpiciens, in tua paraphraſi pag. 206, Chriſti verba, *Sit autem ſermo veſter Eſt eſt, Non non*, his verbis complexus explanas, *Quare ſit ſermo veſter, ſi quid facere voles, faciam, ſi facere noles, non faciam*. Quid quæſo iſtæc explanatio, cum explicatione hac, quam in argumentatione tua ſequeris, commune habet? Primum ibi manifeſte de re futura agitur, cum hic de re præſente, aut præterita agatur. Deinde (quod ad propoſitum noſtrum maxime pertinet) ſatis apparet, ibi nullam rationem quærentis haberi. Qua de re ne ulla dubitatio ſupereſſet, Chriſti ſequentia verba explanans, ſic eum loquentem facis, *Quod enim præter hæc eſt, ut puta ſi voto juramentum additur, bonum non eſt*, &c. Unde conſtat, te ibi exiſtimaſſe, Chriſtum in monitione ſua de votis egiſſe. Quis autem neſcit, vota, nemine quærente, id eſt interrogante, fieri ſolere? Et tamen hic, ut diximus, in Chriſti ſermone quærentis omnino rationem haberi vis. Quæ duo ſane invicem prorſus repugnant. Huc accedit, quod in argumentatione hac tua Chriſti verba ita accipis, ac ſi dixiſſet, Quod eſt, dicite eſſe quod

non eſt, dicite non eſſe. Quaſi Chriſtus potius monere voluerit, ut quiſque id, quod verum eſt, dicat, quam, ut à jurando abſtineat. Cum tamen conſtet, eum de jurejurando potiſſimum agere. Immo crediderim, Chriſtum hoc loco nullam veritatis, aut mendacii rationem habuiſſe, ſed tantum monere voluiſſe, ut, ſi quid affirmare velis, ſimpliciter affirmes, ſi quid negare, ſimpliciter neges, quemadmodum ſequentia verba ſatis confirmant: *Quod autem his abundantius eſt, à Maloeſt.* Non arbitror tamen, verba Græca ad hunc modum interpungenda eſſe, ναὶ. ναὶ, οὒ, οὒ. quaſi prius ναὶ ſignificet id, quod affirmare velis, & prius οὒ id, quod velis negare, ſive, (ut Theodorus Beza vult) perinde cenſeri debeat, ac ſi prius ναὶ, & prius οὒ cum voce ὁ λόγος, quæ præceſſit, repetito articulo, conjungeretur, & ὁ λόγος ὁ ναὶ idem ſit, quod ſermo affirmans, ὁ λόγος ὁ οὒ idem, quod ſermo negans. Quamvis enim idem Beza teſtetur, omnes codices (quos ſcilicet ipſe vidiſſet) diſtinctionem inter utrumque ναὶ, & utrumque οὒ habuiſſe, tamen ego iſtarum interpunctionum, quantumvis magno conſenſu in exemplaribus, etiam antiquiſſimis, extantium, nullam propemodum rationem habendam cenſeo, niſi quatenus nos admonent, in quem ſenſum locus aliquis à veteribus acceptus fuerit. Cæterum ſcimus omnes, ab initio iſtarum diſtinctionum uſum non admodum frequentem, aut certe non admodum diligentem, & aliquando fortaſſe nullum fuiſſe. Deinde vero, prout vulgo loci explicabantur, additas ubique fuiſſe interpunctiones. Ea ipſa ſententia, ſeu potius eam explicandi modus, quem hic eſſe ſuſpicatur Beza, eſt quidem, ut ipſe animadvertit, in Jacobi verbis. Sed Jacobus Jac. 5. 12, præterquam quod articulum utrobique præpoſuit, qui aliquis ad iſtum ejus ſententiæ explicandæ modum omnino requiri videtur, dixit etiam ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναί, &c. id eſt Sit autem veſtrum Etiam, &c. non autem, ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν ναὶ, &c. id eſt Sit autem ſermo veſter Etiam Jac. 5. 12 &c. ut Chriſtus loquitur. Inter quos duos loquendi modos, quantum (quod attinet ad propoſitum noſtrum) interſit, nemo non videt, tametſi vetus interpres utrobique, *Sit autem ſermo veſter*, legit, cui etiam Syriaca editio adſtipulatur. Eſt igitur quidem eadem, quæ Chriſti, Jacobi verborum ſententia (quem à Domino ac Magiſtro ſuo ipſa etiam verba magna ex parte mutuatum fuiſſe apparet) ut, ſi quid affirmare velimus, ſimpliciter affirmemus, ſi quid negare, ſimpliciter negemus, ſed tamen diverſus nonnihil utrobique eſt eam explicandi modus. De Jacobi modo vidimus. Chriſti autem modus hic eſt, ut dicat, in ſermone noſtro (quod ad illud pertinet, de quo agebatur) nihil aliud eſſe debere, quam ſolam affirmationem, aut negationem. Utriuſque autem, & affirmationis, & negationis voces duas ſimul conjungit, non modo propter elegantiam quandam, ac proprietatem ſermonis, ſed fortaſſis etiam, ut oſtendat, licere & ſæpius, & conſtanter aliquid vel affirmare, vel negare, dummodo jusjurandum non addatur. Sermonis autem elegantiam, & proprietatem quandam, ſi ſententia illa explicari debeat, ſine geminatione vocum iſtarum vix, aut ne vix quidem retineri poſſe, animadvertet, quiſquis utrobique alteram ex illis vocibus ſubtraxerit, & Chriſtum ſic loquentem fecerit, Sit autem ſermo veſter ναὶ οὒ. Certe, Paulum eadem utrobique geminatione cum ſimplici affirmationis, & negationis ſignificatione uſum fuiſſe, videmus, atque dixiſſe 2 Cor. 1. 17, *Aut* (ſive *Num*) *quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me* τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὒ; id eſt Etiam, & Non? ſive, ut vetus interpres vertit, Eſt, & Non? Nam, ſive is interpres aliter legerit, quam hodie in omnibus Græcis codicibus legatur, quibus Syriaca editio conſentit, ſive non legerit, quæ ſtatim ſubjicit Apoſtolus, etiamſi nonnulli aliter ſentiunt, hunc iſtorum verborum ſenſum eſſe demonſtrant. Inquit enim, *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui* [*fuit*] *apud vos, non fuit* ναὶ, καὶ οὒ, id eſt Etiam, & Non. Et tamen poterat Paulus propter particulam καὶ citra ſermonis elegantiæ, aut proprietatis jacturam in prioribus verbis, ut in poſterioribus fecit, ab ea geminatione abſtinere. Nec prætereundum eſt, apud Paulum articulum vocibus illis geminatis utriſque præpoſitum legi, & tamen perinde haberi, ac ſi non fuiſſet præpoſitus (nam, ſi ibi articuli vis urgeatur, alius ſane poterit eorum verborum eſſe ſenſus) nedum ut in loco noſtro, ubi nullus eſt, aliquis articulus pro appoſito haberi debeat. Ex quibus intelligi poteſt, ſi apud Paulum, qui & aliter loqui poterat, immo eodem in loco eſt locutus, & ſic locutus eſt, ut aliud quidpiam, ſi ejus verba mordicus retineantur, ſenſiſſe dici poſſit, ea geminatio eum ſenſum, quem nos in Chriſti verbis eſſe contendimus, ſine dubio habet, multo magis apud Chriſtum habere, qui vix aliter loqui poterat, & ita locutus eſt, ut ejus verba ægre admodum aliam interpretationem ſint admiſſura. Eſt igitur locus Pauli ad Chriſti verba interpretanda accommodatiſſimus, nec aliud hac in re inter ipſum, & Chriſtum intereſt, niſi quod Chriſtus alterutrum, affirmare ſcilicet, aut negare, Paulus vero utrumque ſignificare voluit. Unde factum eſt, ut in Pauli verbis conjunctiva particula legatur, in Chriſti vero minime.

Sed jam nimis diu præter inſtitutum noſtrum in refellenda tua Chriſti verborum interpretatione, noſtraque confirmanda verſamur. Quid enim? Fac, interpretationem tuam veriſſimam, & appoſitiſſimam eſſe. Numquid recte concluſa propterea fuerit ratio tua? Nullo prorſus modo. Nam, etiamſi Chriſtus, ſi verba ejus attenderentur, juſſiſſet, ut omnino quacumque de re, de qua ſcilicet ageretur, aut ſermo eſſet (ſic enim niſi plane deſipuiſſe videri velis, ſupplenda eſt tibi interpretatio tua) diceremus, eam aut eſſe, aut non eſſe, quis non perſpicue videret, ita accipienda eſſe Chriſti verba, ut & eſſet, qui de re quæreret, aut interrogaret, nec ne eſſet, & nos, quomodo res ſe haberet, optime ſciremus? Quid enim abſurdius dici poteſt, quam Chriſtum præcipere, ut, nemine licet nec quærente, nec interrogante, de omni re, de qua agatur, aut verba fiant, etiamſi nihil certi de ea habeamus, tamen eam eſſe, aut non eſſe dicamus? Nam unde (quæſo te) in argumentatione tua aſſumis, cum vel non eſt, qui quærat, vel res apud nos incerta eſt, Chriſti præcepto iſti, quod ex ejus verbis colligi poſſe vis, nullum locum eſſe, niſi ex manifeſta ingentique abſurditate iſta, quæ alioquin in ipſo præcepto eſſet? At vero quid abſurdi in eo vides, ſi Chriſtus præcipiat, ut in re, quamvis nobis compertiſſima, affirmanda, aut neganda nullum jusjurandum adhibeamus? Nonne tu ipſe, ut ſupra vidimus, ipſa Chriſti verba explanans, malum eſſe, & periculi plenum dixiſti, aliquid eſſe, quod ſit, vel aliquid non eſſe, quod non ſit, jurejurando appoſito confirmare? Nonne periculum eſſe (ut tuis verbis prolatis oſtendimus) tu ipſe affirmaſti, ne quis jurando adeo jurare aſſueſcat, ut etiam in rebus incertis juret, & ita in perjurium facile prolabatur? Quibus adde ea verba tua, quæ leguntur ibidem paullo ante, pag. 138. *Quare malum eſt & periculoſum, aſſertioni, ſine qua vita præſens tranſigi inter homines non poteſt, juramentum addere, abs quo quivis poteſt facile abſtinere, maxime cum incerta ſunt illa, ſint, an non ſint, de quibus controverſia eſt.* Ex quibus omnibus apparet, te in omnibus rebus affirmandis, aut negandis, non ſine periculo jusjurandum addi, confiteri, & propterea, te ipſo teſte, non modo nihil abſurdi futurum in Chriſti præcepto, ſi eum mandaſſe velimus, ut in rebus etiam certiſſimis à jurando abſtineamus, verum etiam, ſumma cum ratione id ab eo factum fuiſſe, conſtiturum. Nam, ſi dicas, Chriſti præcepto iſto indiſtincte, ut verba ſonant, accepto, juramenta etiam tolli, quæ coram magiſtratibus præſtanda ſunt, & præterea juramenta quædam privata, quæ Apoſtolum Paulum feciſſe conſtat, damnari, quæ duo admodum abſurda cenſeri debent, Hoc nihil eſt. Dummodo enim id

abſur-

abſurdum non ſit, de quo quærimus, ſatis id eſt ad argumentationem tuam convellendam. Quandoquidem tu, cum argumentationis tuæ vi, Chriſti verbis juramenta ſuper rebus certiſſimis non interdici, contendis, privata etiam juramenta intelligis, quippe qui nuſquam magiſtratus ullam mentionem facias, immo ejuſmodi verbis interdum utaris, quæ ad ea juramenta, quæ deferente magiſtratu fiunt, nullo modo accommodari poſſe videntur, qualia ſunt illa pag. 140. *is, qui certiſſimus de re qua de loquitur, jurat*, &c. Et mox *is qui cum negotium habes*. Quæ verba de privatis ſermonibus, & negotiis, & porro de privatis juramentis à te agi, manifeſtum faciunt, id quod etiam ex illo exemplo patet Pauli Apoſtoli jurantis, quod paullo ante ad ſententiam tuam confirmandam attuleras. Si quidem non coram magiſtratu, ſed privatim in epiſtola juravit Paulus. Quamquam non deſunt, qui Pauli verba jusjurandum continere nolint, quibus tamen ego non aſſentior. Adjungis tu quidem pag. 141, Chriſtum non de juramentis coram magiſtratu præſtandis, ſed de aliis loqui, idque repetis pag. 143. Verum iſtud à te additur, non ut idipſum confirmes, quod ſingulariter prius dixeras, licere jurare ſuper re compertiſſima, ſed id, quod univerſe antea non obſcure tuis verbis complexus fueras, Chriſti verba non ita interpretanda eſſe, ut omnia juramenta interdicere voluerit, idque à te eo libentius fit, quod exiſtimas, adverſarios tuos juramenta, etiam deferente magiſtratu præſtanda, prorſus tollere. Nimirum ut id ſæpius inculces, quo eos in publicam invidiam vocare te poſſe ſperas. Sed hac de re alibi. Cæterum, te privata etiam juramenta in rebus certiſſimis minime à Chriſto prohiberi, credere, præter ea, quæ dicta ſunt, id ſatis demonſtrat, quod non uno in loco Chriſti verba ad res futuras tantum, aut etiam ad vanas alioquin & incertas accommodas, ut pag. 206, 227 & 229. apparet. Jamque, ut ſpero, tandem vides, quantum inter duo illa interſit, quæ paria eſſe putaſti. Nunc igitur quid tibi videtur de acuta illa confirmatione, quam argumentationi tuæ poſtremo addis, *ſi ibi minuere licet tacendo, hic licebit addere jurando?* Numquid eadem ratio eſſet additionis, quæ detractionis, cum hanc ſenſus ipſe communis omnino ſuaſurus eſſet, illam vero nihil? cum, niſi minueretur tacendo, Chriſtus abſurdiſſima præcepiſſe convinceretur, niſi vero adderetur jurando, nihil plane abſurdi inde ſequeretur? Adde, quod jusjurandum affirmationi, aut negationi adhibitum, non recte à te additamentum ad Chriſti præceptionem appellatur, cum Chriſtus diſertis verbis illud vetet. Additamentum cenſeri poſſet, ſi Chriſtus ea tantum verba dixiſſet, *Sit autem ſermo veſter Eſt eſt, Non non*. Nunc, quando in eadem monitione paullo ante dixit, *Non jurare omnino*, &c. & hic ſtatim ſubjicit, *Quod autem his abundantius eſt, à Malo eſt*, ſi quis juret, non quidem ſe addere verbis Chriſti, ſed aperte contravenire, fateatur, neceſſe eſt. Verum, dum tu ita loqueris, & additamentum illud vocas, quod revera non eſt, id plane confirmas, quod & hic, & alibi ſupra aſſerui, quodque, ut modo, & ante vidimus, in tota hac cauſſa tibi plurimum obeſt, te ſcilicet omnino velle, à Chriſto in rebus certiſſimis privata juramenta non tolli. Nam, cum ubique contendas, Chriſtum de privatis tantum juramentis præcepta dare, non autem de iis, quæ coram magiſtratu præſtari debent, certe, cum ais, in rebus certiſſimis, jurando, Chriſti verbis addi licere, neceſſe eſt, ut privata juramenta in rebus certiſſimis licere dicas. Quamquam in hac, quam ego argumentationis tuæ confirmationem appello, non tantum, ut res certiſſima ſit, ſed præterea, ut quiſpiam, quicum tibi ſit negotium, jusjurandum à te exigat, requiris, qua tamen de re antea mentionem non feceras. Quocirca arbitror, te id addidiſſe in confirmatione iſta, non quod ſine eo, id eſt ſua ſponte (modo res certiſſima ſit) jurare non concedas, ſed ut ſaltem eo caſu, etiam inter privatos, jurare licere evinceres.

Vidimus de tribus illis tuis rationibus, quibus demonſtrari poſſe ſperabas, Chriſti præcepta de jurejurando à Moſis Lege nihil differre. Supereſt, ut de eo agamus, ad quod, tamquam ad caput quoddam, ex ipſis verbis tuis, quæ pluribus in locis leguntur, revocari poſſunt, hoc eſt, Nihil aliud Chriſto propoſitum fuiſſe, quam cavere, ne in perjurium quiſquam incideret, non autem juramenta tollere, ea præſertim, quæ ſub Lege permiſſa erant.

Iſta tua Chriſti mentis in præceptis de non jurando dandis interpretatio, non modo vera, ſed ne veriſimilis quidem videri debet. Nam perfacile eſt animadvertere eam neque ipſius Chriſti verbis, nec rationi conſentaneam eſſe. Verbis quidem non eſt, cum nec aliquid dicat Chriſtus de cavendo perjurio, & manifeſte illis ex ipſius Legis mente, non autem, ut tu putabas, ex Scribarum, & Phariſæorum additamentis prolatis verbis *Reddes autem Domino juramenta tua*, ſua dicta opponat. In quibus verbis, ut ſupra viſum eſt, aperte juramenta ſuper rebus futurus permittebantur. Unde conſtat, Chriſtum juramenta quædam diſerte ſuſtuliſſe, quæ à Moſe conceſſa fuerant. Nec vero ex poſtremis illis Chriſti verbis, *Quod autem his abundantius eſt, a malo eſt*, colligi ullo modo poteſt, ipſum perjurii cavendi potiſſimam rationem habuiſſe, quia ſcilicet ea verba nihil aliud ſignificent, quam affirmationi, aut negationi jusjurandum adjungere periculi plenum eſſe, & ad perjurium properans, ut tu ea interpretaris pag. 137, 138, & 206. Nam quis (obſecro) qui vel leviſſime in bonarum litterarum ſtudiis verſatus fuerit, immo qui ipſo ſenſu communi non careat, tibi concedet umquam, Aliquid à malo eſſe, ſignificare, Aliquid eſſe plenum periculi, & ita, pro cauſſa antecedente, eaque certa, ſubſequens, idque incertum eventum à te ſubſtitui, patietur? Nonne infantes ipſi noverunt, præpoſitionem A, vel potius Ex (nam ἐκ eſt in Græco codice, non autem ἀπὸ, ut tu præ incuria ſcripſiſti (motum de loco (ut ajunt) non autem motum ad locum ſignificare, & propterea A malo, ſive Ex malo nullo modo ſignificare poſſe Ad malum tendens, ut tu affirmas, ſed neceſſe eſſe, ut A malo proficiſcens ſignificet? Profecto cæci ipſi (adeo inſignis eſt ac manifeſtus) lapſum hunc tuum videbunt. Qui tamen non ſolus eſt. Nam, ut modo innuimus, huic errori illum adjungis, quod ex re certa incertam facis. Tolerabilius ſane aliquanto fuiſſet, ſi dixiſſes, Chriſtum dicere voluiſſe, cum quis quidpiam affirmat, aut negat, jusjurandum addat, iſtum in malum aliquod incurrere. Sic enim ab ipſis verbis Latinis non plane receſſiſſes. Nunc, quando pro Malo Mali periculum etiam ſubſtituis, adeo interpretatione tua à verbis es alienus, ut ferri non poſſis, nec ulla prorſus venia dignus error tuus videatur. Nam, quod pag. 138 ais, videri Græcam vocem interdum diſcrimina ſignificare, id eſt (ut interpretari neceſſe eſt) pericula, nemo (arbitror) niſi exempla protuleris, id tibi crediturus fuerit. Sed aliud adhuc turpe erratum in quo etiam omnino tibi ipſi adverſaris, in interpretatione tua deprehenditur. Etenim aut nomen Græcum ὁ πονηρὸς maſculini generis eſſe vis, aut neutri. Si maſculini quomodo (quæſo) id nomen ita accipere potes, ut rem periculi plenam ſignificet; An non, quemdam aliquem ut ſignificet, neceſſe eſt? Nonne tu ipſe id confiteris, cum pag. 145. ita ſcribis? *Cum è contrario πονηρὸς perſonam referat non rem.* Si vero in neutri, primum tibi adverſaris, qui dicas, hunc locum illi eſſe ſimilem *Libera nos à malo*. Nam in eo loco maſculini generis nomen iſtud facis. Sic enim in explanatione tua ſcribis, pagina 174. *Etne nos inducas in tentationem. Quid ſi inducti jam ſumus? Libera nos à malo. Eſt igitur tentatio idem quod malus*, &c. Deinde nullo, ut opinor, exemplo ſententia tua nititur. Non enim ſi (verbi gratia) τὸ κακὸν, τὸ ἀγαθὸν, & alia ejuſmodi quædam dicuntur nomine ſubſtantivo, aut certe ſubſtantivi vim habente, id circo τὸ πονηρὸν quoque eodem modo dictum aliquando fuiſſe, affirmari poteſt, præſertim in Novo Teſtamento, ſi vox, de qua quæritur, ad nomen ὁ πονηρὸς vim

similiter ſubſtantivi habens referri poſſit, ut hic certe poteſt. In Teſtamento enim Novo nomen iſtud ὁ πονηρὸς ſubſtantive (ut ita dicam) uſurpari, planum faciunt hæc teſtimonia Matth.13.19. 1 Joh.2.13, & 14. & cap. 5.18. ut teſtimonia alia omittam, quæ tametſi, quod ad vocem ipſam attinet, dubia ſunt, tamen conſtat inter omnes, in iis quoque Ὁ πονηρὸν, non autem Ὁ πονηρὸν nominari, & tu ipſe de duobus id fateris. De uno modò vidimus, Matth.6.13. *Libera nos* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. De altero ſupra viſum eſt, Mat.5.38. *Non reſiſtere* τῷ πονηρῷ. A nomine enim ὁ πονηρὸς ibi vocem τῷ πονηρῷ derivari, pag. 145. aperte ſcribis. Eſt igitur in loco noſtro, vel te ipſo teſte, perſonæ mentio, non rei, atque ἐκ τοῦ πονηροῦ eſſe (quo ipſo loquendi modo utitur etiam Johannes Apoſtolus 1 Joh.3.12.) nihil aliud eſt, quam Ex maligno illo ortum ducere, hoc eſt (ut ipſe prædicta pag.145. Ὁ πονηρὸς interpretaris) ex Diabolo. Quare, cum Chriſtus dicit, quicquid ſimplici affirmationi, aut negationi additur, ἐκ τοῦ πονηροῦ ſive à Malo, vel potius ex Malo eſſe, nihil aliud ſibi vult, quam, jusjurandum in iis caſibus, quos ipſe intelligebat, à Diabolo ſuggeri, ſeu Diabolico (ut ita dicam) ſpiritui conſentaneum eſſe. Hæc enim proprie in ejuſmodi locutionibus vis præpoſitionis Ex eſſe ſolet, ut in illis apud Johannem Joh.8.44,47. cum in Euangelica Hiſtoria, tum in Epiſtolis 1 Joh.4.12.111,12, Eſſe ex Deo, Eſſe ex Diabolo, ſive ex Malo, ut hic. Quod ſi dicas, non aliam ob cauſſam ſuggeri à Diabolo, ut temere juremus, niſi, ut in perjurium incidamus, Dico, non hanc ſolam eſſe iſtius rei cauſſam, ut paullo poſt explicabimus. Itaque vides, ex Chriſti verbis nullo modo colligi poſſe, eum, dum jurare vetat, illud unum curaſſe, ne in perjurium quis incideret. Quinimmo ex ejus verbis, niſi ea aliquantulum, ratione duce, exempliſque ſanctorum hominum admoniti, atque ejus mentem ex iis, quæ antecedunt, recte colligentes, molliamus quodammodo, ac temperemus, omnia prorſus juramenta, ſive à magiſtratu delata, ſive in re alioqui graviſſima ſimul & certiſſima adhibenda, interdicta eſſe, colligi poſſe conſtat, quemadmodum multi, iis, quæ modo diximus, aut ſpretis, aut non animadverſis, collegerunt. Etſi enim, ut dictum eſt, Chriſtus ab initio ad legem de juramentis ſuper futuris, atque ob id incertis rebus ſua verba accommodat, tamen illud, quod deinde addit, præceptum, *Sit autem ſermo veſter Eſt eſt, Non non*, præſentes quoque, immo præſentes potiſſimum, id eſt res, de quibus, ſint, aut fuerint, nec ne, jam ſciri poteſt, omnino complectitur. Jam vero, ſi rationem ipſam ſpectemus, ſatis perſpicuum eſſe poteſt, Chriſto non hanc ſolam cauſſam interdicendi juramenta fuiſſe, ne ſcilicet in perjurium incidatur, ſed hanc quoque, eamque, (ut ego quidem arbitror) potiorem, ne vileſcat apud nos Dei auctoritas, atque majeſtas, neve nobis videatur, tanquam cum ſodali quopiam noſtro, ita cum ipſo Deo nos agere poſſe, eum teſtem identidem appellantes eorum, quæ nobis credi volumus, quantumvis levia ſint, nec ullo teſtimonio digna, nedum tali ac tanto teſtimonio. Breviter, ne nos aliter, quam ſumma cum reverentia, ac tremore quodam, tanquam conditorem, ac dominum noſtrum, vitæ, neciſque noſtræ ſempiternæ poteſtatem habentem, eum vel nominare quidem audeamus. Quæ cauſſa omnia juramenta complectitur, ſive ſuper rebus futuris, ſive ſuper rebus præteritis, ſive ſuper certis, ſive ſuper incertis, modo res ſint leves, & voluntarium jusjurandum. Nam, ut ſupra diximus, de voluntariis juramentis Chriſtum loqui, ex eo intelligi poteſt, quod verba ſua legi de voluntariis juramentis loquenti, eaque permittenti manifeſte opponit. Juramenta autem de rebus gravibus nec indignis, in quibus Deus teſtis, & vindex etiam appelletur, à Chriſto non interdici, & Pauli Apoſtoli in ejuſmodi rebus interdum jurantis exempla docent Rom.1.9. 2 Cor.1.23. 11,31. Philip.1.8. 1 Theſſ.2.5,10, & res ipſa monet, cum nulla cauſſa ſit, cur tunc Deum veritatis teſtem, ac mendacii vindicem advocare non liceat, immo cur aliquando non debeat. Non eſt enim nobis res ſemper cum hominibus integerrimis, & vere Chriſtianis. Nam & Deus ipſe interdum jurat per ſemetipſum, nempe quia cum hominibus, quorum plerique ii non ſunt, qui eſſe deberent, illi res eſt. Quod ſi aliter eſſet, & omnes veri Chriſti diſcipuli eſſemus, non video, quomodo jurijurando alicui locus eſſe poſſet. Animadvertendum eſt tamen, cum in rebus futuris juſjurandum à nobis adhibetur, id eſt, cum rem aliquam facturos nos eſſe, aut non facturos, jurejurando confirmamus, ſi id jure fieri poſſit, ita interpretandum eſſe jusjurandum, ut ad rem præſentem referatur, hoc eſt, intelligendum eſſe, nos non de futuro eventu, ſed neque etiam de futuro animo, & conſilio noſtro, ſed de eo, quod tunc, cum juramus, vere in animo habemus, aſſeverare. Soli enim Deo, qui nec mutari poteſt, & in cujus manu ſunt omnes futuri eventus, de iis, quæ nondum ſunt, quæque ipſe facturus, aut non facturus eſt, aſſeverare licet. Itaque ut tandem concludamus, hoc, contra quam tu putas, inter Moſem, & Chriſtum, quod ad juramenta pertinet, diſcrimen eſt, quod Moſes dummodo non pejeretur, nuſquam per Dei nomen jurare vetat; Chriſtus autem, etiamſi nec ullum perjurium committatur, nec ullum perjurii ſit periculum, ne juretur, interdicit. Quod tamen ita intelligendum eſt, ſi voluntarium futurum ſit jusjurandum, & de rebus non adeo gravibus, ut Deus teſtis veritatis advocari mereatur. Nam & ſi ipſe dixit, *Non jurare omnino*, tamen vox Omnino, ut ſupra indicatum fuit, non ita accipienda eſt, ut omnia prorſus juramenta, id eſt de quibuſcumque rebus, ſive voluntaria, ſive minus comprehendat, ſed omne jusjurandi genus in iis rebus, de quibus Chriſtus loquebatur. Quod ſatis oſtendunt ſequentia verba, *neque per cœlum* &c. *neque per terram* &c. quæ plane conſtat ἐπεξήγησιν eſſe eorum, quæ antecedunt. Perinde eſt enim, ac ſi dixiſſet; Non jurare omnino, id eſt neque per cœlum, &c. neque per terram, &c.

Ex iis, quæ hucuſque à nobis diſputata ſunt, liquido apparere arbitramur, merito à Racovienſibus tuo de bello ſcripto objecta illa tria fuiſſe. Primum, quod fictum Chriſtum introducere videretur. Deinde, quod aliena inſtituta à Chriſti inſtitutis, iiſque contraria induceret. Poſtremo, quod Moſem cum Chriſto confunderet, atque adeo per Moſem, ac Legem, Chriſtum, atque Euangelium aboleret, quidquid tu contra attuleris, quod examinatione, ac reſponſione dignum videatur.

Et quoniam ad hæc tria capita præcipuas fere omnes adverſariorum tuorum reprehenſiones revocavimus, eaſque, ut dictum eſt, à tuis reſponſionibus vindicavimus, primæ hujus noſtræ diſputationis parti jam nos ſatiſfeciſſe exiſtimamus. Si quid tamen omiſſum à nobis fuerit, quod, ad hanc partem proprie pertinere, videri poſſit, id in aliis tribus non incommode explicabitur. Jam enim nimis hæc pars excrevit, cui etiam propter reliquarum cum ipſa connexionem multa fortaſſe dedimus, quæ aliis reſervanda erant.

RESPON-

RESPONSIONIS
AD
JACOBUM PALÆOLOGUM
PRO RACOVIENSIBUS.
PARS SECUNDA.

SEquitur ex ordine, quem ab initio nobis ipſi præſcripſimus, ut præcipua quædam explicentur, quæ à te non recte in Racovienſium ſcripto, præter non pauca, de quibus in ſuperiore reſponſionis noſtræ parte agere quodammodo neceſſe habuimus, reprehenſa fuerunt. Non recte autem reprehenſa ea potiſſimum appello, quæ à te vel tacite, vel aperte falſo objecta adverſariis tuis fuerint.

Tria in ipſo reſponſionis tuæ initio, pagina libri tui 83. Racovienſium ſcripto univerſe objicis, Primum eſt, finem id non præſtare, quod principium promittit. Alterum, nihil ibi eſſe, quod ſit ex ſacris dictis, aut ſenſibus collectum. Tertium, ſcriptum ejuſmodi eſſe, ut arte, & lege careat, & propterea incertum ſit, quo tendat.

I. Et ſi nihil hic eſt, quod (ſi quis præſertim ea legerit, quæ à nobis ante ſcripta ſunt) ulla refutatione indigere videatur, tamen quia non parum graves hæ criminationes tuæ videri poſſunt, Dico, primam falſam, aut certe vanam eſſe, ex eo conſtare, quod principium ſcripti Racovienſium tres illas, de quibus ſupra egimus, reprehenſiones ſcripti tui proponit, quas omnes, ut vidimus, ipſi deinde explicant, ac perſequuntur. Quod ſi in his ipſis ad finem uſque non perſiſtunt, ſed eorum occaſione, antequam ſcriptum abſolvant, de aliis quibuſdam agunt, quæ tamen eodem pertinere videntur, quid (quæſo) hoc refert, dummodo id aliquando præſtiterint, quod polliciti fuerant? Quamquam non video, quomodo finis ipſe optime initio non reſpondeat, cum ab illis verbis, *Non dubium ergo eſt iſtos toto cœlo errare, qui nunc obtrudere volunt Eccleſiæ Chriſti leges Moſis*, &c. quæ ſunt pag. 78. uſque ad finem ipſum, de tribus illis omnibus agatur, quæ in principio propoſita fuerant, ut cuilibet legenti facile apparebit.

II. Secunda porro criminatio tua ejuſmodi eſt, ut mera calumnia merito nominari poſſit. Neque enim, cum ais, nihil in Racovienſium ſcripto eſſe, quod ſit ex ſacris aut dictis, aut ſenſibus collectum, id potiſſimum tibi vis, quod ab adverſario dictum ferri poſſet, teſtimonia ſacra, quæ ab ipſis citantur, nec verbis, nec ſententia eorum dicta confirmare; ſed nihil ipſos vel ex verbis, vel ex ſententia ſacrorum ſcriptorum ad ea, quæ dicunt, confirmanda afferre curaſſe, ut declarant verba illa tua, quæ ſtatim ſequuntur, *Simplex videtur eſſe narratio, quæ ſit dictata jurato auditorio, non nervoſa diſputatio, cum diſſentientibus animis ſuſcepta.* Jam vero, quam hoc manifeſte falſum ſit, intelliget, quiſquis eorum ſcriptum legerit. Nam, præterquam quod ab ipſo reſpondendi, quod faciunt, initio, id eſt ab illis verbis, *Nos vero contrarium*, &c. pag. 57. non prius ſacra teſtimonia proferendi finem faciunt, quam ea omnia, quæ in totius ſcripti quaſi argumento, & propoſitione quadam tuo ſcripto objecerant, ipſis confirmaverint, in ipſis etiam examinandis, & variis rationibus ad id, quod propoſuerant, accommodandis, ſane quam curioſi, ac diligentes ſunt, præſertim vero in iis, in quibus major vis eſt, nempe in iis, quæ ex Matthæi cap. 5. petita ſunt. Atque hæc tua calumnia eo magis vituperanda eſt, quod tu is es, qui frequentiſſime ex tuo capite vel inauditas ſententias fundis, vel ſacrorum teſtimoniorum interpretationes inſolentiſſimas affers, nulla nec auctoritate, nec ratione, nec exemplo allato, ut in ſuperioribus diſputationibus jam ſæpius viſum eſt, & infra etiam, ut ſpero, demonſtrabitur.

III. Reſtat tertium crimen, quod Racovienſium ſcriptum ſit ſine arte, & ſine lege, & ob id incertum, quo tendat. Miror ſane, te iſtud Racovienſium ſcripto objicere auſum fuiſſe. Primum, quia (ut de lege, ſeu ratione, & arte, qua in ſcribendo uſi ſint Racovienſes, nihil dicam, qua tamen non carere eorum ſcriptum, facile oſtendi poſſet) apertiſſimum eſt, quo tendat, vel te ipſo teſte, qui nuſquam deinde (quod ſciam) in tota reſponſione tua Racovienſium vel mentem, vel ullis in verbis ſententiam in dubium vocas, ſed confidenter, & quid ſibi propoſitum habeant, & quid ubique ſentiant, te noſſe profiteris, quamvis haud raro opinione tua decipiaris. Id autem vel ex eo patet, quod plerumque, dum eorum dicta recitas, ut poſtea refellas, non ipſorum verba, ut in eorum ſcripto leguntur, profers, ſed ea pro arbitratu auges, minuis, mutas, fingis denique, tanquam is ſcilicet, qui non minus illorum ſcripti ſcopum, atque ſenſus omnes noveris, quam, ſi tu ipſe illud conſcripſiſſes. Quid, quod, tibi contrarius, hic ſtatim ſubjicis hæc verba? *Dicit is in principio nos fictum Chriſtum introducere, inſtituta edere contraria Chriſti inſtitutis, & alia quæ longo tractu fluunt per aliquot verſus. Hæc autem ſumma diſputationis eſſe videtur* (*Huc enim tota tendere veſtra cognoſcitur oratio*) *capto principio*, &c. Vides, te affirmare, quo tota oratio Racovienſium tendat, cognoſci. Hoc autem annon id diſerte refellat, quod ais, ſcriptum Racovienſium, quo tendat, incertum eſſe, tibi ipſi judicandum relinquo. Deinde miror, te alteri objicere, quod tuum eſt proprium. Legi ego multorum ſcripta, ſed nunquam (quod recordari poſſim) in aliquod incidi, quod tam confuſe, atque incerte ſcriptum eſſet, quam eſt iſtud tuum, quo Racovienſibus reſpondes. Judicabit de utroque cordatus lector. Tot certe loci, in quibus tibi ipſi (ſaltem in ſpeciem) adverſaris, ſatis oſtendere poſſunt, quam incerta ſit ſcriptio tua. Nihil autem dico de locutionis, ſententiarum, argumentationum, reſponſionum, placitorum denique tuorum explicationis obſcuritate, & perplexitate quadam, quæ omnia incertiſſima reddere apta eſt. Ego ſane (cuicuimodi ſim) ut jam conſtare poteſt, ſæpius in tuis dictis interpretandis divinare compellor, atque haud ſcio, an pauciſſimi ii ſint futuri, quantumvis acuti, qui plerumque, quid tibi velis, recte percipiant. Sed jam ad alia progrediamur.

IV. Objicis pag. 85. adverſariis tuis, quod argumenta tua non diſſolverint, & addis, *Sub finem orationis veſtræ dicitis: Ad Palæologi argumenta poſtea reſpondebitur. Sed quando? Cum tempus annuum ad reſpondendum habueritis?*

Non reſpondent quidem Racovienſes expreſſe, & nominatim ad ſingula argumenta tua, ſed ita tamen reſponſionem ſuam temperant, ut ex ea facile omnia

diſſolvantur, quemadmodum ex iis, quæ ante diſſeruimus, intelligi poteſt. Nam, quod ipſorum verba affers, quibus ſe ad argumenta tua non reſpondere ipſi confiteantur, turpiter ea in re es lapſus, cum in ipſo eorum ſcripto, quod una cum reſponſione tua editum eſt, ea verba minime legantur, quæ ſi tamen vere in eorum ſcripto tibi tradito extabant, ſatis hinc conjici poteſt, quam verum ſit id, quod tui libri titulus diſerte profitetur, Racovienſium ſcriptum ibi haberi, ut eſt abipſius auctore conſcriptum, bona fide editum.

V. Pag.94. ais, Leonis cognomen datum Chriſto male conjungi (nempe ab adverſariis tuis) cum dicto illo Philip.2.6. Matth.12.29. *Qui cum in forma Dei eſſet, &c. aut* inquis) *cum illo: cum hoſtis armatus & fortis, &c.* Dicis enim, vel potius dicere vis, Primum, iſta duo dicta de eadem re non loqui, cum illud ad geſta ante Chriſti mortem pertineat, hoc vero ad id, quod Chriſtus egerit contra principem novi regni poſt mortem, Deinde, cum neutro ipſorum Leonis cognomen Chriſto à ſcriptura tributum plane convenire, cum Chriſtus nec propter ea, quæ ante mortem geſſerit, nec propter ea, quæ contra principem novi regni poſt mortem egerit, fit à ſcriptura leo appellatus, ſed reſpectu civium malorum, qui noluerant ipſum regnare ſuper ſe, quos ipſe ante ſe occidi juſſit.

Sunt hic Palæologe plurima tuae rrata. Sed hoc loco de iis tantum agemus, quæ in Racovienſibus reprehendendis commiſiſti. Neque enim, ut in ſuperiore reſponſionis noſtræ parte diximus, vel mentem eorum percepiſti, vel verba attendiſti, vel denique eos reprehendendi ullam cauſſam habuiſti. Mentem quidem non percepiſti. Nam illi, cum de Chriſto, tanquam leone, verba fecerunt, nullam rationem habuerunt alicujus appellationis, quam ipſa ſcriptura Chriſto tribueret. Sed tantum oſtendere voluerunt, Chriſtum non poſt mortem ſolum, ſed etiam ante mortem leonem fuiſſe, & utramque appellationem, & Agni, & Leonis ei ſimul eodem tempore conveniſſe, non autem ex agno, qui ante mortem eſſet, leonem poſt factum fuiſſe, ut ex verbis tuis aperte colligebatur. Ubi etiam illud eſt obſervandum, quod tu ipſe, cum primum hac de re locutus es, nullam appellationis alicujus, quam ſacræ litteræ Chriſto tribuant, ſed rei ipſius tantummodo rationem habes. Ut ex iis patet, quæ pag.8 leguntur. Verba porro eorum non attendiſti. In quibus nulla appellationis alicujus Chriſto in ſacris literis attributæ fit mentio, ſed ſimpliciter dicitur, Chriſtum agnum illum ab ipſis leonem agnoſci, & leonem eum apparuiſſe, quemadmodum extrema pag.58. & 59 videre licet. Nullam poſtremo cauſſam eos reprehendendi habuiſti, cum interpretatio illa tua ejus appellationis, quam ſcriptura Chriſto tribuit, cum eum leonem appellat nullo pacto ſuſtineri poſſit. Quandoquidem in eo Apocalypſus loco Apoc.5.5, in quo uno aperte Chriſtus leo nominatur, & quem unum ipſe affers, nulla prorſus fit mentio ejus victoriæ, quam obtinuerit contra cives illos malos, qui noluerant ipſum regnare ſuper ſe, immo apparet, de alia victoria ibi verba fieri. De ea, inquam, victoria, quam Chriſtus, ſanguinem ſuum fundendo, adverſus mortem, & Satanam & ſibi, & nobis peperit. Quemadmodum ſuperioris partis cap.2, demonſtratum fuit. Atque hac ratione, quia ſcilicet Satanam, & mortem devicerit, adverſarii tui, eum leonem apparuiſſe, affirmaverant. Quanquam, & leonem quoque in eo agnoſci eum debere, dixerant, quod tantam virtutis divinæ vim exeruiſſet, ut ipſa quoque inanima, dum hic eſſet, ejus imperio cedere coacta fuiſſent. Hucque locum illum, *Qui, cum in forma Dei eſſet, &c*, non obſcure accommodaverant. Sed de altero loco illo Luc.11.21, *Cum fortis armatus, &c*, ne verbum quidem in eorum ſcripto habetur, & ſi eum quoque ad hoc idem referre potuiſſent. Lapſus es igitur haud leviter, cum in reſponſione tua ita locutus es, ac ſi ipſi eum locum huc accommodaſſent. Sed multo gravius in ipſius loci explicatione es lapſus, quemadmodum alibi planum faciemus.

VI. Sequitur multiplex tua illa reprehenſio, quam in ipſo pag.98, initio explicare inſtituis. Quoniam enim adverſarii tui affirmaverant, Chriſtum tunc demum ulturum eſſe hoſtes ſuos, cum eos in æternum ignem ablegabit, non autem hoc gratiæ, & mediationis tempore. 1. Primum ais, ſi Chriſtus poſtremo illo tempore ſine culpa tranſgreſſarum à ſe latarum legum uſciſci ſuas, & ſuorum injurias poterit, certe non amplius privatum illum eſſe, ſed magiſtratum. Quod ſi magiſtratus eſt, nunc etiam licet ei omnium injurias ulciſci, non ſolum aliorum, ſed etiam ſuas ſibi illatas olim, cum privatus eſſet.

Sed ubi eſt, Palæologe, acumem tuum? Quis te in argumentando terminos (quos vocant) ita, ut facis, mutare docuit, & ex quatuor terminis (quod ajunt) ſyllogiſmum conſtituere? Sic enim reipſa argumentaris. Quicumque poteſt jure ſuas, & ſuorum injurias per ſe ulciſci, is magiſtratus eſt. Chriſtus poterit jure ſuas, & ſuorum injurias ulciſci. Ergo Chriſtus eſt magiſtratus. An non vides, te pro Poteſt præſentis temporis, quod in propoſitione eſt, in aſſumptione Poterit, quod futuri eſt temporis, reponere? Neque enim arbitror, te vel præ incuria, vel inuſitata quadam ſermonis figura, cum ea verba ſcripſiſti, *certe non amplius privatus eſt*, eſt pro erit ſcripſiſſe. Nam nihil prorſus ad rem facit, quod extremo illo tempore Chriſtus magiſtratus futurus ſit, cum jam ipſi adverſarii tui velint, tunc à Chriſto de hoſtibus ſuis dignas pœnas ſumptum iri. Nec vero hæc eo à me dicuntur, quia, Chriſtum nunc magiſtratum eſſe, negare velim (quod maxime affirmo, atque ut mox apparebit, etiam contendo) ſed ut argumentationis tuæ ſummum vitium oſtendam. Præterea, quomodo ex Racovienſium verbis colligis, Chriſtum nunc jure hoſtes ſuos ulciſci non poſſe, cum ipſi manifeſte non de eo, quod Chriſtus facere jure poſſit, ſed de eo, quod faciat, & facturus ſit, loquantur? Numquid nemo non facit id, quod jure poteſt? Atqui certum eſt, Deum ipſum multa non facere, quæ tamen jure facere poteſt, & væ nobis, niſi id ita eſſet. Nemo noſtrum ſempiternis gravibus pœnis ab ipſo non afficeretur, aut certe ab æterna ſalute excluderetur.

2. Quare quod deinde addis, *Decipitur autem ſcriptor dum ſub poſtremum tempus rejicit hanc adsti à Chriſto magiſtratus fucultatem & ulciſcendi hoſtes de injuriis illatis, ſine vitio, poteſtatem, cum Chriſtus aliter & Apoſtoli ſtatuant, &c.* Hoc, inquam, per ſe nihil plane eſt, cum ſcriptor non neget, Chriſtum jam adiiſſe, hoc eſt accepiſſe magiſtratum, jamque hoſtes ſuos ulciſci jure poſſe, ſed nondum id fieri ab ipſo dicat. Verum, quia teſtimonia, quæ deinde profers, ut probes, Chriſtum jam magiſtratum adiiſſe, jamque hoſtes de injuriis illatis ſine vitio ulciſcendi poteſtatem adeptum fuiſſe, ejuſmodi ſunt, quæ id etiam jam ab eo factum eſſe, probare videantur. Animadvertendum eſt, cum ſcriptor iſte in poſtremum illud tempus Chriſti de ſuis hoſtibus ultionem rejicit, eum de omnium hoſtium ultione loqui, deque ea ultione, cujus ſimul atque indicia apparuerint, nullus amplius pœnitentiæ locus, nulla veniæ ſpes erit. De hac enim ultione hic quæritur, quæ ſcilicet omnem clementiam, & lenitatem, aut certe omnem (ut ita dicam) conniventiam excludat. Itaque, cum Chriſtus ante illum extremum diem, tametſi nonnullos ex ſuis hoſtibus ulciſcitur, tamen clementem ſe, veniam reſipiſcentibus offerendo, & lenem, ultionem differendo, præbeat, & præterea adeo conniveat, ut pleroſque ex ſuis perpetuis hoſtibus non ulciſcatur, apparet eum, quamvis magiſtratus jam factus fuerit, tamen placidam & mitem naturam ſuam non depoſuiſſe. Et porro certum eſſe debet, ex Chriſti factis, & perſona pro hoc tempore nullum argumentum duci poſſe ad eam ſententiam confirmandam, quod hominibus Chriſtianis,

nis ſuos hoſtes, belligerando, interficere liceat, immo contrarium potius inde colligendum eſſe. Huc enim tota hæc diſputatio referenda eſt. Recte igitur Racovienſes, qui nondum Chriſti ultionis tempus veniſſe affirmant, ſed in poſtremum diem illam rejiciunt. Nam (ut inquit Petrus 2 Petr. 3. 9) Dominus interim patienter agit erga nos, nolens quemquam perire, ſed omnes ad pœnitentiam venire. Hæc Dominus gloriæ facit, & nos ſcilicet viliſſimi homunciones omnes hoſtes noſtros, niſi ſtatim reſipiſcant, perdere nobis licere volumus, idque exemplo etiam ipſius Domini confirmare nos non pudet. Quamquam vereor (quidquid de Chriſto, quod magiſtratus ſit, à te affirmetur) te poſt excidium Hieroſolymitanum Chriſto magiſtratum non concedere, niſi futurum tunc, cum hoſtes ſuos, qui intra ipſa caſtra Chriſtianorum ſunt, ulciſcetur, quemadmodum olim eos, qui extra caſtra erant, ultus eſt. Ut ea indicare videntur, quæ ſcripta à te leguntur pag. 99. Ubi inter excidium Hieroſolymitanum, & poſtrema tempora, Chriſtum in hoſtibus ſuis ulciſcendis otioſum plane ſtatuere videris. Quod ſi ita ſentis, erras vehementer, & in eum ipſum errorem incidis, quem adverſariis objicis. Nam tu vere is es, qui non animadvertis, etiam ante poſtrema illa tempora, Chriſtum ulciſcendorum hoſtium ſuorum poteſtatem adeptum fuiſſe, quæ non quadraginta illis tantum annis duravit, qui ejus reſurrectionem ſunt conſecuti, nec finem tunc habuit, cum ultus eſt malos illos cives, Judæos ſcilicet, qui noluerunt, ut regnaret ſuper ipſos, ſed ad conſummationem uſque ſæculi perpetuo duravit, & duratura eſt, quamvis extremis temporibus potiſſimum patefieri debeat.

3. Sed poſtremo ad finem prædictæ pag. 99, rides quodammodo id, quod ex Racovienſium verbis aperte colligitur, tempus gratiæ, & mediationis (quam vocant) Jeſu Chriſti uſque ad poſtrema illa tempora duraturum. Vis enim, manifeſtum eſſe, tempus iſtud, ante poſtrema etiam tempora, finem habuiſſe, nempe, ut ſatis ex antecedentibus tuis verbis conſtat, ante ipſum Hieroſolymæ excidium, & Judaicæ gentis diſſipationem. Exiſtimas autem, Racovienſes ideo Chriſtum etiamnum mediatorem eſſe, dicere, quia παράκλητον noſter apud Patrem appelletur 1 Joh. 2. 1, putaſque, eos omnino Paracletum pro Mediatore ſumere. Et quanquam tu nec ſatis te explicas, nec aliquid eorum, quæ hoc loco dicis, probas, quippe de quibus alio tempore te dicturum ais, tamen ad hæc aliquid dicam, quantum ſcilicet ſatis eſſe putavero ad Racovienſes à tua reprehenſione defendendos.

Dico igitur, gratiæ tempus poſt Chriſtum exhibitum ad ea uſque tempora duraturum 2 Theſſ. 1. 8, cum Chriſtus veniet pœnas ſumpturus de iis, qui Euangelio non obediunt, nec amplius pœnitentiæ ad veniam peccatorum conſequendam locus erit. Interim enim omnibus pœnitentiam agentibus, quantumvis antea impiis ac ſceleroſis, peccatorum remiſſio conceditur, præſertim vero iis, qui prius Jeſu Chriſti cognitionem non habuerint. Et hæc eſt Jeſu Chriſti gratia illa, quam Racovienſes intelligunt. Nec immerito. Chriſtus enim ipſe fuit, qui dixit Luc. 24. 46, oportuiſſe, ut Chriſtus pateretur, & prædicaretur in nomine ejus pœnitentia, & remiſſio peccatorum per omnes gentes, facto initio ab Hieroſolymis. Et Paulus ait Tit. 2. 11, extitiſſe gratiam Dei ſalutarem omnibus hominibus erudientem nos, ut ſobrie, juſte, ac pie vivamus in præſente ſæculo, expectantes beatam illam ſpem, & adventum Jeſu Chriſti. Per quem ſcilicet ea gratia extitit, quique tandem re implebit, quod Dei patris ſui nomine promiſit. Hoc Chriſti gratiæ tempus, mediationis quoque ejuſdem Chriſti tempus ideo (ut puto) Racovienſes appellarunt, quia ſcriptura teſtatur Rom. 8. 34, eum etiamnum in cælis à Dei dextris ſedentem interpellare pro nobis, & ſervare poſſe ad plenum eos, qui per ipſum accedunt ad Deum Hebr. 7. 25, ſemperque vivere, ut pro iis interpellet. Ex quibus aperte conſtat, Chriſtum tanquam medium inter nos, & Deum, tantiſper futurum, donec ad Deum acceſſus patuerit, & nos id, quod à Deo petimus, & expectamus, id eſt noſtri corporis (ut Paulus loquitur) Rom. 8 23, redemptionem obtineamus, qua peccatorum noſtrorum plena remiſſio continetur. Unde perſpicuum eſt, totum hoc tempus Chriſti mediationis tempus recte nominari poſſe, quidquid τῷ παρακλήτῳ nomen Chriſto poſt reſurrectionem tributum ſignificet. Quo, vehementer errans, putabas omnino adverſarios tuos reſpexiſſe. Quaſi vero aliunde de iſta Chriſti mediatione, quæ ad poſtremum uſque tempus duratura ſit, non multo clarius appareret. Quæ cum ita ſe habeant, quid Racovienſium ſententiæ obeſſe poteſt, quod, alia quadam ratione Chriſti gratiæ, & mediationis tempus finem multo ante habuiſſe, dici poſſit? Scimus & nos Sacris Literis edocti (nec Racovienſes negant) alterum iſtum Chriſti adventum, alterumque judicium, quod, urbe Hieroſolyma excindenda, Judaicaque natione diſſipanda, tot ſæculis ante factum eſt, ex quo, Chriſti gratiæ, & mediationis tempus ex parte quodammodo ceſſaſſe, dici poteſt. Verum hoc non impedit, quominus, quemadmodum verus ejus adventus, verumque judicium adhuc expectandum eſt, ſic etiam adhuc veræ gratiæ, ac mediationis ipſius tempus perpetuo duret.

4. Ex ante dictis intelligi poſſe arbitramur, quanto in errore verſeris, qui putes, diſtinctionem illam tuam appellationum Agni, & Leonis Chriſto tributarum, diverſarumque ante mortem, & poſt mortem Chriſti actionum, tanquam ex Scripturis Sacris depromptam, ab ipſis tuis adverſariis agnoſci, & comprobari, cum dicunt, nunc quidem gratiæ, & mediationis Chriſti tempus eſſe, ſed ipſum aliquando ceſſaturum, & tandem futurum, ut Chriſtus hoſtes ſuos ulciſcatur. Nam nihil hoc cum tua illa diſtinctione commune habet, qua fit, ut Chriſtus ex placido & miti, qui ante mortem erat, rigidus plane ac ſeverus, ſimulatque reſurrexit, factus fuerit, & ſtatim ſuorum hoſtium ultor, is, qui eis bene facere, proque eis orare ſolebat. Immo, diverſum prorſus eos ſentire, iſtud demonſtrat, cum, non ante poſtrema tempora placidum, ac mitem animum à Chriſto depoſitum iri, velint, nec ante vere, ac plene de hoſtibus ſuis dignas pœnas eum eſſe ſumpturum. Numquam negarunt adverſarii tui, Chriſtum in quibuſdam diverſum quodammodo à ſe ſeipſo pro temporum, & conditionis ſuæ ratione & fuiſſe, & futurum eſſe, ſed non in iis, neque eo tempore, quod tu affirmas. Nam, ſicut diverſitatem, quam ipſi confitentur, ex Sacris Literis hauſtam eſſe vident, ita, quam tu & aſſeris, & urges, minime ex Sacris Scripturis depromptam eſſe agnoſcunt.

VII. 1. Dixerant adverſarii tui, Chriſtum nuſquam vocare beatos perſecutores, homicidas, immites, impacificos. Tu hoc dictum ita accipis, ac ſi ex eo ab adverſariis tacite concluderetur, non licere magiſtratum eſſe, præſertim qui gladium geſtet, & homines aliqua ratione occidat, ut pag. 213, & 214, patet. Ubi multum laboras, ut concluſionem iſtam futilem eſſe doceas. Atqui fruſtra plane hoc loco tantum laborem ſumis, cum nihil aliud ex eo dicto concludere velint Racovienſes, niſi, non licere homini Chriſtiano bellum gerere, ſuaſve injurias uſciſci, ſive id jubente magiſtratu, aut per ipſum magiſtratum faciat, ſive minus. Nam de privatis hominibus inter vos potiſſimum diſputatur. Quos tu, licet Chriſtianos, tamen magiſtratus auctoritate in bello hoſtes occidere, & acceptarum injuriarum vindictam jure perſequi poſſe affirmas, illi negant. Nec vero ex eo, quod magiſtratus ipſe iſta faciendi jus habeat, ſequitur, privato homini, magiſtratus auctoritate interveniente, eadem licere. Qua de re ſatis diſputatum eſt à nobis ſuperioris partis cap. 2.

2. Verum non contentus, ex Racovienſium dicto id col-

id collegiſſe, quod colligi non debet, eos poſtmodum idipſum fere diſertis verbis dicentes facis: pag. enim 217, ſic ais, *Nuſquam, inquit*, (auctor ſcilicet ſcripti illorum) *hoc in capite* (Matthæi videlicet quinto) *Magiſtratus geſtans gladium, beatus dicitur.* Nam ubi quæſo verba illa in Racovienſium ſcripto legis? Siccine calumniari placet, & innocentes homines in invidiam vocare? Dices, multo pejora de magiſtratu gladium geſtante ab ipſis aperte affirmari. Reſpondeo primum, ſatis eſſe, ut calumniari merito dici poſſis, falſum eſſe, in eorum ſcripto verba iſta extare. Deinde, quid alibi, cum de magiſtratu gladium gerente loquuntur, ſibi velint, te minime intelligere affirmo, ut ſuo loco planum facere conabor.

VIII. Sed adhuc gravi calumnia miſeros premis, cum ad finem pag.216, ad hunc modum ſcribis, *Sub lege, inquit, beati erant immiſericordes, immites, inpacifici.* Ubi animadvertendum eſt, præter verbum *inquit*, ea ſcilicet omnia, quæ Racovienſium ſcriptorem dicentem facis, alio illo literarum charactere notata eſſe, qui, ipſa aliena verba te recitare, indicet. Nuſquam enim verba iſta in ipſorum ſcripto leguntur, ſed ne ſententia quidem. Quid igitur attinet, ſtatim, ut facis, ſubjicere, *Atqui hoc eſt conſulto inſanire. Ubinam in Lege Moſis hoc eſt ſcriptum?* Quod cum ſatis eſſe non videretur, adſcriptum eſt in margine, *Calumnia manifeſta in Dei Legem.* Itaque calumniari, quod tuum hac in re eſt proprium, eadem ipſa in re iis, quos calumniaris, attributum videmus. Quod quid ſit, piis, & cordatis hominibus judicandum relinquo.

IX. Objicis adverſariorum ſcriptori, quod omnino non intelligat dictum illud Pauli Gal.3.24, *Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum*, lectoremque ad ſcholia tua in Epiſtolam ad Galatas rejicis. Quaſi vero ſcholia iſta tua omnium jam manibus terantur. Expectandum autem videretur, donec ea in lucem ſaltem prodirent, nec antea tibi reſpondendum. Verumtamen illud interea affirmare auſim, Racovienſium ſcriptorem, non omnino locum illum non intelligere, quin recte plane in eo ſentire, quod ex eo probari exiſtimat, ex Chriſti diſciplina vitæ noſtræ inſtitutionem noſtram petendam eſſe, non autem ex Lege Moſis, non quidem quia hæc cum illa pugnet, ſed quia Chriſti diſciplina multo perfectior eſt, quam Lex Moſis, & nos Chriſti diſcipuli ſumus. Sciendum eſt enim, Paulum, ubicumque fidem Chriſti Legi opponit, fidei Chriſti appellatione Chriſti præceptorum obedientiam comprehendere, cum nemo Chriſto confidere dici poſſit, niſi ea faciat, quæ ipſe præcepit. Fiduciam enim, ſeu confidentiam fides iſta omnino declarat, ut locutiones illæ, Fides in Chriſtum, Credere in Chriſtum, præter alia multa, multoque certiora argumenta, quæ hoc loco explicare non eſt neceſſe, ſatis aperte docent. Quinetiam, quamvis Chriſti fides nihil aliud eſſet, quam Credere, Jeſum eſſe Chriſtum, ut tu ſine dubio arbitraris, tamen hæc ipſa fides Chriſti præceptorum obedientiam complecteretur. Nemo enim fuerit, qui credat, Jeſum eſſe Chriſtum, id eſt regem æternum à Deo humano generi datum, quo duce, & adjutore poſſimus & Satanam, & mortem ipſam vincere, ac ſuperare, æternamque vitam, & felicitatem conſequi, quin ipſi obtemperet, ejuſque mandata ſedulo exequatur. Cum igitur ait Paulus, Legem pædagogum noſtrum fuiſſe ad Chriſtum (non autem in Chriſto, ut tu veterem interpretem ſecutus locum recitas) atque Chriſti nomine, ut ex antecedentibus, & ſubſequentibus manifeſtum eſt, Chriſti fidem intelligat, nihil aliud ſibi vult, quam Chriſti diſciplina publicata, Moſis legem amplius nobis ſpectandam non eſſe, tanquam eam, unde adhuc inſtitutio noſtra petenda ſit. Ipſis enim pædagogi inſtitutis tamdiu puer tenetur, quamdiu eo perventum non eſt, quo pædagogi inſtitutio perducere debet. Sed poſtquam eo perventum fuerit, is ſub pædagogi diſciplina non eſt amplius, ſed perfectiorem vitæ rationem ætatique ſuæ convenientiorem inſtituere debet, quamvis pleraque eorum, quæ à pædagogo didicerat, nec puerilis ætatis ſunt propria, adhuc illi ſervanda ſint, quæ etiam multo facilius, & abſolutius, quam antea, ſervare poteſt. Quocirca non eſt, cur quis miretur, ſub Chriſti diſciplina, quamvis ea Moſis legi ſucceſſerit, multa ſervanda eſſe, quæ in Lege Moſis præcipiebantur, immo ea omnia, quæ ejus temporis, & puerilis adhuc Dei populi ætatis propria non erant, & ſimul facilius multo, atque abſolutius, quam ſub ipſa Moſis Lege fieret, præſtari poſſe. Unde factum eſt, ut Paulus Rom.3.31. per fidem (nempe Chriſti) legem (moralem videlicet Moſis) non modo non tolli, ſed ſtabiliri dixerit.

X. Rreprehendis pag. 223 eundem ſcriptorem, quod dixerit, Chriſtum charitatem, & patientiam docere, Moſem vero impatientiam, & odium, blaſphemiæque in Leges Dei per Moſem latas ipſum inſimulas. Atqui haud paullo aliter loquitur ipſe ſcriptor. Ait enim, Chriſtum multo perfectiorem charitatem, & patientiam docuiſſe, quam Moſem, ſub quo impatientiæ, & odio locus fuit, ut pag. 61 cuilibet legenti conſtare poterit. Sed demus tibi, Docere idem eſſe quod Permittere, quemadmodum poſtmodum loqueris (quamquam ne ſic quidem ſcriptoris ſententiam exprimis) &, quid pro reprehenſionis tuæ ratione afferas, conſideremus. Negas igitur, Moſem impatientiam, odiumque permittere, quia certum ſit, eum à privatis requirere obſervationem legis divinæ ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus erga Deum, & homines, & addis, *Cum autem omne dicitur, nihil relinquitur non incluſum, ubi eſt igitur iſta perfectio charitatis, quam prætermiſit Moſes & addidit Jeſus Chriſtus? Cum ille dicat, ex toto corde, anima, viribus, fortitudine amandum Deum & proximum.*

In hac tua ratiocinatione non uno modo graviter erras. Primum enim in eo fœde laberis, quod ais, Moſem dixiſſe, proximum amandum eſſe ex toto corde, anima, viribus, fortitudine. Nam id Moſes nuſquam dixit, qui nihil amplius præcepit, quam ut quiſque proximum, ut ſeipſum, amaret. Quod quid ſignificet, & quomodo perfectam charitatem minime declaret, alibi jam oſtendimus, idque ex eo etiam intelligi poteſt, quod ad perfectam charitatem, & qualis ea eſt, quam Chriſtus præcepit, non ſatis eſt proximum, ſicut ſeipſum, amare, ſed etiam plus, quam ſeipſum, amare eum oportet. Animas enim noſtras pro fratribus ponere debemus, 1 Joh.3.17. Deinde non intelligis, quid ſit Amare ex toto corde, anima, &c. Credis enim hoc idem eſſe, atque Ita amare, ut plus amari non poſſit, cum tamen certum ſit, idem locutionibus illis ſignificari, ac ſi diceretur Amare ex animo, in idque totis viribus incumbere, ut & verba ipſa præ ſe ferunt, & exempla non pauca aperte docent. Præterea non animadvertis, vim hujus diſputationis in eo eſſe, utrum eadem mandaverit Deus per Moſem, quæ per Chriſtum mandavit, non autem, utrum ita perfecte Moſis mandata ſervanda eſſent, ut ſervanda ſunt mandata Chriſti. Hoc dico, quia ex argumentatione tua nihil aliud concludi poteſt, niſi legem, quam Deus per Moſem dederat, perfectiſſime ſervandam fuiſſe, ut ipſa tua verba demonſtrant, cum ais, Moſem à privatis requirere obſervationem legis divinæ ex toto corde, ex tota anima &c. Quare, cum adverſarii tui dicant, in lege divina per Moſem lata non eam charitatem, & patientiam præceptam fuiſſe, quam poſtea Chriſtus præcepit, hoc tantum ex argumentatione tua efficietur, iſtam minorem charitatem, atque patientiam, quam lex Moſis præcipiebat, non minus perfecte ſervandam fuiſſe, quam majorem illam à Chriſto præceptam, id quod adverſarii tibi facile concedent. Sed, ut vides, hoc nihil ad rem facit, nec aliquid agis, niſi probes, idem prorſus in lege Moſis, quod ad charitatem ipſam, & patientiam attinet, mandatum fuiſſe, quod à Chriſto mandatum fuit. Hoc vero nunquam, ne in ſpeciem quidem, facere poteris. Namque, ut

dictum

dictum eſt,nec charitatem illam erga proximum ex toto corde, &c. in Moſis lege mandatam fuiſſe, apparet (hic vero de charitate erga proximum agitur) nec charitas erga Deum,quãtumvis perfecta,quæ mandata fuiſſet,aliud præterea complecti poterat,quam eorum quæ Deus præceperat, plane diligentem abſolutamq; conſervationem.

XI. Aſſeritur in Racovienſium ſcripto, ut ſupra viſum fuit, ſub Euangelio non licere ob leves cauſſas uxorem dimittere, immo ne ob graves quidem, niſi propter adulterium, cum tamen aliter ſub Lege eſſet. Ad quod probandum Pauli præceptum afferunt, ex quo, ne propter ipſam quidem religionis diverſitatem uxorem dimittere licere, conſtat, cum tamen ſub Lege ob diverſam religionem uxoris repudium eſſet. Hic tu & indiligentiæ, & imperitiæ ſcripti auctorem damnas, ut ex iis conſtat, quæ pag.226, & 227, ſcribis, & ais, ideo ſub Euangelio diſparia propter religionem conjugia non dirimi, quia jam præputiatæ gentes, ſi credant, Jeſum eſſe Chriſtum, Deum habent, & cum Iſraëlis republica numerantur. Quare, ſi contigerit, unum ex duobus conjugatis non circumciſis credere, Jeſum eſſe Chriſtum, etiamſi alter non credat, non tamen is, qui credit, non eſt ex populo Dei. Sed quid hoc ad rem facit? Nonne conjugatus iſte ex populo Dei eſſe poſſet, & tamen matrimonium iſtud amplius non conſiſtere, aut ſaltem ipſe, ſi vir ſit, uxorem dimittendi poteſtatem habere? Hinc patet, nihil eſſe, quod poſtmodum addis, nuſquam legi, ante natum Jeſum Chriſtum, ſi quis non natura Judæus per circumciſionem Judæus factus eſſet, coactum fuiſſe uxorem, quæ Judæa fieri nollet, deſerere. Nam & ſatis eſt ad Racovienſium rationem concludendam, eum illam deſerere potuiſſe; nec ipſi ſane urgent, ſub Lege diſparia ob religionem conjugia omnino dirimenda fuiſſe, ſed tu id ipſis more tuo affingis. Sic enim ſe habent ipſorum verba pag.61. *Paulus etiam infideles ferre jubet, ſi conſentiant cohabitare, quod ſub lege non fuit, ubi divortium ob leves cauſas fuit, & ob diverſam religionem repudium*, non autem (ut tu ex tuo capite in ſexta, quam facis eorum objectione pag.225 ea formare voluiſti) *Paulus non judicat dividenda matrimonia inter fidelem & infidelem inita, quæ Moſes juſſit dividi & Eſdras eſt executus.* Itaque probandum tibi fuerat,ne ſub Lege quidem ei,qui per circumciſionem Judæus factus eſſet, uxorem, quæ Judæa fieri nollet, ſi ea cum ipſo habitare conſenſiſſet, dimittere licuiſſe,aut certe,ut adverſarii contrarium probarent, poſtulandum. Quod tamen non recte omnino poſtulaſſes, cum ipſi ſatis habeant, oſtendiſſe, ſub Euangelio, etiam ob graviſſimam cauſſam diverſitatis religionum uxorem dimittere non licere, etenim pro conceſſo quoddammodo ſumunt, ſub Lege ob leves cauſſas id facere licuiſſe. Eſt autem id vehementer ridendum, quod non ſolum credis, Racovienſes hanc differentiam inter Legem,& Euangelium ſtatuere, quod ſub Lege Judæo homini alienigenam ſibi junctam in matrimonio habere non liceret, ſub Euangelio autem liceat, ſed etiam,id verum eſſe,concedis,&rationem affers,quare id ita ſit,cum tamen nec Racovienſes id dicant, nec id verum videri poſſit. Quandoquidem etiam ſub Lege Judæus homo alienigenæ per matrimonium jungi poterat, modo alienigena Jehovam Deum agnoſceret,& Moſis Legi ſe ſubjiceret. Ita ſub Euangelio poteſt Judæus homo alienigenæ in matrimonium copulari, modo alienigena credat, Jeſum eſſe Chriſtum, & ſeſe Chriſti diſciplinæ addicat, atque hac in parte idem ſub Euangelio præſtat Chriſti fides, quod ſub Lege circumciſio, & alia quibus Judaici nominis profeſſio continebatur. Cæterum, quod rationem affers, cur inter Judæum, & non Judæum divulſiones matrimoniorum fierent ſub Lege, non autem inter fidelem, & infidelem ſub Euangelio, quia ſcilicet nullum periculum erat, ne infidelis infidelem ad cultum alienorum Deorum traheret, quemadmodum erat, ne Judæus à non Judæo traheretur, id à te non ſolum, quod ad rationem attinet, contra omnem rationem, omnemque experientiam dicitur, ut alibi oſtendemus, ſed dictum ipſum aut plane falſum eſt, aut nihil ad rem facit. Nam, ſi Judæi nomine natura Judæum intelligis, falſum eſt, inter natura Judæum, & non natura Judæum matrimonium conſiſtere non potuiſſe,modo non natura Judæus,poſtea Judæus eſſet factus,ut paullo ante dictum eſt. Sin autem Judæi nomine non natura Judæum, ſed quocunq; modo Judæum intelligis,id etiam (ut tibi ipſi placet)non erat perpetuum,ſed tunc demum verum erat, ſi ab initio contracti matrimonii jam diverſitas iſta religionis in utroque fuiſſet. Nam, ſi ea ſuperveniſſet, non concedis, eo caſu matrimonium omnino dirimi debuiſſe. Quod ſi dicas, te eum caſum tantummodo intellexiſſe, cum ab ipſo initio unus Judæus eſt, alter vero minime, & ita eſſe perſeverant; Primum nullam hic differentiam inter Legem, & Euangelium oſtendere poteris: nunquam enim probabis, matrimonium inter fidelem, & infidelem ab initio contractum, ſi in eodem ſtatu religionis permaneant, dirimi non debere. Deinde, etiamſi id probares, hoc nihil ad rem faceret, cum Pauli præceptum, ex quo adverſarii tui differentiam inter Legem, & Euangelium colligunt, non ad iſtum caſum, ſed ad eum pertineat, cum ex duobus infidelibus ab initio in matrimonio conjunctis unus fidelis fit, altero infideli permanente, ut tu ipſe,cum poſtremo urges, nuſquam legi, matrimonium ab initio inter duos non Judæos contractum, ſi alter eorum Judæus factus eſſet, omnino diſſolvi debuiſſe, non confiteris modo, verum etiam ſatis aperte contendis.

XII. Objicis non obſcure adverſariis tuis, quod negent licere, magiſtratu jubente, juramentum præſtare. Quæ, ut ſtatim videbimus, calumnia cenſenda eſt. Verum, antequam id ita ſe habere oſtendam, ne ego ipſe calumniari videar, indicandi ſunt loci, ex quibus perſpicuum eſt, te id, quod dixi, adverſariis objicere. Primum enim pag. 227, formata ſeptima, quam ipſe ſtatuis, adverſariorum objectione, his verbis, *Juramenta permittit Lex Moſis, Chriſtus non permittit*, in reſponſione deinde, cum oſtendere velles quæ juramenta Chriſtus vetet, ea verba inter alia ſcribis, *Illa enim quæ deferente Magiſtratu juramenta fiebant, & de præteritis rebus & ad formam conceptam à Magiſtratu, non ad arbitrium eorum qui jurabant proprium, jurabantur.* Ex quibus apertum eſt, te id quærere, ut probes, juramenta à magiſtratu delata à Chriſto interdicta non fuiſſe. Atqui nihil ea re opus eſſet, niſi plane ſtatueres, adverſarios velle, iſta quoque ab ipſo interdicta fuiſſe, immo niſi, cum dicunt, Chriſtum juramenta non permittere, ea juramenta potiſſimum eos intellexiſſe velles. At deinde id apertius docet concluſio illa tua pag.229. *Sicut autem falſum eſt Jeſum Chriſtum negare, ne coram magiſtratu, ipſo jubente juremus veritatem quam novimus, ita verum eſt, &c.* Nam quid aliud ſignificant verba illa, *falſum eſt*, quam adverſarios tuos ita ſentire ſed falſos in eo eſſe? Præterea, ſi quis ea legerit, quæ ſcribis hac de re pag.141, ubi multum laboras, ut probes, licere magiſtratui juramenta deferre, eique parendum eſſe, ſi jubeat, ut juretur, nihil dubitabit, quin id potiſſimum agas, ut contrariam, quam eſſe putes, adverſariorum ſententiam refellas. Verum, ex quibus ipſorum verbis eam collegiſti? Nunquid ex illis, quæ ſcripta ſunt pag. 62? *Sic omnia juramenta Chriſtus ipſe ſuis vetat, ne omnino jurent*, & aliis, quæ in eandem ſententiam paullo poſt repetuntur? Atqui, cum ipſi univerſe loquantur, nec aliis fere verbis, quam iis ipſis, quæ Chriſtus dixit, utantur, debent quoque eorum verba univerſe, & generatim accipi, nec aliter intelligi, atque Chriſti verba intelligantur, ex quibus etiamſi de privatis tantum juramentis eum agere concedamus, tamen magnum inter ipſum, & Moſem ea in re diſcrimen apparet, ut alibi ſupra à nobis oſtenſum fuit, idque Racovienſibus ſatis eſt. Nunquid ex illis, quæ ibidem dicunt, finem omnis controverſiæ ſub Lege inter Iſraëlitas juramentum fuiſſe, ex quibus apparere fortaſſe quis dixerit, eos velle dicere, hoc ſub Euangelio non amplius eſſe? Non certe. Quid enim

etiamſi

etiamsi id verum esset? Certe sententia illa ex Epistola ad Hebræos Heb.6.16. desumpta, non ad controversias tantum refertur, quæ coram magistratu inter privatos sunt, sed ad omnes alias privatas controversias, in quibus quiescit altera pars, si altera id, quod affirmat, aut negat, jurejurando interposito confirmet. Quin locus ipse ejus Epistolæ indicat, de plane voluntariis juramentis præcipue sententiam illam accipi debere, non autem ab alio delatis. De Dei enim ipsius jurejurando ibi agitur quo se Abrahamum multiplicaturum, & felicitaturum confirmavit. Cujus rei occasione dicitur, hominibus omnis controversiæ finem ad rei confirmationem jusjurandum esse. Quamobrem, quamvis concedatur, Racovienses voluisse dicere, sub Euangelio sententiam istam non amplius locum habere, non tamen juramenta quæ magistratus deferat, tollentur. Satis enim, superque verum erit, non amplius omnis controversi finem jusjurandum esse, si omnia voluntaria juramenta, quæ in privatis controversiis adhiberi solent, interdicta esse statuatur.

Sed jam video, ex quibus adversariorum verbis te id collegisse, dicturus sis, quod ego illis à te falso objici, affirmo. Nempe ex illis eadem pag.62: *Et sane juramentorum forensium nullus usus esse poterit, cum & ipsa judicia, seu lites judiciales piis interdictæ sint, ut, &c.* Sic enim puto legendum esse, non autem, *interdicta, ut*, &c. quemadmodum editum est. Hic primum dico, hæc verba ita interpretanda esse, ac si dictum fuisset, Et sane ipsorum etiam forensium juramentorum, &c. Nihil enim aliud dicere voluisse Racovienses videntur, quam, etiamsi universali Christi, & Jacobi mandato forensia juramenta non tollantur, quippe cum Christus, ad cujus sententiam Jacobi verba sunt accommodanda, de privatis juramentis prorsus agere videatur, tamen nihilominus ipsis etiam forensibus juramentis nullum locum futurum, cum lites piis hominibus hodie sint interdictæ. Sed fac deinde, adversarios tuos sensisse, omnia forensia juramenta à Christo interdicta fuisse, Dico, forensium juramentorum appellatione eos nequaquam ea juramenta intellexisse, de quibus hoc loco agimus. Agimus enim de iis juramentis, quæ magistratus ad veritatem deprehendendam jurari ipse jubet. At forensia ista juramenta ea sunt, quæ plane cessant, si quis à litigando abstineat. Sic enim ipsorum Racovienqum verba demonstrant. In litibus porro nullum fortassis jusjurandum omnino jurari magistratus ipse jubet. Alterutra enim parte petente, aut certe in alterutrius partis commodum juramenta deferuntur. Quocirca sine ulla vel magistratus, vel veritatis ipsius injuria, pars, cujus interest, ut juretur, curare, ne juretur, potest. Unusquisque enim beneficio, jurique suo renunciandi potestatem habet. Sed longe aliud est, cum magistratus ipse sua sponte, & ex officio (ut dicitur) jubet, ut juramentum præstetur, quemadmodum in criminibus evenire solet, quo casu non sine ipsius magistratus, atque adeo ipsius veritatis offensione is, qui jurare est jussus, à jurando abstinere potest, nemo enim jurare jubetur, nisi vel jam de re testatus fuerit, vel testaturus sit. Quod si quis jusjurandum præstare non vult, cur etiam à testimonio dicendo non abstinet? Verum de hujusmodi juramentis, ut dictum est, Racovienſium verba nullo modo accipi possunt, sed de iis sunt omnino accipienda, quæ, tametsi coram magistratu præstantur, in gratiam tamen ipsorum litigantium deferuntur. Atque huc respiciunt alia eorundem Racovienſium verba ad finem pag.76, ubi juramenta detestantur, quæ magistratus propter litigantium pervicaciam deferre quodammodo compellitur, quæ etiam à Christo interdicta fuisse, affirmare videntur. Sunt enim ejusmodi juramenta, si quis penitus rem introspexerit, voluntaria, & ad quæ præstanda, aut deferenda, nihil nisi privatorum voluntas movet. Quod si tamen ex voluntariis necessaria aliquo modo fierent, & magistratus ipse omnino juberet, ut præstarentur, alioquin is, qui jurare nollet, insigni aliqua injuria afficiendus esset, tunc crediderim ego, Christianum hominem jurare posse, nec multo aliter sentire videntur ipsi Racovienses loco prædicto. Ibi enim non ipsum privatum, qui, magistratu deferente, juret, reprehendunt, aut damnant, sed ipsum magistratum potius, qui nullam graviorem ob causam, quam ut vel litigantibus morem gerat, vel seipsum a molestia liberet, temere juramenta defert.

XIII. 1. Sequitur alia sane gravis tua in tuos adversarios calumnia, sed ea ita evidens, ut ipsam diluere minime sit necesse. Dixerant ipsi, Christum docuisse, non esse vindicandum ullo modo nec per se, nec per judices, cum tamen in lege Mosis vindicta licita fuisset, quam vindictam Christus reprimebat. Hanc tu ipsorum sententiam pag. 229 his verbis complexus es, *Moses vindictam permittit, Christus vindictam non permittit.* Ex quo colligis, ipsos affirmare, Christum prohibere publicam vindictam, ne fiat à judice, & Christum, omnino nulla ratione esse vindicanda à judice mala, decernere. Ut patet ex fine prædictæ pag. 229, & seq. initio, ex quibus locis nos ipsa verba tua hic descripsimus. Jam quanta est hæc calumnia, cum apertissimum sit, ipsos de privatis agere, quibus interdictum fuisse à Christo volunt, neve per se ipsos, neve per judices suas injurias vindicent! Quid enim hoc ad vindictam publicam omnino tollendam? Nam quid vetat (ut alibi jam disputatum à nobis est) quominus Magistratus ex officio, adde vel alio quopiam, qui Christi verus discipulus non sit, accusante, in crimina animadvertat? Hic enim non ipsi magistratui, sed privatis præcepta dantur, quos per magistratum suas injurias ulcisci posse, Christo non reclamante, contendis, Racovienses vero plane negant. Quid de ipso magistratu ipsi sentiant, postea videndum erit, nec, si quid alibi dicunt, quod ipsi magistratui, si Christianus esse velit, in maleficos vindicare omnino adimere videatur, propterea eodem quoque ea ipsorum verba trahenda sunt, quæ quam longissime ab ea sententia absunt.

2. Verum non satis habuisses, nisi aliam quoque calumniam priori attexuisses, quæ multo etiam, quam illa evidentior est. Objicis enim eodem tempore adversariis tuis, quod Mosem privatam vindictam concedere affirment. Nam quid aliud sibi volunt verba tua, cum, adversus illos disputans, ais, falsum esse, Mosem vindictam privatam concedere? Sed quomodo hæc scribere es ausus, cum ipsi disertis verbis istud ipsum negent, quod tu illos dicentes facis? Sic enim in eorum scripto legitur ad finem pag. 62. *Oculum pro oculo, dentem pro dente Moses vindicandum docuit, idque per judices, nullam enim vindictam privatam usquam præscribit vel permittit. Christus autem vindictam legalem reprimit*, &c. Poterantne apertius negare, à Mose privatam vindictam concedi, cum non solum id verbis expressesserint, sed etiam manifeste ursserint, atque contenderint? Ad hunc enim modum ratiocinantur. Moses nusquam in Lege privatam vindictam præscribit, aut permittit, sed per judices tantum. At Christus legalem vindictam reprimit. Igitur Christus ne per judices quidem vindictam à suis expeti vult. Hincque apparet, quid sibi voluerint, cum antea dixerunt, in Lege Mosis vindictam licitam fuisse, unde eos calumniandi occasionem arripuisti. Non enim privatam, sed per judices expetitam vindictam intellexerunt. Apparet etiam, quid ea ipsorum verba significent, Christum vindictam legalem reprimere, quæ tibi ad superiorem calumniam struendam ansam præbuerunt. Neque enim simpliciter, & absolute legalem vindictam, sed quatenus privati ipsi eam quærere poterant, à Christo reprimi dicere voluerunt. Cæterum, quod ajunt, Mosem nusquam ullam privatam vindictam permisisse, ita interpretandum est, ut & de propria vindicta eorum verba accipiamus, cum post acceptam injuriam aliquod temporis spatium elapsum est, & ad eos tantum non ulciscendos, qui ex eodem populo erant, id pertinere intelligamus.

1. In-

XIV. 1. Indoctiſſimum in ipſo pag. 233. initio vocas Racovienſium ſcriptorem, qui præceptum, ſive adhortationem illam Chriſti, ut adverſario noſtro reconciliemur, cum ejuſdem præcepto de dando etiam pallio ei, qui noſtram tunicam accipere velit, hoc modo conjunxerit, inquiens, Chriſtum non ſolum ſuadere, ut cum adverſario reconciliemur, ſed etiam ei, cui nihil debeamus, omnia noſtra relinquamus potius, quam judicio cum eo experiamur. Ais enim, Chriſti monitionem de dando pallio ad divites pertinere, qui, ſi quis pauper ab eis tunicam petat, pallium quoque dare debent potius, quam propter non datam tunicam coram Deo judice cum paupere contendere. Quod nihil cum monitione de ſe adverſario reconciliando commune habet, quæ ad eum pertinet, qui conviciatus fuerat proximo ſuo. Non laborabo, ut, etiamſi hic verborum Chriſti ſenſus eſſet, conjungi tamen duas haſce monitiones potuiſſe, oſtendam, ſed tantum præter ea, quæ ſupra diſputata ſunt, cum oſtenſum eſt, te peſſime monitionem illam de pallio dando interpretari, nec tibi ipſi ea in re ulla ratione conſtare, verba tua, quorum prius mentionem non feceram, afferam, in quibus te ipſum refellens adverſariorum interpretationem aperte confirmas Ea ſunt ad finem pag. 148. ubi, cum dixiſſes, ſi quis bona noſtra rapiat, eique rapinæ magiſtratus conſentiat, nihil nobis ſupereſſe, ſi noſtra recuperare velimus, quam invaſorem invadere, noſtraque repetere, oculum pro oculo, &c. illico addis, *At ſatius eſſe tum dicit Jeſus Chriſtus, ut pallio, quod raptum eſt addas etiam tunicam, quam ut hoc facias, & privata auctoritate per vim tua repetas.* Vides, te hic monitionem Chriſti de pallio dando ad eum, cui propria bona rapiantur, referre, id eſt ad eum, qui nihil ullo jure debeat, ut adverſarii tui faciunt, non autem ad divitem, à quo pauper petat, qui divino jure petenti dare cogitur. Et tamen in initio pag. 234. ſtolidum eorum ſcriptorem appellare non dubitas, vel potius ejus ſtoliditatem admirari, quia ſcilicet dixerit, iſtum, à quo eſt, qui tunicam accipere velit, nihil illi debere. 2. Nihil autem dico, quod ſcriptorem iſtum calumniaris, cum ais, ipſum putare, iſtas duas monitiones de eadem re loqui, & unam eſſe legem. Nam unuſquiſque per ſe id facile animadvertet.

XV. Pergis autem, & pag. 235. in undecima, quam adverſariorum facis, objectione eos affirmantes inducis, non licere per jusjurandum coram judice ſua bona recuperare. Hæc (quidquid illi hac de re ſentiant) manifeſta calumnia cenſenda eſt, cum in eorum ſcripto id nuſquam legatur.

XVI. Rurſus pag. 254. objectionem decimam nonam adverſariorum formans, eos affirmantes facis, propterea non poſſe quempiam magiſtratum ſimul, & Dei filium eſſe, quod magiſtratus, occidens amicos, & inimicos, neutros diligat, cum Dei filius diligat utroſque. Hæc quoque calumnia cenſenda eſt. Nuſquam enim hoc in eorum ſcripto adverſarii dicunt, præſertim vero eo in loco, quem ex ſerie iſtarum, quas illis tribuis, objectionum perſpicuum eſt te intelligere. Is eſt à fine pag. 66. uſque ad principium pag. 69. ubi ſemper de privatis, quid facere debeant, ut ſint filii Dei nunquam de magiſtratus officio eſt ſermo. Nec porro magiſtratus ulla ibi fit mentio, niſi quatenus, privato homini ſe per magiſtratum ulciſci non licere, affirmatur. Nec ſane vel de magiſtratus officio, vel de magiſtratu gerendo, an videlicet homini Chriſtiano eum gerere liceat, ne verbum quidem in eorum ſcripto habetur ante finem pag. 71 ubi demum his de rebus diſputatio incipit.

XVII. Dixerant adverſarii, eum, qui ſe per judices ulciſcitur, non habiturum mercedem illam centupli in cœlis iis repoſitam, qui miſericordes, & benigni fuerint, cum illi talionem hic per judices extortam antepoſuerit. Nam nec binam ſane mercedem ſperare poteſt. Hic tu pag. 258. eos acriter reprehendis, & ais, *Unde nam excidunt tam phanatica dicta?* Deinde, ut oſtendas, homines plus, quam unam mercedem habere poſſe, primum ais, eum, qui orat, eleemoſynam facit, & jejunat eo modo, quo debet, habiturum tres mercedes, unam orationis, alteram jejunii, tertiam eleemoſynæ. Quo nihil ineptius dici poterat, cum de mercede duplici, quam unius ejuſdemque rei cauſſa quis accepturus ſit, manifeſte agatur. Et tamen rurſus infra ad idem confirmandum ais, nos tot mercedes in cœlo paratas habituros, quot in nobis erunt virtutes promiſſionem habentes à Deo. Sed hic deinde aliud exemplum ſubjicis, ubi pro eodem opere duplicem mercedem, præſentem, & futuram accipi, te demonſtrare poſſe confidis, & complura poſtmodum congeris, ut probes, duas iſtas mercedes dari. Sed quorſum tandem hæc omnia? Nam certe nihil omnino ad rem faciunt. Quandoquidem in adverſariorum mente percipienda, etſi eam ipſi ſatis dilucide explicant, mirabiliter es hallucinatus. Neque enim negant ipſi, duplicem mercedem à quoquam accipi poſſe, ne pro eodem quidem opere, nedum pro diverſis, ſed ajunt, fieri non poſſe, ut quis & mercedem habeat operis, ſeu facti alicujus, & ſimul eam mercedem accipiat, quæ ab eo opere, ſeu facto abſtinentibus debetur. Nam ſi quis, magiſtratum adeundo, talionem acceptæ injuriæ extorqueat, hæc ſane merces erit ipſius facti magiſtratum adeundi pro vindicanda injuria. Sed privabitur interim neceſſario cæleſti mercede, quam Deus per Chriſtum illis promiſit, qui ita fuerint miſericordes, atque benigni, ut nulla ratione, ne per magiſtratum quidem, ſuas ulciſcantur injurias. Sunt enim hæ duæ mercedes inter ſe repugnantes, & altera alteram omnino excludit. Itaque, cum Racovienſes ajunt, non poſſe iſtum binam mercedem habere, præterquam quod ad haſce duas mercedes, ut ex ipſorum verbis patet, reſpexerunt, eodem etiam loquendi modo ſunt uſi, quo dominus Jeſus utitur, cum ait Matth. 6. 24. neminem poſſe duobus dominis ſervire. Conſtat enim (ut tu ipſe in ejus loci explanatione, pag. 178, & 179. itemque in Paraphraſi, pag. 211. aperte doces) Chriſtum non omnino negare voluiſſe, quemquam duobus dominis ſervire poſſe, ſed tum demum, ſi illi duo domini ſibi adverſentur adeo, ut quemadmodum ibidem ipſe adjicit, ſi quis velit unum amare, neceſſe ſit, ut alterum odio habeat. Quales ſunt Deus, & Mammona, de quibus, concludens, ibidem ait, *Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.* Hanc, quam diximus, Racovienſium mentem ipſe fortaſſe tandem aliquo modo ſentiens, pag. 261. oſtendere conaris, ei, qui ſe ipſe non ulciſcatur, ſed ad magiſtratum injurias ſuas deferat, mercedem apud ipſum Deum repoſitam eſſe, propterea quia ea in re Dei vicarium magiſtratum, & porro ipſum Deum veneretur. Nam *ſolemus* (inquis) *alioqui laudare eos, qui offenſi à noſtris mancipiis, non eos ipſi pulſant, ſed nobis eorum dominis pulſandos deferunt.* Sed ut cætera multa omittam, quæ hoc loco tibi reſponderi poſſent, dico, oportuiſſe te, cum hæc ſcriberes, meminiſſe, Deum non modo non velle, ut quis per ſe injurias ſuas ulciſcatur, ſed nec etiam ut ad ipſum earum ulciſcendarum gratia accedat, nedum ad ipſius quoſcunque vicarios. Vult enim (ipſo Chriſto teſte, ac monitore Matth. 5. 44.) ut pro iis, qui nos maximis injuriis affecerint, & afficere pergant, ſe oremus, non autem apud ſe, nos ulciſcendi cauſſa, expoſtulemus. Qua de re mox videndum erit. Huc accedit, quod non ſemper is, qui magiſtratum adit, ut ſuas injurias vindicet, ejuſmodi eſt, ut & poſſit, & commodum alioqui ſibi futurum putet, ſi ipſe per ſe eas ulciſcatur, & ita, cum alia ratione ſibi optime proſpicere poſſet, magiſtratum tamen adeat, à ſeque per ſe ipſum ulciſcendo ſua ſponte abſtineat. Immo pauciſſimi erunt, ex iis, quibus per te ad magiſtratum accedere licebit, qui idcirco magiſtratus opem non implorent, quia vel ſeipſos vindicandi ipſi vires non habeant, vel, ſi id faciant, valde incommodum poſtmodum id ſibi futurum arbitrentur. Quare nulla prorſus iſtis pro adito magiſtratu merces deberi

poteſt, cum, non ut Deum in magiſtratu, ſive etiam ipſum magiſtratum venerarentur, ſed ut propriæ libidini ſatis facerent, commodiſque ſuis conſulerent, ad magiſtratum injurias ſuas detulerint. At vero illis apud ipſum Deum merces ex ipſius promiſſo debetur, qui non ſolum per ſe ipſos, ſed ne per magiſtratum quidem, cum tamen alterutrum commode facere poſſent, acceptarum injuriarum pœnas repetierunt, atque ita debitoribus ſuis omne debitum ex animo condonarunt, ac remiſerunt, ut Deus nos facere vult, ſi nobis quoque ab ipſo omnia debita noſtra condonari, ac remitti velimus Matth. 6. 14. 18. 35. & ſic corpora noſtra propter peccata morti obnoxia ab interitu, ac corruptione vindicari, & beata immortalitate donari. Qua nulla amplior merces ne cogitari quidem poteſt.

XVIII. Scribis pag. 262. in Racovienſium ſcripto contineri, Moſem obſervantibus legem Dei proponere mercedem terram Chananæam. Quod non uno modo, falſum eſſe, demonſtrare conaris, & ex parte demonſtras. Sed ſine ulla cauſſa. Neque enim id ſcripto Racovienſium continetur. Itaque hac in re, ſi minus calumniam, at certe lapſum tuum inſignem animadvertere licet. Relege ipſorum ſcriptum, ut una cum ſcriptis tuis editum eſt, & me veriſſima loqui comperies. Immo ibi pag. 65, & 72. terram Chanaan poſſeſſionem Dei populi ſub Lege fuiſſe, ſcriptum invenies, illi à Deo traditam, non autem mercedem. Mercedem vero non ipſam Chananæam terram, ſed terrenas benedictiones apud Moſem Legem ſervantibus ubique promiſſas fuiſſe, ex iis, quæ pag. 68. ſcripta ſunt, manifeſto deprehendes.

XIX. Sed jam de reprehenſione quadam tua videndum eſt, quæ maximi ſane momenti cenſeri debet. Tui enim adverſarii, ut probarent, non licere homini Chriſtiano per magiſtratum ſuarum injuriarum vindictam expetere, pag. 70. hoc etiam argumento uſi fuerant, quod ne per Deum quidem ipſum eam expetere liceret. Idque ex eo conſtare putabant, quod quilibet Chriſtianus pro iis, à quibus injuria afficitur, Deum orare debet. Hoc tu reprehendis, tanquam non recte concluſum, utque id perſuadeas, duo facis. Primum exemplis, teſtimoniisque ex Sacris Literis prolatis, oſtendere conaris, hominem pium & Chriſtianum poſſe à Deo vindictam acceptarum injuriarum poſtulare. Deinde adverſariorum rationem, qua contrarium demonſtrari poſſe ſperant, totis viribus convellere niteris.

I. Quod ad primum attinet, pag. 263. profers primo loco id, quod narratur in Apocalypſi 6. 10. de animabus illis interfectorum propter ſermonem Dei, quæ clamabant voce magna, dicentes, *Uſquequo Domine Sanctus & verus non judicas, & vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?* Verum quis tam cæcus eſt, ut non videat, eo in loco proſopopœjam eſſe, inducique in viſione illa animas iſtas ad eum modum clamantes, ut ſignificetur, Deum non obliviſci afflictionum ſuorum, & quamvis diu expectet, & vindictam innocentis ſanguinis ab hujus mundi principibus fuſi multum differat, tamen aliquando futurum, ut meritas pœnas de illis ſumat? An non legimus, Deum dixiſſe Caino Gen. 4. 10, ſanguinem fratris ejus Abelis ad ſe clamare? Quid hoc aliud eſt, quam Cainum propter fuſum fraternum ſanguinem dignum fuiſſe, qui à Deo puniretur, idque è Dei memoria nequaquam excidiſſe? Vide Hebr. 11. 4. & cap. 12. 24. Sed addis, ſcriptum eſſe de ipſo Chriſto 1 Petr. 2. 23, quod traderet, ſeu committeret τὴν ἐκδίκησιν, id eſt vindictam, ei, qui juſte judicat. Non ita ſcriptum eſt, Palæologe. Non eſt enim apud Petrum verbum τῷ ἐκδίκησιν, ut tu (ne quid gravius dicam) nimis confidenter affirmas. Sed ſcriptum eſt ibi, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως. Nam ſi dicas, aliquid omnino ſubaudiendum eſſe, nec aliud ſubaudiri poſſe, niſi τῷ ἐκδίκησιν, Primum dico, te debuiſſe verba recitare, ut ſcripta fuere, non autem verbum illud de tuo addere, & ita addere, ut nemo futurus ſit, qui, ſi tibi fidem adhibeat, non omnino ſit crediturus, ita plane ſcriptum eſſe, præſertim cum poſt verbum ἐκδίκησιν ſtatim ſubjungas, *de hac enim loquitur*, quaſi nil inquirendum præterea relinquatur, niſi, quid verbum ἐκδίκησις apud Petrum ſignificet, & de qua vindicta Apoſtolus loquatur. Deinde nego, neceſſe eſſe verbum illud ſubaudire. Nam etſi nonnulli ex interpretibus Latinis id ſubaudiendum putarunt, alii fuerunt, qui aliter exiſtimarunt (& recte quidem judicio meo) & locum ita converterunt, *Cauſam vero commendabat*, &c. ſive, ut Caſtellio fecit, *Sed rem juſte judicaturo committebat.* Et ſane ex verbis illis, τῷ κρίνοντι δικαίως, id eſt juſte judicanti, ſatis apparet, Petrum dicere voluiſſe, non quidem Chriſtum à Deo petiiſſe, ut ſe ulciſceretur (quod tamen tibi apertum eſſe videtur) ſed totius rei, & cauſſæ cognitionem, atque judicium Deo reliquiſſe, ac permiſiſſe. Hanc enim vim verbum παραδίδωμι habere poſſe, nemo eſt (opinor) qui ignoret, id quod etiam ex locis illis intelligi poteſt. Rom. 1. 24. 26, & 28. in quibus omnibus Caſtellio verbum παρέδωκεν Permiſit interpretatus eſt, auctorem imitatus doctiſſimarum illarum annotationum, quæ in Vatabli (ut vocant) bibliis leguntur, qui ad primum ex prædictis tribus locis ſic annotavit, *Id eſt permiſit illos cupiditatibus cordium*, &c. Quocirca, etiamſi tibi daretur, omnino in Petri verbis ſubaudiendum eſſe τὴν ἐκδίκησιν, non tamen aliud intelligi neceſſe eſſet, quam Chriſtum non curaſſe, ut ſeipſum aliqua ratione ulciſceretur, ſed vindictam Deo permiſiſſe, id eſt illi curam reliquiſſe ulciſcendorum affligentium ſe, ſi quidem dignos, in quos vindicaretur, illos judicaſſet, nec ſibi id, quod Dei proprium erat arrogaſſe. Mirifice autem iſtum Petri locum illuſtrat id, quod ſcriptum eſt à Paulo Rom 12. 19, *Non vos ipſos ulciſcentes, dilecti, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim, Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.* Ubi perſpicuum eſt, Paulum nihil aliud intelligere, quam neminem ſibi arrogare debere, ut quemquam ulciſcatur. Id enim Dei ipſius proprium eſſe, non autem, rogandum eſſe Deum, ut ipſe ulciſci velit. Nam quomodo id coveniſſet cum eo, quod ſtatim addit? *Si igitur eſuriet inimicus tuus, ciba illum*, Quid enim commune habet hoc cum illo? Immo vero, quid magis vindictæ deſiderio, ac petitioni adverſari poteſt, quam beneficiorum datio? Quid porro magis abſurdum, aut potius impoſſibile, quam Chriſtum, qui pro ſuis interfectoribus patrem orabat Luc. 23. 34. ut illis ignoſceret, eundem ab eodem petiiſſe ut in iſtos ipſos, aut eorum ſimiles vindicaret?

Sed quid dicemus, quod ad hanc vindictæ petitionem illa ipſius Chriſti verba trahis Joh. 5. 45. Luc. 9. 5. *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſum vos apud patrem, eſt qui accuſat vos, Moyſes, in quo vos ſperatis*, & item illa? *etiam pulverem è pedibus veſtris excutite in teſtimonium ſuper illos*, & denique illa Joh. 7. 7? *Ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala ſunt.* Quæris enim quonam tendant iſta, & alia ejuſmodi, niſi huc, Chriſtum, & Apoſtolos futuros teſtes coram Deo contra Judæos violatores Legis. Deus bone quid monſtri hoc eſt? Primum enim quid (obſecro) commune habet, quod Chriſtus, & Apoſtoli futuri ſint teſtes coram Deo contra Judæos violatores Legis, cum petitione vindictæ à Deo injuriarum ab hominibus acceptarum? An non poteſt quis de alterius in ſe injuriis teſtari coram judice, qui rei veritatem vel ipſe noſſe, vel aliis conſtare omnino velit, & tamen non modo ab ipſo judice vindictam non poſtulare, verum etiam veniam pro eo, qui ſe injuria affecit, petere? Sed quid dico? quaſi vero is, qui violatarum legum adverſus quempiam teſtimonium ferat, continuo de ſuis injuriis teſtetur, & non infinitis aliis modis violari poſſint leges, citra ipſius teſtimonium ea de re ferentis injuriam. Ut quidem hic contigerat, ubi Judæi ſexcentis præterea modis leges, divinas violaverant, citra Chriſti ipſius, & Apoſtolorum privatam injuriam, de quibus omnibus hic agi Chriſti verba ſatis demonſtrant, qui univerſe de malis ipſorum operibus loquitur. Deinde qua ratione (rogo) ex Chriſti verbis colligi

vis,

vis, ipſum futurum teſtem coram Deo adverſus Judæos, cum, quod attinet ad priorem ex duobus locis in quibus de ſeipſo verba facit, dicat, ſe non accuſare illos, ſed Moſem eſſe, qui eos accuſet? Certe hinc potius contrarium colligi debet. Nam qui, cum tamen poſſit, non accuſat, haud veriſimile eſt, in ea ipſa accuſatione eum teſtem futurum, præſertim ſua ſponte, quemadmodum iſta vindictæ petitio omnino requirit. Jam vero, quid de altero loco dicemus, ubi de ſeipſo Chriſtus loquitur? ait Chriſtus ſe teſtimonium perhibere, id eſt teſtatum, & planum facere, mundi opera eſſe mala, quid hoc ad teſtificandum ſuo tempore coram Deo de malis ipſius mundi operibus? Nec enim eſt apud Euangeliſtam, Teſtimonium perhibebo; verbo futuri temporis, ut tu (ne quid iniquius de te ſtatuam) fortaſſe memoria lapſus ſcripſiſti, ſed, Teſtimonium perhibeo, tempore præſente. Quid etiam (quæſo) ad teſtimonium ferendum ab Apoſtolis coram Deo contra Judæos violatores Legis pertinere poteſt, quod illi juſſi fuiſſent, ſi qui ipſos Euangelium prædicantes recipere noluiſſent, ex eorum urbe diſcedentes, pulverem etiam, qui ipſorum pedibus adhæſiſſet, in teſtimonium adverſus illos excutere? Neque enim hoc facientes, ſe aliquid teſtaturos contra eos coram Deo, ſignificaturi erant Apoſtoli, ſed aperte conteſtaturi, ſe nihil prorſus cum illis commune in poſterum habituros, tanquam indignis, qui divinorum miniſtrorum, quales ipſi erant, vel umbram quidem amplius aſpicerent.

At poſtremo, tanquam ad ſacram (opinor) anchoram, ad locum illum confugiſti, ubi ait Chriſtus, Deum ſine dubio celeriter ulturum electos ſuos, qui ad ipſum die, ac nocte clamant Luc. 18. 7. Videtur enim, ex hoc ſatis aperte colligi poſſe, Dei electos aſſidue à Deo petere, ut ulciſci injurias velit, quas à malis hominibus idemtidem accipiunt. Verum non ſic res ſe habet. Non enim clamant electi ad Deum, ut puniat eos, qui ipſos lædunt, atque opprimunt, ſed tantummodo, ut ipſos ab illis liberet, ac tueatur. Quod etiam ſine ullis infligendis pœnis fieri poteſt, & ſæpiſſime factum eſt. Hoc ſibi voluerunt Apoſtoli, cum uno conſenſu vocem ad Deum ſuſtulerunt, eumque ſunt precati Act. 4. 29, ut in minas intueretur eorum, qui ipſos territabant, & tanquam ii, qui principes in civitate erant, ipſos affligendi poteſtatem habebant. Id quod declarant ſequentia verba, *Et da ſervis tuis, cum omni fiducia* (vel potius *libertate*) *loqui verbum tuum.* Nec vero, quia Chriſtus dicat, Deum ulturum eſſe ſuos electos, propterea concludendum eſt, electos (ut tu loqueris) ad Deum clamaſſe pro vindicta: Poteſt enim Deus plus facere, quam ipſi putant, non quia id ipſi vel deſiderare quidem auſint, ſed quia ſic impii, qui eos vexabant, & affligebant, commeriti ſunt, & ut ipſe Deus, quantopere ſuorum oppreſſionem abominetur, eoſque caros habeat, omnibus demonſtret. Sed tu ſcilicet, ne de hoc tibi laborandum eſſet, imprudentem lectorem interim decipiens, dum ipſius Chriſti verba recitas, cum illis admiſces de tuo (nulla nota, qua à cæteris internoſcantur, adhibita) duo illa verba, *pro vindicta.* Itaque, dummodo, quod quæris, quacunque tandem ratione, obtineas, Chriſti verba corrumpere ludum, jocumque eſſe putas. Quid, quod verbum ἐκδικέω, & ἐκδίκησις apud Græcos, ſicut etiam apud Latinos Vindico, & Vindicta, haud raro nihil aliud, quam defenſionem, aut liberationem declarant? Vidua illa Luc. 18. 3. à Chriſto ibidem paullo ante inducta judici illi nequam dicebat, ἐκδίκησόν με ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου, id eſt Defende, ſeu Libera me ab adverſario meo. Et judex ſecum ipſe, ἐκδικήσω αὐτὴν, id eſt Defendam, ſeu Liberabo ipſam. Ubi etiam animadvertendum eſt, quo ſenſu verbum ἐκδικεῖν hic ſcriptum fuit, eodem prorſus nomen ἐκδίκησιν paullo poſt in verbis, de quibus quærimus, ſcriptum fuiſſe, quandoquidem ad parabolam iſtam viduæ, & judicis ea manifeſtam habent relationem. Atque hæc ſatis eſſe poſſunt ad priorem tuæ reprehenſionis partem refutandam.

2. Quantum vero ad poſteriorem pertinet, ut recte cognoſcere poſſimus, utrum hæc duo inter ſe repugnent, Orare Deum pro inimicis, & Petere à Deo vindictam contra inimicos, ut à te pag. 266. ipſa quæſtio exponitur, conſtituendum ante omnia videtur, quid utrumque ſignificet. Et poſterius ſane ſatis apertum eſt. Nam Petere à Deo vindictam contra inimicos, nihil aliud eſſe affirmare poſſumus, quam Rogare Deum, ut velit injurias, quas à noſtris inimicis accepimus, ulciſci, id eſt inimicos noſtros pro gravitate injuriarum, quibus nos affecerunt, punire, & ſimul, ſi opus fuerit, nos ab illis aſſerere, atque defendere. Atque hoc idem te intelligere, potiſſimamque hujus precationis partem in eo ſtatuere, ut Deus inimicos noſtros ulciſcatur, ſuperiora exempla ejuſce rei (ut credebas) à te in medium allata perſpicue docent In priore aliqua obſcuritas videtur ineſſe. Multa enim orare Deum poſſumus pro aliquo. Nam & bona multa ſunt, quibus indigere quis poteſt. Verumtamen, cum univerſe, & indiſtincte dicatur, Orare Deum pro inimicis, conſentaneum eſſe videtur, ut iſtud idem ſit, ac ſi dictum eſſet, Orare Deum, ut inimicis noſtris ea omnia bona largiri velit, quibus illi opus habent. Hoc eo potiſſimum dico, quod tu, quantum ex verbis tuis colligi poteſt, preces pro inimicis ex Chriſti præſcripto Deo adhibendas ita interpretaris, ut ſatis ſit Deum precari, ut illis parcat. Quanquam enim hoc ſatis eſt, ut appareat, non poſſe à Deo peti, ut inimicos noſtros ulciſcatur, tamen quia tu (ut poſtea planum fiet) in propoſita quæſtione non perſiſtis, &, cum de vindicta contra inimicos à Deo petenda agere deberes, de eo, cujus gratia hac de re quæritur, id eſt de vindicta per magiſtratum expetenda ſæpius agis, & ita ab adverſariorum argumento, quod diſſolvendum ſuſcepiſti, ad ipſam theſim (neſcio quomodo) pertranſis; ne incautus, & in diſputationibus minime verſatus lector à te circumveniri ulla ratione poſſit, admonendum eum eſſe cenſuimus, Orare Deum pro inimicis, plus etiam complecti, quam Deum rogare, ut illis parcat, petitionem enim ſimul comprehendit bonorum omnium, quibus illi careant, ut Deus ea illis largiri velit. Quemadmodum, ut nobis ea, quibus caremus, largiatur; aut petimus, aut certe deſideramus Matth. 5. 44. Si enim nos ipſi inimicis noſtris bene facere debemus, non modo eis parcere, cur non ſimiliter, ſi Deus pro illis orandus nobis eſt, eum rogare debemus, ut non modo illis parcat, ſed etiam bene faciat? Cum igitur Orare Deum pro inimicis, petitionem pro ipſis à Deo non veniæ tantum eorum, quæ in nos injuſte admiſerunt, ſed omnium quoque bonorum complectatur, Petere autem vindictam à Deo contra inimicos, petitionem à Deo ipſorum punitionis pro injuriis, quas nobis fecerunt, potiſſimum comprehendat; quis ita ſtolidus futurus eſt, qui hæc duo inter ſe repugnantia, planeque contraria eſſe non animadvertat, &, cum Chriſtus, ut pro inimicis Deum oremus, præceperit, nobis, ſi Chriſto obedientes eſſe velimus, vindictam à Deo contra inimicos nequaquam petere licere, non plane intelligat? Attamen videamus, quibus rationibus, quibuſve argumentis, ea contraria non eſſe, demonſtrare te poſſe, ſperaſti.

Primum multa exempla affers aliorum Chriſti præceptorum, quæ cum quibuſdam aliis, quæ vel ipſe fecit, vel fieri juſſit, aut Apoſtoli ipſius fecerunt, vel fieri juſſerunt, pugnare videntur, & iis eſſe contraria, & tamen non ſunt, & ais, qua ratione iſta conciliantur, eadem hæc conciliari poſſe. Sed interim iſtorum conciliandi rationem non explicas, nedum ut eodem modo hæc quoque conciliari poſſe doceas, & idcirco infirmiſſimum, quidquid dixiſti, reddis. Nihil enim remanet amplius, niſi multa eſſe, quæ contraria Chriſti præceptis eſſe videntur, & tamen non ſunt. Id quod per ſe nullam vim habet. Alioquin hac ratione concluderetur, nihil inveniri poſſe, quod Chriſti præceptis adverſetur, & ita quidquid unicuique liberet, id omne citra Chriſti præceptorum contemptionem fieri etiam poſſet. Nec vero eſt, quod dicas, te iſta, quæ pro exemplis attu-

listi, conciliandi modum ideo nec explicasse, nec ad ea, de quibus quæritur, concilianda accommodasse, quia id per se omnibus sit manifestum. Nam, ut statim ostendam (quanquam hoc labore supersedere merito possem) nihil his cum illis commune est, quippe quod illa ne in speciem quidem sibi adversentur.

Ante omnia affers exemplum illud, Quod Christus, qui præceperat, ne quis inimico suo diceret Fatue, ipse inimicis suis dixit Cæci, & stulti, Matth. 5. 22, 23. 17. Hic primum insignis est astutia tua, qui, cum Christus in eo præcepto dando nullam, nec tacitam, nec apertam, inimici nostri mentionem fecisset, tu tamen eum de inimico loquentem facias. Nimirum ut exemplum facilius ad id, de quo quæritur, accommodes, & quod tibi de personarum diversitate objici posse metuis, aliqua ex parte declines. Sed frustra omnino, aut certe sine ulla necessitate id facis. Et enim, quamvis tibi concedatur, nullam hic esse personarum diversitatem, tamen aliæ diversitates sunt, quæ, ista duo inter se minime pugnare, demonstrant. Sed est tamen simul ipsa personarum diversitas. Christi enim præceptum de fratre loquitur, ut ex antecedentibus patet. Factum vero ad inimicos pertinet. Etsi enim Fratris nomine etiam ipse inimicus, qui ex eodem populo esset, in ipsa Lege intelligebatur, tamen (ut supra alicubi docuimus) Christus in his præceptis dandis manifeste inter inimicum, & fratrem distinguit, quemadmodum ex rationibus, quas, cur ipsi inimici diligendi sint, postmodum affert, perspicuum esse potest. Sed fac (ut dixi) nullam prorsus esse personarum diversitatem. An non in eo diversitas est, quod præceptum de iis conviciis agit, quæ præ ira, aut odio in alterum jaciuntur, ut antecedentia omnia docent, factum vero non ab ira, aut odio, sed à divinæ gloriæ studio, & non aliorum modo, sed ipsorum quoque, in quos convicia jaciebantur, salutis desiderio profectum est, adeo ut, non conviciatus fuisse, sed acriter reprehendisse, Christus dicendus sit? Nonne in eo, quod præceptum de Fatui, seu Stulti appellatione temere alteri tributa accipiendum est, factum autem nihil prorsus temeritatis habuit, sed & suo tempore, & meritissimo Christus Scribas, & Pharisæos & stultos, & cæcos appellavit? Nam, de temere conviciante, Christum, cum præceptum illud dedit, locutum fuisse, cum sermonis structura, tum ratio aperte declarat. Cum enim antea præceperit, ne quis fratri suo temere irascatur (sic enim in omnibus Græcis codicibus, & in Syriaca interpretatione legitur) & statim deinde præcepta addiderit, ne eidem quis Raca, aut Fatue dicat, apparet adverbium Temere λὸπ κρινῶ ubique repetendum esse. Quod si minus hoc admittatur, ratio tamen tacite subaudiendum esse docet. Nam, si, ut quis in irascendo fratri delinquat, requiritur, ut temere id faciat, certe idem requirendum esse omnino videtur in ipso fatuo appellando, quod etiam citra iram fieri potest. Non enim, de publico tantum convicio agere Christum, apparet, quod gravius quidpiam, quam irasci, videri possit, sed ipsius verba ejusmodi sunt, ut illud quoque convicium comprehendant, quod, nemine præsente, aut sciente, in fratrem jaciatur. Jam vero quomodo conciliationes istas præcepti istius, & facti Christi, ad ea, de quibus quærimus, accommodabis unquam, ubi de iisdem personis, iisdemque rebus, eadem utrobique ratione agitur? Id quod & per se patet abunde, & ex iis, quæ deinceps dicentur, apertius fiet.

Sed addis, Christum dixisse Matth. 5. 47. *Salutate inimicos vestros*, & tamen eundem dixisse, Neminem per viam salutaveritis, Luc. 10 4. & Johannem ejus Apostolum addidisse, 2 Joh. 11. Et, si salutaveritis, participes eritis peccatorum, quæ illi admiserunt. Hoc, Palæologe, nihil ad rem facit, cum præceptiones illæ de non salutando minime ad inimicos non salutandos pertineant, neque ad id non faciendum, quod antea jussum fuerat, ullo modo spectare posse videantur. Apostoli, qui una cum cæteris jussi fuerant inimicos salutare, nihil huic rei contrarium facere videri potebrant, si, ne à cœpto itinere, dum Euangelium prædicatum ibant, aliqua ratione avocarentur, in eove retardarentur, neminem inter eundum, sive amicum, sive inimicum salutavissent. Non enim propter odium aliquod, quo præceptum illud salutandi etiam inimicos respicere certum erat, ab iis, qui ipsis obviam fiebant, salutandis abstinuissent. Ex quo etiam apparet, inimicorum salutationem, quam præcepit Christus, non externam, & qualis ea erat, quam postea euntibus annunciatum Dei regnum interdixit, à qua erga amicissimos ipsos interdum, cum aliud scilicet agendum est, sine ulla culpa abstinere possumus, sed interiorem salutationem esse. Huc accedit, quod satis apparet, verba illa, *Neminem per viam salutaveritis*, figuratum & proverbialem loquendi modum continere. Quasi dixisset Christus, Hoc unum agite, ut recta ad Euangelium prædicandum eatis. Vide 2 Reg. 4. 29, & quæ ibi Vatablus annotavit. Num fortasse vis, Christum, cum jussit, ut pro inimicis oremus, proverbiali nescio qua ratione locutum fuisse, ut non ipsum orare, sed aliquid aliud præceperit, quod cum vindictæ contra inimicos petitione minime pugnet? Profer mirabilem istam tuam interpretationem, & nos simul (si potes) doce, ita Christi verba accipienda esse, ut Orate idem sit, quod Devovete, seu Dira imprecamini, quemadmodum te conari non omnino injuria tibi ab adversariis objectum fuerat. Nec vero Johannes, cum præcipit, ne ii salutentur, qui doctrinam ab Euangelica discrepantem nobis annunciant, aliquid dicit, quod præcepto de salutandis inimicis contrarium videri queat, cum isti eorum inimicorum numero, quos in præcepto illo intellexit Christus, nullo modo censeantur, immo cum fieri possit, ut alioquin amicissimi sint. Si enim dixeris, tanto magis id, quod quæris, te obtenturum; Nam, si amici ipsi interdum salutandi non sunt, multo minus tunc salutandi erunt inimici, quamvis præceptum sit, ut salutentur: Quare similiter fieri potest, ut quamvis præceptum sit, ut pro inimicis oremus, tamen contingat aliquando, ut pro ipsis minime orare debeamus. Si hoc, inquam, hic dixeris, quod infra latius explicas, Respondebo, jam te haud obscure confiteri, ut quis possit à Deo vindictam contra inimicos petere, necesse esse, ut pro iis amplius orare non debeat, & ita te agnoscere, quantum inter se repugnent illa duo, quæ tu contraria esse negabas. Sed profecto, si tum demum à Deo vindictam contra inimicos petere licet, cum pro ipsis amplius orandum non esse constat, vix unquam fiet, ut id liceat. Neque enim præceptum ullum habemus de non orando, nisi, cum quis peccat ad mortem 1 Joh. 5. 16. Si tamen illud præceptum est, & non potius admonitio, frustra oraturum esse, qui pro ejusmodi homine oraverit. Jam quotus quisque erit, qui peccantem ad mortem deprehendere possit? Immo quis erit, qui, Deo ipso non patefaciente, id agnoscere queat? Neque enim, cum Johannes ait, se non dicere, ut pro peccato, quod sit ad mortem, quis roget, indicasse dicendus est, istos, qui ad mortem peccant, ab aliis, qui non peccant ad mortem, dignosci posse. Sed hoc idem est cum illo, quod antea dixerat, Si quis vidisset fratrem suum peccantem peccatum non ad mortem, & petiisset (sic enim ex Hebræorum idiotismo verbum Petet eo loco interpretandum est) daturum illi (Deum scilicet) esse vitam, si, inquam, pro eo rogasset, qui peccaret quidem, sed non ad mortem. Voluit enim Johannes simul nos ad orandum pro fratribus adhortari, simul admonere, ne miraremur, si aliquando, pro eo rogantes, qui peccat, ut Deus velit illi ignoscere, & pœnitentiam concedere, eventum votis nostris contrarium experiremur, id enim propterea contingit, quia is, pro quo precati sumus, ad mortem peccabat. Itaque admonere præterea videtur, ut, cum pro aliquo, qui peccet, Deum precaturi sumus, cum ea conditione precemur, Si quidem is ad mortem non peccet. Utcumque tandem sit, etiamsi isti peccantes ad mortem non solum à

quovis

quovis facillime agnoſci poſſent, ſed frequentiſſimi etiam eſſent, &, pro iis ne quiſquam rogare auderet, ſevere Johannes interdiceret, tamen dico, iſtud ad propoſitum noſtrum non facturum. Non enim, ut pro ipſis omnino non rogaretur, juberet Apoſtolus, ſed tantummodo ne rogaretur, ut illi vitam conſequerentur, & ſuorum peccatorum plenam remiſſionem. Quemadmodum ex ipſius verbis perſpicuum eſt. Ex quo nullo modo ſequitur, poſſe nos contra iſtos, ſi inimici noſtri ſint, vindictam a Deo petere. Adhuc enim pro ipſis ex Chriſti mandato Deum precari & poſſumus, & debemus, ut illis, tanquam is, qui ſolem ſuum oriri facit etiam ſuper injuſtos, alterius generis bona concedat. Quæ precatio cum vindictæ petitione prorſus pugnat. Sed jam alia tua exempla examinemus.

Pergis enim, & ais, Chriſtum dixiſſe Matth. 5. 44, *Ne maledixeritis inimicis veſtris*, & tamen legimus Paulum maledixiſſe ſummo ſacerdoti hoſti ſuo, & Elymæ mago Act. 23. 4. XIII. 10. Ubi etiam addis, Chriſtum ipſum hoſtes ſuos diaboli filios appellaſſe. Ad primum Pauli factum dico primum, non conſtare eum recte feciſſe, qui etiam ex parte ibidem ſeipſum corrigere videtur, quatenus ſcilicet is, cui maledixerat, ſummus ſacerdos erat. Deinde hic idem affirmo, quod ſupra de Chriſto ipſo, cæcos, & ſtultos Scribas, & Phariſæos appellante affirmavi. Etenim Paulus, ſi non peccavit, non odio ductus, nec, tanquam inimico, ſummo ſacerdoti maledixit, ſed ſtudio divinæ gloriæ incenſus, & tanquam ei, qui gravi reprehenſione dignus erat. Quem ſimul monendum cenſuit, futurum, niſi reſipiſceret, ut eum Deus puniret. Porro, quod ad Elymam magum attinet, neque is inimicus Pauli erat, ſed Dei, & apertiſſimum eſt, divinæ gloriæ vindicandæ ſtudio, & ſalutis Sergii Pauli proconſulis procurandæ deſiderio inflammatum Paulum, tantopere peſſimum illum hominem objurgaſſe. De Chriſto vero, quod inimicos ſuos objurgaverit, ſatis ſupra reſponſum fuit. Eſt autem hic, antequam aliud dicamus, animadvertendum, non fuiſſe à Chriſto mandatum, ne inimicis maledicamus, eo ſenſu, quo hæc duo à te allata Pauli exempla una cum de Chriſto appendice te exiſtimaſſe oſtendunt. Ex quo, perperam ea à te allata fuiſſe, intelligi poteſt. Præcipit Chriſtus, ut devoventibus nos benedicamus. Concedo, quod de devoventibus dixit, ad omnes inimicos generatim trahi debere. Sed videndum eſt, quid eo loco ſit Benedicere, quod facere jubemur, ut quid ſit Maledicere, quod ex ejuſdem præcepti vi facere vetamur, intelligere poſſimus. Jam vero cum ex uſitata in Sacris Literis ejus verbi ſignificatione, tum ex oppoſito Devovendi verbo ſatis conſtat, Benedicere ibi nihil aliud eſſe, quam Bene precari, & idcirco illud Maledicere, quod hic vetatur, nihil eſſe aliud, quam Imprecari mala, non autem Objurgare, ut tu falſo exiſtimaſti, qui Pauli (exempli cauſſa) verba, quibus Elymam magum objurgat, mandato iſti de non maledicendo contravenire videri ais. Præcipit igitur tacite eo loco Chriſtus, non quidem, ne inimicos noſtros objurgemus, ſed ne illis mala imprecemur. Cui præcepto Paulus neque in iis, quæ ſummo ſacerdoti, neque in iis, quæ Elymæ dixit, contravenisſe videri poteſt. Cum utrobique præter objurgationem nulla mali alicujus imprecatio, ſed denunciatio tantum appareat. Etſi tu non levi errore, Deum ad vota Pauli magum illum cæcum reddidiſſe, affirmare es auſus. Cæterum, ſi hæc duo Pauli exempla, illaque Chriſti, cum Scribas, & Phariſæos increpuit, alioſque inimicos ſuos objurgavit, aliquid cauſſam tuam juvare poſſe, cenſenda ſunt, neceſſe eſt, ut dicas, tunc, cum vindicta à Deo contra inimicos petitur, Dei gloriæ, aut proximi ſalutis ſtudio id fieri poſſe. Quod petitionem iſtam alioqui Chriſti præcepto adverſantem non excuſet modo, ſed etiam laudabilem faciat. Atqui, ſi iſtud ſemper fieri poteſt, Chriſti præcepto nunquam erit locus, id eſt nemo unquam pro inimicis ſuis Deum orare neceſſe habebit. Semper enim Dei gloriæ, aut proximi ſalutis ſtudio ab ea precatione abſtinere poterit. Quod ſi non ſemper, ſed aliquando id fieri poteſt, videndum eſt, quando, & tandem apparebit, raro admodum id fieri poſſe, adeo ut ad quæſtionem, cujus cauſſa de hiſce omnibus diſputamus, vix pertinere queat. Quærimus enim præcipue, non utrum aliquis dari caſus poſſit, cum homini Chriſtiano per magiſtratum ſuas injurias ulciſci liceat, ſed utrum id ſemper, aut certe fere ſemper liceat. Hinc fit, ut tu eodem tempore, & orari Deum poſſe pro inimicis, & a Deo contra ipſos peti vindictam, oſtendere coneris, ut paullo poſt videbimus, & ſane non modo, ut id oſtendas, res ipſa omnino poſtulat, ſed etiam verba ipſa tua id flagitare videntur. Nam quid aliud eſt, iſta duo, ut tu ſatis aperte contendis, non eſſe contraria, quam ſimul eodem tempore conſiſtere poſſe? Quo fit, ut nullum ex jam examinatis exemplis tuis ad propoſitum facere videatur, cum in nullo eorum eodem tempore duo illa, quæ contraria videbantur, inveniri appareat, immo non inveniri conſtet. Neque enim eodem tempore quo Chriſtus Scribas, & Phariſæos alioſve inimicos ſuos objurgabat, eoſdem ſimul non objurgabat. Neque Apoſtoli, cum neminem ſalutabant (ſi tamen id reipſa fiebat) inimicos eodem tempore ſalutabant. Sed nec Paulus, cum ſummum ſacerdotem, aut Elymam magum objurgabat, eive maledicebat, eodem tempore neutrum objurgabat, neutrive maledicebat. Quæ omnia ne fieri quidem ullo pacto poſſe, manifeſtum eſt.

Nam quid dicam de alio exemplo, quod deinde addis, non quidem, ut ſuperiora, alicujus Chriſti præcepti, cujus contrarium fieri jure poſſe videatur, ſed duorum Chriſti factorum, quæ fortaſſe id ipſum probare, quod quæris, tibi viſa ſunt? Ais enim, Chriſtum, qui rogavit Deum patrem pro ſuis hoſtibus, ut illis parceret, eundem declaratum judicem vivorum, & mortuorum mandaſſe ſuis miniſtris, ut inimicos ſuos illos in tartara projicerent. Equidem miror, te exemplum iſtud attuliſſe, ubi non ſolum non eodem tempore, ſed nec eadem vel rerum, vel perſonarum conditione manente, Chriſtus iſta duo fecit. Ex quo potius id plane convellitur, quod tu confirmare ſtudes. Apparet enim ex eo, Chriſtum, cum adhuc talis eſſet, quales nos ſumus, oraſſe Deum pro inimicis ſuis, non autem ab ipſo contra illos vindictam petiiſſe, quippe quod vindicare inimicos ſuos, ſive per ſe, ſive per alium, præſenti conditioni ſuæ nullo modo conveniret, ſed expectandum eſſet, donec, mutata conditione, non ſolum, ex viatore (ut theologi noſtri loquuntur) incola, verum etiam ex privato (ut tu loqueris) magiſtratus eſſet factus. Itaque & nos ſimiliter, dum & viatores, & privati ſumus, orare Chriſti exemplo pro inimicis debemus, non autem à Deo contra ipſos vindictam poſtulare, quod præſenti conditioni noſtræ penitus adverſatur.

Superioribus exemplis expoſitis, ab argumento adverſariorum (neſcio quo pacto) ad theſim ipſam (ut tibi quidem videri poteſt) pertranſis, & ex iis, quæ Paulus, quod ad civiles cauſſas attinet Corinthiis mandavit, licere ſua in judicio repetere demonſtrare conaris. Quod neque etiam id vere eſt, de quo hic præcipue quæritur. Aliud enim eſt ſua in judicio repetere, aliud vero ſuas injurias per magiſtratum ulciſci. De quibus alio loco agendum erit. Quid, quod eodem tempore eadem ratione licere homini Chriſtiano civilem magiſtratum gerere concludis? Nam quid hoc ad rem, præſertim cum ne adverſarii quidem id negent? Quemadmodum paullo poſt videbimus. Et tamen, tanquam ſi in propoſita quæſtione aliquo modo perſtitiſſes, ita in initio pag. 268 concludis, *Ergo alio tendit oratio juſſa à Chriſto, & alio vindicta, quam vitandam & cavendam dicit Chriſtus.* Nam cum ex eo, quod orare pro inimicis jubemur, adverſarii tui concluſiſſent, non tantum à Deo contra inimicos vindictam petere non licere, ſed etiam non poſſe nos injurias noſtras, ſive per nos ipſos, ſive per magiſtratum ulciſci, quamvis tu hic de vindicta à Deo petenda duntaxat diſputationem inſtituiſſes, tamen ferri poſſes, neque omnino à propoſito aberraſſes, ſi ex juſſa

precatione iſta vindictam per magiſtratum expetendam non tolli, demonſtrare aggreſſus fuiſſes. Quod tamen (ut dictum eſt) non feciſti. Verum extra rem de ſimplici ſuarum rerum per magiſtratum repetitione, deque civili magiſtratu gerendo ſermonem intuliſti. Sed rurſus in iſta tua concluſione inſigni lapſu plane extra rem locutus es. Cum enim dicere debuiſſes, alio tendere orationem, id eſt precationem à Chriſto juſſam, & alio vindictam, quam quis per magiſtratum expetit, pro hac vindicta, vindictam, quam cavendam, & vitandam dicit Chriſtus, commemoraſti.

Jam vero, cum ipſe fortaſſe animadverteres, te nondum ad rem ſatis locutum fuiſſe, alia exempla afferre inſtituis, ex quibus appareat, poſſe eodem tempore orari Deum pro aliquo, & ſimul ei pœnas infligi. Primum exemplum eſt, Ex Pauli præcepto 1 Tim. 2, orandum eſſe Deum ab Eccleſia, ut ſuum lumen impertiat omnibus, ut ſalventur, hoc eſt, ut in Eccleſiam recipiantur. Et tamen non ſolum Chriſtus Matth. 18, jubet, ut, ſi frater peccans noluerit audire Eccleſiam, ſit illi ſicut Ethnicus, & publicanus; ſed ipſe Paulus alibi 1 Cor. 5. monet, ejuſmodi hominem tollendum eſſe de medio Eccleſiæ, & ejiciendum ex virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sed quale exemplum eſt iſtud, cum in priore parte de iis agatur, qui extra Eccleſiam ſunt, in poſteriore vero de iis, qui adhuc ſunt in Eccleſia? Ibi pro iis oretur, qui veritatem nondum cognoverunt, ut ad ipſius cognitionem perveniant, hic vero ii puniantur, qui, cognitam veritatem jam profeſſi, eam poſtea ſpernunt, nec ex ipſius præſcripto, ac dignitate vitam inſtituunt? Vide, quæſo, quam fœde ſæpius labaris, eo quod iniquiſſimam cauſſam defendendam ſuſceperis.

Sed aliud exemplum ſtatim ſubjicis, quo præcedentis vitium corrigi, aut compenſari poſſe, fortaſſe exiſtimaſti. Ais enim, Paulum præcipere, ut cum maledicis ne cibus quidem ſumatur, cum tamen & Paulus, & Eccleſia ſemper Deum oraverint pro maledicis, & facinoroſis, ut ſervarentur. Verum hic primum in eo reprehendendus es, quod nullum teſtimonium profers, quo confirmetur, Paulum, & Eccleſiam ſemper oraſſe Deum pro maledicis, & facinoroſis, ut ſervarentur. Tametſi hoc, ſi recte intelligatur, facile tibi concedi poteſt. Deinde nihil hoc ad illud, de quo ambigitur. Nam quid ſimile habet Orare Deum pro maledico, & facinoroſo, ut ſcilicet convertatur, & ita ſervetur (ſic enim intelligendum eſt illud, quod in hoc exemplo, nullo teſtimonio allato, affirmas, ſi tibi concedi debet) & tamen interim, dum maledicus, & facinoroſus eſſe perdurat, ne cibum quidem cum eo ſumere, cum eo, quod quis Deum pro inimico ſuo precetur, & interim ab eodem Deo petat, ut vindicet in iſtum inimicum ſuum injurias, quas ab eo accepit? Nam quis non videt, hæc duo ſeſe invicem deſtruere, illa vero duo optime convenire? Etſi enim, ne cibum quidem ſumere cum homine maledico, pœnam ipſius maledici eſſe, ſtatuere videris, tamen nec vere pœna illius cenſenda eſt, ſed potius cautio aliorum, ne, ut monet Paulus 1 Cor. 5. 6, paululum fermenti totam maſſam fermentet, immo ipſius etiam beneficium, ut ſcilicet quemadmodum idem Paulus ait 2 Theſſ. 3. 14, pudefiat, atque ea ratione ſui erroris admoneatur, & reſipiſcat, nec, ſi ejus pœna eſſet, hoc precibus pro ipſo repugnaret. Ubi ſciendum eſt, aliud eſſe orare pro inimicis, aliud pro ſceleſtis hominibus, ſive pro iis, qui in peccatis perſeverant. Pro hominibus ſceleroſis orare quidem poſſumus, non modo, ut convertantur, ſed etiam ut, dum adhuc ſceleroſi ſunt, illis Deus bona alia hujus vitæ concedere velit. Sed hoc poſterius nec facere jubemur, niſi quatenus id ad eos convertendos pertinere poſſit, nec, ſi id admodum diligenter facimus, ſatis laudandi ſumus. Videmur enim, ut Dei oſores, ac contemptores felices, atque beati in hac vita ſint, deſiderare. At inimicorum longe alia eſt ratio. Nam, etiamſi non poſſet quis non ſceleſtus eſſe, qui homini vere Chriſtiano eſſet inimicus, tamen nequaquam noſtrum eſſet de nobis ipſis judicium ferre, &, ſi quis nos odio haberet, continuo apud nos conſtituere, illum ſceleſtum eſſe, quaſi indubitatum foret, nos vere Chriſtianos eſſe. Quanto igitur minus id nobis concedi debet, cum fieri poſſit, & quotidie fieri videamus, ut homines alioqui inſigni probitate præditi, vere Chriſtianis hominibus præ ignorantia ſint infenſiſſimi? Unum Pauli Apoſtoli, antequam Chriſti Jeſu veram cognitionem haberet, exemplum pro omnibus eſſe poteſt. Præterea, quamvis certiſſimum eſſet, omnes inimicos noſtros ſceleratos homines eſſe, tamen ad reprimendum in nobis vindictæ innatum quodammodo ingens deſiderium, & odium, quod noſtri ipſorum amor contra eos, qui nobis infenſi ſunt, naturaliter in nobis excitat, extinguendum, recte eſt non modo, ut pro iſtis, qualeſcunque illi tandem ſint, Deum oremus, ut eos convertat, ſed etiam diligentes in eo ſimus, ut in precibus noſtris ad ipſum Deum illis ea omnia hujus vitæ bona precemur, quæ nobis ipſis evenire cupimus, ne id, quod pro aliis ſceleroſis hominibus facere pietatis, & divinæ gloriæ ſtudio prætermittimus, pro iſtis vindictæ cupiditate, odioque in animis noſtris latente, & nos ipſos ſæpius fallente facere prætermittamus. Poſtremo conſiderandum arbitror, pœnam iſtam hominis maledici (ſi tamen, ut dixi, pœna exiſtimanda eſt) quod nemo cum eo ne cibum quidem capiat, non eſſe pœnam voluntariam, id eſt, quam pro arbitrio ſuo illi Eccleſia infligat, ſed neceſſariam, nempe, quam Paulus domini Jeſu Chriſti Apoſtolus Eccleſiæ præſcripſerit, quamque ſine ipſius Chriſti contemptione non poſſit Eccleſia infligendam prætermittere. Ex quo ſequitur, per ſingularem legem à Paulo latam de puniendo ea ratione homine maledico, generali illi legi, quæ neminem à nobis incommodo aliquo afficiendum eſſe jubet, ea in parte derogari. Sed nulla lex neque à Chriſto, neque ab aliquo ex ejus Apoſtolis lata eſt, per quam legi jam ab ipſo Chriſto promulgatæ de orando pro inimicis ita derogetur, ut contra ipſos vindictam à Deo petere poſſimus. Hoc ipſe ſentiens, vis poſtmodum, hic propriam legem latam eſſe, quæ communi deroget. Sed quam recte, poſtea videro.

Nam pergis adhuc, & exemplum facinoroſi Corinthii, quem Paulus ex aliorum cœtu expelli juſſit 1 Cor. 5, quod exemplum antea tacite commemoraveras, alia ratione ad propoſitum tuum accommodare tentas. *Aut enim* (ais) *Paulus Corinthium facinoroſum odibat aut amabat: Si odibat reus erat legis Dei de amando proximo. Si amabat rejicere eum ex Eccleſia, (ut vos dicitis) non debebat.* Verum in iſto tuo dilemmate nihil recte à te concluditur. Neque enim vel dicunt adverſarii tui (quod tamen tu audacter affirmas) vel ex eorum verbis, ſententiave colligi poteſt, Paulum, ſi facinoroſum illum Corinthium amabat, non debuiſſe ex Eccleſia ipſum ejicere. Non enim cum amore, quo hominem illum adhuc complecteretur, aut complecti deberet, pugnat ejectio iſta ex Eccleſia. Quippe quæ eidem ipſi, qui ejiciebatur, admodum utilis tandem, aut certe non inutilis futura eſſet. Eo enim inter alia ejectio iſta tendebat, ut iſte, ſenſu calamitatis ſuæ permotus, aliquando reſipiſceret, & in Eccleſiæ, atque adeo ipſius Chriſti ulnas iterum ſeſe reciperet. Mitto reſponſionem, quam ipſorum adverſariorum nomine tute formaſti, aliud videlicet munus publicæ perſonæ eſſe, qualem Paulus gerebat, aliud privatæ: quæ reſponſio & optima eſt, nec à te vere poſtea attingitur: & ad illud venio, quod prædicti exempli occaſione addis. Videris enim tibi, hic omnino rationem inveniſſe, qua demonſtres, Orare pro aliquo Deum non pugnare cum provocatione Dei ad vindictam contra eundem.

Conſideremus (obſecro) quam feliciter tam arduum inceptum tibi ſuccedat. Ais igitur pag. 269, Si quis Pauli ætate peccans, ex ipſius Pauli præcepto 1 Tim. 5. 20, à verbi Dei miniſtro coram omnibus reprehenſus, reſipiſcere noluiſſet, ſine dubio miniſtrum una cum Eccleſia pro eo Deum orare deſiturum non fuiſſe, &

tamen

tamen interim omnes ſimul collectos cum auctoritate, & virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti eum ex Eccleſia fuiſſe ejecturos, Satanæque tradituros ad interitum carnis, ut eſſet tanquam ethnicus, & publicanus. Et ſtatim adjungis, *Sed ſi hoc factum fuiſſet, dixiſſent iſti boni fratres: Ubi amor fraternus? Ad quid orare Deum pro eo, ut Deus inter ſuos habere velit, quem tu inter tuos habere non vis?* Vehementer fallit te opinio tua, ſi hæc ex animo dicis. Nec enim ullo modo veriſimile eſt, tam bardos adverſarios tuos futuros, ut iſta vel ſomniaturi quidem eſſent. Num putas, eos non intellecturos, aliud plane eſſe id, quod iſti Deum orarent, aliud vero, quod ipſi facere nollent? Oraſſent enim Deum, ut inter ſuos habere vellet iſtum, quem ipſi ejicerent, ſed non qualem ipſi ejicerent, minime reſipiſcentem, verum reſipiſcentem, id eſt, ſi unquam reſipuiſſet. Et idcirco eum ſimul rogaſſent, ut ipſe iſti pœnitentiam daret, utque reſipiſcere poſſet, concederet, quando hæc in ſua ipſorum manu non eſſent, ſed in ipſius tantum. Hæc, inquam, adverſarii tui optime ſine dubio intellecturi fuiſſent, ob eamque cauſſam neutiquam credendum eſt, eos ejuſmodi iſtorum factum vel miraturos, vel reprehenſuros fuiſſe, etiamſi perſuaſiſſimum habuiſſent, non poſſe eodem tempore pro eo Deum orari, contra quem ab ipſo Deo vindicta peteretur. Nam tu perperam omnino ex iſto facto tacite id deinde colligis, quod tibi, ut diximus, demonſtrandum propoſueras, Orare pro aliquo Deum, & Deum provocare ad vindictam contra eundem, non eſſe contraria. Neque enim in facto iſto vel provocatur Deus ad vindictam, vel ſimpliciter oratur, nedum ut utrumque ſimul fiat. Simpliciter quidem non oratur, ſed oratur tantum, ut iſtius ita miſereri velit, ut ei concedat, quo poſſit reſipiſcere. Nullo autem pacto provocatur ad vindictam, cum miniſter, & Eccleſia quicquid mali iſtum habere velint, ipſi ſtatim auctoritate ſibi tradita illi infligant. Quod tamen, ut dictum eſt, malum ei cenſeri non debet, cum ad ipſius quoque bonum, & ſalutem omnino ſpectet. Vides, quam male tibi ſucceſſerit, quod exequendum ſuſceperas. Nempe quia nimium auſus fueras, & cælum terræ (quod ajunt) miſcere tentaveras.

Jam quod ais, adverſarios tuos putare, non poſſe hæc duo ſimul conſiſtere, Amare aliquem, & Punire eundem, id & calumnia videri debet, & nihil ad rem facit. Norunt adverſarii tui (opinor) ut cæteri omnes, iſta duo adeo non eſſe contraria, ut ſæpe alterum alterius ſit cauſſa. Nec vero aliter exiſtimare opus habent. Quid enim? Num fortaſſe is, qui contra inimicos ſuos à Deo vindictam petit, præ amore, quo inimicos ſuos proſequitur, id facit? Hæc tua mirabilis charitas eadem eſt cum ea, de qua alibi egimus, cum vis, interficiendis inimicis, Chriſti præceptum ſervari, quo inimicos diligere jubemur. Ita impoſtor ille ſummus, qui homicida fuit ab initio, te miſere decepit, ut ipſa homicidia, quæ commemorata tantum animus hominis non efferatus plane abhorret, ſummæ à Chriſto mandatæ manſuetudinis, ac benignitatis præſtationem eſſe arbitreris. Sed finge (ſi placet) eum, qui vindictam à Deo contra inimicos ſuos poſtulet, præ nimio amore, quo eos complectatur, id facere, num propterea eodem tempore pro illis orare Deum poterit? Nullo modo. Nam etſi hoc quoque ex amore proficiſcitur, ſunt tamen hæc duo amoris effecta ita inter ſe repugnantia, ut ſimul eodem tepore conſiſtere nequeant. Caſtigare aliquem (ut huic rei accommodatiſſimo tui ipſius exemplo utar) ſummæ dilectionis effectum eſſe poteſt. Poteſt ejuſdem quoque dilectionis effectum eſſe, aliquem prorſus non caſtigare. Num idcirco poterit quis eodem tempore eundem, qui deliquerit & caſtigare, & prorſus non caſtigare? Non ſane. Ita & orare Deum pro inimicis ſuis, & contra inimicos ſuos à Deo vindictam petere, etiamſi utrumque ab inimicorum dilectione proficiſci poſſet, tamen nulla ratione ſimul eodem tempore conſiſtere queant. Jam enim demonſtratum eſt, in uno ejus plane contrarium poſtulari, quod in altero petitur. Itaque videre potes, tuam iſtam rationem quod amare, & punire, diligere, & caſtigare non ſint contraria, quam tantopere urges, hoc loco futilem prorſus, atque inanem eſſe.

Verumtamen videamus, quomodo ex ea id, quod quæris, concludi poſſe ſperes. Ea igitur expoſita, ſic deinde infers: *Quare ſi flagellare poteſt manus & ſine vitio contradictionis poteſt illum cædere, quem ex corde amat, poterit & os Deo obſequentis pro eo orare ut ſalvus fiat, pro quo poſtulat & ante judicem Deum & ante magiſtratum (vicarium Dei) ut reddat, oculum pro oculo, manum pro manu, dentem pro dente, animam pro anima, quæ inique, per injuriam & fraudem abſtulit.* In hac argumentatione duplex eſt error, ſeu potius techna tua. Prior techna eſt, quod precationem pro eo exponens, contra quem vindicta poſtulatur, oris tantum mentionem facis, ut ſcilicet iſtorum duorum repugnantia minus appareat. Neque enim te ita excæcatum eſſe arbitror, ut non cernas precationem à Chriſto pro inimicis juſſam non ore tantum, ſed corde etiam ſimul fieri debere, immo, ut ore fiat, nihil opus eſſe. Altera tua techna, ut eandem repugnantiam occultes, in ejuſdem precationis explicatione eſt, dum ais, *ut ſalvus fiat.* Quaſi vero precatio pro inimicis, quam Chriſtus mandavit, nihil aliud ſit, quam orare, ut ſalvi fiant, id eſt vitam æternam adipiſcantur. Verum, longe aliter rem ſe habere, jam à nobis demonſtratum eſt, cum non iſtud modo, ſed ne illud quidem ſatis eſſe oſtendimus, quod tu alibi ſæpe concedis, orare videlicet Deum, ut illis parcat, quod certe plus eſt, quam orare, ut ſalvus fiat: niſi iſtud Parcere ita interpreteris, ut ad ſolam à morte æterna abſolutionem illud reſtringas, quod tamen nemo facile tibi conceſſerit. Quandoquidem Parcere ſimpliciter prolatum ſignificat Non punire, ſive A puniendo abſtinere, cum de parcendo delinquentibus eſt ſermo. Quocirca, niſi quis à puniendo abſtineat, licet levius multo, quam pro delicti merito puniat, peperciſſe tamen ſimpliciter dici non poterit. Quanquam ne ſic quidem repugnantiam, quæ inter duas iſtas precationes, ſeu poſtulationes eſt, ſatis occultare potuiſti, cum tu ipſe in vindictæ poſtulatione animæ pro anima, quæ reddi poſtuletur, mentionem facias, ut quidem neceſſe habuiſti, ſi veram vindictam contra inimicos à Deo peti poſſe volebas. Quid enim magis quodammodo adverſatur petitioni, ut quis in vitam æternam ſervetur, quam petere, ut, cum ſcelus aliquod inſigne perpetraverit, (quale ſine dubio homicidium eſt) & alterum occiderit, ipſe occidatur? Nonne qui hominem ita occidit, ut ipſe ex lege occidendus ſit, æternam ſimul mortem eſt commeritus, quam effugere non poterit, niſi mature reſipiſcat, atque ex animo ad Dei miſericordiam confugiat? Jam quis eſt, qui de altero, qui deliquerit, affirmare poſſit unquam, eum mature reſipuiſſe, ad Deique miſericordiam ex animo confugiſſe, quidquid illum per longum etiam temporis ſpatium facientem videat? nedum ut id de homicida affirmari poſſit, qui ſtatim rapitur ad ſupplicium, & vix verbis pœnitentiam ſuam, & in Dei miſericordia fiduciam oſtendere poteſt, ſi legalem iſtam vindictam, & talionis pœnam à Deo & magiſtratu peti poſſe velis. Neque enim Lex delinquentis pœnitentiæ, & divinæ miſericordiæ implorationis ullam rationem habet. Sed ſive eum pœniteat, ſive non pœniteat, ſive Dei miſericordiam imploret, ſive non imploret, pœnam illi infligi, &, ſi alterum occiderit, ipſum occidi prorſus jubet. Quamobrem jam apparet, quam parum appoſite, immo quam plane injuria tuæ iſti argumentationi verba illa adjunxeris, *Videtiſne quæ judicabatis oppoſita & contraria, eſſe conſona & conſentientia?* Qua in re illud etiam animadvertendum eſt, te in tota hac diſputatione tacite (id quod interdum etiam, ut jam obſervatum eſt, aperte facis) ab adverſariorum argumento, quod diſſolvendum propoſueras, vel ad theſim ipſam tuam confirmandam tranſire, vel ita adverſariorum argumentum interpretari, ac ſi ſimpliciter dixiſ-

ſent, Quia debemus pro inimicis orare, hinc ſequi, nos non poſſe per magiſtratum injurias noſtras ulciſci. Quod etſi illi dixerunt, ſic tamen ſimul argumentati ſunt, ut ex eo, quod orare debeamus pro inimicis noſtris, conſequi neceſſario dicant, non poſſe nos contra ipſos vindictam à Deo poſtulare, Ex hoc autem adverſus ſententiam tuam concludi poſſe affirment, ne ab ipſis quidem hominibus eam petere licere, nec tu aliter ipſorum argumentationem ab initio accipis. Sed deinde confundis hæc omnia, ac præterea modo probare inſtituis, poſſe quempiam amari ſimul à nobis, & puniri, modo per magiſtratum vindictam peti poſſe contendis, ſine charitatis offenſione, modo ais, non ſemper debere nos inimicos noſtros diligere, aut pro eis orare, modo plus Deum, quam proximum, amandum eſſe mones: atque alia multa huic diſputationi admiſces, quæ ejus propria non ſunt, nec ad argumentum adverſariorum diſſolvendum pertinent, etiamſi tibi contrarium videatur, qui ad diſputationis finem in extrema pag. 271 illa verba ſcribas, *Videtis jam quot diſſolutiones offerunt nobis ſacra Biblia ad veſtrum argumentum?* Quare non eſt, cur hoc loco ad ea, quæ adhuc reſtant, reſpondeam, cum omnia vel eo pertineant, ut probes, poſſe ſine veræ & legitimæ charitatis offenſione pœnas per magiſtratum de privatis ſumi, vel eo, ut oſtendas, Dei amorem amori proximi anteponendum eſſe, & tempus eſſe aliquando, cum (ita Deo jubente) nec amare inimicos, nec pro eis orare debeamus, de quibus commodius fortaſſe in proxima hujus meæ reſponſionis parte agi poſſet. Attamen, quia Racovienſes ſine dubio cum ex amore, quo inimicos proſequi debemus, tum ex eo, quod orare pro eis jubemur, nullo præterea alio argumento inde ducto, colligunt, non licere contra ipſos vindictam per magiſtratum expetere; idcirco tanquam de tertia quadam hujus, in qua adhuc ſumus, reprehenſionis tuæ parte, de hiſce duobus, quæ unum cenſeri poſſunt, breviter agemus.

3. Ais igitur, ut rem totam in pauca conferam, Chriſtum præcepiſſe, ut omnes noſtros, quantumvis caros, non tantum inimicos, præ ipſo, odio habeamus, hoc eſt, ne plus noſtros amemus, quam veritatem Dei in Chriſto, quam juſtitiam regni. Ex quo ad hunc modum concludis prædicta pag. 271, *Ama igitur & tu proximum tuum, hoſtem tuum, inimicum tuum, ſed non pluſquam Deum, quam veritatem Dei, quam ordinationem Dei, quam juſtitiam Dei, quæ vult malos male perire, vindicari malefacta, ut repurgata vita præſente à malis quiete vivere poſſint boni*, &c. Si hæc tua argumentatio recte concluſa eſt, illud omnino ſequitur, quod alibi quoque ex tuis verbis colligi oſtendimus, & te in Chriſtianam religionem inſtituta quædam inducere declarat, quæ ne athei quidem ipſi impia eſſe non ſint faſſuri. Nam, ſi ad rem locutus es, nulli dubium eſſe poteſt, quin ex ratione tua concludi neceſſe ſit, non licere homini Chriſtiano acceptas injurias diſſimulare, nedum eas ex animo condonare. Etenim, ſi propterea eas per magiſtratum vindicare licet, quia Deum pluris, quam proximum facere debemus, certe ſequitur, non licere modo, ſed etiam oportere id facere. Itaque nemo, qui injuriam per magiſtratum vindicandam acceperit, eamque ad magiſtratum non detulerit, & vindicandam curaverit, non graviter peccabit. Itane animo efferato es Palæologe, ut hæc ſerio ſcripſeris, veliſque Chriſtianos homines deteriores eſſe multis, qui nullam Dei veram cognitionem habentes, injurias ſuas nec per ſe, nec per magiſtratum vindicarunt, ob eamque rem manſuetudinis, atque clementiæ laude apud omnes maxime floruerunt? Nonne hac ratione ex Chriſtiana republica omnem ferme manſuetudinem, atque clementiam exterminas? Nam, cum ubique legibus cautum ſit, ne privatus aliquis per ſe injurias ſuas ulciſci audeat, & ulciſcentibus graves ſint pœnæ conſtitutæ, ſed, ſi quis velit ſuas vindicare injurias, ad magiſtratum accedere debeat, quinam manſuetudini, aut clementiæ locus erit, ſi nemo accedere non cogatur? Quis erit unquam, qui recte æſtimans dixerit, eum clementem, aut manſuetum fuiſſe, qui non ea ratione ſe ultus fuerit, quæ cum ipſius certo damno, aut periculo conjuncta eſſet? Adde quod, ſi recte à te concluſum eſt, non ſolum injurias noſtras, ſed aliorum etiam, quin & omnia delicta per magiſtratum vindicanda, quæ ad noſtram notitiam pervenerint, à quocunque tandem illa commiſſa fuerint, deferre debemus, adeo ut & noſmetipſos, ſi quid ex lege puniendum occulte admiſerimus, prodere, & publice accuſare cogamur, utque puniamur, curare, etiamſi capitale eſſet delictum noſtrum, &, nos turpi morte à magiſtratu affectum iri, plane conſtaret. Nam, ſi Deum pluris facere, quam nos ipſos debemus, ut certe debemus, & Dei gloria poſtulat, ut malefacta per magiſtratum vindicentur, & à nobis vindicari curentur, ipſa quoque malefacta noſtra, ut per magiſtratum vindicentur, quæcunque tandem illa fuerint, curandum nobis eſt, idque eo magis, quo graviora erunt, & digniora, quæ impunita non relinquantur. Jam qualem carnificinam ex Chriſtiana religione nobis reddis! Certe Joſephus, qui Mariam ſibi deſponſam, priuſquam conveniſſent, gravidam eſſe deprehendit, ne ſcelus, quod illam admiſiſſe pro certo habebat, palam fieret, & ipſa ex lege puniretur, eam clam repudiare, cogitabat, tantum abeſt, ut puniendam ad magiſtratum deferre vellet. Quod, cum vir juſtus eſſet, eum feciſſe, ſacra Hiſtoria teſtatur Matth. 1. 19. Et tamen non ſolum ſcelus (ut ipſe ſine dubio credebat) ejuſmodi erat, cui per Dei legem graviſſima fuiſſet decreta pœna, Deut. 22. 21, ſed etiam quo, vel certe cujus occaſione graviſſimam ſibi injuriam factam fuiſſe, Joſephus videbat. Vides, rem contrario prorſus modo ſe habere, quam tu exiſtimes, hoc eſt, illum appellari juſtum, qui ſuas, Deique ipſius graves injurias ad magiſtratum non defert, &, quantum in ſe eſt, ne puniantur, curat. Nec ſane quemquam, qui aliter faciat, non vituperandum eſſe arbitror. Idque ſub ipſa Lege, ut ex iſto Joſephi exemplo patet, ita putatum fuiſſe, mihi perſuadeo, niſi ſicubi nominatim in Lege, ut delinquentes accuſarentur, & deferrentur, conſtitutum fuiſſet Deut. 13, ut in idololatriæ peccato factum eſſe conſtat. Hoc ipſum principes ipſi, & reſpublicæ, quorum maxime intereſt, ut delicta puniantur, probe noverunt, & idcirco, quibuſdam exceptis delictis, quæ ad ipſorum injuriam proprie ſpectant, ut idololatria ad ipſius Dei injuriam, qui legem tulerat, proprie ſpectabat, nulla occulta delicta ad magiſtratum deferenda eſſe ſanciverunt. Nec unquam aliquem injurias, quas accepiſſet, puniendas per magiſtratum curare coëgerunt. Quo nihil iniquius excogitari poſſe videtur, cogere ſcilicet quempiam, ut immitis ac ſævus ſit, aut certe, ut ſe vere mitem ac placidum eſſe, docere non poſſit. Quamobrem, quod ais, juſtitiam Dei poſtulare, ut mali male pereant, & male facta vindicentur, verum eſt quidem, ſi recte intelligatur, ſed non tamen ex eo ſequitur, unumquemque privatum, ut id fiat, curare debere, præſertim ubi alia poteſt eſſe cauſſa, cur id curet. Quemadmodum in propriis injuriis vindicandis contingit. Sed ii demum illud curare debent, qui ipſi juſtitiæ Dei exequendæ ſunt præpoſiti. Pergis autem, & ais, *Ora pro tuis inimicis, benefacias illis, omni tempore, Saluta illos: ſed ſi tempus illud eſt quo mandatur tibi, ne dixeris illi ave, jam lex communis ceſſat, ubi Lex propria lata eſt*, &c. Jam hic apparet, quantum à propoſita quæſtione abſceſſeris. Quærebatur, quomodo Deum orare pro inimicis, & à Deo contra ipſos vindictam petere ſimul conſiſtere poſſent. Hic vero dicitur, aliquando tempus eſſe, cum ne Ave quidem illis dici debeat, & communem legem ceſſare, ubi propria lata fuerit. Atqui vel iſtud nihil eſt, vel falſum ſimul atque ridiculum cenſeri debet. Si enim tunc demum propriam legem latam eſſe intelligis de non orando pro inimicis, cum peccant ad mortem, ut verba tua, quæ poſtea addis, demonſtrant, qua de re paullo ante ſatis accurate egimus, quid hoc ad rem facit?

Nam

Nam adverſarii quoque, id verum eſſe, facile concedent. Neque lex iſta magis ad inimicos, quàm ad amicos pertinet. Sequeturne ex hoc, cum inimici nos injuria afficiunt, ceſſandum eſſe ab orando pro eis, & propterea nihil eſſe, quod impediat, quominus eorum injurias per magiſtratum vindicare poſſimus? Immo Chriſtus diſerte dicit Matth. 5. 44, tunc eſſe pro ipſis orandum, cum nos lædunt, ſive injuria afficiunt. Quod ſi forte omnes, qui nos injuria afficiunt, ad mortem peccare vis, & propterea pro iſtis omnibus minime orandum eſſe intelligis; Primum iſtud non modo per ſe, ſed etiam ex eo, quod modo diximus, Chriſtum juſſiſſe, ut pro iſtis oretur, falſiſſimum eſſe apparet. Deinde plane ridiculum eſt, te fateri, legem quandam communem extare, quæ pro inimicis orare nos jubeat, ſed propriam interea legem latam eſſe, qua id facere vetamur. ſi iſtam propriam legem eos omnes caſus complecti velis, quæ communis complectitur, ut profecto te velle neceſſe eſt, ſi de iis omnibus, qui injuria nos afficiunt, propria iſta lex loquitur. Nam communis lex, quam illam eſſe oportet à Chriſto latam, de iſtis tantum nominatim verba facit. Certe iſtarum duarum legum non una communis, altera propria eſt, ſed utraque eſt communis, & altera alteri penitus adverſatur. Idem ferme dico de præcepto amandi inimicos, eiſque bene faciendi. Nam, ſi legem hanc communem interdum (ut ſonant verba tua) ceſſare vis propter propriam legem latam, explica caſus, in quibus ceſſet, & videbis, iſtud nihil ad propoſitam quæſtionem facere, idque ab adverſariis facile tibi conceſſum iri. Sed ſi iſtam propriam legem ita intelligis, ut ſemper locum habeat, cum de vindicandis malefactis agitur, quia ſcilicet tunc de Dei juſtitia agatur, quæ omnibus rebus anteponenda ſit, jam & falſum id eſſe oſtendimus: nec dici poteſt lex iſta propria, quippe quæ, ubicumque fere altera illa communis locum habuerit, locum & ipſa habitura ſit, ſed communis ipſa quoque, & alteri plane contraria exiſtimari debet.

Atque hæc tandem ſatis eſſe poterunt ad univerſam tuam reprehenſionem diluendam, ac demonſtrandum, te nullo jure, ut oſtenderes, adverſariorum argumentum pluribus modis à te diſſolutum fuiſſe, tanquam in hujus diſputationis epilogo in fine pag. 271, & 272 initio, ea prima verba ſcripſiſſe, *Falſum enim eſt in eum nos vindictam petere non poſſe pro quo orare debemus, & illi benefacere, & eum ſalutare.* Hoc enim, ut vidimus, à te (præſertim ſi ad idem tempus, ut quidem neceſſe eſt, omnia referantur) nullo prorſus modo demonſtratum eſt. Cætera, quæ, falſa eſſe, deinde in eodem quaſi epilogo affirmas, nihil moror, tum quia ad rem non faciunt, tum vero quia partim ex iis, quæ adverſarii tui dicunt, minime conſequuntur, partim ab ipſis nuſquam diſerte affirmantur, etiamſi tu, tanquam ex ipſorum argumento neceſſario manantia, ea omnia commemores.

XX. Objicis adverſariis tuis prædicta pag. 272 quod dicant, magiſtratum miſericordem eſſe non poſſe, quin ſit futurus injuſtus in alteram partem, magiſtratum autem miſericordem eſſe debere, & addis, *Næ vos hoc unum undequaque proditis, vos nihil ſcire & ſenſu communi privatos eſſe.* Hic, Palæologe, inſignis calumnia latet. Nam aperta convicia nihili facio. Tantum doleo, quod tanto gravius peccaſti, atque, ut omnes videbunt, ea in teipſum redundare dici poſſunt. Calumnia igitur in eo eſt, quod hic Racovienſes dicentes facis, magiſtratum injuſtum eſſe oportere. Nam, ſi miſericors eſſe debet, & miſericors eſſe non poteſt, quin ſit injuſtus, neceſſarium profecto eſt, ut injuſtus ſit. Sed quomodo ex ipſorum verbis colligis, magiſtratum miſericordem eſſe debere? Sic enim ſcribunt illi pag. 70, *Si à Deo vindictam expetere in adverſarios non licet, quomodo vindicare apud magiſtratum licebit? Cum Deus ſit & miſericors & juſtus, Magiſtratus vero neutiquam miſericors eſſe poterit, niſi injuſtus alteri parti eſſe velit.* Certe ex his verbis contrarium potius aperte colligitur. Ad hunc enim modum argumentantur adverſarii tui: Si non licet vindictam à Deo petere, qui miſericors ſummo jure eſt, quanto minus à magiſtratu petere licebit, qui miſericors eſſe non debet? Miſericordem autem magiſtratum eſſe non debere, ex eo demonſtrant, quod oporteat magiſtratum omnino juſtum eſſe. Injuſtus autem alteri parti erit, ſi miſericors fuerit. Itaque apparet, Racovienſes non affirmare ſolum, ſed etiam contendere, magiſtratum juſtum eſſe debere, tantum abeſt, ut, injuſtum eſſe oportere, dicant, ut tu eos reipſa dicentes faciebas. Et ſane valde mirum eſt, te hac in re ita ſupinum fuiſſe, ut nec verba ipſorum attenderis, nec mentem perceperis, apertiſſimamque eorum argumentationem minime animadverteris. Quid, quod ea, quæ ad Racovienſium dictum refutandum deinde attuliſti, nihil prorſus ad rem faciunt, cum neque id refutent, quod illi dixerant, neque id, quod tu eos dixiſſe putaveras? Ea enim omnia huc tendunt, ut probent, magiſtratum neutri parti eſſe injurium, ſi, ut ſuum utrique reddatur, curat, & idcirco aliquid ab una, tanquam non ipſius, auferri jubet, & alteri dari, cujus eſt revera. Nam etſi hoc ad id refutandum pertinere videtur, quod reipſa Racovienſes dicentes facis, magiſtratum ſcilicet injuſtum eſſe oportere, tamen, cum rationem, quare id dixiſſent, non refutes, quippe qui nec in magiſtratu miſericordiam una cum perfecta juſtitia eſſe poſſe, nec, ut magiſtratus miſericors ſit, non oportere, probes, nihil vere agis, & incaſſum multa verba fundis. Nam, te illud nequaquam refellere, quod ipſi revera dixerunt (quamquam etiamſi refelleres, id non tibi, ſed caſui potius tribuendum eſſet) ex eo intelligi poteſt, quod in nullo ex exemplis à te allatis aliquod miſericordiæ veſtigium apparet.

XXI. Jam demonſtratum eſt, quantum adverſarii tui in eo ponant, quod à Deo vindictam petere non liceat, ut hac ratione, ne à magiſtratu quidem eam petere licere, oſtendant. Ut igitur id probent, non ſolum pag. 70, ut viſum fuit, ab eo argumentum ducunt, quod pro inimicis Deum orare debeamus, ſed etiam ibidem ab exemplo ex Sacris Literis petito argumentantur, ubi Jacobus, & Johannes Apoſtoli vindictam à Deo petere cupientes, contra eos, qui Chriſtum hoſpitio recipere noluerant, repreſſi ſunt à Chriſto, & objurgati, Luc. 9. 54. Hic tu adverſarios reprehendis, & pag. 281. ais, nullo modo ex hoc ſequi, Apoſtolos non debuiſſe ſuas opes repetere apud magiſtratum, quas rapuiſſent iniqui, quaſi vero hoc illud ſit, quod ex prædicto exemplo ipſi concludunt, cum tamen ne illud quidem ſit, quod ex eo, quod inde concludunt, confirmare demum quærunt. Quandoquidem aliud eſt ſua per magiſtratum repetere, aliud vindictam, id eſt ultionem injuriarum per magiſtratum expetere. Docendum tibi fuerat, deſiderium illud duorum fratrum non pertinuiſſe ad vindictæ petitionem à Deo, & ita jure adverſarios tuos reprehendiſſes.

2. Sed fortaſſe id te præſtitiſſe putas, cum paullo ante ais, ideo non rectum fuiſſe iſtorum Apoſtolorum deſiderium, quia volebant auctoritate ſibi conceſſa ad deſtructionem uti, cum tamen ea ad ædificationem illis à Chriſto data fuiſſet. Ex hoc enim (ſi id verum eſt) non obſcure colligitur, non de vindicta à Deo petenda, ſed de auctoritatis jam conceſſæ abuſu ibi actum fuiſſe. Verum quomodo probas, Chriſtum tantam auctoritatem jam Apoſtolis dediſſe, ut ignem etiam de cœlo ad homines perdendos quandocumque ipſis libuiſſet, devocare poſſent? Id ego ſane, vel aliquid ſimile nuſquam lego. Quapropter cum duo illi Apoſtoli, Chriſtum interrogantes dicant, *Domine vis dicamus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* non eſt intelligendum, illos à Chriſto petiiſſe, ut ſibi concederet, ut poteſtate, quam jam habebant, ea in re uterentur, vel eum rogaſſe, num juberet, aut vellet id fieri, ſed perinde eſſe, ac ſi dixiſſent, permittis ne nobis, aut mandas, ut Deum oremus, ut ignem de cœlo mittat,

tat, qui iſtos conſumat? Vel, Jubeſne, aut permittis, ejuſce rei nunc data nobis poteſtate, ut ignem de cælo devocemus ad ulciſcendam injuriam, qua iſti te afficiunt? Quod reipſa idem eſt, ac ſi vindictam à Deo ipſo petiiſſent. Nec vero Elias 2 Reg. 1, quem imitari Apoſtoli iſti volebant, poteſtate jam ſibi conceſſa ignem de cælo devocaſſe, dicendus eſt, ſed precibus id à Deo obtinuiſſe. Etſi enim in ipſa Hiſtoria precum non fit aperta mentio, tamen verba illa, *Deſcendat ignis*, &c. precationis vim habere cenſenda ſunt. Quod ſi, cum ſcriptum ſit, eundem Eliam Achabo dixiſſe 1 Reg. 17. 1, *Vivit Jehova Deus Iſraëlis, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis hisros, & pluvia, niſi juxta oris mei verba*, preces Deo ea de re Eliam adhibuiſſe intelligendum eſt, non autem, poteſtate jam ſibi tradita id effeciſſe, ut Jacobus teſtatur Jac. 5. 17, cum tamen precum nulla prorſus fiat mentio, quinimmo ex ſermonis Hebræi proprietate ita accipi verba poſſint, ut juſſum omnino declarent, multo magis id intelligendum eſt, ubi ejus verba, tanquam à precante dicta, accipi poſſunt.

3. Sed alia præterea ratione adverſariorum ex exemplo iſto argumentationem reprehendis. Ais enim, cauſſam, quod illi eos recipere noluiſſent, non tanti fuiſſe, ut idcirco duo iſti Apoſtoli deſiderio illos perdendi teneri debuiſſent. Et mox ſubjicis, *Si quis, inquit, noluerit vos recipere, excutite pulverem de pedibus veſtris terræ illius in qua illi habitant, in teſtimonium, quod nihil quod ad illos pertineat, ſit vobiſcum. Non dicitur, perdite illos vos.* Hic primum obiter inconſtantia tua notanda eſt. Nam, ut ſupra vidimus, alibi, id eſt pag. 263. præceptum iſtud Chriſti Apoſtolis datum, ut pulverem de pedibus excuterent in teſtimonium, &c. ita interpretaris, ut inde colligas, Apoſtolos futuros teſtes coram Deo contra Judæos violatores Legis. Hic vero teſtimonium intelligis, quod nihil cum Apoſtolis eſſet, quod ad illos pertineret, ut & nos antea, contra interpretationem illam tuam, Chriſti verba intelligenda eſſe diximus. Deinde vero animadvertendum eſt, te in eo lapſum eſſe, quod in exemplo, de Apoſtolis ipſis, qui vindictam cupiebant, non receptis, agi putas, cum tamen de Chriſto ipſo non recepto agatur, nulla ipſorum Apoſtolorum ratione habita. Quod & Chriſti increpatio oſtendit, cum ait, ſe non veniſſe, ut homines perderet, ſed ut ſervaret. Ad ipſum enim ulciſcendum noverat Chriſtus, in eam cogitationem duos illos fratres deveniſſe, ut ignis de cælo inhoſpitales illos homines conſumpturus devocaretur. Etenim ſi dixeris, ſi ita res ſe habeat, exemplum ad rem noſtram accommodatum non eſſe, Nos enim de vindicta loqui pro ſe ipſo expetita, exemplum vero de vindicta pro alio deſiderata. Reſpondebo, immo tanto accommodatius eſſe, id eſt ad id probandum, quod Racovienſes quærunt, aptius, quanto tolerabilius eſt pro alio, quam pro ſeipſo, vindictam contra quempiam à Deo petere. Quemadmodum ex iis intelligi poteſt, quæ non multo ante de eo, quod inter inimicos noſtros, quod ad orandum pro ipſis attinet, & alios ſceleſtos homines interſit, diſputatum à nobis eſt. Poſtremo (atque hoc præcipue ad reprehenſionem tuam refellendam pertinet) conſiderandum eſt, exemplum iſtud non tam propter factum ipſum, quam propter Chriſti verba, ut etiam ab aliis fit, ſine dubio ab adverſariis tuis allatum fuiſſe. Neque enim Chriſtus diſcipulos illos propterea objurgat, quod vindictam nimis gravem ob levem cauſſam expeterent, id quod neque ex verbis, neque ex ſententia ipſius colligi poteſt, ſed ſimpliciter, quod eam vindictam expeterent; & Ratio, quam adjungit, non minus in gravioribus, quam in levioribus cauſſis locum habet. Non negabo tamen verba ipſius non ad omnem vindictam excludendam, ſed ad capitalem pertinere, de qua potiſſimum, quod apud Chriſtianos locum habere non poſſit, hic diſputant Racovienſes. Quemadmodum ex verbis illis apparet, quæ ſtatim poſt allatum, explicatumque exemplum addunt, *Et iſti ſcilicet erunt filii Dei, perdendo animas quas Chriſtus ſervatum venit?* Unde conſtat te calumniari, cum pag. 280, objectionem (quam vocas) ipſorum 22, tuis verbis, ut ſoles, confingens, ex prædicto exemplo eos ita concludentes inducis, *Ergo non licet ſe coram magiſtratu offerre, & petere ſua rapta à prædonibus.* Quid enim, ſi jam illi prædones de ſcelere ſive hoc, ſive alio ſimili, ita ut eis pœna amplius augeri non poſſit, convicti fuerint? Quid, ſi prædones ipſi evaſerint, bona tamen, quæ rapuerant, magiſtratus ope recuperari poſſint? Quid denique, ſi, quantumvis accuſati, & convicti, nihil omnino pœnarum ſint daturi præter ipſam rerum raptarum reſtitutionem, idque vel propter inſignem minimeque dubiam magiſtratus clementiam, vel quia illius loci leges, dummodo rapta reſtituantur, nullam pœnam raptoribus decernant, vel quia id in ejus voluntate poſitum eſſe velint, qui rapinam paſſus fuerit, iſque ea reſtitutione contentus futurus ſit, vel quamcumque aliam ob cauſſam? An non vides, fieri poſſe, ut quis ſua à prædonibus rapta coram magiſtratu petat, & tamen nulli capitale periculum creet, nec capitalem vindictam, immo ne vindictam quidem ullam contra aliquem expetat? Falſo igitur, & per calumniam, ut dictum eſt, Racovienſibus tribuiſti, quod ex exemplo illo, ex quo ipſi nihil niſi vindictam (maxime capitalem) per magiſtratum expetere non licere concludere volunt, colligi poſſe dicant, non licere coram magiſtratu ſe offerre, & ſua à prædonibus rapta repetere.

XXII. Adverſarii tui, ut probarent, Chriſtum æternum regem, & ſacerdotem eſſe in Eccleſia abſque ſucceſſore, pag. 72. caput 7. Epiſtolæ ad Hebr. citaverant, ubi inter alia dicitur, Chriſtum habere ſacerdotium ἀπαράβατον, quam Græcam vocem dixerant ipſi id ſignificare, id eſt Sine ſucceſſore. 1. Hoc tu pag. 286, reprehendis & adverſarios rogas, ut addiſcant, antequam loquantur, & non obſcure (quod alibi ſæpe facis) ignorationem linguæ Græcæ illis objicis, & tamen nec, quid aliud ſignificet ea Græca vox, doces, & interim, illud ipſum, quod adverſarii dicunt, eam ſignificare, ſatis aperte concedis. Etenim turpi lapſu, dum reprehendere Racovienſes in animo habes ejus rei cauſſa, quod ex æterno ſacerdotio, & regno Chriſti, in quo ſucceſſoribus non eſt locus, non recte id, quod volunt, colligant, nec, quid ſit ſine ſucceſſore eſſe, recte percipiant, eos reprehendis, quod Chriſtum regem, & ſacerdotem eſſe dicant, qui ſucceſſore careat. Nam quid attinet de ipſa voce ἀπαράβατον verba facere, cum certiſſimum ſit, eam idem ſignificare, quod, ſi Latine dici poſſet, ſignificaret Intranſmiſſile, id eſt ejuſmodi, ut ad alium non tranſmittatur? Quod quid aliud eſt, quam in eo non dari ſucceſſorem? Quid igitur tibi vis, cum Græcarum litterarum inſcitiam tuis adverſarii aſcribis? Nonne tu ipſe, ex loco illo, Chriſtum nullum ſucceſſorem habere, colligi poſſe, demonſtras, cum pag. 287 ita ſcribis? *Nullum igitur habet ſucceſſorem, quoniam nunquam moritur: ſucceſſor autem datur & mortuo & repulſo.* Quamquam antecedentia verba, ad quæ iſta referri debent, quæ ſunt illa, *Ergo illum, de quo ibi agit*, &c. adeo ſunt typographi culpa (ut arbitror) depravata, ut ſatis intelligi nequeant. Verum ex aliis verbis tuis, quæ poſtea recitabimus, te id ſentire, quod diximus, valde perſpicuum erit. Hic autem animadvertendum eſt, te dicere voluiſſe, cum Chriſtus nunquam moriatur, certum eſſe poſſe, eum nullum habere ſucceſſorem, cum certum ſit, ipſum nec repulſum fuiſſe, nec repellendum fore, ſucceſſor autem aut mortuo, aut repulſo detur. Quod quam rectè à te expreſſum fuerit, cæteri judicabunt. Certe, niſi hoc pacto ex ingenio verba tua ſuppleamus, atque interpretemur, ineptiſſime locutus eſſe videri poteris, qui ex eo ſolo, quod Chriſtus non amplius moriatur, concludis, eum nullum habere ſucceſſorem, & tamen interea ipſe fateris, non mortuo tantum, ſed repulſo quoque ſucceſſorem dari. Fateris igitur, Chriſtum nullum habere ſucceſſorem. Idque ſine dubio ex loco ab adverſariis citato probari concedis, ut mox apertius conſtabit.

ſtabit. Quid igitur tibi vis? Cur adverſarios tuos ob idipſum & reprehendis, & ſimul irrides? At dices, In hoc ipſos reprehendo, quod non intelligunt, quid ſit, Chriſtum non habere ſucceſſorem, & qualem vim hæc verba habeant. Jam hoc, Palæologe, longe aliud eſt, nec cum eo, quod tuæ reprehenſionis initio dicebas, ullo modo conſentit.

2. Sed videamus, cur adverſariis objicias, quod non intelligant, quo ſenſu dictum fuerit, Chriſtum ſucceſſorem non habere. Nam inquis eadem pag. 287, *Non ob id nullum habet legatum in ſua Eccleſia, & qui reconciliet Deo homines, ut ex filiis iræ faciat filios amoris Dei, & ex mancipiis principis hujus mundi, reddat mancipia regni Chriſti, & qui regat populum ſanctis legibus?* Et mox, *Eſt igitur regnum & Sacerdotium Jeſu Chriſti ἀπαράβατον, quoniam nec in aliam tribum, nec in aliam familiam, nec in aliam perſonam, vel ob mortem ut Davidis & Aaronis, vel ob repulſam ut Saulis & Eli, quàm in Jeſu Chriſti familiæ Davidicæ, tribus Juda, perſonam, hoc ſacerdotium & regnum conjectum à Deo patre eſt, ſed non eſt hoc regnum & Sacerdotium ἀπαράβατον ratione legatorum & miniſtrorum, qui pro Domino agant.* Quaſi vero negetur à Racovienſibus, Chriſtum ſuos legatos, & miniſtros, qui pro ipſo agant, in Eccleſia habere. Sed aliud eſt eſſe regem, aut ſacerdotem, aliud legatum, aut miniſtrum. Habent & mundani ipſi reges (nam hic de regno potiſſimum quæritur) ſuos legatos, qui regis legati dicuntur, non tamen ſunt ipſi reges. Ita Chriſtus ſuos legatos in Eccleſia habet, non tamen ſunt ipſi Eccleſiæ reges. Quis vero eſt hodie, aut unquam fuit, qui ſe Chriſti Eccleſiæ regem merito nominare queat. Immo quis eſt ex ipſis regibus, qui Chriſti nomen profitentur, quem, ſi Eccleſiæ Chriſti regem appellare velis, non ſit id ægerrime laturus? Non negant igitur hoc loco Racovienſes, vel legatos ſuos Chriſtum in Eccleſia habere, vel in ipſa Eccleſia inveniri poſſe, qui alioqui ſint reges, ſed negant, ullum inveniri, aut eſſe poſſe, qui ipſius Eccleſiæ ſit Rex præter unum Jeſum Nazarænum, qui Chriſtus propterea eſt appellatus. Sed dices, quorſum hæc, cum hic quæratur, utrum homo Chriſtianus magiſtratum civilem gerere poſſit? Reſpondeo, non id hoc loco quæri, ſed illud, utrum quiſquam Eccleſiæ Rex ſive ex toto, ſive etiam ex parte præter ipſum Chriſtum eſſe poſſit, ut poſtea docebimus, &, cur hac de re à Racovienſibus diſputatum fuerit, oſtendemus. Nunc, te eorum mentem non percepiſſe, eoſque ſine cauſſa reprehendiſſe, indicare ſatis habui.

3. Illud ſane miratus ſum, te tam facile adverſariis conceſſiſſe, ex eo Epiſt. ad Hebr. loco probari, Chriſti Jeſu regnum ἀπαράβατον eſſe, cum ibi de ſacerdotio tantum agatur. Quod etiamſi cum eorum, quos adverſus te defendendos ſuſcepi, reprehenſione conjunctum videatur, tamen reticendum non cenſui, ne lector, me in eundem errorem (ſi tamen error eſt) vobiſcum incidiſſe, putaret. Nec vero opus eſt, ut hac de re aliud dicam, eaque in medium afferam, quæ ad te, & illos excuſandos pertinere poſſent.

XXIII. Quoniam Racovienſes pag. 76. dixerant, in Teſtamento Novo nuſquam ne unum quidem verbum extare de tortoribus, carceribus, crucibus, & flagellis, quorum ſcilicet in Eccleſia uſus eſſe deberet, ex quo concludi poſſe ſperabant, iſta omnia ex Eccleſia exterminanda eſſe; tu pag. 290 illorum objectionem 23 fingens, eos affirmantes facis, illud ex teſtamento vetere non eſſe recipiendum à Chriſtianis, cujus mentio nulla fiat in novo. 1. Ubi non animadvertis rei, de qua agitur, circumſtantias, quæ in cauſſa ſunt, ut non poſſit, nec porro debeat ex ipſorum argumentatione univerſalis iſta propoſitio concinnari. Idcirco enim, cum prædictarum rerum in Teſtamento Novo nulla fiat mentio, non ſunt illa ab Eccleſia recipienda, quia in Teſtamento Novo de iis, quæ ad Eccleſiæ gubernationem pertinent, verba fiunt, quia Chriſti Eccleſia leges ſuas à legibus ſynagogæ Moſaicæ diſtinctas habet, quia denique multa in Teſtamento Novo de Eccleſia dicuntur, quæ cum iſtis rebus non bene convenire videntur. Hæc cum eo juncta, quod earum nulla mentio inibi fuerit facta, id efficiunt, quod iſtud per ſe efficere forſitan non potuiſſet. Atque horum omnium rationem in argumentatione ſua concludenda Racovienſes habuiſſe, confitebitur quiſquis vel oſcitanter ea perlegerit, quæ in eorum ſcripto proxime antecedunt.

2. Quanquam non video, cur univerſalis propoſitio illa, quam tu adverſariis falſo per errorem aſcribis, ſi recte intelligatur, tantopere ſit reprehendenda. Multa enim ſunt, quæ in Novo Teſtamento continentur quidem, ſed non explicate, & diſerte. Verum vel ſub involucro quorundam verborum quodammodo latent, vel ex ſententia aliorum manifeſta neceſſario proficiſcuntur, vel ex totius doctrinæ ratione aperte colliguntur. Quidquid igitur neque explicate, & diſerte, nec ullo præterea ex prædictis modis in Novo Teſtamento continetur, quamvis id in Teſtamento vetere ſcriptum ſit, non tamen à Chriſtiana Eccleſia omnino eſt recipiendum, id eſt nihil cogit, ut ea, ſi nolit, illud recipiat. Si ad hunc modum propoſitionem iſtam interpretemur, non crediderim, eam ab homine vere Chriſtiano falſitatis condemnari poſſe. Meminiſſe autem debemus ejus, quod à me ſupra non uno in loco diſputatum fuit, leges morales Veteris Teſtamenti, ſub Novo Teſtamento nulla ex parte ceſſaſſe. Adeo ut ea omnia quæ in Vetere Teſtamento de moribus præcepta ſunt, ea quoque in novo præcepta fuerint, quamvis aliquanto plura, & perfectiora ſint Novi Teſtamenti mandata, quam veteris. Quocirca, cum aliquid in Vetere Teſtamento præceptum invenitur, quod ad mores proprie pertineat, etiamſi illud in Novo Teſtamento expreſſum non fuerit, tamen ſervari debet ab homine Chriſtiano, qui eam rationem univerſæ Teſtamenti novi doctrinæ eſſe novit, ut plus etiam, quam in Vetere Teſtamento mandatum fuiſſet, præſtari in moribus velit. Hinc apparet, quomodo, & quatenus non inutile nobis futurum ſit Vetus Teſtamentum, etiamſi hiſtoriæ, & vaticinationes omnes, quæ nobis cognitu utiliſſimæ ſunt, inde expungerentur. Quæ tamen omnino, quamvis moralia plane inutilia forent, conſervanda eſſent, & propter illas ipſum Vetus Teſtamentum, quod ubique fere alterutras cum præceptis, aut monitionibus ad mores pertinentibus admiſtas habet. Itaque nullo prorſus pacto recte concludis, cum pag. 291. ais, ſi, quidquid non eſt in Novo Teſtamento, etiamſi in vetere ſit, tollendum eſt, tolli debere ipſum Teſtamentum vetus totum. Iſta enim propoſitio, quocunque tandem ſenſu, qui plane ineptus ac ridiculus non ſit, enunciata fuerit, ad ea tantum referenda eſt, quæ ad præcepta pertinent. Quibus ſublatis, adhuc vaticinationes, & hiſtoriæ remanent, quæ totum ferme volumen occupant. Exemplum porro, quod deinde affers de legibus non contrahendi matrimonii in quibuſdam gradibus cognationis, aut affinitatis, meæ & ſententiæ, & propoſitionis illius interpretationi nihil obeſt. Ad mores enim eæ leges pertinent, & ad honeſtatem: quam, ut dictum fuit, multo majorem ſub Novo, quam ſub Vetere Teſtamento eſſe decet, & idcirco, quamvis eædem leges in Novi Teſtamenti ſcriptis expreſſæ non ſint, tamen pro expreſſis habentur. Nam, ſi turpitudinis illius, quam ipſa humana ratio in quibuſdam cognatis, aut affinibus mulieribus ſibi matrimonio jungendis eſſe animadvertit, in Teſtamento Vetere habita ratio fuit, & propterea interdictæ in eo conjunctiones iſtæ fuerunt, multo magis ejuſdem turpitudinis in Novo Teſtamento eſt habenda ratio, & idcirco conjunctiones illæ non tolerandæ.

XXIV. Commodiſſimam adverſarios tuos reprehendendi occaſionem tibi nactus eſſe videris, quia dixerint, Chriſtum præcepiſſe, ut ſui de mundo exirent. Itaque pag. 320. ais, nuſquam legi dictum fuiſſe Chriſtianis, ut de mundo fugerent. *Hoc enim* (inquis) *eſt ſeipſum occidere & vita præſenti privare.* Et ſtatim adjungis, *Quis igitur eſt iſte væſanus, qui quod nuſquam extat citat, & quod aliter dicitur*

citur à Paulo allegat pro Chriſti dicto. 1. Verum quam futilis eſt iſta tua reprehenſio! Quis enim tam parum exercitatus eſt in lectione Teſtamenti novi, qui neſciat, huic voci Mundi plures notiones ſubjici apud Apoſtolos, & Euangeliſtas? Duæ autem ſunt præcipuæ. Una eſt, cum ipſos homines, eorumve convictum ſignificat, Altera, cum homines impios, aut carnales, eorumve ſtudia, aut cogitationes deſignat. Priore notione dixit Paulus Corinthiis 1 Cor. 5. 10. ea verba, *Alioqui deberetis de mundo exire.* Quem locum videris ad redarguendos adverſarios tuos tacite attuliſſe. Atqui ipſi non hac notione; ſed poſteriore vocem Mundi in ſuis verbis extulerunt, ut plus ſatis apertum eſt. Jam, ſi id quæris, ut locus proferatur, ubi diſerte ſcriptum extet, oportere nos de mundo exire, valde iniquum te præbes. Præſertim cum adverſarii tui non verba citent, ſed ſententiam urgeant. Quod ipſe probe noſti, qui non verborum, ſed ſententiæ in ipſis reprehendendis rationem habuiſti, cum id, quod ipſi dixerant Exire de mundo, tu, ut refelleres, recitans, Fugere de mundo, dixeris. Quo gravior lapſus tuus videtur, cum non verba ipſa, ſed mentem adverſariorum ſpectaveris, & tamen, quo ſenſu vocem Mundi uſurpaverint, non animadverteris, quamvis tu ipſe eodem loco, eodem, quo ipſi, ſenſu eam vocem extuleris. Etenim paullo ante dixeras, omnibus Chriſtianis præceptum fuiſſe, ut putarent, ſe mortuos eſſe mundo. Ex quibus verbis tuis adeo præterea adverſariorum dictum confirmatur, ut merito teipſum refutaſſe dici poſſis. Nam profecto, qui putat, ſe mortuum eſſe mundo, is (quantum in ſe eſt) de mundo exit. Nonne Paulus dicit, ſibi crucifixum eſſe mundum, & ſe mundo Gal. 6. 14? Quid hoc (quæſo) aliud eſt, quam exire de mundo? Nam ſi, ut ipſe ais, is exit, ſeu fugit de mundo, qui ſeipſum occidit, & vita præſente privat, Mundi ſcilicet voce in priorem illum ſenſum accepta, ut Mundus homines ipſos, eorumve convictum ſignificet, cur non dicetur is de mundo exiſſe, qui hominibus impiis, atque carnalibus, vel potius eorum ſtudiis, atque cogitationibus mortuus ſit, Mundi voce poſteriore ſenſu illo uſurpata? Nonne idem Paulus ait, Jeſum Chriſtum dediſſe ſe pro peccatis noſtris, ut nos eriperet ex præſente ſæculo nequam Gal. 1. 4? Eripi ex ſæculo, & Exire de mundo nonne idem ſunt? An non adverſarii tui hæc eadem prorſus intellexerunt, qui ad ſeipſos explicandos ad hunc modum pag. 80, ſunt locuti? *Nec ſe configurare huic ſæculo, ſed exire de mundo, illique crucifigi, ne cum eo pereant, præcepit.* I nunc, & væſanum nomina ſcriptorem iſtum, quia ſcilicet perverſe Pauli mentem interpretatus fuerit.

2. Nam quod illi opponere videris, non Chriſtum, ſed Apoſtolos, maxime Paulum, iſta præcepta dediſſe, adeo eſt frivolum, ut ſupervacaneum ſit illud refellere. Quaſi vero Chriſtus per os Apoſtolorum ſuorum locutus non fuerit, vel ipſi, cum ejuſmodi præcepta dederunt, ex ſuo ipſorum ſenſu, propriaque auctoritate ſint locuti. Quid, quod Chriſtus ipſe teſtatus eſt Joh. 15. 19, ſe Apoſtolos ſuos, qui exemplar quodammodo in pleriſque omnibus cæterorum Chriſti diſcipulorum ſunt, de mundo ſelegiſſe? Quod tu ipſe alibi ita interpretaris, ut quæ hic dicis, refellere exiſtimari debeas. Sic enim ais pag. 308. *De mundo ſuos Apoſtolos elicit Chriſtus & Paulus nos ſelectos fuiſſe, quoniam ab omnibus mundi & carnis fluctibus ſubtracti, ſubditi ſumus Deo ut fructibus ſpiritus incumbamus.* Ubi ſane, & nos à mundo ſeparatos eſſe debere, ideoque de mundo exire, & Chriſtum ipſum id curaſſe, contra quam hic ſcribas, & ſentias, non obſcure affirmas.

XXV. Cum tu inter alia, quæ in priore ſcripto tuo attuleras ad probandum, hominem Chriſtianum non modo poſſe, ſed etiam interdum debere arma contra hoſtes capere, non ſemel repetiiſſes, debere nos, niſi virtutis deſertores eſſe velimus, tutari nos, noſtraque, quorum curam nobis Deus commendaſſet, hucque pag. 23. ſententiam illam 1 Tim. 5. 8. (Pauli, ut videtur) detorſiſſes, quod, qui ſuorum curam non habent, infidelibus ſunt deteriores, de quibus alibi accuratius agemus, Cum, inquam, hæc ſcripſiſſes, unde colligitur, te proditionis, & aſtorgiæ eos inſimulare, qui nullo modo bella carnalibus armis gerere volunt, adverſarii tui ſub finem ſuæ reſponſionis, ſermone ad Chriſtum converſo, multa dicunt, quæ his paucis ſummatim comprehendi poſſunt. In te Chriſte hæc probra jaciuntur. Nam ſi iſti vere argumentantur, tu maxime proditor, & aſtorgus fuiſti, qui odio habere parentes, eoſque deſerere, abnegare uxorem, & liberos propter nomen tuum juſſiſti. Quin & nos ipſos abnegare, odioque habere, atque ad extremum mori, & animam perdere, ut tibi vivamus, voluiſti. Hæc autem dicentes, ut patet, oſtendere voluerunt, non quidem Chriſtum aſtorgiam aliquam præcepiſſe, ſed maximam præcepturum fuiſſe, ſi vera eſſet argumentatio tua. 1. Attamen tu per manifeſtam calumniam ipſis objicis, quod Chriſtum aſtorgiam docere dicant, atque adeo ipſorum dictis contra ipſos uteris, qui tantopere hoſtium dilectionem ex Chriſti diſciplina urgeant. Eos autem ad hunc modum loquentes inducis, objectione 33, pag. 328. *Atqui Aſtorgiam concionatur, & commendat hominibus Chriſtianis Chriſtus, cum dicit patrem, matrem*, &c. & in reſponſione multum laboras, ut probes, Chriſtum ſuos dilexiſſe, quaſi id negent adverſarii. Deinde addis, Chriſtum quidem velle, ut, cum amor erga nos, noſtraque non poteſt cum eo amore convenire, quo Deus vult, ſe, ſua, & ſuos amari, averſemur amorem noſtri, & Dei amorem ſequamur, non tamen hoc eſſe aſtorgiam introducere, ſed veram ſtorgen ſtatuere, Deumque, ut decet, præ cæteris omnibus amandum proponere. Itaque imprudens contra teipſum argumentaris. Nam hoc illud eſt, quod adverſarii tui intellexerunt, propterea ſcilicet non eſſe (ut tibi videbantur) aſtorgos, & proditores illos, qui, ut ſe, ſuaque defendant, arma non capiunt, nec hoſtes interficiunt, quia multo præſtantiore amore, ac fidelitate, quam ea ſit, quam ſibi, ſuiſque debent, adducti id faciunt, nempe ea, quæ ipſi Deo debetur, qui per os Chriſti ſuis inimicis bene faciendum eſſe monuit, eoſque amandos, nobiſque id mandatum eſſe voluit. Nec unquam poſtea, ut pro nobis, noſtriſque defendendis arma caperemus, hoſteſque interficeremus (quod cum mandato iſto omnino pugnat) vel juſſit, vel ulla ratione permiſit. Quemadmodum nec aſtorgi, nec proditores ſunt illi, qui omnia ſua, ſeque ipſos ſpernunt, & odio habent, ut Chriſto ſerviant, ejuſque Euangelio obediant. Quanquam hoc ipſum, amare inimicos ſuos, eiſque bene facere præcipua pars eſt ejus ſervitii, quod Chriſto debemus, & Euangelii obedientiæ, eſtque diſcipulorum Chriſti maxime propria & peculiaris quædam nota.

2. Quænam eſt igitur altera hic mirabilis calumnia tua, cum ais, Racovienſes antichriſtianiſmi, & gentiliſmi mandatum eſſe dicere, minus cætera omnia amare, quam Deum ipſum! In quo illud perpendendum eſt, quod, ne plane calumniari videreris, dum ea recenſes, quorum amor minoris faciendus ſit, quam amor ipſius Dei, verſute ſimul, atque ridicule inimicos inter ipſa numeras, quos ſcilicet Racovienſes plus, quam Deum ipſum, amari à nobis vellent. Quaſi vero inimici ex numero earum rerum ſint, quæ adeo nobis ſunt caræ, ut periculum eſſe videatur, ne quando præ iiiis Deum contemnamus, quemadmodum ſæpe præ liberis, uxore, parentibus, amicis, & aliis ejuſmodi rebus contemnimus.

XXVI. Sed jam eo ventum eſt, ut ex iis reprehenſionibus, quas nobis diluendas eſſe putavimus, una tantummodo reliqua ſit, quæ majoris momenti ipſa ſola, quam cæteræ omnes, eſſe videri queat. Quippe quam tu plus, quam cæteras omnes, urgeas, & ex qua ſola (ut ita dicam) titulum libro tuo facere volueris. Eam autem idcirco omnium poſtremam diluendam mihi ſumpſi, quod nullis certis locis tuæ reſponſionis contineatur, ſed per univerſum ſcriptum quodammodo vagetur, & ad extremum potiſſimum à te inculcetur. Ea

eſt,

eſt, quod turpiter, ac miſere decipiantur Racovienſes, qui nolint, ulla ratione homini Chriſtiano licere civilem magiſtratum gerere. De veritate hujus reprehenſionis mihi exacte inquirendum non eſt, cum non hic ſit diſputationis veſtiæ ſcopus. Siquidem, ut ſupra demonſtratum fuit, non de magiſtratus officio eſt quæſtio veſtra, ſed de privatorum. Nec ſane opus fuerat aliam diſputationem de magiſtratu inſtituere præter hanc, Utrum tanta ſit magiſtratus auctoritas, ut eo jubente, aut concedente, poſſit quiſque Chriſti diſcipulus jure bellum gerere, & hoſtes bellando interficere, aut vim vi repellere, & ſuarum injuriarum pœnas ab inimicis expetere, eoſque ulciſci, etiamſi alioquin hæc omnia homini Chriſtiano interdicta fuerint. Nam, ſi qua ſunt exiſtis, quæ velimus etiam ſine magiſtratus auctoritate fieri à quolibet privato Chriſtiano homine jure poſſe, quid (quæſo) attinet de magiſtratu quærere? Quamobrem id tantum agam: Primum ut oſtendam, non id ſentire Racovienſes, quod tua reprehenſio indicat, & idcirco ea in parte reprehenſionem tuam minus veram eſſe demonſtrem. Deinde ut graviſſimam quandam criminationem, quam cum ipſa reprehenſione conjungis, accurate diluam.

Dico igitur, non eam eſſe Racovienſium mentem, ut hominem Chriſtianum à civili magiſtratu gerendo penitus excludere velint. Quod tamen te exiſtimaſſe, complures tuæ reſponſionis loci, judicio meo, perſpicue docent. Quamquam, utcunque tu eorum verba interpretatus fueris, non erat hæc res ſilentio prætereunda, ſed, quid Racovienſes in ſuo ſcripto de civili magiſtratu ſcripſerint, diligenter perpendendum, ut ſi qua fortaſſe ſiniſtra, id eſt non vera opinio de ipſorum ſententia in re tanti momenti in legentium animis hæreat, ea ſtirpitus, ſi fieri poſſit, inde evellatur. Itaque affirmo, à Racovienſibus non negari Chriſtiano homini civilem magiſtratum gerere licere, eumque ſummum etiam regem, & monarcham eſſe poſſe. Sed hæc duo negant ipſi. Unum eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ regem alium eſſe poſſe præter ipſum Jeſum Chriſtum, Alterum, eum, qui Chriſtianus eſſe velit, humanum ſanguinem fundere poſſe, ſive privatus ſit, ſive etiam magiſtratum gerat. Poſterius hoc an recte ab ipſis negatum fuerit, nec ne, non eſt meum judicare. Nec ſane eſt, quod de veritate hujus quæſtionis hoc loco ſolliciti ſimus, cum, ut dictum fuit, ea ad diſputationem ab initio inter vos inſtitutam non ita pertineat, ut ſine ejus cognitione tota de re decidi, & optime dijudicari non poſſit. Prius autem illud, ut rectiſſimè negatum eſt, ſic etiam ad diſputationem veſtram maxime pertinet, ut ſtatim planum faciemus.

1. Dicet enim aliquis, Quid attinebat, Racovienſes in ſuo ſcripto urgere, neminem præter Chriſtum ipſum Chriſtianæ Eccleſiæ regem eſſe poſſe? Nam quis eſt, qui aliter ſentiat? aut quid tandem hoc, ut intelligamus, homini privato, qui Chriſtianus eſſe velit, nec bellum gerere licere, nec ſuas injurias ulciſci, etiamſi auctoritate magiſtratus id facere poſſit? Nullus quidem eſt, qui neget, neminem præter Chriſtum ipſum Chriſtianæ Eccleſiæ tanquam Eccleſiæ (ſic enim intelligimus) regem eſſe poſſe, ſed tamen tanto majorem id urgendi cauſſam habent Racovienſes. Quandoquidem ex eo id probare volunt, quod maxime contendunt. Nam, ſi Eccleſiæ Chriſtianæ nullus terrenus Rex datur, ſed tantummodo cæleſtis Chriſtus, primum id neceſſario ſequitur, Eccleſiam Chriſtianam, in terris licet degentem, terrenum tamen regnum non habere, & proinde Chriſtianorum poſſeſſionem, & bona, non terrena, ſed cæleſtia eſſe. Ex quo conſequitur, hominem Chriſtianum pro iſtis terrenis omnibus conſervandis nihil laborare debere, & indignum plane eſſe, ut pro ipſis defendendis, inter quæ propria ipſius vita numeranda eſt, ulli mortalium damnum aliquod, aut perniciem afferre curet Præſertim cum hæc alioquin homini Chriſtiano penitus fuerint interdicta. Deinde, ſi Chriſtiana Eccleſia, quatenus Eccleſia Chriſti eſt, neminem, niſi Chriſtum, pro rege agnoſcit, ſatis intelligi poteſt, nullam eſſe tantam in terris poteſtatem, quæ homini Chriſtiano id concedere poſſit, quod Chriſtus ipſe negavit, vel cujus auctoritate id Chriſtianus homo facere poſſit; quod alioquin facere prohibetur. Quocirca, cum Chriſtus homini Chriſtiano privato vindictam interdixerit, non poteſt magiſtratus ullus eidem mandare, aut permittere, ut ſe ulciſcatur. Nec, ſi is alioquin ulciſci ſuas injurias non poteſt, ſua auctoritate efficere, ut poſſit. Hinc verba illa Racovienſium in extrema pag. 69. *Hoc juſſu Chriſti faciendum, illud juſſu Magiſtratus: hoc in gratiam Chriſti, illud in gratiam Magiſtratus. Quis ſanus mente, non dico fide, talia portenta vera eſſe credet?* Et illico ea verba adjungunt alibi à nobis recitata, *O hominum cæcitatem, quæ cum ſua quærit, ea quæ ſunt Chriſti, & ſua in eo bona non videt, cum pro carne & terræ pugillo certat*, &c. Quæ verba, ut antecedentia ad poſteriorem effectum, ſic ipſa ad priorem reſpiciunt, quos ex eo, quod Chriſtiana Eccleſia nullum regem præter Chriſtum agnoſcat, manare diximus. Propterea igitur pag. 71, ea verba Racovienſium leguntur, *In Eccleſia enim Chriſti, ut ſolus Chriſtus eſt Rex, qui nullo unquam gladio pugnavit, vel contra hoſtes dimicavit: Ita nec ſuis illum tradidit, ſola excommunicatione relicta*, &c. & paullo poſt, *Quod ſi ergo nunc aliquis vel regem (quales erant typici ante Chriſtum) vel ſacerdotem introducere velit in Eccleſiam Chriſti (de politiis enim nihil loquimur) is proculdubio Chriſtum regno, ſacerdotioque ſpoliat, cum hæc non amplius in unum aliquem tranſeant*, &c. Quis tam ſtupidus eſſe poteſt, ut ex his Racovienſium verbis non intelligat, ipſos negare, non quidem hominem Chriſtianum magiſtratum, aut regem eſſe poſſe, ſed ipſius Chriſti Eccleſiæ regem, Chriſtive in eo regno ſucceſſorem ullum dari? Jam vero, quod alibi aut dicunt, aut dicere videntur, Chriſtianum hominem magiſtratum eſſe non poſſe, id ita intelligendum eſt, ut homini Chriſtiano non liceat talem eſſe magiſtratum, quales ſunt plerique alii, id eſt qui ea faciat, quæ cæteri faciunt, eaque ſibi licere exiſtimet, quæ cæteris licita eſſe creduntur, atque id præcipue, ne putet, ſe humanum ſanguinem fundere poſſe. Hoc ipſos ſenſiſſe, docent aperte hæc illorum verba pag. 74. *Parere Magiſtratui Chriſtiani jubentur & timere Magiſtratum, non autem gerere aut ejus officio fungi, ut addicat aliquos morti vel decollet ſontes.* Vides qua ratione hic Racovienſes negent, aut potius negare videantur, Chriſtianum hominem magiſtratum gerere poſſe. Nempe quia nolunt, ei licere quemquam morti addicere, & ſontes decollare. Nec vero aliter ſentire debemus, quia pag. 76, ea ipſorum verba legantur, *Verum Chriſtiano viro, qui ovis eſſe debet, mundum, urſos, lupos, ſues regere ut non licet, ita etiam ſi maxime velit, non poteſt.* Quaſi hic manifeſtum ſit, eos affirmare, nullo modo Chriſtiano homini licere alios homines regere, & ſic magiſtratum eſſe. Namque diligenter animadvertendum eſt, eos verbum Licet hoc loco (ſi modo ſic ipſi ſcripſerunt) novo quodam ſenſu uſurpaſſe, ut ſcilicet idem ſignificet, ac ſi dixiſſent Non videtur conſentaneum, ſic enim allegoria etiam, qua utuntur, poſtulare omnino videtur, non autem ut id ſignificet quod ſignificare ſolet, id eſt Non jure conceditur. Planum autem hoc fit ex eo, quod nulli dubium eſſe poteſt, alio ſenſu hic ab ipſis dictum fuiſſe, non licere Chriſtiano viro mundum regere, alio vero, eum non poſſe. Atqui, Chriſtianum hominem non poſſe mundum regere, apud ipſos nihil eſt aliud, quam, jure id fieri ab ipſo non poſſe. Igitur, non licere eidem mundum regere, aliud ſine dubio ſignificat, quam eum non poſſe jure mundum regere. Nam, non poſſe Chriſtianum hominem mundum regere, idem Racovienſibus ſignificare, quod jure id ab ipſo fieri non poſſe, ex rationibus conſtat, quibus illud confirmare ſtudent, oſtendentes, ſi id facere velit, ad ea illi eſſe deveniendum, quæ Chriſtus nobis interdixit. Quaſi dicant, Poſſet quidem homo Chriſtianus mundum regere, ſi in eo regimine Chriſti præcepta negligere vellet. Sed quoniam nullo jure homini

Chriſtiano Chriſti præcepta negligere conceditur, propterea minime poteſt homo Chriſtianus jure mundum regere. Itaque, dum ajunt, ut viro Chriſtiano mundum regere non licet, ſic, etiamſi maxime velit, eum non poſſe, nihil aliud dicere volunt, niſi, quemadmodum minime conſentaneum videtur, ut vir Chriſtianus, qui ovis eſt, mundum, id eſt lupos, & alias beſtias impuras atque immanes regat, ſic etiam ipſa experientia compertum iri, id ſine Chriſti præceptorum contemptione præſtari non poſſe. Non tamen negant Racovienſes, ſi quis Chriſtianus inventus fuerit, qui citra violationem mandatorum Chriſti id præſtare queat, quin ille jure mundum regere poſſit. Nec enim ipſum regimen per ſe ullo modo vituperant. Sed propter mundi malitiam, non autem propter ipſius regiminis naturam, non vident, quomodo, eo retinendo, poſſit quis ſimul veri Chriſti diſcipuli officium retinere. Nec porro quamvis diſſentaneum videatur, ut ovis lupos regat, illiſve præſit, idcirco hominem Chriſtianum perditos ipſos atque profligatiſſimos homines regere, iiſque præeſſe jure poſſe, aut negant, aut in dubium revocant, ſi cæteroquin omnia ſint conſentanea, & Chriſti præceptis nulla vis fiat. Hæc eſt omnino Racovienſium mens hoc loco. Quo tamen judicio meo nullus eſt in toto eorum ſcripto magis aptus ad perſuadendum, ipſos ſenſiſſe, non licere homini Chriſtiano civilem magiſtratum gerere inter non Chriſtianos. Id enim diſerte dicere videntur, quia (ut dictum eſt) in verbo Licere uſurpando, nova quadam ipſi licentia ſunt uſi. Qui locus ſi non eſſet, ego ſane facile credidiſſem, eos in univerſo eo ſermone, quem de magiſtratu habuerunt, nihil aliud ſenſiſſe, quam id, quod in ipſo initio dixerunt, & quaſi totius diſputationis ſummam quandam propoſuerunt, neminem videlicet, ut ſæpius diximus, Chriſti Eccleſiæ, tanquam Eccleſiæ, regem eſſe poſſe, præter unum ipſum Chriſtum. Ex quo tamen loco id de Racovienſium mente colligi poſſe videtur, nihil eſſe, quod prohibeat, verum Chriſtianum populi aut Chriſtiani, aut non mali & perverſi regem, ac magiſtratum eſſe, non quidem, ſi Chriſtianus populus ſit, tanquam Chriſtiani, ſed ſimpliciter tanquam populi.

2. Hinc autem perſpici poteſt, quanta ſit illa calumnia, qua hujus de magiſtratu diſputationis occaſione adverſarios premis, dum ad finem pag. 284. ita ſcribis, *videmini in hoc tendere, ut ſublato magiſtratu gladii ex orbe Chriſtiano, cogantur Chriſtiani homines, qui cauſas habent, ad vos ſolos recurrere.* Et pag. 311. *Cur igitur vos invidere videmini aliis alterum illud miniſterium gladii, quod Deus voluit eſſe dignius veſtro?* Et denique pag. 320. *Sed iſti homines modo ſuo cerebello ſatisfaciant, & curent deſtrui magiſtratum gladii, ut ad ipſos cognoſcendæ omnes Chriſtianorum lites devolvantur, parum curant quid & unde & quomodo dicatur.* Itane confidenter innocentes homines in injuſtiſſimam invidiam, tanquam ſi juſtiſſima eſſet, vocare tentas? Nam quomodo cuiquam videri de ipſis id, quod dicis, poteſt, cum, ut demonſtratum fuit, ipſi nec Chriſtianum hominem civilem magiſtratum gerere, nec Chriſtiano populo præeſſe poſſe negent? Sed fac negare. Nonne eadem ratione negant, ſe, qui Chriſtianos ſe eſſe, aut certe eſſe velle profitentur, magiſtratum civilem gerere poſſe? Quomodo igitur huc videntur tendere, ut ad ipſos ſolos in civilibus cauſſis à Chriſtianis hominibus decurratur; Et, ſi hoc non eſt magiſtratum civilem gerere, quomodo aliis negare poſſunt id, quod ſibi permittunt? Quod ſi aliis non negant de cauſſis civilibus cognoſcere, quomodo ſperare poſſunt, ut ad ipſos ſolos earum cognitio devolvatur? Quid porro dicemus, cum ais, videri ipſos aliis invidere gladii miniſterium, quod Deus voluit eſſe dignius ipſorum miniſterio, quod verbi eſt? Nam quid aliud hoc ſibi vult, quam eos videri cupere, ut ipſi gladii miniſterium habeant, quod alios non ſine animi ſui moleſtia habere vident, aut certe non poſſe pati, ut alii gladii miniſterium habeant, & ita ſe honoratiores ſint? Verum quomodo hoc videri poteſt, ſi & gladii miniſterium, quatenus à verbi miniſterio diſtinguitur, illos alios habere poſſe non negant, nec ſe magis, quam alios illud habere poſſe affirmant? immo quatenus illud aliis adimunt, multo magis ſibi ipſis adimunt, quatenus vero concedunt, ſibi ipſis minime concedunt? Certum eſt enim, ut dixi, eos nulla ratione concedere, ut quis Eccleſiæ dominetur præter unum Chriſtum, & propterea negare, in Eccleſia, tanquam Eccleſia, ullos eſſe gubernatores, aut magiſtratus, ſed Apoſtolos tantum, Prophetas, Doctores, & Paſtores, ut legitur pag. 73. Unde ſatis conſtare poteſt, ipſos nihil dubitare, quin Eccleſiaſtica miniſteria à miniſteriis civilibus ſint ſeparata adeo, ut qui Eccleſiaſticum miniſterium habeat, civile habere nequeat. Ex quo conſequitur, cum ipſi verbi miniſterium habeant, quod proculdubio Eccleſiaſticum miniſterium eſt, eos ſibi ipſis nulla ratione concedere, ut civile miniſterium habere poſſint. Quocirca non eſt, quod ſperent, ex ipſorum doctrina de magiſtratu civili, etiamſi recepta eſſet, ad ſe gladii poteſtatem devolutum iri, niſi prius verbi miniſterium deponant. Quod non dubito, ſi ii ſunt, quos ſe eſſe profitentur, & me credere charitas jubet, quin multo pluris faciant, quam totius terrarum orbis imperium.

Hæc ſunt, quæ à te in Racovienſium ſcripto minus recte reprehenſa fuiſſe, docere volui. Alia multa injuriâ à te in illis reprehenduntur, ſed quia vel leviora ſunt, vel de iis fortaſſe commodius infra agetur, idcirco prætermittenda hoc loco eſſe duxi, & ad tertiam reſponſionis noſtræ partem tranſeundum.

RESPON-

RESPONSIONIS
AD
JACOBUM PALÆOLOGUM
PRO RACOVIENSIBUS.
PARS TERTIA.

IN tua, Palæologe, ad Racovienſium ſcriptum reſponſione nec ſemel, nec leviter conqueſtus es, quod ipſi in eo ſcripto ad rationes, & argumenta Scripturæ auctoritate innixa, quibus ſententiam tuam de bello à Chriſtiano homine gerendo confirmaveras, nihil fere reſpondiſſent, quamvis illud adverſus ſententiam tuam ſcripto ſimiliter expoſitam ex profeſſo conſcripſiſſent. Quamobrem, tametſi hæc tua querela, quemadmodum in ſuperiore parte attigimus injuſta videri poſſit, tamen, ne conquerendi amplius ullam cauſſam habeas, aut certe ne mihi id ullo pacto objicere unquam poſſis, quod illis objeciſti, ut ab ipſo initio pollicitus ſum, hac tertia meæ reſponſionis parte, ſi non omnia, potiora ſaltem, quæ tu ad ſententiam illam tuam confirmandam attuliſti, refutare conſtitui. Enitar certe, & ſpero, Deo adjutore, non inanem operam, & laborem noſtrum eſſe futurum. Nec ſolum iſta refutare conabor, ſed ea etiam quæ ad alterum caput diſputationis veſtræ, de quo in poſterioribus ſcriptis explicatius diſputatum eſt, nominatim pertinent, id eſt ad confirmandum, licere homini Chriſtiano per magiſtratum ſuas injurias ulciſci. Et primum de priore capite, deinde de poſteriore agemus. Et quia ad nonnulla jam ex tuis argumentis, atque rationibus ad utrumque caput ſpectantibus in ſuperioribus diſputationibus reſponſum eſt, hic ad ea reſpondere non erit neceſſe, præſertim vero ad illa omnia, quæ ex Veteris Teſtamenti teſtimoniis aut tacite, aut apertè à te ducta fuere. Nam & jam ſatis oſtenſum eſt, Chriſtum præcepta dediſſe à Moſis præceptis diverſa, & hac eadem de re in proxima, id eſt poſtrema hujus operis parte nonnihil dicemus, dum, te in diſcrimine Legis, & Euangelii à ſcopo multum aberrare, planum facere conabimur. Ad eas tantum rationes reſpondebimus, quibus probari credis, in iis ipſis, nominatim, de quibus controverſamur, nullum inter Moſem, & Chriſtum diſcrimen eſſe, & Chriſtum, vel quod ad bellum gerendum, vel quod ad forenſia judicia attinet, eorum, quæ Moſes antea ſtatuerat, ſive ſub Lege juſſa, permiſſave erant, nihil mutaſſe: rationes interea, quibus generatim Chriſti præcepta à Moſis præceptis non differre, nec aliquid diverſum à Moſe Chriſtum mandaſſe, demonſtrare tentas, tanquam eas, de quibus vel ſatis jam diſputatum fuerit, vel poſtea diſputandum ſit, minime attingentes.

CAPUT I.

I. PRima ratio, quæ ſeſe nobis diluendam offert, qua probari fortaſſe credis, non poſſe tantum, ſed etiam debere hominem Chriſtianum bellum injuſte illatum ſuſtinere, ea eſt, quam ex iis, quæ antea diſputaveras, colligis, & tanquam præludii cujuſdam concluſionem, ante propoſitam quæſtionem explicas pag. 5. Ais enim, cum in bello injuſte illato ſuſtinendo agatur de tutandis & ſuis propriis, & patriæ bonis, virtutis, & juſtitiæ publicæ deſertorem eſſe illum, qui id facere negligat

Hæc ratio nullius eſt ponderis. Virtus enim iſta, juſtitiaque publica Chriſtianæ virtuti, divinæque juſtitiæ poſthabenda eſt. At Chriſtiana virtus, ut ſupra dictum fuit, eſt, ſe, ſuaque omnia non tanti facere, ut pro iis conſervandis cuiquam damnum aliquod, aut pernicies afferatur, ut evenire neceſſe eſt in gerendo cum hoſte bello, pro iis tutandis, quæ is invadere tentat, & breviter Chriſtiana virtus eſt, injuriam patienter ferre potius, quam ſeſe ulla ratione ulciſci. Sed mundus, & cum eo hac in parte Palæologus hanc pro virtute vera nondum agnoſcit. Immo eam non contemnit modo, atque deridet, ſed etiam, tanquam inſigne vitium, damnat, atque reprehendit. Orandus eſt Deus, ut & tibi, & illis mentem illuſtret, & à terrena prudentia ad ſapientiam cæleſtem vos aliquando traducat, novoſque homines faciat. Jam vero divina juſtitia omnino poſtulat, ut, quando Deus nobis cæleſtium æternorumque bonorum ſpem fecit, hæc terrena atque caduca pro nihilo habeamus, præſertim ipſius cauſſa. Qua de re maxime tunc agitur, cum de obedientia agitur, quæ illi præſtari debeat, nec ulla re magis ejus gloria à nobis amplificatur, quam ejus præceptorum conſervatione. Potiſſimum vero, ſi, ut illa conſervemus, eique obediamus, non tantum alia noſtra omnia, ſed ipſam quoque vitam noſtram nihili æſtimemus. Præcipit autem Deus, quemadmodum ſæpius dictum eſt, ut inimicis noſtris bene faciamus. Tantum abeſt, ut eos aut cædere, aut interficere, ut in bello ſuſtinendo fit, nobis permiſſum eſſe voluerit. Nedum id ab ipſo mandatum fuerit, ut ſcilicet nos noſtraque tuemur, quorum curam in ſe univerſam rejici voluit 1 Pet. 5. 7, & hac in re præcipue fidei, atque obedientiæ noſtræ erga ſe publica & manifeſta indicia extare.

II. Sequitur ratio quædam ex Johannis Baptiſtæ verbis deſumpta, qui interrogatus à militibus, quid ipſi facere deberent, reſpondit Luc. 3. 14, *Ne quem concutiatis, ne quem calumniemini, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Ex hoc enim reſponſo apparere ais, Johannem illud genus militiæ approbaſſe, in quo ad defenſionem imperii alieni, & ad repellendum, atque invadendum hoſtem, & cædendum, aut occidendum, arma, mercede accepta, geſtarentur. Quod certe non feciſſet, ſi hæc facere non licuiſſet. *Cum* (inquis) *ſanctus eſſet vir & Spiritu Sancto plenus, adhuc ex utero matris ſuæ, & quo major nullus erat inter natos mulierum, niſi unus Rex Iſraël Jeſus Chriſtus.* Hæc à te ſcripta legantur pag. 13.

Perfacile diſſolvitur tota iſta argumentatio tua, ſi conſideretur, etiamſi Euangelica diſciplina multa non permittat, quæ legalis diſciplina permittebat, tamen Johannis Baptiſtæ officium non fuiſſe aliquid mutare eorum, quæ ſub Lege erant, quippe cum hoc munus ipſius Jeſu Chriſti proprium eſſet, qui primus omnium cæleſtem quandam doctrinam, multo, quam ea, quæ ante ipſum in Dei populo fuerat, perfectiorem mundo traditurus erat. Quam ante ipſius prædicationem ipſi etiam Johanni prorſus incognitam fuiſſe, credendum eſt, tantum abeſt, ut eam ipſe publicare debuerit. Erat quidem magnus Johannes, & ſpiritu ſancto plenus, & quo major Propheta nondum extiterat. Sed adhuc tamen ſub Lege erat, terrena loquebatur Joh. 3. 31, nec per ſe, id eſt ſine Chriſto cæleſtis regni erat particeps, adeo ut minimus ejus regni ipſo major eſſet Matth. 11. 11.

Breviter, etiamſi Johannes ipſe per ſe divinæ voluntatis ſub Euangelio ſcientiſſimus fuiſſet, tamen non ipſius, ſed Chriſti erat hominum mentes nova atque admirabili Euangelii doctrina illuminare. Nam, ut ait Euangeliſta Joh. 1. 8, *Non erat ille Lux*, &c. Cum igitur milites interrogaſſent Johannem, quid facere deberent, ſatis habuit is, qui viam tantummodo paraturus Domino venerat, monere eos, ut ex Legis præſcripto viverent, præſertim cum de æternæ ſalutis via nihil interrogaſſent, ſed tantum dixiſſent Luc. 3. 1, *Et nos quid faciemus?* Etiamſi tu ſcripſeris eos petiiſſe, ut viam ſalutis ſibi aperiret. Qua in re mirabili techna uſus eſſe videris, & Viam ſalutis dixiſſe, ut imprudens lector æternam ſalutem intelligeret, quemadmodum uſus loquendi ſub Euangelio poſtulat, & interim tamen tu fallitatis convinci non poſſes. Sed, ſi quis tibi objiceret, nullam ſalutis mentionem fieri apud Euangeliſtam, reſponderes, verum id quidem eſſe, ſed te ſententiam non verba retuliſſe, Ex præcedentibus autem manifeſtum eſſe, interrogationem iſtam ad minas Johannis reſpicere, qui venturam iram omnibus, niſi reſipiſcerent, minabatur, & omnem arborem non ferentem fructum cædendam, & in ignem mittendam eſſe dicebat, Quocirca, cum milites, poſtquam alii interrogaſſent, *Quid ergo faciemus?* interrogant ipſi, *Et nos quid faciemus?* certum eſſe poſſe, eos una cum aliis interrogaſſe, quid ſibi faciendum eſſet, ut ab ira illa, & clade futura ſervarentur, teque de hujus ſalutis via locutum fuiſſe. Concedatur iſtud tibi. Sed interim fallacia, quæ in verbis tuis ſubeſt, animadvertatur, & firmum, ratumque ſit, milites iſtos nequaquam de via æternæ ſalutis interrogaſſe. Nam nec ſane de vita æterna, deque tam amplo Deo obedientibus præmio propoſito quidquam aperte locutus eſt Johannes. Quare nec etiam ea præcepta attigit, quæ ad vitam æternam contendentium propria ſunt. Nihil autem dico, quod, cum Euangeliſta milites ſeparatim à reliquo populo interrogantes inducat, & illos publicanis quodammodo pares faciat, qui & ipſi ſeparatim interrogant, ſatis intelligi poteſt, genus vitæ militare non minus periculoſum, nec magis Deo probatum fuiſſe, quam publicanorum, qui vix ſine Dei offenſione ſuum vitæ genus retinere ullo modo poterant. Quanquam, ſi milites id facerent, quod militibus illis præcepit Johannes, nullum periculum eſſet, ne militia eos ad Chriſti mandata violanda adigeret. Quamvis enim (ut tu quoque obſervaſti) cum Johannes illis præcipit, ne aliquem concutiant, non de hoſtibus, ſed de aliis, qui hoſtes non erant, loqui cenſendus ſit, videntur tamen ea verba ita univerſe concepta fuiſſe, ut poſtea ſuo tempore, quemadmodum Prophetarum verba ſolent, non aliter, ac ſonant, accipi poſſent, & idcirco, ne hoſtes quidem ipſos concutiendos eſſe, & porro militiam ipſam plane abjici debere, intelligeretur.

III. Sed eodem loco ſimul addis, & Johannem, & Chriſtum (quamquam de Johanne id aperte non explicas) tributum approbaviſſe, quod Romanis pendebatur pro alendo milite intra Judæam contra ipſam Judæam, ne ſcilicet rebellaret. De Johanne, ut dictum fuit, curandum non eſt. Quod ad Chriſtum attinet, fateor, me paullo habetiorem eſſe, nec videre, quomodo Chriſtus, tributum approbando, id eſt illud (ut tibi quidem videtur) Romanis, ſeu Cæſari ſolvendo, &, ut ſolveretur, dignum eſſe affirmando, militiam in ſuis approbet, vel etiam permittat. Primum enim haud veriſimile eſt, univerſum Judææ tributum pacis tempore alendo in ea provincia militi ſerviiſſe. Quinimmo crediderim, eo tempore haud ſane magnam ejus partem in eum uſum converſam fuiſſe. Deinde, etiamſi militum ſtipendia totum tributum abſumpſiſſent, tamen, poſtquam tributum exactum erat, pecunia Cæſaris fiebat, &, cum militibus ſtipendia ſolvebantur, quamvis ex eadem ipſa pecunia ſolverentur, quam populus publicanis dediſſet, tamen perinde erat, ac ſi ex ipſius Cæſaris theſauro pecunia fuiſſet deprompta. Idque affirmo verum futurum fuiſſe, etiamſi tributum iſtud univerſum nominatim ad militem alendum fuiſſet imperatum, niſi velimus, nihil prorſus pecuniarum, præter Judeæ tributi pecuniam, Cæſarem habuiſſe, unde ejus provinciæ militibus ſtipendia ſolveret, eamque pecuniam nullo modo in alios uſus, præterquam alendi milites, potuiſſe converti. Sed fac poſtremo, ita eſſe, ut modo dixi, non ſolum tributum iſtud univerſum nominatim propter alendos milites imperatum fuiſſe, ſed etiam niſi eo tributo militem in ea provincia à Cæſare ali non potuiſſe, num propterea militiam approbat is, qui ejuſmodi tributum ſolvit, aut ſolvendum eſſe dicit? Regibus, ac principibus ſolvi tributa imperata debent, quamcunque tandem ob cauſſam illa imperent. Sicut enim ipſis parere debemus in iis omnibus, quæ Dei mandatis non adverſantur, ſive ipſi boni ſint, ſive mali, ita iiſdem tributa pendere omnino debemus, cum tributum pendere per ſe nulla ratione divinis præceptis repugnet, ſive bene, ſive male ipſi eo tributo utantur Rom. 13. 6 & 7. Debitum eſt enim omnino tributum principi, ut Paulus docet, & eſt tanquam æs alienum noſtrum cum ipſo principe. Quare ea pecunia, quam ad tributum pendendum exponimus, etiam antequam tributum pendamus, noſtra cenſenda non eſt, ſed ipſius principis. Bona enim noſtra intelliguntur, deducto ære alieno. Præterea quæro abs te, quid facere, aut dicere Chriſtus debuiſſet aliter, quam dixit, aut fecit, ſi militiam minime probaſſet. Numquid vel ipſe tributum non pendere, vel, ne alii penderent, ſuadere debuiſſet? Atqui hoc nihil plane fuiſſet, nam vel nihilominus eam pecuniam princeps extorſiſſet, vel illi armata manu fuiſſet reſiſtendum, & ita in illud ipſum incidendum, cujus vitandi cauſſa tributum negatum eſſet, immo in tanto majus malum, quanto gravius eſt committere delictum, quam non impedire, ne committatur, & regi, ac principi ſuo damnum aliquod afferre, quam hoſti. Adde, quod, cum dicimus, bellum gerere, ſeu militare homini Chriſtiano non licere, non de rege, aut principe, ſeu magiſtratu, ſed de privato loquimur. Quapropter, etiamſi Chriſtus, dum vel ipſe tributum (ut tibi placet) ad alendum militem ſolvit, vel, ut ſolvatur, aliis præcipit, videri poſſet conſentire, ut is, cui tributum ſolvitur (magiſtratus ſcilicet) bellum gerere, & militiam inſtituere poſſet, nec tamen Chriſtianus non eſſe, aut eſſe deſinere, tamen non idcirco privato homini concederet, ut bellare, vel militare poſſet, & nihilominus Chriſtianus eſſe. Huc accedit, quod non omnia, quæ Chriſtiano homini facere non licet, ſunt per ſe ipſa mala, & reprehenſione digna. Alioqui nullo pacto multa, ut fecit, per Moſem conceſſiſſet Deus, quæ per Chriſtum interdixit, ut quidem nos ſentimus, & ſupra ſatis oſtendimus. Quocirca, quamvis apud nos dubium non ſit, quin privatus homo, ſi bellum gerat, aut militet (niſi fortaſſe ejuſmodi militia eſſet, quæ terrori tantummodo incutiendo inſerviret) à Chriſti regno excludendus ſit, tamen, ſi alioqui juſtum ſit bellum, juſtaque militia, & ab omni ſcelere aliena, non dicetur iſte ex ſententia noſtra malum aliquod committere, aut reprehenſione dignus eſſe, niſi quatenus interim ſe pro Chriſti diſcipulo verditare vellet. Et propterea nihil neceſſe fuit, ut Chriſtus, quacumque ſibi oblata occaſione, militiam, aut bellum reprehenderet, vel minime ſe approbare oſtenderet. Sed ſatis fuit, etiam præcepta dediſſe, quibus iſta ſuis interdixiſſe merito dici poſſet, & nihil deinde aut dicere aut facere, unde colligeretur, milites, & bellatores ipſius diſcipulos, & regni cæleſtis participes eſſe poſſe: præſertim cum pro eo tempore, quo in terris verſatus eſt, tametſi cæleſtem illam ſuam doctrinam mundo expoſuit, tamen non ita aperte eam explicavit, ut poſt ſuum in cælum aſcenſum per Apoſtolos ſuos fecit.

IV. Ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, reſponſio ad id colligi poteſt, quod dicis, aut dicere vis, cum Chriſto nulla unquam præterea occaſio data fuerit loquendi de bello, aut de militia, aut de jure armorum, & prædictis occaſionibus ſibi oblatis, ita, ut viſum eſt, ſe geſſe-

ſe geſſerit, & potius iſta omnia approbaverit, quam reprehenderit, concludendum omnino eſſe, ſi de ipſis illi ex propoſito quæſtio propoſita fuiſſet, ipſum fuiſſe reſponſurum, ea cunctis licere. Namque ex ſupra dictis patet, nec fuiſſe iſtas occaſiones aliquas de iſtis rebus loquendi, nec Chriſtum aliquid iſtorum ſuo facto, aut dicto comprobaſſe, præſertim ita, ut privato cuiquam ea licere indicaverit. multo autem minus diſcipulis ſuis, nec ullam cauſam fuiſſe, cur, etiamſi iſta nulla ratione approbanda cenſuiſſet, tamen vel ab iis faciendis, aut dicendis, quæ dixit, & fecit, abſtinere debuiſſet, vel iſta reprehendere, aut vituperare. Cæterum, quid Johannes, cum publicanis, & militibus ea dixerit, quæ dixit, eadem ſibi propoſita quæſtione, reſponſurus fuiſſet (nam de Johanne quoque idem urges) laborandum nobis non eſſe, ex ante dictis intelligi poteſt. Quare, ſi quid præterea argumenti ex iis, quæ dixerit, aut non dixerit Johannes, à te ductum fuerit, non erit, quod aliquid amplius reſpondeamus.

V. At vero pergens, pag. 14. duorum exemplum affers, qui arma tractarent, quorum Euangelica hiſtoria meminit, & eos laudat, nec tamen, ut arma deponerent, ullus Apoſtolorum eos monuiſſe legitur. 1 Unum exemplum eſt centurionis illius, cujus puerum Chriſtus ſanavit, Matth. 8. Luc. 7. *Quem* (ais) *à fide in ſe ſumme commendat. Sed quod geſtaret arma, & pro Romanis militaret* (*occiſurus ſi quis aut rebellaret, aut impreſſionem in Romana caſtra, faceret*) *non vituperat.* Exemplum hoc vel ex eo nullius ponderis cenſeri debet, quod centurio iſte Ethnicus erat, necdum ad Ethnicos Euangelii prædicatio tranſlata fuerat, nec ulli Ethnico Chriſtus ipſe unquam viam ſalutis annunciavit. Quæ igitur cauſſa erat, cur Chriſtus ejus militiam vituperaret? quaſi vero tunc temporis Ethnici quoque regni cœleſtis capaces haberentur, & periculum eſſet, ne populus, audiens iſtius in ſe fidem à Chriſto vehementer commendari, jam ipſum cœleſtis regni participem eſſe crederet, & propterea, illius exemplo, ejus regni participes arma geſtare, & militare jure poſſe, ſibi perſuaderet. Itaque etſi illum Chriſtus à fide in ſe ſumme commendat, non tamen idcirco, in Dei regnum jam illum ingreſſum fuiſſe, affirmat, ſed tantummodo, ea in re eum admiratus, Iſraelitarum incredulitatem tacite notandi, ac vituperandi occaſionem nactus eſt, & ſimul prædicendi, futurum, ut Gentes in cœleſte regnum aſciſcerentur, Iſraelitæ vero inde in imas tenebras ejicerentur. Nec vero, etiamſi ea centurionis fides in homine Iſraelita fuiſſet, is tamen vel non dignus, qui à Chriſto laudaretur, vel jam cœleſtis regni particeps fuiſſet. Quandoquidem fides iſta, quamvis laude digniſſima, non tamen ea fides erat, quæ Dei filios per Chriſtum efficit. Neque enim ex eo, quod centurio ille crederet, Jeſum Chriſtum divina vi præditum eſſe adeo, ut abſens quoque ægrotos ſolo juſſu ſanare poſſet, continuo ſequitur, illum ei fidem in ſalutis æternæ via jam habuiſſe, aut omnino habiturum fuiſſe, eique per omnia obtemperaturum. Nam, quod ais, Apoſtolorum neminem iſtum centurionem monuiſſe, ut arma deponeret, quid (quæſo) id tandem eſt? Numcubi ſaltem legis, vivum centurionem iſtum fuiſſe, cum Apoſtoli Euangelium ipſis quoque Gentibus prædicare cœperunt? Deſine aliquando Palæologe ineptire, & tibi cum hominibus, non autem cum truncis, & ſtipitibus (ut tu in extrema pag. 311. adverſarios tuos appellas) rem eſſe interdum cogita. Quod ſi hæc de Cornelio centurione dixiſſes, de quo alibi ais, Petrum non coëgiſſe illum, ut centurionis munus deponeret, non tam inepte locutus eſſes. Jam vero nihil neceſſe fuit, Petrum cogere Cornelium munus illud centurionis deponere, etiamſi munus ipſum centurionis omnino, & per ſe (quod tamen, pacis præſertim tempore, ut tunc erat, non putaverim) Chriſti præceptis repugnaſſet. Sed ſatis fuit (ad hoc ſcilicet, ut eum per baptiſmum Eccleſiæ aggregandum cenſeret) ex ſpiritus ſancti dono illi cælitus demiſſo animadvertiſſe, illum prædicationi ſuæ fidem adjunxiſſe, & Chriſto Jeſu ſeſe obedientem præbere decreviſſe. Nam, quid poſt baptiſmum Cornelius fecerit, non narratur, nec in munere illo perſeveraſſe legitur.

2. Alterum exemplum eſt Joſephi ab Arimathæa, *qui decurio* (inquis) *Romanus erat, Judæus gente, qui conſultor in ſenatu de vita & nece hominum, & miles inter Romanas acies verſabatur.* Turpis, iſque multiplex lapſus tuus eſt hic Palæologe. Primum enim credidiſti, Joſephum iſtum militem fuiſſe, nempe quia in vulgata Latina editione apud Marcum 15. 43, & Lucam 23. 50, legiſti, eum fuiſſe decurionem. Sed quomodo non animadvertiſti, apud Latinos Decuriones appellari non eos modo, qui equeſtribus decem militibus præſunt, ſed municipales ſenatores quoque? Num fortaſſe, novo & inaudito exemplo, eandem vocem duplici ſenſu, eodem tempore uſurpatam fuiſſe, exiſtimaſti? Cur tu id feciſti, quod in Racovienſibus pag. 273 reprehendis? Cur, inquam, exemplaria Græca (homo præſertim Græcus) non conſuluiſti? In Græcis enim codicibus pro eo, quod in Latinis eſt Decurio, utrobique βελόυτης legitur. Quæ vox nullo modo militarem decurionem ſignificare poteſt. Sed quid dico? Conſuluiſti tu omnino Græca exemplaria, ut ex eo apparet, quod conſultorem in ſenatu Joſephum fuiſſe ais, ubi nomen βελόυτλω ſine dubio exprimere voluiſti. Atque ita deinde in alium errorem lapſus es, quod, eundem Joſephum, & militem, & conſultorem ſimul in ſenatu fuiſſe, ex ſacra hiſtoria colligi putaſti, cum tamen nihil, quod huc pertineat, de eo amplius dicatur, niſi eum fuiſſe βελόυτλω, ſive, ut Latinus interpres vertit, Decurionem. Sed tu nimirum (neſcio quo pacto) Græcam cum Latina appellatione conjunxiſti, & Joſephum, tanquam diverſis appellationibus, non decurionem tantum, ſed βελόυτλω quoque nominatum fuiſſe ſomniaſti. Non animadvertens interea, quam parum veriſimile ſit, Judæum hominem, divitem, & gravem in ipſo Judæorum ſenatu conſultorem, ſive ſenatorem Matth. 27. 57 Mar. 15. 43, militem inter Romanas acies (ut ipſe loqueris) verſatum fuiſſe, & decem tantum equitibus præfuiſſe, ut nomen ipſum Decurionis indicat, quamvis non deſint, qui integræ turmæ decurionem præfuiſſe velint.

VI. Concludis tandem, & pag. 15. ais, quæ ſupra dixeras, Chriſtiano homini ſatis eſſe debere, ad intelligendum ſcilicet, id verum eſſe, quod contendis, præſertim cum Chriſtus nuſquam aut in bellum, aut in militiam, aut in arma invectus fuiſſe legatur. Cum tamen inter hæc omnia viveretur eo tempore, & de iis defendendis ageretur, quæ aliena erant, & Romani invaſcerant, & Judæi contra Judæos pro Romanis militarent. *Quod* (ais) *gravius quiddam eſt, quam id quod proponitur: An liceat ſcilicet Chriſtiano homini, militare militiam ſumptis armis ut defendat ſuam vitam, ſuas opes publicas & privatas, ſuam libertatem publicam & privatam, ſuam pacem publicam & privatam contra hoſtes invadere volentes & rapere aliena.* Quod ſi (inquis) illa à Chriſto reprehenſa non ſunt, multo minus hæc reprehendi debent.

Si quis ea legat, quæ ſcribis, & hiſtoriæ illius temporis cognitionem non habeat, credet fortaſſe, Chriſti ætate in illis regionibus, in quibus ipſe verſabatur, id eſt in Judæa, & Galilæa omnia armis perſtrepuiſſe, & bella perpetuo geſta fuiſſe. Nam quid aliud eſt inter bella, & arma vivi, quod tunc ibi factum fuiſſe ais, niſi bella continenter geri, & undique arma perſonare? Quod tamen falſiſſimum eſſe, omnes norunt, qui eorum temporum hiſtoriæ prorſus non ſint ignari. Credet ſimiliter, ſi quis tibi fidem adhibuerit, milites, qui in Judæa alebantur, fere omnes Judæos fuiſſe. Quod tamen mihi nullo modo fit veriſimile. Immo crediderim, perpaucos fuiſſe Judæos milites, qui tunc ibi ſub Romano imperio ſtipendia facerent. Cum enim, ut ipſe ais, potius contra ipſos Judæos, quam externos aliquos hoſtes, milites in illa provincia alerentur, credendum omnino eſt, exceptis admodum paucis, de quorum etiam fide minime dubitandum aliqua ſingulari.

de cauſſa videretur, nullos Judæos fuiſſe. Et ſane, niſi is Lucæ locus eſſet de militibus ad Johannem Baptiſtam accedentibus Luc. 3. 14, quos Judæos fuiſſe neceſſe eſt, vix ullum Judæum in ea militia fuiſſe, auſus eſſem affirmare. Quæ cum ita ſe habeant, quid oportuit Chriſtum vel in bella, quæ nulla erant, vel in militiam, & arma invehi, quæ ab iis, ad quos ejus prædicatio pertinebat, vix tractabantur? An non ſine ulla vel neceſſitate vel cauſſa ſe Romano præſidi ſuſpectum plane reddidiſſet, quod idcirco militem nullum eſſe debere dixiſſet, ut, præſidio militari amoto, vel ſui Judæi facilius rebellare poſſent, vel ipſe Judææ dominatum occupare, præſertim cum propter nomen Meſſiæ, id eſt Regis, quod ipſe non renuebat, jam ſuſpectus haud omnino injuria eſſe poſſet? Satis, ut ſupra dictum eſt, Chriſto fuit ad ſuos diſcipulos à bello, armorumque tractatione deterrendos, illis præcipere, ut inimicis bene facerent, & alia ejuſmodi mandata dare, quibus, quantumvis juſta ab iis non abſtinendi cauſſa eſſe videatur, efficacius iſta interdicuntur, quam, ſi quis nominatim in ipſa invehereтur.

VII. Addis poſtremo Chriſti exemplum, qui, ſicuti antea minatus fuerat, armis carnalibus, poſtquam in cælum aſcendit, regnum ſuum recuperaverit, eoque explicato, epilogum adjungis omnium hactenus dictorum, ex quibus, & ex iis præſertim, quæ Chriſtus, dum hic eſſet, ſe facturum comminatus eſt, concludis, Chriſtum bellum juſtum approbaviſſe, arma pro juſtitiæ defenſione geſtanda eſſe, cenſuiſſe, & armis perſequendos eos, qui vel noſtra auferre tentarent, vel ablata reſtituere nollent, ſuo exemplo ſignificaſſe.

Ad reliqua omnia, præterquam ad ipſius Chriſti factum, modo reſponſum eſt. Ad Chriſti vero factum, quatenus de contumacibus Judæis, ſupremam poteſtatem adeptus, dignas pœnas ſumpſit, ſatis reſpondimus primæ partis cap. 2. Quatenus vero antea, ſe id facturum, quod fecit, minatus eſt, quid attinet reſpondere? Nam certe, ſi ex ipſa facti executione nihil ad tuam ſententiam ſtabiliendam elicere potes, ut prædicto loco me demonſtraſſe confido, multo minus ex comminatione elicies. Quanquam non pauca ſunt, quæ in univerſo iſto facto longe aliter ſe habent, ac tu narres, unde, multo minus etiam te eo adjuvari, conſtare poteſt, quam hucuſque conſtiterit. Sed ea, ſi opus videbitur, in ſequente reſponſionis noſtræ parte explicanda reſervamus. Quod vero in epilogo iſto, plus colligendo, quam antea ſparſeras, ais Chriſtum non fuiſſe uſquam vocatum, aut dictum legiſlatorem, & nuſquam legi, aliquid illum in Dei lege per Moſem lata immutaſſe, ex quo, ſi verum eſſet, cauſſa tua mirum in modum juvari videretur, jam ad hoc pluribus in locis reſponſum eſt, præſertim vero primæ partis cap. 7 ad finem. Et jam hujus partis initio prædixi, me ad ea, quæ vel tacite, vel aperte ex Vetere Teſtamento argumenta protuliſſes, nihil amplius hoc loco reſponſurum.

VIII. Sequitur mirabilis quædam argumentatio tua, quæ, ſi quis animum advertat, integras quinque paginas, & eo amplius occupat. Incipit enim pag. 18, ab illis verbis, *Sed in exemplo Chriſti*, &c. & durat uſque ad verba illa, *Sed jam redeo*, &c. pagina 23. In qua argumentatione explicanda præter errores alios non paucos, quorum pars aliqua fortaſſe infra à nobis indicabitur, ita teipſum implicas, ut, quid tibi velis, ipſe prorſus neſcire videaris. Quemadmodum quilibet facile animadvertet. Primum enim ais, aliquando evenire, ut miniſtri verbi fiant, miniſtri gladii à Deo. Deinde oſtendis ex Paulo, miniſterium gladii à Deo eſſe, & magiſtratui gladium geſtanti omnes parere debere. Hinc infers, ſi quis miniſter verbi ad miniſterium gladii à Deo vocetur, debere illum parere. Alioqui aut cogitabit, miniſterium gladii non eſſe miniſterium Dei, aut putabit, ſe, quamvis magiſtratui gladium geſtanti obedire debeat, poſſe tamen Deo ipſum à miniſterio verbi ad miniſterium gladii vocanti minime obedire. Atque hic exemplis aliorum munerum, ad quæ Deus homines vocat, qui, ſi non paruerint, peccant, oſtendis, poſſe Deum ad gladii munus, quod ab ipſo proficiſcitur, miniſtrum verbi vocare, iſtumque, niſi obediat, peccaturum, niſi velimus verbi miniſtrum ſingulare aliquod Deo non obediendi privilegium habere. Quod tamen contra omnino eſſe, Pauli verba demonſtrare ais, quibus ab obligatione obediendi magiſtratui gladium geſtanti nemo prorſus eximitur. Igitur (inquis) ſi miniſter verbi à gladii miniſtro ad geſtandum gladium ob commodum reipublicæ ſine verbi miniſterii impedimento vocatus fuerit, obedire debet. Quamobrem (infers multo magis Deo ipſum ad gladii miniſterium vocanti parendum illi erit. Quod ſi (poſtremo ais) miniſter verbi ad patriam ſuſtentandam à gladii miniſtro vocatus, obedire debet, *Quid faciendum* (tua ipſius verba recito) *erit civibus, quibus dicitur: ſi curam ſuorum non habent ſunt infidelibus deteriores, & qui ſi Magiſtratui geſtanti gladium, jubenti non parent, juſte ſecundum leges Dei occidendi ſunt, ne ſine cauſa & fruſtra Magiſtratus gladium geſtare videatur?*

En tibi, quam pauciſſimis verbis potui, comprehenſa explicatio tua tam admirabilis argumentationis. Cujus explicationis, & ipſius argumentationis turpiſſima vitia, tanquam ea, quæ per hanc earum ſynopſin quandam omnibus patere poſſunt, non eſt, cur amplius explicare curemus. Sed tantummodo, quoniam, ſi qua vis in argumentatione iſta eſt, ea univerſa in eo conſiſtit, quod magiſtratui gladium geſtanti omnes parere debemus, quanquam ad hoc per ea, quæ ſupra diſputata ſunt, abunde reſponſum eſt, tamen non abs re erit hoc quoque loco eadem de re aliquid dicere.

1. Igitur ex mente ipſorum Racovienſium in eorum ſcripto pluribus in locis Rom. 13. Tit. 3. 1. 1 Pet. 2. 13. 2 Petr. 2. 10. Jud. 8. præſertim vero pag. 74 & 76. apertiſſime expoſita, atque adeo ipſorum nomine dico, & una cum Paulo, Petro, Juda, & aliis Sacris Scriptoribus palam profiteor, magiſtratui ſive gladium geſtanti, ſive minus, ſi aliquid fieri jubeat, ab homine Chriſtiano omnino parendum eſſe non ſecus, atque ſi Deus ipſe juberet, dummodo id, quod jubet, Dei præceptis jam per Chriſtum, apoſtoloſque illius nobis traditis minime adverſetur, uſque adeo, ut ne ipſi quidem vitæ noſtræ, ut magiſtratui obediamus, parcendum nobis ſit, ſive is bonus ſit, ſive malus, ſive tyrannus, ſive juſtus princeps, ſive fidelis, ſive infidelis. At vero, ſi aliquid jubeat, quod prædictis divinis præceptis contrarium ſit, tunc univerſa Scriptura, ratione, hominum conſenſu approbante, dico, palamque profiteor, qualiſcumque ille tandem ſit, ei minime obediendum eſſe, etiamſi alioquin (ut uno verbo dicam) totus mundus periturus eſſet. Quocirca, quidquid & hic, & alibi ſæpiſſime de magiſtratu diſputas, qui quibuſdam Chriſti præceptis comprehenſus non fuerit, deque obedientia, quæ illi debetur, tantopere urges, id omne ſupervacaneum in hac quæſtione eſt, utrum homini Chriſtiano, qui privatæ conditionis ſit, jubente, aut permittente magiſtratu, arma capere, bellum gerere, & hoſtes interficere liceat. Nec aliquid ages unquam, niſi prius oſtenderis, nihil horum omnium Chriſti, & Apoſtolorum ejus præceptis ullo modo adverſari. Id autem te minime facturum eſſe, & penitus mihi perſuadeo, & ex iis, quæ ſupra diſſerui, ſatis conſtare arbitror. Cætera, quæ in tua argumentatione continentur, ut dictum eſt, nullam vim omnino habere poſſunt. 2. Nam quis eſt, qui neget, ſi Deus aliquem ad gladium geſtandum vocet, eum protinus obedire debere? Quis porro neſcit, etiamſi Deus juberet, ut parentes ipſos noſtros interficeremus, nihilominus parendum nobis eſſe? Nihil denique hic efficis Palæologe, niſi in iis caſibus, de quibus ambigitur, iſtam Dei vocationem, & juſſum manifeſte demonſtres. 3. Jam vero, quod ais, dictum eſſe, eos, qui ſuorum curam non habent, infidelibus eſſe deteriores, 1 Tim. 5. 8. tametſi per ea, quæ in hujus cap. initio dicta fuere, ſatis reſponſum eſſe videtur, tamen conſiderandum præterea arbitror,

arbitror, quo ſenſu, & qua de re agens, ea verba ſcripſerit Paulus, ex quibus iſta ſententia colligi videtur. Loquebatur Paulus de viduis, quæ paullo ante dixerat, ſi filios, aut nepotes haberent, addiſcerent primum pietatem exercere in propriam familiam. Quo ſine dubio reſpiciens, ait deinde, eam viduam fidem abnegaſſe, & infideli deteriorem eſſe, quæ ſuorum, maxime vero domeſticorum, curam non haberet. Propterea Græca illa verba, εἰ δέ τις non ſunt convertenda Si quis autem, ut à vetere interprete factum eſt, vel Quod ſiquis, ſed Quod ſi qua, ut alii omnes fecerunt. Ut non ſit univerſalis quædam ſententia ad omnes cives pertinens, quemadmodum tu, non recte locum perpendens, putaſti, ſed ſingularis de viduis, quæ filios, aut nepotes habent. Quæ tamen ſententia, ſi ad alios quoque trahenda eſt, in eundem ſenſum profecto eſt accipienda, quo prolata fuit. Cum igitur cura, quam eo loco Paulus intelligit nihil aliud eſſe poſſit, niſi educatio, & inſtitutio, quid commune habere poteſt cura iſta, quam univerſam Deus hominibus commendavit, cum defenſione ab hoſtibus, quæ cum vindicta neceſſario conjuncta eſt, quam ſibi integram Deus reſervavit? Rom. XII. 19.

IX. Sed ad tributum pendendum reverteris, & ais, cum Paulus dicat Rom 13. 5 & 7, omnino ſolvenda eſſe vectigalia, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, & Romani ex vectigalium ſolutione colligerent vires, & arma ad defendendum imperium, manifeſtum eſſe, hunc Pauli ſenſum fuiſſe, *ut ſi* (inquis pag. 24.) *Pilatus aut quivis alius, qui Pilato in magiſtratu ſucceſſit, juſſiſſet ut omnes cives Romani ſumerent arma, & ſtarent ad mœnia, ad repellendum & occidendum hoſtem, ſi aliter rejici ex mœnibus non poſſet, quod ipſe Paulus inter alios, ut pareret ſuo magiſtratui, accepiſſet arma & pro mœnibus ſtetiſſet, invaſiſſetque & repuliſſet hoſtem, ne ſuo magiſtratui infideliter ſuam operam navaret, & Deo inobediens eſſet.*

1. Ad hanc argumentationem tuam jam ſatis reſponſum eſt per ea, quæ ante differuimus. Nam, ſi, ut demonſtratum fuit, ex approbatione tributi pendendi non ſequitur militiæ approbatio, etiamſi omnino propter alendum militem tributum penderetur, multo minus ex eo, quod quis tributum pendi debere dicat, aut vectigal ſolvi, quod militi alendo inſerviat, ſequetur, iſtum ipſum, ſi fuerit juſſus, militem futurum, & arma contra hoſtes ſumpturum. Non enim omnia omnibus conceduntur, aut idem omnibus licet. 2. Verumtamen verba argumentationis tuæ recitare volui, ut in ipſis ea perpendantur, *ſi aliter rejici ex mœnibus non poſſet.* Nam ex iſtis verbis colligi poteſt, te ipſum non tanti facere magiſtratus mandatum de capiendis armis ad repellendum hoſtem, ut ſemper iſti mandato parendum ſit, ſed tunc demum, cum aliter, quam armis, repelli hoſtis non poteſt. Quod ſi dicas, tua iſta verba ad verbum Occidendi tantummodo, quod anteceſſerat, referenda eſſe, ut ſententia illorum ſit, tunc demum ab iis, qui urbem defendunt, occidendum eſſe hoſtem, ſi aliter rejici à mœnibus non poſſit, rogo, cur iſtam quaſi moderationem, & diſtinctionem in occidendis hoſtibus adhiberi velis. Nonne, quia mandatum Dei extat, ne occidito, & pluris Dei mandatum fieri debere cenſes, quam magiſtratus juſſum, qui fortaſſe juſſit, ut hoſtes omnino occiderentur, vel ſaltem nullius moderationis, aut diſtinctionis, dum juberet, ut arma contra hoſtem caperentur, nec meminit, nec rationem habuit? Atqui, ſi ita eſt, ut divinum mandatum de non occidendo, quidquid juſſerit magiſtratus, adhuc vigere velis, ejuſque rationem habendam eſſe ſtatuas, ab occidendo homine hoſte plane abſtinendum erit. In eo enim mandato homicidium plane interdicitur. Nam, ſi dicas propterea occidere hoſtem licere, quia ex Sacra Veteris Teſtamenti hiſtoria conſtat, mandatum illud ad hoſtes non porrigi, jam confiteberis ipſe, aliunde, quam ex magiſtratus auctoritate, pendere, ut hoſtes interficere liceat. Deinde, ſi Veteris Teſtamenti exempla attendenda eſſent, & ex temporis, ac juris illius ratione de occidendis hoſtibus ſtatuendum, nihil iſta tua moderatione, aut diſtinctione opus eſſet. Non enim ſub Vetere Teſtamento tunc demum hoſtes in prælio occidere licebat, cum aliter vinci, aut repelli non poterant, ſed omnino eos occidere jure quiſque poterat, niſi aliter expreſſe à Deo mandatum fuiſſet. Ex quibus omnibus apparet, te tibi ipſi non conſtantem, ac teipſum refellentem, ſtatuere, nec magiſtratus juſſum divina præcepta privatis data tollere, nec amplius Teſtamenti Veteris jus, atque exempla, quod ad hoſtes interficiendos attinet, attendenda eſſe.

X. Ex iis, quæ ſcribis tota pag. 26, & 27, & in initio 28. argumentatio quædam tua colligitur, quæ, ex ipſis verbis tuis concinnata, hujuſmodi eſt. Apoſtoli Petrus, & Paulus optimi Chriſti gloriæ aſſertores diſerte præcipiunt, ut magiſtratui omnes obediant, nec ullam mentionem faciunt exceptionis alicujus, quam fecerit Chriſtus in aliqua parte legis divinæ in parendo magiſtratui gladium geſtanti. Ergo Chriſtus nullam legem tulit de bello, aut de armis, ſed omnia ad legis Dei olim per Moſem latæ præſcriptum integra reliquit.

1. Ad argumentationem iſtam ſic reſpondeo. Ut certum eſſet, Chriſti diſcipulos non debere arma contra hoſtes capere, etiamſi magiſtratus id juberet, quamvis, magiſtratu jubente, olim ſub Moſaica lege arma contra hoſtes capi deberent, nihil opus fuit, vel ipſum Chriſtum diſerte, & nominatim præcipere, ne magiſtratui hac in parte obtemperaretur, vel, ſi hoc ipſe præcepiſſet, ejus Apoſtolos, dum, ut magiſtratui obtemperetur, præcipiunt, iſtius exceptionis mentionem facere, aut alibi uſpiam eam commemorare. Satis enim fuit, ut non ſemel dictum eſt, Chriſtum (quod & fecit) præcipere, ut inimicis bene fieret, & alia mandata dare, ex quibus injurias ſuas nullo modo ulciſci licere, apertum eſſet, præſertim cum jus arma contra hoſtes capiendi ſub ipſa lege Moſis non ex magiſtratus auctoritate, ſed ex ratione univerſæ illius religionis, & ex antiquiſſimo ac manifeſto Dei conceſſu penderet. Quocirca, religionis ratione ſub Chriſti Euangelio mutata, & conceſſione illa divina, novo præcepto dato, revocata, quid attinebat magiſtratus ullam rationem habere? Itaque Apoſtoli præcipiunt, ut magiſtratui omnes obediant, nulla uſquam mentione facta, ne id fiat, cum jubet, ut arma contra hoſtes capiantur, quia certum eſt, ejuſmodi præceptum ſemper ita accipiendum eſſe, ut interim propter magiſtratus mandata Dei mandata non negligantur, ſed hæc illis perpetuo anteponantur. 2. Quinimmo, cum tantopere urgent Apoſtoli, ut magiſtratibus obtemperetur, eiſque, quantumvis malis, minime reſiſtatur, novum ſimul Chriſti mandatum de ſumma injuriarum patientia, ac tolerantia non obſcure inculcant, & in armis capiendis ſub Euangelio non idem licere ſignificant, quod ſub Lege licuit. Neque enim crediderim ego, ſub lege Moſaica Dei populo non licuiſſe, cum alienigenæ tyranni alicujus ſervitute premerentur, ſeſe armis, ſi potuiſſent, in libertatem vindicare, & ipſum tyrannum interficere, præſertim ſi tyrannus ille ipſos ad divinas leges violandas adigere voluiſſet. Hiſtoria libri Judicum multis exemplis id docere poteſt, potiſſimum vero exemplo ejus, quod fecit Ehud, & Jaël uxor Heber Kenæi Jud. 3. 4, quorum ille Eglonem Moabitarum regem, hæc vero Siſeram ducem exercitus Jabini Chananæorum regis, qui Iſraëlis populum ſervitute premebant, dolo interemerunt.

Certe hodie, ejus, quod olim ſub Lege liceret, obtentu, non contra alienigenas modo, qui per vim imperium occupaverint, ſed contra proprios & naturales reges, ut ſe in divini cultus libertatem populus vindicet, arma ab ipſo capi poſſe, receptum jam fere videmus. Atqui hoc pernegant Apoſtoli, dum poteſtatibus omnibus, ſive bonis, ſive malis neutiquam reſiſtendum eſſe præcipiunt, & ſatis aperte docent, vitam potius ipſam eſſe deſerendam, quam aliquid contra eos, qui dominantur,

nantur, tentandum, nedum arma adverſus ipſos capienda, etiamſi alioqui cauſſa juſtiſſima videretur, & ſub Moſis lege Deo probatam fuiſſe conſtaret. Tantum abeſt, ut præceptione iſta parendi magiſtratui ea omnia confirment, quæ in armis capiendis ſub lege Moſis fieri, aut poterant, aut etiam debebant.

XI. Ad Apoſtolorum facta poſtmodum venis, & pag. 28, & 29 Pauli factum narras Act. 23, quo omnino probari exiſtimas, tanti Apoſtoli exemplo licere homini Chriſtiano armis ſeſe cum inimicorum pernicie defendere. Quod factum cum à te fideliter, quod ad propoſitam quæſtionem attinet, exponatur, hic illud repetere non eſt neceſſe. Sed ſatis erit oſtendere, quam Pauli exemplum iſtud longe ab eo abſit, quod quærimus. Cum enim nec Paulum ipſum arma ſumpſiſſe appareat, nec milites, qui eum ad Felicem præſidem deducebant, quemquam ut ipſum defenderent, interfeciſſe, aut vulneraſſe, aut percuſſiſſe contigerit, quid tandem ex facto iſto ad id probandum, quod quæris, elicere potes? At enim ais, ſi conjurati illi, ſecum aliis acceptis, Paulum adorti fuiſſent, ſine dubio, milites, qui ipſum deducebant, pro eo defendendo, contra iſtos pugnaturos fuiſſe. Quin etiam inquis, *Exiſtimo Paulum Civem Romanum inter Romana conſtitutum arma, Romanis ipſum defendentibus, contra ſicarios Judæos, ne omnino proditor ſui & ſociorum videretur, ſibi non defuturum fuiſſe.*

1. Non animadvertis Palæologe, quam fruſtra tecum iſtas rationes deputes. Nam, quod ad milites attinet, quidquid illi feciſſent, nulla prorſus Pauli culpa fuiſſet, qui, ſe eo præſidio armari, nequaquam curaverat (quod tamen tu, non levi ſane errore, eum curaſſe affirmas pag. 213. idque non obſcure repetis pag. 239.) ſed tantummodo per ſororis filium adoleſcentem tribuno inſidias ſibi paratas ſignificari voluerat. Quas inſidias vitandi cauſſa ſatis fuiſſet, ſi tribunus eum nunquam ad populum produxiſſet, ſed caſtris incluſum tenere perrexiſſet. Nec ſane aliud adoleſcens ille à tribuno petierat, niſi, ne poſtero die, id licet Judæis rogantibus, Paulum ad populum produceret. Deinde, cum Paulus Dei ſpiritum ducem ſuarum actionum haberet, eventus rei omnino conſiderandus eſt, non autem id, quod evenire potuiſſet. Dei autem conſilio ſine dubio factum eſt, ut conjurati illi Paulum adorti non fuerint, nec ullum periculum Pauli cauſſa aliquem cædendi extiterit. Sed nec ullo pacto erat veriſimile aliter futurum, cum conjurati illi homines minime militares vix numerum quadraginta excederent, milites vero ad Pauli cuſtodiam, dum deduceretur, adhibiti quadringenti ſeptuaginta eſſent. Præſertim quod vix facta erat conjuratio, cum Paulus deductus eſt. Quare, etiamſi Paulus ipſe curaſſet, ut præſidio illo militum armaretur, nec eventus, ſed id, quod evenire potuiſſet, ſpectandum eſſet, quorum utrumque, ut oſtendimus, falſum eſt, tamen nulla ratione dici poſſet, Paulum in periculum milites illos adduxiſſe quemquam ſui cauſſa cædendi, ſed tantummodo conjuratos illos ab incepto penitus abſterrere voluiſſe.

2. Nam quid dicam de eo, quod ipſum Paulum, ſi conjurati eum adorti eſſent, facturum fuiſſe exiſtimas? Qua ratione (quæſo te) non defuiſſet ſibi Paulus, id eſt, ut interpretari eſt neceſſe, ipſe quoque armis inimicos ſuos repuliſſet? Num fortaſſe armatus erat Paulus, & Apoſtoli arma geſtare conſueverant? Num arma ex manibus alicujus ex illis militibus extorturus erat, ut & ipſe pugnaret, nec, ut ais, ſui ipſius, & ſociorum proditor videretur? Sed quomodo vel id fieri poterat, vel armatum fuiſſe Paulum, credendum eſt, cum ipſe vinctus duceretur ad præſidem; Certe de Pauli vinculis cogitare tibi non ſuccurrit, cum iſta ſcriberes: alioquin à tuis iſtis mirabilibus conjecturis abſtinuiſſes. Verum quid præterea inſulſius, quam pro facto ponere id, quod ex conjecturis tantum colligi dicatur, & ejuſmodi conjecturis, quæ, non dicam incertiſſimæ ſint, ſed ne conjecturæ quidem appellari mereantur, quippe quæ potius rationes ſint, quibus in omni facti ſpecie, ubi, an arma capere liceat, dubitari queat, te uti poſſe ſperas? An non idcirco arma contra hoſtes invadentes capi & poſſe, & debere credis, quia, qui aliter facit & ſui, & ſuorum deſertor, ac proditor ſit? Quid igitur attinuit, ut probares, arma contra hoſtes capi ab homine Chriſtiano jure poſſe, Hiſtoriam narrare, unde, Paulum, ſi caſus quidam incidiſſet, arma adverſus inimicos ſuos ſumpturum fuiſſe, nulla præterea alia conjectura ſuadente concludatur, niſi hac, quod alioqui ſui ipſius, & ſociorum proditor viſus fuiſſet? Jam ratio iſta quanti æſtimanda ſit, ex iis intelligi poteſt, quæ & paullo ante, & ab initio diſputata ſunt: ut nulla prorſus cauſſa fuerit Hiſtoriam iſtam commemorandi: tantum abeſt, ut ea, tanquam Pauli factum tuam ſententiam confirmans, in medium afferri potuerit. Et tamen tu ad finem argumentationis tuæ inde ductæ, in extrema pag. 29. hæc verba ſcribere non dubitaſti, *Mihi plane videtur hoc Pauli factum plus valere debere, apud Chriſtianum hominem, quam omnium quorumvis hominum incertæ ſententiæ.* Qua in re quam confidenter te geſſeris, nemo facile dixerit.

XII. Poſtremo, antequam ad ea reſpondeas, quæ tuæ ſententiæ opponi poſſe videntur, ſtatim poſt modo recitata verba tua, ex tribus quæ ab adverſariis concedi exiſtimas, eam confirmare conaris. Ais enim, illos concedere videri, licere homini Chriſtiano excubias agere, tributa, quibus alitur miles, ſolvere, & alium, qui ſui loco militet, & geſtet arma, conducere.

1. De tributorum ſolutione, ſupra ſatis explicatum eſt. 2. De excubiis vero, quænam adverſariorum tuorum ſententia aut aliquando fuerit, aut etiamnum ſit, non auſim affirmare. Hoc tantum dicam, me credere, eos minime tibi conceſſuros, excubias illas homini Chriſtiano agere licere, quæ, niſi interficere, aut ferire hoſtes liceat, nullæ ſint futuræ. Quod tu quoque cum ſuſpicatus eſſes, aggreſſus es demonſtrare, nihil impedire, quominus Chriſtiano homini excubias agere liceat. Itaque pag. 31 ais, malum eſſe non poſſe vigilare ad mœnia pro defenſione patriæ, quin ſimul malum ſit, malum declinare. Sed hoc non eſt. Igitur ne illud quidem. Et quaſi aliquod dubium eſſet, ne homini Chriſtiano malum declinare liceret, Chriſti ipſius, & Apoſtolorum Petri, & Pauli exemplis id confirmare voluiſti. Quibus expoſitis, & argumentatione tua concluſa, addis, *Ad quid enim diceremus: Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo, ſi prudentes & ſcientes ſtudere debemus ut in mala incidamus?* Quis unquam credidiſſet, ex precatione dominica, in qua petimus à Deo, ut ſic nobis noſtrorum in ſe delictorum veniam det, ut nos iis, qui in nos deliquerint, veniam damus, argumentum duci poſſe ad probandum, nobis licere eos, qui in nos delinquunt, id eſt hoſtes noſtros ulciſci? Hoc primus, ut arbitror, tu nos Palæologe docuiſti, qui dormiens id vides, quod alii vigilantes ne ſuſpicantur quidem. Sed ad rem. Declinare malum utique licet, ſed non cum Dei mandatorum contemptione. Aliter, ut mortem ſaltem, ſi non alia minora mala, vitaremus, & idolis ſacrificare, & Chriſto male dicere, eumque abnegare liceret, immo & Deum ipſum. Et ſtulti fuerunt ii omnes (qui tamen præ cæteris fidelibus ex Sacrarum litterarum ſententia ab univerſa Eccleſia commendantur) quos miſerrime mori potius voluiſſe conſtat, quam aliquid iſtorum facere. Quod ſi mori ſatius eſt, quam vel minimum Dei mandatum tranſgredi, ſequitur, non poſſe nos ita malum declinare, ut interim aliquod Dei mandatum tranſgrediamur. Quocirca, etiamſi tibi concedatur, idem eſſe Vigilare, ne in malum aliquod incidas, & Malum declinare, tamen certiſſimum erit, non poſſe quemquam ita vigilare, ne in malum aliquod incidat, ut interea divinum aliquod mandatum tranſgrediatur. Ex quo conſequitur, illas excubias, ſive pro patriæ defenſione, ſive pro quacunque re alia, agere Chriſtiano homini non licere, quæ cum hoſtium plagis, aut interitu ſint conjunctæ, id eſt, quæ eo tendant, vel ex quibus facile

cile conſequatur, ut hoſtes cædantur, aut interficiantur. Et quia, niſi excubiæ ejuſmodi ſint, ut ex iis facile hoſtium plagæ, aut interitus conſequatur, nihil inde elicere potes ad ſententiam tuam confirmandam, propterea futilis atque inanis redditur univerſa argumentatio tua.

3. Reſtat tertium de aliquo pecunia conducendo, qui pro te militet. Hoc jure fieri poſſe, crediderim adverſarios omnino conceſſuros, dummodo recte intelligatur. Ut ſcilicet conductio iſta non ſit voluntaria, nec proprie conductio, ſed pecuniæ ſolutio à magiſtratu imperata, qua alius conduci poſſit, qui pro te militet, id eſt id faciat, quod tu facere recuſas. Nam iſtud idem eſt, quod imperatum tributum pendere. Quod, quamcunque tandem ob cauſſam imperatum à ſummo magiſtratu fuerit, non modo ab homine Chriſtiano pendi poſſe, ſed etiam omnino debere, ſupra oſtenſum fuit, nec tamen inde ullo modo ſequi, ut ea facere homini Chriſtiano liceat, propter quæ tributum illi fuerit imperatum.

Ab argumentis, & rationibus pro tua ſententia afferendis ad objecta, ſive objectiones quaſdam adverſariorum (ut eæ in tui ſcripti marginibus appellantur) id eſt eorum, qui tecum non ſentiunt, diluendas pertranſis, quas nec propoſiti, nec muneris mei eſt à tuis reſponſionibus vindicare. Tantum, ſi quid, dum reſpondes, dictum à te fuerit, quod tuam ſententiam confirmandi præter ea, quæ antea attuliſti, vim aliquam habere videatur, id, quemadmodum propoſitum fuit, diligenter refutare conabor.

XIII. Igitur ex reſponſione tua ad quinctam objectionem pag. 42 & 43. hoc argumentum pro ſententia tua elici poteſt. Omnes Chriſtiani, tam boni, quam mali, populus Dei ſunt, ſicut erat populus Iſraëliticus. Ergo poterit Chriſtianorum magiſtratus una cum populo Chriſtiano jure bellum gerere pro tuendis finibus imperii ſui, non ſecus atque id jure facere poterat una cum ipſo populo magiſtratus populi Iſraëlitici.

Hoc argumentum duplici ratione potiſſimum non recte concluſum eſt. Primum enim falſum cenſeri debet, omnes Chriſtianos, ſive bonos, ſive malos, perinde Dei populum eſſe, ut populus Iſraeliticus erat. Iſraeliticus enim populus univerſus non nomine tantum, ſed reipſa Dei populus erat. Suum enim populum ipſe Deus eum millies appellat, & filium adeo ſuum primogenitum vocat Exo. 4. 22, quamvis (ut ipſe ais) eſſet maxima pars malus. At nuſquam reperies, omnes Chriſtianos, bonos & malos, Dei populum apud ſacros ſcriptores vocari, nedum ut ipſe Deus eos vocet. Ii enim demum inter eos, qui Chriſtiani nominantur, ex Dei populo ſunt, qui ipſi per Chriſtum obediunt atque confidunt, ob idque non mali ſunt Chriſtiani. Nam & Chriſtiani vere iſti ſunt. Cæteri, ut nomine tantum ſunt Chriſtiani, ſic ex Dei populo non ſunt revera. Vocat quidem Petrus Apoſtolus 1 Pet. 2. verſ. 10. eos, ad quos ſcribit, Dei populum. Verum, non ad malos, ſed ad bonos Chriſtianos ſe ſcribere, ipſe teſtatur, cum ait, ab illis Chriſtum diligi, atque in eum credi. Deinde, ut Iſraëlitici populi exemplo juſte bella geri poſſint ab aliquo populo pro tutandis finibus, non ſatis eſt, eum Dei populum eſſe. Sed neceſſe eſt præterea, ut ei à Deo regio illa, cujus fines tutari velit, eamque ſibi conſervare, donata fuerit, &, tanquam propria poſſeſſio, data, ut terra Chanaan ipſi populo Iſraëlitico fuerat. Chriſtianus populus nullam hic in terris regionem habet propriam, ſibique à Deo aſſignatam, ſed perpetuo peregrinus eſt, & in terra aliena. Quare non eſt, quod quis dicat, eum vel debere, vel poſſe arma capere pro finibus ſuis tutandis, quos hic nullos habet. Cælum petit populus iſte, quemadmodum olim Iſraëliticus populus terram Chanaan petebat. Hæc eſt illi à Deo poſſeſſio aſſignata. Pro hac ſibi conſervanda, & reipſa plene poſſidenda belligerandum illi eſt, & quibuſcunque eam ſibi quavis ratione eripere conantibus fortiter reſiſtendum. Sed, ut alibi dictum fuit, nec iſti ſunt homines, nec humanis armis bellum iſtud geritur, ſed dæmones ſunt, & cupiditates malæ, quæ non niſi divinis armis ſuperari, ac vinci poſſunt.

XIV. In reſponſione ad objectionem ſeptimam pag. 45. ſic ratiocinaris: *Cum pax eſt fructus belli, Chriſtianus licere ſibi putabit frui pace, fructu ſcilicet belli, & bello exorto fugiet? Ut in bonis ſcilicet ſit amicus, in malis vero amicitiæ deſertor? At ubinam erit charitas publica, ubi mandatum Dei: diliges proximum tuum ſicut te ipſum?*

Quanquam ad univerſam hanc ratiocinationem tuam ſatis per ſuperiora reſponſum eſſe videtur, tamen quædam pauca, quæ magis proprie huc ſpectent, addenda cenſui. 1. Dico igitur, cum pax fructus eſt belli, id plane ex accidente fieri, non autem ullo modo ex natura rei, cum natura pax bellum antecedat, bellum autem ipſam pacem funditus evertat, atque aboleat. Unde conſtat, vix pacem belli fructum dici poſſe, aut ne vix quidem.

2. Quod ais de homine Chriſtiano, qui putet ſibi licere pace frui, quæ belli ſit fructus, & interim bello exorto fugiat, id ridicule à te dictum eſt. Quaſi homo Chriſtianus, cum pax eſt, data opera pace fruatur, & à pace fruenda honeſta aliqua ratione abſtinere poſſit, & non neceſſario una cum aliis, niſi graviſſime in Deum, & homines peccare velit, ei pacis fructus ſentiendus ſit. Quocirca futile plane illud eſt, quod addis, non debere eum, qui in bonis amicus ſit, in malis deſertorem eſſe. Hoc enim ad eos pertinet, qui ſua ſponte aliquorum amici fiunt, ut eorum bonis fruantur. Præterea iitæc humana juſtitia eſt, cui divina perpetuo anteferri debet. Quæ, ut ſupra expoſitum fuit, ab homine Chriſtiano privatæ conditionis bellum geri non debere, manifeſte docet. 3. Idem dico de publica charitate, quam urges. Hæc enim publica charitas non tanti eſſe debet, quanti charitas ipſius Dei, qui per Chriſtum jubet, ut injuriarum omnium patientiſſimi ſimus, ſibique nos, noſtroſque ulciſcendi curam penitus relinquamus.

4. Sed quid dicam, quod Dei mandatum de diligendo proximum, ſicut ſeipſum, ad bellum gerendum, & hoſtes interficiendos accommodas? Quis tui ingenii acumen non admiretur, præſertim cum mandata dilectio iſta hodie ad hoſtes ipſos porrigatur, quos, ſicut nos ipſos diligere debemus, quippe qui & ipſi Proximi nomine cenſeantur? Ergo, ſi tibi credimus, proximum interficiemus, ut mandato de proximo diligendo ſatis faciamus. Quis tam ſtupidus eſt, qui hæc duo ſimul conſiſtere non poſſe, non plane agnoſcat? Neque enim, ſi quis arma adverſus invadentes hoſtes capere, eoſque interficere negligat, ſuorum proximorum interfector dici poteſt, etiamſi certiſſimum eſſet, niſi id faciat, futurum, ut hoſtis cives omnes trucidet, unde concludi debeat, iſtum effugere non poſſe, quin proximos occidat, aut hoſtes arma capiendo, aut cives ab iis abſtinendo, præſtare autem hoſtes, quam cives occidere. Quandoquidem tunc demum is, qui homicidium, cum poſſet, non prohibuit, particeps illius homicidii dici poteſt, ſi id nulla cum juris, & divinarum legum offenſione facere potuit. At ſi vel minima ex parte jus lædendum, aut divina præcepta negligenda fuerunt, tunc nullo prorſus pacto illius homicidii reus dicendus eſt. Quod ſi nos ipſos interfici permittere potius debemus, quam vel minimum peccatum admittere, minimumve Dei mandatum tranſgredi, cur, ut alii interficiantur, permittere non poſſumus, & debemus potius, quam ipſi quemquam interficere, quod graviſſimum peccatum eſt, & cum divino mandato manifeſte pugnat? Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona Rom. 3. 8, multo minus, ne eveniant mala. Deo eſt cura iſta tota relinquenda evitandorum malorum, cum id à nobis, niſi aliquod malum perpetremus, fieri non poteſt. Nec unquam homo Chriſtianus in anguſtias iſtas conjicitur, ut aliquid mali perpetrare ei ſit neceſſe. Sed ſemper in ejus poteſtate eſt nihil prorſus mali admittere, nec ullum ex divinis mandatis negligere, ſi uti debet, pluris juſtitiam, & Deum ipſum facere velit, quam cætera omnia.

Ex

Ex quo intelligi par eſt, quam præpoſtere ii ſe gerant, qui arma adverſus eos, qui dominantur, capiunt, ut (quemadmodum ajunt ipſi) Dei cultum, ac religionem tueantur. Ut enim Deum colere poſſint, Deum, quantum in ipſis eſt, dedecorant, & ſtulte ipſius Dei aperta mandata contemnunt. Quaſi vero quiſquam ſit, qui nobis, ut Deum colere poſſimus, eripere queat, dummodo omnia potius perpeti, quam Dei cultum abjicere parati ſimus. Quis vero Dei cultus præſtantior, quam vitam ipſam negligere, atque profundere, ut ne minima quidem in re contra facias, ac Deus fieri juſſit? Si igitur is, qui tibi in terris dominatur, prorſus jubet aliquid, quod Dei mandatis adverſetur, morere potius, quam illi obtemperes, & ita Deum maxime coles, non autem armis vim, quam tibi facere conatur, repellere tenta, iſtud enim non quidem Dei cultum defendere eſt, ſed ſuam ipſius vitam, aliaque hujus mundi bona conſervare velle.

Verum ad te redeo, qui tanquam id, quod contendis, jam planiſſimum feceris, hoc loco in eos, qui arma capere, & inſultantes hoſtes repellere, atque interficere recuſant, non ſecus inveheris, ac ſi peſſimi omnium hominum forent, eoſque pag. 46 nefarios, proditores, deſertores, infidos appellas. Sed & antea quoque, pag. videlicet 32. ejuſmodi homines impios prorſus, & Chriſtiano nomine indignos eſſe dixeras. Miſer, neſcis, cujus ſpiritus ſis. Ergo homines innocentiſſimos, qui ipſi mori malunt, quam alios damno afficere, quique ſua ſponte, ut Deo obediant, tanquam oves, atque agni ſunt, quos lupus invadat, hos, inquam, tu iſtorum turpium ſcelerum inſimulare non vereberis? Vide quid agas. Nam profecto, niſi reſipiſcis, graves pœnas iſtarum blaſphemiarum in Dei cultores ipſi Deo dabis. Quid enim amplius conviciorum in illos jacere poſſes, ſi tibi conſtaret, eos præ ignavia, & timiditate à belligerando abſtinere? Nunc, quando certum eſſe poteſt, nec ipſe, niſi omnem prorſus pudorem exuere velis, id negare ſis auſurus, pleroſque ſaltem ex ipſis, quominus arma capiant, non niſi religione teneri, etiamſi in maximo errore verſarentur, nonne plane immerito turpiſſimis iſtis nominibus eos appellares? Reſipiſce igitur aliquando, & bellum eo modo, quo potes, cum ſanctis Dei gerere deſine.

XV. Dum objectionem, quam facis, adverſariorum decimam diluere conaris, hujuſmodi argumentationem pro ſententia tua nectis pag. 51. Chriſtus, cum jam in Judæorum manus tradendus eſſet, monuit diſcipulos ſuos Luc. 22. 36, ut non amplius, ſicut antea juſſerat, ſine gladio eſſent, ſed gladium, vendita tunica, emerent. Nempe quia & ipſum pater deſerturus erat, & ipſe illos. Igitur idem monere cenſendus eſt, ut, Deo precibus, & pœnitentia placato, gladio adverſus hoſtem nos armemus, cum id magiſtratus jubet.

Hæc tua argumentatio non una de cauſſa inepte concluſa eſt. Primum enim figuratum ſermonem Chriſti non intelligis, qui nihil aliud monere vult, quam ſummum periculum impendere. Atque hoc loco libet ex Bibliis, quæ Vatabli vocant, aureolam ad Chriſti verba annotationem, quales fere ſunt in illis Bibliis, deſcribere. Quæ ſic habet, *Hac parabola ſignificat Chriſtus impendere magnum periculum, ut ſi quis præſidiis humanis uti voluiſſet, nihil conſultius facere potuiſſet, quam ſibi parare gladium, vel vendito pallio, ſi aliunde non poſſet.* Hactenus annotatio. Patet autem, in hunc ſenſum Chriſti verba accipienda eſſe, quia alioqui, ſi, ut tu putas, vere monuiſſet Chriſtus diſcipulos, ut ſeſe armarent, id eſt, ut tu interpretaris, legitima præſidia ſibi pararent, an non prorſus inanis fuiſſet monitio iſta? Nam quænam legitima præſidia ſibi parare poterant, cum magiſtratum ſibi infenſum haberent, immo magiſtratus potiſſimum is eſſet, à quo illis metuendum erat? Num voluit Chriſtus, ut ſui diſcipuli contra ipſum magiſtratum armis ſeſe defenderent, & hoc legitimum præſidium eſſe ſtatuit? Certe ex interpretatione tua iſtud omnino conſequitur. Quod, quam ſit abſurdum, & iis contrarium, quæ alicubi in hac diſputatione ipſe ſcripſiſti, quivis facile judicabit. Illud etiam, quod, duobus gladiis à diſcipulis oſtenſis, vel indicatis, dixit Chriſtus, *Satis eſt*, demonſtrat, aliud Chriſtum ſenſiſſe, quam ipſa verba ſonent. Quod quia diſcipuli non intellexerant, nec, ut intelligerent, multum intererat, propterea ita reſpondit Chriſtus, & anſam ulterius quærendi illis præcidit. Interim tamen, ſe aliud dicere voluiſſe, quam illi exiſtimaſſent, docet. Nam, ſi revera de gladio ipſo ſibi comparando, quemadmodum illi putabant, locutus fuiſſet Chriſtus, nunquam dixiſſet, duos gladios eſſe ſatis, cum illi multo plures eſſent & unicuique ex ipſis, qui gladium non haberet, ut, vendita tunica, eum emeret, ea Chriſti verba præcepiſſent. Deinde non vides, ex ipſis verbis tuis, Chriſti præceptum iſtud tunc demum locum habere, cum quis ab ipſo Chriſto deſeritur. Atqui nemo affirmare poteſt, etiamſi hoſtem videat, aut ſentiat in ſe irruentem, à Chriſto ſe deſertum fuiſſe. Vivit enim hodie perpetuo, & regnat Chriſtus, nec amplius, ut tunc fecit, ad tempus moritur, & ſuos deſerit. Quare nullum argumentum ex iſto præcepto duci poteſt ad arma hodie à Chriſti diſcipulis contra hoſtes capienda. Et, qui, cum privatus ſit, ea capit, nec ab ipſo Deo illa jam antea ſibi ad geſtandum, iiſque feriendum tradita habet, ſatis oſtendit, vel ſe arbitrari, Chriſto ſe curæ non eſſe, vel Chriſti præſidio ſe parum confidere.

XVI. Addis prædicto loco, charitatem inter Chriſtianos minime ſimulatam eſſe debere, ut Paulus præcipit. Ex quo ſequitur, charitatem hominis Chriſtiani in patriam ſuam non debere eſſe ſimulatam. *Quid autem* (inquis) *ſimulatum magis quam temporibus ſerenis omnem ſpeciem amoris in patriam, cum forte neceſſe non eſt, declarare, & tempeſtate exorta nolle ſumere arma, & ſi ſumas, nolle illa vibrare in hoſtem, ſed verſari in militia veluti inſenſibilis truncus, qui publicis malis non commovetur, nec avertere malum publicum conetur?*

Hæc ratio tua abunde ſupra confutata eſt, cum charitati publicæ Dei ipſius charitatem anteferendam eſſe diximus. Nec ejuſmodi rationibus tuis aliquid unquam efficies, niſi prius, teſtimonia adverſariorum diluens, doceas, ſub Euangelio à Deo vetitum non eſſe, ne hoſtes armis repellamus, etiamſi id ſine ipſorum pernicie fieri nequeat. Præterea animadvertendum eſt, hominem Chriſtianum, quemadmodum, ut dictum eſt, nullam in terris poſſeſſionem habet, ſic etiam revera nullam hic patriam habere. *Non enim* (ait ſcriptor ille divinus Hebr. 13. 14.) *habemus hic civitatem permanentem, ſed futuram inquirimus.* Quare non eſt, quod ad hominem Chriſtianum attinet, hæc patriæ charitas admodum urgenda, quaſi propter patriæ ſalutem jus aliqua ex parte violari poſſe videatur, atque, ut patriam ſervemus, nihil non fieri debeat. Quod fortaſſe concedi poſſet, ſi veram hic patriam haberemus. Sunt igitur ab homine Chriſtiano pro patria ea omnia facienda, quæ Chriſti legibus, unde omne jus nobis petendum eſt, minime adverſantur. Nec ulla fere inter patriam, alioſque locos differentia conſtituenda eſt, niſi quod, ſi cætera omnia prorſus ſint paria, paullulum quid præ cæteris locis patriæ concedere licebit. Alioqui facillime fieri poterit, ut homo Chriſtianus alia loca patriæ ſuæ anteferre debeat, & præ illis patriam contemnere. Id quod homini politico vix, aut potius nullo pacto conceditur, quippe qui patriæ charitate nullam majorem habeat, tanquam is, qui patriam iſtam, de qua loquimur, pro vera patria agnoſcit, adeo ut præ illa ſuas ipſius voluptates, ac commoda omnia, famam denique, & vitam ipſam negligere, ut æquum, ſic glorioſum ſibi eſſe exiſtimet. At homo Chriſtianus, qui cælum ipſum pro patria habet, & cujus πολίτευμα, quemadmodum Paulus ait Phil. 3. 20, in cælis eſt, ſæpiſſime vel minimum ex hominibus divinis & cæleſtibus, hoc eſt ex ſuis veris civibus, quantumvis alioqui extraneum, univerſæ terrenæ patriæ merito anteponet, ſe autem ipſum, ſuaque non propter

terrenam

terrenam patriam, ſed propter cæleſtem, ubi opus fuerit, plane deſpiciet.

2. Similitudo, ſive exemplum, quod addis de ſuccurrendo, ne navis diſſoluatur, quodque novæ cujuſdam rationis loco eſſe poteſt, adeo nugatorium eſt, ut nihil ſupra. Nam quomodo probas id, quod ita conſtanter affirmas, ſi homini Chriſtiano licet ſuccurrere, ne navis, quæ, carina refuta, ſubmergitur, penitus diſſolvatur, eidem licere contra navem exurere volentes cum eorum detrimento opem ferre? Certe ejus, quod in poſteriore parte exempli impedire poteſt, quominus homo Chriſtianus opem ferat, hoc eſt aliorum detrimenti, nulla ne umbra quidem in priore parte apparet. Quocirca valde mirum videri debet, te nihilominus iſta duo paria facere auſum fuiſſe.

3. Cæterum, quod arma ſumere, nec ea (ut ais) in hoſtem vibrare nolle tantopere damnas, ne in eo quidem tecum omnino ſentio. Fieri enim poteſt, ut ad territandum duntaxat, & ab incepto hoſtem abſterrendum repente arma à populo capiantur, cui ſi armatus eodem conſilio, de quo plane conſtet, Chriſtianus homo ſeſe adjungat, non video, cur damnandus ſit. Poteſt etiam fieri, ut homo Chriſtianus arma, magiſtratu jubente, ſumat, publice antea proteſtatus, ſe iis hoſtem jam jam urbem invadentem minime percuſſurum, ſed tantummodo, quatenus cæteroquin licuerit, ſeipſum, alioſque defenſurum, idque ſatis magiſtratui eſſe videatur. Nam, ſi id præſtet, quod dixit, reprehendendus non videtur. Præſertim, ſi ex eo, quod arma ſumat, certum ſit, eum non plus periculi vitæ ſuæ perdendæ ſubiturum, quam, ſi ea ſumere negligeret. Nec enim temere homini Chriſtiano vitæ pericula adeunda ſunt, ipſiuſque jactura facienda, ſed tunc demum, cum Dei gloria, proximique ſalus id poſtulat. Hæc autem idcirco homini Chriſtiano concedo, quod non ipſa arma manibus tenere, ſed iis aliquem ferire illi interdicitur. Nec porro eorum conſilium laudo, qui ne ad canes quidem, aut lupos, aliaſve feras beſtias pro ſua vita tutanda feriendas gladium ſecum habere ſuſtinent, cum tamen iidem innocentiſſimas pecudes ad ſe earum carnibus alendos jugulare, aut jugulandas curare non dubitent. Superſtitio ſemper vitanda eſt, tanquam ea, quæ religioni, ac pietati veræ ſenſim, niſi diligentiſſime caveatur, ruinam ſtruit. Præſtat tamen perpetuo inermem eſſe, & ſe ſive hominum, ſive ferarum omnibus injuriis exponere, quam armis ad homines feriendos ulla ratione abuti.

XVII. Pergis autem, & pag. 52, & 53, ſi recte mentem tuam percepi, ita argumentaris. Ut hoſtis, qui noſtras ædes ingreſſus, uxori, & filiabus virginibus vim facere tentat, deterreatur, & à malo inferendo deſiſtat, licet objurgare, inclamare opem, ſocios adſciſcere, de injuria, quæ tibi infertur, docere, & turbas excitare. Ergo & manum admovere, & verberibus injuriam inferentem repellere, &, ſi verbera non profint, ad ferrum tandem confugere licebit. Ut autem conſecutionem iſtam probes, ais iſtorum omnium eandem rationem eſſe. Quod ſi arma ad repellendum, id eſt, niſi aliter ab injuria facienda deſiſtere nolit, feriendum, & occidendum hoſtem capienda non ſunt, ne malo reſiſtatur, nec etiam aliquid iſtorum faciendum erit. Nam ubique malo reſiſtitur.

Reſpondeo primum, cauſſam, ſive rationem, cur hoſtis à nobis occidendus, aut feriendus non ſit, non eam ſolam eſſe, quod malo reſiſtere non debeamus, vel, ut apertius loquar, non ex eo ſolo præcepto, ne malo reſiſtamus Matth. 5. 29, colligi, hoſtem à nobis occidendum, aut feriendum non eſſe, ſed ex aliis etiam, in quorum verbis non perinde ludere, & cavillari potes, atque in iſtis facis. Jubemur enim, ut unum tantum commemorem, nullo modo malum pro malo reddere Rom. 12. 17. 1 Theſſ. 5 15. Qui ea omnia facit, quibus hoſtis ab injuria inferenda deterreri poſſit, nec tamen interea cum vel ipſe ferit, vel feriendum curat, nihil mali pro malo reddit. At is, qui, ut injuriam non patiatur, arma ad occidendum, aut feriendum hoſtem capit, profecto, non dicam malum pro malo reddit, ſed, quod multo plus eſt, ad evitandum malum prior ipſe malum inferre ſtudet. Deinde, etiamſi nullum præterea præceptum extaret, niſi illud de non reſiſtendo malo, dico, illum, qui omnia tentat, unde hoſtis ab injuria inferenda deterreri poſſit, niſi illi manus afferat, aut afferendas curet, nihil adverſus præceptum illud committere, nec malo reſiſtere ea ratione, quam Chriſtus ſine dubio intellexit. Qui, ut alibi docuimus, eo præcepto non omnem reſiſtentiam, quæ malo homini fiat, ſed eam, quæ ultionem, ſeu vindictam conjunctam habeat, interdicere voluit. Itaque ex vi præcepti illius recte concludetur, non licere hoſtem armis repellere, hoc eſt eum, niſi aliter ab injuria abſtinere velit, ferire, atque interficere. Nec idcirco tamen ſequetur, eum objurgare, clamare, terrorem illi incutere, & ejuſmodi alia facere non licere. Illa enim vindictam, ſive ultionem continent, hæc vero minime. Non neceſſe autem fuit ea omnia ſingulatim, diligenterque examinare, quæ tu homini Chriſtiano licere pro conceſſo ſumis. Nam ſatis eſt, ex Sacris Literis regulam ſtatuiſſe, qua non de iis tantum, ſed de aliis ejuſmodi omnibus, quæ excogitari poſſunt, judicari queat. Ea eſt, Homini Chriſtiano malum pro malo reddere, ſeque ulla ratione ulciſci non licere. Quæ huic regulæ non adverſabuntur, ea omnia conceſſa erunt nobis. Quæ vero cum ea non convenient, prorſus interdicta cenſebuntur.

XVIII. Sequitur eadem pagina 53, mirabilis quædam reſponſio tua ad teſtimonia adverſariorum, quæ pro ſententiæ tuæ confirmatione habenda eſt. Ais enim, Etiamſi extaret præceptum aliquod à Chriſto datum de non ſumendis armis, tamen non debere præceptum iſtud plus ſtabilitatis, aut ponderis habere, ſive, ut tu loqueris, majus eſſe, quam præceptum à Deo datum de Sabbati die ſervando. Sed, Chriſto ipſo docente, præceptum iſtud Dei tunc locum non habet, cum de ſervanda anima agitur. Ergo nec Chriſti præceptum, ſi quod eſſet, de non capiendis armis, tunc locum habere cenſendum foret, cum de animis ſervandis ageretur, ut ſcilicet agitur, cum hoſtis nos, noſtraque invadere conatur.

Atqui, Palæologe, ſi recte argumentatus es, ubicunque de anima ſervanda agetur, nullus divinis præceptis erit locus. Itaque ipſa etiam idola, Deo poſthabito, colere, ut cætera omittam, tunc licebit, immo vero opus erit, cum alioquin anima aliqua peritura fuerit, id eſt aliquis mortem obiturus ſit. Quinetiam, ſi Chriſti verba ex ipſius factis interpretanda ſunt, non neceſſe erit de vita alicujus agi, ſed, dummodo de ſanitate agatur, ſatis erit. Nam, ut, in die Sabbati homini alteram manum aridam habenti eam ſanam reddere ſibi licere, demonſtraret Chriſtus Mar. 3. 4. Luc. 6. 9, ea verba de diei Sabbati obſervatione dixit. Qualem igitur Dei cultum argumentatione iſta tua nobis obtrudis, qualemve Dei mandatorum conſervationem eſſe debere ſtatuis, ſi nec Deum colere, nec ejus mandata ſervare tunc debemus, cum, ſi id fiat, de vita, aut ſanitate alicui periclitandum eſt? Itane, quaſi per cuniculos quoſdam, univerſam religionem ſubruere tentas? Nam qui fit, ut non videas, Chriſtum, cum ægrotos in die Sabbati ſanaret, nihil feciſſe, quod verbis Legis de ſabbato ſervando recte interpretatis adverſaretur, nec illum exceptionem aliquam ad præceptum illud attuliſſe, cum dixit, licere Sabbatis animam ſervare, cum de ejuſmodi operibus id præceptum minime loqueretur? Nonne ipſi Judæi, qui, ut, ipſe ais, præceptum iſtud admodum ſuperſtitioſe ſervabant, ſuum tamen unuſquiſque aſinum, & bovem, qui in puteum decidiſſet, protinus die Sabbati extrahebant Luc. 14. 5? Mirum ſane eſt, te, qui tam acriter contendis, Chriſtum, quod ad præcepta attinet, Legis ſimplicem interpretem fuiſſe, in præcepto Legis de Sabbato ſervando plus, quam interpretem, egiſſe, & exceptionem quandam illi adjunxiſſe, affirmare. Nam, ſi interpretis nomen tam late patere

patere velis, ut iſta etiam comprehendat, quibus de eo, quod interpretandum eſt, detrahitur, nulla cauſſa erit, cur non concedas, Chriſtum, quamvis ſimplicem Legis interpretem, præceptis Legis quædam addidiſſe. Quod tamen in univerſa diſputatione audacter negas. Quandoquidem non modo eadem ratio eſt detractionis, quæ additamenti, ſed multo plus præcepti auctoritatem convellere videtur is, qui ei aliquid detrahit, quam qui addit. Immo, qui detrahit, aliqua ex parte præceptum vere labefactat, qui vero addit, potius illud magis confirmat. Itaque, te non ſatis tibi ipſi hac in re conſtitiſſe, non injuria dici poſſe crediderim. Præterea dic, quæſo te, qualemnam putas, adverſarios tuos exiſtimare, Chriſtum legem tuliſſe de non capiendis armis? Numquid non animadvertis, ipſos contendere, eum ejuſmodi legem tuliſſe, qua aperte interdicatur, ne arma ad feriendos, & occidendos hoſtes capiantur, tunc etiam, cum maxime nos lædunt, & vitam eripere conantur? Quomodo autem, ſi ejuſmodi Lex lata eſſet, poſſet ei accommodari exceptio iſta, Niſi ſi de ſervandis animis agatur, cum iſtius ſalutis rationem haberi non debere, in ipſa lege expreſſe cautum fuiſſet? Quanquam ſatis eſſet, legem Chriſti extare, quæ ſimpliciter vetaret, ne arma contra invadentes hoſtes caperentur. Semper enim, cum hoſtes nos invadunt, de ſalute periclitamur. Quamobrem, ſi exceptio iſta admittenda eſſet, tota Lex ſubverteretur, nec ei ullus locus eſſe poſſet. Et tu ſine dubio iſta exceptione tua efficere vis, ut, etiamſi Lex de non ſumendis armis à Chriſto lata eſſet, tamen contra invadentes hoſtes ea ſemper ſumere non liceret ſolum, ſed etiam opus eſſet. Poſtremo, quid tu præceptum ſervandi ſabbati, quod umbratile, & temporarium erat, cum ſolidis & ſempiternis Chriſti mandatis confers, &, ſi quid ex eo à Chriſto detractum fuerit, à nobis de ipſius Chriſti mandatis aliquid eadem ratione detrahi poſſe, concludis? Quid tu nos Chriſto exæquas, immo vero anteponis, & eandem auctoritatem, quam ille in Moſaicis legibus habuit, nobis in ipſius legibus tribuis? An neſcis, Chriſtum tanto Moſe præſtantiorem eſſe, quanto præſtantior eſt is, qui domum aliquam extruxit, quam ipſa domus, & filius, quam ſervus, & is, qui domui præpoſitus eſt, quam, is, qui in ipſa domo famulatur Hebr. 3. 3, &c.

2. Jam, quod ex iis, quæ ſupra dixeras, hic colligis, Chriſtum dixiſſe, ut quædam animæ omnino ſerventur, unde concludis, ſi hoc de privatis rebus, & privatis hominibus dixit, multo magis de magiſtratu, & patria idem dicturum fuiſſe, ne diligentius hujus tuæ argumentationis futilitatem explicemus, ſatis eſt, oſtendiſſe, te peſſime tantam iſtam curam, quæ à nobis animarum ſervandarum haberi debeat, ex Chriſti verbis collegiſſe. Ex quibus nullo modo concludi poteſt, vel minimum quidem Dei mandatum poſſe infringi, tunc etiam cum de anima ſervanda agitur.

3. Quare, quod ais, cum animæ, quas ſervare debemus, ſervari non poſſunt ſine perditione illarum animarum, quas, ut ſervemus, nobis mandatum non eſt, debere nos potius has perdere, quam, ut illæ pereant, permittere, hoc, inquam, à te ineptiſſime concluſum fuit, cum nec ullæ ſint animæ, quas, cæteris poſthabitis, omnino ſervare debeamus, ſed omnes nobis, cum id ſine alicujus divini mandati violatione fieri poteſt, ſervandæ ſint, & quamvis Deus non jufſerit, ut omnino quaſdam animas ſervemus, tamen per Chriſtum mandaverit, ut nullas omnino perdamus. Ex quo fit, ut privati homines, quibus gladius à Deo datus non eſt ad perdendos eos, qui male faciunt, ſi Chriſto, Deoque obedire velint, vel cum totius mundi ſalute, ne unam quidem, eamque minimam animam perdere ulla ratione poſſint.

Hæc erant fere, quæ mihi adverſus ea, quæ in priore tuo ſcripto ad tuam de bello à Chriſtianis hominibus gerendo ſententiam confirmandam attuleras, dici poſſe videbantur. Animus autem erat ea quoque refutare, quæ in poſteriore ſcripto ad idem probandum vel tacite, vel aperte dixiſti. Sed nihil mihi huc pertinens in eo animadvertiſſe ſum viſus, quod privata refutatione indigeat, quodque vel à te jam in priore ſcripto dictum non fuiſſet, vel à me in ſuperioribus diſputationibus abunde confutatum non fuerit. Quare ad alterum univerſæ diſputationis caput veniendum eſt, &, quam vim ea argumenta habeant, quibus, vindictam acceptarum injuriarum homini Chriſtiano expetere ope magiſtratus licere, oſtendere conatus es, diligenter inſpiciendum.

CAPUT II.

JAm vero, antequam aliud agamus, animadvertendum eſt, te non uno in loco, ut ſupra ex parte viſum eſt, adverſariis objicere, quod omnia judicia Chriſtianis interdicta eſſe velint, & ſua per judices repetere nulla ratione illis concedant. Quod tamen ego ipſos ſentire, non putaverim, ſed tunc demum iſta Chriſtiano homini haudquaquam permittere, cum vindictæ expetitionem quoquo modo conjunctam habent. Quemadmodum ſatis conſtare videtur ex eo, quod pag. 62. cum dixiſſent, judicia, ſeu lites judiciales piis interdictas eſſe, illico addunt verba illa, *ut ſtatim ex ipſis Chriſti verbis & Apoſtoli etiam audiemus.* Chriſti enim verba, ut alibi à nobis demonſtratum fuit, de non retalianda injuria omnino agunt. Nec aliter adverſarii tui ea ubique accipiunt, ſed ſemper, vindictam per judices expetendam iis interdictam eſſe, ajunt. Ut patet ex illis, quæ modo recitatis verbis ſtatim ſubjiciunt, *Poſt hæc nec vindicandum eſſe ullo modo ſive per ſe, ſive per judices docet*, &c. Et pag. 63. *Ad hæc expreſſis verbis vindictam per judices expetendam vetat. Nam cum dicit: Si quis velit tecum judicio contendere*, &c. Pag. vero 65. in ipſo initio ſic loquuntur. *Deinde vero & hoc expende quid eſſet ad rem, præcipere ut alteram maxillam obvertat, ut ſcilicet gravius quam pro una à Magiſtratu puniretur accuſatus, & dare adverſario pallium ad momentum, ut ſtatim illud repeteret per Magiſtratum, cum ejus infamia & vindicta graviore*, & pag. 69. *Mercedem quoque illis repoſitam in cœlis (non apud Judices ſi ſe ulciſcantur per eos) toties ingeminat, ne præ hac terrena illius obliviſcantur. Et filii quidem hujus ſeculi hanc præcipuam eſſe reputantes, quia de illa cœleſti nihil ſciunt nec cogitant, nihili faciunt illam centupli mercedem, pluris æſtimantes, ſi talionem per Judices extortam receperint.* Et denique pag. 70. *Summa vero hæc ſit: Si à Deo vindictam expetere in adverſarios non licet, quomodo vindicare apud Magiſtratum licebit?* Ex quibus omnibus Racovienſium verbis apparet, eos non modo Chriſti præceptum, quo ſuam de litibus judicialibus ſententiam confirmare ſtudent, ita accipere, ut tunc locum habeat, cum de vindicta, & talione agitur, verum etiam nihil aliud urgere, niſi homini Chriſtiano vindictam, ſeu talionem per magiſtratum expetere non licere. Quæ ſatis, ſuperque eſſe videntur ad demonſtrandum, ipſorum ſententiam de litibus forenſibus eam eſſe, quam ſupra diximus, nec negari ab ipſis, tunc poſſe Chriſtianum hominem ſua per magiſtratum repetere, cum id ſine ultione, & pœna aliqua alicui infligenda fieri poteſt. Nam, quod ejus quoque Chriſti præcepti meminerunt, quod eſt apud Lucam 6. 30. de non repetendis ſibi ablatis ab eo, qui abſtulit, & ad judicia illud quoque retulerunt, in quo tamen nullius ultionis, aut talionis repetendæ fit mentio, ſciendum eſt, ipſos Chriſti verba de rebus violenter, aut certe per manifeſtam nrlitiam ablatis accepiſſe, vel teipſo teſte, ut perſpicuum eſt ex iis, quæ ſcribis pag. 237, & 238. Quod ipſorum verba ſane docent: quæ ſic habent pag. 63. in fine, *Et adhuc apud Lucam aperte dicit, res ablatas ab adverſario non repetendas. Certe per judices intelligit, quod ſub lege licuit. Nam ſi non liceret per teipſum repetere, quanto magis per Judices, quibus adverſarii malitia patefacienda foret, & cum eo contendendum.* Atqui, cum de rebus per violentiam, aut manifeſtam malitiam ablatis

ablatis repetendis agitur, nunc neceſſe eſt fere, ut de ultione ſimul, ac pœna agatur illius, qui abſtulit. Atque huc neceſſario referenda ſunt Racovienſium verba, quæ, concludentes, ſtatim ſubjiciunt, *Non eſſe ergo licitam piis provocationem ad judices, quod ſub lege ſingulis licuit, aperte hic Chriſtus docet.* Quod vero attinet ad Apoſtoli verba, fateris ipſe, ibi de injuria, & fraude agi, ut ex iis apparet, quæ ſcribis pag. 161, & 162. quod ſane indicare videntur aperte ea, quæ poſtmodum ab Apoſtolo ſubjiciuntur 1 Cor. 6. 8, *Sed vos injuriam facitis, & fraudatis.* Quanquam tu ita Pauli monitionem illam accipis, ut non à litigando, & ſuis per injuriam, & fraudem ſibi ablatis per magiſtratum repetendis, ſed ab alienis magiſtratus ope rapiendis Corinthios deterrere velit. Immo ex Pauli verbis rerum ſuarum per injuriam ablatarum apud magiſtratum repetitionem confirmari velle videris. Qua de re poſtea videbimus. Adverſarios autem tuos Pauli verba ad ultionem per magiſtratum expetendam retuliſſe, inde conſtare poteſt, quod pag. 64, eorum verborum ſententia recitata, ſtatim ſubjungunt, *Et alias ultionem Deo commendandam, non alicui homini, docet.* Cæterum, quod ſupra dicta pag. 62, non ſolum dicunt, lites judiciales piis interdictas eſſe, ſed ob eam cauſſam juramentorum forenſium nullum uſum futurum ajunt, unde perſpicuum eſſe videtur, omnes prorſus judiciales lites piis interdictas eſſe, ipſos cenſuiſſe; Conſiderandum eſt, ejus, quod frequentius evenire ſolet, habitam ab illis fuiſſe rationem. Vix enim (præſertim in certis quibuſdam regionibus) ſuum per judices repeti, & litigari poſſe videtur, quin ſimul adverſæ parti alicujus gravioris mali periculum creetur. Non igitur dubito, quin Racovienſes non omnes judiciales lites, omnémve ſuarum rerum per judices repetitionem Chriſtianis interdici exiſtiment, ſed illas tantum, quæ ultionem quandam ſecum conjunctam habeant. Quod ſi tamen omnes interdictas eſſe velint (id quod ut credam, adduci prorſus nequeo) ego id tantum, quod jam pridem dixi, defendendum mihi ſuſcepi. His ad hunc modum explicatis, nunc ad tua pro contraria ſententia argumenta veniamus.

1. Primum igitur pag. 37 per magiſtratum malo reſiſti poſſe, nequaquam id Jeſu prohibente, ex eo oſtendere conaris, quod Jeſus dixit Matth. 5. 22. Joh. 18. 23, *Obnoxius erit judicio*, & alibi ait, *teſtimonium perhibe* (addis tu autem de tuo Et accuſa) *de malo*, & illa quoque verba protulit Matth. 5. 26, *ne quando tradat te adverſarius judici.* Poſt quæ verba addis, *Eo pertinent & ſequentia* (videlicet poſt præceptum illud, *Non reſiſtere Malo*) *ne patiamur trahi in judicium ab eo, cui abſtulimus ſua, ne cogamur judicio confecto perdere & ſua & noſtra, Et ne ab illo expectemus vocari in jus, cui onus aliquod contra jus impoſuimus: Ne cogamur per judicem eadem quæ aliis intulimus mala in duplum referre.* Hactenus verba tua. Ex quibus ſine dubio, quemadmodum ex pluribus poſterioris tui ſcripti locis apparet, & quæ in margine hoc loco adſcripta ſunt demonſtrant, id potiſſimum probare in animo habes, Chriſtum judicia non abrogare, ſed approbare. 1. Et quanquam in prima reſponſionis noſtræ parte cap. 5. ſatis diſputatum eſt, locorum, quos hic citas (præter illum *teſtimonium perhibe de malo*) vel te ipſo teſte, eum ſenſum eſſe, ut humana & civilia judicia iis minime confirmentur, tamen quia nos ea à Chriſto approbari ultro concedimus, tanquam ſi id recte à te, iis citandis, probatum fuiſſet, dicimus, iſtud nihil ad rem facere. Etſi enim Chriſtus politica judicia approbat, id eſt ſuis dictis civilem magiſtratum confirmat, non tamen ei, qui injuriam paſſus eſt, ope magiſtratus vindictam expetere, atque ea ratione Malo reſiſtere permittit. Sed tantum ipſi magiſtratui, vel ex officio, vel ſi is tamen qui læſus eſt, accuſet, aut alius quiſpiam deferat, in eum vindicare concedit, qui alteri injuriam fecit. 2. Nec vero cum ait, *ne quando tradat te adverſarius judici*, ejus quod fieri ab homine Chriſtiano jure poſſit, ſed ejus, quod à quovis homine fieri contingat, rationem habuit. 3. Cum autem ait, *teſtimonium perhibe de malo*, etiamſi coram magiſtratu uterque eſſet (ſi modo pontifex ille magiſtratus, qualem hoc loco intelligere debemus, cenſendus eſt) non tamen magiſtratus rationem aliquam habuit Chriſtus, cum ad eum modum ei, qui ſe percuſſerat, reſpondit Quaſi dicere voluerit, Hic coram magiſtratu me accuſa, ſi male locutus ſum. Nam quomodo accuſationi locus eſſe poterat, ſi cum ipſo magiſtratu ea verba fecerat Chriſtus, propter quæ ille ipſum cæciderat? Nonne perſpicuum eſt, Teſtimonium perhibe de malo, eo in loco nihil aliud eſſe, quam, Doce, cur male ſim locutus? Namque Docendi vim, præſertim apud eundem Euangeliſtam, alibi quoque verbo μαρτυρεῖν ineſſe, quod verbum in vulgata editione eſt Perhibere teſtimonium, inter alios demonſtrat locus ille Joh. 7. 7, *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala ſunt* Ibi enim ſine dubio Teſtimonium perhibeo idem valet, quod Doceo, & demonſtro. Nam ſimplex de ſuis malis operibus Jeſu Teſtimonium parvi feciſſet mundus, niſi ſimul, id ita ſe habere, Jeſus aperte oſtendiſſet. Propterea tu ea, qua ſoles, confidentia, & hic, & pag. 153. & 236. & 248. tanquam ab ipſo Chriſto dictum, verbum accuſandi ejus verbis admiſcuiſti, immo pro verbo Perhibendi teſtimonium ſubſtituiſti, ut ſcilicet, accuſare coram magiſtratu, per Chriſtum licere, confirmares, nihil interim animadvertens, non de qualibet accuſatione hic quæri, ſed de ea tantum, quæ ſui ulciſcendi gratia inſtituitur, qualis certe non fuiſſet iſta, cum Chriſtus ſuum illum percuſſorem, a quo accuſari debuiſſet, nec ulla ratione læſiſſet, nec ipſi percuſſori læſiſſe viſus eſſet, ſed duntaxat ſummo ſacerdoti ſuperbe nimis reſpondiſſe.

II. Quoniam, ut ſupra monuimus, ex iis, quæ Paulus priore ad Corinthios Epiſtola cap. 6. ſcribit, colligere videris, licere Chriſtiano homini per magiſtratum res ſuas ſibi per injuriam ablatas repetere, nec ullam diſtinctionem adhibes, an id cum pœna, aut detrimento auferentis fiat, nec ne, ſive utrum cum ultione aliqua id ſit conjunctum, an ſecus, operæ pretium erit oſtendere, ex Pauli verbis nihil tale colligi poſſe. Pag. igitur 161. breviter ais, Paulum eo in loco nihil aliud agere, niſi ut eos reprehendat, qui aliena in judicio petebant, & ſuis rebus fraudare alios tentabant. Pergens autem in initio pag. 162. hæc verba ſcribis, *Hic eſt ſenſus verborum Pauli, quibus legitimus Magiſtratus & legitima juris dicendi forma ſuffragio Pauli confirmatur, & dicitur ſua defendere, ne alieni illa rapere, per injuriam debeant, & per legitimum Magiſtratum ſibi addicere, quærere & ſatagere licere Chriſtiano homini.* Jam vero finge, ſenſum verborum Pauli eum eſſe, quem ſupra dixeras, quomodo (quæſo) audes affirmare, Paulum hæc dicere? Nam quæ concluſio fuerit iſta? Non licet aliena in judicio petere, & ſuis rebus alios fraudare. Ergo ſua in judicio, ne per injuriam rapiantur, defendere, & ſibi addicere per legitimum magiſtratum licebit. Certe hac eadem ratione ſic concludere poterimus. Non licet extra judicium aliena rapere, vel rapta retinere. Ergo ſua extra judicium, ne rapiantur, defendere, & rapta repetere licebit. Quanquam tu, ut vidimus, non quidem ex Pauli verbis id, quod quæris, conſequi ais, ſed (ut nimirum de audacia tua multo evidentius conſtaret) in ejus verbis id dici affirmas. Præterea, qua ratione defendere potes, Paulum ibi non quidem lites illas ſimpliciter deteſtari, ſed aliena in judicio petentes damnare, cum ea verba dicat? *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Hinc enim apparet, eum velle potius, ut quis & injuriam, & fraudem ſibi fieri ſuſtineat, quam, ut litiget. Itaque neceſſe eſt, iſtum, quem à litigando dehortari vult, in haſce difficultates conjectum eſſe, aut certe conjici poſſe, ut aut litiget, aut injuriam, fraudemque patiatur. Hoc autem neutiquam de eo dici poteſt, qui aliena petit, ſed de eo dici neceſſe eſt, à quo aliquid vel petitur, vel aufertur. Hoc ipſe animadvertens, conatus es verba Pauli ita interpretari, ut non ad rem præſentem,

ſed ad id, quod fieri, neſcio quo modo, poſſet, accommodentur. Sic enim ais, *Qui cum inter duo mala conſtitutus, perdere ſua bona & rapere aliena, potius ſua perdere deberet, quam aliena rapere, oblitus legum Chriſtianarum, cum periculum nullum ſit ut perdat ſua, conatur rapere aliena.* Atqui hoc tuo commento nihil aliud agis, quam oſtendis, Paulum de iſtiuſmodi homine in prædictis verbis loqui non poſſe, cum tu hominem iſtum in nullo periculo eſſe dicas perdendi ſua, & Pauli verba, ut paullo ante dictum eſt, de eo manifeſte agant, qui injuriam accipere, & fraudem pati poſſit, & ſic de ſuis bonis periclitetur. Præterea vix unquam contingere poterit, ut quis inter hæc duo mala ſit conſtitutus, ut vel aliena rapere, vel ſua perdere cogatur? Unuſquiſque enim in civili ac privata vita (nam extra hos fines ſaltem vagari Pauli oratio non debet) ſi velit, vel ſua conſervare poſſe videtur, etiamſi aliena non rapiat, vel nullo modo, ne aliena quidem rapiendo, ſua conſervare. Quocirca ridicula plane iſta tua verborum Pauli interpretatio cenſeri debet. At enim (dices) Paulus ea verba addit, *Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Ex quibus apparet, eum non de iis loqui, qui in periculo eſſent perdendi ſua, ſed de iis, qui aliis, quod ſuum erat, eriperent. Reſpondeo, Paulum de utriſque locutum fuiſſe, nam utrique in Corinthiorum Eccleſia erant. Et quia ad utroſque ſimul ſcribebat, propterea inter ipſos minime diſtinxiſſe, ſed, tanquam unum quempiam hominem, totum illud Eccleſiæ Corinthiorum corpus conſideraſſe. Cum igitur in Eccleſia eſſent, qui injuriam, & fraudem non quidem in judicio, ſed privatim fratribus facerent, & rurſus, qui, ne injuriam, & fraudem paterentur, ad judices decurrerent, utroſque unica appellatione complectens, hos primum reprehendit Apoſtolus, & dicit, ſatius eſſe, ut damno afficiantur, quam ut cum fratribus litigent. Deinde illos, tacite à minore ducto argumento, acriter increpat. Ac ſi diceret, Si illi inter vos digni ſunt reprehenſione, qui non potius damnum æquo animo ferunt quam ut cum fratre litigent, quanto magis alteri illi ex vobis reprehendendi ſunt, qui damno fratres afficiunt? Et ſane vehementer culpandi eſtis, poſtquam inter vos non tantum injuriarum impatientes reperiuntur, ſed etiam ipſis fratribus inferentes injuriam. Hanc Pauli mentem eſſe confitebitur (credo) quiſquis rem ipſam, & Apoſtoli verba paullo diligentius expenderit.

III. Ex iis, quæ pag. 236, & 237. ſcribis, hoc tuum argumentum aperte colligitur ad probandum, licere homini Chriſtiano alterum de iniquitate coram magiſtratu accuſare. Cuicumque licet provocare, eidem de iniquitate alterum coram magiſtratu accuſare licet. Sed homini Chriſtiano licet provocare. Igitur homini Chriſtiano alterum de iniquitate coram magiſtratu accuſare licet. Ut autem tui argumenti propoſitionem probes, ais, provocationem nihil aliud eſſe, quam accuſationem ad ſuperius judicium (ſic enim loqueris) de iniquitate judicis. Aſſumptionem vero Pauli exemplo confirmas, qui Cæſarem appellavit Act.25.11. Affers præterea Apoſtolorum exemplum, qui dixerunt, Act.5.29. magis obediendum eſſe Deo, quam hominibus. Nam, cum hoc dicerent (inquis) ad ſuperius tribunal provocaverunt.

Iſta tua argumentatio pluribus de cauſſis nihili eſt facienda. Primum enim illud animadvertendum eſt, etiamſi probares, poſſe hominem Chriſtianum accuſationem de iniquitate alterius coram judice inſtituere, non tamen neceſſario aliquid contra Racovienſium ſententiam, quam nos defendendam ſuſcepimus, probatum iri. Poteſt enim fieri, ut quis alterius iniquitatem ad magiſtratum deferat, & tamen nullam interim vindictam expetat, nullumque illi periculum creet. Exemplum ex iis peti poteſt, quæ alibi ſupra de rebus ſuis à prædonibus ablatis per magiſtratum repetendis diſputavimus. Et ſane in iſta iniquitatis accuſatione, quam tu provocationi ineſſe vis, nec vindicta expetitur, nec alicui ullum periculum creatur. Ut mox videbimus. Nam quid deinde eſt, quod ais, provocationem nihil aliud, quam accuſationem eſſe ad ſuperius judicium de iniquitate judicis? Eſt quidem provocatio inſtituta, ut, ſi quis à judice contra ſe iniquam ſententiam latam eſſe arbitretur, ea ut revocetur, curare poſſit, non tamen, vere ac proprie loquendo judex iſte in provocatione coram ſuperiore judice iniquitatis accuſatur, nec contra ipſum judicium aliquod inſtituitur. Sed id tantum quæritur, ne ejus ſententiæ ſtetur, &, ut cauſa coram alio tribunali cognoſcatur. Eventus autem provocationis id manifeſte oſtendit. Nam, etiamſi à ſuperiore judice inferioris ſententia revocetur, & reſcindatur, non tamen inferior judex ob eam rem ulla ratione punitur, aut ullum ex ea re damnum ſentit. Cum judex ob ſententiam inique latam, ſive dolo malo, ſive per imprudentiam id fecerit, accuſatur, & punitur, non per provocationem ad ſuperiorem judicem illud fit, nec (niſi fortaſſe cum de ipſius dolo agitur) donec provocationi eſt locus, ſed contra ipſum judicem, qui iniquam ſententiam tulit, nominatim judicium inſtituitur, cum jam ejus ſententia in rem judicatam tranſiit, ex qua læſum quis ſe eſſe ſentiat. Hæc dum à te non animadvertuntur, in turpe erratum es lapſus, provocationem inquiens nihil aliud eſſe, quam accuſationem ad ſuperius judicium de iniquitate judicis. Ex quo apparet, argumenti tui propoſitionem non modo à te probatam non fuiſſe, ſed etiam falſam eſſe. Præſertim, quatenus ea ad propoſitam quæſtionem de vindicandis per magiſtratum injuriis pertinere poſſit.

Jam aſſumptio etſi vera eſt, tamen perperam omnino tu eam probare tentaſti. Quare, quod ad diſputationem ipſam attinet, ea pro falſa haberi poteſt. Nam quid habet commune Pauli appellatio cum provocatione, de qua in tuo argumento agitur? Neque enim Paulus de judicis alicujus iniquitate conqueritur, tanquam iniquam ſententiam contra ſe tulerit. Quippe cum nulla adhuc ſententia in ejus cauſa à quoquam lata fuiſſet. Sed tantummodo, tanquam minus competentes judices, eos, qui ſibi propoſiti erant, rejicit, & unum Cæſarem pro competente ſibi judice agnoſcit, eumque appellat. Sed tu nimirum, verbi Appellandi ambiguitate deceptus, inter appellationem, & appellationem non diſtinxiſti. Appellat is, qui ſententiæ jam à judice inferiore latæ, tanquam iniquæ, ſtare non vult, & à judice ſuperiore cauſam ſuam cognoſci petit, & de hac appellatione, ſeu provocatione loquitur argumentum tuum. Appellat is etiam, qui ante judicium cœptum, non à ſibi propoſito judice, tanquam ſibi minus competente, ſed ab alio quopiam cauſam ſuam vult cognoſci, ad quem proprie cauſæ cognitionem pertinere contendat. Et hæc fuit appellatio Pauli, cum Cæſarem appellavit. Propterea, antequam ea verba protuliſſet, *Cæſarem appello*, ſic locutus fuerat, Act.25.10, *Ad tribunal Cæſaris ſto. Ibi oportet me judicari.* Nec vero Paulus, cum Cæſarem appellavit, ſua ſponte id fecit, idve ſibi præcipue propoſuit, ut iniquum judicium vitaret, nedum ut de iniquitate judicem aliquem accuſaret, ſed (ut ipſe & confiteris ſimul, & urges, id inſtinctu Spiritus Sancti factum eſt, ut ea ratione Paulus Romam perduceretur Act. 23. 11, atque ibi, quemadmodum dominus Jeſus illi prædixerat, de ipſo Jeſu teſtaretur, idque ſub iniquis judicibus, ut eventus manifeſte comprobavit. Eorum enim juſſu tandem interfectus eſt. Et certe, ſi Paulo ſuum ipſius commodum propoſitum fuiſſet, haud verisimile eſt, eum Cæſarem appellaturum fuiſſe. Hac enim ratione videri poterat, ſe à Feſto reſponſum illud accepturum, quod accepit, *Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis*, & vix futurum, ut liberaretur. Quod alioquin facile fieri poſſe apparebat, ut res ipſa oſtendit. Nam & Rex Agrippa dixit Act.26.32, *Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.*

Quid autem eſt, quod ais, Apoſtolos ad ſuperius tribunal provocaſſe, cum dicerent, Deo magis obedire oportere, quam hominibus? An non hic error eſt nulla

pror-

prorſus excuſatione dignus? De nullo enim judicio loquuntur Apoſtolorum verba, ſed tantum de imperio. Ut non modo provocationis, ſive appellationis, de qua loquitur, argumentatio tua, nullum in ipſorum verbis indicium extet, ſed ne alterius quidem illius, de qua paullo ante egimus, & ita nihil penitus ad id, de quo argumenti tui aſſumptio loquitur, exemplum iſtud Apoſtolorum pertineat.

IV. Sed video, magnum aliquod momentum tibi ad vindictam per magiſtratum expetendam in eo ineſſe videri, quod ais, Paulum minatum magiſtratui fuiſſe, qui ſe Romanum civem contra leges Romanas virgis percuti, & cædi juſſiſſet. Non enim ſolum pag.239 id affirmas, ubi argumenta profers mentis Pauli in judiciorum materia, ſed idem quoque antea pag.231 obiter affirmaveras, addens expreſſius, Paulum ibi minari, ſe delaturum injuriam ad magiſtratum ſuperiorem.

Atqui, Palæologe, inſigniter hac in re hallucinaris. Neque enim Paulus aliquid minatur, & ejus verba, ex quibus tu eum minari colligis, alio, quam, quo tu putas, referuntur. Sunt autem ea verba Acto. 26.37. Cum enim Paulus, & Silas Philippis, poſtquam magiſtratuum juſſu virgis cæſi fuiſſent, in carcerem conjecti eſſent, miſerunt magiſtratus lictores ad carceris cuſtodem, jubentes, ut eos dimitteret. Quod audiens Paulus, etſi jam divina ope una cum Sila liberatus erat, ſic eis dixit, *Cæſos nos publice indemnatos homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt? Non ita, ſed veniant ipſi, & nos educant.* Ubi (quæſo) hic minæ apparent, præſertim deferendi injuriam ad ſuperiorem magiſtratum? Ego ſane nihil aliud video, quam Paulum noluiſſe, ſe, & Silam occulte dimitti, ſed, quemadmodum publice, tanquam fontes aliqui ac malefici, cæſi, & carcerati fuiſſent, ſic etiam publice, tamquam inſontes, liberari, ut ipſorum innocentia patefieret, ne alioqui Jeſu Chriſti nomen, cujus ipſi legati erant, male audiret, & Euangelicæ prædicationis curſus per ipſos inſtitutus ea ratione impediretur, quod ut facilius obtineret, injuriam ſibi, & ſocio factam commemoravit, &, quod cives Romani eſſent, addidit. Nam certum erat, hoc audito, plus etiam, quam ipſe petiiſſet, magiſtratus illos præſtituros, qui, etiamſi plane compertum habuiſſent, Paulum injuriam ſuam nunquam delaturum, tamen, cum jam ipſi per ſe eum una cum ſocio dimittendum cenſuiſſent, deinde vero, propterea quod cives Romani eſſent, haud leviter ſe erraſſe animadvertiſſent, omnino, ut errorem ſuum aliqua ex parte emendarent, id, quod petitum à Paulo fuerat, ipſi ſua ſponte feciſſent, præſertim, cum citra Pauli ipſius delationem ſuperiori magiſtratui omnia, quæ geſta erant, patefactum iri, admodum veriſimile eſſet, qui civibus Romanis gravem factam injuriam, nec ulla ratione (ut ita dicam) correctam non plane impunitam eſſet relicturus. Nullæ igitur prorſus ſunt hic Pauli minæ, ſive verba ſive ſententiam ſpectes, quamvis tu, ne tibi uſquam hac in parte ſis diſſimilis, ſatis confidenter Paulum, ſe injuriam ſibi factam delaturum comminantem facias.

V. Verum quid dicemus de tua illa argumentatione, quæ pag.246. continetur? Ais enim, *Si pro inflicto colapho, ſi pro everſis bonis, ſi pro vi non licet ad judicem accedere Chriſtiano homini, nec licebit Chriſtiano homini in his cauſis, judicio præſidere. Quod enim non licet petere non licet reddere, & frigeret Judex ſi nullus ad judicem accedere poſſet.*

Certe, cum jam ſæpiſſime, qualia ſint argumenta tua, experti ſimus, non amplius mirari debemus, te ita puerililiter argumentari. 1. Primum enim, quod affirmas non licere reddere id, quod petere non liceat, quis unquam tibi iſtud concedet, qui noverit, Deum poſſe eos, qui injuria nos lædunt, ulciſci, cum tamen nobis à Deo contra ipſos vindictam petere non liceat, ut à nobis ſupra, quidquid tu adverſus hanc certiſſimam veritatem attuleris, demonſtratum eſt? Præterea, an non ipſe pag.252,253 & 254, aperte fateris, per Chriſti præcepta nobis præciſam eſſe viam decurrendi ad magiſtratum, ſi eum, qui nos læſerit, facinoris in nos admiſſi pœniteat? Quid igitur, ſi iſte nihilominus à nobis accuſatus fuerit, & in vindicta à magiſtratu contra eum petenda nos ipſi perſiſtamus, nunquid propter ejus pœnitentiam non poterit magiſtratus in eum vindicare? &, cum nos peccemus, & juſte coram Deo non poſſimus adverſus iſtum injuriæ, qua nos affecit, ultionem à magiſtratu petere, ipſe quoque magiſtratus peccabit, nec juſte coram Deo poterit ab iſto nobis factæ injuriæ pœnas ſumere, eumque pro merito ulciſci? Profecto, ſi ita rem ſe habere velis, tu is es, qui magiſtratus gladium geſtantis auctoritatem labefactas, eamque otioſam atque inutilem reddis. Vix enim invenietur, quomodo eam exercere poſſit, ſi omnes impune habituri ſunt, quos admiſſi facinoris pœniteat, id eſt, ut ipſe pag.252, tua verba interpretaris, qui ab ſe offenſo dicant per pœnitentiam, Parce mihi. Huc accedit, quod magiſtratus eum puniens, qui in alterum injurius fuit, non illi tantum, qui injuriam accepit, ſed reipublicæ quoque ſuum reddit, cujus maxime intereſt neminem injuria affici, & injuria afficientes puniri. Quare, etiamſi alioquin veriſſima eſſet, tamen inanis prorſus hic foret regula iſta tua: Quod non licet petere, non licet reddere, neque propterea ſequeretur, in injuria afficientem vindicari à magiſtratu non poſſe, quamvis is ipſe, qui injuria affectus eſt, id non poſſit petere, niſi ipſam quoque rempublicam ea petitione interdici conſtaret. Mitto quod, ut tibi pag.271 & alibi placere apparet, ipſius Dei in facinoroſis puniendis cauſſa agitur, nec eorum punitio ſine numinis divini offenſione negligi poteſt. Itaque (te judice) ipſi Deo, dum facinoroſi puniuntur, ſuum quodammodo redditur, non modo privato læſo, & reipublicæ.

2. Jam, quod deinde addis, inquiens, *Frigeret judex ſi nullus ad judicem accedere poſſet*, non ſemel, ut arbitror, à nobis ſupra confutatum eſt, cum, ut ibi diximus, nihil impediat, quominus judex ex officio punire ſontes poſſit. Nec vero, ſi is, qui injuriam accepit, ipſe accuſare non poteſt, & ſui ulciſcendi gratia ad magiſtratum accedere, ut ve accedatur, curare, idcirco alii innumerabiles accuſare non poſſunt in iis omnibus judiciis, quæ publica dicuntur *, quamvis in ipſis de privata injuria agatur qualia ſunt de adulteriis, de ſicariis, de vi, de veneficiis, & alia id genus.

VI. Sequitur mirificum quoddam argumentum, quod colligitur ex iis, quæ ſcribis pag.248 in fine reſponſionis ad adverſariorum objectionem 15. Ais enim, ipſum Chriſtum Joh.18.23 injuriæ accuſaſſe illum, qui ſe coram pontifice cæcidiſſet, quod ſcilicet ſine cauſſa id feciſſet. Nam (inquis) *cur me cædis, eſt, ſine cauſſa cædis.* Quod ſi Chriſtus ipſe magiſter noſter, & exemplar ad quod nos conformare debemus, de injuria accuſavit, cur nobis idem facere non liceat?

Equidem neſcio, an merito reprehendendus ſim, qui hujuſmodi tua argumenta commemorem. Quis enim unquam præter te vel ſomniaſſet quidem, Chriſtum accuſare, quia dicat alicui coram magiſtratu (ſi tamen magiſtratus erat, ad quem ſcilicet ejus rei cognitio ſpectaret) ſe propter aliqua verba, quæ dixiſſet, percutienti, Si bene locutus ſum, cur me cædis? Nunquid iſto pacto, atque iſtiuſmodi verbis accuſatio inſtitui ſolet? Annon admonitio, & reprehenſio potius cenſenda eſt, una cum ſui extrajudiciali quadam defenſione conjuncta? Nonne is, qui eum percuſſerat, unus è miniſtris illius magiſtratus erat, unde ab ipſo magiſtratu percuſſus videri poterat, ut nullus accuſationi locus eſſet? Quid (quæſo) efficere in animo Chriſtus habuiſſet, iſtum accuſando? Num veriſimile erat, magiſtratum illum iniquiſſimum & ipſi infenſiſſimum ipſius accuſationem ſuſcepturum, eique jus redditurum præſertim contra miniſtrum ſuum, qui etiam ſui cauſſa id fecerat, propter quod accuſaretur? Adde quod, ut modo, & ante ſubmonuimus, haud veriſimile eſt, ad magiſtratum iſtum, hoc eſt ad ſummum

* Vide Juſtiniani imper. inſti. *tut. lib* 4. cap. ultimo.

ſacerdotem, ejuſmodi cauſſarum cognitionem ſpectaſſe, ſed præſidem, quique ab ipſo judices delegati eſſent, de injuriis privatorum jus reddere conſueviſſe.

VII. Eadem pag. 248. denuo argumentaris, & ais, *Si licet mihi ea quæ volens do mutuo, ſperare tempore conſtituto, inter me & illum cui meam pecuniam dedi, recipere, cur non debeo ſperare ea quæ mihi per vim ſunt ablata, per acceſſum ad Deum, hoc eſt, Magiſtratum, vicarium Dei recuperare?*

Egregia ſane argumentatio, & duarum rerum, tanquam ſimilium, ingenioſa collatio. Quaſi vero, cum mutuo datum recipitur, aliquo vel leviſſimo quidem damno is, qui acceperat, afficiatur, quemadmodum graviſſimo is affici ſolet, ex cujus manibus per vim ab ipſo ablata magiſtratus ope recuperantur. Nemo enim neſcit, quam graves raptoribus ſint conſtitutæ pœnæ præter ipſarum rerum raptarum reſtitutionem, præſertim vero hac ætate noſtra, in qua pleriſque in locis vel propter ſimpliciſſima eaque admodum levia furta homines, magiſtratu jubente, ſuſpenduntur. Quod ſi tamen contigerit, per vim rapta, magiſtratus ope, ſine raptoris damno recuperari poſſe, ejuſce rei cauſſa ad magiſtratum accedere licere, ut alibi dictum fuit, & ipſe concedo, nec adverſarii tui negant.

VIII. Supra viſum eſt, te injurias per magiſtratum ulciſci licere, ex eo argumentatum fuiſſe, quod Chriſtus apud Matthæum ea verba dicat Matth. 5. 25, *ne quando te tradat adverſarius judici.* Ad quod breviſſime reſpondimus, Chriſtum ibi non de eo, quod fieri debeat, ſed de eo, quod fieri contingat, verba facere. Nunc alia ratione ex univerſa admonitione illa argumentaris. Pag. enim 252. ais, Chriſtum eo loco indicaſſe, offenſo ſemper licitum eſſe acceſſum ad magiſtratum, cum non moneat offenſum, ut parcat, nec ad judicem accedat, ſed offendentem, ut acceleret ſatisfacere pro injuria illata.

Hæc tua argumentatio ex ſimplici conjectura ducta, nihili eſt æſtimanda, & fallaciſſima eſt conjectura iſta. Quandoquidem non, ubicunque aliquid dici convenienter potuiſſet, ibi etiam dictum eſt, quamvis veriſſimum ſit. Sed neceſſe eſt, ut dici non ſolum potuerit, ſed etiam debuerit. Quid, quod nullo pacto conſentaneum erat, ut Chriſtus eo loco offenſum moneret, ne ad judicem accederet? Nam ibi de iis tantum agebatur, quæ ad præceptum non occidendi aliquo modo pertinerent, & propterea non de offenſo, ſed de offendente verba fieri debebant. Præſertim, cum de offenſo infra proprio loco agendum eſſet, ubi videlicet de lege talionis ſermo futurus erat. Nec tractationes iſtas confundere decebat. Quod tu minime vel animadvertens, vel certe cogitans, ineptam iſtam tuam conjecturam ex Chriſti verbis duxiſti.

IX. Pergis autem, & eadem pag. 252. ita reipſa argumentaris. Chriſtus apud Lucam monet Luc. 17. 3, & 4, ut fratri offendenti, ſi eum injuriæ nobis factæ pœniteat, ignoſcamus, Ergo, ſi eum non pœniteat, poterimus non ignoſcere, & proinde ad magiſtratum injuriæ noſtræ vindicandæ cauſſa accedere. Atque eadem pag. & pag. ſeq. affirmas, hanc eſſe legem charitatis latam à Chriſto omnibus Chriſtianis, ut tunc demum ab ulciſcenda per magiſtratum injuria abſtineamus, cum facinoroſum admiſſi in nos facinoris pœnitet.

Hic Palæologe graviter es lapſus, qui non animadverteris, quo ſenſu Chriſtus apud Lucam dicat, ignoſcendum, ſive, ut ibi ſcriptum eſt, dimittendum eſſe fratri pœnitenti. Non enim de non vindicanda tantum injuria ibi agit Chriſtus, ſed etiam, idque præcipue, de non rejiciendo aliquem, tanquam minime verum fratrem, omnino loquitur. Quemadmodum Matthæi locus cap. 18. qui Lucæ loco, ut ex antecedentibus apparet, ſine dubio reſpondet, manifeſtum facit. Sic enim apud Matthæum Chriſtus loquitur, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* En tibi, quid potiſſimum ſit apud Lucam pœnitenti fratri ignoſcere, ſive dimittere. Nempe illum pro vero fratre agnoſcere, qui antea non erat, id eſt, per peccatum ſuum eſſe deſierat. Siquidem iſta apud Matthæum verba, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum*, non tam conſecuti effectus, quam officii admonent. Perinde eſt enim, ac ſi dictum foret, Si te audierit, cum opera tua factum ſit, ut frater tuus vere denuo extiterit, eum complectere, nec amplius illi negotium faceſſe. Itaque, ſicut verba illa apud Lucam, *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, &, ſi pœnitentiam egerit*, idem prorſus declarant, quod illa apud Matthæum, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit*, ſic neceſſe eſt, ut, quæ utrobique ſtatim inferuntur, & imperfectum ſermonem concludunt, eandem ſententiam contineant, & idcirco idem re ipſa ſit apud Lucam Dimitte illi, quod apud Matthæum Lucratus es fratrem tuum. Fateor igitur, ſi quis in nos injurius fuerit, &, à nobis privatim monitus, nolit peccatum ſuum confiteri, & emendare, nos non modo poſſe, ſed etiam debere illi non dimittere, ut à contrario ſenſu ex Chriſti verbis apud Lucam colligi poteſt, id eſt, ut ex Matthæo liquet, non debere nos eum pro vero fratre agnoſcere. Sed quid faciendum eſt? Illud nimirum, quod ibidem apud eundem Matthæum dilucide Chriſtus explicat. Monendus eſt iſte iterum, adhibito adhuc uno, aut altero teſte. Quod ſi ne tum quidem reſipuerit, Eccleſiæ illius loci res tota patefacienda eſt. Cui ſi iſte morem gerere noluerit, tum nobis, tanquam membrum à reliquo corpore ſeparatum, eſt habendus, & hoc eſt illi non dimittere. Quocirca tantum abeſt, ut ex Domini Jeſu verbis apud Lucam colligi poſſit, nos poſſe ad civilem magiſtratum eum deferre, qui, cum nos injuria affecerit, reſipiſcere nolit, & illum puniendum curare, eaque ratione injuriam nobis, ab eo factam ſarcire, ut ſi, quemadmodum fieri decet, Matthæus interpres adhibeatur, inde omnino colligi debeat, in non remittenda injuria non poſſe nos ulterius progredi, quam, ut eum, qui nos injuria affecit, ad Eccleſiam deferamus, &, ſi peccatum ſuum agnoſcere recuſet, pro fratre amplius non habeamus.

Erras igitur vehementer, cum verba Chriſti apud Lucam ad aliquam offenſæ condonationem accommodas ab ea condonatione ſeparatam, quæ illi (ut ita dicam) non-condonationi opponitur, de qua apud Matthæum agitur. Certum enim eſſe debet, Chriſtum condonationem iſtam ſuis verbis complexum fuiſſe, deque ea potiſſimum egiſſe. Alioqui ſequeretur, nos nullo modo condonare injurias poſſe, aut ſaltem debere, niſi injuria afficientem pœniteat. Quod & falſiſſimum eſt, & à te ipſo, ut ſtatim videbimus, negatum. Nam quod in initio pag. 253. non obſcure inter condonationem, quæ corde fit, & eam, quam extrinſecam reconciliationem appellas, diſtinguere videris, & tacite verba Chriſti apud Lucam ad extrinſecam tantummodo iſtam reconciliationem refers, quaſi Chriſtus offendentis pœnitentiam non ad cordis interiorem, ſed ad externam condonationem concedendam requirat, quam externam condonationem in eo potiſſimum conſiſtere vis, ne offenſus, ſui ulciſcendi gratia, ad magiſtratum accedat, totum, inquam, iſtud nulla ratione admitti poteſt. Primum enim Chriſti verba generalia ſunt, & indiſtincte prolata. Nec de tua iſta diſtinctione quidquam alicubi apparet. Inquit enim ſimpliciter, idque bis, Dimitte illi. Quæ verba ſine dubio omnem condonationem complectuntur. Deinde diſtinctio iſta tua rationi minime eſt conſentanea, duplici de cauſſa.

Una cauſſa eſt, quod nemo ex corde remittit, qui extrinſecus non reconciliatur, ea præſertim ratione, quam ipſe hoc loco intelligis, id eſt, qui à magiſtratu adeundo contra offendentem non abſtinet. Quemadmodum, ut manifeſtiſſimas hujuſce rei rationes omittam, ex eo ipſo loco apparet, ubi Chriſtus monet, ut unuſquiſque fratri ſuo ex corde injurias condonet,

quem

quem tu ad diſtinctionem iſtam tuam confirmandam attuliſti. Is eſt in extremo 18. cap. Matthæi. Etenim in parabola illa, ex qua Chriſtus monitionem ſuam derivat, cuique ipſam accommodat, ſervus ille conſervum ſuum ſibi pauxillulum pecuniæ præ illa, quam ipſi Dominus ſibi ab eo debitam condonaverat, debentem, in carcerem conjici curavit, nec inde exire permiſit, donec debitum ſolveret. Quod audiens Dominus, condonationem ſuam revocavit, iſtumque ſervum tortoribus tradidit, uſquequo id omne, quod ſibi debebat, exolveret. Et Chriſtus ſtatim addit, *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Ex quo perſpicuum eſt, ſervum iſtum non remiſiſſe ex corde. Unde vero id colligitur, niſi ex eo, quod factis jus ſuum eſt perſecurus, & externam, ſive extrinſecam iſtam tuam reconciliationem non præſtitit? Immo iſtud eſt Ex corde, ſive Ex animo non remittere, Factis ſcilicet jus ſuum perſequi. Itaque is, qui ex corde condonat, ei opponitur, qui externis factis non reconciliatur. Apparet enim iſtum, ſi dicat ſe injuriam condonare, ex animo non loqui. Tantum abeſt, ut ex corde facta condonatio ab externa reconciliatione diſtinguatur, & ab ea ſejungi poſſit, ut tu graviſſimo errore ſatis aperte affirmas. Nec vero eſt, quod dicas, iſtum, qui offenſus eſt, ab externa, quam tu intelligis, reconciliatione, niſi offendentem pœniteat, abſtinere (ipſa tua verba adſcribam) *non propter ſe, ſed propter diſciplinam, quam tenentur tueri omnes.* Hic enim adhuc gravius, id eſt periculoſius erras. Nam, ſi iſtud verum eſt, non modo poterit offenſus offendentem iſtum acculare, atque, ut in eum per magiſtratum vindicetur, curare, ſed etiam omnino debebit. Quo, ut alibi diximus, nihil iniquius excogitari poteſt.

Altera cauſſa, cur diſtinctio iſta tua rejici debeat, eſt quod ex ea ſequitur, licere quidem eum, qui nos offenderit, ad magiſtratum deferre, ſed non, ſi prius eum ſui facinoris pœniteat. Cujus tamen diverſitatis nulla ratio reddi poteſt. Præſertim, ſi tibi ipſi conſtare velis. Si enim idcirco licet offenſo offendentem accuſare, ut publica diſciplina conſervetur, certe, cum de publica diſciplina conſervanda non minus in eo puniendo agatur, quem facinoris pœniteat, quam eo, quem minime pœniteat, nulla inter utrumque, quod ad ipſos accuſandi poteſtatem attinet, differentia eſſe debet. Nam quid (obſecro) facinoroſi pœnitentia, id eſt ab eo ipſo, quem ſuo facinore maxime læſit, veniæ petitio ponderis habere poteſt ad legalem vindictam reprimendam? Certe nullam. Docere nos hoc debet id, quod in Iſraëlis populo ex divina lege per Moſem lata fiebat, & jure civili Romanorum, ut arbitror, receptum eſt. Sub lege quidem Moſaica non modo veniæ imploratio ab eo, qui maxime læſus fuerat, ſed ne ipſa quidem veniæ impetratio aliquid proderat, quominus de delinquente pœnæ in ipſa lege conſtitutæ ſumerentur. Atque hoc idem hodie multis in locis fit. Idemque crediderim in publicis judiciis, de quibus paullo ante locuti ſumus, jure civili conſtitutum eſſe. Quamvis enim ei, qui injuriam accepit, ſatis factum fuerit, non tamen reipublicæ eſt ſatis factum. Ubi vero eſt illa tanta Dei juſtitia, quam tantopere alibi urges, ut mali male pereant, & vindicentur malefacta, nec, cum ea de re agitur, proximi dilectionis ulla ratio habeatur, ut legitur libri tui pag. 271. ſi ſola delinquentis pœnitentia, id eſt veniæ petitione, fieri vis, ut is, contra quem delictum commiſſum eſt, non poſſit curare, ut delinquens puniatur? Nec vero hæc idcirco à me dicuntur, quia in eo te reprehendam, quod velis, aliquando ad magiſtratum acceptæ injuriæ vindicandæ cauſſa accedere non licere, in quo etiam te vehementer laudo, ſed ut oſtendam, teipſum hac ratione axiomata tua quædam, contra quæ ſupra diſputatum eſt, convellere, & doceam, nullam diſtinctionem à te adhiberi recte poſſe inter eum, à quo veniam petit is, qui ipſum offendit, & eum, à quo non petit, quod attinet ad accuſationem coram magiſtratu inſtituendam, &, quando omnino concedis, alterum accuſare non debere, alteri quoque accuſare non licere, concedendum tibi eſſe, demonſtrem.

X. Ex iis, quæ pag. 267. ſcribis, hujuſmodi tuum argumentum elicitur. Paulus monet 1 Cor. 6, ut à Chriſtianis Chriſtianus magiſtratus conſtituatur in Eccleſia, qui querelas audiat Chriſtianorum, qui ab aliis Chriſtianis, rapinis, & fraudibus offenſi fuerint, iiſque jus reddat. Igitur, Paulo auctore, Chriſtiano homini acceptæ per rapinam, aut fraudem injuriæ vindictam per magiſtratum expetere licet.

Duobus potiſſimum modis oſtendi poteſt, iſta tua argumentatione nihil effici, quod Racovienſium ſententiæ repugnet. Primum enim, etiamſi, ut ſupra diſputatum fuit, dubium eſſe non videatur, quin in iis litibus, de quibus eo in loco Paulus loquitur, de fraude vindicanda ageretur, non tamen in ejuſmodi cauſſis à Chriſtianis hominibus judicium ferri, ſimpliciter laudat Paulus, ſed comparate. Siquidem, ut ante oſtendimus, damnat omnino Paulus tales lites, præſertim inter Chriſtianos, & potius injuriam, & fraudem patienter ferendam eſſe docet, quam harum rerum cauſſa litigandum. Itaque ejus ſententia eſt, Si quis nihilominus pati injuriam, & fraudem nolit, atque à litigando abſtinere, præſtare ſaltem ſub judicibus Chriſtianis & fidelibus litigare, quam ſub infidelibus. Atque idcirco recte a Racovienſium ſcriptore pag. 64, & 77, dictum fuerat, propter impatientes de judicibus in ipſa eccleſia deligendis Paulum locutum fuiſſe. Deinde animadvertendum eſt, cum de fraude, aut rapina, quam quis paſſus ſit, judicabit in eccleſia Chriſti Chriſtianus judex, eum in ſententia ferenda Chriſtianæ æquitatis, atque clementiæ fines præteriturum non eſſe, & ſatis habiturum, ſi is, qui rapinam, aut fraudem fecerat, quod vi, aut dolo alteri abſtulerat, id univerſum reſtituat. Neque id fortaſſe perpetuo, ſed tum demum, ſi ex ea reſtitutione ſumma reſtituentis inopia, quæ ante ablationem non eſſet, conſecutura non ſit, cum interim is, cui reſtituendum fuerit, commode vitam tranſigere queat, etiamſi aut partem, aut totum etiam id, quod ſuum erat, non recuperaverit. Aliam præterea pœnam fraudis, aut rapinæ nomine judex iſte neutiquam reo infliget. Ex quo ſequitur, actorem nihil tentaſſe, quod Chriſti præcepto, quod extare Racovienſes contendunt, de non ulciſcenda per magiſtratum injuria, ullo modo adverſetur, & propterea ipſorum hac de re ſententiæ repugnare cenſendum ſit.

XI. Ex ſupra dictis patet reſponſio ad id, quod pag. 276. ex Chriſti præcepto Matth. 18. colligis, de quo antea egimus. Ubi modus præſcribitur agendi cum fratre, qui in nos peccaverit. Nam, cum Chriſtus dicat, ſi iſte alioqui reſipiſcere nolit, deferendum eſſe ad eccleſiam, *Ergo* (inquis) *vindicare licet per Eccleſiam, quod per nos non licet.*

Patet, inquam, ex ſupra dictis ad tuam iſtam argumentationem reſponſio, cum certum ſit, eccleſiam non vindicaturam injuriam alicujus ad ſe delatam ulla ratione, quæ cum Chriſti præceptis de injuriis non retaliandis plane non conſentiat, ſed tantummodo curaturam, ut is, qui injuriam fecit, tum demum eam reſarciat, ſi id ſine ejus magno malo fieri poſſit. Sed quid dico; quaſi vero in ea Chriſti præſcriptione aliquid inſit, quod ad injurias aliqua ratione vindicandas ullo modo pertineat. Certum eſt enim, Chriſtum, eum agendi modum cum eo, qui in nos deliquerit, præſcribendo, nullam prorſus rationem injuriæ noſtræ vindicandæ habuiſſe: ſed tantummodo, ut ille reſipiſceret, nos vero charitatis officia illi præſtaremus, & interim eccleſia, ſi opus eſſet, perpurgaretur, curaſſe. Nam quantus eſt error ille tuus, qui verbis, quæ prædicto loco ſtatim addis, continetur! Ea ſunt, *Deferre enim ad Eccleſiam erat ejus, qui culpam & offenſam non poterat concoquere.* Dupliciter omnino hic erras Palæologe. Primum, quod, ut ſatis aperte antea fece-

ras, his verbis tacite affirmas, de modo acceptam injuriam ulciſcendi in Chriſti præceptione agi. Deinde, quod, dum expreſſe hic ejus rei rationem affers, ex præceptione permiſſionem facis.

Prius erratum vel ea Chriſti verba ſatis coarguunt, *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Ex quibus apparet, Chriſtum, ut diximus, admonitione ſua curare, non ut offenſo ſatisfiat, ſed ut offendens offenſi opera, ac diligentia reſipiſcat. Nec vero mutatur hic Chriſti admonitionis finis, cum offendentem, qui privatim monitus reſipiſcere non vult, ad eccleſiam tandem deferri jubet. Immo tum maxime id, quod diximus, curat Chriſtus. Nam, qui, vel eo ſolo, quem offendit, vel altero præterea, duobusve aliis monentibus, non movetur, movebitur fortaſſe, ſi tota eccleſia eum moneat, ipſaque hortante, reſipiſcet. Quod ſi non faciat, non tamen quidquam fieri vult Chriſtus, quo vel is, qui offenſus fuit, injuriam ſuam ulciſcatur, vel ipſe offendens à reſipiſcendo retrahatur. Nam quis futurus eſt, qui, graviſſima aliqua injuria accepta, ſeſe probe vindicatum eſſe exiſtimet, ſi is, qui ei injuriam fecit, pro alieno ab eccleſia habeatur? Ubi etiam obſervandum eſt, Chriſtum non ipſi eccleſiæ diſerte præcipere, ut injurioſum iſtum non reſipiſcentem à ſui conſortione ſeparet, atque excludat, quaſi hanc pœnam, qua aliqua ratione injuria vindicetur, & ei, qui eam accepit, ſatisfiat, iſti infligi velit, ſed ad ipſum offenſum verba ſua dirigere, ac dicere, *ſit tibi, ſicut ethnicus, & publicanus.* Ex quo certum eſſe poteſt, potius offenſum admoneri, ut ſupra etiam factum fuerat, quid ejus officii ſit, quam aliquid eccleſiæ contra offendentem exequendum præſcribi. Jam vero nulla commodior, aut aptior ad iſtum ab errore ſuo retrahendum, adque reſipiſcentiam invitandum ratio excogitari poſſe videtur, quam, ſi tantiſper, dum reſipiſcat, à reliquorum ſocietate ſeparetur, & interim, ut Paulus monet 2 Theſ. 3. 15, non pro inimico habeatur, ſed, ut frater, moneatur. Nam, ut ibidem Paulus indicat, facile ipſum pudebit, & tandem, ſi ſanabilis fuerit, ad priſtinam mentis ſanitatem revocabitur. Vide, quid tu ipſe, qui hoc loco, vindicari in iſtum, affirmas, non omnino tibi conſtans hac de re ſcripſeris pag. 283, in initio, & tota etiam pag. 282. Et hæc quidem, quod attinet ad prius erratum tuum.

Alterum tuum erratum ex eo manifeſte coarguitur, quod Chriſti verba in univerſa illa monitione non permittentia ſunt, ſed præcipientia. Vade, & corripe, Adhibe tecum, Dic eccleſiæ, Sit tibi, &c. Quocirca, etiamſi iſte, qui injuria affectus eſt, culpam (ut tu loqueris) & offenſam optime concoqueret, ea tamen omnia facienda eſſent, quæ ibi Chriſtus monet, & iſte nihilominus injuria ſe afficientem ad eccleſiam deferre deberet, niſi prius vel ſibi ſoli, vel alteri ſecum, duobuſve monentibus auſcultaſſet. Perperam igitur dictum à te eſt, deferre ad eccleſiam ejus fuiſſe, qui offenſam concoquere non poſſet, quaſi ei, qui concoquere poſſet, vel deferre non liceret, vel certe deferendi nulla neceſſitas incumberet.

XII. Eadem pag. 276. ad finem hæc tua verba leguntur, *Si licuit Petro non cedere Ananiæ, id quod Ananias donaverat, licebit etiam cuivis non cedere raptori abſque jure ſuum pallium.* Atque idem repetis pag. 322.

Vix dici poteſt, quam inſulſa ſit hæc argumentatio tua, quotque manifeſti errores, ac fallaciæ in ea contineantur. Primum in eo vehementer erras, quod ais, Petrum quiddam Ananiæ non ceſſiſſe Act. 5. 3, &c, cum in ipſa hiſtoria nihil aliud dicatur, niſi Petrum Ananiæ ejus graviſſimum peccatum acriter exprobraſſe, qui venditi prædii, tanquam integrum pretium, partem tantummodo quandam ad pedes Apoſtolorum deponens, Spiritui Sancto, vel potius Spiritum Sanctum mentitus eſſet, eique dixiſſe, non hominibus, ſed Deo ipſum mentitum fuiſſe. Non igitur repetiit, ſeu non ceſſit quidpiam Petrus Ananiæ, neque id curavit, ut integrum venditi ab ipſo prædii pretium in Apoſtolorum, & Eccleſiæ manus deveniret. Sed tantum, ut ejus ingens ſcelus patefieret, ne aliquis in illis Eccleſiæ initiis cum Spiritu Sancto quodammodo ludere, ſeque pro eo, qui non eſſet, Eccleſiæ, atque adeo ipſi Deo venditare aſſueſceret. Deinde in eo erras, quod affirmas, Ananiam aliquid donaſſe præter id, quod dedit. Credis enim, eum prædii venditi integrum pretium donaſſe. Quod tamen aliter ſe habet. Namque aliud eſt donare, aliud ſe donare profiteri. Ananias integrum venditi prædii pretium donare quidem ſe profeſſus eſt, non tamen donavit. Atque ejus peccatum non in retinendo eo, quod jam donaſſet, ſed in profitendo, ſe id donare, quod non donabat, fuit. Propterea verbum νοσφίζειν, quo bis in ea Hiſtoria utitur Lucas, potius Seponendi verbo utrobique interpretandum eſt, quam Fraudandi, & legendum potius Sepoſuit de pretio, & Seponere de pretio, ut doctiſſimis viris viſum eſt, propria & ſimplici verbi ſignificatione retenta, quam Fraudavit de pretio, & Fraudare de pretio, ut veteri interpreti placuit, tranſlatitia & figurata, licet uſitata, ſignificatione acita. Syriacus quidem interpres priore loco verbo, quod ſimpliciter accipere, ſeu tollere ſignificat, poſteriore vero, verbo, quod abſcondere declarat, uſus eſt. Non fuit autem prædictus tuus error ſilentio prætereundus, ut tanto magis alter appareret, quem ante notavimus, ex quo ſolo manifeſtæ vanitatis tua argumentatio convincitur, id eſt, Petrum ab Anania nihil repetiiſſe, ſive illi non ceſſiſſe, evidentius conſtaret, cum aliquid ab eo repetendi, ſive illi non cedendi nullum jus, aut cauſſam haberet. Hoc dico, quia alioquin haud ignoro, quo minor ipſius Ananiæ aliquid dandi obligatio fuiſſet, eo magis ab ipſo ad raptorem argumentum ducere te recte potuiſſe.

Verum fac, Ananiam integrum venditæ poſſeſſionis pretium Eccleſiæ donaſſe, & Petrum ex eo nihil ei cedere voluiſſe. Nonne conſiderandum eſt, qua ratione id factum fuerit? Quomodo igitur non ceſſit Petrus Ananiæ reliquum illius pretii? Num ſimpliciter id repetendo? Atqui hoc nihil ad rem facit. Nemo eſt enim qui neget, licere à raptore ea, quæ rapuit, ſimpliciter repetere. Num per vim ipſa exigendo, & auferendo? At primum hoc manifeſte falſum eſt, cum nec ipſe Petrus illi ullam vim adhibuerit, nec veriſimile ſit, pretium illud integrum ab Eccleſia unquam receptum fuiſſe. Ut nihil dicam, quod in Hiſtoria ejus rei nulla fit mentio. Deinde, ſi per vim Petrus ipſe eam pecuniam abſtulit, certe, ſi ejus factum in exemplum trahere velis, & recte argumentationem tuam concludere, poterimus & nos ipſi à raptore noſtra, quæ rapuit, per vim auferre, quod tamen fieri non poſſe, ipſe concedis, ſed per magiſtratum id fieri vis. Numquid fortaſſe Petrus magiſtratum aliquem adiit, & ejus opem ad pretium illud integrum conſequendum imploravit? Sed quem, rogo, cum ibi nullus nominetur? Deum forte dices. Sed unde iſtud colligitur? Num ex eo, quod Ananias repente concidit, atque expiravit? Quaſi vero Deus Ananiam interimere, Petro ad ſe propter integrum prædii illius pretium conſequendum minime confugiente, non potuerit, aut quaſi ex Ananiæ morte factum ſit, ut pretium illud integrum ad Apoſtolorum manus pervenerit. Quid, quod ipſe tibi iſtud ſubterfugium eripuiſti, cum paullo poſt pag. 277 dixiſti, Deum Petri factum approbaſſe? Nam hoc profecto ſignificat, non quidem Deum aliquid feciſſe, unde Petri ad ipſum confugientis petitioni ſatisfactum fuerit, ſed ipſum Petrum id feciſſe, quod volebat, Deum autem ipſius factum Ananiæ morte comprobaſſe. Sed fac rurſus, Petrum Dei opem ad conſequendum pretium illud imploraſſe (quo tamen nihil ineptius, aut abſurdius dici poteſt) quid inde ſequetur? Certe nihil aliud, quam nos poſſe Dei opem implorare, ut ea recuperemus, quæ raptor nobis abſtulerit. At non idcirco concedetur nobis contra raptorem civilis magiſtratus opem petere. Nam, ſi dicas, Petrum ideo ad Deum confugiſſe, quia Deus ipſe tantum in ea cauſſa judex eſſe poterat, ad civilem

civilem magiſtratum alioquin acceſſurum, ſi civilis aliquis magiſtratus fuiſſet, qui jus in ea cauſſa reddere potuiſſet, hoc ad excipiendum quidem fortaſſe aliquid valere poteſt, ſed ad probandum, prorſus nihil. Nimis enim longe petitum eſt, & non probabili aliqua conjectura, verum inani duntaxat quadam opinione nititur, adeo ut iſtud non conjicere ſit, ſed divinare velle. Quocirca ex eo nullo modo effici poteſt, perinde cenſendum eſſe, ac ſi Petrus ad civilem magiſtratum acceſſiſſet, & proinde Petri exemplo nobis ad civilem magiſtratum accedere licere, nedum, ut ejuſdem exemplo acceptæ injuriæ vindictam per civilem magiſtratum nobis expetere liceat, quemadmodum probandum tibi eſt, ſi Petri, & Ananiæ Hiſtoriam iſtam, quam attuliſti, ad rem pertinere velis. Itaque tandem vides, univerſam argumentationem tuam, uti prædixeram, inſulſam omnino, atque erroris plenam eſſe.

XIII. At vero nihil tibi feciſſe videbare, niſi Racovienſes ſuomet gladio (quod ajunt) jugulare tentaſſes. Nam, cum ipſi pag. 71 dixiſſent, per excommunicationem, quam Chriſtum in Eccleſia conſtituiſſe volunt, hominem non tortori, ſed Satanæ tradi, non ex aliqua politia, ſed è cælo excludi, non denique temporali morti, ſed æternæ addici, tu pag. 284, & 285 ex hoc ita reipſa argumentaris. Si homini Chriſtiano verbi magiſtratum ejuſmodi gerere licet, quo anima vincitur, flagellatur, occiditur, & non corpus terrena vita, ſed anima vita æterna privatur, Ergo Chriſtiano homini licebit ad iſtum magiſtratum accedere, &, ſui juris conſervandi cauſſa, ab eo petere, ut in eos, qui id meriti fuerint, iſtam poteſtatem exerceat. Quamobrem, ſi quis injuriam paſſus fuerit, jure poterit curare, ut is, qui ſe injuria affecit, niſi peccatum ſuum emendet, excommunicetur, id eſt tortori Diabolo tradatur, & æterna morte occidatur. Quandoquidem, qui in peccato perſeverat, meritus eſt, ut excommunicetur. Quod ſi ita res ſe habet, multo magis homini Chriſtiano licebit ad gladii magiſtratum accedere, ut ipſe ſua repetat, is vero qui abſtulit, ſi obedire nolit, tradatur lictori, & tamdiu in carcere teneatur, donec reddat ultimum quadrantem. Quandoquidem hæc ſine dubio illis ſunt minora, & in his minus læditur proximus, & ipſa charitas, quam in illis. Propter quam proximi, & charitatis læſionem non dubium eſt, quin Racovienſes hæc fieri poſſe negent.

Hæc argumentatio tua ex adverſariorum dictis derivata, non recte concluſa eſt. Idque quatuor potiſſimum de cauſſis. Una eſt, quod, quamvis adverſarii tui, cum de excommunicatione loquuntur, iis verbis utantur, quæ ſupra commemoravimus, non tamen intelligendum eſt, ipſos ſentire, per ipſam excommunicationem, ſive ipſius excommunicationis vim, hominem æternæ morti addici, vel etiam alia fieri, quæ ibi dicuntur, ſed tantummodo, per excommunicationem declarari, aliquem æternæ morti addictum eſſe, & in illa mala incidiſſe. Nec ſane inter ipſos Romanæ eccleſiæ theologos deeſſe arbitror, qui de excommunicatione ita ſentiant, quamvis eaſdem locutiones, quibus uſi ſunt Racovienſes, in ipſius vi explicanda & ipſi uſurpent. Illud certum eſt, eos, qui à Romana Eccleſia deſciverunt, omnes ita ſentire, & tamen ab ejuſmodi locutionibus non abſtinere. Nec id quidem injuria. Non ſolum enim in Sacris Literis uſitatum eſt, ut verba non rem ipſam, quam proprie deſignant, ſed ejus rei declarationem ſignificent, verum etiam, cum de iis agitur, quæ ab excommunicatione non longe abſunt, nempe de ſententiis à judice ferendis, (eſt enim excommunicatio ſententia quædam lata) proprium quodammodo videtur iſta loquendi figura uti. Hinc Juſtificare pro Juſtum pronunciare, ſeu declarare, & ex altera parte Impiificare (ſic enim proprie ſonat vox Hebræa) pro Impium declarare, ſeu pronunciare, ut Deut. 25. 1, & Prover. 17. 15. Quinetiam in eo ipſo, quod in Lege Euangelicæ excommunicationi plane reſpondere videtur, id eſt in ſeparandis leproſis à reliquo populo hac phraſi perpetuò utitur ſcriptura. Toto enim cap. Levit. 13, ubi ea de re agitur, pro eo, quod eſt Sacerdos eum pollutum, ſeu contaminatum declarabit, aut pronunciabit, ſcriptum eſt in Hebræo codice Sacerdos eum polluet, ſeu contaminabit. Quod etiam pleriſque in locis a Vetere Latino interprete retentum eſt, ut ℣. 11, 20, 25, 27, & 30. Quemadmodum ex altera parte ibidem paſſim legitur Mundare pro Mundum pronunciare. Quid, quod, cum de ipſa excommunicatione agitur, eadem locutio uſurpatur? Nam illud Matth. 18. 18, *quæcunque alligaveritis*, nihil aliud eſſe videtur, quam Quæcunque ligata eſſe pronunciaveritis. Quod ſi minus hoc concedatur, Certe verba illa Joh. 20. 23, *quorum retinueritis* (peccata) *retenta ſunt*, idem, ut pleriſque placet, ſignificant, quod Quorum peccata retenta eſſe pronunciaveritis, &c. Quod ad excommunicationem accommodari poſſe, nemo negaverit. Id ſane pleroſque ſenſiſſe, vel illud demonſtrat, quod locus iſte, tanquam ſuperiori reſpondens, in omnibus Latinis codicibus in margine annotatus fuit. Itaque ſatis conſtat, te injuria Racovienſibus objeciſſe, idque tantopere, ut facis, à pag. 281. uſque ad pag. 287. exaggeraſſe, & pag. 301, & 313. repetiiſſe, quod per ipſam excommunicationem animam occidi velint. Et quamvis fortaſſe, cum eorum verba id præ ſe ferant, dici poſſit, te calumniatum non fuiſſe, inſignis tamen hic plane fuit error tuus, quod ex conſuetudine loquendi ipſarum Sacrarum Literarum ea interpretatus non fueris. Atque hæc, quod attinet ad primam ex illis quatuor cauſſis. Quæ ſola ſatis eſſe poteſt ad univerſam argumentationem tuam diſſoluendam. Sed tamen de reliquis videamus.

Altera igitur cauſſa illa eſt, quam ipſi Racovienſes eadem pag. 71 afferunt. Nempe in excommunicatione locum eſſe reſipiſcentiæ, qui nullus eſt, cum quis à civili magiſtratu punitur. Ex quo etiam ſuperior cauſſa confirmatur, & apparet manifeſte, Racovienſes, cum dixerunt, per excommunicationem animam occidi, nihil aliud ſenſiſſe, quam declarari, ſi is, qui excommunicatur, in eo ſtatu perſeveraverit, animam ejus perditam iri. Adeo ut ne plane quidem jam occiſam eſſe declarari velint. Ridiculum autem prorſus illud eſt, quod pag. 286 ais, quod excommunicati anima per pœnitentiam reviviſcat, id beneficium eſſe temporis, & animæ ipſius, non autem ab excommunicationis natura proficiſci. Ridiculum, inquam, omnino eſt iſtud, ſi alioqui, per excommunicationem vere animam occidi, ponatur. Nam, ſi excommunicatio jam plane hominis animam occidiſſet, ut civilis gladius corpus occidit, quid vel animæ natura, cum anima nulla eſſet, vel temporis beneficium prodeſſet? Igitur, ſi ejus, qui excommunicatur, anima, etiamſi eam occidi velimus, reviviſcere poteſt, certum eſſe debet, per excommunicationem non ita occidi animam, quemadmodum per civilem gladium occiditur corpus. Quare non mirum eſſet, ſi privato homini id curare concederetur, hoc vero minime. Nam quod ais, eum, qui excommunicatus fuerit, ſi paulo poſt moriatur, Racovienſium judicio in Tartara præcipitari, idque ſcilicet vi excommunicationis fieri, non ita ſe habet. Semper enim reſipiſcere poteſt. Quare, non quia excommunicatus fuit, ſed quia non reſipuit, in Tartara detruditur, & omnino ejus anima interimitur. Poteſt autem is, qui excommunicatur, ſi velit, vel in ipſa excommunicationis ſententia ferenda reſipiſcere, & ita animam ſuam omnino conſervare. Quod longe aliter eſt in iis, qui a civili magiſtratu morti addicuntur. Corpora enim ſua nullo pacto ipſi ſervare poſſunt. Et ita inter utramque rem apertiſſima differentia eſt, eaque maximi momenti, ut nulla ratione ab una ad alteram per ſimilitudinem argumentum duci queat, nedum ut, quia earum altera, quæ minus detrimenti proximo allatura eſt, tentari poteſt, multo magis alteram tentare liceat, ut ex argumentatione tua, ſi ea admittenda eſſet, omnino ſequeretur.

Sequitur tertia cauſſa, quæ ex iis colligi poteſt, quæ ſupra diſſeruimus, oſtendentes, delationes, quæ fiunt ad eccleſiam, non eo tendere, ut is, qui defertur, puniatur, & multo minus, ut delator ſuas injurias ulciſcatur, aut, quod ſuum eſt, repetat, nec voluntarias, ſed neceſſarias eſſe. Quocirca falſum eſt id, quod in argumentatione tua aſſumis, &, tanquam ex Racovienſium ſententia proficiſcens, pag. 384. his verbis ſcribis, *Licere Chriſtianum hominem ad hujuſmodi* (verbi Dei) *magiſtratum accedere, conqueri & petere ſua bona, ut ſibi reddatur de jure quod fuerit per vim ablatum, & ſi non fuerit redditum occidatur ille morte æterna.* Hoc, inquam, prorſus falſum eſt, cum in eo ad eccleſiam deferendo, qui, ſi reſipiſcere nolit, excommunicandus eſt, nihil iſtorum à deferente quæratur, ſed tantummodo Chriſti præcepto obtemperetur. Quod alio reſpicit, quam, ut deferenti iſti ſatisfiat. Eo enim reſpicit potiſſimum, quemadmodum alibi dictum fuit, ut is, qui defertur, vel reſipiſcat, vel ex ipſius Chriſti cœtu ejiciatur, & excludatur. Quamobrem, quidquid ea in re agitur, quod ad deferentis commodum, & ſatisfactionem pertinere queat, id totum ex accidente eſt, & idcirco nulla hoc loco ejus ratio eſt habenda.

Reſtat quarta cauſſa. Ea autem eſt, quod falſum eſt illud, quod in argumentatione tua pro conceſſo ſumitur, aut certe, ut ſumatur, neceſſe eſt, Racovienſes idcirco negare, homini Chriſtiano ad civilem magiſtratum ſuarum injuriarum ulciſcendarum gratia accedere licere, quia hoc contra Chriſtianam charitatem ſit, contraque Chriſti præcepta de dilectione omnium, & alia ejuſmodi. Quemadmodum ex iis colligitur, quæ ſcribis ſtatim poſt paullo ante recitata verba tua. & ex verbis illis pag. 285: *Quoniam, inquietis, hæc ſunt contra charitatem.* exque iis, quæ ibidem contra ipſos diſputas. Ubi tandem pag. 286. ita concludis, *Quare ſi hoc in Eccleſia Chriſtiana eſſe non poteſt, ne violetur charitas, nec illud eadem ratione eſſe poterit, quoniam magis per illud violatur charitas.* Falſum, inquam, hoc eſt, cum iſta nec ſola, nec potiſſima ratio ſit, cur Racovienſes id negent. Potiſſima enim ratio eſt, quia id nominatim à Chriſto interdictum fuit, cum de Legis præcepto agit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*: ut ſupra ſatis demonſtratum eſt. Quocirca, etiamſi in excommunicatione perſequenda plus læderetur proximus, quam in civili magiſtratu ulciſcendæ injuriæ cauſſa adeundo, & nihil præterea eſſet, quod ſuadere non videretur, ſi illud conceſſum eſt, hoc quoque conceſſum eſſe debere, tamen nihil ratio iſta contra adverſarios tuos valeret, qui non rationibus, ſed expreſſo Chriſti mandato nituntur. Contra quod nullæ rationes quidquam poſſunt. Nec ullo modo licet, etiam (ut leguleii loquuntur) ex majoritate rationis, ab ejus conceſſione, quod nulla ratione fuerit interdictum, ad conceſſionem ejus, quod plane interdictum fuit, argumentari.

Spero, me id ſatis præſtitiſſe, quod pollicitus fueram, & non indiligenter ea examinaſſe, quæ toto tuo libro attuliſti ad probandum, licere homini Chriſtiano per magiſtratum injurias ſuas ulciſci, & pœnas ab adverſario expetere, nec alicujus momenti ea eſſe, demonſtraſſe. Cumque nihil præterea in hac tertia meæ reſponſionis parte exequendum reſtet, jam reliquam quartam, Deo annuente, aggrediar.

RESPONSIONIS
AD
JACOBUM PALÆOLOGUM
PRO RACOVIENSIBUS
PARS QUARTA.

SI quis, Paleologe, quot hactenus, tecum diſputando, certiſſima errata tua oſtenderimus, animadverterit, vix fieri poſſe exiſtimabit, ut aliqua adhuc patefacienda reſtent. Et tamen tot adhuc ſuperſunt, ut ſi omnia hic congerere velim, eaque unicuique manifeſta facere, hoc reſponſionis hujus meæ additamentum potius, quam pars, univerſa reliqua reſponſione majus futurum ſit. Quare, ut ab ipſo initio ſum pollicitus, inſigniora tantummodo quædam colligam, & patefaciam. Inſigniora autem ea appello, quæ vel craſſiora ſunt, licet minus periculoſa, vel majoris momenti eſſe videntur, & facile incauto lectori perniciem allatura. Rogo autem te, ne vel hoc factum meum ægre feras, vel nimia mei ipſius opinione id à me fieri exiſtimes. Nam nec tibi nocere animus eſt, &, me hominem eumque vulgarem eſſe, atque idcirco non tantum errare, ſed ſæpe etiam, ac graviter errare poſſe, ſatis perſpectum habeo. Sed, cum multos eſſe animadverterim, qui tibi in rerum ſacrarum cognitione plurimum tribuunt, adeo ut, quicquid de religionis noſtræ placitis à te dictum fuerit, facile arripiant, & inter ea, quæ à te affirmantur, pleraque mihi eſſe videantur non modo falſa, ſed etiam vehementer pernicioſa, quorum in libro tuo, contra quem calamum arripui, non ſemina tantum ſparſeris, ſed plantas quoque ipſas non paucas conſeveris, haud quidem ut te læderem, ſed ut aliis opem ferrem, auctoritatem iſtam tuam minuendam hac ratione eſſe cenſui, paratus æquo animo à te viciſſim publice argui, ſicubi lapſus fuiſſe deprehenſus fuero. Etſi enim nullum periculum eſt, ne auctoritas mea alicui imponat, quippe quæ nulla ſit, & porro vix ulla cauſſa eſſe videatur, cur id facias, meque hac in re quodammodo imiteris, tamen æquum eſt, ut ſi, dum te reprehendo, temere ipſe, quæ reprehenſione digna fuerint, effutiero, temeritatis meæ pœnas luam. Sed jam ex reliquis inſigniora quædam errata tua enumerare, & quam pauciſſimis verbis potero, in apertum producere inſtituo.

I. Ais in priore ſcripto, pag. 5 Jeſu Chriſti nomen Dei eccleſiam nobilitaſſe. Ex quo apparet, quam exiliter de Chriſto ſentias, & quantum illi adimas. Quaſi vero Jeſus Chriſtus Eccleſiam jam conſtructam invenerit, & non ipſe eam conſtruxerit, atque fundaverit. Quod tamen diſerte ſatis ipſemet teſtatur inquiens, Matth. 16. 18, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.* Erat quidem ante Jeſu Chriſti adventum Dei eccleſia, ſed non eadem, quæ fuit poſtea. Itaque non priorem illam nobilitavit Jeſus Chriſtus, ſed aliam ipſe, Deo mandante, formavit, quam, ut vides, ſuam etiam appellat. Quippe cujus non modo dominus ſit factus, ſed conditor etiam fuerit. Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum ſit, omniaque per Jeſum Chriſtum Deus condidit, & creavit, Joh. 1. 5. Epheſ. 3. 9.

II. Pag. 7. ita ſcribis *Miſſus Jeſus Chriſtus à Deo patre, tanquam propheta ille ſuſcitatus ex fratribus Iſraëlitici*

tici populi, ut audiretur à populo, & abs quo moneretur populus de voluntate Dei, quæ erat ut ipſum Jeſum pro Rege acciperent; ejus ductum ſequerentur, ſperarentque per ipſius Jeſu ductum & auſpicia libertatem, quam perdiderant, recuperatum iri, receptus non eſt à populo, ut autem melius ſuſciperetur, prænuncius miſſus erat Johannes.

Quatuor (ni fallor) in hiſce verbis errata tua deprehenduntur. 1. Primum illud eſt, hanc Dei de Jeſu voluntatem fuiſſe, ut ipſe Jeſus ejuſmodi Rex populi eſſet, cujus auſpiciis ex Romanorum ſervitute populus eximeretur, & quem ante ipſius mortem pro terreno ſuo rege populus agnoſceret. Hunc autem errorem non uno in loco libri tui modo apertius, modo obſcurius inculcas. Ex quo, ut cætera omittam, id conſequitur, vel Jeſum populi Dei regem hactenus revera non fuiſſe, vel, ſi revera Jeſus Rex populi Dei aut eſt, aut fuit, ex accidente quodammodo, quod, ad regnandi ſaltem rationem attinet, id factum eſſe, non autem ex Dei propoſito immutabili. Quorum utrumque quam non modo falſum, ſed pernicioſum ſit, non eſt hic demonſtrandi locus. Satis erit per ea, quæ mox dicentur, errorem iſtum tuum manifeſte coarguere.

2. Alterum igitur erratum tuum in prædictis verbis eſt, Jeſum monuiſſe populum, ſe eſſe regem iſtiuſmodi. Id enim nunquam fecit. Quod tamen ſæpiſſime feciſſet, ſi ea voluntas Dei fuiſſet. Atqui, ut id facere conſueverit, omnino ferunt verba tua. Nam ubi nam ſcriptum eſt, Jeſum dixiſſe, ſe à Deo miſſum eſſe, ut populum Iſraëliticum ex Romanorum ſervitute liberaret? aut quando unquam Jeſus, ſe hic in terris, præſertim ante mortem ſuam, terrena ratione ſuper populum ex Dei voluntate regnare debere, præ ſe tulit? Dices, ut ex ſequentibus verbis tuis aperte colligitur, hoc ab ipſo factum eſſe, ubicunque docuit, ſe eſſe Chriſtum. Chriſtus enim nihil aliud eſt, quam Rex. Hæc ratio nihil valet. Nam Rex quidem erat Jeſus à Deo ſuper populum conſtitutus, non tamen ut terrena ratione regnaret, ſed cæleſti. Quod demum poſt ipſius mortem & fieri debebat, & reipſa factum eſt. Quemadmodum ex pluribus Sacrarum Literarum teſtimoniis apparet, præſertim vero ex eo, quod ſcriptum eſt Petrum populo dixiſſe Act. 2. 32, *Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus nos omnes teſtes ſumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & ſpiritus ſancti promiſſione accepta à patre, effudit hoc, quod nunc vos videtis, & auditis. Non enim David aſcendit in cælos, dicit autem ipſe* Pſal. 110. 1, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Certiſſime ergo ſciat omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.* En tibi, quid ſibi vellet Jeſus, cum ſe Chriſtum eſſe dicebat, &, qua ratione a Deo Rex ſuper populum conſtitutus fuiſſet. Hoc tu ipſe fortaſſe animadvertens, hanc ſcilicet regnandi rationem, quam Sacræ Literæ Jeſu poſt mortem tribuunt, à terrena valde diverſam eſſe, novum regnum, id eſt diverſum ab eo, quod ei ante mortem donatum à patre fuerat, Jeſum poſt mortem, & per mortem accepiſſe ſomniaſti. Ut ex iis perſpicuum eſt, quæ ſcribis in initio pag. 16, & ad finem pag. 91. Qua de re infra pluribus agemus. Præterea, etiamſi Jeſus nonnunquam, ſe Chriſtum eſſe, vel dixerit, vel non negaverit, non tamen aperte, ac diſertis verbis ea de re populum monuit. Quippe quæ aliter, quam verbis, patefacienda, & confirmanda foret. Immo legimus Matth. 16. 20. Mar. 8. 30. Luc. 9. 21, ipſum Jeſum ante mortem diſcipulis ſuis ſevere interminatum eſſe, ne ulli dicerent, ipſum eſſe Chriſtum. 3. Quare vix dici poteſt, quantum à ſcopo aberres, vel potius, quam turpiter hallucineris, cum eadem pagina 7. ais, Jeſum docendo (verbis videlicet) ſe eſſe Chriſtum, ſuo eſſe perfunctum officio viſum fuiſſe, & nihil aliud ante mortem tam ſedulo omnibus inculcaſſe, quam, quod ipſe eſſet Chriſtus.

4. Tertium erratum tuum eſt, quod ais, Johannem miſſum fuiſſe, ut Jeſus pro rege, qui populo libertatem, quam perdiderant, reſtitueret, melius ſuſciperetur. Quod profecto neceſſe eſſet, ſi ei rei Jeſus à Deo deſtinatus fuiſſet. Miſſus enim fuit Johannes, ut de ipſo teſtaretur. Atqui nihil tale de Jeſu teſtatus eſt Johannes. Ex ſervitute quidem ejus ope populum eximendum, & in libertatem vindicandum eſſe, reipſa eſt teſtatus, Verum alia fuit iſta ſervitus, iſtaque libertas, quam tu hoc loco ſine dubio intelligis. Peccati ea ſervitus fuit, ex qua per Jeſum populus eximendus erat, & in ſpiritus libertatem vindicandus, idque ipſe quoque deinde pag. 8. agnoſcis in illis verbis, *cujus opera ſi populus illum recepiſſet, condonationem peccatorum impetrare à Deo potuiſſet.* Itaque dicebat Johannes Joh. 1. 29. 33, illum eſſe Dei agnum, qui mundi peccatum auferret, atque ipſum eum eſſe, qui ſpiritu ſancto baptizaret. De terrena autem Jeſu regnandi ratione, deque populo è Romanorum ſervitute ejus ope liberando, ne verbum quidem Johannes feciſſe legitur. Nam, quod de ipſo ſimiliter ais, docuiſſe illum, Jeſum eſſe Chriſtum, hoc primum, ut diximus, nihil ad rem facit. Deinde neque ex profeſſo, neque omnino aperte id dicebat Johannes, ſed interrogatus, an ipſe eſſet Chriſtus, negabat, ſeque ante Chriſtum miſſum fuiſſe ajebat Joh. 1. 20. 3. 28. 5. Quocirca hic quoque turpiter erras, cum ais, Johannem, docendo, Jeſum eſſe Chriſtum, officio ſuo perfunctum fuiſſe, viſum eſſe, & nihil ante Jeſu mortem tam ſedulo omnibus inculcaſſe, quam ipſum Jeſum eſſe Chriſtum. Quamvis enim Johannes multa de Jeſu diligenter teſtaretur, quæ Chriſti futura erant propria, tamen id pleroſque latebat, nec ipſe vel Chriſti nomen ipſum urgebat, vel de Jeſu regno diſertis verbis docebat. Quod tamen ad rationem tuam concludendam neceſſario requiritur.

6. Quartum erratum, quod ex ſupra recitatis verbis tuis, iis præſertim, quæ ſequuntur, adjunctis, ſatis aperte colligitur, eſt, Non ſolum voluntatem Dei fuiſſe, ut Chriſtus hic in terris ante mortem ſuper Iſraëliticum populum regnaret, eique libertatem, quam paullo ante perdiderat, reſtitueret, nec ſolum ea de re populum ab ipſo Jeſu admonitum fuiſſe, ſed etiam, ut id populum moneret, potiſſimum, ac præcipue Jeſum à Deo fuiſſe miſſum. Nam, ſi hoc verum eſt, igitur, cum Jeſus apud Marcum 1. 38, & Lucam 4. 43. ait, ſe propterea egreſſum eſſe, & miſſum fuiſſe, ut prædicaret, & regnum Dei Euangelizaret, id dicere voluit ſcilicet, ſe à Deo fuiſſe miſſum, ut omnibus palam denunciaret, ſe eſſe illum, qui Rex Iſraëlis à Deo in terris conſtitutus ex Romanorum ſervitute populum liberaturus eſſet: Et quia non modo apud utrumque Euangeliſtam ibidem dicitur, Jeſum & in Capernaum, & in reliqua Galilæa id feciſſe, ad quod ſe miſſum eſſe dixerat, verum etiam ex pluribus aliis locis colligitur Matth. 3. 35. Luc. 8. 1. 1x. 2, eum & in Judæa, & in Galilæa, idque in ſingulis urbibus, ac vicis prædicaſſe, & Euangelium regni annunciaſſe, Apoſtoloſque ſuos ad Dei regnum prædicandum miſiſſe, neceſſe eſt, ut univerſam illam regionem eo rumore impleverit, ſi ſe regem agnoviſſent, propediem futurum, ut ipſius ductu Romanorum jugum excutere poſſent. Atqui, ſi ita res ſe haberet, quomodo non ſtatim oppreſſus fuiſſet? quomodo, inquam, eum locorum præfecti tuliſſent? Nonne Judæi, qui ab ipſo fere ejus prædicationis initio illi infenſi fuerunt, utque eum perderent, quæſierunt, ejuſce rei modum, atque rationem in promptu habuiſſent? & tamen teſtantur Euangeliſtæ, Matthæus 26. 59, & 60, & Marcus 14. 55, & 56. cum jam in Judæorum manus Jeſus traditus fuiſſet, quæſiiſſe principes ſacerdotum, ſeniores, & univerſum conſeſſum, ut per falſos teſtes Jeſum interimerent, & teſtimonium ex multis teſtibus ſibi conſentaneum invenire non potuiſſe. Nam quid opus fuiſſet falſis teſtibus, aut quomodo teſtes non conveniſſent, ſi publice Jeſus ſe pro eo rege jactaſſet, quem tu dicis, & reipublicæ ſtatum ſe mutaturum dixiſſet? Accuſarunt quidem Judæi Jeſum Luc. 23. 2, quod diceret, ſe Chriſtum, id eſt regem eſſe, neque id ipſe aut coram

pontifice,

pontifice, aut coram præſide negavit. Sed non propterea vel populum Jeſus pervertebat, vel Cæſari tributa ſolvenda eſſe negabat, ut & Judæi illi objiciebant, & omnino verum fuiſſet, ſi ſe talem regem dixiſſet, qualem tu opinaris. Liquet autem, Pilatum præſidem, Jeſum innocentem eſſe cenſuiſſe Luc. 23. 13, &c. Ex quo apparet, eum intellexiſſe, ac deprehendiſſe, alio ſenſu, quam Judæi dicerent, & tu illorum hac in parte ſimilis, affirmas, non negatum fuiſſe à Jeſu, ſe Judæorum regem eſſe Joh. 19. 13. Quæ tamen ſimplex appellatio tanti apud ipſum fuit, ut veritus ſit, ne forte Cæſarem ſibi inimicum redderet, ſi Jeſum abſolviſſet, & ob eam cauſſam eum tandem Judæis crucifigendum tradiderit.

III. Sequitur ridiculus quidam error tuus pag. 12. Ibi enim ais, novum dilectionis genus Jeſu Chriſti fuiſſe erga diſcipulos ſuos, ut eos multis diſcriminibus objiceret, quemadmodum ipſe à patre novo amoris genere periculis, & morti expoſitus fuiſſet. Quod quam recte à te dictum fuerit, aliorum erit judicium. Sed ibidem affirmas, hoc eſſe illud genus dilectionis, de qua novum mandatum Chriſtus ſe diſcipulis ſuis dare dixit, ut ipſi ſcilicet ſe diligerent, ſicut ipſe eos dilexiſſet. Ergo, ſi vera loqueris, Chriſti diſcipuli ex ipſius Chriſti mandato alii alios diſcriminibus objicere debebant, atque ea ratione potiſſimum novo illi mutuæ dilectionis ad ipſius imitationem Chriſti præcepto ſatisfacere. Potuitne aliquid inſulſius dici? Certe longe aliter & ipſe Dominus ſua verba explicat, & Johannes ejus Apoſtolus ea ſe interpretatum fuiſſe oſtendit. Ille enim ſic diſcipulos ſuos monet Joh. 15. 12: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Hic vero ait 1 Joh. 3. 16, *In hoc cognovimus charitatem, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Non igitur fratres diſcriminibus objiciendo, ſed pro ipſis moriendo, Chriſtum imitari debebant ejus diſcipuli, ejuſque de mutua dilectione novo mandato ſatisfacere.

IV. Eadem pag. 12 ais, cum Johannes prædicaret, ſedecim ferme annos interceſſiſſe, ex quo Judæi ex liberis ſervi facti eſſent Romanorum, & pag. 14 ſcribis, cum Chriſtus interrogatus fuit, utrum Cæſari ſoluere tributum liceret, ante ſeptem & decem annos Judæos liberos fuiſſe. Verum in poſteriore ſcripto pag. 172 affirmas, cum Chriſtus longiorem illam concionem, de qua apud Matthæum, habuit (quod inter utrumque ex prædictis temporibus factum fuit) Judæam jampridem Romanorum provinciam fuiſſe factam ad minimum ab annis viginti. Quare neceſſe eſt, vel, quæ antea dixeras, falſa eſſe, vel id verum non eſſe, quod poſtea dixiſti.

V. In fine pag. 13, & initio 14, ſic ſcribis, *Jeſus autem Chriſtus interpellatus ut ſolveret tributum, quo alebatur miles & civis & peregrinus intra Judæam contra Judæam, ne rebellaret, perſolvit.* Locus autem, unde id probari exiſtimas, eſt ſine dubio apud Matthæum cap. 17 circa finem. Sed falſus es opinione tua. Non enim de tributo ibi agitur, quo aleretur miles, ſed de dimidio ſicli Sanctuarii, quod ex Legis præſcripto Iſraelitæ cenſiti pendebant, ut habetur Exod. 30. 13. idque vel ex eo patet, quod nihil aliud ibi dicitur, niſi, eos, qui didrachma accipiebant, veniſſe ad Petrum, eique dixiſſe, *Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* tantundem enim valebat dimidium ſicli Sanctuarii. Quod didrachmum ipſo Deo dari, ſive offerri dicebatur, ut prædicto loco in Lege apparet. Sed idcirco fortaſſis de tributo aliquo, quod Principi penderetur, ibi agi credidiſti, quia mox Chriſtus ait, *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributa, vel cenſum?* &c. Cum tamen hæc ipſa, & ſequentia Chriſti verba aperte doceant, de cenſu, qui Deo ſolveretur, ibi actum fuiſſe. Sic enim à ſimili argumentatur Chriſtus. Reges terræ tributa, aut cenſum non à filiis, ſed ab alienis exigunt. Ergo Deus quoque non à filiis, ſed ab alienis cenſum exigit. Ex quo ſequitur, nos, qui filii Dei ſumus, eſſe liberos ab hoc cenſu ſolvendo. Ad ſe enim, & Petrum ſine dubio totum ſermonem accommodat, ut ex ſequentibus verbis apertum eſt, *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade*, &c. Quod ſi alia ratione Chriſti verba explicentur, nihil dicetur, quod cum explicatione noſtra, quam aliorum quoque eſſe credimus, comparatum, frigidiſſimum non ſit, immo plane falſum atque ineptum eſſe non conſtet. Ut infra, dum ſuo loco explicationem tuam examinabimus, aperte conjici poterit.

VI. Ut ſupra viſum eſt, in initio pag. 16, & ad finem pag. 91, ais, Jeſum Chriſtum per mortem novum regnum quæſiſſe, & recepiſſe. Videndum eſt autem, quid Novi regni nomine intelligas. Nam, ſi diverſam regnandi rationem ab ea intelligis, qua ante mortem regnare debuerat, quaſi antea terrena ratione regnare debuiſſet, poſtea vero cæleſti, vel non terrena tantum, ſed etiam cæleſti regnaverit, jam hoc ex iis, quæ ante diſputata ſunt, falſum eſſe apparet, cum ſatis oſtendimus, nec verum, nec veriſimile eſſe, Chriſtum Jeſum, ut terrena ratione ante mortem regnaret, à Deo miſſum fuiſſe. Quod ſi Novi regni nomine non diverſam regnandi rationem, ſed regnum ſuper novum populum, nempe ſuper Gentes intelligis, hoc ſimiliter falſum eſſe, ex iis, quæ ante diſſeruimus, aliqua ex parte conſtare poteſt. Cum enim, ut viſum fuit, Jeſus miſſus non fuiſſet, ut reipſa ante mortem regnum aliquod adminiſtraret, etiamſi per mortem regnum Gentium poſtea adeptus eſſet, non tamen per mortem novum regnum acquiſiviſſe dici poſſet, cum antea nullum haberet. Nam, ſi dixeris, deſtinatione Judæorum regnum antea habuiſſe, reſpondebo, deſtinatione pariter ante mortem Gentium regnum illi datum fuiſſe, ut ex innumeris Veteris Teſtamenti locis manifeſtum eſt. Nec veroipſa jura Judaici regni, quod Petro Apoſtolo, ut vidimus, teſte, Act. 2. 32 &c., poſt mortem obtinuit (nulla enim adhuc, cum Petrus ea verba dixit, Gentium ratio ab ipſo habebatur) ante mortem aliter habere potuit, quam ſub conditione, ſi Dei patris mandatis paruiſſet, & opus perfeciſſet, quod ipſi perficiendum ab eo datum fuerat. Inter cætera vero Dei patris mandata illud acceperat præcipuum, ut animam ſuam poneret, eam iterum ſumpturus Joh. 10. 17, & 18. Quamobrem, ut dictum eſt, etiamſi per mortem Jeſus Gentium regnum fuiſſet adeptus, tamen nullo novo regno per mortem auctus fuiſſe dici poſſet. Atqui falſum eſt, Jeſum per mortem Gentium regnum adeptum fuiſſe. Illud enim revera non antea eſt adeptus, quam ejus Euangelium, poſt ipſius mortem ab Apoſtolis prædicatum, publice a Judæis rejectum fuit. Ut ex iis intelligi poteſt, quæ ſcribit Paulus ad Rom. cap. 11. & ex aliis divinis Teſtimoniis. Sed id apertius demonſtrandi nunc tempus eſſe non videtur. Itaque ad alia tranſeamus.

VII. 1. Etenim errore errorem cumulando, eadem pag. 16 aſſeris, Jeſum Chriſtum poſt mortem regnum illud, ad quod accipiendum inermis ante miſſus fuerat, carnalibus armis recuperaſſe, id eſt, ut ſeq. pag. te explicas, Romanorum armis. Nam quomodo iſtud verum eſſe poteſt; ſi regnum illud, quod ante mortem Jeſus accepturus venerat, terrenum & aſpectabile regnum fuerat, ut non dubium eſt, quin ipſe velis? Nunquid Chriſtus poſt captam & exciſam à Romanis Hieroſolymam, Judæoſque per orbem terrarum diſperſos, terrena ratione ſuper Iſraelis populum manifeſte regnavit? Certe ſi id factum fuiſſet, non ita ut fecerunt, ei perpetuo hactenus reluctati ſuiſſent miſeri Judæi. Qui tantum abeſt, ut poſt ingentem illam cladem eum pro Chriſto agnoverint, ut eum multo magis ſpreverint, ab ipſo cladem illam immiſſam fuiſſe neutiquam ſentientes. Quid, quod, ut ex Petri verbis illis Act. 2. 36 perſpicuum eſt, Jeſus & dominus, & Chriſtus factus eſt à Deo, & quidem Iſraëlis populi, ſimulatque in cælum aſſumptus eſt, & ſic antequam Romani Hieroſolymam

lymam vaſtarent? Unde conſtat nullo modo dici poſſe, Jeſum Chriſtum armis carnalibus Romanorum, regnum ſuum recuperaſſe. Et ſane, quicquid Jeſus per Veſpaſianum, & Titum contra Judæos eſt executus, non ad recuperandum regnum, ſed ad oſtendendum, ſe jam regnum accepiſſe, & ad inimicos ſuos, accepto regno, ulciſcendos pertinet, ut ipſemet tua dicta refellens ſatis aperte confiteris, dum ad hanc rem parabolam illam ipſius Jeſu accommodas, de qua Lucæ cap. 19. Ibi enim de eo eſt ſermo, qui, jam accepto regno, juſſit produci, & ante ſe occidi inimicos ſuos, qui ipſum ſuper ſe regnare noluerant. Quam parabolæ partem potiſſimum huc pertinere vis, ut ex iis conſtat, quæ leguntur libri tui pag. 8, 90, 96, & 98. 2. Atque ex prædictis patet, quam nugatorius ſit ille tuus duplex Chriſti ad regnum acceſſus, unde Chriſti ex agno in leonem mutationem illam tuam hauſiſti, aut certe ad eum accommodaſti, quæ tantas turbas dedit. Qui tamen acceſſus revera nullus fuit. Ut enim ex prædicta parabola illa Lucæ cap. 19. intelligi poteſt, nunquam Jeſus Chriſtus vel per ſe, vel per alios, regni ſui accipiendi gratia, ad populum acceſſit, ſed à populo, cujus ipſe civis erat, diſcedens, in longinquam regionem, hoc eſt in cælum, ibi civium ſuorum, populi inquam, regnum, ad quod jam deſtinatus fuerat, accepturus, profectus eſt. Quo accepto, eos ex populo ſevere eſt ultus, qui ipſum ſuper ſe regnare noluerant, id eſt non modo eum pro deſignato rege non agnoverant, ſed ne ipſorum Rex unquam eſſet, omnino decreverant, &, quantum in ipſis fuerat, etiam curaverant.

VIII. 1. Turpis autem eſt lapſus tuus, cum pag. 17, parabolam invitatorum ad nuptias ita ad iſtum tuum duplicem Chriſti ad regnum acceſſum accommodas, ut poſteriorem tunc ſignificari dicas, cum invitati omnes venerunt. Nam ex Matthæo Matth. 22. 7 &c. apertiſſimum eſt, antequam ii, qui venerunt, invitati eſſent, jam regem illum, qui nuptias faciebat filio ſuo, miſſis exercitibus ſuis, perdidiſſe illos, qui ipſius nomine invitantes interfecerant, eorumque civitatem incendiſſe. Quod res ipſa clamat de Judæorum divina eaque inſigni punitione, ac diſſipatione, ob idque de Hieroſolymitano excidio dictum fuiſſe, quo non modo poſteriorem Chriſti ad regnum acceſſum, ſed ipſam regni recuperationem contineri vis. 2. Quinetiam ipſe, teipſum refutans, miſſionem illam exercituum, & quæ ſequuntur, poſteriorem acceſſum ad regnum eſſe ais. Sic enim à te ſcriptum eſt pag. 16. *De poſteriori acceſſu ad regnum, qui fuit veluti leonis, ita ſcribitur: miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.* Apparet igitur, vel teipſo teſte, acceſſum poſteriorem (quem tu appellas) Chriſti ad regnum ſuum, jam extitiſſe, jamque regnum (ut tibi videtur) à Chriſto recuperatum fuiſſe tum, cum invitati omnes ad nuptias venerunt, immo antequam invitarentur. Ex quo certum eſſe debet, per eam parabolæ partem iſtum poſteriorem Chriſti ad regnum acceſſum minime ſignificari.

IX. Sed alius ibidem gravis error tuus deprehenditur. Nam ſic ſe habent verba tua, *Hunc acceſſum ad regnum & poſteriorem & priorem nuptias appellant Euangeliſtæ. Et priorem quidem cum nullus ex invitatis accedere ad nuptias vellet, poſteriorem vero cum invitati omnes properarent, ita ut vis facta fuerit in foribus à multitudine ingredientium, & hi primi ingreſſi domum nuptiarum ſunt, qui violentiores & audaciores erant omnibus.* Apud nullum enim ex Euangeliſtis nec iſtius invitatorum ad nuptias properationis, nec vis in foribus factæ, nec aliorum, quæ adjungis, ulla fit mentio. Sed ſunt ſomnia tua, quæ pro Euangeliſtarum teſtimoniis affers. Verum quid dico, apud nullum ex Euangeliſtis iſta tua commenta legi, cum ſolus Matthæus parabolam invitatorum ad nuptias exponat? Lucas quidem invitatorum parabolam narrat Luc. 14. 16, nuptiarum tamen nullam mentionem facit, ſed cœnæ tantum. Et tamen tu Euangeliſtas nominas. Sed concedatur ſane tibi iſte figuratus loquendi modus, ut, quod unus tantum Euangeliſta ſcripſerit, ab Euangeliſtis ſcriptum fuiſſe dicatur, nec inter tua errata à nobis numeretur.

X. 1. Eadem pag. 17. ais, Chriſtum Jeſum ad nihil aliud veniſſe, *præterquam* (tua verba recito) *ut declararet populo ſe fuiſſe à Deo inſtitutum hæredem regni.* Quod quam à veritate alienum ſit, ii omnes animadvertent, qui meminerint, ipſum Chriſtum Jeſum, ſe ad quædam facienda veniſſe, ſæpius affirmaſſe, idemque ejus Apoſtolos teſtatos fuiſſe, quæ nullo pacto iſta declaratione comprehenſa ſunt, præſertim apud te, qui eam ita accipere videris, ut non late pateat, ſed id tantum ſignificet, ac complectatur, quod verba ipſa ſonant. Inſpiciantur hi loci, Matth. cap. 5. 17, cap. 9. 13. cap. 18. 11, & cap. 20. 28. Mar. cap. 1. 38. Luc. cap. 4. 18, & cap. 12. 49. Joh. cap. 9. 39. cap. 10. 10, & cap. 12. 46, & 47. 1 Tim. cap. 1. 15. Hebr. cap. 9. 11. & 1 Joh. cap. 3. 5. & 8, & cap. 5. 20. Ex quibus locis, & aliis ſimilibus ſatis conſtare poteſt, Chriſtum Jeſum ad aliud etiam veniſſe, quam ad declarandum, ſe hæredem regni inſtitutum à Deo fuiſſe. 2. An non tu ipſe pag. 7 confiteris, Jeſum Chriſtum miſſum fuiſſe à Deo tanquam Prophetam? Arqui aliud profecto eſt Prophetæ munus, quam populo declarare, ſe regni hæredem à Deo inſtitutum eſſe, etiamſi id veriſſimum ſit, &, quæ tu Jeſum Chriſtum, tanquam Prophetam, præſtitiſſe pag. 9 & deinceps narras, ab iſta declaratione longe ſunt diverſa. Namque inter cætera pag. 11 ſcribis, Jeſum Chriſtum leges divinas repurgaſſe, idque proprium munus Prophetarum fuiſſe. Quid enim leges divinas repurgare cum declaratione iſta commune habet? aut quis unquam, munere declarationis iſtius munus divinarum legum repurgandarum omnino contineri, dicat? Nihil autem dico, quod tantum abeſt, ut Jeſus Chriſtus ad nihil aliud venerit, quam ad declarandum populo, ſe regni hæredem à Deo inſtitutum fuiſſe, præſertim eo ſenſu, quo tu hæreditatem, & regnum iſtud intelligis, ut ne ad id quidem revera venerit, ſive à Deo miſſus fuerit, ut ex iis, quæ antea diſputata ſunt, facile intelligi poteſt.

XI. Pagina 18 ais, Chriſtum minatum fuiſſe, ſe armis expulſurum eos, qui regnum per vim poſſidebant, & ſibi reſtituere nolebant: nec dubium eſt, quin Judæos intelligas. Sed quanam ratione dici poteſt, Judæos regnum, quod Jeſu Chriſti erat, per vim poſſediſſe? Num, quia illum ſuper ſe regnare nolebant? Quaſi vero, quicunque legitimum regem agnoſcere reculat, ipſe illius regnum per vim poſſideat, maxime autem, ſi jam alium regem agnoſcat, ut certe Judæi faciebant, qui tunc temporis Cæſarem pro rege agnoſcebant, & nullum alium præter Cæſarem ſe regem habere affirmabant. Atque hinc apparet, quam futile illud ſit, quod ais, & jam a nobis reprehenſum eſt, Jeſum regnum ſuum recuperaſſe. Propterea enim iſtam recuperationem commentus es, quia Chriſti regnum à Judæis injuſte detentum fuiſſe exiſtimaſti, è quorum manibus vi, atque armis per Romanos illud Chriſtus extorſerit.

XII. In fine pag. 36, & ſeq. initio Chriſti præceptum de obvertenda altera mala dexteram percutienti, & ſiqua ſunt ejuſmodi, ita interpretaris, ut dicas Chriſtum plus præcepiſſe, quam fieri velit, & ais, *In iis enim ſententiis illud Chriſtum ſpectaſſe apparet, quod vulgo inter mercatores dicitur: Iniquum petas ut æquum impetres.* Nihil indignius dici potuit. Tune Jeſum Chriſtum veraciſſimum & ſimpliciſſimum mercatorum mendacium atque impoſtorum ſimilem facere audes, & eadem arte in ſuis præceptis dandis, qua illi in ſuis mercibus vendendis ſolent, utentem? Tune à Dei filio iniqua præcipi vel dicere, vel certe dicere videri non exhorreſcis? An non vides, quanta feneſtra ad omnem Chriſti diſciplinam in dubium revocandam, atque adeo ſubvertendam patefiat, ſi eum alicubi plus præcipere perſuaſum fuerit, quam revera fieri velit? Non igitur iniquum petiit Chriſtus, ut æquum impetraret, cum malam dexteram percutienti alteram quoque præbendam eſſe dixit. Sed, ut alibi diſſeruimus, quemadmodum ex

antece-

antecedentibus, exque ſubjecta materia apparet, tunc demum præcepto ſuo locum eſſe vult, cum alioquin neceſſe eſſet, jam ſibi inflictam malæ dexteræ plagam aliqua ratione ulciſci.

XIII. Quia ſunt, qui ſententiæ tuæ de bello à Chriſtianis gerendo vaticinationem illam Eſaiæ, & Michææ opponunt, de convertendis gladiis in vomeres, & lanceis in falces, Tu pag. 38. reſpondens, ais, argumentum iſtud non eſſe ad propoſitum, *quoniam* (inquis) *ſententia Jeſaiæ eo pertinet, ut ſignificetur, cum filius hominis miſerit Angelos ſuos ut auferant de regno ſuo omnia ſcandala & omnes facientes iniquitatem, nullum fore uſum armorum, cum nulli erunt filii carnis & filii ſpiritus inter quos bellum geri ſit neceſſe, ſed omnes erunt filii Dei.* Errores, qui hactenus in tuis verbis continentur (quæ enim dicis nec cum Prophetarum, nec cum Chriſti mente conſentiunt) quia tibi cum aliis quibuſdam non antiquis tantum, ſed recentioribus quoque Chriſtianis ſunt communes, hoc loco à me non attingentur. Verum pergens ais, *Sed antequam illud tempus veniat, oportere gladium non converti in falcem, nec lanceas in vomeres, quomodo enim dicere poſſet: tunc erit, ſi præſens adeſſet? & non levabit gens contra gentem gladium, & non diſcent ultra bellum, in futurum, ſi jam præſens quod promittit extaret.* Quaſi vero vel Eſaias nunc loquatur, & vaticinetur, aut ſaltem poſt Chriſtum exhibitum locutus, & vaticinatus fuerit, vel Eſaiæ dictum ad ipſius Eſaiæ tempora, ab illis, qui & illius, & Michææ verba tibi opponunt, accommodetur, aut accommodandum ſit, ſi ad rem loqui velint. An non apertiſſimum eſt, Eſaiam, & Michæam multis ſæculis ante Chriſtum extitiſſe, & vaticinatos fuiſſe, & ad ea tempora ab iſtis adverſariis tuis utriuſque vaticinationem accommodari, quæ poſt Chriſtum exhibitum fuerunt, ita ut omnino ex ipſorum etiam interpretatione, quæ tuam ſententiam de bello à Chriſtianis gerendo prorſus convellit, uterque vates de re futura, non autem præſente loquatur? Vix ſane crediderim, puerilius, aut turpius erratum hoc tuo aliud inveniri poſſe.

XIV. Ad finem pag. 40 affirmas, præceptum circumciſionis, & alia ejuſmodi, quæ tu legalia appellas, propter quæ, tanquam maceria quadam, præputiati à Dei populo ſeparabantur, non à Jeſu Chriſto, ſed à Deo patre Jeſu Chriſti ſublata fuiſſe à præputiatorum humeris. Hoc manifeſto falſum eſt, & porro dicentem Chriſti gloriæ odio excæcatum prodit. Neque enim rei ſumma indignitas aliter me loqui permittit. Quid enim? Nonne apud Paulum ad Epheſios ſcribentem eo ipſo in loco, ubi maceriæ, quam tu ipſe commemoras, fit mentio, hæc verba leguntur Epheſ. 2. 13? *Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum in decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Quis tam bardus eſt, qui, hæc legens, Chriſto tribui non intelligat circumciſionis, aliorumque ceremonialium præceptorum abolitionem, atque ea ratione Gentium, ac Judæorum conjunctionem? Quod ſi hæc eadem Deum Chriſti patrem feciſſe, alibi ſcriptum eſt, quid hoc ad rem facit? Nam quis eſt, qui neget, omnia, quæ Chriſtus fecit, à Deo patre per ipſum facta fuiſſe? Nec tu modo, Deum patrem iſta feciſſe ais, ſed diſerte, Chriſtum feciſſe negas.

XV. Ut Jeſu Chriſti ipſius teſtimonium eludas, qui coram Pilato aperte profeſſus eſt Joh. 18. 36, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & oſtendas, ex hoc minime probari, Chriſti regnum mundana, id eſt terrena ratione hic in terris non adminiſtrari, ais, Chriſtum nihil aliud dicere voluiſſe, quam, ſe non fuiſſe declaratum regem ab hominibus, hoc eſt ab ipſis Judæis, quorum rex erat, ſed à Deo patre. Idque ſcribis pag. 43, & 44. atque idem in poſteriore ſcripto repetis. pag. 230. Sequentibus autem Chriſti verbis interpretationem tuam plane confirmari exiſtimas, dum inquit, *Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei decertarent, ut non traderer Judæis.* Ais enim, *Nam ſi hoc factum fuiſſet* (id eſt, ſi Jeſus rex ab ipſis Judæis fuiſſet declaratus) *armati circumſtetiſſent illum Judæi ſui, qui defenderent ne in Judæorum hoſtium veniret poteſtatem, ſe autem declaratum fuiſſe Regem à Deo patre*, &c.

1. Iſta tua ratiocinatio prorſus inepta eſt, & Chriſti verba, quæ tibi favere opinaris, ea maxime tibi adverſantur, communemque antecedentis ipſius Chriſti dicti interpretationem veriſſimam eſſe demonſtrant, tuam vero falſitatis manifeſte coarguunt. Si enim Jeſus Rex hic in terris terrena ratione regnaturus, vel ab hominibus, vel à Deo declaratus fuiſſet, certe, ut ipſe ait, ejus miniſtri certaſſent pro ipſo, ne traderetur Judæis, & ab ipſis, ſive ipſorum opera interficeretur. Hæc enim cum terreno regno hic in terris adminiſtrando omnino pugnant. Quamvis igitur Deus ipſe tantum Jeſum filium ſuum terrenum regem declaraſſet, tamen vel per homines, vel per ipſos angelos, ſi opus fuiſſet, è Judæorum manibus Jeſus ereptus eſſet. Nec vero neceſſe eſt, ut, ſi quis humano auxilio ad regnum aliquod obtinendum uti velit, ab ullis hominibus, nedum ab iis ipſis, quorum rex eſſe quærit, antea rex declaretur: ut ſenſus ipſe communis docet, & tot exempla oſtendunt eorum, qui armato milite regnum aliquod ſibi à nullis hominibus antea conceſſum occuparunt. Nullam autem rationem Chriſtum in ſuis verbis ejus rei habuiſſe, quod ab ipſis Judæis rex declaratus non fuiſſet, vel id ſatis oſtendit, quod ait, miniſtros ſuos, ſi ſuum regnum de hoc mundo eſſet, curaturos, ne Judæis traderetur. Nam quid opus fuiſſet curare, ne Judæis traderetur, ſi ipſi Judæi eum regem declaraſſent? Itaque potius dicere debuiſſet, non quæſituros Judæos, ut ipſum perderent. 2. Nam, quod tu, hoc ſentiens, ita Chriſti verba interpretaris, ut dicere voluerit, ſuos Judæos, id eſt illos, qui ipſum regem declaraſſent, defenſuros, ne veniret in poteſtatem aliorum Judæorum hoſtium, id adeo frigidum eſt, adeoque ipſis Chriſti verbis indefinite prolatis repugnat, immo ſeipſum evidenter refellit, ac deſtruit, ut lectorem ea de re leviter monuiſſe ſit ſatis. Cæterum, ne quis falſo me tibi adſcribere putet, quod ex verbis Chriſti nolis colligi, vel rationem adminiſtrandi regni ipſius non eſſe mundanam, vel in hoc mundo illud non adminiſtrari, ea hic ſubjiciam, quæ concludens ſcribis prædicta pag. 44. *Verba igitur* (inquis) *illa ſonant unde habuerit Jeſus Chriſtus regnum, à Deo ſcilicet patre & non ab hominibus, non autem de regni adminiſtratione, aut de loco ubi regnet.*

XIV. Sed quid illud eſt, quod ibidem antea dixeras, Deum in hoſtium manu Jeſum Chriſtum deſerere voluiſſe, quia volebat, ut implerentur dicta prophetarum? quaſi Deus ipſe ad prophetarum dicta ſuam voluntatem accommodet, & non ipſa prophetarum dicta ex Dei voluntate pendeant, ipſiuſque voluntas ſint. Non enim id à te figurata aliqua loquendi ratione dictum fuit, ſed maxime propria. Cum enim videas, quam vehementer ſententiæ tuæ, quod Deus Jeſum miſiſſet, ut, hic in terris exiſtens, ſuper populum regnaret, ſive ab ipſo populo pro rege agnoſceretur, prophetarum de Chriſto prædictiones repugnent, conaris, quantum potes, perſuadere, duplicem quandam voluntatem in Deo fuiſſe, & voluiſſe quidem Deum, ut Chriſtus, hic in terris manens, populi regnum obtineret, ſed tamen voluiſſe etiam, ut prophetarum dicta implerentur, quæ Chriſtum in manu hoſtium deſerendum eſſe ferebant. Itaque ex Jehova Deo noſtro vero atque omnipotente Jovem fictum illum Gentium, vel potius poëtarum Deum facis, qui ſæpe fatis quibuſdam cedat, & contra ſuam ipſius voluntatem id velit, quod ipſa ferunt.

XVII. 1. Scribis pag. 48. poſt Juliani imperatoris tempora ortum fuiſſe bellum inter imperatores Arianos, & Homouſianos. Et tamen poſt illa tempora non legitur, alios imperatores eodem tempore fuiſſe, inter quos iſtud de religione diſſidium eſſet, præter Valentinianum

tinianum patrem, & Valentem fratres, quorum hic Arianus, ille vero Homouſianus erat, itemque Valentinianum filium, qui aliquandiu Arianus, & majorem Theodoſium, qui perpetuo Homouſianus fuit, quibus omnibus interm iſtus quodammodo fuit Gratianus, qui Homouſianus fuiſſe traditur. Inter quos tamen bellum aliquod extitiſſe non narrant hiſtorici. Nam de Maximo, qui, Gratiano interempto, imperium occupavit, quique, Valentiniano adhuc Arianis favente, Homouſianum ſe profeſſus eſt, nihil attinet dicere. Is enim Tyranni potius, quam Imperatoris locum obtinet. 2. Non poteſt autem turpis ἀνυσχυντία iſta tibi ullo modo condonari, cum eam ibidem ad alium majoris momenti errorem ſtabiliendum adhibeas, & ex bello, quod inter Arianos, & Homouſianos imperatores ortum fuerit, inferas, ſynodos eccleſiaſticas, quæ antiquitus caverunt, ne Chriſtiani militarent, huc reſpexiſſe, ne ſcilicet Chriſtiani ſuæ factionis ſub imperatore contrariæ opinionis arma ſumerent, non autem ſenſiſſe, non licere Chriſtianis, eo quod Chriſtiani eſſent, militare, & arma tractare. Et hæc quidem errata tua ex iis ſelegimus, quæ in priore tuo ſcripto animadvertimus. Quæ deinceps notabimus, ex poſterioris ſcripti erratis ſelecta erunt.

XVIII. 1. Igitur pag. 87. affirmas, Apoſtolos de Johanne credidiſſe, eum eſſe Eliam ſecundum perſonam. Id quod tamen nuſquam apud Euangeliſtas nec ſcriptum eſt, vel indicatum. Immo ex eo, quod apud Matthæum Matth. 17. 10, & Marcum Mar. 9. 11. legitur, Apoſtolos interrogaſſe Chriſtum, quid illud eſſet, quod Scribæ dicebant, Eliam venturum eſſe, & ex Chriſti reſponſione, qua eos docuit, Eliam jam veniſſe, quod (inquit Matthæus) de Joanne Baptiſta eum dixiſſe illi intellexerunt. Ex his, inquam, perſpicuum eſt, Apoſtolos antea de Johanne Baptiſta, quod Elias aliqua ratione dici poſſet, ne cogitaſſe quidem. 2. Nam, quod ibidem ais, Jeſum Chriſtum, quaſi Apoſtolos ſcilicet ab ipſorum errore retrahentem, dictum prophetæ non ad Eliæ perſonam, ſed ad officium pertinere dixiſſe, id manifeſto falſum eſt. Quinimmo ex Chriſti verbis, niſi id nimis abſurdum viſum foret, facile potuiſſent Apoſtoli ſuſpicari, Joannem Baptiſtam ſecundum perſonam Eliam fuiſſe. Simpliciter enim, Eliam jam veniſſe dixerat.

XIX. Pag. 89. ad finem ais, Jeſum Chriſtum poſt mortem, & reſurrectionem fuiſſe paſtorem duorum ovilium. Hoc cum ipſius Jeſu Chriſti verbis manifeſte pugnat. Is enim ait, Joh. 10. 16. *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, unus paſtor.* Unius igitur, non duorum ovilium Jeſus Chriſtus paſtor poſt reſurrectionem eſt factus, licet unum iſtud ovile ex duobus, quorum, dum ſeparata erant, ipſæ nunquam ſimul paſtor fuit, quodammodo conflatum fuerit. Te autem ſentire, ut verba tua ſonant, etiam poſtquam eorum paſtor eſt factus, duo ovilia permanſiſſe, ex iis, quæ infra dicenda ſunt, facile apparebit. Nec vero eſt, quod dicas, ovile eſſe unum, non ratione ovium, ſed ratione paſtoris, ut ex iis conjici poteſt, quæ ſcribis in initio pag. 289. Nam Chriſti verba diſerte unum ovile, & unum paſtorem ſeparatim nominant, & utrumque futurum prædicunt.

XX. Ex iis, quæ ſcribis pag. 94. aperte colligitur, te affirmare, in Sacris Litteris hoc dictum inveniri. Cum hoſtis armatus & fortis (*Satan ſcilicet*, ais) fuerit judicatus, ego traham omnia ad me ipſum. 1. Quod tamen nuſquam ſcriptum eſt. 2. Quinetiam non recte à te conjunguntur duo illi loci Matth. 12. 29. & Joh. 12. 32 (nam & uterque ſimul in margine adſcriptus eſt) cum in priore de re jam geſta, in poſteriore vero de re mox futura agatur, ut quilibet legens animadvertet. 3. Quid, quod in duobus iſtis locis nec ſimul, nec ſeparatim hoſtis armati & fortis fit mentio? Namque apud Matthæum Fortis tantum commemoratur, apud Johannem vero nihil prorſus ea de re dicitur. 4. Quid, quod ne uſquam quidem? Tantum enim apud Lucam cap. 11. 21. Fortis armatus nominatur, nulla Hoſtis facta mentione. 5. At poſtremo in eo graviter erras (unde etiam fit, ut dictum ipſum de Forti armato nullo modo recte explices) quod ſimilitudinem pro metaphora, ſeu tranſlatione accipis. Nam is fortis armatus non erat Satan, ſed ei Satanas aſſimilatus eſt. Vide quot errores (tot ſcilicet fere quot ſunt ipſa verba) pauciſſimis tuis verbis contineantur, & quam negligens, vel potius nimium audax in Sacrorum ſcriptorum, atque adeo ipſius Jeſu Chriſti dictis tractandis merito dici poſſis.

XXI. Verum tot erratis tuis non contentus, hoc quoque adjungis, quod ibidem non obſcure Satanam Principem novi regni appellas, contra quem Jeſus Chriſtus aliquid poſt mortem egerit, idque ex ipſius Chriſti verbis omnino colligis. Nam cujus novi regni fuit Satanas poſt Chriſti mortem princeps? Suine, an Chriſti? Si ſui dicas, id palam falſum eſt. Tantum enim abeſt, ut Satanas poſt Chriſti mortem regnum aliquod novum ſit adeptus, ut ſuo principatu magna ex parte exutus fuerit, & foras ejectus Joh. 12. 31. Sin autem Chriſti, Dico, ex ipſius verbis, cum Satanam mundi hujus principem appellet, id colligi non poſſe. Mundi enim appellatione nullo pacto novum aliquod Chriſti regnum intelligi poteſt. Sed vel homines carnales intelligere neceſſe eſt, qui, dum carnales ſunt, Chriſti regnum nec vetus, nec novum eſſe poſſunt, poſtquam vero ſpirituales ſunt facti, eorum Satanas nullo modo princeps eſt, vel intelligendi ſunt homines univerſe ac generatim, potiſſimum autem Judæi (hi enim Mundi nomine ſignificari apud Euangeliſtas ſolent) qui ſane novum Chriſti regnum dici nequeunt, non autem Gentiles aut ſoli, aut præcipue, quos, ut conjici poteſt, tu novum Chriſti regnum appellas, quod poſt mortem adeptus fuerit, Quanquam ne hoc quidem recte à te fieri ſupra ſatis demonſtratum fuit.

XXII. Eadem pag. 94. hæc tua verba leguntur. *Apocalypſis ita ait. Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix (hoc eſt reſiduus ex gente) Davidis, ut aperiat librum & ſolvat ſeptem ſignacula ejus. Adde ex Paulo* Coloſſ. 2, *& poſtquam aperuit ſuffixit librum cruci, quoniam erat contrarius nobis.* Mirificus omnino es Palæologe in Sacris Literis interpretandis, earumque locis conferendis, ac conjungendis. Nam, modo vel umbra aliqua ſimilitudinis appareat, ſtatim tu locos, tanquam eadem de re loquentes, ſimul nectis, atque conglutinas. Quanquam hic ne leviſſima quidem umbra alicujus ſimilitudinis conſpicitur. Nam quid prorſus commune habet locus ille Apocalypſis cum Pauli loco? 1. In Apocalypſi libri fit mentio, Apud Paulum autem chirographi. 2. In Apocalypſi de eo, quod factum in cælo fuerit, Apud Paulum vero de eo, quod in terra ſit factum, eſt ſermo. 3. Ibi de eo agitur, quod poſt Chriſti reſurrectionem, & in cælos aſcenſum extiterit, Hic vero de eo, quod in ejus morte extitit. 4. Ibi id commemoratur, quod Chriſtus fecerit, Hic autem id, quod à Deo patre eſt factum. Non enim, Chriſtum cruci chirographum illud affixiſſe, ait Paulus, ut tibi videtur, ſed Deum. 5. In Apocalypſi denique de nova quadam ſcriptura, aut certe non ante Chriſtum, ſed per ipſum Chriſtum publicata agitur, Apud Paulum vero de vetere, etiam ante Chriſtum, jam publicato ſcripto verba fiunt. Quis eſt autem, qui, ſi animum advertat, non perſpiciat, Paulum loqui de populi Iſraëlitici obligatione in ceremonialibus præceptis ſervandis, quam Deus per Chriſtum ſuſtulit? Verum, iſtuc Apocalypſis locum pertinere nulla ratione poſſe, conſtat. Alibi autem aliquanto exactius de eo Pauli loco infra agemus. Unde, quam modo diximus, ejus veram ſententiam eſſe, planiſſimum fiet.

XXIII. Pag. 98. ad facultatem aditi (ut tu loqueris) à Chriſto magiſtratus, adque ulciſcendi hoſtes de injuriis illatis ſine vitio poteſtatem, quædam ipſius Chriſti verba refers, quæ apud Matthæum ſic ſe habent

Matth. 16. 28, *Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.*

1. Fœde hoc loco lapſus es Palæologe, cum apertum ſit, Chriſti verba iſta ad ſuam in monte transfigurationem, magnificamque illam ſuæ gloriæ patefactionem tribus ex ſuis diſcipulis exhibitam (quod ante iſtius facultatis, & poteſtatis tempus factum eſt) referenda eſſe. Id enim vel ex eo liquet, quod ſtatim ejus tranſfigurationis narratio ſubſequitur, tempore etiam appoſito, quod inter verba illa, & ipſam interceſſit. Idque non modo apud Matthæum Matth. 17. 1, ſed apud Marcum quoque, Mar. 9. 2. & Lucam Luc. 9. 28. Qui Lucas narrationem iſtam ita auſpicatus eſt, *Factum eſt autem poſt hæc verba fere dies octo, & aſſumpſit*, &c. Unde perſpicuum omnino eſſe videtur, proxime antecedentium Chriſti verborum eventum, atque executionem ea narratione contineri. Non poſſe autem Chriſti verba ad id referri, quod tu affirmas, id ſatis demonſtrat, quod apud omnes Euangeliſtas, qui ea recitant, conſtanter legitur, *quidam de hic ſtantibus*, ſive, *aliqui hic ſtantes*. Nam, ſi id intellexiſſet, quod tu ais, ſine dubio Multi, aut tale quid dixiſſet, non autem Quidam, ſive Aliqui. 2. Hoc ipſe animadvertens, non veritus es Chriſti verba, dum ea recitas, corrumpere, & pro Quidam, quod eſt apud Matthæum, Multi ſubſtituere, atque ſupponere.

XXIV. Aſſeris pag. 99 Chriſtum poſtremis temporibus non ſumpturum vindictam (tuis verbis utor) ab hoſtibus, qui ſunt extra Eccleſiam, ſed ab iis, qui, cum intra caſtra Chriſti eſſent, dictis invenientur profeſſi Chriſtum, factis autem peccati militiam.

1. Hæc tua aſſertio compluribus Sacrarum Litterarum locis plane adverſatur, ex quibus manifeſtum eſt, Chriſtum ultima illa die de illis omnibus ſaltem pœnas ſumpturum, qui ad pœnitentiæ prædicationem divinitus inſtitutam reſipiſcere, & ipſi Chriſto obedire noluerint, oblatamque ſibi per ejus Euangelium Dei cognitionem reſpuerint. Quorum ingens numerus extra Chriſti caſtra ſemper fuiſſe, omnino deprehendetur. Ex locis autem prædictis duos tantummodo hic notabimus, quos veritatis ſtudioſus lector conſulere poterit. Ii ſunt Act. 17. 30, & 31, & 2 Theſſ. 1. 7. &c. Quid, quod tu ipſe tibi parum conſtans, pag. 278 in ipſo initio hæc de Chriſto verba ſcribis? *Quin & poſtremo tempore repurgabit regnum ſuum, non ſolum ab alienis, ſed etiam à domeſticis minus ſibi obtemperantibus ſervis, & pœnis damnabit mortis.* Vides, te hic, quod attinet ad Chriſti judicium poſtremo tempore exercendum, nullam inter alienos, & domeſticos differentiam conſtituere. Superiore autem loco ſic diſtinguendum eſſe ais, ut in priore quidem judicio Chriſtus alienos tantum ultus fuerit, in poſteriore vero ſolos domeſticos ulturus ſit. Qua de re iterum aliquid dicendum nobis erit.

XXV. Chriſti verba illa Matth. 6. 23, *Si lumen, quod in te eſt, tenebræ fuerint, tenebræ ipſæ quantæ?* de Euangelii doctrina accipis. eaque pag. 111 adhunc modum explicas, *Hoc eſt, ſi tu in tenebris es & doceris non doctrinam lucis ſed hominum & tenebrarum, nonne duplices erunt tuæ tenebræ, non ſimplices?*

Hæc tua Chriſti verborum interpretatio, atque explicatio inepta prorſus cenſeri debet. Primum quia ex antecedentibus, & ſubſequentibus patet, Chriſtum de hominis animo, ac ſtudio loqui, ut plerique omnes animadverterunt, nec ulla ratione, ſi explanatio tua admittatur, ſit hæc pars cum reliquo ejus ſermone cohærſura. Deinde quia Oculi ſive metaphora, ſive ſimilitudo nullo pacto fert, ut hic de Euangelii doctrina agatur, quæ non in nobis, ut oculus, ſed extra nos eſt, aut certe non, ut oculus, nobis innaſcitur, ſed aliunde proficiſcitur. Poteſt quidem Euangelii doctrina lumen, ſeu lux per tralationem appellari, ſed hoc loco nomen Lumen ipſum oculum, aut certe oculi lucem manifeſte ſignificat, non, qua oculus illuminatur, ſed, qua ipſe corpus illuminat. Dictum enim ante fuerat, *Lucerna corporis eſt oculus.* Nam, quod tu, ut pag. 177, & 178 apparet, ad Eccleſiæ corpus Corporis tralationem, aut ſimilitudinem refers, cujus corporis oculus doctrina Euangelii ſit, id ridiculum plane eſt, cum Chriſtus privatos, ac ſingulos non obſcure moneat, ſi quis velit corpus ſuum lucidum habere, curandum illi eſſe, ut oculum ſuum ſimplicem ac purum habeat.

XXVI. Quoniam videbas, quantum ſententiæ tuæ, quod Chriſtus apud Matthæum cap. 5 nihil aliud fecerit, niſi Scribarum, & Phariſæorum totius fere legis divinæ falſas interpretationes, inutiliaque additamenta reſpuerit, ea ipſius Chriſti verba repugnent, quæ leguntur apud eundem Matthæum in initio cap. 23. ubi diſerte Chriſtus turbæ, & diſcipulis ſuis præcipit, ut omnia ſervent, & faciant, quæ Scribæ, & Phariſæi ipſis dixerint; Quoniam, inquam, hoc videbas, propterea pag. 116 totis viribus conaris oſtendere, Chriſtum de ſola recitatione ipſorum Legis verborum, & Prophetarum locutum fuiſſe, cum ait, Scribas, & Phariſæos in cathedra Moſis ſedere. *Erat enim* (ais) *mos in ſynagoga Seniorum conſcendere ſcribas & Phariſæos pulpitum ſeu cathedram, & inde recitare aut Moſen (id eſt legem Moſis) aut vatum ſcripta: deinde deſcendere & aſſidentes, aut ſtantes in cœtu partem quam recitaverant interpretari. Hæc indicat Lucas Act. 13. ſi addas cap. 23 Matthæi, Super cathedram.*

1. Triplex hic erratum tuum deprehenditur. Primum enim in eo erras, quod non intelligis, quid ſit Sedere in cathedra Moſis, nec plane metonymicam locutionem eſſe animadvertis, ſed vocem Cathedram proprie accipis, (quid enim alioqui pulpiti, ſeu cathedræ, quam, Scribæ, & Phariſæi conſcenderent, in explanatione iſta tua meminiſſe attinebat?) Quaſi vero Scribæ, & Phariſæi in Moſis cathedra ſediſſe dici nequeant, niſi veram aliquam cathedram conſcenderint, & non manifeſtum ſit, Cathedram, inque ea ſedere, in Chriſti verbis docendi munus ſignificare, ſive id fieret ſtando, ſive ſedendo, ſive cathedram aliquam veram aſcendendo, ſive æquum locum una cum audientibus ſervando. Mitto autem, nec tibi errati loco duco, quod, etiamſi Chriſtus de vera cathedra locutus eſſet, non tamen continuo ſequeretur, in eam Scribas, & Phariſæos aſcendiſſe, immo vix in cathedram aſcenditur, quodque, ſi in iſta tua ſive cathedra, ut tu eam appellas, ſive ſuggeſto, Lex, aut vatum ſcripta recitabantur tantum, plane veriſimile eſt, id non ſedendo, ſed ſtando factum fuiſſe, & tamen Chriſtus non ſolum Cathedram nominat, quæ idcirco ſic vocatur, quia in ea ſedetur, verum etiam diſerte ſedendi in ea mentionem facit.

2. Secundo erras, quia ipſorum Phariſæorum munus fuiſſe ais, Legem Moſis, aut vatum ſcripta in ſynagoga recitare. Quod plane falſum eſt. Neque enim Phariſæi, tanquam Phariſæi, aliquo proprio munere in ſynagoga fungebantur. Sed tantum, tanquam Phariſæi, ſuos diſcipulos, & ſectatores habebant, qui tunc temporis maxima pars populi erant, quibus ipſi Moſis Legem interpretabantur, & in Dei voluntate, cognoſcenda, quemadmodum olim Moſes univerſo populo, præibant, ac duces erant. Propter quam cauſſam, eos ſedere in Moſis cathedra, dixit Chriſtus.

3. Tertio erras, quod Scribarum, & Phariſæorum morem iſtum aliquam Moſis, aut prophetarum è ſuperiore loco partem prælegendi, deinde vero pari cum cæteris loco in ſynagogis interpretandi, ex iis indicari putas, quæ ſcribit Lucas Act. cap 13. ſi illa addantur, quæ ſunt apud Matthæum cap. 23. *Super cathedram*, &c. Lucas enim nihil aliud indicat, niſi, in ſynagogis Legem, & Prophetas Legi conſueviſſe. Quod etiamſi cum iis, quæ apud Matthæum ſcripta ſunt, conjungatur, tamen nihil præterea efficietur, quam Scribas, & Phariſæos in ſynagogis Legem, & prophetas legere ſolitos fuiſſe. Nam, quod deinde ſeparatim eodem in loco partem, quam recitaverant, interpretarentur, de hoc nihil dicitur, nec ejus rei ullum ibi veſtigium apparet.

Immo,

Immo, quod Lucas ait, poſt lectionem Legis, & prophetarum miſiſſe principes ſynagogæ ad Paulum, & Barnabam, rogatum, ut, ſi quid haberent diçendum, quo populum cohortarentur, dicerent, ſatis aperte oſtendit, poſt Legis, & prophetarum lectionem, nullam ſeparatam eorum explanationem in ſynagogis audiri conſueviſſe. Quare non ſolum in Teſtimoniis pro opinione tua citandis, ſed in ipſa opinione, quam de antiquo illo more habes, te vehementer deceptum fuiſſe apparet.

4. Cæterum ex ante recitatis verbis, ac ſententia tua conſtat, te, in illa cathedra, quam Scribas, & Phariſæos in ſynagoga conſcendiſſe vis, nihil aliud ab ipſis prælectum fuiſſe, conſtituere, quam ipſa Legis verba, aut prophetarum. Id quod apertius ſequentibus ibidem verbis inculcas. Ais enim, *Igitur nihil conſueverant prælegere, niſi ipſiſſima legis & vatum ſimplicia verba*, &c. At vero in paraphraſi illa tua pag. 207. ita ſcriptum eſt, *Audiſtis etiam dictum à Scribis & Phariſæis, in ſynagoga ex cathedra, ubi legitur Lex populo & prophetarum ſententiæ audientibus ſenioribus: Proximum tuum amato & inimicum tuum oderis. At ego vobis dico*, &c. Itaque neceſſe eſt, aut hic, aut ibi te vehementer erraſſe, cum verba illa, *& inimicum tuum oderis*, non modo non ſint ipſiſſima Legis, aut vatum ſimplicia verba, ſed, ſi tibi credimus, merum Scribarum, & Phariſæorum commentum, atque ad Moſis Legem additamentum fuerit. Sed nimirum voluit Deus, ut ex ipſis verbis tuis contra te ipſum evinceretur, ſententiam illam, *Odio habebis inimicum tuum*, ejuſmodi eſſe, ut id ipſum omnino in Lege, aut prophetis ſcriptum extare, merito dici poſſit, & porro, te ipſo teſte, Chriſtum Matth. cap. 5. ipſam Legem, aut prophetas reformaſſe conſtaret.

XXVII. 1. Sed quid dicam, quod eadem pag. 116. cum videres, ſententiæ tuæ de interpretatione verborum Chriſti, *Super cathedram*, &c. nimis officere, quod Chriſtus nihil ibi dicat de pravis Scribarum, & Phariſæorum Legis interpretationibus, quas cavendas eſſe moneat, in explanatione quadam paraphraſtica eorum verborum iſtud idem de tuo addere non dubitaſti, & ita eum dicentem feciſti? *ſecundum autem opera, aut interpretationes illorum, nolite facere.* Nam unde additamentum iſtud tuum, *aut interpretationes illorum*, expiſcatus es? Nihil enim in ipſius Chriſti verbis de iſta ejus mente apparet. Dices (ut ex iis, quæ mox ſubjicis, conjici poteſt) Ex loco illo Matth. 15. 6, ubi Chriſtus affirmat Mar. 7. 13., Scribas, & Phariſæos ſua traditione Dei mandatum irritum feciſſe. Verum, an non ſatius eſt ita ejus verba interpretari, ut nullo additamento ſit opus? 2. Præterea locus ille minime ad rem facit. Aliud eſt enim Legem Dei interpretari, aliud proprias traditiones docere. 3. Adde, quod is locus de una quadam tantummodo Scribarum, & Phariſæorum traditione, deque uno Dei mandato loquitur, nec colligi inde poteſt, Scribas, & Phariſæos propter traditiones ſuas mandata Dei deſtruxiſſe, ut tu, ſingulari numero nimis audacter in pluralem converſo, ibidem Chriſtum loquentem inducis. Sed in prima hujus laboris noſtri parte ad ejuſmodi locos, qui pro tua interpretatione confirmanda afferri poſſent, ſatis reſponſum eſt.

XXVIII. Pag. 120. de iis verba faciens, quæ Chriſtus Matth. cap. 5. Moſis præcepta tractando, concionatus eſt, ita ſcribis, *Hæc cum Apoſtolis acta in principio, quo Jeſus Chriſtus iniit Propheticum munus, amplioribus verbis explicata ſunt, præſentibus Scribis ipſis & Phariſæis, à Jeſu Chriſto.*

Miror, te iſta ſcripſiſſe, cum nuſquam legatur, Jeſum Chriſtum, præſentibus Scribis, & Phariſæis, ea, quæ in illa concione dixit, niſi minima ex parte, docuiſſe, tantum abeſt, ut amplioribus verbis coram illis ea explicaverit. Sed hoc fortaſſe præter id, quod ab Euangeliſtis ſcriptum eſt, tibi divinitus patefactum fuit.

Mirabile commentum omnino illud tuum eſt, quod egitur pag. 142, & 143. & repetitum ex parte invenitur pag. 227, & pag. 228. Ais enim, Scribas, & Phariſæos quod ad juramenta attinet, duo populum docuiſſe, Unum, juramenta illa, Per cœlum, Per templum, Per altare nihil eſſe, ſi non obſervaretur juramentum, propter quod Lex de Dei nomine loqueretur, hic vero nullum eſſet Dei nomen, Alterum, quod, ſi quis juraſſet per aurum templi, vel per donum, quod eſſet ſuper altare, reus eſſet perjurii, niſi tantundem ſolveret. Et pag. 227 ais, ideo Scribas, & Phariſæos juramenta iſtiuſmodi approbaſſe, quia ſic non poterat populus pejerare ſine certo lucro Scribarum, & Phariſæorum.

XXIX. Non ſpero, me poſſe omnia errata explicare, quæ hoc tuo commento continentur. 1. Primum enim fieri non poteſt, ut ratio, quam Scribæ, & Phariſæi afferrent, cur jurare per templum, jurare per altare (nam in jurejurando Per cœlum, ut alibi vidimus, falſus es opinione tua) nihil eſſe ſtatuerent, ea eſſet, quod in his juramentis nulla Dei nominis mentio fieret. Nam hæc eadem ratio valuiſſet ad demonſtrandum, juramenta illa, Per aurum templi, Per donum, quod eſt ſuper altare, nihil ſimiliter eſſe. Quandoquidem ne in iſtis quidem Dei nomen nominabatur, quæ tamen juramenta eos magni feciſſe, cum ex Chriſti verbis Matth. 23. 16, &c. manifeſtum eſt, tum ipſe, ut vidimus, vehementer affirmas. 2. Deinde nullo pacto eſt veriſimile, Scribas, & Phariſæos id conſtituiſſe, quod dicis, debere eum, qui juraſſet juramenta iſta, ſi perjurus eſſe nollet, ſolvere tantundem, quantum erat illud, per quod juraſſet. Nam nulla prorſus ejus rei ratio apparebat, quam tamen tu, iis juramentis approbatis, id eſt, ut ſervari deberent, conſtituto, manifeſtam, ac neceſſariam fuiſſe dicere videris in illis verbis pag. 227. *Approbabant Scribæ & Phariſæi juramenta privatorum maxime illa, quibus per aurum templi, per dona quæ erant in altari Dei, jurabatur. Ita enim pejerare non poterat populus ſine certo lucro Scribarum & Phariſæorum.* Cur vero? An non potuiſſet quis, ſi ea juramenta non ſervaſſet, perjurus & eſſe, & ſimul haberi, & tamen non cogi ad tantundem ſolvendum, quantum illud eſſet, per quod juraſſet? Nam quid hoc cum illo commune habet? Num fortaſſe, cum quis (exempli gratia) per aurum templi jurabat, ſimul etiam promittebat, ſe, niſi jusjurandum ſervaſſet, tantundem ſoluturum, quanti eſſet aurum illud? Certe in ipſius jurisjurandi verbis, cujus tu in initio pag. 143 nobis formam quandam tradis, id neutiquam continebatur. Ad hunc enim modum juſjurandum conceptum fuiſſe ais, *Juro per hoc aurum me nihil ſcire, aut me hoc perfecturum.* Et ſane, ſi in ipſo jurejurando id comprehenſum fuiſſet, nihil fuiſſet opus, ut Scribæ, & Phariſæi ipſi conſtituerent, debere iſtum juramentum ſuum ſervare, &, ſi non ſervaſſet, niſi perjurii reus eſſe vellet, illud, quod jam dictum eſt, ſolveret. Quemadmodum eos feciſſe ex verbis tuis prædic. pag. 142 & 143 ſatis aperte colligitur. Ex quo etiam apparet, te tibi ipſi adverſari, aut certe parum conſtare, qui deinde pag. 227, ut viſum eſt, ais, non potuiſſe iſtum pejerare ſine certo lucro Scribarum, & Phariſæorum, & idcirco ipſos ejuſmodi juramenta approbaſſe. Nam, ſi ſola approbatio juramenti id per ſe ipſa efficiebat, nihil attinebat ea de re nominatim cavere. Nec verum eſt, id à Scribarum, & Phariſæorum conſtitutione profectum fuiſſe, ut tua verba præ ſe ferre videntur. 3. Præterea ab omni veriſimilitudine longe abeſt, conſtitutum fuiſſe, ut is, qui per aurum templi juraſſet, niſi perjurii reus eſſe vellet, tantundem ſolveret. Namque omnino credendum eſſe videtur, aurum templi tanti fuiſſe, quanti nullius, aut pauciſſimorum univerſa bona vix eſſe poſſunt. Ex quo factum eſſet, ut, dum Scribæ, & Phariſæi nimium lucri captaſſent, nihil lucri fere habuiſſent.

4. Huc accedit, quod lucrum ex ſolutione ejus, quod valuiſſet aurum templi aut donum, quod ſuper altari fuiſſet, non Scribis, & Phariſæis, ſed Sacerdotibus acceſſiſſet. Qua in re profecto aut ego vehementer fallor, aut tu turpiter lapſus es. 5. Poſtremo, ut alia nonnulla errata in hoc

commento, in ejuſque explicandi ratione tua reticeam, in eo valde reprehendendus es, quod tuorum dictorum, ne minima quidem ex parte, nullum omnino vel ex ſacris, vel ex profanis ſcriptoribus teſtimonium citas, nullam rationem, nullum argumentum affers, & tibi modo dicenti, tanquam ſanctiſſimo cuipiam oraculo, fidem vis adhiberi.

XXX. Pag. 154. leguntur hæc verba tua, *Chriſtus quoque cum Romanus magiſtratus tributum peteret interrogans ſuos* Matth. 17. 24, 25: abs quibus Reges terræ accipiant tributum, à filiis ne ſuis, an ab alienis? *Hoc eſt, à civibus ſuis, an à provincialibus? Et cum reſpondiſſent, ab alienis. Ergo, inquit, liberi ſunt filii? Hoc eſt, cives non ſolvunt tributum civibus. Nam Romani cives ab omni tributo erant liberi. Innuit autem Judæos & gentes paulo poſt unius fore civitatis cives, & unam gentem alteri non debere tributa ſolvere. Hoc eſt, magiſtratus converſos ad fidem non deſinere Magiſtratus gladii & miniſtros Dei eſſe.*

Quia, quid eſſet illud didrachmum, quod Chriſtus ſolvit, ut alibi oſtendimus, non aſſecutus fuiſti, propterea Chriſti verborum eo loco ſententiam nulla ex parte percepiſti, atque ea dixiſti, quæ nec vera ſunt, nec veriſimilia, aliiſque præterea erroribus hunc tuum errorem, & eos, qui inde proficiſcuntur, cumulaſti.

1. Primum igitur, quod ais, ibi magiſtratum Romanum tributum petiiſſe, ex eo, falſum eſſe, neceſſario conſequitur, quod, ut ſupra diſputatum fuit, didrachmum illud non reipublicæ, ſed Deo, non ex imperatorum recente juſſu, ſed ex Dei ipſius antiquo decreto pendebatur. Ubi etiam animadvertendum eſt, didrachmi exactores illos Capernai fuiſſe, hoc eſt in Galilæa. Cujus regionis, imperatoris Romani conceſſu, tunc temporis Herodes Antipas religione Judæus tetrarcha erat, ideoque princeps, ac Dominus. Nec veriſimile eſt, ſi quid tributi ex ea regione imperator accipiebat, ut id ſuo nomine à privatis exigi curaret, ſed ab ipſo Herode acciperet, cui tributorum ipſis privatis proprio arbitratu imperandorum curam relinqueret. 2. Sed quid eſt, quod deinde Filios in Chriſti verbis Cives ſuos, Alienos vero Provinciales interpretaris? Quis te allegoricas interpretationes ſine ulla neceſſitate inducere uſpiam docuit? Nam quid cauſſæ erat, cur Chriſtus iſtam ſermonis obſcuritatem, præſertim cum Petro diſcipulo ſuo loquens, affectaret, & cives Cives non appellaret? An non ſatis, ſuperque obſcuritatis in eo fuiſſet, quod, ut paullo poſt videbimus, Civium nomine non veros cives, ſed allegoricos intellexiſſet? Ex quo etiam apertius fit, priorem iſtam allegoriam tuam, ut Filii regum ſint ipſorum, id eſt (vide hic novam aliam ſermonis figuram) primariæ urbis cives, admitti non poſſe. Neque enim in eodem verbo bis allegoria uti conceſſum eſt, niſi ſi quis conſulto ita loqui velit, ut à nemine intelligi queat. 3. Ad hæc, ut verum ſit, quod ais, Romanos cives ab omni tributo fuiſſe liberos, non tamen ſequitur in omnibus, aut pleriſque imperiis, & regnis idem obſervatum fuiſſe, ut dominantis, aut principalis urbis cives ab omni tributo conferendo eſſent immunes. Quemadmodum Chriſti verba omnino ſignificant, ſi interpretatio iſta tua allegorica admittatur. Præterea fac, Chriſtum Filiorum regum appellatione, ipſorum cives ſignificare voluiſſe, quid hoc ad rem? Nam quod ais, Chriſtum innuiſſe, Judæos, & Gentes paullo poſt unius fore civitatis cives, iſtud commune Judæorum, & Gentium civitatis jus, non verum, ſed allegoricum eſt. Atqui reges (ſi modo verum eſt, quod dicis) non allegoricos, ſed veros cives ſuos à tributis pendendis immunes eſſe volunt. Itaque perit omnino, ſi interpretationem tuam amplectamur, Jeſu Chriſti ratiocinatio. 5. Denique nulla ratione fieri poteſt, ut Chriſtus id intellexerit, quod tu opinaris, cum nondum, ut ipſe fateris, Judæi, & Gentes unius civitatis cives eſſent, & Chriſtus jam argumentationem ſuam locum reipſa habere oſtenderit, &, ſe una cum Petro jam ab illo didrachmo ſolvendo liberum eſſe ſignificaverit, cum ait, *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade* &c. Perinde eſt enim ac ſi dixiſſet, Nos quidem ab hac pecunia ſolvenda liberi ſumus, & propterea id facere jure omittere poſſemus. Sed tamen, ne iſtis ſimus offendiculo, recte eſt, ut eam ſolvere non negligamus. Vade igitur, &c. 6. Quid, quod plane falſum eſt id, quod affirmare es auſus, Romanos cives ab omni tributo fuiſſe liberos? Quinimmo proprium civium Romanorum erat tributa in ærarium conferre? Id autem vel ex eo intelligi poteſt, quod, ut optimis Linguæ Latinæ, Romanæque hiſtoriæ auctoribus placet, vel tributum à tribubus, vel tribus à tributo dictæ ſunt. Ex cenſu enim Romæ à ſingulis civibus tributim pecunia exigebatur, & hæc tributum eſt appellata. Quod etſi propter externis prædis ditatum ærarium aliquando fieri deſitum eſt, non tamen propterea lex ulla eſt lata, ne Reſpub. deinceps Romanis civibus tributum aliquod imperaret. Nedum certum ſit, ſub imperatoribus cives Romanos ab omni tributo pendendo fuiſſe immunes. Quod cum ita ſit, vides, quanta interpretationis tuæ verborum Chriſti ſit ineptitudo. 7. Sed ne illud quidem laudandum eſt, quod, cum Chriſtus ſolum Petrum interrogaverit, ſoluſque Petrus reſponderit, aliis nec diſcipulis, nec domeſticis Chriſti præſentibus, ut ex ipſa hiſtoria, præſertim verò ex ipſo capitis ſeq. initio liquere poteſt, tamen tu, Chriſtum ſuos interrogaſſe, illoſque reſpondiſſe, affirmas. Supra minime vitio verſum, vel potius plane condonatum tibi fuit, quod Euangeliſtas fortaſſe pro Euangeliſta dixeris. Verum non idcirco tibi pro arbitratu in Sacris Teſtimoniis recitandis numerum pro numero ſubſtituere ubique conceditur. 8. Sed quid poſtremo dicam de tua ipſius explicatione interpretationis tuæ, ex qua colligitur, quod Judæi, & Gentes paullo poſt futuri eſſent unius civitatis cives, id vel nihil aliud fuiſſe, vel certe, à Chriſto indicatum, nihil potius ſignificaſſe, quam, magiſtratus converſos ad fidem non deſinere magiſtratus gladii, & Dei miniſtros eſſe? Quis ad hæc riſum tenere poſſit? Pluribus autem, plane ridiculam explicationem iſtam tuam eſſe, docerem, & ad ea, quæ te reſponſurum arbitror, ipſe prior reſponderem, niſi & jam ſatis in hiſce tuis verbis examinandis immorati eſſemus, & periculum eſſet, ne calumniator aliquis reprehenſionem noſtram probationis tuæ, ejus, quod probare intendis, negationem eſſe interpretaretur, ſi, errorem tuum indicaſſe non contenti, vehementius ea in re te exagitare pergeremus.

XXXI. In explanatione eorum Chriſti verborum Matth. 6. 19. 34, *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*, &c. Itemque illorum, *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*, &c. turpis omnino eſt, iſque nocentiſſimus error tuus. Putas enim, Chriſtum non ſimpliciter præcipere, ne ii, ad quos loquebatur, theſauros ſibi in terra congerant, nec ſimpliciter monere, non poſſe illos Deo ſimul, & Mammonæ, id eſt terrenis divitiis ſervire, ſed utrumque comparate ab eo dici. Itaque pag. 177. ſic Chriſtum loquentem inducis, *Studete rebus temporalibus, ſed plus ſpiritualibus. Theſaurizate in terra, ſed plus in cœlo.* Et pag. 178 ſic vel Chriſtum dicentem facis, vel ipſe, ut tibi videtur, ex ejus mente ratiocinaris, *Quare ſi ſtudes in Deum eſſe dives, primum locum da curæ cœleſtium rerum, ſecundum locum da terreſtrium ſtudio & labori. Ita & Mammonæ ſervies & Deo, & habebis theſauros in terra & in cœlo, ſi mammonam curaveris propter Deum, & terram colueris propter cœlum.*

Quid eſt Chriſti verba, interpretando, pervertere, ſi hoc non eſt? Chriſtus diſerte præcipit, non eſſe theſaurizandum in terra, monetque, non poſſe quemquam Deo, & Mammonæ ſervire, & tu tamen ais, illum ſic præcipientem, ac monentem, velle, ut in terra quoque theſaurizetur, nec negare, quin & Deo, & Mammonæ ſervire quis poſſit. Quid non audebis in Chriſti præceptis, ac monitionibus corrumpendis, cum hæc auſus fueris? Nam, ſi unicum ſaltem Chriſti verbum protuliſſes, ex quo mirabilis iſta ejus mentis explicatio tua vel leviſſime quidem indicaretur, ferri aliquomodo poſſet.

poſſes. Nunc autem, cum non modo ejus mentem contra ipſius verba interpreteris, ſed nihil alibi vel ab ipſo, vel ab alio dictum oſtendas, quod interpretationem iſtam tuam ſuadendi vim habeat, cumque præterea ex aliis Sacris Teſtimoniis ea falſitatis aperte convincatur, & Chriſtum, ut ipſa verba ſonant, non comparate, ſed ſimpliciter locutum fuiſſe conſtet, nulla ratione excuſari iſtæc tua audacia poteſt. Quid enim? An non (ut cætera omittam) hæc ſunt verba Pauli Apoſtoli 1 Tim 6. 8? *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Nunquid aliam Chriſti verborum interpretationem quærimus, ſi modo ea ulla interpretatione indigent? Eſt autem tua iſta audacia eo magis culpanda, quod hujus vitæ commodis inſervit, & carni noſtræ mirum in modum blanditur. Ex quo perſpicuum eſſe poteſt, unde ea proficiſcatur. Nam quid dicam, quod, ut ex modo recitatis Pauli verbis intelligi debet, Chriſti verba ea ratione, qua tu facis, interpretanda eſſe docere, nihil aliud eſt, quam homines in interitum, ac perditionem demergere? Itaque meræ nugæ ſunt, quod ais, poſſe nos Mammonam curare propter Deum, cum Paulus plane homines à divitiis quærendis abſterreat. Quippe quarum cura plena ſit ſummi ac certiſſimi periculi. Si enim de cura tantum divitiarum propter ipſas divitias locutus eſſet Paulus, non periculi-, ſed præſentis mali mentionem feciſſet. Nec dixiſſet, eos, qui divites fieri volunt, in tentationem, & laqueum incidere, ſed jam incidiſſe. Quid, quod apertiſſimum ex ipſius Chriſti verbis eſt, nullo pacto poſſe divitiarum curam cum Dei ſincero cultu conjungi, idque potiſſimum illum perſuadere curaſſe? Nimirum, ne quis putaret, ſe poſſe eodem tempore & Deo, & divitiis ſervire, quamvis Deum interim divitiis anteponere in animo haberet. Hoc aperte docet duorum dominorum ſimilitudo, & verba ſignificant, quibus in ea explicanda ipſe Chriſtus utitur, dum ait, neceſſe eſſe, ut unus ex duobus Dominis odio habeatur, alter vero diligatur, unus retineatur, alter vero contemnatur. Sive igitur primum, ſive ſecundum locum divitiarum curæ tribuere velimus, ea nulla ratione cum Dei ſervitio ſimul eſſe poteſt. 2. Quanquam tu alicubi iis verbis uteris, ut, modo Dei ſervitium non abjiciatur, divitiarum curæ primum locum tribui poſſe, concedere videaris. Ita te ſpiritus iſte mundanus invaſit, atque occupavit, ita te falſa Chriſti mentis interpretatio, juſtiſſimo Dei judicio, errare compellit. Prædicta enim pag. 177. hæc tua verba extant, *Sit igitur divitiarum temporalium ſtudium, ſed non ſine ſpiritualium cura.* Quis ex his verbis eam ſententiam, quam modo diximus, non eliciat? Nonne Sine præcipua ſpiritualium cura dicendum omnino tibi fuerat, ſi tibi ipſi ſaltem conſtans in eo eſſe perpetuo voluiſſes, ut ex Chriſti mente rerum ſpiritualium ſtudium majus eſſe debeat, quam temporalium?

3. Verum hanc ipſam de Chriſti mente ſententiam tuam non uno modo ipſe damnas, atque refellis. Primum enim pag. 179, illos duos Dominos, quibus neminem ſervire poſſe, ait Chriſtus, contrarias leges, & mores habere confiteris. Ex quo ipſe ſic infers, *Cum enim ſtudet uni obtemperare, cogitur alterum deſerere, & cum cupit huic parere, facere non poteſt, quin alteri ſit minus obſequens.* Itaque, te ipſo judice, nullo modo divitiis ſervire poſſumus, quin Dei ſervitium relinquamus. Quippe quod duo ſint Domini, contrarias leges, & mores habentes. Quæ ratio non præcipuum modo utriuſque ſervitium (quod ne duorum quidem conſentientium Dominorum fortaſſe dari poterit) ſed unius quoque præcipuum, alterius vero ſecundarium penitus excludit. Deinde eadem pag. pergens ais, duorum Dominorum ſimilitudinem à Chriſto allatam, ſic ſuo propoſito ab ipſo accommodari, ut velit dicere, eos, quibuſcum loquebatur, non poſſe duabus rebus diverſis intendere animum, Euangelio, & victui quotidiano. Et ſtatim ſubjicis, *Ita Petrus: non eſt æquum, inquit, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis* Act. 6. 2. Ac poſtmodum ibidem ita concludis, *Hanc ob cauſſam Deus mandata cura Euangelii Apoſtolis, ipſe ſuſcepit curam menſarum, ut eſſet veluti cocus & œconomus eorum.* Si igitur Chriſtus eos, quos docet, ne quotidiani quidem ſui victus curam habere vult, ſed eam univerſam Deo commendare, quomodo ſuis verbis divitiarum temporalium ſtudium illis permittit, dummodo ſpiritualium majorem curam habeant? Et ſane, cum omnino velis, Chriſtum ſolis Apoſtolis, & verbi Dei miniſtris eo in loco præcepta dediſſe, quos & hic, & alibi, præſertim vero in priore ſcripto, pag. 6, & in hoc eodem poſteriore, pag. 101, & 102, vis propriorum bonorum curam relinquere, & voluntarie pauperes eſſe debere, mirum eſt, te adeo tui ipſius oblitum eſſe, ut iiſdem Chriſti præceptis ſignificari velis, theſaurizandum quidem eſſe in terra, ſed ita ut plus theſaurizetur in cælo, & divitiarum terrenarum curam propter Deum, & propter cælum habendam eſſe. Sed legantur denique ea, quæ in Paraphraſi ſcripſiſti in illa verba, *Nemo poteſt duobus Dominis*, &c. pag. 212, & 213, &, te ipſum ſententiam iſtam tuam, quod ibi Chriſtus Mammonam propter Deum curari velit, funditus evertere, apertiſſime conſtabit.

XXXII. Pag. 184 hæc tua verba extant, *hoc regnum* (Dei) *duplicem habuit juſtitiam: unam in Judæis tantum, ante mortem Chriſti, condonationis peccatorum per reſipiſcentiam animi: alteram in non Judæis, per imputationem juſtitiæ per fidem, utrobique tamen fides, ſed hic cum majore vi.* Ex quibus aperte colligitur, te ſentire, poſt Chriſti mortem (quanquam præ incuria ita loqueris, ut id ante Chriſti mortem factum eſſe omnino dicere videaris) non-Judæis, ſive Gentilibus per ſolam fidem ſine animi reſipiſcentia imputatam fuiſſe juſtitiam. Diſtinguis enim manifeſte Judæorum ante Chriſti mortem juſtitiam ab hac, quæ poſtea non-Judæis conceſſa fuit, hac potiſſimum ratione, quod illa per animi reſipiſcentiam, hæc vero per fidem daretur. Nam, ſi ad utramque adipiſcendam animi reſipiſcentiam requiſitam fuiſſe, dicere voluiſſes, ſed ibi majorem, vel magis præcipue, quam hic, certe, quemadmodum dixiſti, utrobique fuiſſe fidem, ſed hic cum majore vi, ſic etiam iſtud nullo modo reticuiſſes.

1. Hæc opinio tua non ſolum falſa eſt, & Sacris Literis contraria, ſed etiam plane pernicioſa. Imputatio juſtitiæ nihil aliud eſt, quam remiſſio peccatorum, ſeu peccatorum (ut ſic dixerim) non-imputatio, ut ex iis evidenter apparet, quæ ſcribit Paulus ad Rom. cap. 4. dum ait, Davidem beatitudinem hominis in eo ſtatuere, ſi Deus illi juſtitiam imputet ſine operibus, idque ex eo probat, quod pronunciaverit, illos eſſe beatos, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & beatum illum, cui Dominus peccatum non imputavit Pſal. 32. 11, &c. Ex quo conſequitur, ſi Gentilibus juſtitia imputata fuit, etiamſi animo non reſipuiſſent, remiſſa, ſive non imputata illis fuiſſe peccata, quamvis in ipſis peccatis degentibus, & de vita emendanda nihildum curantibus. Qua ſententia neſcio an nulla fœdior, aut deteſtabilior excogitari poſſit, cum vel ipſi ſenſui communi pateat, nihil magis peccatorum condonationi adipiſcendæ adverſari, quam, ne animo quidem à peccando deſiſtere, nihilque magis Dei rectitudini, veræque juſtitiæ contrarium eſſe, quam, ut illi ignoſcat, qui improbus eſſe pergit, & nulla ratione reſipiſcit. Sacræ porro Literæ manifeſte docent, Judæis, etiam poſt Chriſti reſurrectionem, peccatorum remiſſionem ſine præcedente pœnitentia non contigiſſe. Nam quid (obſecro) eſt illud Act. 2. 38? *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Quid item illud Act. 3. 19? *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Et ne quis cauſletur, hæc Chriſti interfectoribus tantum, ſive iis, qui in ejus necem conſpiraverant, dicta fuiſſe, perpendantur verba illa Act. 5. 31, *Hunc principem & ſalvatorem Deus*

exaltavit dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum. Ex quibus ſatis conſtat, univerſo populo poſt Jeſu Chriſti reſurrectionem ea conditione remiſſionem peccatorum conceſſam fuiſſe, ſi pœnitentiam agerent. Meliore autem conditione hac in parte Gentiles fuiſſe, quam ipſum Dei populum, nullo modo eſt verifimile. Sed ipſas quoque Gentes ſine præcedente pœnitentia minime juſtitiæ imputationem adeptas eſſe, nullumque hac in re inter ipſas, & Judæos diſcrimen fuiſſe, id oſtendit, quod ſcriptum eſt Act. 11. 18, *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Nam ubi juſtitiæ imputatio, hoc eſt, ut diximus, peccatorum remiſſio eſt, ibi quoque vitam eſſe, neceſſe eſt. Ubi vero non eſt peccatorum remiſſio, ibi ne vita quidem eſſe ullo modo poteſt. Stipendia enim peccati mors Rom. 6. 13 Non minus autem Gentibus, quam Judæis una cum fide in Jeſum Chriſtum pœnitentiam publice commendatam ab ipſius Jeſu Apoſtolis fuiſſe, id planum facit, quod Paulus ait Act. 20. 20, & 21, ſe & publice, & per domos docuiſſe teſtificantem Judæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Fuit autem hæc inter Judæos, & Gentes æqualitas in conſequenda peccatorum remiſſione per pœnitentiam ſatis à Chriſto expreſſa, cum ait Luc. 24. 46: *Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma.* Summam quidem prædicationis, quæ Gentibus contigit, pœnitentiam fuiſſe, aperte docet Paulus, cum, Athenis in Areopago verba faciens, inter cætera inquit Act. 17. 30, *Et tempora quidem ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant.* Sed nihil aptius ad ea omnia, quæ hucuſque à nobis dicta ſunt, confirmanda, ea oratione cenſeri debet, quam Dominus Jeſus ad Paulum habuit. De qua ipſe Paulus ad hunc modum Act. 26. 15, &c. *Dominus autem dixit, Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris. Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti, & eorum, quibus apparebo tibi, eripiens te de populo, & Gentibus, in quas ego nunc mitto te, aperire oculos eorum, ut convertantur è tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem, quæ eſt in me.* Quibus Domini Jeſu verbis ea adjunge, quæ Paulus ipſe illico ſubjicit, *Unde, Rex Agrippa, non fui incredulus cœleſti viſioni. Sed iis, qui ſunt Damaſci primum, & Hieroſolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Nam ex prædictis Domini Jeſu verbis perſpicuum eſt, non minus Gentibus, quam Judæis, pœnitentiam prædicatam fuiſſe, eamque cum fide in ipſum Dominum Jeſum conjunctam, ad peccatorum remiſſionem. Sed, in pœnitentia agenda prædicationis ſummam conſtitiſſe, Pauli verba aperte docent. Quibus ipſe pro executione verborum Jeſu Chriſti nihil aliud ſe feciſſe commemorat, quam, ut omnes pœnitentiam agerent, publice monuiſſe. Per pœnitentiam igitur potiſſimum, tam Gentibus, quam Judæis, poſt Chriſti reſurrectionem peccatorum remiſſio concedebatur, tantum abeſt, ut ſine pœnitentia, ſive animi reſipiſcentia, ut tu eam appellas, Gentibus juſtitiæ imputatio contingeret, quæ, ut diximus, nihil aliud reipſa, quam peccatorum remiſſio eſt. Sciendum eſt enim, fidem illam (nempe in Chriſtum, ſive in Deum per Chriſtum) cui Sacræ Literæ id tribuunt, ut per eam nobis juſtitia imputetur, à pœnitentia ſeparari non poſſe: cum Chriſtus, ſive Deus per ipſum, perque ejus miniſtros pœnitentiam præceperit, & non niſi pœnitentiam agentibus quidquam pollicitus fuerit. 2. Quamobrem gravis præterea eſt error tuus, qui putes eam fidem à pœnitentia ſejungi poſſe. Quamvis enim utriuſque ſeparatim alicubi fiat mentio, tamen non ideo id fit, quod fides in Chriſtum ſeparari à pœnitentia poſſit, ſed ut ſciatur, qualiſnam ea pœnitentia eſſe debeat, nimirum qualem Chriſtus præſcripſit, atque etiam quia in Chriſtum fides cauſa eſt, ut pœnitentiam illam agamus, in eaque ad extremum uſque perſeverare poſſimus. Propterea Paulus, cum Athenis in Areopago, ut vidimus, dixiſſet, Deum omnibus hominibus ubique denunciare, ut pœnitentiam agerent, ſtatim illa verba adjecit Act. 17 31, *Eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, quem definivit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Vides manifeſte id, quod præcipue Gentibus Deus prædicari voluit, pœnitentiam fuiſſe, cui tamen Chriſti cognitio, & ob id fides adjungitur, nempe quia hujus voluntatis divinæ ipſa pleniſſimam fidem facit, adque ei perpetuo parendum facillime homines adducit. Hic autem error tuus inde neceſſario proficiſcitur, quod, quid ſit fides in Chriſtum, quidve credere, Jeſum eſſe Chriſtum, plane ignoras. Sed non eſt hic ea de re uberius diſputandi locus.

XXXIII. Cum pag. 218 adverſario, id eſt Racovienſium ſcriptore (ut tu eum loquentem inducis) ad Apoſtolica ſcripta provocante, tu viciſſim provoces ad ſcripta Prophetica, duo hinc errores tui ſatis aperte colliguntur. 1. Unus eſt, de quo prius agemus, quod Apoſtolica cum Propheticis ſcriptis non conſentire tacite affirmas. Etſi enim hoc, quod ad propoſitam ibi quæſtionem attinet, ſi recte explicatum fuerit, nullo prorſus pacto perperam dictum cenſeri debet, videlicet, ſi intelligatur, aliam eſſe rationem humanæ beatitatis, quam Prophetæ pro eo tempore populo propoſuerunt, & ſcriptis ſuis complexi ſunt, aliam vero eam, quam Apoſtoli ſuis ſcriptis conſignarunt, id eſt aliud Prophetas, aliud vero Apoſtolos Dei nomine hominibus præcepiſſe, ſi beati eſſe velint, tamen tibi perperam dictum exiſtimari debet. Quippe qui velis, nec Chriſtum, nec Apoſtolos legiſlatores fuiſſe, ſed Legis Dei (per Moſem ſcilicet jam antea latæ) vindices, & obſcurorum locorum per loca manifeſtiora interpretes. Sic enim habent ipſa verba tua priore ſcripto, pag. 21. eademque ſententia ex aliis tuis verbis omnino colligitur. Immo, niſi Apoſtolica ſcripta rejicere velis, ea ex univerſa, quam libro tuo comprehendiſti, doctrina tua, neceſſario elicitur. Certum eſt autem, tales quoque Prophetas fuiſſe, ob eamque rem, ſi id verum eſt, quod de Apoſtolis affirmas, cum Propheticis ſcriptis ſcripta Apoſtolica in præceptis dandis plane conſentire, neceſſe eſt.

2. Alter tuus error eſt, quod ſcripta Prophetica Apoſtolicis anteponenda cenſes, & non his, ſed illis ſtandum eſſe vis. Ex quo conſequitur, Apoſtolica ſcripta nonnulla continere, quæ admittenda non ſint, aut certe ſuſpecta merito eſſe poſſint, quippe quæ non ut ſcripta Prophetica, ſpiritu ſancto dictante, edita fuerint. Quemadmodum etiam ſatis intelligi poteſt ex ipſis verbis tuis. Ais enim, *Et ego ad ſcripta Prophetica [provoco], quæ dictante ſpiritu ſancto ſunt ædita.* Quaſi vero ſcripta Apoſtolica, ad quæ provocantem prius feceras adverſarium tuum, minime ſpiritu ſancto dictante edita fuerint. Qui tuus error qualis, quantuſque ſit, à nobis latius hoc loco non explicabitur, ſed unicuique judicandum relinquetur. Nam, quod ibidem addis, *& in quibus eſt vita æterna*, ex quibus verbis ſimiliter, quemadmodum apertum eſt, te affirmare, in Propheticis ſcriptis vitam æternam eſſe, ſic non admodum obſcurum eſt, te negare, in Apoſtolicis ſcriptis eſſe vitam æternam, quorum utrumque eo ſenſu, quo à te dicta, aut indicata ſunt, plane falſum eſt, hac de re, inquam, inferius aliquid explicatius dicemus.

XXXIV. Cum iis, quos modo notavimus, erroribus tuis ille mirum in modum conſentit, qui pag. 222, & pag. 223 continetur, & à nobis primæ partis cap. 7 indicatus eſt. Aperte enim, ſi tibi tuæque doctrinæ fides adjungatur, ex prædictis locis colligitur Chriſtum nihil dixiſſe, quod Deus antea alia ratione non dixerit, &, quæ Deus ante Chriſtum mandaverat, à Chriſto nullo

nullo modo mutari potuiſſe. Illud, ut alibi vidimus, aliis verbis comprehenſum eſt prædicta pag. 222. Hoc vero pag. 223. in illis verbis, *Falſum igitur eſt Chriſtum charitatem & patientiam* (quanquam operarum incuria, quæ ab eo, qui errata collegit, minime animadverſa fuit, legitur, *& charitatem patientiam*) *docere Magiſtratum, cum major charitas aut patientia in Magiſtratu eſſe non debeat, quam Deus pater & major Domino noſtro Jeſu Chriſto, eſſe mandaverit.*

Jam vero ex iſtis aſſertionibus tuis unum de quatuor, quæ ſtatim dicam, neceſſario concluditur, Aut Chriſtum vere à Deo miſſum non fuiſſe, vereque Dei nomine locutum non eſſe, Aut manifeſte conſtare, mandatum illi fuiſſe à Deo, ut nihil aliud omnino populum doceret, quam id, quod jam antea divinitus doctus fuerat, Aut non poſſe Deum, vel non ſolere ea, quæ ſemel mandavit, aut promiſit, ulla ex parte unquam mutare, vel revocare, Aut denique perſpicuum eſſe, Deum omnino decreviſſe, ut ea omnia, quæ ante Chriſti adventum populum ſuum docuiſſet, prorſus immutabilia forent, adeo ut ne addi quidem illis unquam aliquid poſſet.

Primum falſiſſimum eſt, & præterea maxime impium, cum valde perſpicuum ſit, neminem unquam verius à Deo miſſum fuiſſe, quam Jeſum Chriſtum, neminemque verius, quam ipſum, Dei nomine locutum eſſe, immo ipſum cæteris omnibus hac in parte non minus, quam in reliquis, longe anteceſſiſſe. Nam quid illa ſunt, *Deſcendi de cœlo, Exivi à patre* Joh. 6. 38. xvi. 27, & ejuſmodi alia non pauca? quid aliud, inquam, ſunt, quam (ſi modo vera dixit Chriſtus) apertiſſima & certiſſima teſtimonia, ipſum quam veriſſime, & ſingulariſſima quadam ratione à Deo miſſum fuiſſe? Quid item illa Joh. 14. 9, & 10, *Qui vidit me, vidit patrem, &, Ego in patre, & pater in me eſt*, ac pleraque ſimilia, quam clariſſimæ & firmiſſimæ teſtificationes, ipſum Dei nomine cum maxime vere, tum maxime proprie locutum fuiſſe? Quibus adde, quod ipſe in ſinu patris eſſe dictus eſt, quod Dei inconſpicui imago appellatur, expreſſaque forma ſubſtantiæ illius, quod in ipſo habitare ſcriptum eſt omnem plenitudinem divinitatis corporaliter Joh. 1. 18. Col. 1. 15. Hebr. 1. 3. Col. 2. 9, quod denique, ut alia pæne innumerabilia teſtimonia reticeam, Deus ipſe de cælo ſic de eo teſtatus eſt: Hic eſt filius ille meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipſum audite. Matth. 17. 5, Hæc autem pauca teſtimonia ad rem tam manifeſtam, quamque ſi quis neget, is, ſe Chriſtianum nullo modo eſſe, fateatur neceſſe eſt, confirmandam minime attuliſſem, niſi quædam verba tua, quæ antea retulimus, te ea de re dubitare, ſuſpicionem cupiam injicere poſſe, animadvertiſſem. Nam, ſi firmiter credis, Jeſum Chriſtum vere à Deo miſſum, vereque Dei nomine locutum fuiſſe, quid hic attinet commemorare, Deum patrem majorem Domino noſtro Jeſu Chriſto eſſe. Quantovis enim minorem Deo patre Chriſtum eſſe velis, tamen quidquid dixit Chriſtus, Deus ipſe pater dixiſſe cenſendus eſt, & propterea, quod attinet ad auctoritatem, quam Chriſtus dicendi haberet, nulla prorſus iſtius (ut ita dicam) divinæ paternæque majoritatis ratio eſt habenda.

Sequitur alterum, quod ſcilicet aperte conſtet, Chriſto à Deo mandatum fuiſſe, ne populum ſuum aliud quidquam doceret, quam illud ipſum, quod jam is populus divinitus doctus fuerat. Verum quid uſquam ea de re apparet? aut quis eſt, qui ſe ex animo Chriſtianum eſſe profiteatur, qui id affirmare audeat, immo vero non exhorreſcat, cum Chriſtus ipſe & verbis contrarium teſtatus ſit, & reipſa aliud populum docuerit præter id, quod antiquitus divina ratione edoctus fuerat? Quod ex iis apertiſſimum eſſe arbitramur, quæ à nobis copioſe in prima hujus reſponſionis noſtræ parte diſputata hac de re fuerunt.

Tertium erat, quod Deus vel non poſſit, vel non ſoleat id, quod ſemel mandavit, aut permiſit, ulla ex parte unquam mutare, aut revocare. Prior hujus dicti pars ſummam vel impietatem, vel ignorantiam adeo & præ ſe fert, & revera continet, ut refutatione non egeat. Quid enim? an non poteſt Deus ad tempus aliquid velle, & non in perpetuum? Num fortaſſe inconſtans, aut mutabilis erit, ſi, quæ ſemel voluit, perpetuo etiam non velit? Atqui iſtud tunc demum verum eſſe poſſet, ſi, cum aliquid primum voluit Deus, id etiam perpetuum fore decreviſſet, de quo mox videndum erit. Alioqui Deo minus, quam hominibus concederemus, quos certum eſt poſſe nulla inconſtantiæ, aut mutabilitatis nota, multa ad tempus tantum velle, & rurſus eidem id adimeremus, ex quo maxime inter cætera apparet, ipſum eſſe unicum, & ſummum omnium rerum Dominum, & cuncta pro arbitratu, atque imperio ſuo regere, ac moderari. Poſterior autem ejuſdem dicti pars plane falſa eſt, & falſitate ſua prioris falſitatem aperte coarguit. Certiſſimum eſt enim, multa à Deo prius vel mandata, vel permiſſa fuiſſe, quæ poſtea ab ipſo mutata, aut revocata fuerunt. Et, ne longius abeam, præſertim cum tu ea neges, quæ manifeſtiſſima ſunt, &, ipſum populum Hebræum a ceremonialibus præceptis liberatum fuiſſe, minime concedas, qua tamen in re quantopere fallaris, poſtea videbimus, ne longius igitur abeam, dico, teipſum confiteri, ante Chriſti mortem ex Dei lege non licuiſſe præputiatis conjungi populo Dei, niſi circumciderentur, poſt mortem vero licuiſſe, ut ex iis apertum eſt, quæ ſcribis priore ſcripto pag. 40. Ex quo conſequitur, ex eadem Dei lege non licuiſſe Judæis ante Chriſti mortem cum præputiatis matrimonia contrahere, poſt vero licuiſſe: ut ipſe fateris pag. 226. Et hæc, quod attinet ad Dei mandatorum immutationem. Quod vero pertinet ad permiſſionum revocationem, illud ſatis, ſuperque eſt, unde etiam erroris convinci manifeſto potes, quod, ut alibi obſervavimus, pag. 252, & 253, ea ſcribis, ex quibus omnino hæc ſententia elicitur, ante Chriſtum permiſſum fuiſſe, ut quilibet eum, qui ſe injuria affeciſſet, etiamſi pœnitentiam ageret, per magiſtratum ulciſceretur, poſt Chriſtum vero minime. Quippe qui hanc charitatis legem ipſe tulerit, ne quis accedat ad magiſtratum, & ſe offendentem puniri curet, cum offendentem pœnitet admiſſi mali.

Reſtat quartum, quod erat, Deum evidenter decreviſſe, ut, quæ ante Chriſti adventum populum ſuum docuiſſet, prorſus immutabilia permanerent, adeo ut ne adjici quidem ipſis quidquam in æternum poſſet. Quod non minus falſum, quam reliqua tria, cenſeri debet. Etſi enim multis in locis Veteris Teſtamenti Deus affirmat, ea mandata, quæ populo per Moſem aut jam dederat, aut tunc dabat, æterna eſſe debere, tamen (ut pervulgatas alias reſponſiones eorum omittam, qui mecum ſentiunt, id eſt omnium ferme Chriſti nomen profitentium) Deus ita locutus eſt, non ut moneret, ſe nunquam mandata illa mutaturum (quid enim hoc monere opus fuerat, etiamſi Deus id facere omnino decreviſſet? an non ſatis fuiſſet illa nunquam mutare?) Sed ut populus nunquam ea antiquata eſſe ſuſpicaretur, niſi prius aliud ab ipſo conſtitueretur, etiamſi nihil præterea de iis ſervandis ipſe locutus fuiſſet. Itaque non ſibi ea mutandi, ſed populo (ex ſuo nimirum capite) mutata cenſendi viam præcludere voluit. Quid, quod poſſunt ea mandata (ut profecto Decalogi moralia ſunt) æterna eſſe, & tamen iis aliquid adjici, quod tu Chriſtum nullo pacto feciſſe contendis? qua de re alibi ſupra ſatis diſputatum eſt. Certe, quidquid in Vetere Teſtamento de non addendo legi Dei dicitur, id non ipſum Deum, ſed populum reſpicit, ne ſcilicet populus ipſe per ſe ita audax eſſet, ut legi divinæ quidquam adjiceret. Jamque tandem dijudicari poteſt, quid cenſendum ſit de aſſertionibus illis tuis, cum ex iis quatuor, quorum unum ſaltem inde conſequi neceſſe eſt, nullum vel maxime impium, vel omnino falſum eſſe non appareat.

XXXV. At rurſus modo notato errori tuo valde affinis eſt ille, qui ex iis verbis colligitur, quæ ſcribis pag. 225: *Igitur & Paulus correxit Moſis legem. Eſt igitur*

Lex Moſis non Dei, ſed quiddam quale quale, quod ſit cujuſvis illud emendare. Hinc enim manifeſtum eſt, te ſentire, Paulum non divinum, ſed vulgarem hominem fuiſſe, nulla divinarum rerum ſingulari cognitione præditum. Nam certe, cum velis, ſiquid Paulus facere potuit, idem cuivis facere licere, aperte oſtendis, te Paulum non pluris facere, quam quemvis alium. Qua in re quam graviter erres, qui Jeſu Chriſti Apoſtolos nullo propemodum numero habeas, ii ex Chriſti nomen profitentibus videbunt omnes, qui Judaico ſpiritu excæcati non fuerint.

XXXVI. Pag. 226 dicis, vel potius dicere vis, expanſa per Chriſtum Dei benedictione ad omnes gentes præputiatas, conſtitiſſe matrimonium inter ipſas, etiamſi altera pars noluiſſet credere, Jeſum eſſe Chriſtum, *maxime cum* (ipſa tua verba recito) *nullum eſſet periculum, ne pars credere nolens traheret partem credentem ad cultum aliorum deorum: cujus periculi cauſa divulſiones matrimoniorum inter Judæos, & non Judæos fiebant.*

Hic non video (quod & alibi ſupra indicavimus) quomodo adverſus rationem, ipſamque adeo experientiam non graviter erres. Nam quæ cauſſa eſt, cur, ſi alter ex duobus conjugatis, qui Judæus non fuiſſet, facile alterum ad cultum aliorum deorum, præterquam unius Jehovæ, trahere potuiſſet, ut ipſe & confiteris, & plane conſtituis, & Sacræ Litteræ teſtantur, cur, inquam, alter ex duobus conjugatis, qui Chriſtianus non eſſet, ſed idolorum cultor, ad idola ſua colenda alterum pertrahere nullo modo potuerit? Nam, ſi dicas, non poſſe eum, qui ſemel idola reliquerit, ad ea colenda amplius reverti, hoc fortaſſe verum videri poſſet, ſi de interiore duntaxat cultu ſermo eſſet. Nunc, quando idem hic præſtat exterior, quod interior cultus, & de utrocumque eſt ſermo, fatendum eſt, poſſe eum, qui idola colenda non eſſe agnoverit, ab eorumque cultu ſe penitus ſeparaverit, ad ea tamen colenda iterum reverti, & quapiam, licet injuſta, de cauſſa id facere, quod ipſe minime probet. Quod utinam & noſtro, & antiquioribus ſeculis non tam frequenter ipſa experientia comprobatum fuiſſet. Quanquam nihil prohibet, eum, qui ſemel veritatem agnoverit, iterum mendacio fidem adjungere. Multa enim ſunt, quæ nos excæcandi vim habent. Inter quæ omnium fere ſapientium teſtimonio mulierum amor præcipuum locum obtinet. Cenſet Paulus 1 Cor. 7. 26, imminente perſecutione, ſatius eſſe cælibem vivere, ne forte conjugis cura, & amor a recto curſu nos avocet, aut ſegnes ac timidos in divina obedientia, Euangeliique profeſſione efficiat. Quot hodie vidimus, ac videmus inter eos, qui Chriſti nomen profitentur, qui, ut conjugi placeant, idola à quibus aliqua ratione ſemel deſciverant, rurſus colunt, ac venerantur? Adde, quod Pauli ſententia de non dirimendis fidelium & infidelium conjugiis, non modo locum habere cenſenda eſt, ubi fidelis prius infidelis fuerit, ſed etiam ubi perpetuo fuerit fidelis. Itaque crediderim, ſi contingeret, ut ex duobus matrimonio copulatis alter ex fidelibus natus ſemper in fide perſeveraſſet, alter vero poſt matrimonium à fide deſciviſſet, ſi una habitare conſentirent, alterum ab altero dimittendum non eſſe. Quod ſi concedatur, jam ceſſat cauſſa illa nullius periculi, ne fidelis ab infideli ad aliorum deorum cultum trahatur, quod ſcilicet is, qui ſemel idola reliquerit, ad ea amplius colenda redire non poſſit. Hic enim fidelis nunquam idola reliquit. Neque ulla inter iſtum, & eum, qui natus Judæus fuerit, quod ad hanc rem attinet, differentia conſtitui poteſt.

XXXVII Memini, me in prima hujus diſputationis noſtræ parte non ſemel te reprehendiſſe, quod quædam ad civiles cauſſas pertinere diceres, non autem ad crimina, in quibus tamen de delictis agebatur, nec ſatis mirari potuiſſe, cur ita loquereris. At nunc video, unde factum ſit, ut ita locutus fueris. Pag. enim 246 ais, *Jus autem civile eſt omne jus præterquam de capite.* Sed unde quæſo iſtud tuum enunciatum deprompſiſti? Nam Juris civilis nomen proprie ſumptum omne jus ſignificat, quod proprium alicujus civitatis eſt, &, cum ita ſimpliciter pronunciatur, κατ' ἐξοχὴν jus civile Romanorum declarat. Et quanquam, proprie loquendo, id jus, quod Romanorum eſt proprium, eo nomine intelligatur, tamen uſus obtinuit, ut omne jus, quo Romani utuntur, ea appellatione plerumque ſignificetur, ſive id ex peculiaribus populi Romani inſtitutis proficiſcatur, ſive ex alterius cujuſpiam populi, vel etiam ex ipſius naturæ, & gentium placitis ſumptum fuerit. Hac igitur nominis Juris civilis notitione, quæ apud bonos auctores frequenter extat, illud jus quoque comprehenditur, quod ad ipſa crimina, adeoque ad capitales cauſſas pertinet. Nec enim minus (verbi gratia) juris civilis Romanorum pars eſt Lex Cornelia deſicariis, quæ, ut inquit Juſtinianus, * homicidas ultore ferro perſequitur, quam Lex Falcidia, qua, ut idem ait, legatis modus impoſitus eſt. Eſt tamen alia in communi loquendi uſu, & apud minus probatos auctores non quidem Juris civilis, ut arbitror, ſed Cauſſarum civilium ſignificatio, ut Cauſſarum civilium appellatione eæ omnes cauſſæ intelligantur, in quibus de nullo delicto præcipue agatur, ſive id capitale ſit, ſive minus. Quibus Cauſſæ criminales, ſeu Crimina opponuntur, eaſque cauſſas ſignificant, in quibus de aliquo delicto, quantumvis levi, præcipue agitur. Itaque vides, & ſecundum hanc, & ſecundum illam ſignificationem te peſſime ubique locutum fuiſſe, & hic ejuſmodi notionem huic voci Juri civili ſubeſſe affirmaſſe, quæ ab omni cum loquentium, tum ſcribentium conſuetudine maxime abhorret.

XXXVIII. *Tranſtulit ad ſe* (inquis pag. 250.) *Enochum* (Deus) *ne malitia ejus immutaret animum.* 1. Hoc ex tuo, vel alio humano capite confictum eſt. Haud paullo aliter auctor Epiſt. ad Hebr. cujus hæc ſunt verba Hebr. 11. 5. Gen. 5. 24. *Fide Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus, ante tranſlationem enim ipſius teſtimonium habuit, placuiſſe Deo.* Cui conſentit egregius ſane, quamvis non plane claſſicus, divinarum rerum ſcriptor Jeſus Sirachi filius Eccle. 44. 15. XLIX. 16. Non igitur, ne malitia animum ejus immutaret, ut tu comminiſceris, ſed quia Deo carus erat, tranſlatus eſt Enochus à Deo, & à morte conſervatus. Quo conſervatione nihil erat opus, ſi id Deus cavere voluiſſet, ne Enochi malitia ejus animum immutaret. Satis enim fuiſſet, ſi eum in hac mortali vita amplius eſſe non permiſiſſet. Nec tu profecto ad id declarandum, quod eo loco intelligis, ulla alia re opus habes. 2. Nec porro leviter culpandus es, qui Enochi exemplum ibi attuleris, ubi de morte tantum à Deo immiſſa quæritur, cum Enochus non modo, ut ipſe fateris, ad Deum tranſlatus fuerit, verum etiam, ut plane divinus ſcriptor ille teſtatur, idcirco tranſlatus fuerit, ne mortem videret

XXXIX. Pag. 256 ais, leges omnes virtutis, & vitii dictatas à Deo patre noſtro non pertinere ad magiſtratus, qua magiſtratus ſunt. *Nam* (inquis) *non eſſent latæ in homines ſed in Deum. Eſt enim magiſtratus Deus in terra. Cum autem Lex non ſit lata juſto homini ſed injuſtis hominibus, videretur Deum poſſe injuſtum eſſe, ſi leges juſtitiæ pro ipſo Deo continendo in officio eſſent latæ*, &c.

Hic ſane, Palæologe, videris ſtudio importune magiſtratibus aſſentandi ita abreptum fuiſſe, ut exiſtimationis de judicio, conſtantiaque tua nullam rationem habueris. 1. Primum enim, quod attinet ad judicium, quid magis abſurdum excogitari poteſt, quam, magiſtratum ita Deum in terra eſſe, conſtituere, ut in munere ſuo exequendo errare nequeat, & ne ab ipſo quidem Deo, qua magiſtratus eſt, ei leges imponi poſſint? eumque (ut uno verbo dicam) ipſiſſimum Deum facere? Eſt quidem magiſtratus Deus in terra, quatenus ſupremam inter homines poteſtatem habet, ipſiuſque Dei vicarius eſt, ex quo fit, ut ei ſive juſto, ſive injuſto reſiſtere nullo modo liceat, nec ejus mandata negligere, niſi ea divinæ patefectæ voluntati, præceptiſque nobis ab ipſo Deo datis adverſentur. Sed, quod pro ipſo magiſtratu in

* Inſtit. lib. 4. titulo, De publi. jud. & lib. 2. tit. De lege Falc.

officio

officio continendo nullæ juſtitiæ leges à Deo datæ fuerint, id vero & per ſe manifeſte falſum eſt, & tu ipſe (2. Ut deinde de inconſtantia tua agamus) ejus contrarium paullo poſt fateri coactus fuiſti, ac dixiſti, *Propoſuit tamen Deus ſuis vicariis, ne prolaberentur, quaſdam adminiſtrandi juris præſcriptiones, quæ ad privatos homines non pertinent, ſed ad magiſtratus.* Quod ſi forte iſtas adminiſtrandi juris præſcriptiones à juſtitiæ legibus pro magiſtratu in officio continendo, aliqua ratione, quæ tibi quidem ſubtilis videatur, ſed futilis revera, & plane ridicula ſit, diſtingui velis, in eo ſalrem inconſtantiæ crimen vitare non poſſis, quod rationem, quam prius attuleras, ut probares, à Deo nullas juſtitiæ leges pro magiſtratu in officio continendo latas fuiſſe, quia ſcilicet, cum magiſtratus Deus ſit, videretur ipſe Deus injuſtus eſſe poſſe, hanc, inquam, rationem poſtea nihili facis. Nam certe eadem ratione evincitur, Deum vicariis ſuis, id eſt magiſtratibus, nullas juris adminiſtrandi præſcriptiones propoſuiſſe, ne prolaberentur. Alioqui, cum magiſtratus Deus ſit, videretur ipſe Deus prolabi poſſe.

XL. Explicans pag. 257 quomodo, uti affirmaveras, nos non ita diceremur filii Dei, ſicut Jeſus Chriſtus filius Dei dicitur, ſic ais, *Ipſe enim, ut & Rex magiſtratus noſter, poſt mortem declaratus cum potentia filius Dei, ſuſcepto regno novo & rediens ex longa peregrinatione: Nos autem credendo ipſum Jeſum eſſe Chriſtum.* Ut cætera errata tua, quæ in hac a te inter nos, & Chriſtum differentia conſtituta continentur, reticeam, ut pote quæ longiorem diſputationem requirant, illud unum, quod admodum proclive eſt, indicabo, te ſcilicet cum explicare debebas, quomodo nos filii Dei dicamur, unde fiat, ut eo perveniamus, explicaſſe, id eſt pro formali (quam vocant) cauſſa efficientem, dixiſſe. Neque enim ipſum credere, Jeſum eſſe Chriſtum, filiorum Dei appellationem in ſeipſo complectitur, ſed qui credit, Jeſum eſſe Chriſtum, is, quia ſic credit, illud, ſive illa ſtatim conſequitur, unde merito Dei filius dici poteſt.

XLI. Diximus in ſecunda hujus noſtræ reſponſionis parte, falſo à te pag. 262 Racovienſibus objectum fuiſſe, quod dicerent, terram Chananæam mercedem à Moſe ſervantibus legem Dei fuiſſe propoſitam. Id tamen, quod eos dicere ajebas, falſum eſſe, à te ex parte demonſtrari affirmavimus. Hoc enim facis in illis verbis ex Paulo deſumptis Gal. 3. 18, *Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione.* Verum quædam ibidem de tuo ſubjicis admodum perverſe dicta. Ais enim, *Terra autem Chananæa non eſt hæreditatis, ſed promiſſionis.* Quaſi ſupra à te ex Pauli mente inter hæreditatem, & promiſſionem diſtinctum fuiſſet, & quaſi, quidquid ſervatæ legis Moſaicæ merces eſt, hæreditatis quoque (ut tu loqueris) eſſe neceſſe ſit. 1. An non manifeſte Paulus in illis verbis hæreditatem cum promiſſione conjungit, cum ex eo, quod hæreditas ex promiſſione pendeat, eam ex Lege eſſe negat? 2. An non tu ipſe pag. 260 inter hæreditatem, & mercedem aperte diſtinguis? 3. Quomodo autem, terram Chananæam hæreditatis eſſe, prorſus negare es auſus, cum hæreditas diſerte in Sacris Literis appelletur Levit. 20. 24. Pſal. 135. 12. Hebr. 11. 8? Sed ſtatim addis, *ita ut non niſi impii eam attigerint.* 4. Quam recte hoc ex ante dictis conſequatur, aliorum erit judicium. 5. At, quam verum ſit, ipſe ſententiam feres, qui illico ſubjicis, *Unde præter duos ob non ſervatas leges Dei, fuerunt omnes ad unum cæſi in deſerto à Deo.* Nam, ſi violatores divinarum legum in deſerto perierunt, quomodo ſoli impii Chananæam terram attigerunt? 6. Id ſaltem ex te ſcire velim, quomodo ex eo, quod non niſi impii eam attigerint, inferas, legum Dei violatores in deſerto periiſſe. Hæc duo ſane vel inter ſe omnino repugnant, vel certe alterum ex altero concludi nullo modo poteſt.

XLII. Sed jam, ſeligendis erratis tuis, ad eum locum pervenimus, ubi omnium fortaſſe maximum, quodque cæterorum magna ex parte fons, atque origo eſt, multo quam alibi, expreſſius habetur. Quanquam enim ex iis omnibus, quæ in hac tua cum Racovienſibus diſputatione ſcripſiſti, perſpicuum eſt, te diſcrimen Legis, & Euangelii minime intelligere, & paſſim ubique ſententiæ tuæ propria & clariſſima veſtigia apparent, tamen id apertiſſime, tanquam ſuo loco, iis verbis confignatum eſt, quibus nominatim, quamnam inter Legem, & Euangelium differentiam conſtituas, explicare voluiſti. Sic enim ſcribis pag. 264, & 265: *Ego diſcrimen legis & Euangelii aliud eſſe non intelligo, niſi in vocatione præputiatorum ad Eccleſiam, ut illi præputiati ſcilicet eſſent liberi & non ſicut Judæi ſub jugo legis circumciſionis, Sabbatorum, purificationum, & cæterorum ſacerdotii Aaronici, ſervirent Deo, ſed cætera erant conformia: ut ſcilicet uterque populus collocaret ſpes ſuas in uno Deo, & in unum Jeſum (qui receptus pro Chriſto, liberabat homines à ventura ira,) crederet. In una lege virtutis & vitii, in uno præmio vitæ æternæ, in una obedientia erga Deum, in uno metu gehennæ, poſt hanc vitam contineretur. Nullum diſcrimen, inquam, invenio, inter hos duos populos, hoc eſt, inter legem & Euangelion, niſi quod Judæi eſſent ſecundum carnem circumcidendi, præputiati non eſſent.*

Antequam de re ipſa diligentius agamus, quædam examinanda ſunt, quæ ad modum explicandæ ſententiæ tuæ pertinent, atque ea in re errores quidam, & inconſtantiæ tuæ retegendæ, ut ſimul etiam aliquanto clarius, quid tibi velis, intelligi queat. 1. Primum igitur, cum diſcrimen Legis, & Euangelii explicandum proponas, id eſt, in quo Lex per Moſem lata à Chriſti Euangelio differat, duorum populorum, nempe Judæorum, & Gentilium poſt Chriſtum exhibitum differentiam explicas. Quos etiam duos populos nomine Legis, & Euangelii videris intelligere, cum ais, *inter hos duos populos, hoc eſt, inter legem & Euangelion.* 2. Quod quam ſit abſurdum, omnes facile judicabunt. Nec ſane iſte tuus pluſquam figuratus loquendi modus tibi concedi ullo pacto poteſt, niſi intelligas, Judæorum perpetuo Legem eſſe propriam, Gentilium vero Euangelium. 3. At hoc deinde cum eo pugnat, quod ſcriptum eſt à te pag. 289. Ubi diſertis verbis duo Euangelia diverſa conſtituis, Unum circumciſionis, alterum præputii. Ex quo apparet, te Judæis quoque Euangelium tribuere. Igitur, te ipſo teſte, in ipſis Judæis utrumque omnino conſiderandum eſt, Lex, & Euaugelium, & quid eorumdem Judæorum reſpectu, Lex ab Euangelio differat, explicandum, ſi propoſita de Legis, & Euangelii diſcrimine quæſtio decidenda eſt, non autem de differentia tantum duorum populorum agendum. Nam hoc eſt potius utriuſque Euangelii, quod tu, ut poſtea videbimus, ſomniaſti, quam Legis, & Euangelii diſcrimen exponere. Sed tamen, quid de differentia duorum populorum ſcribas, videamus, atque hac ratione ſimul ſententiam tuam de diſcrimine Legis, & Euangelii inquiramus.

Ais, ut vidimus, præputiatos vocatos fuiſſe ad Eccleſiam, ut tamen eſſent liberi, & non, ſicut Judæi, ſub jugo legis circumciſionis, Sabbatorum, purificationum, & cæterorum ſacerdotii Aaronici, & ſic vis, Judæos iſtis omnibus ſervandis, etiam poſt Gentium vocationem, fuiſſe obnoxios. 4. At vero alibi aliter loqueris. Prædicta enim pag. 289 ſic ais, *Inter hæc, inquam, duo Euangelia hoc erat diſcriminis, quod illud* (circumciſionis) *erat ſervitutis, hoc vero* (præputii) *libertatis, & libertas quidem & ſervitus in circumciſione ſola, & purificationis ratione tota verſabatur.* Vides, te hic Sabbatorum, aut, præter purificationes, cæterorum, quæ ad ſacerdotium Aaronicum pertinent, nullam mentionem facere, additis etiam vocibus illis, Sola, & Tota. Quæ ſine dubio præter circumciſionem, & purificationis rationem cætera omnia penitus excludunt. 5. Quinetiam in iiſdem ipſis ante recitatis verbis nequaquam tibi conſtas, & hac de re tertio quodammodo loqueris. Nam in eorum fine, ut apparet, diſcrimen illud duorum populorum in eo tantum fuiſſe vis, quod Judæi eſſent ſecundum carnem circumcidendi, præputiati non eſſent. Quod ſi dicas, te hoc loco per circumciſionem ſecundum

carnem

carnem univerſam legem Moſaicam intellexiſſe, quemadmodum non raro Paulum feciſſe, apertum eſt. Reſpondeo primum, id, ut omnes cognoſcent, non recte ibi factum à te fuiſſe, ubi paullo ante, de eadem re loquens, circumciſionem pro ipſa circumciſione acceperas, eamque ab aliis præceptis Moſaicis diſtinxeras. Deinde dico, non propterea finem tuorum verborum ipſorum principio conſentaneum futurum. Neque enim, quæ ab initio enumeraveras, circumciſio, Sabbata, purificationes, & reliqua Aaronici ſacerdotii, ea omnia complectuntur, quæ ſunt in lege Moſis, & à præputiatis ſervari opus non erat, nulla enim in his mentio delectus ciborum à Moſe præſcripti, qui nunquam, niſi minima ex parte, præputiatis mandatus fuit, idque, ut ex Paulo liquet Rom. 14. 14. 1 Cor. 8. 7, &c. ad tempus. Namque is plane nullum ciborum delectum agnoſcit, & ipſas idolis ſacrificatas dapes, modo id ſine alterius offendiculo fiat, comedi poſſe concedit. Quæ tamen una cum ſuffocato, & ſanguine ab initio præputiatis interdictæ fuerant Act. 15. 29.

Jam vero, etiamſi tam parum tibi conſtes, poteſt tamen ex dictis tuis colligi, te inter Legem, & Euangelium hoc pacto diſtinguere, Ut ſub Lege ſolis circumciſis pars in Dei populo eſſet, ſub Euangelio vero etiam præputiatis, & ſub Lege quidem debuiſſe omnes, qui partem in Dei populo haberent, quidquid in ipſa Moſis Lege mandatum erat, ſervare, at ſub Euangelio eos tantum, qui ex Judaico ſint populo. Reliquos à ceremonialibus, (quæ vocare ſolemus) ejuſdem legis mandatis liberos eſſe. Cæterum, quod attinet ad moralia præcepta (ſub quibus ea quoque fortaſſe comprehendis, quæ judicialia appellantur) omnia ab omnibus, nulla re addita, aut imminuta, ut in ea lege ſcripta ſunt, ſervari debere: nec ullam præterea inter Legem, & Euangelium differentiam ſive in præceptis, ſive in promiſſis conſtitui debere.

Hæc tua de Legis, & Euangelii diſcrimine ſententia duplici ratione rejicienda eſt, Primum, quia magnum diſcrimen in eo ſtatuit, in quo nullum eſt. Deinde, quia nullum agnoſcit, ubi eſt maximum. 6. Nam (ut prius de priore ratione agamus) plane falſum eſt, quod ais, etiam ſub Euangelio, & poſt præputiatorum vocationem, Judæos lege circumciſionis, Sabbatorum, purificationum, & reliquorum Aaronici ſacerdotii teneri. Ex Pauli enim verbis manifeſtum eſt, iſta omnia non quidem à præputiatorum humeris, ut tu priore ſcripto in extrema pag. 40 loqueris, ſed à Judæorum ſublata fuiſſe. Nec ſane à præputiatorum humeris ea auferri poterant, quæ iis nunquam impoſita fuerant. Itaque, cum Paulus, ad Epheſios ſcribens, ait Epheſ. 2. 14, Chriſtum, ut Iſraelis populum, & Gentes, unum faceret, Legem mandatorum in decretis aboleviſſe, id non Gentium, ſed Iſraelis populi reſpectu eum dixiſſe, neceſſe eſt. Quid enim attinebat legem iſtam Gentium ratione abolere, id eſt ea lege Gentes liberare, quæ nunquam ipſis lata fuerat? Breviter, ſi ea lex abrogata fuit, ut Paulus diſerte affirmat, ea ne Judæi quidem teneri ulli modo poſſunt Et certe, ut Gentes, & Judæi unum fierent, aut utriſque, aut neutris lex iſta in poſterum imponenda erat. Apparet enim, Paulum non de ſimplici quadam iſtorum populorum unitate loqui, ut ſcilicet uterque populus Dei populus eſſet, ſed omnimodam unitatem intelligere, quæ etiam ex eo potiſſimum proficiſcatur, quod de lege iſta factum eſt. Ex cujus abolitione ipſos Judæos reformatos fuiſſe, & novos homines factos, ipſa Pauli verba aperte reſtantur. Inquit enim, *Legem mandatorum in decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem*, &c. Quod ſi adhuc Judæi eadem lege tenentur, certe ejus abolitione nihil in ipſis novatum fuit. Idem Apoſtolus, ad Coloſſenſes hac eadem de re ſcribens, iis verbis utitur, quibus planum faciat, non Gentilibus, ſed Judæis ipſis legem iſtam abrogatam fuiſſe. Sic enim ait Col. 2. 13, *Et vos, cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.* Hactenus de eo manifeſte loquitur Paulus, quod Deus per Chriſtum cum Gentilibus fecit. Deinde addit, *Deleus quod adverſus nos erat chirographum per decreta, quod erat contrarium nobis*, &c. Hoc vero non minus manifeſte ad ipſos Judæos pertinet, quorum ex numero Paulus erat, & idcirco Nobis dixit, non autem Vobis, ut antea locutus fuerat. Nec aliud ſibi vult Apoſtolus, quam, cum populus Judaicus, Legem Moſis univerſam ſe ſervaturum Deo promittens, quaſi proprio chirographo ad ceremonialia præcepta ſervanda ei ſe obſtrinxiſſet Exod. 24. 3, Deum ab iſta obligatione per Chriſtum populum iſtum manifeſte exemiſſe, & chirographum propterea deleviſſe, ac deletum oſtentaſſe, ut creditores ſolent, cum debitores ſuos palam obligatione ſolvere volunt, de qua per ipſorum ſyngraphum ſibi ab ipſis traditam aperte conſtabat. Quomodo verò ſyngrapha, ſeu chirographum iſtud Gentibus contrarium eſſe poterat, cum Gentiles non modo nunquam decreta illa, id eſt ceremonialia præcepta ſe ſervaturos promiſiſſent, ſed neque etiam ulla alia ratione ad ea præcepta conſervanda obſtricti eſſent? Decretorum enim nomine hic omnino Paulum ceremonialia præcepta intellexiſſe, id planiſſimum facit, quod deinde concludens ait, *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti.* Nam, ſi Judæi ipſi, qui ſe hæc ſervare promiſerant, eaque ſervare debebant, Dei benignitate ſunt ab ea obligatione liberati, qua ratione poterit quis Gentiles ad ea ſervanda adigere? Etenim alias quoque eodem fere modo argumentatus eſt Paulus, &, Petrum reprehendens dixit Gal. 2. 14, *Si tu, cum Judæus ſis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo Gentes cogis judaizare?* Atque ex hoc ad Coloſſ. loco (ſi quis ea de re fortaſſe dubitat) quid item in Epiſtola ad Epheſ. ſignificet lex illa mandatorum in decretis, perſpicuum eſt. Quanquam in eo ipſo loco apertiſſimum indicium extat, ceremonialia Legis præcepta ea lege ſignificari, cum ibi, ut vidimus, affirmetur, eam à Chriſto abolitam fuiſſe. Moralia enim Legis præcepta, ut alibi ſupra diſputatum fuit, Chriſtus nequaquam abrogavit. Appellantur autem ceremonialia præcepta Decreta, ſive, ut Græca vox habet, Dogmata, quia non habent præcepta iſta originem à natura, vel ratione ipſa, neque iis, tanquam fundamento aliquo, nituntur adeo, ut convelli nequeant: ſed ex ſola voluntate præcipientis omnino pendent, & propterea facile ex ejuſdem voluntate tolluntur. Verbum enim Græcum δοκεῖν, unde nomen δόγμα formatur, Sibi videri, ſeu Cenſere ſignificat. Itaque ea præcepta, quæ ideo data fuere, quia ſic cenſuit is, qui præcepit, ſicque illi viſum eſt, recte dogmata nominantur. Potuiſſem multo plura, immo fere infinita afferre, ut demonſtrarem, ceremonialia præcepta ipſis Judæis abrogata fuiſſe, & nihil omnino, hac etiam in parte, inter ipſos, & Gentiles intereſſe. Sed hæc pauca ad veritatem iſtam confirmandam in præſentia ſatis erunt. Si unquam contigerit, ut librum tuum De duobus populis, cujus pag. 265 & 289 mentionem facis, & ad quem ſcripti Racovienſium auctorem rejicis (quem tamen librum nunquam publice editum fuiſſe arbitror) videre, ac legere poſſim, tunc fortaſſe plenius hac de re ſcribam, & quanto in errore verſeris, in duobus iſtis populis ſub Chriſto diſtinguendis planum facere conabor.

7. Illud tantum addam, nihil, judicio meo, perperam magis dici poſſe, quam id, quod, ut ſupra monuimus, à te affirmatur, duo fuiſſe Euangelia, Unum, quod prædicabatur ab Apoſtolis, quos Jeſus Chriſtus ante mortem elegerat, Alterum, quod prædicabant Paulus, & ejus ſocii electi à Jeſu Chriſto, poſtquam aſcenderat in cælum, & hoc vocatum fuiſſe præputii à præputiatis populis, quorum intererat, illud vero circumciſionis, quod Judæis nunciaretur. Quemadmodum pag. 289 diſerte ſcribis. Nihil, inquam, magis perperam, judicio meo, dici poteſt. Unius enim tantum

tum Euangelii Jeſu Chriſti, quod omni creaturæ, quæ ſub cœlo eſt annunciatum fuerit Col. 1. 25, quodque tam ad Gentes, quam ad Judæos pertineret Mar. 16. 15, licet Judæis primum, deinde Gentibus annunciari deberet Rom. 1. 16, Novi Teſtamenti Sacræ Literæ mentionem faciunt, & Jeſus ipſe Chriſtus aperte teſtatus eſt Matth. 24. 14. xxvi. 13, futurum, ut illud Euangelium, quod ipſe Judæis, cum in mundo eſſet, annunciabat, omnibus gentibus, & in univerſum mundum annunciaretur. Quid tu (malum) igitur ais, duo eſſe, aut fuiſſe Jeſu Chriſti Euangelia? Nunquid, ut Paulus inquit 1 Cor. 1. 13, *diviſus eſt Chriſtus?* Sed dices, Paulum diſertis verbis inter Euangelium circumciſionis, & Euangelium præputii diſtinguere, cum, ad Galatas ſcribens Gal. 2. 7, ad hunc modum loquitur: *Sed è contra cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi Euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis*, &c. Hic autem ſolus locus eſt, unde ſine dubio, iſtam duplicem Euangelii Jeſu Chriſti appellationem olim uſurpatam fuiſſe, demonſtrare te poſſe credidiſti. Atque adeo in eo fortaſſe non iſtius appellationis tantum, ſed ipſius quoque de duobus Euangeliis opinionis tuæ potiſſimum fundamentum poſuiſti. 8. Atqui vix dici poteſt, quam turpiter hic lapſus fueris. Quis eſt enim, qui neſciat, Euangelii nomine ſæpe apud eumdem Paulum Euangelii prædicationem ſignificari, ſive, verbum Prædicandi, aut nomen Prædicationis nomini illi adjunctum ſubaudiri debere? Nam in ipſo ſtatim ejus Epiſtolarum initio, id eſt 1 cap. Epiſt. ad Rom. ℣. 1. id manifeſte deprehenditur. Quid enim enim aliud eſt ibi *ſegregatus in Euangelium Dei*, quam Segregatus ad prædicandum Euangelium Dei? Cui in eadem Epiſtola hos duos locos adde, cap. 1. 9, & cap. 15. 19. atque ex reliquis Epiſtolis de multis hos paucos à me ſelectos adjunge, 1 Cor. 4. 15, & cap. 9. 12, & 14. in illis verbis, *de Euangelio vivere*, 2 Cor. 8 18. Philip. 1. 12, & cap. 4. 15. 1 Theſſ. 2. 4. 2 Tim. 1. 8. Itaque nemini dubium eſſe poteſt, quin, cum Paulus in Epiſtola ad Gal. ait, ſibi creditum fuiſſe Euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis, nomina Præputii, & Circumciſionis non cum nudo nomine Euangelii, ſeu cum eo, quod id nomen per ſe proprie ſignificat, ſed cum nomine ſimul Prædicationis, quod ſubaudiatur, ſeu cum Euangelii prædicatione, quæ ibi eo nomine ſignificetur, rectiſſime conjungi poſſe, ut nihil aliud ſit eo in loco, *quod creditum eſt mihi Euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis*, quam, ut in annotationibus Bibliorum Vatabli legitur, *delegatam mihi eſſe provinciam prædicandi Euangelium apud Gentes, quemadmodum Petro apud Judæos.* Verum hoc non ſolum fieri recte poſſe, ſed etiam debere, docent aperte verba conſequentia. Illico enim per parentheſim, tanquam antecedentia ſua verba explanans, ſubjicit Paulus, *qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, in proxime antecedentibus, nihil aliud dictum fuiſſe, quam Paulo creditam fuiſſe à Deo prædicationem Euangelii inter Gentes, ſeu præputiatos, quemadmodum Petro inter circumciſos. Et ſtatim addit, *Et, cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Johannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem.* Quæ verba ſimiliter idem planum faciunt, ac ſimul oſtendunt, nullam præterea differentiam inter Paulum, Barnabamque, & Jacobum, Petrum, ſive Cepham, Johannemque in Euangelio prædicando fuiſſe, niſi, quod illi Gentibus, hi vero Judæis illud annunciabant. Unum igitur & idem Jeſu Chriſti Euangelium & Gentibus, & Judæis annunciatum fuit, non autem duo diverſa, ut ipſe falſo arbitraris. Quod tamen unum & idem Euangelium, quatenus Gentibus annunciabatur, Euangelium præputii, quatenus vero Judæis, Euangelium circumciſionis appellari potuit. Quanquam, ut diximus; in illis Pauli verbis Euangelii nomen non ipſum Euangelium, ſed Euangelii prædicationem omnino ſignificat.

9. Sed jam tempus eſt, ut de altera cauſſa agamus, propter quam de diſcrimine Legis, & Euangelii ſententiam tuam rejiciendam eſſe diximus. Ea erat, quod nullum ſententia tua inter Legem, & Euangelium diſcrimen agnoſcit, ubi eſt maximum. Quod antequam explicemus, ſciendum eſt in hac diſputatione, Legis nomine vetus ipſum fœdus, quod per Moſem, Euangelii vero novum, quod per Jeſum Chriſtum Deus cum populo ſuo ſanxit, ſignificari. Et quoniam utriuſque fœderis duæ ſunt partes, una mandatorum, altera promiſſionum, hic de mandatis potiſſimum diſputatur. Quanquam de promiſſionibus ſimul propter ſummam, quam ipſæ cum mandatis convenientiam habent, neceſſario agitur. Tu igitur inter Veteris, & Novi Fœderis moralia mandata, de quibus præcipue quæritur, nullum prorſus diſcrimen conſtituis, nec porro inter utriuſque fœderis promiſſa ullam differentiam agnoſcis. Cum tamen valde multum inter utraque interſit. De moralibus mandatis viſum eſt ſatis in prima hujus reſponſionis noſtræ parte, & (ni fallor) perſpicue demonſtratum fuit, Jeſu Chriſti plurima moralia mandata multo abſolutiora, & perfectiora eſſe, quam Moſis de iiſdem rebus. Hic igitur de promiſſis breviter agemus, atque oſtendemus, longe altera ab alteris differre. Ut hac etiam ratione, mandata quoque ipſa moralia, quorum ſervatorum potiſſimum promiſſiones ſunt præmia, altera ab alteris plurimum diſtare conſtet.

Primum igitur, ut id, quod diximus, ita ſe habere, in univerſum demonſtremus, eum locum afferimus, qui eſt in Epiſt. ad Hebr. de Chriſto Hebr. 8. 6, *Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.* Ac deinde in eadem Epiſt. Hebr. 7. 19 illum, ubi dicitur, Legem nihil ad perfectum adduxiſſe, ſed id feciſſe introductionem, ſeu mavis invectionem melioris ſpei, per quam accedimus ad Deum. Legis enim nomine, ut (quemadmodum dictum eſt) nos in præſente diſputatione facimus, totum antiquum fœdus ibi auctor ille manifeſte intelligit. Quod alibi quoque facit, præſertim vero in ipſo cap. 10 inititio, in illis verbis, *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum*, &c. Qui locus præterea idipſum, quod ſupra dictos duos confirmare diximus, manifeſte probat. Idque eo aptius, quod, quidquid bonorum habuit Lex, id umbram præ futuris bonis, quæ ſcilicet Euangelium allaturum erat, fuiſſe dicit, vel futurorum bonorum in altera illa vita Legem umbram tantum habuiſſe, Euangelium vero ipſam eorum imaginem exhibuiſſe, non obſcure affirmat. Hæc enim aperte oſtendunt, non ſolum, quæ promiſſa fuerunt in Euangelio bona, alia fuiſſe ab iis, quæ promittebantur in Lege, ſed etiam longe alia. Quemadmodum longe aliud eſt corpus, quam umbra, vel etiam ipſa rei effigies, quam umbra quædam. Quod quanquam ex eo quoque colligi poterat, quod in prioribus duobus locis affirmatum fuerat, meliora eſſe promiſſa novi, quam Veteris fœderis, &, per Euangelium meliorem ſpem invectam fuiſſe, quam per Legem, præſertim, ſi locorum ſimul ipſorum circumſtantiæ recte perpendantur, tamen id ex poſtremi hujus verbis, atque ſententia aliquanto clarius, & facilius percipitur.

Verum ad ipſarum rerum utrobique promiſſarum differentiam explicandam accedamus. Non eſt autem opus hic rem diligenter pertractare. Sed ſatis eſt, inter utraque promiſſa certum aliquod idque inſigne diſcrimen eſſe, oſtendere. Atqui certum idque valde inſigne diſcrimen inter Veteris, & Novi Fœderis promiſſa eſſe, id evidenter demonſtrat, quod in Veteris Fœderis promiſſis nulla æternæ vitæ fit mentio, in novi vero ea potiſſimum commemoratur, atque inculcatur, ita ut ipſa ſola vere, & omnino promiſſa fuiſſe videatur. Quod de Novi Fœderis promiſſis aſſerimus, adeo manifeſtum eſt, adeoque inter omnes conſtat, ut ſupervacaneum ſit ejus rei teſtimonia proferre. Quod autem de Veteris Fœderis promiſſionibus affirmamus, etſi multi hodie (neſcio

(neſcio qua ratione) id conſtanter negant, veriſſimum tamen eſſe deprehendet, quiſquis univerſam legem Moſis accurate perlegerit. Præſertim vero in iis locis, ubi ipſe ex profeſſo, & nominatim ipſas promiſſiones explicat, atque enumerat, ut Exo. 23. Levit. 26. Deut. 7, & 28. Ibi enim nulla prorſus ratione vita æterna inter cætera promiſſa bona recenſetur, ſed hujus vitæ commodorum tantummodo fit mentio. Et tamen, ſi ea ad illius fœderis promiſſiones pertinuiſſet, non modo diſerte in iſtis locis ſine dubio commemorata eſſet, verum etiam, tanquam id bonum, quod ſolum cæteris ſimul omnibus maxime præſtat, multo diligentius, quam reliqua omnia, expoſita, atque inculcata fuiſſet. Et ſane hæc ſola ratio, quæ hujus loci valde propria eſt, ſatis eſſe deberet ad demonſtrandum, inter Veteris Fœderis promiſſa vitam æternam non numerari.

Ut tamen hac de re apertius conſtet, conſiderandum eſt, ex multis Novi Teſtamenti locis perſpicuum eſſe, vitam æternam, quamvis multo antea humano generi à Deo deſtinatam, atque decretam, à Chriſto Jeſu tamen omnium primo Dei ipſius nomine verbis patefactam, & promiſſam fuiſſe. Primum enim Paulus, ad Timotheum ſcribens, ait 2 Tim. 1. 10, Dei gratiam datam quidem fuiſſe nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia, ſed patefactam eſſe per illuminationem ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti, *qui* (inquit) *deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem per Euangelium.* Et ad Titum ſcribens Tit. 1. 2, ea verba protulit, *in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia, manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi*, &c. Quid apertius dici poterat, ut intelligeretur, non ante fuiſſe à Deo patefactam vitæ æternæ ſpem, quam per Jeſu Chriſti Euangelii prædicationem? Ac deinde Johannes Apoſtolus in ipſo primæ ſuæ Epiſtolæ initio ſic ſcriptum reliquit, *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ (& vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis) quod vidimus, & audivimus*, &c. Hic manifeſte Johannes, de Jeſu Chriſto, deque ejus prædicatione verba faciens, ait, per hæc vitam æternam, quæ prius apud Deum latebat, ſibi, & aliis apparuiſſe. Idem ejuſdem epiſt. cap. 2. 25. ita ſcribit, *Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.* Nam, de Filio, hoc eſt de Jeſu Chriſto, vel de Patre, hoc eſt de Deo per ipſum Filium, ſeu Jeſum Chriſtum promittente loqui Apoſtolum, manifeſtum faciunt verba antecedentia, *Si in vobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, & vos in Filio, & in Patre manebitis.* Ex quibus etiam aperte conſtat, de Euangelii prædicatione ibi ſermonem eſſe. Quod ſi ante Chriſtum, ejuſque Euangelii prædicationem vita æterna à Deo, præſertim vero in fœdere, quod cum populo ſuo pepigerat, promiſſa fuiſſet, perperam ejus vitæ promiſſionem eidem populo, ut ex verbo Nobis apparet, factam ad Jeſu Chriſti tempora retuliſſet Johannes, eamque Euangelii prædicationi aſcripſiſſet. Præterea in Sacris Novi Fœderis Litteris diſerte ſcriptum legitur 1 Joh. 5. 11. Rom. 6. 23. Joh. 17. 3, Vitam æternam quam dedit nobis Deus in Dei filio eſſe, vitam æternam donum Dei eſſe, quod is nobis per Jeſum Chriſtum dedit, Unius veri Dei, & Jeſu Chriſti, quem ille miſit, cognitione vitam æternam contineri, & alia ejuſmodi non pauca. Quibus aut dicitur, aut certe dici videtur, ſine Jeſu Chriſto vitam æternam non dari. Id autem nullo modo factum eſſet, ſi ante Jeſum Chriſtum jam vitæ æternæ promiſſum extitiſſet, vetuſque fœdus ſervantibus, ejus vitæ præmium in ipſo fœdere ſanciendo conſtitutum fuiſſet, niſi velimus, in ipſo antiquo fœdere Jeſum Chriſtum comprehenſum eſſe, atque, ut vulgo & creditur, & jactatur, veteres illos per fidem in Jeſum Chriſtum, qui venturus erat, juſtificatos fuiſſe dicamus. Quo tamen nihil abſurdius, aut à veritate magis alienum dici, vel excogitari potuit. Cum Jeſus Chriſtus, quatenus, antequam naſceretur, promiſſus fuit, non in ipſo antiquo fœdere per Moſem ſcilicet ſancito (de hoc enim loquimur) ſed in Novi Fœderis promiſſo fuerit comprehenſus, & nullo pacto ad iſtud antiquum fœdus, ſed ad novum prorſus pertineat, veteres autem, ut ſenſus ipſe communis aperte docet, non fide Novi Fœderis, quod promiſſum tantum fuerat, & futurum erat, ſed veteris, quod erat præſens, quodque cum ipſis à Deo fuerat percuſſum, conſervatione, illiuſque divinæ benignitatis, quæ ſub eo fœdere impertiebatur, participatione juſtificati, & Deo cari fuerint. Id quod non ſine fide quidem illis contigebat. Sed longe aliud erat fides iſta, quam credere in venturum Chriſtum. Quod nunquam ad delenda peccata ſua, ſeu juſtificationem conſequendam juſſi ſunt facere. Verum confidentia, ſeu fiducia erat, quam in Deo collocabant, certaque perſuaſio, & Deum eſſe, & ſe quærentium eundem eſſe remuneratorem. Quemadmodum in Epiſt. ad Hebræos Hebr. 11. 6, fides, ſine qua fieri non poteſt, ut quis Deo placeat, deſcripta eſt. Qua & veteres illi omnes, etiam ante per Moſem ſancitum fœdus, juſti coram Deo ſunt habiti, & nos ipſi habemur. Sed non eſt hac de re hoc loco accuratius diſputandum, nec etiam valde laborandum, ut oſtendatur, priſcos illos per fidem in venturum Chriſtum minime juſtificatos fuiſſe, cum tu ipſe (ut arbitror) non aliter ſentias, & à communi errore hac in parte diſcedas.

Satis, ut videtur, probatum eſt, in Vetere Fœdere, quod per Moſem Deus cum populo ſuo firmavit, vitam æternam nequaquam promiſſam fuiſſe. Quinetiam nonnulla ex iis, quæ ad id probandum à nobis allata ſunt, in univerſis Veteris Teſtamenti litteris id promiſſum iis, qui tunc erant, factum fuiſſe, non legi, haud leviter ſane demonſtrant. Quod idem Dominus Jeſus non obſcure docuit, cum Judæis ea verba dixit Joh. 5. 39, *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Ex quibus non ſolum intelligitur, Judæos quidem exiſtimaſſe, vitam æternam in Moſis, & prophetarum ſcriptis contineri, id eſt eam illis promiſſam fuiſſe, qui inibi mandata ſervaſſent, rem tamen aliter ſe habuiſſe, verum etiam, quid omnino de vetere, novoque Fœdere, quod ad vitam æternam attinet, ſtatui debeat, facile percipitur. Nempe, vitam æternam in Vetere Fœdere, ut dictum eſt, promiſſam non fuiſſe, nec in illius Fœderis ſcriptis eam contineri, niſi quatenus in illis olim promiſſus, ac prænunciatus fuit Chriſtus, deque ipſo illa teſtantur. Ad quem hodie ire oportet, ſi quis vitam æternam habere velit. Ad Chriſtum autem ire, quod Judæi facere nolebant, nihil aliud eſt, quam ab ipſo velle doceri, & porro illi confidere, eique obedire Quibus rebus ſumma totius Novi Fœderis plane continetur.

10. Atque hinc perſpicuum eſſe poteſt, quam turpiter erraveris, qui, ut ſupra indicavimus, pag. 218 dixeris, in propheticis ſcriptis eſſe vitam æternam, idque ita dixeris, ut in ſcriptis Apoſtolicis eam eſſe, negare videaris. Tua enim verba manifeſte quodammodo cum Jeſu Chriſti verbis pugnant, qui, ut vidimus, dixit, Judæos puraſſe, ſe vitam æternam in ſcripturis habere. Nam ſcripturarum nomine Chriſtum prophetica ſcripta complexum fuiſſe, nemo negare auſit. Neque enim ſimpliciter dixiſſet Chriſtus, Judæos id putaſſe, ſi id verum fuiſſet. Sed quia falſum erat, quemadmodum ſequentia quoque verba declarant, idcirco ad eum modum ſine dubio eſt locutus. Nec vero dubium eſt (idque omnibus locum ipſum inſpicientibus apparebit) quin, cum affirmas, in propheticis ſcriptis vitam æternam eſſe, atque eodem tempore eam in ſcriptis Apoſtolicis eſſe negare videris, nihil aliud ſentias, quam divina præcepta, quibus ſervandis vita æterna comparetur, ſive illa hujus vitæ, in quibus æterna vita conſiſtat, id eſt, quæ in quocunque fuerint, is vitam æternam adepturus ſit, hæc, inquam, omnia ex propheticis ſcriptis,

ptis, tanquam ex fonte, petenda, & haurienda eſſe potius, quam ex ſcriptis Apoſtolicis, quæ tanquam rivuli quidam inde derivati exiſtimari debeant. Quæ quam longe a veritate abhorreant, ex iis, quæ paullo ante diſſeruimus, intelligi poſſe arbitramur. Cæterum etſi aſſeruimus, vitam æternam in Vetere Fœdere promiſſam non fuiſſe, ſed promiſſum iſtud Novi Fœderis eſſe proprium, non tamen propterea eos, qui ſub antiquo Fœdere Deo confiſi ſunt, eique paruerunt, ab æterna vita excludimus. Nihil enim impedit, quominus Deus plus illis præſtet, quam promiſerit. Meminiſſe autem oportet, Dei populum ſub Lege puero heredi aſſimilari. Atqui puer heres, quanta ſit, quæ ſibi obvenit hereditas, nondum intelligit. Nam & idem, ut Paulus, apud quem iſta comparatio legitur, ait Gal. 4. 1, quamvis omnium ſit dominus, interim tamen nihil differt à ſervo.

Ex hac, quam nos ſatis probaſſe ſperamus, inter Legis, & Euangelii, ſeu Veteris, & Novi Fœderis promiſſiones differentia, quod in Lege vita æterna promiſſa non fuerit, in Euangelio vero fuerit, quæ ſane ingens cenſeri debet, ingens quoque inter utriuſque fœderis mandata differentia neceſſario manavit. Quandoquidem plane abſurdum fuiſſet iiſdem mandatis tam differentes mercedes adjungere, & non tantam inter mandata, quatenus rei natura, & ratio patitur, differentiam eſſe, quantam inter promiſſa, ita ut, qualia promiſſa ſunt, talia etiam mandata eſſe appareat. Quapropter, cum Veteris Fœderis promiſſa ad hujus vitæ commoda, terrenamque felicitatem omnia referrentur, nec ultra humanæ conditionis limites extenderentur, conſentaneum fuit, ut mandata quoque ejuſdem generis eſſent, & partim ad corporis ipſius cultum pertinerent, partim in animo excolendo ultra id, quod ipſa humana ratio, niſi corrupta fuerit, dictare poteſt, minime progrederentur, &, quemadmodum promiſſa illa majore ex parte non veram aliquam & ſolidam, ſed adumbratam quandam atque inanem felicitatem continebant, ſic decuit, ex mandatis pleraque eſſe, quæ adumbratam tantum, & inanem quandam juſtitiam præſcriberent. At vero, cum promiſſa Novi Fœderis, hujus vitæ commodis ſpretis, cæleſtem beatitatem nos ſperare jubeant, & humanam conditionem omnino exuperent, conveniens plane fuit, mandata ejuſmodi eſſe, ut, corporis cura neglecta hominis animum ſupra id, quod humana ratio per ſe dictare queat, excolerent, atque perficerent, & quemadmodum hæc promiſſa veram prorſus ac ſolidam felicitatem complectuntur, ſic ſane decuit, nihil penitus in mandatis eſſe, quod ad veram ſolidamque juſtitiam in nobis efficiendam non pertineret. Hinc igitur factum eſt, ut non modo ceremonialia omnia Veteris Fœderis mandata, Novo Fœdere ſanciendo, tanquam umbra quædam, plena luce adveniente, evanuerint (quod profecto ad utriuſque fœderis maximum diſcrimen indicandum ſatis eſſe deberet) verum etiam ipſa moralia præcepta, ut, exemplis ipſis allatis, ſupra demonſtratum fuit, multo abſolutiora, ac perfectiora reddita fuerint. Nec vero, cum tanta & in promiſſis, & in mandatis inter vetus, novumque fœdus à nobis differentia ſtatuitur, aliqua ex iis, quæ Novi Fœderis propria eſſe dicimus, in ipſis etiam antiqui fœderis ſcriptis indicata eſſe negamus, & ipſius vitæ æternæ, quæ Deo obedientibus danda eſſet, ſubobſcuras ſignificationes extare non confitemur. Immo, nihil ita Novi fœderis proprium eſſe, affirmamus, quin ejus indicium aliquod in Vetere Teſtamento appareat. Nam, ut Eraſmi viri (meo quidem judicio) divinarum rerum ſcientiſſimi, atque hoc noſtro, ſuperioribuſque multis ſæculis plane incomparabilis verba hic adſcribam *, *Quum Vetus Teſtamentum fuerit umbra, ac veluti progymnaſma philoſophiæ Euangelicæ, maxime congruebat, ut nihil adferret Chriſtus, cujus non aliqua vel umbra, vel ſcintilla præceſſiſſet in Veteris Teſtamenti libris, quo propenſior eſſet omnium fides ad rem non omnino ſubitam atque inexpectatam. Igitur quicquid Chriſtus præſtitit, promiſſum eſt ſacrorum vatum oraculis, adumbratum eſt figuris, & carptim etiam expreſſum eſt, veluti ſubinde micantibus, hinc atque hinc ſcintillulis aliquot, quæ lucem illam poſt erupturam orbi portenderent.* Atque hoc tam præclaro tanti viri teſtimonio locum hunc concludere volumus, fuſius fortaſſe aliquando, atque exactius, Deo volente, de Legis, & Euangelii, ſeu de Veteris, & Novi Fœderis diſcrimine pro rei amplitudine, ac dignitate diſputaturi.

XLIII. Jam alibi obſervatum eſt, ex doctrina tua neceſſario conſequi, non licere mitem ac clementem eſſe, injuriarumque patientem. Verum, ne, quo id te ſentire ſtatueretur, ſolis conſecutionibus perpetuo agendum eſſet, diſertis verbis eam ſententiam ex parte in reſponſione tua ſcriptam extare voluiſti. Sic enim legitur pag. 276; *Ergo non licet noſtra, abſque jure aliis rapientibus, concedere.* 1. Quis vero unquam in Chriſtiana religione ejuſmodi decreta locum habere poſſe cogitaſſet, quæ propter eorum iniquitatem, atque immanitatem quandam ne in ipſis quidem ethnicis rebuſpublicis locum ſint habitura?

2. Sed operæpretium eſt videre, qua ratione tam iniquum decretum confirmes. Igitur poſt modo recitata verba tua ſtatim ſubjicis, *poſtquam ex re donata, non licuit aliquid aut ſubtrahere Ananiæ, aut donare & non integrum dare Eccleſiæ, plus enim eſt noſtrum quod poſſidemus quam quod nobis pro dono offertur.* Si in his verbis de eo loqueris, quod ipſe Ananias jure facere non potuerit, Primum, quid attinet donationis mentionem facere, cum nulla prorſus donationis rei jam donatæ, ſeu partis ejus, quam Ananias facere in animo haberet in ea Hiſtoria mentio fiat? Deinde, quid hoc ad rem? Neque enim quæritur hic, quid raptori facere non liceat, ſed ei, qui rapinam patitur. Sin autem de eo loqueris, quod aliis cum Anania facere non licuerit, quem locum hic ſubtractio habere poteſt? Quod vero ad donationem attinet, non quidem non potuiſſe ex re ab Anania donata aliquid ipſi Ananiæ donari, & non integrum id, quod Ananias donaverat, Eccleſiæ dari, ſed Eccleſiam ipſam ex eo, quod ſibi Ananias donaverat, ipſi Ananiæ aliquid donare non potuiſſe, dicendum, & demonſtrandum tibi fuerat. Quod ſi fortaſſe Subtrahendi verbum ad Ananiam refers, Donandi vero ad alium quempiam, ut, Ananiam quidem minime jure ſubtrahere, alium vero quempiam minime jure ipſi Ananiæ donare potuiſſe, dicere volueris, quanquam, quidquid ſenſeris, male omnino ſententiam tuam expreſſeris, peſſime tamen, ut omnes animadvertent, ſententiam iſtam tuam expreſſiſti, ac præterea in ea ſola, duo vitia ſimul conjunxiſti, quæ ſeparatim in duobus aliis jam expoſitis animadverſa fuere. Nam & plane extra rem de eo es loquutus, quod Ananiæ facere non licuerit, &, cum de ipſa Eccleſia, quæ Ananiæ, id quod ipſe ex re jam donata ſubtrahebat, donare non potuerit, verba facere debuiſſes, de alio quopiam verba feciſti. Adde, quod, etſi veriſſimum eſt, non licuiſſe cuipiam alii ex eo, quod Ananias Eccleſiæ donaverat, vel potius ſe donare profeſſus fuerat, aliquid ipſi Ananiæ donare, & non integrum Eccleſiæ dare, tamen hoc ex ipſa Hiſtoria non liquet, ex qua ſola tu univerſam hoc loco dicti tui confirmationem petis. 3. At denique concludens ais, *Quare ſi licuit Petro non cedere Ananiæ, id quod Ananias donaverat, licebit etiam cuivis non cedere raptori abſque jure ſuum pallium.* Nihil hic explico de inſignibus hujus tuæ argumentationis vitiis, ea enim ſuperioris partis poſteriore capite abunde oſtenſa ſunt. Sed dico, te perperam, aut certe inepte ad hunc modum ex ante dictis inferre. Antea enim non de eo, quod licuerit, ſed de eo, quod non licuerit, actum fuit.

XLIV. Supra viſum eſt, te inter prius Jeſu Chriſti judicium, quod ſcilicet excidenda Hieroſolyma exercuit, & poſterius, quod ultimis temporibus exercturus eſt, hoc diſcrimen conſtituere, quod in priore quidem

(K)

* In Epiſt. quæ in editione Novi Teſt. tranſl. ſolet apponi, cujus initium eſt, Quamquam in rebus, &c.

quidem hoſtes tantum, qui extra ipſius caſtra erant, ultus fuerit, in poſteriore vero eos tantum, qui, intra ipſius caſtra ſe continentes, operati fuerint iniquitatem, ſit ulturus. Sic enim te ſentire, ex iis aperte conſtat, quæ leguntur pag. 99. Ubi etiam acerbe admodum hujuſce rei occaſione contra Racovienſium ſcriptorem inveheris, inquiens, *Quoniam autem hæc ſcriptor iſte non ſecernit, ob hoc in multos & fœdos errores ſordidæ ignorantiæ indices ſe & alios inducit.* 1. Atqui tu ipſe alibi hæc non ſecernis, &, tibi ipſi manifeſte contrarius, de priore judicio agens, poſtquam dixiſſes, Chriſtum primum omnium inimicos ſuos, qui noluerant ipſum regnare ſuper ſe, interfici juſſiſſe, in extrema pag. 277, ſtatim adjungis, *Deinde infideles diſpenſatores in partes diſſecuit & abjecit à ſe.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, te aſſerere, in priore judicio non in eos tantum, qui extra caſtra Chriſti erant, ſed in eos quoque, qui intra ipſa caſtra degebant, ab ipſo Chriſto animadverſum fuiſſe. Rurſus in poſteriore, non in eos tantum, qui intra ipſius caſtra erunt, ſed in eos quoque, qui extra fuerint, animadverſurum eſſe Chriſtum, ſatis aperte, ut alibi diximus, in iis verbis affirmas, quæ illico ſequuntur, *Quin & poſtremo tempore repurgabit regnum ſuum, non ſolum ab alienis ſed etiam à domeſticis minus ſibi obtemperantibus & pœnis damnabit mortis.* Immo ex his verbis non inepte, ut arbitror, colligere quis poſſit, te in ea ſententia eſſe, ut poſterius Chriſti judicium adverſus domeſticos quidem, ſive eos, qui intra ipſius caſtra erunt, exercendum ſit, ſed præcipuè tamen, & magis proprie adverſus alienos, ſive eos, qui extra caſtra fuerint. Aut certe, ut de his magis conſtare videatur, quam de illis. Sic enim omnino ſignificare videntur verba illa, *non ſolum ab alienis ſed etiam à domeſticis*; atque hæc ejus locutionis vis eſſe ſolet. Verum, quod attinet ad poſterius judicium, ſupra ſatis inconſtantia, errorque tuus ſuo loco indicatus à nobis fuit. Hoc autem loco de iis, quæ ad prius judicium pertinent, differendum videtur, & non ſolum ex eo, quod tibi ipſi adverſeris, ſed alia etiam ratione demonſtrandum, te in errore verſari.

2. Et ſane, cum ais, Chriſtum in priore judicio in diſpenſatores illos infideles animadvertiſſe, non video, quomodo id cuiquam, qui ſanæ mentis fuerit, probaturus ſis. Certe in ea Chriſti parabola Matth. 24. 45, ad quam te reſpexiſſe neceſſe eſt, ſervus ille, quem Dominus ſuper familiam ſuam conſtituerat, ut illis daret cibum in tempore, ipſius Chriſti miniſtrum ſignificat. Quemadmodum ex eo patet, quod univerſum ſermonem illum Chriſtus cum ſuis diſcipulis habuit, ad eos autem, quibuſcum loquebatur, eam parabolam pertinere, & eorum monendorum gratia illam à Chriſto dictam fuiſſe, apertius eſt, quam ut negari ullo modo poſſit. Sed quid hac ratiocinatione eſt opus? Nonne in ea parabola Dominus ille manifeſte ipſe Chriſtus eſt? Ergo ſervus à Domino illo ſuper familiam ſuam conſtitutus, ut ipſius Chriſti miniſter ſit, neceſſe eſt. Atqui, in priore ſuo judicio Chriſtum neminem ex ſuis miniſtris in partes diſſecuiſſe, aut legimus, aut veriſimile eſt. Quanquam ego propter ſequentia verba (ut alii quoque ſenſerunt) nihil dubito, quin verbum διχοτομεῖν eo in loco non quidem in partes diſſecare, ſive in duas partes ſecare, ut verbum proprie ſignificat, ſed penitus ſeparare declaret. Sed neque hac etiam, nec ulla alia pœna quemquam ex ſuis miniſtris in priore illo judicio Chriſtus afficiſſe traditur.

Quid autem dicemus, quod in judicio iſto, ejuſque ordine explicando adhuc multipliciter laberis? 3. Primum enim falſum eſt, quod ais, Chriſtum in iſto judicio primum omnium curaſſe, ut ante ſe adducerentur inimici ſui, qui ipſum ſuper ſe regnare noluerant, eoſque interfici juſſiſſe. In eo enim loco, in quo ſolo apud Euangeliſtas de interficiendis iſtis inimicis agitur, & quem tu legi jubes, in parabola, inquam, illa, quam Chriſtum dixiſſe, narrat Lucas 19. 15, homo ille nobilis, qui Chriſtus eſt, accepto regno, antequam ſuos illos inimicos interfici ante ſe juſſiſſet, jam ſervos ſuos vocari juſſerat, quibus pecuniam, cum peregre ad quærendum ſibi regnum abiturus eſſet, ad negotiandum dederat, atque eos pro meritis aut præmio, aut pœna affecerat. Quod ſine dubio pars totius illius judicii fuit. 4. Ex quo deinde ſequitur, ibi revera (etſi ſupra alicubi idem tecum ſenſiſſe videamur) de priore Chriſti judicio non agi, cum, ut paullo ante dictum fuit, in eo judicio de ſolis apertis inimicis ſuis Chriſtus pœnas ſumpſerit, nec præterea ulla præmia, aut certe non ea, quæ ibi intelligi poſſunt, in eo judicio fidelibus, ut inibi appellantur, ac bonis ſervis ſuis dederit. 5. Adde, quod homo ille nobilis, Rex factus, poſtquam inimicos illos ſuos ante ſe adduci, atque interfici juſſit, nihil amplius feciſſe legitur, & tamen tu confidenter, ut ſoles, non dubitas affirmare, poſt ſupplicium iſtud de ſuis inimicis ſumptum, eum, id eſt Chriſtum, infideles diſpenſatores in partes diſſecuiſſe, quaſi ſic ſcriptum eodem loco extet, cum tamen ejus rei ibi nulla fiat mentio, ſed in altera tantum illa parabola, quæ apud Matthæum extat, id à Domino in ſervum, quem familiæ ſuæ præfecerat, factum fuiſſe legatur, aut potius legi videatur. 6. Huc poſtremo accedit, quod, ſi parabolam iſtam cum ea, quæ eſt apud Lucam, conjungendam eſſe velimus, & utrobique de eodem tempore, eodemque Chriſti judicio agi, nihil eſt, cur ſupplicium de inimicis ante pœnas de infideli diſpenſatore ſumptum fuiſſe, omnino ſtatuamus, non autem poſtea. An non potius contra fieri debet, cum judicium de ſervis, quibus pecunia ad negotiandum data fuerat, ante inimicorum ſupplicium fuiſſe legamus? Nam profecto ex eo conjicere licet, de domeſticis prius, deinde de alienis in univerſo illo judicio actum eſſe.

XLV. Alibi jam dixi, me vereri, ne tu, quidquid de Chriſto poſt mortem magiſtratu facto dicas, ei reipſa hoc tempore, quod inter prius, & poſterius ejus judicium intercedit, magiſtratum adimas, id eſt eum otioſum conſtituas. Me autem non male opinatum fuiſſe, ea demonſtrant, quæ ſcribis pag. 278, ubi ais, Chriſtum muneris ſibi poſt mortem delati neminem reliquiſſe ſucceſſorem, ſed œconomum (ut ita dicas) reliquiſſe patrem Deum, regni ipſius provinciam patre in ſe recipiente, & in ejuſdem pag. fine, & ſeq. initio affirmas, Chriſtum curam regni Deo patri commendaſſe, quo ad ſibi omnia fuerint ſubjecta. Sed pag. quoque 280, in ipſo initio leguntur de Chriſto hæc verba tua, *pro poſteriore* (munere) *curando nullum miſit, quoniam ſatis erat pater Deus, qui hanc curam ſuſceperat in ſe ſolum.*

Quanquam hæc tua de Chriſti regno, ejuſque regni cura, ſive adminiſtratione ſententia, adeo & evidenter falſa, & inſigniter inepta, aut certe tibi ipſi contraria eſt, ut ad errorem tuum patefaciendum, ſic te ſentire oſtendiſſe, plus ſatis videri debeat, tamen quia ea ſimul & maxime deteſtabilis eſt (quippe quæ omnis Chriſtianæ pietatis ruinam facillime ſecum afferat, inque Chriſtum, ac Deum ipſum plane ſit injuria) & jam quorundam animos occupare cœpit, operæpretium erit, quam breviſſime fieri poterit, errorem iſtum alia præſtantiore ipſiuſque rei propria ratione detegere.

1. Dico igitur, ſententiam iſtam tuam, quod Chriſtus hodie regnum ſuum ipſe non adminiſtret, vel ex uno libro Apocalypſis manifeſtæ falſitatis convinci, in quo ferme univerſo, maxime vero à fine primi cap. uſque ad quarti initium, inducitur Jeſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ curam gerens, eamque, quam & in cælo, & in terra habet, poteſtatem exercens. Cum enim, ut ſummo conſenſu ab antiquiſſimis Sacrarum Novi Teſtamenti Literarum interpretibus, rerumque Eccleſiaſticarum ſcriptoribus traditum eſt, viſio, quæ in eo libro narratur, imperante Domitiano, ob idque poſt Hieroſolymitanum excidium contigerit, non eſt, quod quis ea, quæ de Chriſto ibi dicuntur, ad illud tempus omnino referenda eſſe contendat, quod Hieroſolymæ excidium, & ſic prius ipſius Chriſti judicium anteceſſit. Hoc tu ſine

dubio

dubio proſpiciens, omnium veterum auctoritate ſpreta, librum illum ante deſolatam Hieroſolymam ſcriptum eſſe vis, adeo ut, quæ in eo de Babylonis ruina prædicuntur, ad ejus urbis deſolationem referas. Ut ex iis patet, quæ leguntur ad finem pag. 320. 2. Qui inſignis valde tuus error eſt, non modo quia in rebus Hiſtoricis Veterum & tempori, de quo agitur, proximorum auctoritati ſtandum eſt, verum etiam quia plurima de Babylone illa dicuntur, quæ nullo modo ad urbem Hieroſolymorum accommodari poſſunt, & inter cætera, quod jam haberet, vel habitura ante ſuum excidium eſſet regnum ſuper reges terræ, quod ex vino iræ ſcortationis ejus bibiſſent, aut bibituræ eſſent omnes gentes, quod cum illa ſcortati fuiſſent, aut ſcortaturi eſſent reges terræ, quod igne comburenda eſſet, quod non eſſet futura amplius, quod denique, antequam caderet, diceret in corde ſuo, *Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo* Apoc. 17. 18. XIV. 8. XVII. 2. XVIII. 3. 8. 21. 7. Præterea indubitatum eſſe debet, viſionem illam, ſi non poſt exciſam Hieroſolymam, at certe pauciſſimis annis ante contigiſſe, ut ſeptem illarum Eccleſiarum, non tanquam plane recentium, ſed tanquam jamdudum exiſtentium, & Nicolaitarum hæreſis mentio inter alia aperte demonſtrat. Atqui ſatis apparet, tot, tantaque in ea viſione, tanquam ante Babylonis illius ruinam futura, aut prædicta, aut oſtenſa fuiſſe, ut nullo modo tam brevi temporis ſpatio fieri potuerint. Nec ſane, quomodo facta fuerint, oſtendi ulla ratione poteſt. Eſt igitur, ut prædiximus, valde inſignis hic error tuus, qui putes, Babylonis nomine in vaticinatione illa Hieroſolymam ſignificari. In quem errorem (ita gravis, ac manifeſtus eſt) nullo pacto incidiſſes, niſi Chriſto poſt Hieroſolymæ excidium regni ſui curam adimeres. Ex hac enim ſententia tua omnino ſequitur, Johanni viſionem illam, in qua Chriſti regnum ſuum adminiſtrantis fit mentio, ante Hieroſolymæ excidium apparuiſſe. Quod ſi ita eſſet, fieri non poſſet, quin in ea vaticinatione excidium iſtud prædictum fuiſſet. At, niſi Babylon ibi Hieroſolymam ſignificet, non eſt, ubi, id prædictum in ea fuiſſe, vel leviter quidem ſuſpicari liceat. Verum ex hoc ipſo, quod, ſi viſum illud Johanni ante Hieroſolymæ vaſtationem apparuiſſet, ſine dubio ea in illo prædicta fuiſſet, quodque, ſi ea in illo prædicta fuit, ut ſub excidii Babylonici nomine id factum fuerit, neceſſe eſt, concludendum omnino tibi fuerat, non ante Hieroſolymæ vaſtationem, ſed poſt Johanni apparuiſſe viſum illud. Cum ſatis manifeſtum ſit, ea, quæ de Babylone ibi prædicuntur, nulla ratione ad urbem Hieroſolymam accommodari poſſe. Ex quo, ut dictum eſt, plane conſequitur, Chriſtum etiam poſt Hieroſolymitanum excidium regnum ſuum per ſe ipſum adminiſtraſſe, cum id faciens in ea viſione apertiſſime inducatur.

3. Sequitur, ut, quam inepta, aut certe tibi ipſi contraria ſententia tua ſit videamus, unde ejus quoque falſitas liquido conſtabit. Nam aut revera Chriſto ante Hieroſolymæ excidium ſui regni curam concedis, aut non concedis. Si non concedis quomodo ea vera eſſe poſſunt, quæ multis in locis tantopere urges, atque contendis de Chriſto, quod poſt mortem, cum jam regnum, ad quod accipiendum venerat, novo regno addito, eſſet adeptus, ex agno leo ſit factus, quod gladii poteſtatem, tanquam magiſtratus, exercuerit, quod inimicos ſuos, qui ipſum ſuper ſe regnare noluerant, adduci, & ante ſe interfici juſſerit, & alia ejuſmodi, de quibus ſupra vidimus, quæ præſentem omnino ipſius Chriſti ſui regni curam declarant? Sin autem Chriſto ante exciſam Hieroſolymam, ut ſatis patet, ſui regni curam concedis, quid cauſſæ eſt, cur poſtea adimas, eamque patri ſuo eum commendaſſe dicas? Num fortaſſe poſt illud tempus aliquo abiit Chriſtus, unde regno ſu[illegible] adminiſtrando ipſe ſufficere non poſſit, vel ita aliquibus aliis in rebus occupatus eſt, ut huic muneri vacare nequeat? Num forte dormit interea? Nam non ita te amentem eſſe crediderim, ut eum iterum mortuum eſſe dicas. Quod ſi Chriſtus non aliquo abire potuit, unde regno ſuo per ſe ipſum adminiſtrando par eſſe non poſſit, ſi nullis aliis occupationibus impeditur, ſi denique perpetuo & vivit, & vigilat, ineptiſſimum ſane eſt vel cogitare, eum poſt illud tempus ſui regni curam patri commendaſſe, præſertim cum ea de re ne verbum quidem in divinis literis extet.

Jam vero Chriſtum aliquo abire non potuiſſe, unde ſuo regno per ſeipſum adminiſtrando ſatis eſſe non poſſit, id ſane demonſtrat, quod jam inde ab initio, cum hinc abiret, in cælum profectus eſt, in illud, inquam, cælum, quod oculis noſtris non apparet, nec apparere poteſt, & ſupra omnes aſpectabiles cælos eſt. Nam, ipſum ſupra omnes cælos jam tum aſcendiſſe, Paulus aperte teſtatur Epheſ. 4. 10. Qui locus ſine dubio omnium remotiſſimus à nobis eſt. Quocirca, ſi inde potuit Chriſtus ipſe regnum ſuum hic inter nos (de hoc enim ipſius regno loquimur) adminiſtraſſe, qui locus tandem erit, unde idem facere non poſſit? Quanquam ad oſtendendum nullum eſſe tam remotum à nobis locum, unde Chriſtus regnum ſuum inter nos adminiſtrare ipſe non queat, ſatis eſt, Chriſtum ipſum aliquando corpore à nobis abſentem illud adminiſtraſſe, & ejus corporalem præſentiam ad hoc, ut illud ipſe adminiſtret, nequaquam requiri. Poteſtate enim plane divina ipſi conceſſa id factum fuiſſe, neceſſe eſt. Atqui ejuſmodi poteſtas nullis locorum ſpatiis includi, aut terminari poteſt. Hæc eadem poteſtas nos ſatis admonet, nullas eſſe alias tantas occupationes, quibus Chriſtus, ſui regni adminiſtratione neutiquam depoſita, vacare non poſſit. Tametſi nihil inſulſius excogitari poteſt, quam, Chriſtum regni ſui curam abjicere, ut aliis rebus vacet. Nec tu ſane iſtud vis. Nempe qui illum, ut infra patebit, quieſcere dicas. Alioqui potuiſſet fortaſſe aliquis pro te dicere, Chriſtum quidem regnum ſuum adminiſtrare, ſed illud, quod in cælis habet. Non poſſe autem ipſum eodem tempore id, quod habet in terris, ſimul adminiſtrare. Quod tamen quam ridicule dictum cenſendum eſſet, cum ex iis, quæ dicta ſunt, perſpici poteſt, tum per ſe quiſque facile judicabit, præſertim, cum regnum, quod habet in cælis Chriſtus, ad ejus, quod in terris habet, gubernationem omnino ſpectet, utque hoc adminiſtrare queat, illud ei à Deo patre datum fuerit. Cæterum, ut vivere, ſic perpetuo vigilare Chriſtum, nemo (opinor) negaverit, qui meminerit de eo ab auctore Epiſt. ad Hebr. 7. 25, ſcriptum eſſe, quod poſſit ad plenum ſervare eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens, ut interpellet pro eis, & pleraque alia apud eundem ſcriptorem legerit, quæ Chriſtum in cælis perpetuo aliquid agentem, acturumque demonſtrant. Quæ omnia unica illa ſententia ab ipſo toties repetita, & variis modis explicata atque inculcata comprehenduntur, Chriſtum æternum, perpetuumque ſacerdotium in cælis habere. Nam, quod complures hodie hoc ad efficacitatem mortis ejus, & ſanguinis fuſionis, quæ in æternum, ac perpetuo duret, prorſus referri volunt, in eo iſtos mirifice deceptos fuiſſe, vel id docere poteſt, quod idem ſcriptor ait, oportuiſſe, ut Chriſtus per omnia fratribus ſimilis fieret, ut eſſet miſericors & fidelis pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expianda peccata populi Hebr. 2. 17, noſque non eum habere pontificem, qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed per omnia ſimiliter periclitatum citra peccatum Hebr. 4. 15. Quocirca monet, ut cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus miſericordiam conſecuturi, & gratiam inventuri ad opportunum auxilium 16. Hinc enim manifeſtum eſt, Chriſtum, quatenus eſt ſacerdos, aliquid revera agere, immo expiationem, quam perpetuo facit peccatorum noſtrorum, perpetuam quoque ipſius præſentemque actionem ſecum conjunctam habere, ab eaque jugiter proficiſci. Quod nihil aliud eſt, quam Chriſtum perpetuam ſuorum curam habere, eoſque potentia ſua ab omnibus malis, quibus ira divina peccata punire ſolet,

perpetuo defendere, ac conſervare. Hæc autem ideo ſacerdotii perpetui nomine explicantur (ipſius ſanguinis fuſione potiſſimum viam ad appellationem iſtam aperiente) ut ſemper agnoſcatur, omne Chriſti nos gubernandi munus, & poteſtatem à Deo ipſo proficiſci, atque pendere.

Sed jam videndum eſt, ecquid tu afferas ad probandum, Chriſtum Deo patri regni ſui curam commendaſſe, id reipſa apud te eſt, Chriſto quieſcente, Deum patrem ejus regnum adminiſtrandum ſuſcepiſſe. Namque hac ratione apertius adhuc de falſitate hujus tuæ ſententiæ conſtabit. Affers autem, quod Deus pater Chriſto dixerit Pſal. 110. 1, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos*, &c. Nam, cum in his verbis Chriſtus à patre ſedere ſit juſſus, idque, donec ipſe ei omnes inimicos ſubjecerit, hinc credis demonſtrari, Chriſtum quieſcere, & interim Deum patrem illius regnum adminiſtrare.

Jam vero (ut hoc primum dicam) cum, ut ipſe omnino concedere videris, Chriſtus aliquando regnum ſuum per ſeipſum adminiſtraverit, nec, ut ante oſtendimus, ulla cauſſa ſit, cur ipſe ſua ſponte ab eo adminiſtrando ceſſaverit, reliquum profecto eſt, ſi eum ab adminiſtratione iſta ceſſaſſe velis, ut eum Deus pater ad tempus quodammodo exauctoraverit, id eſt aut vires, aut munus ſui ipſius regni adminiſtrandi illi ademerit. 4. Quo nihil abſurdius dici poſſe exiſtimaverim. 5. Verum, quando ita rem ſe habere, intelligebas, haud ſatis recte locutus es, cum dixiſti, Chriſtum ſui regni curam Deo patri commendaſſe. Hoc enim non obſcure ſignificat, Chriſtum ſua ſponte eo deveniſſe, ut vel nollet, vel non amplius poſſet ſuum regnum adminiſtrare.

Credis igitur, ut ad rem redeamus, *Sede à dextris meis, donec*, &c, nihil aliud eſſe, quam Dei patris juſſum, ut Chriſtus quieſcat, dum ipſe ejus regnum adminiſtrat. Pag. enim 280. verborum iſtorum ſententiam ad hunc modum reddis, *Quieſce tu & ſede. Ego cætera perficiam.* 6. Atqui primum verbum Sedere, quamvis ſimpliciter prolatum, per tranſlationem metonymicam non ſemper quieſcere ſignificat, ſed interdum etiam regnare, & jus dicere. Deinde in verbis iſtis non ſimpliciter prolatum fuit, ſed una cum illis, A dextris meis, ſive, ut in Hebræo codice legitur, Ad dexteram meam, quod profecto non quietem, ſed ſupremam poſt illum, qui ſic locutus eſt, auctoritatem, & poteſtatem declarat. Apertiſſima enim tranſlatio eſt ab eo, quod reges terræ facere conſueverunt. Qui eum, quem poſt ſe primum gradum auctoritatis, & poteſtatis habere volunt, ad dexteram ſibi aſſidere jubent. Nam ſolent alioqui reges imperium ſuum ſedendo exercere. Itaque tantum abeſt, ut ex verbis iſtis quies à Deo patre Chriſto mandata colligi poſſit, ut iis omnino, ſummæ ſecundum ipſum Deum auctoritatis, & poteſtatis exercendæ munus illi à Deo mandatum fuiſſe, ſignificetur. Quod ſi quis intelligere velit, quid ſit Sedere à dextris, ſive ad dexteram alicujus, quidve ſignificet, Chriſtum à Dei dextris, ſive ad Dei dexteram ſedere, hos locos præcipue inſpiciat, Eccli. 12. 12. Matth. 20. 21, & cap. 26. 64. Luc. 23. 69. Act. 2. 34. Epheſ. 1. 20. Hebr. 1. 3, & cap. 8. 1. 1 Pet. 3. 22. Ex his enim, & ſimilibus locis ſine dubio intelliget, ea locutione nullo modo Chriſti quietem, ſed ſummam ejus præſentemque auctoritatem, ac poteſtatem ſignificari. Nec vero aliquem movere debet, quod Deus, cum ſedere à dextris ſuis Chriſtum jubet, ea verba adjungat, *Donec ponam*, &c. Quaſi Chriſtus ipſe nihil interea in ſubigendis inimicis ſuis agere debeat. Sic enim loquitur Deus, non ut Chriſtum ab agendo excludat, ſed ut oſtendat auctoritatem, & poteſtatem, quam Chriſtus ipſe in inimicis ſuis ſibi ſubjiciendis exercere debet, à ſe profectam eſſe, ſeque eum futurum, qui per ipſum Chriſtum ejus inimicos illi ſubjiciat. Hujus rei, qui anteceſſit, typus, hanc ipſiſſimam veritatem eſſe, omnino declarat. David enim, dum ſibi ſubjicerentur inimici ſui, non modo interea otioſus non fuit, ſed ipſemet omnia, Deo adjutore, peregit, perque ipſum illi Deus omnes ejus inimicos ſubjecit. 1 Reg. 5. 3. Quemadmodum igitur David, poſtquam illi à Domino dictum fuit *Sede à dextris meis, donec*, &c. a regno ſuo adminiſtrando non ceſſavit, immo ex eo tempore maxime illud adminiſtrare cœpit, ſic intelligendum eſt, Chriſtum, poſtquam idem ipſi à Deo patre dictum fuit, non ſolum à ſuo regno adminiſtrando non ceſſaſſe, ſed tunc maxime illud adminiſtrare cœpiſſe. Chriſtum porro, dum ipſi omnia ſubjiciuntur, non quieſcere, ſed ipſum eſſe, qui poteſtate ſibi à Deo conceſſa id faciat, perſpicue docet Paulus, qui, ad Philippenſes ſcribens, ait Philip. 3. 21, Dominum Jeſum corpora noſtra vilia transfiguraturum, ut glorioſo ipſius corpori conformia reddantur, idque ipſum facturum pro ea efficacitate, qua ſibi omnia etiam ſubjicere poteſt.

7. Verum, quam inepte, ac perperam ex verbis illis, *Sede à dextris meis, donec*, &c. probare coneris, Chriſtum quieſcere, nec per ſe regnum ſuum adminiſtrare, vel id, teipſo judice, oſtendere poteſt, quod Chriſtus, ſimulatque hinc abiit, à dextris Dei ſedit, ſibique à patre verba iſta dici audivit, ut Marcus 16. 19, & Petrus Act. 2. 34. non obſcure teſtantur. Quanquam ſatis eſt, id ante Hieroſolymorum excidium factum fuiſſe, ut divinorum ſcriptorum alia teſtimonia paſſim docent. Siquidem, ut dictum fuit, tu ipſe ante illud tempus, poſtquam à mortuis reſurrexit, Chriſto ſuī regni adminiſtrationem attribuis, aut certe nullo pacto, eum quieviſſe, concedis. Ex quo apparet, te in iſtorum verborum, *Sede à dextris meis*, &c. interpretatione tuæ tibi ipſi adverſari, atque id refellere, quod antea vehementer probaveras. Illud, quicquid tu hac de re ſentias, certiſſimum eſſe debet, Chriſtum poſt ſuum in cælum aſcenſum, & ſic poſtquam à dextris Dei ab ipſo Deo ſedere eſt juſſus, donec ei omnes inimicos ſubjiciat, regnum ſuum per ſeipſum adminiſtraſſe. Quemadmodum non ſolum Apocalypſis liber, ut antea diximus, planiſſimum facit, ſed Hiſtoria quoque actorum Apoſtolicorum, maxime in iis, quæ ad Paulum Apoſtolum pertinent, abunde oſtendit. Ut nihil dicam de compluribus ejuſdem Pauli, & aliorum Apoſtolorum in ſuis Epiſtolis teſtimoniis, & ipſius Chriſti apud Euangeliſtas prædictionibus, & pollicitationibus, quæ idem apertiſſime confirmant.

Animus erat, hujus ſententiæ tuæ, quod Chriſtus hodie quieſcat, nec ipſe regni ſui curam habeat, ingentem impietatem, & ſimul maximam, quam ſecum affert, perniciem pluribus explicare. Sed jam modus huic reſponſioni noſtræ adhibendus eſt. Itaque ſatis erit, ſi pauca quædam hac de re dixerimus. Dico igitur, ideo maxime impiam ſententiam iſtam tuam eſſe, ſive, ut ante locutus ſum, in Deum, Chriſtumque ejus ſumme injurioſam, quod & Dei opus præſtantiſſimum, in quo ſuprema ejus erga humanum genus bonitas, ac beneficentia elucet, plane tollit, & Chriſto honorem, & gloriam, quæ, ut præcipua, ſic propria ejus eſt, adimit. Nam in quo (obſecro) tantam erga homines benignitatem, ac liberalitatem oſtendit Deus, quantam in eo, quod homini illi Jeſu Nazaræno, qui Chriſtus dicitur, quemque aliorum hominum cæleſti quadam ratione in terris viventium, atque ea via ad immortalitatem contendentium ducem, ac principem ipſe conſtituit, tantam poteſtatem dedit, ut ejuſmodi homines perpetuo in hac mortali vita ab omnibus Satanæ, & mundi inſidiis, atque injuriis tutos reddere, ac vindicare queat? Quid porro ipſi Chriſto vel convenientius, vel honorificentius, quam, in cælis manentem, Eccleſiam ſuam, quæ in terris degit, regere, & gubernare, ab ipſaque jugiter & adorari debere, & in ſuis neceſſitatibus confidenter invocari poſſe? Atqui hæc ceſſant omnia, ſi Chriſto hoc tempore ſui regni per ſeipſum adminiſtratio non conceditur, ipſumque quieſcere ſtatuitur. Quinimmo neque etiam Chriſtus, ſeu

Dei

Dei populi Rex ipſe eſt revera, ſi Dei populum non regit. Hinc perſpicuum eſt, quam pernicioſa ſit ſententia tua. Nam, ſi Chriſtum non habemus, immo, ſi Jeſus ille Nazarænus jam revera Chriſtus non eſt, vana eſt fides noſtra, & vana omnis religio noſtra. Qui ideo Chriſtiani appellamur, quod Chriſtum, ſeu regem habeamus, qui ex Dei voluntate nos juſtiſſime, ac ſapientiſſime regat noſtrique perpetuam curam gerat, donec tandem ipſius opera plane felices evadamus. Atque hunc Jeſum illum Nazaræum eſſe dicimus, à quo & vivendi præcepta habemus, & immortalitatis ſpem hauſimus. Sic enim cum ab ipſo, tum ab ejus Apoſtolis edocti ſumus. Quamobrem & ipſe, & illi inſignes impoſtores, & fallarii fuerunt, ſi id verum non eſt, & idcirco nulla prorſus eorum dictis fides adhiberi, nec poteſt, nec debet. Huc accedit, quod, etiamſi, quidquid cæteroquin Jeſus, ejuſque Apoſtoli dixerunt, veriſſima eſſe credamus, niſi tamen credimus, Jeſum ipſum Nazaræum, qui eadem mala expertus eſt, quibus nos obnoxii ſumus, ejuſque opem in neceſſitatibus noſtris haud fruſtra à nobis implorari, ſummo ac præcipuo infirmitatis noſtræ fulcimento deſtituimur, quod Deus optimus & ſapientiſſimus ad nos inter tot anguſtias, & calamitates conſolandos, & roborandos excogitavit, ac proinde vix, aut ne vix quidem rectum Euangelicæ pietatis curſum tenere poſſumus. Sed de arcta illa ſalebroſaque via, quæ ad æternam ſalutem ducit, deflectentes, in alteram ſpaciosam & planam, quæ ducit ad interitum, facillime tranſgredimur.

XLVI. Jam, Palæologe, crediderim, me inſignioribus erratis tuis colligendis, & patefaciendis, id effeciſſe, quod potiſſimum quærebam, & te minime eum eſſe oſtendiſſe, cui de rebus ſacris aliquid affirmanti fides temere adhiberi queat. Quare, etſi multa adhuc ſuperſunt inſignia errata, quibus librum tuum referſiſti, tamen hic finem te exagitandi faciam, ſi modo graviſſimum, eumque multiplicem quendam errorem tuum, qui paſſim in tuis hiſce ſcriptis deprehenditur, prius indicavero, & palam traduxero. Mirum eſt enim, quomodo, cum tantopere in Chriſti præceptis interpretandis à Racovienſibus diſſentias, & complura, quæ illi, homini Chriſtiano facere, minime licere ajunt, tu eum & jure facere poſſe, & debere contendas, ipſos tamen Racovienſes Fratres appellare, & tanquam cum iis, qui ejuſdem Eccleſiæ tecum ſint, agere non dubites. Nam & alicubi diſertis verbis id profiteris, veluti cum in ipſo pag. 275 initio ſic ais, *Quare nos, ut ſciatis, à vobis quamvis in una Dei Eccleſia ſumus, differimus*, &c. 1. Numquid (rogo) ii in una Dei Eccleſia aut ſunt, aut eſſe dici poſſunt, qui alii alios Dei mandata minime tenere arbitrantur, atque ea vel facere, vel non facere affirmant, unde & Dei obedientia pereat, & proximi charitas, ubi maxime oporteret, ibi minus retineatur? Quis autem erit, qui, cum audiat, te Racovienſes pro fratribus, ejuſdemque tecum Eccleſiæ Dei membris agnoſcere, non arbitretur, eos in iis ſaltem, de quibus inter vos aperta diſputatio non eſt, tecum ſentire, præſertim ſi alicujus in religione momenti ea eſſe conſtet? Itaque, ſi ſcriptis tuis fides eſt adhibenda (ut cætera omittam) Racovienſes, Chriſtum hodie quieſcere, nec regnum ſuum per ſe ipſum adminiſtrare, & propterea in precibus noſtris eum fruſtra invocari, una tecum ſtatuere, credendum nobis eſt. Quod tamen falſiſſimum eſſe, ipſemet probe noſti. Quippe qui nullos iſtius impietatis capitaliores hoſtes experiaris, quam eos, qui ex eo cœtu ſunt reliqui. Quoties igitur Racovienſes Fratres vocas, & te ejuſdem cum ipſis Eccleſiæ eſſe præ te fers, toties eos graviſſime calumniaris, nec (ut leviſſime dicam) quid loquaris, ſatis cogitas. Sed (quod turpius adhuc eſt) teipſum interea nefariorum, proditorum, deſertorum, infidorum, impiorum denique prorſus, & Chriſtiano nomine indignorum hominum fratrem, atque conſortem facis. Etenim hæc omnia, ut alibi diximus, prioris ſcripti tui pag. 32, & 46, iis tribuis, qui nulla ratione adverſus hoſtes patriam invadentes arma capere, eiſque, cum ſuorum licet ſalute, perniciem afferre volunt. Tales autem Racovienſes eſſe, tu profecto ignorare non potes, qui nihil aliud agis, quam ut eos ab iſto propoſito deterreas.

Agnoſce igitur inſignem ſaltem vel inconſtantiam, vel ſimulationem tuam, cum Racovienſes Fratres appellas, & in eadem tecum Dei Eccleſia eſſe ais. Nemo certe erit præter te ipſum, qui, in alterutrum ex iſtis vitiis, vel potius in utrumque ſimul te turpiſſime lapſum eſſe, non plane agnoſcat. Præſertim, ſi animadverterit, quot, quantaſque in ipſa quoque reſponſione, ſeu poſteriore ſcripto tuo ſignificationes dederis animi tui a Racovienſibus alieni, tanquam ab iis, qui à veritatis, & ſalutis via longe abſint. Potiſſimum vero, ſi ea conſideraverit, aut ſaltem legerit, quæ de ipſis ſcribis pag. 319, his verbis: *Ita & vos rident homines, & tam ſtupida pondera terræ mirantur, veſtris ſtultis, inceptis febricitantium ſomniis prætendere Jeſu Chriſti, ſanctiſſimi viri, prudentiſſimi Prophetæ, oculatiſſimi hominis, fortiſſimi civis, argutiſſimi oratoris, opulentiſſimi Regis decreta, eo ſpreta à vobis, quod illa non quæratis intelligere, eo impii vos, quod quas ſtulte & per ſocordiam diſſolutas concepiſtis animo opiniones, in gratiam Chriſti deponere non vultis, ſed illarum Chriſtum facitis autorem, abs quibus opinionibus tantum abeſt Chriſtus, quantum vos à veritatis Euangelicæ via. Nec convicia hominum in ipſum Chriſtum provoluuntur, ſed in capite veſtro reſident, quoniam Chriſtum pro capite habere non vultis, ſed reſidere in veſtra ignorantia cupitis, cum ipſe ſit veritatis Euangelicæ ſapientia.* Hæc ſcripta ſunt à te non in aliquo diſputationis ardore, nec, cum Racovienſium mentem nondum ſatis exploratam haberes. Sed ſedate, ac quiete, & cum jam, quid Racovienſes ſentirent, ex eorum ad tuum ſcriptum reſponſo optime noſſe poſſes, & porro, te noſſe, plane crederes. Nec ſolum, qua dictum eſt ratione, & tempore hæc à te ſcripta ſunt, ſed etiam ſponte edita, &, antequam ederentur, in aliquot annos, ut apparet, preſſa. Ut nulla penitus tam fœdi erroris tibi excuſatio relinquatur. Quanquam ſatis eſt, ut omni prorſus venia indigniſſimus videare, te in eo ſcripto hæc de Racovienſibus dixiſſe, eoſque ſtupida admodum terræ pondera eſſe, ſuaque ſtulta & inepta ſomnia Chriſto affingere, ejus autem vera decreta ut intelligant, non quærere, impios eſſe, & à veritatis Euangelicæ via multum abeſſe, Chriſtum denique pro capite habere nolle, ſed in ſua ignorantia permanere velle, conſtanter affirmaſſe, in quo eos ante aliquot paginas in una tecum Dei Eccleſia eſſe dixeras. Sed & ea quoque hic deſcribere operæpretium fuerit, quæ ibidem de iiſdem in fine pag. 315, & ſeq. initio ſcripſiſti ad hunc modum, *Dicitis nos Moſen introducere in orbem Chriſtianum velle abjecto Chriſto, & vos ignoratis quid & & quis ſit Moſes, Chriſtus, Apoſtoli, Euangelium, Lex, Lux, tenebræ, mandata Chriſti, patientia Chriſtiana, ſermo crucis, carnis repagula, vindicta ſecundum Chriſti mandatum. Hæc addiſcetis ſi*, &c. Quid amplius de hominibus ethnicis, & Dei, Chriſtique cognitionis plane expertibus dicere potuiſſes? Hos tu tamen homines ſive una tecum, ſive cum quovis alio in una Dei Eccleſia eſſe dicere non dubitabis? Verum jam ſatis ſuperque multiplex iſte graviſſimuſque error tuus indicatus à nobis, palamque traductus eſt. Quod eo potiſſimum feci, ne quis fortaſſe, tuis verbis inductus, Racovienſes, eoſve, qui cum illis ſentiunt, ex eadem tecum Eccleſia aut eſſe, aut fuiſſe ſuſpicetur, illoſque impiarum, de quibus inter vos non controvertitur, quas toto libro tuo diſſeminaſti, opinionum, & ſententiarum tuarum participes eſſe cenſeat. Sed te ipſum (id quod illis vehementer optandum fuerat) rem aliter omnino ſe habere, teſtimonium dediſſe, intelligat. Nec ſane abſque Dei juſto judicio factum eſt, ut tu, dum Racovienſes, quanta maxima potes, injuria afficere conari videris, ſummo,

quo poteras, beneficio eos affeceris, invidiaque iſta, in quam apud pios omnes tua culpa incurriſſe poterant, quod ejuſdem Eccleſiæ tecum eſſe crederentur, tu ipſe eos exolveris, ac liberaveris.

Quod ſupereſt, Palæologe, nihil dubito, quin meam te reprehendi, increpandique libertatem, qua in univerſa ipſa reſponſione, maxime vero in poſtrema hac ejus parte perpetuo ſum uſus, ægre admodum laturus ſis. Sed meminiſſe debes, nulla remedia (ut ille ait) quæ vulneribus adhibentur, tam facere dolorem, quam, quæ ſunt ſalutaria. Si antiqua vulnera tua, quibus totus oppletus es, adhuc ſanabilia ſunt, nos profecto ejuſmodi remedia iis adhibuimus, quibus ſanari poſſe videantur. Tu modo medicamenta noſtra ne ſpernito, neve abjicito. Cumque nihil aliud (Deus eſt teſtis) mihi propoſitum fuerit, quam, ut non aliis tantum, ſed tibi quoque, ſi fieri poſſet, aliqua ratione prodeſſem, hunc laborem meum, qualiſcunque is tandem ſit, in meliorem partem accipe: meque ad immoralitatem Dei beneficio per fidem, quæ eſt in Chriſtum Jeſum, aſſidue contendentem, ſi quo modo viciſſim juvare potes, juva.

ELIAS

ELIAS ARCISSEVIUS

JESU CHRISTI Servus

Omnibus piis & ſalutis æternæ propagandæ ſtudioſis.

CUm annos ab hinc non paucos Deo benigniſſimo viſum fuerit, in hoc noſtro Poloniæ regno aliquod lumen purioris Euangelicæ veritatis accendere, & pios nec indoctos aliquot viros excitare ad Chriſti ſui Eccleſiam apud nos inſtaurandam: Ego, qui ab ineunte adoleſcentia non minus aliorum, quam mei ipſius æternæ ſalutis cupidiſſimus fui, non modo iſtis accedere & aſſentiri, ſed etiam illis, quamvis omnibus multo inferior, ſocium me adjungere non dubitavi; quo una cum ipſis, inter populares meos, veræ ac ſolidæ pietatis ſtudium verbis ac ſermone, hortando & monendo, quoad per me fieri poſſet, promoverem. Id quod & hactenus feci, & poſthac, Deo dante, ſum facturus. Dumque in eo ſum totus, ut rationes excogitem, quibus poſſint homines, qui paſſim, per vitiorum viam incedentes, pereunt, in viam Chriſtianarum virtutum deduci, & hoc modo ab æterno interitu vindicari; forte in Diſputationem quandam manu ſcriptam incidi, quam habuit ante complures annos cum Euangelico haud ignobili, ut audio, verbi Dei miniſtro, homine Gallo, Fauſtus Socinus homo Italus, & mihi, animorum & religionis concordiâ ac neceſſitudine, conjunctiſſimus. In qua Diſputatione cum de cauſſa & ratione agatur, cur & quomodo Jeſus Chriſtus noſter ſervator ſit; mirum eſt, quam egregie vir iſte (ut quidem mihi, & aliis non paucis, qui Diſputationem hanc ipſius legerunt, omnino videtur) errores patefaciat, qui circa cognitionem ſalutis noſtræ per Chriſtum vulgo regnant, non ſolum apud eos, qui Euangelici vocantur, adverſus quorum doctrinam ipſe perpetuo diſputat, ſed etiam, aliqua ſaltem ex parte, apud alios ferme omnes, qui Chriſti nomen profitentur. Quibus erroribus potiſſimum fit, ut multorum animi, ab innocentiæ vitæ ſtudio alioqui minime abhorrentes, pravis cupiditatibus irretiti perpetuo ſint: aut certe non ita vitam agant, ut Chriſtianum hominem decet; Chriſtum quidem ſe optime noſſe, jactantes & gloriantes: factis tamen interim eum haud obſcure negantes. Itaque non putavi, me quidquam poſſe facere deſiderio atque inſtituto meo convenientius, & porro ad eos, qui errant, in viam ſalutis revocandos aptius, quam ſi curarem, ut Diſputatio iſta, quæ tot annos quodammodo latuerat, in publicum tandem ederetur. Ad quod agendum me maxime impulit, quod ſcirem, præſtantes aliquot pietate atque eruditione viros, qui opus hoc perlegiſſent, illud luce digniſſimum judicaſſe, & vehementer jam diu, ut typis mandaretur, optaſſe. Quare auctorem & coram, & per litteras diligenter hortari cœpi, ut hunc ſuum laborem accurate recognoſceret, eique, ſi nondum id feciſſet, extremam (quod ajunt) manum imponeret, ut quam primum Typographo excudendum dari poſſet; ne diutius tanti laboris fructu ii privarentur, qui ejus quam maxime indigent. Annuit ille; & opere (tametſi, propter alias occupationes ſuas & frequentes morbos, tardius, quam voluiſſem) recognito & ad impreſſionem parato, poteſtatem mihi ejus publicandi fecit. Optarim equidem, ut liber hic Polonice edi potuiſſet, quo meis Polonis inprimis, hac ratione, ad veram ſalutis ſuæ viam ingrediendam, alicui adjumento eſſem. Sed quando Latine ſcriptus fuit, nec, niſi ſatis longo temporis ſpatio, ab homine, quantumvis erudito atque otioſo (quæ duo tamen vix uno in homine ſimul reperias) in Polonicam linguam bene ac decenter verti poſſet; ut Latine nunc ederetur, neceſſe fuit. Præſertim, cum multæ alioqui etiam ſint cauſſæ, cur Latine potiſſimum hæc diſputatio extare debeat. Primum enim diſputatur hic cum homine, qui adhuc, ut ſperamus, vivit, & linguam Polonicam, ut prorſus veriſimile eſt, plane ignorat; cujus generis ſimiliter ſunt maxima pars eorum, quorum doctrina nominatim hic refellitur; quos iniquum eſſet non poſſe iſta intelligere, quæ adverſum ipſos in publicum eduntur. Deinde, ſi

quærendum ſit (ut certe quærendum eſſe, diffiteri non poſſumus) ut quam plurimi utilitatem ſentiant, quæ ex lectione hujus Diſputationis percipi queat; Latinam ejus editionem Polonicæ tam eſſe præferendam conſtat, quam excedunt numero ii, qui in Chriſtiani nominis populo Latine legunt atque intelligunt, eos, qui Polonice tantum, non etiam Latine, legere atque intelligere poſſunt. Poſtremo multæ variæque diſputationes, quæ hac una de Jeſu Chriſto ſervatore Diſputatione continentur, non minima ex parte ejuſmodi ſunt, ut ab illiteratis hominibus vix de illis judicium ferri poſſit. Neque enim hæc tanta Diſputatio eo animo potiſſimum inſtituta & abſoluta fuit, ut vulgus ipſe Chriſtianorum, privata ejus lectione, per ſe errores agnoſceret, in quibus, circa rationem ſalutis ſuæ per Chriſtum, verſatur; ſed, ut ii, qui ingenio & eruditione aliis præſtant, potiſſimum vero qui ſacris ſtudiis incumbunt, & præcipuè, qui aliis in Chriſtiana religione inſtituendis eiſque divino verbo paſcendis ſunt præpoſiti, poſſent, hujus Diſputationis ope, errores iſtos animadvertere, deque eis alios monere, non modo ipſi ab illis propagandis prorſus deſiſtere. Hæc ſiquidem videtur eſſe omnium præſtantiſſima ac tutiſſima ratio homines generatim, qui Chriſtum pro ſuo ſervatore habent, ab erroribus in religione Chriſtiana revocandi, ſi eorum Paſtores, & Doctores ejuſmodi errorum commonefiant. Quamvis enim iſti, ut auctoritatem & alia commoda ſua tueantur, non facile, ſe erraſſe, nec aperte nec tacite, fateri velint; tamen ſunt etiam ex iſtorum numero, qui, ubi id agnoverint, id ipſum ingenue fateantur, & contrarium docere inſtituant. Unus autem ejuſmodi homo multo plus adjumenti ad errores ex Chriſti Eccleſia extirpandos afferre poteſt, quam multi alii aut imperiti aut auctoritate ac docendi muncre in ipſa Eccleſia deſtituti. Hos igitur, qui alios docendi munus habent, in primis moneo & hortor, ut Diſputationem hanc diligenter evoluere velint, ad eamque legendam ita accedere, ac ſi nihil prius de iis, quæ in ea tractantur, apud ſe conſtituiſſent; eo tantum in animis ſuis firmiſſime conſtituto, ut Divinis Teſtimoniis ac rationibus, in judicio tantis de rebus faciendo, penitus ſint adhæſuri. Nam ſi id fecerint, & Dei ſolam gloriam animarumque ſalutem præ oculis habuerint; nihil dubito; quin mihi acturi ſint gratias, quod hunc librum cum ipſis communicaverim, in quo omnium religionis noſtræ utiliſſimum caput tam copioſe explicatur, & pernicioſa aliqua dogmata, quæ hactenus inter eos potiſſimum viguerunt, qui ſe Chriſtianos reformatos eſſe autumant, tam manifeſte reteguntur: ac theſauri quidam Chriſtianæ religionis panduntur ac patefiunt, compluribus Divinarum Literarum locis, quos aliorum incuria, vel potius nimia curioſitas interpretando & explanando obſcuraverat ac corruperat, ſuo nitori ac germano ſenſui & lectioni reſtitutis. Jamdiu eſt, ex quo pii multi atque eruditi homines ſatis animadverterunt, nullo modo fieri poſſe, ut Chriſtus Jeſus ea ratione nos ſervaverit, quæ vulgo recepta eſt, & Deo ejuſque juſtitiæ pœnas noſtrorum peccatorum exolverit, ſive pro peccatis noſtris ſatiſfecerit, atque in hunc ipſum finem potiſſimum mortuus fuerit, & ſanguinem ſuum fuderit. Sed interim, quomodo verum ſit, morte ac ſanguine Chriſti deleta eſſe peccata noſtra, Chriſtumque ſeipſum pro peccatis noſtris Deo obtuliſſe, ut ſacra monumenta teſtantur, aſſequi non potuerunt. Id autem videtur omnino aſſecutus eſſe ſcriptor hic noſter, & cum maxima Dei ipſiuſque Chriſti gloria, id ipſum diligenter explicaſſe & planum omnibus feciſſe. Unde totius Chriſti, officiique ejus univerſi tanta cognitio exiſtit, quanta fortaſſis deſiderari queat. Quo nihil vel ſalutarius vel jucundius homini Chriſtiano accidere poteſt. Legite igitur, ô viri præſtantes, qui alios in Chriſtiana pietate inſtituendi munus ſuſcepiſtis, accurate librum hunc; ac memineritis, non omnibus omnia data eſſe: nec divinam veritatem, quæ merito dici poteſt, hominum male ſanorum culpa, quaſi in profundo, maxima ex parte, diutiſſime latuiſſe, tam brevi temporis ſpatio, poſtquam caput attollere cœpit, totam emergere potuiſſe, & ſeſe omnibus conſpiciendam præbere. Nec ſane id antea factum iri, credendum eſt, quam dies Domini inſtet. Quemadmodum rurſus nullo pacto eſt veriſimile, Chriſtum venturum, ut Euangelii contemptores puniat, & Mundi ſcelera ulciſcatur, cum adhuc ipſius Euangelii vera notitia paſſim non habetur, dumque homines ignorantia potius, quam malitia, peccant. Ad hunc Domini diem ut parati nihilominus perpetuo

ſimus,

ſimus, & coram Filio hominis conſiſtere queamus, annitendum nobis eſt omnibus quicunque Chriſtiani ſumus: ſed vobis præcipue, qui curam animarum geritis; cum non veſtri ipſorum modò, verum etiam aliorum ſit vobis, aliquo pacto, ratio reddenda. His ſiquidem ſalutarem doctrinam, id eſt, quæ illos ad veram ſolidamque pietatem ac vitæ ſanctimoniam ſectandam inſtruere ac permovere poſſit, proponere atque inculcare veſtri plane eſt officii. Atqui, ut id faciatis, certum eſt neceſſe eſſe, ut ipſi doctrinam iſtam probe teneatis. Tenere autem non poteſtis, niſi in tanta, quæ hodie viget, ſententiarum varietate eam diligentiſſime iniquiratis, & poſtquam omnia probaveritis, Apoſtoli conſilium ſecuti, id, quod bonum eſt, retineatis. Niſi recte noveritis, cur & qua ratione nobis per Chriſtum ſit parta ſalus; vos ipſos faſſuros arbitror, ægerrime fieri poſſe, ut ſalutarem doctrinam probe teneatis. Conteſtatur autem vobis hic liber, dum in lucem prodit; pleroſque veſtrum iſta recta notitia carere; adque eam ex ipſius lectione acquirendam vos, præ cæteris omnibus, invitat. Ne ſpernite, ô viri egregii, quod vobis, animo veſtræ aliorumque ſalutis ſtudioſiſſimo, offertur, & cavete, ne prorſus inexcuſabiles vos apud Deum reddatis, ſi ignorantiam ullam in tanto Dei & patris Chriſtique myſterio affectaveritis: in quo, ut ait Paulus, ſunt omnes theſauri ſcientiæ ac ſapientiæ reconditi. Hoc caput & fundamentum; hæc certa & unica via totius felicitatis noſtræ. Hic igitur, ut quam optime verſati atque edocti ſitis, ante omnia ſtudete atque curate; Deumque orate, ut, quoniam aliquid in mea ipſius officina elaboratum, præſertim quod vobis dignum ſit, vobiſcum communicare non poſſum; hujuſmodi peregregia aliunde petita opera & vobis, & Eccleſiæ univerſæ ſubinde poſſim impartiri. Valete.

F. S. S.

F. S. S. Chriſtiano Lectori S. D.

ANnus eſt jam ferme vigeſimus, Chriſtiane Lector, cum Baſilcæ commorans, quo patria, ut commodius ac tutius Sacrarum Litterarum ſtudiis poſſem incumbere, mea ſponte relicta, ſeceſſeram, cœpi cum aliquot veteribus amicis meis ſerio agere de ratione, qua Jeſus Chriſtus Dei filius nobis ſalutem æternam peperiſſet. Quandoquidem multo ante, id eſt, cum adhuc adoleſcens ac pæne puer eſſem, Lælio præcipue Socino patruo meo monitore, cognoveram, hic plurimum vulgo erratum fuiſſe: idque non ſine maxima tum Dei Chriſtique ipſius obſcuratione, tum vero animarum jactura, inter eos præſertim, qui ſeſe ab Eccleſia Romana ſeparaverant. Cognoverant ex parte hoc idem ſimiliter ante complures annos amici iſti mei; quippe qui & Lælii amici fuiſſent. Sed quia rem ipſam haud ſatis unquam perceperant; viſum eſt mihi ab ipſis, quibus præ cæteris iſtud debebam, initium facere pernitioſos iſtos errores penitus detegendi, & veritatem, quam me, Dei beneficio, exacte noſſe, perſuaſus eram, aperiendi. Cum igitur ſæpius hac tota de re cum illis verba haberem, factum eſt, ut aliquoties colloquiis noſtris intervenerint quidam ex iis, qui Euangelici vocantur, non parumque, auditis quæ à me dicebantur, offenſi fuerint. Qui poſtea privatim me convenientes, conati ſunt mihi perſuadere, ut talem doctrinam abjicerem, aut ſaltem aliis ne traderem. Sed quia homines erant partim illitterati, partim artis diſputandi prorſus ignari; ſatis per ſe ipſi mox cognoverunt, provinciam ſe ſuſcepiſſe, cui vires pares non haberent. Itaque, ut alius quiſpiam, ad hanc rem aptior, eam ſuſciperet, curandum putarunt. Id quod etiam ſe facturos mihi ipſi non ſemel dixerunt. Quod ut commodius fieri poſſet (plurimum enim hoc ipſe cupiebam) dedi uni ex ipſis, cujus nomen erat Hieronymus Marlianus, ſcripto breviter comprehenſam ſententiam meam de tota ratione ſalutis noſtræ per Chriſtum; quam adverſus quemcunque me defenſurum promiſi. Accidit paullo poſt, ut Geneva Baſileam veniret Johannes Baptiſta Rota Patavinus, juvenis eloquens & eruditus; qui jam, ni fallor, Gallica lingua, verbi divini miniſterium, ſibi in agro Genevenſi demandatum, exercebat: poſtmodum vero, ut audire mihi ſum viſus, Eccleſiæ Italorum, quæ in ipſa urbe eſt, Paſtor evaſit. Hic ad meum hoſpitium, inque meum cubiculum, à Marliano rogatus, quodam die, matutino tempore, venire non renuit. Ubi ſtatim cœptum eſt de ſententia mea inter nos diſputari. Verum, quia eo ipſo die cœna Domini in Gallorum adventitiorum Eccleſia Baſileæ celebrabatur, eaque peracta, Rotæ Genevam revertendum erat, diſputationem in ipſo ferme initio abrumpere ſine ulla ſpe, per id tempus, ipſam repetendi coacti ſumus. Quare, cum Rota maximum deſiderium præ ſe ferret me à ſententia mea retrahendi; indicatum eſt illi à me, Marlianum, qui aderat, quique communis noſter amicus eſſet, habere, mea ipſius manu deſcriptam, ipſiſſimam ſententiam meam; quam ab ipſo ſibi tradi, curare poterat: &, ubi eam diligenter examinaſſet, ſi minus veram judicaſſet, illam ſcripto confutare. Quod etiam ſe facturum promiſit. Ego vero vicißim ſum illi pollicitus, me libentiſſime ipſius Refutationem lecturum, & ſi ea mihi perſuaſiſſet, ſententiam meam palam damnaturum atque abjecturum. Abiit ille Genevam, dumque avide expecto, ut ad me confutationem meæ ſententiæ mittat; ecce litteræ mihi ab ipſo afferuntur, quibus ſignificat, ſe mirari, cur meum promiſſum de ſententia mea ad ipſum ſcribendi nondum præſtitiſſem. Obſtupui, videlicet, hominis oblivionem, ne quid pejus dicam, & ſtatim ad eum reſcripſi, in memoriam illi redigens, quid inter nos convenißet, atque apertiſſime denuncians, me nihil ſcripturum, niſi ipſe prior contra meam ſententiam aliquid ſcripſiſſet. Tum ille per litteras mihi ſignificavit, quando, ſcilicet, videret, quæ mea mens eſſet, ſe ſcripto meam ſententiam refutaturum, & ad me illud miſſurum. Quod tamen nunquam fecit. Dum igitur diu fruſtra expecto, ut Rota aliquando fidem ſuam liberet, nundinis vernis Francfordienſibus anni 1577 appropinquantibus, in idem hoſpitium, ubi ego diverſabar, divertit Geneva veniens & Francfordiam proficiſcens Vir nobilis Manfredus Balbanus Lucenſis amicus meus; cui comitem ſe adjunxerat Jacobus Covetus Pariſienſis, Euangelicus, ut vocant, Miniſter, homo mihi tunc temporis plane ignotus. Qui, cum reſciviſſet, me negare, Chriſtum morte ſua pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe, ex compoſito (ut quidem mihi poſtea affirmatum fuit) cum ipſo Balbano, & quibuſdam aliis, qui aderant, inter cœnandum verba quædam, neſcio quo pacto, intulit de ipſa Chriſti ſatisfactione; ſic futurum ſperans, ut me ad diſputationem eliceret, & hac ratione vel coram ſuis illis ſymmyſtis me erroris convinceret, vel ſaltem plenius meam ſententiam cognoſceret. Nam quod ego diſputationem cum ipſo detrectaturus non eſſem, ob id omnes plane ſibi perſuadebant, quod non Miniſtri, ſed mercatoris

toris habitu Covetus uteretur. Quaſi facile alioqui eam eſſem detrectaturus, ſi, videlicet, putaſſem, cum Miniſtro, id eſt, cum homine in Sacris Litteris verſato, mihi rem futuram. Sed errarunt omnino. Primum enim, in diſputationibus de rebus Sacris, cum ego is ſim, (Deus teſtis) qui non victoriam quæram, ſed, ut veritas vincat, perpetuo curem; nihil mihi gratius accidere poteſt, quam cum eo congredi, qui eruditione ac doctrina in iis, quæ ad ipſas ſacras quæſtiones pertinent, plurimum polleat. Deinde probe animadverteram ego, antequam plane accubuiſſemus, hominem iſtum Miniſtrum Euangelicum eſſe. Is ſiquidem, de more, Deum ante cibi ſumptionem, omnium nomine, precatus fuerat, atque, ut dici ſolet, menſæ benedixerat. Quare, ubi eum audivi verba illa de Chriſti pro peccatis noſtris ſatisfactione dicentem, eo libentius, quod, videlicet, intelligerem, mihi rem futuram cum eo, qui, quæ dicturus eram, plane percepturus eſſet; illico (ne ſi tacuiſſem, aut illi aſſentiri viderer, aut non audere cum ipſo congredi, idque coram iis, quos ſciebam jam dudum cognoviſſe, me contrarium docere cœpiſſe) longe aliter, atque ipſe locutus eſſet, me ſentire dixi. Hinc cœptum eſt inter nos diſputari. Quod ubi ſatis diu duraſſet, nec ullo modo convenire poſſemus; rogavit is me, quando ſibi una cum comitibus poſtridie, ſummo mane, proficiſcendum erat, ut ſententiam meam, quam breviſſime poſſem, quatenus ipſius, & aliorum ſententiæ adverſaretur, in ſchedula mox notarem, ipſique traderem; ſe enim, Deo dante, illam ſcripto refutaturum. Itaque, cum jam à menſa ſurrexiſſemus, cubiculum meum ingreſſus, ſtatim ſententiam meam, ut ille rogaverat, in ſchedula notavi, & ad ipſum attuli; qui jam eo, ubi cubandum illi erat, ſe contulerat. Quo in loco, ipſo id poſtulante, celeriter reformatum eſt, quod ſcripſeram, id eſt, & ipſius, & mea ſententia apertius aliquanto & diſtinctius in alia ſchedula eſt à me expoſita. Quo facto, & mihi iſtorum verborum, quæ, ipſo aſſentiente, meo nomine poſtremo ſcripſeram, exemplo reſervato, illi vero ſchedula tradita, ei vale dixi; qui ſequente die, ut conſtituerat, primo mane una cum aliis Francofurtum ad Mœnum profectus eſt. Unde poſt paucas hebdomadas miſit ad me ſcriptum quoddam ſuum breviter atque accurate exaratum; in quo viſus ſibi eſt ſatis abunde & ſuam ſententiam confirmaſſe, & meam refelliſſe. Quo perlecto, vidi, neceſſe eſſe, ſi aliqua ſpes erat futura, ut Covetus, quanto in errore verſaretur, agnoſceret, copioſe admodum ipſius ſcriptum refellere; putavique mihi egregiam occaſionem datam eſſe id faciendi, quod jam diu meditabar, id eſt, de ratione ſalutis noſtræ per Chriſtum plene ſcribendi. Quamobrem illam lætiſſimas arripui, & ſtatim uberem quandam reſponſionem ad hoc ſcriptum animo concepi; eamque, Dei auxilio invocato, ſum aggreſſus. Cumque illam jam eo perduxiſſem, ut ſatis eſſe videretur ad Coveti ſcriptum in eo, de quo inter nos controverſia erat, refutandum; accidit, ut ſanitatis meæ, ope amici Medici, qui alibi commorabatur, tuendæ ac recuperandæ gratia, non ſolum Baſilea diſcedere, ſed ſtudia & ſcriptiones prorſus intermittere coactus fuerim, idque per menſes circiter tres. Cum vero, cura mea jam abſoluta, Baſileam redire cogitarem; ecce mittitur ad me Tigurum, ubi tunc eram, à Franciſco Puccio Florentino, qui per id tempus Baſileæ degebat, ſcriptum, quo conabatur reſponſionem quandam meam refellere ad decem ipſius argumenta, quæ mihi ſcripta dederat, ut probaret, contra quam ego ſentiebam, primum hominem creatum fuiſſe à Deo immortalem. Contigit autem præterea, ut eodem tempore peſtis Baſileæ aliquo modo vigeret. Itaque credidi, Deum velle, ut adhuc Tiguri ſubſiſterem, & Puccii ſcriptum pleniſſime confutarem. Quod etiam Deo annuente feci. Mox, peſte jam Baſileæ extincta, eo ſum reverſus. Ibique, repetita adverſus Covetum ſcriptione, eam tandem abſolvi. Abſolutam Johanni Franciſco Caſtillioneo Baſileæ commoranti, amico meo, qui Coveti ſcriptum, Francfordia rediens, ipſius Coveti nomine, mihi tradiderat, dedi, rogans, ut curaret, hanc meam Reſponſionem ad ipſum Covetum deferri. Promiſit ille, ſe eam Genevam miſſurum; ubi, videlicet, Covetus fratrem germanum haberet, qui id omnino curaturus eſſet. Sed tamen, quidquid hujuſce rei cauſſa fuerit, nunquam ad Covetum Reſponſio mea eſt perlata, nec illi ejus copia facta. Id quod ex ipſius Coveti ore habuit non ita pridem amicus meus, dum Baſileæ eſſet; ubi Covetus Gallicanæ Eccleſiæ Paſtorem agebat, & fortaſſis etiamnum agit. Interim ipſa Reſponſio mea Genevæ detenta ad manus pervenit, ut quidem audivi, ipſius Rotæ, de quo antea egi; qui videbatur velle eam refutare. Sed id nunquam, quod ſciam, præſtitit; ob eam cauſſam fortaſſe, quod, quemadmodum mihi ab amico quodam ſignificatum fuit, & alibi me ſcripſiſſe ac monuiſſe memini, viſum eſt illius urbis Paſtoribus ſatius eſſe ipſam meam Reſponſionem ſupprimere, quam, ad eam respondendo, illam publicare. Verum intera cum aliquot amicis meis & aliis piis hominibus in variis Europæ locis degentibus, præcipue vero in hoc Poloniæ Regno, non tam mea ipſius, quam

aliorum

aliorum opera, hic meus labor communicatus fuit; neque hactenus tamen unquam, quod ſumtus non ſuppeterent, typis excuſus; quamvis id multi expeterent, & à me precibus contenderent; niſi particula ejus quædam, in qua agitur de fide in Chriſtum, qua juſtificamur, quæ ab amico meo, me inſciente, altero ab hinc anno, typis mandata eſt, ſub nomine Proſperi Dyſidæi; ſub quo, nimirum, nomine ego ipſe Diſputationem meam de loco ſept. capitis epiſt. ad Romanos, in qua hujus de Jeſu Chriſto ſervatore Diſputationis fit mentio, ante multos annos edideram. Inter alios vero, ad quorum manus Reſponſio hæc mea ad Coveti ſcriptum pervenit, Elias Arciſſevius vir pius & in vinea Domini egregius operarius, idemque ſummus amicus meus, tandem fuit. Qui non deſtitit, donec me ad eam recognoſcendam compulit, & ita parandam, ut in lucem emitti ſtatim poſſet. Cujus rei cauſſa, eam, quæ prius uno quodammodo tractu tota fluebat, in partes, & capita diviſi atque diſtinxi, argumento uniuſcujuſque partis & capitis breviter indicato, ut commodior & jucundior ſit hujus non exigui ſane operis lectio. Et quando, non modo ipſe Arciſſevius, qui hanc curam in ſe ſuſcepit, ſed alii plurimi id poſtulabant, ut publice ederetur, ipſi libenter aſſenſi. Et, quod hactenus nunquam feci, ut meum in hoc opere nomen aperte extaret, omnino volui. Ne, ſcilicet alioqui viderer non audere quædam profiteri, quæ in ipſo continentur, & peregrina prorſus ac nova multis videri poterunt; cum tamen revera non ſint. Feciſſem idem in Diſputatione adverſus Andream Volanum ante annos ſex edita; ubi potior iſtorum pars non leviter attingitur. Sed mihi id tum integrum non fuit. Quanquam nihilominus paulo poſt non modo ab ipſo Volano, ſed vulgo reſcitum eſt, illud opus eſſe meum. Jam Covetum ipſum haud agre laturum, ut ſuum ſcriptum & nomen edatur, vel ob id mihi perſuadeo, quod vir eſt plane eruditus, & cui gratum eſſe debeat, hanc ſibi dari occaſionem, ſua, ſi voluerit, defendendi, & quem ipſe graviſſimum errorem putat, acrius profligandi. Velim autem, illum ſcire, me diligentiſſime, in ejus ſcripto ex autographo ipſo deſcribendo, verſatum fuiſſe; adeo ut ſingularum vocum ſcribendarum rationem, quam in eo reperi, nihil immutare ſim auſus; quamvis ea mihi ſæpius non probaretur. Tantum quia ibi vix ulla diſtinctio ſive interpunctio apparebat; eas ubique addidi, quantum ſatis eſſe putavi, ne in legendo quis hæreret, ſed verborum ſenſum facile quilibet percipere poſſet.

Narravi tibi, lector optime, hiſtoriam totam hujus meæ ſcriptionis; & quæ ad ejus editionem pertinent, breviter expoſui; non quidem, quod crederem, iſta tibi lectu jucunda fore: ſed quod non unam ob cauſſam id facere neceſſe habui. Libentius ſane aliquid aliud proœmii loco, huic meo operi præfixiſſem, & quam hodie eorum, quæ hic à me traduntur, cognitio neceſſaria ſit, docuiſſem. Verum ſpero, quemlibet pium & cordatum hominem, id per ſe ſatis agniturum. Doleo equidem, mihi neceſſe fuiſſe, ne nimis magnum volumen conficerem, quædam tantummodo attingere & indicare, quæ libenter plenius tractaſſem; ut ſunt quæſtiones de peccato originali, quod vocant, de ſignificatione verborum Fidei, & Credendi, Juſtitiæ item, & Juſtificandi in univerſa ſalutis noſtræ materia, de divina prædeſtinatione, & libero hominis arbitrio, nec non aliæ ſimiles, quæ ad id, de quo diſputabatur, non ita proprie pertinere ſunt viſæ, ut quædam aliæ, in quibus fortaſſe nimii fuiſſe tibi videbimur. Sed hoc ob ſummum ardentiſſimumque deſiderium hanc tantam veritatem penitus patefaciendi, factum eſt. Tu labores hos noſtros, non tui minus, quiſquis Chriſtum colis, quam ipſius Coveti cauſſa ſuſceptos, boni conſules; & quæ ſcripſimus, patienter atque attente legere ac perpendere non gravaberis. Sic enim fore ſperamus, ut aliquem haud pœnitendum fructum hinc percipias. Quod faxit ille, in cujus manu ſunt omnia, & cujus gloriæ, quantum in nobis eſt, amplificandæ ſtudio, totum hoc, quidquid eſt, elaboravimus. Vale. Calendis Octobris. 1594.

DISPU-

DISPUTATIONIS
DE
JESU CHRISTO SERVATORE.
PARS PRIMA.

In qua refelluntur rationes, quas Covetus, ad ſuam ſententiam confirmandam, & Socini convellendam, ex Sacris Litteris ductas afferre tentavit.

CAPUT. I.

Refellitur ratio à divina juſtitia ducta; & oſtenditur nullam Dei juſtitiam omnino poſtulaſſe, ut peccata noſtra punirentur.

Reſponſio F. S.

TUa, meaque ſententia, de quibus inter nos controverſia eſt, verbis manu mea, te aſſentiente, ſcriptis, tibique meo nomine à me traditis continentur. Ea autem hoc modo ſe habent.

Communis & orthodoxa (ut aſſeris) ſententia eſt, Jeſum Chriſtum ideo ſervatorem noſtrum eſſe, quia divinæ juſtitiæ, per quam peccatores damnari merebamur, pro peccatis noſtris plene ſatisfecerit; quæ ſatisfactio per fidem imputatur nobis ex dono Dei credentibus.

Ego vero cenſeo, & orthodoxam ſententiam eſſe arbitror, Jeſum Chriſtum ideo ſervatorem noſtrum eſſe, quia ſalutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in ſua ipſius perſona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis reſurgendo, manifeſte oſtenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipſe daturus ſit. Divinæ autem juſtitiæ, per quam peccatores damnari mererentur, pro peccatis noſtris neque illum ſatisfeciſſe, neque, ut ſatisfieret, opus fuiſſe, affirmo

Pro confirmanda opinione tua, meaque convellenda quædam humaniſſime ad me ſcripſiſti. Ad quæ omnia, quatenus opus fuerit, reſpondere conabor. Quod ut clarius appareat, ea hic, ut in tuo ſcripto jacent, per partes apponam; & ſingulis partibus reſponſiones ſubjiciam. Ais igitur:

Juſtum eſſe Deum noſtrum, nullus ſanæ mentis, ut opinor negaverit. Deum enim eſſe & perfecte juſtum eſſe, ita inter ſe cohærent, ut unum abſque altero eſſe non poſſit. Et ſane inter alia permulta, quæ in Deo conſiderari debent, juſtitia ejus poſtremo loco non eſt. Nihilominus tamen, ne forte eum Deum pro meo arbitratu juſtum eſſe affirmare videar, quem tu, ni fallor, vis tantum miſericordem eſſe; id quibuſdam ſcripturæ locis confirmabo. Juſtus eſt dominus, ut legitur Pſalmo 11. Juſtitias diligit, & rectum videt facies ejus; & Pſalm 119. in littera ſæpe dicitur juſtus eſſe dominus, & rectum judicium ejus. Idem etiam paſſim in ſcripturis de Deo dictum reperitur. Sed brevitati ſtudeo.

Reſponſio F. S.

Cum neque ego, Deum eſſe juſtum, negem, neque in iis, quæ tu attuliſti, Sacrarum Litterarum locis de divina juſtitia agatur, de qua diſputamus (agitur enim ibi non de ea *juſtitia*, quæ miſericordiæ opponitur, ſed de ea, quæ alio nomine *rectitudo & æquitas appellari poteſt*, ut inter alios interpretes explicat auctor annotationum in magnis bibliis Roberti Stephani: cui *juſtitiæ* non miſericordia, ſed *pravitas & iniquitas opponitur*) non eſt fere, quod ad hæc verba reſpondeam. Tantum dico, certe in eo te falſum fuiſſe, quod crediderit, me velle, Deum tantummodo miſericordem eſſe, non etiam juſtum; quemadmodum ex iis, quæ infra dicentur, apertiſſime conſtabit. Te autem eum eſſe, qui (imprudens tamen) re ipſa Deum prorſus juſtitia quoque prives, non modo miſericordia ſpolies, qua ſola, ut recte alicubi ait Johannes Calvinus, * conſiſtit noſtra omnium ſalus, me demonſtraturum eſſe confido. Sed pergis:

Juſtitiæ autem Dei nomen (ut ſatis intelligis) varie in ſcripturis ſumitur; ita ut jam te meminiſſe oporteat, nos de ea Dei juſtitia agere quæ miſericordiæ opponitur, & ex qua manant tremenda judicia domini. Ea eſt per quam Deus iniquitatem non ſolum odit, ſed & impunitam non relinquit. Nam ſic ſcribitur Pſal. 5. Deus es non volens impietatem, nec habitabit juxta te malus: odiſti omnes operantes iniquitatem; & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Hanc juſtitiam cum ſibi ante oculos proponit David, ſic loquitur Pſal. 130. Si iniquitates obſervaveris, domine Domine, quis ſuſtinebit? Ex hac juſtitia fluxit ſententia illa domini ad primum parentem verba facientis: Qua die de fructu arboris ſcientiæ boni & mali comederis, moriendo morieris, Gen. 2.

* Inſt. lib. 2. c. 10. ſ. 2.

Reſponſio F. S.

Antequam cætera, quæ hinc deducis, aggrediamur, & ipſa tua verba diligentius expendamus, conſiderandum cenſeo, hanc ipſam Dei juſtitiam, quæ miſericordiæ opponitur, de qua nos agere, ut jam videre potuiſti, probe memini, duplicem eſſe: non ſecus atque miſericordia duplex ſtatui poteſt. Hæc autem diſtinctio ex iiſdem Teſtimoniis, quæ tu ex Pſalmis protuliſti, aperte colligitur. In Pſalmo enim 5 de ea juſtitia loquitur David, qua is iniquos, & impios, hoc eſt, illos, qui in malitia perſeverant, & qui ſuorum ſcelerum pœnitentia non ducuntur, neque ad ipſum Deum, ejuſque opem atque miſericordiam vere confugiunt, punit & perdit. In Pſalmo autem 130 de ea divina juſtitia manifeſte agitur, non qua Deus impios & pœnitere neſcios punit, ſed qua, ſi vellet, neque illi ipſi, quos pro ſua benignitate juſtos judicat, ante ejus faciem conſiſtere poſſent. Utrumque ex eorundem Pſalmorum verbis, quæ ſtatim ſubjiciuntur, ſatis patet. In priore enim mox ſubjungit David, *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam.* Ac ſi diceret, Ego autem, qui ex iſtorum numero non ſum, ſed te colo, & revereor, non perdar abs te; ſed ope tua à tot tantiſque malis, quibus nunc premor, tandem liberabor. Pergit enim, *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Ecce, ſe Dei timore præditum & eſſe, & fore aſſerit. Quare non mirum eſt, ſi de Dei erga ſe miſericordia non dubitat. Alioqui ſi impius, & ſceleſtus fuiſſet, & quales tacite innuit ſuperioribus à te allatis verbis, fuiſſe inimicos ſuos, ſeipſum ipſemet perditum omnino à Deo iri prædixiſſet. Dixerat enim, Deum ejuſmodi homines prorſus abominari, atque exitio devovere. Ne quis tamen putaret, illi divina miſericordia opus non fuiſſe, & dignitate ſanctimoniæ vitæ ſuæ ſe liberationem conſecuturum credidiſſe: ea verba appoſuit *in multitudine miſericordiæ tuæ*: quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, Non

ſum quidem ex iſtorum numero. Sed non propterea, ſi me perdere velles, non poſſes: & quidem jure, ſeclusa miſericordia tua; quam pro ſola ac pura tua benignitate iis impertire decreviſti, qui, licet peccatores fuerint aliquando, & adhuc quandoque labantur: non tamen peccatis amplius delectantur; ſed in Lege tua dies noctesque meditantur: ſed cuſtodiunt teſtimonia tua, ſed toto corde te quærunt. Quales deſcripti ſunt Pſal. 1, & 119. in littera Aleph, & mille aliis in locis. In altero autem Pſal. poſt verba à te citata ſtatim ſubjicitur, *Quia apud te propitiatio eſt, &c.* Ex quibus verbis ſatis conſtat id, quod etiam ex præcedentibus non obſcure intelligi poterat, Deum poſſe quidem, nolle autem, pro ſua miſericordia, ut plurimum, ea juſtitia uti, de qua ibi verba fiunt: alioquin ipſos quoque pios, quos ille & tuetur & fovet, perditum iri.

Ex his, ut dixi, duplicem eſſe Dei juſtitiam liquido apparet: *Unam, qua perpetuo utitur, dum ſceleſtos & contumaces*, ac perditæ ſpei homines plectit, atque exterminat: *Alteram, qua peccatores nonnunquam, neque contumaces, neque omnino deſperatos, eorum pœnitentia non expectata, ex ſua Lege punit*: vel etiam, ſi velit, quanquam reſipiſcentes, promiſſione miſericordiæ ſuæ, qua ſe volens nobis quodammodo devinxit, excluſa, punire poteſt. Unde, ut diximus, etiam duplex Dei miſericordia apparet: *Una videlicet, qua reſipiſcentibus, ut ipſius promiſſa ferunt, omnia ſcelera condonat*, & ſalutem, vitamque largitur: *Altera, qua plane homines prævenit, & peccatis adhuc immerſos ad ſe vocat & allicit: & gratuito ne cogitantibus quidem delictorum veniam, & ſalutem offert.* Illa perpetuo utitur: hac vero tum demum, cum ſibi libuerit. Hæc ita ſe habere, præter duos illos Pſalmorum locos à te prolatos, confirmant univerſæ Sacræ litteræ; ex quibus aliqua tantummodo teſtimonia, quæ magis aperta videntur, & mihi nunc in mentem veniunt, decerpſiſſe ſat fuerit.

De priore divina juſtitia, atque huic oppoſita miſericordia, & quod perpetuo illa Deus utatur, loquitur ipſemet Dominus, de ſeipſo in tertia perſona verba faciens, Exodi cap. 34. 7. Ubi, poſtquam ſe impenſe miſericordem eſſe, peccatque condonare, profeſſus eſt, ait, *Quique abſolvendo non abſolvat.* Quæ eadem verba à Moſe ipſi Domino quodammodo in memoriam rediguntur, Num. cap. 14. 18. Ea autem, ut ex loco ipſo intelligi poteſt, nihil aliud ſignificare videntur, quam Dominum propenſiſſimum quidem eſſe ad miſericordiam, & ad delicta hominibus condonanda: ſed tamen eos non abſolvere, qui nocentes & rebelles eſſe pergunt, neque reſipiſcunt; quemadmodum ſupra dictus in magnis Roberti Stephani bibliis annotationum auctor, aliis & antiquioribus, & recentioribus interpretibus conſentientibus, ea interpretatur. Idem habes apud prophetam Nahum. cap. 1. 30. Quanquam ſunt, qui locutionem iſtam, quæ alibi quoque extat, multo aliter ex Hebræo vertendam & accipiendam docent. In hanc eandem ſententiam loquitur Paulus ad Romanos cap. 2. 5. dum ait, *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in diæ iræ, & revelationis juſti judicii Dei; qui reddet unicuique ſecundum opera ejus: iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione & qui non acquieſcunt veritati, obediunt autem iniquitati, ira & indignatio, &c.* Idipſum aperte docet Dominus Jeſus, cum ſæpe alibi, tum maxime Luc. cap. 13. 2. Ait enim; *Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis, ſed, niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Idem ſtatim repetit, de illis decem & octo ſuper quos ceciderat turris in Siloe, verba faciens. Ex quibus Chriſti verbis ſatis conſtare poteſt, & in malitia obſtinatos à Deo perdi, & reſipiſcentes ſervari.

De altera vero illa divina juſtitia, eique oppoſita miſericordia, quibus Deus perpetuo non utatur, ſed cum ſibi viſum fuerit, manifeſta ſunt ipſius verba, quæ Moſi dixit Exod. 33. 20: *Miſerebor cujus miſerebor, & viſceribus commovebor, ſuper quem viſceribus commovebor.* Quæ verba repetit, & quodammodo interpretatur Paulus ad Rom. 9. 15. addens, *Ergo, cujus vult, miſeretur, &, quem vult, indurat.* Idem Paulus utramque aperte explicat cap. 2. ad Epheſios, in initio: dum illos, non minus licet, quam cæteri, vere propter eorum peccata iræ divinæ obnoxios, divina miſericordia ſervatos eſſe affirmat. Quod etiam, ad Titum ſcribens, cap. 3. 3, divine, ut omnia, his verbis expoſuit: *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis* (vel potius, *& renovationem*) *Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorum noſtrum. Ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Ex his verbis perſpicuum eſt, eos, qui per Dei gratiam fidem in Chriſtum adipiſcuntur, non minus, quam cæteros, jure potuiſſe à Deo propter ipſorum peccata æternæ morti mancipatos relinqui; illius tamen benignitate ſervatos fuiſſe. Plura teſtimonia hujuſce veritatis proferrem: ſed, ut dixi, hæc pauca ſatis fuerint; præſertim cum infra nonnulla hac eadem de re dicenda ſint.

Animadvertendum præterea videtur, neutram ex his juſtitiis Dei, quæ miſericordiæ opponuntur, poſſe una cum miſericordia, cui opponitur, vere & perfecte in eodem ſubjecto (ut loquuntur) eodem tempore exerceri. Nam præterquam quod, ſi id fieri poſſet, non proprie oppoſita dicerentur: id præterea manifeſtum fit hoc pacto. Etenim, quod ad priorem, quam expoſui, juſtitiam, prioremque miſericordiam attinet, cum contraria requirant ſubjecta, nempe juſtitia hominem peccatorem non reſipiſcentem, miſericordia vero reſipiſcentem: cum etiam contraria effecta pariant, juſtitia enim punit, ac perdit, miſericordia parcit, ac ſervat; nulli dubium eſſe poteſt, ſimul utramque in eodem ſubjecto exerceri non poſſe. Quod vero attinet ad poſteriores, quanquam utraque circa idem ſubjectum verſatur: cum tamen earum effecta non minus, quam priorum, invicem prorſus repugnent: ſimul eodem tempore conſiſtere nequeunt. Hæc enim homini, licet peccatori, ſalutem offert, & gratiam largitur. Illa vel perdit, vel ſuæ perditioni prorſus eum relinquit. Hac de ſuo jure multum dimittit Deus: illa jus ſuum plane retinet. Quare, ut infra clarius patebit, omnino hallucinari videntur ii (quamvis in eo commento ſibi valde placeant) qui, in ſalute nobis per Chriſtum parta, divinam juſtitiam, quæ miſericordiæ opponitur, una cum ipſa miſericordia ſimul eodem tempore perfecte conjunctam fuiſſe, affirmant.

Hæc de divina juſtitia, quæ miſericordiæ opponitur, differere libuit, non ſolum ut via ad ea examinanda, quæ deinceps ſcribis, ſterneretur: ſed etiam, ut videres, num ego Deum eandem ipſam juſtitiam non exercere credam, quam ſcio te intelleXiſſe, cum, me Deum miſericordem tantum eſſe velle, opinari te dicebas; quamvis eo loco de juſtitia Dei indiſtincte verba faceres, & teſtimonia, quæ ibi deinde protuliſti, ut ſupra oſtenſum eſt, non de hac juſtitia, ſed de rectitudine & æquitate divina loquantur. Quam non ſolum à Deo exerceri, ſed in omnibus operibus ejus perpetuo elucere, vel ſaltem ineſſe, conſtanter affirmo. Accedit huc, quod nolui te ſuſpicari poſſe, me diſputationem hac in parte tecum ſubterfugere ullo modo voluiſſe. Et idcirco, quemadmodum etiam coram tecum hac eadem de re diſputans, feci, humano, ſeu potius vulgari, more loquens, juſtitiam hanc divinam, quæ miſericordiæ ipſius Dei opponatur, dari ſum faſſus. Cum tamen me unico verbo hac diſputatione exolvere poſſem: ſi dicerem, in Sacris Litteris nullius divinæ juſtitiæ mentionem fieri, quæ ita appelletur, quatenus miſericordiæ

oppo

opponatur. Id quod, cum non modo veriſſimum ſit, verum etiam non parvam lucem toti rei ſit allaturum, paucis explicare operæpretium eſſe duxi.

Dico igitur, Juſtitiæ nomen, cum ad Deum refertur, ut ego quidem arbitror, in Divinis Litteris nunquam opponi miſericordiæ: ſed (omiſſis aliis hujus verbi ſignificationibus, quas tamen ab ea, quam ſtatim dicam, omnes aliqua ratione deduci crediderim) præcipue, & plerumque rectitudinem & æquitatem ſignificare. Ea vero res, quæ, ad Deum relata, miſericordiæ opponitur, non juſtitia appellatur à ſacris ſcriptoribus; ſed vel ſeveritas, vel ira, vel indignatio, vel furor, vel vindicta, vel ſimili alio quopiam nomine nuncupatur. Quin etiam, quod attinet ad priorem miſericordiam illam Dei a me ſupra expoſitam, non minus juſtus in exercenda miſericordia, quam in ulciſcendis injuriis Deus eſſe dicitur. Æquum enim eſt, & ideo juſtum, Deum ſua promiſſa ſervare, & reſipiſcentes peccatores gratia, ac benignitate proſequi. Quocirca, Paulus non veritus eſt dicere, à Domino, tanquam à juſto judice, datum iri ſibi juſtitiæ coronam, eo quod bonum certamen certaſſet, curſum conſumaſſet, fidem ſervaſſet: neque ſolum ſibi ſed etiam omnibus, qui diligunt adventum ejus, 2. ad Tim. 4. 8. & 2. ad Theſſ. 1. 5, 6, 7. documentum juſti judicii Dei eſſe dicit, quod, qui pro regno Dei mala patiuntur, ipſo digni habeantur: & juſtum eſſe apud Deum, ut, qui nunc affliguntur, relaxationem habeant, cum Dominus Jeſus de cœlo patefiet. Auctor etiam ad Hebræos inquit ſuæ Epiſtolæ cap. 6. 10, Deum injuſtum non eſſe, ut obliviſcatur operis eorum, & dilectionis, quam oſtenderant in nomine ejus, & oſtendebant adhuc, ſanctis miniſtrando. Hinc eſt, quod David Pſal. 7. 9, orat Deum, ut judicetur ab illo ſecundum juſtitiam ſuam. Immo hinc eſt, quod idem David Deum precatur his verbis, *Judica me ſecundum juſtitiam tuam*, Pſal. 35. 24. Hinc eſt, ut uno verbo dicam, quod tam ſæpe, tam aperte, Deum judicare, ſeu judicaturum eſſe, ſcriptum eſt, ſecundum uniuſcuiuſque opera. Ubi enim Deus judicat, ibi ejus juſtitia ut ſit, neceſſe eſt. Jam miſericordia, quæ à me ſecundo loco poſita fuit, & pura ac ſimplex Dei benignitas eſt, nullis promiſſionibus alligata, tantum abeſt, ut juſta non ſit, ut juſtitiæ nomine in Sacris Litteris inſigniri meruerit; ſi modo iis credendum eſt, qui Hebraicæ linguæ peritiſſimi non pauca Sacræ Scripturæ loca, in quibus divinæ juſtitiæ fit mentio, in hanc ſententiam acceperunt, atque explanaverunt: & nominatim locum illum Pſal. 40, *Annunciavi juſtitiam in cœtu multo.* Ubi Dei bonitatem, ejuſque beneficia intelligi debere, dixerunt. Atqui apertiſſimus videtur locus ille 1 Sam. 12. 7, *Ut diſceptem vobiſcum coram Jehova de omnibus juſtitiis Jehovæ, quas fecit vobiſcum, & cum patribus veſtris.* Ubi vetus interpres, ſenſum potius, quam verba, reſpiciens, pro Juſtitiis Miſericordiis repoſuit. Nec minus apertus eſt locus ille, Pſal. 112. 9, *Diſperſit, dedit pauperibus. Juſtitia ejus manet in ſæculum*, præſertim, ſi animadvertatur, ad quid probandum, eum Paulus attulerit, 2 Cor. 9. 9. Quid autem divinæ naturæ convenientius, & propterea æquius, ac juſtius, quam humanum genus miſerum atque deſpectum, immeritum licet, beneficiis afficere, & gloriæ ſuæ participatione donare?

Poſtremo notandum eſt, cum juſtitia, quatenus miſericordiæ opponitur, vere, ut dictum eſt, juſtitia non ſit, neque eo nomine in Sacris Litteris decoretur, ſed potius ſeveritas, & vindicta dici debeat: eam in Deo vere non reſidere, nec Dei eſſe qualitatem, ſeu mavis, proprietatem aliquam, ſed tantummodo effectum voluntatis ejus. Ea enim juſtitia, quæ in Deo verè reſidet, & qualitas ſeu proprietas ejus eſt, adeo ut nihil ab eo fiat, quod ejus ſit expers, illa eſt, quæ, ut dixi, hac appellatione in divinis monimentis inſignitur, & rectitudo atque æquitas alio nomine dici poteſt. Nam tametſi ſupra dixi, quandam juſtitiam eſſe miſericordiæ oppoſitam, qua Deus perpetuo utatur; animadvertendum eſt tamen, Deum perpetuo quidem ea uti: verum non quatenus miſericordiæ opponitur, neque per ſe: ſed, ut dicitur, ex accidente; quatenus, ſcilicet, veræ juſtitiæ, hoc eſt, rectitudini & æquitati debita eſt ac conſentanea. Neque enim ideo punit Deus perpetuo peccatores non reſipiſcentes, quia proprium ſit ejus punire eos qui peccant (hoc namque illud eſt, quod vere miſericordiæ opponitur, quæ per ſe nihil aliud eſt, quam peccantibus veniam dare, nulla pœnitentiæ vel contumaciæ ratione habita) ſed quia non reſipiſcentibus veniam non concedere, id demum naturæ divinæ, & decretis ejus, & propterea rectitudini & æquitati debitum eſt ac conſentaneum. Eadem ferme conſideratio locum habet in ipſa quoque miſericordia, quatenus ſeveritati oppoſita eſt, atque vindictæ, ut ſcilicet Dei proprietas non ſit, ſed effectus tantum voluntatis ejus.

Sed jam tempus eſt, ut verba tua accuratius examinemus. Quod igitur ais, Deum iniquitatem impunitam non relinquere: hoc quidem verum eſt, idque perpetuo, ſi veram iniquitatem, hoc eſt, obſtinatam hominis malitiam, ejuſque perſeverantiam & perpetuam delectationem in malis perpetrandis intelligis. Sed ſi de ea iniquitate, in qua quis non perſiſtat, verba facis: id à veritate quam longiſſime abhorret; præſertim ſi de ea punitione loqueris, qua Deus, ſummo jure agens, in delicta hominum vindicare poteſt. Id quod manifeſtum, ut ſupra expoſitum eſt, faciunt ipſa duo Sacrarum Litterarum loca à te allata: præſertim vero poſterior locus, Pſal. nimirum 130, *Si iniquitates obſervaveris, &c.* Unde aperte colligitur, Deum ſæpe, immo plerumque ſummo jure nobiſcum non agere. Et ſane mirari ſatis non potui, te hominem acutum ad confirmandam opinionem tuam eum locum attuliſſe, quo haud ſcio, an in univerſa Sacra Scriptura, in qua tamen ſexcenta ſunt ejuſmodi teſtimonia, nullus alius aptior & validior ad eam convellendam reperiri poſſit. Quod autem addis, Ex ea juſtitia, quæ miſericordiæ opponitur, & cujus tu putas nunquam in hominibus judicandis à Deo rationem non haberi, fluxiſſe ſententiam illam Domini Adamum alloquentis, *Qua die de fructu arboris ſcientiæ boni & mali, comederis, moriendo morieris*: cum à me oſtenſum fuerit, ejuſmodi juſtitiam vere in Deo non reſidere, neque proprie Dei qualitatem dici poſſe, quatenus ſcilicet miſericordiæ opponitur, ſed tantummodo effectum voluntatis ejus: nihil ex ea fluere potuit. Quod verum eſſe deprehendetur, ſi conſideremus, potuiſſe Deum præceptum illud homini tradere, neque tamen pœnam mortis, ſi illud non ſervaſſet, addere: immo ne pœnam quidem ullam. Poteſt enim Deus, præſertim cum ipſe omnium ſit dominus, de ſuo jure, quantum velit, dimittere. Verum, quæ inſtinc derives, audiamus.

Accidit autem aſtutia diaboli & hominis ſuperbia, ut de vetito fructu arboris ſcientiæ boni & mali comederint primi parentes; ut legitur Gen. 3. Unde ſic vere concludere licet: Ex juſtitiæ Dei edicto morti adjudicantur primi parentes, ſi de fructu arboris ſcientiæ boni & mali comederint. Atqui de iſto fructu comederunt. Sequitur igitur, illos morti mancipatos eſſe. Sic Dei judicio hoc debemus, ut, quia peccavimus, morte moriamur. Eſt enim mors ſtipendium peccati, Romanorum ſexto. Mors, inquam, tum prima quæ animam à corpore ſeparat; tum vel maxime ſecunda quæ corpus & animam, reſurrectione interveniente, rurſus conjuncta in æterni ignis gehennam detrudit. Ac ne forſitan exiſtimes, damnationem iſtam valere tantum adverſus primos parentes, non autem ad nos, qui poſteri eorum ſumus, pertinere, Tibi ſunt hæc in memoriam revocanda, ubicunque peccatum invenitur, ibi etiam mortem dominari. Dicebat autem David de ſeipſo, quod quilibet noſtrum agnoſcere debet: In iniquitate conceptus ſum, & in peccatis calefecit me mater mea. Idcirco dicebat Paulus Eph. 2. nos natura iræ filios eſſe. Et præterea Rom. 5. Mors ob peccatum ita in quos vis imperium obtinere legitur, ut ii etiam, qui non peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam, ejus imperio non eximantur.

Reſponſio F. S.

Fateor, non primos parentes tantum, ſed univerſum etiam humanum genus, propter peccatum, morti, & quidem æternæ, obnoxium eſſe. Verum id, non ex aliqua Dei juſtitia neceſſario fluxit, ſed ex ejus libera voluntate. Quocirca, quemadmodum potuiſſet Deus, & quidem jure, homines, licet peccantes, morti æternæ non mancipare: ſic, poſtquam eos illi morti edicto ſuo mancipavit, ex illius imperio iterum eximere, & quidem jure, ſua ſola voluntate poteſt. Sed addis:

Jam vero conſtat, nos, qui cum Davide ex electis ſumus, à morte ſecunda, quæ verè mors eſt (prima enim nihil aliud eſt nobis, quam tranſitus ad vitam) ita liberatos eſſe, ut jam damnatio æterna ad nos non pertineat. Et (ut facile mihi perſuadeo) Tu, ſi te ex electorum numero eſſe firma fide credis, non dubitas, quin tandem ſalvus evadas: & ſi in teipſo, ut cæteri electi, multorum peccatorum ſis reus. Quo fit, ut (meo quidem judicio) non immerito quis quærat, cum peccatores ſimus, idque agnoſcamus, juſtitia autem Dei peccatores morte æterna plectendos eſſe cenſeat, qui fieri poſſit, ut ad vitam æternam, non autem ad mortem æternam tranſeamus. Et hæc quidem quæſtio ejuſmodi eſt, ut ſolutione ſui Orthodoxam eſſe noſtram de Chriſto ſervatore ſententiam, Tuam vero de eo opinionem à Veritate Euangelica prorſus alienam eſſe, manifeſtiſſime demonſtret.

Reſponſio F. S.

Utra ſententia orthodoxa, utra à veritate Euangelica prorſus aliena ſit, poſtea videbimus. Interim, quod dicis, juſtitiam Dei peccatores æterna morte plectendos cenſere, cum certum ſit, te peccatorum nomine, omnes peccatum aliquod perpetrantes intelligere: id (tua pace dictum velim) plane falſum eſt. Divina enim juſtitia, ut ſupra demonſtratum fuit, & infra iterum divinis teſtimoniis comprobabitur, eos, quos perpetrati peccati pœnitet, & qui ad Deum, quem offenderunt, toto pectore convertuntur, propter ipſius Dei decretum hac de re promulgatum, non ſolum non cenſet æterna morte plectendos eſſe, ſed æterna vita donat, & tanquam præmio afficit, atque ornat. Quod ſi ante divini decreti promulgationem tua verba intelligi debere dicas: jam à me probatum fuit, quod peccantes homines æternæ morti ſunt addicti, id non ex aliqua divina juſtitia neceſſario manaſſe, ſed à libera Dei voluntate ortum duxiſſe, & ab ea prorſus pendere.

CAPUT II.

RAtione liberationis ab æterna morte, ac ſalutis noſtræ per Chriſtum breviter expoſita, oſtenditur, Chriſtum, ſervatorem noſtrum vel ob id merito dici, quod ſalutis æternæ viam nobis annunciaverit; iis refutatis, quæ in contrarium Adverſarius attulerat.

At concluſionem tuorum verborum videamus.

Quærenti enim qui fiat, ut mortem æternam meriti nihilominus ad vitam æternam perveniamus, præſertim cum juſtitia Dei eam potentiam ſibi adjunctam habeat, quæ quicquid illa jubet, nullo negotio exequatur, Reſpondemus id fieri, quod Jeſum Chriſtum ſervatorem habeamus. Pro ſervatore enim eum agnoſcimus edocti à Spiritu Sancto, qui, per Angelum loquens, dixit, illum vocatum iri Jeſum, quod populum ſuum ſervaturus eſſet à peccatis ipſius, Matthæi primo. Et quidem cum tu eum etiam ſervatorem appellas, videris nobiſcum conſentire. Sed non ſatis eſt Chriſtum ſervatorem dicere, niſi etiam qua ratione quo ve modo ſit ſervator noſter, intelligamus, credamus, & confiteamur. Ac in eo mihi videris aut Euangelica & Apoſtolica ſcripta non legiſſe, aut lecta non intellexiſſe, aut eorum lectorum & intellectorum non meminiſſe, cum dicis & ſcribis, Chriſtum nec pro nobis ſatisfeciſſe juſtitiæ Dei, per quam peccatores damnari merebamur, nec etiam opus fuiſſe, ut pro nobis peccatoribus divinæ iſti juſtitiæ ſatisfeceret. Immo in eo vis Chriſtum ſervatorem noſtrum dici, quod ſalutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in ſui ipſius perſona, cum exemplo, tum ex mortuis reſurgendo, manifeſte oſtenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipſe daturus ſit. Quare, ut tibi ad iſta reſpondeam, Primum quæ affirmas, habita ratione concluſionis tuæ, Deo adjuvante, refutabo: deinde quod negas, eodem adjutore, evidentiſſimis Sacræ Scripturæ locis veriſſimum eſſe confirmabo. Futurumque ſpero, ut, ſi is es, quem te eſſe profiteris, qui ſcilicet tantum ex Dei verbo ſapere cupias, facile reſipiſcas: & abjectis vanis iſtis commentis, de Chriſto ut ſervatore rectius ſentias, loquaris, & ſcribas.

Reſponſio F. S.

Etſi, quod attinet ad diſputationem noſtram, cum nihil in hiſce verbis probare conetis, ſed tantum te probaturum dicas, poſſim, illis omiſſis, ad ea, quæ ſequuntur, examinanda accedere; viſum eſt tamen quædam, quæ in eis ſunt, ſilentio prorſus non præterire. Ut igitur tu ipſe aperte confiteris, non ea quæſtio noſtra eſt, utrum Chriſtus ſervator noſter ſit. Id enim innumerabilibus prope Divinarum Litterarum locis ſcriptum eſt. Sed illud quærimus, quam ob cauſſam ſervator merito dictus fuerit. Quanquam autem ego (eſt Deo gratia) Chriſtum ſervatorem noſtrum eſſe agnoſco; non tamen recte omnino, & ut vere fieri oportuit, te ad quæſtionem a te ipſo poſitam reſpondiſſe crediderim; quamvis reſponſum tuum ſuſtineri poſſe non negem. Quærente enim aliquo, qui fiat, ut, mortem æternam meriti, nihilominus ad vitam æternam perveniamus: non eſt germanum reſponſum, Quia Chriſtum ſervatorem habemus: ſed, Quia ſupplicium mortis æternæ à Deo, cujus libera voluntate atque decreto eam meriti fueramus, nobis pro ineffabili ipſius bonitate condonatum fuit, atque ejus loco datum vitæ æternæ præmium; dummodo reſipiſcamus, & abnegata omni impietate, vitæ innocentiæ ac ſanctimoniæ deinceps ſtudeamus Tit. 2. 11. Quod ſi, qua ratione iſtud nobis innotuerit, quæratur, cum neque Deum videamus unquam, neque audiamus loquentem Joh 1. 18, quis ve nobis tantæ divinæ liberalitatis non dubiam fidem fecerit; Reſpondendum eſt, Jeſum Chriſtum ejus cariſſimum filium, qui in ſinu patris eſt, nobis id enarraſſe, & multis modis confirmaſſe: quin, ſeipſum nobis eam æternam vitam daturum, manifeſte probaſſe. Quocirca, cum ad ſalutem tantam adipiſcendam, præter Dei voluntatem, fides, atque obedientia noſtra omnino requiretur, jamque nihil aliud, niſi, ut nos Deo crederemus, eique obediremus, efficiendum reſtaret; certe is, qui fidei & obedientiæ noſtræ auctor & effector fuit, & præterea ejus ſalutis nobis largiendæ auctoritatem, & pleniſſimam poteſtatem eſt conſequutus, noſter ſervator & eſt, & à nobis merito agnoſcitur & prædicatur. Verum, quoniam hac de re mox latius videbimus, non eſt, quod nunc in ea longius immorer.

Quod ſcribis, me negare, Chriſtum pro nobis juſtitiæ divinæ, per quam peccatores damnari merebamur, ſatisfeciſſe: meminiſſe poteras, me non Merebamur, ſed Mereremur voluiſſe in ſententia mea explicanda ſcribere. Id autem quare à me factum fuerit, & tunc potuiſti, & nunc clarius perſpicere potes: cum non à divina aliqua juſtitia neceſſario damnationem noſtram originem traxiſſe, ſed, à libera Dei voluntate emanaſſe, contendam. Quod vero ais, te, habita ratione concluſionis meæ, ea, quæ affirmo, refutaturum; vide, ne ſtudium concluſionem meam refutandi te ad ea neganda imprudentem traxerit, quæ nulla ratione negari poterant; quemadmodum, Deo bene juvante, me demonſtraturum confido. Jam quod ſcribis, te ſperare, ut vana commenta abjiciam: animadvertere debueras, me nihil comminiſci, ſed aliorum commenta reſpuere: neque me, ſi mea opinione falſus eſſem, ut nova quædam comminiſcentem, ſed ſolum, ut ea, quæ vera eſſent, non credentem, damnari poſſe. Exemplum eſto in iis, in qui-

bus nobis cum Pontificiis non convenit. Quis enim, dum eorum ignem purgatorium, auricularem (quam vocant) confeſſionem, mortuorum invocationem, & ſimilia negamus, aliquid nos comminiſci dicere audeat, ac non potius, ipſos hæc omnia commentos fuiſſe, demonſtrare velle, etiamſi maxime noſtra opinione deciperemur?

Cætera, quæ, antequam totam rem diligenter perſpexeris, de me vel opinari te dicis, vel affirmas, prudens prætereo. Jam enim quantum in eo fallaris, manifeſtum facere accingor. Sed prius, quæ ſequuntur; verba tua ſubjiciamus.

Ut igitur ad rem veniam: Ecce tu Chriſtum affirmas ideo ſervatorem noſtrum eſſe, quia viam ſalutis nobis annunciaverit & confirmaverit. Et quid quæſo hiſce verbis aſſeris, niſi ex conſequenti etiam Prophetas & Apoſtolos ideo ſervatores noſtros eſſe, quod nobis viam ſalutis prædicando annunciaverint, multiſque miraculis confirmaverint? Via enim ſalutis nulla alia eſt, præter Jeſum Chriſtum; ut teſtatur ipſemet, Johannis 14. Prophetas autem Chriſtum ſalutis viam annunciaſſe, an inficiaberis? Omitto, ut id probem, conciones integras quæ de Chriſto Meſſia venturo in ſcriptis propheticis reperiuntur. Hoc tantum dicam, quod Lucæ 24 capite legitur, expoſuiſſe ipſummet Chriſtum ea, quæ de ſe in lege, Pſalmis, & Prophetis ſcripta erant. Quid autem de Apoſtolis dicemus, quorum conciones & Epiſtolæ nihil aliud proponunt nobis, quam Chriſtum veram & unicam ſalutis æternæ viam. Neque enim volebat Paulus aliud ſcire, ac nec per conſequens docere, quam unum Chriſtum eundemque crucifixum 1 Cor. 2. Et certè inquit, 1 Cor. 1. Nos prædicamus Jeſum crucifixum. Ipſa etiam ancilla, pythonis ſpiritum habens, hoc intellexit, cum diceret de Apoſtolis, Act. 16. Iſti homines ſervi ſunt Dei illius ſummi, qui annunciant nobis viam ſalutis. Quod autem attinet ad miracula, quibus & Prophetæ, & Apoſtoli doctrinam, quam de via ſalutis annunciaverant, confirmarunt: An non noſti, quid Moſes in deſerto, quid Elias, & Eliſæus, quid Johannes, Petrus, & Paulus fecerint? An telatet, maris aquas diviſiſſe, Exo. 14 aquam pluviam de cœlo attraxiſſe, 1 Reg. 18. Ignem de cœlo in tyranni ſatellites excitaſſe. 2 Reg. 1, claudum ſanaſſe Act. 3, mortuos etiam in vitam revocaſſe. 2 Reg. 4, & Act. 20? Si ideo igitur Servator noſter agnoſceretur Chriſtus, quod nobis viam ſalutis annunciaverit & confirmaverit, ut fert opinio tua, nunquid Prophetæ, & Apoſtoli, qui idem fecerunt, etiam pro ſervatoribus agnoſcendi eſſent? Atqui hoc abſurdum eſt. Ergo abſurdum & illud.

Reſponſio F. S.

Priuſquam ad argumenta tua refellenda me converto, id tibi in memoriam redigere volui, Jeſum Chriſtum (tua etiam opinione retenta) duplici ratione Servatorem noſtrum dici poſſe, dum adhuc ſumus in hoc mundo: Vel, quia re ipſa effecerit, ut nos, ſalutis viam ingreſſi ſimus; Vel, quia per ipſum non ſteterit, quominus eam ingreſſi fuerimus, & ea, quæ noſtri cauſſa fecit, nobis ſalutis viam abunde patefecerint. Nam ſi ea, quæ propter nos fecit, tala ſunt, ut inde nobis ſalus conſequi poſſit; quamvis effectus in nobis non ſequatur, cum id noſtra culpa eveniat, non tamen etiam eo caſu Servatoris noſtri nomine poteſt ullo pacto privari. Hinc enim Chriſtus indiſtincte Servator mundi dicitur, Joh. 4. 42, & 1 Joh. 4. 14. quamvis mundi magna pars ſalutem ab ipſo allatam aſpernetur; ut ipſemet teſtatur, Joh. 3. 29. Quare concludere poſſumus, quicunque ſervator dici poteſt alicujus, quia is, propterea quod ipſi auſcultaverit, ſalutem conſecuturus ſit, eundem ejuſdem ſervatorem dici potuiſſe, etiamſi ſalutis viam ſibi ab ipſo oblatam is reſpuiſſet.

His ita conſtitutis, dico, nulli dubium eſſe poſſe, quin is, qui ſalutis viam alicui annunciat, ejus ſervator dici poſſit; cum videamus in Sacris Literis, eos aliquem ſervare ſcriptum eſſe, qui, quod ad ipſos attinet, nihil aliud vere agunt, niſi quod ſalutis viam illi annunciant. Paulus enim ad Rom cap. 11. 14, ita ſcribit: *Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſervem aliquos ex illis*: & priore ad Cor. cap. 9. 22, *Omnibus factus ſum omnia, ut omnino aliquos ſervem.* Ad Timoth. autem Epiſtola 1 cap. 4, ad finem: *Attende tibi ipſi, & doctrinæ perſiſte in his. Hoc enim faciens, & teipſum ſervabis, & eos qui te audiunt.* Jacobus quoque ad finem Epiſtolæ ſuæ ſic ſcriptum reliquit: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſervabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* A conjugatis igitur ducto argumento, ſatis patet, eos, qui ſalutis viam annunciant, & ſi nihil aliud vere agant (quales, ut dixi, erant ii, de quibus in his locis verba fiunt) cum ſervare dicantur, ſervatores etiam dici poſſe.

Quod ſi quæras, cur tamen neque Prophetæ, neque Apoſtoli hoc nomine in Sanctis Literis fuerint decorati. Primum, quod ad Prophetas attinet, non eſt, cur mireris, illi enim ſalutis æternæ, de qua loquimur, viam non annunciarunt; vel te ipſo teſte, qui, Chriſtum unicam ſalutis æternæ viam eſſe, confiteris. Neque enim, quamvis id tu conſtanter affirmes, ipſi Chriſtum annunciarunt: ſed tantummodo venturum prædixerunt. Chriſtum ſane venturum prædicere, non eſt ipſum annunciare; cum annunciatio rei præſentis ſit, & ad eum pertinentis, cui annunciatur. Jam quæ Prophetæ de Chriſto prædixerunt, futurum tempus omnino reſpexiſſe, nec ad eos, qui tunc præſentes erant, pertinere potuiſſe, ſed ad futuros tantum tempore ipſius Chriſti, & cæteros poſt adventum ejus, hæc omnia (inquam) aperte colliguntur ex verbis prioris Epiſtolæ Petri cap. 1. 10. quæ ita ſe habent, *De qua ſalute* (animarum) *exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vos gratia prophetaverunt, ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret, qui in eis erat, Spiritus Chriſti: qui, priuſquam acciderent, teſtabatur [venturas] in Chriſtum afflictiones, & quæ eas ſecuturæ eſſent glorias: quibus revelatum eſt, quod haud ſibi ipſis, immo nobis miniſtrarent hæc, quæ nunc annunciata ſunt vobis per eos, qui vobis, prædicaverunt Euangelium, per Spiritum Sanctum emiſſum è cœlo; in quæ deſiderant Angeli proſpicere.* Vides aperte, & gratiam per Chriſtum humano generi allatam, & ejus mortem, ac reſurrectionem glorioſam prædictas tantummodo à Prophetis fuiſſe: neque ſolum iis, qui tunc temporis erant, non fuiſſe a Prophetis miniſtratas, verum nec etiam ſibi ipſis: ſed ab Euangelicis præconibus iis demum fuiſſe annunciatas, qui Chriſti tempore, vel poſt Chriſtum fuerunt. Quid quod ipſæ prophetarum prædictiones de Chriſto, ſub typis quibuſdam expoſitæ, ita obſcuræ erant, ut, niſi Chriſtus ipſe veniens nobis eas patefeciſſet atque interpretatus eſſet, nihil vere earum intellexiſſemus? Id quod tu ipſe tacite fateris, cum locum illum adfers, Luc. 24. 27. ubi ſcriptum eſt, Dominum Jeſum duobus illis diſcipulis ſuis, qui Emauntem proficiſcebantur, interpretatum fuiſſe, quæ in omnibus ſcripturis de ipſo ſcripta erant. Iſti fuerant ejus diſcipuli: eum, ejuſque doctrinam millies audierant; & nihilominus adhuc, quæ de ipſo in Prophetis ſcripta erant, ignorabant. Num parum etiam liquet, Apoſtolos ipſos, antequam Chriſtus à mortuis reſurgeret, immo, antequam Spiritu Sancto eos poſt ſuum in cœlum aſcenſum perfunderet atque repleret, propheticas ſcripturas de Chriſto adeo non intellexiſſe, ut ne, cum Chriſtus quidem ipſe illis prædicaret, ſe occiſum iri, & reſurrecturum à mortuis, ſecundum ea quæ ſcripta fuerant per Prophetas, intelligerent, quid ſibi vellet? Sic enim ſcribitur Luc. 18. 31: *Aſſumptis autem duodecim, ait illis, Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur & contumeliis afficietur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum; ac die tertia reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt, eratque verbum iſtud abſconditum ab eis: nec intelligebant, quæ dicebantur.* Idem de ſola ejuſdem Chriſti in manus hominum peccatorum traditione futura,

& ab ipso eisdem Apostolis prædicta habetur apud eundem Lucam cap.9.44, & 45. Verba autem illa ipsorum Apostolorum post Jesu Christi resurrectionem, Act.1.6, *Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israëli?* quid aliud indicant, quam ipsos, quale Christi regnum esset, nondum intellexisse? Quæ nam igitur Christi annunciatio fuit illa prophetarum, qui de eo tantum modo vaticinati sunt, idque ita obscure, ut ii qui una cum Christo assidue erant, ab eoque non solum ad prædicandum Euangelium delecti, sed jam ad regnum Dei publicandum missi fuerant Luc.9.2, non possent sine singulari divina patefactione, quæ illi dixerant percipere? Quid mirum igitur, si servatores nec appellati fuerunt, nec appellari debent?

Quare ad Apostolos, Christique discipulos veniamus, qui aliqua ratione, ut supra probatum est, homines servasse sunt dicti. Animadvertendum igitur est, quod, quemadmodum Apostoli, & reliqui discipuli Jesu Christi minus proprie salutis viam annunciasse dicuntur, Christus autem proprie: sic illi minus proprie homines servasse dicuntur, Christus autem proprie dicitur. Unde factum est, ut illi servatores appellati non fuerint, Christus vero merito servator sit appellatus. Is enim proprie annunciare dicitur, qui primus aliquid novum verbis affert aut patefacit, quique solus ab initio ad ejusmodi munus obeundum delectus est, cuique cæteros deligendi, qui, ab eo edocti, ejus vice ac nomine idem deinde munus obeant, est data auctoritas, talis autem est Christus. At qui postea idem afferunt quidem vel patefaciunt, sed nomine & vice illius, qui eos edocuit & auctoritate sibi tradita huic muneri destinavit, minus proprie annunciare dicuntur, tales autem sunt Apostoli, & cæteri Jesu Christi discipuli. Verum ea, quæ diximus, quanquam per se manifesta, divinarum literarum auctoritate confirmare libet. Et primum quod attinet ad Christi personam, ita scriptum est. *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus filius, qui est in sinu patris ipse enarravit*, Joh.1.18. Itaque ipse Christus fuit, qui nobis ea, quæ prius in Dei sui patris sinu latebant, patefecit. Quocirca, quicquid ad nos pervenit veræ atque æternæ benignitatis, & fidelitatis divinæ, quarum ibidem superiore versic. sub nomine gratiæ, & veritatis, mentio facta fuerat, id omne soli Christo acceptum referendum est: qui primus & solus vere eas nobis annunciavit atque ipsius Dei nomine obtulit. Hinc elegantissime à Paulo Apostolo dictus est Imago Dei inconspicui 2 Cor. 4. 4, & Coloss. 1. 15. Et ipse Christus de se ait, *Qui videt me, videt patrem*, Joh. 14. 9. Idem Paulus 2 Tim. 1. 8, inquit, *Ne igitur te pudeat testimonii Domini nostri; neque te pudeat mei, qui sum vinctus illius, sed esto particeps afflictionum Euangelii juxta potentiam Dei; qui salvos nos fecit, & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam; quæ data est nobis per Christum Jesum ante tempora æterna: sed palam facta est nunc per apparitionem servatoris nostri Jesu Christi; qui mortem quidem abolevit, vitam autem in lucem protulit, atque incorruptionem per Euangelium; ad quod constitutus sum ego præco, & Apostolus, & doctor gentium.* Vides, quis nam per Euangelium vitam & incorruptionem in lucem protulerit, cuique id acceptum referat Paulus, quamvis & ipse ejusdem Euangelii præco esset. Vides, inquam, per bonum Jesu Christi nuncium, mortem fuisse abolitam, vitamque in lucem prolatam. Qui ergo audes, suæ annunciationis ratione Christum servatorem nostrum esse negare? sed quid ipse Christus? nonne Joh. cap.17. 6, Patrem orans, ait *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo?* Et mox 8, subjicit, *Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis:* & 14, *Ego dedi eis sermonem tuum.* Quid ipse Deus de eo Matth.17.5? *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* *

* In hac priorum Pauli ad Col. interpretatione receptissimam sententiam secuti sumus. Alioqui non magis ad Christum, quam ad mysterium Dei & Christi referri possunt; nisi ante ἔ χριστ velimus ἀπ' χριστ repeti debere ea verba, εἰς ἐπίγνωσιν.

A Christo igitur, tanquam ab uberrimo, & perenni fonte omnis vera Dei scientia, omnis sapientia ad cæteros manavit, & manat. Sunt enim in eo, inquit Paulus, omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ reconditi, Col.2.3. & 9. fait in ipso habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, quod, ut locus ipse monet, nihil aliud est, quam omnem divinam voluntatem solide & sine umbris in Christo esse, indeque ejus cognitionem peti debere. Itaque, quod Apostolorum personas attinet, etiamsi ipsi alicubi, viam salutis annunciasse, dicuntur: tamen, Christum per eos, id fecisse, certum est, Scriptum est enim à Paulo ad Eph. cap. 2. 17, *Et veniens euangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis, qui prope.* Atqui Gentibus, de quibus ibi, sub voce *vobis*, est sermo, ore proprio non annunciaverat Christus Euangelium. Sed quod Apostoli, postquam is cœlum ascendit, fecerunt, ipse fecisse dicitur. Siquidem non ipsi loquebantur, sed Christus in eis. *Quandoquidem* inquit idem Paulus) *experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christi*, 2 Cor.13.3. Et ipse Christus ait, *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere; & vocem meam audient*, Joh.10.16. Et quemadmodum Christus Dei patris nomine omnia loquebatur, atque ea de caussa doctrinam suam non suam, sed Patris, qui eum miserat, esse dicebat, Joh.7.16, & cap.14.24: Sic Apostoli doctrinam, quam annunciabant, Jesu Christi, qui eos miserat, doctrinam appellant, 2 Johan. Epistola, 9, Act.13.12. & verbum, per cujus auditum in nobis fides gignitur, Verbum Christi simpliciter vocatur; ut habent codices Latini, & quædam exemplaria Græca, Rom.10.17. Quicquid enim annunciabant (præsertim vero ipsam Dei gratiam atque salutem) se Christi nomine annunciare profitebantur. Quapropter Paulus, quanquam sese, & reliquos Apostolos a Deo, à quo omnia bona proveniunt, ministerium reconciliationis accepisse dicit, & Deum in ipsis posuisse reconciliationis sermonem; pro Christo tamen se id muneris obire ait. Inquit enim, *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus, pro Christo, reconciliamini Deo*, 2 Cor.5.20. Et priore ad eosdem Cor. cap.4 initio, *Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Se quidem dispensatorem mysteriorum Dei esse dicit, non suo ipsius tamen nomine, sed ut Christi ministrum. Quare superiore cap.5 tantum abesse dicit, ut vel ipse, vel Apollos opus salutis Corinthiorum absolverit, quod solius Dei proprium est: ut se, & illum simplices Dei ministros fuisse ostendat, per quos illi crediderant: ministros inquam, ut unicuique Dominus dederat, id est, ipse Jesus Christus, in quem crediderant Corinthii; qui ministeriorum in Ecclesia auctor est, & distributor, 1 Cor. 12.5. & Ephes. 4. 7. A Jesu Christo igitur id omne, quod ipse & Apollos fecerant, factum fuisse, Paulus Corinthios vult agnoscere; qui Christus per ipsos ea opera patravisset, & cui illi fidem adhibuissent, & quem paullo inferius unicum fundamentum totius ædificii esse dicit, quod ipse Paulus, tanquam prudens architectus, jecisset. Jesum Christum ergo unicam salutis æternæ viam Apostoli annunciabant: non quidem simpliciter ipsius Jesu Christi personam; quid enim hoc hominibus profuisset? sed, quam ab eo acceperant, doctrinam, & quæ ipse ejus confirmandæ gratia fecerat, & passus fuerat, & quam gloriam inde à Deo patre suo, potestatemque reportaverat: jubentes, ut unusquisque ei indubitatam fidem adhiberet, in eoque, ejusque promissis firmam salutis æternæ spem collocaret. Nam quod Paulus ait, se nihil aliud scire apud Corinthios professum fuisse, quam Christum, & hunc crucifixum 1 Cor. 2. 2, id, ut ipsum agnoscere arbitror, non ita accipiendum est quasi Paulus salutem nostram in Christo, quatenus tantummodo crucifixus fuit, statuendam putet, neque enim ait, nihil aliud se scire judicasse, quam Christum crucifixum: sed quam Christum, & hunc crucifixum. Christum igi-

tur

tur quidem ſolum ſe ſcire, profeſſum ſe fuiſſe dicit: Chriſtum tamen totum atque (ut ſic dixerim) univerſum: hoc eſt, non crucifixum tantum, ſed etiam Dei regnum annunciantem; & quod caput eſt, poſtquam crucifixus, & mortuus fuit, reſurgentem. Reſurrectione enim Chriſti ſublata, vel non agnita, vana eſt, ac perit omnis fides noſtra, & adhuc ſumus in peccatis noſtris 1 Cor. 15. 14, & 17. Ex cujus capitis initio clare liquet, Paulum ipſis Corinthiis Chriſtum, non crucifixum tantum, ſed à mortuis etiam à Deo excitatum, apertiſſime prædicaſſe. Atque eadem Epiſtola cap.1.23, dixerat, quamvis Chriſti crux ſcandalum eſſet Judæis, gentibus autem ſtultitia, non propterea tamen ſe ab ea prædicanda abſterritum fuiſſe: & inter alia, videlicet, quæ de Chriſto prædicabat, non etiam eum crucifixum fuiſſe, palam dixiſſe. Quemadmodum enim Judæi inde offendebantur, gentes vero occaſionem Chriſtianam doctrinam deridendi ſumebant; ſic ii, qui fidem Euangelio adhibebant, ex ea re maximum in fide robur conſequebantur: cum ipſum Chriſtum tam deteſtabilem, ac tetram mortem poſtmodum ſuperaſſe, confiderabant. Fieri enim jam non poſſe videbant, ut qui ei fidem haberent, & proinde ejus membra fierent, à morte aliqua, deteſtabiliſſima licet, ac teterrima, abſorberentur, & in cœlum quo caput eorum prius aſcenderat, ipſi quoque tandem non evolarent. Ita, quod cæteris ſumma ſtultitia videbatur, idem eis, divinam ſapientiam eſſe conſtabat; ut ait idem Paulus eodem 1 cap.24.

Sed, ut ad propoſitum revertamur, dico tantum abeſſe, ut ex eo, quod Apoſtoli Chriſtum prædicaverint ipſimet ſalutis æternæ viam, vere & proprie annunciaſſe dici poſſint, ut inde manifeſtiſſime appareat, ſolum Jeſum Chriſtum id præſtitiſſe; ad quem illi cunctos rejiciebant, & cujus doctrinam, ab ipſo è cœlo delatam, ſe hominibus tradere profitebantur, abeo acceptam: & quam non niſi ex iis, quæ de Chriſto ipſi viderant, & audierant, veram eſſe ſciebant. Hinc Petrus Apoſtolus, cujus ego pauca, quæ habemus ſcripta, præter modum admiror, ita 1 cap. poſterioris ſuæ Epiſtolæ ℣.16, præclariſſime ſcripſit, *Non enim arte compoſitas fabulas ſecuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Jeſu Chriſti potentiam, & adventum: Sed qui oculis noſtris aſpeximus illius majeſtatem. Acceperat enim à Deo patre honorem, & gloriam, voce ad illum delata hujuſmodi à magnifica gloria, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et hanc vocem nos audivimus è cœlo delatam, cum eſſemus cum illo in monte ſancto.* Et Johannes 1 Epiſtola, cap.1.5, inquit, *Et hæc eſt promiſſio, quam audivimus ex ipſo, & annunciamus vobis*, & cap.5.20. *Scimus autem, quod filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut agnoſcamus illum, qui verus eſt.* Sed quid plura teſtimonia congero, ut Apoſtolos, quicquid nobis ad ſalutem æternam pertinens annunciarunt, a Chriſto accepiſſe, & ejus vice ac nomine annunciaſſe probem? Quis Chriſtianæ religioni initiatus id vel ignorare poteſt, vel negare? Quamobrem ſatis jam conſtare poteſt, minus proprie ſalutis viam eos annunciaſſe dictum fuiſſe: cum revera Chriſtus eam annunciaverit, & per os eorum ipſe locutus fuerit; adeo ut jure optimo Chriſtus eam ob cauſam Servator dictus fuerit: Apoſtoli vero non Servatores, ſed miniſtri tantum meruerint appellari, quorum opera ipſe in ea ſalute univerſo orbi promulganda, uſus fuerit. Hinc Petrus (ut adhuc hujuſce rei præclarum teſtimonium proferam) cum Judæis, ut ſe, & cæteros Apoſtolos audirent, perſuadere vellet, de Chriſto hæc Moſis verba interpretatus eſt, Deut.18.15, *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter, de fratribus veſtris, mei ſimilem. Ipſum audietis, juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis, &c*, non ſe, ſed Chriſtum eos audituros eſſe, interim evidenter demonſtrans Act.3.22.

CAPUT III.

Docetur, Chriſtum merito ſervatorem noſtrum dici eam ob cauſam, quod ſalutis æternæ viam nobis confirmaverit, Aaverſarii objectione diluta.

VErum de ejuſdem ſalutis æternæ via ab eodem Chriſto confirmata jam videamus. Certe, ſi, ut demonſtratum eſt, is, qui ſalutem annunciat, ſervator eſt, multo magis ſervator dicendus erit, ſi, eandem viam veram eſſe, aperte probet, atque confirmet. Et quamvis tu minime neges, Chriſtum Dominum ſalutis viam, quam nobis annunciavit, confirmaſſe: libet tamen id adeo verum eſſe oſtendere, ut, quemadmodum idem Dominus prius dixerat, ſe idcirco veniſſe, & miſſum fuiſſe, ut prædicaret, & regnum Dei annunciaret, Mar.1.38, Luc.4.18,&19, & 43 (id quod de eo multo ante prædixerat Eſaias cap.61.1.&c) ſic deinde affirmaverit, ſe in eum finem natum fuiſſe, & in mundum veniſſe, ut teſtimonium redderet veritati. Id autem ad verbum ſcriptum eſt Joh.18.37. Unde teſtis fidelis appellatus eſt, Apoc.1.5, & cap.3.14, & fuiſſe eum teſtimonium temporibus ſuis, inquit Paulus, 1 Tim.2.6, quia, ſcilicet, plenam Dei erga nos benevolentiæ fidem fecerit; atque eundem bonam confeſſionem teſtificatum fuiſſe ſub Pontio Pilato, aſſerit eadem Epiſtola cap.6.13. Sed dicis, Apoſtoli eandem ſalutis viam miraculis confirmarunt; & tamen non ſunt dicti ſervatores. Ad hoc jam ſatis reſponſum eſt, cum paullo ante probaverim, Apoſtolos vere, & proprie ſalutis viam non annunciaſſe. Qua enim ratione eam annunciarunt, eadem etiam confirmarunt: jam, ſcilicet, à Chriſto confirmatam, & nomine ipſius Chriſti; à quo etiam miracula faciendi, & doctrinam ipſius confirmandi poteſtatem acceperant. Quare non ſimpliciter teſtes, ſed Jeſu Chriſti teſtes dicuntur. *Sed accipietis*, (inquit illis ipſe Dominus) *virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*, Act.1.8.

Animadvertere autem oportet, non ſolum miraculis confirmaſſe Chriſtum viam ſalutis, quam annunciaverat, ſed, vel maxime, ſui ſanguinis effuſione; qui propterea ſanguis æterni fœderis dictus eſt, Hebr.13.20. & ab ipſo Chriſto Novi Fœderis ſanguis eſt appellatus, Mar.14.24. Nam ſicuti, alicujus animantis ſanguine fuſo, fœdera antiquitus ſanciebantur, & confirmabantur; ita Chriſti filii ſui ſanguine fœdus ſuum novum atque æternum, quod nobiſcum per ipſum Chriſtum pepigerat, ſancivit ac confirmavit Deus. Mortuus igitur eſt Chriſtus, ut Novum & æternum Dei Fœdus, cujus ipſe mediator fuerat, ſtabiliret, ac conſecraret; unde teſtis veri & fidelis merito nomen, ut vidimus, eſt adeptus. Et adeo hac ratione divina promiſſa confirmavit, ut Deum ipſum quodammodo ad ea nobis præſtanda devinxerit, & ſanguis ejus aſſidue ad patrem clamet, ut promiſſorum ſuorum, quæ ipſe Chriſtus nobis illius nomine annunciavit, pro quibus confirmandis ſuum ipſius ſanguinem fundere non recuſavit, meminiſſe velit. Loquitur enim ſanguis ejus meliora, quam Abel, inquit auctor Epiſtolæ ad Hebr.cap.12.24. Ubi manifeſte apparet, hoc ſenſu, quo nos explicavimus, dictum id fuiſſe ab Apoſtolo. Ait enim, *Et (acceſſiſtis) fœderis novi mediatorem Jeſum, & ſanguinem aſperſum meliora loquentem, quam Abel.* Namque alludit aperte ad ſanguinis aſperſionem, quæ in Vetere Fœdere ſanciendo à Moſe facta fuerat, Exod.24.8. Ubi Franciſcus Vatablus doctiſſime, & elegantiſſime, ut fere ſolet, ita annotat: *Hic ſanguis typus erat ſanguinis Chriſti, cujus ſanguinis effuſio confirmatura erat omnes Dei promiſſiones.* Has autem duas ſanguinis aſperſiones, unam veteris, alteram Novi Fœderis, ſupra hac eadem ratione, quia ſcilicet utraque ad fœdus confirman-

dum adhibita fuiſſet, inter ſe comparaverat idem auctor cap.9, quanquam ibi ex voce διαθήκης, non ad fœdera tantum, ſed ad Teſtamenta quoque alludendi occaſionem arripit; & utraque quodammodo in ea comparatione confundit. Ait enim ỳſ. 16: *Siquidem ubi Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis ratum eſt; alioqui nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt. Unde ne prius quidem illud ſine ſanguine dedicatum fuit. Cum enim Mōſes omne præceptum juxta legem expoſuiſſet univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens, hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandavit vobis Deus.* Ad hunc in antiquo fœdere ſanciendo factam ſanguinis aſperſionem alluſit Petrus, cum in principio prioris ſuæ Epiſtolæ dixit, eos ad quos ſcribebat fuiſſe electos à Deo, ut aſpergerentur ſanguine Jeſu Chriſti, id eſt, ut Novo Fœderi, quod ſanguine Chriſti Deus cum hominibus ſanciverat, aſcriberentur: quemadmodum veteri aſcripti fuerant, quoſcumque Moſes, in eo ſanciendo, ſanguine vitulorum, & hircorum aſperſerat. Jam vero quem Apoſtolorum & Chriſti diſcipulorum nominare poſſumus, qui in hunc finem præcipue à Deo ſic morti traditus, ut ejus ſanguine nobis novum & æternum fœdus ſuum confirmaret? Occiſi ſunt quidem multi ex illis & participes facti ſunt Chriſti afflictionum, & beneficio Dei digni ſunt habiti, qui pro Chriſto paterentur, in quem ejuſdem beneficio crediderant, Act.5.41. Philip.1.29. Sed ob eam cauſam potiſſime, ut Deo magis obedirent, quam hominibus. Unde ſi veritatis confirmatio aliqua conſecuta eſt (quare etiam martyres dicti fuere) non idcirco cum Chriſto hac in parte ſunt conferendi; cum nihil aliud fecerint, quam, quod ipſi Chriſto teſtimonium dederunt. Neque enim, propter mortem, quam Euangelii cauſa pertulerint, martyres ſive teſtes ſimpliciter, ſed Jeſu Chriſti martyres ſeu teſtes ſunt dicti; ut de Stephano, & Antipa in Sacris Literis legimus, Act.22.20. Apoc.7.13.

Sed quid dicam de Jeſu Chriſti reſurrectione, per quam potiſſimum, & cœleſti atque ineffabili ratione ea omnia pleniſſime, ac perfectiſſime confirmata ſunt, quæ nobis ille de cœlo attulit, atque annunciavit: & id præcipue, quod univerſæ prædicationis ejus, quod ad noſtrum beneficium attinet, finis & caput fuit: nempe nos, ſi ei fidem adhibueriimus, in ultima illa die ab ipſo excitatum iri Joh.6.40? Atque hanc Jeſu Chriſti reſurrectionis vim maximam ad ejus doctrinam confirmandam, agnoverunt Judæi ipſi; qui, quantum in ipſis fuit, non tantum ne reſurgeret, ſed etiam ne, eum reſurrexiſſe, rumor aliquis, aut ſuſpicio eſſe poſſet, diligentiſſime curarunt: ne in deterius eorum exiſtimatio abiret, & ipſi, eum interficiendo, ſeipſos perdidiſſe tandem deprehenderent; ut legitur Matth.cap.27.63. Verum, quia de Chriſti reſurrectione ſeparatim paullo poſt tractabimus, hic nihil addo amplius. Ibi enim ea etiam, quæ hic dicenda eſſent, una cum iis, quæ ejus loci propria erunt, exponenda reſervo. Quiſnam (quæſo te) Apoſtolorum, à mortuis reſurgendo, viam ſalutis æternæ nobis confirmavit? Pudeat igitur nos aliquando, Apoſtolorum ſeu Chriſti diſcipulorum confirmationes æternæ ſalutis noſtræ cum ipſius Jeſu Chriſti confirmationibus comparare: & excellentiſſimum hoc opus, atque munus ſolius Chriſti, qui nos ea ratione ab æterna morte aſſeruit, & vindicavit, proprium non agnoſcere.

Satis, ut arbitror, à me probatum eſt, Jeſum Chriſtum, quia ſalutis æternæ viam nobis annunciaverit, & confirmaverit, merito ſervatorem noſtrum & dici, & agnoſci debere: ad eaque reſponſum, quæ tu, ut ſolidiſſimam hanc veritatem labefactares, in medium protuleras. Quare ad ipſius Jeſu Chriſti vitæ exemplum, & à mortuis reſurrectionem, quibus in ſua ipſius perſona viam ſalutis manifeſte eum nobis oſtendiſſe, & ob eam rem ſervatorem etiam noſtrum eſſe, contendo, excutiendа tranſeamus.

CAPUT IV.

Demonſtratur, refutatis Adverſarii objectionibus, nos Chriſtum imitari poſſe, hancque eſſe æternæ ſalutis viam: ob idque Chriſtum jure ſervatorem noſtrum appellari. Sic igiturſubjicis:

Cum autem Chriſtum dicis ideo ſervatorem noſtrum eſſe, quia in ſui ipſius perſona viam ſalutis cum vitæ exemplo, tum à mortuis reſurgendo, manifeſte nobis oſtenderit, vereor, ne quod aſſeris, tu ipſe non intelligas. Si enim Chriſtus ſic nobis vitæ ſuæ exemplo viam ſalutis oſtendit, ut imitatione, id eſt, adeo ſancte & juſte ac vixit vitam noſtram componentes, ad ſalutem aſpiremus aut perveniamus; quis non videt, vel potius quis, conſcientia ſua teſte, non ſentit, fruſtra Chriſtum eo modo viam ſalutis nobis oſtendiſſe, cum per illam incedere non poſſimus? Etſi enim renati à Spiritu Sancto, ſanctius & juſtius vivere poſſimus, quam antea viveremus; diſtat tamen, & diſtabit ſemper ſanctimonia juſtitiaque vitæ noſtræ à perfectione Chriſti, non minus quam cœlum à terra. Manebunt enim ſemper, id eſt, quam diu hic erimus, reliquiæ peccati, propter quas cum Paulo fateri poterimus, nos non facere bonum, quod volumus, & facere malum, quod nollemus; quia ſit lex in membris noſtris, quæ repugnet legi intelligentiæ noſtræ. Unde & Me miſerum, exclamabit merito unuſquiſque noſtrum, quis liberabit à corpore mortis hujus? Non eſt igitur Chriſtus nobis ſervator per exemplum vitæ ſuæ.

Reſponſio F. S.

Vereris, ne quod aſſero de Chriſti vitæ exemplo, ejuſque reſurrectione, nempe illis in ſua ipſius perſona manifeſte ſalutis æternæ viam nobis à Chriſto oſtenſam fuiſſe, ego ipſe non intelligam. At ego doleo, quod ſtudium contradicendi te ita abripuerit, ut adverſus manifeſtiſſima Sacrarum Literarum teſtimonia, atque adeo divinam ipſam veritatem loqui te non videas. Negas igitur, nos Chriſtum imitari poſſe, id eſt, ut tu interpretaris, adeo ſancte & juſte, ac vixit, vitam noſtram componere. Videamus ergo primum num Chriſtum imitari poſſimus. Nam ſi hoc evicero, id ſatis ſuperque ad mea verba ea in parte, in qua à te arguuntur, comprobanda fuerit. Deinde de interpretatione tua agemus.

Chriſtum imitari nos poſſe, ex illis Pauli verbis clare liquet, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*, 1 Cor.11.1, & clarius adhuc ex illis, *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & domini*, 1 Theſſ.1.6. Petrus autem 1 Epiſt. cap.2.21, ita ſcribit, *Siquidem in hoc vocati eſtis, quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut inſequeremini veſtigia ejus.* Et Johannis Epiſt.1. cap.2.6: *Qui dicit ſe in eo manere debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Ex quibus locis manifeſtum fit, nos Chriſtum imitari & poſſe, & debere. Et quis unquam fuit, qui hoc negare ſit auſus? Nonne integri libri à doctiſſimis & ſanctimoniæ fama inſignibus viris de imitatione Chriſti, ſeu de imitando Chriſto ſunt conſcripti, neque unquam ab ullo propter ipſum argumentum damnati? Et merito ſane. Quid enim eſt aliud Jeſum Chriſtum induere, quod non ſemel in Sacris Literis facere jubemur, quam eum, ejuſque vitam imitari? Negabis fortaſſe ac dices, immo Chriſtum induere, nihil aliud eſſe, quam per fidem ejus ſanctitatem atque innocentiam nobis imputari. Sed refellet te Paulus, qui ad Romanos ſcribens cap. 13.12, ſic ait: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus; non in commeſſationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitiis: non in contentione, & æmulatione; ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum; & carnis curam ne egeritis ad concupiſcentiam.* Et ad Epheſios cap. 4.20, ita

ſcribit.

ſcribit, *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum; ſiquidem illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Jeſu: deponere vos, ſecundum priſtinam converſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum concupiſcentias, quæ decipiunt: renovari autem Spiritu mentis veſtræ, & induere novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate vera.* Utrobique enim & loci circumſtantia, & anthiteſis perditæ vitæ, ſeu veteris hominis, vitæ ſanctimoniam, qua Chriſto ſimiles fiamus, per locutionem illam exprimi aperte docet. Quod ſi quis adhuc hac de re dubitat, legat, quæ ſcripta ſunt de novo homine induendo latiſſime & apertiſſime in Epiſtola ad Col. ubi pleraque eorum, quæ ad Epheſios ſunt ſcripta, repetit Paulus. Legat, inquam, cap. 3.5, uſque ad vſ.14, & procul dubio, niſi ipſa ſtupiditate ſtupidior ſit, dubitare deſinet.

Verum tu, Chriſtum imitari, ita interpretaris, adeo ſancte & juſte, ac vixit, vitam componere. Atqui iſtud non ſolum imitari eſſet, ſed omnino exprimere, atque unum, & idem ea in re cum eo eſſe. Sic autem dicere debebas, ſancte, & juſte, quemadmodum ille vixit, vitam componere: & recte interpretatus eſſes. In tua enim interpretatione redundat adverbium *adeo*. Quandoquidem, ut quis aliquem imitari dicatur, ſatis eſt illius præcipuas qualitates in ea re, de qua agitur, ita exprimere, ut ſimilitudo inter utrumque appareat, & uterque ejuſdem generis qualitates, habere dici poſſit: licet is, quem alter ſibi imitandum propoſuit, multo perfectiores eas præſtantioreſque habeat. Quocirca Paulus non dubitavit dicere, *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii dilecti*, Eph. 5.1. Hoc eſt, ut patet ex fine capitis præcedentis, Quemadmodum Deus vobis peccata veſtra condonavit, ſic vos invicem condonate; quamvis fieri non poſſit, ut tanta ſinceritate, & alacritate animi id à nobis fiat, quanta à Deo factum eſt. Nam & Chriſtus dixit, *Eſtote igitur perfecti, ut pater veſter, qui in cœlis eſt, perfectus eſt.* Matth.5.48, quamvis ea ipſa in re, de qua ibi agitur, id eſt, in hac eadem peccatorum, ſive offenſarum condonatione, fieri non poſſit, ut Dei perfectionem æquemus. Satis enim eſt, ejuſdem generis qualitate nos decoratos eſſe. Hinc Petrus ait, *Quemadmodum is, qui vos vocavit, ſanctus eſt, ita ipſi quoque ſancti in omni converſatione reddamini* 1 Epiſt. cap.1.15. Ut Chriſtum igitur imitemur, non eſt neceſſe, ut perfectiſſimam ſanctitatem, & juſtitiam ejus omnino in vita noſtra exprimamus: ſed ut, quemadmodum ille ſanctus, & juſtus fuit, ita & nos ſancti, & juſti ſimus. Conari quidem debemus, ut innocentiam ejus perfectiſſime æquemus. Exemplar enim eſt, ut recte ſcripſit Johannes Calvinus *, nobis propoſitum, cujus formam in noſtra vita exprimamus. Sed ſi minus id aſſecuti fuerimus: non propterea eum non imitati fuiſſe dicemur; modo ejus ſimiles facti ſimus. Nam quod tu ais, ſanctimoniam, juſtitiamque noſtram perpetuo à perfectione Chriſti, non minus, quam cœlum a terra, diſtare: nimis id hyperbolice dictum videtur. Neque unquam tale quid in Sacris Literis ſcriptum reperies. Immo, ut vidiſti & Chriſtum imitari, & ſicut ipſe ambulavit, nos ambulare, ſi ejus ſumus, manifeſte ſcriptum eſt. Conſidera pauliſper, ſi placet, tantummodo hæc Johannis Apoſtoli teſtimonia, præter id, quod ſuperius attuli; & vide, num ii, qui Chriſti ſunt, quod attinet ad vitæ innocentiam, ab ipſo, tanquam terra à cœlo, diſtent. Is igitur in prima Epiſtola ſua cap.2.3, ſic ait, *Et in hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervamus. Qui dicit novi eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas non eſt.* & cap.3.3, *Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe, ſicut & ille purus eſt*: & verſu 6, *Omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos ſeducat, qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt*: & verſu 16. *In hoc cognovimus charitatem, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere* (Dixerat autem Dominus Jeſus, hac dilectione majorem inveniri non poſſe Joh.15.13.) Et cap.4.17. *In hoc perfecta eſt charitas nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Scio equidem, quomodo non pauci hac noſtra ætate hæc dicta, & alia innumera his ſimilia non ſolum apud alios Sacros Scriptores, ſed etiam apud hunc ipſum, quæ prudens præterii, interpretati ſint. Sed ridiculum eſt (bona cum eorum venia dixerim) ne dicam impium, Juſtitiam facere, Non peccare, & ſimiles loquendi modos, de ſtudio tantum & conatu interpretari. Nec tamen Catharorum, ſive Novatianorum, vel ſimilium ſententiam amplector, qui abſolutiſſimam in Chriſtiano homine & conſtantiſſimam perfectionem neceſſario requirunt. Sed inter hæc duo, quaſi extrema, mediam quandam viam ſequor; quam & omnes fere veteres orthodoxi habiti theologi ſecuti ſunt, & etiamnum hodie multi ſequuntur: & quæ ipſis verbis, ac præterea rationi, & Sacrarum Literarum tenori perpetuo, & ipſi demum ſenſui communi prorſus eſt conſentanea. Ea autem eſt, ut is juſtitiam facere dicatur, cujus opera, ut plurimum, juſta ſunt; licet aliquando, non quidem deliberata ac perverſa voluntate, ſed vel incogitantia, vel humana imbecillitate, aliquod minus juſtum opus faciat: Similiter non peccare is dicatur, qui, ut plurimum, in vita ſua omnia peccata vitet; quamvis contingat, eum quandoque labi, & à recta via leviter aberrare. Hæc interpretatio verbis ipſis, ut dixi, & humanæ rationi nullam vim affert. Ita enim loquendi conſuetudo, & ratio fert, ut ſcilicet uniſquiſque talis dicatur, & judicetur, qualis fere ſemper eſt. Hinc homines ſobrios dicimus, non ſolum qui nunquam in potu, & cibo modum excedunt, ſed etiam qui ut plurimum, ab omni ingluvie, & ebrietate abſtinent: liberales, qui, ut plurimum, modo, & ratione adhibita, dant, & largiuntur de ſuo; quamvis fieri poſſit, ut in ipſis interdum aliqua minus liberaliter facta animadvertere liceat. Atque idem de ſingulis virtutibus dicendum eſt. Id quod optime ii, qui de moribus ſcripſerunt, & ipſi cognoverunt, & cæteris tradidere. Humana enim fragilitas morum perfectionem admittere non ſolet; ad quam nihilominus omnes animo, ſi non re ipſa aſpirare debemus. Quæ fragilitas ſi in humanis & rationi noſtræ conſentaneis præceptis abſolute ſervandis tanta eſt, maxima ſane erit in divinis & captum noſtrum ſuperantibus ac Dei cultores decentibus perfecte exequendis. Cujus humanæ fragilitatis miſertus Deus opt. max. noluit unquam ſummo jure nobiſcum agere. Et tandem per Jeſum Chriſtum unigenam filium ſuum non ſolum præteritorum delictorum, & ſcelerum omnium nobis reſipiſcentibus condonationem obtulit: ſed etiam pro juſtis, acſi perfectiſſime ſua præcepta ſervaſſemus, in futurum habere voluit, quicumque ex nobis, ipſius Jeſu Chriſti verbis fidem adhibentes, ejus veſtigia ſecuti, eumque imitati fuerimus; quamvis eum, (quem, ut interim à perfectione nos non avocaret, tanquam perfectiſſimum exemplar, ad quod nos ipſos conformaremus, eſſe voluit) abſolute non exprimamus. Quinetiam æternæ vitæ, ac beatitudinis ampliſſimis & præclariſſimis promiſſionibus adjunctis, nobis ad tam illuſtre opus nos accingendos & ſtimulos adhibuit, & vires dedit; atque accinctos Spiritu ſuo Sancto ac cœleſti in perpetuum fovere, & ad propoſitam metam perducere deſtinavit; ejuſque rei nomine nobis ſe ſuo verbo pro ſua benignitate obſtrinxit. Quocirca eos pro Chriſtianis agnoſcere, qui nondum carnem ſuam una cum affectibus, & concupiſcentiis crucifixerunt, Paulo reclamante, Gal.5.24, qui à peccati vi, & potentia adhuc non ſunt immunes, contra eundem Paulum Rom.6.6,11,12, & 14, qui carnis imperium nondum abjecerunt, Paulo aperte contradicente, qui, ne in carne quidem amplius eſſe eos, qui Chriſti ſunt, affirmare eſt auſus, Rom 7.5, & cap.8.8, & 9, qui nondum

à pec-

* Inſt lib.3. cap 6 ſect 3.

à peccato, ejuſque ſervitute, ac lege ſunt liberati, adverſus id, quod ſcriptum eſt a Paulo Rom.6.18,20, & 22, & cap.8 2. qui non eas vires adhuc conſecuti ſunt, ut ſecundum ſpiritum, non autem ſecundum carnem ambulent, & ſpiritu corporis actiones perimant, contra Pauli clariſſima verba Rom.8. 1,4, & 13, qui denique à mortis lege nondum ſunt ſoluti, eodem Paulo expreſſe repugnante Rom.8.2, ſed in quibus omnis concupiſcentia eſt: ſed in quibus adeo peccatum vivit, ut eos morti mancipet, atque occidat: ſed carnales ſunt: ſed venundati ſunt ſub peccato, ejuſque legi captivi redduntur: ſed quod volunt bonum non faciunt, quod autem nolunt malum, id agunt: ſed mortis corpori ſunt obnoxii; qualem videtur idem Paulus ſeipſum deſcribere Rom.7. quem locum tu ad ſententiam tuam ſtabiliendam proferre voluiſti; neque in tanta luce animum advertere, ac videre, Paulum ibi ſub perſona ſua de iis loqui, qui adhuc expertes ſolidæ gratiæ ſub lege ſunt, & de effectis, quæ in ipſis lex producit, & quales ipſi ſint, deſcribere, quantumque à juſtitia vera alieni, quanquam in excellentiſſimo gradu, quem is ſtatus, atque conditio tribuere poteſt, conſtituti, & quam peccato adhuc, & morti ſint mancipati, unde & ipſe, & cæteri, qui Chriſto fidebant, exempti erant, atque in veram ſpiritus & vitæ libertatem vindicati. Totum hoc, inquam, quid aliud, quæſo, eſt, quam ſibi ipſi mentis oculos non ſolum claudere, verum etiam effodere, atque eruere, & plane cæcum eſſe velle? Neque vero primus ego ſum, qui locum illum, ut veritas ipſa cogit, interpreter, ſed meæ ſententiæ, præter unum Auguſtinum * (qui tamen aliquando & ipſe recte ſenſerat quique ea, quæ ſibi tribuere eo in loco Paulus videtur, ad concupiſcentiam tantum, cui is nec voluntate, nec ipſis factis aſſentiretur, refert) auctores habeo omnes, ut arbitror (quidquid idem Auguſtinus contra ſcribat) veteres theologos tum Græcos, tum Latinos: nec non aliquot ex recentioribus, inter quos eſt, ni fallor, Martinus Bucerus, quem à vobis merito magni fieri intelligo.

Hucuſque mihi videor ſatis probaſſe, nos Chriſtum imitari poſſe, &, quid eum imitari ſit, adverſus ſententiam tuam aperte demonſtraſſe. Supereſt, ut eum imitari viam ſalutis eſſe oſtendam. Nam licet tu id aperte non negaveris, ſed tantum, nos eum imitari non poſſe, contenderis, atque ex iis, quæ jam dicta ſunt, ſatis id conſtare videatur; pauca tamen, ut verborum meorum, de quibus controverſamur, veritas magis eluceat, addere libet. Viam igitur ſalutis eſſe, vitam ad Chriſti exemplar componere, probant manifeſte ejuſdem Chriſti verba Matth.7.13. *Intrate* (inquit) *per anguſtam portam, quia lata porta eſt, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt, qui intrant per eam. Quoniam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Nam hujus viæ perfectum exemplar Chriſti vitam fuiſſe, ita per ſe manifeſtum eſt, ut nulla probatione indigeat. Supervacaneum ſiquidem eſt probare, hic agi de vita, & moribus: cum id apud omnes in confeſſo ſit, & loci circumſtantiæ id fateri cogant. Volui autem hunc locum in teſtimonium adducere, quia in eo nominatim viæ, quæ ad vitam ducit, fit mentio. Sed eandem ſententiam comprobant ea omnia loca, in quibus aſſeritur, quicumque Dei voluntati obtemperant, Deumve diligunt, aut fratres ſuos, ſalvos fore. Dei enim obedientiæ, & in Deum, hominesque charitatis ſupremum ſpecimen in univerſa Chriſti vita eluxit. Ea autem teſtimonia, quia non pauca ſunt, omnibus ſunt obvia. Placet tamen tria tantum ex illis proferre; quæ ſcilicet, tria quæ propoſui, aperte probant, & pro omnibus eſſe poſſunt. Primus erit notiſſimus ille Matth.7.21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt:* Secundus, 1 Cor.2.9. *Oculus non vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt ipſum.* Tertius, 1 Joh.3. 14. *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ex his ſatis intelligi poteſt, Chriſtum imitari, ſalutis viam eſſe. Quapropter, eum vitæ ſuæ exemplo in ſui ipſius perſona ſalutis viam nobis manifeſte oſtendiſſe, negari non poteſt. Quod ſi verum eſt, jam ea ratione ſervatorem noſtrum eſſe Chriſtum, clare liquet. Si enim, ut ſupra probatum eſt, qui viam ſalutis annunciat ſervator eſt: quanto magis is ſervator erit, qui eam viam ſalutis, quam annunciat, ipſe prior ingreditur, neque verbo tantum, ſed exemplo etiam movet, & aliorum ducem ſe præbet, atque conſtituit: & eo pacto, quicumque ipſum ſequuntur, ad æternam ſalutem ſecum perducit? Sed videamus, num validiora argumenta habeas ad ea, quæ de Chriſti reſurrectione dixi, convellenda.

* Aug. de loco ad Rom 7. ſententia.

CAPUT V.

Explicatio quomodo Chriſtus, à mortuis reſurgendo, ſalutis æternæ viam nobis oſtenderit, ac propterea noſter ſervator ſit: refutatis Adverſarii objectionibus.

Sic autem ſcribis:

DE reſurrectione etiam, obſecro, quid dicas adverte. Nam verum quidem eſt, ut ad vitam æternam perveniamus, oportere, ut, quemadmodum Chriſtus reſurrexit, ſic nos etiam reſurgamus (quamvis multi ſint qui proprie nec morientur nec reſurgent, ſed in quibus, ut videre eſt 1 Cor.15, mutatio quædam mira & mortis & reſurrectionis loco erit) Sed dicere, Chriſtum ideo ſervatorem noſtrum eſſe, quod, reſurgendo, viam ſalutis nobis oſtenderit, nimium eſt frivolum. Nam reſurrectio hominum ſalutem neceſſario non præſupponit; cum multi ſurrecturi ſint, ut patet Joh.5, qui tamen ſalutis & vitæ æternæ participes non erunt, ſed ad mortem æternam detrudentur. Hic autem de reſurrectione Chriſti ex profeſſo non agv. Et ſciens, prudens omitto quod per illam declaratus ſit potenter Dei filius, Rom.1, quod etiam ſcriptura dicit, eum ad noſtri juſtificationem reſurrexiſſe. Agnoſco enim multa eſſe beneficia, quæ ex Chriſti reſurrectione ad nos redeant. Sed quemadmodum ſtatim apparebit, quantum ad propoſitam quæſtionem ſpectat, neceſſe eſt ut mortis Chriſti meritum interveniat, quod nos à morte prima reſurgentes Deo acceptos reddat, ſicque excitatos à mortuis in æternam vitam introducat.

S. Miror, te in Sacris Literis non mediocriter, ut quidem videtur, exercitatum, earum loquendi morem, quem ego fideliter expreſſi, non animadvertiſſe, & illum in meis verbis reprehendere auſum fuiſſe. Nam, ſi dicere, Chriſtum ideo ſervatorem noſtrum eſſe, quod reſurgendo viam ſalutis nobis oſtenderit, nimium frivolum eſt, quia reſurrectio hominum ſalutem neceſſario, ut ais, non præſupponat; multo magis frivolum eſt id, quod Chriſtus ipſe dixit, dum ait, *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdatur ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Joh.6. 39, quem loquendi modum ter deinde repetit eodem capite; videlicet ỳſ.40, 44, & 54. Nam, ſi Chriſtus, ut æternam vitam ſe daturum oſtenderet iis, qui dati ſibi fuerant à patre, ſatis habuit dixiſſe, ſe illos in extrema die illa excitaturum, cum tamen, quid poſt eorum reſurrectionem futurum eſſet, aliunde non conſtaret, an ſcilicet exinde ad cœlum evolare deberent, an vero in tartara detrudi, aut iterum mori; multo magis Chriſti ipſius reſurrectionem pro æterna ejus vita ſcribere mihi licuit: cum Chriſti reſurrectionem eam fuiſſe ſciamus, quam in cœlum aſcenſus, & immortalitas conſecuta ſit. Ut autem à mortuis reſurrectionem ſimpliciter pro æterna ac beata vita paſſim in Sacris Literis uſurpari aperte intelligas, vel ſaltem reminiſcaris: præter ſupra ſcripta teſtimonia, hæc adjicere libuit:

libuit: *filii hujus ſæculi*, ait Dominus Jeſus, *nubunt, & traduntur ad nuptias. Illi vero, qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt uxores. Neque enim ultra mori poterunt; æquales enim Angelis ſunt; & filii ſunt Dei, cum filii ſint reſurrectionis*, Luc. 20. 35, & 36. Et Paulus ad Rom. 6. 5. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*: Et ad Phil. 3. 10, *conformatus morti ejus; ſi quo modo pertingam ad reſurrectionem mortuorum*: Et 1 Cor. 6. 14, *Deus vero & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per potentiam ſuam*: Et poſteriore ad eoſdem Epiſt. cap. 4. 14. *Scientes, quoniam, qui ſuſcitavit Jeſum, & nos per Jeſum ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.* Quanquam non deſunt, qui hoc loco de liberatione à periculis agi velint. Sed quid? Nonne idem Paulus toto capite 15, prioris ad Cor. reſurrectionem ex mortuis pro æterna beataque vita uſurpat, ſeu pro reſurrectione, quam æterna ac beata vita conſequatur? Quid autem aliud ſibi volunt Apoſtoli, cum ita frequenter, ut legitur in Actis eorum, ipſorumque Epiſtolis, Dominum Jeſum à Deo ex mortuis excitatum fuiſſe, teſtificantur atque contendunt, quam ad æternam beatamqne vitam ipſum fuiſſe evectum, immo ſupremam quoque poteſtatem fuiſſe conſecutum? Id quod aperte conſtat ubique ex locorum circumſtantiis; & ex eo etiam manifeſtum fit, quod aliquando id, quod prius iſta ratione implicite dixerant, explicatius deinde affirmant. Ut videre eſt Act. 2. 33, & cap. 5. 31, & cap. 13. 34. Eph. 1. 20. 1 Petr. 1. 2, & cap. 3. 22. Recte igitur, & ſecundum perpetuum Sacræ Scripturæ loquendi morem, à me dictum eſt, Chriſtum ex mortuis reſurgendo ſalutis æternæ viam nobis manifeſte oſtendiſſe. Sumque in eo Paulum imitatus, qui ex Chriſti reſurrectione reſurrectionem noſtram, æternamque ſalutem manifeſte colligit prædicto cap. 15. 1. ad Cor. & Petrum, qui priore Epiſtola cap. 1. 3, ita ſcribit: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui, ſecundum miſericordiam ſuam magnam, regeneravit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſcibilem, conſervatam in cœlis in vos, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam revelari in tempore noviſſimo.* Tantæ autem eſt efficacitatis ad confirmanda ea omnia, quæ Chriſtus nobis annunciaverat, & ad ſalutis viam nobis manifeſte oſtendendam, ejus reſurrectio ex mortuis, ut Paulus non dubitaverit affirmare, eum, qui ore Jeſum Dominum confeſſus fuerit, & corde crediderit, ipſum excitatum ex mortuis à Deo fuiſſe, ſervatum iri, ad Rom. 10. 9. Et ad Timotheum ſcribens, ut eum in fide ſtabiliret, & ad omnia munia Chriſti miniſtro digna obeunda alacrem redderet, ſatis habuerit illi dixiſſe, *Memor eſto, Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine David, ſecundum Euangelium meum*, 2 Tim. 2. 6. Quis enim poſthac ei fidem habere recuſaverit, cum tanto honore (id quod ſæpius ipſe prædixerat) à Deo Patre ſuo eum decoratum viderit? Numquid poteſt falſus Propheta, vel minimi etiam mendacii auctor, poſtquam mortuus fuerit, reſurgere, & vivum ſe conſpiciendum iterum multis argumentis per multos dies præbere? Quod fecit Chriſtus, Act. 1. 3. Quis non viam ſalutis, quam annunciavit, veriſſimam certiſſimamque eſſe videat, cum, rem ſic ſe habere, in ipſius annunciantis perſona perſpiciat?

Caput igitur, & tanquam fundamentum totius fidei, & ſalutis noſtræ in Chriſti perſona eſt ipſius Jeſu Chriſti reſurrectio: præſertim in eum ſenſum accepta, quo illam nominare divini ſcriptores conſueverunt, ut ante explicatum eſt. Quod vel ex eo manifeſte apparet, quod Apoſtoli, poſt ipſum Chriſtum in hoc præcipue, & potiſſimum ſunt conſtituti, ut teſtes eſſent reſurrectionis ejus: quam ipſe non ab omnibus conſpici, nec palam eſſe voluerat, ſicut doctrinam, miracula, mortem, & vitæ exemplum: ut fidei noſtræ exercendæ locus eſſet, & rebelles Judæi in ſua cæcitate, quemadmodum illis futurum ſæpe prædixerat, merito perirent. Vix enim fieri poſſe videtur, ut quis Jeſum ex mortuis excitatum aut videat, aut credat, & ejus verbis fidem non adhibeat: & proinde à ſceleribus ſuis ad ſerviendum Deo viventi, immortalitatis ſpe plenus, totum ſe non convertat; unde peccatorum veniam, & æternam ſalutem conſequatur. Hinc dictum eſt, Deum exaltaſſe Chriſtum ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & peccatorum remiſſionem, Act. 5. 31. Neque alia ratione intelligi debere videntur ea verba, quæ ſunt ad finem cap. 3, ejuſdem libri: *Vobis primum Deus, ſuſcitans filium ſuum, miſit benedicentem vobis, in avertendo unoquoque à pravitatibus ſuis.* Hinc ipſe Dominus Thomæ, qui tum demum, reſurrexiſſe eum credidit, cum eum vidit, ait, *Quia vidiſti me Thoma credidiſti. Beati, qui non viderint, & crediderint*, Joh. 20. 29. Teſtes inquam, potiſſimum fuere Apoſtoli, reſurrectionis Jeſu Chriſti conſtituti; ut patet ex eo, quod, cum ſufficiendus eſſet aliquis in locum Judæ, Iſcariotæ: oportuit quidem ex Petri conſilio aliquem deligi ex iis, qui ab ipſo Johannis baptiſmo, uſque ad Jeſu Chriſti in cœlum aſcenſum, cum ipſo fuiſſent, & omnia, quæ dixerat, aut fecerat, quæque ei contigerant, probe noſſet, ac vidiſſet. Verumtamen, inquit Petrus, *Qui teſtis ſit nobiſcum reſurrectionis ejus*, Act. 1. 22, aperte oſtendens, quid potiſſimum teſtificari de Chriſto deberent, & quidnam in Chriſti perſona fidei noſtræ potiſſima cauſa eſſet. Et Act. 4. 33, Lucas Apoſtolicæ prædicationis ſummam paucis complectens, ait de Apoſtolis, quod magna virtute darent teſtimonium reſurrectionis Domini Jeſu. Quocirca, cum poſtea Jeſum Chriſtum populo annunciarent, &, eum à Deo ex mortuis excitatum fuiſſe, affirmarent: addebant, *Cujus* (id eſt, *cujus rei*) *nos teſtes ſumus*, Act. 2. 32, & cap. 3. 15, & cap. 5. 32, & cap. 13. 31.

Jeſu Chriſti reſurrectio Deo, qui ultimus & præcipuus actionum, & fidei noſtræ finis, ac ſcopus eſſe debet, fidem habere, in eoque ſpem noſtram collocare facit. Atque in hunc finem fuit Jeſus Chriſtus ab ipſo Deo excitatus ex mortuis, & gloria donatus; ut manifeſte ſcriptum eſt 1 Petr. 1. 21, quæ fides nobis imputatur ad juſtitiam. Neque enim ſine maxima cauſa ſcriptum eſt à Paulo, reputatum nobis iri ad juſtitiam, qui crediderimus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Dominum noſtrum ex mortuis. Deum enim hac periphraſi idcirco deſignare voluit, ut oſtenderet, quidnam noſtræ fidei in Deum cauſa eſſet, Rom. 4. 24. Itaque quemadmodum Iſraëlitæ maximum, cur Deo fidere poſſent, argumentum inde elicere poterant, quod ab eo ex Ægyptiaca ſervitute liberati eſſent, unde etiam ſe Jehovam Deum illorum ipſe appellabat, qui eos ex ſervitute Ægypti liberaſſet; ſic nos ex eo, quod Jeſum Dominum & caput noſtrum à Deo ex mortuis excitatum credimus, & à morte prorſus exemptum, unde Deus nos quoque ex mortuis excitaſſe, & in cæleſtibus una cum Chriſto collocaſſe, merito ab eodem Paulo dictus eſt, Eph. 2. 6, optimam fidei noſtræ in Deo collocandæ cauſam habemus; & is nunc decentiſſime Deus noſter, qui Jeſum Dominum noſtrum ex mortuis excitavit, eſſe dicitur.

Per reſurrectionem Jeſus Chriſtus, ut ipſe fateris, declaratus eſt potenter Dei filius, Rom. 1. 4. Act. 13. 33. Verum, qui credit, Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium, vincit mundum, 1 Joh. 5. 5, & habet vitam æternam, Joh. 20. 31. Siquidem fieri non poteſt, ut quis, Jeſum, Dei filium cariſſimum, ac ſumma in cœlo, & in terra poteſtate præditum eſſe, agnoſcat, & omnia vera eſſe non credat, quæ ille dixit, in eoque ſalutis ſuæ ſpem non collocet; unde, ut paullo ante vidimus, emendatio vitæ, & porro delictorum venia, in qua hominis beatitudo conſiſtit, Rom. 4. 7, Pſal. 32. 1, neceſſario conſequatur: quam ſibi à Chriſto ipſo datum iri confidat. Quocirca per Jeſu Chriſti reſurrectionem pœnitentia, & peccatorum remiſſio non ſolum, ut ſupra dictum eſt, data populo fuit, ſed etiam ipſius

Chriſti

Chriſti nomine univerſo mundo annunciata; quemadmodum ex ſua reſurrectione conſecuturum ipſe prædixerat, Luc.24.46, & 47. Per Jeſu Chriſti reſurrectionem fit, ut bonæ conſcientiæ noſtræ in Deum interrogationem, id eſt, quaſi cum Deo ſtipulationem habere poſſimus, atque ea ratione ſervemur, 1 Petr.3.21. Nihil enim fictum, nihil non ſolidum eſſe poteſt in ejus hominis conſcientia, nihil divinæ voluntati non conſentaneum, qui Jeſum ſibi in eodem itinere præeuntem ad tantam gloriam perveniſſe cognoſcat. Quid plura? Per reſurrectionem ſuam Jeſus à Deo in vitæ principem, & ſervatorem exaltatus eſt, Act. 5.31.

Quid ergo tibi in mentem venit, ut, Jeſum Chriſtum, ex mortuis reſurgendo, in ſui ipſius perſona viam æternæ ſalutis nobis manifeſte oſtendiſſe, atque eo nomine ſervatorem eſſe, negares? Qui fit, ut multa beneficia ex Jeſu Chriſti reſurrectione ad nos redire agnoſcas, & inter illa, quod nobis per ipſam æterna ſalus contigerit, numerandum non videas, aut, ſi vides, fateri nolis? Nonne tu ipſe non tantum, ut modo vidimus, Jeſum per reſurrectionem Dei filium potenter declaratum eſſe, non inficiaris (quod, quale momentum ad ſalutem æternam nobis comparandam, habeat, expoſuimus) ſed eum quoque propter noſtram juſtificationem reſurrexiſſe, oblitum te minime eſſe, oſtendis? Verum quid aliud eſt juſtificari, quam coram Deo pro juſto haberi, & proinde ab æterna morte liberari, ſempiternamque vitam, & ſalutem adipiſci? Atqui, ut tua verba ſatis indicant, cum hæc omnia è longinquo quodammodo proſpiceres, noluiſti de Chriſti reſurrectione diſputationem ingredi. Quod tamen omnino facere debueras, ſi, ex ea ſalutis æternæ viam nobis manifeſte non apparuiſſe, alia ratione, quam reſurrectionis verbum præter id, quod in Sacris Literis fieri ſolet, interpretando, probare volebas. Quinetiam veritatis vi poſtremo victus, quaſi tacite id concedendo, dixiſti, quantum ad propoſitam quæſtionem ſpectat, neceſſe eſſe, ut Chriſti meritum (de quo poſtea videbimus) interveniat, quod nos ſervet. Atque ita, reſpectu meæ concluſionis habito, uti prædixeras, tibi negare fas fuiſſe es forſitan arbitratus ea, quæ ipſa luce ſunt clariora. Quanquam ego, ut verum fatear, in illis verbis, *Cum vitæ exemplo, tum à mortuis reſurgendo*, quæ, ut recordari potes, ut tibi ſatisfacerem, meæ ſententiæ exponendæ non ſatis præmeditatus addidi, id quod volebam perfecte non explicui; neque mihi ipſi ſatisfeciſſe, deinde animadverti: tametſi nihil niſi ipſiſſimam veritatem ſcripſerim. Meorum enim verborum, quæ prius ſic habebant, *Et in ſua ipſius perſona* (ſalutis æternæ viam) *manifeſte oſtenderit*, is erat ſenſus, ut, quoniam Dominus Jeſus non ſolum ea omnia ipſe feciſſet, quæ cæteros facere juſſerat, qui æternam ſalutem aſſequi vellent, ſed etiam ipſemet exinde ad æternam ſalutem perveniſſet: is manifeſte eam, quam annunciaverat, æternæ ſalutis viam in ſua ipſius perſona nobis oſtendiſſe dicendus eſſet. Qui ſenſus illis ſermonis particulis Cum, & Tum non ſatis feliciter exprimitur, ea ſiquidem dividunt, quæ conjungenda fuerant, & utrivis parti ſeparatim id tribuunt, quod utrique ſimul tribuere animus erat. Verumtamen: ut dixi, non propterea quidquam a me dictum fuit, quemadmodum abunde me probaſſe ſpero, quod veriſſimum non ſit. Et ex ejuſmodi errore, Deo actiones noſtras moderante, & ad ſuam gloriam convertente, factum eſt, ut totum hoc, quod præ manibus argumentum habemus, diligentius fuerit pertractatum: unde æternæ noſtræ ſalutis ratio multo clarius eluceſcat. Sed ad reliqua pergamus.

CAPUT VI.

Probatur, refutatis Adverſarii contrariis ratiocinationibus, Chriſtum ideo ſervatorem noſtrum & eſſe & nominari, quod ipſe vitam æternam nobis daturus ſit, cujus rei efficiendæ poteſtatem eum, ut hominem, & mediatorem habere demonſtratur.

Subjungis igitur:

Poſtremo quod Chriſtum ideo ſervatorum noſtrum eſſe dicis, quia vitam æternam vel ſalutem ipſe nobis daturus ſit; non ſic Chriſtus, pace tua dixerim, à nobis ſervator eſt agnoſcendus, ſed aliud quidpiam in ſalutis iſtius dono conſiderandum eſt. Etſi enim veriſſimum eſt, Chriſtum vitam æternam nobis daturum eſſe, ut patet ex Joh.10, addendum eſt tamen, quando de eo, ut de ſervatore noſtro, verba facimus, illum eam vitam æternam vel ſalutem nobis daturum eſſe, quam, ut ſervator & mediator, perfecta obedientia ſua, eaque uſque ad mortem crucis, nobis comparavit. Nam etſi ipſum ſervatoris nomen Deo non minus competat, quam Chriſto mediatori, qui non ſolum verus Deus eſt, ſed & verus homo; tamen, cum de Chriſto, ut de ſervatore noſtro, loquimur, non eodem modo eum ſervatorem agnoſcimus, ut cum de Deo idem cum Prophetis & Apoſtolis dicimus: ut qui ineffabili potentia nihilque pro nobis patiens (quia Deus impaſſabilis eſt) nos ſervet, ſed ſervatorem illum agnoſcimus eo modo, quo mediator exiſtens, inter Deum & nos, qui ab eo per peccata noſtra ſeparati eramus, plene & perfecte, pro nobis moriens ſicque Dei juſtitiæ ſatisfaciens, Deum nobis reconciliaverit. Unde & ſalvi facti ſumus. Et ſane illud ipſum eſt, propter quod Chriſtus ſervator noſter eſſe agnoſcitur: quia ſcilicet pro nobis moriens nos à morte redemerit, patrique reconciliaverit; quos nunquam redemiſſet, niſi debita noſtra moriendo perſoluiſſet: nec Deo reconciliaſſet, niſi divinæ ejus juſtitiæ, per quam peccatores damnari merebamur abſolutiſſime ſatisfeciſſet; quos denique ſalutis eo precio comparatæ participes non feciſſet, niſi per fidem nobis juſtitiam ſuam communicaſſet: quæ non inhærens in nobis, ſed tantum nobis ex dono Dei credentibus gratis imputata, nos Deo gratos reddat & coram ejus tribunali irreprehenſibiles ſiſtat. Et hæc quidem vera eſſe, jam ex Sacris Literis confirmabo.

Reſponſio.

Cum Chriſtum, ob eam cauſam, quod æternam vitam ipſe nobis daturus ſit, ſervatorum noſtrum eſſe, aperte negare non auderes: ut me tamen non recte locutum fuiſſe, oſtenderes, ad id confugiſti, ut diceres, alia ratione, quæ illius magis propria ſit, eum ſervatorem eſſe, propter quam, non autem propter iſtam, quam ego ultimo loco afferebam, ſervator noſter agnoſci debeat. Atque ita tantiſper, dum ea, quæ dicis, probes, ad me refellendum id pro conceſſo ſumis, de quo inter nos præcipue diſputatur. Admiſces tamen interea quædam, quæ tibi fortaſſis probandi vim habere videantur. Et primum, quatenus conjectura aſſequi poſſum (tua enim verba, cum non appareat manifeſte, utrum Dei nomen pro Deo indiſtincte, an pro patre tantum ſumas, ſubobſcura ſunt) dicis, æternam vitam dare non eſſe proprium Chriſti, ut hominis, ſed ut Dei, namque idem te affirmaſſe, probe memini, cum coram in menſa diſputaremus. Verum, cum de Chriſto, ut de ſervatore loquimur, eum, ut mediatorem, hoc eſt, ut hominem, etiam conſiderari debere; alioqui non propria aliqua ratione ſervatorem futurum, ſed ea tantum, quæ illi cum Deo communis eſt. Itaque, ſi probavero, Jeſum Chriſtum, ut hominem ac mediatorem, daturum nobis eſſe æternam vitam, & non minimi momenti id in ſalutis noſtræ negotio eſſe oſtendero: nihil penitus eſſe iſthæc tua ratio demonſtrabitur.

Cer-

Certiſſimum eſt, Jeſum Chriſtum, ut hominem, omnem in cœlo, & in terra poteſtatem habere. Inquit enim ipſe, poſtquam à mortuis reſurrexerat, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, Matth. 28. 18. Deo autem nihil dari poteſt. Quare de ſe, ut homine & mediatore, eum illo in loco verba feciſſe, manifeſtum eſt. Quod optime animadvertit Johannes Calvinus: qui inter alia, quæ in ejus loci explicatione præclare ſcripſit, hæc ad verbum dicit: *Meminerimus verò, quod Chriſtus jure ſuo ſemper apud patrem habuit, hoc illi in carne noſtra datum eſſe, vel ut clarius loquamur, in perſona Mediatoris. Non enim æternam potentiam jactat, qua præditus fuit ante creatum mundum, ſed quam nunc accepit, dum ordinatus fuit mundi Judex.* Hactenus Calvinus. Neminem autem eſſe arbitror, qui non videat, eum, qui omnem poteſtatem in cœlo, & in terra habeat, quatenus eam habet, eatenus etiam vitam æternam dare poſſe. Neque vero aliam ob cauſſam, ut recte paullo ante ibidem annotarat idem Calvinus, ea verba dixit Chriſtus, quam, ut ſui Apoſtoli inter cætera, quæ illis, ut facerent, mandaturus erat, vitam æternam ipſius nomine promittere auderent. Nam & in hunc ipſum finem, ut ſcilicet vitam æternam ipſe dare poſſet, ſupremam illam poteſtatem datam ſibi à patre fuiſſe teſtatur ipſe Chriſtus, ſic eum inter orandum alloquens: *Sicut dediſti ei* (filio tuo) *poteſtatem omnis carnis, ut omne, quod dediſti ei, det illis vitam æternam*, Joh. 17. 2. Præterea Paulus ad Phil. in initio 2. cap. aperte dicit, Jeſum Chriſtum propter obedientiam ſuam à Deo fuiſſe exaltatum, & datum illi fuiſſe ab eo nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hæc Chriſtum, ut hominem, à Deo accepiſſe, & verba ipſa evidenter oſtendunt (non enim, niſi ut homo, obediens eſſe potuit, neque propter obedientiam ſuam aliter, quam ut homo, quidquam conſequi) & interpretes tum veteres (inter quos, ſi recte memini, præcipue Theodoretus) tum recentiores aperte fatentur. Sed qui nomen habet ſupra omne nomen, & cui omnium, etiam cœleſtium; genua flecti debent, abſurdum eſt dicere, huic mortem non obedire, &, cui ſibi libuerit, eum vitam æternam dare non poſſe. Et quanquam hæc ſatis ſunt, ut Chriſtum, ut hominem & mediatorem, vitam æternam daturum eſſe conſtet; placet tamen certiſſimum adhuc ejuſdem Pauli ad eoſdem Philip. hujuſce rei teſtimonium proferre: atque interim ejus loci verum ſenſum à paucis, quod ſciam, animadverſum manifeſtum facere. Sic igitur ſcriptum eſt ad finem cap. 3. ejuſdem epiſtolæ. *Noſtra enim converſatio in cœlis eſt, unde etiam Salvatorem exſpectamus Dominum Jeſum Chriſtum, qui tranſfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat corpori ſuo glorioſo, ſecundum illam efficaciam, qua poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia.* Hæc poſtrema verba perſpicue demonſtrant, Jeſum Chriſtum hanc poteſtatem corpora noſtra gloria & immortalitate donandi, ut hominem, habere. Nam, ut homo, poteſtatem à Deo conſequutus eſt omnia ſibi ſubjiciendi. Deus enim non dicitur habere poteſtatem ſubjiciendi ſibi omnia, ſed ea ſubjecta habere; quæ tamen pro ſua benignitate humanæ etiam naturæ noſtræ in Chriſto & per Chriſtum caput noſtrum ſubjicere tandem decrevit. Quod enim ſcriptum eſt, eum ſub Chriſti pedibus omnia ſubjeciſſe, 1 Cor. 15. 27. Eph. 1. verſ. 22. Hebr. 2. 8. id non eam vim habet, ut vere illi omnia jam ſubjecta eſſe credamus, ſed illum ſibi omnia ſubjiciendi poteſtatem à Deo fuiſſe conſecutum. Quod tunc demum fiet, cum mortem ultimum hoſtem, ſuos ex mortuis excitando, & immortalitate æternaque vita donando, deſtruet ac penitus ſuperabit. Hæc, quæ dico, veriſſima eſſe, confirmat idem Pauli locus 1 ad Cor. 15, ſi præcedentia verba legantur. Ait enim: *Nam ſicut per Adam omnes moriuntur, ita & per Chriſtum omnes vivificabuntur. Unuſquiſque autem in proprio ordine primitiæ Chriſtus; deinde ii, qui ſunt Chriſti in adventu ipſius. Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo & Patri: cum abolecerit omnem principatum, & omnem poteſtatem, ac virtutem. Nam oportet eum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos. Noviſſimus hoſtis aboletur mors. Nam omnia ſubjecit ſub pedibus illius.* Vides, quo ſenſu dixerit Paulus, omnia Deum ſubjeciſſe ſub Chriſti pedibus, quia ſcilicet omnia tandem poteſtate ſibi à Deo tradita ſuis pedibus ſubjiciet Chriſtus. Idem aperte probatur loco ſupra dicto ad Hebr. cap. 2, ſic enim ibi ſcriptum eſt: *Teſtatus eſt autem in quodam loco* (*Pſal.* 8. 4,) *quis dicens. Quid eſt homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab angelis: gloria & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo enim, quòd omnia ei ſubjecit, nihil omiſit non ſubjectum ei. Nunc autem nondum videmus illi omnia eſſe ſubjecta.* Si igitur nondum omnia ſunt illi ſubjecta, patet, quid ſibi velint ea verba, Deum omnia ſub pedibus ejus ſubjeciſſe, Poteſtatem ſcilicet ſibi ea ſubjiciendi illi dediſſe. Idem comprobant verba Pſal. 110. *Dixit Jehova Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quæ verba à Petro, ad Jeſum Chriſtum a mortuis excitatum, & in cœlis ad dextram Dei ſedentem pertinere, dicuntur, Actor. 2. 35. & ab auctore epiſt. ad Hebr. illi ipſi ſic accommodantur, cap. 10. 13: *Hic autem, unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei; de cætero exſpectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus.* Vidimus, Jeſum Chriſtum, ut hominem, poteſtatem habere, quam à Deo accepit, ſubjiciendi ſibi omnia. Vidimus etiam, inter cætera, quæ ſibi ſubjecturus tandem eſt, mortem recenſeri, & quidem tanquam hoſtem omnium potentiſſimum, quippe qui ultimo loco ſubjiciendus, ac deſtruendus dicatur. Cui igitur dubium eſſe poteſt, cum idem Paulus, qui hæc dicit, ſcribit, Jeſum Chriſtum redditurum eſſe humilia corpora noſtra, immortalia & ſimilia corpori ſuo glorioſo, ſecundum illam efficaciam, qua poteſt ſibi ſubjicere omnia, eum poteſtatem hanc illi conceſſam intelligere? Cujus mentionem fecit, ne aliquis eum homini Chriſto nimium tribuere ſuſpicaretur: & interim ad nos in Chriſti fide confirmandos, illum vere, ut hominem, poteſtate nos à mortuis excitandi, & æterna gloria donandi præditum eſſe, apertiſſimè doceret. Neque enim parum refert, nos, qui Chriſto fidem habemus, & ejus præceptis obedimus, ſcire, eum ipſum, qui vindicem, & aſſertorem noſtrum ſe conſtituit, poteſtatem habere ea bona omnia nobis largiendi, quæ ſibi obedientibus ita conſtanter promiſit. Præſertim cum eam viam ipſe prior ingreſſus, quam nos tenere juſſit, omnia mala expertus ſit, quæ nobis, dum per eam gradimur, & illum ſequimur, aut eveniunt, aut certe evenire poſſunt; adeo ut tanquam noſtri mali non ignarus miſereri noſtrûm vere poſſit, & nobis miſeris ſuccurrere didicerit. Scriptum eſt enim in hanc eandem ſententiam, oportuiſſe eum per omnia fratribus ſimilem fieri, ut eſſet miſericors, & fidelis pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expiandum peccata populi. Nam propterea quod & ipſi contigit tentatum eſſe, poſſe eum iis etiam, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2. 17 & 18. Atque idem auctor cap. 4. 14 ait, *Habentes ergò pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jeſum filium Dei, teneamus confeſſionem. Non enim habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia juxta ſimilitudinem, abſque peccato.* O admirabilem Dei bonitatem atque ſapientiam! Non ſatis illi fuit, nos hoſtes ſuos, ac deſertores, ſcelerum noſtrorum gratuita venia, & vitæ æternæ ampliſſimo promiſſo ad ſe iterum recipere, atque convertere; niſi etiam ipſius vitæ æternæ nobis largiendæ poteſtatem fratri noſtro, & tantæ ſalutis duci ac principi à ſe conſtituto, quem per afflictiones perfectum reddidit, pleniſſimam concederet: & illi ipſi, quia homo eſt Joh. 5. 22. & 27, & noſtri ſimilis, noſtraſque infirmitates expertus fuit, nos judicandi auctoritatem, quaſi ea ſeipſum privans, omnem prorſus daret: eaque ratione ſpem noſtram mirifice aleret, atque foveret.

Potuisti, ni fallor, ex iis, quæ à me dicta sunt, intelligere, non modo Jesum Christum, ut hominem & mediatorem, æternam vitam nobis daturum esse, verum etiam, id in salutis nostræ negotio magnum pondus habere. Ex quo planum fit, rationem tuam, qua, Christum eo nomine proprie servatorem nostrum non esse, probare tentabas, nullius, ut prædixeram, esse momenti. Nec vero te moveat, quod Christi hæc nos servandi ratio ab ea, quæ propria Dei est, non differat. Nam, si parumper ab inveterata opinione mentis oculos removeris: videbis, quemadmodum Deus fons est, origo, & causa omnis salutis, nam sine eo non est servator, Esa. 43. 11. & præter eum nemo servat, Ose. 13. 4 ita neminem nos servare posse, nisi ea ratione, qua Deus ipse servat, & tanquam ministrum, atque instrumentum, quo Deus ad salutem nobis conferendam utatur. Nec idcirco tamen is, per quem Dei potentia servamur, servatoris nomen non meretur. Nam Othoniel, cujus opera Deus ad servandum Israelem, ac liberandum de manu Chusan-risataim Mesopotamiæ regis usus fuerat, servator à Jehova excitatus dictus est Judic. cap. 3. 9. Jehoas quoque filius Jehoachas, per quem Deus Israelem ex servitute Syrorum asseruit, ut habetur, 2 Reg. cap. 13 ad finem, eodem cap. vs. 5. servator à Jehova datus appellatur. Præterea ii omnes, quorum ministerio Deus populum suum sæpius de hostium potestate exemerat, & servasse dicuntur, & servatores ab ipso dati nominantur Nehem. cap. 9. 27. Quare Stephanus non dubitavit Mosem principem, & redemptorem à Deo missum appellare, Act. 7. 35. Quod si isti, quia præfinitam & temporariam potestatem salutis caducæ imperfectæ ac brevissimæ conferendæ à Deo adepti fuerant, servatores sunt dicti; quanto magis homo Christus Jesus, qui nullis limitibus circumscriptam & perpetuam potestatem homines sibi obtemperantes stabili æterna omnibusque numeris absolutissima salute donandi ab eo est consecutus, servator humani generis ob hanc ipsam causam appellandus est? Eum vero non minus, quam cæteros, quatenus in mediatoris persona servator noster est, à Deo missum, datum, & exciratum fuisse, te ambigere non credo. Sed si fortassis adhuc hæsitas, lege, quæ scripta sunt Esai. 19. 20, & cap. 49. 6. Luc. 1. 69. Joh. 3. 16, & 17, & cap. 6. 32, Act. 5. 31, & cap. 13. 23. 1 Joh. 4. 14.

CAPUT. VII.

Respondetur rationi ex nomine Mediatoris Christo attributo ductæ; & ostenditur eo nomine nullam divinæ justitiæ exhibitam satisfactionem, sed nec ullam iræ Dei placationem significari.

NUnc cætera, quibus vel tacite, vel aperte, antequam ad Sacrarum Literarum testimonia ipsa nominatim proferenda te convertas, id, quod sumpseras, & de quo potissimum inter nos instituta disputatio est, confirmare niteris perpendamus. Ea autem hæc esse videntur, Christum Mediatorem esse, Ergo medium se inter Deum, & homines posuisse, & pro nobis morientem divinæ justitiæ plene & perfecte satisfecisse, Deumque nobis reconciliasse: Christum nos redemisse, Ergo necessario debita nostra persolvisse: Christum nos Deo reconciliasse, Ergo divinæ justitiæ, per quam peccatores damnari merebamur, absolutissime satisfeciisse. Injicis mentionem insuper perfectæ obediéntiæ Christi, qua nobis æternam vitam, vel salutem comparaverit, quorum verborum, quatenus vel ipsa vel ipsis valde similia in Sacris Literis reperiuntur, quæ vera sit sententia, & quam ab ea, in quam tu ea accipis, aliena, per ea, quæ postea dicentur, dilucide apparebit. Quæ vero addis de Christi justitia nobis per fidem imputata, ea si attingere mihi visum fuerit, infra suo loco, ubi ipsius Christi, quam tu asseris, satisfactionem nobis per fidem imputari, Sacræ Scripturæ auctoritate probare conaris, à me examinabuntur. Redemptionis etiam, seu Redimendi vocabulum mox in proxime sequentibus verbis tuis, & divinarum literarum à te prolatis testimoniis perpendendis convenientius multo excutietur. Quare de Mediatoris, & Reconciliationis vocabulis, deque eorum vi, cum infra ipsorum mentionem non facias, nunc videamus.

Et primum, quod attinet ad Mediatoris vocem, video te non minus quam cæteros, in eo deceptum fuisse, quod persuasum penitus habueris, mediatorem non dici, nisi qui dui duos inter se invicem dissidentes componat, & alterum alteri conciliet: vel saltem hanc esse hujus vocabuli præcipuam significationem. Quod si aliquanto cautior in fide hominibus adhibenda fuisses, & diligenter in re ipsa perscrutanda versatus esses: eo te judicii acumine esse, plane agnosco, ut, quin errorem hunc non minus, quam ego, & nonnulli etiam ante me fecerint, animadversurus fuisses prorsus non dubitem. Vidisses enim manifeste, Mediatoris seu μεσίτης nomen in Sacris Literis nihil aliud significare, quam eum, qui medius quidem inter duos sit, hoc est inter Deum, & hominem: non tamen qui Deum iratum homini placet: sed quo Deus, ut internuncio atque interprete, ad fœdera sua cum hominibus pangenda & sancienda utatur: & per quem illi ad ipsum, ejus voluntatis cognitione instructi, accedere possint. Hæc ita se habere, ex omnibus locis, ubi hæc vox apud Sacros Scriptores reperitur, constare potest, & ex iis, quæ inde efficacissima argumenta duci possunt.

Primum igitur hæc vox reperitur apud Paulum in Epist. ad Gal. cap. 3. 19. hoc pacto: *Quid igitur Lex? Propter transgressiones fuit adjecta, donec veniret semen, cui promissum fuerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est; Deus autem unus est.* Ex his verbis aperte intelligi potest, Mediatoris vocem non Dei, & hominum invicem dissidentium pacificatorem (ut sic loquar) significare: sed, ut recte in interpretatione ejus loci, hac in parte scribit Joh. Calvinus, internuncium, in Lege scilicet promulganda; qua de re ibi, non autem de pacificatione aliqua, expresse agitur. Unde factum est, ut non pauci ex iis, qui nostra memoria novas Novi Fœderis è Græca in Latinam linguam versiones edidere, hoc loco Græcam vocem μεσίτης non Mediatoris, ut alibi, sed vel Internuncii, vel Intercessoris voce reddiderint: clare perspicientes, non posse hic significationem, quam vocis Mediatoris propriam esse opinabantur, conservari. Sed satius fuisset, vocem illam ubique eodem modo interpretari; ut qui Græce nesciunt, propter quos hujusmodi versiones fiunt, proprium & ipsi judicium in ejus vi percipienda, ex locorum collatione, adhibere possent. Quid quod satis aperte in prædictis verbis Moses Mediator appellatur? Cujus proprium officium non quidem Deum hominibus placandi fuit, sed ejus nomine cum populo Israelitico vetus illud fœdus sanciendi; atque is fuit, per quem populus ille quotidie divinæ voluntatis admonebatur, & ad Deum accedere ea ratione poterat. Scio, non deesse complures, qui, veritate ipsa licet omnino reclamante, de Christo ea verba dicta fuisse velint. Sed ne longior sim, ut eos insigniter decipi agnoscas, vide quæ doctissime & accuratissime in hunc locum scripsit & annoravit Theodorus Beza, cujus verbis illud tantum addo; quod Moses mediator inter Deum & populum Israeliticum fuerit, & quomodo, aperte probari non solum loco illo appositissimo Deut. 5. 5, quem ipse attulit, sed etiam Levit. cap. 26 ad finem, ubi hujus Paulini loci perspicua interpretatio habetur. Scriptum est enim ibi, *Hæc sunt judicia atque præcepta, & leges, quas dedit Jehova inter se, & filios Israël in monte Sinai per manum Mosis.*

Præterea vox hæc Mediatoris reperitur apud eundem Paulum 1 Tim. 2. 5, in his verbis, *Hoc enim bonum est, & acceptum coram salvatore nostro Deo; qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus; unus & mediator Dei, & hominum*

homo Chriſtus Jeſus. Ex hoc autem loco demonſtrari putant plerique, Mediatoris nomen proprie pacificatorem declarare: & Chriſto idcirco tributum fuiſſe, quod Deum, qui hominibus iratus eſſet, ſua morte illis placatum reddiderit. Subjicit enim ſtatim Apoſtolus, *qui dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus.* Ecce, ajunt, quam ob cauſſam Chriſtus eſt Mediator. Nempe quia Deo morte ſua ſolvit id omne, quod nos illi debeamus; & hac ratione nobis illius iram placavit. Sic enim explanari omnino debere credunt ea verba, *dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus.* Quodſi eum non eſſe horum verborum ſenſum probavero, ut paullo poſt faciam, cum teſtimonia à te prolata excutientur: vana prorſus profecto fuerit illorum argumentatio. Interim tamen dico, iſtorum etiam interpretatione admiſſa, non continuo ſequi, Mediatoris vocabulum id ſua vi ſignificare, quod ipſi credunt: ſed ex accidente, proprer loci circumſtantias: Quinimmo nihil prohibere, quo minus ibi quoque ſignificationem, quam ego ex cæterorum locorum collatione illi tribuo, retinere poſſit. Neque enim ullo modo conſtat, Paulum illis verbis exponere voluiſſe, quo ſenſu Chriſtum Mediatorem appellaſſet. Sed potius videtur, præter id, quod eum unius Dei, & hominum unicum internuncium eſſe dixiſſet, voluiſſe addere, ut ſententiam ſuam, de qua ibi agebatur, plenius confirmaret, non impendiſſe illum vitam ſuam pro liberatione unius aut alterius hominis, unius aut alterius generis perſonarum: ſed pro cunctis indiſtincte mortuum fuiſſe. Quod aliud profecto eſt, quam internuncium eſſe, licet (communi, ut dixi, illorum verborum explanatione retenta) ad ea exequenda fuerit additum, unde ſalutem noſtram, & Dei pacificationem pendere is prius annunciaſſet. Internuncium vero, non autem Pacificatorem hoc etiam loco Mediatoris nomine ſignificari, argumento eſſe poteſt, quod, antequam Mediatoris mentio fiat, nihil prorſus dictum fuit de Dei ira adverſus hominum ſcelera; nihil, quare de pacificatione aliqua agendum poſtea eſſet, narratum prius, ſive concluſum fuerat; nihil denique præceſſerat, cur de Chriſto, ut Pacificatore mentio injicienda eſſet. Sed contra de Dei bonitate, & clementia, qua humanum genus complexus fuerat, & omnes ſine diſcrimine ad ſalutem, & veritatis agnitionem invitaverat, aperte locutus fuerat Apoſtolus. Unde merito internuncii mentio, qui Chriſtus eſt, injecta fuit; cum non niſi per aliquem internuncium Dei voluntas hominibus generatim patefieri ſoleat, & hunc, non minus, quam Deus unus ſit, unum tantum modo fuiſſe dixit; ut omnibus hominibus idem prorſus Dei nomine nunciatum atque oblatum eſſe perſuaderet. Confirmatur hoc per verba illa, quæ poſtmodum addit, *teſtimonium temporibus ſuis*; quæ ſupra eam vim habere diximus, ut oſtendant, per Jeſum Chriſtum plenam Dei erga homines benevolentiæ fidem factam fuiſſe. Atque hanc interpretationem, quæ veriſſima eſt, affert ad finem eorum, quæ in huc locum annotavit, Theodorus Beza; & ego ipſius verbis eam expreſſi. Quæ interpretatio nemo non videt, quam appoſite ad Internuncii appellationem, quæ antegreſſa fuerit accommodetur, poſt Pacificatoris autem, quam dure, & coacte conſequatur.

Tres loci adhuc ſunt in Divinis Litteris, ubi nomen Mediatoris legitur, atque ii omnes in una epiſtola ad Heb. qui cum ejuſdem fere ſint formæ, eos ſimul afferemus, ſimulque examinabimus. Primus locus eſt cap. 8. 6. *Nunc verò excellentius ſortitus eſt miniſterium, quanto & præſtantioris eſt fœderis Mediator, quod in præſtantioribus promiſſionibus ſancitum eſt.* Secundus eſt cap. 9. verſ. 15. *Et ideo novi Teſtamenti Mediator eſt; ut, morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priore teſtamento, promiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.* Tertius eſt cap. 12. 24. *Et* (acceſſiſtis) *fœderis novi Mediatorem Jeſum*, &c. quem locum ſupra attigi, & quæ recitare nunc omiſi, ſequentia verba, perſpicue, & vere, ni fallor, explicavi. Jam vero in hiſce tribus locis de veritate ſignificationis, quam ego vocabulo Mediatoris tribuo, non ſecus apparet, ac de recepta ſignificatione vehementer propter ipſos dubitari ſaltem debet. Primum enim Jeſus Chriſtus in eis novi & præſtantioris fœderis, ſeu teſtamenti Mediator eſſe dicitur, quod ſane ad Deum nobis placandum non pertinet, ſed ad fœdus ipſum, de quo agitur, Dei nomine nobiſcum pangendum, atque ſanciendum. Deinde epitheta illa Novi, & Præſtantioris ſatis oſtendunt, non ſolum aliud fœdus, quod antiquum appellari poſſit, & deterius ſit, anteceſſiſſe: ſed illius non minus, quam hujus, aliquem mediatorem extitiſſe. Is autem, ut ſupra vidimus, Moſes fuit; qui ferme invitus, ac tantum non coactus, ab ipſo Deo, qui promiſſa patribus præſtare volebat, ad ejuſmodi munus delectus fuit; ut videre eſt Exod. cap. 4. tantum abeſt, ut Deum, in fœdere illo pangendo ac ſanciendo, Iſraëli placaverit, aut conciliaverit. Poſtremo illa eadem epitheta, & id, quod expreſſius additur, Ideo fœdus, cujus Jeſus Chriſtus Mediator eſt excellentius eſſe, quia in præſtantioribus promiſſionibus ſancitum fuerit, nullam in iſtarum mediationum (ut ita dicam) modo differentiam eſſe tacite indicant, quæ aliquod momentum habeat: ſed differre eas tantummodo, quatenus poſterior excellentioris fœderis fuit, & præſtantiora promiſſa continentis, quam prior.

Quod ſi dicas, in hiſce tribus locis Chriſtum non dici ſimpliciter Mediatorem, ſive Dei, & hominum Mediatorem, ſed novi & excellentioris fœderis Mediatorem, quare non mirum ſit, ſi in eis Pacificatoris ſignificatio locum non habet.

Reſpondeo primum, ſatis eſſe ex his locis conſtare, Mediatoris nomen ex vi ipſius verbi id non ſignificare, quod vulgo creditur. Alioqui ſcriptor ille eo recte ibi uſus non fuiſſet, ubi nec fœdus ipſum, cujus dicit fuiſſe Mediatorem Jeſum, cum hominibus, nec homines, ad quos illud pertinebat, cum ipſo fœdere placandi eſſent. Præterea, an non in loco illo Pauli ad Gal. 3. 19, ubi verbum Mediator internuncium ſignificare, etiam ii, qui illud ad Chriſtum libentius, quam ad Moſem referunt, ex quibus eſt Joh. Calvinus, omnino contendunt, Mediatoris nomen ſimpliciter ponitur, deinde etiam additur, *Mediator unius non eſt, Deus autem unus eſt?* An non Moſes loco illo Deut. 5. 5. ſe ſtetiſſe inter Jehovam dicit, & populum, ut annunciaret illis Jehovæ verbum? Ex quibus omnibus intelligi par eſt, eum, qui fœderis, aut verborum, & ſermonis alicujus internuncius ſit, non modo Mediatorem ſimpliciter dici, verum etiam Mediatorem illius, cujus nomine, & eorum, quibuſcum fœdus pangit, aut loquitur: & idcirco in unico illo loco 1 ad Tim. 2. 5, ubi Jeſus Chriſtus Dei, & hominum Mediator eſſe dicitur, non ideo id factum eſſe, quia Deum hominibus placaverit, ſed quia novum & æternum fœdus cum humano genere ipſe Dei nomine pepigerit, ac ſanxerit, & omnem Dei voluntatem, unde ad ipſum Deum eſt acceſſus, hominibus patefecerit.

Videor mihi ſatis probaſſe, Mediatoris appellationem, qua Dominus Jeſus merito inſignitur, nihil commune habere cum divinæ iræ placatione: immo Dei benignitatem præcedentem, eamque quod ad ipſum Deum attinet, omnibus jam numeris abſolutam, & ad quam promerendam nulla re ſit opus, in ea contineri, non obſcure demonſtraſſe. Si enim, ut vidimus, ſignificat, eum Dei nomine nobiſcum fœdus pepigiſſe, an non manifeſtum eſt, oportuiſſe Deum, antequam is ipſius juſſu Mediatoris officio fungeretur, jam placatiſſimum eſſe? Non enim mittunt principes internuncios ſuos ad fœdera cum rebellibus pangenda, ni prius ex animo illis omnem rebellionem condonaverint & jam illis vere placati ſint, nec aliud præterea ad pacem cum eis ſtabiliendam requiratur, quam, ut fœderis conditiones illi velint accipere. Quod ut manifeſtius

in Dei perſona, & noſtrum fiat, expendamus, obſecro, quale ſit fœdus, quod is nobiſcum per Chriſtum pepigit, quemadmodum multo ante per Prophetam Hieremiam ſe facturum prædixerat. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda fœdus novum, non ſecundum fœdus, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti; quoniam ipſi non permanſerunt in fœdere meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc eſt fœdus, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum; & in corde eorum inſcribam eas, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit quiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum, quoniam omnes ſcient me à minore eorum uſque ad majorem eorum; quia propitius ero injuſtitiis eorum; & peccatorum illorum, & iniquitatum illorum non recordabor amplius*, Hebr. 8. Hier. 31. En quam liberale, quamque auguſtum fœdus Jeſus Chriſtus Dei nomine nobiſcum pepigit. Num cuiquam in mentem venire poteſt, Deum adhuc nobis fuiſſe iratum, cum ei mandavit, ut illud pangeret? Num poteſt quiſquam ſine maxima Dei injuria vel cogitare quidem, illum, dum ſe ita clementem profitetur, dum ſe ita munificum eſſe prædicat, adeo nobis infenſum fuiſſe, ut aliquo, qui nobis eum conciliaret, & ejus vindictam, quæ jam jam noſtris cervicibus immineret, à nobis opera ſua, ac meritis, & gratia apud ipſum repelleret, opus fuerit? adeo ſui juris tenacem fuiſſe, idque perſequi voluiſſe, ut non niſi pleniſſima ſcelerum noſtrorum ſatiſfactione accepta, nobis ſupplicium lege ſua ſtatutum condonare voluerit? Sed de hac re latius infra. Satis nunc fuerit, Chriſtum, ut Mediatorem, Dei iram nobis non placaſſe, nedum divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris plene ſatiſfeciſſe, & divinorum teſtimoniorum auctoritate, & validiſſimis, niſi vehementer fallor, rationibus manifeſtum feciſſe. Quamvis enim in hac diſputatione concedi alioqui poſſit, Chriſtum Dei iram placaſſe, cum inde non continuo ſequatur, ipſum pro peccatis noſtris ejus juſtitiæ ſatiſfeciſſe, voluí tamen omnem penitus, propter Mediatoris appellationem Chriſto attributam, de veritate dubitandi occaſionem præcidere.

CAP. VIII.

Refutatur ratio ducta ex reconciliatione noſtra cum Deo per Chriſtum facta, ac docetur; nullo modo inde conſequi, quod Chriſtus iræ Dei, pro nobis ſatiſfecerit eamque placaverit; & brevi ad hoc & ſuperius capui appendice addita, tota hæc diſputatio de Socini ſententia a Covetto impugnata concluditur.

IGitur ad reconciliationem noſtram cum Deo per Chriſtum factam examinandam deveniamus: ex qua neceſſario colligi putas, ipſum Chriſtum divinæ juſtitiæ, per quam peccatores damnari mereremur abſolutiſſime ſatiſfeciſſe. Atque primo illud conſiderandum videtur, quod tu, ſicut vere credis, & ſcribis, ita fortaſſis non in ſententia ſolum, verum etiam in verbis Sacræ Scripturæ extare putas, Chriſtum nobis Deum reconciliaſſe; cum tamen id nuſquam ſcriptum extet: ſed tantummodo, vel nos ſimpliciter per Chriſtum, ſive per mortem Chriſti reconciliatos, vel Deo reconciliatos fuiſſe. Quod qualem vim habeat, ut perſpicue intelligere poſſimus, non ſecus atque in Mediatoris voce fecimus, omnia divinarum litterarum teſtimonia, ubi reconciliationis per Chriſtum factæ mentio fiat, diligenter examinemus. Ea autem omnia ſunt apud unum Paulum.

Primus igitur occurrit locus ille ad Rom. cap. 5. 10. *Si enim, cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus: multo magis, reconciliati, ſalvi erimus in vita ipſius.* In his verbis, ut præcedentia verba demonſtrant, de Dei charitate, & de firma ſpe, quam in eo in mediis calamitatibus collocare poſſimus, & debeamus, manifeſte agitur. Dixerat enim prius: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis nunc, juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus, ab ira per ipſum. Si enim*, &c. Et paullo ſuperius calamitatum, in quibus propter hanc Dei eximiam charitatem gloriari poſſimus, mentionem fecerat. De reconciliatione igitur, quam Deus clementiſſimus per Chriſtum fecerit, aperte loquitur Paulus; qua nos, qui inimici illius eramus, ei reconciliati ſumus, hoc eſt, ad eum converſi, ejus amici evaſimus. Itaque ſic argumentatur Apoſtolus: Si Deus, cum adhuc eſſemus peccatores, & ab ipſo averſi cum eo bellum quodammodo gereremus, tanta nos charitate complexus eſt, ut unigenam Filium ſuum, ut ſibi nos reconciliaret, & duritiem animi noſtri emolliret, atque adeo amicos ſuos faceret, morti tradere voluerit: quanto magis nunc, cum jam, peccatis relictis, ad ipſum converſi ipſique reconciliati ſimus, nos charitate proſequetur, & per viventem filium ſuum, quem amplius mori non eſt opus, nos ſervabit, & à morte æterna, quemadmodum, ſcilicet, per eum nobis pollicitus eſt, omnino vindicabit? Atque ita hunc locum elegantiſſime inter cæteros veteres theologos interpretatur Joh. Chryſoſtomus. Hac autem interpretatione, quæ ſola, ut ſtatim apparebit, vera eſt, retenta, jam conſtat, Reconciliandi verbum hoc loco non divinæ alicui juſtitiæ ſatiſfaciendi vim habere, ſed noſtram tantummodo ad Deum converſionem, quam ipſe procuravit, atque hac ratione cum eo renovatam, vel potius initam amicitiam, ſignificare. Nam, quod non pauci prima verborum facie decepti, atque ad ea, quæ præceſſerant non animadvertentes (quorum hic exactior quidem & concinnior ratio affertur, ſed ita tamen, ut παρρησία quædam commiſſa eſſe videatur) hoc loco de potentia Dei per mortem, & vitam Chriſti, ſeu de potentia ipſius mortis, & vitæ Chriſti in nobis ſervandis agi putant: id ab omni veritate alieniſſimum eſt. Primum enim, ut vidimus, non de ulla potentia, ſed de Dei charitate verba fiunt. Cur igitur Dei potentiam Paulus hic in dubium revocaret, ubi de ejus voluntate tantum diſputat? Præterea quænam vis hujus argumenti fuiſſet? Si Deus nos per mortem Filii ſui reconciliare ſibi potuit: multo magis ſervare poterit per ejus vitam: vel, ſi Filii ejus mors nos illi reconciliare potuit: multo magis ejuſdem vita vim nos ſervandi habebit. Nulla profecto præſertim ſi reconciliationem illam, ut fere iſti faciunt, divinæ juſtitiæ exhibitam ſatiſfactionem intelligas. Neque enim Chriſti vita ad nos ſervandos, quam mors ad divinæ illi juſtitiæ ſatiſfaciendum, vel ſimpliciter ad ſalutem nobis comparandam, potentior dici poteſt. Simpliciter quidem dici non poteſt, cùm diverſo modo ſervent; hæc ſcilicet (ut quidem illi credunt) divinæ juſtitiæ ſatiſfaciendo: illa vero, vitam conferendo. Quare comparatio ſimpliciter inter eas fieri nequit. Quod ſi ex eo, quod divinæ juſtitiæ ſatiſfiat, vitæ collationem (ut ita dicam) conſequi neceſſario dicas, jam mors vita potentior in ſalute danda apparebit. Vita enim effectus ipſius ſalutis miniſtra tantum dicetur: mors autem ſalutis ipſius cauſſa. In diverſo autem illo ſervandi modo vitam morte potentiorem dicere, ridiculum eſt; cum potius mors vitâ potentior ea ratione dici debeat. Si enim morte ſua, ut ipſi autumant, Chriſtus, quicquid nos Deo debebamus, pleniſſime perſolvit, quis non videat, qualem potentiam ad divinæ iſti juſtitiæ pro nobis ſatiſfaciendum illa habeat? Quod vero Chriſti vita nobis vitam conferat, nihil eſt, niſi aliud dicatur, quod fateri cogat. Poſſet enim fieri, ut Chriſtus viveret, & quidem in æternum, ut certe vivit: nec tamen poteſtatem nos ſervandi haberet, id eſt, æterna vita donandi. Cæterum, ſi de charitate Dei, non autem de vitæ, & mortis Chriſti potentia ad nos illi reconciliandos, & ſervandos hic agi fatearis quidem: ſed tamen hunc hujus loci ſenſum eſſe dicas, videlicet ſi Deus, cum ipſius

inimici

nimici eſſemus, ut divinæ ſuæ juſtitiæ ſatisfieret, filium ſuum morti tradidit, multo magis nunc ea ſatisfactione ſibi reconciliatos per viventem eundem filium ſuum nos ſervabit: Vide primum, quantum Dei charitas, quam ſummis laudibus extollere curat Apoſtolus, hac interpretatione minueretur, quæ Deum ſuum jus tanto rigore perſequi voluiſſe complectitur; vel ſaltem quam non appoſite ejuſmodi ſatisfactionis, quæ reticeri potuiſſet, hoc loco mentio fieret. Deinde conſidera, iſtam interpretationem id ſumere, de quo inter nos ambigitur, & cujus in Pauli verbis nullum apparet veſtigium: in ea autem, quam ex doctiſſimorum virorum mente attuli, nihil tale contingere, nihil abſurdi poſſe animadverti. Longior fui in his Pauli verbis explanandis, quamvis ea, ut poſtmodum conſtabit, nulla ratione tuam ſententiam juvare poſſint, ut oblata occaſione, illuſtri in primis loco germanum ſenſum reſtituerem, & ab obſcuris quorundam interpretationibus in lucem quodammodo revocarem. Nunc ad alia Paulina loca excutienda nos convertamus.

Statim igitur poſt verba jam examinata hæc conſequuntur: *Non ſolum autem; Sed & gloriamur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.* Jam vero, ſi, ut viſum eſt, in ſuperioribus verbis, ubi hujus reconciliationis fit mentio, de aliqua divinæ juſtitiæ exhibita ſatisfactione non agitur: hic quoque non agi manifeſtum eſt. Quod ſi ex iis, quæ deinde addit Paulus de Chriſti, & Adami collatione, aliquis colligi poſſe credat, reconciliationem hanc nihil aliud eſſe, quam Chriſti meritis erga Deum partam nobis cum ipſo Deo amicitiam: is quanto in errore verſetur, & qui adhuc reſtant Pauli loci examinandi demonſtrabunt, & nos, Deo dante, infra, ubi de Chriſti nobis, ut tu credis, imputata juſtitia agendum erit, planum faciemus.

Sequitur locus ille celeberrimus 2 ad Cor. cap. 5. ad finem; ubi de reconciliatione per Chriſtum facta multis verbis agit Apoſtolus; ex quibus veritas manifeſtiſſime eluceſcit. Ait enim, *Proinde ſi quis* [*eſt*] *in Chriſto, nova creatura* [*eſt.*] *Vetera præterierunt; ecce nova facta ſunt omnia. Omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos ſibi per Jeſum Chriſtum, deditque nobis miniſterium reconciliationis. Quandoquidem Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ipſorum. Et poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. Pro Chriſto ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Eum enim, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in illo.* Ex his verbis liquet primum, ipſum Deum fuiſſe, qui nos per Chriſtum ſibi reconciliavit, id enim bis manifeſte dicitur: & idcirco reconciliationem per Chriſtum factam non Dei erga nos placationem, ſed noſtri erga illum converſionem, unde ſtabilis cum eo amicitia conſecuta fuerit, ſignificare; & tantum abeſſe ut in reconciliatione hac peragenda Chriſtus nobis Deum placaverit; ut potius eum jam placatum oſtenderit, & ab eo jam placato ad nos, qui adhuc illius inimici eramus, ſibi reconciliandos miſſus fuerit. Deinde reconciliationis modus, ne quod dubium ſuperſit, exprimitur. *Quandoquidem*, inquit, *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* Sed qua nam ratione? num ſcelerum noſtrorum ab ipſo Chriſto pœnas exigendo? num, pro peccatis noſtris ut is ſuo ſanguine ſatisfaceret, curando? num jus ſuum, dum Chriſtum morti tradit, adverſum nos perſequendo; Nihil minus: ſubjungit enim, *non imputans eis peccata ipſorum.* Vides, quo pacto nos ſibi reconciliaverit Deus per Chriſtum; nimirum ſcelera noſtra, ut per Hieremiam prædixerat, nobis liberaliter condonando. At dices, Nobis quidem non imputavit, Chriſto tamen imputavit; & ab eo juſtitiæ ſuæ ſatisfieri omnino voluit. Iſtud quam abſurdum, atque adeo impium ſit vel dicere, vel cogitare, infra clarius apparebit. Id tantummodo nunc dixiſſe, quod ad præſentem locum attinet, ſatis fuerit, Paulum, cum hic de reconciliatione per Chriſtum facta ex profeſſo agat, ejuſque modum, ut mox etiam magis perſpicuum fiet, exacte nobis deſcribat; nunquam iſtam ſatisfactionem, quam à Chriſto Deus exegerit, & cujus cognitionem vos prorſus neceſſariam ad ſalutem, ſi non conſequendam, at ſaltem recte percipiendam, omnino eſſe contenditis, ſi res ita ſe haberet, ſilentio præteriturum fuiſſe. Reſpondebis, opinor, Immo ejus mentionem fieri ab Apoſtolo in illis verbis, quæ ultimo loco ſcripta ſunt, *Eum enim, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in illo.* Chriſtum enim pro nobis peccatum factum fuiſſe, nihil aliud ex Hebræorum idiotiſmo ſignificare, quam Chriſtum, hoſtiam pro peccatis noſtris extitiſſe. Sed vide quot errata in hac reſponſione ſint. Primum non ſuo loco hæc dicta fuiſſent; quæ tunc dicenda omnino erant, cum modus reconciliationis expreſſus fuit. Præſertim cum de non imputatis mundo peccatis mentio facta eſſet; quod per ſe, niſi aliud apponatur, omnem ſatiſfactionem penitus excludit. Neque enim opus eſt ſatisfactione ulla, à quocunque tandem illa præſtari, & quomodocunque peragi poſſit, cum ei, qui deliquit, aut debitor eſt, delictum ab eo, contra quem deliquit, non imputatur, aut à creditore debitum remittitur. Præterea non poteſt eo loco peccati vocabulum hoſtiam pro peccato ſignificare; ſed hominem pro peccatore habitum aperte ſignificat; quemadmodum multi clariſſimi interpretes annotarunt. Nam ſi hoſtiam pro peccato ſignificaret, quam, obſecro, vim haberent verba illa, *qui peccatum non noverat?* Quæ enim Dei charitas, quam Paulus Corinthiis proponit ac commendat, & qua eos ad Deo ſe reconciliandos movere curat, ex eo apparet, quod hoſtiam pro peccato fecerit eum, qui peccatum non noverat? An non neceſſe eſt, hoſtiam pro peccato incontaminatam eſſe, atque puriſſimam? Maximam autem vim habebunt, ſi vocem Peccatum, hoc loco, hominem pro peccatore habitum ſignificare dicamus. Ex eo enim Dei charitas vehementer elucet, quod eum, qui innocentiſſimus erat, noſtri cauſſa, tamquam peſſimum hominem, atroci & infami morte occidi voluerit. Adde, quod illa interpretatione antitheſis manifeſta Peccati & Juſtitiæ, eaque pulcherrima & elegantiſſima, penitus corruit atque diſſolvitur. Siquidem hæc ſine dubio eſt Pauli mens, Deum ita nos amaſſe, ut filium ſuum, qui innocens erat, noſtrum cauſſa nocentem judicari, & tanquam nocentem, occidi voluerit, ut nos, qui vere nocentes eramus, innocentes, & coram ipſo Deo juſti haberemur, & tanquam juſti, æternam vitam tandem conſequeremur. Poſtremo, etiamſi concederetur, vocem Peccatum hoc loco hoſtiam pro peccato ſignificare, non tamen continuo ſequeretur, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ alicui juſtitiæ ſatisfeciſſe. Quis enim negat, vel negare poteſt, Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum fuiſſe, atque ea ratione nos peccatorum remiſſionem conſecutos eſſe? Verum hoc non quia Deum nobis reconciliaverit, aut juſtitiæ cuipiam divinæ pro nobis ſatisfecerit, ſcriptum eſt; ſed quia non aliter, quam ejus morte interveniente, id peractum & confectum fuit, ut paullo poſt latiſſime à me explicabitur. Quod vero additur: In illo, ſive, Per illum, id additum eſt, ut intelligamus, tantum Dei beneficium non contingere cuiquam, niſi Chriſto ſit inſitus, id eſt, fidem ei habendo, ejus præceptis obediat, atque eodem ſpiritu gubernetur: adeo ut vere ex corpore illius ſit, & ex carne ejus, & ex oſſibus ejus Epheſ. 5. 30, nam ut in initio dixerat: *Si quis* [*eſt*] *in Chriſto, nova creatura* [*eſt.*] Novam autem creaturam eſſe, & Dei mandata, quæ ſcilicet per Chriſtum nobis dedit, ſervare, vel, Chriſto fidem habendo, opera charitatis facere, qua una omnia Chriſti mandata continentur, idem eſſe, probant manifeſte hi tres loci inter ſe collati, Gal. 5. 6, & cap. 6. 15, & 1 Cor. 7. 19 Sed jam reliqua ejus loci, quem præ manibus habemus, verba perpendamus. Addit igitur Paulus, *Et poſuit in nobis ſermonem reconciliationis*; quemadmodum

etiam paullo ante dixerat, *Et dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Miniſtrabant ergo, non tantum loquebantur, reconciliationem auctoritate Dei ipſi quoque Apoſtoli: quanquam, ut ſupra viſum eſt, vice Chriſti, & pro Chriſto. Quare ſubjungit, *Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Verum, qua ratione reconciliationem miniſtrare poterant, ſi illa in Chriſti meritis tota reſidebat? Num, ut Romanus Pontifex habere ſe jactat, tanquam in theſauro, Chriſti merita recondita habebant, eaque cæteris pro arbitrio diſpenſabant? Sed, ut rem ſerio agamus, num obſecro, ea ratione reconciliationem vel loquebantur, vel miniſtrabant, ut dicerent, credere oportere, per Jeſu Chriſti mortem divinæ juſtitiæ, per quam nos damnari mereremur, plene pro peccatis noſtris ſatisfactum fuiſſe? Quid à Pauli, non dicam verbis, ſed mente, ipſaque veritate alienius? Expende, quæſo te, quæ conſequuntur, verba, quibus ratio loquendæ, ac miniſtrandæ reconciliationis aperte exponitur, *Rogamus*, inquit, *pro Chriſto reconciliamini Deo.* Sermo igitur & miniſterium reconciliationis, quibus Deus Apoſtolos inſtruxerat, nihil aliud erant, quam homines, non ſecus ac Chriſtus fecerat, cujus legati ipſi erant, rogare, atque Dei nomine hortari, ut ipſi Deo reconciliari vellent, & è peccatis emergentes, juſtitiæque opera ſectantes, ipſius amici fierent, & beatam immortalitatem ſperarent. *Apparuit enim* (inquit alibi idem Paulus) *gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegata impietate, & mundanis concupiſcentiis, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in præſenti ſæculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti,* Tit. 2. 11, &c. Reconciliati igitur ſumus Deo per Chriſtum, Deo per ipſum, & per ejus vicarios Apoſtolos hortante, ut ſibi reconciliari velimus, delictorumque veniam nobis ultro offerente: non autem Chriſto illum nobis placante, & illi debita noſtra perſolvente. Nam, ut præclare, niſi memoria fallor, Theodoretus, hunc locum explanans, ex parte ait, etſi Deus is erat, qui injuriam à nobis acceperat, & ea de cauſa, ut is nobis reconciliaretur, opus eſſe videbatur: ea tamen bonitate præditus eſt, ut inimicis ſuis ipſe ſponte pacem offerat, atque, ut ſibi reconcilientur, & hortetur, & curet.

Sequuntur duo Pauli loci, in quibus de reconciliatione quidem per Chriſtum facta verba fiunt; ſed in neutro eorum, ut arbitror, de hac, qua nos olim Dei inimici nunc illi reconciliati ſumus. Et in priore quidem nulla hac de re dubitatio eſſe videtur. Is autem eſt ad Eph. 2. 16. Atque, ut id clarius appareat, integrum ferme locum apponam, à verſiculo 13, initium ſumens. *Nunc autem* (inquit Apoſtolus) *per Chriſtum Jeſum vos, qui quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra; qui fecit utraque unum; & medium parietem materiæ diruit, legem mandatorum in decretis abrogans, ut duos conderet in ſemetipſo in unum novum hominem; faciens pacem, ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo per crucem, peremta inimicitia per eam.* In his ſane verbis non agitur de diſſidio, quod eſſet inter Deum, & homines: ſed de eo, quod inter gentes & Judæos erat. Siquidem gentes nec fœdera, nec promiſſiones, nec verum cultum Dei habebant. Judæis autem omnia hæc contigerant; qui mandatis & decretis illis legalibus, iis præſertim, quæ cerimonialia appellamus, à cunctis populis manifeſte dividebantur: adeo ut lis quædam & inimicitia inter hos, & illos eſſe videretur. Venit autem Jeſus Chriſtus, & decretis illis abolitis, utriſque eandem Dei gratiam ſalutarem, utriſque eandem charitatis legem vel annunciavit, vel annunciari juſſit, & pro utriſque ſanguinem ſuum fudit. Quo factum eſt, ut hæc inimicitia & lis penitus extincta ac dirempta ſit, & utrique, jam invicem reconciliati, novam vitæ, ac cultus Dei rationem inſtituerint, & vero Deo ſeſe conſecraverint. Nam ita interpretor ego illa verba, *ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo*; ut ſcilicet ſignificent, non quidem reconciliatos Deo ipſos fuiſſe, ſed inter ſe; Deo tamen, id eſt, ad ſerviendum Deo, eique ſeſe totos dedicandum. Et ea verba, *peremta inimicitia*, quæ ad reconciliandi verbum relationem evidenter habent, hanc interpretationem veram eſſe, ſatis aperte confirmant. Non enim, ut dixi, de aliqua inter Deum, & homines inimicitia eo loco agebatur: ſed tantum de diviſione, atque diſſidio inter populum Iſraelis, & cæteras mundi nationes. Id quod a ℣ſ. 11, legere incipienti liquido apparebit.

Alter locus eſt in Epiſtola ad Col. cap. 1. 20. Verum loci recitationem à verſu 18, exordiamur. Ait igitur, *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ; qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum* (ſive, *in ſeipſum*) *pacificans per ſanguinem crucis ejus, per eum, ſive quæ in terra ſunt, ſive quæ in cœlis.* Jam vero reconciliandi verbum hoc loco non eam reconciliationem ſignificare, qua nos Dei amici facti ſumus, ex eo patet, quod in ſequentibus verbis, de quibus mox agemus, ejus reconciliationis, tanquam alterius rei, fit aperta mentio. Reconciliatio igitur, de qua hic agitur, nihil aliud eſt, quam omnium rerum non quidem cum Deo, ſed ſecum ipſis per Chriſtum parta concordia. Verba autem illa, *in ipſum*, ſive, *in ſeipſum* (utroque enim modo in Græcis exemplaribus legitur) & hanc interpretationem confirmant, & explicationem à me ſuperiore loco ad vocem *Deo* allatam veram eſſe demonſtrant. Quod enim aliqui *, εἰς αὐτὸν, *ſibi*, hoc loco ſunt interpretati: id neque ſententia, neque ſermonis ratio ferre poteſt. Nam, quod ad ſententiam attinet, ſequentia Apoſtoli verba, ut diximus, & quæ ſtatim ſubjiciemus, id planum faciunt. Niſi ſi quis pronomen *ſibi* eo ſenſu interpretetur, quo nos vocem *Deo* in præcedente ad Eph. loco interpretati ſumus. Quanquam, ut alio ſenſu omnino intelligatur, à quarto caſu cum præpoſitione, ut in Græco eſt, hoc modo in tertium detortum fuit. Quod autem pertinet ad ſermonis rationem, nemo eſt, qui neſciat, verbum προσλαμβάνω perſonam, quicum fit reconciliatio, aut in tertio caſu, aut in quarto cum præpoſitione πρὸς requirere. Neque vero à ſermonis proprietate, niſi manifeſta ratio ſubſit, temere eſt recedendum. Quid quod & vetus interpres, & antiquiores theologi non αὐτὸν denſo ſpiritu, ſed αὐτὸν, ſpiritu tenui legerunt, & adhuc ita legitur in nonnullis Græcis codicibus? Quanquam, ut conjicere poſſumus, & Græca ſcripta olim hiſce notis carebant; &, poſtquam eæ appoſitæ fuerunt, relativum αὐτῷ per aliquod tempus, non magis cum ſimplex eſt, quam, cum eſt reciprocum, tenui ſpiritu ſcribi fere ſolebat. In ſeipſum igitur, ſive in ipſum legendum eſt, atque id & rationi, & verbis eſt plane conſentaneum. Eſt enim locus hic idem, qui ille in Epiſt. ad Eph. (quæ ejuſdem ferme cum hac ad Col. ut omnes animadvertere, argumenti eſt) *Notum faciens nobis myſterium voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum ſuum, quod propoſuerat in ſeipſo, ad diſpenſationem plenitudinis temporum, ſummatim comprehendere* (ſive inſtaurare) *omnia in Chriſto, & quæ in cœlis, & quæ in terra, in ipſo*, cap. 1. 9, & 10. Senſus autem utrobique eſt, Deum omnia & cœleſtia, & terreſtria ad concordiam inter ſe per Chriſtum redegiſſe, & quæcumque ad divinum cultum, humanamque ſalutem pertinent, in uno Chriſto ſummatim inſtauraſſe, & comprehendiſſe: in ſeipſum, inquam, vel in ipſum, id eſt, ad ſe, vel ad Chriſtum omnia convertendo, ac dirigendo. Nam quod ſubjicit, *Pacificans per ſanguinem crucis ejus, per eum, &c.* Id nihil aliud eſt, quam ἐξήγησις, ſeu expoſitio quædam verborum præcedentium. Neque aliud continent ea verba præter id, quod ad Eph. ſcriptum eſt. Sed expreſſius, & clarius hic ſeipſum explicat Apoſtolos, aperte dicens per Chriſtum omnia, quæ in cœlis ſunt, & in terra, adeo ſumma-

* Caſtellio, Beza.

tim

tim ſimul comprehenſa, & inſtaurata fuiſſe, ut ad ſummam concordiam inter ſe redacta fuerint. Primum enim, quæ in terra ſunt, homines videlicet univerſi, tam gentes, quam Judæi, ut ſupra viſum eſt, unus Dei populus ſunt facti, & ambo ſumma concordia eundem Deum eadem prorſus ratione colunt & venerantur, eandemque ab ipſo ſalutem, vitamque æternam expectant. Quæ autem in cœlis ſunt, non quidem inter ſe (quæ enim diſcordia in cœlo eſſe poteſt, ubi ſola Dei voluntas ſit, ejuſque nutui omnia ſua ſponte ſimul obediunt) ſed cum iis, quæ ſunt in terra, pacificata fuere; quatenus ſcilicet Angeli Dei, qui ante divini decreti per Chriſtum factam promulgationem de peccatis humano generi condonandis, eoque ad cœleſte regnum evehendo, hominibus, utpote Dei & Domini ipſorum inimicis, infenſi erant: cum eis, Dei voluntate deinde perſpecta, in gratiam quodammodo rediere, & illis ad tantam ſalutem capeſſendam ex Dei ordinatione inſerviunt, & ſunt adjumento; ut legitur Hebr. 1, ad finem. Atque ad hunc ferme modum doctiſſime, & elegantiſſime explicat locum hunc Chryſoſtomus, aliis non paucis & veteribus, & recentioribus interpretibus aſtipulantibus. Nam quod aliqui docti viri, hæc verba de reconciliatione cum Deo facta agere credentes, Angelis non minus, quam hominibus, pacificatore Chriſto erga Deum opus fuiſſe contendunt: id (liceat mihi libere loqui, quod ſentio) inani ſomnio cuidam ſimile potius videtur, quam ſolidæ veritati. Neque mirari ſatis poſſum, eos, ſi hanc Chryſoſtomi, & aliorum interpretationem cognitam habuere, ſtatim ei non adhæſiſſe, à ſuaque ſententia protinus non receſſiſſe; atque eo magis, quod eorum interpretatio præter innumera alia abſurda, ⲱⲗⲁⲇⲓⲁ, quæ continet, verbis etiam vim manifeſte adfert. Neceſſe ſiquidem eſt pacificare partim in gratiam ſibi ipſi reſtituere, partim vero, in gratia apud ſe ipſum confirmare, ſeu plene perfecteque ponere, interpretari. Quæ interpretatio quam coacta ſit, nemo non videt; præſertim cum aperte conſtet, de pace à Deo extra ſe in rebus creatis & cœleſtibus & terreſtribus facta, verba fieri. Quod ſi ipſi, & loca inter ſe conferendo, & verborum vim perpendendo, animadvertiſſent: nunquam, ut eo quo eorum interpretatio ipſos neceſſario compellebat, devenirent, in eam abſurditatem incidiſſent, ut Angelos, quorum ſimiles nos Deus tandem efficere decrevit, Luc. 20. 36, quoſque Chriſtus non aſſumpſit, Hebr. 2. 16, cum Deo per ipſum Chriſtum aliqua ratione pacificatos fuiſſe dicerent, & errorem errori addentes, non ſolum eidem pacificandi verbo duplicem eodem tempore ſignificationem tribuerent, ſed etiam, quod ad Angelos attinet, pacificare nihil aliud eſſe, quam in gratia apud ſeipſum confirmare ſeu plene perfecteque ponere, prodigioſa quadam interpretatione, aſſererent. Cæterum in eo, quod addit Paulus, *per ſanguinem crucis ejus*, alludit, ut ſupra, alibi factum eſſe, jam oſtendi, ad ſanguinis alicujus animantis, quæ feriebatur, & occidebatur, fuſionem; quæ in fœderibus ſanciendis, animiſque prius diſſidentibus conglutinandis apud veteres fieri ſolebat; unde ferire fœdus, tum apud Hebræos, tum apud gentes dictum eſt. Itaque quoniam non vere, & proprie per ipſum ſanguinem Chriſti pacificatio iſta contigit, ſed per ipſum Chriſtum ſanguinem ſuum ejus rei occaſione fundentem: idcirco ſtatim, quaſi alluſionem ſuam explicans, & ſeipſum interpretans, ſubjungit, *per eum.* Chriſtus igitur is fuit, per quem pacem hanc inter cœleſtia, & terreſtria Deus conciliavit: ſanguine tamen ejus, id eſt morte, interveniente. Ut, dum hac via & Chriſtum ipſum in gloriam illi à ſe deſtinatam ducit, & nobis æternæ vitæ firmiſſimam ſpem facit, ſuam infinitam erga univerſum humanum genus charitatem teſtaretur; unde omnia & cœleſtia & terreſtria, ad illi, Chriſtoque ejus ſupra cœlos ad dexteram ejus evecto ex animo ſerviendum, perpetua pace conjungerentur & conglutinarentur. De reconciliatione autem, ſeu pacificatione, ut dixi, qua Dei amici facti ſumus, in his verbis locutum non fuiſſe Paulum, apertum facit ultimus, qui adhuc ſupereſt, examinandus locus, in quo de reconciliatione per Chriſtum facta agatur.

Illico enim ſubjicit Apoſtolus, *Et vos, cum eſſetis, aliquando alienati, & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliavit in corpore carnis ejus* (Ejus, inquam, non ſuæ, de Deo Patre enim manifeſtus eſt ſermo) *per mortem; ut exhiberet vos ſanctos, & irreprehenſibiles, & inculpatos in conſpectu ſuo.* In quibus verbis cum expreſſe de ea reconciliatione, qua homines Dei amici ſunt facti, agatur, ſatis conſtat, ſupra de alia quadam actum eſſe. Sed quanam ratione hæc cum Deo reconciliatio facta fuiſſe dicitur? Primum Deus fuiſſe affirmatur, qui eam fecit: Deinde non alicui juſtitiæ ſuæ ſatisfaciendo, ſed nos, qui alienati ab ipſo eramus, inimicumque animum, mala multa perpetrantes, adverſus eum gerebamus, ab iniquitatibus noſtris retrahendo, & ita coram ſe pro ineffabili ſua benignitate ſanctos atque inculpatos reddendo. Hæc autem omnia effeciſſe Deus dicitur per corpus Chriſti: non quidem per corpus illius myſticum, quod eſt Eccleſia, ſed per ipſius verum & carneum corpus, hoc eſt, per ipſum Chriſtum. Chriſtus enim a ſceleribus noſtris, mortuiſque operibus ad Deum viventem nos convertit, atque, ut ſupra viſum eſt, eo pacto in Dei ſtabilem perpetuamque amicitiam, ex voluntate ejus, nos reſtituit.

En tibi tandem, qua ratione Deo per Chriſtum reconciliati ſumus; ut ex omnibus locis, ubi de ea reconciliatione mentio fit, intelligere potuiſti. Quos & afferre, ac deſcribere ſingulos, & explanare placuit, ut quantum à vero ſcopo aberres, tu ipſe perſpicere poſſis: præſertim ſi ex ea reconciliatione aliquod argumentum, ut tua verba ſatis indicant, quod opinioni tuæ ſuffragetur, deduci poſſe credis. Alioquin unico verbo tibi hoc telum è manibus extorquere, & in teipſum retorquere potuiſſem: ſi tantummodo dixiſſem, ubique ſcriptum eſſe, non quidem Deum nobis per Chriſtum reconciliatum fuiſſe, ſed contra nos illi. Quod ſane indicat, non quidem Deum, ſed nos inimico animo fuiſſe: non illum placari, ſed nos inimicitias deponere debuiſſe. Ita enim communis conſuetudo loquendi fert; ut ſcilicet is reconciliatus fuiſſe dicatur, per quem ſtabat, ne amicitia aut denuo exiſteret, aut conſervaretur: Ei vero aliquem reconciliatum fuiſſe dicamus, qui animo placabili adverſus illum, ejus amicitiam expeteret, etiamſi aliquas pacis juſtiſſimas conditiones requireret: quibus ab illo tandem acceptis, amicitia redintegrata & confirmata fuerit. Quocirca is, qui cauſa fuit, ut ille eas conditiones acceperit, poteſt quidem jure, ac merito pacis conciliator appellari; (neque enim eſt pax, dum ab utraque parte inimicus animus non deponitur) ſed non tamen ullo modo reconciliator dici debet illius, qui jam amicitiam expetebat, & ultro per ipſum eas pacis conditiones obtulit, quæ ab altero acceptæ ſtabilem veramque concordiam inter utrumque conciliarunt. Atque hac etiam ratione non negaverim, Chriſtum mediatorem dici poſſe: non tamen ſecundum divinarum literarum loquendi morem, quæ nunquam in hac ſignificatione, ſed in ea tantum, quam ſupra expoſuimus, mediatoris ſive ⲙⲉⲥⲓⲧⲏⲥ nomen uſurpant: verum vulgari atque imperito loquendi uſu; quo factum eſt, ut is, qui pacem inter duos quoquo modo conciliet, mediator appelletur. Sed quid dicendum eſt, quando manifeſte demonſtravi, non modo Chriſtum Deo nos, non autem Deum nobis reconciliaſſe, verum etiam, Deum ipſum fuiſſe, qui hanc reconciliationem fecit, ita ut nuſquam ſimpliciter Chriſtum nos Deo, ſed ubique Deum nos ſibi per Chriſtum reconciliaſſe, vel aperte, vel tacite legatur? Atque præterea oſtendi ex ipſis clariſſimis verbis, in quibus ejus reconciliationis fit mentio, non alia ratione factam eam fuiſſe, quam quia nos operâ ipſius Dei per Chriſtum, quo ipſe ad opus hoc illuſtriſſimum patrandum & abſolvendum uſus eſt, è peccatis noſtris emer-

gentes ad ipſum, ſpe beatæ immortalitatis ſuffulti, totis viribus colendum, eique perpetuo ſerviendum converſi ſumus? Certe, niſi quis talpa cæcior ſit, videre poterit, tantum abeſſe, ut, quia Deo per Chriſtum reconciliati ſumus, neceſſe ſit, divinæ alicui juſtitiæ pro peccatis noſtris à Chriſto plene ſatisfactum fuiſſe: ut propter id maxime, nullam prorſus ejuſmodi ſatisfactionem in ſalute nobis per Chriſtum comparanda interveniſſe, plane ſit neceſſarium.

Iis autem, quæ dicta ſunt, illud addendum adhuc videtur, & ipſam Mediatoris appellationem in Sacris Literis Chriſto attributam, & reconciliationem, quam is feciſſe memoretur, etiamſi in eum ſenſum hæc verba accipi vel poſſent, vel deberent, qui vobis magis arridet, aperte oſtendere, veram & plenam ſatisfactionem pro nobis Deum ab ipſo non accepiſſe. Neque enim aut mediator, aut reconciliator is ullo modo dici poteſt, qui id omne præſtat, quod alius quiſpiam debet (vindex ejuſmodi homo, ſeu liberator dicitur) ſed qui eum, cui debetur, eo adducit, ut aliqua ſaltem ex parte de ſuo jure decedere velit.

Hactenus ſententiam meam de Jeſu Chriſto ſervatore noſtro veriſſimam eſſe, demonſtraſſe, eaque confutaſſe, quæ tu adverſus eam protuleras, jure me affirmare poſſe, crediderim: & propterea, ſtatuendum omnino eſſe, Jeſum Chriſtum ideò ſervatorem noſtrum eſſe, quia ſalutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, & in ſua ipſius perſona cum vitæ exemplo, tum ex mortuis reſurgendo manifeſte oſtenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipſe daturus ſit. Qua in re illud ſilentio prætereundem non eſt, me multo plus præſtitiſſe, quam vel verba mea polliceri videbantur, vel ego præſtare ulla ratione cogebar. Non enim ſeparatim propter unamquamque illarum cauſarum, ob quas, Jeſum Chriſtum ſervatorem noſtrum eſſe, ſcripſeram, eum re ipſa ſervatorem noſtrum eſſe, demonſtrare opus fuerat, quod tamen feci: ſed tantummodo propter omnes ſimul conjunctas. Quod ſi meo jure uti voluiſſem, unico ictu fortaſſis omnes tuæ machinæ, & copiæ, quas mihi admoveras, & quibus me aggreſſus fueras, & concidiſſent, & diſſipatæ eſſent, cum tu ſingulas fere cauſas à me allatas conſideraveris, nec quale pondus omnes ſimul junctæ habeant, unquam perpenderis. Itaque, cum ſeparatim propter unamquamque earum cauſarum Jeſum Chriſtum ſervatorem noſtrum & eſſe, & agnoſci debere, planum fecerim, Deus bone, qualis quantuſque ſervator omnium noſtrum idem dicendus fuerit, in quem tot ſimul cauſas, cur ſervator noſter nominari debeat, concurrere videmus?

DISPUTATIONIS DE JESU CHRISTO SERVATORE.

PARS SECUNDA.

In qua reſpondetur ad ipſa Sacrarum Literarum teſtimonia, quæ Covetus pro ſua ſententia confirmanda vel protulit, vel proferre poterat.

CAPUT. I.

Revocatis ad certa quædam capita Adverſarii teſtimonus, oſtenditur, redemptionem noſtram per Chriſtum factam, eſſe metaphoricam, id eſt in ea peragenda nullum verum pretium interveniſſe, ſive nihil cuiquam pro nobis ſolutum fuiſſe.

SEquitur, ut de veritate ſententiæ tuæ ea in parte, in qua à me rejecta fuit, quod totius controverſiæ noſtræ caput eſt, diligentius diſpiciamus, atque ea de cauſa divinarum literarum teſtimonia, quæ ad eam confirmandam protuliſti, cujus ponderis ſint, exacte expendamus. Ea autem his tuis verbis continentur:

Redimere aliquem eſt debitum ſolvere creditori ejus nomine qui ſolvendo non erat, ſicque ſatisfacere creditori. Redemit nos Chriſtus à judicio Dei, vel ab ea Dei juſtitia per quam peccatores damnari merebamur Unde ſequitur, Chriſtum, cum nos redimeret, Deo pro nobis ſatisfeciſſe. Et de hac re Paulum ad Gal. 3, diſſerentem audiamus, Lex, inquit, non eſt ex fide; ſed qui fecerit ea homo, vivet in ipſis, Chriſtus vero nos redemit ab execratione legis; ſed quomodo? Dum pro nobis factus eſt execratio. Sic ad Tit. 3. Expectantes, inquit Paulus, beatam illam ſpem & illuſtrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti. Et quomodo, quæſo, ſervatoris noſtri? Addit verſu ſequenti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem ſtudioſum bonorum operum. Quid autem Petrus prioris primo. Quum ſciatis, inquit, vos non caducis rebus argento & auro fuiſſe redemptos ex vana veſtra converſatione ex patrum traditionibus accepta, ſed pretioſo ſanguine, utpote agni immaculati & incontaminati, nempe Chriſti. Sic loquitur Chriſtus de ſeipſo Matth. 20, filius hominis non venit ut ſibi miniſtraretur, ſed ut miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionis precium pro multis. Et in cœnæ inſtitutione Matth. 26, cum corporis ſui ſacrum ſignum daret, ſcilicet panem, dixit, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur aut frangitur. Sic etiam dicebat Paulus ad Rom. 3 Redemptionem factam eſſe per Jeſum Chriſtum, quem propoſuit Deus, ut eſſet placamen per fidem; ſed quomodo quæſo, utrum abſque ſatisfactione? Non ſane. Addit enim, id factum à Chriſto fuſo ſanguine ſuo. Et quod, jam nulla eſt condemnatio adverſus eos, qui ſunt in Chriſto Jeſu ut ſcriptum eſt ad Rom. 8, an abſque ſatisfactione factum eſt. non ſane. Addit enim eodem in loco Paulus, Deum miſſo ſuo ipſius filio conformato carni peccati, idque pro peccato, condemnaſſe peccatum in carne. Sic ad Col. 1, dicimur habere redemptionem in Chriſto, ſed non ſine ſatisfactione. Additur enim, id nos habere per ſanguinem ipſius. Beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaſſe dicitur Chriſtus ad Hebr. 2, & ibidem etiam legitur peccata populi expiaſſe. Et quid de hiſce apud Eſaiam cap. 53, reperitur? Vere, inquit Eſaias de Chriſto loquens, languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros portavit; nos autem reputavimus eum plagis affectum, percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras, attritus eſt propter iniquitates noſtras, caſtigatio pacis noſtræ

ſuper

ſuper eum, & livor ejus ſanitas nobis. Et ne quis Judæorum more hæc ad alium quam ad ipſum Chriſtum referat, meminerimus oportet eas eſſe ſcripturas ſecundum quas dicebat Paulus 1 *Cor.*15, *Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris; quod & Philippus manifeſte declarat Act.*8, *cum hæc & alia, quæ hoc Eſaiæ* 53. *cap. continentur, de Chriſto intelligenda eſſe docet. Sic Cajaphas dicitur à Johanne cap.*11, *prophetaſſe, cum de Chriſto loquens, dixiſſet expedire, ut unus homo pro populo moreretur, totaque gens non periret. Nam id, inquit Euangeliſta, non à ſemetipſo dixit, ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetavit fore ut Jeſus moreretur pro ea gente, & non tantum pro ea gente, ſed ut etiam filios Dei diſperſos cogeret in unum. Eadem ratione dicit Petrus prioris* 2, *Chriſtum paſſum eſſe pro nobis & peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum pertuliſſe. Quid etiam obſecro ſacrificia nobis ſub lege figurarunt? Tot agni pro peccatis immolati. Annon paſſim in Epiſtola ad Hebræos, Chriſti agni immaculati mortem, qua Deo ſatisfieret, adumbraſſe dicuntur? Nonne id vere agnovit baptiſta, cum de Chriſto clamaret, hic eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi. Denique pleni ſunt hac doctrina Prophetarum & Apoſtolorum libri, divinæ Juſtitiæ, per quam peccatores damnari merebamur, à Chriſto ſatisfactum eſſe, ut ſalvaremur. Itaque cum* 1 *Cor.*1, *dicatur Chriſtus nobis à Deo factus eſſe redemptio, & ex ſuperioribus ſcripturæ locis ſatis intelligatur, ſic à Deo Chriſtum factum eſſe nobis redemptionem, ut interea ad nos redimendos animam ſuam pro nobis, ut bonus paſtor pro ſuis ovibus poneret, Joh* 10, *ſanguinem ſuum ad placandum Deum funderet, & pro nobis miſeris peccatoribus moreretur: qui non videt, Chriſtum ideo vere noſtrum ſervatorem eſſe, dici, & agnoſci, quod divinæ juſtitiæ, per quam peccatores damnari merebamur, morte ſua pro nobis plene ſatisfecerit, is certe, etſi oculos habere glorietur, videtur mihi meridiano ſole cæcutire. Cæterum non eſt quod te perturbet nomen iſtud ſatisfactionis, quo non utitur ſcriptura, cum de redemptionis noſtræ myſterio loquitur. De verbis enim ſeu vocibus inter nos non agitur, ſed de reipſa; quod etiam ex tuo ſcripto ſatis intelligitur. Neque enim ſcripſiſti, in Sacris Literis non diſerte ſcriptum eſſe, Chriſtum pro nobis divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe, ſic enim vere de vocibus inſtituta fuiſſet diſputatio. Sed ſcripſiſti, Chriſtum divinæ juſtitiæ pro nobis non ſatisfeciſſe, nec etiam opus fuiſſe ut divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfieret. Quæ duo à vero, ut jam planum eſt, ſunt alieniſſima.*

Reſponſio.

Ut non ſolum ad ea omnia, quæ attuliſti, divinarum literarum teſtimonia, ſed ad ea quoque eodem tempore reſpondeam, quæ à te prætermiſſa ſunt, & cum iis, quæ attuliſti, cognationem habent; viſum eſt univerſa ad capita quædam, numero quatuor, revocare: & ita primum multis ſimul, quibus eadem reſponſio convenit, reſpondere, deinde vero ſingula, quatenus propter aliquas proprias circumſtantias opus fuerit, examinare.

Itaque, aut loci, quos citaſti, & qui eis ſimiles ſunt, Chriſtum nos redemiſſe ſimpliciter teſtantur; vel etiam addunt, Chriſtum ſeipſum pretium redemptionis pro nobis dediſſe, ſive id factum fuiſſe in ſanguine ſuo. Aut dicunt ſimpliciter, Chriſtum tuliſſe, ſeu portaſſe, languores, & dolores noſtros, ſive peccata noſtra; vel addunt etiam, ipſum id feciſſe in corpore ſuo. Aut, pro nobis, & pro peccatis noſtris, ſeu propter peccata noſtra illum traditum, percuſſum ſeu contuſum, vulneratum, paſſum, mortuum fuiſſe dicunt. Aut denique ſacrificia antiqui fœderis cum Chriſti morte, & ipſum Chriſtum cum illis victimis, vel etiam cum ſummo ſacerdote conferunt. Et ſub hoc ultimo capite eos omnes locos contineri volo, ubi vel Chriſtum expiare, ſive expiaſſe peccata noſtra, vel ea, tanquam agnum, auferre, ſive abſtuliſſe, vel ejus ſanguinem nos à peccatis noſtris lavare, ſeu purificare, aut nos ſanctificare, ſive etiam in remiſſionem peccatorum noſtrorum eum fuſum fuiſſe, dicitur. Quod ſi ex iis, teſtimoniis, quæ, attuliſti, aliqua ſupererunt, quæ ſub his capitibus proprie non contineantur: ea à me ſeparatim excutientur. Et quemadmodum, ut animadvertere potuiſti, ſub ipſis capitibus, quæ propoſui, aliquorum locorum memini, quorum tu mentionem nullam feceras: ſic, ſi qua ſingularia teſtimonia, quæ ad unum ex eis ægre referri poſſint, mihi ſuccurrent, quæ tu prætermiſeris, & vel ab aliis afferri ſoleant, vel ego ipſe præterea animadverterim, quæ tuæ opinioni ſuffragari videantur: ea in medium proferam, &, Deo bene favente, non minus, quam cætera, & diluam, & ſimul aperiam atque illuſtrabo.

Igitur, ut quo ordine à me teſtimonia ipſa expoſita ac digeſta ſunt, eodem ad ipſa reſpondeam: Occurrit primum verbum redimendi diligenter excutere, & ſignificationem, quam tu illi tribuiſti, recte perpendere; num ex eo, quod Chriſtus nos redemiſſe dicitur, ſtatui debeat, eum Deo, ſive juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris plene ſatisfeciſſe, ſive id omne perſolviſſe, quod nos, propter peccata noſtra, ſolvere debuiſſemus, ſi Deus ſummo jure nobiſcum agere voluiſſet.

Et primo loco, quod attinet ad interpretationem tuam, ea, ſi propriam verbi ſignificationem ſpectemus, admitti non poteſt. Quandoquidem aliquem redimere, non proprie ſignificat debitum ſolvere creditori ejus nomine, qui ſolvendo non erat. Iſtud enim non eum redimere eſt, ſed ejus æs alienum diſſolvere. Ut vix credam, apud probatum aliquem auctorem, verbum redimendi iſta tua ſignificatione uſurpari; quamvis videatur metaphorice fortaſſis id poſſe fieri, & hujus verbi, ut mox videbimus, metaphoricus uſus frequentiſſimus ſit. Sed redimere aliquem nihil aliud proprie ſignificat, quam eum captivum è manibus illius, qui eum detinet, pretio illi dato, liberare. Atque hoc dico, ut propriam ſimul ſignificationem verborum Hebraicorum Padáh, & Gáal, & Græcorum λυτρῶν, ſeu λυτρώσασθαι, ſive ἀπολυτρῶν, de quibus verbis præcipue nobis vere agendum eſſet, complectar. Nam, ſi ad maxime propriam verbi ipſius redimendi ſignificationem reſpicere vellem, & ejus etymologiam ſequi: certe is tantummodo aliquem redimere dicendus videtur, qui prius eum emerat, vel ſaltem aliquando poſſederat, & ejus poſſeſſione amiſſa, iterum ab eo, qui ipſum poſſidet, pretio ſoluto, emat, & ſuum efficiat. Quam vim etiam habere videtur verbum ἐξαγοράζω, quo uſus eſt Paulus in loco illo, ad Gal.3.13, quem tu citaſti. Quanquam proprie emere etiam ſimpliciter, non tantum iterum emere, id ſignificare credo. Itaque tua verbi redimendi interpretatio, præſertim ut propria, nulla ratione ſuſtineri poteſt; & proinde argumentum, quod inde duxeras, nullius ponderis eſſe apparet. Quapropter jam videre potes, te ipſo in limine non leviter impegiſſe. Et ſane mirum eſt, cum bonis literis, ut audio, & ex ſermone, quem ſimul habuimus, conjicere, atque ex tuo ſcripto potui, ſis admodum excultus, te id non vidiſſe, quod ego earum adhuc rudis animadverti.

Sed dices, te de verbis non contendere, & ſatis eſſe, ſi, ipſa mea interpretatione retenta, quam fortaſſis optimam eſſe concedes, idem re ipſa poſſis ex verbo redimendi argumentum ducere. Nam, ſi redimere aliquem, eſt, pretium pro eo captivo ſolvendo, eum liberare; neceſſe eſt profecto, Chriſtum, qui nos redemit, verum pretium pro nobis ſolviſſe.

Itane? Sed primum longe aliud eſt, alterius æs alienum diſſolvere, & pretium redemptionis pro eo dare. Cujus enim æs alienum diſſolvitur, is vere ejus pecuniæ debitor erat. Qui vero pretio redimitur, fieri poteſt, ut id pretium non deberet; utpote qui injuſte captivus detineretur. Præterea id, quod ex hac propria verbi redimendi ſignificatione ad tuam ſententiam confirmandam colligi poteſt, admitti deberet, ſi verbum iſtud, præſertim in ſacra ſcriptura, ſemper propria

pria in ſignificatione acciperetur. Propriam autem ejus verbi ſignificationem intelligo, cum verum pretium intervenit. Verum autem pretium voco non pecuniam tantum, ſed quidquid, ut ei ſatisfiat, qui captivum detinet, datur; licet alioqui multa metaphorica in ejuſmodi redemptione, ſi ad veritatem propriæ redemptionis exigatur, reperiantur; quemadmodum in ea redemptione reperiri agnoſco, quam vos in ſalute nobis per Chriſtum parta interveniſſe contenditis.

Atque hic nequeo tui, & cæterorum, qui tecum ſentiunt, non vehementer miſereri; qui, præjudicata quadam opinione quodammodo excæcati, iſtic id non videritis, quod nemo alibi non videt. Quis enim eſt ita hebes, quis vel in Sacris Literis, vel in aliis bonorum auctorum ſcriptis ita parum verſatus, quis denique ita communis loquendi uſus ignarus, qui neſciat, redimendi verbum, non dicam aliquando, non etiam ſæpe, ſed plerumque, & fere ſemper, potiſſimum vero apud Sacros Scriptores, metaphoricam prorſus ſignificationem obtinere, adeo ut nihil aliud ſit redimere, quam liberare, aut ſibi aſſerere, quamvis veri pretii vera ſolutio aliqua non interveniat? Profanos ſcriptores brevitati conſulens miſſos facio, quos ejuſmodi metaphora, quæ jam pridem proprii locum obtinuit, refertiſſimos eſſe, tute meminiſſe potes; & ad ſanctarum literarum teſtimonia me confero. Neque vero hic cuncta proferre eſt opus: hoc enim infinitum eſſet: ſed aliqua tantummodo; quæ te videlicet ad cætera perquirenda movere poſſint: & quibus erroris, & non levis (da veniam verbo) oſcitantiæ tuæ commonefias.

Lege igitur primum Exod. 15. 13, & ibi ſcriptum invenies, *Ductes per miſericordiam tuam populum hunc, quem redemiſti.* Vides, Deum dici redemiſſe populum Iſraeliticum, quem ex Ægyptiorum & Pharaonis ſervitute liberaverat, & ſibi quodammodo aſſeruerat, quamvis nullum pretium cuiquam pro eo liberando ſolviſſet. Idem legitur Deut. 7. 8, ubi expreſſius etiam dicitur, Deum redemiſſe Iſraelem è domo ſervorum, è manibus Pharaonis Regis Ægypti. Eundem loquendi modum eadem de re habes eodem lib. cap. 9. 26, & cap. 13. 5, & cap. 21. 8, & bis 2 Sam. 7. 23, & Neh. 1. 10, & Pſalm. 77. 16. Hinc, ut ſupra etiam vidimus, Moſes à Stephano λυτρωτὴς, ſive redemptor eſt appellatus, Act. 7. 35, nempe, per quem Deus eam liberationem peregiſſet; quamvis nec etiam ab ipſo Moſe ullum pretium cuiquam pro ea peragenda perſolutum fuiſſet. Apud Eſaiam legitur Deum redemiſſe Abrahamum, quia de manibus Chaldæorum eum liberaſſet, & ſibi aſſeruiſſet cap. 29. 22. David autem, cum, ſe mox liberatum iri à Deo de manu inimicorum ſuorum, ſperaret, ait Pſal. 31. 6, *In manum tuam committo ſpiritum meum, redemiſti me Jehova Deus verax.* Quæ verba cum manifeſtum ſit, de Chriſto quoque ab impiis cruci affixo, typice dicta fuiſſe; eum quoque à Deo, dum ipſum à mortuis excitavit, redemptum fuiſſe conſtat. Sed quodnam pretium pro Chriſto à morte liberando alicui ſolvit Deus? Supervacaneum eſt ex Veteris Fœderis Sacris Scriptoribus plura teſtimonia congerere; cum ubique paſſim, præſertim vero apud Eſaiam, & Davidem, ſimiles loquendi modi occurrant: & ſæpiſſime legatur, Deum redimere de morte, redimere de inimicis, redimere animam ſeu vitam, redimere denique aliquem ſimpliciter, pro liberare, aut ſibi etiam aſſerere, nullo vero pretio interveniente. Quæ autem de liberatione, & aſſertione populi Iſraelitici per Moſem facta protulimus, ea potiſſimum ad propoſitam quæſtionem faciunt; & totam rem perſpicue declarant. Moſem enim, & liberationem per eum à Deo peractam, Chriſti, & ſalutis per ipſum divinitus partæ typum fuiſſe, nemo eſt, qui ignoret. Quemadmodum enim uterque mediator fuit, hic Novi & æterni Fœderis, ille Veteris & temporarii: ſic etiam uterque redemptor, ille de ſervitute Ægyptiaca, & de manu Pharaonis, hic de peccati ſervitute, & de manu mortis; uterque bonorum largitor, ille, & in ejus locum ſuffectus Joſue, terrenæ poſſeſſionis, vitæque caducæ in hoc mundo quietæ, omniumque rerum affluentis, hic cœleſtis hæreditatis, vitæque in futuro ſæculo immortalis ac beatiſſimæ. Quocirca, quemadmodum Moſes, Deo ita jubente, Vide Exod. 6. 6, Iſraelis populum potentia, & auctoritate ſibi ab eo tradita, non autem alicujus pretii ſolutione, ex ſervitute illa redemit, & ipſi Deo aſſervit, & ad terram illis à Deo promiſſam tandem perduxit: Sic Chriſtus ſuprema potentia, & auctoritate ſibi à Deo conceſſa nos ex peccati, & mortis ſervitute, Deo ita jubente, nullo vero pretio cuiquam ſoluto, redemit, & ipſi Deo aſſeruit; ac poſtmodum in cœli poſſeſſionem nobis promiſſam ipſe introducet. Quodſi neque veteris ſcripturæ loquendi modus, neque Moſis & Chriſti collatio, quam omnium interpretum libri, & ipſorum divinorum auctorum ſcripta ubique teſtantur, & aliquando latiſſime exponunt, & perſequuntur, te hujus lucidiſſimæ veritatis admonere poterat: debueras ſaltem quoſdam Novi Fœderis locos, in quibus de redemptione noſtra agitur, paullo diligentius examinare. Et vidiſſes primum, Deum fuiſſe, qui nos redemit, ſive nobis redemptionem fecit. Luc. 1. 68. Qui locus exacte reſpondet illi Pſalmi 111. 9. *Redemptionem miſit populo ſuo*, ubi de liberatione Ægyptiaca agitur. Atque ſi nihilominus ex ſenſu tuo, Deum feciſſe nobis redemptionem, curaſſe eum, ut Chriſtus nos ab ipſo, ſive ab ipſius juſtitia redimeret, ipſique pro nobis pretium ſolveret, ac ſatisfaceret, interpretatus eſſes: iſtam interpretationem abunde refelli deinde vidiſſes ab eo, quod redemptos nos fuiſſe vel ab iniquitatibus noſtris, vel ex noſtra vana converſatione, vel ab execratione legis, ut ipſa tua teſtimonia habent, Tit. 2. 14. 1 Pet. 1. 18. Gal. 3. 13. non autem uſquam à judicio Dei, vel ab ea divina juſtitia, per quam peccatores damnari merebamur, quemadmodum tu ſatis audacter affirmas, ſcriptum legitur. Execratio enim legis, de qua in eo loco ad Gal. non juſtitiam Dei in Lege expreſſam, cui ſatisfaciendum eſſet, ſed execrationis pœnam à lege ſtatutam ſignificat. A qua pœna redempti ſumus, non quia illi aliquod pretium ſolutum fuerit, quod ridiculum eſt dicere: ſed quia ab ea ſumus exempti. Quo ſenſu etiam ſcriptum eſt, nos per Chriſtum liberatum iri ab ira, ſive ſupplicio, Rom. 5. 9, & 1 Theſſ. 1. 10, quod ſupplicium impii, & qui Jeſu Chriſti Euangelio non obediunt, extremo illo die ſubibunt, 2 Theſſ. 1. 8, & 9. Quam liberationem cum per Chriſti vitam fieri debere, eodem loco ad Rom. dicat Paulus: ſatis conſtare poteſt, nos inde liberatum iri, non quia iræ illi ſive ſupplicio (id quod nec fieri potuit) aliquod pretium per Chriſti mortem ſolutum pro nobis fuerit: ſed quia Jeſus Chriſtus, vivens in æternum, potentia ſua in judicii die, ex decreto Dei, nos, qui ipſi obediverimus, ab æterna morte vindicabit.

At enim, dices in eo loco ad Gal. diſerte ſcriptum eſſe, Chriſtum nos ab execratione legis redemiſſe pro nobis execrationem factum. Unde appareat, eum ſolviſſe pro nobis id, quod nos legi debebamus, atque ea ratione ab ejus pœna nos liberatos fuiſſe.

Jam igitur iſtud non ex verbo redimendi colligi poteſt, cujus ſi propriam ſignificationem ſpectes, ipſi pœnæ & execrationi, à qua redemit nos Chriſtus, pretium ſolvi oportuiſſet. Sed ex eo, quod Chriſtus pro nobis execratio factus dicitur. Atqui, Chriſtum pro nobis execrationem factum eſſe, non ſignificat, eam legis execrationem ipſum ſubiiſſe, quam nos ſubire deberemus. Execratio enim, quam nobis lex minabatur, & quam tu intelligis, mors æterna erat; hanc vero ipſe minime ſubiit. Sed nihil aliud ſignificat, quam Chriſtum, dum ipſe noſtri cauſa in quandam legis execrationem incidit, nos à vera legis execratione interea liberaſſe. Amavit enim Paulus, ut in aliis ſæpe ſolet, in execrationis verbo argutus eſſe. Quomodo autem Chriſti cruce interveniente (quæ illa execratio

eſt,

eſt, quam Chriſtus ſubiit, quemadmodum ibidem Paulus docet) ab æterna morte nos liberati ſimus, paullo poſt a me perſpicue demonſtrabitur. Omitto, quod quæcunque vel in ea epiſtola, vel alibi à Paulo de Lege, deque liberatione ab ea, ſive ab ejus execratione diſputantur, ad Judæos tantum revera, non autem ad cæteros pertinent. Sed ad rem redeamus.

Cum igitur legis, nos ab iniquitatibus noſtris, & ex noſtra vana converſatione fuiſſe redemptos: qui fit, ut non videas, aperte, verbum Redimendi uſitatiſſima & frequentiſſima metaphora liberationem ſimpliciter ſignificare, ſine ulla veri pretii ſolutione? Alioqui nonne ipſis iniquitatibus, nonne ipſi vanæ converſationi, è quarum manibus redempti dicimur, vel ſaltem alicui, qui nos in ipſis detineret, pretium ſolvere oportuiſſet? quo quid ineptius vel dici, vel excogitari poteſt? Perlege omnes locos Novi Fœderis, in quibus redemptionis fiat mentio: & nullum invenies, ubi de veri alicujus pretii ſolutione, ſeu de ſatisfactione aliqua evidenter agatur. Sed in omnibus (de iis loquor, de quibus inter nos non poteſt eſſe controverſia) manifeſto deprehendes, de ſimplici liberatione ſeu aſſertione verba fieri. Hæc autem, ni fallor, ſunt, Luc. 2. 38, & cap. 21. 28, & cap. 24 21. Rom. 8. 23. Epheſ. 4. 30. Hebr. 11. 35. præter illa duo, Eph. 5. 16. & Col. 4. 5, ubi Paulus monet utroſque, ut tempus, ſive occaſionem redimant; quod liberationem ullam non ſignificat, nedum pretio factam; & pro eo, quod eſt, Tempus ſive occaſionem captare, vel obſervare, dictum eſt: duriore ſane metaphora, quam ea, de qua agimus, & quæ etiam legitur apud Dan. 2. 8. Et ex illis, niſi infinita antiqui fœderis teſtimonia, quæ per te ipſe conquirere, aut in memoriam tibi revocare potes, & validiſſimæ rationes à me allatæ id à te impetrare queunt, quid verbum Redimendi in iis teſtimoniis, quæ protuliſti, ſignificet, ſuſpicari ſaltem incipies. Ac tandem, ni prorſus pertinax eſſe velis, manus dabis; teque ea in re vehementer deceptum fuiſſe, fateberis.

Quod ut clarius adhuc perſpicere poſſis, id etiam addere volui. Adeo hunc metaphoricum loquendi modum apud Sacros Scriptores invaluiſſe, ut non tantum Redimere pro ſimpliciter liberare, ſive aſſerere paſſim uſurpent, id quod profani quoque fecerunt: ſed etiam Vendere pro Inſervitutem tradere, & alicui mancipare, vel ſubjicere, nullo vero pretio interveniente, non raro utantur. Id quod apud profanos auctores non facile fortaſſe quiſquam deprehenderit. Hinc Deut. 32. 30 legitur: *Quomodo perſecutus fuiſſet unus mille, & duo fugaſſent decem millia, niſi quod Petra eorum vendidit eos?* Ubi vides aperte, vendere, pro ſubjicere alicui, dictum fuiſſe. Et Judic. 3. 8 ſcriptum eſt, *Itaque iratus eſt furor Jehovæ contra Iſraël; & vendidit eos in manum Chuſanriſataim*, &c. Et cap. 4. in ipſo initio, *Addiderunt autem filii Iſraël facere malum in oculis Jehovæ poſt mortem Ehud, & vendidit eos Jehova in manum Jabin*, &c. utrobique autem vendidit, Tradidit in ſervitutem, tanquam ſi vere venditi fuiſſent, manifeſte ſignificat. Et idcirco vetus interpres Tradidit loco vendidit repoſuit. Eundem prorſus loquendi modum, quem vetus interpres, mutato tamen verbi numero, conſervavit, habes ſupra eodem libro cap. 2. verſ. 14. Et Eſaiæ 50. 1 ſcriptum eſt, *Propter iniquitates veſtras venundati eſtis.* Id eſt, In ſervitutem vos ipſos tradidiſtis, vos alienæ poteſtati mancipaſtis, ſive, ego id propter veſtras iniquitates feci. Hac denique metaphora utens Paulus ad Rom. 7. 14, inquit, *ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccatum*, id eſt peccati ſervus, & illi mancipatus. Atque hæc fuit illa ſervitus, & captivitas, ex qua Jeſus Chriſtus nos redemit; ut in ejus Paulini loci explicatione recte docuit Auguſtinus. Quemadmodum igitur venditi dicimur ſub peccatum, hoc eſt, illi mancipati, nullo interim vero pretio interveniente: ſic ab eodem per Chriſtum redempti dicimur, hoc eſt, liberati, quamvis pretium nullum vere & proprie intervenerit. Quod tamen ſi interveniſſet, ut jam dictum eſt, ipſi peccato, ſive alicui; qui in ipſo nos detineret, ſolvendum fuiſſet, quo nihil abſurdius dici poteſt.

At dices, in redemptione per Chriſtum facta diſerte fieri pretii mentionem, cum ſcriptum ſit, Chriſtum dediſſe animam ſuam pretium redemptionis pro multis, Mat. 20. 28. Marc. 10. 45, & ſeipſum pretium redemptionis pro omnibus dediſſe, 1 Tim. 2. 6.

Ego vero non ita hebetem te eſſe ſat ſcio, ut, verbi Redimendi metaphora agnita, non videas etiam eadem metaphora Chriſtum dictum fuiſſe redemptionis noſtræ pretium. Ut enim metaphorice ſimplex liberatio redemptio dicitur, quoniam idem effectus eſt ſimplicis liberationis, qui veræ & propriæ redemptionis, non minus enim hoc, quam illo modo, quis ſervitute eximitur: ſic etiam id, quod in ſimplici liberatione ad eam peragendam intervenit, per tranſlationem pretium dicitur. Immo tunc demum rite redimendi metaphora procedit, & abſolute ſuis partibus conſtat, cum in ſimplici liberatione aliquid intervenerit, quod per tranſlationem aliquo pacto pretio reſpondeat.

CAPUT II.

Explicatur diligentius tota redemptionis noſtræ per Chriſtum metaphora; & interim non pauca ex iis ſacris teſtimoniis explanantur, in quibus de redemtione iſta agitur, quæ per ipſam Chriſti mortem & ſanguinis fuſionem nobis contigit.

JAm, ut hanc pretii tranſlationem, totamque ſimul in liberatione nobis per Chriſtum parta metaphoram melius intelligamus: ſingulas ejus partes examinemus, & quatenus veritati reſpondeant, conſideremus. In vera redemptione peragenda primum captivus requiritur. Hic in liberatione, de qua agimus, homo eſt, Requiritur & is, qui eum captivum detineat; alioqui captivus non eſſet. Huic in liberatione noſtra, ſi exactius rem ipſam conſiderare velimus, reſpondent multa. Multa ſiquidem nos, tanquam captivos, detinebant. Ea autem ſunt, peccatum, diabolus, mundus, & qui peccatum conſequitur mortis æternæ reatus, ſeu mortis æternæ nobis decreta pœna atque ſupplicium. Sed nos ad unum peccatum omnia referemus. Requiritur præterea is, qui redimat. Hic autem eſt Deus, ſive Chriſtus, per quem Deus liberationem noſtram confecit. Requiritur poſtremo pretium. Hoc autem eſt ipſe Chriſtus, ſeu potius vita ejus à Deo patre data, & ab ipſomet Chriſto; qui, videlicet, ſeipſum, ſeu vitam ſuam dedit, ut tantæ liberationis effectus conſequeretur. Neque aliud in hac liberatione deſideratur, ut omnino veræ redemptioni reſpondeat, niſi ut is, qui captivum detinebat, pretium accipiat. Quamvis enim quibuſdam videatur dici poſſe, diabolum pretium, quod in noſtra liberatione intervenit, accepiſſe, quemadmodum antiquiores theologi, inter quos Ambroſius * & Auguſtinus †, auſi ſunt dicere; tamen, ut Wolfgangus Muſculus ‡ in ſuis locis communibus eleganter diſſeruit, id perabſurdum (pace tantorum virorum dixerim) videri debet. Et recte eſt, neminem id pretium accepiſſe, affirmare. Ea ſiquidem ratione potiſſimum non vera, ſed metaphorica redemptio liberatio noſtra eſt, quoniam in ea nemo eſt, qui pretium accipiat. Si enim id, quod in ipſa pretii loco eſt, acceptum, (ab eo ſcilicet, qui captivum hominem detinebat) fuiſſet: jam non metaphoricum, ſed verum pretium interveniſſet; & propterea vera redemptio eſſet, ſecundum ea, quæ à me in principio hujuſce diſputationis poſita ſunt.

Sed jam redemptionis noſtræ per Chriſtum factæ metaphoram perſequamur. Sciendum eſt igitur, liberationem hanc noſtram dupliciter conſiderari poſſe, hoc eſt, vel quatenus ab ipſo peccato in hac vita eximimur, & liberamur, dum ſcilicet ſectatores bonorum operum

* Ambr. epiſt. 77. † Aug. de Trin lib. 13. cap. 14. & ſeq.
‡ Muſc. cap. De redemptione generis humani.

effici-

efficimur: vel quatenus peccata nobis non imputantur, id eſt, ab æterna morte vindicati ſempiterna vita donamur. Utraque hæc liberatio primum in Deo reſidet, qui nos à tantis malis liberare & conſtituit, & curat: Deinde in nobis, qui eam reipſa adipiſcimur. Jam vero, ſicuti pretium non ejus cauſſa datur, qui redemptionem procurat, neque eum ad redemptionem procurandam movet, immo ipſe eſt, qui illud dat, & idcirco liberationem, quatenus in ejus voluntate, atque decreto reſidet, non gignit: ſed ejus cauſſa ſolvitur, qui captivus eſt; & hac ratione is ex captivitate eximitur, unde liberatio, quatenus in eo reſidet, gignitur, & comparatur; Ita Chriſtus pretium fuit, non quo liberatio ex parte Dei, qui eam procuravit, & ipſum dedit, compararetur nobis: ſed quo nos eam reipſa conſequeremur. Utramque autem, quam modo expoſui, liberationem, per Chriſtum, ſeipſum & vitam ſuam in eum finem, & ita propter nos dantem, hoc eſt, crucis mortem ſubeuntem, conſequimur. Priorem enim illam, id eſt, à peccato in hac vita liberationem adipiſcimur, ſpe nobis facta vitæ immortalis, atque æternæ beatitatis, quam, fide ipſius Chriſti verbis adhibita, concipimus; qui nos pœnitentiam agere juſſit, & novos homines fieri, præmio cœleſtis hæreditatis propoſito, voluit: ut videre eſt toto cap. 5, 6, & 7 Matthæi, & paſſim apud omnes euangeliſtas. Fidem autem, quam ejus verbis habeamus, ut ſupra vidimus, potiſſimum gignit ipſius reſurrectio. Ad quam nonniſi per mortem pervenire poterat; & ipſius in cœlis æterna ac beata vita, atque majeſtas: ad quam, ita Deo ſtatuente, per ignominiam, & mortem acerbiſſimam eum perduci, neceſſe erat, Luc. 24. 26. Hebr. 2. 10. præterquam quod ipſa mors, ut ante demonſtratum fuit, promiſſiones nobis ab eo Dei nomine factas mirifice confirmavit. Quis enim de Dei benevolentia, quæ in Chriſti promiſſis continetur, deque ipſorum promiſſorum veritate dubitare poteſt, cum Deus Chriſtum ipſum, ſuum cariſſimum filium, ut nobis, dum ipſi Deo, ut par eſt, obedire ſtudemus, innumeris calamitatibus undique circundatis, atque in ipſa morte perpetuo verſantibus, æternæ felicitatis, ac vitæ ſpem faceret, tanquam facinoroſum quempiam, ab hujus mundi principibus cædi & mactari voluerit? *Qui proprio filio*, inquit Paulus Rom. 8. *non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri poteſt, ut non & cum eodem omnia nobis donet?* Et paullo poſt, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? num afflictio? num anguſtia? num perſecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius?* &c. *Atqui in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Dum ergo Chriſtum propter nos à Deo morti traditum contemplamur, de ipſis Dei promiſſis jam non dubitantes, ei obedientiam, quam ab iis, qui ea, quæ promiſit, bona adepturi ſint, omnino requirit, alacri animo præſtamus; & interea à peccati ſervitute exſolvimur. Qua de re in uno ex iis locis, quos tu ipſe protuliſti, præclare ſcriptum eſt, *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populum peculiarem ſectatorem bonorum operum.* Tit 2.14. & Gal. 1. 3 & 4 legimus, *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſente ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei & patris noſtri.* Et hæc quidem, quod attinet ad priorem liberationem.

Quod autem pertinet ad poſteriorem, eam primum hic ſpe habemus, & deinde re ipſa in futuro ſæculo habebimus: tum ſcilicet, cum, ſicuti in hoc mundo renovati ſumus, & novæ Dei creaturæ effecti, ita in ſæculo illo una cum iis, qui ejuſdem ſpiritus, quo nos imbuti ſumus, primitias & quaſi potiores quaſdam partes ſunt divina benignitate adepti, liberabimur & nos à ſervitute corruptionis in libertatem glorioſam filiorum Dei; quemadmodum ſcribit Paulus ad Rom. cap. 8. 21. Atque tunc vere redempti & liberati, tunc juſtificati & à peccatis abſoluti, tunc filii Dei dici poterimus. Nunc ſpe tantum hæc adepti ſumus. Siquidem, ut ait idem Paulus eodem loco verſ. 23: *adoptionem adhuc exſpectamus* [*nempe*] *redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſervati ſumus.* Et Chriſtus dixit, ideo fore eos, qui digni habebuntur ſæculo illo futuro, filios Dei, quia filii reſurrectionis erunt Luc. 20. 36. Et Paulus ad Eph. 4. 14: *Nolite* (inquit) *contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Ad Gal. autem cap. 5. 5 ſcribit: *Nos enim Spiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus.* Et idcirco dixit idem Paulus, datum iri ſibi in illa die à Domino coronam juſtitiæ, 2 Tim. 4. 8. Quo quidem in loco per Juſtitiæ coronam neutiquam juſtitiæ ſuæ præmium intelligit; ſed eſt loquendi modus illi ſimilis, cum dicimus coronam vitæ, ut apud Jacobum Jac. 1. 12, & Johannem Apoc. 2. 10, legitur, ſeu coronam gloriæ 1 Petr. 5. 4, ut apud Petrum. Alludit enim, ut ex præcedentibus liquet, & alii etiam annotarunt, ad Athletas. Iſti autem perituram coronam; ut inquit idem Paulus 1 Cor. 9. 25 accipiebant. Ipſe vero, ut inibi ait, æternam exſpectabat, non oleaſtrum, aut apium, aut aliquid ſimile, ut illi, ſed immortalitatem; quam Juſtitiæ nomine ideo appellat, quod tunc vere juſtos nos à Deo habitos fuiſſe, gloriari poterimus, & deleta eſſe peccata noſtra, cum, ab æterna morte peccati pœna vindicati, ad æternam vitam fuerimus in cœlum tranſlati. Hinc Petrus quoque ait, in novis illis cœlis, & nova terra, quam ex Chriſti promiſſo exſpectamus, juſtitiam habitare, id eſt, immortalitatem, ſive æternam vitam, ſuam ſedem habere 2 Pet. 3. 13. Hanc igitur liberationem, qua univerſa noſtra ſalus continetur, ut & ſpe in hoc mundo, & re ipſa in futuro ſæculo obtinere poſſemus, Chriſtum mori oportuit, & non niſi morte ejus interveniente, id peractum eſt. Firma ſiquidem vitæ æternæ ſpes in nobis, ut jam dictum fuit, non aliunde magis, quam ex Chriſti reſurrectione gignitur. Neque ſatis fuiſſet, ut reſurrectionis & vitæ immortalis nobis certa ſpes fieret, Chriſtum ſimpliciter mori: ſed pati eum etiam opus fuit, & atrociſſimam mortem ſubire. *Decebat enim eum, propter quem ſunt omnia, & per quem ſunt omnia, multos filios in gloriam adducentem, principem ſalutis eorum per afflictiones perfectum reddere,* inquit auctor ad Heb. 2. 10. Afflictionum enim, & calamitatum via ea eſt, per quam nos ad cœlum perduci neceſſe eſt, Actor. 14. 22. Rom. 8. 17, quarum ſi Chriſtus, qui nobis hanc Dei voluntatem patefecit, & rem prorſus ſic ſe habere, perſuadere voluit, expers fuiſſet: neque prior ipſe, qui princeps ſalutis noſtræ à Deo conſtitutus fuerat, hanc ipſam viam fuiſſet ingreſſus, unde poſtea in cœlum aſcenſurus eſſet; quo nos ea ductura tandem fuiſſet, compertum non habuiſſemus. Et ob eam rem non ſolum mori, non ſolum occidi, ſed calamitatibus, & perſecutionibus perpetuo premi, ſed ludibrio, & deſpectui hujus mundi principibus eſſe, ſed à ſapientibus hujus ſæculi, & ab iis, qui cunctis in Dei populo religioſiores habebantur, rejici, ac ſupremo odio haberi, ſed denique, tanquam impurus ac ſceleſtiſſimus homo, ad ſupplicium omnium maxime dirum & execrabile, ab iis ipſis, quos maximis & excellentiſſimis beneficiis affecerat, rapi tandem & trahi voluit; ut inde poſtmodum per glorioſiſſimam reſurrectionem liberatus, & ad ſupremam beatitatem perductus, nihil mali eſſe in ea via, quam præmonſtraverat, aperte doceret: ac deinceps nullis quantumvis gravibus periculis, & malis, nulla quantumvis atroci & infami morte à ſpe immortalitatis ii, qui ipſi obediunt, demoveri poſſent. Atque ad hoc etiam reſpiciens, dicere potuit Paulus, Chriſtum, factum pro nobis execrationem, ab execratione Legis nos redemiſſe Gal. 3. 13. Nam, cum Legis execrationem, quam ipſe ſubiit, ab eo deinde ſuperatam, & in ipſo extinctam, atque abolitam videamus: non eſt, cur illam amplius horreamus, certo futurum jam perſpicientes, ut, ſi ipſius veſtigia ſecuti, in eam inciderimus, nos quoque illam ſuperaturi ſimus. Ipſius porro immortalitatis veram poſſeſſionem adipiſci nequaquam nos poteramus, niſi Chriſtus in ſuam gloriam ingreſſus eſſet, & ſupremam abſolutamque poteſtatem in cœlo, & in terra conſecutus fuiſſet,

fuiſſet, qua nos ab interitu vindicare, & æterna vita donare poſſet. Is enim, ut ſupra vidimus, eam omnino daturus erat, Deo ita ab initio cum propter noſtri conſolationem eximiam, tum propter nominis ſui ſempiternam gloriam ſtatuente. Quomodo vero ingredi in tantam gloriam Chriſtus poterat, niſi obediens fuiſſet uſque ad mortem crucis, propter quam obedientiam iſta majeſtate, atque potentia à Deo donatus fuit? Id quod aperte teſtatur Paulus ad Phil. 2. 9.

Jam igitur, quod attinet ad redemptionis ſpem per Chriſtum, & ejus vitam, quam noſtrum cauſa moriens impendit, nobis comparatam, ſcriptum eſt ad Rom. 3. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu; quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem, interveniente ipſius ſanguine, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium peccatorum, &c.* Cujus loci, ut interim hoc tuum teſtimonium, etiam quod attinet ad vocem Propitiatorium (tametſi ea ad ultimum ex propoſitis à me tuorum teſtimoniorum capitibus commodius fortaſſe reſervari ac referri poterat) diluam, atque illuſtrem, hic ſenſus eſt, partam nobis eſſe peccatorum noſtrorum abſolutionem (id enim ut ſcis, quod ad nos attinet, re ipſa juſtificari eſt) non quidem per legis opera, quibus illam commeriti ſimus: ſed gratis per gratiam Dei; per fidem, ſcilicet, quam Jeſu Chriſto habemus. In quo nobis Deus, ut oſtenderet ſe veracem & fidelem eſſe, & ſimul, qua ratione nos coram ſe juſtos habere vellet (utrumque enim ſignificant verba illa, *juſtitiæ ſuæ*, ut patet ex eo, quod paullo poſt quaſi ſeipſum explicans, addit, *ut ſit ipſe juſtus, & juſtificet, &c.*) adeo ſe placatum exhibuit, ut non ſolum, ſecundum antiqua promiſſa, nos à peccatis, id eſt, à peccatorum pœna, redemerit ſeu liberaverit, ea nobis condonando; ſed etiam, ut fructus, atque effectus ejus condonationis ad nos redire poſſet, ea ſcilicet ratione, quæ à me ſupra expoſitum fuit, ipſum Chriſtum ſuum ſanguinem fundere, &, tanquam ſcelerotum quempiam, ſupplicio affici voluerit. Nam interventus ſanguinis Chriſti, licet Deum ad liberationem hanc à peccatorum noſtrorum pœna nobis concedendam movere non potuerit, movit tamen nos ad eam nobis oblatam accipiendam, & ipſi Chriſto fidem habendam, unde juſtificati ſumus; & ſimul Dei erga nos ineffabilem benignitatem ſummopere nobis commendavit. Propitiatorii autem nomen, ut plerique animadvertere, alludit ad arcæ antiqui fœderis operculum; cujus nomen apud Hebræos à verbo Caphar deducitur, quod & tegere, ſive obturare atque oblinere, & condonare, ſive expiare ſignificat, idque operculum à 70 Interpretibus eodem nomine, quo uſus eſt Paulus, appellatum fuit, & ab auctore etiam Epiſtolæ ad Hebr. 9. 5, nempe ἱλαστήριον, id eſt, Propitiatorium, ſeu mavis Placamen, ſive Placamentum; non quia Deum populo Iſraëlitico placaret: ſed quia Deus in eo, ſe propitium populo & placatum præbens, ſua reſponſa dabat; id eſt, Moſi loquebatur, quæcunque illis ſignificari volebat; ut ſcriptum eſt Exod. 25. 22. Quo nomine decentiſſime hoc loco erit Chriſtus à Paulo appellatus, quando non modo Deus in ipſo nobis ſe placatiſſimum oſtendit, verum etiam quidquid nos ſcire voluit, per ipſum patefecit; unde juſtificatio noſtra conſecuta eſt. Quod ſi nomen ἱλαστήριον ad operculum illud arcæ ita appellatum reſpicere, negaveris, & manifeſtam hanc elegantiſſimamque allegoriam aſpernatus fueris: ecquid aliud tandem ex eo verbo ad tuam ſententiam juvandam colligi poterit, quam, Jeſum Chriſtum eſſe à Deo pro placamento nobis propoſitum? An continuo inde concludes, à Chriſto Deum nobis placatum fuiſſe? Cur non potius, cum de gratia Dei deque peccatorum condonatione agi videas, inde colliges, Deum per Chriſtum nobis ſe benignum & placatum oſtendiſſe? Cur non potius, ut verba ipſa demonſtrant, eam vocem ita interpretaberis, ut dicas, nullam aliam eſſe viam nobis à Deo propoſitam, qua iram ejus, quam adverſus impios, & peccatores exercebit, devitemus, quave noſtrorum ſcelerum expiationem, & veniam ab ipſo conſequi poſſimus, præter unum Chriſtum, cui fidem habendo, plane & illam effugiemus, & hanc adipiſcemur? Ut ex hoc loco nihil penitus elici poſſit de placatione aliqua Dei, ſeu juſtitiæ divinæ per Chriſtum facta: ſed tantummodo, ſi Deum vere, & reipſa placatum habere & experiri velimus, Chriſto confidendum eſſe; & deinde perquirendum relinquatur, quidnam ſit Chriſto confidere, ſeu fidem habere. Quæ profecto longe alia quæſtio eſt. De qua quid ego ſentiam, ex iis, quæ hucuſque à me dicta ſunt, facile intelligi poteſt; &, antequam hanc meam reſponſionem abſolvam, melius fortaſſe intelligetur; & unà, Deo bene favente, quantum & tu, & cæteri, qui tecum ſentiunt, in ea à vero ſcopo aberretis, perſpicue demonſtrabitur. Nunc haud parum fuerit, ex hoc Pauli loco, quocumque te vertas, ſententiam tuam nulla ratione confirmari poſſe, manifeſtum feciſſe. Nam quod vocem ἱλαστήριον Placamen, ſive Placamentum verti poſſe dixi; id, ut quidquid te magis, adjuvare poteſt, concederem, feci. Cæterum, niſi ea vox ad antiqui fœderis arcæ operculum reſpiciat, idem prorſus eam declarare exiſtimo, quod vox ἱλασμὸς, qua bis uſus eſt Johannes in prima Epiſtola, id eſt, expiationem, ita ut Paulus hoc loco ad antiqua ſacrificia reſpexerit, quod innuere videtur mentio ſanguinis. Sacrificia autem illa, & expiationis verbum nihil cum ſatisfactione commune habere, in examinatione ultimi capitis tuorum teſtimoniorum perſpicue apparebit.

De hac eadem, quam ſpe à pœna peccatorum noſtrorum redemptione ſive liberatione, per hanc Chriſti ſuimetipſius dationem, propriiſque ſanguinis effuſionem, adepti ſimus, loquitur idem Paulus ad Col. 1. 14, in his verbis, in quibus de Deo Patre agit, *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii ſui dilecti; in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum. Qui eſt imago Dei inviſibilis, &c.* Explicat Paulus, quid ſit iſta redemptio nobis illius ſanguinis fuſione interveniente, per Chriſtum parta: nempe remiſſio peccatorum, quæ ſatisfactioni pro peccatis, ut alibi videbimus, quam maxime adverſatur, quam remiſſionem Deus nobis in Chriſto obtulit, &, ne de ea ambigere unquam poſſemus, ab ipſo Chriſto proprio ſanguine confirmari voluit; quo, tanquam pretio, à peccatorum captivitate, in qua detinebamur, id eſt, à mortis æternæ pœna redimeremur. Tanquam pretio, inquam, non quia alicui ſanguis ejus ſolutus fuerit: ſed quia, ſicut pretium cauſa liberationis è captivitate eſt, ſic Chriſti mors in ſpem vitæ æternæ nos erigendi, reſurrectione conſecuta, cauſa fuit; & idcirco ſpe liberationem nobis à noſtrorum ſcelerum pœna comparavit. Atque, ſicut in ſuperiore, quem modo expoſuimus, loco ad Rom. propitiatorium appellaverat Paulus Chriſtum, ut oſtenderet, non ſolum per eum nobis ſe Deum placatum exhibuiſſe, & in eo modum (nimirum ſi illi credimus) ſuam iram, quam adverſus rebelles, ac contumaces exeret, effugiendi propoſuiſſe: ſed etiam ſuæ voluntatis (quod tamen reipſa idem eſt) exacte nos admonuiſſe; ita hic ſubjungit, *Qui eſt imago Dei inviſibilis*; ut ſcilicet intelligamus, non alia ratione magis partam nobis eſſe ſalutem per Chriſtum, quam, quod per ipſum Dei voluntatem, in ſalute nobis conferenda, pleniſſime aſſecuti fuerimus, & ipſum Deum quaſi præſentem conſpexerimus. Hunc enim eſſe ſenſum verborum Pauli, præter rationem ipſam, declarat locus ille ad Eph. 1, in ipſo fere initio, qui huic reſpondet, & paraphraſis quædam, ſive explanatio ipſius dici poteſt, *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, in ſeipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; in qua gratificavit nos in illo dilecto. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ipſius, quam ubertim effudit in nos in omni ſapientia & prudentia, patefacto nobis arcano voluntatis ſuæ, &c.* Ex quibus verbis ſatis intelligi poteſt, hanc redemptionem nobis contigiſſe ex mera Dei liberalitate,

cutam nobis per Chriſtum exhibuit. Cujus ſanguine, ſecundum divitias gratiæ ejus, interveniente, ipſius voluntatis arcanum nobis patefactum fuit; unde ſpes nobis firmiſſima tantæ ſalutis eſt facta. Ut nihil dicam, hic quoque explicari, redemptionem hanc nihil aliud eſſe, quam peccatorum remiſſionem.

At vero de hac eadem redemptione, quam re ipſa, propterea quod Chriſtus ſe pro nobis in mortem tradiderit, conſecuturi ſimus, loquitur auctor ad Hebr. 9. ỽſ. 11, & 12. *Chriſtus autem*, inquit, *aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.* Vide, quomodo Chriſtus in cœlum ad gloriam ſuam penetraverit; nimirum, per ſanguinem & mortem ſuam. Ex quo æternam liberationem eſt adeptus, non ſolum quia ipſe in æternum vivit, & morti jam non eſt obnoxius: verum etiam quia nos quoque, qui ejus membra ſumus, hac ratione, à morte vindicabit, & una ſecum in æternum vivere faciet. Neque vero ea, quæ ſequuntur, verba, *Si enim ſanguis taurorum, &c*; de quibus inferius agemus diligentius, ullo modo hanc meam hujus loci interpretationem infirmant, quaſi ex illis colligi poſſit, agi hic de purificatione tantum conſcientiæ noſtræ in hac vita. Siquidem ea verba adjungit Apoſtolus, ut, quoniam neceſſe eſt ad redemptionem illam æternam in alio ſæculo conſequendam, purgata conſcientia ab operibus mortuis, dum adhuc hic ſumus, Deo viventi ſervire, demonſtret, hoc quoque per Chriſti mortem nobis obtigiſſe. Atque ita rem ſe habere, confirmat alius ejuſdem auctoris locus, qui diverſis verbis eandem ſententiam continet. Is eſt cap. 5. 9, ubi, cum ſupra dixiſſet, Chriſtum in diebus carnis ſuæ illi multo cum gemitu ſupplicaſſe, qui poterat ipſum à morte liberare, & exauditum fuiſſe: ſubjungit, *Et perfectus redditus* (ſive *conſecratus*) *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Chriſtus igitur non ſolum ſibi ipſi, dum moritur, æternam vitam à Deo impetravit: ſed etiam à morte liberatus, & ſempiternam vitam, ſempiternumque regnum, & ſacerdotium adeptus, ſalutis cauſa cæteris extitit; quos ipſe potentia, & auctoritate ſua perpetuo fovebit, & vita æterna tandem donabit. Sed quinam ſunt iſti? Non omnes ſane; ſed ii demum, qui ipſi obtemperant, & porro ad Deo ſerviendum, purificata conſcientia, ſe totos convertunt. Non negaverim tamen, ut modo leviter attigi, priorem locum de liberatione quoque in hac vita à peccati ſervitute accipi debere, & fortaſſe de perpetua peccatorum expiatione, quam ſpe, ſive quod attinet ad Dei decretum, hic habeamus, in eo præcipue agi, atque ita ſuperioribus teſtimoniis annumerari poſſe; quemadmodum infra, ipſo exactius perpendendo, declarabitur. Expiationis autem ideo memini, quia non in hoc teſtimonio tantum, ut poſtea planius fiet, ſed in ſuperioribus quoque nomen redemptionis pro expiatione accipi poteſt. Quod ut fiat, ſuadet ſanguinis mentio, quæ in omnibus fit. Atque ob eam rem non multum erraverit, qui ea in poſtremam tuorum teſtimoniorum claſſem retulerit, ipſorumque explicationem ex iis petierit, quæ ibi dicturi ſumus.

Ex iis, quæ hactenus à me dicta ſunt, conſtare poteſt, qua ratione Chriſtus, ſeu vita ejus in hac noſtræ redemptionis metaphora merito pretii locum obtineat; cum ex eo, quod Chriſtus ſeipſum, & vitam ſuam pro nobis dederit atque impenderit, omnimode à peccato, & ab ipſa peccati pœna liberatio nobis obvenerit, & obventura ſit. Quibus addo, hanc eandem pretii redemptionis tranſlationem alibi etiam in ſcriptura legi: ut Prov. 13. 8, ubi ſcriptum eſt, *redemptionis pretium* Copher enim eſt in Hebræo, & Septuaginta verterunt λύτρον) *animæ viri, divitiæ ejus. Pauper autem non audit increpationem.* Id eſt, homo dives, quia dives eſt, & potens, non incurrit diſcrimina vitæ ſuæ, omnes enim eum, propter ejus opes, offendere verentur. Pauper vero propter egeſtatem ſuam, nullius invidiam ſubit; & ob eam cauſam murmurationes adverſus ſe aliorum non audit. Dixerat enim ſuperiore verſu, quoſdam eſſe, qui, cum pauperes ſint, fingunt ſe divites: quoſdam vero contra, qui, cum divites ſint, pauperes ſe eſſe ſimulant; & hoc verſu utrorumque conſilii rationem tacite quodammodo reddit. Verum, ſi alicui fortaſſis durum videatur, illam formulam loquendi, Non audit increpationem, hoc loco alio modo interpretari, quam fieri ſoleat apud Solomonem, non alibi ſolum ſæpiſſime, ſed in principio etiam ejuſdem capitis (nam ubique verbum Audit in ea Audire ſuſtinet ſignificare videtur) hic erit eorum verborum ſenſus: Homo dives nihil timet, nullum periculum formidat. Divitiis enim ſuis ſe ab omnibus malis liberare poteſt, vel: Divitiæ enim ejus ipſum in mediis malis conſolantur, & ſervant. Pauper vero ne increpationem quidem audire ſuſtinet; ita propter miſeriam ſuam animum quodammodo deſpondet. Ubi vides, divitias, aut opinionem divitiarum appellari redemptionis pretium vitæ illius, qui dives eſt, vel habetur; non quidem eam ob cauſam, quod verum pretium ſint, quod alicui ſolvatur: ſed quia cauſa ſunt, ut ille vitæ pericula aut non incurrat, aut non curet. Quod ſi etiam locum hunc ſecundum vulgatam quandam interpretationem ſimpliciter interpretari velis (quæ tamen interpretatio propter id, quod de paupere per antitheſim dicitur, ſuſtineri nequit) hominem ſcilicet divitem, ſi in aliquod diſcrimen vitæ incurrerit, divitiis ſuis ſe ab eo liberare: pretii redemptionis nihilominus tranſlatio conſtabit. Neque enim pretium redemptionis vere, & proprie dici poteſt id, quod dives impendit, ut ſe à periculis, in quibus verſatur, liberet; cum neque captivus ab ullo detineatur, neque id ab ullo, ut pretium liberationis ipſius, accipiatur. Sed pretium redemptionis metaphorice dicitur, propterea quod, non minus, quam pretium captivum è captivitate redimit, id, quod ipſe impendit, eum à periculis liberat. Quocirca, cum Chriſtus dixit, daturum ſe animam ſuam redemptionis pretium pro multis, non id voluit dicere, ſcilicet, ſoluturum ſe Deo, ſive divinæ juſtitiæ vitam ſuam, ut is, ſive illa, quæ nos captivos detineret (quod & abſurdiſſimum eſt dicere, & nuſquam quidquam ſimile in univerſa ſcriptura legitur) juſto pretio redemptionis accepto, nos liberos dimitteret: ſed, ſe vitam ſuam daturum, ut inde non minus, quam ſoluto redemptionis pretio, veris captivis evenire ſolet, liberationem è ſpirituali peccati & mortis captivitate noſtra conſequeremur. Atque hac eadem ratione Paulus dixit, eum ſemetipſum dediſſe pretium redemptionis pro omnibus 1 Tim. 2. 6. Ubi etiam, quo ſenſu id ab eo dictum fuerit, ex verbis, quæ ſtatim ſubjicit, ſatis liquet: dum ait, *Teſtimonium temporibus ſuis.* Quæ verba ſupra ſatis à me explanata ſunt; atque hic nihil præterea addo, niſi, quod non minus in hoc, quam in reliquis tribus locis, quos paullo ante explicavi, in quibus Paulus hujuſce redemptionis per mortem Chriſti factæ mentionem fecit, expreſſe aliquid additum eſt de patefactione voluntatis divinæ ea ratione nobis exhibita; ut nemo de ſalutis noſtræ modo, ſanguine Chriſti interveniente nobis partæ, unquam dubitare poſſet. Nempe eam nobis contigiſſe, non ſolum quia ſine Chriſti morte, ut vidimus, id fieri nequibat: ſed etiam quia per Chriſti mortem divinum de nobis decretum cumulatiſſime teſtatum vidimus.

CAPUT III.

Explicatur, unde fiat, ut non potius Chriſti reſurrectio, quam mors, redemptionis noſtræ pretium dicatur; cum tamen per Chriſti reſurrectionem maxime nobis liberatio iſta contigerit: & reliqua teſtimonia ſacra explanantur, in quibus redemptionis noſtræ per Chriſtum ejuſve mortem factæ fit mentio.

SEd adhuc fortaſſe inſtabis, & dices agnoſcere te quidem hanc pretii redemptionis tranſlationem ſuſtineri poſſe;

posse; sed in hac nostra à Christo redemptione facta locum non habere. Nam, si illud per translationem pretium redemptionis in ea appellandum fuisset, quo interveniente, nobis liberatio contigit: cur non potius Christi resurrectio, qua interveniente, id, ut egomet sæpius dixi, maxime peractum est, pretium redemptionis nostræ appellatum esset? quod tamen nunquam est factum, sed perpetuo vel, sanguine Christi interveniente, nos redemptos fuisse, vel, Christum animam suam sive semetipsum, redemptionis pretium pro nobis dedisse, legitur.

Ad istud nullo negotio respondetur. Neque enim ea analogia sive proportio est resurrectionis Christi ad pretium, quæ mortis. Christus siquidem resurgendo nihil de suo dat, aut impendit; immo plurimum accipit, & lucratur. Sed moriendo, vitam suam, & sanguinem profundit Et quemadmodum, si quis amicum ex hostium manibus, hostibus ipsis, qui eum detinebant, occisis, liberasset, interim tamen ipse non levia vulnera, cum hostibus confligendo, accepisset, non hostium interitum, sed suum sanguinem pro amici liberatione se impendisse diceret, quamvis non quia ipse sanguinem suum fudisset (id enim per se potius liberationem impedit) sed quia hostes superasset, & intermisset, ille liberatus esset; Ita, cum Christus, ut hostem nostrum diabolum superaret, & nos ex ipsius manibus eriperet, sanguinem suum fuderit, & mortem subieret (nam, ut scriptum est, per mortem abolevit eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum, Heb.2.14) sanguinem suum, & vitam suam pro nobis impendisse, non autem diaboli abolitionem, quæ vere in ejus resurrectione facta est, dicitur. Hac igitur de caussa nostræ redemptionis non resurrectio, sed mors Christi, pretium appellatur; quamvis Christi mors, resurrectione non consecuta, non solum nos non liberasset, sed omnis liberationis ipsem prorsus ademisset, ut aperte colligitur ex cap. 15 prioris ad Cor. & ex aliis locis satis intelligi potest. Quanquam, resurrectione deinde consecuta, ipsa quoque mors per se non leve pondus ad nos in fide stabiliendos, ut supra demonstratum est, obtinet, & idcirco multo etiam meliore jure, quam sanguis illius, qui amicum ex hostium manibus liberando vulneratus fuerit, liberationis caussa esse dicitur.

Ratio porro, eaque potissima, cur ita frequenter, & ubique fere cum de nostra liberatione agitur, Christi mortis mentio fiat, hæc est, ut scilicet, ad Dei, cujus jussu is animam suam, ut iterum eam acciperet, pro nobis posuit, Joh.10.18, Christique ipsius charitatem nobis commendandam, jugiter ante oculos ea nobis obversetur; non quidem ut alicujus ad nos redimendos occultæ virtutis, quam mors Christi habeat, & quam omnes per se perspicue non videant, admoneamur: qualis esset, quod Deo, & justitiæ ejus pro nobis, nostrisque peccatis plene satisfeciisset; id quod etiam, postquam moniti sumus, nobis vere constare non potest; sed, ne umquam tantæ divinæ benignitatis obliviscamur: & hac ratione ad Deum ex animo colendum, illique parendum, nosque totos ei perpetuo consecrandum; indies magis accendamur. Quandoquidem Deus ipse fuit, qui vitam filii sui, ut nos ab iniquitatibus nostris redimeret, & sibi assereret, & vindicaret, pro nobis impendit. Hinc Paulus, ab Ephesiis discessurus, inquit senioribus Ecclesiæ, *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, Act.20.28. Nam & in Apoc. cap.5.9 scriptum est de Christo, *Dignus es accipere librum, & aperire signacula ejus; quoniam occisus es, & redemisti* (sive *emisti*) *nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro reges, & sacerdotes.* Et Pet.1. epist. cap. 2.9 ait, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus, ut virtutes annuncietis illius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Idem epist.2. cap.1. ait, futuros inter eos, ad quos scribebat, falsos doctores, 'qui negent herum, qui illos emit. Heri autem sive δεσπότης appellatione, Deum ipsum, intelligi debere, qui per Christum nos sibi asseruit, præterquam quod simplex appellatio ista nunquam Christo, ut arbitror, sed soli Deo patri in Sacris Literis tribuitur, ut Act.4.4 & Jud.4 demonstrat etiam aperte idem hic apud Judam locus, qui, ut tota fere Epistola, ex Petri verbis quodammodo descriptus est. Inquit enim, *& solum herum Deum, ac Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Ex quibus locis manifestum fit Deum sibi nos per Christi sanguinem acquisivisse, Christumque illi nos suo sanguine redemisse, sive emisse; tantum abest, ut ex ejus sive justitiæ illius manibus, cui satisfieri oporteret, Christi sanguine redempti simus. Hinc veteres theologi, qui aliquanto aliter, ac recentiores fecerint, redemptionem per Christum nostram sunt interpretati, & in ea nos sibi Deum asseruisse, optime agnoverunt, Judæos, qui aliquando populus Dei fuerant, redemptos quidem à Christo, gentes autem, quæ tunc primum Dei hereditas, & possessio factæ sunt, emptos tantummodo fuisse dixerunt, Redimendi verbum in peculiari illa ipsius significatione, cui Græcum ἐξαγοράζω respondere videtur, de qua in initio egimus, usurpantes. Ut igitur nos non solum divinæ benignitatis identidem commonefiamus, verum etiam tanquam ii, qui pretio, & eo quidem maximo, empti sive redempti & ex servitute durissima liberati sumus, moneamur, nos nostros jam non esse, sed illius, qui nos sibi asseruit, neque cuiquam præterea nos metipsos jure mancipare posse; propterea nunquam fere in salutis nostræ ratione commemoranda Jesu Christi sanguinis mentio prætermittitur. Nam expressius etiam aliquando nos pretio emptos esse, monent Apostoli; ut Paulus, qui priore ad Cor.6.19 ait; *An nescitis quod corpus vestrum templum spiritus, qui in vobis est, sancti est? quem habetis à Deo, & non estis vestri. Empti enim estis pretio. Glorificate jam Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Et cap. 7. 22 & 23. *Qui enim in Domino vocatus est servus libertus Domini est. Similiter & qui liber vocatus est, servus Christi est. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Quocirca non sine maxima caussa Petrus 1 Epist. cap.1 quem locum tu attulisti, ait, *Et, si patrem invocatis eum, qui, sine acceptione personarum, judicat secundum uniuscujusque opus: in timore, incolatus vestri tempore, conversamini; scientes, quod non corruptibilibus, auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione à patribus tradita, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati & incontaminati, Christi, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus, propter vos, qui per ipsum creditis in Deum; qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deum.* Jubet igitur Petrus, ut postquam tanto pretio ex iniquitatibus, & ignorantiis nostris redempti sumus, ob eamque rem ei, qui pro nobis id pretium dedit, tantum debemus, eidem illi, qui alioqui iniquitatem abominatur, & secundum uniuscujusque facta judicat, maximo cum timore perpetuo obediamus; præsertim, cum non modo nos ex ea captivitate liberaverit, sed immortalis etiam vitæ simul nobis spem fecerit, & fidei, speique in ipso collocandæ maximum argumentum dederit. Ex vana ergo conversatione nostra, ut supra etiam demonstratum est, non ex divinæ justitiæ manibus, cui pretium aliquod pro nobis solvendum esset, redempti sumus. Neque, ut istud confieret, aurum, aut argentum, aut quid simile periturum datum est, sed sanguis Jesu Christi pretiosissimus, id est, qui nunquam perit (manifeste enim Pretiosum corruptibili Petrus opponit) sed æterni fœderis sanguis est, & in perpetuum nobis Dei promissiones confirmat. Non ex eo tamen per se, liberationis nostræ effectus consecutus esset (quod certe fieri debuisset, si id verum pretium nostræ redemptionis fuisset) nisi Deus, ut idem Petrus subjungit, à morte ipsum Christum vindicasset, & gloria donasset, & nos à mundanis concupiscentiis ea ratione avocasset, ad seque traxisset. Mortis nihilominus Jesu Christi sit semper, ut dixi, præcipua mentio, quoniam

nihil Chriſtus fecit, nihil ipſe Deus, quo magis ſuam charitatem nobis teſtatam reliquerit noſque ſibi arctius devinxerit. Atque, quod ad Chriſtum attinet, ea, quæ poſt ejus mortem conſecuta ſunt, ſibi ipſe non aſcribit, ſed patri; & ſibi tantum, quæ prius juſſu ejus fecerat, tribuit. Jam jam enim ad ſupplicium rapiendus, & ita antequam reſurgat, orans patrem, ſic fatur, *Ego te clarificavi ſuper terram; opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut facerem, & nunc clarifica me, tu pater, apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Joh. 17. 4, 5. Hinc etiam factum eſt, ut non reſurrectionis ſuæ, licet fidei noſtræ, quod ad ejus perſonam attinet, ut ſupra expoſitum eſt, præcipuæ ac potiſſimæ cauſæ & fundamenti, ſed mortis tantum perpetuam & ſolennem in Eccleſia ſua celebrari memoriam Chriſtus voluerit, nam & ea ipſius proprium eſt opus, & in ea tum ipſius, tum Dei, ejus, noſtrumque patris, magis, quam vel in reſurrectione, vel ulla alia in re ad ſalutem noſtram ſpectante, ſuprema & ineffabilis charitas elucet atque conſpicitur.

Ex his omnibus tandem crediderim, argumentum tuum, quod ex ſignificatione verbi redimendi duxeras, penitus evanuiſſe, & ad omnia teſtimonia, quæ vel tu profers, vel proferri poſſunt, in quibus de redemptione noſtra per Chriſtum facta agatur, ſive ſimpliciter in eis redemptionis mentio fiat, ſive addatur, ipſum Chriſtum pretium redemptionis noſtræ fuiſſe, ſive etiam in ſanguine, ſeu per ſanguinem, vel interveniente ſanguine ipſius, redemptionem nos habere, cumulate reſponſum fuiſſe; & jam tibi ipſi aperte conſtare, quo ſenſu, id eſt, quam ab opinione tua abhorrente, dictum fuerit à Paulo, Chriſtum factum nobis fuiſſe à Deo redemptionem 1 Cor. 1. 30. De quo loco infra fortaſſe aliquid explicatius dicemus. Quibus etiam illud addere non abs re fuerit, te ipſum redimendi verbo, cum de redemptione noſtra ageres, videri omnino metaphorice uſum fuiſſe, hoc eſt, ibi, ubi nullum verum pretium intervenit; ſi quædam ex iis, quæ nunc à me examinantur, verba tua, accuratius conſiderentur. Scribis enim, *Sic à Deo Chriſtum factum eſſe nobis redemptionem, ut interea ad nos redimendos animam ſuam pro nobis ut bonus paſtor pro ovibus poneret.* Videris ſane in his verbis tacite ſaltem fateri, bonum paſtorem, ad redimendas oves ſuas, animam ſuam pro ipſis ponere, & interim modum, quo redempti ſimus, iſta ab ipſo Chriſto allata ſimilitudine explicare. Atqui bonus paſtor non ſolvit cuiquam animam ſuam pro redimendis ovibus ſuis; ſed tantummodo, ut ipſas conſervet, ſuimet rationem non habet, & libenter vitam ſuam periculo exponit; atque eo pacto oves redimit, id eſt, à lupi rabie, & à morte liberat.

Nunc ad cætera teſtimoniorum tuorum capita deveniendum eſſet. Sed antequam id fiat, explicandus eſt adhuc locus unus, in quo redemptionis, quæ in ſalute nobis comparanda intervenit, mentio fit, neque cum ullo ex jam examinatis teſtimoniis poteſt conferri; cum non de redemptione noſtri ipſorum, ſed tranſgreſſionum noſtrarum in eo agatur. Eſt autem is locus ad Hebr. 9. 15. De quo ſupra, propter vocem Mediatoris aliquid diximus. Inquit enim auctor ille: *Et ideo Novi Teſtamenti mediator eſt, ut, morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priore Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis.* Atque hoc unum teſtimonium plus ponderis habere, quam cætera cuncta, videri poteſt. Non enim redemptionem hic pro ſimplici liberatione ejus rei, quæ redempta dicitur, interpretari poſſumus. Alioqui prævaricationes noſtras liberatas fuiſſe, dixiſſet Apoſtolus; quod abſurdiſſimum eſt dicere. Sed omnino ſatisfactionem, ſeu compenſationem earum ſignificare videtur; ad quam peragendam mors Chriſti interceſſerit. Nam & apud Latinos verbum redimere eo ſenſu nonnunquam profertur. Verum ſciendum eſt, redemptionis, ſeu redimendi verbum aliquando, quamvis liberationem non ſignificet ejus rei, quæ redempta dicitur, liberationem tamen ab ea ſignificare. Quo ſenſu dixit Salomo Prov. 16. 6. *Miſericordia, & veritate redimetur iniquitas.* Quorum verborum ſententia eſt, non quidem compenſari iniquitatem miſericordia, & veritate, ſive pro ipſa ſatisfieri (iſtud enim à veritate alieniſſimum eſt, ſi veram compenſationem, & ſatisfactionem, de qua nos agimus, intelligamus) ſed, iniquitatem expiari, id eſt, iniquitatis pœnam effugi ab eo, qui ab iniquitate ad juſtitiæ opera ſe convertit; non quidem ejuſmodi converſionis merito, ſed divina benignitate ita ferente, ac ſtatuente. Quanquam ut nihil diſſimulem, in Hebræo eſt verbum Caphar, quod potius expiare, & condonare ſignificat, quam redimere. Ex eo tamen verbo nomen Copher deducitur; quod pro Pidion uſurpatur, & non minus, quam illud, pretium redemptionis ſignificat; cum tamen interim expiationem quoque ſignificare poſſit. Cui reſpondere videtur nomen Græcum ἀπολύτρωσις & idcirco fortaſſe rectiſſime, ea vox in loco ad Hebræos de quo agimus expiationis voce à Seb. Caſtell. reddita fuit. Nam ſupra quoque monuimus, nomen iſtud, quod vulgo redemptionis nomine redditur, poſſe in hac materia expiationem ſignificare. Sed alius eſt locus in Vetere Teſtamento, ſecundum non modo vulgatam & recentiorum verſionem Latinam, ſed etiam antiquam Græcam (ex qua mirum eſt quam multa in Apoſtolorum, & Euangeliſtarum ſcripta derivata ſunt) in quo idem loquendi modus habetur; quamvis in fonte vero paullo aliter ſit. Atque eſt is locus apud Pontificios, ad ipſorum ſatisfactiones ſtabiliendas, celeberrimus, apud Danielem videlicet, cap. 4. 24, qui ſic Regem Nabuchodonoſorem alloquitur: *Quamobrem, rex, conſilium meum placeat tibi; & peccata tua juſtitia* (ſive *eleemoſynis*) *redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Ubi nihil aliud intelligi debet, quam juſtitiæ operibus, ſive eleemoſynis, & miſericordiis pauperum liberari hominem à peccatis, & ab iniquitatibus ſuis; vel quia eo pacto ab iniquitate, & peccato recedit, & ita ab eis liberatur ſive eripitur (ut verbum Chaldaicum, quod redimendi verbo verſum fuit, vere ſignificat) vel quia, ut paullo ante dictum eſt, ea ratione per benignitatem Dei pœnam ſuis peccatis debitam effugere illi datur. Atque hæc verbi redimendi ſignificatio ipſis Latinis ſcriptoribus eſt ſatis familiaris. Ex quibus omnibus planum fit, per redemptionem prævaricationum, nihil aliud ſcriptorem illum intelleXiſſe, quam ab ipſis prævaricationibus liberationem. Quid autem id ſibi velit, à nobis abunde in ſuperioribus eſt demonſtratum. Itaque reliqua Sacrarum Literarum teſtimonia, quæ tibi favere videntur, jam tandem aggrediamur.

CAPUT IV.

Explanantur loca Sacrarum Literarum, in quibus ſimpliciter dicitur, aut Chriſtum portaſſe peccata noſtra, aut quidpiam ſimile; atque oſtenditur, hinc minime concludi debere, Chriſtum omnes pœnas pertuliſſe, quas nos propter peccata noſtra pendere debuiſſemus.

SEquitur, ut de iis ſacris teſtimoniis videamus, in quibus, Chriſtum tuliſſe ſeu portaſſe peccata noſtra, ſive languores & dolores noſtros, ſcriptum legitur. Quæ teſtimonia te ideo attuliſſe certum eſt, quod exiſtimes, inde aperte probari, Chriſto à Deo imputata fuiſſe peccata noſtra, & eorum pœnas ab ipſo exactas eſſe. Quod ſi animadvertiſſes, ferre & portare in Sacris Literis per metonymicam quandam tranſlationem, auferre nonnunquam ſignificare (quod enim alicunde aufertur, ab eo, qui aufert, tantiſper dum id abjiciat, aut alibi deponat, portatur) nunquam ex illis loquendi modis tantam veritatis ſententiæ tuæ opinionem concepiſſes; tametſi alioqui hæc locutio, portare peccatum, ſeu iniquitatem, in Sacris Literis ſignificare ſoleat,

pœnam

pœnam peccati, ſeu iniquitatis, ſubire. Abſtuliſſe enim Chriſtum peccata noſtra nihil tuam ſententiam juvat; ut melius poſtea videbimus. Interim ferre, ſeu portare, auferendi ſimpliciter ſignificationem aliquando habere demonſtremus, præſertim cum peccatis jungitur. Scriptum eſt Exod. 34. 7, de Jehova, *Servans miſericordiam millibus, auferens iniquitatem, & prævaricationem, & peccatum.* In Hebræo autem eſt, pro auferens, Nóſe; quod portans proprie ſignificat. Nam quod quidam Condonans, ſeu remittens interpretantur: id quidem veritatem continet; ſed potius modum, quo fiat à Deo id, quod verbum ſignificat, quam ipſam verbi ſignificationem exprimit. Siquidem peccatum, ſeu prævaricatio, ſive iniquitas in hoc, & ſimilibus locis non delictum ipſum, hoc eſt, ipſum factum, quod proprie auferri nequit, ſed delicti reatum, & pœnam declarat. Et idcirco, ſicuti, auferre reatum & pœnam peccati, proprie diceretur: ita etiam auferre peccatum, hac vocis peccati ſignificatione ſervata, proprie dicitur. * Eundem prorſus loquendi modum, eandemque verbi Hebræi Naſà ſignificationem habes, Num. 14. 18, & multis aliis in locis illud verbum iſtam ſignificationem obtinet; eoque uſus eſt Eſaias in loco à te citato. Unde ſcriptores Novi Fœderis & ipſi aliquando βαστάζειν, quod proprie portare ſeu bajulare ſignificat, pro auferre uſurparunt. Nam Joh. 20 15, ubi ſcriptum eſt, *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum*, in Græco eſt, κύριε εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, &c. Propterea cum apud Eſaiam legitur de Chriſto, *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, non intelligendum eſt, Chriſtum ſuſtinuiſſe univerſas pœnas, quas nos ſuſtinere debueramus; id enim, ut ſupra leviter attigimus, & infra latius demonſtrabitur, falſiſſimum eſt. Sed ſenſus eorum verborum eſt, Chriſtum à nobis omnes dolores & languores noſtros abſtuliſſe, & nos (ea ratione potiſſimum, quam paullo ante expoſuimus) ab omnibus noſtris malis redemiſſe, & liberaſſe.

Dices, vehementer coactam eſſe hanc intepretationem, & tranſlationem iſtam verborum portandi, & ferendi raro à ſcriptoribus ſacris uſurpari, immo fortaſſe nunquam in verbo Sabal, quo ſecundo loco in illis verbis utitur Propheta. Sed en tibi Matthæus, qui cap. 8. 16, & 17, eo modo, quo ego feci, locum illum Eſaiæ interpretatur, & in eo tranſlationem iſtam explicat, atque agnoſcit. Inquit enim, *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes; & ejiciebat ſpiritus verbo: & omnes male habentes curavit; ut adimpleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem, ipſe infirmitates noſtras accepit, & morbos portavit.* Num, rogo te, Jeſus Chriſtus eorum, qui male habebant, infirmitates, & morbos ab illis in ſe transferebat, atque eo pacto illos ſanabat? An non manifeſtum eſt, ſanaſſe eum ægrotos, ab ipſis tantum morbos depellendo? Qui autem inſolens, & ridiculus ſanandi modus iſte fuiſſet, cum, ut illi ſanarentur, ſatis eſſet ab ipſis morbos fugare, neque, ut eos Chriſtus in ſe ſuſciperet, quidquam vel cogeret, vel ſuaderet? Eadem igitur ratione locum illum ad ſpirituales noſtras infirmitates, & morbos accommodantes, tantum interpretem imitati, dicamus, Chriſtum peccata & ſcelera noſtra, ſive eorum pœnas portaſſe quidem, & ſuſcepiſſe, at non in ſe transferendo, ſed à nobis auferendo: & ridiculum futurum fuiſſe, ſi is, ut nos liberaret peccata & ſcelera noſtra in ſe, nulla ratione vel cogente, vel ſuadente tranſtuliſſet: quæ ſimpliciter à nobis auferendo, liberaliſſimum iſtud atque egregium opus perficere poterat. Hinc patet, ea, quæ eodem cap. 53 Eſaiæ de Chriſto, qui noſtras iniquitates, aut peccata noſtra tulerit, repetuntur, aliud nihil ſignificare, quam Chriſtum omnia peccata & ſcelera noſtra, ſive eorum pœnas à nobis ſuſtuliſſe, & quodammodo in longinquam aliquam regionem ſecum aſportaſſe. Nam Franciſcus quoque Vatablus in illis verbis, quæ ad finem capitis ſunt, *& ipſe peccatum multorum tulit*, verbum tulit ſuſtulit interpretatus eſt.

Fuit autem hæc in peccatis auferendis metaphora oculis expoſita populi Iſraëlitici in hirco illo emiſſario, de quo in Levit. 16, ſuper quem Aharon juſſu Dei omnia populi delicta confitebatur, & ejus capiti imponebat; quæ ille deinde emiſſus in deſertum ſecum aſportabat. Non enim illi hirco vere populi peccata imputari poterant: neque is abiens vere ſecum illa portabat; ſed non minus à populo ablata fuiſſe omnia peccata, indicare volebat Dominus, quam ſi hircus ille, ſuper ſe univerſa habens, in deſertum illa aſportaſſet. Sed dices, hunc typum Chriſti fuiſſe, cui vere peccata imputari potuerint à Deo, atque ea ratione à nobis auferri. Immo, quia hic Jeſu Chriſti typus fuit, quemadmodum per hircum illum peccata non ideo auferebantur, quod ipſi hirco imputarentur: ſed quia, peracta tota illa cerimonia, perinde à peccatis populus univerſus liberabatur, ac ſi hircus ille ea ſecum in deſertum aſportaſſet; ſic etiam per Chriſtum peccata non ideo auferuntur, quia ipſi à Deo imputata fuerint, quod nec fieri potuit, ut poſtmodum demonſtrabitur: ſed quoniam, iis peractis, quæ per Chriſtum, & in Chriſto peragenda erant, peccata noſtra à nobis quam longiſſime receſſerunt: non ſecus ac ſi Chriſtus ea omnia ſecum in terram aliquam inhabitabilem & inacceſſam aſportaſſet. Verumtamen in eo figuratum figura præſtantius eſt, quod, quamvis effectus, qui ſolus adumbrabatur, utrobique pro rei qualitate idem fuerit: tamen hircus ille vere ea in re nihil efficiebat, Chriſtus autem multum effecit. Nam, iis peractis, quæ in ipſius perſona peragi debebant, eorum vi peccata noſtra abſtulit, atque delevit. Id vero quomodo intelligendum ſit, etſi ſupra à me abunde explicatum fuit, hic nihilominus tamen illud repetere placet, non quia eorum cauſa, quæ fecit, & paſſus eſt Chriſtus, Deus, utpote ſatisfactione accepta, peccatorum pœnas à nobis jam repetere jure nequeat, id contigiſſe, vel quia ad delictorum veniam nobis concedendam Deum moverit Chriſtus; ſed quia eorum, quæ à nobis pro tantæ Dei liberalitatis effectu conſequendo fieri debebant, Chriſtus in nobis auctor, & cauſa fuit: & quia, ut Chriſtus ipſe, quemadmodum Deus decreverat, nos reipſa tandem tam eximii doni participes facerat, neceſſe erat in ejus perſona ea omnia peragi, quæ peracta fuerunt: neque alia ratione, idque maximo noſtro, ut vidimus, bono, fructum immortalis benificentiæ ſuæ nos ſentire poſſe, conſtituerat Deus.

Quin iis, quæ jam dicta ſunt, illud etiam addo, alio præterea nomine de Chriſto dictum fuiſſe, quod abſtulerit peccata noſtra, quia ſcilicet auctoritate ſibi à patre tradita hominibus reſipiſcentibus, & ſibi fidem habentibus peccata ipſe condonavit, immo, quacumque ratione illi placuit, & cuicumque voluit, veniam delictorum dum in terris fuit, pleniſſimam in hac vita dedit. Nec mihi dicat aliquis, vel, ut Deum ſimpliciter, non autem ut mediatorem, illum hæc præſtitiſſe, vel, ejus diſcipulos idem feciſſe. Nam, quod ad ipſum Chriſtum attinet, manifeſtum eſt, eum, ut mediatorem, peccata condonaſſe. Id enim primum luculenter probatur per illa ipſius verba: *Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, &c.* Matth. 9. 6. Marci 2. 10. Luc. 5. 24. Nam apud omnes hos tres Euangeliſtas Chriſtus, cum hæc diceret, nominavit ſe filium hominis; & ita, ut hominem, ut mediatorem, eam ſe poteſtatem habere declaravit. Murmuraverant enim Judæi, cum audiſſent illum paralytico dicentem, *Remittuntur tibi peccata tua*; & dixerant, blaſphemaſſe eum; quia ſolus Deus remitteret peccata. Quibus reſpondens Chriſtus, non negat, ſolum Deum peccata remittendi poteſtatem habere, ſed ſibi, licet homini ab ipſo Deo eandem poteſtatem conceſſam eſſe ait; & idcirco addit etiam verba illa *in terra*. Ac ſi diceret, ego ipſe, quanquam mortalis, & in terra habitans,

* Tertull. lib. 4. adverſus Marcionem, ipſe igitur eſt Chriſtus Eſaiæ, remediator valetudinum. Hic, inquit, imbecillitates noſtras aufert, & languores portat. Portare autem Græci etiam pro eo ſolent ponere, quod eſt tollere.

dum vobiſcum ſum, hanc poteſtatem habeo, & in terram hac poteſtate donatus deſcendi. Hoc munus mihi in terris verſanti demandatum eſt; quod vos tamen ignoratis. (Quanquam, cum ex Marco conſtet, verba illa, In terra, cum verbo Dimittendi conjungenda eſſe, alium eorum ſenſum eſſe ſuſpicor; quam paullo ante attigi, cum delictorum pleniſſimam veniam in hac vita dandi poteſtatem, pro illo etiam tempore, Chriſto aſſerui.) Sed, ut ſciatis rem ita ſe habere, meque rem prorſus incredibilem vobis non exponere: aliquod ſtatim hujuſce rei indicium dabo. Effectum enim aliquem remiſſionis peccatorum vobis oſtendam; & id, quod verbo aſſerui, reipſa præſtabo. (Dixerat autem prius paralytico, ut eum ſanaret, ſibi oblato, *Confide fili: Remittuntur*, &c. id eſt bono animo eſto; ſanaberis. Condonantur enim tibi errata tua.) Et mox ſubjicit, *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Quod ſi inter omnes conſtat, poteſtatem hæc mira faciendi Chriſtum, ut mediatorem & hominem, habuiſſe, ſibi enim illam à patre datam eſſe, ipſemet fatetur, Joh. 5. 36, ubi mira opera, quæ faciebat, ſibi à patre data fuiſſe ait, & Joh 9. 4, ubi cœco nato viſum reſtiturus, opera illius, qui ipſum miſerat, ſe operari oportere dicit, & Joh. 10. 25, ubi hujuſmodi opera ſe in nomine patris ſui facere profitetur; Certe, ut ipſe Chriſtus argumentatur, peccata etiam dimittendi, ut hominem & mediatorem, poteſtatem eum habuiſſe, concludendum eſt. Adde, quod populus, paralyticum ſanitati reſtitutum animadvertens, glorificavit Deum, inquit Matthæus, qui ejuſmodi poteſtatem hominibus dederat. Quam vero poteſtatem? Nempe eam, quam Chriſtus, filium hominis in terra habere, ſe demonſtraturum promiſerat. Ad cujus verba manifeſtam relationem habent ea verba ſive ipſius euangeliſtæ ſeu mavis populi; quæ tamen niſi recte, & ſancte dicta fuiſſent, nunquam Matthæus ea ſic ſimpliciter commemoraſſet. Probatur præterea, Chriſtum in perſona Mediatoris peccata condonandi poteſtatem habuiſſe, eaque condonaſſe, per verba illa Pauli ad Col. 3. 13: *Condonantes vobis mutuo, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Chriſtus donavit vobis* (nam in Græco non *Dominus*, ſed *Chriſtus* diſerte legitur.) Hanc enim ipſam condonationem à Deo per ipſum Chriſtum & ſic à Chriſto ut Mediatore factam fuiſſe, demonſtrat locus ille ad Eph. in fine cap. 4, qui huic aperte reſpondet, *Eſtote autem invicem benigni miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.* Quemadmodum etiam ſupra vidimus, eundem Paulum 2 ad Cor. cap. 5 ſcripſiſſe, Deum fuiſſe in Chriſto mundum ſibi reconciliantem, eis ipſorum peccata non imputando. Atque receptæ opinionis, quod Chriſtus videlicet pro peccatis noſtris Deo ſatisfecerit, maxima abſurditas vel ex hoc patere poteſt, quod Chriſtus ipſe, ut Mediator, peccata nobis gratuito condonavit. Quid enim commune habet condonatio cum ſatisfactione? Quomodo fieri poteſt, ut, qui debitum remittit, idem debitum illud pro debitore ſolvat? Sed iſtius humani commenti non abſurditas tantum, ſed impietas quoque poſtea, Deo bene juvante, clarius patefiet. Interim animadvertendum eſt, cæteris cauſſis à me ſupra expoſitis, propter quas Chriſtus Servator noſter agnoſci debeat, hanc addi debere, quod ſcilicet ipſe auctoritate & poteſtate ſua, à Deo Patre accepta, omnium delictorum veniam nobis largitus fuerit. Quod ſi, ut dixi, Chriſti diſcipulos mihi objicias, qui peccata remittendi poteſtatem & ipſi habuere, præter ea, quæ in præcedentibus, quæſtionibus de annunciatione, & confirmatione viæ ſalutis à me dicta ſunt, quæ huic loco optime accommodari poſſunt, ut quanta inter Chriſtum, & Apoſtolos in peccatis condonandis differentia ſit, agnoſci queat: Johannis Calvini verbis potius, quam meis, tibi reſpondebo; qui in explanatione illius Matthæi loci modo à me explicati, de Chriſto loquens, ſic ait: *Hæc itaque poteſtas, quam ſibi vendicat, longe alia eſt, quam quæ Apoſtolis mandata fuit, & qua hodie funguntur Eccleſiæ paſtores. Non enim tam remittunt ipſi, quam remiſſa teſtantur, dum injunctam ſibi legationem promulgant.* Ex iis, quæ hactenus à me dicta ſunt, ſatis perſpicere potes, quid ſignificet, Chriſtum languores noſtros, & dolores tuliſſe, & peccata noſtra portaſſe, & quam, ipſa Sacra Scriptura interprete, eorum verborum ſenſus à tua interpretatione ſit alienus.

CAP. V.

Tria Eſaiæ Prophetæ loca cap. 53. expenduntur atque explicantur, ex quibus colligi poſſe videtur, Chriſtum perſolviſſe pœnas noſtrorum peccatorum, ejuſque morte iræ Dei pro nobis ſatisfactum fuiſſe; hæcque inde minime colligi poſſe, demonſtratur.

VErum adhuc tibi non ſatisfieri dices, cum apud eundem Eſaiam eodem loco ſcriptum ſit, Deum poſuiſſe in Chriſto iniquitatem omnium noſtrum. Quod ſane ſignificare videtur, illi à Deo imputata fuiſſe omnia peccata noſtra, & eorum omnium debitas pœnas illum perpeſſum fuiſſe. Iſti Eſaiæ loco jam ſatis reſponſum eſt, cum de hirco emiſſario, de quo Levit. 16 agitur, locuti ſumus. Nam, quemadmodum dicitur ibi, Aharonem ponere omnia populi errata ſuper hircum, non quia ipſi hirco imputarentur, aut quia hircus ille pœnas erratis populi debitas penderet: ſed quoniam ea ſecum aſportare cenſebatur, non ſecus ac ſi ſuper illum univerſa poſita fuiſſent; Sic, Deum in Chriſto iniquitatem omnium noſtrum, ſive pœnam iniquitatibus noſtris debitam, poſuiſſe, ſcriptum eſt: non quia illi errata noſtra imputata fuerint, vel eorum pœnas ipſe vice omnium noſtrum ſubierit; ſed quoniam non aliter, atque ſi ſuper ſe omnes iniquitates noſtras, & ſupplicia illis divina lege debita habuiſſet, quam longiſſime a nobis ea aſportavit, atque projecit. Præterea non ea eſt vera interpretatio verborum Hebræorum, quam vetus interpres, & nonnulli poſt ipſum amplexi ſunt. Siquidem verbum Hiphgiah non Ponere, aut conjicere, ſed vel occurrere, vel occurrere facere proprie ſignificat, & per tranſlationem Orare & precari, præſertim pro alio, vel propter rem aliquam. Qui enim eo modo orat & precatur, occurrit quodammodo ei, quem precatur. Hinc etiam aliquando nonnulli minus Latini Scriptores intercedere, quod proprie, quod ad propoſitum noſtrum attinet, ſe opponere ſignificat, pro eo, quod eſt, pro alio orare & deprecari uſurparunt; expreſſa tamen tum apud Hebræos, tum apud Latinos perſona, five re, pro qua, ſeu propter quam, preces interponuntur. Et in hac ſignificatione utitur Propheta eo verbo in fine ejuſdem capitis in illis verbis, *Et pro tranſgreſſoribus rogavit.* Nam in Hebræo eſt *Ulpeſciaim hiphgiah.* Non crediderim tamen, hoc loco in ea ſignificatione uſurpatum id fuiſſe ab Eſaia; quamvis non deſint, qui totum locum ita verti poſſe dicant, *Et Jehova rogare fecit eum pro iniquitate omnium noſtrum.* Ex quibus eſt Sanctes Pagninus. Nam inter cætera, ejus verbi conſtructionis modus, quo hic utitur Propheta, iſtud nequaquam ferre poſſe videtur. Sed neceſſe, ut arbitror, omnino eſt, verba ita interpretari, *Et Jehova occurrit per eum*, ſive potius, *cum eo, iniquitati omnium noſtrum*, aut, *Et Jehova occurrere fecit ei iniquitatem omnium noſtrum* Vide Hierem. 15. 11. Priore modo ſenſus erit, Deum per Chriſtum omnes iniquitates, ſeu iniquitatum pœnas à nobis, illis quodammodo per ipſum, vel cum ipſo occurrendo, depuliſſe. Poſteriore autem modo ſenſus erit, Deum effeciſſe, ut omnium noſtrum iniquitates Chriſto obviam fierent, & ipſum quodammodo aggrederentur; cum noſtrarum iniquitatum cauſſa eum mori voluerit. Id autem quid ſibi velit, ex iis, quæ jam diximus, conſtare poteſt, & paullo poſt apertius conſtabit.

Et quando caput hoc 53. Eſaiæ præ manibus habemus, duo, quæ præterea ex ipſo teſtimonia citas, ſeparatim alterum ab altero examinare, quamvis uno

quaſi

quaſi contextu verborum contineantur, & idem fere ſenſus utriuſque ſit, operæ pretium fuerit; præſertim cum ea haud ſane incommode ad hoc, quod præ manibus habemus, tuorum teſtimoniorum caput aliqua ratione referri poſſint. Unum eſt, *Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum.* Id autem nihil aliud ſignificat, quam, Chriſtum flagella, & afflictiones ſubiiſſe, quæ nobis pacem, id eſt felicitatem, & quietem pepererunt. Caſtigationis enim vox hoc loco non ſumitur pro vera punitione, ſed pro ſimplici afflictione & percuſſione. Affliguntur enim & cæduntur ii, qui caſtigantur. Eadem hac metonymia utitur Aſaphus Pſal. 73. 14 cum ait, *Et fui flagellatus tota die, & fuit increpatio* (ſive *caſtigatio*) *mea ſingulis matutinis.* Qui locus in annotationibus magnorum Bibliorum Roberti Stephani ad hunc modum redditur, *Nam quotidie plagas fero, ſingulisque matutinis afflictio mea eſt.* Quam interpretationem ſuadent omnino loci circumſtantiæ. Itaque vides, increpationem, ſeu caſtigationem pro afflictione uſurpari, nimirum, ut dixi, quia, quos increpamus ſeu caſtigamus, affligere ſolemus. Vox autem Hebræa, quæ ibi eſt, ei, qua hic utitur Eſaias, plane reſpondet. Utraque enim increpationem, ſeu correptionem & caſtigationem ſignificat. Atque apud Eſaiam eam vocem ſimpliciter pro flagello ſeu afflictione ſumere, non autem pro vera punitione, cogit vox Pacis, quæ ei non obſcure opponitur. Vide Hierem. cap. 29. 11. Vera enim antitheſis non eſt inter punitionem, & pacem, quemadmodum eſt inter pacem, & afflictionem. Siquidem Pax eo loco, ut fere apud Hebræos ſolet, id quod etiam à Græcis, & Latinis, & aliis interdum receptum fuiſſe videtur, non reconciliationem amicitiæ cum aliquo (nulla enim ibi mentio alicujus inimici, ſed tantummodo pacis noſtræ) verum quietem & felicitatem ſignificat. Eſtque Prophetæ ſenſus elegantiſſimus, quem modo expoſui, Flagella, ſcilicet, & afflictiones Chriſti, cauſſam fuiſſe, ut nos veram felicitatem & quietem conſecuti ſimus; quod nemo eſt, qui neget. Jam enim à me demonſtratum fuit, non niſi Chriſti calamitatibus, & morte interveniente, potuiſſe nos ad cœleſtem beatitudinem, tranquillitatemque aſpirare.

Alterum teſtimonium ſunt verba, quæ hæc proxime conſequuntur, *& in livore ejus, ſanitas nobis*, ſive potius, *medicatum eſt nobis.* Quod & veriſſimum eſſe fateor, & elegantiſſime dictum agnoſco. Propterea enim quod Chriſtus verbera, & vulnera in corpore ſuo patitur, corpuſque ejus totum frangitur, & fauciatur, anima noſtra è graviſſimis ſuis malis, & morbis eripitur, & ſuæ veræ & perfectæ ſanitati reſtituitur. Sed quanam ratione? Num fortaſſis ejus corporis plagis animæ noſtræ vulnera apud Deum compenſantibus, proque eis illi ſatiſfacientibus? Audi Petrum, qui divine hunc ſanationis noſtræ modum explicat, & totum hunc Eſaiæ locum interim dilucide explanat, ad finem cap. 2. prioris epiſtolæ, de Chriſto loquens: *Cujus*, inquit, *ejuſdem livore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oves errantes; ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum.* An non vides, quomodo Chriſti livor ſanitas fuerit nobis? Nimirum, quia, ut Petrus dicit, & ego ſupra late expoſui, mors Chriſti nos ad Deum, ſeu mavis ad ipſum Chriſtum convertit, atque ab errore, & perditione noſtra in viam ſalutis revocavit. Et hac de cauſſa Eſaias quoque, quem, ut dixi, Petrus illuſtravit, poſt ea verba, *& in livore ejus ſanitas nobis*, ſtatim ſubjicit: *Omnes nos, ſicut oves, errabamus; quiſque in viam ſuam declinaverat.* Quæ verba etiam faciunt, ut ea, quæ ipſa conſequuntur, & jam à me explanata ſunt, libentius priore, quam poſteriore ex à me ſupra expoſitis modis explicem. Hebræi enim, ut ſcis, vel non habent, vel ſæpe omittunt, vel ſimplici copula ſupplent ſermonis particulas quaſdam, quæ ſententiam magis exprimunt, & ab oculos ponunt. Quas nos, ſenſum potius, quam verba ſectantes, in eorum verbis interpretandis adhibere poſſumus. Quare ego totum hunc Eſaiæ locum, Petrum interea ſecutus, ſic vertetem. *Ipſe vulneratus* (ſive *occiſus*) *fuit, propter tranſgreſſiones noſtras, & contuſus propter iniquitates noſtras; & afflictionem ſubiit, quæ felicitatem nobis peperit; ejuſque livore nobis medicatum eſt. Omnes enim nos tanquam oves, errabamus; unuſquiſque noſtrum in ſuam viam declinaverat. Sed Jehova occurrit per ipſum* (ſive *cum ipſo*) *iniquitati omnium noſtrum.* Eodem autem ſenſu dixit Eſaias, nos livore Chriſti ſanatos fuiſſe, quo Paulus, Corinthios inopia ejuſdem Chriſti divites factos eſſe affirmat, 2 Cor. 8. 9. Non enim ſic loquitur Paulus, quia vere Chriſti inopia Corinthiorum divitiæ fuiſſent, vel quia Chriſtus inopiæ ſuæ æſtimatione eorum inopiam compenſaſſet: ſed quia, Chriſti inopia interveniente, illi ditati fuerant. Dum enim Chriſtus proprias divitias quodammodo relinquit, & ſimul omnes mundanas opes abjicit, atque aſpernatur: nos cœleſtibus bonis ditat atque exornat. De quibus ad eoſdem Corinthios prioris cap. 1. 4. ita ſcribit: *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis de gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu, quòd in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia; ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis; ita ut nihil vobis deſit in ullo dono.* Atque his loquendi modis pleni ſunt omnes boni auctores, qui eos etiam propter elegantiam quandam, quam antitheſes iſtæ continent, ſæpius affectare videntur.

Itaque vides, teſtimonia ex 53 cap. Eſaiæ deſumpta, ea inquam, quæ plus ponderis ad tuam ſententiam confirmandam habere videntur (de quibuſdam enim levioribus, quæ adhuc examinanda ſuperſunt, mox agemus) nullam vim ad eam ſuadendam in ſe continere: teque, tua opinione deceptum, in eorum ſenſu percipiendo à veritate quam longiſſime aberraſſe. Qua in re certe mihi riſum moviſti, cum ita laboras, ut de Chriſto ea dicta fuiſſe probes; quaſi, hoc àte evicto, jam nullum mihi effugium relinqueretur; aut quaſi dubitares, ne Judæorum more, ut ipſe ais, ea ad Chriſtum accommodari debere negarem, aut ad Chriſtum ab Apoſtolis, & Euangeliſtis accommodata fuiſſe, vel oblitus eſſem, vel non curarem; aut denique ita me amentem judicares, ut adverſus receptiſſimam hac noſtra ætate ſententiam diſputare, nedum eam penitus rejicere auderem, non prius diligenter & viſis, & examinatis, quæcunque pro ea confirmanda in medium afferri ſolent, inter quæ principem quodammodo locum obtinet ea vaticinationis Eſaiæ pars. Sed ſcito, me, & univerſa teſtimonia, quæ attuliſti, & multo plura jam pridem vidiſſe, & diligentiſſime examinaſſe, neque eorum unquam oblitum fuiſſe; & nihil in libris ſeu veteris, ſeu novi fœderis (in iis, inquam, de quibus in Eccleſia hodie nulla controverſia eſt) ſcriptum extare, quod à me non verum eſſe credatur, & ſumma cum reverentia non recipiatur. Quanquam, quod attinet ad ejus Eſaiæ capitis explanationes à Judæis allatas, quas ego nondum vel vidi, vel examinavi, non dubito, quin Propheta non minus ibi, quam alibi, ut mos eſt fere cæterorum quoque Prophetarum, ſub aliquo typo eam de Chriſto prophetiam expoſuerit. De quo ſi nobis conſtaret, tunc procul dubio appareret, quam eorum verborum ſententia, quatenus, inquam, de Chriſto intelligi debent, à communi hodie interpretatione diſtet. Neceſſe ſiquidem eſt, figuram figurato aliqua ratione reſpondere, & verborum interpretationem, quæ figurato accommodatur, per ſimilitudinem quandam admittere poſſe. Quod nullo modo fieri poſſe videtur, ſi vaticinationem illam ſecundum vulgatam opinionem explicare velis.

CAP. VI.

Expenditur locus 1 *Pet.* 2. *v.* 23. *& docetur, ibi nec verbis nec ſententia dici, Chriſtum ſuo corpore in cruce peccatorum noſtrorum pœnas ſuſtinuiſſe. Oſtenditur inſuper, etiamſi & apud Eſaiam, & apud*

Petrum ea legerentur, quæ Adverſarius putat, non tamen ipſius ſententiam inde confirmatum iri.

SEd ad inſtitutum noſtrum redeamus. Video enim, quamvis forſitan, Matthæo præſertim interprete, quid ſit, Chriſtum languores, & dolores noſtros portaſſe, & peccata tuliſſe, agnoſcere incipias: tuæ ſententiæ adhuc tamen tibi videri maximum fundamentum eſſe in illis verbis: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, apud Petrum epiſt. 1. cap. 2. 23. Quandoquidem ibi non pertuliſſe tantum peccata noſtra Chriſtus dicitur (Perferre autem nihil aliud eſt, quam ſuſtinere & pati) verum etiam additur, In corpore ſuo ſuper lignum, ut (quemadmodum tibi videri poteſt) omnes ſciant, id factum fuiſſe a Chriſto, dum in cruce corpore ſuo univerſas pœnas noſtris peccatis debitas pendit, atque exſolvit.

Verum animadvertere oportet primum, in Græco verbum, quod interpretes verterunt Pertulit, eſſe ἀνηνέγκεν, quod non Pertulit, ſed Abſtulit vertendum erat, non ſecus ac factum fuerit in epiſt. ad Heb. cap. 9. verſ. ultimo; ubi idem omnino loquendi modus habetur: nec præterea alibi (quod ſciam) in univerſis Euangeliſtarum, & Apoſtolorum ſcriptis. Legitur enim ibi, omnibus recentioribus interpretibus, veritate ipſa cogente, conſentientibus, *Ita & Chriſtus ſemel oblatus, ut multorum peccata tolleret*, &c. & vulgata editio habet, *ad multorum exhaurienda peccata.* Unde conſtat, ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας non Perferre peccata, ſed Peccata tollere, ſive auferre ſignificare. Deinde conſiderandum eſt, præpoſitionem In, quemadmodum omnes in infinitis pœne locis novi fœderis animadverterunt, ex Hebræi ſermonis proprietate, iſto in loco non aliud ſignificare, quam Per: atque ad hunc modum vertendum fuiſſe Petri locum iſtum: *Qui peccata noſtra ipſe abſtulit per corpus ſuum ſuper lignum.* Quorum verborum jam non poteſt is eſſe ſenſus, ut Chriſtus dicatur ſuſtinuiſſe peccata noſtra ſeu pœnam peccatorum noſtrorum in ſuo corpore cruci affixo: ſed, Chriſtum, corpus ſuum crucis morti tradendo, peccata noſtra abſtuliſſe. Neque vero minus Chriſti manſuetudinem, atque patientiam, de qua ibi agebatur, ob oculos ponit hæc, quam illa interpretatio; cum non minus in hac, quam in illa, eum crucis mortem patienter ſuſtinuiſſe dicatur, quod, tanquam omnibus notum, in exemplum, ut ſermo poſtulabat, quem inſtituerat, proponere voluit Apoſtolus; non autem, Chriſtum ſuſtinuiſſe univerſas pœnas peccatis noſtris debitas. Quod non ſolum nemini conſtabat, vel conſtare poterat: ſed ab omni veriſimilitudine alieniſſimum erat; quemadmodum ſuo loco demonſtrabitur. Et interim, propterea id Chriſtum feciſſe, ut peccata noſtra auferret, indicat Petrus, ut viam ſibi ſternat ad eos, ad quos ſcribit, à peccatis dehortandos, & penitus retrahendos: cum ob hanc ipſam cauſſam tanta mala ſponte paſſum fuiſſe Chriſtum, deinde apertius ſubjuncturus eſſet; & ad Chriſti ſimul charitatem eis graphice depingendam, & beneficium, quod jam per Chriſti mortem conſecuti fuerant, ipſis in memoriam revocandum. Id quod in ſequentibus verbis peregregie poſtmodum exequitur atque præſtat. Quæ omnia non ita cohærerent, ſi, Chriſtum pœnas noſtrorum peccatorum ſuſtinuiſſe, dixiſſet. Non enim ex eo, quod Chriſtus pœnas noſtrorum delictorum exſolverit, ſequitur, eum velle, nos peccato mori, & juſtitiæ vivere, ut ſtatim adjungit Apoſtolus. Sunt enim hæc duo natura admodum ſeparata; & non niſi ex accidente, hoc illius conſequens eſt. Sicuti etiam ex eo, quod quis alicujus debita ſolverit, non ſequitur, eum velle nullum æs alienum jam ab ipſo contrahi. Sed ex eo, quod Chriſtus ideo mortuus ſit, ut peccata noſtra auferret, rectiſſime & neceſſario conſequitur, eum velle, ut, peccatis relictis, juſtitiam amplectamur. Siquidem Auferre peccata, ut ex iis intelligi poteſt, quæ ſupra, cum de redemptione ageremus, differui, non ſolum à peccatorum pœnis liberare, ſed ab ipſa peccati ſervitute in hac vita vindicare ſignificat. Qua de re infra adhuc non pauca dicentur. Ex iis, quæ hactenus diſputavi, verum ſenſum illius Petri loci patere arbitror, & quam perverſe à pleriſque ad ſententiam tuam confirmandam vel è Græco verſus, vel explicatus fuerit.

Quid quod, etiamſi tibi concederem, & apud Petrum, & apud Eſaiam, & legi, & intelligi debere, Chriſtum pertuliſſe, & ſuſtinuiſſe peccata noſtra, & in ipſum omnium noſtrum iniquitatem incurriſſe, ſeu conjectam fuiſſe, non tamen ex eo ſtabiliretur ſententia tua? Nonne, qui occaſione iniquitatum alicujus affligitur, illius iniquitates perferre, & ſuſtinere dicitur? Hunc & ſimiles loquendi modos quotidie in ore habemus; adeo ut ſi quis, quantumvis innocens, ex alicujus vel filii, vel patris, vel fratris, vel amici, vel ejuſmodi conjunctæ perſonæ delicto, aliquod damnum, ut fit, ad ſe redire ſentiat, affirmare non dubitet, ſe peccatum illius ſuſtinere, atque etiam, quod plus eſt, ſe peccati illius pœnas luere. Nonne incurrit in me iniquitas illius, propter cujus iniquitatem ego divexor? Nonne, quod plus eſt, pœnam iniquitatis illius ego ſubeo, cujus iniquitatis occaſione ea perfero, quæ perferre non commerueram, & quibus ille jure plecti poterat, quamvis multo etiam majores pœnæ ab illo merito exigi potuiſſent, neque ego ideo ea perferam, ut ulla ex parte pro ipſo ſatiſfaciam? *Patres noſtri peccaverunt, inquit Hieremias, & non ſunt; & nos portavimus* (ſeu *portamus*) *iniquitates eorum*, Lam. cap. 5. 7. Quod certe non ſignificat, iſtos pertuliſſe omnes pœnas debitas ſceleribus patrum ſuorum, aut, minima etiam ex parte, Deo pro patrum iniquitatibus ſatiſfeciſſe: ſed occaſione earum iniquitatum ipſos afflictatos fuiſſe, & ex illis iniquitatibus non leve damnum ad eos rediiſſe, vel etiam, pertuliſſe ipſos ea, quæ juſtius patribus perferenda dari potuiſſent. Neque eſt, quod aliquis dicat, illis verbis ſaltem innui, imputata ipſis fuiſſe à Deo peccata patrum. Iſtud enim Deus nunquam facit, niſi filius patris veſtigia ſequatur, Ezech. 18. 20. Quod eo loco tacite commemorare, quamvis paullo inferius populum peccaſſe fateatur, ei quod animo intendebat Hieremias, vehementer adverſatum fuiſſet. Deum enim verbis illis ad miſericordiam flectere curabat. Præterea neque in eo ipſo Ezechielis loco, neque alibi unquam, ubi mentio fiat de iniquitatibus alterius portandis, eam locutionem ita interpretari poſſumus, ut peccata alterius, quæ portare quis dicatur, ei imputentur eo modo, quo vos peccata noſtra Chriſto imputata fuiſſe vultis, ſcilicet ut is, qui vere peccatum fecerit, tanquam innocens, & à peccato immunis, coram Deo habeatur: ipſe vero, tanquam ſi id peccatum commiſiſſet, puniatur, cum interim tamen coram Deo vere innocens alioqui & ſit, & habeatur. Ubique enim, ni fallor, aut ſimpliciter propter illius iniquitatem, ſive occaſione illius iniquitatis, afflictum ipſum fuiſſe, illo interim coram Deo ſonte remanente, ea locutione ſignificatur; aut erratum illius ipſi vere aſcribi, & ipſum coram Deo vere nocentem & eſſe, & haberi, & ob eam cauſſam juſte puniri poſſe: illo interim vel abſoluto, vel etiam culpæ nihilominus obnoxio remanente.

Quare jam ipſa luce clarius perſpicere potes, nulla ratione iſta Eſaiæ, & Petri teſtimonia vos adjuvare; & nihil amplius ex illis verbis colligi poſſe, quod vobis favere videatur, quam, Jeſum Chriſtum propter iniquitates noſtras fuiſſe morti traditum. De quo, cum teſtimonia tua inde ducta, quod Chriſtum portaſſe vel ſimpliciter, vel etiam in corpore ſuo peccata & iniquitates, ſive dolores & languores noſtros, ſcriptum extat, diluta fuerint, deinceps videndum eſt.

CAP. VII.

Explicantur ea ſacra teſtimonia, quæ affirmant Chriſtum propter peccata noſtra ſive pro peccatis noſtris mortuum

mortuum fuiſſe; & planum fit, inde minime colligi poſſe, Chriſtum morte ſua pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe.

EX eo igitur, quod partim apud Eſaiam eodem capite 53 partim vero apud Paulum, & Petrum ſcriptum legitur, Chriſtum vulneratum, attritum, paſſum, mortuum denique fuiſſe propter peccata noſtra, ſive pro peccatis noſtris, omnino concludi poſſe credis, eum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ plene ſatiſfeciſſe. Atque adeo in animo tuo id alte inſedit, ut, quoniam ego nego, Chriſtum juſtitiæ divinæ quidquam pro nobis ſolviſſe, credas me neceſſario etiam negare, Chriſtum pro noſtris peccatis mortuum eſſe; quemadmodum, ut infra videbimus, non vereris his verbis aſſerere, *At Chriſtus, ut dicis, non eſt mortuus pro peccatis noſtris.* Atque ita me contra manifeſta Sanctarum Litterarum teſtimonia loquentem facis; & omnes, in quorum manus ſcriptum tuum vel jam pervenit, vel perventurum eſt, cum præſertim in ipſo à te, ita ut ea de re aliis conſtet, integra ſententiæ meæ expoſitio non apponatur, ejuſmodi opinionem, id eſt, falſam ac perincommodam, de me concipere cogis. An in eo graviter erraveris, tibi ipſi judicandum relinquo, cum neque ex ſcripto, neque ex verbis meis ulla ratione id colligere potueris: & probe animadvertere poſſes, qualem invidiam omnium, qui Chriſtum profitentur, adverſum me iſtæc calumnia, ſi fidem inveniret, concitatura eſſet. Excuſo te tamen egomet apud me ipſum, & pro comperto habeo, te non calumniandi animo, ſed præjudicata illa tua opinione deceptum, ea me diſcere ſcripſiſſe, quæ ego ne per ſomnium quidem cogitavi unquam; maxime vero, cum ex tui ipſius verbis, ſi quis ea paullo diligentius expendat, quo ſenſu id me dicere affirmes, aperte conſtet.

Fateor igitur, & in Deo meo una cum cæteris Chriſto fidentibus glorior, Jeſum Chriſtum Dei Filium propter iniquitates noſtras, & pro peccatis noſtris, ut univerſa Sacra Scriptura teſtatur, mortuum eſſe. Sed inde tamen conſequi, conſtanter nego, ipſum Chriſtum alicui divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ſive illi id ſolviſſe, quod nos propter peccata noſtra ſolvere debuiſſemus. Mori enim propter peccata, ſeu pro peccatis alicujus, ut verba ipſa ſatis indicant, nihil aliud eſt, quam cauſſa, ſive occaſione peccatorum illius mori. Cauſſa autem, ſive occaſione peccatorum alicujus is certe moritur, qui ideo moritur, ut quis à peccatis ſuis retrahatur, utque illi fides fiat, peccata ſibi, ſi ab illis ſe retraxerit, condonatum iri, ac præterea ut is fructum ejuſmodi condonationis, & ita ipſam condonationem re ipſa ſentiat, & conſequatur. Atqui, ut nobis hæc omnia evenirent, mortuus eſt Chriſtus, quemadmodum jam à me probatum fuit. Ergo is jure propter peccata noſtra, ſive pro peccatis noſtris mortuus eſſe dicitur. Neque opus eſt ad iſta Scripturæ verba (ut ita dicam) verificanda, Chriſtum alicui juſtitiæ divinæ pro ipſis peccatis noſtris plene ſatiſfeciſſe. Quin rogo te, ex quonam Sacræ Scripturæ loco conjicere potuiſti, præpoſitionem Propter, ut de ea prius loquamur, iſtam ſignificationem habere? Certe, etſi ea dictio ubique in Sacris Litteris occurrit: non crediderim tamen, locum ullum reperiri, unde, eam in locis, de quibus agimus, iſtud ſignificare, quiſquam vel ſuſpicari quidem merito poſſit. An non animadvertiſti, cum toties apud ſacros ſcriptores hæc eadem locutio inveniatur, nempe, Propter peccata, nuſquam tamen illud ſignificare, quod tu credis, ſed tantummodo Peccatorum cauſſa? Num obſecro, ut de ſexcentis unum, aut alterum teſtimonium afferam, cum ſcriptum eſt 1 Reg. 14. 16, *Tradetque Jehova Iſraëlem propter peccata Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Iſraëlem*, intelligendum eſt, Iſraëlem, cum traditus fuit, ſatiſfeciſſe juſtitiæ divinæ pro peccatis Jeroboami? Nonne patet, *propter peccata Jeroboam*, nihil aliud ſignificare, quam, cauſſa peccatorum Jeroboami? At dices, ex illis verbis aperte colligi, punitum fuiſſe populum propter Jeroboamum, unde etiam in locis, de quorum ſententia controverſia inter nos eſt, intelligi debeat, Chriſtum punitum fuiſſe propter peccata noſtra. Primum iſtud longe aliud eſt, quam ſatisfacere pro peccatis. Poteſt enim quis puniri propter ſua, vel aliena peccata, nec tamen pro ipſis ſatisfacere. Nam David, nec leviter ſane, propter adulterium, & homicidium punitus fuit à Deo; neque tamen pro ipſis ſatisfecit. Immo tranſtulit ab ipſo Dominus peccatum ejus; ut legitur 2 Sam. 12. verſ. 13. Præterea non vere punitus fuit populus propter peccatum Jeroboami: niſi quatenus, ejus peccati occaſione, & ipſe peccaverat: ſed afflictus tantum à Deo & percuſſus. Neque enim, ut ſupra etiam attigimus, unquam Deus aliena peccata in quoquam vere punit, qui culpæ affinis non ſit. Adde, quod punitum fuiſſe populum, non ex vi eorum verborum, Propter peccata, quæ per ſe nihil aliud unquam ſignificabunt, quam, cauſſa, ſive occaſione peccatorum, ſed ex ſubjecta materia intelligi, neceſſe eſt. Quid? cum David Pſal. 39. 11. ſcribit: *In increpationibus, propter iniquitatem, corripis hominem, &c.* num intelligit increpari & caſtigari hominem à Deo, ut divinæ juſtitiæ ſatisfaciat pro iniquitate ſua, & non potius cauſſa, & occaſione iniquitatis ſuæ hominem à Deo affligi, ut diſcat ab iniquitate diſcedere? Huc accedit, quod attinet ad locum Eſaiæ, dictionem Hebræam, quæ reddita eſt Propter, eſſe Min, quæ non cauſſam finalem, ut vocant, ſed efficientem declarat. Quapropter aliud nihil ex illis verbis colligi poteſt, quam, Chriſtum à peccatis noſtris quodammodo occiſum fuiſſe, ſive peccata noſtra Chriſti mortis cauſſam antecedentem extitiſſe: non autem, ut effectus aliquis ad noſtra peccata ſpectans inde conſequeretur, ipſum mortuum eſſe; quamvis id alioqui veriſſimum ſit, tantum abeſt, ut ex verbis illis poſſit colligi, iſtum effectum ad noſtra peccata ſpectantem propterea ex Chriſti morte conſecutum eſſe, quod ſcilicet, pro illis divinæ juſtitiæ Chriſtus, moriendo, ſatisfecerit.

Sed quod evincere non potes ob vim præpoſitionis Propter, ex altera præpoſitione Pro omnino colligi debere fortaſſe ſperas, & innumeros locos in medium affers, in quibus ſcriptum eſt, Pro peccato, ſive Pro peccatis; per quæ ſcilicet verba nihil aliud ſignificetur, quam, ut pro peccato, ſive pro peccatis Deo ſatisfiat, ut, cum millies ſcriptum reperitur Sacrificium pro peccato, Hoſtiam pro peccatis, ſive aliquid ejuſmodi.

At enim, quamvis hac de re mox fuſius tractandum ſit, nunc id primum animadvertere opus eſt, dictiones Hebræas, & Græcas, quas in ejuſmodi locis boni interpretes verterunt Pro, verti etiam potuiſſe Propter; & nullam vere inter has duas præpoſitiones, quod attinet ad eos locos, eſſe differentiam: niſi, quod dictio Propter non ſolum finalem, ſed efficientem quoque cauſſam ſignificare poteſt: dictio autem Pro ſemper finalem ſignificat. Et idcirco, cum dictiones illæ Hebrææ, & Græcæ finalem, non autem efficientem cauſſam ſignificarent: ne quis errare poſſet, non Propter, ſed Pro eas verterunt. Deinde, ſi tu vere credis, in illis locis Pro peccato, ſive Pro peccatis, ſatisfactionem pro peccatis aliquam ſignificari, vehementer erras; ut poſtea demonſtrabo. Nunc, quantum præſens diſputatio requirit, dico, præpoſitionem Pro, ubicunque ſcriptum eſt, Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, cauſſam quidem finalem ſignificare, non tamen eo ſenſu, ut videlicet Chriſtus pro illis divinæ juſtitiæ ſatisfaceret: ſed, ut nos liberationem ab ipſis, pura Dei benignitate nobis oblatam, agnoſceremus, eamque re ipſa conſequeremur. Quæ vero ad hanc meam reſponſionem confirmandam afferre poſſem, ad ſequentis tuorum teſtimoniorum capitis examinationem reſervo; ubi de Sacrificiis veteris Fœderis pro peccatis oblatis agendum eſt.

CAPUT VIII.

Reſpondetur ad ea loca, in quibus ſcriptum eſt, Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum eſſe; ac potiſſimum demonſtratur, dictionem Pro, in ejuſmodi locutione, nullo modo ſignificare Vice, ſeu Loco.

SEd quid reſpondebis, inquies, ad ea teſtimonia, ubi Chriſtus pro nobis paſſus & mortuus eſſe legitur? Hoc nimirum, reſpondebo: Si in illis locis, dictionem Pro cauſſam finalem denotare contendis, jam abunde per ſuperiora reſponſum eſſe. Chriſtum enim noſtri cauſſa paſſum & mortuum eſſe, ideo rectiſſime dicitur, quia ut nos ſalutem æternam, quam ipſemet de cœlo nobis attulerat, amplecteremur, & conſequeremur, mori voluit. Et ita, ut nobis bene eſſet, ut nos ab æterna morte vindicaremur, ipſe & affligi, & mortem oppetere non recuſavit. Atque, ut tu ipſe fatearis, dictione Pro in finalis cauſſæ ſignificatione accepta, nihil aliud eſſe, Chriſtum mortuum pro nobis fuiſſe, quam, ut nos maximis beneficiis afficeret, ipſum vitam ſuam neglexiſſe: neque vel neceſſarium, vel etiam veriſimile eſſe, ut per ea verba ſacri ſcriptores, Chriſtum, ut pro nobis juſtitiæ divinæ ſatiſfaceret, mortuum eſſe, oſtendere voluerint; memineris eorum Joh. Apoſtoli verborum: *In hoc cognovimus charitatem, quòd ille pro nobis animam ſuam poſuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere*, primæ 3. verſ. 16. Ubi vides, nos quoque mori pro fratribus poſſe; non tamen quia pro illis divinæ juſtitiæ ſatiſfaciamus: ſed quia interdum morimur, dum curamus, ut aliquod longe ab iſto diverſum beneficium illi ſentiant. Nam & Paulus ad Col. cap. 1. 24. ita ſcribit: *Nunc gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & compleo, quæ deſunt afflictionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ipſius, quod eſt Eccleſia.* Vide 2 Tim. 2. 10. Non tamen Paulus pro Coloſſenſibus, ſive pro Eccleſia Chriſti ullo modo ſatiſfaciebat. Quanquam affligebatur, dum non minimum momentum ad Coloſſenſium, & Chriſti Eccleſiæ ædificationem afferre curabat. Verum enimvero, licet ita ſcriptum reperiatur, non tamen vere, & proprie dici poteſt, vel fratrem pro fratre mori, vel Paulum pro Coloſſenſibus, aut pro Eccleſia paſſum fuiſſe, ſicut vere & proprie dici poteſt, Chriſtum pro nobis paſſum, & mortuum eſſe. Neque enim frater ideo revera moritur, vel Paulus affligebatur, ut hic ſuis afflictionibus, ille morte ſua alicui beneficium, det, aut daret; quamvis, dum prodeſſe alteri curant, mortem, & afflictionem incurrant, & pro nihilo ducant. Chriſtus autem non modo, dum nobis bene facere ſtudet, mortem ſubiit: verum etiam in hunc ipſum finem ſponte mortuus eſt, ut nos ea ratione maximis beneficiis afficeret. Præterea is vere & proprie pro aliquo mori videtur, qui morte ſua illum in vita conſervat. Chriſtus morte ſua ex morte æterna nos eripuit, & in ſempiternam vitam tranſtulit. Quod nemo unquam præter ipſum aut fecit, aut facere poteſt. Adde, quod quicquid beneficii ad nos ex cæterorum afflictionibus, & morte redundat, id omne Chriſto acceptum referri debet; qui omnium primus mortuus eſt, & primogenitus ex mortuis factus, cæteris mortem pro fratribus non recuſandi, nec ab ea quidquam mali metuendi & exemplum, & cauſſam apertiſſimam ac certiſſimam dedit. Hinc Paulus ipſe ad Cor. priore cap. 1. 13. *Numquid*, inquit Paulus, *pro vobis crucifixus eſt?* Satis aperte indicans, neminem fuiſſe unquam, vel futurum eſſe, qui vere ac proprie pro hominibus mortuus ſit, aut mori poſſit, præter unum Chriſtum; qui pro ſalute noſtra primus & ſolus morti ultro ſeſe obtulit, & crucis ſupplicium in eum ipſum finem volens ſuſtinuit.

Quod ſi fortaſſe exiſtimas, præpoſitionem Pro in illis locis ſignificare Vice ſeu Loco, ut nihil aliud ſit, Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, quam vice, ſeu loco noſtrûm mortem ſubiiſſe: id adeo à veritate abhorret, ut nihil magis. Et certe hanc tibi opinionem eximere debuerant ii loci, in quibus, Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum eſſe legitur. Neque enim vice, ſeu loco peccatorum noſtrorum Chriſtus mori potuit. Itaque agnoſcere poteras, cum plane veriſimile ſit, in utriſque locis eandem dictionis Pro ſignificationem eſſe, nihil aliud, Pro nobis Chriſtum mortuum eſſe, ſignificare, quam, Noſtri cauſſa, quemadmodum, Pro peccatis noſtris mortuum eſſe Chriſtum, nihil aliud ſignificat, quam, Peccatorum noſtrorum cauſſa, ſeu, propter peccata noſtra, quemadmodum alicubi diſerte ſcriptum eſt; ut Rom. 4. 25, & ita omnia dilucida, & plana eſſe vidiſſes.

Sed ut error tuus, ſi forte in ea opinione es, tibi ipſi clarius innoteſcat: perpendamus, obſecro, quatuor, quæ tu protuliſti, teſtimonia. Primum eſt ex epiſtola ad Heb. cap. 2. 9, ubi ita ſcriptum eſt. *Eum autem, qui modico, quam angeli, minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum; ut gratia* (ſeu *beneficio*) *Dei pro omni guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam adducentem, principem ſalutis ipſorum per paſſiones perfectum reddere* (ſeu *conſecrare*.) Ex his verbis tantum abeſt, ut probari poſſit, Mori Chriſtum pro nobis, ſignificare, eum vice & loco noſtrûm mortem ſubire: ut contrarium omnino ex illis evincatur, & vera interim ſignificatio illius locutionis, id eſt, ea, quam ego attuli, patefiat. Inquit enim Apoſtolus, ideo Chriſtum, propter mortis paſſionem, gloria & honore coronatum fuiſſe, ut beneficio Dei pro omnibus guſtaret mortem. Quod quid aliud eſt, quam, propterea quod Chriſtus mortuus fuerit, omnes nos benignitate divina maximum beneficium conſecutos fuiſſe? non quidem propter ipſam mortem tantum: ſed quia, cum propter ipſam mortem Chriſtus gloria & honore coronatus fuerit, nos quoque gloria, & honore tandem coronabimur. Nam nec fieri poteſt, ut, quo caput perductum eſt, membra quoque non perducantur: & Chriſtus, qui vitam æternam nobis promiſit, ea ratione nobis eam largiendi pleniſſimam poteſtatem eſt adeptus. Unde etiam in mediis afflictionibus, & in ipſa morte conſolationem non levem experimur; & in fide, atque obedientia, quam Deo debemus, mirum in modum confirmamur: præeunte nobis per eaſdem calamitates eo, à quo nobis omnis felicitas exſpectanda eſt. Propterea ſubjungit ſcriptor ille, *Decebat enim*, &c. quæ verba à me jam in ſuperioribus diſputationibus explanata ſunt. Ex quibus manifeſtum fit, eos, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, eidem morti, eiſdemque perpeſſionibus obnoxios eſſe, quibus ille fuit. Et idcirco, antequam ſermonem ſuum Apoſtolus abſolvat, ait, miſericordem & fidelem pontificem nos in cœlis apud Deum habere, qui, cum tentatus fuerit, poteſt & iis, qui tentantur auxiliari. Quomodo igitur vice & loco noſtrûm mortuus eſt Chriſtus, ſi nos quoque perpetuo eidem mortis generi expoſiti ſumus, & animam noſtram effundere non minus, quam ille, parati eſſe debemus? *Si quis vult venire poſt me* (inquit ipſe Chriſtus) *abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me*, Luc. 9. 23.

Alterum ex tuis teſtimoniis eſt ex Cajaphæ vaticinatione deſumptum: qui dixit, expedire, ut unus homo moreretur pro populo, totaque gens non periret, Joh. 11 ℣. 50. Jam vero ſi mentem Cajaphæ, qui imprudens vaticinatus eſt, ſpectes: non potes ullo pacto voci Pro eam ſignificationem tribuere. Siquidem non id voluit dicere Cajaphas, bonum ſcilicet eſſe, ut Jeſus vice populi, qui jam morti deſtinatus eſſet, moreretur, & ita populum à morte liberaret, ejus morte in populi mortis locum ſubſtituta. (Hoc enim ſenſu, Chriſtum vos vice & loco noſtri mortuum eſſe contenditis.) Sed nihil aliud ſibi voluit, quam, cum aut ipſi perituri eſſent, ſi Chriſtum vivere permitterent, aut Chriſtus occidendus foret, ſi ipſi ſalvi eſſe vellent, ſatius eſſe, Jeſum ſolum

mori,

mori, & universum populum conservari, quam universum populum perire, & Jesum ipsum vivere. Atque hæc Cajaphæ mens optime per typum ad salutem nostram accommodari potest.. Nam, cum non nisi morte Christi interveniente, nos salvi esse possemus: satius fuit, ipsum mori, & nos omnes servari, quam ipsum vivere, & nos omnes perire. Verum, quemadmodum, ex ipsius Cajaphæ mente, non eadem vere erat perditio, & salus illius populi, quæ Christi (Populus enim ideo periisset, quod, vivo Christo, ipsi de quiete, & auctoritate sibi à Romanis permissa periclitati fuissent, ut ex præcedentibus summorum Sacerdotum, & Pharisæorum verbis aperte constat: Christus vero, quod mors illi subeunda esset; Populus item ideo salvus evasisset, quia sibi quietem illam, & auctoritatem conservasset: Christus autem, quia vivus remansisset) sic quoque non eadem est salutis, & perditionis nostræ, cum salute, & perditione Christi, de qua agitur, ratio. Salus enim nostra, vita æterna erat: perditio, item mors æterna. Christi vero salus, vita hæc temporaria: perditio, mors item temporaria erat.

Tertium testimonium, quod in medium proferre voluisti, sunt verba illa Petri in priore epistola sua cap. 2. ℣. 20. *Si bene facientes, & patientes, sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis: relinquens nobis exemplum, ut insequeremini vestigia ipsius.* Num tibi videtur, ex his verbis colligi posse, Christum loco nostrûm mortuum esse, cum, moriendo, ad eandem mortem, si opus fuerit, subeundam nos invitet, quippe qui nobis, ut insequamur vestigia ipsius, exemplum reliquerit? Nonne, ut ex primo tuorum testimoniorum, sic etiam ex hoc luculenter apparet, nullo pacto, Pro nobis mortuum fuisse Christum, significare posse, eum moriendo vicem nostram impleviſſe, cum ex utroque constet, ideo etiam mortuum fuisse Christum, ut nobis ad quantumvis atrocem mortem subeundam animos adderet, & nobis præiret?

Quartum & ultimum tuorum testimoniorum est cap. 10. Joh. ℣. 11 & 15, quibus locis simul junctis, probatur, Christum, ut bonum pastorem, animam suam posuisse pro ovibus suis. Atqui bonus pastor non ideo dicitur ponere animam suam pro ovibus suis, quia earum loco moriatur: sed quia propter ipsas servandas, si opus est, moritur. Neque enim, quamvis, dum ipse moritur, illæ re ipsa non serventur, is tamen animam suam pro ovibus suis non posuisse dicetur. Quid quod eo loco: Animam ponere, Mori vere non significat, sed, Mortis periculum subire? Nam si pastor moriatur, quomodo servabuntur oves, qui scopus est boni pastoris? Non igitur mortem eligit bonus pastor, aut eam volens subit, ut oves conservet. Istud enim eas penitus perdere esset. Verum, ut inquit eo loco ipse Christus, non est similis mercenario, qui lupum venientem videns aufugit, & miseras oves illi laniandas, & discerpendas relinquit. Sed ipsum & expectat, & aggreditur; atque ea ratione, ut ovium suarum vitam ab eo defendat, in vitæ periculum se ipsum adducit. Atque hujus pulcherrimæ & elegantissimæ similitudinis hanc verissimam esse explicationem constabit, si cum ea ipsum Christi factum componamus. Christus, ut nos ab interitu vindicaret, non ipse quidem interiit; neque enim in morte remansit: alioquin & nos una cum ipso omnes periissemus. Sed intereundi, quantum humanus sensus, & ratio assequi poterat, periculum sponte adiit. Morte enim Deo in primis execrabili mori non recusavit, & ab ipso Deo derelinqui. Proinde cum gemitu & clamore valido preces illi offerebat, ut se liberaret à morte Heb. 5. 7. Vidit venientem diabolum, qui interitus nostri habebat imperium, id est, tale imperium, quod interitum nobis afferebat; non aufugit: quinimmo cum ipso acriter, præsertim vero crucis mortem subeundo, conflixit, & tandem hac ratione ejus potentiam abolevit; & ita nos conservavit. Itaque animam suam pro nobis, ut bonus pastor pro ovibus suis, posuit Christus, non vice nostrûm moriendo: neque enim ab ea morte, quam ipse subiit, nos vel liberavit, vel liberare voluit; sed interitus, qui nobis imminebat, periculum adeundo: dum sæviſſimum lupum diabolum, ejusque omnem metum à nobis penitus depellere curat. Jam igitur & ratione ipsa suadente, & tui ipsius testimoniis comprobantibus, Pro nobis mortuum fuisse Christum, nihil aliud significare statuendum omnino est, quam, ipsum, ut nobis æterna vita contingeret, temporariam mortem sponte obiisse, non autem, nostræ mortis loco ejus mortem substitutam fuisse.

Sunt inter testimonia tua tria præterea, in quibus ea verba, Pro nobis, sive, Pro multis habentur. Unum est illud, quod non apud Matthæum, ut tu scribis, sed apud Lucam extat cap. 22. 19. & apud Paulum 1 Cor. 11. 24. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, vel *frangitur*. Quod quamvis à te inter testimonia de redemptione numeratum fuerit, nihil tamen cum ea commune habet. Nulla enim mentio ibi redemptionis; neque verbum Datur apud Lucam, quod tu scripsisti Traditur, ad dationem pretii accommodari potest. Quid autem verbum illud significet, satis indicat verbum Frangitur, quod à Paulo ejus loco positum est. Ex quo verbo manifestum fit, de traditione, sive datione in mortem ibi agi, non autem de aliqua corporis, seu vitæ Christi alicui facta solutione. Quo autem sensu dictum fuerit, Christi corpus datum seu fractum fuisse pro nobis, & quod nullam satisfactionem pro peccatis nostris inde colligere liceat, ex iis, quæ supra disputata sunt, satis constare arbitramur. Reliqua duo testimonia, quæ attulisti, ad redemptionem manifeste pertinent, & jam à me diluta sunt. Verba scilicet Christi apud Matthæum cap. 20. 28, & Pauli ad Titum cap. 2. 14. Et cum de redemptione in eis agatur, vocem Pro non Vice seu Loco vere significare posse, patet. Alioqui Christus vice nostrum captivus remansisset. Sed causſam finalem aperte significat. Id autem in nostra redemptione qualem vim habeat, per superiora abunde demonstratum fuit.

Sed instabit fortasse aliquis, & dicet, in Matthæi loco esse Græcam præpositionem ἀντὶ, quæ, quamvis aliud possit significare quam Vice seu Loco; tamen in similibus locutionibus, ut ista est, Dare animam suam redemptionem pro multis, significet debitum aliquod præcessisse quod persolutum fuerit. Ut apud Matthæum cap. 17. in fine, *Da eis pro me & te*. Ubi Pro in Græco est ἀντὶ. Illud enim, quod Christus ibi Petrum dare jubet, debebatur ab unoquoque Israëlita, qui vigesimum annum expleviſſet, Exod. 30. 1.

Sed animadvertendum est, (ut alia multa, quæ responderi possent, omittam) in Matthæi loco, de quo controversia est, agi, ut dictum fuit & apertum est, de redemptione, de qua cum quis loquitur, locus est præpositioni ἀντὶ, etiamsi captivus nihil pro sua redemptione ei debeat, qui ipsum captivum detinet, nimirum propter commutationem illam, quæ in omni redemptione fit. Pretium enim redemptionis datur, & captivus recipitur, & sane in redemptione nostra per Christum facta, licet, ut supra docuimus, metaphorica, hæc commutatio facta est, quod Christus animam suam, ut in loco isto dicitur, dedit, & nos recepit, id est, è peccati servitute liberatos sibi asseruit.

Hæc satis esse arbitror, ut loci omnes, in quibus, Christum mortuum, aut passum, aut percussum, aut traditum, aut datum fuisse propter peccata nostra seu pro peccatis nostris, sive etiam pro nobis, scriptum est, nihil penitus momenti ad tuam sententiam confirmandam afferre cognoscantur. Et si quid ad exactam eorum locorum interpretationem à me omissum est: in iis, quæ proxime excutienda veniunt, commodius explicabitur.

CAP. IX.

CAPUT IX.

In primis Adverſarii verbis quatuor errata indicantur; & interim quædam explicantur, quæ ad totam hanc de Chriſti mortis cum legalibus ſacrificiis collatione tractationem, viam quodammodo ſternere poſſint.

DE ultimo igitur tuorum teſtimoniorum capite, in quo major vis eſſe videtur, jam, Deo annuente, differere aggrediamur. Et primum, quid ipſe dicas, conſideremus. Scribis igitur:

Quid etiam obſecro ſacrificia nobis ſub lege figurarunt. Tot agni pro peccatis immolati. An non paſſim in epiſt. ad Hebræos Chriſti agni immaculati mortem, qua Deo ſatisfieret, adumbraſſe dicuntur, Nonne id vere agnovit Baptiſta, cum de Chriſto clamaret: Hic eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi.

In his paucis verbis tuis ſunt multa errata. Primum enim non uſquequaque verum eſt, ſacrificia ſub Lege mortem Chriſti figuraſſe; tantum abeſt, ut generatim, quemadmodum tua verba ferunt, per eam divinæ alicui juſtitiæ ſatiſfaciendum fuiſſe, adumbraverint. Figuratum enim ſive adumbratum illud ſub Lege fuiſſe dicitur ex iis, quæ ſunt ſub Euangelio, cujus imaginem quandam veritati, quoad ejus fieri poteſt, reſpondentem in vetere fœdere Deus præcedere voluerit. Nam, ſicuti univerſum antiquum fœdus imago quædam eſt novi: ita, ſi quis ſingulas ejus partes diligenter inſpexerit, eis, tanquam imagini cuidam veritatem, totidem fere partes in novo reſpondere comperiet. Quare, cum non omnia ſacrificia Legis, quamvis pro peccatis facta (de iſtis enim quin loqui velis, non dubito) Chriſti morti, tanquam imago veritati, reſpondeant: non omnia Chriſti mortem figurabant. Sed figura mortis Chriſti erant tantummodo ſacrificia illa, quæ publice, hoc eſt, pro univerſo populo, ipſo etiam aliquando ſummo ſacerdote non excluſo, & ſtatis quibuſdam temporibus fiebant; præſertim vero illud, quod ſemel in anno ſummus Sacerdos, in Sancta Sanctorum ingrediens, peragebat, ut ex epiſtola ad Hebr. cuicunque non oſcitanter eam legenti conſtare poterit. Ubi animadvertendum eſt, ea, quæ ab initio ſcriptor ille divinus Sancta Sanctorum appellavit, id eſt, interius tabernaculum, (id enim hac appellatione ab exteriore diſtinxerat, quod Sancta ſimpliciter nominari dixerat) ab eodem poſtea perpetuo Sancta ſimpliciter dici. In hoc igitur ſacrificio, ut dictum eſt, potiſſimum mors Chriſti, adeoque ipſe Chriſtus, quatenus Deo pro nobis ſacrificavit, adumbratus fuit. In cæteris vero ſacrificiis, quæ pro peccatis fiebant, non figurabatur Chriſti mors, ſed tantum in ſummi Sacerdotis perſona Chriſtus ipſe adumbrabatur. Sacrificia autem ipſa ſpiritualia noſtra ſacrificia adumbrabant. Atque utrumque non immerito. Publica enim illa & ſtatis temporibus peracta ſacrificia, ſacerdotis ſacrificia ſimpliciter dici poterant, neque enim ex populi voluntate pendebant; ſed à ſacerdote, ex Dei præſcripto, peragebantur. Atque ob eam rem optime Chriſti morti reſpondent, quæ ſola Dei, & ipſius Chriſti voluntate (ut ita loquar) peracta eſt, & quemadmodum Chriſti mors ſacrificium pro omnibus fuit: ſic etiam ſacrificia illa pro omnibus fiebant. Verum quia Chriſti mors non ſolum pro omnibus, ſed pro omnium etiam omnibus peccatis ſacrificium fuit: idcirco ea proprie in anniverſario illo ſacrificio figurabatur, quod ſolum pro omnium omnibus peccatis fiebat. Cætera ſacrificia voluntatem populi omnino requirebant, quare populi magis, quam ſacerdotis ſacrificia erant, & non pro omnibus, ſed pro ſingulis fiebant, vel ad ſummum pro tota Iſraëlis congregatione, tanquam uno quopiam conſiderata. Atque ea de cauſſa ſacrificia mentis noſtræ, quæ voluntatem noſtram requirunt, & pro ſingulis offeruntur, decenter figurabant. Sed quemadmodum ſacrificia illa populi Deo non offerebantur, nec grata erant, niſi per manum ſacerdotis: ſic ſacrificia noſtra, niſi per Chriſtum Deo offerantur, illi grata eſſe nequeunt. *Ad offerendum* (inquit Petrus) *ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Chriſtum*, prioris epiſt. cap. 2. 5. Per Chriſtum autem Deo offerre nihil aliud eſt, quam Chriſto fidem habendo, eique obtemperando, noſtra ſacrificia Deo (ut ſic dixerim) præſentare. Alioqui nos quoque ſacerdotes ſumus, ut ibidem teſtatur Petrus, & etiam paullo inferius ℣. 9, & Joh. in Apoc. cap. 1. 10, & 5. 10. Dices, me toto cœlo errare, qui diſtinctionem non adhibeam inter ſacrificia expiatoria, & alia quæ expiatoria non ſunt, & non de expiatoriis, ſed de aliis ſacrificiis ea, quæ protuli, teſtimonia accipi debere, ſolam enim Chriſti mortem ſacrificium expiatorium eſſe. Quomodo Chriſti mors ſacrificium expiatorium ſit, & an ſola, nec ne, poſtea melius videbimus. Interim aſſero, nos Deo ſacrificia etiam expiatoria offerre. De hoc enim genere ſacrificiorum, quæ à nobis Deo offerantur, aperte loquitur David Pſal. 51. in illis verbis: *Sacrificium Deo ſpiritus confractus, cor contritum & confractum Deus non deſpicies.* Namque ibi agit David de expiatione ſceleris ſui, pro qua conſequenda dicit, ſe non obtuliſſe legalia ſacrificia, cum optime noſſet, Deum illis, in expiatione ſcilicet ejuſmodi gravium delictorum, non delectari; ſed ſpiritus, & cordis pœnitentis, & perpetrati facinoris dolore vehementer percuſſi ſacrificio ſe ſcelus ſuum vel expiaturum eſſe, vel jam expiaſſe, confidere. Nonne Salomon eo loco, quem ſupra explanavi, Miſericordia & veritate redimi, ſeu potius expiari iniquitatem docet? Et quid aliud quæſo eſt illud: *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, quam pœnitentia peccata expiari? Legantur, qui librum Levitici commentariis illuſtrarunt; pauci ſane invenientur, qui ea, quæ in animalibus Deo offerendis pro peccato fiebant, per figuram ad veram pœnitentiam, & emundationem conſcientiæ noſtræ, qua omnia expiantur peccata, accommodari non agnoſcant. Ex quo concluditur, nos Deo expiatoria ſacrificia offerre: & idcirco, ſacrificia illa legalia expiatoria, quæ non ſtatis temporibus, neque pro univerſo populo, ſed prout occaſio ferebat, ac privatim pro peccatis offerebantur, & Chriſti morti, quæ perpetua & univerſalis expiatio eſt, reſpondere non poſſunt, non Chriſti mortem, ſed cordis noſtri pœnitentis ſacrificium, quod potiſſimum ſub novo Fœdere Deo oblatum fuit, figuraſſe & adumbraſſe. Non igitur recte ſentis, ſi, ut innuunt verba tua, omnia illa ſacrificia expiatoria mortem Chriſti adumbraſſe credis.

Sequitur aliud erratum tuum in ſupra ſcriptis verbis, Multos ſcilicet agnos pro peccatis immolatos fuiſſe, cum in nullo ſacrificio, quod pro peccato fieret, agnus immolaretur: ſed tantummodo agna, ſive capella, pro peccato privati. Quod etſi per ſe leve erratum eſt, quia tamen poſtmodum addis, huc reſpexiſſe Baptiſtam, cum dixit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, gravius fieri conſtat; ut mox dicam.

Aſt aliud erratum multo gravius, quod in verbis tuis continetur, eſt, quod in epiſtola ad Heb. paſſim dicatur, ſacrificia illa legalia Chriſti mortem adumbraſſe, qua Deo ſatisfieret; cum ne verbum quidem in tota illa epiſtola de iſta ſatiſfactione dicatur, id quod per ea, quæ inferius dicenda ſunt, liquido apparebit.

Ultimus error, qui in verbis tuis deprehenditur, eſt is, quem modo attigi: quod, ſcilicet, Baptiſta, cum de Chriſto dixit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, reſpexerit ad figurationem in Lege factam ejus ſatisfactionis, quæ per Chriſtum fieri aliquando deberet. Nam præterquam quod Baptiſtæ verba non de ſatiſfactione ulla, ſed ſimpliciter de ablatione peccatorum agunt: nullo præterea modo ad rem aliquam figuratam in vetere fœdere reſpicere potuit ille; cum in vetere fœdere, ut jam dictum eſt pro peccato nullus agnus immolaretur: ſed tantum vel pro holocauſto, vel ſimul & pro holocauſto jugi, & pro expiatione altaris, vel in ſacrificiis, quæ pacifica appellabantur, ſive in aliis, quæ expiatoria non eſſent, agni immolarentur, exceptis quibuſdam pauciſſimis ſacrificiis; in quibus

quibus non quidem pro peccato, ſed pro delicto agnus mactabatur. Vide Levit. 14. 12. & Num. 6. 12. Non igitur ad figuratam in vetere fœdere expiationem peccatorum vere reſpicere potuit Baptiſta, nec alius quiſquam ſub novo fœdere, qui Chriſtum agnum appellaverit; ſed ad ſacrificia in univerſum reſpexerunt, quibus non ſolum apud Hebræos, ſed etiam apud gentes peccata expiari credebantur; & eum agnum potius, quam aliam pecudem, quæ in ſacrificiis mactari ſoleret, nominarunt, ejus innocentiæ, & puritatis; & manſuetudinis rationem habentes, atque hujuſmodi tranſlatione totum Chriſtum quodammodo nobis deſcribentes.

CAPUT X.

Ex adumbratione mortis Chriſti in Legis ſacrificiis expiatoriis, nullo modo poſſe colligi, Chriſti mortem pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe.

His ita præludii cujuſdam loco à me delibatis, & verbis tuis leviter examinatis, totam rem jam diligentius excutiamus; & quam vim habere poſſint, quæ ſcripſiſti, accuratius expendamus.

Dividenda autem præſens tractatio eſt in duas partes. In quarum priore de adumbratione mortis Chriſti per expiatoria antiqui fœderis ſacrificia, id eſt per ipſas victimas agemus. In altera de ipſius Chriſti figuratione in ſummi Sacerdotis legalis perſona diſſeremus.

Primum igitur, quod attinet ad ſacrificia expiatoria, ſive ad ipſas victimas, quæ Chriſti mortem adumbrarent, videndum eſt, num ex vi, quam ſacrificia illa, ſive victimæ haberent, quamque, propter adumbrationem prædictam, Chriſti morti ineſſe contendas, iſtam veſtram ſatiſfactionem colligi poſſe velis, & ſic per collationem; an vero ex adumbratione, ſive figuratione ipſa; id eſt, quia, licet ipſæ victimæ eam vim vere non haberent, illis tamen aſcriberetur: quam neceſſe fuerit poſtea in re ab ipſis adumbrata ſeu figurata reperiri. Priore modo te argumentari velle, animum meum inducere nequeo, cum inter omnes conſtet, ſacrificia, & victimas illas nullam vim, per ſe, habuiſſe divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi. Quod præter univerſalem doctorum virorum conſenſum, ex eo ſatis conſtare poteſt, quod neque in ipſis hominum errata puniri poterant, cum inter homines, & beſtias non ſit ſpeciei communio, neque earum oblatione quidquam Deo dari, qui omnium eſt Dominus. *Jehovæ* enim *eſt terra, & plenitudo ejus, &c.* Pſal. 24. *Non eſt*, inquit Dominus, *ut accipiam de domo tua juvencum, nec de caulis tuis hircos. Meæ ſiquidem ſunt omnes feræ ſylvarum, pecudes in mille montibus*, Pſal. 50. Quamobrem, ſi ex victimarum vi ducendum eſſet argumentum, atque (ut ego quidem arbitror fieri debere) mors Chriſti cum ipſis victimis aliqua ratione conferenda eſſet: hinc potius manifeſto colligeretur, Chriſti mortem divinæ alicui juſtitiæ non ſatiſfeciſſe, quam, vim aliquam illi ſatisfaciendi ipſam habuiſſe, inde vel ſuſpicari quidem liceret. Itaque omnino, ex ipſius figurationis ſive adumbrationis vi te argumentum ducere voluiſſe, dicendum eſt; ut illa quoque tua verba indicant, *Quid etiam obſecro ſacrificia nobis ſub Lege figurarunt?*

Sed antequam ipſam quæſtionem, & ſacrificiorum illorum tractationem aggrediar, conſiderandum eſt, nullam unquam figuram fuiſſe ſub Lege, quæ figurato, tanquam imago quædam veritati, non reſponderet; ſicuti etiam non multo ante à me dictum fuit. Exempli cauſſa, cum dicimus, ſerpentem illum æneum figuram fuiſſe Jeſu Chriſti, ideo illud affirmamus, quia, ut dicit ipſe Dominus, quemadmodum exaltatus fuit ſerpens ille in deſerto, ſic & ipſe fuit exaltatus Num. 21. 9. Joh. 3. 14, & quemadmodum, quicunque ſerpentem illum reſpiciebat, à venenatorum illorum ſerpentum morſu ſanabatur, & à morte liberabatur: ſic, qui Jeſum Dei filium reſpicit, hoc eſt ei fidem habet, licet à diabolo morſus, non perit; ſed ſanatur, & habet vitam æternam. Hanc figurandi rationem explicat elegantiſſime Paulus 1 ad Cor 10. dum ea, quæ in deſerto Iſraëlis populo evenerant, figuram fuiſſe ait eorum, quæ nobis eventura ſunt, ℣ſ. 6 & 11. Nam quemadmodum illi, quamvis magnis à Deo prius terrenis beneficiis affecti, cum deinde peccarunt, hac temporaria vita ab ipſo Deo privati fuerunt: ſic & nos quamvis cœleſtibus iiſque eximiis, donis, per divinam gratiam, donati ſimus, ſi debitam Deo obedientiam non præſtiterimus, ipſius Dei juſto judicio æterna vita privabimur. Petrus quoque ad finem 3. cap. prioris epiſtolæ divine idem nobis declarat: dum arcam Noë noſtri ſpiritualis baptiſmi figuram fuiſſe docet, & quo pacto baptiſmus noſter ſpiritualis illi arcæ, tanquam figuratum figuræ, reſpondeat, ſatis aperte indicat. Ut enim omnes, qui arcam illam ingreſſi fuerunt, in vita hac temporaria ab aquis diluvii ſervati ſunt: ſic etiam, qui ſpiritualem Chriſti baptiſmum ingreſſus fuerit, & conſcientiam ſuam ab ejus ſordibus laverit, in æternam vitam ab ignis æterni ſupplicio ſervabitur. Continet igitur figura imaginem quandam figuratæ rei; neque alia inter figuratum, & figuram præcipua differentia eſt, niſi, quod, ſi hanc illi compares, quamvis utrumque aliquid contineat, quod ſimilitudinis, quæ inter ipſa eſt, cauſſa exiſtit: hanc tamen umbram, illud corpus eſſe dices, quod in jam expoſitis exemplis intueri licet. In quibus tam in figura, quam in figurato, de ſalute, & de vita agitur; ſed in figura de ſalute, & vita hac fluxa & caduca: in figurato vero de æterna & immortali. Ut interim examinationem cæterarum partium, quibus ſibi reſpondent, omittam. Id enim unuſquiſque per ſe facile cernere poteſt. Quocirca, cum dicitur, expiatoria antiqui fœderis ſacrificia ſatisfactionem pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ exhibendam, & per mortem Chriſti peragendam, figuraſſe: neceſſe eſt, ut Chriſti mors, & ſacrificia illa in eo conveniant; quod utrobique aliqua ſatisfactio inſit divinæ juſtitiæ exhibita: ſed in figurato rei longe præſtantioris, quam in figura. Adeo ut ſi ſatisfactiones iſtæ inter ſe comparentur, in Chriſti morte veritatem, in ſacrificiis illis imaginem quandam hujus veritatis animadvertere liceat. Hoc autem fieret, ſi ſub Lege, per ſacrificia illa, divinæ juſtitiæ pro iis peccatis, pro quibus offerebantur; ſatisfactum fuiſſe dici poſſet. Quæ peccata, ſi cum iis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, comparentur, tanquam umbra quædam inanis ſolido corpori oppoſita, eſſe cenſebuntur. Hinc Paulus Act. 13. 38. ait, in Chriſtum credentes juſtificari ab omnibus, à quibus lex Moſis juſtificare non poterat; ſatis indicans, à quibuſdam levioribus tantum; ut ipſoſmet Judæos, quos alloquebatur, optime noviſſe ibidem innuit, per Moſis legem juſtificationem contigiſſe: ſed per Chriſti fidem omnium etiam graviſſimorum, delictorum remiſſionem dari. Ait enim, *Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur. Et ab omnibus; à quibus non potuiſtis in Lege Moſis juſtificari, in hoc omnis, qui credit, juſtificatur.* Atque inter victimarum illarum ſanguinem, & Chriſti mortem in expiando ſimilitudinem, ſed in qualitate eorum, quæ expiata fuerunt, diverſitatem, aperte agnoſcit auctor ad Heb. cap. 9. 22. in his verbis: *Et omnia pœne in ſanguine ſecundum Legem mundantur; & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo, exemplaria quidem cœleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia, melioribus hoſtiis, quam iſtis.* Neque ulla ratione potuiſſet is auctor tam longe lateque comparationem illam antiquorum ſacrificiorum; & Chriſti ſacrificii perſequi, niſi inter ipſa ſimilitudo hæc extitiſſet, quod utrobique expiatio fieret.

Lucidiſſimæ autem huic veritati nihil officit id, quod idem auctor infra ſequente capite ℣ſ. 4. ait, ſanguinem taurorum, & hircorum nullo modo poſſe auferre peccata, & ℣ſ. 11. hoſtias illas antiquas nequaquam tollere peccata poſſe.

Ibi enim de alio genere ablationis peccatorum agit;

ab ea longe diverſæ, quam Lex per expiatoria illa ſacrificia peragi profitebatur; quemadmodum infra clarius patebit. Similitudinem etiam inter legales illas purificationes, & purificationem per Chriſti ſanguinem factam eundem auctorem agnoviſſe, nempe quia non minus per illas, quam per iſtam, mundatio vere fieret, quamvis rerum diverſarum; docent ejuſdem 9. cap. verba illa: *Si enim ſanguis taurorum, & hircorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat, ad carnis emundationem: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* Quæ cum ita ſe habeant, neceſſe eſt, ut dictum fuit, fateri victimas illas expiatorias, ſi ſatiſfactionem pro peccatis per Chriſti mortem factam figurarunt, ſatiſfactionem aliquam peregiſſe: ſed nullam, ut jam vidimus, peregerunt; ergo nullam figurarunt.

At enim dices, ut ſupra attigimus, cum expreſſe ubique in Lege ſcriptum ſit, victimas illas pro peccatis ſatiſfeciſſe, id autem per ipſas vere fieri non potuerit, neceſſarium eſſe, ut id per Chriſti mortem, quam figurabant, peractum fuerit, & ad iſtud confirmandum, adverſus doctrinam meam de figura, & figurato, multa exempla proferes eorum, quæ in Chriſto peracta ſunt, & ante eum figurata fuerunt, quæ in figura verbis tantum, non reipſa, fiebant. Ut, cum David, qui Chriſti typum gerebat, Pſal. 16. ait, Deum non deſerturum animam ipſius in inferno, neque permiſſurum, ut ipſe videret corruptionem: Quod in ipſo Davide Deum non præſtitiſſe, docet Petrus Actor. cap. 2, & Paulus cap. 13. Sed in Chriſto tantum vere id factum fuiſſe, uterque oſtendit.

Ut igitur primum ad hanc, adverſus ſententiam meam de figura, & figurato, argumentationem reſpondeam: ſciendum eſt, multas extare apud ſacros vates prædictiones de Chriſto, quæ, tametſi vere & proprie ſi verba ipſarum exacte perpendantur, in Chriſto ſolo effectum ſuum obtinuerunt, non tamen eventu in ipſis quoque typis caruerunt, alioqui typi eſſe non potuiſſent. Sed quia non modo verba Chriſto magis, quam typo, accommodantur, verum etiam Spiritus Sanctus, qui per os Prophetarum loquebatur, ad Chriſtum præcipue reſpiciebat: in Chriſto, non autem in ejus typo, earum effectus conſecutus fuiſſe, dicitur. Verba autem ipſarum ideo Chriſto potius, quam typo, accommodantur, non quia de typo primum illæ dictæ non fuerint, ſed quia (Deo, ut inde Chriſtianæ veritatis confirmationem haud levem deinde haberemus, omnem rem ita moderante) hyperbolice, & figurate enunciatæ fuere. Sic enim deinde, alio reſpexiſſe Spiritum Sanctum, & myſterium ſubeſſe, agnoſcitur. Ut, cum idem David Pſal. 2. ait, regem à Jehova ſe conſtitutum fuiſſe, cui poſſidendos daturus ſit idem Jehova terminos terræ; & alia ejuſmodi. Quæ verba de Davide hyperbolice & figurate, de Chriſto autem vere, & proprie dicta fuerunt; & in utroque, ſi hanc rationem ſpectes, id, quod illa continent, eveniſſe dicendum eſt. Cum igitur Petrus, & Paulus ea in Pſal. 16. Davidis verba de Davide ipſo dicta fuiſſe negant, cum ipſe corruptionem vidiſſet, & ejus ſepulchrum adhuc extaret, ſed de Chriſto, qui nec corruptionem vidiſſet, nec in ſepulchro remanſiſſet, intelligi debere omnino volunt: tunc verborum exactam proprietatem reſpiciunt, & propheticum ſenſum explicant, quem, ob eam cauſſam in illis ſubeſſe docent. Non negant tamen, neque negare poſſunt, eadem verba potuiſſe ipſi Davidi quoque accommodari: quatenus, ſcilicet, a mortis periculis, in quibus tunc verſabatur, a Deo liberatus, & ita pro eo tempore à morte, & corruptione exemptus fuit. Ex quibus tandem perſpicuum eſt, verba, quæ de figura dicuntur, licet figurato magis, quam ipſi figuræ conveniant, ad figuram tamen aliqua ratione accommodari poſſe. Quare, ſi de ſacrificiis illis dictum fuit, quod divinæ juſtitiæ ſatiſfacerent: neceſſe eſt, ut aliqua divinæ juſtitiæ exhibita ſatisfactio inde manaret. Verum non eſt, quod hac in re nos diutius torqueamus: cum, quemadmodum victimæ illæ nulla ratione pro peccatis divinæ juſtitiæ ſatiſfaciebant, ſic nuſquam eas ſatiſfeciſſe ſcriptum extet. Quod ſi verum eſſe demonſtravero; certe nihil, niſi quod tuam ſententiam deſtruat, ex antiqui fœderis expiatoriis ſacrificiis elici poterit.

CAPUT XI.

Docetur, nuſquam ullo pacto dictum fuiſſe, ſacrificia illa legalia pro peccatis ſatisfacere.

JAm vero nihil afferri poſſe videtur, quod magis ſuadendi vim habeat, dictum fuiſſe, ſacrificia illa pro peccatis ſatiſfacere, quam ea divina oracula, ubi ipſis expiari peccata ſcriptum eſt. Quamquam ego nondum legi, ipſa ſacrificia ſeu victimas peccata expiaſſe: ſed tantummodo ſacerdotem, illis peractis, populum, vel aliquem aliquoſve ex populo, ſive pro ipſis expiaſſe, quod quid ſignificare poſſit, poſtea videbimus. Sed demus, iſtud idem eſſe, ac ſi ſcriptum fuiſſet, victimas ipſas peccata expiare, quod ego non dictum modo, ſed etiam veriſſimum eſſe concedo. Atqui Expiare peccata, non eſt, pro ipſis divinæ juſtitiæ ſatiſfacere: ſed eorum reatum auferre, & ipſa purgare; quemadmodum etiam ex verbis Hebræis, quibus uſus eſt Moſes, intelligi poteſt. Siquidem verbum, quod recentiores interpretes Expiare verterunt, apud Moſem plerumque eſt *Caphár*, & aliquando *Chitte*. Nam, quod attinet ad verbum Caphár, id nulla ratione ſatiſfactionem ſignificare poteſt; cum propria ejus ſignificatio ſit Tegere & Operire, vel Oblinere ſive Oblinendo obturare. Unde per tranſlationem expiandi ſignificationem nactum eſt. Neque enim alia ratione potiſſimum expiantur, ſive auferuntur, & purgantur peccata, niſi quia teguntur, & quodammodo oblinendo obturantur, & abſconduntur: nimirum a Deo, ſive Dei gratia & benignitate. Hinc David beatum hominem prædicat, cujus peccatum tectum eſt, Pſal. 32. Et idcirco idem verbum Condonare ſignificat; & de Deo hominibus peccata condonante & illa quaſi tegente dicitur; ut Hieremiæ 18. 23: *Ne ſis propitius iniquitati eorum*; Et Pſal. 78. 38: *Ipſe tamen miſericors condonavit iniquitatem.* Utrobique enim eſt verbum *Caphár*; quod in eadem ſignificatione reperitur in compluribus aliis locis. Nam, ubi vulgata editio habet Propitium eſſe, Propitiari, & ejuſmodi loquendi modos, ſæpe in Hebræo eſt verbum illud. Verbum autem Chitté Mundare ſeu Purificare ſignificat. Proinde cum agitur de expiando altari, aut ſimili aliqua mundatione facienda, eo utitur Moſes. Cum vero agitur de peccatis expiandis, quamvis fortaſſe, ejus origine inſpecta, potius ad peccata, quam ad quiduis aliud emundandum, accommodari deberet, aut perraro, aut nunquam eo uſus eſt. Quare non eſt, quod de verbi ſignificatione multum laboremus. Si tamen aliquando ſacrificiis, quæ pro peccatis fierent, id verbum accommodavit Moſes; non ſatiſfaciendi, ſed mundandi & purificandi vim illi attribuiſſe, dicendus eſt. Quamvis enim aliquando erratum ſatiſfactione mundetur & purgetur; non tamen ea ratione peccata in Deum purgantur: ſed clementia & pura ipſius Dei benignitate. Quo fit ut verbum *Chitté*, non minus quam verbum Caphár, de Deo dicatur, cum nobis delicta noſtra condonat. David enim, cum Pſal 51. inquit, *Aſperges me hyſſopo, & mundabis* (ſive *expiabis*) *me*, eo verbo uſus eſt. Expiat igitur & ipſe Deus peccata; immo ipſe ſolus vere expiat. Nam is ſolus eſt, qui vere tegit, abſcondit, mundat, & purificat pec-

cata

cata noſtra, ea nobis liberaliter condonando. Dicimur tamen & nos, aut certe dici poſſumus, expiare peccata noſtra: non quia pro ipſis Dei juſtitiæ ſatiſfaciamus, quod affirmare maxima blaſphemia eſt; ſed quia ea facimus, quæ ille à nobis fieri omnino vult, ſi hanc ipſius ſupremam liberalitatem re ipſa experiri, & conſequi velimus; cum interim ſatiſfactionem veram nullam is à nobis requirat. Rectum enim & æquum eſt, ut ſi noſtra ſcelera ab ipſo nobis condonari volumus, illi aliquam obedientiam præſtemus. Itaque, cum res eo devenit, ut ad effectum divinæ liberalitatis conſequendum, & ejus fructum re ipſa percipiendum, nihil aliud requiratur, niſi ut à nobis, ita Deo jubente, aliquid fiat: certe, qui illud facit, expiat peccata ſua, & ab ipſorum reatu, & pœna penitus liberatur. Sic verbum Expio, cum de Deo dicitur, condonare declarat. Iſtud enim eſt, quod, ad peccata expianda, ex Dei parte fieri neceſſe eſt. Cum de nobis, id facere ſignificat, quod ad ejuſmodi condonationem re ipſa adipiſcendam nos facere jubet Deus. Iſtud enim eſt, quod ex parte noſtrum, ad expianda peccata, requiritur. Et hac de cauſſa, cum populus Iſraëliticus ſacrificia illa pro peccatis offerebat, non dici poterat tantum expiare, ſed reipſa expiabat ea peccata, pro quibus ſacrificabat. Deus enim propter ingentem miſericordiam ſuam, illis ſacrificiis peractis, volebat ipſos ejuſmodi peccatorum plenam condonationem conſequi. Hanc eandem ob cauſſam fit, ut ſacrificiis ipſis vis expiandi peccata tribui jure poſſit. Nam & fidei quoque in Sacris Litteris homines juſtificandi vis aliqua ratione attributa eſt; non quod fides dignitate ſua, & merito hominem in Dei conſpectu à peccatis abſolvat; ſed quia eſt neceſſe, ad gratuitam delictorum remiſſionem à Deo conſequendam, ut illi fidem habeamus, & ſine dubio omnibus ei fidem habentibus Deus pro ſua benignitate omnium peccatorum condonationem perpetuo largitur. Cum igitur Deus illam ſacrificiorum obedientiam à populo, ſi is à peccatis illis liberari vellet, omnino requireret, & cuicunque eam obedientiam præſtanti eorum peccatorum veniam largiretur: ſacrificia ipſa, non virtute quidem propria, aut merito, ſed ita Deo pro ſua benignitate ſtatuente, peccata expiaſſe, dici non injuria poſſunt. Verumtamen, quia ſacrificia illa levem quandam Dei obedientiam continebant: ut pro levibus duntaxat quibuſdam peccatis offerrentur, à Deo inſtituta fuerant; quæ ſcilicet per incogitantiam & errorem admitterentur. Quod ſi pro quibuſdam etiam voluntariis, ſive, ut vocant, ultroneis peccatis ſacrificia inſtituta fuerunt: ſola ſacrificia non expiabant; ſed, ad expiationem peragendam, proximo etiam, qui in eis peccatis læſus fuerat, cumulate ſatiſfaciendum erat, ut videre eſt in lege ſacrificii pro peccato ultroneo, Levit. cap. 6. in principio. Pro gravioribus autem peccatis nullum ſacrificium à Deo inſtitutum fuerat. Noluit enim Deus, externo illo cultu, cordis, & voluntatis pravæ opera, & veras iniquitates adverſus expreſſa mandata ſua commiſſas, deleri & expiari poſſe. Sacrificia tamen non minus pro gravioribus, quam pro levioribus delictis, inſtituturum Deum fuiſſe, omnino dicendum videtur, ſi ſacrificia nullum peccatum vere expiaſſent, ſed, ut vos dicitis, expiationem tantum per Chriſtum olim faciendam adumbraſſent, & à ſatiſfactione, quæ pro peccatis noſtris ejus morte peragenda foret, vim omnem ſumpſiſſent. Quandoquidem mors Chriſti, ut vos aſſeritis, pro omnibus peccatis & iniquitatibus eorum, qui idipſum credunt, & in ea ſpem ſuam collocant, divinæ juſtitiæ cumulatiſſime ſatiſfecit: Iis vero, qui ſub Lege, per fidem iſtam, Chriſti futuram ſatiſfactionem ſibi non applicabant, quodcunque tandem ſacrificium offerrent, nulla, quantumvis levia, errata condonata erant. Si enim, ea fide præſente, omnia peccata, graviſſima licet, expiabantur, abſente, ne leviſſima quidem, & ſacrificia illa per ſe nil, niſi inanis figura, erant; cur pro levioribus peccatis potius, quam pro gravioribus, inſtituta fuiſſent? Quinimmo tanto magis pro gravioribus, quam pro levioribus, inſtituenda erant, quanto graviora delicta conſcientiam noſtram magis perturbant, & exagitant, & ad deſperationem nos facilius adducere poſſunt. Ut per ſacrificia illa, ſi verum eſt id, quod vos opinamini, Jeſu Chriſti futuræ mortis peccatores admoniti, qua pro omnibus peccatis Deo ſatiſfaciendum erat, animum non deſponderent; & inde conſcientiæ ſuæ vulneribus ſalutarem medicinam petere poſſent.

Quamobrem, vanis iſtis commentis, & ſomniis relictis (quod enim ſacrificia illa vim expiandi à futura Chriſti morte ſumerent, de hoc ne verbum quidem in univerſa Scriptura extat) ſtatuendum omnino eſt, per ſacrificia, & victimas illas expiatorias, non modo expiationes, quæ ſub Novo Fœdere fieri debebant, adumbratas eſſe, verum etiam, peccata ipſa, pro quibus offerebantur, vere ea ratione, qua ſupra expoſitum eſt, expiata fuiſſe. Et ob eam rem, cum omnes fateantur, ex illis victimis nullam juſtitiæ divinæ pro peccatis exhibendam ſatiſfactionem oriri potuiſſe: Expiandi verbum in omnibus locis, ubi expiandi vis ipſis tribuitur, nihil cum ſatiſfactione communè habere, concludendum eſt. Cumque nihil unquam de ſacrificiis illis à Moſe ſcriptum fuerit, quod magis ſatiſfaciendi vim ipſis tribuere videatur, quam, cum eis peccata expiari vel dixit, vel dicere voluit: manifeſtum eſt, ab ipſo nunquam ſcriptum fuiſſe, per ea divinæ juſtitiæ pro peccatis ſatiſfieri.

Nam, quod aliqui ea verba, quæ ſæpiſſime de ſacrificiis illis antiquis repetuntur, *Oblatio ignita in odorem quietis Jehovæ*, ita interpretantur, ut perinde ſit, ac ſi dictum fuiſſet, In odorem, qui quieſcere facit iram Jehovæ: id longe à veritate abhorret. Nihil enim aliud eſt. In odorem quietis Jehovæ, quam In odorem, qui Jehovæ ſuaviſſimus eſt & gratiſſimus; ut & 70. Interpretes veterunt, &, ipſos imitatus, Paulus ſatis aperte explicavit in initio cap. 5. ad Eph. & ad finem epiſtolæ ad Philip. Tranſlatio autem eſt ab hominibus, qui, ſuavem aliquem odorem odorantes, in eo quodammodo acquieſcunt. Et Quietis vocabulum, ut vides etiam fieri apud Latinos, non iræ placationem, ſed maximam oblectationem ſignificat. Id autem veriſſimum eſſe, vel ex eo apparet, quod verba illa dicta ſunt in aliis etiam ſacrificiis, in quibus non de placando Deo, ſed vel de gratiis ipſi agendis, vel alia de re ab iræ placatione longe diverſa agebatur. Quinimmo in ſacrificiis, quæ pro peccato fiebant, perraro ea verba appoſita invenies: neque de eo vere dicta, per quod maxime peccatum expiabatur, hoc eſt, de ſanguinis effuſione atque oblatione, (nam nec dici poterant, cum odor nullus inde ad ſuperiora ferretur) ſed de combuſtione adipis, & renium mactatæ pecudis. Præterea non quodcunque iram placat, id etiam plene juſtitiæ ſatiſfacit. Poteſt enim quis vel leviſſima re aliquando placari. Ut, ſi quis, de jure ſuo plurimum dimittens, ſatis habuerit, veniam à ſe ſupplicite peti, vel etiam alterius tantum verbis delinitus fuerit. Quare ex illis verbis, utcunque ea interpreteris, nihil ſolidi trahi poteſt, ut, victimis illis ſatiſfaciendi vim aſcriptam fuiſſe, dicamus. Cum igitur nec ſacrificia illa pro peccatis ſatiſfecerint, nec, ea ſatiſfeciſſe, dictum fuerit: quid, quæſo, per figuram, nedum per collationem, inde colligi poteſt ad ſatiſfactionem, quæ per Chriſti mortem pro peccata facta fuerit, ſtabiliendam? Immo quis ita hebes eſſe poteſt, ut non videat, & per collationem, & per figuram illorum ſacrificiorum manifeſte probari, Chriſti mortem nulla ratione juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris ſatiſfacere potuiſſe?

CAPUT XII.

Explicatur ratio & finis illius anniverſarii ſacrificii, de quo præcipue ac pleniſſime ſcriptum eſt, Levit. cap. 16. & oſtenditur, nihil inde elici poſſe, quod iis, quæ hactenus diſputata ſunt, quidquam adverſetur.

SEd difficilis adhuc ſane nodus ſolvendus reſtat; qui, niſi ſolveretur, quidquid fere à me hucuſque dictum eſt, & infirmare, & convellere poſſe alicui fortaſſe videretur; præſertim, cum ſupra concluſum fuerit, Chriſti mortis ſacrificium non in quibuſcunque expiatoriis victimis, ſed in iis tantum, quæ ſemel in anno à ſummo Sacerdote in Sancta Sanctorum ingrediente pro peccatis immolabantur, præcipue adumbratum fuiſſe. Cap. ſiquidem 16. Levit. ubi ea de re nominatim, & copioſe diſſeritur, ſcriptum extat, hircum illum emiſſarium omnes iniquitates populi ſecum in deſertum aſportaſſe, & prius dictum fuerat, Aharonem confiteri ſolere ſuper hircum illum omnes iniquitates, tranſgreſſiones, & peccata populi. Et bis poſtmodum dicitur, in illa die populum expiari ſolitum fuiſſe ab omnibus peccatis ſuis. Ex quibus omnino intelligi debere videtur, adverſus ea, quæ à me dicta ſunt, pro omnibus, quantumvis gravibus, peccatis, ſacrificium expiatorium inſtitutum fuiſſe; unde colligi evidenter poſſit, cum, gravia delicta vere ea ratione expiata non fuiſſe, fatendum ſit, non expiationem, ſed expiationis inanem quandam umbram per ſe ſacrificium illud fuiſſe, quod Chriſti mortem præcipue adumbrabat; Ex quo etiam adverſus ſententiam meam concludere omnino oporteat, poſſe figuræ id verbis tribui, quod in figurato tantum reipſa reperitur, & nulla ratione de ipſa figura vere dici poteſt.

Primum igitur, ut objecta hæc penitus diluam, & interim rem totam aperiam, ſciendum eſt, quod, etiamſi hæc omnia veriſſima eſſe concederem, non tamen ſententia mea in examinatione illorum ſacrificiorum, de qua inter nos potiſſima quæſtio ac diſputatio eſſe debet, &, quaſtante, corruit quicquid ex illis ad opinionem veſtram confirmandam duci poteſt, ulla ex parte infirmaretur. Nihil enim evinces unquam, niſi aut re, aut verbis, victimis illis ſatiſfaciendi vim attributam fuiſſe, probaveris, id quod te facere non poſſe, jam me demonſtraſſe confido. Præterea, quod ad ipſum ſacrificium attinet, quod in eo ſolenni feſto fiebat, & de quo hic præcipue agitur, dico, illud graviora peccata, quæ adverſus divinam legem ex animi malitia perpetrata eſſent, non expiaſſe, neque pro illis oblatum fuiſſe: ſed pro iis tantum, quæ ignorantiæ appellari poſſunt, & pro quibus privatorum ſacrificia inſtituta fuerant. Neque enim veriſimile eſt, pro aliis peccatis inſtitutum fuiſſe ſacrificium illud, quam pro illis, quibus certum eſt Deum expiationem expreſſa lege ſtatuiſſe. Quod autem gravioribus peccatis Deus expiationem in vetere fœdere expreſſa lege ſtatuerit, id nuſquam legitur. Eorum igitur peccatorum, quæ ſacrificiis per totum annum oblatis expiari poterant, univerſalis à ſacerdote ſemel quotannis expiatio fiebat; ut, ſi quis vel errorem ſuum nunquam agnoviſſet, vel etiam, eo agnito, ſacrificium pro ipſo offerre neglexiſſet, ejus expiationem nihilominus conſequi poſſet, & coram Deo ea in parte mundus eſſe. Atque ita rem ſe habere, docet auctor ad Heb. dum cap. 9. 6, ſic ſcribit: *His vero ita compoſitis, in prius quidem tabernaculum ſemper ingrediuntur ſacerdotes ſacrificiorum officia conſummantes: in ſecundum autem ſemel in anno ſolus pontifex, non ſine ſanguine; quem offert pro ſeipſo, & pro populi ignorantiis.* Pro ignorantiis, inquit, non pro omnibus quantumvis gravibus, peccatis. Verbum autem Ignorantia, ſive ἀγνόημα, quo utitur eo loco auctor ille, exprimit eleganter vocem Hebraicam Scegagáh, qua uſus eſt Moſes, cum de peccatis ageret, pro quibus præcipue expiatio concedebatur. Ea autem ſignificat ubique errorem & ignorantiam, ſive peccatum, quod non à cordis malitia, ſed ab incogitantia, & imprudentia proficiſcitur. Probat hoc manifeſte inter cætera id, quod ſcriptum eſt, Num. 15. 25: *Expiabitque ſacerdos univerſam congregationem filiorum Iſraël; & condonabitur illis, quia error eſt.* In Hebræo enim eſt Scegagáh. Idem habetur ỳſ. ſeq. Quoniam igitur error erat, idcirco expiatio concedebatur; id eſt, quia non ex malitia, & deliberata voluntate, ſed per ignorantiam, & imprudentiam peccatum admiſſum fuerat. Alioqui non concedebatur expiatio, ſed is, qui peccatum illud commiſerat, omnino excidendus è populo erat. Scriptum eſt enim ibidem ỳſ. 30 & 31: *Et anima, quæ fecerit in manu excelſa, tam civis, quam peregrinus, Jehovam probris affecit, atque excidetur anima illa è medio populi ſui. Quia verbum Jehovæ ſprevit, & præceptum ejus irritum fecit, excidendo excidetur anima illa, iniquitas ejus erit in ipſa.* Quamobrem non poſſum non vehementer mirari, viros * quoſdam eruditos, & ingenii acumine præſtantes, locum illum ad Heb. explanantes, verbum Ignorantiis pro quolibet peccato interpretatos fuiſſe, & nomen Hebraicum cui Græcum auctoris reſpondeat, quodlibet peccatum ſignificare affirmaſſe. Qui, ut verbi interea proprietatem eluderent, tanquam ſi ſacri ſcriptores ſecundum Platonis placita locuti fuiſſent, ideo ignorantias peccata omnia appellata fuiſſe dixerunt, quod in omni peccato committendo aliqua ignorantia requiratur. Nam quod ipſi conſtanter aſſerunt, nomen Meſciugáh, cui Græcum verbum reſpondere volunt, pro quovis peccato generaliter ſumi poſſe, vel Ignorantias ſive ἀγνοημάτα eo in loco nihil aliud eſſe, quam Seigóth, quo vocabulo omne genus peccati ſignificetur: id nullo pacto videtur ſuſtineri poſſe. Primum enim, ut dictum eſt, Hebræum nomen, quod Græco reſpondet, eſt Scegagáh; quo uſus eſt Moſes, cum de peccatis loqueretur, quibus potiſſimum Deus per ſacrificia expiationem concedebat: quæ, ſcilicet, per imprudentiam admittebantur, ut videre eſt toto cap. 4 & 5. Levit. & prædicto Num. cap. 15. Ad quod nomen, & ad quos locos auctorem illius epiſt. reſpexiſſe neceſſe eſt. Deinde non quodlibet peccatum ſignificant, vel ſignificare poſſunt Hebraica illa nomina: ſed peccatum imprudenter admiſſum tantummodo ſignificant. Quod ex quibuſdam locis, ubi illa ſcripta extant, facile conjicere unuſquiſque poterit. Nomen ſiquidem Meſciugáh reperitur in lib. Job. cap. 19. 4, in illis verbis: *Sed eſto ſane, erraverim, mecum moretur error meus.* Liquet autem ibi agi de errore, ſive de peccato per imprudentiam admiſſo. Ex hiſtoria enim illa patet, Jobum adverſus illos amicos ſuos, qui eum inviſebant, defendere prius voluiſſe innocentiam ſuam: & peccata, quæ ſibi in univerſum ab ipſis exprobrabantur, propter quæ ita à Deo percuſſus, & afflictus eſſet, diluere conatum fuiſſe. Tandem vero ait: Quid iſtud ad vos, ſi ego erravi? ipſe enim, non vos, erroris mei pœnas dabo. Ac ſi diceret: Ego quidem, me peccaſſe non credo; & me ipſe innocentem judico. Sed eſto; imprudens multa contra Deum admiſerim, quid hoc veſtra intereſt? Neque enim de facinoribus aliquibus nominatim ambigebatur, quæ amici Jobi eum perpetraſſe contenderent, ille negaret, & una tacite confiteretur, ſi facinora illa perpetraſſet, vere de ipſo affirmari potuiſſe, quod peccaſſet. Sed ſe Jobus ideo non deliquiſſe affirmabat, quia illa eadem facinora, quæ amici ſui fortaſſe immunda coram Deo judicabant, ipſe munda eſſe arbitrabatur: & nullius culpæ ſibi conſcius erat: propter quam, ſcilicet, ut tam graviter à Deo affligeretur, commeritus fuiſſet. Non igitur fateri potuit Jobus, fieri poſſe, ut ipſe prudens ſciens peccaſſet, de hoc enim quæſtio non erat: ſed ſolum, poſſe fieri, ut, quamvis nullius culpæ ſibi conſcius, tamen coram Deo culpandus eſſet. Quemadmodum etiam Paulus inquit, ſe, quod ipſe ſciret, in Chriſti Euangelio miniſtrando nihil deliquiſſe: non propterea tamen ſe juſtificatum, ſive ab omni culpa immunem eſſe, ſed Domino ejus rei judicium relinquendum, 1 Cor. 4. 4. De ſolo igitur peccato per ignorantiam admiſſo, in illis Jobi verbis vocem Meſciugáh accipi

* Calvinus, Beza, &c.

debere

debere, manifeſtum eſt. At nomen Scigióth numero plurali legitur Pſal. 19. 13. Inquit enim David: *Errores quis intelligat? ab occultis munda me.* Nomen autem Errores in Hebræo eſt Scegioth. Quis vero non videat, id vocabulum, loco illo, peccata ſolum per imprudentiam admiſſa, non etiam reliqua ſignificare? Non enim eorum verborum, quod fortaſſis viri illi eruditi exiſtimarunt, ſenſus eſſe poteſt, Non poſſe omnia peccata ab homine agnoſci, quippe quem, multa licet ex iis videntem, multa etiam ſæpe lateant; cum ibi de omnibus peccatis non agatur, ſed tantum de iis, quæ ſuperbiis opponuntur. Subjungit enim ſequente verſu: *Etiam à ſuperbiis prohibe ſervum tuum.* Itaque eo loco non quidem occulta, quod recte fieri nequit, ſed Errores opponuntur Superbiis, & ſicut, per ſuperbias, apertas tranſgreſſiones, quibus adjuncta eſt contumacia, intelligit, ut ibidem in magnis Roberti Stephani Bibliis annotatum eſt: ita, per errores, occulta quædam peccata, in quæ imprudenter quis incidit, ſignificare voluit. Nam eadem prorſus antitheſis eſt in ſupra dicto capite 15. Num. Cum enim ibi dictum fuiſſet, qua ratione expiari poſſent peccata illa per errorem commiſſa: ſtatim deinde ſubjicitur: *Et anima, quæ fecerit in manu excelſa, &c.* Et ita verba illa, *in manu excelſa*, opponuntur verbis illis, *per errorem.* In manu autem excelſa idem eſt, quod Per ſuperbiam & impudentiam, deliberata ſcilicet voluntate; ut eo in loco in eiſdem annotationibus explicatum fuit. Itaque eorum verborum Davidis ſenſus eſt, Multa peccata ab hominibus per imprudentiam committi poſſe; quæ cum impoſſibile ſit; ut homo ipſe agnoſcat, rogare ſe primum Deum, ut ab ejuſmodi occultis erratis ipſum tueatur, ſeu potius abſolvat: deinde, ut à voluntariis, & quæ per contumaciam perpetrantur, illibatum conſervet. Ex quo manifeſtum fit, vocabulum illud שגיאות nihil aliud, quam ſimplices errores ſeu peccata imprudenter & per incogitantiam admiſſa, ſignificare poſſe. Si alibi præterea in Sacris Litteris Hebrææ voces illæ leguntur, non dubito, quin eadem prorſus ratione eas interpretari neceſſe ſit; idque vocabulum Scegagáh, quod procul omni dubio eo ſenſu ſæpe uſurpatur, & manifeſte voluntario peccato opponitur, ſatis demonſtrare poteſt. Quamquam utramque illam vocem à verbo Sciagáh derivari credo, quod non omnino per ignorantiam errare, ut verbum Sciagág à quo deducitur Scegagáh ſed errare etiam ſimpliciter ſignificare videtur. Elegantiſſime igitur, & Veteris Scripturæ ſenſum, & loquendi morem conſervans, auctor ad Heb. dixit, ſacrificium illud anniverſarium pro ignorantiis oblatum fuiſſe, id eſt, pro peccatis per imprudentiam commiſſis. Nam quamvis, ut dictum eſt, quibuſdam etiam ultroneis delictis expiatio per ſacrificia concederetur, à majore tamen parte denominatio fit. Adde quod, ut ſupra oſtenſum fuit, aliud, præter ſacrificia, ad ea expianda requirebatur. Ejuſmodi autem ultronea delicta ideo expiari poterant, quia proxime accedebant ad ea, quæ per imprudentiam admittebantur. Neque enim contumaciter adverſus Deum in eis peccabatur: ſed fragilitate humana, & perverſo atque inveterato quodam uſu, quod unuſquiſque bona alterius ad ſe, ſi poteſt, ſub aliquo ignorantiæ, vel juſtitiæ prætextu trahit, & rapit. Et idcirco in lege expiationis, quæ eſt Levit. cap. 6. ibi, inquam, ℣ſ. 3 & 7, adduntur ea verba, *quæ facere ſolet homo, &c.* & Num 5. 6. ejuſmodi delicta appellantur peccata hominum. Ex quibus appareret, Deum in expiatione illa concedenda inveterati cujuſdam uſus, & humanæ fragilitatis rationem habuiſſe. Quæ cauſſa etiam ſunt, ut inter ignorantias ejuſmodi errata cenſeri poſſint, per comparationem, ſcilicet, cæterorum graviorum ſcelerum. Alioqui, ſi cum ipſis ignorantiis comparentur, iniquitates appellari debent; ut poſtea dicemus.

Ex iis, quæ hactenus diſſerui, ſatis intelligi poteſt, cum cap. 16. Levit. ſcriptum eſt, anniverſario illo ſacrificio peccata omnia expiata fuiſſe, non omnia prorſus peccata intelligi debere: ſed ea omnia, quibus à Deo expiatio per ſacrificia in Lege concedebatur. Quod etſi per ſe rationi plane eſt conſentaneum, & ſatis unicuique conſtare poterat, per ea præſertim, quæ cap. illo 15. Num. ſcripta ſunt: voluit tamen Deus, ut præſtantiſſimus auctor ille epiſt. ad Heb. aperte explicans, pro ignorantiis expiandis ſacrificium, & oblationem illam ſanguinis factam fuiſſe, nullum dubitandi locum penitus relinqueret. Nam cap. 5. quoque ℣ſ. 2. de pontifice Aharonico verba faciens, ſicait, *qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, &c.* Ex quibus verbis (quicquid iidem illi eruditi viri dicant) manifeſtum fit, pontificem illum non pro omnibus peccatis, ſed pro ignorantiis, & erroribus ex infirmitate admiſſis ſacrificaſſe. Quare, quod ad ſacrificium ipſum attinet, de quo præcipue agitur, omnis nodi difficultas ſublata eſt; & quæ hucuſque de ſacrificiis illis antiqui fœderis docui, dum eam tollere curo, non leviter comprobata videntur.

Sequitur, ut de ipſo emiſſario hirco agamus. De quo tametſi cum ſupra de portandis iniquitatibus diſſererem, dixi, ea cerimonia peracta, Deum cenſeri voluiſſe, non aliter populi iniquitates, & peccata ſublata eſſe, quam ſi hircus ille ea ſecum aſportaſſet, conſiderandum tamen videtur, num res prorſus & omnino ita ſe habeat. Nimis enim abſurdum videri poteſt, ut ea ratione populi peccata ſublata eſſe cenſerentur, & nihilominus tamen pro peccatis expiandis pontifex adhuc ſacrificaret; præſertim, cum, teſte ſcriptore epiſtolæ ad Hebræos Heb. 9. 22, ſine ſanguinis fuſione non fieret remiſſio, in ea autem ipſa cerimonia nullus ſanguis funderetur. Neque enim dici poteſt, cerimonia illa repræſentatum fuiſſe id, quod per ſacrificium peragebatur, ſive ſacrificio adſcribebatur; cum veriſimile non ſit, repræſentationem factam fuiſſe ejus rei, quæ nondum erat, ſed omnino ratio requirat, ut poſt ipſam rem jam peractam, & ita poſt expiationem, non autem ante expiationem, repræſentatio fieret. Erat quidem jam hircus pro peccatis populi mactatus, & ſanguis in ſanctuarium illatus, ipſumque ſanctuarium, & tabernaculum emundatum; ſed tamen nondum holocauſtum oblatum fuerat, neque crematus adeps hoſtiæ pro peccato, quæ ad expiationem abſolvendam omnino requirebantur; ut videre eſt ejuſdem Levit. cap. 4 & 5, & eodem hoc cap. 16. ℣ſ. 24 & 25, ubi expiationem adhuc, iis peragendis, fieri, differe dicitur. Quocirca (niſi adumbrationem quandam futuræ rei eam fuiſſe velimus) non injuria in eam opinionem adduci nos poſſe cogitabam, ut nihil aliud ipſius hirci emiſſarii cerimonia eſſet, quam ſimplex populi peccatorum confeſſio, per quam rogaretur Deus, ut, ſicut poſtmodum hircus ille, ſuper quem confeſſio facta erat, in deſertum miſſus fuerat, ita peccata populi longe ab ipſo populo ejus benignitate ablegarentur. Præſertim, ſi confeſſionem illam univerſa quantumvis gravia ſcelera, quemadmodum verba prima facie ſignificare videntur, complexam fuiſſe velimus, ut quæ per ſacrificium expiari non poterant, ſoli Deo pro ineffabili benignitate ſua expianda darentur; cujus tamen expiationis, & condonationis à Deo factæ aliunde poſtea, quam ex cerimonia illa, commonefieri deberent; nempe ex vera reſipiſcentia, quæ conſecuta fuiſſet, quæque ad ejuſmodi expiationem adipiſcendam omnino neceſſaria erat. Quamvis enim ibi ſcriptum ſit, *Et portabit hircus ille ſuper ſe omnes iniquitates eorum, &c.* id non effectum ipſum, qui vere conſecutus eſſet; ſed populi deſiderium, & certiſſimam ſpem ſignificare haud incommode poſſet. Aut ſi minus placet, deſiderium & ſpem conſequendi peccatorum expiationem ea cerimonia repræſentatam fuiſſe: dici non inepte crediderim, in ea populi peccatorum confeſſione hirci emiſſionem, qui ea ſuper ſe cuncta habere cenſeretur, idcirco à Deo fuiſſe inſtitutam, ut populus ea ratione pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ ſuæ imaginem quandam exhiberet; nimirum qui publice profiteretur, non minus ſe omnibus peccatis ex animo renunciaſſe, & ab ſe quam longiſſime ea ablegaſſe, quam ſi hircus

ille ea ſecum in terram illam inhabitabilem aſportaſſet. Quandoquidem, ut ſupra non ſemel à me dictum eſt, & infra confirmabitur, auferri, & aſportari peccata dicuntur, non modo cum non imputantur, & eorum pœna aufertur, verum etiam, cum quis ex ipſorum ſervitute eximitur, & juſtitiæ deinceps operibus delectatur. Quod ſi hæc mea conſideratio (quæ tamen non minimi momenti eſſe videtur, & cauſſa eſſe poteſt, ut tota res, præſertim, ſi poſteriorem explicandi rationem amplectamur, omni obſcuritate diſcuſſa, dilucide explanetur) rejicienda penitus videbitur: nihil tamen ex univerſa illa cerimonia, vel ex verbis, quibus in ea exponenda utitur Moſes, adverſum me elici poterit. Dicam enim, ideo ibi ſcriptum eſſe, omnia peccata, & prævaricationes, & iniquitates ab hirco illo in deſertum aſportatas fuiſſe, non quia vel pro quantumvis gravibus delictis expiatio concederetur, vel ea inanis figura eſſet, omni prorſus per ſe effectu deſtituta: ſed quia dictio univerſalis, ut jam dictum fuit, accommodanda eſt ad ea univerſa delicta, quæ ritibus illis externis expiari permittebat Deus: non autem ad ea quoque pertrahenda, quibus manifeſtum eſt, Deum ejuſmodi expiationem non conceſſiſſe, nec concedere voluiſſe: & quia vere ea delicta, de quibus ibi loquitur Moſes, tanquam ſi ab hirco illo aſportata fuiſſent, à populo auferebantur, id eſt, ipſi à Deo condonabantur. Neque huic ſententiæ obſtat vocabulum Iniquitatis, quo demonſtrari videtur, graviora quoque ſcelera eo modo ablata, aut imaginarie quodammodo, aut re ipſa fuiſſe. Quamvis enim videatur, vocabulum illud ad veras ignorantias pertinere non poſſe: pertinet tamen, omnino aut certe pertinere poteſt ad peccata illa ultronea, quæ expiari poſſe volebat Deus. Nam, cum voluntas hominis & cognitio in eis committendis adeſſet, & animi perverſitatem, licet non maximam, arguerent: quis negare audebit, ea, ſi puris præſertim & veris ignorantiis opponantur, iniquitates proprie appellari poſſe? Cum igitur Moſes à Deo ſtatutum fuiſſe ſcribit, ut Aharon ſuper caprum illum confiteretur omnes iniquitates filiorum Iſraëlis, & omnes prævaricationes eorum cum omnibus peccatis eorum: voluit eo pacto omnia delicta, quæ expiari poterant, evidenter complecti; ne, ſi peccatorum tantum, aut etiam prævaricationum meminiſſet, ultronea illa delicta excluſa fuiſſe quis ſuſpicari poſſet; quæ non peccata, & prævaricationes ſolum, ſed iniquitates etiam & ſunt, & appellari debent, ſi cum cæteris delictis quæ expiari poterant conferantur. Quanquam non deſunt, qui velint in verbis illis aliquid gravius eſſe prævaricationem, quam iniquitatem. Certum eſt autem, in ultroneis iſtis delictis prævaricationem, eamque contra ipſum Jehovam, eſſe dici, Levit. 6. 2. & Num. 5. 6. Nam, etſi in his locis non eſt nomen Peſciah, quod rebellionem & defectionem ſignificare poteſt, quemadmodum eſt in verbis illis: eſt tamen nomen Mahal, quod non longe à ſignificatione abeſt nominis Peſciah quod profecto ſæpe ſimplicem prævaricationem ſine ulla rebellione ſignificat, atque interdum etiam delictum ſive errorem tantummodo declarat; ut Exod. 22. 8. & Prov. 10. 19. Adde, quod ad Iniquitatis verbum attinet, illud manifeſte ad peccata quoque per ignorantiam commiſſa, & generatim ad omnia, quæ ſacrificiis expiantur, accommodari; ut patet ex his locis, Levit. 5. 16 & 17. & cap. 10. 17. Præterea, etiamſi verba illa de omnibus delictis, quantumvis gravibus, intelligenda eſſent, num continuo ſequeretur, vel externam expiationem graviſſimis quoque delictis fuiſſe conceſſam, vel inanem expiationis umbram per ſe cerimoniam illam fuiſſe? An non clare liqueret, ea in re nullam fuiſſe externam expiationem, ſed cerimoniam tantum, qua Deus, peccata univerſa populo ſe condonaſſe, repræſentare vellet, & quodammodo ipſorum oculis ſubjicere? Longe autem aliud eſt, ſimpliciter condonare peccata, & pro ipſis externam expiationem concedere. Et quemadmodum abſurdum omnino videtur, ut majorum ſcelerum expiatio, vel minima quidem ex parte, ex corporeo aliquo cultu proficiſcatur: ſic decentiſſimum eſt, ut Deus, pura ſua liberalitate, omnia, graviſſima licet, peccata remittat; ſi tamen is, cui remitti debent, eorum pœnitentiam agat, quod ea die à populo illo Deum omnino requiſiviſſe, ſatis indicare poſſet ſolenne jejunium, quod ipſis indixerat, quo animas ſuas affligere debebant, alioqui mortis pœnam ſubituri; ut legitur Levit. 23. 29.

Atque ex his omnia, quæ ex univerſa illius diei cerimonia, & à peccatis expiatione adverſus ea, quæ ego de ſacrificiis expiatoriis antiqui fœderis aſſerueram, duci poſſe videbantur, penitus diluta eſſe confido.

CAPUT XIII.

Facta collatione ipſius mortis Chriſti cum legalibus victimis expiatoriis, & quomodo in expiandis peccatis conveniant, oſtenſo; planum, fit, per Chriſti mortem longe alia ratione expiari peccata noſtra, quam divinæ juſtitiæ pro illis ſatisfaciendo.

CÆterum, cum neque per collationem, nec per figuram antiquorum ſacrificiorum, ullam juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris exhibitam ſatisfactionem ex Chriſti morte manaſſe, ne ſuſpicari quidem detur: videamus nos, ecquid vere ex ejuſmodi collatione & figura colligi poſſit, & debeat. Ac de collatione primum diſſeramus; ſi prius tamen illud monuerimus, veram oblationem expiatoriam corporis Chriſti, quam auctor ad Heb. ſacrificiis illis legalibus opponit, non eſſe ipſius Chriſti mortem, ſed per mortem ingreſſum in cœlum, ubi nunc pro nobis coram Deo apparet; ut poſtea manifeſtum fiet. Unde quam graviter errent ii, qui per oblationem corporis Chriſti expiatoriam divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfactum credunt, & quam vana ſint omnia argumenta, quæ, ad vim ipſius ſolius mortis Chriſti oſtendendam, ex iis, quæ corporis Chriſti expiatoriæ oblationi tributa ſunt, deduci ſolent, optime perſpici poterit. Præſertim, cum ne argumenta quidem illa, quæ ex iis, quæ ſanguini ipſi, ſeu morti tribuuntur, elici poſſunt, ad id probandum aliquod momentum habeant. Sanguinis enim, & mortis Chriſti nomine ſacri ſcriptores, quos nos hucuſque in hac diſputatione noſtra, imitati ſumus, metonymice, ad varias antiqui fœderis expiationes & aſperſiones interim commodius alludentes, univerſam Chriſti ſui ipſius oblationem intelligunt; ut eodem tempore Chriſti, & Dei charitatem nobis unico verbo magis ob oculos ponant, atque commendent. Verumtamen, ut & veritas, & illorum, de quibus ante diximus, error clarius appareat, ſicut hacteaus feci, ita in hac collatione quoque, ipſam Chriſti mortem victimis expiatoriis antiqui fœderis opponam; ac figuræ, & figurati ratione etiam habita, illis multo præſtantiorem, quamvis ex ea nulla prorſus pro peccatis noſtris ſatisfactio proficiſcatur, eſſe demonſtrabo.

Jam vero, ut ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, intelligi poteſt, ſacrificia illa non ideo peccata expiare dicta fuerunt, quod in ipſis aliquid eſſet, quod vel Deum ad condonanda peccata movere poſſet, vel ejus, pro quo offerebantur, culpam reſarciret, aut compenſaret: ſed quia, ipſis peractis, expiatio, quæ ex Dei pura benignitate pendebat, ſtatim conſequebatur; hoc eſt, ille à pœna ſuis peccatis debita penitus eximiebatur. Ita etiam Chriſti mors peccata noſtra expiaſſe dicitur, non quia vel Deum ad peccata nobis condonanda moverit, vel delictorum noſtrorum culpam reſarciverit, aut compenſaverit: ſed quia peccatorum noſtrorum expiatio, quæ ex ſola Dei clementia tota pendebat, Chriſti ſupplicio peracto, ſtatim conſecuta eſt. Simul enim atque Chriſtus crucis mortem paſſus fuit, id ex Dei decreto adeptus eſt, ut non ſolum ipſe immortali & ſempiterna vita donatus fuerit, ſed nos quoque,

qui

qui illi fidem habemus, & ipſius ſumus, eadem donandi poteſtatem habuerit. Atqui nihil aliud eſt reipſa peccatorum noſtrorum expiatio, quam à morte peccati pœna plena & perpetua liberatio Præterea, quemadmodum, ſacrificiis illis peractis, is, pro quo victima offerebatur, jam de divina erga ſe benignitate, & placatione amplius dubitare non poterat, &, ſibi delictum ſuum condonatum jam eſſe, pro certo habebat: Sic, morte Chriſti, ſeu ipſius ſupplicio peracto, nemo eſt, qui, Deum nos ſuprema charitate complexum fuiſſe, non agnoſcat, eumque erga nos placatiſſimum non videat, qui dilectiſſimum filium ſuum, ut nobis ad æternam ſalutem, ea via, quam ipſe, ad potentiam & gloriam ſuam patefaciendam, ſapientiſſime elegit, dux & præcurſor eſſet, tantis malis objecerit: & jam ſibi univerſa delicta ipſius ſumma liberalitate condonata eſſe (iis tamen conditionibus acceptis, quas ipſe æquiſſimas in condonatione aſcripſit) pro certo non habeat. Itaque expiationis tum effectus, tum etiam cognitio ſicut ex ſacrificiis illis, ita ex Chriſti morte provenit.

Ad expiationis effectum pertinent ea Jeſu Chriſti verba Matth. 26. 28, *Hic eſt ſanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Non enim quia, mors ipſius, ſive ſanguinis effuſio Deum ad remiſſionem peccatorum nobis largiendam motura eſſet, aut illum nobis conciliatura, hæc dixit Chriſtus: ſed quia, ut nos peccatorum remiſſionem in novo per ipſum nobiſcum percuſſo fœdere à Deo ſponte oblatam conſequeremur & à morte æterna liberaremur, neceſſe erat, ut ipſe Chriſtus moreretur, & ſuum ſanguinem funderet: & breviter quia ex eo, quod ipſe mortuus eſt, & ſuum ſanguinem fudit, ad nos tantæ divinæ liberalitatis effectus re ipſa manat, & manaturus eſt. Ad idem pertinent ea epiſt. ad Hebr. verba: *Et ideo novi teſtamenti Mediator eſt, ut, morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hereditatis*, cap. 9. 15. Vocabulum enim Redemptionis nihil aliud revera ut ſupra indicatum fuit, eo loco ſignificat, quam expiationem. Uſus eſt autem ea voce Scriptor ille pro expiatione, ad exemplum, ut ibi diximus, Hebraicæ vocis Cópher, quæ & redemptionem, ſive redemptionis pretium, & expiationem ſignificat; & propterea, ut ſupra quoque dictum fuit, poſſunt commode loca, quæ de redemptione, ſanguinis ſimul facta mentione, loquuntur, de expiatione accipi. Præſertim vero locus iſte, ubi de ipſorum peccatorum redemptione verba fiunt. Mors igitur Chriſti interceſſit, ut nos per novum nobiſcum à Deo per ipſum Chriſtum percuſſum fœdus expiationem conſequamur earum tranſgreſſionum, quæ ſub vetere fœdere non expiabantur: atque ita à morte exempti, quicunque vocati ſumus, & ipſi Chriſto fidem habemus, æternæ vitæ heredes fiamus. Ut enim (quemadmodum ibidem ſubjungitur) niſi mors teſtatoris intercedat, teſtamentum ratum non eſt: ſic, niſi Chriſti mors interceſſiſſet, nullum effectum habituræ fuiſſent ejus promiſſiones. Similitudo tamen in eo eſt duntaxat, quod utrobique ad rei, de qua agitur, confirmationem, mortem intercedere illius, qui ejus auctor eſt, neceſſe fuit. Ratio vero, cur mors intercedens confirmet, & ſine ea confirmatio ejus rei non exiſtat, longe diverſa eſt. Ad teſtamentum enim confirmandum ideo teſtatoris mors requiritur, quia, quoad ille vivit neque ex teſtamento ullus effectus provenit, cum omnis ejus effectus poſt ipſius mortem differatur, & ipſe univerſum teſtamentum non ſolum ex parte mutare, ſed penitus etiam abolere poteſt. Ad Jeſu Chriſti autem promiſſiones confirmandas ideo neceſſaria fuit ipſius Chriſti mors, quia non niſi per mortem ad vitam æternam poſſe eum pervenire, à Deo decretum fuerat: &, Chriſti vita æterna ſublata, nullus effectus promiſſionum ejus, quas ipſemet nobis præſtare debebat, hoc eſt abſolutæ remiſſionis peccatorum, & æternæ beatitatis ad nos manare poterat. De hoc eodem divinæ noſtrorum peccatorum expiationis effectu loquitur etiam Johannes 1. epiſt. cap. 4. 10, cum ait: *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem* (ſive *expiationem*) *pro peccatis noſtris.* Quid autem ſit peccatorum noſtrorum expiatio, quam Chriſtus peregit, declarant proxime antecedentia verba; in quibus, ut ſæpe ſolet, eandem ſententiam Apoſtolus expreſſerat. Ea autem ſunt: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Expiantur igitur peccata noſtra à Chriſto, non divinæ alicui juſtitiæ ſatiſfaciendo, ſed nobis divina voluntate vitam conferendo, & ab æterna morte nos vindicando. Atque in iſto loco, quamvis ad totum Chriſtum, & ad ea omnia, quæ propter noſtram ſalutem fecit, verba accommodari poſſint: quatenus tamen ipſum expiationem appellat, ad antiqui fœderis ſacrificia alluſiſſe videtur Johannes, & tacite cum illis ſacrificium corporis Chriſti contuliſſe.

Porro ad expiationis peccatorum noſtrorum cognitionem, quam per Chriſti mortem adepti ſumus, pertinere poſſunt illa ejuſdem Apoſtoli verba cap. 1. ejuſdem epiſt. ℣ſ. 7: *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce: ſocietatem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Hic enim idcirco potius de certa notitia expiationis, quam de ipſo expiationis effectu agi credo, quia perinde videtur, ac ſi dixiſſet: Si hoc facimus, non eſt, cur dubitemus de condonatione noſtrorum peccatorum. Sanguis enim filii ejus, quem, ut eam conſequeremur, effundi voluit Deus, apertiſſime id nobis teſtatur; neque Deus, qui ad æternum ſuum fœdus confirmandum eum ſanguinem adhibuit, mentiri poteſt. Emundare autem ſæpius idem ſignificare, quod Mundum pronunciare, ſeu declarare, poſtea demonſtrabitur. Confirmat mirum in modum hanc ejus loci interpretationem id, quod deinde ſubjungit Apoſtolus, ubi more ſuo, ut diximus, eandem ſententiam diverſis verbis explicat. Ait enim: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ipſi Deo nunc tribuit, quod filii ejus ſanguini antea tribuerat; ſed tamen tacite etiam ſanguinis Jeſu Chriſti mentionem facit in illis verbis: *Fidelis & juſtus*, id eſt, verax, & qui promiſſa, ut æquum eſt, ſervaturus ſit, quæ nobis, ſcilicet, per Chriſtum fecit, & ipſius ſanguine confirmare voluit, quemadmodum etiam ſupra promiſſorum Dei tacite mentionem fecerat, cum Jeſu Chriſti ſanguinem commemoravit; is enim ad ipſa confirmanda potiſſimum adhibitus fuit. Atque eodem tempore & ad ſacrificiorum, & ad fœderum ſanguinem alluſiſſe videtur. Jam, cum & ſanguinem Chriſti, & Deum emundare noſtra peccata dicat, Emundandi verbo ſatiſfactionem aliquam non ſignificari liquet. Neque enim Deus peccata noſtra emundat, vel potius emundaturus eſt (nam de futura emundatione ibi expreſſe agitur) pro peccatis noſtris ſatiſfaciendo: ſed, ut ibidem ipſe Apoſtolus ait, ea nobis remittendo & condonando. Cujus rei cum nobis Jeſu Chriſti ſanguis non dubiam faciat fidem, merito illi peccata emundandi vis attribuitur. Id enim ſolum, poſt tantam Dei liberalitatem, ad eam condonationem reipſa conſequendam, ut fiat neceſſe eſt; videlicet, ut nos rem ita ſe habere credamus, & proinde tales evadamus, quales Deus requirit, & Johannes eſſe debere affirmat, qui tanti doni participes eſſe cupiunt; in luce nimirum ambulemus, quemadmodum ipſe Deus eſt in luce, & peccata noſtra illi ſincere, & ex animo confiteamur.

CAPUT XIV.

Incipit oſtendi, ipſam Chriſti mortem multo plus efficere in expiandis peccatis noſtris, quam efficerent victimæ

illæ legales, adeoque ipſum illud anniverſarium ſacrificium, in expiandis peccatis, pro quibus offerebantur.

SUperantur autem victimæ, & Sacrificia illa antiqua, ea etiam inquan, quæ ſemel in anno offerebantur, &, ut ſupra demonſtratum, fuit, Chriſti morti magis proprie reſpondent, ab ipſa morte Chriſti in peccatis expiandis; idque (non omnes hic enarro) duplici de cauſſa. Una eſt, quod ſacrificia illa à peccatorum quidem pœna liberabant, verum à peccatis populum ceſſare non faciebant. Sed Chriſti mors non ſolum à peccatorum pœna nos ſubtrahit, ſed etiam, ut à peccando deſiſtamus efficit. Altera eſt, quod ſacrificia illa ab antecedentium anni illius tantum delictorum reatu populum liberum reddebant, Chriſti autem mors, & à præcedentium omnium delictorum, & à futurorum reatu nos liberos reddit, noſque in perpetuum ſanctificat, & coram Deo inculpatos in ſempiternum efficit. Utrumque hunc Chriſti mortis effectum complexus eſt, atque utrumque ab antiquis illis victimis abfuiſſe innuit auctor ad Heb. illis verbis cap. 9. *Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id eſt, non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa.* Redemptionis verbum, ut jam dictum eſt, ab hoc ſcriptore pro Expiatione uſurpatur. Opponit enim expiationem Chriſti ſanguine & morte interveniente factam, expiationibus illis legalibus; atque eam æternam vocat, propterea quod legales illæ temporariæ erant, non ſolum quia, ut paullo ſuperius dixerat, pro tempore illo præſente uſque ad tempus correctionis conſtitutæ fuerant, ſed quia pro illo etiam tempore in futurum nequaquam reſpiciebant (quod ſatis indicaverat dicens, quotannis ſacrificium illud ſolenne à pontifice peragi, & ſic eandem expiationem ſæpius repeti; ut cap. ſeq. latius exponit) ipſa vero & ad finem uſque ſeculi perdutatura eſt, & ſingulos homines ſemel peracta perpetuo expiat; id eſt, in perpetuum, quicumque Chriſto fidem habuerint, ab omnibus peccatis etiam futuris, videlicet, ab ipſorum reatu & pœna liberabat atque abſolvit. Sic enim ſtatuit Deus, ut poſtquam Chriſtus ipſi obediens fuit uſque ad mortem crucis, omnes, qui illius ſunt, in cœlis cum eo tandem æternum vivant, & ita ab omnium, etiam futurorum, peccatorum pœna eximantur, quod alterum eſt ex duobus illis ſingularibus Chriſti mortis effectis. Verum animadvertendum eſt, eos, qui Chriſto fidunt, & ejus ſunt, à peccando ceſſare, ſiquidem ille nihil, niſi reſipiſcentibus promittit; neque pro ſuis agnoſcit, niſi eos, qui carnem ſuam, ut inquit Paulus, una cum concupiſcentiis & affectibus crucifixerunt, Gal. 5. 24. In quibus ſi quædam tamen adhuc remanent peccata, incogitantiæ ſcilicet, & fragilitates aliquæ: ea licet futura, divino decreto expiata jam ſunt, & ipſis nunquam imputabuntur. Vocat igitur iſto in loco auctor ad Heb. hanc peccatorum expiationem, æternam, etiam ob id, quod à peccatis ceſſare facit (& hic alter eſt illorum Chriſti mortis effectuum) hominemque juſtitiæ cultorem efficit, atque ea ratione ab omnium peccatorum pœna perpetuam liberationem parit. Sicut enim, qui à peccando non ceſſaverit, peccatorum veniam conſequi non poteſt, ita, quicumque peccare deſinit, omnium delictorum pleniſſimam condonationem adipiſcitur. Atque in hac etiam parte ipſam expiationibus illis antiquis opponit. Dixerat enim prius, ſacrificia illa legalia non potuiſſe, juxta conſcientiam, perfectum reddere cultorem. Quod etſi, ut ex adjunctis verbis patet, ſignificat, vim non habuiſſe expiandi peccata, quæ ad conſcientiam, & interiorem hominem proprie ſpectarent, ſed ignorantias tantum, & quaſdam fragilitates, ac delicta quædam externa, carnem potius, quam animam, polluentia: tamen nihilominus ſignificat etiam ab ipſis illis peccatis hominem in futurum retrahendi facultatem nullam habuiſſe; utpote quæ ad conſcientiam, id eſt, ad animum & mentem uſque non pertingerent: neque eas partes in homine ita excolendi & perficiendi, ut in poſterum in errores illos non laberetur, vim ullam haberent. Ut autem hæc duo, de quibus agimus, & quæ expiationi per Chriſtum factæ tribuit, & cæteris negat, per ipſius Chriſti mortem contingere demonſtret, & interim, quod ſupra ſcriptis verbis ſtrictim quodammodo involverat, latius exponat, atque explicet; ſtatim ſubjungit, *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus* (vel potius *aſpergens*) *inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſe ipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* Quamvis enim videatur in his verbis agi tantum de purgatione à peccatis ipſis, non autem de expiatione à peccatorum pœna: conſentaneum eſt tamen de utroque agi; ut argumentum, quod per comparationem à ſanguine hircorum, & taurorum, & cinere vitulæ aſperſo ducit, rectius conſiſtere poſſit. Non enim ſanguis, hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus ideo ſanctificabant ad carnis emundationem, quod, ne quis amplius iniquinaretur; efficerent: ſed quia à labe illa jam contracta purificabant. Sic enim argumentatur ſcriptor ille: ſi ſacrificia & aſperſiones illæ, ita Deo vo'ente, eam vim propter effectum, qui conſequebatur, habebant, ut carnis inquinamenta abſtergerent, ita ut, qui illorum participes facti fuerant, mundi poſtea cenſerentur, cum tamen, ab ipſis ſacrificiis & aſperſionibus ejuſmodi efficaciam nulla ratione proficiſci poſſe, conſtaret: multo magis ſanguis Chriſti vim abſtergendi habebit labem, quam ex peccatis contraximus, & nos inculpatos coram Deo ſiſtendi; cum non modo Deus in hunc finem præcipue Chriſtum mori voluerit, ſed ipſam Chriſti mortem hanc efficacitatem habere nos ipſi ſentiamus. Nam, cum videmus, Chriſtum per ſui ipſius ſanguinis effuſionem æternam vitam, æternumque ſacerdotium adeptum fuiſſe, & coram Deo pro nobis inculptum perpetuo apparere: quid eſt, cur timeamus, noſtra peccata nobis unquam imputatum iri? Num fieri poteſt, ſi ei fidem habemus, & ejus ſumus, ut peccata noſtra pleniſſime non expientur, & nos quoque æternam vitam non adipiſcamur? Expiata igitur eſſe peccata noſtra per Chriſti mortem ex Dei parte, nos ipſi ſentimus; & ſic, omnem labem, quam ex mortiferis operibus noſtris contraxeramus, quod ad ad Dei voluntatem attinet, abſterſam eſſe agnoſcentes, alacri animo, ut ex parte quoque noſtri expiatio fiat, id eſt, ut expiationis effectum conſequamur, ex ipſius Chriſti præſcripto, viventi Deo, qui nos à morte in perpetuum vindicaturus eſt, ex animo ſervimus, totoſque nos illi conſecramus.

CAPUT XV.

Per occaſionem explanandi locum ad Heb. cap. 9. 13, & 14 docetur oblationem Chriſti expiatoriam peractam fuiſſe in cœlo; & concluditur demonſtratio ex eodem loco, quomodo per Chriſti mortem a peccatorum noſtrorum pœnis perpetuo liberemur.

ANimadvertendum autem eſt, verba illa, *obtulit ſeipſum immaculatum Deo*, non ad ſolam mortem crucis referri, ſed ad ingreſſum ſimul in Sancta, id eſt, in ipſum cœlum, ubi nunc Chriſtus perpetuo coram Deo pro nobis aſtat. Per Chriſti enim oblationem tota illa Epiſtola auctor ille, ut ſupra monuimus, nihil aliud intelligit, quam per proprii ſanguinis fuſionem Chriſti in cœlo Deo factam ſui ipſius pro nobis (ut ita dicam) præſentationem. Nam, ſicuti non prius ſacerdotium ſuum vult eum vere adeptum fuiſſe, quam, cum poſt mortem in cœlum, ut pro nobis coram Deo appareret, introductus eſt: ſic, non prius perfecte eum ſe Deo obtuliſſe, ſtatuit, quam, cum ſe illi in cœlo præſentavit. Relativa

enim

enim ſunt ſacerdos, & oblatio. Itaque; ubi verus ſacerdos nondum eſt, nec vera oblatio eſſe poteſt. Ubi autem verus ſacerdos, ibi & vera oblatio ſit, neceſſe eſt. Chriſtum autem à ſcriptore illo non antè ſacerdotem vere dici, quam poſt ejus in cœlum aſcenſum, & unicuique, qui eam Epiſtolam vel ſemel legerit, ſatis conſtare poteſt, & infra, cum de ipſo Chriſto in ſummi legalis ſacerdotis perſona adumbrato agemus, Deo dante, demonſtrabitur. Quid, quod Epiſtolæ auctor ipſe, quidnam Chriſti oblationis nomine intelligat, adeò dilucide explicat, ut nulla dubitandi occaſio relinquatur. Sic enim ſcribit eodem cap. 9. 25. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno.* Elegantiſſime opponit Chriſti, quam ſui ipſius ſemel oblationem fecit, ingreſſui pontificis quotannis in ſancta cum ſanguine alieno. Offerre enim, ingreſſui in Sancta reſpondet; verba neque ſæpe, verbis per ſingulos annos; ſemetipſum, ſanguini alieno, cum decente quadam antitheſi, oppoſita eſſe apparet. Quanquam cætera pro conceſſis hoc loco ſumuntur; & in eo tantum fit comparatio, diſſimilitudoque oſtenditur, quod pontifex ille quotannis offerebat, Chriſtus autem ſemel obtulit. Quis igitur in his verbis manifeſto non deprehendat, nihil aliud eſſe, obtuliſſe Chriſtum ſeipſum Deo, quam, per proprii ſanguinis fuſionem, ſive, ut idem hic ſcriptor loquitur, per proprium ſanguinem in vera ſancta, hoc eſt, in ipſum cœlum ingreſſum eſſe, & ibi pro nobis coram Deo aſtare? Quod etiam ſatis declarant ſequentia verba. Primum enim ait, *Alioquin oportebat eum ſæpe pati ab origine* (ſeu potius *à conſtitutione*) *mundi*, Nulla ſane elegantia, ſive etiam vis eſſet in his verbis, ſi idem foret ſe offerre, quod pati, nec oblatio aliquid diverſum à morte præcipue ſignificaret. Quam enim elegantiam, aut vim poſſent auctoris verba habere, ſi dixiſſet, non opus eſſe, ut Chriſtus ſæpius patiatur, alioquin oportuiſſe, ut ſæpius pateretur à conſtitutione mundi? Nam etiamſi vis aliqua (ut equidem ineſſe credo) eſſet in illis verbis *à conſtitutione mundi*: non tamen veriſimile eſt, ipſum eo modo locuturum fuiſſe, & inepte eadem verba, id eſt, idem ſignificantia repeti turum, ſed omnino ita ſcripturum, alioquin oportuiſſet, ut jam ab ipſa conſtitutione mundi id facere inſtituiſſet. Sed, ſi offerre ſeipſum, in cœlo Deo ſe præſentare, præcipue ſignificat, elegantiſſime, & efficaciſſime concludit Apoſtolus, non opus eſſe, ut Chriſtus ſæpius ſeipſum offerat, alioquin oportuiſſe, ut ſæpius etiam paſſus fuiſſet. Nec enim Deo ſe præſentavit aut præſentare potuit Chriſtus in cœlo, niſi per mortem, & proprii ſanguinis effuſionem. Quæ vero deinde divinus iſte ſcriptor per antitheſim adjungit, totam rem dilucidius etiam aperiunt. Inquit enim: *Nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam* (ſive *per immolationem ſui ipſius*) *apparuit.* Verbum enim apparere, quod paucos animadvertiſſe exiſtimo, eo in loco nihil aliud ſignificare videtur, quam coram Deo apparere. Nam idem etiam auctor cap. 10. 11, uſus eſt ſimplici verbo aſtare pro aſtare ad aram; ut docte, & eleganter eo loco annotavit Theodorus Beza. Hic autem paullo ſuperiùs de Chriſto dictum fuerat, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Tametſi igitur poſtea non additur vultui Dei, ſeu coram Deo: tamen de eadem apparitione locutum omnino fuiſſe Apoſtolum, dicendum videtur. Nam id quoque manifeſtum faciunt ea verba, *per immolationem ſui ipſius.* Siquidem non alia (quæ huc quidem pertineat) Chriſti apparitio ab ipſius immolatione conſecuta eſt, quam ejuſdem in cœlo ſui ipſius coram Deo præſentatio, ad antiqui pontificis exemplum, qui per immolationem victimarum in ſanctuario coram Deo apparebat. Quamvis enim verba illa, *per immolationem ſui ipſius*, poſſint cum præcedentibus, videlicet, *ad deſtructionem peccati*, conjungi: in omnibus tamen codicibus, quos mihi videre contigit, ſive Græcis, ſive Latinis, non modo vulgatæ editionis, ſed aliarum quoque verſionum, una Seb. Caſtellionis excepta, diſtinctio inter utraque apponitur, & per immolationem ſui ipſius, cum Apparuit conjungitur. Atqui ea interpunctio vix ſuſtineri poteſt, niſi eo pacto, quo ego feci, verbum Apparuit interpretemur. Ex qua interpretatione aptiſſimus, ut vidimus, ſenſus elicitur. Nam ſi ita interpretari ea verba velimus, ut dicamus; Chriſtum per immolationem ſui ipſius nobis patefactum fuiſſe, præterquam quod & durius & obſcurius, in quemcumque tandem ſenſum id accipias, dictum videbitur, nulla erit in his verbis ad ſuperiora relatio, nulla prorſus efficacia. Quod, ut arbitror, animadvertens Caſtellio, cum veram fortaſſis interea eo in loco verbi φανερῶσις ſignificationem non aſſequeretur: non omnino injuria Græcorum codicum, conſtantem licet, interpunctionem ſprevit. Etenim, cum ſenſus aliter non conſtat, verborum diſtinctiones audacter mutari poſſunt, dummodo ipſa verba nullo pacto immutentur ſuove loco moveantur. Hæc itaque de ejus loci ſententia à me dicta ſint, ſi à vulgata interpunctione omnino recedere nolimus. Nam alioqui Caſtellionis interpretationem rejiciendam non cenſeo. Et ſic erit hic locus illi ſimilis, qui eſt apud Joh. Epiſt. 1. cap. 3. 5. *Et ſcitis, quod ipſe apparuit, ut peccata noſtra tolleret.* Quanquam non negaverim, communi etiam interpunctione retenta, poſſe verbum φανερῶσις in eundem ſenſum hic accipi, quo ibi prolatum fuit a Johanne, ſi vocem διὰ ſeu Per pro Cum accipiamus; quo ſenſu aliquoties poſita eſt in Novo Teſtamento; ut apud eundem Johannem eadem Epiſt. cap. 5. 6. *Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem, Jeſus Chriſtus.* Quod autem à me dictum, & confirmatum jam fuit, oblationem ſcilicet Chriſti apud hunc ſcriptorem præſentationem ejus in cœlo Deo pro nobis factam ſignificare, vidit etiam ante me, quisquis is fuit (doctum profecto hominem fuiſſe conſtat) qui marginales annotationes Novi Teſtamenti ſcripſit à Roberto Stephano Anno 1545. Lutetiæ editi. Nam ea verba 8 cap. vſ. 5, hujus Epiſtolæ explicans, *qui exemplari, & umbræ deſerviunt cœleſtium*, ita ſcribit: *qui quidem exemplari, & umbræ deſerviunt eorum, quæ agenda olim erant in cœlis per Chriſtum. In cœlo enim Deo ſeipſum offert Chriſtus.* Hactenus ille. Ubi obiter notandum eſt, doctum iſtum virum id ſentire, quod nos ſane ſentimus, Chriſti videlicet oblationem adhuc perpetuo fieri. Hoc enim aperte indicat verbum Offert præſentis temporis, quo eſt uſus. Nec profecto mirum eſt, ab eo id animadverſum fuiſſe, cum paullo ante expreſſe Apoſtolus dixiſſet, Chriſtum in cœlo miniſtrum veri ſanctuarii fuiſſe factum, & ob eam rem neceſſe eſſe, ut ſicuti omnes pontifices aliquid habent, quod offerant, ita & ipſe aliquid offerendum habeat; nempe ibidem in cœlo. Statim enim adjungitur, ſi eſſet in terra, ne ſacerdotem quidem futurum. Nihil aliud autem vel offert, vel obtulit Chriſtus Deo, quam ſeipſum (de ea oblatione loquor, quam ſcriptor ille ibi intelligit) ergo in cœlo ſui ipſius oblationem peregit. Quare, etiamſi concederetur, verba illa, ὅθεν ἀναγκαῖον ἔχειν τι καὶ τοῦτον, ὃ προσενέγκῃ, omnino converti debere per tempus præteritum hoc pacto, *Unde neceſſe fuit, hunc quoque habere quod offerret*, ut quibuſdam * viſum eſt: non tamen ulla ratione de oblatione in cruce, & ante ingreſſum ejus in cœlum hic in terra facta, accipi poſſent; cum eò loco de oblatione agatur, quæ vel fiat, vel facta fuerit à Chriſto, poſtquam conſedit ad dexteram throni majeſtatis cœleſtis; ut diſerte ſatis ibidem ſcriptum eſt. Neque vero huic meæ ſententiæ de oblatione Chriſti pro nobis (ut fortaſſe quiſpiam exiſtimare poſſet) obſtant ea verba Pauli in principio cap. 5 ad Eph. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit, ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Ubi, cum dilectionis Chriſti mentio fiat, apparet de ipſa crucis morte dici, vel potius de ipſo Chriſto, quatenus crucis mortem ſubiit, quod fuerit oblatio Deo gratiſſima. Primum enim

* Beza.

ſenten-

ſententia mea non ſejungit Chriſti mortem ab ejuſdem pro nobis oblatione; immo aſſero, eum non obtuliſſe ſeipſum, niſi per mortem, id eſt, non niſi morte ſua interveniente; quamvis oblatio non ante perfecta fuerit, quam poſt reſurrectionem, & aſcenſum ipſius in cœlum. Nam in anniverſario quoque illo ſacrificio in Lege ſtatuto; in quo Chriſti ſacrificium potiſſimum adumbratum fuiſſe, diximus, ad oblationem perficiendam omnino requirebatur, ut ſanguis victimarum in ſanctuarium inferretur. Scriptum eſt enim in Epiſt. ad Hebr. 9. 7, eum ſanguinem à pontifice pro ſuis, & populi ignorantiis oblatum fuiſſe, poſtquam cum eo in Sancta Sanctorum ingreſſus fuiſſet. Deinde, quod de oblatione Chriſti aſſerui, ut ex verbis meis liquet, ad Epiſt. tantum ad Hebr. pertinet, ubi non niſi ea ſignificatione, qua ſupra expoſitum eſt, Chriſti oblationem uſurpatam fuiſſe contendo: non autem ad univerſa divinorum auctorum ſcripta. Præterea non dicit Paulus, Chriſtum obtuliſſe ſe Deo pro nobis, quamvis id multi * crediderint, & præſertim, qui eum locum vertendo, ejus verbis præpoſitionem In aliquando addiderant, hoc pacto *Qui tradidit ſemetipſum pro nobis* [*in*] *oblationem &c.* Siquidem verbum tradidit, quod in Græco eſt παρέδωκεν, non eſt conjungendum cum voce προσφορὰν, hoc eſt, oblationem; ut recte & Tigurini, & Caſtellio animadverterunt, qui diſtinctionem inter ipſa adhibuerunt. Id autem omnino ſuadet cum ipſum verbum παραδίδωμι, cujus in victimis offerendis nullum fortaſſe uſum invenies, tum Apoſtoli mens, qui maximam Chriſti dilectionem exprimere voluit, & aperte dicere, Chriſtum ſeipſum pro nobis in mortem tradidiſſe. (In mortem autem tradere, ſimplici verbo tradidit expreſſit, ut hac ipſa de re loquens ſæpius fecit. Nam hoc eodem capite ℣. 25 inquit, *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*: Et Gal. 2. 20. *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Et de Deo, qui ita nos dilexerit, ut eum morti tradiderit Rom. 8. 32. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Atque eodem ſenſu uſurpavit quoque verbum Dare Chriſtus ipſe, ſeu potius, ut quibuſdam placet, Euangeliſta Johannes in illis verbis, *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*, cap. 3. 16. Quod & ipſe Paulus fecit Gal. 1. 4, & Tit. 2. 14.) Id vero non ita expreſſiſſet, ſi dixiſſet, Chriſtum obtuliſſe ſe Deo pro nobis. Neque enim hoc, ut illud, mortem ob oculos ponit; cum poſſit quis ſe offerre Deo, nec tamen mori. Nam idem Apoſtolus in principio, cap. 12, ad Rom. ſcribit, ut præbeant corpora ſua hoſtiam viventem Sanctam Deo placentem. Senſus igitur hujus loci eſt, Chriſtum ita nos dilexiſſe, ut ſeipſum pro nobis in mortem tradiderit. Deinde, ut Epheſii ad ſingulare hoc Chriſti facinus imitandum magis accendantur, per appoſitionem ſubjungitur, hanc ipſius Chriſti eximiam charitatem, hoc ipſius egregium opus, fuiſſe Deo oblationem & hoſtiam gratiſſimam. Itaque non de ejus corporis oblatione, ſed de oblatione præſtantiſſimi facti agitur. Nam, ipſum factum hoſtiam appellari poſſe, patet ex eo, quod ſcriptum eſt Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivi ſci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Quin ſimilem prorſus loquendi modum, cum eadem appoſitionis uſitatiſſima figura, habes ad finem Epiſt. ad Philip. ubi ſcriptum eſt, *Habeo autem omnia, & abundo; repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam gratam placentem Deo.* Vide etiam in eadem Epiſtola cap. 2. 17. Ex quo loco etiam apparet, ea verba, de quibus ſupra egimus, In odorem ſuavitatis, quibus 70 Interpretes reddiderunt id, quod in Hebræo eſt, in odorem quietis, nullam expiationem, nedum, ut ibi diximus, iræ placationem, ſignificare. Et propterea in illis verbis ad Eph. non agi de hoſtia aliqua expiatoria; ut Hieronymus quoque in explanatione ejus loci optimè agnoviſſe videtur; quamvis verbi tradidit ſenſum omnino aſſecutus non fuerit. Nam ibi ita ſcriptum reliquit: *Quemadmodum enim ille ſe tradidit pro nobis, ſic & iſte pro quibus poteſt, libenter occumbens, imitabitur eum, qui oblationem & hoſtiam in odorem ſuavitatis ſe patri tradidit; & fiet etiam ipſe oblatio & hoſtia Dei in odorem ſuavitatis.*

Sed, ut ad locum Epiſt. ad Hebr. quem nunc præcipue mihi illuſtrandum ſumpſi, jam tandem revertamur, dico, alia etiam ratione ſtatui debere, ea verba, *Obtulit ſemetipſum Deo*, explananda eſſe hoc pacto, ſeipſum per ſuum ſanguinem in cœlis Deo præſentavit. Hic enim ratio redditur eorum, quæ prius dicta fuerant. Dictum autem fuerat, Chriſtum per proprium ſanguinem ingreſſum in ſancta æternam redemptionem inveniſſe; ergo hic, cur Chriſtus, in cœlum per proprium ſanguinem ingreſſus, æternam redemptionem invenerit, ratio redditur. Et ita non de ſola ejus ſanguinis effuſione, ſed de ipſius quoque in cœlum ingreſſu mentio fit. Per Spiritum autem æternum Deo ſe obtuliſſe Chriſtus dicitur, quia jam in æternum vivit, & idcirco in æternum pro nobis in conſpectu Dei apparebit: non autem, ut multi ſimpliciter interpretantur, quia æterna ſit Chriſti ſacrificii expiatio. Sic enim ſumpſiſſet auctor iſte id, quod probare animo intenderat. Vide 2 Cor. 3. 6. Hic autem Spiritus tacite opponitur Literæ, hoc eſt, Legi; quæ neque æterna fuit, nec in æternum ſacerdotes conſtituebat. Atque in his paucis verbis eadem ſententia continetur, quæ pluribus ad finem cap. 7, explicata fuerat. Ubi ſcriptum eſt: *Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes; ſermo autem juriſjurandi, quod poſt Legem eſt, filium in æternum perfectum* (ſeu *conſecratum*) Additur, quod obtulerit ſe immaculatum, ut, dum interea eleganter alluditur ad hoſtias, quæ in ſacrificiis legalibus offerebantur, quas incontaminatas eſſe oportebat, nihil ei unquam Deum denegaturum, & propterea nos, qui ipſius ſumus, perpetuo à noſtrorum peccatorum pœnis, ejus ope liberos futuros, indicetur. Quanquam, alium quoque ſenſum verbo immaculatum ſubeſſe, credo; quem infra alibi exponam. Purgari conſcientiam ab operibus mortuis, id eſt, à peccatis, idem eſt, quod nullam habere amplius conſcientiam peccatorum; quo loquendi modo utitur idem Apoſtolus in principio cap. ſeq. Quod, ut poſtea oſtendam, non modo ab ipſis peccatis, ſed etiam à peccatorum reatu & pœna, ſive à reatus opinione, & timore ipſius pœnæ conſcientiam prorſus jam liberam habere ſignificat. Utrumque enim, ut dixi, per Chriſti mortem nobis contingere, in his verbis dicitur. Cumque jam viderimus, quomodo ad perpetuam liberationem à pœna peccatorum omnia verba accommodentur: deinceps ad liberationem etiam ab ipſis peccatis ea recte accommodari poſſe demonſtremus.

CAPUT XVI.

Per Chriſti mortem homines à peccando retrahi; legales autem victimas neque hanc vim, neque alteram illam habuiſſe, ut in perpetuum à reatu & pœna peccatorum illorum liberarent, propter quæ expianda offerebantur.

AIt igitur ſcriptor ille divinus, ut probet, Chriſtum, ſemel per ſanguinem ſuum in vera ſancta ingreſſum, æternam redemptionem nactum fuiſſe, hoc eſt, perpetuam & omnimodam à peccatis expiationem, quod, ſi ſacrificia & aſperſiones illæ antiquæ id efficiebant, ut homo à carnis inquinamentis purgaretur, multo magis ſanguis Chriſti nos à peccando ceſſare faciet. Nam, tametſi alia ratio erat illius purgationis, & alia noſtræ à peccando ceſſationis: purgati enim, ut jam dictum fuit, illi erant, non quod poſthac ſe non inquinarent, ſed quia à jam contracta labe

* Beza.

labe mundabantur: potuit tamen ſcriptor noſter hæc, licet diverſa, inter ſe comparare, quatenus oſtendere voluit, multo majores vires habere ſanguinem Chriſti ad hoc efficiendum, quam habuiſſent victimæ & aſperſiones antiquæ ad illud præſtandum. Nam ſi ſola Dei ordinatione ex victimis, & aſperſionibus illis effectus ille conſequebatur, ipſis interim nihil ea in re vi propria veré efficientibus; multo magis ex Chriſti ſanguine effectus, de quo quærimus, conſequetur; cum, præter Dei ordinationem, ipſe ſanguis in eo præſtando maximas vires habeat. Cum enim conſideramus, Chriſtum innocentiſſimum cœlos penetraſſe, & ibi æterna beatitudine coram Deo fruiturum eſſe, quis ſe ad eum imitandum non accingit, &, peccatis relictis, ad Deo perpetuo ſerviendum non convertit? Quis, cum noverit, Chriſtum, qui reſipiſcentibus vitam æternam Dei Patris ſui nomine promiſit, in ipſius Dei conſpectu inculpatiſſimum pro nobis in ſempiternum aſtiturum, reſipiſcere negliget, & Deo ſe non conſecrabit? Hæc autem, quæ diximus, non niſi ſanguine ſuo prius fuſo, ipſi Chriſto contigerunt; nec aliter (ſic enim omnino decreverat Deus) ullo pacto contingere poterant, quare ejus morti, & fuſo ſanguini beneficia omnia, quæ ex illis ad nos permanant, accepta quodammodo referenda ſunt. Probat igitur Apoſtolus evidenter, ex Chriſti ſanguine, quo fuſo, ipſe in vera ſancta ingreſſus ſit, vitæ noſtræ emendationem proficiſci. Hoc autem evicto, continuo, æternam peccatorum noſtrorum expiationem illum nactum fuiſſe, conſequitur. Quicunque enim emendat vitam ſuam, ut ſæpius dictum eſt, præterquam quod ab ipſis peccatis, ut manifeſtum eſt, liberatur, & purgatur, perpetuam etiam & pleniſſimam, Deo, quemadmodum nos ipſe Chriſtus docuit, ita pro ſua bonitate ſtatuente, à peccatorum ſuorum pœna liberationem adipiſcitur. Duplicem igitur hanc peccatorum expiationem per Chriſti mortem fieri, ex hoc ad Hebr. Epiſt. loco apparet. Utriuſque autem expertia fuere ſacrificia illa legalia; ut apertius docet idem auctor in initio ſeq. cap. Inquit enim: *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum: per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas afferunt indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere. Alioqui ceſſaſſent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccatorum cultores ſemel mundati. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* In his verbis de expiatione à peccatorum pœna præcipue agitur; non tamen de quacunque ejuſmodi expiatione: ſed de æterna; quæ cum, ut vidimus, nemini contingere poſſit, niſi prius ab ipſis peccatis expiatus ſit, hoc eſt, à peccando deſtiterit: conſequenter de expiatione quoque ab ipſis peccatis in eis agitur. Et, cum altera alteram neceſſario aut conſequatur, aut præcedat, non poteſt unquam de una agi, quin de altera quoque aut tacite, aut expreſſe agatur. Verum de expiatione pœna potiſſime hic ſermonem inſtitutum fuiſſe, probant ea, quæ ſtatim ſequuntur, verba: *Ideo, ingrediens mundum, dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti, &c.* Hoſtiæ enim illæ, non ut quis peccare deſineret, ſed ut à peccatorum pœna liberaretur, offerebantur; quas ſublatas fuiſſe dicit, & in earum locum, Chriſti ſacrificium ſubſtitutum. Mens igitur Apoſtoli in ſupra ſcriptis verbis hæc eſt, Legem, quemadmodum umbram, tantum continebat futurorum bonorum, non autem ipſam futurorum bonorum expreſſam imaginem, quæ nimirum in Euangelio continetur, ſic (ut quæ aliquando deſitura erat) in ipſa umbra vitio non vacaſſe. Quod vitium poſtea, corpore ejus umbræ, id eſt, expreſſa rerum imagine, adveniente, animadverſum eſt; & jure abolitam fuiſſe umbram, aperte comprobatum. Nam cap. quoque 8. ait, prius fœdus non vacaſſe culpa, non ſolum quia promiſſiones æquales promiſſionibus poſterioris fœderis non haberet, & umbram quandam duntaxat ſolidi corporis contineret: ſed etiam quia in ipſa umbra vitii expers non erat; utpote quod vim non haberet populi in officio continendi, ut poſterius habuit. Ex quo factum eſt, ut merito abolitum ſit, & in ejus locum ſuffectum aliud, quod mentibus humanis divinas leges indat, & cordibus eas inſcribat. Vitium autem, quod ſacrificia illa legalia, quæ potiſſimum Chriſti ſacrificium adumbrabant, manifeſte continebant, erat, ut ſtatim ſcriptor ipſe explicat, quod ea ſæpius repetere neceſſe erat, neque vim aliquam habebant ſuos cultores, & qui ipſorum participes fiebant, in perpetuum expiandi. Quod vitium penitus abfuit à ſacrificio corporis Chriſti; quod & ſemel tantum peractum eſt, & cultores ſuos, quique ipſius participes fiunt, in perpetuum expiat. Hujuſce autem rei duplex eſt ratio; atque utramque in ipſo initio hujus tractationis attigimus. Una, quod ſacrificia illa pro præteritis tantum peccatis offerebantur; Chriſti autem ſacrificium ad futura quoque vim ſuam porrigit. Altera (quæ potior eſt, atque præſtantior) quod ſacrificia illa a peccatis retrahendi nullam vim habebant: quapropter, cum, peractis illis, homines in eoſdem errores denuo laberentur, eadem offerenda ſæpius erant, & quotannis per ipſa peccatorum expiatio procuranda; Chriſti vero ſacrificium à peccando ceſſare facit, & perpetuo hanc vim obtinet. Quo conſecuto, jam neceſſario etiam omnium peccatorum remiſſio conſequitur. Et ita nulla amplius pro peccatis oblatione eſt opus. Itaque ait idem ſcriptor, non mirum eſſe, ſi quotannis ea antiqua ſacrificia peragebantur, quia nunquam populus per ipſa à peccatis illis retrahebatur. Quare ſemper aliquam peccatorum conſcientiam habebat; id eſt, ſemper ſe coram Deo reum eſſe agnoſcebat. Id autem eveniebat, quia ſanguis hircorum, & taurorum, nulla ratione poteſt ad animam uſque pertingere; ut fecit Jeſu Chriſti ſanguis, & eam ab ejus ſordibus abluere, atque, ut homo à peccando deſiſtat, efficere. Hoc eſt enim, quod intelligendum eſt per illa verba, *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*: non autem, nullam vim peccata expiandi, pro quibus offerebantur, habere illa ſacrificia potuiſſe. Quod tamen multi adverſus manifeſtiſſimam veritatem putavere. Unde etiam factum eſt, ut quidam * affirmaverint, in anniverſario illo ſacrificio commemorationem factam fuiſſe peccatorum non ſolum proxime præcedentis anni, ſed etiam omnium ſuperiorum; ne male argumentatus fuiſſe, ſcilicet, Apoſtolus videatur, cum ex eo, quod ſæpius idem ſacrificium repeteretur, per ipſum ſublata peccata non fuiſſe concludit. *Nam alioquin* (ajunt) *potuiſſet objici; ideo fuiſſe repetitum hoc ſacrificium non quod peccata non tolleret, ſed quod ſuperioris tantum anni peccata elueret.* Atque ita, ut id, quod objici divino illi ſcriptori nullo modo poterat, & veriſſimum eſt, falſum eſſe oſtenderent: id de ſacrificio illo affirmarunt, quod nunquam probare poterunt. Nam quod Levit 16, dicitur, omnium peccatorum populi confeſſionem à ſacerdote factam fuiſſe: quis dubitare poteſt, de omnibus peccatis anni illius tantum accipi debere, cum ex eodem cap. conſtet, ſingulis annis peccata expiata fuiſſe? Quid autem attinebat pro peccatis jam expiatis ſive per ſacrificium ipſum, ſive ut iſti exiſtimant, per futuram Chriſti oblationem, amplius ſacrificare? Quod vero auctor noſter ait, commemorationem ſeu mavis (ut iſti Græcam vocem ἀνάμνησιν interpretantur) repetitam mentionem peccatorum, in illis ſacrificiis quotannis factam fuiſſe: quis non videat, de ejuſdem generis peccatis eum loqui, non autem de iiſdem ipſis ſingularibus delictis? Non igitur ex repetitione illius ſacrificii colligit Apoſtolus, eas victimas nullam vim expiandi alicujus peccati habuiſſe, quia, ſcilicet, in ipſo omnium peccatorum, quantumvis antiquorum, ſemper commemoratio fieret. Cur enim inanis prorſus ejuſmodi commemoratio facta eſſet, cur victimæ oblatæ ſi populus ipſe, ut ex illa confeſſione manifeſtum fuiſſet, eas

* Beza.

nul-

nullum prorſus momentum habere ad peccatorum expiationem perſuaſum habuiſſet? Sed ex repetitione ſacrificii illius colligit, ut ipſius verba demonſtrant, id ſacrificium, & eas victimas vim non habuiſſe homines perficiendi, & à peccatis in futurum conſervandi. Si enim hanc vim habuiſſent, certe, ut ipſe ait, deſiiſſent offerri; cum il, qui ſemel eorum participes facti fuiſſent, minime jam peccati reos ſe agnoviſſent. Sed tantum abeſt, ut ſe reos jam non agnoſcerent, ut eorundem peccatorum quotannis in eis mentio fieret; quippe populo in eadem peccata, poſt ſemel factam expiationem, denuo relabente. Hunc eſſe veriſſimum & planiſſimum eorum verborum ſenſum, fatebuntur, ut ſpero, iidem ipſi, adverſus quorum ſententiam, veritatis tantum patefaciendæ gratia, hæc pauca diſſerere libuit, ſi unquam ad eorum manus mea hæc reſponſio pervenerit; & ſe præjudicatis illis opinionibus, quod ſcilicet ſacrificia illa, & pro omnibus, quantumvis gravibus, delictis peragerentur, & nullam, ne ad leviſſima quidem expianda, vim haberent, occupatos, & quodammodo abreptos, mentem hujus ſcriptoris, & hic, & alibi non penitus perſpexiſſe, atque ea de cauſſa nonnunquam ejus vel apertiſſima verba à propria ſignificatione, nulla neceſſitate cogente, non parum detorſiſſe, vel obſcuriorum veram interpretationem non plane aſſecutos fuiſſe, aliqua ſaltem ex parte agnoſcent. Ego vero interea Deum orabo, ut, quando eos ſuo gregi paſtores dedit, ſpiritu ſuo ad omnem veritatem ipſis præire dignetur. Sed ad propoſitum revertamur.

Dicet enim aliquis, cur, ſi ſacrificia illa antiqua tranſgreſſiones pro quibus fiebant, expiabant, ita elevantur ab hoc divino ſcriptore, eo nomine, quod hominis mentem non perficerent? Num victimarum officium aliud unquam fuit, quam peccata expiare, pro quibus oblatæ erant? Ad hoc jam reſponſum eſt, cum locum ejuſdem auctoris ex octavo capite, pro illuſtratione eorum, quæ in his verbis continentur, in medium attuli. Sicut enim ibi prius fœdus, quia vi quadam carebat, quam poſterius habuit, culpa non vacaſſe dicit, quamvis proprium fœderis non ſit eam vim habere (neque enim proprium fœderis eſt, mentem perficere, & animum alicujus ſanctificare, vel ea, quæ in ipſo fœdere continentur, ut ſervet, efficere: ſed tantummodo, ſi ipſius fœderis conditiones ſervaverit, illius, qui cum eo fœdus pepigit, voluntatem erga ipſum teſtatam facere atque obligare) ita, quia ſacrificia illa vi quadam carebant, quæ in oblatione corporis Jeſu Chriſti ineſt: licet ea vis propria ſacrificiorum non ſit: digna tamen ab ipſo judicata fuerunt, quæ vitii damnarentur. Non poterant igitur ſacrificia illa, ſæpius etiam repetita, homines à peccatorum pœna perpetuo liberare, cum ipſa peccata nunquam auferrent. Chriſti autem unica oblatio à peccatorum pœna perpetuo liberat, quia ipſe peccata aufert. Proinde, eadem ferme repetens, inferius idem Scriptor ſic ait: *Et omnis quidem ſacerdos aſtat quotidie ſacra peragens, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei; de cætero exſpectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus. Una enim oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos.* In quibus verbis notandum eſt, adverbium Quotidie, non, ſingulis diebus, ſed ſæpe, vel, certo quodam tempore perpetuo, ſignificare. Nec enim agitur hic de alio ſacrificio, quam de illo anniverſario pro omnibus peccatis: quod, ut ſæpius dictum eſt, vera oblationis Chriſti umbra fuit: & de quo hucuſque inſtitutus fuerat ſermo. Id quod probe animadvertiſſe videtur Theodorus Beza, qui initium horum verborum ita è Græco tranſtulit: *Omnis igitur ſacerdos, &c.* Adverbio autem Quotidie in hac eadem ſignificatione, hac eadem de re verba faciens, utitur idem auctor ſupra ad finem 7. cap. dum ait: *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi, &c.* Quotidie dicit; cum tamen id fieret à ſacerdotibus ſemel tantum quotannis. Nuſquam enim legitur, ſummum ſacerdotem in ſacrificiis, quæ pro populo fiebant, pro ſe etiam offerre debuiſſe, niſi in ſacrificio illo anniverſario. Dum autem in verbis, quæ ſtatim ſequuntur, probare vult, verum eſſe, Chriſtum unica oblatione perfeciſſe in perpetuum eos, qui ſanctificantur: explicat ſimul, quomodo id fiat; & utramque illam peccatorum expiationem, quam legales victimæ præſtare non poterant; per Chriſtum nos obtinuiſſe, eleganter inſinuat. Ait enim, *Teſtificatur autem nobis etiam Spiritus Sanctus. Nam poſteaquam prædixit: Hoc [eſt] fœdus, quod paciſcar cum illis poſt dies illos, dicit Dominus, Dans leges meas in corda illorum, & in mentibus illorum inſcribam eas; & peccatorum ipſorum, & iniquitatum ipſorum non recordabor amplius. Ubi autem horum remiſſio, non eſt amplius oblatio pro peccatis.* Ex quibus verbis ſatis apparet, nos utramque illam expiationem per Chriſtum habere, & legem, ſcilicet, Dei inſcriptam in mentibus noſtris (quod idem eſt, atque à peccati ſervitute liberari, ac juſtitiæ totum ſe mancipare) & remiſſionem peccatorum ab ipſo Deo; qua liberatio à peccatorum pœna continetur. Præcedit autem, ut recitationis ordine, ſic re ipſa, legis divinæ in mente ſeu corde inſcriptio remiſſionem peccatorum; quemadmodum univerſa Scriptura teſtatur, quæ pœnitentiam omnino poſtulat ab iis, qui ſibi peccata à Deo condonari volunt. Pœnitentiam enim agere nihil aliud eſt, quam vitam corrigere, & legis peccati loco divinam legem, quæ vera & unica lex juſtitiæ eſt, in corde inſcriptam habere. Ubi etiam notandum eſt, oblationi Chriſti (de qua agebatur, non autem de fœdere) id tribui, quod proprium eſt fœderis, quod ille nobiſcum Dei nomine pepigit; nempe quia ea ad fœdus confirmandum adhibita fuit; ideoque inter alias cauſſas, ſacrificio corporis Chriſti attributum fuiſſe, quod peccata noſtra expiet, quia nobis remiſſionis peccatorum in novo fœdere à Deo promiſſæ pleniſſimam fidem facit: non autem quia eam remiſſionem nobis à Deo impetraverit; quamvis, ut ipſam, jam pura Dei liberalitate nobis oblatam, re ipſa conſecuturi ſimus, cauſſa fuerit. Eandem hanc à Chriſti ſacrificio & ſacerdotio ad fœdus, & ad officium, quo, ut Mediator, Chriſtus functus eſt, tranſitionem habes cap. 8. hujus epiſt. Ex quo liquere poteſt, omnem vim, & efficacitatem ſacrificii & ſacerdotii Jeſu Chriſti, ex divino fœdere pendere. Fœderis autem Chriſtus non acquiſitor, ut ita dicam, vel impetrator ſuo ſanguine fuit, ſed mediator, hoc eſt, ſponſor; ut apparet ex cap. 7. ℣. 22. Ibi enim, loco vocis Mediatoris, eſt ſponſor, & pro eo, quod dictus poſtea eſt Chriſtus 8. cap. melioris fœderis Mediator, ibi ſcriptus fuit melioris fœderis ſponſor.

CAPUT XVII.

Explicantur quædam ſacra teſtimonia, quæ Adverſarii ſententiæ favere videntur; &, re quadam expreſſa, in qua mors Chriſti legales victimas in peccatis expiandis præcipue excellit, itemque alia, in qua illarum eſt diſſimilis: tractatio hæc collationis inter ipſam, & illas abſolvitur atque concluditur.

EX iis, quæ de duabus illis expiationibus peccatorum hactenus diſſeruimus, ſatis conſtare poteſt, quid ſibi voluerit Baptiſta, cum dixit de Chriſto, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, Joh. 1. 29. Chriſtus ſiquidem vere & perfecte noſtra peccata ſuſtulit: non, ut victimæ legales ſolebant, peccata quædam præterita duntaxat expiando: ſed univerſa, etiam futura, delendo; neque ſolum, ut illæ, à peccati pœna liberando: ſed à peccatis ipſis in poſterum retrahendo, & illibatos nos conſervando, atque ipſam peccati radicem quodammodo ex cordibus noſtris exſtirpando. Et idcirco fortaſſis inter alias cauſſas Johannes

Chriſtum

Chriſtum Jeſum non ſimpliciter Agnum, ſed Dei agnum appellavit; qui ſcilicet divina & inaudita quadam ratione peccata auferret, atque expiaret. Cæterum, ſicuti à peccatis in poſterum retrahit Chriſtus, & ita ipſa penitus aufert, non quia pro illis divinæ juſtitiæ ſatisfaciat (quid enim commune habere poteſt ſatisfactio cum ejuſmodi ablatione peccatorum?) Sed quia per ſpem immortalitatis, Dei, & proximi amorem in nobis gignit, ac perpetuo fovet: ſic à peccatorum pœna non ideo liberat, & ita peccata delet & aufert, quia pro peccatis noſtris Deo ſatisfaciat: ſed quia, poſtquam Dei, & proximi amorem in nobis genuerit, poſtquam divinam legem in noſtris cordibus inſcripſerit, Deus peccatorum noſtrorum amplius non recordatur. Quamvis autem Baptiſta, dum Chriſto auferendi peccata officium tribuit, eum Agnum appellaverit, & ad expiatoria ſacrificia in ea appellatione alluſerit: non crediderim tamen, eum ad Chriſti immolationem tantum in eo reſpexiſſe, ſed ad totum Chriſtum, qui pluribus aliis modis peccata tollit; ut ex iis, quæ ſupra, præſertim cum de ipſo nomine Servatoris Chriſto in Sacris Litteris tributo ageremus, à me diſputata ſunt, facile intelligi poteſt. Adeo ut alluſio, & tacita comparatio ſit potiſſimum propter ablationem peccatorum, non autem propter immolationem. Nam Petrus quoque 1 Pet. 1. 19, ut alibi vidimus, eum agnum nominat, licet ejus ſanguinis, non tanquam Deo oblati, ſed tanquam pretii, quo ex vana noſtra converſatione redempti ſimus, mentionem faceret. Nimirum, quia, ſicut per immolationem alicujus pecudis peccata olim auferebantur; Ita per Chriſti ſanguinem, dum ipſius vi ex vana noſtra converſatione redimimur, peccata à nobis auferuntur: comparatione præcipue, propter ablationem peccatorum, facta, non autem propter immolationem. Et auctor ad Heb. non cum ſanguine tantum, qui in immolationibus illis antiquis fundebatur, ſed cum aſperſione quoque cineris juvencæ Chriſti ſanguinem comparat, ut ſupra viſum eſt; non quidem propter aſperſionem ipſam, quæ vere utrobique ſit: ſed propter eundem effectum labes expiandi, quem utrinque manare certum eſt. Johannes autem in Apoc. cap. 1. ℣. 5, alia metaphora ſeu tranſlatione, quæ nihil aliud eſt, quam compendioſa quædam comparatio, utens, dixit de Chriſto, & de ejus morte, *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis in ſanguine ſuo.* Nam, quemadmodum aqua eluuntur ſordes corporis: ſic ſanguine Jeſu Chriſti peccata, quæ ſordes animi ſunt, abſterguntur: Abſterguntur, inquam, quia animus noſter ab ipſis mundatur. Quæ emundatio cauſſa eſt alterius ablutionis, quod ſcilicet ab ipſorum reatu, & pœna coram Deo mundamur; ad quam poſteriorem ablutionem præcipue in loco iſto Johannem reſpexiſſe, crediderim, quemadmodum indicant verba illa, *qui dilexit nos.* In eo enim dilectio Chriſti proprie apparet, quod, ut à pœnis noſtrorum peccatorum liberaremur, ſuum ſanguinem fundere non dubitavit. Ad priorem autem illam alteram peccatorum ablutionem potiſſimum reſpiciens Paulus, 1 ad Cor. 6. 11. ait, aliquos ex ipſis aliquando fuiſſe peccatis addictos, ſed ablutos eſſe per nomen Jeſu, & per Spiritum Dei, hoc eſt à peccati ſervitute exemptos. Quem locum etſi de Chriſti ſanguine nominatim non loquatur, tamen afferre libuit, ut, oblata occaſione, ſententiam noſtram de ipſo indicaremus, & ſimul teſtimonium afferremus illius veritatis, quæ ſæpius urgenda eſt, Jeſum Chriſtum, videlicet, ea quoque ratione peccata noſtra abſtuliſſe, quod effecerit, ut à peccando deſiſtamus.

Vides igitur, ut ad rem redeamus, diverſis alluſionibus, comparationibus, & tranſlationibus ſanguini ſive morti Chriſti attribui, quod nos à peccatis omnino liberaverit. Quoniam vero inter Chriſti mortem, & ſacrificia antiqua, non ſolum propter effectum ipſum expiationis, ſed etiam propter mactationem, effuſionem ſanguinis, & alia non pauca, longe maxima eſt ſimilitudo: idcirco nihil (adumbratione etiam ſecluſa) reperiri poteſt, ad quod decentius, cum de expiatione peccatorum, quam per Chriſti mortem conſecuti ſimus, agitur, alludi queat, quam ad illa ſacrificia. Quæ tamen, collatione facta, multum, ut vidimus, ab ea ſuperantur; & præſertim in eo, quod ſacrificia illa, quamvis divinis promiſſionibus roborata, non tamen virtute aliqua ſua, ſed ſola Dei voluntate peccata expiabant: Chriſti autem mors, divino fœderi adjuncta, expiationem peccatorum noſtrorum eo pacto, quo à me ſæpius expoſitum fuit, virtute etiam ſua, quam nos ipſi manifeſte agnoſcimus, & experimur, peragendi vim habet. Ex quo conſequitur neceſſario, non ſolum in expiationis effectu, de quo hactenus diſputatum eſt, ſed etiam in expiationis cognitione gignenda, victimas illas antiquas à Chriſti morte multis partibus ſuperari. Jam, quia, ut dictum fuit, Chriſti mors divino fœderi adjuncta eſt, ſacrificia vero illa antiqua nulli fœderi confirmando adjuncta fuerant, ſed pars fœderis ipſa erant: Propterea, præter jam diſerte, dum eam illis anteponimus, enarratas diſſimilitudines, hæc quoque inter Chriſti mortem, & ſacrificia illa, diſſimilitudo, quam ſupra attigimus, conſpicitur, quod, illis peractis, ſtatim reipſa expiatio, id eſt, peccatorum remiſſio, conſequebatur. Hanc vero tum demum reipſa peccatorum remiſſio conſequitur, ſi fœderis conditiones ſerventur, & vita corrigatur, atque à peccando ceſſetur.

Verum, cum de collatione ſacrificii corporis Chriſti cum victimis expiatoriis Antiqui Fœderis ſatis jam dictum videatur, &, quid ipſam Chriſti mortem nobis præſtitiſſe, intelligi per eam & poſſit, & debeat, demonſtratum ſit: jam de figura ipſa ſive adumbratione agamus.

CAPUT XVIII.

Ex ipſa adumbratione Chriſti mortis in legalibus victimis, quid eandem mortem in expiandis peccatis noſtris præſtare, intelligendum ſit, breviter exponitur; & diſcrimen Veteris, & Novi Fœderis in expiandis peccatis attingitur.

HIc vero non multum immorandum fuerit, cum non obſcure ex præcedentibus intelligi poſſit, quid ſacrificia illa de Chriſti morte adumbraverint. Ut tamen res tota melius cognoſcatur, illud repetendum videtur, Figuram, ſi cum figurato conferatur, tanquam inanem quandam umbram ſolido corpori oppoſitam, videri, & ideo oportere, ut ea, quæ Chriſti mors peregit, & in ſacrificiis illis adumbrata fuere, longe præſtantiora ſint iis, quæ victimæ illæ peregerunt. Quamobrem, cum per immolationes illas ignorantiæ, & incogitantiæ, ac leviores quædam fragilitates, & labes quædam corporis, eædemque imaginariæ potius, quam veræ, expiarentur, & mundarentur: neceſſe eſt, ut, quæ per Chriſti mortem expiata, & mundata ſunt, longe iſtis antecedant. Hæc autem nihil aliud eſſe poſſunt, quam mentis perverſitates, & ſcelera, ac voluntaria peccata, animique veræ maculæ. Adeo ut ſi rem ipſam penitius introſpicere velimus, his expiandis proprie Chriſti mors adhibita videatur, non autem iis, quæ per antiqua ſacrificia expiabantur. Non de corporis maculis illis tantum loquor (id enim apud omnes in confeſſo eſt, cum poſt Chriſti adventum eæ amplius maculæ non cenſeantur) ſed de ignorantiis, incogitantiis & levioribus quibuſdam fragilitatibus idem dictum volo. Cum enim demonſtratum jam fuerit, per Chriſti mortem peccata tolli, non modo quia per ipſam à peccatorum pœna homines liberantur, verum etiam, quia ab ipſis peccatis purgantur, & tamen videamus, adhuc in iis, qui Chriſti jam ſunt, & ejus ſanguine aſperſi fuerunt, poſſe ignorantias, incogitantias, & leviores quaſdam fragilitates aliqua ſaltem ex parte remanere: quis negare audebit, per mortem Chriſti non ita proprie hæc expiari, ut

delicta graviora expiantur, quæ in homine vere Chriſtiano perdurare non poſſunt, &, ſtatim ut quis Chriſti mortis fructum guſtaverit, protinus evaneſcunt? Utrumque autem à me ſatis probatum fuit, cum de imitatione Chriſti ageremus; neque hic eadem repetere eſt opus. Illud nihilominus tamen addere volui, utrumque ex eo ſolo manifeſtum fieri, quod ii, qui ſecundum ſpiritum, non autem ſecundum carnem, ambulant, Chriſtiani ſunt, nec quiſquam Chriſtianus eſt, qui non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum carnem ambulet. Ut diſerte ſcriptum eſt à Paulo ad Rom. cap. 8. ab initio uſque ad ℣. 14. qui demum ita concludit, *Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* At vero nemo negare poterit, eum ſecundum ſpiritum ambulare, qui juſtitiæ operibus perpetuo delectatur. Nec ſecundum carnem vivere is dicitur, aut ullo modo dici poteſt, in quo ſpiritus potior multo eſt, licet idem aliquando leviter labatur. Nam id, quod ſcriptum eſt à Johanne: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat*, quomodo intelligi debeat, jam ſupra expoſitum eſt. Eum autem, qui gravioribus delictis adhuc aliquo modo ſit implicitus, necdum illa ex corde ſuo eradicaverit, quis, ſecundum ſpiritum vivere, affirmare audebit? Legantur, quæ ſcribit Paulus ad Gal. 5. à ℣. 18. ad finem uſque capitis, &, quam neceſſe ſit, ut, qui ſecundum ſpiritum vivat, omnium ſcelerum radices ex animo ſuo extirpaverit, manifeſto deprehendetur. Non ſolum autem, per Chriſti mortem omnia ſcelera expiari, omnes vero fragilitates non item, idcirco aſſerere poſſumus, quia non has, ut illa, in nobis penitus excindat: ſed etiam non injuria fortaſſis idem habita ratione alterius illius generis, ablationis peccatorum affirmare quis poſſet. Quamvis enim Chriſtus omnium delictorum veniam nobis attulerit: cum tamen leviorum illorum delictorum à Moſe quoque veniam conſequendi modus omnibus in perpetuum propoſitus fuiſſet: non ipſorum, ſed graviorum, quibus in ipſa Lege nulla venia dabatur, Chriſtum expiationem proprie feciſſe, dicendum videtur. Paulus certe, ut ſupra viſum fuit, Act. cap. 13. affirmavit Judæis, per Chriſti fidem omnium, quibus in Lege venia non concedebatur, remiſſionem dari; quodnam proprium eſſet in peccatis expiandis Chriſti officium, interim aperte explicans; nimirum ab iis peccatis expiare, quibus in Lege expiatio non concedebatur: & alibi ſcriptum eſt, mortem Chriſti interceſſiſſe ad redemptionem, id eſt, expiationem earum prævaricationum, quæ ſub Vetere Fœdere erant; unde fœdus, per quod ablatæ fuerunt, merito novum appellatum fuerit. Heb. 9. 15. Hinc idem Paulus Rom. 3. 25. ſcribit, à Deo per Chriſtum remitti nobis peccata præcedentia, id eſt, quorum ante Chriſtum rei erant homines, utpote quibus nunquam publico atque perpetuo Dei decreto expiatio conceſſa fuiſſet. Quod tamen ſe aliquando facturum, ipſe Deus promiſerat per Hieremiam Prophetam cap. 31.

Sed dicet aliquis, Nunquid ante Chriſti adventum graviora delicta expiari non poterant? Poterant quidem, verum non ratione aliqua in ipſa Lege, & in ipſius antiqui fœderis verbis in perpetuum omnibus propoſita: ſed gratia, & benignitate divina; cujus identidem populus admonebatur, & cujus ſpecimina, atque argumenta plurima ab ipſo condito orbe unuſquiſque vidiſſe & agnoviſſe poterat. At per Chriſtum univerſali & perpetuo fœdere omnibus reſipiſcentibus, quorumcunque delictorum, etiam graviſſimorum, Deus veniam obtulit, eique dandæ ſe verbo ſuo obſtrinxit. Habuit igitur, ut inquit auctor ad Heb. in initio 10. cap. Lex umbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum. Nam quid erat, obſecro, à levioribus illis erratis per pecudum immolationem expiare poſſe, ſi graviorum interim pœnas dare ex Legis præſcripto neceſſe erat? An non hæc umbra tantum fuit illius veræ imaginis, quam in Chriſto conſpeximus, per quem, ejus morte, & oblatione ſui ipſius Deo facta interveniente, ab omnium ſcelerum pœna, hoc eſt, ab ipſa morte in perpetuum vindicamur? Hæc ſunt vera bona, quæ Lex præſentia non dedit, ſed futura tantum adumbravit 1 Cor. 10. 11: non quidem illorum reſpectu, qui tunc erant, ſed noſtrum: qui ad perfectius ſeculum reſervati ſumus.

CAPUT XIX.

Ex eo, quod Chriſtus in ſummi legalis pontificis perſona adumbratus fuerit, minime concludi poſſe, Chriſtum pro peccatis noſtris Deo ſatisfeciſſe; ſed neque inde probari, Deum à Chriſto nobis placatum fuiſſe.

VIdimus, quid nam ex adumbratione mortis Chriſti in antiqui fœderis victimis expiatoriis, ſive per collationem, ſive ex vi ipſius adumbrationis colligi poſſit; & nullam penitus pro peccatis noſtris ſatisfactionem Chriſti morte peractam inde colligi poſſe, demonſtratum eſt. Quare ad alteram hujus de ſacrificiis tractationis partem accedamus; & de adumbratione ipſius Chriſti in legalis pontificis perſona agamus. Atque hic non minus, quam in priore parte, primum per collationem, deinde ex ipſius adumbrationis vi ſatisfactionem iſtam hinc minime colligi poſſe, demonſtremus.

Quod igitur ad collationem attinet, idem omnino de pontifice, quod de victimis ipſis dicendum videtur. Quocirca, cum jam & ratione, & auctoritate omnium theologorum conſtitutum fuerit, victimas illas nullam divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi vim habuiſſe: de pontifice quoque idem ſtatuendum eſt; præſertim cum ſacrificiorum vis in victima potius, quam in ſacerdote reſidere videatur: immo, ad ipſam ſatisfactionem peragendam, ſacerdotis perſonam nihil prorſus momenti afferre poſſe, dicendum ſit. Neque enim ſacerdos ipſe Deo offertur, & quodammodo datur, unde ſatisfactio oriri poſſit: ſed victima tantum (Nam quod Chriſtus ſeipſum obtulit, primum id in ipſo ſingulare eſt; deinde cum idem fuerit & ſacerdos, & victima, oblatio ſui ipſius victimæ oblationi nihil addere potuit. Præterea hic non de quolibet, ſed de legali ſacerdote agimus, &, quid ex eo per collationem colligi poſſit, inquirimus) Quapropter, ſi victima ipſa vim compenſandi delictum illius, pro quo offertur, non habuerit: ex ſacerdotis perſonæ dignitate neutiquam eam ſumere poterit. Ut enim, ſi ſatisfaciendum ſit creditori, cui centum nummorum ſummam quis debeat, nunquam, quinquaginta tantum perſolutis, vere illi ſatisfiet, quicunque tandem is fuerit, qui eam pecuniam ſolverit: ſic non poteſt ſacerdotis perſona, quantumvis digna, efficere, ut juſtitiæ divinæ, victimam Deo offerendo, ſatisfiat, quæ per ſe ſatisfaciendi vim non habeat. Quod ſi creditor ille propter perſonæ qualitatem, quæ pecuniæ illius ſolutionem fecerit, multo minore licet ſumma, quam ea erat, quæ ſibi debebatur, accepta, ſatisfactum ſibi eſſe dicat, & à debitore ſuo nihil amplius ſe nec exigere, nec petere poſſe velit: jam, non quia vera ſatisfactio interverierit, id eſt, vere & perfecte debitum ſolutum fuerit, ſed quia creditor ita voluit, liberabitur debitor; & niſi creditor de ſuo jure remiſiſſet, id eſt, minus quam ſibi debebatur, accipere contentus fuiſſet, debitor liberationem conſecutus non fuiſſet. Quod etſi à creditore in gratiam ſolventis factum eſt: ex eo tamen non efficitur, quin debiti pars reipſa omnino condonata fuerit. Quod ubi intervenit, plenæ & veræ ſatisfactioni locus eſſe non poteſt. Relinquitur igitur, ut is, qui ſolutionem illam fecerit, quantumvis nec ſatisfeciſſe, nec ſatisfaciendi vim alteri dediſſe dici poſſit, moviſſe tamen dignitate perſonæ ſuæ creditorem dicatur. Sed ne hoc quidem ex ſola perſonæ dignitate proficiſci poteſt: niſi preces adjunctæ fuerint, aut declaratio ſaltem deſiderii, & voluntatis ejus; nempe, ut creditor parte illa pecuniæ pro debitoris liberatione non minus, quam ſi totum ſolutum fuiſſet, contentus eſſe velit.

Atque

Atque hac ratione fortaſſe ſacerdotis perſonam non parum ſua vi in peccatis expiandis præſtitiſſe, exiſtimare quis poſſet: expiationem, videlicet pro populo precibus à Deo impetrando. Unde, collatione facta, Jeſu Chriſti quoque perſonam vi propria, quatenus, ſcilicet, id à Deo precibus obtinuerit, in peccatorum noſtrorum expiatione multum effeciſſe, dicendum eſſet.

Verum neminem eſſe exiſtimo, qui, antiquum pontificem ſuis precibus ad expiationem peccatorum, ſacrificiis illis peractis, populo concedendam Deum moviſſe, affirmare audeat: cum jam Deus ante pontificis preces, ſe, peractis illis ſacrificiis, id facturum palam pollicitus ſua ſponte eſſet. Aliud eſt enim, pontificis precibus intervenientibus, Deum peccata reipſa expiaſſe: aliud, illius precibus ad ea expianda motum fuiſſe. Ergo ex antiqui pontificis, & Jeſu Chriſti collatione nihil aliud colligi poteſt, quod ad ſententiam veſtram juvandam pertinere videri poſſit, quam, Chriſti precibus intervenientibus, Deum peccata noſtra reipſa nobis condonaſſe: non autem, Chriſti precibus intervenientibus, à Deo impetratum fuiſſe, ut nobis peccata condonaret. Quod tamen etiamſi concederetur, non propterea Chriſtum juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, nisi ullo pacto poſſet; cum aliud ſit Dei juſtitiæ ſatisfacere, aliud precibus aliquid ab eo impetrare, ſive etiam ut ſupra aliquando attigimus, ejus iram placare.

Cum igitur ex collatione ſummi legalis ſacerdotis cum perſona Chriſti, quam adumbravit, nihil, non ſolum ad ſatisfactionem, de qua controverſamur, ſed etiam, ad divinæ iræ placationem confirmandam, elici poſſit: de ipſa adumbratione videndum eſt; num, ſcilicet, quædam verbotenus tantum fuerint in Sacris Litteris antiquo pontifici attributa, quæ ſatisfactionem iſtam indicent, aut iræ Dei placationem: unde eas in Chriſto, ut in re adumbrata, reipſa fuiſſe ſtatuendum ſit; quamvis ex natura rei adumbrantis, cui, ut ſupra demonſtratum fuit, nihil attribui poteſt, cujus ipſa aliqua ratione revera non ſit particeps, id fieri non poſſe, ſatis conſtare videatur. Agemus autem, ut dixi, de ipſa quoque divinæ iræ placatione. Nam, quamvis ea ſatisfactionem iſtam, de qua diſputamus, neceſſario non arguat, & ob eam rem tota hæc inquiſitio prætermitti poſſit: nullum tamen dubitandi locum relinquere præſtat, & ab eo etiam errore, nimirum quod Chriſtus Deum nobis placaverit, qui totam ſalutis, & juſtificationis noſtræ rationem pervertit, & tenebris quodammodo involuit, interim animum tuum, ſi fieri poſſit, exolvere ac liberare.

Quæ igitur in expiandis peccatis de ſummo ſacerdote à Moſe dicuntur, ea omnia uno verbo Caphar continentur, de quo ſupra quid ſignificet, cum victimis vel accommodatur, vel accommodari poteſt, abunde ſatis tractatum eſt: & aperte demonſtratum, id verbum nihil penitus in peccatis expiandis cum ſatisfactione commune habere. Quare, ubicumque ſacerdoti accommodatur, (id quod ſæpiſſime fit) omnino aliquid diverſum à ſatisfactione ipſum ſignificare ſtatuendum eſt; quamvis aliud ſignificare poſſit, quam ſi victimis accommodaretur. Vetus quidem interpres ubique, ut arbitror, Rogare, ſeu Orare ejus loco repoſuit. Et in hunc ſenſum accipitur in annotationibus magnorum bibliorum Roberti Stephani eo in loco, ubi agitur de ſolenni illo anniverſario ſacrificio, Levit. cap. 16. 6, & 24. atque etiam ubi agitur de prima oblatione, quam pro ſe, & pro populo fecit Aharon ejuſdem lib. cap. 9. 7. Sed, pace tantorum virorum, ego, quamvis Hebraicæ linguæ admodum rudis, affirmare auſim, id verbum nuſquam orandi, ſeu deprecandi vim obtinere: ſed, quod ad propoſitum noſtrum attinet, ſemper purgandi ſeu removendi, reatum ſcilicet, & pœnam peccati, ſignificationem habere; ſive id fiat orando, ſive offerendo, ſive condonando, ſive quacunque alia ratione. Cumque ſacrificiis illis intervenientibus, quæ ſacerdos peragebat, purgari ſolere peccatorum reatum, & pœnam removeri manifeſtum ſit: nihil aliud, ubicunque id verbum ſacerdoti ſacrificanti applicatur, ſignificare perſuaſum habeo, quam per illud ſacrificium peccatorum reatum auferri, & pœnam removeri, ab eo ſcilicet, pro quo peragitur: & ita eum purgari, vel etiam peccatorum reatum & pœnam ablatam, & illum purgatum eſſe, pronunciari, ſeu declarari; ut paulo poſt dicam. Sed demus, orandi, ſeu deprecandi ſignificationem verbum illud in omnibus illis locis obtinere: num idcirco Deum placare ſignificabit, id eſt, eum movere ad condonationem peccatorum concedendam? de hujuſmodi enim placatione loquimur. Jam paullo ante dictum fuit, aliud eſſe preces apud Deum intervenire, aliud Deum precibus moveri. Nam multa ſunt, quæ facit Deus, fidelium precibus intervenientibus; nec tamen ad ea facienda eorum precibus, proprie loquendo movetur. Quamvis non negem, Deum alioqui fidelium precibus moveri. Nonne quotidie ex Chriſti præſcripto rogant, & precantur Deum fideles, ut ejus nomen ſanctificetur, regnum veniat, fiat voluntas? Num propterea dicemus, Deum hæc omnia vel facere, vel facturum eſſe, quia fidelium precibus moveatur, alioqui horum nihil facturus, ſeu potius, ut fiat, decreturus? Verum, ut dixi, non crediderim locum unum reperiri, ubi illud verbum orandi, aut deprecandi ſignificationem vere obtineat; nedum, in quibuſdam ex iis locis, de quibus quærendum eſt, id ſignificare poſſit, ubi expreſſe additur, mechattatho; id eſt, à peccato ejus; quod cum orandi, ſeu deprecandi ſignificatione conſiſtere nequit. Quare omnino dicendum videtur, etiam cum de ſacerdote dicitur, uſitatam ſignificationem ſuam, quæ expiandi eſt, retinere, & vel ipſo expiandi, vel alio ſimili verbo, id verbum reddi debere; ut in Latinis magis probatis interpretationibus factum fuiſſe comperimus. De ſummo igitur ſacerdote ſæpius dictum invenitur (præſertim vero cap. 4, & 5, & 6. Levit. ubi ſacrificia expiatoria inſtituuntur) poſtquam ea omnia dicta ſunt, quæ in ipſa immolatione hoſtiæ pro peccato alicujus ab eo fieri debent, *Et expiabit eum ſacerdos*, ſive, ut plerumque eſt, *Et expiabit eum ſacerdos à peccato ejus; & remittetur ei.* Quid autem hoc ſibi velit, ſatis ex iis, quæ jam dicta ſunt, intelligi poteſt; nempe, peracto ſacrificio illo, ſacerdotem liberaturum eſſe illum à noxa, non quidem Deo ſatisfaciendo, aut propter dignitatem vel ſuam, vel ipſius ſacrificii Deum ad liberationem ejuſmodi concedendam inducendo: ſed id peragendo, quod pro illo peragi voluit Deus, ut is delicti ſui veniam conſequeretur: & propter Dei ſpontaneam & puram benignitatem, qui, eo ſacrificio peracto, illum coram ſe mundum ab eo peccato fore, decreverat. Hinc factum eſt, ut non immerito verbum Caphar ſæpe in ſupra dictis locis à doctiſſimis viris nihil aliud ſignificare dictum ſit, quam mundum declarare; ut in annotationibus magnorum bibliorum Rob. Steph. ſcriptum eſt Levit. cap. 5. 10, & 16, & cap. 6. 7, & cap. 15. 15. Atque idem annotat Franc. Vatab. cap. 15. ejuſdem libri 30. & cap. 16. 30. Id quod ubique fieri poſſe videtur; præſertim toto cap. 4. ejuſdem libri. Nulla enim ratio eſt, quæ ſuadeat, in aliis locis potius, quam ibi, eo pacto id verbum explicandum eſſe. Ubi, pro confirmatione hujus explicationis, animadvertendum eſt, quod cum de oblatione pro peccato ipſius ſacerdotis agitur, non adduntur ea verba, *Et expiabit*, &c. Quæ tamen non minus ibi quam alibi, addenda fuiſſent, niſi Expiare in illis aliquid ſignificaret, quod non ita ſacrificio pro peccato ſacerdotis peracto accommodari poſſet, quemadmodum pro aliorum. Id autem profecto aliud eſſe non poteſt, quam mundum pronunciare, ſeu declarare. Nec enim ſacerdos, licet, ſacrificio pro peccato ſuo peracto, peccatum ſuum expiaſſet, non ſecus ac cæterorum, poſtquam ſacrificia pro peccato illorum peregiſſet: ſe ipſum tamen mundum declarare, vel pronunciare aut debebat, aut etiam poterat, ſicut mundos alios pronunciabat, & declarabat. Adde, quod alicubi verbum Expiandi eam ſignificationem habere, prorſus neceſſarium eſt; ut ejuſdem libri cap. 10 17. ubi ſcriptum extat: *Cur non comediſtis oblationem pro*

peccato in loco ſanctitatis? Eſt enim ſanctitas ſanctitatum; cum illam dederit vobis ad portandum iniquitatem congregationis, & ad expiandum eos coram Jehova. Quo loco non poſſum ſatis mirari Franc. Vatablum hominem Hebraice doctiſſimum, & acerrimo judicio præditum, qui, cum recte verba illa, *ad portandum iniquitatem*, interpretatus fuiſſet, *ut remiſſam declaretis*, poſtea in interpretatione illorum verborum, *ad expiandum eos coram Jehova*, annotaverit, *Id eſt ad placandum Deum pro eis*; cum tamen neceſſe ſit, utrobique eundem ſenſum vel declarandi, vel efficiendi eſſe: & ratio cogat, non de placatione ulla ea verba interpretari, cum jam ſacrificium, quo expiatum fuerat peccatum, peractum eſſet, ſed de declaratione perfecta & abſoluta expiationis jam factæ. Cumque concedatur, ea oblationis comeſtione non ablatum ſeu remiſſum fuiſſe peccatum, ſed, jam ablatum & remiſſum eſſe, declaratum: quomodo ſuſtineri poteſt, quod eadem comeſtione Deus populo placatus fuerit? Quid enim opus erat placatione, ubi jam peccatum ablatum & remiſſum fuerat? Aut, ſi contenditur, ea comeſtione Deum placatum fuiſſe: cur, etiam eadem peccatum ablatum eſſe, negatur? Patet igitur, ibi Expiandi verbum Expiatum declarandi ſignificationem habere. Atque ex eo loco obiter notandum eſt, Locutionem illam, Portare iniquitates alterius, de qua ſupra multa diximus, non ſolum, ut ibi demonſtravimus, auferre ejus iniquitates, cum de peccatis expiandis agitur, ſignificare, non autem pœnas univerſas, quas ille pendere debuiſſet, ejus loco ſubire, ſed etiam, ablatas eſſe illius iniquitates, declarare. Quod jure optimo de Chriſto dici poteſt, qui, nobis remiſſa à Deo noſtra peccata, & ſcelera fuiſſe, omnibus perpetuam & indubitatam fidem fecit, qua de re iterum aliqua dicenda erunt. Mundandi autem verbum, mundum declarandi ſeu pronunciandi ſignificatione uſurpari, veritate ipſa cogente, annotatum fuit, & Hebraiſmus agnitus eodem libro cap. 12. ỳſ. 7. in illis verbis, *Et mundabitur à vena ſanguinis ſui.* Ubi verbum Mundabitur, Munda declarabitur, fuit explicatum in ſupra dictis Bibliorum annotationibus. Quare non injuria in illis Joh. Apoſt. verbis 1 Joh. 1. 7. *Et ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato*, propter loci circumſtantias verbum Emundat pro eo, quod eſt Mundos eſſe fidem facit, à me ſupra acceptum eſt. Quanquam etiam, ſi (id quod equidem negare non auſim) de ipſa emundatione ibi ageretur, nihil tamen prorſus ſententiæ meæ id officeret; cum Chriſti ſacrificium noſtra peccata re ipſa emundaſſe, expiaſſe, & abſtuliſſe, & diffiteri nemo poſſit, & quomodo, nulla ſatiſfactione pro ipſis interveniente, id veriſſimum ſit, niſi me animus fallit, ipſe perſpicue docuerim. Ex his ſatis conſtare arbitror, in nullo eorum locorum cap. 4, 5 & 6. Levit. attributum ſummo Sacerdoti fuiſſe, quod pro peccatis ſatiſfaceret, ſive Deum populo placaret. Et, quod ad ſatisfactionem attinet, id etiam ex eo perſpici poteſt, quod ubique additur, *Et remittetur ei.* Remiſſionem enim, & plenam ſatiſfactionem (nam de hac loquimur) non ſolum ab ipſo reo ſeu debitore, ſed à quocunque pro eo exhibitam, ſimul ſtare non poſſe, infra, Deo volente, perſpicuum fiet. De ſatiſfactione ab ipſo reo ſeu debitore peracta, neminem dubitare credo. Quare interim hoc illis addatur, quæ dixi, cum, victimis ipſis pro peccatis oblatis ſatisfaciendi vim, ne verbotenus quidem, tributam fuiſſe, oſtendi. Pecudes enim, quæ pro peccato immolabantur, ab eo, pro quo ſacrificium fiebat, ſumebantur. Et idcirco in ſacrificio etiam illo anniverſario hircum, qui pro populi peccato, & arietem, qui pro ejuſdem holocauſto mactabatur, ab ipſo populo Sacerdos accipere erat juſſus, Levit. 16. 5. Cum igitur ſcriptum ſit, remiſſum in illis ſacrificiis populo peccatum fuiſſe, non potuit ipſis victimis ullo modo aſcribi, quod ſatiſfacerent, alioqui peccati remiſſio, & ſatiſfactio pro peccato ab ipſo reo profecta, ſimul ſtare potuiſſent.

Sed jam de iis locis videamus, qui magis proprie ad quæſtionem noſtram pertinent, & ſunt prædicto cap. 16. Levit. ubi de ſacrificio univerſali, & anniverſario agitur, quod præcipue Chriſti mortem, & ſacrificium adumbraſſe jam nobis conſtitutum eſt, & cap. 9. ejuſdem libri, ubi de prima oblatione, quam pro ſe, & pro populo Aharon fecit, verba fiunt; quæ, cum univerſalis fuerit Chriſti mortem adumbraſſe, aliqua ratione dici poteſt. In illis autem, ut dictum fuit, verbum Caphár orandi ſignificationem habere à doctiſſimis viris annotatum eſt. Quod aliam ob cauſſam ab ipſis factum fuiſſe non credo, niſi quia in omnibus verbum illud non cum præpoſitione Hal, ſed cum præpoſitione Behád conſtruitur. Nulla enim præterea inter hos, & ſuperiores locos, ubi expiandi, ſive expiatum declarandi, ſignificationem retinuerunt, differentia eſſe videtur. Hæc vero quam levis ſit, unuſquiſque animadvertere poteſt, qui Hal non minus, quam Behád, & Super, & Pro, ſignificare ſciat, nec aliquid ſignificare poſſe *ichphár bahadó*, quod non ſignificet *ickphár haláf*. Quod ſi manifeſtum eſt *ichphár haláf* nihil aliud eſſe, quam Expiabit eum, ſive expiatum declarabit, nec ulla ratione ea verba verti poſſe, Orabit pro eo: cur *ichphár bahadó* interpretabimur Orabit pro eo? An non manifeſte expiandi ſignificationem retinet id verbum iſti præpoſitioni conjunctum, 2 Paralip. 30. 18 & 19, in illis verbis *Jehovàh hatóbh ichphár behád col*, id eſt, *Jehova bonus expiet omnem, &c.* Nonne eo loco idem eſt *ichphàr behàd còl*, quod *ickphàr* hal cól. Non eſt igitur, etiam in his locis, ab uſitata verbi Caphár ſignificatione recedendum; & vertendi ſunt omnes per verbum Expiabit, non minus, quam ſuperiores. Quid autem Expiare ſignificet, cum de ſacerdote ſacrificante dicitur, abunde ſupra expoſitum eſt. Non putaverim tamen, in his locis expiatum declarandi ſignificatione id verbum uſurpatum fuiſſe: niſi fortaſſe ỳſ. 24. cap. 16, ubi ad finem peracti ſacrificii dicitur, *Et expiabit ſe, & populum.* Nam quamvis, ut jam dictum eſt, ea ſignificatio ipſi ſacerdoti non ita commode accommodari poſſit: poteſt tamen populo, & jam peracto ſacrificio, expiatum & ſe & populum declarare poterat ſacerdos; quod ante facere non potuiſſet. Itaque omnino concludendum eſt, ubicunque de ſacerdote ſacrificante agitur, nihil illi majus attribui, quam quod id faceret, quo peracto, is pro quo ſacrificabatur, divina benignitate à peccati ſui pœna, & reatu liberaretur: vel quod eum liberatum eſſe declararet, ſeu pronunciaret. Ex quo efficitur, per adumbrationem Chriſti in ſummi Sacerdotis legalis perſona ex ipſius adumbrationis vi nullo modo colligi poſſe, Chriſtum vel pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatiſfeciſſe, vel nobis Deum placaſſe.

CAPUT XX.

Collatione facta inter legalem Pontificem, & Chriſtum, oſtenditur, qua ratione Chriſtus peccata noſtra expiaverit, & pro eis illum minime Deo ſatisfeciſſe, eumve nobis placaſſe, docetur. Exinde ratio prædictæ expiationis noſtræ plenius explicatur & confirmatur.

REſtat ut nos, quid ex hac adumbratione, tum adumbratam cum adumbrante re conferendo, tum adumbrationem ipſam perpendendo, ad rerum divinarum exactiorem cognitionem, noſtrique in Chriſtiana pietate inſtitutionem elici poſſit, diligenter conderemus. Et primum cum antiquo pontifice Chriſtum conferamus: non ſimpliciter quidem, ſed quatenus ad populi peccata expianda is à Deo pontifex conſtitutus fuerat: & præſertim quatenus ſemel in anno, in Sancta ingrediens, id univerſe peragebat. Sic enim & collationem ipſam melius perſequemur, & quæ hac de re in epiſt. ad Heb. ſcripta ſunt, rectius intelligemus.

Certum eſt igitur (ut hinc hujus collationis initium ſumamus) antiquum pontificem, quemadmodum jam ſatis probatum fuit, non alia ratione populi peccata expiaſſe, quam ea peragendo, quibus peractis, populus

pulus veniam peccatorum ſuorum jam à Deo ſponte decretam & promiſſam conſequebatur, vel, populum eam veniam conſecutum fuiſſe, declarabatur: non autem divinæ juſtitiæ ulla ex parte pro populi peccatis ex perſona ſua ſatisfaciendo, vel Deum illi placatum reddendo. Quare dicendum eſt, Chriſtum quoque peccata noſtra expiaſſe, non quia ex perſona ſua divinæ juſtitiæ pro eis ulla ex parte ſatisfecerit, vel Deum nobis placaverit: ſed quia ea peregerit, quibus peractis, veniam delictorum noſtrorum jam à Deo nobis ſponte decretam & promiſſam conſecuti ſimus, vel etiam, eam veniam nos conſecutos eſſe, declaratum ſit. Utrumque autem quomodo per Chriſtum ſemetipſum Deo ſacrificantem, id eſt, ſanguinem ſuum per quem in cœlum ingreſſus eſt, fundentem, effectum fuerit, ſupra, cum victimas illas antiqui fœderis cum ipſius morte contulimus, ſatis, ut arbitror, demonſtratum eſt.

De utroque porro loquitur auctor ad Hebr. 1. 3. dum ait de Chriſto: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ ejus, portetque omnia verbo potente ſuo, per ſemetipſum purgatione facta peccatorum noſtrorum, conſedit ad dexteram majeſtatis in excelſis.* Non poterat divinius, qua ratione Chriſtus, morte ſua interveniente, peccata noſtra expiaverit, explicari, nec uterque iſte modus magnificentius & dilucidius ſignificari. Et ſane non poſſum mirari, aliquos & veteres, & recentiores ejus epiſt. interpretes, quos mihi legere contigit, vel connexionem horum verborum non animadvertiſſe, & quod Apoſtolus uno contextu diverſa de Chriſto ſcripſerit, arbitratos fuiſſe, cum tamen nomina, ut ipſa verborum vi, & conſtructione, ſic reipſa mirabiliter connexa ſint: vel cum in connexione iſta, utpote eam expliceſſe, ut intactam reliquiſſe præſtaret. Ait igitur ſcriptor ille divinus, Chriſtum ſplendorem eſſe gloriæ, & expreſſam imaginem ſubſtantiæ Dei, hoc eſt, per Chriſtum nobis Dei gloriam, ipſumque adeo Deum inſigniter admodum apparuiſſe: ita ut ipſummet Deum in Chriſto conſpicere & contemplari nobis licuerit. Quod aliud non eſt, quam nos Deum, ejuſque voluntatem, quatenus nobis hæc cognitio ſalutaris eſt, per Chriſtum penitus cognoviſſe, & perſpexiſſe. Notandum eſt enim, ut in hujus loci interpretatione ait Johannes Calvinus: *Non hic doceri frivolas ſpeculationes, ſed tradi ſolidam fidei doctrinam. Quare debemus in uſum noſtrum hæc Chriſti elogia applicare, ſicuti ad nos relationem habent.* Hæc ille. Ait inſuper Apoſtolus, Chriſtum portare cuncta potente verbo, id eſt, juſſu ſuo. Atque hoc eſt idem cum eo, quod alibi ſcriptum eſt, Habere illum omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, Matth. 28. 18. Portandi enim verbum hic moderari ſignificat; ut Eraſmus vertit, & in ſuis annotationibus docet. Hæc igitur cum in Chriſto eſſe dictum ſit, conſequenter, & recte dictum eſt etiam, eum per ſemetipſum peccatorum noſtrorum purgationem feciſſe. Quatenus enim Dei erga nos voluntatem omnem in ipſo expreſſam vidimus, declaratum nobis apertiſſime eſt, remiſſa & deleta eſſe peccata noſtra. Vidimus autem expreſſam in Chriſto divinam erga nos voluntatem, non modo quia is, ut ſupra viſum fuit, eam nobis patefecit: ſed etiam quia jam in ipſo re impletum ſcimus, quod nobis Deus per ipſum eſt pollicitus; & certiſſimum pignus divinæ bonitatis nobis patefactæ habemus. Quare de expiatione omnium delictorum noſtrorum, id eſt, de liberatione à morte æterna, quam nobis Chriſtus de cœlo attulit, non eſt, cur jam dubitemus. Quatenus vero Chriſtus omnia potente juſſu ſuo moderatur & regit: vere expiata ſunt peccata noſtra, & effectus expiationis, quam Deus pro ſingulari & pura ſua liberalitate nobis decreverat, conſecutus eſt. Nam, ſi Chriſtus, cujus membra nos ſumus, poſtquam ad ſempiternam beatitatem perductus eſt, in cœlis degens, omnia in manu habet: nonne & nos una cum eo in cœlis verſamur? nonne mors, atque infernus, quod ad nos attinet, vim ſuam prorſus amiſerunt, neque adverſum nos jam quidquam poſſunt? Quæ igitur ſupereſſe adhuc poteſt noſtris peccatis pœna? Per ſeipſum igitur vere Chriſtus purgationem noſtrorum peccatorum fecit. Quod quidem, morte ejus interveniente, factum eſt: per quam & Dei amor atque voluntas erga nos mirifice commendata fuit, & ipſe ad moderationem, & imperium cunctarum rerum pervenit, adeo ut nunc in cœlis ad dexteram ſuprémæ majeſtatis in perpetuum conſideat. Nos Chriſtus, ut inquit idem auctor cap. 13. ℣. 12, per proprium ſanguinem ſanctificavit: non quidem ut pontifex Aharonicus, qui, victimarum ſanguine fuſo, populum propter ſolum Dei decretum à peccatis expiabat, & expiatum eſſe pronunciabat: ſed, ſui ipſius ſanguinis fuſione interveniente, mortem peccatorum pœnam pro nobis extinguens, & divinæ voluntatis, qua, ut idem dixerat ſupra cap. 10. 10, ſanctificati ſumus, certiſſimam fidem perpetuo nobis faciens. Qua ratione qui ſemel ſanctificatus fuit, & poſtea tantam ſanctificationem aſpernatur, & rejicit, is graviſſimis pœnis digniſſimus eſt; quippe qui ipſum Dei filium conculcet, & ejus admirabilem charitatem contemnat, ac ſanguinem, quem is, eadem charitate impellente, ut ſanctificatio hæc conſequeretur, fundere non dubitavit, quique ob eam rem ſacratiſſimus cenſeri debet, tanquam rem profanam ducat; ut ait idem Apoſtolus eodem cap. 10. 29. Ex quo loco aperte conſtat, Chriſti ſanguine ſanctificari, ſignificare potiſſimum, per Chriſti ſanguinem ad veritatis cognitionem, hoc eſt ad divinæ voluntatis & bonitatis, peccatorum, ſcilicet remiſſionis, id eſt, æternæ vitæ pœnitentibus oblatæ ac partæ notitiam pervenire, & ita a profano hominum vulgo ſeparari. Dixerat enim prius ℣. 26: *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, &c.* Quam ſententiam deinde, uberius explicat; & verba, quæ recenſui, his verbis latius repetit, *Qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & ſpiritum gratiæ contumelia affecerit.* Ubi nemo eſt, qui negare poſſit, ſanctificationem iſtam, & ſpiritum gratiæ, acceptæ veritatis notitiæ in ſuperioribus verbis commemoratæ reſpondere. Atque ita rem ſe habere, comprobat egregie, quod non *ſanguinem* ſimpliciter ſcriptum eſt, ſed *ſanguinem fœderis*; ut, ideo, ſanctificatum iſtum per Chriſti ſanguinem fuiſſe, ſignificetur, quia Chriſti ſanguinis fuſione divinæ promiſſiones ſancitæ & confirmatæ fuerint, atque ob eam cauſſam ab ipſo pro veris agnitæ; unde omnis, ex parte noſtra, peccatorum expiatio, pendet ac derivatur.

Ad hanc divinæ voluntatis patefactionem pertinent fortaſſe non minus, quam ad ablutionem à reatu peccatorum, & à peccatis ipſis, ea verba Johannis Apoc. 1. 5. *Qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, quandoquidem, *lavit nos*, ut ex iis intelligere licet, quæ alibi ante diſputavimus, idem ſignificare poteſt, quod, Nos ablutos eſſe declaravit. Nam etiam paullo ante, eum, teſtem fidelem appellaverat, ſi modo verba illa, *Qui lavit, &c.* ad Jeſum Chriſtum referenda ſunt; ut ego quidem cum cæteris arbitror; quamvis non defuerint, qui ad Deum, cui Jeſus Chriſtus teſtis fidus fuiſſet, ea referri volebant, & non, ſanguine ſuo, ſed, ſanguine ejus, legebant. Vidimus, cum de redemptione per Chriſtum facta diſſereremus, quæ, ejus ſanguine interveniente, peracta fuit, ubicunque fere de ea agunt ſacri ſcriptores, patefactionis voluntatis divinæ mentionem fieri. Idem videmus plerumque contingere, cum de peccatorum expiatione eadem ratione facta agitur, nimirum ut intelligatur, Dei voluntatem à Chriſto, dum, ſanguine ſuo interveniente, noſtra peccata expiat, non conciliatam nobis, ſed patefactam fuiſſe: & verbi Expiandi, ac ſimilium ſignificationem illam declarationis non minus Chriſto, quam legali ſacerdoti, convenire.

CAPUT XXI.

Ex eadem collatione colligitur (id quod etiam divinis teſtimoniis confirmatur) Chriſtum noſtrorum peccatorum

pationem, antequam poſt mortem ſuam in cœlum ingrederetur, non peregiſſe. Quinetiam, ibi in cœlo ipſum peccata noſtra perpetuo expiare, iiſdem ſacris teſtimoniis demonſtratur, atque ex eadem collatione oſtenditur; quamvis ea in re aliqua diſſimilitudo indicetur.

ANimadvertendum præterea in hac collatione omnino videtur, quod, quemadmodum legalis ſacerdos in ſacrificio illo anniverſario, quamvis non prius in Sancta Sanctorum ingredi poſſet, quam hoſtias pro peccato extra mactaſſet, ſanguinem tamen ipſarum hoſtiarum in ſacrarium inferre debebat, & ibi coram Deo expiationem, quæ eo ſanguine fiebat, peragere; ſic Chriſtus quamvis ſeipſum hoſtiam pro peccatis noſtris mactandum tradere debuerit, antequam in cœlum ingrederetur: ſe tamen, per quem expiatio perficienda erat, coram Deo in ipſo cœlo deinde pro nobis ſiſtere, & ibi noſtrorum peccatorum expiationem peragere debuit. Nam & ſanguis ille in ſacrarium illatus à ſummo Sacerdote offerebatur, teſte ut ſupra vidimus, auctore ad Heb. cap. 9. ℣ſ. 7, & Chriſtum ſeipſum in cœlo obtuliſſe, cum ſupra oſtenſum fuit, tum ex hac ipſa hujus collationis parte liquido demonſtrari videtur. Unde patet, à Chriſto per ſatiſfactionem peractam non fuiſſe peccatorum noſtrorum expiationem. Si enim per ſatisfactionem peracta eſſet: utique ad eam peragendam Deo ſe in cœlis offerre opus non fuiſſet; ſed ante ingreſſum in cœlum, immo ſtatim, morte ſubſecuta, & ante ipſam reſurrectionem à mortuis, expiata fuiſſent peccata noſtra; cum non reſurrectione, non aſcenſu in cœlum, non ſeſſione ibidem ad dexteram Dei omnipotentis, ſed morte, & cruciatibus, quos pro nobis moriendo ſuſtinuit, eum ſatiſfeciſſe, ſi modo id verum eſt, neceſſe ſit. Quod & vos ſemper dicitis, & tu ipſe, ut viſum eſt, in illis verbis aperte profiteris: *Qui non videt Chriſtum ideo vere noſtrum Servatorem eſſe, dici & agnoſci quod divinæ juſtitiæ per quam peccatores damnari merebamur morte ſua pro nobis plene ſatisfecerit is certe, &c.* Verum, quia non per ſatiſfactionem divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris exhibitam, ſed per divinæ voluntatis declarationem, & vitæ æternæ ſupremæque poteſtatis adeptionem, nos Chriſtus expiavit: rectum eſt, immo neceſſarium, ut non ante facta fuerit expiatio, quam is in cœlum aſſumptus ſit. Neque enim ante vel divinam voluntatem perfecte nobis declaravit, vel ipſe æternam vitam ſupremamque illam poteſtatem adeptus eſt, quàm, ex mortuis reſurgens, ad cœlos aſcendit, ibi perpetuo manſurus. Hujus autem erroris veſtri cauſſa, in hac collatione, ſcilicet non perpendenda, ex qua ſola totius rei veritas vobis aperte conſtare poterat, nihil aliud fuit, niſi quod penitus perſuaſum habueritis, expiare peccata, nihil aliud eſſe, quam, divinæ juſtitiæ pro ipſis ſatiſfacere, & Deum ad peccata noſtra delenda, id eſt, nobis non imputanda, jure quodammodo adigere, & hac ratione, ex parte Dei, expiationem ſibi comparatam habere. Cum tamen peccata, quorum condonationem à Deo accipimus, ſeu mavis, quorum pœnas non damus, nunquam iſta ratione expientur. Ex parte ſiquidem Dei expiationem nihil, niſi ipſius pura miſericordia & beneficentia, nobis comparare poteſt, & quæ pro peccatis expiandis fiunt, non Deum, ſed nos reſpiciunt; vel quia ad divinam liberalitatem amplectendam nos movent, vel quia ipſius divinæ liberalitatis effectus inde ad nos manat: & ita ex parte noſtri expiationem conficiunt.

Adeo autem verum eſt, expiationem peccatorum noſtrorum, antequam Chriſtus in cœlum ingrederetur, peractam non fuiſſe, ut etiam, poſtquam in cœlum ingreſſus eſt, expiare adhuc, & quidem in perpetuum, noſtra peccata dicatur; non quidem, ut vos creditis, ob vim & efficacitatem expiationis jam in cruce peractæ, quæ perennis ſit: ſed quia perpetuo, in cœlis ad Dei dexteram collocatus, divinæ liberalitatis nos admonet, & ad eam amplectendam jugiter movet: & ſumma auctoritate, qua apud Deum pollet, hoc eſt, ſuprema ſibi ab ipſo poteſtate in cœlo, & in terra conceſſa, ab ira, quæ adverſus impios, & peccatores de cœlo identidem exeritur, & in noviſſimo die ſimul adverſus omnes cumulatiſſime exeretur, nos & ſervat & ſervaturus eſt. Hæc autem veriſſima eſſe, ex multis Sacrarum Litterarum locis liquido apparet.

Primum enim eo loco, quem ipſe in medium proferre voluiſti, cap. videlicet 2. epiſt. ad Heb. ℣ſ. 17. ita ſcriptum eſt: *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret* (ſive *eſſet*) *& fidelis pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expiandum peccata populi. Nam ex quo ipſi contigit tentatum eſſe, poteſt & iis, qui tentantur, auxiliari.* Ex quibus verbis planum fit, Chriſtum, poſtquam paſſus eſt, expiare peccata noſtra. Quod certe de perenni vi & efficacitate expiationis, quæ in cruce peracta fuerit, intelligi non poteſt. Quid enim attinuiſſet commemorare, eum tentatum fuiſſe, ſicut & nos, & ob eam rem miſericordem & fidelem eſſe in expiandis peccatis noſtris? Quanam ejus miſericordia, aut fidelitate opus eſt, ut vis iſtius expiationis, id eſt, ut vobis placet, ſatiſfactionis pro peccatis noſtris ad nos perpetuo manet? An non peccata noſtra, ut vos quidem creditis, per eam perfectiſſime jam expiata ſunt, nec aliud præterea requiritur, niſi, ut nos id verum eſſe credamus? Si id credimus igitur, jam ad nos ejus expiationis effectus manavit; neque alia Jeſu Chriſti ope, quod ad expianda peccata attinet, indigemus. Sin autem id non credimus, quodnam auxilium à Chriſto ad iſtius veſtræ expiationis effectum conſequendum ſperare poſſumus?

Jam eorum, qui ipſi fidem habent, à Chriſto adhuc peccata expiari, ex verbis illis præterea apparet ejuſdem epiſt. ad finem cap. 4. quæ eandem hanc ſententiam continent: *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem. Non enim habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia, juxta ſimilitudinem, abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Ubi etiam explicatum vides, quid ſit peccata noſtra expiari à Chriſto; nempe miſericordiam, & gratiam ab ipſo, ſive per ipſum, nobis dari, ut opportuno auxilio non deſtituamur; id eſt, ut, cum alii, qui ei fidem habere noluerint, contumaciæ ſuæ pœnas dabunt, nos ab omni ſupplicio immunes ſimus. Quid tibi, quæſo, hujuſmodi peccatorum expiatio commune habere videtur cum ſatiſfactione, quam ex Chriſti morte divinam juſtitiam pro peccatis noſtris accepiſſe, ex ſuperioribus illis hujus auctoris verbis, *ad expiandum peccata populi*, colligi poſſe credideras? Jam igitur tandem incipias, obſecro, rem accuratius perpendere, & ſacrorum ſcriptorum non unum, aut alterum verbum obiter notare, ſed univerſas ſententias diligentius examinare.

De hac eadem, quæ in cœlis à Chriſto fiat, peccatorum noſtrorum expiatione loquitur Joh. dum in principio cap. 2. prioris epiſt. ſic ait: *Filioli hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Et ſi quis peccaverit advocatum* (ſive *conſolatorem*) *habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum. Et ipſe eſt expiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolum, ſed etiam pro totius mundi.* Ex eo igitur, quod Jeſus Chriſtus, qui juſtus eſt, id eſt fidelis & verax, in cœlo apud patrem in dextera majeſtatis conſidet: ejus patrocinio ſuſtentamur, ac fovemur: etiam quæ ille promiſit, nobis præſtitum iri, certo ſtatuere poſſumus. Promiſit autem omnibus reſipiſcentibus & in ipſo ſpem ſuam collocantibus à peccatorum pœna perpetuam liberationem. Ergo non eſt, ſi ei fidem habemus, cur, ne peccata noſtra nobis imputentur, quidquam vereamur, ſive ab ira Dei, quam increduli, & rebelles experientur, nobis unquam timeamus. Ab ea enim ipſe Chriſtus potentia & auctoritate ſua nos perpetuo defendit;

fendit; & ita perpetuo peccatorum noſtrorum expiationem facit. Quam, interpellationem etiam apud Deum pro nobis, appellarunt ſacri ſcriptores. Nam idem auctor ad Heb. cap. 7. ỳſ. 24 ita ſcribit: *Hic autem, eo quod permaneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Unde & ſalvare ad plenum poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro eis.* Quamvis enim Chriſtus, ut ſupra demonſtratum fuit, ut homo & mediator, ſupremam poteſtatem in cœlo habeat ſuos in perpetuum ſervandi: quia tamen illam à Deo accepit, quemadmodum, ut diſpenſationem hanc melius cognoſcamus, ſacerdotis munere in cœlis fungi dicitur, ſic Deum pro nobis, ut fidum & miſericordem Sacerdotem decet, orare dictus eſt. Utrumque autem, ſicut expiationis peccatorum noſtrorum primariam & veram cauſſam oſtendit, atque ante oculos ponit, ita ipſam expiationem potius, quam expiationis modum nobis ſignificat. Paulus autem ad Rom. 8. 33 ait: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt, qui juſtificat. Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus eſt, qui mortuus eſt; immo qui & reſurrexit: qui & eſt ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis.* Quibus verbis tum expiationis modum, id eſt rationem & viam, tum expiationem ipſam complexus eſt. Modus eſt Chriſti mors, reſurrectio, & ad dexteram Dei ſeſſio. Expiatio ipſa per interpellationem ſignificatur. Mors, quamvis ſine ea expiatio contingere non poſſet, & ſola magis, quam alia duo ſimul juncta, Dei, & Chriſti charitatem nobis oſtendat: minus tamen, quam utrumvis eorum, in expiandis peccatis per ſe revera pollet; tantum abeſt, ut per eam expiatio plene peracta fuerit. Quod ſatis indicat Paulus, cum ait, *immo qui & reſurrexit.* Reſurrectione enim non conſecuta, ut ſupra etiam aliquando diximus, nihil nobis Chriſti mors profuiſſet. Quod tamen abſurdum omnino videretur, ſi per Chriſti mortem expiatio peracta eſſet. Sed nec reſurrexiſſe quidem Chriſtum ſatis foret, niſi, in cœlum tranſlatus, ibi ſupremam atque perpetuam gloriam & poteſtatem adeptus eſſet; ex quo conſequitur, ut pro nobis apud Deum continenter interpellet, id eſt, auctoritate ſibi ab ipſo tradita nos à cunctis malis ſemper liberet: & ita noſtrorum peccatorum, ut jam dictum eſt, perpetuam expiationem faciat. Quod ſi quis dicat, poſſe fieri, ut per mortem expiatio abſolutiſſime perfecta fuerit (quod certe, ut paullo ante dixi, neceſſarium eſt, ſi per ſatisfactionem expiata ſunt credentium peccata) & nihilominus tamen ſi reſurrectio non fuiſſet ſubſecuta, ex ea nihil utilitatis ad nos redundaſſet: Reſpondeo nihilo magis propterea potuiſſe Paulum dicere, *immo qui & reſurrexit.* Namque ex his verbis intelligi poteſt, majorem vim reſurrectionis eſſe ad nos abſolvendos, quam mortis, quod & veriſſimum eſt. Nam mortuus eſt quidem Chriſtus propter peccata noſtra, id eſt, peccatorum noſtrorum cauſſa; ſed reſurrexit deinde propter noſtram juſtificationem Rom. 4. 25, hoc eſt, ut ab ipſis peccatis abſolveremur. Quandoquidem, ut veniam delictorum noſtrorum conſequeremur, quæ aliud non eſt, quam æterna vita, Chriſtum, qui caput noſtrum factus fuerat, & tanto nos beneficio afficere poſtmodum ipſe debebat, æternam vitam conſequi neceſſe erat. Quanquam exiſtimo, Paulum eo loco Reſurgendi verbo ſupremam quoque poteſtatem illam, quam poſt reſurrectionem adeptus eſt Chriſtus, complexum fuiſſe. Id enim à ſacris ſcriptoribus fieri ſolere, ſupra alibi à nobis oſtenſum eſt.

Ex hac expiatione, quæ in cœlis à Chriſto perpetuo fit, confirmantur ea, quæ ſupra à me de ſui ipſius, quam fecit, oblatione, diſputata ſunt. Sed non minus hæc per illa confirmatur. Nam, ſi in cœlo fit expiatio, oblationem ibidem quoque fieri, dicendum eſt, & viciſſim, ſi oblatio fit in cœlo, neceſſe eſt, ut in cœlo quoque expiatio fiat.

Verum dicet aliquis, quomodo, ſi expiatio adhuc fit, dictum eſt multis in locis, expiationem jam factam eſſe, & Chriſtum jam purgationem noſtrorum peccatorum per ſeipſum peregiſſe? Reſpondeo, ita ſcriptum eſſe, quia expiationis modus jam inde ex eo, cum Chriſtus ex mortuis reſurgens in cœlum ingreſſus eſt, & ibi ſeipſum Deo pro nobis obtulit, perfectus fuit; id eſt, id factum eſt, unde & nos ad oblatam à Deo delictorum condonationem amplectendam movemur, & Chriſtus nobis eam condonationem reipſa largiendi poteſtatem habet. Ex quibus deinde ipſa expiatio & à peccatorum pœnis vera liberatio perpetuo manat. Neque in hac perpetua expiatione eſt Chriſtus legali ſacerdoti omnino diſſimilis. Ut enim ſacerdos in Sanctuarium ingreſſus, dum ibiierat, nihil aliud agebat, niſi populi peccata expiabat: ſic Chriſtus cœlum ingreſſus, dum ibi erit, continenter electorum peccata expiabit. In eo tamen eſt maxima inter eos diſſimilitudo, quod ille ad breviſſimum tempus in Sanctuario manebat: hic vero in perpetuum in cœlo reſidebit. Ac præterea in eo, quod ille poſtquam è Sanctuario egreſſus fuerat, holocauſtum offerebat, & adipem hoſtiæ pro peccato cremabat: quæ, ut ſupra oſtendimus, ad expiationem abſolvendam pertinebant; hic vero nunquam interim è cœlo egrediens, totam expiationem peragit atque abſolvit.

CAPUT XXII.

Chriſtum non minus, quam legalem pontificem, pro ſe quoque obtuliſſe, oſtenditur; non quidem ex ipſa hujus collationis vi, ſed ex apertiſſimis epiſt. ad Heb. teſtimoniis; quidque id ſibi velit, dilucide explicatur; & inde Chriſtum per ſatisfactionem peccata noſtra minime expiaſſe, evincitur.

ALiam etiam inter antiqui fœderis pontificem, & Chriſtum ſimilitudinem ego animadverti, quæ ut falſiſſima & blaſphemiæ plena, prima fronte videbitur: ſic ſtatim eam & veriſſimam & ſanctiſſimam eſſe demonſtrabo. Ea autem eſt, quod ſicut ſummus ille ſacerdos non minus pro ſe, quam pro populo offerebat: ſic Chriſtus non pro nobis tantum, ſed pro ſeipſo quoque obtulit. Quid inquies, magis deteſtabile excogitari potuit? Ergo Chriſtum quem univerſæ Sacræ Litteræ innocentiſſimum fuiſſe teſtantur, pro ſuis peccatis obtuliſſe dices? Tune Dei filium incontaminatum atque ſanctiſſimum, ore ſacrilego, peccatorem fuiſſe, affirmare audebis? Bona verba, quæſo. Etſi Chriſtum pro ſe obtuliſſe affirmo: non tamen eum peccatorem facio, aut, quod pro ſuis peccatis, id eſt, legis & voluntatis divinæ tranſgreſſionibus, obtulerit, dico. Abſit enim, ut vel per ſomnium quidem tanta blaſphemia in mentem mihi veniat. Sed pro ſe non minus, quam pro nobis Chriſtum obtuliſſe aſſero, quia non minus, quam nos, dum hic ageret, infirmitate carnis, hoc eſt mortalitate, & patibilitate, ut ita dicam, circundatus fuit; à qua ut liberaretur non minus, quam nobis illi opus erat; & à qua niſi ipſe liberatus fuiſſet, nec nos unquam liberati fuiſſemus. Hanc autem inter legalem pontificem, & Chriſtum ſimilitudinem, à pauciſſimis, ut arbitror, ante me animadverſam, non ex meo capite confinxi, aut ex ſimplici ejuſdem pontificis cum Chriſto collatione, quia nimirum hic in illius perſona adumbratus fuerit, eam colligere ſum auſus; ſed ex apertiſſimis, & ipſa luce clarioribus auctoris ad Hebr. teſtimoniis illam percepi. Qui, poſtquam ad finem cap. 4. ut paullo ante vidimus, dixiſſet, Chriſtum poſſe compati infirmitatibus noſtris, quia tentatus fuerit per omnia abſque peccato, & idcirco, ut ad ipſum, ſive per ipſum ad Deum, cum fiducia accederemus, hortatus eſſet: cap. 5. hæc verba ſubjunxit: *Omnis namque pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ [ſunt] ad Deum; ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & qui errant; quoniam & ipſe circundatus eſt*

infirmitate; & propterea (ſeu *propter hanc*) *debet quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aäron.* In his verbis duo proponuntur, quæ in legali pontifice reperiebantur. Unum, quod circundatus eſſet infirmitate non minus, quam populus, id eſt, non minus, quam cæteri, ignorantiæ, & errori eſſet obnoxius: propter quod non minus pro ſe, quam pro populo offerre debebat pro peccatis: quæ, nimirum, nihil aliud erant, quam ignorantiæ, & errores: Alterum, quod à Deo ad id munus vocatus fuiſſet, & nemo, propria auctoritate, ſibi eum honorem ſumeret. Atque, hæc duo in Chriſto quoque fuiſſe, proxime ſubſequentibus verbis oſtendit; in quibus Chriſtum, quem antea pontificem eſſe dixerat, cum pontifice illo aperte comparat. Ait enim: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum Pſal. 2. 7. Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit Pſal. 110. 4. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Hucuſque, quod ſecundo loco in legali pontifice fuiſſe propoſuerat, in Chriſto quoque fuiſſe demonſtrat. Deinde addit: *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poterat ipſum ſervare à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, & exauditus pro reverentia* (ſeu potius *ex metu*) *quamvis filius eſſet, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam. Et conſummatus* (ſive *conſecratus*) *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, cognominatus à Deo pontifex ſecundum ordinem Melchiſedec.* Quibus verbis, Chriſtum in eo, quod primo loco propoſuerat, legali pontifici ſimilem fuiſſe, declarat. Nam, quemadmodum pontifex ille non minus pro peccatis ſuis, quam pro peccatis populi offerebat: ſic Chriſtus non minus, ut ipſe liberaretur à morte, quam, ut cæteri liberarentur, preces Deo obtulit. Utrumque autem, & peccata ſcilicet illa, & mortem, cui obnoxii ſumus, quæ non ſolum vitæ hujus extinctionem, ſed calamitates etiam, & afflictiones, quæ ipſam mortem præcedunt, ſignificat, quas nobiſcum, ſi Chriſti ſimus, jugiter quodammodo circumferimus, Infirmitatum, ſive Infirmitatis nomine appellaverat. Unde etiam de comparatione, hac in parte, Chriſti cum antiquo illo ſacerdote apparet. Superiore enim cap. ut vidimus, dixerat, Chriſtum poſſe compati infirmitatibus noſtris, quia & ipſe eas expertus fuiſſet. Deinde hoc capite. Nam, inquit, pontifex etiam legalis eligitur, qui poſſit compati cæteris; cum ipſe quoque infirmitate circundatus ſit. Quam legalis pontificis conditionem, quæ in Chriſto ſimiliter eſſet, ad finem quoque cap. 2. non obſcure expreſſerat, inquiens, oportuiſſe Chriſtum fratribus ſimilem per omnia fieri, ut eſſet miſericors & fidelis pontifex. Ex quibus apparet, dictionem Græcam γάρ, quæ eſt initio hujus 5. cap. & Namque a vetere Interprete fuit reddita, vere cauſſalem eſſe, non autem, ut pereruditi quidam recentiores Interpretes putavere, inchoativam potius, quam cauſſalem. Qui Interpretes recte annotarunt, cum duorum reſpectu, quæ diximus, inter veterem pontificem, & Chriſtum fieri comparationem dixerunt. Sed in eo, ni fallor, divini ſcriptoris ſcopum & ipſorum verborum ſenſum aſſecuti non ſunt, quod hic, Chriſtum per collationem legali pontifici anteponi crediderunt, & non eorum tantum, quæ dixi, ſed aliorum etiam in hac collatione rationem habitam fuiſſe, ſunt arbitrati; Cum tamen conſtet, eo, quod uterque à Deo vocatus fuerit, omnino æquiparatos fuiſſe. Neque enim ea verba, Pro hominibus, ut illi exiſtimaſſe videntur, aliquam pontifici legali in hac vocatione conditionem tribuunt, quæ in Chriſto diverſa ſit, & multo præſtantior: nempe, quod, licet uterque à Deo vocatus fuiſſet, Aharonicus tamen pontifex per homines, Chriſtus ipſa Dei voce ſacerdos declaratus eſſet. Pro hominibus enim, ut manifeſtum eſt, non Per homines, ſed Hominum cauſſa ſignificat; id eſt, ut auctor, ſeipſum explicans, ait, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, quæ conditio in Chriſto quoque reperitur, qui pro hominibus, id eſt, ad offerendum ſe ipſum pro peccatis eorum conſtitutus fuit. Nam ex quibus præterea aliis ejuſdem ſcriptoris verbis differentiam iſtam elicere poſſint, non video. Quæ vero de Chriſto dicuntur, quod ſit Sacerdos in æternum, & ſecundum ordinem, non Aharonis, ſed Melchiſedeci, non commemorantur tanquam capita collationis, quæ hic fit: ſed pro jam poſitis hoc loco ſumuntur. Comparatur enim cum pontifice ex hominibus mortalibus aſſumpto (quod idem eſt, atque, ſecundum ordinem Aharonis) Chriſtus immortalitate donatus, & ſecundum ordinem Melchiſedec pontifex factus; & hunc non minus, quam illum, ea duo, quæ diximus, habere oſtenditur; ut ſimilitudo inter eos appareat, & in antiqui fœderis pontifice Chriſtum adumbratum fuiſſe, demonſtretur. De iis autem, in quibus inter ſe differunt, & Chriſtus longe præſtantior eſt, alibi, ſimpliciter per collationem, ſeu potius per oppoſitionem, inſtitutus ex profeſſo longus ſermo eſt ab hoc auctore, nempe toto cap. 7. ubi & hæc, quæ in hac æquiparatione, ut conceſſa, ponuntur, conferendo, examinat, & propterea inter cætera, juris jurandi, quo Chriſtus conſtitutus fuerit ſacerdos, cum legales ſacerdotes ſine jurejurando conſtituerentur, aperte meminit; hic vero nullam prorſus ejus mentionem facit. Quod autem addit, Chriſtum ſua obedientia omnes ſervaſſe, qui illi obtemperant, vel collationis pars aliqua non eſt, ſed poſt collationem decentiſſima appendix, cum nihil de ſacerdote legali dictum fuiſſe videatur, cui id opponi poſſit; vel (& hoc mihi magis arridet) ad alteram ex jam propoſitis ſimilitudinibus reſpicit, quod ſcilicet uterque non minus pro ſe, quam pro aliis obtulerit. Ea enim duas partes habet; & de una, in qua potiſſimum fit æquiparatio, jam dictum fuerat: videlicet, de oblatione pro ſe ipſo. De altera vero, hoc eſt, de oblatione pro aliis, hic agitur. Et perinde eſt, ac ſi dictum fuiſſet: Quemadmodum legalis pontifex victimas offerendo, non ſeipſum tantum, ſed populum etiam à peccatis expiabat: ſic Chriſtus precibus, & obedientia ſua non ſeipſum tantum ex morte liberavit: ſed liberatus, cæteris quoque æternæ ſalutis cauſſa fuit. Sicut autem ab eruditis illis & præſtantibus viris in explicatione hujus collationis non injuria, ut quidem arbitror, vehementer diſſentio: ſic jure mihi videor, in interpretatione eorum verborum Græcorum, καὶ τῆς εὐλαβείας ipſis, & iis, qui ante eos idem animadverterant, aſſenſus fuiſſe; ut ſcilicet verti debeant, Ex metu. Exaudiri autem ex aliqua re pro eo, quod eſt ab ipſa, ſecundum preces ſuas, liberari, quod quibuſdam * durum videbatur, recte dici poſſe, probant aperte verba illa Pſal. 22. 22. *Serva me ab ore leonis, & è cornibus unicornium exaudiſti* pro *exaudi me.* In Hebræo enim eſt Hanitháni. Ex metu autem metonymice omnino pro Ex eo, quod metuebat, dictum credo. Sed hæc obiter.

Patet igitur, ut ad rem redeamus, Chriſtum pontifici Moſaico ab hoc ſcriptore in eo aſſimilatum fuiſſe, quod ipſe quoque pro ſe non minus, quam pro cæteris, obtulerit. Neque hanc ſimilitudinem convellit, quod Chriſtus non obtulerit pro peccatis ſuis, ut pontifex ille offerebat. Satis enim eſt, ad ſimilitudinem conſtituendam, quod pro ſeipſo obtulerit ejuſdem rei cauſſa, cujus cauſſa præcipue pro cæteris obtulit.

Sed inquies, Chriſtus pro noſtris peccatis obtulit. Ergo, ſimilitudine ſecundum à te ipſo modo conſtitutos terminos admiſſa, pro ſuis peccatis etiam obtuliſſe dicitur. Quod & execrabilis blaſphemia eſt, & tu ipſe falſum eſſe non diffiteris.

At vide, quam facilis eſt reſponſio. Chriſtus quidem pro noſtris peccatis obtulit: non tamen, ut Deus ad ea nobis condonanda induceretur: ſed, ut nos à morte, quæ nobis pœna peccati erat, re ipſa, ut jam Deus decreverat, liberaremur. Quod in hac æquiparatione intelligendum eſt, non quatenus nos moveret ad condonationem peccatorum nobis à Deo oblatam amplectendum, unde nobis liberatio à morte conſequeretur: ſed quatenus tantum poſtquam eam amplexi fuiſſemus, ipſam

* Caſtellio.

à morte

à morte liberationem nobis pareret, & vitæ æternæ effectus ad nos manaret. Neque enim ſacerdos ille legalis ideo victimas pro populo offerebat, ut populum ad aliquid faciendum moveret: ſed tantummodo, ut ad populum à peccatorum pœna liberationis effectus inde derivaretur. Cum igitur Chriſtus pro ſui ipſius à morte liberatione obtulerit, & ut inde ad ipſum vitæ æternæ effectus manaret, quis non videt, Chriſtum ejuſdem rei cauſſa, quod attinet ad ſimilitudinem cum legali pontifice, pro ſe obtuliſſe, cujus cauſſa pro nobis obtulit? Quid quod mors ipſa & afflictiones quæ eam in Chriſto præceſſerunt, licet is innocentiſſimus fuerit, figurata nec inſolenti loquendi ratione, peccata appellari poſſunt? Primum enim, ut omnes fatentur, pœnæ peccatorum metonymice, præſertim apud Hebræos, peccata ſive iniquitates nuncupantur. Ex qua uſitatiſſima metonymia, per tranſlationem, afflictiones ipſas, etiamſi peccatorum pœnæ non ſint, quia tamen ſimiles ſunt peccatorum pœnis, hominem enim non ſecus, atque illæ, angunt, & male habent, peccata appellare non immerito poſſumus; nam pœnas appellari, non una lingua receptiſſimum eſt. Hinc idem ipſe auctor (quod mirum ſane videri poteſt) non veritus eſt haud obſcure dicere, Chriſtum pro ſuis peccatis obtuliſſe. Sic enim ſcribit cap. 7. 27. *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum pontifices prius pro ſuis peccatis hoſtias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit ſemel ſe offerendo.* Incredibile eſt autem, quam fœde plerique, neque, quod Chriſtus pro ſe ipſo obtulerit, ſcientes, neque figuratum in Peccatorum voce loquendi modum animadvertentes, hunc locum ſuis explicationibus, & annotationibus obſcuraverint atque perverterint. Quis enim ita cœcus eſſe poteſt, qui, ut antecedentia, & conſequentia aperte demonſtrant, non videat, in his verbis non aliam differentiam inter pontifices illos, & Chriſtum ſtatui, niſi, quod illi ſæpe offerre neceſſe haberent, hic ſemel tantum obtulerit? Quid, obſecro, pronomen Hoc referre poteſt, niſi id, quod præceſſerat? Præceſſerat autem, *prius pro ſuis peccatis hoſtias offerre, deinde pro populi.* Quare, cum ſcriptum ſtatim poſtea ſit, de Chriſto, *Hoc enim fecit, &c.* quis negare poteſt, ab eo ſcriptum eſſe, Chriſtum prius pro ſuis peccatis, deinde pro populi obtuliſſe? Quis, contrariam prorſus ſententiam ex iſtis ipſis hujus ſcriptoris verbis à theologis noſtris elici, una non rideat, atque miretur? Itaque fatendum omnino eſt, quod vere & proprie de pontificibus illis divinus hic vir dixerat, improprie & figurate, ut brevitati ſimulque comparationis, quam inſtituerat, concinnitati conſuleret, de Chriſto eum dixiſſe: & nomen Peccati cum de Chriſto loquitur, non delictum, aut culpam aliquam, ſed id, quod delicti, & culpæ pœna eſſe ſolet, ſignificare. Præſertim, cum, quod alios etiam attinet, pro quibus Chriſtus obtulit, Peccati nomine in hac æquiparatione, ut vidimus, non culpam ipſam, aut delictum, ſed illud, quod delicti pœna eſt, ſignificari neceſſe ſit.

Confirmatur hæc & verbis & rationi convenientiſſima interpretatio ex eo, quod idem auctor præcedente verſu hac eadem loquendi figura, in re tamen oppoſita, uſus fuerat. Cum enim ſupra dixiſſet antiquos ſacerdotes plures ſucceſſive (ut loquuntur) conſtitutos fuiſſe, quia mors prohiberet eos manere, ſed Chriſtum, quia in æternum maneat, perpetuum habere ſacerdotium, unde ad plenum nos ſervare poteſt, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis: illico ſubjungit, *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* In quibus verbis non de vitæ ſanctimonia, quæ in Chriſto aut fuerit, aut ſit, agitur. Nihil enim hoc ad propoſitum facit; neque ea de re ſupra quidquam vel tacite, vel expreſſe dictum fuerat. Sed ideo vocatur Chriſtus hoc loco ſanctus, innocens, impollutus, & ſegregatus à peccatoribus, quia infirmitatum omnium, quæ hominum peccatorum propriæ ſunt, penitus nunc eſt expers. Non enim jam perpeſſionibus, & morti ſubjacet; ſed ut ante idem auctor dixerat, in æternum manet. Unde rectiſſime deinde conſequitur, non habere eum neceſſitatem offerendi quotidie pro ſeipſo, ut ſacerdotes illi habebant; qui perpetuo ea infirmitate, pro qua offerebant, circundati erant. Siquidem, ſe ipſum ſemel offerendo, ab ea infirmitate, pro qua obtulit, in perpetuum liberatus eſt. Quemadmodum igitur prius ſanctitatis, innocentiæ, impollutionis, & ſegregationis à peccatoribus nomine, immortalitatem, & impatibilitatem intellexerat, quibus peccatores penitus ſunt deſtituti: ſic deinde Peccatorum nomine, perpeſſiones appellavit, & mortem; quæ peccatis proprie debentur, & ipſa peccata perpetuo comitantur. Eundem figuratum loquendi modum eſſe puto in voce Immaculatum in illis verbis 9. cap. *Obtulit ſeipſum immaculatum Deo.* Non tam enim ad vitæ innocentiam reſpexiſſe, quam ad ſecuritatem ab omni malo videtur Scriptor noſter; ut inde colligat, jure poſſe nos liberationem à pœna peccatorum noſtrorum, id eſt à morte, atque ab omni malo firmiter ſperare: & hac ſpe ſuffultos ex ipſius Chriſti præſcripto divino ſervitio nos conſecrare. Vidimus etiam ſupra, Paulum 2 ad Cor. in fine cap. 5. dixiſſe Chriſtum factum fuiſſe peccatum à Deo, ut nos fieremus juſtitia Dei; hoc eſt, illum voluntate divina perpeſſum fuiſſe ea, quæ peccatores perpeti ſolent, & debent, ut nos ea conſequeremur quæ juſtis proprie conveniunt. Denique ad figuratam iſtam locutionem confirmandam maxime pertinet id, quod ſcriptum eſt Rom. 6. 10. & 1 Pet. 4. 1. Chriſtum enim per mortem mortuum fuiſſe peccato, & à peccato deſtitiſſe, ſine blaſphemia dici nequit, niſi Peccati nomine aliud, quam peccatum ipſum intelligas, id eſt, hujus vitæ calamitates & afflictiones, è quibus Chriſtus per mortem exemptus fuit. Et tamen eadem Peccati vox utrobique, ad nos relata, qui ibi monemur, ut hac in re Chriſti ſimiles eſſe velimus, proprie accipitur; non ſecus atque in loco iſto ad Hebr. quatenus ad legales pontifices refertur, qui ibi ea ratione, qua ſupra expoſuimus cum Chriſto conferuntur. Similium figuratarum locutionum exempla non pauca ex Sacris Litteris proferri poſſent, ut ex loco iſto ſententiam noſtram probari, magis etiam confirmaremus. Sed in re manifeſta conjecturis opus non eſt. Apertiſſime enim, ut vidimus, teſtatur divinus ille Scriptor, Chriſtum pro ſe quoque obtuliſſe.

Sed, dicet aliquis, ſi Chriſti oblatio in cœlo, ut tu aſſeris, facta eſt, quomodo potuit Chriſtus pro infirmitate ſua offerre, cum, cœlum ingrediens, jam infirmitate circundatus non eſſet? Ad hoc ſatis reſpondent ea, quæ, cum de Chriſti oblatione diſſererem, ſupra expoſui. Dixi enim inter cætera, me ab oblatione Chriſti, quamvis eam in cœlo perfectam fuiſſe affirmem, crucis mortem non ſeparare. Quibus addo, ne preces quidem ab ea ſejungendas eſſe, quas & pro ſe, & pro nobis, adhuc vivens in terris, Deo Chriſtus obtulit. Huc accedit, quod, antequam cœlum ingrederetur, licet non amplius moriturus reſurrexiſſet, non tamen adhuc reipſa ab omni infirmitate liberationem, & ſecuritatem eſt conſecutus. Tunc enim demum reipſa ab omni infirmitate liberationem & ſecuritatem eſt conſecutus, tunc inviolabilis eſt redditus, cum cœlis ſublimior eſt factus. Ex quo apparet, in cœlo Chriſti oblationem eſſe factam: nec tamen ante infirmitate penitus eum exutum fuiſſe, quam ſui ipſius oblatio perfecta fuerit: ipſamque oblationem ei tantæ liberationis cauſſam extitiſſe.

Hoc igitur, ut demonſtratum eſt, cum legali ſummo Sacerdote Chriſtus commune habet, quod non minus pro ſe, quam pro cæteris obtulit. Atque hinc planum fieri arbitror, ex eo, quod Chriſtus pro nobis obtulerit, argui non poſſe, vel juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris eum ſatiſfeciſſe, vel Deum nobis placaſſe: ſed contrarium potius hinc colligi debere. Ut enim, pro ſe offerendo, neutrum fecit, nec facere potuit: ſed effectum tantummodo liberationis à morte, jam illi à Deo ante oblationem decretæ, per oblationem, ſeu oblatione interveniente, conſecutus eſt; ſic neutrum

pro

pro nobis offerendo eum feciſſe, fateri oportet: ſed tantum, ſui ipſius oblatione interveniente, effectum liberationis à morte æterna, multo ante divina bonitate decretæ, nobis peperiſſe. Jam enim, quid Pro peccatis offerre, in hac antiqui pontificis, & Chriſti æquiparatione ſignificet, explicatum eſt; & eundem prorſus loquendi modum, cum Chriſtus pro ſeipſo obtuliſſe dicitur, uſurpatum fuiſſe ab auctore Epiſt. ad Hebr. demonſtratum fuit.

CAPUT XXIII.

Oſtenditur, Chriſtum revera ſacerdotem non fuiſſe ante ſuum in cœlum ingreſſum, hacque in re legali pontifici eſſe diſſimilem; &, paucis adjectis, tota hac de ſacrificio Chriſti, ejuſque in legalibus ſacrificiis adumbratione diſputatio concluditur. Inde explicatur locus ad Rom. 8. in ipſo initio uſque ad v. 5. quod reliquum erat ex omnibus teſtimoniis ab Adverſario pro ſua ſententia allatis.

HActenus in hac Jeſu Chriſti, & legalis pontificis collatione ipſorum ſimilitudines, quas nobis uſui futuras ſum ratus, perſecutus fui. Quare de diſſimilitudinibus agendum videtur. Sed quia idem auctor ad Hebr. toto cap. 7. ut dictum eſt, eas diligenter perſequitur, in quibus Chriſtus longe præſtantior apparet, & aliæ quædam, quas ille alibi attingit, vel ad inſtitutum noſtrum parum faciunt, vel ſupra obiter à me expoſitæ ſunt: de una tantum breviter diſſeremus, quam auctor ille exponit quidem apertiſſime, ſed non per collationem, & cujus hoc loco explicatio, tametſi ejus mentionem aliquam in ſuperioribus diſputationibus fecerim, non inutilis eſt futura. Ea vero eſt, quod legalis ſacerdos, antequam in ſacrificio illo anniverſario in Sancta ingreſſus eſſet, & antequam hoſtias pro peccatis mactaſſet, jam erat vere ſacerdos, & jam perfecte in Dei ſacerdotem unctus, & conſecratus fuerat. Chriſtus autem non ante ſacerdos vere fuit, nec ante perfecte conſecratus, quam in cœlum ingreſſus fuerit, non modo antequam ſeipſum morti tradiderit. Nam, quod ante mortem ſacerdos ſeu pontifex noſter non eſſet, probatur per verba illa ad finem 2. cap. illius Epiſt. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari; ut miſericors fieret* (ſive *eſſet*) *& fidelis Pontifex, &c.* Ex quibus ſatis conſtare poteſt, Chriſtum, antequam omnes infirmitates noſtras, inter quas mors præcipua eſt, expertus eſſet, pontificem revera factum non fuiſſe. Neque enim credendum eſt, eum pontificem revera fuiſſe conſtitutum prius, quam vere fidelis & miſericors eſſe poſſet Idem manifeſtum facere videntur ea verba cap. 5. 5: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Hinc enim apparet non prius creatum vere pontificem à Deo Chriſtum fuiſſe, quam ei diceretur, *Filius meus es tu, &c.* Sed id ante reſurrectionem ei dictum non fuit, teſte Paulo, Act. 13. 33. Ergo ante reſurrectionem, & ſic antequam pateretur, Chriſtus ſacerdos inauguratus vere non fuit.

Quod autem etiam poſt mortem, antequam cœlos conſcenderet, pontifex conſecratus non fuerit, probant verba illa ad finem 7. cap. *Talis enim decebat, &c.* Ubi liquido perſpicitur, conſentaneum fuiſſe, ut is, qui pontifex noſter futurus eſſet, ſublimior cœlis fieret. Quoad igitur ſublimior cœlis non eſt factus, noſtrum pontificem eum eſſe non decuit; nec porro fuit. Probat idem id, quod cap. 8. 4. ſcriptum eſt: *Si enim eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos.* Ex quo intelligitur, ad ſacerdotium Chriſti perficiendum manſionem in cœlis requiri, & extra cœlum eum ſacerdotem eſſe non poſſe. Multa alia ex eadem epiſt. afferri poſſent, quæ idem comprobarent. Sed hæc ſatis fuerint.

Ex hac autem Chriſti, & antiqui ſacerdotis diſſimilitudine, id verum eſſe, vehementer confirmatur, quod etiam citra eam à me ex ipſorum collatione jam demonſtratum fuit; non expiaſſe videlicet Chriſtum peccata noſtra, antequam in cœlum ingrederetur. Nam ſi legalis pontifex, qui vere, & perfecte ſacerdos jam erat, non ante expiaſſe peccata populi dici poterat, quam in Sanctuarium ingreſſus eſſet, quanto magis id de Chriſto ante ſuum in cœlum ingreſſum (cœlum enim hac in re Sanctuario illi reſpondere, antea demonſtratum fuit) dicendum eſt, cum ante ingreſſum iſtum ſacerdos nondum eſſet conſecratus? Cœpit quidem quodammodo hic in terris Chriſti ſacerdotium, ſicut & oblatio cœpit. Sed utrumque in cœlis abſolutum fuit, quo pro nobis præcurſor ingreſſus Jeſus ſecundum ordinem Melchiſedec in æternum pontifex eſt factus, Hebr. 6. 20.

Quid per collationem ex adumbratione Chriſti in Moſaici ſummi Sacerdotis perſona doceri poſſimus, ſatis explicatum videtur. Supereſt, ut, ſi quid ex adumbratione ipſa colligi poſſit, quatenus ſcilicet ad expiationem peccatorum ſpectat, id exponere curemus. Verum præter ea, quæ jam in adumbratione oblationis Chriſti per victimas illas antiqui fœderis, ex vi ipſius adumbrationis, argui poſſe oſtendi, nihil fere inde colligi poſſe arbitror, quod omnibus non ſit obvium, & ab auctore epiſt. ad Hebr. clariſſimis verbis non fuerit expreſſum; ut, quod pontifex antiqui fœderis in manu factum Sanctuarium ingrederetur, Chriſtus autem in ipſum cœlum ingreſſus ſit: & ejuſmodi alia quædam. Quæ tamen ad quæſtionem noſtram de expiatione peccatorum non proprie ſpectant; & idcirco omitti poſſunt; cum nihil attingere eorum, quæ peccatorum expiationem non reſpiciunt, licet quam maxime ad ſacrificia & ſacerdotia illa pertineant, jam inde ab initio, ne reſponſio hæc mea in immenſum excreſcat, propoſitum mihi fuerit. Ad reliqua igitur examinanda, cum jam hæc ſacrificiorum tractatio, quatenus ad inſtitutum noſtrum pertinet, abſoluta videri poſſit, properandum cenſeo. Cum autem hoc ſacrificiorum ultimum eſſet eorum quatuor capitum, ad quæ teſtimonia tua univerſa revocaveram: nihil à te, pro tua opinione confirmanda, in medium prolatum fuiſſe credo, quod à me diligenter excuſſum videri non debeat. Unde etiam conſtare poſſit, quam debilibus fundamentis nitatur ædificium tuum; & quam non paucis ex iis ipſis, quæ ad illud, ſi fieri poſſet, ſuſtinendum, ac fulciendum adhibuiſti, labefactetur, ac penitus convellatur.

Reliquus tamen adhuc eſt locus unus Pauli ad Rom. 8. in ipſo initio; qui ægerrime ad aliquod unum ex illis capitibus referri poterat; & quem, ob eam rem, ſeparatim mihi examinandum reſervavi. Is autem ſic habet: *Nulla igitur nunc condemnatio eſt iis, qui in Chriſto Jeſu non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati, & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filio ſuo miſſo in ſimilitudine carnis peccati; & pro peccato condemnavit peccatum in carne; ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.* Ex hoc igitur loco, qui ſane difficilis admodum eſt, & negotium omnibus interpretibus non leve faceſſit, putas probari poſſe, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe. Nimirum propter illa verba, *& pro peccato condemnavit peccatum in carne.* In quibus, tametſi id aperte non explicas, omnino exiſtimas, verbum Condemnare puniendi, ſeu potius debitas pœnas exigendi, ſignificationem habere. Hanc autem tuam interpretationem perrari, ut arbitror, amplectuntur. Sed plerique, Condemnare hic nihil aliud ſignificare ajunt, quam vel exauctorare, ſive exauctoratum declarare, vel delere. Et certe non videtur ullo pacto tua interpretatio admitti poſſe. Manifeſte enim in illis verbis Apoſtolus affirmat, Deum, miſſo filio ſuo, illud præſtitiſſe, quod Lex propter impotentiam ſuam per carnem præſtare non poterat. Id autem profecto non erat peccatorum pœnas à ſontibus exigere, vel peccatum punire; utrumque enim & facere poterat, & faciebat Lex: neque

caro

caro ejuſmodi vim illi adimebat, aut effectum impediebat. Sed quod Lex per carnem præſtare nullo modo poterat, nihil aliud erat, quam hominem à peccati ſervitute liberare, atque, ea ratione, juſtum coram Deo illum conſtituere. Id vero præſtitit Deus, miſſo filio ſuo. Per Chriſtum enim Deus, dum eum ſimilem peccatori facit, hoc eſt, dum eum perpeſſionibus, & crucis ſupplicio ſubjicit, ex peccati ſervitute nos vindicavit; non ſolum quia ipſum peccatum in nobis delevit, ſed etiam quia nullas vires, Chriſti reſurrectione deinde conſecuta, illi adverſus nos reliquit (ſiquidem proprium eſt peccati mortem generare, Jac. 1. 15.) atque id penitus ſe exauctoraſſe declaravit. Unde rectiſſime conſequuntur illa verba, *ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.* Nam perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ut nos ſecundum ſpiritum, non autem ſecundum carnem ambularemus; & ita à condemnatione illa, quæ per Legem imminebat, ſolveremur, & juſti coram Deo haberemur. Quod enim non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulemus, id per Chriſtum nos conſecutos fuiſſe, nemo eſt, opinor, qui negare audeat. Et ipſe Apoſtolus id antea ſatis explicuit, cum ait nullam condemnationem eſſe iis, qui in Chriſto Jeſu non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum. Nam ut Pauli verba iſta ex Græco aliter convertenda ſint, atque, ut pleriſque interpretibus viſum eſt, ac ſubaudiendum verbum Sunt, hoc pacto, *qui ſunt in Chriſto Jeſu*, & articulus τοῖς tacite repetendus, ut deinde dicatur, *qui non ſecundum, &c.* Tamen nihilominus, vel potius multo magis conſtat, ex prædictis verbis, iſtam non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulationem, de qua loquitur Apoſtolus, non ſine Chriſto Jeſu nobis contigiſſe. Quanquam id clarius etiam apparebit, ſi verbis, quemadmodum nos feceramus, ut in Græco contextu jacent, acceptis, *In Chriſto Jeſu*, idem, quod *per Chriſtum Jeſum*, frequentiſſimo linguæ ſanctæ idiotiſmo, ſignificare dixerimus. Jam vero hujus meæ explanationis ſenſus, quem veriſſimum eſſe arbitror, non minus huic loco congruit, ſi quis verba illa, In carne, ad ſolam Chriſti perſonam referat, ut tu facis, quam ſi, ut explanatio ipſa fert, & multi præſtantes theologi ſenſerunt, Chriſto quidem primum accommodari debere credat, ſed deinde etiam membris ejus. Nam, etiamſi de ſola Chriſti perſona ibi ageretur, quatenus ſcilicet particeps carnis fuit, ut Deum in carne id præſtitiſſe, quod Lex non poterat, demonſtraretur, quod, ut verum fatear, mihi magis probatur: idem nihilominus tamen iis, qui Chriſto fidunt, contingere, per verba, quæ ſtatim adjecit, declaraſſet Apoſtolus. Qua de re præcipue agebatur; hicque præcipuus totius diſputationis ſcopus erat. Ut autem melius ſecundum hanc eorum verborum, In carne, interpretationem, quæ mihi tecum communis eſt, explanationem meam percipias, & interim obſcuriſſimum locum illuſtrare pro viribus tentem: libuit totum ἀνθυφεγικῶς hac tibi reſpondendi occaſione à me verſum hic apponere, communiore interim ac receptiore primi verſiculi ex Græco interpretatione admiſſa. Itaque Paulum ſic loquentem facio: *Idcirco autem dixi, me Deo agere gratias per Jeſum Chriſtum, quod, qui divini beneficii à Chriſto nobis allati, ut quidem mihi contigit, participes facti ſunt, ii prædictæ condemnationi nulla ratione jam ſunt obnoxii. Neque enim jam carni, ſed ſpiritui obſequuntur. Spiritus namque vitalis imperium, cui & ego, & omnes, qui Chriſti ſunt, ſubduntur, nos à jugo peccati, & mortis aſſeruit. Nam, quod Legi in carne, hoc eſt in hominibus, per ipſorum carnis fragilitatem, efficere poſſe non dabatur, id effecit Deus hac ratione. Miſit in mundum unigenitum Filium ſuum non minus, quam nos, carne circumdatum; & ipſum, tanquam peccatorem, plurimis malis, & ipſi denique crucis morti ſubjecit. Atque, ut peccatum aboleret, in ipſo, & ſic in carne, peccatum ipſum penitus extinxit. Siquidem eum & innocentiſſimum eſſe voluit, & à morte, cui univerſum humanum genus prorſus obnoxium eſt, vindicavit, ac ſempiterna vita donavit. Unde factum eſt, ut nos, immortalitatis ſpem concipientes, carne licet circundati, non carni, ſed ſpiritui obtemperandi non voluntatem modo, ſed vires etiam adepti ſimus: & ſic à peccati ſervitute liberati, juſti coram Deo habeamur, non ſecus atque illi habiti fuiſſent, qui totam Legem ſervaſſent.* Credo, te, quanquam hanc meam interpretationem omnino fortaſſe rejicientem, ex ea tamen perſpicere, nihil eſſe, quod eo pacto, quod tu facis, verba Pauli interpretari vel cogat, vel etiam ſuadeat. Et, cum animadvertere poſſis, & per ea, quæ à me allata ſunt, & per ea, quæ a cæteris interpretibus in ejus loci explicatione afferuntur, multa eſſe, quæ interpretationem tuam abunde refellant: nihil eum ad ſententiam tuam confirmandam momenti habere, probe te agniturum ſpero. Atque ex his tandem cumulatiſſime ad omnia Divinarum Litterarum teſtimonia, quæ vel tu protuliſti, vel cum à te prolatis cognationem aliquam habent, reſponſum eſſe confido.

Reſtat, ut pauca quædam loca, quæ ad ſententiam veſtram ſtabiliendam aut ab aliis afferuntur, aut à me animadverſa fuerunt, quæ nec ſub aliquo ex propoſitis illis capitibus continentur, & non parvam vim habere videri poſſunt, diligenter examinemus, & nihil revera, quod eam ſuadere queat, in illis ineſſe oſtendamus.

CAPUT XXIV.

Examinantur tria Pauli Apoſtoli teſtimonia, quæ pro Adverſarii ſententia afferri ſolent: nempe Gal. 2. 21, & cap. 4. 4. Col. 2. 14. & planum fit, nihil in illis eſſe, quod ſuadere poſſit, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe.

AFferuntur igitur inprimis, tanquam magni ponderis teſtimonium, quo ſolo doctus quidam * vir, opinionem iſtam ſatisfactionis Chriſti aperte probari, & ſuſtineri poſſe putabat, verba illa Pauli ad Gal. in fine cap. 2. *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per Legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Ratio autem, propter quam inſignes † quidam theologi, quī quæſtionem hanc noſtram non leviter tractarunt, ex hoc loco demonſtrari veſtram ſententiam poſſe credunt, hæc eſt. *Nam*, ajunt ‡, *hinc colligimus à Chriſto petendum eſſe, quod Lex conferret, ſi quis eam impleret, vel (quod idem eſt) nos conſequi per Chriſti gratiam quod Deus operibus noſtris in Lege promiſit* Ad hunc modum illi.

Verum hac ratione nihil efficitur, quod ad ſatiſfactionem iſtam confirmandam pertineat. Fateor enim, idque modo in interpretatione alterius Paulini loci ad Rom. 8. explicui, per Chriſtum nos conſequi, quod Deus ſervantibus Legem promiſerat. Nam quicunque illi fidem habet, & ita non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulat, à Deo juſtus judicatur, non ſecus ac ſi univerſam Legem ſervaſſet. Sed quid hoc ad ſatiſfactionem? cum pura Dei liberalitate id nobis contigerit, qui de ſuo jure, ut nobis æternam ſalutem impertiret, plurimum remittere voluit, & tantæ ſuæ beneficentiæ Chriſtum promulgatorem, ſponſorem, & certiſſimum pignus dedit. In Deo enim nullam juſtitiam miſericordiæ oppoſitam reſidere, cui ſatisfieri opus eſſet, & ſupra in principio hujus reſponſionis à me demonſtratum fuit, & infra adhuc non leviter confirmabitur.

Quare videndum eſt, num alia ratione, quam doctus ille vir excogitaverat, quæ multo plus momenti habet, ex hoc loco ſatisfactio iſthæc veſtra elici poſſit. Is autem ajebat, vocem Gratis, ſeu δωρεὰν, idem omnino ſignificare, quod Sine neceſſitate; ut hæc ſit verborum Pauli ſententia: Si per Legem eſſet juſtitia, neceſſarium non fuiſſet, ut Chriſtus moreretur. Sed neceſſarium fuit ut Chriſtus moreretur. Ergo per Legem juſtitia non eſt. Neceſſarium autem intellige, ad hoc, ut nos juſtitiam conſequeremur. Alioqui nihil ad rem. Quod

* Jacob. Acontius. † Joh. Cal. Inſt. lib. 2. cap. 17. ‡ Ibid. ſec. 5.

ſi ne-

ſi neceſſarium fuit Chriſtum mori, ut nos juſtitiam conſequeremur: certe, dicebat ipſe, aut id neceſſarium fuit, ut Dei liberalitas, qua nobis, nulla à quoquam ſatiſfactione accepta, delicta condonarentur, innoteſcetet, aut ut divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatiſfieret. Sed, ut nobis innoteſceret divina ejuſmodi liberalitas, Chriſtum mori neceſſe non fuit, poterat enim id multis aliis modis à Deo fieri, & ante Chriſtum divina voluntas ſæpiſſime populo, alia, & alia ratione, patefacta eſt. Conſequens eſt igitur, ut ideo neceſſarium fuerit, Chriſtum mori propter juſtitiam noſtram, quia divinæ juſtitiæ ſatiſfaciendum eſſet; cui videlicet nulla alia ratione ſatiſfieri poterat. Quod autem verbum illud Gratis, ſive δωρεὰν pro eo, quod eſt Sine neceſſitate, non autem, ut plerique exiſtimant, pro Fruſtra, aut Sine cauſſa ab Apoſtolo eo in loco ſcriptum fuerit: ita demonſtrare conabatur. Paulus, qui juſtitiam ex Lege proficiſci non poſſe, oſtendere volebat, ſi dixiſſet, alioqui Chriſtum fruſtra, vel ſine cauſſa mortem ſubiiſſe, nihil egiſſet. Potuiſſet enim illi reſponderi, quamvis per Legem ſit juſtitia, non tamen Chriſtum fruſtra vel ſine cauſſa mortem ſubiiſſe. Mortuum namque eum fuiſſe, ut nos ad ipſam Legem ſervandam, reſurrectione deinde conſecuta, magis accenderet, fide videlicet immortalitatis facta, quam adepturi ſint ii, qui Legem ſervaverint. Quod antea vel ignorabatur, vel parum conſtabat; aut certe non omnino manifeſtum erat.

Ut univerſæ huic ratiocinationi breviter reſpondeam, nego, hic vocem δωρεὰν ſignificare poſſe Sine neceſſitate. Nuſquam enim adverbium iſtud ea ſignificatione uſurpatur. Sed nihil aliud proprie ſignificat, quam Sine cauſſa; id quod Hebræi, ut recte hoc ipſo in loco annotavit Theodorus Beza, dicunt *Chinnám*. Quæ particula ſermonis apud Hebræos à verbo, quod largiri, & donare ſignificat derivatur. Quare illi adverbium Græcum δωρεὰν, quod à nomine deſcendit donum ſignificante, exactiſſime reſpondet. Crediderim tamen, quod Beza negat, *Chinnám* Fruſtra quoque ſignificare poſſe, & interdum ad eventum potius, quam ad conſilium referri debere. Nam in eum ſenſum accipiendum eſſe omnino videtur Ezech. 6. 10. Quanquam non ſimpliciter *Chinnám*, ſed *El-Chinnám* ibi ſcriptum eſt. * Utcunque tamen hac de re ſtatui debeat, id illi prorſus aſſentior, adverbium δωρεὰν hic non ad eventum, ſed ad conſilium ſpectare, & idcirco potius Sine cauſſa, quam Fruſtra vertendum eſſe. Atque hac eadem ſignificatione legitur hoc vocabulum Joh. 15. 25. ἐμίσησάν με δωρεὰν, hoc eſt, Oderunt me ſine cauſſa; ubi Euangeliſta voce δωρεὰν vocem *Chinnám*, quæ apud Davidem eo loco eſt, interpretatus fuit. Quod enim quidam utrobique eas dictiones Immerito reddiderunt, recte id quidem pro locorum circumſtantiis. Sed ideo immerito, quia ſine cauſſa. At præter ipſius vocabuli vim alia ratione evinci poteſt, non poſſe hic δωρεὰν ſignificare Sine neceſſitate. Neque enim verſimile eſt, Paulum in argumentatione ſua ſumpſiſſe id, de cujus veritate non conſtabat, & quod ſimplici negatione refelli poterat: neceſſarium, ſcilicet, omnino fuiſſe, ad hoc ut nos juſtitiam conſequeremur, Chriſtum mori: ſed id, quod nemo poterat negare: Chriſtum non temere, & ſine cauſſa à Deo morti traditum fuiſſe. Nec propterea Pauli argumentatio ulla ex parte infirmatur; ut mox docebo. Sed prius animadvertendum eſt, quod cum Paulus mortis Chriſti mentionem facit, non ſolam mortem intelligit, ſed totum Chriſtum, id eſt, quæcunque noſtræ ſalutis cauſſa vel is fecit, vel in eo facta conſpeximus; adeo ut Chriſti prædicationem quoque & reſurrectionem tacite complectatur. Nam perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Si per Legem juſtitiam conſequi aut debemus, aut etiam poſſumus, quid attinebat Chriſtum nobis Dei nomine peccatorum remiſſionem annunciare, & aliam juſtitiæ conſequendæ rationem tradere, proque ea aſſerenda mori, ut inde ad reſurrectionem pervenire poſſet? Mortis autem potiſſimum meminit, non quia in ea vel tota vel major ad nos juſtificandos vis reſideat: quæ, ut ſupra vidimus & in prædicatione reſidet, & multo major eſt in reſurrectione; ſed quia pro juſtitia nobis comparanda nullum magis arduum opus fecit Chriſtus, quam, cum crucis mortem volens ſubiit. Id quod præcipue minime verſimile eſt ut is, ita Deo decernente, fecerit, ſine aliqua cauſſa. Non poteſt igitur Paulo objici, Chriſtum mori potuiſſe, ut nobis vitæ æternæ, quam Legis ſervatores adepturi eſſent, indubitatam fidem faceret, etiamſi adverbium δωρεὰν in ejus verbis non Sine neceſſitate, ſed Sine cauſſa interpretemur; cum is pro conceſſo ponat, Chriſtum juſtitiam conſequendi viam docuiſſe longe à via Legis diverſam; pro qua confirmanda ſeipſum in mortem tradere, & ſanguinem ſuum fundere non recuſaverit. Viam autem conſequendi juſtitiam, quam nobis Chriſtus attulit à via Legis diverſiſſimam eſſe, vel ex eo patet, quod juſtitia, quæ eſt ſecundum Legem, requirit, ut ipſam Legem abſolute ſervemus; juſtitia vero, quam per Chriſtum conſequimur, vitæ emendatione, & peccatorum remiſſione continetur. Atqui vitam emendare, & peccata remitti omnino pugnant cum abſoluta Legis obſervatione. Unde manifeſtum fit, ſine cauſſa mortuum fuiſſe Chriſtum, ſi à Lege juſtitia petenda eſt. Atque per hæc docti illius viri ratiocinatio penitus concidiſſe, ac diſſipata fuiſſe videtur. Et idcirco ea omnia, quæ, etiamſi ipſius nova illa interpretatio verbi δωρεὰν admitteretur, & ſic Chriſtum neceſſario, ut juſtitiam conſequeremur, mortuum fuiſſe concederetur, pro veritate aſſerenda adhuc dici poſſent, prudens omitto; & ad reliqua teſtimonia, quæ pro ſententia veſtra aut proferuntur, aut proferri poſſunt, diluenda me converto.

Profertur igitur præterea locus ille ejuſdem Pauli eadem Epiſt. ad Gal. 4. 4. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret. Quorſum enim*, inquiunt *, *ſubjectio iſta, niſi quod juſtitiam nobis peperit ſuſcipiens præſtandum, cui nos ſolvendo non eramus?*

Immo, ſi ideo eos liberaſſet Chriſtus, qui erant ſub Lege, quod ſuſcepiſſet præſtandum id, cui ſolvendo illi non erant: opus fuiſſet, eum minime ſubjectum eſſe Legi, ut, eam abſolute ſervans, pro aliis id, quod ipſe non debebat, ſolvere poſſet. Nam quomodo pro aliis præſtare quis poteſt, quod ipſe facere tenetur? Subjectum enim eſſe Legi, non Legem, ſua ſponte ſervare velle, ut fortaſſe ii, qui hunc locum attulerunt, ſunt opinati, ſed Legi ſervandæ obnoxium eſſe, ut verba ipſa fateri nos cogunt, manifeſte ſignificat. Voluit igitur Deus, Chriſtum ex populo Iſraëlitico naſci, & ſic Legi ſervandæ eſſe obnoxium, ut liberationis, quam nobis allaturus erat, & in ipſo, ut in capite noſtro, & primogenito inter multos fratres ante omnes perfici debebat, participes eſſe poſſent ii, qui Legi erant ſubjecti. Niſi enim is Legi ſubjectus fuiſſet, quomodo ii, qui ei oneri ſubjecti erant, ejus membra & fratres fieri potuiſſent, & eandem, quam ipſe adeptus eſſet, libertatem ſperare? Itaque tantum abeſt, ut ex his Pauli verbis, Chriſtum pro nobis ſatiſfeciſſe, colligi poſſit, ut inde probetur, eum ſatiſfacere non potuiſſe; & eam potiſſimum ob cauſſam oportuiſſe, ut is noſtrum omnium ſimilis eſſet, ut ea, quæ illi contigerunt, nobis quoque evenire poſſent, & eventura eſſe, nos certo ſperare poſſemus. Quod profecto ſalutis noſtræ rationem longe à ſatiſfactione diverſam omnibus evidenter ob oculos ponit. Hæc autem dico, ſi omnino velimus ea verba, *ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret*, Perinde interpretari, ac ſi dictum eſſet, Ut eos, qui ſub Lege erant redimere poſſet. Namque crediderim, non neceſſe eſſe ea verba ita explanare: ſed nihil aliud ſibi Paulum hic voluiſſe, dici poſſe, quam, Jeſum Chriſtum miſſum fuiſſe ad liberandos eos, qui ſub Lege erant; liberandos, inquam, non ab omni ſervitute, de qua liberatione alibi verba facit, ſed à jugo ipſius Legis, qua de re hic præcipue loquitur, ut, ſpiritus ſervilis

* Hieron. lib. 2. adverſus Pelag. vertit, aut legit, Sine cauſſa.

* Cal. loco ſupra dicto.

loco

loco, filialem ſpiritum adipiſcerentur. Addidiſſe autem, eum factum fuiſſe ſub Lege, non quia id neceſſarium fuiſſe, hoc loco indicare vellet, ſed ut ſermonis elegantiæ atque argutiæ conſuleret: quam ſæpe ea, quæ tantum Apoſtolum decet, gravitate, feliciſſime conſectatur. Notandum eſt autem, hoc Pauli ad Gal teſtimonium, non ad id ſatisfactionis genus pertinere, de quo ſolo in tuo ſcripto agere videris, id eſt, ad pœnarum ſolutionem, ſed ad ejus, quod Dei præcepta requirebant, præſtationem; quod aliud ſatisfactionis genus eſt à magiſtris veſtris excogitatum, de quo infra diſſeremus.

Affertur * inſuper locus ille ad Col. cap. 2. 14. *ubi ſcriptum eſt* ajunt, *deletum fuiſſe in cruce chirographum, quod erat contrarium nobis. Solutio enim*, inquiunt, *vel compenſatio notatur, quæ nos à reatu abſolvit.*

Ut hujus loci quis ſit verus ſenſus appareat, & quam iſti, alioqui acuti ſane ac perſpicaces, in eo hic interpretando hallucinati ſint, aperte conſtet: operæ pretium eſt integrum adſcribere. Sic igitur Pauli verba habent: *Et vos, cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens, quod adverſus nos erat, chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Hic primum liquet de Deo patre ſermonem eſſe, qui, una cum Chriſto nos viviſicans, donavit nobis omnia delicta noſtra. Quid, quæſo, hoc cum compenſatione, vel ſolutione commune habet? An non potius per id omnis ſolutio, & compenſatio penitus excluditur? Deinde, quod de deletione chirographi adjungitur, ſimiliter non Chriſtus hoc loco id feciſſe, ſed Deus dicitur. Quomodo igitur ſolutionem, aut compenſationem aliquam inde vel imaginari quidem poſſumus, ſi creditor ipſe is fuit, qui chirographum delevit? Quis tam mentis oculis captus eſſe poteſt, qui non videat manifeſtam tranſlationem ſumptam à creditoribus, qui crediti ſui chirographum, debitum condonando, invalidum & inefficax in futurum reddunt, vel etiam ipſimet illud delent, vel lacerant? Neque vero (quod tamen iſti aſſerunt) in cruce deletum fuiſſe chirographum ſcribit Paulus: ſed potius, Deum, poſtquam illud deleverat, ipſum cruci affixiſſe, affirmat. Per Chriſti enim mortem, vere debitum illud condonatum eſſe, apparuit, non minus, quam ſi ejus debiti chirographum aliquod extitiſſet, & id deletum jam & laceratum in ipſa cruce affixum omnibus conſpiciendum Deus præbuiſſet. Quid quod chirographum illud non decalogum, vel univerſam Legem, ſed cerimonialia præcepta tantummodo, vel potius ea ſervandi obligationem, ſignificat? Probatur hoc evidenter pluribus argumentis. Primum enim locus ad Eph. cap. 2. 15, qui huic reſpondet, manifeſte de ſola cerimoniali lege loquitur. Deinde nuſquam legitur, Deum per Chriſtum deleviſſe, & è medio ſuſtuliſſe moralem Moſis legem, vel ipſam ſervandi obligationem: ſed potius eam perfeciſſe, & ſtabiliſſe, Matth. 5. 17. Rom. 3. 31. Præterea, cum Apoſtolus ſupra dixiſſet, Deum convivificaſſe cum Chriſto Coloſſenſes, qui præputiati erant, & ipſis condonaſſe eorum delicta: non temere deinde, perſona mutata, dixit, *delens, quod adverſus nos*, &c. & mox, *contrarium nobis. Nos*, inquit, & *Nobis*: non *Vos*, & *Vobis*, ſicut antea; ut circunciſos denotaret, ex quorum numero ipſe erat; adverſus quos, ſeu quibus contrarium non autem adverſus præputiatos, ipſiſve contrarium, chirographum illud erat. Gentes enim nulla ratione præceptis cerimonialibus ſervandis erant obnoxii: ſed Judæi & Iſraëlitæ tantum. Quod ſi præcepta illa ab ipſiſmet Judæis & Iſraëlitis ſervari jam non opus erat: quanto minus gentes ea ſervare tenebantur? Et idcirco concludit poſtmodum, *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu*, &c. Ex quo etiam perſpicuum eſt, cujuſmodi ſint decreta illa, quæ deleta fuiſſe dicit; & de cerimoniali tantum abrogata lege hic verba fieri apparet. Hoc autem iidem iſti animadverterunt, qui, ex hoc loco ſolutionem, & compenſationem, neſcio quam, probari credunt, quod certe mirum videri debet. Nam qua ratione ex chirographi illius deletione compenſationem ejus, quod omnes debebamus, arguere poſſunt, ſi de cerimonialibus tantum præceptis hic agi fatentur? Sed ajunt, cerimonialia præcepta, ut ablutiones, & ſacrificia, indicia aperta fuiſſe reatus, & culpæ, & nomine chirographi propterea appellari, quia illis, tanquam ſyngrapha quadam, populus ſe reum coram Deo confitebatur. At, cum Chriſtus reatum illum per mortem ſuam, compenſatione facta, deleverit, deletum quoque chirographum fuiſſe.

In hac interpretatione tot ſunt errata, ut me ea ſatis explicare poſſe diffidam. Inſigniora quædam duntaxat indicabo, ut verus hujus loci ſenſus magis eluceſcat. Quod igitur in ea aſſeritur, per cerimonialia illa præcepta, reum peccati populum ſe confeſſum fuiſſe: id à veritate prorſus alienum eſt. Sive enim de univerſis cerimoniis loqui Paulum velimus: certum eſt præcepta illa non comedendi, & quæ ſunt ejuſmodi, populi reatum aliquem non indicaſſe; ſive de aliquibus tantum: ex iis verbis, quæ poſtea conſequuntur: *Nemo ergo vos judicet in cibo*, &c. Apparet de quibus loquatur; nimirum, de illis, ex quibus nullus reatus argui poteſt. Quæ cum ita ſe habeant, dicendum omnino eſt, per Chriſtum univerſas cerimonias deletas non fuiſſe, & præſertim eas, quarum expreſſe Paulus meminit, ſi cerimoniæ ideo per ipſum deletæ ſunt, quia, reatu ſublato, quem illæ arguebant, ipſas etiam tolli neceſſe ſit. Et ſic Paulus & falſo, & inepte, eas ſublatas fuiſſe, dixiſſet. Præterea reatus ille, quem ablutiones, & ſacrificia arguebant, non is eſt, quem proprie Jeſum Chriſtum per compenſationem illam ſuſtuliſſe volunt. Siquidem, ut ſupra diſputatum fuit, non ad expianda peccata adverſus decalogum prudenter commiſſa inſtitutæ fuerant cerimoniæ illæ: ſed ad incogitantias quaſdam, & ignorantias, ac leviores fragilitates delendas, & ad eas, quæ carnis labes ex Moſaica Lege cenſebantur, abſtergendas. Chriſtus vero reatum ſuſtulit omnium peccatorum, & eorum potiſſimum, quæ ante ipſum nullis ritibus expiabantur; præceptis interim adhuc manentibus, adverſus quæ ea delicta commiſſa fuerant. At delictorum adverſus cerimonalia præcepta reatum non proprie & præcipue ſuſtulit; ſed potius ipſa præcepta delevit. Et ita, non quia reatum illum ſuſtulerit, præcepta ipſa deleta ſunt; ſed quia præcepta delevit, reatus ipſo jure ſublatus eſt. Verum non eſt, quod de ablutionibus illis, & ſacrificiis accuratius diſputemus; cum de eis Paulus hic verba non faciat, ſed de præceptis tantum loquatur, quæ decreta ſeu placita appellat. Qualia ſunt illa, quæ ad eſum, & potum ſpectabant, & ad obſervationem noviluniorum & ſabbatorum; ut ipſe deinde explicat. Sacrificia autem illa, & ablutiones non erant placita vere, aut decreta: ſed ritus expiandi, ſi quid adverſus decreta ſeu placita commiſſum fuiſſet. Non igitur, quia reatus delictorum per Chriſtum ſublatus fuerit, deletum eſt chirographum præceptorum cerimonialium. Sed ideo deletum eſt, quia Deus, pacem per Chriſtum faciens inter gentes, & Judæos, id, per quod maxime dividebantur, & per quod invicem diſſidere dici poterant, ſuſtulit & abolevit, Exod. 24. 3, & Judæos, qui perpetuo fœdere ad ea præcepta ſervanda ſeipſos devinxerant, quaſi ſyngrapha obligationis eorum deleta, à tam gravi onere in perpetuum liberavit. Hanc eſſe hujus loci ſententiam, agnoverunt iidem iſti, qui ita perverſe deinde ipſum ſunt interpretati. Nam in explicatione illius loci ad Eph. cap 2. 15, quem huic reſpondere, & ipſi probe intellexerunt, ſic præclare, ut ſæpe quidem ſolent, annotarunt. *Significat itaque Paulus non tantum adſcitas eſſe gentes in communionem gratiæ, ne quid amplius differrent à Judæis, ſed inſigne quoque diſſidii fuiſſe ſublatum, quia abrogatæ ſint ceremoniæ. Quemadmodum ſi Princeps unus diſſidentes populos ſub ditionem ſuam redigeret, non tantum animis vellet eſſe conjunctos, ſed priſtinæ ſimultatis teſſeras & inſignia tolleret, quemadmodum*

* Cal. ibid.

obligatione remiſſa chirographum ſcinditur. Qua ſimilitudine in eodem argumento uſus eſt Paulus Col. 2. Hæc illi. Quid quæſo poterat verius aut elegantius dici? Cur igitur poſtea ſomnia illa ſolutionis, & compenſationis à Chriſto factæ, & reatus, quem per ſacrificia, & ablutiones populus ipſe ſe agnoſcere confiteretur, ad ſimilitudinem illam chirographi explanandam, excogitarunt? Quæ præterea ad exactam explicationem hujus loci, præſertim, quod attinet ad crucis Chriſti mentionem, deſiderari poſſent, ſupra, cum de reconciliatione per Chriſtum facta diſſerui, in examinatione illius loci ad Eph. & verborum ejuſdem Pauli hac eadem Epiſt. ad Col. cap. 1. 18. & deinceps, expoſita ſunt. Illud tantummodo adhuc monere volui; cum, ut dixi, & liquido apparet, de Deo, non de Chriſto ſermo hoc loco inſtitutus ſit, in ſubſequentibus verbis non In ſemetipſo, ſed In ea, ſive Per eam legi debere; ut ad crucem referatur, quod ab aliis quoque animadverſum fuit. Et ipſi rationi conſentanea ſunt etiam emendatiora exemplaria Græca; quæ non ἐν αὐτῷ, denſo ſpiritu, ſed ἐν αὐτῷ, ſpiritu tenui, habere comperimus: quamvis major pars codicum craſſum ſpiritum retinuerit.

CAPUT XXV.

Perpenditur diligentiſſime locus 1 *Joh.* 2. 12. *ac demonſtratur opinionem iſtam ſatisfactionis Chriſti pro peccatis noſtris ex eo confirmari nullo modo poſſe; & finis ſit reſpondendi ad teſtimonia, quæ pro Adverſarii ſententia proferri ſolent.*

SEd magnam vim adhuc eſſe creditur ad veſtram ſententiam ſtabiliendam in illis Johannis Apoſtoli verbis; *Remittuntur* (ſive *remiſſa ſunt*) *vobis peccata propter nomen ejus*, 1 Joh. 2. 12. *Nam etſi*, inquiunt veſtri *, *non exprimitur Chriſti nomen, Johannes tamen ſuo more ſub pronomine* αὐτός *eum deſignat.*

Primum id, quod illi aſſerunt de ſignificatione pronominis αὐτός apud Johannem, non recte dictum eſt. Non enim Chriſtum eo pronomine magis, quàm Deum, deſignare ſolet: ſed modo hunc, modo illum; quamvis non ſolum de altero ipſorum, quem deſignare vult, proxime locutus non fuerit: ſed etiam alterius apertam mentionem fecerit. Atque, age, oſtendamus, pronomen αὐτός, apud hunc apoſtolum, Deum denotare: licet de eo proxime locutus non fuerit, immo Chriſti mentionem fecerit, aut de eo etiam ſermonem inſtituerit. Ac, quibuſdam aliis hac de re teſtimoniis prætermiſſis, quæ dubia alicui videri poſſent, dico, id duobus locis valde perſpicuum eſſe. Primus eſt cap. 4 ℣. 19. ubi ſcriptum eſt: *Nos diligimus eum* (αὐτόν eſt in Græco) *quoniam ipſe prior dilexit nos. Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Hic pronomen αὐτός procul omni dubio Deum deſignat, & tamen de Chriſto proxime mentio præceſſerat in illis verbis, *quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Alter locus eſt cap. 5. 14. *Et hæc eſt*, inquit, *fiducia, quam habemus apud eum* (αὐτόν habet codex Græcus) *quod, ſi quid pertierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Quæ verba nemo eſt, qui neget de Deo dici; cum tamen in extremis proxime præcedentibus verbis de filio Dei, id eſt, de Chriſto ſermo fuiſſet. Dixerat enim, *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomen filii Dei, ut ſciatis quod vitam habetis æternam, & ut credatis in nomen filii Dei.* Nam ſi quis dicat, immo Deum in ipſo extremo verbo commemoratum fuiſſe: id inſulſius eſt, quam ut refelli debeat. De Deo igitur non minus, quam de Chriſto, ea verba, *propter nomen ejus*, dicta fuiſſe, ex Iohannis loquendi conſuetudine merito ſuſpicari poſſumus; præſertim, cum aliis in locis apud divinos ſcriptores legatur, Deum remittere, & delere peccata propter ſe, ſeu propter nomen ſuum; ut Eſa. 43. 25. & Pſal. 25. 11, & 79. 9. propter nomen ſuum ſervare, ac vivificare, ut Pſal. 106. 8 & 143. 11. & alia ejuſmodi plurima. Quod autem propter Chriſtum, ſive propter nomen Chriſti nobis peccata remittantur, nuſquamalibi (ni fallor) diſerte ſcriptum extat.

Præterea, etiamſi illis daretur, ad Chriſtum ea verba referenda omnino eſſe, & diſerte & hic, & alibi ſcriptum fuiſſe, propter Chriſtum, ſeu propter nomen Chriſti nobis peccata remitti, non propterea tamen veſtra iſtæc ſatisfactio perſuaderi alicui poſſet. Propter Chriſtum enim remitti peccata jure dici poteſt, nulla interim ſatisfactione pro ipſis peccatis interveniente. Nam, cum Deus promiſerit, ſe veniam peccatorum daturum cuicumque Chriſto fidem habenti, certe qui Chriſto fidunt, propter Chriſtum ſibi remitti peccata, agnoſcere debent. An non ſæpe in libris Regum legimus Dominum dicentem, Propter David ſervum meum hoc, vel illud feci, aut faciam? Verum quis eſt, qui neſciat, ea verba nihil aliud potiſſimum ſignificare, quam, Propterea quod, cum ejus poſteritate ita me facturum, illi promiſi; Id quod etiam alicubi aperte explicatur; ut 2 Reg. cap. 8. 19 in his verbis, *Noluit tamen Iehova diſperdere Iudam propter David ſervum ſuum; ſicut promiſerat ei, quod daret ei lucernam, & filiis ejus cunctis diebus.* Chriſtus ſpiritualis noſter pater eſt, & nos ejus poſteritas ſumus; quam una cum ipſo regnaturam Deus promiſit in illis apud Eſaiam verbis cap. 53. 10. *Iehova autem voluit conterere eum* [*&*] *ægrotare fecit* [*eum*]. *Si poſuerit* [*ſeipſam*] *ſacrificium pro delicto anima ejus, ipſe videbit ſemen*, [*quod*] *prolongabit dies, & voluntas Iehovæ in manu ejus proſperabitur.* Promiſit igitur Deus non ſolum futurum, ut, ſi Chriſtus pro nobis mori non recuſaſſet, ex ſe multos propagari videret, hoc eſt multos ipſi fidem habere, & tamquam ducem, & caput ſuum, eum agnoſcere, iiſdem, quibus ipſe, veſtigiis inſiſtentes, & ita nomen ejus celeberrimum evaſurum: ſed etiam duraturam hanc ejus poſteritatem ad multos dies, hoc eſt, in æternum; cum voluntas ipſius Dei, quæ nihil aliud eſt, quam, ut ſcriptum eſt, Ioh. 6. 40, ut quicunque Chriſto confiſus fuerit, habeat vitam æternam, in ejus manu futura ſit, & per manum ejus ad exitum ſuum feliciſſime & pleniſſime perventura. Quod etiam verſu ſequente aliquo modo repetitur, & explicatur. Inquit enim, *Propter laborem animæ ſuæ videbit* (ſubaudi *ſemen*, &c.) *ſaturabitur. Scientia ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos; & iniquitates ipſorum ipſe portabit.* Ubi duo obiter notanda ſunt. Unum eſt, qua ratione juſtificet nos Chriſtus: nempe ſui ſcientia; quia, ipſo cognito, Dei voluntatem agnoſcimus, qui nos ad ſe vocat, & allicit, &, ſi reſipuerimus, vitam æternam pollicetur. Unde &, peccatis relictis, juſtitiæ nos mancipamus, & ab ipſis peccatis pleniſſimam abſolutionem conſequimur. Juſtus autem interim appellatur Chriſtus, non quia ejus juſtitia nobis imputetur, & ſic juſti coram Deo habeamur (non enim hac ratione, ſed per ſui cognitionem nos juſtificare, ut dictum eſt, Chriſtus ibi dicitur) ſed ut, dum, quale ſit ſemen illud, quod ipſe videbit, explicatur, merito ſemen illius appellari demonſtretur. Chriſtus juſtus eſt: Ergo, qui per ipſius cognitionem juſti fient, haud injuria, ex Chriſto propagati eſſe, dicentur. Unumquodque enim ſibi ſimile gignit. Alterum, quod notandum cenſeo, eſt ſignificatio eorum verborum, *Iniquitates ipſorum ipſe portabit.* Quæ ſupra contendi, nihil aliud ſignificare, quam Iniquitates ipſorum ipſe auferet; non autem, Ipſe pœnas pendet iniquitatum ipſorum. Id quod hoc loco maxime liquet. Commemoratur enim hoc, tanquam aliquid, quod extiturum ſit poſt mortem Jeſu Chriſti, & tanquam præmium laboris, quem is, mortem videlicet, ſubeundo, pertulerit. Quod profecto eſſe non potuit, puniri in ipſo peccata noſtra. Id enim neque mortem conſecutum eſſet: ſed una cum ipſa morte peractum fuiſſet; neque præmium laboris dici poſſet, ſed potius labor ipſe. Quod autem Chriſtus abſtulerit peccata noſtra, id vero & mortem conſecutum eſt, & præmium ejus laboris fuit. Præmium, inquam, fuit, non quia dignitate mortis ſuæ Chriſtus Deum moverit ad veniam peccatorum nobis largiendam: ſed quia, ut Eſaiæ verba docent, promi-

* Cal. Inſt. ibidem.

promiſerat Deus, ſi Chriſtus laborem iſtum, morte ſubeunda, pertuliſſet, non ipſum modo, ſed cunctos, qui ei fidem habuiſſent, ſempiterna vita donare. Nec vero mortem ejus cruentam requiſivit Deus, ut juſtitiæ ſuæ pro peccatis noſtris, ulla ex parte filii ſui chariſſimi ſanguine ſatiſfieret: ſed, ut nobis via innoteſceret ac pararetur, qua ipſe ad æternam beatitatem perducere nos decreverat. Nam, cum Deus unicuique impietatem, & mundanas cupiditates abneganti omnia peccata condonare decreviſſet, &, ad patefaciendam gloriam & potentiam ſuam, per afflictiones, & mortem ad ſupremam felicitatem, beatamque immortalitatem homines perducere conſtituiſſet. Jeſu Chriſto filio ſuo mandavit, ut non ſolum hæc nobis nunciaret, ſed prior etiam afflictionum & mortis viam ingrederetur; pollicitus fore, ut & ipſe è morte eriperetur, atque ad beatiſſimam æternamque vitam tranſferretur, & cæteros eadem ſalute impartiendi poteſtatem adipiſceretur. Itaque nos illi in manum dedit, atque nos ſervandi poteſtatem fecit. Quæ omnia paſſim in Novo Teſtamento partim apertius, partim obſcurius leguntur; præſertim vero apud Johannem Euangeliſtam, & auctorem Epiſt. ad Hebr. Et apud Johannem quidem in illa diviniſſima potiſſimum oratione ipſius Jeſu Chriſti ad patrem toto cap. 17. In Epiſt. autem ad Hebr. toto præcipue fere 2. cap. Subiit Chriſtus afflictiones, & mortem, & ſic, via ſibi à patre conceſſa, totaque in ſuis manibus poſita, ſervare nos voluit, & porro ſervavit, alioqui perituros, & noſtrorum peccatorum pœnas daturos. Quis igitur propter ipſum, ſive propter nomen ipſius, peccata nobis remitti, quamvis ab ipſo nulla penitus ſatiſfactio divinæ juſtitiæ pro eis exhibita fuerit, negare audebit? An non etiam hanc ſolam ob cauſſam, ſine ſatiſfactione ulla pro peccatis noſtris, Servator noſter is vere, & proprie appellari & poteſt, & debet? Quod iis expreſſe addi volo, quæ ſupra de nomine Servatoris ipſi tributo diſputata fuere; tametſi alioqui tacite in eis comprehenſum fuerit.

Promiſerat jam Deus Abrahamo ſe benedicturum ei, & multiplicaturum ſemen ejus, tanquam ſtellas cæli, Gen. 12. 2, & cap. 15. 5, & futurum dixerat, ut in eo benedicerentur omnes gentes terræ, Gen. 18. 18. Et tamen poſtea, cum illi in ſacrificando filio obediens Abrahamus fuiſſet, ait, *Per memetipſum juravi, quod, propterea quod feciſti rem hanc, & non pepercifti filio tuo, unico tuo, quod, [inquam,] benedicendo benedicam tibi; ac multiplicando multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt ad littus maris, poſſidebitque ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quod obediviſti voci meæ*, Gen 22. ℣. 16 &c. Se facturum propter obedientiam Abrahami jurat id, quod multo ante ſua ſponte pollicitus fuerat, & quod Abrahami obedientia per ſe nulla ratione promereri potuit. Sed quoniam Abrahamus obedientia ſua eam conditionem impleverat, quæ tacite in præcedentibus Dei promiſſionibus continebatur. Quod coram ipſo Deo ambularet, & eſſet perfectus, & quæ etiam expreſſa fuerat tum, cum nominatim Fœdus cum ipſo Deus pepigerat, ut ſcriptum eſt, diſerte in principio cap. 17. ejuſdem libri: Idcirco propter obedientiam Abrahami ſe ea omnia, quæ antea promiſerat, juravit Dominus facturum. Non ſecus in ſalutis noſtræ negotio, quod ad perſonam Chriſti attinet, evenit. Quamvis enim Deus ab æterno, non modo ante Chriſti mortem, ſtatuiſſet ipſum Chriſtum ad ſummam gloriam eveherc, & per ipſum jam ad eam gloriam evectum humano generi peccatorum veniam, hoc eſt immortalitatem, & ſalutem dare, & ita non à Chriſti meritis, ſed à Dei pura liberalitate totum hoc penderet: quia tamen, propter ante, non uno in loco, à nobis expoſitas cauſſas, ea ratione & via id peragi volebat Deus, ut ſcilicet ipſe Chriſtus ei obediens eſſet uſque ad mortem crucis; poſtquam Chriſtus eam obedientiam præſtitit, peccata nobis condonari, id eſt, à morte in ſempiternum nos liberari, propter Chriſtum, & propter ejus obedientiam, rectiſſime dicitur. Nam & Eſaias poſtremo adjungit, *Ideo partem dabo ei cum multis; & cum fortibus dividet ſpolia, eo quod effudit in mortem animam ſuam; & cum prævaricatoribus annumeratus eſt.* Huc accedit, quod Propter nomen Chriſti (ſi modo ad Chriſtum verba illa referenda ſunt) eo Joh. loco nihil aliud fere ſignificare dicendum videtur, quam Propterea quod Chriſto fidem habuiſtis, & ejus doctrinam amplexi eſtis, atque, ipſo cognito, Dei quoque cognitionem eſtis adepti. Qua cognitione vita æterna conſiſtit, Joh. 17. 3. Probatur hoc ſatis evidenter ex eo, quod eandem ſententiam poſtea repetens ait, *Scribo vobis pueruli, quia cognoviſtis Patrem.* Repeti autem eandem ſententiam (quicquid nonnulli interpretes dicant) oſtendit, quod, cum deinde patres, & adoleſcentes iterum alloquitur, non eandem ſententiam ſolum, ſed magna ex parte eadem prorſus verba repetit. Addit enim duntaxat, adoleſcentes alloquens, quædam verba, quæ ſententiam magis explicant. Nam, quod, quidam, propter mutationem appellationis (eos enim, quos filiolos primum vocaverat, puerulos deinde nominat) ſuperius illud membrum, *Scribo vobis filioli, &c.* ad univerſam eccleſiam referri debere exiſtimant, quam deinde in tres claſſes dividat, patres, adoleſcentes, & puerulos, & poſtquam patres, & adoleſcentes iterum allocutus eſſet, puerulos ſimiliter iterum poſt trium verſuum interjectam ad patres, & adoleſcentes adhortationem allocutus ſit: Id adeo ab omni veriſimilitudine alienum eſt, totque abſurda, quæ unuſquiſque per ſe animadvertere poteſt, plane continet: ut iſtius interpretationis originem & cauſſam, quam modo indicavi, vanam fuiſſe oſtendere, ſatis fuerit, ac dicere, quoſdam Græcos codices non τεκνία, id eſt, *filioli*, ſed παιδία, id eſt, *pueruli*, in ſuperiore illo membro habere: ac præterea τεκνία per tranſlationem commodiſſime puerulos ſignificare poſſe. Nam & apud veſtrates Gallos puellæ, filiæ appellantur, & apud aliquos Italos pueruli ipſi, filii ſive filioli, appellari conſuevere. Rurſus παιδίον, ſicut & παῖς, non ſemper ad ætatem refertur; ſed pro filiolo etiam uſurpatur. Quod abunde patet ex eo, quod Chriſtus diſcipulos ſuos παιδία vocat, Joh. 21. 5. Quemadmodum etiam apud Eſai. 8. 18, idem Chriſtus παιδία nominat, quoſcunque ipſi pater ſervandos dedit; Interprete auctore ad Hebr. cap. 2. 13. Hoc dico, ne quis illud παιδία, quod eſt initio verſus 18. ad univerſam eccleſiam referri non poſſe credat: & ita una cum illis, qui totum hunc locum, nulla neceſſitate cogente, monſtroſe quodammodo interpretari conati ſunt, ad puellos, quos ſupra à patribus, & adoleſcentibus Apoſtolus diſtinxerat, referri omnino debere, ſibi perſuadeat. Quibus, ut omnis dubitatio tollatur, addi poteſt, Latinos aliquos, & Græcos codices, cum ad τὰ παιδία, poſtquam adoleſcentes primum allocutus fuerat, ſermonem Apoſtolus convertit, non *ſcribo vobis*, ſed, *ſcripſi vobis*, habere. Nam, ſi lectio iſta admittatur, vel ſaltem prorſus non rejiciatur, membrum illud cum ſequentibus, non cum præcedentibus, conjungi omnino debere, aut certe poſſe, conſtabit. Cum igitur in illis verbis id repetat Apoſtolus, quod ſuperius, filiolos alloquens, dixerat: patet, Remitti, ſeu Remiſſa eſſe peccata propter nomen ejus, idem reipſa eſſe, quod, Patrem cognoviſſe. Quod ſi hinc probari non poſſe velimus, pronomen Ejus ad Patrem referri debere, fateamur ſaltem neceſſe eſt, Propter nomen Chriſti remitti peccata, non ſignificare, Chriſtum pro noſtris peccatis ſatiſfeciſſe, atque ea ratione peccatorum remiſſionem a Deo nobis impetraſſe: ſed propter fidem, quam ipſi Chriſto habemus, unde neceſſario patris cognitio conſequitur, nos peccatorum remiſſionem adeptos fuiſſe. Videtur omnino (ſi tamen de Chriſto verba hæc intelligenda ſunt) nihil aliud eſſe, quod hic dicitur, *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus*, quam id, quod infra cap. 5. ℣. 13. ut vidimus, ſcriptum eſt, *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei, ut ſciatis, quod vitam habetis æternam.* Dictio autem Propter, non impulſivam

tantum, verum etiam & finalem, & efficientem, ut omnes norunt, quin & quamlibet aliam cauſſam ſignificare poteſt, ſine qua aliquid non fiat. Ut, exempli cauſſa, in illis Domini Jeſu verbis, Vos *mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis*, Joh. 15. 3. Sermo Chriſti profecto meritus non fuerat, ut illi mundarentur: ita ut propter iſtud meritum illi mundi eſſent. Sed ſine ipſo ſermone mundati non fuerant; ſi modo hæc, ut receptior, ſic verior ejus loci ſententia eſt. Et in Apoc. cap. 12. 11, ſcriptum eſt, *Vicerunt eum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonii ſui.* Certe ſanguis Chriſti non meruit, ſed effecit, ut illi diabolum vicerint, ſicut nec verbum teſtimonii ipſorum id meruit, ſed cauſſa fuit, ſine qua illud effectum non eſt. Quocirca, quicquid, ad noſtram ſalutem perficiendam, neceſſario, ex Dei voluntate, vel adhuc requiritur, vel jam intervenit, propter id nos ſervari, jure dici poteſt. Quare & propter Dei ipſius miſericordiam, & propter Jeſu Chriſti prædicationem, mortem, & reſurrectionem, & propter nobis ſingulis deinde annunciatum Euangelium, ac verbum Dei, & propter pœnitentiam & fidem noſtram, & propter ipſum Chriſtum, qui nos ſuprema poteſtate, qua præditus eſt, ab interitu vindicabit, cum hæc omnia ſimul (quamvis non æqualiter) ad ſalutem nobis dandam neceſſario vel jam concurrerint, vel concurſura ſint, nos peccatorum remiſſionem, æternamque ſalutem conſequi, & conſecuturos eſſe, merito affirmare poſſumus. Impulſivam tamen cauſſam in ſalute noſtra nullam unquam excogitare poteris, præter puram Dei liberalitatem atque clementiam. Nec cauſſam ullam reperies, ſine qua Deus ad peccatorum remiſſionem nobis offerendam motus non fuiſſet, quæ extra ipſum Deum ullo modo conſiderari poſſit, ſed omnia, quæ extra ipſum Deum aliqua ratione dici poſſunt, & in ſalute nobis comparanda interveniunt: ea aut ad nos movendos adhibentur; aut conditiones ſunt, quas à nobis Deus, ſi oblatam ſalutem conſequi velimus, requirit, aut denique inſtrumenta ſunt, quibus ipſe ingentem erga nos benignitatem ſuam ad exitum perducit. Eodem autem ſenſu, quo hic dixit Johan. *remittuntur* (ſive *remiſſa ſunt*) *vobis peccata propter nomen ejus*, aſſerunt ipſi veſtri, qui hoc loco nituntur, dictum fuiſſe à Chriſto, *Sicut ego vivo propter patrem . ita & vos vivetis propter me*, Joh. 6. 57. Sed dicant, obſecro, quanam ratione vivit, aut vivebat Chriſtus propter patrem? Num quia pater, ut is viveret, meritus fuerit, aut fuiſſet; an vero quia auctor & erat, & eſt vitæ illius? quomodo igitur non vident, victuros nos etiam propter Chriſtum, non quod Chriſtus, ut nos vivamus promeritus ſit: ſed quod nobis vitam ipſe ſit largiturus? Poſtremo ibidem addunt, *Huic reſpondere, quod dicit Paulus ad Philip. cap. 1. 29. Vobis datum eſt propter Chriſtum* ὑπὲρ Χριστοῦ, *non ſolum, ut in eum credatis, ſed etiam, ut pro eo patiamini.* Atqui ὑπὲρ non impulſivam unquam, ſed perpetuo finalem cauſſam ſignificat: & manifeſtum eſt (præſertim, cum non ὑπὲρ Χριστοῦ ſimpliciter, ſed τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ ibi ſcriptum extet) nihil aliud id ſibi velle, quam vel In negotio Chriſti, vel In eo, quod pro Chriſto ſuſcipitur; ut recte vertit, & annotavit Theodorus Beza. Mitto, quod interdum in ipſis Novi Fœderis ſcriptis, ut plerique volunt, præpoſitio διὰ, etiam cum quarto caſui jungitur, non Propter, ſed Per ſignificat, adeo ut, quod hic ſcribitur διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, ſi de Chriſto intelligendum ſit, idem valere dici poſſit, quod Per nomen ejus. Sic enim de Chriſto loqui conſueverunt Sacri Scriptores; ut inter cætera hujuſce rei Teſtimonia inſignis, & ad propoſitum noſtrum accommodatiſſimus eſt locus ille Act 10. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Quantum autem interſit inter hæc verba, Per Chriſtum, & Propter Chriſtum, licet non deſint, qui inter ipſa, quod attinet ad juſtificationem noſtram, nullam aut parvam admodum differentiam ſtatui debere contendant; omnibus qui veritati manifeſtiſſimæ ſeſe opponere conſulto nolint, judicandum relinquo. Quandoquidem certum eſt, etiamſi, ut nos ipſi antea attigimus, propter aliquid id fieri dici poteſt, quod non ſine ipſo, vel per ipſum, omnino fit: tamen & poſſe, & plerumque ſolere dictionem propter multo plus ſignificare, quam poſſit, aut ſoleat dictio per; & præſertim cauſſam impulſivam declarare, id quod dictio per nunquam facit.

Hæc erant, quæ, præter ea, quæ ipſe attuleras, pro veſtra ſententia confirmanda in medium afferuntur, in quibus aliquid ponderis ineſſe, exiſtimare quis fortaſſe potuiſſet. Quæ quam levia ſint, ſpero me ſatis aperte demonſtraſſe. Cætera, ſi qua ſuperſunt, ea vel per ſe ipſa jam evanuerunt, vel in iis, quæ adhuc mihi ad reliqua tua verba reſpondendum eſt, plane confutabuntur.

CAPUT XXVI.

Examinantur duo loca, Heb. 9. 26. & Apoc. 13. 8. quatenus ex illis probari videtur, Chriſti mortem, & ſacrificium, ad eos etiam pertinuiſſe, qui ante ipſum fuerunt. Hinc enim putavit ipſe hujus Diſputationis auctor forte ab Adverſariis concludi, Chriſti mortem ideo peccata noſtra expiaſſe, quod pro illis ſatisfecerit. Verum hujus argumentationis & aſſumptio, & conſequentia falſa eſſe oſtenditur. Quo facto, Adverſarii ſententiam Divinis Teſtimoniis minime juvari poſſe, concluditur.

REſtant ea loca, quæ ipſemet ad ſententiam meam labefactandam, & ad tuam confirmandam facere poſſe animadverti. Ea autem ſunt, in quibus affirmari videtur, antequam Chriſtus naſceretur, non modo antequam moreretur, ejus mortem efficacitate in peccatis expiandis non caruiſſe. Nam certe nulla ratione id fieri poſſe videtur, niſi divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi pro univerſi humani generis peccatis Chriſti ſanguis vim habuiſſe dicatur; quemadmodum, ipſa loca examinando, clarius apparebit. Duo autem præcipue ea eſſe comperio, quæ ſeparatim alterum ab altero excutiemus.

Unus igitur locus eſt in Epiſt. ad Heb. 9. 26. in illis verbis, *Alioquin oportuiſſet eum ſæpius pati ab origine* (ſeu potius *à conſtitutione*) *mundi.* Ex quibus perſpicuum fit, ſi Chriſtus ſeipſum ſæpius offerre debuiſſet, opus futurum etiam, ut ab ipſo orbe condito ſæpius cruentam mortem ſubiiſſet. Cur autem id fieri oportuiſſet, niſi ad eos etiam, qui ante Chriſtum fuerunt, immo, qui ab ipſo condito orbe extiterunt, fructus ſacrificii Chriſti pertinuiſſet? Quod ſi ad eos quoque pertinuit mortis Chriſti fructus, qui Chriſtum ipſi nec audiverunt, nec reſurgentem viderunt, nec alios audiviſſe aut vidiſſe acceperunt: certe non quia illis Chriſti ſacrificium divinas promiſſiones, & ipſius Chriſti doctrinam confirmaverit, vel futuræ immortalitatis ſpem fecerit, ſed quia mors ſola per ſe peccata expiandi, & ita divinæ juſtitiæ pro ipſis ſatisfaciendi facultatem habuerit, id contigiſſe omnino dicendum videtur.

Quid ad hæc reſpondebimus? Nempe, Tantum abeſſe, ut ex hoc loco probari poſſit, Chriſti ſacrificium, antequam perageretur, vim expiandi peccata habuiſſe, & ad priſcos illos pertinuiſſe, ut contrarium potius evidenter inde colligatur. Nam ſi virtus ſacrificii ad eos etiam pertingere potuit, qui ſacrificium ipſum anteceſſerunt, ut neceſſe eſt affirmare, ſi velimus ad eos, qui ante Chriſtum fuerunt, id pertinuiſſe: quid opus erat, etiamſi Chriſtum ſæpius ſe offerre oportuiſſet, ut is à condito orbe ſæpius pateretur? An non ſatis ſuperque fuiſſet, ſi Chriſtus, poſtquam in mundum venerat, pati cœpiſſet, & ante extremum illum diem ſubinde paſſus eſſet? Cum igitur Apoſtolus dicat, neceſſe futurum, ſi oportuiſſet Chriſtum ſeipſum ſæpius offerre, ut etiam ſæpius paſſus eſſet ab orbe condito: ſatis oſtendit, ſacrificium mortis Chriſti non debere eſſe poſt illos, ad quos ipſius fructus manaturus eſt. Et propterea, ſi ſæpius offerre ſe debuiſſet Chriſtus, ſæpius etiam ante-

antequam nos esse desiissemus, ad quos, videlicet, fructus oblationis pertinere debebat, opus fuisse, ut in mortem traderetur. Non solum autem, Antequam nos esse desiissemus, dixit, sed, A constitutione mundi; ut quid fieri necesse fuisset, evidentius exprimeret, si quo sæpius se obtulisset Christus, eo magis nostra peccata expiata forent. Quod si necesse est, ut sacrificium mortis Christi non sit post illos, quibus profuturum est: certe non modo ad eos pertinere non potest, qui illud tempore præcesserunt, verum etiam alia ratione, quam divinæ justitiæ satisfaciendo iis, qui post ipsum vel adhuc sunt, vel recens existunt, ipsum prodesse concludendum plane est. Nam, si idcirco hominibus salutem conciliaret, quod divinæ justitiæ pro peccatis eorum satisfaceret: quid opus esset, ut illos vel præcederet, vel saltem subsequeretur; Dum enim debitum vere solvatur, quid refert quo tempore id fiat, præsertim apud Deum, qui omnia, quæ certo futura sunt, compertissima habet, & ea singula, tamquam præsentia, perpetuo videt atque intuetur?

Alter locus is est, qui vulgo ad hanc opinionem efficacitatis sacrificii Christi ab ipsa mundi creatione confirmandam, adduci in testimonium solet, Apoc. cap. 13. 8. ubi legitur, *Et adorabunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni mactati ab origine* (seu potius *à constitutione*) *mundi.* Ajunt enim, hic differte scriptum esse, agnum, hoc est Christum, occisum fuisse ab ipso orbe condito. Quod cum reipsa factum non fuerit: necesse est fateri, id ideo dictum fuisse, quia virtus mortis Christi ad omnes homines, qui ab ipso orbis initio, & deinceps fuerunt, pertinere potuerit. Verum, si quis primo negaverit istam consecutionem, & dixerit, idcirco potuisse dici, Christum occisum fuisse jam inde ab ipso orbis initio, quia ab ipsis mundi jactis fundamentis, Deus, ut Christus mactaretur, jam decreverat, quemadmodum Paulus dicit, datam nobis fuisse gratiam per Christum ante tempora æterna 2 Tim. 1. 9, quia, scilicet, eam nobis dare Deus decreverat: quid quæso, respondebunt? Nam non modo in eo Pauli loco, sed in aliis compluribus similes loquendi modi inveniuntur. Quod enim Deus facere decrevit, pro jam facto habetur; ut in prophetarum vaticinationibus passim videre est. Deinde animadvertendum fuerat, verba illa, *ab origine mundi*, non conjungi debere cum proxime antecedentibus, *agni mactati*, sed cum remotioribus; ut Complutensis editio, quæ distinctionem inter utraque verba habet, satis confirmat, & probe animadvertit Sebastianus Castellio, qui hunc locum sic transtulit, *Quorum nomina ab orbe condito scripta non sunt in vitæ libro agni mactati*, edoctus, ut arbitror, ex loco illo cap. 17. 8, ejusdem libri, ubi hæc eadem sententia ita scripta est, *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi.* Ex quibus verbis apparet, verba Græca, quæ utrobique sunt ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, in priore loco non ad Christi mactationem, sed ad scriptionem nominum in libro vitæ respicere. Neque vero caret exemplo hujusmodi verborum transpositio apud sacros scriptores. Nam Ioh. 17. 5. scriptum est, *Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te.* Ubi nemo non videt Apud te non cum Esset, cui verborum positione cohæret, sed cum Habui, a quo verbis sejunctum est, sensu conjungi debere. Apud Paulum similiter 1 Cor. 15. 19, legitur, εἰ ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἠλπικότες ἐσμὲν ἐν Χριστῷ μόνον, &c. id est, ad verbum, *Si in vita hac sperantes sumus in Christo tantum*, &c. Perspicuum est autem, adverbium μόνον seu Tantum, non ad proxima, sed ad remotiora respicere. Et idcirco recte vetus interpres hunc locum sic vertit: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus.* Valde autem similis huic nostræ est transpositio illa 2 Par. 20. 7. *Nonne tu Deus noster expulisti habitatores terræ hujus a facie populi tui Israëlis, & dedisti eam semini Abraham amici tui in seculum*; In seculum enim manifeste ad verbum Dedisti, non ad verba Amici tui referendum est. Atque hinc perspicere licet, quantum inveteratæ opiniones nos fallere possint, & quam cautum esse oporteat in fide hominibus sacras litteras vel explanantibus, vel citantibus adhibenda. Non igitur ex hoc Apoc loco, quicquid vulgus nostrorum Theologorum hactenus senserit, probari ulla ratione potest, Christi mortis fructum ad eos fideles etiam, qui ab ipso orbe condito extiterunt, pertinuisse.

Sed demus, vel ex hoc loco, vel aliunde istam sententiam elici posse, de qua in præsentia non est disputandum; quid tum postea? An putamus, propterea necessario sequi, Christi mortem, divinæ justitiæ pro peccatis nostris satisfaciendo, humano generi profuisse? Minime vero. Nam, quamvis prisci illi nec Christum prædicantem audiverint, nec resurgentem viderint, nec id ab aliis acceperint, sine fide tamen, ut inter omnes constat, fructum mortis ejus participare non potuerunt. Quod si fide illis opus fuit, quid vetat, quo minus eadem fide, quid Christus annunciaturus esset, & quemadmodum ex mortuis resurrecturus, quatenus ad ipsorum salutem necessarium erat, perceperint, & ita non propter satisfactionem ullam à Christo pro ipsorum peccatis olim peragendam, sed propter peccatorum remissionem ab eo annunciandam, & confirmandam, salutis spem conceperint, & ejus mortis fructum gustaverint? non secus, ac nos ipsi, qui nec vidimus, nec audivimus Christum, fide tantum, fructus qui ex ejus morte provenit, ea ratione, qua supra expositum est, nulla penitus satisfactione pro peccatis nostris interveniente, participes efficimur. Adde, quod, etiamsi sine fide, quæ ipsam mortem Christi respiceret, priscis illis salutem per Christi mortem contigisse, quis diceret, non tamen propter satisfactionem ex ipsa proventem id evenisse, necessarium foret. Namque ex eo, quod Christus, per mortem, salute, æternaque vita homines donandi potestatem consecutus est, eos salvos fore, & ex mortuis suscitatum iri beneficio mortis Christi, nulla licet satisfactione interveniente, optimo jure dici posset.

Atque ex his tandem quæcunque vestram sententiam potissimum juvare posse videbantur, nihil penitus momenti ad eam rem habere, me satis demonstrasse confido: & porro planum feciisse, meridiano sole non cæcutire eum, qui, Jesum Christum non ideo servatorem nostrum esse agnoscit, quod justitiæ divinæ, per quam peccatores damnari mereremur, morte sua pro nobis plene satisfecerit: sed potius misere hallucinari eos, qui, licet sui erroris admoniti, id tamen adhuc verissimum esse contendunt.

De ipso Satisfactionis verbo me nihil sollicitum esse, animadvertere potuisti. Res enim non verba quæro. Id nihilominus tamen affirmare non dubitabo, non carere falsitatis suspicione eas in religione nostra opiniones, quæcumque tandem illæ sint, in quibus explicandis, verbis, & loquendi formulis uti necesse sit sacris scriptoribus prorsus incognitis: nec injuria eas à quovis rejici, donec perspicue demonstratum fuerit, earum sententiam in divinis litteris expresse contineri. Nam, quod attinet ad opinionem, de qua disputamus, non solum satisfactionis, seu satisfaciendi verbum, cum de salute nobis per Christum parta agitur, in sanctis scripturis, ut ipse fateris, nusquam appareret; sed nihil ejusmodi, ne semel quidem, expresse in eis scriptum reperitur. Quale esset, quod Christus morte sua nobis Deum reconciliasset: vel, quod pœnas universas nostris iniquitatibus debitas, moriendo, divinæ justitiæ persolvisset: vel, quod nos è manibus justitiæ divinæ, sanguinem suum redemptionis nostræ pretium illi dans, liberasset: vel, quod scelera nostra obedientia sua compensasset: vel, quod, ut remissionem peccatorum nobis Deus largiretur, digne commeritus fuisset: vel denique saltem, quod aliqua ratione Dei iram nobis placasset. An non, quemadmodum libri vestri, cum etiam ea de re disputatio nulla est, ejusmodi sententiis undique scatent: sic etiam Sacræ Scripturæ, si salus nostra,

ut vos opinamini, ex eo penderet, quod Chriſtus juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet, illis refertæ, aut ſaltem reſperſæ eſſent? An putatis, divinos homines, qui, Spiritu Sancto impellente, ſalutis noſtræ rationem litteris mandarunt, minore vel charitate, vel diligentia in ea nobis patefacienda, quam vos, præditos fuiſſe? An non reipſa experti eſtis, quid ſit extra Dei verbum novas in rebus ad ſalutem noſtram pertinentibus explicandis loquendi formulas uſurpare? An non omnes pontificiorum errores, quos nunc merito deteſtamini, hanc notam qua ſeipſos prodant, habere ipſi agnoviſtis, quod ea affirmant, de quibus in Divinis Litteris nihil diſerte ſcriptum extat? Verum, ut ſententiæ veſtræ abſurditas, &, quos plures continet, execrabiles errores, melius adhuc cognoſci poſſint, quando ad ea, quæ ipſam ſuadere poſſe aliquo modo videbantur, abunde reſponſum eſt; operæ pretium fuerit ea ſubjicere, quæ ad ipſam deteſtandam ac penitus rejiciendam, & me compulerunt, & unum quemque divinæ gloriæ, & veritatis potius, quam mundanæ exiſtimationis, ac receptarum opinionum cupidum ſectatorem & defenſorem inducere debere, plane mihi perſuadeo. Sed prius paucula quædam, quæ proxime conſequuntur verba tua hic adſcribere libet, quæ mihi, ſcilicet, hujuſce rei argumentum ſuppeditabunt.

DISPUTATIONIS
DE
JESU CHRISTO Servatore.
PARS TERTIA.

In qua rationes, & teſtimonia explicantur, quibus evincitur, falſam eſſe ſententiam iſtam, quod Chriſtus morte ſua Deo, ſive ejus juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfecerit, & reliquum argumentum quoddam ad eam confirmandam ab Adverſario allatum abunde refellitur.

Ais igitur:

Cum autem diceres non opus fuiſſe, ut Chriſti morte Deo pro peccatis noſtris ſatisfieret, addebas te idcirco hoc aſſerere, quia in Deo ſatis eſſet miſericordiæ ad nos abſque ulla ſatisfactione ſalvandos.

Reſponſio.

EGo vero & id ea de cauſſa tunc aſſerui, & nunc idem eadem prorſus ratione aſſero. Neque in Deum meum adeo injurius unquam ero, ut mihi peccata mea, nulla vera pro ipſis ſatisfactione accepta, condonare eum aut noluiſſe, aut jure non potuiſſe, vel per ſomnium quidem, cogitare auſim: ne dum, ut vos facitis, conſtanter affirmare. Sed, ut aſſertionis meæ veritas magis eluceſcat, probandum primo erit, potuiſſe Deum jure nobis peccata noſtra ignoſcere, nulla vera pro ipſis ſatisfactione ab ulla perſona, ullo ve modo accepta. Deinde, id facere eum voluiſſe, demonſtrabitur. Quo facto, planum poſtremo faciam, non potuiſſe Chriſtum vel ſua morte, vel alia ratione divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfacere. Et ita, quæ duo mea ſententia continet, & tu, à veritate alieniſſima eſſe, te oſtendiſſe credebas, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ non ſatisfeciſſe, &, ut ſatisfieret, opus non fuiſſe, ea veriſſima eſſe, Deo bene favente, conſtabit.

CAPUT I.

Deum jure potuiſſe nobis condonare peccata noſtra, nulla pro ipſis vera ſatisfactione accepta.

DEum nobis ignoſcere jure potuiſſe, nulla pro peccatis noſtris vera ſatiſfactione accepta, ex eo conſtare poteſt, quod delicta noſtra eatenus nos Deo obnoxios reddunt, utque pro ipſis ei ſatiſfiat, requirere videri poſſunt quatenus offenſæ ſunt majeſtatis ipſius; ita ut peccatis, vera pro ipſis ſatiſfactione non accepta, Deum ignoſcere, nihil aliud ſit, quam eum de jure ſuo remittere. Unicuique autem de jure ſuo, quantum velit, remittere licet. Deus igitur, vera pro ipſis ſatiſfactione non accepta, peccata nobis condonare jure potuit. Quocirca Deus, in hominibus vel puniendis, vel abſolvendis, non tanquam judex aliquis ſtatuendus eſt, qui de alieno jure agat, cuique non liceat à Legum præſcripto recedere; ſed tanquam dominus & princeps, cujus ſola voluntas, cum de ipſius jure tantum agatur, omnium rerum Lex eſt, & perfectiſſima norma. Quod ſi quilibet homo jure poteſt injurias ſibi illatas libere condonare, & quamvis maxime poſſit, eas tamen minime ulciſci; non ſolum id facere jure poteſt, ſed etiam ob eam ipſam cauſſam laudibus ad cœlum tollitur: An eo jure & poteſtate Deum privare audebimus, noſque infandi ſacrilegii reos conſtituere non exhorreſcemus? Quis eſt, qui neſciat, delicta noſtra, debita ſive æs alienum, quod cum Deo contraxerimus, in Divinis Litteris appellari, & propterea Deum, tanquam creditorem noſtrum, nos autem, tanquam ejus debitores, peccatorum noſtrorum reſpectu, conſtitui? Atqui, nullus eſt creditor, qui debitori ſuo vel debiti partem, vel univerſum debitum, nulla ſatiſfactione accepta, condonare ſummo jure non poſſit. Quæ eſt igitur inſcitia, ne dicam amentia, exiſtimare, Deum niſi illi plene ſatiſfiat, delictorum noſtrorum debita nobis remittere jure non poſſe?

At dices, opus eſt, ut Deus juſtitiæ ſuæ ſatiſfieri curet, cui ipſe, niſi ſemetipſum quodammodo abneget, renunciare non poteſt. Jam in principio hujus reſponſionis

nis meæ ſatis oſtendi, juſtitiam iſtam, cui vos ſatisfaciendum omnino eſſe contenditis, in Deo non reſidere, ſed effectum eſſe voluntatis ipſius. Cum enim Deus peccatores punit, ut digno aliquo nomine hoc ejus opus appellemus juſtitia tunc eum uti dicimus; quemadmodum, cum alicui nocenti parcit, eum miſericordia uſum fuiſſe, dicit Scriptura. Quare non opus eſt, ut iſti juſtitiæ Deus vel ſatisfieri curet, vel renunciet. Quod autem juſtitia iſta in Deo non reſideat, præter ea, quæ ſupra à me diſputata ſunt, ex eo maxime apparere poteſt, quod, ſi ea in Deo reſideret, nunquam is, ne minimum quidem delictum, cuiquam condonaret. Nihil enim unquam facit aut facere poteſt Deus, quod qualitatibus, quæ in ipſo reſident, adverſetur. Exempli cauſſa, cum in Deo ſapientia, & æquitas reſideat, nihil unquam inſipienter, nihil inique facit, aut facere poteſt. Iſta juſtitia, quæ, ut ſupra viſum fuit, in Sacris Litteris non juſtitia, ſed ſeveritas, aut vindicta, aut aliis ejuſmodi nominibus nuncupatur, iſta, inquam, quatenus miſericordiæ opponitur, nihil aliud eſt, quam punire delicta. Sed punire delicta, & delicta condonare, invicem prorſus adverſantur. Ergo, ſi ea juſtitia in Deo reſidet, hoc eſt, ſi in Deo aliqua proprietas eſt, quæ omnino quæcunque hominum delicta, ſive reſipiſcentium, ſive non reſipiſcentium, exacte puniri velit (talis eſt enim ea juſtitia, de qua agimus, quam vos in Deo reſidere commenti eſtis) nunquam is cuiquam vel parcit, vel parcere poteſt. Nam quod magiſtri veſtri excogitarunt, puniri per hanc juſtitiam delictum poſſe, etiamſi delinquens ipſe non puniatur, id, ut infra apparebit, & ab hac, & ab omni juſtitia alieniſſimum eſt. Cæterum, ſi dixeris, eadem ratione probari poſſe, miſericordiam in Deo non reſidere; Nam ſi ea in Deo reſideret, is nemini unquam pœnam irrogaret, cum miſericordia nihil aliud ſit, quam delinquentibus ignoſcere: Reſpondebo, ut ſupra quoque leviter attigi, veriſſimum eſſe, miſericordiam, quatenus iſti juſtitiæ, hoc eſt ſeveritati & vindictæ opponitur, in Deo non reſidere, ſed effectum eſſe voluntatis ejus. Cum igitur Sacræ Litteræ teſtantur, Deum miſericordem eſſe, nihil aliud ſibi volunt, quam Deum ſæpiſſime, & facillime peccata condonare; ſi tamen de miſericordia hac loquuntur. Nam alia eſt miſericordia divina, cujus in Sacris Litteris ſecundum veterem tranſlationem ſæpe fit mentio, quæ bonitas potius appellari debet, & latiorem habet ſignificationem. Omnem enim Dei beneficentiam complectitur: ſive in peccatis condonandis, ſive in alio quovis beneficio hominibus dando ab ipſo exerceatur. Patet præterea, nec juſtitiam, nec miſericordiam, de quibus loquimur, in Deo reſidere, ex eo, quod legimus, Deum tardum eſſe ad iram, & multum miſeratione, Exod. 34. 6. Num. 14. ỳſ. 18. Quod manifeſte indicat, hæc duo, effecta eſſe voluntatis ejus, quorum unum ab altero magnitudine ſuperetur, & ſimul ſtare nequeant, & terminata ſint; cum ea, quæ vere in Deo reſident, nullum terminum habeant, & ſimul omnia ſtare poſſint, & inter ſe, magnitudinis reſpectu, ſint prorſus æqualia. Hinc manifeſtum fit, quam graviter errent illi, qui Dei hanc tum juſtitiam, tum miſericordiam infinitam eſſe affirmant. Quod enim ad juſtitiam attinet, vocabuli ſpecie decepti non vident, ſe nihil aliud dicere, quam Dei ſeveritatem atque iram infinitam eſſe, contra apertiſſima Sanctarum Litterarum teſtimonia; quæ, ut modo diximus, Deum tardum ad iram eſſe prædicant. Ea juſtitia divina, quæ nullum terminum habet, non hæc eſt, de qua loquimur, ſed ea, quæ ſola, ut ſupra viſum fuit, hoc præclaro Juſtitiæ nomine apud ſacros Scriptores inſignitur, & alio nomine Rectitudo & æquitas nuncupari poteſt. Hæc vere in Deo reſidet, & in omnibus ejus operibus valde conſpicua eſt; atque hujus ſolius vi, ut poſtea videbimus, etiam ſi nullam aliam probationem haberemus, humanum iſtud commentum ſatisfactionis Jeſu Chriſti penitus detegeretur atque evaneſceret. Quod autem attinet ad miſericordiam, hoc eſt peccatorum condonationem, quomodo eam infinitam eſſe affirmare audent, cum ex ſupra dictis locis, & ex univerſa Scriptura conſtet, Deum ea non ſemper uti, ſed non raro vindictam & ſeveritatem exercere? Verum propterea ita fœde ſunt lapſi, quod eos diverſos tantum divinæ voluntatis effectus, non autem proprietates aliquas, eſſe non animadverterunt, & utramque in Deo reſidere, perſuaſum habuerunt. Sed quanam ratione id ſibi perſuadere potuerunt, cum, ut diximus, altera alteram tollat? At hoc negant ipſi, & in ſalute nobis per Chriſtum parta utramque perfecte Deum exercuiſſe, contendunt. Iſtud quam non modo falſum, ſed etiam ridiculum ſit, ex iis, quæ poſtea dicentur, clarius apparebit. Interim dicant, obſecro, cum Deus ſontes punit, præſertim vero, cum eis ne tempus quidem, ut pœnitentiam agere poſſint, concedit, cujus rei in Vetere Teſtamento permulta exempla extant, quanam miſericordia erga illos utitur? Quod ſi Deus multa facit, in quibus ne veſtigium quidem iſtius miſericordiæ appareat, quamvis & miſericors, & miſerator in Sanctis Litteris paſſim appelletur; An non multa eum facere dicendum eſt, in quibus nullo pacto iſtam juſtitiam exerceat, ad quam tardus admodum eſſe ubique prædicatur? Concludendum igitur eſt, nullam in Deo juſtitiam eſſe, quæ omnino (ut veſtra opinio fert) peccatum puniri debere dictet, & cui ipſe renunciare non poſſit; ſicut nulla in eo eſt miſericordia, quæ peccatoribus ignoſcendum eſſe omnino ſtatuat, & cui voluntas divina obſequi quodammodo debeat. Quæ cum ita ſe habeant, ſatis conſtare poteſt, nihil eſſe, propter quod Deus libere, cui velit, nulla ſatiſfactione accepta, peccata jure condonare non poſſit, non minus, quam eum, qui deliquit, pro ſuo arbitratu puuire. Vidit hanc veritatem Wolf. Muſculus, & eam in ſuis locis communibus ita explicuit, ut integrum locum huc tranſferre non ſolum propter doctiſſimi viri apud vos non levem auctoritatem, ſed etiam, quia melius illius, quam meis ipſius verbis tota res patefiet, mihi grave non fuerit. Sic igitur ſcribit: Loc. comm. de juſtific. cap. 3. *Si Deus tantum juſtus eſt Judex, & non ſimul miſericors, vel ſi ſic juſtus eſt, ut ſine detrimento juſtitiæ ſuæ miſericors eſſe nequeat, ſi ſic inquam judiciariæ juſtitiæ obſtrictus eſt, ut non liceat ipſi, quorum vult miſereri, & à peccatis abſolvere reos, quod tamen permultos ſibi principes & magiſtratus libere permittere videmus, conſequitur inania eſſe, quæcunque in Sacris Scripturis de gratia & miſericordia Dei leguntur, nec tantum illi poteſtatis eſſe in ipſius creaturas, quantum eſt homini in ſuos ſubditos, imo minus, quam eſt figulo in ſuum lutum. Quare quid poteſt magis impium cogitari? Si vero ſic juſtus eſt Deus, ut ſimul ſit & miſericors, ſicque punit ſontes, ut ſimul quorum vult libere ac licite miſereatur, peccatoreſque à peccatis abſolvat, nec queat ob ejuſmodi miſericordiam gloria & encomio juſtitiæ privari; Quid aliud conſequitur, quam duplicem illi eſſe thronum, judicii unum, gratiæ alterum. Et ad thronum judicii pertinere, quando juſtificat juſtum, & condemnat impium. Ad alterum vero, qui gratiæ eſt, referendum eſſe, quando impium non condemnat, quod juſte facere poterat, ſed miſericorditer à reatu peccatorum abſolvit, & juſtificat?* Hactenus Muſculus, quī licet alioqui vobiſcum ſentiat, tamen veritatis vi, quæ aliqua ex parte omnibus non prorſus aut ſtupiditate, aut improbitate excœcatis ſemper affulget, victus atque compulſus, & hæc & alia non pauca, dum juſtificationis & remiſſionis peccatorum argumentum tractat, præclare ſcripta reliquit, quæ veſtram iſtam ſatiſfactionem non mediocriter labefactant. Mirum autem videri poteſt, Vos, cum de hominis juſtificatione agitur, iſtius divinæ juſtitiæ, quæ juſtitia in Sacris Litteris non appellatur, nec Dei qualitas eſt, ſeu proprietas, nec in ipſo ullo pacto reſidere poteſt, tantam rationem haberi velle; cum autem divinæ providentiæ & prædeſtinationis argumentum tractatis, illius, quæ veriſſime divina juſtitia eſt, & in Deo perpetuo reſidet, atque inter admirabiles ejus proprietates numerari debet, rectitudinis, inquam, & æquitatis, non re tantum,

quod ſemper facitis, ſed interdum etiam verbis ipſis, aut nullam aut perexiguam rationem habere: & tandem ad inperſcrutabile Dei conſilium confugere; tanquam ſi de ſententia veſtra alioqui manifeſtiſſime conſtaret, & ii, qui adverſus vos diſputant, veritati divinæ humanis rationibus reluctari aperte conarentur, vel etiam ad Sacrarum Litterarum teſtimonia, quæ in medium affertis, nihil aliud reſponderent, niſi ea divinæ juſtitiæ adverſari. Ita fit, ut utrobique, contraria licet ratione, humani generis hoſti illi inexorabili atque indefeſſo arma validiſſima ad omnem pieratem, pietatis neſcio cujus prætextu, penitus exterminandam imprudentes ſubminiſtretis. Sed hæc uberius, Deo volente, alio tempore, alia fortaſſe occaſione oblata. Nunc ad rem ipſam.

Quæ à me hucuſque dicta ſunt, ſatis planum facere poſſunt, quam frivola ſit ea ratio, quam te, mecum hac de re diſputantem, attuliſſe memini, ut probares, neceſſe eſſe, ſi Deus juſtus futurus ſit, ut delinquentium peccata exacte puniat; quia ſcilicet juſtitia omnino requirat, ut ſuum cuique tribuatur, delinquentibus autem punitio debeatur. Falſum eſt enim delinquentibus punitionem deberi eo ſenſu, in quem locutio iſta hoc loco accipienda eſt. Delinquentes optimo quidem jure puniuntur. Verum ea punitio non ipſis, ſed Reip. debetur. Cum igitur judex nocentem abſolvit, non ideo (quod ad hanc ſui cuique tributionem attinet) injuſte agit, quia illi, quod ejus eſt, non tribuat, ſed quia Reip. ſuum non tribuit, cujus intereſt ſontes puniri, & eam ob cauſſam, ut puniantur lege cavit; atque ea ratione jus illud punitionis eorum ſibi acquiſivit; quo à nemine ſine injuria privari poteſt. At vero, ſi ipſa Reſp. ei juri renunciare velit, & eo ſeipſam privare, cum ſibi ipſi nemo injuriam facere poſſit, nulli injuriam facit. Et idcirco, quod ad hoc attinet, ut ſuum cuique tribuatur, niſi alius quiſpiam præterea lædatur, nihil injuſtum committit. Quare nec Deus injuſtum aliquid facere cenſendus eſt, ſi ſibi ipſi, dum delinquentibus, id eſt, contra ſuam legem committentibus parcit, quod ſuum eſt, non tribuit. Nemini enim præterea quicquam adimit. Hoc namque ſibi vult ſententia illa, Suum cuique tribuendum eſſe: Nempe, nulli non dandum, quod ad ipſum pertinet, & ad ejus commodum, atque utilitatem ſpectat. Neque ea ſententia mala, aut pœnas complectitur, quæ jure alicui debeantur: niſi quatenus ad alterius commodum, aut utilitatem ſpectent, & illius jure ſint. Atque hinc eſt, quod ſatius eſt nocentem abſolvere, quam innocentem condemnare. In innocentis enim condemnatione non ſolum Reſpub. læditur, cujus non minus intereſt, innocentes abſolvi, quam nocentes puniri, ſed præterea etiam ipſe innocens, qui, niſi abſolvatur, jure ſuo privatur, & gravi injuria afficitur. At in nocentis abſolutione ſola Reſp. læditur, nec ipſe nocens jure ſuo aliquo privatur, aut ulla injuria afficitur. Alioqui ſi ſententiam illam aliter interpretaremur, nec debita remitti, nec injuriæ condonari jure poſſent. Quæ tamen qui faciunt, tantum abeſt, ut injuſtitiæ accuſentur, ut potius eo nomine æquitatis & juſtitiæ laudem conſequantur; quamvis leges extent, quibus & debitor, quod debet, ſolvere cogitur, &, qui injuriam fecit, ad eam penſandam adigitur. Cum tamen contra leges committere, ſive ab ipſarum præſcripto diſcedere, alioquin injuſtum plane ſit. Ex quo apparet, non poſſe ulla ratione Deum in hominum delictis, nulla ſatiſfactione accepta, condonandis injuſtum videri, etiamſi concederetur, in ipſo juſtitiam quandam eſſe, tanquam legem aliquam, quæ ſtatuat, delinquentes, id eſt, adverſus ipſius voluntatem aliquid perpetrantes, puniendos eſſe. Ejuſmodi enim legi, cum univerſa ipſius Dei jus, nec ullius præterea reſpiciat, is parere non neceſſe haberet; niſi Deo minus, quam hominibus, concedere velimus. Itaque, quemadmodum homines, quatenus de jure ſuo decedunt, quamvis lex ab illis faciat, contra legem committere non dicuntur; ſic Deus, quatenus de jure ſuo dimittit, etiamſi lex extaret, quæ ab ipſo faceret, non tamen contra legem committere dici poſſet. Quod ſi Deus, cum peccata, nulla prorſus ſatiſfactione accepta, condonat, nec contra legem committere, nec alicui injuriam facere poteſt: ipſa luce clarius eſt, eum in ejuſmodi condonatione nihil, quod injuſtum ſit, facere cenſendum eſſe. Poſſunt fortaſſe principes, & reſpublicæ, non judices tantum, in nocentis abſolutione aliquid injuſtum committere, quia, dum de jure ſuo decedunt, vel privatum aliquem ſimul lædant, cujus interſit, iſtum nocentem puniri, vel legem infringant, quæ non ipſorum jus tantum reſpiciat, ſed etiam ipſius Dei: qui idcirco eos gladio armavit, ut miniſtri ejus ſint ad ultionem maleficorum. Hæc autem in Deo liberaliſſime peccata condonante omnino non ſunt, nam de ipſius jure tantum agitur, ut jam abunde explicatum eſt. Potuit igitur Deus peccata nobis jure ignoſcere, nulla à quoquam pro ipſis ſatiſfactione accepta. Immo id adeo jure facere potuit, ut quodammodo debuerit, id eſt, aliter facere non potuerit; non modo quia æquum & rectum eſſe videtur, ut reſipiſcentibus delicta liberaliter condonentur (neque enim, ut ſupra dictum eſt, nobis non reſipiſcentibus peccata ignovit Deus) à rectitudine autem & æquitate nullum Dei opus recedere poteſt; verum etiam, idque multo magis, quia Deus, ut mox videbimus, reſipiſcentibus liberaliter veniam dare, ab ipſo fere mundi exordio, & inſtituit, & tacita quadam lege ſancivit; adverſus quam legem, cum jam per eam alteri jus quæſitum eſſet, injuſtum fuiſſet, ut ipſe Deus deinde aliquid commiſiſſet. Et certe, quamvis revera nulla ſit rectitudo ſive æquitas, quæ reſipiſcentibus veniam dari omnino poſtulet, & ob eam rem, ut ſupra dictum fuit, ſola Dei voluntas condonationis delictorum quam ab ipſo conſequimur cauſſa ſit; Tamen poſteaquam decretum eſt à Deo, ut reſipiſcentibus venia detur, juſtum eſt, ut tanta ipſius benignitate ii, qui vere reſipiſcunt, non defraudentur. Itaque ſingularis & inaudita Dei liberalitas, quam nobiſcum per Chriſtum exercuit, non in eo præcipue conſpicitur, quod nobis reſipiſcentibus peccata condonare voluerit; idem enim & antea decreverat, & ſæpiſſime præſtiterat; ſed in eo potiſſimum apparet, quod, ingentibus propoſitis præmiis, nos in peccatis penitus demerſos ad pœnitentiam revocare ſumma ope, ut ita dicam, niſus fuerit; quemadmodum per ea, quæ ſupra dicta ſunt, patere poteſt, & per ea, quæ infra fortaſſe dicentur, clarius patebit. Cumque jam ſatis probatum videatur, potuiſſe Deum jure, nulla vera pro peccatis noſtris ſatiſfactione accepta, ea nobis condonare; quod id facere voluerit, jam demonſtrare aggrediamur.

CAPUT II.

Deum voluiſſe nobis peccata noſtra condonare, nulla pro ipſis vera ſatisfactione accepta.

UT, quod probandum ſumpſimus, apertius conſtare poſſit, operæ pretium fuerit oſtendere, etiam ante ſalutem nobis per Chriſtum partam, de qua noſtra inſtituta eſt diſputatio, nulla accepta vera ſatiſfactione, Deum delinquentibus peccata liberaliſſime condonare conſueviſſe. Dixi autem, Vera ſatiſfactione, propterea quod dubium non eſt, quin Deus in iis, quibus peccata condonavit, ſemper aliquid requiſierit, quod fortaſſe ſatiſfactionis loco fuiſſe dici poteſt; præſertim, cum certum ſit, ea ratione divinæ voluntati ab eo, cui peccata condonata fuere, ea in parte plene fuiſſe ſatiſfactum. Et antequam hujus antiquiſſimæ liberalitatis divinæ teſtimonia proferam, quid in iis, in quos eam exercuit, requiſierit Deus, breviter expenendum cenſeo. Vitæ puritatem & innocentiam in iis ſemper requiſivit Deus, quibus peccata ignoſcere voluit. Hanc vero vel jam præſentem, dum errata committuntur, vel ipſa ſubſequentem. Totam rem dicam apertius. Duplex eſt genus delinquentium: Unum eorum, qui, ut ſupra viſum eſt, interdum quidem labuntur, atque

atque delinquunt, nulli tamen delicto ſive peccato ſunt mancipati; ſed vitam univerſam ad divinam ſibi præſcriptam normam dirigunt, atque componunt: Alterum eorum, qui vel multis, vel uni tantum vitio ſunt dediti; adeo ut, ad Dei voluntatem ſe conformare, dici non poſſint. Illis pro benignitate ſua non imputat Deus errata illa, in quæ nonnunquam prolabuntur; quia jam pure & innocenter vivunt. His vero non imputat delicta, quibus ſunt obnoxii, ſi reſipiſcant; quia deinceps pure & innocenter vivunt. Sic in utriſque vitæ puritas & innocentia quædam cauſſa eſt, ut Deus illis clementer ac benigne peccata condonet. Hac autem ea fides continetur, ſine qua fieri non poteſt, ut quis Deo placeat; de qua auctor epiſtolæ ad Hebræos capite 11. ℣ſ. 6. Quomodo enim vitam ſuam ad Dei normam perpetuo diriget ille, qui vel Deum eſſe non credat, vel eorum, qui ipſum quærunt, benignum remuneratorem eum eſſe, non ſibi perſuadeat? Hæc eſt illa obedientia, quæ nos Deo gratos efficit; cujus ſpiritus in quocunque fuerit, eum, pro admirabili Dei benignitate, coram ipſo juſtum & inculpatum reddit. Nam quid aliud eſt pure & innocenter vivere, quam Dei voluntati obedire, ejuſque dicto audientem eſſe.

Sed jam hujus divinæ bonitatis, etiam citra Chriſtum, exempla ac teſtimonia proferamus. Abel ab ipſo Chriſto juſtus fuiſſe dicitur, Matth. 23. 35. & alibi, quod juſtus eſſet, teſtatum fuiſſe traditur, Heb. 11. 4. Atqui nemo juſtus eſſe poteſt, cui delicta à Deo non condonentur. Quare, aut Abelem nihil unquam deliquiſſe dicendum eſt, quod nemo affirmare audebit, aut illi à Deo, quidquid deliquerat, condonatum fuiſſe. Cur vero illi delicta condonata fuiſſe dicemus? Num propterea quia Jeſus Chriſtus pro ipſis divinæ juſtitiæ olim ſatisfacturus erat, & hoc ipſe Abel credebat? Nihil minus. Explicans enim auctor ille ad Heb. eam fidem, propter quam & ipſe Abel juſtus habitus à Deo fuerat, & Enochus Deo placuerat: eam iis, quæ jam diximus, contineri dicit; nempe, ut Deus eſſe credatur, & præmia rependere iis, qui ipſius ſunt ſtudioſi. Credidit igitur Abel, non modo Deum eſſe, ſed eos etiam, qui ipſi obedirent, large remunerari. Atque hinc factum eſt, ut ad ejus voluntatem vitam ſuam componeret, adeo ut, quemadmodum teſtatur Johannes, ejus opera juſta eſſent, 1 Joh. 3. 12. Itaque divina benignitate, cum is pure & innocenter viveret, quicquid deliquit, ei liberaliſſime condonatum fuit; & juſtus atque inculpatus coram ipſo Deo eſt habitus. Demonſtratur hoc apertiſſime per ea, quæ ad Cainum Deus locutus fuiſſe in Sacra Hiſtoria perhibetur. Cui ægre admodum ferenti, quod ipſe Deus ad Abelem, & ad oblationem ejus reſpexiſſet, ad ſe vero & ad oblationem ſuam non reſpexiſſet: inquit Deus, *Ut quid ſuccenſa eſt ira tibi? & ut quid concidit vultus tuus? Nonne, ſi bene feceris, erit acceptatio?* (ſeu *remiſſio*, ſive etiam *elatio*) Gen. 4. 7. Ex quibus verbis, quanquam varie ab interpretibus explicatis, manifeſte apparet, non alia potiſſimum ratione Abelem Deo carum fuiſſe, niſi quia ejus opera erant juſta, Cainum vero minime, quia ejus opera, ut idem Johannes ait, mala erant: Et ſimul de ea divina liberalitate, de qua agimus, liquido conſtat; cum Deus Caino benefacienti, ac reſipiſcenti veniam delictorum ſponte offerat, atque promittat: nullius prorſus veræ ſatisfactionis, quam pro ipſis accepturus eſſet, vel mentione facta, vel ratione habita, ſed tantummodo æquitatis cujuſdam, quæ divinam naturam ſummopere deceat; ut ſcilicet Deus iis, qui vel mature, vel ſerius, pure & innocenter vivunt, omnium delictorum veniam largiatur, eoſque caros habeat. Quocirca per interrogationem ea ſententia exprimitur: *Nonne, ſi bene feceris, &c.* quaſi hoc natura ipſa omnes doceat, videlicet, Deum liberaliter peccata reſipiſcentibus condonare. Ut nihil fere magis impium excogitari poſſit, quam ſentire, à Deo peccata non remitti, niſi pro ipſis illi plene ſatisfiat. Ex hac ſola Caini, & Abelis hiſtoria, iis adjunctis, quæ à Chriſto, & ejus diſcipulis de utroque dicta ſunt, perſpicuum eſt, ea vera eſſe, quæ paullo ante diximus: nempe, Deum prorſus gratuito peccata ſemper remiſiſſe. In iis autem, quibus delicta aut ignoſcat aut ignoturus ſit, vitæ puritatem & innocentiam requirere, vel jam præſentem, ut in Abele, vel ipſa delicta ſubſequentem, ut in Caino. Quod autem de Abele dictum eſt, eum juſtum fuiſſe, idem de innumerabilibus aliis ſcriptum extat. Ex quo aperte colligitur, eos, qui pure & innocenter vivunt, divina benignitate delictorum gratuitam veniam conſequi. Neque enim, ut modo dicebamus, aliter juſti appellari potuiſſent. Nam juſtum in Sacris Litteris eum intelligi, qui pure & innocenter vixerit, quemadmodum injuſtum, qui impure & flagitioſe, non autem, qui pro ſuis peccatis Deo à Chriſto aut aliquando ſatisfactum iri, aut jam ſatisfactum fuiſſe crediderit, neque ex eo, quod quis ita credat, vitæ innocentiam & puritatem proficiſci; partim per ſe manifeſtum eſt, partim, ut ſpero, antequam huic reſponſioni finem imponam, evidentiſſime demonſtrabitur. Nunc alia teſtimonia hujus beneficentiæ commemoremus.

Scriptum eſt à Petro, quod tempore Noë, cum ab ipſo arca extrueretur, Dei patientia exſpectabat, 1 Pet. 3. ℣ſ. 20. Cur autem Deus exſpectare ſoleat, id eſt, punitionem impiis decretam differre, docet idem Petrus cum ait: *Non tardat Dominus promiſſum, ut quidam tarditatem exiſtimant; ſed patienter agit erga nos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2 Pet. 3. 9. Exſpectabat igitur Deus, & patienter hominum ſcelera, centum & viginti illis annis, quibus arca extructa fuit, ideo tulit, ut mundus reſipiſceret, atque ea ratione non periret. Quamvis enim jam ſententia ejus perdendi lata eſſet: revocare tamen atque reſcindere ſolet Deus, propter ſupervenientem pœnitentiam, & vitæ correctionem, ſententias jam à ſe latas de puniendis & perdendis delinquentibus; ut mox latius differemus. Ergo, ſi mundus reſipuiſſet, ei Deus diluvium non immiſiſſet; ſed hominum delictis gratuito pro liberalitate ſua eximia peperciſſet.

Porro autem non ſatis habuit Deus hac ratione, qua diximus, clementiſſimum ſe ab ipſo ferme orbe condito delinquentibus præbere; ſed ſub ipſa Lege voluit etiam tantæ ſuæ beneficentiæ populum diſerte admoneri. Nam, tametſi in ipſa Lege ferenda, in ipſoque Fœdere ſanciendo, non niſi quibuſdam levioribus delictis, ut ſupra viſum eſt, expiatoria ſacrificia conſtituiſſet, cætera vero graviora ſevere puniri, & vindicari præcepiſſet; tamen, præter eas ſententias, quas ſæpius luculentiſſime populo inculcari voluit, ſe videlicet tardum ad iram eſſe, & multum miſericordiâ, tandem, ut Moſes populum, poſtquam illi, niſi à ſimulacrorum cultu ſe impollutum conſervaſſet, diſperſionem inter populos, & multa alia mala minatus fuerat, ad hunc modum alloqueretur, effecit: *Cum fuerit tibi anguſtia, invenerintque te omnia iſta in noviſſimis diebus; ſi reverſus fueris ad Jehovam Deum tuum, & parueris voci ejus, quia Deus miſericors eſt Jehova Deus tuus, non derelinquet te; nec diſperdet te, nec oblivi ſcetur pacti patrum tuorum, de quo juravit illis*, Deut. 4. 30. Et rurſus cap. 30. in ipſo initio: *Erit autem, cum evenerint tibi omnia verba hæc, benedictio, & maledictio, quas propoſui tibi, & reduxeris ad cor tuum in cunctis gentibus, ad quas expulerit te Jehova Deus tuus, & converſus fueris ad Jehovam Deum tuum, obedieriſque voci ejus per omnia, ut ego præcipio tibi hodie, tu & filii tui toto corde tuo, & tota anima tua; tum reducet Jehova Deus tuus captivitatem tuam, & miſerebitur tui, & converſus congregabit te de cunctis populis, ad quos diſperſerit te Jehova Deus tuus, &c.* Promittit igitur Moſes populo, ſi, poſtquam Deus eum, propter ipſorum delicta inter gentes diſperſiſſet, & captivum duci voluiſſet, pœnitentiam ſuorum delictorum egiſſet, & converſus ad ipſum Deum fuiſſet, futurum, ut Deus ipſorum miſereretur, & à captivitate eos liberaret, & ſic eis delicta condonaret. Hoc autem, & id, quod ſuperioribus illis ſententiis continebatur, cumulatiſſime

præſtitit

præſtitit Deus; ut univerſa Sacra Hiſtoria docet, in qua animadvertere licet, quod neque illico, cum populus peccaſſet, eum Deus puniebat, neque tam graviter, ut is meritus fuerat; & quandocunque populus ad frugem redibat, vel ſuorum delictorum inteſtino dolore tangebatur, Deus ab ipſis puniendis ceſſabat, & errata, quantumvis gravia, illis condonabat. Atque hujus rei, præter hiſtoriam ipſam, multa alia apertiſſima teſtimonia habemus; præcipue vero eam ad Deum Levitarum orationem, quæ eſt 9. cap. Nehem. In qua & copioſiſſime & dilucidiſſime utrumque commemoratur; præſertim vero, quod attinet ad ſententias illas de divina miſericordia, in illis verbis: *Ipſi vero, & patres noſtri ſuperbe egerunt, & induraverunt cervicem ſuam; nec audierunt præcepta tua. Immo renuerunt audire; neque recordati ſunt mirabilium tuorum, quæ feceras cum eis. Induraverunt que cervicem ſuam; ac converſi ſunt, ut reverterentur ad ſervitutem ſuam, cum rebellione ſua. Tu tamen Deus veniarum, clemens & miſericors, longanimis & multæ miſericordiæ non dereliquiſti eos, &c.* Quod vero pertinet ad id etiam, quod Moſes promiſerat, in illis verbis: *Irritaverunt itaque, & rebellaverunt contra te; ac projecerunt legem tuam poſt corpus ſuum. Prophetas quoque tuos occiderunt, qui teſtificabantur contra eos, ut converterent eos ad te; & fecerunt convitia magna. Itaque tradidiſti eos in manum hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos, ac in tempore afflictionis clamaverunt ad te; & tu de cœlo audiſti; atque, ſecundum miſerationes tuas multas, dediſti eis ſalvatores, qui ſervaverunt eos de manu hoſtium ſuorum. Cum vero eſſet illis quies, reverſi ſunt ad faciendum malum contra te. Idcirco dereliquiſti eos in manu inimicorum ſuorum, qui dominati ſunt eis. Converſi autem rurſum clamaverunt ad te, & tu de cœlo exaudiſti; atque eruiſti eos, ſecundum miſerationes tuas multis temporibus.* Quid potuit apertius dici, ut ſciremus, Dei voluntatem eſſe, ut peccata pœnitentibus condonentur, & id revera ab ipſo præſtari? *Beatus*, inquit David, *cui dimiſſa eſt prævaricatio, cui tectum eſt peccatum. Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem, nec eſt in ſpiritu ejus dolus*, Pſal. 32. Illis ergo Deus peccata condonat, & iniquitates non imputat, quorum in ſpiritu non eſt dolus; id eſt, ut plerique interpretantur, qui ſincero corde ad Deum convertuntur. Propterea paulo inferius ſubjungit: *Peccatum [igitur] meum notum feci tibi; & iniquitatem meam non operui. Dixi, Confitebor adverſum me prævaricationes meas Jehovæ, & tu dimiſiſti iniquitatem peccati mei.* Omitto ea, quæ pleniſſime & apertiſſime hac de re ſcripta ſunt apud Ezechielem cap. 18, & 33, quippe quæ pervulgatiſſima ſint. Ea tamen ut paulo diligentius relegas, tibi amanter conſulo; & illud præſertim, quod ỳſ. 19. cap. 33. legitur, accurate perpendas: *cum averſus fuerit impius ab impietate ſua, & fecerit judicium, & juſtitiam, propter ipſa vivet.* Adeo autem verum eſt, Deum pœnitentibus peccata non imputare, ut, quemadmodum antea attigimus, etiamſi jam ſententiam tulerit contra delinquentes, & eos perdere conſtituerit, ſi tamen illi ſuorum ſcelerum pœnitentiam agant, ipſum quoque jam latæ ſententiæ pœniteat; ita ut eam revocet ac reſcindat, & eos iterum in gratiam recipiat. Cujus rei præter tritiſſima illa regis Ezechiæ, & Ninivitarum exempla, & alia, quæ afferri poſſent, illuſtre admodum teſtimonium habemus in rege Achabo. Conſtituerat Deus, ipſo Achabo vivente, tum ipſum, tum ejus domum univerſam propter ipſius ſcelera, potiſſimum autem propter idololatriam, funditus delere. Et ob eam cauſſam Eliæ præceperat, ut ungeret Jehu in regem Iſraëlis; cujus opera ad id perficiendum uti volebat, 1 Reg. 19. 16. Poſtea vero quam ſceleribus ſuis illud addidit, ut Nabothi vineam, quam concupierat, poſt ipſius Nabothi cædem, fraude & juſſu Jezabelis uxoris ſuæ, crudeliſſime perpetratam, poſſidendam invaderet, id, quod jam antea decreverat Deus, illi etiam per Eliam denunciat his verbis: *Ecce ego adduco ſuper te malum, & auferam poſt te; & ſuccidam de Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & derelictum in Iſraële. Dabo quoque domum tuam, ſicut domum Jeroboam filii Nabat, & ſicut domum Baäſa filii Achiæ propter irritationem, qua irritaſti, & quod peccare feciſti Iſraëlem*, 1 Reg. 21. 21 & 22. Hæc audiens Achabus, ut ſcriptum eſt ibidem ỳſ. 27, ſcidit veſtimenta ſua, &, ſacco indutus, jejunavit: & alia ſigna pœnitentiæ, ſeu potius formidationis iræ divinæ, dedit, & ſe coram Deo dejecit. Quo viſo, Deus ita Eliam alloquitur: *Vidiſti ne, quod humiliaverit ſe Achab à facie mea? Propterea quod humiliavit ſe à facie mea, non inducam malum in diebus ejus. In diebus filii ejus inducam malum ſuper domum ejus.* Hinc factum eſt, ut non Elias, quemadmodum antea juſſum à Deo fuerat, vivente Achabo, ſed Eliſæus, poſt Achabi mortem, Jehu in regem Iſraëlis inungi curaverit; ut habes 2 Reg. in initio 9. cap. cui Jehu, per ipſum id fieri debere, denunciatur, quod Elias Achabo, Dei juſſu, comminatus fuerat, & ſine dubio, ipſo Achabo vivente, niſi ſe coram Deo dejeciſſet, perfectum fuiſſet. Num putas, Achabus idololatra, & impurus homo pro ſuis ſceleribus divinæ juſtitiæ à Chriſto ſatiſfactum iri credidit, aut quovis alio modo iſtius ſatisfactionis particeps fuit, atque ea ratione pœnam illam jam ſibi jure decretam effugit? Adde huc exemplum Roboami & Iſraëlitarum ſe Deo ſummittentium. Ob quam cauſſam Deus, contra quam paullo ante comminatus per Prophetam Semeiam illis fuerat, eos non perdidit, 2 Paralip. 12. Quod ſi Deus proptet delinquentis non veram pœnitentiam, ſed pœnæ formidinem, & coram ipſius majeſtate externam demiſſionem, ſententiam jam adverſus illum latam revocare ſolet, quid eum facere conſueviſſe dicendum eſt, cum is, qui deliquit, ex animo delictorum pœnitentiam agit, adeo ut reſipiſcat, & in poſterum pure & innocenter vivat? Nec vero tantummodo hujus ſuæ admirabilis benignitatis hæc nobis clariſſima ſpecimina ſæpius dedit Deus, ſed id ſe perpetuo facturum, per Hieremiam vatem non obſcure conteſtatus eſt. *Repente*, inquit, *loquar adverſus gentem [aliquam] & adverſus regnum, ut evellam, & confringam, & perdam. Sin autem convertatur gens ipſa à malo ſuo, contra quod locutus ſum, pœnitebit me mali, quod cogitaveram facere ei*, Hier. 18. Ubi rectiſſime in magnis Roberti Stephani Bibliis annotatum eſt, *Id eſt mutabo ſententiam, ne affligam eos, ut conſtitueram.* Apud Ezechielem vero cap. 33, 14, ita ſcriptum eſt: *Cum dixero impio, Morieris de morieris, & averſus fuerit à peccato ſuo, feceritque judicium, & juſtitiam, &c. vivendo vivet, & non morietur. Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non commemorabuntur ei. Judicium, & juſtitiam fecit; vivendo vivet.* Nam quod non pauci, ne Deus, ſcilicet, mutabilis eſſe dicatur, miris modis hæc, & ejuſmodi alia divina oracula depravant; in eo certe deploranda eſt eorum tam craſſa inſcitia, qui non animadvertant, in ejuſmodi ſententiæ ſuæ revocatione ac reſciſſione, non ipſum Deum, ſed hominem mutari, Dei decreto immutabili uſque permanente: Quod nimirum eſt, obſtinate in peccatis perſeverantibus, nec ſe coram ipſius majeſtate demittentibus graves pœnas pro meritis irrogare; pœnitentibus vero & ipſius opem implorantibus benigniſſime veniam dare. Quod etiamſi à Deo ſtatutum non fuiſſet, non idcirco tamen is mutabilis dici poſſet, cum ſententiam prædicta ratione revocat. Homo enim, ut diximus, is eſt, qui mutatur: & divinæ mutandæ ſententiæ cauſſam præbet. Mutabilis autem eſt is, non qui ſententiam mutat, ſed qui ſine cauſſa mutat. Qui autem ob cauſſam mutat, tantum abeſt, ut mutabilis dici poſſit, ut non modo prudens, ſed etiam in officio ſuo conſtans habeatur; & niſi mutaverit, imprudentiæ, & ſtultæ pervicaciæ crimen incurrat. Atque hæc pauca de innumerabilibus, quæ ante Chriſtum divinæ miſericordiæ, qua pœnitentes liberaliſſime à pœnis ipſorum delictis debitis eximuntur, apertiſſima exempla & teſtimonia extant, protuliſſe ſat fuerit.

Nunc an eandem hanc liberalitatem per Chriſtum nobiſcum exercere Deus nec ne voluerit, accuratè diſpiciendum nobis eſt. Et primum certe, niſi velimus, Deum eo tempore, quod in Divinis Litteris gratiæ, ſeu favoris

favoris & benignitatis appellatur, reſtrictiorem fuiſſe, quam eo, quod præ illo ſeveritatis, atque iræ appellari poteſt; concludendum prorſus videtur, in ſalute nobis divina providentia per Chriſtum parta, nullam veram pro delictis noſtris ſatisfactionem à quoquam accipere Deum voluiſſe, ſed liberaliſſime ea univerſa pœnitentibus nobis ac reſipiſcentibus condonaſſe. Et quanquam hæc ſola ratio ſatis ſuperque eſſe poteſt, ad veritatem hanc unicuique demonſtrandam; videamus tamen, numquid præterea alia ſunt, quæ ipſam & confirmandi, & omnibus perſuadendi vim habeant.

Conſiderandum igitur deinde eſt, quid ſe facturum per Chriſtum Deus promiſerit, & quid Novum illud Fœdus, quod nobiſcum per ipſum ſancire decreverat, contenturum foret. Verba luculentiſſima, quæ hac de re apud Hieremiam leguntur Hier. 31, ſupra & vidimus & aliqua ex parte alicubi examinavimus: cum diceremus, ex ipſis conſtare, in fœdere hoc eam vim fuiſſe, ut in humanis mentibus divinæ legi parendi & voluntas & vires per ipſum gignerentur, quod ſatis eſt ad erratorum veniam pleniſſimam conſequendam. Id quod etiam ex ipſis Dei apud Prophetam verbis, & ex eorum ordine conſtare poteſt. Præcedit enim in ipſis legis divinæ in cordibus inſcriptio remiſſionem peccatorum. Atque idem eſt, ac ſi dictum fuiſſet: Poſtquam Lex divina in hominis corde inſcripta foret, conſecuturam ea de cauſſa peccatorum remiſſionem; quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt. Ubi etiam dictum a nobis fuit, idem eſſe hanc divinæ Legis in mentibus noſtris inſcriptionem, quod eſt pœnitentia & reſipiſcentia. Quæ ſi modo adſit, Deum pro ingenti bonitate ſua, nulla vera ſatisfactione accepta, nobis peccata remittere voluiſſe in Novo Fœdere, quod nobiſcum per Chriſtum percutere dignatus eſt, conſtanter affirmo, & nunc potiſſimum contendo. Id quod verissimum eſſe vel ex illis divini illius oraculi verbis conſtare poteſt: *Quia propitius ero iniquitati eorum; & peccati eorum non recordabor amplius.* Quomodo enim propitius fuiſſet Deus iniquitatibus noſtris, ſi cum eas nobis, nulla ſatisfactione interveniente, remittere poſſet, pro ipſis ſibi pleniſſime ſatisfieri curaſſet? aut quomodo peccatorum noſtrorum non recordatus fuiſſet, ſi ab humana natura in Chriſto ipſorum omnium tam rigide & exacte pœnas repetiiſſet? Vel potius quid mirum eſt, eum iniquitates noſtras nobis non imputare, & peccatorum noſtrorum non amplius recordari, ſi jam ei uberrime ſatisfactum pro ſceleribus noſtris fuit, & jam eorum ita recordatus eſt, ut ne minimum quidem impunitum reliquerit? Quænam hæc eſt ipſius, quam tantopere prædicat, munificentia ac liberalitas, ſi de jure ſuo ne tantillum quidem remittere voluit?

At dices, munificentiſſimum & liberaliſſimum in eo Deum fuiſſe, quod, cum nos ipſos plectere jure poſſet, noluit tamen; ſed, nobis impunitis dimiſſis, filium ſuum pro nobis graviſſime percuſſit. Primum dico, munificentiam & liberalitatem iſtam fortaſſe conſtituram, ſi, ut delicta noſtra aliquo modo punirentur, neceſſe fuiſſet. Verum, cum, ut paullo ante probatum fuit, nihil impediret, quo minus Deus ea impunita relinqueret, tantum abeſt, ut ea non in nobis, ſed in alio puniviſſe munificum & liberale opus cenſendum ſit, ut & ſordidum & illiberale potius dici debeat. Perinde eſt enim, ac ſi rex aliquis, cum permultos ex ſuis ſubjectis graviter ſibi obæratos haberet, à quibus, niſi funditus eos perdere vellet, ſuum repetere non poſſet; ut & ipſos conſervaret, &, quod ſibi deberetur, reciperet, aliquem in ſuo regno divitem, nihil ipſi debentem, ad omnem pecuniam ſibi ab illis debitam diſſolvendam adigeret, aut, ut eam ſolveret, vel curaret, vel pateretur. Quis non regem iſtum tenacem & avarum eſſe dicat, qui, cum ſubditis debitoribus ſuis debitas ſibi pecunias condonare liberaliter poſſet, eas ab eo, qui nihil ipſi debebat, repetierit? Præſertim vero ſi ita dives ſit, ut ea pecuniarum ſumma nihil indigeat, & interim ſe debitoribus illis univerſum debitum remiſiſſe jactet? Quo magis autem is, in quo punienda noſtra delicta eſſent, Deo carus foret, eo magis ejuſmodi facinus reprehendendum omnino videretur. Quid enim indignius, quam eum, qui tibi cariſſimus ſit, nulla neceſſitate, ſupplicio teterrimo afficere, ab eoque immerente pœnas eorum delictorum repoſcere, quæ jure prorſus condonari poterant?

Præterea non is eſt munificus & liberalis, qui cauſſa eſt, ut aliquis beneficio vel maximo afficiatur: ſed, qui de ſuo donat atque largitur. Non ſatis eſt, ſi erga debitorem meum liberalem me extitiſſe jure affirmare velim, illum, me id curante, quod mihi debebat, non ſolviſſe, & propter me id commodum ſenſiſſe. Sed neceſſe eſt, ut ego id, quod mihi ab ipſo debebatur, recipere noluerim, & eam pecuniæ ſummam ita illi largitus fuerim, ut me ipſum ea volens privaverim. Quocirca, ſi is quidem non ſolverit, ego tamen, quod mihi debebatur, receperim; quacunque tandem ratione id factum fuerit, nulla cauſſa eſt, cur munificentiæ & liberalitatis nomine commendari poſſim.

Poſtremo non omnino ab eo, quod nos Deo debebamus, perſolvendo immunes fuimus, ſi à Chriſto id ſibi ſolvi curavit Deus; cum, ut paullo ante attigimus, ab humana natura noſtra in ipſo Chriſto illud debitum exegerit. Nec vero ſcriptum duntaxat reperimus, erga nos Deum benignum & largum per Chriſtum extiturum, ſed erga ipſum humanum genus. Angeli enim, Chriſto nato, hominibus ſimpliciter & abſolute benevolentiam, divinam ſcilicet, prædicant, & annunciant, Luc. 2. 14.

Numquid autem, quod ſe facturum Deus pollicitus fuerat, an reipſa præſtiterit, dubitamus? Nonne ipſius Jeſu Chriſti præcurſor, qui Domini vias paratum venit, ut apud Lucam cap. 1. 77, ſcriptum eſt, ejus promiſſæ ſalutis ſcientiæ dandæ deſtinatus fuit. Nempe, populo remiſſa eſſe peccata propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri? Quis hic ſatisfactionem ullam interveniſſe vel ſomniare quidem poteſt? Nonne idem ipſe poſtea, qua ratione hanc, ſola Dei miſericordia partam nobis, peccatorum remiſſionem reipſa conſequeremur, luculenter expreſſit, cum, ut pœnitentiam agerent, quia regnum cœlorum appropinquaret, populo denunciabat, Matth. 3. 2, & baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum prædicabat, Marc. 1. 4. Luc. 3. 3.? Nihil igitur præter pœnitentiam noſtram extra ſeipſum requiſivit Deus, ut peccatorum remiſſionem nobis in Novo Fœdere obiatam conſequeremur.

Nam quod Baptiſta populum ad Chriſtum rejiciebat, atque, ut in eum crederent, monebat, ut Euangeliſtæ omnes expreſſe commemorant, & diſerte ſcriptum eſt Act. 19. 5, id non eam vim habet, quaſi, præter pœnitentiam, aliud in Chriſto reperturi eſſent, quod ad delictorum veniam à Deo impetrandam requireretur. Sed ideo ad Chriſtum cunctos rejiciebat Johannes, atque, ut in eum crederent, præcipiebat, Primum, ut, quænam pœnitentia illa eſſe deberet, exactius ab ipſo docerentur; id eſt, ut qualem, peccatis relictis, vitam in poſterum inſtituere deberent, optime noſſent. Neque enim ipſe Johannes abſolutiſſimam illam Chriſtianæ vitæ rationem, quæ potiſſima pars pœnitentiæ noſtræ eſt, populum docuit, ſed Chriſto ipſi id muneris reſervatum fuit. Deinde, ut, quidnam ea peccatorum remiſſio eſſet, aperte cognoſcerent, &, ubi, quanti eſſet, agnoviſſent, multo alacrius, quam antea, ut eam conſequi poſſent, pœnitentiam agerent, ac reſipiſcerent. Siquidem Baptiſta vitæ immortalis ac beatiſſimæ, quæ in ea peccatorum remiſſione continebatur, nuſquam expreſſe meminit. Sed hac in parte cæteris, qui ipſum anteceſſerant, Prophetis ſimilis, tectis verbis ea de re, cujus in Vetere Fœdere ſanciendo Moſes nullam mentionem fecerat, locutus eſt. Chriſtus enim is futurus erat, qui tantam lucem primus mundo inferret. Præterea, ut, quod ipſe tantummodo annunciabat, ita prorſus ſe habere ex Chriſto intelligerent. Ut enim ſupra abunde demonſtratum fuit, Chriſtus non

ſolum

ſolum reſipiſcentibus atque innocenter deinceps viventibus veniam peccatorum datum iri prædicavit; ſed id veriſſimum eſſe, multipliciter & apertiſſime docuit, & confirmavit. Poſtremo, ut, quemadmodum ipſe Baptiſta ait, non aqua tantum abluerentur, ſed ſpiritu quoque ſancto perfunderentur. Poterant quidem, ut reipſa compertum fuit, ad Johannis prædicationem pœnitentiam delictorum agere, ſed, ut in ea vitæ innocentia, quam vera pœnitentia neceſſario ſecum conjunctam habet, & ſic in ipſa pœnitentia ad finem uſque perſeverarent, ſine qua perſeverantia peccatorum remiſſio illa, id eſt, vera ſalus contingere non poteſt, Matth. 10. 22, Heb. 3. 6. & 14, id Spiritus Sancti, quem ii, qui in Chriſtum credidiſſent, eique nomen dediſſent, adepturi erant, Joh. 7. 39, Act. 2. 38, munus atque opus erat futurum. Cujus vi ea, quæ nobis reſipiſcentibus Deus per Chriſtum promiſit, in cordibus noſtris adeo inſcribuntur, & imprimuntur, ut tanta bona conſequendi firma ſpe ſuſtentati, ne ipſius quidem mortis formidine ab ea vitæ ſanctitate demoveamur. At vero in Chriſtum credere, nihil aliud eſſe, quam Deo ad ipſius Chriſti normam & præſcriptum obedientem ſe præbere, idque faciendo ab ipſo Chriſto vitæ ſempiternæ coronam expectare, infra, Deo adjutore, à nobis planiſſimum fiet. Quod autem ea peccatorum remiſſio, quam nobis Chriſtus attulit, pœnitentia, & vitæ emendatione, propter Dei miſericordiam, nobis comparetur, ex iis evidenter apparet, quæ in Actis Apoſtolicis in hanc ſententiam paſſim ſcripta ſunt. Præſertim vero cap. 3. 19. & 26, & cap. 5. 31, & cap. 11. 18, & cap. 17. 30, & cap. 26. 20. præter alia innumerabilia teſtimonia, quæ tum apud Euangeliſtas, tum apud Paulum, & reliquos divinos ſcriptores ejus rei extare, certum eſt.

Manifeſtum eſt igitur, in ſalute per Chriſtum parta Deo clementiſſimo viſum fuiſſe, nulla vera ſatisfactione pro peccatis noſtris accepta, ea nobis liberaliſſime condonare; nec aliud à nobis requiſiviſſe, quam pœnitentiam, & vitæ correctionem: non quidem quamlibet, ſed eam, quam nobis, ipſo mandante, præſcripſit Chriſtus. Unde etiam factum eſt, ut alicubi pœnitentiæ expreſſe addita fuerit fides in Dominum Jeſum, ut Act. 20. 21. non quia, præter ipſam pœnitentiam, fides in Chriſtum, tanquam aliquid amplius, quod huc pertineat, in nobis efficiens, ad peccatorum remiſſionem conſequendam requiratur (alioqui quomodo alibi ſoli pœnitentiæ peccatorum remiſſionis adeptio tribueretur?) ſed quia, non niſi per fidem in Chriſtum iſta pœnitentia contingit. Quod ſi ſatiſfactionis alicujus vi nobis delictorum venia parta fuiſſet, falſo, eam pœnitentia nobis comparari, ſcriptum eſſet. Pœnitentia enim, etiamſi nulla ſatisfactio intervenerit, nihilominus tamen omnibus numeris abſoluta eſſe poteſt? neque ab ulla ſatisfactione, ſive ab illius vel conſtantiſſima opinione vel etiam certa notitia, aut proficiſcitur, aut vires ſumit: immo cum ea adeo nihil commune habet, ut illius opinione ipſa labefactari, & convelli facillime poſſit. Sed de his latius poſtea diſputabimus. Nunc alia divinæ hujus, de qua ſermonem inſtituimus, liberalitatis argumenta exponamus.

Verum quid præterea requirimus, cum & inter omnes conſtet, & ubique ſcriptum ſit, nos per Chriſtum à Deo peccatorum remiſſionem accepiſſe? Quid magis remiſſioni contrarium, quam vera & plena ſatisfactio? Nam, ſi dicas, invicem quidem pugnare remiſſionem, & plenam ſatisfactionem: ſed tunc demum, cum ſatisfactio ab eo ipſo proficiſci debet, qui remiſſionem conſequuturus eſt: poſſe autem ejuſdem debiti remiſſionem, pro quo plene ſatisfactum fuerit, tunc conſiſtere, cum uni remittitur, alius vero pro eo ſatisfacit; nihil dixeris. Neque enim illi remittitur, pro quo eſt, qui plene ſatisfaciat. Nam quid opus eſt remiſſione, aut quomodo ea conſiſtere poteſt, ubi nullum eſt debitum; Atqui debitum nullum eſt amplius, ubi jam plene pro ipſo ſatisfactum eſt.

Sed inquies fortaſſe, in ſalute nobis per Chriſtum parta remiſſionem non conſequi, ſed antecedere ipſam ſatisfactionem. Primum iſtud ſententiæ veſtræ plane adverſatur. Vultis enim, ideo nobis à Deo remiſſa peccata fuiſſe, quia Chriſtus pro eis pleniſſime divinæ juſtitiæ ſatisfecerit; & ita ſatisfactionem reipſa remiſſioni præcedere affirmatis. Deinde eodem recidimus. Si enim debitum jam remiſſum eſt, nullus eſt ſatisfactioni locus. Dices, eodem tempore utrumque peractum fuiſſe. Hoc rurſus nihil eſt. Quæ enim impediunt, quominus alterum alteri præcedat, illudve ſubſequatur, eadem utrumque ſimul fieri vetant. Nam qui, obſecro, eodem tempore & remitti debitum, & pro eo ſatisfieri poteſt, ſi, dum pro eo ſatisfit, exigitur, dum vero remittitur, condonatur? Nec vero eſt, quod quis rurſus hic dicat, non eidem condonari, à quo exigitur. Animadvertendum namque eſt, non poſſe debitum exigi, niſi ab eo, qui debet. Poteſt quidem alius pro alio ſatisfacere: ſed interim non ab eo, qui pro alio ſatisfacit, ſed ab eo, pro quo ſatisfit, debitum exigitur. Quamvis enim non ipſe debitor, ſed qui pro eo ſatisfacit, pecuniam numeret; ea tamen pecunia, quæ antea ſatisfacientis fuerat, non jam ipſius, ſed debitoris eſſe cenſetur. Atque idem eſt, ac ſi prius debitor à ſatisfaciente pro ipſo ea pecunia pleniſſimo jure donatus fuiſſet: deinde ipſemet proprio nomine eam numeraſſet, ac ſuo creditori ſolviſſet. At enim dices, Chriſtum in ſe univerſum debitum noſtrum tranſtuliſſe: & ita non à nobis, ſed ab ipſo id, quod nos debebamus, jure optimo exactum fuiſſe, nos vero liberatos eſſe. Jam iſta ratione non eodem tempore ſatifactio, & remiſſio peracta eſſet. Nam ſimul atque iſtiuſmodi tranſlatio debiti fit, quam Novationem juriſconſulti appellant, liberatur prior debitor. Creditori vero non antea ſatisfit, quam is, qui in ſe debitum tranſtulit, ipſi pecuniam numeret. Nec tamen iſtic ulla debiti remiſſio interveniſſet. Ut enim debitum remittatur, non ſatis eſt, debitorem, quamvis ipſe nihil ſolverit, liberari; ſed neceſſe eſt, obligationem illam ſola creditoris benignitate omnino extingui: ita ut jam nec ipſe debitor, nec alius ejus loco ſubſtitutus, creditori quidquam debeat. Si enim alius ejus debitum in ſe tranſtulerit, non remiſſum debitum, ſed commutatus debitor dicetur. Neque vero dixeris, debitum quidem ſimpliciter remiſſum non fuiſſe: illi tamen remiſſum eſſe, qui prior debebat. Non enim illi remiſſum eſt debitum: ſed ab ipſo in alium tranſlatum. Nam, ſi illi remiſſum fuiſſet, illud, ut ipſe liberaretur, in alium transferri nec debuiſſet, nec potuiſſet. Aliud autem eſt, ut modo attigimus, à debito liberari, aliud ſibi debitum remitti. Liberatio, propter ſolutionem ab ipſo etiam debitore factam ſæpiſſime debitori contingit. Remiſſio, non niſi propter creditoris liberalitatem, nulla ſolutione interveniente, debitori obvenire poteſt. In remiſſione enim, ut nomen ipſum aperte indicat, creditoris liberalitas neceſſario requiritur; quæ nulla eſt omnino, ubi creditor (quacumque ratione id fiat) univerſum id, quod ſibi debebatur, recipit. Id quod communi etiam ac perpetuo loquendi & ſcribendi uſu manifeſtiſſime comprobatur. Ut non ſatis recte ipſe locutus fuerim, cum ſæpius dixi, Deum, nulla vera ſatisfactione accepta, nobis peccata remiſiſſe. Quaſi ſatisfactio vera una cum remiſſione conſiſtere poſſit. Sed, quando vos eas ſimul ſtare poſſe commenti eſtis, ut diſputationi amplior locus eſſet, & res tota diligentius examinaretur, ſerviendum hac in parte veſtris commentis fuit.

Remiſſio igitur neceſſario duas partes habet. Una eſt, quod is, qui debet, ea obligatione ſolvitur: Altera, quod is, cui debetur, ſibi ſatisfieri non vult. Utravis harum partium deſit, remiſſio nulla eſt. Adde, quod ipſemet Deus in hac peccatorum remiſſione, ut non multo ante viſum eſt, ſe munificentiſſimum & liberaliſſimum fuiſſe prædicat. Qua vere divina, & longe præclariſſima laude impie & ſacri lege eum ſpoliat quiſquis, ut pro peccatis noſtris juſtitiæ ſuæ plene ſatisfieret, eum curaſſe, affirmare ac contendere audet.

Jubet Chriſtus, ut quod nobis ab iis, qui nos offenderunt,

derunt, debetur, illis remittamus, in illa præſertim ſimilitudine ſeu parabola, quæ habetur Matth. 18. ubi ſcriptum eſt, regem quendam, cui maxima pecuniarum ſumma à quodam ex ſuis ſervis debebatur qui ſolvendo non erat, cum prius juſſiſſet, ipſum, & uxorem ejus, ac liberos una cum omnibus, quæ poſſidebat, venundari, ejus precibus poſtea commotum, debitum illi remiſiſſe. Accidit, ut ſervus ille deinde, cum unum ex conſervis ſuis inveniſſet, qui ipſi exiguam ſummam debebat, ejus precibus adduci non potuerit, ut illi tempus aliquod ad ſolvendum concederet: ſed eum in carcerem conjecerit, donec ſolviſſet debitum. Quo audito, Rex ſic eum allocutus eſt, *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nonne oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Mox eum tortoribus tradi jubet, quoad redderet univerſum debitum.* Quibus dictis, ſubjungit Chriſtus, *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquiſque fratri ſuo ex cordibus veſtris delicta illorum.* Primum igitur conſiderandum eſt, in hac parabola nullam mentionem fieri ſatisfactionis, quam rex ille à quoquam pro ſervo, cui debitum remiſerat, aut acceperit, aut requiſierit. Quod ſatis demonſtrare videtur, Deum ſimiliter pro nobis, quibus peccata remittit, nullam ſatisfactionem à quoquam vel accepiſſe, vel requiſiviſſe. Deinde obſervandum eſt, nos hic tacite in offenſis condonandis idem facere juberi, quod fecit Deus. Atqui, ſi Deus pro delictis noſtris à Chriſto, ut pote homine, ut nos ſumus, ſibi ſatisfieri voluit; nemo noſtrum jure reprehendi poſſet, modo offenſas in iis ipſis, qui nos offendiſſent, non ulciſceremur, ſi interim ab eorum vel propinquis vel amicis illarum pœnas repeteremus. Si rex ille, ſervo, qui ipſi eam maximam pecuniæ ſummam debebat, dimiſſo, ab alio eam ſibi reddi curaſſet: quomodo illi exprobrare deinde potuiſſet, quod ei ipſe univerſum debitum remiſiſſet, is vero conſervo ſuo remittere noluiſſet? Nonne à ſervo illo audire debuiſſet, Quid tu mihi debiti remiſſionem exprobras, cum tibi abunde pro univerſo eo, quod tibi debebam, ſatisfactum fuerit? Aut cur mihi objicis, quod à conſervo meo, id quod meum erat, repetere voluerim, cum tu ab alio, quod ego tibi debebam, repetieris? Nam ego quoque, ſi alium inveniſſem, qui mihi pro illo ſatisfeciſſet, libentiſſime illum dimiſiſſem. Cur enim, illius maximo incommodo, quod mihi debebatur, extorquere curaſſem, cum & ejus ingente commodo, & promptiſſime meum recipere poſſem?

Paulus itidem Eph. 4. 32. & 5. 1. ut alibi vidimus, monet nos, ut imitatores Dei ſimus: & quemadmodum is per Chriſtum peccata nobis condonavit, ſic nos invicem condonemus. Quod ſi Deus ita per Chriſtum nobis peccata condonavit, ut interim ab ipſo Chriſto eorum pœnas repetierit, quid vetat, quo minus nos, ex Pauli præſcripto, Deum imitati, pro offenſis proximi noſtri non quidem ab ipſo, ſed ab alio quopiam, ut modo dicebamus, nobis ſatisfieri curemus? Quamobrem, cum certiſſimum ſit, nobis non licere à quoquam, ſive is ſit, cui offenderit, ſive alius quiſpiam, pœnas offenſarum repetere; certiſſimum quoque eſſe debet, Deum à nemine, & porro neque à Chriſto ipſo, peccatorum, quorum nobis veniam concedit, pœnas expetiiſſe; niſi eos, qui vere Chriſtiani ſunt, multo, quam Deus ipſe ſit, & clementiores & liberaliores in injuriis non ulciſcendis, & offenſis condonandis eſſe velimus. Quod ad injurias condonandas ægre admodum adducimur, non ea potiſſimum cauſſa eſt, quod ſcilicet ei, qui nos injuria affecit, commodum, quod illi ex injuriæ condonatione obvenire poſſit, invideamus; ſed quod, dum injurias condonamus, nobiſmet ipſis aliquid adimere putamus, noſquemetipſos lædere nobis videmur. Quare, cum, Dei exemplo, qui nobis per Chriſtum injurias & offenſas omnes condonaverit, idem nos quoque facere jubeamur; neceſſe eſt, ut Deus per Chriſtum non ſolum in nos hoc beneficium contulerit, quod à peccatorum pœna liberati, & tanto commodo affecti ſimus: ſed etiam ſibi ipſi, quod ſibi debebatur, ademerit, & ſeipſum quodammodo læſerit. Id quod plane falſum, eſt, ſi ab ipſo Chriſto, quidquid illi nos debebamus, abundanter ei perſolutum fuit. Hinc perſpicuum fit, id quod ſcriptum eſt, Deum nobis per Chriſtum peccata condonaſſe, non eam vim habere, quaſi propter ipſum Chriſtum, qui pro nobis ſatisfecerit, eam condonationem à Deo conſequuti ſimus; ſed à Chriſto Dei nomine nobis peccatorum condonationem allatam fuiſſe per ea verba intelligi debere; ut Paulus ipſe eleganter explicat, cum id, quod uno in loco dixerat, *Sicut & Deus in Chriſto donavit vobis*, Eph. 4. 32. in alio ita extulit, *Sicut & Chriſtus donavit vobis*, Col. 3. 13. quemadmodum jam ſupra alicubi oſtendimus. Ubi etiam perpendenda vis eſt verbi Donardi ſeu Condonandi, quod in Græco eſt χαρίζεσθαι. Quod verbum liberalitatem ejus, de quo dicitur, evidenter ob oculos ponit; nec aliter uſurpari poteſt, quam ſi is, de quo effertur, de ſuo jure remiſerit, & commodo ſuo, ut alii gratificaretur, ſeipſum privaverit. Utitur eo verbo idem Apoſtolus hac ipſa de re ad eoſdem Col. ſcribens cap. 2. 13. inquiens, *Et vos, cum eſſetis mortui in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta.* Vide, quantum abſit ſpiritus ſancti ſenſus ab opinione veſtra. Vos dicitis, Deum per Chriſtum juſtitiæ ſuæ pro omnibus peccatis noſtris ſatisfieri voluiſſe. Spiritus autem ſanctus, qui per os Pauli loquebatur, aperte teſtatus eſt, Deum per Chriſtum omnia delicta nobis condonaſſe. Condonare, & ſatisfactionem accipere, non magis ſimul ſtare poſſunt, quam dies & nox, lux & tenebræ. Quod, ſi quis dicat, ſatisfactionem & condonationem ſimul ſtare poſſe, cum uni condonatur, ab alio autem ſatisfit; hic repetenda ſunt ea, quæ paulo ante de remiſſione diximus: atque addendum, quod, ſi ejuſdem debiti remiſſio & ſatisfactio nullo modo una conſiſtere queunt, ut me ſatis demonſtraſſe confido, aliquanto minus ejuſdem delicti condonatio & ſatisfactio ullo modo ſimul ſtare poterunt; cum verbum Condonare ſive χαρίζεσθαι aliquanto magis liberalitatem ſonet, quam verbum Remittere ſive ἀφιέναι.

Sed ad eandem debiti, & ſolutionis tranſlationem redeo. Audivi enim interdum aliquos dicentes, in ea ſolutione, quam pro nobis Chriſtus fecit, Dei liberalitatem maximam apparere, cum ipſemet Deus id dederit, quod ſibi ſolvi curavit. Ut enim creditor ille maxima liberalitate uſus fuiſſe dicendus eſſet, qui debitori ſuo, ſive alii, qui pro eo ſatisfaceret, tantam pecuniam donaſſet, quanta ad debitum diſſolvendum opus fuiſſet; ſic Deus maxime liberalis dicendus eſt, qui iſtud idem, quod Chriſtus ei pro nobis ſolvit, ipſi Chriſto donavit: immo ipſum Chriſtum, quem illi quodammodo pro debitorum noſtrorum ſatisfactione nos ipſi dediſſe dici poſſumus, is prius nobis dedit, ut ex illis Pauli verbis colligitur: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Rom. 8. 32. Atque hinc etiam inferunt, jure debita noſtra nobis remiſiſſe Deum dici poſſe, quamvis iſta ſolutio intervenerit; cum revera neque nos aliquid, quod noſtrum eſſet, illi dederimus: nec ipſe aliquid, quod ante ſolutionem non habuiſſet, receperit.

Verum, qui hæc dicunt, multa non animadvertunt. Primum enim non vident, ejuſmodi liberalitates, ut ſupra à nobis dictum eſt, non exerceri, niſi cum aliter fieri non poteſt. Nam quis unquam debitori ſuo, aut cuipiam alii in hunc finem publice pecuniam donat, ut eadem ſibi pro ejus debiti ſatisfactione ſolvatur, niſi aliqua de cauſſa ſolutionem intervenire neceſſe ſit? Alioqui enim cur inutili illo circuitu utendum eſſet, cum ſimplici debiti remiſſione, & debitorem liberare, & largitatem ſuam oſtendere creditor poſſet? Atqui, ut, quod nos Deo debebamus, illi ſolveretur, nulla prorſus neceſſitas fuit, quemadmodum à nobis demonſtratum eſt. Deinde non conſiderant, liberalitatem quidem exercuiſſe creditorem iſtum: non tamen in ipſo debito remittendo, ſed in pecunia donanda, qua, debitum diſſolve-

retur. Nec recte unquam dicetur, eum debitori debitum remiſiſſe; quamvis rectiſſime dicatur, eum erga ipſum apprime liberalem fuiſſe, quippe, qui ipſi de ſuo pecuniam donaverit, unde id, quod debebat, ſolvere poſſet. Debiti enim remiſſio, ut diximus, (quatenus ſcilicet remiſſum eſt) omnem penitus ſolutionem excludit. Quod ſi ſecus eſſet, creditor iſte duplicis liberalitatis nomine commendandus foret. Primum, quod pecuniam donaſſet; deinde, quod debitum remiſiſſet. Id quod manifeſto falſum eſt; cum is unica tantum liberalitate fuerit uſus: nempe, quod de ſuo, ut debiti ſolutio fieret, pecuniam largitus eſt. Quo fit præterea, ut ingens inter creditorem iſtum, & Deum nobis peccata remittentem diſcrimen appareat; quod tamen iſti non animadverterunt. Duplex enim omnino liberalitas Dei in noſtrorum peccatorum remiſſione conſpicitur: Una, quod gratuito nobis tantum debitum remiſerit, deque ſuo jure decedere ſua ſponte voluerit: Altera, quod, ut nos tam inſignis munificentiæ fructum percipere poſſemus, unigenitum filium ſuum nobis largitus eſt: per quem ea ratione, qua ſupra à nobis dilucide & copioſe oſtenſum fuit, liberationem ab æterna morte, & ſempiternæ vitæ poſſeſſionem, quibus gratuita hæc delictorum noſtrorum remiſſio continetur; reipſa conſequeremur. Dediſſe igitur nobis Chriſtum Deus dicitur, non quia eum ita noſtrum fecerit, ut nos deinde pro debiti noſtri ſolutione, illum ipſi dare potuerimus; ſed quia illum noſtri cauſſa acerbiſſimæ morti tradidit: & ita, ſeipſum quodammodo graviter lædens, ut nos maximo beneficio afficeret, eum (ut ita dicam) impendere, ac profundere non dubitavit. Quod ex ſupra dicto Pauli ad Rom. loco clare liquet. Iis enim verbis quæ recitavimus, hæc præcedunt: *Qui etiam proprio filio non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Nobis ergo Chriſtum Deus donavit, quia illum pro nobis tradidit; nimirum in mortem, ut & omnes in ejus loci explanatione ſentiunt, & à Theodoro Beza præ cæteris animadverſum fuit; qui propterea in ſua Latina interpretatione ea verba, *in mortem*, addenda putaverat. Quomodo autem pro nobis Deus Chriſtum in mortem tradiderit, declarat id, quod ſcriptum eſt apud Johannem, cap. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Non igitur, ut æs noſtrum alienum, quod peccando contraxeramus, ipſius Chriſti ſolutione diſſolveretur, donatus eſt nobis Chriſtus à Deo: ſed, ut ejus verbis fidem habentes, alterius ſummæ divinæ liberalitatis participes fieremus. Quocirca vix dici poteſt, quanta injuria Deum afficiant, qui eum altera iſtarum liberalitatum, quas divini ſcriptores vehementiſſime admirantur, & miris modis prædicant, quantum in ipſis eſt, ſpoliare non verentur. Quod certe faciunt, quicunque, ut ſibi ſatisfieret, Deum nobis Chriſtum donaſſe volunt. Perit enim omnino, ut dictum eſt, hac ratione ipſius peccatorum remiſſionis liberalitas. Sed & altera vel minuitur, vel certe obſcuratur; etiamſi, vera ſatisfactione non interveniente, nos à delictorum noſtrorum debito liberari non potuiſſe velimus. Quid mirum namque dicet aliquis, ſi Deus Chriſtum ejuſque vitam pro nobis profudit, cum, ut, quod ſuum erat, recipere poſſet, ab ipſo id factum fuerit? Sin autem, ut demonſtratum fuit, iſto ære alieno ſine ulla ſatisfactione liberari nos poteramus; hæc Chriſti à Deo, ut ſibi ſatisfieret, nobis facta donatio, id eſt, in mortem traditio, inſignis immanitas potius atque ſævitia, ut ſupra attigimus, quam liberalitas, appellanda eſt. Quid enim cauſſæ fuit, ut in iſtum finem filium ſuum innocentiſſimum Deus, tam dira & execrabili morte affici voluerit, cum ſatisfactione iſta nihil opus eſſet; Ita & utraque liberalitas perit, &, pro benigniſſimo & munificentiſſimo Deo, immanem & ſordidum, ſuprema cum impietate nefandoque ſacrilegio, nobis confingimus. At vero, ſi, non ut ſibi ſatisfieret, ſed ut nos ipſius ingente peccatorum remiſſionis beneficio frui poſſemus, Deum proprio filio non pepercíſſe, & quamvis ab omni prorſus ſcelere immunem, tanquam ſceleſtiſſimum hominum, deteſtabili inprimis atque atroci morti eum tradi voluiſſe, ſtatuamus; non modo utraque liberalitas conſtat: ſed poſterior hæc & ſeipſam in clariſſimam lucem profert, & priorem illam mirabiliter illuſtrat, atque commendat. Nam, ut à nobis abunde explicatum fuit, ejuſmodi Jeſu Chriſti morte non interveniente, gratuita illa peccatorum condonatio, quam non ſine præcedente eximia quadam obedientia nobis re ipſa obtingere voluit Deus, inanis omnino & vana fuiſſet.

Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, perſpici poteſt, quam hallucinentur illi, * qui, cum negare non auderent, Deum potuiſſe ea ratione noſtra peccata delere, ſi nulla vera pro ipſis ſatisfactione à quoquam accepta, nobis ea condonaſſet, ſatisfactionem tamen & veram & plenam intervenire eum voluiſſe dixerunt, ut major quædam ipſius, in proprio ſcilicet filio dando, qui pro ipſis ſatisfaceret, liberalitas apparet. quaſi vero (ut cætera quæ huic ſententiæ aperte refragantur, non repetam) non eadem proprii filii dandi liberalitas multo magis conſpicua eſſet futura, ſi nulla vera ſatisfactio interveniſſet.

Satis jam me demonſtraſſe arbitror, Deum per Chriſtum voluiſſe nobis peccatorum abſolute gratuitam veniam dare; nec, quod ſibi ab ipſo Chriſto pro eis ſatisfieri voluerit, poſſe ſine maxima ejus divini numinis offenſione cogitari, nedum, ut à vobis fit, pro certo affirmari. Et profecto, niſi aliud tantæ divinæ beneficentiæ argumentum haberemus, id ſatis nobis eſſe deberet, quod, Deus ſine ulla juſtitiæ ſuæ imminutione id facere potuit. Quare, cum Sanctæ & Novi, & Veteris Fœderis Littere, Deum in ſalute nobis per Chriſtum comparanda beneficentiſſimum & liberaliſſimum fuiſſe, non loquantur modo, verum etiam perſonent; indigniſſimum plane fuit id de Deo non exiſtimare, quod in hominibus ipſis videmus: qui ſæpius & de ſuo jure multum dimittunt, & abſque compenſatione ulla injurias condonant. Nam quod plerique eorum, qui imprudentes tanta contumelia divinam miſericordiam affecerunt, dicere ſunt ſoliti, nempe Deum idcirco a Chriſto delictorum noſtrorum pœnas repetere voluiſſe, ut inde, quanto is odio peccatum proſequeretur, aperte intelligere poſſemus, qui, ut illud puniret, ne proprio quidem cariſſimoque filio pepercíſſet, ſed, eum miſerabili morte excruciandum & necandum tradidiſſet, atque hac ratione curaſſet, ut à peccando in poſterum retraheremur; hoc, inquam, prorſus nihil eſt. Satis enim, ſe odio peccatum proſequi, oſtendit Deus, cum, niſi reſipiſcamus, & peccatis relictis, juſtitiæ deinceps ſtudeamus nos graviter punit, atque æternæ morti mancipatos relinquit. Satis item nos à peccando retrahere curat, cum vitam ſuam corrigentibus æternæ beatitatis præmium proponit, quo præmio omnium, quæ humana mens excogitare poteſt, maximo & præſtantiſſimo, quodque non vehementiſſime expetere nullo modo poſſumus, ſi quis non movetur, & ita à peccando ceſſat, deſperandum omnino eſt de reſipiſcentia illius. Præterea, an non ex ipſa morte Chriſti, citra omnem peccatorum noſtrorum punitionem, quantum Deus peccatum oderit, apertiſſime conſtat, cum, ut illud in nobis extingueret, & aboleret, atque ea ratione, qua ſupra expoſitum fuit, nos ad vitæ ſanctimoniam traduceret, cariſſimum & innocentiſſimum filium tam atroci, & deteſtabili morti tradere voluerit? Ad hæc, ſi Deo illud, quod iſti dicunt, propoſitum fuiſſet, certe eam peccatorum noſtrorum punitionem nobis manifeſtiſſime apparere voluiſſet. Sed nec unquam id diſertis verbis Sacris Scriptoribus dictum fuiſſe invenimus, quod tamen & ſæpiſſime, & diſertiſſime fieri debuerat; nec, ſi ubique clariſſimis verbis teſtatum reperiremus, ſic tamen rem ſe habere, nobis compertum eſſet: etiamſi, quæcunque Chriſtum feciſſe, aut illi obveniſſe narratur, vel ipſi vidiſſemus, vel firmiter veriſſima eſſe crederemus. Nihil enim

* Dantes Aligerius, & alii.

omnino

omnino eſt, quod nobis, ne leviter quidem, ſuadere poſſit, Dominum Jeſum, dum crucis mortem innocentiſſimus ſubiit, univerſas pœnas noſtris peccatis debitas pertuliſſe, ſive in ipſo delicta noſtra fuiſſe punita; ut mox planiſſimum fiet. At vero, quod nobis non reſipiſcentibus veniam peccatorum daturus Deus non ſit, reſipiſcentibus autem ſempiternam felicitatem per Chriſtum largiri velit (quod, ut paullo ante diximus, ſatis oſtendit, Deum & peccatum odiſſe, &, ne peccemus, curare) id & paſſim & luculentiſſime in divinis monimentis ſcriptum extat; idemque veriſſimum eſſe, niſi propria iniquitate impediamur, facillime perſuademur; partim quia id rationi maxime conſentaneum eſt: partim quia, ſi Dominum Jeſum ex mortuis à Deo excitatum fuiſſe credimus, & ipſius in cœlum tranſlati nomine ac poteſtate innumerabilia miranda opera fuiſſe patrata, ejus rei ex qua felicitas iſta noſtra pendet ac neceſſario proficiſcitur, jam ipſa effecta conſpicimus. Sic nimirum Deus benigniſſimus & ſapientiſſimus liberationem à peccatis noſtris, & ſalutem noſtram æternam per Chriſtum procuravit, ut, quicumque ea, quæ Chriſtus dixit & fecit, paſſus & adeptus eſt, vel viderit, vel firmiter crediderit, eum tanta bona conſequi prorſus ſit neceſſarium: & porro de iis non dubitare, quæ ad ea conſequenda ſcire omnino oporteat; non modo quia ipſe Deus dixerit: Verum etiam, quia eorum veritas per ſe, quoad ejus fieri poteſt, appareat. Immo inde potiſſimum Deus, ſe ea locutum fuiſſe conſtare voluit, quod vera eſſe deprehenderentur. Nam quod nihilominus plerique ea, quæ de Chriſto narrantur, non vere credunt, licet maxime ſe credere profiteantur; id, ut modo innuimus, ab ipſorum malitia proficiſcitur, & idcirco Deus non credentes jure plectit, quemadmodum infra, ipſo volente, dilucide explicabitur. Nunc, cum Deum in ſalute nobis per Chriſtum comparanda à noſtris peccatis, nulla pro illis vera ſatisfactione accepta, nos abſolvere & jure potuiſſe, & voluiſſe, evidenter, ut ſpero, probatum fuerit; quod Chriſtus pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfacere non potuerit, quemadmodum polliciti ſumus, demonſtrare aggrediamur.

CAPUT. III.

Nobis non pereuntibus, divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris nullo modo ſatisfieri potuiſſe.

PRimum igitur, ut id magis perſpicuum fiat, nobis non pereuntibus, divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris nullo modo ſatisfieri potuiſſe, oſtendemus. Deinde de ipſius Chriſti perſona, quid ſcilicet in hoc ſingulariter præſtare potuerit, diligenter inquirendo, ſeparatim agemus.

Si Deus aut non potuiſſet, aut noluiſſet citra veram aliquam pro delictis noſtris ſatisfactionem nobis ignoſcere, nos ipſi omnino ei ſatisfacere debuiſſemus. Neque enim aliquid Deo debebamus, quod alius, qui ſcilicet non deliquiſſet, & ita nihil ipſe divinæ juſtitiæ deberet, pro nobis præſtare poſſet. Pœna peccato ipſius Dei voluntate conſtituta æterna mors eſt; quæ, cum corporalis pœna ſit, à nemine, præterquam ab eo ipſo, qui peccavit præſtari poteſt. Pecuniariæ quidem pœnæ, unius delicto debitæ ab alio præſtari queunt. Unius enim pecunia alterius effici poteſt. Et, cum quis in ſe alterius pecuniariam pœnam transfert, perinde cenſetur, ac ſi delinquenti eam pecuniam pleniſſimo jure donaſſet; quod & facere poterat, idemque prorſus effectus conſecutus fuiſſet. At mors unius, ſive alia quæcumque corporis vexatio, alterius effici non poteſt. Neque unquam vel lege, vel conſuetudine receptum fuit, ut pœnam, quam quis corpore luere teneatur, alius, quiſquis tandem ille ſit, pro eo pendere poſſit. Solent aliquando homines ira & vindictæ libidine excæcati in innocentes quoque ſævire: maxime vero, cum eum, qui ipſos læſit, vel quia eorum manus effugerit, vel quamcunque aliam ob cauſſam ulciſci nequeunt. Sed quod nocente ipſo, conſulto ac ſponte, incolumi dimiſſo, in innocentem aliquem tantummodo ſæviant: id prorſus nunquam vel factum eſt, vel fiet. Quod ſi homines, quantumvis barbari & truculenti, de innocentibus, nocentium loco, ipſis nocentibus ſponte dimiſſis, pœnas non ſumunt; an non hinc manifeſtiſſimum eſt, id non modo ab omni juſtitia alieniſſimum eſſe, ſed pluſquam immane ac ferinum cenſeri debere? Quare, ſi velimus, Deum delictorum noſtrorum pœnas ſibi perſolvi voluiſſe, cum nos maxime punire poſſet, neceſſe eſt etiam, ut dicamus, à nobis ipſis qui peccaveramus eas repetiiſſe: non autem ab alio quopiam, qui nihil deliquerit. Sin minus, & à vera juſtitia, hoc eſt à rectitudine & æquitate penitus diſceſſit, & alteri illi juſtitiæ, quæ vindicta & ſeveritas proprio nomine appellari debet, nequaquam adhæſit; ac denique id fecit, quod homo immaniſſimus facere horreret.

Conſueverunt ii, qui ejuſmodi turpiſſimum ſcelus Deo attribuere ſunt auſi, exemplo quodam neſcio cujus regis aut legis latoris (Zaleuci Locrenſis opinor) hoc facinus defendere; qui, cum ipſius filius delictum quodpiam commiſiſſet, propter quod, lege ab ipſo patre lata, utroque oculo privandus erat: ne filium cæcum haberet, & interim, ſcilicet, legi ſatisfieret, ſibi unum, filio item unum oculum eruit. Factum iſtud pro exemplo nulla ratione adduci meruit. Primum quia digniſſimum vituperatione cenſendum eſt; deinde quia cum eo, de quo agimus, minime conferendum videtur. Digniſſimum quod vituperetur, eſt factum iſtud, propterea quod, dum pater & nocenti filio parcere, & legi ſimul ſatisfacere curat, neutrum facit; quippe qui filium fœde mutilet, legem autem, quæ illum utroque oculo, non altero tantum, privari jubebat, aperte infringat, cui malo dum, ſibi ipſi alterum oculum effodiendo, mederi ſe putat, in ſeipſum ſtulte crudelis eſt. Atque eo magis culpandus eſſe apparet, quod non ſimplici imprudentia, ſed immoderato ac cæco potiſſimum filii amore abſurdiſſimam & iniquiſſimam legi ſatisfaciendi rationem excogitaverit, & amplexus fuerit; dignus, qui tunc quidem tantæ intemperantiæ & iniquitatis graviſſimas pœnas lueret: niſi, ſibi ipſi ſuæ ſtultitiæ ſatis gravem pœnam eum inflixiſſe, ſtatuamus: nunc autem (ſi modo non hæc fabula potius eſt, quam hiſtoria) apud poſteros male audiat, & ejus nomen inter crudeles & impotentes atque adeo temerarios principes, & populorum judices cenſeatur. Sed, ut demus facinus iſtud laudari, aut ſaltem excuſari poſſe, quid hoc ad diſputationem noſtram? Hic enim & nocens ipſe ſui ſceleris ex parte pœnas dedit, & is, qui ejuſmodi puniendi rationem adinvenit, non in alios innocentes, ſed in ſe ipſum, quamquam innocentem, ſæviit, & adeo conjunctus cum nocente erat, ut ipſe nocens eam pœnæ partem, quam iſte, ſua ſponte elegit, ſubiiſſe videatur. At in eo, de quo quærimus, neque homines, qui deliquerunt, ulla pœna afficiuntur, nec Deus ipſe, qui iſtam veſtram peccata hominum puniendi rationem adinvenit, in ſeipſum vere, ſed in hominem innocentiſſimum ſæviit, nec homo ille innocens adeo nocentibus hominibus conjunctus erat, ut ipſimet pœnas illas ſubiiſſe dici poſſint. Quæ enim conjunctio inter Chriſtum, & cæteros homines, quod ad carnem attinet, & quatenus homines ſunt, eſſe comperitur, quæ non eadem inter ipſos ſingulos reperiatur? Quemadmodum igitur, quod unus homo in corpore ſuo patitur, alii homines pati nequaquam dici poſſunt, ſic neque ea, quæ Chriſtus in ſuo corpore mala ſuſtinuit, nos ulla ratione ſuſtinuiſſe videri poſſumus.

Sed jam, inepto hoc exemplo valere juſſo, cætera, quæ ad hujus rei explicationem faciunt, afferamus. Nam præter id, quod rationis lumen, quo Deus nos donavit, aperte oſtendit, non debere nec poſſe corporalem pœnam quam unus debeat, ab alio perſolvi, id quod omnium gentium, ac ſæculorum legibus & conſuetudinibus perpetuo ex maximo conſenſu comprobatum

eſt; ipſe Deus verbo ſuo idem apertiſſime nos docuit: & ſeipſum ab hac eadem æquitate non recedere teſtatus eſt. Notiſſima ſunt ea quæ apud Ezechielem ipſe loquitur cap. 18. ubi multis verbis perſpicue declarat, ſe nolle iniquitates filiorum in patribus, nec patrum in filiis punire, ſi filii ſimiles patrum ſceleſtorum non fuerint. Ac demum ita concludit: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris; neque pater portabit iniquitatem filii, juſtitia juſti ſuper eum erit; & impietas impii ſuper eum erit.* Quam ſententiam diſerte in ipſa quoque lege Moſis ſcriptam legimus Deut. cap. 24. 16, idque etiam teſtatur auctor 2. lib. Regum cap. 14. Filius, qui patri conjunctiſſima perſona eſt, adeo ut non modo ejus pars quædam, ſed alter idem dici poſſit, non debet, ex Dei ſententia, ipſius patris ſcelerum pœnas luere, nec viciſſim pater filii; & non pudet nos affirmare, eundem Deum, ſui ipſius quodammodo oblitum, adverſus omnem æquitatem, ab homine uno cæterorum hominum, quibus cum nullam præterea conjunctionem habuit, niſi quod homo erat, iniquitatis pœnas perfecte exegiſſe? Quid vel abſurdius, vel iniquius, ob eamque rem, cum de Deo loquamur, magis impium & deteſtandum excogitari potuit? Is, qui omnis æquitatis & rectitudinis fons eſt, cujuſque omnia opera æquiſſima & rectiſſima perpetuo ſunt, tam iniquum & pravum facinus contra ſuum ipſius decretum admiſerit? Cujus ſi rationem diligentiſſime inquiras, nullam omnino reperies. Ut hic non ſummæ iniquitatis tantum & pravitatis, ſuprema cum impietate, Deus accuſetur; ſed extremæ quoque inſcitiæ, (horreſco, dum hæc proferre, veritatis patefaciendæ, & divinæ gloriæ vindicandæ ſtudio, compellor) ac fatuitatis per turpiſſimam atque indigniſſimam blaſphemiam & contumeliam inſimuletur. Si enim miſericordiam erga humanum genus exercere, & bonitatem ac liberalitatem ſuam nobis commendare voluit Deus; cur prorſus gratuito, ut quidem potuit, ſcelera hominibus non condonavit? Sin vindictam & ſeveritatem ſuam in injuriis ulciſcendis, & delictis puniendis, quam juſtitiam minus proprie, ut dixi, appellamus, ad ſui nominis gloriam oſtendere ſtatuit; cur non eos ipſos ulciſci, & ſupplicio afficere aggreſſus eſt, qui deliquerant, & ejus majeſtatem, quantum in ipſis fuerat minuerant? Quænam vindicta, aut peccati punitio eſt hæc, eos, qui peccaverunt, impunitos dimittere, eum vero, qui nihil mali fecit, graviſſimis pœnis ſubjicere?

At utramque proprietatem ſuam, inquies, miſericordiam ſcilicet, & juſtitiam ſimul exercere, & nobis commendare voluit Deus. In eo enim, quod in nobis ipſis delicta noſtra non punit, miſericors apparet. In eo autem, quod illa nihilominus plectit, juſtus eſſe oſtenditur.

Jam vero, ſi velis, ut magiſtri veſtri dicere ſolent, perfecte Deum erga nos hac ratione & miſericordiam, & juſtitiam iſtam exercuiſſe: id, ut in initio fere hujus reſponſionis à me dictum fuit, plane falſum eſt, nec fieri ullo modo potuit. Perfecta enim miſericordia requirit, ut omnino delinquenti ignoſcatur: perfecta autem iſta juſtitia, ut idem ipſe, qui deliquit, debita pœna puniatur. Alicui omnino ignoſci, & eundem debita pœna puniri, hæc duo, inquam, ut ea, quæ invicem prorſus repugnant, nullo modo ſimul conſiſtere poſſunt. Quid quod, ſi ita res ſe habet, ut vos dicitis, neutra perfecte uſus eſt? Miſericordia quidem perfecta non eſt uſus. Quia, cum poſſet, ſi voluiſſet, delictorum noſtrorum pœnas minime repoſcere, debitas ſibi perſolvi voluit. Juſtitiam vero illam perfecte certe non exercuit; cum non in ipſis delinquentibus, ſed in alio quopiam peccata puniverit. Sin autem non perfecte, ſed aliqua ex parte utramque eum exercuiſſe dicas, iſtud quoque falſum eſt. Immo vero neutra ullo modo eſt uſus. Miſericordia enim, quæ Dei eſt propria, ipſius munificentia & liberalitate maxime conſtat. Nam nec tantopere in ſanctis litteris commendaretur, nec nobis imitanda proponeretur, niſi ſummam Dei munificentiam liberalitatemque contineret. Hinc fit, ut remiſſio illa liberaliſſima totius debiti, de qua in parabola regis creditoris agitur Matth. 18, quam ſupra expoſuimus, ibidem miſericordia ſimpliciter appelletur. Atqui, ut jam dictum fuit, ſi Deus noſtrorum delictorum pœnas ſibi perſolvi curavit, etſi nos ipſis liberati fuerimus, tamen nulla prorſus liberalitate eſt uſus; & ita nullo modo eam, quæ ipſius propria eſt, miſericordiam exercuit. A juſtitia autem illa, de qua loquimur, penitus abfuit. Nam de juſtitia illa, ut vidimus, ſcriptum eſt, Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Breviter ſeveritas & vindicta (hæc enim, ut ſæpius dictum fuit, ea juſtitia eſt, de qua hoc loco agimus) nulla ratione patitur, ut is, qui deliquit, vel injuriam fecit, plane impunitus & inultus dimittatur. Conſtituere autem Dei juſtitiam quandam, quæ delicta quidem puniat, non tamen in eo qui deliquit, ſed in alio quopiam, ſupremam, ut demonſtratum eſt, injuſtitiam, hoc eſt, iniquitatem & pravitatem continet. Ita fit, ut ſcelera noſtra in alio, qui non deliquerit, à Deo punita fuiſſe, non modo ejus perfectam miſericordiam, perfectamque juſtitiam iſtam nobis nec oſtendat, neque commendet: ſed etiam utramque funditus convellat: & præterea omni vera juſtitia, id eſt, æquitate ac rectitudine ipſum Deum ſpoliet, eique univerſam ſapientiam adimat.

Sed aliam etiam ob cauſſam, nobis non pereuntibus, divinæ juſtitiæ vere pro peccatis noſtris ſatisfieri nullo pacto poterat. Vera enim ſatisfactio eſt plena debiti perſolutio. Unuſquiſque autem noſtrum mortem æternam divinæ iſti juſtitiæ debebat. Unuſquiſque igitur noſtrum, niſi nos ipſi id facere volebamus, alium habere debuiſſet, qui pro ipſo mortem æternam ſubiret. Verum id qui fieri poterat, cum omnibus hominibus generatim, ſi Deus ſummo jure uti voluiſſet, æterna mors ſubeunda eſſet? Quomodo enim poteſt quis eam corporalem pœnam, præſertim vero mortem pro alio ſolvere, quam ipſemet debeat? Unum autem quempiam, qui morti æternæ, utpote qui nihil deliquiſſet, minime obnoxius inventus fuerit, pro omnibus ſatisfacere potuiſſe, plane ridiculum eſt cogitare, nedum aſſerere. Nam perinde eſt, ac ſi quis diceret, unum, qui nihil ipſe debeat, & centum tantummodo aureos nummos habeat, quos dare poſſit, pro innumerabilibus aliis, qui ſinguli aureos nummos centum debeant, poſſe ſatisfacere; cum vix pro uno tantum vere ſatisfaciendi habeat facultatem. Nemo enim plus, quam unam mortem æternam ſubire poteſt, eamque pro alio pendere. Unus igitur aliquis tantum ex omnibus fortaſſe hac ratione ſervari poterat, & pro ipſius delictis divinæ juſtitiæ ſatisfieri. Cæteris omnino in æternum pereundum erat, ſi ſibi pro illorum peccatis vere ſatisfieri Deus voluiſſet. Quare, cum vos affirmatis, neceſſe eſſe, ut divinæ juſtitiæ pro hominum erratis, & ſceleribus ſatisfiat; nihil aliud revera dicitis, niſi, fieri non poſſe, ut omnes homines generatim in æternum non pereant, cum nec alius pro alio corporales pœnas, qualis æterna mors eſt, quæ noſtris peccatis debetur, ſolvere ullo modo poſſit; nec ſi maxime rei natura hoc pateretur, id reipſa poſſit fieri; cum omnes generatim peccaverimus, & totidem reperire neceſſe eſſet innocentiſſimos homines, qui mortem æternam ſubirent, quot ii ſunt, pro quorum delictis ſatisfaciendum eſſet.

Sed quoniam vos, ut ſupra obſervatum eſt, duplicem divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfaciendi modum commenti eſtis, & utrumque in ſalute, quam nobis Chriſtus peperit, agnoſci vultis, unum omnium pœnarum ſolutione, quas nos pendere tenebamur, alterum omnium eorum præſtatione, quæ Dei lex nos facere jubet (quamquam, ut dictum fuit, tu in hac diſputatione noſtra, primum illum modum agnoſcere tantummodo videris) cum de uno viſum ſit, videamus & de altero; ſi tamen prius eos invicem pugnare, vel alterutrum ſaltem ſupervacaneum eſſe, oſtenderimus. Pugnant ſine dubio hæc duo inter ſe, Pro aliquo ſatisfacere, id omne faciendo, quod is facere debuerat, & pro

eodem

eodem ſatisfacere, omnes pœnas ſubeundo, quas is, propter delicta ſua, ſubire tenetur. Nam, ſi is omnia feciſſe cenſeatur, quæ facere debuerat, fieri non poteſt, ut pro ipſo quidquam pœnæ nomine ſolvatur. Ubi enim nullum delictum, ibi nulla pœna. Rurſus, ſi, quicquid ille pœnæ nomine debebat, perſolvatur, jam pro innocente non habetur. Ubi enim pœnæ perſolutio, ibi noxia ſit neceſſe eſt. Supervacaneum autem alterutrum ſaltem eſſe, hoc pacto demonſtratur. Nam ſi delictorum pœna penditur, quid attinet eum, pro quo penditur, innocentem haberi? Vel, ſi innocens habetur, quid opus eſt pro ipſius delictis quidquam pœnæ nomine ſolvere? An non utrumvis iſtorum per ſe eum liberat, & ipſius errata prorſus delet? Neque enim eſt, quod aliquis dicat, ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat, non ſatis eſſe mala non facere, niſi etiam bona fiant; atque ob eam rem non ſatis fuiſſe mala, quæ feceramus, deleri, niſi etiam bona feciſſe cenſeremur. Siquidem non minus vera, quam vulgata, eſt diſtinctio ſeu partitio illa peccatorum: nempe alia peccata eſſe commiſſionis, alia vero omiſſionis. Ex quo intelligendum eſt, ſi pœnæ pro omnibus peccatis noſtris perſolutæ fuere, non minus pro bonis, quæ non fecimus, quam pro malis, quæ fecimus, perſolutum fuiſſe, & ita Legi, & porro juſtitiæ Dei, pleniſſime pro nobis fuiſſe ſatisfactum. Et quia eadem partitio in noſtris juſtitiis (quas ſcriptura appellat) adhiberi poteſt (quædam enim ſunt juſtitiæ commiſſionis, cum ſcilicet bona facimus, quædam vero omiſſionis, cum mala vitamus) certe, ſi omnes Legis juſtitias feciſſe cenſemur; non bona tantum omnia feciſſe, quæ Lex jubet, ſed ab omnibus malis, quæ vetat, abſtinuiſſe, & ita divinæ juſtitiæ abſolute ſatisfeciſſe, exiſtimandi ſumus. Satis autem fuiſſe, ut nos juſti haberemur, peccata noſtra deleri, id apertiſſime demonſtrat, quod in compluribus ſanctarum litterarum locis peccatorum remiſſione univerſam ſalutem noſtram contineri, ſi non diſertis verbis, at reipſa ſcriptum extat. Nec vero alia ratione duarum iſtarum ſatisfactionum repugnantiam negare poteſtis, vel alterutram ſupervacaneam fuiſſe, non confiteri, quam ſi pœnas, quæ pro nobis perſolutæ fuere, ad præterita tantum delicta reſpicere dicatis: juſtitiæ autem, hoc eſt, perfectæ divinorum mandatorum conſervationis imputationem, ad futura; ita ut, quæ ante fidem delicta commiſimus, compenſatione Chriſti ſanguinis obliterata fuerint: quæ vero poſt fidem, ejuſmodi Chriſti abſolutæ obedientiæ imputatione. Id quod non à veritate tantum, ſed à ſententia quoque veſtra quam longiſſime abeſt. Verum hac de re, cum de iſta imputatione ſeparatim agemus, aliquid enucleatius à nobis dicetur. Nunc, iſtum alterum pro nobis ſatisfaciendi modum ideo ſimiliter plane commentitium eſſe, demonſtremus, quia ne exiſtere quidem ulla ratione potuerit.

Jam, ſi ut antea oſtendimus, nemo corporales pœnas pro alio pendere poteſt, nec etiam pro alio id, quod is omnino facere tenetur, quiſquam præſtare poterit. Par enim eſt utrobique ratio. Nec magis unius factum alterius fieri poteſt, quam unius mors, aut corporis vexatio, alterius eſſe. Et quemadmodum in pœnis corporalibus infligendis non ipſa mors, aut corporis vexatio, ſimpliciter quæritur, ſed cujuſdam certi hominis mors, aut corporis vexatio; ſic in factis ex legis præſcripto præſtandis, non ipſum factum ſimpliciter quæritur, ſed uniuſcujuſque, qui legi illi obnoxius ſit, proprium factum. Nam quid magis ridiculum dici poteſt, quam, ſi quis exempli gratia, lege jubente, in publico convivio modeſtus eſſe debeat: ubi ipſe plane immodeſtus fuerit, alium qui modeſtiam conſervaverit, pro ipſo modeſtum eſſe poſſe, adeo ut ipſe, quantumvis immodeſtus, pro modeſto habeatur: & ita legi plene ſatisfactum eſſe? Ita nihil magis ridiculum excogitari poteſt, quam, ſi quis dicat, unius juſtitiam alterius, qui plane injuſtus fuerit, juſtitiam cenſeri. Parcere quidem Deus multis injuſtis propter paucos juſtos conſuevit; ut colligitur ex verbis ipſius cum Abrahamo loquentis Gen. 18. paullo ante deſtructionem Sodomæ; ne ſcilicet una cum impiis pios quoque perdat, aut puniat. Non tamen idcirco injuſtos, juſtorum cauſſa, juſtos eſſe cenſet. Sicut enim impietas impii ſuper eum erit, ſic juſtitia juſti ſuper eum futura eſt, inquit, ut vidimus, ipſe Deus apud Ezechielem Ezech. 18. 20.

Sed finge, unius juſtitiam, alterius cenſeri poſſe; num unius tantum juſtitia innumerabilium eſſe cenſebitur? Iiſdem igitur rationibus quibus pœnas noſtris ſceleribus debitas perſolvi non potuiſſe oſtendimus, etiamſi alium pro alio pœnas corporales pendere poſſe concederetur, concludendum ſimiliter eſt, non potuiſſe nos ob alienam juſtitiam juſtos à Deo haberi, etiamſi rei natura pateretur, ut unius juſtitia alteriùs cenſeri poſſet, atque eo magis, quod poteſt quidem homo quiſpiam nihil pœnarum debere, nimirum ſi innocentiſſimus ſit; ſed nullus homo juſtiſſimus eſſe non tenetur, & divinæ voluntati perfectiſſime obedire. Neminem autem pro alio præſtare poſſe, quod ipſemet facere teneatur, ſenſu ipſo communi id aperte docente, alibi aſſeruimus.

CAP. IV.

Chriſtum, pœnarum, quas nos, ex lege Dei, ſubire tenebamur, ſolutione, divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere non potuiſſe.

CUm igitur demonſtratum fuerit, neque pœnarum, quas propter delicta noſtra ex lege Dei ſubire tenebamur, ſolutione, nec eorum, quæ eadem lex nos facere jubet, præſtatione, pro nobis divinæ juſtitiæ ſatisfieri potuiſſe, certum eſſe poteſt, Jeſum Chriſtum neutrum feciſſe, niſi ea, quæ fieri nequeunt, facta fuiſſe velimus: & ita falſum omnino illud eſſe oſtenditur, quod vos affirmatis, Jeſum Chriſtum pro noſtris peccatis Deo pleniſſime ſatisfeciſſe. Nam, ſi quis dicat, in Jeſu Chriſti perſona quædam ſingularia reperiri, ob quæ id per eum fieri potuerit, quod alioqui nullo pacto fieri potuiſſe concedatur; is in maximo errore verſatur. Nam quæ fieri ſuapte natura nullo modo poſſunt, à nemine unquam fiunt, ne à Deo quidem ipſo. Atqui ejuſmodi, ſaltem ex parte, ſunt ea, quæ in utraque illa ſatisfactione facta fuiſſe neceſſe eſſet. Nec enim natura patitur, ut unius corporalis pœna pro alio pendatur, vel unius factum pro alio præſtetur; cum nec corporalis pœna, nec factum unius, alterius fieri poſſit. Cui ipſius rei naturæ additum eſt, ut vidimus, Dei decretum; quod non veram tantum ejuſmodi ſatisfactionem, quam rei natura penitus refugiebat, ſed pro vera à Deo habitam quoque excludit. Hoc autem dico propter nonnullos, qui non veram quidem ſatisfactionem pro peccatis noſtris, ſed pro vera à Deo habitam, ex Chriſti perſona fluxiſſe contendunt. Cujus ſententiæ quidam ex præcipuis magiſtris veſtris fuiſſe videntur; ut poſtea exponemus. Certum igitur eſto, nulla ratione fieri potuiſſe, ut Chriſtus vel corporales pœnas, quas ipſi ſubire debebamus, pro nobis perſolverit, vel ea, quæ ipſi facere tenebamur, pro nobis præſtiterit.

Sed, ut veritas magis adhuc perſpici queat, demus naturam rei iſtiuſmodi ſatisfactionibus non repugnare, & nihilominus tamen Jeſum Chriſtum eas peragere non potuiſſe, oſtendamus. Jam dictum eſt (ut de pœnis perſolvendis primum agamus) pœnam, quam unuſquiſque noſtrum propter delicta ſua pendere tenebatur, mortem æternam eſſe. Hanc profecto Chriſtus non ſubiit; &, ſi eam ſubiiſſet, univerſa ſalutis noſtræ, & liberationis a peccatorum pœna ſpes, & ratio funditus everſa fuiſſet. Immo, ſi jam Chriſtus non reſurrexiſſet, vana, ut inquit Paulus, 1 Cor. 15. 14, & 17. eſſet Euangelii prædicatio, & nos adhuc eſſemus in peccatis noſtris. Et tamen, ſi idcirco nos ſervaſſet Chriſtus, quod pœnas noſtris peccatis debitas ipſe ſuſtinuiſſet, & nobis ejus rei fides, quoad ejus fieri poterat, facienda fuiſſet:

eum nunquam reſurgere, ſed in morte perpetuo manere oportuiſſet. Nam, ſi quis dicat, ideo neceſſe fuiſſe, ut is reſurgeret, & in morte nequaquam remaneret, ut pro nobis mortem, à qua nos liberandi eramus, vinceret & ſuperaret, jam iſta ab hac ſatisfactione diverſa admodum eſt nos ſervandi ratio, & eam penitus convellit. Hæc enim ſatisfactio, in eo, qui nos ſervaturus eſt, æternam mortem, Iſta autem nos ſervandi ratio æternam vitam requirit. Præterea quid opus fuerat, mortem pro nobis, per reſurrectionem Chriſti à mortuis, ſuperari, ſi, peccatis noſtris per ipſam mortem omnibus prorſus abolitis atque deletis, nobis mors jam dominari non poterat? Aculeus, inquit Apoſtolus, mortis, peccatum, 1 Cor. 15. 6. Itaque, ſi peccatum auferas, mors aculeo & veneno caret, neque nos jam lædere poteſt. Quod ſi rurſus aliquis dixerit, hac ratione neque etiam, ſi remiſſionem illam peccatorum, nulla vera ſatisfactione interveniente, admittamus, neceſſe fuiſſe, ut Chriſtus reſurgeret, cum ſatis eſſet, per remiſſionem ſublata fuiſſe omnia peccata noſtra; Reſpondeo, ideo neceſſe fuiſſe, ut Chriſtus reſurgeret, & in morte non remaneret, ut nos immortalitatis inde firmam ſpem concipientes, ab iniquitatibus noſtris ad Deum ea ratione, qua ipſe Chriſtus juſſerat, converteremur; ſine qua converſione nulla eſt revera peccatorum remiſſio, ſed remiſſionis tantum oblatio. At ſatisfactio, etiam Chriſto non reſurgente, perfecta fuiſſet.

Sed inquies, ſatisfactionem quidem, citra Chriſti reſurrectionem, fuiſſe peractam, ſed non imputari debuiſſe, niſi iis, qui peractam fuiſſe credidiſſent: Ut autem id crederetur, reſurrectione, quæ Chriſti potentiam declararet, hoc eſt, vim ſatisfaciendi ipſum habuiſſe, oſtenderet, opus fuiſſe. Aſt ego contra: Si ſatisfactio jam peracta erat, quid oportebat eam peractam fuiſſe credere? Nunquid, ſi aliquis pro me creditori meo ſatisfecerit, & pecuniam reipſa meo nomine ſolverit, quam repetere jam non poſſit, neque ſolutum, neque ſatisfactum erit, niſi prius ego id verum eſſe credam? Sed hac de re infra ſuo loco explicatius diſſeremus. Præterea, quo nam modo ex Chriſti reſurrectione conſtitit, eum ſatisfeciſſe, ſive ſatiſfacendi vim habuiſſe? Num quia per reſurrectionem declaratus fuerit æternus Deus, ejuſdemque cum patre ſubſtantiæ? Atqui primum iſtud nullam potius ſatisfaciendi vim in ipſo fuiſſe demonſtrat, ut poſtea videbimus. Deinde falſum eſt, Chriſtum, per reſurrectionem, Deum æternum declaratum eſſe. Poterat enim purus homo reſurgere, ut nobis, quicunque ipſi Chriſto obediverimus, in ultimo illo die eveniet; qui, licet puri homines ſimus, à mortuis ad æternam beatamque vitam nihilominus reſurgemus. Si dixeris, Chriſtum ſua ipſius virtute atque potentia ſemetipſum in vitam revocaſſe, nos autem ipſius Chriſti vi in vitam revocandos eſſe. Iſtud prorſus nihil eſt. Nemini enim ea de re quidquam conſtare poteſt ex ipſa reſurrectione. Nam, etiamſi reſurrectionis nomine univerſam ſimul poteſtatem intelligamus, quam, reſurgendo, & cælos ipſos conſcendendo, adeptus eſt; non tamen ex eo, ipſum propria vi ſemet à mortuis excitaſſe, conſtat. Ut enim ſupremam illam poteſtatem, quemadmodum ante oſtendimus, ut homo accepit (neque vero aliter, ut ibi diximus, accipere poterat, ſiquidem ea vera & propria poteſtatis acceptio fuit, quippe obedientiæ præmium, non autem figurata & impropria, & qualis in Deum ipſum cadere poteſt, ut legitur in Apoc. cap. 4. 11.) Sic, ut reſurgeret, illi, ut homini, datum fuiſſe, niſi aliud appareat, omnino dicendum videtur. Quid quod ſcriptura paſſim teſtatur, eum à Deo, & alicubi à Deo patre, ex mortuis excitatum fuiſſe? Tametſi enim Chriſtus ipſe dicit Joh. 10. 18. 2. 19. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*; & alibi, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; non debent hi pauci, &, ut ex circumſtantiis manifeſtum eſt, figurati loquendi modi, aliquid diverſum nobis ſuadere ab eo, quod ex multis, iiſque maxime propriis, apertiſſime docemur. Præſertim vero, cum de nobis quoque dictum ſit, quod ſi propter Chriſtum animam perdiderimus, eam inveniemus Matth. 10. 39. & eam vivificabimus, ſive, ut eſt in Græco, vivam gignemus, Luc. 17. 33. & alibi ſcriptum extet, eos, qui Chriſto credunt, & jam ex Deo nati ſunt, poteſtatem habere, ut fiant filii Dei, id eſt, ad immortalitatem, & beatam vitam reſurgant. Tunc enim vere filii Dei erunt, idque alia ratione, quam antea eſſent. *Sunt*, inquit Chriſtus, *filii Dei, quia filii reſurrectionis ſunt* Luc. 20. 36. Hujuſmodi autem proſopopœiis, in hoc potiſſimum reſurrectionis negotio, ex ipſa loquendi conſuetudine & quadam quaſi neceſſitate, frequenter admodum utuntur Divinæ Litteræ. Sed hæc ὡς πάρεργα, ut dicitur. Neque enim, utrum Chriſtus propria vi ſeipſum ab inferis excitaverit, nec ne excitaverit, hic quærendum eſt; ſed utrum ex ipſa reſurrectione id nobis conſtare poſſit, inſpiciendum. Satis autem me demonſtraſſe confido, ex ipſa reſurrectione id nobis neutiquam conſtare; & ita nullam cauſſameſſe, cur ex ipſa reſurrectione Chriſtus æternus Deus appareat, atque ea ratione pro peccatis noſtris ſatisfaciendi vim habuiſſe conſtet. Adde, quod non modo æternus Deus ex reſurrectione ipſa non apparet Chriſtus, ſed etiam ex ea ſolanec neceſſario nec veriſimiliter concluditur, in ipſo Chriſto, antequam reſurgeret, aliquid fuiſſe, quod in nobis, ſi eum imitati fuerimus, non ſit; cum nos quoque & reſurrecturi ſimus, & in æternum regnaturi, Apoc. 22. 5, & quæ præter illa, quæ nos unquam adepturi ſimus, conſecutus eſt Chriſtus, ea omnia homini nobis quod ad ipſam naturam attinet non excellentiori, ſi voluiſſet, dare potuerit Deus. Aliunde, quam ex ipſa reſurrectione, ea, quibus nos maxime anteceſſit Chriſtus, dum adhuc mortalis fuit, quæque ipſius propria fuere, aperte conſtat; ſi modo ea credimus, quæ de ipſo homines diviniſſimi Litteris mandarunt. Nec vero huic noſtræ ſententiæ repugnant ea verba Pauli de ipſo Chriſto, *qui definitus* (quod alii vertunt *declaratus*) *eſt filius Dei in potentia ſecundum Spiritum ſanctificationis* (ſeu *ſanctitatis*) *ex reſurrectione mortuorum*, &c Rom. 1 4. quaſi in illis dicatur, Chriſtum per reſurrectionem apparuiſſe æternum Dei filium, ejuſdemque cum patre ſubſtantiæ ſive eſſentiæ; vel ſaltem talem Dei filium, cum adhuc mortalis eſſet, qualis nullus homo unquam fuit aut futurus eſt. Non enim agitur ibi de patefactione alicujus rei, quæ antea eſſet, ſed de conſtitutione ejus, quæ nondum erat. Nam, quoad Chriſtus immortalis factus non eſt, filius quidem Dei erat, ſed non omnino, nec ea ratione, qua poſtea fuit. Hinc Paulus ea ſecundi Pſalmi verba, *Ego hodie genui te*, de Chriſti reſurrectione interpretatur, Act. 13. 33. Tunc enim vere & abſolute conſtitutus eſt Chriſtus Dei filius, cum immortalitatem ſupremamque illam poteſtatem eſt adeptus, quam Paulus, ut mos eſt Sacrorum Scriptorum, Reſurrectionis nomine intelligit. Hanc autem verborum Pauli ſententiam eſſe, declarat manifeſte participium ὁρισθέντος. Siquidem verbum ὁρίζω ut ego quidem arbitror, nuſquam (quidquid aliis viſum fuerit) patefacere ſignificat, aut declarare, niſi verbum Declarandi in eum ſenſum accipias, quo aliquando à bonis latinitatis auctoribus prolatum fuit, cum ſcribunt, exempli gratia, aliquem fuiſſe declaratum conſulem, id eſt, conſtitum & definitum, ſive creatum. Quamquam verbum ipſum Patefaciendi ſeu Revelandi in Sacris Litteris in hunc eundem ſenſum, in quem verbum ὁρίζω in illis Pauli verbis accipi debere contendo, non raro figurate accipitur. Veluti, cum idem Paulus dicit, revelandam eſſe erga nos gloriam, Rom. 8. 18. quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, nobis eſſe dandam gloriam; non tamen, tanquam eadem ipſa jam vere eſſet, ſed adhuc patefacta non fuiſſet. Nec enim alia ratione ea ipſa gloria jam antea fuiſſe dici poterit, quam Dei deſtinatione. Atque hoc ſenſu, Jeſum Chriſtum per reſurrectionem patefactum Dei filium fuiſſe affirmare poſſumus. Quia ſcilicet jam ab ipſo initio, immo antequam mundus fieret, beatiſſimæ immortali-

tati

tati à Deo deſtinatus fuerat, Joh. 17. 5. Relinquitur igitur, ſupervacaneam & inutilem prorſus fuiſſe Chriſti reſurrectionem ad peccata noſtra per pœnarum ſolutionem defenda; & proinde, ſi per ejuſmodi ſatiſfactionem omnia peccata noſtra deleta fuerunt, male locutum fuiſſe Paulum 1 Cor. 15, qui ait: Si Chriſtus non reſurrexit, nos adhuc eſſe in peccatis noſtris. Nam, ſi Jeſu Chriſti reſurrectio ipſius Chriſti in ſatiſfaciendo, id eſt, pœnis noſtris delictis debitis, perſolvendis, vim aliquam nobis non commendat, quid aliud efficit, quam ut, ſatiſfactionem iſtam ab ipſo peractam non fuiſſe, demonſtret, cum ex ea manifeſtiſſimum ſit, ipſum mortem æternam, quæ pœna delictorum noſtrorum erat, divinæ juſtitiæ minime perſolviſſe, imo ex diverſo ſempiterna vita donatum fuiſſe?

Cæterum, ſi quis adhuc dicat, ideo Jeſu Chriſti reſurrectionem, in hâc per pœnæ ſolutionem juſtificatione noſtra, maximum momentum habere, quia per ipſam ea vera eſſe demonſtrentur, quæ ipſe dixerat, dixiſſe autem, ſe pœnas univerſas noſtris peccatis debitas perſoluturum; Reſpondeo, neque Chriſtum id unquam dixiſſe, ut ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, perſpicuum eſſe poteſt, & clarius, ut ſpero, inferius oſtendemus: neque, ſi maxime dixiſſet, reſurrectionem id ea ratione comprobaturam fuiſſe, quam nos hoc loco quærimus. Non enim generalem iſtam comprobandi rationem quærimus, quia ſcilicet eum, qui dixit, ejuſmodi eſſe appareat, ut nulla in re mentiri poſſit: ſed ſingularem quandam, qua id nominatim, quod comprobandum eſt, per cauſſas aut effecta propria ita ſe habere demonſtretur. Adeo ut, quemadmodum non multo ante dictum eſt, non modo quia, Deum ipſum dixiſſe, appareat, id verum eſſe conſtet; ſed etiam, quia verum eſſe appareat, id Deum dixiſſe, nobis, ſicut facere jubemur, certo perſuadeamus. Is enim, ut ibi attigimus, benigniſſimo & ſapientiſſimo Deo noſtro fuit in ſalute nobis per Chriſtum comparanda ſcopus propoſitus, ut quæcunque is, ipſius nomine, nobis annunciaret, reipſa, quatenus fieri poterat, ex iis, quæ Chriſtus facturus, paſſurus, & adepturus erat, per rerum cauſſas vel effectus proprios veriſſima eſſe conſtaret. Quid autem ipſi cauſſæ perſolutionis pœnarum, quas divinæ juſtitiæ nos deberemus, magis repugnans excogitari poteſt, quam reſurrectio illius, qui eam perſolutionem peragere debuerit, cum per reſurrectionem æterna mors penitus deſtruatur, quæ ad pœnas illas perſolvendas omnino requiritur? Itaque, ut ad propoſitum tandem revertamur, fatendum eſt, cum mors æterna peccatis noſtris deberetur, eamque minime Chriſtus ſubierit, nec ſubire potuerit, quidquid ille paſſus eſt, vel pati potuit, pœnam peccatis noſtris debitam non continere, & ob eam rem nullo modo potuiſſe eum pœnas delictorum noſtrorum juſtitiæ divinæ perſolvere.

Sed finge, Chriſtum eas pœnas ſubiiſſe, quas quivis ex hominibus propter ſua ſcelera ſubire tenebatur; quid hoc erit ad veram plenamque ſatiſfactionem pro peccatis omnium? Quis unquam, ut jam dictum eſt, audivit, ſolvendo, quod unus debet, pro infinitis ſatiſfieri, qui idem ſinguli debeant?

Video, quid ad hoc & ad ea ſimul omnia, quæ hactenus diſputavi de Chriſto, qui omnes pœnas peccatis noſtris debitas perſolvere non potuerit, ſis reſponſurus. Dices enim, quæ à me dicta ſunt, veriſſima & ſolidiſſima futura eſſe, ſi Chriſtus purus homo fuiſſet. Nunc, cum idem Chriſtus, qui homo fuit, Deus quoque fuerit, iſque verus atque æternus, ejuſdemque cum patre, ut ſubſtantiæ, ſic dignitatis, virtutis, atque potentiæ; falſa, & inania in ejus perſona eſſe, quæcunque à me contra hanc pœnarum perſolutione peractam ſatiſfactionem fuerunt allata. Quamvis enim nec Chriſtus ea paſſus fuerit, quæ quivis noſtrum, divina juſtitia ita poſtulante, pati tenebatur, nec eadem, quæ ab infinitis corpore pendi debebant, ab ipſo ſolo perſolvi potuerint; tamen perſonæ dignitatem, & vim infinitam, quam in omnibus ejus utpote æterni Dei, actionibus, aut perpeſſionibus reperiri neceſſe eſt, utrique huic malo mederi. Dignitatem enim perſonæ efficere, ut quæ paſſus eſt Chriſtus, licet per ſe multo iis minora, quæ quilibet noſtrum pati debebat, ejuſdem tamen, ſive etiam majoris pretii cenſeantur. Ut in viro principe tantidem æſtimabitur levis pœna, aut pluris etiam, quam in homine plebejo graviſſima; & quod in hoc, perpetuo exilio, aut carcere multabitur: in illo, temporario puniri ſat fuerit. Vim autem illam infinitam & ejuſdem rei cauſſam eſſe, & præterea efficere, ut, quæ Chriſtus, licet ſolus, ſuo corpore perſolvit, idem pondus habeant, aut majus etiam, quam ſi, quod ſinguli debebamus, unuſquiſque per ſe proprio corpore ſolviſſet.

Vides; quibus philoſophicis inventis vobis opus ſit, ut iſtam veſtram ſatiſfactionem defendere poſſitis. Atqui ea, ſi placet, paullo diligentius examinemus. Quod igitur ad perſonæ dignitatem attinet, Primum mihi valde ſuſpectum eſt, quod pro conceſſo ſumitur, principis ſcilicet viri levem pœnam ejuſdem pretii eſſe, cujus graviſſimam hominis plebeji: quinimmo crediderim, injuſtam eſſe eam legem, quæ idem delictum in viro principe leviter puniat, in plebejo autem homine graviſſime. Quare, cum Chriſtus, ut vos dicitis, omnia delicta noſtra in ſeipſum ſuſceperit, acſi ipſemet ea omnia perpetraſſet; non video, quomodo juſtitiæ divinæ ſatiſfieri potuerit, niſi eas omnes pœnas ipſe ſuſtinuerit, quas nos pendere ex divina Lege tenebamur. Nullum eſt perſonarum diſcrimen apud Deum, tunc etiam, cum ejus miſericordiæ locus relinquitur. Quid tandem erit, cum de pœna irroganda ex juſtitiæ ſeu potius ſeveritatis abſolutiſſimæ præſcripto agitur? Sed, ne longius protrahatur hæc diſputatio, concedamus, perſonæ dignitate pœnæ æſtimationem augeri. Num ita augetur, ut, quavis digniſſima perſona pœnarum det, pœnas quantumlibet graves, quas minus digna vel etiam indigniſſima perſona ſubire tenetur, omnino æquet? Numquid, ſi vir princeps unius horulæ aut dieculæ exilio vel carcere multetur, idem erit ac ſi homo plebejus perpetuo exilio aut carcere multatus fuiſſet? Quid, ſi princeps ille vir ideo breviſſimæ illi pœnæ ſubjiciatur, ut poſtmodum ad ſupremam gloriam, & ea, quam antea habebat, infinitis partibus majorem, evehatur? Pœnæ, ut vos eas appellatis, quas noſtrum cauſſa pertulit Chriſtus, quamvis per ſe graviſſimæ exiſtimari debeant, tamen, ſi cum iis comparentur, quas nos meriti eramus, multo ſunt leviores, quam unius diei aut horæ exilium, ſi cum perpetuo exilio comparetur. Breviſſimum exilium, exilium eſt; nec à perpetuo differt, niſi temporis longinquitate. Pœnæ autem, quas Chriſtus ſubiit, non longinquitate temporis tantum ab iis, quas nobis jure infligere potuiſſet Deus, differunt, ſed etiam qualitate. Quamvis enim non defuerint*, qui, Chriſtum damnatorum pœnas paſſum fuiſſe, affirmare ſint auſi, exploſa tamen eſt ſententia iſta; & merito quidem, cum propter alia multa, quæ ad eam refellendam afferri ſolent, tum maxime propter hoc, quod de divina gratia & auxilio deſperatio, quæ propria damnatorum eſt pœna, quam longiſſime ſemper à Chriſto abfuit. Conqueſtus quidem eſt Chriſtus, ſe à Deo derelictum fuiſſe, ſed non propterea id fecit, quod vel minimum de ejus ope & benignitate deſperaret. Id enim vel cogitare quidem maxime impium cenſeri debet. Verum ita locutus eſt Chriſtus, ut ad opem ſibi ferendam, hoc eſt ad liberationem à cruciatibus, & morte dandam, Deum adduceret. Quod ſi quis recte percipere velit, legat Pſalmum 22, unde ea verba Chriſti de Deo conquerentis ſumpta ſunt. Ubi ſub Davidis, qui in magna aliqua calamitate conſtitutus erat, perſona, quam ex animo Chriſtus in media morte, mediiſque cruciatibus Deo confideret, ejuſque opem jam jam præſentem intueretur, apertiſſime explicatur. Id quod ipſe Chriſtus abundantiſſime verbis ſuis comprobavit, cum non ſolum moriens in manus patris commendavit, ſive depoſuit ſpiritum ſuum: ſed etiam, jam cruci affixus,

* Calvinus, & alii ante ipſum.

latroni ejus misericordiam & benignitatem imploranti, & se in paradiso omnino futurum dixit, Luc. 23. 43. & illi eandem felicitatem constanter polliceri non dubitavit. Pœnæ igitur, quas Christus sustinuit, nullam habent ad pœnas, quas nos pendere tenebamur, proportionem. Et certe si finiti ad infinitum, ut dici solet, nulla est proportio, quæ nam pœnarum Christi, quæ tempore finitæ fuere, ad pœnas nostris peccatis debitas nunquam tempore finiendas proportio esse potest? Post pœnas autem illas, ejusmodi gloriam, ob eas ipsas pœnas, est Christus consecutus, quam nec antea homo ille revera habuerat unquam, nec humana mens capere, aut lingua satis exprimere queat. Ut, etiamsi ea, quæ passus est Christus, pœnæ nomine passus esset, pœnæ tamen simpliciter appellari non deberent, sed potius labores præmia antecedentes. Quid ergo hic personæ dignitas efficere potuit, cum non modo nulla sit Christi pœnarum ad pœnas nostris delictis debitas proportio, sed, quas vos dicitis Christi pœnas, non vere & proprie sint pœnæ? Quod si, quod ad proportionem attinet, dicas nullam similiter esse nostri ad Christum proportionem, quippe cum nos puri homines simus, ipse vero etiam æternus Deus, & ob eam rem velis, quamlibet leviſſimam Christi pœnam cuilibet nostrum graviſſimæ æquiparari posse; Respondeo, si id verum esset, non opus futurum fuisse, ut Christus tot acerbos cruciatus, & tam diram mortem sustineret: Deum injustitiæ, aut immanitatis à vobis tacite insimulari, qui, cum, leviſſima aliqua pœna de Christo sumpta, suæ justitiæ plene satisfacere posset, ipsum tam atrociter excarnificari voluerit, sed hac de re iterum videndum erit.

Satis, ut arbitror, demonstratum est, Jesu Christi personæ dignitatem efficere non potuisse, ut, quamvis ipse eadem minime passus fuerit, quæ unus ex nobis pati tenebatur, quæ tamen passus est, tanti æstimentur, ut pretium illorum æquent. Nunc de vi illa quam Adversarii afferunt, infinita, eorundem, quæ passus est Christus dispiciamus. Certum est nulla alia ratione posse vim istam infinitam iis, quæ passus est Christus attribui, nisi quia æternus Deus sit. Sed Christus non potuit, quatenus æternus Deus, quidquam pati. Ergo ad infinitam vim ejus perpessionibus tribuendam nihil momenti habet, quod Christus æternus Deus sit. Neque enim satis est, Christum, qui passus fuit, æternum Deum fuisse: nisi etiam, quatenus Deus æternus est, fuerit passus. Ajunt sacrarum litterarum plerique interpretes, sic Christum ex humana divinaque natura constare, ut homo ex corpore & animo constat. Et quemadmodum in homine alias esse corporis actiones, alias animi, agnoscimus, Sic ipsi in Christo alias humanæ naturæ actiones, alias divinæ agnoscunt. Compertum est autem, quamvis idem homo, constans ex animo & corpore, sit, qui aliquid agit, aliam tamen vim esse actionum corporis, aliam actionum animi: & multas corporis actiones sive operationes, quia omnino corporis propriæ sunt, nihil prorsus ab animo sive mente mutuari, nec ulla vi magis præditas censeri, quam si ab animante animo & mente destituto, eadem fieri contingat. Nam qua majore, obsecro, vi prædita per se est in homine, exempli caussa, cibi & potionis sumptio, quam in reliquis animantibus? Quod autem de actionibus Christi, respectu divinæ & humanæ naturæ, per comparationem animi & corporis humani, diximus: idem de passionibus (quas vocant) omnino dicendum est. Immo multo magis, cum animi quidem passiones non minus, quam corporis dentur: divinæ autem naturæ passiones nullæ penitus dari possint, sed humanæ naturæ tantum. Quocirca, si plaga, puta, hominis corpori inflicta, nullam per se vim majorem habere potest, quam si eadem bestiæ alicui inflicta fuisset, multo magis quicquid passus est Christus nullam majorem vim per se habere potest, quam si quilibet purus homo idem passus esset. Quod si non per se, sed ex personæ dignitate Christi perpessiones æstimari velis; jam personæ dignitatem eam vim, qua ad satisfactionem istam peragendam opus fuisset, iis, quæ passus est Christus, conciliare non potuisse, probarum fuit. In homine si corpus affligitur, animus quoque persæpe afflictatur, at divina natura ex naturæ humanæ afflictionibus nec afflictari, nec angi, nec commoveri, nec denique ullo modo ipsarum particeps vere esse potest. Vos ipsi divinam naturam in Christo non aliter, quam per communicationem idiomatum passam fuisse confitemini. Nec enim usque adeo vos opinio ista satisfactionis excæcavit, ut divinam naturam vere pati non potuisse, non perspicue cernatis. Ergo per communicationem quoque idiomatum, non autem vere, vis illa infinita, quam ex divina natura proficisci arbitramini, Christi perpessionibus inerit; & ita non vere, sed per idiomatum commnicationem (si modo id alioqui fieri potuit) divinæ justitiæ pœnas nostris peccatis debitas exsolvit Christus. Hæc est scilicet, egregia salutis nobis per Christum partæ ratio, quam nobis commenti estis; ut non vere, sed per quendam loquendi modum, à pœnis delictorum nostrorum liberati simus. Et certe, nisi aliam salutis nostræ rationem ineamus, quemadmodum si ea vis perpessionum Christi ex divina natura proficisci debuit, verbotenus tantum divinæ justitiæ id, quod nos illi debebamus, persolutum est, re autem ipsa nihil solutum fuit; sic verbotenus tantum servabimur: re autem ipsa in æternum condemnabimur.

Adhæc fingamus, si placet, divinam naturam in Christo vere passam fuisse, num, obsecro, quia divina natura, hoc est, Deus infinitæ virtutis est, idcirco quæcumque in ipso fiunt, infinitæ sunt virtutis? Sic enim plerique ex vestris argumentari solent. Maxima omnino est in ista ratiocinatione fallacia. Perinde est enim, ac si quis diceret, quia Deus infinite sapiens est, idcirco quæcumque in ipso fiunt, habent sapientiam infinitam. Ex quo concludi posset, (si modo Deum ipsum in Christo vere passum fuisse velimus) Christi perpessiones non infinita virtute tantum sed infinita quoque sapientia præditas esse. Quo nihil ineptius dictum excogitari potest. Nec vero in ipsas Christi perpessiones, magis quam sapientia, cadere potest ea virtus, seu vis ejus generis, cujus illa est, quam in Deo infinitam esse omnes confitemur, &, si caderet, non id efficeretur, quod quærimus. Non enim quærimus, ut ea, quæ Christus passus est, omnia possint, quemadmodum Deus omnia potest (hæc est enim vis illa Dei infinita) sed ut infiniti sint pretii. Alia igitur argumentatione utendum est: hac, videlicet; Deus ifiniti pretii est: Christi igitur perpessiones, ut pote in ipso Deo factæ, infiniti pretii sunt. Sed rursus hæc argumentatio nullius ipsa pretii est. Posset fortassis hujusmodi ratiocinatio aliquod pondus habere, in iis, quæ perpetuo & naturaliter in re insunt, Sed in iis, quæ circa rem versantur, & ad tempus & adsunt, & absunt, quales sunt passiones, leviſſima censenda est. Si aliquas alias in Deum passiones revera cadere constaret, exemplo id in ipso Deo planissimum fieret. Sed quando exemplo uti non possumus, similitudine utamur. Videmus igitur Dei operationes, quantumvis maximi, non tamen infiniti pretii esse. Operationis autem nomine non ipsum operandi actum, sed opus ipsum intelligo; quemadmodum in hac quæstione nostra Passionis nomine non ipsum patiendi affectum, sed id, quod persona patitur, intelligendum est. Quærimus enim, an ea, quæ passus est Christus, infiniti pretii sint. Jam vero, si Dei opera universa singulatim consideremus, nullum ex ipsis, est quantumvis magni pretii, quod infiniti sit. Nam neque angeli ipsi infiniti pretii censeri debent, præscriptos enim quosdam fines, ac terminos habent eorum, propter quæ pretiosi (ut ita dicam) habendi sunt. Nec infinitatem pretii aliquam in re ulla comperies, præterquam in ipso Deo, & in iis, quæ in ipso naturaliter (si ita loqui fas est) & perpetuo insunt. Quocirca, etiamsi Passionis nomine hoc loco ipsum patiendi affectum intelligere vellemus, passiones divinas nihilominus infiniti pretii non esse, concludendum foret.

foret. Is enim affectus nec perpetuo, nec naturaliter ullo modo in Deo ineſſe poteſt.

Sed fingamus præterea, non ſolum divinam naturam vere pati potuiſſe, verum etiam infiniti pretii ejus perpeſſiones eſſe. Nonne & id quoque, quod unuſquiſque noſtrum propter delicta ſua pati tenebatur, infinitum quiddam erat? Nonne mortem æternam, & hic tempore nunquam finiendam pœnam, quilibet ex nobis pendere tenebatur? Et, ſi ad ſummum illud jus divinæ ſeveritatis, ut hic faciendum videtur, potius quam ad præſcriptam Legem rem revocare, atque expendere velimus, nonne pœnam, ut tempore non definitam, ſic pretio infinitam pendere tenemur, cum Deum rem infiniti pretii offenderimus? Quod ſi infinitatem temporis cui jure obnoxii non eſſemus, quippe quorum delicta temporaria fuiſſent, loco infinitatis pretii, quam debebamus, ſed ſolvendo non eramus, in unoquoque noſtrum ſucceſſiſſe dicamus; cur viciſſim pretii infinitatem pro temporis infinitate, ſi ab hoc reatu per pœnarum ſolutionem ab alio pro nobis faciendam liberandi ſumus, unuſquiſque noſtrum, quando per ſe non poteſt, per alium ſolvere non teneretur? Infinitas igitur pretii, quæ in Chriſti perpeſſionibus, quia divina natura paſſa fuiſſet, reperiri poſſet, pro uno quopiam perſolvi potuiſſet, & unus tantummodo ex nobis, ejus vi, à mortis æternæ reatu liberari. Siquidem, ut dictum eſt, quilibet ex nobis per ſe eam pretii infinitatem debebat. Quare totidem pretii pœnarum infinitates exiſtere opus fuiſſet, quot nos omnes ſumus, non unicam tantum, ſi omnes, id per alium ſolvendo, quod nos debebamus, eo nexu liberandi fuiſſemus.

Jam vero, ſi rurſus, ratione licet aperte reclamante, fingas, infinitatem pretii, quam Chriſti perpeſſionibus divina natura conciliet, tantam eſſe, ut pro omnibus pretii pœnarum infinitatibus, quæ à nobis perſolvi debuiſſent, ſatis cenſeri debeat; neceſſe eſt etiam, ut fingas, quamlibet Chriſti perpeſſionem idem efficere potuiſſe. Id quod aliqui etiam ex Doctoribus ſcholaſticis (quos vocant) confinxere, dicentes, unicam Jeſu Chriſti ſanguinis guttam ad humanum genus redimendum ſatis ſuperque futuram fuiſſe. Quod ſi verum eſt, non video, ut paullo ante dixi, quomodo Deus aut inſcitiæ, aut immanitatis excuſari queat; qui, cum nobis, quam leviſſime Chriſtum affligendo, ſalutem dare poſſet, eum tam diræ atque execrabili morti, quam graviſſima & innumerabilia mala anteceſſerunt, ſubjicere ſponte voluerit. Nam quod aliqui * ex vobis ajunt, ex firma Dei voluntate, ſine ſanguinis effuſione nullam remiſſionem fieri, & decretum hoc divinum nullo pacto mutari poſſe; id primum, ut mox videbimus, falſiſſimum eſt. Deinde etiamſi verum eſſet, neceſſe quidem fuiſſet, Chriſtum mori, atque adeo cruenta morte, (id enim ſibi vult ſanguinis effuſio) ſed, ut tam deteſtabili mortis genere occideretur, ut perpetuo, dum vixit, tot malis undique circundaretur, ut ante ipſam mortem tot graviſſimis animi anguſtiis premeretur, denique, ut moriens, præ ſupplicii atrocitate, ſe à Deo derelictum fuiſſe, magna voce clamare compelleretur; hæc vero fieri nihil prorſus cogebat. Sed falſiſſimum eſt, ut diximus, Deum decreviſſe, ut ſine ſanguinis effuſione nulla fieret remiſſio. Quod enim ab auctore ad Hebr. ſcriptum eſt Hebr. 9. 22, ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem, ex qua ſola Sacrarum Litterarum ſententia illud axioma iſti excerpere potuerunt, non eam vim habet, quam ipſi putant. Neque enim voluit dicere Scriptor ille divinus, Deum peccatum nullum remittere, niſi ſanguinis effuſio fiat: ſed, ut ex ipſo verborum contextu valde perſpicuum eſt, in Lege Moſis nullam peccatorum expiationem concedi, in qua ſanguinis effuſio non interveniat. Ut hac in parte per Chriſtum factam peccatorum noſtrorum expiationem illis Moſaicis ſimilem eſſe oſtenderet: & illas, tanquam umbram, hanc vero, tanquam corpus, fuiſſe declararet. Atqui, ut ſupra late explicatum fuit, expiationes illæ ignorantiis tantummodo, & levioribus quibuſdam peccatis decretæ erant. Graviora autem delicta (quæ quidem remittebantur) nulla ſanguinis effuſione interveniente, pœnitentia & vitæ emendatione, propter ingentem Dei benignitatem, expiabantur. Adde, quod hoc ipſum decretum, quod ſcilicet ſine ſanguinis effuſione nulla peccatorum remiſſio fieret (ſi modo res ita ſe haberet) ſatis oſtenderet, in Chriſti ſingulis perpeſſionibus, propter divinam naturam, vim infinitam ad peccata expianda, id eſt, pro ipſis ſatisfaciendum nequaquam fuiſſe. Cur enim, ſi quælibet Chriſti perpeſſio iſtam vim habitura erat, id decreviſſet Deus, & chariſſimum Filium, ſine neceſſitate ulla, cruentæ morti objeciſſet? quandoquidem cæteras ſanguinis ad peccata expianda effuſiones a Chriſti ſanguinis effuſione, per quam ſolam vere univerſa ab orbe condito peccata expiata fuiſſe contenditis, omnino, tanquam umbram, à corpore pendere neceſſe eſt: non autem ipſam ab illis ullo pacto. Itaque manifeſtum eſt, non modo cum rei ipſius natura pugnare, ſed ab omni veriſimilitudine penitus abeſſe, ut natura divina eam Chriſti perpeſſionibus vim aut tribuerit, aut tribuere potuerit, quæ ad divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfaciendum opus fuerat.

Sed age, concedamus, non ſolum divinam naturam pati potuiſſe, & ob eam rem Chriſti perpeſſiones infiniti pretii fuiſſe, verum etiam ita infiniti pretii fuiſſe, ut ab omnibus nobis, qui ſinguli infinitatem aliquam pœnarum debebamus, exigendas pœnas æquare, ac ſuperare potuerint; quid tandem efficietur? Certe, ut pro nobis ſatisfiat, iſtud adhuc ſatis non eſt. Nam tametſi, ut error veſter manifeſtius appareat, vobis in hac diſputatione id, quod evidentiſſime falſum eſt, conceſſi, poſſe ſcilicet unum pro alio pœnas corporales pendere; animadvertendum eſt tamen eum, qui pro alio pœnas corporales ſolvat, ejuſdem ſaltem generis, & naturæ, cujus ille eſt, pro quo eas ſolvit, eſſe debere. Id quod ſane in confeſſo eſt; & ob eam ipſam cauſſam, ut Chriſtus, qui pro nobis corporales pœnas, ut vos putatis ſoluturus erat, verus eſſet homo, neceſſe fuiſſe, vos ipſi contenditis. Cum autem dicimus, eum, qui pro alio pœnas corporales ſolvat, ejuſdem naturæ eſſe debere, cujus ille eſt, pro quo eas ſolvit, certum eſt, id per ſeipſum ſatis non eſſe; niſi etiam, quatenus ejuſdem naturæ eſt, eas omnes exſolvat. Nihil ergo ad iſtam ſatisfactionem pertinet, quod divina natura in Chriſto aliqua ratione paſſa fuerit. Non enim à natura divina ullo modo, ſed ab humana tantum divinæ juſtitiæ ſatisfaciendum erat. Quod etiam valere videtur ad vim illam excludendam, quam naturam divinam, cum interim ipſa nihil prorſus pateretur, humanæ naturæ perpeſſionibus dediſſe opinati eſtis. Si enim ea infinita vis non ab ipſa humana natura proficiſcitur, ſed à divina illius perpeſſionibus tribuitur: non video, quomodo divinæ juſtitiæ ſatisfieri potuerit; quæ non tantum, ut natura humana ipſa ſatisfaciat, requirit: ſed etiam, ut ſatisfactionis vis ab ipſa humana natura proveniat, poſtulare omnino videtur. Similitudine aliqua res melius explicabitur. Si quis ob aliquod delictum oneri alicui propriis humeris vehendo ex Lege deſtinatus ſit: non ſatisfiet Legi, ſi is propriis quidem humeris onus impoſitum habeat: ſed, dum ipſum vehit, alius ſit, qui vel ipſi oneri manum admoveat, vel ipſum iſtum, qui vehit, interim aliqua ratione fulciat, eique auxilietur. Sic, cum humanæ naturæ noſtrorum delictorum pœnæ ſubeundæ eſſent: non eſt divinæ Legi, quæ id ſtatuit, ſatisfactum, ſi humana quidem natura eas ſubiit, interim tamen, ut eas ferre poſſet, à divina jugiter ſuſtentata, & confirmata fuit. Sed neque etiam Legi ſatisfactum revera fuerit, ſi is, qui onus ferre debet, alicujus cibi, aut potionis mirabilis virtutis ſumptione, vel alia quapiam nova & adventicia ratione mirifice roboretur. Lex enim, quæ pœnam illam decrevit, quænam ſoleant vires hominis eſſe, diligenter expendit; & illis ejuſmodi onus ferendum dedit, quod, prout delicti gravitas requirere eſt viſa, hominem, quem punire

* Zanchius.

nire voluit, affligere poſſet. Quæ vires ſi mirum in modum augeantur, jam eam afflictionem non ſentiet homo ille, quam Lex ipſum ſentire voluit. Et idcirco juſtus judex numquam permittet, ut delinquens eo pacto, quo dictum eſt, roboretur & fulciatur. Quin etiam, ſi contigerit, eum, qui deliquerit, tantis viribus præditum eſſe, quæ conſuetas & communes aliorum hominum vires longe ſuperent, adeo ut onus vehendum, quod cæteris graviſſimum eſſe ſoleat, illi non admodum grave futurum ſit: quando vires illius minuere non poteſt, ſeu potius non debet: onus augebit, & Legis non verba, ſed mentem ſpectabit; quæ, ut is, qui deliquiſſet, tanquam ſui delicti pœnam, illius oneris gravitatem maximam experiretur, cavere voluit. Cautum eſt Lege divina, ut humana natura (ſic enim ut veſtris commentis meum ſermonem accommodem, & præſenti diſputationi inſerviam, loquendum eſt) propter ſua in Deum delicta quibuſdam certis pœnis ſubjiciatur, quas ille longe graviſſimas eſſe voluit, & delictorum gravitati non abſimiles. Si hæc humana natura aliqua nova atque adventitia ratione ita roboretur, ut eas pœnas multo, vel aliquanto etiam leviores experiatur, quam legis propoſitum fuit, ipſi legi neutiquam ſatisfactum erit. Atqui hoc in Chriſto eveniſſe ſi vera eſt ſententia veſtra, neceſſe eſt. Nam, cum pœnæ naturæ humanæ delictis decretæ ei mortem æternam conciliare deberent, & ita quam graviſſime fieri poterat, ipſum affligere, in Chriſto tamen, quem univerſas has pœnas perpeſſum eſſe vultis, propter divinæ, ut vobis placet, naturæ opem, quæ ipſi naturæ humanæ nova & adventicia obvenerit, tantum abeſt, ut mortem æternam humanæ naturæ conciliaverint, ut ea poſt tertium diem, ex quo pœnas illas exſolvit, ad æternam vitam ſumma & ineffabili cum gloria, ac poteſtate conjunctam evecta fuerit. Itaque ſtatuendum prorſus videtur, humanam naturam in Chriſto, ſi pœnas, quas homines Legi Divinæ debebant, eam perſolvere potuiſſe velimus, à nulla re alia, præterquam à ſe ipſa, vires id præſtandi ſumpſiſſe. Quod cum falſum eſſe, vos ipſi fateamini; falſum etiam erit, humanam Chriſti naturam propter ea, quæ paſſa eſt, aut pati potuit, divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris aut ſatisfeciſſe, aut ſatisfacere potuiſſe; etiamſi à divina natura ita vel adjuvari, vel fulciri potuerit, ut pœnas noſtris peccatis debitas, quas aliter pendere nequiviſſet, univerſas ſuſtinuerit.

Verum demus poſtremo, naturam humanam non vi propria ſua, ſed quam aliunde mutuata fuerit, pœnas noſtrorum delictorum divinæ juſtitiæ perſolvere potuiſſe, quis unquam, qui rem ipſam vel leviter expenderit, affirmare audebit, à divina natura eam vim proficiſci potuiſſe, & divinæ naturæ ope eam ſolutionem factam fuiſſe: cum ipſa divina natura, hoc eſt, ipſe Deus is ſit, cui ſatisfaciendum erat?

At dicitis, ut conjici poteſt, animadvertendum eſſe, aliam in ipſa eſſentia divina perſonam patris eſſe, aliam perſonam Filii; & Patri potuiſſe à Filio ſatisfieri, ſeu ut ſatisfieret, vim ſuppeditari: nec tamen aliquid, quod ſatisfactioni per ſolutionem faciendæ adverſetur; committi. Sed dicite, obſecro, nonne ipſius filii perſonæ non minus, quam patris, ſatisfaciendum fuiſſe affirmatis? Si filius patri ſatisfacit, hoc eſt, quod illi debetur, ſolvit: quis ipſi filio, quod ipſi debetur, dabit? Reſpondebitis, ut arbitror, ſi parti ſatisfactum fuit, filio quoque ſatisfactum eſſe; cum eadem ſit utriuſque voluntas. Iſtæc reſponſio futilis plane eſt. Cum enim de vera & plena, ut hic certe ſit, ſatisfactione agitur, voluntatis ratio non habetur, ſed rei ipſius, & ad juris rigorem, non autem ad ejus, cui ſatisfaciendum eſt, animum, cuncta referuntur & examinantur. Nec vero, re ipſa inſpecta, & juris rigore ſervato, ſi ſatisfactum eſt patri, filio quoque neceſſario ſatisfactum erit. Nam quomodo patri à filio quidquam ullo pacto ſolvi potuiſſet, ſi quod unius autem eſt, aut fit, alterius reipſa eſſe neceſſe foret? Numquid ea quidem, quæ pater accipit, continuo filii revera fiunt; quæ vero filius habet, non item continuo patris revera ſunt? Profecto, ſi iſtud, quod vobis ipſis falſiſſimum videri non dubito, verum eſſet: non potuiſſet filius patri quidquam revera ſolvere. Etenim quæ ſolutio eſſe revera poteſt, cum is, qui ſolvit, id ipſum, quod ſolvit, ſtatim ipſo jure, & ex rei natura, neceſſario recipit? At vero quis deinde ambigere queat, filium patri nihil dare poſſe: cum quidquid filius habet, patris revera ſit, & ipſe Chriſtus diſerte dixerit, Joh. 17. 10. omnia, quæ ſua erant, patris eſſe? An non ex ipſa diſciplina veſtra, hoc eſt Dei eſſentiam non diſtinguere, ſed partiri: ſi præter perſonarum proprietates, aliquid unam perſonam habere velitis, quod alia non habeat? Filii autem perſonam proprietates ſuas patris perſonæ pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione ſolviſſe, cui unquam in mentem venire poterit? Quod ſi dixeris filii perſonam non ſolviſſe, ſed ſolutioni vim dediſſe; hoc, quantum pertinet ad ſatisfactionem, quam ipſa quoque filii perſona accipere debebat, nihil efficit. Nam ſive filii perſona patri aliquid ſolverit, ſive ſolutioni vim dederit, ipſi, ut modo oſtendimus, nihil vere ſolutum fuit, & ita, niſi, filii perſonæ ſatisfieri non oportuiſſe, dicatis, juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris plene per pœnarum ſolutionem ſatisfactum non fuiſſe, confitendum vobis eſt. Quantum vero ad ſatisfactionem, quam perſona patris accipere debuerat, non ſolum proprietates ſuas ſolvere filius non potuit: ſed nec etiam proprietatibus ſolutioni vim ullam dare. Verum, ut ex ipſa eſſentia divina ea vis profecta fuerit, neceſſe eſt, id eſt, ex ea re, quam eandem numero in perſona patris eſſe, vos ipſi affirmatis. Quod ſane abſurdiſſimum, atque adeo impoſſibile cenſeri debet; ut ſcilicet quis ſibi per alterius ſolutionem ſatisfaciendi ex ſeipſo, aut certe ex eo, quod idem numero ſibi totum inſit, proficiſcatur. Quare concludendum eſt, illud ipſum, quod vos ad iſtam veſtram ſatisfactionem ſtabiliendam potiſſimum afferre ſoletis, & ſine quo eam funditus corruere arbitramini, quod ſcilicet Chriſtus æternus Deus & ipſe Jehova unicus Deus noſter fuerit, non modo ad eam confirmandam quidquam momenti habere non poſſe, ſed ipſam potius penitus convellere. Quod enim is, cui ſatisfaciendum erat, ſibi ipſi ſatisfecerit, aut, ſibi ipſi ſatisfaciendi, vim dederit, ſive, quod ei, cui ſatisfaciendum fuerat, adeo conjuncta perſona, ut omnia prorſus, ex quibus ſatisfaciendi vis proficiſci potuit, cum ipſo communia habeat, idem præſtiterit, id neque ex toto, neque ex parte ullo modo fieri poteſt: Separatam enim penitus ſatisfacientis, ſive illius, cujus ope ſatisfactio peragitur, perſonam ab eo, cui ſatis fit, eſſe oportet: aut ſaltem ita disjunctam, ut aliquid proprium habeat, ex quo ſatisfactio vim ſumere, ac perfici queat. Atque hæc omnia ſenſus ipſe communis quemlibet aperte docet; adeo ut ſi, Chriſtum pro nobis Deo omnes peccatorum noſtrorum pœnas exſolviſſe, perſeverare velitis, alterum ex duobus vobis faciendum omnino ſit, Aut negandum, ipſum Chriſtum æternum Deum & Jehovam eſſe, Aut, quatenus æternum Deum & Jehovam, ad ſolutionem iſtam faciendam nullo prorſus modo concurriſſe.

Sed, cum jam ſatis abunde demonſtratum fuerit, in Chriſti perſona nihil eſſe, aut fuiſſe, quod per pœnarum, quas nos debebamus, ſolutionem divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere potuerit; nunc neque etiam per eorum, quæ nos facere debebamus, præſtationem id fieri ab ipſo potuiſſe oſtendamus.

CAP. V.

Chriſtum eorum, quæ nos ex lege Dei facere debebamus, præſtatione, divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere non potuiſſe.

JAm vero manifeſtum eſt, Chriſtum quia homo natus fuerat, & quidem, ut inquit Paulus Gal. 4. 4. factus ſub Lege, Legi divinæ, ei inquam, quæ æterna

æterna & immutabilis eſt, ſervandæ, non minus, quam cæteri homines, obnoxium fuiſſe. Alioqui potuiſſet Chriſtus æternam Dei Legem negligere, ſive etiam univerſam, ſi voluiſſet infringere; quod impium eſt vel cogitare. Immo, ut ſupra alicubi explicatum fuit, niſi ipſe Chriſtus Legi divinæ ſervandæ obnoxius fuiſſet, ut ex Pauli verbis colligitur, non potuiſſet iis, qui ei Legi ſervandæ obnoxii ſunt, opem ferre, & eos ad immortalitatis firmam ſpem traducere. Non differebat igitur, hac quidem in parte, Chriſtus, quando homo natus erat, à cæteris hominibus. Quocirca nec etiam pro aliis, magis quam quilibet alius homo, Legem divinam conſervando, ſatisfacere potuit, quippe qui ipſe eam ſervare omnino deberet. Quod ſi dicas, ipſum, antequam homo fieret Legi divinæ ſervandæ ſubjectum non fuiſſe, & ob eam rem cum homo fieri voluerit, & ita ſe ipſum huic jugo ſponte ſubmittere, non perinde ac de cæteris hominibus, hac etiam in parte de ipſo judicandum eſſe; Animadvertendum eſt, iſtiuſmodi ſui ipſius ſubmiſſionem non efficere, quin Chriſtus non minus, quam cæteri poſtquam homo natus fuit, Legem divinam ſervare teneretur: ſed arguere duntaxat, deberi illi aliquid, ſive etiam multum, propterea quod, cum liber eſſet, ſe tanto oneri ferendo obligare voluerit. Hoc autem quid ad alios pertinet? An non ſatis ſuperque iſta ſuiipſius ſpontanea ſubmiſſio ſuam mercedem accepit, cum à Deo ita elatus fuit, ut datum ſit illi nomen adeo ſupra omne nomen, ut in Jeſu nomine omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum? quod ſane & iſtius (ut quidem vos Apoſtoli verba interpretamini) ſui ipſius ſubmiſſionis, & præterea obedientiæ uſque ad mortem crucis, præmium fuiſſe, ex Paulo liquet, Philip. 2 6. &c. Quid quod ne ſibi ipſi quidem Chriſtum aliquid meruiſſe, ulla firma ratione ex eo Pauli loco colligi poteſt? Johannes certe Calvinus, qui, Chriſtum ſibi ipſi meruiſſe, contra Lombardum, & Scholaſticos aperte negat, ad ea Pauli verba adhunc modum reſpondet: * *Præpoſtere vero huc trahunt Pauli teſtimonium, Propterea exaltavit ipſum pater, & dedit illi nomen, &c. Quibus enim meritis aſſequi potuit homo, ut judex eſſet mundi, caput angelorum, atque ut potiretur ſummo Dei imperio, atque in eo reſidreet majeſtas illa, cujus milleſimam partem cunctæ hominum, & angelorum virtutes attingere nequeunt? Sed facilis & plena ſolutio eſt, Paulum illic non diſſerere de cauſſa exaltationis, ſed conſequentiam duntaxat oſtendere, ut nobis eſſet exemplo. Nec omnino aliud voluit, quam quod* Luc. 24. 26. *alibi dicitur, oportuiſſe Chriſtum pati & ita intrare in gloriam Patris.* Hactenus Calvinus. At vero, ſi ſibi ipſi Chriſtus non meruit, quomodo aliis mereri potuit?

Si dicas, Chriſtum ideo ſibi non meruiſſe, quia, ut ibidem paullo ſuperius idem Calvinus ait, non opus fuerit, unicum Dei filium deſcendere, ut ſibi acquireret quidquam novi: ſed nobis meruiſſe, quibus multum novi acquiri potuerit; Jam tibi reſpondet ipſe Calvinus, qui, ut audiſti, negat, Chriſtum ſibi ipſi, etiam ut homini, meruiſſe. Nam profecto, ut homini, ſibi multum acquirere poterat, ut reipſa acquiſivit; quemadmodum & inter omnes conſtat, & univerſa ſcriptura apertiſſime teſtatur. Quod ni eſſet, omnis noſtræ æternæ ſalutis ſpes, quam per ipſum Chriſtum concepimus, funditus concideret, atque interiret; ut ſupra abundanter expoſitum, & demonſtratum fuit. At enim dices, Chriſtum quidem, ut hominem, ſibi non meruiſſe, & hoc eſſe quod ait Calvinus: Sed, ut homini, meruiſſe, licet ut Deo non meruerit: neque id à Calvino negari. Immo id ſatis aperte à Calvino negatur, cum negat, ipſum ſibi meruiſſe, & Scholaſticos, qui id aſſerebant, reprehendit. Nam, quacumque ratione ſibi Chriſtus meritus fuiſſet, injuſta omnino eſſet ejus reprehenſio. Verum illi ſatis fuit, oſtendiſſe, Chriſtum nec, ut, Deum Deo, nec, ut hominem homini, ſibi aliquid mereri potuiſſe; nimirum quia pro conceſſo tacite ſumpſit, fieri non poſſe, ut altera natura alteri quidquam mereatur. Nec ſane injuria. Nam neque alteri mereri, quiſquam revera poteſt; nec divina natura (quod enim humana divinæ nihil mereri potuiſſet, nullam dubitationem habebat) etiamſi id fieri alioqui poſſet, quidquam cuiquam unquam meretur; quippe quæ ipſa ſit, quæ donet, atque largiatur, ſeu mavis, meritis, ſi qua ſunt, dignam mercedem det.

Ex jam dictis apparet, Chriſtum nobis nihil omnino (ſi de vero merito loquamur) vel meruiſſe, vel mereri potuiſſe. Nam ſi velitis, eum ut hominem, ſeu vi humanæ naturæ id præſtitiſſe; falſum illud ex eo deprehendetur, quod humana natura ne ſibi ipſi quidem quidquam mereri potuit: nedum aliis ſit merita; quippe quæ ſibi à Deo injuncta facerere teneretur. Nihil autem Chriſtus fecit, quod ipſi à Deo injunctum non fuiſſet Si enim de Legis Divinæ conſervatione loquamur; ea ipſi, qui homo erat, ut modo dicebamus, non minus, quam cæteris hominibus, ipſo jure injuncta fuerat. Sin ad ea reſpicere velimus, quæ ſingulariter præter id, quod Lex omnibus peræque mandat, dum adhuc mortalis eſſet, præſtitit; ea ſimiliter illi à Deo fuerant injuncta. Hinc enim tantopere ejus obedientia celebratur: & uſque ad mortem crucis obediens fuiſſe dicitur. Nullus ſiquidem obedientiæ locus eſſe poteſt, ubi nullum eſt juſſum. Hinc ipſe, ſe de cælo deſcendiſſe dixit, non ut voluntatem ſuam faceret, ſed voluntatem ejus, qui ipſum miſerat, Joh. 6. 8. & apud eundem Johannem cap. 4. 34. ait, cibum ſuum eſſe, ut faciat voluntatem illius, qui ipſum miſit, & ejus opus perficiat. Cap. autem 10. 18. ſe mandatum accepiſſe à patre ait, ut animam ſuam poneret, iterum ipſam accepturus. Propterea, ut apud eundem Euangeliſtam ad finem cap. 14. ſcriptum extat, cum ſe in manus peccatorum, ut occideretur, tradi permittere vellet, & ob eam rem in eum locum ſecedere, ubi Judas Iſcariota, unus ex ejus diſcipulis, ipſum proditurus erat: diſcipulos reliquos alloquens, ſic ait: *Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio; ſurgite, eamus hinc.* Quod ſi dicatis eum, ut Deum; & vi naturæ divinæ nobis meruiſſe; iſtud ridiculum plane eſt, cum, ut dictum fuit, Deus ſeu natura divina non mereatur; ſed donet, ac largiatur: & meritis, ſi qua ſunt, digna præmia rependat.

Nam ſi naturam ipſam divinam nobis mereri non poſſe fateamini quidem: ſed tamen humanæ naturæ vim, ut nobis mereretur, dediſſe contendatis; adeo frivolum hoc eſt, ut refutatione non indigeat.

Etenim quid poteſt, quæſo, divina natura humanæ tribuere præter id, quod perfectiſſime Dei mandata conſervet? At nulla tanta perfectio conſervationis mandatorum Dei excogitari poteſt, quam is, cui mandatum eſt, præſtare non debeat. Sed ubi debitum eſt, ibi nullum verum & proprium meritum, & quale in hac diſputatione intelligi neceſſe eſt, intervenire poteſt. Vide Luc. 17. 10. Cæterum, ſi à vobis Chriſtum non dividi dicatis, nec in iis, quæ Chriſtus fecit, ab humana divinam naturam diſtingui: ſed omnia ejus opera, ut ab humanæ, & divinæ naturæ concreto facta conſiderari; hoc item, quod ad vim obedientiæ Chriſti pertinet, valde frivolum eſt. Nam adhuc inquirendum relinquitur, undenam tanta vis, quam vos illi tributis, proficiſci potuerit; præſertim cum ipſa natura divina non magis obedire poſſit, quam perpeſſiones experiri. Et cum ab humana natura, cujus proprium eſt obedire, neque per ſe, neque divinæ naturæ ope ea provenire poſſit; concludendum eſt, Chriſti obedientiam ejuſmodi vi prorſus carere. Jam ſi totum quidem Chriſtum nobis meruiſſe affirmetis: non tamen propter ipſius obedientiæ vim, ſed propter dignitatem perſonæ, quæ eam obedientiam præſtitit; Dico, nullius perſonæ tantam dignitatem eſſe poſſe, quæ, ſi obedire teneatur, eo quod obedierit, vel aliis, vel etiam ſibi ipſi, aliquid vere & proprie mereri poſſit. Poteſt quidem minus vere & proprie aliquis mereri, quia aliquid fecerit, quamvis id facere teneretur: ſed non tamen propter perſonæ digni-

* Inſtit. lib. 2. cap. 17. Sec. 6.

dignitatem aliquam, ſed propter promiſſionem, quæ præceſſerit. Atque hac ratione & ſibi ipſi, & nobis meruiſſe Chriſtum, ut ſupra alibi attigimus, recte dici poteſt. Cum enim Deus, ut ibi explicatum fuit, & decreviſſet, & promiſiſſet, ſi Chriſtus animam ſuam, ut opus, quod ei mandaverat, perageret, profudiſſet, futurum, ut & ipſe, & quicumque ei obtemperaſſent, æternam ſalutem adipiſcerentur, ac præterea ipſemet eam ſalutem ſibi obedientibus dandi poteſtatem conſequeretur; certe, poſtquam Chriſtus animam ſuam, munus ſibi a Deo patre injunctum perficiendo, profudit: dignus fuit, qui ad tantam dignitatem & potentiam eveheretur: & merito nobis, qui illi obedimus, ſalutis æternæ, quemadmodum ſcriptum eſt cauſſa extitit Heb. 5. 9. Aliud meriti genus ex Jeſu Chriſti obedientia vel profectum fuiſſe, vel proficiſci potuiſſe, neque uſquam legitur, & omnibus tam divinis, quam humanis rationibus plane adverſatur.

Jam vero, quamvis, dum de Chriſti meritis diſſeruimus, ſatis probatum videatur, non potuiſſe ipſum pro nobis ſatisfacere, ea præſtando, quæ nos facere tenebamur; ut tamen idem magis perſpicuum fiat, ad ipſam rem, ejus propriis vocabulis, & loquendi modis utentes, quam breviſſime examinandam revertamur. Concluſum à nobis fuerat, non potuiſſe Chriſtum divinæ juſtitiæ id præſtare, quod nos facere tenebamur: propterea quod ipſemet, quia homo erat, divinæ legi ſervandæ obnoxius eſſet. Sed quid erit, etiamſi demus id, quod evidenter falſiſſimum eſt, Jeſum ſcilicet Chriſtum legi divinæ ſervandæ ſubjectum non fuiſſe? Nonne ſupra ratione probatum eſt, quemadmodum unica tantummodo ea legis divinæ conſervatio fuit, quam Chriſtus præſtitit, ſic pro uno tantum eam præſtari potuiſſe? Quid vero habet Chriſti perſona, quod unicam duntaxat legis divinæ conſervationem pro innumerabilibus valere faciat? Satis ut abitror, à nobis demonſtratum eſt, neque propter divinæ naturæ vim, neque propter ipſius perſonæ dignitatem, potuiſſe divinæ legis conſervationem illam, ne aliquanto quidem perfectiorem eſſe quam ipſa lex, & Deus requirat. Tantum abeſt, ut innumerabilium loco eſſe potuerit. Adde quod, ut unius factum alterius eſſe cenſeatur (ſi modo, ut diximus, id alioqui fieri poſſet) non ſatis eſſet, aliquem id feciſſe, quod facere non tenebatur; niſi etiam pro illo, qui, cum idem facere teneretur, non fecerat, ſe id præſtare velle antea dixiſſet: ac præterea is, cui factum illud quodammodo dandum erat, ejus loco id (ut dicitur) acceptaſſet; præſertim vero ſi is, qui illud præſtitit, egregii ſui facinoris ingentem alioqui mercedem accepiſſet. Atqui nuſquam ſcriptum reperies, vel Chriſtum, poſtquam id proteſtatus eſſet, noſtrum loco divinam legem ſervare aggreſſum fuiſſe, vel Deum pro legis ſuæ conſervatione, quam nos ipſi præſtare debebamus, à Chriſto præſtitam ejuſdem legis conſervationem acceptaſſe; & cujuſcumque operis, quantumvis præſtantiſſimi, quod Chriſtus patravit, cumulatiſſimam mercedem, citra iſtam pro nobis ſatisfactionem, eum recepiſſe, teſtatiſſimum habemus. Itaque perſpicuum eſt, in Chriſti perſona nihil fuiſſe, quod ſatisfactionem pro peccatis noſtris eorum, quæ nos facere debueramus præſtatione peragere potuerit.

CAPUT. VI.

Concluditur ex ſupra diſputatis, Chriſtum non potuiſſe divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfacere; idque amplius confirmatur; atque oſtenditur, vera & propria Chriſti merita ex Adverſariorum ſententia ſtatui; quæ cum Dei gratia manifeſte pugnant.

EX iis, quæ hactenus dicta ſunt, tandem appareret, nullo modo potuiſſe Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfacere: non modo quia rei ipſius natura id nulla prorſus ratione ferre poteſt, ita ut inter ea, quæ plane impoſſibilia ſunt, numerari debeat: verum etiam, quia, etiamſi id alioqui per ſe fieri aliquo pacto poſſet, ea tamen, quæ ad id peragendum neceſſario requirerentur, ejuſmodi ſunt ut ne in ipſo quidem Chriſto reperiri potuerint, omnia licet in eo fuerint, quæ eſſe potuerunt. Præterquam quod nonnulla in ipſo reperta ſunt, quæ ejuſmodi ſatisfactionem penitus excludant. Quare nequeo ſatis mirari, quid iis in mentem venerit, qui nobis primi iſtam ſatisfactionem fabricarunt; cum ea, quæ fieri non poſſe aperte conſtat, divinis etiam oraculis, ea facta fuiſſe, in ſpeciem diſerte atteſtantibus, nequaquam admittantur (& idcirco ſacra verba, in alium ſenſum, quam ipſa ſonant, per inuſitatos etiam tropos, quandoque explicantur) nedum tunc pro compertis & plane veris affirmentur, atque aliis obtrudantur, cum ne verbum quidem in univerſis ſacris litteris de ipſis extat. Nam ſi vel unus ſaltem locus inveniretur, in quo ſatisfactionis pro peccatis noſtris Deo per Chriſtum exhibitæ mentio fieret: excuſandi fortaſſe viderentur. Ego quidem, etiamſi non ſemel, ſed ſæpe id in ſacris monimentis ſcriptum extaret: non idcirco tamen ita rem prorſus ſe habere crederem, ut vos opinamini. Cum enim id omnino fieri non poſſit, non ſecus atque in multis aliis ſcripturæ teſtimoniis una cum cæteris omnibus facio, aliqua, quæ minus incommoda videretur, interpretatione adhibita, eum ſenſum ex ejuſmodi verbis elicerem qui & ſibi ipſi conſtaret, & perpetuo ejuſdem ſcripturæ tenori non adverſaretur. Caveant tamen imperiti, ne, quibuſdam Gallicis & Italicis interpretationibus decepti, de ſatisfactione iſta eo in loco ſcriptum eſſe ſibi perſuadeant, ubi, cum de Chriſto ſit ſermo, vulgata Latina editio habet, *ut repropitiaret peccata populi.* Heb. 2. 17. Quem locum auctores illarum interpretationum non veriti ſunt perinde vertere, quaſi ſcriptum fuiſſet, ut ſatisfaceret, ſive, Ad ſatisfaciendum pro peccatis populi, cum tamen in Græco ſcriptum ſit, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ. Quod, ut omnes norunt, nihil aliud ſibi vult, quam, Ut expiaret, ſive, Ad expiandum peccata populi. Atqui ſupra, & quid Expiare peccata ſignificet, abunde explicatum eſt: & quæ ejus loci ſententia ſit, aperte expoſitum; ac de ſatisfactione ulla ibi mentionem non fieri, evidenter demonſtratum.

Quam igitur, ut ad propoſitum redeam, ſpem ſalutis habere poſſumus, ſi per ſatisfactionem, quam Deus à Chriſto pro peccatis noſtris acceperit, eam nobis contingere dicamus, cum ea ſatisfactio fieri nullo modo potuerit? Dices ne, ſatisfieri quidem vere pro peccatis noſtris Deo non potuiſſe, ſed tamen ea, quæ fecit, & paſſus eſt Chriſtus, pleniſſimæ ſatisfactionis loco à Deo fuiſſe ducta? At iſtud pugnat cum eo, quod tute diſertis verbis affirmas. Chriſtum ſcilicet divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris plene & abſolutiſſime ſatisfeciſſe. Atque hoc, ut ſcis, illud eſt, de quo inter nos potiſſimum contenditur. Quod niſi ita ſentires, cæteris, quibuſcum, ut arbitror, tibi convenire putas, adverſareris. Iſtorum enim plerique, pleniſſimam ac perfectiſſimam pro peccatis noſtris ſatisfactionem ex iis, quæ fecit, & paſſus eſt Chriſtus, non quidem propter Dei acceptationem, ſed propter ipſorum Chriſti operum, ipſarumque perpeſſionum propriam vim, profectam fuiſſe, & volunt, & acriter contendunt. Non defuerunt tamen ex veſtris ipſis, ut animadvertere potui, qui aliquanto perſpicaciores, cum viderent, veram iſtam & propria virtute cumulatiſſimam ſatisfactionem defendi non poſſe, ad alteram illam ſententiam deflexerunt; & ideo ſatisfeciſſe Chriſtum crediderunt, quia Deus ita decreverit, & ipſius obedientiam pro ſatisfactione acceptaverit: non autem quia illa per ſe vim ſatisfaciendi habuerit. Inter quos præcipue eſſe videtur Johannes Calvinus; qui hac, de re ſcribens, hæc verba protulit, * *Quum ergo de Chriſti merito agitur, non ſtatuitur in eo principium: Sed conſcendimus ad Dei ordinationem, quæ prima cauſſa eſt: quia mero beneplacito mediatorem ſtatuit, qui nobis ſalutem acquireret.* Et paullo poſt,

* Inſtit. lib. 2. cap. 17. Sec. prima.

Chriſtus

Chriſtus non niſi ex Dei beneplacitò quicquam mereri potuit, ſed quia ad hoc deſtinatus fuit, ut iram Dei ſuo ſacrificio placaret, ſuaque obedientia deleret tranſgreſſiones noſtras. In ſumma quando ex ſola Dei gratia (quæ hunc nobis conſtituit ſalutis modum) dependet meritum Chriſti, non minus apte, quam illa, humanis omnibus juſtitiis opponitur. Nec vero eſt, quod Calvini mentem in his verbis eſſe dicamus, quod Chriſtus pro nobis mortuus ſit, & perfectiſſimam obedientiam Deo præſtiterit, id à Dei bona voluntate erga nos profectum eſſe, alioqui nihil fuiſſe, quod Chriſtum ad tantum opus patrandum adigere poſſet: non autem ſenſiſſe Calvinum, Chriſti obedientiam propria virtute Dei gratiam nobis promereri non potuiſſe. Nam iſtud cum ipſis verbis non conſentit, præſertim vero cum illis, *Chriſtus non niſi ex Dei beneplacito quicquam mereri potuit.* Ex quibus apparet, illum ſenſiſſe non ſolum, ideo obedientem fuiſſe Chriſtum, quia Deus voluerit: ſed etiam ſua obedientia nihil eum mereri potuiſſe, niſi Deus, ut mereretur, decreviſſet. Præterea id apertius etiam ex aliis verbis fit, quæ paullo ante ſcripſerat. Dixerat enim: *Equidem fateor, ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reperietur in homine dignitas, quæ poſſit Deum promereri.*

At dices fortaſſe, Calvinum in his verbis Chriſtum, ut hominem, duntaxat conſiderare, non autem ut Deum. Quaſi vero in eo loco quæreretur, utrum Chriſtus, quatenus homo eſt, aliquid nobis meritus eſſet, & non aperta eſſet diſputatio de toto Chriſto, utrum ſcilicet hæc duo pugnarent: Nos Dei gratia ſervatos eſſe, &, Chriſtum nobis apud ipſum Deum ſalutem meruiſſe. Quod igitur Calvinus Chriſti, ut hominis, in hac diſputatione mentionem fecit: hoc non ideo factum eſt ab eo quia totum Chriſtum ſibi conſiderandum non propoſuerit, alioqui quæſtionem non decidiſſet; ſed quia recte noverat, divinam naturam nihil nec ſibi, nec aliis mereri poſſe, & Chriſtum non niſi quatenus homo eſt, mereri aliquid potuiſſe. Quod ſi aliunde in ejus ſcriptis non eliceretur, ex hoc uno certe loco apertiſſime colligeretur. Ut enim Chriſtum ſimpliciter, & per ſe, hoc eſt, à Dei (ut ipſemet deinde ſe explicat) ordinatione & beneplacito ſeparatum mereri non potuiſſe probet, inquit, non poſſe in homine dignitatem reperiri, quæ Deum promereri poſſit. Nam ſi, Chriſtum alia ratione, quam quatenus homo eſt, ſimpliciter & per ſe mereri potuiſſe, arbitratus eſſet, ineptiſſime argumentatus fuiſſet, & nihil plane dixiſſet.

Idem Calvinus * ex parte hoc ipſum, de quo agitur, nempe quod Chriſtus propria eorum, quæ paſſus eſt virtute, eas pœnas, quas nos divinæ juſtitiæ debebamus, non ſolverit, non obſcure indicat, cum alibi ait, Chriſtum dependiſſe, ac perſolviſſe omnes, quæ à nobis expetendæ erant, pœnas: uno hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri. Quomodo enim eorum, quæ dantur, propria vi ſatisfieri poteſt, ſi minus ſolvitur quam debetur?

Senſit igitur vir iſte, cui nec doctrina, nec judicii acumen deerat, fieri non poſſe, ut Chriſtus eorum vi, quæ fecit, & paſſus eſt, nobis quidquam ſit meritus, aut pro nobis divinæ juſtitiæ ſatisfecerit. Verumtamen interea, cum verum aliquot Sacræ Scripturæ locorum ac germanum ſenſum aſſequi non poſſet, & fortaſſe illi durum videretur ab inveterata, & ab ipſo jam recepta aliiſque tradita ſententia diſcedere: quanquam per quærendi ſpeciem à Lælio Socino patruo meo veritatis admonitus: quod Chriſtus nobis ſalutem æternam apud Deum vere & proprie promeritus ſit, non modo aſſeverare perrexit: ſed quæ ad Lælii quæſtionem reſponderat, & in libro ipſius epiſtolarum deinde edita ſunt, in ſuam Chriſtianæ religionis inſtitutionem retulit † in quibus nihil fere prætermiſit, quod ad receptam illam ſententiam confirmandam afferri potuerit. Mirum ſane eſt, illum, qui, Chriſtum per ſe & ſimpliciter quidquam mereri non potuiſſe, & viderat & conceſſerat, non vidiſſe, inde neceſſario ſequi, Chriſtum vere & proprie nihil nobis meritum fuiſſe. Pugnat enim ſecum ipſa hæc enunciatio, & ſeipſam deſtruit, Chriſtum vere & proprie ſalutem nobis non per ſe, ſed per Dei gratiam fuiſſe promeritum. Nam, ſi verum & proprium meritum intervenit: jam excluditur Dei gratia. Sin non per ſe, ſed per Dei gratiam meritus eſt Chriſtus: jam vere & proprie meritus non eſt. Ut enim in re ſimili inquit Paulus, *Si per gratiam: jam non ex operibus; alioqui gratia jam non eſt gratia. Sin ex operibus: jam non eſt gratia; alioquin opus jam non eſt opus* Rom. 11. 6.

Nec regula illa vulgaris, quam Calvinus affert, *Quæ ſubalterna ſunt non pugnant*, ad hanc repugnantiam tollendam quidquam momenti habet Primum enim nihil hic eſt ſubalternum; ſed eodem tempore de eadem re invicem pugnantia dicuntur. Deinde non ita intelligenda eſt regula illa, quaſi ea, quæ vere inter ſe pugnant, ſubalterna eſſe queant. Niſi autem hoc modo intelligatur; non video, quomodo regula illa Calvinum adjuvare poſſit. Si enim ita argumentari vult: Dei gratia, & proprium Chriſti meritum ſunt ſubalterna; ergo non pugnant; quia ea, quæ ſubalterna ſunt, pugnare nequeunt; pro conceſſo id ſumit, de quo diſputatur: Negant enim, qui ab eo diſſentiunt, & de hoc potiſſimum contenditur, Dei gratiæ proprium Chriſti meritum ſubjici poſſe. Idque propterea negant, quod pugnent inter ſe Dei gratia, & proprium Chriſti meritum. Quorum vero unum alteri ſubjiciendum eſt, ea inter ſe jam pugnare non debent. Fit quidem interdum, ut ea, quæ alioqui per ſe invicem pugnant, ex eo, quod unum alteri ſubjiciatur, pugnare deſinant. Nam ob eam ſubjectionem id, quod ſubjicitur, qualitates, quæ repugnantiæ cauſſa erant, deponit, nec jam eſt id, quod per ſe antea erat. Atque, ut ab hoc meriti, & gratiæ Dei exemplo non recedamus: pugnant inter ſe hæc duo, quod homo per Dei gratiam ſalvus fiat, & quod ſuis meritis ſalutem conſequatur. Si tamen merita hominis Dei gratiæ ſubjiciantur, id eſt, ſi dicatur, eos, qui Chriſto obediunt, mereri vitam æternam, non quidem ipſius obedientiæ vi, ſed quia Deus pro ſua incomparabili benignitate ſtatuit, ut, quicumque Chriſto obediat, vitam æternam habeat, non pugnabunt in ſalute conſequenda ipſius hominis merita cum Dei gratia, cum ab hac illa omnino pendeant. Sed jam non erunt ea merita proprie merita, & qualia ſunt ea, quæ cum divina gratia conſiſtere nequeunt. In Chriſto, ſi velimus eum divinæ juſtitiæ piene, & vere pro nobis ſatisfeciſſe, opus eſt veris & propriis meritis, & ob eam rem ipſe Calvinus, * qui ſatisfactionem iſtam aſſerit, ait, recte & proprie dici, Chriſtum nobis promeritum eſſe gratiam Dei & ſalutem, & vere Chriſtum obedientia ſua nobis apud patrem gratiam acquiſiviſſe ac promeritum eſſe. Sed quomodo hujuſmodi merita in Chriſto reperiemus, ſi, ut ea cum divina gratia, propter quam nobis ſalutem partam eſſe conſtat, conciliemus, divinæ gratiæ ipſa ſubjicerimus, atque dixerimus, Chriſtum non propria eorum, quæ fecit, & paſſus eſt, virtute, ſed quia ita Deo pro ſua bonitate viſum fuit, ſua obedientia nobis liberationem à pœnis peccatorum noſtrorum promeritum fuiſſe? Nam quid aliud hoc eſt, quam diſerte negare, merita vera & propria in Chriſto reperiri? Multo plura dici poſſent, ut aperte demonſtraretur, ſi concedatur, Chriſtum per ſe & ſimpliciter non poſſe divino judicio opponi, ſed tantummodo, ut inquit Calvinus propter Dei beneplacitum: concedi quoque neceſſe eſſe, non potuiſſe à Chriſto pro peccatis noſtris vere & plene ſatisfieri. Sed quoniam plerique ex veſtris idem ſentiunt, & res ipſa per ſe ſatis manifeſta videtur; amplius in ea patefacienda immorandum non eſſe arbitrati ſumus.

Cumque ea tria, quæ ab initio propoſueramus, abunde me præſtitiſſe confidam: & planum feciſſe primum,

* Inſt. lib. 2. cap. 16. Sec. 10. † Inſt. lib. 2. cap. 17.

* Inſt. lib. 2. cap. 17. Sec. 5.

Deum potuiſſe, nulla vera pro peccatis noſtris ſatisfactione accepta, ea nobis condonare: deinde, etiam id facere eum voluiſſe: poſtremo, non potuiſſe Chriſtum vel ſua morte, vel alia ratione juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris ſatisfacere; Nihil aliud, antequam in hac diſputatione noſtra, quod ad eam ſatisfactionem attinet, peroremus, faciendum reſtat, quam, ut argumentum quoddam, quod tanquam omnium validiſſimum ad tuam opinionem propugnandam, meamque profligandam in extrema acie conſtituere voluiſti, omnium infirmiſſimum eſſe oſtendamus

CAPUT. VII.

Argumentum, quo maxime probari credebat Adverſarius, Chriſtum mortuum fuiſſe, ut pro peccatis noſtris ſatisfaceret, nullius momenti eſſe, brevuer primum demonſtratur.

INſtitutum igitur ſermonem perſequens, pluribus verbis illud ad hunc modum explicas. *Sed vide quæſo in quam foveam imprudens incidas. Cum enim videris tibi Deum valde extollere in eo quod illum miſericordem tantum à nobis agnoſci cupis, non vides interea te illi fœdiſſimam injuſtitiæ notam inurere. Nam ſi Chriſtus, quemadmodum aſſeris, mortuus non eſt, ut pro nobis Deo ſatisfaceret; Certe mori nullo modo debuit, ac ne potuit quidem: Et injuſtus erit Deus, qui eum morti tradiderit. An non enim mors peccati ſtipendium eſt Rom. 6. Et nunquid per peccatum mors intravit in mundum, ita ut jam in homines non eo nomine, quo ſunt homines, ſed quo peccatores imperium ſuum exerceat? At Chriſtus, ut dicis, non eſt mortuus pro peccatis noſtris. Ergo ſequeretur mortuum eſſe pro ſuis. Nam vere mortuus eſt. Et moritur nemo niſi pro peccatis aut ſuis aut alienis. Dicere autem, Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis ſuis, quanta eſſet blaſphemia? De fructu enim arboris non comedit, & peccatum in eo nullum unquam fuit. Nonne ſcis illum à peccato originali immunem? Conceptus eſt enim non ex homine, ſed ex ſpiritu ſancto. Unde & factum eſt, ut ab ipſo conceptionis momento, quod in utero Mariæ virginis conceptum erat, ſanctum eſſet; quod etiam ex Matth. primo liquet. Quod autem attinet ad ea peccata, quæ vocamus actualia, Certe ubi radix non eſt aut arbor, ibi neque rami neque fructus inveniri poſſunt. Ubi non eſt originalis corruptio, ibi etiam non ſunt actualia peccata, quæ non aliunde quam ab illa corruptione manant. Idcirco Chriſtus dictus eſt agnus immaculatus. Idcirco ad Hebr. 4. dicitur tentatus fuiſſe in omnibus, ut & nos, ſed abſque peccato, & 2 Cor. cap. quinto ſcribit Paulus Chriſtum non noviſſe peccatum, & ut teſtatur Petrus prioris ſecundo, Chriſtus peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Jam igitur ſi Chriſtus, ut aſſeris, mortuus non eſt pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione, ſi etiam ut ſcriptura vere docet non eſt mortuus pro peccatis ſuis, cum peccatum in eo nullum unquam fuerit. Nunquid fateri oportebit (quod ut impiiſſimum ne cogitare quidem fas eſt) Chriſtum à Deo injuſte, immerito, & nulla cum legitima cauſa morti traditum eſſe? At ſatius eſt (non mihi ſed veritati crede) exploſa opinione tua, ſecundum ſacræ ſcripturæ doctrinam agnoſcere Deum noſtrum, qui vere miſericors eſt, etiam vere juſtum eſſe, judiciique ſui juſtiſſimam & æquiſſimam ſeveritatem in eo potiſſimum declaraſſe, quod ut nos peccatores ſalutis æternæ participes faceret, voluerit à Chriſto filio ſuo noſtroque mediatore & ſervatore, pro peccatis noſtris morieute, divinæ ſuæ juſtitiæ plene ſatisfieri. Hoc fecit Chriſtus, & in eo ſe ſervatorem noſtrum eſſe & agnoſci debere, manifeſtiſſime declaravit.*

SI omnia, quæ in hac argumentatione tua perperam à te dicta ſunt, perſequi atque explicare voluero, vereor, ne hæc ſola hujus meæ reſponſionis pars juſtum volumen efficiat. Quare reprimam me; & in ipſo argumento refellendo totus ero. Cætera errata tua majore ex parte tantummodo indicabo, ut vel ex eo, quam iniquam cauſſam defendas, agnoſcere poſſis.

Ut igitur argumenti tui quæ vis ſit, appareat, illud paucis verbis perſtringemus, & ad ſyllogiſmi formam, ut loquuntur, reducemus. Sic igitur argumentaris. Quicumque moritur, aut pro ſuis, aut pro alienis peccatis moritur. Chriſtus mortuus eſt. Ergo Chriſtus aut pro ſuis, aut pro alienis peccatis mortuus eſt. Sed Chriſtus pro ſuis peccatis non eſt mortuus. Ergo Chriſtus pro alienis peccatis mortuus eſt.

Tota hæc argumentatio concedi poteſt, & tamen nihil vel te adjuvabit, vel mihi oberit. Nam, ut ſupra late expoſui, & fateor ipſe, & glorior, Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum eſſe; quamvis tu, id me negare, hic diſerte dicas. Qua de re ſatis jam alibi ſupra dictum fuit: &, quanta hæc calumnia videri poſſit, aperte demonſtratum. Sed, ut ibi diximus, quid hoc ad ſatisfactionem iſtam veſtram ſtabiliendam? An non, mori pro peccatis, eſt, peccatorum cauſſa mori? An non peccatorum cauſſa mori quis poteſt, nulla ſatisfactione interveniente? Quod ſi dixeris, in prima argumenti tui propoſitione, Pro peccatis mori, nihil aliud ſignificare, quam, pro peccatis ſatisfacere, & te in eum ſenſum ea verba hoc loco accipere; certe & falſa, & impia per ſe apparebit ea propoſitio, cum innumerabiles moriantur, qui nec pro ſuis, nec pro alienis peccatis ſatisfaciunt: immo, ut te credere arbitror, Chriſto excepto, omnes: Quæ tamen propoſitio, etiam ſi veriſſima eſſet, nihil te adjuvaret; ut mox apparebit.

Num alia fortaſſe ratione tua verba interpretaberis; & dices, Pro peccatis mori, in tua propoſitione idem eſſe, ac, mori, quia ſibi imputentur peccata. Verum ex iis, quæ ſupra diſputata ſunt, apparet, ea verba iſtud ſignificare non poſſe; cum dictio Pro nunquam impulſivam, ſed ſemper finalem cauſſam declaret. Quod ſi tamen ſenſu iſto, quanquam nimis improprio, ea verba protuliſti; nihil aliud in tua argumentatione concludis, quam, Chriſtum mortuum eſſe, quia illi aliena peccata imputata fuerint. Sed conſequiturne ex hoc, Chriſtum pro noſtrum omnium peccatis divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe? Nonne aliena peccata imputata illi dicerentur, ſi vel unius tantum hominis peccata illi imputata fuiſſent, propter quæ mortuus eſſet? Nonne omnis illa, quam ſomniaſti, & mihi objicere voluiſti, Dei injuſtia evaneſceret, ſi vel propter unicum cujuſpiam peccatum, quod ipſi imputatum foret, Chriſtus mortuus fuiſſet, atque, ut tibi placet, pro ipſo ſatisfeciſſet? Quomodo igitur, ut iſta Dei injuſtitia non exiſtat, neceſſarium eſſe concludis, ut Chriſtus ideo mortuus ſit, quia ipſi noſtra (omnia ſcilicet) peccata imputata fuerint? Sed demus, omnia peccata noſtra Chriſto imputata fuiſſe, & ob eam rem ipſum mortuum eſſe; num idcirco pro ipſis peccatis eum ſatisfeciſſe, concludendum erit? Certe (ut quidem ex tua propoſitione in alterum iſtum ſenſum accepta neceſſario ſequitur) quilibet noſtrum, qui Chriſtiani ſumus, ideo morimur, quia imputantur nobis delicta noſtra. Nemo tamen noſtrum pro ſuis delictis, moriendo, ſatisfacit.

Sed poſtremo dices, tuam propoſitionem nihil aliud ſibi velle, quam, neminem mori, niſi vel ipſe peccaverit, vel aliena peccata illi imputentur: nec propterea affirmari abs te, quod nobis delicta noſtra imputentur, quamvis mortem non experturis, niſi peccaſſemus. Atqui neque hoc verum eſt, ut infra demonſtrabitur: nec, ſi eſſet, verbis tuis ullo modo conveniret; in quibus neceſſe foret, dictionem Pro modo hac, modo illa ratione interpretari. Præterea ſatis eſt oſtendiſſe, potuiſſe Chriſto aliena peccata imputari, & quidem ita, ut pro ipſis ſatisfecerit, nec tamen inde ſequi, illum pro noſtris omnium delictis ſatisfeciſſe; quia, videlicet, ad iſtud, unde hoc ſequi negamus, conficiendum, vel unius tantum peccata illi imputata fuiſſe ſat fuerit. Itaque, ut præfatus ſum, totum argumentum tibi concedi poteſt, nec tamen id, quod cupis, ullo modo efficies. Sed, ut argumenti tui non fallacia, aut vanitas tantum, ſed fœditas etiam conſpiciatur; ipſam illam propoſitionem tuam, ex qua tota argumentatio pendet, adhuc diligentius examinabimus.

CAPUT

CAPUT. VIII.

Argumentationis Adverſarii propoſitionem, Neminem mori, niſi pro peccatis aut ſuis aut alienis, falſam & ineptam eſſe, de quacunque tandem morte eam interpretari velimus, aperte oſtenditur.

AIs igitur, *Moritur nemo, niſi pro peccatis aut ſuis, aut alienis.* Dic, rogo te, axioma iſtud tuum unde tandem prodit? Quanam vel ratione, vel ſcripturæ auctoritate, quocumque modo illud interpreteris, confirmari poteſt? Cur ita nude, nulla expreſſe ac diſerte confirmatione adhibita, ipſum proferre audes, cum illi uni argumentatio tua univerſa innitatur? Hoc certe non illud eſt, quod te facere in tuo ſcripto profiteris, in illis præſertim Græcis verbis ad ejus finem appoſitis, ἄδην ἄτερ γραφῆς λέγομεν. Non ſolum enim ſine ſcriptura id à te dictum eſt: ſed contra omnem ſcripturam, adeoque contra omne jus, omnemque rationem. Nam aut verbum Moritur in tuo axiomate mortem perpetuam ſignificat, aut temporariam. Rurſus, ſi temporariam: aut violentam, aut naturalem. Si mortem perpetuam ſignificat; inepta & falſa eſt enunciatio; cum omnes homines, poſt primos parentes, etiam ſine ullis propriis peccatis, ut poſtea demonſtrabitur, eam mortem ſubire cogantur: & nemo ſit, qui pro alienis peccatis mortem æternam ſubeat, etiamſi dictioni Pro, in enunciatione iſta, impulſivæ cauſſæ ſignificationem tribuas. Tametſi enim omnes ab Adamo prognati morti perpetuæ ſunt obnoxii, id, ut infra latius diſſeretur, non ideo fit, quod ipſis Adami delictum imputetur: ſed quia ab eo progeniti ſunt, qui morti perpetuæ divino decreto fuit addictus, & ita non propter peccati imputationem, ſed propter generis propagationem, id illis contingit.

Si dixeris, Adami delictum ſatis impulſivam cauſſam mortis perpetuæ, cui obnoxii ſunt homines, fuiſſe, cum, abſque eo delicto foret, id non accidiſſet; Primum hoc, illud redolet, quod reprehendi ſolet, *Utinam ne in nemore Pelio*, &c. Nec enim de remota, ſed de proxima cauſſa quærimus. Proxima autem cauſſa ejus mortis, ut diximus, non fuit nobis Adami delictum, ſed generis propagatio. Deinde, ut ſupra vidiſti, non minus à me, quam à cæteris, affirmatur, Chriſtum occaſione noſtrorum peccatorum mortuum eſſe: immo etiam cauſſa ipſorum; ſive impulſivam, ſive finalem cauſſam intelligas. Verum tamen, ſicut à finali cauſſa ſatisfactionem penitus excludo; ita ab impulſiva imputationem quam longiſſime removeo. Sed, ut verum ſit, Adami poſteris ipſius Adami delictum imputari, & ita fieri, ut mortem perpetuam propter alieni delicti imputationem quis ſubire poſſit: quid hoc ad Chriſtum, qui mortem perpetuam minime ſubiit?

Jam ſi violentam mortem verbum Moritur in tuo axiomate ſignificat, falſiſſima eſt tui argumenti propoſitio; cum nemo ſit, qui jure propter aliena peccata occidatur, & innumerabiles reperiantur, qui quamvis nec propter ſua, nec propter aliena peccata, tamen interficiuntur. Quales ſine dubio ſunt martyres Dei, & Chriſti omnes, & quicunque, innocentes cum ſint, tamen occiduntur, præſertim vero Chriſtiani, & Deo fidentes, quibus omnia delicta divina benignitate condonata ſunt. Nec vero huic manifeſtiſſimæ veritati adverſatur id, quod ait Petrus, Tempus eſſe, ut judicium à Dei domo incipiat 1 Pet. 4. 17; quaſi Deus juſtis hominibus mala multa immittat, propter aliqua ipſorum peccata: alioqui ea non immiſſurus. Apoſtoli enim ſcopus eſt oſtendere, quid impiis & ab ipſo Deo alienis Deus facturus ſit, cum pios & ſuos ita affligat. Nam, ut idem poſtmodum ait, *Si juſtus vix ſervatur, impius & peccator ubi comparebunt?* Hoc eſt, ſi Deus vult, juſtos per multas calamitates ingredi in regnum cælorum, qualnam calamitates experturos eſſe credimus homines impios & peccatis onuſtos? Judicium autem, afflictiones juſtorum minus proprie appellavit, quia eodem nomine injuſtorum afflictiones complecti voluit: quæ proprie judicium appellantur; ut inter utroſque commodius comparationem perſequi poſſet; præſertim, cum, in ſpeciem juſtorum quoque afflictiones, pœnæ illis à Deo inflictæ videantur. Quare de Chriſto ipſo, qui caput omnium juſtorum fuit, ſcriptum eſt, *Nos autem reputavimus eum plagis afflictum, percuſſum à Deo, & humiliatum*, Eſa. 53. 4. Huic autem rei, quam hoc loco obſervamus, ſimile eſt illud, quod ſupra notavimus, Chriſti afflictiones, & infirmitates improprie in epiſt. ad Hebr. peccata dicta fuiſſe, cum eodem tempore id nomen proprie infirmitatibus antiquorum ſacerdotum accommodaretur: ut concinnius cum illis ſacerdotibus Chriſtus conferri poſſet. Atque hujus ſermonis figuræ, cum ſcilicet idem verbum eodem tempore uni proprie, alteri improprie accommodatur, innumera ſunt, & in profanis & in Sacris Scriptis eaque clariſſima exempla. Non igitur affliguntur juſti à Deo, ut vere & proprie adverſus eos, quos cariſſimos habet, quibuſque omnia delicta condonavit, judicium exerceat. Nec, ſi illi omni prorſus peccato vacarent, propterea eos nunquam ullis perpeſſionibus ſubjiceret; cum id declarandæ bonitatis, & potentiæ ſuæ gratia potiſſimum ab ipſo fiat. Quæ profecto mirum in modum elucebunt, cum miſerrimos in hoc mundo & contemptiſſimos homines, quia in ipſo omnem ſpem collocaverint, ipſiuſque dicto audientes fuerint, ad ſempiternam felicitatem & gloriam evehet. Quod ſi non raro ſuos affligit Deus, ut eos admoneat & caſtiget, in officioque contineat; id certe non tunc fit, cum, ut veri Chriſtiani, aliquid mali patiuntur, & Deum eam ipſam ob cauſſam glorificandi materia illis ſuppeditatur. De ejuſmodi autem perpeſſionibus, quibus Chriſtiani homines ut Chriſtiani, ſubjacent, loqui ibi Apoſtolum, proxime antecedentia verba manifeſte declarant. Jam, cum Deus ſuos caſtigat, tunc & alio nomine, quam, quia ipſius veri cultores ſint, eos affligi curat; & quamvis ipſi tunc etiam Deo ob id gratias agere debeant, & argumentum inde benignitatis divinæ percipere poſſint; tamen ea ratione, quam Petrus ſine dubio intelligit, Deum glorificandi materiam non habent; quæ ex eo demum proficiſcitur, quod quis dignus habeatur, qui, pro Dei gloria illuſtranda, injuria afficiatur. Unde ſumma oritur lætitia; de qua ipſe Petrus in eadem epiſtola nonulla alia diviniſſime ſcribit: & de qua verba ſunt Act. 5. 41. & aliis in locis. Quocirca ea, quæ auctor ad Heb. docet cap. 12, ubi afflictiones eorum, ad quos ſcribit, qui, ut ex multis conjici poteſt, eo quod eſſent Chriſtiani, affligebantur, caſtigationes divinas eſſe affirmat, non ita intelligenda ſunt, quaſi ſemper, id eſt, de omnibus Chriſtianorum afflictionibus id dici poſſit: ſed tantummodo, cum ii, qui, ut Chriſtiani, affliguntur, nondum tales ſunt, quales in hoc mundo eos eſſe oportet; ita ut, non quia ſint veri Chriſtiani, ſed quia Chriſti nomen profitentur, ea mala patiantur. Hujuſmodi autem fuiſſe illos, ad quos auctor ille ſcribit, & tepidos, quales Chriſtus aſpernatur, in Deo colendo eo tempore ſe præbuiſſe, adeo ut caſtigatione divina non leviter indigerent: cum alia ejuſdem epiſtolæ verba Apoc. 3. 16. non obſcure indicant, tum vero illa aperte demonſtrant, quæ eodem loco habentur; videlicet: *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, contra peccatum decertantes; & obliti eſtis exhortationis, quæ vobis tanquam filiis, loquitur*, &c. Iſta enim oblivio certe iis non obrepſiſſet, qui fervidi Dei cultores eſſe perrexiſſent.

Jam vero, etiamſi concederem, omnes Chriſtianorum afflictiones caſtigationem divinam ſecum conjunctam habere (quod tamen à veritate alieniſſimum eſſe exiſtimo) nihil hoc ad mortem violentam, de qua loquimur, quam profecto alia ratione, quam, ut eos caſtiget, & in officio contineat, ſuis inferri vult Deus. Nulla enim poſt mortem eſſe poteſt vitæ correctio, aut emendatio. Ex quo perſpicuum eſt, ut diximus, innumerabiles eſſe,

qui, quamvis nec propter ſua nec propter aliena peccata, tamen interficiuntur. Ejuſmodi ſunt ii, qui Deo ita cari ſunt, ut eorum innocente ſanguine gloriam ſuam patefieri velit. Nam, propter aliena peccata eos non interfici, nemo eſt qui dubitet. Propter ſua vero, quis affirmare audebit; cum nec punitioni ſit locus, ubi omnia condonata ſunt nec vitæ, & morum perfectiori emendationi, ubi mors intervenit? Eos autem violentam mortem ex Dei voluntate non experturos, niſi aliquid peccaſſent, tantum abeſt, ut verum ſit, ut quo innocentiores ſunt, eo magis per ipſorum mortem Dei gloria illuſtretur, & Dei propoſito in juſtis affligendis deſerviatur. Ita ut, quod ad hanc partem attinet, ſi fieri poſſet, præſtaret, eos nunquam quidquam mali commiſiſſe; quemadmodum, cum de ipſo Chriſto agemus, apertius oſtenderur.

At vero, ut video, verbo Moriendi mortem naturalem præcipue ſignificare voluiſti. Nam, violentam te non intellexiſſe, oſtendunt verba illa tua, *An non enim mors peccati ſtipendium eſt, Rom. 6. Et nunquid per peccatum mors intravit in mundum, ita ut jam in homines non eo nomine, quo ſunt homines, ſed quo peccatores imperium ſuum exerceat?* Quæ tua verba ad violentam mortem, quatenus violenta eſt, accommodari nequeunt; cum mors violenta, quatenus eſt violenta, nec peccati ſtipendium ſit, nec in homines imperium ſuum exerceat.

Sed vide, quam longe à veritate aberres. Mors naturalis, quatenus naturalis eſt, & omnibus communis, non eſt peccati ſtipendium, ſed naturæ noſtræ, quam ipſemet Adamus in ipſa creatione accepit, propria ſequela. Peccati autem ſtipendium eſt moriendi neceſſitas, & mors æterna. Id vel ex eo patet, quod Chriſtus nos, qui illi fidem habemus, ab omni prorſus peccato, id eſt, peccati pœna & reatu liberavit; & tamen naturalem mortem non ademit: ſed æternam dumtaxat, & moriendi neceſſitatem. De æterna morte non eſt, qui ambigat. De moriendi autem neceſſitate admonere nos poſſunt ii ex nobis, quos vivos offendet poſtremus Chriſti adventus, qui mortem non guſtabunt 1 Cor. 15. 51. 1 Theſ. 4. 17. Idem enim judicium faciendum eſt de omnibus, quod de paucis illis. Nam ſi moriendi neceſſitatem Chriſtus non ſuſtuliſſet: ne illi quidem pauci mortem effugere poſſent. Moriuntur igitur cæteri fideles, non quia propter peccatum eos mori neceſſe ſit, cum peccati reatus penitus ſublatus fuerit: ſed propter mortalitatem, quæ etiam ante peccatum, & ſine peccato, homini, ut pote corpus animale habenti, & ex terra ab ipſo initio formato, naturalis erat; ut recte inprimis animadvertit, & late expoſuit Auguſtinus de Geneſi ad litteram lib. 6. cap. 19. & deinceps uſque ad poſtremum caput 29. Beneficio igitur Chriſti à moriendi neceſſitate liberati ſunt, qui ipſi confidunt, alioqui mortem neceſſario ſubituri. Hinc manavit illa in epiſt. ad Heb. ſententia cap. 9. ad finem, *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Ibi enim hominis ex divino decreto conditio, quam ab Adamo traximus, citra Chriſti beneficium, conſideratur. Quamquam verbum ἀπόκειται, quod vetus interpres converit, *ſtatutum eſt*, eventum, & rei naturam potius; quam divinum decretum, declarat. Quod autem mors naturalis, quatenus naturalis eſt, pœna peccati non ſit, latiſſime à nobis alio loco diſputatum eſt. Hic pauca hæc dixiſſe ſufficiat; præſertim cum ex eodem cap. 6. epiſt. ad Rom. conſtet, Paulum, cum dixit, peccati ſtipendium eſſe mortem, non naturalem, ſed æternam mortem intellexiſſe. Eo ſiquidem ſenſu paullo ante bis Mortis nomen uſurpaverat, cum de eadem re loqueretur: primum ỳ ſ. 16. deinde ỳ ſ. 21. id quod illi ubique familiariſſimum eſt. quod etiam vitæ æternæ antitheſis, quam donum Dei eſſe dicit, ibidem ſatis aperte oſtendit. In quincto autem cap. ubi ſcriptum eſt, mortem in mundum per peccatum intraſſe, nihil cogit de morte naturali, quatenus naturalis eſt, ea verba intelligere. Immo de neceſſaria & æterna morte toto illo cap. agi, aperte indicant extrema verba illa: *Ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam.* Primum enim tanquam de re præterita, & quæ dumtaxat ante Chriſtum aut ſine Chriſto eſſet, de regno loquitur peccati in mortem. At mors naturalis etiam poſt Chriſtum regnat; &, quatenus naturalis eſt, in iis etiam, qui per ipſum à peccati reatu liberati ſunt, locum habere conſpicitur, Deinde eam mortem vitæ æternæ opponit; quod de æterna morte ſermonem eſſe oſtendit. Nam ſi dicas, de æterna morte ibi ſermonem eſſe non poſſe, cum in omnes eam mortem pervaſiſſe dicat Apoſtolus; Reſpondeo, ibi non de eventu, ſed de reatu agi. Certum eſt autem, eos etiam, qui ante Chriſtum mortem æternam non ſubierunt, niſi Dei gratia ſervati eſſent, non minus, quam cæteri, funditus perituros fuiſſe, quippe qui & ipſi mortis æternæ rei forent. Confirmatur hoc ex eo, quod eodem cap. 18 ſcriptum eſt, *Igitur, ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, &c. Neque enim omnes per delictum illud reipſa condemnati fuere; ſed rei tantummodo condemnationis facti ſunt. Ex quo etiam perſpicue apparet, quid mortis nomine intelligat toto eo cap. Paulus. Id enim, quod alibi Mortem appellat, hic condemnationem vocat. Quod etiam fecerat ỳ ſ. 16. Quæ autem ſit condemnatio illa, ex antitheſi Juſtificationis vitæ, quæ hoc ỳ ſ. 18 ſubjicitur, manifeſtum eſt. Juſtificatio enim illa vitæ nihil aliud eſt, niſi abſolutio à peccatis per vitam æternam. Quare condemnatio ſimiliter nihil aliud eſſe poteſt, quam mortis æternæ reatus.

Vides igitur, te peſſime loqui, cum ais, neminem mori, niſi pro peccatis aut ſuis, aut alienis, ſi de naturali morte loqueris: cum potius nemo prorſus ſit, qui pro peccatis, aut propter peccata, ſive ſua, ſive aliena morti naturali ſubjaceat: & ad axioma tuum tacite confirmandum te ſacræ ſcripturæ auctoritate abuſum fuiſſe. Ex quo etiam manifeſtum eſt, non poſſe axioma tuum ſuſtineri, etiamſi illud ita interpretareris, ac ſi dixiſſes, Nemo moritur, niſi vel ipſe peccaverit, vel aliena peccata ipſi imputentur; cum nemo, ut dictum eſt, ideo naturaliter moriatur (de qua morte ſine dubio loqui voluiſti) quia peccaverit. Nam, etiamſi nemo peccaret, propter id tamen, quod homines nati eſſent, naturali morti omnes eſſent obnoxii.

At dices fortaſſe, de naturali quidem morte, id eſt, de ſubjacendo ipſi morti te loqui voluiſſe: verum non quatenus tantummodo id naturale eſt, ſed etiam quatenus eſt neceſſarium. Si ita intelligis, eodem morbo laborat axioma tuum, quo laboraret, ſi de morte æterna ſive perpetua loqui voluiſſes, cum nullus homo umquam fuerit, aut futurus ſit, qui propter aliena peccata (quæ ſibi videlicet, imputentur; ſic enim ipſe intelligis) moriendi neceſſitati aut ſujectus fuerit, aut ſubjacere poſſit. Quod ſi tamen fieri poſſet, nihil iſtud ad Chriſtum, qui moriendi neceſſitati ſubjectus non fuit.

Immo dices, ſubjectus fuit. Nam divino & incommutabili decreto ſtaturum erat, ut is moreretur.

Atqui iſta neceſſitas moriendi non ea eſt, de qua loquimur, quæque humano generi propter peccatum inflicta eſt. Nec enim ab antiquiſſima illa divini judicis ſententia, cujus vi neceſſario omnes homines, qui ipſius Dei benignitate inde exempti non fuerint, mortem ſubeunt, neceſſaria Chriſti mors profecta eſt; ſed ex ſingulari Dei voluntate tota pependit. Præterea neceſſitati moriendi is ſubjectus eſſe vere dici non poteſt, qui in ipſa morte non remanet, immo ne mori quidem. Hinc Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus, quamvis mortem naturalem guſtaverint, vivere tamen dicuntur; nimirum quia in morte remanſuri non ſunt. Atque ob eam rem Deus, qui non mortuorum, ſed viventium eſt Deus, ipſorum ſe Deum merito vocare potuit, Chriſto teſte Matth. 22. 32. Mar. 12. 27. Luc. 20. 38. qui inde futuram illorum reſurrectionem adverſus Sadducæos aperte colligit. Qui neceſſario moriuntur, in æterna morte etiam remanent. Nam, ut paullo ante dictum fuit, qui mortem æternam non ſubeunt, ii, ut pote ab omni peccati pœna liberati, non neceſſario, ſed naturaliter

liter tantum moriuntur. Cui naturali morti ipſe quoque Chriſtus ſubjectus fuit non quidem propter peccata ulla vel ſua, vel aliena: ſed quia homo natus erat. Mortuus eſt enim propter peccata noſtra, non quatenus illi alioqui, poſtquam homo natus fuerat, naturaliter moriendum erat, ſed quatenus violentam mortem ſubiit volens. Natus eſt quidem homo, ut violentam mortem ſubire poſſet, & per eam mortem aboleret illum, qui mortis imperium habebat, hoc eſt diabolum, atque eos liberaret, qui ejuſdem mortis timore per totam vitam obnoxii erant ſervituti Heb. 2. 14. Sed ipſum hominem naſci, & naturaliter morti ſubjectum eſſe, per ſe, nec propria, nec aliena peccata ullo modo arguit.

Quare non erat, quod tantopere laborares, ut oſtenderes, Chriſtum nulla prorſus proprii peccati labe infectum fuiſſe; quaſi, eo conceſſo, conſequens eſſet, ipſum pro alienis peccatis morti fuiſſe obnoxium: & periculum foret, ne ego, ut ſententiam meam defenderem, adverſus apertiſſima ſacrarum litterarum teſtimonia Chriſtum peccatorem facerem. Quod tamen dum abs re, & intempeſtive curas, juſto Dei judicio fœde lapſus es: cum ad Chriſti innocentiam confirmandam eam rationem affers, quod Chriſtus originalis (quam vocant) corruptionis omnino expers fuerit. Ais enim, *ubi non eſt originalis corruptio, ibi etiam non ſunt actualia peccata, quæ non aliunde, quam ab illa corruptione manant.* Ergo, ſi tibi credendum eſt, primus homo peccare non potuit, quia procul dubio, antequam peccaret, originalis corruptionis omnino expers erat. Agnoſcis, ut arbitror, errorem tuum; &, vel hoc ſolo, juſtas pœnas te ſupervacaneæ tuæ ratiocinationis dediſſe, jam ſentire potes

Quid igitur jam dicemus de univerſa ipſa argumentatione tua, cum non modo, etiamſi tota tibi concedatur, nihil inde efficiatur, quod vel tuam ſententiam juvet, vel meam infirmet: ſed propoſitio illa tua, ex qua omnis argumenti vis petenda eſt, quocumque pacto eam interpreteris, adeo falſa & inepta ſit, ut vix quidquam magis falſum, aut ineptum dici poſſit? Id autem multo evidentius adhuc demonſtrabitur, ſi eam rurſus, idque paullo exactius & interius (ut ita dicam) expenderimus.

CAPUT IX.

Adverſarii indicata propoſitio, dum penitius examinatur, magis etiam & falſa & inepta demonſtratur & quod Chriſtus ſit mortuus, nec tamen illi peccata noſtra imputata fuerint: hoc vel maxime Dei juſtitiam commendare, ratione concluditur.

CUm igitur dicis, *Nemo moritur*, &c. aut verbum Moritur ita intelligis, ut id, quod fit, ſpectetur, aut id, quod fieri debet, aut id, quod fieri poteſt. Si id, quod fit, ſpectaſti, idem eſt, ac ſi dixiſſes, Nemo unquam eſt mortuus, &c. Atqui hoc primum, ut vidimus, falſiſſimum eſt. Deinde, etiamſi veriſſimum eſſet; nihil, quod te adjuvaret, ex eo elicere poſſes; cum multa jure fiant, quæ nunquam vel ante, vel poſt facta fuere: & interdum non jure ſolum, ſed maxima etiam cum laude, & gloria illius, qui facit. Sed ſi id, quod fieri debet, reſpexiſti; perinde eſt, ac ſi dictum eſſet, Nemo mori tenetur. Hoc pariter, ut ſupra oſtendimus, falſiſſimum eſt. Et, ſi veriſſimum eſſet, nihil tamen ad rem faceret; cum, ut demonſtratum fuit, Chriſtus non ideo mortuus ſit, quia mori alioqui teneretur: ſed quia ita & Deo, & ipſi viſum eſt. Sin vero ad id, quod fieri poteſt, reſpicere voluiſti; id duplicem habet rationem. Aut enim jus, aut ipſum factum ſpectatur; & ita, ut juriſconſulti loquuntur, aut de jure, aut de facto loqueris Si de facto loqueris: idem eſt, *Nemo moritur*, &c. Quod, Fieri non poteſt, ut quis moriatur, &c. Verum iſtud adeo falſum eſſe apparet, ut nulla refutatione indigeat. Quod enim quis nec pro ſuis, nec pro alienis peccatis moriatur, id neque ullam, ut loquuntur, contradictionem implicat, nec aliquid præterea eorum, quæ ἀδύνατα ſive impoſſibilia eſſe perhibentur, continet Sin autem de jure loqui voluiſti, nihil aliud ea verba ſignificant, quam, injuſtum & iniquum eſſe, ut quis moriatur: & tamen nec pro ſuis, nec pro alienis peccatis patiatur. Et hoc ſine dubio illud eſt, quod potiſſimum dicere voluiſti. Nam inde, ſi id verum eſſet, recte concluderes, cum dicis, Injuſte facturum fuiſſe Deum, qui Chriſtum morti tradidiſſet, niſi eum pro alienis peccatis mori voluiſſet, cum pro ſuis is, qui innocentiſſimus erat, mori non poſſet: & ob eam rem ſtatuis, me Deo, dum eum miſericordiæ nomine extollere curo, imprudenter fœdiſſimam injuſtitiæ notam inurere, qui affirmare auſim, Chriſtum non ideo mortuum fuiſſe, quod ipſi aliena peccata imputata fuerint. Nam hoc omnino illud eſt, quod apud te ea verba ſignificant, Pro alienis peccatis mori. Quamvis enim, ut dictum fuit, vis dictionis Pro cum ea ſignificatione nullo pacto convenire poſſit; veriſimilius eſt tamen, te minus proprie loquutum fuiſſe, quam vel id concluſiſſe, quod non quæris, & ego quoque fateor, vel id propoſuiſſe, quod manifeſto & falſum & impium eſſe deprehenditur; ut initio præſentis diſputationis ſatis demonſtratum eſt.

Sentis igitur, injuſtum eſſe, ut quis moriatur, qui non ideo moriatur, quia ipſi vel ſua vel aliena peccata imputentur. Hæc tua opinio duas partes habet Una illud eſt, quod verbis diſerte eſt expreſſum. Altera ex verborum ſententia neceſſario ſequitur: Jure ſcilicet poſſe alicui aliena peccata imputari, & ob eam cauſſam jure etiam mortem infligi, quamvis alioqui innocentiſſimus ſit. De priore parte primum videamus. Cumque jam exempl s, eam à veritate mirum in modum diſſidere, ſupra demonſtraverimus; operæ pretium fuerit, num idem rationibus confirmari poſſit, experiri. Cur igitur tandem injuſtum cenſeri debet, ut aliquis moriatur, quamvis ei nec propria, nec aliena peccata imputentur? Certe non aliam ob cauſſam, niſi quia mors peccati pœna ſit, & nemo mori teneatur, niſi quia vel ipſe peccaverit, vel alius quiſpiam, pro quo ipſe pœnas luat. At vero, an non poteſt quis volens id perpeti, quod perpeti alioqui non teneretur: nec tamen propterea ulla ex parte juſtitiam lædere? Immo quid magis laude & admiratione dignum eſſe poteſt, quam, cum quis id facere nullo modo teneatur multa tamen mala experiri velle, ut aliis bene ſit? Quod igitur ſummis laudibus extollendum eſt, id injuſtum eſſe, affirmare non erubeſcemus? Nulla quantumvis magna mala & fontibus lege conſtituta poteſt quiſquam injuſte, id eſt, cum æquitatis & rectitudinis offenſione perpeti, quamvis innocentiſſimus fuerit; niſi ea vel ſine cauſſa, vel ob injuſtam cauſſam, perpetiatur; præſertim ſi inde ad alios maxima commoda manatura ſint; ſive is ſua ſponte omnia ea mala ſubeat: ſive, alio, cui parere debeat, jubente, ea ſubire non recuſet. Injuſtitia igitur non ex ipſa malorum ſibi non debitorum perpeſſione oritur; ſed ex perpeſſionis vel nulla vel injuſta cauſſa ſive occaſione proficiſcitur.

Finge, ut ſimilitudine ad rem noſtram ſatis accommodata veritatem inveſtigemus ſimul, & explicemus, Regem eſſe, qui multos ex ſuis ſubjectis ſibi contumaces ex lege in inſulam aliquam deſertam, horridam, & peſtilentem deportari ſeu relegari juſſerit; cumque ii partim animo rebelli adverſus ipſum eſſe perſeverent, partim domum redeundi omnem prorſus ſpem abjecerint; jubeat Rex, filium ſuum, quem unice diligat, & ſibi obedientiſſimum eſſe noverit, in eandem inſulam ſe conferre: ibique tam diu commorari, quoad aliqua perfecerit, ex quibus contumaces illi ipſo facto aliquam ſaltem ſpem ſibi reſipiſcere velint, adeo plaſius Regis animum, ſi ipſi reſipiſcere velint, adeo placatum fore, agnoſcere queant, ut non modo reditus in patriam ſibi concedatur, verum etiam ingentibus præterea beneficiis ab ipſo Rege afficiantur. Num, quia nemo, qui Regi contumax non fuerit, eam inſulam, ne ad breviſſimum quidem tempus, incolere teneatur,

& ejuſmodi contumaciæ tantum pœna ejus inſulæ habitatio, ſive perpetua ſive temporaria, conſtituta fuerit: injuſtum eſſe dicemus, ut filius, qui Regi ſemper obedientiſſimus fuit, in ea inſula, ipſo Rege jubente, per aliquod tempus habitare non recuſet, & ſeſe omnibus malis, quæ eam inſulam incolentibus perferre neceſſe eſt, ſubjicere non dubitet, ut contumacium illorum reſipiſcentiam, & ab ea pœna liberationem maximamque utilitatem procuret? Quis & Regis, qui cariſſimum ſibi & conjunctiſſimum hominem, ut ſubjectorum ſuorum ſaluti & tranquillitati conſulat, tot malis objicere voluerit, & hominis illius, qui alacri animo, quamvis innocentiſſimus, ea, quæ nocentium hominum pœnæ eſſe ſolent, ut alios inde eximat, pati non detrectaverit, manſuetudinem, munificentiam, & eximiam denique bonitatem non miris modis prædicet, atque ſuſpiciat? Quis hic aliquam injuſtitiæ vel inanem quidem umbram animadvertere poterit? Immo quis non horreat, id injuſtum eſſe, ſecum animo reputare, quod ex nobiliſſima juſtitiæ parte, ex beneficentia ſcilicet & liberalitate manaverit?

Nos ii eramus, qui a Deo Rege noſtro in hanc miſeriarum & mortis inſulam, propter contumaciam noſtram, in perpetuum ex divina Lege relegati fueramus. & cum partim contumaces eſſe pergeremus, partim, à tanta ſervitute liberatum nos iri, nunquam ſperaremus; præcepit Deus Jeſu filio illi ſuo & cariſſimo & obedientiſſimo, ut eaſdem miſerias, eandemque mortem tantiſper ſubiret, dum nobis fides facta eſſet, ſi reſipuerimus, futurum, ut non ſolum à miſeriarum & mortis neceſſitate liberemur: ſed ad beatiſſimam quoque & ſempiternam vitam transferamur. Paruit ille; & quamquam ſanctiſſimus, voluntarius ſe tantis malis ſubjecit, quæ hominum ſceleribus debentur. Atque hac ratione ſalutis viam nobis patefecit. Eſt, qui ipſius Dei, & Chriſti, in hoc opere perficiendo, ingentem & inauditam cum liberalitatem, tum charitatem non obſtupeſcat? Eſt, qui præſtantiſſimam juſtitiæ partem Deum & Chriſtum hac in re exercuiſſe, agnoſcere non compellatur? Eſt denique, qui Deum hic injuſtitiæ accuſari poſſe, dicere non perhorreſcat, niſi Chriſto aliena peccata imputata fuerint? Num injuria aliqua Chriſto a Deo facta eſt, quia ipſius juſſu, ut nobis bene eſſet, mala ſceleroſis hominibus debita haud invitus ſubiit? Tum demum illi injuria facta fuiſſet, ſi tanta mala, quantumvis volenti, pœnæ nomine ei immiſſa forent; quippe qui nulli pœnæ, ut pote innocentiſſimus, ſubjacere poſſet. Quid quod omnium, quæ, Deo jubente, non pœnæ quidem nomine, ſed nos à pœna, ex divina ſola clementia, liberandi gratia, pertulit, ejuſmodi præmium reportavit, quod omnem humanæ mentis captum ſuperat, quodque, ut ſupra viſum eſt, ipſi magiſtri veſtri univerſæ ipſius obedientiæ quam longiſſime antecellere confitentur, ſic, ut, ipſum id commereri potuiſſe, prorſus negent? Nulla igitur injuſtitiæ ſuſpicio, plane relinquitur in eo, quod Deus Chriſtum mori voluerit, quamvis & ipſe Chriſtus innocentiſſimus eſſet, nec aliorum peccata illi imputata fuerint. Quin immo omnia bonitatis, & beneficentiæ, & porro juſtitiæ in eo Dei conſilio plena conſpiciuntur, & ea, unde tibi (neſcio quo pacto) injuſtitiæ ſuſpicio orta eſt, hæc ipſa, inquam, ad facti ipſius commendationem, & ad ſcopum, quem Deus ſibi propoſuerat, atque adeo ad ipſius juſtitiam declarandam neceſſaria erant.

Quod enim & ipſe Chriſtus innocentiſſimus eſſet, nec illi aliena peccata imputarentur, ita ut mortem, mortem, inquam, illam & violentam & execrabilem, quæ maleficis hominibus debebatur, nulla ratione prorſus, niſi quia ſic Deus juberet, ſuſtinere teneretur; hoc ipſius Dei cum ſupremam erga humanum genus charitatem commendat, tum veram juſtitiam, quam ad ſui nominis gloriam patefacere decreverat, mirifice tunc declarat, cum eum, qui nihil mali ullam ob cauſſam commeritus fuerat, à principibus hujus mundi, dum ipſi Deo obedire ſtudet, injuſtiſſime dira morte occiſum, ad vitam poſtmodum omni felicitate circumfluentem evehit atque extollit. Quod ſi Chriſtus, quamvis ipſe omnis culpæ expers eſſet, jure tamen, ut, ſcilicet, alienorum peccatorum ſibi imputatorum pœnas daret, tam atroci mortis genere interfectus fuit; & Dei charitas minuitur, atque obſcuratur, qui, dum nobis bene facit, interim jus ſuum perſequitur: & nos juſtitiam, hoc eſt, rectitudinem ipſius, ex Chriſti exaltatione non agnoſcimus. Nam, tametſi Chriſtus, quod ad humana jura attinet, nihilominus injuſtiſſime occiſus fuiſſet; quod tamen pertinet ad divina, propter alienorum peccatorum imputationem, quæ certe ſi facta fuit, jure à Deo factam eſſe oportet, juſtiſſime interfectus eſſet. Quare nulli rectitudini, in eo poſtmodum ſummis beneficiis afficiendo, locus relictus foret. Quæ enim rectitudo eſſe poteſt in malorum exantlatorum præmiis illi attribuendis, qui ea mala jure paſſus fuerit?

At enim dices, jure quidem potuiſſe ex Dei voluntate Chriſto aliena peccata imputari; ſed tamen nihil fuiſſe, cur ille, ut ſibi imputarentur, commeritus eſſet (quamquam hæc duo, ut poſtea videbimus, ſimul ſtare nequeunt) & hinc, in Chriſto extollendo, Dei rectitudinem apparere, quod mortem, quam antea pertulerat, non niſi ex Dei ſingulari decreto perferre teneretur, alioquin ab ipſa prorſus immunis futurus. Quomodo igitur injuſtum futurum fuiſſe ais, ſi Chriſtus mortuus eſſet, nec illi aliena peccata imputata fuiſſent, (cum ſua, quæ nulla erant, ei imputari non poſſent) & id ſine dubio propterea affirmas, quia alioqui Chriſtus morti ſubeundæ obnoxius non fuiſſet. Nam eandem ob cauſſam peccata aliena illi imputari injuſtum ſimiliter cenſendum eſſet. Neque enim, ut dictum eſt, ei imputationi ſubeundæ Chriſtus obnoxius erat. Itaque vides, teipſo teſte, nullam injuſtitiam animadverti poſſe in eo ſolo, quod aliquis id perferat, quod perferre non tenetur, & ita, Chriſtum, quamvis nulla ratione mori teneretur, mori tamen potuiſſe, omni interim juſtitia, ex parte videlicet Dei, & ipſius Chriſti (ſic enim ubique mea verba accipienda ſunt) incolumi remanente.

Adde iis, quæ dicta ſunt, quod ſi Chriſtus, quia ſibi aliena peccata imputata eſſent, ideo infamem ac deteſtabilem illam mortem ſubiiſſet: nobis ejuſdem mortis ſubeundæ, ſi opus eſſet (quod tamen eum feciſſe univerſa ſcriptura teſtatur) exemplum non reliquiſſet. Cur enim nos mori ejus exemplo deberemus, cum nobis aliena peccata non imputentur? Quid nobis cum illo hac in parte commune eſſe poſſet? Num idcirco exemplum nobis reliquiſſe diceretur, quia ſi ipſe propter alienorum imputationem mortuus eſſet, multo magis nos propter noſtrorum imputationem mori deberemus? Sed quomodo imputari nobis poſſent peccata noſtra, ſi jam ipſi Chriſto, ut vos dicitis, omnia imputata fuere: aut potius, ut veriſſimum eſt, ſi ſumma & ſola Dei liberalitate ea nobis univerſa condonata ſunt? Ut nihil dicam, quod, etiamſi nobis alioqui peccata noſtra imputari adhuc poſſent, abſurdiſſime tamen diceretur, cum mortem ob Dei gloriam ſubimus, id propterea nobis contingere, quod peccata noſtra nobis imputentur. Oportuit igitur, ut ad rem redeam, ſi Chriſtus nobis mortem alacri animo propter Dei gloriam perferendi exemplum præbiturus erat, ipſum, non quia ulla peccata ei imputata eſſent, ſed omnino immerentem mori; adeo ut jure optimo ea dicere poſſet, quæ David prius de ipſo ſub ſua perſona dixerat, *Quæ non rapui, tunc reddidi*, Pſal. 69. 5. Quæ verba nullam juridicam (ut ſic dixerim) cauſſam fuiſſe demonſtrant, cur Chriſtus eam mortem perferre teneretur. Sed certe non aliqua tantum, ſed maxima fuit ejuſmodi cauſſa, cur eam ſuſtinere deberet, ſi ei peccata noſtra omnia imputata fuerant. Oportuit, inquam, ſive ſuorum, ſive alienorum peccatorum reſpectu omnino immerentem Chriſtum mori: & ſolum, quia Deus ita juberet: &, ut nobis vitam pareret, volentem interfici; ut nos quoque licet nec noſtra, nec aliena peccata nobis imputentur: quia tamen ſic Deus jubet, atque etiam interea, ut

fan-

anguinis noſtri fuſione aliorum fidem vel excitemus, vel confirmemus, interfici non recuſemus: & quo innocentiores fuerimus, eo nos ad tam egregium facinus patrandum aptiores, & Dei ſcopo accommodatiores eſſe, agnoſcamus.

Satis, ut videtur, à nobis probatum fuit, nullam penitus injuſtitiam in eo conſpici poſſe, quod quis moriatur, nec tamen ideo moriatur, quia ſibi vel ſua vel aliena delicta imputentur, & tantum abeſſe, ut injuſtum fuerit, Chriſtum à Deo morti tradi, niſi aliena peccata ei imputata fuerint, ut potius ex eo ipſo, quod nulla prorſus peccata ei imputata fuerunt, Dei juſtitia, hoc eſt, ſumma beneficentia, nec non æquitas, & rectitudo maxime eluceat. Atque ita, priorem tui illius axiomatis partem non exemplis tantum, quod antea feceramus, ſed rationibus quoque, falſiſſimam eſſe demonſtravimus. Nunc de altera parte videamus.

CAPUT. X.

Non potuiſſe Chriſto à Deo peccata noſtra imputari, niſi, ut ſibi imputarentur, commeritus fuerit. Ex quo Adverſarii argumentum, cui tantopere fidebat, multo magis & inutile & ineptum eſſe concluditur.

COntinet igitur reipſa axioma illud tuum, jure poſſe alicui aliena peccata imputari, licet is innocentiſſimus ſit. Ego ſane non video, quid abſurdius, aut iniquius dici, vel excogitari potuerit; præſertim ſi ad Chriſtum, cujus cauſſa id dictum à te fuit, referatur. Supra, cum fieri non poſſe dicebamus, ut quis corporales pœnas pro alio pendat; ejus rei occaſione, à Deo nemini aliena peccata imputari, oſtenſum eſt: ne patris quidem filio; niſi filius patrem imitetur. Sic enim conciliatur, ut noſti, id, quod dictum eſt Exod. 20. & Deut. 5. Deum ſcilicet punire peccata parentum in filiis, cum eo, quod ſcriptum eſt Ezechielis cap. 18, filium iniquitatem patris non portaturum Quæ conciliatio apertiſſime colligitur ex eodem cap. 18. Ezechielis 14 & deinceps. Duo igitur, ut aliena peccata alicui imputari queant, conjunctim neceſſario requirantur. Unum eſt, illum, cui imputari debent, ei, cujus peccata imputanda ſunt, ita conjunctum eſſe, ut propter ſolam ipſam conjunctionem particeps illius delictorum eſſe videatur. Alterum eſt, ipſum quoque peccaſſe, & illius ſcelera imitatum fuiſſe. Alioqui, ut ratio ipſa manifeſte docet, iniquiſſima ea imputatio cenſenda eſſet. Cum Deus Sodomam deſtruere vellet, Abrahamus, qui de Loti potiſſimum ſalute in ea civitate habitantis ſollicitus erat, Deum alloquens, ſic ait: *Abſita te, ut facias rem talem, ut mori facias juſtum cum impio, ſitque juſtus, ſicut impius. Abſit [inquam] à te. Numquid judex univerſæ terræ non faciet judicium?* Gen. 18. 25. Iniquum igitur cenſetur apud Deum, ut juſtus una cum impio affligatur; niſi ſcilicet alia ſubſit cauſſa, præter eam, quod is inter impios degat, eiſque commiſtus ſit. Id quod etiam eo tempore eventus comprobavit, non prius à Domino Sodomæ igne cælitus immiſſo, quam juſtus Lotus una cum familia ſua inde extractus eſſet. At quanto iniquius erit, ut eo nomine affligatur juſtus, quia illi impiorum ſcelera imputentur? Nam non ſolum ſine cauſſa affligetur, ſed etiam per injuſtiſſimæ cauſſæ ſpeciem. Itaque duplex illi & utraque inſignis injuria fiet.

Cum igitur illa duo ſimul juncta in alienis peccatis imputandis requirantur, in Chriſto autem neutrum fuiſſe appareat; quid quæſo deteſtabilius fieri potuiſſet, quam illi aliena peccata imputare? Chriſtus non modo aliorum turpia ſcelera imitatus non eſt: ſed ſanctiſſime ſemper & innocentiſſime vixit. Cum ipſis vero ſceleſtis, id eſt, cum hominibus, quorum univerſa peccata illi imputata fuiſſe vultis, ea ſola ratione conjunctus fuit, quod & ipſe homo erat. Cæteroqui nullus homo fuit unquam, aut futurus eſt, qui ab aliis hominibus, æque ac ipſe, diſjunctus fuerit. Quæ igitur tandem cauſſa erat, cur illi aliorum peccata imputari poſſent? Huc accedit, quod poteſt quidem Deus jure, ſi velit, ei peccata non imputare, cui merito imputari poſſent. De ſuo enim jure, ut ſæpius dictum eſt, quilibet, quantum velit, decedere poteſt. Sed nemini jure aliena peccata imputare poteſt Deus, cui merito imputari non poſſint. Peccatorum enim alienorum imputatio apud Deum non ex eorum numero eſt, quæ à ſola ipſius voluntate pendent; ſed ad alia etiam relationem habet; & in ipſa non de Dei tantum, ſed de alterius quoque jure agitur. Quapropter, quemadmodum Deus neminem punit eam ſolam ob cauſſam, quia ſic velit, ſed etiam quia is puniri meretur; ſic nemini imputat peccata aliena, quia ſimpliciter ita velit: ſed quia is, ut ſibi imputentur, commeritus fuerit. Et quemadmodum, ut quis vere puniri poſſit; non ſatis eſt, quod ipſe puniri velit, niſi delictum aliquod commiſerit (Relativa enim ſunt pœna, & delictum: ita ut ubi delictum non eſt, ibi pœna eſſe nullo modo poſſit) ſic, ut alicui vere aliena peccata poſſint imputari, non ſatis eſt ipſum ita velle; niſi imputationis antecedens alia digna cauſſa ſubſit. Poteſt quidem is, qui nihil deliquit, affligi, nec injuria: non modo ſi ipſe velit, ſed etiam invitus: ſi is in alterius poteſtate ſit, qui optimo aliquo conſilio, & fortaſſis illi ipſi ſalutari, ipſum, licet & immerentem & invitum, affligi velit; Sed ea afflictio nulla prorſus ratione pœna, ſive punitio cenſenda erit. Sic etiam, qui nihil aut facit, aut in ſe habet, quare aliena peccata ſibi imputari merito poſſint: poteſt quidem ſine injuria affligi, præſertim ſi ipſe ita velit; ſed interim ea affectio nullo modo imputatio, ſive effectus imputationis alienorum peccatorum eſſe cenſebitur. Hinc fit, ut, ſi Chriſto a Deo aliena peccata vere imputata fuerunt, non ſatis fuerit, ipſum Chriſtum, id fieri, alieri animo voluiſſe, ſed neceſſe ſit, ipſum, ut ea ſibi imputarentur, commeritum fuiſſe. Quo nihil execrabilius excogitari poteſt Id tamen te ſentire indicat, quod non ſolum velle videris, illum, divina juſtitia ſarta tecta remanente, morti traditum eſſe; ſed merito etiam fuiſſe traditum. Nam profecto, ut Chriſtus merito morti traditus fuerit, non ſatis eſt, illi peccata noſtra, ſi modo id fieri potuiſſet, fuiſſe imputata; ſed neceſſe eſt etiam, ut ſibi imputarentur, ipſum commeritum eſſe. Alioqui, ut paullo ante dictum eſt, non merito, ſed ex ſingulari Dei decreto, citra tamen ullam injuſtitiam (ut ego quidem aſſero) morti traditus fuiſſet. At enim tu, ut videtur, inter duo hæc extrema Merito, & Immerito nihil medium conſtituis: quamvis vocem Immerito pro eo, quod eſt Indigne, accipias; cum tamen in eum ſenſum, ut fere fit, ea voce accepta, fieri poſſit, ut quis nec merito, nec immerito morti tradatur. Quod certe Chriſto evenit. Is enim neque merito morti traditus eſt, quia nihil commiſerat, quare mortem illam meritus fuiſſet: nec tamen ullo pacto immerito, hoc eſt, indigne; cum is nec invitus à Deo, in cujus amen poteſtate erat, nec temere, ſed volens, & in finem omnium præſtantiſſimum morti traditus fuerit. Quod ſi Immerito pro eo, quod eſt, Non merito, id eſt, Non quia ita meritus eſſet, accipias: jam apparebit, nihil abſurdi in ea ſententia contineri, quod Chriſtus immerito morti fuerit à Deo traditus; niſi, Chriſtum à Deo morti tradi non debuiſſe velis, ſi is, ut tra'eretur, commeritus non eſſet. Itaque, cum concludens, ita ſcribis: *Jam igitur ſi Chriſtus, ut aſſeris, non eſt mortuus pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione, ſi etiam ut ſcriptura vere docet, non eſt mortuus pro peccatis ſuis, cum peccatum in eo nullum unquam fuerit; Nunquid fateri oportebit (quod ut impiiſſimum ne cogitare quidem fas eſt) Chriſtum à Deo injuſte immerito, & nulla cum legitima cauſa morti traditum eſſe?* Cum, inquam, hæc ſcribis, & maxime impium eſſe ſtatuis, vel cogitare quidem, Chriſtum immerito morti à Deo traditum fuiſſe: aut maxime impium id eſſe affirmas, quod ab omni impietate quam longiſſime abeſt, immo cujus contradictorium (quod vocant) Chriſtum ſcilicet merito à Deo morti traditum

fuiſſe, maxime impium eſt: aut indigne factum id eſſe ſtatuis, quod jure fieri potuit; ut ſupra abunde demonſtratum fuit. Indigne autem & inique Chriſtum à Deo morti traditum fuiſſe, niſi is mortuus ſit pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione, ideo te aſſeverare, quia, ni ita eſſet, Chriſtus, ut morti traderetur, meritus non fuiſſet, & ita te, ut dixi, quod Chriſtus id meritus fuerit, affirmare: vel ex eo percipi poteſt, quod verbis Injuſte, & Immerito, addis etiam, Nulla cum legitima cauſa Quæ verba, cum de finali cauſſa intelligi nequeant, de antecedente ut intelligantur, neceſſe eſt. Unde apparet, te antecedentem aliquam legitimam cauſſam mortis Chriſti, præter Dei, & ipſius Chriſti voluntatem (quippe quod tibi in Chriſto morti tradendo Dei, ipſiuſque Chriſti voluntas ſatis eſſe non videatur) omnino ſtatuere. Ea vero nulla alia eſſe poteſt, niſi, quod Chriſtus id meritus fuiſſet. Quamvis autem, ut dictum eſt, de antecedente tantum, non etiam de finali cauſſa te loqui neceſſe ſit; cum tamen ita univerſe loqueris, videris finalem etiam legitimam cauſſam à morte Chriſti excludere, niſi is pro ſatisfactione noſtrorum peccatorum morti traditus fuiſſet. Quod tamen falſiſſimum eſſe ex iis apparet, quæ ante à nobis latiſſime diſputata ſunt. Ubi finales plures legitimæ mortis Chriſti cauſſæ, ſine ulla pro peccatis noſtris ſatisfactione, explicatæ fuerunt.

Vides igitur, ut ad propoſitum revertamur, præter cæterea iniqua, & abſurda, in quam horribilem blaſphemiam incideris, dum Chriſto peccata noſtra imputari potuiſſe contendis; quod ſcilicet Chriſtus, ut ea ſibi imputarentur, commeritus fuerit: & proinde merito, hoc eſt, quia ea dignus eſſet, morti illi acerbiſſimæ & ignominiæ atque execrationis pleniſſimæ fuerit à Deo traditus.

Jam quid tibi tandem de tuo illo axiomate videtur, *Nemo moritur, niſi pro peccatis aut ſuis, aut alienis*: ſive priorem ejus, quam nos fecimus, ſive poſteriorem partem ſpectes; præſertim, ſi ad Chriſti perſonam accommodari debeat? Potuitne aliquid alicui in mentem venire, quod vel magis falſum, vel magis abſurdum, atque adeo impium ſit? Quid de univerſo ipſo argumento? In quo te tibi ipſi vehementer placuiſſe, præter alias conjecturas, ex quorundam verbis, quibuſcum, antequam ſcriptum tuum mihi exhiberetur, collucutus fueras, manifeſto deprehendi. Num aliud aut inſulſius, aut frigidius, quod attinet ad quæſtionem noſtram, excogitari potuit? Uter tandem noſtrum imprudens Deo fœdiſſimam injuſtitiæ notam inurere tentat? An ego, qui Chriſtum à Deo, ut ea ratione nobis æterna ſalus compararetur, turpiſſimæ & ſæviſſimæ morti traditum fuiſſe affirmo, quamvis nulla præterea antecedens cauſſa eſſet, cur ille eam mortem perferre deberet: id quod ſumma cum divinæ juſtitiæ commendatione fieri potuit; an potius tu, qui ideo Chriſtum ex Dei decreto ei morti traditum fuiſſe ais, quia illi peccata noſtra univerſa imputata fuerint, quod ſine ſumma injuſtitia fieri nullo modo potuit? Equidem ſpero, te, vel ex ſola poſtremi hujus argumenti tui examinatione, ſententiæ tuæ cum abſurditatem, tum iniquitatem, agnoturum: & me non injuria à te, & reliquis, qui tecum ſentiunt, quicumque, & quotcumque illi tandem ſint, hac in re deſentire faſſurum. Quod te eo facilius facturum eſſe exiſtimo, ſi, quæ mala ex tua ſententia proveniant, & an itidem ulla ex mea, etiamſi falſa eſſet, provenire poſſent, tecum animo reputaveris.

CAPUT XI.

Ex Coveti ſuorumque ſententia multa mala, ex Socini vero nulla prorſus provenire poſſe, demonſtratur.

EX ſententia igitur tua primum id neceſſario proficiſcitur, Deum aut non potuiſſe, aut noluiſſe, nulla vera pro peccatis noſtris ſatisfactione accepta, ea nobis liberaliter condonare. Quod noluerit, hoc propriam ipſius & veram miſericordiam, ac beneficentiam non obſcurat ſolum, ſed funditus etiam delet. Quod non potuerit, hoc ejus majeſtatem, auctoritatemque ſupremam atque infinitam imminuit, & certis limitibus circumſcriptam coërcet, ac continet. Utrumque ejus nomen, & gloriam vehementer lædit, atque dedecorat. Deinde, quod multo adhuc gravius eſt, ejuſdem ſententiæ vi, Dei vera juſtitia, hoc eſt rectitudo & æquitas, quæ omnium actionum ejus perpetua eſt comes, & in eo inter ipſius proprias & admirabiles qualitates, tamquam in cælo ſol inter alia ſidera, refulget, penitus labefactatur, atque convellitur. Sed neque altera illa juſtitia, id eſt, ipſius in delictis puniendis ſeveritas, qua non raro præſertim vero adverſus contumaces & rebelles uti ſolet, ulla ex parte conſervatur, aut retinetur. Sed ejus loco temeraria quædam immanitas ſubſtituitur; ut, ſi ea ſententia vera eſt, Deus in ſalute noſtra procuranda & iniquiſſimus & immaniſſimus fuiſſe appareat. Adde huic iniquitati, & immanitati ſummam inſipientiam; dum Chriſti morte noſtrorum delictorum pœnas compenſari curat: cum tamen id fieri nullo modo potuiſſe conſtet. Præterea ejuſdem ſententiæ vel cauſſa, vel occaſione, Chriſti gloria non minima ex parte obſcuratur. Nam & ejus erga nos charitas, in morte pro nobis ſubeunda, ut poſtea dicemus, deprimitur & ipſius proprium & peculiare munus, Euangelii cum annunciandi, tum confirmandi, Apoſtolis, & Prophetis pœne ex æquo fit commune: & æternæ ſalutis nobis dandæ poteſtas, quam ut homo habet, illi, ut homini, magna cum impietate, & ſacrilegio adimitur, atque eripitur. Nec interea quomodo morte, & obedientia ſua cunctis, qui ipſius dicto audientes fuerint, omnium peccatorum veniam peperit, vel agnoſcitur, vel recte intelligitur. Ex cujus rei ignoratione aliud poſtremo malum, veſtræ ſententiæ acceptum referendum, quod omnium nocentiſſimum eſt, facillime conſequitur. Omne enim pietatis ſtudium, ut experientia ipſa ſatis declarat, frigeſcit atque extinguitur: dum putant homines jam reipſa ſe juſtos eſſe, quia, ſcilicet, omnium ſuorum peccatorum pœnæ univerſæ, divinæ juſtitiæ perſolutæ fuerint. Qua de re paullo poſt fuſius diſſeremus.

Nunc ex altera parte, num mala aliqua ex ſententia mea proveniant, diſpiciamus. Primum illud certiſſimum eſt, ipſius vi Deo non ſolum nihil adimi, ſed id omne tribui, quod tribui, in nobis ſervandis aut poteſt, aut debet. Summa enim illi miſericordia, & beneficientia, ac liberalitas, atque clementia cum ſumma tum juſtitia, id eſt rectitudine & æquitate, tum ſapientia conjuncta aſcribitur. Ejus ſuprema poteſtas illibata conſervatur. Severitas illius in ulciſcendis præfractorum & perditæ ſpei hominum ſceleribus, quæ veræ juſtitiæ pars cenſeri poteſt, non modo non negatur, verum etiam aſtruitur; cum reſipiſcentibus tantummodo eum citra ullam vel ipſorum, vel alterius cujuſpiam pro ipſis veram ſatisfactionem, veniam dare affirmatur. Conſequens eſt enim, ut cæteris, quemadmodum Paulus loquitur Rom. 2. 8, *ira, indignatio, afflictio, & anxietas*, juſto ipſius judicio, immineat. Deinde, quod ad Chriſtum attinet, ipſi etiam non modo nihil detrahitur, ſed quod detractum fuerat, reſtituitur. Dum verus & ſolus divinæ benignitatis in peccatis, omnibus iis, qui reſipiſcunt, in perpetuum ita condonandis, ut æternam ac beatiſſimam vitam conſequantur, & annunciator, & confirmator aſſeritur; dumque ejuſdem vitæ, quatenus homo eſt, dominus atque largitor à Deo conſtitutus agnoſcitur. Nec vero, ſi eum omnes peccatorum noſtrorum pœnas Deo perſolviſſe, ſi, quæcumque nos facere debebamus, pro nobis præſtitiſſe, adde, ſi Dei iram nobis placaſſe, negatur; quidquam idcirco ipſi aut detrahitur, aut detrahi poteſt. Cum ex his tribus duo priora fieri nullo modo potuerint: tertium vero & Dei clementiæ, cujus ipſe conſtantiſſimus prædicator fuit, plurimum detrahat, & ipſi Chriſto non parum adimat: dum pro vero ſervatore, id eſt, delictorum condonatore, & vitæ ſempiternæ

ternæ datore, eum veniæ & ſalutis (ut ſic loquar) impetratorem facit. Num fortaſſe ſententia mea Chriſti charitatem eximiam in iis, quæ propter nos fecit, & paſſus eſt, aliqua ex parte minuit? Num eum diriſſimum atque teterrimum ſupplicium noſtrum cauſſa, quamvis innocentiſſimum, perferre voluiſſe negat? Immo nonne ipſius, in morte pro nobis oppetenda, erga nos charitatem extollit, quam tua ſententia, ut paullo ante attigimus, deprimit? Nam ex tua ſententia, ut vidimus, neceſſario concluditur, Chriſto merito imputata fuiſſe omnia delicta noſtra. Sed quænam eximia charitas eſſe poteſt illius, qui pro alio idcirco aliquid mali ſuſtineat, quod id ſuſtinere aliqua ratione mereatur? In eo Chriſti erga nos charitas mirifice elucet, quod, quamvis nulla prorſus ratione, ut mea ſententia habet, tot mala perpeti teneretur, niſi quia Deus ita decreverat; ut tamen nos ingenti beneficio afficeret, ea perpeti non dubitaverit. Præterea Chriſti adverſum nos charitas multum imminuitur, ſi, ut Deo ipſius patri ſatisfieret, id eſt, quod nos ei debebamus, perſolveretur, eam mortem ſubire voluerit. Quod ex tua ſententia neceſſario conſequens, à mea plane excluditur. Itaque, ſi mea ſententia admittatur, pura & ſincera Chriſti charitas in morte illa pro nobis ſubeunda aperte conſpicitur, nulla vel ipſius obligatione, vel ejus patris utilitate, ut ita dicam, miſta atque turbata; quæ incommoda in recipienda ſententia tua contingere, manifeſtum eſt.

His omnibus illud adde, quod, etiamſi mea ſententia falſa eſſet, non tamen ipſam amplectenti detrimentum ſeu impedimentum ullum, in æterna ſalute adipiſcenda, unquam eſſet allatura. Nam, cum nec Dei, nec Chriſti gloriam ulla ex parte imminuat: cum homines à fide, & ſpe omni in ipſis collocanda ne tantillum quidem retrahat: cum vitæ ſanctimoniam nullo pacto impediat; non ſane video, cur cuiquam eam admittenti vel minimum quidem officere poſſit. Nam ſi dicas, neceſſe eſſe, ut ſalutem ea ratione nobis partam eſſe credamus, qua parta fuit: & hanc eſſe eam fidem, ſine qua univerſæ Sacræ Litteræ, ſalutem nobis obvenire non poſſe, teſtantur; quam hoc à veritate ſit alienum, in reliquis tui ſcripti verbis examinandis planiſſimum fiet. Interim conſidera, num veriſimile ſit, aliquem beneficio ſibi a rege quopiam facto, propter id ſolum privandum eſſe, quod alia ratione & via, quam ea, qua factum eſt, ſed tamen (ut ipſi ſaltem videtur) multo & præſtantiore, & ipſi regi honorificentiore, beneficium ſibi factum eſſe credat.

At ſententia veſtra, ſi quis eam admittat, quamvis ut ego quidem arbitror, fieri poſſit, ut ſalutem non auferat; tamen præterquam, quod Deum maxima, Chriſtum non minima injuria afficit, & fidem atque ſpem, quam in utroque collocare debemus, ut ex iis, quæ infra dicentur, manifeſtius apparebit, non parum turbat, atque pervertit: univerſam etiam *ſanctimoniam, ſine qua nemo Dominum videbit* Heb. 12. 14, ut dictum fuit peſſundare potens eſt.

Quare te, pro ea charitate, quam omnibus hominibus, maxime vero iis, qui Chriſti nomen profitentur, me debere agnoſco, & rogo, & moneo, ut in ea retinenda perſiſtere nolis; præſertim cum non tuæ tantum ſalutis, ſed eorum quoque, qui tuæ curæ commiſſi à Deo fuerunt, rationem habere debeas; quorum ſanguinem, ſi culpa tua perierint, de tuis manibus aliquando requiret Dominus. At certe facillime peribunt culpa tua, ſi illis eam doctrinam obtruſeris, quæ à vitæ innocentia eos revocare poſſit. Quod hactenus imprudens feciſti, condonabit tibi Deus clementiſſimus. Sed, cum ex iis, quæ à me dicta fuere, in ſuſpicionem ſaltem falſitatis ſententiæ tuæ adduci poſſis; nulla venia dignus eris, ſi, vel quia, te antehac erraſſe, tacite confiteri pudeat, vel quia cæterorum tui ordinis invidiam ſubire pigeat, vel quamcumque aliam ejuſmodi ob cauſſam, populum ea opinione imbuere perrexeris.

Jamque ex iis, quæ hactenus à nobis diſputata ſunt, non modo, quidquid à te contra ſententiam meam allatum fuit, pleniſſime confutatum videtur: ſed etiam id omne abunde confirmatum, quod in explicatione ipſius ſententiæ meæ à me in ſchedula tibi tradita ſcriptum fuerat; & inter cætera (id quod caput erat controverſiæ noſtræ) aperte demonſtratum, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ, per quam nos damnari mereremur, non ſatisfeciſſe. Quocirca hic finis huic meæ ſcriptioni imponi poſſet. Verum, quia ex eorum, quæ in tuo ſcripto reliqua ſunt, diligente examinatione major fortaſſe utilitas, quam ex omnibus, quæ hucuſque dicta fuere, proficiſci poteſt, & ſalutis noſtræ æternæ ratio multo adhuc clarius, & exactius explicari atque intelligi, peſtilentiſſimique errores per hominum aut malitiam, aut imprudentiam in Chriſti eccleſiam invecti aut retegi, atque refelli, aut certe manifeſte indicari; non abs re viſum eſt mihi hoc adhuc laboris ad Dei gloriam ſuſcipere: & cætera etiam, quæ ſcripſiſti, accuratiſſime majore ex parte excutere, atque perpendere.

DISPUTATIONIS
DE
JESU CHRISTO Servatore.
PARS QUARTA.

In qua Coveti ſententiæ appendices quædam maximi momenti diligenter examinantur.

CAPUT. I.

Explicatur opinio adverſarii de imputatione ſatisfactionis Chriſti per fidem; ejuſque abſurda quædam attinguntur; deque ea diſputandi ordo proponitur.

Sequuntur igitur in ſcripto tuo verba hæc.

Itaque ſuper eſt tantum ut ejuſdem ſacri verbi auctoritate confirmem, quod ſcripſi, ſcilicet Chriſti ſatisfactionem imputari nobis, nobis inquam ex dono Dei credentibus, quod ut ſpero paucis expediam. Paulus ad Rom. 4. fidem imputari ſcribit pro juſtitia ei qui credit in Deum, qui juſtificat impium, ita ut quamvis in nobis ipſis impii ſimus, Chriſti tamen ſatisfactione nobis credentibus imputata, coram Deo ipſo pro juſtis habeamur. Et ut addit ſub finem capitis, Quod fides imputata fuit Abrahamo pro juſtitia, non ſcriptum eſt à Moſe propter eum ſolum, ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt, ut imputetur qui crediderimus in eum qui excitavit Jeſum dominum noſtrum à mortuis traditum in mortem propter offenſas noſtras, & excitatum propter juſtificationem noſtri. Et eodem ſenſu dicitur, 1 Cor. 1. Chriſtus factus eſſe nobis à Deo non ſolum redemptio, ſed etiam juſtitia.

Ferri

Ferri quodammodo potuiſſet ſententia veſtra, ſi, quemadmodum, ut iſtius ſatisfactionis beneficium reipſa participemus, dixiſtis, neceſſe eſſe, ſimul & ſufficere, ut illam peractam fuiſſe credamus: ſic neceſſe eſſe, ſimulque ſufficere dixiſſetis, ut ex Chriſti præſcripto vitam emendemus, & deinceps juſte & ſancte vivamus. Quamvis enim nullo modo ſine Dei, & Chriſti injuria ejuſmodi ſatisfactionis opinio conſiſtere queat; condonaret tamen illam ſine dubio, ut pote ab hominis malitia non proficiſcentem, Deus benigniſſimus, ſi vitæ ſanctimonia, quam à nobis omnino requirit, incolumis remaneret. Quæ enim malitia eſſe in eo poteſt, qui nihil antiquius habeat, quam ut innocenter vivat? Novi autem, quid hic dicere ſoleatis; nempe, fidem iſtam veſtram ſeu firmam perſuaſionem, quod Chriſtus Deo ejuſque juſtitiæ pro omnibus peccatis noſtris ſatisfecerit, vitæ ſanctimoniam, ut neceſſarium ſuum effectum, producere. At quomodo id dicere poteſtis, ſi, ut tute hic diſerte ſcribis, in ſalutis noſtræ à vobis excogitata ratione, non, ut nos vere in nobis ipſis pii ſimus, requiritur: ſed ſatis eſt, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari? Fides igitur iſta veſtra, quam ad ſalutem adipiſcendam ſufficere affirmatis, non bonos neceſſario efficit, qui ea ſunt prædiți, ſed, ut aliena probitas illis imputetur, eſt cauſſa. Novi iterum, quid hic vel dicatis, vel dicere poſſitis; nimirum, cum à vobis affirmatur, nos in nobis ipſis impios eſſe, ſed Chriſti juſtitiæ imputatione per fidem pios cenſeri: non ita impios nos eſſe, velle vos dicere, ut nulla vitæ emendatio, nullum pietatis & juſtitiæ veſtigium in nobis appareat; ſed quamvis (ut tuis verbis, quæ ſupra hac de re ſcripſiſti, utar) ſanctius & juſtius, quam antea, vivere poſſimus, hoc eſt, ut ego interpretor, vivamus: remanere tamen in nobis ſemper, id eſt, quam diu hic ſumus, reliquias peccati. At enim iſtæ veſtræ peccati reliquiæ, ut infra demonſtrabitur, ejuſmodi ſunt, ut eam vitæ ſanctitatem extinguant, quam in nobis, ſi ſalvi eſſe velimus, habitare debere tota ſcriptura apertiſſime teſtatur; & nihil veri in nobis boni relinquunt præter conatum, & bonam quandam voluntatem; quem proprium fidei, & regenerationis noſtræ fructum eſſe vultis. Ita ut imputatio illa veſtra juſtitiæ Chriſti non modo apud vos perfectiſſime divinorum mandatorum conſervationis vicem ſuppleat, quod ferri aliquo modo potuiſſet: ſed efficiat, ut ea ſanctitate, ſine qua, etiam poſt Jeſu Chriſti beneficium, Deo placere nequimus, coram ipſo Deo prædiți cenſeamur, licet revera ipſa careamus. Quod, ut valde abſurdum atque impium, ita intolerabile plane eſt.

Duplicem igitur, ut vobis omnino placet (tametſi vos ipſos in eo diſertis verbis non explicatis) Chriſti juſtitia in juſtificatione noſtra rationem habet; Primum, ut pro nobis ſatisfaciat, ea omnia abſolute præſtando, quæ nos præſtare debebamus: Deinde, ut, poſtquam ejus præſtationis & ſatisfactionis per fidem participes facti ſumus, nobis eam ſanctitatem per ſui ipſius imputationem tribuat, quam à nobis omnino ipſe Chriſtus requirit. Quamquam tu, ut alibi dictum fuit, nullam præterea ſatisfactionem hic agnoſcere videris, quam eam, quæ per pœnarum ſolutionem contingit. Hanc vero juſtitiæ Chriſti imputationem adeo cum ſatisfactionis, de qua agis, imputatione miſces, ut idem propemodum utramque eſſe credere videaris. Nos, non paucos ex tuis imitati, ut dilucidius rei veritas conſpici poſſit, alteram ab altera & diſtinximus, & diſtinguemus, & utriuſque illius rationis, quam in juſtificatione noſtra Chriſti juſtitiam habere vultis, inter diſputandum rationem habebimus. Atque, ut quam multipliciter tu, & cæteri in hac juſtificationis noſtræ per Chriſtum tractatione erretis, quantoque cum ſalutis veſtræ diſcrimine id fiat, percipi queat; ea, quæ in univerſo ſcripto tuo ſunt, ad hanc rem pertinentia, hic diligenter examinabimus; atque, ut id commodius fiat, ad tria capita ipſa revocabimus, & ita tres enunciationes ſive (quas vocant) concluſiones ex verbis tuis eliciemus, quas ſeparatim deinceps excutiemus. Prima erit, Satisfactionem illam Chriſti nobis per fidem imputari, quia ſcilicet credamus, Chriſtum ea, quæ paſſus eſt, pro noſtra ſalute perpeſſum fuiſſe, id eſt, ipſum morte ſua pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ pleniſſime ſatisfeciſſe. Altera, Per eandem fidem, Chriſti innocentiam, & juſtitiam nobis revera impiis impartiri. Tertia, Fidem in Chriſtum, qua nos juſtificari, ſacra monumenta teſtantur, nihil aliud revera eſſe, quam credere, per ipſum Chriſtum, hoc eſt per ea, quæ Chriſtus paſſus eſt, peccata noſtra deleta fuiſſe. Priores duæ enunciationes apertiſſime explicatæ ſunt in ipſis verbis tuis. Reliqua tertia ex ipſorum ſententia neceſſario manat.

CAPUT II.

Nullo pacto, ut recte dictum, ſuſtineri poſſe id, quod Coveius affirmat, videlicet, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari.

PRimum igitur affirmas, Chriſti ſatisfactionem, id eſt, morte Chriſti, ejus, quod propter noſtra peccata divinæ juſtitiæ nos ipſi debebamus, factam ſolutionem, nobis per fidem imputari. Hæc enunciatio duas partes habet. Una eſt, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari: Altera, id per fidem fieri. Atque, ut de priore parte primo loco dicamus, non imputantur nobis (ut quidem Imputandi verbum vulgo ab ipſis theologis accipitur) ea, quæ vere habemus, niſi in alium finem, quam ut ea habeamus, vel pro alia quapiam re imputentur. Si jam vere pro nobis ſatisfactum eſt, quid opus eſt, immo qui fieri poteſt, ut ea ſatisfactio nobis imputetur: niſi in alium finem id fiat, quam, ut pro nobis ſatisfactum ſit, aut pro alia quapiam re ea nobis imputetur? Exemplis, quid ſibi hæc mea verba velint, aperte exponere conabor; & interim triplicem verbi Imputandi uſum commonſtrabo. Cum imputatur nobis juſtitia, ut, ſecundum Græci codicis veritatem ſcriptum eſt à Paulo ad Rom. cap. 4. 6, & 11. ea ideo nobis imputari poteſt, quia eam non vere habemus; quamvis neque in alium finem, niſi, ut eam habeamus, vel potius, ut theologis veſtris placet, habere cenſeamur, nec pro alia quapiam re, quam pro ipſa juſtitia, imputetur. At cum, verbi gratia, peccata nobis imputantur, quæ vere habemus, non, ut ipſa habeamus, nobis imputantur: ſed in alium finem; nempe, ut puniamur. Poteſt enim fieri, ut peccata habeamus, nec puniamur tamen: & ſic peccata noſtra nobis non imputentur; ut eodem loco ex Davide ſcribit Paulus. Jam, cum nobis imputatur, puta, fides: quamvis ipſa fides in nobis ſit, eamque habeamus, ideo tamen imputatur, quia pro alia re imputatur, id eſt, pro juſtitia (loquor autem ex ſenſu magiſtrorum veſtrorum, qui ad hunc modum loca illa ad Rom. cap. 4. interpretantur & explanant) quod idem eſt, ac fidem noſtram nobis juſtitiæ loco duci. At vero cum talis eſt verbi Imputandi uſus, tunc, aliquid alicui non ſimpliciter, ut in ſuperioribus exemplis fit, imputari dicitur, alio præterea non addito: Sed additur expreſſe, aut ex præcedentibus tacite reperitur, aut certe ſubauditur id, pro quo illud illi imputatur. Ut videre eſt toto eodem cap. 4 ad Romanos; ubi, cum de imputatione fidei ſermo eſt, ſemper vel expreſſe additur, vel tacite repetendum eſt, vel certe ſubaudiendum, Pro juſtitia, ſive, ut verba Græca ſonant, & vulgata atque Eraſmi editio habet, Ad juſtitiam.

Nunc videamus, quo ſenſu dicere potueris, ſatisfactionem Chriſti nobis imputari, id eſt, cum hoc dixiſti, quem uſum verbi Imputandi ſecutus fueris. Uno enim ex prædictis tribus modis verbum Imputandi, cum ſcilicet aliquid alicui imputari dicitur, à Sacris Scriptoribus uſurpatum fuiſſe ex ipſa doctrina veſtra colligitur. Si eo ſenſu id dicere voluiſti, quaſi ſatisfactionem iſtam

vere

vere non habeamus, ſed perinde exiſtimemur, ac ſi eam haberemus; qui primus modus eſt à nobis illius verbi uſurpandi expoſitus; te prorſus falſo id enunciaſſe apparet. Nam & ſatisfactionem iſtam (ſi vera alioqui eſt ſententia tua) ante ejuſdem imputationem jam habemus: immo, ſi eam non haberemus, ea ne eſſet quidem, & ita imputari non poſſet; & poſt imputationem non eam quidem habere exiſtimamur: ſed vere & proprie habemus. Si verum eſt, Chriſtum, ut tu affirmas, morte ſua pro peccatis noſtris pleniſſime ſatiſfeciſſe; certum eſt, nos jam habere iſtam ſatisfactionem. Nam quid aliud eſt, Nos eam ſatisfactionem habere, eo videlicet ſenſu, in quem hoc loco iſtam locutionem uſurpamus, quam, Vere pro nobis fuiſſe ſatisfactum? Antequam igitur ea ſatisfactio nobis imputetur, jam eam habemus; cum ante iſtam imputationem certiſſimum ſit, vere pro nobis ſatisfactum fuiſſe. Quod ſi eam ante non haberemus, nec vere etiam ſatisfactum ante eſſet; & ſic antea nulla foret ſatisfactio. Siquidem idem eſt, Satisfactionem eſſe, &, Satisfactum fuiſſe. Verum, ſi ante imputationem nulla eſt ſatisfactio; ea quomodo nobis imputari poteſt? Poteſt quidem imputari nobis aliquid, quod ante imputationem revera non ſit; ut, cum nobis juſtitia imputatur. Sed tunc illud, quod imputatur, extra nos non conſideratur. Neque enim, cum ſcriptura ait, nobis juſtitiam imputari, ipſam Chriſti juſtitiam intelligit, quidquid theologi veſtri ſentiant. Qua de re infra aliquid dicemus. Quamobrem ea juſtitia ante imputationem non eſt: neque eſſe dicitur; niſi fortaſſe, ut loquuntur, in abſtracto. Sed in Chriſti ſatisfactione aliud eſt. Ea enim, ut verba ipſa indicant, extra nos conſideratur. Quare, ut antequam imputetur, revera, atque, ut dicitur, in concreto ſit, neceſſe eſt. Quod ſi hoc non fateberis: at illud ſaltem non negabis, poſt imputationem, videlicet, eam ſatisfactionem revera eſſe, id eſt, revera pro peccatis noſtris à Chriſto eſſe ſatisfactum: non autem id ita eſſe cenſeri; & idcirco, nos, poſt imputationem, vere & proprie eam ſatisfactionem habere, non autem perinde exiſtimari, ac ſi eam haberemus. Quod tamen in primo illo genere imputationis contra fieri contingit; in quo id, quod imputatur, non vere habetur: ſed haberi exiſtimatur, id eſt, perinde de eo, cui imputatur, ſtatuitur, ac ſi id in ipſo eſſet, quamvis revera non ſit.

At dices fortaſſe, hoc non eſſe perpetuum: & me non omnino recte locutum fuiſſe, cum in imputatione eorum, quæ non habemus, dixi evenire, ut id, quod imputatur, non vere deinde in nobis ſit, ſed eſſe cenſeatur; fieri enim poſſe, ut imputetur nobis id, quod non habemus, ita ut deinde illud vere habeamus. Atque, ut id probes, proferes verba illa Pauli eod. cap. 4. epiſt. ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* Nam certe merces, quam adhuc non habemus, non imputatur nobis, ut eam habere cenſeamur: ſed, ut eam revera habeamus.

Reſpondeo primum, me, cum iſtud dixi, ex ſenſu veſtrorum theologorum locutum fuiſſe. Nam quid ipſe hac tota de re ſentiam, poſtmodum explicabo. Deinde dico, facile defendi poſſe, Paulum nihil aliud dicere voluiſſe, quam mercedem ita imputari, ut eam habere cenſeamur; ſi, quid merces ſit, hoc loco intelligatur. Neque enim hic merces id ſimpliciter ſignificat, quod mercedis loco datur: ſed eo adjuncto, quod, ut merces, detur. Cum igitur Paulus ait, Ei, qui operatur, non imputari mercedem ex gratia, ſed ex debito; nihil aliud ſibi voluit, quam, Ei, qui operatur, non imputari ex gratia, quod id, ut mercedem recipiat: ſed revera, ut mercedem, ex debito illi dari: Ut in illis verbis, *ſed ſecundum debitum*, vel ſupplendum ſit verbum Datur, non autem verbum Imputatur κατὰ χρέος repetendum: vel, ſi repetendum eſt verbum Imputatur, ſatendum ſit, hic illud evenire, quod ſupra non ſemel obſervavimus, ut ſcilicet idem verbum propter ſermonis cum brevitatem, tum concinnitatem, & energiam quandam de re una proprie, de altera minus proprie dictum fuerit. In primo igitur membro verborum Pauli Imputatur, propria ipſius (ut quidem vulgo ſentiunt) ſignificatione retenta, idem erit atque Aſcribitur; in altero vero, minus propria ſignificatione aſcita, idem, quod Datur declarabit. Itaque apparet, te ex ipſorum veſtrorum hominum ſententia, non niſi cum evidente falſitate, aut certe improprietate, verbo Imputandi primo illo modo uti potuiſſe, cum dixiſti, Nobis Chriſti ſatisfactionem imputari.

Sin altero modo id verbum uſurpare voluiſti, ſic, ut ſatisfactionem Chriſti nobis imputari dixeris, non quia illam antea non habeamus, ſed quia in eum finem ea ſatisfactio nobis imputetur, ut juſtificemur; animadvertere debueras, ea, quæ aliquis jam habet, & illi in aliquem finem imputantur, ejus generis eſſe, ut effectum, & finem illum alioqui non neceſſario ſint habitura, ſed fieri jure poſſit, ut illo careant. Nam quid imputatione illa eſſet opus, ut effectus, & finis ille conſequeretur, ſi ſine illa imputatione, ut conſequeretur, neceſſe eſſet? Peccata alicui in eum finem imputantur, ut is, prout meritus eſt, puniatur; quia, ut dictum eſt, poteſt ille non puniri, ſi ipſi peccata non imputentur. Id quod à Deo jure fieri poteſt; cum nemini ea in re, ut ſupra explicatum fuit, ab ipſo injuria fiat. At vero ſi ſatisfactionem Chriſti reipſa habemus; fieri nullo modo poteſt, quin juſtificemur: & ſic juſtificationis noſtræ effectus, eam ſatisfactionem conſequatur. Nam quid aliud reipſa eſt Juſtificari, quam à peccatis abſolvi, & pro juſto haberi? Sed poteſtne quis à peccatis non abſolvi, & pro juſto non haberi, pro cujus peccatis pleniſſime ſatisfactum eſt, & in quo ea ratione omnia penitus delicta deleta ſunt, & ob eam rem conſequeter innocentia, & juſtitia ipſorum loco ſubſtituta? Quid igitur attinet illi eam ſatisfactionem in eum finem imputare, ut juſtificetur: cum, ſine maxima ipſius injuria, & æquitatis ac rectitudinis offenſione, fieri non poſſit, quin is juſtificetur? Nullus ergo iſti Jeſu Chriſti ſatisfactionem nobis imputandi modo locus eſſe poteſt, & ita non recte locutus eſſes, ſi eo ſenſu verba tua protuliſſes.

Hinc perſpicuum eſt, te nec tertio etiam modo Imputandi verbo in enunciatione illa tua uti potuiſſe. Certiſſimum enim eſt, ſi velis, Chriſti ſatisfactionem nobis pro alia quapiam re imputari, eam rem, eſſe juſtitiam; ita ut dicere volueris, Chriſti ſatisfactionem nobis pro juſtitia imputari. Atqui illud ſane pro alia re imputatur, quod nec res illa eſt, nec illam in ſe vere continet. Nam, ſi vel res illa eſt, vel eam in ſe plane continet, quî vel pro illa imputari poteſt, vel, ut imputetur, eſt opus? Cum nobis fides imputatur pro juſtitia, ideo imputatur, quia nec ipſa fides juſtitia eſt, nec eam vere in ſe continet. At Chriſti ſatisfactio, id eſt, quod pleniſſime pro peccatis noſtris à Chriſto ſatisfactum fuerit, ut ex iis quæ modo diximus, aperte conſtat, vel ipſa juſtitia eſt, vel certe eam vere in ſe continet. Deletis enim per ſatisfactionem, & plane obliteratis omnibus peccatis noſtris, nos vere juſti ſumus. Cæterum, ſi eos, pro quorum peccatis abſolute ſatisfactum eſt, non vere juſtos eſſe, ſed tantummodo pro juſtis haberi, contendas; id nihilominus ſatis eſt ad iſtam imputationem excludendam. Si enim ipſa ſatisfactio per ſe ei, qui ipſius particeps eſt, neceſſario id tribuit, ut pro juſto habeatur; quid attinet illi eam inſuper pro juſtitia imputari? Ut interim taceam, vel ex eo conſtare te illa tertia ratione verbum Imputandi uſurpare non potuiſſe, quod nec in verbis tuis additum ſit pro qua re ea ſatisfactio nobis imputetur: nec ulla vel cauſſa, vel indicium extet, quare illud in ipſis aut repeti, aut ſubaudiri debeat.

Perperam igitur omnino à te dictum fuit, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari. Quid hic dicturus ſis plane non video: niſi apud te, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari, idem ſit, quod, cum Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecerit, perinde haberi, ac ſic nos ipſi pro eis ſatisfeciſſemus: ita ut nobis acceptum feratur, quod non ipſi exſolvimus, ſed alius pro nobis. Sic enim

loquun-

loquuntur quidam docti viri, dum ſignificationem verbi Imputandi apud Paulum exponunt; quos tu fortaſſe hac in re es ſecutus.

Sed pace & tua, & illorum dixerim, nec rei, nec verbis iſtæc interpretatio ullo modo convenit; & vitium ſuum ipſamet manifeſte prodit. Primum enim iſta imputatione nihil eſt opus. Nam, ſi Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecit: an non hoc ſatis ſuperque eſt, ut peccata noſtra deleantur? Quid igitur opus eſt, ut nos ipſi præterea pro illis ſatisfeciſſe cenſeamur? Certe iſtud, ſi modo fieri poteſt, vel ſine ulla imputatione ex ipſa Chriſti ſatisfactione neceſſario proficiſcitur: vel inutile plane eſt Si quis pro alio aliquid ſolverit: jam ille, pro quo ſolutum fuit, liberatus eſt; nec opus eſt præterea, ut ipſemet illud ſolviſſe exiſtimetur. Nam vel hoc ex ſola ab alio pro ipſo ſolutione facta neceſſario conſequitur: vel inutile prorſus eſt.

Hinc fit deinde, ut non recte locuti videantur docti illi viri, cum dixerunt, Ei, pro quo ſolutum eſt, acceptum ferri id, quod alius pro ipſo ſolvit. Si enim pro ipſo ſolutum eſt, ut acceptum illi feratur, nihil eſt opus; cum, ſive is, cui ſolutum pro ipſo eſt, acceptum illi ferat, ſive non ferat, jam is liberatus fuerit: immo cum neceſſe ſit, ſi vera pro ipſo ſolutio intervenit, ut jam is, cui ſolutum eſt, illi acceptum tulerit; alioqui ſolutio fieri non potuiſſet. Sed quid dico? Quomodo poteſt unquam acceptum ferri id, quod revera ſolvitur? Quid aliud apud Juriſconſultos, unde hæc loquendi formula ſumpta videtur, Acceptum ferre ſignificat, quam pro ſoluto habere, licet vere ſolutum non ſit? Quid aliud eſt ipſa Acceptilatio, quam, per ſola verba obligationis liberatio? Quam quidem obligationem prius verbis contractam fuiſſe oportet. Sed hoc nihil ad rem. Satis enim eſt, in acceptilatione per ſola verba debitorem liberari. Quod ſi vel ipſe, vel alius pro eo revera ſolvat, acceptilationi nullus eſt locus. Nullo igitur pacto ea verba ſuſtineri poſſunt, videlicet, Acceptum alicui ferri, quod alius pro ipſo ſolvit; ſive Acceptum ferre proprie accipias, ut modo expoſuimus: ſive valde impropria quadam ſignificatione uſurpes, ut nos ipſi antea fecimus: id eſt, pro eo, quod vulgo dicimus Acceptare. Sed cum ad verbum Imputandi interpretandum ea verba allata fuerint, & ſic de attributione ejus rei, quam quis vere non habeat, manifeſte agatur; non impropria, ſed propria ſignificatione eam loquendi formulam in ipſa interpretatione uſurpatam fuiſſe, oportet. Niſi in ea interpretatione addita fuiſſent illa verba, Pro nobis: & dictum fuiſſet, Imputari apud Paulum eſſe Acceptum ferri, quod non ipſi ſolvimus, ſed alius ſolvit; non ita evidenter ſeipſam, qualis ſit, prodidiſſet. Poteſt enim alicui acceptum ferri, ſi non propria, ſaltem impropria ſignificatione, quod alius ſolvit; dummodo jam pro ipſo ſolutum non fuerit. Sed, ſi animadverſum fuiſſet, in Pauli verbis nullam penitus mentionem fieri alicujus rei, quæ, cum vel alterius ſit, vel ab alio proficiſcatur, nobis imputetur: ſed vel juſtitiæ ſimpliciter (non autem hujus, aut illius) quæ nobis imputetur, quod idem eſt, ac nos pro juſtis haberi: vel fidei noſtræ, quæ nobis pro juſtitia, ſive ad juſtitiam imputetur; non ſane in hæc abſurda deventum eſſet.

Jam igitur, ut ad rem redeamus, perſpicuum eſſe poteſt, cum dicis, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari, tua verba non poſſe perinde accipi, ac ſi dixiſſes. Nobis imputari, quod pro noſtris peccatis nos ipſi ſatisfecerimus: ita ut Imputandi verbo primo ex tribus à me expoſitis modis recte uſus fuiſſe videare, aſſerens, imputari nobis id, quod reipſa non habemus, propterea quia non vere nos ipſi ſatisfecimus, ſed Chriſtus pro nobis. Nam, ut dictum eſt, aut ex eo ſolo, quod Chriſtus pro nobis ſatisfecerit, neceſſario ſine ulla imputatione nos ipſi pro nobis ſatisfeciſſe cenſemur, aut certe, ut id feciſſe cenſeamur, prorſus ſupervacaneum eſt, ne dicam, impoſſibile. Quemadmodum enim, ut modo oſtendimus, id, quod pro nobis vere ſolutum eſt, nobis acceptum ferri non poteſt, cum Acceptum ferre omnem veram ſolutionem excludat; Sic, ſi retineri velimus, id eſt, adhuc exiſtimari, Chriſtum vere pro nobis ſatisfeciſſe, non poſſumus nos ipſi pro nobis ſatisfeciſſe cenſeri. Nam, quod alius pro me ſatisfecerit, id ſatisfactionem à me ipſo pro me factam omnino excludit. Huc accedit, quod, etiamſi, Chriſto pro nobis ſatisfaciente, eaque re pro vera ſemper habita, nec ſupervacaneum, nec impoſſibile foret, nos pro nobis ipſis ſatisfeciſſe cenſeri, nec ejus rei imputatio inutilis, non tamen recte dici poſſet, nobis Chriſti ſatisfactionem imputari. Tum demum enim Chriſti ſatisfactio nobis imputaretur, ſi, quemadmodum (ut vos creditis) ille pro humani generis delictis ſatisfecit, ſic nos ſinguli pro humani generis delictis ſatisfeciſſe cenſeremur; vel, ſicut nos ipſi pro noſtris peccatis ſatisfeciſſe exiſtimaremur, ſic ille pro ſuis peccatis ſatisfeciſſet. Quorum utrumque & evidenter falſum, & maxime impium eſt. Quod igitur nos ipſi pro peccatis noſtris, id eſt, quiſque pro ſuis, ſatisfeciſſe cenſeremur, id non eſſet nobis Chriſti ſatisfactionem imputari, ſed tantum Chriſti ſatisfactionis quidam effectus.

Itaque tandem vides, quam prave locutus fueris, cum, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari dixiſti. Nec ſane multos ex iis, qui tecum ſentiunt, eſſe credo, qui ad iſtum loquantur modum. Quamvis enim in ea, quæ in juſtificatione noſtra intervenit, imputatione explicanda graviter errent; non tamen, niſi vehementer fallor, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari plerique dicunt, ſed, ut ipſi loquuntur, applicari. Quo ſenſu verbum Imputandi à Paulo ipſo uſurpari fortaſſe arbitratus es; & eo ſenſu hic, ut quidem verisimile eſt, illud extuliſti.

Sed neque iſta etiam verbi Imputandi ſignificatio in iſtius Chriſti ſatisfactionis fructu percipiendo locum habere poteſt. Nulla enim applicatione eſt opus, ſi jam ante ipſam applicationem Chriſtus pro peccatis noſtris vere ſatisfecit. Id nobis applicari poteſt, quod adhuc non habemus, & ex cujus applicatione aliquis effectus in nos proficiſcitur, qui antea non erat. Atqui, ſi jam ſatisfactum eſt, ſatisfactionem jam habemus; nec alius ex ſatisfactionis iſtius applicatione effectus in nos derivari poteſt, niſi, quod pro noſtris peccatis vere & reipſa pleniſſime divinæ juſtitiæ ſatisfactum ſit, unde juſtificemur, qui effectus jam antea extabat. Nam ſi dicas, Chriſtum pro peccatis quidem noſtris ſatisfeciſſe: ſed cum hac tacita conditione, Si crediderimus: & ob eam rem, antequam credamus, reipſa pro nobis ſatisfactum non eſſe: per fidem autem revera ſatisfactionem nobis impartiri; Primum neſcio; an iſtud te dicere permiſſuri ſint ii, quos tuæ ſententiæ auctores habes. Nullius enim nec tacitæ nec expreſſæ conditionis, cum de Chriſti ſatisfactione agunt, mentionem facere videntur: ſed ſimpliciter affirmare, Chriſtum pro mundi peccatis pleniſſime Deo ſatisfeciſſe. Deinde, aliter, ex ſententia veſtra, rem ſe habere, ut mox demonſtrabimus, manifeſtum facit, ea fides, per quam nobis ſatisfactionem iſtam imparitiri, ſive applicari vultis. De qua utpote poſteriore primæ tuæ enunciationis parte jam tempus eſt, ut videamus.

CAPUT III.

Perperam ab Adverſario dictum fuiſſe, per fidem nobis imputari, id eſt, applicari, ſeu impartiri Chriſti ſatisfactionem.

Aſſeris igitur, Chriſti ſatisfactionem nobis per fidem imputari, id eſt, ut ego interpretor, applicari, ſive impartiri. Quod nihil aliud eſt, quam ex eo, quod credimus, Jeſum Chriſtum pro peccatis noſtris morte ſua divinæ juſtitiæ pleniſſime ſatisfeciſſe, id conſequi, ut nos iſtius ſatisfactionis participes fiamus. Iſtud enunciatum aut ſeipſum deſtruit, aut

aut certe perquam abſurdam ſententiam continet. Et enim, niſi nobis ea credenda ſunt, quæ non ſunt vera, & niſi Deus ejuſmodi fidem à nobis requirit, quæ falſa credat; neceſſe eſt, antequam iſtam fidem habeamus, vere pro nobis jam ſatisfactum eſſe. Vere inquam, id eſt, reipſa: & ſic, non ſub aliqua conditione, nimirum, ſi id ipſum crediderimus. Alioqui non ſimpliciter nobis credendum eſſet ſatisfactum fuiſſe: ſed ita demum, ſi id ipſum crediderimus. Quamquam ſeipſam deſtruit iſta conditio. Nam profecto, cum illud explicandum fuerit, quod credendum eſt: niſi in infinitum progredi velimus, id nihil aliud erit, quam, ſimpliciter ſatisfactum fuiſſe. Sed, ſimpliciter ſatisfactum fuiſſe, &, fuiſſe ſatisfactum ſub conditione, adeo pugnantia ſunt, ut alterum ab altero neceſſario tollatur. Si credendum eſſet, non quidem ſatisfactum fuiſſe, ſed id fuiſſe datum, quod ſatisfaciendi vim habeat; poſſet iſtæc credendi conditio locum habere, quæ, antequam impleatur, actum ipſum ſatisfactionis jam perfectum eſſe non arguit, ut altera illa facit. Id quod cum conditionis natura omnino pugnat. Sed, cum, jam ſatisfactum fuiſſe, credere debeamus, nulli conditioni eſt locus; &, jam ſatisfactionis actum perfectum fuiſſe, prorſus neceſſe eſt. Pugnantia igitur omnino loquitur enunciatum tuum. Dum enim dicit, credendum eſſe, Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe: jam, antequam credamus, reipſa pro nobis ſatisfactum fuiſſe, aperte affirmat. Dum vero dicit, per iſtam fidem nobis ſatisfactionem illam tribui: ſatisfactum re ipſa pro nobis fuiſſe, antequam credamus, non minus aperte negat.

Sed finge, non pugnare hæc inter ſe, quid alioqui tamen abſurdius excogitari poteſt, quam alicui beneficium dari, ſi credat, ſibi beneficium datum fuiſſe? Nam, ſi beneficium datum eſt, quid opus eſt, ad ipſum beneficium conſequendum, credi fuiſſe datum? Quænam hæc beneficii conferendi inſolens ratio eſſet? Si in futurum fides iſta reſpiceret, id eſt, ſi credendum eſſet, beneficium omnino datum iri, &, qui ita credidiſſet, beneficii particeps futurus eſſet; tolerabilior foret beneficii dandi ratio. Et ſane mirum eſt, vos, cum omnes uno ore dicatis, fidem noſtram, qua juſtificamur, Dei promiſſionibus niti, quæ ſine dubio futurum tempus reſpiciunt: in explicanda tamen ipſius juſtificationis noſtræ ratione, quæ ab iſta veſtra ſatisfactione proficiſcatur, fidem in nobis requirere, quæ nec Dei promiſſionibus nitatur, & in præteritum omnino reſpiciat. Sed de hoc infra latius ſuo loco. Nunc illud animadvertendum eſt, etiamſi in futurum fides iſta reſpiceret, non ſolere tamen, nec poſſe in beneficiis, quæ promittuntur, eam conditionem vel tacite, vel expreſſe unquam apponi, ſi is, videlicet, cui promittitur, beneficium illud ſibi omnino datum iri credat. Nam, ſi omnino beneficium habiturus eſt, quid opus eſt, ut rem ita ſe habere credat? Si non omnino eſt habiturus, falſum credit. Conditiones, quæ vel apponuntur, vel pro jam appoſitis habentur, cum quid à Deo promittitur, aut alterius plane generis ſunt: aut ſi inter ipſas, ut pote ad alias præſtandas neceſſaria, & aliarum quodammodo parens, ejus, cui promittitur, fides, hoc eſt, ut promittenti credat numeratur; non intelligendum eſt, quaſi is omnino id futurum eſſe confidere debeat, id eſt, fieri nullo modo poſſe, quin id fiat, quod promiſſum eſt: ſed, ut eum, qui promittit, & ex animo loqui, & id, quod promiſit, quantumvis arduum, præſtare poſſe credat; cæteris interim conditionibus, ſive tacitis, ſive expreſſis, firmiter permanentibus, quæ veræ & propriæ conditiones ſunt, & propter quas præſtandas ea fides requiritur. Quæ ſi impletæ non fuerint, non eſt, quod promiſſum præſtitum iri, ſibi is perſuadere debeat. Interdum tamen à Chriſto ad aliquid ab ipſo conſequendum ſimplex fides, citra omnem ſive tacitam ſive expreſſam conditionem, requiſita fuiſſe videtur. Ut in duobus illis cæcis ſanandis apparet, Matth. 9. 28. & in dæmoniaci liberandi patre, Mar. 9. 22. Verum, ut alia, quæ dici poſſent omittam, & præſertim nullam Jeſu Chriſti promiſſionem veram ac ſimplicem anteceſſiſſe; ex ipſius Chriſti verbis aperte conſtat, voluiſſe eum, non quidem ut crederent, omnino id futurum, quod tantopere ab eo expetebant, ſed potiſſimum, ut ipſum, id præſtare poſſe, ſibi perſuaderent. Hæc à me, quamvis alio fortaſſe commodiore loco non ita multo poſt ex parte ſaltem repetenda, ideo hic dicta ſunt, ut tui enunciati abſurditas manifeſte conſpiciatur: in quo, ad beneficium jam datum conſequendum, requiri affirmatur, ut is, cui datum eſt, datum fuiſſe credat; cum ne in dandis quidem requiri aut ſoleat, aut etiam poſſit, ut omnino beneficium datum iri credatur. Hanc abſurditatem aliqui, qui interea opinionem illam veſtram Chriſti ſatisfactionis à recentioribus, quos ſcholaſticos vocant, potius, quam ab antiquioribus Chriſtianis theologis, in eccleſiam Dei invectam vobiſcum imbiberunt, probe animadvertentes, non veriti ſunt affirmare, Chriſti beneficium omnibus citra ullam fidem contingere: poſſe tamen illud amitti, ſi diffidentia ſupervenerit. Quæ ſane ſententia, quamvis, ut ego quidem arbitror, non falſa tantum, ſed periculi plena ſit; non tamen video, quemadmodum refelli poſſit, ſi, Chriſtum reipſa pro peccatis noſtris morte ſua pleniſſime Deo ſatisfeciſſe, velimus; ut certe confiteri neceſſe eſt, ſi id factum fuiſſe credere debemus: ſicuti vos conſtanter aſſeritis. Quod cum dicitis, ſi idcirco id à nobis requiri affirmaretis, ne jam accepto beneficio privemur, omnem, ſatisfactione illa admiſſa, abſurditatem vitaretis. Sed quando ideo requiri aſſeveratis, ut beneficium accipiamus, id eſt, ejuſdem ſatisfactionis participes fiamus: non perabſurda modo, ſed plane repugnantia, ut oſtenſum eſt, loquimini: & vos merito iis, qui animum advertunt, deridendos præbetis.

Satis mihi videor utramque tuæ enunciationis partem convelliſſe. In quo ſi ſubtilius aliquanto, quam opus eſſe videretur, quædam à nobis diſputata ſunt; non aliam ob cauſſam id factum fuit, quam, ut nihil prorſus ſani eſſe in toto hoc veſtro de ſalute nobis per Chriſti ſatisfactionem parta commentitio corpore apertiſſime conſtaret. Commentitiam quidem iſtam primam enunciationem tuam eſſe, vel ex eo apparere poteſt, quod in Pauli verbis, quæ ad eam confirmandam attuliſti, non dicitur, Chriſti ſatisfactionem, ſive aliud, quod idem valeat, imputari per fidem: ſed ipſam fidem pro juſtitia, ſive ad juſtitiam imputari. De quibus verbis non ita multo poſt plenius agemus. Sed omnia vobis, ut ab initio dictum eſt, condonari potuiſſent; niſi, dum quandam à Sacris Litteris, ipſoque cum humano tum divino ſenſu penitus abhorrentem ſalutis noſtræ rationem fabricati eſtis, veram interim, quantum in vobis fuit, imprudentes funditus evertiſſetis. Quod cum in applicatione iſtius Chriſti ſatisfactionis factum eſt, tum vero in commento illo de Chriſti juſtitia nobis imputanda abſolute perfectum fuit. Quare jam ſecundam tuam ex tribus illis enunciationibus examinemus; & num verum ſit, Chriſti juſtitiam nobis imputari, quam primam ejus partem faciemus, diſpicere aggrediamur.

CAPUT. IV.

Chriſti juſtitiam nobis imputari, merum commentum eſſe oſtenditur, ex ſcripturæ locis examinatis omnibus, ubi imputationis fit mentio, quæ in ſalute nobis per Chriſtum parta interveniat.

PRimum igitur illud conſiderandum eſt, non poſſe imputationem iſtam ullo modo ſuſtineri. (præſertim quatenus id reſpicit, ut nos propter eam pro perfecte juſtis coram Deo habeamur; quod idem eſt ac Chriſtum ea præſtando, quæ nos facere tenebamur, divinæ juſtitiæ pro nobis plene ſatisfeciſſe) ſi verum eſt, Chriſtum morte ſua divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris univerſas pœnas nobis debitas perſolviſſe. Nam, ut ſupra ſatis demonſtratum fuit, repugnant inter ſe hæc duo, Satisfieri pro peccatis ſuis, &, Ideo juſtum cenſeri,

quod ſibi alterius juſtitia imputetur; aut certe alterutrum ſupervacaneum omnino eſt. Facile autem adducor, ut credam, iſtius imputationis, qui inter vos ſunt, præcipuos fautores, in ea aſſerenda, ad id potiſſimum reſpexiſſe, ut ejus vi ea vitæ innocentia nobis aſcribatur, quam, ſi partem in Chriſti regno habere debemus, in nobis eſſe neceſſe eſt. Quamvis enim, ſi Chriſtus pleniſſime, morte ſua, pro omnibus delictis noſtris, ſive præteritis ſive futuris, divinæ juſtitiæ ſatisfecit, non modo alia præterea ſatisfactione, ſed nulla etiam vitæ ſanctitate opus eſſe (præſertim ſi, ut vos affirmatis, aliud ad eam ſatisfactionem participandam in nobis non requiritur, quam, ut id verum eſſe, firmiter credamus) tamen, cum Sacræ Literæ paſſim clament, eam in nobis requiri; ne, ut reipſa, ſic etiam verbis divinæ veritati ſeſe palam opponerent, & plane impii viderentur; non auſi ſunt negare, eum, qui Chriſti regni particeps ſit futurus, vitæ ſanctimonia revera præditum eſſe oportere. Sed interim, ut, per ſpeciem ſanctimoniæ vitæ ſtabiliendæ, omnis vera ſanctitas convelleretur, ab humani generis hoſte verſutiſſimo perſuaſi, imprudentes, iſtam imputationem juſtitiæ Chriſti excogitarunt: per quam, ſcilicet, nobis, licet adhuc peccati ſervi ſimus, ea ſanctimonia aſcribatur. Itaque, ſi vobis credimus, cum Paulus 1 Cor. 6. 9. Gal. 5. 21. Eph. 5. 5, exempli cauſa, apertiſſime conteſtatur ac repetit, neque avaros, neque adulteros, nec ſcortatores, nec ebrioſos, nec conviciatores regnum Dei & Chriſti poſſeſſuros: cum & iracundos, invidos, & contentioſos, & æmulatores, atque alios iſtorum ſimiles à regno Dei excludit, non id ſcilicet, ſibi vult, ut ſi ſalvi futuri ſumus, ab iſtis vitiis vere abſtineamus: ſed, ut abſtinuiſſe cenſeamur. Quo quid dici vel abſurdius, vel deteſtabilius poteſt? Chriſtus vitam, & ſanguinem ſuum profudit, ut nos, peccatis defuncti, juſtitiæ vivamus, 1 Petr. 2. 24. & vos affirmare non erubeſcitis, ideo eum mortuum eſſe, ut nobis, quantumvis injuſtis, ejus juſtitia imputetur? Neque eſt, quod dicatis, immo vos quoque in iis, qui Chriſti participes cenſendi ſint, vitæ novitatem requirere, & bona opera, utpote ipſorum fidei neceſſarios fructus, in illis abunde conſpici, affirmare. Nam, cum ea, quæ Paulus 7 Epiſt. ad Rom. ac ſi de ſeipſo loqueretur, ſcribit, ad eos, qui jam Chriſto inſiti ſint, omnino referri debere, contendatis; ſatis oſtenditis, iſtam vitæ novitatem iſtaque bona opera non reipſa, ſed per imputationem in nobis eſſe debere, vobis perſuaſiſſimum eſſe. Quid enim? Nonne eo in loco apertiſſime ei, de quo ſub perſona ſua Paulus loquitur, quem vos, ipſum Paulum jam Chriſti ſpiritu regenitum, eſſe arbitramini, multa tribuuntur, quæ vitæ novitati veræ, plane adverſantur? Num is, quæſo, in vera novitate vitæ ambulare dicetur, qui carnalis adhuc, & peccato mancipatus ſit, & legis peccati captivus, qualis ille eſſe dicitur, de quo ibi ſermo habetur? Nonne ibidem expreſſe dicitur, & repetitur, hunc ipſum facere malum, quod non vult, & non facere bonum, quod vult? Nunquid iſtud eſt bonis operibus abundare, cum vix bona quadam eaque prorſus, inefficaci voluntate ejuſmodi hominem præditum eſſe conſtet?

Quocunque igitur vos vertatis, negare non poteſtis, ex doctrina veſtra concludi, non opus eſſe, ut in iis, qui ſervandi ſunt, vera aliqua vitæ ſanctimonia reperiatur: ſed imputativam ſufficere; & eos, qui Chriſto ſunt inſiti, ſine bonis operibus eſſe poſſe: immo, quoad in hac mortali vita fuerint, peccati mancipia perpetuo eſſe. Nam non ſolum ex interpretatione veſtra prædicti loci Epiſtolæ ad Rom. & quorundam aliorum id aperte colligitur: ſed ex natura rei majore ex parte neceſſario conſequitur. Ut à nobis demonſtrabitur, cum fidem illam, qua nos juſtificari, & Chriſti participes fieri exiſtimatis, poſſe ſine bonis operibus in homine reperiri, in tertiæ ex tuis enunciationibus examinatione, planum fiet. Ex quo illud verum eſſe apparet, quod modo dicebamus, iſtam Chriſti juſtitiæ imputationem propter id præcipue à vobis ſive adinventam, ſive arreptam fuiſſe; ut hac ratione vitæ emendationem, quam ubique Dei Spiritus iis, qui Chriſti beneficium participare volunt, diſertis verbis præcipit, atque præſcribit, à vobis reipſa inde ſtirpitus evulſam in hominibus inferere videamini. Nam quod attinet ad ſatisfactionem, ſatis erat excogitaſſe, Chriſtum morte ſua omnes peccatorum noſtrorum pœnas perſolviſſe. Atqui *Deus*, ut inquit Paulus Gal. 6. 7, *non irridetur. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carnem ſuam, de carne metet corruptionem. Qui autem ſeminat in ſpiritum, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et profecto, ſi Deus non irridetur, quemadmodum, cum ipſe iis tantum, qui vere vitam correxerint, ſalutem polliceatur, vobis ſatis eſt imaginarie quodammodo eam correxiſſe, ſic, cum vos vitam ſempiternam revera vobis ab ipſo datum iri ſperetis, ſatis illi erit imaginariam dediſſe. Vel, ſicut vos ſatis eſſe affirmatis, ſi Chriſti nobis juſtitia, & obedientia imputetur: quamvis interim ipſi injuſti & contumaces ſimus; ſic ille ſatis eſſe affirmabit, vobis Chriſti vitam, & felicitatem imputari: quamvis interim exitio, & morti æternæ devoveamini. Nec ſane poſſum non vehementer mirari, quidnam vos ad iſtam juſtitiæ Chriſti imputationem, cujus vi, adverſus id, quod tota Novi Teſtamenti ſcriptura clamat, licet in novitate vitæ revera non ambulantes, Deo tamen grati ſimus, vel comminiſcendam, vel retinendam impellere potuerit; cum non iſtius tantum, ſed neque etiam ullius imputationis juſtitiæ Chriſti, cujus vi, licet multorum delictorum rei, pro abſolute innocentibus coram Deo habeamur, in divinis oraculis ulla prorſus mentio fiat: & denique ne ſyllaba quidem in ſacris monumentis extet de Chriſti juſtitia nobis imputanda. Quod ut manifeſtius fiat, primum ea loca inſpiciemus, in quibus imputationis in ſalute nobis per Chriſtum parta mentio fit; deinde præcipua ex illis examinabimus, in quibus quamvis nihil de imputatione dicatur; fieri tamen poteſt, ut vobis tam pernicioſi erroris aliquam occaſionem dederint.

Imputationis in ea ſalute, quam nobis Deus per Chriſtum dedit, expreſſe meminit Paulus cap. 4 Epiſt. ad Rom. ubi ea, quæ de imputatione, quam Abrahamo obtigiſſe ex Moſe affirmat, ab ipſo ſcripta fuere, omnia ad nos accommodanda ſunt; & tanquam de imputatione, quæ nobis per Chriſtum obtingat, dicta cenſeri debent. Ut ex ipſius Apoſtoli verbis manifeſto liquet; qui rationem juſtificationis Abrahami per imputationem cum noſtræ juſtificationis ratione comparat: quam ſimiliter in imputatione conſiſtere aſſeverat; & alteram alteri parem facit. Hunc autem univerſum Pauli locum eo libentius mihi diligenter inſpiciendum propono, quod & præcipuus in hac diſputatione eſt, ac fere ſolus, & tu ejus potiorem quandam partem ad ſatisfactionis Chriſti imputationem confirmandam protuliſti.

Duplici igitur modo, de quibus ſupra egimus, imputationis mentionem facit Paulus, quæ in Abrahamo juſtificando intervenerit. Aut enim illi fidem pro juſtitia, ſive ad juſtitiam, imputatam fuiſſe, una cum Moſe expreſſe dicit; aut juſtitiam illi fuiſſe imputatam, licet non ita diſertis verbis, re ipſa affirmat. Prior loquendi modus eſt ℣ſ. 3, & 5. 9, & 10, & 22. Poſterior ℣ſ. 6, & 11. Nec ulla inter hoſce duos loquendi modos, quod ad ſententiam attinet, differentia eſt, niſi, quod in priore & imputatio, & cauſa proxima imputationis exprimitur; in poſteriore vero cauſa reticetur: & ſolius imputationis fit mentio. Idem enim reipſa eſt, Imputari fidem pro juſtitia ſive ad juſtitiam, quod Imputari juſtitiam propter fidem. Hoc dico, ut quidquid te adjuvare poteſt, in medium proferatur: & in utroque loquendi modo de juſtitiæ imputatione agi concedatur. Alioqui, ſi meo jure uti vellem, nihil ad propoſitum noſtrum pertinere aſſerere poſſem, quod ſcriptum ſit, fidem pro juſtitia, ſive ad juſtitiam imputari. Neque enim hoc illud eſt, quod quærimus: ſiquidem de ipſa juſtitia, non autem de fide imputanda inter nos quæſtio eſt. Concedo igitur, Paulum ubique etiam cum fidei

pro

pro juſtitia, ſive ad juſtitiam imputatæ meminit, nobis juſtitiam imputari aperte docere. Inquirendum nunc eſt, quid ſit Juſtitiam imputari. Certe, ſi vobis hoc aliquo modo favere debet, neceſſe eſt Juſtitiæ vocabulum, pro alterius juſtitia accipere; ita ut, quemadmodum Abrahamo aliena juſtitia imputata fuerit, ſic nobis quoque aliena juſtitia imputetur: hæc autem (quamquam, ut ſtatim apparebit, id ne indicatum quidem ullo modo eſt) Chriſti juſtitia eſſe intelligatur. Verum quodnam vel minimum ejus rei argumentum habetis, cum Paulus ſimpliciter juſtitiam ubique nominet, nec unquam hujus, aut illius juſtitiam dicat? Quis eſt ita hebes, quin videat, nihil aliud eſſe apud Paulum Juſtitiam imputari, quam Pro juſto haberi? An non id apertiſſime ex eo perſpicitur, quod, ut dictum fuit, idem eſt apud ipſum Juſtitiam imputari, & fidem imputari pro juſtitia, ſive ad juſtitiam? Id quod ex collatione 5 ℣ſ. cum 6, & 10 cum 11 liquido apparet. Utrobique enim, quod prius dixerat hoc modo, illo deinde enunciat. At vero, cum fidem Abrahamo pro juſtitia, ſive ad juſtitiam imputatam fuiſſe legimus, nulla cauſſa eſt, cur alienæ juſtitiæ mentionem fieri ſuſpicemur; cum manifeſte de propria agatur: pro qua, id eſt, cujus loco, ſive ad quam, id eſt, ad quam nobis aſcribendam, Abrahami exemplo fides nobis imputetur; ſic, ut propter fidem, quantumvis multiplicis injuſtitiæ rei, perfecte tamen juſti cenſeamur, ſeu, perinde ac ſi perfecte juſti eſſemus, cum nobis agatur. Idem non minus aperte declarat, quod apud eundem Paulum idem eſt Remitti iniquitates, Tegi peccata, & Peccatum non imputari, quod, Imputari juſtitiam ſine operibus. Ut enim probet, Davidem quoque beatitatem hominis in eo ſtatuere, quod Deus illi abſque operibus juſtitiam imputet; citat initium Pſal. 32. ubi beatus ille dicitur, cui remiſſæ ſunt iniquitates, tecta peccata, & à Domino peccatum imputatum non eſt. Ergo, Imputari juſtitiam, apud Paulum non eſt, Alienam juſtitiam imputari, ſed, Pro juſto haberi. Nam hoc quidem ex eo neceſſario conſequitur, ſi peccata à Deo remiſſa, ſeu non imputata fuerint: illud vero nullo modo. Ut tute aperte fateri videris, cum ais, Chriſtum à Deo nobis factum eſſe non ſolum redemptionem, ſed etiam juſtitiam. Hinc enim manifeſte colligitur, apud te & Chriſti juſtitiam nobis imputari aliud eſſe, quam nos à peccatis noſtris redimi, & hoc ſine illo omnino poſſe conſiſtere. Quod idem omnes, qui tecum ſentiunt, ut fatentur, ſic fateri neceſſe habent; cum ſatisfactioni pro peccatis noſtris per Chriſti mortem, ipſius Chriſti juſtitiæ imputationem diſerte adjungant. Quamquam & tu in hoc eodem ſcripto tuo tibi ipſi hac in re non ſatis conſtans, unum ab altero aut non diſtinguis, aut certe natura ſeparari non poſſe, affirmare videris: & reliqui ſimiliter, ſibimetipſis non leviter adverſantes, unum cum altero interdum adeo confundunt, ut quid ex eorum ſententia ſtatuendum hac in re ſit, explicatu difficillimum videatur. Hoc nimirum falſarum opinionum proprium eſt, ut ipſis ſuis aſſertoribus, aut certe illorum ſcriptis nihil exploratum relinquant; dum veritas, quæ ſemper aliqua ex parte ſeſe prodit, vel, ut in mendacio omnino acquieſcant non ſinit, vel verba ſæpe ab illis extorquet, quæ cum reliquo ſermone non conſentiunt.

Sed ad Paulum revertamur; qui ſine ulla controverſia pro eodem habet Juſtitiam imputari, & Non imputari peccata; ut manifeſtiſſimum eſſe poſſit, cum aſſerit, Abrahamo juſtitiam imputatam fuiſſe, non alicujus juſtitiam, quæ illi imputata fuerit, intellexiſſe: ſed ſimpliciter, ipſum Abrahamum pro juſto a Deo fuiſſe habitum, dicere voluiſſe. Quis autem hac de re dubitare poteſt, cum quidquid de juſtitia Abrahamo imputata differit, id omne ex illis Moſis verbis eliciat Gen. 15. ℣ 6, *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi pro juſtitia*, ſive, *ad juſtitiam?* (quanquam paullo aliter in Hebræo eſt; ſed eandem tamen ſententiam eſſe oportet) in quibus, ut modo oſtendimus, nulla alienæ juſtitiæ mentio eſſe poteſt: & quæ, niſi plane ſtupidus ſit, quilibet eandem vim prorſus habere intelligit, ac ſi dictum fuiſſet, Credidit Abrahamum Deo; & ob eam cauſſam ab ipſo pro juſto habitus fuit. An non in toto illo capite Paulo propoſitum eſt docere, qua ratione nos juſtificemur, id eſt, juſti coram Deo ſimus, & ita ea, quæ juſtis conveniunt, ab ipſo conſequamur? Cum igitur juſtitiam imputari Abrahami exemplo docet, cui dubium eſſe poteſt, nihil aliud eum ſibi velle, ut ipſius verba apertiſſime demonſtrant, quam non ideo nos juſtos coram Deo eſſe, quia opera noſtra id requirant, adeo ut merces ex debito nobis tribuatur: ſed quia Deo viſum ſit fidem noſtram juſtitiæ loco nobis ducere, ita ut ex gratia ab ipſo mercedem accipiamus, qua juſti coram ipſo declaremur? Quid huc alienæ juſtitiæ imputatio pertinet, quam nec Moſes, nec Paulus ne ſomniavit quidem? Quapropter, cum Paulus concludens, & ea, quæ de Abrahamo late diſſeruerat, nobis accommodans ait, *Non eſt autem ſcriptum propter ipſum ſolum, quod imputatum ei fuerit: ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt, ut imputetur, qui credimus in eum, qui excitavit Jeſum dominum noſtrum à mortuis*; certiſſimum eſt, non de aliqua ipſius Chriſti juſtitiæ imputatione eum loqui: ſed fidem, quam Deo habemus, propterea quod Jeſum dominum & caput noſtrum à morte in vitam ſempiternam revocavit, nobis juſtitiæ loco ductum iri, aſſerere; non ſecus, atque Abrahamo fides, quam Dei verbis habuit, pro juſtitia imputata fuerat; ut in proxime antecedentibus verbis diſerte dixerat.

Hinc apparere poteſt, quam perverſe ſupra ſcripta verba ad imputationem ſatisfactionis Chriſti per fidem probandam in medium attuleris, deceptus, ut arbitror, quia illis additum ab Apoſtolo fuerit, quod & tu recitas, *qui traditus eſt, propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* At vero, quod Chriſtus propter delicta noſtra in mortem traditus fuerit, non idcirco ab Apoſtolo ſubjungitur, ut illud ipſum credere, eam eſſe fidem, quæ nobis juſtitiæ loco ducenda ſit, intelligamus: nedum, ut Chriſti pro peccatis ex ipſius morte provenientem ſatisfactionem per fidem nobis imputari ſciamus; Sed ut, quam ex animo Deo confidere debeamus (quæ ea fides eſt, quæ nobis juſtitiæ loco ſuo tempore ducetur) manifeſto cernamus. Qui, ut per dominum Jeſum à mortuis reſurgentem juſtificationem, hoc eſt, à peccatis noſtris abſolutionem, quæ ab æterna morte liberatio eſt, ſi ipſi Chriſto obediſſemus, nos conſecuturos ſperare poſſemus, eum in mortem tradiderit. Et idcirco addidit, ipſum Jeſum reſurrexiſſe propter noſtram juſtitiam. Atque interim, cur, fidem in Deum explicans, quæ nobis pro juſtitia imputatur, Deo id tribuiſſet, quod Dominum Jeſum à mortuis excitaſſet, rationem reddidit.

Idem Paulus imputationis, quæ in ſalute, quam nobis Chriſtus attulit, intervenerit, mentionem facit, dum ad Corinthios ſcribens ait, Deum fuiſſe in Chriſto, & reconciliaſſe ſibi mundum, non imputando ipſis peccata eorum. Quamvis enim ibi non diſerte de Imputando, ſed de Non imputando ſit ſermo; ea tamen, ut ita dicam, non-imputatio imputatio reipſa eſt: & quidem ea imputatio, qua ſalus noſtra conſiſtit. Nam, ut ſæpius à nobis dictum fuit, peccatorum remiſſione, quæ idem eſt, ac peccatorum non imputatio, juſtitia noſtra continetur; ob eamque rem, ut paullo ante obſervavimus, idem eſt, apud Paulum Peccata non imputari, quod Juſtitiam imputari, ſive Pro juſto haberi. Atque cum hac imputatione, ut diximus, nihil omnino alienæ juſtitiæ imputatio commercii habet.

Locus item ille apud eundem Paulum ad Gal. 2. 6. ubi iterum ex Moſe de fide, quæ Abrahamo pro juſtitia, ſive ad juſtitiam imputata fuerit, mentionem facit, aperte indicat, imputationem, quæ in ſalute nobis per Chriſtum parta interveniat, nihil aliud eſſe, quam nobis fidem juſtitiæ loco duci: non autem, Chriſti juſtitiam nobis imputari. Idem declarant Jacobi verba, qui, dum hominem non fide tantum, ſed operibus quoque juſtificari contendit, eundem Moſis locum commemorat.

Cujus loci ſententiam tum demum comprobatam fuiſſe ait, cum Abrahamus Iſaacum filium ſuum Deo in ſacrificium obtulit. Tunc enim vere ipſum juſtificatum, & Dei amicum appellatum fuiſſe, affirmat. Ex quibus omnibus tandem perſpicuum eſt, Imputari juſtitiam, & Fidem imputari pro juſtitia, ſive ad juſtitiam, quæ duo in ſalute, quam nobis Chriſtus ſanguine ſuo comparavit, fieri aut tacite aut aperte Sacræ Literæ teſtantur, longe aliud eſſe, quam Chriſti juſtitiam nobis imputari.

Alia divina oracula non memini, in quibus imputationis alicujus, quæ nobis in ſalute per Chriſtum parta contingat, expreſſa mentio fiat; præter jam commemorata. In quibus quomodo ego revera verbum Græcum λογίζεσθαι accipiam, quod modo activa, modo paſſiva ſignificatione cum conſtructione, præter quartum aut primum, tertii caſus in illis legitur, quodque Eraſmus & Beza, quem tu ſequeris, ubique Imputandi verbo ſunt interpretati, jam tempus eſt, ut aperte exponam.

Dico igitur, verbo iſto in locis iſtis, cum ad aliquid accommodatur, quod jam habemus, ſi ſimpliciter id nobis imputari, vel non imputari dicitur, aliud nihil ſignificari, quam rationem haberi. Ita ut, cum in locis iſtis ſimpliciter legimus; peccata nobis non imputari, quæ, videlicet, habemus, hoc idem eſſe una cum cæteris, agnoſcam, atque, peccatorum noſtrorum nullam rationem haberi; ex quo conſequitur, eorum nos pœnas non dare, ſive ea nobis remitti. Sin vero non ſimpliciter id verbum profertur, ut, cum fides noſtra nobis imputari dicitur (additur enim, aut tacite, aut expreſſe, in quem finem id fiat) tunc eſt locutio iſta paullo aliter interpretanda. Additur autem, ſi non expreſſe, ſaltem tacite, In, ſive Ad juſtitiam. Itaque ſenſus eſt, vel fidem noſtram pro juſtitia haberi (ut Rom. 2. 26. εἰς περιτομὴν λογισθήσεται, id eſt, ad verbum *In* ſive *Ad circumciſionem reputabitur*, ſignificat Pro circumciſione habebitur; & ſic verbum λογίζεσθαι potius Reputandi, ut vetus interpres fecit, quam Imputandi verbo in locutione iſta reddendum eſſe) vel fidem noſtram nobis juſtitiæ duci: ut Caſtellionis tranſlatio fere habet: ſeu, quaſi ratione ſubducta, ſtatui, ex fide noſtra nos juſtitiam conſequi, qui ſenſus vel ob id maxime probandus videtur, quod hac demum ratione Juſtitiæ nomine Juſtificatio intelligitur. Nam in hunc ſenſum nomen iſtud in hac diſputatione (quod & alibi ſæpe ab ipſo factum eſt) à Paulo uſurpari, ſupra docui, cum planum feci, illum hic pro eodem habere, Imputari juſtitiam, & Remitti, ſeu tegi nec imputari peccata.

Jam vero, cum verbum λογίζεσθαι de aliqua re dicitur, quam nondum habemus; tunc crediderim ego (quidquid ad ſenſum veſtrum quodammodo me accommodans in tota hac diſputatione alibi ſcripſerim) ſignificari imputationem ejuſmodi, qua fiat, ut id, quod nobis imputatur, vere deinde habeamus, non autem tantummodo habere cenſeamur. Ita ut, cum legimus, nobis imputari juſtitiam, intelligere aliud nihil debeamus, quam nobis juſtificationem, quaſi ſubducta ratione, re ipſa tribui ſeu dari (qui ſenſus planiſſimus eſt, tum propter id, quod dixi de vocabulo Juſtitiæ pro Juſtificatione hic à Paulo uſurpato: tum etiam, quia verbum λογίζεσθαι Reipſa tribuendi, ſeu Dandi ſenſu ab ipſo, hoc eodem in loco, prolatum fuiſſe omnino videtur; nimirum ỳſ. 4. cap. 4, ad Rom. de cujus verſiculi verbis ſupra egimus) non autem intelligendum nobis fit, haberi nos pro perfecte juſtis, licet revera non ſimus. Quamvis enim hoc alioqui veriſſimum ſit; non tamen locutio iſta apud Paulum in hunc ſenſum accipienda videtur. Atque interim ſciendum eſt, ipſum Imputandi verbum apud Latinæ linguæ haud improbatos auctores, hoc ipſo ſenſu, videlicet, Reipſa tribuendi uſurpatum inveniri. Potuiſſem autem aliqua addere de hujus verbi cum hanc eandem conſtructionem habet, ſignificatione & uſu, quæ à Pauli locis iſtis, de quibus agimus, non fuiſſent aliena. Sed quando hæc ſatis ſunt ad ſententiam noſtram de illis aperiendam (ſecundum quam nihil ominus te, qui ſine dubio ad loca iſta in verbis tuis & reſpexiſti, & reſpicere debuiſti, non recte locutum eſſe, cum dixiſti, Chriſti ſatiſfactionem nobis per fidem imputari, unuſquiſque facile animadvertet, qui ea, quæ ſupra à nobis diſputata ſunt, accurate perlegerit); jam ad quædam præcipua ſacra teſtimonia examinanda nos convertemus, ex quibus, etſi nulla in ipſis imputatio commemoratur, vos tamen Chriſti juſtitiam nobis imputari, omnino colligi debere, exiſtimaſſe videmini.

CAPUT V.

Oſtenditur, nullo modo ex loco 1 Cor. 1. 30, *colligi poſſe, Chriſti juſtitiam nobis imputari.*

PRimum, quale dictum fuit, teſtimonium, quod mihi occurrit, à te allatum, ſunt verba illa Pauli in priore ad Cor. cap. primo ad finem; *Ex ipſo autem* (Deo) *vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio; ut, quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hunc autem locum ego nunquam examinandum ſuſcepiſſem, niſi vos in eo ſententiæ veſtræ maximum fundamentum ponere animadvertiſſem; cum nihil in eo ſit, quod eam ſuadere poſſit; immo quod eam diſſuadendi vim non habeat, ſi ad hanc diſputationem eum aliquo modo pertinere velimus.

Creditis igitur, quia Paulus dixerit, Chriſtum nobis factum fuiſſe juſtitiam; ex hoc intelligi par eſſe, Chriſtum pro nobis juſtum fuiſſe: & ſic ejus juſtitiam nobis injuſtis imputari. Ergo eadem ratione, quia dixit, Chriſtum factum nobis fuiſſe ſapientiam; intelligere oportebit, Chriſtum pro nobis fuiſſe ſapientem & ſic ejus ſapientiam nobis ſtultis imputari. Quid de redemptione dicemus? An non eodem modo colligendum erit, Chriſtum pro nobis redemptum fuiſſe, & ſic ejus redemptionem nobis captivis imputari? Ex quo perſpicuum eſſe poteſt, quam inepte hunc locum vel hic atuleris, ut ſatiſfactionis Chriſti imputationem confirmares, vel ſupra citaveris; ut à Chriſto id, quod nos divinæ juſtitiæ debebamus, pro nobis captivis redimendis perſolutum fuiſſe, probares; ſi modo in ipſo de eo, quod Chriſtus habeat, & nobis imputetur, ſermo eſt. Sin minus, nullo pacto de Chriſti juſtitia nobis imputanda hic agi poteſt. At vero quis ita mentis oculis captus eſt, qui non cernat, Chriſtum nobis factum eſſe ſapientiam, & redemptionem, idem eſſe, atque Chriſti ope nos verè ſapientes factos fuiſſe, & vere fuiſſe redemptos? An non in eum ſenſum à vobis ipſis, dum hunc Pauli locum interpretamini, ea verba accipiuntur? Nonne, quod ad ſapientiam attinet, huc merito à vobis accommodantur ea omnia divina teſtimonia in quibus de Dei notitia, quam nobis Chriſtus impartitus fuerit, verba, fiunt? Sed quid plura? Nonne ipſi vos, quod Chriſtus nobis ſanctificatio factus fuerit, ita interpretamini, ut inde, eos, qui Chriſto credunt, ſancte vivere colligatis, non autem concludatis, Chriſti ſanctificationem ſeu ſanctitatem illis imputari? Quid igitur cauſſæ eſt, cur, juſtitiam factum nobis Chriſtum fuiſſe, non quidem per Chriſtum nos juſte vivere, ſed ejus juſtitiam nobis imputari ſignificare velitis? Quod ſi Juſtitiæ nomine non ipſam innocentiam & vitæ integritatem intelligitis, ſed à peccatorum reatu abſolutionem, ſive ipſum coram Deo juſtum eſſe (quod mihi ſane magis placet) quid inde ad innocentiæ & integritatis Chriſti imputationem ſtabiliendam elicere poteſtis? Nemo enim negat, per Chriſtum, & ejus ope nos à peccatorum reatu abſolutionem, &, quod juſti coram Deo ſimus, conſecutos fuiſſe. Sed illud quæritur, num ad id perficiendum ipſius innocentiæ & integritatis imputatio concurrerit. Qua de re, ſi vocem Juſtitiæ ea ratione, qua modo dictum eſt, interpretemur, nihil omnino in Pauli verbis dicitur, nec ejus ullum veſtigium apparet. Immo, cum, vobis ipſis interpretibus, in illis dicatur, nos Chriſti ope

ſancte.

ſancte vivere; innocentes nos vere & integros, poſt acceptam Chriſti gratiam, non autem ex imputatione eſſe oportere, ex ipſis aperte colligitur. Id quod imputationis iſtius veſtræ potiorem partem penitus excludit. Nam, ut antea dictum eſt, & ſæpius repetere inutile non fuerit, quamvis vos ipſi eos, qui Chriſti ſunt participes, ſancte & innocenter vivere, ſæpiſſime affirmetis, & de iniquitate adverſus vos Pontificiorum conqueramini, qui per calumniam à vobis bona opera negligi affirment; tamen iſta veſtra imputatione, reipſa (quidquid contra diſputetis) ipſam ſanctitatem, & innocentiam funditus tollitis; cum, ejus vi, eos, qui bona opera non faciunt, ſed tantummodo facere aliquo modo volunt, adeo ut à lege peccati captivi detineantur, pro juſtis haberi, & nulli condemnationi obnoxios eſſe vultis.

Certum igitur eſto, ut ad Pauli verba redeam, nihil aliud eſſe, Chriſtum nobis juſtitiam à Deo factum fuiſſe; quam divina providentia per Chriſtum nos id eſſe conſecutos, ut juſti coram ipſo Deo ſimus; non ſecus atque eundem Chriſtum nobis ab eodem Deo ſapientiam, ſanctificationem, & redemptionem factum eſſe, nihil aliud ſignificat, quam nos divina providentia per Chriſtum id conſecutos fuiſſe, ut ſapientes, ſancti, & redemti coram ipſo Deo ſimus. Ita ut in noſtra juſtitia omnis de nobis ipſis gloriatio excludatur: non quidem ob eam rem, quod vere juſti non ſimus (ſive juſtitiam pro innocentia & vitæ integritate, ſive pro abſolutione à peccatorum reatu accipias) ſed quod ex Dei benignitate id conſecuti fuerimus, ut juſti ſimus. Sicut in noſtra quoque ſapientia, ſanctitate, & redemptione eadem gloriatio excluditur, non propterea quia vere ſapientes, ſancti, & redempti non ſimus; ſed quia, quod tales ſimus, id ex divina bonitate nobis obvenit. Itaque, qui gloriatur, in Domino glorietur, id eſt, ut recte in Roberti Steph. bibliis Lutetiæ editis annotatum fuit. *Qui vult ſe jactare, de Deo tantum ſe jactet, id eſt de miſericordia & benignitate, quam erga ſe Deus oſtendit.*

CAPUT. VI.

Idem demonſtratur de loco Rom. 5. 12, &c. cujus rei gratiâ illa, quam Paulus ibi inſtituit, Chriſti cum Adamo collatio diligenter explicatur; & totus locus haud mediocriter illuſtratur.

SEd nihil in ſacris monumentis ſcriptum eſſe arbitror, quod vobis majorem errandi occaſionem dederit, quam ea cum Adamo Chriſti collatio, quam idem Paulus inſtituit, & late perſequitur cap. 5, Epiſtolæ ad Rom. cujus ſumma hæc eſt. Quemadmodum Adami delicto & inobedientia factum eſt, ut homines damnarentur ac morerentur; ſic Chriſti juſtitia, & obedientia factum eſſe, ut abſolvantur & vivant. Quod Chriſti obedientia atque juſtitia noſtræ abſolutionis & vitæ cauſſa extiterit, id nihil omnino vobis favet. Nam & ego idem prorſus affirmo, & quo ſenſu in divinis literis prolatum fuerit, maxima, ut quidem mihi videor, cum ipſius Chriſti, & Dei gloria explico. Juſtitia enim, & obedientia ſua, ex Dei decreto, cœlos Chriſtus penetravit ibi perpetuo regnaturus; & ita & ſibi, & ſuis ſempiternam vitam, ſempiternamque beatitatem peperit. Atqui non poteſt nobis ejuſmodi vita & beatitas contingere ſine abſolutione à reatu delictorum noſtrorum. Immo hæc abſolutio in Sacris Novi Fœderis Literis nihil aliud reipſa eſt, quam æterna & beata vita. Sed quod ſententiam veſtram vehementer juvare videtur, eſt collatio illa obedientiæ & juſtitiæ Chriſti cum inobedientia & delicto Adami. Sic enim ejus collationis vi concluditis: Quemadmodum ideo per Adami delictum & inobedientiam homines condemnati, & mortui ſunt, quia illis id delictum, eaque inobedientia imputata fuit; ſic per Chriſti juſtitiam & obedientiam ideo abſolvuntur, & vivunt, quia illis ea juſtitia, eaque obedientia imputatur. At enim falſum eſt, Adami delictum & inobedientiam hominibus imputatam fuiſſe; neque id uſquam ſcriptum extat. Immo dices. Nam diſerte Paulus in ea collatione ait, omnes in Adamo peccaſſe, & ob eam rem morti obnoxios fuiſſe. Sed ubi nam rogo? Nempe, ut tibi videtur in illis verbis, quæ in vulgata editione leguntur, *in quo omnes peccaverunt*. Atqui non poſſunt ea verba iſtam ſententiam ullo modo continere. Quod ut manifeſtum fiat, & interim ejus, Chriſti cum Adamo, collationis ratio univerſa commodius explicetur; operæ pretium fuerit ipſa Pauli verba adſcribere, eaque diligenter examinare.

Poſtquam igitur Apoſtolus dixiſſet, nos per Chriſtum reconciliationem adeptos fuiſſe, ſtatim ſubjecit: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputatur, cum lex non eſt. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moſem, etiam in eos, qui non peccaverunt, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ, qui eſt imago illius futuri.* Longum eſſet, ſi hic horum verborum Pauli ſane quam explicatu difficilium diverſas, quæ à diverſis afferuntur, explanationes enumerare, & ſingulas appendere vellem. Satis fuerit loci ſententiam dilucide explicare, eamque ex verbis ipſis depromere, ea tantum ex iis, quæ ab aliis dicuntur, commemorantes, quæ, ad id præſtandum, conducere poſſe, crediderimus.

Qui igitur in hac tota collatione nullam peccati actualis (quod vocant) rationem haberi arbitrantur: ii, ut ſtatim docebimus, vehementer falluntur. Rurſus, qui collationem in eo aut ſolum, aut potiſſimum conſiſtere opinantur; quod, ſicut per Adamum actuale peccatum in homines propagatum eſt, ita per Chriſtum actualis obedientia in homines propagata fuerit: ii ſimiliter decipiuntur, & ab Apoſtoli ſcopo longe abeſtant. Qui de actuali peccato hic agi negant, nunquam, præter alia multa, ea verba, *Uſque ad Legem enim peccatum erat in mundo*, &c. niſi perquam inepte & ridicule explicare poterunt; cum Lex non adverſus originis peccatum (quod appellant) ſed adverſus actualia peccata lata fuerit. Manifeſtum eſt autem illud peccatum in mundo fuiſſe, ab Apoſtolo affirmari, adverſus quod lex, nempe Moſaica, deinde lata fuit. Perinde eſt enim ac ſi dixiſſet: Quamvis ab Adamo uſque ad Moſem nulla divina lex adverſus hominum peccata promulgata fuiſſet: ipſa tamen peccata erant; ut ex totius loci interpretatione noſtra paullo poſt dilucidius apparebit. Qui vero ad actualis & peccati & obedientiæ propagationem collationem hanc aut ſolum aut præcipue pertinere affirmant, numquam eorum verborum ſententiam aſſequentur, *Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moſem etiam in eos, qui non peccaverunt*, &c. In quibus præcipue (ſi ea ad Apoſtoli propoſitum, ut neceſſe eſt, accommodari debent) de iis agi conſtat, qui ab actualibus peccatis immunes erant; ab iis, inquam, actualibus peccatis, quibus ex ſententia contra Adamum lata, mortem deberi, concludere liceat, ut poſtea videbimus. Præterea nullo modo ea ab Apoſtolo toties infra repetita verba, *Unius delicto*, ſive, *Per unius delictum*, ſeu, *inobedientiam*, explicare poterunt: Ex quibus planum fit, illud unum Adami delictum, non autem hominum peccata actualia, ibi à Paulo conſiderari, ut ipſorum hominum mortis, & condemnationis cauſſam. Nam, ſi quis dicat, ideo unum illud delictum ab Apoſtolo conſiderari, quod ex ipſo actualia hominum peccata propagata fuerint; quæ condemnationis, & mortis cauſſa extiterint; Primum, ut me poſtmodum demonſtraturum confido, falſum eſt, ex uno illo delicto actualia hominum peccata propagata fuiſſe. Deinde refellitur expreſſe iſta interpretatio ab ipſo Apoſtolo in illis verbis ℣. 16. *Et non ſicut per unum, qui peccaverat, ita & donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.* Hic enim luculenter Paulus hanc differentiam conſtituit inter condemna-

tionem, & juſtificationem: quod illa provenerit ex uno tantum delicto: hæc vero ex multorum delictorum condonatione. Quæ differentia conſtitui ab ipſo non poſſet, ſi de condemnatione ageret, quæ ex actualibus hominum peccatis proficiſcitur. Nam, etiamſi ea actualia peccata ex illo uno delicto propagata fuiſſent, affirmari tamen rectiſſime poſſet, non minus multa hominum delicta condemnationem peperiſſe, quam multorum delictorum condonatio juſtificationem pepererit. Et quamvis hæc Pauli diſputationis pars variis modis ex vi verborum Græcorum vel ab interpretibus vertatur & explicetur, vel verti & explicari poſſit; id tamen ex ipſa ſemper elicietur, differentiam hanc mali, quod ex Adamo peccante contraximus, & beneficii, quod per Chriſtum obedientem adepti ſumus, ſtatui debere: quod illud ex uno, ſive unius delicto provenit, hoc vero ex multis, ſive multorum delictis condonatis profectum eſt. Quæ differentia, ut dictum fuit, plane nulla eſt, ſi actualium noſtrorum peccatorum in eo malo rationem Paulum omnino habuiſſe, ſtatuamus.

Sed jam ipſius loci, quem examinandum propoſuimus, explanationem aggrediamur. Dixerat Apoſtolus, nos Dei amicos ex inimicis fuiſſe factos, propterea quod in ipſum Deum credidiſſemus. Tanti autem beneficii per Chriſtum nos participes factos fuiſſe, affirmaverat: per quem aditum ea fide ad ipſum beneficium habuiſſemus, & hanc cum Deo reconciliationem, ipſius etiam ſanguine in eum finem fuſo, adepti eſſemus. Quod igitur in Deum credamus, & ita noſtrorum delictorum veniam conſequamur, id Chriſto acceptum referendum eſſe, affirmaverat Paulus. Hoc duas partes habet. Una eſt, quod Deo confidimus; & ita, ut infra uberius explicabitur, ea facimus, quæ Deus nos facere vult, ſi vitæ æternæ, particeps reipſa eſſe velimus; hoc eſt, reſipiſcimus, &, peccatis relictis, ea ratione, qua Chriſtus juſſit, ipſi obedimus: ac conſequenter, ex Dei ipſius decreto, æternam vitam adipiſcimur. Altera pars eſt, quod, licet aliquando in Deum contumaces fuerimus, atque etiam, poſtquam ad ipſum converſi ſumus, interdum vel fragilitate, vel ignorantia labamur, & ita Deo perfectam obedientiam præſtitiſſe revera dici non poſſimus; idem tamen de nobis judicatur, ac ſi perpetuo Deo perfectiſſime obediviſſemus.

Utramque hanc nobis per Chriſtum comparatæ ſalutis partem, in condemnatione, quæ per Adamum mundo obtigit, adumbratam quodammodo fuiſſe, & in utraque Chriſtum cum Adamo conferri poſſe, oſtendere volens Apoſtolus; à priore initium ſumens, ait, *Propterea ſicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*, &c. Omittit Apoſtolus alteram collationis partem, ad alia properans; & eam legenti ſupplendam relinquit. Quæ ut hujuſmodi ſit, neceſſe eſt: *Sic per unum hominem obedientia in mundum intravit, & per obedientiam vita; & ita in omnes homines vita pertranſiit, in quo omnes obediverunt*. Oppoſui autem, in altera hac collationis parte ſupplenda, peccato non juſtitiam, ſed obedientiam, propter multiplicem verbi Juſtitiæ ſignificationem: ut, hac ratione, obſcuritatem vitarem. Neque id tamen ſine ipſo Paulo auctore, qui diſerte obedientiam peccato opponit cap. 6. ejuſdem epiſt. ℣. 16. Jam altera hæc prætermiſſa collationis pars aperte indicare videtur, verba illa, In quo, idem ſignificare, ac Quatenus. Nec enim verum eſt, omnes homines obediviſſe. Veriſſimum tamen eſt, in omnes homines, quatenus obediverunt, vitam pertranſiiſſe, quemadmodum in omnes homines, quatenus peccaverunt, mors pertranſiit.

Nam, ſi quis dicat, in Apoſtoli verbis reperitam eſſe vocem Omnes: nec dictum ab eo fuiſſe, In quo peccaverunt, ſed, *in quo omnes peccaverunt*; Iſtud apud me nullius ponderis eſt; cum ejuſmodi ſupervacaneæ verborum repetitiones in Sacris Litteris ſatis frequentes ſint: & uſitatum ſit apud Hebræos, à quibus, ut omnes norunt, Apoſtoli, & Euangeliſtæ, quamvis Græce ſcripſerint, innumeros propemodum loquendi modos & ſermonis idiotiſmos ſunt mutuati; antecedens pro relativo ponere: idque etiam, ubi relativum reticeri poterat. Quare mirum videri non debet, ſi, ubi nos dixiſſemus, In quo illi peccaverunt, ſive potius, In quo peccaverunt, Paulus dixit, in quo omnes peccaverunt: & ita repetiit illud Omnes homines (idem eſt enim Omnes ſimpliciter poſitum, quod Omnes homines) cum vel ejus loco, ut pote antecedentis, commodius & elegantius relativum Illi uſurpare poſſet, vel utrumque prorſus omittere. Ex qua repetitione ii, qui Apoſtoli mentem non recte perceperunt, eam ſententiam collegerunt, quæ habet, univerſum omnino humanum genus peccaſſe & idcirco univerſum omnino humanum genus morti obnoxium fuiſſe; quamvis nihil aliud in his verbis revera ſibi voluerit Paulus, quam, eos omnes morti ſubjectos fuiſſe, qui peccaverunt.

Hinc factum eſt, ut, cum viderent (præſertim cum, de infantibus quoque hoc loco agi, perſuaſiſſimum haberent) de actuali peccato dici non poſſe, univerſum omnino humanum genus peccaſſe; non de actuali peccato hic verba fieri, ſed de originali (quod vocant) omnino crediderint. Ad cujus rei confirmationem verba illa, In quo, ita interpretati ſunt, ac ſi dictum fuiſſet, In quo homine. Non enim in primo homine univerſum humanum genus peccavit actualiter: ſed (ut illis placet) originaliter. Quæ ſententia & interpretatio nullo modo ſuſtineri poſſunt. Nam, quod ad ſententiam attinet, quis eſt, qui non videat, de actuali, non autem de originali peccato hic ſermonem eſſe, cum mors per peccatum in mundum intraſſe dicatur? Primus namque introitus mortis in mundum certe non per originis aliquod peccatum fuit: ſed per actuale peccatum. Neque enim Adamus idcirco morte multatus fuit, quod reatu, ſeu labe aliqua naturaliter infectus eſſet: ſed quod Dei præceptum non ſervaſſet.

Quod vero attinet ad interpretationem, propter quam potiſſimum totum hunc Pauli locum nobis explicandum ſumpſimus, haud equidem ſcio, an aliquid inſulſius, & à veritate alienius excogitari potuerit. Quod aliqui ex iis, qui eam ſunt amplexi, ſatis oſtendunt; cum, inſolentiſſimum dicendi modum ex ea induci, animadvertentes, & eum nihilominus ad non inuſitatas ſermonis figuras revocare conantes, ὑπέρβατον in Apoſtoli verbis eſſe dixerunt: & ſimul, poſt *pertranſiit*, ex præcedentibus *per unum hominem*, repetendum eſſe dixerunt. Quæ duo niſi alio modo, quam dicta ſunt, intelligantur, invicem pugnant. Ubi enim ὑπέρβατον eſſe contingit, ibi nulla repetitione ex præcedentibus utendum eſt. Sed tantummodo pars ſermonis poſterior cum priore, inter quas multa verba interceſſerint, eſt conjungenda: & per parentheſim ea verba, quæ intercedunt, dicta fuiſſe agnoſcendum; quippe quibus ea poſterior pars non cohæreat: ſed priorem illam partem aptiſſime conſequatur. Cum repetitio ex præcedentibus fit, nihil omnino hiat; & orationis partes ſuo loco ſunt poſitæ. Ad ſententiam tamen perficiendam aliquid repetendum eſt, quod prius dictum, brevitati conſulens is, qui ſcripſit, aut locutus eſt, omiſit. Itaque, ubi eſt ὑπέρβατον ibi repetitio ex præcedentibus non fit. Ubi ſit repetitio, ibi ὑπέρβατον non eſt. Quod ſi iſtam repetitionem ita intelligunt, ut verba iterum, tanquam jam nimis longinqua & oblivioni quodammodo mandata, in ſermone repræſententur; non eſſent ea verba, *per unum hominem*, ſimpliciter repetenda, ſed addendum eſſet verbum Inquam, hoc pacto, *per unum hominem, inquam*. Quin etiam, ne ulla dubitatio relinqueretur, totum orationis primum membrum repetendum eſſet, hoc modo, *per unum hominem, inquam, peccatum in mundum intravit*. Ita ut idem omnino ſenſus per hanc repetitionem ex Pauli verbis eliceretur, ac ſi, parentheſis notis adhibitis, ad hunc modum ſcriptum fuiſſet: *Propterea, ſicut per unum hominem peccatum in mundum intravit (& per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit) in quo omnes peccaverunt*. Hæc enim τῦ ὑπερβάτε natura eſt. Verum ejuſmodi repetitio non vocatur repetitio ex præceden-

cedentibus: quæ ne repetitio quidem dici debet: ſed ejus, cum quo pars orationis, quæ conſequitur, conjungenda eſt, repræſentatio; ne quis eam incautus cum iis, quæ proxime antecedunt, conjungendam putet.

Præterea, quomodo alicui in mentem venire potuit, hic eſſe ὑπερῶαὸν, cum manifeſte hæc verba, *in quo omnes peccaverunt*, ad proxima, quæ præceſſerunt, reſpiciant? Nempe ad illa, *Et ita in omnes homines mors pertranſiit*; quorum in his, quocumque pacto ipſa interpreteris, ratio redditur. Idcirco enim dicitur, mortem in omnes homines pertranſiiſſe, quia, videlicet, omnes peccaſſent. Quæ decentiſſima illatio, ſeu conſecutio eſt (ut ex particulis illis, *Et ita*, apertiſſime conſtat) ejus, quod dictum fuerat: ſcilicet, per peccatum mortem in mundum intraſſe. Ita ut omnia verba aptiſſime inter ſe cohæreant, & unumquodque ſuo loco poſitum fuerit quæ cum fiunt, nullus ὑπερῶάτῳ locus eſſe poteſt. Quomodo rurſus vera ex præcedentibus repetitio verborum, *per unum hominem*, hic fieri poteſt, cum, ſi ea repetas, non modo ſententia non perficiatur, quæ per ſe perfectiſſima eſt, ſed plane obſcura reddatur, & quodammodo mutiletur? Nam, ſi dicas, *Et ita in omnes homines mors pertranſiit per unum hominem, in quo omnes peccaverunt*, &c. & intempeſtiva & ſupervacanea erunt iſta verba, Per unum hominem; cum hic non, quod per unum hominem mors in omnes homines pertranſierit, ſed ſimpliciter, quod pertranſierit, exprimendum ſit; & ſatis ſuperque, per unum hominem id factum fuiſſe, expreſſum fuerit, cum proxime dictum eſt, per unum hominem peccatum in mundum intraſſe, peccatum autem mortis cauſſam extitiſſe. Quocirca non niſi ad vim ſententiæ retundendam, & ejus ſplendorem offuſcandum (quæ ſententia, ut modo diximus, eſt, ideo omnes morti ſubjectos fuiſſe, quia omnes peccaſſent) ea interpoſita verba valitura dicendum eſt.

Etenim, ſi quis dicat vel non cohærere verba, vel imperfectam eſſe ſententiam, niſi repetatur, *per unum hominem*, cum nihil alioqui futurum ſit, ad quod ea verba, *in quo*, reſpicere aut referri poſſint; Reſpondeo, id verum futurum, ſi verba Græca ἐφ' ᾧ, quæ vetus interpres, In quo, reddit, non aliter explicari poſſent, quam, ſi vox ᾧ relativum alicujus antecedentis eſſe diceretur. Sed quando certiſſimum eſt, ἐφ' ᾧ, ſive etiam ἐπὶ ᾧ (cujus loco ii, qui ea verba repetenda cenſent, ἐφ' ᾧ hic poſitum fuiſſe, contendant neceſſe eſt) idem ſignificare poſſe, quod Quatenus, vel Eo quod; quid attinet, obſecro, Paulum vel ineptiſſimo hyperbato, vel inuſitatiſſima quadam ecclipſi utentem facere? Nam quid mali ſeu incommodi viderunt iſti, ſi, ut ab aliis factum eſt, verba Pauli ad hunc modum vertantur? *Et ita in omnes homines mors pertranſiit, quatenus omnes peccaverunt.* Immo quid aut verius, aut concinnius, aut ad Apoſtoli propoſitum accommodatius dici potuit? Num ex hac interpretatione neceſſario ſequitur, hic de actuali peccato verba fieri: & ob eam rem, cum ipſi de originali Apoſtolum omnino loqui velint, eam ferre non poſſunt? Minime quidem. Nam non pauci ſunt, qui, eam retinentes, de actuali peccato nihilominus hic agi negant. Quid enim impedit, quo minus ea verba, *quatenus omnes peccaverunt*, de originis peccato illo intelligantur, ſi modo verbum Peccare eam ſignificationem habere poteſt? Quod ſi Peccandi verbum ſimpliciter prolatum non niſi actuale peccatum ſignificare poteſt: quo modo de alio, quam de actuali, ea verba explicare poterunt, *peccatum intravit in mundum: & per peccatum mors?* In ipſis enim Peccati verbum ſimpliciter prolatum eſt. Et tamen ad illud originis peccatum ea pertrahunt, qui eam interpretationem verborum ἐφ' ᾧ admittere nolunt. Verum non ſatis illis eſt, ſententiam, quam Pauli verbis ſubeſſe volunt, ſuſtineri poſſe; niſi etiam omnino eam admitti, & ex ipſis verbis neceſſario elici debere, evincant. Et idcirco contra omnem loquendi uſum atque rationem, ſine ulla neceſſitate, Pauli verba interpretari non dubitant.

Nam, præter ea, quæ ipſorum interpretationem & inſolentem, & abſurdam oſtendere, jam à nobis dicta ſunt; animadvertendum eſt, ut paullo ante attigimus, neceſſe eſſe, ut ἐφ' ᾧ pro ἐν ᾧ dictum fuiſſe, contendant: & ita ἐπὶ pro ἐν, ut quidem faciunt, interdum uſurpari aſſeverent. Quod etſi verum eſſe credimus; tamen, quidquid ipſi dicant, nunquam in Novo Teſtamento, ut arbitror, id tunc fit, cum, aliquid in aliquo aliqua ratione ineſſe, aut fieri, exprimendum eſt; ut certe hoc loco, ſi eorum ſententiam ſpectemus, exprimendum erat. Nec locus ille, quem ipſi citant, auctoris ad Hebr. 9. 17. *Teſtamentum enim ἐπὶ νεκροῖς ratum eſt*, huic meæ opinioni adverſatur. Nam ibi nec vere ἐπὶ pro ἐν uſurpatum eſt, (nam eo ſenſu, quo ἐπὶ νεκροῖς dictum ibi fuit, non magis proprie diceretur ἐν νεκροῖς, immo fortaſſe minus) nec, ſi uſurpatum fuiſſet, de aliqua re ibi agitur, quæ in alia aliquo modo fiat, aut inſit; cum In mortuis eo loco nihil aliud ſignificare poſſit, quod magis meæ ſententiæ adverſari videatur, quam, Eorum, qui mortui ſunt. Sed, teſtamentum ejus, qui mortuus eſt, ratum eſſe, aliquid in ipſo, qui eſt mortuus, aut ineſſe, aut fieri, non demonſtrat. Neque enim vel Teſtamentum in ipſo ineſſe, aut fieri oſtendit, vel in ipſo (& hoc ad loci interpretationem iſtam, quam refellimus, maxime pertineret) ratum fieri, aut eſſe Teſtamentum aliquo modo arguit.

Rejicienda igitur penitus eſt interpretatio iſta, quæ non aliter ea verba, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, explanat, quam ſi dictum fuiſſet, In quo homine omnes peccaverunt: cum nec verborum ſtructura, nec ſignificatio præpoſitionis ἐπὶ, præſertim apud ſacros ſcriptores, eam admitti, ulla ratione permittant. & ea ſine ulla cunctatione amplectenda, quam & univerſæ orationis ſtructura, & uſitata ſignificatio, apud ſacros præſertim ſcriptores, verborum ἐφ' ᾧ, ſive quod plus eſt, ἐν ᾧ, aut omnino requirit, aut certe minime aſpernatur. ἐν ᾧ, quidem idem ſignificare plane videtur, quod Quatenus, vel Eo quod, eadem epiſtola ad Rom. cap. 8. 3: & ad Heb. cap. 2. 18 ἐφ' ᾧ vero pro Quandoquidem, ſive Eo quod uſurpatum in Complutenſi aliiſque emendatioribus editionibus reperitur, 2. Cor. 5. 4. ubi ejus loco vulgati codices habent ἐπειδὴ & pro Quatenus, ut pleriſque placet, Philip. cap. 3. 12. Mihi quidem, ut hic idem valeat, quod Quatenus, propter ea, quæ jam dicta ſunt, & mox dicentur, magis placet, quam, ut Eo quod ſignificet. Si tamen Eo quod retinere velimus; dictio Omnes non ita univerſe in altero, quod ſubticetur, collationis membro accipienda eſt, ut neminem prorſus excludat: ſed ut omnes complectatur, qui à Chriſto originem ducunt, quemadmodum in primo membro, quod expreſſum fuit, omnes complectitur, qui ab Adamo originem duxere. Neque etiam hos prorſus omnes, ſed omnes generatim, præſertim, ſi infantium quoque rationem hic habuiſſe Apoſtolum velimus, quos certum eſt actualibus peccatis omnino caruiſſe.

Mens igitur Apoſtoli, ut ad rem tandem redeamus, in priore hac ſuorum verborum parte eſt, quod, quemadmodum per Adamum actuale & verum peccatum in mundum intravit (id eſt, ab ipſo peccandi initium, in mundo, eſt factum: nam Adami nomine in hac & ſimilibus diſputationibus Evam & Adamum ſimul, quos pro una tantum perſona accipit, ſcriptura intelligit) & per peccatum mors, unde factum eſt, ut in omnes homines mors pervaſerit, quatenus, vel eo quod omnes peccaverunt; Sic per Chriſtum actualis & vera obedientia in mundum intravit (id eſt ab ipſo divinæ voluntati ea ratione obediendi, qua hoc tempore jubemur, in mundo initium eſt factum) & per obedientiam vita; unde factum eſt: ut in omnes homines vita pervaſerit, quatenus obediverunt, vel eo quod omnes, qui ſcilicet ab ipſo Chriſto ſunt prognati, obediverunt. Et ſic priorem ex duabus illis partibus, quas in ſalute per Chriſtum nobis parta contineri non obſcure antea dixerat, in condemnatione, quam per Adamum homines ſubire tenebantur, adumbratam quodammodo fuiſſe oſtendit. Atque, ea in parte, optime in re contraria

traria Chriſtum cum Adamo conferri poſſe, demonſtrat.

Verum, quoniam altera illa pars apertius & magis perſpicue ab ipſo expoſita & tractata fuerat; idcirco ſtatim, priore hac collationis parte relicta, ad alteram explicandam ſe accingit; quam ad finem uſque cap. multis verbis perſequitur. Cujus rei occaſionem præbent illi ſequentia verba, quæ, ad priorem partem adhuc melius explicandam, ſubjungit. Nam, cum dixiſſet, omnes in quos mors regnaverat, peccaſſe: id quaſi confirmaturus, & tacitæ objectioni obviam iturus, addit, *Uſque ad Legem enim peccatum erat in mundo.* Ne miremini, me dixiſſe, homines, in quibus mors regnavit, peccaſſe, cum tamen Lex mondum lata eſſet. Quamvis enim lex divina promulgata non fuiſſet, peccabant tamen homines; id eſt, ea committebant, quæ deinde Lex fieri vetuit. & ideo nimirum peccabant, quia rectitudini & æquitati repugnabant; quæ ſi non lege lata, at certe vel natura ipſa dictante, vel aliis cæleſtibus monitis, ipſis ſatis nota erat. Cum autem his Pauli verbis rurſus objici poſſet, etiamſi concederetur, homines ante Legem peccaſſe, peccatum tamen, ubi lex non eſt, imputari non poſſe ita, ut is qui peccat, pœnas dare teneatur: & propterea non debuiſſe ante Legem homines, quantumvis peccatores, mortis pœnæ ſubjectos eſſe; Quamvis objectionem hanc facillime fortaſſis diluere Apoſtolus potuiſſet: ut tamen ſibi ad id exponendum, quod potiſſimum cupiebat, viam ſterneret, pro tempore id, quod ea continet, concedens, mortem, etiam citra ipſorum peccatum in Adami poſteris regnaſſe ait; eam ſcilicet ſolam ob cauſſam, quod ex ipſo, qui morti, utpote ſui delicti pœnæ, plane obnoxius fuit, propagati erant; adeo ut de ipſis idem judicium factum fuerit, ac ſi, non ſecus atque Adamus fecerat, ſingulare aliquod Dei præceptum ſibi traditum contempſiſſent. Atque in hoc typum Chriſti Adamum fuiſſe ait. Siquidem ii quoque, qui ex Chriſto ſunt propagati, qui propter perfectam à ſe Deo præſtitam obedientiam vita æterna donatus fuit, quamvis perfecte Deo non obedierint, vitam tamen æternam conſequuntur; & idem judicium de ipſis fiet, ac ſi, ut Chriſtus fecit, perfecte & ipſi Deo obediviſſent.

Inquit igitur, *Peccatum autem non imputatur, cum lex non eſt. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moſen, etiam in eos, qui non peccaverunt ad ſimilitudinem* (ſive *in ſimilitudine*) *tranſgreſſionis Adæ, qui eſt imago illius futuri.* Demus, inquit Paulus, peccatum non imputari, ubi lex non eſt. Manifeſtum eſt nihilominus, mortem ab ipſo primo homine, uſque ad legem latam, in iis etiam, qui non peccaverant, regnaſſe; quaſi Dei expreſſum mandatum aliquod pœna mortis adjecta, ſibi datum, tranſgreſſi fuiſſent: quemadmodum Adamus tranſgreſſus fuerat; qui ob hanc ipſam cauſſam typus Chriſti, qui ſecundus Adamus dicitur, fuiſſe, jure optimo dici poteſt. In hac autem interpretatione mea, ut non pauci ante me fecerunt, verba illa, *ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ*, non ad verbum proximum, *peccaverunt*, ſed ad remotius, *regnavit*, quod commodiſſime fieri poteſt, libentius refero: eam potiſſimum ob cauſſam, quod hac ratione multo & exactior & plenior eſt Chriſti hæc cum Adamo collatio; ut poſtea apparebit apertius. Jam ipſa illa verba, ut vides, ad hunc modum interpretor *ſimiliter ac ſi eadem prorſus ratione, qua Adamus, deliquiſſent.* Duæ autem præterea ſunt cauſſæ, cur non libenter, ut vulgo fit, verba iſta, *ad ſimilitudinem*, &c. cum verbo, *peccaverunt*, conjungam; tametſi, recte id fieri poſſe, non negem. Una cauſſa eſt, quia verba illa, *etiam in eos, qui*, &c. docent ac demonſtrant, non de omnibus hominibus, nec de pleriſque, qui ante Moſem fuerunt, hic agi: ſed de quibuſdam; in quibus etiam non minus, quam in cæteris omnibus, mors regnaverit. Verum ii, qui non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, non quidam, aut etiam plerique fuerunt, ſed fere omnes; niſi hanc ſimilitudinem, quadam ratione, quam paullo poſt exponemus, interpreteris. Neque enim ferme ante Moſem de ullo homine ſcriptum invenies, quod, contra expreſſum Dei præceptum ſibi datum, aliquid commiſerit. Nam Peccare ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ, hoc præſertim loco, ita interpretari, ut delicta quoque omnia, quæ adverſus legem naturalem committuntur, & ſic omnia actualia peccata complectatur (pace eorum dixerim, qui ita ſentiunt) perridiculum ſane eſt; cum nimis manifeſtum ſit, Adami peccatum idcirco παράβασιν, ſeu tranſgreſſionem ab Apoſtolo hoc loco fuiſſe appellatum, ut illud à cæteris peccatis, quæ non adverſus expreſſam Dei legem committuntur, aperte diſtingueret. Siquidem, ut patet, hæc verba ad id reſpiciunt, quod dictum fuerat, Peccatum non imputari, niſi Lex adſit: Lex inquam, expreſſa, cujuſmodi erat Moſaica, de qua verba fiebant. Præterea ex iſta interpretatione, de alio etiam peccati genere hic vel locutum fuiſſe, vel cogitaſſe Apoſtolum, præterquam de actuali, neceſſario conſequitur; cum tamen, ut ex iis, quæ hucuſque diximus, intelligi poteſt, hujus rei nullum indicium extet. Ut cætera abſurda omittam, quæ nullo modo vitari poſſunt, ſi interpretationem iſtam amplecti velimus.

Altera cauſſa, cur ea verba, *ad ſimilitudinem*, &c. cum verbo *peccaverunt*, haud libenter conjungam, eſt, quod, ſi id fiat, verba illa, *qui eſt imago illius futuri*, aut frigide atque inſulſe, aut certe nimis coacte poſt cætera conſequuntur. Nam quid, obſecro, ad ſimilitudinem Adami cum Chriſto pertinet, quod aliqui fuerint, qui non peccaverint ea ratione, qua Adamus peccavit, & tamen in ipſis mors regnaverit? Num propterea pertinet, quia aliqui ſimiliter futuri ſint, qui non obedierint ea ratione, qua Chriſtus obedivit, & tamen vitam ſint conſecuturi? Sed neque iſtud verum eſt, cum ii, qui vitam ſunt adepturi, ea ratione obediant, qua Chriſtus obedivit, licet non ita perfecte; nec, ſi eſſet, in eo ipſius Chriſti, & Adami, ſed cæterorum hominum collatio fieret. Itaque frigida atque inſulſa, ne dicam falſa eorum Apoſtoli verborum illatio fuiſſet, *qui eſt imago illius futuri.* Quod ſi Ad ſimilitudinem obedientiæ Chriſti obedire, ita interpretari velis, ut idem ſit, atque ita perfecte obedire, atque ipſe obedivit: & ſatis Chriſtum cum Adamo collatum videri dicas, cum ii, qui ex utroque propagantur alteri cum alteris conferuntur; utrumque iſtud aliquanto coactius videtur: præſertim vero, quod priore loco eſt dictum; cum Peccare ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ, non ſignificet ut oppoſitionis iſtius ratio poſtularet, ita perfecte peccare, ut Adamus peccavit, ſed eadem ratione. At vero, ſi verba illa, *ad ſimilitudinem*, &c. cum verbo, *regnavit*, conjungantur, convenientiſſima & elegantiſſima ac maxime propria erit illatio illa. Nam vere ipſe Adamus imago ipſius Chriſti in re contraria fuit, ſi, ut dictum eſt, etiam in iis, qui non peccaverunt, ideo mors regnavit, quod de ipſis idem judicium factum fuerit, ac ſi, ut ipſe Adamus fecerat, expreſſum, idque cum comminatione mortis conjunctum, Dei mandatum tranſgreſſi fuiſſent: nempe quia ex ipſo Adamo propagati fuerant. Sic enim & illi, qui ex Chriſto propagati fuerint, quamvis Deo non obediverint (neque enim ſimpliciter, & proprie obediviſſe is dici poteſt, qui aliquando contumax & rebellis fuerit) in vita tamen regnabunt, non ſecus, ac ſi Deo, ut ipſe Chriſtus fecit, vere obediviſſent.

Ex hac noſtra explicatione intelligi poteſt, id verum eſſe, quod diximus, verba ἐφ' ᾧ aut Quatenus eſſe vertenda, non autem Eo quod: aut, ſi Eo quod vertantur, dictionem Omnes non prorſus univerſe, ſed generatim accipiendam eſſe, cum, hac explicatione admiſſa (quod fieri debere ſatis docuiſſe videmur) neceſſe ſit, Paulum affirmare, aliquos non peccaſſe. Sed quinam, dices, ſunt iſti? Si, non paucos viros præſtantes imitatus, dixero eſſe infantes; nemo, opinor, acriter repugnabit. In eam tamen partem, ut verum fatear, ſum propenſior, ut hic de infantibus agi non credam. Ut enim ii, qui, licet vere non obediverint, quia tamen à Chriſto originem trahunt, vitam adipiſcentur, non propterea non obedierunt, quia non poſſent, ſed quia, quamvis poſſent, noluerunt tamen aliquando;

quando; ſic illos, quos, licet non peccaſſent, quia tamen ab Adamo originem trahebant, morti obnoxios fuiſſe, ait Apoſtolus, non eos eſſe dicendum videtur, qui per ætatem peccare non potuerunt, ſed qui, cum maxime poſſent, noluerunt tamen. Nam nec proprie non peccare is dici poteſt, qui peccandi facultatem non habet, ſed is, qui à peccando abſtinet. Verum quoſnam, dices, ejuſmodi non peccantes intelligere potuit Paulus, cum nemo prorſus ſit, qui, poſtquam adoleverit, non peccet? Iſtud axioma quam verum ſit, non eſt hic examinandi locus. Teſtimonia certe Sacrarum Litterarum, quæ ad illud probandum afferri ſolent, in quibus univerſe dicitur, omnes declinaſſe, aut peccaſſe, omnes concluſos fuiſſe ſub peccatum, non eſſe ne unum quidem qui bonum faciat, neminem denique eſſe, qui non peccet, & alia ejuſmodi, haud magnum ad eam rem momentum doctiſſimis quibuſdam cum antiquioribus tum recentioribus Theologis habere videntur; cum in ipſis, quantumvis univerſe prolatis, manifeſte aut de quibuſdam certis hominibus ſit ſermo, aut de populis, ſive nationibus, vel etiam de ipſis hominibus generatim, non autem prorſus univerſe verba fiant. Sed concedamus (ut ſane libenter concedimus) axioma iſtud eſſe veriſſimum; Dico, cum Paulus affirmat, aliquos non peccaſſe, non omnino eos non peccaſſe, dicere eum voluiſſe: ita ut & incogitantias & fragilitates omnes ab ipſis excludat. Nam peccati nomine, quod Peccandi verbo includitur, ſine dubio ejuſmodi peccatum intellexit, quod non abſimile ſit Adami peccato; ut ex eo, quod Adami delicto pœna mortis conſtituta fuerit, colligere liceat, illi quoque pœnam mortis deberi. Quamvis enim, ſi ſummum jus, quo uti poſſet Deus, ſpectare velimus, quilibet adverſus ipſum vel minimus error mortem fortaſſe mereatur; hic tamen non de alio jure agitur, quam de eo, quod ex illa ſententia, quæ contra Adami delictum lata eſt, fluere poteſt. Neque enim ideo per peccatum mors in mundum intravit, quia cujuslibet peccati natura per ſe ea ſit, ut mortem gignat; ſed quia Deo viſum eſt primi hominis peccatum morte plectere. Quare ſi inde ut ſatis aperte Paulus facit, concludere velimus, alicui, quia peccaverit, mortem omnino ſubeundam eſſe; neceſſe eſt illius peccatum primi hominis peccato non diſſimile eſſe; alioqui perperam ea ratio concluderetur. Jam Adami peccatum non ſimplici incogitantia aut tolerabili quadam fragilitate commiſſum fuit: ſed deliberata voluntate cum monitionis divinæ aperta contemptione conjuncta. Eo autem annorum ſpatio, quod inter Adamum, & Moſem interceſſit, aliquos fuiſſe, qui, quoad vixerunt, nec deliberata voluntate, nec per contemptionem illius divinæ monitionis, quæ naturaliter homines à quibuſdam perpetrandis revocat, deliquerit, ſed vel ſimplici incogitantia, vel tolerabili quadam fragilitate lapſi fuerint, prorſus non dubito; qui profecto, ex ſententiæ vi contra Adamum latæ, morti mancipandi non erant, & tamen in ipſos quoque non minus, quam in alios, qui tacite quodammodo ſententia illa comprehenſi fuerant, ſuum imperium mors exercuit; nimirum quia ex Adamo jam morti penitus obnoxio originem ducebant. Atque hac ratione & hoc ſenſu recte fortaſſe, quemadmodum ſupra innuimus, dici poteſt, mortem regnaſſe etiam in eos, qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami.

Ita Paulus alteram illam partem collationis Chriſti cum Adamo ſatis obſcure quidem, ſed & acute, & eleganter in ſupra ſcriptis verbis exprimit. At potiſſimum propterea Adamum Chriſti imaginem fuiſſe ſtatuit, quia ſicut ii, qui ab Adamo prognati ſunt, omnes mortis ſunt rei, ſic ii, qui à Chriſto ſunt prognati, omnes vitæ participes erunt. Quemadmodum vero Ex Adamo naſci, eſt ejus carnem & ſanguinem participare; ſic ex Chriſto naſci, nihil aliud eſt, quam ejus ſpiritus participem eſſe. Ut enim Adamus carnalis pater, & propagator eſt; ſic Chriſtus ſpiritualis pater, & propagator eſt agnoſcendus. Chriſti autem ſpiritus voluntatis divinæ obedientia eſt. Qui igitur, peccatis relictis, Deo ſe obedientem præſtiterit, is ex Chriſto natus & propagatus merito dicetur; præſertim cum Chriſtus, ut ſupra abunde explicatum fuit, ejus obedientiæ origo & cauſſa extiterit. Et ſic in hac etiam poſteriore collationis parte, quam, ut diximus, explicare præcipue Apoſtolo propoſitum fuerat, quamque latiſſime deinde perſequitur, obedientiæ quidem, quæ in iis eſt, qui vitam a Chriſto allatam participare debent, ratio habetur, quæ ex Chriſto in cæteros propagata fuerit: ſed non tanquam ejus rei, quæ peccato ex Adamo in cæteros propagato opponatur; quaſi voluerit Paulus dicere, quemadmodum ex Adamo in reliquos homines actuale peccatum derivatum fuit, ſic ex Chriſto derivatam eſſe actualem obedientiam; ſed tanquam ejus rei, quæ humanitati (ut ita dicam) quam ex Adamo trahimus, quæque ipſius progeniem nos eſſe declarat, ex altera parte reſpondeat, & nos Chriſti progeniem conſtituat; ut vitam, quam ipſe adeptus eſt, non ſecus adipiſci poſſimus, quam morti obnoxii eramus, cui Adamus obnoxius fuit.

Hinc valde perſpicuum eſt, quis eorum verborum ſenſus ſit, quæ deinde in collatione perſequenda ſæpius reperit: delicto ſcilicet ſive inobedientia unius multos mortuos eſſe, & peccatores fuiſſe conſtitutos: juſtitia autem & obedientia alterius multos victuros, & juſtos conſtitutum iri. Sicut enim delictum, & inobedientia Adami eum mortis reum peregit: ex quo factum eſt, ut univerſum humanum genus, quod poſt reatum illum ab ipſo procreatum & propagatum eſt, morti penitus obnoxium ſit: Sic Chriſti juſtitia & obedientia ſempiternam ipſi Chriſto vitam peperit; ex quo factum eſt, ut, quicunque ab ipſo procreati & propagati fuerint, ejuſdem vitæ participes ſint futuri. Niſi autem hujuſce utrobique procreationis & propagationis ratio haberetur, quænam, quæſo, inter Adamum, & Chriſtum hac in parte ſimilitudo conſtitui poſſet? Neque enim alioqui ſic pertinent homines ad Chriſtum quemadmodum pertinent ad Adamum; immo ex Adamo omnes homines ſecundum carnem ſunt propagati: ex Chriſto ne unus quidem. Quocirca, ſi homines mortis rei ſunt, quia Adamus ipſe mortis reus fuit, non tamen idcirco concludendum videtur, homines ſimiliter (quicunque illi tandem fuerint) vitæ participes eſſe debere, quia Chriſtus vitæ particeps fuerit. Quare oſtendendum eſt, eos homines, quos vitam propterea participaturos affirmamus, quod Chriſtus eam participaverit, quamvis ab ipſo Chriſto carnali ratione, ut homines univerſi, qui morti ſunt obnoxii, ab Adamo, procreati non fuerint, ſpirituali tamen procreatos fuiſſe: & non minus ad Chriſtum pertinere, eique conjunctos eſſe, quam univerſum humanum genus ad Adamum pertinet, eique conjunctum eſt.

Non igitur, quia nobis Chriſti juſtitia & obedientia imputetur, ideo vitam æternam participamus; ſed quia, poſtquam per propriam obedientiam illius progenies facti ſumus, idem de nobis judicium fit, quod de ipſo factum eſt: quemadmodum non ideo mortis rei ſumus, quia Adami delictum & inobedientia nobis imputetur; ſed quia, cum ex ipſo procreati ſimus, idem de nobis judicium fit, quod de illo factum fuit. Nam etſi verum eſt, idem de nobis ſtatui, ac ſi Dei præceptum aliquod expreſſum, ut Adamus fecit, tranſgreſſi fuiſſemus; iſtud tamen non eſt, nobis eam ipſius Adami tranſgreſſionem imputari: ſed, per generis propagationem, eundem effectum in nobis produci, quem in eo, ex quo propagati ſumus, ea tranſgreſſio produxit. Ita, etſi verum eſt, idem de iis, qui Chriſti ſpiritus particeps ſunt, ſtatui, ac ſi, ut ille fecit, perfecte Deo obediviſſent; iſtud tamen non eſt, illis eam ipſius Chriſti obedientiam imputari: ſed, ſpiritualis propagationis vi, eundem effectum in ipſis produci, quem ea obedientia in eo, ex quo propagati fuere produxit. Ea enim conditio, quæ genitori affixa perpetuo eſt, una cum ipſo genere neceſſario propagatur. Exempli cauſſa, ſi quis ob aliquod ſuum delictum, cujus participem uxorem habeat, una cum ipſa uxore ſervus fiat; ii qui

poſt

poſt hac ab iſtis gignentur & propagabuntur, eandem ſervilem conditionem neceſſario ſubibunt; non quia illis genitorum delictum imputetur; ſed quia ejus conditionis eſſe, ipſius geniturae vi, coguntur, cujus ii fuerunt, à quibus ſunt geniti & propagati. Quod exemplum ſi ad Adamum, & genus humanum ab eo propagatum accommodaveris, videbis, unde fiat, ut mortis rei omnes ſimus.

Falluntur igitur egregie, qui peccatum illud originis (ſi modo peccatum appellare licet) imputatione aliqua, pro ea parte, quae ad reatum ſpectat, contineri autumant; cum omnis reatus ex ſola generis propagatione fluat. Gravius autem multo labuntur, qui, pro ea parte, quae ad corruptionem pertinet, ex poena ipſius delicti Adami illud fluxiſſe, affirmant. Qua enim vel auctoritate, vel ratione unquam, non dicam probabunt, ſed leviter alicui perſuadebunt, Adamum, ut ſui delicti poenam, mentis, ac voluntatis corruptionem incurriſſe, quae deinde in nobis propagatione ingenita fuerit? Immo quid abſurdius, & Deo, qui peccatum capitaliter odit, indignius excogitari potuit, quam Adamo ejuſmodi poenam ob delictum infligtam fuiſſe, propter quam à peccando in futurum abſtinere non poſſet? Scio, Deum non raro mentis caecitate, unde innumerabilia graviſſima delicta neceſſario proficiſcuntur, hominum ſcelera punire. Verum id non niſi in iis fieri contingit, qui in peccatis uſque perſeverantes, ut eorum impietas palam traducatur, & caeteris ſint ludibrio, commeriti ſunt. Neque tamen interea voluntatis depravatione plectuntur. Namque ea jam in ipſis ad ſummum pervenerat, nec mentis caecitate augetur; quamvis turpia ipſa facinora, ejus caecitatis vi, mirum in modum augeantur, & multiplicentur. Equidem haud ſcio, an execrabilius quidquam dici potuerit, quam, Deum omnis rectitudinis fontem atque parentem, pravae voluntatis in homine, ſive ut eum puniret, ſive quamcunque aliam ob cauſſa, auctorem fuiſſe.

Hanc impiam blaſphemiam quidam animadvertentes, & tamen ex uno illo Adami delicto caetera hominum delicta, hancque in nobis, ut videtur, ingenitam voluntatis depravationem, ſive propter hunc Pauli locum, ſive propter quemvis alium in Sacris Litteris perperam interpretatum, fluxiſſe exiſtimantes: non ob divinam punitionem, verum ex ipſius rei natura id contigiſſe ſunt arbitrati. Sed hoc quoque à veritate alieniſſimum eſt. Quam enim vim habere poteſt unicum delictum ad voluntatem hominis depravandam, ſive etiam aliud quodpiam delictum ut perpetret, illum impellendum: nedum, ut ipſi volunt, quodammodo compeliendum: praeſertim, ſi unici illius jam perpetrati delicti graviſſimas poenas ſe dediſſe ſentiat, idque compertiſſimum habeat? Quod certe Adamo delinquenti evenit; qui illico poſt commiſſum delictum, ſe, ob eam ipſam cauſſam, quia deliquiſſet, ex divino illo horto, in quo collocatus fuerat, ejici ſenſit, aerumniſque, & laboribus graviſſimis perpetuo devoveri agnovit. Corruptio igitur haec noſtra, & ad peccandum proclivitas (quae qualis & quanta ſit, immo etiam an omnium ſit communis (nam aeque communem non eſſe ſatis conſtat; unde etiam, ex uno illo Adami delicto eam non fluxiſſe, apparet) non eſt hic diſputandi locus) non ex uno illo delicto in nos propagata eſt. Sed continuatis actibus habitus modo hujus, modo illius vitii eſt comparatus; quo naturam noſtram corrumpente, ea corruptio deinde, per generis propagationem, in nos eſt derivata. Neque vero, ſi Adamus non deliquiſſet, propterea vel nos à peccatis immunes fuiſſemus, vel in hanc naturae corruptionem incurrere non potuiſſemus; dummodo, ut ille habuit, ſic nos quoque voluntatem ad malum liberam habuiſſemus. Eadem enim ratione, qua ille, quamvis ipſius Dei manibus formatus, & nulla penitus adhuc depravatae naturae labe infectus eſſet, graviter peccavit; nos ſimiliter, etiamſi ab ipſo innocentiſſimo procreati, neque adhuc, ne minima quidem ex parte, depravati fuiſſemus: peccare tamen potuiſſemus, & quidem graviſſime, idque ſaepius: & ita naturam ſenſim corrumpere, eamque corruptam ad poſteros tranſmittere.

Ex iis, quae à nobis dicta ſunt, ſatis conſtare arbitror, Paulum in hac Chriſti cum Adamo collatione, nec dixiſſe, nec ſenſiſſe, nos idcirco morti obnoxios eſſe, quod nobis Adami delictum imputetur; propter quod probandum potiſſime ipſam collationem ipſaque Apoſtoli verba, in quibus id affirmari vobis videbatur, explicanda ſuſceperam Sed etiamſi concederetur, id ab Apoſtolo diſerte dictum fuiſſe; non propterea tamen neceſſario concluderetur, Chriſti juſtitiam nobis imputari, atque ea ratione nos vitam adipiſci. In collationibus enim ſeu comparationibus recte inſtitutis, ſatis eſt, in iis, quae conferuntur ſive comparantur, ſimilitudinem in ea re eſſe, cujus cauſſa expreſſe collatio ſeu comparatio fit. Cum igitur Paulus dicit, Quemadmodum per Adami delictum mors in homines pervaſit, ſic per Chriſti juſtitiam, vitam in homines pervaſiſſe; ſatis eſt, quod id verum maneat, non minus hoc per Chriſti juſtitiam factum fuiſſe, quam illud per Adami delictum. Nec neceſſe eſt, ut eadem ratione Chriſti juſtitia cauſſa ſive occaſio hujus rei fuerit, qua Adami delictum illius rei cauſſa ſive occaſio fuit. Expreſſa enim comparatio fit non rationis, aut modi: ſed rei ipſius, atque effectus. Nec dictio ὅσπερ ſive Quemadmodum, ut omnes ſciunt, in comparationibus, ſua vi, niſi aliud addatur, modi & rationis, aliarumve rei qualitatum ſimilitudinem complectitur: ſed ipſius rei tantummodo, quae expreſſa eſt.

Atque ita tandem, ut ſperamus, quidquid ex univerſo eo 5. cap. ad Rom. ad veſtram juſtitiæ Chriſti imputationem confirmandam in medium afferri poteſt, nihil prorſus ad eam rem momenti habere docuimus; quamvis, ab ipſo collationis initio ad finem uſque, verborum Pauli explanationem perſequuti non ſimus. Quod tamen à nobis in alia cum alio diſputatione factum eſt. Huc autem ea, quae ibi ſcripſimus, transferre & piguit, nec ſane neceſſe fuit.

Verum, quando in explicationem hujuſce collationis incidimus; unum obiter monuiſſe non abs re fuerit. Non deeſſe videlicet, qui velint, ex quibuſdam, in ea perſequenda, Apoſtoli verbis omnino colligi, Chriſtum obedientia ſua omnem Adami inobedientiæ culpam compenſaſſe. Nempe ex illis, quae ℣. 18. leguntur: *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Ajunt enim, in Graeco vocem Juſtitiam eſſe δικαίωμα; quae vox (ajunt) teſte Ariſtotele, * propriè injuriae correctionem ſignificat.

Sed animadvertere debuerant iſti, Primum quamvis verbum δικαίωμα apud Sacros Scriptores multa ſignificet: numquam tamen fortaſſis injuriae correctionem ſignificare: Tum, in conſequentibus verbis quae per dictionem γὰρ annectuntur, hoc eſt, in quibus ratio quaedam redditur eorum, quae anteceſſerunt, & ita de eadem re agitur, obedientiam Chriſti inobedientiæ Adami opponi; unde manifeſtum eſt, non de injuriae correctione, ſed de juſte facto in praecedentibus actum fuiſſe: Praeterea, ſi δικαίωμα hoc loco pro injuriae correctione Apoſtolus dicere voluiſſet: non παράπτωμα ſed ἀδίκημα illud oppoſiturum fuiſſe: Poſtremo, ſi id, quod Paulus, per oppoſitionem delicti Adami, Chriſto tribuit, injuriae correctionem nominaſſet; non fore comparationi locum. Injuriae enim correctio non id ipſum, quod delicto opponitur, ſed id, quod ex re delicto oppoſita conſequitur, eſſe deberet, ut, quemadmodum ex delicto injuriam, ſic, ex re delicto oppoſita injuriae correctionem conſecutam fuiſſe, appareret. Alioqui multo plus in uno, quam in altero oppoſitorum contineretur: & jam tacite pro conceſſo ſumeretur id, quod, per collationem, ex eo, quod ex delicto conſecutum eſt, probandum fuerat. Locus ille Ariſt. tantum abeſt, ut noſtrae hujus Paulini loci interpretationi adverſetur, ut eam maxime confirmet. Quandoquidem ex Ariſtotelis ipſius verbis ſatis conſtat, magis

* Lib. 5 eth. ad Nicom.

uſitata

uſitatam notionem, quæ verbo δικαίωμα ſubjiciatur, eſſe Juſte factum; hoc enim ſenſu ibidem ipſe, nihil antea præfatus, illud uſurpaverat. Atqui in hunc ipſum ſenſum hic à nobis accipitur: & ab illis quoque, ni fallor, qui Juſtitiam illud reddiderunt. Sed rectius fuiſſet, ad ambiguitatem nominis prorſus tollendam, Juſte factum reddere, ut Delicti antitheſis omnino requirit. Nam qui * Juſtificationem reddiderunt, quam graviter ſint lapſi, id inter cætera docere poteſt, quod ad interpretationem iſtam Injuriæ correctionis refellendam ultimo loco diximus. Juſtificatio enim non res delicto oppoſita: ſed id, quod ex re delicto oppoſita conſequitur, eſſe debet; ut, quemadmodum ex delicto reatus, ſic ex eo, quod delicto opponitur, juſtificatio, id eſt, à reatu liberatio conſequatur. Hoc ſiquidem ſenſu ipſimet iſti interpretes non ſolum ſupra ℣. 16. ſed hoc eodem ℣. 18. ſecundo loco, verbum Juſtificationis uſurparunt. Quamquam prædicto ℣. 16. Græce eſt δικαίωμα. Sed aliud ibi ſignificat, aliud vero hic; & recte ibi Juſtificationis voce redditum eſt verbum iſtud: hic vero minime. Δικαίωμα igitur in his Apoſtoli verbis, propria ipſius ſignificatione, Juſte factum declarat. Quod, ut arbitror, in Novo Teſtamento non ſemel alibi fit, ubi vulgata editio Juſtificationis nomine utitur: Sed ita, ut negari non poſſit, ſine dubio in Apoc. 19. 8. in illis verbis, *Byſſinum enim juſtificationes ſunt ſanctorum* (in Græco eſt τὰ δικαιώματα) id eſt, ut omnes interpretantur, bona opera, & juſte facta. Quamvis autem ex Chriſto non unum, ſed innumerabilia juſte facta prodierint; ut tamen inſtitutæ collationi Apoſtolus inſerviat, univerſam Chriſti obedientiam, tanquam unum juſte factum, conſiderat: & illam uni Adami delicto opponit; &, quid ex utroque fluxerit, eleganter explicat.

Hæc pauca obiter, ut diximus, hoc loco diſputare voluimus, ut iis quoque ſatis faceremus, qui ex unico illo verbo Chriſti pro peccatis noſtris ſatisfactionem confirmari omnino poſſe exiſtimant: alioquin ejus rei mentionem, ut hactenus feceramus, tanquam examinatione indignæ, plane prætermiſſuri.

Alia divina oracula, ex quibus, Chriſti juſtitiam nobis imputari perſuaſum vobis fuerit, extare non puto, quæ explicatione amplius indigeant. Nam, quæ de Chriſto ſive novo homine induendo ſcripta leguntur, & à nonnullis ex veſtris huc pertrahi ſolent, quam vim habeant, ſupra, cum de imitando Chriſto ageremus, abunde expoſitum fuit.

CAPUT VII.

Eos, qui ſalutis nobis per Chriſtum partæ participes ſint futuri, neceſſe habere, ut revera ſint pii, & revera, non imputatione tantum ſancte atque innocenter vivant.

SEcundæ tuæ enunciationis primam; quam feceramus partem confutatam à nobis fuiſſe, non injuria affirmari poſſe crediderim: & aperte demonſtratum, in imputatione, quæ in ſalute per Chriſtum comparata nobis obveniat, nullam prorſus ipſius Chriſti juſtitiæ imputationem intervenire. Secundam iſtius tuæ enuntiationis partem facere poſſumus, Nos, licet revera impios, pro piis tamen (iſtius ſcilicet imputationis vi) à Deo haberi. Tametſi autem hac de re jam multa dicta ſunt, & graviſſimus hic veſter error ſatis patefactus videtur; quia tamen is altiſſimas radices in complurium animis egit; nonnulla adhuc, quæ ſcilicet eum multo magis & retegere, & convellere poſſint, breviter perſtringere neceſſarium duximus.

Jam vero ex ipſis verbis tuis perſpicuum eſt id, quod ante diximus, vos (nam & alii tui ſymmiſtæ eodem modo loquuntur) in hac Chriſti juſtitiæ imputatione veſtra, id potiſſimum ſpectare, ut, quamvis, poſtquam Chriſtum cognovimus, eam ſanctitatem vere non habeamus, quam à nobis ipſe Chriſtus omnino requirit; id tamen nihil nobis ad juſtificationem obſit: non autem id præcipue quærere, ut, quamvis multorum delictorum rei ſimus, pro perfecte juſtis nihilominus habeamur, id eſt, nunquam adverſus Dei voluntatem commiſiſſe cenſeamur. Quis eſt enim, qui neſciat, aut hodie neget, nos omnes, antequam per Chriſtum ad Deum converteremur, in multis perſæpe deliquiſſe, atque adeo pleroſque impios fuiſſe? Atqui, te aliquid voluiſſe dicere, de quo non plane inter omnes conſtet, cum nobis, quamvis in nobis ipſis impii ſimus, Chriſti ſatisfactionem imputari affirmaſti, ſatis per ſe manifeſtum eſt. Non igitur de eo tempore, quod juſtificationem noſtram anteceſſit, ſed de eo, quod conſequitur, ſine dubio loqueris; in quo ambigitur a multis, quales revera ſimus. Nec deſunt hodie, qui affirment, eos, qui ex animo Chriſtum receperunt, jam non peccare: ſed vitam ab omni parte ſanctiſſimam vivere: & abſolutiſſima innocentia, atque juſtitia, non quidem imputata, ſed vera, præditos eſſe. Quæ ſententia cum veſtra ex diametro (quod dicitur) pugnat; nec mihi ullo modo probatur; ut alibi ſupra oſtendi. Mitto, quod, cum nos in nobis ipſis impios eſſe, non autem fuiſſe, dicas, te, non præteriti, ſed præſentis temporis rationem potiſſimum habuiſſe, conſtat. Nec rurſus tamen, hoc tempore nos in nobis impios eſſe, eo ſenſu dicere potuiſti, quod adhuc interdum labamur, & idcirco perfecte innocentes revera non ſimus. Namque, ut vidimus, non modo perfecte innocentes nos revera non eſſe, ſed ſanctimoniam juſtitiamque vitæ noſtræ à Chriſti perfectione non minus, quam cælum à terra, ſemper diſtare vis: & perpetuo Legem in membris noſtris eſſe, quæ repugnet Legi intelligentiæ noſtræ, ac nos non bonum, quod vellemus, ſed malum, quod nolumus, facere cogat. Cum igitur nos, quamvis in nobis ipſis impios, Chriſti juſtitiæ imputatione, ſeu communicatione, coram Deo pro juſtis haberi affirmas: non de omni impietate, ſed de ea loqueris, quæ Chriſti cognitionem ſubſequitur: hancque non imperfectam mandatorum Dei conſervationem intelligis: ſed vitioſitatem, quæ adhuc in nobis inhæreat, & quominus ex Chriſti præſcripto vivamus, nobis impedimento, dum hic ſumus, perpetuo ſit. Id quod ipſum Impietatis vocabulum ſatis aperte declarat. Neque enim impius is dici debet, qui interdum labitur: ſed qui à vera ſanctitate reipſa quam longiſſime abeſt. Immo, ſi verbum ipſum ſpectes, qui ab ea animum abalienatum habet, ab ipſaque plane abhorret.

Hæc tua tuorumque ſententia adeo fœda & execrabilis eſt, ut peſtilentiorem errorem poſt homines natos in Dei populo extitiſſe non credam. Potuit autem inter cætera in eum te potiſſimum inducere locus ille, quem ipſe affers, apud Paulum: *Ei vero, qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium, imputatur fides ejus pro juſtitia, ſive ad juſtitiam*, Rom. 4. 5. Ex quibus verbis fortaſſe apertiſſime colligi tibi viſum eſt, eum, qui Chriſti præcepta non exequitur, immo adhuc vitioſus eſt, pro juſto tamen à Deo haberi, dummodo fidem habeat; id eſt, ut vos interpretamini, à Chriſto divinæ juſtitiæ pro peccatis ſuis plene ſatisfactum fuiſſe, firmiter credat.

Sed animadvertendum tibi erat primum, quod attinet ad ea verba, *Ei vero, qui non operatur*, non operari à Paulo eum dici, non qui poſt ipſius Dei, & Chriſti acceptam gratiam Deo obediens non ſit, nec Chriſti præcepta conſervet: ſed eum, qui non ita perfecte Dei Legem ſervet, ut illi merces non ex gratia, ſed ex debito tribuatur; quemadmodum ex ipſius Pauli verbis præcedentibus apparet manifeſte. Qui autem hoc facit, & ſic, ut hic Paulus loquitur, operatur, is eſt, qui, poſtquam adolevit, nunquam ne minimum quidem divinæ Legis præceptum tranſgreditur. Niſi enim hoc fiat; nemo, quantumvis cæteroquin & innocenter & inculpate vivat, operatus, ex ſenſu Pauli eo in loco, fuiſſe dicetur; & propterea neque etiam, ex ejuſdem Pauli mente, ex operibus juſtificari poterit. Sed nemo noſtrum

* Eraſmus, Beza.

noſtrum id facit. Non igitur ex operibus ipſis noſtris petenda eſt nobis juſtificatio noſtra: ſed ad Dei benignitatem confugiendum; qui ipſi fidentes, & in ipſo ſpem ſuam collocantes juſtificat. Ut etiam ipſi Abrahamo obtigiſſe legimus; qui non ideo juſtificatus fuiſſe dicitur, quod divinæ voluntati perfectiſſime paruiſſet, nec unquam, ne leviſſime quidem, deliquiſſet: ſed quia Deo fidem habuiſſet.

Deinde, quod attinet ad verba illa, *qui juſtificat impium*, conſiderandum tibi fuerat, eum, qui juſtificatur, id eſt à reatu ſuorum peccatorum coram Deo abſolvitur, & ſic pro juſto habetur ſeu juſtus pronunciatur, impium a Paulo dici, non quidem quia, poſtquam juſtificatus eſt, adhuc impius perduret: ſed quia impius antea fuerat. Immo, ſi juſtificari debet, ut impietatem ſuam relinquat, quemadmodum univerſa divina oracula teſtantur Exo. 34. 7. Num. 14. 18, prorſus neceſſe eſt. Eum enim ſe Deus eſſe aperte profitetur (ut in hujus ferme totius diſputationis noſtræ initio, ex plerorumque ſenſu, annotavimus) qui abſolvendo non abſolvat, id eſt, à peccatorum reatu non liberet eos, qui mali & impii eſſe perſeverant. Juſtificat igitur Deus impium: ſed converſum & pœnitentem, & qui impius eſſe deſinit. Sic etiam Chriſtus principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi dixit, meretrices illis præcedere in regnum Dei Matth. 21. 31. non quidem, dum adhuc meretrices eſſe pergerent; ſed poſtquam pœnitentiam egiſſent, & aliam meliorem vitæ ſuæ rationem inſtituiſſent. Nam ibidem ſtatim ſubjungit: *Venit ad vos Johannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei. Publicani autem, & meretrices crediderunt ei. Vos autem, videntes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei.* Atqui Johannes nihil aliud omnibus prædicabat, quam ut pœnitentiam ageret, hoc eſt, peccatis relictis, juſtitiæ opera ſectarentur. Ut igitur ibi dicitur, meretrices Johanni credidiſſe, non quia, poſtquam credidiſſent, meretrices eſſent, ſed quia antea erant; ſic hoc loco juſtificari à Deo impius qui in ipſum credit, dicitur, non quia, etiam cum in ipſum credit, & ob eam rem juſtificatur, impius eſſe pergat: ſed quia, antequam crederet, & juſtificaretur, impius erat. Quis autem audivit unquam, eos, qui coram Deo juſti ſunt, impios appellari, quæ appellatio, ut paulo ante attigimus, iis tantum proprie convenit, qui à Deo animum habent alienum? Ego ſane ne eos quidem omnes, qui à Deo abſolvuntur, antequam abſolvantur, impios dici poſſe crediderim. Neque enim, quicumque coram Deo reus eſt, is à Deo animo eſt alienus. Nam, ut rei coram Deo ſimus, ſatis eſt, vel minimum ipſius præceptum non ſervaſſe. Itaque Paulus, cum, à Deo dixit impium juſtificari, ne id quidem intellexit, omnes ſcilicet qui a Deo juſtificantur, antequam juſtificarentur, impios fuiſſe; tantum abeſt, ut poſt juſtificationem eos impios vocet. Sed propterea, *qui juſtificat impium*, dixit, ut gratiæ Dei vim oſtenderet; quæ tanta eſt, ut etiamſi quis non modo interdum deliquerit, & ita, ut ante locutus erat, non operatus fuerit: verum etiam impius, id eſt, ab ipſo Deo alienus ſit: eum, ſi ipſi confidat, juſtificet, atque abſolvat. Perinde eſt enim, ac ſi dixiſſet, Qui etiam impium juſtificat. Sic enim, quemadmodum illi propoſitum eſt hominum juſtificationem non ex operum meritis, ſed ex divina beneficentia, per fidem in Chriſtum, pendere, confirmat. Idem Paulus, cum Dei charitatem erga nos in Chriſto pro nobis morti tradendo ſummopere extollere curaret, ait, Chriſtum pro impiis mortuum eſſe, Rom. 5. 6. non quod omnes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, impii, id eſt, à Deo animo alieni eſſent; ſed ut tanto magis ea in re Dei benignitas appareret: qui etiam pro iis, qui ab ipſo animum alienum gerebant, Chriſtum, ſuum unigenitum filium, proprium ſanguinem fundere voluerit. Quod ſi nihilominus tamen velimus, eos, qui nondum juſtificati & à reatu peccatorum liberati ſunt, propterea quia nondum Deo ex animo confidunt, impios appellari poſſe; at certe illud veriſſimum eſt, poſtquam in Deo ſpem ſuam collocaverint, impios nullo modo dici debere: aut ſaltem non eorum reſpectu, quæ tempus illud conſecuta ſunt.

Sed non impii tantum, verum ne peccatoris quidem appellationem in Sacris Litteris unquam iis tribui comperiemus, qui juſtificati ſunt: niſi eorum reſpectu, quæ juſtificationem anteceſſerunt. Paulus quidem ſe primum peccatorum appellat, 1 Tim. 1. 15. non quia adhuc eſſet, quamvis præſentis temporis verbo utatur, ſed quia fuiſſet; ut ibidem ex præcedentibus, & conſequentibus verbis apertiſſimum eſt. Alioqui quomodo alibi dicere non dubitaſſet 1 Cor. 11. 1, *Imitatores mei eſtote, quemadmodum & ego Chriſti?* Satis profecto oſtendit Paulus, eos, qui juſtificati ſunt, peccatores non eſſe, cum ait, Chriſtum pro nobis mortuum fuiſſe, cum adhuc eſſemus peccatores, Rom. 5. 8. Nam his verbis ſtatim ſubjungit, *Multo igitur magis juſtificati nunc per ſanguinem ipſius*, &c. Peccator ergo, & Juſtificatus ex Pauli verbis opponuntur, & qui juſtificatus eſt, jam non eſt peccator; non quia nihil omnino peccet: ſed quia peccatis amplius implicitus non eſt. Scita eſt enim diſtinctio illa inter Peccantem & Peccatorem. Qui interdum peccat, peccans quidem appellari poteſt: at peccator, minime. Is enim peccator appellatur, non qui interdum, ſed qui ſæpius peccat. Non ſecus atque ebrius is quidem dicitur, qui nimio potu mentem aliquomodo alienatam habet. Sed ebrioſus non dicetur, niſi ſæpe ebrius fieri conſueverit.

Quinetiam Johannes Apoſtolus, ut ſupra alibi vidimus, eos, qui ex Deo ſunt nati, ne peccare quidem affirmat. Ex eo enim, quod plerumque fit, ut ibi diximus, appellationes ducuntur, & hominum actiones æſtimantur. Neque vero eorum ſententia mihi placet, qui, idcirco Johannem, hominem ex Deo natum non peccare, affirmaſſe ajunt, quod ei peccata, quæ aliquando commiſit, non imputentur. Tametſi enim, ut ſupra viſum fuit, veriſſimum eſt, iis, qui ad Deum converſi fuerint, &, peccatis valere juſſis, juſtitiæ operibus ſe mancipaverint, fragilitates quaſdam & ignorantias, quæ in ipſis adhuc reliquæ ſint, non imputari; ipſa tamen luce clarius eſt, Apoſtolum, cum ea verba diceret, non ad peccatorum remiſſionem, ſive juſtitiæ imputationem, ſed ad vitæ ſanctimoniam reſpexiſſe. Inquit enim 1 Joh. 3. 4, *Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum eſt iniquitas. Et ſcitis, quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt.* Ubi obiter eſt notandum (quod ex ſequentibus Apoſtoli verbis adhuc magis liquet) quam verum ſit id, quod à nobis in ſuperioribus diſputationibus animadverſum fuit, abſtuliſſe peccata noſtra Chriſtum dici, non ſolum quia nos à peccatorum pœna liberavit: ſed etiam quia, ut à peccando ceſſemus, effecerit. Pergit autem Apoſtolus; & ait, *Omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec agnovit eum.* Quis hic de peccato ipſo, non autem de peccati reatu, agi non videat? Sed addit Johannes: *Filioli nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt. Qui facit peccatum ex diabolo eſt; quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli. Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare: quia ex Deo natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli, Omnis, qui non facit juſtitiam, non eſt ex Deo: & qui non diligit fratrem ſuum.* An nondum etiam cernimus, quid apud Johannem ſit, Facere peccatum, cum evidentiſſime ei opponat Facere juſtitiam; juſtitiæ autem faciendæ maximam partem ſtatuat, fratrem ſuum diligere? *Scimus*, inquit alibi idem Apoſtolus 1 Joh. 5. 18, *quod omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat. Sed natus ex Deo ſeipſum conſervat, & Malignus non tangit eum.* Vide quid ſit, apud Johannem Non peccare; nempe, Seipſum conſervare. Quod idem eſt, atque, A peccato ſibi cavere: non autem, Peccata ſibi non imputari.

Indubitatum igitur eſſe debet, eos, qui juſtificati ſunt (neque enim alii juſtificantur, præterquam ex Deo

nati

nati) non modo impios in ſe ipſis jam non eſſe, aut appellari: ſed ne peccatores quidem; immo, quod plus eſt, jam eos non peccare, merito dici poſſe. Quare non impii, ſed pii ac juſti & ſunt, & vocari debent. Quod ſi ipſi juſti dici non poſſunt, quinam erunt ii, quos Scriptura ita frequenter juſtos appellat? Dices hos quidem eſſe eos juſtos; ſed non propterea tamen juſtos appellari, quia ſancte revera & innocenter vivant, & ita quia in ſeipſis juſti ſint: ſed quia ipſis juſtitia imputetur. Fateor equidem ipſis juſtitiam imputari, id eſt, peccata remitti, &, niſi illis peccata remitterentur, juſtorum appellatione non gaviſuros. Non tamen ideo potiſſimum juſti appellantur, quod ipſis peccata non imputentur, ſed quia ſancte & innocenter vivunt. Ut nihil aliud, Juſtum eſſe, in ſanctis Litteris ſignificet, quam, Juſte vivere, ſive, ut inquit Johannes, Juſtitiam facere. Apparet hoc manifeſte ex eo, quod millies in ipſis Juſtus Peccatori, & Impio opponitur. Et Deus interdum, aliquem coram ſe juſtum vidiſſe, affirmat; ob eamque cauſſam, ſe illi ſingulariter propitium fuiſſe, profitetur. Ut de Noë ſcriptum eſt, Gen. 7. 1. Quod nullo prorſus pacto ad imputatam ab ipſo Deo juſtitiam poteſt referri. Hanc enim, nulla ex parte, videt Deus in nobis, ab initio; quippe qui eam nobis ipſe univerſam tribuat. Quare nec ab ea ad nos amplectendos & fovendos ullo modo moveri poteſt. Sed ut ad animi noſtri probitatem, vitæque innocentiam referatur, neceſſe eſt; propter quam pro admirabili benignitate ſua nobis favet; noſque caros habet. Si quis autem adhuc dubitat, quid Juſti nomine ſcriptura intelligat, legat 3, 18, & 33. caput Ezechielis: & Juſtum nihil aliud ſignificare aperte deprehendet, quam probum, & juſte viventem. Legat item 10, 11, & deinceps cap. Prov. & idem eſſe Juſtum, quod integrum & innocentem perſpicue videbit. Sed ego ineptus, qui in re manifeſtiſſima confirmanda amplius laborem. Si igitur fieri non poteſt, quin is, qui juſtificatus fuerit à Deo, juſtus ſit, hoc eſt, juſte vivat; quomodo tu, eum adhuc impium in ſe ipſo eſſe, affirmas: cum Juſte vivere, & Impium in ſeipſo eſſe, ex diametro, quod ajunt, omnino pugnent? Atque hæc de ſecunda, quam tuæ ſecundæ enunciationis partem fecimus, dixiſſe ſatis fuerit.

CAPUT VIII.

Ex ante dictis breviter indicatur abſurditas ejus ſententiæ, quod nobis Chriſti juſtitia imputetur, quia credamus, illum pœnas peccatis noſtris debitas perſolviſſe. Hæcque de Chriſti juſtitiæ imputatione diſputatio concluditur.

TErtia ejuſdem enunciationis pars ea fieri poteſt, quam reipſa alteram primæ fecimus, aliis licet verbis explicanda; id eſt, Quia credamus, Chriſtum pro peccatis noſtris pleniſſime Deo morte ſua ſatisfeciſſe, nobis ejus juſtitiam imputari. Quæ pars in hac enunciatione non eam quidem abſurditatem continet, quam in illa continebat; ſed tamen & hic quoque admodum abſurda cenſenda eſt. Quid enim commune habet, Credere aliquem pœnas, quas ego pendere tenebar, pro me perſolviſſe, cum eo, quod ejus probitas & innocentia mihi imputetur? aut quam vim ea fides habere poteſt ad imputationem iſtam conſequendam? Satis ex iis, quæ ſupra diſſeruimus, conſtare arbitror, quam iſta parum cohæreant, immo ſibi invicem adverſentur, & ſe viciſſim deſtruant. Nec ſane unquam præter abſurditatem ipſius imputationis juſtitiæ Chriſti, quæ videlicet nullo Sacrarum Litterarum teſtimonio comprobata, non ipſis Sacris Litteris tantum, ſed rationi quoque plane repugnat: innumera alia, quæ maximam abſurditatem continent, vitare poteritis niſi, ut ſupra attigi, illam veſtram pœnarum ſolutione peractam ſatiſfactionem, tempus, quod fidem præcedit, juſtitiæ autem Chriſti imputationem id, quod ſubſequitur, reſpicere dicatis. Hac enim ratione ea ſaltem repugnantia tolletur, quam inter utramque alioquin eſſe apparet. Neque abſurdum per ſe videri poterit, ſi Deus præterita delicta ſatisfactione compenſari voluerit: futura vero Chriſti juſtitiæ imputatione obtegi. Præſertim cum illa ab iis, qui ipſius inimici erant, commiſſa fuerint: hæc vero ab amicis committantur; illa majore ex parte à voluntatis perverſitate provenerint: hæc vero ab humanæ naturæ fragilitate proficiſcantur. Sed utraque (crede mihi) hæc ſalutis noſtræ ratio penitus rejicienda eſt. Multo autem magis, quam pœnarum perſolutio, Chriſti juſtitiæ imputatio (ut quidem à vobis ſine dubio intelligitur) deteſtanda eſt; nec aliam præterea imputationem in ſalute noſtra æterna intervenire, agnoſcendum, quam pro juſtis haberi à Deo, quicumque ex Chriſti præſcripto ipſi ex animo obedierint.

Fuerunt olim, ut arbitror, non pauci, & plures fortaſſis hodie ſunt, qui Chriſti juſtitiam nobis imputari affirment quidem: non tamen, ut ejus imputationis vi ea ſanctitas & vitæ innocentia nobis aſcribatur, quam poſt Chriſtum agnitum a nobis Deus omnino requirit; ſed ut perfecta, & perpetua per totam vitam divinæ legis obedientia nobis attribuatur. Hæc ſententia, quamvis falſa & abſurda, ferri tamen, ut diximus, facile poſſet. Certum eſt enim, nos, qui Deo ex Chriſti præſcripto obedimus, perinde ab ipſo haberi, ac ſi perpetuo, poſtquam adolevimus, ejus præcepta abſolutiſſime conſervaſſemus. Iſtud porro, ſive Chriſti juſtitiæ imputatione, ſive quacunque alia ratione fieri dicatur, non multum refert; dummodo vitæ ſanctimonia ſalva ſit. Sed Chriſti juſtitia, ad impietatem noſtram, etiam poſtquam ipſum nos agnoviſſe profitemur, obtegendam, abuti vellle, ſuprema impietas eſt, & totius Chriſtianæ religionis everſio atque abolitio. Quod multo clarius perſpicietur, ubi, quænam ſit ea Chriſti fides, qua juſti coram Deo habemur, breviter expoſuerimus. Quare ad tertiam enunciationem tuam examinandam jam tandem accedamus.

CAPUT IX.

Credere, per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, noſtra peccata deleta fuiſſe, nullo modo eam fidem in Chriſtum eſſe poſſe, qua juſtificamur.

EX ſcripto igitur tuo aperte colligitur, fidem illam in Chriſtum, qua nos juſtificari, Sacræ Novi Fœderis Litteræ paſſim docent, nihil aliud eſſe, quam firmiter credere, per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, peccata noſtra deleta fuiſſe.

Ut hujuſce enunciationis vanitas, & periculi plenum mendacium melius appareat: tria à nobis fieri debent. Primum demonſtrandum eſt, quam illa à veritate abſit: Deinde ad ea, quæ pro ipſa confirmanda afferri poſſent, reſpondendum: Poſtremo quænam vere ea fides in Chriſtum ſit, qua juſtificamur, docendum.

A veritate enunciationem iſtam quam longiſſime abeſſe, vel id ſatis oſtendit, quod, ut vos * ipſi confitemini, fides in Chriſtum Dei promiſſione nititur. Verum promiſſio futurum tempus reſpicit. Itaque neceſſe eſt, fidem in Chriſtum perſuaſione ſeu firma opinione alicujus rei, quæ futura ſit, contineri. At veſtra iſtæc in Chriſtum fides præteritum tempus omnino reſpicit; & firma opinione ejus rei, quæ jam peracta ſit, tota continetur. Nam ſi dicas, immo eam futurum tempus reſpicere, quia per ipſam credimus, nos vitam æternam adepturos; cujuſcunque enim peccata delentur, is certe vitam æternam adipiſcitur? Reſpondeo primum, iſtud non id vere eſſe, quod creditur, & ex cujus firma opinione nos juſtificari ipſi contenditis: ſed illud, ut quidem vobis videri poteſt, neceſſario conſequi. Deinde ex eo, quod peccata deleta fuerint, vitæ æternæ adeptionem, ſi, ut ſane hic fieri debet, rei ipſius naturam inſpicias, neceſſario conſequi, nego. Ut enim ſupra expoſitum fuit, & à nobis, ut ibi diximus, alio loco abunde

* Cal. Inſt. lib. 3. cap. 2. ſec. 7, 29, & 41.

confirmatum eſt, peccatum non mortalitatis, ſed prorſus neceſſariæ mortis cauſſa fuit. Quare, peccato ipſo deleto, non quidem immortalitas neceſſario ſuccedit: ſed à mortis neceſſitate inevitabili liberatio; id eſt, in eum ſtatum reſtitutio, ut morti prorſus neceſſario obnoxii non ſimus. In quo ſtatu erat Adamus, * antequam peccaſſet. Longe autem aliud eſt Poſſe non mori, & Non poſſe mori. Hoc immortalitas eſt, ſeu vita æterna, illud à neceſſaria atque inevitabili morte liberatio Quod ſi adverſus manifeſtam veritatem, Adamum natura immortalem creatum fuiſſe contendas, & per peccatum mortalitatem in homines invectam velis; certum eſt tamen ea vita æterna, quam nos habituros eſſe ſperamus, Adamum ab ipſo etiam initio caruiſſe. Animalis enim & terreſtris primi hominis vita, etiam ante peccatum, fuit. Nobis autem ſpiritualis & cæleſtis fuit promiſſa. Quocumque igitur te vertas, confitendum tibi eſt, peccato deleto, æternam vitam illam, quam nobis Deus promiſit, & futura eſt, ex ipſius rei natura neceſſario non conſequi. Solent quidem ſacræ litteræ ſolo peccatorum remiſſionis nomine ipſam æternam vitam, quam nos ſperamus, intelligere. Quia nimirum Deo benigniſſimo viſum eſt, ita nobis peccata condonare, ut non ſolum ab ipſorum pœna liberati, ſed præmio inſuper omnium maximo affecti ſimus. Quod etiam eam ob cauſſam fieri dici poteſt, quia, ut veriſimile videtur, quamvis id nunquam diſerte ſcriptum extet, Deus & primo homini, & cæteris deinceps, qui non peccaſſent, cæleſtem æternamque vitam poſt hanc terreſtrem & temporariam largiri decreverat. Unde factum eſt, ut ipſi nos ſæpe in ſuperioribus diſputationibus, peccata noſtra expiari nihil aliud eſſe dixerimus, quam, nobis vitam æternam dari. Sed hoc totum à Dei bonitate, ſeu vere, ſeu veriſimiliter (ut loquuntur) non autem ab ipſius rei natura neceſſario proficiſcitur. Itaque fieri poſſet, ut per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, peccata noſtra deleta eſſent: nec tamen æternæ illius vitæ, quam nobis ipſe promiſit, participes eſſemus. Et propterea concludendum omnino eſt, fidem iſtam veſtram in Chriſtum, ex ſua ipſius natura, ad id, quod factum eſt, non autem ad id, quod futurum eſt, aut certe non ad id, quod vere nobis eſt promiſſum, reſpicere. Quamvis autem negari non poſſit, fidem, id eſt, firmam opinionem alicujus rei, quæ affirmetur, præteritum tempus non minus, quam futurum, poſſe reſpicere: non minus enim certo mihi perſuadere poſſum, aliquid jam fuiſſe, quam futurum eſſe; tamen, cum de fide, quæ nos Deo gratos efficiat, ſermo eſt, qualis certe fides in Chriſtum cenſeri debet; vix invenias de re credenda agi, quæ jam peracta ſit, ſed ſemper de futura.

Animadvertendum autem præterea eſt, Fidei vocabulum, quod attinet ad præſentem diſputationem, dupliciter accipi. Neque enim aſſenſum tantummodo alicui rei adhibitum, quæ affirmetur, ſignificat. Sed etiam fiduciam, ſeu confidentiam (liceat enim nobis confidentiæ verbum, quamvis in vitio poni ſoleat, pro confidendi actu uſurpare) quam in aliquo habeamus, declarat. Patet hoc ex eo, quod nonnullorum fidem Chriſtus & commendat, & admiratur, qui tamen nulli rei affirmatæ aſſentiebantur; ſed ipſi Chriſto, ſive Deo per ipſum Chriſtum, confidebant: id eſt, de Chriſti potentia, atque virtute divina perſuaſi erant, deque bona erga ſe ipſius voluntate ſibi impenſe promittebant, & à Chriſto, ſive à Deo per Chriſtum aliquod inſigne beneficium ſe accepturos ſperabant; ut de Centurione Matth. 8. 10. 15. 28, cujus puer ægrotabat, deque Chananæa muliere (ut alia exempla prætermittam) ſcriptum legimus. Hæc nominis Fidei ſignificatio verbo Credendi, quod idem hic præſtat, præſertim, cum quartum aut ſextum caſum regit cum præpoſitione In, communis eſt. Quocirca is in aliquem, ſive in aliquo credere dicitur, qui alicui confidit, & nos per Chriſtum in Deum credere dicimur, quia Chriſtus, ut Deo confidamus, cauſſa eſt: vel quia Chriſto confidendo, ipſi Deo confidimus. Nec dubium eſſe poteſt, quin, cum de fide in Chriſtum agitur, qua juſtificemur, non aſſenſus modo iis adhibendus, quæ Chriſtus dixit, intelligatur: ſed fiducia quoque, quam in ipſo collocemus, ſignificetur: immo, quin præcipue ipſa fiducia, non autem aſſenſio, vocabulo Fidei declaretur. Tametſi enim non deſunt, qui idem prorſus eſſe exiſtiment Credere Deo, & Credere in Deum, ſive in Deo; falli tamen omnino videntur iſti: cum & ex ipſa verborum vi, & ex perpetuo ſacrorum ſcriptorum uſu, differant inter ſe Credere alicui, & Credere in aliquem, ſive in aliquo. Hoc enim, fiducia, illo, aſſenſio potiſſimum ſignificatur; ut ſtatim docebimus. Hebrææ linguæ uſus eſt, ut & Credere alicui, & Credere in aliquo dicat: Græcæ vero (nimirum apud eoſdem ſacros ſcriptores) idem eſt quidem uſus, ſed Hebraicam illam locutionem, Credere in aliquo, ſignificantius quodammodo exprimere ſolet, & Credere in aliquem, dicere. Quamquam interdum etiam Credere in aliquo, & ipſa uſurpare non recuſat: & Hebræa illa locutio non ſexto tantum, ſed quarto quoque caſu reddi poteſt. Perpetuum ſacrorum ſcriptorum uſum noſtræ ſententiæ aſtipulari, ex eo deprehendi poteſt, quod, ubi nulli confidentiæ locus eſt, numquam, ni fallor, verbum Credo regit quartum aut ſextum caſum cum præpoſitione In: ſed ſemper tertium. Rurſus, cum aſſenſui alicujus affirmatæ rei locus eſſe non poteſt, numquam tertium caſum regit: ſed ſemper quartum, aut ſextum cum præpoſitione In; quamvis apud ipſos Latinos aliquando Credere alicui rei, pro Illi confidere uſurpetur.

Propter hanc horum duorum loquendi modorum in ſignificatione differentiam, factum eſt, ut, cum de fide hominibus, quantumvis divinis, & Dei nomine loquentibus, adhibenda agitur, qui ipſi id efficiendi, quod creditur, poteſtatem non habeant: libentius Credere illi, quam in illum, ſive In illo ſacri ſcriptores dixerint. Nempe quia, etſi confidentia quoque plerumque in ejuſmodi fide eſt: potior tamen eſt aſſenſio. Chriſtus apud Matth. cap. 21. ut non multo ante vidimus, tet fidei mentionem facit, quæ Johanni Baptiſtæ aut adhibita eſſet, aut adhiberi debuiſſet; & ſemper ipſum Johannem in tertio caſu nominat. Idem facit eodem capite ipſe Euangeliſta, dum cogitationes Judæorum exponit poſt Chriſti interrogationem illam, num baptiſmus Johannis eſſet è cælo, an ex hominibus. Quem & Marcus Marc. 11. 31, & Lucas Luc. 20. 5. imitantur, dicentes, *Si dixerimus, E cælo, dicet, Quare ergo non credidiſtis illi?* Illi dixerunt, non In illum, ſive In illo; quamvis id recte fieri potuiſſet, cum & credere in Moſe, & credere in prophetis debuiſſe populum, ſcriptum ſit Exo. 19. 9. 2. Par. 20. 20. Quin & ſperaſſe in Moſem eundem populum, teſtatus eſt Chriſtus, Joh. 5. 45.

Jam erroris illorum, qui inter hoſce duos loquendi modos differentiam nullam ſtatuerunt, cauſſa, ut equidem reor, fuit, quod viderent, id, quod uno in loco hoc modo dictum eſt, in alio, illo efferri: ut, exempli cauſſa, quod Moſes dixit Gen. 15. 6. *Credidit* (Abram) *in Jehova*, Paulus Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. & Jacobus Jac. 2. 25. Septuaginta interpretes imitati, dixerunt, *Credidit Abraham Deo*: & manifeſte deprehenderent, eodem ſenſu dici Credere Deo, & Credere Chriſto, quo, Credere in Deum, & Credere in Chriſtum. Sed animadvertendum erat, id non ideo fieri, quia idem vere utrumque ſignificet; ſed quia, cum Deus & Chriſtus omnia bona, omnemque felicitatem nobis promiſerint: non poſſumus eorum verba vera eſſe credere, quin iis confidamus, in ipſiſque omnem ſpem & fiduciam noſtram collocemus. Non poſſumus etiam illis confidere, quin eorum verba veriſſima eſſe credamus: & ſic ab ipſis vitam æternam, qui ſcopus & finis noſtræ fidei eſt, quam nobis polliciti ſunt, nos conſecuturos eſſe, nobis perſuadeamus. Alioqui, niſi aliquid boni nobis promiſiſſent, ipſis quidem credere poſſemus; non tamen propterea in ipſos, ſive in ipſis crederemus. Id eſt, eorum verba, aliud quidpiam affirmantia, vera eſſe, nobis perſuadere poſſemus; nec tamen idcirco illis

* Vide Aug. de Geneſi ad litteram lib. 6. cap. 25.

illis confideremus. Niſi etiam aliquid affirmaſſent unquam: poſſemus quidem in ipſos ſive in ipſis credere, hoc eſt, illis confidere: ipſis autem credere, hoc eſt, eorum verba vera eſſe, nobis perſuadere, qui, obſecro, poſſemus? Quod igitur Moſes dixit, *credidit* (Abram) *in Jehovæ*, Paulus, & Jacobus, *credidit Abraham Deo*, dixerunt; quia, cum in iis, quæ Abrahamo Deus dixiſſet, amplum quoddam ipſique gratiſſimum promiſſum contineretur: non poterat Abrahamus, Dei verba vera eſſe credere, quin illi ſimul confideret; non autem quia Credere Deo propria & perpetua vi Deo confidere ſignificet; ut certe ſignificat Credere in Deum, ſive in Deo.

Quamobrem, ut ad rem ipſam redeamus, plane ſtatuendum eſt, fidem in Chriſtum confidentiam declarare; non quidem eam ob cauſſam, ut quidam exiſtimarunt, quod ex hac fide confidentia naſcatur: ſed quia ipſa hæc fides confidentia eſt. Ea fides Chriſti, ex qua confidentia oritur, & quæ eam potius complectitur, quam ſignificat, eſt Chriſto credere. Chriſto enim credere non poſſumus, id eſt, ejus verba vera eſſe, nobis perſuadere, quin, ut dictum eſt, illi confidamus; cum ſe nobis ingentia bona daturum promiſerit. Jam vero, ſi fides in Chriſtum ipſi confidere eſt, quis non videt, fidem in Chriſtum non præteritum tempus, ſed futurum reſpicere: & non firma opinione beneficii jam accepti, ſed aliquando accipiendi, contineri? Non poteſt igitur fides in Chriſtum, qua juſtificamur, firma perſuaſio eſſe, quod per ea, quæ ipſe paſſus eſt, noſtra peccata deleta fuerint (hoc enim & præteritum tempus, & acceptum jam beneficium reſpicit) ſed ut quidpiam aliud ſit, omnino neceſſe eſt.

Verumtamen fingamus, nihil aliud fidem in Chriſtum ſignificare, quam, ejus verba veriſſima eſſe, ſibi perſuadere, ita ut præteritum tempus, & rem aliquam jam peractam reſpicere queat; Certe, ſi velimus, eam fidem firma perſuaſione, quod per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus peccata noſtra deleta fuerint, contineri: oportet Chriſti verba, & ipſius prædicationem potiſſimum ea de re agere, id eſt, verborum Chriſti, cum populo concionaretur, ſummam hanc fuiſſe, ſe iis, quæ paſſurus eſſet, ipſorum peccata deleturum. Atqui non modo hæc prædicationis Chriſti ſumma non fuit, ſed tale quidpiam populo nunquam dixit. Tantum, diſcipulis ſuis ſeorſum ſemel dixiſſe eum, legimus, ſanguinem ſuum jam jam fuſum iri pro multis in remiſſionem peccatorum, Matth. 26. 28. Idem etiam iiſdem ſolis diſcipulis affirmavit, ſe veniſſe, ut animam ſuam daret redemptionem, ſive redemptionis pretium pro multis, Mar. 10. ỳſ. 45. Populo autem ſeu potius Phariſæis, & populi primoribus, nihil apertius, quod huc omnino pertinere, vobis omnibus videri poſſit, eum dixiſſe, memini, quam, ſe bonum paſtorem eſſe, qui animam ſuam pro ovibus ponat, Joh. 10. 11. & 15. Quæ verba, ut ſupra viſum eſt, idem ſibi volunt, ac ſi Chriſtus dixiſſet, ſe in vitæ diſcrimen ſeipſum adducere, ut ſuos à morte ſervaret. Quæ ſalus an peccatorum deletione, an vero alia re conſtaret, ex Chriſti verbis illis Joh. 13. 37, nullo modo liquere poteſt. Petrus ſane ipſi Chriſto dixit, ſe poſiturum animam ſuam pro ipſo. Num, obſecro, id ſibi aut voluit, aut velle potuit Petrus, ſe mortem, ſeu mortis periculum aditurum, ut Chriſti peccata deleret? Cum Chriſtus diſcipulis idem non obſcure diceret, non obſcure quoque eodem tempore ipſos ad idem faciendum hortatus eſt. Inquit enim Joh. 15. 12, *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Numquid, cum Chriſti diſcipuli, magiſtrum ſuum imitati, animam ſuam pro amicis ponebant, id, ut ipſorum peccata delerent, aut faciebant, aut facere poterant? Patet igitur, Ponere animam ſuam pro alio, niſi aliud dicatur, non eam vim habere, ut peccata illius delere ſignificet. Quod cum ita ſit, non dicam plebi, & populo univerſo ex profeſſo, cum illis concionaretur: ſed ne populi quidem principibus obiter quodammodo, iis, quæ ipſe paſſurus erat, peccata eorum deletum iri, dixit Chriſtus. Quomodo igitur id propterea credi aut debet, aut etiam poteſt, quia Chriſti verbis fides ſit adhibenda?

Sed finge præterea, fidem in aliquem, ſi verborum vis atque proprietas, aut ſaltem uſus attendatur, ita accipi poſſe, ut nec ipſi confidere, nec ejus verbis fidem adhibere ſignificet: ſed de ipſo aliquid credere, quod is præſtiterit, quamvis ipſe id nunquam publice & aperte dixerit; Num fieri poteſt, ut, cum fides in Chriſtum ad ſalutem æternam conſequendam neceſſaria ſit, iſtæc hujus fidei interpretatio retineri debeat, ac non potius omnino rejici? Ex ea enim interpretatione manifeſte concluditur, Chriſtum æternæ ſalutis viam non annunciaſſe: &, cum ipſe concionaretur, & ſigna multa ederet, neminem, niſi aliunde edoctus eſſet, in ipſum potuiſſe credere: & ita nemini, per ipſius tot miraculis confirmatam prædicationem, ſalutem æternam contingere potuiſſe. Quid, quæſo, dici poteſt, quod magis vel abſurdum, vel impium videri queat? Falſus ergo erit Johannes Euangeliſta, qui teſtatur Joh. 4. 39. & 41, ex Samaritanis primum quidem multos in Chriſtum credidiſſe ob eam rem, quod mulieri illi Samaritanæ omnia dixiſſet, quæ ipſa fecerat: deinde vero multo plures propter ipſius Chriſti ſermonem: quique item aſſerit Joh. 12. 11, multos idcirco in eum credidiſſe, quod Lazarum ab ipſo à mortuis excitatum viderent; qui denique ſæpe affirmat, modo hos, modo illos in ipſum credidiſſe. Neque enim veriſimile eſt, in illorum omnium notitiam, quos in Chriſtum credidiſſe, teſtatur Euangeliſta, ea Baptiſtæ verba veniſſe, quæ de Jeſu ad ſe veniente dixit Joh. 1. 29, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, & inde fidem in Chriſtum edoctos fuiſſe: quam deinde, ipſo Chriſto audito, ejuſque mirabilibus operibus viſis, amplecterentur; nec ſolum, illos omnes eo usque verborum notitiam habuiſſe: ſed, ipſorum quoque ſententiam eam eſſe, ſibi perſuaſiſſe, videlicet, Jeſum, morte ſua, mundi peccata ablaturum. Nam, ut ſupra alicubi diximus, propter ipſam peccatorum ablationem potiſſimum, non autem propter auferendi modum, ea verba à Baptiſta de Chriſto dicta fuerunt, & qui ea audierunt, ita quidem interpretari ipſa potuerunt, ut, quemadmodum per pecudem aliquam peccata auferri ſolebant, ſic per Jeſum peccata auferrentur. Sed, quod morte ipſius interveniente hoc fieri deberet, non ſecus atque pecudis morte interveniente, illud fiebat; id vero ipſos intellexiſſe, nec neceſſarium eſt, nec ullo modo veriſimile. Cum, ut ex ſacra hiſtoria liquet Luc. 9. ỳſ. 45. xviii. 34. xxiv. 17, & nos ſupra alibi oſtendimus, ipſi diſcipuli & Apoſtoli Chriſti id non perciperent: immo propter ipſius mortem valde perturbati fuerint, & aliqui ex ipſis modo non à fide omnino deſciverint. Adde, quod non ideo à Johanne ea verba de Chriſto dicta fuere, ut ſimpliciter, id audientes, idipſum crederent: ſed ut, credentes, ad Chriſtum confugerent, ejuſque verbis ob eam rem fidem haberent, ut ipſorum peccata auferrentur; Sicut etiam de eo dixit Marc. 1. 8, quod baptizaturus eſſet Spiritu Sancto: non ut ſimpliciter, id verum eſſe, crederetur (quid enim hoc, per ſe, profuiſſet?) ſed ut, ejus rei fide facta, ad Chriſtum, ut Spiritu Sancto baptizarentur, omnes confluerent, ejuſque dicto audientes eſſent. Falſi præterea erunt Matthæus quoque Matth. 4. 23, & Marcus Marc. 1. ỳſ. 14, qui de Chriſto teſtantur, eum prædicaſſe Euangelium regni, quod profecto non prædicavit, ſi fides in ipſum Chriſtum, ſine qua Euangelii prædicatio conſiſtere nequit non ex ipſius verbis, ſed aliunde petenda, & addiſcenda erat. Ipſe autem Chriſtus (quod horribile dictu eſt) plane ridiculus & iniquus apparebit, qui, ut in ſe crederent, ſæpiſſime audientes monebat, & non credentes objurgabat, eiſque multa acerba minabatur: ſi ad eam fidem in illis gignendam, ea, quæ ipſe dicebat, & jam faciebat, nullo modo ſatis eſſe poterant. Quinetiam (quod horribilius multo eſt) inſignis mendacii ac ſacrilegii arguendus erit, qui ſe lucem mundi profitetur, &

ſequentes lumen vitæ habituros ait, Joh. 8. 12. quique ſermonem ſuum ſervantes in æternum non perituros affirmat, Joh. 8. 51. & pleraque alia ejuſmodi ſubinde repetit: ſi in ejus dictis, & factis id jam non continebatur, quod vitale lumen affert, & à morte liberat æterna.

Sed quod poſtremo iſtius veſtræ in Chriſtum fidei commentum plane retegit, illud eſt, quod, ut vos ipſi non negatis, ea fides in Chriſtum, qua juſtificamur, ſine bonis operibus eſſe non poteſt; Iſta autem veſtra in Chriſtum fides nihil cum bonis operibus commune habet. Tantum abeſt, ut ubicumque illa eſt, bona opera eſſe neceſſe ſit. Nam quid (quæſo) commune habet, quod quis credat, per Chriſti mortem univerſa peccata ſua, etiam futura, deleta fuiſſe, cum eo, quod vitam ſuam ad Dei normam inſtituat ac dirigat? An non potius, ſi id verum eſſe ſibi omnino perſuaſerit, ſegnis & ſupinus in juſtitiæ operibus ſectandis fiet: nedum illis, quemadmodum Paulus præcipit 1 Tim. 6. 18, dives ſit? Quid enim opus eſt de peccatis vitandis ſollicitum eſſe, ſi jam omnia peccata noſtra non præterita tantum, ſed etiam futura, penitus reipſa deleta ſunt, nec nobis umquam imputari debent; At enim dicere ſoletis, fieri non poſſe, ut quis tantam erga ſe Dei charitatem animo concipiat atque animadvertat, qui peccata ipſius univerſa delere voluerit, ob eamque cauſſam cariſſimum filium acerbiſſimæ morti tradiderit: & Dei amore interim non ita vehementer inflammetur, ut noctes, dieſque de eo, quod illi placeat, faciendo cogitet, univerſasque actiones ſuas ad ejus nominis gloriam perpetuo dirigat. Quaſi vero nemo ingratus eſſe poſſit: & accepti beneficii conſtans opinio in officio homines neceſſario contineat. Qui nam populus, aut natio vmquam fuit, quæ Deum ita præſentem haberet, ut Iſraelitarum natio habuit? Iſti non credebant modo, ſed reipſa quotidie experiebantur Dei Jehovæ erga ſe largitatem, atque beneficentiam. & tamen non ſolum ſe illi obedientes non præbebant; verum interdum etiam ab ipſo deficiebant, & alienorum deorum ſervitio ſe mancipabant; quamvis errata ſua ſibi condonatum iri, perſuaſi non eſſent: immo identidem eos, qui deliquiſſent, graviſſime ab eodem Jehova, quem ipſi offendere pergebant, puniri videtent; quamvis iis, quæ jam acceperant, beneficiis ſe privari poſſe cernerent; quamvis denique multo etiam majora, ſi obedientes fuiſſent, ſe accepturos, ſperare poſſent. Quanto igitur magis id facere poterunt ii, qui beneficio omnium maximo, quodque omnia, quæ excogitari poſſunt, beneficia continet, ab ipſo Deo ſe affectos jam fuiſſe credentes quo amplius privari nequeant, nullum quantumvis grave delictum ſibi umquam, ab ipſo imputatum iri, perſuaſum habeant? Aut enim ita à nobis bona opera Deus requirit, ut, ſi illis careamus, nolit nos caros habere, aut ita requirit, ut gratiſſimum quidem illi facturi ſimus, ſi ejus præcepta ſervaverimus: cæterum, etiamſi id non fecerimus, nos tamen, quia, Chriſti morte omnia peccata noſtra deleta fuiſſe, firmiter credamus, nihilominus caros ſit habiturus. Si ſine bonis operibus illi cari futuri non ſumus: falſum eſſe apparet, nos ea ſola fide jam abſolute juſtificatos eſſe, neque enim perfecte juſtificatus eſſe quis poteſt, quin Deo revera cariſſimus jam ſit. Sin, operibus licet bonis carentes, propter eam fidem caros nihilominus nos eſt habiturus Deus: non eſt, quod de vitæ noſtræ ſanctimonia multum laboremus. Quæ igitur cauſſa eſt, cur affirmare poſſitis, eam veſtram in Chriſtum fidem, qua ſola juſtificemur, ſine bonis operibus eſſe non poſſe; cum potius vel ab ipſis retrahendi vim habeat, vel ad hominem juſtificandum per ſe ſatis non ſit?

Hæc animadvertentes nonnulli ex iis, qui in ea fide in Chriſtum explicanda, qua juſtificamur, aut vobiſcum ſentiunt, aut non admodum diſſentiunt, & clare perſpicientes, iſtam veſtram fidem, ad bona opera gignenda, vel nullam, vel exiguam vim habere, aut certe, ſi rei natura inſpiciatur, ſine bonis operibus eſſe poſſe, quæ tamen ab homine juſtificato ut abſint, nullo modo, divinis oraculis edocti, fieri poſſe videbant; Iſti, inquam, ubi ea fides eſſet, bona quidem opera neceſſario fore dixerunt: non tamen ob eam cauſſam, quod ipſa fides per ſe bona opera omnino gigneret, ſed quia Deus, ſimul atque homo eam fidem amplexus eſſet, ſpiritu ſuo ſancto, ejus voluntatem adeo reformaret, ut à peccatis deinceps abſtineret, & juſtitiæ operibus in poſterum toto pectore incumberet. Hæc opinio, ut potè quæ nulla nec ratione, nec ſacrarum litterarum auctoritate fulciatur, prorſus conſiſtere non poteſt. Nam quid, obſecro, habet ea fides, cur Deus, eam quodammodo præmio afficiens, bonis operibus hominem ipſa præditum ornare velit? Quis umquam vel ipſa ratione duce, ſibi perſuadere potuit, vel in ſacris monumentis, legendo, obſervavit, Deum novis beneficiis afficere eos, qui magnum aliquod beneficium ſe ab ipſo accepiſſe firmiter credant, ob id ſolum, quod ita credant, niſi etiam accepti beneficii memores & gratos ſe præbeant? Sed nemo ſe memorem & gratum accepti à Deo beneficii præbuerit, quin juſte jam, & ſancte vivat; quo nihil Deo gratius, nihil acceptius eſſe poteſt. Quare cum Deus ſingulari illo ſpiritus ſui ſancti dono homines dignatur, ab omni veriſimilitudine abeſt, id ab ipſo propterea fieri, quod illi, maximum illud beneficium ſe ab ipſo accepiſſe, credant, quod morte Chriſti omnia ſua peccata deleta fuerint; niſi etiam gratos ſe tanti beneficii præbeant, & ob eam rem jam vitæ ſanctimoniæ & juſtitiæ ſtudeant. Itaque ea ſpiritus ſancti datio, qui fidem iſtam ſubſequatur, ut bona etiam opera ſubſequatur neceſſe eſt. Tantum abeſt, ut ipſa bona opera, quibus homo ea fide præditus alioqui carere potuiſſet, in eo primum gignat atque producat. Spiritum quidem ſanctum iis, qui in Chriſtum crediderant, datum fuiſſe, teſtantur ſacræ litteræ, Eph. 1. 13. Sed ea fides jam bona opera in ſe continebat: nec ſine præcedente pœnitentia, ſive obedientia id donum cuiquam dari ſolebat. Inquit enim Petrus iis, qui, ejus verbis auditis, corde compuncti, quidnam facere deberent, ab ipſo quærebant: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum; & accipietis donum ſpiritus ſancti*, Act. 2. 38. Et alibi ait: *Et nos teſtes ſumus horum verborum, & ſpiritus ſanctus, quem dedit Deus obedientibus ſibi* (ſeu potius *ipſi*) Act. 5. 32 Quamvis enim hæc teſtimonia de dono illo externo ſpiritus ſancti loqui videantur, quod ad Euangelii confirmationem in ejus prædicationis initio per certum tempus Deus credentibus largiri voluit; de interiore tamen idem dicendum eſſe, omnino arguunt. Immo, ſi, in externo concedendo, pœnitentia & obedientia requirebatur: multo magis in interiore largiendo eam requiſitam fuiſſe, dicendum eſt: quo nihil in hac vita præſtantius, nihil melius hominibus Deus impertire ſolet? Siquidem, ut ſupra notato ad Epheſ. loco, & alibi ait Paulus 2 Cor. 1. 22. 5. 5, arrhabo eſt hæreditatis noſtræ: qua ſcilicet in futura vita perfruemur. Quæ omnium divinorum in genus humanum beneficiorum caput eſt & complementum.

Cum igitur fides iſta veſtra in Chriſtum nec propria vi bona opera neceſſario pariat, immo per ſe ab ipſis revocare facillime queat, nec ullo modo cauſſa eſſe poſſit, ut homo ipſa præditus divina ope bonis operibus abundet, eiſque decoretur; manifeſtum eſt, arbitror, eam ſine bonis operibus eſſe poſſe: & propterea fidem illam non eſſe, qua juſtificamur: quam, ut diximus, vos ipſi abſque bonis operibus non dari, confitemini. Quod ſi quis rationibus à nobis allatis, fidem iſtam bonis operibus carere poſſe, ut credat, adduci nequit; exemplis fortaſſe adducetur: ſi ad eos reſpexerit, qui ipſa hac fide præditos ſe eſſe profitentur. Quorum maxima pars quidvis potius agere videntur, quam ut ſancte & innocenter vivere curent, nedum revera vivant. Nec vero eo confugiendum vobis eſt, ut dicatis, iſtos jactare quidem hanc fidem: interim tamen ejus expertes eſſe; cum reipſa compertum ſit, idcirco potiſſimum eos de vita emendanda recteque inſtituenda parum, aut nihil curare, quod hac fide ſint prædíti: id eſt, penitus

ſibi

ſibi perſuaſerint, jam univerſa ipſorum peccata Chriſti morte deleta eſſe: nec aliud præterea, ut ipſis tantum hoc beneficium applicetur, requiri, niſi, ut, ita rem ſe habere, ex animo credant. Ad hæc, ſi, ubicumque iſta fides eſt, ibi bona opera reperiri neceſſe eſſet: quid opus fuiſſet, & Chriſtum ipſum, & ejus diſcipulos de vita emendanda, & recte inſtituenda tot verba facere? An non ſatis fuiſſet, homines monere, ut iſta fide eſſent præditi? Immo, cum bona opera, ut vobis placet, non niſi ab iſta fide proficiſci queant: non ne præpoſtere docent, qui ante omnia vel potiſſimum ad bona opera ſectanda hortantur? Atqui à Chriſto, ejuſque diſcipulis ſæpiſſime id factum invenies. Quod ſi minus illi feciſſent, an non ſatis eſt, Johannem Baptiſtam, in ipſo ſuæ prædicationis initio, ad vitam corrigendam, & ſic ad bona opera, populum maximo ſtudio hortatum fuiſſe? Quid quæſo, conabatur Baptiſta, ſi ſine iſta fide vitæ emendatio non datur, cum populus adhuc ejus fidei omnino expers eſſet; Neque enim eos ad Chriſtum rejicere, & ut in ipſum crederent, monere opus fuiſſet Act. 19. 4, ſi jam in ipſum credidiſſent. Ergo, inquies, bona opera ſine fide in Chriſtum dari poſſe credis? Quid ni, ſi bona opera non perfectam illam innocentiam, quam Chriſtus docuit, ſed vitæ emendationem, ad quam Johannes non paucos ex populo prædicatione ſua re ipſa adducebat, interpreteris? Vos autem, quin nullum bonum & Deo gratum opus citra veſtram iſtam fidem dari poſſe velitis, dubium non eſt. Si tamen, cum bona opera non ſine iſta fide dari affirmatis, Bonorum operum nomine, vitæ ſanctitatem à Chriſto præſcriptam intelligere vos dicatis, quam ex iſta ipſa fide neceſſario conſequi velitis; ſatis eſt ad opinionis veſtræ falſitatem coarguendam, quod, ut diximus, & Chriſtus, & ejus diſcipuli, in exhortationibus ad bona illa opera, toti occupati videntur. Certe enim, ſi vera vos dicitis, fidem iſtam ubique inculcare potius debuiſſent: cujus ſcilicet, ſolius prædicatio pro omnibus illis hortamentis eſſe potuiſſet: & ſine qua univerſæ illæ monitiones irritæ ſunt, atque inanes. Nam ſi dicas, ideo & Chriſtum, & Apoſtolos in monitionibus illis multos eſſe, ut, qui ea fide præditi fuerint, quos certiſſimum eſt Deo obedientes futuros, quid Deo placeat, quidve diſpliceat, perfecte noſſe queant, alioqui ejus rei veram & abſolutam cognitionem non habituri; Reſpondeo, ſi id verum eſſet, non hortationibus, aut acerbis aliquando monitionibus eos uſuros fuiſſe: ſed ſimplicibus præceptionibus duntaxat. Nunc, quando videmus, eos ſumma ope niti, ut ea, quæ vel ipſi præcipiunt, vel nos jam præcepta fuiſſe, optime novimus, exequamur: & nullam interea iſtius fidei mentionem eos facere, animadvertimus; certiſſimum eſſe poteſt, & iſtam fidem bonorum illorum operum neceſſariam cauſſam ſive parentem non eſſe, & aliam etiam ob cauſſam bona illa opera à Chriſto, & Apoſtolis tam frequenter commemorari, quam, ut jam credentes in Chriſtum, quid Deo gratum odioſum ve ſit, recte percipere ac probe tenere poſſint. Adde, quod ab omni veriſimilitudine abeſſe videtur, ut ea fides, qua homo abſolute coram Deo juſtificetur, ſine perfecta cognitione voluntatis divinæ eſſe poſſit. Quid enim abſurdius, quam Deo quempiam cariſſimum eſſe: & tamen, quid Deus eum facere velit, ignorare; præſertim, cum paſſim ſcriptum inveniatur, eos demum Deo caros eſſe, qui id faciunt, quod ipſe vult? Vides, quam pernicioſa ſit iſta veſtra de fide in Chriſtum, qua juſtificemur, opinio; cum, ſi ea admittatur, inde facile concludi poſſit, ab homine juſtificato non modo ipſa bona opera, ſed bonorum operum cognitionem abeſſe poſſe.

Atque hæc ſatis ſint, ut eam fidem in Chriſtum, quæ nos juſtificat, aliud eſſe ſtatuamus, quam credere, per ea, quæ Chriſtus paſſus eſt, peccata noſtra deleta fuiſſe. Quibus ea addi poſſunt, quæ, adverſus imputationem ſatisfactionis Chriſti per fidem, non multo ante diſſeruimus. Unde conſtare poteſt, ſi vere deleta ſunt peccata noſtra, non neceſſe eſſe, ut id credamus: & non abſurdam tantum, ſed ſibiipſi repugnantem eſſe hanc enunciationem, Deleri peccata noſtra, ſi crediderimus ea deleta fuiſſe. Juſtificari autem, & peccata ſua deleri, in propoſito noſtro, idem reipſa eſſe, jam ſæpius indicatum eſt.

CAPUT X.

Reſpondetur ad rationes & teſtimonia, quæ ſuadere videntur, fidem in Chriſtum, qua juſtificamur, eſſe, credere, per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, deleta fuiſſe peccata noſtra.

SEd age, quæ nam vos in graviſſimum iſtum errorem inducere potuerint, conſideremus. Legiſtis ſatis frequenter apud ſacros ſcriptores verba, quæ eam ſententiam continent, ſanguine ſcilicet ſeu morte Chriſti deleta eſſe peccata noſtra; & propterea (ut facile præterea eſt id ſibi perſuadere, quod quiſque maxime vellet) ſtatim putaſtis, jam reipſa peccata veſtra per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus prorſus deleta fuiſſe. Et cum videretis, ubique ſcriptum eſſe, fide in Chriſtum nos juſtificari; id ipſum credere, eam fidem eſſe, nihil præterea cogitantes, nec rei vel abſurditatem, vel repugnantiam aut animadvertentes, aut curantes, omnino & ſtatuiſtis, & alios docere cœpiſtis. Atque ita nullo negotio ingentem Chriſti fidelium numerum (ſi Deo placet) brevi tempore nobis peperiſtis. Verum longe aliter res ſe habet. Scriptum eſt quidem pluribus in locis, Chriſti ſanguine ſeu morte deleta eſſe peccata noſtra: ſed non eo ſenſu, quo vos arbitrati eſtis. Ut enim ex iis, quæ copioſe à nobis ſupra diſputata fuerunt, intelligi poteſt, cum ſacri ſcriptores hæc, aut ejuſmodi verba enunciant, Dei, Chriſtique charitatem potiſſimum nobis commendare volunt: hoc eſt, non quidem nos monere, unde factum ſit, ut peccata noſtra deleta fuerint: ſed quid Deus, & Chriſtus, ut peccata noſtra delerentur, facere non dubitaverint, commemorare, & nobis ſubinde in memoriam revocare; ut quantum illis debeamus, agnoſcere poſſimus. Deleta autem eſſe peccata noſtra, non propterea dicunt, quia jam reipſa, antequam in Chriſtum credamus, deleta ſint: ſed quia vel de iis ſermo eſt, qui jam Chriſti fidem ſunt amplexi, vel ad Dei decretum omnia referuntur; qui nobis peccatorum veniam obtulit, & ex cujus parte jam peccata noſtra, expiata ac deleta eſſe, dici poſſunt. Alioqui, ſi jam reipſa omnino peccata noſtra deleta eſſent, quomodo veræ eſſe poſſent conditiones illæ, quas nobis latas eſſe paſſim legimus, ſi nobis peccata noſtra remitti velimus: nempe ut pœnitentiam agamus, ut aliis ea, quæ in nos deliquerint, condonemus, ut denique in Chriſtum credamus? Jam ſi fides in Chriſtum (quod vos ipſi negare non poteſtis) conditio eſt propoſita iis, quorum peccata reipſa delenda ſunt; manifeſtum eſt, eam fidem non id eſſe, ut credamus, peccata noſtra per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, deleta fuiſſe. Nam, ut ſupra docuimus, pugnant hæc inter ſe, deleta jam eſſe peccata noſtra, & delenda fore. Nec, ſi jam vere deleta non ſunt, vere credi poteſt, ea deleta fuiſſe. Non igitur, quia idipſum credere, ea res ſit, qua juſtificemur, ideo divini viri, morte Chriſti peccata noſtra deleta eſſe, dixerunt: etiamſi nondum in Chriſtum credentibus id affirmaverint, & ad Dei conſilium verba ſua retulerint; quaſi voluerint iſtos monere, ſi credant, à Deo, ut ipſorum peccata delerentur, Chriſtum morti traditum fuiſſe, ipſos juſtificatum iri. Nam vel non quidem, ut id crederent (ut ego ſane arbitror) ſed ut agnoſcerent, ſecumque animo reputarent, id enunciarunt; vel, ſi, ut crederent, dixerunt: non quia ea fide eorum Juſtificatio contineretur, id fecerunt: ſed quia, qui, Chriſtum in eum finem morti traditum à Deo fuiſſe credit, ut ſua peccata delerentur, is ob id deinde facile adducitur, ut Chriſto confidat, id eſt, vitam ex ipſius præſcripto corrigat, ipſique obediat: nihil dubitans, ſi id fecerit, quin, ut ille futurum promiſit, vitam æternam ſit adepturus. Hoc autem melius percipietur,

ſi non compenſatione aliqua, ſed pura divina liberalitate, atque clementia, quam nihil extra ipſum Deum ullo modo nobis aut promereri, aut propria vi conciliare poteſt, peccata noſtra, quod ad Dei decretum attinet, deleri agnoſcatur: quod vero ad effectum ipſum pertinet, quam vim ad ipſa delenda Chriſti mors habeat, recte intelligatur; potiſſimum vero non ignoretur, haud alia ratione mortem Chriſti ad peccata noſtra delenda pertinuiſſe, niſi quia id, ipſa interveniente, factum eſt, non autem quia per ſe, & propria quadam vi, id abſolute præſtiterit, aut præſtare potuerit, quemadmodum à nobis (ni fallor) ſatis dilucide & evidenter ſupra explicatum & demonſtratum fuit.

Atque ex his paucis, præſertim ſi cum iis conjungantur, quæ ante non uno in loco diſputata ſunt, ea omnia Teſtimonia diluta eſſe exiſtimo, in quibus id ipſum ſcriptum diſerte fuerit, quod credere, eam vos fidem in Chriſtum eſſe putatis, qua juſtificemur. Iis autem Teſtimoniis dilutis, non ſane video, quid ſententiam veſtram ſuadendi vim aliquam habere poſſit.

Nec enim crediderim ferme eſſe, qui hodie ea Pauli verba non intelligat, quæ cap. 3. 25 epiſt ad Rom. in vulgata editione adhunc modum leguntur, *Quem* (Chriſtum Jeſum) *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*, &c. & non videat ea verba, *in ſanguine ipſius*, quæ in Græco ſunt, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, idem ſignificare, atque Intercedente ſive Interveniente ſanguine ipſius, ut Eraſmus, & Tigurini verterunt, ſive Fuſo ſanguine ipſius, aut ſuo, ut Beza reddiderat. Vulgatiſſimum eſt enim in Novi Teſtamenti ſcriptis, Hæbræorum more, ut præpoſitio ἐν inſtrumentalem cauſſam, vel alicujus rei interventum ſignificet; ita ut hoc loco ea verba, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, ad univerſam præcedentem ſententiam referri debeant: ac ſi Paulus dixiſſet, Quod Chriſtus propoſitus fuerit à Deo ἱλαστήριον per fidem, id factum fuiſſe interventu mortis violentæ, & ſanguinis fuſionis ipſius Chriſti; non autem ad ſolum verbum πίστως: quaſi Paulus voluerit dicere fidem, quia juſtificamur (de qua fide ibi aperte loquitur) collocari, aut collocandam eſſe in ſanguine Chriſti, ut quidam Interpretes * verterunt, & aliqui † ex veſtris explicarunt. Qui tamen, cum ita ſenſerunt, haud animadvertiſſe videntur, cum de fide in aliqua re collocanda in Novo Fœdere ſermo eſt, vix ullum uſum eſſe præpoſitionis ἐν: ſed præpoſitionem εἰς, aut etiam ἐπὶ à Sacris Scriptoribus fortaſſe perpetuo uſurpari. Qui ſi quando præpoſitionem ἐν verbo Fidei aut Credendi junxerunt, poteſt commode ea præpoſitio, ut fieri conſuevit, præpoſitione Per, aut alia ſimili ratione apud Latinos exprimi; ut in eo ad Gal. loco cap. 3. 26, διὰ τῆς πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, id eſt, per fidem, quæ eſt per Chriſtum Jeſum. Nam ſic etiam locutus eſt Petrus, Act. 3. 16. Quamquam non deſunt, qui eo in loco, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, non cum πίστως, ſed cum præcedentibus illis verbis, πάντες ὃν ὑμεῖς ἴδετε ἐστε, conjungi velint. Neque aliter exiſtimo interpretandam eſſe eandem præpoſitionem ἐν in primo cap. epiſt. ad Eph. ubi & ſpei, & fidei ἐν τῷ Χριστῷ, fit mentio: & ſi qui alii ſunt ſimiles loci. Quocirca, etiamſi illa verba, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, ad ſolum verbum πίστως referenda eſſent; non tamen de fide in ipſo Chriſti ſanguine collocanda, ſed de fide, quæ per Chriſti ſanguinem in nobis gignatur, ſermo eſſet. Nam in Pſal. quoque 78. 31, ſcriptum eſt, Iſraëliticum populum non credidiſſe in mirabilibus Domini. Quod certe non ſignificat, in ipſis mirabilibus eos fidem ſuam non collocaſſe; neque enim (quod tamen ibi fit) eo nomine accuſandi fuiſſent. Sed eos, per mirabilia, ſeu propter mirabilia Domini, ut in ipſo Domino fidem ſuam collocarent, adductos non fuiſſe declarat; id eſt, quamvis Dominus, ut illis benefaceret, tot mirabilia feciſſet, non propterea tamen eos ipſi confidiſſe. Quin etiam hac eadem ratione videtur dici poſſe, confidendum eſſe ſanguini Chriſti, non quidem videlicet quia in ipſo ſanguine fides noſtra collocanda ſit, tanquam in eo, cujus vi noſtra peccata deleta fuerint; ſed quia per ipſum, ſeu etiam propter ipſum Chriſti ſanguinem in Deo fides noſtra eſt collocanda; id eſt, à Chriſti ſanguine ad Deo confidendum adduci debemus: neque de iis, quæ Chriſti ſanguis nobis promittit, dubitandum nobis eſt. Quod quomodo intelligendum ſit, uberrime à nobis ſupra explicatum fuit: & ibi præcipue, ubi eundem hunc Pauli locum, propter Redemptionis vocabulum, quod antecedit, & propter τὸ ἱλαστήριον nomen, quod vetus interpres Propitiatorem vertit, nobis explanandum ſuſcepimus.

Non crediderim præterea quemquam eſſe, qui ad ſententiam veſtram confirmandam illis ejuſdem Apoſtoli verbis utatur, quæ ſunt initio cap. 15 prioris ad Corinthios, *Notum autem vobis facio, fratres Euangelium, quod annunciavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalvamini; qua ratione* (ſeu *quo ſermone*) *annunciarim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas*, &c. Quaſi Paulus dicere voluerit, fidem, qua ſervamur, hanc eſſe ſcilicet quod credimus, Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum eſſe. Nam præter quam quod, ut ex verbis, quæ illico conſequuntur, & ex toto illo cap. apparet, non de Chriſti morte, ſed de ipſius reſurrectione loquitur Apoſtolus, quam credendo, ſalutem Corinthios conſecuturos ait: mortis autem, non propter ipſam mortem, ſed propter reſurrectionem, mentionem facit: ſciendum etiam eſt, neque ipſum credere, Chriſtum pro peccatis noſtris morti traditum reſurrexiſſe, eam fidem in Chriſtum eſſe, qua vere coram Deo juſtificamur. Quod ut planius & exactius intelligi, ac percipi poſſit, quænam ea fides in Chriſtum ſit, qua juſti coram Deo habeamur, id quod tertio loco faciendum propoſueramus, paucis explicemus. Paucis, inquam. Nam, ſi quæcumque ad hujuſce rei explicationem pertinere poſſunt, hic congerere vellem; hæc mea quaſi diſputationis noſtræ appendix, multo longior ipſa diſputatione eſſet. Huc accedit, quod ex iis, quæ hactenus variis in locis diſſeruimus, ſententia hac de re mea non modo abunde explicata, ſed ſatis etiam confirmata videtur. Quare nulla quodammodo alia re eſt opus, niſi, ut quæ toto hoc ſcripto meo ad hoc argumentum pertinentia diſperſa ſunt, hic uno in loco colligam, tibique, uno quaſi intuitu conſpicienda, exhibeam.

* Catelino. † Calvinus.

CAPUT XI.

Explicatur ſatis accurate ac diligenter, quidnam ſit ea in Chriſtum fides, qua coram Deo juſtificamur, nec non qua fide ipſe Abrahamus, qui omnium noſtrum eſt pater, juſtificatus fuerit.

FIdes igitur in Chriſtum, quæ nos juſtos coram Deo conſtituit, ut ipſa verba aperte indicant, & ratio omnino poſtulat, nihil aliud eſt, ut pridem diximus, quam Chriſto confidere; id eſt, non ſolum quæcumque Chriſtus ad nos ſpectantia dixit, vera eſſe credere: ſed etiam ea tanti æſtimare, ut, ſi quid nos facere præcepit, id faciamus: ſi quid nos ſperare juſſit, id ſperemus; vel, ut ſignificantius atque apertius dicam, ſi quid boni nos, ſi aliqua fecerimus, conſecuturos eſſe affirmavit, non modo id verum eſſe, nobis perſuadere: ſed, ut bonum illud conſequi poſſimus, ea facere non dubitare. Si quis me, ſi mercaturam fecero, divitem evaſurum eſſe affirmet; poſſum id veriſſimum eſſe credere, & tamen mercaturam non facere; quippe qui vel divitias ſpernam, vel eas tanti non faciam, ut tot laboribus & periculis, quibus mercatores obnoxii ſunt comparandas judicem: ſeu quamcumque aliam ob cauſſam potius eſſe ducam à mercatura abſtinere, quam divitem eſſe: vel, alia faciliore via me divitem fieri poſſe, credam. Jam vero, ſi mercaturam non fecero: licet vera ſuadentis, ut faciam, verba eſſe credam; ei tamen confidere nunquam dici potero. Sic qui ea, quæ Chriſtus præ-

præcipit, facere recuſaret, etiamſi ejus verba veriſſima eſſe crederet, ei confidere dici tamen non poſſet. Quamquam ea, quæ ſibi obtemperantibus Chriſtus eventura dixit, ejuſmodi ſunt, ut fieri non poſſit, quin is, qui ejus verba vera eſſe credat, illi ex animo obediat. Beatitatem & vitam æternam habituros dixit Chriſtus, quicumque ipſius præcepta conſervaverint. Quem autem invenies unquam, qui beatitatem & vitam æternam, ſciens prudens, aut aſpernetur, aut tanti non faciat, ut eas, quantumvis gravibus & multiplicibus incommodis atque malis comparandas cenſeat: vel ſatius eſſe ducat ea non facere, quæ Chriſtus præcepit, quam beatum, & immortalem eſſe? Nam, quod beatus atque immortalis quis faciliore aliqua ratione, quam ea ſit, quam Chriſtus docuit, evadere poſſit, nemo ſibi perſuadebit, qui Chriſti verba vera eſſe crediderit; cum eam ob rem, quod plures una ad beatam immortalitatem vias eſſe nulla ratio patitur, nec ſi eſſent, aut difficiliorem Chriſtum elegiſſe, qui ſummam erga nos charitatem præ ſe tulit, aut faciliorem ignoraſſe, qui exactiſſimam divinarum rerum ſcientiam profeſſus eſt, ullo pacto credi poteſt; tum vero quia Chriſtus apertiſſime teſtatus eſt, præter eam, quam ipſe præmonſtravit, nullam ad æternam beatam vitam viam eſſe. Ex quo factum eſt, ut, Chriſto, ſive Chriſti verbis credere, idem ſignificet, atque, illi obedire: quamvis per ſe nihil aliud vere ſignificare poſſit, quam, ejus verba vera eſſe, credere: Chriſto autem, ſive ejus verbis non credere, idem ſit, atque, illi non obedire. Nam idipſum quoque de omnibus, ſive de eorum verbis dicetur, qui, cum aliquid præcipiunt, inſigne aliquod & vehementer per ſe expetendum bonum, id, quod præceptum eſt, facientibus, aut ipſi ſe daturos pollicentur, aut illis eventurum affirmant. Matth. 21, Cum Chriſtus, ut vidimus, Judæis dixit, ipſos Johanni non credidiſſe: publicanos autem, & meretrices credidiſſe; nulli dubium eſſe poteſt, quin dicere voluerit, hos pœnitentiam egiſſe, & ita Johanni pœnitentiam præcipienti paruiſſe: illos vero minime; quamvis, Johanni credidiſſe, per ſe nihil præterea ſignificet, quam, Johannem vera dixiſſe, exiſtimaſſe. Nimirum quia fieri non poterat, ut quis Johannis verba vera eſſe crederet, & pœnitentiam, quam ille præcipiebat, non ageret; cum is aperte pœnitentiam agentibus peccatorum remiſſionem annunciaret: alioqui futurum prædiceret, ut graviſſime punirentur: & ita maxima beneficia eos ex pœnitentia percepturos, affirmaret. Quin etiam, cum quis aliquid ſimpliciter præcipienti aut ſuadenti non obtemperat, ei non credere dicitur. Tacite enim, quicumque alteri aliquid præcipit, aut ſuadet, licet nihil præterea exprimat, bene illi, ſi id fecerit, futurum denunciat. Nemo autem eſt, qui ſibi bene eſſe nolit. Quare, ſi non obtemperat, præcipientem, aut ſuadentem vera dicere non credit. Nulla igitur ratione is Chriſto, ſive ejus verbis credere dici poteſt, id eſt, eum vera dicere ſibi perſuadere, qui ei non obtemperat; cum Chriſtus ſibi obtemperantibus & aperte ingentia bona ac per ſe omnino expetenda promiſerit, & tacite bene futurum eſſe, denunciaverit. Quocirca non immerito eam ſententiam Irenæus ſcriptam reliquit, quod Credere Deo, ſive Chriſto, ſit facere voluntatem ejus. Quoniam vero Chriſtus ſibi obedientibus ſummum bonum non denunciavit modo, verum etiam ipſe promiſit, hoc eſt, ſemet daturum, pollicitus eſt; jure optimo, qui illi parent, aut parere conſtituunt, frequentius multo in ipſum quam ipſi ſive ejus verbis credere dicuntur. Ea enim locutione, ut dictum fuit, ipſa confidentia exprimitur. Vere autem & proprie illi confidimus, à quo aliquid ſperamus. Quamvis nos non obſcure paullo ante iis obtemperare, qui ſibi obedientibus aliquid boni eventurum affirmant, non etiam, ſemetipſos daturos, pollicentur, illis confidere appellaverimus; ut affirmatæ rei, qui adhibetur aſſenſus, ab ipſa obedientia, quæ fidei nomine continetur, quam in aliquo habeamus, diſtingueretur. Quandoquidem Sacræ Litteræ nonnunquam in eum ſive in eo credi ajunt, qui aut tacite, aut aperte ſibi auſcultantibus aliquid boni, vel non auſcultantibus aliquid mali ſimpliciter denuntiat. Ut de Moſe, & de Prophetis ſcriptum fuiſſe, ante commemoravimus.

Jam vero cur hac in Chriſtum fide, quam expoſuimus, juſtificemur, cauſſa in promptu eſt. Nam, qui Chriſto confidit, Deo confidit; ut ipſe Chriſtus dixit: *Qui credit in me, non credit in me: ſed in eum, qui me miſit*, Joh. 12. 44. Neque enim ex ſeipſo locutus eſt Chriſtus, ſed id locutus eſt, quod ei ut diceret & loqueretur, mandaverat Pater, qui eum miſerat; ut ſcriptum eſt eod. cap. ℣. 49. Nec poteſtatem dandi nobis vitam æternam, cujus adipiſcendæ ſpe ſuffulti, ipſi obedimus, ex ſeipſo habet Chriſtus: ſed ex Patre. Pater enim ei vitam in ſemetipſo habere dedit, Joh. 5. 26. Jam Deo confidere, ſemper hominem, pro ipſius Dei benignitate, juſtum coram ipſo reddidit; ut divina oracula teſtantur, quemadmodum paulo poſt apertius conſtabit. Fragilitatis namque humanæ miſertus Deus clementiſſimus, quamvis omnia ejus præcepta perpetuo exactiſſime non ſervemus, id quod ad propriam & abſolutam juſtitiam prorſus neceſſarium eſſet: pro perfecte juſtis nihilominus tamen nos habere voluit; dummodo ipſi confidamus, id eſt, ei ex animo obedientes, omnem ſpem noſtram in ipſo collocemus. Ex animo autem Deo obedire is dici debet, qui, ad Deum converſus, totis viribus ejus mandata ſervare pergat; licet non ſolum aliquando ei rebellis fuerit: ſed etiam, poſtquam ad ipſum converſus eſt, leviter interdum & imprudenter, ſeu quodammodo invitus, delinquat; quamvis perfectæ obedientiæ nomine commendari non poſſit.

Nec vero alia fide juſtificatus eſt ipſe Abrahamus Rom. 4. 11, & 16, qui pater omnium credentium eſt. Quamvis enim ex Pauli verbis, quæ ſcripta ſunt cap. 4. epiſt. ad Rom. videatur aperte colligi, fidem, qua Abrahamus juſtificatus fuit, fuiſſe, Deo promittenti, ipſum multarum gentium patrem futurum, & ſemen ſuum, ſicut ſtellas cæli numeroſum evaſurum, fidem adhibuiſſe, hoc eſt eum vera dicere ſibi perſuaſiſſe; animadvertendum eſt tamen, rem aliter ſe habere. Ut enim in ſuperioribus diſputationibus alicubi dictum fuit, ea promiſſio Abrahamo non ſine tacita conditione facta fuerat; quæ deinde in ipſo fœdere ſanciendo fuit expreſſa. Quemadmodum ſcriptum eſt Gen. cap. 17. ut ſollicet ambularet coram Deo, & eſſet perfectus, hoc eſt, ipſi Deo parere non recuſaret. Id autem, ut ibi diximus, ex eo manifeſtum fit, quod ejuſdem libri cap. 22, Dominus jurat, ſe multiplicaturum ſemen Abrahami ſicut ſtellas cæli, & arenam maris, propterea quod, ut ipſi obediret, filium ſuum unicum immolare non dubitaſſet. Certe; ſi, cum ab initio Deus hoc ipſum Abrahamo promiſit, & ipſe ejus verbis fidem adhibuit, ideo vere & abſolute juſtificatus coram Deo Abrahamus fuiſſet, quia id, quod Deus promiſerat, futurum credidiſſet; falſo deinde dictum ei foret, conſecuturum ipſum idcirco eſſe illud promiſſum, quia Dei dicto in re admodum ardua audiens poſtea fuiſſet. Confirmatur hoc abunde ex eo, quod Jacobus cap. 2 ſuæ epiſtolæ aperte dicit, tunc demum vere juſtificatum fuiſſe Abrahamum, cum Iſaacum filium ſuum in ara obtulit, & à fide quidem opera fuiſſe adjuta, ſed viciſſim tamen ipſam fidem operibus perfectam fuiſſe, ait. Quo nihil, judicio meo, divinius dici potuit. Ea ſiquidem in Deo confidentia, quæ nos coram ipſo Deo juſtos conſtituit, partim obedientiæ cauſſa eſt, partim ipſâ obedientiâ perficitur. Cauſſa eſt obedientiæ, nam ideo quis obedit, quia confidit. Perficitur autem obedientiâ, quia nemo vere confidiſſe dici poteſt, antequam reipſa obediat: immo ideo confidiſſe dicitur, quia obedierit. Multi ſunt, qui, antequam, ut Deo obediant, aut fortunis, aut vita, aut fama periclitentur, egregie Deo confidere, & confiſuri eſſe ſibi videntur. Sed poſteaquam, ſi Deo obidire velint, in hæc diſcrimina adducti fuerint; ſe Deo vere non confidere &

aliis produnt, & ipſi agnoſcunt. Deus ipſe, qui cogitationes noſtras omnes, & cordis receſſus melius, quam nos ipſi, & videt, & novit, tunc demum, quod Abrahamus Deum timeret, ſe cognoviſſe, ait, Gen. 22. 12, cum, ut ipſi obediret, filium ſuum unicum ei non denegavit, ſed ut, juſſus fuerat, in ſacrificium illi offerre non recuſavit. Si fides, qua Abrahamus juſtificatus fuit, fuiſſet ipſum credere, id eventurum, quod Deus promiſerat, quomodo ea fides oblatione filii ſui perfecta fuiſſet? aut quomodo opus illud ab ea fide adjutum eſſet? An non poterat Abrahamus filium juſſu Dei immolare, & tamen, numeroſam ſtirpem ſuam futuram eſſe, non credere? aut, quamvis hoc crederet, illud tamen non facere? Qua ratione, quæſo, ex eo, quod filium Deo jubenti offerre non dubitaverit, colligi poteſt, eum promiſſum illud ſibi præſtitutum iri credidiſſe: cum potius ex eo ipſo, tanquam neceſſarium conſequens, colligere liceat, eum de promiſſo illo deſperaſſe, ſi modo non aliter, quam per Iſaacum, ſemen ſuum mirum in modum multiplicandum fore putavit?

Sed inquies, me adverſus auctoris ad Heb. manifeſta verba loqui, qui cap. 11. ſuæ epiſt. dicat, Abrahamum ideo fide obtuliſſe Iſaacum, quod non dubitaverit futurum, ut Dei promiſſum impleretur de ſemine ſuo per Iſaacum multiplicando: eaque de re adeo perſuaſum fuiſſe, ut etiam, poſtquam ipſum Iſaacum, eum immolando, occidiſſet, à mortuis excitatum a Deo iri putaret: quod & factum fuiſſe dici poſſit, cum perinde eum receperit, ac ſi in vitam à morte revocatus fuiſſet. At ego dico, fieri non poſſe, ut hæc fuerit ſcriptoris illius mens; cum, ut modo oſtendimus, futuri illius promiſſi fides, ſui natura, nihil cum filii immolatione commune haberet. Quid igitur, dices, ſibi vult ſcriptor ille? aut cur, de fide, qua filium Abrahamus obtulit, verba faciens, firmæ opinionis, quam de promiſſo illo ſibi præſtando conceperat, meminit? Dicam, quod mihi veriſſimum videtur. Fidem Abrahami, id eſt, in Deo confidentiam, ut etiam paulo ante fecerat, commendaturus divinus ille ſcriptor, ait, eum, cum tentarentur, obtuliſſe Iſaacum filium ſuum unicum, eum, inquam, qui promiſſa illa magnifica acceperat. Quod profecto maximam ipſius Abrahami in Deo confidentiam indicat. Niſi enim vehementer Deo confidiſſet, nunquam ut illi obediret, proprium cariſſimumque filium mactare decreviſſet, ſeque tanto bono privare non dubitaſſet; præſertim, cum Deo diffidendi magnum argumentum ex eo haberet, quod Deus eum ipſum, à quo progeniem ſuam denominatum iri dixiſſet, mactari ab ſe vellet: & propterea, ſe quodammodo à Deo derideri, ſuſpicari merito potuiſſet. Deo igitur ex animo confidens, & penitus perſuaſus, ſi ſibi bene eſſe vellet, Deo parendum eſſe: nihil antiquius habuit, quam, ut ejus dicto auſcultaret: nihil præterea inquirens, nihilve ſuſpicans mali. At Deus unum antea promiſit, cui aliud plane contrarium nunc fieri jubet. Quid tum? Ipſe dominus eſt; & quidquid ſibi libuerit, facere jure poteſt. Quod ſi vel in rem meam futurum eſt, vel ad ipſius nominis gloriam pertinebit, ut promiſſum illud, quale me accepiſſe putabam, omnino ſervet; etiamſi Iſaacus mortuus fuerit, illud nihilominus præſtabit. Eum enim, ut poteſt, ſic etiam in vitam revocabit. Hæc & Abrahamum ſecum cogitaſſe, veriſimillimum eſt, & Apoſtolum de eo dicere voluiſſe, propter ea, quæ à nobis dicta fuere, prorſus concludendum videtur: præſertim, cum in ipſius verbis ejus rei apertum indicium extet. Inquit enim: *Cogitans* (Abraham) *quod & à mortuis excitare potens* [*eſt*] *Deus*. Quæ verba, non quidem ea re opus omnino futurum, ſed, ſi opus eſſet, id etiam à Deo fieri poſſe, Abrahamum cogitaſſe, oſtendunt. Alioquin addita non fuiſſet particula Et. Sed ſimpliciter eſſet dictum, Cogitans, quod à mortuis excitare potens [eſt] Deus. Atque eo magis, ſi, ut mihi quidem videtur, non de ipſa potentia, ſed de voluntate Dei hæc verba intelligenda ſunt: & repetendum eſt ex præcedentibus τὸν μονογενῆ, id eſt, *unigenitum*, aut ſubaudiendum αὐτὸν, id eſt, *eum*, (quod relativum mox expreſſurus, ſermonis elegantiæ conſulens, hic reticuit auctor) & locus ita vertendus, *Cogitans, quod & à mortuis* [*eum*] *excitare potens eſt* (ſeu potius *eſſet*) *Deus*. Idem autem hic eſſe, Potens eſt Deus excitare, quod, Deus excitaturus eſſet, idcirco exiſtimo, quod apud Paulum quoque, Potens eſt & facere, nihil aliud ſit, quam, Facturus etiam eſt, Rom. 4. 21. &, Potens enim eſt Deus rurſus inſeret illos, nihil aliud, quam, Deus enim rurſus inſeret illos, Rom. 11. 23. Et apud eundem hunc ſcriptorem Heb. 2. 18, Poteſt iis, qui tentantur, auxiliari, idem eſt, quod, Iis, qui tentantur, auxiliaturus eſt. Sed & multis aliis in locis ea locutio in eundem ſenſum accipi debet.

Apparet igitur, fidem Abrahami, cujus nomine maxime commendatur, & qua juſtificatus fuit, non ipſum credere, id futurum, quod Deus promiſerat, fuiſſe, ſed ipſi Deo ex animo confidere. Verum, quomodo Pauli verba interpretabimur, quibus fidem explicans, qua Abrahamus juſtificatus eſt, non ipſius in Deo confidentiam, ſed firmam ejus, quod Deus illi promiſerat, opinionem commemorat? Sciendum eſt, Paulum cauſſæ id, quod effectus eſt, tribuiſſe, ut Abrahami exemplo juſtificationis noſtræ modum, & originem melius exprimeret: & firmæ illi opinioni, juſtificandi vim tribuiſſe, non quia ipſa vere juſtificatus fuerit Abrahamus, ſed quia ex ipſa neceſſario orta eſt confidentia, qua vere juſtificatus fuit. Idem Paulus ait, eum, qui ore dominum Jeſum confeſſus fuerit, & in corde ſuo crediderit, quod Deus excitavit illum à mortuis, ſalvum fore: Corde enim credi ad juſtitiam, ore autem confeſſionem fieri ad ſalutem Rom. 10. 9, & 10. Itaque juſtificandi vim tribuit firmæ opinioni, quod Jeſus à Deo in vitam revocatus fuerit: non quidem quia vere ea opinio juſtificet, ſed quia ex ea neceſſario confidentia illa oritur, de qua loquimur. Nec vero ideo excitavit Deus dominum Jeſum à mortuis, ut idipſum crederemus: ſed, ut id credentes, in ipſo Deo fidem ac ſpem noſtram collocaremus; ſicut diſerte ſcriptum reliquit Petrus prioris epiſt. cap. 1. 21. ſed id ipſe Paulus eodem cap. 4. ad Rom. fidem explicans, qua juſtificamur, non dixit, eſſe ipſum credere, quod dominus Jeſus à Deo à mortuis excitatus fuerit: ſed credere in eum, qui dominum Jeſum à mortuis excitavit. Jeſus quoque beatos eos prædicat, qui ipſum à mortuis excitatum fuiſſe, quamvis non viderint, nihilominus tamen crediderint, Joh. 20. ℣. 29, qui tamen antea dixerat diſcipulis ſuis, ipſos beatos fore, ſi quæ ab ipſo didicerant, feciſſent, Joh. 13. 17, & eos demum beatos pronunciaverat, qui audirent verbum Dei, & cuſtodirent illud, Luc. 11. 28. atque huic ſententiæ conſentientem univerſam ſuam prædicationem inſtituerat: Nempe quia fieri non poteſt, quin ea, quæ à Jeſu præcepta ſunt, faciat, & Dei verbum, qui per ipſum Jeſum locutus eſt, cuſtodiat is, qui Jeſum à mortuis excitatum à Deo fuiſſe, ſibi perſuaſerit. Inde enim ſpem firmam concipit, ſe, ſi iſta præſtiterit, beatum atque immortalem ex Dei promiſſo futurum. Quod ut quilibet vehementiſſime expetat, prorſus neceſſe eſt. Abrahamus vehementer expetebat ſine prole non decedere, & proprium filium, non autem ſervum heredem habere Gen. 15. 2 &c. Hoc ſuum deſiderium cum Deo expoſuiſſet; promiſſum ab ipſo Deo, quod deſiderium ejus longe ſuperabat, accepit. Credidit Abrahamus Deo promittenti; & ob eam rem, propter promiſſi ingens deſiderium, ſe totum gubernandum & regendum Deo tradidit. Ratio enim, & ſenſus ipſe communis nos docet, eum, qui aliquid boni ex ſola ſua liberalitate alteri pollicetur, ita demum illud præſtiturum, ſi is erga ipſum talis fuerit, qualis eſſe debet; aut ſaltem, niſi id fiat, facile eventurum, ut ipſe, ſicut jure poteſt, ita etiam promiſſum revocet. Hanc ob cauſſam Moſes, credidiſſe Abrahamum non Jehovæ, ſed in Jehova ſcribit. Quod confidentiam illam exprimit, quæ à firma rei deſideratiſſimæ ſibi promiſſæ opinione neceſſario proficiſcitur; & ſimul eam firmam opinionem declarat. Namq; idem eo in loco eſt, *Credidit Abrahamus in Jehova*, quod,

Cre-

Credidit Abrahamus, Jehovam vera dicere, & propterea ex animo illi confidit. Quamvis enim, ut ſupra docuimus, Credere in aliquem, proprie, illi confidere ſignificet, adeo ut in eum quoque, qui nihil affirmet, credi poſſit; tamen cum ad eum, qui aliquid affirmat, refertur, tunc non ipſam confidentiam tantum, ſed aſſenſum quoque affirmatæ rei declarat. Quemadmodum, quamvis eadem locutio obedientiam ſua vi non ſignificet, cum tamen ei accommodatur, qui aliquid præcipit, obedientiam quoque prorſus exprimit. Quapropter quamvis fides in Chriſtum, id eſt, hæc locutio propria vi nihil aliud, quam confidentiam in Chriſto declaret, quæ citra alicujus rei ab ipſo affirmatæ aſſenſum, citraque obedientiam aliquam, ſuapte natura, conſiſtere poteſt; tamen, cum Chriſtus nonnulla præceperit & affirmaverit: fide in Chriſtum non ſimplex quædam, quæ in Chriſto collocetur, confidentia ſolum exprimitur: ſed iis etiam, quæ affirmavit, firmus adhibitus aſſenſus, & ejus præceptorum obedientia omnino comprehenditur. Sed ad propoſitum revertamur.

Explicaturus Paulus, Abrahami exemplo, non ſolum fide in Deum, id eſt, confidentia, qua Deo confidimus, nos juſtificari, ſed etiam, qua ratione ea confidentia in nobis gigneretur: ideo Abrahamum juſtificatum fuiſſe, dicit, quod Deo numeroſam prolem ſibi promittenti fidem habuiſſet. Quod, ſi recte intelligatur, veriſſimum cenſeri debet Ex ea enim fide ſtatim & neceſſario confidentia orta eſt, qua vere juſtificatus fuit. Atque hoc modo tacite docet, nobis quoque Deo nos à mortuis excitare promittenti credendum eſſe. Ita enim fiet, ut illi ex animo confidamus, & nos, ut Abrahamus fecit, totos ei gubernandos & regendos tradamus. Ut autem nos ad eam fidem Dei verbis adhibendam eodem exemplo magis etiam animet, atque inflammet, tacite à minore ita argumentatur: Si Abrahamus Dei verbis fidem adhibuit, quamvis ejus, quod illi Deus promittebat, nullum, præter ipſam Dei pollicitationem, argumentum haberet; multo magis nos Dei verbis fidem adhibere debemus, qui, præter ipſam Dei pollicitationem, evidentiſſimum ſervandi ab ipſo promiſſi argumentum in domini Jeſu reſurrectione habemus. Quem ipſe non aliam ob cauſſam morti tradidit, quam, ut eum poſtmodum ad vitam immortalem à mortuis excitando, nobis tanti promiſſi pleniſſimam fidem faceret: & illius præſtandi ejuſmodi viam inveniret, unde nos & ex animo ipſi confidere, & id, quod ab ipſo ſperamus, reipſa conſequi poſſemus: atque ita perfecte juſtificaremur, & à peccatis noſtris coram ipſo abſolveremur. Itaque concludens ait, Non propter Abrahamum tantum ſcriptum fuiſſe, ejus in Deo confidentiam imputatam illi fuiſſe ad juſtitiam: ſed propter nos etiam, quibus futurum eſt, ut imputetur credentibus in illum, qui dominum Jeſum à mortuis excitavit, traditum (ab ipſo ſcilicet) in mortem, propter delicta noſtra, & excitatum propter juſtificationem noſtram.

Obſervandum eſt autem præterea, Paulum, in fide Abrahami explicanda, ad promiſſionem de Iſaaco nominatim illi factam reſpexiſſe; cum tamen multo ante numeroſa ſtirps illi à Deo promiſſa fuiſſet; cui promiſſo fidem habendo, & ob eam rem Deo confidendo, ut teſtatur Moſes, nec ipſe Paulus diffitetur, juſtitiæ imputationem adeptus eſt. Quod nobis ſatis declarat, juſtificam illam fidem Abrahami non fuiſſe firmam opinionem numeroſæ futuræ prolis ex Dei promiſſo. Ea enim firma opinione etiamnum præditus eſſe poterat Abrahamus: nec tamen propterea promiſſo de Iſaaco fidem adhibere. Jam enim natus erat Iſmaël, cujus genus vehementiſſime ſe multiplicaturum, ita ut præ multitudine numerari non poſſet, promiſerat Deus, Gen. 16. ℣. 10 & cap. 17. ℣. 20. Nec in promiſſo illo, cui fidem adhibendo, juſtitiæ imputationem conſecutus fuerat, alicujus rei mentio facta erat, quæ Iſmaëlis perſonæ non conveniret. Neque enim vel ipſum Abrahamum prope centenarium futurum, cum proles illa ex eo naſceretur, nec ex libera magis, quam ex ancilla eam naſcituram; nec aliquid ſimile expreſſum fuerat; ſed ſimpliciter dictum Gen. 15. 4, &5. *Qui egredietur de viſceribus tuis, ipſe heres tuus* [*erit*]: Et mox, *Suſpice in cælum: & numera ſtellas, ſi* [*tamen*] *poteris numerare eas. Sic erit ſemen tuum.* Quamvis enim poſt natum Iſaacum dixerit Deus Abrahamo, In Iſaaco illi vocatum iri ſemen, & Saræ ſententiam, ut Paulus quoque ad Gal. 4. 30. interpretatur, approbaverit dicentis, *Non hereditabit filius ancillæ hujus cum filio meo*; id tamen antea intelligi non poterat. Nam, cum nondum filius liberæ vel natus, vel nominatim promiſſus eſſet: nulla erat, ut quidem videbatur, cauſſa, cur ancillæ filius pleno jure heres eſſe non poſſet, & ita in eo rite impleri divinum promiſſum. Sed neque poſt promiſſum, & natum liberæ filium, niſi Deus id expreſſe & ſingulariter conſtituiſſet, excludendus erat ancillæ filius ab hereditate patris: ſed ad eam una cum filio liberæ pariter admittendus; ut in Jacobi filiis manifeſtum fuit. Conſtat autem, quamvis Deus in promiſſo illo, cui primum fidem habuiſſe Abrahamus dicitur, ſemihis & heredis nomine, Iſaacum ſeu filium liberæ, non autem Iſmaëlem ſeu filium ancillæ, potiſſimum intellexerit; id tamen nec Abrahamum intellexiſſe, nec, ut intelligeret, Deum curaſſe; conſtat, inquam, partim ex ipſius Dei verbis Iſaacum promittentis, partim ex Abrahami promiſſum audientis. Inquit enim Deus Gen. 17. 16, *Et benedicam ei* (nempe Saræ) *atque etiam dabo ex ea tibi filium*, &c. Namque, ut apparet, hoc, tanquam non antea promiſſum, nedum ita, ut intelligi poſſet, explicatum, prioribus promiſſis quodammodo adjungitur. Abrahamus vero excipiens ait, *Utinam Iſmaël vivat coram te.* Etenim & Dei prioribus promiſſis, & deſiderio, ac ſpei ſuæ factum iri ſatis Abrahamo videbatur, ſi Iſmaël vixiſſet, & genus propagaſſet.

Firma igitur opinio illa prioris divini promiſſi nihil cum ſecundo promiſſo, ſeu promiſſi explicatione de Iſaaco commune neceſſario habebat; ſed confidentia in ipſo Deo, multum commune, idque neceſſario, habuit. Niſi enim Abrahamus Deo jam confidere decreviſſet, nunquam ex ſe ferme centenario, & Sara nonagenaria naſciturum filium, illo promittente, credidiſſet. Itaque fides, qua primum juſtus coram Deo haberi cœptus eſt Abrahamus, non revera divino promiſſo ipſa habita fides, ſed inde orta confidentia in ipſo Deo fuit. Quæ quanto magis variis experimentis perficiebatur, tanto magis Deo carus Abrahamus erat; & tanto certius, & ſtabilius juſtus coram ipſo habebatur, adeo ut & Paulus ex credita de Iſaaco promiſſione, & Jacobus ex ejuſdem Iſaaci immolatione, quibus rebus ea confidentia explorata, & mirum in modum perfecta fuit, juſtificatum fuiſſe Abrahamum aſſerere non dubitaverint: & ad iſta tempora id pertrahere, quod multis annis ante, ſi Moſis verba ſpectemus, factum fuiſſe oportet. Qui Moſes non ideo id ſcripſit, quia jam tum Abrahami fides perfecta fuiſſet: ſed quia ex eo tempore Abrahamus Deo confidere vere & ex animo cœpiſſet. Tametſi enim, ut auctor ad Heb. Heb. 11. 8. & res ipſa teſtatur, etiam ante id tempus Abrahamus fide præditus fuerat Gen. 12. 1. &c, quippe qui Deo jubenti, ut è terra & cognatione ſua in locum, quem illi oſtenſurus eſſet, migraret, & multa bona, præſertim vero eandem generis propagationem, promittenti & credidiſſet, & paruiſſet; tunc demum tamen vere Deo confidere cœpit, cum prolis deſiderio vehementer incenſus, eam, quam etiam petierat, ſibi numeroſiſſimam ab eo promitti audivit: & ſtipulatione quadam, ſub tacita tamen illa ipſi parendi conditione, Deum quodammodo obligavit, ac ſibi devinxit.

Hæc de Abrahami fide, qua juſtificatus fuit, fuſius aliquanto quam conſtitueram, à me diſputata ſunt. Ex quibus, & qua fide nos quoque juſtificemur, & quæ mens Pauli ea de re loquentis fuerit, perſpicuum eſſe poteſt.

Juſtificamur igitur, ut eo, unde digreſſa eſt noſtra recurrat oratio, fide in Chriſtum, quatenus Chriſto

confidimus. Nam qui Chriſto confidunt, ipſi Deo confidunt; cujus nomine Chriſtus locutus eſt: & à quo poteſtatem ea præſtandi, quæ promiſit, pleniſſimam accepit. Deo autem confidere, non eſt, aliquid eum feciſſe credere. Quare fides in Chriſtum, aliquid jam Chriſtum feciſſe, credere, eſſe non poteſt; aut certe iſtud credere, ea fides in Chriſtum non eſt, qua revera juſtificamur. Sic, ut dictum eſt, nec reſurrectionem Chriſti credendo, hoc ipſo juſtificamur; ſed quia hinc fit, ut Chriſto confidamus: qui in eum finem & mortuus eſt, & revixit, ut ipſi, & per ipſum Deo confidere poſſemus. Hinc Paulus, *ſi credimus*, inquit, *quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit, ita & Deus eos qui obdormierint per Jeſum, adducet cum eo* 1 Theſ. 4. 14. Per Jeſum igitur obdormire ideo non recuſamus, quia ex ipſius reſurrectione nos quoque, ſi id fecerimus, reſurrecturos eſſe, firmam ſpem concipimus. Atqui per Jeſum obdormire, nihil eſt aliud, quam, Jeſu præceptis obediendo, hanc vitam finire; quæ illa in Jeſu confidentia noſtra eſt. Idem Paulus Euangelium, per quod ſalvamur, ait 1 Cor 15. 1 &c. eſſe, quod Chriſtus qui pro peccatis noſtris mortuus & ſepultus fuerat, reſurrexerit; non quia hoc ipſum vere ſit Euangelium illud, cui fidem habendo, ſalvemur (alioqui quomodo Chriſtus, qui nondum reſurrexerat, nec, ſe reſurrecturum, populo inculcabat, dicere potuiſſet, *Pœnitentiam agite, & credite Euangelio* Marc. 1. 15) Sed quia, per Chriſti ex mortuis reſurrectionem, Euangelio credimus; id eſt, nos, ſi ex ipſius præſcripto vitam correxerimus, remiſſionem delictorum noſtrorum, hoc eſt, à perpetua morte liberationem à Deo conſecuturos confidimus, & vitam æternam adepturos. Eadem ratione ea credere, quæ nobis Chriſtus annunciavit, non illa ipſa fides, quæ nos juſtificat: ſed ipſius quaſi parens & cauſſa eſt. Non ſolum enim Deus nos ad reſipiſcentiam per Chriſtum invitavit; ſed reſipiſcentibus omnium delictorum in perpetuum veniam eſt pollicitus. Nec ſolum, ut ex Chriſti præſcripto vitam inſtitueremus, præcepit; ſed ejus præceptis obtemperantibus vitæ beatiſſimæ & in omne ævum duraturæ præmium conſtituit. Novit Deus imbecillitatem noſtram: & ampliſſimis promiſſis eam fulcire voluit, quibus niſi fidem habeamus, nunquam ipſi Deo, & ſi maxime deberemus, ex animo obediemus: numquam vere confidemus. Qui autem illis fidem habet, quia, ut diximus, eorum ingenti deſiderio omnes tenemur, ut obediat atque confidat, neceſſe eſt Et propterea qui Chriſto ſive ejus verbis credit, juſtificatus eſſe dicitur. In quo veſtri homines reprehendendi ſunt, qui dicunt ſatis non eſſe, ſi quis ea omnia vera eſſe credat, quæ Chriſtus dixit, & pollicitus eſt; niſi etiam ad ſeipſum ea pertinere ſibi perſuadeat. Quaſi Chriſti verba ad omnes æque non pertineant: & neceſſe non ſit, ut ſi quis, eum vera locutum fuiſſe ſibi perſuadeat, ei ex animo confidat; cum nemo prorſus ab æternæ beatitatis ſpe, ſi ipſi obedierit, ab eo excluſus fuerit. At dæmones (ajunt) credunt, & jam ſciunt, Chriſtum vera dixiſſe; nec tamen ſalui fiunt; nimirum quia ad ſe ejus promiſſa pertinere non credunt. Non recte dictum eſt, Dæmones, quamvis Chriſtum vera dixiſſe, & credant & ſciant, non ſalvi fiunt tamen: non quidem quia Chriſti promiſſa ad ſe pertinere non credant: ſed quia ad ipſos ea promiſſa non pertinent. Nihil enim dæmonibus promiſit Chriſtus. Itaque, ſi fieri poſſet, ut ejus promiſſa ad ſe pertinere, vel maxime ſibi perſuaderent, in condemnatione nihilominus remanerent. Satis non eſſet, Chriſtum vera dixiſſe credere, ſi eam fidem præceptorum Chriſti obedientia neceſſario non conſequeretur. Quemadmodum unum Deum eſſe credere, ad ſalutem ſatis non eſt; quia ea fides ſine mandatorum Dei conſervatione conſiſtere poteſt; ita ut poſſit quis eam fidem habere, & tamen, ut inquit Jacobus Jac. 2. 19. dæmonibus nihilo præſtantior eſſe. Sed nemo hominum poteſt Chriſti verba vera eſſe credere, quin illi obediat. Ob eamque rem nemo ex hominibus, qui eam fidem habeat, dæmonibus comparari poteſt; quibus, quantumvis ea fide præditis, ut Chriſto obediant, non datur. Satis eſt igitur, Chriſti verba vera eſſe credere; non quidem per ſe; ſed propter obedientiam, quæ inde omnino conſequitur. Quemadmodum ſatis eſt credere, Jeſum eſſe Chriſtum, ſeu filium illum Dei, ut Johannes Apoſtolus non uno in loco teſtatur Joh. 20. 31. 1 Joh. 5 1 & 5. & Petri, Matth. 16. 16, atque Eunuchi confeſſio Act. 8. 37, & alia multa abunde confirmant; non quidem per ſe; ſed quia nemo id vere credere poteſt, quin Chriſto Jeſu obediat. Ex quibus veriſſimum id eſſe liquet, quod jam dudum contendimus, Chriſti fidem, quæ per ſe, quod ad ea attinet, quæ in nobis ſunt, nos juſtificat, ſeu, ut rectius loquar, qua ipſa per ſe Deus nos juſtificat, confidentiam in ipſo Chriſto eſſe, id eſt, cum firma ſpe ea conſequendi, quæ ipſe ſibi obedientibus promiſit, Chriſti præceptorum obedientia.

Hinc factum eſt (quod complures alii ante me obſervarunt) ut apud Apoſtolos & Euangeliſtas fides, & obedientia ſæpe invicem commutentur, & idem valere deprehendatur; non quia fides pro fidelitate, & conſtanti debiti muneris perfunctione, tunc ab ipſis uſurpetur: & multo minus, quia hæc præcipua in ſacris litteris ejus vocabuli notio ſit, ut quidam præſtantiſſimi viri ſunt arbitrati; Sed quia, ut diximus, idem eſt, alicui aliquid ſibi obtemperantibus promittenti confidere, quod, illi ſub ſpe eorum, quæ promiſit, obtemperare. Nec vero, ut ab hac ſententia diſcedamus, ne leviter quidem ſuaſere poteſt id, quod inſignes aliqui theologi adverſus eam attulerunt, dicentes, fidem in Chriſtum, qua juſtificamur, obedientiam mandatorum ejus declarare non poſſe, quia ea fides, qua juſtificamur, ubique operibus opponatur. Opera enim, quibus ea fides opponitur, non quælibet opera ſunt, nec quocumque modo accepta & conſiderata. Sed, ut ſupra alibi attigimus, ea opera abſolutam & perpetuam per totum vitæ curriculum legis divinæ conſervationem, & executionem ſignificant; & tamquam ſua vi hominem juſtum coram Deo conſtituentia conſiderantur. Cum igitur pud Paulum ſcriptum legimus, Fide ſine operibus, ſeu Non operibus, ſed fide, nos juſtificari, non intelligendum eſt, omnia opera à juſtificatione nobis concilianda excludi, ſed neminem, ipſorum operum propria vi, juſtum coram Deo conſtitui. Ut enim id fiat, neceſſe eſt, divinam legem abſolutiſſime per totam vitam conſervare: quod nemo facit. Et idcirco Paulus in 3. cap. Epiſt. ad Rom. oſtendere conatur, non minus Judæos, quam gentes, peccaſſe; ut inde neceſſario colligat, non ex ipſis operibus, ſed ex Dei benignitate ipſos quoque veram juſtitiam petere debere. Nec aliam ob cauſſam ea opera plerumque ab Apoſtolo Opera Legis dicta fuere, quam, ut de operibus à Lege requiſitis, & ſic de perpetua & perfectiſſima divinorum præceptorum obedientia, ſe loqui, aperte indicaret: & ea ab operibus illis, quæ non tamquam in Moſis lege nobis præſcripta, ſed ut à Chriſto nobis injuncta, facere debemus, manifeſte diſtingueret ac ſepararet; non autem, ut non pauci exiſtimarunt, quia de cerimonialibus (quæ vocant) tantum Legis præceptis loqueretur. Operum autem nomine apud Paulum, ubi opera fidei opponit, non quæcumque opera, nec quocumque modo accepta ſignificari, planiſſimum facit initium cap. 4. ejuſdem Epiſt ad Rom. Ubi ei, qui operatur, mercedem ſecundum debitum dari aſſerit, eum vero, qui per fidem in Deum juſtificatur, non operari dicit. Niſi enim Operari eo in loco perpetuam & perfectiſſimam Dei præceptorum conſervationem intelligas, falſiſſima affirmantem Apoſtolum facies; cum neque ulli merces ex debito tribuatur, qui vel ſemel, & quidem leviſſime, à ſibi præſcripta norma aberraverit: nec is, qui in Deum credit, & ea fide juſtificatur, bonis operibus penitus ſit deſtitutus: immo plus, quam cæteri, dum in eo ſtatu eſt, ipſis abundet. Itaque, ſicut idem iſte in ſeipſo & juſtus eſt, & non juſtus (Non juſtus eſt, ſi ad divinam præſcriptam normam facta, & cogitationes

ipſius

ipſius exacte expendantur, quare ſi juſtus coram Deo eſſe velit, ut ei juſtitia imputetur, neceſſe eſt, id eſt, ut pro juſto divina benignitate habeatur. Juſtus vero eſt, ſi ex communi & æquitati maxime conſentanea quadam ratione judicetur, & cum cæteris comparetur; unde etiam factum eſt, ut juſtus, quia juſtitiam faciat, in divinis oraculis appelletur 1 Joh. 3. 7) ita idem ipſe & operari, & non operari dici jure poteſt. Non operatur, quia non ea omnia abſolutiſſime vel executus eſt, vel exequitur, quæ ipſi in divina lege præſcripta fuerant: Operatur autem, quia non modo vere multa bona opera facit; ſed in univerſum vitam ſuam ex Dei voluntate inſtituit, moreſque componit. Ex quo etiam apparet, non quocumque modo opera in ea ad Rom. 4. cap. diſputatione, apud Paulum accipi debere: ſed tantummodo quatenus per ſe, Dei miſericordia ſecluſa, hominem juſtificare poſſunt. Si quis enim perfecte Dei legem ſervaret, quod ille, ut dictum eſt, ſimpliciter Operari appellat, iſti, ut juſtus coram ipſo Deo eſſet, ejus miſericordia opus non foret. Quandoquidem, ut idem ait, ejuſmodi homini merces non ex gratia, ſed ex debito tribuitur.

Fides ergo in Chriſtum, qua juſtificamur, quamvis obedientiam, quam ſpe futuri boni, quod is nobis daturus ſit, Deo præſtamus, & complectatur & ſignificet, atque idcirco opus omnino declaret; operibus tamen propterea merito opponitur, quia nec perpetuam & abſolutiſſimam præceptorum Dei conſervationem ipſa per ſe continet, nec propria vi juſtificat: ſed propter Dei clementiam; qui ejuſmodi opus facientibus, quod ob eam rem Dei opus à Chriſto appellatum fuit Joh. 6. 29, juſtitiam, quantumvis antea injuſtis, imputare dignatus eſt; & ipſos pro juſtis coram ſe habere, pro incomparabili ſua benignitate voluit.

Mirum eſt autem, theologos veſtros omnino velle, propterea quod, Chriſtum, morte ſua, peccata noſtra deleviſſe, credamus, nos juſtos coram Deo conſtitui: & interim, ut id obedientiâ, quam ex Chriſti præſcripto Deo præſtemus, fieri poſſit, dicere penitus horrere. Quaſi vero major dignitas in iſta fide, quam in hac obedientia reperiatur. An non dicunt ipſi, fidem iſtam, non quidem propria dignitate, ſed quia ipſum Chriſtum apprehendat, juſtificare? Cur igitur hæc quoque obedientia, non quidem propria dignitate, ſed quia Dei miſericordiam apprehendat, juſtificare non poterit? præſertim cum iſta veſtra Chriſti apprehenſio (ut ex iis, quæ à nobis ſupra diſputata ſunt, liquere poteſt) merum humanum commentum, & inaniſſimum ſomnium ſit: miſericordiæ vero divinæ apprehenſio & omnibus divinis oraculis ſit conſentanea, & ſolidiſſimum juſtitiæ noſtræ fundamentum, & cauſſa cenſeri debeat. Adde quod etiamſi Chriſtus, eo ſenſu, quo vos loquimini, apprehendi poſſet; non tamen, ut viſum fuit, iſta veſtra fide ullo modo umquam apprehenderetur. At Dei miſericordia, obedientiâ ipſi ex Chriſti præſcripto præſtitâ apprehendi rectiſſime poteſt, ſi, ſe eam præſtantibus miſericordem reipſa futurum, Deus promiſerit; ut certe promiſit. Neque vero magis perfecta in homine ea fides eſſe poteſt, quam hæc obedientia. Cumque vos eam fidem, licet revera imperfectam, Deo placere contendatis, adeo ut qui ea præditus fuerit, pro juſto ab ipſo habeatur; hanc quoque obedientiam, licet revera imperfectam, eodem modo Deo placere poſſe, negare non poteſtis.

Satis, quid fides in Chriſtum ſit, qua juſtificamur, explicatum videtur. Ad quam explicationem confirmandam, innumerabilia prope divinarum litterarum teſtimonia proferri poſſent. Sed legant tantummodo, qui de ea dubitant, Euangelium Johannis, ubi ſæpiſſime ejus fidei fit mentio; & videbunt. niſi prætracte quis veritati reluctari velit, fateri omnino oportere, nihil aliud eſſe, in Chriſtum credere, quam, Chriſto confidere, Chriſto adhærere, ejuſque doctrinam, ut cæleſtem & ſalutarem, ex animo amplecti. Quamquam interdum minus proprie ii quoque in Chriſtum credere ſunt dicti, qui ejus doctrinam veram eſſe aliquo modo agnoverunt; quamvis ipſam ex animo amplexi non fuerint. Ut de iis ſcriptum eſt Joh. 12. 42, qui cum in ipſum crediſſent, eum tamen propter Judæorum metum palam confiteri non ſunt auſi; parum revera ipſius verbis attendentes, qui dixerat: *Quemcumque puderit mei, & ſermonum meorum in generatione hac adultera, & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, cum venerit in gloria patris ſui cum angelis ſanctis*, Marc. 8. 38. Sed inter cætera, quæ apud Johannem Euangeliſtam ſunt teſtimonia, quid fides in Chriſtum ſit, explicantia, illud conſid erandum propono, quod ad finem cap. 12 habetur. Ubi Chriſtus ipſe ſic loquitur: *Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ſi quis audierit verba mea, & non crediderit; ego non judico eum. Non enim veni, ut judicem mundum: ſed ut ſervem mundum. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die. Quia ego ex meipſo non ſum locutus. Sed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et ſcio, quia mandatum ejus vita æterna eſt.* Ex his enim verbis valde perſpicuum eſt, In Chriſtum credere, idem eſſe atque, ejus doctrinam amplecti: ut pote ab ipſo Deo nobis datam, & in qua vita æterna conſiſtit.

Per hanc noſtram fidei in Chriſtum, qua juſtificamur, explicationem, non modo illa jamdiu agitata quæſtio de fidei, & operum juſtificatione ſoluta videtur, & Paulus cum Jacobo conciliatus; verum etiam univerſa ſacra ſcriptura mirifice illuſtrata; adeo ut quidquid in ea, quod huc pertineat, ſcriptum eſt, ab unoquoque facillime intelligi queat. Per eam nobis Dei verus cultus, & ipſa ſalus noſtra, quam veſtrorum magiſtrorum præceptiones quodammodo eripuerant, reſtituitur, & hanc & illum non vana quadam juſtitiæ jam comparatæ, & per Chriſtum nobis partæ perſuaſione, ſed, ut tota ſcriptura & teſtatur & clamat, divinæ voluntatis obedientia contineri apparet. Cumque hæc Chriſti fidei explicatio poſtremum illud eſſet, quod in examinatione tertiæ tuæ enunciationis, & porro verborum tuorum hactenus deſcriptorum nobis faciendum propoſueramus; ad ea, quæ pro ſententiæ tuæ ultima parte confirmanda ſcripſiſti, excutienda accedamus.

CAPUT XII.

Ordine propoſito Adverſarii dicta refellendi, quomodo fides in Chriſtum donum Dei ſit, breviter explicatur & confirmatur. Inde cauſſa exponitur, cur ex iis, quibus Chriſtus annunciatur, quidam credant, quidam vero non credant.

SIc igitur poſtremo ais. *Quemadmodum autem ex dono & gratia Dei habemus, quod nobis fides pro juſtitia imputetur. Sic ex eadem Dei gratia eodemque dono veriſſimum eſt nos habere fidem ipſam, qua quæcumque Chriſtus paſſus eſt, ea pro noſtra ſalute, ut verum noſtrum & unicum mediatorem ac ſervatorem perpeſſum fuiſſe credimus. Idque eſt quod diſertis verbis confirmat Apoſtolus ad Epheſios 2. cum ſcribit Gratia Dei nos eſſe ſervatos per fidem, nec id ex nobis, quia ſit donum Dei. Et cum fides non ſit omnium 2 Theſſ. 3. facile eſt concludere eorum tantum eſſe, quorum cordibus ſpiritu ſuo Deus illam infundit, quod & manifeſtiſſimum eſt ex 13 Act. Ubi non dicuntur credidiſſe qui cumque Paulum Chriſtum annunciantem audierant, ſed ex auditoribus credidiſſe quotquot ordinati erant ad vitam æternam.*

Reſponſio.

Non ſatis vobis eſt, quo imprudentes totam ſalutis noſtræ rationem pervertatis, & vos ipſos, quique vobis credunt, æternæ morti mancipetis, ea comminiſci, ac di-

ac dicere; per quæ, ut vidimus, ad ſalutem conſequendam (velitis nolitis) non neceſſe eſſe concluditur, ut ſancte & juſte vivamus; niſi etiam, nihil eorum, quæ ad noſtram ſalutem pertinent, in noſtra poteſtate poſitum eſſe aſſeveretis: atque hac ratione homines ab omni recte vivendi, propriamque ſalutem operandi, conatu penitus avocetis. Tametſi autem hæc veſtra, quam hoc loco attingis, ſententia de Dei deſtinatione, deque humanis viribus in rebus ad ſalutem pertinentibus, & perniciosiſſima eſt, & non ita paſſim ubique, ut ſuperior illa de Jeſu Chriſti ſatiſfactione, cujus cauſſa diſputationem noſtram inſtituimus, recepta & approbata, unde ad eam refellendam multo liberior mihi aditus pateret; Quia tamen argumentum iſtud, ut veritas veſtris commentis & Sacrarum Litterarum interpretationibus apud pleroſque hac noſtra ætate obſcurata in lucem quodammodo proferretur, juſtum volumen requireret; non parum fuerit hoc loco, ubi ea de re non controverſamur, ea confutare, quæ à te ad ipſam confirmandam obiter fuerunt allata. Primum igitur, quomodo fides Dei donum ſit (quod, cum à me negatum non fuiſſet, te probare opus non erat) explicabo. Deinde, unde fiat, ut ex iis, quibus Dei verbum, & Chriſtus annunciatur, quidam credant, quidam vero minime, paucis aperiam. Poſtremo ad ea Divinarum Litterarum teſtimonia, quibus tu ſententiam hac in re tuam à me longe diverſam comprabare niteris, reſpondebo; &, alium prorſus eorum locorum ſenſum eſſe, quam tu opinatus fueris, Deo juvante, demonſtrabo.

Fides (nempe in Chriſtum) Dei donum eſt, quia nemo, cui facultas in Chriſtum credendi datur (datur autem generatim omnibus, quibus annunciatur Chriſtus) ut ea facultas ſibi daretur, commeritus antea fuerat; non autem, quia, quicunque in Chriſtum credit, id ex ſingulari Spiritus Sancti dono habuerit, quo caruerint illi, qui non credunt: adeo ut, quemadmodum in poteſtate eorum, qui non credunt, poſitum non fuerit, ut crederent, ſic in poteſtate eorum, qui credunt, poſitum non fuerit, ut non crederent. Sic enim tu ſine dubio, ut ipſa verba tua ſatis oſtendunt, fidem in Chriſtum Dei donum eſſe, interpretaris. Vereris namque, ſi dicatur, & eos, qui credunt, potuiſſe non credere, & eos, qui non credunt, potuiſſe credere, ne fides Dei donum eſſe negetur. Quaſi vero, ſi ego alicui, cui nihil prorſus debeam, ex animi liberalite aliquid dem, donum id appellari nequeat, quia nimirum poteſt is, ſi velit, non accipere. Ut igitur aliquid donum ſit, & dicatur, nihil præterea requiritur, niſi, ut à ſola dantis liberalitate proficiſcatur. Hinc fit, ut unum & idem merito & donum, & præmium, ſive merces appelletur; ut de vita æterna legimus. Quamvis enim nemo vitam æternam conſecuturus ſit, qui Chriſto non obedierit, & propterea merces ſit Chriſtianæ obedientiæ conſtituta; quia tamen quod ii, qui Chriſto obediunt, vitam æternam conſequantur, hoc à ſola Dei liberalitate profectum eſt, qui eos quoque qui Chriſto confidunt, non minus, quam cæteros, jure perdere poterat: Dei donum vita æterna merito nuncupatur. Quod ſi factum aliquod egregium, quale eſt, Chriſtiana obedientia, quod in eo, qui accepturus ſit, requiratur, quin id, quod datur, donum ſit, efficere per ſe non poteſt, quanto minus id efficiet, ejuſdem cui datur, voluntaria tantum & libera acceptio? Fidem autem in Chriſtum non ita Dei donum eſſe, ut ſingulari & interiore quadam irtute divina, cui reſiſti non poſſit, in hominum cordibus inſcribatur: ſed potiſſimum per externa quædam iis etiam, qui non credunt, communia, in ipſis generari: ea, quæ in ſuperioribus diſputationibus à nobis dicta ſunt, ſatis planum facere poſſunt. Quid enim attinebat tot, tantaque ut ipſi confideremus, Chriſtum dicere, facere, pati, & adipiſci, ſi non his rebus externis maxime & præcipue ea fides in nobis gigneretur, ſed interiore quadam vi, quæ paucis concedatur (pauci ſiquidem ſunt, qui Chriſto confidant) & pleriſque ex illis ipſis, quibus divino conſilio ea omnia, quæ Chriſtus pro ſalute noſtra dixit, fecit, paſſus, & adeptus eſt, narrantur, & confirmantur, atque ea ratione, ut in Chriſtum credant, ſerio ipſius Dei nomine monentur, penitus denegetur? Certe, ſi, quid fides in Chriſtum ſit, recte percipiatur, nemo erit unquam, qui, eam Dei donum eſſe, eo modo, quo vos feciſtis, interpretetur, niſi, Chriſtum ſine ulla cauſſa mortuum fuiſſe, affirmare velit. Taceo multa & abſurda & iniqua & impia, quæ ex ſententia veſtra fluere neceſſe eſt; quidquid tandem, fidem in Chriſtum eſſe, dicamus. Hoc enim nec præſentis inſtituti eſt, & alio loco, Deo volente, à nobis aliquando demonſtrabitur. Quod autem ad præſentem diſputationem pertinet: ſatis eſt oſtendiſſe, quomodo, & cur fides in Chriſtum ita Dei donum ſit, ut liberam credentis acceptionem non excludat: & nihil penitus divinæ liberalitati propter accipiendi, & non accipiendi pleniſſimam facultatem detrahi, ratione, atque exemplo docuiſſe. Eſt igitur fides in Chriſtum Dei donum, quia, ut ab initio diximus, ii, quibus, per Euangelii, ſcilicet, prædicationem, ea fides offertur, per quam ſervari poſſunt, tantum beneficium prorſus commeriti non fuerant; non autem quia eorum ipſorum, quibus Euangelium prædicatur, uni parti detur, ut & poſſint credere, & credant, alteri non detur.

At dices, ſi ita res ſe habet, unde eſt, quod ex iis, quibus Chriſtus annunciatur, pars credunt, pars vero minime? Nam, ſi omnes credendi poteſtatem habent, & ea fides ſalutem æternam conciliat, qui fieri poteſt, ut aliquis credere nolit? num reperiri poteſt, qui ſalutem æternam ſciens prudens aſpernetur? Facillimum eſt ad hæc reſpondere. Primum enim nihil magis expreſſum eſt in Sacris Litteris, quam, cauſſam, cur multi ex iis, quibus Chriſtus annunciatur, non credant, ipſorum malitiam eſſe, ut mox videbimus. Deinde nolle aliquid credere, quod tamen veriſſimum ſit, non eſt veritati agnitæ aſſentiri nolle, ſed nolle animum inducere, ut id verum ſit. Itaque, qui Euangelio, quamvis nihil non veriſſimum in eo affirmetur, non credunt, ſine quo prævio credendi actu, in ipſum Chriſtum credi non poteſt, ii nolunt animum inducere, ut ea vera ſint, quæ Euangelio continentur, &, licet reipſa æternam ſalutem aſpernentur; id tamen ſcientes prudentes non faciunt, ſed ignorantes & imprudentes; quamvis ejus ignorantiæ & imprudentiæ ipſorum malitia cauſſa ſit, & origo: non ſecus, atque animi probitas fidei cauſſa & origo eſt, quam Euangelio alii adjungunt. *Qui ex Deo eſt*, inquit Chriſtus Judæis, *verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis* Joh. 8. 47. Atqui Eſſe ex Deo (quod tamen non pauci ſunt arbitrati) non eſt, à Deo certo ac nominatim ad ſalutem participandam, electum eſſe: ſed animi probitate eſſe præditum. Sicut Ex diabolo eſſe, quod paullo ante iiſdem Judæis Chriſtus exprobaverat, non eſt, à diabolo perditioni deſtinatum certo ac nominatim fuiſſe: ſed, animi malitia præditum eſſe. Nam qua ratione potuiſſet Chriſtus Judæis exprobrare, quod ex Deo non eſſent, ſi ea in re nulla ipſorum propria culpa fuiſſet? Ex probitate porro hominis fieri, ut Euangelio fides adhibeatur, manifeſtius adhuc oſtendit idem Chriſtus, cum ait, *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar*, Joh. 7. 16. Voluntas igitur id faciendi, quod Deus fieri vult, quæ vera animi probitas eſt, veritatem doctrinæ Chriſti & Euangelii ei, qui ea voluntate eſt præditus, patefacit. Qua veritate cognita, ſtatim, ut ſupra diſſeruimus, ipſa quoque confidentia neceſſario conſequitur. Rurſus ex hominis malitia fieri, ut Euangelium rejiciatur, quemadmodum ex probitate fit, ut recipiatur, apertiſſime docet idem Chriſtus, inquiens, *Hoc eſt autem judicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Erant enim eorum opera mala. Omnis enim, qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta*, Joh. 3.

Joh. 3. 19. Ex quibus Chriſti verbis non ſolum hominis probitatem, & malitiam, hanc rejectionis, illam receptionis Euangelii cauſſam eſſe conſtat, verum etiam ejus rei ratio manifeſtiſſime apparet. Quam rationem quia à vetere eodemque nobiliſſimo ſcriptore alicubi rectiſſime explicatam invenimus, & multo elegantius & copioſius expoſitam, quam a me fieri poſſet; ipſius verba omnia, quæ ibi hac de re facit, hic deſcribenda cenſui.

Sic igitur ſcribit Lactantius lib. 7. divinarum inſtitutionum (in quo de divino præmio nominatim agit) cap. 1. *Interim neceſſarium puto admonere lectores, quod hæc noſtra, quæ tradimus, pravæ vitioſæque mentes aut omnino non intelligent (hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ ſenſus omnes gravant, imbecilleſque reddunt) aut, etiamſi intelligent, diſſimulabunt tamen, & hæc vera eſſe nolent, quia trahuntur à vitiis, & ſcientes malis ſuis favent, quorum ſuavitate capiuntur, & virtutis viam deſerunt, cujus acerbitate offenduntur. Nam qui avaritiæ, & opum in explebili quadam ſiti flagrant, quia non poſſunt, venditis, aut dilargitis, quæ amant, tenui cultu vitam degere, ſine dubio malunt id eſſe fictum, quo deſideriis ſuis renunciare coguntur. Item qui libidinum ſtimulis incitati (ut ait poëta) in furias, ignemque ruunt, utique incredibilia nos afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos à voluptatibus ſuis prohibent, quibus animam ſuam cum corpore adjudicaverunt. Qui vero ambitione inſtati, aut amore potentiæ inflammati, omne ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi ſolem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos jubet, omni potentia, & honore contempto, humiles vivere, atque ita humiles, ut & accipere injuriam poſſint, & referre nolint, ſi acceperint. Ii ſunt homines, qui contra veritatem clauſis oculis quoquo modo latrant. Qui autem ſanati erunt, id eſt, non ita vitiis immerſi, ut ſanabiles non ſint, & credent his, & libenter accedent, & quæcumque dicimus, aperta, plana, & ſimplicia & quod maxime opus eſt, vera & impugnabilia illis videbuntur. Nemo virtuti favet, niſi qui ſequi poteſt. Sequi autem, non facile eſt omnibus. Ii poſſunt, quos paupertas, & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam ſi virtus eſt tolerantia malorum, non capiunt ergo virtutem, qui ſemper in bonis fuerunt; quia mala neque experti ſunt, neque ferre poſſunt, aſſuetudine, ac deſiderio bonorum, quæ ſola noverunt. Eo fit, ut pauperes & humiles Deo credant facilius, qui ſunt expediti, quam divites, qui ſunt impedimentis plurimis implicati, immo cathenati, & compediti ſerviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit; nec poſſunt in cælum aſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa eſt. Virtutis autem viâ non capit magna onera portantes. Anguſtus admodum trames eſt, per quem juſtitia hominem deducit in cælum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus, & nudus. Nam iſti locupletes multis & nigentibus ſarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt, quoniam late perditio dominatur. His acerba ſunt, hæ venena, quæ Deus adjuſtitiam præcepit, quæque nos Dei magiſterio de virtute ac veritate diſſerimus. Quibus ſi repugnare audebunt, neceſſe eſt, hoſtes ſe eſſe virtutis, juſtitiæque fateantur.* O vere egregium & immortalitate digniſſimum ſcriptorem! Poterat ne aut verius, aut divinius noſtræ ſalutis, ac fidei ratio, & origo explicari? Puras ne (ut hoc obiter dicam) Lactantium, fidem, qua ſervamur, firmam opinionem eſſe cenſuiſſe, quam animo conceperimus, Chriſti morte omnia peccata noſtra deleta fuiſſe, qui hic manifeſte, ut pleriſque aliis in locis facit, ſalutem noſtram in virtute & juſtitia ponit, & non obſcure divinis promiſſis per Chriſtum nobis factis fidem habere (qua fide, vos ipſi, nos ſervari non negatis) nihil aliud eſſe affirmat, quam credere iis, qui ex Chriſti præſcripto vitam inſtituerint, divinum præmium repoſitum eſſe, & id credendo, Chriſti doctrinam ex animo amplecti, eique obedire? Si Chriſtus vitam æternam ſimpliciter pollicitus eſſet, nec præcepta continentiæ, liberalitatis, humilitatis, & ejuſmodi alia addidiſſet; facile ejus verbis unuſquiſque fidem haberet: præſertim cum multis teſtimoniis confirmatum audiret, ipſum, qui occiſus fuerat, revixiſſe, & in cælum aſcendiſſe, ibique regnantem ſuprema poteſtate præditum eſſe. Nam, ut alibi dictum eſt, quæ percupimus, ea etiam facile credimus. Nunc vero, quando nemini vitam æternam Chriſtus promiſit, niſi vitam emendaverit, & omnibus hujus mundi cupiditatibus, valere juſſis caſte, ſobrie, juſte, ac temperanter vixerit; quia ab his præceptis plerique abhorrent, pauci ſunt, qui ejus verbis fidem habeant, & ea, quæ de ipſius reſurrectione, gloria, & poteſtate narrantur (quæ, ſi credere itur, veritatis eorum, quæ dixit, indubitatam fidem facerent) fabulas arte compoſitas eſſe, non ſuſpicentur. Non mirum igitur alicui videri debet, ſi ii, qui Chriſto non credunt, & Dei Euangelio non obediunt, graviſſime punientur, Johan. 3. 36. 2 Theſſ. 1. 8. 1 Pet. 4. 17. adeo ut ne Sodomæ quidem punitio eorum punitioni æqualis futura ſit, Matth. 10. 14, & 15. Culpa enim ipſorum maxima, nempe propter eorum animi malitiam id fit. Quæ culpa profecto nulla eſſet, ſi nemo ex iis, quibus Chriſti Euangelium prædicatur, credere poſſet, niſi ſingulariter illius cordi divina quadam vi ea fides infunderetur, idque iis tantum, qui credunt, contingeret. Et propterea non modo graviſſime puniri, ſed paullo durius, quam cæteri, quibus Chriſtus annunciatus non fuerit, haberi eo nomine, quod Chriſtum amplexus non fuiſſet, nemo ſine ſumma injuſtitia, & iniquitate poſſet. Eſt autem in ſalute æterna nobis per Chriſti fidem conferenda admirabile Dei conſilium animadvertendum; qui tam eximium obedientiæ noſtræ præmium nec nobis antea ignotum, nec certiſſimum eſſe voluit. Nam, ſi ignotum antea fuiſſet, nemo fortaſſis Chriſto paruiſſet; ita humanæ vires ab ejus præceptis ſuperari videntur: ita ejus crux per ſe gravis & amara eſt. Sed immortalitatis propoſitum præmium cuncta & levia, & facilia factu reddit. Sin autem certiſſimum fuiſſet: nemo adeo improbus eſt, quin, omnibus relictis, Chriſto adhæſiſſet. Improbis enim ipſis mala opera non per ſe placent: ſed quia ex malis operibus aliquod bonum ſperant. Quod ſi, malis operibus relictis, multo majora bona ſe conſecuturos eſſe pro comperto haberent; non virtutis quidem amore ulla ex parte, ſed certiſſima ſpe ingentis præmii, & vitam emendarent, & Chriſti dicto audientes eſſent. Ut igitur proborum, & improborum diſcrimen exiſteret, & uni ab alteris internoſcerentur; vitæ æternæ incomparabile præmium ita Chriſto fidem habentibus propoſuit Deus, ut ejus, quam dedit, notitia probis ſatis fit, & ea ratione ipſorum probitatis exercendæ, ac patefaciendæ ſit locus: improbis vero non ſit ſatis, & interim eorum improbitatem prodat, ac palam traducat. Ita ut maxima cum ipſius gloria in his ſeveritatem ſuam, in illis vero benignitatem exerendi, & ſuam ſimul in utriſque poteſtatem manifeſtiſſimam faciendi, juſtiſſimam cauſſam habiturus ſit. Cæterim ex iis, quæ diximus, conſtare poteſt, eos, qui Chriſto fidem habent, ipſique obediunt, quamvis citra ſpem vitæ immortalis id facturi non eſſent, non tamen idcirco, ut quibuſdam videtur, mercenarios appellari debere. Nam cum merces, præſertim antequam credant, & obedire conſtituant, illis non appareat, eorum probitate, aut ſaltem non deplorata improbitate ſit, ut ejus mercedis, ſi obedierint, conſequendæ, ſpem concipiant: & ita obedire non recuſent. Itaque non merces ſola, ſed ſanatus quoque aut ſanabilis (ut Lactantii verba æmuler) eorum animus ipſorum obedientiæ cauſſa eſt. Quod veriſſimum eſſe comprobant ii, quorum animi ſanabiles, aut ſanati non ſunt. qui, & ſi eandem prorſus, eodemque modo ſibi propoſitam mercedem habent; non tamen obedire volunt: aut certe non obediunt: & ſuam ipſorum felicitatem imprudentes negligere pergunt.

CAPUT XIII.

Reſpondetur ad teſtimonia, quæ Adverſarius pro ſua ſententia, quomodo fides in Chriſtum ſit Dei donum, protulit. Cujus rei occaſione, de divina ad vitam æternam præ deſtinatione, deque humanis in fide Euangelio adhibenda viribus, nonnihil diſputatur.

VIdimus, quomodo Chriſti fides Dei donum ſit, & unde fiat, ut ex iis, quibus Chriſti Euangelium annunciatur, quidam credant, quidam vero minime; atque rem multo aliter ſe habere, quam vos exiſtimetis, breviter quidem, ſed, ni fallor, perſpicue demonſtravimus. Nunc, quod reſtat, ad ea divina teſtimonia reſpondebimus, quæ pro ſententia veſtra confirmanda à te prolata fuerunt. Quamquam ad iſta reſponſio, iis, quæ diximus, bene perpenſis, per ſe ipſa jam apparere poteſt, & unicuique in promptu eſſe.

Jam vero ſic habent primi teſtimonii verba in Epiſtola ad Epheſ. cap. 2. 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei donum* [*eſt*:] *non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Duplicem Dei gratiam, ſeu duplex Dei donum in ſalute nobis per Chriſtum parta hoc loco explicat Paulus. Unum eſt, quod omnia delicta noſtra nobis liberaliſſime à Deo condonata fuerunt, dummodo in ipſum per Chriſtum credamus. Alterum eſt, quod ipſummet Deo per Chriſtum confidere, ex ipſius Dei liberalitate, nobis obtigit; qui hanc fidem in nobis, annunciato nobis Euangelio, effecit. Neque enim aliquid feceramus nos, propter quod nobis hoc concedi deberet, quod non omnibus conceſſum videmus. Et idcirco ait Apoſtolus, *Non ex operibus*, explicans quodammodo id, quod ante dixerat, *non ex vobis*. Nec enim ea verba, *non ex operibus*, ut à multis fit, conjungi debent cum remotioribus illis, *Gratia enim ſalvati eſtis per fidem*, tanquam ſi proximiora illa, *Et hoc non ex vobis; Dei donum* [*eſt*] per parentheſim dicta fuiſſent. Namque id facere nihil cogit. Quod ſi tamen fieri deberet, non opponerentur hoc loco opera fidei, ſed gratiæ, ut in loco illo, *Si autem gratia, jam non ex operibus*, Rom. 11. 6. & ea gratia id quoque compleéteretur, ut fides non merito operum aliquorum, quæ feciſſemus, ſed Dei benignitate nobis concederetur. Ac ſi Paulus dixiſſet, Gratia ſervati eſtis per fidem. Adeo autem verum eſt, vos gratia ſervatos eſſe, ut ipſa quoque fides, quæ, ita Deo benigniſſime ſtatuente, juſtos vos coram ipſo reddit, non vobis aſcribi debeat, ſed Deo, qui eam in vobis per Euangelii prædicationem genuit. Gratia, inquam, non autem ex operibus, ſervati eſtis. Nihil enim antea feceratis, propter quod vel vobis tantam ſalutem decerni, vel vobis potius, quam aliis, annunciari, meriti fuiſſetis. Nemo igitur, tanquam ſi ei vel ſimpliciter, vel comparate, id eſt, magis, quam aliis, hæc ſalus deberetur, gloriari poteſt. Siquidem Deus is fuit, qui, pro ſua benignitate, nullis noſtris operibus ad hoc impulſus, per Chriſtum Jeſum, ejuſque Euangelii prædicationem, nos ſpirituali ratione creavit, &, ut in ea ſanctitate & novitate vitæ ambularemus, quam ipſe nobis præſcripſit, ſimiliter effecit. Ex quibus poſtremis Apoſtoli verbis ſatis præterea patet, quid reipſa ſit ea fides, per quam ſervamur, quam Dei donum eſſe dicit. Nempe in bonis operibus, quæ nobis Deus per Chriſtum præſcripſit, ambulare. Explicat enim ſine dubio, quomodo gratia Dei per fidem ſervati ſimus. Eſt autem hic locus valde ſimilis, immo fere idem cum illo ad Tit. cap. 3. 5 *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ſalvos nos fecit*, &c Ubi & ex verbo illo præteriti temporis Fecimus, & ex antecedentibus verbis illis, *Eramus enim aliquando & nos inſipientes*, &c. perſpicuum eſt, Apoſtolum de operibus loqui, quæ Jeſu Chriſti patefactionem, & annunciationem antegreſſa fuerint. Cui loco affinis eſt ille 2. ad Tim. 1. 8. *Qui nos ſervavit, & vocavit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum, & gratiam.*

Satis jam apparere exiſtimo, quo ſenſu Paulus eo loco, quem tu citaſti, fidem Dei donum eſſe dixerit. Quod etiam ſcripſit in epiſt. ad Philip. ad finem primi capitis, inquiens, à Deo proficiſci, quod adverſarios & infeſtos aliquos habeant. Ipſis enim donatum eſſe non modo, ut in Chriſtum credant, ſed etiam, ut pro ipſo patiantur. Qui locus, quomodo fides Dei donum ſit, aperte explicat. Non enim aliter ex Dei dono Philippenſes habuiſſe, ut in Chriſtum crederent, quam, ut pro ipſo paterentur, ex verbis Pauli aperte colligitur. Verum, quod ad perpeſſiones pro Chriſto attinet, non id voluit dicere Apoſtolus, quod Philippenſes jam libenti ac forti animo, ut Chriſti nomen illuſtraretur, paterentur (hoc ſiquidem eſt pro Chriſto pati. Præpoſitio enim Pro, ut ſæpius dictum eſt, ſemper finalem cauſſam notat) id à Deo proficiſci. Immo, ut ex præcedentibus verbis manifeſtum eſt, ut id facerent, eos monere voluit, ac dicere, Quod propter Chriſtum affligerentur, & ita pro Chriſti nomine pati poſſent, id non ex Dei voluntate tantum, ſed ex liberalitate quoque agnoſci debere. Monet igitur, ne afflictionibus ab inſtituto deterreantur: ſed ea ex re multo magis perſiſtendi argumentum habeant: ut pote qui inde ſe Deo chariſſimos eſſe perſpicere poſſint; qui, quos maxime amat, eos ut pro Chriſto patiantur, ejus nominis occaſione illis calamitates immittendo, dignos facit. Nam & Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti eſſent pro nomine Jeſu contumeliam pati, Act. 5. 41. Quod certe non ſignificat, ipſos gaviſos fuiſſe de conſtantia ſibi in contumelia illa perferenda à Deo conceſſa: ſed de ipſa contumelia, quam, Jeſu nominis occaſione, acceperant: unde ſibi pro Jeſu nomine, id eſt, pro Jeſu gloria illuſtranda pati facultas data foret. Id autem, quod Paulus Philippenſes monet, ſtatim ſui ipſius exemplo confirmat? quem, videlicet, ſciebant, propter Chriſti nomen, multa ab adverſariis conſtanter jam perpeſſum fuiſſe, & adhuc perpeti audiebant; quemadmodum ex extremis ejuſdem cap. verbis patet. Atque hæc eadem monitio, tanquam ad nos in mediis perſecutionibus conſolandos & roborandos neceſſaria, ubique in novi fœderis ſcriptis extat, præſertim vero in Petri priore epiſtola. Quemadmodum igitur Paulus ideo dixit, Philippenſibus donatum à Deo eſſe, ut pro Chriſto paterentur, quia, ut pati poſſent, donaverat illis Deus; ſic, ut in Chriſtum crederent, donatum illis à Deo fuiſſe idcirco dicit, quia, ut in Chriſtum credere poſſent, Deus illis donaverat.

Sequitur locus ille 2 Theſ. 3. in ipſo cap. initio: *De cætero fratres orate pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos, & ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium eſt fides. Fidelis autem Dominus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.* Ego ſane ſatis mirari nequeo, te, neſcio quos alios imitatum, ad ſententiam veſtram confirmandam, hoc Pauli teſtimonium protuliſſe; cum nemo negare poſſit, hæc verba, Non omnium eſt fides, idem poſſe ſignificare (& quidem uſitatiſſima ſignificatione) atque, Non omnes credunt; ut plerique præſtantiſſimi viri ea hoc loco expoſuerunt. Ex quo fit, ut, etiamſi ita exponi poſſint, ac ſi dictum fuiſſet, Non omnibus datum eſt, ut credant, quemadmodum vos exponitis; nihil tamen ſolidi in eis, ad vos adjuvandos, reperiatur. Sed multo magis id mirum videri debet, cum ex ipſis verbis, quæ antecedunt, & quæ conſequuntur, aliorum interpretatio aperte confirmetur, veſtra vero penitus convellatur. Cum enim Paulus reipſa dicat, ſe cupere, ut liberetur ab importunis & malis hominibus, & rationem reddens, cur id dixerit, ſtatim ſubjungat, *Non enim omnium eſt fides*; quis non fidet, ex antitheſis vi manifeſta, eum nihil aliud velle dicere, quam non omnes eſſe bonos & benignos, & quales fides homines & arguit, & efficit; & ita non de credendi facultate, ſed de ipſo credendi actu eum loqui?

Quis

Quis non animadvertit, ex ipſius verbis neceſſario quodammodo conſequi, eos omnes, quorum non eſt fides, importunos & malos eſſe, & eorum importunitatis ac malitiæ aut cauſſam, aut effectum eſſe, quod ipſorum non ſit fides? Atqui ii, quibus, ut vobis placet, datum non eſt, ut credant, non omnes mali & importuni ſunt. Alioquin omnes homines, antequam credant, malos & importunos eſſe oporteret. Non enim, ut ipſi affirmatis, illi ab initio ſunt pejores cæteris, quibus datum eſt, ut credant. Paulum vero non de malitia & importunitate, quæ in omnibus hominibus naturaliter ſit, ſed de inſigni quadam & propriâ culpa comparata verba facere, apertius eſt, quam ut probari neceſſe ſit. Jam in nullo homine malitiæ ejuſmodi & importunitatis, quæ naturalis non ſit, vel cauſſa, vel effectus eſſe poteſt, quod ei, ea ratione, qua vos vultis, datum non ſit, ut credat. Effectus eſſe non poteſt, quia, ex ipſa diſciplina veſtra, Deus nullam aliam ob cauſſam, quæ nobis conſtare poſſit, multis credendi facultatem denegat, niſi quia ita ſibi videtur; vel ſaltem non ideo denegat, quod mali & importuni magis, quam cæteri ſint. Cauſſa ſimiliter eſſe non poteſt. Alioqui Deus multorum hominum malitiæ & importunitatis cujuſdam cauſſa foret.

Vide in quas difficultates ſe conjicere neceſſe ſit, ſi de credendi facultate Paulum locutum fuiſſe velimus. At, ſi de ipſo actu credendi, nimirum qui, ex hominis parte, ab ipſius voluntate proficiſcatur, eum loqui dicamus; omnia plana ſunt. Veriſſimum enim eſt, omnes, qui non credunt, & ideo non credunt, quia nolunt, malos & importunos eſſe: &, quod non credant, cum cauſſam tum effectum eſſe malitiæ, & importunitatis eorum. Effectus omnino eſt, quia, ut jam demonſtratum fuit, propterea homines non credunt, quod mali & importuni ſunt. Cauſſa vero eſt quia dum veritatem divinam negligunt, eive obſiſtunt, augetur indies malitia, & importunitas eorum, cum ipſa per ſe, tum vero quia Deus veritatem Euangelicam aut ſpernentes aut oppugnantes in reprobum ſenſum tandem tradit; & tantum ſcelus multis aliis ſceleribus juſtiſſime vindicare conſuevit. Adde iis, quæ dicta ſunt, Paulum, ut conjici poteſt, quin & veriſimillimum eſt, de falſis Chriſtianis quoque hic agere voluiſſe: à quibus non minus, quam ab apertis Chriſti inimicis ſe liberari cuperet, cum, tametſi complures, ſe in Chriſtum credere, profiterentur: paucos tamen, experientiâ doctus, eſſe ſciret, qui vere crederent. Poſtremo verba, quæ ſtatim conſequuntur, qui ſit Pauli ſenſus aperte docent. Siquidem ea verba, *Fidelis autem Dominus eſt*, &c. evidentiſſimam ſimul & elegantiſſimam præcedentium antitheſim continent; quæ plane periret, ſi Non omnium eſt fides, aliter, quam non omnes credunt, interpretaremur. Nam eadem prorſus antitheſi utitur quoque 2 ad Tim. 2. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.*

Reliquus eſt locus ille Act. 13. 48. ubi ad hunc modum Lucas ſcriptum reliquit. *Audientes autem gentes gaviſæ ſunt; & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Quoniam vero hoc Lucæ teſtimonium celeberrimum apud vos eſt, &, inſolubile pro ſententia veſtra argumentum continere creditur, ac non paucos eorum, qui vobis adverſati ſunt, non leviter aut torſit, aut ſaltem exercuit; idcirco paullo diligentius ipſum examinabimus. Et primum, nulla ratione fieri poſſe, ut ipſius ſententia ea ſit, quam vos exiſtimatis, docebimus. Deinde, qui nam ſcriptoris ſenſus fuerit, aperire conabimur.

Ex hoc igitur loco vos omnino intelligi debere contenditis, ex iis, quibus Euangelii prædicationem audire conceditur, aliquos tantummodo nominatim, non autem omnes generatim, ab æterno à Deo vitæ æternæ deſtinatos eſſe; quibus, ſcilicet, ſolis datum ſit, ut credere poſſint (alioqui, cum nemo non credat, quin æternam vitam adipiſcatur; ſi omnes credere poſſent: omnes quoque vitam æternam poſſent conſequi; & ita falſum eſſet, aliquos tantummodo nominatim ab æterno vitæ æternæ à Deo deſtinatos fuiſſe) & idcirco Lucam diſerte dicere, credidiſſe quotquot ordinati erant ad vitam æternam.

Jam vero, aut volumus, Lucam, cum hæc ſcribit, id affirmare, quod quilibet ſpiritu Dei præditus affirmare potuiſſet, aut aliquid præterea aſſerere, quod ſingulariter à Deo ſibi patefactum eſſet. Si Lucas id affirmavit, quod quilibet ſpiritu Dei præditus affirmare potuiſſet; certe ejus verborum ſententia non ea eſſe poteſt, quam vos putatis. Qui enim ſine ſingulari ipſius Dei patefactione ſcire potuit Lucas, omnes, qui ab æterno à Deo vitæ æternæ deſtinati erant, ex gentibus, quæ Antiochiæ Piſidiæ, Pauli & Barnabæ prædicationem à Judæis ad ſe primum tranſlatam audierunt, credidiſſe? Quamvis enim, ſi vera eſt divina deſtinatio illa Adverſariorum, poſſit quilibet jure affirmare, neminem ex iis, qui Dei verbum audiunt, credere, niſi eos, qui æternæ vitæ nominatim ab æterno deſtinati fuerint; non tamen omnes, qui audierint, & deſtinati fuerint, jam credidiſſe, affirmare, antequam moriantur, ullo modo quiſquam poteſt: niſi id ſibi ſingulariter patefactum fuerit. Poteſt enim fieri, ut quis vitæ æternæ omnino deſtinatus ſit: nec tamen ſtatim, Euangelii voce audita, credat: immo, antequam credat, ſæpius Dei verbum audiat, & ſero tandem ei fidem adhibeat. Nam quis veſtrum (rogo vos) ſi alicui populo Euangelium prædicatum fuiſſe noverit, auſit affirmare, omnes ex eo populo, qui æternæ vitæ deſtinati erant, jam credidiſſe? An non vos ipſi fatemini, dum in hac vita ſumus, reprobos, quos vocatis, à prædeſtinatis non internoſci; At certe internoſcerentur, & quidem ex iis, quos Dei verbum audiviſſe ſcimus, bona pars, ſi nemo prædeſtinatus eſt, qui, Euangelio audito, ſtatim non credat.

Sin autem (ut quidem, ſi interpretationem veſtram ſuſtineri poſſe, velitis, neceſſe eſt) Lucæ à Deo ſingulariter patefactum fuiſſe dicatis, prædeſtinatos omnes ex gentibus, quæ Antiochiæ Piſidiæ Euangelii prædicationem ab initio audierunt, credidiſſe; videte, obſecro, in quæ abſurda incidatis. Primum id contigiſſe dicetis, quod numquam ut arbitror, contingit; ex univerſo ſcilicet aliquo populo, cui prædicatum fuerit Euangelium, omnes, qui ſervabuntur, ab ipſo prædicationis initio, Euangelio credidiſſe. Deinde, ut ita contigerit, id Lucæ patefeciſſe Deum, affirmabitis, cujus cognitionem ſibi ſoli reſervare, & ne angelis quidem ipſis eum impartiri, dicere ſoletis; quodque cur patefecerit, nulla cauſſa excogitari poteſt: immo, eum patefeciſſe, ab omni prorſus veriſimilitudine abeſt, præſertim ne ipſe Lucas, ſi occaſio ſe obtuliſſet, à charitate adverſus Antiochenos illos, qui jam non tum credidiſſent, utpote reprobos, exercenda ulla ex parte retraheretur. Poſtremo, etiamſi, Lucæ à Deo id ſingulariter patefactum fuiſſe, abſurdum non cenſeretur; id tamen ipſum Lucam cæteris patefeciſſe, aſſeretis, cujus notitia nihil penitus poteſt prodeſſe, ſed multum obeſſe, quodque fidem ægre invenire, at vanitatis, atque arrogantiæ dicentem ſuſpectum facillime reddere poteſt. Nam quæ utilitas vel illis, qui tunc temporis erant, vel iis, qui poſtea fuerunt, ex eo provenire potuit, quod ſcirent, omnes ex gentibus, qui ſervari poterant, Euangelii prædicatione Antiochiæ in Piſidia ab initio audita, credidiſſe, & ita cæteros, qui tunc non crediderunt, ſervari non potuiſſe? Certe, cum omnia tecum animo reputaveris; nil niſi magnum aliquod malum inde proficiſci potuiſſe confiteberis: & potiſſimum id, quod de ipſo Luca modo dicebamus, charitatis ſcilicet remiſſionem ac propemodum extinctionem in iis, qui tunc vivebant, erga illos, quos non credidiſſe conſtaret. Quæ enim paullo ardentior charitas aut eſſe, aut exerceri poteſt erga illum quem à Deo reprobatum, & ſempiternæ morti irrevocabili decreto deſtinatum eſſe ſcias? Ipſi vos, ideo, dum in hoc ſæculo ſumus, nobis, quinam ſint reprobi, quive prædeſtinati, ignorum eſſe, Deum voluiſſe dicitis, ne charitas in nobis aliqua ex parte aut frigeret, aut interiret: ſed, eam erga omnes vividam & ardentem unuſ-

quiſque retineremus: præſertim vero, quantum in nobis eſſet, omnium ſalutem curaremus, & promoveremus. Id quod nullo pacto fieri poteſt, ubi jam certum eſt, ſalutis, ob Dei æternam reprobationem, nullam ſpem eſſe. Num adverſus hoc Dei conſilium Lucam commiſiſſe, &, quod ad Antiochenum illum populum attinebat, tantum arcanum, ſibi ſingulari ipſius Dei benignitate patefactum, cunctis temere propalaſſe dicemus? Nec ſaltem addidiſſe, cur ſibi à Deo, ut id aliis proderet, ac litteris mandaret, patefactum fuiſſet? ne alioquin, id affirmans, quod vel ita ſe habere, vel ipſi notum fuiſſe, credendum non eſt, cæteris, quæ ſcribebat, apud cordatos lectores, fidem adimeret, aut certe magna ex parte minueret, & ita nec auctoritati ſalutaris hiſtoriæ, quam condebat, nec ſui ipſius exiſtimationi ſatis conſuleret.

Itaque certiſſimum eſſe debet, aliam prorſus eſſe verborum Lucæ ſententiam, quam vos opinati ſitis. Qui ſine dubio, dum parum conſiderate (liceat mihi vera loqui) omnia, quæ ad veſtram illam Dei prædeſtinationem ſtabiliendam pertinere prima facie videntur, arripitis, & mordicus retinetis: quamvis, ſi veſtra ejus loci interpretatio vera eſt, id fieri nullo modo poſſit; id ſcripſiſſe tamen Lucam putaſtis, quod unuſquiſque ſpiritu Dei præditus, immo quicumque vobiſcum in ea opinione conſentiat, ſcribere auſus fuiſſet. Ut igitur telum iſtud è manibus vobis excutiatur, & ſententiam veſtram hoc Lucæ teſtimonio nihil prorſus juvari conſtet, ea ſatis videri debent, quæ hactenus dicta ſunt. Neque enim neceſſe eſt ejus verum ſenſum manifeſtum facere; dummodo eum eſſe non poſſe, quem vos credidiſtis, ob eamque rem, nihil vos ab ipſo poſſe adjuvari, planum fiat. Ut tamen veritas clarius innoteſcat, & tibi, ac cæteris, qui umquam hanc meam reſpontionem lecturi ſunt, plene ſatisfaciam; quid Lucas vere ſenſerit, aut ſaltem ſentire potuerit, oſtendemus.

Dico igitur primum in illis verbis, *Et crediderunt, quotquot ordinati erant ad vitam æternam*, hypallagen quandam vel metatheſin ſive partium orationis permutationem, vel tranſpoſitionem eſſe poſſe, & ſenſum eundem eſſe, ac ſi dictum fuiſſet, *Et quotquot crediderunt, ordinati erant, ad vitam æternam.* Similis fortaſſe ſermonis figura eſt apud Johannem in Apoc. 13. 8. *Et adorabunt eam* (beſtiam) *omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni*, &c. Quamvis enim aut ſynecdoche aut hyperbole in his verbis eſſe poſſit, illi præcedenti ſimilis, *Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem*; durior tamen tanto hæc, quam illa eſſet, quanto plus complectitur, omnes inhabitantes terram, quam, Omnis tribus & populus, & lingua, & gens, & quanto plus eſt, adorari, quam, poteſtatem ſibi datam eſſe. Quare cum certum eſſe videatur, non omnes, qui in Agni libro non ſunt ſcripti, beſtiam illam adoraſſe, aut adoraturos eſſe, non aliud ſenſiſſe Johannem dici poteſt, quam omnes, quicumque, ex inhabitantibus terram, Beſtiam adoraturi eſſent, non ex illis futuros, qui in libro Agni ſcripti eſſent. Idem dico de verbis illis apud eundem Johannen, in eodem libro, cap. 17. 8. *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi, videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.* Quamvis enim alibi idem ſcripſerit, *Et admirata eſt univerſa terra*, cap. videlicet 13. 3. nihil tamen aliud hic dicere voluiſſe videtur, quam, quicumque mirabuntur, eorum nomina in libro vitæ ſcripta non eſſe. Hi autem loquendi modi ideo uſurpantur, ut brevitati ſimul, & concinnitati cuidam orationis conſulatur. Nam, ſi explicite ac conſueta ratione integra ſententia ſcriberetur, & pluribus verbis, & verborum non admodum venuſta repetitione utendum eſſet. In priore enim illo Apocalypſis exemplo ita dicendum fuiſſet: *Et adorabunt eam inhabitantes terram. Omnium autem, qui adorabunt eam, nomina non ſunt ſcripta*, &c. Sic in loco noſtro, ſi explicite integram ſententiam ſcribere Lucas voluiſſet, dicendum illi erat: *Et crediderunt. Quotquot autem crediderunt, ordinati erant ad vitam æternam.* Quamquam fateor, de illis Apocalypſis locis, an ita accipi debeant, ut nos diximus non immerito dubitari poſſe; etiamſi nos eam, quam diximus, ipſorum ſententiam eſſe, ferme perſuaſum habeamus, & aliis quoque facile perſuaderi poſſe credamus. Quod ſi cui tamen hæc noſtra verborum Lucæ interpretatio dura videbitur; non propterea de ipſius loci ſententia aſſequenda eſt deſperandum: ſed an, citra ullam ſermonis figuram, commode explicari poſſit, inquirendum.

Quod antequam à nobis fiat, cur Lucas, quotquot credidiſſent, ordinatos jam ad vitam æternam fuiſſe, dicere potuerit, eſt exponendum. Inſulſe enim dictum cuipiam id videri poſſet, ſi non aliqui tantum nominatim, ſed generatim omnes, quibus Euangelium annunciatur, ordinati eſſent ad vitam æternam, ut nos aſſerimus; immo, niſi inter eos ipſos, qui credunt, aliqui eſſe poſſent, qui ordinati non ſint ad vitam æternam; quod nemo ſanæ mentis dixerit. Animadvertendum eſt, Lucam de gentibus loqui, quibus tunc primum publice, rejectis Judæis, Euangelium annunciari contigerat; idque non ex ſingulari & expreſſa Dei monitione, ut Cornelio Centurioni ejuſque familiæ evenerat Act. 10. quibus privatim, cum nondum Judæi rejici cœpiſſent, Euangelium annunciatum fuerat: ſed ex Pauli, & Barnabæ, quantum apparebat, conſilio. Nemo autem eſt, qui neſciat, gentes ante illud tempus prorſus incapaces regni Dei, in ipſius Dei populo, habitas fuiſſe; adeo ut nec illis annunciari, præſertim Judæis relictis, Euangelium debuiſſe: nec, ſi annunciaretur, crediturus eſſe: nec, ſi crederent, id illis ad ſalutem profuturum, exiſtimaretur. Id quod etiam ex verbis Petri Act. 15. colligi poteſt; qui, & ex Dei mandato ſe gentibus Euangelium annunciaſſe, & eas credidiſſe, &, quia credidiſſent, ſpiritu ſancto à Deo donatas fuiſſe, ac non minus, quam Judæos credentes, in verum Dei populum cooptatas eſſe, tamquam aliquid, quod prius incredibile videretur, cæteris Apoſtolis, & ſenioribus Hieroſolymæ narratis, in memoriam revocat. Quocirca haud immerito Lucas expreſſe ait, iſtos Antiochenos, quibus Paulus, & Barnabas Euangelium prædicaverant, non ſolum credidiſſe, ſed, quotquot crediderant, ordinatos jam fuiſſe ad vitam æternam. Non quia vel ii tantum, qui credidiſſent, ad vitam æternam ordinati fuiſſent, vel non ſemper omnes, qui credunt, ad eam ſint ordinati; ſed, ut in initio publicæ annunciationis Euangelii, Judæis etiam poſthabitis, gentibus conceſſæ, nullum, dummodo crederent, inter ipſas, & Judæos credentes diſcrimen amplius extitiſſe apertiſſime doceret, & id, quod Paulus, & Barnabas fecerant, ex Dei voluntate, atque decreto factum fuiſſe, luculenter teſtaretur.

Hæc autem Lucæ mens, alioqui etiam probaliſſima, mirifice hunc locum illuſtrat, &, veſtra interpretatione relicta, alium quærendum ejus ſenſum oſtendit. Nam, ſi nolimus, in Lucæ verbis figuratum, quem diximus, loquendi modum agnoſcere; eorum planiſſimus ſenſus eſſe poterit, neminem ex ethnicis illis Antiochenis fuiſſe, qui animo eſſet probo, & à juſtitia ac pietate non alieno, qui, Pauli, & Barnabæ prædicatione illa audita, Euangelio non crediderit. Neque enim ait, eos qui ordinati fuiſſent à Deo, ſed ſimpliciter, eos qui ordinati eſſent ad vitam æternam, credidiſſe. Ordinatus autem ad vitam æternam is dicitur, qui animum nec improbum, nec à juſtitia & pietate alienum gerit; ut ex iis liquere poteſt, quæ ſupra de cauſſis credendi, & non credendi diſputavimus. Eſt autem in Lucæ verbis pulcherrima & elegantiſſima antitheſis, eorum reſpectu, quæ Paulum: & Barnabam Judæis dixiſſe, antea narraverat. Dixerant enim illi Judæis, qui, blaſphemantes, Paulo ipſi contradicebant, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos ipſos judicatis æterna vita; ecce convertimur ad gentes.* Sicut igitur Judæi, qui non credebant, vita æterna ſeipſos indignos judicare, ab illis

Apo

Apoſtolis dicuntur: non quod ſic ipſi prudentes judicarent, neque propter ipſorum animum: ſed propter eventum, qui ipſorum culpâ accidebat: Imprudentes enim ſeipſos vita æterna ob ſuam ipſorum malitiam indignos conſtituebant. Ita, eos ex gentibus, qui crediderant, jam ad vitam æternam ordinatos fuiſſe, dicit Lucas: non quia id, illis prudentibus, factum fuiſſet, neque propter ipſorum animum: ſed propter eventum, cujus cauſſa, magna ex parte, in ipſis reſidebat. Imprudentes enim, ob ſuam ipſorum probitatem ad vitam æternam ordinati fuerant, id eſt, ad eam capeſſendam idonei redditi ac præparati. Hoc autem cum ea, quam paullo ante expoſuimus Lucæ mente aptiſſime congruit. Sic enim Lucas, quemadmodum etiam in ſuperiore noſtra interpretatione dictum eſt, Pauli, & Barnabæ prædicationem illam, Deo volente, ipſorumque opus & probante & adjuvante, factam eſſe, confirmat; nihilque in eorum prædicatione defuiſſe oſtendit, quod ad gentes fidei donandas neceſſarium eſſet; nec ullum in gentibus impedimentum ad credendum, quia gentes eſſent, non magis, quam in Judæis, quia eſſent Judæi, amplius fuiſſe dicet. Neminem enim ex illis fuiſſe, qui non crediderit? dummodo ad vitam æternam ordinatus eſſet, id eſt, propria malitia ad credendum, & porro ad vitam æternam capeſſendam ineptus & imparatus non eſſet. In quo aſſerendo nihil dicit, quod unuſquiſque, ſpiritu Dei præditus dicere non poſſet; nec aliquod magnum & ſibi ſingulariter patefactum divinum arcanum, quod ſilentio involuere præſtaret, aut propalat, aut non obſcure jactat. Sed ea dicit, quæ partim per ſe veriſſima eſſe conſtat: partim cæteris A poſtolorum, & Euangeliſtarum ſcriptis mirifice conſentiunt, & indies magis eventu comprobata ſunt. Verbi porro paſſivi τάσσομαι, quo hoc loco utitur Lucas, eam naturam eſſe, ut, ſi non addatur perſona agens, non abſolute modo accipi poſſit, ſed etiam ita, ut eadem ſit perſona agens, & patiens, ſciunt ii, qui Græce norunt. Quocirca illud ἦσαν τεταγμένοι, Erant ordinati, non incommode ita etiam intelligi poteſt, ac ſi ſcriptum eſſet ὑφ' ἑαυτῶν, ἦσαν τεταγμένοι, A ſeipſis erant ordinati.

Quid quod concedi poſſet, omnino ſubaudiri debere ὑπὸ Θεοῦ A Deo, nec tamen id huic noſtræ interpretationi quidquam officeret? A Deo enim aliquid fieri dicitur, quod Dei voluntati conſentaneum eſt. Et idcirco omnia, quæ juſte ſunt facta, Deo tribuuntur. Quæ enim juſte facta ſunt, Dei voluntati ſunt maxime conſentanea. Hinc illa apud Hebræos phraſis, quæ etiam in alias linguas derivata eſt, Deum tangere cor alicujus, cum ſignificare volunt, aliquem Dei timentem eſſe, & ea facere, quæ Deus probat. Ut habes 1 Sam. 10. 26. de iis, qui Sauli recens à Deo regi conſtituto adhæſerunt; quorum cor Deum tetigiſſe, Scriptura dicit, atque eis filios Belial, id eſt, impios ac perverſos opponit. Ut enim ſupra de locutionibus illis Eſſe ex Deo, Eſſe ex diabolo, diximus; ſic hoc loco notandum eſt, quod, quemadmodum impii ac perverſi homines non ideo filii Belial appellantur, quia Belial, id eſt diabolus eos vi ſua neceſſario tales efficiat: ſed quia ipſi ea faciunt, quæ diabolo ſummopere placent; ſic eorum, qui Deum timent, non ideo Deus cor tetigiſſe dicitur, quia eos Deus vi ſua neceſſario tales effecerit, ſed quia ipſi ea faciunt, quæ Deus maxime probat. Auctor certe annotationum in magnis bibliis Rob. Steph. ea 1 Sam. 10. 26 ſupra ſcripti loci verba, *quorum tetigerat Deus cor*, ad hunc modum explicat, *Aliquorum, qui timebant Dominum.* Itaque apparet, Tangi cor à Deo nihil aliud eſſe, quam Deum timere: & ita Deum auctorem dici eorum, quæ ejus voluntati ſunt conſentanea. Id autem ob eam ſimul cauſſam factum eſſe non negamus, quod ſicut diabolus continenter homines ad improbitatem, & injuſtitiam inſtigat, & propterea hominum impietatis auctor non injuriâ dicitur, quamvis homo propria voluntate & culpa impius fiat, & poſſit, ſi velit, diabolo inſtiganti non auſcultare; Ita Deus perpetuo hominum non plane deploratorum corda ad probitatem & juſtitiam incitat & movet, unde merito hominum pietatis auctor eſſe dicitur: quamvis homo nonnihil & ipſe propria voluntate ea in re agat: & poſſit, ſi velit, Deo ipſius cor incitanti & moventi non conſentire. Quo autem plus Deum ad probitatem in hominis corde generandam conferre, quam diabolum ad improbitatem, ex ſacris litteris conſtiterit, eo magis verum erit, ſi diabolus improbitatis auctor dicitur, Deum probitatis auctorem dici poſſe; etiamſi, quemadmodum diabolus neceſſitatem male agendi nemini affert, quia non poteſt: ſic Deus bene agendi neceſſitatem nulli imponat, quia non velit.

Potuit igitur Lucas rectiſſime dicere, eos omnes credidiſſe, qui ordinati erant à Deo ad vitam æternam, quamvis veriſſimum ſit, eos, qui crediderunt, potuiſſe non credere, qui autem non crediderunt, potuiſſe credere. Is enim proprie ordinatus ad vitam æternam dicitur, qui ad eam capeſſendam jam idoneus & paratus eſt; id eſt, non ſolum capere poteſt, ſi velit, & velle poteſt: ſed futuræ voluntatis cauſſas neceſſarias, & quaſi ſemina, ſi ei Euangelium, per quod vita æterna confertur, annunciatum fuerit, jam in ſeipſo habet, id eſt, probitatem & animum à pietate non alienum. Has autem res Deus facere dicitur, & ſic, ad vitam æternam ordinare, non modo quia res ſunt ejus voluntati maxime conſentaneæ, verum etiam quia ipſe earum rerum in homine tamquam prima efficiens cauſſa, citra tamen ullam neceſſitatem, auctor, eſt: quibus ſi careat homo, credere Euangelio non poteſt. Et idcirco dixit Chriſtus, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui me miſit, traxerit eum* Joh. 6. 44. Niſi, cum id agitur, ut in Chriſtum credamus, jam Deus nos traxerit, id eſt, non voluerit tantum, ſed reipſa in nobis probitatem &, per eam, Euangelicæ prædicationis aſſenſionem aliquam ingeneraverit (illud enim, velle trahere, hoc, ipſum trahere eſt) fieri non poteſt, ut ex animo credamus. Propterea, quaſi ſeipſum explicans, ſtatim fere ſubjungit Chriſtus, *Omnis ergo qui audivit à Patre, & di dicit, venit ad me.* Non ſatis eſt audiviſſe, ſed didiciſſe etiam oportet. Non ſatis eſt à Deo, qui etiam citra Chriſtum, ſed per Chriſtum potiſſimum, in omnibus hominibus generatim id præſtat, ad animi probitatem, & juſtitiam eaque ratione ad aſſenſum Euangelicæ prædicationi præbendum, incitatum eſſe: Sed Deo incitanti obtemperare, aut ſaltem non reluctari opus eſt. Alioqui numquam ad Chriſtum ibimus; id eſt, numquam Chriſto plane confidemus. *Nemo* (inquit idem Chriſtus prædictam ſententiam aliis verbis repetens) *venire poteſt ad me, niſi ei fuerit datum ex patre meo*, Joh. 6. 65. Ex patre meo, inquam, non autem A patre meo, ut habent pleræque Latinæ verſiones. Nam in Græco eſt ἐκ τοῦ πατρός μου ut ſcilicet locutionem poſſis agnoſcere ſimilem illius, *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, &c. & non de Dei conſilio, ſed de eventu, qui ſecundum Deum ſit, agi intelligas, id eſt, ab animi probitate (quippe quod illa caruerit) illi, qui ad Chriſtum non venit, datum non fuiſſe, ut veniret. Quæ nimirum probitas ſecundum Deum eſt. Quin etiam A patre meo dicere potuiſſet; nec tamen de Dei conſilio potiſſimum, ſed de eventu loqui. Neque enim proprie dare is dicitur, qui maxime dare vult, niſi ſit, qui accipiat; ſed, qui reipſa dat, hoc eſt, accipientem invenit. Quo ſenſu de ipſo Deo dictum eſt à Paulo, *Si quando Deus det illis pœnitentiam, ad agnoſcendum veritatem*, &c. 2 Tim. 2. 26. & à Moſe, *Neque dedit Jehova vobis cor intelligens, neque oculos videntes, neque aures audientes, uſque in hanc diem* Deut. 29. 4. Ibi enim manifeſte Moſes populo non Dei conſilium aperit, quod, ut contumaces & ſtupidi eſſent, fuerit: ſed ipſis potius adverſus Dei voluntatem ſuam ipſorum contumaciam & ſtupiditatem exprobrat. Ordinati igitur ad vitam æternam à Deo illi fuiſſe dicuntur, qui credunt, non item ii, qui non credunt: non quia unis plus, quam alteris dare voluerit, aut hi magis, quam illi, ut crederent, decreverit: ſed quia, reipſa his dedit, quod illi accipere noluerunt; & reipſa hos ad credendum

idoneos reddidit, quod in illis, ipſorum culpa, factum non eſt.

Quamobrem neſcio, quid tibi in mentem venerit, cum ſcripſiſti, non dictum fuiſſe eo in Actis Apoſtolorum loco, credidiſſe, quicumque Paulum Chriſtum annunciantem audierant. Quaſi vero neceſſe ſit, omnes, qui, Euangelii prædicationem audiunt, credere, niſi, ut non credant, jam Deus decreverit, ſive ipſis credendi facultas à Deo data non fuerit: nec ulla alia cauſſa non credendi inveniri poſſit, quam omnino non poſſe credere; & quaſi denique nemo unquam ſit, qui id non faciat, quod facere aliquo modo poteſt.

Sed fac præterea, Lucam non ſolum dixiſſe, eos omnes credidiſſe, qui ad vitam æternam à Deo ordinati fuerant: ſed etiam, cum hæc diceret, ad Dei conſilium potiſſimum reſpexiſſe; Dico, id jure ab ipſo fieri potuiſſe, quamvis ii quoque, qui non crediderunt, ut crederent Deus decreviſſet. Cum enim, ut diximus, nemo in Chriſtum credere poſſit, dum animum à probitate, & juſtitia alienum gerit; Deus, cui omnia patent, quique cordis, & renium ſcrutator & explorator eſt, qui tales ſunt, ex iis, quibus Euangelium annunciari vult, eos non perinde, atque alios, ad vitam æternam ordinat, id eſt, ut in æternum vivant, decernit. Niſi enim mutentur, non credituros optime novit. Atqui ſine Chriſti fide nemini, cui Euangelium annuncietur, vitam æternam contingere decrevit Deus. Alios vero, propterea quia niſi mutentur credituros plane novit, eos ad vitam æternam ſingulariter deſtinat, & pro ſuis jam agnoſcit. Hinc factum eſt, ut Paulo Corinthi degenti dixerit Dominus, Noli timere, ſed loquere, & ne taceas; propterea quod ego ſum tecum, & nemo adorietur te, ut tibi noceat, quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate. Act. 18. 9, & 10. Populum ſuum vocat Dominus homines probos, & porro qui crediturі erant; quorum cum Corinthi magnus eſſet numerus, monet Paulum, ut libere & audacter Euangelium prædicet. Futurum enim, ne ejus labor inanis ſit. Atque hoc eodem ſenſu dixerat antea idem Dominus Phariſæis, ſe habere alias oves, quæ non eſſent ex illo ovili: quas ſe adducere oporteret, Joh. 10. 16. Verum jam ſatis hac de re dictum eſto. Niſi enim mihi temperem, video paullatim, dum argumentum, quod ex illis Lucæ verbis à te prolatis elici poteſt, penitus diluere, & locum ipſum exacte illuſtrare tento, univerſam divinæ providentiæ, & virium humanarum in ſalutis negotio tractationem ingredi; quæ, ut ante dictum fuit, ſeparatum volumen poſtulat, nec, ut hoc loco à me explicetur, inſtituta diſputatio noſtra requirit. Non parum autem me feciſſe putavero, qui, ut pollicitus fueram, neque hoc neque alia à te prolata teſtimonia ſententiæ hac de re veſtræ ne tantillum quidem ſuffragari, ſatis aperte, ni vehementer fallor, demonſtraverim. Quo facto, & diligenter examinata, & abunde confutata à me fuiſſe ea omnia videntur, quæ in ſcripto tuo vel ad ſententiam meam infirmandam, vel ad tuam ſtabiliendam à te allata fuerant. Quare nihil aliud reſtat, quam, ut tuorum verborum concluſionem videamus.

CAPUT XIV.

Gratiæ aguntur Adverſario pro ipſius benevolentia & humanitate: Excuſatur reſpondendi ad ejus ſcriptum tarditas: Et de cætero quid illi faciendum ſit, oſtenditur. Ea autem hæc eſt.

EX his igitur omnibus ſatis liquet, Chriſtum Ideo vere ſervatorem noſtrum eſſe, quod morte ſua Deo pro nobis peccatoribus plene ſatisfecerit, noſque ex dono Dei credentes ſatisfactionis & juſtitiæ ſuæ prefectiſſimæ gratuita imputatione ſervaverit. Et hæc quidem ex Dei verbo deprompta, tantæ, ut ſpero, apud te auctoritatis erunt, ut poſt hac malis cum ſcriptura credere & ſentire, quam abſque ſcriptura ex tuo ſenſu per devia aberrare. Tu propterea boni conſules, quod hæc inter equitandum meditatus raptim ad te ſcripſerim, cum ut veritati teſtimonium perhiberem, tum etiam, ut quam te in Chriſto unico & abſolutiſſimo noſtro ſervatore optem, hoc meo ſcripto ſignificarem. Quod ſi plura ex me deſiderabis, fuſius ſane de his adjutore Deo tecum diſſetere, ſive ex ſcripto ſive in præſentia, nunquam recuſabo. Bene vale. Dominus ſtudiis tuis benedicat.

Οὐδὲ ἄπρ χραφῆς λέγομεν.

Datum Francoforti ad Mœnum calendis Aprilis anno 1577.

Tuus in Chriſto
J. C.

In hac tua concluſione nihil eſt, ad quod reſpondendum mihi ſit; niſi, ut tibi gratias agam, qui cum crederes, me ſententiam de Chriſto ſervatore noſtro veritati contrariam, & à ſacris litteris abhorrentem ſequi, ac per devia aberrare, me & rationibus & divinorum ſcriptorum teſtimoniis in viam, ut tibi viſum eſt, revocare tentaveris. Et ſane, pro hac non vulgari humanitate tua, & propenſi in me animi ſignificatione, me tibi plurimum debere, & nunc confiteor, & perpetuo agnoſcam. Non pauci enim ex iis, qui tecum ſentiunt, fuiſſent, qui longe aliter, quam tu feceris, mecum egiſſent: &, tanquam peſtilentem hominem, me penitus averſati eſſent. Quare ſi umquam parem tibi gratiam referendi occaſio ſeſe mihi obtulerit, non committam, ut ingrati animi nomine abs te, vel à quovis alio merito accuſari poſſim. Quamquam ſatis parem gratiam me tibi retuliſſe videri poteſt, cum, ut te, qui vere in maximis & perniciоſiſſimis erroribus verſaris, & ſalutis viæ aliis monſtrandæ præpoſitus, ipſe eam non probe tenes, à tanto malo, & periculo liberem; hunc tam copioſe tibi reſpondendi haud profecto exiguum laborem ſuſcipere non recuſaverim. Factum eſt autem mala valetudine, & aliis occupationibus meis, ut reſponſionem hanc, quam ad medium jam perduxeram, integris octo menſibus prorſus intermittere coactus fuerim: reliquo vero tempore ei non niſi diei partem aliquam dare potuerim; præſertim cum librario, quæ jam ſcripſeram, interim deſcribenti, ego ipſe ex autographo meo univerſam dictare neceſſe habuerim; quod nec ipſe librarius, nec alius quiſquam id, quod mea manu ſcriptum erat, ſatis aſſequi poſſet. Ne igitur mireris, ſi ſerius multo, quam fortaſſe putabas, perfectum eſt a me, quod me facturum coram tibi ſpoponderam; ne ve id aut negligentiæ meæ, aut alii minus juſtæ cauſſæ tribuas. Satis cito promiſſum præſtitiſſe mihi videbor, ſi hic meus labor apud te inanis non fuerit. Quod certe ſperare me jubet probitas, & candor animi tui; quibus ſi deſtitutus eſſes, nec validiſſimæ rationes, nec ſacrarum litterarum apertiſſima teſtimonia, quæ ad veritatem patefaciendam hic à me congeſta ſunt, quidquam efficere poſſent. Cur plura de hoc eodem argumento ex te deſiderem, nullam cauſſam eſſe, teipſum agniturum ſpero; ita mihi omnia nota eſſe, eaque jam diu diligentiſſime excuſſa atque perpenſa à me fuiſſe, animadvertere poteris, quæ tuæ opinioni, de qua præcipue diſputamus, aliquo modo favere poſſe videantur. Si tamen, vel ut reſponſionem hanc meam refellas, vel quia de quibuſdam, quæ à me dicta ſint, adhuc dubites, aliquid ad me rurſus ſcripſeris; perinde ut res poſtulare videbitur, ita reſpondebo. Sed & tui ad me ſcribendi, & mei tibi reſpondendi ſine dubio finis erit, ſi veritati, & Dei gloriæ, ſimulque tuæ, & aliorum ſaluti omnia poſthabueris: Deum vero precatus fueris (ut quidem ego ex animo precor) ut, ſi imprudens hactenus, in ipſum, & in ejus filium in Euangelio miniſtrando contumelioſus fuiſti, populique tibi commiſſi dum ſalutem curare credis, damnationem procuraſti, tibi benigne veniam dare, & ſpiritu ſuo mentem tuam perfundere, ac ſui cognitionis luce colluſtrare velit. Vale. Baſileæ 12. Julii 1578.

Tuus in Chriſto F. S.

FINIS DISPUTATIONIS DE JESU CHRISTO SERVATORE.

Juſti-

Juſtificationis Noſtræ per Chriſtum Synopſis ubi potiſſimum de ipſius Chriſti mortis vi, & effectis agitur.

DEus pro ſumma & ſola ſua bonitate olim decrevit omnibus reſipiſcentibus, & in poſterum, mundanis cupiditatibus valere juſſis, ſobrie, juſte, ac pie in præſente ſæculo viventibus, omnia peccata condonare, eoſque poſt hanc mortalem vitam ad immortalem à mortuis excitando tranſferre: ſi modo ab eo vitæ inſtituto ne ipſius quidem mortis terrore teterrimæ licet ac deſtabiliſſimæ demoverentur.

Propterea Jeſum Chriſtum unigenum filium ſuum natum è muliere in mundum miſit, nimirum ut hanc ipſius voluntatem mundo patefaceret.

Hinc factum eſt ut Chriſtus Jeſus non modo tantam Dei bonitatem nobis annunciaverit, ac mirandis infinitis operibus nunquam antea viſis nec auditis confirmaverit, verum etiam ejus annunciandæ occaſione mortem crucis, ipſo Deo mandante, ſubierit, qua nulla execrabilior inveniri poterat, quamque innumerabilia eaque ingentia mala & incommoda ſunt antegreſſa.

Neque hoc ad ſuam nobis voluntatem patefaciendum ſatis Deo viſum fuit, ſed præterea voluit, ut in ipſius Jeſu perſona rem prorſus ſic ſe habere, quemadmodum is nobis patris ſui nomine expoſuerat, videremus. Atque hanc ob cauſſam, eum, quem nobis noſtræ vitæ exemplar propoſuerat, tertio, poſtquam interfectus fuerat, die à mortuis excitavit, ac poſtmodum in cœlum ad immortalem vitam tranſtulit.

Verum neque hoc etiam contentus, ne ullus penitus dubitationi locus relinqueretur, ipſi Jeſu tantam in cœlo & in terra, tanquam obedientiæ ſcilicet uſque ad mortem crucis inſigne præmium, poteſtatem dedit, ut eos, qui viam ab ipſo cum verbis tum ſui ipſius exemplo præmonſtratam ingreſſi, & perſecuti fuerint, in mediis etiam calamitatibus & ipſa morte perpetuo fovere, & confirmare, ac tandem æterna vita donare ipſe poſſet.

Itaque nemo eſt, qui hæc omnia facta fuiſſe aut animadverterit, aut crediderit, qui de prædicta divina voluntate amplius dubitare potuerit, & ita, abnegata impietate, ad Deum ex Jeſu Chriſti præſcripto ſe non converterit, (atque hoc eſt in Chriſtum ſive in Deum per Chriſtum credere) ac proinde peccatorum ſuorum veniam ex Dei decreto non ſit conſecutus.

Cum igitur mors Chriſti & ipſa per ſe veniam peccatorum nobis à Deo peripſum Chriſtum oblatam obſignaverit, ac confirmaverit, & ad reſurrectionem ipſius Chriſti tanquam noſtræ reſurrectionis, qua delictorum noſtrorum venia continetur, certiſſimum pignus nobis exibendum, ſupremamque illam poteſtatem ipſi dandam neceſſaria fuerit; merito ſcriptum eſt, Chriſtum mortuum fuiſſe pro peccatis noſtris, nos ſanguine ſuo à peccatis laviſſe, ſanguinem ſuum in peccatorum noſtrorum remiſſionem effudiſſe, ſeipſum, ut nos ab omni iniquitate redimeret, pro nobis tradidiſſe, ejus ſanguinem, ſi in luce ambulaverimus, nos ab omni peccato expurgare, ipſum animam ſuam, ſive ſeipſum, redemptionis pretium, pro multis, ſive pro omnibus dediſſe, propitiatorium eum à Deo per fidem in ejus ſanguine propoſitum fuiſſe, & alia ejuſmodi: non quia is Deo morte ſua id ſolverit, quod nos propter ſcelera noſtra ejus juſtitiæ debebamus, atque ea ratione Deum nobis conciliaverit, aut quia merito tam inſignis obedientiæ ſuæ iram Dei adverſum nos placaverit. Siquidem neque his rebus quidquam opus erat, neque eæ ullo modo fieri poterant: ſed quia nos, qui à Deo adverſi eramus, ſui ſanguinis fuſione ac morte interveniente, ad Deum, qui jam ultro pacem nobis offerebat, & in ipſo Chriſto quam maxime propitium nobis ſe ea ratione oſtendebat, adduxit, atque ut illi in poſterum confideremus, exque illius præſcripto obediremus, effecit. Quod & fieri poterat, & ſolum faciendum reſtabat; unde nobis reipſa peccatorum venia parta, & ſtabilis ac perpetua cum Deo noſtro reconciliatio conſecuta eſt.

Hinc apparere poteſt (Ut de quibuſdam ex prædictis & ſimilibus ſcripturæ loquendi modis aliquanto apertius agamus) pro nobis mortuum eſſe Chriſtum, non id ſignificare, quod multi fortaſſe crediderunt, eum ſcilicet vice ſeu loco noſtrum mortuum eſſe. Quemadmodum, pro peccatis noſtris Chriſtum mortuum fuiſſe, non ſignificat vice ſeu loco peccatorum noſtrorum eum mortem oppetiiſſe. Id quod etiam abunde ex eo conſtat, quod tantum abeſt, ut Chriſtus moriendo vicem noſtram obierit, ut nos ad ejus exemplum mori parati eſſe debeamus, alioquin ejus regni participes non futuri, ſicut apertiſſime pluribus in locis Sacræ Litteræ teſtantur. Ut igitur, pro peccatis noſtris mortuum eſſe Chriſtum, aliud nihil ſignificat, quam noſtrorum peccatorum cauſſa eum occiſum fuiſſe, ſic, Pro nobis Chriſtum mortuum eſſe, nihil præterea declarat, quam illum propter nos violentam mortem ſubiiſſe.

Cum autem ſcriptum invenimus, ſanguinem Chriſti nos expurgare ab omni peccato, non utique intelligendum eſt, vim quandam occultam Chriſti ſanguini ineſſe, ad expurganda peccata noſtra, ſed eam, quam nos ipſi perſpicue agnoſcere poſſimus. Nam cum Chriſtus per fuſionem ſui ſanguinis & non alia via ad ſuprem m illam poteſtatem pervenerit, apparet ejus ſanguine factum eſſe ut nos à peccatis expurgemur, id eſt, à pœna noſtris peccatis debita liberemur. Siquidem ea ſuprema poteſtate omnes obedientes ſibi ab æterna morte vindicare, & beata immortalitate donare poteſt. Et idcirco ita demum dicitur ejus ſanguis nos ab omni peccato expurgare, ſi in luce ambulaverimus. Chriſtus enim ſanguinem ſuum fundens, id ex Dei patris promiſſo conſecutus eſt, ut non ſolum ſibi beatam immortalitatem pepererit, ſed etiam omnibus ſuis. Hi autem ſine dubio ſunt illi, qui ipſi obediunt, & inluce ambulant. Præterea animadvertendum eſt, hæc verba, expurgare, expiare, emundare, atque his ſimilia, ſæpiſſime in Sacris Litteris, non rem ipſam, ſed rei declarationem, ſignificare. Vide Levit. 12. 7, 8. & cap. 15. 15. & 30. & cap. 16. 30, & quid in his locis annotarit Franciſcus Vatablus homo Hebraicæ linguæ peritiſſimus. Vide inſuper totum cap. 13. & 14. ejuſdem libri, una cum iis quæ ibidem idem Vatablus ad verbum Mundandi ſæpius annotavit. Quocirca rectiſſime atque ex Sacræ Scripturæ more ſcriptum fuiſſet, ſanguinem Chriſti nos expurgare ab omni peccato, etiamſi Chriſti ſanguis aliud nihil efficeret, quam declararet nos ab omni peccato expurgatos eſſe; quod certe efficit. Namque eo Deus, tanquam ſigillo quodam remiſſionem peccatorum nobis ultro oblatam obſignavit, & novum atque æternum fœdus nobiſcum ſanxit. Nimirum enim ſanguine Chriſti interveniente factum eſt, ut ſimul infinitam Dei charitatem erga nos perſpexerimus, ſimul vitam æternam, quæ vera peccatorum noſtrorum expurgatio eſt, nobis partam eſſe agnoverimus.

Jam vero cum legimus Chriſtum ſeipſum ſive animam ſuam redemptionis pretium pro nobis dediſſe, ſciendum eſt, verbum Redimere, præſertim in Sacris Litteris frequentiſſime nihil aliud eſſe, quam liberare (ut Caſtellio ubique fere id verbum reddidit in Novo Teſtamento) nullo vero pretio interveniente. Quod cuilibet Bibliorum concordantias (quas vocant) conſulenti planiſſimum fiet, & tamen Redimendi verbum proprie pretio dato liberare ſignificat, immo, ſi ipſius verbi vim ſpectes, emptionem omnino declarat, quæ ſine pretio fieri nequit. Quare eadem uſitatiſſima ſermonis figura Chriſtus ſive anima ipſius dicitur redemptionis noſtræ pretium, non quia verum pretium ſit, quod cuipiam,

Deo præſertim, pro nobis liberandis ſolutum fuerit, ſed quia id datum eſt à Chriſto, & ab ipſo Deo, ut nos à peccatis id eſt peccatorum pœna liberaremur. Hoc eſt, Chriſtus Dei juſſu ſeipſum ſive animam ſuam impendit atque inſumpſit, ut hac ratione ad immortalitatem perductus nos quoque eodem ſecum traheret, atque perduceret.

Mitto autem, quod & expurgare noſtra peccata, & nos à peccatis noſtris redimere dicitur Chriſti ſanguis, quia ut nos à peccando ceſſemus efficit. Quod profecto longe aliud eſt, quam pœnas noſtris peccatis debitas eo perſolutas fuiſſe, nec cum ea re quicquam commune habet. De hoc autem Chriſti ſanguinis ſeu mortis effectu teſtimonia habes 1 Pet. 1. 18, & 19. & cap. 2. 24, 25. Heb. 9. 14. Gal. 1. 4. ad Tit. 2. 14. Eph. 5. 25, 26, 27. & multis aliis in locis.

Quoniam vero, præter ea quæ ſupra commemorata ſunt, ſcriptum eſt, Chriſtum ſeſe obtuliſſe pro peccatis noſtris, ſciendum eſt, hoc per ſimilitudinem legalium ſacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, dictum eſſe, maxime vero illius anniverſarii ſacrificii, quo peragendo ſummus ſacerdos in ſancta ſanctorum ingrediebatur. Ut ex ipſa epiſtola ad Hebr. ubi de Chriſti oblatione expiatoria, ex profeſſo & copioſe agitur, aperte conſtat. Quemadmodum igitur, ſacrificiis illis peractis, populus a reatu paccatorum, pro quibus victimæ illæ offerebantur, liberabatur, non quia vis aliqua in ipſis ineſſet pro peccatis ſatiſfaciendi, ſed quia talis, qualem diximus, ex Dei voluntate effectus inde manabat: ſic Chriſti ſacro miniſterii peracto, nos, qui Chriſti ſumus, id eſt qui illi confidimus & obedimus, à reatu omnium peccatorum liberamur, non quia in iis, quæ in ipſius Chriſti perſona facta ſunt, vis aliqua inſit pro noſtris peccatis ſatiſfaciendi, ſed quia, cum Deus decreviſſet, ſi Chriſtus ſibi obediens fuiſſet uſque ad mortem crucis, non ſolum ipſum beata immortalitate donare, ſed etiam ſuos omnes beatos & immortales efficiendi poteſtatem ei concedere: certe cum Chriſtus eam obedientiam Deo præſtiterit, & eam ob cauſſam prædictam poteſtatem ab eo conſecutus fuerit, apparet, nos à peccatorum noſtrorum reatu liberatos eſſe, neque in judicium venturos, ſed à morte ad vitam tranſiiſſe. Ubi etiam animadvertendum eſt, quod ſicut oblatio antiqui illius anniverſarii ſacrificii non tunc perficiebatur, cum victima jugulabatur, ſed cum jam jugulatæ ſanguis in ſancta ſanctorum à Pontifice inferebatur, (Scriptum eſt enim in epiſt. ad Heb. 9. 7. Pontificem ſanguinem iſtum pro ſe & pro ignorantiis populi obtuliſſe) ſic Chriſti oblatio non tunc perfecta eſt, cum ipſe mactatus & crucifixus fuit, ſed cum, poſtquam crucifixus fuerat, ſeipſum in cœlum intulit. Cœlum enim in hac ſimilitudine univerſa ſanctis ſanctorum reſpondere ex eadem epiſt. ad Hebr. valde perſpicuum eſt. Quare Chriſti oblationis in Divinis Litteris mentio nullam pro peccatis ſatisfactionem declarare poteſt, quæ ex ejus morte manaverit, neque ea ratione peccata noſtra Chriſti oblatio expiare dicenda eſt: ſed Chriſti beatam immortalitatem, & mirificam illam poteſtatem, cum illum ſe obtuliſſe ajunt ſignificare volunt Sacræ Litteræ, qua vere noſtra peccata expiantur, id eſt nos ab omnibus malis, quæ propter peccata Deus hominibus immittit, & ab ipſa æterna morte aſſerimur, & vindicamur, & ſimul, quemadmodum ad tantum beneficium conſequendum neceſſe eſt, à peccando deſiſtimus, atque ceſſamus. Cum enim animadvertimus Chriſtum per ſui ſanguinis fuſionem ad immortalitatem, & ſupremam illam ſuos beatos efficiendi poteſtatem perveniſſe, eaque in re, quantopere nos Deus dilexerit, intelligimus, ut Chriſti efficiamur, quod non niſi vitæ ſanctimonia, ipſiuſque Chriſti imitatione fit, omnino curamus, parati & ipſum ſanguinem fundere potius, quam Deo non obedire, & in peccatis amplius manere.

De Fide & operibus, quod attinet ad juſtificationem noſtram ex Italicis litteris ad clariſſimum virum N. N.

AD tuas quæſtiones, etſi per ea, quæ antehac ad te ſcripſi, ſatis reſponſum mihi videtur, tamen conabor adhuc, quoad ejus per me fieri poterit, reſpondere. Sed prius oportet me repetere, quidnam fidei nomine intelligam, fidei, inquam Chriſti, qua juſtificamur, ac perpendere num Chriſti fides in tota hac diſputatione non in unum tantum ſenſum accipiatur, ne forte in homonymiam ſeu æquivocationem incidamus. Et quamquam hoc ſatis commode fieri potuiſſet in reſponſione ad ſecundam quæſtionem, tamen bene erit, ut id ante omnia fiat.

Dico igitur, fidem Chriſti, id eſt, quæ quoquo modo, quantum ad præſentem diſputationem pertinet, ad Chriſtum reſpicit, duplicem habere ſignificationem. Una eſt, cum ſignificat credere, Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium &c. Atque hæc fides ad ipſius Chriſti perſonam & munus proprie reſpicit: acceſſorie autem (ut loquuntur) & conſequenter ad ejus præcepta & promiſſa. Altera ſignificatio eſt, cum ſignificat confidere Chriſto, atque hæc fides ad ipſius Chriſti præcepta & promiſſa præcipue reſpicit: acceſſorie autem, & (ut ſic dixerim) antecedenter, ad ejus perſonam atque munus. Ex his duabus non quidem prior ſed poſterior (cujus rei rationem poſtea explicabo, cum ad ſecundam quæſtionem reſpondebo) ea Chriſti fides revera mihi eſſe videtur, qua ſcriptura teſtatur nos juſtificari, id eſt coram Deo pro juſtis haberi, nobiſque noſtra peccata condonari, ita ut loco mortis peccati pœnæ, nobis donetur æterna vita. Hæc ſiquidem ſola res eſt, quæ pro Dei miſericordia nos illi ad vitam æternam gratos efficit. Nempe Chriſto confidere, eique totum ſe tradere: id quod reipſa nihil aliud eſt, quam ejus præceptis obedire, ſpe futuræ immortalitatis, quemadmodum breviter explicat Paulus in epiſtola ad Titum circa finem ſecundi capitis. Itaque prior fides quam expoſui, non eſt illa Chriſti fides, qua revera juſtificamur, ſed eam antecedit, quemadmodum poſtea dicemus, nec ſine hac illa haberi poteſt. Ut enim fieri nequit, ut civitas aliqua cuipiam Regis legato pareat, ac ſperet, ſi paruerit, ſe id accepturam, quod legatus iſte vi poteſtatis ſibi à Rege conceſſæ, iis qui paruerint, ſe daturum promiſit, niſi credat, iſtum revera regium eſſe legatum, eumque ejuſmodi poteſtate præditum: ſic nemo Chriſto parere poſſit, immortalitatemque ſperare, quam is vi poteſtatis ſibi à Deo conceſſæ iis, qui paruerint, ſe daturum promiſit, niſi credat, eum revera eſſe Chriſtum Dei filium &c. Præterea, quicunque priore hac fide eſt præditus, altera carere non poteſt, cum fieri nequeat, ut quiſquam ex animo credat, Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium &c; ac conſequenter ſibi perſuadeat, eum habere poteſtatem dandi vitam æternam iis, qui ipſius præceptis obediverint, nec tamen obediat. Alioqui poſſet quis ſua ſponte prudens ſciens vitam æternam aſpernari, quod tamen fieri nullo modo poteſt. Hinc factum eſt, ut iſti priori fidei Chriſti, tametſi non ea eſt, qua revera juſtificamur, interdum ſalus noſtra adſcripta fuerit, ut Joh. 20. 31 & alibi. Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, intelligi poteſt, me, cum una tecum affirmo, ſine Chriſti fide non poſſe quemquam vitam æternam adipiſci, etſi utramque iſtam fidem intelligo, non tamen utramque eadem ratione intelligere, nec ob eandem cauſſam, nec utrique eodem modo ſalutem noſtram attribuere: ſed priori, quatenus præcedit, & ſecum neceſſario trahit poſteriorem: poſteriori vero, quatenus ea ipſa eſt revera, qua juſtificamur, & Deo ad vitam æternam grati efficimur. Nunc ad tuas quæſtiones venio.

Prima quæſtio eſt, Hoc poſito, quod ſine fide vita

æterna

æterna nemini poſſit contingere, qualis & quanta efficacia, aut pars cauſſæ efficientis juſtificationis noſtræ per me operibus tribuatur antecedentibus & ſubſequentibus fidem, quando (ais) ad vitam æternam conſequendam nihil momenti ipſa habent. Hicque me mones, ut aperte loquar, & nimias ſubtilitates ne perſequar. Qua in re id tibi in memoriam redigendum putavi, complures paralogiſmos atque Sophiſmata, nec retegi, nec diſſolvi poſſe ſine magnis ſubtilitatibus, quæ nunquam ſunt nimiæ, dum modo veritatem contineant, & ad rem omnino faciant.

Jam vero aperte ac diſtincte loquendo, Reſpondeo, me, quod ad opera attinet, quæ fidem antecedunt, nullam eis efficaciam ad vitam æternam juſtificandi tribuere. Nec ſane poterat à me aliud reſponſum expectari, cum concedam ſine Chriſti fide nemini vitam æternam poſſe contingere. Quod tamen eatenus intelligi volo, quatenus ſub Novo Teſtamento ſumus, nobiſque patefacere Deo eſt viſum. De eo enim tempore, quo Teſtamentum Vetus viguit, deque Dei arcanis nihil loquor. Poſſunt quidem opera, quæ fidem præcedunt, quempiam aliqua ratione Deo gratum efficere: verum non ſatis eſt, ut quis æternam ſalutem conſequatur, eaque ratione juſtificetur, & Deo ſit gratus, quam hoc loco intelligimus. Ut evidenter colligitur ex his duobus locis cum antecedente hiſtoria conjunctis Act. 10. ỳſ. 34. & cap. 15. 14. Porro, quod attinet ad opera, quæ Chriſti fidem ſubſequuntur, ſi de vera & propria ſubſecutione loquimur, ita ut opera ſint quiddam re ipſa à fide diſtinctum, hæc Chriſti fides in quæſtione tua nihil aliud erit, quam prior illa fides, hoc eſt, Credere Jeſum revera eſſe Chriſtum Dei filium, &c. Opera vero erunt reipſa poſterior illa fides, hoc eſt, ipſi Chriſto confidere. Quamobrem hæc opera ex iis, quæ initio ſunt dicta, efficaciam habebunt juſtificandi coram Deo ad vitam æternam, non quidem ut opera, ſed ut fiducia, quæ per Chriſtum in Deo collocetur, & quia Deus pro bonitate ſua ita vult. Nihil autem abſurdi eſt in eo, quod iſtis operibus, non autem fidei illi, quæ ipſa antecedit, juſtificatio iſta aſcribatur. Non enim propterea negatur, nos fide juſtificari, ſiquidem jam dictum eſt, & opera iſta aliud nihil reipſa eſſe, quam fidem, id eſt fiduciam; & fidem illam, quæ eis reipſa præcedit, non eſſe revera eam fidem, quæ nos Deo ad vitam æternam gratos efficit.

At vero ſi de quadam ſubſecutione loquimur, non vera nec propria, ſed tantum, (ut loquuntur) per viam intellectus, ita ut opera à fide reipſa non diſtinguantur, tunc Chriſti fides, quam opera ſubſequentur, aliud nihil erit, quam ipſi Chriſto confidere, quod ſine dubio coram Deo juſtificandi vim habet, & conſequenter opera ipſa juſtificant, quatenus executio ſunt ac perfectio & tanquam forma ipſius fidei. Quocirca divinitus à Jacobo dictum eſt, Jac. 2, *Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens filium ſuum Iſaac ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt.* Et ſequitur, *Et ſuppleta* (vel potius *impleta*) *eſt ſcriptura dicens, Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.* Gen. 15. Ac tandem fidem quæ operibus careat corpori ſpiritu carenti aſſimilat. Unde conſtat, Opera nequaquam ſimpliciter eſſe fidei fructus, ut vulgo creditur, ſed fidei formæ perfectionem indere, & vitam (ut ſic dixerim) tribuere. Itaque vides, quomodo & cur dicam, opera, quæ fidem ſubſequuntur, efficaciam habere juſtificandi coram ipſo Deo, idque Divinarum Litterarum teſtimonio. Quapropter, cum Paulus negat opera coram Deo juſtificare, ea conſiderat, non quidem ut executionem ac perfectionem, & quaſi formam fidei, id eſt fiduciæ, quæ in ipſo Deo collocetur, per quam Deus hominem juſtificat, nec ut conjuncta cum bonitate ac promiſſis divinis, ſed, quemadmodum ex ipſiuſmet verbis liquet, ea per ſe ipſa conſiderat, atque ut facta legis divinæ implendæ cauſſa, ex quo fieret, ut merces daretur non ex gratia ſed ex debito, ac propter vim ac dignitatem ipſorum operum. Nam ſi quis hac ratione coram Deo juſtificari velit, oportebit eum nunquam ne minimum quidem peccatum coram ipſo Deo committere. Hanc autem non eſſe rationem juſtificationis noſtræ coram Deo, David (inquit Paulus) ſatis oſtendit, cum ait, Rom. 4. Pſal. 32. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Formalis igitur (ut ita loquar) juſtificatio noſtra coram Deo fuit, & ſemper erit, propter carnis noſtræ infirmitatem remiſſio peccatorum noſtrorum, non autem impletio divinæ legis, quod Paulus operari vocat. Veruntamen nulli reipſa conceditur remiſſio iſta, niſi Deo confiſus fuerit, ſeque ipſi regendum ac gubernandum tradiderit. Ex quo, quamvis antehac Dei præcepta aut contemneret, aut minime conſervaret, vel etiam nondum perfecte conſervet, tamen jure affirmari poſſit, jam eum Deo obedire. Atque hoc pacto fides, id eſt Chriſto confidere, (qui enim in Chriſtum credit, in ipſum Deum credit) & opera, id eſt obedientia præceptorum Chriſti, quæ, ut dictum eſt, executio ac perfectio, & tanquam forma eſt ipſius fidei, coram Deo nos juſtificant, ſeu potius, ut magis proprie, atque ut ſcriptura ſolet, loquamur, Deus per illa, ex illiſve nos juſtificat, ſive per illa ex illiſve juſtificamur, & conſequenter ex Dei gratia ac bonitate plurimum valent ad vitam æternam conſequendam. Atque hæc ſatis quod attinet ad primam quæſtionem.

Secunda quæſtio eſt, Utrum cenſeam, cum ſcriptura jubet, ut in Chriſtum, aut Chriſto, aut per Chriſtum credamus, debere hic præcipue rationem haberi doctrinæ de operibus ac vitæ innocentia; cum (ſic loqueris) prima ac præcipua pars doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum ſit fidem prædicare, id eſt, quod Jeſus ſit Meſſias, Dei filius &c. Quemadmodum fecerunt Apoſtoli omnes, & Johannes ante ipſos, prius teſtificantes de Chriſti perſona, deinde de peccatorum pœnitentia, ut apparet in actis Apoſtolorum, & primo cap. Evangelii Johannis. Itaque à me quæris, cur, cum Chriſti doctrina has duas partes habeat, ego velim, credere in Chriſtum idem eſſe, ac credere ejus doctrinæ ad opera ſpectanti, præſertim cum (inquis) vanum ſit opera prædicare, niſi prius prædicetur fides, ex qua omnis operum præſtantia ac dignitas pendet.

Reſpondeo, ſcripturam, cum jubet nos credere in Chriſtum, id præcipue jubere velle, ut Chriſto confidamus, quod quid ſit ſupra expoſitum fuit. Hoc autem dico, quia modus ipſe loquendi, *Credere in* &c. qui propter Hebræam linguam proprius ſcripturæ eſt, id declarat. Nam in eadem ſcriptura ad eundem modum ſperandi verbum conſtruitur, id eſt cum præpoſitione *In*, veluti Joh. 5. 45. 1 Tim. 4. 5, nec dubium eſt quin hoc verbum ita conſtructum, ſignificet ſpem quæ collocetur in &c. Cum vero ſcriptura jubet nos Chriſto credere, id præcipue jubere vult, ut fidem ejus verbis adjungamus, id eſt credamus verum eſſe, quicquid ille dixerit. Quæ interpretatio nulla probatione indiget. Cum apud ipſos etiam profanos ſcriptores & in qualibet lingua hæc ſit ſignificatio propria verbi Credendi ad hunc modum conſtructi. Nam quamvis non defuerint viri linguæ Hebraicæ peritiſſimi, ut Bucerus, & Stancarus, qui cenſuerint, idem prorſus in Sacris Litteris ſignificare Credere in Deum, quod Credere Deo, ego tamen arbitror eos deceptos fuiſſe, deceptioniſque cauſſa aperte à me expoſita fuit in diſputatione illa mea de Jeſu Chriſto ſervatore, in ipſo ferme initio ejus partis, ubi explicatur, quidnam ſit ea fides in Chriſtum qua juſtificamur. Poſtremo cum ſcriptura jubet, nos per Chriſtum credere, dico, eam nihil aliud præcipue jubere velle, quam ut Deo confidamus, eidemve credamus ex ipſius Chriſti præſcripto, aut ſi mavis, hac ratione, ut Chriſto confidamus, ejuſve verbis fidem adhibeamus. Itaque nullus ex prædictis tribus loquendi modis præcipue aut per ſeipſum ſignificat judicio meo, Credere Jeſum eſſe Meſſiam &c. Id tamen ſignificant

ſeu

ſeu potius complectuntur acceſſorie, ut dicitur, & per accidens, quatenus videlicet accidit, ut nemo poſſit Chriſto confidere, aut ejus verbis credere, nec per Chriſtum Deo confidere, aut ejus verbis credere, niſi prius credat Jeſum eſſe Meſſiam &c. Intelligendum eſt autem hoc prius (ſi de eo loqui velimus quod ſemper eveniat) potius intellectus ratione, quam reipſa. Quandoquidem facile fieri poteſt, immo quotidie fit, ut uno & eodem tempore hæc tria exiſtere incipiant, Credere Jeſum eſſe Meſſiam, &, Ejus verbis adhibere fidem, &, Ipſi confidere. Ubi etiam animadvertendum eſt, quod pariter ratione intellectus prius Chriſti verbis adhibetur fides, deinde ei confiditur. Etenim ordo perpetuus ratione intellectus harum trium rerum talis eſt, Primum credimus Jeſum eſſe Meſſiam, &c. Ex quo oritur neceſſario fides, quam ejus verbis adhibemus, id eſt, ut dictum fuit, firma perſuaſio omnia eſſe vera, quæ ille dixit, cum videlicet fieri nequeat, ut Jeſus ſit Meſſias &c. Et tamen quidpiam non verum dicat. Poſtremo ex hac perſuaſione neceſſario conſequitur, ut ei confidamus, id eſt, ſpe vitæ æternæ, quam ille ſibi obedientibus promiſit, ei obediamus. Non quidem eam ob cauſſam, quod fieri nequeat, ut quis cujuſpiam verba vera eſſe credat, nec tamen illi obediat (ſiquidem, exempli cauſſâ, fieri poteſt, ut quiſpiam amicum à vita Chriſtiana retrahere conetur, inquiens alioqui fore, ut perſecutionem experiatur, iſque amicus hoc verum eſſe credat, non tamen à Chriſtiana vita recedat) ſed propterea quod ipſa æterna vita, quam Chriſtus ſibi obedientibus promiſit, ejuſmodi res eſt, quam nemo prudens ſciens aſpernari ulla ratione queat, ut ſupra dictum eſt. Ex his autem intelligi poteſt, eam Chriſti doctrinæ partem, quæ præcipue ejus perſonam reſpicit, poſſe quidem primam appellari, quatenus intellectus ratione eam partem antecedit, quæ præcipue ejus præcepta reſpicit, atque promiſſa: ſed non idcirco poſſe, aut debere vocari præcipuam. Verum præcipuam partem iſtam debere dici, quæ illam ſequitur, ut habet dictum illud, Primum in intentione, ultimum in executione. Quocirca id quod affirmas vanum eſſe opera prædicare, niſi prius prædicetur fides, intelligens ſine dubio Fidei nomine, Credere Jeſum eſſe Meſſiam, &c. Etiamſi veriſſimum eſſet, nihil tamen meæ ſententiæ adverſaretur, cum fieri omnino poſſit, immo plerumque fiat, ut, quod neceſſario præcedit, eo quod ſequitur, minus præcipuum ſit. Idque eo exemplo demonſtratur, quod huic rei (ni fallor) valde accommodatum ſupra attulimus. Nemo enim negaverit, magis præcipuum eſſe Regis legato parere, quam credere eum eſſe Regis legatum, & tamen neceſſe eſt, ut hoc prius fiat quam illud. An non aperte conſtat, credere quod ſit legatus Regis eo tendere, ut illi pareatur, idque ut finem ſibi propoſitum habere, non autem contra? Ad eundem igitur modum, etiamſi neceſſarium foret, ut prædicatio, quod Jeſus ſit Meſſias, &c. antecederet prædicationem obedientiæ, quæ illi debetur, non idcirco ſequeretur, credere quod Jeſus ſit Meſſias, &c. obedientiâ, quæ illi debetur, magis præcipuum eſſe. Cum manifeſtum ſit, illud hanc tanquam finem ſibi propoſitum habere, non autem contra. Nam quis eſt, qui non clare perſpiciat, propterea nobis prædicari Jeſum eſſe Meſſiam, &c. ut illi confidamus, eique obediamus? Teſtatur hoc univerſa Sacra Scriptura, quæ finem & complementum totius Chriſtianæ religionis charitatem eſſe ſtatuit, quæ aliud nihil eſt, quam obedientia iſta, dicente Chriſto, *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, Joh. 15. Inter plurimos autem locos id apertiſſime docet divina illa (ut ſic loquar) Chriſtianæ pietatis epitome, de qua ab initio mentionem feci, quæ eſt apud Paulum Tit. 2. 11. Ubi breviter habetur, quicquid Chriſtus ejuſque Apoſtoli nos Dei nomine docuerunt, nihil eſſe aliud quam vitæ innocentiam cum ſpe beatæ immortalitatis conjunctam, quod idem eſt prorſus, ac Chriſto confidere ipſique obedire. Inibique concluditur, in hunc eundem finem mortuum eſſe Chriſtum, videlicet ut nos ab omni iniquitate liberaret, ac bonorum operum ſectatores efficeret. At enim ais tu, ex fide omnem præſtantiam & dignitatem operum pendere. Hoc, cum fidei nomine intelligas credere quod Jeſus ſit Meſſias &c. non poteſt tibi ullo pacto concedi, neque hoc uſquam innuunt Sacræ Litteræ. Ex fide quidem præſtantia & dignitas operum pendet, ſi fidei nomine fiduciam intelligamus quæ in Chriſto collocetur, & in Deo per ipſum, & ratione intellectus hanc fiduciam ab ipſis operibus diſtinguamus, quemadmodum in reſponſione ad primam quæſtionem dictum eſt. Quin immo res plane contra ſe habet ac tu affirmas. Siquidem, credere Jeſum eſſe Meſſiam &c. eatenus præſtans res eſt ac digna, id eſt, Deo grata, quatenus cum ea, fiducia in ipſum Jeſum, perque illum in Deum conjuncta eſt, & ita cum ipſa conjuncta ſunt opera, quæ, ut dictum fuit, executio ſunt ac complementum, & quaſi forma iſtius fiduciæ. Arbitror autem, ea, quæ hactenus à me dicta ſunt, ſatis eſſe ad demonſtrandum, cur, cum de Chriſti fide verba fiunt, fiduciam potiſſimum intelligam, quæ in ipſo Chriſto collocetur, id eſt reipſa obedientiam præceptorum ejus ſub ſpe eorum quæ promiſit: atque affirmem hanc fidem eſſe illam Chriſti fidem, qua revera juſtificamur, non autem perſuaſionem illam, quod Jeſus ſit Meſſias, &c. Quamvis & Johannes, & Apoſtoli in ſuis concionibus aperte de dignitate perſonæ Jeſu verba fecerint, ac teſtati fuerint, Jeſum eſſe Meſſiam, &c. Quod tamen judicio meo non fecerunt (præſertim vero Johannes) ea ratione, qua tibi videtur: nihil tuam opinionem juvantibus iis teſtimoniis, quæ ad eam confirmandam indicaſti, quæ plenioris explanationis ac reſponſionis non indigent: cum jam oſtenſum ſit, aliud eſſe rem quampiam eſſe præcipuam, quod illud eſt, de quo agimus, aliud vero primam in ordine, quod eſt, quicquid ex teſtimoniis iſtis de perſuaſione iſta dici poteſt.

Tertia tua quæſtio eſt. Cum Deus per gratiam peccatorem vocat, datque illi ſpiritum vivæ fidei, an iſte, antequam quidquam operetur, poſſit coram ipſo Deo eſſe juſtificatus? Nam, ſi (ſubjicis) hoc conceſſero, neceſſe erit, ut omnia iſtius opera a juſtificatione excludam, fatearque ea, ut vere (ais) ſunt, nihil aliud eſſe quam juſtificationis ſequelam, ſeu appendicem quandam. Hic autem petis, ut ſcribam, quidnam his operibus tribuam, & num ea, dignitate atque efficacia paria fidei eſſe cenſeam, an vero ipſius fidei effecta.

Reſpondeo primum, me in Sacris Litteris ſcriptum non invenire, Deum ex gratia ſua peccatorem ita vocare, ut det illi vivæ fidei ſpiritum, aut certe non eo ſenſu dictum, quo tu ſine dubio intelligis. Niſi enim vehementer erro, nihil dubitandum eſt, quin tu, per verba iſta ſignificare volueris, Deum generatim occulta & arcana quadam ratione, ab Euangelii prædicatione aut quavis alia patefactione diſtincta, in eorum quorum ipſe vult corde vivam fidem infundere, quæ efficiat, ut Euangelio credant. Hoc, inquam, non invenio. Sed invenio, Deum per verbum ſuum omnes quibus id annunciatur, aut quavis alia ratione patefit, ad credendum Euangelio invitare, & conſequenter neminem ex iſtis eſſe (generatim loquendo) qui credere nequeat. Quod niſi aliud eſſet, vel ex eo conſtare poſſet, quod ii, qui non credunt, ob hoc ipſum graviſſime puniuntur, Matth. 10. 18. Nec tamen propterea non eſt fides Dei donum, quemadmodum non propterea ejus, qui ex mera liberalitate aliquid dat, donum cenſeri non debet, quia videlicet in poteſtate illius, cui dat, ſit poſitum id, quod datur, nec ne accipere. Fides igitur eſt Dei donum, eo quod Deus iis, quibus per Euangelii patefactionem fidem offert, nihil prorſus debet, non autem, quia eam alia ratione in hominum corda infundat. Generatim autem mea verba accipi volo, deque ea fide, qua juſtificamur, haud ſane ignorans, Deum nonnunquam ſingulari quadam ratione aut ſolere, aut certe poſſe fidem donare, eamque in cujuſpiam cor, quemadmodum ipſi viſum fuerit, infunderé, eundemque

Deum

Deum ſolere ſpiritum ſuum donare, quo in nobis confirmetur, & in omnibus gravioribus periculis corroboretur fiducia, quam in Chriſto Jeſu collocavimus, Eph. 1. ℣. 13, 14. Quamobrem cum Deus hunc ſpiritum donat, jam is, cui donatur, juſtificatus eſt coram ipſo. Jam enim pœnitentiam iſte ſuorum peccatorum egit, eaque correxit, idque operatus eſt, quod ei per tempus & occaſiones licuit.

Alioqui nequaquam affirmari poſſet, eum in Chriſto fiduciam collocaſſe. Deinde dico, non poſſe vivam fidem eam nominari atque ejuſmodi, qua peccator juſtificetur, quacunque tandem ratione eam adeptus fuerit, quæ operibus careat, id eſt pœnitentia & vitæ correctione. Quin etiam videtur fieri non poſſe, ut quis vivam fidem, nempe in Chriſtum habeat, niſi prius aliquo pacto pœnitentiam ſuorum peccatorum egerit. Ut eo intelligi poteſt, quod Johannes, antequam quicquam de Chriſto diceret, pœnitentiam prædicavit, hacque ratione viam ad Chriſtum ſtravit, quemadmodum aperte docent Matthæus, Marcus, & Lucas. Nam quod ad Johannem Euangeliſtam attinet, prætermittit ipſe in ſua hiſtoria iſtam pœnitentiæ prædicationem, eamque prius fuiſſe tacite ponit, non ſecus atque alia multa ab aliis narrata. Adde, quod omnino videtur, Chriſtum ipſum & Paulum ejus Apoſtolum prius pœnitentiam prædicaſſe, deinde fidem, ut ex his locis colligi poteſt Marc. 1. 15. Act. 20. 21. Immo perſpicuum eſt, primum omnium quod & Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt fuiſſe pœnitentiam. Matth. 4. 17. Marc. 6. 12. Illud certiſſimum eſt, non omnia bona opera poſt juſtificationem eſſe, & tanquam ejus appendicem cenſenda. Quin potius bona opera, quatenus ipſa complementum ſunt, & quaſi forma fiduciæ, nec reipſa aliud cenſeri debent, quam ipſa in Deum fides, ea ſunt quibus per Dei gratiam juſtificamur. Quod autem bona opera non modo appendix quædam juſtificationis non ſint, ſed ipſa ſint ante juſtificationem, hinc apparet, quod juſtificatio noſtra nihil aliud reipſa eſt, quam peccatorum deletio. Peccatorum autem deletionem antecedit pœnitentia, & ad Deum converſio Act. 3. 19. Quæ pœnitentia atque converſio, manifeſte nihil niſi correctio vitæ eſt, & bona opera malorum loco quæ prius fiebant. Ut nihil dicam, quod in loco proxime notato, quemadmodum & in compluribus aliis, apparet, peccatorum deletionem & ſic juſtificationem noſtram, eſſe pœnitentiæ ac converſionis, ac conſequenter bonorum operum effectum, Petro iſthic dicente, *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Sequuntur quidem etiam bona opera juſtificationem noſtram, ſed non ut ipſius appendix quædam. Immo ipſa ſunt, quæ conſervant juſtificationem, atque ut continuet efficiunt. Ea enim deficit, quotieſcunque is qui juſtificatus erat, ad priora peccata revertitur, ſic Deo volente, ut, quemadmodum ipſe bona opera facere eſt oblitus, ita ſimiliter ejus bona opera oblivioni tradantur: Ezech. 33. 13. Eſtque iſtius conditio deterior, quam ante cum juſtificationem nondum fuerat adeptus. 2 Pet. 2. 20. &c. Jam igitur ex iis, quæ dixi, ſatis intelligere potes, quid ego bonis operibus tribuam, ejuſmodi videlicet operibus qualia fieri præcipit Jeſus Chriſtus, quæque ſub ſpe æternæ vitæ, ut illi obediatur, fiunt, cum affirmaverim Deum per ipſa nos juſtificare, id eſt ea, propter Dei bonitatem ac miſericordiam, cauſſam eſſe, ut ipſe Deus nobis peccata noſtra ita condonet, ut vitam æternam largiatur. Sunt, inquam, hujus rei cauſſa, quatenus quiſquis ea facit, talem ſuorum peccatorum condonationem adipiſcitur: qui autem ea non facit, ſi modo tempus & opportunitatem ea faciendi habeat (nec quiſquam antequam ea faciat) ejuſmodi peccatorum ſuorum condonationem minime adipiſcitur. Potes etiam intelligere, quanti illa à me præ fide fiant, & num ea paria, dignitate atque efficacia, ſi tibi eſſe ſtatuam, an vero ut ejus effecta agnoſcam, cum velim, fidem nempe eam, qua juſtificamur (de hac enim loquimur) nihil aliud eſſe, quam Chriſto confidere, id quod executioni mandatur, ſuumque complementum, & quaſi formam ſuſcipit, cum per ſpem vitæ æternæ ipſius Chriſti præceptis obedientia præſtatur. Adeo ut inter juſtificantem fidem, & bona opera nullam, niſi ratione intellectus, differentiam conſtituam, ſicut & Scriptura facit, interdum pro obedientia fidem uſurpans, eaſque invicem permutans Id quod Hieron. quoque Oſorius inter alios animadvertit, & lib. 1. de juſtitia cæleſti à fine folii 21. & deinceps, quoſdam iſtius ſcripturæ uſus locos collegit.

Quartæ quæſtionis locum habebit id, quod ais, te neſcire, quid mihi velim, cum ſcribo, oportere potius de iis quærere, quæ in nobis eſſe debeant, quam de iis quæ extra nos. Inquis enim in nobis nihil præter condemnationis materiam inveniri poſſe, extra nos autem omnes ſalutis noſtræ cauſſas, niſi fortaſſe perſuaſum habeam, in nobis aliquod liberum arbitrium eſſe, aut facultatem operibus noſtris ad cælum perveniendi.

Ad hoc reſpondeo, meorum verborum ſententiam, quemadmodum ex ipſo loco colligi arbitror, ubi ea ſunt ſcripta, hanc eſſe, quod cum de juſtificatione noſtra diſputetur & quæratur, unde ea proficiſcatur, vis præcipua quæſtionis, ſi hinc fructus aliquis percipiendus eſt, non circa illa verſatur, quæ extra nos ſunt, ſed quæ in nobis, cum ſcilicet juſtificati ſumus, ut ſcire poſſimus, quidnam neceſſe ſit in nobis reperiri, ſi jure affirmare velimus, nos eſſe juſtificatos, & ſi id in nobis minime eſſe forte cognoverimus demus operam ut ſit; alioqui falſi ac decepti eſſe deprehendemus. Nam quod ad illa attinet, quæ extra nos ſunt, & tamen juſtificationis noſtræ ſunt cauſſæ, quamvis & digniora & nobiliora, inque ipſa juſtificatione noſtra magis præcipua iis, quæ ſunt in nobis, non eſt cur de eis ſolliciti admodum ſimus, quatenus quærimus ut juſtificemur. Etenim aut iſta ſunt & erunt, ſine ulla noſtra cura atque induſtria, nec neceſſe eſt, ut prius in nobis certum aliquid ſit: & quid opus eſt de eis eſſe ſolicitum? Aut nec ſunt nec erunt ſine cura noſtra atque induſtria, & niſi prius in nobis certum aliquid ſit, & ſane opus eſt curare, ut iſtud in nobis habeamus. Et ſic apparet tandem veſtigationem noſtram circa ea eſſe debere, quæ in nobis inveniantur, cum juſtificati ſumus. Pro majore vero explicatione ac confirmatione eorum, quæ dicta ſunt, dico, jam perſpicuum eſſe, magis præcipuam in juſtificationis noſtræ negotio quæſtionem de operibus eſſe ac fide: quæ res in nobis, id eſt, intra nos ſunt; & in quibus voluntas & actio noſtra requiritur. Quocirca diligenter primum veſtigare debemus, an revera res iſtæ, ſive utraque, ſive una tantum, & utra (ſi modo res diverſæ ſunt) ad nos juſtficandos pertineat, ac deinde quid ſint, aut quales eſſe debeant, ne erremus nobiſque fortaſſe videamur illas habere, cum tamen longe ab eis abſimus. Quod enim ad miſericordiam Dei attinet, Chriſtique perſonam una cum iis omnibus, quæ idem Chriſtus pro nobis fecit & facturus eſt, quamvis hæ ſint veræ & præcipuæ cauſſæ juſtificationis noſtræ; tamen, aut jam illarum ſumus erimuſve participes, antequam intra nos certum aliquid ſit, & ſic ſupervacaneum eſt de illis cogitare, quatenus per eas juſtificari velimus. Aut illarum nec jam ſumus nec futuri ſumus participes, niſi prius intra nos certum aliquid ſit: & ſic de hoc curioſe quærere debemus. Id autem inveniemus tandem nihil præter fidem & opera eſſe, aut utraque ſimul, aut alterutrum, ſi modo, ut dixi, res ſunt inter ſe diverſæ. Nec quiſquam eſt, qui neget, eum, qui vera ac viva fide ſit præditus, quæ abſque bonis operibus eſſe nequit, juſtificatum eſſe, ſeu potius per ipſam hanc fidem à Deo juſtificari. Non igitur abſolute verum eſt, in nobis nihil præter condemnationis materiam eſſe poſſe, aut omnes juſtificationis noſtræ cauſſas extra nos eſſe poſitas, quandoquidem, ut dictum eſt, viva ac vera fide juſtificamur, & conſequenter ab omni condemnatione liberamur, eſtque fides prædicta, cauſſa (ut ajunt) ſine qua non ſalutis noſtræ. Quæ quidem fides ſine dubio intra nos eſt. Sic enim, ut ſupra attigi, accipienda ſunt

verba

verba illa mea, *In nobis*, non autem, ut ſignificent idem, quod, *In poteſtate noſtra*, quemadmodum fortaſſe tu ea acceperas, cum ego tamen ſemper hoc ſenſu ea extulerim, ut videlicet idem ſignificent, quod *Intra nos*, idque non ſine voluntate atque actione noſtra. Quod ſi hæc voluntas atque actio nullo modo eſt libera, ſed prorſus neceſſaria exiſtit, adeo ut circa rem hanc nihil ſit in poteſtate noſtra, oleum operamque (quod dicitur) ii perdunt, qui hiſce de rebus loquuntur aut ſcribunt. Verum ego penitus mihi perſuadeo, voluntatem iſtam atque actionem noſtram aliqua ſaltem ratione in noſtra eſſe poteſtate, cum videam id in Sacris Literis ubique paſſim apertiſſime teſtatum eſſe, & teſtimonia, quæ pro contraria ſententia afferuntur, nullum pondus ad eam confirmandam mihi habere videantur, cumque aperte cognoſcam, ſublata prædicta poteſtate, ſi ea animadvertantur, quæ hinc neceſſario conſequuntur, ipſam etiam religionem & pietatem univerſam ſublatum iri, & funditus everti. Quod ita ſe habere aliquando fortaſſe, Deo adjutore, ſcripto edito demonſtrabo. Nec ſane, ut mihi videtur, ullo pacto abſurdum eſt affirmare, in nobis aliquod liberum arbitrium eſſe, aut facultatem per opera noſtra ad cœlum perveniendi, quamvis fortaſſe tibi hoc non modo maxime abſurdum, ſed horribilis etiam quædam blaſphemia videatur: dum modo verba iſta recte explicentur, atque intelligantur. Nihil enim prorſus dubito, quin Deus benigniſſimus velit, quemcunque, quantumvis perditum antea peccatorem, qui in poſterum ſecundum Jeſu Chriſti præcepta vivat, ad cœlum pervenire: nec ſimiliter dubito, quin ita vivere & Chriſto Jeſu obedire generatim in eorum omnium poteſtate ac libertate ſit poſitum, quibus ipſe Deus dignatus eſt eundem Chriſtum, ejuſque Euangelium patefacere.



Ad Illuſtriſſimum Principem & Dominum,

D. MAURITIUM

Landgravium Haſſiæ, Comitem in Katzenelenbogen, Dietz, Ziegenhain, Nidda, &c. &c.

PRÆFATIO.

PRæclare Sophus ille, Princeps Illuſtriſſime, *principia rerum, eſſe quidem mole exigua, at virtute maxima.* Quantula corpore, rerum ſemina; quantula iis incluſa principia, natura exhibet? at quam ingentes mole, quam multiplices numero ex illis vetegabilium, mineralium, & animalium conſurgunt ſpecies, formæ, & familiæ? In ſocietate humana, & adminiſtratione civili conſultationes, exilia quædam initia habent; at quantæ varietates, quantæque moles conſiliorum, dictorum & factorum ex illis prodeunt, atque prorumpunt? Omnes itidem ſcientiæ, à minimis ortæ atque profectæ principiis, amplitudine ſua, in quam excrevere, quanta vis ſit principiorum, oſtendunt. Cum igitur tanta virtus inſit rerum principiis; efficitur, his recte conſtitutis, rei cujuſque ortum, progreſſionem, & ſtatum, bene habere: ſin circa illa obrepſerit error, eundem inconvenientia multa comitari. Natura, ſi in principiis rerum impingat; pro rebus uſitatis, novas, inſolentes, ſæpe etiam portentoſas ſubſtituit. In conſultationibus ſi labi contingat; conſilia, dicta & facta omnia, pro ſalute, rebus humanis ſummam perturbationem, imo perniciem inferunt. Nec vero diſſimiles exitus, nec diſſimilia in ſuo genere inconvenientia, in ſcientiis & facultate quavis, ſimiles lapſus conſequuntur. Quodſi in humanis atque naturæ rebus, minimus circa principia error, tantum ſecum malorum trahit; quid de principiis divinæ facultatis, ipſius Theologiæ, quæ humanas, & naturæ res, longe omnibus ſui partibus antecellit, ſtatuemus? Divina hæc principia, eoque immota & ſempiterna; & admiſſus circa illa error, adeo gravis, adeo perniciosus exiſtat neceſſe eſt, ut errorum quos illum ſubſequi oportet, nec numerum, utut conere, ineas, neque modum invenias: Deo præterea ea in re, ſeu improbitatem & perverſitatem, ſeu ſocordiam hominum, peculiari ratione puniente. Teſtis ejus rei eſt, præſens eccleſia Romana, tot erroribus, totque ac tantis ſuperſtitionibus conſpicua. Miraris, tot errores unum in locum confluere potuiſſe? Miraris, tot tantiſque ſuperſtitionibus, eos homines, qui Chriſtum & illius ſacratiſſimam religionem profiteri videbantur, irretitos, iis adhuc teneri? Quid eſt cur mirere, ſi cauſſam horum omnium, admiſſum circa divina principia errorem longe graviſſimum, deprehendas? Etenim, ſi eccleſia Romana, divinas litteras, pro divinis divinæ veritatis principiis, ſolas agnoviſſet, iiſque ſolis perpetuo inſtitiſſet; nunquam in tot errores, totque & tantas ſuperſtitiones, ſeipſam præcipita-

pitaviſſet. Ex vero enim & recto, nonniſi verum & rectum. At cum eadem, in numerum principiorum divinæ veritatis, & traditiones majorum, quas Verbum non ſcriptum vocant, & auctoritatem ſuam, vel potius ſummi pontificis aggregaſſet, iiſque magis quam Litteris Sacris innixa fuiſſet; fieri aliter non poterat, quin tot erroribus, & tot ſuperſtitionibus ſeipſam impediret & implicaret. Quid enim à traditionibus & Pontificum decretis, id eſt hominum commentis, præter errores & ſuperſtitiones, quorum illa nimium nimiumque feracia, exſpectandum fuerat? Nec vero ſolum eccleſia Romana præſens, ejus rei ſuppeditat exemplum; verum & ii qui ab eccleſia Romana præſenti, errorum & ſuperſtitionum illius pertæſi, diſceſſionem ſibi faciendam putaverunt. Multas inter hos controverſias, multa certamina, multa diſſidia, non ſine ſummo animi dolore, inviti ſpectare cogimur. Ecquæ horum cauſſa? Certe non alia, quam admiſſus etiam, circa principia divinæ veritatis error: non is quidem, ut in numerum divinæ veritatis principiorum, aliquid aliud præter Sacras Litteras admittendum cenſerent; verum is, quod omnia dogmata, ad auguſtiſſimam Jeſu Chriſti religionem ſpectantia, ad amuſſim illarum non exigerent, imo ne exigenda quidem putarent: quæ commendationem aliquam vetuſtatis, at non illius primæ, quæ à Chriſto & Apoſtolis, haberent; quinetiam adverſus eos, qui ſingula, ad hunc lapidem Lydium, ſacras nempe litteras, tanquam certiſſima divinæ veritatis principia, revocarent, veluti adverſus hoſtes Chriſtianæ religionis, conſurgendum ſibi exiſtimarent, eoſque publice, omni ratione traducendos non dubitarent. Quam præpoſtera ſint, & fuerint iſtorum hominum judicia, res ipſa arguit. Primos illos divinæ veritatis aſſertores, quibus ſucceſſere, & quibus magnam deberi gratiam, libenter fatemur omnes, in cœlum laudibus vehunt; quod Divinarum Litterarum illato lumine, tetras illas tenebras diſcuſſerint, & ab oculis noſtris depulerint: iidem, eos homines, qui reliquias iſtarum tenebrarum, eodem Sacrarum Litterarum lumine exactas prorſus volunt, perſequuntur: ac aperte præ ſe ferunt, ſe nec tantam veritatis divinæ ſuccedentis lucem ferre, neque ut ea alii perfruantur, pati poſſe; ac tanto bono, non ſolum ſeipſos privare, ſed illud etiam aliis invidere. Sed agant quidquid velint: ea dogmata religionis Jeſu Chriſti diviniſſimæ, conſiſtant neceſſe eſt, quæ ſola Sacrarum Litterarum auctoritate, tanquam divinis principiis nituntur, iiſque per omnia reſpondent. Atque id quidem unicum noſtrum votum, in eoque potiſſimum noſtra deſudat opera. Porro, quid à nobis ſit hac in parte effectum; ſcripta noſtra, quæ in lucem dedimus, & adhuc Domino annuente daturi ſumus, ſint indicio: de quibus penes pios & cordatos viros, ac æquos rerum æſtimatores, eſto judicium. Quos quidem per viſcera miſerationum domini noſtri Jeſu Chriſti, rogatos velimus, ut ſi ea in re, nos cum aliqua dexteritate, & ingenuo candore verſari adverterint; operas ſuas ad opus tam præclarum conſummandum, & abſolvendum conferant, & conatus noſtros ſtudiaque, pro virili adjuvent. Digniſſima res eſt, ubi

nervos

nervos intendant ſuos. Agitur de Dei Chriſtique gloria, & divino honore atque cultu. Atqui aperte nobis Deus per prophetas & Chriſtum denunciavit, quod mandatis hominum coli nolit. Id igitur nobis propoſitum, ut divinam, circa divinum cultum, veritatem aſſeramus, eamque ab omnibus commentis humanis vindicemus. Agitur noſtra ſalus, felicitaſque æterna. Hujus nos & expeditiſſimam & certiſſimam viam & rationem, è Sacris Literis omnibus proponimus. Quæ igitur proferri poſſunt, in quibus uberiore cum fructu, & majore cum laude, operam ſuam collocent atque impendant? Sin vero nos uſpiam lapſos, aut à ſenſu ſacrarum litterarum, per imprudentiam deflexiſſe, (nam ſcientibus & volentibus nobis, numquam id uſu veniet) deprehenderint, in charitate & lenitate ſpiritus Chriſti, errorem demonſtrent. Petitioni noſtræ, æquitatis pleniſſimæ ſi acquieverint, reipſa comperient, nos nec Dei Chriſtique gloria, nec noſtra ſalute, quidquam charius habere; & tantam apud nos divinarum litterarum majeſtatem eſſe, ut etiam à viliſſimo homine, nedum à magnis viris, ex iis, de re quavis, nos facile paſſuri ſimus edoceri. Convitiorum & calumniarum plauſtra, bene dicta depravandi, & nobis alieniſſima affingendi perpetuum ſtudium, quibus adverſum nos hactenus omnes fere depugnarunt, nobis nullum errorum commonſtrarunt; immo vero prorſus nobis perſuaſerunt, nos nullius erroris convinci poſſe ab adverſariis. Etenim ſi erroris alicujus convinci ab iis poſſemus; cur ad eum modum, qui ab omni veritatis inquiſitione & inveſtigatione, longe omnium eſt alieniſſimus, nos oppugnarent? Falſum refellere cuivis mediocriter cordato, facile eſt; quippe, quod etiam ultro per ſe corruat. Veritas, quibuſcumque prematur modis, tandem emerget. Quemadmodum vero omnia ſcripta noſtra, in lucem relata, publico piorum & doctorum virorum examini, ultro hactenus ſubjecimus: ita hanc diſputationem Fauſti Socini Senenſis, viri quondam pietate & eruditione percelebris, cum Franciſco Puccio Florentino, de ſtatu primi hominis ante lapſum, olim habitam, nunc vero à nobis publicatam, eorundem judicio proponimus. Evolvant igitur diligenter, & ad trutinam ſacrarum literarum, tamquam indubitata divinæ veritatis principia, ſingula revocent atque exigant. Occurret quod probent; amplectantur, & adverſus impetum hominum maleferiatorum, conjunctis viribus una defendant. Erit quod offendat; nervoſe refellant, & erroris amice convincant. Ad eum modum, & votis noſtris, quæ paulo ante ad eos detulimus, ſatis fecerint, & æquitatem ſuam piis omnibus & cordatis viris approbaverint.

Ut vero hanc diſputationem, auguſto nomini tuo Princeps Illuſtriſſime, dedicandam exiſtimarem, virtutum tuarum fama, cauſam mihi ſubminiſtravit. Permulti populares noſtri, qui è tuis provinciis in patriam redeunt, acumen ingenii, judicium terſum, limatum, grave, incorruptum; eruditionemque in tanto principe prorſus admirabilem; rerum etiam abſtruſiſſimarum cognoſcendi prope indefeſſum ſtudium, & partam magno rerum graviſſimarum uſu, ſummam prudentiam; & quæ ſunt

præcipua Principis ornamenta, pietatem, juſtitiam, & æquitatem, ac humanitatem raram, cæteraſque virtutes, nunquam ſatis commendare poſſunt. Cui igitur potiſſimum, quam tanto Principi, ea diſputatio dicanda fuerat? Erit hic, quod acumen ingenii tanti excitet; judicium adeo terſum & incorruptum expoſcat; ſummam prudentiam & æquitatem in ferenda ſententia, perpenſis utriuſque partis rationum momentis, utri veritatis palmam ſtatuat decernendam, exigat. Nec res indigna eſt, celſiſſima occupatione tua. Scientiâ ejus rei, qui natura ſimus, cognitio noſtri exacte continetur. Hac vero probe imbuti, rectius diſcimus, quanta Dei bonitas, quam admirabilis & ſtupenda prorſus illius φιλανθρωπία ut eam Apoſtolus appellat, erga nos exſtiterit; qui nobis mortalibus, & neceſſariæ morti ſubjectis, beatam immortalitatem dare in Chriſto Jeſu, παρὰ χρόνων αἰωνίων, ut idem loquitur, decreverit. Nec decreverit ſolum, verum etiam decretum tam liberale, tam auguſtum atque divinum, per filium ſuum unigenam, Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, noviſſimis temporibus publicandum, ac illius vitæ innocentia prorſus divina, comprobandum, & nec viſis nec auditis à creatione univerſi operibus, confirmandum, ac morte acerbiſſima & ſanguine pretioſiſſimo ipſius obſignandum? eo denique à mortuis reducto, & ſupra modum omnem exaltato, ac immortalitati dandæ omnibus qui ipſi confiderent, præfecto, ſanciendum duxerit. In quibus quidem Dei operibus, prorſus admirandis, omnique ratione ſuſpiciendis, & ſumma bonitatis, potentiæ, & ſapientiæ divinæ majeſtas & amplitudo refulſit, & ſuprema Domini Jeſu Chriſti divinitas eluxit, & firmamenta prorſus immota, ſpei futuræ immortalitatis, jacta & conſtituta apparuere. Porro ſpes beatæ immortalitatis firma & inconcuſſa, eſt fidei & totius pietatis, quam nobis Servator noſter Chriſtus dominus præſcripſit, certiſſima dux atque magiſtra. Unde præclare divus Johannes. *Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſeipſum, quemadmodum & ille ſanctus eſt.* Cum igitur ad tanta religionis Jeſu Chriſti auguſtiſſimæ myſteria, hæc diſputatio aditum patefaciat atque muniat; ecquid dignius auribus & illuſtriſſima perſona Celſitudinis Veſtræ, offerri potuit? Quocirca ſic mihi prorſus perſuadeo, Veſtram Celſitudinem, diſputationem hanc, conſueta in omnes humanitate excepturam, & benigno vultu aſpecturam, ac æquo animo lecturam & perpenſuram, & ſententiam ſecundum veritatem laturam eſſe. Quod cum unice optem, à Domino Jeſu Servatore noſtro; eidem Celſitud: Veſtram commendo, eundemque precor, ut illam ſpiritu ſuo ſancto gubernet, omnia illius fortunet, & tantum orbis Chriſtiani ornamentum, quam diutiſſime ſalvum & incolume conſervet. Valere tandem opto Celſitudinem veſtram: cui etiam officia mea ſubmiſſe defero. Eprædio meo Czarkoviano, Kalendis Martii. Anno 1610.

Veſtræ celſitudini addictiſſimus

Hieronimus Moſcorovius à Moſcorow.

DE

De ſtatu primi hominis ante lapſum Diſputatio.

FRANCISCI PUCCII FLORENTINI *argumenta decem pro immortalitate rerum, præſertim vero hominis, in prima creatione, ad* F. S. S.

FRANCISCUS PUCCIUS F. S. ſalutem dicit.

ERuditiſſime Frater. *Chriſtiana charitas exigit ut invicem nos ſublevemus, ſi quis aliqua in re labitur, aut fallitur. Cum igitur ego exiſtimem te decipi in aliquibus capitibus doctrinæ non parvi momenti, cuperem ſane meliores ſententias tibi ſuggerere, & à falſis illis opinionibus te dejicere. Quapropter cum inter nos jam conveniat, Deum eſſe, & quærentibus ſe præmia largiri; quod ego exiſtimo fundamentum rite inſtituendi hominis, ut ex eo ſemper pendeant, eique toto corde adhæreant, quod bene ſentiant, & recte dirigantur in ſingulis cum credendis tum agendis, & cum præterea mundum eſſe creatum à Deo utrique credamus, & incipiamus diſſentire, cum agimus de natura rerum creatarum in primo eorum ſtatu: ego, quam breviſſime potero, exponam, in quo exiſtimem te hallucinari; & ut melius appareat diſcrimen, & vitemus errorem eorum qui de rebus obſcurioribus diſſerunt, & neutri verum tenent, rediго quæſtionem ad diſparata ſeu contradictoria (ut loquuntur) quorum alterutrum eſſe neceſſe eſt, ſi conſiderentur eodem reſpectu & tempore. Mea ſententia igitur eſt: Deum immortalem creaſſe primum omnia immortalia, præſertim hominem, cum condidit eum ad ſuam imaginem: Tu contra tenes, Deum immortalem creaſſe primum omnia (vel hominem ipſum ad ſuam imaginem) non immortalia, ſed mortalia. Ego igitur adſcribam rationes & teſtimonia divina, quibus mea aſſertio veriſſima probatur; quæ perſuadebunt omnibus, qui libere ſe committent numini, ut veram ſententiam eligant, rem omnino ita ſe habere: & oro atque obſecro te, ſuaviſſime frater, ut non contradicas tam perſpicuæ veritati, & ſententiæ tam piæ & tantæ conſolationis. Quod ſi non potes aut non vis mecum ſentire, ſaltem ſingulatim reſpondeas meis argumentis ſine ambagibus, ſed eo ordine & ſimplicitate qua à me proponuntur.*

I.

Omnia quæ facta fuerunt à Deo, erant valde bona: at quævis mors per ſe habetur in malis & valde malis. Ergo nulla mors inerat rebus, cum primum ſunt à Deo creatæ.

II.

In omnibus rebus creatis (præſertim in homine) fuit aliqua ſimilitudo creatoris: nam hoc exigit analogia creatoris & creaturæ: at nihil eſt magis diſſimile, quam mortale immortali: neceſſe eſt igitur omnes res creatas fuiſſe immortales, præcipue hominem, qui eſt imago Dei.

III

Sacræ Literæ teſtantur, Deum primum inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum vitæ, & factum eſſe hominem in animam viventem, quibus verbis declaratur ejus natura, & hypoſtaſis: hæc autem quæ ei tribuuntur, pugnant ex diametro cum natura mortali. Ergo fuit immortalis.

IV.

Conſtitutus eſt primum homo in ſede voluptatis: at nulla ſolida voluptas eſt ei cui mors imminet. Ergo mors non inerat homini natura, & tantummodo ſupervenit, cum declinavit ab inſtituto creatoris.

V.

In paradiſo erat lignum vitæ, quo veſci debebat homo. Utebatur igitur cibo immortali, & dicitur privatus eo poſt lapſum, ne viveret perpetuo in humanis: ergo fuit immortalis in primo ſtatu ante lapſum

VI.

Cum Moſes accurate deſcribat creationem rerum, & nullam mentionem mortis faciat ante præceptum & conditionem inobedientiæ, frigidiſſimum, ne dicam inſulſiſſimum eſt comminiſci, fuiſſe res utique mortales ante lapſum, & pugnat cum præſtantia conditoris, & cum ordine monitionis: ergo mors accidit rebus inferioribus, poſtquam homo neglexit Dei monitum.

VII.

Non eſt contemnendum præclariſſimum teſtimonium libri Sapientiæ Sap. 1. 12, *cum ſit conſentaneum cæteris divinis autoribus, & ſpiret ſenſum omnino divinum. Sic autem habet.* Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: creavit enim ut eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non eſt in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra. Juſtitia enim perpetuo eſt immortalis: injuſtitia vero mortis eſt acquiſitio. Impii autem manibus & verbis accerſiverunt illam, & exiſtimantes illam amicam defluxerunt & ſponſiones poſuerunt ad illam: quoniam morte digni ſunt (qui ſunt) ex parte illius. *Ergo ſi credimus huic divino teſti, quem ego, ſaltem hac in parte, omni exceptione majorem judico; colligimus, creata primum fuiſſe omnia immortalia, & poſtea ita incidiſſe in morbum corruptionis, quo nunc laborant, ut impiis tantummodo impendeat exitium tanquam male actæ vitæ decens pœna. Quapropter ſcite concludit, poſtquam multa locutus eſt de cogitationibus impiorum, & de eorum perverſitate, dicens* Sap. 2. 20. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. *Quod noſtram ſententiam de immortalitate rerum in primo ſtatu luculenter confirmat.*

VIII.

Teſtimonium Pauli in quinto cap. ad Rom. eſt luculentiſſimum, ut doceat, quomodo obrepſerit mors in homines: dicit enim: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt; *Ergo ante peccatum, cum nondum intraſſet mors, fuit homo immortalis.*

IX.

Iterum priori ad Corinthios ſic habet 1Cor. 15. 21. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut per Adam omnes moriuntur, ita & per Chriſtum omnes vivificabuntur. *Quo in loco etiam agit de reſtitutione illa omnium corporum, quæ fiet in renovatione gloriæ filiorum Dei, de qua agitur* 8 *ad Rom: Ergo agnoſcenda eſt mors & corruptio, tanquam magnus morbus, qui obrepſit rebus creatis, & cui eſt datum remedium per Meſſiam, non ſine majori quadam fælicitate ipſarum; adeo ut ſatan, qui exiſtimavit eas perdere hac morte, qua in illis debacchatur, tantum ſe objiciat operibus Domini, & tantiſper retardet curſum illorum, donec tandem eo ſuperato & devicto, beneficio ejuſdem creatoris & Meſſiæ, erumpant in libertatem, & efferantur ad ſummam fælicitatem; & adhunc modum illuſtretur magis beneficium conditoris, & ejus ſapientia, qui uſus eſt hoc impedimento ad eorum incrementum & beatitatis columen.*

X.

Si mors inerat hominibus ante peccatum, & Meſſias nunquam dicitur attuliſſe remedium, niſi ei quæ introivit per peccatum, reſtituiſſet nos ad ſtatum utique mortalem, & filius Dei nullam ſolidam fælicitatem comparaſſet nobis ſua morte

& reſurrectione, imo maneret ipſe quoque adhuc mortalis, quatenus homo eſt; quo nihil dici poteſt abſurdius, & quod magis pugnet cum ſacris literis. Hiſce firmiſſimis oraculis & rationibus fultus, conſtantiſsime retineo meam aſſertionem ſine ulla hæſitatione, & ſcio neminem poſſe affirmare pari plirophoria ſe perſuaſum eſſe divinis teſtimoniis tenere contrarium. Quæſo frater chariſsime, ut hæc non oſcitanter perpendas, & te committas libere divinæ auræ: nam ſine dubio, ſi ita egeris, & non reſtiteris ſpiritui Dei, non poteris à me diſſentire. Bene vale. 4 Junii 1577. Baſileæ.

Reſponſio ad ſuperius ſcriptum:

Qua argumenta pro immortalitate primi hominis in eo contenta breviter refelluntur.

F.S. FRANCISCO PUCCIO ſalutem dicit.

ETſi (quod tu ipſe fortaſſe non ignoras) Franciſce literatiſſime, hoc tempore occupatiſſimus ſim, tamen ut tibi morem geram, ad ea quæ pro aſſerenda ſententia tua ad me ſcripſiſti, quam dilucidiſſime potero, reſpondebo; ſi prius id te monuero, me, cum nego hominem à Deo immortalem fuiſſe creatum, non intelligere, eum ab ipſo creationis initio morti penitus fuiſſe obnoxium, adeo ut omnino ei moriendum eſſet; ſed tantummodo ſui natura morti fuiſſe ſubjectum, & non niſi divina gratia, qua in ipſa creatione donatus non fuerat, à morte immunem perpetuo eſſe potuiſſe. Nunc ad tua argumenta venio, atque eorum recitatione ubique omiſſa, eo ordine, quo à te propoſita fuere, ut ipſe petis, ea ſigillatim refellere inſtituo.

I.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Id eſt, ut plærique doctiſſimi viri ex vi ipſorum verborum interpretantur, erant decora, & ei, quod facere animo intenderat, apta & convenientia. Tranſlatio eſt enim manifeſta ab opificibus, qui poſtquam opus aliquod perfecerint, ipſum diligentius conſiderare ſolent, & ſi eorum intentioni reſpondeat, approbare. Hinc factum eſt, ut Septuaginta vocem Hebræam Tob, hoc & ſuperioribus locis, non ἀγαθὸν, ſed καλὸν verterint*; nec immerito: ſiquidem ea vox, ut Joannes Forſterus in ſuo Lexico annotat, à verbo derivatur, quod non tam ſubſtantialiter & eſſentialiter, ut ille ait, bonum eſſe, quam amabile, volupe, jucundum, utile, & gratum ſignificat. Atque ut ipſe fatearis, eam vocem convenientiam quandam ſeu pulchritudinem, non autem veram bonitatem, aut ſaltem non eam, de qua hic agi exiſtimas, aliquando ſignificare, conſule hos locos. Gen: 2. 18, & 6. 2. 1 Sam: 9. 2. Exod: 2. 2. Deut: 8. 12.

Sed demus, quæcunque Deus feciſſet vere bona fuiſſe; num continuo immortalia etiam eſſe debent? Certe herbæ, arbores, & univerſæ ſtirpes in hoc ſunt numero, nec tamen immortales unquam fuere, licet & ipſæ vitam & animam ſuam habeant. Patet hoc ex eo, quod homini & cæteris animantibus eas, nulla lege prætera adhibita, in cibum dedit Deus, antequam homo peccaret. Verum quomodo ad animantium arbitratum comedi poterant, & non ſæpe propria vita privari, ac penitus corrumpi atque deleri? Valde bonum eſſe, non ſignificat omnia bona quæ excogitari poſſunt in ſe continere, ſed omnem eam bonitatem habere, quæ propria ejus rei eſt de qua quæritur. Quare tuum argumentum principium petit, & tacite id ſumit de quo diſputamus, & quod ego pernego, nempe hominis bonitatem propriam eſſe, ut immortalis ſit. Quod autem valde bonum eſſe non ſignificet omnem prorſus bonitatem habere, ſatis conſtare poteſt, ſi conſideremus in omni lingua & apud omnes auctores innumerabilia eſſe quæ optima appellantur, & tamen à multis bonitatibus quam longiſſime abſunt. At dicis, non potuiſſe valde bonum appellari id in quo mors ineſt, quæ valde mala eſt. Primum nego homini, licet mortali, mortem ineſſe. Imo cum mors adeſt, is jam amplius non eſt. Aliud prorſus eſt, morti natura ſubjectum eſſe; aliud, ſibi mortem ineſſe. Poterat homo quamvis morti ſubjectus, ope divina à morte perpetuo ſervari, & æternum vivere. Nec, donec eſt & vivit homo, cum morte vere aliquid commune habet. Quis autem optimum vinum eſſe neget, quod guſtatu ſuaviſſimum & bibenti ſalutare eſt; quamvis aliquando futurum ſit, ut vel abſumptum fuerit, acidum factum guſtui in gratiſſimum & bibenti pernicioſum evaſerit; Extinctio ergo, & formæ in deterius mutatio, quæ futura ſit alicujus rei, ejus bonitatem non tollit. Deinde, ut jam dictum eſt, etiamſi mors ab initio in rebus creatis fuiſſe diceretur, niſi probatum fuerit hoc magnum malum bonitatem tollere quæ ipſarum eſt propria, non tamen valde bonas fuiſſe ulla ratione negaretur.

* Chaldæus paraph: habet *thechin*, quod rectum, aptum & commodum ſignificat.

II.

Demus in omnibus rebus creatis aliquam eſſe ſimilitudinem creatoris: Quid tum? Num propterea res creatas creatori prorſus ſimiles eſſe oportet? Certe longe aliud eſt, aliquam ſimilitudinem habere, & in omnibus eſſe ſimilem. Sed ais, *Nihil eſt magis diſſimile, quam mortale immortali.* Fateor, qua ipſum mortale eſt, illud immortale; ſed non ſimpliciter, adeo ut inter ipſa nulla ſimilitudo eſſe poſſit. Poterunt enim adhuc ſimilia eſſe, non in una tantum ſed in compluribus aliis rebus. Alioqui, ſi tua argumentatio valeret, quæcunque aliqua in re prorſus diſſimilia eſſent, in omnibus eſſent diſſimilia. Atque ita argumentari liceret; Homo rationalis eſt, bruta irrationalia. Sed nihil magis diſſimile eſt, quam rationale irrationali. Ergo inter hominem & bruta nulla eſt ſimilitudo. Et tamen adeo inter ſe ſimilia ſunt, ut ſub eodem proximo genere contineantur. Nonne vides manifeſte in ratiocinatione tua tranſiri à ſecundum quid ad ſimpliciter dictum? Et certe miror te in rebus Dialecticis, ut arbitror, exercitatum, argumenti tui apertam fallaciam non agnoviſſe, quam ego natura tantum duce & agnovi, &, ni fallor, ſatis evidenter detexi. Poſſunt ergo res creatæ aliquam creatoris ſimilitudinem retinere, nec tamen immortales eſſe. Homo autem cur potiſſimum ad Dei imaginem factus dicatur, ex eo loco, ubi id primum dictum fuit, liquido apparet, hoc eſt, quia dominium datum eſt illi in univerſa opera Dei. Nam (ut Athanaſii, vel quiſquis eſt alius illius quæſtionum libelli auctor, hac ipſa de re quærentis eamque explicantis verbis utar) *ſicut in toto mundo Deus rex eſt & imperator, & poteſtatem exercet in omnia, & quæ in cælo ſunt & quæ in terra; ſic etiam homo princeps & rex conſtitutus eſt ſuperomnes res terreſtres, qui libera ſua voluntate facit quod vult, ſicut ipſe Deus.* Quanti autem hoc fieri debeat, oſtendit David Pſal. 8, ubi tantam Dei erga hominem benignitatem & vehementer admiratur, & pluribus verbis perſecutus ſummopere extollit. Imaginem autem Dei in homine immortalitatem eſſe non poſſe, nec ad eam imaginem conſtituendam immortalitatem requiri, ex eo apparet, quod etiam poſtquam homo morti eſt penitus obnoxius, eam imaginem retinere dicitur. *Gen.* 9. 6. *Jac.* 3. 9.

III.

Tantum abeſt, ut quod ſcriptum eſt de primo homine, quod ſcilicet factus fuerit in animam viventem,

pugnet

pugnet ex diametro cum natura mortali, ut ex eo maxime Paulus, 1 *ad Cor.* 15. colligat eum corpus animale, ob eamque rem mortale habuiſſe. Sic enim ait 1 Cor. 15. 44, 45; *Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale. Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale. Sic & ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, ultimus Adam in ſpiritum vivificantem. Verum non prius ſpirituale, ſed animale, poſtea ſpirituale.* Quod ſi corpus animale eſt id quod ſeritur, & porro corrumpendum ac deſtruendum eſt, & quia primus homo factus eſt in animam viventem, ejus corpus animale fuiſſe concluditur; an non aperte conſtat, propterea quod primus homo factus eſt in animam viventem, corpus eum habuiſſe quod ſeratur & deſtruendum ſit? Non enim in animam viventem, ſed in ſpiritum vivificantem factum eſſe oportet corpus illud, quod in æternum ſit permanſurum: vivificantem inquam, non quia alia vivificet, ſed quia ſeipſum vi ſibi à Deo tributa vivificet, nec ut vivat aliena amplius ope indigeat, & ita nunquam mori poſſit, cum vitæ ſuæ indeficientem cauſam in ſe ipſo habeat. Quocirca cum dicitur Gen. 2. 5, Deum inſpirâſſe ſpiraculum vitæ in Adamum, & nihil aliud inde colligat ſcriptura, niſi Adamum factum fuiſſe in animam viventem, concludendum omnino eſt, ex eo etiam nihil colligi poſſe, quod ad immortalitatem pertineat, ſed potius propter id ipſum, mortalem natura formatum fuiſſe primum hominem auctore Paulo ſtatui debere. Id quod etiam citra Pauli auctoritatem unuſquiſque animadvertiſſe poterat; cum poſt peccatum non minus quam ante, animalia appellentur animæ viventes; ut ſæpius videre eſt, cap. 9. Gen. 5. 10. 12, 15, 16. & multis aliis in locis; & in eis ſpiritus & ſpiraculum vitæ eſſe dicatur Gen. 6. 17. Et 7. 15. & 22. Aliud eſt enim naturam & hypoſtaſim, quemadmodum ipſe loqueris (ut interim hoc tibi de homine concedam) alicujus rei eſſe, ut ſit anima vivens, & ſpiraculum vitæ habeat; aliud, quod ea natura & hypoſtaſis perpetua futura ſit. Quin imo ſcriptura ut vitam hominis caducam, fluxam, & mortalem eſſe demonſtret, dicit hominem ſpiritum ſuum in naribus habere, Eſaiæ 2. ad finem; haud dubie alludens ad illud quod ſcriptum eſt à Moſe, Deum inſpiraſſe in nares hominis, quem formaverat (ſic enim habetur in Hebræo) ſpiraculum vitæ Gen. 2. 7. Et idci co etiam à Jeremia ſpiritus narium, pro vita uſurpatur Lament. 4. 20.

IV.

Quamvis in vulgata Bibliorum editione hortus ille, in quo primus homo ab initio collocatus fuit, appelletur paradiſus voluptatis; certum eſt tamen Hebræam vocem, quam vetus interpres voluptatis voce reddidit, ſignificare eo loco nomen proprium regionis, ubi erat hortus; ut & ſeptuaginta & recentiores Latini interpretes eam verterunt. Quod nomen non jam tum cum Deus hortum illum conſevit, ſed conſequentibus ſæculis illi regioni impoſitum fuiſſe, credendum omnino eſt. Hoc dico, ne quis ex eo, quod nomen illud à verbo quod deliciari & delectari ſignificat, deſcendere videtur, omnino concludi poſſe exiſtimet, hortum illum in ea regione poſitum deliciis plenum fuiſſe. Sed quid? Num idcirco homo in ſede voluptatis poſitus fuiſſe diceretur Gen. 2. 5. 8. 15, quod in horto deliciarum pleno, ut eum coleret & cuſtodiret, poſitus fuiſſet? Quam longe abeſt hoc ab illo. Sed tu fortaſſis reconditiorem aliquem ſenſum in tota illa hiſtoria ſubeſſe vis, quam verba præſeferant. Ego vero & tibi & cæteris qui ingenii acumine polleat, hujuſmodi indagationes non invitus relinquo, & me in iſtis abſtruſioribus ſpeculandis Paulo hebetiorem eſſe confiteri non pudet. Præterea etiamſi homo in ſede voluptatis fuiſſet conſtitutus, non inde tamen conſequeretur, natura immortalem fuiſſe, quia ſcilicet, ut ais, mors imminens omnem ſolidam voluptatem tollat. Epicurei ſe prorſus mortales eſſe firmiter credebant, & nihilominus tamen adeo ſolidas voluptates ſe experiri poſſe profitebantur, ut ſummum bonum in ipſa voluptate ponerent. Ad quod ſummum bonum, & ſic ad ſolidam voluptatem, plerique eorum antequam è vita excederent, ſe perveniſſe affirmabant. Quodſi hoc illis eveniebat, quibus penitus ſe interituros plane perſuaſum erat, quanto magis id primo homini evenire potuiſſe dicendum eſt, qui nec prorſus morti addictus fuerat, ſed potuiſſet divina gratia in vita conſervari, nec ſe mortalem eſſe, nemine indicante, vere agnoviſſet? Mors enim imminens non minuit voluptatem, niſi eam ſibi imminere quis ſciat: quemadmodum etiam, ut & ratio ſuadet & theologi aſſerunt, æternæ vitæ, quatenus æterna vita eſt, jucunditas nulla eſſet, niſi ii qui eam vel habent vel adipiſcuntur, illam ſe poſſidere ſcirent, & ſe in æternum victuros eſſe perſuaſiſſimum haberent.

V.

Immo quia ex arbore vitæ in horto illo à Deo conſita veſcebatur primus homo ante peccatum, cujus arboris ea vis erat, ut comedentis ex ea vitam perpetuaret, idcirco neceſſarium eſt hominem natura immortalem non fuiſſe. Cur enim Deus, qui nihil fruſtra facit, ejuſmodi arborem in hominis uſum conſeviſſet, & illi comedendam dediſſet, ſi is immortalitate ab ipſa creatione donatus fuiſſet, & ſic nulla re, cujus ope ipſius vita perennaret, opus habuiſſet.

VI.

Tibi frigidiſſimum videtur, nulla mortis mentione à Moſe facta ante præceptum, comminiſci, ut ais, res creatas fuiſſe mortales ante lapſum. At mihi multo frigidius videtur, cum omnes res creatæ intereant, comminiſci (hoc autem vere eſt comminiſci, non illud) ante lapſum eas fuiſſe immortales. Nam quod attinet ad præſtantiam conditoris, ea ne leviter quidem id ſuadere videtur, tantum abeſt ut cum ipſa pugnet, quod fuerint mortales. Manifeſtum enim eſt, omnes res creatas infinitis partibus ſemper à creatore ſuperatas fuiſſe, præſertim vero illas, quæ vel ſenſu, vel ratione carent. Pleni ſunt libri à doctiſſimis viris de providentia divina conſcripti, argumentis evidentiſſimis præſtantiæ Dei, quæ in rebus ab ipſo creatis eluceat, citra omnem immortalitatis earum conſiderationem, nec quiſquam eſt ita hebes, qui dummodo creationem agnoſcat in omnibus creatis rebus, nulla immortalitatis, qua ſint præditæ, ratione habita, creatoris præſtantiam aliqua ſaltem ex parte non videat. Quod autem attinet ad monitionem, quid quæſo ad beſtias ejuſmodi monitio? An non vere iſtud eſt comminiſci, propter hominis tranſgreſſionem non hominem ſolum ſed cætera quoque animantia ex immortalibus mortalia eſſe facta; cum in univerſis Sacris Literis ea de re ne verbum quidem extet? Poſt hominis lapſum, id quod Deus illi, ſi laberetur, comminatus fuerat, qualem vim habeat, apertiſſime ab ipſo Deo declaratum eſt; nec tamen quod cuncta animalia propter ejus tranſgreſſionem morti in futurum obnoxia eſſe deberent, vel dictum, vel leviter ſaltem indicatum fuit. Quænam vero hæc Dei juſtitia fuiſſet, propter hominis peccatum innocentes animantes tam graviter punire? ſi modo, ut ego quidem arbitror, longe graviſſima pœna eſt immortalitate privari. Nam quod terra propter hominem maledicta fuiſſe legitur, iſtud quid ſibi velit, ſatis ibidem explicatur Gen. 3. 17. Neque ratio ulla patitur, ut de alia maledictione ea Dei apud Moſem verba interpretemur, quam de illa de qua ibi expreſſe agitur, quæ homini ſcilicet detrimentoſa futura erat, & ad illius punitionem reſpiciebat; nulla tamen interea ipſi terræ vera pœna inflicta. Quod nec fieri poterat, cum terra ſenſu careat, & non niſi per proſopopœjam pœnas aliquas ſubire dici queat. Quare citra omnem injuſtitiæ ſuſpitionem, in pœnam hominis cui eam incolendam dederat, non modo ea quæ in Sanctis Literis diſerte exponitur, verum etiam quacunque alia ſimili maledictione percuti terra à Deo potuit. Quapropter tota vis argumenti tui eſt reſpectu hominis, cui cum Deus, ſi præceptum illud tranſgreſſus fuiſſet, mortem comminatus fuerit, ſatis conſtare videtur, ante tranſgreſſionem illum mortalem non fuiſſe.

Hic primum, si sacræ historiæ verba ipsa exacte perpendere velimus, & ad ea explananda Pauli Apostoli interpretationem, de qua infra agendum erit, non adhibere; per cominationem illam, licet in ea mortis expressa mentio fiat, mortem tamen ipsam vere Adamo decretam non fuisse, sed tantummodo mala destinata, quibus in hac vita propter peccatum hominem perpetuo circumdatum esse voluit Deus, manifestissime apparebit. Nam postquam homo lapsus fuit, explicans quodammodo Deus seipsum, & quid per mortem intellexisset perspicue declarans ait Gen. 3. 17. *Quia paruisti voci uxoris tuæ, & comedisti de arbore illa, de qua præceperam tibi dicendo, Non comedes ex ea; maledicta terra propter te. In labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinasque & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas agri. In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram; nam ex ea sumptus es. Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Vides, mortis non tanquam pœnæ mentionem fieri, sed tanquam termini ad quem usque pæna duratura sit, (nam & prius ait, *cunctis diebus vitæ tuæ*, & deinde addit, *donec revertaris in terram*) & non infligi homini mortem à Deo, nec tanquam aliquid pristinæ ejus naturæ vel contrarium vel etiam dissimile commemorari; sed solum morti hominem subjectum esse, ipsimet declarari, tanquam rei quæ ipsius hominis naturæ & materiæ, ex qua constabat, propria esset, eique valde consentanea: Deinde, etiamsi vel propter Pauli auctoritatem, vel, ne nova quadam prorsus ratione comminationem illam interpretari videar, tibi concessero, in ea vere de ipsa morte agi, non tamen sequetur, hominem ante lapsum fuisse immortalem; cum ex Hebraici sermonis proprietate nihil aliud significent illa verba, *moriendo morieris*, quam, certissime morieris, sive incurres in necessitatem moriendi; ut eleganter annotatum fuit in magnis Bibliis Rob. Steph: Nam ut in principio à me dictum est, homo ante lapsum quamvis natura mortalis esset, non tamen morti erat penitus & necessario obnoxius; sed divina gratia à morte in perpetuum servari poterat. Post lapsum vero omnino necessarium est ut semel moriatur, quemadmodum etiam scribit auctor ad Heb. ad finem cap. 9. Ad cujus rei confirmationem & uberiorem explicationem, quæ adhuc mihi dicenda supersunt, in responsione ad octavum tuum argumentum explicanda reservo. Itaque intelligere potes, neque propter conditoris præstantiam, nec propter ordinem monitionis, ulla ratione statui debere, universas res creatas, vel etiam ipsum hominem ante ejus lapsum, ex natura sua cum immortalitate aliquid commune habuisse. Quod vero Moses accurate rerum creationem describens nullam mortis mentionem faciat, cui mirum id esse potest, quamvis cunctæ res fuerint mortales creatæ? Quid enim morti, seu conditioni mortali cum ipsa creatione commune est? Neque enim à Mose rerum natura, & qualitates sive proprietates, quas in creatione adeptæ fuerint, sed creatio ipsa & creationis modus præcipue describitur. Quanquam mors vel mortalitas nec natura nec qualitas nec proprietas rei vere dici potest, sed potius horum omnium aut præsens aut futura corruptio & abolitio Cur autem Moses de rerum creatione agens id explicuisset quod ad creationem non pertinet, quodque unusquisque per se nimio plus videt, morti scilicet omnes res sub cœlo creatas subjectas esse, cum tam multa silentio prætereat, quæ ad rerum creatarum naturam proprie spectant, quæque ad ipsam creationem pertinere dici possunt, & plerisque sunt prorsus incognita? Num putas eum vel somniasse quidem, extituros aliquando qui omnes res creatas in ipsa creatione à Deo immortalitate donatas fuisse, ex ipsius verbis colligere se posse crederent? aut rei tam ab omni ratione alienæ ullam rationem eum habuisse credis?

VII.

Animus erat de testimoniis libri Sapientiæ, quod liber ille ad confirmanda nostræ religionis principia & decreta nullas vires habere credatur, omnino silere: ut tibi tamen etiam hac in parte satisfaciam, dico sententiam priorum verborum, quæ tu citas, non eam esse quam scribis, & longe aliud sensisse scriptorem illum, quam tu opinatus fueris. Siquidem mortis nomine non significare voluit mortem naturalem sive mortalem conditionem, seu mavis eam mortem quæ omnibus est communis; sed vel æternam mortem, ut plerique senserunt, vel ut ego sentio, vitam infelicem, aut mortem immaturam, miseram, ac denique aliqua ex parte violentam. Id autem manifestum facit ipsum verborum initium, ubi auctor homines hortatur ad devitandam mortem. Nam mors hæc quæ omnibus dominatur, vitari non potest. Non minus manifeste idem ostendunt verba illa: *Impii autem manibus & verbis accersiverunt illam.* Neque enim impii malis operibus mortem, quæ omnibus est communis, accersiverunt; cum jam inde ab ipso statim Adami lapsu & sic ab ipsius ferme mundi initio in mundum ea invecta fuerit. Quanquam non *illam* sed *illum* fortasse legi debet, ut ad infernum referatur; quandoquidem ex Græco exemplari supra legendum est *inferni regnum*, & expungenda sunt illa verba Latini codicis. *Injustitia autem mortis est acquisitio.* Verum idem nihilominus sensus esset, & propterea eandem plane vim ad sententiam meam confirmandam ea verba haberent. Quod autem dicit scriptor ille Sap. 1. ỳ. 14, *Deum creasse omnia, ut essent*; Primum vox *omnia*, non de omnibus creatis rebus intelligenda est, sed de iis de quibus agitur, id est de hominibus. Demonstratur hoc ex eo quod supra à me scriptum fuit, stirpes scilicet, ut semper essent. creatas non fuisse; immo ante lapsum & homini & brutis animantibus, ut eis vescerentur, Deum libere concessisse. Hæc autem sermonis figura, quæ, ut scis, Synecdoche appellatur, ita frequens est in sacris scriptoribus, ut nulla alia frequentior videatur. Atque hic idem auctor ea sæpissime utitur: ut videre est inter cæteros locos cap. 7. 11. XII. 21, 27, & cap. 8. 5. cap. 10. 2, & cap. 18. 14, & 16. Et cap. 19. 6, & 21. Sed potissimum ad finem cap. 11, & in principio cap. 12. ubi idem prorsus est loquendi modus. Nam de hominibus tantum verba faciens, omnium memini quæ Deus condidit; non quia omnium rerum creatarum nomine homines quoque contineantur; sed quia, cum omnia dicit, homines solos intelligit, & ubique omnes & omnia pro eodem accipit. Id vero ex eo patet quod ait: *Sed tu parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine animarum amator.* Deinde ejus rei rationem reddens, subjungit. *Nam omnibus incorruptus tuus inest spiritus. Itaque eos qui labuntur, paullatim coarguis.* (Sic enim vere habet principium cap. 12. non autem ut est in vulgata Latina interpretatione, quæ toto eo libro à Græco exemplari mirum in modum dissidet.) Ubi qui non videt ea verba; *Sed tu parcis omnibus, quia tua sunt*, de hominibus tantum accipi debere, næ ille aut præjudicata aliqua opinione vehementer occupatus est, aut in sacris auctoribus intelligendis, & usus cujusvis linguæ cognitione parum profecit. Cum igitur in illis verbis; *Creavit enim ut essent omnia*, de hominibus tantum loquatur scriptor iste, & illud *Esse* de quo ibi loquitur, opponatur morti de qua supra egerat; mors autem illa, ut vidimus, non ea quæ necessario omnibus hominibus subeunda est, sed vel æterna, vel ex parte aliqua violenta sit, sive infeliciter transacta vita; manifestum deinde est, *ut essent*, non significare, ut vitam hanc perpetuo retinerent, sive ut nunquam morerentur; sed vel ut vitam æternam consequerentur, vel ut feliciter viverent, sive ad terminum usque quem natura præscribit vitam ducerent ac perdurarent, nec vi aliqua ante tempus perirent: Ex quo efficitur, priora illa hujus scriptoris verba, à te citata, nulla ratione sententiam tuam juvare posse. Asseris enim (& de hoc controversamur) omnia quæ à Deo creata sunt (& præsertim hominem) in ipsa creatione immortalitate donata fuisse. Quod multo magis verum esse apparebit, si consideremus, non de alia morte quam de violenta aut de misera vita ibi agi, verisimillimum esse, ut mos est universæ veteris scripturæ, quæ

quæ cum de morte loquitur alicui propter peccata à Deo infligenda, miseram vitam seu magnas calamitates aut violentam mortem perpetuo intelligit. Atque secundum hunc sensum ita ὠφελιμως interpretor ego totum illum locum: Ne miseriam mortemve immaturam & violentam vobis delictis vitæ vestræ volentes concilietis, neve malis vestris factis perditionem vobis sponte accersite. Deus enim calamitatum & acerbæ mortis vobis auctor non est, neque infelici hominum interitu delectatur, sed invitus quodammodo eorum scelera calamitatibus & morte punit. Eos namque singulos creavit ut felices vivant, & usque ad terminum quem unicuique natura præscribit, incolumes perdurent. Nam cum aliquis generatur in hoc mundo, id ad vitam tantum & bonum ejus spectat, nec aliquod malum tanquam venenum quoddam ex ipsa generatione is contrahit, quod eum ad ejusmodi perditionem trahat. Neque vero in terra adeo sæva hominum mors ac perditio regnat, ut eam effugere non detur. Justitia enim, quam omnes amplecti possunt, si velint, ab omni miseria & violenta morte hominem liberat, quam impii & injusti homines & factis & verbis suis nefariis sibi ipsis accersiverunt, & tanquam amicam imprudentes eam complexi, misere contabuerunt, quasi perpetuo quodam fœdere cum ipsa inito. Nam & profecto ejus partium esse dignissimi sunt. Hanc meam interpretationem tibi vice exactæ istius loci examinationis esse volo. Ex qua præterea quæ prius dixeram intelligere potes, ne de mundi quidem creatione hic verba fieri, me tibi concessurum; neque id injuria à me negari dices, si cum verbis ipsius auctoris, non ut in Latino sed ut in Græco codice habentur, ipsam meam interpretationem diligenter contuleris. Et hæc, quantum attinet ad priora à te prolata hujus scriptoris verba. Quod vero pertinet ad posteriora, dico te eorum pariter sensum nulla ex parte assecutum esse. Non enim dicitur ibi, ut tu opinaris, mortem impiis tantummodo impendere (quod etiamsi diceretur, jam quid sibi id vellet, supra à me expositum est) sed perditionem & mortem alicui machinari impiorum esse proprium diabolum imitantium, qui, ut ait Dominus Jesus, homicida fuit ab initio Joh. 8. 44. Nam Deus hominem non ad injustitiam & pravitatem creavit, sed ut integer esset & incorruptus. Quod enim in Latino est, *creavit hominem inexterminabilem*, in Græco scriptum legimus Sap. 2. 23, ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, id est, ut reliqui veteres Latini codices habent, & quidam verbum verbo reddentes verterunt, *creavit hominem in integritate*. Siquidem ἀφθαρσία non minus pro integritate quam pro immortalitate usurpatur. Proprie enim incorruptionem significat. Mirum autem videri potest, cum in verbis, quæ protulisti, scriptum sit, *Imitantur autem illum*, &c. te auctoris sententiam non percepisse, & de impiis diaboli exemplo mortem alteri inferre conantibus, non autem morientibus eum loqui non animadvertisse. Quanquam Latinus vetus interpres sensum potius quam verba eo loco reddidit. Nam in Græco est, πειράζετε δὲ αὐτὸν &c. πειράζετε autem *imitantur* significare non potest; αὐτὸν vero non ad vocem διαβόλου, sed ad vocem θάνατος referri debet, ut scilicet non diabolus sed mors pronomine isto relativo significetur; & sic non illum, sed *illam* sive *eam* Latine reddi debet; quemadmodum ab aliis interpretibus fere factum videmus. Ubi præterea notandum est, verbum πειράζειν, sive Experiri; non experimentum in seipso, id est, hoc loco mortis participationem, sed ejus in altero experimentum, conatum videlicet eam alteri inferendi declarare posse. Non absimili enim loquendi modo supra quoque scriptor hic usus fuerat, cum impios de justo ita loquentes inducit Sap. 2. 17. πειράσωμεν τῷ λόγῳ αὐτοῦ, hoc est, Experimentum capiamus eorum, quæ illi tandem eventura sunt. Auctoris igitur sententia, meo quidem judicio, est, impios qui mortem justo inferre tentant, à recta via turpiter aberrare, & ita excœcatos propria malitiaesse, ut non sperent aliquam à Deo retributionem, si innocenter & inculpate vitam transigant, & ab omni cæde atque injuria abstineant; cum tamen Deus hominem creaverit, ut integer esset & omni injustitia vacans, & hac in parte ipsius Dei perquam similis. Diabolus autem fuerit qui mortem id est homicidium & alterius oppressionem suasit, ut hac ratione homini, cujus honori & gloriæ quam à Deo consecutus est, maxime invidet, miseriam atque interitum identidem paret. Hæc autem ipsa aliis inferre, eos conari qui diaboli partibus favent, & ut inquit Christus Joh. 8. 44. 47, non ex Deo sed ex diabolo sunt. Verum (ut ipse auctor adjungit deinde cap. seq.) nihil conatibus suis isti efficient. Justorum enim vita in manu Dei est, qui eos ab omnibus malis defendet ac liberabit. Hunc esse verissimum hujus loci sensum te ipsum probe agniturum spero, si verba ipsa paulo accuratius quam antea feceras examinaveris, & Græca exemplaria consulueris. Quem sensum, quod attinet ad rem nostram, nihil immutaveris, etiamsi postrema loci verba ita accipias, ut experimentum in se ipso mortis, non autem in altero significent, (quemadmodum Græcæ isti locutioni magis convenire ipse non nego) modo manifesta vocabuli mortis significatio, quam dixi, non immutetur. Sic enim postrema ista verba significabunt, eos, qui à diabolo stent, miseriam tandem atque interitum subire; id quod tamen ipsius loci interpretationem & ex eo argumentationem nihil prorsus juvat. Et ex iis quæ de hoc disputavimus, superioris quoque loci sententiam, præsertim quod ad vocem mortis attinet, te percepturum, non plane diffido. Unum tamen adhuc te monitum volo, me verba illa ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, id est, *in integritate*, pro eo quod est, integritati, sive ad integritatem, interpretatum fuisse, non sensum modo, qui mihi aptior & universæ divinæ scripturæ convenientior visus est, secutum, sed alios etiam interpretes imitatum, qui non *in immortalitate*, sed *immortalitati*, sive *ad immortalitatem* ea reddiderunt. Quod si hæc interpretatio tibi duriuscula visa fuerit, poteris verba, ut sonant (id autem est, *in integritate*) accipere. Et sensus erit, Deum creasse hominem integrum & incorruptum, & propterea sui similem. Diabolum autem cœdes & injustitiam in mundum invexisse, &c. Illud postremo non omittam, ex quibusdam quæ in hujus scriptoris testimoniis producendis verba apposuisti, clare perspici posse, te opinionibus tuis imbutum, & de earum veritate aut parum jam aut nihil addubitantem, ad sacrorum scriptorum verba examinanda accedere. Ais enim: *Ergo si credimus huic divino testi, quem ego saltem hac in parte omni exceptione majorem judico*, &c. Hunc igitur scriptorem, cujus autoritatem alii vel spernunt vel suspectam habent, saltem in ea parte testem omni exceptione majorem judicas, quæ scilicet tuam sententiam, ut quidem credis, juvare possit. Ita quia verissimam jam esse tuam sententiam statueras, ex illa de hujus scriptoris auctoritate judicium facis.

VIII.

Per peccatum inquit Paulus Rom. 5. 12, *mors in mundum intravit*: id est, moriendi necessitas, sive mors æterna, non autem mortalis conditio, sive ipsa mors naturalis, quemadmodum supra à me explicatum fuit. Ut autem hoc pacto & Mosis & Pauli verba interpreter, multa me præter rationes jam allatas, & sacrorum scriptorum perpetuum loquendi morem impellunt, immo potius cogunt. Nam non solum ipse Paulus, ut jam ex parte vidimus & in responsione ad proxime sequens argumentum plenius videbimus, alibi aperte testatur, primum hominem creatum fuisse mortalem; verum etiam rationibus ex ipsis Sacris Literis desumptis id plane demonstrari potest Gen. 2. 16. Primum enim quod Adam etiam ante lapsum comederet & escis uteretur, argumento est, eum omnino fuisse natura mortalem & corruptibilem. Quandoquidem escæ ad reparationem calidi & humidi, unde animalis vita pendet, sunt comparatæ. Nam utrumque tandem absumitur, nisi subinde ea ratione quodammodo propagetur, id quod incorruptibili & immortali naturæ prorsus repugnat. Quod enim immortale & incorruptibile

natura

natura eſt, non indiget refectione ulla; cum nec mori nec corrumpi poſſit, aut ſaltem non corruptibilibus rebus, quales ſunt eſcæ, reficitur, ſed incorruptibilibus & ipſius naturæ accommodatis. At dices fortaſſe, hominem ante lapſum cibis uſum fuiſſe non ad ſui conſervationem ſed ad voluptatem tantum. Iſtud vero quomodo probabis? Certe hujus mutationis, quod ſcilicet ante lapſum cibi ad voluptatem tantum, poſt vero ad conſervationem quoque comparati fuerint, nulla in ſacris literis fit mentio, nec ullum diſcrimen hac in parte inter hominem jam lapſum & adhuc innocentem fuiſſe uſquam legitur. Sed quid? An non tota humani corporis fabrica cibo ad ejus conſervationem opus fuiſſe manifeſte arguit? Cur enim ventriculum, cur jecur, & venas, cur inteſtina habuiſſet, ſi concoqui & digeri ad ipſius nutritionem, craſſioribus & inutilibus partibus expulſis, cibus in eo non debuiſſet? Quam vero immortali & incorruptibili naturæ diſſentaneum ſit eſcis uti, ſatis indicat Paulus cum ait, *Eſcæ ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & illas abolebit*, 1 Cor. 6. 13. Quod nulla alia ratione aſſerere potuit Apoſtolus, niſi quia cum immortali & incorruptibili conditione, quam certo nos adepturos ſperabat, eſcas omnino pugnare videbat. Ubi obiter eadem ratione animadvertendum eſt, non eſcas tantum, ſed ventrem quoque ipſum naturæ immortali adverſari; quo tamen Adamum antequam peccaret caruiſſe, non crediderim te affirmare auſurum. Præterea quis unquam immortalem & incorruptibilem naturam illius eſſe audebit dicere, qui commiſtione cum altero ſuæ ſpeciei ſibi ſimilem gignat, & ejuſmodi generationi deſtinatus ſit, ut fuit homo antequam delinqueret? Quis non videt ſibi ſimilis productionem ad generis ſeu (ut loquuntur) ſpeciei conſervationem ſpectare, intereuntibus ſingularibus ſeu (ut vocant) individuis? Num fortaſſe putas, ſi Adam non peccaſſet, homines generaturos fuiſſe, donec ipſis terra repleta eſſet; deinde à generando ceſſaturos? An non veriſimile eſt potius, Deum, ſi homines perpetuo generaturi non erant, non ea ratione eos multiplicari conſtituturum fuiſſe, ſed ab ipſo creationis exordio orbem terrarum ipſis repleturum? Invicem autem pugnare, immortalem eſſe, &, ſibi ſimilem per alterius conjunctionem procreare, oſtendunt manifeſte verba Chriſti, Luc 20. 35, & 36. Inquit enim, *Qui vero digni habiti fuerint, ut ſæculum illud aſſequantur & reſurrectionem ex mortuis, nec matrimonia contrahunt, nec nuptum dantur; neque enim amplius mori poſſunt.* Immortali igitur conditione præſente, pereunt omnino nuptiæ, & maris fœminæque conjunctio. Concubitu rurſus, & commiſtione ejuſmodi exiſtente, immortalitatem abeſſe neceſſe eſt. Huc accedit, quod materia ex qua homo conſtat, & elementorum commiſtio quæ in eo conſpicua eſt, alterationem (ut ajunt) & mutationem in ipſo omnino arguunt, & propterea etiam corruptionem, niſi mirabili quadam ac divina ope perpetuo conſervatus fuiſſet; præſertim cum ab ipſo initio ibi poſitus foret, ubi ſolis acceſſu & receſſu, temporum & diei ac noctis perpetuæ viciſſitudines regnant, quæ miſta omnia vi ſua paulatim ad interitum tandem perducunt. An una cum iis qui ex proprio capite quidquid magis libuerit confingere ſolent, ante Adami lapſum, æſtus, frigora, imbres, ficcitates in orbe terrarum non extitiſſe; & ſi homines nunquam deliquiſſent, nunquam hæc extitura fuiſſe credis; quamvis horum omnium neceſſariæ cauſæ ante Adami lapſum extarent? Num aſſerere audebis, Adami corpus ex ipſa terra formatum ſua natura ejuſmodi rerum & qualitatum impreſſionibus minime fuiſſe obnoxium? Num id impenetrabile & inviolabile fuiſſe dices, & quamvis carne, oſſibus, & nervis compactum atque conſiſtens, vulneribus, contuſionibus & inciſionibus lædi ac corrumpi potuiſſe negabis? Num famem, ſitim, defatigationem, Adamum ante peccatum vel expertum fuiſſe vel experiri potuiſſe, minime concedes? Num pro eo tempore à ſomno etiam ipſum immunem facies, ex quo Alexander ille magnus ſe mortalem omnino eſſe deprehendebat? Num, ſi ille non deliquiſſet, non modo variari ejus ætatem non potuiſſe affirmabis, & perpetuo in eadem conſiſtente ætate eum permanſurum fuiſſe dices? verum etiam filios quos genuiſſet, vel ejuſdem, cujus ipſe erat, cum creatus fuit, ætatis naſcituros, vel alterationem quidem, donec per incrementa ad eam ætatem perveniſſent, experturos, ſed in ea poſtmodum in perpetuum quieturos, & nulli alterationi jam obnoxios futuros, aſſerere non dubitabis? & ſic ex patre incorruptibili filios corruptibiles quidem primum naſcituros (nam quidquid alteratur, corruptibile natura eſt) incorruptibiles tamen deinde omnino evaſuros aſſeverabis? An hæc, obſecro, quæ & per ſe longe abſurdiſſima ſunt, & ſententiæ tuæ, quæ homines, ſi non peccaſſent, natura prorſus immortales futuros ſtatuit, aperte refragantur, aut non curas, aut ex ipſa ſententia tua neceſſario fluere non animadvertis? Adde quod ſi corpus hominis ejuſve fabricationem diligenter conſideres, quam poſt lapſum Adami immutatam fuiſſe, nemo eſt qui vel probare poſſit vel comminiſci audeat, fieri non poſſe videtur, ut Deus ejuſmodi corpus, quanquam cum cæterorum animalium corporibus comparatum longe præſtantiſſimum, ſi tamen per ſe conſideretur, à perfecta & abſoluta præſtantia remotiſſimum, immortale & nunquam interiturum creaverit. Aliis multo præſtantioribus dotibus, quam Adami corpus exornatum unquam fuerit, exornabit Deus corpora noſtra, cum ipſa immortalia efficiet; quas partim & Adamo ſemper defuiſſe agnoſcimus, & nobis deeſſe conquerimur; partim imaginari potius, quam vere percipere aut explicare poſſumus. Sed hæc diligentius examinandi non eſt hic locus. Satis fuerit oſtendiſſe Sacrarum Literarum teſtimoniis, in primo homine etiam ante peccatum quædam fuiſſe, quæ cum immortali natura nihil commune habere poſſint. Quibus addatur id quod in refutatione quinti argumenti, in te ipſum à me retorti dictum eſt, hominem videlicet, ſi immortalis creatus eſſet, eſu arboris illius vitalis ab initio opus non habiturum fuiſſe. Nec enim dici poteſt, arbori illi vim in vita conſervandi vere non fuiſſe inditam, ſed allegorice nihil aliud per eam arborem intelligi debere, quam hominem naturaliter perpetuo victurum fuiſſe. Nam præterquam quod iſtud tanquam merum humanum commentum, nulla verbi divini autoritate ſuffultum, ſimplici negatione refelli poſſit; falſum id eſſe etiam ex eo convincitur, quod poſt peccatum poſitus fuit Cherubim & gladius verſatilis ad cuſtodiendam viam arboris vitæ, ne homo, qui jam boni & mali ſciens evaſerat, ad eam manum porrigeret, eaque ut vitam ſuam perpetuaret veſceretur. Quod allegorice tantum, quoquo te vertas, interpretari nunquam poteris. Sed neceſſe eſt fateri, vere arbori illi eam vim Deum dediſſe, ut comedentis vitam mirifice conſervaret. Poſtremo, etiamſi concederetur, in illis Pauli verbis quæ tu attuliſti, *per peccatum mors*, mortis nomine non neceſſitatem moriendi, ſive æternam mortem, ſed ſimpliciter ipſam mortem ſignificari; nihil tamen inde ad tuam ſententiam confirmandam neceſſario eliceretur. Per peccatum enim ipſam mortem in mundum intraſſe, non eam vim habet, ut, ſi homo non peccaſſet, mors in mundo extitura non fuiſſet; ſed tantummodo ut peccati occaſione quadam & Adami lapſu præcedente, mortem humanum genus contraxerit, quamvis alioquin eam nihilominus ſubiturum fuiſſet. Exemplum hujuſce loquendi modi, cum hac, quam ego aſſero, ſignificatione, eſt apud eundem Paulum in eadem Epiſtola ad Rom. cap. 11. 11, 12, & 15. ubi aperte ait, lapſu, ſive per lapſum Iſraëlis contigiſſe ſalutem gentibus, & illius lapſum & diminutionem fuiſſe divitias mundi & gentium, & rejectionem Judæorum fuiſſe mundi reconciliationem: cum tamen neque gentes ideo Chriſto fidem habuerint, quia Judæi eum aſpernati ſint, & gentibus debuiſſet prædicari Euangelium, ac ſalus annunciari, etiamſi Judæi Chriſtum non reſpuiſſent, & à Deo rejecti non eſſent: ut inter innumera ejus rei evidentiſſima teſtimonia & certiſſima argumenta patet potiſſimum

riſſimum ex eo, quod Chriſtus antequam ab ipſis plane reſpueretur, & eos Deus rejiceret, & antequam in cælum aſcenderet, mandavit Apoſtolis ſuis ut Euangelium omni creaturæ prædicarent, Mar. 16. 15, & ut omnes gentes docerent, Matth. 28. 19, & conſtituit eos teſtes ſuos non in Hieruſalem modo atque univerſa Judæa & Samaria, verum etiam uſque ad ultimum terræ, Act. 1. 8. Sed quia publicam Chriſti inter gentes & confeſſionem & prædicationem præceſſit Iſraëlis defectio, quæ occaſio tanti boni gentibus fuit, ideo gentium ſalus per Judæorum lapſum contigiſſe dicitur.

IX.

Locus Pauli 1 ad Cor. 15. omnino falſitatem tuæ opinionis coarguit, tantum abeſt ut eam eſſe veram confirmet. Ibi enim Adamus cum Chriſto confertur, nulla peccati mentione facta, & per illum mortem in mundum invectam fuiſſe, per hunc vitam, aſſeritur: naturalis tantummodo Adami conſtitutionis ratione habita, & qualitatum quas Chriſtus poſt reſurrectionem adeptus eſt. Per Adam igitur omnes moriuntur, quia ille mortalis erat, & ob eam cauſam omnes qui ex eo naſcuntur, mortales eſſe neceſſe eſt. Mortalis, inquam, erat non modo poſt lapſum, ſed etiam ante lapſum, ut ipſe Apoſtolus ejus mortalitatem ex duabus rebus, quæ lapſum anteceſſerunt, colligens, evidenter demonſtrat. Inquirens enim, quale corpus habituri ſimus in reſurrectione, ait omnino ut in iis quæ ſeruntur evenit, ſic hac in re eventurum, ut ſcilicet mori debeat corpus hoc quod habemus, ut aliud novum & longe præſtantius inde naſcatur; quemadmodum ex mortuo ſemine novum quiddam & multo excellentius exoritur. *Seminatur* (inquit) *in corruptione, reſurgit in incorruptibilitate, ſeminatur in ignominia, reſurgit in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurgit in potentia, ſeminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale.* Hæc eſt igitur differentia corporis, quod nunc habemus, quodque deſtruendum eſt, & corporis quod poſt reſurrectionem habituri ſumus, quodque in æternum durabit, quod hoc noſtrum animale eſt, illud ſpirituale erit. Animale autem corpus quale ſit, jam explicaverat, nempe corruptibile, vile & infirmum. Porro animale noſtrum corpus eſſe ex eo confirmat, quod Adam, unde omnes originem trahimus, animale corpus habuit. Animale vero corpus eum habuiſſe, ex Moſis verbis Gen. 2. 7. colligit, qui ſcribit, factum fuiſſe primum hominem in animam viventem. Sed anima vivens factus jam erat homo antequam peccaret. Ergo antequam peccaret, corpus animale habuit, & ita, antequam peccaret, habuit corpus corruptibile, vile & infirmum. Subjicit deinde, ut idem probet, corpus videlicet hoc noſtrum deſtruendum eſſe, quod terreni ſimus, & tacite ea ratiocinatione utitur, qua Deus ipſe, cum Adamo ejus conditionem declararet, uſus eſt, dum ait Gen. 3. 19, in terram eum, ex qua ſumptus fuerat, rediturum, & quia pulvis eſſet, in pulverem reverſurum. Cum igitur terreni ſimus, deſtruendum eſt hoc corpus noſtrum, ſi immortales eſſe velimus; cum id naturaliter in terram, unde ſumptum eſt, reverti debeat. Terrenos autem nos eſſe per id demonſtrat Gen. 2. 7, quod ipſe primus homo, qui nos progenuit, de terra ſumptus ac formatus, & propterea terrenus fuit. Verum hoc ante lapſum in ipſo creationis initio extitit. Igitur ante lapſum Adamus fuit terrenus, & ſic ante lapſum corpus ſui natura omnino abolendum habuit. Quod deinde ex eodem hoc Pauli loco colligi poſſe credis, omnia corpora reſtitui debere, atque eadem de re agi exiſtimas 8. cap. ad Rom. id, etſi à veritate alieniſſimum eſt: quia tamen ſententiam tuam, de qua diſputamus, nullo pacto confirmat, & ut verus ſenſus illius loci ad Rom. in quo vis aliqua ineſſe videtur, tibi conſtaret, longo ſermone opus eſſet, hujuſce rei tractationem in aliud tempus differemus, cum minus occupatus fuero; & quam longe à ſacrarum literarum ſcopo hac in parte aberres, Deo bene favente, demonſtrabo. Illud interim tibi affirmo, in neutro illorum locorum de aliis hominibus agi quam de Chriſtianis, nedum de brutis quoque animantibus Paulus loquatur. Dixi autem reſtitutionem illam omnium corporum, quam tu & alii quidam ex illis locis elici poſſe putatis, nihil tuam ſententiam juvare; quia cum Chriſtianorum corpora renovanda eſſe manifeſtum ſit; & tamen inde nulla ratione conſequatur, primi hominis corpus ante peccatum fuiſſe immortale; ex renovatione ſimiliter ſive reſtitutione omnium corporum, quæ futura ſit, nulla priſtina ipſorum immortalitas argui poteſt. Quodſi aliter ſentis, conſecutionem iſtam probes. Id autem, ſi ego vel frigidiſſime quidem fieri poſſe animadvertiſſem, reſponſione mea probationem tuam antevertiſſem. Sed ingenium meum obtuſius eſt, quam ut acutiſſimas iſtas argumentationes per ſe aſſequi poſſit. Cætera quæ concludens addis, ea, quoniam vel ad quæſtionem noſtram proprie non ſpectant, vel nulla autoritate aut ratione abs te confirmantur, vel partim etiam mihi tecum ſunt communia, miſſa prorſus facio.

X.

Non mors, ſed conditio mortalis, inerat in homine etiam ante peccatum; ſi modo non hoc quoque valde improprie dictum eſt. Chriſtus autem aliud attuliſſe nobis dicitur, quam remedium ejus mortis, quæ per peccatum intravit in mundum. Venit enim, ut ipſe ait, non ſolum ut vitam habeamus, ſed ut abundanter habeamus, Joh. 10. 10. Immo quantum meminiſſe poſſum, nuſquam legitur Chriſtum remedium ei morti dediſſe, quæ propter primi hominis delictum orbem terrarum invaſerat. Quanquam id veriſſimum eſſe fateor, dummodo hoc duntaxat eum feciſſe, non dicamus. Siquidem manifeſtiſſimum eſt, opponi Chriſtum Adamo, non ut eum qui à morte nobis ab ipſo Adamo illata liberaverit, ſed ut eum qui nobis vitæ æternæ cauſa extiterit, ſicut ille mortis. Primum enim cap. 5. ad Rom. ubi eam oppoſitionem Apoſtolus accurate & copioſe perſequitur, ſcriptum eſt: *Si unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratiam Dei per Chriſtum in multos exuberaſſe.* Quæ autem ſit ea gratia Dei quæ morti illi opponatur, declarat idem Paulus ad finem cap. 6, inquiens; *Stipendia enim peccati mors. Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Quod etiam explicat eodem cap. 5. Nam paucis interjectis ait: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.* Et illico ſubjungit. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Ac poſtmodum. *Ubi autem ſuperabundavit delictum, ſuperabundavit gratia, ut ſicut regnavit peccatum in morte, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Priore deinde ad Cor. cap. 15. in iis verbis, quæ tu in proxime ſuperiore argumento citaſti, opponitur Chriſtus Adamo, non ut is qui liberet ab ea morte quam Adamus attulit; ſed ut auctor reſurrectionis, ſicut ille mortis; (quid autem per reſurrectionem intelligat, manifeſtum poſtea facit, nimirum non reſtitutionem in priſtinum ſtatum, ſeu poſt ſive ante lapſum, ſed renovationem in multo excellentiorem; ut ſupra demonſtratum fuit) atque ut is per quem homines vivificentur, ſicut per illum moriuntur. Alios locos illuſtriores non memini, in quibus Chriſtus cum Adamo conferatur. Chriſtus igitur etiam tunc cum Adamo opponitur, non mortem quam ex illius peccato contraxerimus, abolere dictus eſt, ſed vitam æternam afferre; ut ubique ſcriptum extat. Et Paulus alibi non ſat habuit dixiſſe de Chriſto, *Qui deſtruxit quidem mortem*; ſed addidit, *illuminavit autem vitam & incorruptionem per Euangelium.* 2 ad Tim. 1. 10. Atque hactenus ad tua argumenta reſponſum volo. Potuiſti autem (ni vehementer fallor) ex reſponſionibus meis duo animadvertere. Unum, argumenta & teſtimonia quæ attuliſti, non ejuſmodi eſſe quæ ſententiam tuam alicui perſuadere poſſent; cum non ſolum ad eam confirmandam nihil veræ ſoliditatis habeant, ſed etiam ex ipſis aliqua, eam fun-

ditus

ditus evertere posse videantur. Alterum, me non omnino immerito sententiam meam verissimam esse, asseverare, quam viri aliqui doctissimi ante me literis prodiderunt, & vulgus hominum, qui clarissimam hanc lucem quibusdam scripturæ locis non exacte perpensis, hallucinantes non conspexere, sunt demirati. Quos vulgares homines te tanto ingenio & tam varia eruditione præstantem imitari profecto non decet; sed humanis commentis omnibus rejectis, ad verissimos & certissimos sacrorum testimoniorum sensus penitus inspiciendos te totum convertere; unde veritati divinæ, quæ adhuc maxima ex parte latet, patefaciendæ inservire possis. Quod ut facias, & moneo & obtestor. Nam alioqui desidiæ tuæ rationem reddes illi, qui paratus est judicare vivos & mortuos. Ego interim Deum supplex orabo, ut tibi perpetuo gratia & spiritu suo adesse velit.

Basileæ 11 Junii. 1577.

FRANCISCI PUCCII

Suorum argumentorum defensio adversus superiorem responsionem, ab ipsomet auctore ad hunc modum inscripta:

Confutatio dogmatis de mortalitate rerum à Deo creatarum in primo earum statu, per Franciscum Puccium Florentinum.

NOn parum dubitavi, Fauste acutissime, an amplius contendere tecum præstaret, de hac bella quæstione quam defendere conaris; nempe, Deum immortalem creasse primum omnia (vel hominem ipsum ad suam imaginem) non immortalia, sed mortalia: & aliam mortem fuisse in rebus creatis, ante eam quæ per peccatum intravit in mundum, an potius expediret silentio præterire eas infirmissimas conjecturas, quas objicis argumentis solidissimis & divinis oraculis; quibus non solum à me, sed ab omnibus qui non omnino pessime sentiunt, contrarium probatur. Nam profecto existimo, nonnunquam te ipsum potius exercendi ingenii gratia mihi contradicere, quam quod ita sentias: cæterorum vero qui tua cum nostris conferent, neminem fore confido (modo vel primoribus labris sacras literas gustaverit) qui non statim intelligat, te quidem satis acute tergiversari, & subterfugere nimis certa oracula, nihil tamen afferre quod non admodum frivolum & nugatorium sit. Et sine dubio ego facile fassus essem, te ingenii acumine & sophisticis artibus superare me, qui vix manifestissimam & certissimam veritatem tueri possum; nec opus erat tuam suppellectilem Hebræam & Græcam proferre, ut me perterre faceres; nam ultro dedissem manus, & me à te superari fassus essem, si hanc tantum palmam quærebas. Sed ego res divinas graviores apud te esse putabam, quam ut tam facile eas eludere, & certissimas quasque in dubium revocare velles. Idcirco disputabam tecum, tanquam cum homine cui veritas ipsa esset cordi, & in ea quiescere cuperet. Nunc quando constat, te parum curare, an bene an male de hujusmodi rebus sentias, ut qui tibi finxeris pietatem quandam novam, in qua bene sentire facile negligitur, & summa licentia detorquendi sacras literas ad libitum, & quidlibet ex quolibet colligendi usurpatur; judicabam certe potius à scribendo abstinendum esse, quam nimium altercando suspicionem injicere lectoribus (si qui tamen unquam hæc videbunt) rem hanc esse dubiam, & tua argumenta alicujus ponderis, vel egere alia responsione, quasi eorum fallaciæ non satis per se manifestæ essent; quia si quis non movetur divinis oraculis, imo ea depravare non veretur, suis frigidissimis commentis, de ejus sanitate omnino desperandum est. Sed quia in te fortasse non tam est culpa malitiæ, quam imprudentiæ & alacritatis ingenii, quod omnia audet, & de suo acumine nimis sibi promittit: decrevi adhuc semel te amice hortari, ne amplius resistere veritati, & in divinum numen contumeliosus esse velis; & quam modestissime potero, percurrere & refellere instituo, contortulas illas & spinosas rationes, ad quas in desperatissima causa confugisti.

Primum, cum ego proposuerim tibi defendendum disparatum seu contradictorium simplex, dilucidum, & sine ullis ambagibus aut ambiguitate, operæ precium est considerare, quomodo tu tibi fingas quæstionem multiplicem, ancipitem, & secum pugnantem, in qua mille subterfugia semper habeas, ut modo negare, modo asserere liceat. Nam cum vides epithetum Immortalis, quod ego Deo attribuo, tibi adversari, & tuum dogma jugulare, qui vis Deum creasse sibi simile, & tamen contendis creasse mortale; callide omittis illud immortale, ut possis etiam de immortalitate Dei dubitare. Deinde cum adimis homini immortalitatem, etiam antequam incideret in mortem per peccatum, paucis verbis magnam contradictionem implicas. Nam negas eum fuisse creatum immortalem, & tamen non vis asserere eum fuisse morti penitus obnoxium. At hoc quid sibi vult? An inveniturne aliquid non immortale, quod morti non sit obnoxium? & quid aliud est mortale quam morti obnoxium, & immortale contra quid significat nisi morti non obnoxium? Quid est pugnantia dicere, si hoc non est? Sed videbimus infra, quam pueriliter de hac re disputas. Cum addis in hac præfatione, eum sua natura morti fuisse subjectum, tibi potest concedi, eum fuisse morti quodammodo subjectum, quatenus imminebat illi periculum mortalitatis, si monitum Dei negligebat, ut neglexit. Nam certe ita erat immortalis factus à Deo, ut in mortem tamen posset se ipsum conjicere propria incuria, ut fecit: sed nos de primo statu ipsius contendimus, non de impendentibus periculis. Nam nos etiam cum sani sumus, possumus nobis semper accersere morbum, si plagas nobis infligamus, & tamen merito sani prius dicebamur. Itaque sequeris semper ancipitem sensum, & statum quæstionis nostræ turbare niteris, ut qui frustra laboras in invenienda alia morte, cujus autor fuerit Deus: ante eam quæ intravit per peccatum, cujus passim perhibetur autor diabolus: & cum nihil reperias simile morti in autore vitæ & bonorum omnium, mutuo accipis aliquid ab hoc ejus adversario; & pii judicabunt, an Deo an diabolo gratificeris. Nam cum concludis, & non nisi divina gratia, qua in ipsa creatione donatus non fuerat, à morte immunem perpetuo esse potuisse; quam expresse tibi ipsi contradicis, qui asseris in 5 cap. arboris vitæ eam vim fuisse, ut comedentis ex ea vitam perpetuaret: nonne manifeste illic fateris, quod hic negas, nempe fuisse prospectum ejus immortalitati? & quomodo probares, eum in ipsa creatione non fuisse donatum gratia immortalitatis: cum anima adhuc in singulis immortalis maneat, & homo appelletur Dei imago? & David prædicet eum fuisse factum paulo minorem Deo, aut angelis Psal. 8, *ut infra excutiemus? Quis te docuit hanc distinctiunculam, de qua ne unus quidem apex est in sacris literis, & admit nostro generi in prima nostra creatione præcipuam dignitatem, de qua sancti tam magnifice verba faciunt? Nonne vides manifestum discrimen spiritus, dum tu omni studio deprimis, quod ipsi summa alacritate extollunt? An fingis tibi Mosem & Davidem, tanquam novos aliquos oratores, qui è musca elephantum faciant? Certe illi non fuerunt tales, & si fuissent, credendum illis non foret. Sed non me latet, te etiam negare immortalitatem animarum, nisi, Christianorum in resurrectione; & videbimus infra te confugere ad impium dogma Epicureorum, ut eorum patrocinio te tegas. Nunc veniam ad tua Sophismata, quibus testimonia divina, quæ te arguunt falsitatis,*

& meam

& meam ſententiam confirmant, auſus es eludere.

I.

„Cum evinco ex approbatione ſummi Dei, non „poſſe dari, mortem, quæ valde mala eſt, fuiſſe in re„bus creatis; cum diſerte dicatur, generatim eum vi„diſſe omnia quæ fecerat eſſe valde bona, & ſingula„tim repetatur ſæpe eadem ejus comprobatio; non au„det D. Fauſtus negare mortem jure haberi in malis, „& valde malis, ac proinde pugnare ex diametro cum „natura rerum, quas Deus approbat: ſed incipit ca„villari in voce Tob, quam prætendit non ſignificare „vere bonum, ſed tantummodo volupe, jucundum, „decorum & ſimilia. Ut hoc probet, eſt lane admi„rabilis ejus induſtria: nam confugit ad Græcam tran„ſlationem, & ad Lexicum Jo: Forſteri, & invenit „aliquos locos in ſcriptura poſt invectam mortem in „mundum, in quibus ea vox potius pulchritudinem „quam bonitatem ſignificat. Sed niſi ſtudium conten„dendi excæcat te vir eruditiſſime, quomodo non vi„des eſſe nimis mendicatum & miſerum perfugium, „ad Græcam tranſlationem & Lexicum, cum extet „Hebraica veritas, & notio verbi peti poſſit ab He„braico Lexico? Nam pro una Græca verſione, cujus „incertus eſt autor, habemus innumeras Latinas, Itali„cas, Germanicas, Gallicas, Anglicas doctiſſimorum „virorum, qui conſtantiſſime reddunt *bonus*, & pro „Græco Lexico Xantes Pagninus (cui nemo non ce„dit in linguæ ſanctæ cognitione) non ſolum ita ver„tit, ſed hanc præcipuam hujus verbi notionem do„cet eſſe in ſuo Lexico. Sic enim habet Tob. *bonus* „nomen adjectivum Gen. 1. 4. & tu ipſe fateris vocabu„lum hoc ut plurimum accipi pro bono, & niſi quis „conniveat nimis impudenter ad circumſtantias crea„tionis, & nimis anguſte & exiliter ſentiat de condito„re noſtro, non poterit accipere vocem illam niſi pro „perfecte bono, quod etiam decus & pulchritudinem „complectatur. Nam ea tribuitur primum luci huic, „qua fruimur, quam niſi quis bonam & jucundam eſ„ſe fateatur, & cum bonitate miram pulchritudinem „in ſe continere, næille dignus eſt, qui ea miſere pri„vetur: cæteræ deinde res creatæ nomine bonitatis „laudantur, & hac comprobatione primum illud caput „clauditur, quod univerſitatis fabricam comprehen„dit. Et cum nullum veſtigium hujus malæ mortis „appareat niſi in homine & rebus ei ſubjectis, quomo„do perſuadebimus nobis unquam in cæteris creaturis „illam comprobationem complecti immortalitatem, „& homini tantummodo fuiſſe conſtitutam hanc mor„tis miſeriam, cum Deus ornaverit eum præ cæteris „ſua imagine, & dederit illi tam honorificum locum in „orbe terrarum? Demus tibi, illa verba Dei continere „tranſlationem quandam ab artificibus; nonne hoc tibi „maxime adverſatur, ſi quid bene concepiſti de hoc „ſummo artifice, & conditore noſtro, ob ipſius & „operum aliorum præſtantiam, immortalitatem & per„petuitatem? Quodſi concedis lucem & cæleſtes crea„turas eſſe immortales, creatoris beneficio & mune„re: quare id de homine & de aliis rebus negas? Cum „artifex laudat aliquod ſuum opus, & commendat „præ cæteris, quis exiſtimabit ei ineſſe aliquod vitium, „de quo in cæteris ejus operibus ne ſuſpicari quidem „liceat? Denique cum Deus immortalis dicit ſe creaſ„ſe ſimile ſibi; ego immortale intelligo, tu mortale ti„bi fingis, etſi de morte nulla eſt mentio in creatione „rerum. Quis tibi videtur melius ſentire? Ego to„tam mortis infelicitatem per peccatum ſuperveniſſe „puto, & acceptam diabolo refero, qui homicida fuit „ab initio: tu Deum primum autorem ejus comminiſ„ceris: quis noſtrum tibi videtur à Deo facere? At in„quis; *In herbis & plantis quæ fuerant datæ à Deo in ci„bum animantibus, erat ſua vita; verum quomodo ad ani„mantium arbitratum comedi poterant, & non ſæpe propria „vita privari, ac penitus corrumpi atque deleri?* & ad „hunc modum tibi videris egregie probaſſe corruptio„nem & mortem fuiſſe in hominibus; cum non videas „quomode plantæ & herbæ potuerint eſſe cibus ani„mantium ſine corruptione; quaſi ſi demus, animam „aliquam & vitam fuiſſe in cibis, quibus animantes ute„bantur, eam amitterent cum fiebant nutrimentum „animalium; cum potius tunc vere dici debebant vive„re, cum ad eum finem pervenerant, in quem conditi „fuerant. Nam ſicut corpora animantium alunt ſuos fæ„tus lacte, & ejus finis & vita eſt nutrimentum eorum: „ſic hoc magnum corpus terræ, quod peperierat tot „animalia, effudit & effundit aſſidue magnam copiam „ciborum, quibus ſuos fætus alat, & ex hujus magnæ „matris huberibus videmus omnes animantes pendere, „& ipſam matrem & nutricem benevolam quodammo„do lætari ſua ſobole, & ſubminiſtrare copioſe herbas „& ſemina, quæ unaquæque animans expetit & quæ„rit. Nam ſemina, fructus, & herbæ ſenſu carent, „& tamen tantum abeſt ut illa mutatio ſit in illis appel„landa mors, ut ſit potius eorum vita, & id potiſſimum „videntur expetere, cum lætiſſima ſe offerunt edenti„bus; dum contra, cum comedimus animantes in qui„bus eſt anima vivens (quod fit contra primum inſtitu„tum) omnia gemitibus & lamentis implentur. Et ne „quid ſcrupuli reſtet, ex cibo hoc non poſſe probari „corruptionem, Arbor vitæ omnem dubitationem „nobis adimit. Nam ex ea quoque comedebatur, & „tamen tantum abeſt ut ex hoc cibo corruptio aliqua „aut mortalitas inferretur, ut corporis vita per eum per„petuaretur, ſicut tute fateris. Vides igitur quam in„firmo fundamento niteris, cum adimis immortalita„tem animantibus, quæ animam viventem habuerunt „à Deo; hoc tantum argumento, quod ea quæ ſenſu „carent, & data fuerunt illis in cibum, patiantur ali„quam mutationem in melius, & fiant pars & ſubſtan„tia animantium, quæ vitam & ſenſum habent. Nam „ſicut nos ſine hujus vitæ detrimento barbam & capil„lum nobis tonderi patimur: ſic herbæ & plantæ ab „animantibus tondebantur, nec aliquid tamen ſimile „morti illis contingebat. Fingis præterea me voluiſſe „probare, illud valde bonum ſignificare omnia bona, „quæ excogitari poſſunt, in ſe habere; quod ne per „ſomnium quidem mihi in mentem venit, nec verba „mea aliquid ſimile præ ſe ferunt: ſed ego valde bo„num approbatione Dei dico non potuiſſe appellari il„lud, in quo ineſt mors, quæ eſt valde mala, & paſ„ſim agnoſcitur tanquam effectus peccati & ſatanæ: & „non colligo contineri eo verbo omnem ſpeciem boni, „ſed excludi illam ſpeciem mali, de qua diſſerimus. „At cum non poſſis ex hoc luto te expedire, recurris „ad tuas minutas ſubtilitates, & negas in homine licet „mortali mortem ineſſe. Sed quæ ſunt præſtigiæ iſtæ? „Non vis in primo ſtatu illi fuiſſe datam gratiam perpe„tuo vivendi? Contendis eum fuiſſe creatum morta„lem, & tamen vis mortem in eo non fuiſſe. Ut ve„ro iſtud probes, ſubjungis; *Imo cum mors adeſt, is „amplius non eſt.* Igitur in nobis, quoque non ineſt „mors, licet mortales ſimus, quia tu dicis: *nec dum eſt „& vivit homo, cum morte vere aliquid commune habet.* „Itane vero Fauſte res divinas tractas? Eſne ita hebes, „ut non videas, nimis abſurdum eſſe enunciatum: „Mortale eſt, & nihil cum morte commune habet? „Niſi incidiſſes in adverſarium amicum (ut ego certe „tibi ſum) quibus cachinnis excepiſſet hanc reſponſio„nem? Quam facete te deriſiſſet? At ego potius tan„tam hominis miſeriam & caliginem mentis deflendam „judico. Nam pergis dicens: *& cum mors adeſt, am„plius non ſumus*, quod non ſolum eſt ridiculum, ſed „maxime impium. Nam niſi concedimus cum cor„poribus animas interire, atque omnia morte deleri, „nunquam poteſt de hominibus dici, eos amplius non „eſſe; nam eorum εἶδα ſive eſſentia nunquam abole„tur, aut evaneſcit, licet multas viciſſitudines patiatur; „ut videbimus in poſterioribus diſputationibus. Quan„to melius igitur loquuntur ſacræ literæ, quæ cum „agunt de obitu hominum. dicunt de ſpiritu noſtro, „eum reverti, ad eum qui fecit ipſum: de corpore ve-

„ro, illud dormire. At iſta tua theologia nova multo „magis præciſe agit. Dicit enim *cum mors adeſt homini, „is amplius non eſt.* Quæſo frater etiam atque etiam „conſidera, quid hic audeas affirmare, & quantam rem „in dubium revoces, nam ego certe vicem tuam do„leo. Exemplum quod è medio ſumis, à locutione „communi, cum appellamus bonum vinum, quod ta„men abſumi debet aut corrumpi, plus mihi quam tibi „favet: nam ego quoque fateor, hominem potuiſſe „mortalem fieri, ut factus eſt ſua ingratitudine, ne„gligentia, & inobedientia. Sed cum Deus eum creaſ„ſet, non inerat in creatione, quod ſupervenit per de„fectionem.

II.

„Iterum more tuo, dum ego tantum concedo, ma„lum mortis & diſſimilitudinem hanc cum creatore „excludi per illa verba, quæ ſimilitudinem cum Deo „nobis tribuunt; fingis me inferre res creatas prorſus „ſimiles eſſe creatori, & tibi formas argumenta diver„ſa à meis, & ad mea interim connives. Certe ſi Deus „immortalis creaſſet hominem mortalem, dicendum „erat potius, eum feciſſe diſſimilem ſibi; nunc quan„do de diſſimilitudine nullum fit verbum, & imago & „ſimilitudo urgetur, tam neceſſario colligitur, ex „enunciato illo, Deum creaſſe illum immortalem, „quam neceſſario intelligeretur hominem creatum eſ„ſe mortalem, ſi diceremus, homo mortalis creavit „hominem ſimilem ſibi. Itaque ego non argumentor, ut „tu falſo me inſimulas, quaſi dicerem; homo rationa„lis eſt, & bruta irrationalia; at nihil magis diſſimile „eſt quam rationale irrationali, ergo inter hominem „& bruta nulla eſt ſimilitudo: ſed applico ad hunc mo„dum exemplum tuum meo inſtituto, nempe: homo „rationalis creavit animal ſibi ſimile; at nihil magis diſ„ſimile, quam irrationale rationali; non creavit ergo „irrationale. Interim concederem facile, animal il„lud creatum poſſe nonnullis in rebus eſſe diſſimile ei, „qui ſe creavit; ſed illam diſſimilitudinem inſignem „tantum excludo. Si igitur concedis Deum creatorem „immortalem, non potes tribuere rebus creatis mor„tem. Sed videmus, in quo ſtatuas hanc ſimilitudi„nem & imaginem Dei in homine? *Quia*, inquis, *datum „eſt illi dominium in univerſa opera Dei*: in quo ſane mi„ra eſt tua calliditas: nam cum videas non magnum „eſſe, poteſtatem habere in rebus inferioribus, quæ „ſunt minima inter opera domini, magnifice ampli„ficas & pro rebus terreſtribus audacter ſupponis uni„verſa opera domini. Sed qua conſcientia hoc dicis? „Videriſne tibi divinitus edoctus, cum tam falſa effu„tis? Itane vero, ut nobis adimas quod Deus vere de„dit, tribuis ea quæ ipſe non dedit? Nam dominium „hoc, in quo potiſſimum exiſtimas conſiſtere imagi„nem Dei, & tantam dignitatem noſtræ naturæ, his „finibus contineri voluit Deus, nempe; *replete ter„ram, & ſubjicite eam, & dominamini in piſces maris, „& in volatile cæli, & in omnem beſtiam reptantem ſuper „terram.* Suntne hæc univerſa opera Dei? ubi hic „mentio cælorum, ſyderum angelorum, & aliorum „maximorum operum Dei? Quæ eſt hæc nova teme„ritas in aſſerendis aut negandis rebus ſacris! Certe vix „poſſum credere, te ſine aculeo conſcientiæ hæc ſcrip„ſiſſe. Nam Athanaſius, quem ſtatim citas, nil tam „magnum audet: ſed dicit, *ſic etiam homo princeps, & „rex conſtitutus eſt ſuper omnes res terreſtres*: hæc enim „verba falſitatem tuæ aſſertionis redarguunt, & de ve„ro imperio loquuntur. Sed ut ad imaginem, quam „habemus cum Deo, redeamus, non audivi adhuc ali„quem auſum eſſe negare, imaginem & ſimilitudi„nem Dei in homine, potiſſimum fuiſſe in ratione & „mente noſtra, & Chriſtus qui eſt imago Dei incon„ſpicui, eſt λόγος id eſt ratio vel ſapientia Dei, & ad „hunc modum mira Analogia & convenientia reperitur „inter nos & Deum & Chriſtum ipſum Servatorem no„ſtrum; de qua non eſt hic differendi locus. Quodſi tu „nunc potius agnoſcis te ſimilem Deo, quod beſtiis & „terreſtribus rebus imperitare potes, quam quod ani„mal rationis particeps ſis, non miror profecto te tam „parum moveri ratione cum divina tum humana, & li„benter tibi relinquo illud imperium in bruta: nam „ego certe majorem gratiam habeo Deo pro mente & „ratione, quam pro terreſtribus bonis. Quis autem „erit tam iniquus rerum æſtimator, qui cum audit „Davidem canentem, hominem factum eſſe paulo „inferiorem Deo, putet mortem ei potius fuiſſe a Deo „inſitam (ut tu tenes) quam accidiſſe ei aliorum culpa, „ut nos probavimus? Aut quis credet, ſanctum virum „potius reſpectu imperii in res terreſtres, quam ani„mæ rationalis, & particulæ divinæ auræ, tantopere „extollere ejus dignitatem, ut cum angelis ipſis, atque „adeo cum Deo ipſum conferre non dubitet? Nam „tantam Dei benignitatem admiratus propheta, pro„rupit in ea verba. *Quid eſt homo, quod memor es ejus, „aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum „paulo minus à Deo* (ſive *ab angelis*) *gloria & honore coro„naſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tua„rum.* Quem locum autor ad Heb. aptat Meſſiæ: nam „tota dignitas noſtri generis ex eo pendet, & ipſe eſt „caput noſtrum, per quod noſtrum genus eſt ditatum „ſummis & cæleſtibus bonis, & conſortio divino di„gnum effectum. Quod vero dicis, hominem etiam „poſt mortem in mundum invectam, appellari imagi„nem Dei, hoc meum dogma confirmat: nam manet „ſemper ratio & immortalitas animorum, & illi mor„ti, quæ per peccatum obreſperat, datum eſt reme„dium per Meſſiam, per quem omnia tandem reſti„tuentur, & ad hunc modum cuncta demum verten„tur in Dei gloriam. Tu vero qui negligis potiorem „partem generis humani; & tot animas evaneſcere „credis, cogitare debes, quam parum conſentanea „hæc ſint divinæ naturæ, quæ nihil fruſtra agit, & „neminem vult perire, & nihil odit eorum quæ fecit: „nam niſi reſipiſcas, videbis magno tuo malo, quam male „ſentias.

III.

„Cum videas verba illa Dei, quæ de primi hominis „natura agunt, & declarant eum factum fuiſſe in ani„mam viventem, & Deum inſpiraſſe in faciem ejus „ſpiraculum vitæ, pugnare ex diametro cum natura „mortali, & meum dogma confirmare; & in veteri & „in novo fœdere ne apicem quidem invenias, quem „tam perſpicuo teſtimonio opponas, tentas an poſſis „depravare locum Pauli cap. 15. prioris ad Cor. qui „non de primo homine, niſi obiter; ſed de futura re„ſurrectione, & reſtitutione eorum corporum, quæ „jam mortalia ſunt per peccatum, copioſe tractat: ſed „quid proficis? An inveniſti Paulum dicentem, factum „eſſe hominem in animam non viventem, aut morta„lem? Nam ita oportet loqui eum qui infirmaret tam „clara verba, quæ mihi favent. Nihil minus: ſed „Paulus religioſe verba Geneſis citat, quæ Adamo tri„buunt animam viventem, dum comparat illum Chri„ſto, qui non ſolum eſt vivens ſed vivificans: per eum „enim omnes vivificabuntur, ut Paulus interpretatur „(quamvis tu aliter tibi fingas, ut in omnibus à ſenſu „divino diſcedas) Apoſtolus enim loquitur de magno „diſcrimine inter corpus animale, quod habuimus per „Adamum, & ſpirituale, quod habebimus per Chri„ſtum; in quo eſt comparatio bonæ conditionis, in „qua nos conſtituit creator, cum meliori quam reſti„tuet redemptor, & denique collatio terreſtris ſtatus „cum cæleſti, & nihil minus cogitat Apoſtolus, quam „tribuere naturæ aut conditioni corporis Adami ante „peccatum ignominiam, corruptionem, & infirmita„tem, quas agnoſcit in cadaveribus, quæ humantur. „Paulus enim mortis initia Adamo tribuens, non Deo „creatori, ut tu audes parum pie affirmare, ſic incipit „comparare Adamum cum Chriſto: *Quia per hominem „mors* (inquit ille) *per hominem quoque reſurrectio mor„tuorum; & ſicut per Adam omnes moriuntur, ita & per „Chriſtum omnes vivificabuntur*: & poſtquam multa

diſputa-

„diſputavit de reſtitutione corporum mortalium, & „declaravit dotes, quibus in reſurrectione ornabuntur, „quæ erunt tantæ præſtantiæ, ut prioris naturæ excel„lentiam ſuperent; Dicit primo homini tantum tribui „animam viventem: Meſſiæ vero eſſe ſpiritum vivifi„cantem. Nam per Adamum terrenum fuimus anima„les & terreni, per Chriſtum cæleſtem erimus ſpiritua„les, & cæleſtes. Vides igitur Paulum non docere, „an homo mortalis an immortalis fuerit in primo ſtatu, „de quo nos contendimus; ſed declarare, quomodo „per Meſſiam efferendi ſimus ad majorem dignitatem „& cœleſtem felicitatem. Licet enim concedendum „ſit, corpus Adami terreſtre fuiſſe minus præſtans cor„pore glorificatorum; nemo tamen ſanæ mentis ſom„niabit, illud, cum eſt conditum à Deo, fuiſſe igno„miniosum & corruptum, quod de corporibus vel po„tius de cadaveribus noſtris dicit Apoſtolus. Cum di„cis, animalia appellari animas viventes, etiam poſt „mortem in mundum invectam, ac proinde non col„ligi aliquid aliud amplius ex illis verbis, quæ agunt de „creatione rerum, antequam mors intraſſet, nimis „craſſe falleris. Nam vita qua adhuc fruimur, eadem „eſt quæ prima ſua natura, & Deus, qui ita loquitur, „agnoſcit in iiſis quod ſuum eſt: ſed illa mortalitas, „quæ ſupervenit, eam corrumpit, & turbat, & hoc „funeſtum ſpectaculum nobis proponit, quo non pa„rum deterrentur à peccando piorum mentes. Itaque „quod vivimus, eſt beneficio conditoris: quod mori„mur factum eſt fraude diaboli, & inobedientia homi„nis. Nos enim non contendimus de vita, quæ ſupe„reſt, cujus reſpectu appellamur & ſumus viventes: „ſed de morte, utrum principio fuerit à Deo inſita in „nos, nec ne. Ad locos vero, quos citas, qui de ho„minis vita caduca, fluxa, & mortali loquuntur, quid „attinet reſpondere? Nam ſine dubio agunt de eo „ſtatu quo nunc eſt, non de eo quo fuit in Paradiſo; „cum nulla mentio mortis eſſet, ſed omnia læta „& beata riderent, & dominum laudarent aſtra „matutina, & exultarent omnes filii Dei; ut eſt apud „Jobum Job. 38. 7.

IIII.

„Niſi omnia beneficia Dei extenuare quæreres, & ſin„gula in pejorem partem acciperes, profecto potuiſſes „non ſolum excuſare, ſed etiam laudare veterem inter„pretem, qui reddidit gan beheden, *Paradiſum volu„ptatis* potius, quam hortum in Heden, ut tu cum no„vis quibuſdam vertendum judicas. Nam certe para„diſi nomine aliquid amplius intellexit pia antiquitas, „quam hortum olerum, aut aliquid ſimile vulgare & „humanum; & favent priſcis magnæ rationes in Sacris „Literis. Nam cum latro ille in cruce dixiſſet domi„no Luc. 23. 42, & 43. *Meriento mei, cum veneris in re„gnum tuum.* Chriſtus eum conſolatus reſpondit, *hodie „mecum eris in paradiſo*; ubi te non tam protervum eſſe „crediderim, ut audeas negare regnum Chriſti & pa„radiſum pro eodem accipi, & Meſſiam uſum fuiſſe „eo verbo admodum proprie, ut ſignificaret liberatio„nem noſtram, quam tunc perficiebat. Nam ſicut „per peccatum fuerat homo primum ejectus è paradi„ſo, & ex illo felici loco; ſic per ſanguinem Chriſti, „qui tunc effundebatur in remiſſionem peccatorum, „reſtituitur piis Paradiſi aditus, & ſummus locus in divi„na felicitate. Quodſi velles illum dixiſſe, hodie me„cum eris in horto; vides quam frigide ſuccurriſſet illi „miſero, qui ipſum invocabat in mortis articulo. Ap„paret igitur Chriſtum ipſum & cæteros pios paradiſi „nomine intellexiſſe, divinam fælicitatem & ſtatum „beatitatis, in qua fuerat homo antequam detrudere„tur in has miſerias, quibus nunc undique premitur. „Et licet hæc locutio Chriſti ſatis probet, paradiſum „ſumi pro divina & felici conditione, & hanc fuiſſe „piorum ſententiam in populo Dei, quæ paſſim in or„be Chriſtiano adhuc retinetur; non deſunt etiam in „contextu Moſis luculenta verba, quæ probant illum „fuiſſe locum felicem, & divinarum deliciarum. Sic „enim habet Gen. 2. 9. *Et germinare fecit dominus „Deus è terra omnem arborem concupiſcibilem ad viſum, & „bonam eſcam, & arborem vitæ in medio paradiſi.* Ad„hæc, paradiſus illa irrigabatur pulcherrimo flumine, „& ſpeciem totiùs terræ tunc oportet fuiſſe pulcherri„mam, cum nondum deformata execratione noſtrum „caſum mœrebat, ſed è manibus creatoris innumeris „benedictionibus ditata, nova & florentiſſima niteſce„bat, & cum in ea fuiſſet homo ornatus tantis bonis, & „donatus conjuge chariſſima cum ſpe felicis ſobolis, non „video quid ipſi deeſſet ad terreſtrem felicitatem. Præ„terea non exiſtimo latere te, hominem in Hebraicis „bene verſatum, Salomonem paſſim appellare ſum„mum bonum nomine ligni vitæ, ut Prov. 3. 18. XI. 30. XIII. 12. XV. 4, ut manifeſtum ſit viros Dei intellexiſ„ſe, in ligno vitæ contineri & comprehendi ſolidam „felicitatem. Ad has firmiſſimas rationes accedit notio „verbi Hadan, quod delectari & deliciari ſignificat, „vel te ipſo teſte: ut Gen. 18. 12. Hedna in hoc ſenſu „accipitur. Quomodo igitur audebis negare illam „fuiſſe proprie appellatam paradiſum deliciarum & „voluptatis? Sed audiamus te tanquam ex tripode pan„dentem novum myſterium. *Quod nomen* (inquis) *non „jam tum cum Deus hortum illum conſevit, ſed conſequen„tibus ſæculis illi regioni impoſitum fuiſſe credendum omni„no eſt.* Profecto ſi invenires homunciones tam leves, „ut crederent ſtatim iis, qui audacter obtrudunt cre„dendum, quidquid ipſis in buccam venit, poſſes cum „illis ita ore rotundo & aſſeveranter loqui. Quidſi „haberes multitudinem aliquam, quæ penderet ex ore „tuo tanquam ex numine, poſſesne liberius omnia fin„gere? At amice, ſi mihi hoc ſit omnino credendum, „tibi eſt prius omnino probandum, & divino teſtimo„nio confirmandum. Dato ergo nomen loci illius „tempore Adami, ſi iſtud non fuit proprium loci no„men. Quodſi Adamus nominavit res proprie, quo„modo potuit magis proprie appellare locum illum, „quam hoc ipſo deliciarum & voluptatis, qualem Mo„ſes deſcribit? aut ſi poſteritas non retinuit nomen ve„rum tam celebris loci, quomodo credemus eam reti„nuiſſe nomina tot patrum & familiarum, quæ rece„ſentur ante & poſt diluvium? Nam ſi tibi credere„mus, nobis diceres pro tua libidine, hæc fuiſſe à poſte„ris conficta. Itane vero ludendum eſt cum tam ſancta „hiſtoria?

„Cum evinco ex ſtatu fælici, in quo fuerat homo „ante peccatum, nullam in eo fuiſſe mortem & cor„ruptionem, quod hæc pugnant cum ſolida voluptate, „quæ deſcribitur ipſi tributa in hac prima conditione; „confugis ad impium dogma Epicureorum, qui exi„ſtimarunt cum corporibus animas interire, & omnia „ſimul morte deleri: dicis enim eos, quamvis ita ſenti„rent, exiſtimaſſe tamen, ſe poſſe ſolidas voluptates „experiri, & ideo ſummum bonum in voluptate po„ſuiſſe: hic vero quid dicam ad tam manifeſtas nugas, „ne dicam deliriones? Num igitur exiſtimas Epicu„reos bene ſenſiſſe? ſi bene ſenſerunt, quid nos ſoli„citi de futuris & æternis ſumus? edamus & bibamus, „cras enim moriemur, Sin peſſime, quomodo vis er„rore eorum tuum tegere? Videriſne tibi me urgere „aliquo Elencho, cum ſic argumentaris? Epicurei etſi „omnino ſe mortales eſſe crederent, ſummum bonum „tamen in voluptate ponebant, ergo mors imminens „non adimit omnem ſolidam voluptatem. Nam vix „in ſchola ipſius Epicuri, & inter eos, qui in ejus ver„ba juraſſent, ratio hæc aliquas vires haberet. Et niſi tu „in Epicuri caſtra vis te conjicere, dices eos erraſſe toto „cœlo, dum ſe omnino ita mortales credebant, ut poſt „mortem nihil ſperandum docerent: dum de ſummo „bono tam anguſte & exiliter ſentiebant: dum voluptа„tem ſolidam laudabant, quam vix in humanis ſomnia„re poterant: dum mortem, quæ omnem voluptatem „ipſis tollebat, fingebant non eſſe timendam: & deni„que dices merito fuiſſe exploſos & deriſos, non ſolum „ab iis qui divine ſentiebant, ſed à cæteris quoque, qui

„ non omnino rationis expertes erant. Sed ut aliquid amplius tribuas felicitati Adami, quam delirationi Epicuri, dicis, Adamum etſi mortalis erat, tamen id non intellexiſſe: qui vero tu id noſti? Aut quomodo probas? Igitur novit naturam omnium beſtiarum, & ſuæ conjugis? ſuam vero non norat; quodſi ille non norat, qui tu audes affirmare, quod ipſe non potuiſſet aſſerere? Dices, video nos mori: at hoc accidit poſtquam mors in mundum intravit, cum ſtatus rerum miris modis eſt mutatus. Nonne vides ſemper te confundere felicem conditionem, in qua erat beneficio Dei, cum infelici illa, in quam conjectus fuit fraude diaboli?

V.

„ Cum firmiſſime probo, hominem in primo ſtatu fuiſſe immortalem; quia conſtitutus fuerat ei cibus lignum vitæ, & eo privatus eſt poſt lapſum, ne viveret perpetuo in terris; quid reſpondet Fauſtus? hoc potius arguere contrarium: nam ſi immortalis fuiſſet, non egebat cibo immortali, qui vitam perpetuaret. At, bone vir, immortalibus immortalia conveniunt; & cum Deus feciſſet hominem animal, quod comedere debebat, & voluptatis & ſobolis procreandæ gratia, dedit illi cibum præſtantiſſimum, & ſuæ naturæ convenientem; quod tute fateris tam diſertis verbis, ut nolim alio teſtimonio quam tuo te urgere. Dicis enim in VIII. cap. *Quod enim immortale & incorruptibile natura eſt, non indiget refectione ulla; cum nec mori nec corrumpi poſſit, aut ſaltem non corruptilibus rebus quales ſunt eſcæ, reficitur, ſed incorruptilibus, & ipſius naturæ accommodatis.* Audis tua verba, quæ ſi non omnino ſurdus es auribus animi, intelligis veritati & mihi adſtipulari! Nam inter nos convenit, ſi non de alliis eſcis, ſaltem de ligno vitæ, illud fuiſſe incorruptibile & immortale. Et quis eſt tam bardus, qui ſibi perſuadeat, cibum illum qui hominis cauſa factus eſt, fuiſſe à Deo donatum immortalitate; ipſum vero hominem ejus Dominum morti ſubjectum fuiſſe? Itane credes ſine ulla ratione, Deum voluiſſe ut præſtantiora vilioribus ſervirent? Quodſi darem quoque, hominem mortalem uſum fuiſſe cibo illo immortali; manet ſemper robur mei argumenti, quod aſſerit, eum ante lapſum fuiſſe immortalem, ſive id beneficio cibi, ſive alia cauſa contingeret. Sed, & homo & ipſius cibus omnino immortales erant, & cum alter per peccatum incidiſſet in mortalitatem, alter vero maneret ſemper incorruptibilis & immortalis, cautum eſt, ne mortalis amplius immortalem guſtaret; nam in æternum diſtuliſſet mortem corporis, & miſeriarum hujus vitæ nullus fuiſſet finis.

VI.

„ Ut aliquid dicas contra meum ſextum argumentum, quod probat ex hiſtoria Moſis, quæ nihil agit de morte ante comminationem, eſſe tuum commentum, quidquid fingis de morte rerum creatarum, ante mortem per peccatum in mundum invectam; reſpondes, hoc nimis evidens fuiſſe etiam in primo illo ſtatu, cum omnes res creatæ interirent; nec neceſſarium fuiſſe Moſem loqui de re tam perſpicua: & interrogas, an ego putem eum vel ſomniaſſe quidem, extituros aliquando, qui omnes res creatas in ipſa creatione à Deo immortalitate donatas fuiſſe ex ipſius verbis colligere ſe poſſe arbitrarentur? In quo profecto vel cuivis plumbeo homini ſtomachum faceres, adeo impudenter te geris, & tam temere audes falſiſſima affirmare. Dic igitur tu qui aſſeris omnes res creatas interire, an Lux quæ primo creata eſt, an cælum, an ſol, an luna, an ſydera intereant; ego ſane non video has res creatas aliquid adhuc cum morte commune habere: ſi tu perſpicacior es, quæſo oſtende. Præterea dicesne Angelos & animas quoque noſtras mortales eſſe? certe, quoquo te vertas in hoc pulcherrimo univerſitatis corpore, ſive res conſpicuas ſive inconſpicuas conſideres, nullam videbis ſpeciem mortis aut corruptionis, niſi in hiſce inferioribus humanis & homini ſubjectis, quibus id accidit propter peccatum. Nam etſi cœli & angeli ipſi per renovationem Meſſiæ majorem quandam gloriam & præſtantiam adipiſcentur; nemo tamen ſomniavit adhuc, hujuſcemodi creaturas mortales eſſe. Qua fronte igitur audes affirmare omnes res creatas interire, cum tantummodo hoc cadat in has inferiores, quæ inter res creatas infimum locum ſunt ſortitæ? quæ hæc eſt nova & ingens temeritas? Quodſi Adamus agnoſcebat cætera omnia immortalia, Dei viventis & conditoris beneficio, ut nos adhuc ea cernimus; quare non ſibi perſuaſiſſet idem de ſeipſo, dum vitabat illud unicum periculum mortis, quod dominus oſtendit ipſi immanere? quodnam indicium mortalitatis apparebat aut in cœlo aut in terra, quod tantum vitium in homine ineſſe deſignaret, quo cæteras creaturas carere conſtabat? Quis poſſet mortem ſomniare inter tot res immortales conditas ab authore vitæ? tu ſolus profecto, qui cum nunc videas res inferiores interire, audes (utinam potius imprudenter quam impie) idem de cæteris quoque pronunciare, de quarum immortalitate nemo dubitat. Et qui ſunt iſti libri, quorum tu mentionem facis, qui Dei providentiam celebrent, citra aliquam immortalitatis mentionem? Si extarent monumenta gregis illius Epicureorum, fortaſſe aliquid ſimile hiſce tuis novitatibus inveniremus: ſed cæterorum neminem alicujus nominis invenies, qui contra immortalitatem ſummarum creaturarum Dei vel hiſcere audeat. Ethnici autem non videntur omnino excuſatione indigni, ſi de rebus inferioribus diſſerentes, exiſtimarunt corruptionem proprie & naturam in illis ineſſe, ut pote qui ignorantes hanc tantam cauſam, quæ extrinſecus acciderat, vix potuerant aliter de earum conditione judicare. Nobis vero, quibus retectum eſt, cauſam hujus tanti morbi accidiſſe extrinſecus, & præter primum inſtitutum illius conditoris, qui cuncta incorrupta creavit, omnis excuſatio adimitur: nam nemo Chriſtiani nominis ſibi id perſuadere poterit, niſi detrahat omnibus modis creatori, & ſingula in pejorem partem accipiat, ut tu facis. At cum ex monitione Dei conſtet, quare rebus humanis & terreſtribus mors acciderit, cujus cæteræ res creatæ immunes ſunt; tu objicis, in monitione non fieri mentionem brutorum, quæ & ipſa nunc morti obnoxia ſunt. Quaſi fit difficile probare ex Sacris Literis, id quod omnes ſaniores tenent, cæteras res creatas nobis ſubjectas participes eſſe hujus noſtræ miſeriæ, quæ redundavit in illas ex nobis, tanquam ex capite. Nam ſicut rege ægrotante dolet totum regnum; ſic homine corrupto, qui in terreſtribus Rex erat, totum iſtud terreſtre regnum corruptioni obnoxium fuit, & hanc calamitatem tantiſper ferunt cæteræ res creatæ, donec humano genere liberato, ipſæ quoque corruptione & interitu liberentur. Quæ doctrina ſi bene guſtetur eſt miræ conſolationis, & maxime conſentanea miro artifici & conditori Deo, qui nihil odit eorum quæ fecit, & creavit ut eſſent omnia, nec eum pœnitet, ſi quid alicui dedit: ideo non privaſſet vita ullas animantes, ſi hæc cauſa extrinſecus non attuliſſet illis interitum. Idcirco beſtiæ ante peccatum non vorabant ſe in vicem, ut nunc videmus, ſed habebant herbas & ſemina, quibus veſcebantur, quæ terra earum mater abunde ſubminiſtrabat. At poſtquam homine averſo à Deo, pleræque earum etiam diſceſſerunt à propriis epulis, & inquinarunt ſibi ora velut fraterno ſanguine; vides habitas fuiſſe à piis immundas eas, quæ non permanſerunt in fide & in primo inſtituto creatoris; mundas vero eas, quæ primo cibo contentæ fuerunt, nempe herbis, oleribus, & ſeminibus, ut oves, boves, capræ, columbæ, anſeres, & ſimiles: & cum hoc diſcrimen mundorum & immundorum animalium neceſſarium intellectu fuerit in ſacrificiis & victimis, quæ mactabantur ante latam legem per Moſem, per bis mille & quingentos ferennos non poteris invenire notam evidentiorem hac qua ſancti immunda animalia à mundis diſcernere poſſent. Nam

cum

„ cum nondum erant monumenta rerum divinarum „ mandata literis, & memoria creationis & lapſus noſtri „ erat recentior; non eſt difficile videre, pios legiſſe & „ docuiſſe tam celebrem hiſtoriam in hoc magno volu„ mine univerſitatis, & in creaturis quæ ipſis ob oculos „ verſabantur. Nam certum eſt memoriam caſus noſtri „ generis, & ſpem illam obſcuriorem Meſſiæ, quam „ Deus tunc dedit, inſcriptam & inſculptam fuiſſe in „ illa naturali inimicitia & ſimultate inſita nobis contra„ ſerpentem: quam inimicitiam non poſſumus dicere „ ullo modo, fuiſſe ante lapſum inter genus humanum „ & ſerpentem. Nam Eva averſata fuiſſet aſpectum „ illius, qui ipſam decepit, & ſatan parum aſtutus fuiſ„ ſet, ut quærens captare benevolentiam, per inviſam „ ſpeciem ſe inſinuaſſet. Itaque cum tot diſcrimina „ ſupervenirent per peccatum in nobis & in cæteris ani„ mantibus, nemo prudens negabit, pios diſtinxiſſe „ etiam beſtias mundas ab immundis hac inſigni nota, „ quam ſupra expoſuimus: & licet per Moſem tan„ dem res fuerit aliis verbis declarata, vides tamen hoc „ maximum diſcrimen inter mundas & immundas ani„ mantes eſſe ſervatum, & beſtias & volucres quæ rapto „ vivunt, immundas habitas fuiſſe, & adhuc veſtigia „ aliqua hujus differentiæ manere in uſu communi. „ Nam non libenter veſcimur accipitribus, milvis, fal„ conibus, noctuis, & hujuſcemodi avibus, & multo „ minus leonibus, tygribus, lupis, vulpibus, & ſimili„ bus feris, quæ non utuntur cibo primum inſtituto, „ ſed aliorum morte ſibi victum comparant. Nec de„ fuerunt viri cordati, qui hanc cauſam hujus lanienæ „ inter animantes libenter audiſſent: nam Plinius & „ alii doctiſſimi viri, qui hoc pulcherrimum univerſita„ tis corpus contemplabantur, non parum mirati ſunt, „ naturam benignam matrem delectari hac interneciо„ ne & ſpectaculo tam funeſto & truculento pulcher„ rimarum ferarum, quæ ſunt ipſius fœtus, & ab ea „ ſummo ſtudio procreatæ & educatæ in terris. Qui„ bus ſi declaratum fuiſſet hanc crudelitatem & ſævi„ tiam immanem, quæ paſſim cernitur, habuiſſe cau„ ſam extrinſecus & temporariam, & prius inſtitutum „ conditoris longe mitius & decentius fuiſſe, nunquam „ profecto id negaſſent, & ſibi id perſuaderi facile paſſi „ fuiſſent: nam exiſtimaſſent hanc ſententiam multo „ magis conſentaneam naturæ ſummi Dei, qui cum ſit „ benevolus & clemens erga omnes, benigni patris mo„ re, non credendum eſt inſtituiſſe hanc carnificinam „ in hac ſua terreſtri domo inter ſuas creaturas, quam „ ne immaniſſimus quidem tyrannus libenter ferret in„ ter canes in ſuis ædibus. Si igitur agnoſcatur hic „ morbus illis accidiſſe culpa ſui regis, nempe homi„ nis, & hanc αἰτίαν & confuſionem non eſſe perpe„ tuam, & fore aliquando, ut ad priſtinum inſtitutum „ cæteræ quoque creaturæ redeant, tota illa admiratio „ ceſſat, & omnis ſuſpicio, quæ obrepſerat de crudeli„ tate creatoris, penitus diluitur. Ne autem exiſtimes „ me aliquid novi docere, aut primum amovere ex ani„ mis hominum hanc ſuſpicionem; audi Deum apud „ Eſaiam Eſa. 65. 25, qui cum ait de reſtitutione per „ Meſſiam, diſerte explicat fore, ut redeant animantes ad „ priſtinum inſtitutum, & extinguatur hoc bellum „ quod inter ipſas nunc inflammatum eſt. *Lupus & „ agnus* (inquit dominus) *paſcentur ſimul, & leo ſicut „ bos comedet paleam, & ſerpenti pulvis panis ejus erit: „ non male facient nec corrumpent, in omni monte ſanctita„ tis meæ.* Nec poteſt hic locus (quantumvis te tor„ queas) ita tropice accipi, ut non concedatur ſemper, „ ſaltem analogiam metaphoræ exigere, conditionem „ ferarum fore feliciorem, ſi ita viverent ut Deus de„ ſcripſit. At in primo illo ſtatu cum jubente domino „ procreatæ ſunt & benedictæ, nihil adhuc erat depra„ vatum, & nullus alius cibus dicitur illis datus, quam „ olerum, herbarum, & ſimilium. Itaque non eſt du„ bitandum, omnes fœtus terræ & elementorum, ſimi„ lem pacem & concordiam coluiſſe. Paulus vero tam „ luculenter ſcribit de liberatione omnium creaturarum „ in ultima reſtitutione omnium, ut nihil poſſit exo„ ptari dilucidius ad confirmandam noſtram ſententiam „ dicit enim: *Nam expectatio creaturæ revelationem filio„ rum Dei expectat: vanitati enim creatura ſubjecta eſt non „ volens, ſed propter eum qui ſubjecit ipſam in ſpe: quia & „ ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in liber„ tatem gloriæ filiorum Dei: ſcimus enim quod omnis creatu„ ra ingemiſcit, & parturit uſque adhuc: non ſolum autem „ illa, ſed & nos etiam primitias ſpiritus habentes, & ipſi „ intra nos geminus, adoptionem filiorum expectantes, cor„ poris noſtri redemptionem, &c.* Vides igitur Paulum „ agnoſcere creaturas ſubjectas corruptioni, non vitio „ voluntatis earum; ſed jure ſervitutis, nam ſortem co„ minorum ſubire coactæ ſunt. Ideo notavit illud *non vo„ lens*, ſed *porpter eum qui ſubjecit*. Et 1 Cor. 15. 37. „ ubi expreſſe ait de reſurrectione & renovatione „ ultima, & comparat corpora quæ moriuntur, ſe„ minibus diverſis, quæ ſeruntur & reſurgunt quodam„ modo, cum ſpicæ renovantur, ſic loquitur: *Non cor„ pus oriturum ſeminas, ſed nudum granum, pro ut inciderit, „ tritici, aut alicujus ex reliquis ſeminibus, non omnis caro „ eadem caro; ſed alia quidem caro hominum, alia vero pe„ corum, alia vero piſcium, alia vero volucrium, & corpo„ ra cæleſtia & corpora terreſtria: ſed alia quidem cæleſtium „ gloria, alia vero terreſtrium*, &c. Nonne vides in re„ ſurrectione non ſolum fieri mentionem creaturarum „ generatim, ſed etiam nominari earum ſpecies. Quid „ poteſt, clarius dici? quemnam locum habebimus, „ qui non poſſit depravari, ſi adverſus hos cavillari au„ des? Quod autem nonnullis videtur abſurdum, ſi „ concedant, cætera animalia quæ ante corruptionem „ creata ſunt, renovanda aliquo modo eſſe, neſcio ſane „ quid incommodi in eo videant. Cum enim tenent „ renovandam eſſe terram & cœlum, audebuntne di„ cere terram fore ſine beſtiis, aquas ſine piſcibus, „ aërem ſine avibus, & hos fœtus elementorum peritu„ ros, qui ſenſu ſimili nobis præditi ſunt; cum ipſa ele„ menta, quæ ſenſu illo carent, reſtituantur. Profecto „ ſi res hæc melius conſideretur & perpendatur à viris „ doctis, non erit quod mirentur, ſi nos de omnibus „ creaturis Dei tam benigne & divinæ bonitati & am„ plitudini convenienter ſentiamus; cum præſertim „ teſtimonia, quæ ſupra citavimus, manifeſto ipſis „ faveant. Cum vero interrogamur, quomodo ſuſcita„ buntur, quali autem corpore? reſpondet Apoſtolus „ hujuſcemodi quæſtionibus, & præfatur illud: *de„ mens.* Quo monet omnes ut ſobrie de illo *quomodo „ & quali* inquirant: nam Deus innumeris modis po„ teſt ea meliora & pulchriora reſtituere, & congruen„ tem aptamque formam futuro mundo illis dare, ſicut „ ſeminibus putribus & ſepultis reſtituit quotannis ſpi„ cas recentes, in quibus eadem corpora continentur, „ ſed nova & pulchriora & paleis & ariſtis ornata, quas „ non ſerimus. Cum igitur Fauſtus expoſtulat cum „ Deo cœli & terræ, dicens, *Quænam vero hæc Dei ju„ ſtitia fuiſſet, propter hominis peccatum innocentes ani„ mantes tam graviter punire?* Reſpondemus, Deum „ poſſe reddere rationem ſui facti & beſtiis, quæ non „ revocant in dubium ſuam juſtitiam, & hominibus, „ qui tam temere eam revocant. Quodſi Deus jure „ creationis potuit ſubjicere beſtias homini, quis non „ videt conſequens eſſe, ut homine earum Domino af„ flicto, ipſis quoque ſimilis ſors obtingeret, donec eo „ tandem liberato & ad majorem dignitatem elato, in „ ipſas etiam major aliqua felicitas redundaret. Eadem „ eſt ratio terræ, in quam invecta eſt execratio ob ho„ minis peccatum: ea enim quoque culpæ expers fuit, „ ſed quia erat noſtrum domicilium, Dominus detorſit „ fulmen execrationis ab homine ad eam, mira charitate, „ ſicut patres benigni cum erudire & plectere volunt fi„ lios puerulos, ictus canibus infigunt, aut aliis beſtiis, „ quas minus amant, ut liberi potius videant in aliis poe„ nas culparum, quam in ſe ipſis eas experiantur: & „ ipſa terra renovabitur olim, ut ſupra dictum eſt, cum „ filii Dei perfectam gloriam & corporum renovatio-

„ nem adipiſcentur, & longe beatior & perfectior erit, „ quam prius fuerit. At quomodo te torques, cum vi„ deas ex monitione Domini conſtare hominem nihil „ cum morte habuiſſe commune, antequam de inter„ dicto fructu comederet? Dicis verba illa Dei eſſe in„ terpretanda ex verbis Pauli, qui quater mille annos „ poſt ſcripſit, & de hoc non tractavit niſi obiter. Deinde „ verba Pauli vis eſſe interpretanda ex verbis tuis, & ad„ fers tres interpretationes diverſiſſimas inter ſe, ut vi„ debimus; quarum nulla tibi ſatis facit, nec propria „ videtur. Sed heus tu; nonne præſtaret dicere inge„ nue, nec Moſi nec Paulo credas, & me ſolum audias. „ Nam ſi tandem eo veniendum eſt, ut non quid ipſi „ dicunt, ſed quod tu aſſeris ſit credendum, melius eſſet „ eos negligere, & te ſolum audire. Subjicis præterea, „ per comminationem illam, licet in ea mortis expreſſa „ mentio fiat, mortem tamen ipſam decretam non fuiſſe: „ ſed nonne vides miſer, cujus ſpiritus ſis? & quid differt „ hæc tua locutio ab illa ſatanæ, qui dixit mulieri: *non mo„ riemini, et ſi comedatis*, & finxit aliud commentum ſimi„ le tuis, contra ſimplex Dei verbum qui dixerat: *morie„ mini ſi comedetis*. Tibine credam, qui more ſatanæ negas „ quod Deus aſſerit, & iiſdem fere verbis uteris: an vere „ decretam fuiſſe Adamo mortem conſtanter tenebo, ſi„ cut verba Dei docent? Quid autem illa mors fuerit, ſa„ tis explicatum, cum homo devovetur miſeriis & ærum„ nis mortalium, donec in pulverem revertatur, & fructu „ vitæ, quo prius donatus fuerat, privatur, ne perpetuet in „ æternum dies ſuos. Nonne tibi videtur hæc vera mors, „ aut potius mortalitas illa de qua nos contendimus? „ Nam Adamus vixit tamen fere mille annos, poſtquam „ hæc mortalis conditio conſtituta ipſi fuit: ſed ſtatim „ à peccato mortalis factus eſt corpore; animum vero „ invaſit alia mors, nempe illa perverſa ſcientia boni & „ mali, qua nos mortales miſere conflictamur in finibus „ bonorum & malorum, ſi pendemus ex aliis quam ex „ creatore.

VII.

„ Cogitaveras ad teſtimonia libri Sapientiæ nihil reſ„ pondere; ſed fretus tuo ingenio, hæc quoque eludere „ tentas. Priorem partem capitis, ubi dicitur Deum non „ feciſſe mortem, ſed creaſſe omnia ut eſſent, vis acci„ piendam eſſe de infelici vita aut de morte violenta: „ conſtanter enim defendis, Deum fuiſſe autorem illius „ mortis ab initio, per quam minores miſeriæ & exi„ tium, mortis nomine nuncupantur. Diabolo autem „ & impiis tribuis tantummodo differentias quaſdam „ mortis & interitus. In quo profecto egregiam ope„ ram navas diabolo, qui autor mortis & omnium mi„ ſeriarum (quatenus eæ malæ ſunt, & opus Dei de„ ſtruere tentant) paſſim perhibetur, & quid vis me re„ plicare amplius? ego cum illo viro Dei de quavis mor„ te intelligo, eam non fuiſſe factam à Deo. Tu contra „ contendis mortalitatem eſſe primum factam & conſti„ tutam à Deo. Judicabit ipſe Deus, & qui ejus ſpiritu „ præditi ſunt, uter noſtrum male ſentiat. Nam ſi quis „ tractet Sacras Literas hac licentia, quam tu tibi ſumis, „ quis eſt locus tam certus, qui non poſſit corrumpi? „ Poteras dicere per mortem hanc intelligi locuſtas. Nam „ Pharao cum rogabat Exod. 10. 17, ut liberaretur ſuum „ regnum à locuſtis, dixit, Rogate dominum veſtrum, „ ut auferat à me mortem hanc: & quid poteſt reſpon„ deri tam putribus commentis? Stultiſſimum eſt conari „ ſatisfacere iis, qui ſunt ſenſu tam depravato & corrupto: „ nam cæterorum nemo erit, qui non videat autorem il„ lum velle adimere hominibus eam ſuſpicionem, quam „ tu confirmare quæris. Declarat enim mortem non „ fuiſſe inſtitutam à Deo, ſed per peccatum fraude dia„ boli irrepſiſſe in mundum, & impios qui vitam inho„ neſtam turpemque agunt, ſibi parare exitium. Sic reſ„ pondent ultima primis, & mira convenientia cernitur. „ Nam ita deterrentur ſceleſti, ut nulla, ne tenuis qui„ dem ſuſpicio reſtet, primum inſtitutum Dei fuiſſe ali„ quid perdere, aut eum lætari interitu eorum, qui per „ ipſum vitam & animam habent. Quomodo vero non „ lætaretur interitu vivorum, ſi principio vitam morta„ lem dediſſet? Cum enim poſſet dare vitam immorta„ lem, quare dediſſet mortalem, ſi mortem nolebat? „ Non ne vides, virum Dei amovere à Deo omnem „ mortis cauſam, & in diabolum & peccatum transferre? „ te contra, principalem cauſam mortalitatis in Deo po„ nere, & ſatanæ & peccato tantummodo quoſdam ef„ fectus relinquere? Non ſolum enim hic, ſed etiam in „ poſteriore parte capitis, ubi dicitur Deum creaſſe ho„ minem inexterminabilem (vel ut tu fateris vertendum „ eſſe, in incorruptione) & quod ad imaginem ſimili„ tudinis ſuæ fecit illum; invidia autem diaboli mors „ introivit in orbem terrarum: & ſi multa dicis, quæ „ meam ſententiam confirmant, & nihil manifeſtius ex„ cogitari poteſt his verbis, ad declarandum, hominem „ ante lapſum immortalem fuiſſe; tamen non vis agnoſ„ cere diabolum autorem mortis, & tantummodo „ eum inſtigaſſe contendis. In quo adverſaris omnibus „ ſanctis, qui Deum autorem & fontem vitæ ſemper præ„ dicant, & mortis cauſam ab eo quam longiſſime rele„ gant. Videto igitur, quomodo tibi poſſis promittere, „ te fore conſortem eorum, à quibus tantopere & in re „ tanti momenti diſſentis. Cæterum ubi dicis me non „ conſuluiſſe Græcum codicem, in hiſce teſtimoniis ci„ tandis, ego id ingenue fateor. Nam in meis Bibliis „ majoribus non habentur libri Veteris Teſtimenti, qui „ non extant Hebraice. Ideo ſum uſus communi verſio„ ne, quam tamen non video diſcedere à ſenſu meo & „ veritatis; quamvis (ut verum fatear) plus mihi placet, „ qui vertit, *in immortalitate* aut *in incorruptione*, quam „ qui reddidit *inexterminabilem*. Et plus probo, *expe„ riuntur autem eam* (id eſt mortem) *qui ſunt ex parte „ illius*; quam illud, *imitantur autem illum* qui ſunt ex „ parte illius: & hæc quatenus noſtram quæſtionem at„ tingunt, mihi omnino favent. Quod autem ais, me „ uti libris Apocryphis, cum meas ſententias confir„ mant: ego certe eorum teſtimonium infirmius duco, „ quam probari eo poſſit aliquid novi: ſed cum conſen„ tanea docent cæteris divinis autoribus, ut plerumque „ & fere ſemper conſueverunt, non video quare ſint „ contemnendi. In ſingulis vero probandis utor judicio „ & ratione, & ingenue & libere pendeo ex Deo cœli; „ quo duce, quæ divina ſunt, tum in canonicis, tum in „ Apocryphis, tum in Ethnicis agnoſco & amplector.

VIII.

„ Videamus nunc, quanta dexteritate quæras perver„ tere illuſtriſſimum teſtimonium Pauli, qui inquit „ Rom. 5. 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mun„ dum intravit, per peccatum mors.* Primum mira calli„ ditate omittis illud, *per unum hominem*: nam id quam „ maxime adverſatur tibi, qui contendis mortem in„ traſſe per Deum, ante peccatum. Deinde ut ſemper „ amoveas à peccato cauſam mortis, dicis non mortem „ intraſſe, ſed moriendi neceſſitatem: Itaque ſi tibi cre„ dimus, præcipua cauſa mortis fuerat ante peccatum; „ ſed per peccatum invecta eſt tantummodo neceſſitas „ moriendi: & ut nihil certi unquam habeas, nec poſſis „ in ullo ſenſu conſtans deprehendi, huic interpretationi „ aliam diverſiſſimam conjungis, dicens, *ſive mors „ æterna*. At quid hic audio? tu qui negas in Veteri „ Teſtamento ullam eſſe mentionem vitæ æternæ, vis „ tamen fuiſſe mortem æternam comminatam: Diceſne „ Deum propoſuiſſe timorem mortis æternæ, tu qui „ negas eum dediſſe ſpem vitæ æternæ? quid hoc ab„ ſurdius excogitari poteſt? Præterea cum dicis, ne„ ceſſitatem moriendi ſive mortem æternam, videriſne „ tibi parile aliquid aut ſimile copulare? nonne diſcre„ pant toto cœlo, neceſſitas moriendi & mors æterna? „ Nam neceſſitas moriendi cadit in omnes homines, & „ beſtias: mors æterna non cadit niſi in impios & ſcele„ ſtos. Præclara ſane ratio interpretandi ſcriptur.s: qua„ re non addis, ſive mors violenta, ſive mors civilis (quo „ nomine appellatur exilium) ſive aliquid aliud, quod „ in buccam venit? Sed videbimus te non tibi conſtare „ per integram horam. Nam non contentus hiſce dua-

„ bus

„ bus, adfers adhuc tertiam interpretationem, & pro „ morte vis intelligendam eſſe occaſionem mortis, quod „ infra excutietur. Ita promittis interpretationem, & „ adfers confuſionem. Nam fingamus me tibi credere, „ quomodo poſſum ſcire quid tute ſentias; cum in re „ maximi momenti diſcedis à ſimplici verbo divino, & „ quæ tu dicis, omnino ſunt inter ſe diverſiſſima. Si non „ vis me credere Paulo, oſtende ſaltem rationem eli- „ gendi tua commenta, cum ad hunc modum non ſolum „ confingis, quidquid lubet; ſed etiam non tibi conſtas, „ & poſterioribus verbis doces diverſiſſima à prioribus. „ Sed videamus, quæ rationes te cogant (ut tuo verbo „ utar) diſcedere à ſimplici notione verbi, & à ſenſu „ Moſis, & Pauli. Primum ex uſu ciborum, & eſca- „ rum, & ex conſtitutione corporis, concludis homi- „ nem creatum fuiſſe mortalem: nam immortales non „ indigent refectione, & voluptatis cauſa non tibi vide- „ tur ſufficere. Jam declaratum eſt, fuiſſe in hoc etiam „ graviorem cauſam, nempe feminis, ut poſſet homo „ propagere ſobolem. Quod autem ad refectionem at- „ tinet, tu non ſemel fateris, arboris vitæ eam vim fuiſſe, „ ut comedentis ex ea vitam perpetuaret. Eſne igitur „ adeo immemor, ut cum tam accurate defendas ita in- „ telligendum eſſe locum illum, & nolis ulla ratione „ ferre allegoriam, non videas te illic concedere, quod „ hic negas? Corporis autem conſtitutio non pugnat „ cum natura immortali: nam membra, quæ tibi vi- „ dentur ſuperflua, neceſſaria erant ad procreationem; „ & Meſſias quamvis renovaſſet corpus humanum, ha- „ buit tamen poſt reſurrectionem quoque membra, quæ „ prius, & non ſemel comedit & bibit. Si igitur non „ negas immortalitatem corporis Chriſti excitati, vides „ neque uſum ciborum, neque membra corporis pugna- „ re cum natura immortali. Cum vero Paulus dicit „ 1 Cor. 15. 53, ventrem & eſcas eſſe abolendas, lo- „ quitur quatenus corruptibiles ſunt. Nam ut idem in- „ quit, oportet mortale hoc induere immortalitatem, & „ corruptibile hoc induere incorruptionem: & 2 Cor. 5. 4. „ dicit, & enim qui ſumus in hoc tabernaculo, ſuſpira- „ mus onerati, in quo non cupimus exui, ſed ſuperin- „ dui, ut abſorbeatur mortalitas à vita: quibus verbis „ declaratur diſerte, quid ſit abolendum in nobis, vide- „ licet mortalitas & corruptio, quæ ſupervenerunt ex- „ trinſecus: eorum vero quæ Deus fecit, nihil periturum.

„ Altera ratio, quam dicis te ſuaſiſſe, ut diſcederes à „ ſimplici ſenſu ſanctorum, eſt uſus matrimonii inſtitu- „ tus ante lapſum: tibi enim videntur nuptiæ illæ pugna- „ re cum natura immortali: ſed quid hic incommodi vi- „ des? ſi nos mortales poſſumus mortales gignere; quare „ non poterant immortales procreare immortales? & „ tu concedis, cibo illo arboris vitæ ſaltem perpetuatam „ fuiſſe primorum parentum vitam: quocunque enim „ modo concedis in illis immortalitatem, cogeris ferre „ nuptias, ut repleretur terra, & divino mandato ſatis- „ fieret. Nam quod ad futuram vitam attinet, in qua „ ceſſabunt nuptiæ, longe diverſa eſt ratio; nam hæc erit „ cœleſtis conditio, prima vero fuit terreſtris. In prima „ procreandi erant homines: in ſecunda jam extabit nu- „ merus, quem Deus ſibi propoſuit. Et de hac ſecunda „ conditione loquitur Dominus cum Saducæis apud Lu- „ cam cap. 20, & declarat beatos fore pares angelis, qui „ jam nunc fruuntur vita felici & immortali, & nulla „ connubia exercent: & cum Chriſtus ſubjungit. *Deus „ non eſt mortuorum ſed viventium; omnes enim vivunt ei*, „ idem intelligit quod nos tenemus, nempe ſubſtantiam „ omnium manere, & ex creaturis ejus nihil perire in „ conſpectu Dei; licet corpora & animæ pro diverſo „ eorum ſtatu varie afficiantur, & multas viciſſitudines „ patiantur, & oculis noſtris evaneſcere videantur. Ad „ multas vero minutas interrogationes & quæſtiones „ quas moves, de corpore Adami in prima conditione, „ nihil refert reſpondere Nam omnibus ſatisfacit Chri- „ ſti corpus excitatum, & immortale, quod tamen re- „ tinuit priora membra, & eandem formam, & quam- „ vis corpora ſanctorum ſint miris modis exornanda in „ reſurrectione, non tamen amittent primam naturam, „ quæ cum ſit opus Dei, non poteſt ei diſplicere. Sed „ cum videas hæc commenta infirmiora eſſe, quam ut „ tam diſerta verba Pauli, quæ mihi adſtipulantur, infir- „ mare poſſint; aliud quæris rurſum æque ridiculum. „ Dicis enim, peccatum dediſſe tantummodo occaſio- „ nem quandam morti, ut in mundum intraret, quæ „ utique ſine peccato intraſſet, vel quæ ante peccatum „ intraverat. Sicut rejectio Judæorum, qui Meſſiæ con- „ tradixerunt, dedit aditum prædicationi Euangelii in- „ ter gentes, cum tamen hoc deberetur illis abſque ulla „ occaſione. Sed quid hoc ad rem facit? oporteret enim „ probare eandem eſſe naturam peccati & mortis, quæ „ prædicationis; & Paulum dixiſſe de morte, quod di- „ xit de prædicatione Euangelica. Sed ipſe eo in loco „ nihil minus quam hoc ait. Nam comparat nationem „ cum natione, & deprimit ſuperbiam ambarum, & „ docet Deum miſericordem erga homines, ita tamen, „ ut deſertoribus & diffidentibus immineat ejus indigna- „ tio & exitium. Ideo declarat Judæos (quamvis alio- „ qui eſſent genus ſanctum) per diffidentiam excidiſſe, „ & gentibus imminere idem periculum, ſi non perma- „ nerent in fide. Addit, caſum miſerum Judæorum mo- „ nere gentes, ut ſibi quoque caverent, & hortatur ut „ ſortem miſerorum potius defleant, quam inſultent il- „ lis ob beneficium nunciatum & creditum ipſis, eo po- „ tiſſimum tempore quo contumacia Judæorum illud „ rejiciebat. In qua collatione & cohortatione, ne unus „ quidem apex eſt, qui ad noſtram controverſiam faciat, „ nec ulla ſimilitudo rerum & locutionum, aut affinitas „ noſtræ quæſtionis in ea inveniri poteſt. Sed Fauſto „ ſufficit aliquid comminiſci, & cum videt Moſem con- „ tradicentem ſibi, confugit ad Paulum; cum Paulus „ ipſum manifeſte condemnat, recurrit ad ſuum com- „ mentum de neceſſitate moriendi; cum hoc non ſatis „ facit ipſi, efficit ſecundum diverſiſſimum de morte „ æterna; cum ne hoc quidem ipſi placet, format ter- „ tium æque diſtans & abſurdum, de occaſione morien- „ di, paratus (quantum non ſine magno animi mei dolore „ video) & quartum & quintum, & innumera addere, „ ut eſt fœcundus & copioſus in falſis opionibus confin- „ gendis.

IX.

„ Etſi de verbis Pauli in 15 prioris ad Cor. ſæpe jam „ egimus; quia tamen hic locus eſt eis proprius, excu- „ tiemus breviter, quibus modis tentes pervertere tam „ divinum oraculum. Tibi videtur, Apoſtolum con- „ ferre Adamum cum Chriſto, nulla peccati mentione „ facta, & tacite innuis, eum non tam habere rationem „ Adami lapſi, quam in ipſa creatione & conditione „ prima. At quamvis mentio expreſſa non ſit in verbis „ collationis, nonne ſatis eſt expreſſum, cum declaratur „ Chriſtum mortuum eſſe propter peccata? quod ſi ipſe „ non eſſet excitatus, Apoſtolus dicit, nos adhuc teneri „ labe peccati. Sed quid ſi hic non dixit Apoſtolus, quod „ notiſſimum erat, & alibi ſatis explicatum, numquid „ id veritatem Dei adimit? Cogita, quæſo, animo ſe- „ dato & tranquillo, an vitia illa ignominiæ, corruptio- „ nis, & infirmitatis, quæ tribuit Apoſtolus noſtris corpo- „ ribus, ut nunc humantur, agnoſcenda ſint ex illa na- „ tura, quam Deus creavit, & ornavit ſua imagine: an „ potius ex illo morbo, qui obrepſit per peccatum frau- „ de diaboli. Si quid bene concepiſti de ſummo artifice „ & conditore omnium, quomodo excuſas & extenuas „ adverſarii ipſius & hominis culpam? quomodo tam „ facile Deum invidiæ & imperfectionis inſimulas? „ Nam ſi ignominia, infirmitas & corruptio inerat no- „ ſtræ naturæ, cum primum à Deo condita eſt; quid „ præterea attulit fœditas peccati, & fraus diaboli? „ Certe quidquid fingas quod diabolo adſcribas, erit le- „ ve, ſi conferatur cum iis quorum autorem facis Deum. „ Nam habere corpus animale, quale fuit in primo ſtatu, „ minus bonum eſt, quam habere illud ſpirituale, quale „ futurum eſt in reſurrectione; ſed nihil mali in eo eſt, „ & quod pugnet cum præſtantia conditioris. Sed eſſe

„conditum infirmum, ignominioſum, & corruptum, „appellari tamen ad imaginem conditoris, ut tu tenes, „profecto nimis manifeſte redarguit ipſum creatorem „eorundem vitiorum. Quomodo autem ex terrenis de„beamus fieri cœleſtes, ſuperius expoſitum eſt, nempe „quia gloria abſorbebit mortalitatem, & elevabit no„ſtrum corpus ad ſummam dignitatem. De renovatio„ne omnium corporum ſupra copioſe diſſeruimus. Ideo „ſupersedebimus hic pluribus, cum res manifeſtiſſima „ſit eis, qui volunt potius credere divinis ſermonibus, „quam eos violenter ad ſua commenta abſurdiſſima de„torquere.

X.

„Cum ſemper in caſſum labores, & te mirum in mo„dum torqueas, ut invenias, aliam mortem in homine, „ante eam quæ intravit per peccatum; dicis tandem, „eam quæ inerat ante peccatum in homine, non fuiſſe „mortem. ſed conditionem mortalem; & quia in men„dacio conſcientia quieſcere non poteſt, addis. *Si modo „non hoc quoque valde improprie dictum eſt.* Profecto, „Fauſte, non ſolum valde improprie dictum eſt; ſed „etiam falſiſſime: nam proprie & vere mortalis con„ditio per peccatum ſupervenit. Tu vero dum ordinem „hunc invertis, vides in quas anguſtias te conjicias Cum „dico Chriſtum attuliſſe remedium ejus mortis quæ „per peccatum intravit, non excludo majorem dignita„tem, ad quam noſtram naturam extulit: nam id credo, „& ſatis explicatum eſt, ſed contendo tibi probandum „eſſe, eum attuliſſe remedium huic morti, quam tu no„bis fingis: nam ipſe dicitur Servator, quia liberavit à „peccato & à morte, quæ ſtipendium peccati fuit, ut „Paulus loquitur: Quodſi aliam mortem vis eſſe anti„quiorem hac, quæ per peccatum venit, neceſſe eſt ut „alium Servatorem invenias, de quo diſerte dicatur, „eum nos liberaſſe à morte, aut à mortali conditione, „quam per Deum conſtitutam fuiſſe ante peccatum di„cis. Nam Chriſtus abolevit eum qui mortis habebat „imperium, nempe diabolum; id eſt devicit autorem „mortis: ſed de illa prima morte, cujus tu facis autorem „Deum, nuſquam eſt mentio. Idcirco eſt tuum merum „commentum, & explodendum: & tenendum eſt, „Chriſtum aboleviſſe hanc mortem, quæ turbaverat „noſtrum felicem ſtatum, & nos elevaſſe ad feliciorem, „videlicet ad vitam cæleſtem & æternam. Ad hunc mo„dum tota ſcriptura fluit ſine ullo labore & apparet be„neficium Chriſti non minus late patere, quam dam„num Adami, & exitium non impendere niſi iis, qui a„verſi à creatore, malum vitæ inſtitutum ſequuntur, „cum in credendis tum in agendis, & ſibi cumulant in„dignationem divini numinis.

„Sic collationes illæ Adami, & Chriſti, quæ haben„tur 5. ad Rom. & 15. ad Cor. non ſunt coactæ, aut „iniquæ, ut vos quidem tenetis, qui docetis Paulum uti „incredibili fallacia aut ſophiſmate. Nam cum dixit, „omnes per Adamum morti obnoxios fuiſſe, vultis eum „intellexiſſe, totum humanum genus (ut verum eſt) „ſed cum idem ſtatim ſubjungit, per Chriſtum utique „reſtitui aut vivificari omnes, contenditis eum non in„telligere niſi unum aut alterum ex una quaque myriade „Chriſtiani nominis, quo nihil abſurdius aut iniquius „excogitari poteſt: & qui ſibi talem Paulum fingit, cer„te non ſentit de eo tanquam de viro Dei, ſed ut de præ„ſtigiatore aliquo, qui imponere queat ſtultæ multitu„dini: & quocunque fuco turpitudo hujus fallaciæ te„gatur, ille tamen expoſtulabit ſevere in die judicii, „cum iis, qui tam ſæpiſſime abutuntur ſuis ſcriptis. & „oſtendet hujuſcemodi ſenſus ſpinoſos, contortulos, „& fallaciarum plenos, nunquam ſibi in mentem ve„niſſe. Hæc habui, Fauſte, quæ tuis reſponſionibus ob„jicerem, & quibus earum fallacias refellerem, quæ „profecto ſunt tam evidentes & perſpicuæ, ut me non„nunquam pœnituerit hujus laboris: & certe opus de„ſeruiſſem, niſi charitas & voluntas erga te non parum „propenſa me ad ſcribendum impuliſſet, potius quam „aliqua vis tuorum argumentorum, quæ hoc exigeret. „Sed quia videbam, te non leviter velle de ſententia de„jici, nolui hoc Chriſtianum officium negligere, quo, „ſi pote ſit, te hoc tanto & tam fœdo errore liberem. „Nam non poſſum ſine lacrimis videre, virum nobi„lem, doctum, ingenioſum, & alioqui pietatis ſtudio„ſum, tam inſcite falli, & de capitibus doctrinæ maxi„mi momenti tam male ſentire. Nam etſi non multum „refert, ſi idiota hanc quæſtionem exacte non intelligat, „tamen virum in Sacris Literis exercitatum tam falſe „de ea ſcribere, tot divina oracula & teſtimonia eludere „& depravare, multum intereſt. Nam innumera ab„ſurda ſequuntur, & tota ſcriptura ſacra invertitur, & „offendiculum ingens infirmioribus præbetur. Quodſi „forte melius ſentis, & tantummodo laudem ingenii „quæris, conveniamus de veritate, & in ea inveſtiganda „potius quam opprimenda te exerceto: nam ego ſum „paratus tibi in omnibus reliquis rebus cedere, & au„ditor & adjutor tuus eſſe, ſi qua in re pietatem & tua „ſtudia promovere protero. Nam ſi poterve tam per„ſpicuæ veritati reſiſtere pergeres, & obſtinate ſenten„tias tam alienas à veritate retineres; dares graviſſimas „pœnas illi, qui contumelioſos in ſuum nomen, & male „ſentientes de divinis rebus, conſuevit ſatanæ crucian„dos tradere. Sed de te meliora mihi promitto. & Deum „ſupplex oro, ut nobis omnibus adſit. & nos ſuo ſpiritu „colluſtret, & horum noſtrorum laborum aliquem fru„ctum tribuat, ad ſui nominis gloriam, & piorum con„ſolationem & emolumentum, Amen. Baſileæ Cal. „Quint. 1577.

DEFENSIONIS FRANCISCI PUCCII

Suorum argumentorum pro immortalitate rerum, præſertim vero hominis in prima creatione, copioſa Refutatio.

Ad eundem Franciſcum Puccium Proœmium, in quo ad ipſius defenſionis proœmium reſpondetur.

MEminiſſe potes, Franciſce diſertiſſime, poſt primos congreſſus noſtros, cum viderem quam ægre in diſputando certus modeſtiæ finibus te continere poſſes, me decreviſſe, non amplius tecum coram ulla de re diſputationem inſtituere, & monuiſſe te, ſi aliqua in re mecum non ſentires, & ab opinione mea me retrahendum judicares, ſcripto id ut faceres: reſponſurum me, vel tibi conceſſurum, prout vis tuorum argumentorum, quæ ad me perſcripſiſſes, requirere mihi viſa fuiſſet. Sperabam enim in ſcribendo, ubi animus altercatione n accenditur nec commovetur, ſed leta data ſunt omnia, & ſi quid minus modeſte dictum ab initio per incuriam exciderit, otium & tempus ad corrigendum datur, te multo modeſtiorem futurum. Verum opinione mea vehementer deceptus ſum. Nam poſteaquam ad rationes & divina quædam teſtimonia, quæ mihi breviter à te perſcripta tradideras, quibus primum hominem à Deo immortalem conditum fuiſſe, contra quam ego ſentirem, aperte evinci putabas; per me non contumeliis aut maledictis ulla ex parte, ſed rationibus tantum, & divinis teſtimoniis, rogatu etiam tuo reſponſum eſt: quaſi id ferre nequiveris, adverſus

ea, quæ

ea, quæ à me dicta ſunt, ſcriptum aliud exaraſti, quod adeo conviciis & calumniis undique ſcatet, ut illis demptis, multo contractior libellus futurus ſit; & tamen quam modeſtiſſime potueris, in ea reſponſione te verſatum fuiſſe profiteris. Quocirca ne tibi iterum in me, vel potius in te ipſum tam graviter peccandi occaſio aliqua daretur, verbum amplius non addidiſſem; niſi periculum foret, ne apud rudiores, & eos, qui me non bene norunt, veritas hujuſce quæſtionis noſtræ, & innocentia mea, quarum defenſio ad Dei gloriam ſummæ curæ mihi eſſe debet, verbis tuis, me tacente, opprimeretur. Ex titulo enim quem huic poſteriori ſcripto tuo præfixiſti, ſatis conſtare poteſt, te in animo habere, illud divulgare aliquando, & in hominum manus ut perveniat, curare: ſiquidem ita titulus habet:

Confutatio dogmatis D. Fauſti Socini de mortalitate rerum à Deo creatarum in primo earum ſtatu, per F. P. F. Cujuſmodi tituli ſcriptis adhiberi non ſolent, quæ privatim ad eum ipſum mittuntur, qui cum diſputatio inſtituta eſt, & qui optime novit, quanam de re ibi agatur; ſed iis, quæ publicari debent, & ab aliis legi, qui niſi prius moneantur, quid ibi tractetur, prorſus ignorant. Et quoniam hujuſce tuæ inſcriptionis mentio facta eſt, ut hinc, quemadmodum convenire videtur, eorum quæ in univerſo eo ſcripto continentur, & ad quæſtionem noſtram vel ad perſonam meam pertinere poſſunt, examinandorum initium faciam: Primum quæro ex te, cur dogma meum appelles id, quod ante me multis doctiſſimis viris & in Sacris Literis exercitatiſſimis placuit? Ego, ſi neſcis, tantum abeſt, ut quod aliquis ante me excogitaverit, quamvis id veriſſimum & præſtantiſſimo aliquo ingenio dignum eſſe judicem, mihi vel ipſe arrogare, vel ab aliis tribui velim, ut ſi quid unquam ejuſmodi à me primum excogitatum fuerit, libenter alium, ſi modo id jure fieri poſſit, ejus inventi auctorem ſim facturus. Cur deinde ibidem, dum ſententiam meam explicas, me res à Deo mortales ab initio creatas fuiſſe docere affirmas? cum, ut infra demonſtrabitur, quæſtio noſtra vere ſit de homine, quem tu immortalem à Deo conditum fuiſſe contendis; ego autem nego: cujus occaſione de inferioribus aliis rebus duntaxat alicubi diſputamus, quidquid in quæſtione ipſa exponenda de omnibus rebus ſcripſeris. Nam in hac etiam confutatione, (quam appellas) non ſatis tibi fuit, in ejus inſcriptione, loco Hominis, Res ſupponere; ſed etiam in ipſo ſcripti limine non amplius Res ſimpliciter, ſed diſerte pro Homine, Omnia ſcribere voluiſti.

Antequam confutationem hanc tuam videre potuiſſem, facile paſſus ſum, te, dum quæſtionem exponeres, dixiſſe, meam ſententiam eſſe, Deum creaſſe primum omnia mortalia; cum, eo ſenſu te id ſcripſiſſe, veriſimillimum eſſet, quo ego deinde in tuis argumentis refellendis, omnes res creatas interire, affirmare non dubitavi; qua de re ſuo loco fuſius diſſeremus. Sed poſtquam ex hoc poſteriore tuo ſcripto, quidnam per ea verba nunc ſignificari velis, aperte cognovi, te ſententiam meam eo modo explicare, amplius ferendum non putavi. Atque ex hoc tui ſcripti initio perfacile conjici poteſt, uter noſtrum ſophiſticis artibus delectetur, à quibus ego ſemper tanquam à re perniciosiſſima & abſtinui & abſtinebo; tantum abeſt ut eis, quemadmodum tu exiſtimaſſe videris, te ſuperior aut eſſe aut videri aliqua ratione velim. Acumine autem ingenii quamvis à te & à multis aliis me ſuperari agnoſcam: non tamen eo ita prorſus deſtituor, ut tuorum argumentorum apertiſſimas fallacias, & in verbis tuis creberrimas eaſque evidentiſſimas captiones, quibus te ipſum potius imprudens, quam alios, ſciens irretire pergis, liquido non perſpiciam; & me perſpexiſſe, ut alii intelligant, ſicut antea feci, ſic nunc quoque; Deo bene favente, magna ex parte non ſim facturus. Quod vero ais, ſuppellectilem meam Hebræam & Græcam, ut te perterrefacerem, proferre opus non fuiſſe, quo conſilio id dicas, plane equidem ignoro; cum te ipſum latere non poſſit, ejuſmodi meam ſuppellectilem non valde curtam modo, ſed propemodum nullam eſſe. Græcos enim fontes, ut egomet omnibus dico, leviter admodum deguſtavi; Hebræos vix dum attigi. Sed cum divina oracula, quæ nobis diligentiſſime & religioſiſſime expendenda & tractanda ſunt, Hebræis & Græcis literis fuerint conſignata, neceſſe eſt, cum de ſententia aliquorum verborum dubitatio incidit, Hebræum aut Græcum exemplar conſulere, & quatenus doctiſſimorum virorum ope, & noſtro ſimul judicio atque ingenio progredi poſſumus, ſecundum eorundem exemplarium veritatem locum interpretari: quod ſine accurata ipſorum verborum examinatione fieri nequit. Quare & id ante hac à me factum eſt, & poſt hac, ſi ſe occaſio obtulerit, non cunctanter fiet: nec metuo, ne apud æquos lectores in oſtentationis crimen incurram, dum modo, de quibus aſſeverabo vero, aut vera aut ſaltem probabilia eſſe deprehendantur. Ab hac autem quaſi levi quadam expoſtulatione ad graviſſimam calumniam ſenſim delaberis, dum affirmare non dubitas, tibi nunc conſtare, quod prius non putaveras, me parum curare, an bene an male de hujuſcemodi rebus ſentiam, ut qui mihi finxerim pietatem quandam novam, in qua bene ſentire facile negligitur, & ſumma licentia detorquendi Sacras Literas ad libitum, & quid libet ex quolibet colligendi uſurpatur.

Agnoſcis, ut arbitror, verba tua. Sed dic, quæſo te, ex quanam reſponſionis illius meæ parte, non dicam aperte deprehendere, ut tu affirmas, ſed obſcure conjicere potuiſti, me non multum curare in religione Chriſtiana, utrum bene an male ſentiam. Dices fortaſſe, non ex ſcripto meo, ſed ex verbis quibuſdam, quæ tecum habui, id tibi perſpicuum fuiſſe. Primum, ex verbis tuis manifeſte colligitur, id tibi conſtitiſſe, ſi non demum poſt reſponſionem meam, & ex ipſa reſponſione, at certe poſtquam ſcriptum tuum mihi exhibuiſti. At illa verba mea, de quibus mox agemus, & reſponſionem meam & exhibitionem ſcripti tui anteceſſerunt. Deinde, nunquid, ſi tibi privatim aliquid dixi, quod merito reprehendi poſſit, debes tu id ſcripto publicare? Charitate, credo, nimia id feciſti, ut ſimpliciores ſibi à me tanquam à peſtilente quodam homine caveant. Ut autem iſta de me aſſerendi nullam omnino cauſam te habuiſſe, tu ipſe cognoſcas, non gravabor hic ipſorum meorum verborum ſententiam referre; & interim, quid de dogmatis in religione noſtra reſpuendis aut retinendis, ſive etiam non admodum curioſe examinandis ſentiam, breviter aperire. Memini igitur, poſtquam bis aut ter conveniſſemus, & de quibuſdam religionis noſtræ placitis conſentire non poſſemus; cum tu diceres, me, quoniam male ſentirem, longe abeſſe à ſalute mea, reſpondiſſe me, immo te longe falli exiſtimatione tua: nam & optime ſentiebam, & quamvis male ſenſiſſem, non tamen continuo ſalutis meæ jacturam me facturum. In quibus enim potiſſimum diſſentiebamus, non ex eorum numero eſſe, quæ recte intelligere, ad ſalutem eſſet prorſus neceſſarium. Addebam notas, quibus ea quæ cognitu ad ſalutem conſequendam ſunt prorſus neceſſaria, à cæteris quæ vel plane indifferentia, vel minus ſunt neceſſaria, internoſci debere putabam. Sic igitur & tunc ſtatuebam, & nunc ſtatuendum hac in re cenſeo.

Omnia dogmata, ſine quibus fides in Chriſtum & conſervatio mandatorum Dei conſtare nequit, ad ſalutem adipiſcendam cognitu eſſe prorſus neceſſaria; & ob eam cauſam omnino ab omnibus retineri debere. Rurſus omnia dogmata, quibuſcum fides in Chriſtum, & conſervatio præceptorum Dei conſtare non poteſt, ſalutem, ſi retineantur, penitus eripere, & ob eam cauſam omnino ab omnibus reſpuenda eſſe. Ea vero, cum quibus, & ſine quibus & Chriſto confidere & Deo obedire poſſumus, neque omnino neque ab omnibus vel retineri vel reſpui neceſſarium eſſe; propterea, quia ſalutem nobis, nec ſi retineantur, nec ſi reſpuantur, neceſſario non adimant. Itaque de his non ita anxie laborandum eſſe, niſi ejuſmodi ſint, ut ſine eorum vera cognitione, ægre admodum poſſit quis Chriſto fidem habere, & Deo, quam à nobis requirit, obedientiam præſtare; vel

niſi

niſi jam appareat, ex iis quæ inde deducuntur, fiduciam in Chriſtum, & vitæ ſanctimoniam paulatim convelli, aut labefactari; vel etiam, niſi is, de quo quæritur, num eorum perfectam cognitionem habere debeat nec ne, ſtudiis divinarum literarum ſe totum tradiderit, & alios Chriſtianam pietatem docere curet. Quamvis enim & ſuæ & aliorum ſaluti, quos erudiendos ſuſceperit, etiam dogmatibus illis non bene cognitis, & de ipſis non recte ſentiens conſulere poſſit: periculum tamen eſt, (ut error errorem conſequitur) ne tandem aliud ex alio nectendo aliquid ſuſcipiat, quod & ipſi & aliis exitium pariat ſempiternum. Præſtare autem de unoquoque dogmate recte ſentire, quam prave, & unicuique non oſcitanter nec ſupine, in iis quæ ad Chriſtianam religionem quoquomodo pertinent, amplectendis aut aſpernandis verſandum eſſe.

Intelligis, Franciſce, ſi minus antea intellexiſti, ſententiam hac de re meam, quam utinam plerique omnes re ipſa amplecterentur, non ita, ut non ſine lachrymis pii cernere ſunt coacti, ubique charitas non modo frigeret, verum etiam penitus extingueretur, nec tanta & tam miſera Eccleſiæ filii Dei dilaniatio conſpiceretur. Non ſi quis à nobis in uno aut altero dogmate diſſentiat, licet interim & verbis & factis ſe in Chriſto Jeſu omnem ſpem collocaſſe abunde teſtetur, eum non averſaremur tantum, ſed etiam, ut jam fieri conſuevit, maledictis, probris, minis, exilio, carcere, ferro denique & igne inſectaremur: cum tamen interea cum iis, qui nec puriter nec innocenter vivunt, immo inſigni etiam aliquo vitio laborant, dummodo nobiſcum in omnibus Chriſtianæ religionis decretis vel ſentiant vel ſentire ſe dicant, & gaudeamus & lætemur, non modo & vivamus & ſimus. At fucatam iſtam religionem & veram hypocriſin deteget Deus aliquando, quæ ſævitiam & immanitatem, pietatem eſſe ſtatuit, & juſtitiam atque cœleſtem quandam vitam, quibus univerſa Chriſtiana religio continetur, aut revera aſpernatur, aut agnoſcere plane recuſat.

Sed ad propoſitum revertamur. Non igitur bene de divinis rebus ſentire in ea pietate, quam mihi colendam propoſui, facile negligitur, ut tu affirmas. Quodſi aliter ſe haberet, laborem hunc, tibi iterum reſpondendi, profecto non ſumpſiſem, ſed tantummodo calumnias tuas paucis diluiſſem, & te una cum reliquis, qui tecum ſentiunt, in tuo ſenſu (ut noſtri loquuntur) abundare permiſiſſem. Quanquam neminem hactenus extitiſſe arbitror, qui ab ea opinione veſtra tot & tam gravia errata derivet, ut tu facis, per quæ, ut infra apparebit, facile vera pietas convelli poſſe videtur, id eſt, homines à juſtitiæ & ſanctitatis ſtudio, ad turpe otium ſegnitiemque traduci. Quare tanto magis mihi enitendum eſt, ut quæ ſcribis, à veritate pleraque mirum in modum diſſidere, planum omnibus faciam. Tametſi enim id priore meo ſcripto me ſatis præſtitiſſe, aliquis fortaſſe non immerito arbitrabitur; ſunt tamen adhuc non pauca dicenda, ut veritas clarius eluceat. Ex quibus non minus quam ex iis, quæ jam ſcripſi, intelligi poterit, tantum abeſſe, ut mihi ipſi ſummam licentiam Sacras Literas detorquendi permittam, & quidlibet ex quolibet, ut ais, colligere audeam, ut nihil magis coner, quam tibi, ne iſtud fiat, perſuadere, qui nullo diſcrimine, nulla diligenti conſideratione adhibita, quicquid prima facie tuis commentis, abſurdiſſimis licet, & plane deridendis, ſuffragari videtur, ſtatim arripis, & ſententiæ tuæ inexpugnabile quoddam propugnaculum prorſus eſſe ſtatuis. Et antequam ad examinationem eorum quæ adverſus reſponſiones meas attuliſti, veniamus, conſideremus, ſi placet, quid nam in me, dum in hac diſputatione noſtra ſententiam meam explico, accuſandum cenſeas. Dicis me ſimplex diſparatum, ſeu contradictorium tuæ ſententiæ non defendere: Verum, dic obſecro, an non ſententia tua eſt hominem ab initio immortalem à Deo creatum fuiſſe? An non ego defendo, hominem ab initio immortalem à Deo creatum non fuiſſe? Nunquid non hæc plane ſunt contradictoria? Sed quia, ut tibi omnia prorſus effugia eriperem, & ſimul conſtaret, qua de re inter nos diſputaretur; explico, quidnam Immortalis nomine intelligam; ne, dum ſimpliciter contradictoriam ſententiam tuæ ſententiæ defendo, aliud præterea affirmare velle videri poſſem; ais me quæſtionem multiplicem, ancipitem & ſecum pugnantem fingere, quæ tamen & multiplex & anceps fuiſſet ſine illa explicatione. Nam, quod ſecum nullo modo pugnet, paullo poſt demonſtrabo. Tu vero is es, qui multiplicem & ancipitem ſententiam defendendam ſuſcipis, cum Immortalis nomine, modo, ut proprie ſignificat, eum qui natura immortalis ſit, intelligas; quod vere in quæſtione noſtra verſatur: modo eum ſignificari velis, cujus immortalitati proſpectum fuerit; quod & valde improprie dictum eſt, & a ſententia tua, quam multis in locis aperte explicas, & contra quam ego diſputo, ita abeſt, ut eam penitus deſtruat; quemadmodum jam à me probatum fuit, & iterum ſuo loco confirmabitur. Quid, quod aliud quoque ridiculum ſane effugium tibi quæris, dum ais, *Et quomodo probares, eum in ipſa creatione non fuiſſe donatum gratia immortalitatis, cum anima adhuc in ſingulis immortalis maneat?* Quaſi vero non manifeſtiſſimum ſit, in hac quæſtione mortalitatis & immortalitatis primi hominis, de corpore tantum agi, non autem ullo pacto de anima. Alioqui, cur inter tempus, quod lapſum anteceſſit, & id quod conſecutum eſt, tam diſerte in ipſa examinanda diſtingueretur, cum, quod ad animam attinet, inter utrumque tempus nulla differentia hac in re conſtitui poſſit? Vides explicationem meam adhuc mancam eſſe, tantum abeſt ut ſupervacanea fuerit, & bene facturum fuiſſe me, ſi addidiſſem, verbum *immortalem* ad corpus tantum in diſputatione noſtra referri debere. Sed quis unquam putaſſet te, dum me reprehendendi occaſionem aliquam captares, à propoſita quæſtione tam longe diſceſſurum, & in verbis tam manifeſte quodammodo luſurum? Quanquam animi immortalitas nihil impedire poteſt, quominus ſimpliciter & ſine ulla adjunctione homo mortalis eſſe dicatur; ut infra aperte demonſtrabitur. Nunc de repugnantia videamus, quam in eadem meæ ſententiæ explicatione eſſe dicis. Dixeram, primum hominem à Deo non fuiſſe creatum immortalem: addidi, non tamen me aſſerere, eum fuiſſe morti penitus obnoxium. Ais tu; *At quid hoc ſibi vult? an invenitur aliquid non immortale, quod morti non ſit obnoxium? & quid aliud eſt mortale, quam morti obnoxium, & immortale contra quid ſignificat, niſi morti non obnoxium?* Tu qui me calliditatis inſimulas, propterea, quod in ſententia mea explicanda epithetum *Immortalis*, quod tu Deo in quæſtione proponenda tribueras, prætermiſerim; quod tamen, ut paulo poſt videbimus, omittendum omnino fuerat; non vereris ſtatim in verbis meis reprehendendis verbum unum omittere, in quo tota vis ſententiæ reſidet, & quod ſolum univerſam tuam reprehenſionem aperte diluit: id autem eſt adverbium *penitus*. Omne quidem * mortale ſive non immortale, eſt morti obnoxium, ſed non penitus morti obnoxium. Poteſt enim quod mortale eſt, licet morti ſit obnoxium, non mori. Quod autem ita mortale eſt, ut morti ſit penitus obnoxium, id ut moriatur neceſſe eſt. Et hæc eſt, quod ad mortalitatem attinet, præcipua differentia inter nos & Adamum, antequam peccaret, quod ille mori quidem poterat, & ſuapte natura debebat, niſi divina gratia conſervatus fuiſſet; mori tamen eum prorſus neceſſe non erat; cum Deus nondum ejuſmodi gratia illum omnino privare decreviſſet: nos vero non ſolum mori poſſumus, & naturaliter debemus, niſi divina gratia conſervemur; ſed etiam propter peccatum, iis exceptis qui Deo fidem habent, omnes ut moriamur, prorſus neceſſe eſt. Nam qui Deo confidunt, moriuntur quidem, non tamen propter peccatum & neceſſario, ſed propter humanam ab ipſo creationis initio conditionem,

* Autor reſponſionum ad orthodoxos, quæ Juſtini nomen in ſcriptum habent, reſponſione ad quæſtionem 32. ex Geleni interpretatione. *Non ſi quid natura mortale eſt, id omnino mori neceſſe eſt, &c.*

& na-

& naturaliter. Quod verum eſſe comprobabunt ii ex fidelibus, qui ad judicii diem vivi pervenient, quos nullum genus veræ mortis attinget. Hi autem argumento tibi eſſe poſſunt, reperiri aliquod mortale & morti obnoxium, quod tamen non moriatur, & ita morti non ſit penitus obnoxium. Sed quid amplius in tua reprehenſione refellenda laboro? cum non modo adverbium *penitus*, quod poſtea omittis, te ipſo teſte, in verbis meis legatur; ſed illico ipſis addita à me fuerint ea verba, *adeo ut omnino ei moriendum eſſet*; & propterea in reſponſione ad ſextum argumentum, ſententiam meam non minus dilucide, quam modo fecerim, jam tibi expoſuerim? Ex qua dilucida ſententiæ meæ expoſitione, ſi non ex verbis ipſis enunciati illius, videre poteras, cum dico hominem ſua natura morti fuiſſe ſubjectum, nullo pacto ancipitem ſenſum me ſequi voluiſſe, aut potuiſſe. At vero nonne ipſa verba, quæ tu ancipitem ſenſum continere dicis, per ſe ipſa planiſſima ſunt? Non ne tu ipſe idem ſatis aperte fateris, cum, ut ea ancipitia eſſe oſtendas, duo illa verba, *ſui natura*, quæ prius à te relata fuerant, & omnem ambiguitatem tollunt, deinde ſubtrahis, & eorum loco *quodammodo* ſimpliciter ſubſtituis? Nonne te ipſum manifeſte refellis, & id dicis, quod mihi ad reprehenſionem tuam reſpondendum fuerat, cum ais; *Sednos de primo ſtatu ipſius contendimus, non de impendentibus periculis?* Nam cum dico, primum hominem ſua natura morti fuiſſe ſubjectum, quinam ad impendentia pericula & non ad primum ejus ſtatum, verba mea ullo modo pertrahere poterit? præſertim cum in contextu meorum verborum præceſſerint verba illa, *ab ipſo creationis initio*, quæ cum cæteris omnino cohærent, & à te prorſus reticentur, per quæ impendens illud periculum propter divini præcepti negligentiam penitus excluditur. Vides quam fideliter, quam diligenter in verbis meis vel recitandis vel reprehendendis verſeris; & tamen audes, ut jam dictum eſt, mihi objicere, quod in ſententia mea exponenda epithetum *immortalis* a te, dum quæſtionem proponeres, Deo attributum, omittere non dubitaverim; atque in eo me vituperas, in quo laudari potius debueram, qui & ab errore tuo abſtinuiſſem, & illum palam non traduxiſſem. In quæſtionibus enim proponendis, ſeu enunciatis aſſerendis, nunquam ea apponi debent, quæ re vera pars quæſtionis aut enunciati non ſunt: præſertim vero, ſi in alterutram partem aliquid momenti habeant, quamvis veriſſima ſint: ſed & quæſtio exactiſſime proponi, & enunciatum ſimpliciſſimum eſſe debet. Quare non fuerat in quæſtione à te propoſita, vel potius in utriuſque noſtrum ſententiæ explicatione tua, nec in enunciato meo, epithetum illum *immortalis* Deo tribuendum, quod pars quæſtionis nequaquam eſt, & medius terminus (ut vocant) eſt, vel eſſe poteſt unius ex tuis ſyllogiſmis. Sic enim ſecundum tuum argumentum necti poteſt: Quod immortale eſt, ſi quid creat, id immortale creat; Deus immortalis eſt: Ergo Deus quæ creavit, immortalia creavit. Majorem autem propoſitionem, de qua ſola dubium eſſe poterat, ea ratione probare conaris, quod in creaturis neceſſe ſit aliquam ſimilitudinem creatoris reperiri. Itaque manifeſtum eſt, in ipſa concluſione tua non extare epithetum *immortalis*, (nec mirum, cum medius terminus nunquam concluſionem ingrediatur) & ob eam rem, quamvis id ſummam veritatem contineat, à quæſtione tua & enunciato meo excludendum omnino fuiſſe. Sunt iſta additamenta Sophiſtis & qui cauſæ ſuæ parum fidunt, prorſus relinquenda, ut rudioribus ſaltem fucum aliquem facere poſſint. Me autem non calliditate aliqua, ſed ratione tantum duce, epithetum illud omiſiſſe, apertiſſimum non modo cæteris omnibus, ſed tibi ipſi poteſt eſſe ex eo, quod in reſponſione ad ſecundum argumentum, (quemadmodum neceſſe erat) & in reſponſione ad ſextum, quidquid ex Dei immortalitate ad tuam ſententiam confirmandam elici poteſt, à me abunde refutatum eſt. Verumtamen non ſatis habuiſti, hujus rei occaſione, me calliditatis nomine aliis ſuſpectum reddere, ſed impietatis quoque aſperte inſimulare voluiſti. Ais enim, me illud Immortale omiſiſſe, ut poſſim etiam de immortalitate Dei dubitare! Elegans vero ſcomma, & Chriſtiano homine dignum. Quæ calumnia & gravis injuria eſt, ſi hæc non eſt? Quodſi te hac in parte imitari vellem, quanto, ſi non æquius, at certe plauſibilius dicere ego poſſem, te ideo epithetum illud Immortalis, in quæſtione proponenda, Deo tribuiſſe, quod crederes, alium eſſe vel fuiſſe mortalem Deum, qui & ipſe creator extitiſſet; à quo ut Deum, de quo loquimur, manifeſte diſtingueres, notam illam immortalitatis huic noſtro opponere voluiſſes: præſertim cum non modo, ut dictum fuit, epithetum illud alioqui in quæſtione ipſa addi non debuerit, verum etiam inter omnes conſtet, Deum, licet immortalem, non tamen quatenus immortalis eſt, creatorem extitiſſe; ita ut nulla ratione immortalitatis Dei in quæſtione noſtra, dum ea proponitur, mentio ſuſtineri queat. Sed abſit à me, ut in te, quæcunque tandem occaſio mihi detur, ejuſmodi criminationes ſeu convitia regeram. Animadvertiſſe autem poteras, me in ſententia mea exponenda non ſolum epithetum illud Dei omiſiſſe, ſed id etiam quod à te dictum fuerat, de divina imagine in homine: cum non magis aperte hoc quam illud in ſententiis noſtris explicandis appoſuiſſes, & debuiſſe te, ſi modo priorem illam omiſſionem jure reprehendere te poſſe putabas, poſteriorem multo magis carpere; cum multo magis ſententiæ meæ officere videantur, quod homo ad Dei imaginem conditus fuerit, quam quod Deus immortalis ſit. Quod vero deinde aſſeris, me conari, ut alicujus mortis Deum auctorem faciam, & me ea in re diabolo gratificari non obſcure affirmas, id quam vehementer à veritate abhorreat, infra commodiore loco demonſtrabitur.

Addis præterea, me ipſum mihi expreſſe contradicere, qui in mea præfatione dicam, Adamum non potuiſſe à morte perpetuo immunem eſſe, niſi divinæ alicujus gratiæ munere, qua in ipſa creatione donatus non fuerat; & in reſponſione ad quintum argumentum aſſeram, arboris vitæ, quam commedendam Deus Adamo conceſſerat, eam vim fuiſſe, ut comedentis ex ea vitam perpetuaret: nec animadvertis, nullam prorſus repugnantiam in verbis meis eſſe poſſe; cum in prioribus tempus ipſius creationis explicem, ad idque aperte reſpiciam; in poſterioribus vero de ea te verba faciam, quæ ipſam creationem ſubſecuta eſt. Omitto, quod poſteriorum meorum verborum ſententia non ea eſt, quam tu credis. Nam id, quoniam tu ſæpius eorum verborum teſtimonio adverſus memetipſum uteris, alibi commodius planum fiet. Cætera quæ in tua præfatione continentur, vel quia reſponſione non egent, vel quia infra ad ipſa reſpondebitur, ſciens libenſque prætereo. Illud tantum quod poſtremo ais, ſilentio tranſeundum non cenſeo, non te latere, à me animarum immortalitatem, niſi Chriſtianorum in reſurrectione, negari. Nam quomodo id dicere audes, cum in initio fere 6. cap. hæc verba tute ſcripſeris. *Præterea diceſne Angelos & animas noſtras mortales quoque eſſe?* Nonne ex his verbis tuis perſpicuum eſt, tantum abeſſe, ut ſcias me animas hominum mortales eſſe ſtatuere, ut potius omnino putes, me una cum cæteris pleriſque Chriſtianis, eas non minus quam angelos immortales eſſe non negare? De Epicureorum impio dogmate, ad quod me confugere ſtatim ſubjungis, poſtea videbimus. Nunc tempus eſt, ut ad ea, quæ adverſus reſponſiones meas ſcripſiſti, examinanda deveniamus; ſi tamen prius, ut omnis tergiverſandi occaſio tibi auferatur, oſtendero, ſententiam tuam eſſe, primum hominem ita creatum fuiſſe à Deo immortalem, ut quamvis, ſi ipſi Deo non obediviſſet, mortalis evaſurus foret; tamen ante ejuſmodi delictum eum natura à morte immunem fuiſſe, ut pote qui in ipſa creatione immortalitate donatus eſſet. Apparet autem ita te ſentire, ex innumeris pene locis ſcriptorum tuorum, ſed præcipue ex 1. 2. 3. & decimo tuorum argumentorum

rum, quæ nullam vim prorſus habere poſſunt, niſi ab ipſo ſtatim creationis initio hominem natura immortalem fuiſſe, illis confirmare velis; ut cunctis ea legentibus conſtare poteſt: præſertim vero decimo, ubi re ipſa probare niteris, nos etiam poſt reſurectionem quoque mortales natura futuros, ſi ante lapſum primus homo natura immortalis non fuiſſet. Adverſus hanc tuam ſententiam ego, ut ſupra dixi, potiſſimum diſputo; & aſſero, primum hominem, etiam antequam laberetur, & ex vetita ſibi arbore comederet, natura immortalem non fuiſſe; ſed naturaliter, etiam citra impendens aliquod periculum, morti jam tum fuiſſe ſubjectum; quemadmodum ex priore ſcripto meo tibi ipſi ſatis notum eſſe credo. Quamvis enim tu, dum quæſtionem noſtram exponis, aſſeras me affirmare, omnia à Deo ab initio mortalia creata fuiſſe, & id mihi defendendum proponas: num debueram ego id defendere, quod tu volebas, præſertim cum tu ipſe id vere poſtea non defenderes, quod te affirmare dixeras, ſed tantummodo ejus aſſertionis partem illam, cujus contradictorium enunciatum ego defendendum ſuſcepi? Nam profecto niſi te duas quæſtiones propoſuiſſe, duaſque aſſertiones defendendas ſuſcepiſſe dicas, argumentis tuis non omnia, ſed hominem tantum immortalem creatum fuiſſe, defendere conaris; bona enim eorum pars de homine tantum agunt, neque ad cætera pertrahi poſſunt, præcipue vero 3. 4, 5, & decimum. At non mirum eſt, te hac in re incuria, ut arbitror, lapſum fuiſſe; cum in eadem propoſitione, tanquam contradictoria ponas hæc duo: Deus creavit omnia immortalia: &, Deus creavit omnia mortalia; cum tamen utrumque falſum eſſe poſſit. contra id, quod ibidem de natura contradictoriorum tu ipſe recte mones, & dubitandum non ſit, quin optime noris, primi enunciati contradictorium eſſe, *Deus non creavit omnia immortalia*, non autem, *Deus creavit omnia mortalia*. Atque hæc, occaſione hac mihi oblata, non omnino invitus ſcripſi; ut hinc conjicere poſſis, materiam ad tua ſcripta carpenda, mihi nec defuiſſe, nec defuturam, ſi contendere magis, teque deprimere, quam veritatem inveſtigare, teque à falſitate opinionum tuarum retrahere vellem, & de verbis potius (quod tu ſæpe facis) quam de re ipſa tecum diſputare. Sed jam tandem ad replicationes tuas (quas vocant) excutiendas accedo.

CAPUT I.

TU Ipſe, ægre admodum licet, fateris, vocabulum Hebræum Tob, interdum pulchritudinem potius, quam bonitatem ſignificare. Nec profecto quiſquam eſt, qui locis illis inſpectis, quos, ut conſuleres, monui, id negare ullo modo poſſit. Nam quod ais, locos illos in ſcriptura eſſe poſt mortem in mundum invectam, id prorſus nihil eſt. Primum enim, omnes hiſtoriarum ſcriptores verbis ſuis non eam ſignificationem tribuunt, quam habebant, cum res geſta eſt, ſed quam ætate ipſorum retinuerunt; niſi perraro, & cum aliquem loquentem inducunt. Quamobrem cum Moſes ſcribit, Deum vidiſſe omne quod fecerat, & id fuiſſe valde Tob, non eſt, cum ipſe ex perſona ſua loquatur, quod dubitare poſſimus, quin verbo Tob in ea ſignificatione uſus fuerit, quæ ipſius ætate illi conveniret, & ſic (ut tute negare non potes) poſt mortem in mundum invectam. Ex quo perſpicuum eſt, poſſe etiam eo loco vocem Tob טוֹב in eum ſenſum accipi, in quem cæteris locis à me allatis accipitur; etiamſi tibi concederem, verbum illud non niſi poſt Adami lapſum in ea ſignificatione uſurpatum fuiſſe. Quod tamen adeo puerile mihi viſum eſt, ut vehementer miratus ſim, te ea verba ſcripſiſſe. Quid enim efficere poteſt mors in mundum invecta, ut id vocabulum, quod bonitatem prius ſemper ſignificabat, poſtea pulchritudinem potius, quam bonitatem aliquando ſignificet? An quia fortaſſis mors cauſa eſt, ut nihil eorum, quæ ſub cælo conſpiciuntur, bonum proprie appellari mereatur, idcirco mutata eſt vocabuli ſignificatio, & à bonis ad pulchra tranſlata? Cur igitur ea ipſa vox, tot rebus & tam frequenter in ſacris ſcripturis poſt illud tempus adjungitur, quæ non pulchritudinis, ſed bonitatis nomine commendantur? Præterea nonne inter ea, quæ à me allata fuere, eſt inſigne illud teſtimonium: Gen. 2. 18. quod non ſolum ante lapſum Adami, eſt, ſed etiam in eo Deus ipſe loquitur, ut nulla tergiverſandi occaſio relinquatur. Ex quo teſtimonio aperte conſtat, verbum Tob decus & convenientiam quandam declarare; quemadmodum ego in teſtimoniis, quæ tuam ſententiam juvare credis, accipi debere contendo. Nec ſane parum videri debet, ſi in una & altera tantum pagina, quæ de iis quæ Adami lapſum anteceſſerunt, ſcripta ſunt, id vocabulum in ea ſignificatione ſemel inveniatur. Proinde cum manifeſtum ſit, verbum illud id ſignificare poſſe, quod ego aſſero, in iis etiam locis, de quibus inter nos controverſia eſt; ſupereſt, ut videamus, num ibi meo ſenſu, an vero potius tuo ſcriptum fuerit, id eſt utrum Decorum, eique quod facere Deus animo intenderat, aptum atque conveniens; an vero Perfecte Bonum ſignificet. Quis autem eſt, qui tranſlationem illam manifeſtam ab opificibus ductam animadvertens, meam interpretationem non amplectatur, tuamque rejiciat? Nam quidquid, ut vim hujus rationis effugias, unquam excogitare potueris, nihil ages. Cum enim opifices opus, quod perfecerunt, contemplantur & diligenter inſpiciunt, non ejus interiores qualitates, quæ neque apparent, & ſibi ante operis perfectionem notiſſimæ erant, ſed exteriores, & quæ oculis ſubjectæ ſunt, quæque ſibi, antequam opus perficerent, conſtare non poterant, conſiderant, & quodammodo explorant: et ſi eas, quales cupiebant, invenerint, opus approbant, & recte rem ſe habere ajunt. Itaque non aliam operis bonitatem, quam aptitudinem quandam, decus, & convenientiam rimantur atque exanimant. Adde, quod non minus approbat fictor aliquis, licet præſtantiſſimus, totum opus ſuum, quod ex luto fecerit, quam id quod ex marmore, dummodo intentioni non minus illud, quam hoc reſpondere animadvertat; quamvis luteum opus fragiliſſimum eſſe ſciat, ac brevi facile interiturum; marmoreum vero duriſſimum, & ad multa ſecula facile permanſurum. Nec minus approbabit pictor, ſedilis imaginem à ſe pictam, quam hominis, ſi non minus illa quam hæc, veritati reſpondere ſibi viſa fuerit; quamvis in homine pingendo multo majorem artis ſuæ peritiam requiri atque oſtendi non ignoret. Neque vero culpandus eſt opifex, nec ejus præſtantiæ ne tantillum quidem eſt detrahendum, ſi non omnia opera durabilia, cum tamen maxime poſſet, ſed multa etiam fragilia effingit, vel ſi non omnia ejus generis eſſe vult, in quibus ſumma artis peritia, qua præditus eſt, apparere poſſit. Non enim eadem ubique & ſemper conveniunt. Potuit igitur Deus, ſummus licet & præſtantiſſimus opifex, non omnia opera ſua æque durabilia, aut æque præſtantia facere, & nihilominus tamen cuncta æque approbare: cum non magis hoc, quam illud in ſuo genere perfectum, & ad ſcopum quem ſibi propoſuerat, accommodatum vidiſſet. Quare etiamſi approbatio illa ad univerſas operum Dei qualitates porrigeretur, non tamen, ſi aliqua ex ipſis immortalitate donata fuiſſe conſtaret, cætera quoque immortalia ab initio condita fuiſſe, concludendum eſſet, quæ plane interire, & nunc & omni tempore animadverſum ſit. Nam quod ſatis aperte ex tuis verbis colligitur, Deum opus hoc ſuum, de quo potiſſimum loquimur, præ cæteris commendaſſe, & ob eam ipſam cauſam, cum in cæteris de mortalitatis vitio ne ſuſpicari quidem liceat, non eſſe exiſtimandum, in illo ejuſmodi vitium ab initio fuiſſe; non animadvertis, mortalitatem, quamvis per ſe conſiderata vitium ſit, id eſt cujuſdam perfectionis, (ut ita dicam) carentia, non ſecus atque in lutea ſtatua eſt fragilitas; ſi tamen ad

normam

normam divini propoſiti expendatur, vitium fortaſſis non eſſe, cùm ad finem, quem ſibi Deus propoſuit, hominis mortalitas ſpectare poſſit: quemadmodum fragilitas in lutea ſtatua vitium non cenſebitur, ſi ſecundum fictoris voluntatem, & ejus intentionis ſcopum conſideretur, qui ſciens prudens, cum marmoream facere poſſet, quia ſic finis ſibi propoſitus poſtulabat, luteam facere maluit. Quod ſi Deus præ cæteris à ſe creatis rebus, hominem commendavit, id certe non in approbatione illa continetur, ſed in iis verbis, ubi ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ſe hominem facturum, in ejus creatione præfatur: quæ commendatio qualem vim habeat, ſuo loco iterum videbimus. Quid quod in cæteris Dei operibus, non modo quod tu negas, de mortalitate ſuſpicari licet, verum etiam in pleriſque eorum ea evidentiſſime apparet? Sed dices, te cum de homine loqueris, cæteras quoque inferiores res creatas, quæ illi ab initio ſubjectæ fuerunt, intelligere, quarum mortalitas aut immortalitas, ab ipſius hominis mortalitate aut immortalitate omnino penderet. Quam iſtud verum ſit, infra latius examinabimus. Interim aſſero, nihil impedire, quominus, etiamſi homo ipſe immortalis conditus fuiſſet, cætera inferiora mortalia condita eſſent. Quare hominis nomine (præſertim eo addito, quod à Deo præ cæteris ejus operibus commendatus fuerit, id quod rebus homini ſubjectis nulla ratione accommodari poteſt, præ quibus ille potiſſimum commendatur) res inferiores omnes complecti, non minus abſonum quam inſolens videri debet: unde etiam argumentatio tua inanis prorſus cenſenda eſt. Huc accedit, quod in ſuperioribus ipſis rebus creatis, de quibus expreſſe ſcribit Moſes, tantum abeſt, ut nulla ſuſpicio mortalitatis eſſe poſſit, ut contra quam tu ſatis audacter affirmas, non unus modo ex Chriſtianis Theologis, ſed plerique fortaſſe crediderint, eas mortales eſſe; qua de re poſtea agemus. Atque ex his tandem latis intelligi poteſt, tranſlationem illam ob opificibus ductam, qua Moſes manifeſtiſſime uſus eſt, meæ interpretationi non maxime adverſari, ut tu putabas, ſed maxime favere; tuæ vero penitus refragari. Moſem autem ea tranſlatione in illis verbis uſum fuiſſe, ſi quis nondum fortaſſe ſibi perſuadere poteſt, conſideret pauliſper ejus verba, iis de quibus diſputamus, ſimilia, poſtquam tertii, quarti, & quinti diei opera, nec non ſexti quoque, homine excepto, omnia narravit; & perſpicue videbit, ibi nihil aliud contineri, quam approbationem Dei univerſi operis à ſe patrati. Inquit enim de primis operibus tertii diei Gen. 1. 9, (ut hinc de iis verbis, quæ deinceps eodem modo ſcribit, dijudicare liceat.) *Dixit vero Deus, congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod eſſet bonum.* Quis tam oculis mentis captus eſſe poteſt, ut non videat, hic non de bonitate aliqua peculiari & interiore terræ aut maris verba fieri: ſed tantummodo opus illud, quod ſcilicet arida ab aquis ſeparata fuiſſet, à Deo, id poſtea quodammodo contemplante, approbatum fuiſſe, aperte narrari? Ex quo etiam loco, & ex conſequentibus, de quibus diximus, perſpicuum eſt, approbationem illam non reſpicere ſingulas res à Deo creatas, ſed univerſum opus quod factum fuerat. Quocirca ego nihil dubito, nec quenquam, qui recte rem perpenderit, dubitare poſſe exiſtimo, cum ſcriptum eſt Gen. 1. 81, *Et vidit Deus omnia quæ fecerat; & ecce bona valde*; quin non ad ſingulas res creatas verbum *Omnia* referri debeat, ſed ad opera ipſa univerſa, de quibus per ſex dies à Deo patratis ſingulatim dictum fuerat: & quin perinde ſit, acſi Moſes dixiſſet: Et conſideravit Deus univerſa opera, quæ ſingulis ſex diebus fecerat, & vidit, quod lux creata fuiſſet, & à tenebris diviſa; quod facta eſſet expanſio quædam, quæ ſuperiores aquas ab inferioribus ſepararet; quod aquæ inferiores in unum locum congregatæ fuiſſent, & apparuiſſet arida, quæ deinde produxiſſet herbas virentes, ſemeniferas, & arbores fructiferas cum ſemine ſuo; quod in expanſione illa poſita fuiſſent duo magna luminaria, quorum majus diei, minus vero nocti præeſſet, & præterea ſtellæ, quæ ibi lucerent, & una cum duobus illis luminaribus in ſigna eſſent, & tempeſtates, & dies, & annos; quod in aquis piſces, in aëre ſuper terram aves extitiſſent; quod terra protuliſſet animas viventes, beſtias, & reptilia ſingula ſecundum genus ſuum; quod poſtremo homo ad ipſius imaginem creatus fuiſſet, qui piſcibus, avibus, beſtiis, reptilibus, & univerſæ terræ præeſſet ac dominaretur: hæc omnia, inquam, vidit Deus aptiſſime & convenientiſſime à ſe perfecta fuiſſe, & talia prorſus extitiſſe, qualia eſſe oportebat. Neque ab hac explanatione noſtra, quæ & planiſſima & veriſſima cuilibet videri poteſt, id diſſidere putandum eſt, quod de luce à Deo creata dictum fuit Gen. 1. 4. *Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona*: quaſi de peculiari ipſius lucis bonitate ibi aperte verba fiant; cum ex aliis conſequentibus non abſimilibus locis appareat, nihil aliud ſibi velle ea verba, quam vidiſſe Deum, opus illud creandi lucem, quod ipſe perfecerat, rectum & conveniens eſſe; præſertim cum non deſint, qui creationem illam lucis, quam ibi deſcribit Moſes, nil aliud eſſe & contendant & ſatis evidenter demonſtrent, quam id quod deinde per Epexegeſin additum fuiſſe volunt, *Et diviſit Deus lucem à tenebris*, quibus ego aſſentior. Sed non eſt hac de re nunc diſputandi locus. Quodſi non ad ſingulas res creatas, ſed ad opera univerſa, ut à me explicatum eſt, ea verba, de quorum ſententia controverſamur, referenda ſunt; vides profecto quacunque ratione vocabulum Tob interpreteris, ea ad tuam ſententiam confirmandam nihil momenti habere poſſe.

Sed jam cætera, quæ de interpretatione ejus vocabuli adverſum me ſcripſiſti, excutiamus. Dicis, me in eo interpretando ad Græcam tranſlationem, cujus ignoratur auctor, confugiſſe, tot doctiſſimorum virorum in reliquis multis linguis tranſlationibus ſpretis. Ego, ut ſatis conſtat, ad eam tranſlationem, ut interpretationem meam confirmarem, non confugi; ſed interpretatione ejus loci, ex ſententia doctiſſimorum virorum allata, ſtatim addidi: Hinc factum eſt ut 70 vocem Hebræam Tob &c. Ejus autem tranſlationis 70 illos viros auctores feci, pleroſque tum antiquiores, tum recentiores imitatus, qui cum verſionem illam citant, eam ipſis aperte tribuunt, quam & propter ejus antiquitatem, & propter auctoritatem, quam illi non pauca teſtimonia in Novi Fœderis ſcriptis, ſecundum ipſa prolata, conciliare videntur, ſpernendam eſſe non putabam, quicunque tandem illius auctor fuiſſet. Nec interea tamen aliorum verſiones vel rejicio, vel reprehendo, in quibus Tob *Bonum* dictum fuit; ſed quidnam Boni appellatione eo loco intelligi debeat, expono: cum nemini dubium eſſe poſſit, quin operis alicujus decus, & ei, quod opifex animo intenderat, aptitudo & convenientia, ipſius bonitas appellari & poſſit & debeat. Itaque nec ego ipſe, ſi is locus mihi vertendus eſſet, à communi interpretatione fortaſſe diſcederem. Nam & ipſa Græca vox καλὸς, qua 70 interpretes uſi ſunt, & quam ego maxime probo, non minus bonum quam pulchrum ſignificat; quamvis non ita late pateat ejus ſignificatio, ut Boni apud Latinos, vel etiam Tob apud Hebræos. Quod vero me ad Græcum lexicum confugiſſe ais, aliud profecto agebas, cum id ſcriberes. Ego enim ad nullum Græcum lexicum confugi, ſed auctoritatem Johannis Forſteri in ſuo lexico attuli, qui nullum Græcum lexicum (quod ſciam) ſed Hebraicum tantum edidit. Quomodo autem, cùm de Hebrææ vocis ſignificatione ageretur, me Græci lexici autoritatem afferre, tibi in mentem venire potuit? Is porro Forſterus, quanquam fortaſſis aliquando labitur; in ſignificationibus tamen verborum Hebræorum perquirendis, ſingularumque vocum vel origine vel peculiari ſenſu indagando, multo diligentior quam Pagninus fuit. Quandoquidem Pagnini opus nullis propemodum ingenii luminibus

diſtinctum eſt, ſed multa tantummodo lectione refertum. Neque tamen non etiam ex ipſius Pagnini lexico multa, quæ mihi adſtipulantur, doceri poſſumus. Nam & verbum, unde nomen adjectivum Tob deducitur, fatetur non minus, pulchrum eſſe ſeu pulchreſcere, quam bonum eſſe, ſignificare; & ibidem duo tantum teſtimonia ejus verbi profert, quæ ipſe quoque utroque modo interpretatur. Sed quæ à Hieronymo, quem ipſe una cum aliis doctiſſimis viris, Pſalmis, ut arbitror, & fortaſſe etiam Eccleſiaſte exceptis, vulgatæ Latinæ verſionis auctorem agnoſcit, ſecundum Pulchritudinis, non autem Bonitatis ſignificationem, tranſlata fuere, ea ſunt, Num. 24. 5, & Cant. 4. 10. Quin etiam in ſignificatione ipſius adjectivi nominis tradenda, aperte docet, vocem illam, pulchrum etiam & decorum ſignificare. At dicis, multo ſæpius pro bono quam pro pulchro & decoro id nomen uſurpari. Quid tum poſtea? An non vocabula accipienda ſunt in eam ſignificationem quæ magis loco, de quo agitur, convenire videtur, quamvis alia crebrior multo eſſe deprehendatur? Præterea nonne ſatis demonſtratum eſt, uſitatiore etiam ſua ſignificatione verbum id verti poſſe, abſque ulla meæ & aliorum, quos ego ſequor, ejus loci interpretationis jactura? Verum enim vero ut appareat, quocunque ſenſu, qui ei aliquo modo convenire poſſit, id vocabulum dictum velis, eam vim in ipſo non ineſſe, quam tu opinaris; præter ea quæ jam dicta ſunt, expendamus diligenter, ſi placet, quid nomen *Bonus* hic ſignificare poſſit. Ita enim omnino hic vertendum eſſe contendis, neque ego verti poſſe diffiteor. Bonum igitur dici aliquid poteſt, aut ſimpliciter, aut non ſimpliciter. Rurſus quod non ſimpliciter, id aut reſpective (ut loquuntur) aut ſecundum quid. Simpliciter bonum illud dici poſſe videtur, quod nullius rei reſpectu, ſed omnino & per ſe abſolutiſſimè perfectum eſt; quod quia non niſi de Deo dici poteſt, factum eſt, ut in ea ſignificatione nunquam fortaſſis vox Bonus uſurpata inveniatur. Simpliciter bonum illud etiam dicitur, quod rectum eſt; ſub quo continetur honeſtum (quanquam honeſti appellatio, ei quoque tribuitur, quod non ſimpliciter ſed reſpective bonum eſt, ut mox dicemus) & idcirco figurate potius, quam proprie, qui rectitudini ſeu honeſtati ſtudent, viri boni ſunt appellati. Verum quia hæc bonitas, vel in nulla re creata abſolutiſſima invenitur, vel non niſi dono Dei alicui contingit, propterea ſecundum hanc ipſam loquendi rationem, ſolus Deus ſimpliciter bonus appellandus eſt; ut docuit Dominus Jeſus Mar. 10. 18. Luc. 18. 19. Reſpective autem id dicitur eſſe bonum, quod expetendum, ſeu potius, (ut ſignificantius, quamvis minus Latine loquar) expetibile eſt; propterea, quia alicui bonum eſt, vel eſſe poteſt. Hinc eos, qui aliis benefaciunt, aut ſaltem non nocent, cum tamen poſſent, quæ beneficii quædam ſpecies eſt, viros bonos appellamus, & beneficentiam bonitatis nomine decoramus. Expetibilia porro in tria genera dividuntur, honeſta, utilia, & jucunda, ut fere receptum eſt. Honeſti enim, ut paullo ante attigimus, duplex appellatio, & ſimul, reſpectu boni, duplex ratio eſt. Una illius, quod ad decus & honorem ſpectat, & alio nomine honorificum dicitur. Altera illius, quod, ut diximus, latiore vocabulo rectum etiam vocatur. Hoc ſimpliciter bonum, ut dictum fuit, cenſendum eſt: illud vero reſpective duntaxat bonum dici debet. Jam ſecundum quid ea eſſe bona dicuntur, quæ vel in genere ſuo perfecta ſunt, aut ſaltem mediocritatem excedunt, vel ad eum uſum, in quem comparata fuere, apta ſunt, atque idonea. Hinc eſt, quod multa, licet vere imperfectiſſima, bona tamen dicuntur, ut ſi quis alicujus rei imaginem, quæ egregie picta aut ficta fuerit, rem bonam appellet; quæ tamen ſenſu & vita prorſus deſtituitur, atque ſi extra genus ſuum & abſolute conſideretur, innumeris vitiis laborat, nedum res perfecta ſit; multa item, quæ maxime nocere poſſunt, bona interdum appellari audimus: veluti cum quis bonum venenum vocat illud, quod præſentaneum eſt, & bonum pugionem, quo quis facile, undique licet lorica tectus, vulnerari & confodi poſſit. Alias ſubdiviſiones (quas vocant) quæ eorum, quæ non ſimpliciter bona ſunt, tam reſpectivorum, quam ſecundum quid fieri poſſent, conſulto prætereo: quemadmodum etiam ſciens prudenſque alia multa omiſi, quæ ad exactam partitionis hujus noſtræ explicationem requiri poſſe videbantur. Satis enim eſt ad rationem meam concludendam, quot modis aliquid bonum ſit, vel dici poſſit, breviter indicaſſe. Jam age, in quam partem nomen *Bonum* in verbis illis Moſis, accipi velis, diſpiciamus. Pro ſimpliciter bono ſumi debere, contendere non potes, niſi quatenus ea bonitas rectitudo eſt, ab honeſtate tamen diſtincta: neque etiam pro bono honeſto reſpective conſiderato; alioqui omnes res creatas, quæ, ut tu interpretaris, valde bonæ appellatæ ſunt, vel id, quod ſolius Dei eſt, ſortitas fuiſſe diceres; quod à te ipſo valde impium cenſeri, penitus mihi perſuadeo: vel eas honeſtas res eſſe, ſive honeſtatis ſtudioſas affirmares, quod & ridiculum eſt, & propoſito tuo nequaquam inſervire poteſt. Pro reliquo autem bono, quod reſpective bonum eſt, pro utili, inquam, vel jucundo certe accipi non vis; cum neque hoc tuam ſententiam juvare poſſit, & me cavillari dicas in voce Hebræa, cum de ſententia Forſteri dico, eam deductam eſſe à verbo, quod non tam ſubſtantialiter & eſſentialiter bonum eſſe, (ſic enim ille loquitur) quam amabile, volupe, jucundum, utile, & gratum ſignificat, atque aperte contendis, debere illam accipi pro perfecte bono, quod tamen decus etiam & pulchritudinem complectatur. Supereſt igitur, ut quemadmodum ex verbis tuis colligi videtur, vel pro eo quod rectum ſit, vel pro bono ſecundum quid accipi debere velis, & nihil aliud illud *Valde bona* ſignificare contendas, quam vel admodum recta, vel in ſuo genere omni ex parte perfecta, vel ad eum uſum, id quem creata fuerant, aptiſſima & maxime idonea; aut etiam duo ex iſtis, vel omnia ſimul. Quod ſi ita res ſe habet, qua ratione hinc concludi poſſe opinaris, res omnes fuiſſe creatas immortales, niſi prius probaveris, (id quod potiſſimum ego pernego) ad rectitudinem rerum creatarum immortalitatem requiri; hoc eſt, non rectum fuiſſe, ut res creatæ ab initio immortales non eſſent, vel rerum creatarum propriam perfectionem fuiſſe ut eſſent immortales, vel denique ſine immortalitate non potuiſſe eas illi uſui accommodatas eſſe, cui deſtinatæ fuerant; etiamſi mortalitatem per ſe conſideratam, ſummum alioqui vitium eſſe tibi concederetur? Quanquam, quod attinet ad propriam rerum creatarum perfectionem, unde ea colligi, (quæſo) poterat, cum, ut quibuſdam placet, nihil omnino adhuc creatum fuiſſet, vel ut alii affirmant, ſolos Angelos & ſublimius cœlum, quod ipſius Dei ſedes eſt, Deus creaſſet; à quibus rebus cæteras res, quarum creationem deſcribit Moſes, pleraſque vehementer quodammodo diſſidentes, ab ipſo initio creatas fuiſſe, manifeſtum eſt? Nonne vides aperte, non poſſe argumentationem tuam aliquod pondus habere, niſi *valde Bonum* id, quod ſimpliciter perfectiſſimum ſit, ſignificare velis, & quod omnem prorſus bonitatem habeat? Atque hanc ob cauſſam in reſponſione mea dixi, *Valde bonum eſſe*, non ſignificare omnia bona, quæ excogitari poſſunt, in ſe continere; non quod ita te prorſus affirmare crederem, ſed ut quo vis argumenti tui rem pertrahebat, indicarem, atque hac ratione nihil momenti in eo eſſe poſſe, evidenter oſtenderem. Neque interea tamen, ut nunc quoque feci, propriam reſponſionem ad tuum argumentum omiſi: nam dixi, illud tacite id ſumere, de quo diſputamus; & quamvis mors ab initio in rebus creatis fuiſſe diceretur, niſi probatum eſſet, hoc magnum malum bonitatem tollere, quæ ipſarum eſt propria, non tamen valde bonas fuiſſe, ulla ratione negari poſſe. Adverſus quam meam reſponſionem tu nihil penitus affers; ſed tanquam tuum argumentum non percepiſſem, illud tantummodo iterum inculcas,

eas, & latius exponis; neque adhuc animadvertere potes, ſi argumentum tuum aliquam vim haberet, concludi poſſe, ſtirpes omnes ſenſu & ratione præditas fuiſſe. Nam ſi ſtirpes valde bonæ creatæ fuerunt, certe ſenſu & ratione carere, quod magnum malum eſt, non magis potuerunt, quam animantes mortales eſſe: quia id magnum malum eſt, & ipſæ valde bonæ creatæ fuerint. Sed non ſolum in hoc lapſus fuiſſe videris, quod bonitatem, quæ eſt ſecundum quid, ad ſimplicem bonitatem imprudens tacite detorſeris; ſed etiam quod τῇ ὁμωνυμίᾳ ſeu varia ſignificatione vocis Mali deceptus, Bonum in quandam ſignificationem acceperis, quæ, ut arbitror, nuſquam extat, id eſt, pro beato ac felici. Nam cum, quamvis mortem per ſe in malis & valde malis haberi dicas, & mortis infelicitatem per peccatum ſuperveniſſe, te putare affirmes, (præſertim vero cum mortem ipſam omnino in rebus futuram fuiſſe contendas, & paſſim ſcribas, ſi ille ab initio mortales creatæ forent;) videris mortem magnum malum ideo appellaſſe, non quia vitium quoddam in re arguat, ſed potiſſimum, quia ipſi rei detrimentoſa ſit, in quem ſenſum vox *malum* recte accipi poteſt; quod genus mali in ea re, quæ bona appelletur, id eſt eo nomine, quod nomini Malo opponitur, ineſſe poſſe, tibi perſuadere non potuiſti: Sed conſiderare debueras, ejuſmodi mala, quæ, (quidquid dicas) vere non inſunt in re, ſed ei impendent, non impedire, quominus aliquid & Bonum & valde Bonum jure dici poſſit, niſi Boni nomine perfectiſſimum illud Bonum intelligatur, quod, ut dictum fuit, nihil aliud, quam Deus eſt, quem ab omni genere malorum quam longiſſime non abeſſe tantum, ſed in æternum abfuturum, neceſſe eſt; cum quodvis malum, rei cui contingat, vel contingere poſſit, imperfectionem, ſeu vitium aliquod omnino arguat; non autem quia ejuſmodi malum impendens per ſe bonitatem, licet abſolutiſſimam, aliqua ex parte alioqui impediat. Felicitatem quidem impedire poteſt, non omnem tamen, ſed eam, quam nos divinitus edocti, veram & ſummam felicitatem eſſe ſcimus. Homo autem, de quo præcipue agimus, quatenus felix eſſe poteſt, in quamcunque ſignificationem, quæ ei convenire poſſit, Bonum accipias, bonus non appellatur; quamvis ea quæ felicitatem illi conciliare poſſunt, non bona ſolum, ſed ſumma etiam bona dicantur: non ſecus atque idem homo, quatenus infelix eſſe poteſt, nulla ratione malus vocabitur; quamvis illa, quæ ipſi infelicitatem afferre queant, & mala & valde mala merito appellantur. Ex quibus perſpicuum eſt, quantum hallucinatus fueris, ſi modo eo ſenſu quem tua ipſius verba ferre docuimus, mortem, quia valde mala ſit, hominis & cæterarum creatarum rerum magnam bonitatem, quam ipſis in eo Moſis loco attribui putas, tollere aut impedire dixiſti. Itaque tandem vides, quacunque ratione Tob ſive bonum interpreteris, quæ non prorſus abſurda ſit, nihil ex eo verbo ad tuam ſententiam confirmandam ſumi poſſe. Sed jam videamus, num adhuc aliud habeas, unde vocem Bonum ſeu valde bonum mortalitatem excludere oſtendi poſſe credas. Ais, inter cæteras res creatas, ſuperiores quoque, id eſt cœleſtes, nominatim autem lucem, ea comprobatione, quod bonæ eſſent, commendari; quæ comprobatio, cum in illis immortalitatem complectatur, in homine quoque eandem complecti debet. Hic primum, ut ſupra attigimus, id ſumis, quod verum eſſe non conſtat, res ſcilicet ſuperiores atque cœleſtes, quarum creationis Moſes expreſſe meminit, & lucem hanc creatam, immortales eſſe. Immo ego una cum pleriſque, ut arbitror, Sacrarum litterarum Interpretibus, eas aliquando interituras exiſtimo; ut infra ſexto capite demonſtrare conabor. Deinde, ut ſint immortales, quis tibi patefecit, earum immortalitatem ea comprobatione contineri; cum inter nos maxime controverſum ſit, quatenus comprobatio illa extendatur? Neque enim animadvertis, etiamſi tibi darem, verba illa, *Et erant valde bona*, ad ſingulas res creatas referri debere; non tamen inde ſequi, Moſem in illis verbis, ejuſmodi bonitatum, qualis immortalitas eſt, ullam rationem habuiſſe; ut in illa ab artifice tranſlatione explananda, à me abunde demonſtratum fuit. Quid quod ſi illa comprobatio in ſuperioribus & cœleſtibus rebus immortalitatem complectitur, eam non idcirco in inferioribus quoque & terreſtribus complecti debet; præſertim ſi, ut tu opinaris, hæ illis deteriores ſunt. Adde quod in illis, ut ipſe ais, nullum mortis veſtigium apparet, in his autem certe mortem dominari conſpicimus. At inquis, hoc demum accidiſſe poſt peccatum primi hominis. Sed iſtud iterum eſt, quod ego maxime nego, & quod in quæſtione noſtra potiſſimum verſatur. Quapropter te id prorſus affirmare, niſi ſimul ratione vel auctoritate confirmes, ridiculum profecto eſt. Ad argumenta autem, quibus id probare niteris, ſuo loco reſpondebitur, & jam reſponſum eſt. Ad id, quod ais, de commendatione, qua Deus præ cæteris hominem exornavit, ut ante dictum fuit, hic non attinet reſpondere: quam enim vim ea habeat, alibi & explicatum eſt, & explicabitur. Neque vero eſt generalis & obſcura quædam commendatio, ſed ſimplex & aperta, quæ ad immortalitatem nulla ratione pertrahi poteſt. Poſtremo, ut appareat, quam nullius ponderis ſit tua argumentatio, animadvertendum eſt, eo argumentandi genere probari poſſe, herbas & ſtirpes omnes ſenſu præditas ab initio fuiſſe; non ſecus atque paullo ante demonſtratum eſt, eas rationis quoque fuiſſe participes, præcipuo tuo argumento, ſi modo id aliquas vires habeat, concludi poſſe. Sic enim quiſpiam, te imitatus argumentabitur. Comprobatio illa in homine & in cæteris animantibus, ſenſu præditum eſſe complectitur: ergo in herbis quoque & ſtirpibus, idem ut complectatur neceſſe eſt. Cur enim ipſæ ſolæ, quæ non minus quam homines & beſtiæ, bonitatis nomine commendantur, ſenſu penitus deſtitutæ forent? Quin etiam eodem argumento, & ſaxa, & ſcopulos omnes, & maris arenam, & cætera ejus modi quæ creavit Deus, vegetativam, (quam appellant) animam habuiſſe, multo evidentius probaretur; cum in aliis omnibus inferioribus, id eſt, ſtirpibus, beſtiis, & homine, ea anima inſit, qua prorſus carere, & plane mortuum eſſe, nemo negaverit maximum per ſe vitium eſſe. Ex quo etiam liquido conſtat, quam abſit à veritate, quod divina illa approbatione immortalitas contineatur; cum ſi ad ſingulas res creatas, ut tu & plerique alii ſentiunt, eam pertinere velimus, ad ea etiam porrigatur, quæ non ſolum immortalia non ſunt, ſed omni vita penitus deſtituuntur. At dices fortaſſe, non potuiſſe ea approbatione immortalitatem contineri, niſi eorum reſpectu quæ vivunt: quaſi vero non majus vitium ſit, mortuum, hoc eſt, ſine vita eſſe, quam non immortalem; & non ob id potiſſimum eam comprobationem immortalitatem complecti velis, ne videantur immerito & falſo Valde bonæ dictæ fuiſſe res creatæ, ſi mortales eſſent, quod valde malum cenſeri debet. Satis jam ſuperque, ut arbitror, à me confirmatum eſt, primum hoc tuum argumentum nihil momenti habere poſſe, ad ſententiam tuam vel leviter quidem ſuadendam. Et certe piget me tot verba in re apertiſſima facere, ut tuis paralogiſmis & verborum captionibus occurram. Quibus illud etiam addendum eſt, cum legis, Deum vidiſſe omnia quæ fecerat, & fuiſſe valde bona, atque id de ſingulis rebus creatis dici exiſtimas; non debere te putare id ſcriptum eſſe, ut ſi quid mali in eis tibi nunc ineſſe videatur, ſcias illud ab ipſis, cum crearentur, abfuiſſe, & tibi hac ratione quidlibet comminiſcendi licentia permittatur; ſed contra, ut quamvis fortaſſe multa tibi videri poſſent in eis ineſſe, quæ non deceant, (niſi id ipſarum culpa accidiſſe manifeſtiſſime appareat) eas tamen tales creari oportuiſſe, & ut tales eſſent, ipſarum conditori & omnium rerum domino ac moderatori ſapientiſſimo, Deo noſtro placuiſſe memineris; atque hinc curioſitatem omnem & audaciam Dei opera ad normam tui ſenſus & judicii examinandi ac revocandi, vitare & cohibere diſcas:

nihil enim eſſe, quidquid humanæ rationi videri poſſit, quod in eis aut deprehendi aut deſiderari poſſe, vel ſuſpicari quidem liceat; quemadmodum aliqui doctiſſimi Interpretes eo in loco prudentiſſime annotarunt. Reſtat, ut alia quædam, quibus in prioribus reſponſionibus meis ad idem argumentum, nonnulla partim convellere, partim carpere tentaſti, paulo diligentius expendamus. Quædam enim, quæ hic intempeſtive admiſces, quod ſcilicet, cum Deus immortalis creaverit ſimile ſibi, immortale non autem mortale id eſſe intelligi debeat; quod in creatione rerum nulla mentio mortis fuerit facta; quod Diabolus, non Deus, ſit auctor mortis: ſuis locis, id eſt 2, 6, & 7, capite excutientur. Dixeram ex eo, quod univerſas ſtirpes, ante Adami lapſum, corruptioni & ei morti quæ illis contingere poteſt, non obnoxias ſolum, ſed deſtinatas etiam fuiſſe conſtaret; cum & homini & cæteris animantibus, nulla præterea lege adhibita, in cibum datæ fuiſſent; evinci poſſe, Valde boni appellatione immortalitatem non comprehendi, cum & ipſæ ſtirpes, ut fert interpretatio tua, valde bonæ fuiſſent appellatæ. Ut meam hanc apertiſſimæ inſtantiæ (ut vocant) vi ſolidiſſimam tuæ argumentationis refutationem aliqua ratione convellas, primum non prorſus concedis, in ſtirpibus aliquam vitam fuiſſe: quod tamen omnino concedere debueras; cum receptum fere ſit, eas vegetativa, ut loquuntur, anima præditas eſſe, & nemo etiamnum non videat & fateatur, eas naſci, adoleſcere, ſeneſcere, & mori denique atque extingui, quæ omnia vitam aliquam in ipſis ineſſe plane arguunt. Id quod Cicero, ſi recte memini, non uno in loco diſertiſſime exponit. Nam ſi quis objiciat, eas neque apud Hebræos animas viventes appellari, neque apud Græcos ζῷα nomine, quod ipſius origine inſpecta, Vivens ſignificat, inſigniri; neque apud Latinos animalia vocari, animadvertendum eſt iſtud κατ' ἐξοχὴν factum fuiſſe. Adeo enim anima ſenſitiva vegetativæ præſtat, & adeo illius vita hujus vitam excellit, ut merito ea tantum, quæ ſenſu prædita ſunt, & animalia & viventia, & animæ viventes fuerint appellata. Nam & animarum quoque appellatione, eadem ſermonis figura, homines ſoli, non etiam cæteræ animantes, ſæpiſſime ſignificantur, non aliam ſane ob cauſam, niſi quia rationalis anima, quæ in ſolis hominibus ineſt, ſenſitivam animam, qua cætera quoque animantia prædita ſunt, longe antecellit. Ut autem aliquam vitam in ipſis ſtirpibus ſemper fuiſſe, non prorſus concedendi nonnullam cauſam habere videreris, eas deinde, cum hac de re agis, non ſuo nomine, ſed cibos appellas, & conſiderandas quodammodo proponis, non cum adhuc vivunt atque vigent, ſed cum jam cibi ſunt effectæ, hoc eſt, propria vita privatæ; & me, tunc demum ſuam vitam eas amittere, dicentem facere videris, cum animalium nutrimentum fiunt; quod nec ego dixi, & falſiſſimum eſt. Siquidem etiam antequam animantium fiant nutrimentum, dum in eum finem parantur, vel ex toto, vel ex parte perimuntur, & propria vita privantur. Addis deinde non poſſe ullo modo dici, eas vitam ſuam amittere, & corrumpi, cum animantium nutrimentum fiunt; immo potius dici debere, eas tunc vivere, propterea quod cum prius ſenſu carerent, poſtea animalium pars & ſubſtantia factæ fuerint, quæ ſenſu ſunt prædita. Equidem ſatis mirari non poſſum, te iſta docto homine indigniſſima ſcribere auſum fuiſſe. Quid enim magis communi ſermone tritum, non modo apud Philoſophos, manifeſtum eſt, quam unius generationem eſſe alterius corruptionem, & rurſus, unius corruptionem, alterius generationem eſſe? An neſcis fortaſſe, id in omnibus ſcholis decantatum, formam eſſe, quæ dat eſſe rei, & forma perempta, rem ipſam perire neceſſe eſſe. Quomodo igitur ex ſtirpibus * cibus fieri poteſt, & ex cibo nutrimentum gigni, ac pars ejus quod nutritur, quin non ſtirpes ſolum, ſed cibus etiam ipſe intereat & corrumpatur? Quomodo vegetativa & propria ſtirpium anima, aliæque differentiæ, (quas appellant) quibus forma (ut dicitur) earum conſtat, vel potius quæ propria forma ipſarum ſunt, perire poſſunt, aut certe pereunt, etiam antequam nutrimentum animantium fiant; & ipſæ ſtirpes nihilominus eſſe, & vivere? Quæſo te, quid mori & corrumpi ſignificare credis? num materiam ex qua aliquid conſtat, penitus deleri, aut deteriorem formam ſuſcipere? Numquid non vides, hac ratione ne nunc quidem hominem morti & corruptioni eſſe obnoxium; cum materia, ex qua conſtat, ut cæterarum rerum, naturaliter nunquam deleri queat; & res mortuas atque viliſſimas corrumpi dici non poſſe, cum ex illis animæ viventes, & nobiliſſimæ res generantur; quod tamen falſiſſimum eſſe, ſi non à Philoſophis, à Chriſto ſaltem & Paulo doceri ex parte poteras. Quorum primus ait Joh. 12. ℣. 24, *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Alter vero aperte ſcribit 1 Cor. 15. ℣. 38. non vivificari id quod ſeritur, niſi prius moriatur. Quod ſi ſemen moritur, antequam ex eo ſtirps fiat, nec fieri ſtirps poteſt, niſi ſemen prius moriatur, quamvis ſtirps, ut idem Paulus oſtendit, multo nobilior ſit ipſo ſemine, quod licet prius propriam formam amittat, quam ea ratione viviſcat; tamen non prius plane ſua forma privatur, quam viviſcere incipiat multo magis herbas & ſtirpes mori neceſſe eſt, antequam comedentium nutrimentum & pars atque ſubſtantia fiant; cum multo ante propriam formam perdiderint, etiamſi tibi daretur, in nobiliorem ſpeciem (quam vocant) dum animalis pars & ſubſtantia fiunt, ipſas evadere; præſertim cum ſemina, dum ſtirpes fiunt, quodammodo renoventur: unde Paulus inſtitutæ comparationi inſerviens, ea vivificari, non veritus eſt dicere; ſtirpes vero, dum pars & ſubſtantia animantium fiunt, in rem ab eo, quod ante erant, plane diverſam, & in novam prorſus ſpeciem vertantur. Nam quod ais, eas tunc ad eum finem perveniſſe, in quem conditæ fuerant, tu ipſe conſidera, quid hoc ſit; cum granum quod ſatum fuit & ſtirps factum eſt, mortuum fuiſſe dicatur, & tamen nonniſi ea morte præcedente, ad eum finem pervenire potuerit, in quem ſatum fuerat. Quod ſi contendere volueris, fuiſſe quidem, ſed jam non eſſe mortuum, non ſolum ab omnibus doctis viris exſibilaberis, ſed nihil etiam quod attinet ad quæſtionem noſtram, efficies. Satis enim mihi eſt, ſi ſtirpes, dum animantium cibus & nutrimentum fiunt, propria vita aliquando privatas fuiſſe, abs te concedatur; ex quo manifeſtum fit, tantum abeſſe, ut immortales ab initio creatæ fuerint, ut mortem eas ſubire, ad animantium arbitratum, & poſſe & debere conſtitutum fuiſſet. Neque illud præterea tacendum videtur, partem etiam ſeu ſubſtantiam illam animantium, in quam herbæ & ſtirpes eorum cibus effectæ vertebantur, præſertim vero cum animal jam adultum & perfectum omnino eſſet, non utique permanſiſſe, ſed paulatim periiſſe, & abſumptam fuiſſe, & in abſumptæ locum non minus quam nunc fieri ſcimus, aliam, quæ gignebatur, ſubinde ſucceſſiſſe; alioqui in immenſum animalia excreviſſent. Quapropter nulla ratione negari poteſt, ſtirpes univerſas ab ipſa creatione corruptioni fuiſſe obnoxias, atque, ut penitus deleri atque interire poſſent, jam tum à Deo decretum fuiſſe. Sed quid dicam de eo, quod ſubjungis, ſemina, fructus, & herbas videri potiſſimum expetere, ut in animantium ſubſtantiam mutentur, cum lætiſſimæ ſe offerunt edentibus. Certe Franciſce, ſi herbarum gemitus exaudire poſſes, cum interdum ad uſum animantium radicitus extirpantur & convelluntur, aut diſcerpuntur, ac quodammodo dilaniantur, non ita diceres. Verum hæc puerilia, vel ſaltem Poëtis prorſus relinquenda, omittamus. Addis præterea hæc ipſa verba, *Et ne quid ſcrupuli reſtet, ex cibo hoc non poſſe probari corruptionem, Arbor vita*

* Plutarchus ſub Perſona Solonis in ſeptem ſapientum convivio, ait. Nos dum ſtirpibus nutrimur, eas perdere, & vita privare. Perdi enim quidquid in aliud mutatur, & omni corruptione corrumpi, ut alterius nutrimentum fiat.

bor vitæ omnem dubitationem nobis adimit. Nam ex ea quoque comedebatur, & tamen tantum abeſt, ut ex hoc cibo corruptio aliqua, aut mortalitas inferretur, ut corporis vita per eum perpetuaretur. Ita loqueris, ac ſi hoc loco diſputaretur, utrum ex herbarum & ſtirpium cibo, quo antequam homo laberetur, & ipſe & cætera animantia ex Dei præſcripto ſeu conceſſione utebantur, argui poſſit, cunctas animantes, non immortales ſed mortales & corruptibiles creatas fuiſſe; cum tamen hic ne verbum quidem hac de re fiat, ſed in octavo demum capite de ea ſit diſputandi locus. Verum tamen quia fortaſſis, quantum conjectura aſſequi poſſum, aliud intelligis quam ſcribas, ne vim argumenti, quo uti voluiſſe videris, effugere me velle ſuſpicari poſſis, vide, an hoc dicere in animo habueris: Non poſſe ex eo, quod plantæ univerſæ in cibum animantibus ab initio conceſſæ fuiſſent, ullo modo colligi, plantas ipſas jam tum fuiſſe corruptibiles. Nam arbor quoque vitæ in cibum homini data fuerat, & ex ea comedebatur, & tamen (tantum abeſt, ut ea corruptibilis eſſet) à corruptione hominem in perpetuum conſervabat. Jam vero hæc ratio nullam vim habet, nec arboris vitæ exemplum afferri merebatur; cum non modo ea arbore in cibum uti poſſet homo, citra ipſius arboris interitum; verum etiam neceſſe eſſet, ſi ex ipſius fructu is veſci identidem debebat, ut ea conſervaretur, quæ ut equidem arbitror, una tantum erat: neque enim ipſam arborem, ſed fructum ejus in cibum homini à Deo datum fuiſſe, quin tute fatearis, non dubito. Ex ſtirpibus vero & herbis, ut mox videbimus, non paucæ ſunt, quarum præcipuus uſus in cibis, abſque ipſarum interitu, haberi nequit; nec, ſi una extinguebatur, alia ejuſdem generis & facultatis deeſſe poterat. Sed argumentationem ipſam accuratius perpendamus. Negas enim eum cibum corruptibilem eſſe potuiſſe, qui comedentem à corruptione conſervaret. Qua igitur ratione fit, ut cibi, quibus veſcimur, res mortuæ ſint, & tamen in nobis vitam propagent, atque conſervent? Qui poteſt magis res mortua vitam conciliare, quam corruptibilis incorruptionem? Nonne ſi priorem formam fructus illius arboris amittebat, & in illius hominis corpore aliud quid fiebat, eum corrumpi neceſſe erat? Nam quid aliud eſt corrumpi, quam, priore depoſita, novam formam ſuſcipere, ſive ea priore præſtantior, ſive deterior ſit? Sed quam in ejus arboris cibo decipiaris, cum eum immortalem quoque vocas, & mihi tecum in eo convenire autumas, infra in quinto capite latius demonſtrabitur: At poſtremo tibi ipſi, (ut credo) in ſuperioribus reſponſionibus non ſatis faciens, & id deinde negans, quod prius conceſſiſſe videbare, addis, *Sicut nos ſine hujus vitæ detrimento, barbam & capillum nobis tonderi patimur, ſic herbæ & plantæ ab animantibus tondebantur, nec aliquid tamen ſimile morti illis contingebat.* Ergo, ſi tibi credendum eſt, ante hominis lapſum, non licebat cæpas, allia, paſtinacas, raphanos, daucos, napos, & id genus permultas herbas, quarum præcipuus in cibis uſus, in radice conſiſtit, eradicare, & earum radicibus veſci. Huic inaniſſimæ licet rationi tuæ, & plane commentitiæ, ſeu potius evidenter falſiſſimæ, jam ego in priore meo ſcripto ſatis aperte occurreram; cum dixiſſem, nulla præterea lege adhibita, herbas, arbores, & plantas univerſas, in cibum animantibus à Deo, etiam ante Adami delictum, datas fuiſſe: ad quæ tamen mea verba tibi connivere viſum eſt, ut liberius ridiculum iſtud tuum commentum proferre poſſes. Adeone ſtudio ea defendendi, quæ ſemel dixiſti, abripi te finis, ut in quæ abſurda ridicula devenias, non animadvertas? Præterea, quî herbarum & ſtirpium ſurculos, & germina, & frondes etiam ipſas, quæ pars ipſarum ſunt, hominum barbæ & capillo comparare potes, quæ nequaquam hominis ſunt partes, ſed excrementa tantum? Sed jam ad alia tranſeamus. Ut apertam argumenti tui fallaciam, tibi ipſi conſpiciendam exhiberem, dixeram in homine, licet mortali, mortem non ineſſe. Has tu præſtigias appellas, & quaſi aliquod portentum locutus fuiſſem, ais, Igitur in nobis quoque non ineſt mors, licet mortales ſimus: quaſi inter omnes conſtet, in nobis mortem ineſſe, & non potius pueris quoque & mulierculis manifeſtiſſimum ſit, ibi mortem eſſe non poſſe, ubi eſt vita. Cum igitur in homine, dum vivit, vitam ineſſe & omnes ſciant, & tu negaturus non ſis; quis non videt, in homine, dum vivit, mortem ineſſe non poſſe? Quare non immerito non ego quidem, qui tuas fallacias detego, ſed tu præſtigiator appellandus es, ſi modo alicui unquam inani quadam & captioſa verborum ſpecie, quia ſcilicet homo mortalis ſit, in eo licet vivo, mortem ineſſe, perſuadere poteris; &, vitam ſimul & mortem, quæ privantia contraria ſunt, in eadem re, eodem tempore, reipſa reperiri. Mortem igitur homini vivo ineſſe, non niſi valde improprie, & prorſus figurate dici poteſt, & non in diſputationibus certe, in quibus veritas inveſtigatur, ſed in orationis exornationibus, & Poëticis pigmentis forſitan eſt adhibendum. Proinde non eſt, quod cachinnis excipienda ab adverſario non amico, illa mea verba dicas; *Nec donec eſt, & vivit homo, cum morte aliquid vere commune habet*, quia nimis abſurdum ſit enunciatum; *Mortale eſt, & nihil cum morte commune habet.* Primum enim, in enunciato illo, more tuo ſubtractum eſt à te adverbium Vere, quod, ut tu ipſe aperte fateris, diſerte extat in verbis meis. Ex quo Adverbio, quod idem valet, quod proprie & reipſa, ſatis diluitur, quicquid illis objicere aliquis poſſet. Nam non ſolum, ut iſtis verborum præſtigiis occurrerem, id verbum adjeci: ſed etiam ut in ipſis morientibus, dum adhuc vivunt, enunciatum meum verum deprehendi poſſet. Morientes namque incipiunt quidem quodammodo cum morte aliquid commune habere; dum tamen adhuc vivunt, nihil proprie & re ipſa cum morte commune habent. Mors enim, de qua nunc loquimur, eſt animalis & illius concreti omnimoda extinctio ac diſſolutio. Itaque videmus ſæpe fieri, ut quis vel corporis ægritudine, vel externa aliqua vi, ad mortem quam proxime accedat; qui tamen ſi evaſerit, aut convaluerit, nemo eſt qui auſit affirmare, eum proprie & reipſa cum morte aliquid commune habuiſſe, ſed parum admodum abfuiſſe quin habuerit. Fateor tamen, ut omnis dubitatio prorſus tolleretur, rectius me locuturum fuiſſe, ſi dixiſſem, Donec eſt & vivit, & valet homo. Sed cum ea de re nulla inter nos controverſia eſſet, & de valente, non autem moriente homine loqueremur, ſatis mihi viſum eſt, adverbio illo Vere, huic malo obviam ire. Quanto igitur magis cum morte vere nihil habet commune is, qui ita vivit, ut etiam valeat; ut de Adamo affirmare poſſumus, cum vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. At inquis, quomodo fieri poteſt, ut homo mortalis ſit, & nihil cum morte commune habeat? (Nam, ut quantum fallaris, tute perſpicias, volo deinde etiam ex verbis meis demi Adverbium illud Vere) imponit tibi ſcilicet mirum in modum nomen *mortalis*; neque adhuc perſpicis, mortale non id vocari quod jam cum morte aliquid commune habeat, ſed quod habere poſſit, vel aliquando habiturum ſit: eadem enim eſt ratio mortalis ad mortem, quæ corruptibilis ad corruptionem. Ut igitur id quod adhuc integrum & in corruptum eſt, quamvis corruptibile ſit, nondum aliquid tamen eſt, quamvis mortale, nondum aliquid tamen cum morte habet commune. Itaque nomen mortalis, licet à morte derivetur, non eſt tamen particuſdam aliis ejuſmodi nominibus, in quibus id, unde derivantur, aliquo modo continetur, ut Animalis, Rationalis, & ſimilia; ſed idem eſt mortalis, ac ſi dici potuiſſet, moribilis. Sed dices, meomet exemplo adverſus me ipſum utens, ex Pauli Apoſtoli verbis aperte colligi poſſe, id quod corruptibile eſt, non modo dum adhuc integrum & incorruptum eſt, cum corruptione aliquid commune habere, verum etiam corruptionem eſſe: inquit enim 1 Cor. 15. 50: *Hoc autem dico fratres,*

quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit. Ex quibus verbis apparet, carnem & ſanguinem, id eſt, homines mortales, quatenus mortales ſunt & corruptibiles, corruptionem vocari. Hic Paulinus loquendi modus, omnino improprius & metonymicus eſt. Manifeſte enim qualitatem pro re dixit, cui ea qualitas inſit, corruptionem ſcilicet pro re corrupta: quare non mirum eſt, ſi rem corruptam quoque, pro re corruptibili poſuit; non ea quidem ratione, quia id, quod corruptibile eſt, corruptum ſit, aut dum adhuc incorruptum eſt, cum corruptione aliquid commune habeat; ſed eam ipſam ob cauſam, propter quam corruptionem pro re corrupta dicere voluit; nempe ut evidentius rem ob oculos poneret, & propter ipſius corruptibilitatem id à regno Dei excludi, ubi non niſi incorruptibilia locum habere poſſunt, efficacius demonſtraret. Quodſi nihilominus tamen videre nondum potes, quomodo id, quod corruptibile eſt, cum corruptione nihil commune habeat, & propterea etiam id, quod mortale eſt, cum morte: reſtitue enunciato meo adverbium Vere, quod illi ademeras, & videbis me rectiſſime locutum fuiſſe. Nam quamvis fortaſſe quodammodo dici poſſit, cum morte jam aliquid commune habere id, quod ſuapte natura morti ſit obnoxium: (id enim in Adamo ante lapſum epithetum Mortalis in mea ſententia ſignificat) tamen nulli dubium eſſe poteſt, id vere ſeu proprie, (de eo præſertim qui bene valeat) dici non poſſe; ſed tantummodo, quod naturaliter aliquando futurum ſit, ut cum morte aliquid, vel multum etiam, habeat commune. Hic enim, ut paulo ante dictum fuit, non loquendi quilibet uſus, ſed veritas ipſa ſpectanda eſt. Siquidem nec auctoris cujuſpiam verba interpretamur, nec oratorie loquimur; ſed argumentis, & rationibus, quid maxime verum ſit, exacte inquirimus. Qua ratione inſpecta, non ſolum, donec eſt & vivit homo, ſed nunquam cum morte eum vere aliquid commune habere, affirmare poteram. Nam dum vivit homo, certe mors non eſt. Eo autem mortuo, eſt quidem mors, ſed homo ipſe amplius non eſt. Quomodo igitur poteſt alterum cum altero vere aliquid commune habere, ſi altero exiſtente, alterum non eſſe neceſſe eſt? An neſcis illud vulgatiſſimum juxta ac veriſſimum, non entis nullæ ſunt qualitates. Et illud, De ea re, quæ non eſt, nihil in præſens affirmari poteſt, niſi quod non ſit? At tibi & ridiculum & maxime impium videtur, de homine unquam affirmare, quod amplius non ſit? Ergo & ridicule & maxime impie loquutus eſt Hieremias Propheta, immo ipſe Deus, quem Hieremias loquentem facit, cum ait Hier. 31. 15. *Vox in excelſo audita eſt, lamentationis & luctus & fletus, Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt.* Ridiculus quoque & maxime impius hac in re fuit Matthæus Apoſtolus, qui in Euangelio ſuo Mat. 2. 18, hoc Vatis Teſtimonium, infantibus, juſſu Herodis crudeliter necatis accommodavit. Ridiculus non minus, & maxime impius fuit idem Hieremias, cum Deum orans ait Lam. 5. 6. *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt.* Ridiculus & maxime impius David, qui Deum alloquens, non veritus eſt dicere Pſal. 39. 14. *Recede à me, ut refrigerer, priuſquam abeam, & non ſim.* Sed omnium maxime & ridiculus & impius Jobus Job. 14. 10, qui in eandem ſententiam cum Deo quodammodo expoſtulans, poſtquam dixiſſet, arborem habere ſpem, ſi præciſa fuerit, & rurſum vireſcat, & pullulent ejus rami, & alia ejuſmodi, poſt modum ſubjungit: *Homo vero cum mortuus fuerit & nudatus, atque conſumptus, ubi ipſe eſt?* Vide quid ſtudium me carpendi in te effecerit, ut ſanctiſſimos & ſapientiſſimos viros, immo Deum ipſum imprudens, inſcitiæ & impietatis infimulaveris, & eorum, quæ quotidie legis & habes in manibus, penitus oblitus fueris. Sed inquis, niſi concedatur cum corporibus animas interire, & omnia morte deleri, non poſſe unquam dici de hominibus, eos amplius non eſſe, cum eorum οὐσία, ſive eſſentia, nunquam aboleatur aut evaneſcat: Et interim aut neſcis, aut non meminiſti, anima, licet immortali, permanente, hominem tamen ipſum aboleri, & οὐσίαν ſive eſſentiam hominis in eo conſiſtere, quod animal ſit rationale, & cum per mortem animal, quod neceſſario ex anima & corpore conflatum eſt, omnino pereat, per mortem hominem ipſum extingui neceſſarium eſſe? Et quid (obſecro) eſt aliud, mori & interire, quam amplius non eſſe? Si igitur hominem mori & interire non diffiteris, qua ratione negare potes, hominem poſt ipſius mortem & interitum amplius non eſſe? Plura ad idem confirmandum congererem: ſed & apud Philoſophos, & apud Theologos adeo in confeſſo eſt, anima etiam hominis, poſt mortem ejus, immortali permanente, ipſum hominem, ut verba ipſa aperte demonſtrant, mortuum eſſe, nec amplius exiſtere, ut tui erroris te admonuiſſe ſufficiat, præſertim cum nos de homine, quatenus vere homo eſt, & animal, ſemper loquamur. Illud tamen ſilentio involvendum non eſt, quod οὐσίαν, ſive eſſentiam hominis, non ipſius animam rationalem tantum, ut fortaſſe quiſpiam exiſtimare potuiſſet, ſed potiſſimum materiam, ex qua homo conſtat, eſſe vis. Dicis enim, eam multas viciſſitudines pati: quod ſicut indigniſſimum eſt, ut ab homine erudito dicatur, (ſi quidem cujuſvis rei eſſentia, aut perit aut immutabilis permanet) ita de rationali anima, quæ nullas viciſſitudines pati poteſt, prorſus dici nequit. Materiam autem, unde homo conflatus eſt, ejus potiſſimum eſſentiam eſſe, quis eſt ita hebes, qui falſiſſimum eſſe non videat? In forma enim, non in materia, ut omnes ſciunt, rei eſſentia conſiſtit. Verum in poſterioribus diſputationibus hac eadem de re, ut dicis, iterum videndum erit. Teſtimonia Sacrarum Literarum, quæ ſubjungis, ut quomodo hac de re loqui debeamus, agnoſcam, nec à te fideliter, (ut arbitror) recitata ſunt, nec ad rem ullo pacto facere poſſunt. In eis enim primum non dicitur, hominem poſt mortem adhuc eſſe, id quod tu aſſeris, & ego nego: neque à me negatum fuerat, humanos animos poſt mortem ſuperſtites eſſe; ut tu altero illorum probare velle videris. Deinde quid attinet laborare, ut oſtendas, corpus hominis poſt ejus obitum dormire? Num fortaſſis corpora noſtra unquam interire & corrumpi negas, propterea quod materia, ex qua conſtant, nunquam evaneſcit? At quam imperite iſtud dicatur, ſupra ſatis demonſtratum eſt. Nam ſi id admittatur, nihil unquam interire aut corrumpi dicendum erit; neque eſt quod diſputemus, utrum homo ante lapſum mortalis aut corruptibilis eſſet, cum ne poſt lapſum quidem interire, aut corrumpi poſſit. Quid quod etiamſi non animam hominis tantum, ſed corpus etiam poſt mortem perpetuo remanere concederetur: homo tamen ipſe, ut dictum fuit, qui concretum illud animæ & corporis eſt, concreto illo diſſoluto nec amplius exiſtente, neceſſario diſſolvitur & eſſe definit? Quid quod nuſquam, ut arbitror, ſcriptum eſt, mortuorum hominum ipſa corpora dormire, ſed eos quorum corpora fuerunt; qui etiam non dormire, ſed obdormiviſſe dicuntur? Suſpicor enim te vel in aliquo corrupto Latino codice legiſſe, vel memoria lapſum, ſcriptum eſſe putaſſe apud Matthæum Mat. 27. 52. *Et multa corpora ſanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt*; cum & emendati codices *Qui* habeant, non *quæ*, & ita legi debere, codex Græcus apertiſſime oſtendat. Quanto ſatius fuiſſet, eos locos, ſi qui tamen ſunt, attuliſſe, in quibus homo poſt mortem dormire dicatur, unde probari poſſe videtur, hominem etiam poſt mortem extare. Somnus enim eis quæ non ſunt, vere attribui non poteſt. Dixi autem, *ſi qui tamen ſunt*: nam etſi paſſim legitur de iis, qui mortui ſunt, quod obdormierint; tamen eos dormire, aut perraro aut nunquam legitur. Quamvis enim in Novi Fœderis ſcriptis, non raro in vulgata Latina editione, mortui dormire dicantur: ſciendum eſt tamen, in Græco exemplari, ubique, niſi vehementer fallor, eſſe verbum κοιμᾶσθαι, quod non *dormire* proprie, ſed *obdormiſcere* ſignifi-

ſignificat: ob eam cauſam, cum de jam mortuis eſt ſermo, non præſenti, ſed præterito tempore illud enuntiari. Præterea non homines ipſi obdormiviſſe dicuntur, (nam in hominis appellatione vis noſtræ diſputationis eſt,) ſed ii de quibus ſermo eſt. At dices: Nonne de hominibus eſt ſermo? Eſt quidem, ſed non tanquam de hominibus. Atque hinc eſt, ut quorundam Philoſophorum opinio, hominem eſſe non quem videmus, ſed animum ipſius, qui non apparet, cum eis animum immortalem eſſe concedatur, non omnino à veritate abhorreat, dum modo recte intelligatur. Neque enim, dum hominem dicunt, animal rationale, & id, quod proprie homo ſignificat, intelligi volunt, ſed eum, de quo loquuntur; quem non animal illud rationale, & totum illud concretum vere eſſe volunt, ſed animum tantummodo, qui in eo corpore ad tempus degat. Proinde apud ipſos aliud vere eſt homo, ab eo, quem videri negant, & de quo loquuntur. Propterea ex ipſis, qui exactius loqui volunt, non utique dicunt hominem, ſed exempli cauſa, Socratem, Platonem, aut quempiam alium non eſſe, quem videmus. Socratem enim, aut Platonem, non ipſum hominem eſſe volunt, ſed hominis animum. Quocirca etiam poſt mortem Socratem aut Platonem extare contendent, hominem non amplius extare, plane concedent. Multum igitur intereſt, utrum dicatur, homo obdormivit, an David, exempli gratia, aut Stephanus, aut quiſpiam alius, quamvis eum proprio nomine non appelles: & ſic, ut alio etiam pacto rem apertius fortaſſe explicem, non de ipſo homine, ut homine, ſed κατὰ τὸ ὑφιστάμενον, ſeu de perſona verba facias. Nec memini me de homine quod obdormierit, alium locum legiſſe, (poſſunt tamen eſſe plures) præter illum apud Jobum, *Etſi homo obdormierit, non reſurget*: quanquam in Hebræo eſt שָׁכַב, quæ vox non proprie hominem, ſed virum, aut quemque ſignificat; ut omnino credam locum illum ſic verti debere, *Et quiſque ſi obdormierit, non reſurget*, vel alio non abſimili modo, ita ut non de homine tanquam de homine, ſed de perſona ſit ſermo. *Quiſque* autem verti debere vocem illam, indicant verba numero multitudinis prolata, quæ deinde eam conſequuntur, ſecundum Hebraicam veritatem. Quodſi etiam millies hominem ipſum obdormiviſſe in Sacris Literis ſcriptum extaret, ſciendum eſt, per tranſlationem metonymicam ea quoque obdormiſcere dici, quæ prorſus intereunt. Sic enim Cicero: *Si animus hominis mortalis eſſet, quid melius quam in mediis vitæ laboribus obdormiſcere, & ita conniventem ſomno conſopiri ſempiterno?* Quamvis autem de immortalitate animorum nulla inter nos controverſia ſit, tamen ut divinarum literarum teſtimonia & religioſius tractare & diligentius expendere aſſueſcas, libet eum locum accuratius examinare, ex quo tu, tanquam ſi ea à me negata fuiſſet, animi noſtri ſeu ſpiritus immortalitatem (niſi magno in errore verſor) probare voluiſti. Ais igitur: *Sacræ Literæ cum agunt de obitu hominum, dicunt de ſpiritu noſtro, eum reverti ad eum, qui fecit ipſum.* Atqui Solomonis verba ſic habent Eccl. 12. 7. *Et ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Quod ad Deum non ad *eum*, ut tu ſcripſiſti, ibi habeatur, nihil moror. Sed non eſt ullo modo prætermittendum, quod non *qui fecit* ut eſt in ſcripto tuo, ſed *qui dedit*, auctor ſcripſit. Non parum autem refert, utrum hoc an illo modo legatur. Nam ſi legas, *Qui fecit*, apparet Solomonem agere de re aliqua per ſe ſubſiſtente, ut loquuntur; quare de hominis animo, qui per ſe ſubſiſtat, & in morte à corpore ſeparatus ad Deum revertatur, eum verba facere dicendum omnino videtur. Sin autem ut ſcriptum eſt, legas, *Qui dedit*, nihil prohibet, de re aliqua per ſe non ſubſiſtente, verba fieri. Dat enim multa nobis Deus, quæ per ſe non ſubſiſtunt, vires, bonam valetudinem, ingenium, ſagacitatem, ſolertiam, & alia ejuſmodi; ſed inter cætera, (quam omnibus largitur,) vitam hanc animalem, ſeu potius vim eam vitam vivendi, quæ & ſpiritus & anima appellatur: quæ cum nec per ſe aliquo modo ſubſiſtat, nec tamen evaneſcere poſſit, ad Deum qui eam dederat, tanquam ad omnis vitæ fontem, cum ab eo cui data fuerat, recedit, ut revertatur neceſſe eſt. Animus autem ſive mens, de qua ſine dubio tu eo in loco verba fieri credis, non eſt vis, qua vivimus & ſentimus, ſed qua intelligimus; quæ, cum non animet, aut vivificet terram hanc, ex qua creati ſumus, ſed animatam atque vivificatam regat atque gubernet, ſeu mavis, ei regendæ & gubernandæ præpoſita fuerit; cum de hujus vitæ animalis diſſolutione loqueretur Salomon, non ipſum quidem terræ aut pulveri, ſed vim illam, quæ ipſam animat & vivificat, & ſine qua ſpiritu deſtitutus in locum ſuum revertitur, oppoſuit, quæ à pulvere; quem Dei juſſu dereliquerat, ad locum ſuum & ipſa redit. Certiſſimum autem hunc eſſe auctoris ſenſum ex eo intelligi debet, quod alioqui, ſi ſpiritus appellatione mentem ſive animum intellexiſſet, omnium hominum animi in morte ad Deum reverterentur, & in cœlum migrarent. Ibi enim de eo, quod omnibus hominibus contingit, eſt ſermo; neque tu ipſe aliud ſentis, cum dicas, ibi agi de obitu hominum, & diſputatio ſit de hominibus generatim, non autem de piis magis, quam de impiis. Impiorum vero animos per ſe ſubſiſtentes, (ſic enim accipio verba tua) ad Deum in morte reverti, quam impium ſit affirmare, & quam iſthæc impietas, eam, quam meis verbis attribuebas, longe ſuperet, judicabunt qui vere pii ſunt, & non niſi vitæ innocentia & pietate nobis in cœlum aditum patefieri, ex verbo Dei optime norunt. Non eſt tamen quod vereare, ne ego impietatis te accuſem. Scio te imprudentem, non paucis tibi præeuntibus, qui non magis quam tu fueris, hac in parte oculati fuerunt, in iſtam foveam cecidiſſe. At vide, ut cautius poſt hac aliorum veſtigia ſequare, nec cuilibet, qui tibi ſe ducem præbeat, temere te committas. Sancte igitur & religioſe, non modo ſcite & recte locutus ſum, cum morte præſente, hominem amplius eſſe negavi. Quare nulla cauſa erat, cur ea in re aliquam, nedum inſignem miſeriam meam, & mentis caliginem deflendam judicaveris. Ex qua re, & mortem in homine, licet mortali, non ineſſe, & nihil hominem, dum is adhuc vivit, immo ne poſt mortem quidem, cum ipſa morte commune, vere habere poſſe, planum fieri prorſus exiſtimo. Itaque concidit omnino argumentum tuum, in quo expreſſe aſſumitur, mortem in rebus ineſſe, antequam moriantur. Cæterum ſi mortem, pro mortalitate dixiſti, jam per ea, quæ dicta ſunt, convulſa eſt argumentatio tua, & in primo meo ſcripto, exemplo illo vini, quod optimum appelletur, quamvis aliquando futurum ſit, ut vel coaceſcat, vel abſumatur, non inepte ut arbitror, probatum fuit, hominem & cæteras res, quia morti naturaliter eſſent ab ipſa creatione obnoxiæ, & idcirco corrumpendæ atque abſumendæ aliquando forent, non ideo valde bonas appellari non potuiſſe. Cui exemplo, quatenus aperte argumentationis tuæ fallaciam coarguit, nihil opponis, ſed tantummodo ais, plus tibi illud, quam mihi favere. Nam te quoque fateri, hominem mortalem fieri potuiſſe ex immortali: quaſi vero vel iſtud ego dicam, vel ſi immortalis homo creatus fuiſſet, mortalem evadere potuiſſe negem. Ut interim omittam, quod, dum exemplum meum uſurpas, pro *debuiſſe Potuiſſe* ſupponis. Vinum enim non poteſt tantum, ſed debet quoque, ut tu ipſe fateris, aut abſumi tandem, aut corrumpi, atque in eo vis exempli eſt: quod ſi uti velis, hominem ab ipſo creationis initio, ſi ejus naturam inſpicias, mori & corrumpi aliquando debuiſſe, fateàris neceſſe eſt, & non minus quam in vino, non ipſam quidem corruptionem, ſed corruptibilitatem jam tum in homine fuiſſe concedas. Ut igitur id parum apte probes de quo non differimus, & quod nihil ad rem facit, id aptiſſime confutari non curas, quod tu maxime aſſeris, & quo labefactato, primæ hujus ratiocinationis tuæ univerſa ſtructura diſſolvitur.

CAPUT II.

NIhil hic tibi affingo, ſed rem, uti eſt, ad unguem explico. Nec enim, ubicunque unum dicis & aliud intelligis, quid dicere in animo habueris, divinare debeo. Atque ut quam fideliter & candide hac in re verſatus ſim, manifeſto deprehendatur, verba tua, quæ tu ipſe manu tua ſcripta mihi dediſti, ſubjicienda cenſui. Ea igitur ſic habent. *In omnibus rebus creatis, præſertim in homine, fuit aliqua ſimilitudo creatoris. Nam hoc exigit analogia creatoris & creaturæ. At nihil eſt magis diſſimile, quam mortale immortali. Neceſſe eſt igitur omnes res creatas fuiſſe immortales, præcipue hominem, qui eſt imago Dei.* In his verbis (ut patet) non tantum contendis, malum mortis, & diſſimilitudinem hanc cum creatore excludi per illa verba, quæ ſimilitudinem cum Deo nobis tribuunt, ſed contendis potiſſimum, omnes res creatas immortales fuiſſe, quia in omnibus rebus creatis fuerit aliqua ſimilitudo creatoris; id quod verum eſſe nequeat (quod quid aliud eſt, quam neceſſe eſſe, ut in rebus creatis, non aliqua, id eſt, nulla fuerit ſimilitudo creatoris?) ſi creator immortalis fuiſſet, ipſæ vero mortales; cum nihil tam diſſimile ſit, quam mortale immortali. Rectiſſimum igitur & quam accommodatiſſimum exemplum meum fuit, ex quo tui argumenti fallacia aperte perſpicitur, videlicet: Homo rationalis eſt, bruta irrationalia: ſed nihil magis diſſimile eſt, quam rationale irrationali: ergo inter hominem & bruta nulla eſt ſimilitudo. Idem enim prorſus eſſe *nulla*, & *non aliqua*, te ignorare non credo. Quam appoſite vero hoc meum exemplum ad tuum inſtitutum accommodes, accurate poſtea perpendemus. Quod autem admiſces de homine, quod ſit imago Dei, aliud argumentum tacite continet divinæ alicujus majoris adhuc ſimilitudinis in homine, non ex analogia creatoris & creaturæ ductum, ſed ex eo quod ſcriptum extat, hominem creatum fuiſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Itaque primum illud, quod omnes res creatas complectitur, & quo eas univerſas immortales creatas fuiſſe probare niteris, eſt tuum præcipuum & evidens argumentum. Hoc autem quo id probare vis, quod duntaxat te contendere, poſtea ſcribis, illi per te implicite annexum fuit: ad quod tamen non minus quam ad illud, per me explicite reſponſum eſt, tantum abeſt ut ad tua argumenta conniverim. Quin tu ipſe iterum ad omnes res creatas argumentationem tuam pertinere vis, cum poſt modum dicas; *Si igitur concedis, Deum creatorem immortalem, non potes tribuere rebus creatis mortem.* Quæ tamen argumentatio tua, ſi tantummodo, ut tu aſſeris & eam aperte explicas, ex enunciato illo, quod Deus hominem ſibi ſimilem creaverit, inſignem hanc mortalitatis cum Deo diſſimilitudinem ab homine excludi debere contendit, quomodo ad reliquas res creatas à te pertrahi poteſt, cum reliquas res creatas ſibi ſimiles Deus creaviſſe nuſquam legatur? Cum igitur non obſcure dixi, ex tua priore argumentatione omnino colligi, res creatas prorſus creatori ſimiles propterea eſſe oportere, quod in rebus creatis ſit aliqua ſimilitudo creatoris, recte locutus ſum. Nam cum oſtendere debuiſſes, ſi mortales res creatæ fuiſſent, aliquam cum creatore ſimilitudinem eas non habituras: nihil aliud probas, quam in hoc eas illi diſſimiles futuras, quod ille immortalis, ipſæ vero mortales eſſent, & nullam præterea diſſimilitudinem ex ea re induci demonſtras; perinde quaſi prior illa tua propoſitio falſa appareat, ſi concedatur, aliqua in re creatorem & res creatas non eſſe ſimiles, & ita neceſſe ſit, ſi in rebus creatis aliquam creatoris ſimilitudinem exiſtere detur, eas creatori prorſus ſimiles eſſe. Sed dicis, nihil aliud tibi voluiſſe, quam non omnem quidem diſſimilitudinem, ſed inſignem illam tantum excludi. Atqui, ſi ita ſentiebas, aliter loqui debueras, & priorem illam propoſitionem hoc pacto enunciare: In nulla re creata fuit inſignis aliqua diſſimilitudo cum creatore. Neque enim id quod ſubjicis, iſtum tuum ſenſum ullo modo explicat, quamvis fortaſſe ſecus tibi videatur. Nam ea verba: *At nihil eſt magis diſſimile, quam mortale immortali*, nihil aliud declarant, quam mortalitatem immortalitati eſſe perquam diſſimilem, quod de omnibus quæ invicem opponuntur, dici poteſt, quantumvis parvi momenti ſint. Inſignis autem diſſimilitudo, ut tu manifeſte hoc loco accipis, non ſignificat aliqua in re magnam diſſimilitudinem, ſed in re magni momenti. Et, ſi de inſigni hac diſſimilitudine in illis verbis loqui voluiſſes, id priori propoſitioni nihilo magis in ea argumentatione conſentaneum fuiſſet. Poteſt enim fieri, ut aliqua inter ſe in re una eaque maximi momenti diſſimilia ſint, & tamen aliquam ſimilitudinem invicem habeant; ut in exemplo meo cognoſci poteſt. Siquidem maximi momenti eſt diſſimilitudo illa, quæ eſt inter hominem & beſtias, quod ille ratione præditus eſt, hæ ratione deſtituuntur; & tamen non in una re tantum, ſed in pluribus adeo ſimiles ſunt, ut inter has & illum non aliquam ſolum, ſed magnam quoque ſimilitudinem eſſe, jure optimo dici queat. Quod ſi priorem illam propoſitionem, ut argumentum tuum ea ratione expoſitum, qua nunc illud explicare videris requirebat, enuntiaſſes, putaſne me illam tibi conceſſurum fuiſſe? In nulla re ſcilicet creata fuiſſe inſignem aliquam diſſimilitudinem cum creatore: qui ne tibi quidem eam, uti eſt, vere conceſſi, ſed ne diſputatio longius protraheretur, tantummodo ad tempus dedi. Nam (obſecro te) inter arenam, quæ eſt ad littus maris, & Deum, quæ ſimilitudo eſt? vel quæ majoris momenti diſſimilitudo in duabus rebus reperiri poteſt, quam unam perenni ac ſempiterna & omnibus numeris abſolutiſſima vita præditam eſſe, alteram omni prorſus vita perpetuo carere? An non maximi momenti diſſimilitudo eſt inter univerſas ſtirpes & Deum, cum illæ nihil videant, nihil audiant, nihil intelligant; Deus vero omnia perſpiciat, omnia exaudiat, omnia perfecte intelligat? Supervacaneum eſt hic maximi momenti diſſimilitudines, quæ inter creatorem & res creatas ſemper fuerunt, congerere; cum eæ unicuique ſint maxime obviæ, & in ſexto capite de illis aliquid adhuc dicturi ſimus: præſertim vero, cum ipſe, quaſi priori & præcipuæ argumentationi tuæ parum fidens, ei quodammodo renuncies, & in ſimilitudine, quam hominem cum Deo in ipſa creatione habuiſſe, Sacræ Literæ docent, totus hæreas: de qua quid adverſum reſponſionem meam ſcripſeris, jam exponendi tempus eſt. Dixeram, cur potiſſimum homo ad Dei imaginem factus dicatur, ex eo loco liquido apparere, ubi id primum dictum fuit; nempe quia illi datum fuerit dominium in univerſa opera Dei. Tu permiram hanc calliditatem meam vocas, qui ut homini adimam, quod Deus vere dedit, id illi tribuam, quod ipſe non dedit. Conſtare enim, non in univerſa opera Dei, ſed in hæc inferiora tantum, quæ ſunt minima inter divina opera, dominium illi à Deo eſſe datum. Cœlorum autem, ſyderum, angelorum, & aliorum maximorum operum Dei, nullam mentionem factam eſſe. Et ſtatim adjungis: *Quæ eſt hæc nova temeritas, in aſſerendis aut negandis rebus ſacris?* At vero, Franciſce, uter noſtrum & callidus & temerarius dici magis mereretur, egone qui id dico, quod divini autores ſcripſerunt, an potius tu, qui locum Pſal. 8. afferens, quem auctor quidem Epiſt. ad Hebr. Chriſto accommodat, retices ea verba, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus;* quæ cætera à te recitata illico conſequuntur, & ab auctore illo non negligenter examinantur. Neque ego tamen vel callidum vel temerarium te appellavero, ſed tua defendendi & me fugillandi ſtudio tam graviter lapſum fuiſſe doleo. Quodſi David auſus eſt dicere, Deum omnia ſub pedibus hominis ſubjeciſſe, nonne ego affirmare potui, datum illi fuiſſe imperium in univerſa opera Dei? Plus eſt enim *Omnia*, quam *univerſa opera Dei*. Omnium nempe appellatione ipſe quoque Deus continetur, quemadmodum ex Paulo conſtat, qui ſcribit 1 Cor. 15. 27, manifeſtum

feſtum eſſe, in ſententia illa excipiendum eſſe eum qui ei ſubjecit omnia: quem excipere ex vi veritatis manifeſtæ opus non eſſet, niſi ex vi verborum & ipſe inibi comprehenſus fuiſſet. Neque eſt quod dicas, ea verba ad Chriſtum tantummodo reſpicere: nam & tu ipſe, tum hic, tum in præfatione, aperte teſtaris, de homine generatim Davidem loqui, & res ipſa id ſatis per ſe docet. Cæterum ſi quatenus ad Chriſtum reſpiciunt, vere & proprie ea intelligi velis; quatenus vero de homine generatim dicuntur, minus proprie, & figurate, ita ut omnium appellatione ea tantum contineantur, quæ per epexegeſin ſubjici ſtatim videntur, *Oves & boves, &c.* Primum vide quid agas, cum multis aliis in locis ferre non poſſis, ut nomen *omnis* ea duntaxat complectatur de quibus eſt ſermo: deinde conſidera, omnino de hominibus quoque cummuniter id proprie dictum fuiſſe. Nam cœli, & ſydera omnia, ut rebus terreſtribus deſervirent, à Deo creata fuere, ut & ratio & experientia fateri cogit, & colligitur ex verbis, quæ Moſes Deo tribuit, cum eorum creationem enarrat. Quamvis enim hæc inferiora ſuperioribus comparata, ſi externam ſpeciem contempleris, videri poſſint eſſe inter minima opera Dei, adeo ut homo ipſe cum illis ne comparandus quidem videatur; unde Pſal. 8. argumentum ex parte ſumptum eſt: tamen ſi penitus res inſpiciatur, videbimus hæc inferiora ſuperioribus longe præſtantiora eſſe. Quis enim negare poterit, hominem Soli ipſi, qui inter ſuperiora illa principem locum obtinet, multis partibus antecellere? Sol enim magnitudine licet immenſus ac ſplendidiſſimus, atque ingenti vi præditus, ratione tamen & anima & vita caret, quibus nihil præſtantius excogitari poteſt, quæ omnia in homine poſuit Deus. Tecum autem, tanquam cum Chriſtiano, & divinitus edocto loquor, qui una cum quibuſdam pſeudophiloſophis, non ſomnies, ſolem non anima & vita tantum, ſed ratione quoque præditum eſſe. Jam ſolis magnitudo nihili facienda eſt: alioqui & ſol ipſe cœlis omnibus aliqua ſaltem ex parte dignitate ac præſtantia inferior eſſet, & innumera ex inferioribus creatis rebus homini ipſi qui certe illis dominatur, quodammodo anteponenda forent. Splendor ſolis quamvis maximus, cum ſplendore & gloria, qua hominem Deus coronavit, adeo ut paullo minorem ſe ipſo fecerit, non eſt aliqua ratione conferendus. Vis denique illa ingens ſolis mirum quam longe ſuperetur ab ea vi homini data, qua cœlos ipſos penetrat, & Dei arcana rimatur: in terris autem, quidquid audet, quantumvis arduum, videtur poſſe conficere. Quod ſi, ut te ipſum diffiteri non arbitror, homo ſole multo eſt præſtantior, & idcirco omnibus & cœlis & ſyderibus longe antecedit; certe, ſi analogiam ſeu proportionem ſpectemus, cum homo ſit quidam ſol inter hæc inferiora, & inter ipſa non ſecus ac ſol inter ſuperiora, principem locum obtineat, tanto præſtare inferiora ſuperioribus, (quanquam hoc perabſurdum prima facie videri poteſt) dicendum omnino videtur, quanto homo ſole eſt præſtantior. Quod ex eo inſuper facile intelligi poteſt, quod pleræque ex inferioribus creatis rebus vitæ ſunt participes, cujus ſuperiores illas, de quibus loquuti ſumus, omnes expertes eſſe novimus, quamvis illis Deus tanquam inſtrumentis utatur, ad vitam in inferioribus aut gignendam aut propagandam; ſicut etiam cibis, id eſt rebus mortuis, & præ animantibus vilioſſimis, idem in ipſis animantibus præſtat. Nam hoc ſolum ſatis eſt, ut inferiora ſuperioribus anteferenda eſſe agnoſcamus. Quamobrem ſi dicas, ſuperiora immortalia eſſe, inferiora autem mortalia, animadvertendum eſt, non proprie immortale eſſe illud, quod vita præditum non ſit, neque ejuſmodi immortalitas, id eſt perpetua permanſio magni æſtimanda eſt; niſi velimus, terram ipſam, quia non minus quam cœli & ſydera perpetuo duret, cunctis animantibus antecellere. Præterea nos de eo tempore loquimur, cum homini imperium illud datum eſt, hoc eſt, ante ipſius lapſum, quo tempore inferiora, non minus quam ſuperiora immortalia fuiſſe contendis.

Poſtremo, an non meminiſti, negari à me iſtam tuam ſuperiorum corporum immortalitatem, ſeu perpetuam permanſionem? Mitto quod, ſi diligentius, quid in hac re ſentias, expendatur; cum ſuperiora illa non minus, quam inferiora hæc univerſa renovanda eſſe credas, & nullius rei, quam Deus creaverit, eſſentiam perire; non ſane video, cur hæc potius quam illa, à te mortalia appellanda ſint. Nec vero arbitror, te idcirco ſuperiora inferioribus præferenda eſſe cenſere, quod hæc multo breviore tempore, quam illa, in eodem ſtatu permaneant. Hac enim ratione non modo animalia quædam, verum etiam quercus, & aliæ arbores permultæ, quæ ad multa ſæcula vivunt, homini anteponendæ eſſent, qui vix ad ſæculum unum vitam ſuam retinere poteſt. Jam nec te movere debet, quod ſuperiora, ut nomen ipſum indicat, in multo editiore loco ſint conſtituta: cum perſpicuum omnibus eſſe poſſit, iſtud non ad ipſorum dignitatem & præſtantiam ſpectare, ſed ad inferiorum uſum pertinere: quibus illa inſervire non poterant, niſi in multo excelſiore mundi parte collocata fuiſſent. Sed objicies fortaſſe, cum de ſuperioribus rebus à me diſputatum eſt, nullam angelorum factam fuiſſe mentionem. Angelorum ideo mentionem non feci, quia illi non numerantur inter opera Dei, quorum creationem Moſes nobis aperte deſcribit, & cum de univerſis Dei operibus loquimur, non te ita iniquum futurum arbitror, ut niſi aliud mihi concedere velis, ſaltem hoc non permittas, ut ſi dubitetur, utrum homo in univerſa opera Dei imperium, cum crearetur, habuerit, univerſorum operum Dei appellatione ea tantum intelligantur, quæ ſex illis diebus, quibus & ipſe homo creatus eſſe ſcribitur, à Deo condita fuiſſe manifeſtum eſt. Vides, hæc inferiora non minima eſſe inter opera Dei, de quibus loquimur; ſed maxima & præſtantiſſima, & ob eam cauſam ſapientiſſime à Deo conſtitutum fuiſſe, ut ſuperiora, quæ illis tu longe majora eſſe putabas, ipſis ſervirent. Quod ſi ſuperiora inferioribus inſerviunt, etiamſi alioquin inferiora ſuperioribus cedere deberent, cum tamen certiſſimum ſit, hominem inferioribus cunctis dominari, proprie profecto & recte poſt Davidem me locutum eſſe conſtat, cum dixi, homini datum fuiſſe dominium in univerſa opera Dei. Et quid aliud eſt, alicui rei dominari, quam ejus rei plenum uſum habere? Nam cæteræ animantes, & herbæ quoque, & ſtirpes & arbores, ſuperiorum corporum uſum quidem habent, ſed non plenum; tum quia ipſæ non minus quam illa, ad hominis uſum conditæ ſunt; tum quia partim ratione, partim & oratione, & ſenſu carent, quibus cœleſtium corporum plenus uſus comparatur. Atque hac de cauſa, cætera præter unum hominem, illis dominari dici non poſſunt. Quin imo cætera cuncta inferiora, quia, ut dictum eſt, ratione deſtituuntur, propter vim, quam cæleſtibus corporibus indidit Deus, dum ſuperioribus utuntur, ab illis quadam ratione reguntur, & gubernantur; non quidem tanquam à præſtantioribus, ſed tanquam ab iis, quæ, ut ipſa ad ſuum exitum perduci poſſent, creata fuere, & ea vi donata, atque ipſis quodammodo præfecta, non ſecus ac ſervus pædagogus puero ingenuo, interdum etiam & ipſius domino, non modo præſtantiori quam ipſe ſit, ut eum regat & gubernet, præfici ſolet. Homo autem, cum rationis particeps ſit, eandem habet ad ſuperiores res creatas proportionem, quam adultus dominus ad ſervos ſuos, quibus pleno jure utitur, nec ab illis, niſi ſui ipſius oblivi ſcatur, regi ſe ac gubernari permittit. Hinc pervulgatum illud: Sapiens dominabitur aſtris. Neque tamen ita dominatur homo cœleſtibus corporibus, ut in illa eandem poteſtatem exercere poſſit, quam Deus ipſe exercet: nam ne in inferiora quidem ejuſmodi poteſtas illi conceſſa eſt, ſed utrorumque uſus tantum, qui ad ipſius neceſſitates & voluptates pertinet. Dominium enim, quo nos juriſconſultorum vocabulo tum uſi ſumus, ut ipſi tradunt, aliud directum eſt, aliud utile. Directum in rebus creatis ſibi reſervavit Deus. Utile homini pro ſua bonitate conceſſit. Imperium autem

autem illud etiam in inferioribus, pleniſſimum uſum, nedum pleniſſimam poteſtatem non ſignificare, ſatis demonſtrari videtur ex eo, quod ante diluvium cæteris animantibus veſci homini non licebat. Quocirca, cum poſt diluvium eæ non minus quam holera virentia, illi in cibum ſunt datæ, prioribus verbis, quibus dominatio ipſi in eas conceſſa fuerat, additum eſt expreſſius ac ſignificantius Gen. 9. 2, *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Hujus autem dominationis, quam in cœleſtia corpora homo à Deo conſecutus eſt, nulla aperta fit mentio in illis verbis, quibus imperium in res creatas ei conceſſum eſt: duplici de cauſa. Una eſt, quia ſatis id expreſſum fuerat, cum animantium omnium & univerſæ terræ mentio eſt facta. Nam ſi, ut diximus, ſuperiora illa his inferioribus inſerviunt, inferioribus ſubjectis, ſubjici ſuperiora quoque neceſſe eſt. Altera huic valde ſimilis cauſa eſt, quia ſatis fuit mentionem feciſſe illorum, quæ non minus quam homo, ſenſu ſunt prædita, & inter res creatas ad ipſum quam proxime accedunt; de his enim majus dubium eſſe poterat. Unde factum eſt, ut herbarum, ſtirpium, & arborum, in iiſdem verbis nulla ſingularis mentio facta ſit, quamvis non minus quam cætera, hominis dominatui ſubjectæ fuerint. Nam ſi quis dicat, terræ univerſæ appellatione illas contineri; non minus eadem appellatione animalia terreſtria continebantur, & tamen ea ſingulariter nominare voluit Deus. Et David in enumeratione illa ad finem Pſal. 8. nec terræ, nec ſtirpium ullam mentionem facit. Dominatur igitur homo, quatenus ad ipſius commodum & jucunditatem opus eſt, non inferioribus tantum, ſed ſuperioribus etiam creatis rebus, cœlis, inquam, & ſyderibus univerſis. Nam & Moſes aperte teſtatur, hæc omnia à Deo cunctis hominibus diſtributa fuiſſe, Deut. 4. 19. Hinc Marc. Ant. Flaminius, præſtantiſſimi ingenii vir, in paraphraſi ſua ſoluta oratione in eum Davidis Pſalmum conſcripta, veritatis vi & efficacitate verborum Regii vatis permotus, ſic eum loquentem facit. *Tu denique hominem huic medio mundi globo, tanquam mortalem aliquem Deum, præpoſitum eſſe voluiſti: neque ſolum ea quæ gignuntur in terris, ſed etiam cœlum ipſum, & admirabiles illos ſyderium fulgores, ad uſus & commoditates illius creaviſti*, &c. Quibus verbis addi etiam poteſt, angelos ipſos, quamvis ad hominis uſum non utique creatos, homini tamen Dei juſſu inſervire, ita ut nihil plane eſſe videatur, præter ipſum Deum, quod homini aliqua ratione ſubjectum eſſe dici non poſſit. Quare, ut in principio diximus, non de Chriſto tantum, ſed de omnibus quoque hominibus generatim ea verba dicere potuit David, *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Hæc à me præter id, quod in animo habueram, diſputata ſunt, ut quam injuria à te & miræ calliditatis, & novæ cujuſdam temeritatis accuſatus fuerim, tu ipſe perſpicere poſſis. Nam quod ad alios attinet, ſatis ſuperque fuiſſet oſtendere, me verborum meorum auctorem Davidem habere, & univerſorum operum Dei appellatione commode intelligi poſſe univerſas res terreſtres; quo ſenſu, ut verum fatear, ea verba à me ſcripta fuere; cum nemo neſciat, his συνεκδοχικῶς loquendi modis, & ſacros & prophanos ſcriptores refertiſſimos eſſe. Atque hic libet annotare Georgium Buchananum, virum bonis literis mirifice excultum, & celeberrimum noſtræ ætatis Poëtam, in paraphraſi ſua carmine edita, ea ejuſdem octavi Pſal. verba: *Conſtituiſti eum ſuper opera manum tuarum*, ad hunc modum interpretatum fuiſſe: *Et tuæ dextræ ſuper univerſa opera creaſti principem.* Quem ego, cum idem ſcripſi, nondum videram. Ex quo temeritatem meam, ut tu eam appellas, novam dici non debere conſtat, & ſimul perſpicuum eſt, alia adhuc eſſe verba in eo Pſalmo, quibus dictum meum ſuſtineri poſſit; cum tantus vir eo pacto, quo ego locutus ſum, ea interpretatus fuerit. Nec ſane immerito: indefinite enim prolata univerſalibus enunciationibus paria exiſtimantur. Quod autem addis, te vix poſſe credere, me ſine conſcientiæ aculeo ea verba ſcripſiſſe, id adeo indigne dictum eſt, ut nullam mereatur reſponſionem.

Neque vero ego Athanaſii teſtimonium attuli, ut probarem, homini datum fuiſſe dominium in univerſa Dei opera; ſed ut propter dominium illud, quomodocunque id intelligi deberet, ad imaginem Dei eum creatum fuiſſe, jure dici potuiſſe, confirmarem. Quodſi Athanaſius & alii non pauci id ſenſerunt, quamvis fortaſſe hominis dominatum ad ſuperiores quoque res creatas porrigi non animadvertiſſent; quanto magis idem ſenſiſſent, ſi eo mentis ſuæ aciem intendiſſent? Sed jam de hoc ſatis. Quod igitur deinde ſcribis, non audiviſſe te adhuc aliquem auſum eſſe negare, imaginem & ſimilitudinem Dei in homine potiſſimum fuiſſe in ratione & mente noſtra; ſcito, non paucos ex Antiquioribus, * quamvis inter ipſos aliqui, ſi recte memini, propter illa duo verba, imaginem & ſimilitudinem, non imperium modo in res creatas, ſed etiam rationalem animam in divino illo teſtimonio contineri crediderint, de imperio tamen ibi potiſſimum agi, & ſenſiſſe & aperte docuiſſe. Ex recentioribus vero, Wolphangus Muſculus & accurate & copioſe defendit, omnino propter ejuſmodi imperium, non etiam propter mentem ſive rationem, aut aliquid ſimile illi à Deo conceſſum, hominem ad Dei imaginem & ſimilitudinem creatum fuiſſe, ſcriptum extare. Cujus doctiſſimi viri verba in eum Moſis locum ſi perlegere volueris, non dubito, quin me non omnino male ſentire tute fateare. Quanquam in imperio illo mens quoque & ratio incluſa eſt; cum ratio & mens, qua homo eſt præditus, ejus imperii cauſa efficiens ſint. Adime enim homini rationem & mentem, & illi omne propemodum imperium in res creatas ademeris. Quandoquidem prudentia, ſagacitate, & induſtria hominis potiſſimum fit, ut illi res creatæ omnes ſubjiciantur, eique ad ipſius uſus & commoditates deſerviant. Prudentia autem, ſagacitas, induſtria, quibus cæteræ animantes aut penitus deſtituuntur, aut leviter admodum præ homine pollent, ex mente atque ratione proficiſcuntur. Ita fit, ut ideo quilibet homo de ratione & mente ſibi à Deo conceſſa maximas gratias agere debeat, quod ejus ope tanquam Deus aliquis, cæteris animantibus, non modo iis creatis rebus, quæ ſenſu & anima carent, præeſt ac dominatur. Reliqua autem bona, quæ ex rationali anima homini in hac vita obveniunt, aut obvenire poſſunt, ea non ſunt communia omnibus hominibus; immo pauciſſimis contingunt, & non niſi maximis laboribus comparantur. Proinde Sapiens non veritus eſt dicere Eccl. 1. 17, 18, in illis eſſe laborem & afflictionem ſpiritus, & qui addit ſcientiam, addere dolorem. Nec ratio & mens, qua hominem Deus donavit, magni fieri per ſe ipſa debet, niſi eam bona aliqua conſequantur. Ut enim ſapientiſſime à nonnullis dictum fuit, ſi homini felicitatem non dederis, tantum abeſt, ut de ratione & mente gloriari poſſit, ut potius invidere beſtiis non parum debeat, quæ cum rationalis animæ expertes ſint, multa mala non ſentiunt vel agnoſcunt, multo plura non provident, præterita non meminerunt, aut ſaltem de ipſis non cogitant: quæ omnia facere, rationis & mentis vi cogitur homo, & ita miſerias ſuas & calamitates, quibus magis quam cætera animantia, quoad vivit, eſt obnoxius, mirum in modum ipſemet augere atque amplificare compellitur. Felicitas igitur, quæ rationem conſequatur, pluris facienda eſt, quam ipſa ratio. Quocirca felicitas illa, quam Deus homini cuicunque largitus eſt, ut cunctis rebus creatis dominetur, quamvis à ratione ortum ducat, rationi tamen, quod ad præſentem vitam attinet, anteponenda eſt. Fuit quidem, & eſt adhuc ea felicitas, adumbratio illius felicitatis, quæ generi humano per Chriſtum obvenit, ſeu potius obventura eſt, ut ſcilicet una cum ipſo in æternum regnemus, & multo, quam nunc, præſtantiore ratione omnia ſub pedibus noſtris ſubjecta eſſe videamus; quam futuram felicitatem non minus quam præſentem hanc, non ſine mentis & rationis auxilio conſequi poſſumus. Verum ea non omnibus contingit, ſed iis tantum, qui ipſius

* Athanaſ. Baſilius, Chryſoſt. Procopius. &c.

Chriſt

Chriſti veſtigia inſecuti fuerint, & Deo omnium domino morigeros & obedientes ſe præbuerint. Quamobrem de ea non potuerunt in hominis creatione exponenda verba fieri, cum ibi de eo, quod naturaliter cuilibet homini datum re ipſa eſt, manifeſtiſſime agatur. Itaque quemadmodum in prima creatione, & in vita hac animali & terreſtri, hanc ſimilitudinem cum Deo, ejus beneficio, adepti ſumus, ut non ſecus atque ille univerſis ſive conſpicuis ſive inconſpicuis rebus, ſive in hoc mundo, quem ſex illis diebus creavit, ſive extra ipſum, imperat & dominatur, nos in hoc mundo hiſce conſpicuis rebus, aut præfecti ſimus, aut earum uſum plenum habeamus: ſic in ſecunda creatione, id eſt in reſurrectione juſtorum ex mortuis, in qua corpora noſtra reformabuntur, & in vita illa ſpirituali atque cœleſti, ſicut ille, omnibus ſibi ſubjectis, in æternum vivit, & regnat, ſic nos, omnibus inimicis & ipſa morte atque inferno devictis, in æternum vivamus, atque regnemus. Hæ utrobique ſunt veræ & præcipuæ ſimilitudines, quas cum Deo habere poſſimus, ad cujus imaginem & vetus homo Adam, & novus Chriſtus conditus eſt. Et quemadmodum poſterior illa cum Deo ſimilitudo, quæ Chriſti, & eorum, qui Chriſti ſunt, propria eſt, habet quidem neceſſario antecedentem aliam cum Deo ſimilitudinem, juſtitiam ſcilicet & ſanctitatem, ſine qua ipſa conſiſtere non poteſt; ea tamen præſtantior eſt, quippe quæ illius ſcopus & finis ſit: ſic prior hæc ſimilitudo, quæ Adami & eorum, qui ab eo ſunt prognati, propria eſt, requirit quidem aliam antecedentem ſimilitudinem, rationem ſcilicet & mentem; ſed illi tamen, ut pote cujus ipſa finis certiſſimus fuerit, præferenda eſt. Sed non eſt propterea animalis cum ſpirituali, terreſtris cum cœleſti, & porro mortalis cum immortali vita confundenda, & quod unius eſt proprium, alteri tribuendum. Quid autem eſt in Deo præſtantius, aut admirabilius, quæ ipſius imago utrique vitæ ſua proprietate ſervata, ſive in hac ſive in illa nobis magis expetenda, quam regnum, poteſtas honor, atque imperium, unde ipſi nomen Elohim apud Hebræos factum eſt, ad cujus Elohim imaginem ubique homo conditus fuiſſe dicitur? Quodſi in mente & ratione potiſſimum divinam illam in homine imaginem & ſimilitudinem non ideo conſiſtere vis, quod mente & ratione intelligamus, & magna bona ejus ope adipiſcamur, ſed quia mens & ratio immortalis ſit, ut ipſe Deus immortalis eſt; iſtud non ſolum tibi non favet, ſed etiam non parum adverſatur. Animadvertendum eſt enim, præcipuam hoc loco quæſtionem noſtram non eſſe, utrum imago Dei in homine dominatum in res creatas ſignificet, ut ego affirmo; ſed utrum hominis immortalitatem complectatur; immortalitatem, inquam, non animi & mentis tantum ſed corporis etiam, & univerſi illius concreti, ut tu aſſeris. Quomodocunque enim iſta tua aſſertio vel falſa vel admodum dubia deprehendatur, aut concidit, aut certe non mediocriter labefactatur argumentatio tua; atque ita parum refert, ſi eodem tempore affirmatio mea vel funditus etiam convellatur. Jam vero, ſi divinam in homine imaginem, animi ejus immortalitatem ſignificare vis, non eſt, quod dicas, hominem Deo ſimilem non fuiſſe futurum, ſi ante lapſum corpus mortale habuiſſet, quia ipſe Deus immortalis ſit; nam ſatis illi ea in parte ſimilis fuit, ſi animum, qui corpore longe præſtantior eſt, immortalem habuit, propter quam animi immortalitatem præcipue Deo ſimilis factus fuiſſe dicatur. Ex iis, quæ hactenus diſſerui, ſatis intelligi poteſt, neque Moſem & Davidem ex muſca elephantum facere voluiſſe, ut tu in præfatione tua ajebas, etiamſi imago & præſtantia illa divina in homine immortalitatem corporis non complecteretur: nec Davidem, quamvis in homine extollendo animæ rationalis potius, cujus tamen nullam prorſus mentionem facit, quam imperii in res creatas, de quo ſolo tam copioſe tamque diſerte loquitur, rationem habuiſſet, ſententiæ tuæ vel leviter quidem ſuffragaturum. Quanquam non video, quemadmodum elatio illa hominis, quam David ita luculenter perſequitur, te adjuvare poſſit; cum David de homine poſt Adami lapſum loquatur, & ipſum, qualis adhuc erat, cum ea ſcriberet, ſibi conſiderandum proponat, id eſt, cum fine dubio jam morti penitus obnoxius eſſet. Quamvis enim de imperio in opera manuum Dei illi ab ipſo Deo conceſſo aperte differat, quod ante illud delictum primi hominis factum fuit: de eo tamen imperio, tanquam de re, quæ adhuc duret, verba facit. Quapropter concludendum omnino videtur, hominem quamvis non modo ſuapte natura mortalem, verum etiam morti penitus ſubjectum, præſtantiſſimum tamen eſſe Dei opus, & præſtantiam illam potiſſimum retinere, quæ homines ſanctiſſimos in divinæ erga hoc ſuum opus benignitatis admirationem rapiat; ita ut contra quam tu & arbitraris & ubique contendis, ad hominis præſtantiam ejuſmodi conſtituendam corporis immortalitatem non requiri, ſtatuere debeamus. Hic vero antequam de hac hominis cum Deo ſimilitudine dicendi finem faciam, examinare libet, quo novo argumento ex meis reſponſionibus, ut tibi quidem videtur, deſumpto, vi iſtius ſimilitudinis, hominem à Deo immortalem creatum fuiſſe, probare velis. Hoc igitur, ut inquis, exemplo uteris. Homo rationalis creavit animal ſimile ſibi. At nihil magis diſſimile, quam irrationale rationali: non creavit ergo irrationale. Eadem enim ratione, licet id non exprimas, ita concludi poſſe exiſtimas. Deus immortalis creavit hominem ſimilem ſibi. At nihil magis diſſimile, quam immortale mortali. Non creavit ergo mortalem. Atque interim perſpicere non potes, prius argumentum nullam vim habere ex forma ipſa argumentationis, ſed (ut loquuntur) ex neceſſitate tantum materiæ; & verbum *creare*, aliud ſignificare (idque admodum improprie) in priore argumento, quam ſignificet in poſteriore. Quod autem ex forma ipſa prius argumentum nullam vim habeat, manifeſtum eſt. Nam etiamſi demas ex majore propoſitione omnem mentionem ſimilitudinis, in qua poſterioris argumenti tota vis conſiſtit, argumentum nihilominus efficax erit. Satis eſt enim dixiſſe; Homo rationalis genuit aut procreavit, vel, ut tu dicis, creavit animal. Siquidem certum eſt, omne animal procreatum procreanti in forma ſpecifica (ut vocant) ſimile eſſe debere, neque aliquam formæ ſpecificæ ſimilitudinem eſſe poſſe inter id animal, cujus forma eſt, ut rationale ſit, qualis eſt homo, & illud quod ſit irrationale; & ob eam rem neceſſe eſſe, ut animal ab homine procreatum, irrationale non ſit. Atque ita vides, non ex forma ſupervacanea argumentationis tuæ, quæ omnis fere, quod ad vim exempli attinet, illis verbis, *ſimile ſibi*, propoſitioni admiſtis nititur; ſed ex neceſſitate materiæ concludi, animal ab homine procreatum irrationale eſſe non poſſe. Neque in hac prioris argumenti majore propoſitione ſuperfluitas illa excuſari aliquo modo poteſt, niſi nomen *Rationalis* eandem vim habere velis, ac ſi dictum fuiſſet; Quatenus eſt rationalis. Verum ſi iſtud admitteretur, neceſſe eſſet in alterius quoque argumenti majore propoſitione nomen *Immortalis* eandem vim habere, ac ſi dictum fuiſſet; Quatenus eſt immortalis. At Deum creaſſe hominem ſimilem ſibi, quatenus ipſe immortalis eſt, neque uſquam legitur, & illud ipſum eſt, de quo hic tantopere controverſamur. Sed propoſiti à te exempli in priore argumento inconcinnitatem etiam prodit verbum *creavit*, quod homini procreanti accommodare non dubitaſti: quaſi vero idem ſit procreatio in homine, quod creatio in Deo; aut Deus quatenus creat, homini procreanti jure optimo comparari poſſit. Certe Deus, quatenus creat, non cum homine procreante, ſed aliquod opus faciente conferri debet; alioqui omnes res creatæ, ejus filii apellari poſſent. Et ideo, quemadmodum ſi quis diceret de aliquo opifice, quod opus feciſſet ſimile ſibi, non intelligendum eſſet, inter ipſum opificem, & opus ab eo factum nullam inſignem diſſimilitudinem exſtare, (nemo enim neſcit, artificem operi ſuo ſemper quam longiſſime antecellere, & idcirco inſignem

inſignem aliquam diſſimilitudinem neceſſario inter utrumque reperiri) ſed tantummodo inſignem aliquam ſimilitudinem alterum cum altero habere: ſic verba illa, *Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, non omnem profecto inſignem inter ipſos diſſimilitudinem excludunt, ſed inſignem tantummodo aliquam ſimilitudinem ſignificant. De qua ne aliquod dubium eſſe poſſet, ibidem in quo conſiſtat, & cujuſmodi illa ſit, diſerte expoſitum eſt. Sic enim ſcribit Moſes Gen. 1. 26. *Et dixit Deus. Faciamus hominem ad imaginem noſtram, & dominetur piſcibus maris, & avibus cœli, & beſtiis, & univerſæ terræ, omnique reptili quod repit ſuper terram. Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, marem & fœminam fecit eos.* Ex quibus verbis apertiſſimum eſt, imaginem & ſimilitudinem illam imperio homini in cætera animantia & in ipſam terram dato, contineri, præſertim iis, qui ſciunt, Epexegeſin figuram apud Hebræos, qui expoſitivis ſermonis particulis non utuntur, ſed per ſimplicem copulam & eas & pleraſque alias ubique repreſentant, frequentiſſimam eſſe; ut hoc loco nihil aliud ſit, *Et dominetur*, quam, *Qui ſcilicet dominetur.* Exemplum hujus figuræ, etſi infinita prope ſunt, luculentiſſimum eſt eodem capite, in ipſo Moſaicæ narrationis initio. Nam poſtquam generalis cujuſdam propoſitionis loco, primo dixiſſet, *creavit Deus cœlum & terram*; explicaturus deinde ſingulatim, quomodo id factum fuiſſet, ait, *& terra erat inanis*, &c. Quæ verba, uſque ad ea verba, *Et dixit Deus*: *Fiat lux*, expoſitive vertenda ſunt, hoc videlicet pacto. Nam cum terra eſſet inanis, &c. dixit Deus, Fiat lux. Quid autem magis ab omni veriſimilitudine abeſt, quam Moſem narraſſe, Hominem ad Dei ſimilitudinem factum fuiſſe, & in quo ea ſimilitudo conſiſteret, ne indicaſſe quidem, (ut certe non indicavit, ſi ea in dominatu, quem homo in rebus creatis habet, non conſiſtit;) & ita antropomorphitis occaſionem præbuiſſe, perabſurde ſtatuendi Deum non minus quam nos membra habere, & humana hac forma noſtra præditum eſſe; quibuſdam vero aliis imperite comminiſcendi, id propterea ſcriptum fuiſſe, quia aliquando futurum eſſet, ut ipſe Deus humanam naturam & ſpeciem aſſumeret, atque homo fieret. Nec vero cum Deum creantem cum artifice opus faciente comparo, & vi comparationis oſtendo, à re creata omnem inſignem diſſimilitudinem non excludi, ad id confugere potes, ut dicas, artificem non eſſe Deo parem, qui opera ſua in nulla ſibi inſigni re diſſimilia efficere poſſit. Nam cum dico, Deum creantem homini opus facienti ſimilem eſſe, perinde eſt, ac ſi dicerem, cum Sacræ Literæ de Deo tanquam creatore ſimpliciter loquuntur, intelligi debere, eum nolle opus ſuum ſibi per quam ſimile eſſe, ſed non minus à ſe differre quam opus à ſuo opifice. Aliis loquendi modis utitur ſcriptura, cum perquam ſimilia ſibi opera Deum efficere ſignificare vult. Etenim tunc eum gignere dicit, & patri comparat, & patrem vocat. Patres enim ſibi perquam ſimiles filios generant, in iis præſertim, in quibus potiſſimum ſimilitudo conſiſtit. Atque hac ratione fit, ut qui immortales à Deo conditi fuere, ut angeli, filii ejus appellentur Job. 1. 6. 2. 1. xxxviii. 7. & qui ex hominibus beatam illam immortalitatem conſequentur, filii Dei eam ob cauſam futuri ſint, Chriſto ipſo teſte; Luc. 20. 36; qui ideo filios Dei eſſe dicit, quod filii ſint reſurrectionis. Immortalitas enim, qualis angelorum eſt, & piorum erit, omnem fere inſignem cum Deo diſſimilitudinem excludit. Et quamvis interdum etiam fiat, ut filii Dei, ii quoque appellentur, qui tanta cum Deo ſimilitudine præditi non ſunt: tamen propter inſignem aliquam ſimilitudinem, præter eam, quam in creatione homo adeptus eſt, quam cum Deo habeant, vel propter aliquam loci circumſtantiam, qua tranſlatio ejuſmodi ſuſtineri poſſit, ita appellantur. Nec liberior ejuſdem tranſlationis uſurpatio impedit, quominus proprius ejus uſus is ſit, quem diximus: ut cum Paulus ſcribit Rom. 8. 17, *ſi filii, etiam hæredes*, &c. aut quominus verum ſit; in divinis literis, cum de immortalitate agendum eſt, qua Deus res à ſe creatas donet, aut donare velit, & ita eas ſibi perquam ſimiles efficere; non creatoris ſimpliciter, ſed patris quoque nomine eum decorari; quod in prima hominis creatione factum non eſt. Verbum enim *Creare*, nihil aliud per ſe ſignificat, quam vel aliquid, quod prius non erat, facere ſeu formare, vel jam factum ſeu formatum reficere ſive reformare, nulla habita ratione, utrum creatori ſimile ſit necne. Quodſi addatur, rem creatam ſimilem creatori eſſe, vel ea ſimilitudo intelligenda eſt, quæ ibidem expreſſa fuerit, nec præterea alia ſomnianda; vel ea tantum, quam inter formatorem & rem formatam reperiri, ſit veriſimile. Quis eſt autem, qui negare audeat, hominem ex eo, quod dominationem in cætera animantia, & in univerſam terram habeat, Deo ſimilem eſſe? Quis non videt, ut & Flaminius dixit, & innumeri alii doctiſſimi viri ſcripſere, & quotidie affirmari audimus, hominem ea de cauſa, tanquam mortalem aliquem Deum, huic medio mundi globo præpoſitum eſſe? Ex quibus Flaminii verbis id etiam colligi poteſt, eum, non minus quam nos & cæteri omnes, imaginem Dei in homine citra corporis immortalitatem conſiſtere, arbitratum fuiſſe. Quid igitur aliam in homine cum Deo ſimilitudinem, præter eam, quæ apertiſſimis verbis explicata eſt, comminiſcimur? aut cur eam ex noſtro capite nullo ſanctarum literarum teſtimonio ad hoc excitati prorſus confingimus, quæ creatoris & rei creatæ analogiam exuperat; cum creatæ rei ad creatorem proportio per ſe, quamvis tu diverſum aſſeras, nullam magis alterius cum altero ſimilitudinem exigat, quam operis proportio ad opificem ſuum.

Supereſt, ut ea breviter excutiamus, quæ adverſus rationem meam, qua imaginem divinam in homine immortalitatem non neceſſario requirere comprobaveram, afferre voluiſti. Nam cum ego dico, poſt hominis lapſum, poſtquam fuiſſe eum mortalem non negas, ipſum hominem non minus quam ante, ad Dei imaginem conditum eſſe ſcribi, & à ſacris auctoribus Dei imaginem appellari; reſpondes tu, hoc confirmare tuum dogma. Nam manet ſemper ratio & immortalitas animorum; & illi morti quæ per peccatum obrepſerat, datum eſt remedium per Meſſiam, per quem omnia tandem reſtituentur, & ad hunc modum cuncta verterentur in Dei gloriam. Sic enim ad verbum ſcripſiſti. Sed quidnam tuum dogma appellas? an aſſertionem illam tuam, de qua in hoc argumento, quod præ manibus habemus, potiſſimum diſputari vis, aut ſecundum tuam ipſius argumenti explicationem velle debes? an præcipuam ſententiam tuam, cujus cauſa univerſa hæc diſputatio noſtra inſtituta eſt? an vero aliquid aliud, quod ſentias, vel ad rem noſtram pertinere credas, ac tuæ præcipuæ ſententiæ non leviter ſuffragari? Si dogma tuum appellas aſſertionem illam, de qua hic potiſſimum agitur, dogma tuum profecto, ſi modo dogma dici debet, meritiſſimo nominas. Nam non memini me vel legiſſe vel audiviſſe quenquam eſſe, qui ex eo, quod homo ad Dei imaginem creatus fuiſſe dicatur, colligi poſſe exiſtimet, hominem ſuapte natura immortalem & animo & corpore creatum fuiſſe. At vero qua ratione (dic velim) iſtud tuum dogma confirmatur per ea teſtimonia, ubi poſt delictum Adami homo imago Dei appellatur. Quid vero ratio & immortalitas animorum, quæ in homine adhuc remanent; quid remedium per Chriſtum morti, quæ per peccatum obrepſiſſet, datum ad hoc pertinent; niſi ut probent & confirment, quod ego dico, in homine poſſe imaginem Dei animadverti, citra corporis naturalem immortalitatem? Sin dogma tuum vocas præcipuam ſententiam tuam, non ſane video, quomodo ex eo, quod homo poſt peccatum primi hominis, imago Dei nominetur, confirmari poſſit, primum hominem natura immortalem conditum fuiſſe. Nam quod ratio & animi immortalitas cauſſa ſit, una cum remedio, morti, quæ per peccatum obrepſit, dato, ut iſto nomine adhuc

honeſte-

honeſtetur, jam id à me aperte negatur, cum contendo divinam in homine imaginem aliud ſignificare. Verumtamen, quamvis id tibi concedatur, quid hoc ad inſtitutum tuum? An non, ut ſupra viſum eſt, in animi immortalitate præcipue hominis cum Deo ſimilitudinem, de qua loquitur Moſes, ſtatuere, corporis immortalitatem, quam quis ex ſimilitudine illa argui velit, aut convellit, aut vehementer infirmat? An non ego quoque moriendi neceſſitatem, ſive mortem æternam per peccatum obrepſiſſe affirmo, cui, ut latius infra differetur, remedium per Chriſtum allatum fuerit. Quodſi dogmatis tui nomine, aliud ſignificare vis, quid iſtud ad rationem meam, qua argumentum tuum, de quo hic agendum eſt, labefactare contendo? Nam ſi, ut divinare me ſæpius compellis, dogma tuum vocas id ipſum, de quo copioſe paulo ante diſſeruimus, divinam ſcilicet hominis imaginem potiſſimum in mente & ratione conſiſtere, (quamvis id, ut tute fateris, pleriſque ante viſum eſt, immo, ut tu credebas, omnibus) jam ſatis oſtendi, nos, quod ad imaginem illam attinet, de eo præcipue diſputare, utrum ea corporis, non autem, utrum animi immortalitatem ſeu rationem complectatur; & quod illa ad animi immortalitatem inprimis reſpiciat, id & argumento tuo, & ſententiæ, quam per illud confirmare tentas, non leviter adverſari. Præterea, an non hic etiam ſumis id, de quo in hoc tuo dogmate diſputatur? Pernegant enim, qui tecum non ſentiunt, animus licet hominis adhuc immortalis permaneat, hominem ob id imaginem Dei appellari; & quod remedium morti, quæ per peccatum in mundum intraverit, à Chriſto datum eam divinam imaginem efficiat, aut conſervet, quæ in omnibus hominibus adhuc ſit, non pernegant ſolum, ſed merito etiam exſibilant atque irrident; cum manifeſtiſſime conſtet, remedium illud iis tantum concedi, qui ipſi Chriſto fidem habent, & ad ejus exemplum & præſcriptum, vitam moreſque inſtituunt atque componunt. Non aliter autem hic à te peccatum eſt, atque in reſponſione illa ad vini exemplum per me allatum in ſuperiore argumento. Ut enim ibi nihil reſpondes ad rationem meam ex illo exemplo deductam, quæ argumentationem tuam plane diluit; ſed inepto eodem exemplo, quod tibi ea etiam ratione, qua illo uti voluiſti, aperte adverſatur, id, de quo nulla controverſia erat, confirmare niteris: ſic hoc loco rationem meam ex iis teſtimoniis petitam, in quibus poſt caſum primi hominis, quilibet homo Dei imago appellatur; unde evincitur, ad ejuſmodi imaginem conſtituendam hominis immortalitatem naturalem, quod tu opinaris, non requiri; qua opinione nititur univerſa argumentatio tua; nulla prorſus reſponſione dignaris, ſed tantummodo iiſdem teſtimoniis, perverſe ſimul & ridicule comprobare tentas id, de quo nec vere diſputamus, & aſſertionem tuam, qua de hic potiſſimum agitur, inſigniter labefactat. Sed profecto nimius ſum in ejuſmodi tuis nugis, vel explicandis, vel refellendis; & certum eſt, poſthac, illas me agnoviſſe, duntaxat indicare. Nam ſi ex iis, quæ jam dicta ſunt, eas tute agnoſcere non incipis, inanis plane futurus eſt ea in re omnis labor & induſtria mea. Convitioſa ſcommata, non leves calumnias, intempeſtivas & vanas futuri mali prædictiones, & quaſi Dei nomine comminationes, huic ſecundo capiti, præter falſas criminationes illas, quas ſupra dilui, admiſtas, & miſſas facio, & una cum reliquis contumeliis, quibus toto ſcripto tuo identidem me afficis, tibi ex animo condono.

CAPUT III.

CUm evidenter, Paulo ipſo auctore, demonſtrem, tantum abeſſe, ut Sacræ Scripturæ teſtimonium illud, quod primus homo factus fuerit in animam viventem Gen. 2. 7. 1 Cor. 15. 45, tuam ſententiam confirmet, ut potius eam funditus evertat; quid opus eſt ei teſtimonio aliud opponere, aut invenire Paulum dicentem, primum hominem factum fuiſſe in animam mortalem? Num fortaſſe parum aperte, primum hominem mortalem creatum fuiſſe, ab ipſo dicitur, cum ex eo quod factus fuerit in animam viventem, arguit, eum habuiſſe corpus animale, & quod non minus quam granum quod ſeritur, mori deberet? Præterea, an non idem & vivens & mortale ſimul eſſe poteſt? Quid autem refert, utrum obiter an ex profeſſo aliquid dicatur, dummodo id vere affirmetur? Certe ſi ea, quæ obiter à divinis ſcriptoribus dicta fuere, vim teſtimonii non haberent, non ita multa eſſent, quæ ex ipſorum ſcriptis ad aliquid confirmandum promi poſſent. Paulum autem vere affirmaſſe id, quod adverſus temetipſum rationem tuam retorquet, etſi ſatis à me probatum eſt; ea tamen in examinando, quæ à te in contrariam partem diſputata ſunt, uberius comprobabitur. Ais igitur, Apoſtolum loqui de magno diſcrimine inter corpus animale, quod habuimus per Adamum, & ſpirituale quod habebimus per Chriſtum; & in hoc eſſe comparationem bonæ conditionis, in qua nos conſtituit creator, cum meliori, quam reſtituet redemptor. Sic enim habent verba tua. In quibus illud primum conſiderandum eſt, quod ais redemptorem nobis reſtituturum meliorem conditionem, quam ea fuerit, in qua nos conſtituit creator; quaſi, antequam crearemur, in aliqua meliore conditione fuerimus, quam cum creati ſumus. Nam profecto reſtituere nihil aliud eſt, quam reddere id, quod is, cui reſtituitur aliquando habebat. Hoc autem dico, non ut tua verba carpam, præſertim cum fieri poſſit, ut non *Quam reſtituet*, ſed *In quam reſtituet*, ſcribere volueris; (qui loquendi modus, ubi non de conditionis ipſius, ſed noſtri reſtitutione præcipue agitur, multo tolerabilior eſt) ſed ut rei veritas magis perſpiciatur. Neque enim, antequam eſſet creatus Adam, aliquid aliud quam terra erat; ex quo perſpicuum eſt, ſatis bonam conditionem illum in creatione adeptum fuiſſe, ut ex mortua terra animal vivens fieret. Quod ſi ejus corpus, propter materiæ qualitatem, ex qua formatum fuerat, infirmitati & corruptioni, atque adeo ignominiæ erat obnoxium; num propterea à Deo infirmitatem aut corruptibilitatem habuit, aut ignominiam, à quo nihil niſi robur, integritatem, & decus conſecutum eſt? Hæc autem bona, quæ illi largitus eſt Deus, ſi perpetua eſſe noluit ſua natura, nec terræ conditionem, ex qua hominem formaverat, prorſus mutare voluit; an idcirco accuſari debet, & ipſi Deo mortalitatis naturalis, quæ in homine eſt, cauſa adſcribi? An non aliquando cogitas, Deum eſſe omnium dominum, & omnis vitæ autorem, & nemini injuriam facere, ſi eum immortalem non creat: immo quod ei vel unius horæ vitam concedat, beneficentiæ & liberalitatis nomine maximopere commendandum eſſe? Sed de his fuſius infra diſputabitur. Non enim hic, an ea prima hominis conditio ſimpliciter & per ſe bona vel mala fuerit, explicandi eſt locus; cum Apoſtolus eam ſimpliciter & per ſe non conſideret, ſed ſecundum quid, & comparatam cum ſecunda conditione, cujus comparatione Mala profecto dici poteſt. Nam quod ais, Apoſtolum ignominiam, corruptionem, & infirmitatem, quas tribuit corporibus noſtris, agnoſcere in cadaveribus, quæ humantur, * quæſo te, unde id colligi poſſe credis? Num ex eo, quod corpora noſtra grano, quodſatum fuerit, comparat, & quia granum cum ſeritur, terræ mandatur, corpora autem noſtra ſimiliter cum humantur, terræ mandantur, ideo de cadaveribus quæ humantur, eum loqui exiſtimas? Sed qui fit, ut non videas, in ea comparatione nullam terræ rationem haberi, cum terra nihil conferat ad reſurrectionem corporum; ad procreationem vero herbæ ſeu ſtirpis quam plurimum: & multa corpora reſurrectura ſint, quæ nunquam humata fuerint? Siquidem in eo tantummodo

* Verbum humandi hoc loco eo ſenſu accipio, qui cum ipſa vocabuli notatione conſentit, quique ut Cicero lib. 2. de legibus teſtatur, olim ejus erat proprius, ut ſcilicet de iis diceretur quos humus injecta contegeret.

comparatio conſiſtit, quod ſicut granum non poteſt vivificari & ſtirps fieri, niſi prius moriatur; &, non granum, quod ſeritur, ſed ſtirps eſt id, quod naſci debet; imo, ſi ſtirps naſci debet, mori granum neceſſe eſt: ſic corpora noſtra non poſſunt vivificari & immortalia aut glorioſa fieri, niſi prius moriantur, ſeu deleantur, & non corpus quale hoc eſt, quod nunc habemus, erit id quod in reſurrectione habebimus, ſed alterius, & multo præſtantioris conditionis; quod ut habeamus, deleri hoc, quod habemus, neceſſe eſt. Quæ comparatio eos quoque complectatur oportet, qui vivi reperientur, cum Dominus Jeſus judicare veniet mundum cum juſtitia. Nam illi quoque mutabuntur, & alterius conditionis corpus adipiſcentur, & quodammodo reſurgent, ac non minus quam cæteri, qui obdormierint, priore corpore deleto, vivificabuntur, neque tamen unquam humabuntur. De corporibus autem noſtris vivis, non autem cadaveribus, in ea ſeminis comparatione loqui Paulum, vel ex eo perſpicuum eſt, quod inter cætera ait 1 Cor. 15. 44, *Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale.* Cadavera enim non ſunt corpora animalia, ſed inanima & mortua. Nonne tu ipſe idem fateris, dum ais, ibi, cum de animali & ſpirituali corpore ſermo eſt, fieri comparationem bonæ conditionis, in qua nos conſtituit creator, cum meliore, quam reſtituet redemptor? Quid igitur deinde de cadaveribus comminiſceris, & verborum quadam leviſſima & inaniſſima ſpecie, ut plerunque ſoles, deceptus, veritatem graviſſimam & ſolidiſſimam, quæ, velis, nolis, tibi ipſi aliquando apparet, obſcuras atque pervertis; Comparat itaque, ut dictum eſt, Paulus hæc corpora noſtra, qualia nunc habemus, cum illis, quæ habituri ſumus: & in hac collatione utitur ſeminis & naſcituræ ſtirpis ſimilitudine, * tunc quodammodo ſeminari hæc corpora noſtra ſignificans, non quidem cum mortua humantur, ſed cum creantur, & à Deo in hoc mundo ponuntur: non ut perpetuo durent, ſed ut non ſecus ac granum, quod ſeritur, tandem deleantur, atque ea ratione in longe meliorem formam renoventur. At vero inter cæteras conditiones, quas corporibus noſtris, qualia nunc habemus, tribuit, ea eſt, quod ſint corpora animalia: & aſſerit, non aliter ac ſatum granum prius eſt quam ſtirps, & granum deleri debet, ſtirps autem exiſtere: ſic prius eſſe corpus animale, quam ſit corpus ſpirituale; & corpus animale deleri debere, ſpirituale autem exiſtere. Sed ea ratione probat, corpora noſtra animalia eſſe, quia Adam, à quo originem trahimus, factus fuerit in animam viventem. Ergo manifeſte conſequitur, Adamum quoque, cum factus fuit, corpus animale habuiſſe. Quodſi Adamus in ipſa creatione corpus animale habuit, ergo ejuſmodi corpus habuit, quod non aliter atque granum ſatum, delendum erat, ut ſtirps ſpiritualis corporis exiſteret, ſi ad vivificationem & immortalitatem perveniendum illi erat; tantum abeſt, ut natura jam immortalis eſſet. Corpus autem animale eo loco apud Paulum ſignificare corpus, quod vivat quidem, ſed non perpetuo, ex eo præterea conſtare poteſt, quod illi corpus ſpirituale opponit. Nam cum idem ſit corpus ſpirituale, quod corpus illius, qui factus ſit in ſpiritum vivificantem, non ſecus, atque ut jam dictum fuit, idem eſt corpus animale, quod corpus illius, qui factus ſit in animam viventem (ut enim prius oppoſuerat corpori animali corpus ſpirituale; ſic deinde opponit ei, qui factus fuit in animam viventem, illum qui factus fuit in ſpiritum vivificantem) certe corpori animali opponitur corpus illius, qui factus ſit in ſpiritum vivificantem. Sed *eſſe factum in ſpiritum vivificantem*, ut in prioribus reſponſionibus à me dictum eſt (in quo tu injurioſe dicis, me, ut in aliis omnibus, à ſenſu divino diſcedere) non ſignificat eo loco alios, ſed ſe ipſum vivificare, id eſt ſuapte natura immortalem eſſe; ut ſtatim demonſtrabo. Ergo, habere corpus animale, quod huic rei, ut probavimus, oppoſitum eſt, nihil eſt aliud, quam ſeipſum non vivificare, ideſt, natura immortalem non eſſe. Factum autem eſſe in ſpiritum vivificantem, eo loco non ſignificare, alios ſed ſeipſum vivificare, ex eo ſequitur neceſſario, quod jam probatum fuit, idem ibi eſſe, *Habere corpus ſpirituale*, quod, *Factum eſſe in ſpiritum vivificantem.* Alioqui, cum ex verbis Pauli aperte colligatur, omnes in reſurrectione corpora ſpiritualia habituros eſſe, omnes etiam in reſurrectione aliis vitam impartiendi poteſtatem conſequerentur: quod & falſiſſimum eſt, & ab Apoſtoli ſcopo quam alieniſſimum.

Hæc à me diſputata ſunt, non ſolum, ut *Factum eſſe in animam viventem*, mortalitatem, non autem immortalitatem plane arguere demonſtrarem; verumetiam ut eodem tempore, quid apud Paulum animalis & ſpiritualis corporis appellatione potiſſimum ſignificetur, contra quam tu ſentias, perſpicuum fieret. Nam alioqui ſatis mihi fuiſſet demonſtrare, *factum eſſe in animam viventem*, cum ei oppoſitum fuerit, *factum eſſe in ſpiritum vivificantem*, oppoſitam quoque ſignificationem & vim habere; & quid ſibi velit, *Factum eſſe in ſpiritum vivificantem*, deinde explicare. Eſt quidem in corpore ſpirituali aliquid diverſum ab eo, quod in corpore animali reperitur, præter id, quod à nobis expoſitum eſt; ut nomina ipſa indicant. Aliud enim genus vitæ erit ſpiritualis corporis, quam ſit animalis; ſed hoc non eſt præcipuum inter ipſa diſcrimen, de quo hic agitur: verum illud neceſſario conſequitur. Neque enim fieri poteſt, ut quis natura immortalis ſit, & ſimul animalem vitam vivat; ut in angelis videre eſt, quibus nos in reſurrectione ſimiles fiemus; atque etiam ex eo apparet, quod & Dominus Jeſus, & ejus Apoſtoli ſæpiſſime, cum omnia uno verbo complecti volunt, quæ nobis in futuro ſæculo obventura ſunt, dicunt, nos vitam æternam habituros. Sed hac de re jam in reſponſione ad octavum tuum argumentum non pauca diſſeruimus, & iterum ad diluenda ea quæ abs te objiciuntur, nonnulla addenda erunt. Nunc, antequam quod ſupereſt in 3. hoc capite excutiendum, attingam, operæ precium eſt illud monere, cum dicit Paulus, ultimum Adamum factum eſſe in ſpiritum vivificantem, non de ipſo Chriſto tantum ea verba dicere, ſed etiam de membris ejus; non ſecus atque cum dixit, Primum hominem factum eſſe in animam viventem, non de ipſo Adamo tantum loquitur, ſed de omnibus, qui ab eo originem ducunt. Illud enim ſcilicet confirmare voluit, quod re ipſa præceſſerat, & diſertis verbis deinde explicatum fuit, prius eſſe in nobis corpus animale, & poſtea ſpirituale; quæ confirmatio nullius ponderis eſſet, niſi quemadmodum per Adamum ſumus in animam viventem, ſic per Chriſtum futuri ſimus in ſpiritum vivificantem. Sciendum eſt autem, nos per Chriſtum vivificandos eſſe duplici ratione. Una eſt, quia quicunque Chriſti fuerimus, vitam æternam conſequemur. Altera, quia ipſe Chriſtus ea poteſtate, qua ſibi omnia ſubjicere poteſt, vile corpus noſtrum ad ſimilitudinem glorioſi ſui corporis reformabit, & ita vita æterna donabit. De hac multis in locis ſcriptum eſt, præcipuè vero ad finem 3. cap. epiſtolæ ad Philip. & 6. cap. Euang. Joan. De illa vero agitur potiſſimum eodem cap. 15. prioris ad Cor. in comparatione illa Adami & Chriſti: nec de altera ibi præcipue verba fiunt, ſed obiter tantummodo a fine ỳſ. 24, uſque ad initium ỳſ 27. Et fortaſſis ſub verborum compendio de utraque ſimul ỳſ. 57. Cum igitur eodem capite dictum eſt; *Quandoquidem enim per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: ſicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur*: de priore illa ratione, qua per Chriſtum vivificamur, eſt ſermo, non autem de poſteriore. Perſpicuum eſt hoc ex eo, quod nihil ad comparationem illam Chriſti cum Adamo pertinere poteſt, quod Chriſtus potentia illa ſua, qua ſibi ſubjicere poteſt omnia, nos à mortuis excitet, & vita æterna donet. Quandoquidem per Adamum non ideo morimur, quia is potentia ſua aliqua nos occidat, aut occidere poſſit, qui ante tot ſæcula ipſe mortuus eſt; ſed quia cum ipſe

mortalis

* Cic. ad At. lib 14. ep. 22. Tullia nollem abortum: tam enim Caſſii ſunt jam quam Bruti ſerendi.

mortalis eſſet, omnes qui ab illo ortum ducimus, ut mortales ſimus neceſſe eſt: neque enim qui ipſe mortalis ſit, immortales filios gignere poteſt. Et in hoc eſt illi Chriſtus ex altera parte conferendus, à quo quicunque originem trahimus, vivificari tandem non ſecus atque ille vivificatus fuit, omnino debemus. Non enim ex eo qui immortalis effectus ſit, qui in morte ipſi remaneant, procreari poſſunt. Itaque cum ait Apoſtolus, ultimum Adamum factum fuiſſe in ſpiritum vivificantem, nullo prorſus pacto intelligendum eſt, Chriſtum admirabili illa ſua virtute, quam in extrema die exeret, nobis vitam largiturum: quid enim hoc ad collationem ipſius cum Adamo? ſed ipſum immortalem naturam adeptum fuiſſe, cujus participes erunt omnes, qui illi inſiti fuerint; quemadmodum naturæ mortalis omnes participes fiunt, qui Adamo ſunt inſiti. Ex quibus omnibus intelligitur, non conferre Paulum dotes, quibus exornanda erunt in reſurrectione corpora noſtra, cum excellentia prioris naturæ, quam ipſæ ſuperaturæ ſint: nunquam enim priorem naturam, tanquam excellentem conſiderat, neque ejus, quod excellens in ea aliquando fuerit, ullam rationem habet: ſed tanquam vilem & ſibi & cæteris conſiderandam proponit, & ejus tantummodo rationem habet, quod in ea vile ſemper exſtiterit; neque ibi ullam penitus inter Adamum & nos differentiam conſtituit, quamvis ipſum Adamum, jam tum, cum primo creatus eſt, conſideret, quem in primo ſtatu mortalem fuiſſe, ut jam abunde ſatis demonſtratum eſt, non diſertis quidem verbis, ſed tamen revera ex eo ipſo docet, quod tu ex Moſe ad ejus immortalitatem ſtatuendam, pro tertia ex rationibus tuis, arripueras. Quis autem, cum de vi verborum ſeu Moſis ſeu alterius antiqui Sacri Scriptoris ambigitur, melior poſt Chriſtum interpres adhiberi poteſt, quam Paulus Apoſtolus, & divinorum arcanorum præ cæteris ſcientiſſimus, & Sacrarum Literarum ab ineunte adoleſcentia peritiſſimus? Quanquam, ut in priore meo ſcripto oſtendi, ex ipſo Moſe, ea ipſius verba non eam vim habere, quam tu putas, ſatis liquet; cum poſt Adami lapſum in cunctis animantibus, non modo in homine ſpiraculum vitæ eſſe, apud eum legatur, ſed animantia univerſa, animæ viventes appellentur. Ad hoc reſpondes tu, me nimis craſſe falli, nam (inquis) vita, qua adhuc fruimur, eadem eſt quæ prima, ſua natura, & Deus, qui ita loquitur, agnoſcit in illis quod ſuum eſt. Nihil hactenus ſciens rectius dixiſti, quam hoc imprudens: vitam ſcilicet qua adhuc fruimur, eandem eſſe ſua natura, quæ prima. Sed quomodo eadem eſt ſua natura, quæ prima, ſi prima ſua natura (ut quidem credis) immortalis erat, hæc vero eſt ſua natura mortalis? Quod ſi mortalitas & immortalitas naturam vitæ non variant, cur tantopere contendis, hominem non potuiſſe appellari animam viventem, ſi ſua natura immortalis non fuiſſet, & pugnare ex diametro, *Factum eſſe in animam viventem, & natura mortalem eſſe?* Eſt quidem, etiamſi concedamus, priorem vitam, qua Deus hominem donavit, ſua natura immortalem fuiſſe, hæc quoque qua fruimur, licet natura mortalis, ejuſdem Dei donum: non tamen natura eadem vita, ſed vel prorſus alia, vel illius tantum pars quædam. Rectius tamen eſt, eam prorſus aliam eſſe dicere, cum vita natura immortalis partitionem aliquam vere non admittat, & mortalitate atque immortalitate diverſæ plane vitæ ſpecies conſtituantur. Non poteſt igitur Deus, ſi primum hominem immortalem creavit, in nobis hodie agnoſcere, quod prius dederat; cum immortalitatem, quam nobis largitus fuerat, in nobis amplius non videat, & aliud vitæ genus in nobis reperiatur, quam illud erat, quo is primum hominem donavit; quamvis agnoſcat Deus quod ſuum eſt, quatenus, ut dictum fuit, non minus hanc quam illam vitam, ipſius donum eſſe conſtet. Nam tu ipſe ſtatim ſubjungis, *Sed illa mortalitas, quæ ſupervenit, eam corrumpit & turbat.* Verum mortalitas eſt in nobis, & in ipſa vita, qua fruimur naturaliter, & ab ipſo ortus initio. Immo ut tibi placet, mors ipſa quoque in nobis ſemper eſt. Ergo corrupta perpetuo in nobis, & turbata eſt prior illa vita. Quomodo igitur eam in nobis adhuc agnoſcere Deus poteſt? Sed addis, *Itaque quod vivimus, eſt beneficio conditoris: quod morimur, factum eſt fraude diaboli, & inobedientia hominis.* Eſt, ut ais, beneficio conditoris, quod vivimus. Itaque merito vocamur animæ viventes, licet mortales ſimus; atque eadem ratione primus homo, quamvis & ipſe mortalis creatus eſſet, quia tamen vivebat, & Dei beneficio vivebat, anima vivens nominari potuit. Sed ut hæc vita, qua modo fruimur, eadem ſit natura cum prima illa vita, ſi velimus primam illam vitam fuiſſe natura immortalem, non ſatis eſt Dei beneficio nos vivere, ſed ut vitam natura immortalem vivamus, neceſſe eſt. Fraude Diaboli quidem effectum eſt, ut homo in inobedientiæ crimen inciderit. Hominis autem inobedientia mortem, quam ei Deus, niſi obediens fuiſſet, minatus fuerat, accerſivit, & illi comparavit; Deus tamen fuit, qui homini ejuſmodi pœnam inflixit; quam, ſi velis eſſe mortalitatem hanc, qua naturaliter premimur, cuique natura omnes ſubjecti ſumus, non potes ulla ratione negare, quod mortales ſimus, Dei decreto & voluntate conſtitutum eſſe: quamvis ejus decreti & voluntatis, fraus diaboli remota, hominis autem inobedientia proxima cauſa fuerit. Quamobrem ſtatuendum omnino eſt, ipſius Dei voluntate factum eſſe, ut hæc vita, quam nunc vivimus, non ſit eadem natura cum ea, qua primum hominem donaverat, ſi illam natura immortalem fuiſſe dicamus; tantum abeſt, ut Deus eam vitam adhuc in nobis agnoſcere poſſit. Cæterum, ſi adverſus ipſam veritatem à nobis tam clare expoſitam adhuc urgeas, ſupereſſe in nobis illam priorem vitam, cum adhuc Dei beneficio vivamus, tui ipſius verbis, quæ ſtatim adjungis, reſpondebo. *Nos non contendemus de vita, quæ ſupereſt, cujus reſpectu appellamur & ſumus viventes.* Quæ verba una cum iis, quæ illico conſequuntur, quam appoſitè eo loco ſubjeceris, aliorum erit judicium. Nam, ut in fine ſuperioris capitis præmonui, ejus generis ratiocinationes tuas, quæ vel nihil prorſus ad rem faciunt, vel etiam tibi ipſi manifeſte adverſantur, indicaſſe ſat fuerit. Non eſt igitur eadem ſua natura hæc vita quâ fruimur, cum illa, quam in creatione primus homo habuit, ſi ea immortalis fuit: quare non potes hac ratione vel ſomniare quidem, animam viventem fuiſſe hominem appellatum, poſtquam deliquit; ſi anima vivens is dici nequit, qui vitam immortalem natura non habeat. Multo ſatius erat te ad eam loquendi figuram confugere, qua res eo nomine appellantur, quod illis aliquando conveniebat, licet poſtea convenire deſierit. Sed animadvertendum eſt, cum volumus verba figurate interpretari, oportere, veritate cogente, quæ aliunde nobis appareat, id fieri; & cum de ea, quam verborum propriam vim eſſe credimus, aperte conſtat. At nihil cogit, Animam viventem, in teſtimoniis à me allatis, figurate accipi debere. Neque enim conſtat, eorum verborum propriam vim eſſe, quam tu aſſeris, & de qua potiſſimum hoc loco controverſamur, quamque ego illis locis convenire non poſſe demonſtravi. Quin potius, cum ego multos locos afferam, ubi id ſignificare non poſſunt, quod tu affirmas, tu contra ne unum quidem proferas, ubi ejuſmodi notionem illis ſubjectam eſſe appareat, nec ulla præterea ratione id probes; concludi ſane poteſt, non eam vim illis ineſſe, quam tu arbitraris. Quod ſi in figuratis & conſuetis interpretationibus, ea quam dixi cautio adhibenda eſt; quanto magis ea adhiberi debet in coactis & inſolentibus, ſeu potius perverſis & abſurdiſſimis; qualis ea eſt, quam tu in teſtimoniis à me citatis comminiſceris, per quam ea, quæ in re maximi momenti natura diſparata ſunt, eadem natura eſſe concluditur. Quid enim hoc te facere vel cogit, vel ſuadet ſaltem, niſi quia ſemel, nulla licet verborum proprietate, nulla ratione, nulla auctoritate ad hoc impulſus, in animum tuum induxeris, *Factum eſſe in animam viventem, & habere ſpiritum vitæ,*

cum natura mortali ex diametro pugnare. Et tamen tu is es, qui nec mihi nec aliis concedere velis, ut veritate ipſa, & apertiſſimis divinis teſtimoniis coacti, verba aliqua interdum diligentius examinemus, & non eo ſenſu, quem prima facie præſeferunt, ſed alio, nec admodum improprio nec inuſitato, immo fortaſſis eo, qui proprius videtur, uſitatiore interpretemur. Mitto, quod cum dicis, Deum in illis meis teſtimoniis loqui, non recte dicis. Nam in teſtimoniis illis 7. cap. Gen. non Deus ipſe, ſed Moſes loquitur; & ſpiritum vitæ in animantibus, etiam poſt Adami lapſum fuiſſe affirmat. Quod vero ad ea teſtimonia reſpondes; in quibus vitæ humanæ fragilitas, per illa verba maxime ſignificatur, ex quibus tu immortalem naturam omnino colligi debere contendis, id à te profecto aliud agente ſcriptum fuit. Dicis enim, ea non egere reſponſione: nam ſine dubio agunt de eo ſtatu, in quo nunc homo eſt; non de eo, in quo erat ab initio. Quaſi vero ego ex ipſis oſtendere voluerim, hominem ab initio mortalem fuiſſe; & non manifeſtum ſit, ad explodendam eam vim quam tu tribuis illis verbis; *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, & ad contrarium in illis ineſſe demonſtrandum, me verba illa Eſaiæ cap. 2. 22, protuliſſe. Neque enim ibi falſitatem ipſius ſententiæ tuæ, ad quam probandam tot argumenta ſcripſiſti, oſtendere mihi propoſitum eſt; ſed illius argumenti tui fallaciam redarguere. Quod me abunde præſtitiſſe confido, cum & *Factum eſſe eum in animam viventem, & inſpiratum illi fuiſſe in faciem* ſeu potius *in nares ſpiraculum vitæ*; quæ tu primi hominis vitam natura immortalem fuiſſe, indicare prorſus credebas, vitæ mortalitatem naturalem arguere, planiſſimum feci. Sed quid dicam de eo, quod ad confirmandum, nullam mentionem mortis fuiſſe in eo loco, ubi primum Adamus à Deo collocatus fuit, (quod tamen nihil penitus ad rem faciat: longe enim aliud eſt, ibi nullam fuiſſe mortis mentionem, & Adamum natura immortalem fuiſſe) teſtimonium ex libro Jobi profers Job. 38. 4, ubi manifeſtus eſt ſermo de eo tempore, cum primum à Deo terra fundata eſt, id eſt, antequam hortus ille à Deo conſitus fuiſſet. Vide obſecro, quid ad ſtabiliendum errorem tuum arripere non dubites. Ut interim taceam, quod nec bona pars eorum, quæ tu aſſeris, quæque majoris momenti eſt, ibi habetur, (neque enim ſcriptum eſt eo loco, quod omnia læta & beata riderent) nec ea quæ habentur, etiamſi de eo tempore, de quo tu exiſtimas, verba fierent, quidquam tibi favere poſſent; cum de ſtellis matutinis tantum, & de filiis Dei, id eſt, de intelligentiis illis cœleſtibus (quas vocant) & de angelis Dominus loquatur. Verum jam de horto illo accuratius aliquid videamus, & reſponſionis meæ ad quartum argumentum tractationem aggrediamur.

CAPUT IV.

BEneficium Dei nullum extenuo, ſed aliquid cuipiam ab eo datum fuiſſe, affirmare non auſim, niſi id ab ipſo nobis patefactum fuerit: & quæ in Sacris Literis, nunquam leguntur de Dei operibus vel comminiſcendi vel inveſtigandi, tibi & cæteris, ſi qui ſunt tui ſimiles, & curam lubens relinquo, & palmam non invitus concedo. Veterem interpretem, qui *Gan Eden* vertit Paradiſum voluptatis, nec laudare poſſum, nec excuſare; cum & loquendi forma, & Orientalis plagæ mentio primum non admodum leviter indicarent, de regione illa, non autem de voluptate verba fieri, & id deinde, quod paullo inferius ſcriptum eſt, quod egrederetur fluvius *Me Eden* ad irrigandum hortum illum, luce ipſa clarius oſtenderet, *Me Eden* ea in narratione locum aliquem omnino ſignificare. Nam & ipſemet ea verba, non *ex voluptate*, ſed, *ex loco voluptatis* parum ſibi conſtans vertere coactus fuit. Adde, quod quarto cap. ejuſdem libri ℣ 16. ſcriptum legitur aliquid primo illo loco non abſimile, ubi ſcilicet tum *Eden*, tum Orientalis plagæ fit mentio, quem locum veritate cogente ad orientalem plagam *Eden* ipſe interpretatus eſt. Quanquam ipſe in loco, de quo quæritur, Orientalis plagæ fieri mentionem, non eſt arbitratus; ſed verbum *Mikkedem*, *A principio* eſt interpretatus, quod ex vi verbi fieri potuiſſe non nego. Sed nulla eſt ratio, cur in locis non diſſimilibus *Mikkedem* ſignificet *A principio*; cum tamen manifeſtum ſit frequenter ea voce Orientalem plagam ſignificari; *Kidmath* vero *Ad orientalem plagam* denotet, cum vix alibi ea vox iſtam ſignificationem obtineat. Huc poſtremo accedat, quod Græcam verſionem, quæ eum tam fœdi erroris admonere potuerat, præ oculis habebat. Neque enim dubium videtur, quin ab ea hoc loco Paradiſi nomen mutuatus fuerit, quod nomen nec Latinum eſt, nec Græcum, &, quamvis in Hebraica lingua uſurpatum, ipſis quoque Hebræis peregrinum. Quamvis enim ipſa Græca tranſlatio ad finem cap. 3. pro *Eden*, *Paradiſum deliciarum* habeat: hic tamen pro *Gan be Eden*, *Paradiſum in Eden* habet; nimirum quia, ut dictum eſt, ipſa loquendi forma hoc loco non patitur *Eden*, aliter, quam pro regione accipi. Quodſi pia antiquitas, ut ais, Paradiſi nomine quem idem ac hortum illum eſſe credere videris, aliud intellexit, quam hortum olerum, aut aliquid ſimile vulgare aut humanum; quid hoc ad laudandum vel excuſandum veterem interpretem, qui verba fideliter reddere debuerat, & unicuique mentem Moſis ex illius verbis interpretari, liberum relinquere? Itaque certum eſt, non leviter erraſſe interpretem illum, quiſquis fuerit; nec poſſe ex eo, quod in Latina vulgata Bibliorum verſione legatur, primum hominem collocatum fuiſſe in paradiſo voluptatis, colligi id, quod tu in argumento tuo affirmas, & in quo ipſius argumenti tota vis eſt, primum ſcilicet hominem conſtitutum fuiſſe in ſede voluptatis; & me ejus recte & merito te monuiſſe. Cæterum, ſi non ex verbis illis, ſed quia illius horti nomine & antiqui illi, & Chriſtus ipſe Luc. 23. 43, intellexerit divinam felicitatem, & ſtatum beatitatis, in qua primus homo conſtitutus fuiſſet, id demonſtrari credis; animadvertendum eſt, non illius horti, ſed paradiſi nomine, ut tu ipſe loqueris, felicitatem ſeu potius felicitatis locum à Chriſto, quod etiam à Paulo factum eſt 2 Cor. 12. ℣. 4, ſignificatum fuiſſe. Paradiſus autem non hortum illum poprie, ſed quoddam pomarii genus ab ejuſmodi hortis diſtinctum ſignificat; ut ex illis Solomonis verbis patet Eccle. 2. 5: *Feci mihi hortos & pomaria.* Nam in Hebræo eſt: *aſit heli ganoth uphardeſim.* Aliud igirur eſt *Gan*, quo nomine hortus ille vocatus à Moſe fuit, & aliud *phardeſim* ſeu paradiſus. Quod genus pomarii præſtantiſſimum, & à vulgaribus pomariis & hortis valde ſeparatum fuiſſe, vocis peregrinitas aperte indicat; præſertim cum non ab Hebræis tantum, ſed à Græcis quoque fuerit recepta. Niſi enim jam apud Græcos in uſu fuiſſet, non eam uſurparent 70, illi interpretes, ſive quicunque ejus Græcæ verſionis auctor fuit; ubi in Hebræo alia vox erat, quam vocem quia, ut dixi, genus pomarii ſingulare proprie ſignificabat, uſurpandam eſſe eo loco indicatum eſt, ubi de horto à Deo ipſo conſito ſermo fieret. Ex hac vocis paradiſi ſignificatione fieri poteſt, ut per tranſlationem, cœlum ipſum, ubi beati reſidere credebantur, paradiſus appellatum fuerit, tanquam locus deliciis omnibus refertiſſimus: non ſecus atque nos hac ætate noſtra, cum jam paradiſus nihil aliud, quam ſedem beatorum proprie ſignificat, mutua quadam tranſlatione paradiſum vulgari ſermone appellare ſolemus locum aliquem, qui deliciarum ſit plenus. Id quod mihi multo veriſimilius fit, quam ut per alluſionem ad pomarium ſive hortum illum à Deo conſitum id factum fuerit. Nec enim, ut oſtendimus, à Moſe fuit is locus paradiſus appellatus, ſed à Græco interprete; cujus autoritas, etſi ut ſupra diximus, à Novi Fœderis ſcriptoribus, qui Græca lingua ſunt uſi, ſpreta non fuit: non tamen, ut arbitror, tanti erat, ut apud Hebræos ipſos, & in communi eorum lingua adeo polleret, ut inde non ſolum hortum illum alio nomine, quam à Moſe appellatus fuerat, nominarent, ſed etiam per

tranſla-

tranſlationem ab eo ductam jam populari ipſorum ſermone receptum eſſet, ut eodem nomine ſedes beatorum vocaretur. Nam neque ab Ezechiele, qui ſolus præter Moſem inter ſacros Hebræos ſcriptores, ejus horti nominatim mentionem fecit *pardes*, ſed *Gan* perpetuo appellatur. Neceſſe eſt autem, ut latronem illum Luc. 23. ℣. 43, bene ſperare jubens Chriſtus, ea diceret, quæ is vulgaris homo intelligere poſſet; quod & tu ipſe non obſcure affirmas. Quod ſi populari ſermone inter Hebræos jam receptum fuerat, ut ſedes beatorum paradiſus appellaretur (quacunque ratione id factum fuiſſet,) quid mirum, ſi Chriſtus felicitatis æternæ locum Paradiſum vocavit, cum vulgarem hominem alloqueretur? Non igitur, quia Chriſtus hortum illum antiquiſſimum, quem paradiſum Græcus interpres nominaverat, felicitatis divinæ locum eſſe ſtatueret, idcirco paradiſum pro divina felicitate dixit: ſed quia ita tunc loquebantur. Cur autem ita loquerentur, quid magis veriſimile ſit, expoſitum à nobis eſt. Verumtamen ſive propter Syriacam linguam, quæ in communi uſu populi Hebræi tunc erat, ex qua hortum illum paradiſi nomine, quæ vox Syriaca cenſetur, in populo Hebræo vulgo appellatum fuiſſe velimus; ſive ob quamcunque aliam cauſam detur tibi, locutionem illam ex horto illo fluxiſſe; quid inde neceſſario colliges? Num hortum illum felicitatis divinæ locum fuiſſe? Si, (ut perfecto neceſſe eſt) per tranſlationem id factum fuit, nonne vides, ut paullo ante oſtendimus, tranſlationem in eo conſiſtere, quod ſicut hortus ille deliciarum plenus erat, ſic beatorum ſedes omnibus deliciis affluat? Nec vero a me ipſo plane negatum fuit, hortum illum deliciis plenum fuiſſe: ſed id ex verbo *Eden* probari non poſſe, tantummodo contendi. Quod ſi tranſlationem in eo conſiſtere velis, quod uterque locus divinæ felicitatis locus ſit, probandum tibi eſt illud ipſum, de quo diſputatur, hortum ſcilicet illum divinæ felicitatis locum fuiſſe. Nam profecto nominis paradiſi tranſlationem ab horto illo ad ſedem beatorum, non autem à ſede beatorum ad hortum illum ductam eſſe neceſſe eſt: in quo horto cum aliquid fuiſſe conſtet, propter quod tranſlatio fieri potuit, non eſt cur tranſlationem ex eo manaſſe dicamus, quod in eo fuiſſe non conſtat. Potuit etiam ideo per tranſlationem beatorum ſedes ejus horti nomine appellari, quia ſicut in medio horti illius erat arbor illa vitalis; ſic ubi beati degunt, eſt inibi in medio vera atque æterna vita. Ad quod etiam reſpexit apud Joannem in Apoc. idem Chriſtus, cum ait Apoc. 2. 7, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in medio paradiſi.* Adumbrabat quidem ea arbor vitalis veram illam & æternam vitam; quemadmodum etiam dici poteſt, totum hortum illum beatorum ſedem adumbraſſe: ſed non idcirco ſequitur, in eo horto divinam felicitatem fuiſſe ſimpliciter, dici poſſe, ut de beatorum ſede dicitur; adeo ut omnia, quæ nobis felicitatem humanam impedire videantur, ab eo abfuiſſe, qui eum hortum habitaret, ſtatuendum ſit: ſed eam tantummodo felicitatem horto illi, & ipſum incolenti attribuere debemus, quam ibi fuiſſe, divinis oraculis docemur, & eam tanquam umbram veræ felicitatis agnoſcere. Quocirca, quæ tu ſubjungis, ut ex ipſius Moſis verbis probes, eum locum felicem fuiſſe, & divinarum deliciarum; quibus enarratis, cum de homine ſermo eſſet, poſtremo addis ea verba: *Non video, quid ipſi deeſſet ad terreſtrem felicitatem*; non modo argumentum & univerſam ratiocinationem tuam non confirmant, verumetiam & hanc & illud inſigniter labefactant. Nam ſi propter bona illa, quæ enarras, inter quæ immortalitatis nulla fit mentio, concludendum eſt, nihil defuiſſe homini ad terreſtrem felicitatem; an ea bona ſatis ſuperque non ſunt, ut jure dici poſſit, eum in voluptatis ſede fuiſſe poſitum, niſi etiam immortalem eum ſua natura fuiſſe comminiſcamur? Præterea, ſi ejus felicitas, ut hic & alibi non diffiteris, terreſtris fuit; quid immortalitatem naturalem illi tribuis, quæ non niſi cœleſtis felicitatis propria eſt; ut ipſe ad finem 9. cap. non obſcure confiteris, & quam bona omnia cœleſtis, non etiam terreſtris felicitatis propria, neceſſario conſequuntur? Non igitur horti illius nomine aliquid pro eo tempore tacite & allegorice intelligendum eſt; cum diſerte à Moſe expreſſa fuerint ea bona, quibus Adami felicitas continebatur. Itaque, cum oſtendere ſimpliciter debuiſſes, Adamum in voluptatis, ſive etiam felicitatis ſede poſitum fuiſſe, ut inde ejus naturalem immortalitatem, de qua dubitatur, colligere poſſes, tibi ipſi ejus rei aditum omnino præcluſiſti, ea enumerans, quæ illi Deus bona manifeſte conceſſerat, quibus perfectam terreſtrem felicitatem contineri tute affirmas, & ita adverſus temetipſum imprudens argumentaris, & ea dicis, quibus ego ad tua commenta penitus convellenda, validius nihil afferre potuiſſem. Quamvis autem, ut tu nimis honorifice me appellas, ego in Hebraicis bene verſatus non ſim; crediderim tamen affirmari poſſe, ligni vitæ nomine apud Solomonem ſummum bonum non ſignificari, ſed tantummodo magnum aliquod bonum; ut ex duobus poſterioribus teſtimoniis abs te prolatis intelligi poteſt. Proverbiorum enim cap. 13. ℣. 12, quod quis deſideret mature obtinere, lignum vitæ appellatur. Quod ni fallor, nemo ſummum bonum dixerit, ſed tantummodo magnum bonum; atque id non proprie, ſed ut vulgus hominum loquitur. Poſſumus enim multa matura conſequi, quæ vehementer deſideremus; at ex eis non modo aliquod magnum bonum non percipere, ſed magnum malum ſentire. Cap. autem 15. 4, ejuſdem libri, linguæ ſanitas ſeu moderatio, lignum vitæ eſſe dicitur. Ex qua licet magna bona conſequantur, non tamen ſummum bonum ea in re conſiſtit. Poteſt enim homo & modeſtiſſimus & maxime circumſpectus eſſe in omnibus ſermonibus & verbis ſuis, & tamen nihilominus multis malis in hac vita ſubjacere, iiſque circumdatus eſſe, & futuræ vitæ ſummo bono, quia cuipiam alii vitio obnoxius, Deo ſe obedientem non præſtiterit, prorſus privari. Nam etſi Jacobus dicit Jacob. 3. 2, qui in ſermone non labitur, eum eſſe virum perfectum qui poſſit etiam totum corpus frænare: ipſa tamen experientia docet, id ab Apoſtolo ὑπερβολικῶς dictum fuiſſe, non minus quam illud, quod de effræni lingua paullo poſt ſubjicit, eam eſſe mundum iniquitatis. Qui loquendi modi omnibus ſcriptoribus familiariſſimi ſunt; præſertim vero iis, qui aliquid vel laudare vel vituperare aggrediuntur, in quo, ſi, ut homines vel ad eam rem hortentur, vel ab ea deterreant, ex communi uſui loquendi, veritatis fines aliquantulum aut multum etiam tranſierint, dummodo recte ſuadeant, nulla ratione culpari poſſe videntur. Præterea, etiamſi concederetur lignum vitæ apud Solomonem pro ſummo bono uſurpari, & κατ' ὑπερβολήν, quibuſdam rebus interdum, quæ ſummum bonum non continent, ex loquendi conſuetudine tribui; non tamen continuo ſequeretur in eo ligno vitæ, quod in horto illo conſitum fuerat, ſummum bonum vere extitiſſe: ſed adumbrationem duntaxat ſummi boni, quæ adumbratio quid fuerit, ſatis ex divina hiſtoria manifeſtum eſt: nec opus eſt per allegoriam aliquam ex proprio capite fingere aliquod bonum, quo tunc Adamus frueretur, cujus ibi expreſſa mentio non fiat: minime autem omnium vitam naturæ immortalem, qua is præditus eſſet, cui ejus arboris uſus, ut in prox. ſeq. cap. videbimus, plane adverſatur. Quod vero me & carpis, & derides, & denique increpas, qui nullo teſtimonio divino adhibito, auſus fuerim affirmare, nomen *Eden* quo Moſes eam regionem vocat, ubi hortus ille à Deo conſitus fuit, non jam tum cum Deus hortum illum conſevit, ſed conſequentibus ſeculis ei regioni impoſitum fuiſſe, id à te homine non vulgari, & quem ego privatim, tanquam me doctiorem, quod veritatem manifeſtiſſimam agnoviſſem, monuiſſe ſatis habueram, profecto fieri non debuit. Quis eſt enim qui neſciat, nomina rebus imponi ad uſum loquentium, & aliarum diſtinctionem? Quis autem uſus nominis illius regionis eſſe potuit, cum præter Adamum & ejus conjugem, nulli eſſent homines, & nulla alia regio habitaretur, ad cujus diſtinctionem illa,

ubi Adamus intra limites etiam horti illius cum uxore ſolus habitabat, aliquo peculiari nomine appellanda foret. Non igitur divino aliquo teſtimonio probandum mihi erat, quod conſtanter aſſerui; cum ſenſus ipſe communis, ſi quis animum advertat, id unum quemque aperte doceat; nec dandum fuit à me nomen loci illius eo tempore, quo Adamus in horto illo à Deo poſitus eſt, cum nullum proprium nomen illi adhuc impoſitum fuiſſe, dicere voluerim, quamvis id, cum tecum, id eſt, cum homine literato loquerer, non omnino expreſſerim. Fuit ergo regioni illi nomen illud, aut quodpiam aliud conſequentibus ſeculis, & tunc demum ſine dubio inditum, cum multiplicari homines cœperunt, & orbis terrarum diverſæ regiones habitari, ut quemadmodum jam pridem aliæ res, quibus utebatur homo, & quas ab ipſo nominandas eſſe, aliquando contingere potuerat, diverſis diſtinctiſque nominibus internoſcebantur; ſic variæ regiones, quibus jam uti ceperant homines, quaſque nominare ea de cauſa interdum opus erat, variis quoque & peculiaribus nominibus diſtinguerentur. Dixi autem: *Nomen illud aut aliud quodpiam*: ut errorem illum vitarem, in quem tu incidiſti, qui nomina propria hominum, & familiarum, quas Moſes commemorat, hac in re, de qua quæritur, nominibus propriis regionum æquiparas; cum tamen hominum & familiarum nomina (familiarum inquam, quas hoc loco intelligere neceſſe eſt) quamvis & familiæ & homines intereant, immutabilia ſint, & ab hiſtoricis, tanquam ea, quæ talia tunc temporis eſſent, recenſeantur: Regionum vero nomina, quia ipſæ regiones perpetuo manent, & ſæpe mutentur, & ab hiſtoricis, qualia ſunt cum ipſi ſcribunt, memoriæ prodantur, ut ſciant lectores, qua de re agatur. Quocirca cum Moſes ſcripſit Deum conſeviſſe hortum illum in Eden, nulli dubium eſſe poteſt, quin eam regionem, nomine quod ipſius Moſis ætate obtinebat, appellaverit, ut ubi hortus ille conſitus fuiſſet, ſtatim agnoſceretur. Quod nomen poſt tot ſecula, ex quo orbis terræ habitari paſſim cœpit, aliud fuiſſe ab illo, quod ei ab initio impoſitum fuerat, facile fieri poteſt. Ex quibus planum ſit, te, ut injuria me reprehenderes, non leviter lapſum fuiſſe: me autem nec temere, nec arroganter aliquid affirmaſſe, nec cum ſanctiſſima Moſis hiſtoria luſiſſe; ſed in ejus verbis perpendendis & graviter & diligenter fuiſſe verſatum.

Sed jam ad graviſſimam illam tuam calumniam, quod ſcilicet, ut te refellerem, ad impium Epicureorum dogma confugerim, accurate explicandam & patefaciendam accedamus. Ut argumenti tui infirmitatem oſtenderem, non ſatis habueram falſitatem illius, quod primo loco ſumpſeras, demonſtraſſe, & non poſſe ſimpliciter dici, quod primus homo in ſede voluptatis conſtitutus fuiſſet, perſpicuum feciſſe; ſed id quoque, quod deinde aſſumpſeras, plane falſum eſſe, oſtendere volens, adhunc modum ratiocinatus fueram. Tu negas, morte imminente, ullam ſolidam voluptatem hominem experiri poſſe; & eam ob cauſam primum hominem, qui voluptatis ſede collocatus fuiſſet, natura mortalem eſſe non potuiſſe concludis. At quomodo admitti poteſt hæc argumentatio tua, cum homines inventi fuerint, qui non modo, ut cæteri, erant mortales, ſed etiam ſe penitus interituros credebant; & tamen adeo ſolidas voluptates ſe experiri profitebantur, ut in voluptate ſummum bonum eſſe ſtatuerent? Nam quanto magis id Adamo evenire potuiſſet, quamvis natura mortalis eſſet; cum & Dei beneficio poſſet non mori, nec ſe mortalem eſſe, nemine indicante, vere agnoviſſet? Hic dicis, me confugere ad impium dogma Epicureorum, qui exiſtimarunt, cum corporibus animas interire, & omnia ſimul morte deleri. Cui conſentit illud, quod in præfatione dixeras, te non latere, negari à me immortalitatem animarum, niſi Chriſtianorum in reſurrectione: cujus rei indicium afferebas, quod, ut infra videndum erit, confugerem ad impium dogma Epicureorum, atque eorum patrocinio me tegerem. Nam & hoc loco ſic deinde ſcribis. *Num igitur exiſtimas Epicureos bene ſenſiſſe? Si bene ſenſerunt, quid nos ſolliciti de futuris & æternis ſumus? Edamus & bibamus, cras enim moriemur: ſin peſſime, quomodo vis errore eorum tuum tegere?* Jam quæ major aut evidentior calumnia excogitari poteſt? Itane te Franciſce neſcio quid excœcat, ut non videas, me nihil aliud ab Epicureis mutuari, quam ſolidæ alicujus voluptatis poſſe hominem, licet mortalem, participem eſſe? Itane tranſverſum rapit, ut me eorum ſententiis, quæ habent, cum corporibus animos hominum interire, & in voluptate ſummum bonum eſſe, ad me protegendum uti, tanquam ſi hæc ipſorum decreta vera eſſent, affirmare non verearis; cum tamen vel ad propoſitam quæſtionem, vel ad argumentationem meam nihil prorſus faciat, ſint ne illa vera necne; ſed ut argumentationem meam concludere poſſim, nihil aliud requiratur, niſi quod illi ita opinati fuerint? An non tutemet rem ſic ſe habere, ſatis aperte agnoſcis, cum poſtea ita loqueris? *Videriſne tibi me urgere aliquo elencho, cum ſic argumentaris: Epicurei etſi ſe omnino mortales eſſe crederent, ſummum bonum tamen in voluptate ponebant. Ergo mors imminens non adimit omnem ſolidam voluptatem?* Nam ſi iſtam putas eſſe argumentationem meam, quomodo vel ſuſpicari quidem potes me ad dogma Epicureorum de mortalitate animorum, & de ſummo bono in voluptate poſito voluiſſe confugere; cum ex ipſa clare liqueat, me aliud non ſpectare niſi quod illi ita crederent: rectene autem an prave ſentirent, nihil hac in diſputatione ad me pertinere? Quod ſi argumentationem meam rectius adhuc percepiſſes, vidiſſes præterea, quod de animis hominum Epicurei ita ſtatuerent, ad rationem meam concludendam, non quidem neceſſarium eſſe, ſed id à me ad majorem argumenti efficacitatem, ut ſcilicet à minori argumentari poſſem additum fuiſſe: alioqui enim ſatis firma eſt argumentatio mea, ſi Epicureos homines mortales fuiſſe mihi concedatur, ita ut, ne mortales quidem eos ſe vere agnoviſſe, mihi concedi neceſſe non ſit. Quod autem attinet ad alterum illud ipſorum decretum, de ſummo bono, aperte cognoviſſes id, quod obſcure ex ipſis verbis tuis, quibus argumentum meum exponere voluiſti, percipi poteſt, me, quod ſic illi opinarentur, non ſimpliciter curare, ſed quatenus ex eo evincitur, eos ſolidam aliquam voluptatem expertos fuiſſe. Quare non erat, cur me, tanquam Epicureorum ſcholæ candidatum aliquem, ab ea ingredienda deterrere quodammodo conareris. Sed calumniam tuam, quam ſatis me & patefeciſſe & diluiſſe confido, jam miſſam faciamus, & ea, quæ adverſus ratiocinationem meam non diſerte quidem abs te afferuntur, ſed afferri poſſe, ut conjicio, credidiſti, excutiamus. Videtur tibi, me ideo peſſime argumentari, cum ex Epicureorum opinionibus argui dico, hominem, licet mortalem, poſſe ſolidam aliquam voluptatem experiri: quia in eo fallerentur Epicurei, quod ſe ſolidas voluptates ſentire poſſe affirmarent; cum manifeſtum ſit, hanc eorum opinionem ab omnibus, qui omnino rationis expertes non fuerint, & deriſam & exploſam fuiſſe; atque id merito fuiſſe factum, cum ſolidam voluptatem in humanis vix ſomniare poſſent. Hæc ſunt, quæ ex verbis tuis colligi poſſunt, quæ ad labefactandam argumentationem meam pertinere poſſe videantur. In quibus dupliciter à te erratum eſt. Primum, quod exploſam eam Epicureorum opinionem ab omnibus credidiſti, quæ à nemine exploſa fuit. Deinde, quod ſolidam voluptatem alio modo, quam in hac quæſtione noſtra fieri debeat, es interpretatus. Jam vero quod ad primum attinet, dico, opinionem Epicureorum, quæ ab omnibus exploſa fuerit, eam fuiſſe ſcilicet quod ſummum bonum in voluptate conſiſteret, ſi tamen voluptatis nomine, corporis delectationem, ſive indolentiam potiſſimum intelligebant, ut plerique exiſtimaſſe videntur. Neque enim vel hodie deſunt, vel ſuperioribus ætatibus defuerunt, qui multo aliter eorum ſententiam interpretati ſint, eo nimi-

eo nimirum pacto, aut parum admodum diverſo, quo apud Ciceronem * Torquatus eam interpretatur. Nam ſi eo modo eorum ſententia explicetur, & intelligatur, non pauci vel ſunt, vel fuerunt, qui tantum abeſt, ut eam explodant, ut in eam pedibus (ut dicitur) omnino diſcedentes eant. Sed quomodocunque ea res ſe habeat, nihil ad me, ut dixi, an in eo Epicureorum opinio vera an falſa ſit. Quod autem ſolidas voluptates homo, licet mortalis, experiri poſſit, ut Epicurei ſine dubio diſerte affirmabant, propter quod ego eorum potiſſimum teſtimonio ad ratiocinationem meam confirmandam uſus ſum, nemo opinor, ſanæ mentis negavit. Sive enim voluptatem, de qua ipſi loquebantur, eam jucunditatem, quæ ſenſibus ſimul, non animo tantum, percipiatur, ut Ciceroni placet, interpreteris; quis negare poteſt eam in genere ſuo ſolidam, id eſt, non inanem, aut adumbratam, ſed plane veram in hac mortali vita reperiri? ſive ſimpliciter jucunditatem eſſe velis, ut & Græca vox ἡδονὴ & Latina *voluptas*, præſertim ſi earum originem ſpectes, omnino ſignificare videntur (quanquam Cicero † contra Epicureos diſputans, id prorſus negare videtur, ſed parum ſibi conſtans, qui alibi millies Voluptatem pro jucunditate ſimpliciter accipit) quis non inter Ethnicos modo, verum etiam inter eos, qui Dei cognitionem ex ipſius ſingulari aliqua patefactione habuerunt, atque adeo inter ipſos Chriſtianos eam hominis in hac vita non inanem, ſed veram contingere poſſe negare eſt auſus, dummodo, unde ea percipiatur, bene cognitum habeat? Atque, ut de Ethnicis primum loquamur, & quidem de iis, qui inter ipſos ſapientiſſimi, ut habiti ſunt, ſic etiam fuerunt, hoc eſt de Philoſophis, nonne major pars eorum, immo, ut arbitror, poſt Socratem omnes, felicitas hominis in hac vita quibus rebus contineretur, diligenter perquiſierunt, atque ea de re graviter inter ſe digladiati ſunt. At vero quid attinebat, felicitatem ſive ſummum bonum in hac vita quærere, ſi in ea nullam veram jucunditatem dari poſſe cenſuiſſent? Numquid felicitas ſine vera jucunditate eſſe poteſt? Qui vero Dei voluntatem agnoverunt, ſi eos, qui Chriſti tempora antegreſſi ſunt, ſpectare velimus, nemo opinor inficiabitur, eos veram aliquam jucunditatem in hac mortali vita reperiri exiſtimaſſe, cum omnium ſapientiſſimus Solomo Eccleſiaſtis librum non aliam ob cauſam ſcripſiſſe videatur, quam ut non ſolum jucunditatem, ſed felicitatem ipſam præſentis vitæ, (quibus videlicet in rebus poſita eſſet) doceret, & non in iis conſiſtere, in quibus plerique autumabant, manifeſte oſtenderet. Chriſtiani autem ipſi, etſi veram hominis felicitatem, & ſummum ejus bonum, in hac vita non dari plane agnoverunt; veram tamen aliquam jucunditatem filios Dei etiam in hoc mundo experiri, non modo non negarunt, ſed prorſus affirmarunt. Quid enim eſt illud Petri 1 Pet. 1. 8? *Exultatis gaudio ineffabili & glorioſo.* Poteſtne ineffabile gaudium à vera jucunditate ſejunctum eſſe? Quid illud ipſius Chriſti Mat. 5. 12: *Gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis*; qui in ipſis quoque calamitatibus nos lætos & hilares eſſe jubet, & beatos etiam propter ſpem futuræ immortalitatis eos qui Deo obediunt, ſæpiſſime pronunciare non dubitat. Quod etiam ab eodem Petro non ſemel repetitur 1 Pet. 3. 14 &c. Quid Pauli hac de re præclara dicta commemorem, qui & gloriari in calamitatibus, ac vexationibus Chriſtianos affirmat, & inter ſpiritus fructus, gaudium recenſet, & regnum Dei denique in hoc mundo nihil aliud eſſe, quam juſtitiam, pacem, & gaudium, in ſpiritu ſancto Rom. 14. 17? Pluribus afferendis in hanc eandem ſententiam divinis teſtimoniis ſuperſedeo. Sunt enim omnibus in promptu, & ratio ipſa aperte fateri cogit, ſicut animo vere Chriſtiano, id eſt bene ſibi conſcio, & beatitatis æternæ ſpe perfuſo nihil in hac vita felicius excogitari poteſt; ſic in eo veram aliquam jucunditatem, ſedem quodammodo poſuiſſe, & perpetuo habitare. Et hæc quidem, quod pertinet ad primum erratum tuum.

Quod vero ad alterum attinet, dico te ſolidæ voluptatis nomine in refutatione exempli Epicureorum a me allati, perfectam & omnibus numeris abſolutam voluptatem intellexiſſe: alioqui non dixiſſes, eam in humanis vix ſomniari poſſe. Verum cum de Adami ſolida voluptate agimus, non de perfecta ſimpliciter, ſed neque de perfecta aliquo modo (non enim eam habet vim epithetum *ſolida*) ſed de vera loquimur. Quod autem de abſolute perfecta loqui non poſſimus, tu ipſe ſatis confirmas, cum Adami felicitatem terreſtrem tantum, non autem cœleſtem fuiſſe concedis, & aperte fateris majora bona nos habituros in reſurrectione, quam habuerit Adamus in creatione. Nam quod nomen *ſolida*, ſtabilem quoque & permanentem ſignificare poteſt, quare hic de voluptate quæ perpetuo maneat, diſputari fortaſſe quis exiſtimare poſſet, id te non ſpectaſſe ex eo liquet, quod non ſatis tibi eſt, ut ſolidam omnem voluptatem mortalitate tolli demonſtres, aliquem morti obnoxium eſſe, niſi etiam ſe mortalem eſſe agnoverit. Deinde verbum illud, *Omnem*, te de vera, non autem de perpetuo permanente locutum fuiſſe, manifeſte indicat. Nullum enim verum genus voluptatis hominem, cui mors immineat, experiri poſſe dicere voluiſti? non autem, nullum perpetuo permanens. Nam neque ulla differentia eſſe poteſt inter unum & aliud genus voluptatis, quatenus in æternum permaneant, & omnes ſciunt, univerſas voluptates humanas æque, ac pariter morte deleri. Præterea, non mors imminens, ſed mors jam præſens voluptates perpetuo permanere non ſinit. Sed quid ego in re manifeſtiſſima amplius laboro, cum tute id negaturus non ſis? alioquin aliis reſponſionibus adverſus rationes meas profecto uſus fuiſſes. Quod ſi aliter te ſenſiſſe vel ſuſpicari quidem potuiſſem, putaſne me vel ad horæ momentum tibi daturum, primum hominem in ſede voluptatis conſtitutum fuiſſe? Quare ſi ſolidæ voluptatis appellatione nec perfectam, nec perpetuo permanentem voluptatem hoc loco intelligere debemus, ſed veram, non inanem, ſive adumbratam, aut etiam quatenus humana conditio fert, permanentem; jam conſtare poteſt, me Epicureorum exemplo quam appoſitiſſime fuiſſe uſum, qui, niſi veram aliquam voluptatem in hac vita, & ut hominis fert conditio etiam permanentem experti fuiſſent, nunquam ita deſipuiſſent, ut in voluptate ſummum bonum collocarent: oportet enim, qui ita loquatur, & tamen ſolidam voluptatem nullam experiatur, prorſus mente captum eſſe. Neque vero Epicureorum exemplum ideo uſurpare volui, quia aliorum Philoſophorum exempla deeſſent, qui non minus quam Epicurus, veram voluptatem in humanis dari, dum felicitatem in hac vita homini concedebant, non obſcure affirmabant, ut paullo ante oſtendimus; ſed quia, ut ſupra indicavimus, ipſo voluptatis vocabulo, ut ipſe Epicurus faciebat, non utebantur, nec de ea nominatim agebant, niſi quatenus in ipſa ſummum bonum contineri negabant. Quemadmodum etiam ad amplificationem rationis meæ, cum demonſtrare vellem, homines, qui non ſolum mortales eſſent, ſed ſe funditus extinctum iri crederent, ſolidas voluptates expertos fuiſſe, Epicureorum potius, quam aliorum exemplo ſum uſus, propterea, quia id illi diſerte, & palam profitebantur; alioquin non deerant aliorum Philoſophorum exempla, qui humanam in hac vita felicitatem aſſerentes, animorum interim ſingularium ſubſiſtentiam (quam vocant) & immortalitatem quamvis non ita publice & expreſſe, re ipſa tamen non minus, quam Epicurei negabant. Atque hoc ſi de ipſo Ariſtotele (ut cæteros præteream) omnium Philoſophorum, communi doctorum hominum calculo, acutiſſimo & perſpicaciſſimo judicato, credere nolumus: at de ipſius præcipuis & doctiſſimis interpretibus, qui ita eum quoque ſenſiſſe omnino cenſuerunt, & ipſi plane ſenſerunt, Alexandro & Themiſtio, à quorum altero, ni fallor, magnus ille Averroes aut parum, aut nihil hac in re diſſentit, id negari nullo pacto poteſt. Proinde quod conſtanter affirmas, mortem, omnem voluptatem, non modo

* Lib. 1. de Finibus. † Lib. 2. de Finibus.

ſolidam voluptatem Epicureis ademiſſe, quam tamen ipſi non metuendam eſſe fingerent, & iſtud inter alia commemoras, propter quæ deriſi ab omnibus & exploſi fuerunt, id a veritate quam longiſſime abeſt. Nam neque, ut jam probatum fuit, futura mors voluptatem vel omnem, vel ſolidam adimit, neque de morte, quod metuenda non eſſet, quamvis homo penitus interiturus fuiſſet, id eſt, morte animus quoque ipſius extinguendus foret, ipſi ſoli ſic ſentiebant; ſed multi præterea, inter quos maxime Stoici, quos imitatus Cicero, ut optime noſti, mortem omnino, animo licet poſt mortem non ſuperſtite, contemnendam eſſe, pluribus in locis, præſertim vero in Tuſculanis illis diſputationibus, aperte contendit. Et Ariſtoteles * ipſe qui mortem, rem maxime terribilem eſſe ait, idem tamen affirmat, ſi recte memini, mortem licet per ſe horribilem, a nobis non metui, quamvis certum ſit, nos eam ſubituros aliquando, quia tanquam res, quæ adhuc longe abſit, conſideretur. Quomodo igitur audes dicere, finxiſſe Epicureos mortem non eſſe metuendam, aut quomodo id inter alia ponis, propter quæ ab omnibus exſibilati fuerint? Quod ſi mors, teſte Ariſtotele, cum procul à nobis abeſſe creditur, non timetur; qui poteſt mors futura, niſi proxima ſit, & jam jam immineat, omnem ſolidam voluptatem adimere; Id quod tu ipſe vi veritatis victus quodammodo perſpiciens, non mortalitate ſeu futura morte ſed morte imminente, in argumento tuo dixiſti, omnem ſolidam voluptatem tolli. Qui loquendi modus, tibi ipſi forſitan interea, ut fere accidit, fucum fecit: nec videre potuiſti, quomodo is, cui mors immineat, voluptatem aliquam ſolidam experiri poſſit. Sed, ſi animadvertiſſes, mortem imminentem, in tuis verbis, non pro morte quæ jam vere in foribus adſit, ſed quæ vel adeſſe poſſit, vel certo aliquando adfutura ſit, accipi debere, nec verborum ſpecie deceptus fuiſſes, non ita profecto pronunciaſſes. Nam & verborum etiam quorundam meorum ſpecie, te hallucinatum fuiſſe arbitror (ut interim, quidquid ad te aliqua ex parte in graviſſima illa tua calumnia utcumque excuſandum dici poteſt, ego ipſe aperiam) ut me fortaſſe, quod Epicurei ſummum bonum in voluptate non poſuiſſent tantum, ſed inveniſſent quoque, affirmare crederes, cum ſcilicet de iis ita ſcripſi; *Ad quod ſummum bonum, & ſic ad ſolidam voluptatem plerique eorum, antequam è vita excederent, ſe perveniſſe affirmabant. Quod ſi hoc illis eveniebat*, &c. Ex quibus poſtremis verbis fieri poteſt, ut credideris me aſſerere, Epicureis eveniſſe, ut in voluptate ſummum bonum reperirent. Quod tamen ex illis verbis nequaquam colligi poteſt; ſed tantummodo ad ſolidam voluptatem, in qua ſummum bonum illi conſtituebant, eos perveniſſe; ut omnibus manifeſtiſſimum eſſe non dubito. Quanquam & hanc, & quamvis aliam excuſationem tibi evidenter eripiunt verba, quibus argumentationem meam explicare tentaſti; de quibus ſupra ſatis dictum eſt. Quare jam ad reliqua quæ in hoc capite examinanda adhuc reſtant accedamus.

Cum igitur ego dixiſſem, Adamum licet mortalem, ſe tamen mortalem eſſe, nemine indicante, vere agniturum non fuiſſe: rogas primum, qui ego id noverim, aut quomodo probem? Atque hic non aliter te geris, atque dum volebas me divino teſtimonio probare, regioni illi Eden nomen illud ab ipſo mundi exordio impoſitum non fuiſſe, id eſt, vis ut probem illud, quod communis ſenſus per ſe apertiſſime videt. Sed antequam rem ita ſe habere demonſtrem, non eſt prætermittendum, quod (ut jam ſæpius vidimus te facere conſueviſſe) cum meorum verborum ſententam recitas, aliquid omittis, hoc eſt retices adverbium *vere*, in quo tamen maxima vis poſita eſt. Vere autem non agniturum fuiſſe Adamum ſe mortalem eſſe, nemine indicante, ex eo perſpicuum eſt, quod nos ipſi de nobis id non niſi experientia ipſa, & rationibus propter experientiam animadverſis, noſſe potuimus. Nec mirum, Nam, ut dictum eſt à Philoſopho; nihil eſt in mente, ſive in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Oportebat igitur Adamum aliquid prius ſenſibus percipere, ex quo ad veram notitiam pervenire poſſet mortalitatis ſuæ. Id autem vel aliquo indicante, cui ipſe fidem haberet, vel experientia aliqua fieri neceſſe erat. Cauſas enim, ex quibus ejus mortalitas pendebat, eum alioqui, non dicam intellexiſſe, ſed intelligere potuiſſe, quis audeat affirmare, cum veriſimillimum ſit, eum ne ſciviſſe quidem, quod ex terra ſumptus eſſet, niſi poſtquam ab ipſo Deo illi patefactum fuit? Quis enim prius hoc illi indicaverat? nemine autem indicante, quomodo id ſcire potuerat, cum ſimulatque creatus eſt, terra amplius non eſſet, ſed aliud quid, quantum ſenſibus percipi poterat, à terra longe diverſiſſimum? Indicia vero, qualia ſunt, cibus, ſomnus, defatigatio, & cætera ejuſmodi, ſine experientia, per quam ad cauſarum eorum indiciorum, & proinde ad ipſorum quoque indiciorum cognitionem perventum eſt, illi penitus nota eſſe nullo modo poterant. Sed quis hac de re dubitare poteſt, cum vix ipſi nos, rationibus licet efficaciſſimis, perpetuaque & certiſſima experientia edocti (præſertim cum florente adhuc ætate ſumus, & recte valemus) moriendum nobis eſſe plane credamus, immo interdum, nos nunquam morituros eſſe, ſperare videamur? Siquidem à quibus abhorremus, ægre admodum futura omnino credimus: quæ vero percupimus, perfacile etiam ſperamus.

Sed ſi ad te hac in parte revincendum communis ſenſus non ſufficit, addantur præterea tui ipſius verba in ſexto capite, quibus dum ibi aliud inepte confirmare ſatagis, ea quæ hic dicis, apertiſſime confutaſti. Sic enim ſcribis: *Quodſi Adamus agnoſcebat cætera omnia immortalia Dei viventis & conditoris beneficio, ut nos adhuc ea cernimus, quare non ſibi perſuaſiſſet idem de ſe ipſo, dum vitabat illud unicum periculum mortis, quod oſtendit dominus ipſi imminere? quodnam indicium mortalitatis apparebat aut in cœlo, aut in terra, quo tantum vitium in homine ineſſe deſignaret, quo cæteras creaturas carere conſtabat? Quis poſſet mortem ſomniare inter tot res immortales conditas ab autore vitæ?* Quid obſecro poteram ego ipſe efficacius ad meam aſſertionem confirmandam, & ad te refellendum afferre, ſi eorum verborum loco, quibus tu immortalitatem ſuperioribus rebus creatis tribuis, verba, quæ nullum manifeſtum indicium mortalitatis in eis apparuiſſe, tantummodo ſignificarent, ubique ſubſtituiſſem? Sed videamus quid hoc loco deinde ſubjungas, ais enim. *Igitur novit naturam omnium beſtiarum & ſuæ conjugis; ſuam vero non norat?* Primum, quis tibi patefecit, Adamum noviſſe naturam omnium beſtiarum, & ſuæ conjugis? Ex ſcriptura ſane nihil aliud habes, niſi Deum addixiſſe ad Adamum cuncta animalia, ut illis nomina imponeret; Adamum vero illis nomina impoſuiſſe, qualia ſibi viſum eſt. Quod vero attinet ad ejus uxorem, legitur eum appellaſſe ipſam Chavam, quia mater eſſet omnium viventium; & prius dixiſſe, eam dicendam eſſe viraginem, quia de viro ſumpta eſſet. Num tibi videtur ex his colligi poſſe, Adamum cognoviſſe naturam omnium beſtiarum & ſuæ conjugis? Nonne ex nominibus conjugi impoſitis clare liquet, quatenus ea cognitio, quam nominum impoſitio arguit, progrederetur, nimirum ad ea, quæ qui libet, quantumvis ſtupidus cognoſcere potuiſſet? Putaſne beſtiarum nomina præſtantioris & re conditioris ſignificationis fuiſſe, quam vel conjugis nomina fuerint, vel nomen ipſius Adami, ſive ipſius hominis, qui propter terram unde ſumptus fuerat, ſic appellatus fuit? An potius eorum, quæ clare perſpicis exemplis edoctus jam vides, beſtiarum nomina non ad alia reſpexiſſe, quam ad ea quæ ſenſibus ſeſe prodebant, & unicuique manifeſta eſſe potuiſſent? Neque enim Deus ideo voluit ab Adamo animantia cuncta nominari, ut interior eorum natura patefieret, ſed ut is, vel cum ipſo Deo, vel cum conjuge loquens ea nominare & diſtinguere poſſet, & ut eo pacto in imperii poſſeſſionem, quod illi in ea dederat, ipſum quodammodo immitteret.

Quare,

* Lib. 3. Eth. Lib. 2. Rhet.

Quare, quibuſcumque nominibus ea appellaſſet, id ſatis erat ad Dei inſtitutum. Deinde mortalitas, licet naturalis, natura tamen rei proprie dici non poteſt: neque enim peculiaris quædam qualitas eſt in re, ſed conditio quædam ex qualitatibus aliarum quoque rerum communibus proveniens, quæ naturaliter proprias qualitates ejus rei perpetuo permanere non ſinit, & eas hac ratione tandem deſtruit; tantum abeſt, ut ipſa inter proprias qualitates numerari poſſit. Itaque Adamus ſuam naturam noſſe poterat, nec tamen ſe mortalem eſſe vere agnoſcere. At poſtremo addis, quodſi ille non norat, quî tu audes affirmare, quod ipſe non potuiſſet aſſerere? Illud audeo affirmare, non potiſſimum quidem, quia videam nos mori, ut tu meo nomine ſtatim reſpondes, ſed quia & divinis oraculis edoctus ſum ſic rem ſe habere, & innumeris prope iiſque manifeſtiſſimis non minus quam validiſſimis rationibus, quas experientia nos animadvertere compulit, id aperte evinci perſpicio, quæ omnia Adamo prorſus erant incognita. Nec tamen, etiamſi ad id ſolum, quod nos mori videam, confugerem, idcirco priorem hominis felicem ſtatum, cum poſteriore infelici confunderem, quod nunquam à me fit. Sed tibi onus imponerem omnino probandi, in ea priſtina hominis felicitate, immortalitatem comprehenſam fuiſſe cum ea nos carere conſtet. Non ſecus, atque ſi quis vellet affirmare primum hominem in occipitio non minus quam in fronte, oculos habuiſſe, aut alis uſum fuiſſe, quod hæc ad ipſius felicitatem pertinere poſſe crederentur, certe cum videamus, nos oculos in fronte tantum habere, alis autem carere, id illi omnino probandum eſſet. Nullam enim, ut ante dictum fuit, aliam felicitatem, quæ nos careamus Adamo obtigiſſe in priore illo ſtatu ſomniare debemus, præter eas, quæ in divinis literis, ex quibus hujuſce rei univerſam cognitionem hauſimus, aperte explicatæ ſunt, vel evidenti ſaltem ratione, ut hoc ſupra dictis addam, demonſtrari poſſunt. Id autem quam apte à te factum ſit, judicabunt omnes, qui haſce noſtras diſputationes unquam viſuri ſunt. Quod ut melius etiam cognoſci poſſit, iis, quæ vel in prioribus reſponſionibus meis, vel in hoc ſcripto, pro quarto hoc tuo argumento refellendo, hactenus à me dicta ſunt, unum adjungere libet, ex quo niſi te eum eſſe prodas, quem me eſſe, cæteris perſuadere ſtudes, plane intelligetur argumentationem tuam, te ipſo teſte, infirmiſſimam & vaniſſimam eſſe. Nam niſi negas, hominis animum poſt mortem immortalem permanere, & per ſe ſubſiſtere, quomodo aſſeris, ſi Adamus morti obnoxius fuiſſet, eum nullam ſolidam voluptatem experturum? Nunquid mors alia ratione ſolidas voluptates omnes alicui adimere poteſt, quam quia is penitus ſe aliquando ab ea extinctum iri credat? Verum quomodo Adamo iſtud contingere poterat, ſi ejus animus in æternum permanſurus erat, potior videlicet & præſtantior illius pars, quæ ſolidiſſimas & abſolutiſſimas voluptates capit atque experitur? Diceſne Adamum, ſi mortalis fuiſſet, corpore quidem ſe mortalem eſſe vere agniturum, animo autem immortalem minime? Ergo credis, Deum, qui tot beneficiis illum liberaliſſime affecerat, id quod maximum & præſtantiſſimum fuiſſet, ei quodammodo deinde erepturum, (ſiquidem ut in priore ſcripto diximus, beneficium immortalitatis, ſi quis immortalem ſe eſſe neſciat, propemodum interit) & ei quem alioqui, ut tibi quidem videtur, in voluptatis ſede conſtituiſſet, id denegaturum, ſine quo nulla ſolida voluptas percipi poſſit; id autem vel daturum, vel relicturum, quod omnem ſolidam voluptatem adimere valeat? Sed hæc hactenus. Nunc ad reliqua argumenta pertranſeamus.

CAPUT V.

IN ſuperioribus diſputationibus, præſertim vero ad finem præfationis demonſtratum eſt, de eo præcipue nos controverſari, utrum primus homo, antequam laberetur, ſuapte natura immortalis eſſet, necne. Te autem omnino ſentire, primum hominem ante lapſum natura immortalem fuiſſe, non autem aliquo Dei beneficio, quo poſtquam creatus fuerat, conſervari neceſſe haberet, cum ex aliis, quorum ſupra mentionem fecimus, tum ex ipſa propoſitione & explicatione ſententiæ tuæ, quam manu tua deſcriptam mihi tradidiſti, prorſus manifeſtum eſt. Sic enim ſcribis. *Mea ſententia igitur eſt. Deum immortalem creaſſe primum omnia immortalia, præſertim hominem, cum condidit eum ad ſuam imaginem.* An aliud adhuc certius aut evidentius teſtimonium me ejus rei proferre vis? Quid enim aliud eſt creatum fuiſſe immortalem, quam naturam immortalem in ipſa creatione adeptum fuiſſe, & ita ſuapte natura immortalem eſſe? Quare fruſtra, ut argumenti tui contra teipſum vim maximam & evidentiſſimam aliquo modo effugias, ad finem hujus capitis ea verba ſcribis: *Quodſi darem quoque, hominem mortalem uſum fuiſſe cibo illo immortali, manet ſemper robur mei argumenti, quod aſſerit eum ante lapſum fuiſſe immortalem, ſive id beneficio cibi, ſive alia cauſa contingeret.* Itane vero? quem in poſitione tua affirmas immortalem fuiſſe creatum, eum putas te poſſe concedere mortalem fuiſſe; & argumenti tui robur adhuc manere, cum tamen robur cujuſcumque argumenti in eo conſiſtat, ut probet id, quod probandum propoſitum eſt? Quid autem ad me, ſi verum eſt quod continet argumentatio tua; modo id, quod probandum ſuſcepiſti, non confirmet? confirmet autem? immo vero funditus evertat. Quid quod ipſa tua verba ſatis oſtendunt, id verum non eſſe quod aſſerit argumentum tuum, ſi primum hominem mortalem fuiſſe concedas. Aſſerit enim argumentum tuum, ut tu ipſe fateris, Hominem ante lapſum fuiſſe immortalem. Sī mortalis fuiſſet, quomodo immortalis fuiſſe diceretur? Sed inquis, ut video, mortalis quidem poterat eſſe natura, ſed beneficio illius cibi immortalis erat. At ego dico, ſi mortalis erat natura, nec beneficio cibi illius, neque cujuſvis alterius rei, quæ eum etiam in ſempiternum in vita eſſet conſervatura, immortalis eſſe poterat. Longe enim aliud eſt, *immortalem eſſe*, & *ſibi proſpectum fuiſſe, ut vita in æternum propagetur.* Immo fieri non poteſt, ut aliquid immortale ſit, & ſimul ejus vitæ perpetuæ conſervationi proſpiciatur. Quo fit, ut in quæſtione noſtra proponenda, ne verba quidem illa *ſuapte natura*, aut ſimilia addere ſit neceſſe, vel creationis aliquam mentionem facere; ſed ſatis ſit eam hoc pacto propoſuiſſe: *Utrum primus homo, antequam delinqueret, immortalis eſſet, nec ne.* Ut autem omnis vel dubitandi vel tergiverſandi occaſio præripiatur, recte eſt, ut eo modo, quo jam dictum fuit, & ſententiam tuam explicaſti, quæſtio noſtra proponatur. Præterea, cum tu non hominem ſolum, ſed beſtias quoque & omnia quæ à Deo creata fuere, immortalia ante hominis delictum fuiſſe, eodem verborum contextu affirmes, an non manifeſtum eſt, te naturalem immortalitatem intelligere, non autem eam, quæ externa aliqua ope comparetur? Nam cujus rei externæ ope, obſecro, beſtiæ in æternum conſervandæ erant? Nunquid & ipſæ ex arbore vitæ comedere debebant? An non idcirco, eas immortales fuiſſe dicis, quod in ipſa creatione immortalem naturam adeptæ eſſent? Rectiſſime igitur reſponſum per me fuit ad argumentum tuum, dum ex eo ipſo, ex quo tu primi hominis immortalitatem demonſtrari poſſe exiſtimabas, eum natura immortalem non fuiſſe, probari planum feci. Nam ſi homo vitam ſuam cibi illius virtute perpetuabat, certe homo immortalis natura non erat; quod mihi concedere non potes, quin ſimul mihi des manus: nam hoc illud eſt, quod ego in hac diſceptatione noſtra affirmo, tu autem negas; & de hoc potiſſimum diſputamus. Sed jam ea diligentius conſideremus, quæ, hoc minime conceſſo, adverſus reſponſionem meam adferri poſſe exiſtimaſti. Et primum videamus, quibus verbis reſponſionem meam exponas. Ais igitur: *Quid reſpondet Fauſtus? hoc potius arguere contrarium: nam ſi immortalis fuiſſet, non egebat cibo immortali,*

tali, qui vitam perpetuaret. Et illico ſubjungis, *At, bone vir, immortalibus immortalia conveniunt*, &c. Sed cur, Franciſce, me id dicentem facis, quod nunquam dixi, & ex eo reſponſionem tuam nectis? Inſpice verba mea, & vide num ibi reperire poſſis, cibum illum immortalem fuiſſe. Crediſne me tui ſimilem eſſe, qui, cum de aliqua re exacte diſputatur, & veritas diligentiſſime inquiritur, utar non figuratis tantum, ſed à communi loquendi & ſcribendi uſu penitus abhorrentibus, & plane poëticis loquendi modis, quibus veritas obſcuretur? Sed poſſet tamen iſtud tibi condonari, ſi, ut figurata verba ſunt, & tanquam figurata à te ipſo fortaſſe primum prolata fuerunt, ita perpetuo ea figurate, non autem proprie deinde acciperes, nec ea ratione imprudens tibi ipſi decipulas tenderes. Non enim dubito, quin, cum ab initio ſcripſiſti, hominem in paradiſo uſum fuiſſe cibo immortali, metonymice pro cibo, qui immortalitatem conciliaret, cibum immortalem dixeris; non autem cibum, qui ipſe vere immortalis eſſet; ut poſtea te ipſum tuis figuratis locutionibus decipiens, verbum illud interpretatus es. Quod ſi tu, quæcumquæ ſit ejus rei cauſa, affirmare non dubitas, cibum illum vere immortalem fuiſſe; at me idem dicentem non facias, quod prorſus falſum eſſe apparet. Quomodo enim immortale illud vere eſſe poteſt, quod propriam formam amittit, & aliam ſuſcipit, quæ nec ipſa perdurat; ut cuncis omnibus neceſſe eſt accidere, quemadmodum ſupra abunde oſtenſum eſt? Quamvis enim arbor illa vitalis, ſeu potius ejus fructus eam vim conſervandæ vitæ haberet, qua cæteræ eſcæ à Deo Adamo conceſſæ deſtituebantur; fieri tamen non poterat, quin ſubſtantia ipſius in Adami ſubſtantiam, non minus quam aliorum, converteretur, quæ etiam non permaneret, ſed ſenſim abſumeretur, & in ejus locum interea novo cibo generata alia ſubſtitueretur. Diſſolvitur igitur univerſa ratiocinatio illa tua *Immortalibus immortalia conveniunt*. Nam neque is cibus vere immortalis erat, neque id ego unquam vel cogitare quidem potui, nedum tibi id ipſum aliquomodo conceſſerim; cum ex verbis meis, ne figurate quidem poſſe id dici, colligi revera poſſit. Nam quamvis in reſponſione mea dixerim, ejus arboris eam vim fuiſſe, ut comedentis ex ea vitam perpetuaret; primum animadvertendum eſt, me idcirco illud eo loco dixiſſe, non quod rem ſic ſe habere ſtatuerem, ſed ut ex eo ipſo, quod tu ad ſententiam tuam probandam attuleras, meam confirmari oſtenderem, tuam autem convelli: quod inter diſputandum frequentiſſime fieri conſuevit, ne verbo quidem adhibito, unde aperte conſtare poſſit, num id, quod conceditur, verum eſſe credatur, an ſecus. Quid enim ea re opus eſt, cum ſatis ſit ad adverſarium revincendum, ipſum ita affirmare? Deinde, quo ſenſu ea verba à me dicta fuerint, ſi id quod continent, non tantum pro conceſſo ponere, ſed ego ipſe affirmare omnino dicar, ex iis liquet, quæ in reſponſione mea ad tuum octavum argumentum hac eadem de rediſputans, & ejus quod hic dixeram, mentionem faciens, multo clarius ſcripſi: nempe, arbori illi eam vim à Deo fuiſſe inditam, ut hominis ex ea comedentis vitam mirifice conſervaret; non autem ut immortalitatem illi conciliaret. Tametſi enim & hic & ibi verbo *perpetuandi* (quanquam hic inuſitata quadam, ut vereor, ratione) uſus ſum, quod tamen apud probatos auctores, non in æternum ſive in perpetuum producere, ſed continuare ſimpliciter, plerumque ſignificat; quo ſenſu tu ipſe eo uſus es, ad finem capitis ſeq. in illis verbis, *ne perpetuet in æternum dies ſuos)* in ea ſignificatione ſum uſus, in qua verbum *in æternum* ſive *in ſæculum*, ſæpiſſime in Sacris Literis uſurpatur, & in quem ſenſum omnino ea in eo loco accipi debere exiſtimo, ubi Deus ita fatur Gen. 3. 22: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Nunc ergo, ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum* ſive *in ſæculum*, (cujus loci ſententiam in ea reſponſione ad 8 argumentum, hac ipſa de re agens, attuli, atque ex parte expoſui) ut ſcilicet, *perpetuare vitam* nihil aliud ſit, quam ad illud uſque tempus vitam conſervare, ad quod homo mortalis vivere potis eſt. Verbum enim *olam* quo utitur ibi Moſes, perpetuitatem quidem temporis ſimpliciter per ſe ſignificat, adeo ut ſit idem *le olam* ac ſi dicas *ſemper* ſive *in perpetuum*: ea tamen perpetuitas temporis, ſive præteriti ſive futuri, ſecundum naturam ejus rei, de qua ſermo eſt, æſtimari debet. Exemplum perpetuitatis præteriti temporis ſit illud apud Hieremiam Hier. 2. ℣. 20: *A ſeculo confregi jugum tuum, rupi vincula tua, &c. A ſeculo* dixit, cum tamen id multis ſeculis poſt mundi creationem fieri cœpiſſet: nimirum, quia ab ipſo initio populi Iſraëlitici, quem ſibi in populum peculiarem delegerat, de quo eo in loco loquitur Deus, id factum fuerat. Semper enim poſtquam populus ille extiterat, Deo rebellis & contumax fuerat. Itaque ut vides, perpetuitas quidem eo verbo ſignificatur, ſed ſecundum naturam rei, de qua agitur: ſi quis vellet inde colligere, populum Iſraëliticum, etiam ante Jacobum Deo contumacem fuiſſe, an non plane deridendus eſſet, cum ante illum virum is populus non extaret? Futuri temporis exemplum erit id, quod ſcriptum eſt de ſervo Hebræo Exod. 21. 6, qui ſi noluerit ſeptimo anno liber egredi, tenetur cogitur ſervire *le olam*, id eſt *in perpetuum*. Et tamen non ſolum ipſius morte, ſed etiam propter annum jubilei, ut plerique exiſtimant, & intelligi poteſt ex cap. 21. Levit. ejus ſervitus finiebatur, nempe quia rei natura ita ferebat, neque enim is vel poſt mortem, vel poſt jubileum ſervire poterat, nec unquam abſoluta perpetuitas ſive æternitas, eo verbo aut alio ſimili ſignificatur, niſi cum rei ipſius natura, de qua ſermo eſt, non repugnat. Cum igitur ſine controverſia Adamus poſt peccatum mortalis eſſet, victurum eum fuiſſe in æternum, ſi fructu arboris vitæ veſci potuiſſet, nihil aliud eſt, quam victurum ad ultimum utique diem, ad quem mortalis hominis natura pervenire poterat. Videmus autem, humanis quoque medicamentis & victus ratione fieri poſſe, ut homo vitam ſuam ultra quoſdam terminos, aliis quodammodo, qui conſueta victus ratione utuntur, nec ea medicamenta adhibent, conſtitutos proferre poſſit. Quanto magis credendum eſt, arborem illam divinam ea vi præditam fuiſſe, ut hominis vitam, ut diximus, mirifice conſervaret, adeo ut ad extremum temporis punctum, ad quod pertingere poterat, illam perduceret? Mitto, quod viri Hebraicæ linguæ peritiſſimi, inter quos eſt Sanctes Pagninus, dicunt, *Olam* interdum longum tempus ſive multum tempus ſignificare. De qua tamen re ego non parum dubito. Videntur enim viri illi non animadvertiſſe, id quod longum tempus ipſi nominant, eſſe perpetuum, ejus rei, de qua agitur, natura inſpecta; & in omnibus linguis uſu receptum fuiſſe, ut ea vox, quæ perpetuum ſive æternum ſignificet, eo ſenſu proprie uſurpetur. Fateor equidem, κατ' ὑπερβολὴν aut per alios in ea voce uſitatos tropos *olam* non minus quam aliarum linguarum voces, quæ ei reſpondent, longum tempus ſimpliciter, nullius perpetuitatis ratiore habita, declarare poſſe; ut in illis Pſal. 21. 5, verbis: *Dediſti ei longitudinem dierum Olam & ultra.* Quamvis enim de Chriſto id proprie dictum fuerit; de Davide tamen, cui tanquam ipſius Chriſti typo, & de quo ea omnia dicuntur, aliqua ratione verba convenire debent, ὑπερβολικῶς, pro admodum longa vita dictum fuiſſe neceſſe eſt. Verum cum de verbi alicujus ſignificatione quæſtio eſt, troporum in ipſo verbo non uſitatorum non eſt habenda ratio; quamvis, cum ad locum ventum fuerit, ubi tropum verbo ſubeſſe credimus, id evidenti ratione probatum evincere, atque ab omni uſitata verbi ſignificatione, ſi ita neceſſitas poſtulet, recedere poſſimus. Propria ergo verbi *Olam* ſignificatione etiam retenta, dico vere Adamum, ipſius natura inſpecta, in æternum, ſive in ſæculum victurum fuiſſe, ſi quantum maxime vivere poterat, vixiſſet. Qui autem in æternum ita vivunt, ut nunquam mori poſſint, ii aut

natura

natura immortales ſunt, ut angeli; aut certe fiunt, ut nobis eveniet; quemadmodum Paulus aperte docet, 1 Cor. 15. Neque vero credendum eſt, arborem illam ea vi præditam fuiſſe, ut hominis, qui ex ea comediſſet, vitam ita perpetuaret (liceat enim nobis in hac diſputatione hoc verbum ad hunc modum uſurpare) ut is mori poſtea nunquam poſſet, ſed immortalis fieret: nam vel ſemel ex ea comedere ſatis fuiſſet, vel perpetim nullo puncto temporis intermiſſo ejus fructu veſci oportuiſſet, ut paulo poſt demonſtrabitur. Neutrum autem verum eſt: nam & Adamus profecto aliud facere etiam potuiſſet, aliiſque cibis veſci, & nihilominus virtute illius arboris abſolute perfrui; &, ſi ſemel ex ea comedere ſatis fuiſſet, non conſita eſſet in eo horto, & homini una cum cæteris arboribus, præter arborem ſcientiæ boni & mali, in cibum libere conceſſa: Deus enim, ut in prioribus reſponſionibus dictum eſt, nihil fruſtra facit. Hinc factum eſt, ut aliqui doctiſſimi * viri qui eam arboris illius vim fuiſſe omnino credebant, ut hominem ex ea comedentem immortalem efficeret, dixerint eam homini datam ab initio fuiſſe, ut eſſet in ſignum poſtea, ut ſiquidem homo obediens inventus fuiſſet, potuiſſet comedere de arbore vitæ, & ſic divino munere immortalis fieri. Quibus ego in hoc non aſſentior: conſtat enim apertiſſime ex ipſa hiſtoria, potuiſſe Adamum, ante peccatum, comedere ex fructu illius arboris; quæ cum ante hominis lapſum arbor vitæ appelletur, non eſt credendum, minore virtute eam ante quam poſt fuiſſe præditam. Quodſi tum demum eam vim immortalitatis conferendæ adipiſci debebat, cum dandus erat homini comedendus ejus fructus, propter obedientiam: quid periculi erat, ne, ſi potuiſſet Adamus qui non obedierat, comedere, ut antea, de arbore illa, is in æternum viveret. Perſpicuum eſt igitur, arbori illi ab ipſo initio eam vim perpetuandæ vitæ inſitam naturaliter fuiſſe, ex qua cum per temporis intervalla comedere is deberet, qui ipſius facultate perfrui voluiſſet, ſatis intelligi poteſt, ejus vim fuiſſe non immortalem efficiendi, ſed maxime diuturnam vitam dandi: ſi enim immortalem effeciſſet, nonne ſemel ejus fructus comeſtus id præſtitiſſet? Quodſi immortalitas ipſo comedendi actu perpetuabatur, ſeu potius, ut rectius loquar, ipſa perpetua & indefinenti comeſtione comparabatur; & ſimul atque is qui ex ea arbore comedebat, comedendi finem feciſſet, mortalitas ſuccedebat; certe non per temporis intervalla, ſed ſine ulla intermiſſione comedendum ex ea ſemper fuiſſet. Etenim ſi quis dicat, immortalitatem quam eſus illius cibi comparabat, ad tempus quoddam duraſſe, poſt quod tempus iterum ex ea arbore ad inſtaurandam immortalitatem comedere opus eſſet, jam iſthæc immortalitas nullo pacto dici poteſt. Qui enim poteſt fieri, ut immortalitas ad tempus duret? quid magis ſecum pugnans excogitare, nedum dicere aliquis poteſt? Præterea, ſi ad tempus tantum ea immortalitas perdurare potuiſſet, neceſſe fuiſſet tempus illud certum & præſtitutum eſſe, aut ſenſurum hominem, cum jam ipſa immortalitas deficere inciperet, & inſtauratione indigere: alioqui periculum fuiſſet, ne homo incogitans ſtatim mortalis ex immortali evaderet; quæ omnia abſurdiſſima eſſe, nemo, opinor, inficiari audebit. Quamobrem non injuria omnino ſtatuendum arbitror, *in æternum*, ſive *in ſeculum* in verbis illis Dei, quæ ſupra recitavimus, ut in aliis multis locis divinæ ſcripturæ, non omnino in ſempiternum ſignificare, ſed integrum prorſus tempus deſignare, quod potuiſſet homo vivere; ad quod, contra quam Deus ſtatuerat, vitam ſuam profecto perduxiſſet, ſi jam vim illius arboris edoctus, ad eam pro arbitrio manum porrigere potuiſſet, & ex ea quantum voluiſſet, comedere, ac frequenter ea pro cibo uti, id quod ante lapſum, cum ejus vim, aut certe, quanti vis illa æſtimanda eſſet, ignoraret, non fecerat. Quodſi quis dicat, arborem illam vitalem non potuiſſe quidem hominem natura immortalem efficere, ſed eam tamen vim habuiſſe, ut is qui ex ea identidem comediſſet, nunquam mortuus fuiſſet; & idcirco figurate dici poſſe cibum illum immortalem fuiſſe, cum ex ipſo ſubinde comedentem a morte in æternum conſervaturus eſſet; atque hac eadem ratione contendat, non neceſſe eſſe verba illa *in æternum*, ſive *in ſeculum* in divino illo teſtimonio aliter quam vulgo recepta interpretatione explanare: reſpondeo, ſatis jam à me demonſtratum fuiſſe, non eum immortalem vere dici poſſe, qui quoquo modo ſemper ſit victurus, ſed eum tantummodo, qui natura immortalis ſit, & non aliena externa ope, ſed propria & interiore vi nunquam ſit moriturus: nec tropum tropo cumulare decet, ita ſcilicet, ut primum cibus ille immortalis appelletur, non quia ipſe immortalis, ſed quia immortales efficiat, qui ex eo comederint; deinde etiam comedentes illum dicantur fieri immortales, non quia vere immortales unquam evadant, ſed quia, ſi illius eſum continuaverint, novas vires ſubinde ſibi comparabunt, quibus à morte immunes eſſe queant. Multa autem conſulto prætereo, quæ dici à me poſſent, ut planum fieret, cibo illi non ſolum vere immortalem comedentem efficiendi, ſed etiam vim illam in vita in æternum conſervandi, nullo modo datam fuiſſe. Satis enim in præſentia fuerit, id ex teſtimonio illo Sacrarum Literarum, ex quo ſolo ea opinio confirmari poſſe videtur, colligi non debere, manifeſtum facere. Itaque adhuc conſtanter affirmo, verba illa *in æternum*, ſive *in ſeculum*, non vulgata interpretatione, ſed ea, quam nos attulimus, omnino explicanda eſſe. Neque enim tanta celeritate ac diligentia in adhibenda arbori illi ſeu viæ, quæ ad arborem ducebat, cœleſti cuſtodia opus fuiſſet, ſi id cavere voluiſſet Deus, ne Adamus unquam moreretur. Si enim, ut jam probatum eſt, & mihi in hac diſputatione conceditur, arbor illa vere immortalem efficere comedentem non poterat, ſatis erat aliquando id facere. Nam deficiente cibo illo, moriendum illi tandem fuiſſet. Cum igitur ita diligens fuerit Deus in cuſtodia illa ponenda, ſtatuendum eſt, non id quidem voluiſſe eum cavere, ne Adamus unquam moreretur, ſed ne ad multo longius tempus, quam ipſum vivere volebat, vitam ſuam illius cibi beneficio perduceret. Quod certo accidiſſet, ſi ei facultas ad cibum illum manum porrigendi erepta non fuiſſet; quemadmodum à nobis aperte explicatum eſt. Ex iis, quæ hactenus de vi arboris illius in vita conferenda diſſeruimus, agnoſcere jam potes, toto cœlo erraſſe te, quod putaveris inter nos convenire, cibum illum immortalem fuiſſe, cum ego nulla prorſus ratione immortalem dici poſſe, & modo ſentiam, & ſemper me ſenſiſſe oſtenderim. Ex quibus etiam perſpicuum eſt, quid ſibi velint illa mea verba, arborem illam eam vim habuiſſe, ut comedentis ex ea vitam perpetuaret: ſi modo tanquam ex mea ipſius ſententia prolata accipi debent, & ne ſuſpicionem quidem repugnantiæ alicujus eſſe poſſe inter ipſa, & illa, quæ in præfatione ejuſdem prioris ſcripti dixeram; Adamum ſcilicet in ipſa creatione à Deo ea gratia donatum non fuiſſe, ut à morte perpetuo immunis eſſe poſſet, etiamſi utraque (quod tamen manifeſto falſum eſt,) idem tempus reſpicerent. Longe enim aliud eſt, ut demonſtratum fuit, poſſe perpetuare vitam ſuam, & à morte perpetuo immunem eſſe poſſe: quo beneficio nunquam Adamus donatus fuiſſe propter eſum cibi illius ſibi permiſſum, dici poteſt, quamvis cibo illi ſubinde comeſto vim à morte in perpetuum conſervandi inſitam fuiſſe diceremus; cum ejuſmodi vis ei patefacta nunquam fuerit, niſi poſtquam illius comedendi facultate privatus fuit. Atque hæc omnia à me ideo dicta ſunt, ut, ſi fieri poſſit, aliquando tandem, quantum & in meis, ut putas, confutandis & in tuis confirmandis fallaris, tute agnoſcere incipias. Nam alioqui, ut aliis id perſuaderem, tot congerere opus non fuerat, præſertim vero, ut de cibo illo conſtaret, immortalis necne fuerit, aut appellari debeat. Detur enim tibi immortalem fuiſſe; quomodo ſolvis argumentum meum, fruſtra illi cibo, à Deo vim perpetuandæ vitæ fuiſſe datam, ſi

* Occolampadius, &c.

Adamus

Adamus jam ab ipſa creatione immortalis erat? Neque enim eſt quod dicas: *Immortalibus immortalia conveniunt:* namque poterat cibus ille immortalis eſſe, nec tamen comedentis vitam perpetuandi facultatem habere. Apparet hoc ex eo, quod cæteri cibi Adamo conceſſi ea facultate carebant: ea enim ſola arbor, de qua agimus, inter innumerabiles alias in eo horto conſitas, arbor vitæ eſt appellata; & cum cautum eſt, ne Adamus perpetuare vitam ſuam poſſet, ei ſoli cuſtodia poſita fuit: & tamen, niſi velis hominem immortalem mortalibus cibis uſum fuiſſe, quod & ſententiæ illi tuæ: *immortalibus immortalia conveniunt*, & iis, quæ vel tacite vel aperte, & hic & alibi ſcribis, & denique rationi ipſi manifeſte adverſatur. Profecto ſi primum hominem natura immortalem dicis, cæteros quoque cibos Adamo à Deo datos immortales fuiſſe, affirmandum tibi omnino eſt. Quod enim ſcribis, Deum illi dediſſe cibum præſtantiſſimum, & ejus naturæ convenientem, cum illi ejus arboris uſum conceſſit; maximam fallaciam in ſe continet: quaſi vero Deus illi eum ſolum dediſſet cibum: ex quo, cum ejus vim ignoraret, non plus, quam ex cæteris ſingulis comediſſe ipſum veriſimile eſt; ita ut, cum unica eſſet arbor illa inter alias permultas, & reliquas ſtirpes atque herbas, quibus ille in cibis uti poterat, minima pars cibi, quo Adamus utebatur, ex ea arbore deſumpta fuerit, neceſſe ſit. Itaque non eſt ſolutum argumentum meum, quod cibum illum, non immortalitatem quidem ipſum habuiſſe, ſed vitæ perpetuitatem comedenti contuliſſe, ſupervacaneum, eamque ob cauſam Deo indigniſſimum, qui ita ſtatuerit, fuiſſe demonſtrat. Si Adamus jam ſuapte natura immortalis ipſius Dei beneficio erat, ſive perpetuitatem illam vitæ, maximam longitudinem dierum, ſive à morte perpetuam & ſempiternam conſervationem, ſive etiam ipſammet immortalitatem interpreteris, cur igitur tantopere laboras, ut probes, ſi cibus ipſe immortalis fuit, hominem quoque immortalem fuiſſe oportere; cum iſtud ad argumentationem meam nihil prorſus pertineat? Sed quid dicam, cum id tute ſentiens, fruſtra & intempeſtive admodum ex verbis meis in 8. cap. evincere velis, poſſe eum qui immortalis ſit, incorruptibilibus rebus refici? quaſi ego, incorruptibilem fuiſſe cibum arboris illius vitalis, unquam vel obſcure quidem indicaverim; immo ibidem aperte non dixerim, eſcas eſſe res corruptibiles; de eſcis verba faciens, quibus Adamus ante delictum veſcebatur. Ea autem verba mea cum attente lego & conſidero, veritati quidem adſtipulari, tibi vero plene refragari intelligo. In eis enim diſerte primum affirmavi, eum qui immortalis ſit, refectione aliqua indigere non poſſe. Nam ſenſus ipſe communis, id unumquemque apertiſſime docet. Verum, ut tibi, ſicut ubique facere ſtudeo, omnes effugiendi vias præcluderem, ſtatim addidi: *Aut ſaltem non corruptibilibus rebus, quales ſunt eſcæ, reficitur; ſed incorruptibilibus, & ipſius naturæ accommodatis:* non quod id fieri poſſe dicerem, ſed, ſi fieret, eo nihilo magis te adjuvari oſtenderem, quam ſi nullo penitus modo fieri poſſet; atque interea iis etiam ſatisfacerem, ſi qui ſunt, qui ſubtili fortaſſe quadam ratione, eos qui natura immortales & incorruptibiles ſunt, immortali atque incorruptibili Dei gratia jugiter refici omnino contendant; cum alioqui, ea deficiente, ipſi ſenſim non minus quam ii, qui mortales ſunt, ſi ipſos ciborum refectio deficiat, deficerent atque interirent. Quod tamen à veritate, ni fallor, mirum in modum abeſt. Ii enim qui natura immortales & incorruptibiles ſunt, ſemel tantum, hoc eſt, cum vitæ ſempiternæ beneficium à Deo acceperunt, eam ab ipſo gratiam ſunt conſecuti, cujus vi non indeſinenter quidem reficiuntur, ſed in eodem ipſo ſtatu perpetuo perdurant. Sic enim conditi ſunt, ut nunquam illis, ne per minimum quidem temporis punctum, aliquid decedere queat. Atque ea gratia nihil eſt amplius ab ipſis, niſi vix cogitatione quadam ſeparatum; ut in iiſdem ipſis eſt donum intelligendi, & ratiocinandi, quibus ablatis non amplius ii eſſent, qui prius erant. Sed hac eadem de re iterum in 8. cap. differendum erit, ubi etiam de eo, quod dicis de voluptate & ſobolis propagatione, quarum cauſa primus homo, licet immortalis, comedere deberet, accurate diſputabimus. Nihil autem dico, quod, ſi verba tua ſpectentur, non vis ex illis verbis meis aperte colligi, immortales qui natura ſunt, eoſdem poſſe immortalibus rebus refici; ſed Deum dediſſe Adamo cibum præſtantiſſimum & naturæ ejus convenientem: id enim me tam diſertis verbis fateri agis, ut nolis alio teſtimonio, quam meo me urgere, & illico mea verba refers. Quod quam diſerte non minus quam αὐτοσχεδίως, ut dicitur, à te expreſſum & dictum ſit, adeo ut id, quod dicere voluiſti, potius quam id quod dixiſti, mihi ſpectandum fuerit, tibi ipſi judicandum relinquo. Relege quæ ipſe ſcripſiſti, & me vera dicere non diffiteberis. Sed jam ad ſextum caput examinandum accedamus.

CAPUT VI.

VIde quam ſis iracundus: id tibi ſtomachum fecit, quod te tui erroris admonere debebat, & ob eam rem mitem atque placabilem in hac diſputatione reddere. Num te idcirco injuria affeci, quod inter diſceptandum dixerim, te ex Moſis verbis id elicere velle, quod elici poſſe, is ne ſomniare quidem potuit? Quis ita modeſtus eſt, ut & hæc, & multo graviora de eo, à quo diſſentiat, & quem abſurdiſſima dicere credat, non loquatur & ſcribat; præſertim ſi rem ita ſe habere, maxime probabile unicuique videri poſſit? Quod certe hic accidit. Neminem enim, qui aliqua in exiſtimatione ſit, vel eſſe vel fuiſſe arbitror, qui ex Moſis verbis, ut tu omnino fieri debere exiſtimas, colligi poſſe putet, omnes res creatas in ipſa creatione à Deo immortalitate donatas fuiſſe. Quid ſi minimum ex probris, quibus me ſubinde in tuo hoc ſcripto laceras, in te jeciſſem, quos tumultus, quas tragœdias excitaſſes? cum leviter & urbane morſus & caſtigatus, ita æſtuas. Sed operæprecium eſt videre, quid adverſus univerſam ratiocinationem meam attuleris. Dixeram in initio reſponſionis meæ, mihi multo frigidius videri, cum omnes res creatæ intereant, comminiſci eas ante lapſum primi hominis fuiſſe immortales, quam putare eas fuiſſe mortales; quamvis Moſes, ipſarum mortis, id eſt, mortalitatis (ſic enim tibi eſt loquendi uſus) nullam mentionem faciat. Hic tu me impudentiæ & temeritatis acriter accuſas, qui omnes res creatas interire affirmare auſim; & interea non vides, quid omnium rerum creatarum nomine me intelligere eo loco voluiſſe neceſſe ſit. Nec, quid mihi voluerim, cum eas interire affirmo, quamvis id luce ipſa clarius ſit, perſpicere pores. Ex ipſa autem ratiocinatione mea manifeſtum eſt, me nihil aliud dicere voluiſſe, quam, cum videamus omnes res ſub cœlo creatas interire, frigidiſſimum eſſe comminiſci, eas ab initio immortales fuiſſe; quamvis Moſes, dum earum creationem exponit, ipſarum mortalitatis non meminerit. Quid quod in reſponſionis calce me ipſum, dum argumentationem tuam accuratius refello, adhuc melius explicans, ita ſcribo? *Cur autem Moſes id de rerum creatione agens explicuiſſet, quod ad creationem non pertinet, & quod unuſquiſque per ſe nimio plus videt, morti ſcilicet omnes res ſub cœlo creatas ſubjectas eſſe; cum tamen multa, &c.* Ut igitur ad rationem meam concludendam neceſſe erat, verbum, *Intereant*, ejuſmodi interitum ſignificare, de quo unicuique aperte conſtet: ſic nomen *Omnes*, non de univerſis penitus rebus creatis ſermonem eſſe indicabat, ſed de iis omnibus, de quibus inter nos vel præcipua vel aliqua ſaltem diſputatio eſt, hoc eſt, de terreſtribus ſive inferioribus rebus, quas omnes interire videmus. Quocirca etiam ſine aperta mentis meæ explicatione illa, quam poſtmodum adjeci, nemo, niſi qui potius verba mea quoquo modo carpere, quam ipſorum ſententiam jure reprehendere anxie laboret, mihi objicere poteſt, quod cœlum, ſidera, lucem, ſolem, lunam,

lunam, interire dixerim: & multo minus angelos, & animas noſtras; cum de angelis nihil aperte in rerum creatione explicanda dicat Moſes, animæ vero in hac vita nunquam per ſe conſiderentur; ſed tanquam pars hominis, de cujus mortalitate & immortalitate diſputatur: ita ut cum de rebus creatis à Moſe deſcriptis agitur, in hoc numero non hominis anima per ſe ullo modo, ſed ipſe homo omnino cenſendus ſit. Te autem, cum nihil ſolidi adverſus argumentationem meam afferre poſſes, ut infra manifeſtum fiet, cavillandi occaſionem captaſſe ex eo valde perſpicuum eſt, quod in priore tuo ſcripto nihil prorſus hac de re dixiſti, quamvis ſententiam meam hiſce verbis in præfatione tua explicaſſes: *Tu contra tenes, Deum immortalem creaſſe primum omnia (vel hominem ipſum ad ſuam imaginem) non immortalia, ſed mortalia.* Nam ſi jam tum credebas, me aſſerere, Deum creaſſe omnia non immortalia ſed mortalia, & omnium appellatione non modo res cœleſtes generatim, ſed angelos etiam ipſos, & animas noſtras vis contineri; cur, te rogo, inter argumenta tua angelos ſaltem, de quorum natura immortali nemo, quod ſciam, unquam dubitavit, mihi non objeciſti? An non illico obmutuiſſem? Nonne vides, id à te propterea factum non fuiſſe, quod verbum, *omnia*, ea tantum omnia complecti videas, quæ nunc mori cernimus? Cur idem poſtea non vidiſti? An cœcus ita repente factus es, adeo ut contumeliam etiam, propter ejuſmodi verbum à me eadem de re loquente prolatum, mihi facere, deinde non dubitaveris? Sed quid longius abeo? Nonne in hoc ipſo ſcripto tuo, in primo capite, mecum diſputas, tanquam cum eo, qui ſuperiores res creatas immortales eſſe non ſit negaturus, ex quarum immortalitate argumentum illud tuum, quo hominem immortalem creatum fuiſſe probare volueras, ſtabilire niteris? Nonne hoc ipſo ſexto argumento de inferioribus tantum rebus nos contendere non obſcure fateris, cum ſuperiorum nulla prorſus mentione facta, ita concludis? *Ergo mors accidit rebus inferioribus, poſtquam homo neglexit Dei monitum.* Si me ſuperiorum rerum mortalitatem aſſerere putaſſes, & ad ipſarum quoque immortalitatem probandam argumentum afferre voluiſſes, an non ad hunc modum tibi omnino concludendum fuiſſet? *Ergo nulla ex rebus creatis, nedum omnes, ut tu aſſeris, mortalis fuit condita: Inferioribus autem mors accidit, poſtquam homo neglexit Dei monitum.* Sed quis unquam erit, qui, cum argumenti tui vis tota in eo conſiſtat, quod ante hominis lapſum, & Dei monitionem, nulla eſſet mentio mortis; & frigidiſſimum eſſe dicas, comminiſci, fuiſſe res utique mortales ante lapſum, quod & cum præſtantia conditoris, & cum ordine monitionis pugnet; non videat aperte de inferioribus duntaxat rebus te loqui voluiſſe, ad quas ſolas hominis lapſus & Dei monitio pertinere poteſt? Quas igitur tu indefinite *Res* appellaveras, cur ego eadem ipſa de re agens, univerſe *omnes res creatas* appellare non potui? Nec tamen deſunt, ut quidem meminiſſe videor, præſtantiſſimorum auctorum loci permulti, in quibus omnium rerum creatarum nomine res tantum quæ ſub cœlo ſunt, non etiam cæteræ, ſignificantur; & in quibus aſſeritur, res omnes creatas interire; cum tamen de rebus hiſce inferioribus tantummodo ſermo eſſet. Sed hic ubi nunc ſum, omnibus fere libris deſtituor: nec certum alicujus loci exemplum ſuccurrit præter unum, quod huic rei ita appoſitum eſt, ut ego, dum ea verba ſcripſi, eum locum imitatus fuiſſe videar. Locus eſt apud Franciſcum Petrarcham civem tuum, cujus ingenium & eruditionem, nemo eſt qui non vehementer admiretur, inprimis autem ſcriptorum elegantiam & ſuavitatem, quæ in iis quæ patrio ſermone conſcripſit, plane incomparabilis eſſe videtur; in Latinis vero ejuſmodi eſt, ut parem, poſtquam Latinæ linguæ popularis uſus omnino intercidit, in ſuperioribus ſcriptoribus vix invenias. Is igitur alicubi ita ſcripſit *:

* Conſidera bene jam tandem ô homo, quomodo omnia creata ad mortem currant.

Benvedi homai, ſi come à morte corre ogni coſa treata: Cum tamen is, ad quem ſcribit, res inferiores duntaxat ad mortem properare cernere poſſet. Neque eſt quod dicas, hoc eſſe poëtæ exemplum, qui poetice locutus ſit. Nam figura ſermonis Synecdoche, qua ibi utitur Petrarcha, ut alias à me dictum fuit, non eſt poëtarum propria, ſed omnium ſcriptorum communis, & in ipſis Sacris Literis frequentiſſima: nec ibi ludit, aut jocatur, aut in verbis quodammodo laſcivit Poëta; ſed de re ſeria atque divina graviſſime loquitur. Sed & idem auctor alibi, quod multo plus eſt, dixit, *Ogni coſa al fin vola*; * cum tamen non de omnibus rebus, in quibus & Deus ipſe comprehenditur, ſed de iis tantum, quæ ſub cœlo ſunt, loqui velit. Itaque perſpicuum eſt, me, quicquid dicas, nec impudenter nec temere locutum eſſe, cum dixi, omnes res creatas interire: etiamſi tibi daretur, multas ex iis, quarum creationis Moſes aperte meminit, immortales eſſe.

Verum, ut adhuc planius fiat, quam immerito me, propter ea verba, ejuſmodi conviciis oneraveris, & totius rei veritas dilucide appareat; non ſecus atque, cum de dominatu homini in cæteras res creatas conceſſo diſſerui, à me factum eſt; præter id, quod facere cogor, & meorum verborum ſententia exigit, de immortalitate, quam tu ita conſtanter omnibus ſuperioribus rebus tribuis, diligenter videamus: & num verba mea, ſine ulla interpretatione, ſed ſimpliciter accepta, veriſſima eſſe, demonſtrari poſſit, experiamur. Neque hic repetere neceſſe eſt, angelos & animos noſtros ad haſce noſtras de rebus creatis diſputationes non pertinere. Satis enim id & modo & pridem à nobis explicatum fuit. Quod igitur ita aſſeveras, immortales eſſe res cœleſtes, unde id, quæſo, habes? Certe ad id probandum ne ſyllabam quidem ex Divinis Literis profers; ſed tantummodo ais, neminem adhuc ſomniaſſe, ejuſmodi creaturas eſſe mortales; & neminem, Epicureis fortaſſe exceptis, alicujus nominis me inventurum, qui contra immortalitatem ſummarum creaturarum Dei vel hiſcere audeat. Et ita tibi videris ſatis demonſtraſſe, res omnes cœleſtes eſſe immortales. Quid hac de re ſenſerint Philoſophi ethnici, quorum magna pars, ne creatum quidem mundum fuiſſe ſunt arbitrati; non eſt quod ſolicite quæramus: divinis enim patefactionibus deſtituti, multa his de rebus falſa dixerunt: multa quæ nos veriſſima eſſe ſcimus, aſſequi non potuerunt. Crediderim tamen eos, qui mundum à Deo conditum eſſe putabant, eum aliquando periturum, facile conceſſuros fuiſſe, & ex ipſis nonnullos id etiam aperte docuiſſe opinor. Ex iis autem, qui ex verbo Dei harum rerum cognitionem hauſere, aliquos extitiſſe credo, qui cœlum, & res cœleſtes omnes, de quibus loquimur; in extrema illa die penitus diſſolvendas eſſe affirmaverint. Ea tamen ſententia, quæ habet, hæc omnia renovanda eſſe, receptior multo eſt. Atque hanc ſententiam tu, ut quidem credis, ſequeris. Quæ tamen, ſi recte intelligatur, tantum abeſt, ut res cœleſtes immortales eſſe ſtatuat, ut potius earum mortalitatem aperte comprobet. Ea enim quæ in extrema illa die renovanda ſunt, ita renovabuntur, ut aliam formam ſuſcipiant. Quæ autem novam formam recipiunt, ut in ſuperioribus diſputationibus oſtenſum eſt, non amplius ea ſunt quæ prius erant, ſed alia ſunt facta, & id quod prius erat, interiit. Ex quo perſpicuum eſt, ejuſmodi renovationem, ſine præcedenti ipſorum interitu fieri non poſſe. Exemplum eſto in iis, quæ renovanda certo ſcimus, hoc eſt in corporibus noſtris. Paulus, ut ſupra viſum fuit, diſerte aſſerit, non vivificanda eſſe hæc corpora noſtra, id eſt, immortalitate donanda, niſi prius moriantur; non ſecus atque granum mori neceſſe eſt, ſi ſtirps fieri debet. Quocirca concludendum omnino eſt, corpora illorum, qui in judicii die vivi adhuc reperientur, renovari non poſſe, niſi eodem quidem momento, ſed tamen ordine intellectus, (ut loquuntur) prius deleantur, atque intereant. Quamvis enim ii, qui tunc ſuperſtites erunt, morituri non ſint;

* Omnia ad finem volant.

corpus tamen omnium, quale nunc habemus, in ipſa renovatione extinguetur, & aliud fiet. Hinc eos, qui tunc erunt, una cum cæteris immutandos eſſe Paulus docet; non quia ipſi vere renoventur, & aliam formam ſuſcipiant: ſingulorum enim forma remanebit, & iidem erunt, qui antea fuerant: ſed quia ſingulorum corpus plane renovabitur, & mutationem ea in parte omnes experientur. Cum enim in homine aliqua inſignis mutatio fit, cum ipſe idem vere permaneat, mutari tamen eum dicimus: ut cum ex juvene fit ſenex, ex malo bonus; vel è contrario ex bono malus, ex infirmo robuſtus, aut contra ex robuſto infirmus. Quodſi inſigni aliqua mutatione in homine facta, is mutari dicitur: quanto magis id dici poteſt, cum altera ex duabus partibus, ex quibus conſtat, ita renovatur, ut alia fiat quam antea fuerat? Exemplo igitur corporum noſtrorum doceri aperte poſſumus, ſi qua in judicio Dei ſeu ad finem hujus ſeculi renovanda erunt, ea novam formam ſuſceptura, & idcirco non minus quam illa, in ipſa renovatione interitum ſimul expertura. Nam quod ais, angelos quoque per renovationem Meſſiæ, majorem quandam gloriam & præſtantiam adepturos; quaſi ipſi angeli non minus quam cætera, quæ renovanda eſſe credis, renovandi ſint; id prorſus humanum commentum eſt. Ejus enim rei nulla penitus mentio eſt in Sanctis Literis. Immo ipſi angeli quales nunc ſunt, à Chriſto Luc. 20. 36, nobis tanquam ii proponuntur, ad quorum exemplar reformandi ſimus; ut quales nos etiam ſimus futuri, inde conjicere licear. Nobis autem præſtantiores in futuro ſeculo angeli non erunt: ut ex ipſius Chriſti verbis colligi poteſt; & in primo & in ſecundo cap. epiſtolæ ad Heb. & aliis in locis non obſcure ſcriptum eſt. Quod certe fieret, ſi majorem adhuc præſtantiam & gloriam illi adepturi eſſent, quam tamen adipiſci poſſent; nec ideo eos renovari dicendum eſſet ea ratione, qua renovandas eſſe res cœleſtes, omnes ii quos tu imitari videris, ſunt opinati.

Sed jam ab hominum opinionibus ad Divina Teſtimonia, quæ hac de re loquuntur, tranſeamus. Ego profecto adhuc perſpicere non poſſum, quibus verbis ex Sanctis Literis depromptis, rerum cœleſtium immortalitatem, ſeu potius perpetuam permanſionem, vel etiam renovationem aliquis confirmare poſſit, atque iis etiam globum hunc terreſtrem annumerare. Quinimo multa ex divinis oraculis teſtimonia proferri poſſunt, quibus contrarium perſpicue demonſtratur. Primum enim, quid adverſus eam ſententiam clarius dici potuit, quam id quod apud tres Euangeliſtas Dominus Jeſus conſtanter affirmavit, cœlum ſcilicet & terram tranſitura, verba autem ſua non præteritura? Quid enim aliud in illis verbis, *Tranſire* ſignificat, quam *perire & aboleri?* ut & antitheſis verborum Chriſti Matth. 24. 35. Mar. 13. ỳſ. 31. Luc. 21. 33. (hoc eſt, earum rerum, quas is dicebat futuras, quæ omnino extitura aliquando dicere volebat) manifeſte oſtendit, & alii non abſimiles loci, in quibus id verbum uſurpatum fuit, planiſſimum faciunt. Inter quos ille apud Johannem eſt valde inſignis 1 Joh. 2. 17: *Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Concupiſcentiam enim mundi aboleri, & perire, idque ibi ab Apoſtolo dictum fuiſſe, nemo negare audebit. Paulus quoque ſcribit 1 Cor. 7. 31, tranſire figuram hujus mundi. Quod nihil aliud ſignificat, quam hanc mundanam vitam interire, atque aboleri. Quamvis enim in Græco utrobique ſit aliud verbum, quam in illa Chriſti ſententia; ejuſdem tamen prorſus ſignificationis eſt, & *tranſire* aut *præterire*, non ſecus atque illud, plane declarat. Verum quid alio exemplo eſt opus, cum ipſe Chriſtus ibidem proxime ante ea verba dixerit: Non præterituram generationem illam, donec ea omnia fierent, quæ ipſe prædixerat? Nam quis eſt, qui non videat, *Præterire* eo loco idem eſſe atque *extingui & perire*, ſive *amplius non eſſe*. Nec ibi diverſum eſt in Græco verbum ab eo, quo uſus eſt poſtea, ſed prorſus idem. Sed de hac ſignificatione verbi *Tranſire* ſeu *Præterire*, in ea Chriſti ſententia, ne illi quidem dubitare videntur, qui cœlum & terram renovatum iri, & deinde perpetuo permanſura credunt. Sic enim, quantum meminiſſe poſſum, ad eum locum reſpondent: Eſſe quendam ibi loquendi modum, qui potius æternam cœli & terræ permanſionem indicet. Cum nihil aliud ſibi Chriſtus ibi voluerit, quam oſtendere, prius periturum cœlum & terram, quam non extitura ea omnia, quæ ipſe futura prædixerat. Nam quod alibi apud Matthæum ſcriptum eſt Matth. 5. 18: *Donec tranſeat cœlum & terra, jota unum, aut apex unus non præteribit à lege, donec fiant omnia*; apud Lucam ſic legitur Luc 17. 16: *Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.* Cui interpretationi videtur præterea adſtipulari locus valde ſimilis apud Eſaiam cap. 54. 10, qui tamen haud ſcio, an ab ipſis proferatur: aptiorem certe, niſi me animus fallit, ad eam interpretationem confirmandam, nullum invenient. Et quoniam veritatem non victoriam quærimus, ſilentio eum præterire nefas eſſe duximus. Is igitur ſic habet: *Nam montes recedent, & colles nutabunt: miſericordia autem erga te non recedet, & fœdus pacis meæ non nutabit. Dixit miſerator tuus Jehova.* Hic, inficiari nequeo, eum loquendi modum eſſe omnino videri, quem in Chriſti verbis illis ineſſe contendunt. Neque enim dominus ſimpliciter dicere voluit, montes receſſuros, & colles mutaturos: ſed comparate, id eſt, futurum potius, ut montes recedant, & colles nutent, quam ut recedat miſericordia ſua erga Iſraëlem, & pacis ſuæ fœdus nutet. Atque ita per rei quæ fieri non poſſit, à minore (ut vocant) comparationem, multo magis fieri non poſſe oſtendit, ut miſericordiæ ipſius erga populum recedat, aut pacis ſuæ fœdus nutet. Verumtamen animadvertendum eſt, ut ſupra alicubi dictum fuit, quod tunc demum à proprietate verborum diſcedendum eſt, & ad figuratos loquendi modos confugiendum, cum veritas, aliunde manifeſte apparens, id nos facere cogit. Atqui non ſolum non conſtat, Chriſti verba proprie & citra aliquem tropum accipi non poſſe; ſed ex aliis etiam Divinarum Literarum Teſtimoniis perſpicuum eſt, proprie omnino accipienda eſſe, ut poſtea demonſtrabo.

Quod ſi quis objiciat: Immo ex illis apud Lucam verbis perſpicuum eſſe, ea proprie accipi non poſſe; cum ibi ab eodem Chriſto, cœli terræque abolitio, tanquam res commemoretur, quæ fieri nullo pacto poſſit: conſiderandum eſt, illa verba aut ſecundum ea, quæ à nobis mox dicentur, aut per id, quod apud Matthæum, eandem Chriſti ſententiam exponentem, ſcriptum eſt, explananda eſſe; ut vel hoc modo ipſa interpretari debeamus, *facilius eſſe, dum hæc vita, & hoc ſeculum manebit, cœlum & terram tranſire, quam unum apicem de lege cadere*: vel hoc; *prius tranſiturum cœlum & terram, quam deſiturum fieri, quæ ſcripta ſunt in lege.* Nam ea tunc demum perfecte impleta erunt, cum cœlum & terra eſſe deſierint. Mitto, quod in illis apud Eſaiam verbis poteſt ſubeſſe proprius verborum ſenſus, ut plerunque in propheticis ſcriptis contingere ſolet; in quibus ſenſus, qui pro eo tempore intelligebatur, tropum aliquem, præſertim vero ſuperlationem, quam ὑπερβολὴν Græci nominant, in verbis neceſſario requirit, qui autem nobis patefaciendus erat, ex verbis proprie acceptis dilucide conſtat. Quod eo loco, ut arbitror, accidit: pro eo enim tempore κατ' ὑπερβολὴν dictum eſt, montes receſſuros, & colles nutaturos, in adumbrata quandam potius, quam vera populi Dei liberatione: at in liberatione vera, quæ per Chriſtum, dum à mortuis immortales excitabimur, nobis obveniet, montes vere recedent, & nutabunt colles. Proprie autem omnino, non autem figurate, aut ſaltem non figurate ſolum, ſed etiam proprie Domini Jeſu verba accipienda eſſe, (ut interim alia teſtimonia adverſus cœli & terræ perpetuam permanſionem proferam) id ſatis oſtendit, quod Pſal. 102 ad finem ſcriptum eſt, & in fine primi cap. ad Heb. repetitum: *Initio terram fundaſti, & opera manuum*

manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, & tu permanebis: omnes tanquam veſtimentum veteraſcent. Tanquam indumentum mutabis eos, & mutabuntur. At tu [idem] ipſe es, & anni tui non deficient. Quid potuit apertius & efficacius dici, ut cœlos & terram vere tranſituros aliquando eſſe, demonſtraretur? Scio equidem, nonnullos hæc ita interpretari, ac ſi dictum fuiſſet, Deum ſi vellet, cœlos & terram, quos creavit, poſſe deſtruere atque abolere. Sed coacta nimis videtur iſthæc interpretatio; præſertim cum diſerte ſcriptum ſit: *Ipſi peribunt & veteraſcent:* quibus verbis illud, *ſi voles*, vix ac ne vix quidem adjungi poteſt; cum ejuſmodi ſint, ut rei naturam & ipſum eventum, non autem quod fieri poſſit, aperte declarent. Nec vero dicat aliquis, ex eo, quod poſtea dicatur, eos mutatum iri, ipſorum renovationem ſignificari. Non enim aliter renovabuntur, quam ſoleat veſtis vetuſtate jam conſumpta, ut verba ipſa exprimunt; quæ renovari dicitur, non quia ipſa vere renovetur, ſed quia alia loco ejus ſumitur, & non raro alterius formæ, ac multo præſtantior, quam illa unquam fuerit. Ita enim in conſummatione ſeculi cœlo & terræ continget. Non renovabuntur quidem ipſa, ſed aliud & prorſus novum cœli & terræ genus, id eſt, aliud longe præſtantius ſeculum, alia longe præſtantior vitæ ratio, quæ nobis ex Dei promiſſione Chriſti beneficio dabitur, eorum loco ſubſtituetur. Propterea in Apocalypſi ſcriptum eſt Apoc. 21. 1: *Et vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare non eſt amplius.* Vides non renovatum iri hoc cœlum, quod nunc cernimus, neque hanc terram, quam nunc incolimus; ſed abitura hæc, & mare amplius non futurum: Novum autem cœlum, & novam terram ipſorum loco ſubſtituturum iri. Quare etiamſi vere, non autem allegorice, aliud cœlum & terram aliam intelligeres; nullo tamen pacto negare poſſes, per hæc teſtimonia cœli & terræ hujus veram renovationem penitus excludi, & eorum interitum apertiſſime pronunciari. At vero non cœlum aliud verum, & terram veram, ſed allegoricum ſive metaphoricum utrumque, id eſt ut diximus, aliud ſeculum, aliam vitæ rationem, quam ſub hoc cœlo, & in hac terra habeamus, per illa verba ſignificari, ea quæ infra dicentur, ſatis planum facient.

Jam ſi quis dicat: Si novum cœlum & novam terram allegorice interpretari velimus, allegorice quoque interpretanda eſſe verba illa; *Primum enim cœlum, & prima terra abiit.* Reſpondeo, quantumvis allegorice ea verba interpreteris, ex ipſis nihilominus probari, hoc cœlum verum & hanc terram veram perire tandem debere. Nam ſi prior hæc vitæ noſtræ ratio abolenda, ſi prius hoc ſeculum deſtruendum eſt; aboleatur quoque & deſtruatur cœlum hoc & terra hæc neceſſe eſt, per quæ & ex quibus nunc vivimus & ſuſtentamur. Ad hæc, ex aliis teſtimoniis vel jam prolatis, vel adhuc proferendis manifeſtum eſt, non allegorice tantum, ſed proprie etiam ea verba explicanda eſſe. Id quod præterea ſatis indicant verba illa: *Et mare non eſt amplius*: quæ nullo modo, ut arbitror, eo in loco per allegoriam explicari poſſunt; ſed omnino ſignificant, mare ipſum vere amplius non futurum, nec enim novum mare ejus loco ſucceſſurum, ſicut de cœlo & de terra dicitur: nec primum mare non eſſe amplius, ſicut primum cœlum & terram abiiſſe; ſed ſimpliciter, mare amplius non eſſe, expreſſe affirmatur. Quod ideo dictum videtur, ut verba antecedentia; *Primum enim cœlum, & prima terra abiit*; quæ exacte ſuperioribus illis reſpondent; *Et vidi cœlum novum & terram novam*, non allegorice tantum ut illa, ſed proprie etiam intelligenda eſſe conſtaret.

Aliud apertum de cœlo penitus abolendo teſtimonium, eſt in illis Jobi verbis Job. 14. 12: *Quiſquis autem, ſi obdormierit, non reſurget: donec non ſit cœlum, non evigilabunt & non expergiſcentur è ſomno ipſorum.* Ubi etſi Jobus aliud dicere voluiſſe videri debeat; eſt tamen elegantiſſima & præclariſſima de corporum noſtrorum reſurrectione vaticinatio, quam nunc Chriſtiani, ut pleraſque alias, in propheticis ſcriptis antea latentes, Chriſto, ut inquit Paulus 2 Tim. 1. 10, vitam atque immortalitatem in lucem proferente, & manifeſtiſſime agnoſcunt, & libentiſſimo ac lætiſſimo animo amplectuntur. Eſt autem locus hic unus ex illis, quorum jam mentionem fecimus, in quibus pro eo tempore, quo verba prolata fuere, figurate aliqua intelligenda ſunt: pro alio vero tempore, id eſt, ſecundum ſenſum propheticum, proprie. Jobus enim, cum affirmaret, hominem qui ſemel mortuus fuerit, non amplius victurum (ut quidem communis humana ratio ferre videbatur) inter cætera, quæ hac de re pronunciat, ait prius futurum, ut cœlum amplius non ſit, quam ut homo iterum in vitam redeat. Eadem enim communi humana ratione, cœlum in æternum ſtare videtur. Spiritus autem Dei, qui per eum loquebatur, aliud interea intelligebat, & ea verba non figurate tantum, & ſecundum communem hominis ſenſum, ſed proprie etiam & ſecundum ipſam veritatem aliquando accipi volebat. Veriſſimum enim eſt, non prius è mortis ſomno nos evigilaturos, quam cœlum eſſe deſinat. Cœlum igitur, ut ex hoc Prophetico divinoque oraculo perſpici poteſt, cum nos à morte in vitam revocabimur, peribit, & amplius non erit. Similis autem omnino loquendi modus eſt in illis Chriſti verbis, apud Matthæum Matth. 5. 18, de quibus paullo ante egimus: *Donec cœlum & terra tranſeat, jota unum aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Quamvis enim, propter id præſertim, quod apud Lucam ſcriptum eſt, ea verba figurate tantum dicta videantur; veriſſimum eſt tamen, non prius ceſſaturum ut fiant, quæ ſcripta ſunt in lege, quam cœlum & terra perierit. Quare, ut jam diximus, non tam ex Luca Matthæus, quam ex Matthæo Lucas explicandus eſt.

Sed jam ad Petrum veniamus 2 Pet. 3. 7, qui cœli & terræ diſſolutionem ita perſpicue docet, eamque ita accurate explicat, ut nihil præterea deſiderari poſſe videatur. Is igitur primum inquit, qui nunc ſunt, cœlos & terram verbo Dei conſervatos, igni reſervari, in diem judicii & perditionis hominum improborum. Neque eſt, quod quis dicat, igni cœlum & terram reſervari, quatenus igne purgabuntur & renovabuntur. Non enim ibi agitur de renovatione aliqua, ſed de perditione; & dicitur, quod quemadmodum priores illi homines improbi ante diluvium, quos mundum, qui tunc erat, Apoſtolus vocat, aquis de cœlo à Deo immiſſis perierunt: ſic in judicii die, non homines tantum improbi perdentur, ſed ipſum cœlum & terra, ſub quo & in qua ipſi degunt, una cum ipſis peribunt, & igne conſumentur. Atque hac ratione oſtendere voluit Petrus, quantum volentes fallerentur ii, qui ab ipſius mundi initio omnia ſemper in eodem ſtatu permanſiſſe, & permanſura eſſe dicebant; nec venturum Chriſtum, ſicut & ipſe Chriſtus, & Apoſtoli ejus ſæpiſſime & apertiſſime pronunciaverant, ad judicandum orbem terrarum, & ſceleſtos homines univerſos exterminandos, ac ſempiternæ perditioni mancipandos, aut credebant, aut credere præſeferebant. Ne autem, quo ſenſu ea verba protulerit Apoſtolus, aliqua dubitatio ſupereſſe queat, audiamus quæ paullo poſt diſertiſſime & efficaciſſime ſubjungit vſ. 10: *Adveniet autem*, inquit, *dies Domini, ſicut fur in nocte, in quo cœli magno impetu tranſibunt, elementa vero combuſta ſolventur. Terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum Dei diei, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa combuſta liqueſcent? Novos vero cœlos, & terram novam juxta ipſius promiſſionem expectamus, in quibus juſtitia habitat.* Nunquid igitur tibi videtur, ignem illum, cui cœlum ac terra in judicii die reſervatur, purgaturum eſſe utrunque ac renovaturum? an non potius, ut aperte prædicit Petrus, ea exuſturum atque diſſoluturum? Qui potuit alicui hæc Apoſtoli

verba legenti, unquam in mentem venire, cœlum hoc & terram hanc non omnino perdenda, ſed renovanda eſſe; aut tu, quando ea interdum percurriſti, quomodo non renovanda ſolum; ſed ita renovanda eſſe cœleſtia credidiſti, ut priorem formam, ſive eſſentiam retineant, & ſic immortalia ſemper maneant. Quis vero eſt, qui affirmare audeat (quam tu tamen communem ſententiam eſſe ſtatuis) elementa reſtituenda fore, ſeu renovanda: cum Petrus bis apertiſſime dicat, ea exurenda ac diſſolvenda eſſe? Equidem non poſſum ſatis mirari, ſi qui ſunt, qui contra clariſſima ac repetita divina oracula, ejuſmodi opiniones è ſuo capite fingere non erubeſcant. At enim, quod ad cœlum & ad terram attinet, dicent, Petrum affirmare utrunque renovandum eſſe. Immo non hoc affirmat Petrus; ſed inquit, novos cœlos novamque terram, id eſt, alios cœlos aliamque terram à nobis expectari. Sed etiamſi diſerte diceret Apoſtolus, cœlos & terram renovari debere; jam ad hoc ſupra reſponſum eſt, & demonſtratum, non vere & proprie renovandum eſſe cœlum & terram, per ejuſmodi verba ſignificari; ſed affirmari, cœli & terræ loco, quæ tranſierint, & amplius non ſint, novum cœlum, novamque terram ſubſtituendam eſſe. Quid autem ſit illud novum cœlum, & illa nova terra, ſatis demonſtrat idem Apoſtolus: Cum ait, nos ex domini promiſſione utrunque expectare. Quid enim nobis promiſit Chriſtus, ſive Deus per ipſum Chriſtum? num verum aliquod aliud novum cœlum? num veram aliquam aliam novam terram? nihil minus: ſed beatitudinem, & vitam ſempiternam promiſit, quam in cœlis quidem futuram dixit; verum cœlorum nomine, tanquam cœlorum, non novum illud cœlum, quod una cum nova terra, promiſſum nobis fuiſſe aſſeverat Petrus, intellexit; ſed locum, ſi ita appellare fas eſt, ubi Deus ipſe habitat, quem Chriſtus & alii ſanctiſſimi homines, in cœlis habitare, & ſæpiſſime & manifeſtiſſime dixerunt, quem locum Paulus tertium cœlum appellavit 2 Cor. 12. 2; in quod & Chriſtus hinc diſcedens migravit, & nos, qui cum ipſo ſemper futuri ſumus, migrabimus: ubi nullius veræ terræ erit uſus aliquis, ſed ſine aliqua vera terra, ut nunc angeli faciunt, beati in ſempiternum vivemus. Non potuit igitur vel Chriſtus, vel quivis alius dixerit, paratam nobis eſſe vitam æternam, eamque in cœlis repoſitam, cœlorum vocabulo id cœlum ſignificare, quod novum una cum nova terra ex divino promiſſo nos expectare, ait Petrus. Quodſi tamen de eodem cœlo utrobique ſermo eſſet, quid hoc ad alterius veri cœli ſubſtitutionem, in hujus locum quod videmus, quoque nunc fruimur? Certe, ſi novum illud cœlum nihil aliud eſt quam Paradiſus, & beatorum ſedes; non verum & proprium cælum eſt, id eſt, non ejuſdem generis cœlum, cujus hoc eſt, quod aſpicimus, cum quo nihil fere niſi nomen commune habet. Quod nomen idcirco illi obvenit, quia, quemadmodum cælum ſupra terram, ſic locus ille ſupra omnia elatus eſt, ita ut cœlum ipſius cœli appellari poſſit: unde etiam colligere poſſumus, inter hoſce duos cœlos non minus intereſſe, quam inter cœlum & terram differre videamus. Quare dici non poteſt, ejuſmodi cœlum, tanquam aliud verum cœlum, in hujus noſtri locum ſubſtituendum eſſe. Tanquam allegoricum fortaſſe ſubſtitui poſſet, nulla nominis habita ratione, ſed rei tantummodo, cum ibi, quemadmodum ſub hoc cœlo noſtro & in hac terra, animalem vitam vivimus, ſpiritualem vitam victuri ſimus. Sed ſi hoc fieret, terram quoque illam novam allegorice, non cœlum tantum; in ejuſmodi cœlo contineri neceſſe eſſet.

Ex his omnibus efficitur, ut novum cœlum & nova terra, quam ex Dei promiſſo ſperamus, non verum cœlum & vera terra ſit, ſed allegoricum utrunque; ſive beatorum ſede utrumque contineri velimus, ſive ipſorum nomine id quod jam à nobis dictum eſt, & mihi adhuc multo magis probatur, intelligamus, novum ſcilicet illud ſeculum, novamque vitæ rationem, quæ expreſſe in divinis promiſſionibus continentur, ab iis, quibus hujus cœli, hujuſque terræ ope in præſens perfruimur, quanquam longe diverſa, ſub eodem tamen genere, ſeculi videlicet & rationis vitæ comprehenſa: unde per tranſlationem metonymicam, in qua ſcilicet cauſa pro effectu poſita eſt, novum cœlum & nova terra merito dici potuerunt. Confirmatur hæc novi cœli novæque terræ allegorica interpretatio, ex eo, quod Petrus ſubjungit, in eis juſtitiam habitare: quod non obſcure innuit, jam illa aliquomodo extare, quamvis, quod ad nos attinet, nondum extare dici poſſint, & prorſus nova nobis obventura ſunt. Hinc enim factum eſt, ut auctor ad Heb. Heb. 2. 5: μέλλουσαν οἰκουμένην ea appellaverit. Et profecto, extant jam aliquomodo illi cœli, & terra illa, ſi eos ſeculum illud, & vitæ rationem illam eſſe dicas, quam nobis promiſit Deus. Jam enim ejuſmodi ſeculo, ac vitæ ratione angeli Dei perfruuntur, (& idcirco, quatenus futuri ſunt, non propter ipſos angelos, ut idem auctor ad Heb. ait, ſed propter nos ſunt) & in illis hac ratione jam habitat juſtitia; ſive juſtitiam pro ſanctitate & rectitudine accipias, ſive pro ipſius rectitudinis & ſanctitatis præmio, hoc eſt pro beata immortalitate; quo ſenſu non ſemel in Sacris Novi Teſtamenti ſcriptis juſtitiæ nomen uſurpatur. At ſi novum cœlum & novam terram proprie accipere velis, neceſſe eſt, ut verbum *habitat* pro *habitabit* dictum fuiſſe contendas? quæ temporum in verbis commutatio, tanquam ſermonis figura, ut ſupra diximus, nonniſi manifeſta veritate nos ad id cogente, in alicujus ſermone eſſe cenſenda eſt. Nec vero primus fuit Petrus, qui novum cœlum, & novam terram allegorice, pro novo & præſtantiore rerum ſtatu dixerit: ſed multis ante ſeculis Deus per Eſaiam vatem Eſa. 65. 17. LXVI. 22, cum ſe Iſraëlis ſtatum in melius mutaturum prædiceret, novos cœlos & novam terram ſe creaturum promiſit, quem, ut fere ſolet, imitatus Joannes in Apocalypſi Apoc. 21. ℣. 1, cum præſtantiſſimam illam ſeculi ac rationis vitæ noſtræ mutationem ſignificare vellet, novum cœlum & terram novam ſe vidiſſe ait. Jam igitur manifeſtum eſt, quid ſibi velit Petrus, cum novum cœlum & novam terram ex promiſſione divina nos exſpectare dixit, in quibus juſtitia habitat, & nullum verum aliquod cœlum, aut veram aliquam terram, per ea verba eum ſignificare voluiſſe apparet. Quod ſi minus ex ipſius verbis perſpicuum eſſet, id certe, ut ſupra attigimus, ſatis perſpicuum ex eo fieret, quod vita hæc animalis atque terreſtris in judicii die ceſſare debet, & ejus loco ſpiritualis atque cœleſtis ſubſtitui. Quid enim vero cœlo & vera terra in vita illa opus erit? Nonne & cœlum & terram, ut huic animali ac terreſtri vitæ inſervirent, creavit Deus? qua ceſſante, propter quam utrumque conditum fuit, an non & ipſa ceſſare debent? Cum dominus Jeſus aperte dicat Luc. 20. 36, nos angelis Dei ſimiles futuros; quid nobis cum cœlo hoc, quod aſpicimus, & cum terra hac, in qua habitamus, vel cum aliis ejuſdem generis? Nunquid angeli Dei hoc cœlo & hac terra, ſive alius ejuſdem generis utuntur atque fruuntur? Cui uſui amplius futura nobis ſunt omnia, quæ vel in cœlo vel in terra ſunt, ſive alia eis ſimilia? Nunquid ad cibos, quibus ſuſtentemur, eorum ope, & inde percipiendos; cum immortales futuri ſimus, & nulla refectione opus habituri? Sed opinor, non quibus ſuſtentemur, ſed quibus deliciemur. Ergo & angeli ipſi, quorum, ut dictum fuit, pares futuri ſimus, ſi tibi credendum eſt, non ſolum cibis utuntur, ſed etiam eos, hujus cœli ope, & ex hac terra, ſive ex aliis his ſimilibus percipiunt: alioqui, ſi aliunde ſuos cibos haberent, etiamſi in futuro ſeculo, ut tu opinaris, comedendum nobis eſſet, (de quo ſuo loco fuſius dicetur,) non tamen ob eam cauſam cœlo aut terra aliqua vera nobis opus eſſet. Num fortaſſe aliquo ſole, & luna, aliquibuſve ſtellis ad diei & noctis diſtinctionem, ad tempeſtatum viciſſitudines, ad annos notandos, propter quæ ſydera omnia creata fuere Gen. 1. 14,

erit

erit opus nobis, qui in perpetua luce futuri ſumus, qui nullam ampiius mutationem aut varietatem ſumus experturi, qui ſempiternam vitam vivemus? Num luce hac creata, & ipſo ſole ac luna, ad locum illuſtrandum, ubi erimus, opus erit nobis, qui ipſam increatam lucem perpetuo præſentem habituri ſimus, quibuſque, ut ſcriptum eſt Apoc. 21. 23. xxii. 5, Deus ipſe & claritas ejus, & dominus Jeſus, agnus ille puriſſimus, in æternum lucebunt, ac vice ſolis & lunæ erunt? Num ad oculorum oblectationem, ſyderum egebimus nos, qui Deum ipſum præſentem intuebimur, & æternæ majeſtatis ejus jucundiſſimo aſpectu in omne ævum perfruemur? At, credo, animantibus cæteris cœlum illud novum & terra nova, non nobis, uſui erunt. Sed Petrus manifeſte ait, nobis, inquam, non beſtiis promiſſum fuiſſe à Deo novum cœlum, & novam terram. Quanquam non video, quomodo ſi beſtiæ (ut tibi quidem videtur) non minus quam nos immortales ſunt futuræ, vel aliquo cœlo ac terra egere poſſint, vel varietates & viciſſitudines, quas cœlum terræ impendens, ſecum neceſſario affert, experiri queant.

Quid tibi tandem, Franciſce, videtur de tua omnium rerum cæleſtium immortalitate, cum ex pluribus iiſque apertiſſimis divinis teſtimoniis & rationibus ex eis depromptis, planiſſimis atque firmiſſimis, evincatur, eas non modo perpetuo ejus formæ, cujus nunc ſunt (quod tamen ad earum immortalitatem omnino requiritur) non permanſuras, ſed ne renovandas quidem fore: & quod plus eſt, non amplius alias ejuſdem generis, in earum locum ſubrogandas eſſe, ita ut penitus ſint interituræ? Quid habes, quod tu divinis iiſque diſertiſſimis oraculis opponas, ut ea alio modo, quam loquuntur, interpretanda eſſe, nedum aliis, ſed tibi ipſi perſuadere poſſis? quos verborum tropos in iliis ineſſe dices, præter eos, quos ego exponens, non admittendos eſſe docui, qui, quatenus ipſorum ope ſententiæ tuæ ea non obſtare, oſtendere coneris, non inſolentiſſimi tantum ſint, ſed etiam maxime deridendi, & homine literato indigniſſimi, te præſertim, qui adeo troporum omnium, ut quibuſdam ſcripturæ auctoritatibus abſurdiſſimas tuas opiniones confirmare poſſis, magnus oſor es atque inimicus, ut manifeſtiſſimas etiam & frequentiſſimas ſermonis figuras, quas mulierculæ ipſæ & norunt, & ſæpiſſime uſurpant, quæque jam pridem propriorum locum obtinuerunt, omnes prorſus rejicias ac deteſteris, & nullo modo admittendas eſſe clames? Memini te aliquando, ut ſempiternam terræ permanſionem probares, ea Solomonis verba afferre Eccl. 1. 4: *Generatio præterit, & generatio advenit; terra autem in æternum* (ſive) *in ſeculum*) *ſtat.* Atqui, ſi ejuſmodi ſunt cætera teſtimonia, quibus vel terram ipſam, vel res cœleſtes, de quibus nunc agimus, in æternum permanſura, & interitum aliquem nunquam expertura, confirmari exiſtimas, eis proferendis, mihi crede, non injuria abſtinuiſti. Quid enim? adeone hebes eſſe quiſquam poteſt, ut non cernat, nihil aliud ſibi Solomonem voluiſſe, quam id quod omnibus conſtare poterat, in memoriam legentibus redigere, & ad inſtitutum ſuum accommodare, quod erat, hujus vitæ ingentem vanitatem, ſi quis à rectiſſima via vel minimum deflectat, oſtendere? Ait igitur Solomon, Terram quidem, ut omnes animadvertere poſſunt, ſemper manere; homines autem interire, & alios ſubinde in priorum locum, qui defecerant, gigni, & quodammodo ſuffici. Ex quo intelligitur, eum non de ſempiterna illa terræ permanſione, quam tu comminiſceris, & nemo agnoſcere poteſt; ſed de perpetua hac, quam experientia compertam habemus, verba facere. Adde, quod verba, *in æternum*, ſive *in ſeculum*, ut cap. ſuperiore diſſeruimus, ſemper ſecundum ſubjectam materiam interpretanda ſunt. Si ſecus fiat, in permulta, quæ plane inconvenientia ſunt, devenitur. Exempli cauſa, cum David ſcribit Pſal. 52. 10, ſe laudaturum dominum in æternum: certe, ſi velis verba, *in æternum*, ſempiternum prorſus tempus ſignificare, vel Davidi nunquam moriendum fuiſſet, vel etiam poſt mortem Deum celebraſſet; contra id quod non ſemel ab ipſo expreſſe ſcriptum eſt Pſal. 6. 6. xxx. 9, inter mortuos non eſſe, qui Dominum laudare poſſit. Quamobrem neceſſe eſt, ut ab omnibus fit, ſecundum id, quod ſubjecta materia poſtulat, & ipſa etiam loquendi conſuetudo fert, *in æternum*, pro cunctis diebus vitæ meæ, accipere. Cum igitur Solomon dicat, generationem præterire, & generationem advenire, terram vero in æternum ſtare; quamvis daretur, non de hac permanſione, quam videmus, ſed de aliqua quam non videmus, ſermonem eſſe: ea tamen permanſio eſſet intelligenda, quæ ſubjectæ materiæ conveniret; & dicendum eſſet, non in ſempiternum tempus, etiam cum non amplius generatio una præteriret, & adveniret alia; ſed ſolum, quandiu generatio una præterierit & altera advenerit, perpetuo terram duraturam, ita ut ſemper permanſio illa æterna, quocunq; pacto eam interpreteris, ad generationum ortum atq; interitum reſpicere debeat, & ad eos omnino referri. Præterea, non puto te latere, communem & receptiſſimam ſententiam eſſe, Solomonem in eo libro multa dicere, non ſecundum divinam eamq; occultam veritatem, ſed ſecundum id, quod humana ratio manifeſte aſſequi poteſt. Quare mirum videri non deberet (quod tamen, ut diximus, non fecit) ſi terram in æternum omnino permanſuram, & nunquam perituram dixiſſet; cum nobis nihil de ejus futuro interitu liquido conſtet, & propterea, quod jam tot ſeculis eam permanſiſſe animadverterimus, permanſuram quoq; in ſempiternum, credendum prorſus nobis videatur; ut etiam de cœlo humanæ communi rationi videri, ſupra in verbis illis Jobi explicandis diximus.

Aliud Teſtimonium Divinarum Literarum, quod ſententiæ tuæ adſtipulari credi poſſit, hoc tempore non ſuccurrit; & ſi aliqua ſuccurrerent, fortaſſe non reſponderem, nam levia admodum eſſe oportet, & quibus per ea, quæ hactenus dicta ſunt, abunde reſponſum fuerit. Evolve quantum velis, ſacra volumina; nihil unquam de ſempiterna rerum cœleſtium, quarum creationem deſcribit Moſes, permanſione perſpicue ſcriptum invenies; nec alios cœlos perpetuo permanere leges, præter illos, ubi Deus ipſe habitat, quorum non meminit Moſes, in creatione rerum, & qui ὁμωνύμως tantum cum hiſce noſtris conveniunt. Quare jam vides, quam injuria me; & inſignis impudentiæ, & ingentis ac novæ temeritatis notaveris, quod omnes res creatas interire affirmaverim; etiamſi mea verba, nulla alia interpretatione adhibita, præter eam, quæ in hiſce noſtris diſputationibus neceſſaria eſt, & in alium ſenſum quam quo evidenter à me prolata fuerint, accipi deberent.

Sed ad ratiocinationem meam jam tandem revertamur, & quid præter iſtas indigniſſimas contumelias attuleris, examinemus. Dicebam, non neceſſe fuiſſe, ut Moſes in creatione rerum deſcribenda, earum mortalitatis mentionem faceret; cum id ad creationem non pertineret, & unuſquiſque nimio plus videret, cunctas res creatas, quæ ſub cœlo ſunt interire. Ad hoc, ut quidem conjicere poſſum (nam alioqui, cur id ſcripſeris, prorſus neſcio) reſpondes; Immo Adamum, cum agnoſceret cætera omnia immortalia, Dei viventis & conditoris beneficio, idem de ſe ipſo ſibi perſuaſiſſe, ſive perſuaſurum fuiſſe. Quaſi vero Moſes, non modo Adami tempore, ſed etiam antequam Adamus delinqueret, ſuam hiſtoriam conſcripſerit, & ipſum Adamum, ſi is mortalis creatus fuiſſet, ejus rei admonere debuerit; aliter enim futurum, ut Adamus ſe immortalem creatum fuiſſe, omnino ſibi perſuaſiſſet. Qui fieri poteſt, ut iſta ſcripſeris? aut cur conſtantis opinionis, quam de ſua immortalitate Adamus haberet, ſeu habiturus fuiſſet, mentionem facis? quid hoc vel ad ratiocinationem meam, vel ad univerſam diſputationem noſtram? Adamus nihil videbat, aut videre poterat, antequam laberetur, quod ſibi vel leviſſime quidem ſuadere poſſet, ſe eſſe mortalem; immo omnia, ipſum creatum fuiſſe immortalem illi indicabant. Eſto: quid tum poſtea? nonne hoc, ut in quarto cap. demonſtravimus,

plane mihi favet, in ſolida voluptate illi, licet mortali, aſſerenda? Nunquid fortaſſis hoc tibi vis: Non debere me affirmare id, quod ille agnoſcere non poterat, nec ullo pacto opinari? Sed etiam iſtud in eo quarto capite diſerte dixeras, & ad hoc tuum ſextum argumentum, ſive ad ea quæ ego ad ipſum reſponderam, id nihil prorſus pertinet. Quodſi tu tanti illud facis, ut intempeſtive etiam repeti debere credas; à me certe tanti non fit, ut bis, quamvis tempeſtive id fieret, mihi refellendum eſſe putem. Quare ad ea, quæ ſupra, dicta ſunt, te rejicio. At vero quæ ſubjungis: *Quis poſſet mortem ſomniare inter tot res immortales conditas ab auctore vitæ? tu ſolus profecto, qui cum nunc videas, res inferiores interire, audes (utinam potius imprudenter quam impie) idem de cæteris quoque pronunciare, de quarum immortalitate nemo dubitat.* Hæc tua verba, inquam, quæſo te, quid ſibi volunt? Cum enim dicis: *Quis poſſet*, &c. de Adamone loqueris, & de quovis alio, qui ejus tempore fuiſſet? Sed ut jam dixi, quid hoc ad rem noſtram? Præterea, quomodo id, quod hic dicis, & in ſuperioribus verbis aperte affirmaveras, verum cenſeri debet, Adamum, ſcilicet, agnoviſſe cætera omnia immortalia? (ubi etiam tuo more Adami nomine omnia inferiora intelligis, cæterorum autem omnium res cœleſtes) nam qua ratione, quæſo, res cœleſtes immortales agnoſcebat? Num fortaſſe, quia non peribant? Sed eadem ratione inferiores quoque res immortales eſſe agnoviſſet. Ut enim tibi placet, ante Adami lapſum, de quo tempore loqueris, nihil omnino periit. Acuta ſane ratio, res immortales eſſe agnoſcendi, quia videlicet per aliquod breviſſimum tempus nulla ex ipſis perierat; quæ tamen tanti ponderis tibi eſſe videtur, ut dicas, jam tum conſtitiſſe, eas fuiſſe immortales. Non igitur ſatis tibi fuit, adverſus præclariſſima divina teſtimonia, res omnes cœleſtes immortales eſſe, confidentiſſime pronunciare: ſed addere etiam voluiſti, pro immortalibus ab Adamo in initio fere ſuæ creationis plane agnitas fuiſſe. Quid comminiſci non audebis, cum è tuo capite hujuſmodi portenta fingere non verearis? At, opinor, ideo Adamus res cœleſtes immortales eſſe agnoſcebat, quia Philoſophus jam effectus, & quidem Peripateticus, eas ex quinta quadam eſſentia, non autem ex quatuor elementis, ut res mortales ſunt, conſtare animadverterat. Verum hac ratione ſeipſum, quia ex quatuor elementis conflatus eſſet, mortalem prorſus agnovit. Et certe, ſi Adamus Philoſophus fuit, nihil in ſeipſo videre potuit, quod mortalitatem, hoc eſt ejus concreti futuram diſſolutionem, omnino non argueret. Sed hæc miſſa faciamus, & ad tua illa verba revertamur.

Cum igitur dicis: *Quis poſſet* &c. non de ipſo Adamo fortaſſe, & de quovis alio, qui ejus tempore fuiſſet, ſed de *iis*, qui poſtea conſecuti ſunt, & de nobis ipſis loqueris. Si ita res ſe habet, qui affirmare audes, nobis conſtare, res cœleſtes omnes immortales eſſe, cum divinitus edocti ſimus, eas penitus interituras? & quamvis res ipſæ cœleſtes immortales creatæ eſſent, idque omnibus aperte conſtaret, num ſomniaret is, qui cæteras, hoc eſt inferiores mortales creatas fuiſſe putaret; cum eas plane interire quiſque videat, & ipſarum interitus naturales & per ſe neceſſarias cauſas, jam inde ab initio creationis in eis fuiſſe appareat? At, inquis, non debes ſaltem ex inferiorum rerum interitu, ſuperiorum quoque interitum argumentari, de quarum immortalitate nemo dubitat. Primum, ut ſupra dictum eſt, non tantum neminem de ſuperiorum rerum immortalitate dubitare non credo; ſed eos etiam, quos tecum facere opinaris, ex eo ipſo, quod renovandas eſſe dicunt, mortales ipſas ſtatuere contendo. Quem enim invenies, te uno excepto, qui, priore rei forma abolita, rem ipſam interiiſſe non fateatur? Deinde, non quia inferiores videam res interire, ideo ſuperiores quoque interituras affirmo; ſed quia & divinis oraculis, & rationibus evidentiſſimis ad ita ſtatuendum adducor: inter quas rationes, præcipua illa eſt, non quidem, nunc inferiores res perire, & alias ſubinde in earum locum naſci; ſed, olim futurum, ut animalis hæc vita, & terreſtre hoc ſeculum, funditus citra ullam inſtaurationem intereant, propter quod ſeculum & propter quam vitam, res illæ ſuperiores conditæ fuere. Atque hinc apparet, quam perverſe ratiocineris, cum ex eo, quod inferiores res creatæ infimum locum in mundi globo ſortitæ ſunt, quaſi eam ipſam ob cauſam, ſuperioribus viliores ſint, non mirandum eſſe exiſtimas, ſi inferioribus pereuntibus, ſuperiores nihilominus immortales permaneant. Neque enim; ut ſupra latius expoſitum eſt, animadvertis, ſuperiores res inferiorum cauſa, non autem contra, conditas fuiſſe; & præter id, quod jam diximus de ſublimiore loco, quem res ſuperiores obtinuerint, id videlicet non ad ipſorum honorem & gloriam, ſed ad inferiorum uſum & beneficium pertinere; non vides inferiorum rerum locum, non tam infimum, quam medium in univerſo mundo, à Deo ſex illis diebus creato, dici debere; adeo, ut ſi res recte perpendatur, terræ globus nihil aliud ſit, quam totius mundi hujus quaſi regia quædam in ipſo regni medio, ut decet, & aſſolet, collocata, ubi homo mundi ipſius Dominus & Rex à Deo conſtitutus, ſuum domicilium habeat: alioqui, ſi ratio, quam affers, aliquid momenti haberet; homo, qui eundem locum una cum inferioribus cæteris rebus ſortitus eſt, qualibet ſuperiore creata re, dignitate & præſtantia inferior eſſet. Quodſi infimi, ut tu eum appellas, loci rationem idcirco habendam exiſtimas, quod ibi mortalitatis cauſæ ſint, quæ à ſuperiore loco abſunt; iſtud etiam ante Adami lapſum erat: & tamen ante illud tempus, res, quæ infimum locum ſortitæ fuerant, natura immortales fuiſſe vis, non minus quam illas, quæ ſupremum obtinuerant. Quæ ratio, quidquid de infimo loco dicas, & quocunque pacto inde differentiam inter utraſque res, quod ad immortalitatem attinet, colligi velis, te nihil prorſus agere oſtendit; cum non ex qualitate loci aliquo modo, ubi poſitæ fuerint res inferiores, ſed omnino ex ſolo Adami delicto illis mortem obrepſiſſe, & expreſſe dicas, &, ſi opinionem tuam tueri velis, te dicere ſit neceſſe. Ut interim præteream, quod in primo cap. inter alias rationes, quibus concludi vis, hominem immortalem creatum fuiſſe, illam attuliſti, quod veriſimile non ſit, cum Deus cunctas res ſuperiores immortales creaverit, hominem ab ipſo mortalem creatum fuiſſe, quem præ cæteris ſua imagine ornaverat, & in tam honorifico orbis terrarum loco collocaverat. Si enim univerſus terræ orbis vilis locus eſt præ ipſis cœlis; quis poteſt in eo tam honorificus locus eſſe, quo non multo honorificentiores ſint ii, ubi ſuperiores poſitæ res fuerunt? Quid igitur attinet, in collatione hominis cum rebus cœleſtibus, in qua homo ipſis anteponitur, loci, qui illis datus fuerit, mentionem facere, quem viliorem iis, qui cœleſtibus rebus dati fuerunt, omnino eſſe oportet?

Ex iis quæ hactenus diſputata ſunt, ſatis conſtare arbitror, te vel nihil prorſus, vel nihil, quod plane futile non ſit, adverſus ratiocinationem meam attuliſſe. Nam verba ipſa tua, ex quibus quidquid boni pro te elici poterat, me expreſiſſe confido, quam obſcura, intempeſtiva, & inter ſe ipſa male cohærentia, atque ἀναπόλογα ſint, cæteris judicandum relinquo. Neque hoc ideo dico, ut tibi aliquid detraham: quid enim hujuſmodi verba tibi detrahere poſſunt? ſed ut aliquando, ſi fieri poteſt, hac in parte teipſum agnoſcas. Quod ſi minus aſſequi potero, videant ſaltem, qui hæc noſtra legent, me rem, uti ſe habet, optime cognoviſſe. Manet igitur immota atque inconcuſſa reſponſio mea ad argumentum tuum, dum dicebas, frigidiſſimum eſſe, comminiſci, fuiſſe res mortales ante lapſum, nulla à Moſe mentione mortis facta ante præceptum. Ad hoc enim & tunc dixi, & nunc iterum dico, non neceſſe fuiſſe, immo nec veriſimile, licet res ante lapſum, non minus quam poſt, mortales eſſent, Moſen ejus rei mentionem feciſſe; cum mortalitas ad ipſam creationem proprie hon pertineat, & unuſquiſque Moſis ætate plus

nimio videret, omnes res ſub cœlo creatas mortales eſſe. Ex quo efficitur, non eum, qui negat immortales res fuiſſe ante lapſum Adami, ſed eum qui immortales fuiſſe affirmat, certe comminiſci, & id plane confingere, quod nunquam aliis probari videbit.

Reliquum eſt ut videamus, nunquid aliquid dixeris, quod reſponſione egeat, quod attinet ad illam monitionem & comminationem mortis, quam Adamus audivit, ſi divino præcepto non paruiſſet; in qua ſola major vis eſt, quam in cæteris omnibus, quæ pro tua opinione, vel a te allata fuere, vel ab aliquo afferri præterea poſſint. Sed prius illud iterum examinandum eſt, quod dicebas de præſtantia conditoris, cum qua rerum creatarum mortalitatem pugnare affirmabas. Ad hoc enim reſpondi; immo præſtantiam Dei creatoris in rebus ab ipſo creatis poſſe animadverti, etiam citra ipſarum immortalitatem: cujus rei fidem facerent libri à doctiſſimis viris de providentia Dei conſcripti, qui pleni erant argumentis evidentiſſimis præſtantiæ Dei in rebus creatis, citra aliquam earum immortalitatis conſiderationem. Rogas tu quinam ſint libri iſti, qui Dei providentiam celebrent, citra aliquam immortalitatis mentionem. In qua interrogatione dici non poteſt, quam graviter erraveris, vel potius, errare volueris. Nam (ut ipſam rem, ni tibi moleſtum eſt, paullo diligentius expendamus) videturne tibi idem eſſe, commemorare præſtantiam creatoris in rebus creatis, & celebrari providentiam Dei? Nunquid non vides, quam hoc latius multo pateat quam illud? Vides profecto. Sed tamen, quamcunque ob cauſam id feceris, ita locutus es, quaſi ego dixerim, in providentia Dei celebranda in illis libris, nullam fieri immortalitatis mentionem; cum id in præſtantia tantum Dei in creatis rebus commendanda, factum fuiſſe affirmaverim. In quo tamen interea fœde lapſus es, dum quod ad hominem attinet, immortalitatem intelligis, non eam de qua loquimur, concreti ſcilicet illius ex anima & corpore conflati perpetuam permanſionem, ſed omnem immortalitatem, ita ut animarum etiam immortalitatem complectatur; quam mihi, ut in præfatione, & alibi feceras, ſic hoc etiam loco objicere voluiſti; quamvis de ipſa nulla penitus inter nos controverſia ſit; & in eo, de quo contendimus, non minus hic quam aliis in locis, ea non modo tibi non ſit adjumento, ſed maxime etiam noceat. Nam ſi ejus ratio habita fuit in Dei creatoris præſtantia, in rebus creatis commendanda, primum ab hac commendatione omnes inferiores res creatæ, de quibus tantum in argumento tuo, ut ſupra oſtenſum fuit, loqui voluiſti, præter hominem, cui ſoli inter ipſas animæ immortalitas à doctiſſimis illis viris attributa fuit, penitus excluduntur; & ſuperiores item omnes, de quibus hic extra rem loqueris, præter angelos, qui ſoli inter ipſas, anima ſunt prædíti. Deinde, ſi propter animæ immortalitatem habuerunt viri illi, unde creatoris præſtantiam in rebus creatis agnoſcerent & commendarent, certe ad eam commendationem, alicujus præterea immortalitatis, rationem habere, ſeu potius aliam immortalitatem expiſcari, neceſſe non fuit. Quod autem immortalitatis nomine, animæ immortalitatem potiſſimum complecti volueris, id aperte indicat, quod tanquam de re quæ ab omni veriſimilitudine abſit, interrogas, quinam ſint libri, in quibus providentia Dei, citra ullam immortalitatis mentionem, celebretur. Nam, ſicut certum eſſe videtur, non conſueviſſe à ſcriptoribus, de quibus loquimur, providentiam Dei citra animorum immortalitatis mentionem celebrari; ita incertum omnino eſt, an ab aliquo ipſorum, in divina providentia celebranda, alius cujuſpiam immortalitatis mentio fiat; immortalitatis, inquam, quam rebus creatis in ipſa creatione Deus largitus fuerit, ſiquidem de hac, non de alia, inter nos diſputatio eſt. Quid autem hic rurſus attinebat, ſuperiorum creatarum rerum immortalitatem commemorare, quam nemo alicujus nominis, exceptis fortaſſe Epicureis, negare auſus fuerit? Neque enim, ut ratio tua à præſtantia creatoris ducta, inanis eſſe demonſtretur, neceſſe eſt probare, omnes res creatas tam inferiores quam ſuperiores Dei conditoris præſtantiam, etiam citra immortalitatem, præferre; ſed ſatis eſt, vel in una tantum id verum eſſe oſtendere. Quanquam tu id, quod ego ad ejuſmodi tuam rationem refellendam protuleram, imprudens, & errorem errore cumulans, ad enunciatum illud meum, quod omnes res creatæ intereant, à te, ut vidimus, tuo modo, expoſitum, neſcio quo pacto pertraxiſti, tanquam ad illud confirmandum (id quod evidenter falſiſſimum eſt) à me prolatum fuiſſet. Cum igitur tu ex creatoris præſtantia argumentaris, res omnes ab ipſo creatas immortalitate in ipſa creatione donatas fuiſſe; oſtendo primum, id perperam à te fieri; cum ab ipſo creationis initio, omnes res creatæ infinitis partibus creatore ſemper inferiores fuerint; ita ut manifeſte appareat, non pugnare cum præſtantia conditoris, quod res ab ipſo creatæ mortales ſint, quaſi fieri non poſſit, ut immortalis mortalia creet. Nam ſi is, qui omnia & videt, & audit, & intelligit, innumerabilia condidit, quæ nihil prorſus unquam vel viderunt, vel audiverunt, vel intellexerunt; quid mirum, ſi idem, quamvis immortalis ſit, multa creaverit, quæ mortalia ſemper fuerint? An non unicuique liquido conſtat mirus ordo, quem Deus in rebus creandis ſervare voluit, ut alia ab alia gradatim aliqua re ſuperetur, donec ad ſummum perveniatur; & interim nulla ex ipſis ſit, quæ ipſo Deo longe inferior eſſe non agnoſcatur, & unaquæque conditorem ſuum, quatenus poteſt, & amare ſimul & revereri diſcat? Primum enim quædam creavit, quæ non modo non ſentiunt aliquid, nec intelligunt, verum etiam omni vita ſunt prorſus deſtituta: qualia ſunt ea omnia, quæ ne vegetantur quidem, ut ſcopuli, ſaxa, arena maris; quin mare ipſum, & terra univerſa. Adde etiam cœlos ipſos, & ſydera omnia, quæ nemo bonus philoſophus, nedum Chriſtianus, vita aliqua prædita eſſe dicet. Proxime his ſuperiorem gradum obtinent eæ res creatæ, quæ vegetativæ animæ ſunt compotes, quales ſunt herbæ, ſtirpes, & arbores omnes; quæ, ut ſupra vidimus, vivere dicuntur, ſed interim ſenſus expertes ſunt. His proxime rurſus antecedunt, quæ non vivunt ſolum, ſed etiam ſentiunt, ut piſces, volucres, & beſtiæ omnes; quæ tamen non intelligunt vere, neque ratiocinantur, ſed ratione & mente deſtituuntur. Iſtis poſtremo in hoc mundo antecellit homo, qui non ſentit ſolum, verumetiam intelligit, & ratiocinatur; propter quod etiam, ut antea vidimus, cunctis aliis, ex divino decreto, dominari & imperare poteſt. Deeſt illi tamen unum, quod neque materia, ex qua conflatus fuit, nec domicilium illi datum, ullo modo ferre poteſt, ut ſit naturæ immortalis. Hanc adeptæ ſunt illæ res creatæ, quæ adhuc homine gradu uno ſuperiores ſunt; ſed & ex alia materia, ſi ita loqui licet, omnino conſtant, & proprium domicilium alibi habent, hoc eſt, ubi nulla varietas eſt, vel eſſe poteſt. Angelos autem hos eſſe novimus, qui tamen ab ipſo Deo, non minus quam finitum ab infinito, ſuperantur. Virtutem enim, poteſtatem, & ſcientiam, certis finibus circumſcriptam habent: potentiæ, auctoritatis, atque ſapientiæ infinitatem Deo ſibi reſervante. Quæ cum ita ſe habere, tu ipſe maxima ex parte negare non poſſis, quomodo affirmare audes, cum Dei conditoris præſtantia pugnare, res ab ipſo mortales creatas fuiſſe? quaſi quicquid Deus rebus à ſe creatis non dedit, eo ipſum quoque deſtitui cenſendum ſit; vel immortalitas leviſſimum aliquod donum exiſtimari debeat, quo nullam rem creatam ab initio caruiſſe, Dei munificentia omnino requirat; vel non multæ res creatæ ſint, in quibus multo majora vitia, quam mortalitas cenſeri debeat, ſemper extiterint; vel denique, ſi res immortales creatæ non fuerint, Dei, qui illas creavit, præſtantia in ipſis animadverti non poſſit. Nam hoc eſt, quod deinde dico, cum librorum illorum de providentia Dei conſcriptorum mentionem facio, quos non unum aut alterum eſſe affirmo, ſed omnes, qui id argumentum late

late pertractantes, rerum creatarum conſtructionem & qualitates conſiderant; quales ſunt decem illi libri ſive Sermones, quos Theodoretus de divina providentia accuratiſſime conſcripſit, in quibus, niſi memoria vehementer fallit, innumerabilia ferme argumenta præſtantiæ Dei, in rebus creatis, diligenter explicat, nuſquam appoſito, quod Deus eas ab initio immortales creaverit. Quis eſt autem, qui aliter ſentire poſſit, ſi tantummodo hominis & quarundam beſtiarum corporis fabricam & compoſitionem cum exteriorem tum interiorem conſideret? ex quibus maxima conditoris Dei præſtantia manifeſtiſſime elucet, nihil prorſus eam obſcurante, immo nulla penitus ratione ad hanc rem pertinente, quod homo & beſtiæ & nunc mortales ſint, & ſemper fuerint; niſi quatenus ex ipſorum corporis fabrica & compoſitione, quæ ſine dubio ſemper eadem fuit, clare liquet, & has & illum ſuapte natura nunquam immortales fuiſſe.

Sed jam, quæ ad comminationem & monitionem illam divinam pertinentia dixiſti, accurate examinemus. Affirmaveras in argumento tuo, cum ordine monitionis illius pugnare, quod ante Adami lapſum res eſſent mortales. Hic ego primum reſponſionis ea verba dixeram: Quid (quæſo) ad bruta ejuſmodi monitio? Quod perinde eſt ac ſi dixiſſem: Etiamſi tibi concederetur, ex comminatione illa mortis, naturalem immortalitatem omnino colligi; quid hoc ad beſtias, quibus nihil comminatus eſt Deus, quas tamen tu propter eam comminationem immortales eo tempore fuiſſe concludis? Ad hoc tu nihil reſpondes; quod tamen tanti ponderis eſt, ut in ea parte argumentationem tuam propter id ipſum funditus everti, liquido appareat. Niſi enim, homine immortali exiſtente, fieri non poſſe demonſtres, quin cæteræ quoque animantes immortales fuerint; nunquam ex monitione illa, beſtiarum priſtinam immortalitatem arguere poteris. Id autem quomodo demonſtrabis? Certe illi, qui ante te ex ea monitione hominis immortalitatem colligi poſſe exiſtimarunt, cæteras animantes ullo tempore immortales fuiſſe, ne per ſomnium quidem cogitarunt. Nonne aperte videmus, hominem cunctis animantibus, ab ipſo creationis exordio mirum in modum ſemper præcelluiſſe? Et ſi animæ immortalitatem, quam ab ipſo initio homini concedis, beſtiis quoque non denegas; cur corporis immortalitatem ab ipſo initio beſtiis denegare non potes, quamvis illam homini concedas? Itaque intelligis, argumentationem tuam, quod ad beſtias attinet, inanem plane eſſe. Addideram ea de re, quæ ex argumento tuo neceſſario manabat, propter delictum ſcilicet Adami, cætera quoque animalia ex immortalibus mortalia evaſiſſe, ne apicem quidem in univerſa ſacra ſcriptura extare: quin etiam ex comminationis illius poſt hominis lapſum explicatione, perſpicuum eſſe poſſe, nihil tale factum fuiſſe. Hic ſimiliter vel nihil reſpondes, vel ea dicis, quæ falſiſſima ſunt. Cum enim dicis, difficile non eſſe ex Sacris Literis probare id, quod omnes ſaniores tenent, cæteras res creatas nobis ſubjectas, participes eſſe hujus noſtræ miſeriæ, quæ redundavit in illas ex nobis, tanquam ex capite; (ſic enim tua verba habent) hujus noſtræ miſeriæ nomine, aut generatim, quicquid hominibus propter delictum illud accidit, intelligis; aut nominatim mortalitatem, quam tu nominatim fluxiſſe opinaris. Si omnia mala generatim intelligis, id ad rem noſtram nihil omnino facit. Quamvis enim id tibi concedatur, non tamen probatum fuerit, beſtias propter hominis delictum immortalitate privatas fuiſſe; niſi aliunde conſtet, eas ante delictum fuiſſe immortales. Poſſent enim beſtiæ participes eſſe omnium malorum, quæ homo tanquam pœnam ſui delicti ſubire coactus fuit, nec tamen mortalitatem, quam homo ea ratione ſibi comparaviſſet, inde contraxiſſe, quod videlicet jam antea ſuapte natura mortales eſſent. Sin autem mortalitatem nominatim intelligis, falſiſſima dicis. Nam neque Sacræ Literæ id unquam, ne leviter quidem, indicant; nec ſaniores omnes credunt. Quinimo neminem ſanæ mentis, præter te, qui neſcio quo pacto hac in re faſcinatus quodammodo videris, eſſe arbitror, qui cæteras animantes, propter hominis peccatum, ex immortalibus mortales evaſiſſe, vel affirmare vel cogitare audeat: quod ſi tamen verum eſſe oſtendiſſes, viciſſes profecto. Cur ergo, ſi ex Sacris Literis id probare difficile non eſt, ne ſyllabam quidem ex Sacris Literis profers, propter quam, ita rem ſe habere, vel ſuſpicari ſaltem liceat; præſertim id fieri poſſe, me diſerte pernegante? Nihil igitur penitus momenti habet reſponſio tua ad id, quod ego dixeram, diluendum. Quæ (ſi verba tua, ne inepte prorſus locutus fuiſſe videare, priore illo modo interpretemur) ad id tantum, quod ultimo loco dixeram, pertinere poteſt, dum ajebam, injuſtum futurum fuiſſe, ſi propter hominis delictum, cæteræ animantes innocentes, tam gravi pœna, qualis eſſet ex immortalibus mortales fieri, mulctatæ fuiſſent. Sic enim reſpondere videris: Non poſſe id injuſtum videri, cum ex Sacris Literis conſtet, cæteras animantes miſeriæ illius, quæ homini propter peccatum ſubeunda fuit, participes fuiſſe; quæ miſeria ex nobis, tanquam ex capite, in ipſas redundarit. Sed ipſis iterum rogo, cur, ſi Sacræ Literæ id aperte teſtantur, unicum ſaltem vel obſcurum teſtimonium ejus rei ex non profers? Ego quidem in univerſa Sacra Scriptura non memini me legiſſe locum unum, ubi dicatur, beſtias propter hominis primum illud delictum aliquam infelicitatem ſubiiſſe. Sed tantummodo ex hiſtoria illa animadverti, ſecundum quorundam ſententiam poſſe colligi, quædam mala, quæ cæteræ animantes ab hominibus patiuntur, paſſuras eas non fuiſſe, niſi Adamus peccaſſet. Nam (exempli gratia) ſi, ut illi putant, homine non delinquente, terra ipſa per ſe, nulla hominis opera aut induſtria adhibita, fruges omnes abunde ſubminiſtraſſet, non opus fuiſſet tauros jugo ſubmittere, aut aliis beſtiis in'aranda aut vertenda terra uti; & ita illæ hoc onus expertæ non fuiſſent. Quod tamen ita ſe habere iis non videtur, qui homine etiam non delinquente, terram nihilominus colendam fuiſſe affirmant. Cujus rei maximum indicium proferunt, quod ille ipſe hortus, ubi Adamus, primum collocatus fuit Gen. 2. 15, cultura indigebat, & jam Adamus adhuc innocens, ad eum non cuſtodiendum modo, verum etiam colendum poſitus fuerat. Nam quod in ſacra illa hiſtoria ſcriptum eſt Gen. 2. 6, aſcendiſſe vaporem è terra, ad irrigandam univerſam faciem terræ, cujus ope terra germinaret herbas, & virgulta omnia; pro eo tempore accipiendum eſt, quo primum herbæ & virgulta ex terra extitere, & homo adhuc non erat creatus, qui terram colere poſſet. Id autem liquet, partim ex illis verbis Gen. 2. 4: *Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt in die quo fecit Jehova Deus, cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, & omnem herbam agri, priuſquam germinaret.* Ex quibus intelligitur, ſermonem eſſe de eo tempore, quo primum terra Dei juſſu germinavit; Partim ex illis Gen. 2. 5: *Et homo non erat, qui coleret terram.* Quæ verba manifeſte loquuntur de exiguo illo tempore, quod Adami creationem anteceſſit, quod ideo dicitur à Moſe, ut divina potentia recte agnoſcatur; neque quiſquam ſit, qui ſuſpicari poſſit, herbas, & fruges illas non ſine hominis opera è terra exiſtere potuiſſe. Quid vero poſt hominem creatum factum fuerit, & qua ratione poſtea herbas & fruges terra produxerit, ſeu potius productura eſſet, non aperte explicat Moſes; ſed ex eo, quod jam diximus, de horto illo, cui colendo homo vacare debebat; & ex verbis illis: *Et homo non erat, qui coleret terram*, ſatis demonſtrari videtur, etiam ante peccatum, ſive homine non peccante, terram ab ipſo homine coli debuiſſe Gen. 3. 19. Neque explicatio illa comminationis divinæ, in qua hominem, quia deliquiſſet, comeſturum ex terra in labore dicitur, & in ſudore ſui vultus Gen. 3. 19, contrarium ſuadent. Homo enim poſt peccatum, non modo terram colere debuit, quod & antea faciebat; ſed loco terræ fœcundiſſimæ

diſſimæ & ad colendum facillimæ, qualem in horto illo fuiſſe credendum omnino eſt, terram habere à Deo propter ipſum maledictam, quæ ſcilicet non niſi ſæpius & diligenter culta fructum ferret, eumque mediocrem, & ſpinis & tribulis undique obſita eſſet, adeo ut ex ea non ſine ſudore res ad victum neceſſariæ percipi poſſent. Ad ea autem, quæ in horto illo ipſi Adamo conceſſerat, Deum reſpexiſſe, cum comminationem ſuam explicavit, probat id, quod ibidem illi futurum prædixit, ut comederet herbas agri. Perinde eſt enim, ac ſi dixiſſet: Non arborum illarum, quas in horto conſeveram, fructibus optimis & ſuaviſſimis amplius veſceris, ſed herbas agreſtes poſthac comedes. Non eſt igitur in conceſſo, non arandam & vertendam fuiſſe terram, ſi homo non peccaſſet; præſertim cum jam orbis terrarum hominibus repletus fuiſſet, & alibi, quam in horto illo, pleriſque commorandum eſſet: maxime vero cum non deſint, qui velint, maledictionem illam terræ nihil aliud mali illi attuliſſe, niſi quod ea, quæ naturalia erant, neceſſaria effecerit, ita ut homo ea non amplius tanquam naturalia, ſed tanquam delicti ſui pœnas agnoſcere debear. Quibus ego, cum Chriſtus à peccati pœna nos liberaverit, hæc tamen non ſuſtulerit, libenter accedo. Quodſi animantes ea mala, quæ, dum homo fructus è terra percipit, ſentiunt, paſſuræ vel omnia vel majore ex parte erant, etiamſi Adamus non deliquiſſet; adhuc videre non poſſum, quid mali ex hominis delicto in beſtias redundaſſe, ex Sacris Literis colligi poſſit; quæ tamen mala, quomodocunque ea contigiſſe velimus, ad paucas omnino animantes pertineat; ita ut eorum malorum & ſimilium cauſa, dici nulla ratione poſſit, ex nobis, tanquam ex capite, miſerias noſtras, quas propter primi hominis delictum ſubire coacti fuimus, in cæteras animantes derivatas fuiſſe. Et quidnam miſeriarum propter ejuſmodi mala ex nobis in illas derivari potuit, poſt Adami lapſum; cum jam hominis imperio, ita Deo ſtatuente, ſubjectæ prorſus eſſent? Quo fit, ut contra quam tu affirmas, plerique eorum, qui inter ſaniores habentur, beſtias poſt hominis delictum feliciores quam ante, facere videantur, quippe quas ab homine quodammodo defeciſſe, & ipſius jugum, poſtquam is lapſus fuit, maxima ex parte excuſſiſſe velint.

Verum, cum divinis teſtimoniis penitus deſtitueris, conatus es quadam ratione oſtendere, injuſtum cenſeri non debere, ſi homini propter ejus delictum, mortalitatis pœna à Deo inflicta, cætera quoque animantia eandem miſeriam ſubierunt: quam diligenter examinabimus, ſi prius, quid potiſſimum ego ex Sacris Literis ad idem confirmandum depromi poſſe credam, veritatis indagandæ gratia attulero atque expendero. Quod igitur animalia univerſa, propter hominem à Deo una cum ipſo homine graviter affligantur, illuſtre admodum exemplum habemus in diluvio, quo non minus animantes univerſæ, quam homines ex divino decreto perierunt. Sed propter hominem id à Deo factum fuiſſe, evidenter oſtendunt verba illa ad finem 8. cap. ℣. 21. Gen. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter hominem. Senſus enim* (vel potius, *Quia ſenſus*) *& cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt*, (vel potius, *ſint*) *ab adoleſcentia ſua. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, ſicut feci.* Apparet ex his verbis, propter hominem, & propter ipſius ſcelera, perdidiſſe Deum cætera omnia animantia. Sed animadvertendum eſt ſimul, hoc diluvii exemplum ad diſputationem noſtram non ita bene accommodari poſſe. Neque enim dixi ego, divinam juſtitiam non pati, ut innocentes animantes propter hominis delictum affligantur, ſed, ut tam graviter puniantur. Siquidem graviſſime eſſent punitæ, ſi immortalitate privatæ fuiſſent. Nam id mali propter hominem expertæ eſſent, à quo natura quam longiſſime aberant, & quod alioqui nunquam eas attigiſſet. At in diluvio, quamvis mortem ſint animantes ſubire coactæ, quam grave eſſe malum non diffiteor; illi tamen jam natura obnoxiæ erant, & eam ſubire nihilominus aliquando debebant. Quare non videtur à Deo ejuſmodi injuriam illis factam fuiſſe, ut de eo conqueri poſſent, ſi, dum ipſarum dominum, qui id commeritus fuerat, perdere voluit, ipſas quoque eodem genere mortis perdidit; præſertim, cum per diluvium homini vita eripi non poſſet, quin beſtiæ quoque una cum eo perimerentur: quem hominis perdendi modum, cur potius quam alium eligere voluerit Deus, nobis curioſe indagandum non eſt; ſed ejus rei cauſa, quam optimam & digniſſimam eſſe oportet, ipſiuſque vera cognitio, Dei occulto judicio tota eſt relinquenda. Cum vero Deus, ut quidem tu vis, homini propter delictum immortalitatem naturalem ademit, nihil prohibebat, eandem immortalitatem beſtiis, quæ nihil deliquerant, integram perdurare; ut paulo poſt probabimus. Deinde in hoc diluvii exemplo, unum conſiderandum cenſeo, quod neſcio an à cæteris animadverſum fuerit. Illud autem eſt, quod non homo ſolus, ſed cætera quoque animalia à recta via deflexerant; ut aperte ex hiſtoriæ verbis colligitur. Sic enim ibi ſcriptum eſt Gen. 6. 12: *Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram: dixit ad Noë, Finis omnis carnis venit coram me*, &c. Ex illis enim verbis: *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſemper terram*; apparet, non hominem tantum, ſed omnes animantes deflexiſſe. Cuicumque nimirum animantium generi naturaliter à Deo ſua via, per quam gradiatur, præſcripta eſt. Quodſi de homine tantum loqui voluiſſet, non erat, quod viæ cujuſcunque carnis mentionem faceret; quaſi hominibus ſingulis certa quædam ſingularis via ab ipſo præſcripta fuiſſet. Per omnem autem carnem hoc loco omnes homines tantummodo non ſignificari, ex eo præterea conſtare poteſt, quod ait Deus Gen. 6. 13: *Finis omnis carnis venit coram me*: nec enim de hominibus tantum, ſed de omnibus animantibus id dictum eſſe, & ex præcedentibus verbis illis apertum eſt: *Delebo hominem quem creavi à facie terræ, ab homine uſque ad animantia*, &c. Et multo apertius ex iis, quæ infra poſita ſunt: *Ecce ego adducam aquas diluvii ſuper terram, & interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cœlum.* Ne aliquid dicam de eventu ipſo, qui, rem ſic ſe habere, manifeſtiſſime oſtendit. Quid igitur mirum, ſi Deus omnes animantes perdidit una cum homine, diluvii aquas univerſo terrarum orbi immittens, cum omnes animantes viam ſuam corrupiſſent?

At dicet quiſpiam, quomodo poſſunt beſtiæ, cum ratione careant, ita errare, ut culpæ alicujus vere ſint affines, & puniri mereantur. Non poſſunt quidem beſtiæ, nec tam graviter, nec in iiſdem pleriſque rebus delinquere, in quibus homo delinquit; ſed delinquere tamen poſſunt, id eſt, ut diximus, & Deus ipſe loquitur, à quadam via ſibi naturaliter præſcripta aberrare atque deflectere, adeo ut merito puniri queant. Hujuſce rei præclara teſtimonia habemus, non ſolum in Moſis lege Levit. 20. 15, & 16, in qua beſtiæ quibuſdam de cauſſis graviſſime puniuntur, veluti cum jumentum interfici jubetur, cum quo vir aut mulier cojerit, ſed etiam in illis Dei verbis ad Noë Gen. 9. 5: *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis.* Quibus in lege conſentit illud Exod. 21. 28, quod bos cornupeta, qui hominem occiderit, lapidibus obrui debet. Natura enim ipſa animantes monet, non debere eas cum homine ſe commiſcere; & ipſum illis reverendum eſſe, non modo non occidendum. Nec vero, quia propter hominem Deus terram cunctis animantibus privavit, eamque deformavit, propterea dicendum eſt, hominem ſolum, non etiam cæteras animantes deliquiſſe. Tametſi enim animalia cuncta deliquerant, quæ ſi non deliquiſſent, fortaſſis diluvium non extitiſſet; non tamen propter beſtiarum delictum, ſed propter hominum iniquitatem, aquis omnia quæ in terra erant, à Deo deleta fuere. Et ob eam cauſam inquit Moſes Gen. 6. 5: *Videns autem Jehova, quod multa malitia hominis eſſet in terra, & cuncta cogitatio*

cogitatio cordis ejus intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra. Et contriſtatus in corde ſuo; delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cœli. Pœnitet enim me feciſſe eos. Narratur prius cauſa, quæ Deum vere ad diluvium immittendum orbi terrarum impulerit, Deinde vero, ne quid injuſte factum ab ipſo fuiſſe, quiſquam ſuſpicari poſſit, expreſſe ut vidimus, additur, non hominem tantum, ſed univerſa quoque animantia à recta via aberaſſe, & terram ejuſmodi corruptione repleviſſe. Beſtiarum autem conſervandarum Deum rationem habere, neque eas ſine maxima cauſa immerentes perdere ſolere, indicat finis hiſtoriæ Jonæ Prophetæ; cui Deus inter cætera, quæ ipſum à perdenda civitate Ninivitarum revocaverant, id dicit fuiſſe, ne tot jumenta, quæ in ea erant, perderet; & tamen, niſi homines Ninivitæ reſipuiſſent, ſimul cum eis, ut prædixerat, ipſa quoque perdidiſſet; quamvis homines perimere, jumenta autem conſervare potuiſſet. Modus enim perdendi homines, quem elegerat, id eſt, civitatis ſubverſio, jumentorum quoque quæ in ea erant, perditionem ſecum neceſſario trahebat. Hoc autem idcirco dicere volui, ut appareat, verum eſſe id, quod in initio diximus, ceſſare injuſtitiam, cum homo perdi omnino debet, ſi beſtiæ quoque, quibus nihilominus aliquando moriendum eſt, quamvis immerentes perduntur; cum genus mortis, quo perdendus eſt homo, beſtias quoque attingat neceſſe eſt: & hanc ob cauſam, non injuſtum vere Deum futurum fuiſſe, etiamſi in homine aquis diluvii perdendo, beſtiis, licet immerentibus, non pepercisſet.

Nunc videamus, qua tu ratione injuſtitiam ab eo facto, de quo agimus, removere tentes; & nemini mirum videri poſſe, ſi cunctæ animantes, quamvis innocentes, immotalitate privatæ fuerint, demonſtrari poſſe credas. Ea in verbis tuis ſupra relatis continetur. Dicis enim id eveniſſe, quia ex homine, tanquam ex capite, in cæteras animantes ejus miſeria redundaverit: ac ſi dicas, quod animantes cunctæ immortalitate privatæ fuerint, hoc non ex Dei quodam ſingulari decreto provenit, ſed ex natura rei: neceſſe enim fuit, ut homine qui earum caput eſt, mortali effecto, ipſæ quoque mortales fierent; & idcirco earum mortalitatis cauſam extrinſecus adveniſſe ais, quæ ſcilicet non ſolum ab ipſis animantibus ortum non duxerit, ſed nec etiam ex voluntate divina revera manaverit. Adfers ſimilitudinem regni, quod, rege ægrotante, totum dolet; & dicis, non ſecus homine corrupto, qui in terreſtribus rex erat, totum hoc terreſtre regnum corruptioni obnoxium eſſe.

Quam iſthæc tua ratio inanis, & ſimilitudo à te allata parum appoſita ſit, verbis explicari non poſſe credo. Videamus primum de ratione. Hominem caput cunctarum rerum terreſtrium eſſe vis. Sed adverte, non enim verum caput, ſed metaphoricum eſt, & ita metaphoricum, ut non in omnibus vero capiti reſpondeat, ſed in quibuſdam. Caput eſt homo cæterarum animantium, (ut alia terreſtria nunc omittamus) non quia ex ipſo, tanquam ex capite, influat aliquid in cætera animantia tanquam in membra, ſed quia ſicut caput in corpore principem locum ut ſitu, ſic dignitate, & præſtantia obtinet, & membra omnia moderatur ac regit; ita homo inter alias animantes omnes principatum dignitatis, & præſtantiæ ſortitus eſt, & illis imperat ac dominatur. Quid quod ex vero etiam capite in vera membra nihil propemodum ea ratione, qua ex homine in cæteras animantes mortalitatem derivatam fuiſſe vis, unquam influere videmus? Si caput dolet, languent quidem cætera membra, ut vulgo dici ſolet, non vere dolent tamen Sed dolor in ipſo capite tantum eſt. Si caput percuſſum fuerit, concutiuntur quidem quodammodo membra; non tamen ipſa vere percuſſa ſunt, ſed caput ſolum. Atque non modo ſi caput ipſum affligatur, hæc in corpore eveniunt; verum etiam, ſi aliud quodpiam membrum male habeat totum corpus ejus incommodi particeps ſit, quanquam modo plus, modo minus, prout membrum fuerit, quod affligitur; inter quæ, quia, ut diximus, caput omnibus præſtat, non dubium eſt, nullum eſſe, ex cujus malis tantum incommodi ſentiat corpus, quantum ex capitis malis. Si caput vel natura vel caſu male interius affectum ſit, fluit quidem ex illa mala affectione detrimentum aliquod in reliquum corpus; non tamen cætera membra eodem vitio laborant. Nec caput ſeu cerebrum ſolum eſt, ex quo male affecto, malum aliquod in reliquum corpus derivetur; ſed cætera quoque ex interioribus præcipua membra, ut ventriculus, jecur, & cor. Itaque vides nullo pacto fieri potuiſſe, ut ex homine quamvis cæterorum animantium capite, ipſa mortalitas derivata fuerit, quam alioquin ipſæ experturæ non fuiſſent.

Quid autem de ſimilitudine dicam? Si ægrotat rex, dolet quidem totum regnum; non tamen ipſum vere ægrotat. Quinetiam optime valere poteſt regnum univerſum, rege interea graviſſime ægrotante. Ut interim taceam, tunc demum dolere regnum rege ægrotante, ſi rex illi carus atque acceptus fuerit. Homo autem, quod carus & acceptus fuerit animantibus, nullo modo apparet. Quinimmo, ut paullo ante diximus, plerique volunt, illico poſt ipſius hominis delictum, animantes ab ipſo quodammodo defeciſſe & rebellaſſe, tantum abeſt, ut ejus vicem doluerint. Sed ſimilitudo iſta, quæ tolerabilius, ut puto, quam tu feceris, explicari poterat, ut à te explicata fuit, adeo cum eo, de quo quærimus, nihil commune habet, ut de ipſa nihil amplius dicere præſtet.

Ex iis, quæ dicta ſunt, planiſſimum fit, rationem, & ſimilitudinem tuam, quibuſdam etiam tibi datis, quæ partim prorſus falſa ſunt, partim aut falſa, aut certe valde dubia apparent; nihil aliud nobis poſſe ſuadere, niſi animantes omnes, homine ex immortali, mortali ſua culpa effecto, aliquem dolorem aut detrimentum inde cepiſſe: mortales vero ex immortalibus factos fuiſſe, nullo penitus modo, ne indicare quidem poſſe. Si rationibus hic agere volebas, oſtendendum tibi erat, vel non potuiſſe, vel non debuiſſe, homine immortalitatem amplius non habente, beſtias immortalitatem retinere. Sed neutrum præſtare potuiſſes. Ut enim de priore prius dicamus, quomodo id unquam demonſtraſſes, cum nihil à Deo poſt hominis delictum, neque in cœlo neque in terra novatum fuerit, quod ad mortalitatem rebus creatis inferendam, aliquid momenti habeat; ſed eadem omnia etiam ante extarent. Hinc, fit, ut ſi velimus hominem poſt illud erratum ex immortali mortalem evaſiſſe, neceſſe ſit fateri, efficientem hujuſce rei cauſam alibi quam in iis, quæ cæteris animantibus in hac vita cum homine ſunt communia, reſidere. Quare nihil eſt omnino, quod homine mortali effecto, beſtias immortales eſſe non ſinat; & ſi eſſet, idem homini contigiſſet, ſi ipſis beſtiis mortalitas primum inferenda fuiſſet. immo, ſi vel uni ex ipſis immortalitatem adimere voluiſſet Deus, cæteris quoque & ipſi homini eadem fuiſſet adimenda: quod & abſurdiſſimum plane eſt, & ſimul nihil referre hac in re demonſtrat, utrum id ex univerſis animantibus, quod immortalitate privari debuiſſet, caput an cauda hujus terreſtris corporis eſſet.

Alterum, quod erat, homine immortalitatem amplius non habente, beſtias immortalitatem retinere non debuiſſe; hoc eſt, non decuiſſe, ut rege mortali effecto, ejus ſubjecti immortales perdurarent, fruſtra etiam oſtendere tentaſſes. Nihil enim magis decet, quam ut juſtitia ſervetur. Quapropter, ſi rationi conſentaneum non erat, ut beſtiæ homini ſubjectæ immortales eſſent, cum ipſe homo mortalis foret; ab hac ſubjectione potius eximendæ erant, quam ſine ulla ipſarum culpa immortalitate privandæ, & tam gravi pœna immerentes afficiendæ. Id enim decenter mortalitatis pœnam, quam homo meritiſſime ſubierat, conſecutum eſſet, & divinæ juſtitiæ præclariſſimum exemplum in perpetuum fuiſſet. Quodſi nullo modo eo imperio homo privandus erat, ſatius tamen fuiſſet, indecentiam illam,

illam, ut ſic dixerim, quod princeps mortalis eſſet, ſubjecti autem immortales, quam id, quod multo magis indecens erat, admittere, & innocentiſſimis beſtiis tam inſignem injuriam facere. Quanquam mihi adhuc non conſtat, quidnam ita indecorum ea in re futurum eſſet, ut ancipitem quodammodo Dei deliberationem reddere poſſet; cum videamus, res cæleſtes, & terram ipſam, quas ut ſupra demonſtravimus, certum eſt homini inſervire, & ad ipſius uſum potiſſimum conditas fuiſſe, quamvis vere immortales non ſint, eam tamen durationem, ut ita dicam, & perpetuitatem habere, quæ vice immortalitatis eſſe poſſit. Donec enim hæc animalis vita fuerit, donec generatio advenerit, & generatio præterierit, non ſolum, ut inquit Salomon, terra ſtabit, ſed cœlum etiam, & omnes res cœleſtes. Quid igitur abſurditatis in eo fuiſſet, ſi, hominibus naſcentibus & intereuntibus, beſtiæ interim immortales permanſiſſent, & nihilominus homini perpetuo deſerviiſſent? At, inquiet aliquis, cum beſtiæ jugiter multiplicarentur, ſi hominibus intereuntibus, ipſæ immortales fuiſſent, homines brevi tempore numero ita ſuperaſſent, ut eos opprimere potuiſſent. Quaſi vero, poſtquam terram repleviſſent, quod Deus fieri volebat, à procreando Dei juſſu ceſſare non potuiſſent; & antea ejuſdem providentia ita multiplicari, ut hominum paucitati obeſſe non poſſent. Mitto, quod non ſecus ac Rex ſubjectorum multitudine non opprimitur, ſed ſublimior fit, ac roboratur; homo beſtiarum, quibus imperaſſet, ingenti multitudine oppreſſus non fuiſſet, ſed glorioſus magis & validior factus eſſet. Jam vero, homine perpetuo generante, & uno in alterius locum continenter ſuccedente, ea mortalitas quæ in ipſo eſt, quod attinet ad ejus in cætera animantia dominatum, non modo aliquid incommodi non adfert, ſed prorſus non apparet, idem enim omnino eſt, ac ſi iidem plane homines perpetuo viverent. Atque ex his (ut alia præteream, quæ ad hoc idem confirmandum dici poſſent) ſatis intelligi poteſt, hominis mortalitatem cum beſtiarum immortalitate non indecenter ſtare potuiſſe, tantum abeſt, ut ejus rei vitandæ cauſa, graviſſima injuria beſtias affici neceſſe fuerit.

Sed iis omiſſis, quæ dicere paullo convenientius potuiſſes, reliqua, quæ ad objectionem meam refellendam attulifti, conſideremus. Addis igitur, ut rationem illam tuam confirmes, quod ſcilicet ex nobis, tanquam ex capite, in cæteras animantes miſeria, in quam propter Adami delictum incidimus, redundarit, hujuſce rei manifeſtum indicium eſſe, quod multæ beſtiæ ſe invicem vorent: quæ miſeria & ἀλόγια non niſi propter hominis delictum illis contingere potuit; cum ante delictum res multo aliter ſe haberet. Atque, tanquam neceſſe ſit, vel ante delictum idem fuiſſe, vel id propter delictum accidiſſe, multus in hoc es, ut demonſtres, idem ante delictum non fuiſſe. Neque ut tibi ipſi, & tuis commentis indulgeas, id ſaltem vides, quod alioquin multo perſpicacius videre poſſes, neutrum ſcilicet neceſſarium eſſe. Quid enim prohibet, poſt hominis delictum, alias animantes non propter ipſum hominis delictum, ſed propria culpa viam ſuam, ut ſcripturæ verbis utar, corrupiſſe? Immo vero, cur propria ipſarum culpa, non autem aliena id contigiſſe non affirmabimus, cum ob eam ipſam cauſam graviter à Deo & punitæ fuerint, & puniantur, ut ſupra demonſtratum eſt? Hinc perſpicuum fit, quam parum apte probare coneris, ante hominis delictum id non fuiſſe, quia naturale non eſſet; nec à Deo in prima creatione inſtitutum. Quaſi ante illud tempus jam propria culpa beſtiæ à divino primo inſtituto recedere non potuerint. Præterea quid quæſo, commune habet hominis delictum cum beſtiis? aut quam vim in eo peccato fuiſſe animadvertere poſſumus, ut animantibus in primo ſtatu non perſiſtendi cauſam dederit? Certe, ut modo de ipſarum mortalitate dicebamus, quam ex hominis mortalitate proveniſſe ajebas, neceſſe eſt, id vel ex natura rei, id eſt, illius peccati contigiſſe, vel ex divino decreto; quia nimirum, ſic fieri debere Deus cenſuerit. Si ex natura illius peccati id profectum fuiſſe velis, quid inſulſius excogitari poteſt? Non poterant ergo beſtiæ in officio perſeverare, homine ſemel delinquente? Qua tandem ratione? Num propter exemplum? At exempla nullam neceſſitatem adferunt, ſed movent tantum. Quod ſi ſecus eſſet, nemo fere noſtrum in delictis ſuis magna ex parte excuſatione dignus non foret. Sed quid dico? Credimus ne beſtias, cum homo deliquiſſet, id intellexiſſe, & delicti illius exemplo ad delinquendum permoveri potuiſſe? Quis harum nugarum vaniſſimam vanitatem ferre poſſit? Num propter occultam aliquam vim, quæ ex ipſo delicto manans, ad beſtias omnes penetraverit, & eas contagio quodam interius infecerit? At ipſum delictum nihil vere ſubſiſtens eſt, ſed actionis duntaxat qualitas quædam, ſive ut plerique velle videntur, qualitatis defectus: & ſi res vere ſubſiſtens eſſet, non tamen vim aliquam ea ratione inficiendi habere poſſet, ſed exemplo tantum. Quodſi non ex natura ipſius delicti, ſed ex divino decreto ἀλόγια iſtam, quæ in beſtiis conſpicitur, profectam fuiſſe contendas; quid quæſo, non dicam abſurdius, ſed magis impium dici poteſt? Ergo Deus, quaſi homo, cum ira percitus eſt, poſtquam vidit hominem mandato ſuo non paruiſſe, ordinem pulcherrimum, quem ipſe in omnibus creatis rebus inſtituerat, tantæ contumeliæ impatiens, perturbavit atque confudit; & (ὸ blaſphemiam execrabilem) neſciens quid ageret, ut non homo ſolum, ſed cæteræ etiam animantes in poſterum contumelioſæ quodammodo in ipſum eſſent, & voluit & effecit; & ita, dum injuriam ſibi illatam ulciſci ſtudet, in ſeipſum ſæviit, & majeſtatem ſuam ac nominis gloriam multis modis minuit, atque ignominia affecit. Nunquid non torus horres, cum hæc audis? Sed profecto, vel illas ſuperiores nugas dicas oportet, vel in haſce horribiles blaſphemias incidas, ſi propter primi hominis delictum beſtias à creatoris inſtituto receſſiſſe velis. Quid autem unquam excogitare poteris, propter quod, cum Adamus delictum illud commiſiſſet, Deus præter rei naturam, & contra ſui ipſius decus, decere judicaverit inſtituta ſua abrogari, atque perverti? Non igitur vel Plinio, vel cuipiam alii cordato viro perſuaderi unquam potuiſſet, lanienam hanc, quam inter beſtias videmus, cauſam extrinſecus habuiſſe, propterea quod homo ab ipſo initio deliquiſſet; nec, ſi quoquo modo id illis perſuaderi potuiſſet, eorum admiratio hac ratione ulla ex parte ceſſaſſet, immo potius aucta mirum in modum fuiſſet, poſtquam cauſam multo abſurdiorem & iniquiorem ipſo effectu cognoviſſent. Sed ut mirari deſinerent, omnia ſenſim à primo naturæ inſtituto degeneraſſe, ut ante diluvium Sacræ Literæ jam eveniſſe aperte teſtantur, illis oſtendendum fuiſſet, & argumentis non obſcuris demonſtrandum; quamvis beſtiæ naturæ fere obediant, & vere voluntatis uſum non habeant, non pauca tamen interdum facere præter terminos ſibi à natura conſtitutos, à quibus abſtinere poſſent; veluti cum ſe cibis ita ingurgitant, ut tamen abunde expleri ſatis non habeant, ſed ad os uſque ipſum ſe infarciant, adeo ut non leviter ſibi ipſis aliquando noceant, (quod certe à natura, quæ ipſorum utilitati ſtudet, proficiſci non poteſt) & quamvis id illis ſæpius contigerit, eodem tamen denuo recidant, nimia ingluvie ad illud ipſum, à quo naturaliter revocantur, conſulto, ut ita dicam, properantes: cujus rei non leve indicium eſſe poteſt, quod ejuſdem generis beſtiæ, & eodem etiam partu editæ, aliæ aliis modeſtiores quodammodo ſunt, vel propter educationem, vel aliqua alia de cauſa. Ex quo apparet, ad tantam ingluviem eas non natura tantum duce rapi, ſed propria etiam culpa pertrahi.

Cætera, quæ hujuſce diſputationis occaſione toto hoc capite abs te dicuntur, ſi ejuſmodi fuerint, ut ad confirmationem ſententiæ tuæ pertinere videantur, infra ſuis locis examinabuntur: quæ vero ad inſtitutum noſtrum

ſtrum nullo modo pertinent, attingere nolui: præſertim id quod tanta conſtantia aſſeveras, mundorum & immundorum animalium etiam ante Moſem inſignem notam extitiſſe, quod ea munda cenſerentur, quæ primis tantum cibis à Deo inſtitutis uti pergerent; immunda vero, quæ aliis etiam cibis veſcerentur. Quod cujuſmodi ſit, alii judicabunt, quibus hæc tua, aut cujuſvis illa ſint, inventa expendendi otium fuerit. Mihi quidem perſuaſiſſimum eſt, nonnulla animalia ſecundum Moſis regulam munda eſſe, quæ à primo illo inſtituto receſſerint: nonnulla rurſus immunda, quæ in eo perſeveraverint. Id autem dicam, te, cum propter Adami delictum ἀθεΐαν inter beſtias extitiſſe probare velles, & ipſas quoque à primo Dei inſtituto receſſiſſe oſtendere, appoſito exemplo uſum non fuiſſe; cum magna pars beſtiarum adhuc primis illis cibis contenta ſit. Nam aliquid proferre debueras, in quo animantes omnes propter hominis peccatum, non minus quam ipſe homo, à divino inſtituto receſſiſſent; non aliter atque omnes ex immortalibus mortales effectas eſſe propter mortalitatem, quæ homini ſupervenit, omnino contendis. Neque tacite aliquo modo id præteribo, quod, ut injuſtitiam, quæ in eo divino decreto fuiſſet, aliquantulum minuas, addere non dubitaſti, omnes ſcilicet res creatas, in ſeculi conſummatione una cum homine ab interitu & corruptione liberandas eſſe; inter quas, tum quia dicis Omnes, tum quia aliter ad propoſitum non faceret, non eſt dubitandum, quin beſtias quoque recenſeas, & quidem omnes, quæ unquam fuerunt, aut futuræ ſunt; quamvis poſtea de iis tantum, quæ ante corruptionem, ut tu loqueris, creatæ ſunt, verba tua accipi velle videaris. Sic enim ais: *Quod autem nonnullis videtur abſurdum, ſi concedant cætera animalia, quæ ante corruptionem creata ſunt, renovanda aliquo modo eſſe; neſcio ſane, quid incommodi in eo videant.* (in quibus verbis illud etiam notandum eſt, quod dicis *Aliquo modo*; quaſi à mortuis excitari, & ab interitu & corruptione liberari, ſit aliqua renovatio, non autem integra atque perfecta) Quæ verba quo conſilio ſcripſeris, ipſe noſti. Illud ego ſcio, te nihil ejus, quod quæris, effecturum, niſi omnes beſtias & ante & poſt peccatum primi hominis renovandas eſſe demonſtres. Sed ſive hoc, ſive illo modo opinio tua intelligenda ſit, eam, iis divinarum literarum teſtimoniis, quibus eam comprobare tentaſti, non leviter excuſſis, examinare libet. Tametſi enim ad inſtitutam diſputationem noſtram aut parum aut nihil facit; (nam ſi, ut videtur, ad minuendam aliqua ex parte illam injuſtitiam, eam protuliſti, parum iſtud eſt: neque enim ut argumentatio mea diluatur, aliquantum minui, ſed penitus tolli debet: ſin autem, ut ex ea priſtinam omnium animantium immortalitatem confirmes, id prorſus ſupervacaneum & nihil eſt; cum hominem renovandum eſſe conſtet, quem tamen immortalem creatum fuiſſe nego) tamen cum ex ea opinione multum mali conſequi poſſit, plus otii nactus, quam cum ad prius ſcriptum tuum reſpondi, in quo idem aſſeverabas, eam à veritate quam longiſſime abeſſe, ut vere abeſt, demonſtrandum eſſe cenſui. Et, antequam ad tua teſtimonia reſpondeo, quibus explicatis, concidat commentum iſtud tuum neceſſe erit; operæ precium eſt, quædam tua verba accuratius perpendere. Inquis enim, poſtquam opinionem tuam recitaſti: *Quæ doctrina, ſi bene guſtetur, eſt miræ conſolationis, & maxime conſentanea magno artifici & conditori Deo, qui nihil odit eorum, quæ facit, & creavit, ut eſſent omnia, nec eum pœnitet, ſi quid alicui dedit.* En virus nocentiſſimum iſtius tui monſtri. Nam, cur obſecro, iſthæc doctrina eſt miræ conſolationis, præſertim ſi bene guſtetur? Non ſane, (ut tibi quidem videri poteſt) niſi quia ſalutis viam nobis latiſſimam proponit, ſi conſectiones, quæ inde deduci poſſunt, diligenter animadvertantur. Nam ſi Deus ita clemens & benignus eſt, ut beſtias ipſas ratione expertes, & rerum divinarum cognitione carentes, quæque nihil unquam, ut vere ipſi obedirent, vel facere vel pati potuerunt, renovare, & à corruptione atque interitu vindicare decreverit; quid cenſemus eum de homine decreviſſe, quem mente ac ratione donavit, & cui ſeipſum patefecit, ſi is ipſi obedire non prorſus recuſet, & ab ipſo penitus non deficiat, quamvis, dum in hac vita mortali degit, & infirmitate carnis circumdatus eſt, nonnullis cupiditatibus & carnalibus deſideriis implicitus ſit, & vitam etiam vivat mollem & voluptariam? Non eſt profecto credendum, eum tam ſeverum & rigidum futurum, ut ejuſmodi hominem, qui ſe ipſius inimicum plane non conſtituerit, ad beatam immortalitatem, ad quam conditus fuit, omnino tandem non evehat, atque perducat. Hanc autem eſſe poſſe miram illam conſolationem, quam tu ex opinione tua bene guſtata trahi credis, ſatis indicant illa verba, *Qui nihil odit eorum quæ fecit, & creavit ut eſſent omnia, nec eum pœnitet, ſi quid alicui dedit*; (de quibus poſtea agemus) iis juncta, quæ decimo cap. ſcripſiſti, ubi ais, exitium non impendere niſi iis, qui averſi à creatore malum vitæ inſtitutum ſequuntur, cum in credendis, tum in agendis, & ſibi cumulant indignationem divini numinis. Quæ verba licet ita intelligi poſſint, ut ex ipſis ſententia, quam modo dixi, non eliciatur; per ea tamen, quæ infra non uno in loco, & præſertim in eodem capite 10, à nobis dicentur, me non male conjeciſſe conſtabit. Et quænam alia mira conſolatio ex dogmate tuo, de re futura & incerta, derivari poteſt, quæ non multo magis multoque uberius ex innumeris aliis rebus jam præteritis & certiſſimis percipiatur, ſi ea non mira tantum, ſed etiam haud aliquo modo inanis eſſe debet. Quod enim attinet ad Dei benignitatem, ex qua omnis noſtra vera conſolatio proficiſcitur, de ea nobis promittere, contra id, quod ipſe decrevit, ſumma ſtultitia eſt. Decrevit autem Deus iis, quibus per Chriſtum filium ſuum ſe patefecit, ita demum vitam æternam dare, ſi ipſius Chriſti in hoc mundo ſimiles fuerint, hoc eſt, ut Pauli verbis utar Tit. 2. 12, abnegata impietate & mundanis deſideriis, ſobrie, juſte, & religioſe vivant, in præſenti ſeculo. Qui ſecus fecerint, eos, ex ejuſdem Dei immutabili decreto, æternum exitium manet. Hujus autem benignitatis, ex qua ſola nos, qui ſub Chriſto militamus, univerſam conſolationem noſtram in mediis etiam hujus mundi malis ducere poſſumus, num teſtimonium aliquod quæremus in renovatione futura beſtiarum? quas, ſi tamen renovandæ eſſent, cur ad vitam immortalem reſtituere vellet Deus, perfecte ſcire non poſſemus, ut ex quarum futura immortalitate ſi quid colligere liceret, (præſertim ſi omnes beſtiæ, quæ unquam fuerint, ea donandæ eſſent) nemo eſt tam impius, qui ſe æternam vitam conſecuturum eſſe ſperare non deberet. Nonne potius divinæ ejus benignitatis certiſſima indicia in vita, morte, & reſurrectione Jeſu Chriſti animadvertemus; unde manifeſte intelligere poſſumus, ipſum Jeſum, qui eam benignitatem nobis & nunciavit, & promiſit, veriſſima dixiſſe, & apertiſſimo exemplo doceri, quod, ſi ipſius Chriſti veſtigia ſecuti fuerimus, univerſæ mundi calamitates, & ipſa mors, quantumvis atrox & ignominiæ plena, nihil penitus nobis obeſſe poterunt; ſed iis devictis ac ſuperatis, beatiſſimam & immortalem vitam adipiſcemur? Ex hoc fonte nihil unquam manabit, niſi ſincerum atque puriſſimum, neque ex eo inanem quandam confidentiam, quæ Dei univerſam nobis benignitatem eripit, haurire quiſquam poterit. Sunt permulta alia Dei opera ac teſtimonia, ex quibus eum pœnitentibus veniam dare, & juſte in poſterum viventibus, præterita delicta non imputare, apertiſſimum eſt, & Sacras Literas legentibus ubique ſunt obvia. Ex illis igitur præterea conſolationem petamus noſtram, quæ nobis propter id ipſum propoſita fuere, & ad nos proprie pertinent. Nam, quamvis certiſſimum ſit, ex iis etiam, quæ Deus beſtiis largitur, benignitatem ipſius in nos homines, tanquam à minore ducto argumento, colligi ſolere; ut ipſe Chriſtus facit Mat. 6. 26, qui ex eo, quod Deus volucres cœli nutrit, ac paſcit, multo magis idem nobis beneficium

dum daturum eſſe, nos percipere jubet: tamen ejuſmodi argumenta, unde non mediocrem conſolationem capimus, non ex rebus futuris ducuntur, quæ non minus quam idipſum, quod nobis perſuaderi debeat, obſcura ſint, & fidem non minus quam illud, in nobis requirant; ſed ex iis quæ vel ſunt, vel fuerunt, & adeo nobis ſunt nota, ut inde ad cognitionem ejus, quod adhuc nobis non conſtat, & credi debet, pervenire poſſimus. Quare miram iſtam conſolationem, quæ ex beſtiarum futura immortalitate hauriri poſſit, quilibet cordatus & pius homo tibi univerſam non invitus relinquet.

Sed jam Sanctarum Literarum teſtimonia, quibus commentum iſtud tuum confirmari omnino credis, diligenter inſpiciendi tempus eſt. Duo autem præcipua ſunt. Unum ex cap. 8. epiſtolæ ad Rom. depromptum eſt. Alterum ex cap. 15, prioris ad Cor. Prius teſtimonium ſic à te ſcribitur Rom. 8. 19, 20. *Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat: vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit ipſam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc: non ſolum autem illa, ſed & nos etiam primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exſpectantes, redemptionem noſtri corporis* &c. Quibus verbis deſcriptis, ita ſtatim ſubjungis: *Vides igitur Paulum agnoſcere creaturas ſubjectas corruptioni, non vitio voluntatis earum, ſed jure ſervitutis: Nam ſortem dominorum ſubire coactæ ſunt: Ideo notavit illud: Non volens, ſed propter eum qui ſubjecit.* Quæ tua verba expendere decrevi, priuſquam ad ipſum teſtimonium examinandum accedam; ut hinc ſaltem judicari queat, an tibi merito id aſcribi poſſit, quod mihi injuria in tua præfatione aſcripſiſti, quod quidlibet ex quolibet colligere audeam. Nam quid eſt quidlibet ex quolibet colligere, ſeu potius colligi poſſe putare, ſi hoc non eſt? Quia in Pauli verbis dicitur, creaturam vanitati ſubjectam eſſe, non volentem, ſed propter eum, qui ſubjecit; hinc argumentaris, & perſpicuum eſſe dicis, creaturas ſubjectas eſſe corruptioni, non vitio voluntatis earum, ſed jure ſervitutis. Primum, quis te docuit verba illa; *Non volens*; interpretari; *Non vitio voluntatis earum?* Nam quid aliud eſt *non volens*, quam non ſua ſponte, non voluntate ſua, ſive; non quia ipſa velit? An non in Græco eſt, οὐχ ἑκοῦσα? Quid ergo comminiſceris de vitio voluntatis? Quaſi Paulus voluerit dicere, creaturam non ſubjectam eſſe vanitati culpa ſua, hoc eſt, quia id commerita ſit. Cum nihil aliud voluerit dicere Apoſtolus, quam, ipſa quodammodo invita id illi contigiſſe. Deinde unde colligis, jure ſervitutis id factum fuiſſe? ſine dubio, ut tibi videtur, ex illis verbis: *Sed propter eum qui ſubjecit.* At qui fit, ut non videas, ibi manifeſte de eadem ſubjectione ſermonem eſſe, de qua in proxime præcedentibus verbis, ubi creaturam vanitati ſubjectam eſſe dictum eſt, ſermo fuerat, & de ſubjectione, qua cæteræ res homini ſubjectæ ſunt agi credas; quamvis homo ibi expreſſe nunquam nominetur? Quod ſi hoc, quod nemo eſt qui non videat, tui erroris admonere te non poterat, annon id præſtare ſaltem debuerant verba illa, *In ſpe*, quæ ſtatim ſubjiciuntur; quorum tu neſcio quo pacto obliviſceris? Nam in qua ſpe, cujus præſertim ibi mentio fieri poſſit, ſubjecit Deus ab initio res creatas homini? Ita ſtupidus profecto non es, ut non animadvertas de ea ſpe verba fieri, qua ſperatur corporum redemptio, & liberatio ab illa vanitate, cui cum ejuſmodi ſpe à Deo creatura ſubjecta fuit. Certe ſi ex hoc loco, quid agas, agnoſcere non incipis, deſperandum omnino eſt, futurum aliquando, ut divina oracula non amplius imprudenter pervertas, aut inepte interpretetis. Atque ex his, quidquid in eo Pauli teſtimonio tibi eſſe videbatur, quod ſententiam tuam illam de mortalitate beſtiis, ob dominatum hominis, cui ſubjectæ erant, inflicta, confirmaret, penitus dilutum eſt. Nunc de ipſarum renovatione, quam ibidem adeo luculenter, ut nihil exoptari poſſit dilucidius, ab Apoſtolo explicari crediſ, accurate videndum eſt. Quod igitur, (ut de hoc primum dicam) in ipſo teſtimonio recitando, vulgatæ editionis verbis uſus es, quæ à Græco fonte in quibuſdam non levibus non parum diſcrepat; cum tamen àb ea editione hoc poſteriore tuo ſcripto in aliis teſtimoniis proferendis fere ſemper diſcedas; quo conſilio id à te factum fuerit, inquirere nolo. Sed quod imperfectum deſcripſeris, id vero vix ferri poteſt. Quomodo enim ſcire poterimus, quis ſenſus ſit verborum Pauli, quæ intellectu admodum difficilia ab ipſo ſtatim initio eſſe creduntur, niſi cujus rei gratia ea dixerit, nobis appareat? Eſt autem in ipſo initio particula *Nam*, quæ ſermonem ad ſuperiora referri, & eorum quæ proxime dicta ſunt, rationem reddi, aut confirmationem afferri, aperte docet. Quare omnino non erant reticenda ſuperiora illa verba: *Ipſe idem ſpiritus una cum ſpiritu noſtro teſtatur, quod ſumus filii Dei? Si autem filii Dei, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & glorificemur. Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad gloriam, quæ, futurum eſt, ut reveletur erga nos. Nam* &c. Hæc enim verba, quæ ſatius aperta ſunt, demonſtrant de qua re agatur, nempe de hominibus, iiſque per Dei ſpiritum regenitis, in quibus patefacienda ſit gloria Dei Joh. 1. 3, 5. Qui autem regeniti non ſunt, ut inquit Chriſtus, non videbunt regnum Dei, neque in illud intrabunt. Cum igitur, ut latius confirmet, quod dixerat, ſtatim ſubjungit Apoſtolus: *Nam expectatio creaturæ* &c. Quis non intelligit, eum de eo creaturarum genere loqui, de quo ſermonem inſtituerat? præſertim cum in Græco ſit, ἡ κτίσις, cum articulo, qui præter numerum ſingularem aperte demonſtrat, de inſigni aliqua creatura verba fieri? Nec enim in primis illis verbis tantum articulus eſt, in quibus propter articulorum uſum apud Græcos frequentiſſimum, fortaſſis ejuſmodi vim habere negari poſſet; ſed in ſequentibus ſemper repetitur, & poſtremo eo in loco ponitur, ubi neceſſe ſit, ſi recte Latine interpretari velis, addere pronomen *Hæc*, aut *illa*. Etenim ea verba πᾶσα ἡ κτίσις, nemo inficiabitur, verti debere, *omnis illa*, ſive *hæc creatura*; non autem ſimpliciter, *omnis creatura*. Nam ſi omnis creatura eo in loco legi poſſet, hoc eſt, ſi Paulus de omni creatura generatim loqui voluiſſet, profecto non πᾶσα ἡ κτίσις, ſed πᾶσα κτίσις, dixiſſet. Atqui ſi de omnibus creaturis Apoſtolus ſermonem inſtituiſſet, in ſuperioribus locis, ubi non eſt nomen *Omnis*, non in numero ſingulari ſed in plurali locutus eſſet. Quod enim aliqui * id, ut arbitror, animadvertentes, & nihilominus tamen Paulum, de tota hac rerum creatarum univerſitate verba facere credentes, vocabulum κτίσις verterunt, ſive interpretati ſunt, *Rerum naturam*, ut alio modo eam univerſitatem ſignificarent; præter alias validiſſimas rationes, quas poſtea afferemus, ex eo inepte id ab ipſis factum fuiſſe, deprehenditur, quod ea ſignificatione nuſquam alibi, quod credam, in Sacris Literis id vocabulum uſurpatur; ſed ubique aut ipſam creationem, aut rem creatam ſimpliciter ſignificat. Cui illud addatur, quod ſatis veriſimile eſt, ſi eo ſenſu nomen κτίσις ab Apoſtolo prolatum fuiſſet, adjuncturum ipſi fuiſſe, non nomen πᾶσα, quod proprie totam ſive univerſam, ut ſenſus ferret, non ſignificat, ſed ὅλη, quod nomen proprie id ſignificat. Cum igitur hic de creatione non agatur, de re creata ex vi verbi agi neceſſe eſt; non quidem, ut oſtendimus, de omni generatim, ſed de omni illa, de qua eſt ſermo. At ſermo eſt de homine per Spiritum Dei regenito; ergo de omni homine per Spiritum Dei regenito, & ſic de omni hac inſigni, non autem de omni prorſus creatura agitur. Quocirca etiamſi vocabulum κτίσις univerſitatem quandam rerum creatarum hoc loco ſignificaret; ea tamen univerſitas non omnes prorſus res creatas, ſed omnes homines divina vi regenitos, qui ſine dubio univerſitatem quandam conſtituunt, omnes, inquam, hujus aſpectabilis mundi

* Se, Caſtel.

novas creaturas complecteretur. Adde autem præter articuli & numeri ſingularis vim manifeſtam, & rem ipſam de qua Paulus loquitur, quæ de alia creatura, præterquam de homine per ſpiritum divinum regenito, hic verba fieri vetant; quod nomen *creatura* non uno tantum in loco pro creatura duntaxat, Dei virtute formata, accipitur; & verbum creare, pro regignere & reformare, & quaſi iterum creare ponitur. Quod cum Arius presbyter Alexandrinus non animadvertiſſet, nec fortaſſis alii, qui ei contradicebant, vidiſſent, data eſt ejus falſæ opinioni non levis occaſio. Credebat enim Arius, Chriſtum eſſe rem creatam, quæ ante omnes alias cujuſcunque generis creaturas à Deo condita fuiſſet. Id autem, ut quidem ſibi videbatur, Pauli apertiſſimo teſtimonio confirmabat, qui ad Coloſſenſes ſcribens, cap. 1. 15. appellabat Chriſtum primogenitum omnis creaturæ, ubi etiam Græcum exemplar habet πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ſine articulo. Quam autem (dicebat Arius) apertiorem hujuſce rei auctoritatem quærimus? Si Chriſtus primogenitus eſt omnis creaturæ, neceſſe eſt quidem eum fuiſſe ante omnes creaturas, ſed rurſus non minus neceſſe eſt, eum quoque quatenus fuit ante alias omnes, fuiſſe creaturam. Primogenitus enim aliquarum rerum is eſſe non poteſt, qui & ipſe ex illarum genere non ſit, quod & nomen ipſum, & Sacrarum Literarum perpetuus uſus evidentiſſime oſtendit. Hinc primogeniti boum, primogenita pecorum, primogeniti filiorum, pro primogenitis bobus, primogenitis pecoribus, primogenitis filiis, & alia ejuſmodi: & per tranſlationem, Chriſtus ipſe primogenitus ex mortuis vocatur Col. 1. 18. propterea quod ipſe primus omnium fuerit, qui à morte excitatus, vitam ſempiternam ſit conſecutus Rom. 8. 29; & idcirco primitiæ quoque eorum, qui obdormierunt, appellatus eſt 1. Cor. 15. 21. Dictus eſt idem Chriſtus primogenitus inter multos fratres, quia ſicut ipſe quoque vere eſt frater, ita ante omnes extitit, qui per ipſum Deo fidem habuerunt atque ea ratione filii Dei, ut ipſe eſt, facti ſunt. Non ſecus igitur primogenitus etiam omnis creaturæ dicitur, quia & ipſe creatura eſt, & ante omnes creaturas fuit. Neque eſt, quod quis dicat: primogenitum dici omnis creaturæ Chriſtum, non ratione temporis, ſed dignitatis tantum. Id enim non ſolum cum verbi ſignificatione pugnat, ſed etiam ab ipſo Paulo eodem loco abunde refellitur; cum illico ſubjungat, *Quoniam per ipſum condita ſunt univerſa* &c. Quæ verba ipſum ante omnes creaturas tempore etiam, non dignitate tantum extitiſſe demonſtrant: alioqui quomodo per ipſum condi potuiſſent? Quod ſi, ut Arius putabat, & plerique ſentire videntur, nomen creaturæ, ad primam rerum creationem reſpicit, nulla ratione negari poteſt, Chriſtum tanquam creaturam, omnibus prorſus rebus creatis tempore anteceſſiſſe; quod & falſiſſimum eſt, & ex hominum mentibus penitus evellendum. At vero ſi creaturam non creaturam ſimpliciter, ſed novam ſive reformatam creaturam interpreteris, concidit Arii argumentum, & una cum eo ipſius hæreſis, quæ hoc uno potiſſimum fundamento nititur, quod Chriſtus prima creatarum rerum & ibi & alibi eſſe dicatur. Nam in Apocalypſi Apoc. 3. 4. quoque principium creaturæ, ſeu potius creationis Dei appellatur. Quod quidam *, quid ſibi velit, non percipientes, & abſurditatem interea animadvertentes, ſi Chriſtus vel prima, tempore omnium creaturarum ab ipſo initio conditarum, vel principium univerſæ creationis diceretur, nomen ἀρχὴ eo loco nullo fortaſſe in Sanctis Literis exemplo, aut certe nulla neceſſitate ita interpretati ſunt, ac ſi ibi dictum fuiſſet, Chriſtum eſſe præſtantiſſimam creaturam omnium, quas Deus condiderit: cum tamen, nulla vi verbis adhibita, ſenſus ſit, eum eſſe principium illius creationis divinæ (in Græco enim eſt ἡ κτίσεως cum articulo) illius, inquam, novæ divinæ creationis cujus in novi Fœderis Scriptis toties fit mentio. *Si quis* (inquit Paulus 2 Cor. 5. 17.) *in Chriſto* [eſt] *nova creatura* [eſt] *vetera præterierunt, ecce nova facta ſunt omnia.* Et alibi Gal. 6. 15. *In Chriſto enim Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatio.* Et rurſus alibi Eph. 2. 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu, in operibus bonis* &c. Et iterum Eph. 3. 8. *Mihi enim omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare imperveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creavit, per Jeſum Chriſtum.* Ubi, etſi plerique id non perſpexerunt, manifeſte agitur de illa nova creatione, cujus rei indicium eſt, quod in antiquis nonnullis, iiſque non contemnendis Græcis codicibus, ut teſtatur vetus Latina tranſlatio, & interpretatio Syriaca, deerant illa verba *Per Jeſum Chriſtum*: quibus demptis, nulla dubitatio, ſi quis admodum contentioſus eſſe nolit, ea de re, ſupereſſe poteſt. Sed idem Paulus in eadem adhuc epiſtola, poſtquam Epheſios, ut veterem hominem exuerent, hortatus eſt, ſic ſcribit Eph. 4. 23: *Renovamini autem Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Cui perſimile eſt illud, quod alibi dixit Col. 3. 9, *Exſpoliantes vos veterem hominem, cum actibus ſuis, & induentes novum qui renovatur in agnitione Dei ſecundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Quid, his teſtimoniis perlectis, cujus creaturæ & creationis in illo Apoc. loco, & in ſuperioribus illis, Pauli ad Coloſſenſes verbis, quæ Arius ad ſuum ſomnium comprobandum arripiebat, mentio fiat, dubitationis amplius relinqui poteſt? Verum eadem ratione multo minus, de qua creatura in teſtimonio tuo agatur, dubitari poteſt; cum multo plura clariſſima indicia, quæ partim jam expoſuimus, partim mox exponemus, ibi de nova creatura ſermonem eſſe demonſtrent. Ut igitur oſtenſum eſt, in Novo Teſtamento creatura pro nova creatura aliquando accipitur, & verbum creare, renovare & quaſi denuo creare non raro ſignificat. Nec mirum, cum verbum Hebræum *bara* eandem ſignificationem in Veteri Scriptura interdum obtineat, ut apud Eſaiam præſertim cap. 43. 15, ubi quod antea dixerat. *Sic dicit Jehova redemptor veſter, Sanctus Iſrael.* &c, repetit inde hoc pacto. *Ego Jehova ſanctus veſter, creans Iſraël, rex veſter.* Dicit ſe creare Iſraëlem, quia eum ex omnibus malis liberaturus erat, & quodammodo renovaturus; & idcirco paullo inferius ait, *Ecce ego facio nova*, &c. Sed adhuc locus ſuccurrit, in Novo Teſtamento ubi vocabulum *creatura* ſimpliciter poſitum, novam crexturam ſignificat, & ad rem noſtram appoſitiſſimus eſt. Sic enim ſcribit Jacobus de Deo, Jacob. 1. 18. *Voluntarie progenuit nos verbo veritatis, ut eſſemus primitiæ quædam creaturarum ejus.* Nonne hic manifeſte creaturæ ſimpliciter appellantur, homines divina virtute regeniti, quos ego creaturæ appellatione ſignificari in tuo teſtimonio contendo? Nunquid dicis creaturæ vocabulum non fuiſſe ſimpliciter poſitum, quia non dictum ſit creaturarum, ſine aliqua adjectione, ſed *creaturarum ejus*. Atqui omnes creaturæ ſive veteres, ſive novæ Dei creaturæ ſunt. Itaque negari non poteſt, hoc Jacobi teſtimonium vehementer conferre ad explanationem teſtimonii tui. Sicut enim ibi de filiis Dei erat ſermo: ita hic de progenitis à Deo ſermo eſt. Sicut ibi creaturæ appellantur, ita & hic. Sed præter ea, quæ jam dicta ſunt, & quæ unicuique ſatis eſſe poſſent, rationibus adhuc firmiſſimis oſtendamus, non modo de omnibus creaturis, ut tu credis, in teſtimonio tuo non agi; verum etiam de alia creatura, quam de nova & Chriſtiana Paulum loqui non poſſe. Primum verbum *expectatio*, & *expectat*, id apertiſſimum facit. Etenim quænam creatura patefactionem filiorum Dei expectat, præter eos homines, qui divinitus edocti, ſpiritu mentis ſuæ renovati ſunt? Expectantne tantam patefactionem, non dicam beſtiæ, quæ cogitandi vi ſunt deſtitutæ, ſed innumerabiles homines, qui futuræ vitæ vel nullam penitus, vel infirmiſſimam ſpem habent? Nec dicat quiſpiam Expectationis, & Expectandi verbo non veram expectationem, ſed illis, qui expectare dicuntur, futurum certum eventum ſignificari; quod nonnunquam fieri & apud propha-

* Caſtellio.

prophanos & apud Sacros Scriptores recte novi. Nam verbum Græcum ἀποκαραδοκία quod parum expreſſit vetus interpres, ejuſmodi expectationem ſignificat, quæ modum quoque ipſum, ſeu, ut loquuntur, actum, & geſtum expectandi ante oculos ponat. Quare non ſane immerito à Theodoro Beza in ſua interpretatione, ſi recte memini, ea verba, *exerto capite*, ſive, *quaſi exerto capite* tranſlata ſunt. Itaque non futurum certum eventum duntaxat, ſed veram expectationem ibi quodammodo depingi dicendum eſt.

Adhæc falſiſſimum eſt, omnibus rebus creatis certo eventurum, ut ipſarum bono, quemadmodum Pauli verborum ſententia omnino requirit, patefactionem filiorum Dei præſentem habeant. Impii enim & ſceleſti, quorum numerus maximus eſt, quin & carnales omnes, & qui Spiritu Chriſti non reguntur, quorum multo major etiam eſt multitudo; maximo & ſempiterno ſuo malo, filios Dei patefieri videbunt. Præterea, quomodo omnibus creaturis unquam accommodabitur illud, *Non volens*, ſive *Non ſua ſponte?* quomodo illud *In ſpe?* Quomodo illud *Ingemiſcit, & parturit, uſque adhuc?* Nam pluſquam poëtice, & per proſopopœjam quandam prorſus inauditam hæc omnia dicta fuiſſe aſſeverabimus? At hujuſmodi nobis perfugia penitus eripiunt illa verba: *Non ſolum autem* [illa] *ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes & ipſi intra nos gemimus*, &c. Ex quibus apparet, quemadmodum non per proſopopœjam de iis, qui primitias ſpiritus habebant, ſed ſecundum ipſiſſimam veritatem dicitur, quod intra ſe gemerent, expectantes adoptionem filiorum Dei; ſic de omni illa creatura, vere, & non ficte dictum fuiſſe, quod ingemiſceret & parturiret, hoc eſt, tanquam in partus doloribus eſſet Joh. 16. 21, poſt quas tandem, ut Chriſtus hac eadem ſimilitudine, de eadem re fortaſſis verba faciens, uſus dixit, magna lætitia ſequatur. Hæc omnia quæ unuſquiſque, qui in ipſo meridie non palpet, clare videre poteſt, perſpiciens, ut arbitror, Auguſtinus, quantum meminiſſe poſſum, multo tolerabilius, quam tu, vel ii, qui de rerum natura, ſive de univerſante quadam omnium rerum creatarum hic ſermonem eſſe volunt, de hominibus tantum loqui Apoſtolum exiſtimavit; haud ignorans & creaturæ, & omnis creaturæ nomine homines ſolos in Sanctis Literis non ſemel ſignificari, ut apud Marcum Mar. 16. 15, in Jeſu Chriſti verbis, & apud eundem Paulum videre eſt Col. 1. 23. Niſi velis, cum Chriſtus mandavit diſcipulis ſuis, ut prædicarent Euangelium omni creaturæ, & Paulus dicit prædicatum fuiſſe Euangelium omni creaturæ quæ ſub cœlo eſt, beſtias quoque creaturæ appellatione contineri; ita ut optime feciſſe Franciſcus ille Aſſiſias videri poſſit; etiamſi illud verum eſſet, quod in ejus vita à neſcio quo ſcriptum fuiſſe accepimus, eum & piſcibus & volucribus, & reliquis beſtiis interdum Dei verbum annunciaſſe. Miror tamen Auguſtinum, de omnibus hominibus generatim hic verba fieri non poſſe, haud animadvertiſſe: cum id, ut modo oſtendimus, perſpicuum ſit, & eadem, quæ beſtias excludunt, homines impios, & divinæ veritatis ignaros omnino excludant; illas quia nullo modo poſſunt, hos quia vel plane nolunt, vel ipſis datum non eſt. Sed quid de te dicemus, qui in univerſalibus enunciationibus nullam interpretationem admittis, & qui aſſerere non dubitaveris, Paulum hic ſcribere de liberatione omnium creaturarum in ultima reſtitutione omnium? Nam cum Apoſtolus diſerte, ut tibi quidem videtur, dicat, *Omnis creatura*, vel indefinite creaturam nominet, quomodo nulla interpretatione admiſſa, opinione præſertim tua de rerum cœleſtium immortalitate retenta, poſſunt ejus verba vera demonſtrari? Nunquid Angeli vanitati quam tu corruptionem interpretaris, ſubjecti ſunt? num res cœleſtes, quas tu prorſus immortales eſſe, ex communi etiam omnium ſententia, vis; Quæ ſententia, quamvis ut demonſtravimus, ſicut communis nequaquam eſt, ita etiam falſiſſima ſit: habent tamen, ut dixmus, res cœleſtes perpetuam quandam, dum hæc vita animalis manet, durationem, quæ vice immortalitatis eſſe poſſit, & propter quam eas corruptioni ſubjectas eſſe, eo ſenſu dici non queat, qui in Pauli verbis apparet, in quibus de re, cui ſubjectam ſe eſſe creatura jam ſentiat & experiatur, manifeſte agitur: quod rebus cœleſtibus nec vere, nec per proſopopœjam ullo modo convenire poteſt; quippe quæ ante extremum illum diem corruptionem aliquam re ipſa nec agnoſcere, nec ſubire poſſint. Quodſi præter tuum morem creaturæ nomen vel indefinite vel univerſe prolatum, propter ea quæ à Paulo de ipſa creatura dicuntur, inferiores duntaxat res creatas, non autem eas etiam, quæ corruptioni obnoxiæ non ſunt, complecti vis; qua ratione audes affirmare ibi agi de ultima reſtitutione omnium; cum in verbis Pauli non niſi de creatura illa reſtituenda, de illa, inquam, quæ vanitati ſubjecta eſt, & ingemiſcit, atque parturit, uſque adhuc, mentio fiat? Quæſo te, cum divinæ ſcripturæ locum aliquem præ manibus habes, an non diligentiſſime, ut in ipſis etiam prophanis ſcriptis fieri decet, omnia conſideras & rimaris, & antecedentia & conſequentia verba accurate perlegens, animum attendis, ut perſpicere poſſis, num ſenſus, quem illi ſubeſſe opinaris, omnibus quæ ibi dicuntur, recte conveniat, & nihil ſit, quod interpretationi tuæ plane adverſari poſſit? Si hæc facis, quomodo non vidiſti, non modo de omnium reſtitutione in his Pauli verbis non agi, verum etiam de beſtiis nullam mentionem fieri? Quomodo verborum inani quadam ſpecie captus, ſtatim ea ad opinionem, quam animo jam concepiſti, accommodas; & interim infinita prope abſurda, quæ inde conſequuntur, non cernis? At probe me noſſe exiſtimo, quid in cauſa fuerit, ut de omnium reſtitutione agi, & potiſſimum de beſtiis, hoc loco verba fieri omnino credideris: Nempe ad ita ſtatuendum te induxerunt verba illa, *Quia & ipſe creatura*, &c. Et item illa, *Non ſolum autem* [illa] *ſed & nos ipſi*, &c. Verum quod ad priora attinet, aut credis, ut verba præſeferre videntur, ibi dici, aliquid etiam præter creaturam, à ſervitute corruptionis vere liberandum eſſe; aut non credis. Si credis, jam vocabulum *Creatura*, non modo res creatas, quæ corruptioni obnoxiæ non ſunt, non complectitur; ſed neque etiam aliquas quæ corruptibiles ſunt. Quæ autem ſunt iſtæ? Homines, ſine dubio dices, & hanc verborum illorum eſſe ſententiam affirmabis, non homines tantum, ſed beſtias quoque à corruptionis ſervitute liberandos eſſe. Vides igitur primum, quam in arctum vocabulum *Creaturam* cogas, ut ſcilicet hominem non complectatur. Vides denique non de omnium reſtitutione hic agi, ſed eorum duntaxat, quæ corruptioni obnoxia ſunt; & rerum cœleſtium, quas reſtitui ſeu renovari debere affirmas; nullam hic mentionem fieri.

Neque vero dixeris, te Reſtitutionis omnium nomine, liberationem omnium creaturarum à corruptionis ſervitute intellexiſſe. Nam te hæc tanquam diverſa accepiſſe, & plus reſtitutione omnium, quam liberatione omnium creaturarum complecti voluiſſe, docent aperte illa verba tua: *Paulus vero tam luculenter ſcribit de liberatione omnium creaturarum in ultima reſtitutione omnium ut* &c. Sin autem non credis, in illis verbis affirmari, aliquid præter creaturam à ſervitute corruptionis vere liberandum eſſe, & creaturæ nomen, ut rationes à nobis allatæ fateri cogunt, ſi non hominem ſolum, eumque Chriſtianum, at hominem non minus, quam beſtias hoc loco ſignificare non inficiaris, cur ex eo, quod dictum ſit, *Et ipſa creatura*, de beſtiis omnino mentionem fieri exiſtimas; quaſi creatura homini quodammodo opponatur, qui ipſius creaturæ nomine comprehenſus non fuerit. Nonne animadvertis, propter Chriſtum ſic locutum fuiſſe Apoſtolum? Perinde eſt enim ac ſi dixiſſet: *Non Chriſtus tantum ſed & ipſa creatura* &c, ac diſerte affirmaſſet, omnes veros Chriſtianos ab interitu & corruptione liberatum iri, non ſecus atque Chriſtus ipſe liberatus fuiſſet. Ad ſuperiora enim verba illa reſpicit; *cohæredes autem Chriſti; ſi tamen & compatimur ut & conglorificemur.* Poteſt etiam, ut arbitror,

non inepte dici, particulam *Et*, propter angelos Dei additam fuiſſe, qui jam vere filii Dei ſunt ob immortalitatem; & nihil aliud ſibi voluiſſe Paulum quam, non Angelos ſolos à corruptione immunes, & ob eam rem vere Dei filios perpetuo futuros; ſed illam etiam creaturam, de qua loquebatur, eandem libertatem, eandemque gloriam conſecuturam: quæ creatura cum proprie à corruptionis ſervitute liberanda ſit; quamvis de angelis non ita proprie dici poſſit, eos à corruptionis ſervitute liberatos fuiſſe, quippe qui incorruptibiles creati fuerint; quia tamen id aliqua ratione dici poteſt, quatenus ſcilicet Dei beneficio ac liberalitate à corruptione abſunt, non veritus eſt Paulus, fortaſſe eodem contextu eadem verba proprie quidem creaturæ, minus autem proprie angelis accommodare, ut & brevior & elegantior eſſet ſermo, & convenientia illa, quæ inter novam humanam creaturam, & angelos futura eſt, melius exprimeretur. Filios autem Dei in Sacris Literis proprie appellari eos, qui immortales ſunt, & ſupra alibi oſtenſum eſt, & ex hoc loco liquido apparet, dum ait Paulus, ſe una cum iis, qui Spiritus primitias habent, expectare adoptionem filiorum, redemptionem ſui corporis. Quamvis enim dum in hac vita mortali ſumus, filii Dei vocemur, quicunque ejus Spiritu regeniti fuimus, & ipſi Deo in ſanctitate, & juſtitia, quatenus fert humana conditio, ſimiles evaſimus, atq; hanc ipſum ob cauſam ſpe jam immortales ſumus; non tamen prius abſolute filii Dei erimus, quam cum revera immortalitatem hoc corpus noſtrum adeptum fuerit, & ea etiam in parte Deo ſimiles facti erimus. Hujuſce autem duplicis divinæ (ut ita dicam) filiationis noſtræ, evidentiſſimum eſt teſtimonium in illis Johannis verbis Joh. 1.12: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Dicit eos ex Deo natos eſſe, qui Chriſtum receperunt, & divina virtute ſunt regeniti; & eos nihilominus adhuc filios Dei fieri dicit: quod nihil aliud eſt, niſi Chriſtum ſibi confidentibus, vitam æternam largiri. Quod vero attinet ad verba illa, *Non ſolum autem [illa] ſed & nos ipſi* &c; Per ea quidem ſatis videtur liquere homines divino Spiritu regenitos creaturæ illius appellatione non contineri: unde fieri potuit, ut Auguſtinus homines generatim eo vocabulo ſignificari crederet; ſed beſtias tantum ſignificari, quis ſanæ mentis unquam dixerit? Ergo de beſtiis omnibus loquitur Paulus? de hominibus vero nequaquam; cum dicit, creaturam exſpectare patefactionem filiorum Dei, & cætera, quæ paullo ante beſtiis nullo modo convenire demonſtravimus. Quodſi homines quoque creaturam nominando intellexit, quomodo deinde dicit: *Non ſolum autem* &c. An non ii etiam, qui Spiritus primitias, habebant, homines erant? certe id nulla alia ratione ab ipſo fieri potuit, quam propter excellentiam quandam eorum hominum, qui Spiritus primitias haberent, propter quam generali illa hominum, quæ in creaturæ vocabulo continebatur, appellatione non includebantur. At vero cur non eadem ratione potius, ne ſupra à nobis abſurda notata conſequantur, dicemus, quamvis creaturæ nomine homines divina virtute regenitos ſignificare voluerit; non tamen ea generali appellatione comprehenſos fuiſſe, illos, qui non modo regeniti erant, ſed etiam potiores & præſtantiores quaſdam partes divini Spiritus hauſerant, propter quod merito à cæteris diſtingui poterant? Quid enim aliud ſunt Spiritus primitiæ, quam, ut priores, ſic potiores Spiritus quodammodo partes, quas Paulus & cæteri Apoſtoli, & qui illorum ſimillimi erant, divina benignitate conſecuti fuerant? Rerum enim primitiæ, quæ Deo offeruntur, unde tranſlatio ducta eſt, ex præſtantioribus & ſelectis primis rebus conſtant. Nam ſi de iis omnibus loqui voluiſſet Paulus, qui Spiritus Dei participes erant, cum dicit: *Sed & nos ipſi* &c; quid attinebat primitiarum Spiritus mentionem facere, non autem Spiritus ſimpliciter? Senſus igitur eſt: Non ſolum Chriſtianos omnes generatim, quos illis verbis *Omnis illa* (ſive *hæc*) *creatura* ſignificaverat, ingemiſcere, & parturire; ſed eos etiam ex ipſis, qui præſtantiſſimi ſunt, & majore ac ſingulari quadam divina virtute ſunt donati. Ubi etiam obſervandum eſt, in Græco non eſſe: *Non ſolum autem illa*; ſed, *non ſolum autem*, ſine pronomine *Illa*; quod pronomen loci ſententiam aliquantulum obſcurat: quaſi Paulus non amplius de creatura illa loquatur; cum tamen nihil aliud ſibi voluerit Apoſtolus, quam affirmare id, quod generatim pronunciaverat, in præſtantioribus etiam quibuſdam ſingularibus, de quibus adhuc dubitari poterat, locum habere. Non eſt autem prætermittendum, ne aliquid diſſimulare videamur, in Græco non eſſe ſimpliciter *Ingemiſcit, & parturit*, ſed *Simul ingemiſcit, & ſimul parturit* συστενάζει καὶ συνωδίνει cujus rei ſi tu rationem in teſtimonio deſcribendo habuiſſes, exiſtimari poſſet, te, de beſtiis ſub creaturæ nomine ſermonem eſſe, ideo credidiſſe, quod dictio *ſimul* ad homines tacite referretur, perinde quaſi dictum fuiſſet, *Nobiſcum ingemiſcit, & nobiſcum parturit.* Nunc, cum verba illa, veterem interpretem ſecutus, ſine particula *Simul*, ut alia ejuſmodi recitaveris, te ad id quod diximus, non reſpexiſſe, manifeſtum eſt. Quod ſi tamen feciſſes, non idcirco ſententiam illam amplectendi ullam cauſam habuiſſes: cum propter verba illa, *Non ſolum autem* &c, perſpicuum ſit, particulam *ſimul* non homines complecti, de quibus in illis verbis deinde agi ſine dubio, & tu putaſti, & aliqua ex parte veriſſimum eſt; ſed conſenſum illarum creatarum rerum, dum una omnes ingemiſcunt, atque parturiunt, exprimere: quemadmodum non minus eleganter, quam erudite à Theodoro Beza hoc loco annotatum fuiſſe memini. Atque ut hujuſce Paulini teſtimonii explicandi finem aliquando faciam, dico Apoſtolum, poſtquam affirmaſſet, eſſe quidem nobis ſimul cum Chriſto multa mala perpetienda, ſi ſimul cum ipſo glorioſi ac beati fieri debemus; non eſſe tamen pares hujus temporis perpeſſiones futuræ gloriæ, quæ in nobis patefiet; ut hoc confirmaret, ſtatim ſubjunxiſſe, quidnam ſit illud, quod Chriſtiani & novæ Dei creaturæ expectant. Id autem nihil aliud eſſe ait, quam ut filii Dei patefiant, hoc eſt, adoptio illa filiorum fiat, quam poſtmodum ſe etiam expectare dicit. Et quemadmodum ſupra dixerat, patefaciendam eſſe erga nos gloriam illam, non quia ea ipſa gloria, nunc vere ſit, & interim lateat; ſed quia ea, quæ nondum eſt, poſtea erit, cum nobis dabitur: ſic deinde ait, patefaciendos eſſe Dei filios, non quia jam ſint, & interea lateant; ſed quia ii, qui adhuc vere filii Dei, hoc eſt, ut antea diximus, immortales non ſunt, immortales poſtea fiant. Sunt quidem hæc jam quodammodo, quatenus ſcilicet Deus ea facere decrevit, & certo tandem futura ſunt; ſed in ipſo Deo interim latent; ob eamq; rem, cum fient, patefieri dicentur. Hinc idem Paulus alibi Col. 3. 2: *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita noſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Vere tamen non ſunt, præſertim in nobis, qui dum hic ſumus, ignominia & mortalitate undique circumdamur. Pergens igitur Apoſtolus & tacitæ cuidam objectioni reſpondens, ait: quamvis hæc nova Dei creatura, dum in hoc mundo degit, calamitatibus, ignominiæ, & perpeſſionibus ſubjecta ſit; non tamen credendum eſſe, ejus finem atque ſcopum, fœlicitatem, gloriam, & incorruptionem non eſſe. Neq; enim ejuſmodi vanitati Chriſtiani ſua ſponte ſubjecti ſunt; quaſi in ea id ſit, quod ipſi quærunt. Sed ideo ei ſubjacent, quia ita Deo viſum eſt, qui per dedecus & miſeriam, eos ad ſupremum decus & beatitatem omnibus numeris abſolutam, ob majorem ſui nominis gloriam perducere ſtatuit; ipſiſque ejus rei (Chriſtum ſcilicet à mortuis excitando, & omnem illi in cœlo & in terra poteſtatem largiendo) maximam ſpem dedit; ita ut non minus, quam Chriſtus ipſe jam ſit, ſe ab omni penitus corruptione in perpetuum immunes evaſuros, firmiter ſperent, divino Spiritu ſuſtentati; quem ſupra dixe-

rat

rat teſtificari, eos eſſe filios atque heredes. Quam eandem ſententiam idem Paulus ad Corinthios ſcribens 2 Cor. 5. 4; his verbis expreſſit: *Etenim qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Qui autem nos in hoc ipſum effecit, Deus eſt, qui etiam dedit nobis pignus Spiritus.* Et ideo hic ſequitur: *Scimus enim quod omnis illa (ſive hæc) creatura ingemiſcit ac parturit uſq; adhuc. Amen amen* (inquit Chriſtus diſcipulis ſuis Joh. 18. 20) *dico vobis quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; Vos autem conſtrita abimini, ſed triſtitia veſtra convertetur in gaudium. Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ, propter gaudium; quia natus eſt homo in mundum* &c. Non eſt igitur mirum, ſi Paulus poſtmodum eos quoq; qui Spiritus primitias acceperant, quales fuerunt illi Chriſti diſcipuli, ingemiſcere & parturire aſſeverat; donec corpora ipſorum a corruptionis ſervitute liberentur; & ſic tandem eorum triſtitia in veriſſimum gaudium convertatur. In verbis autem illis Pauli ad Corinthios, inter cætera obſervandum eſt quod dicit: *Qui autem nos in hoc ipſum effecit, Deus eſt.* Itaq; Chriſtianos ait eſſe factos à Deo: quod quid aliud eſt, quam Chriſtianos Dei creaturas appellare, quatenus Chriſtiani ſunt? Et ita apparet, quam egregie locus ille huic noſtro ſimillimus, explicationem noſtram confirmet. Ex ipſa autem explicatione noſtra, in qua nihil hiat, nihil abſurdum eſt, ſed omnia apertiſſime cohærent, & innumerabilia prope abſurda quæ ſi aliter locum interpreteris, admittere neceſſe eſt, omnia prorſus ceſſant; apparet verbum vanitatis, cui nova creatura voluntate Dei ſubjecta eſſe dicitur, non corruptionem ſimpliciter ſignificare, quæ omnibus animantibus, non tantum hominibus eſt communis; ſed abjectionem, ignominiam, & perpeſſiones illas, quarum antea Apoſtolus meminerat, & quæ Chriſtianorum ſunt propriæ; quas neceſſario non corruptio tantum, ſed plerunque immatura etiam corruptio conſequitur. Sic autem rem ſe habere præter loci totius contextum, qui eam interpretationem omnino requirit, probant alia teſtimonia in Novo Teſtamento huic ſimilia, præſertim ea quæ attulimus, omnium vero potiſſimum locus ille ad Cor. ſi quis à 7. uſque verſu, præcedentis cap. 4, Pauli verba repetat; in quibus hoc idem argumentum non minus divinè, quam copioſe, ab Apoſtolo tractatur. Nec vero ego vel primus vel ſolus fui, qui hujus Paulini teſtimonii, quod primum protuliſti, verum ſenſum aſſecutus fuerim. Memini enim me cujuſdam anonymi commentariis, in hanc ad Rom. epiſtolam Paulo 3. Romano Pontifici dicatis, eandem interpretationem legiſſe, quam ab antiquiore aliquo ſcriptore auctorem illum mutuatum fuiſſe veriſimile eſt; cum ad eam confirmandam nihil propemodum in medium afferat. Quare jam tandem vides, quam indigne ad commentum tuum de beſtiarum renovatione Pauli illa verba detorſeris, in quibus non niſi de Chriſtianorum futura gloria, & immortalitate agitur. Sed hoc quodammodo ferri poteſt; cum alii quoque viri præſtantes, quanquam non ita graviter, ut tibi evenit, in eis interpretandis lapſi fuerint. At interpretatio, quam affers, alterius illius loci ejuſdem Apoſtoli in cap. 15, primæ epiſtolæ ad Cor. quod teſtimonium apertiſſimum eſſe credis reſurrectionis beſtiarum, adeo quovis etiam rudi ingenio, & in bonis auctoribus inexercitato indigna eſt, ut tibi tam fœdus error tuus nullo pacto condonari poſſit: in quem nunquam incidiſſes, niſi animum tuo illo ſomnio plane præoccupatum ad Pauli verba intelligenda attuliſſes. Ea autem à te ſic exſcribuntur 1 Cor. 15. vſ. 37: *Non corpus oriturum ſeminas, ſed nudum granum, prout inciderit tritici, aut alicujus ex reliquis ſeminibus, non omnis caro, eadem caro, ſed alia quidem caro hominum, alia vero pecorum, alia vero piſcium, alia vero volucrum; & corpora cœleſtia, & corpora terreſtria, ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia vero terreſtrium* &c. Et ſtatim ſubjungis. *Nonne vides in reſurrectione, non ſolum fieri mentionem creaturarum, generatim, ſed etiam nominari earum ſpecies? Quid poteſt clarius dici? Quemnam locum habebimus, qui non poſſit depravari, ſi adverſus hos cavillari audebis?* Hæc ſunt verba tua. Quam clare autem in ſuperiore illo teſtimonio id dictum fuerit, quod tu opinaris, ſatis jam demonſtratum eſt. Nunc de altero hoc videamus. Et ſane mirandum eſt, te ita loqui; cum nemo ſit, ut arbitror, qui verba illa Pauli explicanda ſuſceperit, à quo non eodem modo, quo à me fiet, explanentur: ita ſcilicet, ut nihil penitus cum ſententia tua commercii habeant. Quare hoc labore ſi velim, ſuperſedere poſſem, & tantummodo te monere, ut præclarum quempiam ejus Paulinæ epiſtolæ interpretem conſulas, & ſine dubio errorem tuum nulla venia dignum ſtatim agnoſces. Verum tamen, cum nullum hic librum ferme, præter ipſa ſacra Biblia habeam; ne memoriæ meæ & opinioni de ſenſu aliorum nimis fortaſſe confidam; placet, quam breviſſime potero, te in viam, ſi fieri poteſt, reducere conari.

Primum igitur, in ipſo teſtimonio deſcribendo multo gravius etiam quam in altero illo recitando lapſus es. Nam non modo, ut ibi feceras, præcedentia quædam verba omiſiſti, ex quibus, de qua re ſermo inſtitutus ſit, manifeſte conſtat; ſed conſequentia etiam nonnulla reticuiſti, quæ ſola ad univerſum errorem patefaciendum ſufficere poſſunt; & ita mutilum denique teſtimonium protuliſti, ut præterquam quod, de qua re ibi vere agatur, ex verbis à te deſcriptis ſciri prorſus nequit, nihil omnino vel ad opinionem tuam, vel ad ipſam rem, de qua quærimus, pertinere videantur: nulla enim ibi mentio de reſurrectione fit, & ne verbum quidem eſt de renovatione illa ultima; ſed comparationes duntaxat, & ſimilitudines explicantur, ex quibus cujuſmodi futurum ſit corpus eorum, quos reſurrecturos eſſe ſupra affirmaverat Apoſtolus, & quomodo diſtans ſit futurum ab eo corpore, quod nunc habent, (quatenus dum in vita ſumus, aſſequi poſſumus) ſatis intelligitur. Quod ita ſe habere, ex integra loci ipſius recitatione manifeſtum fiet. Paulus igitur, poſtquam pios homines, de quibus ſolis, ut infra demonſtrabitur (quod plerique tamen interpretes, ut exiſtimo, non animadverterunt) loquitur, reſurrecturos eſſe, validiſſimis rationibus confirmaſſet, hæc verba ſubjunxit: *Sed dicet aliquis. Quomodo reſurgunt mortui, quali autem corpore veniunt? inſipiens tu, quod ſeminas non vivificatur niſi moriatur: & quod ſeminas, non corpus, quod naſciturum eſt ſeminas, ſed nudum granum, ut puta tritici, vel alicujus cæterorum, Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & unicuique ſeminum proprium corpus. Non omnis caro [eſt] eadem caro, ſed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia vero piſcium, alia vero volucrum; & [ſunt] corpora cæleſtia, & corpora terreſtria; ſed alia quidem cœleſtium claritas, alia autem terreſtrium. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in claritate. Sic etiam reſurrectio mortuorum: ſeminatur in corruptione, reſurgit in incorruptione; ſeminatur in ignominia, reſurgit in gloria; ſeminatur in infirmitate, reſurgit in virtute: ſeminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale.* &c. Quis (rogo te) ex prioribus verbis, quæ tu omiſeras, de hominibus mortuis, non autem de beſtiis verba fieri, clare perſpicere non poteſt? Quis enim unquam audivit mortuos, ſive τὰς νεκρὰς, aliud quam mortuos homines ſignificare? Quis verborum Pauli argumentum eſſe non cernit, qualenam futurum ſit corpus eorundem hominum mortuorum, poſtquam reſurrexerint? Ex poſterioribus quoque quis non apertiſſime videt, quæ præceſſerant omnia, comparationes & ſimilitudines fuiſſe, ad rem, de qua agebatur, explicandam allatas; cum ibi diſerte dicatur; *Sic etiam reſurrectio mortuorum?* Equidem non video, quo pacto erroris tui fœditas excuſari ulla ex parte poſſit. Apoſtolus igitur, ut manifeſtiſſimum eſt, ad interrogationem illam reſpondens: *Quomodo ſurgunt mortui? quali autem corpore veniunt?* atque inſcitiæ redarguens, quicunque eo modo interrogaſſet, (quaſi vero dubitandum ſit, quin in reſurrectione noſtra alterius ac præſtantioris forme & qualitatis corpora, quam nunc habeamus,

habituri ſimus, & id unicuique perſuaſiſſimum eſſe non debeat) ſimilitudine ſeu comparatione ſati grani, oſtendit longe præſtantiora futura corpora noſtra in reſurrectione, quam in hoc præſenti ſunt ſæculo: quemadmodum naſciturum corpus nudo grano, quod ſeritur, longe præſtantius eſt: & ſicut granum mori debet, ut naſcatur corpus illud, ita noſtrum hoc corpus delendum eſſe demonſtrat, ſi futurum eſt ut reſurrectionis corpus exiſtat. Qua de re quoniam in ſuperioribus diſputationibus non pauca diximus, non eſt, quod de ea hic aliud præterea dicamus. Grani, quod ſeritur, & ejus, quod ex eo naſcitur, ſimilitudine allata, qua potiſſimum in tota hac re explicanda utitur, ſubjicit Apoſtolus alias ſimilitudines & comparationes, ex quibus differentia inter utrumque corpus oſtendi ac perſuaderi queat: & non ſecus atque ſuperiorem illam comparationem, abſque ulla ſimilitudinis nota, attulerat, inquiens ſimpliciter: *Tu quod ſeminas*, &c. poſteriores quoque nulla ſimilitudinis nota adhibita, ſic afferre conſtituit, *Non omnis caro* &c. acſi diceret: Quemadmodum videmus aliam eſſe carnem hominum, & aliam pecorum, &c. cumtamen omnes peræque carnes ſint; ſic mirum cuipiam eſſe non debet, ſi aliud erit corpus, quod in reſurrectione habebimus, & aliud id, quod nunc habemus; & non aliter atque carnes, una alia præſtantior eſt, illud futurum corpus hoc præſenti præſtantius erit. Deinde accommodatiore ſimilitudine, ad illud ipſum ſuadendum utens, & ad rem ipſam (ut dicitur) propius accedens, ait, neminem ignorare, corporum alia eſſe cœleſtia, alia terreſtria; atque aliam eſſe cœleſtium corporum claritatem, aliam terreſtrium. Unde conſtare poteſt, nihil abſurdi in ea ſententia, quam ipſe confirmare conabatur, contineri; diverſi ſcilicet generis futurum eſſe illud novum corpus, & alterius claritatis, quam hoc vetus ſit. Neque hoc contentus, poſtremo addit, inter ipſa quoque corpora cœleſtia, multum intereſſe: cum alia ſit claritas ſolis, alia lunæ, & alia ſtellarum: quin & ipſæ ſtellæ inter ſe differant in claritate, ut incredibilis nemini videri poſſit, futura hujus corporis, quo in hac vita animali, & terreſtri utimur, ab eo, quo in illa cœleſti ac ſpirituali utemur, differentia; cum videamus ejuſdem generis, & naturæ corpora ita inter ſe differre. Quibus ſimilitudinibus & comparationibus explicatis, ut & qua ratione ita locutus fuiſſet, liquido appareret, & quid demum ad propoſitam quæſtionem decidendam concludere vellet, dilucide oſtenderet, ait: *Sic etiam reſurrectio mortuorum, ſeminatur*, &c. Itaque mira elegantia & dexteritate quadam præcipuam illam feminis ſimilitudinem una cum aliis comparationibus, tacite illi annexis, quæ in ea explicanda animadverti poſſunt, ad inſtitutum ſuum aptiſſime accommodat. Illæ enim carnium & corporum differentiæ, differentiis, quas inter ſeminatum & enatum corpus inſtituit, atque iis præterea quas ſemi is ſimilitudo neceſſario ſecum affert, ſi minus exacte, (quod in comparationibus fere fit) at quantum opus eſt, reſpondent atque conſentiunt. Si in teſtimonio hoc proferendo ea verba non prætermiſiſſes: *Deus autem dat illi corpus, ſicut vult, & unicuique ſemini proprium corpus*; dubitandum eſſet, an illa tibi tam graviter errandi & tam claram lucem non aſpiciendi levem aliquam cauſam dediſſent. Sed quando ea prorſus retices, videre adhuc nequeo, quid tibi in his Pauli verbis intelligendis omnem mentis aciem ita hebetare potuerit. Fieri enim poterat, ut ex præmiſſis illis colligi poſſe exiſtimares, Paulum innuere voluiſſe, quemadmodum Deus unicuique ſemini dat proprium corpus, ſic omnibus animantibus, prout unumquodque animal natura ab alio qualitatibus disjunctum eſt, proprium corpus in reſurrectione daturum eſſe; & ob eam cauſam ſtatim ſubjunxiſſe: *Non omnis caro [eſt] eadem caro*, &c. quaſi diceret Paulus: Sicut nunc videmus non omnium animantium eandem carnem eſſe; ſic etiam in reſurrectione non omnium animantium eadem erunt corpora. Verum non idcirco excuſandus ullo modo eſſes. Nam & quæſtionis quam Paulus tractat, cum propoſitio, tum deciſio, quemlibet ſatis admonere poterat, non de omnium animantium, ſed de hominum tantummodo reſurrectione hic agi: & ea quæ eodem modo, quo cætera, de corporibus cœleſtibus dicuntur, omnia per comparationem dici, aperte demonſtrant: nec enim reſurgent corpora cœleſtia. At in quæſtione propoſita de reſurrectione tractatur; &, ſi tibi credendum eſt, de earum rerum reſurrectione, quarum corpora humantur: alioqui ſeminis ſimilitudo, ut quidem exiſtimas (id quod alibi à nobis expoſitum fuit) ad ipſam non quadraret. Cur igitur, dices, ea verba appoſuit Paulus? Quid attinebat, ſi de hominibus duntaxat quæſtio erat, in ſeminis ſimilitudine explicanda addere, Deum, unicuique ſeminum dare proprium corpus? Ratio eſt manifeſta. Ut enim cum corporum cœleſtium & terreſtrium meminit, non ſatis habuit oſtendere cœleſtia à terreſtribus differre; ſed ipſa quoque cœleſtia; quin ex ipſis cœleſtibus ea, quæ ejuſdem generis ſunt, inter ſe differre oſtendere voluit: ſic in ſimilitudine illa explanandâ, non ſatis illi fuit, differentiam notare, quæ inter nudum granum & corpus, quod deinde naſcitur, exiſtit; ſed ipſa quoque ex diverſis ſeminibus enata corpora, licet omnia æque ſtirpes ſint, inter ſe nihilominus diſſimilia eſſe, demonſtrare voluit; ut, quemadmodum modo dicebamus, tanto magis fieri poſſe perſpicuum faceret, ut, quamvis & corpus, quod nunc habemus, & quod in reſurrectione habituri ſumus, vere corpus utrumque ſit, hoc tamen ab illo multum differat, & in propriis qualitatibus ſit diſſimile. Quid, quod, ut paulo ante dictum fuit, non ſecus quam in altero illo Pauli teſtimonio, non modo de beſtiis hic non agitur, ſed etiam non niſi de piis hominibus eſt ſermo? Cujus rei, cum hoc idem in 10. cap. à nobis tractandum ſit, id ſolum in præſentia manifeſtum indicium proferemus, quod ex verbis teſtimonii ipſius, ut à me recitatum fuit, ſumi poteſt. Quis eſt enim, quem aſſeverare non pudeat, impiorum corpora reſurrectura eſſe in gloria, & in virtute, ſive in potentia; ut affirmat Paulus reſurrectura eſſe corpora, de quibus loquitur? Neque enim eſt, cur aliquis putet, in gloria & in virtute impiorum quoque corpora reſurrectura, quatenus incorruptibilia futura ſint. Nam aperte Paulus gloriam & virtutem ab incorruptibilitate diſtinguit. Mitto, quod incorruptibilitas illa, ſiquidem impiorum corpora in æternum pœnis & cruciatibus ſuſtinendis deſtinata erunt, nihili facienda eſt; immo maxime ab ipſis impiis odio habenda eſt, ac deteſtanda, quippe quæ in cauſa ſit, ut ipſorum ignominia & infirmitas perpetuo ſit duratura; tantum abeſt, ut propter eam glorioſi & potentes appellari poſſint. Neque etiam eſt, quod aliquis ſomniet, ideo impiorum corpora in reſurrectione dici glorioſa, & potentia, quia ſecundum ipſorum propriam naturam talia ſunt, licet propter impiorum ſcelera aliam conditionem ſubire ſint coacta. Paulus enim non ita obſcure præter rem philoſophatur; ſed propoſito inſerviens, ſimpliciter, & aperte id quod futurum eſt, eloquitur, ut reſurgentium, de quibus ſermonem inſtituerat, corpora, qualia re ipſa in perpetuum ſint futura, Corinthios doceat. Præterea quis impiorum corpora reſurgentia ſuapte natura, gloria & potentia prædita eſſe affirmare audeat, ſi in ipſis, nihil unquam niſi ignominiam & infirmitatem agnoſcit? quis illi tantum arcanum patefecit? Deſinamus igitur aliquando præter ea, quæ Deus nos ſcire voluit, aliquid comminiſci: ne, tanquam iis non contenti, ejus iram in nos provocemus, & miſeri ac ridiculi tandem fiamus.

Quod ſi Paulum de piorum tantum corporibus reſurrecturis, ſermonem inſtituiſſe, ex ipſis teſtimonii verbis tibi adhuc conſtare non poteſt, conſidera, obſecro te, ipſum ea corpora ibidem ſpiritualia appellare; ac proinde, ut ſupra demonſtratum fuit, eos, qui ejuſmodi corpora habituri ſunt, in ſpiritum vivificantem factum iri affirmare; & tu ipſe judica, num impii in ſpiritum vivificantem reformandi ſint. Ut interim nihil dicam,

dicam, quod, quos reſurrecturos hic dicit, eoſdem cœleſtes futuros, & Jeſu Chriſti, primi hominis cœleſtis imaginem portaturos, deinde docet. Nam id extra verba ipſius teſtimonii eſt. Quod tamen nemo non videt, impios à Pauli ſermone penitus excludere, niſi impios quoque in futuro ſæculo Jeſu Chriſti imaginem portaturos eſſe, non impie minus, quam falſo atque inepte affirmare velimus.

Hactenus duo illi tui quidam quaſi Achilles, quorum virtute ab omni impetu commentum iſtud tuum de beſtiarum reſurrectione defendi poſſe putaras, à nobis Deo bene juvante, & profligati & funditus deleti ſunt. Nunc videamus an adhuc aliquos gregarios milites habeas, quorum ope prælium aliquo modo renovare poſſis. Habes quidem, ſed, ut, qui illis parum fidas, ad territandum hoſtem eos duntaxat conſpiciendos dediſti: Cæterum in aciem perducere noluiſti. At mihi in ipſis ſtationibus eos adoriri certum eſt, &, iis pariter devictis, tibi inſtaurandi prælii omnem ſpem eripere. Ut igitur ſupra viſum eſt, præter duo illa præcipua teſtimonia, ea libri Sapientiæ verba tibi favere credis Sap. 10. 25: *Nihil odiſti eorum quæ feciſti*: quaſi vero Deus, odiſſe dici poſſit ea, quibus immortalitatem largitus non ſit. Quod non ſecus eſt, acſi quis diceret, principem odiſſe aliquos, quibus liberalitate ſua bona aliqua utenda, fruenda, ad tempus dedit, quia videlicet, ut quibuſdam aliis, in perpetuum non dederit. Certe ſi iſthæc ratiocinatio bona eſt, multo plus odit princeps eos, quibus ne ad tempus quidem dedit: atque eadem ratione Deus multo plus odiſſe dicetur ea, quibus vitam aliquam non eſt largitus, quam ea quibus ſpiritum & vitam ad tempus conceſſit. Sed certiſſimum eſt, multis rebus creatis nullam vitam à Deo datam fuiſſe: ergo, ſi tuam argumentationem admittimus, Deus multa eorum quæ fecit, non odit ſolum, ſed graviter etiam odit. Tunc odiſſe Deus res ab ſe creatas dici poſſet, ſi eis ſine aliqua cauſa aliquod malum immitteret, & immerentes affligeret, vel etiam fortaſſe, (quanquam id jure ſuo facere poſſet) ſi quod jam dedit, nulla ipſarum culpa id exigente, ab illis repeteret. Hinc apparet nullius momenti eſſe id, quod præterea dicis, & ex Paulo ſumptum videtur Rom. 13. 39; *Deum non pœnitere, ſi quid alicui dedit*. Nam jam vides in hac diſputatione me tibi id dare, dum modo recte intelligatur: Quinimo etiamſi ſententia illa ſine ulla exceptione aut interpretatione admittenda eſſet, nihil iſtud ad quæſtionem noſtram. Tibi enim, antequam ea utaris, probandum eſt, immortalitatem beſtiis à Deo ab initio fuiſſe conceſſam: quod illud idem eſt, de quo hic præcipue controverſamur, & quod ex earum futura reſurrectione confirmare niteris, tantum abeſt, ut ex eo ipſam reſurrectionem ſtatuere queas: quia ſcilicet fieri non poſſit, ut Deum pœnituerit, quod beſtiis immortalitatem dediſſet, & ob eam rem concludendum ſit, illis ab ipſo aliquando reſtituendam eſſe. Ubi tamen non animadvertis, ſatis Deum datæ immortalitatis pœnituiſſe, ſi eam ab initio beſtiis dederat, & deinde illis eripuit, præſertim nulla ipſarum culpa. Quamvis enim iterum immortales futuræ eſſent, id tamen quod à Deo primum acceperant, id eſt, ut nunquam mortem experirentur, ipſis ereptum deinde fuiſſe, nullo pacto negari poteſt. Quod ſi aliter ſententiam illam, quod Deum non pœniteat, ſi quid alicui dedit, ad inſtitutum tuum accommodas, & ita fortaſſis argumentari vis, Deus vitam animantibus dedit, ergo illam ipſis non eripit. Primum, iſtud argumentum, non quidem reſurrecturas beſtias, ſed nunquam morituras probat, quas tamen mori videmus: & ſic ad tempus illud, ſi vim aliquam habere debet, pertrahendum eſt, quod Adami lapſum anteceſſit; tanquam hac ratione probare velis, mortem, quam beſtiæ ſubeunt, Dei voluntate illis inflictam non eſſe, & ideo ab ipſo mortales ab initio creatas non fuiſſe: quod quam verum ſit, cum nec ipſarum beſtiarum culpa id evenerit, nec delictum aut mortalitas Adami, ut ſupra abunde oſtenſum eſt, ad id efficiendum aliquas vires habuerit, quilibet facile judicabit. Deinde, num tibi Deus vitam animantibus eripere videtur, cum naturali morte moriuntur? Nonne vides, vitam in illis deficere, non quia Deus illam eripiat, ſed quia ejus vitæ genus ſuapte natura ſenſim poſt aliquod tempus minuitur, atque extinguitur? Nihil igitur dedit unquam Deus beſtiis, quod illis deinde eripuerit; quod ad vitam attinet, niſi probetur immortalem vitam eis ab initio conceſſiſſe: quod, ut dixi, in hac diſputatione noſtra maxime à me pernegatur. Quod enim illis vitam dederit, non ſatis eſt, ut vel ſuſpicari quidem poſſimus, cum moriuntur, eas ab ipſo, re prius donata privari; cum non æternam vitam, ſed temporariam, ut ſecundæ cauſæ, ex quibus illa pendet, manifeſtum faciunt, eis largitus ſit.

Conficiendus adhuc reſtat alius ex tuis gregariis militibus, id eſt argumentum, quod ex illis ejuſdem ſapientiæ verbis Cap. 1. 14: *Creavit enim ut eſſent omnia*; elici poſſe credis. Sed quid dico? nonne is in prioribus reſponſionibus meis, ad ſeptimum tuum argumentum plane confoſſus fuit? Quid igitur ejus cadaver fruſtra mihi oſtentas? Verum id multo magis in te culpandum eſt, quod poſtquam ea attuliſſes, quæ tibi beſtiarum reſurrectionem omnino ſuadere videntur, ita ſcribis: *Cum igitur Fauſtus expoſtulat cum Deo cœli & terræ, dicens: Quænam vero hæc Dei juſtitia fuiſſet, propter hominis peccatum innocentes animantes tam graviter punire? reſpondemus, Deum poſſe reddere rationem ſui facti, & beſtiis quæ non revocant in dubium ſuam juſtitiam, & hominibus, qui tam temere eam revocant*. In quo eos imitatus eſſe videris, qui æternam quandam & neceſſariam Dei de ſingulorum ſalute aut perditione prædeſtinationem ſtatuentes, & homini liberam voluntatem in rebus divinis prorſus adimentes; ſi quis ejus ſententiæ falſitatem propterea conſtare dicat, quod, ſi ea vera eſſet, Deus, qui ſibi obedientibus præmium, contumacibus vero pœnam conſtituit, ſummæ cum inſcitiæ, tum injuſtitiæ argueretur; eum & impudentem, & temerarium, & turpiſſimum etiam canem vocant, qui Dei juſtitiam in dubium vocare audeat, divinamque providentiam maledictis inceſſere non vereatur: quaſi non modo ipſis, ſed illi quoque clare pateat, rem ſic ſe habere, ut ipſi dicunt; & tamen Deum in ordinem cogere, & ſuarum actionum ipſum rationem hominibus reddere velit. Annon, Franciſce tibi, ejuſmodi homines egregie cauſam ſuam defendere, & adverſariorum argumentum illud, quod tanti ponderis eſſe creditur, penitus diluere videntur? Atqui tu idem prorſus facis, qui me cum ipſo Deo expoſtulare, & temere admodum ejus juſtitiam in dubium revocare ais, cum beſtias immortales à Deo conditas fuiſſe, quod tu aſſeris, propterea nego, quia ſi id verum eſſet, non conſtaret ipſius juſtitia: Quaſi vero id, quod tu affirmas, verum eſſe ſciam, & tamen nihilominus ejus rei à Deo mihi cauſſas & rationem reddi omnino velim. At dices, jam, cum hæc dico, planum feci, ita rem ſe habere, ut aſſero. Quam bene id præſtiteris, me ſatis demonſtraſſe arbitror. Præterea ii quoque quorum te ſimilem hac in parte eſſe affirmo, ſe oſtendiſſe putant, veriſſimum eſſe, quod ipſi aſſerunt. Finge autem & te, & illos id abſolute præſtitiſſe. Quid tum poſtea? Num is, contra quem diſputabis, id probe antea noverat? num ſaltem poſtea id plane novit? At quo pacto antea noviſſe poterat, ſi id maxime contendebat, ut id ipſum falſum eſſe demonſtraret? An fortaſſe, cum optime ſciret, rem ſic ſe habere, ut vos dicitis, Deo injuſtitiæ notam illam, aliud agere ſe ſimulans, impie inurere voluit? Quod ſi non ante, ſed poſtea noviſſe vultis, quis vobis id patefecit, quod in intimo hominis pectore reſidet? Et quamvis poſtea noverit, quid hoc, ut ipſum, eorum duntaxat occaſione, quæ prius dixerat, vel expoſtulare cum Deo, vel inſigniter temerarium eſſe affirmare poſſitis? Valde ſuperſtitioſus potius appellandus fuerat, qui, dum nimis veretur, ne Deum injuſtitiæ inſimulet, ea admittere noluerit, quæ ad-

mittenda omnino erant. Sed jam cætera percurramus.

Poſtquam igitur ſatis tibi viſum eſt, omnem injuſtitiæ ſuſpicionem ab ea ſententia depuliſſe, quod beſtiæ, propterea quod homo culpa ſua mortalis ex immortali evaſerit, immortalitate & ipſæ, alioqui licet immerentes privatæ fuerint, quaſi perorans, epilogo ea repetens, quæ jam dixeras, ita concludis: *Quod ſi Deus jure creationis potuit ſubjicere beſtias homini, quis non videt, conſequens eſſe, ut homine earum domino afflicto, ipſis quoque ſimilis ſors obtingeret; donec eo tandem liberato, & ad majorem dignitatem elato, in ipſas etiam major aliqua felicitas redundaret?* Ex quibus tuis verbis intelligi poteſt, cum ſupra ex homine, tanquam ex capite, in beſtias ejus miſeriam redundaſſe dicebas, te ipſum ideo caput beſtiarum hominem appellaſſe, quia earum dominus ſit. Ex quo an id conſequatur, quod tu hic neminem non videre affirmas, unicuique perſpicuum eſſe poterit, qui ea, quæ ibi nos ſcripſimus, non oſcitanter legerit. Obſervandum eſt autem, quibus verbis hic ſententiam tuam explices: nam ejuſmodi ſunt, ut, quemadmodum, jam ſæpius evenire in tuis verbis animadvertimus, tibi ipſi, non modo rudioribus quibuſdam imponere queant. Ita enim loqueris, ac ſi homo caſu quodam afflictus fuiſſet, cujus afflictionis participes beſtiæ quoque eſſe debeant; ut quas eandem ſortem ſubire deceat, quæ ipſarum domino obtigerat. Sed cur verborum tuorum ſpecie, eam afflictionem homini, maxima & ſola ipſius culpa obtigiſſe occultas? Num debent ſervi ſtultorum dominorum afflictionem, quam ultro illi ſibi accerſierint, participare, niſi quatenus ita natura rei ferat, & aliter fieri nequeat? Sed ſupra aperte docuimus, nihil impediſſe, quominus, homine mortali effecto, ipſæ beſtiæ immortales eſſe perſeverarent. Solent aliquando, qui ſubjecti ſunt propter Domini culpam à Deo affligi: ſed vel alterutra, vel utraque harum cauſarum ea in re ſubeſt, (præſertim ſi illa abſit, quod aliter fieri non potuerit) nempe, quod, aut ſubjecti ipſi ſive ejuſdem, ſive alterius culpæ participes ſunt, aut ipſorum afflictio domini pœnam adauctura eſt. Verum neutra harum cauſarum hic ſubeſſe conſpicitur: nam neque beſtiæ alicui culpæ affines erant, maxime vero, ſi, ut tibi videtur, ante hominis lapſum delinquere non poterant; neque beſtiis erepta immortalitas hominis pœnam aliqua ratione augere potuit, ſed potius minuere, dum videret ſcilicet, ſocias habere ſe pœnarum ſuarum eas, quæ nihil mali commiſerant. Quin imo, tunc demum creviſſet hominis pœna, ſi ſui & beſtiarum comparatione miſeriam ſuam plane agnoviſſet, & ſua culpa vere id factum fuiſſe conſideraſſet, beſtiis, quæ extra culpam omnino erant, ab ea miſeria jure optimo exemptis. Quod ſi, ut hominis pœna minueretur, id fortaſſe à Deo mira charitate factum fuiſſe velis; vide, obſecro, quænam perverſa charitas iſthæc fuiſſet, ut ſontis pœna mitigaretur, inſontibus eandem pœnam infligere. An non potius ſonti ejuſmodi pœna ſtatuenda fuerat, quæ mitigatione aliqua non egeret? Itaque quæcunque diverticula, & effugia quæras, vides iniquitatem ſententiæ tuæ nullo pacto vitari poſſe.

Sed antequam huic diſputationi finem impono, libet iſtud tuum commentum accuratius perpendere. Nam aut omnes beſtias, quæ unquam fuerunt & futuræ ſunt, in reſurrectione reſtituendas eſſe credis: aut aliquas duntaxat. Si omnes, certe beſtiæ melioris ſunt conditionis, quam homines. Quod enim aliquæ beſtiæ in judicii die puniendæ ſint, nuſquam legitur; cum tamen id innumerabilibus hominibus eventurum ſit, iis ſcilicet omnibus, ut Chriſtus ipſe aperte teſtatur Matth. 25. 41, qui charitatis officia, iis qui Chriſti ſunt, non præſtiterunt: quos infinitos prope eſſe, nemo non videt. Et tamen, ut ſupra ex ipſis divinis literis oſtendimus, beſtiæ quoque corrumpunt viam ſuam, & ob eam cauſam à Deo etiam in hac vita puniuntur. Quodſi teſtimoniis illis, (licet refragantibus) dicas, eas non delinquere, vel non ita delinquere, ut puniri mereantur; melioris tamen conditionis erunt, quam homines. Ipſæ enim ita creatæ erant, ut felicitatem ſibi deſtinatam amittere nullo pacto poſſent; cum homines ea conditione creati ſint, ut felicitate, quæ ipſis deſtinata eſt, privari queant; immo felicitatis loco, graviſſimas pœnas ſubire. Neque vero dixeris, ex judicio quod de hominibus in illa extrema die fieri debet, colligi poſſe, de beſtiis quoque judicium ferri debere. Nam, quemadmodum ridiculum prorſus fuiſſet, ex hominum futura reſurrectione, beſtiarum quoque reſurrectionem argumentari, niſi aliqua divina oracula, quæ de beſtiis ipſis reſtituendis loqui tibi videbantur, protuliſſes: ſic ridiculum plane eſſet, ex futuro de hominibus judicio, judicium quoque de beſtiis futurum eſſe, argumentari: cum nihil præterea ad commentum iſtud confirmandum, ex Sancta Scriptura in medium afferri poſſit. Sed profecto ſi id verum eſt, quod ex verbis tuis non obſcure percipitur, beſtias, ſcilicet homine non delinquente, de via, quam illis Deus ab initio præſcripſerat, deflectere non potuiſſe, & ob eam rem homini, ſi quid ipſæ delinquunt, univerſam culpam aſcribendam eſſe; nullum de ipſis judicium ferri debere, concludendum eſt; ſed eas univerſas, in hominis reſtitutione, ad majorem aliquam felicitatem, ut tua verba habent, revocandas eſſe. Ex quo fit, ne ingens abſurdum illud admittatur, quod beſtiæ in creatione meliorem conditionem, quam homo ſortitæ eſſe dicantur, ut facile perſuadere nobis poſſimus, omnes homines tandem, ſive bonos, ſive malos, ad felicitatem illis à Deo deſtinatam perducendos eſſe; cujus ſententiæ & Origenes fuiſſe traditur, & aliqui præterea fuere non pauci, quorum adhuc inter eos, qui ſe Chriſtianos eſſe profitentur, aliquem numerum exſtare credo: Nam inter exteros, præſertim vero inter Machometanos, infinitam eſſe iſtorum multitudinem audio. Quæ opinio, dum, ut in pleriſque ex tuis opinionibus contingit, Dei miſericordiam mirifice extollere atque illuſtrare videtur, mirum eſt quam ipſam vere deprimat, & penitus obſcuret, ac maxima cum hominum, qui eam amplectuntur, pernicie, omnis injuſtitiæ, & impietatis non tantum in divino cultu deſidiæ & negligentiæ, origo, & fons exiſtat. Cujus te ſententiæ eſſe, profecto ne cogitare quidem auſim, præſertim cum alicubi ex iis, quæ ſcripſiſti, contrarium te omnino ſentire deprehendi poſſet. Ut tamen eorum, quæ aſſeverare audes, unde ea ſententia neceſſario quodammodo fluit, ſub illo, quaſi melle, divinam benignitatem (ut quidem incautis videri poteſt) ſummopere commendandi, latens venenum appareat, hæc reticere nec potui, nec debui. Sin autem non omnes quæcunque fuerunt aut futuræ ſunt, beſtias reſtituendas eſſe credis, ſed aliquas tantummodo, eas videlicet, quæ, ut tu loqueris, ante corruptionem creatæ fuerunt; & præterea alias quaſdam fortaſſe, quas à cæteris diſtinguendas eſſe cenſes; jam teſtimonia tua, quæ, ut opinaris de beſtiis, vel univerſe vel indefinite loquuntur, te ipſo teſte, qui alibi fallaciarum plenas, ejuſmodi interpretationes appellas, depravas, atque corrumpis, præſertim, cum illis nihil præter mentis tuæ ſenſum, & inanes quaſdam ac futiles rationes opponere poſſis. Si enim, ut dictum eſt, beſtias corrumpi non potuiſſe credis, niſi homo prius corruptus fuiſſet; immo hominis corruptionem, neceſſariam corruptionis beſtiarum cauſam fuiſſe ſtatuis: quanam ratione, inter eas quæ ante corruptionem creatæ fuerunt, & eas, quæ poſt corruptionem creatæ ſunt, differentiam iſtam conſtituere potes, ſive etiam quocunque alio modo, inter alias & alias beſtias diſcrimen aliquod hac in re ponere? Annon neceſſe eſt, ſi uni beſtiæ reſtitutio eſt concedenda, quæ alteri denegetur, id propter culpam aliquam, quæ in ea, cui denegatur, reſideat, jure fieri poſſe? At quænam culpa in beſtia aliqua reſidere poteſt, ſi ſolum Adami delictum omnis corruptionis, quæ in beſtiis reperitur, neceſſaria cauſa extitit? cur potius, quæ ante corruptionem creatæ fuerunt, quam quævis aliæ, reſtituendæ

ſunt,

ſunt, ſi ipſæ primum fuere corruptæ, & corruptionem deinde in alias ex ipſis natas tranſmiſerunt? Nonne, ſi aliqua differentia inter has & illas in ipſis reſtituendis conſtitui deberet, melioris conditionis eæ cenſendæ forent, quas corruptionem à primis illis, vi procreationis, neceſſario & nulla ipſarum culpa contraxiſſe conſtaret, quam illæ, de quibus dubitari ſaltem poteſt, an propria culpa potius quam propter Adami delictum corruptæ fuerint? Quomodo autem injuſtitiam mortalitatis, beſtiis, nulla ipſarum culpa inflictæ, vel diluere vel minuere ea ratione tentas, quod beſtiæ quoque à mortuis excitandæ ſint, & immortali vita donandæ, ſi id omnibus beſtiis non concedis, & iis maxime negas, quas extra omnem culpam eſſe manifeſtum eſt?

Sed de beſtiarum commentitia tua reſurrectione, hæc dixiſſe ſufficiat. Jam vero, quæ addis de terra, propter hominis peccatum à Deo maledicta, & in filiorum Dei renovatione una cum ipſis renovanda, partim ita ridicula ſunt & puerilia, ut ea refellere opus non ſit, præſertim cum in priore ſcripto planiſſimum fecerim, cur terra à Deo propter Adami delictum maledicta fuerit; & quonam modo id citra illam injuſtitiæ ſuſpicionem fieri potuerit; nec tu aliquid adverſus explicationem meam attuleris, partim à me in hoc ipſo cap. cum de immotalitate rerum cœleſtium tractaremus, abundanter confutata fuere. Supereſt igitur, ut quid de eo, quod majoris momenti eſt, iterum dixeris, & quid adverſus ea quæ ego reſponderam, attuleris, examinemus. Et ſane valde mirum eſt, te in levioribus, & in iis, quæ aut prorſus nihil, aut parum admodum ad quæſtionem noſtram pertinent, refutandis, non ſegniter laborare: graviora autem, & ea, quæ maxime ad rem faciunt, vel leviſſime attingere, vel ſilentio penitus præterire. In comminatione illa divina, quam Adamus audivit, ſi de vetita ſibi arbore comediſſet, ut ſupra diximus, potiſſima vis eſt omnium tuorum argumentorum, ad probandum id de quo præcipue contendimus, hominem ſcilicet ante lapſum fuiſſe immortalem, & tamen ad ea, quæ ut iſtud meæ ſententiæ, ut videtur, contrarium diluerem, & comminationis illius veriſſimum ſenſum aperirem, à me dicta ſunt, ſi verba tua recte perpendantur, nihil omnino reſpondes, ſed ſolum dicis, me multum torqueri, cum videam ex monitione Dei conſtare, hominem cum morte nihil habuiſſe commune, antequam de interdicto fructu comederet. Ecquid tandem te adjuvabit, quod multum me torqueam, ſi dum me torqueo, interim tu concidis, & præſtantiora quæ habebas arma, tibi è manibus extorqueri ſinis, & in temetipſum extremo tuo malo eadem retorqueri ſentis? Ex explicatione enim, quam ipſe Deus ſuæ monitionis affert, non modo in comminatione illa divina, mortem ipſam vere non contineri oſtendi: ſed etiam Adamum ſuapte natura morti obnoxium ab initio fuiſſe, perſpicue demonſtravi: Et tu tamen adhæc nihil revera dicis. Nam primum quod ais, me verba illa monitionis divinæ ex verbis Pauli interpretanda eſſe dicere, qui quater mille annis poſt ſcripſit, & ea de re non tractavit, niſi obiter, quæſo te quid agebas, dum hæc ſcribere cogitabas? Num tibi videor ex Pauli verbis illa Dei verba interpretanda eſſe, affirmare cum de eorum interpretatione agens, ſic ſcribo? *Hic primum ſi ſacræ hiſtoriæ verba ipſa exacte perpendere velimus, & ad ea explananda Pauli Apoſtoli interpretationem, de qua infra agendum erit, non adhibere, per comminationem illam, licet in ea mortis expreſſa mentio fiat, mortem tamen ipſam vere Adamo decretam non fuiſſe, ſed tantummodo mala deſtinata, quibus in hac vita propter peccatum hominem perpetuo circumdatum eſſe voluit Deus, manifeſtiſſime apparebit.* Nihil poteram clarius dicere, ut verba Pauli, interpretationi, quæ mihi verbis Dei convenire videtur, & per quam tua argumentatio penitus diluitur, non parum officere aſſeverarem; tantum abeſt, ut in rem meam eſſe exiſtimem, ut Dei verba ex Pauli verbis explanentur. Cum igitur tibi, non mihi, Pauli verba hac in parte faveant, quid me reprehendis, quaſi ut tuæ argumentationis vim eludam, ad Pauli verba confugerim? Præterea, etiamſi ad Pauli verba pro verborum interpretatione confugiſſem, nunquid non optime feciſſem? Nam qui melius Dei verba interpretari poſſunt, quam homines divini? Num tibi fortaſſe potius, quam Paulo in divinis oraculis, de quorum ſententia dubito, intelligendis fidem adhibendam? At inquis, *Paulus quater mille poſt annis fuit.* Et tu poſt ipſum Paulum, adhuc mille quingentis. Sed ut de ipſo Paulo agamus, an non te pudet hæc effutire? Quid enim refert, utrum exiguo tempore, an vel centum mille annis poſt fuerit, qui verba Dei interpretatur, dummodo divino ſpiritu ſit præditus? Verum addis, *Obiter tantum ea de re tractavit Paulus.* Huic inaniſſimæ oppoſitioni in initio 3 cap. ſatis reſponſum eſt; dum hac eadem ratione Paulinam aliorum verborum Moſis interpretationem, declinare aliqua ex parte tentares. Tu igitur, qui Pauli divinorum oraculorum interpretationes eludere conaris, & qui non obſcure affirmas, quia is quatermille poſt annis ſcripſerit, non eſſe in divina illa monitione recte percipienda, de ejus interpretatione curandum, mihi objicere non erubeſcis, quod me non Paulum audiri velim? Nam quod ais, me Pauli verba ex verbis meis explicari velle; & ad ejus verba explananda tres interpretationes diverſiſſimas afferre, quarum nulla mihi ſatis facit, nec propria videtur, hoc quam verum ſit, ſuo loco videbimus. Sed ut ad propoſitum revertamur, dico, me in Dei comminatione illa interpretanda ad Paulum non confugere, ſed ſolum reverentia, quam ejus verbis debeo, permotum, in ea interpretatione, quæ mihi potiſſimum favet, & divinis verbis apertiſſime congruere videtur, non acquieſcere, & ea de cauſa aliam proferre, non quidem ex Pauli verbis petitam, ſed ex vi verborum ipſius Dei depromptam; quæ tamen Pauli verbis non adverſatur, ut de priore illa dici poſſe videtur. Itaque apparet, quam non indigne tantum, ne dicam impie, ſed etiam falſo mihi objicias, quod in Dei monitione illa explananda, Pauli verbis utar. Quod vero poſtea adverſus priorem illam meam interpretationem ſubjungis, id rurſus nihil eſt; cum ea, quibus ipſam abunde confirmo, ne attingas quidem, ſed tantummodo nuda verba mea, quibus ejus interpretationis ſententia continetur, recites, quæ niſi vera eſſe probentur, & falſa & inter ſe pugnantia eſſe videantur. Quo fit, ut me & miſerum appellare, & Satanæ quoque comparare audeas, & ita ſemper ſpecie verborum, & tibi & aliis fucum facere conetis. Dixerat Deus Adamo Gen. 2. 17, *Quacunque die ex arbore boni & mali comediſſet, eum morte moriturum.* Mulieri autem, quæ ne forte, ut Deus præmonuerat, morte moreretur, ab eo cibo abſtinebat, inquit ſerpens Gen. 3. 4, *Nequaquam morte moriemini. Sed ſcit Deus, in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum.* Vides, ſerpentem non interpretari verba Dei, ſed ea vera eſſe prorſus negare; immo affirmare, rem omnino aliter ſe habere, ac Deus dixerat. Deum enim ipſius mulieris, & Adami ſummæ felicitati, quam ex fructus illius eſu conſequi poterant invidiſſe, & propterea ab eo comedendo ipſos falſa illa futuræ mortis præmonitione deterrere voluiſſe. Nunc, quid ego dicam, conſideremus. Sic igitur, ut paullo ante vidimus, ſcribo: *Per comminationem illam, licet in ea mortis expreſſa mentio fiat, mortem tamen ipſam vere Adamo decretam non fuiſſe.* Huc uſque refers tu verba mea; ſed (more tuo ſcilicet) adverbium *vere* omittis. In cujuſmodi omiſſionibus, cum ita frequenter deliqueris, quamvis Chriſtiana charitas poſtuler, ut de unoquoque, dum adhuc res eſt dubia, bene exiſtimemus, neſcio profecto quid de te exiſtimem. Quæ enim ſæpius eodem modo fiunt, caſu non fieri, tradiderunt Philoſophi; ut dubium eſſe non videatur, quin conſulto & hic & alibi hujuſmodi particulas, in verbis meis recitandis reticueris, quæ id quod [illegible] in eis nude prolatis prima facie eſſe videtur, non parum minuunt, atque molliunt. Quod certe in iis, quæ hic recitaſti

recitaſti, facit adverbium *vere*, quod aperte ſignificat, non omnino mortem ipſam in illa comminatione decretam non fuiſſe, ſed non vere, hoc eſt, contineri quidem & ipſam mortem in comminatione illa quatenus ad ipſam etiam, dum ita comminaretur, reſpexit Deus; ut in explicatione deinde comminationis, poſt hominis delictum ipſemet declaravit, & ita quodammodo mortem quoque ipſam in ea fuiſſe decretam, non tamen vere; cum, ut exprædicta explicatione conſtat, homo jam natura mortalis eſſet. Hinc fit, ut ſtatim ſubjungam: *ſed tantummodo mala deſtinata, quibus in hac vita propter peccatum hominem perpetuo circumdatum eſſe voluit Deus.* (Hæc enim vere decreta fuere, ut pote quibus homo, dum in horto illo erat, adhuc obnoxius non eſſet) Quæ verba mea non debuerant à te ullo pacto reticeri, ſi ſincere & candide, atque ut Chriſtianum hominem decet, mecum agere volebas; & ſententiæ meæ, quam tu opinaris, turpitudinem me docere. Adeo enim cohærent hæc verba, & ea quæ recitaſti, ut illa ſine his intelligi nequeant. Atqui propterea (ut ſaltem ſuſpicari libet) una cum reliquis, quæ ad ſententiam meam vel explicandam vel confirmandam pertinent, ea prætermiſiſti, quod ex his ſolis verbis clarius eſt ipſa luce, quam verba mea à Satanæ verbis diſtent. Nec enim, ut ex ipſis apparet, negatur à me, ut à Satana factum fuit, id verum eſſe, quod Deus dixit; ſed quid ſibi divina illa monitio voluerit, explanatur. Quam explanationem non ex capite meo confingere audeo, ſicut Saranas, aliud ſentire Deum quam locutus fuiſſet, injuſtiſſime & impudentiſſime commentus fuerat; ſed ex ipſius Dei ſuorum verborum explicatione, eam manifeſte depromo. Nihil aliud erat, cur verbis illis ita nudis, & quæ perfectam ſententiam non continent, iiſque etiam mutilatis, ex interpretatione illa mea decerptis, me Satanæ ſimilem oſtendere tentares, & apud rudiores ejuſmodi invidiam mihi iniquiſſime conciliare ſtuderes. Nam quid de te, cum hac ratione mecum tegeris, dicendum ſit, judicabunt omnes pii. Qui vero non pii modo, verumetiam eruditi, aut ſane non plane rudes fuerint, videbunt, cum deinde, quid mors illa eſſet, quam Adamo Deus comminatus fuerat, ut utramque meam interpretationem nunquam à te explicatam tacite refellas, explanare niteris, te utramvis earum adeo non confutare, ut utramque admitti poſſe aperte confirmes; ſententiam vero hac in re tuam non mediocriter labefactes. Sic enim ais: *Quid autem illa mors fuerit, ſatis explicatur, dum homo devovetur miſeriis & ærumnis mortalium donec in pulverem revertatur, & fructu vitæ quo prius donatus fuerat privatur, ne perpetuet in æternum dies ſuos.* Tute igitur primum fateris, mortem illam, mala, quibus primum hominem, ſi peccaſſet, perpetuo, donec moreretur, circumdatum iri Deus deſtinaverat, ſignificaſſe, & ita mortem ipſam vere, non peccati pœnam fuiſſe, ſed terminum ad quem uſque pœna duratura eſſet (quæ prior mea interpretatio eſt) mecum non obſcure affirmas. Deinde cum ais, hominem fructu vitæ privatum fuiſſe, ne perpetuaret in æternum dies ſuos; utique poſteriorem meam interpretationem confirmas, quæ habet, mortem Adamo propter peccatum decretam, neceſſitatem moriendi fuiſſe.

Poſtremo, ipſe ſententiam tuam, quæ eſt: *Adamo delicti pœnam mortalitatem conſtitutam fuiſſe*; haud leviter infirmas, cum immortalis naturæ, quæ Adamo fuerit erepta, nullam mentionem facis. Nam quod dicis de fructu vitæ, quo privatus fuerit, quamcunque vim illi fructui tribuas, non immortali natura eum privatum fuiſſe declarat; ſed, ut tibi quidem videtur, & hic aperte ſcribis, modo perpetuandi in æternum dies ſuos, quod profectò natura immortali eum non privat, immo mortalem natura fuiſſe, ut ſupra demonſtratum eſt, manifeſtum facit. Nihil autem obfuiſſet Adamo, quod cibo illo privatus eſſet, ſi ſuapte natura fuiſſet immortalis, niſi prius illam immortalitatem naturalem ipſi eripuiſſet Deus; quod factum fuiſſe, ut modo dicebam, in hac tua pœnæ mortis explicatione, nullo modo apparet. An putas fortaſſe, te illud expreſſiſſe, cum non miſeriis & ærumnis ſimpliciter, ſed miſeriis & ærumnis mortalium, devotum fuiſſe Adamum dixiſti? Si id credis, vehementer falleris. Nam vel inepte admodum id verbum *Mortalium* à te additum fuit, aut nihil aliud ſignificat, quam quibus nos mortales, id eſt, nos homines hodie obnoxii ſumus Et enim ſi velis vocem *mortalium* eandem vim habere, ac ſi dixiſſes: quæ propriæ ſunt mortalium; ita ut nemo poſſit eſſe mortalis, qui miſerias & ærumnas illas non experiatur; nemo item contra immortalis, qui eis obnoxius ſit; ineptiſſimum eſt. Nam unde id colligis? Num ex eo, quod hodie omnes mortales earum participes eſſe vides, immortales vero omnino expertes? Atqui eadem ratione cibis terreſtribus uti, & per maris ac fœminæ conjunctionem ſibi ſimilem procreare, propriæ res mortalium erunt, & cum natura immortali pugnabunt: cum generatim omnes mortales, utrumque facere vel non facere poſſe videamus; immortales vero minime. Quod tibi tamen prorſus negandum eſt: alioquin totum iſtud de hominibus in primo ſtatu natura immortali commentum, penitus evaneſceret. Nunquid non vides, quod ærumnis & miſeriis iſtis obnoxii ſimus, id non ex natura mortali neceſſario pendere, ſed ex divino decreto, propter quod, tanquam peccati pœnæ, illis neceſſario ſubjacemus: alioqui fieri potuiſſe, ut mortales eſſemus, & tamen nihilominus ejuſmodi moleſtiis eſſemus liberati? Nam etiam poſtquam Adamus peccavit, id eſt, cum nemini dubium eſt, quin mortalis fuerit, non Adamus ſolus, ut arbitror, ſed univerſi primi illi homines, multis malis, tot ſcilicet corporis morbis & ægritudinibus non ſubjacebant, quibus nos hodie ſubjacemus: id quod præter alia indicia, & præter cauſas, quæ ejus rei afferri poſſent, ſatis oſtendit illorum diuturnitas vitæ, quæ ultra nonum etiam ſeculum non raro perducebatur. Hoc ideo dico, ut non ratione ſolum, ſed etiam experientia ipſa doceamur, Adamum in primo illo ſtatu, etiamſi mortalis fuiſſet, à multis miſeriis, quicquid ejus rei cauſa foret, immunem eſſe potuiſſe, quibus nunc nos omnes undique premimur & afflictamur. Jam vero, cum Adamo pœna propter delictum inflicta eſt, nulli erant, aut fuerant præter ipſum alii homines mortales, qui ærumnis & miſeriis illis ſemper obnoxii fuiſſent, unde conjicere liceat, poſtquam Adamus illis devotus eſſet, qui antea ab ipſis liber erat, ex immortali mortalem eſſe factum; ita ut dici poſſit, te ſatis expreſſiſſe, eum immortalitate privatum fuiſſe, dum miſeriis & ærumnis mortalium devotum fuiſſe dicis. In quem ſenſum, qui multo magis & ineptus & falſus, quam ſuperior eſſet, tua verba accipi debere, non injuriâ quiſquam contendere poſſet. Ex ipſis enim, ſi diligenter attendantur, jam tum præter Adamum mortales aliquos extitiſſe, colligitur. Reliquum eſt igitur, ne falſo & inepte plane locutus fuiſſe videare, ut verbis tuis aliqua vis fiat, atque eo modo, quo in initio diximus, explicentur: nullo enim præterea alio explicari poſſe videntur. At eo ſenſu admiſſo, de immortalitate qua Adamus privatus fuerit, nulla penitus in ipſis mentio fit; immo propter arborem vitæ, cujus in illis meminiſti, quæ Adamum mortalem natura ſemper fuiſſe omnino arguit, id ne fieri quidem potuiſſe, tacite affirmatur. Ex quo efficitur, mortem quam Adamo Deus minatus fuerat, aut non ipſam mortem, ſed mala, quæ ad mortem uſque duratura eſſent, te ipſo teſte, vere ac proprie ſignificaſſe: aut, ſi ipſam mortem ſignificavit, nihil niſi neceſſitatem moriendi ſignificare potuiſſe. Si enim mortalitatem, quæ illum eſſet invaſura non ſignificabat, quanam præterea alia ratione ipſam mortem ſignificare poterat? Num immaturam aut violentam mortem ſignificabat? Non profecto. Nam, ut ipſe fateris, multis ſæculis vixit Adamus, poſtquam deliquit; & nulla externa vi extinctus eſt. Num fructus illius, quo in æternum perpetuare dies ſuos potuiſſet, ereptionem? Atqui ut in ſuperioribus diſputationibus, dictum fuit, ubi etiam quæ vis illi fructui ineſſet, abunde explicavimus neſciebat Adamus, antequam ex arbore

ſcien-

ſcientiæ boni & mali comederet, vim illius fructus, aut ſaltem quanti vis illa facienda eſſet, ignorabat. Quapropter dici non poteſt, antea vere fructus illius beneficium, ſive etiam ipſum fructum ei fuiſſe conceſſum; & idcirco neque etiam poſtea ereptum. Unde factum eſt, ut in comminationis explicatione, ea de re nihil prorſus Deus dixerit, ſed tantummodo deinde caverit, ne Adamus jam rem ipſam edoctus, ad eam arborem manum porrigere amplius poſſet; & ita eo divino beneficio, eoque vitali cibo, tunc demum vere frueretur, cum maxime ipſo indigus erat. Quid, quod tu alibi non ad pœnam, ſed commodum ipſius Adami, privatum eo cibo illum fuiſſe affirmare videris? In fine enim quinti cap. ſic ſcribis: *Cautum eſt, ne mortalis amplius immortalem guſtaret; nam in æternum diſtuliſſet mortem corporis, & miſeriarum hujus vitæ nullus fuiſſet finis.* Quomodo igitur hic interea, quæ mortis pœna Adamo inflicta complexa eſt, id numerare audes? Quomodo præterea, poſtquam miſeriarum & ærumnarum, quas mortalium appellas, quibus Adamus, donec in puluerem reverteretur, devotus fuit, & illius cibi ablationis mentionem feciſti, hæc verba ſubjicere non dubitas? *Nonne tibi videtur, hæc vera mors, aut potius mortalitas illa de qua nos contendimus?* Certe, ut oſtendi, & per ſe ſatis liquet, mortalitas illa quam tu aſſeris, ego nego, in illis ipſis tuis verbis nullo modo continetur. Itaque juſtiſſimo Dei judicio factum eſſe videmus, ut quando in priore illa interpretatione mea utcunque examinanda, quibuſdam verbis meis recitatis, ſeu potius verborum quadam parte, eaque parum fideliter prolata, me indigne non minus quam graviter criminatus fueras; in interpretatione tua deinde explicata, tuis apertiſſimis verbis adverſus temetipſum merito ſententiam tuleris.

CAPUT VII.

SI in hoc ſeptimo cap. ad ea tantum reſpondere vellem, quæ contra priores reſponſiones meas ſcripſiſti, nihil propemodum mihi dicendum eſſet. Nam tu nihil vere adverſus eas affers. Protuleras ex Sapientiæ libro teſtimonia quædam, ex quibus conſtare credebas, Deum nolle hanc mortem naturalem, cui omnes ſubjacemus, & non hominem modo, verum etiam omnia ab initio immortalia condita fuiſſe probari. Ad ea teſtimonia, quamvis propter libri illius ſuſpectam auctoritatem id facere non cogerer, non quidem, ut ais, meo ingenio fretus, ſed manifeſta veritate confiſus, ut tibi ſatisfacerem, reſpondere volui; &, niſi maximo in errore verſor, aperte demonſtravi, mortem de qua loquitur auctor ille, non eſſe mortem, quæ omnibus hominibus & bonis & malis communis eſt, nec ab ipſo unquam affirmari, Deum ab initio hominem immortalem creaſſe; & multo minus cætera omnia. Nec aliquid interim dixi, cujus rationem, ſi non neceſſario id ipſum probantem, at valde probabilem non attulerim. Quibus cum tu non videas quid opponere poſſis, ad arma tua recurris, id eſt, ad convicia & calumnias. Ac primum dicis, me Deum auctorem mortis facere; diabolo autem, & impiis differentias quaſdam tantummodo mortis & interitus tribuere. In quo me egregiam operam navare diabolo ais, qui auctor mortis paſſim perhibetur. Hic nimirum, antequam ulterius progrediamur, pauliſper inſiſtendum eſt; ut & calumnia tua appareat, & quam in hac de morte tractatione hallucineris, manifeſtum fiat. Cum igitur dicis, me Deum facere auctorem mortis, niſi te deſipere prorſus tute profiteare, vel ex ipſis verbis meis, vel ex meorum verborum ſententia, te id collegiſſe, ut dicas neceſſe eſt. Ex ipſis verbis meis, id certe non collegiſti: alioqui locum ſtatim produxiſſes. Quod ſi tamen collegiſſe tibi videris, profer verba mea, & illico, ſi tale quid uſpiam à me ſcriptum fuiſſe conſtiterit, graviter me errâſſe (quanquam ut poſtea apparebit, id tanquam recte dictum aliqua ratione defendi poteſt) ingenue confitebor. Ex verborum meorum ſententia, quomodo id colligere potueris, non ſane video. In univerſa enim hac diſputatione noſtra, nihil aliud, quod huc pertineat, à me affirmatum fuit, quam hominem à Deo non fuiſſe creatum immortalem, & ipſum ſua natura jam inde ab initio mortalem fuiſſe; id quod de cæteris quoque rebus, quas interire videmus, aſſeveravi. Quis unquam ex his loquendi modis intelligere poterit, me facere Deum auctorem mortis? Quodſi aliquando eandem ſententiam his verbis expreſſi: *Deus creavit hominem mortalem*; quis id non videt, cum creari à Deo res mortales nihil aliud ſit, quam non creari immortales; non quia Deus illis mortalitatem indat, ſed quia non aufert? Simili enim modo dicemus fictorem, qui luteam ſtatuam fecerit, eam fragilem feciſſe; non quia illi fragilitatem ipſe illam indiderit; ſed quia ex duriore materia eam facere poterat, & ſic, ut fragilis non eſſet, efficere. Poterat Deus, cum ab initio hominem creavit, ex alia materia, quam ex terra, quæ ſuapte natura neceſſario alteratur & corrumpitur, ejus corpus formare; ut in reſurrectione faciet, in qua, teſte Paulo, non ex terra terrena, ſed ex cœlo cœleſtia corpora nobis largietur: noluit tamen, num propterea ejus corruptibilitatis auctor fuit? Si lutum illud, ex quo ſtatuam fictor effinxit, loqui poſſet, nonne maximas gratias illi ageret, quod formam, quam prius viliſſimam habebat, in tam excellentem mutaſſet, & cum prius in humili & contempto loco eſſet, ab ipſo in editiore & nobili aliqua parte conſtitutum fuiſſe? Ipſa ſtatua, quæ nihil niſi viliſſimum lutum antea erat, immo ſi proprie loqui volumus, nihil vere erat, annon idem & ipſa faceret? numquid, ſi loqui poſſet, fictori ſuo exprobraret, quod æneam ſive marmoream ſe non feciſſet? numquid fragilitatis ſuæ, cujus cauſa in materia, ex qua conſtat, reſidet, eum auctorem faceret? An non, ſi hæc diceret, ſtatim ab ipſo frangi atque comminui mereretur? Quæ ergo (malum) inſcitia atque impudentia hæc eſt, cum ſive terram ipſam conſideres, ex qua homo formatus fuit, ſive ipſum hominem contempleris, & hic, & illa, quidquid boni habent, quidquid vitæ in illis eſt, Deo acceptum referre debeant: quicquid autem mali, & mortalitatis in ipſis reperitur, ex ipſorum natura proveniat; quaſi de ipſo Deo conquerentem hominem inducere, quod ſe ex incorruptibili aliqua materia non formaverit, & ſuæ mortalitatis illum auctorem facere non dubitantem, qui ipſum ad tantum honorem extulit, & in tam eximia dignitate collocavit? At dices: Non eſt cur adverſum me hæc loquaris, cum ego conſtanter affirmem, hominem ab initio immortalem à Deo fuiſſe conditum. Jam iſtud probe memini; nec te aut inſcitiæ, aut impudentiæ accuſo: ſed dico, te non poſſe, etiamſi Deus hominem mortalem creaſſet, ejus mortalitatis Deum auctorem futurum dicere, quin non inſcite tantum ſed impudenter etiam loquaris; & idcirco calumniari te, cum affirmas, Deum à me auctorem mortis, non modo mortalitatis fieri, quia negem ab ipſo immortalem fuiſſe hominem creatum, ſeu mortalem creatum fuiſſe affirmem. Sed me urgebis adhuc, & inquies, eum alicujus mali auctorem merito dici poſſe, qui id malum auferre potuit, & non abſtulit. Verbi gratia, ſi pauper aliquis mihi occurrat, cujus ego miſeriam levare poſſim, & non levem, ejus miſeriæ auctor merito dici potero. Si medicus in ægrotantem inciderit, quem morbo liberare valeat, & id facere neglexerit, ægroto illo moriente, ipſe ejus mortis auctor dici jure poterit. Verum in his & ſimilibus exemplis non conſideras, mali cauſam ei, qui illud auferre poterat, & non abſtulit, ideo aſſeribi, quod is auferre debuerat. Finge enim, nec me pauperi illi ſubvenire, nec medicum ægroto opem ferre omnino debere; certe neuter noſtrum alicujus mali auctor cenſebitur. Deus nihil cuiquam debet, niſi id, quod liberaliter promiſit, & ſe facturum ſua ſponte obſtrinxit. Homini ſi vero, antequam eum

crearet,

crearet, quid non dicam, debuit, ſed debere potuit; cum is adhuc non eſſet? Quænam porro lex Deum ad aliquid faciendum præter ſuam ipſiuſmet liberam voluntatem atque decretum obligare poteſt? Num quia Deus natura benigniſſimus, & liberaliſſimus eſt, omnibus omnia largiri, naturæ ſuæ vi quodammodo cogitur? Atqui id falliſſimum eſſe, experientia ipſa apertiſſime docemur; ut à nobis ſuperiore capite, in illa rerum ab ipſo creatarum gradatione, oſtenſum fuit. Si idcirco Deus mortis ſive mortalitatis auctor appellandus eſt, quod cum immortalitatem dare poſſet non dedit, eadem ratione, mortis, hoc eſt vitæ carentiæ, quæ in rebus, quæ non vegetantur, eſt; inſenſibilitatis (ut ita dicam) quæ in herbis, ſtirpibus, atque arboribus apparet; irrationalitatis item, quæ in beſtiis conſpicitur, auctor eſſe dicetur, cum primis vitam, ſecundis ſenſum, tertiis rationem dare potuerit, & non dederit; atque ita maximorum vitiorum Deus, qui omnis perfectionis eſt auctor, cauſa & origo eſſe perhibebitur. Quodſi hæc aut falſa ſunt, ut profecto ſunt; aut licet vera, non tamen abſurda, cur illud aut verum eſſe dicis, aut non admittendum? Liberaliſſimus quidem & benigniſſimus natura eſt Deus noſter: non tamen quia omnibus omnia largiatur, ſed quia, cum nihil cuipiam debeat, innumerabilia nihilominus & varia dona, rebus ab ſe creatis, non benigne minus quam ſapienter diſtribuit; nec ulla eſt creatura tam vilis, quæ illius in ſe miram bonitatem non experiatur. Concludendum igitur omnino eſt, etiamſi Deus hominem ab initio mortalem creaverit, ejus mortalitatis nulla ratione auctorem proprie dici poſſe; cum ea mortalitas, ex natura materiei, ex qua creatus fuit homo, neceſſario proveniat; & id vitium illi auferre Deus nullo modo cogeretur; tantum abeſt, ut idem propriæ mortis auctor dici poſſit, qui nihil niſi vitam dedit. Ex quo perſpicuum eſt, te non magis ex verborum meorum ſententia, quam ex ipſis verbis colligere potuiſſe, me Deum mortis auctorem facere; & idcirco hanc, quam toties in hoc tuo ſcripto repetis, non veram accuſationem, ſed manifeſtam calumniam eſſe. Calumniæ autem mira hujuſce totius tractationis ignoratio conjuncta fuit. Si quidem, cum ſancti viri mortis cauſam à Deo, ut tuis verbis, quæ poſtea hac de re ſcribis, utar, quam longiſſime relegant, quamvis ut demonſtravimus, ne hujus quidem naturalis mortis Deus vere & proprie ſit auctor: eam tamen non intelligunt, ſed de violenta aut immatura morte, ſive de infelici vita loquuntur, ſive etiam de hac morte, non tamen quatenus naturalis, ſed quatenus prorſus neceſſaria & perpetua eſt. Sic enim vulgo etiam ex parte loquimur, uſu jam pridem, idque neceſſario, obtinente, ut mors hæc, quæ omnibus communis eſt, licet per ſe res valde mala ſit, quia tamen nullo conſilio vitari poteſt, mors quodammodo, quæ appellatio malum aliquod inſigne præ ſe fert, non cenſeatur, nec in deliberationem cadat. Cum igitur moriturum aliquem prænunciamus, cum, ut mortem caveat, monemus, cum mortis reum eſſe affirmamus, cum mortem alicui minitamur, cum mortem ſibi quærere quempiam dolemus, cum alicujus mortem lamentamur, cum in morte aliquem verſari aſſerimus, cum nos mille mortibus eſſe circumdatos conquerimur; cum hæc, inquam, & ſimilia innumera quotidie dicimus, nunquam de morte ipſa naturali loquimur, ſed vel de violenta morte, aut quæ nobis immatura videatur, vel de infelici vita verba facimus. Percurre univerſum Novum Teſtamentum, & in eo ſæpiſſime mortis mentionem fieri comperies; cum tamen mors tanquam malum, quod per ſe ipſum Deo diſpliceat, aut diſplicere poſſit, conſideratur, nunquam ea appellatione mortem hanc naturalem, quatenus naturalis eſt, ſignificari videbis. Quod ita ſe habere, in proximo ſequente cap. quoad ejus fieri poterit, oſtendemus. In veteri autem Teſtamento, ubi frequentiſſima eſt mortis quoque mentio, nuſquam fere de morte naturali ſermonem eſſe credo, niſi ubi de aliquo, qui diem ſuum obeat, aut obierit, verba fiunt; idque non ſemper. Sæpe enim is non mortuus eſſe, ſed obdormiviſſe cum patribus ſuis dicitur. Accipitur etiam mors alicubi Poëtice, ut apud Davidem & Jobum, pro ſtatu mortuorum: alibi vero, ut cum Deus in lege & Prophetis mortem delinquentibus ſtatuit, ſive minatur, cum populum ſuum à morte retrahere ſtudet, cum dicit, ſe nolle impii vel morientis mortem, cum hominem juſtum, & eum, quem ante male actæ vitæ pœnituerit, non moriturum aſſeverat, aut cum ſcriptura aliquem dignum morte, ſeu filium mortis appellat, aut cum divini viri precantur Deum, ut ipſos a morte liberet, vel ſe ab ipſo liberatum iri ſperare affirmant, & infinitis prope aliis in locis, ubi aliis de cauſis mors nominatur, ſemper fere non de morte naturali, ſed de morte violenta, aut immatura, vel de infelici vita ſermo eſt. Quocirca cum dicitur, Deum mortis cauſam ſive auctorem non eſſe, ſed potius diabolum, hæc verborum iſtorum eſt ſententia: quod quis violenter, aut immature moriatur, vel infeliciter vivat, ſive etiam perpetuæ morti neceſſario ſit obnoxius, id non ex Deo ortum habere, qui hominem creavit, ut ad fines uſque à natura ſibi præſcriptos feliciter vivat; nec à morte in ſempiternum eum detineri, ex propria voluntate omnino ſtatuit: ſed ex diabolo eſſe, qui vel ante tempus, aut miſere hominem perire, vel infeliciter vivere, vel à morte nunquam liberari poſſe, & cupit, & quacunque poteſt ratione, tanquam Deo rebellis, & humani generis perpetuus & indefeſſus ac capitaliſſimus hoſtis, & facit & quærit Quod vero attinet ad mortem naturalem, ejus mortis neque Deus vere, nec diabolus auctor eſt. Cauſa enim ipſius, ut ſupra diximus, jam ab ipſo creationis initio in re ipſa reſidet, nec eam vel Deus impedit, vel diabolus inferre curat; quippe quam nemo effugiat, & alioqui in ipſius diaboli manu nullo modo ſit, aut eſſe poſſit. Quamvis autem non mortis ſolum (de naturali nunc loquor) ſed cæterorum etiam malorum & miſeriarum Deus auctor nec dicatur, nec vere ſit; id tamen non ita intelligendum eſt, quaſi, cum quis moritur aut affligitur, id Deo nolente fiat. Non vult quidem Deus id, quod ejus mortis & afflictionis præcipua cauſa & origo eſt, hominis ſcilicet malitiam & peccatum: ſed poſtquam homo malus factus eſt & peccat, tantum abeſt, ut mortem illam & afflictionem nolit, ut ipſe ſit, qui eam immittit. Scriptum eſt enim Deut. 32. 39: *Ego occidam, & vivere faciam, Percutiam & ego ſanabo.* Et rurſus alio loco Sam. 2. 6: *Jehova mortificat & vivificat; deducit ad inferos, & reducit: Jehova pauperem facit, & ditat: humiliat, & ſublevat.* Et alibi Eſai. 45. 7: *Ego Jehova, & non eſt alius, formans lucem & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum. Ego Jehova faciens omnia hæc.* Et iterum alibi Amos 3. 6: *Non eſt malum in civitate, quod non faciat Jehova.* Sed quid aliis teſtimoniis egemus? cum univerſa lex & Prophetæ minas Dei adverſus contumaces & delinquentes contineant, ubi Deus ſe & interfecturum, & varia mala ſæpiſſime immiſſurum monet atque teſtatur? Eſt igitur effector Deus non minus mortis quam vitæ, & non minus miſeriarum, quam felicitatis. Verum quia, ut dictum eſt, hominum improbitas atque delicta, cauſa ſunt, ut is & mortem & miſerias illis immittat, quod invitus quodammodo facit, (neque enim interitu & calamitatibus noſtris delectatur) non ipſe, ſed diabolus, qui hominem ad malitiam & peccata continenter inſtigat, ejuſque morte & malis mirum in modum gaudet, mortis & miſeriarum humani generis auctor eſſe dicitur. Quo etiam Deus, ſicut ex ſacris monimentis colligere poſſumus, tanquam carnifice ad judicia ſua exequenda utitur; nec diaboli tantum, ſed improborum quoque hominum operâ, ea in re Deum uti, manifeſtiſſimum eſt. Ne vero, quis credat, eam vim, quam & Diabolus, & homines improbi alios Dei inimicos occidendi aut affligendi habent, in ipſis omnino reſidere; & Deum, ut id fiat, eorum opera uti neceſſe habere, ſæpe non per Diabolum, & malos homines, ſed per Angelos ſuos id exequitur:

ut in primogenitis Ægyptiorum occidendis Exod. 12. 23, & in Senacheribi exercitu funditus delendo 2 Reg. 19. ℣. 35, & in Herodis ſuperbia miſerabili mortis genere vindicanda Act. 12. 23, factum fuiſſe conſtat. Quod autem diximus, hominum improbitatem atque delicta, mortis & miſeriarum cauſam eſſe; id quidem verum eſt, ſed non perpetuo. Sæpe enim homines & interficiuntur & affliguntur, non propter ipſorum ſcelera, ſed quia Deus ea ratione fidem atque obedientiam eorum exercere, & in clariſſimam lucem proferre vult; & ſimul potentiam & virtutem ſuam, & quam ſibi ejuſmodi homines cari ſint, ſuo tempore omnibus patefacere. Tunc autem, ut ex Sanctis Literis conjicere, & ratione ipſa perſuaderi poſſumus, non angelorum ſuorum, ſed diaboli & improborum hominum, vel quia ita ante decrevit, vel quia permittit, opera utitur. Qui tamen eo nolente, & habenas quodammodo eis non relaxante, nihil efficere poſſunt; nec aliquid, quod in ipſorum poteſtate omnino ſit, habere dici queunt, niſi nocendi deſiderium. Itaque vide ipſe quid agas, cum me ideo reprehendis, quod, ut dicis, diabolo & impiis quoſdam tantummodo mortis & interitus effectus & differentias relinquam, & diabolum mortis inſtigatorem duntaxat faciam, non etiam auctorem. Nam vel nihil dicis, vel imprudens in Deum es maxime contumelioſus. Etenim ſi diabolum auctorem mortis eſſe ſtatuis, eo ſenſu quo à me expoſitum eſt, & impiis eam poteſtatem & cauſam mortis tribuis, de qua modo à nobis dictum fuit, quid eſt cur me reprehendas? Nam ut vides, idem uterque dicimus, nec à me unquam diabolum auctorem mortis eſſe fuit negatum, nec eum inſtigatorem tantummodo eſſe, vel prius dixeram, vel nunc dico, niſi quatenus id ſolum vere & abſolute in ejus poteſtate eſt. Interficiendi enim & nocendi vim, quam habet, non niſi Deo ante decernente, aut permittente, quod & impiis contingit, exerere & exercere poteſt. Sin alio præterea modo ſive diabolum, ſive impios interitus & calamitatum auctores eſſe affirmas, Deo, quod proprium illius eſt adimis, & eum, quantum in te eſt, imprudens tamen, ut dixi, de ſolio ſuæ majeſtatis & potentiæ deturbas, & quaſi alios Deos conſtituens, hæreſim delirio Manichæorum ſimilem in Dei eccleſiam, ſi iſthæc tua in vulgus ſpargis, neſciens quid agas, inducere tentas. Quæ tua hæreſis eo etiam & deteſtabilior eſt, & nocentior eſſe poteſt, quod ad ipſam naturalem mortem potiſſimum reſpicit, & ejus mortis diabolum eſſe auctorem facit, cujus etſi Deus nullo pacto proprie eſt auctor, univerſam tamen prorſus in manu habet, tanquam omnis naturæ dominus & moderator; nec ad illam diaboli vis ulla ratione pertingere poteſt, niſi ipſum alterum Deum ſummum & verum, ſumma cum impietate conſtituas. Ex quo etiam, uter noſtrum, ſi tamen hac in re à me diſſentis, Diabolo egregiam operam navet, uter à Deo ſtet, arbitror unicuique ſatis conſtare. Adeo autem in Dei manu eſt mors naturalis, ut quamvis ejus mortis, quæ nihil aliud eſt, quam vitæ ab ipſo datæ naturalis defectus, & rei ad priorem ſtatum revolutio, vera cauſa in ipſa tota reſideat, is tamen ejuſdem mortis, quatenus ſcilicet vitam longiorem non dedit, effector in Sanctis Litteris dictus fuerit. Jobus enim ita eum alloquitur Job. 10. 9: *Memento (quæſo) quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Nam ſine interrogatione hæc verba, ut à vetere interprete factum credo, legenda eſſe omnino videntur. Quin etiam de ſuperioribus quoque, quæ ille recte per interrogationem, ut puto, vertit, dubitare fortaſſe quis poſſet. Sed interrogatione illa, quæ convenientiſſima videtur, retenta, hæc eſt totius loci ſententia: *Tu Deus qui tuis manibus me feciſti, idem ille eris, qui me perdas atque deſtruas, & ante tempus vitam hanc, quam mihi largitus es, eripias? Certe ſatis tibi eſſe debet, quod ſicut me tanquam aliquod vas luteum formaſti, ita tandem in pulverem, ut ejuſmodi vaſis evenire neceſſe eſt, revertar.* Quam poſtremam ſententiam aliis verbis expoſuit, Deum nimirum ejus rei effectorem faciens, ut propoſito ſuo magis inſerviret: nec tamen interea, ea ratione inſpecta, quam modo attulimus, à veritate receſſit. Imitatus autem fuiſſe hunc locum Jeſus ille Syrachides videtur, & ipſi primo homini accommodaſſe, cum inquit Eccl. 17. 1, Deum creaſſe hominem de terra, & iterum convertiſſe illum in ipſam. Cæterum ex Jobi verbis perſpicuum eſt, cujus mortis auctorem Sancti viri Deum eſſe negent, nempe violentæ, immaturæ, & quam miſeriæ & calamitates antegrediantur, ſive etiam ipſarum miſeriarum & calamitatum, quæ mors ejus opus deſtruit atque perdit. Hanc enim, cujus origo & antecedens propria cauſa ab ipſo quam longiſſime abeſt, nec vere vult Deus, & non ſine maxima vi, ſibi quodammodo ab hominum ſceleribus adhibita, eam infert, aut, quod idem hic eſt, inferri permittit: quam tamen, ut dictum fuit, ad magnificandam gloriam ſuam, piis etiam non raro contingere & vult & ſinit, ut in eodem Jobo, quod ad miſerias & calamitates attinet, manifeſtum eſt. Sed tunc ejus origo & antecedens cauſa, cum ſcilicet non tantum ſinit, ſed etiam antea decernit, in ipſius voluntate eſt: quamvis Diaboli, & impiorum mala voluntate, quam certe non ipſe dedit, ſed ipſorum culpa in illis eſſe reperit, ad id facinus nominatim perpetrandum, juſtiſſime & ſapientiſſime utatur, qua de re à nobis alias, id eſt, (ſi modo ita Deo viſum fuerit) cum divinæ providentiæ argumentum ſeparato opere tractabimus, copioſius multo ac dilucidius diſſeretur.

Animadvertendum eſt tamen, mortem illam & calamitates, quas Deo auctore, ſuſtinent homines pii, nec mortem nec calamitates vere dici debere, cum illa vitam immortalem, hæ vero fælicitatem ſempiternam ipſis pariant atque concilient; & ideo recte dici poſſe, ejuſmodi mortis, quæ opus Dei deſtruat atque perdat originem & antecedentem cauſam in ipſo Deo nunquam reſidere. Hujus igitur mortis, ut dictum eſt, divini viri cauſam a Deo penitus removent, & ipſe eam ſe nolle, diſerte ait. Proinde Jobus ſuo more, quaſi cum Deo expoſtulans, ipſum interrogat, num eam ſibi immiſſurus ſit? ſatis oſtendens à rectitudine id abfuturum, & eam ob rem cum ipſius Dei voluntate pugnare: mortis autem naturalis, quamvis Deus vere ipſius auctor non ſit, effectorem tamen eum prorſus non eſſe, nuſquam dicunt, & multo minus eam non velle. Nec mirum; nulla enim cauſa eſt, cur ipſam nolit. Siquidem ab ea ipſius opus non deſtruitur, neque perditur; ut tu propterea affirmas, quod Dei opera, in quibus ea regnat, eo conſilio ab ipſo primum facta fuiſſe credis, ut perpetuo viverent. Atque ita, ut fere facere conſueviſti, id in tua ratiocinatione tacite ſumis, de quo potiſſimum contendimus. Nam ſi res aliter ſe habeat, concidit omnino argumentatio tua. Si enim, ut ego affirmo, cujus tu contrarium demonſtrare, ſicut conaris, ita omnino debes, Deus nihil eorum, quæ nunc mori videmus, immortale ab initio creavit, ſed eis temporariam tantummodo & certis finibus circumſcriptam vitam dedit, non ſane deſtruuntur, ſeu perduntur hæc ejus opera, quæ ad eos præſcriptos uſque terminos perdurant; nec, ipſo ita volente, naturaliter ultra perdurare poſſunt. Neque ſi Deus poſt vitam hanc temporariam, aliam æternam homini dare conſtituerat, aut ſaltem, (& hoc eſt quod ad propoſitum noſtrum proprie pertinet) ut in ſempiternum à morte detineretur, adhuc non decreverat; hoc, inquam, ipſius opus, morte naturali deſtructum fuit. Poterat enim iterum illi vitam, eamque perpetuam dare, cujus rei diaboli fraude omnem ſpem amiſeramus, niſi Deus ineffabili ſua benignitate, eam nobis non reſtituiſſet ſolum, ſed mirifice etiam confirmaſſet atque auxiſſet. Neque etiam ſi, ut moreretur homo, nondum plane Deus conſtituerat, mortalitas naturalis, quam in illo ineſſe ab ipſo initio voluerit, ejuſmodi ipſius opus deſtruebat. Quid enim impediebat, quominus deinde, quamvis natura mortalem, virtute ſua mori non ſineret, aut adhuc viventi mortalitatem auferret, & immortalitatem concederet, ut Chriſtianis illis concedet, qui vivi ad judicii diem pervenerint? quod tamen ejuſdem Diaboli fraude nobis prorſus ereptum fuerat. Quæ cum ita ſe

habeant, non quidem à morte naturali, cui, ut nos affirmamus, obnoxius ſemper fuit homo; non à naturali mortalitate, quam, Deo volente, in ipſa creatione hominem habuiſſe dicimus; ſed à morte perpetua, & à moriendi neceſſitate hoc Dei opus deſtructum & perditum fuiſſe dici poteſt. Utrumque enim illud malum non ab ipſius Dei voluntate, ſed à voluntate Satanæ, qui primum hominem à Dei obedientia avertit, originem traxit. Mortalitatem igitur & mortem ipſam naturalem, quatenus tamen naturalis eſt, non etiam quatenus citra Dei & Chriſti beneficium eſt prorſus neceſſaria, quamvis à Deo provenire non poſſint, à quo nihil niſi vita proficiſcitur, & vult & voluit Deus: nec ſanctum & vere divinum aliquem virum invenies, qui contrarium aut dicat aut ſentiat. Quorum ſi ego fidem in Deum & vitæ innocentiam imitatus fuero, non dubito quin ipſorum conſors fiam, etiamſi hac in re ab eis maximopere diſſentirem. Jobus ſane poſtquam, ut vidimus, quæ ſit mors illa, quæ cum Dei natura & voluntate pugnet, ſatis aperte oſtendit, non minus aperte demonſtrat, naturalem mortem Dei voluntati nulla ratione adverſari, cum ipſum ejus effectorem eſſe affirmare non dubitat. Atque ex hoc uno Jobi teſtimonio, quam multipliciter in hac de morte ejuſque auctoribus quæſtione à te peccetur, ſatis intelligi poteſt. Quid ergo vis, cum de Deo loquens, ita interrogas? *Quomodo vero non lætaretur interitu vivorum, ſi principio vitam mortalem dediſſet? Cum enim poſſet dare vitam immortalem, quare dediſſet mortalem, ſi mortem nolebat?* Namque unde (rogo) argumentaris, & adverſus manifeſtas rationes & auctoritates concludis, Deum nolle mortem naturalem? Certe ex illis libri Sap. verbis, quæ hic à te iterum nulla reſponſionis meæ, eo modo, quo debueras, mentione facta, mihi opponuntur: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum*, id non apparet. Sed re lege ea, quæ jam pro hujus loci interpretatione ſcripſi, & videbis de morte naturali in his verbis nullo pacto agi poſſe. Quodſi id facere non vis, conſule ſaltem Ezechielis cap. 18, ubi Deum, impii & morientis mortem nolle, ſcriptum videbis, & quemadmodum ibi de morte naturali ſermo eſſe non poteſt: ſic hoc loco, cum ſimillime ſunt utrobique ſententiæ, de morte naturali verba non fieri intelliges; quamvis ibi de impiis loquatur Deus, hic de hominibus generatim loquatur auctor. Si enim impium ante tempus miſere mori, ſive in hac vita affligi, vel ut plerique eum locum interpretantur, æternæ mortis pœnas ſubire non vult Deus, multo minus ejuſmodi interitum homines generatim ſubire lætabitur. Et ſi rectiſſime, & ex ſenſu divinorum oraculorum locutum fuiſſe illum auctorem cognoſces; alioquin ea dicentem facies, quæ nemo vir divinus unquam ne cogitavit quidem.

Sed ut tua interrogatio qualis ſit, tute perſpicias, Cum dicis Deum mortem nolle, aut vis eum omnino non velle mortem, aut nolle quidem mortem per ſe unquam, ſed tamen interdum aliqua ratione velle. Quæ ſtatim dicemus, hæc verba noſtra dilucide explicabunt. Si vis Deum omnino non velle mortem, quomodo hoc tuum axioma defendes, cum Deus homini, ſi ipſi non obediſſet, mortem minatus fuerit; & poſtquam deliquit, ut tibi placet, non modo eum miſeriis & ærumnis variis devoverit, ſed etiam naturali immortalitate privaverit, & ea ratione ut moretur, omnino conſtituerit? Nam ego viciſſim interrogabo: Cum Deus homini vitam prorſus immortalem dare potuiſſet, ita ut nullum ei periculum mortalitatis immineret, nec ſeipſum, ut fecit, in mortem poſſet conjicere, quare eam immortalitatem dedit, quam amittere poſſet, & ſe morti penitus mancipare, ſi omnino mortem nolebat? Quod ſi non omnino mortem noluiſſe Deum, ſed ita noluiſſe vis, ut non niſi culpa ipſius hominis ea illi obventura eſſet, eo tamen delinquente mors ipſi ſui delicti pœna foret, non potes ex eo ſtatuere, à Deo hominem immortalem creatum fuiſſe. Potuit quidem, ut plerique doctiſſimi viri ſentire videntur, eum mortalem quidem creare, ſed ſi obediens fuiſſet, immortalitatem poſtea largiri; & ita mortem noluiſſet, niſi quatenus homo delicto ſuo eam ſibi accerſiſſet. Aliud eſt mori: aliud morti natura obnoxium eſſe. Qui enim natura morti obnoxius eſt, ut ſupra diſſeruimus, poteſt non mori. Itaque naturam mortalem habere, dum is, qui eam naturam habet, ſi velit, immortalem ipſam efficere poſſit, nihil aliud vere eſt, quam poſſe mori. Sed Deum creaſſe hominem, qui mori poſſit, certe non eſt mortem velle. Alioquin & peccatum ipſum, quo nihil magis odit, voluiſſet Deus, quia videlicet hominem creavit, qui peccare poſſet. At dices, potuiſſe quidem hominem natura peccare; ſed rurſus natura potuiſſe non peccare: mori autem natura non potuiſſe tantum, ſed etiam debuiſſe, ſi mortalis creatus fuit. Reſpondeo, ſatis futurum, ſi datum illi fuiſſet, ut eam mortalem naturam ſua obedientia in immortalem convertere poſſet. Quinimo cum naturaliter ei datum eſſet, ut poſſet obedire, ii obedienti immortalitatis præmium conſtitutum fuiſſet, recte dici poſſet, quamvis ei natura datum non fuiſſet, ut immortalis eſſet, natura tamen fuiſſe datum, ut immortalis eſſe poſſet. Quibus adde, non neceſſe fuiſſe, ut Adamus propter obedientiam ſuam immortali natura donaretur, ſed ſatis adhuc futurum, ſi, quamvis natura mortalis, divino beneficio à morte perpetuo conſervaretur. Non igitur mortem voluit Deus, quia hominem creavit, qui naturaliter mori poſſet; niſi etiam, ut moreretur, omnino decreverit, & illi mortem vitandi nullam poteſtatem fecerit: quod ex eo ſolo, quod Deus hominem mortalem creaverit, nunquam colligere poteris. Proinde vides jam, cujuſmodi ſit illa interrogatio tua, & quam futilis argumentatio tua, quæ in ea contineri aliqua ratione poteſt. Quod ſi ſimpliciter roges, quare, cum primo homini vitam immortalem dare poſſet, mortalem dediſſet, ejus rei cauſa eſt in promptu. Nam cum certiſſimum ſit, ſi homo ipſius dicto non paruiſſet, ut is penitus morti obnoxius fieret, cur immortalitatem, antequam ejus obedientiæ periculum feciſſet, largitus eſſet, quam ut ei mox eriperet, facillime fieri poterat? An non rerum uſus, & ratio ipſa aperte docet, multo convenientius eſſe, ut quid non fiat, quam ut jam factum diſſolvatur? Si mortalitatem illam, quam tu homini Deum in ipſa creatione dediſſe vis, ita demum perpetuo erat habiturus homo, ſi Deo obediiſſet, nonne præſtabat eam illi non dare, ſed obedientiæ ipſius præmium conſtituere? Ita enim & delinquenti pœna, & in fide permanenti præmium fuiſſet decretum: Pœna, ejectio à paradiſo, ærumnæ, & labores, mors denique neceſſaria & perpetua fuiſſet: præmium vero immortalitas. Atque hac ratione divina juſtitia, hoc eſt Dei rectitudo illa & æquitas infinita atque perpetua, ex qua ipſius præſtantia & gloria maxime elucet, multo magis apparuiſſet. Sed quid de divina benignitate dicam, quæ in ſupremam ipſius divini numinis admirationem cunctas res creatas inducit & rapit? Certe Dei benignitas magis conſpicua eſt, ſi quis, aliqua re debitam ei obedientiam præſtans, maximis donis ab ipſo afficiendus ſit, quam ſi ea maxima dona jam quidem ab ipſo illi data ſint, ſed ob delictum tamen aliquod, ſi isillud admiſerit, prorſus eripienda. Minuit enim quodammodo atque obſcurat hæc ſeveritas illam benignitatem.

Verum objicies, eandem ob cauſam, ut Dei ſcilicet benignitas & rectitudo magis appareret, præſtitiſſe, Adamum in Paradiſo ab initio non collocaſſe, ſed deinde, ſi obediens fuiſſet, eum locum illi incolendum deſtinaſſe, quam, ſicuti factum eſt, collocaſſe quidem, ſed ita tamen, ut, ſi deliquiſſet, inde penitus ejiciendus eſſet. Facilis eſt reſponſio. Si Deus in Paradiſo Adamum non collocaſſet, is ſui delicti pœnam manifeſte non vidiſſet neque ſenſiſſet Nullo enim præterea dono donatus fuerat, quod ſibi propter peccatum ſuum auferri, liquido poſſet cognoſcere. Donandus igitur ab initio vel eo vel alio ſimili dono fuit, cujus deinde ereptione, ſi peccaſſet, ſe delicti ſui pœnas juſtas dare, ipſemet

apet-

apertiſſime noſſet. At etiamſi immortalitate ab initio donatus non fuiſſet, nihil prohibebat, quominus juſtam Dei, quem offendiſſet; punitionem experiretur atque agnoſceret, dum è Paradiſo ejiceretur: quinimmo ipſius immortalitatis ablatio, ſi immortalis creatus fuiſſet, ſeveritatem quidem Dei cunctis id audientibus indicaſſet, non tamen ea pœna ipſi Adamo conſtitiſſet. Qui enim vere ſciviſſet Adamus, ſe ex immortali mortalem evaſiſſe? Deus, dices, illi patefeciſſet. Atqui non eſt hæc illa ſcientia, qua in ſui peccati pœna manifeſte agnoſcenda hic opus eſt nobis: Hic enim rem per effectus, non per indicia, experientia non opinione; ſenſu denique non fide, cognoſcere neceſſe eſt. Præterea quemadmodum Adamus Deo fidem non adhibuerat, mortem ipſi minanti, ſi ex vetita arbore guſtaſſet: ſic etiam fieri poterat, ut dicenti, mortalem ipſum ex immortali factum fuiſſe, fidem non adhiberet. Nec vero in primo illo ſtatu aliquid habuit, aut habere potuit Adamus, quod ipſius immortalitatem illi indicare ullo pacto poſſet, ut ſupra aliquando attigimus, ita ut, Deo deinde imnortalem eum à ſe conditum fuiſſe teſtante, ipſi id credere facile futurum eſſet. Verum eſt igitur, quod dicebamus, ad benignitatem & juſtitiam divinam patefaciendam, non parum momenti allaturum fuiſſe, quod Adamus, ſiquidem is propter ſuum delictum immortalitate privandus erat, ea non jam ſibi data, ſed, ſi divino dicto audiens fuiſſet, decreta privaretur. Quare, ſi & benignitas divina & juſtitia, magis hoc quam illo modo apparuiſſet; ſi, quantum ratione & rerum uſu ſuademur atque comperimus, convenientior hic, quam ille modus fuiſſet; equidem non video, cur illum potius, quam hunc Deo placuiſſe velis, niſi quod homini id tribuendo, quod non habet, ſed obedientia ſua (quæ Dei eſt liberalitas atque clementia, ſumma cum æquitate conjuncta) ſibi comparare & poteſt & debet, in ipſo inanem quandam confidentiam imprudens gignere curas, ex qua in veræ pietatis & vitæ ſanctimoniæ ſtudio, maxima remiſſio & deſidia conſequatur. Quis enim neſcit, multo difficilius adimi, quæ jam data ſunt, quam non concedi, quæ nunquam data fuere? Neque enim in Adami perſona ſolum id eveniſſe contendis, ſed in cæteris quoque idem factum eſſe vis, (ut ex iis intelligi poteſt, quæ in 10. cap. ſcribis) ita ut quidquid beneficii nobis Chriſtus attulit, non per fidem in ipſum nobis detur, ſed etiam antequam ipſi Chriſto credamus, noſtrum ſit; immo, etiamſi de Chriſto nihil unquam audiamus, ejus tamen participes omnes ſimus, necillud amittere poſſimus, niſi à Deo creatore deficiamus. Atque ita nullum Chriſto obedientibus præmium propoſitum eſſe vis, ſed Deo contumacibus tantummodo pœnam. Quæ opinio, quam & inepta & falſa & perniciosa ſit, vix verbis declarari poſſe exiſtimo. De qua in 10. cap. aliquid explicatius dicemus, cum tibi divina oracula, quibus maxime niteris, & quorum ibi mentionem facis, aperte adverſari potius, quam obſcure favere demonſtrabimus.

Viſum eſt, non ſolum quam evidens ſit illa toties repetita calumnia tua, quod Deum mortis auctorem faciam; ſed etiam, quam in univerſa hac de morte diſputatione graviter erres Nunc, etſi quicquid in hoc ſeptimo cap. ſcripſiſti, ſatis & examinatum & confutatum videtur, quædam alia dicenda ſunt, & breviter nonnulla ex tuis verbis percurrenda potius quam examinanda. Poſtquam igitur, quod Deum non autem diabolum mortis auctorem faciam, aſſeveraſti, ſtatim ſubjungis: *Et quid vis me replicare amplius? ego cum illo viro Dei de quavis morte intelligo, eam non fuiſſe factam à Deo.* Hæc ſunt verba tua. Verum, cur id ita conſtanter affirmas, quod inter nos eſt maxime controverſum? Cur vel aliquam ejus, quod ego nego, rationem non affers, vel quæ à me contra ſententiam tuam fuerunt diſputata, non refellis? Videturne tibi auctor ille de quavis morte verba facere, cum homines monet, ne mortem ſibi ipſis accerſant? An fortaſſe aliquam mortis naturalis vitandæ rationem docere curat? Quodſi in illis verbis, ubi primum mortem ſimpliciter nominat, de naturali morte agere nequit, cur, dum adhuc in eodem argumento verſatur, immo ſententiæ quæ in illis continetur, rationem reddit, & iterum mortem ſimpliciter nominat, de naturali morte ipſum loqui omnino vis? At vero, paucis interjectis, ais: *Nam ſi quis tractet Sacras Litteras, hac licentia, quam tu tibi ſumis, quis eſt locus tam certus, qui non poſſit corrumpi?* Immo vero quis tam fœdus error eſſe poteſt, quæ tam in rebus divinis deteſtabilis ſententia, quæ ex Sacris Literis colligi & confirmari nequeat, ſi ea oſcitantia legantur & explanentur, qua à te legi & explanari videmus? Igitur qui non ſtatim & ubique, verborum quadam prima facie deceptus, nulla præterea diligenti examinatione adhibita, una tecum eas audacter interpretor, ſed omnia accuratiſſime, antequam in aliqua interpretatione acquieſcam, & conſidero & expendo, magnam licentiam in Sacris Litteris tractandis mihi ſumo? Quid unquam in divino aliquo teſtimonio interpretando à me dictum fuit, quod ratione aut exemplo non confirmaverim? Fac tu idem, ſi potes, & me ad ea, quæ protuleris, ut ego te plerumque video, conniventem non videbis; non, pro reſponſione, ut tu non raro facis, contumelias & falſas criminationes afferentem, ſed rationes & argumenta duntaxat, &, niſi vehementer fallor, aliuſmodi quam ea ſint, quæ aliquando a te afferuntur, & hominem in literis verſatum nequaquam decent. Nam quale eſt illud, quod deinde ſtatim ſubjicis? *Poteras dicere per mortem hanc intelligi locuſtas. Nam Pharao cum rogabat, ut liberaretur ſuum regnum à locuſtis, dixit: Rogate dominum veſtrum, ut auferat à me mortem iſtam.* Appoſitum ſane meæ interpretationi exemplum. Quaſi vero manifeſtum non ſit, in pleriſque locis, ubi mortis fit apud Sacros Scriptores mentio, ut ſupra oſtendimus, de morte naturali nullo modo ſermonem eſſe, ſed vel de morte violenta aut immatura, vel de infelici vita, vel de morte æterna, ut illic eſſe dico; & mihi ſatis non ſit, de morte naturali ibi verba non fieri, ut abunde probavi, quæcunque tandem alia interpretatio in illis verbis ſequenda ſit. Quanquam ut veritas dilucidius conſpiceretur, quis ſit eorum ſenſus, & exacte, & ut arbitror, non inepte explicavi. Adde, (ut tuæ ratiocinationis ineptitudo magis appareat) in verbis illis Pharaonis, mortis nomine, non quidem locuſtas ipſas vere, ſed calamitates illas & moleſtias, quas locuſtæ ejus regno exhibebant, ſignificari. Quare eo loco, non locuſtas mortis appellatione, ut tu quidem credis, interdum declarari, ſed inſignem aliquam moleſtiam & calamitatem quandoque exprimi, intelligi par eſt, in quem ſenſum in ipſo teſtimonio tuo id vocabulum, non ſecus atque in compluribus aliis ſcripturæ locis, accipi poſſe affirmamus. Quomodo ergo illico addere non vereris ea verba: *Et quid poteſi reſponderi tam putribus commentis?* Putria commenta illas interpretationes appellare audes, quas & ratio neceſſario requirit, & verba ipſa non modo non refugiunt, ſed plerumque omnino poſtulant? Quo igitur nomine tuæ appellandæ erunt, quas nemo, qui jam tuis opinionibus præoccupatus non ſit, rationi quidem plane repugnare, verbis autem parum convenire non animadvertet? Neque id dixiſſe contentus, adjungis inſuper: *Stultiſſimum eſt conari ſatisfacere iis, qui ſunt ſenſu tam depravato & corrupto.* Hæc eſt ſcilicet ſolidiſſima omnium reſponſionum, quas ad rationes meas afferre noſti, ut me probris & conviciis oneres atque inceſſas. Nam quod, ut id confirmes, deinde ſcribis, quam vim habere poteſt? cum nihil aliud vere dicas, aut potius dicere velis, quam reſpondere ultima primis, & miram convenientiam cerni, ſi auctor ille primum dicat, nullam mortem à Deo fuiſſe inſtitutam, ſed per peccatum fraude Diaboli, quodvis mortis genus in mundum irrepſiſſe: deinde affirmet, impios, qui vitam inhoneſtam turpemque agunt, ſibi parare exitium? Multo profecto melius reſponderent ultima primis, & multo major convenientia cerneretur, ſi ejus exitii tantum, quod ſibi impios parare deinde affirmaſſet, non

Deum ſed Diabolum auctorem prius feciſſet; præſertim cum non, ut tu in ejus ſententia referenda facis, in primis verbis Mortis, in ultimis vero Exitii vocabulo utatur, ſed utrobique vocabulum Mortis uſurpet. At, inquis, ut quidem conjicere poſſum, *ſi à Deo cujuſvis mortis cauſa quam longiſſime relegetur; diabolus autem cujuſcunque mortis auctor fiat, deterrentur ſceleſti, & nulla, ne tenuis quidem ſuſpicio reſtat, primum inſtitutum Dei fuiſſe, aliquid perdere, aut lætari interitu eorum, qui per ipſum vitam & animam habent.* Jam cernimus igitur miram illam convenientiam, cum *mortis* verbum, modo pro quacunque morte, modo pro exitio accipiatur. Quod autem ſceleſti deterreantur, non video magis, ſi interpretationem tuam ſequamur, quam ſi meam. Id enim quod ſceleſtos deterret, eſt, quod eis patefiat, parare ipſos ſibi ſceleribus ſuis mortem & exitium; quod non minus ex interpretatione mea, quam ex tua colligitur. Immo, ſi tua interpretatio attendatur, cum ſceleſti audient, Deum ita quamcunque mortem odiſſe, ut ne naturalem quidem mortem velit, in aliquam ſpem erigentur, fore, ut exitii & mortis ſupplicium ipſis non irrogetur, & ita à peccando non ceſſabunt, aut ſaltem non admodum deterrebuntur. Præterea, ſcriptoris illius inſtitutum non fuiſſe, cujuſcunque mortis diabolum auctorem habere, vel cujuſcunque mortis cauſam à Deo penitus removere, indicatur aperte ex eo, quod eam mortem, quam non feciſſe Deum dixerat, impios manibus & verbis accerſiſſe deinde affirmat. Nec enim impii mortem naturalem accerſivere, ut in priore noſtro ſcripto expoſuimus, & ea mors non impiis magis, quam piis, ſed peræque omnibus communis eſt; &, cum prius dixiſſet, diaboli invidia mortem intraſſe in mundum, poſtea ſubjicit, eam mortem experiri eos qui ſunt ejus partium. Atqui mortem naturalem experiuntur etiam ii, qui Diabolo vehementer adverſantur, hoc eſt, homines juſti. Miror equidem te in tam clara luce cæcutire, & nondum perſpicere, ſi cujuſcunque mortis ſcriptor ille auctorem diabolum facere voluiſſet, ex ipſius verbis omnino colligi poſſe, homines, qui diaboli partes non ſequuntur, nunquam mortem naturalem experturos. Hoc autem dico ſi non ſecundum ſenſum meum, quem vetus interpres expreſſerat, ſed ſecundum eam ſententiam, quam tu plus probas, verbum *experiuntur* explicetur. Proprium enim impiorum, ſi eam ſententiam ſequamur, eſſe in illis verbis dicitur, ut mortem illam ſubeant, de qua ibi eſt ſermo, quod alioqui non exprimitur, tantum abeſt, ut ea interpretatio, quatenus quæſtionem noſtram attingit, tibi, ut ais, omnino faveat. Sed hoc tibi valde peculiare eſt, ut aliquid tibi omnino favere dicas, quantumvis vehementer tibi adverſetur. Nam tibi quoque omnino favere ais, quod potius *in immortalitate*, ſive *in Incorruptione*, quam *inexterminabilem* legatur, cum tamen *inexterminabilis* ſignificet eum, qui nullo pacto deleri poteſt, id quod tibi maximo ad priſtinam hominis immortalitatem aſſerendam adjumento eſſe poſſet: *In immortalitate* vero, ut de hac interpretatione parum dicamus, idem ſignificare poſſit, quod *Ad immortalitatem*: unde nihil elici poteſt niſi hominem fuiſſe creatum, ut eſſet, non autem, qui eſſet immortalis. At *in incorruptione* præterquam quod *ad incorruptionem* ſignificare poteſt, *in integritate* etiam, ſive *ad integritatem* poteſt exponi: quod omne ibi de primi hominis immortalitate, per ea verba, commentum rejicit atque excludit. Vocabulum autem Græcum ἀφθαρσία pro Animi incorruptione, id eſt, pro Integritate apud Sacros Scriptores accipi, ſatis indicat finis Epiſt. ad Epheſ. ubi ſcriptum eſt: *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in incorruptione* id eſt, in integritate: in Græco enim eſt ἐν ἀφθαρσίᾳ. Vide etiam Tit. 2. 7, in Complutenſi præſertim & Roberti Stephani editione, ubi non modo ἀδιαφθορία, ut in omnibus codicibus, ſed ἀφθαρσία ipſa pro Integritate uſurpatur. Quanquam in re manifeſtiſſima exemplis opus non eſt.

Reſtat, ut aliquid etiam de ultima parte hujus cap. dicamus. Si ita tibi videris ex Deo cœli pendere, & ejus Spiritu præditus eſſe, ut non ſolum de ethnicis aut apocryphis ſcriptis, ſed de veris canonicis etiam judicium ferre, & non minus in his quam in illis, quæ divina ſunt, agnoſcere poſſis, (quaſi in canonicis ſcriptis non pauca reperiantur, quæ divina non ſint,) iſtud ſingulare beneficium à Deo te accepiſſe, cæteri non vident. Quocirca cum de re aliqua ad divinæ ſcientiæ notitiam pertinente, cum aliquo diſputas, neceſſe eſt, aut ſolis rationibus & argumentis agere, ſacrorum autem ſcriptorum auctoritatem tanti facere, quantum ea, quæ ſcribunt, rationi conſentanea videantur, ut in Philoſophicis diſputationibus fieri videmus, in quibus Platonis, Ariſtotelis, & cæterorum Philoſophorum tanti æſtimatur auctoritas, quanti ratio æſtimandam eſſe docet: aut ut in ſacris diſputationibus hactenus fieri conſuevit, quibuſdam divinis ſcriptis tanta auctoritas tribuenda eſt, ut ab eorum ſententia nullo modo recedere liceat. Sed tu neutrum plane facis. Nam quamvis Sacrorum Scriptorum auctoritate, non ſecus atque alii, utaris, quam, ſi quis tibi negaret, eum fortaſſe, nec immerito, dementem diceres: interim tamen judicium tibi de iiſdem ſcriptis integrum reſervas, & de Apocryphis, qua in parte omnino recipienda ſint, audacter decernis atque pronuncias. Atqui cum alicujus ſcripti auctoritas nihil ſit, niſi quatenus aut cum ratione, aut cum cæteris ſcriptis conſentit, nulla in parte ejus ſcripti auctor, teſtis omni exceptione major judicandus eſt. Teſtis enim auctoritas, non ex veritate ejus rei, de qua ipſe teſtatur, ſed aliunde pendet. Immo ejus rei veritas ex ipſius teſtis auctoritate cognoſcitur, quam ſi aliter conſtare contigerit, illius teſtimonio opus non eſt. Sin autem de ipſa veritate adhuc dubitatur, qui poteſt teſtis omni exceptione major iis æſtimari, quem aliquando aut falli, aut fallere poſſe, iis, qui veritatem inquirunt, perſuaſiſſimum ſit? Atque hac ratione non Apocrypha ſcripta tantum, ſed & ipſa Canonica, nulla prorſus in parte teſtis omni exceptione majoris locum obtinere debent, ſi, ut tu ſentire videris, aliqua in ipſis ſunt, aut eſſe poſſunt, quæ vera non ſint. Quare merito à me notatus fuiſti, quod auctorem libri Sapientiæ, teſtem omni exceptione majorem ea in parte judicare non dubitaſti, in qua, veritati conſentanea, eum ſcribere credis; atque eo magis, quod non veritati ſed errori conſentanea ſcriberet, ſi id diceret, quod tu opinaris. Tantum enim abeſt, ut is veritati, quæ aliunde conſtet, teſtimonium certiſſimum dare poſſit, ut ipſe potius, ab ipſa veritate, ſe ea in parte veridicum eſſe, teſtimonium accipiat. Sed tu ita tuis opinionibus addictus es; ut quicunque tibi tecum ſentire videatur, eum ea in re teſtem omni exceptione majorem eſſe ſtatuas; quamvis alioqui ejus auctoritas tibi ipſi ſuſpecta ſit. Quanquam ſatis eſt eam cæteris ſuſpectam eſſe, neque enim hic de teſtimonio aliquo, cujus auctoritate ipſe movearis & perſuadearis, quæritur: præſertim cum ſine ejuſmodi ſcripturarum teſtimoniis divinitus te abſolute rei veritatem edoctum eſſe, nihil addubites; ſed quo alii, qui tecum non ſentiunt, moveantur ac perſuadeantur: qui ſi in judicio de Apocryphis auctoribus ferendo te imitari velint, in iis partibus maxime, in quibus tu eos teſtes omni exceptione majores habendos eſſe ſtatues, multo æquius, ipſorum auctoritatem nihil prorſus faciendam eſſe, ſtatuere poterunt.

Verum oblitus jam fueram, te totum ex Deo cœli pendere, alios verò fortaſſe aliunde, vel partim ex Deo, partim ex quapiam alia re. Quantum in iſta tua de te ipſo opinione fallaris, quod ſcilicet jam totus ex Deo cœli pendeas, & multo magis, quod ea ratione in rerum divinarum notitia nunquam falli poſſis, adeo ut de ipſis canonicis ſcriptis ubique ſententiam ferre queas, & quam te fugiat, quid ſit ex Deo cæli totum, ſive ut tu loqueris, ingenue ac libere pendere, alio loco fortaſſis à nobis planum fiet; non quidem ut te deprimamus, quem alioqui, ſi vere Chriſtianus fueris, & id in me eſſet, ad cœlum uſque extollere curarem; ſed ut,

vel

vel tu ipſe eo errore, qui tibi æterni exitii cauſa, niſi caveas, perfacile eſſe poteſt, omnino libereris; vel alii ſaltem in eundem, maximo cum ipſorum ſalutis diſcrimine, tecum non incidant, aut, ſi jam inciderint, inde extrahantur, antequam à recta via prorſus aberrent. Interim te & amice & Chriſtiane moneo, ut in Sacris Scriptoribus legendis atque interpretandis, quamcunque tandem auctoritatem illis tribuas, præſertim cum eorum teſtimonio in diſputationibus uti vis, paulo diligentius verſeris; nec tibi ſatis ſit ſemel locum inſpexiſſe, ſed ſæpius omnia ipſius verba una cum iis, quæ antecedunt & conſequuntur, accuratiſſime examines. Quodſi in his libri Sapientiæ teſtimoniis, quæ ad ſententiam tuam confirmandam protuliſti, ſicut debueras, ita præſtitiſſes, profecto ea nunquam in medium produxiſſes. Te autem admodum negligenter in iis expendendis verſatum fuiſſe, vel id argumento eſſe poteſt, quod primum teſtimonium in priore parte capitis eſſe dicis: ſecundum vero in poſteriore, quaſi in eodem capite utrumque ſit; cum tamen primum in primo, ſecundum vero in ſecundo ejus libri capite ſcriptum extet.

CAPUT VIII.

HIc jam tertium me calliditatis inſimulas, qua nihil unquam à me alienius fuit; eamque, ut ſemel antea feciſti, miram appellas. Sed videamus, in quo ejuſmodi meam calliditatem tibi deprehendiſſe videare. Ad confirmandam ſententiam tuam, & docendum, quomodo hæc mors naturalis, de qua contendimus, in homines obrepſerit, ea Pauli verba ad Rom. 5. ỳſ. 12, ex vulgata verſione in medium attuleras: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Et ſtatim ſubjunxeras: *Ergò ante peccatum cum nondum intraſſet mors, fuit homo immortalis.* Ego ſic reſpondi: Per peccatum, inquit Paulus, mors in mundum intravit: id eſt, moriendi neceſſitas, ſive mors æterna, non autem mortalis conditio, ſive ipſa mors naturalis. Ais tu, me mira calliditate omiſiſſe illud: *Per unum hominem*, nam id quam maxime mihi adverſatur, quippe qui contendam mortem intraſſe per Deum, ante peccatum. Certe, dum me mire callidum oſtendere vis, te nimis incautum prodis. Quid enim ineptius dici potuit? Primum, ego non omitto verba illa: *per unum hominem*, ſed totam illam primam ſententiam: *per unum hominem peccatum intravit in mundum*, ſicut etiam integram illam poſtremam omitto: *Et ita in omnes homines*, &c. Quæ ad propoſitum tuum multo plus pertinere poteſt. Quas ideo omiſi, quia in neutra earum vis aliqua vere argumenti tui reſideat; ſed in ea duntaxat tota conſiſtit, quod mors in mundum per peccatum intraverit, ut concluſio tua aperte demonſtrat. Non enim, quia per unum hominem mortem in mundum intraſſe probare velles, propterea ſuperiora verba illa adſcripſeras; ſed quia ſine ipſis non erat integra ea ſententia, qua argumentatio tua nitebatur. Deinde, finge te, cum Pauli locum attuliſti, in illis verbis, *per unum hominem*, maximam tuæ argumentationis vim conſtituiſſe, ut ſcilicet quemadmodum nunc explicare videris, non per Deum, ſed per hominem, mortem in mundum intraſſe oſtenderes, an non ſatis ea expreſſa ſunt, cum dico: *Per peccatum mors in mundum intravit*: Nunquid Deus cum peccato aliquid commune habet, aut habere poteſt? Itaque non minus Deus à cauſa mortis longe removetur, ſi dicas, mortem per peccatum intraſſe in mundum, quam ſi dixeris, eam intraſſe per hominem, ſive per unum hominem. Immo vero magis. Multa enim per hominem in mundum intravere, quorum Deus auctor jure optimo dici poteſt: at eorum, quæ per peccatum intraverunt, nullo prorſus pacto. Nonne perſpicuum eſt, non aliâ ratione ex verbis Pauli colligi poſſe, mortem per hominem in mundum intraſſe, cum id ipſe expreſſe non dicat, niſi quatenus expreſſe dicit, mortem in mundum intraſſe per peccatum. Peccatum autem per hominem in mundum intraſſe dixerat, de quo, etiamſi Paulus id non dixiſſet, nemo eſt, qui ambigere poſſit? Præterea, ſi mira calliditate uſus, ea verba *Per unum hominem*, ſimul cum univerſa ſententia reticui, cur deinde nihil dico, ad quod ſuadendum ea reticuiſſe aliquid momenti afferat, ſed ſolum, quod mors in illis Pauli verbis non mortalitatem aut mortem naturalem, ſed moriendi neceſſitatem ſive mortem æternam ſignificet, & dico & demonſtrare conor? Hæc ſane reſponſio mea, non minus infirmat argumentum, quod ex eo, quod per unum hominem mortem in mundum intraſſe dicatur, ad tuam ſententiam ſtabiliendam duci poteſt, quam id, quod ex eo ducitur, quod mors per peccatum in mundum intraverat. Vis eſt enim in vocabulo *Mors*, per quod, ſi nec mortalitas nec mors naturalis ſignificetur, utrumque argumentum, nullius ponderis eſſe, manifeſtum eſt. Mitto, quod ut in ſuperiore capite diſſeruimus, aut nihil dicis, aut evidenter calumniaris, cum & hic & alibi frequentiſſime aſſeverare non dubitas, me Deum mortis auctorem facere.

Sed ſatis jam de mira calliditate dictum fuit, quam tu mihi homini, ut merito in Deo gloriari poſſum, ſimpliciſſimo, aſſcribere hoc loco non es veritus. Nunc, quid ipſi reſponſioni meæ objicias, perdendamus. Dum igitur dico, in Pauli verbis *Mortem* ſignificare moriendi neceſſitatem, ſive mortem æternam, conſiderandum eſt, quod ais, me hæc duo conjunxiſſe, tanquam ſi parilia aut ſimilia eſſent; cum tamen neceſſitas moriendi & mors æterna, diſcrepent toto cœlo. Siquidem neceſſitas moriendi cadit in omnes homines & beſtias: mors autem æterna non cadit niſi in impios & ſceleſtos. Equidem, ut ſæpe mihi uſu venit, vereor, ut ſatis explicare poſſim, quot errata in hiſce tuis paucis verbis contineantur. Primum enim, cum alicujus auctoris ſive ſacri ſive prophani locus non uno modo exponitur, non neceſſe eſt duos, ſi ita contigerit, illos ſenſus pariles aut ſimiles eſſe, immo ne non contrarios quidem: ſed illud tantummodo ſpectandum eſt, ut & verba utrique ſenſui convenire poſſint, & nulla ratio cogat, hunc magis quam illum, falſum aut verum eſſe fateri: præſertim vero, ſi interpretationes illæ diverſæ aut contrariæ non ideo afferuntur, ut locus aperte explicetur, ſed ut alia ratione explicari poſſe oſtendatur, quam alius quiſpiam omnino explicari debere exiſtimet; & tunc maxime, ſi illius explicationem conſiſtere non poſſe, (id quod potiſſimum ageretur) argumentis & rationibus demonſtretur. Quæ omnia hic conſpiciuntur. Nam & verba utrique interpretationi, ut poſtea oſtendetur, convenire certum eſt; & nihil prohibet, quominus utravis illarum vera eſſe poſſit. Præterea, non revera, ad verba Pauli explananda, eæ interpretationes allatæ fuerunt. Eas enim pluribus verbis explicaſſem & confirmaſſem: ſed ad interpretationem tuam infirmandam, & demonſtrandum, aliis etiam modis, quam tu arbitreris, locum illum explanari poſſe, quam deinde interpretationem tuam, nullo pacto admitti debere, rationibus non ſane paucis, partim ex Sacris Literis, partim ex ipſa natura petitis, ſatis planum feci, aut certe facere ſum conatus. Si quis in celebri illo loco, ad finem cap. 4. libri Geneſis, diceret, verba Hebræa ita verti poſſe, ut ibi dicatur, tempore Enos cœptum fuiſſe invocari nomen Jehovæ; ſive tempore Enos profanatum fuiſſe in invocando nomen Jehovæ, recte diceret: nam & verba utrumque ſenſum admittunt; & nihil cogit, hunc magis quam illum, verum aut falſum eſſe. Et tamen hi duo ſenſus non diverſi modo ſunt, verum etiam plane contrarii. Quod ſi me neceſſitatem moriendi & mortem æternam, tanquam parilia conjunxiſſe dicas, non quia utramque ad Mortis vocabulum interpretandum attulerim, ſed quia per dictionem *ſive* eas conjunxerim, cujus natura ſit, parilia disjunctive copulare, (ne de vi ejus dictionis tecum contendam, quam tamen apud bonos auctores pro ſimplici disjunctiva particula uſurpari interdum arbitror) dico, non

neceſſe eſſe, ut ea, quæ per particulam illam copulantur inter ſe ſimpliciter parilia ſint; ſed ſatis eſſe, ſi ea in re, de qua agitur, ſint paria, ut videre eſt in exemplo à me modo allato, ubi per eam particulam, duæ verborum Moſis interpretationes conjunguntur, quæ inter ſe ſimpliciter contrariæ ſunt. Satis eſt enim, ſi utraque pariter loco illi convenire poſſit, ut, ſive hanc ſive illam accipias, nulla vis, verbis aut ſententiæ fiat. Nec vero crediderim, me in eo exemplo explicando perperam particula illa uſum fuiſſe, quemadmodum & tibi, ut ſpero, videbitur. Verum te, cum ea verba dixiſti, non ad particulam *Sive*, ſed ad id, quod locum illum Pauli interpretandum ſuſcepiſſem, potiſſimum reſpexiſſe, ex eo ſatis conſtat, quod ſtatim ſubjungis: *Præclara ſane ratio interpretandi ſcripturas. Quare non addis, ſive mors violenta?* &c. & quod ſæpius mihi objicis, quod diverſiſſimas interpretationes attulerim. In quo quam immerito me reprehendas, jam demonſtratum eſt. Et hic eſt primus error, qui in verbis tuis deprehenditur. Alter error eſt, quod moriendi neceſſitatem & mortem æternam ſimiles eſſe, non credis. Nam ſimiles eſſe, à nobis poſtea planum fiet. Tertius eſt, quod ejus rei rationem affers, quia moriendi neceſſitas in omnes homines & beſtias cadit: mors æterna in impios & ſceleſtos tantum. Quaſi neceſſe ſit, ut ea, quæ ſimilia ſunt, poſſint ubique ſimul reperiri, non natura tantum, ſed etiam divino decreto. Poſſe enim natura & moriendi neceſſitatem & mortem æternam ſimul ubique reperiri, quis negare audebit? cum nihil in altera ſit, quod cum alterius natura pugnet. Cæterum quod divino decreto, non ubique tamen ſimul, reperiantur, id non idcirco fit, quod ſimiles non ſint; ſed quia homines pios, non niſi unum ex iſtis duobus malis, Deus pro ingente benignitate ſua, ſubire voluit. Quartus error eſt, quod affirmare non dubitas, moriendi neceſſitatem & mortem æternam toto cœlo diſcrepare, cum tamen utramque ſimul in impios & ſceleſtos cadere, negaturus non ſis. An diſſident toto cœlo ea, quæ uni rei pariter conveniunt? Quid potuit magis à veritate alienum, immo evidenter falſum aut dici aut excogitari? Quintus adhuc eſt in verbis tuis error, iſque omnium graviſſimus & homine in Sacrarum Literarum ſtudiis verſato longe indigniſſimus. Ais enim, ut vidimus, moriendi neceſſitatem in omnes homines & beſtias cadere: mortem autem æternam in impios tantum & ſceleſtos. Conſtat autem fere inter omnes theologos, quod & veriſſimum eſt, Adamum delicto ſuo mortem æternam & ſibi & poſteris ſuis omnibus peperiſſe, adeo, ut ſi quis à morte æterna eximitur, id divino beneficio & liberalitate ei contingat. Pii igitur & juſti homines, quos Deus ab æterna morte immunes eſſe voluit, ſi ſummo jure cum illis agere voluiſſet, propterea quod ab Adamo & ipſi genus ducunt, & ab ipſo propagati ſunt, morti æternæ, non ſecus atque impii & ſceleſti, mancipati forent. Quodſi minus admittatur, iſtam propagationem tantam vim habere: certum tamen eſt, pios & juſtos generatim idcirco morti æternæ obnoxios eſſe, quia & ipſi aliquid peccant. Et cum Paulus ait, Per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, non peccatum duntaxat Adami intelligit, ſed peccatum ipſum univerſe, id eſt, quicquid peccant homines. Quemadmodum, cum mortem per peccatum intraſſe dicit, non Adami tantum mortem intelligit, ſed omnium, in quibus mors regnat. Hoc dico, ne quis cauſſetur, mortem illam, Adami tantum delicto, non etiam cæterorum peccatis deberi. Neque vero, ut tuum errorem excuſes, dicere potes, te non de eo, quod jure fieri poſſet, ſed de eo, quod fit, locutum fuiſſe; veriſſimum autem eſſe, quamvis omnes jure æternæ morti obnoxii ſint, præter impios tamen & ſceleſtos, nullos æternæ morti mancipari; idque beneficio Chriſti contingere, qui univerſum genus humanum eo nexu exſoluit. Nam ſi id dicere voluiſti, gravius quodammodo erraſti. Nihil enim prorſus ad rem iſtud facit, cum manifeſtum ſit, Paulum non de effectu potiſſimum, ſed de vi ipſa & peccati & propagationis differere, cujus tamen vim Chriſti obedientia, ea ratione, qua in 10 cap. explicabimus, fregerit atque diſſolverit. Itaque vides, dum me reprehendere ſummo ſtudio quæris, in quot & quantos errores ipſe incideris.

Sed jam cætera examinemus, &, quid adverſum interpretationem, ſeu mavis interpretationes meas attuleris, conſideremus. Cum igitur dico, Mortis nomine in verbis Pauli, moriendi neceſſitatem ſignificari, ais tu: *Itaque ſi tibi credimus, præcipua mortis cauſa fuerat ante peccatum: ſed per peccatum invecta eſt tantummodo neceſſitas moriendi.* Quidni? Nonne, ut ſupra diximus, eæ omnes cauſæ, unde mors naturalis, de qua loquimur, provenit, in Adamo erant, etiam antequam peccaret? Da velunam ex ipſis, quæ ab illo abeſſet. Peccatum dices. Atqui peccatum non poteſt inter eas cauſas numerari, de quibus hic eſt ſermo. Quamvis enim tibi concederem, peccatum mortis hujuſce naturalis cauſam fuiſſe: non tamen ullo modo cauſa efficiens eſſet, ſed tantum, ut vocant impulſiva, id eſt, propter quam Deus naturali morte hominem mulctaſſet. Peccatum autem mortis efficientem cauſam non eſſe, ſi ipſius peccati naturalis vis te admonere non poteſt, at ex eo admoneri debes, quod Angeli, qui peccarunt, poſt innumera pene ſæcula, non ſolum vivunt, ſed, ut creditur, nec fieri aliter poſſe videtur, naturam immortalem adhuc retinent. Ita, quod ratione forſitan non aſſequeris, exemplo ſaltem ut aſſequaris conveniens eſt. Cauſæ efficientes mortis noſtræ naturalis, cum in materia ipſa unde formati ſumus, manifeſte apparent; tum in eo domicilio, quod homini ab initio Deus dedit, & nunc vigent, & ſemper viguerunt. Non potuit igitur peccatum, quod poſtea fuit, naturalis mortis, quatenus naturalis eſt, ullo modo cauſa eſſe. Neceſſitatis quidem moriendi fuit cauſa, non tamen efficiens, ſed impulſiva tantum. Efficiens enim neceſſitatis moriendi cauſa fuit, divinæ gratiæ [cujus vi, homo licet natura mortalis, vel à morte conſervari vel immortalis fieri, vel poſt mortem in vitam revocari poterat] omnimoda privatio, ad quam pœnam homini infligendam Deus peccato ipſius hominis impulſus fuit, atque ea ratione peccatum cauſa neceſſitatis moriendi extitit. Pergis autem & inquis: *Et ut nihil certi unquam habeas nec poſſis in ullo ſenſu conſtans deprehendi, huic interpretationem aliam diverſiſſimam conjungis, dicens, ſive mors æterna.* An aliquid certi habeam necne, judicabunt ii, qui hæc noſtra viderint. An vero inconſtans propterea appellari debeam, quod vocabulum mortis neceſſitatem moriendi ſive mortem æternam ſignificare dixerim, nos ipſi videamus. Tu *mortis* nomine in Pauli verbis mortalitatem ſive mortem naturalem ſignificari omnino contendis. Quod ni ita eſſet, fruſtra ea ad tuam ſententiam confirmandam attuliſſes, quæ eſt, ante peccatum Adamum mortalem natura non fuiſſe. Mihi igitur, qui contrarium defendo, & ad argumenta tua reſpondeo, ſatis ſuperque eſt demonſtraſſe, eo in loco verbum mortis in eum ſenſum accipi non poſſe, aut etiam in alium quempiam accipi poſſe. Nam ſi iſtud facio, argumentum tuum funditus everto: ſi hoc, id certe vehementer infirmo, ita ut utrumvis præſtem, nihil ſolidi in eo reperiri poſſe, oſtenſurus ſim. In hoc igitur conſtantia mea omnino requiritur, ſcilicet ut vel hoc vel illud faciam. At utrumque facio, nam & rationes firmiſſimas affero, quibus ei vocabulo, quam tu putas notionem, in eo teſtimonio Pauli non ſubeſſe aperte evincitur; & alia, quam tu facias, ratione explicari poſſe oſtendo, & in utroque aſſeverando conſtantiſſimus ſum. Quod autem in verbo illo aliter, quam tu facias, explanando, non una interpretatione contentus ſim, id nullam penitus inconſtantiam meam coarguit, ſed, quam dubia ſit interpretatio tua, multo magis oſtendit, quam ſi unicam tantum interpretationem attuliſſem. Tuum porro erat, non me inconſtantiæ notare, etiamſi inconſtantiſſimus fuiſſem, ſed

neutram

neutram mearum interpretationum veritati aut Pauli verbis convenire poſſe, planum facere; aut ſaltem alteram ex ipſis falſam eſſe oſtendere. Sed quomodo id feciſſes, cum veriſſimum ſit, per peccatum non modo moriendi neceſſitatem, ſed mortem etiam æternam hominibus contigiſſe; & ad Pauli ſcopum, qui ab ipſa morte liberationem & vitam æternam per obedientiam in homines derivatam fuiſſe vult, utrumque maxime pertineat? Nunquid verbum *Mors* alteram ex illis interpretationibus admittere non poteſt? Sed utram rogo? num priorem? Atqui ſi tu mortis nomine non mortem ipſam, ſed mortalitatem præcipue ſignificari vis, an non ego multo æquius eodem mortis nomine vere mortem ipſam ſignificari contendere poſſum? (quod me facere, dum mortem moriendi neceſſitatem interpretor, paulo poſt liquebit) aut ſi non vere ipſam mortem, at certe moriendi ipſam neceſſitatem? Nam ſi, poſſe mori, Mors appellari poteſt, quanto magis, mori debere, mors appellanda erit? Quod autem non ipſam mortem revera, ſed mortalitatem præcipue *mortis* appellatione in eo teſtimonio ſignificari velis, manifeſtum facit concluſio argumenti tui, dum ais: *Ergo ante peccatum, cum nondum intraſſet mors, fuit homo immortalis*, (id enim ſcilicet tibi probandum fuerat.) Nam ſi mortis nomine non mortalitatem, ſed ipſam mortem præcipue intellexiſſes, profecto concluſio tua prorſus inepta fuiſſet. Ex eo enim, quod mors ipſa nondum in mundum intraſſet, non quidem immortalem, ſed vivum ſive non mortuum hominem fuiſſe, concludi poteſt. Quod ſi dicas, & mortalitatem & mortem ipſam eodem vocabulo ibi ſignificari, &, quatenus mortalitatem ſignificat, te eo pacto argumentatum fuiſſe; non negaſſe tamen, quin mortem ipſam potiſſimum ſignificet; Reſpondeo, iſtud neque ex verbis neque ex ſententia tua apparere. Cum nec aliquid de hac duplici ejus vocabuli ſignificatione dicas; & ad argumentationem tuam concludendam ſatis ſit, ſi mortalitatem ſignificet. Præterea, ut interpretatio mea, te ipſo judice, ſuſtineri queat, ſufficit in interpretatione tua neceſſarium eſſe, mortis appellatione mortalitatem contineri, & te hanc ſignificationem præcipue hoc loco reſpexiſſe. Mortalitatem autem ubique ipſum morti naturaliter obnoxium eſſe, intelligo, quod profecto nimis improprie mors appellatur. Siquidem non modo natura morti obnoxium eſſe, mors non eſt: verum etiam, ut non ſemel antea dictum fuit, poteſt quis natura morti obnoxius eſſe, tamen nunquam mortem experiri. At moriendi neceſſitatem, mortem appellare decentiſſime poſſumus. Ubi enim moriendi neceſſitas eſt, ibi mortem conſequi neceſſe eſt. Immo vero quid aliud eſt in hac diſputatione noſtra, moriendi neceſſitas, quam ipſa mors? Perinde eſt enim, cum dico, per peccatum, non immortalitatem ſed moriendi neceſſitatem in mundum intraſſe, ac ſi dicerem, peccatum cauſam extitiſſe, non quidem, ut homo morti ſit natura obnoxius, ſed ut omnino moriatur.

Sed dicet aliquis, cur igitur in prioribus reſponſionibus negaſti, Mortem in illis Apoſtoli verbis ipſam mortem naturalem ſignificare? Conſiderandum eſt, me ibi non fruſtra epithetum illud naturalis adhibuiſſe, ut non mortem ipſam, cui omnes ſubjacemus, à Paulinorum verborum ſententia omnino me excludere velle putaretur, ſed ſolum quatenus naturalis tantum eſt, & non etiam neceſſaria, quod deinde in hiſce poſterioribus, ne ulla de ſententia meorum verborum dubitatio eſſe poſſit, multo clarius expreſſi. Atque id eo libentius feci, quod in priore meo ſcripto, hoc eodem capite, dum oſtendere volo, interpretatione tua Mortis admiſſa, Pauli teſtimonium ad tuam ſententiam confirmandam nihil momenti habere, mortalitatem aut mortem naturalem, quatenus naturalis eſt ipſam mortem ſimpliciter voco. Neque enim, cum antea in ſententia tua exponenda epithetum Naturalis appoſuiſſem, & quid tu ipſius Mortis nomine ſignificare velles, conſtare poſſet; ac præterea ibi non minus, quam ſupra feciſſem, ipſam mortem neceſſitati moriendi opponerem, admodum curioſus fui in interpretatione tua, quam reprobaveram, exactius explicanda: ſed verbis tuis eam referre ſatis habui. Certum igitur ſit, me, verbum *mortis* in ea Pauli ſententia pro ipſa morte accipi poſſe, non modo non negare, verum etiam ſummopere contendere, ſi, quid ipſa mors ſit, recte intelligatur, id eſt, ſi ipſam mortem, non mortalitatem, non mortem naturalem, quatenus tantummodo naturalis eſt, ſed mortem cui omnes ſubjacemus, quatenus neceſſaria eſt atque certiſſima, eſſe dicamus. Sed quid de poſteriore mea interpretatione, dicam? Num eam verbis conſentaneam non eſſe, aliqua ratione demonſtrare potes? cum verbum *mors* plerumque immo fere ſemper apud Paulum æternam mortem ſignificet, & Mori, in æternum perire, declaret, tunc videlicet cum mortis, tanquam rei malæ, quæ per ſe Deo diſpliceat, ut certe hic facit, meminit? Quod ſi mihi non credis, inſpice hos locos ejuſdem epiſtolæ ad Rom. cap. 1. 32, & 6. 16, & 21. Et 7. 10, 11, 13, & 24. Et 8. 2, 6, & 13. Sed præter hos appoſitiſſimus eſt locus ille Rom. 6. 23: *Stipendia enim peccati mors. Donum autem Dei vita æterna per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ibi enim *mortis* nomine mortem æternam ſignificari, non declarat ſolum anthitheſis vitæ æternæ, ſed etiam antecedentia verba demonſtrant, quorum ibi confirmatio ab Apoſtolo affertur. In antecedentibus namque verbis, de morte æterna manifeſte agitur: Ait enim: *Quem igitur fructum tunc habuiſtis, in illis in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc vero liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.* Quis dubitare poteſt, de temporaria morte in his verbis ſermonem non eſſe, quæ non minus iis, qui innocenter vivunt, quam in peccato demerſis communis eſt? Verum nonne eadem ſententia eſt horum verborum: *Stipendia peccati mors*, & illorum: *mors per peccatum in mundum intravit?* Viſum eſt ejus explicandi occaſione, quod te, inconſtantiæ nota, quam mihi inurere tentas, relicta, experiri decebat, quam & veritati ipſi, & Pauli verbis conſentanea ſit, utraque interpretatio mea; & obiter quoque viſum eſt, quam interpretatio tua, & ſenſus, quem verbo *mortis* ſubeſſe credis, & ad quem potiſſimum & ſolum in argumento tuo reſpicis, illi verbo parum conveniat. Id quod ex eo præterea conſtare poteſt, quod verbum mortis ſive moriendi, ſeu nomen adjectivum mortuus, in novi ipſius fœderis ſcriptis, cum tanquam malum aliquod Mors conſideratur, quod per ſe Deo vel non placeat, vel placere non poſſit, nunquam mortalitatem ſive mortem naturalem, quatenus naturalis eſt, ſignificat. Quod quia non niſi omnibus locis in medium allatis demonſtrari poſſit, id autem & nimis longum eſſet, & à me, qui tanta memoria non polleo, ut omnium meminiſſe poſſim, nec concordantiarum (quem vocant) librum hic habeo, fieri nequit, non omnes ſed multos afferamus, qui vice omnium eſſe poſſint. Et primum tanquam jam allati habeantur ii, qui paullo ante ex Epiſtola ad Rom. in quibus de morte æterna agitur, citati fuere, atque, ut ibi fecimus, ſatis ſit ipſos locos indicaſſe, niſi ſi quando dubii eſſe videbuntur, & explanatione egebunt. Inſpiciantur deinde ii, quos hic adſcribimus, Matt. 22. 32, cui addantur, qui illi in Marco & Luca reſpondent. Quorum Jeſu Chriſti verborum, quis verus ſit ſenſus, & quam in illis interpretandis inſigniter erres, infra hoc eodem capite ſuo loco demonſtrabitur. Interim alios locos notemus. Sunt autem apud eundem Matthæum 26. 66. Mar. 13. 12: & 14. 64. Luc. 23. 15. Joh. 5. 24, & 6. 48, 49 ubi ita ſcriptum eſt: *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex eo manducaverit, non moriatur.* Certe cum ii, qui panem iſtum cœleſtem comedunt, naturalem mortem experiantur, de naturali morte ſermo eſſe non poteſt.

Quod ſi quis dicat de alia, quam de naturali morte,

quam patres illi experti fuiſſent, non conſtitiſſe, proinde ſi aliam quam naturalem mortem Chriſtus intellexiſſet, cum dixit: *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt*, ejus argumentum nullas vires habiturum fuiſſe apud Judæos, quos ea ratione fateri cogere volebat, non magni æſtimandum eſſe, quod eorum patres cœleſte manna in deſerto comediſſent. Animadvertendum eſt primum, non eſſe omnino concedendum, Chriſtum id curaſſe ſcilicet, ut ipſi Judæi eam rem non magni faciendam faterentur. Rationis enim Chriſti nulla vis eſſet, niſi is, qui ipſum comederit, non moriatur. Ex quo ſolo per comparationem apparet, cibum illum à Deo patribus datum parvi æſtimandum eſſe, cum comedentes ex eo mortui ſint. Sed non morituros eſſe qui Chriſtum comediſſent, nullo pacto adhuc conſtabat. Quare fatendum eſt, Chriſtum ratiocinatione illa uſum fuiſſe, non ut Judæi ipſi rei veritatem agnoſcere compellerentur, ſed ut eos, more ſuo, tanquam auctoritatem habens, doceret, & iis, quæ dicebat, perſonæ ſuæ præſtantia, quam tot ſignis prodebat, potius quam ratione evidenti confirmatis, à veteribus illis umbris, ad novam & veram lucem adduceret. Deinde conſiderandum eſt, de alia quam de naturali morte conſtitiſſe, quam patres illi experti eſſent. Ii enim qui manna in deſerto manducaverant, magna ex parte (ii videlicet ſaltem, qui ex Ægypto egreſſi erant, qui omnes, Joſue tantum & Calebo exceptis, interierunt Num. 14. 30. xxii. 12.) quamvis eo cibo à Deo donati fuiſſent, propter ſua tamen peccata, partim violenta, partim immatura morte in ipſo deſerto perierunt, ut ex illa hiſtoria, & ex Pauli 1 Cor. 10. 5, & auctoris ad Hebræos Hebr. 3. 17, verbis perſpicuum eſt, quam mortem æternæ mortis pœna, ut ex iiſdem locis colligi poteſt, conſequuta eſt, aut certe conſequutam fuiſſe verisimile ſemper fuit. Ex quibus intelligi debet, omnino de alia morte loqui in toto eo ſermone Chriſtum, quam de morte naturali, quem ſermonem repetit eodem cap. 6. Johan. ỳſ. 58. ubi id, quod dixerat prius, non moriturum qui ipſum comediſſet, explicat deinde his verbis: *Qui manducabit hunc panem, vivet in æternum.* Sequuntur apud eundem Johannem hi loci, cap. 8. 21. 24, & 51. Quanquam non deſunt, qui ultimum hoc teſtimonium, & aliud ſimile cap. 11. 26, ita interpretentur, ut *non mori in æternum*, ſeu, *non videre mortem in æternum*, ſignificet, mortem non futuram perpetuam. Simili enim modo loquendi utitur idem Chriſtus, in hanc ſententiam, ſupra eodem capite 8. 35. *Servus autem non manet in domo in æternum*, id eſt, manet quidem, ſed non in perpetuum: Mihi tamen plus probatur, ut de perditione ſive exitio ſit ſermo. Quamvis enim qui Chriſto fidem habent, & ejus ſermonem ſervant, magis etiam quam cæteri, in hoc mundo perire & deleri videantur: nunquam tamen perditioni & exitio devoventur, ut diffidentibus & Chriſto contumacibus contingit. Immo nunquam vere moriuntur, ſed cum nobis mortui ſunt, Deo vivunt, qui eos à mortuis excitare, & æterna vita donare conſtituit. Sunt autem illi duo loci valde ſimiles ei, qui eſt cap. 10. 28. *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Quod illic dicitur: *Videre mortem, & mori*, hic dictum eſt, *perire*. Propterea igitur non pereunt in æternum Chriſti oves, quia ipſe illis dat vitam æternam. Sunt præterea videndi hi loci, 2 Cor. 1. 9, & 10, & 2. 16, & 3. 7, & 4. 11, & 12, & 7. 10, & 11. 23, & 2 Tim. 1. 10. Hoc autem ad Timotheum loco ait Paulus, Chriſtum mortem deſtruxiſſe. At Chriſtus mortalitatem hanc, qua circumdamur, & naturalem mortem, quatenus naturalis eſt, non deſtruxit, ſed perpetuam mortem deſtruxit. Nam tametſi poſt reſurrectionem natura immortales erimus, mortales tamen adhuc ſumus, & naturalem mortem quiſque ſubimus. Inſpiciantur adhuc exempla in Epiſt. ad Hebræos cap. 2. 14, & 15, & cap. 5. 7. In capite ſecundo dicitur, Chriſtum per mortem deſtruxiſſe eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt diabolum, & liberaſſe eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti. Atqui, ut modo vidimus, Chriſtus, mortalitatem aut naturalem mortem non deſtruxit. Mors igitur, cujus imperium diabolus habebat, non erat mortalitas, ſeu mors naturalis. Alioqui eo deſtructo, deſtrui mortem naturalem neceſſe erat. Neque aliud ſibi vult auctor ille, quam Chriſtum per mortem, mortem deſtruxiſſe. Nam niſi mortem deſtruxiſſet, quomodo liberaſſet eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti? Deſtruxit ergo, ut dictum eſt, Chriſtus mortem perpetuam, quæ cum per peccatum in mundum intraſſet, ejus mortis habebat diabolus, qui peccati prima origo eſt, poteſtatem atque imperium. Mortis autem perpetuitate ſublata, non eſt, cur amplius mortem metuamus. Quodſi mortalitatis aut mortis naturalis non minus, quam mortis perpetuæ, diabolus per peccatum auctor extitiſſet, Chriſtus, qui ut alibi ſcriptum eſt, venit, ut diſſolveret opera diaboli 1 Joh. 3. 8, eam certe non in futuro tantum ſeculo, ſed in præſenti quoque ſolviſſet. In capite autem quinto ſcriptum eſt Hebr. 5. 7; Chriſtum preces & ſupplicationes ei obtuliſſe, qui ipſum à morte ſervare poterat, & exauditum fuiſſe. Sed nunquid Chriſtus à mortalitate ſive à morte naturali ſervatus fuit? An non & ipſe mortuus eſt, & violenta & turpi morte occiſus? Servatus igitur eſt à morte, quia in ea relictus non fuit, & à perpetua morte eſt vindicatus. Ex his locis, qui profecto non pauci ſunt, conjici poteſt, quo ſenſu verbum *mors* in teſtimonio tuo prolatum fuerit, aut certe pro mortalitate, aut morte naturali, quatenus naturalis eſt, id accipi non debere. Quibus addi poteſt, quod, ubicumque mortis Chriſti fit mentio, quæ licet nobis & ipſi Chriſto maxima bona attulerit; (ſiquidem per eam & ipſe in gloriam ſuam intravit, & nos in eandem intrandi firmam ſpem concepimus & modum invenimus) & ex Dei decreto ei illata ſit: tamen per ſe & mala fuit, & Deo placere non potuit, nunquam ea mors tanquam naturalis conſideratur, ſed tanquam violenta. Nec enim cum Domini Jeſu mortem celebramus, & ei de tanta in nos charitate publice gratias agimus, mortem ipſius tanquam naturalem, & quam, ut pote qui homo natus fuerat, naturaliter ſubiturus erat, conſideramus, ſed tanquam violentam, quod & panis fractione, quæ contuſionem ejus corporis repræſentat, & vini in poculum infuſione, & inter fratres diſtributione, quæ ejus ſanguinis fuſionem refert, apertiſſime teſtamur. Quid quod eodem cap. 5 Epiſtolæ ad Rom. non levia indicia ſunt, mortem, quæ per peccatum in mundum intravit, non eſſe mortalitatem ſive mortem naturalem, quatenus naturalis eſt, ſed mortem, quatenus eſt neceſſaria, ſive mortem æternam? Nam non ſemel poſt ea verba, Paulus, eam, quam mortem appellaverat, condemnationem vocat, & eam juſtificationi opponit. Atqui juſtificatio ſive abſolutio, ſine dubio eſt, ab æterna morte liberatio. Ergo condemnatio mors ipſa æterna eſt, ſeu morti æternæ addictio, non autem mors naturalis ſeu morti naturali addictio, id eſt mortalitas. Abſolutio condemnationem penitus excludit: At liberatio à morte æterna, mortalitatem ſeu mortem naturalem non penitus excludit: immo ii, qui ab æterna morte jam ſunt liberati, non ſolum moriuntur, ſed immaturæ & violentæ morti, magis quam cæteri homines ſuacent. An non præterea in fine capitis, morti, quæ per peccatum in mundum invecta eſt, vitam æternam Apoſtolus opponit? Quam ſententiam ad finem capitis ſequentis repetit, ubi, ut oſtendimus, mortis nomine mortem æternam plane intelligit, nec mortalitatem ſeu mortem naturalem intelligere ullo pacto poteſt. Qua igitur vel ratione vel auctoritate fretus, cum dicitur mortem per peccatum intraſſe in mundum, mortalitatem, mortis appellatione contineri vis? Num, armis meis contra me ipſum utens, illa Pauli auctoritate fortaſſe niteris, quæ ſeq. cap. iterum examinanda erit 1 Cor. 15. 21: *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum?* Etenim, cum ego contendam, ibi

Adamum

Adamum cum Chriſto comparari, nulla peccati mentione facta, ſed naturalis tantummodo Adami conſtitutionis ratione habita, certum eſt non poſſe mortis nomine eo loco mortem neceſſariam ſive æternam ſignificari, ſed mortalitatem ſive mortem naturalem. Verum diligenter attendendum eſt, cum ibi nulla peccati ratio habeatur, non eſſe locum huic noſtro ſimilem. Propterea enim ego maxime contendo, non poſſe in teſtimonio tuo mortem pro mortalitate accipi, quia ejus, tanquam mali alicujus, quod per ſe Deo diſpliceat, quippe quod ex peccato provenerit, mentio fiat. In altero autem illo teſtimonio, Mors quidem tanquam malum aliquod conſideratur, quod homini contingat propter mortalitatis malum, quod in ipſo eſt, ut malum eſt in beſtiis ratione carere, ſive (ut ita dicam) irrationalitas, non tamen tanquam malum, quod per ſe Deo diſpliceat, eamque ob cauſam, non mortem neceſſariam ſive æternam, ſed naturalem mortem ſignificant, naturalem, inquam, ipſam mortem, non ſimpliciter mortalitatem, nam ut ſupra dictum eſt, mortem pro ipſa mortalitate accipi, valde profecto improprium eſt. Itaque apparet, alterum illud Pauli teſtimonium, etiam eo modo explicatum, quem tu aſpernaris, & tibi in hac diſputatione magis favere poteſt, Mortem pro ipſa mortalitate aliquando uſurpari, non probare. Quodſi nihilominus tamen alicubi fieri contigerit, cum nec Hebræi, nec Græci, verbum unum, quod mortalitatem proprie ſignificet, habere videantur, non id, quod perrarum eſt, ſed quod in frequenti ſit uſu, eſt attendendum, præſertim cum ratio aliter fieri debere, nullo modo ſuadeat, quemadmodum hic non ſuadere, ſatis planum me feciſſe arbitror, cum contrarium potius ratione ſuaderi oſtendi, ut ſine dubio, etiamſi loquendi aut ſcribendi uſus à te faceret, is tamen uſus hoc loco attendendus non eſſet.

Sed jam, quid meis interpretationibus adhuc objicias, conſideremus. Dicis enim, eas inter ſe diverſiſſimas eſſe: quod etſi ſatis jam confutatum eſt, cum rationem, quare id dicas, futilem eſſe demonſtravimus; & etiamſi non diverſiſſimæ tantum, ſed plane contrariæ eſſent, id mihi vitio dari non poſſe, planum fecimus: operæ pretium tamen duximus, non modo non diverſiſſimas eſſe, verum etiam ſimillimas dici debere, aperte oſtendere. Quodſi à te perfecto modo perceptum non fuiſſet, neque etiam adoidiſſes, eas diverſiſſimas eſſe, condonari tibi error tuus facile poſſet. Video enim te æternam mortem in verbis meis cruciatus ſempiternos interpretatum fuiſſe. Sed animadvertere debueras, cum inter nos, ut ſupra diſputatum fuit, de mortalitate aut immortalitate hominis, id eſt, hujus concreti ex anima & corpore conflati quæſtio ſit, me hoc loco, ubi de morte fit ſermo, quæ homini per peccatum obrepſerit, de diſſolutione hujus concreti loqui, quam mortis nomine ſignificari in Pauli verbis affirmo, non quatenus naturalis, ſed quatenus neceſſaria eſt ſive æterna. Nulli enim dubium eſſe debet, per peccatum huic æternæ diſſolutioni homines obnoxios eſſe. Qui enim à mortuis excitantur, ut perpetuo vivant, non ſane jure aliquo aut natura, quæ poſt peccatum remanſerit, excitantur, ſed Dei ſola voluntate atque potentia. Quæ cum ita ſe habeant, quid ſimilius eſſe poteſt moriendi neceſſitati, quam mors æterna, id eſt perpetua hominis diſſolutio? Quid quod ſi penitius res introſpiciatur, idem plane ſunt. Neque enim neceſſario morti obnoxius dici debet is, qui aliquando non amplius moriturus, revicturus ſit. Nam ſi omnino ei moriendum eſſet, quomodo fieri poſſet, ut in æternum viveret? Neque enim is mori vere dici poteſt, cujus vita in divino decreto lateat, quæ ſuo tempore in ipſo patefacienda ſit. Hinc enim factum eſt, ut Mortis nomine ſine aliqua adjectione, mors perpetua ſignificetur. Ea namque vera mors eſt, & hanc Chriſtus, ut dictum eſt, deſtruxit, & funditus delevit, in iis ſcilicet, qui ipſius participes ſunt. Ex quo perſpicuum eſt, neceſſitatem moriendi, quam per peccatum in mundum intraſſe dicimus, (ſi quid neceſſitas moriendi ſit, recte intelligatur) à Chriſto tanquam diaboli opus, diſſolutam & penitus ſublatam fuiſſe. Nec vero hanc ſententiam infirmat id, quod ſcriptum eſt ab auctore Epiſtolæ ad Heb. 9. 27, hominibus ſtatutum eſſe, ut ſemel moriantur. Primum enim, (ſi tamen velimus auctoris verba decretum aliquod, & non potius eventum & rei naturam ſignificare) dico, auctorem illum extra Dei benignitatem hominis poſt peccatum conditionem conſideraſſe, qui ſine divina benignitate omnino & in perpetuum mori debet. Nam Paulus quoque dixit: Mortem ab Adamo uſque ad Moſem in omnibus hominibus regnaſſe, Rom. 5. 14, quamvis ut Dominus Jeſus nos docuit Abrahamus, Iſaacus & Jacobus, qui in eo annorum curriculo, & nati & mortui ſunt à Deo in vitam revocandi ſint, & ipſi Deo vivant, Mat. 22. 32. Luc. 20. 38. Citra enim divinum beneficium, & ipſorum & reliquorum omnium conditionem præ oculis habuit autor ille, de ea nimirum re ſermo erat. Quicunque autem moritur, niſi divino beneficio in vitam revocetur, ut à morte in perpetuum detineatur, neceſſe eſt. Deinde etiamſi conſideremus, auctorem illum Dei, & Chriſti beneficii ratione habita, locutum fuiſſe, id quod indicare poteſt adverbium *ſemel*, quod ideo videtur appoſuiſſe, ut innueret à Chriſto nos conſecuturos, ut à mortuis excitemur, nec amplius moriamur, (quanquam res aliter ſe habet, nam ideo adverbium *ſemel* appoſuit, ut quemadmodum mors hominis non iteratur, ita Chriſti oblationem iterandam non eſſe doceret) animadvertendum eſt, Dei & Chriſti beneficium cauſſam eſſe, ut moriendi neceſſitatis in hominibus duplex ratio conſtitui poſſit: altera eſt communis omnium, atque eorum etiam, qui Dei & Chriſti beneficium participant, ejuſdem beneficii ratione habita, quatenus ſcilicet omnes naturalem mortem ſemel experiuntur: altera communis quidem eſt omnium; ſed ejus beneficii ratione non habita, quatenus ſcilicet, ſi hominis conditionem per ſe poſt peccatum ſpectes, omnes, ut dictum fuit, ſine ullo diſcrimine mori in perpetuum debemus. Potuit igitur auctor ille, non de hac, ſed de illa loqui, quæ tamen non eſt neceſſitas illa moriendi, de qua nos loquimur, quam peccatum in mundum invexit, ſed pars quædam illius; & quamvis utriuſque cauſſa peccatum extitiſſe dici poſſit; (nam id, quod totius cauſſa eſt, partium quoque cauſa eſſe videtur) tamen, quia partes perſe nunquam tanquam effectus, alicujus cauſa conſiderantur, ſed quatenus tantummodo in toto ſunt, qui verus eſt ejus cauſæ effectus, idcirco proprie hæc mors, quam adhuc poſt Dei & Chriſti beneficium re ipſa ſubire coacti eſſe videmur, naturalis conſtitutionis noſtræ potius, quam peccati effectus eſt, & propterea à Jeſu Chriſto, qui alioqui mortem per peccatum invectam una cum cæteris diaboli operibus abolevit, ſublata non fuit. Quanquam, ut alibi monuimus, qui Dei & Chriſti beneficium participant, hanc ipſam mortem non neceſſario, ſed naturaliter tantum ſubeunt, ita ut vere & proprie unica tantummodo dicenda ſit moriendi neceſſitas, & hanc, ut ibi diximus, Dominus Jeſus in illis, qui illi fidunt, penitus ſuſtulit atque delevit. Ergo non ſolum, quid mors æterna in meis verbis ſignificet, non percepiſti, quod mirum videri non debet, cum pervulgato ſenſu id dictum fuiſſe credideris: ſed nec etiam, quid neceſſitatem moriendi appellaverim, aſſecutus es. Non enim eam in omnes homines cadere dixiſſes. Siquidem, ut clare liquet, tu in illis tuis verbis, non de hominis poſt peccatum conditione per ſe conſiderata, quod tamen debueras, locutus es, ſed intempeſtive Jeſu Chriſti beneficii rationem habuiſti. Qui error non perinde atque alter ille tibi ignoſci poteſt. Nam de neceſſitate moriendi, cujus cauſa peccatum fuiſſet, ſermo erat. Nemo vero negabit unquam, ejus neceſſitatis moriendi, quam ego intellexi, vere & proprie peccatum cauſam extitiſſe, non autem ejus quam tu putaſti, cum hæc, ut dictum eſt, etiam peccati effectis ſublatis, & vi ipſius peccati prorſus abolita, remaneat;

maneat; illa vero tollatur. Verum, fac me diſerte de ea moriendi neceſſitate locutum fuiſſe, de qua tu es opinatus, & eam cum æterna morte conjunxiſſe, jam poſtquam, quid æterna mors in meis verbis ſit, percepiſti, non diverſiſſima ſed ſimillima me conjunxiſſe vides. Neque enim minus ſunt ſimiles moriendi illa neceſſitas, & hominis perpetua diſſolutio, quam mortalis conditio & mors naturalis. Ut enim mors naturalis mortalem conditionem omnino conſequitur, niſi Deus ſingulari beneficio illi ob viam eat: ſic neceſſitatem experiendi mortem naturalem, æterna concreti illius diſſolutio omnino conſequitur, niſi Deus ſingulari beneficio iterum concretum illud quodammodo conflet atque compingat; & ſicut naturalis mors eſſe non poteſt abſque mortali conditione: ita perpetua hominis diſſolutio, ſine neceſſitate experiendi mortem, eſſe nequit. Sed finge adhuc, me, dum mortem æternam dixi, æternos cruciatus dicere voluiſſe, num diverſiſſimæ res idcirco erunt, moriendi illa neceſſitas & mors æterna? Quam id falſum ſit, ſupra oſtendimus, cum utramque impiis convenire te non negaturum diximus. Nonne potius ſimiles dicendæ ſunt, ſi altera vera & abſoluta pœna peccati eſt, altera pars ſaltem illius pœnæ, quæ humano generi propter peccatum inflicta fuit? Nonne utramque dices per peccatum fuiſſe in mundum invectam? Nonne utramque Pauli & verbis & ſententiæ ſubeſſe poſſe affirmabis? Quid igitur tibi voluiſti, cum me tanquam malum Sacræ Scripturæ interpretem fugillare conatus es, & eadem ratione, qua mortem apud Paulum moriendi neceſſitatem ſive mortem æternam interpretor, violentam quoque mortem & exilium, quæ mors civilis appellatur interpretari me potuiſſe dicis? An non cernis, te boni & mali, recti & pravi, in interpretationibus nullum diſcrimen habere? Nam ſimulatque vides tibi negari, eum alicujus verbi ſenſum eſſe, quem priuſquam ad locum legendum, nedum examinandum acceſſiſſes, quia ex Deo cœli tibi omnino pendere videris, animo conceperas; & alium eſſe affirmari, ſtatim ad id confugis, ut demonſtres, non omnes interpretationes, quæ ei verbo aliquomodo conveniunt, eo loco admittendas eſſe; neque conſideras, iſtam qualemcunque exceptionem, non minus tibi quam ei, qui à te diſſentit, opponi poſſe, niſi prius conſtare facias, verbi illius ſignificationem propriam aut uſitatam eam eſſe, quam tu ſequeris; eam vero ſive eas, quas alter ſequitur, minus proprias & inuſitatas eſſe. Cujus tamen contrarium hoc loco contingit, ut à nobis expoſitum fuit. Neque etiam, ut diximus, ſatis eſt vocabuli ſignificationem, quam tu amplecteris, magis propriam magiſve uſitatam eſſe, ſi ratio ſuadeat, non ipſam ullo modo, ſed aliam quampiam minus propriam minuſve uſitatam potius eo loco eſſe retinendam? Et certe, ut vidimus, etiamſi ſignificatio, quæ tibi magis arridet, magis quoque propria & uſitata eſſet: hic tamen admitti eam non debere, ratio omnino requireret, ſed eam, vel eas, quas ego amplectendas eſſe dico. Quibus neutiquam ſimiles ſunt duæ iſtæ, quas tu, tanquam eis ſimiles attuliſti, cum neutra ad Pauli propoſitum accommodari poſſit; utraque falſam ſententiam contineat, poſterior etiam nuſquam in Sacris Literis extet, niſi fortaſſis, ut antea de locuſtis dictum eſt, quatenus per exilium graves calamitates importantur, & exilium ipſum per ſe graviſſima calamitas eſſe videtur. Verum adhuc eſt, quod mihi & meæ interpretationi objicias. Inquis enim: *At quid hic audio? Tu, qui negas in Veteri Teſtamento ullam eſſe mentionem vitæ æternæ, vis tamen mortem æternam fuiſſe comminatam? Dicesne, Deum, propoſuiſſe timorem mortis æternæ, tu, qui negas eum dediſſe ſpem vitæ æternæ? Quid hoc abſurdius excogitari poteſt?* Hactenus ſunt verba tua. At vero quid vere abſurdius excogitari poteſt, quam in diſputatione aliquid adverſario, tanquam ab eo dictum, objicere, quod is inter diſceptandum nunquam dixerit? Atque in hunc eundem errorem non ſemel antea incidiſti. Qua mente id facias, novit Deus. Neque enim ſatis eſt tibi, ea mihi objicere quæ non debes, niſi etiam calumnieris. Nunquam à me dictum fuit, in Veteri Teſtamento nullam vitæ æternæ mentionem eſſe. Sed tecum de variis quæſtionibus conferens, coram dixi, in Fœdere, quod Deus cum Iſraëlitico populo percuſſit, inter præmia, quæ illis, ſi fœdus ſervaſſent, propoſuit, non commemorari vitam æternam, quod veriſſimum eſſe omnes cognoſcent, qui univerſam Legem Moſaicam diligentiſſime perlegerint. Dixi præterea, ipſi Abrahamo, qui pater omnium Deo fidentium dicitur, vitam æternam non fuiſſe à Deo aperte promiſſam Rom. 4. 16, in iis promiſſionibus, quæ in ejus hiſtoria narrantur, ita ut nobis ex Moſis mente conſtare non poſſit, an Abrahamus vitam æternam ſperaverit, nec ne. De quo tamen quid ſentiendum eſſet, quidve ex aliis Sacris Scriptoribus nobis ea de re conſtare poſſet, amplius inquirendum eſſe dicebam. Certe hæc & ejuſmodi alia, quæ tecum aliquando communicavi, aſſerere, non eſt negare ullam in Veteri Teſtamento vitæ æternæ eſſe mentionem, ſiquidem Veteris Teſtamenti appellatione, ut fieri conſuevit, & tu hic facis, non ipſum Vetus Fœdus, ſed ſacra ante Chriſtum monimenta & ſcripta intelligamus? Addidiſſes ſaltem verbo mentionem epitethum claram ſive apertam, aut aliud ſimile, tolerabilius multo locutus fuiſſes; & quamvis ego ad Dei promiſſiones tantum & fœdera, eos qui ante Chriſtum vixerunt, proprie ſpectantia, verba mea ſemper retulerim, id me ſentire facile confeſſus fuiſſem. Præterea num tibi neceſſarium videtur, ſi per peccatum mors æterna in mundum intravit, ut eam mortem Deus aperte comminatus fuerit? Abrahamus, Iſaacus & Jacobus nullum apertum Dei promiſſum de reſurrectione à mortuis habuerunt: & tamen, Jeſu Chriſto teſte, ut paulo ante dictum fuit, hujus tanti boni participes & ipſi erunt. Ergo eadem ratione potuit Deus mortis æternæ timorem non proponere, & tamen eam homini delinquenti infligere, atque ita, nulla inter præmium in eis proponendis differentia extabit, ſed quemadmodum reſurrectio & vita æterna ſub generalibus & magnificiis quibuſdam promiſſis, ſanctis illis viris factis, tacite continebantur, nulla prorſus pœnæ alicujus, ſi divinis præceptionibus non paruiſſent, expreſſa mentione facta: ſic mors æterna, ſub generali ipſa mortis comminatione tacite continebitur, quamvis Adamo, ſi Dei dicto audiens fuiſſet, nullum præmium expreſſe propoſitum fuerit. Poſtremo, cum in verbis meis æternæ mortis nomine, non ſempiternos cruciatus, ſed perpetuam hominis diſſolutionem intelligi par ſit, nihil impedit, quominus Deus vitæ æternæ nullam ſpem dederit, & tamen mortis æternæ timorem propoſuerit. Vita enim æterna donum Dei eſt ſingulare & excellentiſſimum, quod nihil cum natura hominis commune habet, aut certe ei nulla ratione naturaliter debetur. Ipſius autem hominis perpetua diſſolutio ei naturalis eſt, ut mitiſſimus exiſtimandus ſit Deus, ſi homini delinquenti eam pœnæ loco conſtituit. Nam quid illi vel boni aufert, vel mali infert, ſi eum naturæ ipſius propriæ relinquit, & à ſe ex terra creatum atque compactum, in terram rurſus reverti ac diſſolvi ſinit. Hoc adeo rationi per ſe conſentaneum eſt, ut pœna quodammodo dici non poſſit. Pœna tamen, quatenus hæc diſſolutio perpetua eſſet, dicenda foret, non quia in perpetuum diſſolvi homini naturale non ſit, ſed quia (ut ex eo, quòd Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo conſtinget, aperte conjicere poſſumus) Deus hominem, ſi in fide permanſiſſet, ab ea diſſolutione aliquando vindicare decreverat. Itaque eum ſatis punit, cum tanto bono, quod ei præparaverat, propter delictum penitus privat. Atque hac ratione potiſſimum moriendi neceſſitatem hanc, quamvis hominis naturæ propriam & convenientem, peccati effectum & opus diaboli eſſe dixi. Niſi enim homo peccaſſet, ab ea neceſſitate liberatus divina ope fuiſſet. Quod cum de altera illa moriendi neceſſitate non conſtet, eam magis naturalis hominis conſtitutionis effectum, quam peccati eſſe, affirmare non dubitavi. Quamvis enim, ut ſæpius à nobis dictum eſt, potuiſſet Deus hominem, licet mortalem, à morte

in per-

in perpetuum conſervare; vel ei, dum adhuc viveret, mortalitatem eripere: tamen, etiamſi homo non peccaſſet, quod eum ne ad tempus quidem, mori ac diſſolui permiſiſſet (quicquid Sacrarum Literarum interpretes hac de re dicant aut ſentiant) id nobis nulla ratione vel apparet, vel apparere poteſt. Sed jam vide, quo te rapiat me reprehendendi libido, ut dicas præterea, me tertiam interpretationem afferre, cum nullam tamen meam verborum Pauli interpretationem præter jam examinatas adſcribam, ſed tantummodo, etiamſi tua admittenda foret, nihil ſolidi in ea pro tuæ ſententiæ confirmatione ineſſe, demonſtrem. Quæ de re ſuo loco videbimus. Quid mirum igitur, ſi, ut dicere videris, ex verbis meis nihil addiſcere potes, cum ea ex ipſis, quæ planiſſima ſunt, prorſus non intelligas? Nunquid ſi mihi non dicam crederes, ſed mentis aures accommodares, ex iis, quæ antea ſcripſeram, agnoſcere non potuiſſes, interpretationem tuam eorum Pauli verborum penitus rejiciendam eſſe? Nonne hoc ſatis erat, ut ea in parte errore tuo liberareris? Nonne à ſimplici verbo divino in interpretatione mea me non ſolum non diſcedere animadvertiſſes, ſed verbi ſignificationem uſitatiſſimam ſequi, & non rationibus ſolum, ſed perpetuo etiam Sacrorum Scriptorum loquendi more, ad eam interpretationem amplectendam impulſum, immo potius coactum me fuiſſe, aperte profiteri? Nonne ſi paululum animum attendiſſes, me, & quæ ſibi ipſis maxime conſtant, & quæ cum univerſis Sacris Literis mirifice conſentiunt, docere vidiſſes? Nonne, ut ſoli Paulo & Moſi credas, tuis præjudicatis opinionibus poſthabitis, revera me tibi ſuadere comperiſſes? Atqui, ut his, & aliis divinis ſcriptoribus credas, neceſſe eſt, ut quid dicant, intelligas. Id autem fieri nequit, niſi verborum vim percipias. Nam ex verbis ſententia elicitur. At verborum vim percipere qui potes, ſi Sacrorum Librorum idiotiſimos non obſervas, ſi verba ipſa non diligenter examinas? Quod cum ego jam perſpexiſſem, conatus ſum priore meo ſcripto apertiſſimis rationibus potius, quam vi manifeſtiſſima verborum Pauli tibi planum facere, alium omnino eſſe teſtimonii, quod ex eo protuleras, ſenſum, atque opinatus fueras. Sed nihil me profeciſſe video. Nam non ſolum non reſipiſcis, ſed gravem errorem multo gravioribus cumulas. Cum enim dico, ex eo conſtare, mortalitatem naturalem per peccatum in mundum non intraſſe, & Adamum etiam ante delictum natura mortalem fuiſſe, quod eſcis jam uteretur, & indigeret refectione, id quod ipſa ejus corporis conſtitutio ſatis nos docere poterat; ais primum, quatenus aſſequi poſſum, non refectionis cauſa Adamum ante delictum comediſſe, ſed voluptatis & ſobolis propagandæ gratia. De voluptate poſtea videbimus. Quod vero ad ſobolis propagationem attinet, cur cibo indigebat homo, niſi quia inſtaurandum illud erat, quod, ſobolem propagando, ei decedebat? Sed quid poteſt ei, qui natura immortalis ſit, unquam decedere? An non ſola ſobolem procreandi ratio, eum omnino natura mortalem fuiſſe demonſtrat, etiamſi nihil aliud haberemus, quod nobis idem aperte indicaret? Neceſſe eſt enim, cum per eam propagationem propaganti aliquid decedat, fateri, aut plane naturæ immortali repugnare, ſibi ſimilem, id eſt, ejuſdem ſpeciei procreare; aut alia ratione ab immortalibus immortales gigni. Mitto, quod id, quod Adamo in propaganda ſobole decedebat, multo præſtantiore via, quam eſcarum eſu, in quibus concoquendis, digerendis, & ex parte expellendis, multa immortali natura indigniſſima animadverti poſſunt, inſtaurari & poterat & debebat, ſi is immortalis fuiſſet. Sed enim arcte tenendum illud eſt, tanquam veriſſimum, & quod probatione aliqua non indigeat, immortali naturæ nihil decedere poſſe, & cibos ideo ad ſobolem propagandam neceſſarios fuiſſe, quia inſtaurandum ea ratione erat id, quod per eam homini decedebat. Ita dum aliam, quam refectionem, cauſam ciborum fuiſſe oſtendere conaris, eam cauſam affers, quæ maxime refectione opus fuiſſe perſpicuum facit. Subjungis deinde, ut, refectione etiam conceſſa, immortalem naturam non tolli probes, me ipſum non ſemel fateri, arboris vitæ eam vim fuiſſe, ut comedentis ex ea vitam perpetuaret. Jam totus hic locus in 5. cap. accurate pertractatus eſt, attamen hic quoque aliquid dicamus. Quid obſecro, ut, qui natura ſunt immortales, refici aut poſſe aut debere conſtet, efficit, arboris illius vitalis eam vim fuiſſe, ut comedens ex ea vitam ſuam perpetuaret? Iſtud aliquam vim haberet, ſi probandum eſſet, vel cibis vitam in æternum prorogari poſſe, vel in æternum eos poſſe vivere, qui cibis utuntur, (ſi tamen tibi concederetur, perpetuare vitam, idem eſſe, quod in æternum eam conſervare, quod longe aliter ſe habere in eodem 5. cap. me oſtendiſſe confido): At cum probandum ſit, aliquem ſuapte natura immortalem cibis poſſe refici, id prorſus nullas vires habet, niſi illud ipſum prius probetur, quod eſt in quæſtione, primum ſcilicet hominem, quamvis cibo uteretur, quo reficiebatur, & perpetuabat vitam ſuam, immortalem tamen natura fuiſſe, quod enunciatum neminem præter te eſſe arbitror, qui non animadvertat, & abſurdiſſimum eſſe, & ſeipſum plane deſtruere. Nam quid magis, ut eodem loco dictum fuit, ſibi ipſi adverſari poteſt, quam immortalem eſſe natura, & ad perpetuandam vitam aliqua re uti? Quid magis abſurdum, atque adeo ἀδύνατον, quam, nihil alicui decedere poſſe, ut certe iis, qui natura ſunt immortales, evenit, & tamen eundem ipſum ſubinde refici? Quod ſi hæc, quæ me vel ſomniare quidem puderet, ex meis verbis colligi poſſe credis, non minus falleris, quam in ipſis aſſerendis errare manifeſto deprehendaris. Fortaſſe inter ea, quæ te in iſtos errores protrahunt, ſive potius prima illa, de qua potiſſimum contendimus, opinione tua neceſſario jam pertractum, in iiſdem retinent, illud eſt, quod ei, qui immortalis creatus ſit, aliquid decedere poſſe exiſtimas. Atqui aut illud, quod decedit, inſtaurari debere putas; aut, ut inſtauraretur, neceſſe non eſſe arbitraris. Si inſtaurandum omnino eſt, certum eſt, id ejuſmodi eſſe, ut ſine eo is in priore ſtatu conſervari nequeat, ſed paulatim abſumatur, alioqui quid inſtauratione opus eſſet? Verum qui ita comparatus eſt, is quomodo natura immortalis eſſe poteſt, cum ad ſui conſervationem externa ope indigeat? Nam ſi dicas, fieri poſſe, ut ipſe ſeipſum reficiat, præterquam quod iſtud quæſtioni noſtræ non convenit, in qua cibis, & ſic rebus externis refectio fieri debet, dico, te magno in errore eſſe. Nihil enim ſeipſum prorſus externa ope deſtitutum reficere poteſt. Neceſſe eſt enim, ut cuicunque aliquid deeſt, id aliunde, quam à ſeipſo petat. Quandoquidem, ſi à ſeipſo id petere poſſet, jam eo non careret. Sin putas id, quod decedit, ſine ulla ejus, cui decedit, læſione poſſe non inſtaurari, quid refectione opus eſt? Immo quid deceſſionem appellamus eam, quæ eum, de quo fit, nihil minuit? Præterea quis unquam tibi concedet, in iis, qui immortales natura ſunt, aliquid ita ſuperfluere, ut ſine aliqua imminutione eis detrahi poſſit, idemque extrinſecus adveniente deinde ope refici? Sed jam ad alia tranſeamus, ſi prius tamen te illud monuerimus, me in arbore illa vitali allegoriam nullo modo negare, nedum ulla ratione non ferre (ut tu ea parum inſpiciens, quæ à me ſcribuntur, affirmas) ſed allegorice tantum hiſtoriam illam de Cherubim, qui fuit poſitus ad cuſtodiendam viam arboris illius, non eſſe interpretandam aſſeverare, & omnino fatendum eſſe dicere, vere illi arbori vim mirifice vitam hominis conſervandi datam fuiſſe. Quæ cum dico, tantùm abeſt, ut concedam, eum, qui natura immortalis ſit, refectione vel indigere vel uti poſſe, (quod prorſus nego) quemadmodum tu mihi objicis, ut ex ea arboris vi, cujus ope Adamus ad vitam ſuam conſervandam etiam ante lapſum indigebat, eum natura immortalem nunquam fuiſſe confirmem.

Jam vero ad id, quod dixeram, de conſtitutione corporis humani, reſpondes, membra, quæ mihi videntur ſuperflua, neceſſaria fuiſſe ad procreationem; &

Meſſiam,

Meſſiam, quamvis renovaſſet corpus humanum, habuiſſe tamen poſt reſurrectionem membra, quæ prius, & non ſemel comediſſe & bibiſſe. Primum ego, nunquam dixi, ſuperflua eſſe, ſed ſuperflua futura, niſi homo refectione opus habuiſſet. Quod vero ad procreationem neceſſaria eſſent, id, ut paulo ante viſum eſt, non modo non tollit, primum hominem refectione opus habuiſſe, ſed id quam maxime confirmat. Quare nihil agis, niſi & refici debere corpus, & natura ſimul immortale eſſe poſſe, demonſtres. Deinde quod ad Chriſti corpus attinet à mortuis excitatum, qui ſcis, id membra omnia interiora, quæ prius habuerat, retinuiſſe? Num ex eo id colligis, quod Chriſtus non ſemel comedit atque bibit, poſtquam à mortuis reſurrexit (cujus rei tu hic intempeſtive mentionem facis, non enim, ut priora membra eum retinuiſſe probes, qua de re ſermo erat, ſed ut ciborum uſum cum immortali natura non pugnare oſtendas, id dixiſti, de quo mox ſuo loco videbimus) At bibiſſe & comediſſe potuit Chriſtus poſt reſurrectionem, nec tamen eadem interiora membra habere, quæ ante habuerat, quibus cibus & potus ad corporis refectionem diſtribueretur, ſed alia, quibus alia officia peragerentur. Nam profecto non ut corpus reficeret, ſed ob aliam cauſam neceſſe eſt biberit & comederit, ſi jam tum ipſius corpus immortale fuiſſe velimus. Nec vero Chriſtus procreare debebat. Quare ſuperflua omnino priora interiora membra fuiſſent. Hæc dico non quia negem Chriſti corpus poſt reſurrectionem, dum hic in terris verſatus eſt, eadem membra, quæ prius & exteriora & interiora habuiſſe, ſed ut oſtendam, quam audacter quadam de re aſſeveres, quæ ſi tibi negaretur, eam nunquam probare poſſes, quippe quæ nec ullo modo appareat, & iis ipſis, quæ à te poſita ſunt, manifeſte adverſetur. Quamvis autem id non negem, quid tamen inde ad argumentum meum diſſolvendum colligere potes? Nam adhuc tibi probandum eſt, Chriſti corpus poſt reſurrectionem, dum in terris erat, & cum diſcipulis interdum comedebat & bibebat, naturalem immortalitatem adeptum fuiſſe, quod ego falſiſſimum eſſe arbitror, & vel ex eo ſolo falſum deprehendi, ſi concedatur in eo eadem interiora membra fuiſſe, quæ antea fuerant, quæ non niſi mortali naturæ, & quæ ciborum refectione indigeat, convenire poſſunt. Non eſt Chriſtus Jeſus, quamvis, ut non amplius moreretur, a mortuis excitatus, immortalitatem & gloriam ſui corporis adeptus, niſi cum in cœlum tranſlatus eſt, ubi ſedes eſt corporum immortalium & glorioſorum, quæ ſub hoc cælo, ubi omnia ad interitum rapiuntur, degere non convenit. Putas ne Chriſti corpus immortale & glorioſum minorem claritatem & ſplendorem habere, quam habuerit, cum adhuc mortale tranſfiguratum eſt in monte? Sed nihil tale de Chriſti corpore legimus, poſtquam is ab inferis excitatus, per 40 dies in terris fuit. An non manifeſtum eſt, non glorificatum fuiſſe Chriſtum, niſi poſt ipſius in cœlum aſcenſum? *Nondum enim erat* (inquit Johannes Joh. 7.39.) *ſpiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Ipſe vero Chriſtus ait Joh. 16. 7 *Si enim ego non abjero, paracletus non veniet ad vos.* Tunc demum igitur glorificatus eſt Chriſtus, cum hinc abiit; & ante ſuam glorificationem corpus eum immortale & glorioſum & potens habuiſſe, nec veriſimile eſt, & ipſi ſenſui communi plane refragatur. Nec vero potentia & gloria ab immortalitate ſeparari poteſt in iis corporibus, quæ poſt reſurrectionem renovantur, ut ex Paulo liquet 1 Cor. 15. 42, qui in ipſis hæc tria omnino conjungit. Quod ſi dicas, Chriſtum, antequam in cœlum aſcenderet, dixiſſe, ſibi datam eſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra Matt. 28. 18, reſpondeo, idem re ipſa ab eodem dictum fuiſſe, etiam antequam moreretur & reſurgeret. Inquit enim orans patrem Joh. 17. 2, *ſicut dediſti ei*, (de ſeipſo autem loquitur) *poteſtatem omnis carnis*, &c. & alibi ab Euangeliſta dictum fuit Joh. 13 3: *Sciens Jeſus, quod omnia dedit ei pater in manus* &c. Atque eadem ſententia aliis in locis ſcripta extat, antequam Chriſtus moreretur. Cum igitur ante mortem & reſurrectionem dictum fuerit, Chriſtum omnem poteſtatem accepiſſe, non quia revera accepiſſet, ſed quia omnino eam accepturus erat, multo magis id poſt mortem & reſurrectionem dici potuit, cum propter mortem & per reſurrectionem eam acceperit, præſertim cum extrema verba ſuis diſcipulis faciens, ipſis inſpicientibus jam jam in cœlum aſcenſurus, & mortalem hunc mundum relicturus eſſet. Idem Chriſtus, in eadem ad Patrem oratione ait, ſibi ab ipſo fuiſſe datam claritatem, *ut videant*, inquit Joh. 17. 24, *claritatem meam quam dediſti mihi*: & tamen certum eſt, eam gloriam ſeu claritatem illi non niſi propter mortem & poſt mortem datam fuiſſe. Præter enim ejus rei alia complura, quæ habemus, apertiſſima teſtimonia, ipſemet dixit Luc. 24. 26, *Oportuit Chriſtum hæc pati, & intrare in gloriam ſuam.* Numquid animadvertiſti, in epiſt. ad Hebr. hujus rei, quod ſcilicet Chriſtus immortalis & perfectus non evaſerit, niſi poſtquam in cœlum aſcendit, ubi pro nobis nunc coram Deo in perpetuum apparet, multa eſſe evidentiſſima argumenta? Sed inter cætera inſigne eſt illud quod 7 cap. habetur, ubi, ut Chriſtus in æternum viveret, & ſic in æternum ſacerdos eſſe poſſet, decuiſſe dicitur, ut cœlis ſublimior fieret, qua de re à nobis alio loco diſputatum eſt. Dum igitur dominus Jeſus poſt reſurrectionem hic cum diſcipulis eſſe voluit, non fuit ejus corpus immutatum, & immortale & glorioſum effectum, nam neque tantum ſplendorem & majeſtatem mortalibus oculis intueri & ſuſtinere potuiſſent; nec ipſe ſe vere reſurrexiſſe eis fidem feciſſet, niſi idem prorſus fuiſſet, qui antea fuerat. Unde factum eſt, ut ipſa clavorum veſtigia in manibus & lanceæ in latere eum etiam tunc habuiſſe legamus Joh. 20. 27, quæ nemo non videt, quam immortali corpori convenire non poſſint. Multa prudens prætereo, quæ in hanc ſententiam afferri queant. Satis enim hæc cuicunque eſſe poſſunt, qui manifeſtiſſimæ veritati reluctari nolit, ut Chriſti corpus immortale à mortuis excitatum, & immortalitatem naturalem, dum in hoc mundo adhuc verſaretur, conſecutum non fuiſſe cognoſcat, quibus id tantum addo, cum Chriſtus per id temporis vere comederit, fieri non poſſe, ut naturam immortalem adeptus eſſet, cum Paulo teſte, ii, qui immortales fiunt, non comedant, ut ſtatim, tua reſponſione ad teſtimonium, quod ex ipſo protuleram, diluta, planiſſimum fiet. Vere autem comediſſe Chriſtum, non autem ita viſum fuiſſe, & tu maxime contendis, & omnino, niſi Euangeliſtas nobis impoſuiſſe velimus, fatendum eſt, qui non aliam ob cauſam ejus rei ita diſerte mentionem faciunt, niſi, ut inde appareat eum ipſum vere, qui antea mortuus fuerat, in vitam revocatum fuiſſe. Nam & ipſe Chriſtus, cum filiam illam principis ſynagogæ à mortuis excitaſſet Luc. 8. 55, juſſit ei dare comedere, ut hoc argumento, eam vere in vitam reſtitutam eſſe, demonſtraret. Nec dubium eſt, quin ipſe Chriſtus, ut diſcipulis ſuæ reſurrectionis fidem faceret, præter alia, quæ illis indicia manifeſta exhibuit, hoc etiam, quod comederet, exhibuerit. Nam ejus rei Lucas nos in ſua hiſtoria aperte admonet Luc. 24. 14; & Petrus, ut ſe una cum cæteris, quibus idem datum fuerat, Chriſtum vere à mortuis excitatum vidiſſe, confirmaret, ea verba addidit Acto. 10. 41, *Qui manducavimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.* Atqui Paulus, ut diximus, aperte teſtatur 1 Cor. 6. 13, eſcas & ventrem in futura vita deſtructum iri. Sed reſpondes, Paulum loqui, quatenus corruptibiles ſunt, atque ea reſponſione te duplici de cauſa mirifice cunctis deridendum exponis. Primum enim ineptiſſime Pauli verba interpretaris, cum ipſe dicat, eſcas una cum ventre abolendas eſſe, corpus autem ſuſcitandum. Nam & corpus ipſum, quatenus corruptibile eſt, abolebitur. Quocirca niſi venter & eſcæ, non ſolum quatenus corruptibiles ſunt, ſed omnino aboleantur, nihil docuit Apoſtolus: quin etiam falſo & perperam locutus eſt, qui inter eſcas ventremque &

cor-

corpus differentiam in ipſorum conſervatione aut deſtructione conſtituere voluerit, cum tamen penitus nulla ſit. Deinde perridicule, quamvis tacite, affirmare non vereris, in futuro ſeculo nos comeſturos eſſe, atque ea in re Machometem, qui ejuſmodi artibus populum carnalem & gulæ ac ventri deditum ſeduxit, imitari te non pudet; neque interim vides, voluptatem, quæ ſola poſt reſurrectionem ciborum uſus cauſa, te ipſo teſte, eſſe poteſt (ceſſabit enim poſt reſurrectionem ſobolis propagatio) multis de cauſis indigniſſimam eſſe, quæ retineatur. Novi ego non paucos, qui ita vel literarum vel aliis ſtudiis delectantur, ut maximam moleſtiam ex eo capiant, quod propter corporis refectionem eis cibum ſumere ſit neceſſarium, quamvis optime valeant, & cibus alioqui ipſis ſuaviſſimus ſit, nimirum quia à multo majoribus voluptatibus, dum comedunt, avocantur. Quis autem neſcit voluptatem, quæ in cibo & potione capienda ſentitur, & ejuſmodi cæteras corporis voluptates ſine antecedenti moleſtia eſſe non poſſe? Fames enim & ſitis antecedat neceſſe eſt, ſi quis veram voluptatem, quæ in cibo & potu reperitur, experiri velit. Quid aliud eſt fames & ſitis, quam vacuitas quædam, quæ dolorem affert, quam idcirco & replere curamus, & replendo jucunditatem neceſſario capimus. Quis ſatietatem ei voluptati ſuccedere non videt, & cibum ſuaviſſimum, vacuo repleto, adeo injucundum eſſe, ut nauſeam etiam ei movere poſſit? Quæ omnia abſurdiſſimum eſt, in æterna illa & abſoluta felicitate evenire poſſe, vel ſuſpicari quidem, quæ tamen ſi ibi potui & cibo locus futurus eſt, ceſſare nullo modo poſſunt, niſi velis in altero ſeculo aut nullam majorem voluptatem quam comedendi & bibendi dari; aut cibum & potionem ab aliis voluptatibus non avocare, & præterea aſſeras, nos & voluptatem comedendi & bibendi ſine antecedenti fame & ſiti experturos, & indelinenter comeſturos ac bibituros. Niſi enim ſatietatem ſuccedere velis, cur à cibo & potione unquam abſtinendum eſſet? Si ideo interdum abſtinendum fore credis, ut majoribus voluptatibus perfrui poſſimus, cur majoribus illis voluptatibus perpetuo potius non perfrueremur, cibo & potu in æternum valere juſſis? Neque enim dicere potes, illis majoribus voluptatibus ſatietatem ſuccedere, ſi comedendi & bibendi voluptati eam ſuccedere negas. Quod tamen ſi diceres, voluptatum ſatietatem in futuro ſeculo dari affirmares, quo nihil abſurdius dici poteſt. Reſtat igitur, ut perpetuo nos comeſturos & bibituros eſſe contendas, quod una cum cæteris, quæ ſi priora illa abſurda vitare velis, te affirmare neceſſe eſſe diximus, & maxime ridiculum, & longe abſurdiſſimum eſſe, nemo eſt, qui liquido non perſpiciat. Quis præterea eſt, qui non videat, ideo voluptatem in cibo capiendo à natura fuiſſe poſitam, ut corpus, quod refectione indiget, alatur? Nam niſi ea eſſet, cibum ſumere, in quo nihil nihilabor foret, animalia maximo cum vitæ ipſorum detrimento ſæpius fortaſſe negligerent. Eadem autem ratione, ut omnes animadverterunt, tantam in maris & fœminæ conjunctione voluptatem eadem ipſa parens natura poſuit, ne ſcilicet alioqui animalia à procreatione abhorrerent, nedum ei, ut opus erat, diligenter operam darent. Cur igitur, nutritionis corporis neceſſitate ceſſante, iſthæc bibendi & comedendi voluptas, quæ propter eam comparata eſt, una cum ipſo cibo & potu non ceſſabit, quemadmodum procreatione ceſſante, voluptatem illius conjunctionis, una cum ipſa conjunctione ceſſare videmus? Nonne ſi Deus voluptati eorum, qui vitam æternam adipiſcentur, ciborum uſu proſpectum vellet, quamvis cauſa, propter quam potiſſimum cibis nunc utimur, id eſt, corporis reficiendi neceſſitas ceſſatura ſit, multo magis conjunctione illa proſpectum voluiſſet, quamvis procreandi amplius homines non eſſent, propter quam procreationem præcipue ea conjunctio inſtituta fuit? Nemo eſt enim quin fateatur, multo majorem hanc, quam illam voluptatem eſſe. Machometes certe, ut audio, in futuro ſeculo non ciborum tantummodo uſum, ſed maris quoque & fœminæ conjunctionem conſervari vult, quem vereor ſane, ne in hac parte quoque jam imiteris, quamvis Chriſtus aperte teſtetur, in futuro ſeculo nuptias abolendas eſſe. Etſi enim video negari non poſſe, quin omnem maris & fœminæ conjunctionem Chriſti verba Luc. 20. 35, in illo ſeculo tollant: cum tamen conſidero, quomodo teſtimonium Pauli, de ciborum uſu abolendo, magis etiam, quam illud Chriſti de conjunctione illa tollenda clarum & indubitatum, obſcurare & eludere conatus fueris, ſatis veriſimile mihi fit, ut aliqua ejuſmodi tua interpretatione illud quoque tenebris involvere & devitare tentes. Nam profecto niſi id facias, & interim ciborum uſum in futuro ſeculo propter voluptatem retinendum eſſe omnino velis, in ea abſurda devenies, quæ modo commemoravimus, à quibus tibi multo magis cavendum eſt, quam à ridicula ſive coacta aliqua verborum Chriſti explanatione. Jam enim ea in re ſemel verecundiæ fines peregregie tranſiiſti, cum Pauli verba illa ita abſurde interpretari non dubitaveris. Dicere autem poſſes; Chriſtum nuptias quidem & matrimonia negare, quæ procreandi cauſa potiſſimum fiunt, cum nulla procreatione in illa vita opus futurum ſit: at alias maris & fœminæ conjunctiones, quas fere ſemper voluptatis cauſa fieri contingit, non negaſſe. Quæ ſane interpretatio, licet, ut ſtatim videbimus, nullo pacto admittenda ſit, eſt tamen multo, quam illa alia verborum Pauli, tolerabilior; & multi illam deridebunt, & falſitatis convincent, qui hanc fortaſſis, aut non omnino aſpernabuntur, aut, quo pacto refellere poſſint, non facile invenient. Verumtamen ex eo primum ejus abſurditas conſtare unicuique poteſt, quod apud Matthæum & Marcum ſimpliciter dicitur, in reſurrectione nullas nuptias futuras, ſed eos, qui reſurrexerunt, fore tanquam angelos, qui ſunt in cœlis. Certe angeli qui ſunt in cœlis, non modo à nuptiis abſtinent, ſed ab omni concubitu Matth. 22. 30. Mar. 12. 25. Nec vero ea tantum in re illos angelis ſimiles fore dicere voluit, de qua ſermo erat (quod ſane inepte factum fuiſſet. Quid enim ex ea comparatione amplius intelligeretur, quam ex ſimplici dicto?) ſed in aliis etiam; & eam ſimilitudinem, quam cum angelis habituri ſunt, ad confirmationem ſui dicti afferre, tanquam generalem propoſitionem, ex quo ſingularis illa concluſio colligeretur, ut ex Luca manifeſtum eſt, apud quem immortalis etiam naturæ, in qua ſimiles angelis erunt, mentio fit &, quod æquales angelis ſint futuri, pro ratione & confirmatione eorum, quæ dicta fuerant, à Chriſto ſubjungitur. *Nam* inquit Luc. 20. 36, *æquales Angelis ſunt*. Deinde, cum apud eundem Lucam ratio reddatur, cur ceſſaturæ ſint nuptiæ. quia ſcilicet mori amplius non poterunt, & ideo ut alii ab ipſis procreentur, qui in eorum locum quodammodo ſuccedant, opus non erit, & hæc ratio, omnem maris & fœminæ conjunctionem excludat, (ſiquidem ex omni ejuſmodi conjunctione filii procreantur) nec Chriſtus aliud præterea doceat, ſtatuendum prorſus videtur, non nuptias ſolum, ſed omnem concubitum per Chriſti verba in futura vita tolli. Quodſi propter voluptatem promiſcuos concubitus admitti poſſe velimus, cur nuptias etiam, non quidem procreandi, ſed voluptatis capiendæ cauſa non admiſiſſet Chriſtus? At enim nuptiæ procreandi gratia potiſſimum fiunt, promiſcui concubitus non item. Non recte dictum eſt. Neque enim nuptiæ, ſed maris & fœminæ conjunctio procreandi cauſa fit. Nuptiæ vero ut aliquis modus & ordo in ea conjunctione ſervetur, inſtitutæ ſunt. Nec vero ad id, quod rude hominum vulgus opinari poteſt, ſed ad id quod verum eſt, & ſatis liquet, Chriſtum reſpexiſſe, credere debemus. Maneat igitur, omnem concubitum per Chriſti verba in futura vita excludi, & quamvis ipſe de nuptiis interrogatus, nuptiarum tantum in ſua reſponſione meminerit, nuptiarum tamen appellatione, omnem maris & fœminæ conjunctionem, & brevitari & honeſtati conſulentem, ſignificare eum voluiſſe credamus. Quodſi tu idem facere voluiſti, gaudeo equidem. Auget enim, ut verum fatear, ſuſpicionem meam, quam de ſententia

tua hac in re paulo ante expoſui, quod, cum ego, verba Chriſti, ad omnem concubitum ex futuro ſeculo exterminandum attulerim, tu tamen interea in reſponſione tua maris & fæminæ conjunctionem nunquam diſerte commemoras, ſed matrimonii ſemper, aut nuptiarum, aut connubiorum mentionem facis, quæ ceſſatura in futura vita confiteris. Nam cum alio modo vim rationis meæ te effugere poſſe ſperares, dummodo contra id, quod ſentires, non loquereris, non erat, quod maris & fæminæ conjunctionem poſt reſurrectionem omnino ceſſaturam eſſe negares, etiamſi ita vere ſenſiſſes, ne videlicet ſine aliqua neceſſitate te illudendum præberes. Nec enim neſcis, quam iſtæc Machometana opinio non ſolum paſſim damnetur, ſed vulgo etiam irrideatur. Quod tamen cavere in ciborum uſu non minus debueras, cum non minus hæc, quam illa opinio, ab iis, qui Chriſto nomen dederunt, ludibrio habeatur. Id autem præſtare debuiſſes, ſi dixiſſes, fieri poſſe, ut in futuro ſeculo, nullus ciborum ſit uſus, non quia id immortali naturæ repugnet, ſed quia ceſſabit ſobolis propagatio, propter quam potiſſimum ciborum uſum ab ipſo creationis initio inſtitutum fuiſſe affirmas, & ita non neceſſe habuiſſes, Pauli verba tam inepte, ut feciſti, interpretari. Sed fortaſſe id veritus es, ne ejuſmodi reſponſione ei, quod ſentis, contrarium locutus, & ciborum uſum in futura vita ceſſaturum, tacite confeſſus fuiſſe viderere. Itaque non ut primi hominis ante lapſum immortalitatem naturalem à meis oppugnationibus tueare, ſed quia alioqui etiam id tibi verum videatur, nos poſt reſurrectionem cibis uſuros, non obſcure te aſſerere exiſtimari poteſt. Quod ſane tua cauſa doleo. Cæterum ſi ab Adami immortali, quam putas, natura abſurdam iſtam ſententiam imprudens deduxiſti, quaſi fieri non poſſit, ut, ſi qui in futuro ſeculo immortales erunt, cibis non utentur, Adamus illis uti potuerit, & immortalis eſſe; aut te iſto errore libera, aut ciborum uſum propter ſobolis propagationem potiſſimum inſtitutum non fuiſſe agnoſce; ſed etiam citra procreationis cauſam homini, ut comederet neceſſarium fuiſſe fatere. Nullam autem præterea ejus rei neceſſariam cauſam invenies, quod in futuro ſeculo locum prorſus habere nequeat, ea una excepta, quod Adamus refectione indigeret. Qui vero illo ſeculo digni habebuntur, nulla refectione opus ſint habituri; quod idem eſt, ac ſi diceres, quia ille mortalis fuit, hi vero immortales erunt. Quod enim propter ſolam voluptatem, licet cauſam non neceſſariam, quam vita illa æterna indignam eſſe oſtendimus, Adamus immortalis comederit, id tum, quia ea voluptas, quæ in cibo capiendo ſentitur, refectionis cauſa, ut diximus, comparata eſt, nec ſine præcedenti vacuitate & dolore eſſe poteſt, tum quia ipſe per ſe in vita etiam hac animali à multis ſpernitur, ex quo veram hujus vitæ voluptatem non eſſe conſtat, nullo pacto admittendum eſt. Ita fiet, ut vel ad cognitionem mortalitatis naturalis, quæ ſemper in Adamo fuit, pervenias, vel de hominis futura felicitate tam exiliter & indigne non ſentias, ut eam ex aliqua parte potione & cibo contineri velis. Quod certe, ut dictum fuit, vel ex eo falſum eſſe animadvertere potes, ſi concubitus omnes è futura vita tollas. Id autem, ſi ea Chriſti verba, quæ nuptias aperte ex ea exterminant, & rationem afferunt, quæ in omni concubitu locum habet, & in quibus præterea ejus vitæ participes futuri, ad id confirmandum, quod dictum fuerat, pares angelis fiunt, qui ab omni concubitu ſunt alieni, tibi nequaquam perſuadere poſſunt, perſuadeat illud, quod in Apoc. 14. ℣. 14, ſcriptum legimus de iis, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſed virgines ſunt (quicquid hæc virginitas eo in loco ſignificet) quibus datum eſt, ut agnum ſequantur, quocunque ierit. Nam ſi in futura vita, non minus, quam in hac, concubitus voluptatis cauſa exercendi eſſent, cur ita (ſeu proprie ſeu metaphorice locus accipiendus ſit) præ cæteris commendarentur ii, qui à mulieribus omnino abſtinuiſſent? Nonne clare liquet, illud ideo fieri, quod qui ita faciunt, propius quam cæteri, ad id genus vitæ, quod in alio ſeculo futurum eſt, accedere conantur, atque ut id præſtent, hujus mundi voluptate, quam vulgus hominum maximam arbitratur, & cujus deſiderio homo vehementiſſime tangitur, ſponte abſtinent? Quod ſane laudandum in ipſis non foret, ſi eadem voluptas ejus vitæ & felicitatis, ad quam aſpirant, communis eſſet. Hac eadem ratione fit, ut qui magis ſobrii in hac vita ſunt, & neceſſitatis tantum, non etiam voluptatis gratia, cibis utuntur, quin etiam tantum abeſt, ut ciborum voluptates quærant, ut non niſi vulgariſſimis epulis veſcantur, & ſæpe ſeipſos jejuniis & inedia macerent, ii præ cæteris commendentur, & admirationi habeantur, tanquam ii, qui angelorum more, quatenus humana fragilitas ferre poteſt, vitam agere inſtituant. Neque vero diſtinctio, quam tu adhibes, inter eſcas, quibus nunc utimur, & eas quibus in futura vita utemur, quod, ſcilicet hæ corruptibiles ſint, illæ vero incorruptibiles ſint futuræ, præſentem, & futurum ciborum uſum ita diſcriminant, ut diverſum de utroque judicium fieri debeat, præſertim cum ipſa diſtinctio inanis prorſus & falſa eſſe deprehendatur. Nam quid tandem eſt eſcas eſſe incorruptibiles? Satis à nobis primo capite demonſtratum fuit, eſcas neceſſario corruptibiles eſſe, cum eas priorem formam amittere neceſſe ſit. Quamvis enim poſt reſurrectionem, non refectionis, ſed voluptatis cauſa eas comedi velis: tamen fieri non poteſt, quin à comedentibus atterantur ac comminuantur, ita ut aliam formam ſuſpiciant: niſi integras deglutiendas eſſe dicas, & præcipuam voluptatem, quæ in eis comedendis percipitur, ipſas comedentibus adimas. Verum ſi integræ deglutiendæ ſunt, an in ventre integræ quoque perſeverare debent? Nonne ſi id fieret, poſt paucas epulares accubationes venter omnino repleretur, adeo ut finem comedendi in perpetuum facere neceſſe foret? Sed integræ, opinor, ventrem ingrediuntur, & integræ quoque exeunt, & ſic nec comedendi finem facere eſt neceſſe, & ipſæ nunquam pereunt. Nunquid hæc abſurda, haſce fœditates non animadvertis? Nonne vides, te imprudenter ideo eſcas, quas nos in futuro ſeculo comeſturos puas, incorruptibiles appellare, quia ab incorruptibilibus comedantur, non autem quia ipſæ incorruptibiles ſint futuræ, neque inter haſce, quibus nunc veſcimur, & illas, quod ad hanc rem attinet, ullam differentiam conſtitui poſſe. Ea quæ nobis ſupra primo & quinto cap. de ſtirpium & arboris illius vitalis immortalitate, quam tu aſſerebas, diſputata ſunt, ſatis te ejus rei admonere poſſunt. Quod ſi tibi videtur, fieri non poſſe, ut immortalis mortali cibo utatur, cur eſcas omnes ab homine, poſtquam immortalis effectus fuerit, penitus non removes, cum eſcæ nunquam, niſi mortalis, eſſe poſſint? cur ſaltem, cum Chriſtus poſt reſurrectionem, non incorruptibiles quidem, ſed corruptibiles eſcas comederit, ex eo ſolo ipſum immortalem naturam adeptum eo tempore nondum fuiſſe non agnoſcis? Quodſi concederetur, eſcas immortales eſſe poſſe, num propterea eſcæ non eſſent, quia eſſent immortales; & voluptas, quæ inde perciperetur, alia quam corporalis foret, & à voluptatibus longe diſtans, quibus angeli Dei perfruuntur, quorum ſimiles in ſpirituali illa vita futuri ſumus?

Sed fortaſſe angelos quoque comedere affirmas. At quibuſnam eſcis utuntur? Num iſtis noſtris corruptibilibus? Non dices opinor. Num aliis earum ſimilibus, excepta corruptione? Verum unde illas habent? In cœlo, credo, non minus, quam in terra, herbæ, fruges & fructus incorruptibiles naſcuntur, quibus pro cibo angeli utuntur. At manna, puto, comedunt. Scriptum eſt enim in Pſal. 78, ſecundum Græcam & vulgatam Latinam tranſlationem, & in libro Sapientiæ Sap. 16. 20, & in libro etiam qui inſcribitur quartus Eſdræ 4 Eſdr. 1. ℣. 19. Iſraëlitas, cum manna comederent, comediſſe panem ſive eſcam angelorum. Quid Hebraica veritas in eo Pſalmi loco ſcriptum eſſe nos doceat, omnes ſciunt. Panem enim fortium, non angelorum habet. Sed etiamſi vox Angelorum retineretur, quid aliud eſſet

panis

panis Angelorum, quam panis angelicus ac cœleſtis, id eſt, de cœlis, ubi angeli degunt, deſcendens? Nam antea quoque dixerat Pſalmi auctor, *Frumentum cœlorum dediſti* eis, & in Pſal. 105, ſcriptum eſt, *Pane cœlorum ſaturavit eos*, non quia ipſi cœli eo frumenti aut panis genere utantur, ſed quia de cœlis deſcendebat. Panem etiam angelorum potuiſſet manna appellare, ut excellentiam cibi oſtenderet, qui dignus eſſet, quo angeli uterentur, ſi cibum, ut homines, caperent. Denique (ut alias interpretationes non paucas, quæ angelorum voce retenta, ad eum locum afferri ſolent, ex quibus angelos cibis uti nullo modo colligi poteſt, interea omittam) angelorum ſive angelicum id dici poteſt, quod præſtantiſſimum eſt. Nam Dei quoque ſive divinum, & in ſacris libris, & apud prophanos ſcriptores, & in ipſo quotidiano ſermone id paſſim dicitur, quod maxime ſingulare & longe excellentiſſimum eſt. Non crediderim autem, quemquam eſſe, qui ex eo angelos cibis uti colligi poſſe dicat, quod eos Abrahamus ſub humana ſpecie latentes menſa exceperit Gen. 18. Nam quemadmodum homines videbantur, nec tamen erant: ſic & cibos capere viſos fuiſſe dicendum eſt, quamvis vere non caperent, ut in Tobiæ libro Tob. 12, de ſe ipſo angelus teſtatur. Mitto, quod cibi illi, quos ipſis Abrahamus appoſuit, nequaquam angelicæ naturæ accommodati eſſe poterant, præſertim ſi id verum eſt, quod tu aſſeris, incorruptibiles eſſe illas eſcas, quibus ii, qui incorruptibiles ſunt, veſcuntur. Certe ſi cibis angelos uti dici poteſt, nullo alio cibo eos veſci comperies, quam inaſpectabili illo, quo in eodem Tobiæ libri loco, ut habet vetus Latina editio, ſe uti profitetur angelus ille, quod etſi in hiſtoria & mihi & omnibus valde ſuſpecta ſcriptum eſt; non minus tamen vere, quam eleganter dictum videtur. Mentem enim ſuam angeli nobiliſſimo cibo, hoc eſt, divinæ majeſtatis contemplatione, ineffabili cum jucunditate paſcunt, quæ contemplatio ſub aſpectum nec cadit, nec cadere ullo modo poteſt. Hoc cibo & nos in futura illa atq; immortali vita utemur, cujus vim atque naturam humana lingua dicendo exprimere non poteſt, nec animalis homo cogitando aſſequi. Nunquam enim vel oculus vidit, vel auris audivit, vel in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ipſum, 1Cor. 2. 9. Libet namque hoc etiam ſenſu Eſaiæ Eſa. 64. 4, à Paulo repetita & adducta verba interpretari. Siquidem, quemadmodum ea omnia, quæ patribus ſub Vetere Fœdere obvenerunt, umbra fuere eorum, quæ nobis ſub Novo obtigerunt: ita quicquid nobis, dum in hac vita ſumus, ſub novo obtingit, nil niſi umbra quædam eſt eorum, quorum in futura participes erimus. Ut igitur per Chriſtum multa nobis pro eo tempore, quo hic degimus, patefecit Deus, de quibus antea ne cogitaveramus quidem: ſic multa pro ſempiterno illo ævo, quod cum ipſo Chriſto degemus, præparavit nobis Deus, quæ nunc nulla ratione percipere poſſumus 1Cor. 2. 14. Sicut enim animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei; &, ut ea percipiat, neceſſe eſt, eum ex animali ſpiritualem evadere: ita dum adhuc corpus animale habemus, futuras noſtras voluptates, quibus, cum ſpirituale corpus adepti fuerimus, perfruemur, cogitatione percipere nequimus, ſed tantummodo, tanquam ex umbra corpus, leviter imaginari. Indigniſſimum profecto eſt homine Chriſtiano, & qui ſe Spiritu Dei regenitum profiteatur, voluptates ſive jucunditates beatiſſimi atque innocentiſſimi illius futuri ſeculi, iis, quas hic omnes non minus mali, quam boni, innumerabilibus miſeriis circumſcripti, experimur, ſimiles futuras arbitrari; & Jeſum ipſum Dominum noſtrum, qui primus ad tantam felicitatem pervenit, & nos ſibi pares effecturus eſt, cibo & potione ſe identidem exhilarare, tacite affirmare non vereri. Nam profecto vel Chriſtus quoque eſcis jam utitur; vel nos poſt reſurrectionem non utemur. Quodſi eſcis utitur Chriſtus, vere hiſce noſtris utitur. Quid ergo opus eſt, ut poſt reſurrectionem noſtræ eſcæ incorruptibiles fiant? An non iis uti poterimus, quibus Chriſtus veſcitur? Non, dices. Nam tum ingenti hominum multitudini illæ non ſufficient. Ego ſane vereor, ſi ex terra petendi ſint cibi, & tot hominum & beſtiarum centena millia, quot tu putas, illis uti debent, ne terram ipſam uno die abſumant, niſi veris eſcas omnes quotquot unquam fuerunt, quamvis pars animantium effectæ deinde fuerint, ut nihil ſcilicet intereat eorum quæ Deus fecit, inexplicabili quadam ratione ab ipſis animantibus ſeparatim reſtitui atque renovari, eaſque tanquam in pœnu, in loco deinde aliquo, ad animantium reſtitutorum uſum aſſervari. Haſce ineptias, & multo plures ac graviores jam tandem aliquando, Franciſce, relinque, & ſpiritualia ſpirituali ratione dijudicans, Chriſtum Jeſum noſtræ ſalutis principem in cœlis jam tot ſeculis & degentem & regnantem, citra omnem eſcarum uſum feliciſſimum agnoſce, cujus plane ſimilis in ſublimibus illis ſedibus eris, ſi in infirmis hiſce locis vitam ejus, dum & ipſe hic verſatus eſt, imitatus fueris. Is tibi, ſi ejus ſpiritu carnis facta peremeris, & in ancipiti ac difficili illo cum omnibus tentationibus prælio victor evaſeris, ex arbore vitæ, quæ eſt in medio pomarii Dei, & manna illud abſconditum comedere dabit, quibus cibis omnem famem explebis, & ſimul voluptate, qua nunc vix te poſtea perfruiturum ſperare potes, mirifice perfunderis? Cæterum quod ais, eorum, quæ Deus fecit, nihil periturum, & id ex eo, quod mortalitas & corruptio noſtra abolenda ſit, probari credis, quaſi ſcriptum fuerit, nihil aliud, quam mortalitatem & corruptionem, in rebus à Deo creatis abolendam eſſe, primum id, quod de hominibus, & quidem Chriſtianis dicit Paulus, ad eſcas quoque ridicule pertrahis. Deinde ex affirmatione unius rei, de qua nominatim agitur, negationem alterius, de qua nullus eſt ſermo, nulla ratione aut exemplo colligere vis. Poſtremo non meminiſti, Paulum 1Cor. 15. 44, cum de qualitatibus corporum in reſurrectione plenius diſſerit, aperte dicere, ſpiritualia futura, non autem animalia, ut nunc ſunt. Quod ceſſaturas omnino eſcas & ventrem deſtructum iri evidentiſſime confirmat: cum nemo non videat, eſcas una cum ventre propter hanc animalem vitam comparatas fuiſſe, & nullum commercium ſpirituali corpori cum eſcis eſſe poſſe. Sed de ciborum uſu, quem immortalibus convenire putaveras, hactenus dictum ſit. Jam de altera ratione, quæ non, ut à ſimplici ſenſu ſanctorum diſcederem, ſuaſit, ut tu me ipſum dicentem facere videris, ſed ut verborum magis proprium eumque uſitatiſſimum ſenſum multo minus proprio, eoque plane inuſitato relicto, ſequerer atque amplecterer, jure optimo perſuaſit, diſpiciamus, tuamque reſponſionem diligenter examinemus. Dixeram igitur, maris & fœminæ conjunctionem, & ex ea ſobolis propagationem, quæ ante primi hominis delictum inſtituta à Deo fuerat, ſatis indicare, ipſum primum hominem jam tum fuiſſe mortalem. Sobolis enim propagatio ad conſervationem ſpeciei, intereuntibus ſingularibus, ſive individuis, inſtituta eſt. Dupliciter ad hoc reſpondes, primum nihil incommodi eſſe, ſi, ut nos immortales poſſumus mortales gignere: ſic immortalis Adamus, immortales genuiſſet. Deinde (quanquam hic non ſatis te explicas) ais, me ipſum concedere, Adamum eſu arboris vitæ perpetuaſſe vitam ſuam, & ita neceſſario aſſerere, non pugnare cum immortalitate, ſui generis propagationem. Sed neutro modo vim argumenti mei effugere aut infirmare potes. Quantum enim ad priorem pertinet, dico, abſurdum eſſe, ut immortales ex ſeſe alios immortales producant: nam vel innumerabiles brevi tempore fierent, & quotidie magis augeretur numerus, adeo ut tandem, omni hujus mundi ordine confuſo ac diſſoluto, ipſis univerſus orbis repleretur, nec, ſi de hominibus loquamur, ſatis eſſet ad illos excipiendos alendoſque terra, quæ ipſis pro domicilio & nutrice quadam data fuerat; vel poſt certum tempus eos procreando ceſſare oporteret, quorum neutrum admitti poteſt, quin prius Dei inſtitutum mutetur aut pervertatur. Alia igitur ratione immortales producuntur. Creat nimirum eos Deus ipſe per ſe omnes, nec vim ſui ſimilis procreandi illis tribuit, quippe quibus ſe ipſos per procreationem quaſi

renovare nequaquam ſit opus. Exemplum habemus in angelis, quos, quia Deus immortales ab ipſo initio eſſe voluit, vim procreandi nullam illis datam fuiſſe ſcimus. Nihil vel in cœlo vel in terra reperies, quod perpetuo, dum hæc vita animalis ſtabit, duraturum ſit, cui ex ſeſe ſimile gignendi vis data fuerit. Solem, lunam, atque ſtellas conſidera, quæ propterea quia in præſenti ſeculo perpetuo ſingulæ permanebunt, ut ſibi ſimile aliqua ratione producant, nullam vim habent. At herbæ, ſtirpes & arbores, quia tandem & ſeneſcunt & moriuntur, idcirco ſemina in ſe ipſis ex divino inſtituto ab initio creationis habuere, quibus ſimile ſibi producere, & ſe ipſas inſtaurare quodammodo poſſent. Itaque non dico abſurdum eſſe, ut ab immortalibus immortales producantur, ſi immortalibus procreatio conveniat. Nam id eſſet maxime rationi conſentaneum: ſed, quod immortales procreandi vim à Deo habuerint, id vero longe abſurdiſſimum eſſe affirmo. Quod vero ad illud attinet, quod poſteriore loco dicebas, per ea, quæ ſupra non uno in loco diſputata ſunt, ſatis apparet, id nihil eſſe. Nunquam enim à me dictum fuit, Adamum fructus illius ope à morte perpetuo immunem eſſe potuiſſe; &, ſi id dixiſſem, male locutus fuiſſem, cum nec ea vis illi fructui ineſſet; nec ipſe Adamus unquam ejus uſu vere donatus fuerit, ut interim taceam, nunc etiam, cum de procreatione agitur, longe differe, immortalem eſſe natura, & alicujus rei ope vitam ſuam in perpetuum conſervaſſe poſſe. Subjeceram, ut rationem meam confirmarem, Jeſu Chriſti teſtimonium, qui diſerte ait, eos, qui digni habebuntur ſeculo illo futuro, ideo nuptias & matrimonia non contracturos, quia amplius mori non poterunt. Nam ſi Chriſtus recte argumentationem ſuam concluſit, confitendum omnino eſt, eum, qui immortalis ſit, non procreare. Reſpondes, *diverſam eſſe rationem primæ & ſecundæ conditionis hominum: illam fuiſſe terreſtrem; hanc fore cœleſtem. In prima procreandos fuiſſe homines: in ſecunda numerum extiturum, quem ſibi Deus propoſuerat.* Si ego hujuſmodi licentiam Sacras Literas tractandi mihi ſumerem, ut Jeſu Chriſti ratione, quam ſui dicti ipſe affert, non contentus, alias afferrem, an non me omnis generis maledictis proſcinderes? Sed perpendamus, quæſo, duas haſce rationes tuas. Dicis, primam conditionem terreſtrem fuiſſe, ſecundam cœleſtem fore. Quid hoc ad procreationem? Non repugnaret alioqui procreatio conditioni cœleſti, niſi ea conditio immortalitatem contineret, per quam omnis procreatio excluditur. Modus ipſe procreandi repugnat; & voluptas quæ inde percipitur, cœleſti conditione indigniſſima eſt, quod utinam ita agnoſcas, ut omnem maris & fœminæ conjunctionem ex futura vita exterminandam confitearis, atque eadem ratione ciborum quoque uſum ex ipſa penitus tollas, quo nihil cœleſti conditioni magis diſſentaneum excogitari poteſt. Sicut autem cœleſti conditioni ſobolis propagatio perſe non repugnat: ita terreſtri non eſt omnino conſentanea. Finge enim homines non peccaſſe, & idcirco, ut tibi placet, immortales remanſiſſe, quid impediſſet, quominus repleta jam terra, procreatio ceſſaſſet? Immo, manente omnium eadem conditione terreſtri, ceſſaturam fuiſſe nemo dubitare poteſt. Ita terreſtris conditio non ſolum procreationem neceſſario non requiſiviſſet, ſed eam ferre non potuiſſet, non quidem perſe, ſed, ut loquuntur per accidens, propter ingentem jam procreatorum numerum. Quare alteram rationem tuam conſideremus. Vis enim non propter immortalitatem tantum, ſed etiam, quia jam extabit numerus à Deo conſtitutus, in futura vita procreationem ceſſare. Sed quorum numerus extabit? omnium hominum; an beatorum tantum? Si omnium hominum, ergo Deus decrevit, ut in futura vita ſit quidam hominum numerus, ſive beati ſint, ſive minus? Quid inſulſius dici poteſt? Præterea manifeſtum eſt, hoſce, de quibus Chriſtus loquitur, qui in futura vita matrimonia non contrahent, beatos eſſe. Ait enim, angelis illos pares, & Dei filios futuros. Quamobrem ſi de omnibus hominibus hic agi velis, omnes homines beatos futuros affirmes neceſſe eſt, qua ſententia nihil deteſtabilius eſſe poteſt. Si beatorum numerum intelligis, dico, ſi concedis, ut ex Euangeliſtis conſtare videtur, ultima dies quænam & quando futura ſit, à Deo jam decretum eſſe, & nolis, ut quidem arbitror, Deum decreviſſe, non, quia eorum probitatem providerit, ſed quia ita ipſi viſum fuerit, nulla probitatis futuræ in homine ratione habita, quinam ſinguli futuri ſint beati, aut quoſnam ſingulos ipſe ex hominibus beatitudinem participare velit, te numerum beatorum, quem ſibi propoſuiſſet Deus, in reſurrectione extiturum, affirmare nullo modo poſſe. Quamobrem vero ita loquar, tibi inquirendum relinquo. Neque enim vel pauca dicere, ut me explicarem, ſatis eſſet, vel multa hac de re ſcribere hujus loci eſt. Tu pro tui ingenii acumine, quid mihi velim, nullo labore perſpicies. Id tantummodo ut interpretationem tuam refellam, dixiſſe in præſentia ſufficiat, Chriſtum aperte dicere, rationem, cur procreatio ceſſare debeat, illam eſſe, quia ſcilicet, quos Deus ſeculi illius participatione dignatus fuerit, mori amplius non poſſint. Ea autem ratio, *jam extabit numerus, quem ſibi propoſuerat Deus*, de tuo adhibita eſt, nec unquam probabis, Deum de numero aliquo certo ac definito beatorum habendo cogitaſſe; vel etiam ſi cogitaſſe conſtaret, ac præterea in judicii die jam id peractum viſurus eſſet: tamen nunquam oſtendes, ceſſationem procreationis in futura vita ex hoc etiam, non autem ex ſola immortalitate proficiſci: præſertim cum præter verba Chriſti, quæ immortalitatis duntaxat mentionem faciunt, ratio ipſa, ut vidimus, aperte doceat, non decere eos, qui immortales ſunt, procreare, & per procreationem multiplicari. Quod ſi non immortalitatis tantum ſed numeri etiam jam expleti, quem ſibi propoſuiſſet Deus, ad procreationem tollendam ratio habenda eſſet; & alterutrum tamen, tanquam non neceſſarium, quod diferte exprimeretur, reticere voluiſſet Chriſtus, reticenda potius immortalitas erat. Nam ſi ideo ceſſaturam propagationem dixiſſet, quia numerus, quem ſibi propoſuiſſet Deus, extiturus eſſet, ſatis expreſſa ipſa quoque immortalitas fuiſſet. Quomodo enim extare numerus poſſet, ſi illi iterum morerentur? Ad hæc nonne ſæpiſſime, antequam à Saducæis interrogaretur, vitam illorum, qui ad eam reſurrectionem perventuri erant, æternam fore aperte docuerat? Sed immortalitate tantum expreſſa, de numero à Deo conſtituto, qui extiturus ſit, nihil prorſus apparet. Quocirca eam ſolam ad Jeſu Chriſti rationem concludendam ſufficere, certiſſimum eſſe debet. Et quo magis ea, vel quia ipſe illam ſæpe in ſermonibus ſuis antea inculcaſſet, vel quamvis aliam ob cauſam, nota illis eſſe debebat; eo decentius Saducæis reſponſum dedit, quibus ut Matth. teſtatur Matth. 22. 34, eo reſponſo os obturavit. Quamvis enim Chriſtus, præter id, quod ad eorum interrogationem reſpondet, reſurrectionem etiam ex Moſe illis probet: tamen, niſi quæſtioni propoſitæ ipſorummet judicio recte reſpondiſſet, nunquam illis os obturaſſet. Quod certe factum non fuiſſet, niſi ſola immortalitas omnes nuptias penitus excluderet. Si enim aliud præterea requireretur, neque ita obmutuiſſent Saducæi, neque alii, qui aderant, Jeſum bene reſpondiſſe ſive dixiſſe, ut ait Marcus & Lucas, animadvertere ſtatim potuiſſent. Hinc agnoſcere potes, quantum à tuæ ſententiæ defendendæ ſtudio te excæcari ſinas, cum id non videas, in quo non modo alii, ſed Saducæi ipſi, quorum maxime intereat, id aut non eſſe aut occultari, convenire non potuerunt. Verum adhuc gravius hallucinaris, cum ex verbis Chriſti, quæ poſtea de Abrahami, Iſaaci & Jacobi reſurrectione agens, ſubjungit, ſubſtantiam omnium manere, & ex creaturis Dei nihil in conſpectu Dei perire colligi poſſe credis, ex illis inquam verbis: *Deus non eſt mortuorum ſed viventium. Omnes enim vivunt ei.* Hic ſane in verbis tuis, tot pene errata ſunt, quot verba. Primum enim in eo erras, quod cum de hominibus tantum loquatur Chriſtus, qui non omnia, ſed omnes Deo

vivere

vivere dixit', ad creaturas generatim ejus ſententiam accommodas. Deinde egregie falleris, quod de omnium hominum reſurrectione loqui Chriſtum arbitraris, cum tamen, ut modo dicebamus, liqueat de eorum tantum, qui beati futuri ſunt, reſurrectione ſermonem fuiſſe inſtitutum. Siquidem, ut conſtanter apud tres Euangeliſtas ſcriptum extat, Chriſtus ante ea verba aſſeuerat, in reſurrectione homines futuros pares angelis, & apud Lucam diſerte dicitur, futuros filios Dei, quia filii reſurrectionis erunt. Etenim (licet, ut ſupra alicubi a nobis obſervatum eſt, ex nonnullis, quæ in hoc ſcripto tuo leguntur, id te ſentire aliquis ſuſpicari poſſit) non ita te impium eſſe pro comperto habeo, ut omnes homines ad angelicam & beatam atque immortalem Dei filiorum vitam perventuros credas. Nec vero te moveat, quod ſcriptum eſt ibi; *omnes enim ipſi vivunt.* Verbum enim, omnes, non omnes homines, ſed omnes, de quibus eſt ſermo, ſignificat, ita ut credam, ne ad beatos quidem omnes futuros id verbum reſpicere, ſed ad tres illos tantum, de quibus verba fiebant. Ad impios quidem mortuos pertinere non poſſe, id argumento eſſe poteſt, quod alioqui impii mortui Deo vivere dicerentur, & Deus ipſorum Deus eſſe dici poſſet, quo nihil perpetuo Sacræ ſcripturæ loquendi uſui magis adverſatur; quæ impios ipſos, qui adhuc vivunt, mortuos ſimpliciter; non modo Deo mortuos, non raro vocat, & Deum impiorum vivorum, nedum mortuorum, nunquam Deum eſſe dicit. Erras præter ea, quia credis, ſubſtantiam alicujus rei non perire, ſi materia ex qua conſtat, nunquam evaneſcat. Qua de re, quamvis in primo capite aliquid jam dictum ſit, nonnulla etiam hic dicenda ſunt. Igitur, ſi omnium ſubſtantia remanet, quia nullius materia evaneſcat, nihil unquam perit, non ſolum in Dei conſpectu, ſed nullo modo. Videri quidem poſſunt perire, ſed vere perire nequeunt. Subſtantia enim rei manente, rem ipſam manere, neceſſe eſt. Quodſi nihil vere perit, quid reſurrectione eſt opus? Nunquid per reſurrectionem res non vere in vitam revocantur, & ab interitu vindicantur, ſed tantummodo oculis noſtris viventes, & ab interitu liberæ ſubjiciuntur? Poteſtne aliquid vel magis falſum atque ridiculum, vel in Jeſum Chriſtum vitæ perpetuæ auctorem & principem magis contumelioſum, excogitari? Nam quod nullius rei materia unquam evaneſcit, id non ex Chriſti beneficio, ſed ex ipſius rei natura neceſſario proficiſcitur. Ita Chriſtus non ab interitu, cui nullo modo obnoxii eſſe poteramus, nos liberat, ſed jam naturaliter liberos, ut quales ſumus, tales etiam videamur, efficit. Si dixeris te nihil aliud dicere voluiſſe, quam materiam non evaneſcere, nihil ages. Nam diſerte ſubſtantiam manere ais, quanquam ideo ſubſtantiam manere autumas, quia materia non evaneſcat. Nec vero omnium creatarum rerum formam perpetuo manere, affirmare potes, niſi non modo univerſæ philoſophiæ repugnare, verum etiam manifeſtiſſimum mendacium dicere non erubeſcas, & tamen imprudens id re ipſa affirmas, cum ſubſtantiam permanere ais. Rei enim ſubſtantia ſive eſſentia, vel nihil aliud, quam ipſius rei forma eſt, vel certe eam in ſe continet. Alioqui ſi nihil aliud tibi vis, quam materiam non evaneſcere, & id, tuo modo loquens, ſubſtantiæ permanſionem appellas, quis tecum ea de re pugnabit, niſi quatenus te, quod ſentis, non recte explicare contendat? Verum quod creatarum rerum materia non evaneſcat, quid hoc ad futuram reſurrectionem, & omnium corporum immortalem reſtitutionem? Nam præterquam, quod unius cum altero nullum commercium eſt, nedum neceſſe ſit, ut uno poſito alterum conſequatur, ſi idcirco omnia corpora ad æternam vitam excitari aliquando debent, quod nullius materia evaneſcit, profecto nihil nobis Chriſti beneficium attulit. Nam etiam ſine Chriſto creatarum rerum materia, quamvis ſub variis formis ſemper manſiſſet. Quid enim in natura, quod præſertim ad eam rem attinet, à Chriſto novatum eſt? Satis certe explicari nequit, quibus contumeliis imprudens iſtis tuis commentis & conſecutionibus Chriſti nomen afficias, & quibus ſacrilegiis te obſtringas, qui naturæ noſtræ id tribuere non dubites, quod Deus per Chriſtum nobis præter omnem naturam largitus eſt. Hunc tuum errorem conſequitur poſtremo alius, quod ſcilicet, quid in verbis Jeſu Chriſti ſit, Deo vivere, plane non intelligis, qui ideo graviſſimus judicandus eſt, quod totam ipſius argumentationem pervertit, & ineptiſſimam facit. Putas enim, Deo vivere, in Chriſti verbis idem eſſe, ac vere, etiam ante reſurrectionem, vitam retinere, ſive nunquam, etiam citra reſurrectionis beneficium, vere periiſſe, cum tamen, ut Chriſtus non ineptiſſime argumentatus fuiſſe videatur, neceſſe ſit, eos, quos reſurrecturos docere vult, niſi reſurgant, vere periiſſe. Si enim non vere periiſſent, ſed adhuc, quamvis minime reſurrecturi eſſent, aliqua ratione reipſa viverent, quinam ex eo, quod Deus non ſit Deus mortuorum, ſed viventium, concludere potuiſſet, Abrahamum, Iſaacum & Jacobum reſurrecturos eſſe, quia Deus poſt eorum ex hac vita diſceſſum, ſe eſſe ipſorum Deum, profeſſus fuiſſet? Nunquid Deus mortuorum Deus eſſet, ſi illorum Deus foret, qui nunquam periiſſent, quamvis nullum aliud vitæ genus illi conſecuturi aliquando eſſent? Non igitur omnes Deo vivere ait, quia ante reſurrectionem adhuc re ipſa vivant, ſeu nunquam ullo modo perierint: ſed quia Deus illos in vitam revocare omnino ſtatuit, atque ut in æternum vivant, immutabili conſilio decrevit. Quæ enim certo futura ſunt, ea jam eſſe dicuntur, præſertim apud eum, cui non ſolum notiſſima ſunt, ſed ſolus eorum auctor & effector eſt. Deus ergo, etſi jam deceſſerant ſancti illi viri, ſe illorum Deum appellat, quia nobis mortui, ipſi vivunt, qui eis vitam præparavit, eamque ſempiternam. Hunc eſſe ſenſum verborum Chriſti, non modo argumentandi ratio neceſſario poſtulat, ſed etiam locus inſignis apud auctorem epiſtolæ ad Hebr. 11. 13, 14 16, apertiſſime confirmat. Cum enim antea dixiſſet, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum, promiſſiones quidem accepiſſe à Deo terræ illius, quam deinde eorum poſteris dedit, ſed tamen terram ipſam conſecutos non fuiſſe, hinc colligens, eis, ne fide & ſpe ſua fruſtrentur, cœleſtem patriam, cujus terra illa quædam umbra erat, omnino datum iri, ita poſtea concludit: *Nunc autem meliorem patriam appetunt, id eſt, cœleſtem. Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum. Paravit enim illis civitatem.* Arcanum, quod in illis apud Moſem verbis latebat, à Domino Jeſu patefactum, haud ignorans præſtantiſſimus hic auctor, illud propoſito ſuo convenientiſſime accommodat; & ſimul, ſi quid dubii cuipiam adhuc in Chriſti verbis eſſe poſſet, quaſi interpretem agens, ea unico fere verbo dilucidiſſime explanat. Ex qua explanatione intelligi par eſt, id verum eſſe, quod paullo ante diximus, Deum impiorum Deum, præſertim mortuorum, dici non poſſe. His enim nihil boni præparavit. Unde manifeſtum fit, verbum *omnes* in Chriſti verbis impios nequaquam complecti. Nam ſi impii mortui non minus, quam pii, Deo viverent, cur impiorum quoque mortuorum, Deus dici non poſſet? Adde, quod Deo vivere eandem vim habet, quam Deum, ſibi Deum eſſe. Is enim, ut dictum eſt, quamvis mortuus ſit, Deo vivit, cui Deus æternam vitam dare decrevit: *Qui credit in me* (inquit Chriſtus, cum de reſurrectione ageret) *etiamſi mortuus fuerit vivet; & qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* Ex his autem poſtremis Chriſti verbis, & aliis multis, tum ipſius tum diſcipulorum ejus, quæ eandem ſententiam continent, perſpicuum eſt, eum, qui ita mortuus fuerit, ut ad æternam vitam aliquando ſit reſtituendus, propter futuram iſtam reſtitutionem adeo vivere dici poſſe, ut nunquam mortuum fuiſſe, affirmare liceat, non ea ratione ſolum, quia quæ certo futura ſunt, jam eſſe dici poſſint, ſed etiam quia is nunquam vere moriatur, qui perpetuæ morti non mancipetur. Mors enim non perpetua, ſomnus potius, quam mors, appellanda eſt. Nam profecto, tanquam ex ſomno evigilabunt ii, qui in ultima die, immortali ac beata vita ab inferis excitati donabuntur.

Merito igitur potuit Chriſtus affirmare, Abrahamum Iſaacum & Jacobum, Deo vivere, quia æterna vita ab ipſo Deo aliquando donari debeant. Nam eadem ratione, vere mortuos etiam nunquam eos fuiſſe, affirmare potuiſſet, atque hoc pacto, Deum ipſorum Deum, poſtquam è vita exceſſerant, recte appellari potuiſſe demonſtrat, quod alioqui non recte dictum fuiſſet. Recte autem dictum eſſe neceſſe eſt, cum Deus ipſe ea verba protulerit. Ergo æterna vita illi aliquando ab ipſo donandi ſunt. Et ſic acutiſſime ſimul & elegantiſſime Saducæis futuram reſurrectionem, quemadmodum præfatus fuerat, ex ſcripturis probat. At vero, ſi propterea vivere ſive Deo vivere eos dixiſſet, quod ipſorum ſubſtantia adhuc maneret, & id dixiſſet, quod ab omnibus jure optimo irrideri potuiſſet; & Deum ipſorum Deum recte dici potuiſſe, etiamſi nunquam reſurrecturi eſſent, ipſemet confeſſus fuiſſet. Atque ita quicquid ex Moſis loco ad futuram reſurrectionem confirmandam elicere ſtudebat, ſibi ipſi eripuiſſet, ac denique & perverſe argumentatus, & inepte prorſus locutus eſſet. Vivunt ergo, præſertim Deo, Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus, ſi quidem reſurrecturi eſſent: ſin minus, plane ſunt mortui. Quare, cum Deus ſe Deum illorum eſſe dicat; Deus autem non mortuorum ſed viventium ſit, ut reſurgant, neceſſe eſt. Itaque fit, ut eodem tempore, ſed diverſa tamen ratione, ipſi etiam Deo & mortui ſint & vivant. Vivunt Deo, quatenus illis vitam æternam dare omnino conſtituit: Mortui ſunt Deo, quatenus illis nondum eam vitam re vera dedit. Quod ipſi Deo mortui ſint, cauſſa eſt, ut in eo ſtatu, in quo nunc ſunt, perdurare nequeant, cum ipſe eorum Deus dicatur, qui non mortuorum ſed viventium Deus eſt: Quod Deo vivant, cauſa eſt, ut merito is eorum Deum ſe eſſe profeſſus fuerit. Alioqui ſi omnino mortui Deo eſſent, is ipſorum Deus appellari nullo modo poſſet. Rurſus, ſi Deo omnino viverent, neceſſe non foret, eos reſurrecturos eſſe, ut is illorum Deus vere appellari queat. Ex his quæ dicta ſunt, ſatis conſtare credimus, quæ ſit ſententia verborum Chriſti, & quam immerito, ad omnium rerum creatarum reſurrectionem ſive inſtaurationem, aut certe ad ipſorum ſubſtantiæ permanſionem probandam, illa detorquere tentaveris. Quare jam ad propoſitum revertamur.

Multa præter duas illas rationes attuleram, quibus Adamum in ipſa creatione mortalem natura fuiſſe demonſtrarem, & tibi, ſi fieri poſſet, planum fieret, mortalitatem ſive mortem naturalem per peccatum in mundum invectam non fuiſſe. His omnibus, quas tu minutas interrogationes vocas, ſatis facere dicis Chriſti corpus excitatum & immortale, quod tamen retinuit priora membra & eandem formam. Cujuſmodi ſit hæc tua reſponſio, judicabunt ii, qui ea, quæ ſupra à nobis ſcripta ſunt, perpenderint, quibus, Chriſti corpus ante aſcenſum in cœlum immortalem naturam adeptum non fuiſſe, oſtendere conati ſumus, & argumenta illa mea perlegerint, quorum bona pars firmiſſima adhuc manet, etiamſi tibi concedatur, Chriſti corpus ſtatim poſt reſurrectionem natura immortale effectum fuiſſe, & tamen eadem prorſus, quæ antea habuerat, membra retinuiſſe. Si ad hunc modum in diſputationibus ad objecta argumentare reſpondere licet, nemo eſt, qui egregie ſententiam ſuam defenſurus non ſit, & nullo negotio ſilentium adverſario impoſiturus.

Verum adhuc ſubjungis: *Et quamvis corpora ſanctorum ſint miris modis exornanda in reſurrectione: non tamen amittent primam naturam, quæ, cum ſit opus Dei, non poteſt ei diſplicere.* Non diſplicent Deo opera ſua, dum idem rerum ſtatus, eademque conditio manet. Sed, ſi hæc mutanda ſunt, mutari & illa plerumque contingit. Fictor (ut hac comparatione tanquam accommodatiſſima ſæpius utamur) quam luteam ſtatuam pro alicujus rei occaſione & tempore prudentiſſime effinxit, eandem ſi perpetuo, mutata cauſa, durare nolit, marmoream aut æream faciet. Dum hæc vita animalis & terreſtris erit, multa voluit Deus in hominiuis corpore naturalia eſſe, quæ ſpirituali & cœleſti vita ſuccedente, amplius manere nolet. An non natura in corpore eſt, quod animale ſit? Nonne hæc natura mutabitur, quam in ipſa creatione humanum corpus adeptum eſt, & ipſum ex animali ſpirituale fiet? Qui audes igitur, primam corporum naturam in reſurrectione amittendam non eſſe, affirmare? Numquid non ipſa animalis & terreſtris vita opus Dei eſt? Hanc tamen, & mutari & deleri oportet; neque tamen ea Deo diſplicet, qui, non ut perpetua, ſed ut temporaria eſſet, eam condidit. Longum eſſet, ſi ejuſdem rei alia exempla hic congerere vellem, nec ſane eſt opus, cum omnibus ſint in promptu, & ſatis ſit quam appoſitiſſimo veritatem patefeciſſe.

Sed jam ad eum locum pervenimus, ubi, quid in te mea carpendi ſtudium poſſit, ſi unquam alibi, manifeſte deprehenditur. Poſteaquam abunde demonſtraveram, interpretationem tuam, quæ apud Paulum mortem pro mortalitate ſeu morte naturali accipit, penitus rejiciendam eſſe, addideram, quod etiamſi concederetur, in illis Pauli verbis *mortis* nomine non neceſſitatem moriendi ſive mortem æternam, ſed ſimpliciter ipſam mortem ſignificari: (hoc autem, ut ſupra expoſui, quatenus naturalis eſt, ut eſt ſententia tua, intelligebam) nihil tamen inde ad opinionem tuam, de qua diſputamus, confirmandam eliceretur, & rationem, quamobrem id affirmarem, deinde ſubjunxeram. Tu hic, ut antea vidimus, & in fine hujus capitis ex verbis tuis aperte colligitur, atque hoc etiam loco id reprehendens, ais, me tertiam interpretationem ad verba Pauli afferre. Quid profecto inſulſius aut à veritate alienius dici potuit? Ergo adverſarii interpretatione conceſſa, quod nihil ſibi teſtimonium ab eo allatum officiat, demonſtrare, ipſum teſtimonium nova ratione interprerari eſt? Videant hoc quicunque extra cauſam ſunt. Nos quid adverſus reſponſionem meam attuleris, videamus. Ea autem hæc erat: Per peccatum intraſſe mortem ipſam in mundum, nihil aliud ſignificare, quam peccati occaſione quadam, & Adami lapſu præcedente, humanum genus mortem contraxiſſe, quam tamen alioqui naturaliter ſubiturus fuiſſet. Nam per lapſum quoque Judæorum, ait idem Paulus Rom. 11. 11. gentibus ſalutem contigiſſe, hoc eſt, publicam Euangelii prædicationem, & fidem in Chriſtum: & tamen gentibus, etiamſi Judæi lapſi non fuiſſent, publice prædicandum erat Euangelium; nec propterea gentes Chriſto fidem habuerunt, quod lapſi eſſent Judæi. Reſpondes & ais: *Sed quid hoc ad rem facit? oportet enim probare, eandem eſſe naturam peccati & mortis, quæ prædicationis; & Paulum dixiſſe de morte, quod dixit de prædicatione Euangelica. Sed ipſe eo in loco nihil minus, quam hoc agit*, &c. Hic primum de fide in Chriſtum, quam, gentibus per Judeorum lapſum obtigiſſe, Paulum dicentem oſtendo, nullum verbum facis, ſed Euangelii prædicationem tantum commemoras. Deinde ipſius etiam lapſus Judæorum mentionem omittis, cui ex altera parte peccatum, ut prædicationi mors, reſpondet, non autem prædicationi, quam ſolam, & peccato & morti ſimul opponis. Jam vero quid opus eſt probare, eandem eſſe naturam peccati & mortis, quæ lapſus & prædicationis, præter, id quod probatum eſt? Nonne ſatis eſt, in eo utrorumque naturam eandem eſſe, dequo quæritur? Cum igitur demonſtratum ſit, ſicut, per peccatum mortem in mundum intraſſe, dictum eſt, ita, per lapſum Judæorum prædicationem Euangelii gentibus obveniſſe, ſcriptum extare, quænam alia ipſorum natura inveſtiganda eſt, cum de vi tantum locutionis inter nos contendatur? Præterea ſi quid etiam amplius quærimus, dico, eandem naturam utrorumque eſſe. Nam quemadmodum, ſi rem ipſam per ſe conſideremus, fieri poterat, ut prædicatio Euangelii gentibus nullo pacto obventura eſſet, niſi propter lapſum Judæorum, ita ut Judæorum lapſus ejus prædicationis tanquam neceſſaria impulſiva cauſa requi-

quireretur, & tamen aliter res ſe habet. Nam etiam ſine eo lapſu prædicatio futura erat: ſic, quamvis fieri potuiſſet, ut mors naturalis nullo pacto homini obventura eſſet, niſi propter peccatum, ita, ut peccatum ejus mortis, tanquam neceſſaria impulſiva cauſa requireretur, tamen aliter rem ſe habere dico. Nam etiam ſine peccato mors homini naturalis erat. Et quemadmodum lapſus Judæorum non efficiens prædicationis illius naturalis unquam eſſe potuiſſet; ſed impulſiva tantum: ſic, ut ſupra oſtendimus, peccatum non efficiens ullo modo mortis cauſa eſſe poterat, ſed duntaxat impulſiva. Adde, quod ſi lapſui Judæorum, Euangelii prædicationis gentibus conceſſæ, & ipſorum ſalutis origo tribuitur, quam tamen futuram Deus alioqui omnino decreverat multo magis mortis naturalis, origo peccato tribui potuit, quam etiam, quatenus naturalis eſt, omnino alioqui Deum futuram eſſe decreviſſe, non conſtat. Quod igitur deinde dicis, ſeu potius dicere vis (nam oppoſito modo contra quam decebat, loqueris) Paulum nihil minus agere, quam ut de prædicatione Euangelii dicat, quod de morte dixit, falſum eſt. Nam ſatis, quod ad propoſitum noſtrum attinet, de utroque idem dixit, ſi prædicationem Euangelii gentibus per lapſum Judæorum contigiſſe ait, non ſecus atque prius dixerat, mortem per peccatum in mundum intraſſe, & ita in omnes homines pertranſiiſſe. Nam quid attinebat Pauli ſententiam in eo 11. Ad Rom. cap. loco explicare? Num credis me ita bardum eſſe, ut vel dicam vel ſentiam, ibi de peccato & morte aliquo pacto agi? Quid porro ineptius mihi objici potuit, quam illud quod poſtmodum ſubjungis? *In qua collatione & cohortatione ne unus quidem apex eſt, qui ad noſtram controverſiam facit.* Quaſi ego propter aliam cauſam, quam ob locutionum ſimilitudinem & affinitatem illud Paulinum teſtimonium protulerim Te autem in modo deſcriptis verbis tuis ad id non reſpexiſſe, demonſtrant ſequentia verba. Illico enim addis: *Nec ulla ſimilitudo rerum & locutionum, & affinitas noſtræ quæſtionis inveniri poteſt.* Etenim ſi dixeris, per epexegeſin, te hæc verba addidiſſe, (quod tamen tu, qui omnes tropos, ut ais, ſupra modum abhorrere videri vis, dicere non deberes) nihil dixeris. Nam in ipſis, ut patet, non de locutionum tantum ſimilitudine, ſed rerum quoque, & præterea de affinitate quæſtionis noſtræ mentionem facis, quarum quatenus mihi ipſi opus eſt, teſtimonia aliunde, quam ex eo loco à me vel petita ſunt vel peti debent. Nempe ex iis potiſſimum locis petenda ſunt, unde etiam, citra Judæorum lapſum gentibus ſalutem per Chriſti Euangelium annunciari debuiſſe intelligi poteſt, quod & à me factum eſt. Locutionum autem ſimilitudinis meminiſſe quoque voluiſti, ne extra rem omnino loqui viderere, & eam non minus, quam rerum ſimilitudinem, & quæſtionis noſtræ affinitatem eodem orationis contextu à Pauli verbis quam longiſſime removere non dubitaſti, quamvis manifeſtiſſimum ſit, eundem fere loquendi modum utrobique eſſe, ut & hic & in priore ſcripto, à nobis animadverſum eſt. Ad ea quæ poſtremo non falſo minus, quam confidenter, quaſi concludens, de me affirmas, non eſt quod reſpondeam. Satis enim per ea, quæ jam dicta ſunt, reſponſum fuit. Illud tantum, tanquam è longinquo alioqui repetendum, iterum hic dicam, te adverſus manifeſtam veritatem putaſſe, me, ut Moſis verbis reſponderem, ad Paulum confugiſſe. Nam id nuſquam à me factum eſt. Quin immo, ut in 6. cap. planum feci, ad Moſis verba, eo modo, quo ego fieri poſſe credebam, interpretanda, non parum impedimenti Pauli afferre teſtimonium mihi viſum fuit. Neque illud reticebo, non mirum eſſe, me, quamvis rudem & imperitum, facundum & copioſum fuiſſe, non quidem, ut tu vis, in falſis opinionibus confingendis, ſed in tuis abſurdiſſimis ſacrarum literarum interpretationibus refellendis. Nam quilibet infantiſſimus licet, & doctrina atque ingenio deſtitutus, idem præſtare fortaſſe poterit. Res enim ipſa per ſe unicuique id præſtandi facultatem & materiam abunde ſuppeditat.

CAPUT IX.

QUod Apoſtolus in cap. 15 prioris ad Cor. Adamum cum Chriſto conferre inſtituat, nulla peccati mentione facta, aut ratione habita, cum id per ſe liquet, tum aperte confirmatur ex eo, quod eandem collationem poſtea perſequens, ad ea reſpicit quæ in Adamo fuerunt, etiam antequam peccaret, ut ſatis explicatum eſt, in prioribus reſponſionibus. Quod autem in initio ejuſdem capitis Paulus dixerit: Chriſtum mortuum fuiſſe pro peccatis noſtris, id nullo pacto manifeſtiſſimam hanc veritatem obſcurare poteſt. Quidvis potius agebat Apoſtolus, quam ut ad Adami cum Chriſto collationem illam, de qua poſtea acturus erat, reſpiceret, cum ea verba ſcripſit. Primum enim ideo ea appoſuit, ut Chriſtum quamvis atroci & turpi morte occiſum; non tamen propter ſcelera ſua, quæ nulla erant, ſed ut noſtra peccata, ejuſmodi ipſius morte interveniente, delerentur, necatum fuiſſe, Corinthios iterum admoneret. Quod enim Chriſtus mortuus eſſet, exprimere neceſſe habebat, ut ex eo, quod Chriſtus à morte in vitam revocatus fuiſſet, nos quoque reſurrecturos eſſe confirmaretur. Nam ea de re nonnulli ex ipſis dubitabant. Pro peccatis noſtris præterea mortuum fuiſſe Chriſtum affirmavit (& ad hoc fortaſſe potiſſimum reſpexit) ut non fruſtra ac temere tam dira nece eum extinctum fuiſſe doceret: ſed ut nos à peccatorum noſtrorum pœna liberaremur, quod certe, ut poſtmodum oſtendit, factum non fuiſſet, ſi reſurrectio mortuorum non eſſet, & ſic ipſe Chriſtus ab ea morte in vitam reſtitutus non fuiſſet. Nos igitur (ut interim hæc etiam Apoſtoli verba, quæ attuliſti, examinemus) ſi Chriſtus in vitam revocatus non eſt, adhuc in peccatis noſtris eſſe ait, non aliam ob cauſam, quam, ut inanem fuiſſe ipſius mortem oſtendat, ſi mortui non refurgunt. Nam cum Chriſtus ideo mortuus fuerit, ut peccatorum noſtrorum veniam nobis à Deo oblatam reipſa conſequi poſſimus; peccati autem pœna mors perpetua ſit, quomodo eam veniam conſequemur, ſi à morte in perpetuum detinebimur, & ipſe Chriſtus, qui ab ea nos liberaturus erat, ab eadem detinetur: quod profecto verum eſſe oportet, ſiquidem mortui non reſurgunt. Hic vides, me ingenue præter id, quod tu vel dixiſti, vel fortaſſis etiam cogitaſti, ex Pauli verbis colligere, quicquid ad tuam ſententiam confirmandam, quod ſcilicet in ea collatione Chriſti cum Adamo peccati rationem habuerit, colligi poteſt: ſed tamen nihil inde poteſt elici. Idem eſt enim acſi ſcripta eſſent in alia Pauli epiſtola. Nam cum ad collationem tranſit, non tanquam de re huc pertinente agit, ſed omnem prorſus peccati mentionem omittit, atque ut dictum eſt, antequam eam plane abſolvat, eorum meminit, quæ in Adamo erant ante peccatum, ex quibus, ut in 3 cap. diſſeruimus, mortalitas Adami ab ipſo creationis initio, omnino evincitur. Neque hæc idcirco à me dicuntur, quia Chriſtum cum Adamo, tanquam vitæ auctorem cum eo, qui mortis fuit, peccati Adami, ut ipſius Chriſti obedientiæ ratione habita, conferri poſſe negem. Nam ut tu dicis, & ego fateor, id notiſſimum eſt, & alibi non modo ſatis, verum etiam uberime explicatum, nempe in 5 cap. epiſtolæ ad Rom. ſed quia hic alio modo Adamus & Chriſtus comparantur, quam ibi: Ibi enim, ut ſupra expoſitum eſt, Adamus tanquam perpetuæ mortis auctor conſideratur; hic tanquam naturalis: ob eamque rem ibi peccati expreſſa mentio fit, quod perpetuæ mortis eſt cauſa, hic nulla fit peccati mentio, ſed tantummodo naturalis & primævæ Adami conditionis, ex qua mortem naturalem contrahimus, ſicut ex Chriſti quæ ſucceſſit natura & condi-

tione naturam immortalem trahemus, ad quam naturam & conditionem, quamvis ipſe per obedientiam ſuam pervenerit, ejus tamen hic nulla ratio habetur, ſed res ipſa duntaxat, quod ſcilicet Chriſtus à mortuis excitatus, & ſempiterna vita donatus fuerit, cum de ipſius perſona agitur, ante oculos ponitur. Sed nec etiam, cum de noſtrum agitur perſonis, Chriſti obedientiæ hoc loco aliqua ratio habetur. Quamvis enim nemo qui Chriſti non ſit, ejus naturæ particeps eſſe poſſit; Chriſti autem eſſe nemo queat, niſi ejus ſpiritum habeat, & ita quemadmodum ille fecit, Deo obediat: tamen non, qua ratione Chriſti fiamus, hic ſpectatur, ſed tantummodo quod Chriſti ſimus. Non igitur veritas Dei adimitur, ſi hic idem dici, quod ibi, negatur: ſed loci internoſcuntur ac diſtinguuntur, neque, ut à te fit, eorum ſententiæ, propter affinitatem, quam inter ſe habent, permiſcentur, ac confunduntur. Nam utraque per ſe vera eſt, nec altera alteram tollit. Ut autem nullum dubium de mente Pauli, in hac Adami & Chriſti collatione, relinquatur, dico, ſi non aliunde, at certe ex eo ſatis appatere, mortem, quam ex Adamo in omnes dimanaſſe ait, hoc loco mortem non eſſe, cujus peccatum cauſa fuerit, quod in fine capitis peccatum inquit eſſe, τὸ κέντρον, id eſt, aculeum mortis, quod omnino indicat, eam mortem de qua loquitur, etiam ſine peccato eſſe, ſed tamen ſine peccato non poſſe aliquem lædere. Tranſlatio eſt enim ab apibus ſeu veſpis, quibus, ſi aculeum demas, ſunt illæ quidem, ſed nemini nocere poſſunt: Ita mors naturalis, eſt quidem etiam ſine peccato, propter primi hominis, ex quo & nos eam hauſimus, mortalem ab ipſo initio conditionem: ſed tamen ſine ipſo peccato nemini poteſt nocere. Qui enim ſine peccato moritur, id eſt, cujus peccata divina bonitate tecta & deleta ſunt, à morte detineri nequit, ſed immortalitate donabitur, atque tunc dicet, ubi eſt mors aculeus tuus? Fuiſti quidem ô mors, ſed nullum aculeum habuiſti, non me læſiſti, ſed lædere tentaſti: Et ad vitam immortalem reſtituor. Nec mirum. Peccatum enim, quod te aculeo contra me armabat, Dei gratia & benignitate mihi per Chriſtum exhibita, quod ad me attinet, extinctum fuit. Unde factum eſt, ut dum me ſubjicere conaris, ego te ſuperaverim, & in bello, quod mihi moviſti, tandem victor evaſerim. Hanc eſſe Pauli ſententiam, nemo arbitror negare audebit, ex qua, ut diximus, intelligi poteſt, eam mortem, de qua toto eo cap. loquitur, etiam citra peccatum dari. Quod præterea oſtendunt ea verba: *Virtus vero* (ſive potentia) *peccati, lex.* Eadem ratione appellat legem potentiam peccati, qua peccatum dixerat aculeum mortis. Ut igitur peccatum non modo à lege non proficiſcitur, ſed etiam ſine lege eſſe poteſt, ſine lege tamen majore ſua vi & potentia deſtituitur. Nam, ut inquit idem Paulus Rom. 5. 13: *Peccatum non imputatur niſi eſt lex*: Sic mors naturalis non modo à peccato non provenit, ſed citra ullum peccatum datur: ſi tamen peccatum non adſit, ſuam vim excercere non poteſt. Cætera, quæ, ut Paulum in collatione illa peccati rationem habuiſſe oſtendas, & rationes meas, quibus contrarium probatur, labefactes, hoc capite ſcribis, ejuſmodi fere ſunt, ut ex iis, quæ à nobis ſupra variis in locis dicta fuere, penitus diluantur. Verum tamen, quoniam te in illis tibi ipſi ſummopere placuiſſe animadverti, operæ pretium me facturum ſum ratus, ſi ea diligentius excuterem. Atque ut id melius fieri poſſit, verba ipſa tua, in quibus major vis eſſe videtur, per partes hic deſcribam, & ſingulatim examinabo.

Ais igitur: *Cogita quæſo animo ſedato & tranquillo, an vitia illa ignominiæ, corruptionis & infirmitatis, quæ tribuit Apoſtolus noſtris corporibus, ut nunc humantur, agnoſcenda ſint ex illa natura, quam Deus creavit, & ornavit ſua imagine, an potius ex illo morbo, qui obrepſit per peccatum fraude diaboli?* Hic ut ſoles, verborum ſpecie deceptus, ea dicis, quæ maximum pondus tibi habere videntur, & tamen leviſſima ſunt. Si enim probatum fuerit, neque Deo tanquam creatori, neque imagini, qua hominem, cum illum crearet, ornavit, adverſari, quod ipſum hominem mortalem creaverit, ſatis probatum erit, vitia illa ignominiæ, corruptionis & infirmitatis, non quidem ex natura, quam Deus creavit, ut tu loqueris, ſed in natura illius, quem Deus creavit, ab ipſo creationis initio agnoſcenda eſſe. Nam ea vitia mortalitatem conſequuntur. Deo autem creatori, aut imagini, qua hominem ornavit, non repugnare, quod hominem mortalem creaverit, id eſt, ei immortalitatem, cum eum creavit, largitus non fuerit, ſupra à nobis abunde demonſtratum eſt, & ſimul explicatum, mortalitatis vitium à Deo non proficiſci, neque ex ipſius creatione agnoſci debere, ſed in ipſa re naturaliter eſſe, & ex materia, unde conflatus fuit homo, eſſe agnoſcendam. Qui autem fieri poteſt, ut mortalitas ex Deo manet, cum ea vere nihil aliud ſit, quam in re, quædam (ut vocant) carentia? At vero, quod vitia illa mortalitatem neceſſario conſequantur, manifeſtum eſt. Primum, quod attinet ad corruptionem, quo nomine Apoſtolus, ut ſupra alicubi oſtendimus, corruptibilitatem appellat, cui dubium eſſe poteſt, eam mortalitatis perpetuam eſſe comitem, cum idem ferme utraque ſit? Nihil enim eſt aliud mori, quam corrumpi, & in aliam formam verti: & rurſus, corrumpi, nihil aliud eſt, quam mori, id eſt, eſſe deſinere. Neque alia inter mortalitatem & corruptibilitatem differentia eſt, niſi quod, proprio uſu loquendi inſpecto, corrumpi dicuntur, quæcunque novam formam ſuſcipiunt: mori vero ea tantum, quæ vita prædita ſunt: quanquam, ut modo tacite innuimus, per tranſlationem, quicquid eſſe deſinit, quamvis omni anima deſtitutum, mori dici poteſt. Itaque ſi tranſlationem, admittamus, idem plane utraque erit. Sin proprietatem ſpectemus, corruptibilitas tanquam genus, mortalitas vero tanquam ſpecies fuerit. Et quia, ubicunque eſt ſpecies, ibi genus quoque ſit neceſſe eſt, ubicunque mortalitas reperirur, ibi corruptibilitatem quoque reperiri eſt neceſſarium. Infirmitatem porro mortalitati perpetuo adhærere, id aperte oſtendit, quod propterea aliquid mortale eſt, quia vita parum firma & valenti eſt prædita, neque eas vires habet, ut iis, quæ ipſum paulatim abſumunt, obſiſtere queat, & ſeipſum ſuſtinere valeat. Imbecillitatem humanigeneris, cum à ſacris, tum à prophanis ſcriptoribus non aliam ob cauſam tantopere deplorari videmus, niſi quia vita hominis mortalis, fluxa & caduca eſt. Auferab homine mortalitatem, & ipſum firmiſſimum & validiſſimum efficies. Mortalitatem eidem relinque, infirmus & imbecillus neceſſario erit. Jam vero ignominia, ſeu (ſi in hac ſignificatione hoc vocabulum uſurpare licet) vilitas, quam humilitatem quoque Paulus appellavit Phil. 3. 21, nullo modo poteſt à mortalitate naturaliter ſeparari. Comitatur enim perpetuo mortalitatem vita animalis & terreſtris, in qua multa & vilia & humilia ſunt, quæ, ut corpus humanum ſubeat & experiatur, neceſſe eſt. Quomodo autem ignominia circumdatum id eſſe non dicetur, quod modo ab hac, modo ab illa re lædi atque injuria affici contingat, quemadmodum mortali corpori evenire neceſſario videmus, ut tandem, propterea quod mortale eſt, ſuorum quodammodo hoſtium præda fiat? Animadvertendum eſt tamen, ex his tribus vitiis, quæ Paulus in corporibus noſtris agnoſcit, primum, videlicet corruptibilitatem ſimpliciter tantum illis tribui, quippe quia plane corruptibilia ſuapte natura ſunt, duo vero reliqua, infirmitatem ſcilicet & ignominiam, non ſimpliciter tantum, ſed etiam comparate. Nam ſi mortalia hæc noſtra corpora, cum corpore immortali Domini Jeſu comparentur, erunt ſane vilia prorſus atque infirma: At ſi perſe conſiderentur, erunt quidem & infirma & vilia, ut nos docuimus, ſed non omnino. Habet enim humanum corpus & ipſum, quamvis mortale, ſuam potentiam & gloriam.

gloriam. Nam quod tu Paulum ea vitia corporibus noſtris, ut nunc humantur, tribuere affirmas, id quam perperam dictum ſit, ſupra in 3. cap. abunde explicatum fuit. Iis tamen quæ ibi diximus, addi poteſt, non ſolum ratione & experientia aperte conſtare, ea omnia vitia corporibus noſtris ineſſe, dum adhuc vivunt, ſed etiam ſacrarum literarum teſtimonio. Atque de omnibus idem Paulus aperte teſtatur. Nam de corruptione (ſic enim, ut diximus Apoſtolus corruptibilitatem nominat) teſtatur in illis ejuſdem capitis verbis 1 Cor. 15. 50. *Hoc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit.* Nec enim vult nos docere, cadavera ipſa putria & in pulverem converſa, ad cœleſtem illam gloriam non perventura. Quis enim hoc ignorare poteſt? Sed ne erremus, quod prius dixerat, iterum inculcat, oportere ſcilicet, ut corpus hoc noſtrum immutetur, & aliud in reſurrectione ſit, quam nunc eſt. Proinde arcanum explicans, quod non omnes obdormiemus, omnes tamen nos immutandos eſſe ait, & oportere, ut mortale hoc induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptibilitatem: ne quis fortaſſe putaret, eos, qui vivi in adventu Chriſti reperientur, immutandos non eſſe, & corpore mortali, ac corruptibili ad cœleſtem beatitatem perventuros. Et ſic vides manifeſte, vocabulum corruptionis, quod inter alia, ut arbitror, cauſa fuit, ut crederes, Paulum de cadaveribus loqui, non ipſam corruptionem, ſed corruptibilitatem apud ipſum ſignificare. Id quod etiam aperte declarat antitheſis verbi ἀφθαρσίας, quod ſine dubio hoc loco incorruptibilitatem ſignificat. Neque enim corpora noſtra in reſurrectione fore non corrupta dicere voluit Paulus, ſed incorruptibilia. Quanquam exiſtimo, verbum φθορᾶς, quo ipſe utitur, non minus pro corruptione apud antiquos Græcos uſurpari, qui fortaſſe non habebant, quomodo proprie corruptibilitatem uno verbo exprimerent, ſicut nec Latini vere habent, etſi nos una cum ſacris ſcriptoribus, ut etiam alia non pauca non vere Latina, quo melius, quod ſentimus, explicemus, id vocabulum uſurpamus. Eádem autem proportione à bonis latinitatis auctoribus Incorruptus pro Incorruptibili, quod verbum non bene latinum eſt, non raro uſurpatur. De infirmitate, quæ adhuc nobis vivis inſit, teſtatur Apoſtolus ſcribens ad Cor: dum ait de Chriſto 2 Cor. 13. 4. *quod crucifixus quidem fuerit, ex infirmitate, vivat autem ex potentia Dei.* (quod teſtimonium mirifice confirmat id, quod paulo ante diximus, mortalitatis comitem individuum eſſe infirmitatem.) Nam ſi Chriſtus ipſe corpus infirmum habuit, antequam moreretur, an non cæteri etiam, dum adhuc vivunt, corpus infirmum habebunt? At de ignominia ſive humilitate teſtatur idem in epiſtola ad Phil: dum inquit Phil. 3. 21, Chriſtum transformaturum eſſe corpus noſtrum humile, ut ſit conforme corpori ſuo glorioſo. Antitheſis item gloriæ, qua utrobique utitur, idem eſſe oſtendit humilitatem ibi, quod hic eſt ignominia. De ipſis autem vivis corporibus, non de cadaveribus noſtris eo loco Apoſtolum loqui, præter alia multa id ſolum ſatis demonſtrat, quod in illis verbis collatio eſt non obſcura corporis, quale nos in terra habemus, & corporis quod Chriſtus in cœlis habet. De imagine Dei in homine, deque morbo, qui fraude diaboli obrepſerit, paulo poſt videbimus. Nunc tua verba expendenda, ſubjicere pergamus.

Itaque ſtatim addis: *Si quid bene concepiſti de ſummo artifice & conditore omnium, quomodo excuſas & extenuas adverſarii ipſius & hominis culpam? quomodo tam facile Deum invidiæ & imperfectionis inſimulas?* Ego non ſolum aliquid bene, ſed omnino optime exiſtimo de Deo. Non tamen ab ipſo hominem immortalem creatum fuiſſe credo. Immo tu, qui id credis, deipſo male exiſtimas, cum, ut ſuperioribus diſputationibus explicavimus, & juſtitiam & benignitatem Dei imminuat atque obſcuret, quod homo immortalis creatus fuerit, & ad divinam gloriam patefaciendam maxime pertineat, quod immortalitate ab initio donatus non ſit; neque vel adverſarii vel ipſius hominis culpam aut excuſo aut extenuo, ſi naturalem mortalitatem non ex hominis peccato, & fraude diaboli ipſi homini contigiſſe, ſed rei, ex qua creatus fuit homo, propriam fuiſſe affirmo, quam ſi Deum auferre noluiſſe dico, non idcirco eum vel invidiæ vel imperfectionis inſimulo. Nam quis invidum dicat illum, qui multa bona largitus eſt, ſi aliquod inſigne bonum largiri noluit, cum ne minimum quidem eorum, quæ dedit, ullo jure cogeretur? Quodſi propterea invidiæ accuſandus eſt Deus, quia immortalitatem homini non dedit, an non invidiæ quoque accuſari poteſt, quod arenæ vitam, ſtirpibus ſenſum, beſtiis rationem & mentem non dederit? Nam ſi hæc omnia homini dedit, immortalitatem quoque angelis largitus eſt, quanquam neutrum facere citra ullam invidiæ ſuſpicionem poterat: equidem neſcio, quem tibi Deum fingas, qui omnia quæ ipſe habet, homini dare quodammodo debuerit, alioqui invidus futurus, ſi aliquid præſtantiſſimum largitus illi non fuiſſet, quem ipſe creaverat, atque ut eſſet, effecerat, & ex viliſſima terra in nobiliſſimam formam finxerat. Imperfectionis autem à me Deum inſimulari, quonam pacto probas? Num quia ex imagine ſua, quam in homine poſuit, arguere debemus, omnia vitia, quæ in homine ab initio inerant, in ipſo quoque ineſſe? Id quam verum ſit, poſtea videbimus. Num quia non omnes perfectiones, quæ in homine eſſe poſſunt, in eo, quem ipſe formavit, unquam fuerunt, ſi homo ab initio immortalis non fuit? An non hæc eadem ratio ipſum imperfectum eſſe arguit, cum in cæteris rebus ab ipſo creatis tot vitia ſeu imperfectiones conſpiciantur? Quod ſi non eſt imperfectionis arguendus Deus ob eam rem, quod, exempli gratia, beſtiis rationem & mentem non dederit, quamvis materia, ex quibus conſtant, non minus, quam hominis materia id ferre poſſet: quanto minus imperfectionis arguendus eſt, ob eam cauſam, quod homini immortalitatem non conceſſerit, cum materia, ex qua ipſum formavit, id nulla ratione pateretur.

Sed verba, quibus id, quod dixeras, comprobare vis, audiamus. Nam, inquis; *Si ignominia, infirmitas, & corruptio inerat noſtræ naturæ, cum primum à Deo condita eſt, quid præterea attulit fœditas peccati & fraus diaboli? Certe quicquid fingas, quod diabolo adſcribas, erit leve, ſi conferatur cum iis, quorum auctorem facis Deum.* Hic autem, quod nuſquam alibi factum video, ſunt in tuo ipſius ſcripto, id eſt, tua manu exarato, appoſitæ in margine notæ quædam, quæ, ut conjicio, ideo à te appoſitæ fuere, ut aliquid te dicere, quod maximi ponderis eſſet, & dignum quod diligenter præ cæteris, quæ in univerſo ſcripto dixeras, obſervaretur, lector animadverteret. Sed age videamus, ecquid tantopere notandum in ipſis tuis verbis reperiatur. Jam vero prorſus inania ſunt verba tua, niſi peccatum & diabolum, naturæ humanæ, quod ad ipſam naturalem mortalitatem attinet, aliquid mali attuliſſe conſtet. Sed non modo id non conſtat, verum etiam ejus rei contrarium manifeſtum eſt. Quid enim momenti ad naturalem hominis mortalitatem, ex qua, ut oſtendimus, neceſſario ignominia, infirmitas & corruptio proveniunt, aut peccatum aut diabolus attuliſſe potuit, cum omnes omnino cauſæ, quæ eam mortalitatem efficiunt, ut ſupra non ſemel dictum eſt, in ipſo homine ante peccatum & diaboli tentationem ineſſent? Quæ ſola ratio ſatis ſuperque eſſe poteſt ad nos commonefaciendos, etiam antequam delinqueret homo, eum natura mortalem fuiſſe. Quid enim aliud eſt, natura mortalem eſſe, quam naturaliter poſſe aut debere mori? Quis autem negare poteſt, in homine, propter materiam, ex qua conflatus eſt, & elementorum in ipſo miſturam, & locum in quo degit, cauſas,

quæ

quæ neceſſario efficiunt, ut naturaliter poſſit aut debeat mori, vere ineſſe? Verum hæc omnia, & ſi quæ ſunt alia ejuſmodi, ab ipſa creatione in homine fuerunt. At vero qui fieri poteſt, ut quis cauſas efficientes alicujus rei in ſe habeat, caſque per ſe neceſſarias, id eſt, quæ eam prorſus neceſſario per ſe efficiant, & rem ipſam non habeat? Nihil igitur vel peccati fœditas, vel diaboli fraus, hac in parte hominis naturam immutare potuit, & quod ad ipſam mortem attinet, ut antea demonſtratum fuit, non ut naturaliter moriatur, ſed ut neceſſario in perpetuum moriatur; non efficiens quidem cauſa, ſed impulſiva tantum fuerunt. Mortalitas igitur naturalis quæ in homine apparet, ea in ipſo ſemper fuit. Quare ea vitia, quæ ipſam neceſſario conſequuntur, neque Deo, qui illa auferre nullo jure cogebatur, neque diabolo, qui ea efficiendi nullam vim habet, ſed rei ipſius priſtinæ ac perpetuæ conditioni adſcribenda ſunt. Nec aliter auferre ea vitia ab hominis corpore potuiſſet Deus, quam ſi illud, ut in reſurrectione faciet, ex alia materia formaſſet, quod ut noluit, ſic nec facere debuit. Ex quo etiam intelligi par eſt, naturam hominis, quatenus ea vitia ſunt in homine, à Deo conditam non fuiſſe, quod tamen tua verba præſeferunt. Cum igitur nihil eorum vitiorum Deo per me aſcribatur, diabolo autem neceſſariæ aut æternæ mortis cauſa tribuatur, num leve aliquod malum illi tribuo, ſi cum iis bonis, quorum auctorem Deum facio, conferatur? Vides quam digna, quæ ſingulariter notentur, ſint verba tua, in quibus nihil eſt, quod perperam dictum non ſit, quemadmodum præter ea quæ hic breviter perſtrinximus, ex iis, quæ in 7. cap. latius diſſeruimus, perſpicuum eſſe confido. Atque hucuſque verba tua exſcripſiſſe ſufficiat. Nam quæ adhuc reſtant, eorum ſententiam recitaſſe, ſatis fuerit.

Dixeram, propterea quod Adamus ab ipſo initio corpus animale & terreſtre habuiſſet, facile intelligi poſſe, eum jam tum natura mortalem fuiſſe. Tu, quod attinet ad naturam animalem, nihil ad ea reſpondes, quibus, mortalitatem in ea natura ineſſe, & hic & alibi probo: ſed tantummodo ais, in ipſa nihil mali ineſſe; & quamvis minus bonum ſit, quam ſpiritualis natura, nihil tamen in ea ineſſe, quod pugnet cum præſtantia conditoris. Jam antea oſtendimus, qualitates, quæ à Paulo in ea corporum, quæ nunc habemus, & eorum, quæ in reſurrectione habituri ſimus, collatione corporibus hiſce noſtris tribuuntur, inter quas illa eſt, quod noſtrum hoc corpus animale ſit, non tanquam bonas ſed potius tanquam malas, propter comparationem conſiderandas proponi, quarum tamen nulla cum præſtantia conditoris pugnat, quaſi fieri non poſſit, ut præſtantiſſimus ille omnium rerum conditor aliquid creavetit, in quo ejuſmodi mala reperiantur. Nam tametſi ea per ſe mala ſunt, non tamen ſunt, ſi ad ſcopum, quem ſibi creator ille propoſuit, referantur, ſicut etiam alia vitia, quæ in cæteris rebus ab ipſo creatis ſemper fuiſſe appareat, per ſe quidem mala ſunt: at ſi ad ipſius propoſitum referantur, ne vitia quidem appellari debent. At vero, ſi pugnare cum præſtantia conditoris appellas, res eſſe, quæ ab ipſius conditoris natura longe abſint, non minus abeſt à Dei natura animalitas (ut ita dicam) quam mortalitas, & omnia vitia, quæ mortalitati perpetuo adhærent. Quod autem attinet ad naturam terreſtrem, etſi, quæ à me afferuntur ad eam explicandam, non refellis, conaris tamen oſtendere, quid illa ſignificet, atque hac ratione, ut arbitror, ea, quæ à me dicta ſunt, infirmare: Interim tamen & ea, quæ dico, maxime confirmas, & te ipſum tuomet gladio jugulas. Ais enim, nos cœleſtes ex terrenis evaſuros, quia gloria abſorbebit mortalitatem, & elevabit corpus noſtrum ad ſummam dignitatem. Quanquam in tuo ſcripto, pro mortalitatem mendoſe ſcriptum eſt, immortalitatem, quod & loci ſententia omnino declarat, neque enim abſorbebitur immortalitas, ſed mortalitas; & ſuperiora verba tua, ad quæ hic te reſpicere ais, quæ ſunt cap. 8, plane oſtendunt, quæ de mortalitate non autem de immortalitate, abſorbenda agunt, ut ex Pauli verbis conſtat, quæ ibi ad hoc ipſum confirmandum affers. Jam vero, ſi ideo, ut ipſe fateris, ſiemus è terrenis cœleſtes, quia mortalitas abſorbebitur, qui te ipſo teſte, negari poteſt, terrenum eſſe, mortalitatem in ſe omnino continere, &, cum Adamum ab ipſo initio terrenum fuiſſe inficiari nequeas, Adamum quoque non minus, quam nos, ante ipſum peccatum fuiſſe mortalem? An non hinc clare liquet id quod 4. cap. dicebamus, te non poſſe aliquo pacto Adamo in primo ſtatu immortalitatem tribuere, qui ei terreſtrem tantummodo felicitatem in eodem ſtatu tribuas, cum tu ipſe confitearis, immortalitatem non terreſtris conditionis, ſed cœleſtis tantum propriam eſſe? Maximam quippe vim habet ipſa veritas, quæ eos etiam, qui ipſi vehementiſſime reluctantur, teſtimonium ſibi aliquando dare compellit. Sed præterea, quæ à nobis in prioribus reſponſionibus dicta ſunt, & ipſum teſtimonium tuum ex Pauli verbis valde perſpicuum eſt, mortalitatem ſeu corruptibilitatem terrenæ conditioni, quæ Adami ſemper propria fuit, neceſſario inhærere. Cum enim dixiſſet, nos portaturos imaginem hominis cœleſtis, quemadmodum terreni imaginem portavimus, ſtatim ea verba addit: *Hoc dico fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit.* Quæ verba nemo, qui legendis bonis auctoribus tempus aliquod inſumpſerit, eorum, quæ proxime antecedebant explicationem & confirmationem continere, unquam negare audebit. Etſi ὅτι ſive *quia* in ipſis ἰδικῶς, ut plerique feciſſe videntur, accipi deberet, non autem αἰτιολογικῶς, ut quidem fieri debere & mihi videtur, & viſum eſt Seb. Caſtellioni, qui, ni fallor, initium hujus loci ita vertit: *Hoc autem ideo dico fratres, quod* &c.

At vero cum crederes, te ſatis probaſſe, & probaturum eſſe, quod corpus animale habere, & terreſtrem eſſe, longe aliud ſit, quam eſſe mortalem, ſive corpus infirmum, vile & corruptibile habere; antequam de terreſtri qualitate agas, ais, infirmum, ignominioſum & corruptum conditum eſſe, & interim ad imaginem conditoris factum dici, nimis manifeſte redarguere ipſum conditorem eorundem vitiorum. Quamvis autem in 2. cap. pleniſſime explicatum fuerit, quid ſignificet illa Dei imago in homine, & demonſtratum ſit, immortalitatem in ipſa nullo pacto contineri, qua dempta neceſſe eſt, ut illa tria vitia in hominis corpore reperiantur: libet tamen adhuc alia ratione planum facere, quam infirma & inanis ſit tota argumentatio tua.

Primum igitur animadvertendum eſt, te id, quod homini in Sacris Literis tribuitur, ejus corpori tribuere, ſive è contrario, quod humano corpori tribuitur, ipſi homini dare, quod licet per tropum fieri poſſit, ut à nobis fortaſſe aliquando in hiſce diſputationibus factum eſt, ubi nimirum nihil periculi erat: non decet tamen in argumentis formandis, ut alibi ſupra dictum fuit, hujuſmodi figuratis locutionibus uti, & aliis vel potius ſibi ipſi imprudenter illudere ac præſtigias facere. Sacræ Literæ nos docent, hominem ad Dei imaginem conditum fuiſſe. Eædem Sacræ Literæ teſtantur, humanum corpus eſſe corruptibile, vile & infirmum, antequam in reſurrectione renovetur. Negas tu, hoc poſterius de Adami corpore in primo ſtatu dici poſſe, ſi illud primum verum eſt. Cur ita tandem, cum illud de homine, hoc de ejus corpore dictum fuerit? Homo ad Dei imaginem conditus fuit, id eſt, totus homo, ſi ſimul & animum & corpus ejus ſpectes, univerſum, inquam, iſtud concretum in creatione cum Deo ſimilitudinem adeptum eſt. Poſſet autem fieri, ut vel animi tantum, vel corporis tantum ratione id intelligi contigiſſet, quamvis de concreto ipſo ſcriptura loqueretur. Verumtamen quod ad ſolum corpus attinet, inter omnes conſtat, qui à veritate penitus recedere nolint, illud ad Dei imaginem conditum non fuiſſe. At non deſunt multi iique doctiſſimi viri, qui, animum hominis duntaxat divina imagine in creatione decoratum fuiſſe, affirment.

Poſſunt

Poſſunt igitur de hominis ſolo corpore multa dici, quæ divinæ imagini non reſpondeant, immo etiam adverſentur: poſſunt item de toto homine, quatenus conditus eſt ad eam imaginem, multa affirmari, quæ ſoli corpori nequaquam conveniant. Quid igitur mirum, ſi corpus hominis ab ipſo initio vile, corruptibile & infirmum fuiſſe dicatur, etiamſi illud imagini divinæ plane adverſari concedatur? Quid rurſus mirum, ſi homini, quia ad Dei imaginem conditus fuiſſet, propterea (quatenus ſcilicet ad eam imaginem eſſet conditus) nec vilem, nec corruptibilem, nec infirmum eſſe trioueretur, quamvis hæc omnia vitia in ejus corpore ſemper fuiſſe conſtaret? Futilis eſt ergo argumentatio tua, quæ inter hominem & corpus ejus non diſtinguit, & id, quod de uno dictum eſt, ad alterum maxima cum fallacia pertrahit. Præterea fingamus, hæc duo in hac diſputatione noſtra omnino confundi poſſe, certe argumentum tuum nullam prorſus vim habebit, niſi, quicquid in hominis corpore, tum cum creatus eſt, fuit, idem in Deo reperiri neceſſe ſit, vel ſaltem nihil fuerit in humano corpore, quod à divina natura maxime diſtet. Quid enim? An non ita rationem concludis? Homo ad Dei imaginem eſt conditus. Ergo ſi ejus corpus infirmum ignominioſum & corruptum creatum eſt, manifeſte ipſe Deus eorundem vitiorum redarguitur, & ita ipſe quoque infirmus, ignominioſus & corruptus eſt, quod cum horreat lingua proferre, ſtatuendum eſt, hominis corpus ea vitia in ipſa creatione non habuiſſe. Atqui ego quoque ſic argumentabor; Homo ad Dei imaginem creatus fuit, Ergo ſi ejus corpus animale & terrenum fuit conditum, ipſe Deus etiam animalis, terrenus eſt, quod cum impium ſit cogitare, conſequens eſt, hominis corpus eas qualitates, cum creatum, fuit, non habuiſſe. Quid hic dices? Num ea vitia mala eſſe, has autem qualitates non malas? Verum quid hoc ad argumentum tuum; quod univerſam vim ſuam ex ſimilitudine, quam homo cum Deo habet, plane ſumit? Nonne ea ſimilitudo, ut tibi videtur, omnes præcipuas qualitates complectitur? Et ſi non omnes complectitur, cur potius malas, quam non malas? An non contra magis decet, non malas potius quam malas? Nunquid non ſunt in prima humani corporis natura præcipuæ inter omnes illæ duæ qualitates, animale eſſe, & terrenum eſſe, quibus ab illa, quam in reſurrectione conſequetur, penitus diſtinguitur & ſeparatur? Quid quod duæ illæ qualitates, ſi bene conſiderentur, non minus malæ ſunt, quam tria illa vitia, cum ex ipſis ea vitia neceſſario proveniant, ut ſupra, te ipſo etiam ex parte conſentiente, non uno in loco probatum eſt? Animalis ſane conditio & qualitas ſemper, cum ſpirituali opponitur, ut ſpirituali corpori Paulus animale opponit, tanquam mala commemoratur. *Animalis homo*, inquit idem Paulus 1 Cor. 2. 14, *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi.* Animalem hominem vocat eum, qui ſpiritu divino deſtitutus ſit, qua conditione, quod pertinet ad ſalutem æternam conſequendam, nulla fere pejor excogitari poteſt. Illud veriſſimum eſt, ſi ſine Spiritu Dei fieri poteſt, ut quis ad æternam vitam perveniat, animalem hominem ad eam perveniendi nullum aditum habere, cui eleganter animalis corporis ratio reſpondet. Neque enim poteſt animale corpus vitæ immortalis particeps eſſe. Nam ſpiritualis tantum corporis ea propria eſt. Quoniam, non ſecus atque animalis homo cum æterna vita perpetuum diſſidium habet, corpus animale cum immortali vita perpetuo diſſidet. Quæ enim animale corpus neceſſario conſequuntur, ut cibus, ſomnus aut ſaltem requies, & ea omnia, quæ hæc duo vel antecedunt vel ſubſequuntur, præter cætera, quæ ſub hoc cœlo, ſub quo illi degendum eſt, experiri neceſſe habet, cum immortalitate prorſus pugnant, quippe quæ non aliunde, quam ex mortali natura proficiſcantur. Sed quam mala ſit animalis conditio, ex Juda Jud. 19. adhuc apertius conſtat. Nam de iis, qui ſecundum cupiditates ſuas impias ambulant, verba faciens ait: *Hi ſunt, qui [ſeipſos] ſegregant, animales, ſpiritum non habentes.* Quantum igitur iſti homines animales ſpiritualibus comparati, mali ſunt: tantum animale corpus ſpirituali comparatum, malum cenſendum eſt. At Jacobus Cap. 3. 15. quoque manifeſte valde malam eſſe animalem qualitatem declarat, cum falſam ſapientiam terrenam, animalem & dæmoniacam eſſe dicit. Ubi terrenam quoque conditionem in malis numerari conſpicimus. Cui aſtipulatus Paulus admonet Coloſſenſes Col. 2. 3, ut ea, quæ ſuper terram ſunt, nequaquam ſapiant. Et ad Philippenſes ſcribens Phil. 3. 19, eos, quorum finis perditio eſt, & qui ventrem pro Deo habent, terrena ſapere affirmat. Nulla igitur vel cauſa vel occaſio eſt, cur hæ duæ qualitates minus, quam illa tria vitia, in imagine & ſimilitudine, quam homo cum Deo habet, includantur. Quodſi hæ includi non debent, nec illa includenda ſunt; & omnino confitendum, divinam illam imaginem & ſimilitudinem, ad hæc & ejuſmodi alia pertingere non poſſe. Nam ſi dixeris, illas duas qualitates non tanti momenti eſſe, ut inſignem aliquam diſſimilitudinem inter Deum & hominem conſtituant, quis te ferre poterit? Et enim ſi inſignem diſſimilitudinem eam intelligis, qua in alia quapiam re alter alteri ſit maxime diſſimilis, quid magis diſſimile eſſe poteſt, quam animale & terrenum ſpirituali & cœleſti, ſive potius pluſquam ſpirituali & cœleſti? Neque enim ſatis eſt, Deum ſpiritualem & cœleſtem appellaſſe, qui ſpirituum fons & parens, & ſupremorum cœlorum princeps ac ſplendor eſt. Sin diſſimilitudinem inſignem eam vocas, quæ in re magni momenti conſiſtat, an non tibi videtur quam maxime referre, utrum quidpiam animale & terrenum ſit, an vero ſpirituale & cœleſte, cum Paulus, dum præſentis & futuri corporis differentias enarrat, ut nos ſine dubio interim conſoletur, dicat, nos portaturos imaginem hominis cœleſtis, quemadmodum terreni portavimus; & antea non contentus ſpirituale corpus appellaſſe id, quod Deus nobis (tanquam coronam ſcilicet boni certaminis, quod certaverimus) daturus eſt, qui prius animale illud habebamus, nos poſtea, qui ſpirituale corpus habituri ſimus, in ſpiritum vivificantem factum iri, non obſcure affirmat, ut à me cap. 3. ſatis explicatum fuit? Sed quid? Num veriſimile eſt, differentias præcipuas, quæ inter Adamum in primo ſtatu, & Chriſtum in cœlum tranſlatum, ab Apoſtolo notantur, non maximi momenti eſſe? Quoquo igitur tandem te verteris, nunquam recte concluſum à te fuiſſe, tibi ipſi perſuadere poteris, propter diſſimilitudinem, quæ inter primum hominem & Deum fuit, ignominiam, infirmitatem & corruptibilitatem illam, quam mortalitas naturalis ſecum neceſſario affert, ab hominis corpore in primo ſtatu eſſe excludendam.

CAPUT X.

UTer noſtrum in hoc poſtremo tuo argumento in caſſum laboret, & mirum in modum ſe torqueat, poſtea videbimus. Nunc quid præterea in hujus cap. initio dicas, conſideremus. Dixeram, in homine, etiam ante lapſum, fuiſſe non quidem mortem, ut tu me dicentem faciebas, ſed conditionem mortalem, ſi modo non id quoque valde improprie dictum erat. Haſce tu anguſtias appellas, in quas me conjiciam, quia veritatis ordinem invertam, id eſt, eum, qui non niſi poſt peccatum & propter peccatum mortalem conditionem ſubierit, etiam ante peccatum mortalem fuiſſe affirmem. Sed quænam, quæſo, anguſtiæ hæ ſunt, ſi aſſero, in Adamo vivo mortem non fuiſſe, & adhuc dubito, utrum in eodem, licet mortali, mortalem conditionem fuiſſe, proprie dici poſſit? Et ſi anguſtiæ hæ dici debent, an non in eaſdem me conjicio, etiamſi tibi concedam, primum homi-

hominem ante lapſum non fuiſſe mortalem, & non quidem verum, ſed à te & quibuſdam aliis confictum illum ordinem nihil immutem? Nonne poſt lapſum, quo tempore tu quoque Adamum mortalem fuiſſe concedis, eadem, alterum aſſerendi, & de altero dubitandi cauſſa eſt? Nonne de omnibus hominibus & animantibus, quæ hodie ſine dubio ſunt mortales, idem prorſus aſſerere, idemque dubitare poſſum? Quid igitur tibi in mentem venit, ut hæſitationis meæ tui ordinis inverſionem cauſam eſſe diceres? Sciendum eſt autem, me illa verba, *ſi modo non hoc quoque valde improprie dictum eſt*, idcirco addidiſſe, quod, cum te improprietatis, quæ contra, quam par erat, in argumenti tui verbis eſſet, accuſarem, nolui ipſe fortaſſis incaute minus proprie loqui, & impropriorum verborum tuorum loco alia non multo magis propria temere ſubſtituere. Quamvis enim nulla abſurditas animadverti poſſit, ſi dicas, homini mortali, dum adhuc & vivit & valet, mortalem conditionem ineſſe, quæ magna conſpicitur, ſi dixeris illi mortem ineſſe, cum mors eſſe nequeat, ubi eſt vita, dubitandum tamen videtur, num illud proprie dici poſſit. Mortali quidem conditione generatum ſeu natum fuiſſe hominem, ejus conditionem mortalem eſſe, ſive eum habere conditionem mortalem, & ejuſmodi alia quædam proprie dici videntur: ſed in ipſo, licet mortali, conditionem mortalem ineſſe, vereor ut proprie dici queat. Conditio enim, ſtatus, fortuna, ſors, & ſi quæ ſunt his ſimilia, de re quidem dicuntur, & circa rem verſantur, & ipſius etiam rei eſſe dici poſſunt, ſed in ipſa re ineſſe non videntur. Nec diſſimilis hac in parte cæterarum conditionum mortalis conditio cenſenda eſt, quamvis ipſius conditionis mortalis cauſæ non extra rem tantummodo, ſed etiam in re ſint. Nam poſſunt cauſæ alicujus effectus in re eſſe: effectus vero ipſe extra rem, quantumvis circa rem verſetur. Ambulatio, ſeſſio, curſus, & cætera ejuſmodi, circa hominem verſantur, quin etiam hominis eſſe dicuntur: nec tamen in homine ſunt revera, quamvis eorum cauſæ in homine ſint. Sed quidquid hac de re ſtatuendum ſit, ſatis ſuperque fuerit, dubitationis meæ rationem reddidiſſe, & quam inepte ex ea ſententiæ meæ in præcipua quæſtione noſtra abſurditatem indicare volueris, planum feciſſe. Quare jam ad cætera tranſeamus.

Si concedis, Chriſtum extuliſſe naturam noſtram ad majorem dignitatem, & nos elevaſſe ad feliciorem ſtatum, quam is eſſet, in quo Adamus ab initio conſtitutus fuerat, quomodo concludere potes, *nos in reſurrectione* * *immortales futuros, ſi Adamus in primo ſtatu immortalis erat?* Annon in majore illa dignitate & feliciore ſtatu, immortalitas, quam is antea habuiſſet, contineri poteſt? Sed ais: *Non legimus, Chriſtum attuliſſe remedium, niſi ei morti, quæ per peccatum intravit.* Atqui in hac tua argumentatione, ut ex prioribus meis reſponſionibus colligi ſatis aperte poteſt, dupliciter erras. Primum erras, quod mortalitatem ſeu mortalem conditionem, mortem appellas, & de ea teſtimonia, in quibus Chriſtus mortem deſtruxiſſe dicitur, loqui exiſtimas, cum tamen deipſa morte, non autem de mortalitate ſeu mortali conditione loquantur. Nec vides, etiamſi tibi detur, expreſſe ſcriptum extare, Chriſtum non attuliſſe remedium, niſi ei morti, quæ per peccatum intravit: non tamen inde ſequi, aut mortalitatem per peccatum in mundum intraſſe, aut ei à Chriſto remedium allatum non fuiſſe. Aliud eſt enim mors, aliud mortalitas. Deinde erras, quod cum mortalitatem mortis appellatione contineri velis: nihilominus tamen affirmas, nunquam dici, Chriſtum remedium attuliſſe, niſi ei morti, quæ per peccatum intravit. Hæc enim verba tua ſine dubio ſic accipienda ſunt, ut perinde ſit, ac ſi dixiſſes, ubicunque mortis fit mentio, cui Chriſtus remedium attulerit, peccati quoque per quod ea mors intraverit, aliquo modo mentionem fieri. Jam cum ſæpiſſime ſcriptum extet, Chriſtum dare vitam æternam, quod nihil aliud eſt, quam mortalitatis remedium, & id nulla peccati, quod eam mortalitatem in mundum invexerit, mentione facta, certe, ſi mortalitas eſt mors, falſa omnino affirmas, & alii morti, quam ei, quæ per peccatum intraverit, remedium Chriſtus attuliſſe non aliquando tantum, quod tu negas, ſed frequentiſſime etiam dicitur. Num, quia ſicut veriſſimum eſt, ita ex ipſa Sacra Scriptura intelligi poteſt, Chriſtum aboleviſſe eam mortem, quam peccatum attulerat, ideo non niſi morti, per peccatum in mundum invectæ, remedium is dediſſe ſcribitur? Quænam ratio argumentandi, tibi pene familiaris, iſthæc eſt, ut ex affirmatione unius, negationem alterius, cujus nulla fit mentio, & quod optime una cum eo, quod affirmatur, conſiſtere poteſt, colligere non dubites? Adde, quod quamvis ex eo loco epiſtolæ ad Hebr. quem tu citas, & ex fine etiam 15 capitis prioris ad Corinthios appareat, Chriſtum mortem abſtuliſſe, quæ propter peccatum nos oppreſſerat, quod ex iis omnibus locis ſimiliter colligi poteſt, in quibus Chriſtum vel deleviſſe, vel expiaſſe, vel ſuſtuliſſe peccata noſtra ſacræ literæ affirmant: tamen nuſquam, ut arbitror, ſimpliciter ac diſerte ſcriptum eſt, Chriſtum ei morti remedium attuliſſe, quæ per peccatum in mundum intraverat ita ut inde argumento illo tuo à contrario ſenſu, quanquam inepto & minime in ejuſmodi locis admittendo, concludere poſſis, morti, quæ non per peccatum in mundum intraverat, Chriſtum remedium non dediſſe. Quid autem, ſi morte ſublata, quæ per peccatum in mundum intraverat, omnia perfecta erant, quæ nos, quod ad immortalitatem pertinet, conſequi poteramus, opus fuerat tam luculente paſſim in novi fœderis ſcriptis affirmari, Chriſtum vitæ æternæ auctorem eſſe, & tunc maxime, cum Adamo opponitur, à cujus peccato allatam mortem ab ipſo Chriſto deſtructam fuiſſe dixiſſe ſat fuerat, & alicubi etiam apertiſſime ſcribi, 2 Tim. 1. 10. ab ipſo non tantum mortem fuiſſe abolitam, ſed vitam quoque & incorruptionem in lucem prolatam? Hæc omnia, quæ argumentum tuum funditus evertunt, dixeram in priore meo ſcripto, quæ hic repetere libuit, ut, quo pacto in hac diſputatione noſtra te geras, perſpici poſſit. Nam neque ad ea aliquid reſpondes, & quidquid in poſteriore ſcripto tuo hac eadem de re dicis, jam per ipſa confutatum eſt. Quid enim ſibi volunt ea tua verba? *Sed contendo, tibi probandum eſſe, eum attuliſſe remedium huic morti, quam tu nobis fingis.* Nam profecto, niſi ſaltem prius probes, mortalitatem eſſe mortem, nihil agis. Quod ſi feceris, probandum tibi deinde erit, Chriſtum non niſi ei morti, quæ per peccatum in mundum intravit, remedium attuliſſe. At neutrum facis, ſed tantummodo tanquam, ſi id à me negaretur, vel, eo probato, ſatis tuo officio feciſſes, probare niteris, Chriſtum morti, quam nobis peccatum perperit, remedium dediſſe. Ego id in priore meo ſcripto dixi veriſſimum eſſe, quamvis locus non ſuccurreret, ubi ſcriptum extaret, hoc eſt, ut hic latius explicavi, diſerte ac ſimpliciter. Nam alioqui ſententia implicite, vel una cum vitæ æternæ, quam nobis Chriſtus attulerit, mentione ubique fere, ſcripta eſt. Præterea ſatis à me probatum fuit, ſcriptum extare, mortalitatem à Chriſto abolitum iri, nec tu id negare potes. Quare, ut ab ea morte (quando ita eam nominas) liberari poſſimus, non eſt, quod præter Chriſtum alium ſervatorem quæram. De quo ſi dictum eſt, quod nos peccato liberaverit, id non ideo dictum eſt, ut nihil aliud, præſertim ſi verba proprie accipiantur, eum feciſſe intelligamus, ſed ut id ab ipſo ſublatum eſſe ſciamus, quo manente vita æterna, quam is nobis attulit, donari non poteramus. Nam cum peccati ſtipendium mors ſit, quomodo peccato adhuc manente, & divina benignitate nobis non condonato, atque ea ratione extincto ac deleto, vita æterna nobis contingere poterat? Numquid mors & æterna vita ſimul eſſe poſſunt? Dixi autem

* Fort. leg. *quia in reſurrectione immortales futuri ſimus Adamum in primo ſtatu immortalem fuiſſe.*

em, præſertim ſi verba proprie accipiantur. Nam ſi minus proprie ea accipi velimus, crediderim dici poſſe, peccato abolito vitam æternam neceſſario nobis obvenire, cum jam à Deo decretum fuerit, ita per Chriſtum peccatorum veniam nobis dare, atque æterna morte, ipſorum pœna, nos liberare, ut ſimul obedientiam noſtram, pro ineffabili ipſius benignitate remuneretur, & illi incomparabile vitæ æternæ præmium largiatur.

Quamquam ſi rem adhuc diligentius perpendere velimus, ſatis proprie id dici poſſe videtur, cum, ut ſupra diſputatum eſt, ex futura Abrahami, Iſaaci & Jacobi beata reſurrectione arguere merito poſſimus, Deum & Adamo & cæteris, qui ſibi obtemperaſſent, vitam æternam poſt hanc temporariam, largiturum fuiſſe. Atque ita, non quia homines, ſi non peccaſſent, ſuapte natura immortales eſſent futuri, ſed quia, ſi non peccaſſent, quamvis naturalem mortem experti eſſent, ad æternam tamen vitam poſtmodum Dei benignitate perventuri erant, peccato ſublato, vitam æternam ſuccedere par eſt. Non mirum igitur, ſi peccatorum remiſſione immortalitatem contineri ex ſacris literis intelligere poſſumus, quamvis etiam ante peccatum mortalitas eſſet. Nam per eandem peccatorum remiſſionem, vitam quoque cœleſtem & ſpiritualem, intelligunt ſacri ſcriptores: & tamen certiſſimum eſt, etiam ante peccatum, homini non ſpiritualem & cœleſtem, ſed animalem & terreſtrem vitam conceſſam fuiſſe. Nempe quia, & ut peccatorum remiſſionem hæc omnino conſequantur, conſtituit Deus, & peccato non exiſtente, homines divina liberalitate eadem adipiſci aliquando debebant. Immortalitatem autem à vita cœleſti & ſpirituali diſtinxi, non quia alteram ab altera ſeparari poſſe putem, ſed propter te, qui eas ſejungis, & Adamo in primo ſtatu, immortalitatem citra ſpiritualem & cœleſtem vitam adverſus manifeſtiſſimam veritatem tribuere audes.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, dilucide apparet, mihi præter Chriſtum, alium ſervatorem ſeu liberatorem inveniendum non eſſe, ut à mortalitate aliquando liberemur, quamvis morralitatem ante peccatum extitiſſe, nec per peccatum in mundum intraſſe, affirmem, etiamſi de Chriſto nihil aliud ſcriptum eſſet, quam ipſum peccata mundi ſuſtuliſſe, & à morte per peccatum in mundum invecta nos liberaſſe. Tibi potius omnino inveniendus eſt ſervator & liberator, tibi, inquam, qui, mortalitatem omnem & ipſam mortem naturalem, per peccatum in mundum intraſſe contendis. Nam ſi id verum eſt, certe Chriſtus non delevit peccata noſtra, neque nos à morte per peccatum invecta ſervavit. Morimur enim adhuc omnes, nec naturalem mortem effugiendi viam aliquam novimus. Ita dum meam ſententiam idcirco reprehendere curas, quia, ſi ea vera eſſet, ut à mortalitate aliquando per Chriſtum liberari poſſemus, ei plus tribuendum foret, quam in ſacris literis tribuatur, quod tamen falſiſſimum eſt, non animadvertis, ſententiam tuam ideo explodendam eſſe, quia, ſi ea admitteretur, id Chriſto adimendum eſſet, quod illi univerſa divina oracula tribuunt, & ipſa ſalus noſtra plane in dubium vocaretur. Qui enim fieri poteſt, ut per Chriſtum propterea ab æterna morte liberati ſimus, quod nobis per ipſum peccata à Deo condonata fuerint, ſi omnes adhuc ei morti, quæ peccati pœna proprie dici queat, obnoxii ſumus? Hinc autem, ſi minus aliunde, jam conſtare poteſt, an in poſtremo hoc tuo argumento à meis reſponſionibus tutando in caſſum labores, & te mirum in modum torqueas nec ne, cum id mihi objicias, quod nulla prorſus ratione objicere queas, & tibi adeo objici poſſit, ut ex eo ſententiam tuam non falſam modo, verum etiam deteſtabilem eſſe appareat.

At vero id præterea inde conſtat, quod ais, neceſſe eſſe, ut de alio illo ſervatore diſerte dictum inveniam, eum nos liberaſſe à morte aut mortali conditione, quam per Deum conſtitutam ante peccatum dico, *nam de morte* (inquis) *cujus auctor fuerit diabolus, per Chriſtum abolita, extant aperta teſtimonia: de prima autem illa morte, cujus ego facio auctorem Deum, nuſquam eſt mentio.* Primum enim in caſſum laboras, cum à me abunde, ut ſupra viſum eſt, probatum fuerit, in ſacris literis dictum fuiſſe, Chriſtum à mortali conditione nos liberaſſe; id quod tu ipſe inficiari nequis. Quodſi velis me probare, eam mortalem conditionem ante peccatum in homine fuiſſe, jam iſtud id non eſt, de quo in hoc ipſo argumento tuo præcipue diſputatur, ſed id quod falſum eſſe eo argumento demonſtrare conaris, & de quo potiſſimum non magis hic, quam alibi, ſed ubique peræque contendimus. Nam in ipſo hoc tuo argumento de eo eſt quæſtio, utrum Chriſtus liberaverit nos ab alia morte, quam ab ea, quæ per peccatum invecta fuit, quemadmodum tu in eo aſſeveras. Id autem ego (quamquam ſi verum eſſet, nihil mihi obeſſe poſſet, cum non mortem ſed mortalitatem ante peccatum in Adamo fuiſſe dicam) verum eſſe nego. Neque id tantum facio, quod tamen, te idem nequaquam probante, ſatis ad te refellendum eſſet, ſed etiam falſum eſſe demonſtro, cum, citra ullam peccati mentionem, Chriſtum ei morti, ſi ita mortalitatem appellare libet, quam ante peccatum quoque fuiſſe contendo, remedium attuliſſe, paſſim ſcriptum extare doceo. Sed fac neceſſarium eſſe, ut ex reo actor fiam, & id probare debeam, quod tu argumento tuo improbandum ſuſcepiſti, an non id egregie in reſponſione ad octavum argumentum præſtiteram, ubi multis cum auctoritatibus tum rationibus planiſſimum feceram, Adamum, etiam ante lapſum, mortalitate circumdatum fuiſſe, ad quas tu, ut vidimus, quemadmodum reſpondeas, invenire non potuiſti, ſed idem quoque, ad argumentumque hoc tuum paullo etiam accommodatius, in reſponſione ad tertium argumentum, & ad idem octavum præſtiteram, cum ex eo, quod Adamus ante lapſum corpus animale & terreſtre habuiſſet, quod corpus per Chriſtum (de quo, quid nobis attulerit, hic diſputamus, (in ſpirituale & cœleſte in nobis mutandum eſſe conſtat, eum natura jam tum mortalem fuiſſe, confirmaveram, quas meas confirmationes non ſolum, ne leviter quidem, nuſquam deinde confutaſti, ſed quod ad terreſtrem conditionem attinet, aperte etiam comprobaſti.

In caſſum præterea laboras, & te non parum torques, cum ea verba ſcribis: *A morte, aut à mortali conditione.* Nam cum neſcias, qua ratione oſtendas, mortalem conditionem eſſe mortem, ſive me affirmare, in Adamo, antequam laberetur mortem fuiſſe, ſatis eſſe non obſcure concedis, ſi probem, Chriſtum ab ea mortali conditione, quæ ante peccatum fuerit, nos liberaſſe, & illam ab ipſa morte tute diſtinguis. Sed interim non vides, eo conceſſo, argumenti tui univerſam vim perire. Nam, ut in initio diximus, ſi ea non mors, ſed mortalitas ſeu mortalis conditio eſt, quid ad eam excludendam momenti habere poteſt, quod Chriſtus ab ea tantummodo morte nos liberaverit, quæ per peccatum in mundum intravit?

Poſtremo in caſſum laboras, cum de illa prima morte per Chriſtum abolita, ideo (ut quidem videtur, neque enim ſatis te explicas) mentionem nuſquam fieri credis, quia ſimul ſcriptum non ſit, ejus fuiſſe auctorem Deum, ſive eam per Deum conſtitutam fuiſſe, ut me affirmare contendis. Ut enim ſupra perſpicuum fecimus, iſta eſt calumnia tua evidentiſſima, cum ego non à Deo, ſed à rei ipſius natura eam mortem, id eſt, mortalitatem, proficiſci affirmem, nec alia ratione ab ipſo conſtitutam fuiſſe, dici poſſe aſſeverem, niſi quia eam non abſtulit, ſeu potius ex ea materia hominem creavit, in qua ejus rei neceſſariæ per ſe ſunt cauſæ. Quocirca pleniſſime à me probatum eſt, mortalitatem, quæ in Adamo ante peccatum fuerit, abolendam in nobis per Chriſtum eſſe, cum inter cætera, ex terrenis cæleſtes, nos, ipſius Chriſti ope, factum iri, oſtendi; unde etiam eo modo, quo dici poteſt, à Deo conſtituram fuiſſe, ſimul dictum eſſe apparet. Is enim fuit, qui hominem ex terra formavit, cui terræ naturaliter corruptio ineſt, ut ante ex ipſo Paulo docui, qui idem nos in reſurrectione ex terrenis cœleſtes fieri debere, ob eam

rem concludit, quod corruptio incorruptionem conſequi nequeat. Non eſt ergo meum merum commentum, affirmare hominem, antequam delinqueret, natura fuiſſe mortalem, & hanc mortalitatem naturalem, una cum morte ipſa neceſſaria & perpetua, quæ propter peccatum nos invaſit, à Chriſto jam deſtructa, ab eodem in reſurrectione abolendam eſſe: ſed tui meri commenti, qui hominem natura immortalem ante peccatum facis, & per peccatum omnem mortalitatem inductam eſſe fingis, nugatio eſt.

Ex quo tuo commento, præter multa alia, quæ inde vel conſequuntur, vel abs te ducuntur, longe abſurdiſſima, illud non abſurdiſſimum modo, ſed admodum etiam execrabile neceſſario efficitur: Quod Chriſtus à morte, quæ propria peccati pœna ſit, nos plene non liberaverit: propter quod ſolum merito ab omnibus piis rejici penitus atque explodi debet. Quod ut melius percipi queat, & ſimul nonnulla, diſperſe variis in locis harum mearum reſponſionum dicta, rectius intelligi poſſint, ſciendum eſt (idque non nobis tantum placet, ſed quibuſdam etiam doctiſſimis viris placuiſſe videtur) duplicem eſſe rationem pœnarum à Deo primo homini ob peccatum decretarum. Una eſt earum, quæ proprie peccati ipſius pœnæ dici poſſunt. Altera earum quæ minus proprie. Propriæ ipſius peccati pœnæ ſunt illæ, quas vere peccatum attuliſſe conſtat, & quas alioqui, vel propter ipſius rei naturam, vel propter Dei voluntatem nobis patefactam, veriſimile non eſt extituras fuiſſe, ut fuit ejectio ex paradiſo, una cum malis, quæ illam neceſſario ſunt conſecuta, & mors perpetua ſive moriendi neceſſitas illa, de qua ſupra late diſſeruimus. Minus propriæ peccati pœnæ fuerunt illæ, quæ, etiamſi primus homo non peccaſſet, nihilominus extitiſſent, aut jam extabant, ut eſt, quod terra producat ſpinas & tribulos, & homini colenda ſit, ſi ex ea ad vitam ſuſtentandam fruges percipere velit. Hujus generis pœnas dicere poſſumus fuiſſe eas, quæ ſerpenti & mulieri fuerunt decretæ. Nam & ſerpentem ſuper pectus ſuum ingreſſum jam antea fuiſſe, ac pulverem comediſſe, & mulierem, etiamſi non peccaſſet, cum dolore filios parituram, & homini ſubjectam futuram, credendum omnino videtur. Hæc tamen omnia benigniſſimus Deus peccati pœnas eſſe voluit, ſatis habens id, quod jam naturale erat, neceſſarium efficere; & pœnæ loco eſſe, quod à naturalibus malis eos, qui peccaverant, non liberaret.

Rem autem ita ſe habere, præter ea, quæ à doctiſſimis illis viris afferuntur, aperte confirmat, quod Chriſtus in iis, qui ipſi obediunt, peccatum delevit, id eſt, pœnam peccati penitus ſuſtulit, & tamen in ipſis adhuc iſta remanent, nec aliud in eis penitus abolevit, niſi mortem æternam, nimirum quia illa abſque peccato non extitiſſet. Nam quod attinet ad ejectionem ex paradiſo, ea, quamvis Adami propria pœna dicenda ſit, univerſi tamen humani generis minus propria cenſenda eſt, quippe, cum univerſum humanum genus illi pomario habitando deſtinatum non fuiſſet, & hanc ob cauſam ii, qui Chriſto obediunt, non minus, quam cæteri, paſſim orbem terrarum inhabitant, nec in aliquem ejuſmodi hortum reſtituti ſunt. Id enim, Adamo etiam non peccante, futurum erat. Hæc tamen, quæ minus proprias peccati pœnas appellamus, ſuſtulit quoque Chriſtus, quatenus pœnæ ſunt. Pœnæ autem, ut diximus ſunt, quia ex naturalibus prorſus neceſſaria fuerunt effecta. Chriſtiani igitur ea non amplius, tanquam neceſſaria, ſed tanquam naturalia agnoſcere debent. Futurum eſt enim aliquando, ut, licet vivi, ab omnibus tamen laboribus, calamitatibus, doloribus ac ſubjectionibus liberentur, & ad veri paradiſi habitationem admittantur. Secus autem impiis eveniet, qui nunquam vivi iis malis liberabuntur, & perpetuo à cæleſtis pomarii habitatione excludentur. Jam vero ſi velimus, mortalitatem aut mortem naturalem ita peccati pœnam eſſe, ut, niſi peccatum fuiſſet, ea prorſus non extitiſſet; & ſic propriam peccati pœnam eſſe dicamus, neceſſe eſt, cum ea à Chriſto penitus ſublata non fuerint, ut velimus etiam, à Chriſto peccati pœnam, eamque præcipuam, penitus non fuiſſe ſublatam. At ſi inter minus proprias peccati pœnas eam numeraverimus, & etiam abſque peccato futuram dixerimus, nos per Chriſtum ab ea, quatenus pœna eſt, planè liberatos fuiſſe videbimus. Neque enim amplius neceſſarium eſt, ut vel vivi mortales ſimus, vel omnino mortem experiamur. Siquidem & aliquando immortalem vitam habebimus, & ex noſtrum numero aliqui nunquam mortem experientur.

Atque ex his intelligi poteſt, quam infirmum ſit argumentum illud tuum ex divina comminatione ductum, de quo in 6, cap. copioſe diſputatum eſt. Nam, etiamſi verum eſſet, in ea comminatione, mortalitatem ſeu mortem naturalem Adami delicti pœnam decretam fuiſſe: non tamen continuo ſequeretur, eam ante peccatum non extitiſſe, aut ſine peccato nullo modo extituram fuiſſe, cum id, quod naturale erat, pœnæ loco conſtitui potuerit, quatenus ex naturali neceſſarium fuerit effectum. Quod ſi argumentum illud, quod ſine dubio cæteris tuis longe præſtat, infirmiſſimum eſt, quid de aliis ſentiendum ſit, tibi ipſi judicandum relinquo.

Sed jam videamus, quid ſententia mea excluſa, retinendum eſſe cenſeas. Ais igitur: *Tenendum eſt, Chriſtum aboleviſſe hanc mortem, quæ turbaverat noſtrum felicem ſtatum, & nos elevaſſe ad feliciorem, videlicet ad vitam cæleſtem & æternam.* Quaſi vero non idem prorſus à me dicatur, & verba hæc, ſi vera ſunt, tuæ ſententiæ falſitatem omnino non coarguant. Nam ſi Chriſtus eam mortem abolevit, quæ noſtrum felicem ſtatum turbaverat, certe mortalitas naturalis, quam tu mortem vocas, noſtrum felicem ſtatum non turbavit, cum ea à Chriſto deſtructa non fuerit. Ergo mortalitas naturalis in ipſo felici ſtatu homini inerat, quem ſtatum ideo non turbabat, quia ea felicitas, quippe quæ terreſtris eſſet, immortalitatis non erat capax.

Cæterum ſi dicas, te eodem ſenſu dixiſſe, deſtructam fuiſſe mortem illam à Chriſto, quo dixiſti, eum elevaſſe nos ad feliciorem ſtatum, nempe quia id aliquando certo futurum eſt, animadvertendum cenſeo, recte iſta loquendi figura uti nos poſſe, cum de feliciore ſtatu noſtro, cujus auctor ſit Chriſtus verba facimus. Certum eſt enim, ad eum revera nos adhuc non perveniſſe, neque ea in re aliquid mali aut periculi eſt, ſiquidem felicior ille ſtatus ad peccata noſtra delenda non requiritur: ſed ut ipſe fateris, ſi veritatem attendere velimus, eſt quid amplius, quod nobis a Deo donandum eſt, præter expiationem peccatorum, quamvis ea ratione, qua paulo ante diximus, id quoque in Sacris Literis, peccatorum remiſſionis nomine contineri ſoleat. At cum de mortis illius deſtructione, cujus deſtructionis Chriſtus ſit auctor, ſermo eſt, ab iſta loquendi figura abſtinere debemus, cum certum ſit, perpetuam mortem in nobis per Chriſtum jam vere deſtructam eſſe, etſi id non ante extremum illum diem ſenſuri ſumus; & cum mors, quæ felicem noſtrum ſtatum turbavit, ſit peccati pœna, Chriſtus autem ab ea pœna nos penitus exemerit, non eſt ab ea morte liberatio in illum diem rejicienda, ſed cum dicitur, Chriſtum nos ab ea liberaſſe, id in præſens, ut verba proprie ſignificant, accipiendum eſt: alioqui ſi verba per figuram non in præſens, ſed in futurum tempus duntaxat intelligenda ſunt, non obſcure negatur, Chriſtum à peccatorum pœna nos penitus exemiſſe. Si enim citra temporis enallagen dici nequeat, ipſum a morte, quæ felicem noſtrum ſtatum turbaverat, nos liberaſſe, profecto nos adhuc ab ea morte vere detineri, ſeu ipſi adhuc obnoxios eſſe, manifeſte indicatur.

Præterea ſi rem exactius expendere velimus, videbimus, ne in futurum quidem mortalitatem noſtram à Chriſto vere & proprie abolendam eſſe: ſed immortalitatem nobis dandam, ſeu potius, ut magis proprie adhuc loquamur, immortales nos reformandos eſſe. Nam ſi de iis loqui velimus, qui, cum Dominus Jeſus ad mundum judicandum veniet, jam obdormierint, certe mortalitas in illis proprie aboleri nequit, cum nec ipſi homi-

homines amplius ſint, ut in primo cap. oſtendimus; & hominibus non exiſtentibus, ipſorum mortalitas nulla eſſe poſſit. Id autem, quod prorſus non eſt, quomodo aboleri poteſt? Sin autem eos ſpectemus, qui vivi eo tempore invenientur, cum, quod corpus habebunt, quod ſubjectum (ut vocant) mortalitatis eſt, in illis deſtruendum ſit, quemadmodum ex Paulo non uno in loco ſupra demonſtravimus, & aliud pro eo ſubſtituendum, non proprie dici poteſt, in ipſis mortalitatem abolendam eſſe Qua enim ratione vere aboleri poteſt aliquid ea in re, quæ amplius non ſit? Tunc vere mortalitas in ipſis, id eſt, in ipſorum corporibus aboleretur, ſi eadem corpora retinerent: Sed iiſdem corporibus non retentis, in quibus mortalitas reſidebat, minus proprie dicitur, in ipſis mortalitatem aboleri.

Nec mihi objiciat aliquis, Paulum diſerte dicere, hoc mortale immortalitatem induere debere 1 Cor. 15. 53. Nam & iſtud & ejuſmodi permulta dici poſſe non nego, ſed ſi ipſa veritas ſpectetur, minus proprie dici affirmo, & ſecundum uſitatos loquendi modos, qui veritatem, ſi res diligenter perpendetur, minime continent. An non ubique ſcriptum extat, nos reſurrecturos? At vero quo pacto reſurgere is poteſt, qui amplius non eſt? Nonne clare liquet, eo loquendi modo nihil aliud ſignificari, quam nos denuo extituros. Sic Paulus ait, hoc mortale immortalitatem induere debere, non quia vere id, quod mortale eſt, immortalitatem induturum ſit: ſed quia in locum illius, quod mortale eſt, immortale corpus ſurrogabitur. Nam & ego ipſe ſupra ſæpe dixi, mortalitatem in nobis abolendam eſſe, & ejuſmodi alia quædam, à quibus infra quoque non abſtinebo, communem loquendi uſum ſecutus, quem, ut in veritate inveſtiganda fieri decet, ſi attendere nolimus, non eſt, quod mihi objicere aliquo modo poſſis, Chriſtum nullam mortem aboleviſſe ſeu aboliturum eſſe, aut nulli morti remedium attuliſſe ſeu allaturum eſſe, præter eam quæ per peccatum in mundum invecta eſt, etiamſi non modo id verum eſſet, & mortalitas, mortis nomine jure optimo appellari poſſet; verum etiam mihi non concederetur, ſi Adamus & cæteri Deo obediſſent, futurum, ut beatam immortalitatem adepturi aliquando eſſent. Neque enim, ut dictum eſt, quamvis immortales reformandi per Chriſtum ſimus, vere tamen & proprie dici poteſt, Chriſtum immortalitatem deſtructurum eſſe, nedum deſtruxiſſe, aut mortalitati remedium daturum eſſe, nedum dediſſe. Eadem autem eſt ratio remedii dandi, quæ abolendi, cum in remedio dando non minus quam in abolendo, mortalitas ipſa requiratur, quæ in iis, qui jam mortui ſunt, prorſus nulla eſt, in iis autem, qui adhuc vivunt, & immortales fieri debent, eſt illa quidem, ſed non in re, quæ in ipſis perpetuo eſſe debeat: imo in eo, quod in ipſis perpetuo futurum eſt, ea nunquam fuit. Idem enim omnino ſtatuendum eſt de ipſis, atque de illis, qui jam mortui fuerunt; & cenſendum, eam mutationem, quam experientur, ipſis, hac in parte, vice mortis futuram, ut perinde futurum ſit, acſi ipſorum corpus, non minus, quam cæterorum in aliam jam formam verſum eſſet, ac plane interiiſſet.

Ne quid autem abſurdi ſententia noſtra continere videatur, quaſi pugnent hæc inter ſe, immortalem reformari eum, qui ante mortalis erat, & mortalitatem in ipſo non aboleri, exemplo fictoris & ſtatuæ, quo ſæpius uſi ſumus, rem ſic ſe habere confirmabimus. Si fictor luteam ſtatuam prius formaverit, quæ propter ipſius fragilitatem comminuta & abſumpta fuerit, & poſtea eam ex marmore, aut ære denuo finxerit atque refecerit, non dubium eſt, quin eam ſtatuam, quæ ante fragilis fuerat, durabilem reformaverit, ſtatuæ tamen ipſi, quæ ante hanc novam formationem, jam nulla amplius extabat, fragilitatem ademiſſe proprie dici nequit, ſed ſed per tropum tantummodo, quatenus eam formando, non amplius ex fragili materia, ut antea, eam finxit.

Neque vero eſt, quod quis rurſus objicere poſſit, eadem hac ſubtilitate noſtra effici, ut Chriſtus nec mortem etiam perpetuam aboleverit, cum mors perpetua nunquam vere in nobis fuerat. Diverſa eſt enim mortis perpetuæ & mortalitatis ratio. Mortalitas, id eſt, immortalitatis carentia illa, ſive, ut proprie loquamur, mortalitatis naturales & per ſe neceſſariæ cauſæ in re ſunt, & idcirco nihil impedit, quo minus in ipſa revera aboleri poſſint, niſi ejuſmodi veræ abolitioni rei ipſius natura repugnet. Si igitur id non fiat, quacunque de cauſa non fieri contingat, mortalitatem vere abolitam non fuiſſe, affirmare licet: Secus eſt in morte perpetua. Ea enim in ipſa re nec eſt, nec eſſe ullo modo vere poteſt. Quare, non quia ipſius rei natura repugnet, ſed quia tota natura reclamat, in ipſa re vere aboleri prorſus nequit. Quocirca neceſſe omnino eſt, cum mortem perpetuam a Chriſto deſtructam fuiſſe dicimus, alio modo deſtructam intelligere, quam quia in nobis vere abolita fuerit. Adhæc, mortalitas eſt: Mors perpetua non modo in ipſa re non eſt, verum etiam nec ipſa vere eſt. Hinc fit, ut mortalitas vere aboleri poſſit: Mors perpetua, non item. Non igitur dici poterit, mortem perpetuam deſtructam non fuiſſe, ſi eo modo penitus deſtructa fuerit, quo deſtrui poteſt, & quem, nec præterea alium, univerſa natura patitur, nempe ut ne ſit, efficiendo: Mortalitas autem niſi vere aboleatur, & quidem in ipſa re, cui ineſt, cum id perſe prorſus ἀδύνατον non ſit, non abolitia fuiſſe jure dici poterit.

Quod ſi dixeris: ſatis eſſe, ſicut egomet præfatus ſum, ſi ipſius rei natura huic veræ abolitioni repugnet; & ideo, cum fieri non poſſit, ut idem vere corpus ex mortali fiat immortale, & ſic, ut in ipſo mortalitas vere aboleatur, ſatis abolitum iri mortalitatem, ſi eo pacto aboleatur, quo aboleri poteſt, hoc eſt, ſi pro corporibus mortalibus immortalia ſubſtituantur, jam iſtud eſt, quod volebam. Nam ſi concedis, idem vere corpus ex mortali immortale fieri non poſſe, ſed neceſſe eſſe, ut aliud corpus fiat, concedendum etiam omnino abs te eſt, idem vere corpus ex immortali mortale fieri non poſſe, ſed neceſſe eſſe, ut aliud corpus fiat? Quare cum conſtet, Adamum idem vere corpus habuiſſe poſt peccatum, quod ante peccatum habuerat, neceſſarium eſt, ut fatearis, Adami corpus, quod poſt peccatum utique mortale fuit, ante peccatum immortale non fuiſſe. Itaque hujuſce noſtræ ſubtilitatis ſcopum & fructum vides, ut ſcilicet, hac ratione appareat, falſum eſſe, Adamum ex immortali mortalem effectum fuiſſe. Si enim homini vere mortalitas inflicta fuiſſet, cur non etiam vere eadem mortalitas in ipſo aboleri poſſit? Scio equidem te, (nam aliter vim argumentationis meæ effugere non potes) omnino negaturum, corpus ex mortali immortale fieri non poſſe, niſi aliud corpus fiat: Sed ſi unquam percipere potueris, non poſſe alicujus rei formam mutari, & aliam fieri, quin res ipſa mutetur & alia fiat, corpus autem ex mortali immortale fieri non poſſe, quin ejus forma mutetur, & alia fiat, animadverteris, id negare deſines. Nunc reliqua tuæ concluſionis verba expendamus.

Explicans quis ſit ille ſtatus felicior, quam is eſſet, in quo ab initio conſtituti fueramus, ad quem Chriſtus nos elevaverit, ais, ut vidimus, eſſe vitam cœleſtem & æternam. Atque ita imprudens fateris Adamum in primo ſtatu immortalem non fuiſſe. Si enim Adamus ab initio immortalis fuiſſet, cum felix & beatus, ut tibi videtur, profecto eſſet, jam vitam æternam habuiſſet. Quid enim eſt aliud æterna vita, quam immortalitas cum felicitate conjuncta? Video quid hic dicturus ſis. Nempe vitam æternam à te dictam fuiſſe eam, cui mortalitatis periculum non impendeat, qualis futura eſt vita, ad quam poſt reſurrectionem perveniemus: Adami autem vitæ, licet immortali, mortalitatis periculum impendiſſe, ſi ex vetita arbore comediſſet. Verum adverte. Quod enim aliqua immortalis vita reperiatur, cui mortalitatis periculum immineat, eſt tuum commentum, & de hoc tacite inter nos diſputatur. Quapropter non debueras id tu tacite pro conceſſo ponere, & cum ſententiam tuam explicas, tanquam à me longe diſſimilem, iis verbis uti, quibus ego quoque in mea explicanda uti poſſum, immo jam uſus fueram. Nam in priori-

bus reſponſionibus meis, cum probare volo, Chriſtum non mortem ſolum deleviſſe, quæ per peccatum in mundum intraverat, ſed etiam immortalitatem nobis attuliſſe, ea ſcripturæ teſtimonia profero, in quibus, cum Chriſtus Adamo opponitur, non quidem mortem deleviſſe, quam is mundo intulerat, ſed vitam æternam dediſſe dictus eſt. Quandoquidem apud me, ut apud omnes theologos, & apud ipſum Paulum, immortalitas & vita æterna idem ſunt, adeo, ut ne felicitatis quidem meminiſſe oporteat, cum immortalitatis nomine vitam æternam ſignificare volumus. Nec mirum, cum utriuſque verbi eadem vis ſit, & quod ad ipſius verbi vim pertinet, non magis in vita æterna, quam in immortalitate felicitas contineatur, ita ut, ſi Adamus in primo ſtatu vitam æternam habuiſſe idcirco dici non poteſt, quod mortis periculum illi impenderet, eadem ratione immortalis fuiſſe dici nequeat, & ita neceſſe ſit confiteri, aliquam mortem ſeu mortalitatem in eo ſtatu fuiſſe & Chriſtum alii morti ſive mortalitati remedium dediſſe, præter eam, quæ per peccatum in mundum poſtea intravit. Jam vero, cum inter nos quæſtio eſſet, utrum Chriſtus, quod ſpectat ad mortem ſive ad mortalitatem, aliud nobis attulerit, præter id, quod abſtulerat peccatum, & Adamus ante peccatum habebat, & tua ſententia, quæ partem, ut loquuntur, negativam amplectitur, tibi exponenda eſſet, perperam feciſſe videris, qui præter id, quod Adamus ante peccatum habebat, vitam æternam Chriſtum nobis attuliſſe dixeris, cum vita æterna, ut ſupra diximus, mortalitatis remedium ſit, & ita ex tuis verbis, niſi ea tuo modo explices, tuæ ipſius ſententiæ confutatio, & meæ confirmatio colligi poſſit, & concludi, Chriſtum, morti ſeu mortalitati remedium dediſſe, quæ in primo hominis ſtatu ante peccatum extiterat. Nec vero ſine juſtiſſimi Dei numine hæc fiunt, ut quando manifeſtæ veritati adverſari es aggreſſus, ſæpius, ut viſum eſt, modo tacite, modo aperte tibi ipſi adverſeris, & veritati interea teſtimonium tribuas.

Cæterum non ſatis bonam operam navaſſe viſus tibi fuiſſes, niſi, poſtquam ſententiam tuam, propter quam univerſa hæc diſputatio noſtra inſtituta eſt, atque argumenta, quæ ad eam probandam attuleras, à meis oppugnationibus & reſponſionibus, maledictis potius & verborum captionibus quam rationibus aut Sacrarum Literarum teſtimoniis, utcumque defendere ac vindicare tentaveras, venenum etiam, quod ſub ea ſententia tua latet, ſeu potius tu illi ſupponis, prodidiſſes atque ſparſiſſes. Id autem facere te vehementer cupiſſe, ex eo intelligi debet, quod ejus rei occaſionem, ex modo à me examinata expoſitione ſententiæ tuæ, in hac poſtrema quæſtione arripuiſti, in qua non tua quidem, ſed mea potius ſententia explicatur; & ſi tua explicatur, non ſatis tamen id eſſet, ut inde ea duci poſſent, quæ tu dixiſti. Sic enim ex ipſa concluſione tua ratiocinaris: *Ad hunc modum tota ſcriptura fluit ſine ullo labore, & apparet beneficium Chriſti non minus late patere, quam damnum Adami & exitium non impendere, niſi iis, qui averſi à creatore, malum vitæ inſtitutum ſequuntur, cum in credendis, tum in agendis, & ſibi cumulant indignationem divini numinis.* Jam hæc non magis efficiuntur, non dicam ex concluſione tua, quæ, ut dixi, meam revera non tuam ſententiam continet, ſed ex eo, quod Chriſtus nullam aliam mortem ſeu mortalitatem aboleverit, præter eam, quæ per peccatum in mundum invecta fuerat, ut tu ſentis, quam ex eo, quod hac in parte aliud præterea fecerit, aut facturus ſit, ut ego ſentio, niſi aliud dicatur. Non minus enim hoc, quam illud indefinite prolatum eſt, & neminem excludit; nec minus hoc quam illud, ſimpliciter nulla conditione adjecta, dictum eſt. Quare operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi quonam pacto ex eo, quod tu diverſum à me ſentis, hæc effici credas, explicavero, & ſimul, quid ea ſibi velint, latius expoſuero, ut, quantum mali & perniciei in illis ſubſit, deinde perſpici queat.

Cum igitur ſentias, Chriſtum nulli morti, ſeu mortalitati remedium attuliſſe niſi ei, quæ per peccatum in mundum intravit; & certum ſit, à Chriſto omnem mortem & mortalitatem aboleri, hinc primum neceſſario efficitur illud, quod tu ubique probare niteris, & de quo præcipue diſputamus, Adamum creatum fuiſſe immortalem, & ante peccatum nullam in ipſo mortalitatem fuiſſe. At ex hoc deinde effici videtur, ut omnes homines cujuſcunque generis & conditionis ſint, ab ipſo ortu in immortalitatis quodammodo poſſeſſione conſtituti Chriſti beneficio fuerint, quam amittere nequeant, niſi à Deo creatore poſtea fuerint averſi, & perverſo vitæ inſtituto ſibi ejus iram atque indignationem cumulaverint. Nam cum Chriſti beneficio totum humanum genus (ut tibi quidem videtur) in eundem ſtatum, & multo etiam excellentiorem, quam is fuit, in quo Adamus ante peccatum erat, reſtitutum fuerit, apparet manifeſte, ſi Adamus ipſe immortalis fuit, in immortalitatis jura totum humanum genus Chriſti beneficio reſtitutum fuiſſe, idque divinam juſtitiam decuiſſe, ut, qui ſine ſua ipſorum culpa perierant, quales ſunt ii omnes, qui poſt Adami delictum, præter ipſum Adamum & ejus conjugem, quorum uterque peccaverat, in mundo extiterunt, in priſtino vitæ & immortalitatis gradu reponerentur, unde non niſi propria culpa excidere amplius poſſent. Ex quo perſpicuum fiat, non minus late patere, ut ſcriptura teſtatur, Chriſti beneficium, quam noxam Adami. Nam ſi Adamus cauſa fuit, ut univerſum humanum genus, aut mortalitatem contraheret, aut certe morti penitus addiceretur, Chriſtus viciſſim effecit, ut univerſum humanum genus à mortalitate & morte liberetur, & in cœleſtis, & in ſpiritualis atque æternæ vitæ certiſſima poſſeſſionis ſpe conſtituatur. Hoc illud eſt (ni fallor) quod tu dicere voluiſti, & hæc ea ſunt, quæ ex tua ſententia fluere arbitraris, Sacris Literis, ut putas, maxime conſentanea, ita ut his retentis, facillimus ſit & dilucidus totius ſcripturæ ſenſus, qui alioqui, id eſt, ſi ſententia mea admittatur, ex qua alia ab his diverſa conſequuntur, difficilis admodum ac plane obſcurus futurus ſit, & cum ipſis verbis nulla ratione conſentiens. Quod ut conſtare poſſit, duorum Pauli teſtimoniorum mentionem facis, quæ omnino depravatum iri exiſtimas, & ex parte demonſtrare niteris, niſi ea vera ſint, quæ, tanquam ex tua ſententia derivata, modo commemoravimus.

Ego, etſi, cum ad hunc locum perventum foret, duo illa teſtimonia tantummodo explicare ab initio conſtitueram, quippe, quibus explicatis, nulla prorſus dubitatio de falſitate eorum, quæ ex tua ſententia colligenda putas, relinqui poſſit: ut tamen, in quam multiplici errore verſeris, agnoſcere queas, libet rem totam paullo diligentius examinare. Itaque primum demonſtrabo, ex ſententia tua, de qua potiſſimum contendimus, quamvis ea vera eſſet, illa non conſequi, quæ tu ei apponere paucis verbis voluiſti, & ego latius expoſui: deinde planum faciam, hæc ipſa per ſe falſiſſima eſſe, ita ut, ſi ex tua ſententia fluerent, ea ſola ratione tuæ ſententiæ falſitas manifeſte coargueretur. Poſtremo duo illa Paulina teſtimonia, à tuæ interpretationis tenebris in clariſſimam lucem vindicare conabor.

Quod igitur ad primum attinet, dico, etiamſi tibi concederetur, Adamum creatum fuiſſe immortalem: non tamen inde conſecuturum, univerſum humanum genus beneficio Chriſti in immortalitatis jura reſtitutum fuiſſe. Nam neque uſquam dictum eſt, Chriſtum reſtituiſſe omnes homines in eum ſtatum, in quo Adamus ab initio fuit, aut in multo excellentiorem; neque id fieri debuiſſe, vel divina juſtitia vel ulla res alia ſuadere poteſt. Nuſquam ſcriptum extare, quod Chriſtus univerſum humanum genus, in primum illum Adami ſtatum vel alium præſtantiorem reſtituerit, confitebuntur ii, qui Sacras Literas accurate perlegerint, in quibus beneficium in homines à Chriſto collatum, nuſquam ſub ejuſmodi verborum involucris nobis narratur, ſed ſemper id, quod attulit, exprimitur, nulla mentione facta, quod aut æquet, aut ſuperet bonum illud

primo

primo homini in creatione conceſſum, ſed alicubi tantum demonſtratur, quod mala quædam ceſſatura ſint in eo ſtatu, in quo per Chriſti gratiam futuri ſumus, quæ in primo illo hominis ſtatu reperiebantur. Quocirca non ex primi ſtatus reſtitutione, ſed ex eo, quod diſerte atque explicate nobis Chriſtum attuliſſe legimus, univerſi humani generis ad immortalitatem reſtitutio colligi poſſet, ſi ea quæ Chriſtus attulit, nulla conditione adjecta, ad omnes homines pertinerent. Sed, ut infra videbimus, quamvis à Chriſti beneficio nemo nominatim excludatur: ii tamen duntaxat ejus participes fiunt, qui ipſi Chriſto fidem adhibuerint, ſive Græci, ſive Barbari, ſive ethnici, ſive Judæi, ſive mares, ſive fœminæ, ſive ſervi, ſive liberi fuerint. Debuiſſe autem humanum genus univerſum in eum ſtatum reſtitui, in quo Adamus ab initio fuerat, non propter ea perſuaderi poſſumus, quod ſine propria culpa perierit. Nam quomodo ſine propria culpa perire potuit humanum genus, quod ne perire quidem potuit, cum adhuc non eſſet? Num dices, in Adami lumbis fuiſſe, ut auctor ad Hebr. dicit Heb. 7. 9, Levi in Abrahami fuiſſe lumbis tunc, cum Melchiſedeco decumas prædæ dedit? Sed meminiſſe debes, eundem illum auctorem probe agnoviſſe, iſtam, (ut ita dicam) eſſendi rationem minime veram eſſe, & ob eam cauſam, cum ex eo, quod Levi in lumbis Abrahami eſſet, argumentari vellet, ipſum quoque Levi à Melchiſedeco decimatum fuiſſe, addidiſſe illa verba ὡς ἔπος εἰπεῖν, id eſt, ut ſic dixerim. Ita fateor poſſe quodammodo dici, periiſſe univerſum humanum genus, cum Adamus propter peccatum periit. Sed certe tamen non periit, cum vere nondum eſſet, quare nec ulla injuria ei fieri potuit. Neque prius fuit ne unus quidem præter primos iſtos parentes qui ambo deliquerant, quam Adamus mortalis, ut tibi placet, factus eſt. Quæ igitur injuria cæteris fit, ſi ex mortali mortales oriuntur, & ipſorum mortalitati perpetuo relinquuntur?

Præterea aut juſtum eſt, homines ex Adamo mortali mortales gigni, aut injuſtum. Si juſtum eſt, cur, ut modo diximus, juſtum etiam non erit, ipſos in eadem conditione perpetuo permanere? Si injuſtum cenſendum eſt, cur Deus id voluit, ſeu potius quomodo velle potuit? cur, ut immortales fieremus, non curavit? Dices, hoc fieri nequiviſſe: mortalis enim immortalem procreare non poteſt. Iſtud verum eſt natura ipſa inſpecta: Sed Deus ſupra naturam eſt, & ſine dubio efficere potuiſſet, ut ex Adamo, quantumvis mortali, filii immortales procrearentur. Quælibet enim abſurditas potius ferenda erat, quam alicui injuria facienda. Quod ſi omnino nihilominus neceſſarium eſſe velimus, ut homines poſt delictum primi parentis mortales, ut ipſe erat, naſcerentur, quamvis id injuſtum alioquin foret: injuſtum certe fuit primum illud decretum, ut ſcilicet Adamus propter peccatum proprium ex immortali mortalis fieret, ſi ex eo hæc injuſtitia, Adamo peccante, neceſſario conſecutura erat, quod ejus poſteri omnes mortales procrearentur. Neque eſt, quod dicas in juſtitiam omnem ceſſare, cum Deus huic malo ſtatim remedium adhibuerit, quod niſi feciſſet, injuſtitiæ redarguendus eſſet. Nam non eſt alicui vulnus infligendum, ut illico ſanetur. Et inique is feciſſe dicetur, qui cum vulnus non infligere poſſet, inflixit tamen, quamvis eodem fere tempore remedium dederit. Neque Dei gloria ex eo elucere poteſt, quod ei malo remedium attulerit, cui, niſi attuliſſet, iniquus futurus erat, non quidem propter promiſſum aliquod ejus rei ab ipſo factum, ſed quia ipſe ejus mali auctor fuiſſet. Namque alterutram omnino exhis duabus cauſis eſſe oportet, propter quam remedium mortalitati noſtræ dare Deus debuerit. At compertum eſt, id ante ab ipſo promiſſum non fuiſſe. Conſequens eſt igitur, ut cauſa ſit, quia ipſe ejus mortalitatis auctor fuerit. Itaque vides neceſſe eſſe, ſi velis, Deum debuiſſe humanum genus à mortalitate aſſerere, ut Deus ipſius mortalitatis auctor extiterit, neque auctor ſolum, ſed etiam injuriæ auctor. Si enim jure auctor extitiſſet, cur eam auferre deinde debuiſſet?

Ad hæc, ſi humano generi ſine ipſius culpa mortalitas ſubeunda fuit, & huic mortalitati mederi debuit Deus, quid opus erat ſervatore aliquo, & peccatorum remiſſione ad eam nobis medicinam faciendam? Nonne ſatis fuiſſet, Deum ſtatuere, Adami poſteros quos propter parentem mortalem mortales naſci oportebat, ea conditione naſci, ut morerentur quidem, ſed poſt modum à morte in vitam omnino revocandi eſſent, & in priſtinum ſui parentis ſtatum reſtituerentur? Si dixeris, neceſſe fuiſſe, ut ipſius Adami culpa, quæ tanti mali cauſa extiterat, elueretur, nec aliter potuiſſe humanum genus à mortalitate vindicari, & in priſtino illo ſtatu reponi, Jam fatearis oportet, jure propter primi parentis culpam id malum cunctis obrepſiſſe. Atqui, ſi jure obrepſit, illud auferre Deus nullo jure cogebatur. Quod autem propter culpam primi parentis à Deo mortalitas nobis omnibus obrepſerit, ut, ſi immortales fieri velimus, ea culpa delenda omnino ſit, id ita divina poſtulante juſtitia factum fuiſſe, illud plane indicat, quod alioqui ipſius culpæ vires per ſe nullæ ſunt ad tantum malum nobis infligendum. Ut enim ante non ſemel dictum fuit, peccatum non eſt cauſa efficiens mortis, ſed impulſiva tantum, nec ſua vi neceſſario nobis mortem infert, ſed Deum ad illam nobis inferendam, merito movet atque impellit. Et quid aliud eſt culpam deleri, quam jus illud ex crimine contractum, propter quod pœnam ſubire omnino debemus, ſolui atque aboleri. Si igitur nec ſcriptum uſquam eſt, Chriſti beneficio univerſum humanum genus in priſtino Adami ſtatu aut præſtantiore repoſitum fuiſſe; nec id fieri debuiſſe ulla ratione perſuaderi poſſumus; immo quod Deus id facere nullo jure cogeretur, clare liquet; quid eſt, quod ex priſtina Adami immortalitate toti humano generi immortalitatis jura reſtituta fuiſſe, colligere poſſimus? Quibus addo, quod ſi Deus omnes Adami poſteros in ipſius Adami primo ſtatu collocare voluiſſet, & is Adami ſtatus felicitatem & immortalitatem continebat, mortalitas ipſis plane auferenda erat; nec permittendum, ut tot miſeriis, & calamitatibus prævios ad mortem cuncti raperentur, poſtquam etiamſi tibi daretur, eos, nullo prorſus excepto, ita immortali ac beatæ vitæ Chriſti beneficio deſtinatos eſſe, ut ii tantummodo, qui à ſuo creatore avertantur, inde excludi poſſint? alia tamen ratione id illis contigiſſe fatendum eſſet, quam quia per Chriſtum in primam Adami conditionem repoſiti fuiſſent. Quare ſi adverſus veritatem, & hic & in priore ſcripto late à nobis expoſitam, adhuc ſententiam tuam de immortalitate primi hominis retinere volueris, ne iſta ſaltem neceſſario ab ea derives, quæ derivari neceſſe non eſt, & nihilominus, ut illa vera ſit ipſa falſiſſima eſſe poſſunt, ut revera ſunt, quemadmodum ſtatim docebo.

Itaque ut id, quod ſecundo loco propoſueram, quam breviſſime potero, perſtringam; dico, ſententia tua approbata, quod ſcilicet univerſum humanum genus re ipſa beneficii, quod nobis Chriſtus attulit, ſit particeps, adeo ut omnes, quicunque poſt Adamum aut nati ſunt aut naſcentur, propter id beneficium immortali ac cœleſti vita donandi omnino ſint, niſi ſe à creatore avertant, & eam ob cauſam eo, quod jam adepti fuerant, ſe ipſos privent, tantum abeſſe, ut tota ſcriptura, quemadmodum tu loqueris, fluat ſine ullo labore, ut nihil impeditius nihil obſcurius, immo nihil magis falſum aut ineptum reperiri poſſit. Atque ut nihil de iis dicam, qui Chriſti adventum anteceſſerunt, de quibus multo proclivius eſt demonſtrare, id nullo modo dici poſſe, quod tu aſſeris, quid aliud aut ſæpius, aut apertius teſtantur ſacræ litteræ, quam æternam vitam, quam nobis Chriſtus attulit, præmium eſſe, Dei gratia atque benignitate, fidei atque obedientiæ noſtræ erga ipſum Deum & Chriſtum conſtitutum? Quid accuratius in eis explicatur, quam eos, qui participes tanti beneficii futuri ſunt, debere vitam quandam in hoc

ſeculo agere non ſanctiſſimam modo & honeſtiſſimam, ſed angelicam quodammodo atque cœleſtem? Quid certius ex ipſis colligi poteſt, quam Euangelii prædicationem tanquam inſtrumentum eſſe, quo Deus ad Chriſti beneficium hominibus impartiendum utatur? Hæc autem, quomodo vera eſſe poſſunt ſi vera eſt ſententia tua?

Primum enim qui poteſt vita æterna per Chriſtum allata fidei & obedientiæ noſtræ præmium eſſe, ſi ea, hoc eſt, jure illam adipiſcendi, jam donati ſumus omnes, & eam ob cauſam in ipſius quadam poſſeſſione conſtituti, antequam, quod nos Chriſtus facere jubeat, vel ſciamus quidem, nedum ei credentes obediamus. Nonne ſi ita res ſe habet, ut tu affirmas, certiſſimum eſt, non vitæ æternæ præmium credentibus in Chriſtum fuiſſe conſtitutum, ſed duntaxat avertentibus ſe à Deo, exitii, & ipſius vitæ æternæ, quæ data illis fuerat, ereptionis pœnam? Quomodo deinde verum eſſe poterit, quicunque bona à Chriſto allata conſecuturi ſint, honeſtiſſime & ſanctiſſime, & ſupra quam humana conditio ferre poſſe videatur, vitam agere debere, ſi ut ne illis privemur, ſatis eſt à Deo creatore ſeſe non avertere, & ſibi malo vitæ inſtituto ejus indignationem non cumulare? (neque enim dubium eſt, quin apud te non ſecus atque apud alios, idem ſit exitium ſubire, & Jeſu Chriſti beneficium non participare, ut ipſa verba tua aperte indicant) Num avertit ſe à creatore, ſi quis ea, quæ ſibi creatorem imperare credit, facere ſtudet, quamvis illa, quæ vere imperata fuere, aliqua ex parte ignoret, & quædam imperata fuiſſe credat, quæ interdicta fuerunt; vel non admodum diligenter id conetur, & conatus ſuos inanes plerunque experiatur? Num Dei iram, & indignationem is ſibi cumulabit, qui non præfracte nec malitioſe, ſed propter humanæ naturæ fragilitatem, cum aliqua etiam animi ſui moleſtia paulo intemperantius aut incontinentius vivat? Poſtremo quomodo verum erit, per Euangelii prædicationem nobis vitam æternam, quam Chriſtus attulit, impartiri, ſi ante ipſam prædicationem omnes jam in immortalitatis jura Chriſti beneficio reſtituti ſumus?

Quæris fortaſſe, ubi ea ſcripta ſint, quæ modo commemoravimus? Nunquid de vitæ æternæ mercede fidei & obedientiæ noſtræ conſtituta dubitas? Relege, ſi oblitus es, ea quæ ſcripta ſunt apud Matth. cap. 5 ubi non ſolum ex Chriſti ſententia perſpicuum eſt, regnum cœlorum non omnibus eſſe datum, ſed præmium propoſitum fuiſſe iis, qui tales fuerint, quales nos eſſe Deus vult, verum etiam diſerte ſcribitur; iis qui propter ipſius Chriſti nomen multa paſſi fuerint, repoſitam in cœlis eſſe copioſam mercedem. Pati autem propter Chriſtum, nemo negabit aliunde ortum non ducere aut pendere, quam ex fide quam ejus verbis adhibemus, & ex obedientia, quam ipſi & Deo noſtro præſtare volumus. Neque vero dixeris, mercedem illam cœleſtem aliquid eſſe præter ipſam æternam vitam, quaſi iis, qui propter Chriſti nomen affliguntur, aliquid præparatum fuerit, quod cæteris, qui vitam pariter æternam per Chriſtum adepturi ſint, dandum non ſit. Nemini enim, qui propter Chriſtum in hoc mundo non affligitur, Chriſti beneficium continget. Cum Paulus dixiſſet Rom. 8. 17, eos, qui ſpiritum Dei participaverant, hæredes eſſe Dei, cohæredes autem Chriſti, ſtatim addit, ſi tamen ſimul cum ipſo Chriſto affligerentur, ut & ſimul cum ego glorioſi evaderent. Idem Paulus aperte docet 2 Tim. 3. 12, omnes, qui pie in Chriſto vivere voluerint, perſecutiones paſſuros; idem una cum Barnaba monet eos Act. 14. 21, qui Chriſtum amplexi fuerant, oportere per multas tribulationes ingredi in regnum Dei. Petrus teſtatur 1 Pet. 2. 21, nos ad hoc vocatos eſſe, ut patiamur multa à malis hominibus & affligamur. Chriſtus ipſe ait Luc. 9. 23, ſi quis velit eum ſequi, debere ſeipſum negare & crucem ſuam quotidie tollere. Quid multa? Univerſum Novum Teſtamentum ejuſmodi ſententiis ſcatet. Ex quibus liquido apparet mercedem illam cœleſtem non eſſe aliquid ſingulare præter id, quod cæteris detur, qui Chriſti beneficii participes ſint, dandum illis, qui propter Chriſtum multa ſuſtinuerint, ſed omnibus communem eſſe, ad quos Chriſti beneficium pertineat, cum omnibus qui Chriſti beneficii participes futuri ſunt, multa propter ipſum Chriſtum ſint ſuſtinenda; neque aliud id eſſe poſſe, quam vitam æternam, cujus qui expertes fuerint, ii profecto Chriſti beneficium non participabunt. Unde etiam intelligere debemus, vitam æternam, quam attulit Chriſtus, non omnibus jam eo modo, quo ipſe intelligis, eſſe datam; ſed præmium fidei & obedientiæ fuiſſe conſtitutam. Nam ſi jam omnibus ea conditione, qua tu affirmas, eſſet data, non recte diceretur, non dandam eſſe, niſi iis, qui ſimul cum Chriſto in hac vita afflicti fuerint, ſed dicendum erat, non eſſe relinquendam niſi iis, qui ſe à Deo non averterint. In eodem Matt. cap. 5 Chriſtus teſtatur, nullam repoſitam eſſe mercedem iis, qui amicos amant. Ex quo perſpicuum eſt, iis, qui inimicos dilexerint, quod nos facere debere nobis ea ratione perſuadere volebat, mercedem eſſe repoſitam. Quæ autem ſit merces ea, explicat idem Chriſtus ſequenti cap. cum ait Matt. 6. 14: *Si enim remiſeritis hominibus peccata eorum, remittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Sed quid aliud eſt, hæc remiſſio peccatorum, quam vita æterna nobis per Chriſtum allata, & Chriſti beneficium illud de quo diſputamus? Ergo Chriſti beneficium tanquam merces benignitate divina illis datur, qui adeo Chriſti verbis fidem adhibuerint, & Deo obedire voluerint, ut inimicos quoque, quemadmodum Deus per Chriſtum præcipit, diligere non recuſaverint. Et ne quis putet hanc inimicorum dilectionem non omnibus eſſe neceſſariam, quibus peccata remitti debent, illico ſubjungit Chriſtus: *Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Nunquid dices aliud eſſe, dimittere hominibus peccata, & inimicos diligere? Si ita credis egregie falleris. Neque enim magis diligere inimicos, quam cæteros homines jubemur, ſed eos non propterea à cæteris diſtinguere, quod nobis inimici ſint, & aliquid in nos peccaverint: verum, prout ſe occaſio obtulerit, eis non minus quam cæteris benefacere. Id quod ex eo neceſſario conſequitur, quod quis ex animo, ut alibi Chriſtus præcipit, injurias omnes inimicis condonet. Nam ea ratione diſcrimen omne inter ipſos & cæteros homines ſublatum eſt. Præterea & Chriſtus Mat. 18. 35, Mat. 5. 44, & Paulus Rom. 12. 14, jubent, non autem, ut quibuſdam viſum eſt, conſulunt, ut inimicos diligamus, eos beneficiis afficiamus, & illis bene precemur. Quod ſi & per ſe manifeſtum non eſſet, & ab aliis aperte demonſtratum non fuiſſet, planum id facere conarer. Si igitur omnes inimicis bene velle debemus, & huic obedientiæ quam Deo præſtamus, præmium propoſitum eſt, quid aliud eſſe poteſt præmium illud, quam vita æterna, quæ omnibus dabitur, qui id fecerint, quod facere omnino debuerant, quibus nullum præterea præmium conſtitutum legimus. Quis autem negare poteſt, vitam æternam Chriſtianæ obedientiæ præmium eſſe, cum Chriſtus in die judicii dicturus ſit iis, quibus eam dabit Mat. 25. 34: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurii enim & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere,* &c. Paratum eſt igitur regnum cœleſte non quidem omnibus, qui Adamo fuerant prognati, ſed iis demum, qui ut Chriſto obediant, nullum charitatis officium prætermiſerint, aut certe ipſis, non quia homines ſint, ſed quia Chriſto obedierint, ex æterno Dei decreto dabitur. Itaque omnino non jam ante obedientiam illis datum, ſed poſt obedientiam dandum eſt. Quid de operariorum parabola ad vineam colendam à Patrefamilias conductorum dicemus Matth. 20, quibus omnibus peræque denarius ille, hoc eſt, vita æterna, quæ omnibus veris Chriſtianis dabitur, tanquam laboris merces datur? An non idem etiam aperte nos docet talentorum parabola? in qua ſcriptum eſt Mat. 25. 23: *Euge ſerve bone & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis,*

ſuper

ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. Fidelitatis noſtræ præmium eſt, intrare in gaudium Chriſti, hoc eſt, vitam æternam, non ſecus atque ille adeptus eſt, adipiſci, non autem jus quoddam, ante fidelitatem acquiſitum. Deficiet me tempus, ſi omnia quæ huc pertinent congerere velim. Nam quid eſt illud Petri 1 Pet. 1. 9? *Reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum.* Quid illud Pauli 1 Cor. 15. 58? *Abundantes in omni opere domini, ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Quid illa ejuſdem Apoſtoli Gal. 6. ℣. 7? *Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carnem ſuam, de carne etiam metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritum, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Quid item illud 2 Tim. 2. 5. & IV. 7? *Nam & qui certat in agone non coronabitur, niſi legitime certaverit.* Immo vero quid illud? *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi dominus in die illa juſtus judex. Non ſolum autem mihi, ſed & omnibus iis qui diligunt adventum ejus.* Sexcenta prætereo in ejuſdem diviniſſimi viri ſcriptis expreſſa, quæ idem manifeſte probant, & Jacobi locum, huic Pauli poſtremo ſimilem, conſiderandum propono: inquit enim Jac. 1. ℣. 12: *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promiſit dominus diligentibus ſe.* In Apoc. autem ſcriptum eſt Apoc. 2. ℣. 10: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Sed quid dico? Ibidem 2, & 3, cap. ſepties à Chriſto ſub variis, iiſque clariſſimis tranſlationibus ſive allegoriis vita æterna iis promittitur, qui vicerint. Quod dilucide oſtendit, vitam æternam victoriæ noſtræ in prælio adverſus peccatum & diabolum, quæ fide atque obedientia noſtra continetur, coronam & quaſi triumphum eſſe. In noviſſima autem ejus promiſſionis repetitione, ita ſcriptum eſt Apoc. 3. 21: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno ejus.* At qua ratione vicit Chriſtus? Audi Paulum Phil. 2. 8, qui victoriæ ſimul præmium luculenter exponit: *Humiliavit ſemet ipſum, factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen.* Ubi etiam Apoſtolus, ut idem & nos faciamus, ejus, quod illi contigit, exemplo hortatur, quemadmodum Chriſtum ipſum in eo Apoc. loco facere videmus, qui ſui præmii atque triumphi exemplo propoſito, ad ſe in victoria imitandum Laodiceæ Eccleſiam invitat. Sed audiamus adhuc, quid auctor ad Hebr. hac de re ſcribat Hebr. 10. 35: *Nolite itaque*, inquit, *amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem, Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet & non tardabit: Juſtus autem ex fide vivet: Etſi ſubtrahatur, non placet animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractionis in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.* Quid potuit clarius dici, ut non minus fidei & conſtantiæ in ſuſcepta ſemel Chriſti religione præmium, animæ ſalutem eſſe perſpiceremus, quam diffidentiæ & ſubtractionis pœna perditio eſt.

Quod ſi quis adverſus hæc, & innumerabilia hujus rei indubitata atque certiſſima teſtimonia afferat, vitam æternam multis in locis non præmium, ſed donum appellari, & nominatim à Paulo Rom. 6. 23, dictum fuiſſe, mortem quidem eſſe peccati ſtipendium, vitam vero æternam eſſe Dei gratiam ſeu donum, & propterea clamet, me id fidei & obedientiæ noſtræ tribuere, quod ſoli Dei clementiæ & liberalitati tribuendum eſt, is ſciat, ſe in media ipſa luce plane cæcutire. Nihil enim impedit aut impedire poteſt, quominus vita æterna donum ſit ſimul, & præmium, aut ſola Dei clementia & liberalitate aliquid adipiſcamur, ad quod tamen adipiſcendum omnino fides, & obedientia noſtra requiratur. Donum eſt vita æterna: quia nihil unquam ab hominibus vel factum fuit, vel fieri poteſt, quod ſui ipſius æſtimatione ac dignitate ab ea quam longiſſime non abſit, nedum illam mereatur. Ut enim nos docuit Chriſtus Luc. 17. 10, cum fecerimus ea omnia quæ Deo grata ſunt, dicere debemus; Servi inutiles ſumus. Nam quæ debueramus facere, fecimus. Præmium tamen eſt eadem vita æterna, quia Deo opt. max. pro ſua ineffabili miſericordia & bonitate viſum eſt, eam illis largiri, qui Chriſti verbis fidem adhibuerint, & ſibi ea ratione obedientes fuerint, & qui idem non præſtiterint, eam illis minime dare voluit. Hoc igitur inter vitæ æternæ præmium, & mortis æternæ pœnam intereſt, quod illud ſola Dei munificentia fidei & obedientiæ noſtræ eſt conſtitutum: Hæc vero meritiſſimo fuit peccato decreta. Quare hoc ſtipendium peccati, illud Dei donum jure optimo appellatur. Hinc perſpicuum eſt, neceſſitatem fidei & obedientiæ noſtræ antequam vitæ æternæ jura adipiſcamur, cum abſoluta divina clementia & liberalitate non pugnare. Neque enim poſtquam crediderimus, & obediverimus, debet nobis quicquam Deus, niſi quia id prius & clementiſſime & liberaliſſime promiſerat, cum alioqui non modo præmio alioqui nos afficere, ſed maximis etiam & ſempiternis pœnis mulctare ob ſcelera noſtra ſuo jure poſſet. Itaque certiſſimum eſto, vitam æternam quam nobis Chriſtus attulit, fidei & obedientiæ noſtræ præmium eſſe, & idcirco Chriſti beneficium ſive illius conſequendi jus non omnibus ab ipſo ortu dari, ſed iis tantum, qui jam ipſi fidem habuerint, & Deo ſe obedientes præſtiterint.

Sequitur, ut quam rara & admirabilis vitæ ſanctitas & innocentia iis neceſſaria ſit, qui Chriſti beneficio, id eſt vita æterna affici debent, ex divinis oraculis demonſtremus. Satis ſuperque conſtare id poterit, ſi 5, 6, & 7, Matth. capita non omnino oſcitanter legantur, præſertim vero 5, ubi quædam a Chriſto nobis præcepta ſunt, quæ humanam ipſam naturam exuperant, &, ut fieri poſſint, divino & cœleſti eoque ſingulari auxilio eſt opus, * non minus, quam ut gaudeamus & exultemus cum nobis homines maledixerint, & nos perſecuti fuerint propter nomen ipſius, quod nos facere ibidem Chriſtus jubet. Vim vi repellere licere, natura plane docet & omnes leges permittunt: At Chriſtus Matth. 5. 39, id nos facere vetat, adeo ut percutienti nos in dexteram malam, ſiniſtram quoque obvertere præcipiat potius, quam malo homini & nobis vim afferenti reſiſtere. Cupiditates quædam quas natura ad noſtri ipſorum generis conſervationem nobis dedit, vix ullo modo in poteſtate noſtra eſſe videntur, qualis eſt viro fœminæ appetitio: Et tamen Chriſtus Matth. 5. 29, non ſolum vetat nobis, mulierem libidinoſe intueri, ſed in adulterii loco ducit. Quid magis quodammodo proprium homini eſt, quam iraſci, quem affectum ad noſtri ipſorum conſervationem natura animis noſtris indidit? Verum Chriſtus Matth. 5. ℣. 23, eum, qui fratri ſuo temere iratus fuerit, adeo criminis reum eſſe dicit, ut hominem occidenti ferme æquiparet. Quid ſe ulciſcendi libidine homini à teneris (quod ajunt) unguiculis penitius inſitum eſt? Quid eidem difficilius, quam injurias ſibi illatas ex animo condonare? Hoc tamen nos facere, ab illo autem abſtinere omnino Chriſtus præcipit Matth. 5. 44, alioqui, ut paulo ante viſum eſt, peccata noſtra nobis remiſſum non iri affirmat; adeo, ut iis, qui nos odio habent, benefacere & pro perſequentibus & calumniantibus nos Deum orare velit. Adde his omnibus, quod quæcunque in hoc ſunt mundo, atque ea ipſa quæ poſſidemus, aut noſtra ſunt quamvis nobis longe chariſſima, quin noſmet ipſos, & vitam atque animam noſtram nos odio habere vult, hoc eſt, nihili pendere, eorumque deſiderio nullo modo teneri, quod obſcure in eo loco Matth. 5 dictum eſt, dum beatos eſſe prædicat, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, & ut modo dicebamus, gaudendum eſſe illis ait, qui hominum maledictis & inſectationibus propter nomen ejus, ſunt obnoxii, alibi clariſſime

* F. deeſt aliquid

explicat Luc. 14. 26, 28. Hæc profecto humanis viribus, niſi divinitus vehementer fulciantur & roborentur, præſtari nequeunt. Itaque Chriſtus, quemadmodum, cum gaudere & exultare jubet eos, qui perſecutiones propter ipſum ſuſtinent, addit, *Quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*; ſic paſſim modo tacite modo aperte maximum illud vitæ æternæ præmium iis repoſitum eſſe dicit, qui ipſius dicto audientes fuerint. Hæc enim ſententia concluſio eſt omnium Chriſti mandatorum ſi diligenter quicquid nobis præcepit apud Euangeliſtas omnes, perlegatur. Hæ nimirum ſunt vires illæ, quibus imbecillitatem noſtram ſuſtentat Deus, atque ut id faciamus, quod alioqui nulla ratione poſſemus, efficere valet. Quis eſt enim, qui cum ſpem immortalitatis & cœleſtis beatitudinis concepit, hæc mundana omnia pro nihilo non ſit ducturus, & Jeſu Chriſti præceptis obtemperaturus? Quis autem eſt, qui eam ſpem omnino non concipiat, dum modo ipſum Jeſum vere Chriſtum eſſe credat & Dei filium, id eſt veracem, immortalem, in cœlis regnantem, & quæ promiſit, præſtare potentem? Is enim ipſe fuit, qui tanta bona ſibi obedientibus promiſit. Propterea à Joanne ſcriptum eſt 1 Joh 5. 3: *hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt autem qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Jeſus eſt filius Dei?* Ex quo intelligi par eſt, quam ſit perniciosa opinio tua, quæ in ejus rei poſſeſſione homines conſtituit, cujus adipiſcendæ ſpes vires nobis ad mandata divina exequenda ſuppeditat, ſine qua ſpe fieri non poteſt, ut ea exequamur, & mundum vincamus, & ita neceſſe eſt ut in æternum pereamus.

Adeo autem verum eſt, ea quæ nobis à Chriſto præſcripta fuere, naturalem noſtram conditionem exuperare, ut, qui ea præſtant, novæ creaturæ appellentur, non ſolum quia novum ſibi ipſis genus vitæ inſtituunt, & ex malis boni fiunt, ſed quia novam ipſi etiam univerſæ naturæ vitam vivant. Et quoniam, ut dictum eſt, id citra ſpem vitæ immortalis fieri nequit, hac in parte quoque eos denuo naſci oportet; &, ipſo Chriſto patefaciente, id ope Spiritus Sancti perſpicere, quod prius aut obſcure tantum conjiciebant, aut penitus non videbant. Hæc ita ſe habere, declarant verba Chriſti Joh. 3. 3, 5: *Niſi quis*, inquit, *natus fuerit denuo (ſive deſuper) non poteſt videre regnum Dei: & paulo poſt: Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod naſcitur ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* In quam ſententiam multa ibidem adjungit Chriſtus, ex quibus eum non de renovatione vitæ tantum, ſed de nova quoque divinarum rerum cognitione loqui, manifeſtum eſt: præſertim ex illis verbis: *Amen amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis, &c.* De tota autem hac re accurate explicat Paulus, cujus verba, ſi quis ea diligenter expenderit, mirifice cum ſermone illo Chriſti ad Nicodemum conſentire videbit. Sic enim ſcribit 1 Cor. 2: *Sapientiam vero* (loquimur) *non hujus ſeculi, neque principum hujus ſeculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum hujus ſeculi cognovit. Si enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt, Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ipſum. Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis ſcit enim hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctis Spiritus Sancti, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur, ſpiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur. Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis inſtruxit, eum? Nos autem Chriſti ſenſum habemus.* Placuit totum hunc Pauli locum hic adſcribere, ut perſpicuum fiat, ea quæ nobis à Deo donata ſunt, id eſt, iis præparata, qui ipſum dilexerint, non naturaliter nobis patefacta eſſe, ſed per Spiritum Dei, quem ex Chriſto hauſimus; & hinc judicare liceat, num ea dilectio, quam Deus à nobis per Chriſtum requirit, ab iis qui hac ratione renovati non fuerint, & ex animalibus ſpirituales effecti, præſtari queat. De hac autem divina nativitate, quæ humanæ opponatur, diſerte ſcriptum eſt in illis verbis Joh. 1. 13: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Hos autem ipſos affirmat ibidem ipſe Euangeliſta eſſe eos, qui Chriſto fidem habent, id eſt, ſine dubio, qui vitæ rationem à Chriſto præſcriptam ipſe immortalitatis ſibi ab ipſo propoſitæ atque promiſſæ amplexi tenent. Petrus autem hanc ipſam nativitatem expreſſe generationem appellat. Ait enim 1 Pet. 1. 3: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam generavit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem*: &c. & infra, poſtquam dixiſſet, Deum excitaſſe Chriſtum à mortuis, & illi poteſtatem dediſſe, ut per eum ipſi Deo confideremus, addit: *Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite intente, renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi (ſeu vivens) & manentis (ſeu potius manens, in æternum.*

Ex his autem, dum divinam & cœleſtem vitæ ſanctitatem, quam Chriſtianus præſtare debet, oſtendere curamus, ſimul colligi poteſt, non vitæ æternæ à Chriſto allatæ jura alicui in prima & carnali nativitate dari, ſed in ſecunda & ſpirituali ejus vitæ nobis ſpem fieri, qua vires nobis comparentur tantam vitæ ſanctitatem præſtandi. Non igitur, ut quis Chriſti beneficium non participet, ſe à Deo avertere neceſſe eſt, & malum vitæ inſtitutum cum in credendis, tum in agendis ſequi, ac ſibi divini numinis indignationem cumulare, ut tu affirmas: ſed ſatis eſt eum plus quam humanam vitæ rationem non amplecti & tenere, quam Chriſtus ipſe nobis præſcripſit. Satis eſt ſive per negligentiam ſive propter carnis fragilitatem in lucta illa carnis, & ſpiritus ſuccumbere: Satis eſt denique carnem cum affectibus & concupiſcentiis non crucifixiſſe. Et ſane ſi ab ipſo ortu unuſquiſque Chriſti beneficii ipſo jure, ut juriſconſulti loquuntur particeps fieret, quemadmodum tu credis, fateor veriſimile admodum eſſe, aliqua inſigni à Deo defectione opus futurum, ut quis ejus beneficii jure quodammodo ſpoliari poſſet, neque ſatis fore, eum carni ſuæ, non quod à Deo deficere cogitaret, ſed quia communi naturæ inſtinctu ad id impelleretur, quibuſdam in rebus indulſiſſe. At ſi quis tanti beneficii jura nondum aſſecutus ſit, nihil mirum videri debet, ſi ab eo conſequendo excludatur, niſi cœleſtem quandam vitæ integritatem ad cœleſtem beatitatem divino munere participandam attulerit. Natura aut adoptione legitima filius paternæ hæreditatis jus jam habens, paucis quibuſdam iiſque graviſſimis de cauſis ea hæreditate privari poteſt. At cui hæreditas nullo jure debetur, illi quæcumque vel duriſſimæ conditiones, ſi eam adipiſci velit, proponi poſſunt, ita ut innumeris iiſque leviſſimis etiam de cauſis ab ea conſequenda, ſine injuria excludi queat. Quocirca deteſtabilis non minus, quam univerſæ ſcripturæ diſſentanea eſt opinio tua, quæ homines confidentes efficere, & ab admirabili illa vitæ innocentia, ſine qua nemo Jeſu Chriſti beneficio perfruetur, avocare facilime poteſt.

Reſtat, ut per Euangelii prædicationem vitam æternam Chriſti operâ nobis partam, à Deo quodammodo diſtri bui

diſtribui oſtendamus. Et quanquam te hoc prorſus negare, ſi ſententiam tuam retinere velis, neceſſe eſt, ut ex hujus rei exacta explicatione veritas dilucide apparere poteſt; non ſecus tamen atque in aliis probandis feci, quædam duntaxat ad id confirmandum afferam de multis, quæ nunc mihi ſuccurrunt. Neque enim animus eſt in hoc ſcripto, ut plane novam, ſic à ſanctis literis penitus abhorrentem quandam humanæ ſalutis per Chriſtum partæ, quam ad tuam ipſius perniciem & aliorum, ſi qui tibi credent, rationem excogitaſti, plane confutare, ſed ſolum in quæ abſurda ſeu potius impietates, occaſione ſententiæ tuæ, de qua potiſſimum contendimus, te ipſum conjeceris aperte indicare. Jam vero æternam vitam à Chriſto allatam per Euangelii prædicationem hominibus à Deo impartiri, declarat imprimis hiſtoria Cornelii Centurionis Act. 11. 13, cui ut Petrus ipſe, rem, uti geſta erat, cæteris exponens, teſtatur, mandavit angelus, ut Petrum accerſendum curaret, qui ei verba locuturus eſſet, in quibus ſeu per quæ ſervaretur tum ipſe, tum familia ejus tota. Hic dicere non potes id, quod fortaſſe alibi dicturus eſſes, ubi per Euangelii prædicationem ſalutem contingere ſcriptum eſt, id ſcilicet propterea dici, quod ii quibus Euangelium annunciatum fuit, ſeſe à Deo averterant, & cum eam ob cauſam à Chriſti beneficio excidiſſent, per Euangelium, quod ad pœnitentiam omnes hortatur & in hoc totum eſſe videtur, iterum ad Deum converſi ſunt, & ad idem beneficium reſtituti, ut merito per Euangelii prædicationem ſervati fuiſſe dici debeant. Cornelius enim & familia ejus non averterant ſe à creatore, ſed pietatem colebant, & Deum, quod idem ferme eſt, metuebant. Nam præter id, quod ea de re ſcriptum eſt in initio ipſius narrationis, Petrus, cum ad ipſum Cornelium veniſſet, & ab eo, cauſam cur ſe accerſiſſet percontatus, eam audiviſſet, ait Act. 10. 34, *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum & operatur juſtitiam acceptus eſt illi.* Acceptus ergo erat Cornelius Deo ante Petri prædicationem, tantum abeſt, ut à creatore defeciſſet, & tamen per Petri prædicationem ſalutem conſecutus fuiſſe dicitur. Nempe, quia Deo licet charus, vitæ æternæ, quam Chriſtus attulerat adhuc particeps non erat, alioqui falſiſſimum eſſet per Apoſtoli verba ei ſalutem contigiſſe. Chriſtus Patrem alloquens ait Joh 17.3 *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Per Dei igitur & Jeſu Chriſti cognitionem nobis vita æterna acquiritur. Verum hujuſmodi cognitio non omnibus hominibus naturaliter data eſt, ſed per Euangelii prædicationem iis tantum exhibetur, quibus ipſe Chriſtus voluerit, qui alibi ita loquitur Mar. 11. 27, *Nemo novit filium niſi pater, neque patrem quis novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare.* Et illico, ſubjungit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Cum dixiſſet, Dei & ipſius notitiam iis tantum contingere, quibus ipſe eam dare voluiſſet, explicat ſtatim, quo pacto eam det, adhortans omnes, ut ad ſe veniant, hoc eſt, quid dicat attendant, ſi ab hujuſmodi calamitatibus & moleſtiis recreari velint, in quibus aſſidue verſantur, quicunque Dei & Chriſti cognitione carent, hoc eſt, vitæ æternæ, ſi innocenter vixerint, conſequendæ firma ſpe ſunt deſtituti. Præterea fide in Chriſtum vita æterna per ipſum allata comparatur: Sed fides in Chriſtum per Euangelii prædicationem gignitur. Ergo per Euangelii prædicationem vita æterna per Chriſtum allata hominibus datur. Si forte dubitas de eo quod primo loco ſumpſi, audi Johannem Joh. 20. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Atque hoc unicum teſtimonium pro infinitis aliis, quæ paſſim leguntur, ne in re manifeſtiſſima confirmanda ineptus videar, eſſe volo. Quod autem deinde aſſumpſi, eodem teſtimonio probatur: nam ſcriptio illa Joannis quid aliud eſt, quam muta quædam ſed non minus, quam vocalis, efficax Euangelii prædicatio? Atqui per eam ſe fidem in Chriſtum in legentibus generaturum ſperat Euangeliſta, neque aliam ob cauſam id laboris ſe ſuſcepiſſe profitetur. Chriſtus etiam in oratione illa ad patrem ait Joh. 17. 20: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Hinc fit, ut & ipſa Euangelii prædicatio fides appelletur, ut apparet in illis Pauli ad Gal. verbis Gal. 3. 2: *Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* Et rurſus: *Qui ergo vobis tribuit ſpiritum & operatur virtutes in vobis ex operibus legis an ex auditu fidei?* Auditum fidei pro auditione prædicationis Euangelii appellat, per quam, ut ex Apoſtolicis actis à Luca deſcriptis conſtat, Spiritus Sancti ampliſſima dona Deus credentibus largiebatur. Quod ſi quis auditum fidei ob hanc ipſam cauſam, quod credentibus duntaxat ea dona darentur, non auditionem prædicationis Euangelicæ ſed fidelem auditum, hoc eſt auditionem cum fide conjunctam interpretetur, non vehementer pugnabo. Quanquam mihi veriſimile non ſit, Apoſtolum auditionis ſine re audita mentionem feciſſe, quam tamen operibus legis, non autem ipſam auditionem opponat; nec novum videri debet, quod per auditionem Euangelicæ prædicationis ſpiritum Galatis datum fuiſſe dicat, quamvis, ut fides præterea acceſſerit, neceſſe fuerit. Nam & Chriſtus dixit diſcipulis ſuis Joh. 15. 3: *vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis:* (ubi etiam obſervandum eſt, eum dixiſſe propter ſermonem, quod multo plus eſt quam per ſermonem, ſive ex ſermone) Et tamen certum eſt, ſermonem Chriſti, niſi illi credidiſſent, diſcipulos mundaturum non fuiſſe. Si modo hæc, ut pleriſque videtur, ejus loci ſententia eſt: ſimiles autem loquendi modi in divinis literis paſſim occurrunt. Utcunque autem res ſe habeat, cum ibi Paulus de fide in Chriſtum loquatur, intelligere ex ipſius verbis poſſumus, per auditionem prædicationis Euangelicæ, fidem in Chriſtum in nobis gigni. Nec vero alia divina teſtimonia deſunt, in quibus fides pro Euangelica prædicatione uſurpatur, quale eſt illud Act. 6. 7: *Et multa turba ſacerdotum obediebant fidei:* Sed ea nunc proferre & examinare non eſt opus. Miraberis forſitan, quod hoc virium prædicationis Euangelicæ, ad fidem in Chriſtum in nobis generandam, argumentum tractans, celeberrimum illum Pauli locum ad Rom. cap. 10 non afferam, ubi non dubium eſt quin apertiſſime Apoſtolus, per auditionem verbi Dei fidem in nobis gigni pronunciet. Sed ſcito me ab eo teſtimonio afferendo ideo abſtinere, quia dum ſemel, in quodam tuo libello reſponſionem, quam ad eum locum accommodas, raptim legerim, quamvis rem ipſam probe teneam, & non modo falſam ſed ineptam quoque & ridiculam tuam interpretationem eſſe perſpiciam: non tamen omnium memini, nec ſine pleniſſima confutatione eorum, quæ dicis, locum attingere volui, præſertim cum hac de re obiter à me in hac mea reſponſione agatur, &, quæ dicta ſunt, ſatis eſſe poſſint, ad id, quod volebam, non leviter confirmandum.

Quod ſi per fidem in Chriſtum vitam æternam nobis conferri, fidem autem per Euangelii prædicationem in cordibus noſtris gigni fatearis quidem, ſed hæc in illis tantum contingere dicas, qui à Deo ſe averterunt: primum falſum id eſſe, Cornelii exemplum demonſtrat, paulo ante à me allatum: Deinde tanquam ex tuo capite confictum, ſatis eſt id verum eſſe negare. Sed enim ab omni veriſimilitudine penitus abhorret, ut quis Jeſu Chriſti beneficio fruatur, ipſum autem Chriſtum quis ſit & qualis ſit nunquam noverit, cum & ab ipſo Chriſto & ab ejus Apoſtolis atque diſcipulis, ut is à mundo agnoſcatur, & hac ratione vitam illam æternam, quam nobis peperit, re ipſa conſequi poſſimus, tot & tanta geſta, ſcripta, patrata, tot ingentes labores exantlati, tot extrema mala tolerata fuerint.

Præterea aut omnes homines, ſimulatque adoleverint, & recti & pravi diſcrimen aliquod agnoſcant, à Deo deficere vis, aut non omnes. Si omnes, ſane non

debueras

debueras dicere, iis tantum exitium impendere, qui ſeſe à creatore averterunt, niſi iterum ad ipſum convertantur. Quod tamen falſum eſſe, & ratio & experientia aperte teſtatur. Siquidem, ut jam dictum fuit, aliud eſt à creatore ſe avertere, aliud nonnunquam, aut ſæpius etiam labi, atque delinquere. Sed ſi nihilominus tamen id verum eſſe contendis, dic (te rogo) cur Deus, quemadmodum omnibus ab ipſo ortu beneficium Chriſti impertiit: ſic omnibus æque remedium tanti beneficii, quod propria culpa amiſerunt, recuperandi non largitur? cur omnibus Chriſtum, & peccatorum per ipſum remiſſionem annunciari non curat? Sin non omnes, ſed aliquos adultos à creatore ſe avertere velis, cur nulla diſtinctio in ejuſmodi remedio concedendo inter hos & illos apparet, ſed ſicut Chriſti Euangelium, populo cuipiam non annunciatur, in quo utriuſque generis adulti ſunt, ſic cuipiam alii annunciatur in quo ſimiliter, utriuſque generis adulti reperiuntur? cur omnibus qui ſe à Deo non averterunt, ne quid ſine cauſa fiat, non denegatur? Cur item omnibus qui ſe averterunt, non conceditur? Id profecto neceſſe eſt, ut dicas, alia remedia ad amiſſam vitam æternam, quæ per Chriſtum parta fuerit, recuperandam hominibus à Deo dari, præter fidem in Jeſum Chriſtum, vel fidem in Jeſum Chriſtum alia ratione, præter Euangelii prædicationem humanis cordibus inſeri. Sed quomodo aut hoc aut illud verum eſſe oſtendes, cum in Sanctis Novi Fœderis Scriptis nulla alia ratio remiſſionis peccatorum conſequendæ (quæ certe ad Chriſti beneficium recuperandum, quod quis amiſiſſet, neceſſaria eſt,) proponatur, quam fides in Chriſtum? fidei autem in Chriſtum adipiſcendæ nulla alia via explicetur, quam de ipſo Chriſto prædicatio, ejuſque doctrinæ expoſitio? Quid autem abſurdius excogitari poteſt, quam ſi quis affirmet, poſſe alicui fidem haberi, cujus notitia nulla habeatur; Chriſtum autem vel leviter quidem noſſe qui poſſumus, niſi is miniſterio ſuorum Apoſtolorum, atque præconum ſe nobis patefecerit, aut ipſe de cœlo, quemadmodum Paulo fecit Act. 9, nobis loquatur? qui tamen & antea de Chriſto audiverat, & poſtea, antequam plene crederet, ad Ananiam miſſus eſt, qui illi diceret, quæcunque eum facere oportebat. Nec aliter, ut vidimus, Cornelio accidit, qui ſic Chriſti cognitionem divina benignitate conſecutus eſt, ut tamen Joppe Cæſaream Petrum accerſere debuerit, & ex ejus ſermone id, quod prius neſciebat edoceri. At neque unquam non Chriſti tantum, ſed Dei ipſius notitiam aliquam, præter eam, quæ natura homini inſita videtur, nobis dari comperies, ſine alicujus rei externæ quodam quaſi inſtrumento. Quin etiam non deſunt, qui affirment, nullam homini Dei notitiam natura ingeneratam eſſe, ſed vel alicujus monitione, vel mundi contemplatione, vel miris aut inuſitatis quibuſdam operibus, quæ miracula appellamus, quæque humanis viribus fieri non poſſe credantur, vel aliqua alia externa re ad divini numinis cognitionem aut opinionem perveniri. Cæterum ſi alia ratione præter Euangelii prædicationem Chriſti fides in hominum cordibus ingeneratur, qui fit, ut ejus fidei fructus, non niſi in iis, qui de Chriſto audiverunt, ullos unquam videri contigerit? Poteſtne quis Chriſti fide vera imbutus eſſe, & non eum palam confiteri, & pro Chriſtiano haberi velle? Quis autem iſta fecit unquam, cui Chriſtum aut per ſe, aut in miniſtris ſuis loquentem ſive ſcribentem audire, ſeu legere non contigerit? Quare neceſſe eſt, quamvis id in Sacris Literis expreſſum minime ſit, ut non fide tantum in Chriſtum, ſed alio etiam modo, & via remedium hominibus, qui ſe à creatore averterint, ad Chriſti beneficium recuperandum, à Deo concedi dicas, quod non minus abſurdum eſt, quam ſecum quodammodo pugnans. Etenim aut modus ille, Chriſti fide præſtantior, aut inferior, aut ipſi par eſt. Si par aut præſtantior, ſine cauſa nimirum eſt omnis de Chriſto prædicatio, ſine cauſa ea omnia, quæ ſupra commemoravimus, facta fuere, ut Chriſtus agnoſcatur, & ei fides habeatur. Sic enim Paulus quoque argumentatur, cum juſtitiam per legem hominibus contingere negat Gal. 2. 21: *Si ex lege eſt juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Sin autem eſt inferior, id eſt minoris vis atque efficacitatis, cur tamen retinetur? Cur, cum omnes a Deo averſi, pæreque jura æternæ vitæ per Chriſtum adepti antea eſſent, aliis potentius, aliis vero infirmius, ad ea recipienda remedium datur? Adde quod, ſi Paulum in modo relata argumentatione imitari velimus, inferior quoque ejuſmodi via, ſine cauſa Euangelium prædicari, arguere dicenda eſt. Sine cauſa enim mortuum eſſe Chriſtum, docet Apoſtolus, ſi per legem ſit juſtitia; quamvis dicere quiſpiam poſſet: per Chriſtum multo uberius quidem & efficacius juſtitiam contingere, per legem tamen juſtitiam ſimiliter hominibus dari. Neque enim dubitari poteſt, quin Apoſtolus omnem juſtificandi vim, ſive ſeparatim ſive conjunctim cum Chriſto, à lege eo argumento removere velit, & non tantum iis reſpondere, qui ſine lege juſtificari hominem volebant, ſed iis etiam ſatisfacere, qui per Chriſtum quidem abſque operibus legis juſtificari hominem concederent, interim tamen per legem quoque juſtitiam nobis obvenire contenderent. Hactenus ſatis confirmatum videtur, vitæ æternæ beneficium per Chriſtum allatum per Euangelii prædicationem, etiam iis, qui à creatore non defecerint, dari atque conferri. Ex quo efficitur, jura illius æternæ vitæ omnibus, quia homines ſint, & ex Adamo prognati, data non fuiſſe, ſed alia progeneratione, nempe ea, quæ per Dei verbum fit, opus eſſe. De qua aperte mentionem facit Petrus 1 Pet 1. 23, in illis ſupra citatis verbis: *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi (ſeu vivum) & manentis (ſeu manens) in æternum.* Et ne quis putaret verbum illud Dei aliud eſſe, quam Euangelium Jeſu Chriſti, quod ipſe & cæteri Apoſtoli annunciaverant, addit poſtmodum: *Hoc eſt autem verbum, quod euangelizatum eſt in vos.* De eodem loquitur Jacobus, cum de Deo ſcribit Jac. 1. 18: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut eſſemus primitiæ quædam creaturarum ejus*, ut innumera prope alia teſtimonia omittam divinorum ſcriptorum, in quibus eadem ſententia continetur.

Ex iis, quæ hucuſque diſſeruimus, id quod ſecundo loco à nobis propoſitum fuerat, confectum videtur, & demonſtratum, ea quæ tibi neceſſario ex priſtina Adami immortalitate fluere videntur, non falſiſſima modo, ut polliciti eramus, verum etiam periculi plena eſſe, quod commodiore oblata occaſione, multo etiam evidentius, ſi opus fuerit ſeparato ſcripto à nobis demonſtrabitur.

Supereſt, ut id præſtemus, quod tertium erat, & ad duo illa Pauli teſtimonia veram & tibi adverſantem interpretationem afferamus. Et quoniam locus ille prioris epiſtolæ ad Cor. cap. 15, ad explicandum, cum per ſe, tum per ea quæ ſupra non uno in loco dicta ſunt, facilior eſt, & ejus explicatio, eorum quæ in cap. 5, epiſtolæ ad Rom. continentur, interpretationi viam aperiet, is nobis primo excutiendus eſt. Sic igitur habet locus 1 Cor. 15. 21: *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ eorum qui obdormierunt fuit. Quandoquidem enim per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Unuſquiſque autem in ſuo ordine. Primitiæ Chriſtus, Deinde qui [ſunt] Chriſti in adventu ejus. Deinde finis*, &c. Jam vero aut de omnibus prorſus hominibus loqui Paulum exiſtimas; aut non prorſus de omnibus. Si non prorſus de omnibus, nihil ad tuam ſententiam confirmandam ex ejus verbis elicere potes. Si enim quoſdam excipias, perit vis illa, quam univerſali enunciationi ineſſe contendis, & perit ſimul argumentatio tua, quæ tota vi illi innititur, & quærendum relinquitur, de quonam hominum genere Paulus loquatur. Sin de omnibus prorſus hominibus, ſeu de univerſo humano genere ab Apoſtolo verba fieri dicas, quæſo te, quomodo id affirmare audes, cum is diſerte ſe ipſum explicans, eos per Chriſtum vivificandos eſſe

decla-

declaret, qui Chriſti ſunt, & poſtquam ii, qui Chriſti ſunt, vivificati fuerint, finem futurum affirmet? Namque non omnes homines Chriſti eſſe, id ſatis indicat, quod alioqui non dixiſſet Apoſtolus: *Deinde qui [ſunt] Chriſti*, quod planum facit aliquos non eſſe Chriſti, & aperte probat id, quod alibi idem ſcripſit Rom. 8. 9: *Si quis Chriſti ſpiritum non habet, hic non eſt ejus.* Præterea, aut de vivificatione ad ſalutem tantum hic agi credis, aut de vivificatione quoque ad perditionem. Si de vivificatione tantum ad ſalutem, ergo omnes prorſus homines ſive boni ſive mali ſalutem per Chriſtum conſequentur, quod ut ab homine Chriſtiano dicatur, indigniſſimum plane eſt. Sin vero de vivificatione quoque ad perditionem, quid hoc tuam ſententiam juvare poteſt? Neque enim omnes homines reſurrecturos eſſe ex eo loco probare vis, ſed omnes, qui à creatore averſi non fuerint, vitam æternam atque cœleſtem conſecuturos, inter quos ut tua ratiocinatio omnino requirit, & te ſæpius dicentem audivi, infantes omnes ex quibuſcunque hominibus natos numeras, quos, ſi de ipſis hic verba fieri tibi concederetur, reſurrecturos quidem conſtaret, ſed non tamen vitam æternam & cœleſtem adepturos. Inquirendum enim adhuc relinqueretur, utrum ad ſalutem an vero ad perditionem reſurrecturi eſſent, & ejus quæſtionis veritas aliunde petenda foret. At vero de vivificatione ad ſalutem, nec de alia præterea Paulum loqui adeo perſpicuum eſt, ut nihil clarius inveniri poſſit. Primum enim, ut ſupra in ſexto cap. vidimus, corporibus reſurrecturis eas qualitates tribuit, quæ à cœleſti æternaque vita ſeparari nequeant. Deinde, ut modo oſtendimus, de iis qui Chriſti ſunt, duntaxat loquitur, quos ad ſalutem reſurrecturos eſſe, nemo negabit. Poſtremo toto capite nihil aliud agit, quam ut Jeſu Chriſti fideles vitam immortalem atque beatam conſecuturos, ipſius Jeſu Chriſti exemplo, doceat. Quem ut ad immortalem beatitatem reſurrexiſſe oſtendat, ſatis habet dicere, eum reſurrexiſſe. Itaque ubique *reſurgere* pro vivificari, ſeu ex mortuis excitari ad ſalutem, manifeſte uſurpat, ut in Sanctis Literis fieri conſuevit, quemadmodum in reſponſione illa Domini Jeſu ad Saducæos factum vidimus, ita ut, ſi verba illa, *Ad ſalutem*, ubique adjungas, non modo Apoſtoli ſenſum ulla ex parte non imminuas aut pervertas, ſed pleriſque locis maximam lucem & vim afferas. Quis autem negare poteſt, paſſim in iiſdem Sacris Literis mortem, interitum, & corruptionem pro æterna morte impiis debita uſurpari? Quocirca mirum videri non debet, ſi ex altera parte reſurrectionis, ſicut vitæ & immortalitatis nomine, vita æterna piis Dei benignitate præparata, ut cuilibet eas legenti apparebit, in ipſis intelligitur. Propterea etiamſi & ex iis, quæ dicta ſunt, & ex eo, quod de impiis, nullam penitus mentionem facit, & ex omnibus denique toto capite, præſertim vero ad ejus finem, ab ipſo ſcriptis, non conſtaret, Apoſtolum de alia vivificatione non agere, præter eam, quæ ad ſalutem ſit, id tamen abunde ſatis ex eo ſolo liqueret, quod vivificandi, ſuſcitandi, reſurgendi, ſeu reſurrectionis, immortalitatis & incorruptionis vocabulis ubique utitur, quæ, niſi aliquid præterea expreſſe additum fuerit, ſemper beatam æternamque vitam declarare, & nunquam de impiis dici, nemo eſt in Sacris monimentis vel mediocriter verſatus, qui auſit diffiteri.

Quod ſi dixeris, omnes quidem prorſus, ſi rei ipſius natura ſpectetur, ad ſalutem conſequendam à Chriſto vivificari, ſed eos, qui ſeſe à creatore averterint, tanto bono deinde privari, præter id, quod ad hujuſmodi ſomnium, in 6 cap. jam reſponſum eſt, & id, quod paulo ante demonſtravimus, Paulum ſcilicet eos omnes tantum, qui Chriſti ſunt vivificandos aſſerere; dico, neceſſarium eſſe ut probes, ex univerſo reſurgentium numero ad ſalutem, ſi rei natura ſpectetur, in vitam revocatorum, eos ſolos deinde tanta felicitate privari, qui ſeſe, à creatore averterint, hoc eſt iterum idipſum probes, ad quod confirmandum Pauli verba attuleras, & de quo nominatim diſputatio inſtituta eſt. Ego enim una cum cæteris conſtanter affirmo, non adepturos eſſe per Chriſtum vitam illam æternam, atque cœleſtem, niſi illos, qui ipſius Chriſti Spiritus participes fuerint. Ut autem quis Chriſti Spiritus particeps dici poſſit, non ſatis eſt ſeſe à creatore non avertere, ſed eximiam quandam obedientiam, non animo tantum, verum etiam opere, quemadmodum Chriſtus fecit, illi præſtare oportet. Præterea quæ à nobis modo allata ſunt, ut Paulum de vivificatione duntaxat ad ſalutem loqui oſtenderemus, eam vivificationem omnino arguunt, quæ non ſuapte natura ſolum ad ſalutem deſtinata ſit, ſed etiam quam ipſius ſalutis effectus pleniſſimus revera conſequatur. Sed neque ullam aliam ad ſalutem à mortuis reſurrectionem in univerſa Sacra Scriptura nominari comperies. Quæ enim ad ſalutem ſit, & tamen ſalutis effectu careat, à te fortaſſis, ut innumerabilia abſurda, quæ ex interpretationibus & commentis tuis neceſſario fluunt, quoquo modo poſſis, devitare coneris, excogitata fuit. Sed quam tua ſpe fruſtreris, me ſatis aperuiſſe confido.

At enim dices. Cur Paulus voce illa univerſali *Omnes* uſus eſt, ſi de omnibus prorſus hominibus loqui nolebat? Quin etiam addes id, quod in tuo ſcripto attuliſti, nihil abſurdius aut iniquius excogitari poſſe, quam cum omnes per Adamum mori dicit, totum humanum genus intelligere: Cum autem nos ait per Chriſtum vivificari, unum aut alterum ex unaquaque myriade Chriſtiani nominis deſignare velle. Ad hæc reſpondeo, jam ex prædictis perſpicuum eſſe, nec vocem *Omnes* utrobique totum humanum genus ſignificare poſſe; neque hanc quam Apoſtolus explicat, Chriſti cum Adamo collationem, ita craſſa quadam ratione accipiendam eſſe, ut à te fieri videmus. Quibus addo, vocem Omnes, cum de Chriſto eſt ſermo, non minus univerſalem eſſe, quam cum de Adamo verba fiunt, neque enim minus eos omnes ſignificat, qui ad Chriſtum pertinent, quam eos omnes prius ſignificaſſet, qui pertinent ad Adamum. Itaque, ſi ea vox, cum de Adamo eſt ſermo, omne humanum genus complectitur, id non propterea fit, quod *Omnium* nomine omnes prorſus homines per ipſam vocem intelligere Paulus voluerit, ſed quia caſu (quod ad Pauli propoſitum attinet) ii, qui ad Adamum pertinent, univerſum humanum genus complectuntur. Rurſus, ſi eadem vox, cum de Chriſto ſermo eſt, eos tantum ſignificat, qui Chriſti Spiritu ſunt præditi, id non ideo factum eſt, quia Paulus ipſe, omnium nomine paucos quoſdam homines intelligere voluerit, ſed quia caſu (ipſius conſilio inſpecto) ii tantummodo ad Chriſtum ſpectant, qui ejus Spiritum habent. Ita fit, ut Chriſti hæc cum Adamo comparatio, quamvis per Adamum omne humanum genus moriatur, per Chriſtum vero pauci quidam homines vivificentur, nec abſurda nec iniqua ullo modo dici queat. Quin & abſurdiſſima & iniquiſſima eſſet, ſi per Adamum ii morerentur, qui ipſius ſunt, per Chriſtum vero ii vivificarentur, qui majore ex parte ipſius non ſunt. Quam ipſius comparationis abſurditatem & iniquitatem tot præterea in Apoſtoli verbis abſurditates, tot, tantæque in religione Chriſtiana iniquitates conſequerentur, ut nihil fœdius, nihil indignius excogitari poſſe videatur, ut jam à nobis demonſtratum eſt, & adhuc fortaſſe confirmabitur. Mitto, quod verba illa, *Omnes moriuntur*: *Omnes vivificabuntur*, ſecundum communem loquendi morem, & ipſius ſcripturæ uſum commodiſſime ita accipi poſſunt; ac ſi dictum fuiſſet: *Sicut omnes qui moriuntur, per Adamum moriuntur*, ita omnes qui vivificabuntur per Chriſtum vivificabuntur. Mitto etiam, quod ea verba ἐν τῷ Ἀδὰμ, ἐν τῷ Χριστῷ, perinde exponi poſſunt, quaſi ſcriptum eſſet, οἱ ἐν τῷ Ἀδὰμ, οἱ ἐν τῷ Χριστῷ, hoc eſt, ii qui ſunt in Adam, ii qui ſunt in Chriſto, ita ut ex ipſius collationis verbis appareat, Apoſtolum de iis tantum loqui, qui Chriſti ſunt, & ad Chriſtum pertinent. Nam, quod, ſi recte memini, dicere ſoles: univerſum humanum genus, Chriſti eſſe, & ad ipſum perti-

pertinere, ſive ipſius corporis membra eſſe, quia Chriſtus ipſe homo natus fuerit, & Meſſias in genus humanum (ſic enim loqueris) fuerit inſitus, id adeo carnem ſapit, & à Chriſtianis decretis, quæ nihil niſi ſpiritum redolent, alienum eſt, ut Chriſtianum ſe eſſe profiteri vix jure poſſit, qui erroris ſui admonitus, id verum eſſe nihilominus aſſeveret.

Sed, antequam rem ita ſe habere oſtendam, dic, te rogo, cur igitur omnes homines non ſervantur? cur non omnes, ut æternam ſalutem reipſa conſequantur, & cum ipſo Chriſto in perpetuum vivant, vivificandi ſunt? Dices, quia ii, qui à creatore ſe averterunt, tanquam exciſi ſunt ab ea arbore, in quam inſitus fuit Meſſias, aut tanquam rami ſunt, in ea penitus mortui & arefacti. Primum iſtud manifeſto falſum eſt, ſi arbor, in quam inſitus fuit Chriſtus, univerſum genus humanum eſt. Nam homines impii, quantumvis à Deo averſi, homines tamen eſſe non plane deſierunt, quamvis per tranſlationem metonymicam dici poſſit, eos non amplius homines, ſed beſtias eſſe, quippe qui ratione à Deo ſibi conceſſa, aut perverſe, aut, ubi magis opus eſt, minime utantur. Non vere autem homines eſſe deſiiſſe, nec tanquam in generis humani arbore, ramos penitus mortuos, & arefactos eſſe, aut ab ea exciſos, ut ipſe fatearis, neceſſe eſt, cum eos, ſi Pauli teſtimonio ad tuam ſententiam confirmandam uti velis, per Chriſtum vivificandos eſſe, quamvis deinde exitio devovendos, affirmare cogaris. Nunquid enim per Chriſtum aliqua ratione vivificandi ſunt ii, qui nullo modo ad ipſum amplius pertinent? qui homines amplius non ſunt? ſi igitur adhuc homines ſunt, & cæteri non aliam ob cauſam Chriſti beneficium plene participant, niſi quia humani generis, cui inſitus fuit Chriſtus, pars ſunt, cur ipſi quoque Chriſti beneficium plene participare non debent? Deinde undenam collegiſſe videris, eos, qui ſe à creatore averterint, ab ea arbore exciſos fuiſſe, in quam Meſſias inſitus fuit, aut quamvis adhuc in arbore vivant, ejus tamen radicis & vitalis ſucci plene participes non eſſe? Nonne ex iis locis divinarum literarum, in quibus diſerte pronunciatur, impios non habere partem in regno Chriſti? Sed (ut interim ipſius rei tractationem aggrediar) ex iiſdem aut ſimilibus locis percipere poteras, ejuſmodi homines, niſi aliquando, poſtquam adoleverint, Jeſu Chriſto fuem habuerint, nunquam Chriſti beneficii participes fuiſſe: & animadvertere debueras, nuſquam legi, eos, cum primum per Euangelii prædicationem Chriſto afferuntur, reſtitui ad Chriſti beneficium, à quo excidiſſent: ſed ſimpliciter Chriſti beneficii participes factos eſſe; idque ſi modo in ea fide permanſerint, & divinæ voci obedire perſeveraverint. Itaque Paulus gentes quas participes factas fuiſſe dixerat, radicis & pinguedinis illius olivæ, in quam inſitæ fuerant, excludendas eſſe affirmat, niſi in Dei bonitate permanſerint Rom. 11. 22. Et in Epiſtola ad Hebr. ſcriptum eſt Hebr. 3. 14: *Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium illius ſubſtantiæ, uſque ad finem firmum retineamus, dum dicitur: Hodie ſi vocem ejus audiveritis, ne obduretis corda veſtra*, &c. Non igitur facti ſumus participes Chriſti, niſi ſubſtantiam illam rerum ſperandarum, hoc eſt fidem, quæ in nobis eſſe cœpit, ad finem uſque retineamus, & Deo obedire perſeveremus, tantum abeſt, ut ante fidei noſtræ initium, jam participes Chriſti ſimus. Nam & paulo ſuperius idem ſcriptor dixerat, nos eſſe Chriſti domum: ſi modo confidentiam, & gloriationem ſpei uſque ad finem firmam retineremus. Conſiderandum præterea tibi fuerat, ſi homines univerſi ab ipſo ortu ad Chriſtum pertinerent, nuſquam dicturum fuiſſe Paulum Rom. 11. 11, delicto & lapſu Judæorum ſalutem gentibus contigiſſe, ſed illis ſalutem reſtitutam fuiſſe, & multo minus eas oleaſtro comparaturum contra naturam in bonam oleam inſito. Quomodo enim per Euangelii prædicationem, quam libenti animo acceperant, contra naturam in Dei populum inſitæ ſunt gentes, ſi ab ipſo ortu non minus, quam Judæi, verus Dei populus erant? Num poteſt quis Jeſu Chriſti beneficium participare, & tamen ex vero Dei populo non eſſe? non igitur contra naturam aliquo pacto, ſed omnino ſecundum naturam in Dei populum inſitæ ſunt gentes, ſi ab ipſo ortu participes Chriſti factæ erant, etiamſi inſitionem illam, vocationem tantummodo externam intelligas. Ut enim externæ illius vocationis gentes participes fierent, prorſus ſecundum naturam fuit. Nam quid magis ſecundum naturam, quam aliquem ſe eum eſſe, publice profiteri qui ab ipſo matris utero fuit, aut ejus filium haberi, cujus filius natus ſit? At vero ideo contra naturam tanquam oleaſter in bonam olivam inſitæ gentes fuere, cum per prædicationem Euangelicam Chriſtum ſunt amplexæ, quia ante illud tempus nihil penitus cum Chriſto commune habebant, & natura alieni ac procul à Dei populo erant, quod Judæis ſecus eveniebat, qui jam ab initio in Dei populum electi fuerant, & promiſſionum de Chriſto participes facti erant. Totam hanc rem explicat diligenter Paulus ſcribens ad Epheſios his verbis Eph. 2. 12, 13, 14; *Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos, qui gentes eratis in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circumciſio in carne manufacta, qui eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis, ſpem non habentes, & ſine Deo in mundo. Nunc autem in Chriſto Jeſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti*, non quia ſtatim a morte Chriſti re ipſa participes facti fuiſſent illius beneficii, ſed quia ea fuit ratio, eos in populum Dei ſuo tempore cooptandi, & ad ejus cognitionem vocandi. Loquitur enim perpetuo Chriſti ſanguis, & perpetuo adinos ex longinquis vicinos faciendos efficax eſt. Quod ni ita eſſet, quomodo alibi, ut paulo ante vidimus, dicere potuiſſet Rom. 11. 11, per lapſum Judæorum ſalutem gentibus contigiſſe, cum Judæorum lapſus, de quo loquitur, Euangelii ab Apoſtolis annunciati rejectio fuerit, quæ mortem Chriſti, aliquo poſt tempore ſubſecuta eſt? Idcirco paucis interjectis, quibus eadem morte Chriſti interveniente, pacem inter utrumque populum factam fuiſſe ait, ſubjungit poſtmodum: *Et veniens euangelizavit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis qui prope.* Per Apoſtolos enim ſuos, poſtquam in cœlum aſcendit, euangelizavit Chriſtus gentibus, non antea, & paulo poſt concludit: *Ergo non amplius eſtis hoſpites, & advenæ, ſed cives ſanctorum, & domeſtici Dei*, &c.

Jam vero ſatis mirari non queo, cum tota ſcriptura clamet, nullam carnalem cognationem aliquid momenti in Chriſti regno habere, quid tibi in mentem venerit, ut univerſum humanum genus ideo Chriſti eſſe ſtatueris, quod ipſe Chriſtus, homo fuerit natus, quæ inter omnes carnales cognationes infima eſt, & quavis alia minus æſtimanda. Paulus 9, cap. epiſt. ad Rom. nihil aliud agit, quam ut oſtendat, Judæos, quamvis non homines tantum, ſed populum quoque à Deo ſingulariter electum, quippe quorum eſſet adoptio filiorum, & gloria & fœdera, & legiſlatio, & cultus divinus, & promiſſa: adde, quorum eſſent, patres, qui tam cari Deo fuerint, & ex quibus denique ipſe Chriſtus ſecundum carnem natus eſſet, hujuſmodi homines, inquam, non fore divinæ hæreditatis participes, niſi promiſſionis filii ſint. Quid autem ſit, eſſe promiſſionis filium, abunde cap. 4. expoſuerat, & in epiſtola ad Gal. cap. 3, & 4, latiſſime explicat. Promiſſionis filii nimirum ſunt, & in ſemine Abrahami cenſentur, (quod ſemen, ut aperte idem Paulus ait, Chriſtus eſt, ipſe ſcilicet cum membris ſuis) ii qui ex fide ſunt cap. 3. 7: *Cognoſcite ergo* (inquit) *quia, qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ.* Quare in eam abſurditatem devenias neceſſe eſt, ut dicas (quemadmodum, quantum meminiſſe poſſum, & tu certe dicis, & quidam alii, quomodo alioquin pædobaptiſmum negantibus reſpondeant, invenire neſcientes, de filiis ſaltem Chriſtianorum affirmare non verentur) infantes omnes propria fide præditos eſſe. Atqui, ut quæ ſit ea fides, quæ in iis, qui in ſemine Abrahæ cenſeri debent, neceſſaria

eſt,

eſt, hoc loco non excutiamus, profecto ſi verum eſt, quod affirmas, negari nequit, in omnium infantium animis eſſe aliquam cognitionem aut opinionem Dei, cui fidant. Quod fieri non poteſt, quin ipſi id ſentiant & agnoſcant, niſi velis actiones in homine ipſo ignorante fieri, & hominem cognoſcere aut opinari, & interim, quod opinetur, aut cognoſcat neſcire? Huc accedit, quod fides, ſi Deo commendare nos debeat, voluntaria ſit neceſſe eſt. At quomodo poteſt aliquis aliquid velle, & tamen ſe velle neſcire? Ego, ut cæteri, infans fui, nec poſtquam adolevi, agnovi unquam aut memini, cum in cunis adhuc vagirem, aut etiam grandiuſculus jam factus incedere cœpiſſem, me Deum noviſſe, aut de ipſo opinionem aliquam animo concepiſſe, & multo minus me illi fidiſſe. Tu, ſi meliore perſpicacitate, & memoria es, potes nobis, ecquænam ſit infantium fides, aperire. Neque hoc per jocum omnino me dicere exiſtimes. Nam ſi velis, uſque ad eam ætatem, in qua homo averti à Deo poteſt, fidem in infantibus eſſe, perfacile eſt ejus rei meminiſſe. Ego enim & plerique alii, quos novi, jam viri facti aliquorum meminimus, quæ nobis trimulis, & bimulis ſemel evenerunt. Quanto magis perpetuæ fidei in animis noſtris, & ad grandiorem etiam noſtram ætatem perductæ memores eſſe poſſemus? Præterea cum, ut modo diximus, fides voluntaria eſſe debeat, (Voluntarium autem appello non id, quod volumus tantum, niſi etiam idem non velle poſſimus.) quænam fides Deo grata in infantibus eſſe poteſt, ſi omnes ut fidem habeant, neceſſe eſt? An non vides, inſuper, ſicut infantibus contingere non poteſt, ut ſe à Deo avertant, ita fieri non poſſe, ut Deo fidant? Contrariorum enim eſt eadem diſciplina atque judicium, quod communis ipſe ſenſus, ſine philoſophorum & Dialecticorum regulis, nos aperte docet. Quodſi tamen verum eſt, infantes non ſolum non poſſe ſe a Deo avertere, ſed neceſſarium eſſe, ut illi fidant, unde eis ſalus æterna conſequatur, certe infantem mori præſtat, & Deus nobiſcum non admodum benigne egit, quod ad adultam uſque ætatem nos perduxit; nec diabolus, qui humani generis perditionem totis viribus molitur, neque alio ſtudio tenetur, ſatis novit, quid agat, cum infantium vitæ tot modis continenter inſidiatur, nempe illum quamvis acutiſſimum & ſcientiſſimum adhuc fugit, infantes omnes Deo confidere, &, ſi adoleſcant, poſſe eos facillime ſe à Deo avertere, & à Chriſti participatione excidere Rom. 9. 7, & 8. Adde poſtremo his omnibus, non recte locutum fuiſſe Paulum, cum dixit, nihil prodeſſe ex Abrahamo ſecundum carnem natum eſſe, & inter filios carnis, & promiſſionis diſtinxit, ſi nemo filius carnis eſt, quin idem neceſſario uſque ad certum tempus filius promiſſionis ſit. Quamvis enim tibi daretur, eum loqui de iis, qui poſt illud tempus ſunt, non debuerat tamen ita loqui, & carnalem cum Abrahamo cognationem tam parvi facere, ſi ipſi generi humano inſitum eſſe, tanti eſt, ut inde neceſſario, niſi quis propria culpa pereat, vita æterna proveniat. Hæc autem ratio eandem vim habet, etiamſi nolis, infantes fide preditos eſſe, dummodo velis, omnes ad Chriſtum pertinere, atque eo majorem, quod, ſi fide deſtituuntur, ipſorum cum Chriſto cognatio carnalis plane eſt; nec promiſſionis filii ullo modo queunt appellari. Hoc ideo dico, quia cum ipſe mecum omnia reputo, vix adduci poſſum, ut credam, te infantibus, quamvis ejus ſententiæ quoſdam præſtantes viros auctores habeas, fidem in Deum attribuere. Nam præterquam, quod rationes a nobis allatæ, & quæ afferri poſſent, id prorſus ridiculum eſſe oſtendunt, & ægrotantis ſomnio ſimillimum, quid attinet te illud cum animo tuo cogitare, atque ſtatuere, cum humani generis ſalutem per Chriſtum partam in eo ponas, quod Chriſtus natus homo, omnes homines, quia homines ſunt, ſuos effecerit, & in immortalitatis jura re ipſa reſtituerit, quibus nemo privari poſſit, niſi ſe à creatore averterit?

Verum, quomodo ejuſmodi rationem ſalutis noſtræ per Chriſtum nobis proponere audes? quomodo ad Chriſtum jam re ipſa univerſum humanum genus ab ipſo ortu pertinere, affirmare non dubitas? cum Sacræ Literæ apertiſſime teſtentur Gal. 6. 15. 1 Cor. 7. 19. Gal. 5. 6, in Chriſto Jeſu nihil valere niſi novam creaturam, niſi conſervationem mandatorum Dei, niſi fidem, quæ per dilectionem operatur? Cum ſcriptum ſit, Joh. 1. 12, 13. natos ex ſanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, non eos eſſe, quibus ipſe dederit poteſtatem, ut filii Dei fiant? Cum ipſo Chriſto teſte Joh. 3. 3. neceſſe ſit, ſi quis regnum Dei ingredi velit, denuo, ſive deſuper naſci, & ſimiles ſententiæ in divinis Novi Fœderis oraculis ubique legantur?

Si enim dixeris, hæc & ea omnia innumerabilia teſtimonia, quæ æternam ſalutem noſtram fide in Chriſtum, & vitæ ejus imitatione contineri, ajunt, de adultis tantum loqui, quid hoc erit? Nam & ego propter adultos eorum mentionem feci, de quibus falſo hæc dicuntur, ſi cauſſa, cur Chriſti ſint, & ejus beneficii participes, ea eſt ſcilicet, quia homines ſunt, ſicut ipſe Chriſtus homo natus eſt. Ea enim, quæ in ipſis præterea requiruntur, non illis quidem ſalutem comparant, ſed, ne eripiatur, efficiunt, aut certe eam illis reſtituunt, nec impedire poſſunt, quominus & in Chriſto Jeſu, & ad filiorum Dei immortalitatem participandam, & ad regnum Dei conſequendum ſummum ac præcipuum habeat momentum, hominem eſſe natum. Si quis ab aliquo adoptatus fuerit, quis unquam dicet, cauſſam, cur hæreditas adoptivi patris illi debeatur, non eſſe adoptionem, neque, quod adoptatus fuerit, aliquid ad eam rem conferre, ſed ejus rei ſolam cauſam eſſe, animum gratum quem poſt adoptionem erga adoptantem oſtenderit, quamvis ſi ingratus in ipſum poſtea extitiſſet, illum adoptivus pater exhæredare decreviſſet, quod etiam illi ante comminatus eſſet? Nonne, qui ad eum modum loqueretur, à veritate quam longiſſime recederet? Ita falſiſſimum eſt, ſi propterea quod homines naſcimur, Chriſti participes ſumus, negare, non modo hominem naſci, ſed etiam ab Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, genus ducere, nihil momenti habere ad Chriſti beneficium participandum, ſed omne ad eam rem momentum in eo eſſe, quod quis Chriſto obediat, quamvis decretum ſit, & ante denunciatum, ut, qui Chriſto non obedierit, eo beneficio privetur. Itaque apparet, de ipſis adultis ea non poſſe dici, quæ paſſim ſcriptura affirmat, ſi ratio, quare Chriſti ſimus, ea eſt, quam tu excogitaſti.

Quæ de infantibus ſupra differui, non propter ipſos infantes à me diſputata fuere, quorum curam, & de quibus judicium Deo penitus relinquo, ſed propter adultos, ut ex iis, quæ de infantibus dicta ſunt, perſpici queat, adultos longe diverſa ratione ſervari ab ea, quam tu neſcio unde expiſcatus tibi eſſe videris.

Porro autem, quid Chriſtiano homine indignius, quam exiſtimare carnalem cognationem, quam cum Chriſto habemus, noſtræ ſalutis eſſe cauſam? quaſi ipſe ad immortalitatem ideo pervenerit, quod homo eſſet, & non, ut teſtatiſſimum eſt, ob eam rem, quod Dei patris ſui voluntati paruiſſet, & propter propoſitum ſibi gaudium, crucis mortem ſubire non recuſaſſet Phil 2. 9. Hebr. 12. 2, exemplum nobis relinquens, ut inſequeremur veſtigia ipſius 1 Pet. 2. 21, ſi ad eam immortalitatem & gloriam pervenire cuperemus, quemadmodum adhuc in terris vivens, ut faceremus, præceperat, promittens, ſe eum fore, qui eam nobis daturus eſſet; quippe qui poſtquam viam, quam nobis demonſtraſſet, ipſe prior confeciſſet, non modo id ſe conſecuturum ſciret, quod aliis, qui ipſum ſecuti forent, eventurum certo prædixerat, ſed etiam omnem in cœlo & in terra poteſtatem ſibi datum iri, compertiſſimum haberet. Quapropter ad tantum faſtigium poſtmodum elatus, factus eſt cauſa ſalutis æternæ: quibuſnam? Num omnibus qui ex Adamo ſunt prognati? non profecto: quid enim hoc cum promiſſis illis eius commune habet? ſed, ut inquit auctor ille divinus Hebr. 5. 9, omnibus obe-

dientibus ſibi. En cognatio illa vera & ſpiritualis, quam cum Chriſto habere debemus, ut illius ſimus, & ad ipſum pertineamus; ut ſcilicet, quemadmodum ille Deo paruit, ſic & nos Deo ea ratione, quam nobis ipſe & verbis & ſui ipſius exemplo præſcripſit, pareamus. Carnalis cognatio neceſſaria quidem fuit. Alioqui, niſi Chriſtus vere homo fuiſſet, ſicut nos ſumus, quomodo ſperare poſſemus, nos ea conſecuturos, quæ conſecutus ipſe eſt? nec carnalis cognatio neceſſaria fuit, quatenus tantum homines ſumus, ſed etiam quatenus, qui eam viam ingrediuntur, quam ipſe nobis præſcripturus erat, perpeſſionibus, calamitatibus, & violentæ ac turpi morti obnoxii ſunt. Quis enim hæc non formidaſſet, niſi is, antequam ad gloriam nobis promiſſam evectus eſſet, eadem omnia plus ſatis expertus fuiſſet? Quocirca ab eodem divino ſcriptore Hebr. 2. 10, præter multa alia, quæ in eandem ſententiam ſcribit, dictum eſt, decuiſſe, ut Deus, cum vellet multos filios in gloriam adducere, principem ſalutis eorum per perpeſſiones perfectum redderet; non ſecus ac deinde ℣. 14 dixit, quia pueri, quos Chriſto dedit Deus, carnis & ſanguinis ſunt participes, ipſum quoque Chriſtum eorundem participem fuiſſe.

In quibus verbis, memini te *pueros* pro veris pueris & infantibus interpretari, & ita à tuis, neſcio qua ratione, jam animo conceptis opinionibus poſſideri, ut primum non videas, eo loco de infantibus agi non poſſe; cum non ſolum de iiſdem antea loquens divinus autor, eos fratres Chriſti appellaſſet, quibus ille annuntiaturus eſſet nomen Dei; ſed poſtea etiam, cum pueros eos nominat, dicat, Chriſtum per mortem deſtruxiſſe eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolum, & liberaſſe eos ex ipſis, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti, (niſi enim puerorum appellatio eos complectatur, quos liberatos fuiſſe dicit, vanum omnino fuiſſet dicere, eum idcirco, non ſecus ac pueros, participem fuiſſe carnis & ſanguinis, ut eam liberationem peragere poſſet) Verum, nec infantibus nomen Dei annunciatur; nec ex ipſis ſunt aliqui, qui timore mortis unquam obnoxii fuerint ſervituti. Deinde, eam ipſam ob cauſam fit, ut non animadvertas, apud Eſaiam Eſa. 8. 18, unde eam appellationem mutuatus eſt autor ille, puerorum nomine, non infantes ſignificari, ſed diſcipulos & cultores Dei; ut unuſquiſque, qui locum legerit, contrebitur: quo ſenſu ab autore quoque illo idem vocabulum uſurpatur. Poſtremo eadem ratione fit, ut non memineris, à Jeſu Chriſto Joh. 21. 3, eodem puerorum nomine apud Johannem diſcipulos ſuos aliquando fuiſſe appellatos; & ab ipſo Johanne 1 Joh. 2. 14, in prima ſua Epiſtola pueros appellari, primo aliquos ex iis, ad quos ſcribit, qui certe infantes non erant; deinde ℣. 18 etiam omnes, ut quidem ego cum pleriſque ſentio, licet quibuſdam aliter viſum fuerit. Multa perquam abſurda prætereo, quæ conſequerentur, ſi pueros pro infantibus appellatos fuiſſe eo loco diceremus, & ad propoſitum redeo.

Neceſſarium igitur fuit, Chriſtum carnalem cognationem nobiſcum habere, cum quatenus homines ſumus, tum vero quatenus, ut ex Pſalmo id promens ait Paulus Rom. 8 36. Pſal. 44. 23, morti tradimur tota die, & æſtimati ſumus ſicut oves occiſioni deſtinatæ. Cæterum quemadmodum nihili prorſus æſtimandum eſt, nec aliquid nobis proderit, quod affligamur, & occidamur, niſi, quia Deo obedire velimus, id nobis contingat; & hanc carnalem cum Chriſto cognationem habere prorſus vanum erit, niſi cognatio ſpiritualis præceſſerit: ſic, quod homines ſimus, & carnalem hanc cum Chriſto cognationem habeamus, prorſus nihil eſt, niſi cognatio ſpiritualis ſubſequatur. Nam, ſi nos Chriſti ſimiles eſſe in eo, quod ipſius proprium videtur, per ſe nihil eſt; niſi in eo, quod vere ipſius eſt proprium, illius ſimiles ſimus: quanto magis per ſe nihili faciendum erit, quod in eo Chriſti ſimiles ſimus, quod omnibus peræque commune eſſe conſtat? Quin etiam, ſicut affligi, & occidi, ſi ob aliam cauſam contigerit, quam ut Deo pareamus, infelices nos efficit: ita hominem eſſe natum, niſi per Chriſti ſpiritum recaſcamur, nos miſeriis multis & ærumnis, dum vivimus, ſubjicit, & æternæ morti tandem mancipat, atque addicit. Etenim, quemadmodum Chriſtus non idcirco perpeſſiones & violentam mortem expertus eſt, ut omnes, qui affligerentur & occiderentur, quia ipſe afflictus & occiſus fuiſſet, vitam beatam & immortalem una ſecum adipiſcerentur; ſed ideo hæc paſſus eſt, quia illi, quos ſecum ad æternam vitam perducturus erat, ejuſmodi malis erant deſtinati: ſic idem Chriſtus non ob eam rem eſt natus homo, ut omnes homines, quia ipſe homo fuerit, ſerventur; ſed propterea homo natus eſt, & carnis ac ſanguinis particeps factus, quia pueri illi, quos dedit ei Deus, id eſt, diſcipuli ac cultores ipſius Dei, ut inquit, autor ille divinus, carnis & ſanguinis ſunt participes, & homines nati ſunt.

Satis demonſtratum videtur, Pauli ſententiam in verbis illis ad Corinthios eſſe, quod ſicut omnes qui Adami ſunt, & ad ipſum pertinent, moriuntur; ſic omnes, qui Chriſti ſunt, & ad ipſum pertinent, vivificabuntur; & abundanter confirmatum, eos Chriſti eſſe, & ad ipſum pertinere, non qui homines ſunt nati, ſed qui ejus ſpiritu ſunt regeniti, hoc eſt, Deo, ut ipſe fecit, ſe obedientes præſtant. Nunc quidnam idem Paulus in cap. 5 Epiſtolæ ad Rom. ſenſerit, diſpiciendum nobis eſt. Et quanquam ea, quæ jam dicta ſunt, maximam lucem ad eum locum ſunt allatura; duo tamen adhuc, ut tota res melius percipiatur, antequam verborum ipſorum explanationem aggrediamur, dicenda ſunt. Meminiſſe igitur primum oportet ejus differentiæ, quam ſuperiore capite, inter hunc locum ad Rom. & illum ad Cor. ſtatuimus, hoc eſt, ibi Chriſtum tanquam auctorem reſurrectionis, & vitæ immortalis, cum Adamo, tanquam auctore mortalis vitæ, & mortis naturalis, comparari, nulla habita ratione, nec delicti Adami, nec obedientiæ ipſius Chriſti; ut eo loco explicatius dictum eſt: hic vero comparari Chriſtum cum Adamo, tanquam auctorem æternæ vitæ cum auctore mortis æternæ, habita ratione & delicti Adami, ut pote quod æternæ mortis cauſa fuerit; & obedientiæ Chriſti, ut pote quæ æternæ vitæ cauſa extiterit. Deinde ſciendum eſt, ſeu potius oblivioni non tradendum, Chriſtum non aliter atque Adamum ſuam poſteritatem habere. Ex eo enim tanquam ex primo parente omnes ſpirituales homines procreantur, ut ex Adamo omnes animales. Hinc factum eſt, ut apud Eſaiam Eſa. 53. 10, ſcriptum ſit de eo, quod ſi anima ipſius dediſſet ſe oblationem pro delicto, ipſe vidiſſet ſemen. Quodſi Paulus ad Corinthios ſcribens 1 Cor. 4. 15, vocat ſe patrem illorum, quia eos per Euangelium in Chriſto genuerit; & Galatas Gal. 4. 19, appellat filios ſuos, quos iterum ſe parturire ait: quanto magis Chriſtus, qui hæc per ipſum efficiebat, pater & genitor illorum dicendus eſt. Si Abrahamus pater omnium noſtrum, qui Deo confidimus, ideo eſſe dicitur, quia ea in re illi ſimiles ſumus: multo magis noſter pater appellandus erit Chriſtus, cui non tantum, dum Deo obedimus, ſimiles ea in re ſumus, ſed ipſe obedientiæ noſtræ origo & cauſa fuit. Quanquam hiſce exemplis & teſtimoniis opus non eſt, cum res per ſe ipſa notiſſima ſit. De hac autem (ut ita dicam) paternitate Chriſti & docte & copioſe diſſerit Franciſcus Georgius Venetus, in ſua harmonia mundi; quem, ſi quis ea de re dubitet, conſulere poterit.

Hæc breviter præfati, collationis, quam nobis Chriſti cum Adamo eo loco explicat Apoſtolus, verba ipſa examinemus. Inquit igitur Rom. 5. 12: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, quatenus* (ſive *eo quod*) *omnes peccaverunt*, &c. Verba enim Græca ἐφ' ᾧ, *quatenus*, ſive *eo quod*, hoc loco ſignificare (quidquid quibuſdam videatur) & plerique ſentiunt, & exemplis appoſitiſſimis in Novo Teſtamento comprobatur, in quibus ἐφ' ᾧ, ſive quod plus eſt ἐπ' ᾧ, *quate-*

quatenus, vel *eo quod*, manifeſte ſignificat. Et quanquam plura eſſe ſcio, duo tamen, quæ nunc ſuccurrunt, duntaxat indicabo. Primum eſt, in Complutenſi editione, & manu ſcriptis codicibus, 2 Cor. 5. 4. Alterum, Hebr. 2. 18. Illud certiſſimum eſt, nullo modo ἐφ' ᾧ, exponi poſſe, *in quo homine*, cum propter multa alia, tum vero propter interjecta inter ea verba, & vocem ἀνθρώπου, membra orationis, poſt quæ nulla ſermonis conſuetudo, nulla grammaticæ regula patitur, ut ᾧ tanquam pronomen relativum ad illam vocem reſpicere poſſit, ad quam ſi reſpicere debuiſſet, neceſſe omnino fuiſſet, ut ſtatim poſt ipſam conſecutum eſſet. Sed finge Paulum repetiiſſe vocem ἀνθρώπου, hoc pacto, ἐφ' ᾧ ἀνθρώπῳ, & expreſſe dixiſſe, *in quo homine*, quinam magis inſolens aut ineptus loquendi modus inveniri poſſet? Quis non videt, ſi de homine, quem ſupra nominaverat, loqui voluiſſet Apoſtolus, non *in quo homine*, ſed *in eo enim homine*, dicturum fuiſſe? Ubi etiam perpendendum eſt, quod non præpoſitione ἐν ſed ἐπὶ omnino uſus eſſet. Verum hac eadem de re accuratius à nobis alio * loco diſputatum eſt: hic veritatem indicaſſe ſat fuerit. Jam vero, ſi ex his Apoſtoli verbis ad tuam ſententiam confirmandam, aliquid elicere velis, opus eſt alteram collationis partem, quam Apoſtolus brevitati conſulens omiſerit, hoc loco reponere, quæ hujuſmodi eſſe poterat: *Sic per unum hominem obedientia in mundum intravit, & per obedientiam vita, & ita in omnes homines vita pertranſiit, quatenus*, (ſive *eo quod*) *omnes obediverunt*, &c. In quibus verbis, ſi *omnes homines*, univerſum prorſus humanum genus intelligas, ex Pauli ſententia ſequetur, totum genus humanum, ne uno quidem homine excepto, obediens Deo eſſe; niſi vocem *quatenus* omnino retineamus, & eam ita interpretemur, ut idem ſit, *quatenus omnes obediverunt*, acſi dictum fuiſſet, *quatenus tamen omnes obediverunt*, id eſt; in omnes homines quidem pertranſiit vita, ſi tamen omnes obedierint. Quæ interpretatio abſurda videri non debet, præſertim cum in hac parte collationis, à nobis Pauli verbis adjuncta, rectius ſit dicere, *Pertranſibit*, & *obedient*, in futuro tempore, quam *Pertranſiit*, & *obediverunt* in præterito, ut nos fecimus, ne aliquid immutari, quod in altera parte eſſet, conqueri poſſes. Quod tamen jure facere non potuiſſes; cum ipſe Paulus, in integra collatione, ad finem ferme capitis, id quod per præteritum tempus de Adamo dixerat, per futurum de Chriſto extulerit; cum tamen per præteritum non minus etiam quam alibi feciſſet, efferre poſſet. Nam inquit: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Potuiſſet enim dicere: *Ita & per unius obedientiam juſti conſtituti ſunt multi.* Sed *conſtituentur* dicere voluit, ut proprie loqueretur, & illos multos, qui ad Chriſtum pertinent, nondum juſtos conſtitutos fuiſſe, aperte oſtenderet, ut jam conſtituti ſunt peccatores illi multi, qui ad Adamum pertinent, de quibus ipſe hoc loco potiſſimum loquitur. Jam ſi eam interpretationem adverbii *quatenus*, non modo ipſum adverbium in Pauli verbis admittas; etiamſi omnes homines, pro univerſo humano prorſus genere accipias, nihil juvare poterunt ſententiam tuam. Neque enim hominem natum fuiſſe, ex Pauli ſententia, ſatis erit, niſi quis Deo paruerit. Sin autem eam interpretationem admittere nolis, vides quid ex eo efficiatur, quod per *omnes homines* ſignificetur totum omnino humanum genus, nempe omnes penitus homines Deo obedientes eſſe.

At dices fortaſſe, hoc abſurdum videri non debere, ſi recte intelligatur, id eſt, ſi dicamus, ideo omnes omnino homines Deo obedire à Paulo dictum fuiſſe, quia per Chriſtum omnes prorſus obedire cenſeantur, quemadmodum in Adamo omnes prorſus peccaſſe cenſentur. Sed jam à nobis dictum eſt, Apoſtolum nequaquam affirmare, in Adamo omnes peccaſſe. Et quod peccati nomine verum peccatum, non autem imputatum Paulus intellexerit, ex conſequentibus verbis liquido conſtat, in quibus, peccatum in mundo fuiſſe ait, etiam ante legem. Lex enim non adverſus imputatum, ſed adverſus verum peccatum lata fuit. Quare de vera etiam, non autem de imputata obedientia, Paulum in prætermiſſa illa collationis parte loqui neceſſe eſt. Relinquitur igitur, ut de omnibus prorſus hominibus, ea interpretatione adverbii *Quatenus* non admiſſa, Apoſtolus verba facere non potuerit. Nec ſi ea interpretatio non recipiatur, aliud dici poteſt, quam, cum dixit, *omnes homines* utrobique omnes quidem prorſus intellexiſſe, ſed in priore collationis parte, omnes ex Adamo natos, in altera, omnes ex Chriſto. Quod ſi durum videatur, conſiderandum eſt, cum pars illa altera collationis deſit, non poſſe nos affirmare, *omnes homines* in ea dicendum eſſe. Poteſt enim pro *omnes homines* reponi *omnes credentes*, præſertim cum in ſuperiore parte capitis, unde collationem hanc Chriſti cum Adamo pendere, vox *Propterea* aperte demonſtrat, dictum fuerit, nos fide aditum habuiſſe ad hanc gratiam, in qua ſtamus, quæ ſine dubio ea ipſa eſt, quam in hac collatione per Chriſtum nobis exhibitam fuiſſe ait Apoſtolus. Rectiſſime autem opponuntur omnes credentes, omnibus hominibus; quoniam, ut dictum fuit, quemadmodum Adami poſteritas, omnes homines ſunt; ſic Chriſti poſteritas ſunt omnes credentes. Atque ad hunc modum, Adamo & Chriſto inter ſe collatis, nihil erit incommodi, ſi (quanquam, ut diximus, id fieri nullo modo poteſt) verba illa vulgatæ editionis: *In quo omnes peccaverunt*: ita interpreteris, ac ſi dictum fuiſſet: *In eo enim homine omnes peccaverunt.* Nam ea ratione, qua in Adamo omnes homines peccarunt, eadem in Chriſto omnes credentes obedierunt, ut poſtea explicabimus. Diligenter vero attendendum eſt id, quod modo diximus, hanc ſcilicet collationem ex ſuperioribus pendere. Hoc enim ſatis perſpicuum facit, de aliis hominibus, quibus Chriſtus profuerit, ſermonem eſſe non poſſe, quam de impiis, & peccatoribus, pro quibus is mortuus eſt, & qui per eam fidem juſtificati, quam ipſi Chriſto adhibent, hoc eſt, Deo reconciliati, & ab ipſorum criminibus abſoluti, per eundem Chriſtum viventem ſervandi ſint, & à futuro ſupplicio, quod ii, qui fidem Chriſto non habuerint, afficientur, liberandi. De his enim tantum ſupra locutus fuerat Apoſtolus, unde collationem Chriſti cum Adamo deinde intulit, in qua, ſi alii præterea homines per Chriſtum vitam adepturi eſſe dicerentur, perperam illata foret, & non recte ullo pacto in ipſa auſpicanda dictum fuiſſet, עַל כֵּן, id eſt *Propter hoc*, ſive *Propterea ſicut*, &c. Quoniam vero non de aliis hominibus, per Chriſtum in æternam vitam conſervandis agit Paulus, quam de impiis & peccatoribus Deo per ipſum reconciliatis; tota collationis vis in ſequentibus verbis uſque ad verba ea, *ſed non ſicut delictum*, &c. vere reſidet, in quibus dicitur, eos etiam qui non peccaverant, mortis imperio ſubjectos fuiſſe, ad ſimilitudinem delicti Adami, & ob eam cauſam in ipſis extremis dictum eſt: *qui eſt imago illius futuri.* Eam autem vim nos, quia ſatis obſcure ab Apoſtolo indicata potius, quam clare explicata videtur, breviter aperiemus, ſententiam tantummodo eorum verborum exponentes. Nam cur ita explicari debeant, alibi à nobis demonſtratum eſt.

Cum itaque Apoſtolus dixiſſet, in omnes homines mortem pertranſiiſſe, quatenus omnes homines peccaſſent, ſtatim addit, peccatum in mundo fuiſſe etiam ante legem à Deo per Moſem latam, quaſi dicere voluerit: Ne miremini, me dixiſſe ea verba; *Quatenus omnes peccaverunt.* Sciendum eſt enim, quamvis Lex Moſaica promulgata nondum eſſet, peccatum tamen ab ipſo initio in mundo ſemper fuiſſe. Et quia adhuc ipſi opponi poterat, quod, etiamſi illi daretur, peccatum eſſe non poſſe, ubi non eſt Lex, contra quam peccatum fuerit; * reſpondet Paulus, ſi quis nolit concedere, omnes homines mortem ſubire debuiſſe, quatenus omnes homines peccaſſent, concedendum certe eſſe,

* In diſputatione noſtra de Jeſu Chriſto ſervatore.

* *Deeſt aliquid:* poſſe, ubi non eſt Lex, id tamen imputari;

eos eam ob rem morti obnoxios fuiſſe, quod ex Adamo, qui merito illi fuit ſubjectus, prognati eſſent. Ex quo factum eſt, ut ab Adamo uſque ad Moſem, etiam in iis, qui non peccaverant, mors regnaverit, tanquam ſi, quemadmodum Adamus deliquerat, ita & ipſi deliquiſſent, & non ſecus atque ille, contra divinum aliquod præceptum ſibi nominatim datum commiſiſſent. Itaſenſim ad id devenit Apoſtolus, quod animo potiſſimum intenderat.

Nam ſi quis dicat, non poſſe Chriſtum cum Adamo comparari, quia ii, qui ab Adamo propagati ſunt, vere peccaverint, ut ipſe peccavit, qui vero à Chriſto ſunt prognati, de quibus ſupra locutus fuerat, non vere obedierint, ut ipſe obediit; ſi quidem per aliquod tempus impii ſeu peccatores fuerunt; jam illi reſponſum eſt. Non enim, ut dictum fuit, ii tantum, qui peccaverant, mortui ſunt, ſed etiam qui non peccaverant, quod ab Adamo eſſent prognati, quibus peccato ſuo Adamus mortis cauſa extitit. Itaque mirum videri non debet, ſi Chriſtus, cujus imago (in re tamen contraria) Adamus fuit, ſua obedientia iis, qui ab ipſo prognati ſunt, vitæ cauſa extiterit, etiamſi vere obediviſſe dici nequeant; aut ſi, quemadmodum omnes, quos genuit Adamus, perinde habiti ſunt, acſi, ut ille fecerat, adverſus præceptum aliquod ſibi datum deliquiſſent: ita quoſcunque genuit Chriſtus, perinde habebuutur, acſi perpetuo, ut ille fuit, Deo obedientes fuiſſent. Qua de re explicatius loquitur Apoſtolus ad finem collationis, ut infra videbimus.

Expoſita vera, quæ per oppoſitionem inter Adamum & Chriſtum eſt, ſimilitudine, aliquas inter ipſos, id eſt, inter Adami noxam, & Chriſti beneficium, diſſimilitudines exponere inſtituit, & inquit ℣. 15: *Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia illa unius hominis Jeſu Chriſti, in multos abundavit.* Ex quibus verbis jam apparet, Chriſti beneficium ad omnes homines reipſa non perveniſſe aut pervenire, ſed ad multos. Nam ſi ad omnes aut perveniſſet, aut perventurum eſſet, cur utrobique Omnes non dixiſſet? Potuit quidem utrobique Multos dicere, quamvis ii, quibus Adami delictum nocuit, Omnes fuerint. Omnes enim multos eſſe negari non poteſt. Quare ut inſtitutæ collationi inſerviret, non dubitavit Paulus Multos pro Omnibus, propter communem loquendi uſum, appellare. Id tamen nunquam feciſſet, ſi non minus in ea parte, quæ ad Chriſtum ſpectat, proprie & vere omnes dicere potuiſſet, quam in ea, quæ ad Adamum. Quanquam animadvertendum eſt, in Græco ubique eſſe articulum, ita ut non *multi* & *multos*, ſed *illi multi*, & *illos multos* credam omnino legendum, eſſe vide 1Cor. 10. 17. Quod, ut loquendi modum quo uſus eſt Apoſtolus, & proprium & elegantem oſtendit; ſic mirifice noſtram hujuſce collationis explicationem confirmat. In qua collatione, quamvis de hominibus in ea agatur; non tamen, quod ad ipſius præcipuam vim attinet, tanquam homines conſiderari eos dicimus, ſed tanquam vel ex Adamo, vel ex Chriſto natos. Idcirco Apoſtolus non *multos* ſimpliciter eos nominare voluit, ſed *illos multos*, cum non multos homines ſimpliciter, ſed multos quoſdam homines, id eſt, certam quandam hominum multitudinem ſignificare vellet. Ait igitur Paulus, diſſimilitudinem quandam, hac in re explicans, ſi illi multi, hoc eſt omnes ab Adamo prognati, ipſius Adami delicto perierunt, multo æquius eſſe, ut donum Dei per Chriſtum hominibus conceſſum, in illos multos abundaverit, qui ab ipſo Chriſto ſunt prognati. Nam & multo convenientius eſt, ut beneficia communicentur, quam damna; & præter naturam rei, quæ ſola in Adami damno communicando fuit, in Chriſti beneficio communicando ipſius quoque Dei decretum eſt. Ex quo fit, ut propterea etiam multo magis hoc, quam illud abundaverit, quod, propter divinum decretum, neceſſe ſit omnino, ut nemo prorſus ex illo altero numero hujus beneficii ſit expers; ſed omnes, nullo excepto, illud reipſa participent: damni autem, cum ejus communicatio non ex Dei decreto, ſed ex rei natura proficiſcatur, non omnes omnino ex illo altero numero reipſa participes erunt, ſed divina benignitate multi ex ipſis ab eo damno eximentur. Neque vero eſt, quod aliquis putet, verba illa, *Multo magis* ſic interpretanda eſſe, ut ſententia ſit, multo plures beneficii participes futuros, quam damni. Primum enim, ut pueri ipſi norunt, adverbium *Magis* non quantitatis aut numeri, ſed qualitatis eſt, ita ut non extenſionem, ſed intenſionem (ut loquuntur) hoc loco ſignificari certiſſimum ſit. Deinde cum, ut diximus, non *Multos*, ſed *illos multos* Paulus ſcripſerit, ejuſmodi interpretationi nullus locus eſſe poteſt.

Subjicit Apoſtolus aliam diſſimilitudinem, quæ, niſi quis eam perverſe exponere velit, aperte veritatem noſtræ explicationis, & multo magis tuæ falſitatem demonſtrat. Inquit enim Rom. 5. 16: *Et non ſicut per unum qui peccaverat* [*ita eſt*] *donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, donum autem ex multis delictis in juſtificationem.* Si igitur donum à multis delictis abſolvit, certum eſt de iis verba fieri, qui, cum multa delicta commiſiſſent, ab ipſis, Dei dono per Chriſtum dato, abſoluti fuerunt. Non ergo de univerſo humano genere ſermo eſſe poteſt, & præſertim de infantibus, quos certum eſt multa delicta non commiſiſſe. Quodſi Græca verba ἐξ ἑνὸς, non *ex uno*, ſed *ex unius* (ſcilicet delicto) interpretari velis, & infra, non *ex multis delictis*, ſed *ex multorum delictis*, legi debere contendas; ut Græca verba, ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων, ferre poſſunt quam interpretationem pauci admodum (ut mihi perſuadeo) amplectuntur, nihil tamen efficies. Nam ſi infantes quoque intelligere voluiſſet Apoſtolus, & eos criminis reos facere, non *ex multorum delictis*, ſed *ex multorum delictis* dixiſſet; ſiquidem unius tantum delicti infantes rei eſſe poſſunt. Quanquam cum Adami delictum actuale, ut vocant, fuerit, ab omni prorſus veriſimilitudine abhorret, in hac collatione, originalis, quod appellant, peccati mentionem inferri atque id Adami delicto opponi; præſertim cum ejuſmodi originale peccatum nihil aliud eſſe poſſit, quam reatus ejuſdem ipſius delicti, cui opponeretur.

Pergit Apoſtolus, & priorem, quam attulerat, diſſimilitudinem repetens, eam & efficacius explicat, & evidentius ad ſuum præcipuum inſtitutum accommodat, inquiens Rom. 5. 17: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt, per unum Jeſum Chriſtum.* Ex his verbis aperte liquet, non ſolum quoſdam multos eſſe, qui Chriſti beneficii reipſa participes ſint; ſed etiam quinam ſint illi multi, nempe ii, qui abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ accipiunt. In Græco eſt enim οἱ λαμβάνοντες, id eſt, ii qui accipiunt; quod manifeſte indicat, non omnes ejuſmodi abundantiam accipere, ſed omnino aliquos eſſe, qui eam non accipiunt, aut certe fieri poſſe, ut non accipiant. Præterea Accipere hoc loco, ut veriſimile quidem eſt, non ipſum effectum accipiendi tantum fortaſſe ſignificat, ſed voluntatem etiam ejus qui accipit. Nam hac eadem de re ſcribens Joannes ait Joh. 1. 12: *Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Acceperunt, inquit, hoc eſt accipere voluerunt, non reſpuerunt, ut quidam fecere. Et enim proxime dixerat: *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Idem autem verbum λαμβάνω eſt ibi, quod hic, & eadem prorſus ſententia, eos ſcilicet, qui gratiam per Chriſtum hominibus oblatam non reſpuunt, ſed eam accipiunt, & Chriſto fidem habent, filios Dei futuros, atque æterna vita donandos eſſe. Sic autem præter alias hujus ratiocinationis vires, cum in ſuperiore ſimili loco explicatas, tum hujus loci proprias, hic argumentari videtur Apoſtolus: Si unius delictum cauſa fuit, ut mors regnaret in iis, qui non ſua ſponte ſed neceſſario, quippe ex ipſo delinquente oriundi, ejus naturam participarunt; quanto magis donum Dei, per unum hominem oblatum, cauſa erit, ut vita, quæ in eo dono continetur, in iis regnet, qui ejuſmodi

donum

donum voluntarie acceperint? Verbum autem juſtitiæ, quod nihil aliud quam juſtificationem, & abſolutionem à peccatis ſignificat, de iis qui peccatores antea fuerant, Apoſtolum loqui, præter ea, quæ jam dicta ſunt, aperte declarat, de iis inquam, qui oblatam ſibi per Chriſtum, peccatorum remiſſionem accipere non recuſaverint. Quod de univerſo humano genere ab ipſo ortu dici non poſſe, quis eſt qui non videat? Sed quid aliis conjecturis eſt opus, ut hic de univerſo humano genere verba non fieri perſuadeamur, cum de iis loquatur Apoſtolus, qui revera vitam æternam per Jeſum Chriſtum conſequentur? Quamobrem niſi execrabilem illam ſententiam tueri velis, omnes ſcilicet homines vitam æternam adepturos eſſe; non de omnibus prorſus, ſed de multis ſermonem hic haberi, ipſemet confitearis neceſſe eſt.

Sequuntur in hac collatione ea verba, quæ tibi potiſſimum occaſionem tui errati præbuerunt, quæque, ut arbitror, cum hunc Pauli locum citaſti, nominatim afferre voluiſti. Ea autem hæc ſunt: Rom. 5. 18, *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Hic dices, non habere me effugia aliqua. Nam neque hic ſunt ea verba: *Quatenus omnes peccaverunt*; nec obſcurum eſt, quid omnibus in priore collationis parte nominatis, in altera reſpondere debeat, ut dici poſſit, *Omnes credentes* in ea reponi fortaſſe debere. Expreſſa eſt enim altera pars collationis, & diſerte in ipſa dictum, *Omnes homines* non minus quam in priore. Verum, Franciſce, cum hæc Pauli verba legiſti, ut eorum ſententiam percipere poſſes, oportebat te diligentius, quam feciſſe videris, ipſa perpendere. Cumque in eorum initio ſit verbum, *igitur*, intelligere debueras, id quod in ipſis continetur, ex ſuperioribus duci, & ex illis pendere. Atqui, ſi eorum ſententia eſſet, quam tu putaſti, totum videlicet humanum genus, ab ipſo ortu re ipſa particeps eſſe beneficii Chriſti; quomodo hoc ex ſuperioribus penderet, in quibus, ut vidimus, nihil dictum eſt, ex quo id colligi poſſit, ſed contra multa dicta ſunt, unde id falſum eſſe, non obſcure deprehendatur; præſertim vero in proxime præcedentibus, ubi expreſſum eſt, hanc vitalem juſtificationem ad illos pertinere, qui abundantiam hujus divini doni accipiunt? Quod certe indicat, nonnullos eſſe, qui eam non accipiunt, ſive ea acceptio voluntatem accipientis requirat, ſive minus. Hoc ſolum tibi, ſi animum attendiſſes, viam aperire poterat ad veritatem. Vidiſſes enim, neceſſe eſſe, ut hic, (præſertim ſi de omnibus prorſus hominibus verba fiunt) non de eventu, ſed de conſilio; non de effectu, ſed de prima cauſa ſit ſermo. Cujus rei argumentum præterea tibi eſſe poterat, quod non, ut ſupra proxime, & alibi factum fuit, expreſſum eſt verbum aliquod, eventum aut effectum ſignificans; ſed verbo ſeu potius verbis, quæ ad ſententiam perficiendam omnino requiruntur, ſuppreſſis, dictum fuit: *in omnes homines in juſtificationem vitæ*: Sunt autem hæc verba ſuperioribus illis valde ſimilia: *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, donum autem ex multis delictis in juſtificationem*: niſi quod ibi expreſſa ſunt ea verba, quæ hic deſunt, *judicium*, & *donum*; &, quod multo pluris faciendum eſt, non additum fuit, *in omnes homines*, ut hic, quo fit, ut ibi (ſi quis ita velit) non de conſilio tantum, ſed etiam de eventu verba fieri, ſtatui poſſit: nihil enim incommodi ex ea re proficiſci poteſt: hic vero de conſilio tantum agi fateri cogamur; niſi velimus omnes homines re ipſa vitalem juſtificationem conſequi, & in vita regnaturos eſſe per Jeſum Chriſtum. Nemo enim non videt, idem eſſe juſtificationem vitæ apud Paulum hoc loco, quod in proximis verbis eſt, regnare in vita. Neque vero alium verum & plenum eventum ſive effectum, in Jeſu Chriſti beneficio participando, vel hic Paulus, vel alibi tota ſcriptura agnoſcit, præter hunc, quod re ipſa vita æterna quis perfruatur. Propterea Apoſtolus, ſicut proxime dixit, *regnabunt in vita per unum Jeſum Chriſtum*; ſic proxime dicet, *per unius obedientiam juſti conſtituentur multi*. Alius eſt quidem eventus ſive effectus; cum ſcilicet, dum adhuc ſumus in carne, membra Chriſti efficimur per fidem, & ſpe immortalitatem ejus participamus; ſed eventus ſive effectus iſte, non verus & plenus eſt, non ſolum quia re ipſa vita æterna non perfruimur, verum etiam quia fieri poteſt, ut à fide excidamus, &, ut inquit auctor ad Heb. nos ſubtrahamus Heb. 10. 38. Quam ob cauſam, ut vidimus, idem affirmat Heb. 3. 6, 14, ita demum factos eſſe nos participes Chriſti, & ejus domum eſſe, ſi uſque ad finem in fide perſtiterimus. Alium autem illum effectum ſive eventum, quod ſcilicet ab ipſo ortu omnes homines Chriſti beneficii participes ſint, ſed deinde, ſi ſe à Deo averterint, eſſe deſinant, quem tu nobis proponis, prorſus non agnoſcit ſcriptura, nec de ipſo hic loqui poteſt Paulus; qui, ut vides, de æterna vita, quam reipſa homines conſequantur, ipſaq; perfruantur, verba facit. Siquidem, ut nos una cum pleriſque aliis, ut arbitror, animadvertimus, Apoſtolus in præcipua Chriſti cum Adamo collatione, quã hoc loco late perſequitur, ſemper aut de vero & pleno eventu ſive effectu loquitur illius beneficii, quod nobis Chriſtus attulit; aut de conſilio, ſive de prima cauſa ipſius; ita tamen ut, cum de eventu eſt ſermo, non *omnes*, ſed *multi* nominentur: cum autem de conſilio, omnium etiam mentio fiat. Nam & Chriſtus ſanguinem ſuum pro multis fuſum iri prædixit, & animam ſuam ſe daturum redemptionis pretium pro multis prænunciavit; cum tamen Paulus eum dediſſe ſe pretium redemptionis pro omnibus expreſſe affirmet Mat. 26. 28. Mar. 10. 45. 1 Tim. 2. 6. Quod nimirum ideo factum eſt, quia Chriſtus de eventu, Paulus autem de conſilio loquebatur. De conſilio autem eo loco Paulum locutum fuiſſe, oſtendunt manifeſte verba illa, quæ præcedunt de Deo, quod velit Omnes homines ſervari, & ad cognitionem veritatis venire. De Chriſti ergo perfecto beneficio, hoc eſt, de ſalute ipſa æterna duntaxat agit Apoſtolus in hac collatione, nec de alio præterea Chriſti beneficio verba facit. Quamvis enim, ut ſupra dictum fuit, de fidelibus atque obedientibus hominibus loquatur: non tamen, vel quod jam fidant & obediant, vel quod fidem habituri & obedientes futuri ſint, tanquam Chriſti beneficium, aut ipſius beneficii effectus, hoc loco ab ipſo conſideratur; neque ea in re Chriſtus cum Adamo confertur, quaſi, quemadmodum per Adamum peccatum verum & actuale propagatum eſt in cæteros homines, ſic per Chriſtum obedientia vera & actualis in reliquos propagata fuerit, ut quibuſdam viſum eſt. Ea enim de re, quam tamen, ſi recte intelligatur, veriſſimam eſſe confiteor, non agit Paulus, niſi fortaſſis in ipſius collationis initio, idque ſatis obſcure. Sed ſenſim deinde, ut paulo ante docuimus, ea plane relicta, ad præcipuam, quam ſibi propoſuerat, collationem deſcendit, & in eo potiſſimum, Chriſtum cum Adamo conferre inſtituit, quod, ſicut, quicunque ab Adamo ſunt prognati, morti obnoxii ſunt, ita quicunque à Chriſto prognati erunt, vitam æternam conſequentur. Itaque fides & obedientia in hominibus, quod idem eſt, ac, prognatum à Chriſto eſſe, non ipſæ verè cum aliqua re conferuntur, ſed tanquam ejus rei, quæ conferri debet, propriæ qualitates in collatione neceſſario ponuntur; non ſecus atque, ex Adamo natum eſſe, non ipſum vere cum aliqua re confertur, ſed tanquam qualitas propria ejus rei, quæ conferri debet, in collatione neceſſario ponitur. Quibus utrinque poſitis, vel plenus eventus & effectus beneficii Chriſti cum pleno eventu & effectu noxæ Adami, id eſt, vita æterna cum perpetua morte confertur; vel conſilium Dei, & prima cauſa ejus beneficii, tacite cum diaboli conſilio, ejuſque noxæ prima cauſa comparatur. Cum igitur hic, ut diximus, de pleno eventu ſive effectu ſermo eſſe non poſſit; alioqui omnes homines vitam æternam habituros affirmaret Apoſtolus; de conſilio & prima cauſa ſermonem eſſe oportet, & adhunc modum explicanda & ſupplenda ſunt ipſius verba: Igitur quemadmodum diaboli conſilium fuit, ut Adamo peccante, & ob eam cauſam meritò perpetuæ morti addicto, omnes

„homines una cum eo morti perpetuæ pariter addice-
„rentur: ſic Dei conſilium fuit, ut Chriſto obedientiam
„præſtante, & ob eam cauſam merito, propter ipſius
„decretum, vitam æternam adepto, omnes homines una
„cum eo vitam æternam pariter adipiſcerentur. Que-
madmodum vero, ut diaboli conſilium eventu non ca-
reret, neceſſe erat, ut omnes ex Adamo naſcerentur;
alioquin id, quod ipſi Adamo eveniſſet, cæteris obeſſe
non potuiſſet: ſic, ut Dei conſilium eventu non careat,
neceſſe eſt, ut omnes homines ex Chriſto naſcantur;
alioquin id, quod ipſi Chriſto evenit, cæteris prodeſſe
non poterit. Quodſi factum eſt, ut omnes homines ex
Adamo naſcantur, ex Chriſto non item, id, (quod ad
collationem ab Apoſtolo propoſitam attinet) caſu factum
eſt. Nimirum quia, ut ex Adamo cæteri homines naſce-
rentur, cum is ſolus eſſet à Deo creatus, naturaliter ne-
ceſſarium fuit, quod autem homines ex Chriſto naſcan-
tur, ipſorum hominum voluntatem requirit, eamque
liberam. Niſi enim voluntas libera ſit, nullo modo dici
poteſt, quod quis Chriſtum imitari voluerit, & non ſecus
atque ille, fide, quam illius verbis adhibeat, ut pote ju-
ſtitiæ & honeſtati conſentaneis, ad id adductus atque im-
pulſus, Deo obedientem ſe præſtiterit; quod ut dixi-
mus, nihil aliud eſt, quam illud, ex Chriſto naſci, de
quo quærimus. Itaque, ſi non omnes ex Chriſto naſ-
cuntur (ut enim ſcriptum eſt Rom. 10. 16. 2 Theſſ. 3. 2,
non omnes obediunt Euangelio, neque omnium eſt fi-
des) id Dei conſilium, nec aliud eſſe oſtendit, quam nos
dicamus, nec illud vere infringit; cum, licet ipſe maxime
velit, omnes Chriſto fidere, innumeri tamen poſſint
nolle; nec conſilium ejus ſit, ut omnino ſive libere, ſive
neceſſario fidant, ſed ut & volentes & libere fidant, quod
fieri non poteſt, niſi eis libera voluntas ad utrumque con-
cedatur, ſeu potius relinquatur. Si igitur fidere Chriſto
nolunt, id non fit quidem, quod ipſe volebat; ſed non
tamen vere infringitur conſilium ipſius, qui eos poſſe
nolle ſtatuit, & ſi nolint, quid de illis ad ſui nominis
gloriam facturus ſit, jam decrevit.

Quodſi dicas, non omnibus hominibus prædicari
Chriſti Euangelium; reſpondeo, ſatis prædicatum fuiſſe,
cum ipſe Chriſtus primum quaſi in ipſo medio terrarum
orbe illud annunciaverit, & ſuos diſcipulos deinde in
univerſum mundum miſerit, ut prædicarent Euangelium
omni creaturæ, & ſibi teſtes eſſent uſque ad ultimum
terræ. Quare conſilium Dei fuiſſe dici poteſt, ut omnes
prorſus homines Chriſtum noſſent, eique fidem habe-
rent. Proinde ſi non pauci ſunt, qui de Chriſto nun-
quam audierunt, id juſto Dei judicio, quanquam ipſi
ſoli vere cognito, contra ejus primum decretum factum
fuiſſe, ſtatuendum omnino videtur.

Si dixeris, Adami noxam omnes prorſus homines at-
tingere, ab orbis conditi initio uſque ad finem ſeculi;
Chriſti autem beneficium hoc pacto explicatum, non
pertinere niſi ad eos, qui poſt ipſum Chriſtum fuerunt:
Dico, etiamſi tibi conceſſero, ex explicatione mea bene-
ficii Chriſti colligi poſſe, id non niſi ad eos ſpectare, qui
Chriſtum conſecuti ſunt; non tamen Apoſtoli collá-
tionem, ſi interpretationem meam ſequamur, man-
cam aut iniquam fore. Primum, quia rei natura ita fert,
cum Adamus ab initio orbis extiterit; Chriſtus vero
multo poſt tempore; & collatio æqua & perfecta in eo
eſt, quod, ſicut Adamus omnibus obeſſe potuit, qui
poſt ipſum fuere; ita Chriſtus omnibus prodeſſe poteſt,
qui ſimiliter poſt ipſum fuerint. (Uſus ſum autem verbis
Potuit, & *Poteſt*, quia, ut jam dictum eſt, hoc loco
non de eventu, ſed de conſilio, ſeu de prima cauſa
agitur) Deinde, quia, poſtquam Chriſti beneficium ap-
paruit, ceſſat in nobis effectus noxæ Adami, niſi nos ipſi
culpa noſtra eum retineamus, id eſt, Chriſti beneficium
aſpernemur, & ita, quod ad conſilium Dei ſpectat, poſt
Chriſtum Adamus nihil nobis amplius nocet. Hinc fit,
ut Paulus in tota hac collatione de damno nobis per Ada-
mi peccatum illato, tanquam de re tranſacta, & quæ
amplius non ſit, mentionem faciat. Sic utrique, Adamo
ſcilicet & Chriſto ſuum tempus in collatione aſſignatur.
Et quo efficitur, ut nulla prorſus iniquitas aut imperfe-
ctio in ipſa deprehendi queat.

At ſi poſtremo dixeris, Adami noxæ omnes infantes
participes fuiſſe; Chriſti autem beneficii hac ratione ex-
plicati non item; animadvertendum eſt, Paulum non
omnem vim noxæ Adami, cum omni vi beneficii
Chriſti conferre; ſed eam vim, quod Adami noxa
omnes homines jam adultos perpetuæ morti addicere
potuerit, cum ea vi beneficii Chriſti conferre, quod
omnes homines jam adultos æterna vita donare poſſit.
Nam de adultis Paulum loqui, cum de Chriſti beneficio
verba facit, per ea quæ ſupra dicta ſunt, perſpicuum eſt:
etſi non eſſet, ſatis eſt oſtendiſſe, nullam iniquitatem
in collatione futurum, ſi de infantibus in ea mentio non
fiat. Verba certe, infantes hic nominari, non indicant.
Quamvis enim omnium hominum appellatione infantes
quoque ſignificari poſſunt, plerumque tamen, & fere
ſemper, hominum ſive omnium ſive aliquorum nomi-
ne, tum in ſacris, tum in prophanis literis, adulti dun-
taxat, & ii, qui rationis uſum habent, ſignificantur.
Ratio autem & loci ſententia, infantes hic non nomi-
nari, plane ſuadet. Neque enim ita pertinere poſſunt
infantes ad Chriſtum, ſicut pertinent ab Adamum. Ada-
mus omnium infantium carnalis eſt pater: Chriſtus au-
tem infantium ſpiritualis pater non eſt, neque ab ipſo
vere, ne unus quidem propagatus eſt. Eorum enim tan-
tummodo, qui Deo per ipſum confidunt atque obediunt,
parens & genitor Chriſtus eſt. Infantes autem, cum ra-
tionis uſu careant, neutrum præſtare poſſunt. Quare
in hac parte Chriſtum cum Adamo conferre, & ineptiſ-
ſimum & iniquiſſimum eſſet.

Nec, ut ſupra oſtendimus, quidquam momenti hac
in re habet, quod Chriſtus homo natus ſit. Nam ſi in
carnalibus rebus conferendis & accipiendis, nihil refert,
eum, qui conferre debet, hominem eſſe, ut is eſt, qui
accepturus ſit, niſi aliud præterea accedat; quanto ma-
gis id dicendum eſt, in conferendis & accipiendis rebus
ſpiritualibus? Si infantes nihil aliud commune cum Ada-
mo habuiſſent, niſi quod homines, ut ille homo erat,
fuiſſent, immo niſi ab ipſo propagati forent, ejus mi-
ſeriarum propter ipſum participes facti non eſſent.
Haud aliter de Chriſti perſona cenſendum eſt. Quod
enim infantes, non ſecus atque Chriſtus humani gene-
ris pars ſint, niſi aliud præterea accedat, immo niſi ab
ipſo ſpirituali ratione ortum ducant, id prorſus nihil
eſt, ut illius felicitatem participare poſſint. Num cre-
dis fortaſſe, quia Chriſtus natus eſt homo, eam ob cau-
ſam univerſum humanum genus ſanctificatum fuiſſe?
Sed quid tibi, ut ita credas, perſuadere poteſt? Non certe
rei natura. Neque enim totum humanum genus tan-
quam maſſa aliqua eſt, in cujus minima parte ſi ali-
quid fiat, id per contagium & quaſi fermentationem
quandam, in reliquo fieri ſuſpicari poſſimus; ſed homo ab
homine ſeparatus eſt, & cum Chriſtus in matris utero eſt
conceptus, & deinde natus, major pars eorum, quibus
eum profuiſſe credis, non extabant. Non eventum aut
experimentum aliquod: cum plerique eorum, qui ſe-
cundum carnem præ cæteris Chriſto conjuncti fuerunt,
præ cæteris quoque ipſum ſpreverint, & ab illius ſancti-
ficatione quam longiſſime abfuerint. Non divinarum
literarum teſtimonia aliqua: cum nihil magis ab earum
ſententia abhorreat, quam ſanctificationem, quæ ge-
neri humano per Chriſtum aut contingit, aut contin-
gere poteſt, à carnali cognatione pendere; ſed ubique
in eis ſcriptum ſit, fide in ipſum Chriſtum, tantæ
ſanctitatis nos participes fieri. Non denique ratio ulla,
quam excogitare potueris: cum ſanctificatio per Chri-
ſtum parta, ut tota ſpiritualis eſt, ſic ſpirituali modo,
ut fiat, prorſus neceſſarium ſit. Præterea, ſi iſta carnali
ratione ſanctificari homines velis, multo magis dices,
Chriſtianorum infantes, qui ex ipſis ſanctificatis nati
ſunt, ſanctos eſſe. Quod ſi verum eſt, eadem ratione,
qua jam probatum eſt, Dei conſilium fuiſſe, ut om-
nes prorſus homines Chriſtiani fierent, ipſius etiam
conſilium fuiſſe, ut omnes infantes ſancti eſſent, &

ad juſti-

ad juſtificationem illam vitalem pervenirent, concludendum eſt

Hactenus de interpretatione verborum Pauli ita diſſerui, tanquam ſi de omnibus prorſus hominibus eum loqui contaret, & oſtendi, nihil, quod tutum ſententiam perſuadere poſſit, inde colligi. Quanto igitur magis id verum eſſe demonſtrabitur, ſi eorum verborum vera ſententia percipiatur, quæ alia non eſt, niſi, à Chriſti beneficio neminem excludi, ſed quicunque abundantiam hujus divini doni exceperint, ejus participes fieri? Dixerat enim, ut vidimus, Apoſtolus, ſi unius delicto mors per unum regnaverat, multo magis futurum, ut qui abundantiam divinæ gratiæ per Chriſtum oblatæ acciperent, per eundem Chriſtum in vita regnarent. Hinc poſtea concludit, Adami delictum & Chriſti juſtitiam in eo eſſe paria, quod, ſicut nulla cujuſcunque hominis ratione habita, omnibus per Adami delictum condemnatio parta fuerat: ſic nulla cujuſcumque hominis ratione habita, omnibus per Chriſti juſtitiam ſalus parta eſt. Verum quemadmodum ii, qui Deo obedientes fuerunt, quamvis ei condemnationi eſſent obnoxii, ab ea exempti tamen divina benignitate ſunt: ſic, qui Dei gratiam per Chriſtum oblatam reſpuunt, quamvis tantæ ſaluti ſint deſtinati, divino tamen judicio ejus adeptione privantur. Neque vero in univerſa hac collatione ad numerum hominum umquam reſpexit Paulus, (ut alii etiam ante me animadverterunt) quaſi oſtendere hic conatus fuerit, non plures delicto Adami condemnatos fuiſſe, quam juſtitia Chriſti ſervatos: ſed ad modum condemnationis & ſalutis ubique reſpexit, quos ſimiles fuiſſe oſtendit, & inter cætera in eo, quod, ſicut in condemnatione inferenda perſonarum ratio non habetur, ita in ſalute danda nullus eſt perſonarum reſpectus; nec ab ea re ipſa conſequenda, ea tamen ratione, qua Deo viſum eſt, ullus prorſus excluditur; non ſecus atque à condemnatione re ipſa ſubeunda, ea ratione, qua Deo viſum eſt, nemo prorſus excluſus fuit. Hanc autem eſſe verborum Pauli ſententiam, & tuam interpretationem ab ejus mente penitus abhorrere, præter ea, quæ jam dicta ſunt, ex conſequentibus verbis intelligi poteſt, quæ ſic habent: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* Primum enim ex his verbis, quæ rationem reddunt præcedentium, apparet, verba illa: *in juſtificationem vitæ*, eam vitalem abſolutionem à peccatis ſignificare, quæ in futuro ſeculo conferenda eſt. Hic enim in futuro tempore loquitur, *juſti conſtituentur*, quod verum id eſſe demonſtrat, de quo nos tantopere aſſeveramus, in ſuperioribus verbis non de eventu ipſo, ſed de divino conſilio agi. Quo admiſſo, corruit funditus interpretatio tua, quæ de jam collata juſtitia, & de vitæ æternæ poſſeſſione quadam, in qua univerſum humanum genus conſtitutum jam fuerit, ibi verba fieri, omnino requirit. Deinde, non minus quam ex aliis verbis hujus collationis, ex ipſis clare liquet, effectum obedientiæ Chriſti, & ipſum Chriſti beneficium, re ipſa non omnibus, ſed multis contingere, atque, ut ſupra dictum fuit, quibuſdam multis. Hic enim non minus quam in ſuperiore illo loco, in Græco voci *Multi* articulus eſt additus, & dictum οἱ πολλοί. Cum enim dixiſſet eos regnaturos in vita, quicunque Dei donum acciperent, & hinc concludens ſubjunxiſſet, neminem à tanto beneficio excludi; idque per Chriſti juſtitiam contingere: recte, rationem ejus dicti reddens, ait, per Chriſti obedientiam illos multos, quicumque ſcilicet oblatam divinam gratiam non reſpuerint, ſive quocumque modo acceperint, ſervandos eſſe. Confert autem Adami inobedientiam cum obedientia Chriſti: quia ſicut Adamus inobedientia ſua perpetuam mortem ſibi comparavit, unde ex natura rei factum eſt, ut quicumque ex ipſo originem traxere, eidem perpetuæ morti ſint obnoxii: ſic Chriſtus obedientia ſua æternam vitam ſibi comparavit, unde ex natura rei factum eſt, ut omnes, qui ab ipſo originem traxerint, eandem vitam æternam conſequantur. Ex quo efficitur, ut, quemadmodum unius hominis, id eſt, Adami inobedientia, multi, nulla habita ratione, utrum vere peccatores fuerint necne, pro peccatoribus habiti ſunt; illi, inquam, multi, qui ex ipſo Adamo ſunt nati: ſic unius hominis, id eſt, Chriſti obedientia, multi, nulla habita ratione, utrum vere juſti fuerint necne, pro juſtis habeantur; illi, inquam, multi, qui ex ipſo Chriſto fuerint nati. Et ſic Chriſti obedientia, vis delicti Adami in iis, qui ab ipſo Adamo propagantur, fracta & diſſoluta eſt: nec delicti tantum illius & propagationis vis eſt comminuta, ſed, ut Apoſtolus deinde ſubjungit, legis quoque ex qua major etiam hominibus condemnatio illata fuit, qui eam non ſervaverunt; ita ut non modo tanquam ab Adamo prognati, & pro peccatoribus habiti, ſed etiam tanquam legis divinæ contemptores, & veri peccatores, æternæ mortis ſint rei. Quicumque enim ex Chriſto ſpirituali ratione fuerint nati, hoc eſt, ut ſæpius diximus, qui fidem Chriſti verbis habuerint, à Deo, ut ille fecit, obedierint; hi, quamvis ab Adamo prognati, peccatis aliquando obruti fuerint, à morte perpetua eximentur, & vita æterna donabuntur. Atque hac noſtra & facillima, & ad pietatem ac vitæ ſanctimoniam utiliſſima atque accomodatiſſima interpretatione, totum caput illud quintum epiſtolæ ad Rom. ſecum conſentit; & hanc poſteriorem partem, quæ collationem Chriſti cum Adamo continet, ex priore, in qua homines Deo per Chriſtum fidentes, quamvis antea impii & peccatores fuerint, per ipſius Chriſti vitam ſervatum iri dicitur, derivari atque pendere, ut ipſa verba omnino requirunt, apertiſſimum & planiſſimum fit.

Jam igitur videre primum potes, quam non coactæ nec iniquæ ſint collationes illæ Chriſti & Adami, quas Apoſtolus in 15. illo cap. prioris epiſtolæ ad Cor. & in 5. hoc epiſtolæ ad Rom. explicat, & quam ipſius verbis convenientes; etiamſi in eis non dicatur, totum humanum genus, ab ipſo ortu, Jeſu Chriſti beneficii vere particeps eſſe: immo quam & coactæ & iniquæ eſſent, & Apoſtoli verbis non diſſentaneæ tantum, ſed etiam contrariæ, ſi id in illis diceretur: cum nullo pacto, quod ad numerum attinet, ſit comparanda ea communitas, quam Chriſtus cum humano genere habet, cum ea, quam habet Adamus: (ſiquidem ex Adamo omnes homines nati ſunt: ex Chriſto autem tanquam homines nulli, alia vero ratione non omnes, ſed aliqui duntaxat) & cum id, in quo Adamus & Chriſtus conveniunt, quantum ad communitatem, quam habent cum univerſo humano genere, id eſt, quod homines ſint, per ſe nihil prorſus momenti habuerit ad nos iiſdem malis ſubjiciendos, quibus Adamus ſubjectus fuerit; quare neque etiam aliquid momenti per ſe habere debet ad nos iis bonis donandos, quibus Chriſtus donatus fuit: & cum denique ex Apoſtoli verbis liqueat, eos tantum Chriſti beneficii participes futuros, qui ejus fuerint, & ad ipſum pertinuerint; atque hos non quidem Omnes, ſed Multos futuros, eos ſcilicet, qui abundantiam ejus doni, quod Deus per Chriſtum obtulit, acceperint. Ex quo perſpicuum fit, duo hæc divinarum litterarum teſtimonia, quibus ſine dubio potiſſimum niteris, ſententiæ tuæ quam maxime adverſari, adeo ut eam utrumvis ipſorum per ſe, & convellere & funditus evertere valeat. Videre deinde potes, non incredibili fallacia, aut ſophiſmate uſum fuiſſe Paulum, quamvis alicubi Omnium appellatione, cum de Adamo in his collationibus loquitur, omnes homines contineantur; cum vero de Chriſto, aliqui tantum: id enim jure fieri potuit. Quodſi fieri non potuiſſet, non falacia aut ſophiſma in Apoſtoli verbis eſſet, ſed ineptitudo & evidens mendacium. Quinimo tunc fallacia & ſophiſmate plena eſſent verba

ipſius, ſi Omnium nomine utrobique omnes homines intelligere voluiſſet, & ita ſpecie quadam comparationis inter Chriſtum & Adamum, legentibus perſuadere, totum humanum genus, per Chriſtum, in vitæ immortalis poſſeſſionem quandam immiſſum fuiſſe, quemadmodum per Adamum perpetuæ morti addictum fuerat: & fallaciæ ac ſophiſmatis plena eſt interpretatio tua, quæ ſignificationes verborum pro rebus, de quibus agitur, non diſtinguens, falſiſſimam ſententiam, quam nihil præterea ſuadere poteſt, nobis pro veriſſima obtrudit. Poſtremo, potes videre, Paulum, ſi interpretatio noſtra admittatur, non præſtigiatorem fuiſſe, nec ſtultæ multitudini imponere voluiſſe, quippe qui, ſi id, quod nos aſſerimus, dicere voluit, id verbis quoque dilucide expreſſerit, & ipſiſſimam veritatem aperte locutus fuerit, ex qua nihil, niſi maximus fructus omnibus provenire poſſit.

Sed finge, Paulum verbis eam ſententiam omnino expreſſiſſe, quam tu ſequeris, quamvis revera aliud plane ſenſerit; quid damni aut incommodi ex ea re vel tibi, vel cuicumque alii accidere poteſt? Numquid non habes in iiſdem illis ejuſdem Apoſtoli epiſtolis, & in cæteris, quæ extant, diſertiſſime ac frequentiſſime explicatam rationem ſalutis tuæ; quæ, ut uno verbo dicam, ea eſt, ut ſancte & innocenter ex Chriſti præſcripto vivas, ab ipſo Chriſto beatam immortalitatem expectans? Num tibi eam ſalutem eripere poteſt, quod univerſum humanum genus, in ipſo matris utero, Chriſti beneficii efficienter particeps eſſe, alicubi ab eodem Apoſtolo ſcriptum fuiſſe, falſo arbitratus fueris? Nonne vides, eam opinionem, quam ex Pauli verbis concepiſti, nullam aliam ob cauſam tibi nocere poſſe, niſi quia, cum omnes homines jura immortalitatis jam adeptos fuiſſe tibi perſuaſeris, non anxie admodum laborandum putaveris, ut ſancte & innocenter vivas; ſed ſatis eſſe credideris, ſi à Deo penitus non deficias: ea enim ratione futurum veriſimile eſſe, ne tanto bono, quo jam donatus fueras, unquam priveris? In hoc nimirum duntaxat, te à Paulo deceptum fuiſſe, quod ſalutis tuæ portam & viam, quæ anguſta & arcta eſt, latam & ſpatioſam eſſe, ejus verbis in animum tuum induxeris. Hinc illæ lacrumæ. Nec vero hæc propterea dico, quod ita rem ſe habere ſim perſuaſus; ſed ut tute videas, cum quibus in die judicii expoſtulaturus ſit Paulus potius; an cum iis, qui ex ipſius verbis eam ſententiam colligendam dicunt, quæ hominibus veram ſalutis viam proponit, quam ipſe in ſuis ſcriptis millies alibi clariſſime explicat; an vero cum iis, qui eam ex ipſis elicere tentant, quæ non modo ab ipſius ſenſu penitus abhorret, verum etiam ſalutis viam & rationem pervertit, & hominibus ſempiterni exitii cauſa eſſe poteſt. Memineris, Franciſce, aliquando, te nec infantem eſſe, nec à republica Chriſtiana alienum, ſed virum & profeſſione Chriſtianum, præceptorumque Chriſti optime ſcientem. Quare tibi noctes dieſque in eam curam incumbendum eſſe cogita, ut ea præcepta diligenter obſerves; neque committendum, ut, dum de eorum, quibus labor iſte tuus prodeſſe nullo modo poteſt, ſalute ſtudioſe inquiris, tuam ipſius & cæterorum, quibus ad eam conſequendam non parvo adjumento eſſe poſſes, aut negligas aut ignores. Id autem non ita facile fiet, niſi immortalitatem, non quidem homini ab initio creationis datam, & multo minus poſtea per Chriſtum univerſo humano generi in ipſo matris utero reſtitutam, ſive ejus recuperandæ jura jam re ipſa collata fuiſſe credas; ſed & Adamo obedientiæ præmium decretam fuiſſe exiſtimes, & nobis divina benignitate, fidei in Chriſtum, qua fiat, ut ad eam normam, quam is nobis præſcripſit, Deo obediamus, & laborum, quos hanc ipſam ob cauſam ſubire debemus, mercedem & coronam conſtitutam eſſe, tibi plane perſuadeas.

Multa ut vides, Franciſce, meo more adverſus pauca ſcripſi, aut certe multo plura, quam initio conſtitueram, ita me ſtudium à tuis erroribus te retrahendi, & veritatem illuſtrandi rapit atque incendit. Nam ſi tibi ipſi non adeo credere volueris, ut ad ea quæ tibi legenda propoſui, aut corporis oculos, aut mentis aures occludas; ſperandum omnino videtur, ut aliqua ſaltem ex parte, te erraſſe agnoſcas, & in futurum, ne tibi idem eveniat, paulo diligentius caveas: cæteri, qui diſputationes haſce noſtras perlegerint, non dubito, quin laborem hunc meum, quamvis ad tua refellenda propemodum ſupervacaneum, haud inanem alioqui futurum dicant. Quoniam vero ex opinione mea innumera fluere affirmas, quæ abſurda ſint, & offendiculum ingens infirmioribus præbeant; tecum id ut interim reputes, oro & obſecro, quænam abſurdiſſimæ ſententiæ, quæ graviſſima offendicula ex tua opinione, non quidem neceſſario, magna ex parte fluant, ſed tamen, ut & tibi ipſi viſum eſt, & incautis pleriſque videri poſſet, fluere cenſeri queant: quæ hoc loco breviter perſtringere non inutile fuerit. Nam de ſcripturæ ſacræ, quam mihi & opinioni meæ objiciis, inverſione, quid attinet dicere? cum nullum ferme locum ex ipſa attuleris, quem, ut omnes judicabunt, non perverteris atque corruperis: &, ſi opinio tua una cum iis, quæ inde quavis ratione derivantur, admittatur, univerſa, (præſertim de natura noſtra) divina oracula depravari & ſubverti neceſſe ſit.

Primum igitur ex opinione tua, adverſus quam ego diſputo, id neceſſario ſequitur, quod ſane valde abſurdum videri debet, Deum ſcilicet, immortalitatem obedientiæ primi hominis præmium non decreviſſe; & tamen ipium ita demum ea perfrui voluiſſe, ſi obediens fuiſſet. 2. Deinde, tu cum ipſa opinione tua, ut eam quibuſdam rationibus probare poſſis, neceſſario conjungis, omnes beſtias immortales ab ipſo initio fuiſſe creatas: quod non valde abſurdum modo, ſed apprime impium cenſendum eſt; quippe quod immortalitatis donum, hominum pietati & juſtitiæ decretum, cum ſtolidis viliſſimiſque animalibus ex æquo commune faciat. 3. Hanc alia impietas conſequitur, Deum nulla ipſarum culpa, beſtias, quas immortalitate donaverat, mortis pænam ſubire voluiſſe. 4. Ex hac impietate aliud, quod non minus ridiculum quam impium eſt, à te ducitur, beſtias ſcilicet, una cum hominibus in reſurrectione ad immortalem vitam reſtituendas eſſe: ex quo aut ſanctitatis ſtudium in hominibus facile convelli poteſt; aut melioris conditionis eſſe beſtias, quam homines, apparere. 5. Tum autem, ut non ſolum, quid in hac diſputatione noſtra ſentias, melius cognoſcatur, ſed etiam opinionis tuæ appendix quædam, ut credis, explicetur, omnium rerum ſubſtantiam perpetuo manere contendis, quo nec magis falſum quicquam dici poteſt, nec quod magis Chriſtum Jeſum, perpetuæ vitæ datorem, ipſius propria gloria ſpoliet. 6. Præterea, ut à quadam mea, & aliorum præſtantium doctrina virorum, qui mecum ſentiunt, oppoſitione, ſententiam tuam tuearis, quanquam non prorſus neceſſario, in id longe omnium abſurdiſſimum & maxime ridiculum incidis, ut dicas, nos in futuro ſeculo comeſturos & bibituros eſſe: unde neceſſario fluit, ipſum dominum Jeſum, noſtræ ſpiritualis, cœleſtis, & ſempiternæ vitæ auctorem & principem, cibo & potu in cœlis regnantem uti. 7. Ex quo etiam neceſſarium eſt conſequi, maris & fœminæ conjunctiones & concubitus, in futura illa vita exercendos fore. 8. Ea inſuper ſententia ex opinione tua omnino conſequitur, Jeſum Chriſtum à morte, propria peccati pœna, nos nequaquam liberaſſe. Nam id profecto veriſſimum eſt, ſi mortalitas hæc naturalis, qua adhuc circumdamur, eſt mors illa, quæ propter peccatum nobis inflicta fuit, & ante peccatum prorſus à nobis aberat, ut tu conſtanter affirmas. Hæc ſententia non abſurdiſſima tantum, ſed etiam maxime ſacrilega eſt, & ſalutem noſtram plane in dubium revocat; adeo ut nihil fere magis impium,

aut

aut deteſtabile, excogitari poſſe videatur. Poſtremo ex tua opinione id tute derivas, quod multipliciter & abſurdiſſimum & impium, &, quod caput eſt, valde pernicioſum eſſe conſtat: nempe, omnes homines, in ipſo matris utero, efficienter participes eſſe beneficii Chriſti, quo ii ſoli priventur, qui à creatore ſe averterint, & ejus iram in ſe ipſos atque indignationem ſuis ſceleribus cumulaverint. Sola enim hæc tua ſententia, ut pote per quam ſalutis noſtræ ratio tota pervertitur, univerſam, ſi recte perpendatur, Chriſtianam religionem peſſundare poteſt, atque omnem Chriſtiano homine dignam ſanctimoniam extinguere atque delere. Alia permulta miſſa facio, quæ noſtris legendis, te abſurdiſſime dixiſſe, omnes animadvertent; ad quæ dicenda partim impulſus, partim compulſus tuæ opinionis defendendæ ſtudio fuiſti.

Cujuſmodi autem ſint, vel abſurda vel offendicula, quæ ex opinione mea conſequi dicis, ex hac noſtra reſponſione conſtabit. Tametſi enim tu me in Deum contumelioſum eſſe affirmas, videbunt qui hæc legent, vel te hac in parte nihil omnino dicere; vel quæ evidenter falſa ſunt, aſſerere; vel in eo ipſo reprehendendo, in quo me Deo contumeliam facere ais, te in Deum maxime contumelioſum eſſe. Illud de opinione mea, deque iis quæ ad illam confirmandam à me afferuntur, fatearis neceſſe eſt, nihil in illis eſſe, quod homines à cœleſti illa vitæ ſanctitate aut revocet aut abducat: quæ, ut in iis, qui per Chriſtum immortalem vitam ſe adepturos ſperare poſſint, neceſſario requiritur; ſic in nemine eſſe poteſt, cujus cor rectum & integrum non ſit. Quod utinam de tua opinione, deque iis, quæ ad eam vel perſuadendam vel defendendam, affers, dici poſſet. Sed, ut vidiſti, & tua opinio fidem in Chriſtum dubiam efficit, ſine qua ea ſanctitas conſiſtere nequit, & id tibi plerumque propoſitum videtur, ut eam penitus labefactes atque convellas; adeo ut, niſi tua ipſius verba clariſſima, te ab ea accuſatione alicubi manifeſte vindicarent, multa dicas, multas divinorum oraculorum interpretationes proferas, quæ omnino oſtendere poſſint, te ſentire, omnes homines, ſive bonos ſive malos, tandem ſervandos eſſe.

Jam vero ego, nec in mea opinione aſſerenda, nec in tua refellenda (quod tu ſuſpicatus eſſe videris) nec in prædictis erroribus tuis graviſſimis retegendis & confutandis, ullam ingenii laudem quæro; ſed ne veritas ullo modo obſcuretur, neve germana Chriſtiana pietas aliqua ex parte extinguatur, pro virili & curo & ſatago. In quo dum totus ſum, cavi quantum potui, ne te convicio aliquo aut maledicto læderem, quamvis à te graviter & frequenter laceſſitus fuerim. Si quid tamen mihi imprudenti exciderit, quod animum tuum, præter id, quod par eſt, offendat, ut benigne mihi id ignoſcas, vehementer & ſummis precibus a te peto atque contendo. Sed illud vehementius multo, præ tuæ ſalutis deſiderio te rogo, ſeu potius moneo, ut poſt hac, ſi fieri poteſt, aut mecum aut cum quovis alio, ſive coram, ſive ex ſcripto diſputans, à conviciis abſtineas. Nam præterquam, quod virum nobilem ac literatum, qualis tu es, minime decent, & adverſarii cauſam juvant, à regno Dei eum, qui ipſis deditus ſit, excludunt; ut Paulus aperte teſtatur, qui etiam præcipit, ne cum ejuſmodi hominibus, qui inter Chriſtianos ſe eſſe profiteantur, vel cibum quidem ſumamus. Quodſi à conviciis, ut divino regno indigni non judicemur, abſtinendum nobis eſt; à calumniis multo magis abſtinere debemus, quibus tamen tu in tuo ſcripto adverſum me, delectatus quodammodo fuiſſe videris. Quare quid tibi faciendum ſit, vides. Hæc ſi præſtiteris, & præterea vitæ abſolutiori innocentiæ & Chriſtianæ ſanctitati ſtudueris, quidquid in hac controverſia noſtra unquam ſenſurus ſis, ego & te ſemper meum in Chriſto fratrem eſſe agnoſcam, & tibi mecum ſatis convenire putabo; &, quod tu mihi perhumaniter facturum te polliceris, ſi tecum de veritate conveniam, hoc eſt, ut ego interpretor, ſi tuam ſententiam veram eſſe aſſenſus fuero, id ego re ipſa præſtabo. Ex te enim & multa addiſcere curabo, quæ me docere potes; & quantum in me fuerit, tibi cum in ſtudiis, tum in omnibus conatibus tuis adjumento ero. Sin autem te non multum curare animadvertere potero, ut vetere homine depoſito, novum induas; etiamſi non in hac quæſtione tantum, ſed in omnibus Chriſtianæ religionis placitis, quin & in ſingulis divinarum litterarum ſententiis, atque adeo verbis & ſyllabis interpretandis, mecum prorſus ſentires; non tamen te vel fratrem agnovero, vel tibi mecum convenire exiſtimavero. Spero te omnino non factis minus, quam lingua, verum Chriſtianum plane nobis expreſſurum. Neque enim ignoras, quam gravia divina ſupplicia impendeant illis, quibus cœleſtis illa veritas patefacta eſt, nec dignam tanta cognitione vitam inſtituunt. Deus optimus maximus, pro ſua clementia, te nunquam deſerat, & ſtudia ac labores tuos, ad Eccleſiæ ſuæ utilitatem dirigat atque convertat. Tigu ri 27 Januarii 1578.

ILLUSTRI IN PRIMIS
AC MAGNIFICO DOMINO
D. JOHANNI KISKÆ A CIECHANOVIECZ,
Samogitiæ Præsidi generali, &c. Domino & Patrono
suo perpetuâ observantia colendo.

QUantum ad Christianam pietatem colendam ac retinendam, & ad exteros propagandam; illustris ac magnifice Domine, momentum habeat ipsius CHRISTI naturæ sive essentiæ, nec non expiationis peccatorum per ipsum, vera cognitio, neminem esse arbitror, qui, ex parte saltem, clare non perspiciat. Quapropter, cum, annos ab hinc ferme quinque, disputationem quandam adversus Andream Volanum, aliquot annis ante cœptam, absolvissem, in qua utrumque horum religionis nostræ capitum (quamquam alterum altero multo copiosius) ita tractatur, ut facile possit inde apparere, quid de utroque statuendum sit; nihil ab eo tempore antiquius habui, quam, ut disputationem hanc ipsam ederem. Sed vix tandem nuper factum est, ut id præstare potuerim. Quod peropportune in hoc tempus incidit, cum non apud alios modo, sed etiam apud quosdam ex nostris, me pessime audire, aperte cognovi. Quia videlicet, per Christi sanguinem ac mortem alia ratione expiata fuisse nostra peccata, contendo, quam vulgo tradatur. Ex hac enim disputatione constabit, quam immerito ab istis traducar, tanquam is, qui Christi sanguinem & mortem à nostrorum peccatorum expiatione excludam. Ut quidam etiam ex ipsis, publice scriptis editis, affirmare non dubitarunt. Quamquam id multo clarius apparebit, si unquam mihi Deus dederit, ut aliam disputationem meam de Jesu Christo servatore, ante annos jam decem conscriptam, edere possim. Interim, qui de me hac in re male sentiunt, habebunt saltem, unde, cur, de me male sentire se, debere existiment, posthac ipsi noscant. Ante hac enim, plerique ex meis reprehensoribus potius audita quædam, quam cognita, in me culparunt. Tempus autem veritatis, ut ajunt, pater, quemadmodum nostros homines, dum de Christi natura atque essentia aliter docent, atque alii doceant, veram ipsius Christi gloriam quærere ostendet: sic me, dum de peccatorum per Christum expiatione diverse ab aliis docendum sentio, id curare demonstrabit, ut ipsi Christo suus verus honor ac majestas illibata constet. Jam ad ista, quæ supra exposui, quibus ad meam hanc adversus Andream Volanum disputationem edendam impulsus fui, nonnullorum fratrum, & amicorum assiduæ preces, atque adhorationes accesserunt. Quare vix ullum fore credo, qui meum hoc factum reprehendere audeat. Præsertim, cum Volani scripta, ad quæ respondeo, non solum universum cœtum nostrum, verum etiam

meipsum

me ipſum privatim petant, eaque jam ab annis ſeptem, ſine ulla reſponſione, publice extent. Tibi autem, illuſtris ac magnifice Domine, cui, ob tuas maximas virtutes, & ſingularem in me humanitatem, omnia me debere, libens agnoſco, & profiteor, hoc mearum vigiliarum munus offero ac dedico: non quidem, ut eorum, quæ hic à me dicuntur, patrocinium ſuſcipias (neque enim vel humano patrocinio divina veritas eget, vel, ſi quid minus recte dictum à me fuerit, id defendi volo) ſed ut te ad ea, quæ hic diſputantur, perlegenda & cognoſcenda alacriorem & diligentiorem reddam. Quanto enim opibus cæteris noſtri cœtus in hoc regno præſtas, tanto te ardentius cæleſtem veritatem inquirere decet. Ut eam non ex aliorum, ſed ex tua ipſius inveſtigatione penitius cognitam, promovendam quoque & propagandam, quemadmodum facile poteris, omnino cures. Deus tibi concedat, ut, ſpretis aliis rebus omnibus, uni ipſius gloriæ perpetuo ſtudeas. Dat. 14. Junii 1588.

Illuſtri Magnificentiæ tuæ

Addictiſſimus & deditiſſimus in Domino F. S.

De Jesu Christi Filii Dei natura sive essentia.

Nec non de peccatorum per ipsum expiatione Disputatio *adversus* Andream Volanum.

In qua & prior ad Paræneſim ejuſdem Volani, & ad ea, quæ ipſe huic objecit; plenior altera reſponſio habetur.

Utriusque reſponſionis Auctor ad Lectorem.

CUm annos ab hinc tres allata ex Lituania in Poloniam ad nos fuiſſet epiſtola quædam Andreæ Volani, quam ipſe, Paræneſim ad omnes in regno Poloniæ, magnoque ducatu Lituaniæ Samoſatenianæ vel Ebioniticæ doctrinæ profeſſores, inſcripſerat; rogarunt me ejus loci fratres, ubi tunc degebam, ut non ipſorum modo, verum etiam aliorum omnium nomine ad Paræneſim iſtam reſpondere vellem; idque quam primum: certo etiam ſpatio pauciſſimorum dierum ad eam rem mihi aſſignato atque præſcripto. Etenim nuncius qui in Lituaniam reverſus erat, & per quem illi omnino, reſponſum mittendum judicabant, diutius eo in loco commorari ſe non poſſe, ſed quam celerrime ſibi diſcedendum eſſe, affirmabat. Ego, etſi nec doctrinam, nec ingenium ejuſmodi mihi eſſe noveram, ut ve præ cæteris ad id munus deligendus eſſem, vel tam brevi tempore quidquam magnopere probandum præſtare poſſem; tamen cum & fratribus me omnia debere agnoſcerem, & Volani epiſtola perlecta, non adeo aut difficile, aut laborioſum eſſe judicaſſem, ad omnia, quæ contra noſtros homines revera, contraque ſententiam noſtram de Deo, Chriſtoque ejus in ea continebantur, ita reſpondere, ut quicumque veræ pietatis, veræque divinarum rerum ſcientiæ amatores eſſent, facile & cauſſæ noſtræ juſtitiam, & Volani in nos ſive errorem, ſive iniquitatem perſpicerent, cumque nobis, noſtraque ſententia defendenda, ipſius Dei, Chriſtique ejus vere gloriæ defenſionem contineri, perſuaſiſſimum haberem, haud ſane invitus demandatam mihi provinciam ſuſcepi, ac, Deo adjutore, intra mihi præſcriptum tempus reſponſionem ſcripſi: non eam quidem plenam admodum, aut accurate digeſtam atque diſpoſitam; ſed tamen ejuſmodi, ni fallor, quæ haud omnino immerito Volani epiſtolæ ea in parte, cui reſpondebatur, opponi poſſet. Volui tamen, celeritatis, qua conſcripta fuerat, indicium aliquod manifeſtum in ipſo titulo exſtare. Itaque Tumultuariam præ temporis anguſtia reſponſionem, eam inſcripſi. Unde fortaſſe in primis ſuis contra me verbis me tumultuari, ait Volanus. Nomen vero meum cum ob hanc ipſam cauſſam, tum propter alias nonnullas homine Chriſtiano, ut arbitror, non prorſus indignas, reticendum cenſui. Satis eſſe exiſtimans, ſi ab uno quodam illam exaratam fuiſſe, conſtaret: ne cœtus ipſe univerſus, cujus nomine eam ſcripſeram, cum is magna ex parte ne ſcriptam quidem fuiſſe, ſciret, in crimen quodammodo vocari poſſet, ſi quid in ea minus recte dictum deprehenderetur. Præſertim, cum quædam ibi de ratione expiationis noſtrorum peccatorum per Chriſtum attigiſſem, quæ an aliis omnibus, quorum nomine reſpondebam probarentur necne, plurimum dubitabam. Cujuſdam igitur boni viri illam eſſe, ut inſcriptio ipſa quemlibet moneret, curavi. Fratres eam acceptam, cum ne perlegendi quidem illam otium habuiſſent, ad alios primum in Polonia fratres, qui in ipſo itinere occurrebant, deinde in Lituaniam ad eum, à quo Volani epiſtola ad nos tranſmiſſa fuerat, deferendam properanti nuncio dederunt. Quam ad ipſius Volani manus perveniſſe, non ita multo poſt certior ſum factus, cum firma ſpe, vel illum nobis in hac diſputatione, conceſſurum, vel, novo ſcripto edito, reſponſurum. Quorum ſane utrumque, quanquam non æque, vehementer lætabar. Veriſimile enim admodum mihi fiebat, ut, ſi minus contigiſſet, doctum alioquin hominem & pietatis ſtudioſum ab inveterato errore in capite religionis noſtræ tanti momenti diſcedere, ſaltem ex ejus reſponſione occaſio nobis daretur tota de re uberius atque accuratius ſcribendi, ac potiſſimum omnia ſanctarum litterarum teſtimonia, quæ huc maxime pertinere viderentur, diligentius aliquanto, quam ante hac factum eſſet, & fortaſſe verius, interpretandi, atque explanandi. Ecce autem, dum poſt menſes non paucos hæc eadem mecum animo revolvo, affertur mihi jucundiſſimus nuncius, Volanum reſpondiſſe, ac reſponſionem ipſam ad ſymmyſtas ſuos in Poloniam miſiſſe. Ex quibus curavi ſtatim ut quæreretur, num res ita ſe haberet, & meo nomine ejus ſcripti exemplum peteretur. Fatli ſunt ipſi quidem, Volani ſcriptum, quo mea reſponſio refellebatur, ad ſe miſſum fuiſſe: ſed ejus exemplum daturos, ejuſve deſcribendi copiam ſe facturos, negarunt. Et enim formis illud excudi debere, & publicari propediem. Quare hoc tempus, quod breve admodum futurum appareret, me & alios expectare æquum eſſe. Quamquam vero vehementer ſcripti illius legendi deſiderio tenebar, tamen non potui non probare reſponſum, quod retuleram. Nec ſane, ſi, ſcriptum publicandum omnino eſſe, antea reſciviſſem, ejus exemplum petere umquam auſus fuiſſem. Mitigavit autem dolorem, quem ex non adepta tam deſiderata re capiebam, id ipſum, unde fiebat, ut non adipiſcerer. Nihil enim mihi gratius contingere poterat, quam Volani reſponſionis publicatio: quippe quæ & veritatis inquirendæ majorem anſam præbitura eſſet, & non modo prioris reſponſionis meæ publicationem, verum etiam alterius plenioris atque exactioris tum ſcriptionem, tum publicationem non excuſabilem ſolum, ſed etiam quodammodo neceſſariam effectura eſſet. Unde etiam factum eſt, ut diu, contra quam putaram, operis editionem expectare non admodum grave mihi fuerit. Tandem prodiit Volani ſcriptum Spiræ formis excuſum anno ſuperiore. Quod, ſimulatque in meas manus pervenit, avide id legendum arripui. Nec deſtiti, donec eo ipſo die totum perlegerim. Verum, eo perlecto, immo in ipſo ferme legendi initio, magna, vel potius omni de ſpe decidi. Primum enim opus ipſum, quod, tanto cum deſiderio, in publicum edi, expectaveram, ſatis exiguum eſſe, cognovi. Deinde animadverti, Volanum non adverſus reſponſionem meam præcipue, ſed adverſus aliud quoddam, neſcio cujus ſcriptum, (tametſi ſuſpicor, quis nam ejus fuerit auctor) ſibi pro reſponſione ad Paræneſim ſuam oblatum reſcripſiſſe. Quinimmo, ni fallor, reſponſionis meæ ille nec tacite, nec aperte quidquam meminit, niſi poſt multas tandem paginas. Ubi potius mei ſub nomine cujuſdam alterius ex eadem cohorte Anonymi ſcriptoris mentionem facere incipit, quam ipſius reſponſionis meæ; quam nuſquam reſponſionis ſibi traditæ nomine dignatur. Et ſane non tam miror, quod ei aliud cujuſquam ſcriptum pro reſponſione exhibitum fuerit, cum ſciam, fratres nulli alii præter me Volano reſpondendi munus dediſſe, quam quod ipſe Volanus cum reſponſionem meam, ſive una ſimul cum altera illa reſponſione, ſive ſeparatim acceperit; tamen nec in initio ſcripti ſui ejus clare ac diſtincte

ſtincte meminerit, nec me Adverſarium diſerte ac ſimpliciter, ſive Antagoniſtam ſuum umquam nominet; ſed his nominibus perpetuo illum alterum deſignet, atque intelligat. Itaque major libri pars, ejuſque ut dixi non magni, non in mea reſponſione refellenda, ſed in illius alterius ſcripto refutando inſumitur. Præterea in iis non adeo multis paginis, ubi contra me diſputatur, ea, quæ præcipua ſunt, id eſt ſacrorum teſtimoniorum, quibus uſus fuerat Volanus, explicationes, ad eaque reſponſiones meæ bona ex parte ne commemorantur quidem: & earum, quæ commemorantur, nonnullæ, quæ tamquam novæ & Volano ipſi, ut arbitror, antea inauditæ, multo magis, quam cæteræ, refutatione egere videbantur, verbo tantum, & convitiis, ac maledictis refelluntur, quibus ad ſe defendendum, noſque oppugnandos comparatis à Volano armis, adeo ſcriptum ejus abundat, ut, ſi hac ratione vincitur, is ſine dubio (de me præſertim; nam illius, quem Adverſarium ſuum vocat, reſponſionem non vidi) jam victoriam reportaverit, jamque triumphum, ut libet, canere poſſit. Huc accedit, quod præter ea, quæ in Paræneſi attulerat, ad ſuam de Chriſti natura ſententiam confirmandam, noſtramque convellendam, quæque in mea reſponſione abunde confutata fuerant, pauca omnino affert, præter quaſdam è ſuo capite confictas rationes, eaſque ad excipiendum potius, quam ad quidquam probandum accommodatas. Quæ, ut per ſe ipſæ infirmiſſimæ ſunt, ſic nullum prorſus habent in divinis litteris firmamentum. In eo autem plurimum laborat, ut, quæ prius dixerat, exornet, atque amplificet (quamvis interim ſæpe nihil omnino ad ea reſpondeat, quæ ego illis objeceram) ac quædam, inter illa, potiſſimum, quæ infirmiora ſunt. Quod nimirum arbitretur, ſe ibi uberiorem ſegetem veriſimilium quorundam, & ſignorum, fallacium tamen, habere, unde argumenta ſua ducere poſſit, quibus & ſibi ipſi, & aliis imprudens imponat. Qualis eſt totus locus ille de antiquiſſimo & perpetuo in Chriſti eccleſia, ut ipſe affirmat, ſuper eadem, quam ipſe tuetur, ſententia, conſenſu atque decreto. Hæc igitur ego, & alia præterea nonnulla animadvertens, meque mea ſpe plane fruſtratum videns, nec mihi argumentum à Volani ſcripto ſuppeditari cernens de univerſa hac inter ipſum, & nos controverſia pro rei dignitate tractationem agrediendi, in aliud tempus, aliamque occaſionem id differens, conſtitueram ſtatim ad Volanum refutandum priorem tantum meam reſponſionem publicare, quibuſdam adjunctis, unde ea refellerentur, quæ privatim & proprie contra illam à Volano ſunt ſcripta. Sed poſtmodum, cum ne hoc quidem facere mihi neceſſarium videretur, aliis, quæ plus urgebant, rebus intentus, ſuperſedendum hoc, quamvis non magno, labore tantiſper duxi, dum minus eſſem occupatus. Id autem nunc demum non ita ante multos dies mihi contigit, quibus factum eſt, ut opportune me amici & præſentes & abſentes monuerint, ne, Volani librum diutius ſine reſponſione ulla eſſe, paterer. Cuperent autem illi, ut ad omnia diligenter ac copioſe reſponderem, quæ in eo libro leguntur, cauſſæ noſtræ quoquo pacto adverſa. Ego vero libentiſſime illis morem gererem, niſi, ubi nunc ſum, libris plane deſtituerer, quibus maxime ad eam rem eſt opus. Quare cogor meum illud conſilium ferme ſequi, quod paulo ante expoſui. Meam igitur priorem reſponſionem hic primum ſubjiciam à me recognitam, & propterea quibuſdam in locis, pauciſſimis tamen, emendatam; ubi videlicet vel præ nimia feſtinatione leviter lapſus fueram, vel non ſatis aperte mentem meam explicueram. Atque hoc poſterius in nonnullis locis mihi contigit, qui acriter reprehenduntur à Volano, quorum tamen nullum mutavi, etiamſi id meo jure facere potuiſſem; dummodo alicubi, exemplum Volano traditum ſic ſe habuiſſe, confeſſus eſſem, quemadmodum ferrent illius verba. Nullum inquam, ex locis à Volano reprehenſis, in eo, in quo ab ipſo reprehenduntur, mutavi, ne is ullam de me conquerendi cauſſam, licet minus juſtam, habere poſſit. Jam poſt priorem reſponſionem meam illico alteram reſponſionem adjiciam ad ea omnia, quæ toto Volani poſteriore ſcripto contra me ipſamque meam priorem reſponſionem continentur. Et quoniam Volanus, ut dictum eſt, Anonymum me, nec ullo alio præterea certo nomine appellat (quamquam cæteroqui plurimis ſpecioſis, ſcilicet, titulis me ornat) nec ulla cauſſa eſt, cur potius nunc, quam antea, nomen meum in hiſce reſponſionibus meis apparere velim, Anonymi ſane cujuſdam & dicantur, & inſcribantur.

AD

AD

ANDREÆ VOLANI PARÆNESIM,

Fratrum Nomine, qui in Regno Poloniæ magnoque ducatu Lituaniæ de uno Deo patre, unoque Dei filio conſentiunt, quos ipſe Samoſatenianæ vel Ebioniticæ doctrinæ profeſſores appellat,

Anonymi cujuſdam RESPONSIO.

CUm tuam, Andrea Volane, eruditionem haud ſane vulgarem, judiciique acumen conſideramus, ſatis mirari non poſſumus, te in divinarum rerum cognitione, quarum tamen ſtudioſus ſemper videri voluiſti, tam parum profeciſſe, ut multi, qui alioqui præ te plane rudes, ſtolidique cenſeri debent, & vixdum ſacrarum litterarum volumina evolvere cœperunt, tibi jam palmam præripuerint, & jam ad divini templi adyta propius acceſſerint, dum tu in ipſo atrii limine adhuc conſiſtis. Quod cum ex aliis multis, tum ex epiſtola quadam tua cognovimus, quam Paræneſis titulo ad omnes in regno Poloniæ, magnoque ducatu Lituaniæ Samoſatenianæ, vel Ebioniticæ doctrinæ profeſſores ſcripſiſti. Cum autem iſtorum nomine partim injurioſe, partim minus vere nos ſine dubio intelligas, qui in hiſce, quamvis incultis & frigidis, regionibus, ardentis amoris vinculo copulati, unum Deum patrem omnis principii atque originis expertem, & unum dominum Dei filium, hominem illum Jeſum Nazaræum crucifixum & reſuſcitatum confitemur, & adoramus, viſum eſt nobis, quidquid in ea epiſtola, quod huc pertinere poſſit, nobis objeciſti, paucis refellere, & ſimul ad ea, quæ, ut nos à propoſito, & ſententia noſtra deterreres, collegiſti, breviter reſpondere.

Objicis nobis, quod in medio curſu Chriſti regni promovendi turpiter defecerimus. Cum tibi potius iſtud objici debeat, qui, vel hujus vitæ incommodis, quæ veritatis divinæ veris ſectatoribus perpetuo impendent, deterritus, vel ob quamcumque aliam minus juſtam cauſſam, non modo, ut à principio dictum eſt, ultra initia tam excellentis ac ſalutaris viæ numquam progreſſus fueris; ſed eos, qui progredi ſunt auſi, & deteſtari, & maledictis proſcindere non fis veritus. Nam quod ais, nos bene quidem incepiſſe, qui expiationem peccatorum noſtrorum meritis hominum antehac tributam unico Chriſti ſacrificio vindicare inſtitueramus; ſed in eo non perſeveraſſe, cum ipſum Chriſtum ab æterno ex patris ſubſtantia genitum æternumque cum ipſo ſimul Deum eſſe non agnoverimus, immo fundamentum expiationis peccatorum noſtrorum, quantum in nobis eſt, demolitos fuiſſe; longe ea in re, tua pace dictum volumus; falleris, & non uno modo laberis. Dicis enim, ideo Chriſti ſacrificio peccata noſtra expiata fuiſſe, quia is æterni Dei patris peccatis hominum debitam iram ſanguine ſuo placaverit, & ex Deo juſtiſſimo ſcelerum vindice clementem propitiumque patrem humano generi effecerit (nam ſic habent verba tua) Hoc autem nullo pacto fieri potuiſſe ais, niſi Chriſtus extra creatarum rerum numerum fuerit. Nullam enim tantam vim in omnibus creatis rebus fuiſſe, affirmas, quæ hæc præſtare potuerit, & pretium æternæ redemptionis Deo ipſi patri ſtatuere. Quamquam autem in præſentia animus non eſt vulgo receptam de ratione, qua Chriſti ſacrificium peccata noſtra expiaverit, ſententiam impugnare, id tamen à te libenter doceri vellimus, ubinam apud ſacros ſcriptores legatur, Jeſum Chriſtum ſanguine ſuo Deum ex juſtiſſimo ſcelerum vindice clementem propitiumque patrem humano generi effeciſſe. Certe teſtimonium, quod tu ipſe ex poſteriore Pauli apoſtoli ad Corinthios epiſtola in medium affers, longe aliter rem ſe habere oſtendit. Nam ſi, ut ibi ſcriptum eſt 2 Cor. 5. 19, Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputans eis peccata ipſorum, apparet, non Chriſtum ſanguine ſuo nobis Deum reconciliaſſe, ſed Deum nos ſibi reconciliaſſe, per Chriſtum: idque non pretium ex Chriſti manibus pro peccatis noſtris accipiendo; ſed peccata noſtra nobis non imputando. Quamvis enim idem Paulus alibi dicat, 1 Tim. 2. 6. Chriſtum dediſſe ſe redemptionis pretium pro omnibus, nuſquam tamen legitur, id pretium Deo ipſi patri ſtatutum fuiſſe, ut tu audacter affirmas. Nec mirum; cum non alia ratione Chriſtus ſive ejus anima Mar. 10. 45. redemptionis noſtræ pretium appellata fuerit, niſi quia, ſicut in redimendis captivis pretium datur, quod eorum liberationis inſtrumentalis quædam cauſſa eſt; ita in nobis è peccati poteſtate, cujus captivi detinebamur, redimendis datus eſt à Deo, non autem acceptus Chriſtus, ſive anima ipſius, quæ nos à tanta ſervitute liberandi inſtrumentalis quædam cauſſa fuit. Qua de re non eſt hic accuratius differendi locus. Satis fuerit oſtendiſſe, te multo aliter in expiatione per Chriſtum peccatorum noſtrorum explicanda loqui, atque apud divinos homines ſcriptum reperiatur. Id quod alterum quoque teſtimonium ex epiſtola ad Heb. 9. 14. à te ipſo allatum demonſtrare poteſt. Scriptum eſt enim ibi, ſanguinem Chriſti, qui per ſpiritum æternum obtulit ſeipſum immaculatum Deo, non quidem propitium nobis & clementem patrem ex juſtiſſimo ſcelerum vindice Deum effeciſſe, ſed vim habere purgandi conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ut ſerviamus Deo viventi & paullo ante ℣. 12. dictum fuerat, Chriſtum per ſanguinem ſuum in Sancta, hoc eſt, ut infra eodem cap. explicatur, in ipſum cælum, ſemel ingreſſum eſſe, atque ea ratione æternam redemptionem nactum fuiſſe: non autem, ſuum ſanguinem æternæ redemptionis pretium Deo ipſi patri ſtatuiſſe.

Sed eſto. Placaverit Chriſtus ſanguine ſuo iram æterni Dei patris adeo, ut ipſum nobis ex juſtiſſimo ſcelerum vindice propitium clementemque patrem effecerit; ſtatuerit Chriſtus ipſi Deo patri ſanguinem ſuum pretium æternæ redemptionis: num hæc fieri non potuerunt, niſi ille æternus Deus fuerit, & extra creatarum rerum numerum? Immo vel nulla ratione fieri potuerunt, vel ad peccata noſtra expianda ſatis eſſe non poſſunt, ſi is æternus Deus & creator fuit. Nam ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſſet, cum ex ipſa diſciplina veſtra, tum vero ex vi manifeſtæ veritatis unus & idem cum patre ſuo eſſet. Alioquin & duos æternos eos & duos creatores aſſerere oporteret. Atqui nemo ſeipſum placat, nemo ſibiipſi aliquid ſolvit. Ergo ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſt, nec patrem ſuum placavit, nec illi pretium noſtræ redemptionis dedit.

Neque eſt, quod dicas, Chriſtum, quatenus æternus Deus & creator eſt, unum quidem & eundem cum patre eſſe, verum non perſona, ſed eſſentia tantum. Satis

eſt enim unam & eandem numero eſſe utriſque eſſentiam, ut patrem à filio nec placari, nec quidquam accipere potuiſſe, conſtet.

Quæcumque enim vis iram paternam placandi, patrive aliquid ſolvendi in Chriſto ſtatuatur, ea non aliunde, quam ex ipſa eſſentia proficiſci poteſt, non autem ex perſona, quæ per ſe (ut præſertim veſtri magiſtri docent) nihil aliud, niſi quædam relatio eſt. Et quid tandem habere poteſt filius ille veſter Dei æternus, quod patris non ſit, præter puras ſuas proprietates, ex quibus ſolis diverſa perſona, ut vobis placet, à patre conſtituitur? Quomodo igitur vel aliquid patri ſolvere filius iſte potuit, vel vim ſolutioni dare? Numquid proprietates ſuas filius patri pro nobis perſolvit, aut proprietatibus ſuis vim ſolutionis faciendæ humanæ naturæ à ſe aſſumptæ dedit? Sed finge, filium aliquid habere, quod patris non ſit, unde vel ſolutio, vel ſolutionis efficacitas manare poſſit.

Finge, diſtinctionem perſonarum inter patrem & filium, quamvis utriuſque ſit eadem numero eſſentia, tanti eſſe, ut filius patrem placare potuerit, eique pretium noſtræ redemptionis ſolvere; Certe hoc ad expianda peccata noſtra ſatis non eſt, ſi ipſe filius æternus Deus eſt atque creator. Nam, ſi ita res ſe habet, profecto ipſum quoque filium peccata noſtra non minus, quam patrem, offenderunt, nec minus cum ipſo filio, quam cum patre, noſtrum iſtud æs alienum contractum fuit. Neceſſe eſt igitur, ut ipſe quoque filius placetur, ipſique pro nobis ſatisfiat. Quod ſine dubio ipſemet nec fecit, nec facere potuit. Cum, ut dictum fuit, & ſenſus ipſe communis nos docet, nemo ſeipſum placare, aut ſibi ipſi aliquid ſolvere poſſit. Quod enim quidam ex vobis ajunt, patris, & filii eandem eſſe voluntatem, adeo ut, patre placato, filium quoque placatum eſſe, & ſi patri ſatisfactum fuerit, filio quoque ſatisfactum fuiſſe, neceſſe ſit. Hoc nimirum vaniſſimum ſubterfugium eſt, primum quia iſta tanta tantique momenti inter patrem, et filium voluntatum conjunctio, omnem etiam inter ipſos quamvis pro aliis, placationem, & ſatisfactionem penitus excludit. Deinde quia, cum de Dei placatione agitur, deque ſatisfactione ei exhibenda, quæ vera & propria ſit, quæque ex meritis placantis, & ſatisfacientis pendeat, adeo ut ex nulla re creata ea placatio, vel ſatisfactio proficiſci poſſit, non voluntatis, ſed rei ipſius ratio habetur. Quocirca non ſatis eſt, filium eadem velle, quæ pater vult, niſi etiam ipſe revera non minus, quam pater, alicujus perſonæ meritis placatus fuerit, & quod ſibi debebatur, id univerſum reipſa receperit. Nec rurſus eo confugiendum tibi eſt, ut dicas, Chriſtum, ut rem creatam quidem, Deum nobis placaſſe, illique pretium noſtræ redemptionis dediſſe, virtute tamen divinæ naturæ, quam in eadem perſona ſibi conjunctam haberet, utrumque præſtitiſſe.

Hæc enim effugia jam tibi ipſe præcluſiſti, qui non de Deo ſimpliciter, ſed de Deo patre placando, ipſique ſatisfaciendo loqueris, & Chriſtum, tamquam verum & æternum unigenitumque patris filium, ideoque ex omni creaturarum ordine exemptum (ſunt ipſa verba tua) iſta præſtitiſſe contendis. Quamquam, ut ex iis, quæ ante diſputata ſunt, intelligi poteſt, is, qui ipſe Deus æternus & creator eſt, quemadmodum Deum æternum & creatorem placare, eive aliquid ſolvere nequit; ſic alteri, ut id præſtet, vim nullam dare poteſt: cum nihil proprium habeat, unde ea vis proficiſci queat; ſed ejus rei ratione unus & idem plane ſit cum eo, quem placare, cuique ſatisfacere oportet: immo, ut rectius loquamur, is ipſe ſit. Itaque videre potes, tantum abeſſe, vt, quia Chriſtus patrem, ſive Deum placaverit, illique pretium æternæ redemptionis ſtatuerit, neceſſe ſit, eum eſſe æternum Deum & extra creatarum rerum numerum, ut potius hæc nullo pacto ſimul conſiſtere queant. Sed addis, non poſſe hominem creatum & natura ſua finitum, poteſtatis divinæ, & infinitæ eſſe in abolendo mortis & inferni imperio, vitaque æterna donanda. Hic inſignis error veſter & omnium Jeſu Nazaræni adverſariorum ſemper fuit, quod homini illi, qui vere crucifixus & mortuus eſt, poſtquam revixit, omnem poteſtatem in cælo, & in terra a Deo datam fuiſſe Math. 28. 18. Philip. 3. 21. 1 Cor. 15. 26. Eph. 1. 22, qua ſibi ſubjicere poſſit omnia, & mortalia ac vilia corpora noſtra immortalia efficere, & corpori ſuo glorioſo paria reddere, agnoſcere non vultis, aut nondum poteſtis, quamvis id frequentiſſimis & clariſſimis divinarum literarum teſtimoniis confirmatum fuerit.

Atque hac ratione, dum Chriſti gloriam vindicare creditis, eam imprudentes opprimere conamini. Ac præterea in unicum Deum noſtrum, ipſius Chriſti domini & ſervatoris noſtri patrem, multis modis injurii eſtis, dum eam gloriam, quæ ipſius propria eſt, nec cum alio communicari poteſt, commenticiis quibuſdam aliis perſonis tribuere vos non pudet, eam vero, quæ & communicari potuit, & ab ipſo communicata fuit, in eo homine, quicum ipſam communicavit, agnoſcere recuſatis, & ita cum ejus majeſtatem impie læditis, tum vero erga humanum genus ſingularem bonitatem reipſa indigniſſime aſpernamini. Palam enim eſt, vos aut prorſus negare, hominem illum tanta virtute, & gloria eſſe præditum, aut id propter naturæ divinæ conjunctionem fieri, affirmare. Id quod Dei præſtantiſſimum opus omnino tollit, qui, ut Petrus ait, Jeſum Nazarænum virum illum, quem Judæi crucifigentes ſuſtulerant, à mortuis excitavit, dextera ſua exaltavit, & dominum ac Chriſtum fecit Act. 2. 24. 33. 36, ac, teſte Paulo Philip. 2. 9. quia ſeipſum dejecerat, & obediens fuerat uſque ad mortem crucis, ad ſummam ſublimitatem extulit, & dedit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen; ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum, & omnis lingua confiteatur, quod dominus eſt Jeſus Chriſtus, ad gloriam Dei patris. Nam quomodo hæc vera eſſe poſſunt, aut quomodo fieri potuerunt, ſi homo ille vel hac potentia & majeſtate numquam revera fuit præditus, vel eam à divina quadam ſubſtantia & natura, ſibi indiſſolubili ac mirabili quodam nodo conjuncta & copulata, perpetuo habuit?

Verum ab iſta veſtra in Deum, & Chriſtum blaſphemia ad calumniandos noſtros homines pertranſis; & ais, eos, quia Jeſum Chriſtum jam pro æterno Deo non habent, varias præter ipſum acquirendæ ſalutis vias adinveniſſe: ejuſque rei teſtimonium Racovienſem illam feceſſionem affers. Nec interea vides, longe aliud eſſe, quempiam exiſtimare, ſalutem ſibi contingere non poſſe, niſi aliquid faciat, & aliud, in eo, quod à ſe fieri oportere exiſtimat, ſalutis ſuæ ſpem collocare. Nam dic, quæſumus te, numquid ſalutem te adepturum ſperas, ſi, verbi gratia, ebrioſus, aut ſcortator fueris Non dices, opinamur. Paulus enim manifeſte, ejuſmodi homines regnum Dei minime poſſeſſuros, affirmat 1 Cor. 6 9, & 10. Gal. 5. 19, & 21. Ergo, niſi ſobrius & caſtus fueris, ſalutem te adipiſci non poſſe, es perſuaſus. Nec tamen propterea, ut credimus, in ſobrietate, & caſtitate tua ſalutis tuæ ſpem collocas. Jam vero, ſi multi ex noſtris tunc temporis à veritate aliquantulum aberrarunt; quam longiſſime tamen ab eo errore, cujus tu eos inſimulas, abfuerunt. Non enim, quia Jeſum Chriſtum pro perfectiſſimo ſuo ſervatore non haberent, ſed, quia ejus præcepta non bene cognita habebant, in eum errorem ſunt lapſi. In quo illud interea laude dignum videtur, quod, ut Chriſto obedirent, ſervilia, ut tu ea vocas, vitæ miniſteria ſua ſponte obire ii etiam non recuſabant, qui in delitiis, atque otio antea perpetuo vixerant. Alia multa, quæ vel diſciplinæ noſtræ, vel noſtris hominibus objicis, nulla indigent refutatione Quandoquidem eos omnes, qui, Jeſum Chriſtum ſervatorem ſuum eſſe, non agnoſcunt, quive eum, ut dominum & regem æternum Eccleſiæ à Deo jam datum & conſtitutum,

ſtitutum, non adorant, ejuſque opem ſe implorare poſſe, non confitentur, qui denique ab ipſo vitam æternam non expectant, & ejuſmodi aliis Judaicis, aut Mahometanis erroribus ſunt impliciti; hos non modo pro noſtris non habemus, ſed etiam penitus averſamur, & à Dei regno alieniſſimos eſſe, docemus. Nec vero in eos errores prolabendi noſtra de Chriſti perſona ſententia ipſis ullam cauſſam dedit, quæ potius per ſe maximam ab iis homines retrahendi vim habet; ut pote quæ homini illi Jeſu ſupremam, ac perpetuam præſentemque in Dei Eccleſia poteſtatem aſſerit.

Quod ſi quidam ex iis, qui ſententiam de filio Dei noſtram amplexi fuerant, in ea retinenda non perſeverarunt, quin etiam & verbis, & ſcriptis, ut ais, eam nunc publice deteſtantur, videant ipſi, quid agant. Nobis quidem perſuaſiſſimum eſt, ipſos, niſi juſto aliquo Dei judicio excæcati fuerint, non ex animo loqui. Nam quid attinet ad ea reſpondere, quæ à pontificiis, dum contra vos, noſque diſputant, mutuatus es; veluti, cum ais, inter eos, qui a veſtra de Chriſti perſona ſententia receſſerunt, nullo pacto convenire? præſertim vero, cum nobis perpetuum Eccleſiæ conſenſum opponis? Præclare ſane hac in parte Staniſlaus Hoſius adverſum vos diſſeruit, voſque veſtromet ipſo gladio jugulavit. Nec vero minus in perpetuo Eccleſiæ conſenſu contra nos aſſerendo vos faſi eſtis, quam pontificii adverſum vos, noſque ſint. Legantur diligenter hiſtoriæ ab iis ipſis conſcriptæ, qui noſtrorum hominum capitales hoſtes fuerunt, ſcripta ſimul eorum, quos Patres vocant, antiquiſſimum quemque primum legendo, accurate perveſtigentur: numquam, donec Antichriſtianiſmus plane obtinuit, defuiſſe intelligetur, qui pub ice ſtolidæ iſti veſtræ ſententiæ, quæ, Jeſum Chriſtum Dei filium, ipſum Deum eſſe, ſtatuit, ſeſe oppoſuerint. Quin, eos aliquando rerum in Eccleſia potitos eſſe, invenietur: nec ſtatim ab ipſo initiò, ſed paullatim, non ſecus atque alios Antichriſtianos errores, eam abſurdiſſimam ſententiam in Eccleſiam irrepſiſſe, deprehendetur. Verum tu, eam veræ eccleſiæ ſententiam perpetuam eſſe, ſtatuis, quæ tandem paſſim recepta eſt. Qua ratione concludi poteſt, uſum, & cultum imaginum à vera eccleſia ſemper receptum fuiſſe; quia nimirum, poſt multas ea de re concertationes, tandem, ut retinerentur, & colerentur, obtinuit. Sed jam ad ea veniamus, quæ ſparſim in epiſtola tua ex ſacris literis adverſus noſtram ſententiam profers.

Primum ais, apoſtolica ſcripta teſtari, Chriſtum Dei filium anteceſſiſſe univerſam hanc viſibilium & inviſibilium rerum creaturam Col 1. 15. nec animadvertis, ibidem affirmari, Chriſtum primogenitum eſſe omnis creaturæ. Quod plane oſtendit, ipſum quoque Chriſtum, ut rem crearam, eo loco conſiderari. Semper enim in litteris ſanctis, ut vocabuli ipſius vis aperte docet, is, qui primogenitus aliquorum dicitur, ex eodem genere & ipſe eſt: ut eo loco idem ſit Primogenitus omnis creaturæ, quod Prima omnium creaturarum. Quod ſi omnis creaturæ nomen ad antiquam rerum creationem referatur, neceſſe eſt, Chriſtum, ut rem creatam, ante cæli, terræque creationem, ut Arius dicebat, extitiſſe. Primogeniti enim vox non ad ſolam dignitatem, ſed ad tempus potiſſimum refertur; id quod ex eo ipſo loco manifeſtum eſt. Statim enim ſubjungitur; *Quoniam in ipſo condita ſunt*, &c. Et mox, *omnia per ipſum, & in ipſum creata ſunt.* Neque enim per ipſum creari potuiſſent, niſi is tempore prior extitiſſet. Quocirca, niſi Arianus eſſe velis, confitendum tibi omnino eſt, non de prima rerum creatione ibi agi, ſed de ſecunda: in qua Chriſtus vere non dignitate tantum, ſed tempore quoque, ut res creata, omnes res creatas antecedit; quemadmodum omnes fatentur, & ſic omnia planiſſima erunt. De hac autem ſecunda creatione, quæ ſub Chriſto capite, & per ipſum Chriſtum, univerſitatis rerum, quod ad Dei cultum quoquo modo pertinet, reformatio eſt, pluribus in locis loquuntur ſacræ litteræ Eph. 2. 15. Apoc. 3. 14. Eph. 3. 9. 2 Cor. 5. 17. Rom. 8. 19. Gal. 6. 15. Eph. 2. ℣. 10. iv. 24. Col. 3. 10. Jac. 1. 18. Atque, de ea duntaxat hic agi, illud ſane indicat, quod locus epiſtolæ ad Epheſios cap. primo ℣ſ. 10, 20, &c. qui huic reponcet (ejuſdem enim ferme argumenti ad Epheſios, cujus ad Coloſſenſes, epiſtolam eſſe, conſtat) de ea tantum loquitur. Porro, quod Johannes ait, per verbum, ſive Sermonem facta fuiſſe omnia; id ad ea omnia referendum eſt, quæ pertinebant ad negotium Euangelii, de quo ſcribere ipſe aggreſſus fuerat, & quod homo ille Chriſtus Jeſus primus mundo patefecerat; quem ipſe ob eam cauſſam Verbum ſive Sermonem appellaverat. Vocem enim Omnia, & quamlibet aliam ejuſmodi univerſalem, ſemper ad ſubjectam materiam reſtringendam eſſe, nemo eſt qui neſciat: & exemplorum plena ſunt omnia. Inpiciantur tamen hæc in ipſo novo teſtamento paucula loca, quorum pars ad ipſum propoſitum noſtrum maxime facit. Mar. 13. 23. Joh. 4. 25, & 14 26, & 19. 28. Act. 20. 35. 1 Cor. 6. 12. & 13. 7. 2 Cor. 5. 17. 1 Joh. 2 20. & 27. Cæterum, cum per Chriſtum ſæcula facta fuiſſe dicuntur, ab auctore epiſt. ad Heb. cap. primo, quæ ſæcula intelligenda ſint, ſatis explicat deinde idem auctor cap. 2. 5. inquiens, *Non enim angelis ſubjecit orbem terræ futurum, de quo loquimur.*

Ais deinde, Chriſtum in ſacris litteris vocari unigenitum, non autem creatum Dei filium. Sed neque nos ita loquimur, ut dicamus, Chriſtum creatum eſſe Dei filium, atque unigenitum Dei filium ipſum eſſe, agnoſcimus, & confitemur: quamvis, creatum eſſe, ſimul agnoſcamus. Neque enim pugnant, Genitum, & Creatum eſſe: præſertim, ſi diverſarum rerum reſpectu dicantur. Chriſtus non dicitur genitus, quatenus ſimpliciter eſt; ſed quatenus eſt filius Dei. Hoc autem non impedit, quominus, quatenus ſimpliciter eſt, creatus dici poſſit. Alioqui ne nos quidem, quatenus ſimpliciter ſumus, creati dici poſſemus; cum, quatenus filii Dei ſumus, geniti, ſeu nati dicamur, & quidem ex ipſo Deo Joh. 1. 13. Jac. 1. 18. 2 Joh. 2. 29. v. 1.

Subjungis, Chriſtum vocari expreſſam imaginem ſubſtantiæ Patris. Atqui locus Heb. 1. 3, quem tu ſine dubio intelligis, non Patris, ſed Dei habet: pronomen enim αὐτοῦ, ſive Ejus, non niſi ad nomen ὁ Θεὸς, ſive Deus, quod antecedit, referri poteſt. Cui addenda illa, 2 Cor. 4. 4. & Col. 1. 15. ubi Chriſtus diſerte imago Dei dicitur. Nimirum, ut ſciamus, Chriſtum non eſſe ipſum Deum, ſed ejus imaginem, imaginem autem, quia Deus, qui alioquin inaſpectabilis eſt, per Chriſtum, qualis ſit, cognoſcitur, & propterea in poſtremo eorum teſtimoniorum dicitur imago Dei inconſpicui. Quoniam vero Dei non ſolum voluntatem erga nos, ſed gloriam quoque, illam exacte, hanc, quatenus mortalibus licet, in Chriſto videmus, & contemplamur, Deuſque ſe totum nobis in Chriſto expreſſit; idcirco Chriſtus expreſſa imago ſeu character ſubſtantiæ Dei dicitur.

Addis, Chriſtum Rom. 9. 5. vocari Deum ſuper omnia ſæcula benedictum. Quod tamen nuſquam legitur. Apud Paulum in Latino vulgato codice habetur, *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* In Græco autem, ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Itaque vides, Chriſtum non quidem Deum benedictum ſuper omnia ſæcula, ſed Deum ſuper omnia, ſive ſuper omnes, à Paulo vocari, benedictum in ſæcula. Si modo de Chriſto ipſo dicuntur hæc omnia. Nam, ut Erasmus pluribus in locis annotat, poſſunt hæc verba ita interpungi, ut nomen Deus non referatur ad Chriſtum. Et alicubi * ait, *verba Pauli nullum ſenſum evidentius reddere, quam hunc, Deus, qui eſt ſuper omnia, ſit benedictus in ſæcula.* Alibi † autem coram Deo prohi-

* Reſponſ. ad collat juvenis. Gerontodidaſc. † Ad artic. monachor. Hilp.

tetur, ſibi videri, Paulum hoc ſenſiſſe. Atque interpunctionem, ex qua hic ſenſus elicitur, videlicet, ut poſt vocem στόμα punctum ſtatuatur, in ſuis in hunc locum annotationibus, tanquam eam commemorat, quæ ſola inter omnes alias nihil incommodi habeat, quod ad ſermonis rationem attinet. Itaque poſtmodum docet, nihil vetare, quominus verba, quæ poſt vocem στόμα ſcripta ſunt, ad Deum patrem referantur.

Sed demus, ad Chriſtum omnia referri debere. Quid tum poſtea? An non certum eſt, Deum Chriſto dediſſe nomen quod eſt ſupra omne nomen Philip. 2. 9, & eum a ſe à mortuis excitatum, poſuiſſe in dextera ſua in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubjeciſſe ſub pedibus ejus, & ipſum dediſſe caput ſuper omnia Eccleſiæ Epheſ. 1. 20? Eſt igitur Chriſtus ſuper omnia non ab æterno, nec natura ſua, ſed poſtquam à mortuis à Deo excitatus fuit, & ipſius Dei beneficio. At enim in eo loco Deus præterea diſerte nominatur. Sed an neſcis, hoc nomen Deus non eſſe nomen proprium, ſed appellativum, & idem ſignificare, quod Dominator, Judex, ſeu Gubernator, Potens, ſeu Fortis, Benefactor, & ejuſmodi alia nomina? An non meminiſti, virum illum Jeſum Nazarænum, dominum, & Chriſtum, id eſt regem, à Deo fuiſſe factum Act. 2. 36, ut ſcilicet nos regat, gubernet, tueatur, ab omnibuſque malis vindicet, & ſupremis ac ſempiternis beneficiis afficiat, & porro noſter Deus ſit? Quid ergo alium, præter illum hominem, quæris, qui hæc omnia habeat? aut quid præterea, ut per ipſum ſervemur, eum habere neceſſe eſt? Agnoſce aliquando Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem. Potentiam in eo, quod hominem adeo extulit, ut, præter ſeipſum, ei omnia ſubjecerit. Sapientiam, quia hæc omnibus numeris abſolutiſſima ratio fuit, qua homines pii ipſi Deo perpetuo confiderent, atque obedirent. Bonitatem vero in eo, quod, ut nos immerentes, immo quovis acerbo ſupplicio digniſſimos & inimicos ſuos, ad ſe converteret, ſibi reconciliaret, à morte peccati pœna aſſereret, & vita æterna donaret, fratri noſtro ea omnia mala experto atque perpeſſo, quibus nos, ſi tantorum bonorum participes eſſe volumus, tantiſper dum hic ſumus, expoſitos eſſe oportet, & idcirco ejuſmodi, qui noſtrarum miſeriarum ſenſu tangi poſſit, tantam poteſtatem dedit, ut nihil neque in cœlo neque in terra ſit, quod ejus nutui non obediat, atque obtemperet. Hinc apparet, merito Jeſum Chriſtum à nobis adorari, & adorandum eſſe, quamvis ex patris ſubſtantia ab æterno non fuerit genitus. Sic enim vult Deus ipſe, qui eum regem & Deum noſtrum fecit. Is, ut vidimus, in Jeſu nomine omne genu flecti debere, conſtituit. Verum, quod tu addis, Æquali cultu & honore cum Deo patre, rectius feciſſes, ſi Ejuſdem generis cultu & honore, addidiſſes. Id enim ſibi volunt ea verba ipſius Jeſu Chriſti apud Johannem Joh. 5. 23, *Ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem.* Non minus filio, quam patri, divinus honor ab omnibus debetur, & ſic ejuſdem generis utrique debetur; ſed non tamen æqualis. Nam patri tanto major debetur, quanto filio eſt præſtantior. Pater enim omnium bonorum fons eſt, ſed nobis inacceſſus: Filius vero tanquam rivus ex fonte promanans, unde nobis haurire licet. Quidquid Filius habet, à Patre, qui ſua ſponte dedit, omnino habet; ſed Pater à ſeipſo. Prima ſalutis noſtræ cauſa Deus eſt, pater ille, ex quo, ut inquit Paulus 1 Cor. 8. 6, omnia, & nos in illum ſecunda vero Jeſus Chriſtus dominus noſter, per quem omnia, & nos per illum. In Deum igitur, tanquam in ultimum ſcopum, omnes reſpicere debemus; Chriſtum vero, eum eſſe, per quem eo convertamur, agnoſcere, & in quo fidem noſtram, & ſpem collocando, in ipſo Deo ſperemus, eique confidamus. Nam, ut ait Petrus 1 Pet. 1. 21, per Chriſtum credimus in Deum, qui ſuſcitavit illum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides, & ſpes noſtra eſſet in Deum.

Dicis, Chriſtum ſæpius expreſſe & ſine troporum involucris teſtari, ſe de cœlo deſcendiſſe. Sed quomodo audes affirmare, ſine tropo ullo ita locutum fuiſſe Chriſtum, cum in eodem ſermone dicat, panem, quem ipſe daturus ſit, eſſe carnem ſuam, quam dabit pro mundi vita Joh. 6. 51; & hunc panem vivificum de cœlo deſcendiſſe, antea identidem teſtatus fuerit? Certe Chriſti caro in Mariæ virginis utero formata eſt, non autem de cœlo revera delapſa; aut certe tu ipſe ita ſentis. De cœlo igitur deſcendere, in Chriſti verbis neceſſario aliter, quam ipſa verba tibi ſonare videantur, accipiendum eſt. Nec tu unquam ſine idiomatum communicationis ope, qui tropus ſane eſt, quemadmodum is, qui loquebatur, ſe de cœlo deſcendiſſe, citra mendacium, affirmare potuerit, recte explicabis. At vero, quid ſit De cœlo deſcendere, ſatis declarant alii ſimiles Sacrarum Litterarum loci. Ut, cum Chriſtus principes ſacerdotum, & ſcribas interrogat Matth. 21. ℣. 25, utrum baptiſmus Johannis ſit è cœlo, an ex hominibus; & cum Johannes in Apocalypſi dicit Apoc. 21. ℣. 2, & 10, vidiſſe ſe novam Hieruſalem deſcendentem de cœlo: Similem etiam locutionem habes in illis Jacobi verbis Jac. 1. 17, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt; deſcendens à patre luminum.* Et rurſus in illis 3. 15; *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Et paulo poſt 17, *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia,* &c. Ex quibus omnibus locis apparet, De cœlo deſcendere idem eſſe, atque à Deo ipſo proficiſci quo ſenſu merito dicere potuit Chriſtus, ſuam carnem, è cœlo deſcendiſſe; cum ſingulari ac mirabili Dei conſilio & virtute fuerit creata, atque ea ratione ab ipſo Deo profecta. Quapropter, Chriſtum de cœlo deſcendiſſe nihil aliud ſignificare poſſe videtur, quam, ab ipſo Deo eum profectum fuiſſe. Quemadmodum idem Chriſtus alibi dicit Joh. 16. 28, ſe exiviſſe à patre. Quæ verba mirum eſt te, ad ſententiam noſtram refellendam, ſeu veſtram confirmandam, attuliſſe; cum paullo inferius 30, ex diſcipulorum verbis, qui ajunt, ſe propterea credere, illum à Deo exiviſſe, quia ſciret omnia, nec opus illi eſſet, ut quis eum interrogaret, ſatis conſtet, ea locutione nihil aliud ſignificare voluiſſe Chriſtum, quam, ſe divinum hominem eſſe. Vide Joh. cap. 8. 24, atque à Deo ſingulari quadam ratione miſſum. Diſcipulos enim, cum ajunt, ſe credere, illum à Deo extitiſſe, ex animo loqui, & ſecundum ipſius Jeſu mentem, demonſtrat id, quod ipſe paullo ante affirmaverat, illos crediſſe, quod ipſe à Deo exiviſſet. Quod etiam repetit in precatione ad patrem, inquiens de illis Joh. 17. 8, *Et cognoverunt vere, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti.* Quodſi quis ita hebes eſt, ut ex locorum circumſtantiis non intelligat, quo ſenſu dicantur Apoſtoli crediſſe, & vere cognoviſſe, quod Jeſus à Deo exiviſſet, id ſaltem ſecum animo reputet, fieri non poſſe, ut jam tum vere agnoviſſent, (etiamſi id veriſſimum eſſet) eum ex patris ſubſtantia ab æterno fuiſſe generatum: & ita aliud omnino eſſe intelligat, Chriſtum à patre exiviſſe, quam tu opineris, quamque, ut vel vobis favere, vel nobis adverſari queat. Nam, quidquid tu hac de re dicas, certum eſt, Chriſti Apoſtolos ante ipſius reſurrectionem non modo pro vero, æterno, & patri conſubſtantiali Deo Chriſtum non habuiſſe (quod nec poſt reſurrectionem unquam ne ſomniarunt quidem) ſed pro æterno rege eccleſiæ à Deo deſignato non agnoviſſe. Quomodo enim uſque adeo de ejus reſurrectione poſtea, quamvis ab iis, qui eum reſuſcitatum viderant, nunciata, dubitaſſent, ut eis omnibus ſimul Chriſtus ipſorum incredulitatem, & cordis duritiam exprobaverit Marc. 16. ℣. 14? Nec vero, quod Chriſtus arcanam diſcipulorum triſtitiam noſſet, & paterni amoris erga illos conſcius eſſet, eis (quod tamen tu arbitraris) perſuadere poterat, eum æternum Deum eſſe, quem hominem eſſe, videbant. Multo enim majora homini largiri

potuiſſe

potuiſſe Deum, optime noverant: ut certe Chriſto homini largitus eſt. Adde, quod, eum paterni erga ipſos amoris conſcium eſſe, illis nondum aperte conſtabat. Itaque vides, Ex Deo exire, non eam vim habere, quam putaſti. Jam vero quid opus eſt alteram illam, quæ huic adjuncta eſt, quamque tu ſimul attuliſti, locutionem explicare, videlicet, Venire in mundum? Quis enim neſcit, Venire in mundum, aliud nihil eſſe, quam mundo manifeſtum fieri, & munus aliquod inter homines obire? Nam & ipſi falſi prophetæ, cum hoſtiines docere incipiunt, in mundum exire dicuntur 1 Joh. 4. 1. Nonne Chriſtus dicit, ſe miſiſſe diſcipulos ſuos in mundum, quemadmodum ipſe in mundum à patre miſſus fuerat Joh. 17. 18. Nonne idem Pilato dicit, ſe eo natum eſſe, & eo in mundum veniſſe, ut teſtimonium daret veritati? Quis ex iſtis locis non intelligit, quo ſenſu Chriſtus dixerit, ſe, qui à patre exiviſſet, in mundum veniſſe Joh. 18. 37. Quis inde non agnoſcit, Chriſtum tunc primum in mundum veniſſe, cum munus ſibi à patre mandatum obire incepit; & prius eum natum fuiſſe, deinde veniſſe in mundum?

Sed inquis preterea, ipſum Chriſtum affirmaſſe, ſe extitiſſe, antequam Abraham fieret, Joh. 8. 58. Eſto Num continuo ex patris ſubſtantia ab æterno genitus erit Chriſtus? Certe potuit Chriſtus ante Abrahamum extitiſſe, & tamen res creata eſſe. At dices, nos negare, eum extitiſſe, antequam ex Maria virgine naſceretur. Recte eſt. Sed tucum, quem eo loco veſtri homines rudioribus, & fortaſſe interdum ſibi ipſis, facere ſolent; indicare libuit. Nunc, aliam eſſe ejus loci ſententiam, quam plerique omnes exiſtimare videntur, aliterque, atque hactenus factum eſt; verba Græca interpretanda eſſe, quam breviſſime fieri poterit, demonſtrabimus. Verba Græca ſic ſe habent; Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγὼ εἰμί. Certum eſt autem, vocem γενέσθαι, ſi Latine reddatur, non præteriti tantum temporis, ſed præſentis quoque cum futuri ſignificatione, eſſe; ut ſunt omnes ejuſmodi voces infinitivorum. Ita ut πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι per ſe non minus, Antequam Abraham fiat, quam, Antequam Abraham fieret, ſignificare poſſit. Utram autem ſignificationem hoc loco hæc verba habeant, oportet id ex verbo, unde illa pendent, expiſcari. Jam vero hic neceſſe eſt, ut verba iſta, vel à verbo pendeant λέγω, vel verbo εἰμι. Quare neceſſe eſt etiam, ut, cum utrumque ex his verbis præſentis temporis ſit, verbum quoque γενέσθαι præſentis ſit temporis in futurum reſpicientis; & idcirco πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι hoc loco, Antequam Abraham fiat, omnino ſignificet. Nec ſane tam linguarum rudis quiſquam eſſe poteſt, quin ſolœciſmum in his verbis animadvertat, Dico vobis antequam Abraham fieret ego ſum. At enim ajunt, ſolœciſmum iſtum ideo commiſſum fuiſſe, ut intelligatur, Chriſtum eſſe illum, qui eſt, nempe Jehovam Deum. Primum dicimus, nuſquam forteſſis in ſacris litteris Deum ſimpliciter dici illum, qui eſt. Nam celebres illi loci Exo. 3. 14. *Ego ſum, qui ſum*; &, *Qui eſt, miſit me ad vos* Eſai. 41. 44, 48, ut jam pueri ſciunt, in Hebræo aliter leguntur, id eſt, Ero, qui ero; &, Ero miſit me ad vos. Deinde affirmamus, iſtud non ſatis eſſe, niſi etiam alibi mirabilis hæc locutio aut ei ſimilis inveniatur; ubi videlicet verbo Sum præſenti tempore & Deus deſcribatur, & verbo præteriti temporis ſimul reſpondeatur. Præterea tunc dicimus, iſtos ſolœciſmos commiſſos fuiſſe, ſuſpicari nos poſſe, cum aliunde de re ipſa, quæ cauſa eorum eſſe potuerit, manifeſte conſtat. Quod hoc loco contingere, conſtanter negamus, ut pote de quo ipſo inter nos controverſia eſt. Illud poſtremo certiſſimum eſt, cum nihil cogat iſtum ſolœciſmum admittere, præſtare illum abjicere; vel ſaltem ex hoc loco, utpote dubio, nihil ſolidi in re tam ardua colligi poſſe. Verum dicet quiſpiam, quid nam ſibi voluiſſet Chriſtus, ſi, ut vos ejus verba accipitis, dixiſſet, dico vobis antequam Abraham fiat ego ſum. Primum diſpiciendum eſt, utri verbo adhæreant verba iſta, Antequam Abraham fiat, an verbo Dico, an verbo Sum. Et, cum alibi Chriſtus uſus fuerit hac locutione, Ego ſum, ſimpliciter & abſolute, idque bis in hoc eodem, quem cum Judæis habuit, ſermone; hic quoque eodem modo eam ab ipſo uſurpatam fuiſſe, dicendum eſt. Ita ut verba, *Antequam*, &c. non cum verbo Sum, ſed cum verbo Dico conjungantur; quemadmodum in ejuſdem Chriſti verbis in ſimilibus locis apud eundem Euangeliſtam fieri videmus; infra cap. 13. 19. & cap. 14. 29. ut perinde ſit, ac ſi dictum fuiſſet, Dico vobis, antequam Abraham fiat, quod ego ſum. Non autem, Dico vobis, quod antequam Abraham fiat, ego ſum. Deinde inquirendum eſt, quid ſignificet locutio iſta, Ego ſum. Id autem ex ſuperioribus illis duobus locis cognoſci poteſt. Quorum unius ſic habet Joh. 8. 24, *Niſi crediderit is, quod ego ſum, moriemini in peccatis veſtris. Alter vero ſic* 28, *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quod ego ſum.* Sed & diſcipulis ſuis idem Chriſtus dixit Joan. 13. 19. *A modo dico vobis, priuſquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis, quod ego ſum.* Unde conſtat, Ego ſum, idem valere, atque, Ego ſum lux mundi, Ego ſum via, & veritas, & vita: quemadmodum ille alibi loquitur: id eſt, uno verbo, Ego ſum Chriſtus. Sed dices, At quid ſibi volunt ea verba, Antequam Abraham fiat? Numquid Abraham, qui ante tot ſæcula extiterat, nondum factus erat? factus quidem jam fuerat ille homo Abraham: ſed nondum factum erat id, quod nomen ipſius ſignificabat, & propter quod ei nomen illud à Deo impoſitum fuerat. Nondum gentes multæ fidem fuerant adeptæ, & propterea homo ille Abraham, qui pater fidentium eſt, nondum pater multarum gentium factus fuerat Rom. cap. 4. 11. nec porro, Abraham ipſum vere factum eſſe, adhuc dici poterat; cum Abraham nihil aliud ſit, quam Pater multitudinis, id eſt, multarum gentium. Inquit enim Deus Gen. 17. 5, Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham; quia patrem multarum gentium conſtituite. Quemadmodum igitur Chriſtus alias monuit Judæos, ut ambularent, dum lucem haberent, & ſæpius illis non obſcure minatus eſt, futurum, ut gentibus daretur regnum Dei, ipſi vero eo privarentur, ſic hoc loco non ſine tacitis minis monet eos, ut, antequam gentibus fidei oſtium aperiatur, agnoſcant ſe eſſe Chriſtum. Atque hac ratione, dum illi eum in verbis capere conantur (neque enim dixerat ipſe, ſe vidiſſe Abrahamum, ut ab illis ei objiciebatur) is, ex nomine Abraham occaſione ſumpta, quaſi interim tamen ad ea reſponderet, quæ ſibi objecta fuerant, alio, id eſt ad ſibi propoſitum ab initio ſcopum, ſermonem detorquendo, eos mirifice deludit: ſed ita, ut ipſi id animadverterint, & graviſſimas minas ſimul ſenſerint. Unde factum eſt, ut præ ira lapides ſuſtulerint, quos in eum conjicerent.

Sed habes adhuc alia Chriſti verba, quibus nos oppugnes. Is enim, patrem orans, ait Joh. 17. 5. ſe ante conditum mundum habuiſſe apud ipſum gloriam illam, qua ſe ab ipſo ornari, rogabat. Miramur profecto, ita homines alioqui perſpicaces cæcutire, ut non videant, nihil aliud ſibi velle Chriſtum, quam jam ante mundum conditum à patre ſuo decretum fuiſſe, ut ipſe ea gloria, quam petebat, decoraretur, & ſane, niſi alii non pauci divinarum litterarum loci, in quibus haberi, aut datum fuiſſe aliquid dicitur, quod decretum dumtaxat & deſtinatum ſit, quales ſunt 2 Cor. 5. 1. Heb. 10. 34, 2 Tim. 1. 9, vos hujus loci ſententiæ admonere non potuerunt, id ſaltem facere debuerat locus in eadem Chriſti oratione, qui hujus explanatio quædam dici poteſt. Inquit enim poſtmodum Chriſtus Joh 17. ℣. 24. *Pater quos dediſti mihi volo, ut, ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant gloriam meam, quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi* Hinc certe perſpicuum eſt, quoniam Chriſtus noverat, ſe amatum fuiſſe à patre ante mundi conſtitutionem, id eſt, ſibi jam tum gloriam illam, quam expectabat, deſtinatam à

patre fuisse, idcirco suam, eam appellasse, dixisseque, jam sibi eam à patre fuisse datam, & se ante mundum conditum eam apud patrem habuisse. Quid quod in eadem precatione ad patrem ver. 22. ait, se dedisse discipulis suis eam gloriam, quam is sibi dederat? Nam quomodo id aliter fecisse poterat Christus, quam promissione, & destinatione? Quare eodem quoque sensu, sibi à patre datam fuisse gloriam quod idem est, atque, se apud patrem eam gloriam habuisse, eum dixisse, confitendum omnino est. Nihil autem dicimus, quod gloria, qua Christus à patre affici postulabat, non ea erat, quam vos ante conditum mundum eum apud patrem habuisse vultis: quod istam à vobis excogitatam gloriam si Christus unquam habuisset, eam nunquam deponere potuisset, eaque tunc etiam, cum patrem orabat, fuisset præditus, quare, ut sibi daretur, petendum ipsi non fuulet: quod eam, licet à se depositam, cur a patre peteret, nulla causa erat; ipse enim per se eam resumere potuisset: quod denique, vobis etiam concedentibus, is, qui vere patrem precabatur, seu Christus, quatenus precabatur, eam gloriam nunquam reipsa habuerat. Hæc omnia, igitur, & alia præterea omittimus, quæ interpretationem vestram verborum Christi nullo pacto sustineri posse demonstrant. Nam & ea unusquisque per se videre potest, & nonnulli ex vobis ipsis istam interpretationem rejiciunt, & nostram amplectuntur.

Sequuntur examinanda illa Christi verba Joh. 6. 62, *Quid si videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* Hic vero quibusdam ex nostris mirum in modum insultas, qui de alio loco Christum locutum fuisse, existimant, quam de cœlo. Quasi vero Christus apertissime de cœlo loquatur, qui nullo præterea modo locum nominat, quam, Ubi erat prius: & quasi non inter omnes constare videatur, Christum, ut hominem, nondum in cœlo fuisse, cum hæc diceret. Sed neque etiam postea, antequam in ipsum cœlum aspectabili ratione ascenderet. Et tamen ipse difertis quodammodo verbis ait, filium hominis, antequam in istum, de quo nos quærimus, locum aspectabili ratione ascendat, in eo ipso loco aut jam fuisse, aut certe futurum esse. Non igitur est, cur tantopere nostros irrideas, atque omni non Christiana modo charitate, sed humanitate etiam depositа, eos, nisi sententiam mutent, crudelissimo quovis mortis genere necandos censeas, qui, ut hæc absurda declinarent, de alio loco, quam de cœlo, verba Christum fecisse, omnino statuerunt, & quinam is locus esse posset, accurate perquisiverunt. Vestram enim illam communicationem idiomatum, ad quam, tanquam ad sacram anchoram tandem semper confugitis, & potissimum hoc loco ut confugiatis, necesse est, pro re ludicra ac futili habuerunt: ut certe est, ubicunque jam de iis aperte non constat, quibus ipsa innititur. Verborum figuræ in sermone tunc demum admitti possunt, vel etiam debent, cum alioqui de veritate sententiæ, quæ, figuris illis admissis, ex verbis elicitur, nullum est dubium; non autem, cum de ea sententia ambigitur. Quo fit, ut verborum explicatio per sermonis figuras ad respondendum quidem, atque excipiendum valere possit, sed nihil omnino ad probandum. Quod ita se habere ejusdem hujus loci exemplo statim planissimum fiet. Dicitis vos, ex hoc loco manifestum esse, Christum fuisse in cœlo, antequam eo hinc ascenderet. Negant quidam ex nostris, hic de cœlo verba fieri, & ob eam causam negant, quod alioqui filius ille hominis, id est homo ille Jesus, ante illud tempus in cœlo fuisset. Quod vos ipsi, si ex hoc loco sententiam nostram labefactari velitis, falsum esse, contendatis necesse est. Sed interim hanc objectionem diluere tentatis, dicentes, hic per sermonis figuram, quæ idiomatum communicatio appellatur, tributum fuisse filio hominis id, quod proprium est τῦ λόγυ, seu naturæ divinæ, cui filius hominis individue conjunctus est. Verum quomodo ad istud confugere potestis, de quo nihil constat, illudve in vestra explicandi loci ratione ponere, quod potissimum à nobis negatur, & ad quod reipsa probandum hunc ipsum locum attulistis? Nempe, in Christo esse τὸν λόγον, seu substantiam quandam divinam filio hominis individue conjunctam? Perspicuum est igitur, vos ex his Christi verbis nihil ejus, quod quæritis, adversum nos probare posse; sed tantummodo respondere, & vos defendere, si quis, interpretationem illorum vestram nullo pacto sustineri posse, contenderet. Et hæc quidem satis esse possent pro responsione nostra ad locum istum. Verumtamen, ne jejune quodammodo de tanto vestro, ut quidem tibi videtur, testimonio tecum egisse videamur; dicimus, in eo de cœlo loqui Christum potuisse, nec tamen quidquam inde contra sententiam nostram sequi. Nam, aut verba Christi sine ullo prorsus tropo interpretanda sunt; & tunc evanescet vestra idiomatum communicatio, & proinde ex ipsis ducta argumentatio vestra penitus dissolvetur, aut, si tropus aliquis in Christi verbis admittendus est, non videmus, cur non potius dicamus, ideo dixisse Christum, filium hominis fuisse in cœlo, antequam post resurrectionem eo ascenderet, quia jam ante illud tempus non modo in cœlo mente, & cogitatione perpetuo versabatur, verum etiam omnia cœlestia, id est arcana quæque divinissima, & ipsa omnia, quæ in cœlo sunt, & fiunt, adeo cognita & perspecta habebat, ut ea tanquam præsentia intueretur; & ita, quamvis in terris degens, in ipso tamen cœlo commorari dici posset. Non videmus inquam, cur non potius hæc interpretatio amplectenda sit, in qua nihil vel dicitur, vel pro concesso sumitur, quod verissimum esse non constet, quam ista vestra, in qua conjunctio illa duarum naturarum in Christo aut pro jam posita habetur, aut expresse affirmatur; de qua & olim, & hodie non modo dubitatum, sed etiam tam acriter pugnatum est. Sed quid tandem erit, si concedatur, Christum, vere & proprie loquendo, in cœlo fuisse, antequam eo post mortem assumptus fuerit? Num propterea sequetur, eum vel extitisse ab æterno, vel saltem antequam ex Maria nasceretur? Minime vero. Nam in cœlo, antequam moreretur, revera esse potuit, postquam ex Maria natus est: nec solum potuit, sed etiam (ut ita dicamus) debuit. Si enim homo ille Paulus Christi servus ad tertium usque cœlum ante mortem raptus est 2 Cor. 12. 2, & in ipso paradiso fuit; nullo pacto nobis verisimile sit, Christum ipsum, hominem scilicet illum, ante mortem in cœlo non fuisse; & servum majora in hac vita adeptum fuisse, quam dominum; sive unigenam atque carissimum Dei filium non eo honore ac beneficio ab ipso Deo affectum fuisse, quo alius multo minus insignis & carus affectus fuit. Præsertim cum, si Paulus, ut verisimile est, eo fuit raptus, ut videret arcana illa Dei, quæ se vidisse, & hominem effari non posse, ipse testatur; certe Christus, in quo sine ulla mensura rerum omnium divinarum cognitio, ut fuit, sic etiam esse debuit, quin ibi per aliquod tempus, antequam munus cœlesti doctrina homines imbuendi sibi à patre mandatum publice susciperet, versatus fuerit, nullo modo dubitandum videtur. Ita fiet, ut non modo Christi verba hæc planissima sint, & in eis nullum tropum admittere necesse sit, sed illa etiam, de quibus supra egimus, Descendi de cœlo, Exivi à patre &c, sine ullo tropo, quod tu tantopere requiris, accipi possint: nec tamen sententiæ nostræ ne minimum quidem officiant; immo eam una cum his, quæ modo examinavimus, mirifice illustrent, vestram vero omnibus modis labefactent, atque convellant. Nam, si Christus, antequam homo natus est, non solum fuit, sed etiam verus Deus semper ex patris substantia extitit, quid opus erat, eum postea in cœlum rapi, sive ut Dei arcana contemplaretur, sive quamcumque aliam ob causam? Etenim conjunctio illa admirabilis atque individua divinæ cum humana natura satis superque fuit ad hominem illum assumptum rerum divinarum perfectissima notitia locupletandum, eique multo plura eaque efficacius tribuenda, atque imprimenda, quam habita-

tio

tio ulla cæleſtis facere potuerit. Quod ſi dicas, Chriſtum fuiſſe in cælo, de cælo deſcendiſſe, à patre exiſſe; hæc omnia nimirum, & ſi qua ejuſmodi de Chriſto dicuntur, ad id tempus referenda eſſe, quod ejus ex Maria ortum anteceſſit; jam ad tropos confugias neceſſe eſt, & hæc de Chriſto tamquam homine dicta fuiſſe neges, cum tamen vel de ipſo ſimpliciter dicantur, vel etiam de illo filio hominis diſerte affirmentur.

Unus adhuc reſtat locus à te obiter in initio epiſtolæ tuæ adverſus ſententiam noſtram ex ſanctis litteris allatus; Verba videlicet illa Pauli, ubi dicit Phil. 2. 6, & 7. Jeſum Chriſtum, cum in forma Dei eſſet, formam ſervi ſumpſiſſe, non autem aſſumpſiſſe, ut tu ſcribis.

Hunc locum ſui ipſius explanationem ſecum afferre, videbit, quiſquis animum adverterit. Primum enim de Jeſu Chriſto nominatim agitur. Inquit enim apoſtolus, *Is affectus ſit in vobis, qui fuit & in Chriſto Jeſu*, &c. Atqui Jeſus ipſe Chriſtus non fuit vere, antequam homo eſſet, etiamſi λόγος ille, quem vos præter illum hominem vobis finxiſtis, jam revera fuiſſet. Nam & Jeſus nomen eſt proprium hominis illius, & Chriſtus Unctum ſignificat, & idcirco ad hominem neceſſario refertur. Divina enim natura ungi non poteſt; nec, ut ungatur, illi eſt opus. Hic rurſus vides, ad tropos, quos nobis exprobras, tibi confugiendum eſſe. Deinde manifeſte hoc loco Chriſtus nobis ad imitandum proponitur. Jam vero quomodo Jeſus Chriſtus nobis ad imitandum proponi potuiſſet eorum reſpectu, quæ fecerit, antequam homo naſceretur, cum ea à nemine viſa fuerint, aut videri potuerint? Num parum liquet, exempla rerum compertarum eſſe debere, & propterea neceſſe eſſe, ut ea Jeſu Chriſti facta, quæ nobis ad imitandum proponuntur, ejuſmodi ſint, quæ aliquo modo conſpecta fuerint? De homine igitur illo Jeſu, qui Chriſtus appellatus eſt, loquitur Paulus, & nos eum imitari debere docet. Is enim, quamvis ἐν μορφῇ, hoc eſt in ſpecie, ſeu mavis forma Dei eſſet, quippe qui & mari, & ventis, & tempeſtatibus, tum morbis, & languoribus omnibus, atque ipſi morti, dæmonibus denique imperaret, & obedirent ei, quidquid vellet, ut uno verbo dicamus, & abſens & præſens ubique locorum faceret; cum tamen tempus fuit, & Deo patri ipſius viſum eſt, ſuam hanc cum ipſo Deo æqualitatem in ſpeciem depoſuit (neque enim tanquam rapinam, ſed tanquam ſibi donatam eam ſemper habuit) & μορφὴν, id eſt ſpeciem ſeu formam, ſervi & vilis mancipii ſumens, ſe à ſceleſtis hominibus comprehendi, injuriis affici, cædi, conſpui, ac ludibrio haberi permiſit; ita ut nihil à cæteris vulgaribus hominibus differre videretur; & uſque adeo obediens patri fuit, ut mortem ipſam, eo mandante, ſubire non recuſaverit, mortem autem crucis, omnium apud Judæos teterrimam & deteſtabiliſſimam. Cujus ſui ipſius demiſſionis, & patris mandatorum obedientiæ, id præmium ab ipſo Deo reportavit, quod nec lingua exprimere, nec cogitatione ſatis aſſequi poſſumus. Quare nos quoque de nobis humiliter ſentire debemus; nec, ſi aliquid, quo cæteris præſtemus, in nobis eſſe cognoſcimus, de eo ſupra modum gloriari, idve mordicus retinere; ſed Deo totum acceptum referentes, ſi ita ipſi viſum fuerit, nos ipſos quodammodo eo privare, nec noſtro quodam jure uti velle. Ita fiet, ut nos quoque præmio omnium ſummo ab ipſo Deo tandem afficiamur. Quid hic vides, quod vel cum ipſis Pauli verbis prorſus non conſentiat, vel non veriſſimum & utiliſſimum ſit, aut ullis reprehenſionibus obnoxium? At vero, ſi tuam & eorum, qui tecum ſentiunt, interpretationem ſequi velimus, Deus bone, quot idiomatum communicationes inducere oportet, & verborum minus proprias ſignificationes? Quot vel evidenter falſa, vel plane inutilia, quot denique abſurda admittere neceſſe eſt? Nam præter ea, quæ ſupra à nobis animadverſa ſunt, nec vocabuli μορφῆς propria ſignificatio retinebitur, quod ſpeciem ſeu formam, non, ut noſtrates philoſophi, & logici, ſed ut boni auctores Latini loquuntur, ſignificat; & nomen Dei, modo pro ipſa divina eſſentia, modo pro ſola patris perſona, ut vos hæc diſtinguitis, accipietur; cum tamen id fieri poſſe, nedum debere, nulla ratione appareat. Præterea is, qui ſe dimiſerit, non idem revera erit, qui poſtea elatus eſt. Quandoquidem Deus, ut vobis placet, ſe demiſit; homo autem elatus fuit. Verum Deus, ſive natura divina, quemadmodum efferri, ſic etiam ſe revera demittere non poteſt. Quod unum ſatis eſt ad univerſam interpretationem veſtram evertendam, eamque omnium contemptui, & cavillis exponendam. Quamobrem multa conſulto præterimus, quæ illi objici poſſent. Nam ſatis hæc omnino homini non plane rudi aut pertinaci futura ſunt.

Nihil autem diximus de teſtimonio illo Heb. 1. 4, à te eodem hoc loco quodammodo infarto, quod ſcilicet Chriſtus tanto omnibus angelicis ſpiritibus excellentior factus ſit, quanto ſublimius præ illis ſortitus eſt nomen. Nam quis eſt, qui neſciat, hæc de homine illo Jeſu dicta fuiſſe, qui, in dextera Dei collocatus, angelis ipſis ſublimior eſt factus? An non id ſaltem manifeſtiſſimum eſt, hæc ad illud tempus pertinere, quod Chriſti mortem eſt conſecutum, & expiationem, quam per ſemetipſum noſtrorum peccatorum fecit? Et tamen tu tanquam ea recenſes, quæ jam facta eſſent, cum Chriſtus formam ſervi (ut tu loqueris) aſſumpſit; id eſt, ut ipſe ſine dubio interpretaris, humanam naturam induit. Vide, rogamus te, quæ tibi homini erudito, quod malam cauſam agas, juſto Dei judicio excidant.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, non ſolum ad ea omnia reſponſum eſſe arbitramur, quæ ex divinis litteris adverſus ſententiam noſtram protuliſti; ſed, ſi quis penitus rem ipſam inſpexerit, ad ea etiam, quæ, à te excogitata, quoquo modo nobis objici poſſe videantur. Nam quod ais, nos aperta & clariſſima ſpiritus ſancti verba noſtris tropis eludere, atque obſcurare; id adeo falſum eſt, ut non alia ratione magis ad ſententiam, quam de Deo, & Chriſto profitemur, amplectendam inducti fuerimus, quam ſimplici, & ſine ullis tropis divinorum Teſtimoniorum interpretatione; quæ paſſim, domini Jeſu Chriſti patrem, unum illum Deum eſſe teſtantur, præter quem non eſt alius; &, hominem illum Jeſum Nazarænum, unum illum Dei filium eſſe, prædicant, cui omnia, præter ſeipſum, Deus ipſe ſubjecit. At vos illi eſtis, qui ſine tropis, & præſertim ſine veſtra illa idiomatum communicatione, nihil ferme hic explicare poteſtis; & per ipſos tropos eas de Deo, Chriſtoque ejus opiniones in Eccleſiam invexiſtis, quæ ſanctiſſimam religionem noſtram & Judæis, & Mahometanis omnibus deridendam exponunt. Qui Mahometani ſi ſententiam de Jeſu veſtram, ut ais, Apoſtolorum ſcriptis contineri putant, & propterea illa rejiciunt, vobis id acceptum referendum eſt, quibus ipſi, tanquam iis, qui Apoſtolorum diſciplinæ legitimi hæredes eſſe videmini, hac in parte, nihil præterea quærentes, indubitatam fidem adjungunt. Qui tamen, ſimulatque à noſtris hominibus admonentur, rem aliter ſe habere, agnoſcunt; & paullo æquiores ſe Apoſtolicis ſcriptis præbent. Quamquam ii, qui ex ipſis ſuæ religionis peritiores ſunt, non idcirco potiſſimum Apoſtolorum ſcripta rejiciunt, quod in iis ea de Jeſu contineri credant, quæ falſa ſint; ſed quod, ſicut nos de Moſaica Lege poſt Chriſtum credimus, ſic illi, Jeſu Nazaræni Apoſtolorum magiſtri diſciplinam poſt Mahometem ceſſaſſe, ſunt perſuaſi. Idque propterea eveniſſe dicunt, quod Deus, cum vidiſſet Jeſu ſectatores, qui jam in immenſum numerum accreverant, eum ex homine, in quo divinus quidam ſpiritus habitaſſet, ipſummet Deum feciſſe, illis indignatus, ne hoc malum latius ſerperet, Mahometem miſerit; qui auctoritatem Jeſu diſciplinæ, eam reformando, abrogaret; & quem in poſterum, non autem

jam

jam ipſum Jeſum, ut unicum divinæ veritatis magiſtrum, mundus agnoſceret, & ſequeretur. Itaque à vobis omnino, veſtriſque non ſanis verbi Dei interpretationibus tantæ in Dei Eccleſia vaſtitatis ſive cauſa, ſive occaſio profecta eſt. Nos, ſi alicubi, cum de Chriſto Sacræ Litteræ loquuntur, tropum aliquem ſubeſſe dicimus, id, veritate cogente, locique ipſius circumſtantiis admoniti, facimus; & exempla non pauca, ac teſtimonia apertiſſima ejus rei ex ipſis Divinis Litteris proferimus: nec quidquam abſurdi unquam ex noſtris explanationibus conſequitur. Vos autem frequentiſſimos tropos ſine ulla neceſſitate, aut ratione, inducitis: nec plerumque ne locum quidem unum in Divinis Scriptis oſtendere poteſtis, quo interpretationes veſtræ confirmentur. Ex quibus tot tantaque non abſurdiſſima modo, ſed plane impoſſibilia proficiſcuntur, ut vix enumerari, nedum ſatis explicari queant. Quid cum illis actum fuerit, quos videlicet nobis opponis, qui per tot ſæcula tam ingente numero, ut ipſi ſoli eſſe viſi fuerint, qui Chriſti nomen ſint profeſſi, diverſum à nobis ſenſerunt, ſive etiam ſententiam veſtram per omnia ſecuti ſunt, non magis laboramus, quam vos ipſi de iis laboratis, qui à mille circiter annis miſſas pro mortuis celebrari poſſe, ac debere, crediderunt, vel certe ſexcentis aliis ſuperſtitionibus fuere imbuti: quos, ab eo tempore uſque ad patrum noſtrorum memoriam, eos fere omnes fuiſſe compertum eſt, qui in univerſo orbe terrarum Chriſto nomen dabant. Porro quod ais, ſi ſententia noſtra vera eſt, nullam hactenus fuiſſe Eccleſiam; Vide, quæſumus, quid dicas, & quam parum tibi conſtes, qui Samoſatenianos, & Ebionitas nos vocas.

Nunquid Eccleſiam eſſe non putas, niſi non ſolum publice homines congregentur, ſed in maximo etiam numero? Certe, ſi illud verum eſt, per multa ſæcula, vel te ipſo judice, nullam habuimus Eccleſiam. Quanquam ex hiſtoriis ſatis liquet, & Paulum Samoſatenum, & Photinum, & alios, qui Jeſum Chriſtum, ut nos facimus, antequam ex Maria naſceretur, revera non extitiſſe ſenſerunt, permultos diſcipulos feciſſe, qui per aliquod tempus & publice congregati ſunt, & in quibuſdam regionibus cum numero, tum auctoritate cæteris Chriſtum profitentibus ſuperiores fuere. Qua de re quidquid ſtatuendum ſit, nobis ſatis eſt, Apoſtolicam illam & veram ſine dubio Chriſti Eccleſiam idem ſenſiſſe, quod nos ſentimus: ut ex ipſorum Apoſtolorum ſcriptis, cuicumque præjudicatis opinionibus non faſcinato, perſpicuum tandem fore ſperamus. Quod ſi ſtatim poſt illa tempora aliter de Chriſto publice doceri cœptum eſt, ac nos doceamus; nihil permovemur, ſcientes ab Apoſtolis, & ab ipſo Chriſto tenebras iſtas propediem in Eccleſia ſecuturas prædictum fuiſſe, &, ipſis Apoſtolis adhuc viventibus, multos Antichriſtos extitiſſe, & multos falſos Prophetas atque impoſtores in mundum prodiiſſe, qui negarent illum Jeſum Chriſtum ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ſive ἐρχόμενον, id eſt, qui in carne venit (non autem in carnem veniſſe, quod nec Græca verba ullo modo patiuntur, nec res ipſa ferre poteſt, cum de homine illo Jeſu ſit ſermo, qui in carnem venire non potuit) & hunc eſſe eum Spiritum, qui venturus erat, illius magni Antichriſti. Quod etſi propter eos potiſſimum dictum eſſe putamus, qui hodie quoque ſi non verbis, at re ipſa Jeſum pro Chriſto agnoſcere recuſant, eo quod non cum mundana majeſtate & potentia, ſed in carne, hoc eſt in humilitate, & infirmitate venerit; non eſt tamen, quin iis etiam omnibus aliqua ratione accommodari poſſit, qui, hominem illum Jeſum Nazarænum, humilem licet antea atque infirmum, & tunc filium illum Dei unigenam fuiſſe à Deo mundo exhibitum, & nunc præpotentem dominum ac regem ab ipſo Deo factum, & ſuper omnia conſtitutum eſſe, non confitentur. Quæ certe nemo eorum revera ac prorſus confitetur, qui præter hominem illum aliam naturam, ſive ſubſtantiam excogitant, cui vere & proprie hæc omnia conveniant, quæ homini illi non niſi figurate, ac minus proprie convenire poſſe, arbitrantur. Nec tamen nos ii ſumus qui neminem, niſi in omnibus noſtræ ſententiæ adhæreat, pro Eccleſiæ membro agnoſcere velimus. Satis enim nobis eſt, ſi, quod ad hanc rem attinet, confiteatur unuſquiſque, Deum illum ſummum Jehovam, eſſe unum, nempe eum, qui pater eſt domini noſtri Jeſu Chriſti, nec alium eſſe præter illum. Jeſum autem Nazarænum, hominem ſcilicet illum, qui vere crucifixus fuit, eſſe Dei viventis filium, cui omnia tradita ſint à Deo in manus, quemque nos colere, & ab ipſo vitam æternam expectare oporteat: quidquid de ipſo filio Dei alioqui ſentiat, antequam ex Maria naſceretur. Quamvis, ut ipſam veritatem exactiſſime quiſque intelligat, & percupiamus, & pro virili noſtra laboremus. Nihil enim boni unquam ex erroribus in religionis negotio, quantumvis levibus, proficiſci poteſt. Sed, ut error errorem gignit, multa mala tandem inde poſſunt conſequi, & totius veræ ac ſolidæ pietatis everſio. Antiquos theologos, eos præſertim, qui ab Apoſtolorum temporibus, & idcirco ab ipſa veritate, minus abſunt, non modo non contemnimus, ſed plurimi etiam facimus; eorumque ſummam eruditionem, & eloquentiam, & in quibuſdam eximiam præterea nec noſtri ſæculi quandam pietatem, vehementer admiramur: nec nos cum illis conferendos eſſe probe novimus. Præſtare tamen dicimus Euangeliſtarum, & Apoſtolorum ſcripta noctes, dieſque manibus terere, & ſibi familiariſſima reddere: in quibus rerum divinarum ſcientia, quæ nobis uſui eſſe poſſit, fideliſſime, atque, ut ipſemet fateris, vel potius aperte contendis, perſpicue & ſimpliciter, nec ullo modo dubie, vel ambigue omnibus piis propoſita & explicata eſt, quam iſtorum quantumvis præſtantium virorum libros curioſe evoluere: ubi non dubium eſt, quin multa perperam ſcripta fuerint, & in quibus recte intelligendis plus difficultatis ſæpius invenitur, quam in Sacrarum ipſarum Litterarum ſenſis percipiendis. Adde, quod ii ſcriptores nec ſinguli ſibi ipſis conſtant; & inter ſe mirifice non raro pugnant, & digladiantur, cum in ipſis dogmatis, tum maxime in divinorum oraculorum interpretationibus. At vero ipſi Apoſtoli, & Euangeliſtæ in nulla prorſus re, quæ alicujus momenti eſſe poſſit, ne tantulum quidem invicem diſſident, aut ſibi ipſis adverſantur. Adde præterea, quod ad ſcriptorum illorum omnium volumina modo percurrenda (ut quidem neceſſe eſſet, ſi nobis, quid illi unaquaque de re vere ſenſerint, inquirendum foret) vix hominis ætas videtur poſſe ſufficere. In novi autem teſtamenti univerſis ſcriptis perlegendis non multos dies ponere neceſſe eſt. Ita ut ſingula loca, immo ſingula verba diligenter perpendendi tempus concedatur. Huc accedit, quod, ſi quid temporis ab his ſcriptis penſitandis, & memoria ſæpius repetendis, quod litterarum ſtudiis dare poſſimus, nobis reliquum eſt, id totum in Veteris Teſtamenti libris evoluendis, præſertim vero in Pſalmorum & Prophetarum lectione multo libentius inſumimus, ii præſertim ex nobis, qui alios docendi munus habent; admonitionis Paulinæ ad Timotheum 2 Tim. 3. 16, bene memores, adeo, ut non niſi neceſſitate aliqua impulſi, alios præterea libros in manus ſumere ſoleamus. Atque hinc fit, ut, ſi qui ex nobis aliquid ſcribunt, vix aliis verbis aut ſententiis uti ſciant præter eas ipſas, quæ in Sacris libris leguntur, ab illis interpretandis cum eas ſatis perſe perſpicuas eſſe arbitrentur, ſibi, quantum fieri poteſt, temperantes. Cujus rei nomine tu nos derides. Nec conſideras, cum vernaculo ſermone fere ſcribamus, nos non tibi, & aliis doctioribus, qui jam mentem miris quibuſdam ſacrorum teſtimoniorum interpretationibus præoccupatam habetis, ſed rudioribus ſcribere, qui, nulla jam penitus imbibita opinione præpediti, ſenſu divinorum oraculorum, modo aliquo ordine perſcribantur, & ad certa quædam capita revocentur, facillime aſſequuntur. Quibus ſi rem gratam nos feciſſe ſenſerimus, non multum curamus, ſi ab aliis, quibus, ut placeremus, minime

nime ſtuduimus, male operam noſtram collocaſſe dicamur. Habes, ut ad propoſitum revertamur, de antiquioribus Scripturæ Sacræ Interpretibus breviter expoſitam ſententiam noſtram. Verum quid de recentioribus theologis dicemus? Ii quippe magni viri ſunt, non negamus, neque nos ipſos illis anteferimus: ſed & multarum rerum cognitione, & linguarum peritia, & ingenii acumine longe nobis eos præſtare confitemur. Non tamen tanta unquam erit illorum apud nos auctoritas, ut apertiſſimos Divinarum Litterarum ſenſus eorum commentis nobis in dubium vocari ſinamus. Præſertim, cum certiſſimum ſit, eos quidquid acutius in hac noſtra de Deo, Chriſtoque ejus controverſia dixerunt, id omne, aut ſaltem ejus maximam partem ab Antichriſti acerrimis propugnatoribus illis, quos ſcholaſticos vocant, mutuatos fuiſſe: qui, cœlum terræ miſcentes, ſimplicitatem ac ſplendorem Euangelicæ veritatis humanis quibuſdam figmentis, quæ ne ipſi quidem interdum percipere poſſunt, conturbarunt, ac tenebris quodammodo involverunt. Quod ſi vel in hac, vel in quapiam re alia, plus, quam non modo recentiores iſti, ſed antiquiores illi viderint, nos vidiſſe nobis perſuademus, non propterea, ut tibi videtur, tumemus, aut ſuperbimus. Quinimmo eo magis nos demittimus, & humiles efficimur, quo plus eo nomine nos Deo noſtro debere agnoſcimus. Qui, nos miſeros humunciones, pro ineffabili ſua bonitate, ea ſcire voluit, quæ magnis & clariſſimis alioqui viris nunquam cognita fuerunt. Eos porro, qui magnis illis viris, eorumque auctoritate potius, quam re alia permoti, in eodem cum illis errore perſiſtunt, nequaquam deſpicimus, ſed vehementer miſeramur. Inter quos unus ex præcipuis es tu. Andrea Volane, quem, ad reliqua tuæ epiſtolæ capita, ut pote nec ad rem ipſam, de qua vere agis, nec ad nos propriè ſpectantia, minime reſpondentes, amice poſtremo & Chriſtiane monemus, ut, ſi veritati ſaluberrimæ & manifeſtiſſimæ acquieſcere non potes, ſaltem poſt hac in ſcriptis tuis aliquanto modeſtior eſſe velis, & nos Jehovæ, unius ſummi Dei & patris noſtri, ac Chriſti Jeſu ejus filii, unius domini noſtri, cultores, non ita, ut facis, conviciis, ac contumeliis impetere, & onerare pergas. Nam tametſi nobis injuriæ & maledicta tua, ſi ea, ut fore ſperamus, patienter tulerimus, non minimo honori & gloriæ, cum apud pios & cordatos homines, tum vero apud Deum ſunt futura; tibi tamen peſſime conſultum fuerit, qui ea ratione & exiſtimationem tuam vehementer lædes ſanæque mentis hominibus tandem inviſus eris, & Deo aliquando nimiæ tuæ, ſive iræ ſive incogitantiæ, juſtas pœnas dabis.

Finis Reſponſionis ad Paranæſim And. Volani.

Reſponſio ad ea omnia quæ Volanus ſuperiori reſponſioni objecit.

ANONYMUS AD LECTOREM.

NE, ſi fortaſſe altera hæc mea reſponſio ad eorum manus perveniat, qui nec Volani librum viderint, nec videndi facultatem habeant, poſſit quiſquam ſuſpendendi judicii ſui in hac controverſia noſtra ex me ipſo cauſam ullam habere; conſtitui hoc loco ipſius Volani verba, in quibus priorem meam reſponſionem reprehendit, eo ordine, quo ab ipſo ſcripta fuere, ſumma fide, ut in ejus publicato libro leguntur, fere omnia deſcribere, idque per partes; interjecta ubique ad ſingulas particulas reſponſione mea: quam perpetuo ita & temperare & moderari ſtudebimus, ut tibi, optime lector, ſi non uſque adeo utilis & jucunda, haud ſaltem plane infructuoſa & inſuavis eſſe poſſit.

ANDREAS VOLANUS
lib. ſui pag. 96. in fine.

Particula 1.

NIhil ergo cauſæ habet; cur quidam alius ex hac cohorte Anonymus tantopere tumultuetur ſcriptor, impium me immerito vocans, & omnes ab exortu Euangelii mecum Chriſti ſervos, qui Chriſtum Divinæ participem naturæ ab æterno confitentes, carnem ideo ejus vivificam, omnique gloria ac cœleſti virtute decoratam, quod Divinitati illius ſit indiſſolubiliter juncta, prædicamus. Neque enim propterea ſicut iſte ſomniat, in Deum Patrem injurii ſumus, quod Chriſto Deo vitæ ac ſalutis æternæ gloriam tribuimus, cum omnia eadem ex beneficio Dei patris profluere vere credimus.

ANONYMUS

Hic primum animadvertendum eſt, me Volanum, & eos, qui cum ipſo ſentiunt, non vocare impios; quod nomen per ſe nimis male ſonat, & illis tribui ſolet, qui à vero Dei cultu abhorrent. Sed dico tamen, eos imprudentes, dum Chriſti gloriam vindicare credunt, eam opprimere conari, multiſque modis in Deum injurios eſſe, ejuſque majeſtatem impie lædere. Ut apparet in mea ſuperiore reſponſione, pag. 18. Tum vero ipſi pueri norunt, in ipſo communi ſermone, longe aliud eſſe, Impie aliquid per imprudentiam dicere aut facere, &, Impium eſſe. Deinde eſt conſiderandum, me non propterea, Volanum, & ſuos in Deum patrem injurios eſſe, dixiſſe, quod Chriſto Deo vitæ ac ſalutis æternæ gloriam tribuant; ſed quod eam gloriam tribuant, quæ cum illo communicari à Deo patre non potuit. Cujuſmodi certe non eſt vitæ, atque æternæ ſalutis dandæ poteſtas. Immo contendo, hanc poteſtatem cum Chriſto à Deo communicatam, eique revera datam fuiſſe, hocque ipſos non agnoſcere ajo; atque idcirco & in Chriſtum, & in Deum imprudenter hac in re injurios eſſe. Nam quod hic ait Volanus, Immo ſe, ſuoſque credere, hæc, quæ Chriſtus habet, ex beneficio Dei patris profluere; Reſpondeo, illum nondum ſuam ipſius, & ſuorum ſententiam ſatis noſſe, ſi hoc (ut quidem non dubito) ex animo dicit. Etenim, cum intelligant, hæc habuiſſe Chriſtum per æternam illam & naturalem ac neceſſariam à Deo patre generationem, quam Chriſto tribuunt; nemo illi conceſſerit, iſtud, Dei patris beneficium appellari poſſe. Quod enim ex ipſius rei natura eſt, ſemperque fuit, nec aliter eſſe poteſt, nullo pacto beneficium dici debet. Beneficium enim non à natura, ſed à voluntate proficiſcitur, eaque libera ab omni neceſſitate. At enim dicet, in eo eſſe beneficium, quod filius ille æternus humanam naturam in unam eandemque hypoſtaſim, ut loquuntur, ſibi copulaverit; atque hac ratione humana ipſa natura iſtarum rerum particeps fuerit. Hic enim, ut vidimus, diſerte ait, ſe cum ſuis prædicare, carnem Chriſti vivificam ideo omni gloria ac virtute cæleſti decora-

decoratam eſſe, quod divinitati illius ſit indiſſolubiter juncta. Ego vero contra. Si ita res ſe habet, minus recte ac proprie res iſtæ ad Chriſtum Dei patris beneficio profluere dicuntur. Idque duplici de cauſa. Primum, quia revera illæ ab ipſius Chriſti natura proficiſcuntur; etiamſi, quod ea natura in Chriſto ipſo inſit, id Dei patris beneficium dici poſſit. Nota eſt enim illa diſtinctio omnium theologorum, qui orthodoxi eſſe exiſtimantur, inter naturam, & gratiam, potiſſimum adverſus Pelagianos, nequaquam concedentium, id ex gratia (nempe Dei) proprie, & ſecundum Sanctarum Litterarum loquendi morem dici poſſe, quod ab hominis natura proficiſcatur; quamvis ea natura talis ſit per Dei gratiam. Altera cauſa eſt, quia non minus ex ipſius filii Dei beneficio res iſtæ profluxerunt, quam ex Dei patris: cum neceſſe ſit ut filii voluntas nihil minus, quam patris voluntas, ea in re præſtiterit. Immo eo magis filii beneficium hoc cenſendum eſt, quam patris, quod non pater, ſed filius humanam naturam ſibi copulavit; exque filii hypoſtaſi, ſeu perſona, non autem ex patris, fit, ut humana natura res iſtas habeat. Quare nemo non videt, non ſat recte dici, ex Dei patris beneficio illas profluere. Hæc enim locutio id ſaltem omnino indicat, Deum patrem ea in re potiores partes habere. Præterea quid hoc facit ad propoſitum, quidve ad ea teſtimonia pertinet, quæ ego protuleram, de ſumma illa poteſtate, quam Deus pater Chriſto dedit, ex quibus apparet, dationem iſtam fuiſſe poſt ipſius Chriſti reſurrectionem à mortuis, & propter crucis mortem, quam is, ut Deo patri obediret, ſubivit? Quandoquidem illud urgeo, tum demum tantam poteſtatem Chriſtum habuiſſe, cum per omnia patri obediens inventus eſt. Quod profecto demonſtrat, eam ex indiſſolubili illo, quem iſti commenti ſunt, divinæ & humanæ naturæ nodo minime fluxiſſe. Alioquin ab ipſo conceptionis momento perpetuo eam Chriſtus omni ratione habuiſſet, niſi, quatenus eam nondum exeruiſſet. Quod ſi poſtea feciſſet, nullo tamen pacto ob eam rem poteſtas ipſa, Dei patris donum dici potuiſſet. Sed ne id quidem, quod eam exeruiſſet. Suo enim proprio jure id feciſſet Chriſtus, non autem ex Dei Patris dono. Itaque nullum locum hic habere poteſt illud, quod Volanus antea dixerat, & ex quo, ut dictio Ergo oſtendit, in initio hujus primæ particulæ poſita, hæc, quæ hoc loco ſcribit, pendere aliquo modo voluit. Quod ſcilicet unum & idem opus & Dei patris, & Chriſti dicatur. Neque enim de opere aliquo hic loquimur, ſed de gloria, & poteſtate illa ſumma. Quam dicimus nec naturalem, nec ullo modo propriam Chriſti eſſe potuiſſe: cum ei revera à Deo patre poſt crucis mortem propter ejus obedientiam fuerit data. Verum, quid hic addat, videamus.

VOLANUS Partic. 2. pag. 97.

Imo iſte videat quam tanto errori ſuo excuſationem inventurus eſt, qui Dei Filium omni virtute Divina ſpoliat, ac nihil eum per ſe poſſe niſi quantum communicaverit illi Pater, comminiſcitur.

ANONYMUS.

Modo confeſſus ipſe fuerat, ex Dei patris beneficio vitæ ac ſalutis æternæ gloriam, quam Chriſtus habet, profluxiſſe. Nunc vero me ingentis erroris accuſat, quod (ut ipſe quidem loquitur) Dei filium nihil per ſe poſſe, niſi, quantum communicaverit illi pater, comminiſcar. Quæ quam recte conveniant, mox videbimus. Apparet enim (id quod etiam ſupra pro conceſſo ſumpſimus) illum per vitæ ac ſalutis æternæ gloriam, admirabilem illam poteſtatem intelligere dandi vitam, ac ſalutem æternam, quam Chriſtus habet. Jam, ſi hanc poteſtatem ex Dei patris beneficio Volano ipſo teſte Chriſtus habet; quomodo poteſt Volanus alteri, id eſt mihi, objicere, quod velim, Chriſtum per ſe nihil poſſe, niſi, quantum communicaverit illi pater? Nec enim in ejus verbis dictio Nihil ita univerſe accipienda eſt, ut ad omnia, quæ fieri poſſunt, referatur, ſed ad ea tantum, quæ divina poteſtate fiunt: qualis eſt datio vitæ ac ſalutis æternæ. Namque de his & reſponſio mea loquitur, & ipſemet hic verba facit: & me loqui, intelligere ſe, oſtendit; cum proxime dixerit, me omni virtute divina filium Dei ſpoliare. Certe, ſi ex Dei patris beneficio iſta ad Chriſtum profluunt, non video, quomodo Volanus ſibi ipſi non adverſetur, qui commentum appellet, ac ſummi erroris loco ducat, aſſerere, filium Dei iſta per ſe non poſſe, niſi, quantum communicaverit illi pater. Ni fortaſſe hæc verba ita intelligat, quaſi neceſſe ſit, hodie quoque filio Dei à patre vim, ac poteſtatem iſta faciendi ſuppeditari: alioquin, tanquam eum, qui in ſe manentem vim iſtam, ac poteſtatem non habeat, ea nullo modo poſſe facere. Sic autem eum intelligere, indicant verba illa, *Omni virtute divina ſpoliat.* Atqui, ſi ita eſt, graviter in me peccat Volanus; cum non ſolum hoc ego non dixerim, & plane contrarium ſentiam (ſentio enim, ut ex ipſis verbis meis pag. 18, & 19, intelligi poteſt, Chriſtum eam vim, & poteſtatem in ſe ipſo manentem habere; ſibi tamen à patre, ut præmium ſuæ obedientiæ, datam) verum etiam nuſquam ſcripſerim, filium Dei nihil per ſe poſſe, niſi quantum illi à patre communicatum fuerit. Quod tamen ſi dixiſſem, cum ipſo Dei filio locutus fuiſſem: qui modo; Filium, modo, ſe, quidquam à ſeipſo negat poſſe facere, Joh. 5. 19, & 30, (inquit priore loco) *niſi quod viderit Patrem facientem* quæ verba idem ſignificant, quod, Niſi, cujus faciendi poteſtatem Pater cum ipſo communicaverit. Quemadmodum ſequentia verba docent, in quibus eadem loquendi figura utens, demonſtrari ſibi à patre opera, pro communicari ſecum ab illo poteſtatem ea faciendi, manifeſte dicit. Id quod ante me obſervaverunt, ut arbitror, alii non pauci: præcipue vero auctor Annotationum in Vatabli bibliis; qui ad verbum Demonſtrat, ſic annotat, *Id eſt communicat, quaſi dicat, in partem omnium, quæ agit, accerſit illum.* Itaque Volanus auſus eſt affirmare, eum & comminiſci, & graviter errare, qui de Dei filio ita loquatur, ut ipſe Dei filius loquitur. Sed pergit.

VOLANUS Partic. 3. pag. 97.

Omnem enim gloriam quæcunque debetur Patri, Filius ſibi vendicat, ut qui non honorat Filium, non honoret & Patrem, nec qui non habet Filium, habeat Patrem.

ANONYMUS.

Verum eſt ſine dubio, eum qui non honorat Filium, ne Patrem quidem honorare, & eum, qui Filium non habet, ne Patrem quidem habere Joh. 5. 23. 1 Joh. 2. ℣. 28: ut divina oracula aperte teſtantur. Non tamen ſequitur, omnem gloriam, quæcunque debetur Patri, Filio deberi, & ἀσυλλογίστως plane eſt argumentatio iſta; quemadmodum omnes animadvertent. Quod ſi non ita, ut ne quidem (fateor) ejus verba præſeferunt, argumentatur Volanus; ſed, omnem gloriam Patri debitam Filium ſibi vindicare, ideo affirmat, quod ipſe Filius ea verba dixerit Joh. 5. 23, *ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem?* perperam nihilominus colligit. Neque enim dictionis Sicut ea vis eſt, ut perpetuo plenam ſimilitudinem conſtituat. Immo, ſi quando eam conſtituit, id non ex vi ipſius dictionis, ſed ex accidente fit. Propria enim ejus dictionis vis eſt, ut rei tantum, non etiam quantitatis, vel omnis qualitatis ipſius rei, ſimilitudinem oſtendat. Quemadmodum hæc loca, inter alia complura, manifeſtum faciunt, Matth. 5. 48. Luc. 22. 29. Joh. 17. 23. 1 Joh. 1. 7. Adde, quod, cum eo in loco, Chriſtus de honore ſibi debito agat propter omne judicium ſibi à Patre datum, quod ſine dubio, ut homini, illi datum fuit, ut etiam conſtat ex ℣. 27, ejuſdem cap. nullo pacto de plena ſimilitudine ſui, paternique honoris loqui potuit.

VOLANUS Partic. 4. pag. 97.

Nam ſi Chriſtum ideo prædicari in ſcripturis Deum putant, ſicuti toties dictitant, quod Divina Dei Patris virtus in eo emicuit, dum varia opera & miracula ſoli Deo poſſibilia faceret, imprudenter ac nimis incogitanter faciunt, qui

qui eò prætextu omnem adorationis cultum illi deberi arbitrantur. Eadem enim virtute Dei tam Prophetæ quam Apoſtoli non diſſimilia miracula fecerunt, & qui tamen propterea adorandos vel invocandos cenſeret, impius divinæ majeſtatis violator juſte crederetur. Hujus vero rei in Paulo ac Barnaba illuſtre habemus exemplum, quibus ob inſigne editum miraculum cum Lyſtrenſes tanquam diis ſacrificare vellent, acriter ab illis objurgati, & magnis clamoribus deterriti, ad Deum illum vivum adorandum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt, voce eorum ſunt revocati. Toties enim hic Deus cœli & terræ creator, ſoli ſibi ſervire, ſe unum adorari præcipit, ut qui præter hunc unum creatorem rerum omnium, pro diis reputentur, illis horrendam maledictionem per Prophetam Hieremiam imprecetur. Ac propterea vel ſi medii crepent Ebionitæ, nullam unquam juſtam poterunt invenire cauſam, cur Chriſtum ob miraculorum patrandorum potentiam Deum adorandum prædicent, niſi verum æternumque una cum ſuo Patre Deum, & conditorem rerum omnium recognoſcant. Sed quia à tam clara ſcripturarum luce refugiunt, quæ creationem rerum omnium Filio Dei attribuunt, hicque ſe ultro ne quid videant, oculis privant, brevi futurum ſpero, ut ne adorandum quidem nec invocandum Dei Filium toti turbæ à ſe ſeductæ perſuadeant. Ita enim in cognitione Chriſti indies iſti proficiunt, ut tandem ſint ipſum rejecturi, & ad quendam Lucianiſmum (utinam ſim falſus vates) viam patefacturi.

ANONYMUS.

Quanquam hæc ad ipſam meam reſponſionem refellendam nihil omnino pertinent; tamen quia Volanus ea, contra me quodammodo diſputans, ſcripſit, mihi faciendum putavi, ut ea refellerem: maxime cum eorum refutatio, ad noſtros homines, noſtramque ſententiam defendendam, plurimum conducere queat. Tria hic dicuntur. Unum, quod à nobis dicatur, Chriſtum idcirco Deum in ſacris literis nominatum fuiſſe, quia divina patris virtute multa mirabilia faceret; & propterea etiam adorandum proponi: ſed ea in re vehementer nos labi. Alterum, Chriſtum adorari non poſſe, niſi ſit cœli, terræque conditor. Tertium, brevi futurum, ut nos filio Dei adorationem, & invocationem adimamus.

Quod ad primum attinet, dico, me neſcire, an quiſquam ex iis, qui vere ſunt noſtri, Chriſtum eam ob cauſſam vel ſolam vel præcipuam Deum nominatum fuiſſe affirmet, quod virtute patris mirabilia opera faceret. Neque enim unum aut alterum verbum, quod alicubi noſtri dixerint, ſtatim arripiendum eſt; ſed & antecedentia, & conſequentia conſideranda, exque omnibus ſententia ipſorum elicienda. Quæ ſine dubio ea eſt, ut multas alias ob cauſſas Chriſtus Deus in ſanctis literis dicatur, præter miracula: & propter hæc quidem non ſimpliciter, quatenus ea faciebat; ſed quatenus virtute in ſe ipſo reſidente ea facere poterat, quod nemini umquam, præter illum, datum fuiſſe ajunt. Unde apparet, exempla prophetarum, & apoſtolorum à Volano allata ad rem nihil facere: cum nec Prophetæ, nec Apoſtoli virtute in ſe ipſis reſidente miracula umquam fecerint; aut certe noſtris hominibus feciſſe videantur. Ego ſane, etſi Chriſti virtutem iſtam à cauſſis, cur Deus nominatus fuerit, minime excludendam cenſeo; tamen, cum in reſponſione mea rationem redderem, cur Chriſtus à Paulo vocari potuerit Deus ſuper omnia, miraculorum faciendorum poteſtatis nullam prorſus mentionem feci. Ut videre eſt ſupra pag. 26. Quare vehementer miror, Volanum, dum in me refellendo totus eſſet, iſthæc ſcripſiſſe. Illud certiſſimum eſt, nec me, nec quemquam ex noſtris Chriſtum, ob miraculorum patrandorum potentiam, Deum adorandum prædicare. Quod tamen Volanus auſus eſt nobis objicere. In quo etiam animadvertendum eſt, Volano idem videri, Deum eſſe, &, Adorandum eſſe. Quod tamen ſecus eſt. Nam & angeli, & alii, dii ſunt: nec tamen adorari debent. Sed decipitur nimirum Volanus ambigua ſignificatione nominis Dei, ut infra partic. 48 & 49. oſtendere conabimur.

Sequitur, ut de Chriſti adoratione, etiamſi cœli, & terræ hujus aſpectabilis conditor non ſit, aliquid dicamus. Dico igitur, Volani ἀξίωμα, Neminem adorari poſſe, niſi ſit cœli, terræque conditor, in ipſius Chriſti perſona, vel ex eo falſum eſſe conſtare, quod, ut Chriſtus ab omnibus adorari debeat, ipſe Deus effecit, eum propter obedientiam uſque ad mortem crucis in ſummam ſublimitatem evehendo; teſte Paulo ad Philippenſes Phil. 2. 9. Ex quo perſpicuum fit, adorationem conſiſtere poſſe etiam citra ullam in eo, qui adoratur, cæli, terræque creationis rationem. Nam, ubi creationis iſtius ratio habetur, ibi nec ulla alia re ad adorationem tribuendam eſt opus, nec adoratio alia re adjuncta conciliari poteſt: quippe cum jam ſummo jure perfectiſſima & abſolutiſſima a cunctis ea debeatur; & ei, cui debetur, nihil penitus à quoquam addi, vel adjungi poſſit. Quis enim cæli, terræque creatori quidquam addat, aut adjungat? Etenim, ſi Volanus dicat, reſpectu humanæ in Chriſto naturæ Paulum ſic locutum fuiſſe; fatebitur ipſe, adorationem illi etiam tribui poſſe, qui cæli, terræque creator non ſit. Nam certe humana Chriſti natura, ſeu Chriſtus, quatenus homo eſt, cœlum, terramque non condidit. Quod ſi rurſus dicat, id propterea factum eſſe, quia ea natura humana divinæ naturæ, quæ cœlum, terramque condiderat, indiſſolubili nodo juncta erat; oportebit, ut dicat (neque id ſane negare audebit) Chriſto homini, etiam ante reſurrectionem, omnem adorationem, id eſt ab omnibus, debitam fuiſſe. Jam tum enim indiſſolubilis ille nodus factus fuerat. Verum, quod Chriſtus ab omnibus adorari debeat, id à Deo poſt ejus mortem factum eſſe, Paulus ait Phil. 2. 9. idque non alia ratione, niſi, illum ſuper omnia evehendo. Ex quo etiam intelligi debet, quamvis, ut plerique volunt, verum eſſet, Jeſu Chriſti exaltationem nihil aliud fuiſſe, quam declarationem & patefactionem ejus, quod antea erat; nihilominus tamen ex ea conſtiturum, adorationem illi etiam tribui poſſe, qui cæli, & terræ non ſit creator, neque enim vel per ipſam exaltationem apparuit, Chriſtum cœlum, terramque creaſſe; vel aliam, cur ab omnibus adorari debeat, cauſſam, ut dictum eſt, Paulus affert, niſi hanc, quod Deus illum ad ſupremam ſublimitatem extulerit. Nec vero quiſquam dixerit, hoc non facturum fuiſſe Deum, niſi Chriſtus homo divinam naturam ſibi in eadem hypoſtaſi copulatam habuiſſet, quæ cæli, terræque conditrix erat. Hoc enim humanum prorſus eſt ſomnium, nullis divinis teſtimoniis confirmatum; immo à pluribus non leviter confutatum: ab iis, inquam, omnibus, in quibus exaltationis Chriſti, & modi, & cauſarum ejus fit mentio. In quorum nullo ejuſmodi rei ne veſtigium quidem, aut ſuſpicio ulla apparet; ſed omnia contrarium prorſus indicantia: & in quibus de Chriſto, quod ad naturam attinet, cum exaltatus fuit, nihil aliud, quam hominem ſeu virum eum fuiſſe dicitur. Quinimmo, ſi jam copulatio iſta divinæ cum humana natura in Chriſto fuiſſet facta; nihil fuiſſet opus, ut Deus, nempe Pater, humanam Chriſti naturam extolleret, ſi quidem Patri id aperte tribuitur Joh. 17. 5; Apo. 2. 28. & aliis in locis. Quod ipſe quoque Paulus eo loco evidenter docet: cum agnitionis, & confeſſionis, quod Jeſus Chriſtus ſit Dominus, finem ſtatuit Dei patris gloriam. Non opus, inquam, fuiſſet, ut Deus pater Chriſti humanam naturam extolleret. Nam id perſe res ipſa plane tuliſſet. Quomodo enim fieri potuiſſet, ut, cum ſibi tanto nexu conjunctam divinam naturam haberet, non ſemper pro arbitratu ipſius Chriſti ejus humana natura eorum omnium eſſet particeps, quæ divina natura habet? dummodo (quando ita Adverſariorum pleriſque placere video) ne ea cum humanæ naturæ proprietatibus omnino pugnarent. Hoc autem de exaltatione iſta dici non poſſe, vel ex eo conſtat, quod, ut omnes fatentur, & in hac diſputatione ponitur, eam aliquando humana ipſa natura habuit. Adde, quod fieri non poſſet, quin alicubi ſaltem (quod tamen nuſquam factum eſt) ſcriptum extaret, Chriſtum ſeipſum exaltaſſe, quemadmodum ſcriptum extare vult Volanus

(quatenus ad Deum, & homines refertur) per quem Deus hominibus ſuam voluntatem patefacit, fœduſque aliquod cum illis pangit, ſeque ipſum cum illis quodammodo communicat, ad eoſque accedit, utque viciſſim illi ad ſe accedant, conſtituit? Debuerat ſane hujus rei Volanum vel id monere, quod Chriſtus modo novi, modo melioris teſtamenti ſeu fœderis mediator in Divinis Litteris ter appellatur Hebr. 8. IX. & XII; cum quater tantum ea appellatio illi tribuatur. Uno enim tantum in loco, Dei, & hominum mediator dicitur 1 Tim. 2. ℣. 5: non autem paſſim, ut Volanus ſatis inconſiderate ſcripſit. Nam quid eſt, novi & melioris teſtamenti ſeu fœderis mediatorem eſſe, niſi ad pangendum & ſanciendum novum & melius fœdus conſtitutum fuiſſe, cum videlicet ad vetus & deterius quoddam pangendum & ſanciendum alius quidam olim fuiſſet conſtitutus? Quam hic, quæſo, Dei iram erga humanum genus vel ſuſpicari quidem licet? Nonne potius ſummam benevolentiam pacatiſſimumque animum cernere poteſt unuſquiſque? Neque enim fœdera, præclaris & liberaliſſimis adjunctis promiſſis, cum iis pangere ac ſancire quiſquam curat, quibus adhuc eſt iratus. Sed cum iis, quibus ex animo bene vult: quamvis decreverit, eos non aliter benevolentiæ ſuæ fructum reipſa ſenſuros eſſe, quam ſi fœderis conditiones acceperint, ſeſeque gratos ipſi & morigeros præſtiterint. Nam, ſi Volanus forte dubitat, an Moſes à Paulo mediator fuerit appellatus, & locum illum ad Gal. una cum aliis non paucis ad Chriſtum potius, quam ad Moſem referendum cenſet; videat, quæ hac de re in eum ipſum locum docte ſane ac cordate ſcripſit Theodorus Beza: & fortaſſe dubitare deſinet.

VOLANUS. Partic. 10. pag. 101.

Paulus autem in tota ad Romanos Epiſtola hoc potiſſimum agit, ut quia nulla caro in conſpectu Dei juſtificatur ex operibus legis, & ideo revelatur ira Dei è cœlo adverſus omnem impietatem & injuſtitiam hominum, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei: propterea gratis juſtificari doceat omnes, per redemptionem factam in Jeſu Chriſto, quem propoſuit Deus, ut eſſet placamentum per fidem, in ſanguine ipſius, ad declarandam juſtitiam ſuam, per remiſſionem præcedentium peccatorum. Cur enim Deus remittit peccata, niſi quia ſanguine Chriſti placatur, ut ne vindicet? Vindicaturus in aliis omnibus, iramque & exſandeſcentiam ſuam erga omnes declaraturus, qui veritati quidem non obtemperant ſed obtemperant injuſtitiæ.

ANONYMUS.

Paulus in Epiſtola ad Romanos oſtendit quidem, & Gentes, & Judæos peccaſſe, & propterea utroſque egere gratia Dei, atque clementia; quam in Chriſto exhibitam fuiſſe docet. Sed non idcirco dicit, Deum à Chriſto placatum fuiſſe, Deo ve pretium redemptionis noſtræ perſolutum. Nam, quod ait Rom. 3. 25, Chriſtum propoſitum à Deo fuiſſe placamentum per fidem; id aliud nihil eſt, quam, ſi quis velit Deum erga ſe placatum reipſa experiri, oportere, ut Chriſto confidat, Hæc enim eſt fœderis, quod nobiſcum per Chriſtum Deus pepigit, conditio; quæ una omnes conditiones complectitur. Quod vero addit, In ſanguine ipſius; id non ita accipiendum eſt, quaſi fides in ipſo Chriſti ſanguine ſit collocanda, ſed in ſanguine ipſius, idem eſt, atque Interveniente ipſius ſanguine: quemadmodum Eraſmus, & Tigurini locum ſunt interpretati. Hujus enim, & ſimilium locorum ſententia eſt, Chriſti ſanguinem, id eſt (ut loquuntur) violentam mortem, in ſalutis noſtræ ratione interveniſſe. Id quod identidem in Sacris Litteris repetitur; ut, quantopere nos Deus dilexerit, quantumque illi debeamus, agnoſcere velimus. Nam alioqui etiam Dei erga nos dilectio in Chriſto morti tradendo multis in locis aperte commemoratur & prædicatur. Intervenit autem in ſalutis noſtræ ratione, & ſic in juſtificatione, & remiſſione peccatorum noſtrorum à Deo conſequenda, Jeſu Chriſti mors, non quia ejus ſanguine placari debuerit, vel placata fuerit Dei ira erga nos; quorum utrumque, ut abſurdiſſimum & dictu plane horribile, ſic impium, in Deumque ſumme injurium cenſeri debet. Sed quia apertiſſima confirmatio fuit ſalutaris doctrinæ Jeſu Chriſti, quæ hoc potiſſimum continebatur, quod pœnitentiam agentibus & in poſterum ad ipſius præſcriptum viventibus Deus omnium peccatorum remiſſionem benigne largiebatur: idque ita, ut pro æterna morte peccati pœna æternam vitam illis daturus eſſet. Merito igitur poſt fidei mentionem ſanguinis Chriſti mentio ſubjicitur; cum hic ſanguis, etiamſi in illo (proprie loquendo) fides, ut dictum fuit, collocanda non eſt; tamen efficiat, ut ea vera eſſe credamus, quæ Chriſtus dixit, ob idque illi confidamus. Adde, quod non ſine ſanguine ſuo, id eſt cruce ac morte, qua nobis ad iter, quod docuerat, capeſſendum dux & præmonſtrator eſſet, noſque ad mortem, quantumvis atrocem, perferendam potius, quam ut ab ejus præſcriptione aberraremus, animaret, atque alacres redderet, potuit ille ad beatam immortalitatem, ad ſupremamque illam, qua donatus à Deo fuit, poteſtatem pervenire. Ex quibus duabus rebus cum ſpecimen, & argumentum futuræ noſtræ beatitatis apparuit tum illius nobis dandæ modus & ratio confecta eſt quodammodo, atque extitit. Si quidem Chriſtus is futurus erat omnino, qui nos ultimo illo die à mortuis excitaret, & corpus noſtrum vile glorioſo ſuo corpori conforme redderet Philip. 3. 21: quemadmodum etiam ſe facturum ipſe promiſerat, Joh. 6. 40. Atqui reſurrectione noſtra æternaque vita peccatorum noſtrorum, ut paullo ante innuimus, vera remiſſio continetur. Atque hinc apparet, quid ſibi voluerit Paulus, cum dixit 1 Cor. 15. 17, niſi Chriſtus reſurrexerit, vanam eſſe fidem noſtram, & nos adhuc eſſe in peccatis noſtris. Quod profecto non dixiſſet, ſi ex ipſa Chriſti morte, qua nimirum Dei ira placata fuiſſet, vis expiandi peccata noſtra manaſſet, inque ipſo Chriſti ſanguine fides noſtra collocanda eſſet. Huc accedit, quod verbum, quod Volanus, una cum aliis nonnullis, Placamentum eſt interpretatus, apud Paulum eſt ἱλαστήριον; quo nomine arcæ Veteris Fœderis operculum appellatum fuit: & Latine Propitiatorium ſonat. De quo fit mentio Heb. 9. 5. Ad quod, ut etiam, quibuſdam & antiquioribus & recentioribus interpretibus placuiſſe video, in ſuis verbis reſpexiſſe omnino videtur Apoſtolus. Verum non ita appellatum fuit operculum illud Exod. 25. 22, quia Deum propitium redderet; ſed quia Deus in eo reſponſa dabat, ſeque propitium oſtendebat. Quæ quantopere Chriſto in juſtificationis noſtræ negotio conveniant, quilibet facile animadvertere poteſt. Jam, quod Paulus redemptionis mentionem facit, non hic aliqua veri pretii ſolutio cogitanda eſt: cum Redemptionis vocabulum tritiſſima, præſertim in Sacris Litteris, tranſlatione, nihil aliud, quam Liberationem ſignificet, nullo vero pretio interveniente. Quanquam crediderim, in hoc loco, & ſimilibus Hebraiſmum quendam eſſe. Hebræi enim nomine Copher & redemptionem, & expiationem ſignificant. Itaque ſuſpicor, Paulum Redemptionis nomine expiationem ſignificare voluiſſe. Cui convenienter admodum mentio ſanguinis adjungitur; cum in Lege Moſis, quo hæc omnia ſine dubio per alluſionem referenda ſunt, non expiarentur peccata ſine ſanguinis effuſione Heb. 9. 22. Sed & idcirco quoque Chriſti ſanguinis à Paulo fit mentio, quia, cum agat de peccatorum remiſſione, quæ nobis per novum fœdus obvenit, quod nobiſcum ſanxit Deus, ut patet Hier. 31. & Heb. 8. fœdera autem ſanguine ſanciri ſolerent, & antiquum fœdus ſanguine ſancitum fuerit Exod. 24. 8. Heb. 9. 18, non potuit ulla quodammodo ratione ſanguinem Chriſti non commemorare, quo novum ipſum fœdus ſancitum fuit, & ſpontaneæ, ut ſic loquar, ac liberaliſſimæ Dei noſtri promiſſiones in eo factæ, multo præſtantiore ſane & evidentiore ratione (ut ex ſupra dictis conſtare poteſt) corroboratæ, quam eæ, quæ in vetere factæ fuerant, & ſanguine hircorum, ac vitulorum confirmatæ, qui in eo ſanciendo fuerat fuſus,

VOLANUS Partic. 11. pag. 102.

Hæc vero cum tam clare & perſpicue dicuntur ab Apoſtolo, imo cum tota univerſa ſcriptura ſancta, hoc unum ſubinde proponit & inculcat, quæ (malum) intemperies mentem hominis iſtius agitat, ut nuſquam in ſcripturis ſanguine Chriſti Deum Patrem peccatoribus placatum dici profiteatur?

ANONYMUS.

Immo vero, cum ex Apoſtoli verbis recte intellectis non Chriſti ſanguine Deum placatum fuiſſe, ſed contra, jam antea Deum fuiſſe placatum, in Chriſto apparuiſſe, perſpicuum ſit, nec uſquam in Sacris Litteris quidquam dicatur, quod Dei placationem iſtam per Chriſti ſanguinem factam ſuadere poſſit; quid eſt, cur quantumvis erroris noſtri admoniti, rem tantopere abſurdam alioqui atque horribilem, manibus pedibuſque, ut dicitur, defendere eamque mordicus retinere pergamus?

VOLANUS Partic. 12. pag. 102.

Sed enim Paulum ad Corinth. 2. cap. 5. Non Chriſtum ſanguine ſuo nobis reconciliaſſe Deum, dicere oſtendit, ſed Deum nos ſibi reconciliaſſe per Chriſtum, idque non precium pro peccatis noſtris accipiendo, ſed peccata noſtra nobis non imputando. At vero quodnam obſecro diſcrimen iſte agnoſcit in hiſce dictis, ut non Chriſtum reconciliaſſe Patrem Deum nobis dicat, ideo quia Deus nos ſibi in Chriſto reconciliare dicitur? Si enim Chriſtus tanquam unicus Dei & hominum mediator intercedit, per quem nos ſibi Pater reconciliat, nihil profecto aliud intervenire oſtendit, per quod Deus clementem ac propitium nobis ſe exhibeat, niſi quod Chriſtus ſanguine ſuo illum nobis placaverit. Ita vero ſive Deus nos ſibi reconciliare per Chriſtum, ſive Chriſtus Deum nobis reconciliaſſe dicitur, id tamen totum in eum recidit ſenſum, ut Deum Patrem, ideo nobis habeamus reconciliatum, quia Chriſtus mortis ſuæ, & ſupplicii pro nobis perſoluti interventu, Deum Patrem peccatis infenſum nobis reconciliavit.

ANONYMUS.

Attulerat Volanus locum iſtum, tanquam illum, qui ad Dei placationem Chriſti ſanguine factam, quam ipſe cum ſuis commentus eſt, omnino pertineret, & ad redemptionis æternæ pretium Deo patri à Chriſto perſolutum. Ego vero, ex hoc ipſo loco contrarium colligi, ſatis aperte oſtendi. Nam & quod Deus ipſe, ut hic dicitur, in Chriſto manens nos ſibi reconciliaverit, omnem à Chriſto factam placationem excludit; & quod, ut ſtatim adjungitur, Deus nobis peccata noſtra non imputaverit, id, nullum pretium pro peccatis noſtris Deo ſolutum fuiſſe, planiſſimum facit. Quomodo enim Chriſtus nobis Deum placavit, præſertim vero ſanguine ſuo; ſi, antequam ſanguinem ſuum funderet, ab ipſo prædicationis ſuæ initio, jam ipſius Dei nomine pacem nobis offerebat; immo ipſe Deus per illum id potiſſimum curabat, ut nos, qui ab ipſo averſi eramus, noſtriſque peccatis nos ipſos ejus inimicos conſtitueramus, ad ipſum converteremur, &, inimico animo depoſito, ac porro peccatis relictis, cum ipſo reconciliaremur? Namque hanc eſſe Pauli mentem, eumque non de reconciliatione jam peracta, ſed à Deo procurata loqui, aperte docent poſtmodum ſequentia verba; *tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.* Quomodo rurſus Deo patri pretium pro nobis à peccatis noſtris in perpetuum redimendis à Chriſto fuit perſolutum, ſi Deus ipſe pater in Chriſto manens peccata noſtra nobis non imputavit? Hinc enim apparet, primum, Chriſtum, ut nos à peccatis redimeremur, non quidem quidquam Deo ſolviſſe, ſed Dei ipſius nomine nobis gratuitam à peccatis liberationem obtuliſſe. Deinde, potuiſſe Deum, ſi voluiſſet, jure peccata noſtra nobis imputare. Nulla autem ratione nobis imputari poterant peccata noſtra, ſi pro ipſis erat omnino, qui ſatiſfaceret. Vel potius, ſi pro ipſis erat omnino, qui ſatiſfaceret, nullus locus iis nobis non imputandis eſſe poterat. Ea enim non imputari dicuntur, quæ alioqui illum, qui ea commiſit, reum peractura eſſent. Atqui, ubi ſatiſfactio vel jam intervenit vel certo interventura eſt, citra omnem (ut ſic dixerim) non imputationem, reatum penitus abolitum iri, certum eſt. Hæc, quamvis clara & manifeſta, Volanus tamen adhuc non videt; nec differentiam ullam agnoſcere poteſt inter hos duos loquendi modos, Chriſtus reconciliavit nobis Deum, &, Deus nos ſibi reconciliavit per Chriſtum. Quæ tamen eſt maxima, & ipſis etiam pueris perſpicua. Cum priore modo, Deum nobis ex inimico amicum à Chriſto factum fuiſſe, aperte ſignificetur; poſteriore vero, contra, Deum ipſum nos ex inimicis amicos per Chriſtum ſibi feciſſe, declaretur. Atque adeo inveterata opinione, quæ illius animum præoccupavit, impeditus eſt, ut, ſi Chriſtus eſt mediator, per quem Pater nos ſibi reconciliet, velit omnino, ex hoc ipſo oſtendi, Chriſtum ſanguine ſuo Deum nobis placaſſe. Cum tamen hoc non modo ex illo non conſequatur, ſed cum illo cohærere nullo pacto poſſit; &, ſi illud verum eſt, hoc falſum eſſe, omnino neceſſe ſit. Verum ea audienda ſunt, quæ meis argumentationibus objicit, atque reſpondet.

VOLANUS Partic. 13. pag. 103.

Quod autem iſte Patrem reconciliatum nobis in Chriſto dicit, non precium pro peccatis noſtris accipiendo, ſed peccata noſtra nobis non imputando, hæc quidem mutua contradictione adeo ſe non interimunt, ut alterum potius ex altero tanquam effectum ex ſua cauſſa profluere oſtendant. Ideo enim Deus peccata non imputat, quia mortis Chriſti ſacrificio placatus, pro juſtis eos reputat, quos peccatis obnoxios merito punire ac morti æternæ addicere potuit.

ANONYMUS.

In hac reſponſione Volanus confundit Dei placationem cum pretii ſolutione ſeu ſatiſfactione illi exhibita pro peccatis noſtris. Nam, cum velit oſtendere, hæc duo non pugnare, Nobis non imputari à Deo peccata, &, Pretium pro peccatis noſtris acceptum à Deo fuiſſe, immo alterum ex altero conſequi; ait, Deum ideo nobis non imputare peccata, quia mortis Chriſti ſacrificio fuerit placatus. An hoc dignum ſit eo homine, qui alterum inſcitiæ in formandis argumentis tam acriter reprehendit, ut ipſe, quemadmodum infra videbimus, in me invectus, facit, ipſimet judicandum relinquo. Sed de ejus reprehenſione latius ſuo loco. Nunc ad rem. Dico igitur, me non negare, quin Dei placatio, quæ Chriſti morte peracta eſſet, una cum non imputatione peccatorum noſtrorum conſiſtere poſſet. Placatur enim quis ſæpenumero, quamvis offenſæ reatus adhuc maneat: quo fit, ut non imputationi ſit locus. Et Volanus ipſe, in ſupra dicta Dei placatione hoc eveniſſe, vult. Ait enim, potuiſſe Deum merito nos punire, atque æternæ morti addicere, quia peccatis obnoxii ſumus. At vero, cum pretii ſolutio ſeu ſatiſfactio intervenit, diſſolvitur omnis reatus. Et propterea, ſi Deus pro peccatis noſtris pretium ſeu ſatiſfactionem accepit, nec nos jam peccatis obnoxii ſumus, nec ipſe eo nomine nos merito punire, & morti æternæ addicere potuit. Ac propterea nullus non imputationi relictus eſt locus.

VOLANUS Partic. 14. pag. 104.

Nec obſtat gratuita Dei miſericordia, qua ille impulſus Chriſtum in ſalutem nobis donavit, quin quod ad nos attinet, tota ſalutis cauſa in Chriſto ipſo ſit collocanda, ut placatum ac propitium Deum Patrem, ideo peccatores ſibi ſtatuant, quia ille peccatis debitam pœnam pro omnibus juſtinuit, juſticiæque Dei ſatiſfecit.

ANONYMUS.

Animadvertant, obſecro, pii lectores, quid affirmare audeat Volanus, & quemadmodum loquatur. Nam quis unquam, præter ipſum, dixit, quod ad nos attinet, totam ſalutis cauſam in Chriſto ipſo eſſe collocandam, etiamſi ipſius Dei gratuitæ miſericordiæ ratio habeatur? Dicitur quidem Chriſtus, & revera eſt ſalutis noſtræ cauſa, ſed non tota cauſa. Ut illi ipſi fatentur, quos ipſe magiſtros ſequitur. Nam quid aliud eſt iſtud, quod ipſemet confitetur, Deum gratuita miſericordia

ſua impulſum, donaſſe nobis Chriſtum in ſalutem, quam, Deum eſſe primariam noſtræ ſalutis cauſam, ſeu, quod ad nos attinet, ſalutis cauſam primariam in gratuita Dei miſericordia collocandam eſſe? Si proximæ cauſæ tantum ſalutis noſtræ mentionem Volanus feciſſet, eamque totam in Chriſto collocandam eſſe, dixiſſet, tolerabilius multo locutus eſſet. Licet, quantum ego conjicio, ejus rei cauſam ipſe neſciviſſet. Quanquam, ſi ea vera ſunt, quæ ab aliis accepta nobis tradidit, Chriſtum peccatis debitam pœnam pro omnibus ſuſtinuiſſe, & Dei juſtitiæ ſatiſfeciſſe, non aliter loqui potuit, quam locutus eſt: & merito magiſtros ſuos tacite reprehendit, qui totam, quod ad nos attinet, ſalutis cauſam in ipſo Chriſto non ſtatuant. Quemadmodum enim, ſi quis aliquam pecuniæ ſummam debeat, hancque alius quiſpiam pro ipſo univerſam creditori ſolvat, is non ipſi creditori ullo modo, ſed ei, qui pro ſe ſolvit, liberationem ſuam prorſus acceptam referre debet; ſic ſane, ſi Chriſtus Deo id univerſum ſolvit, quod nos illi propter peccata noſtra debebamus, ejuſque juſtitiæ pro nobis ſatiſfecit, liberationem noſtram ab omnibus peccatorum pœnis, & ſic ſalutem noſtram, nullo modo ipſi Deo, ſed Chriſto prorſus acceptam referre debemus. Nam, quod Deus ipſe liberationem iſtam procuraverit, & Chriſtum, ut ait Volanus, in ſalutem nobis dederit; hoc, quod huc quidem pertinet, nihil eſt. Cum hac ipſa ratione, ut ſuæ juſtitiæ ſatisfieret, quæſiverit, deque jure ſuo ne tantulum quidem ceſſerit. Id quod animadvertentes quidam ex iis, qui præcipuam ſalutis noſtræ cauſam omnino Deo aſcribunt, & nihilominus tamen, ſatiſfactionem iſtam ex Chriſti ſanguine manaſſe, volunt, atque contendunt; mirabile quiddam excogitarunt; & dixerunt, nullo modo potuiſſe Deum peccata noſtra non punire in nobis ipſis, niſi ipſius juſtitiæ alia quapiam ratione plene ſatisfactum fuiſſet. Quod haud ſcio an quidquam deteſtabilius dici potuerit, quodve ipſius Dei majeſtatem, & gloriam magis lædat. Mitto, quod univerſa ſcriptura paſſim contrarium teſtatur, cum ſententiis, tum exemplis apertiſſimis de Dei adverſus hominum peccata lenitate, atque clementia, ſine ulla vera ſatiſfactione. Cui nec ullus locus eſſe poteſt, ubi peccata condonantur, aut remittuntur. Quid autem frequentius in ſcriptura legitur, quam Deum condonare, aut remittere peccata? Nonne hoc idem in ſalutis noſtræ per Chriſtum partæ ratione explicanda ſæpius inculcatur, & apertiſſime commemoratur? Vera ſatiſfactio plenam debiti ſolutionem requirit; vel potius nihil aliud eſt, quam plena debiti ſolutio. Condonatio vero, aut remiſſio plenam debiti ſolutionem omnino excludit: ſive ea fiat à debitore ipſo, ſive ab alio quopiam pro eo. Miſericordiam enim gratuitam, & liberalitatem condonatio debiti, aut remiſſio prorſus declarat. Quæ nulla eſt, ubi creditor id, quod ſibi debebatur, univerſum recipit; à quocunque tandem, & quacunque ratione id recipiat. Proinde videat Volanus, quidquid ipſe contra diſputet, quomodo gratuitam Dei miſericordiam, quam in ſalute nobis per Chriſtum danda interveniſſe non negat, funditus non evertat, cum, per ipſum Chriſtum divinæ juſtitiæ pro omnibus peccatis noſtris ſatiſfactum fuiſſe, aſſeverat.

VOLANUS Partic. 15. pag. 105.

Ita vero in ſalutem à Deo Chriſtus nobis datus eſt, ut tamen ille mortis ſuæ ſacrificio & peccata noſtra expiaverit, & Deum propitium nobis reddiderit, & nunc in conſpectu Dei appareat, ut interpellet pro nobis.

ANONYMUS.

Putat Volanus, idem reipſa eſſe, Expiare peccata noſtra, quod, Pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatiſfieri. Et idcirco ex ſupra ab ſe dictis hoc modo infert. Sed longe fallitur, ſententia mea. Quandoquidem Deus ipſe peccata noſtra expiare dicitur, & revera expiat; nec tamen Deus ipſe ſuæ juſtitiæ ſatiſfacit, aut ſatiſfacere poteſt. Chriſtum igitur morte ſua expiaſſe peccata noſtra, facile concedo; quamvis omnino negem, ipſum eadem morte divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatiſfeciſſe. Nego etiam, ipſum ullo pacto morte ſua nobis Deum propitium reddidiſſe. Quod tamen Volanus ex peccatorum noſtrorum expiatione per eandem mortem peracta conſequi, ſine dubio exiſtimat. Quod vero Chriſtus nunc pro nobis in conſpectu Dei appareat, & pro nobis interpellet, nec, quid ſit, Volanus intelligit, & in præſente diſputatione plurimum illi obeſt. Id enim adhuc revera expiari à Chriſto peccata noſtra oſtendit, & propterea Chriſti expiationem nihil cum ſatiſfactione commune habere docet. Qua de re non eſt neceſſe hoc loco enucleatius quidquam explicare.

VOLANUS Partic. 16. pag. 104.

Neſcio ergo quid ſibi velit iſte ſomniator, non-acceptum ideo Chriſtum à Deo in pretium redemptionis aſſerens, quia toties dicitur à Deo datus, utrumque enim commemorat ſcriptura, & datum nobis Chriſtum ex gratuita Dei miſericordia, & ita viciſſim Deo Patri oblatum, ut non per aliud, quam mortis ejus ſacrificium, peccata generis humani ſint remiſſa.

ANONYMUS.

Hic Volanus iterum ea confundit, quæ omnino ſunt diſtinguenda; & in argumentando terminos (quod dicitur) mutat: ac præterea mihi quædam affingit. Quæritur, utrum Deus Chriſtum acceperit in pretium redemptionis. Ait Volanus. Ego nego, & dico, Chriſtum in nobis redimendus datum fuiſſe à Deo, non autem acceptum. Hæc verba mea Volanus ſic accipit, ac ſi ex eo, quod Chriſtus datus ſit à Deo, concludam, non fuiſſe acceptum à Deo in pretium redemptionis. Cum tamen non ſimpliciter dicam, datum fuiſſe Chriſtum à Deo; ſed in redimendis nobis datum; nec ex eo, quod Chriſtus in nobis redimendis à Deo ſit datus, colligam aperte, eum à Deo in redemptionis pretium non fuiſſe acceptum (quanquam id jure facere potuiſſem, ut mox docebo) ſed tantum, ſimpliciter unum affirmem, alterum negem, rem, uti eam geſtam fuiſſe credo, breviter exponens. Hæc illa ſunt, quæ mihi affingit Volanus. Qui deinde, cum argumentationem iſtam, quam mihi tribuit, inanem vult oſtendere, à Chriſto, ut redemptionis noſtræ pretio, conſiderato, ad eundem oblatum tranſgreditur: & ſic, ut dixi, in argumentando terminos mutat. Nec interim conſiderat, quantum ſit diſcrimen inter utrumque; præſertim in hac diſputatione. Adeo ut ne ab exemplo quidem (quanquam, id eum facere voluiſſe, ex ejus verbis neutiquam intelligi poteſt) argumentari Volanus potuerit. Etenim, ſi Chriſtus, tanquam redemptionis pretium, fuit à Deo datus, hinc ſane videtur colligi poſſe, eundem in redemptionis pretium non fuiſſe à Deo acceptum. Neque enim vel fieri poteſt, vel certe ullo modo eſt veriſimile, ut, qui pretium dat, quo captivi redimantur, ille ipſe ſit, qui pro eorundem captivorum redemptione idem pretium accipiat. Si quidem hæc locutio, Datus eſt Chriſtus à Deo, tanquam redemptionis pretium, ſive, ut ego locutus fueram, In nobis redimendis datus eſt Chriſtus à Deo, eam vim habet, ut oſtendat, non modo à Deo profectum fuiſſe pretium iſtud, id eſt, à Deo factum eſſe, ut pro nobis redimendis Chriſtus inſumeretur, ſed, ipſum Deum fuiſſe, qui Chriſtum, tanquam pretium, ſolverit. Unde apparet, non poſſe Volanum locutionem iſtam admittere, quin ſimul fateatur, Chriſtum à Deo in redemptionis pretium minime acceptum fuiſſe. Niſi eundem eſſe velit, qui ſolvit, &, cui ſolvitur; &, quempiam ſibi ipſi aliquid poſſe ſolvere, affirmet. At vero nihil impedit, quominus Chriſtus à Deo datus fuerit; & tamen idem Chriſtus ipſi Deo fuerit oblatus. Non enim eſt Chriſtus, tanquam oblatio, à Deo datus, perinde atque, tamquam redemptionis pretium, ab eodem datus fuit. Hoc ſentiens fortaſſe ipſe Volanus, hic quoque in argumentatione ſua, etiamſi ab exemplo argumentari voluerit, terminos mutare eſt coactus. Nam pro priore exempli parte, quæ eſſe debuerat, Chriſtus in oblatione pro nobis facienda datus eſt à Deo, ſubſtituit,

Chriſtus

Chriſtus datus eſt nobis à Deo, ſive, ex gratuita Dei miſericordia. In quo dupliciter eſt erratum. Primum, quia In oblatione pro nobis facienda, ſubtractum eſt, Deinde quia Nobis, verbo Eſt datus, fuit additum. Neque enim Chriſtus in nobis redimendis nobis à Deo eſt datus; ſed neque cuiquam alii. In nobis enim redimendis datus à Deo Chriſtus merito dici poteſt, non, quod à quoquam fuerit acceptus: ſed, quod Deus, ut nos ex peccati captivitate redimeremur, Chriſtum impendit quodammodo, atque inſumpſit. Et pretium redemptionis noſtræ Chriſtus dicitur, non, quod cuiquam pro nobis revera ſolutus fuerit; ſed, ut in priore diximus reſponſione, quia, ſicut pretium in redimendis captivis inſtrumentalis quædam cauſa eſt eorum liberationis; ſic Chriſtus liberationis noſtræ inſtrumentalis quædam fuit cauſa, dum occiſus eſt & mortuus, & ſic, quemadmodum dictum eſt, impenſus quodammodo, atque inſumptus. Huc accedit, quod ad exemplum oblationis attinet, quod non perinde acceptus eſt Chriſtus à Deo, cum illi oblatus eſt, ut acceptus ab eodem fuiſſet, ſi in redemptionis pretium illi fuiſſet ſolutus. Id quod cum ex ipſa natura univerſali oblationis, & ſolutionis ſatis intelligitur; tum vero ex propria oblationis Chriſti natura abunde conſtat; ſi, quomodo ſe Chriſtus Deo obtulerit, recte percipiatur. De quo in proxima particula nonnulla dicenda erunt.

VOLANUS Partic. 17. pag. 105.

Sed inſtat adhuc iſte, & ex Capite Nono Epiſtolæ ad Hebræos dicit. Sanguinem Chriſti, qui per ſpiritum æternum obtulit ſeipſum immaculatum Deo, non quidem propitium nobis & clementem Patrem ex juſtiſſimo ſcelerum vindice Deum effeciſſe, ſed vim habere purgandi conſcientiam noſtram, ab operibus mortuis, ut ſerviamus Deo viventi. Verum nemo niſi imprudens ita argumentatur, ut quia unum aliquem certæ cauſæ recenſet effectum, ideo alios effectus non poſſe dari contendat, cum unius & ejuſdem cauſæ plures eſſe queant. Non enim vinum ideo non inebriat, quia ſtomachum calefacit, hilaritatem inducit. Ita vero ſanguis Chriſti in pretium redemptionis noſtræ effuſus, & Deum offenſum nobis placat, & conſcientiam noſtram purgat ab operibus mortuis. Imo opera noſtra nihil aliud generarent, niſi mortem, ſi ſanguis Filii Dei in odorem bonæ fragrantiæ Deo oblatus ipſum nobis propitium non redderet, & non amplius juſtum judicem operum, ſed clementem obedientiæ Filii ſui acceptatorem efficeret. Sic vero quæ optime conveniunt ac mutuo ſeſe conſequuntur, iſte neſcio quis novus ratiocinator, tanquam diverſa ſeparat, ac ſimul conſiſtere non poſſe temere cenſet.

ANONYMUS.

Non attuli ego locum iſtum epiſt. ad Hebræos, ut probarem, Chriſtum ſanguine ſuo minime ex juſtiſſimo ſcelerum vindice propitium nobis & clementem patrem, Deum effeciſſe. Sed, quia Volanus iſtius loci, tamquam ejus, qui ad effectum iſtum ſanguinis Chriſti ſpectaret, mentionem fecerat, cum illum multo aliter de Chriſti expiatione loqui, quam divini ſcriptores ſoleant, me oſtendiſſe, dicerem; addidi, id vel ex iſto loco intelligi poſſe, quem ipſe attulerat. Nam, cum in eo de expiatione peccatorum noſtrorum, per Chriſti ſanguinem facta, aperte atque ex profeſſo verba fiant; nulla ſupra dicti illius effectus fit mentio, ſed tantummodo dicitur, Chriſti ſanguinem vim habere purgandi conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ut ſerviamus Deo viventi. Non eſt igitur, quod Volanus quærat, quomodo hic Chriſti ſanguinis effectus cum effectu illo non pugnet; vel, eo invento, mihi inſultet. Nam, quod, ſi effectus ille non foret, hic non eſſet extiturus, ut ipſe affirmat, quomodo, verum eſſe, probabit umquam, etiamſi ſua illi eorum iſtius loci verborum. *Purgabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*, interpretatio concedatur, quæ eſt, Efficiet, ut opera noſtra non amplius mortem generent? Cur filii Dei ſanguis non potuit efficere, ut opera noſtra mortem amplius non generent, quamvis non reddiderit nobis Deum propitium? Fac enim (ut ego quidem nihil prorſus dubito) Deum ante fuſum Chriſti ſanguinem jam nobis propitium fuiſſe: quid impedit, quominus Chriſti ſanguis via fuerit, per quam ipſe Chriſtus ad immortalitatem, & ſupremam illam poteſtatem pervenerit, unde vita noſtra æterna proficiſcitur? Verum, qui viram æternam habet, certe ejus opera non amplius mortem generant. Quamquam opera noſtra non amplius mortem generare, tunc etiam dicuntur, cum non amplius ſunt mala, ſed bona; cum, inquam, ab immunditia & iniquitate diſcedimus, & vitæ puritati atque innocentiæ adhæremus, Deoque viventi ea ratione ſervimus. Quod ſi in hunc ſenſum accipiatur interpretatio Volani, quem ſenſum in divini illius ſcriptoris verbis ineſſe, oſtendunt poſtrema illa, *ut ſerviamus Deo viventi*, nihil eſt, cur quilibet perſpicue cernere non poſſit, hoc à Chriſti ſanguine præſtari potuiſſe, etiamſi Deum nobis propitium non reddiderit. Cum potius hoc ideo potiſſimum præſtare potuerit, quia propitium illum nobis eſſe declaraverit. Nemo eſt enim, quin, ſi Dei erga ſe benevolentiam perſpexerit, qui ſibi, vitam ex Chriſti præſcriptione inſtituenti, æternam beatitatem offerat, à mundanis concupiſcentiis, & injuſtitia, ut Chriſtus præcepit, protinus recedat, ſeſeque deinceps vitæ ſanctimoniæ, ac juſtitiæ mancipet. Atqui, Chriſti fuſum ſanguinem iſtam Dei benevolentiam nobis oſtendiſſe, ac confirmaſſe, & ſupra particula 10. ſatis demonſtratum eſt, & multo uberius, niſi hoc idem argumentum latiſſime alio loco à nobis tractatum eſſet, hic demonſtrari poſſet. Id autem non reticebo, Volanum non modo hic quoque redemptionem, quæ per Chriſti ſanguinem, tamquam ejus redemptionis pretium, peracta eſt, cum ejuſdem Chriſti oblatione confundere, verum etiam, quomodo ſe Chriſtus Deo obtulerit, non intelligere. Quod recte explicatum cum plurimum & ad locum iſtum, alioſque præterea ejuſdem epiſt. ad Heb. & ad totam hanc rem, & tractationem illuſtrandam conducere poſſit, de eo aliquid diſſerendum videtur.

Dico igitur, non leviter falli Volanum, qui cum pleriſque putet, tunc Chriſtum ſe obtuliſſe Deo, cum ſanguinem ſuum fudit; exiſtimans, idem eſſe, Chriſtum ſe Deo dbtuliſſe per proprium ſanguinem, &, Chriſtum ſuum ipſius ſanguinem Deo obtuliſſe. Quod poſterius numquam revera ſcriptor illius epiſtolæ dixit; ut paullo poſt apparebit. Itaque ex mente ejuſdem ſcriptoris affirmo, Chriſtum non quidem in cruce, ſeu crucis ara, ut vulgo loquuntur, ſe Deo obtuliſſe, ſed in ipſo cælo. Loquor autem una cum ipſo de vera & perfecta, non autem de inchoata quadam oblatione. Patet hoc vel ex eo, quod in comparatione illa Chriſti [tamquam & ſummi ſacerdotis, & victimæ, cum legali ſummo ſacerdote, cumque legalibus victimis in ſacrificio illo, quod ſemel quotannis ſtatuto tempore fiebat, quam tam longe & late perſequitur, atque explicat ſcriptor ille,] Sanctis ſanctorum, in quæ ingrediebatur legalis pontifex, reſpondet omnino ipſum cælum, in quod ingreſſus eſt Chriſtus. Ut inter cæteros locos oſtendit manifeſte ℣. 24. ejuſdem 9. cap. ubi ſcriptum eſt. *Non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum; ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Namque ſciendum eſt, auctorem illius epiſt. licet ab initio inter Sancta, & Sancta ſanctorum diſtinxerit, tamen deinde perpetuo ipſa Sancta ſanctorum ſimpliciter Sancta appellare. Atqui non fiebat vera oblatio pro peccatis (de hac enim loquimur) in ſacrificio illo anniverſario, niſi tum demum, cum ſummus ſacerdos in Sancta ſanctorum ingrediebatur. Eo enim ſanguinem mactatæ pecudis inferebat, Deo pro peccatis offerendum, ut per id maxime conſtat, quod ſcriptum eſt ſupra ℣. 7. Dicitur enim ibi, pontificem ipſum ſemel in anno in ſecundum illud tabernaculum ingredi non ſine ſanguine, quem offert pro ſeipſo, & pro populi ignorantiis. Hinc vero poſſet quiſpiam exiſtimare, aperte colligi, Chriſtum quoque ſanguinem ſuum pro peccatis obtuliſſe. Quod ta-

men verum eſſe non poteſt; cum Chriſtus ſanguinem ſuum in cælum non intulerit. Igitur in hac ſimilitudine ſeu comparatione Chriſti, & pontificiis legalis, ſanguini alieno à pontifice illo in ſacrarium legalis illato atque ibi oblato, non Chriſti ſanguis reſpondet, ſed ipſe Chriſtus, à ſeipſo videlicet in cælum illatus, ibique oblatus. Ut planum faciunt præcipue verba ejuſdem cap. ỳſ. 25. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno.* Ex quo uno loco tria, quæ hactenus à nobis dicta fuerunt, cuilibet conſtare poſſunt. Primum illud eſt, ad quod probandum ipſum attulimus. Patet enim, verbum, *ſemetipſum*, illis opponi, *in ſanguine alieno.* In quibus particula In, ut ſæpe aliàs, ex Hæbrei ſermonis proprietate, idem valet, quod Cum. idem enim omnino hic eſt, In ſanguine, quod (quemadmodum antea ſcriptum eſt) Non ſine ſanguine. Ergo neceſſe eſt, ut in Chriſto, Offerre ſemetipſum, reſpondeat, in legali pontifice, oblationi alieni ſanguinis. Alterum, quod ex ſupra dictis verbis apparet, eſt quod Sanctis ſeu ſacrario illi legali cælum ipſum reſpondet. Repetenda enim ſunt ἀπὸ κοινοῦ verba præcedentia, & perinde cenſendum, ac ſi ſcriptum hic foret, Neque in ipſum cælum introivit, ut ſæpe, &c. Quibus cum ſubjungatur, Quemadmodum pontifex intrat in Sancta, &c Quis eſt qui non videat, in hac comparatione cœlum ipſum Sanctis opponi? Quanquam hoc iiſdem proxime antecedentibus verbis, præter alia non pauca, quæ in epiſtola illa leguntur, adeo, ut dictum fuit, clarum eſt & manifeſtum, ut cæcus plane is ſit futurus, qui id per ſe ipſe ſatis ſuperque non cernat. Tertium, quod prædicta verba probant, illud eſt, quod obiatio illa antiqua, cum qua ſcriptor ille oblationem Chriſti confert, non fieret niſi ingrediente pontifice in Sancta; & propterea ſimiliter Chriſti oblatio facta non fuerit, niſi, poſtquam Chriſtus in cœlum ipſum ingreſſus eſt. Id quod etiam ſatis aperte in illis explicatur: cum, ut monuimus, repetendum ſit ex præcedentibus poſt Verbum Neque, In ipſum cœlum introivit. Non obtulit igitur (ut ad id revertar, quod me ad verba iſta ejus epiſt. proferenda impulit) Chriſtus ſanguinem ſuum Deo, præſertim ex divini ipſius ſcriptoris mente; quod tamen Volanus putavit. Sed ſemetipſum obtulit, idque in ipſo cœlo. Dicit quidem ſcriptor ille, Chriſtum non per ſanguinem hircorum, & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſum fuiſſe in Sancta, id eſt, quemadmodum legalis pontifex non ante in Sancta ingrediebatur, quam ſanguinem hircorum, & vitulorum funderet (nam pro ſe vitulum, pro populo hircum antea mactabat) ſic Chriſtum non fuiſſe ingreſſum in ipſum cœlum, niſi, poſtquam ſanguinem fudit, non quidem hircorum, aut vitulorum, ſed ſuum ipſius; & præterea ſanguinem Chriſti fuſum aliis ſanguinis aſperſionibus, quæ in Lege fuerant, aſſimilat. Sed tamen, cum ad oblationem ventum eſt, ibi neceſſe habet ſanguini hircorum, & vitulorum non Chriſti ipſius ſanguinem, ſed ipſum Chriſtum aſſimilare. Nec vero ſimilitudines aut ſolent, aut omnino debent ſibi ipſis ubique, & per omnia reſpondere. Itaque, ut ad rem redeam, ſatis ex prædictis conſtat, Chriſtum ſeipſum non in cruce, ſed in ipſo cœlo Deo obtuliſſe. Quod etiam abunde hac re confirmatur, quod Chriſtus ſacerdos plane inauguratus non fuit, niſi poſt mortem ſuam; immo poſt ſuum in cœlum aſcenſum. Hoc enim ex eadem epiſt ad Heb. apertiſſimum eſt; quæ plura loca habet id diſertis propemodum verbis teſtantia. Quamvis plerique, propter præjudicatam de Chriſti ſacrificio in cruce peracto opinionem, id non potuerint animadvertere; atque ad Chriſti ſacerdotii æternitatem ſeu perpetuitatem tantum loca illa retulerint. Non reputantes interim, quam abſurdum foret, Chriſti ſacrificium jam peractum eſſe, & tamen illum, ſacerdotem in æternum inaugurari. Loca autem præcipua, ex quibus conſtat, Chriſtum poſt crucis mortem demum, & aſcenſum in cœlum, factum revera ſacerdotem fuiſſe, præter illa duo, cap. 5. 10. & VI. 20, qui mihi id videntur ſatis diſerte dicere, ſunt tria iſta; cap. 2 ỳſ. 17, & 18. v. 5. & VII. 26 In primo enim dicitur, debuiſſe Chriſtum fratribus per omnia ſimilari, ut fieret miſericos & fidelis pontifex, in iis, quæ erga Deum, ad expianda peccata populi: nam ex eo, quod illi contigit tentatum eſſe, poſſe iis, qui tentantur, auxiliari. Unde omnino intelligitur, non fuiſſe Chriſtum factum revera pontificem, niſi, poſtquam per omnia tentatus fuit, quibus nos tentamur, & ſic ipſam cruentam mortem expertus eſt: quemadmodum etiam ex antecedentibus eſt manifeſtum. In ſecundo autem loco ſcriptum eſt, Chriſtum non ſeipſum glorificaſſe, ut fieret pontifex, ſed illum, qui ad ipſum dixit, *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Nam hæc Dei ad Chriſtum verba tum demum extitiſſe, cum Chriſtus reſurrexit à mortuis, perſpicue docent verba Pauli Act. 13. 33: quidquid nonnulli ea eludere conentur. Præſertim vero Theodorus Beza, qui in annotationibus ſuis in eum locum conatur oſtendere, Paulum ſuſcitandi verbo primum exortum, primamve exhibitionem potius, quam reſurrectionem à mortuis, intellexiſſe. Rationes enim, quibus movetur, ut aliquando à nobis eſt factum, refutare adeo proclive eſt, ut vix quemquam paullo cordatiorem Sacrarum Litterarum ſtudioſum fore exiſtimem, qui, propter illas, vel minimum quidem à vera non minus, quam receptiore, ejus loci explanatione recedendum putet. Denique in tertio loco habetur, decuiſſe, ut nobis talis eſſet pontifex, qui inter alias conditiones, quas habere debuit, ſublimior cœlis factus eſſet. Nam certe hinc colligitur, antequam Chriſtus cœlis factus eſſet ſublimior, non fuiſſe talem, quem nos habere pontificem deceret; nec porro pontificem fuiſſe. Adde, quod aliæ omnes conditiones, quæ ibi enumerantur; videlicet, eſſe ſanctum, innocentem, impollutum, & ſegregatum à peccatoribus, nihil aliud ſignificant, quam Chriſti immortalitatem, atque (ut ita loquar) impatibilitatem. Quemadmodum & totus locus per ſe ſatis perſpicue docet, & alibi à nobis pluribus verbis demonſtratum fuit. Ex quo intelligi par eſt, Chriſtum non fuiſſe revera noſtrum pontificem, antequam immortalitatem, & gloriam ſui corporis adipiſceretur. Niſi igitur velimus, Chriſtum prius ſeſe Deo pro nobis obtuliſſe: quam revera noſter pontifex fuerit, & ſic veram oblationem eſſe poſſe, ubi verum ſacerdotium non ſit; neceſſe eſt omnino, ut fateamur, Chriſtum non in cruce, ſed in ipſo cœlo ſe Deo obtuliſſe. Unde planiſſimum fit, quam longe diverſa ratione Chriſti ſacrificium noſtra peccata expiet, ab ea, quam cum pleriſque aliis Volanus ſequitur. Ideo enim noſtra peccata Chriſti ſacrificium expiat, quia Chriſtus, ſeipſum Deo offerendo, (quod ut dixi in ipſo cœlo eſt factum) ſupremam ſecundum Deum in cœlo, & in terra poteſtatem eſt adeptus, qua nos à pœnis omnium peccatorum noſtrorum perpetuo liberat. Propterea, quamvis Sacræ Litteræ non raro doceant, Chriſtum jam expiaſſe peccata noſtra, eo quod jam ea omnia & fecit, & adeptus eſt, unde ad nos liberatio iſta proficiſcitur; tamen ſæpe etiam oſtendunt, & præſertim in hac epiſtola ad Hebr. eum adhuc illa expiare. Nempe quia perpetuo ejus liberationis ipſe potentia ſua participes nos facit; &, dum cæteri, qui increduli, contumaces, & impii ſunt, identidem ſuorum peccatorum pœnas luunt, nos, qui Deo per ipſum confidimus, illique obedimus, ac veram pietatem colimus, ab omnium ſcelerum, quæ olim commiſimus, & errorum, quos adhuc committimus, veris pœnis per ipſius potentiam immunes ſumus; & tandem per eandem potentiam, cum ſcelerati homines prorſus perdentur, atque æternæ morti adjudicabuntur, nos & ſervabimur, & vitæ æternæ compotes efficiemur; & ſic veram & plenam peccatorum noſtrorum expiationem conſequemur. Voluerunt autem divini ſcriptores nobis hanc ſupremam atque perpetuam Chriſti poteſtatem ſub ſummi æternique ſacerdotii nomine explicare, ut ſemper bb mentis noſtræ oculos obver-

obverſaretur, Chriſtum eam poteſtatem non ex ſeipſo, ſed Dei patris beneficio habere. Adeo ut, quod hanc rem attinet, perinde ſit, ac ſi expiationem iſtam, quam diximus, peccatorum noſtrorum à Deo continenter impetraret Heb. 9. 24. VII. 25. Itaque dixerunt, illum jam in cœlum ingreſſum apparere nunc vultui Dei pro nobis, & pro nobis interpellare Rom. 8. ℣. 34. Hoc enim ipſe pontifex faciebat, poſtquam ingreſſus erat in Sancta; ubi, ut dictum eſt, vera peccatorum expiatio peragebatur. Quamvis igitur revera non roget nunc Chriſtus Deum pro nobis, cum is ipſe ſit, qui nobis omnia bona poteſtate jam ſibi tradita largitur, tamen rogare dicitur propter prædictam cauſam. Atque ipſius continente interpellatione pro nobis apud Deum non quidem efficacitas mortis ipſius in delendis peccatis noſtris, quæ perpetuo duret, ſignificatur, ſed præſens ejus auctoritas, & cura, quam noſtrum gerit, deſcribitur. Quod idem dico (nam nec reipſa hæc inter ſe differum) de expiatione peccatorum noſtrorum, quam à Chriſto adhuc fieri, teſtantur Sacri Scriptores. Neque enim, ut plerique ſunt arbitrati, id ad vim ſive efficaciam ipſius Chriſti mortis refertur. Sed omnino præſentem Chriſti actionem declarat. Ut aperte demonſtrant verba illa epiſt. ad Hebr. *Ut miſericors fieret & fidelis pontifex in iis, quæ apud Deum, ad expianda peccata populi. Nam, ex quo ille contigit tentatum eſſe, poteſt & iis, qui tentantur, auxiliari.* Atque eadem ſententia repetitur ad finem 4. cap. ejuſdem epiſt. & alibi non obſcure inſinuatur, & tantum non plane exprimitur. Præſertim vero cap. 5. 2.

VOLANUS Partic. 18. pag. 106.

Non minorem autem inſcitiam, & in alio ejuſdem Apoſtoli teſtimonio non bene intellecto prodit. Nam quia hic Chriſtum per ſanguinem ſuum in ſancta, hoc eſt in ipſum cœlum ſemel ingreſſum dicit Hebr. 9. 12, *atque ea ratione æternam redemptionem nactum fuiſſe: non igitur ſanguinem ſuum æternæ redemptionis pretium Deo ipſi ſtatuiſſe iſte concludit. Ac cui obſecro iſtam redemptionem nactus eſt, aut quem tandem morte ſua placavit, ſi Deus Pater iſtam oblationem illius minime requiſivit?*

ANONYMUS.

Iſtum quoque locum non ideo revera attuleram, ut probarem, Chriſtum ſanguinem ſuum æternæ redemptionis pretium ipſi Deo minime ſtatuiſſe; ſed ut oſtenderem, multo aliter locutum fuiſſe Volanum in expiatione peccatorum noſtrorum per Chriſtum explicanda, quam ſcriptum inveniretur apud divinos ſcriptores. Quanquam non video, ſi Chriſtus idcirco nos ſanguine ſuo in æternum redemit, quia per ſuum ſanguinem in ipſum cœlum ingreſſus eſt, quomodo eundem ſuum ſanguinem pretium æternæ redemptionis noſtræ ipſi Deo ſtatuere vel debuerit, vel etiam potuerit. Nam, ſi Chriſti ſanguis hoc præſtat, ut Chriſtus in cœlum ingrediatur, ingreſſus autem iſte nobis æternam redemptionem parit; quid opus eſt ad eandem redemptionem obtinendam eundem ſanguinem pretium ejus redemptionis Deo ſtatuere? An non ex ratione iſta, qua ſcriptor iſte docet, factum fuiſſe, ut Chriſti ſanguine redempti ſimus, planiſſimum eſt, cur idem ſanguis, ſive anima Chriſti, pretium noſtræ redemptionis appelletur? Nempe quia Chriſtus, ut in cœlum ingrederetur, & ibi æternam nobis redemptionem nanciſceretur, ſanguinem ſeu vitam ſuam impendit atque inſumpſit. Quæ ratio nos redimendi nihil prorſus commune habet cum ſolutione Deo facta ejuſdem ſanguinis. Quare; niſi velimus, Chriſtum ſanguine ſuo duobus iiſque plane diſſimilibus modis nos redemiſſe, quorum etiam alterum plane ſupervacaneum eſſe, neceſſe eſt; fateri omnino oportet, Chriſtum nullo pacto ideo nos ſanguine ſuo redemiſſe, quod pretium redemptionis noſtræ ipſi Deo ſtatuerit. Aut certe dicendum eſt, locum iſtum epiſtolæ ad Heb. de alia redemptione loqui, quam de ea, quæ Chriſti ſanguine, tanquam pretio, facta eſt. Quod tamen Volanus non dicit, immo ſatis aperte confitetur locum de hac ipſa redemptione agere; ſed pro reſponſione interrogat, cui nam iſtam redemptionem nactus fuerit Chriſtus. Quaſi vero vel ego negem, nobis illam nactum eum fuiſſe, vel neceſſe ſit, ſi illam nobis eſt nactus, pretium ipſius redemptionis ab eo ipſi Deo fuiſſe perſolutum. Quorum utrumque quam longe à veritate abhorreat, ex iis, quæ modo diximus, liquido conſtare poteſt. Quocirca valde miror, cur ita locutus fuerit Volanus. Nec minus ſane, vel potius multo magis mirum videri debet, cur rurſus interroget, quem tandem morte ſua Chriſtus placaverit, ſi Deus pater iſtam oblationem illius minime requiſivit. Confundens enim, ut ſolet, & placationem, & oblationem cum pretii ſolutione, ita loquitur, quaſi inter omnes conſtet, adeoque ipſemet confitear, Chriſtum morte ſua quempiam placaſſe; & ſi quempiam morte ſua placavit, neceſſe ſit, eum, quem placavit, oblationem illius per mortem requiſiviſſe; ſi autem requiſivit, fieri non poſſit, quin pro æternæ redemptionis pretio ſanguinem illius ab eo acceperit. Quæ tamen omnia à me prorſus negantur; & ex parte manifeſto ſunt falſa. Falſum enim eſt omnino, neminem placari, niſi ea re, quam ipſe requiſiverit. Nam quid vetat, quominus quis placetur re aliqua nequaquam à ſe requiſita, dummodo illa ejuſmodi ſit, quæ ad ipſius iram ſedandam ſit accommodata? Falſum ſimiliter eſt, ſi quiſpiam alterius morte placatus fuerit (erga eos videlicet, quos alioqui jure punire potuiſſet) etiamſi mortem iſtam ipſe requiſierit, inde ſequi, ab ipſo illius ſanguinem pro redemptionis iſtorum pretio acceptum fuiſſe. Immo placatio fere oſtendit, eum, qui placatur, de ſuo jure aliquid omnino remittere. Pretii vero ſolutio, ſi integrum pretium ſit, ut certe hic intelligitur, ſuum jus ab accipiente plane retineri, demonſtrat.

VOLANUS Partic. 19. pag. 106.

Ita vero ſub ambagibus iſtis, neſcio quam novam fraudem impoſtor iſte occultat, ut novum deinde dogma ſuis Ebionitis proponat. De quo quidem divinare nolo, cum & ipſe nondum ſe plene aperiat, & in aliud tempus iſtam tractationem rejiciat: qua nimirum vulgo receptam ſententiam de ratione, qua Chriſti ſacrificium peccata noſtra expiaverit, impugnare velit.

ANONYMUS.

Volano ambages videntur ea, quæ tamen ſunt expeditiſſima. Nihil enim in reſponſione mea hac de re ſcriptum eſt, quod unicuique, modo præjudiciis agere nolit, confitendum non ſit, cum intellectu facillimum, tum rationi maxime conſentaneum eſſe. Quod ſi interim non ſatis apparet, quomodo ea, quæ à me dicta ſunt, cum multis Sacrarum Litterarum teſtimoniis convenire poſſint; non tamen idcirco veritas per ſe ipſa manifeſta & iis paucis locis, quos ex Sacris Litteris antea allatos tractare contigit, convenientiſſima, abjicienda, aut ſpernenda eſt, ſed amplius quærendum; nec exiſtimandum, ut Volanus quidem exiſtimare videtur, quidquid errorum, tot retroactis ſæculis, in Chriſti Eccleſiam inductum fuerat, ſexaginta paulo plus annis, quibus hoc ſerio agi cœptum eſt, retectum, indeque aliqua ratione profligatum fuiſſe; vel ſe, ſuoſque tantos progreſſus in divinarum rerum cognitione feciſſe, ut ultra progredi non poſſint. Volfgangum Fabricium Capitonem virum inſignem atque doctiſſimum, cuique quidquid in Chriſtiana religione Volano, & ſuis cognitum eſt, perſpectum fuit; immo qui una cum non paucis aliis veritatis divinæ inſtaurandæ ducibus in quibuſdam ad Chriſtianam religionem pertinentibus, præſertim vero in iis, quæ ſacramenta vocantur, multo plus vidit, quam illi adhuc viderint; hunc, inquam, tantum virum non puduit in præclara illa epiſtola, quam Martini Cellarii ſeu Borrhai libello de operibus Dei præfixit, pluribus verbis aperte profiteri, ſe pleraque nondum noſſe, aut aſſecutum eſſe: nec veritus eſt affirmare, quidquid jam tum patefactum fuerat, vix ſcintillam eſſe renaſcentis Lucis Euangelicæ: futurum autem brevi, ut divinarum rerum notitia multo amplior haberetur. Atque interim vehementer deriſit eos, qui,

jam

jam ſe ſummam conſecutos eſſe, arbitrabantur; nec quidquam amplius doceri ſuſtinebant. Quamobrem, ne Volanum, ſuoſque pudeat, ſi quædam adhuc ignorant, nec veritati indagandæ viam obſtruere tentent, atque ab hoc ſtudio homines pios publicis conviciis, ac maledictis, & quaſi minis, immo & ferro, & igne, ſi aliter non poſſunt, deterrere ac revocare. Nam præterquam quod fruſtra omnino laborabunt, & nihil agent; neque enim contra Dominum, ut inquit Sapiens Prov. 21. 30, conſilium eſt ullum; ſeipſos etiam conficient tandem, & divinam iram vehementiſſime contra ſe concitabunt. Ego quidem nec impoſtor ſum, nec fraudem ullam occulto, ut Volanus me inſimulat. Qui rectius feciſſet, ſi id re præſtitiſſet, quod verbis pollicetur, aut præſefert: ut ſcilicet de me divinare noluiſſet; ſed de mente, ſtudioque meo judicium ſuum in illud tempus diſtuliſſet, quo me plene aperuiſſem. Id quod tamen, quamvis hoc Volanus neſciret, jam antea feceram; nec in reſponſione ad ipſum mea hanc de ratione expiationis peccatorum noſtrorum per Chriſti ſacrificium tractationem in aliud tempus rejeceram, vulgove receptam ea de re ſententiam me impugnare aliquando velle profeſſus fueram, ſed tantummodo non eſſe mihi animum id tunc faciendi dixeram. Nam, etſi nihil dum de eo argumento formis excuſum in publicum edideram; tamen copioſiſſime tota de re in diſputatione mea de Jeſu Chriſto ſervatore explicaveram. Quam diſputationem duobus ante annis non ſolum multis ipſe oſtenderam, & amicis quibuſdam eam deſcribendi, & cuilibet oſtendendi poteſtatem feceram; ſed ei dederam, qui Genevam poſtea illam miſerat. Ubi etiam de illa refellenda conſilium ab initio captum eſt. Quod dum ego, antequam illam excudendam curem, avide expecto, jam quinctus annus elapſus eſt. Quanquam interea ſum monitus, eos, qui conſilium illud ceperant, ſententiam mutaſſe, & laborem illum meum plane ſupprimendum eſſe, cenſuiſſe. Cogito igitur brevi, Deo volente, diſputationem iſtam publicare, aut certe eam aliquando publicatum iri ſpero. Quo fit, ut hoc loco quædam pauca tantum de hac materia diſſerere libuerit, quæ etiam reticuiſſem, niſi veritus eſſem, ne ob ſilentium meum divina veritas male audiret. Nec enim ea de re præcipue inter me, & Volanum diſputatur. Immo ego jam in priore reſponſione oſtendi, Volani opinionem circa rem iſtam, ipſius, de qua potiſſimum diſputamus, ſententiam funditus evertere: & hic paullo poſt, Deo dante, iis diluendis, quæ argumentationibus meis Volanus objicit, idem à me apertius oſtendetur.

VOLANUS Partic. 20. pag. 107.

Inde tamen facile quiſque perſpicere poteſt, quam peſtem orbi Chriſtiano, iſtorum opera Satan moliatur, qui tam proterve ſcripturas lacerant, & novis ſubinde ac ſecum pugnantibus opinionibus illas adaptant, ut deinde ſuſpectas plurimis reddant, & à religione Chriſtiana ad quamvis impietatem homines abripiant.

ANONYMUS.

Nihil hic dicitur, quod reſponſionem requirat, vel certe ad quod ſupra ſatis reſponſum non fuerit. Illud tamen addam, tantum abeſſe, ut ego, ſeu prudens ſive imprudens, Sacras Litteras ſuſpectas plurimis reddere coner, & à religione Chriſtiana ad quamvis impietatem homines abripere; ut potius certo ſciam, me Sacras Litteras, quantum in me eſt, à perverſis & impiis explanationibus vindicare, atque hac ratione, ne ſuſpectæ alicui merito videri poſſint, efficere; &, dum rationem expiationis peccatorum noſtrorum per Chriſti ſacrificium, quæ paſſim recepta eſt, impugno, eamque à vero Sacræ Scripturæ ſenſu quam longiſſime abeſſe, demonſtro, homines à fucata quadam ſub Chriſti nomine religione, quæ, ut plus ſatis conſtat, nullos niſi mortiferos carnis fructus parit, ad veram pietatem traducere, quæ ſpiritus vitales fructus producat.

VOLANUS Partic. 21. pag. 107.

Tota quidem Scriptura Sacra huic blaſphemiæ repugnat, quam iſte evomit, negans Deum Patrem ſacrificio mortis placatum, & quidvis aliud Chriſtum morte ſua egiſſe, quam ut Deum Patrem pro juſto peccatorum vindice, nobis propitium ac clementem Patrem exhiberet.

ANONYMUS.

Immo nihil apertius univerſa ſcriptura teſtatur, & clamat (nulla interim Chriſti mortis, tanquam ejus videlicet, ad quam Deus reſpiceret, mentione facta) quam, Deum, antequam Chriſtus moreretur, nobis pœnitentiam agentibus, per ipſum Chriſtum omnium delictorum gratuitam veniam obtuliſſe, & omnium offenſarum condonationem; Chriſtique mortem non ad Deum nobis placandum, ſed ad placatum oſtendendum pertinuiſſe, & ad nos, qui mente alieni à Deo eramus, ad ipſum Deum adducendos ſpectaſſe. Nec porro ipſam Chriſti mortem ejus revera ſacrificium eſſe, aut fuiſſe: ſed illi præviſſe: nempe quod oblatione ſui ipſius in ipſo cœlo contineretur. Appellatur quidem à Paulo Chriſti factum illud, quod mortem pro nobis ſubire voluerit oblatio, & victima Deo in odorem bonæ fragantiæ, Epheſ. 5. 2, nam facta egregia, quibus patrandis charitas, atque beneficentia erga homines exercetur, Deo ve obedientia præſtatur, hoſtiæ Deo gratæ appellari ſolent. Ut ex his locis apparet, Heb. 13. 16. 1 Pet. 2. 5. Philip. 4. 18, in quorum etiam poſtremo idem loquendi modus habetur, qui in ſuperiore illo Pauli loco. Qui Paulus alibi Rom. 12. 1, hortatur, ut noſtra corpora hoſtiam Deo placentem exhibeamus. Verum, quod ipſa mors Chriſti ſit ejus ſacrificium illud expiatorium, de quo hic agimus; id nuſquam ſcriptum extat. Quamquam ex eo, quod ſine prævia morte ſacrificium ipſum peragi non poterat; factum eſt, ut non modo Chriſtus pro peccatis noſtris, ſeu propter peccata noſtra, mortuus eſſe dicatur; ſed etiam ipſi morti ſeu ſanguini Chriſti peccatorum expiatio tribuatur. Nempe potiſſimum, ut hac ratione Dei, ipſiuſque Chriſti ſumma in nobis ſervandis charitas maximopere commendetur. Ex prædictis igitur omnibus non minus imperite, quam impie (Volani, & aliorum pace ſit dictum) eos loqui conſtat, qui aſſerunt, Chriſtum mortis ſuæ ſacrificio Deum nobis placaſſe, id ve ſua morte egiſſe, ut Deum Patrem ex juſto peccatorum vindice propitium nobis ac clementem patrem efficeret. Sic enim efferenda eſt poſterior hæc Volani ſententia, ſi ea cum Paræneſis verbis plane conſentire debet. Namque hoc loco paullo aliter loquitur Volanus; & particulam Ex in Pro mutat: verbum autem Efficeret in Exhiberet tranſformat. Ex quibus fit, ut ſenſus eſſe poſſit, Chriſtum morte ſua id egiſſe, ut Deum, qui alioqui peccata ſevere punire ſolet, clementem ac propitium patrem nos ſentiremus, atque experiremur. Quæ ſententia recte explicata, ut veriſſima eſt, ſic iis, quæ ego dico, eſt conſentanea.

VOLANUS Partic. 22. pag. 107.

Quod ſi quid ſobriæ mentis iſte haberet, vel unicum hoc nonum Epiſtolæ ad Hebræos caput ad reffellendam hanc ejus inſaniam ſufficeret. Nam ob id Novi Teſtamenti mediatorem Chriſtum dicit, ut morte intercedente, ad redemptionem earum prævaricationum, quæ fuerant ſub priori Teſtamento, vocati, promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis. Ac ideo ſemel in conſummatione ſeculorum ad abolendum peccatum, per immolationem ſui patefactum eſſe dicit, & in ipſum conſcendiſſe cœlum, ut appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis. Sic nimirum mortis Chriſti finem apertiſſimis deſcribit verbis, ut peccato per oblationem corporis ejus abolito, aditus nobis pateat ad Patrem: & quem peccata noſtra ab eo ſegregaverant, obedientia & juſtitia Chriſti nos illi conjungeret.

ANONYMUS.

Si Volanus, qui mihi omnem ſobrietatem mentis adimit, meque in hac diſputatione inſanientem facit, judicium ſuum, atque prudentiam, qua alioqui, ut arbitror, plurimum pollet, hic adhibere voluiſſet, aliter ſine dubio locutus eſſet: ſimulque vidiſſet ex iſto potiſſimum nono cap. epiſt. ad Heb. & meam ſententiam con-

confirmari, & ſuam everti. Quippe ex quo, ut ſupra oſtendimus, Chriſti oblationem, non in ipſa morte, ſed poſt mortem, fuiſſe conſtet; & propterea, quamvis mors interceſſerit ad redemptionem, ſive expiationem peccatorum noſtrorum, non tamen ex ipſius mortis vi aliqua occulta eam manaſſe: qualis vis eſſet, ſi per eam mortem vel Deus placatus fuiſſet, vel pretium noſtræ redemptionis illi fuiſſet perſolutum. Ac breviter, ex quo liquido appareat, longe alia ratione nos per Chriſtum redemptos eſſe, noſtraque peccata expiata, quam ipſe Volanus putet; eaque in re Chriſti mortis vim atque efficaciam omnibus, qui ipſius Chriſti hiſtoriam tenent, obviam eſſe ac manifeſtam. Nam, quæ idem Volanus ex iis, quæ prædicto nono cap. ſunt ſcripta, ad me refellendum concludit; ea vel nihil plane mihi adverſantur, ſed potius favent, vel nullo modo ex ejus loci verbis colliguntur. Etenim, ſi per oblationem corporis Chriſti, ut Volanus concludit, abolitum eſt peccatum, & hic finis Chriſti mortis fuit (quod ego ſane nunquam negavi) oblatio autem corporis Chriſti, ut ante oſtendimus, facta eſt poſt mortem in ipſo cœlo; ſequitur omnino, aut per ipſam Chriſti mortem minime placatum Deum fuiſſe, neque in ipſa morte pretium redemptionis noſtræ Deo fuiſſe ſtatutum, aut hæc ad abolendum peccatum non ſatis eſſe; immo prorſus apparet, ex ipſa morte peccatorum noſtrorum abolitionem petendam non eſſe. Porro quod addit, obedientiam, & juſtitiam Chriſti nos Patri conjungere, quos (ſic enim arbitror legendum, non autem, quem) peccata noſtra ab eo ſegregaverant, ſi hoc ſignificat, Chriſtum obedientia, & juſtitia ſua Deum placaviſſe, vel pro nobis illi ea omnia præſtitiſſe, quæ nos præſtare debeamus; id neque ex illius ſcriptoris verbis ullo modo conſequitur, nec, ut in diſputatione noſtra de Jeſu Chriſto ſervatore abunde oſtendimus, ulla ratione verum eſſe poteſt. Sin autem per verba iſta Volanus intelligit, obedientiam, & juſtitiam Chriſti effeciſſe, ut ipſe Chriſtus in cœlum ingreſſus fuerit, ibique tantam poteſtatem fuerit adeptus, ut & nos, qui antea propter peccata noſtra à Deo disjuncti etamus, hoc animadvertentes, peccata reliquerimus, iiſque relictis, ex fœdere, quod nobiſcum per eundem Chriſtum pepigit Deus, ipſorum omnium veniam ſimus conſecuti, & ipſe Chriſtus poſſit nos in perpetuum ſervare, vitaque æterna donare, quibus rebus vera noſtra cum Deo conjunctio continetur; ſi hoc inquam, Volanus intelligit, & id dicit, quod veriſſimum eſt, & ſententiam meam prorſus approbat, atque confirmat.

VOLANUS Partic. 28. pag. 108.

Verum ut Academicus iſte, ludum jocumque ſibi eſſe ſcripturam oſtendat ſacram, id denuo jam, quod impugnavit concedere videtur: Ita tamen, ut Chriſtum honore divinitatis ſpoliet, & meram eſſe creaturam evincat.

ANONYMUS.

Volanus ad hunc modum reipſa argumentatus fuerat, Quiſquis Deum patrem placavit, eique pretium æternæ redemptionis dedit, is æternus Deus & creator eſt; Sed Chriſtus Deum patrem placavit, eique pretium æternæ redemptionis dedit; Ergo Chriſtus æternus Deus & creator eſt. Negavi ego aſſumptionem, ſeu minorem hujus argumenti propoſitionem: immo eam falſam eſſe oſtendi, & ejus, ut vocant, contradictoriam enunciationem, veram; id eſt, à Chriſto neque patrem placatum fuiſſe, neque pretium æternæ ſeu noſtræ redemptionis illi datum. Idque ita affirmavi, ut propterea Volanus me & ſomniatorem, & impoſtorem appellare, & inſaniæ ſimul inſimulare non dubitaverit. Ut alia convicia omittam, quæ ejus rei occaſione non levia, nec pauca in me conjecit. Cur igitur deinde me Academicum appellat? An non quid ſentiam, ipſo teſte, aperte ſum profeſſus, ſic, ut blaſphemiam quoque me evomuiſſe dicat? At enim deinde, quod prius negaſti, concedis. Nullo pacto concedo. Sed, ut futilitas argumentationis adverſarii multo evidentius appareat, dico, poſſe concedi aſſumptionem iſtam; nec tamen recte argumentum concluſum dici poſſe. Nempe quia major propoſitio ſit falſa: adeo, ut non modo neceſſarium non ſit, eum, qui Deum patrem placaverit, eique pretium æternæ redemptionis dederit, eſſe æternum Deum & creatorem, ſed etiam nulla ratione portuerit is, qui æternus Deus & creator ſit, Deum patrem placare, eive pretium æternæ redemptionis dare; & conſequenter, ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſt, neceſſe ſit, ut nec Deum patrem placaverit, nec ei pretium noſtræ redemptionis dederit. Nec tamen ſatis habuit Volanus, me Academicum nominare; ſed addidit etiam, Sacram Scripturam mihi ludum jocumque eſſe (nam & alibi me inter eos numerat, quibus Sanctæ Litteræ ſint ludibrio) cujus tamen Sacræ Scripturæ cauſa, & pro cujus veritate aſſerenda novit Deus, quanta hactenus ſim paſſus, & aſſidue patiar, ac porro perpetuo, ipſo adjuvante, perpeti ſim paratus.

VOLANUS Partic. 24. pag. 108.

Sed eſto (inquit) Placaverit Chriſtus ſanguine ſuo iram æterni Dei Patris, adeo ut ipſum nobis propitium clementemque Patrem effecerit: tum ſane, aut duos Deos & duos creatores aſſerere oportet: aut ſi unus & idem cum Patre Deus eſt, ſeipſum placavit. Sed nemo ſeipſum placat, nec ſibi ipſi aliquid ſolvit. Ergo ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſt, nec Patrem ſuum placavit, nec illi pretium noſtræ redemptionis dedit. Hæc quidem novi iſtius dialectici argumentatio eſt, quæ prodit hominem nunquam fæliciter in ea arte verſatum, & in formandis Syllogiſmis pueriliter errantem. Sic enim omnes argumentationis confundit partes, ut neque termini ſint ſuo loco diſpoſiti, nec concluſio ſuis præmiſſis ſubjiciatur, & major propoſitio pro concluſione inepte repetatur.

ANONYMUS.

Nec fideliter Volanus argumentationem meam recitat; nec, ut recitat, ei id ullo modo objici poteſt, quod ultimo loco ipſe objicit: videlicet: majorem propoſitionem pro concluſione in ea repeti. Major propoſitio ab ipſo conficta, hæc eſt; Si Chriſtus unus & idem cum Patre Deus eſt, ſeipſum placavit. Concluſio autem, quæ & mea ipſa eſt, ſic habet; Si Chriſtus æternus Deus & creator eſt, nec patrem ſuum placavit, nec illi pretium noſtræ redemptionis dedit. Quomodo hic, quæſo, major propoſitio pro concluſione repetitur? Certe nec in concluſione fit mentio, quod Chriſtus ſeipſum placaverit; quod tamen Seipſum placaſſe, alter terminus eſt majoris propoſitionis: nec in majore propoſitione dicitur, quod Chriſtus patrem ſuum non placaverit, nec illi pretium noſtræ redemptionis dederit; quo alter terminus concluſionis continetur. Nam in altero ex duobus terminis, quibus utraque conſtare ſolet, majorem propoſitionem, & concluſionem prorſus convenire debere, quis eſt, qui neſciat? Quanquam, ut majorem iſtam propoſitionem confinxit Volanus, in neutro termino ea cum concluſione prorſus convenit. De uno jam vidimus. De altero vero dico, non idem plane eſſe. Unum & eundem eſſe cum Patre Deum, & Æternum Deum & creatorem eſſe; quamvis alterum ex altero omnino conſequatur. Immo, ex Volani ſuorumque ſententia, non ſimpliciter & abſolute conſequitur. Vult enim una cum ſuis, Chriſtum non perſona, ſed eſſentia tantum, eſſe unum & eundem cum patre. Non poſſum igitur ſatis mirari, quomodo Volanus auſus fit dicere, in hoc argumento pro concluſione repeti majorem propoſitionem; præſertim, cum major propoſitio enunciatio ſit plane affirmans: concluſio vero, plane negans. Itaque, aliud agentem id Volanum ſcripſiſſe, prorſus dicendum videtur. Sed videamus, ecquid alia, quæ meæ argumentationi, quod ad formam attinet, objicit, ſolidiora ſint; & idcirco ipſam, qualis ex verbis meis aperte colligitur, recitemus. Sic igitur ea ſe habet; Si Chriſtus æternus Deus & creator eſt, unus & idem eſt cum patre ſuo; Sed nemo ſeipſum placat, nemo ſibi ipſi quidquam ſolvit; Ergo, ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſt, nec patrem ſuum placavit, nec illi pretium noſtræ redem-

demptionis, dedit. Hic vero, antequam alia, quæ formationi argumentationis meæ objicit Volanus, diluere inſtituam, rudem lectorem monere ſubit, ne forte putet, ideo ineptam eſſe argumentationem noſtram, quia in concluſione repetatur hypotheſis illa, Si Chriſtus æternus Deus & creator eſt; cum in veris recteque formatis hypotheticis ſyllogiſmis ipſa hypotheſis in concluſione repeti non poſſit, aut certe non ſoleat. Namque hypotheſis iſta in argumentatione mea non facit ſyllogiſmum hypotheticum: ſed talis, qualis eſt, cum ipſa ſupponendi ratione, pars eſt illius enunciati, quod omnino concludendum mihi fuerat. ut poſtea videbimus. Eſt quidem in univerſa argumentatione mea reipſa hypotheticus ſyllogiſmus: ſed ejus hypotheſis non eſt expreſſa. Ut mox declarabo. Ait enim nihilominus Volanus, confuſas eſſe partes meæ argumentationis. Cur vero? Non ſunt, inquit, termini ſuo loco diſpoſiti; nec concluſio ſuis præmiſſis ſubjicitur. Quod ad diſpoſitionem terminorum attinet, non video, quam, vel leviſſimam quidem, eam vituperandi occaſionem Volanus habuerit; cum, quidquid in mea argumentatione expreſſum eſt, ſuo loco ſit poſitum; ut quilibet facile animadvertet. Si dixiſſet, terminos majoris propoſitionis non plane fuiſſe expreſſos, verum dixiſſet. Verum ego, cum non omnino dialectice, ſed partim etiam rhetorice diſputarem, brevitati conſulens, & inſuavem quandam repetitionem vitans, ſatis habui in majore propoſitione id dicere, ex quo neceſſario, & manifeſte integri ejus termini colligerentur, quodque alioqui ad ipſam majorem propoſitionem probandam commemorare neceſſe habebam, ad quod denique omnem diſputationem redactum iri videbam. Cumque eo commemorando, ſi prorſus dialectice loqui voluiſſem, dicendum mihi fuiſſet, Si Chriſtus æternus Deus & creator eſſet, unus & idem eſſet cum patre ſuo; & conſequenter, ſi patrem ſuum placaviſſet, illique pretium noſtræ redemptionis dediſſet, ſeipſum placaviſſet, & ſibi ipſi aliquid ſolviſſet; Cum, inquam, totum hoc mihi dicendum fuiſſet, id tantum dixiſſe contentus fui, Si Chriſtus æternus Deus & creator eſſet, unus & idem eſſet cum patre ſuo. Ex ſolo enim hoc, Unus & idem eſſet cum patre ſuo, & neceſſario, & manifeſte ſequi videbam, illum ſeipſum placaturum fuiſſe, & ſibi aliquid ſoluturum; ſi quidem patrem ſuum placaviſſet, atque illi pretium noſtræ redemptionis dediſſet: quæ eſt vera argumenti mei hypotheſis. Cujus ſuppoſiti oppoſitum rectiſſime in concluſione affirmatur, cum ejuſdem hypotheſis conſequens in minore propoſitione negatum fuerit. Quare non erat, cur Volanus argumento meo objiceret quod in eo concluſio ſuis præmiſſis non ſubjiciatur; nec enim ullam præterea occaſionem id dicendi habuit, niſi hanc, quod major propoſitio una cum ſua probatione commiſta, enthymematica (ut ſic dicam) eſt, & rhetorica potius, quam dialectica. Quod ſi, ut debuit, ad argumentationem ipſam meam, non autem ad eam, quam ipſe mihi tribuit, reſpexiſſet, fortaſſe ab hoc illi objiciendo abſtinuiſſet.

VOLANUS Partic. 25. pag. 109.

Hæc autem fuit illius mens & ſententia, quam expedire voluit, ſed per ignorantiam artis, ut videtur, non potuit. Si Chriſtus unus eſſentia eſt cum Deo Patre, ſeipſum mortis ſuæ ſacrificio placavit: ſed nemo ſeipſum placat: Ergo Chriſtus unus eſſentia cum Deo Patre non eſt. Eſt igitur Chriſtus homo merus: aut ſi ſtatuitur verus & æternus Deus, duos utique Deos & creatores ſtatui oportet.

ANONYMUS.

Quia Volanus credidit, me argumentatione mea voluiſſe concludere, Chriſtum non eſſe æternum Deum & creatorem, ſed creaturam tantum; propterea non ſolum mei argumenti formationem, ut vidimus, plane immerito reprehendit; ſed hic etiam, quomodo ad id concludendum, mihi formandum argumentum fuiſſet, abs re & porro ridicule admodum docere conatur. Nec conſiderat, in majore argumenti à ſe pro me formati propoſitione pro conceſſo tacite id ipſum ſumi, quod ego falſum eſſe, ex eo ipſo, ſine quo id verum eſſe non poſſe, ipſe contendebat, argumentatione mea demonſtrare volui; Chriſtum videlicet morte ſua patrem placaſſe. Sed neque interim ad ea, quæ à me ſcripta ſunt, quidquam animum advertit. Ex iis enim plane perſpicuum eſt, me idipſum concluſiſſe, quod concludere volebam, quodque concludendum propoſueram. Propoſueram autem mihi concludendum, ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſt, non potuiſſe fieri, ut patrem ſuum placaverit, cive pretium noſtræ redemptionis dederit: &, ſi tamen hæc fieri potuerunt, ea non ſatis eſſe ad peccata noſtra expianda. Priorem igitur totius propoſitionis partem hujus mei argumenti concluſione complector, eamque, ni fallor, ex ſuis præmiſſis recte duco. Ex qua conſequitur quidem & illud, quod me concludere voluiſſe, Volanus eſt opinatus, ſi ea vera ſunt, quæ ipſe Chriſto in peccatorum noſtrorum expiatione tribuit. Verum, quamvis lectorem iſtud quoque ex argumentatione mea colligere voluerim, quippe de quo præcipue inter me, & Volanum diſputetur, id ipſum tamen mihi probandum hoc loco non ſumpſi: & aliam viam ſum ingreſſus oſtendendi, Volani argumentum, quod, ad æternum Deum ac creatorem Chriſtum ſtatuendum, attulerat, nullius momenti eſſe, & ſeipſum labefactare atque deſtruere. Apparet igitur, ut arbitror, nihil eſſe, cur, me in formandis ſyllogiſmis pueriliter errare, Volanus dicere debuerit, aut potuerit. Fateor equidem, me alioquin in ea arte adhuc rudem eſſe, & in diſputationibus, quas de rebus divinis non paucas hactenus cum doctis viris perſcripta habui, quarum nonnullæ jam publice extant, me naturali quadam potius, quam artificioſa differendi ratione uſum fuiſſe. Nec fere quidquam mihi gratius contingere poſſet, quam, ſi quis eam artem abſolute & perſpicue me doceret, meoſque in argumentis aut formandis, aut refellendis errores omnes corrigeret. Atque utinam is Volanus eſſet. Sed quantum ex hac argumenti mei reprehenſione, & correctione conjicio, is hoc me beneficio afficere aut vix ulla ex parte poteſt, aut certe non multum curat.

VOLANUS Partic. 26. Pag. 109.

Ego vero ad argumentum ſimpliciter reſpondeo, & tam majorem, quam minorem propoſitionem falſiſſimam eſſe judico.

ANONYMUS.

Quamvis, ut oſtenſum eſt, argumentum à Volano pro me formatum aliud, concludat, quam ego volui; tamen quia ejus minor propoſitio, prior omnino pars eſt ipſius minoris propoſitionis argumenti mei, major vero, ſi id, quod in ea tacite pro conceſſo ſumitur, hypothetice accipiatur, eadem reipſa eſt cum mei argumenti majore; idcirco videndum eſt, quid ad, utramque falſam eſſe, probandum, in medium Volanus afferat, &, quatenus opus fuerit, reſpondendum.

VOLANUS Partic. 27. Pag. 100.

Nam quod ad majorem attinet, &c.

ANONYMUS

Quæ hic per ſeptem fere integras paginas à Volano afferuntur, ad probandam falſitatem majoris propoſitionis, quæ habet, Chriſtum ſeipſum placaſſe, ſi unus eſſentia eſt cum Deo patre, huc omnia tendunt, ut demonſtretur, etiamſi Chriſti, & Patris una eſſentia ſit, perſonas tamen eſſe diverſas, idque tamquam ſi à me hoc negatum fuiſſet, atque, eo probato, falſitas iſtius propoſitionis appareret. Cum tamen neque ego hoc loco id negaverim, &, ratione allata, oſtenderim, etiamſi illud concedatur, tamen propoſitionem illam nullo modo falſam reddi. Ut apparet in ipſa reſponſione mea, pag. 15, & 16. Quam rationem cum Volanus revera ne attingat quidem, neque commemoret, ejus verba, quæ alioquin etiam magna ex parte ſunt inania, hic deſcribere non fuit opus. Donec enim illam non refutaverit, ſatis jam reſponſum eſt

ad om-

ad omnia, quod ad propoſitionem iſtam attinet. Nam cæteroquin ad ea reſpondere, quibus hic communem non Patris ſolum, & Filii, ſed una quoque ſpiritus ſancti eſſentiam, tribus interim eorum diſtinctis perſonis, probare conatus eſt, etiamſi hæc ad præcipuam, quæ inter nos eſt, controverſiam pertinent; tamen, cum ea ad ipſam meam reſponſionem refellendam non pertineant, ut ad inſtitutum meum non facere, ſic minime neceſſarium eſſe duxi. Præſertim, cum ea ejuſmodi ſint, quæ non minus pondere levia, quam numero pauca, cenſeri debeant; & ſeipſa præterea ex parte convellant, atque evertant.

VOLANUS Partic. 28. Pag. 116.

Sed Anonymus iſte omnino ſibi ſatisfieri poſtulat, & quia ſenſum communem repugnare dicit, ut ſeipſum aliquis placet, aut ſibi ipſi aliquid ſolvat: Chriſtum ideo non poſſe fieri æternum Deum, & unius cum Patre eſſentiæ contendit: cum non minus ſeipſum peccatis noſtris offenſum, quam Patrem placaret. Verum & in eo vehementer fallitur iſte, ſeque ſenſu potius communi carere oſtendit, qui tam abſurda loquitur. Quæro enim ſi Filius præpotentis alicujus Patris à ſubditis ſuis ſimul & paternis omni ignominia affectus, & atroci quadam injuria vexatus, ſeipſum ultro Patri deprecatorem ſiſteret, omnemque injuriæ memoriam ex animo ſuo deponeret, nonne ſis Patre placato, & ſeipſum placaret? At profecto Filius Dei hanc ultro ſortem ſubiit, qui non minus enormitate ſcelerum mundi, quam Pater offenſus, ſeipſum tamen vadem interpoſuit, & atrociſſimam injuriam voluntaria oblivione conterens, ipſum quoque Patrem clementem ac propicium mundo reddidit. Verum & Deus ipſe toties apud Prophetas populi ſui perditos mores & flagitia deplorans, & fœdam idolatriam illius accuſans, effundere ſe juſte in eum iram ſuam proclamat, ſæpe tamen ſeipſum reflectit, & pro ingenti miſericordia ſua, iram ſuam ſe remittere denunciat. Non propter vos (inquit) facio domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus, ad quas veniſtis. Ita vero Deus iratus, ſeipſum placat, dum ultro pœnam ſe condonare promittit, quam tamen juſte peccatis hominum infligere potuit. Quid ergo mentis iſte habet, qui pro certo quodam axiomate ſumit, quod nemo ſcilicet ſeipſum placare poſſit? ſed malitia quædam iſtos excæcat, ut notiſſima etiam principia, & mentibus omnium hominum inſculpta convellant, dummodo gloriæ Filii Dei aliquid detrahere queant.

ANONYMUS.

Vidimus, Volanum ad majorem argumenti propoſitionem evertendam nihil revera attuliſſe; cum id, quod attulit, jam in priore mea reſponſione refutatum fuerit. Nunc, quam firma ſint hæc, quæ contra minorem attulit, videndum eſt. Sed prius eſt animadvertendum, voluiſſe Volanum, hac argumenti propoſitione evertenda, alterum quoque argumentum diſſolvere ex duobus à me allatis (quæ propterea ipſe, neſcio quo pacto, miſcet atque confundit) ad oſtendendum, peſſime illum argumentatum fuiſſe, dum ex ratione vulgo recepta, & quam ipſe pro conceſſa ſumebat, expiationis peccatorum noſtrorum per Chriſtum peractæ, eundum Chriſtum æternum Deum & creatorem eſſe, concluſerat. Alterum meum argumentum erat, ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſſet, expiationis rationem à Volano expoſitam non ſatis futuram fuiſſe ad peccata noſtra expianda; id quod ipſe ſcilicet numquam conceſſurus eſſet. Hoc autem meum argumentum ex mei ipſius verbis ea ratione niti Volano viſum eſt, quod nemo ſeipſum placet, nemo ſibi ipſi quidquam ſolvat. Hac igitur ratione everſa, credidit, ipſum quoque argumentum plane everſum iri. Verum non eſt Volanus mentem meam plane aſſecutus; à qua tamen ipſa mea verba nihil diſcrepant; immo eam non obſcure indicant, quamvis explicatius loqui potuiſſem. Quod cum, propter temporis tunc mihi conceſſi brevitatem, propterque feſtinationem, factum à me non fuerit, hic me paucis omnino aperiam. Dico igitur, ea reſponſionis meæ verba, quæ leguntur pag. 16, *Quod ſine dubio ipſemet nec fecit*, &c. non eo revera pertinere, ut probem Patris placationem Filii placatione eſſe non potuiſſe. Satis enim habueram oſtendiſſe, Filium quoque fuiſſe placandum, eique ſatisfaciendum: nec ſatis eſſe, Patrem fuiſſe placatum, eique ſatisfactum. Nam ad ea, quæ contra dici poterant, mihi deinde (quod etiam feci) reſpondendum reſervaveram. Sed idcirco verba illa ſubjeci, ut majorem Volani argumentationis abſurditatem oſtenderem. Ex qua videlicet efficeretur, ut non modo ſatis non eſſet ad expianda peccata noſtra, patrem à Chriſto fuiſſe placatum, ſed etiam neceſſe eſſet, ut alius quiſpiam, præter ipſum Chriſtum, expiationem iſtam peregiſſet. Igitur, ad alterum meum argumentum evertendum, non ſatis eſt demonſtrare, fieri poſſe, ut quiſpiam ſeipſum placet, ſed oſtendendum eſt, ex Patris placatione per Chriſtum facta ipſius quoque Chriſti placationem conſecutam eſſe. Atque hoc ipſe Volanus, ut arbitror, ſentiens, dum ad utrumque argumentum meum convellendum probare vult, fieri poſſe, ut quis ſeipſum placet, exemplum, ſeu ſimilitudinem iſtam affert filii alicujus præpotentis patris, qui pro communibus ſubditis, a quibus uterque communiter offenſus fuiſſet, patrem deprecetur, atque exoret. Sed jam videamus, quomodo, prioris argumenti mei minorem propoſitionem falſam eſſe, Volanus oſtendere conetur. Primum igitur eam ſimpliciter ita accipit, ut ipſe eam protulerat, nempe, Nemo ſeipſum placat; cum tamen in ea à me additum fuerit, Nemo ſibi ipſi aliquid ſoluit; ut ipſemet in initio hic confitetur, & tamen deinde, ſolutionis nulla mentione facta, de placatione tantum agit: ut non ipſam minorem propoſitionem meam convellere, ſed ejus tantum priorem partem reprehendere aggreſſus eſſe videatur. Ex quo ſatis conſtare poteſt, illum, dum in argumento meo, ut credidit, reformando ſolutionis mentionem omiſit, non brevitati conſulentem id feciſſe, atque, ut alioqui exiſtimari potuiſſet, quia Placationis nomine utrumque intelligeret: ſed eo fortaſſe conſilio, ut ipſum argumentum, meque vituperandi majorem occaſionem haberet; ut poſtea apparebit. Nunc illud aperte monendus eſt lector, ex eo, quod probetur (id quod tamen nec Volanus facit, nec quiſquam, ni fallor, faciet) quempiam ſeipſum placare poſſe, idque eo ſenſu, quo à me negatum fuit, nequaquam convelli aſſumptionem ipſam meam, aut vim ipſius mei argumenti labefactari. Satis enim eſt ad argumentationem illam Volani evertendam, ſi verum ſit, neminem ſibi ipſi quidquam ſolvere. Id autem veriſſimum eſſe, & ſenſus ipſe communis, quemadmodum à me dictum fuerat, nos docet, nec ipſe Volanus hoc loco aperte negat: nedum falſum eſſe, ut debuerat, probet. Verum de rationibus agamus, quibus, quempiam ſeipſum placare poſſe, oſtendere conatur. Duæ autem omnino ſunt. Nam & exemplo illo filii patrem placantis utitur; & ſacra teſtimonia commemorat, ex quibus, Deum ſeipſum placare, conſtare poſſit. Quod ad exemplum attinet, primum id in eo affirmatur, quod verum non eſt. Non eſt (inquam) verum; filium iſtum, patre placato, ſeipſum placare. Immo jam placatus eſt filius, antequam patrem placet; ut ipſius Volani ſibi ea in re parum conſtantis verba illa antecedentia demonſtrant, *omnemque injuriæ memoriam ex animo ſuo deponeret* Quis enim, adhuc placandum eum eſſe, dicat, qui jam omnem injuriæ memoriam ex animo ſuo depoſuerit? Deinde, etiamſi filius iſte tum demum placaretur, cum patrem placatum videret; non tamen ipſe ſeipſum placaret, quamvis paternæ placationis cauſſa ipſe fuiſſet. Non enim de remotiore, ſed de proxima cauſſa hic agendum eſt. Itaque revera non ipſe filius ſeipſum placaret, ſed placaret eum paterna placatio, ſive ipſe pater, dum ſe placatum ſubditis illis præberet. Futile igitur plane eſt exemplum ſive ſimilitudo iſta. Niſi quatenus ea probare Volanus voluerit, placato Deo Patre, Chriſtum quoque placatum fuiſſe. Quod tamen in hac diſputatione no-

ne noſtra nihili faciendum eſſe, oſtenſum eſt à nobis priore reſponſione pag. 16, & 17. Sed conſiderandum eſt præterea, Volanum, dum ad rem noſtram exemplum accommodare vult, non leviter labi. Quippe qui, cum concludere debuiſſet, Chriſtum, patre clemente ac propitio nobis reddito, ſeipſum quoque nobis clementem & propitium reddidiſſe, concludit, Chriſtum, atrociſſimam injuriam voluntaria oblivione conterentem, ipſum quoque patrem clementem ac propitium mundo reddidiſſe. Quod ſi fortaſſe nihil aliud, exemplo iſto afferendo, ſibi Volanus voluit, quam oſtendere, Chriſtum ſeipſum placare potuiſſe, quamvis patrem placaverit; is nihilominus non una de cauſſa reprehendendus videtur. Primum enim hoc ad rem nihil facit; cum à me non dicatur, Chriſtum ſeipſum placare non potuiſſe, ſi patrem placavit; nec porro affirmetur, hæc duo ſimul conſiſtere non poſſe: ſed patrem à Chriſto, ſi quidem unus & idem cum patre Chriſtus eſt, placari non potuiſſe dicatur, quia videlicet nemo ſeipſum placat; &, quod pater à Chriſto placatus fuerit, ſi Chriſtus æternus Deus & creator eſt, id non ſatis eſſe ad noſtram expiationem, affirmetur. Deinde in ipſo exemplo explicando apparet, aliud quiddam, eo afferendo, quæſitum fuiſſe. Nempe, ut oſtenderetur, ex patris placatione Chriſti ipſius placationem conſecutam eſſe. Id enim indicant aperte verba illa, *nonne ſic Patre placato, & ſeipſum placaret?* Poſtremo iſta ſui ipſius placatio, quæ exemplo iſto continetur, non eſt ea, de qua inter nos diſputatur: ut paullo poſt conſtabit. Namque de altera ratione jam videndum eſt, qua probare Volanus vult, poſſe quempiam ſeipſum placare. Ait igitur, ſæpe apud prophetas ipſum Deum denunciare, iram ſuam ſe remittere, idque pro ingente ſua miſericordia; & populum ultro non punire, quem tamen juſte punire poterat. Itaque, dum illud probare ſtudet, quod nihil ad propoſitum pertinet, id non mediocriter confirmat, quod totam expiationis per Chriſtum rationem ab ipſo explicatam convellere eſt aptum. Nam profecto, ſi Deus ſub Vetere Teſtamento ſæpe ultro iram remiſit, & debitam pœnam condonavit; nihil eſt cur ſuſpicari poſſimus, in novo fœdere vel ipſum plenam ſatisfactionem pro noſtris peccatis requiſiviſſe, vel, ad pœnam nobis condonandam, illum à quoquam placari, oportuiſſe. Jam vero quid ad propoſitum facit, ex Prophetis probare, Deum ſæpe iram pro ſua ingente miſericordia remittere, & ultro pœnam condonare? Quia (inquit Volanus) hinc apparet, Deum ipſum, de quo agimus, ſeipſum placare, & te nihil mentis habere, qui dicas, neminem ſeipſum placare. Quaſi vero, vel iſta Dei ſui ipſius placatio hoc ipſo nomine apud ipſos Prophetas appelletur; vel ea ſit, de qua controverſamur. Quid, quæſo, vetat, quominus negem, ex iſtis, quæ de Deo dicuntur, conſtare, aut conſequi, illum ſeipſum placare? quod tamen Volanus pro conceſſo ſumit: & propoſitionem illam meam ita accipit, ac ſi in ea negarem, quemquam eſſe, qui ultro iram remittat, & debitam pœnam condonet. At dicet, Tua verba id complectuntur, cum, neminem ſeipſum placare, affirmas. Hoc enim ſeipſum placare eſt. Probandum igitur Volano erat, hanc ultroneam, ut ita dicam, iræ remiſſionem, & pœnæ condonationem, quam reipſa dari & cæci ipſi vident, ſui ipſius placationem eſſe: non autem, ut, eam dari, oſtenderet, ad ipſas ſacras litteras confugiendum. Nec tamen, ſi id aliquo modo probaſſet (ſcio enim, bonos auctores ſic interdum figurate, ſeu minus proprie, loqui conſueviſſe, & eum, qui iram remittat, ſeipſum placare dixiſſe; quemadmodum etiam, A ſeipſo aliquid impetrare, & ſimilia non pauca apud eoſdem leguntur) Si igitur id aliquomodo probaſſet, non tamen quidquam effeciſſet. Neque enim argumentum meum de hujuſmodi placatione loquitur; ſed de ea, quæ ex placantis facto aliquo, immo ex ipſius meritis proficiſcatur. De ea nimirum, de qua ipſa Volanus in argumentatione ſua locutus fuerat: ubi negaverat, Deum à Chriſto placari potuiſſe, niſi ipſe Chriſtus æternus Deus & creator eſſet: quippe quod in nulla creatura tanta vis eſſe poſſet. Hoc Volanus, inquam, ſuæ Paræneſis pag. 2, & 3. pluribus verbis apertiſſime ſcribit, atque idem à me, tamquam ab ipſo dictum, agnoſcitur in reſponſione mea, pag. 13, & 17. Ubi de qua placatione uterque noſtrum loquatur, clare explico. Quod ſi Volanus tamen de ea nos placatione locutos eſſe velit, cujus ipſe hic exempla ex ſacris litteris profert, certe ex ipſius ſententia concludendum erit, Chriſti placationem ejuſmodi fuiſſe, quæ nullum ipſius factum, nulla merita requiſierit; nedum talia, quæ in re creata inveniri non poſſunt, atque ita univerſa ejus argumentatio ex Chriſti placatione ducta pœnitus diſſolvetur. An non id ſolum, quod in eadem reſponſione mea ſolutionem, quemadmodum & Volanus ipſe ab initio fecerat, cum placatione ſemper conjungo, manifeſte docet, de quonam genere placationis ego loquar? An non ipſe Volanus ſatis videtur intelligere, inter nos de ea placatione diſputari, quæ ex placantis facto, & meritis pendeat, cum paſſim placationem pro Redemptione ſeu ſolutione uſurpet, eaſque invicem commutet, atque, ubi utraque nominanda erat, unam commemorare ſatis habeat? Quod potiſſimum, ut ſupra monuimus, in argumento illo ſuo pro me formando fecit. Quamquam, ut ibidem attigimus, eo potius conſilio id ab ipſo eo in loco factum, & ſolutionis mentione præterita, placationem tantum, commemoraram fuiſſe, cuipiam fortaſſis videri poterit, ut deinde, ſicut fecit, in eo argumento refellendo exultare quodammodo poſſet, & mihi, tamquam ſcilicet ſenſu communi carenti, nihil mentis habenti, malitia quadam excæcato, gloriæque filii Dei ſemper aliquid detrahere conanti (qualem hic me fingit) liberius atque audacius inſultare; ob eam videlicet cauſſam, quod ſimpliciter & abſolute (ut ex ipſius verbis colligere proclive foret) neminem ſeipſum placare, dicere auſus eſſem; atque hac ipſa ratione à Chriſto, ſi unus & idem eſſentia eſt cum patre ſuo, ipſum patrem placari non potuiſſe, concludere veritus non fuiſſem.

VOLANUS Partic. 29. pag. 118.

Hanc vero mentis pravitatem & in eo iſte declarat, quod locum Pauli ad Coloſſenſes ex cap. 1. corrumpit, ubi nimirum Chriſtus primogenitus univerſæ creaturæ dicitur: ſecundæ ſcilicet creationis illum autorem non autem illius primæ ab Apoſtolo vocari, impudenter aſſerens. Nam ſicut ante admonui, nemo qui modo aliquid ſani judicii habet, hunc locum aliter accipiendum ac intelligendum judicat, niſi quod rerum omnium creationem, quam Moſes Gen. cap. 1. ad autorem Deum refert, iſtam quoque Apoſtolus Filio Dei vendicat. Dicit enim Moſes, In principio creavit Deus cœlum & terram. Apoſtolus autem in Filio creata eſſe omnia, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ ſuper terram, viſibilia & inviſibilia, ſive Thronos, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia inquam, per ipſum & in ipſum creata eſſe perhibet. Ac proinde ſceleratus homo Arrius, qui nullum non movit lapidem, ut receptam Eccleſiæ confeſſionem de æterno Dei Filio, vereque ex Patre genito labefactaret, non tam perfrictæ tamen frontis fuit, ut hunc Apoſtoli locum, non de prima rerum omnium creatione verba facere aſſereret, ſed ex una voce primogeniti, errori ſuo omne patrocinium quæſivit. Quod ergo antea dixi, idem nunc libere repeto, non tam cum Eccleſia Chriſti, quam cum conſcientia ſua & pudore, bellum Ebionitas noſtri ſeculi ſuſcepiſſe, quod in tam fœdo ac turpi videlicet mendacio, neque Deum ipſum timeant, neque homines revereantur. Tot jam ſæcula à Chriſto in mundum ſecundum carnem nato numeramus: quibus omnes ſancti Eccleſiæ Dei doctores & paſtores, infiniti Chriſti martyres, totaque adeo Eccleſia Chriſti Apoſtolum Chriſti Paulum ad Coloſſen. cap. 1. de univerſa rerum omnium ſimul creatione, & perditi generis humani reſtauratione, doctrinam proponere confitetur. Ebionitæ autem ab impio uno & blaſphemo homine Serveto edocti, & numero pauci, & ante paucos annos exorti, & nulla præſtanti doctrina, nullaque vitæ pietate illuſtres, imo tum nullo

aliquo

aliquo veteris illius Eccleſiæ Antiſtite, ſive vitam, ſive doctrinam ſpectes, omnes comparandi, univerſam Eccleſiam errare contendunt, & quod falſam dictorum Apoſtoli retineant intelligentiam, confidenter clamitant. Cuinam obſecro hic credemus, aut quorum potius hominum autoritatem ſequemur? Si quis hæſitat, aut animo fluctuat, omni ſe mentis judicio carere oſtendit, ſi quis porro in eandem erroris ſentinam provoluitur, neque ſe Deum timere, neque homines revereri aperte declarat. Verum ne ſolo teſtium numero & pondere iſti opprimantur, ſed ex re ipſa judicium fiat, quis obſecro niſi impius talia verborum monſtra Spiritui Sancto tribuat, ut cum ille redemptionem generis humani per ſanguinem Chriſti factam diſerte per os Apoſtoli prædicat, idem ſcilicet beneficium diverſis verbis repetere judicetur, quod per eum ſint omnia condita quæ in cælis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia. At vero tanta dictorum diverſitas, non unum & idem opus filii Dei deſcribit, ſed ſicut in aliis plurimis ſcripturæ locis, ita & hic creatorem rerum omnium ſimul & reſtauratorem Filium Dei eſſe oſtendit. Nam ſi de ſola reſtauratione, aut ſecunda creatione per Chriſtum facta loquitur Apoſtolus, hoc quidem cum clariſſimis in hoc uno capite profeſſus fuerit verbis, nihil profecto attinebat, eandem repetere ſententiam ſub obſcuris & ambiguis verborum involucris. Eſt enim omnium ſcriptorum ea conſuetudo, ut ſi quid intricatius & obſcurius lectori proponunt, id planioribus & clarioribus plerumque verbis explicent, & quaſi prioris dicti exegeſin apponant. Verum ſi quis rem plane & aperte exponat, & eam obſcuro deinde verborum complexu repetat, præterquam quod ſuperfluam battologiam admittit, ſuo etiam ipſe & alieno ocio proterve abutitur. Hæc vero ſuperflua & monſtroſa dicendi ratio, procul abeſt à præclaro Spiritus Sancti organo Apoſtolo Paulo, qui in verbis ita parcum ſe ubique oſtendit, ut rem quam ſimpliciſſime ubique proponat & à verborum luxurioſo ac inutili apparatu ſemper abſtineat.

ANONYMUS.

Omnibus iis omiſſis, quæ hic Volanus extra rem ipſam ſcripſit, quippe quæ vel mera convicia, & calumniæ in noſtros homines ſint, vel ab ipſo nulla ratione firmentur, vel denique alibi infra repetantur, ubi ad ea reſpondere commodius fuerit, de re ipſa tantum agemus; & Paulini loci interpretationem noſtram a Volani impugnationibus defendemus; eamque latius interim & explicare, & confirmare conabimur. Igitur animadvertendum eſt, quod, etiamſi inter Moſem, & Paulum, in creatione, quam uterque intellexit, explicanda, magna ſimilitudo eſſet; non tamen propterea ſequeretur, utrumque eandem intellexiſſe. Id enim ex rebus iiſdem, quæ ad utramque, licet diverſam, creationem pertinerent, oriri poſſet; & ex aliis præterea, in quibus duæ iſtæ creationes convenirent. Quare vel negandum Volano eſt, duas ejuſmodi creationes dari; vel, ſi id negare non audet, ex aliis indiciis & loci ipſius circumſtantiis docendum, creationem, de qua ad Coloſſ. cap. 1. agit Paulus, non poſſe aliam eſſe, quam eam, de qua Gen. cap. 1. agit Moſes. Aliter fruſtra laborabit, & fruſtra ſimilitudinem verborum, & rerum nominatarum, quæ in utroque ſcriptore ſit, mihi opponet. Nunc vero, cum ſimilitudo iſta ſit plane exigua, non video, cur potius ſtatuendum non ſit, nequaquam de eadem creatione agere utrumque ſcriptorem. Præſertim, cum conſtet, duarum creationum in Sacris Literis mentionem fieri; Paulum vero de ea non loqui, de qua manifeſte loquitur Moſes, multa præterea, vel ex ipſo loco, vel aliunde petita, demonſtrare poſſint. Inter quæ illud potiſſimum eſt, quod ex appellatione Primogeniti omnis creaturæ, ibidem Chriſto tributa, à me fuerat allatum. Nam ex ea appellatione oſtenderam, neceſſe eſſe, vel in Arrii ſententiam diſcedere, vel confiteri, non de prima, ſed de ſecunda creatione ab Apoſtolo verba fieri. Ad quod Volanus neque hic, neque alibi quidquam reſpondet: ſed, ut pleraque alia, id naſo ſuſpendere ſatis habet. Exiguam vero omnino inter Moſem, & Paulum in ſua utriuſque creationis expoſitione ſimilitudinem eſſe, hæc inter alia oſtendere poſſunt. Moſes cæli, & terræ creationis diſerte meminit. Paulus nullam ipſorum creationis mentionem facit: quin potius illa commemorat, non tanquam creata, ſed tanquam ea, in quibus contineantur illa, quæ creata ſunt. Moſes nihil dicit de rebus inviſibilibus. Paulus ea non minus, quam viſibilia, in creatione ſua recenſet. Moſes, quod attinet ad ea, quæ in cælis ſunt, ſolis, lunæ, & ſtellarum creatarum facit mentionem; quod vero attinet ad ea, quæ ſunt in terris, herbarum, arborum, & animalium. Paulus nihil horum commemorat. Rurſum Paulus Thronos, Dominationes, Principatus, Poteſtates, tanquam creatas, nec aliud quidquam præterea, ſpeciatim nominat. Moſes vero de his ne verbum quidem facit. Quocirca quidquid eſt ſimilitudinis in utraque creatione explicanda, id omne in eo ſit neceſſe eſt; quod in una omnium ferme rerum viſibilium, quæ in cælo, & in terra ſunt, tanquam creatarum, ſingulatim per ſpecies fit mentio: in altera vero univerſe omnia, quæ in cælis, quæque in terra ſunt, creata eſſe dicuntur, & nominatim viſibilia. Verum quis eſt, qui neſciat, univerſales voces ad ſubjectam materiam accommodari, & reſtringi debere? idque in ipſis Novi Teſtamenti ſcriptis, ſæpiſſime ut fiat, neceſſe eſſe? Vide, quæ in priore reſponſione noſtra, pag. 23, & 24. hujus rei pauca quædam exempli gratia teſtimonia indicavimus. Quibus hæc adde; Math. 17. 11. Luc. 11. 41. Act. 2. 44, & cap. 20. 27. Rom. 8. 28, & cap. 14. 2. 1 Cor. 2. 15, & cap. 9. 22, & cap. 10 23, & 33. Gal. 3. 22. Epheſ. 4. 15. Philip. 4. 23. 2 Tim. 2. 10. Tit. 1. 15, & cap. 2. 9. 2 Pet. 3. 4. Apoc. 21. 5. Ne plura alia commemorem, ex quibus idem planiſſimum fit. Cum igitur univerſales dictiones ad ſubjectam materiam accommodari, & reſtingi debeant; ſequitur, fieri poſſe, ut dictio Omnia apud Paulum, quatenus ad viſibilia pertinet, pauca eorum complectatur, quæ ſunt enumerata à Moſe, immo pauciſſima: ut certe pauciſſima complectitur; quemadmodum ſtatim docebimus, unde fiat, ut vix ulla inter utriuſque creationis explicationem ſimilitudo inveniatur. Subjecta enim materia apud Paulum ſine controverſia myſterium exhibiti & patefacti Chriſti eſt. Cum quo myſterio nihil eſt ex iis, quæ commemorantur apud Moſem, quod quidquam commune revera habeat, præter hominem. Atque eadem ſubjecta materia ſatis demonſtrat, de alia creatione apud Paulum agi, quam apud Moſem. Ut non ſit neceſſe ex rerum, quæ utrobique creatæ dicuntur, diſſimilitudine id colligere. Quis autem tam hebes eſſe poteſt, quin videat, id, quod à Paulo hic dicitur, idem eſſe cum eo, quod ab eodem dicitur ad Epheſ. cap. 1. 10. præſertim, cum non in hac parte ſolum, ſed etiam in pleriſque aliis idem omnino ſit argumentum utriuſque Epiſtolæ; Quod igitur hic dixit Creare, ibi dixit, ut vetus interpres verbum Græcum ἀνακεφαλαιώσασθαι vertit, Inſtaurare; vel, ut Eraſmus, & Tigurini, Summatim inſtaurare; vel, ut alii, ipſam vim verbi magis exprimentes, Summatim comprehendere, ſeu Recolligere. Quodvis enim iſtorum verborum novam creationem aliquo modo declarat. Ubi etiam animadvertes, Omnia, tum quæ in cælis, tum quæ in terra, non minus, quam hic, dixiſſe Apoſtolum: quamvis certum ſit, eum ibi non prorſus omnia intelleXiſſe, ea præſertim, quorum creationis Moſes meminit: immo quamvis, ex iſtis, hominem tantum ſine dubio ſignificare vellet. Quem locum à ſuperioribus aliis teſtimoniis de vi, & uſu univerſalium vocum ideo ſejunxi, ut oſtenderem, tunc etiam, cum de Chriſti myſterio loquitur Apoſtolus, ſolere eum voce iſta univerſali uti, idque cum additione illa, *tum quæ in cælis, tum quæ in terra:* eamque ad ſubjectam materiam, cum manifeſta reſtrictione, accommodare. Similis eſt locus, ubi videlicet à Paulo de Chriſti myſterio agitur cum univerſalis dictionis uſu, eodem cap. 1. ad Epheſ. ℣. 23, & cap. 4. 10. Quid quod hoc ipſo cap. 1. ad Coloſſ.

paullo inferius, id eſt ỳſ. 20, ſcriptum eſt, per Chriſtum reconciliata fuiſſe omnia, & pacificata fuiſſe per ſanguinem crucis ejus, tum quæ in terra, tum quæ in cælis? Num ergo beſtiæ, arbores, herbæ, ſol, luna, & ſtellæ per Chriſtum ſunt reconciliatæ, & per ſanginem crucis ejus pacificatæ? Agnoſcat igitur Volanus, in voce Omnia non eam vim eſſe, quam ipſe fortaſſe credidit; ac præterea, Eorum, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, nomine, non ea omnia apud Paulum ſolere intelligi, quorum creationem deſcribit Moſes; ſed alia quædam, ad quæ recte nova per Chriſtum facta creatio accommodari poteſt. Neque enim arbitror, illum dubitare, quin ſimplici Creandi verbo nova creatio ſeu reformatio in Sanctis Literis ſignificari interdum ſoleat. Quod ſi tamen dubitat, præter loca in prioris meæ reſponſionis margine, pag. 23. inter illa annotata, in quibus de nova per Chriſtum creatione agatur, hæc tria apud Eſaiam inſpiciat; cap. 43. 7, & 15; & cap. 65. 18. Sed quæret fortaſſe quiſpiam, quid ſit apud Paulum, ipſos etiam Thronos, Dominationes, Principatus, & Poteſtates per Chriſtum denuo creatas ſeu reformatas eſſe. Id mihi videtur cuilibet ſatis conſtare poſſe, qui, quantopere fuerit Chriſtus à Deo evectus & exaltatus, animadverterit; adeo ut illi omnia iſta ſubjecta fuerint; Eph. 1. 21. (qui locus hunc noſtrum, præſertim propter argumenti utriuſque epiſtolæ ſimilitudinem, mirifice illuſtrat) & 1 Pet. 3. 22. Ingentem enim mutationem in omnibus iſtis hac ratione factam eſſe oportet, & novam quandam formam, univerſam illam hierarchiam accepiſſe. Hierarchiæ autem nomine hoc loco malos etiam angelos complector, qui poteſtate aliqua divinitus ſibi tradita ſunt præditi. Eos enim Principatus, & Poteſtates ab eodem Paulo appellari, oſtendit locus Eph. 6. 12. idemque ſatis intelligitur ex ỳſ. 15. cap. 2. ipſius epiſtolæ ad Coloſſenſes: ubi hujus reformationis inſignis quidam effectus legitur. Nec ſane dubitandum videtur, quin idem declaret ỳſ. 24. cap. 15. prioris ad Cor. quo in loco Virtutes etiam, angeli iſti mali, nominantur. Quod nomen extat ſimiliter prædictis in locis, Eph. 1. 21, & 1 Pet. 3. 22. Atque, ut ex loco ad Epheſ. cum hoc ad Coloſſ. collato intelligi poteſt, idem valet, quod Throni, quamvis vulgo hæc duo inter ſe diverſa eſſe credantur. Sed jam ad Volanum revertamur, qui ratione quadam putat, ſe poſſe omnino evincere, Paulum hoc loco de nova ipſa per Chriſtum facta creatione nullo modo agere. Inquit enim, longe abſurdiſſimum eſſe, quod Apoſtolus clariſſimis verbis antea dixerit, idem deinde ſub obſcuris & ambiguis verborum involucris eum repetere. Diſerte autem antea redemptionis generis humani per Chriſti ſanguinem factæ mentionem fecerat. Quare, ſi velimus, eum ſub Creandi verbo novam ipſam creationem intellexiſſe, obſcure admodum eandem ſententiam repetentem illum faciemus, quam prius clariſſime expreſſerat. Sed animadvertere debuerat Volanus, non idem eſſe redemptionem generis humani per Chriſti ſanguinem factam, & novam per ipſum Chriſtum factam creationem; aut certe, me hæc duo pro una eademque re non accipere. Ut ex illis verbis perſpicuum eſt, quæ in hujus loci tractatione leguntur in priore reſponſione mea, pag. 23. *De hac autem ſecunda creatione, quæ ſub Chriſto capite, & per ipſum Chriſtum univerſitatis rerum, quod ad Dei cultum quoquo modo pertinet, reformatio eſt*, &c. Hoc ſane multo plus complectitur, quam redemptio humani generis per Chriſti ſanguinem facta, Immo, cum ea redemptio apud Apoſtolum hoc loco ſola peccatorum remiſſione contineatur, vix, ſub iſta creatione eam comprehendi, affirmare poſſis.

Quod ſi nihil aliud Volanum monere potuerat, quam neceſſe ſit, ut, ſi Apoſtolus hoc loco de nova creatione agit, aliud, quam per Chriſti ſanguinem humanum genus redemptum fuiſſe, & ipſe dicere voluerit, & ego, eum dixiſſe, arbitratus fuerim; at illud ſaltem eum monere debuerat, quod hic de iis, quæ ſunt in cælis, deque inviſibilibus, & nominatim de Thronis, Dominationibus, Principatibus, & Poteſtatibus verba fiunt, iiſque in Chriſto ſeu per Chriſtum creatis. Præterea, cur tantopere Paulo indignum exiſtimat Volanus, quod cum prius de redemptione humani generis per Chriſtum facta diſerte locutus fuerit, deinde de nova per Chriſtum facta creatione agat, idque verbis non ita per ſe apertis; cum idem Paulus in Epiſt. ad Epheſ. atque adeo in loco huic noſtro ſine dubio reſpondente, hoc ipſum fecerit? Nam, cum ỳſ. 7. cap. 1. dixiſſet de Chriſto, *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus*, &c. Deinde ỳſ. 10 ait, in Chriſto ſuminatim comprehenſa ſeu recollecta fuiſſe omnia, tum quæ in cælis, tum quæ in terra. Ubi quin de nova creatione per Chriſtum facta agatur, nemo eſt, qui dubitet. Ad quam tamen ſignificandam nihilo apertius videtur verbum Recolligendi ſeu Summatim comprehendendi, quam verbum Creandi: immo vero obſcurius; præſertim apud ſcriptorem non raro hebraizantem, qualis ſine controverſia Paulus eſt. Hebræi enim compoſitis verbis carent, & idcirco ſæpe ſimplicibus pro compoſitis utuntur. Idemque valere poteſt apud ipſos Creare, quod, ſi Latine hoc ſenſu diceretur, Recreare, id eſt Denuo creare ſeu Reformare. Quid quod idem Paulus alibi hoc eodem verbo Creandi, ſeu verbo κτίζειν in hac ſignificatione utitur? Duo manifeſti omnibus ſunt loci Epheſ. 2. 10, & 15. & unus præterea in eadem Epiſtola paullo perſpicacioribus, præſertim Johanni Calvino minime obſcurus; quippe quem circumſtantiæ omnes aliter accipiendum non eſſe, demonſtrent: videlicet cap. 3. 9. Adde, quod in ipſa Græca lingua, qua Apoſtolus ſcribebat, ejuſmodi verbum, quod Denuo creare ſignificaret, quale eſſe potuiſſet ἀνακτίζειν, in uſu, ut arbitror, non erat. Quapropter id recens ipſi fuiſſet formandum, ſi ſimplici verbo κτίζειν hoc loco contentus non fuiſſet. Jam vero verbum ἀνακεφαλαιοῦσθαι, quod in loco ad Epheſ. ſcripſit Paulus, non niſi per quandam interpretationem, novam creationem declarat, non autem ex manifeſta vi ſua; ut verbum κτίζειν, quod hic uſurpavit, ſine dubio facit, ſimul atque legenti Hebraicus idiotiſmus ſuccurrit. Nec alibi invenitur idem ſcriptor ad novam creationem ſignificandam eo verbo uſus fuiſſe; ſed ſemel tantum, ni fallor, cum Summatim comprehendendi ſignificatione: nempe ad Rom. 23. 19. quæ ſignificatio per ſe nihil cum nova creatione commune habet: quemadmodum ex prædicto loco cuilibet perſpicuum eſſe poteſt. Poſtremo miror ſane, Volanum tam conſtanter affirmare, Paulum ita parcum in verbis ſe ubique oſtendere, ut rem quam ſimpliciſſime ubique proponat. Cum tamen is præter alios omnes Novi Fœderis ſcriptores, uno Johanne excepto, plurimum repetitionibus delectetur, iiſque nullo modo neceſſariis; niſi fortaſſe ad ornatum, & majorem quandam vim ſermonis: cum alioqui uno modo, aut ſemel tantum rem dixiſſe, ſatis futurum fuiſſet. Id quod & 5, & 7, capitis Epiſt. ad Rom. & aliorum locorum complurium exemplis prolatis oſtendere poſſem. Verum, ne longius abeam, ex hoc ipſo loco exempla proferre volo. Nam quid eſt, obſecro, *primogenitus omnis creaturæ*, &, *in ipſo creata ſunt omnia*, &c. præter id, quod ſtatim ſequitur? *omnia per illum, & in illum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnia.* Quid item illud, quod ſubjungitur? *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium.* An non, præterquam quod hoc ipſum in præcedentibus continebatur, id etiam illico repetitur his verbis? *Primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Omitto alia, quæ deinceps & antea toto ferme hoc eodem cap. repetuntur, idque ſine ulla neceſſitate, præter ornatum, & efficacitatem quandam orationis. Satis enim eſt ex ipſo loco, de quo agitur, Volanum manifeſti erroris coarguiſſe.

VOLANUS. Partic. 30. Pag. 122.

Veſtra igitur hæc impudentia eſt Ebionitæ, rebus apertis ac ſole

ac ſole ipſo clarioribus caliginem offundere, & ut erronea veſtra opinio obtineat, omnia loligmis ſucco denigrare. Quis enim eſt niſi cæcus, qui non videat, omnia veſtra conſilia eo tendere, idque moliri unum, ut omnia quæcunque de Chriſti Deitate dicuntur teſtimonia, violenta interpretatione evertatis, & alienum à mente ſcriptoris ſenſum, ubique ſcripturis affingatis? Itaque ut fraus veſtra & in obtegenda veritate mutuus omnibus innoteſcat ſenſus, tanta in corrumpendo uno aliquo ſcripturæ teſtimonio veſtra deprehenditur diſſonantia, ut nullo alio certiori perdita malitia veſtra cognoſci queat argumento.

ANONYMUS.

Hæc omnia, una cum ſuperioris partic. conviciis ac calumniis, & a me, &, ut ſpero, ab aliis, quos immerito, ut infra alibi dicetur, Ebionitas Volanus vocat, illi (cum præſertim hac in parte prorſus neſciat, quid faciat) ex animo condonantur, & ſimul enixe rogatur Deus, ut eadem ipſe pro bonitate ſua illi condonare velit.

VOLANUS Partic. 32. pag. 127.

Apoſtolus quidem cum in Epiſtola ſua ad Hebræos, &c.

ANONYMUS.

Hic, per quatuor amplius paginas, multa dicit Volanus, quæ non probat; nos interim ſuo more conviciis, & calumniis onerans. Quare ejus verba deſcribere non opus fuit. Tantum, contra ſententiam meam, quod in illis Epiſt ad Hebr. verbis cap. 1. *per quem fecit & ſæcula*, non de mundo hoc, ſeu de cælo & terra, ſed de futuro mundo, deque futuris ſæculis agatur, quam ſententiam teſtimonio ejuſdem Epiſt. confirmaveram, in qua mox ſeq. cap. auctor dicit, ſe de futuro terrarum orbe loqui; Tantum, inquam, contra hanc meam ſententiam poſſunt videri ea facere, quæ adverſus illius alterius adverſarii ſui de eodem loco ſententiam potius, quam adverſus meam, attulit. Primum, quod, quid per Sæcula ſcriptor ille intelligat, appareat ex verbis illis in initio cap. 11. 3. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei.* Deinde, quod eodem primo cap. teſtimonium illud Pſal. 102. 62, *Tu in initio Domine terram fundaſti*, &c. ad Chriſtum accommodetur. Quod ad locum 11 cap. attinet, dico, illum nihil ſententiæ meæ obeſſe poſſe. Neque enim neceſſe eſt, ut idem verbum eodem ſenſu ubique apud eundem ſcriptorem accipiatur: præſertim, cum id verbum ex ipſius ſcriptoris mente duplicem ſignificationem habere poſſit; atque ex ejus verbis ſatis conſtare queat, ipſum uno in loco, diverſo ſenſu id verbum uſurpaſſe ab eo, quem in alio eſt ſecutus (ut ſane, hic factum fuiſſe, ſatis aperte à me oſtenſum fuit) ſi modo verum eſt, Apoſtolum cap. 11 ſæculorum appellatione veterem hunc mundum intellexiſſe. Nam novum & futurum cap. 1. eadem appellatione eum & ſignificare potuiſſe, & porro ſignificaſſe, indicant, præter id, quod in priore reſponſione diximus, ipſius loci argumentum, &, quæ antecedunt, verba. Sermo enim ibi eſt de Dei filio jam patefacto atque exhibito; per quem, Deum ultimis diebus locutum fuiſſe, antea dictum fuerat, eumque omnium hæredem conſtituiſſe. Quare, cum poſtea illico ſubjungatur, *per quem fecit & ſæcula*, nemo non videt, neceſſe eſſe, ut de iis ſæculis verba fiant, quæ poſt ultimorum dierum initium per Chriſtum Jeſum à mortuis excitatum, & cæli, terræque dominum conſtitutum, facta fuerint. Idem docere poſſunt, quemadmodum dictum eſt, verba illa 2. cap. verſ. 5. *Non enim angelis ſubjecit orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Quæ verba, licet magis proprie ad ea referantur, quæ ſimiliter 1. cap. dicta fuerant, *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ*, &c. (nam ad aliqua, quæ anteceſſerint, ea referri neceſſe eſt) in quibus videlicet idem plane verbum habetur; tamen ad alia quoque & referri poſſunt, & debent, ubi de terrarum orbe, ejuſdem Chriſti, de quo ſermo eſt, ratione, actum fuerit, quamvis ſub alio vocabulo. Præſertim, cum id vocabulum, per ſe, futurum terræ orbem ſignificare ſit aptius, quam illud alterum. Nam profecto vocabulum αἰῶνες, ſive Sæcula, magis apte terræ orbem futurum, id eſt futurum ſæculum, ſignificare poteſt, quam vocabulum οἰκουμένη, ſive Orbis terræ. Nec vero, ſi deinde cap. 11. Sæculorum nomine aliud intelligitur, mirum videri debet; cum ſuperiora verba illa, *de quo loquimur*, eo reſpicere non potuerint, non modo quia poſtea, idque longiſſimo intervallo, nomen illud pronunciatum eſt; verum etiam quia ibi nec Chriſti aperte ulla ratio habetur, & totum ejus loci argumentum longe ab eo diſtat, quod ſuperiore loco tractatum fuit. Quod ni eſſet, etiamſi non poſſet ſuperior locus commode eo vel reſpicere, vel referri, poſſet tamen poſterior ipſe locus, immo deberet ad ſuperiorem referri, & ſecundum ſcriptoris mentem, & regulam quandam ibi traditam explicari, id eſt ita accipi, ut per verbum illud Sæcula futurus orbis intelligeretur. Et propterea in illis verbis cap. 10. 5. *Ideo ingrediens mundum*, &c, nulli dubium eſſe debet, quin de orbe futuro vox Mundi accipi debeat. Nam & de Chriſto eſt ſermo, & nihil ſimilius alterum alteri inveniri poteſt, quam Ingredi in mundum, & introduci in orbem terrarum. Atqui orbis iſte terrarum, ex ipſa regula ſive explicatione ſcriptoris, orbis terræ futurus eſt. Ergo hic quoque mundus, futurus mundus eſt. Nobis, inquam, futurus: non autem ipſi Chriſto. Ex quo, ut ἐν παρέργῳ hoc etiam dicam, liquet, Chriſtum oblationem ſuam non ante peregiſſe, quam in futurum nobis mundum fuerit ingreſſus. Apertiſſime enim ex eodem loco colligitur, Chriſtum non ante ſeipſum obtuliſſe, quam in mundum iſtum ingreſſus fuerit. Sed de his hactenus. Jam vero, quod pertinet ad locum illum Pſalmi ad Chriſtum accommodatum, *Tu in initio Domine*, &c. Hoc non eſt proprie ad rem loqui, & oſtendere, in loco, de quo agitur, non de futuro, ſed de præſente mundo verba fieri (quid enim vetat, quominus in uno loco de futuro, in altero vero de præſente mundo verba fiant?) ſed aliud teſtimonium afferre eſt, ad id probandum, quod ex loco, de quo agitur, probari, & affirmatum fuerat, & defendendum erat. Præterea, quamvis in allato teſtimonio de cæli, terræque creatione agatur; non tamen ea tribuitur Chriſto. Neque enim illi prima ipſa loci apud Pſaltem verba accommodantur. Sed totus locus, qui de hujus ſæculi à Deo per Chriſtum mutatione facienda, deque Chriſti regno, per quod Deus perpetuo erit omnia in omnibus, vaticinationem continet, pro teſtimonio excellentiæ ac gloriæ Chriſti affertur. Cujus prima verba, licet ad rem minus pertinentia, aut certe ad ipſum Chriſtum non ſpectantia, afferre tamen neceſſe habuit ſcriptor ille. Nam ſine illis, quæ reliqua ſequebantur, & ad rem pertinebant, nullo modo intelligi, nec conſiſtere poterant. Sed de hoc teſtimonio uberius explicatum eſt à fratribus in Animadverſionibus in Theſes ſive Aſſertiones collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo, ad quas lectorem, ipſumque Volanum rejicimus: præſertim, cum is, qui Aſſertiones illas defendendas ſuſcepit, hujus loci in ipſis Aſſertionibus allati fratrum explicationem ne attingere quidem fuerit auſus. Non eſt autem prætermittendum, quod hic Volanus ait, quendam ex noſtris totam rejicere Epiſtolam ad Hebræos, & inter apocrypha referre. Cum tamen nos nullum fortaſſe ſcriptum vel habeamus, vel habere nos profiteamur in Sacris Novi Fœderis Literis, quo validius, aut efficacius & ipſe Volanus, & omnes adverſarii noſtri, erroris convinci queant. Quemadmodum, Deo volente, à me planum fiet, ſi unquam mihi pro cauſſa noſtra actoris partes ſuſcipiendæ erunt. Sed Volanus (quo conſilio ipſe novit) noſtros eos omnes appellat, qui, Chriſtianos ſe eſſe, aliquo modo profitentes, Jeſum Chriſtum Dei filium, revera ante Mariam matrem ſuam extitiſſe, negant. Inter quos tamen multi ſunt, à quibus nos vehementiſſime abhorremus: ii præſertim, quos merito Ebionitas appelles; homines prorſus judaizantes, & Novi Teſtamenti ſcripta, potiſſimum vero Epiſtolas omnes ferme pro nihilo ducentes;

& inprimis epiſtolam ad Hebræos, ejuſque auctorem tantum non conviciis ac maledictis proſcindentes. Hic vero Volanus, hujus rei occaſione, tamquam, ſcilicet, ſi ejuſmodi homines ex noſtro numero eſſent, ait, ſe ſperare, brevi futurum, ut etiam totam doctrinam apoſtolicam rejiciamus, & arcana totius impietatis in Alcorano, ſpretis Euangelicis ſcriptoribus, quæramus. Ex quo, ut ſupra etiam partic. 4. obſervavimus, ſatis apparet, Volanum ea de nobis expetere, quæ vel ſuſpicari, à Chriſtiana charitate atque prudentia longiſſime abeſt. Nos vero illi hac in re meliorem mentem optamus.

VOLANUS Partic. 32. pag. 127.

Tale vero eſt (evidentiſſimum de vera filii Dei ante matrem ſuam exiſtentia teſtimonium) *quod Chriſtus aperte de ſe teſtatur, ſe nempe de cœlo deſcendiſſe, ſeque à Patre extiviſſe & veniſſe in mundum. Hoc autem tam clarum teſtimonium Anonymus evertit, ut qui nihil aliud ſignificare voluiſſe Chriſtum iſta locutione dicat, niſi quod Chriſtus homo eſt divinus, atque a Deo ſingulari quadam ratione miſſus. Verum oſtendat nobis iſte obſecro, ubinam aliquis Propheta de ſe umquam teſtatus ſit, quod de cœlo deſcenderit, aut perneget omnes ſanctos Prophetas fuiſſe homines divinos, ac ſingulari quadam ratione à Deo miſſos. Inde vero appareat, quam ſcelerate homines iſti ſcripturas corrumpant, & quam violenter ab genuino ſenſu ad impias ſuas opiniones detorqueant.*

ANONYMUS.

Dupliciter in hac ratiocinatione contra interpretationem meam peccat Volanus. Primum peccat, quia vult, ſi verum ſit, ideo à quopiam fuiſſe dictum ſe de cœlo deſcendiſſe, & à Deo exiviſſe, quia divinus homo eſſet, & ſingulari quadam ratione à Deo miſſus, Aerum quoque eſſe, ſi quiſpiam fuit divinus homo, & ſingulari quadam ratione à Deo miſſus, eum dixiſſe, ſe de cælo deſcendiſſe, & à Deo exiviſſe. In quo manifeſta eſt fallacia, quam vocant, conſequentis. Neque enim convertuntur iſta duo. Nec quidquam prohibet, quominus ſancti prophetæ jure potuerint dicere, ſe de cælo deſcendiſſe, & à Deo exiſſe; nec tamen dixerint. Quamquam, non propterea id dictum ab eis non fuiſſe, affirmari poteſt, quia ſcriptum non inveniatur. Unde multo etiam gravius Volani peccatum eſſe conſtat. Aut certe ex eo efficitur, ne poſſit Volanus iſtam ſuæ ratiocinationis fallaciam idcirco excuſare, quod tacita quadam inductione fuerit uſus, ad probandum, neminem, qui ante Chriſti adventum divinus homo eſſet, & ſingulari quadam ratione à Deo miſſus fuiſſet, dixiſſe, ſe de cœlo deſcendiſſe, & à Deo exiiſſe. Quo videlicet probato, verisimile eſſe appareat, ut Chriſtus, cum hæc de ſe dixit, alio reſpexerit, aliaque potiora in ſe habuerit, præter id, quod divinus homo eſſet, & à Deo ſingulari quadam ratione miſſus. Deinde peccat Volanus, quia pro abſurdo ponit negare, omnes ſanctos prophetas ſingulari quadam ratione à Deo miſſos fuiſſe, vel hoc ipſum potius, quod negari non vult, pro conceſſo ſumit. Id quod tamen à me plane negatur; & ſic apparet, Volanum principium (quod ajunt) quodammodo petere. Quamvis enim ſancti prophetæ non pauci à Deo miſſi dicantur; non tamen id ſingulari quadam ratione factum fuiſſe, vel dicitur, vel affirmari poteſt. Adde, quod in verbis meis vox illa, Quadam, non perinde accipienda eſt, ac ſi dictum fuiſſet Aliqua, vel ea vox, ut fieri ſolet, ad imperfectionem ſive improprietatem rei ſignificandam fuiſſe adhibita. Sed ſic accipi debet, ut idem ſit, atque Certa quadam. Quamobrem non ſatis eſt, ad interpretationem meam evertendam, probare, Propheras aliqua, ſeu qualicumque ſingulari ratione à Deo fuiſſe miſſos, & tamen eos jure non potuiſſe dicere (non autem, ut perperam Volanus ratiocinatur, non dixiſſe) ſe de cælo deſcendiſſe, & à Deo exiviſſe. Sed neceſſe eſt oſtendere, inter rationem, qua miſſus à Deo fuit Chriſtus, & illam, qua miſſi fuerunt ſancti Prophetæ, nullam futuram differentiam, aut ſaltem hac in re Chriſtum ſanctis prophetis nihilo præſtantiorem futurum, niſi Chriſtus revera ante matrem ſuam extitiſſet. Nec tamen hic Volanum fallaciæ æquivocationis (quam nominant) vel ignorationis elenchi redarguo, quemadmodum alioqui jure facere potuiſſem. Mihi enim imputari volo, quod apertiſſime non ſim locutus; licet ipſa ſubjecta materia ſatis aperta faceret verba mea. Mitto autem, quod Volanus ad utramque iſtam locutionem, Deſcendiſſe de cælo, & Exiviſſe à Deo, id refert, quod ego de altera tantum dixeram; & quod poſtea, cum, exemplo de prophetis allato, meam interpretationem reprehendit, prioris tantum locutionis meminit, quæ eſt Deſcendiſſe de cælo; ad quam minime interpretationem iſtam accommodaveram. Mitto, inquam, hæc, nam, modo de ſententia mea aliqua ratione agat Volanus & ad rem quoquo modo loquatur, jam non multum mihi curandum eſſe ſtatui, quod vel parum fideliter mea dicta referat, vel in eis reprehendendis argumentationes ſuas non ſatis recte concludat.

VOLANUS Partic. 33. pag. 128.

Verum quod Chriſtus apud Prtrem re vera in cœlo extiterit antequam carnem in utero virginis matris aſſumeret, vel inde patet, quod ſicut ſe exiviſſe à Patre, & veniſſe in mundum, ita relicto mundo, iterum ſe ire ad Patrem teſtatur. Nam ſi numquam ante hac apud Patrem fuit, quomodo ſe iterum ad eum contendere prædicat?

ANONYMUS.

Cum Volanus invenire non potuerit, quid afferret contra ea, quæ a me dicta fuerant, ut oſtenderem, locutiones illas, Deſcendiſſe de cælo, Exiviſſe à Deo, eam vim habere non poſſe, quam illis ipſe tribuerat, præter omnem diſputandi rationem, iis plane omiſſis, hoc aliud teſtimonium attulit. Nec interim vidit, indo nihil prorſus ſententiam ſuam juvari poſſe, niſi prius probet, Chriſtum, tunc à patre ſe exiviſſe, & veniſſe in mundum, dicere voluiſſe, cum conceptus eſt in virginis utero, atque ex ea natus, quod tamen non faciet unquam: ut ex priore reſponſione noſtra intelligi facile poteſt. Præterea non animadvertit, adverbium illud Iterum in Græco eſſe πάλιν quod non ſecus, atque Rurſus ſeu Rurſum apud Latinos non tantum Iterum ſeu Denuo ſignificat; ſed etiam Contra ſive Ediverſo: idque ſæpenumero non modo cum nulla veræ iterationis, ſed cum leviſſima, & in ſpeciem potius, quam vera, oppoſitionis ſignificatione. Ut recte locutus fuerit Chriſtus, dummodo ipſe & à patre exiviſſet, & ad patrem iret, ut loquitur Johannes cap. 13. 3. (opponi enim videntur invicem hæc duo) nec neceſſe ſit, ut eodem reſpectu utrumque verum eſſet; ſic, ut colligi poſſit, qua ratione Chriſtus apud patrem futurus erat, poſtquam ad illum iviſſet, eadem apud eundem fuiſſe, antequam ab eo exiret, quemadmodum colligi fortaſſe potuiſſet, ſi Iterum, ut Volanus ſcripſit, legendum eſſet. Quamquam ea vox non verbis illis Chriſti adhæret, Eo ad patrem, ut Volanus, loci ſententiam recitans, perperam indicat; ſed illis, Relinquo mundum. Sic enim habet locus, Exivi à patre, & veni in mundum. Rurſus relinquo mundum, & eo ad patrem. Ait igitur Chriſtus, ſe prius à patre exiviſſe, & in mundum veniſſe; Nunc contra, ſe mundum relinquere, & ad patrem ire: non autem, relicto mundo, iterum ſe ire ad patrem; ut Volanus eum dicentem facit. Itaque tota ejus argumentatio concidit, quæ eo ſolo nitebatur, quod Chriſtus, iterum ſe ad patrem contendere, prædicaſſet. Nec tamen à me negatur, vel, Chriſtum dicere potuiſſe, ſe iterum ad patrem ire, ſive ad patrem reverti; vel, revera illum ad patrem iterum iviſſe, ſive ad patrem revertiſſe. Immo utrumque à me non conceditur ſolum, verum etiam contra Volanum, & eos, qui cum eo ſentiunt, non leviter urgetur, ut ex priore reſponſione mea, pag. 40, & 41, intelligi poteſt, & ex iis, quæ paullo poſt dicam, ſatis conſtabit.

VOLANUS Partic. 34. pag. 128.

Imo quomodo ſe aſcendere illuc dicit, ubi fuit prius, ſi nunquam antehac in cœlo fuit.

ANONYMUS.

Numquam negatum à me fuit, Chriſtum revera fuiſſe in cœlo, antequam verba iſta diceret. Sed num propterea ſequitur, eum extitiſſe revera, antequam ex Maria naſceretur? Nihil minus. Vide priorem reſponſionem noſtram, pagina 40.

VOLANUS Partic. 35. pag. 128.

Verum egregii iſti interpretes, nos de aſcenſu, &c.

ANONYMUS.

Hoc loco Volanus (quod & in Paræneſi fecerat) in eos invehitur, qui ſupra dicta Chriſti verba ita interpretantur, ut in eis non de aſcenſu ipſius in cælum agatur, ſed de aſcenſu in Hieruſalem, vel trans mare Galilææ. Quibus cum ego non aſſentiar, non eſt, quod vel Volani integra verba hic deſcribam, vel ad ipſa quidquam reſpondeam. Præſertim cum, quid ad iſtos excuſandos merito dici poſſit, jam in priore mea reſponſione oſtenderim. Ut apparet pag. 37; nec ad ea, quæ à me dicta fuerunt, quidquam Volanus reſponderit.

VOLANUS Partic. 36. pag. 130.

Nam & Anonymus hic quoque ſuam eamque duplicem interpretationem affert, ut non modo à vobis diſſidere. Sed nec ſibi conſtare omnibus videatur.

ANONYMUS.

Quis umquam, inconſtantiæ nomine dixerit eum accuſandum eſſe, qui, duplici ratione locum certum quendam in ſanctis litteris explanari, poſſe, non dicat tantum, ſed etiam aperte demonſtret? præſertim vero ſi duo, qui inde proficiſcuntur, ſenſus nullo modo invicem pugnent, aut diſſideant; nec de loci ſententia percipienda revera agatur, ſed de alia explanatione quadam infirmanda? Hæc autem omnia hic ſunt. Ac præterea non ſimpliciter à me duæ iſtæ explanationes afferuntur, ſed ſub diverſa utrobique conditione, ſive ex diverſa ejuſmodi locorum accipiendi ratione: ut poſtea explicabimus.

VOLANUS Partic. 37. Pag. 130.

Poſtquam enim hic more ſuo multa jejune & intempeſtive nugatus eſt, ut Chriſtum non fuiſſe reipſa in cœlo tanquam hominem purum, ex Maria natum oſtenderet, figurato ſaltem dicendi modo eum in cœlo fuiſſe concedit, quod nimirum in cœlo non modo mente & cogitatione perpetuo verſabatur, verum etiam omnia cæleſtia, id eſt, arcana quæque diviniſſima, & ipſa omnia quæ in cœlo ſunt & fiunt, adeo cognita ac perſpecta habebat, ut ea tamquam præſentia contemplaretur.

ANOYMUS.

An multa jejune & intempeſtive nugatus fuerim, necne, ex ipſa mea reſponſione conſtare poteſt. Ego quidem ſpero, me & pleniora quædam (ut ſic dixerim) & opportuniora diſſeruiſſe, quam Volanus optaſſet. Qui propterea ne verbum quidem contra reſcribere eſt auſus. Si quid jejune à me tractatum fuiſſe, dici fortaſſe poterat, id egomet ibidem diſertis verbis monui. Nullam enim teſtimonii à Volano allati explanationem adhuc attuleram. Sed ſtatim deinde attuli, ac jejunitatem iſtam mihi objiciendi omnem auſam Volano præcidi. Qui tamen ex ipſis verbis meis ejuſdem vitii, ubi nulla prorſus ea de re ſuſpicio erat, me inſimulandi occaſionem videtur captaſſe. Neque hoc contentus, verbis illis, More ſuo, in univerſum mihi objicere voluit, quod multa jejune & intempeſtive in mea reſponſione ad ſuam paræneſim nugatus fuerim. Quod an verum ſit, judicabit pruden lector. Inquit autem Volanus nominatim, tunc me id feciſſe, cum, Chriſtum non fuiſſe reipſa in cælo, tamquam hominem purum ex Maria natum, oſtendere volui. Quod tamen numquam feci: ſed, tantum pag. 37 dixi, videri inter omnes conſtare, Chriſtum, ut hominem, nondum in cælo fuiſſe, cum verba illa, à Volano indicata, diceret. Immo id ego, ut ſtatim dicam, falſum eſſe oſtendi. Nam quod Volanus ait, me figurato ſaltem dicendi modo, Chriſtum, ut hominem, in cælo fuiſſe concedere, ſi vove Saltem maternæ linguæ, ut arbitror, proprietate deceptus, pro Tantum, ut quidem ſæpe ſolet (& tamen ipſe aliis ſermonis impuritatem objicit in ipſo pag. 39. initio) abuſus eſt, apparet, illum, ne quid gravius dicam, non intellexiſſe, quæ à me ſcripta ſunt. Tantum enim abeſt, ut figurato tantum dicendi modo, Chriſtum, ut hominem, antequam hinc abiret, & antequam ea verba pronunciaret, in cœlo fuiſſe concedam: ut ego is ſim, qui, vere & proprie Chriſtum, ut hominem, jam antea in cælo fuiſſe, contendam. Ut conſtat ex iis, quæ ſcripta ſunt in ipſa reſponſione mea, pag. 40. & ex iis, quæ ipſe Volanus particula ſequente ſcribit, intelligi aperte poteſt. Nec vero ſimpliciter & abſolute dico, Chriſti verba in eum ſenſum accipi poſſe, quem hic Volanus recitat, & quo altera ex duabus illis meis explanationibus continetur, ſed tum demum, ſi in Chriſti verbis tropum aliquem agnoſcere velimus, quemadmodum Volani, & ſuorum interpretationem ferre oſtendi. Ut patet pag. 39. Quod ſi fortaſſe Volanus voce Saltem hoc loco proprie, & Latine eſt uſus, & voluit dicere, me concedere, Chriſtum, ut hominem, ſi non alia ratione, at figurato loquendi modo in cælo fuiſſe; perperam omnino eſt locutus. Quaſi vel ipſe, ſive adverſarii mei id quærerent; vel ego non quidem id concedam, ſed, petam, eamque petitionem meam Concedendi verbo recte potuerit Volanus exprimere.

VOLANUS Partic. 38. pag. 131.

Quod ſi inquit, concedendum eſt, Chriſtum vere & proprie loquendo, in cœlo fuiſſe, minime dubitandum eſſe dicit, quod ſicut Paulus in tertium uſque cœlum raptus fuit, ut arcana Dei ineffabilia contemplaretur, ita & Chriſtus aliquod tempus in cœlo verſatus fuerit, antequam munus cæleſti doctrina hominis imbuendi ſibi à Patre mandatum publice ſuſciperet. Ita vero fieri, ut non modo hæc verba Chriſti planiſſima ſint, & in eis nullum tropum admittere neceſſe ſit, ſed illa etiam, Deſcendi de cœlo, Exivi à Patre, ſine ullo tropo accipi poſſint.

ANONYMUS.

Ex his ipſius Volani verbis, ſi cum ſuperioribus conjungantur, apparet, id verum eſſe, quod dixi, me duas iſtas explanationes non ſimpliciter, neque eadem ratione attuliſſe; ſed priorem quidem, ſi tropus aliquis in Chriſti verbis admittendus ſit; poſteriorem vero, ſi nullus. At, ne poſthac queat Volanus, quamvis plane immerito, me inconſtantiæ damnare, dico, poſteriorem hanc Chriſti verborum interpretationem mihi veriſſimam videri, meque in ea prorſus acquieſcere. Atque, ut in priore reſponſione non obſcure affirmavi, ſic hoc loco affirmo, atque adeo contendo, Chriſtum, poſtquam natus eſt ex Maria, & antequam à mortuis reſurgeret, fuiſſe in cælo revera & proprie: hominem, inquam, illum Jeſum Nezarænum, medio illo tempore, aliquandiu in cælo fuiſſe, prorſus aſſevero. Nam, præter rationes evidentiſſimas, ſi ſententia præſertim noſtra de Chriſti eſſentia retineatur, quæ id omnino ſuadent, docet hoc aperte locus ipſe, de quo agimus. Si quidem in eo, ut ipſi adverſarii volunt, & ego nihil dubito, de cælo eſt ſermo. Diſerte enim in eo dicitur, filium hominis ibi prius fuiſſe, quo fieri poterat, vel futurum erat, ut aſcendere conſpiceretur. Quantopere autem, ſi hoc verum eſt, adverſariorum ſententia de Chriſti natura ſive eſſentia labefactetur, prior reſponſio noſtra quemlibet docere poteſt: ad quam lectorem rejicimus. Tantum hic addimus, pro eo, quod eſt in Græco, ὅπου ἦν τὸ πρότερον, poſſe Latine dici, Ubi erat, ſeu fuerat prius. Nam vebum ἦν & Fuit, & Fuerat, non ſolum Erat, ſignificare poſſe, cum omnes Græcæ linguæ ſtudioſi norint, rum in ipſo Novo Teſtamento demonſtrant hi loci; Matth. 2. 15, & cap. 12, 40; una cum aliis non paucis, in quibus ἦν. Fuit ſignificat: & Joh. 9. 24. & cap. 20. 7; ubi ſignificat Fuerat. Hoc autem propter Græcæ linguæ ignaros

diximus; ne fortaſſe putent, cum in Latinis codicibus legatur, Ubi erat prius, in verbo erat aliquam vim eſſe ad demonſtrandam perpetuam quandam antehac in cælo Chriſti habitationem; & propterea interpretationem noſtram minime recipiendam cenſeant.

VOLANUS Partic. 39. pag. 131.

Imo vero nihil certum planumque erit in omnibus ſcripturis Sanctis ſi talis interpretatio omnium dictorum Chriſti, qualem vos homines perditi ac impudentes invehitis, admittenda erit. Si enim fingere cuivis, quidquid libet, licebit, & pro certa ſcientia quaſlibet conjecturas ſequi, actum eſt de univerſa Chriſtiana religione, & pro cæleſti illa ac infallibili Philoſophia, volaticam illam quæ nihil certi affirmat, kabituri ſumus Academiam.

ANONYMUS.

Hic ſane & licet, & libet illud Volano objicere, atque exprobrare, quod in Euangelio legitur Matth. 11. 17. *Tibia luſimus vobis; & non ſaltaſtis, lamentati ſumus vobis; & non planxiſtis.* Prius enim in ſua Paræneſi omnino reprehendere videbatur, quod verba Chriſti de ſuo è cælo deſcenſu figurate, & cum tropo aliquo à noſtris hominibus acciperentur. Nunc vero meam interpretationem, quæ nullum prorſus tropum in ejuſmodi Chriſti verbis agnoſcit, vehementer vituperat: adeo ut me & perditum & impudentem hominem, hujus rei occaſione, nominare non dubitaverit. Siccine agere Chriſtianum, mitto Chriſtianum, politicum ac litteratum hominem decet? Nam quid præterea habet interpretatio mea, cur eam Volanus tantopere damnet, niſi, quod ſine ullo tropo Chriſti verba accipit? Immo, quid aliud eſt mea interpretatio, quam Chriſti verba ſine ullo tropo accipere? Sed age, Volano concedamus ſua dicta refigere, & modo affirmare, modo negare, prout magis ſuæ ſententiæ tutandæ conducere exiſtimat; quid eſt, cur ſine ullo tropo Chriſti verba accipi nequeant? Nam quid vel abſurdum, vel incredibile, obſecro, in eo eſt, quod Jeſus Nazarænus, homo, inquam, ille ex Maria virgine natus, revera in cælo fuerit, etiam antequam à mortuis reſurgeret, ibique uſque ad ſæculi conſummationem perpetuo commoraturus, eo aſcendere conſpectus fuiſſet? Immo, quid vel convenientius, vel credibilius inveniri poteſt; dummodo id pro conceſſo non ponatur, ad quod probandum hæc ipſa Chriſti verba Volanus attulerat? Cur hujus rei rationes à me allatas non refellit Volanus: ſed cenſoria tantum quadam auctoritate & me, & mea dicta graviſſime notat; nec ulla reſponſione præter turpia convicia, atque calumnias, mea verba dignatur? Nam, quod non obſcure ait, me hic fingere quidquid mihi libet, & pro certa ſcientia quaſlibet conjecturas ſequi; ea evidens calumnia eſt, atque, ut à Volano proficiſcatur, indigniſſima, qui me eodem tempore impudentiæ nomine accuſat. Quid enim magis abeſſe conſtat ab iſtis figmentis, & ſimplicibus conjecturis, quas mihi Volanus objicit, quam ſanctarum litterarum verba ita accipere, ut omnino ſonant, quemadmodum ego facio? Contra vero, quid magis iſtarum rerum proprium eſſe apparet, quam ſanctas litteras ab eo, quem præſeferunt, ſenſu, eoque planiſſimo, ad alienum ab ipſis verbis, eumque involutiſſimum ſine ulla neceſſitate detorquere, ut hic Volanus cum ſuis facit? Quod ſi ſemel tantum atque iterum id facerent, ferri quodammodo poſſent. Sed, cum ſæpiſſime, ſi ſua ſomnia defendere velint, id facere cogantur, & porro faciant; nullo pacto ſunt ferendi, illiſque (non autem vel mihi, vel meis, ut Volanus eſt auſus) objiciendum eſt, quod nihil certi in Chriſtiana religione, inque ſacrarum litterarum interpretatione nobis relinquant. Nam quotus quiſque locus paullo illuſtrior eſt, ubi de Chriſto agatur, quem ipſi ſuo illi Communicationis idiomatum tropo non obnoxium (ut ſic dixerim) reddant, eumque propterea dubium atque incertum efficiant? Adde, quod ſæpe coguntur tropum iſtum adeo (ut ita loquar) extendere ac dilatare, ut quod unius tantum ex duobus illis, Deo, & homine, quos ipſi in Chriſto unitos fuiſſe, ſunt commenti, ſit proprium, de altero ſeparatim dici potuiſſe velint. Ut quidem hoc loco accidit; ubi Chriſtus dicit ſe fuiſſe in cælo: id quod ipſi ad ſolum Deum omnino referunt, quamvis de Filio hominis, id eſt de homine, ſeparatim id dictum fuiſſe conſtet. Cujus tamen figuratæ locutionis exemplum aut nullum aut perrarum aliquod, idque fortaſſe non apud bonos auctores, invenire hactenus potuerunt, vel poſt hac poterunt: niſi quidpiam aliud pro conceſſo ſumpſerint, quod non minus controverſum ſit, quam illud ipſum, de quo diſputatur. Solet quidem id, quod unius tantummodo partis eſt, toti tribui. Ut homini, quod cogitet, quod intelligat; quæ animæ tantum conveniunt: vel, quod ſtet, quod ſedeat; quæ propria ſunt corporis. Sed, quod unius partis proprium alteri parti ſeparatim tribuatur, id plane inſolens eſt. Nam quis umquam auſit ita loqui, Corpus meum cogitat, Corpus meum intelligit? aut, Anima mea ſtat, Anima mea ſedet? Nullum autem exemplum huic rei accommodatius afferri potuit, quam hoc animæ, & corporis humani: cum ipſi adverſarii dicere ſoleant, quemadmodum ex anima, & corpore conſtat homo, ſic Chriſtum ex Deo, & homine conſtare. Sed, ut breviter concludamus, calumnietur, convicietur, execretur, quantum velit, Volanus; numquam vim hujus mei dilemmatis jam in reſponſione ad ejus Paræneſim pluribus explicati effugere poterit? Aut Chriſti verba cum aliquo tropo accipienda ſunt; aut ſine ullo tropo. Si cum aliquo tropo, nulla eſt cauſſa, cur potius ita illa interpretemur, ut Volanus interpretatur, quam, ut ego interpretor: immo nulla eſt cauſſa, cur mea interpretatio ejus interpretationi longe anteferenda non ſit, propter eas rationes, quas in prædicta reſponſione attuli. Sin autem ſine ullo tropo accipi debent verba Chriſti; nullum locum habere poteſt Volani interpretatio, quæ ſine idiomatum communicationis tropo explicari nequit; atque, ut mea recipiatur, neceſſe eſt: quæ præterea, ut dictum fuit, & in priore mea reſponſione pag. 49. demonſtratum, Volani, & ſuorum de Chriſti eſſentia ſententiam non leviter labefactat.

VOLANUS Partic. 40. pag. 132.

Sed quia omnes ſani vos agnoſcunt homines ſtolide nugaces, & ſcripturas ſanctas ludibrio habentes, de certa illa quidem ac ſtabili veritatis ſententia ſe nunquam dimoveri patientur, vos autem mutuis pugnis ac telis confectos propediem conſpicient. Nam & in eo de aſcenſu Chriſti in cælum explicando loco, alter hic adverſarius non accedit Anonymi ſententiæ, ac omnino de aſcenſu Hieroſolymam verba à Chriſto fieri dicit. Neque enim diſcipulos aſcendente Chriſto in cælum ſcandalizatos perhibet, ſed tum cum aſcendiſſet Hieroſolymam ubi traditus & vinctus eſſet, ſcandalizatos eſſe. Ego vero tam hujus quam illius meras kaſce nugas ne reſponſione quidem dignas judico, quando tanta opinionum varietate fluctuantes, & magno intervallo à ſe invicem diſſidentes: omnem ipſi ſibi fidem derogant, & in craſſo deprehenſi mendacio tenentur.

ANONYMUS.

Nihil eſt opus ad repetita Volani convicia & maledicta quidquam reſpondere. Videat ipſe quid agat, & Chriſti Matth. 5. 22. ac Pauli 1 Cor. 6. 10. præceptorum, ac comminationum meminerit. Quod autem ait, nos mutuis inter nos pugnis propediem confectum iri, quia ſcilicet adverſarius ille ſuus mecum in interpretatione illorum Chriſti verborum, *Ubi erat prius*, non conſentiat; ut nihil dicam, quod fieri poteſt, ut iſte ipſius adverſarius non ſit revera è noſtrorum hominum numero: videtur omnino Volanus ex ſuorum ingenio noſtros homines metiri. Vix enim poſſunt illi quenquam ferre, qui non per omnia iis, quæ jam ſemel inter ipſos conſtituta fuerunt, vel aſſentiatur, vel aſſentiri ſe dicat. At noſtri homines non ſunt ejuſmodi. Verum, dummodo in quibuſdam præcipuis religionis noſtræ capitibus, ſine quibus pœnitentia in

Deum,

Deum, & fides in Dominum Jeſum conſiſtere non poſſunt, conſentiatur, & communis cæteroqui charitas, & pax conſervetur, in reliquis liberum plane unicuique eſſe volunt, ab aliis diſſentire. Quamquam in Scripturæ verbis varie non explanandis, ipſi quoque Volani magiſtri non uſque adeo ſunt ſuperſtitioſi. Id quod cuilibet, vel Theod. Bezæ in Novum Teſtamentum à ſe tranſlatum annotationes legenti, facile conſtare poterit. Quocirca nulla erat cauſſa, cur propter varietatem iſtam nos & hic, & alibi tantopere vituperaret Volanus, ex eaque, craſſi ac manifeſti mendacii nos coargui aſſereret. Quaſi vero, quia neceſſe eſt, alteram ex duabus iſtis interpretationibus minus veram eſſe, neceſſe ſimiliter ſit, ut altera quoque ſit falſa. Cæterum, quod attinet ad rationem, qua motus iſte Volani adverſarius meam interpretationem non probavit, tametſi ea ad Volani pariter interpretationem improbandam pertinet, & idcirco nullo pacto mihi ab ipſo Volano objici poteſt, tamen, ne quis ſcrupulus in legentium mente de mea interpretatione remaneat, dico, in Chriſti verbis de nullo alio ſcandalo agi, quam de eo, quod oriri poterat ex eo, quod idem Chriſtus ante dixerat de ſua carne comedenda. Videbatur enim durum admodum hoc atque adeo impoſſibile. Idem autem multo magis iis viſum iri apparebat, qui poſtmodum Chriſtum in cælum aſcendere conſpexiſſent; iis, inquam, qui in eum ſenſum, unde ſcandalum proficiſcebatur, ea Chriſti verba accipere perſeveraſſent. Hoc enim intelligendum eſt omnino, cum poſtea dixit Chriſtus, *ſi ergo videritis, &c.* ſi modo, ut Volani adverſarius pro conceſſo ſumit, voluit Chriſtus dicere, eos tunc multo magis ſcandalizatum ſive offenſum iri. Quod tamen nullo modo videtur neceſſarium. Poteſt enim Chriſti ſenſus eſſe huic plane contrarius; id eſt tunc ceſſaturum ſcandalum, & ex ſuo in cælum aſcenſu deprehenſum iri, alio ſenſu ſe dixiſſe, carnem ſuam comedendam eſſe, atque illi exiſtimaſſent. Atque hoc dico, etiamſi Chriſti verba, ut hactenus factum eſt, cum interrogatione legenda eſſent. Quod ſi, ut verba ipſa præſeferunt, nulla eſt in ipſis interrogatio, ſed imperfectus eſt ſermo, & particula Si pro cum, ſeu Poſtquam poſita eſt, ut ſæpe fieri contingit, non apud ſacros modo, ſed etiam apud profanos ſcriptores; nihil eſt, cur, de futuro ſcandalo quidquam Chriſtum dicere voluiſſe, ſuſpicemur. Sic enim videntur legi, & ſuppleri poſſe verba Chriſti, Cum ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi fuerat prius, tunc agnoſcetis, quod ſpiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam; quodque verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt, & vita ſunt. Nam, ſi cui durum videbitur ea addere, quæ nos addidimus, inveniat ipſe mollius (ut ita dicam) aliquod ſupplementum. Certe enim vix fieri poteſt, ut per interrogationem verba hæc enunciari debeant, utque pro τί ἐὰν ἰδῆτε, ſeu Quid ergo ſi, ſcriptum fuerit ἐὰν οὖν, ſeu Si ergo: nec ſimile exemplum temere apud bonos auctores invenies. Sed imperfecti ſermonis, præſertim in ſacris litteris complura exempla extant. Illud certum eſt, alios quoque ante me hunc locum ſic accepiſſe, ut imperfecta ſit oratio. Nam alicubi ex Philippo Melanchtone in hunc locum ſic annotatum reperi, *Imperfecta oratio eſt, quam ſic poteris abſolvere; Si videritis filium hominis aſcendentem, cognoſcetis Dei potentiam eſſe, quæ vivificet vos, de qua nunc dixi, &c.* Hæc tamen, ut obiter, ſic non tamquam certa, ſed tamquam veriſimilia, dicta eſſe volo.

VOLANUS Partic. 41. pag. 132.

Nobis certe Chriſtus Dominus, qui ipſiſſima eſt veritas, illudere noluit, & quam vere ſe ante mundum conditum extitiſſe profitetur, ita vere ex cœleſti illo ſolio in haſce terras ſe deſcendiſſe teſtatur, ut carne noſtra aſſumpta, eam deinde in cœlum auferret, nobiſque per illam ad ſacrarium illud cœleſte viam pateſaceret.

ANONYMUS.

Veriſſime ait Volanus, Chriſtum ita vere ex cœleſti illo ſolio in haſce terras ſe deſcendiſſe teſtari, ut carnem noſtram aſſumeret, quam vere profitetur, ſe ante mundum conditum extitiſſe. Atqui Chriſtus hoc neutiquam vere profitetur? Igitur illud neutiquam vere teſtatur. Teſtatur quidem Chriſtus aperte, ſe deſcendiſſe de cœlo; ſed non ex cœleſti illo ſolio. Nondum enim in ſolio cæleſti cum patre ſuo conſederat namque, hoc tum demum factum fuiſſe, ipſe alibi teſtatur, cum ita vicit, ut nos vincere ſuadet. Apoc. 3. 28. Nec porro, ut carnem noſtram aſſumeret, de cælo ſe deſcendiſſe, teſtatur Chriſtus, ſed contra, ipſum filium hominis, id eſt ſe hominem, de cælo deſcendiſſe ait, Joh. 3. 13.

VOLANUS Partic. 24. pag. 133.

Videant ergo iſti, quam rationem filio Dei reddituri ſint, qui neſcio quem ſimulatorem illum fingunt, dum nihil iſtorum judicio certi unquam de ſe protulerit, aliudque ſemper corde conditum quam ore promptum habuerit.

ANONYMUS.

Immo videat ipſe Volanus una cum ſuis, quam rationem reddituri ſint filio Dei, quem & hic, & alibi ſæpe aliud ſentientem, ac loquentem faciunt: &, quæ ipſe de filio hominis, de ſe, inquam, homine affirmat, ad, neſcio quem, æternum Dei filium pro eo tempore referunt, quo, hominem eum non fuiſſe, volunt. Nam quid attinet de incertitudine (ut ita loquar) verborum Chriſti, quam ipſi ubique ferme inducunt, amplius verba facere? quid enim aliud eſt dicere de Chriſto. Hic loquitur ſecundum divinam naturam; Rurſus hic ſecundum humanam; At vero hic ſecundum utramque, ut frequentiſſime faciunt: quid hoc aliud eſt, inquam, niſi plane nihil certi in Chriſti verbis relinquere? Et ſane vehementer miror, quomodo Volanus nobis id objicere auſus fuerit, quod ipſius, & ſuorum eſt proprium, à nobis vero penitus eſt alienum. Vide autem præter id, quod ſupra partic. 39, hac de re diſſeruimus, ea, quæ in priore reſponſione noſtra, pag. 45. in hanc eandem ſententiam ſcripſimus.

VOLANUS Partic. 43. pag. 133.

Nam quod juramento interpoſito coram Judæis, &c.

ANONYMUS.

Hoc loco Volanus quatuor ferme paginas occupat in exponenda explicatione, tum adverſarii ſui, tum mea, illorum Chriſti verborum, *Antequam Abraham*, &c Joh. 8. 58. & in utroque noſtrum, me vero potiſſimum, calumniis, & conviciis onerando, atque in Adverſarii ſententia ut cumque refellenda. At de refutandis explicationis meæ rationibus, quibus non, ut iſte ipſius adverſarius, aliter intelligi poſſe Chriſti verba, atque ante hac vulgo intellecta fuerunt, ſed omnino debere, oſtendi, verbum nullum. Satis habuit Volanus dixiſſe, me in explicatione mea eſſe odioſe garrulum, ridiculumque interpretem, immo ſceleſtum depravatorem verborum Chriſti; eam vero à ſpiritu Satanæ profectam fuiſſe, qui nihil penſi habeat, quomodo ſcripturam Dei corrumpat, dummodo gloriæ Chriſti filii Dei aliquid detrahat; eam denique vanam, monſtroſam, impiam cenſendam eſſe; ut quæ nihil aliud redoleat, quam virulentum in Chriſtum Dei filium odium, & obſtinatum quoddam omnis Euangelicæ veritatis evertendæ ſtudium. Cur autem hæc dicat, nullam cauſſam affert; niſi quod ſuum adverſarium refellens, manifeſtum eſſe ait, Chriſtum de ſua exiſtentia ante Abraham locutum fuiſſe: quæ cum res incredibilis Judæis, illum ex ſolo carnis aſpectu metientibus, eſſe videretur; idcirco juſjurandum interpoſuerit, ut plenam ſuis dictis fidem aſtrueret: & Judæos rabie occæcatos non aliam ob cauſſam lapides contra eum ſuſtuliſſe, niſi, quia, cum Deum ſe feciſſet, eum blaſphemaſſe, arbitrarentur. Ex quibus interpretationis quoque meæ vanitatem, & monſtroſam impietatem apparere, ait. Quaſi vero vel non incredibile Judæis videretur, Jeſum, Dei Chriſtum, & Iſraëlis redemptorem eſſe, futurumque, niſi illum reciperent, ut ipſis Dei regnum auferretur, & Gentibus daretur, quæ verbis

bis illis Chriſtum complexum eſſe, interpretatio mea docet; vel, hæc illis ab ipſo Jeſu, non quidem cum jurejurando, ut Volanus ait, ſed aſſeveranter denunciata fuiſſe, non ſatis foret ad illos rabie occæcandos, adque lapides tollendum, ut in ipſum jacerent, adigendos. Præſertim, cum ex ipſius Chriſti verbis aliam honeſtiorem cauſſam eum lapidandi ſuo ſceleri prætexere poſſent: non quidem quaſi ſe Deum faceret, id eſt æternum illum Jehovam, cæli, ac terræ creatorem, ut Volanus, eum ſe feciſſe, ſine dubio intelligit (nullo enim pacto, etiam vulgata ex Græco interpretatione admiſſa, id ex Chriſti verbis colligi poteſt) ſed quaſi vel, Abrahamum ipſorum patrem nondum extitiſſe, affirmaret, vel, ſe illo anteriorem aliqua ratione faceret. Certe ob eam cauſſam, quod in parabola de vinea Mar. 12. Luc. 20. malis cultoribus à Domino locata, Judæis auferendum Dei regnum, & Gentibus dandum, ſignificaſſet, manus ſtatim in eum injicere illi volebant, & feciſſent utique, niſi populum timuiſſent. Quinetiam legimus apud Lucam, cap. 4. ob id, quod, exemplis ejus rei è Vetere Teſtamento petitis, illis indicaſſet, fieri facile poſſe, ut alienigenæ ipſis anteferrentur, eos adeo indignatos fuiſſe, ut in vicinum montem eum duxerint, quo inde eum præcipitarent. Sed videat lector in reſponſione mea, pagina 32. & deinceps, interpretationem noſtram hujus loci apud Johannem. In qua leve erratum quoddam noſtrum præ feſtinatione & incuria antea admiſſum, ſed à Volano minime animadverſum, emendavimus. Neſcio enim, quomodo, ὡσεὶ, tanquam ſi ὡσεὶ ſcriptum foret, acceperam; cum interim hoc nihilo magis, quam illud, habita ratione eorum, quæ de ipſa voce dicebam, ſententiam atque interpretationem meam juvare poſſet, quæ tamen mea revera non eſt. Sed, qui primus noſtra ætate de Chriſti eſſentia, atque perſona exactiſſimam (ni fallor) veritatem in lucem protulit, idem hanc illius loci explicationem primus reperit: & porro, dum viveret, eam non paucis piis hominibus prorſus probavit. Is autem ejuſmodi vir fuit, cui Volanus inter ſuos omnes vel Sanctarum Literarum cognitione, vel vitæ innocentia vix parem inveniet.

VOLANUS Partic. 44. pag. 137.

Apoſtolus ad Romanos cap. 9 nihil clarius nihilque illuſtrius proponit, quam Chriſtum verum hominem, verumque Deum eſſe, hominem quidem ſecundum carnem ex patribus Judæorum natum eſſe oſtendit. Deum autem ſuper omnia benedictum in ſæcula prædicat. Huic vero tam ſplendidæ luci Anonymus vehementer infenſus, eam obſcurare modis omnibus contendit.

ANONYMUS.

In priore reſponſione oſtenſum eſt à nobis, non incommode verba Pauli Rom. 9. 5, ita interpungi poſſe, ut pars illa, *qui eſt ſuper omnia Deus*, &c. ad Chriſtum non referatur; idque teſte atque auctore Eraſmo; quem Volanus ipſe adverſus Lojolitas Vilnenſes (quos idem vocat) diſputans, in oppugnatione illorum idololatriæ, pag. 3. virum clariſſimum, & omni laude ſummæ eruditionis, & pietatis eximiæ cumulatiſſimum, haud ſane immerito, appellat; ejuſque auctoritatem in Idoli nomine interpretando illis opponit.

VOLANUS Partic. 45. pag. 137.

Nunc enim paucis quibuſdam autoribus hanc vocem Deus textui falſo inſertam, nunc de ſolo Patre Deo intelligendam tradit.

ANONYMUS.

Horum duorum prius nuſquam à me traditur, poſterius ex Eraſmi mente, ut dictum eſt, affertur: non adjecta tamen excluſiva (quam vocant) ulla particula, ut hic *ſolo* adjecit Volanus. Id enim abs re & inepte prorſus factum eſſet. Non eſt autem mirum, hic Volanum mihi affinxiſſe, quod vocem hanc Deus, Pauli verbis falſo inſertam, tradiderim; cum ſuperiore quoque pag. dicat, à nobis in Sacris Literis pleraque ſuppoſititia eſſe clamitari. Qua nulla nec major, nec gravior calumnia in noſtros homines excogitari potuit.

VOLANUS Partic. 46. pag. 137.

Sed quia vanam utramque opinionem ipſo rei judicio, & tanto celeberrimorum Eccleſiæ ſcriptorum conſenſu refelli animadvertit: concedit tandem Deum ab Apoſtolo vocari Chriſtum. Sed non quod ab æterno aut natura Deus ſit, ſed quia Dei beneficio Deus factus ſit, dato illi videlicet nomine, quod eſt ſupra omne nomen & collocato in dextera ſuper omnem principatum, & poteſtatem, ſubjectiſque omnibus ſub pedibus ejus, ac conſtituto capite ſuper omnem Eccleſiam. Nam Dei quidem nomen, non eſſe proprium ſed appellativum dicit, quod nihil aliud ſignificet, quam Dominatorem, Judicem, potentem ſeu fortem, benefactorem, & ejuſmodi alia nomina. Neminem ego tam craſſo ac ſtupido hominem ingenio eſſe puto, qui vel inde non animadvertat, quam execrabili in Chriſtum Dei Filium odio iſti ferantur, dum ſic viribus omnibus incumbunt, ut eum veræ ac æternæ Deitatis gloria ſpolient.

ANONYMUS.

Prioris opinionis, ut modo dicebam, ego nuſquam mentionem feci. Poſteriorem vero minime vanam ſum arbitratus. Sed, ne Volano ulla cauſſa ſupereſſet nobis Pauli teſtimonium illud amplius opponendi, in ea non prorſus perſiſtendum eſſe duxi; ſed oſtendendum, etiamſi verba illa ad Chriſtum referenda eſſent, non tamen ex eo colligi, Chriſtum natura, & ab æterno Deum eſſe. Quod ut evidentius appareat, totum locum, ut in ipſo ſcripto meo, quod Volano oblatum fuit, legitur, hic recitabo. Quandoquidem paullo aliter nunc edendum curavi: propterea quia certius de Eraſmi teſtimonio conſtare volui. Sic igitur antea ſcripſeram. *Nam, ut Eraſmus pluribus in locis annotat, poſſunt hæc verba ita interpungi, ut nomen Deus non referatur ad Chriſtum, & alicubi ait, ſibi omnino videri, poſt vocem σάρκα punctum eſſe ſtatuendum; ita ut, quæ ſequuntur verba ad hunc modum vertantur, Ille, qui eſt ſuper omnia, ſive omnes, Deus [ſit] benedictus in ſæcula; & ad Deum patrem referantur. Sed demus ad Chriſtum*, &c.

VOLANUS Partic. 47. pag. 138.

Nam quod contendunt, multos ſcripturæ locos eſſe depravatos, qui nomine Dei Chriſtum inſigniunt, aut ſi depravati non ſint, non ita Deum vocari, qui ſit natura, ſed qui beneficio Dei cenſeatur Deus, hoc perinde eſt, ac ſi dicant, Autoritati quidem ſcripturæ multum ſe tribuere, ſi Chriſtum Deum neget, quod ſi affirmet, nihil eam ſe morari. Se enim omni ſcriptura ſuperiores eſſe, ut quemcunque velint ſenſum illi affingant, non autem illi ſe regendos permittant.

ANONYMUS.

Dictum eſt paullo ante, hanc eſſe maximam & graviſſimam in noſtros homines calumniam. In me vero potiſſimum talis cenſeri debet; qui nec in reſponſione ipſa mea ad Volani Paræneſim, nec uſquam alibi ne unum quidem locum, in quo Chriſtus appelletur Deus, depravatum eſſe, aut dixi, aut dicere neceſſe habui, ſed ne ſuſpectum quidem mihi eſſe, ulla ratione oſtendi. Quodſi quis eſt ex iis, qui commenticiam illam Jeſu Chriſti filii Dei æternam generationem minime recipiunt, ex quorum ſcriptis, aut dictis, opinio iſta depravationis illorum locorum colligi poſſit; non tamen continuo vel mihi, vel noſtris hominibus, quia videlicet æternam illam filii Dei generationem non agnoſcimus, eadem opinio tribuenda eſt. Cum, ut ſupra alibi dictum fuit, multi ſint ejuſmodi homines, à quibus nos non minus, quam cæteri, abhorremus, niſi quod eos nec interficiendos, nec puniendos curamus; quemadmodum plerique alii, potiſſimum vero ii, quos duces, ac magiſtros Volanus habet, & ſtudioſe curant, & omnino curandum eſſe, libris etiam ea de re publice editis, plane contendunt.

VOLANUS Partic. 48. pag. 138.

Itaque eo jam dementiæ prolabuntur, ut Deum ſpiritualem ſubſtantiam ac per ſe exiſtentem negare incipiant, ſed in numero accidentium ſtolide reponant. Si enim nomine Dei nihil aliud intelligendum proponitur, quam juſtum, fortem ac potentem eſſe, hæc quidem cum per ſe non ſubſiſtant, niſi

certo

*certo alicui ſubjecto tribuantur, Deum utique non eſſe aliquam mentem aut ſpiritum per ſe ſubſiſtentem, ſed ſolum eſſe accidens, quod creaturæ alicui rationali, tanquam ſuo ſubjecto attribuatur. * Ita vero falſum erit, ſpiritum aliquem eſſe æternum & increatum, cauſamque rerum omnium in natura, ſed † ſolas rationales creaturas, quæ ſint juſtæ, fortes, ac potentes, eſſe Deos. En quæ monſtra nobis novi iſti Theologaſtri parturiunt, & in quam abſurdas ac impias opiniones proruunt, dum ſcripturis ſanctis vim faciunt eaſque temulentis ſuis ſenſibus ſervire cogunt. At quale obſecro acumen oſtendunt, & quam certa principia proponunt, ut deinde neceſſarias concluſiones inde nobis inferant? Dei, inquiunt, nomen cum non ſit proprium ſed appellativum, Ergo nihil aliud ſignificat, quam juſtum, fortem, potentem, ac Dominatorem. Quid audio bone philoſophe, ſive potius Grammatice, nomina appellativa ſola ſignificare accidentia, & non ipſas etiam rerum ſubſtantias? Atqui tyrones in ludis litterariis de homine, equo, bove, & cane interrogati, quale ſit nomen, reſpondent appellativum eſſe, ut tibi hæc prima artium rudimenta ab illis fuerint perdiſcenda, antequam ſic infœliciter philoſophari inciperes.*

ANONYMUS.

Vix dici poteſt, quam aliena à ſua eruditione atque acumine hic loquatur Volanus, cum id, quod à me de hoc ipſo nomine Deus dictum eſt, ad illum tranſfert, qui potiſſimum hoc nomine appellatur, inque hac de Deo diſputatione in æquivoco (quod ajunt) perpetuo verſatur. Aliud eſt igitur ipſum nomen Deus; aliud is, qui potiſſimum hoc nomine appellatur. Aliud item Dei nomen propria ſua ſignificatione acceptum, quam adhuc retinet; aliud ea acceptum, qua uſurpari conſuevit. Nomen Deus apud Latinos quemadmodum Eloha ſive El apud Hebræos, & Θεὸς (de quo nobis nominatim agendum eſſet, ſiquidem Græce ſcripſit Paulus) apud Græcos ſua propria ſignificatione pluribus convenit: cum non ſit nomen proprium, ſed appellativum. Fit tamen, ut κατ' ἐξοχὴν uni illi ſummo rerum omnium conditori, tamquam ejus proprium, id nomen tribuatur. Nimirum quia hujus nominis propria ſignificatio illi præcipue convenit, & ſingulari quadam, præter alios ratione. Ipſe enim potiſſimum dominator, gubernator, fortis, ac benefactor eſt (namque hæc, ut in priore reſponſione diximus, propria eſt hujus nominis ſignificatio) immo alii, præ ipſo, vix hiſce appellationibus ſunt digni; præter unum Chriſtum Jeſum, cum quo ſua omnia communicare illi placuit. Unde factum eſt, ut in ſacris litteris Chriſtus frequentius Dei nomine atque expreſſius, quam quiſquam alius, poſt ſummum illum rerum omnium conditorem, appellatus fuerit. Hæc autem ſermonis figura, cum aliquod nomen appellativum uni cuidam, tamquam ſi ejus proprium nomen eſſet, accommodatur, idque propter excellentiam quandam, frequentiſſima eſt in omnibus linguis, & apud omnes ſcriptores. Hinc, ut imperator Juſtinianus * teſtatur, poëtæ nomine ſimpliciter prolato, apud Græcos Hometus intelligitur, apud Latinos vero Virgilius (ac de Homero quidem multo ante Cicero † idem teſtatus fuerat) & ſimplici juris civilis nomine jus civile Romanorum ſignificatur. Quamvis & apud Græcos, & apud Latinos alii plurimi fuerint poëtæ præter Homerum, & Virgilium; & non Romani tantum, ſed alii quoque permulti ſuum proprium jus civile habuerint. Hinc etiam apud Theologos invalint, ut Apoſtoli ſimplici nomine Paulus intelligatur, apud philoſophiæ vero ſtudioſos, ut Philoſophi nuda appellatione Ariſtoteles ſignificetur. Sed quid plura? an non Adonai nomen paſſim apud Hebræos pro omnium creatore uſurpatur, quamvis ſua propria ſignificatione Dominum, ſeu Dominum meum declaret? Quare id nomen de rebus quoque creatis & dici poteſt, & frequentiſſime dictum invenitur. Quamquam in Hebræa ſcriptura, ad differentiam inter creatorem, & res creatas, variatio unius vocalis punctuli introducta eſt. Verum, qui Vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcum converterunt, nomen ipſum creatoris proprium, quod Jehova eſt, κυρίῳ nomine reddiderunt; idque non addito plerumque articulo, ut in propriis nominibus fieri ſolet, cum tamen certiſſimum ſit, nomen κύριος appellativum eſſe, & ſæpiſſime in ipſis Sacris Litteris rebus creatis tribui. Quocirca mirum videri non debet, ſi nomen Θεὸς, id eſt Deus, quamvis appellativum ſit, tamen, ut ante dictum eſt, tamquam ſi proprium ejus nomen eſſet, ſummo creatori accommodatur, idque frequenter ſine articulo. Quamquam is frequentius cum articulo, nulla præterea alia re adjuncta, ὁ Θεὸς nominatur. Quod verti etiam alicubi Latine poſſet, ille Deus, & hic nomen hoc Deus prorſus appellativum conſervaretur; & nihilominus unus tantum, idque omnino certus, ſignificaretur. Hac autem ratione, ut videlicet vel proprii nominis loco ſit, vel, nulla prorſus re alia adjuncta, articulum præpoſitum habeat, nuſquam (ni fallor) τῷ Θεῷ nomen Chriſto attributum invenies. Itaque, ut ad rem redeamus, Sophiſtam plane agere voluiſſe videtur Volanus, cum ea, quæ de hoc nomine Deus à me diſputantur, de illo dicta accipit, qui potiſſimum hoc nomine appellatur: quaſi nemo alius umquam eo nomine appellatus fuerit in Sanctis Litteris. Quod tamen aliter omnino ſe habere, Chriſtus ipſe docet Joh. 10. 34, & 35. Ut alia complura ejus rei apertiſſima teſtimonia omittam. Quod ſi nihilominus ſcriptum ſæpe legitur, unum tantum eſſe Deum; tunc nomen Deus in potiorem ſenſum accipitur, & eum ſignificat, qui ita omnium rerum ſit gubernator, & dominus, ut nullum ſuperiorem, aut per omnia æqualem, agnoſcat. Nam unum quoque tantum Dominum nobis Chriſtianis eſſe legimus 1 Cor. 8. 6 Epheſ. 4. 5, vel abſolute etiam unus tantum Dominus eſſe dicitur, qui Chriſtus eſt; & tamen Paulus ipſe, qui hæc dixit, alibi ſæpe homines mortales aliorum, etiam Chriſtianorum, dominos appellat. Futile igitur prorſus eſt id, quod ait Volanus, me negare, Deum eſſe ſpiritualem ſubſtantiam ac per ſe exiſtentem: cum ego non de ipſo Deo loquar, id eſt de dominatore illo altiſſimo, cui hoc nomen κατ' ἐξοχὴν, tamquam ipſius proprium, tributum invenitur; ſed de hoc nomine Deus verba faciam. Nec tamen, nomen iſtud accidentia ſola ſignificare, ajo, quemadmodum mihi Volanus objicit. Nam, & ſi dixi, nomen Deus idem ſignificare, quod Dominator, Judex ſeu Gubernator, Potens ſeu Fortis, Benefactor, & ejuſmodi alia nomina, perinde accipienda ſunt verba mea, ac ſi dixiſſem, Is, qui dominator eſt, &c. Quemadmodum, ſi quis diceret, hoc nomen Philoſophus idem ſignificare, quod Studioſus ſapientiæ, recte loqueretur: quamvis Philoſophus ſit nomen (ut vocant) ſubſtantivum, idque ſubſtantiam quandam aliquo modo ſignificans, licet interdum adjectivi nominis naturam induat; Studioſus ſapientiæ vero, quatenus hic, tamquam nomen unum, accipiendum foret, ſit nomen prorſus adjectivum. Intelligendum enim eſſet, eum ita locutum fuiſſe, ac ſi dixiſſet, Is, qui ſtudioſus eſt ſapientiæ. Cæterum Volanus, ut apparet, ex eo, quod nomen Deus propria ſua ſignificatione ſit nomen appellativum, colligere me voluiſſe, exiſtimavit, eſſe nomen, quod non ſubſtantiam ipſam ullo modo ſignificet, ſed ſola accidentia. Quod tamen longe aliter ſe habet (Nec ſane, Dei gratia, vel grammaticæ, vel etiam logicæ ſum adeo rudis, ut iſtud mihi in mentem venire potuerit) Quandoquidem hoc nomen Deus appellativum eſſe, non ob aliam cauſſam aſſerui, quam, ut concluderem, non eſſe nomen proprium: quemadmodum ex ipſis verbis meis liquido conſtat, id eſt non tale, quod uni tantum conveniret, atque individuam ſive unam numero quandam ſubſtantiam perpetuo ſignificaret, ſummum videlicet illum rerum omnium conditorem; unde concludi poſſet cum,

* Deſideratur verbum aliquod.

† Deſideratur *Verum erit*, aut tale quidpiam.

* Inſt. lib. 1. cap De jure nat. gen. & civ. † In Topic.

cum Chriſto id nomen tributum inveniretur, eum, ſummum illum rerum omnium conditiorem, eſſe. Sic enim argumentandum eſt Volano, ſi ex Dei nomine, quod Chriſto à Paulo tribui contendit, nec ego plane diffiteor, id colligi velit, quod probare nititur. Quod ſi non ex ſolo Dei nomine, ſed ex eo ſimul, quod additur, Super omnia, id colligi debere exiſtimat; jam ad hoc quoque ſatis in priore noſtro ſcripto reſponſum eſt, pag. 26 Quanquam autem nomen Deus, quatenus etiam appellativum eſt prorſus, ſubſtantiam ipſam aliquo modo ſignificat; tamen unum ex iis nominibus cenſeri debet, quæ grammatici ambigua vocant, qualia ſunt Rex, Civis, Poëta, Philoſophus, & alia ejuſmodi. Hæc enim ſubſtantiæ qualitatem quandam potius, quam ipſam ſubſtantiam, declarant. Unde fit, ut nonnunquam ex ſubſtantivis adjectiva fiant. Cujus rei etſi manifeſta exempla in ipſo nomine Deus inveniri, non auſim aſſerere; non crediderim tamen, eum peccaturum, qui aliquando hoc nomen adjective uſurparet; non tamen ita, ut pro Juſto acciperet. Neque enim hanc notionem huic nomini ſubeſſe exiſtimo. Quod nec dixi unquam: quamvis Volanus id mihi ſuo more affingat.

VOLANUS Partic. 49. pag. 140.

Sed ne in re vana infectanda, oculiſque omnium expoſita diutius immorer, nemini quidem dubium eſt, qui vel primis labris Sacras attigerunt Literas, nomen Dei proprie & in ſua ſignificatione uſurpatum, nihil accidentale ſignificare, ſed ſimpliciſſimam ac perfectiſſimam omnium ſubſtantiam, ſpiritum ſcilicet æternum omnique principio carentem, ac totius creaturæ autorem, ideoque ſolum ab univerſa creatura colendum & adorandum. In quem quidem adeo nullum accidens cadit, ut non tam ſit juſtus fortis, bonus, ac ſapiens, quam ipſa juſtitia; fortitudo, bonitas, ac ſapientia. Ac proinde ut ab ordine omnium creaturarum hic Deus ſive æternus ſpiritus ſe exemplum eſſe oſtendat, hoc neceſſario ſibi vendicat, & ab univerſa creatura requirit, ut ſicut eum unum & ſolum Deum, hoc eſt, ſpiritum omnis initii expertem agnoſcere debent: ita ſolum, illum adorent, ſolique ſerviant. Itaque quos ſtulta gentilitas Deos ſibi fabricata eſt, maledictionem omnibus imprecatur per Prophetam, ut pote in quos tanquam creaturas impie hic honos tranſferatur, qui non competit, niſi illi æterno ſpiritui rerum omnium creatori. Et Paulus ſtultitiam ſimul & impietatem gentium accuſat, qui ſerviebant iis, qui natura non ſunt Dii, & qui colebant creaturam non creatorem, quibus quidem verbis luculenter demonſtrat, ut ſolum eſſe Deum illum ſpiritum increatum omni origine carentem: ita hunc ſolum colendum, adorandum, & invocandum eſſe. Inde vero nemini jam dubium eſſe poteſt, quod cum ſalva ſcriptura Prophetica & Apoſtolica pernegari omnino non poſſit, omnem veræ adorationis cultum Filio Dei Chriſto Domino tribui, verus itidem & natura Deus ab iiſdem ſcripturis ſtatuatur.

ANONYMUS.

Quod nomen Dei in Sacris Literis ipſam eſſentiam divinam ſignificet, id eſt, illum ipſum, qui omnium rerum creator eſt, cuique ſimilis natura eſt nemo, hoc non ex vocabuli propria ſignificatione fit, cum id revera appellativum ſit nomen, & pluribus conveniat, ac præterea non tam rei ſubſtantiam, quam qualitates ſignificet; ſed ex loquendi uſu, qui per eam figuram, quæ ἐξοχὴ, id eſt Excellentia, dicitur, inductus eſt, cum interim idem nomen aliis quoque præter ſummum illum creatorem in iiſdem Sacris Literis tributum inveniatur: quemadmodum ſupra demonſtratum fuit. Quis eſt autem linguarum non plane rudis, & in divinis ſcriptoribus legendis vel leviter exercitatus, qui hæc neſciat? Nam vel unus ille locus (cui tamen alii ſimiles inveniuntur) Deut. 10.17, ubi Moſes ſummum illum creatorem, id eſt Jehovam; Deum Deorum appellat, apertiſſime oſtendit, non minus in ſacris, quam in profanis literis, Dei nomen appellativum revera eſſe, & non niſi per excellentiam quandam id nomen, tanquam proprium, Jehovæ, ſeu ſummo illi omnium rerum Domino ac moderatori, tribui. Namque, ut ibi doctiſſime & appoſitiſſime, ut ſolet, annotat Franciſcus Vatablus, idcirco ipſe Jehova, Deus Deorum eſſe dicitur, quia *unicus eſt Deus, qui primas tenet inter omnes Deos.* Vides, lector, quomodo tantus vir nobiſcum ſentiens, & Jehovam, unicum Deum eſſe, ſtatuat, & ſimul tamen, alios Deos eſſe, agnoſcat. Quod idem fecerunt multo ante ipſum plerique eorum, qui apud Chriſtiani nominis homines rerum divinarum peritiſſimi ſunt exiſtimati. Inter quos maxime Irenæus; qui, licet ita contendat, Dei nomen, uni tantum vero Deo tributum in Sacris Literis fuiſſe, ut ne locum quidem illum 2Cor. 4.4, *in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium*, ad alium, quam ad verum Deum referri velit; tamen aperte confitetur, eos etiam, qui adoptionis divinæ ſpiritum acceperunt, Deos in Sanctis Literis vocatos fuiſſe, ut unicuique patebit ſextum cap. tertii lib. accurate legenti: ubi locos Pſal. 50. 1. & Pſal. 81. 1 & 6, huic ſententiæ convenienter explicat. Quam etiam repetit in fine procemii quarti libri, & in ipſo ejuſdem lib. initio. Quamobrem penitus evaneſcit quidquid de uno & ſolo Deo vel hic, vel alibi aut ſcribit Volanus, aut intelligit, ut inde probet, Chriſtum, quia Deus à Sacris Scriptoribus appelletur, illum Jehovam eſſe, qui ſupremus rerum omnium conditor, & gubernator eſt. Qui etiam Jehova cur, & quomodo ſolus adorandus, & invocandus ſit, licet Chriſtus quoque, quamvis Jehova non ſit, & adorari debeat, & invocari poſſit, ſatis perſpicuum videtur. Eadem enim hujus rei ratio eſt, quæ illius, quod idem Jehova unicus ſit Deus noſter, & tamen Chriſtus quoque, qui ipſe Jehova non eſt, ſit noſter Deus. Id quod ſatis confirmat ipſe Volanus, dum aſſerit, illum ſpiritum increatum omni origine carentem ſolum eſſe Deum, & ſolum colendum, adorandum, invocandum eſſe: & tamen Chriſto Dei filio hæc omnia tribuit; quem conſtat inter omnes non carere origine, ſed ſui principium Patrem habere. Nam, ſi hic Volanus ad diſtinctionem perſonæ, & eſſentiæ confugiat, & dicat, Dei filium perſonæ quidem ratione non carere origine, ſed ratione eſſentiæ, carere; Primum dico, hoc non videri ad rem facere. Nam de ipſa perſona filii Dei, cum ita à Patre diſtinguitur, neceſſe eſt ſermonem eſſe: & ipſa perſona eſt Deus? ipſaque colitur, adoratur, & invocatur; non autem eſſentia. Deinde moneo, ut diligenter legat primum librum G. Genebrardi theologi Pariſienſis de Trinitate. Ubi contra ſuos magiſtros, ex antiquorum auctoritate, explicatum inveniet, Dei filium, ratione ipſius eſſentiæ, originem à patre habere, ſolumque Patrem αὐτὸ θεὸν eſſe; & hæreticos cenſeri debere eos, qui Chriſtum αὐτὸ θεὸν eſſe contendunt. Sed de Chriſti adoratione, & invocatione, quæ illi aut debeatur, aut conveniat, quamvis ipſe non ſit unus ille Deus, & ſupra ſatis dictum eſt, & copioſiſſime, ut ibi monuimus, in noſtra cum Franciſco Davidis diſputatione explicatum fuit; & nonnulla etiam deinceps dicenda erunt. Verumtamen ad ea hoc loco reſpondere libet, quæ ex Paulo affert Volanus, ut probet, nullam rem creatam, & quæ natura non ſit Deus, adorandam, aut invocandam eſſe. Dico igitur, cum Paulus, ſcribens ad Gal. 4. 8, illis quodammodo exprobrat, quod aliquando eos coluiſſent, qui natura non ſunt dii, voce Natura, ut alibi quoque, nihil aliud eum ſignificare voluiſſe, quam, ſi dixiſſet Vere ſeu Revera, ſeu mavis Reipſa. Ut Beza in eum locum annotavit, inquiens, Naturam ibi opinationi opponi. Atqui Chriſtus, licet rès creata, non opinione tantum, ſed reipſa eſt Deus: & quidem Deus noſter, nobis revera ab uno illo Deo datus & conſtitutus. At vero, quod idem Paulus in Epiſtola ad Rom. eos vehementer accuſat, qui creaturam ſupra creatorem, ſeu malumus, ut Beza legit, præterito creatore, venerabantur, & colebant; hoc non impedit, quo minus res creata coli poſſit, modo non ſupra creatorem colatur, nec per ejus cultum creatoris cultus relinquatur. Id quod profecto in Chriſto, licet re creata, colendo evenit. Cum ipſe non aliter, quam ut creatori, ex ipſius creatoris voluntate, ſubordinatus, colatur,

tur, omniſque ejus cultus ad creatorem ipſum referatur. Qua de re paullo poſt aliquid explicatius dicendum erit.

VOLANUS Partic. 50. pag. 142.

Ac proinde animadvertentes Ebionitæ, id quidem neceſſaria conſecutione recte colligi, nullum jam non movent lapidem, ut omnibus ſuis ſectatoribus perſuadeant, Filium Dei in precibus non eſſe invocandum, ſed ad ſolum Patrem omnia vota eſſe dirigenda. Alii autem, qui non perinde omnem faciem perfricuerunt, ut in tanta ſcripturæ luce, tam aperte mentiantur, adorationem quidem Chriſto deberi non negant, ſed non eam tamen, quæ ſoli Patri competit. Scribit enim Anonymus, non æquali cultu & honore cum Deo Patre, ſed ejuſdem generis cultu & honore Chriſtum colendum eſſe. Id enim (inquit volunt ea verba ipſius Jeſu apud Joannem, ut omnes honorent Filium ſicut honorant Patrem. Non minus (inquit Filio,) quam Patri divinus honor ab omnibus debetur, ſed non tamen æqualis.

ANONYMUS.

Cum apertiſſimum ſit, Volanum Ebionitarum nomine noſtros homines intelligere, aut certe comprehendere, graviſſima hæc ipſius calumnia cenſeri debet, qui Ebionitis generatim id tribuat, quod à nobis quam longiſſime abeſt, & in quo deteſtando, ac refellendo hactenus & multi fuimus, & maxime laboravimus. Oſtendunt id noſtrorum hominum hujus rei cauſſa in Tranſylvania graves ſuſceptæ diſceptationes, & eccleſiarum Poloniæ noſtrarum ſuper ea re editum judicium: quæ omnibus ſunt nota. Oſtendent idem clarius aliquando, Deo dante, noſtra de tota hac materia elucubrata ſcripta. Debuerat ſaltem Volanus primum voci Ebionitæ, Quidam addere; & deinde non Alii autem, quod etiam non bene, ut nunc ea leguntur, cum antecedentibus cohæret, ſed Plerique tamen, ſcribere. Refellitur autem hæc Volani calumnia vel ex eo, quod ipſemet ſupra pag. 99. ſcripſit, inquiens, ſe brevi futurum ſperare, ut noſtri homines, quos ibi ſimiliter Ebionitarum nomine ſignificat, ne adorandum quidem, nec invocandum Dei filium toti turbæ à ſe ſeductæ perſuadeant. Perſuadeant enim omnino pro Suadeant, ſeu Perſuadere conentur, eo in loco dixit; ut & antecedentia, & conſequentia verba declarant, præcipue vero antecedentia: in quibus fatetur, nos Chriſto Dei filio adorationem tribuere: ſed in eo nos acriter reprehendit, quod interim tamen eum cæli, terræque creatorem agnoſcere nolimus. Sed & infra pag. 148. ſuam hanc calumniam ipſe refutare dicendus eſt, cum ait, *Ebionitæ tandem Chriſto nuncium remittent, & quem Deum negant, ne adorandum quidem brevi concludent.* Apparet enim ex multis, Volanum inter adorationem, & invocationem Chriſti, ex mente etiam, ut putat, noſtra, nullum diſcrimen hac in re conſtituere; id eſt, ſi una ex iſtis Chriſto denegetur, alteram quoque neceſſario denegandam; & ſi una concedatur, alteram quoque concedendam, cenſere. Quod igitur hic ait, nullum jam nos non movere lapidem, ut omnibus noſtris ſectatoribus perſuadeamus, id ipſum & ſupra, & infra affirmat, nos nondum iiſdem perſuadere conari; quippe qui contrarium hactenus ipſi profiteamur. Sed, brevi tamen nos id facturos, ominatur. Itaque, ſibi nullo modo conſtans & repugnantia loquens, non ſolum calumniam ſuam ipſemet diluit; ſed etiam ſui peccati non leves pœnas dedit. Cæterum, cum hic ſententiæ meæ, quam recitat, de Chriſti adoratione, nihil objiciat, antequam aliud dicamus, ſubjicienda ſunt prius ejus verba, quibus dicta mea refellere conatus eſt.

VOLANUS Partic. 51. Pag. 143.

Nam & in eo, quem ex Joanne Euangeliſta producunt loco, eadem adorationis ſpecies tribuitur Filio, quæ & Patri, & Chriſtus non alia fide, ſed eadem qua credimus in Patrem, in ſe credi præcipit, & quidquid bonorum ab invocato proficiſcitur Patre, eadem quoque tribuere cuncta Dei Filium teſtatur Apoſtolus Paulus. Nam in omnibus Epiſtolis ſuis gratiam & pacem à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto omnibus fidelibus precatur, ut communem ſalutis æternæ operationem ab utroque proficiſci oſtendat. Dum autem ad Theſſalonicen. ſcribit. Ipſe (inquit) Deus, & Pater noſter & Dominus noſter Jeſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos. Et in alio loco. Ipſe vero Dominus noſter Jeſus Chriſtus & Deus ac Pater noſter qui dilexit nos, & dedit conſolationem, & ſpem bonam per gratiam, conſoletur corda veſtra, & ſtabiliat vos in omni ſermone, & opere bono. Quæ quidem verba Apoſtolica nihil aliud teſtificantur, quam incomparabilem illum tranquillæ conſcientiæ theſaurum, omniſque vitæ ſtatum ad beatam illam immortalitatis ſpem dirigendi, tam Deo Patri, quam Filio vendicari, ut una eademque gloria ſalutis æternæ utrique tribuatur. Ubi ergo iſtud obſecro adorationis diſcrimen, ubi diſpar Patris & Filii gloria, quam miſeri iſti opinionis errore ſibi fingunt, & tam claris Spiritus Sancti teſtimoniis aures occludunt? Mira profecto obſtinatio, & deploranda cordis cæcitas, quod tam pertinaciter iſti gloriæ Filii Dei obluctantur, ut nulla Scripturæ Sanctæ reverentia hunc cæcum mentis impetum in eis reſtinguere poſſit.

ANONYMUS.

Locus apud Johannem Joh. 5. 25, (nempe, *ut omnes honorificent, &c*) à me productus fuit, quo, eum ſic poſſe explicari, oſtenderem, ut ſententiæ meæ, atque adeo illorum, quorum nomine Volano reſpondebam, nihil repugnaret. Eſt enim is locus præcipuus inter omnes pro Adverſariorum ſententia. Atqui Volanus perinde loquitur, quaſi ego eum locum produxerim, ut inde ſententiam meam confirmarem. Quamvis enim, ut paullo poſt apparebit, id facere potuiſſem, non tamen feci, nec veto facere neceſſe habui. Quod autem ait, eandem adorationis ſpeciem eo in loco Filio tribui, quæ & Patri, id ſane fateor; & propterea, alteram altera non magis adorationem eſſe, facile concedo. Sed non idcirco ſequitur, utramque eſſe æqualem. Quemadmodum, exempli cauſſa, pieras, quæ fuit in Paulo Apoſtolo, ejuſdem ſpeciei eſt cum ea, quæ in quolibet alio vero Jeſu Chriſti diſcipulo invenitur, ex quo fit, ut alteram magis pietatem, quam alteram dicere, fortaſſe nullo modo poſſimus. At, æquales non eſſe, affirmare omnino & poſſumus, & debemus. Nullum enim eſt dubium, quin Pauli Apoſtoli pietas major fuerit ea, quæ in quolibet vero Chriſtiano reperitur. Aliud autem eſt, Eſſe majorem pietatem; aliud, Eſſe magis pietatem. Quomodo vero, etſi, ut Patri, ſic Filio quoque divinus honor, & ob eam rem ejuſdem ſpeciei adoratio debetur, non tamen utrique par ac prorſus eadem debeatur; ſatis in priore reſponſione noſtra, pag. 27, & 28. oſtenſum eſt. Adde tamen iis, quæ ibi diximus, quod, ex ipſius Chriſti verbis, ea, quam nos inter Filii, & Patris adorationem ſtatuimus, differentia aperte colligitur. Apparet enim ex illis, idcirco adorandum eſſe Filium, quia Pater illi omne judicium dedit. Nam hoc illi non neceſſario, neque ab æterno dediſſe, id demonſtrat, quod paullo inferius idem Chriſtus ait Joh. 5. 27, Patrem poteſtatem judicii faciendi Filio dediſſe, quia filius hominis ſit. Quanquam idem ſatis ex eo probatur, quod hic ait, Patrem non judicare quemquam. Hoc enim omnino reſpectu humanæ in Chriſto naturæ dicitur, & conſequenter, quatenus Filius in nobis judicandis ſecunda eſt cauſſa Patre interim ejuſdem rei prima cauſſa manente. Nam per Chriſtum hominem judicaturus eſt Deus mundum, Act. 17. 31. Quocirca neceſſe eſt, ut adoratio, quæ Filio, ut omne judicium habenti, debetur, non ut primæ, ſed ut ſecundæ cauſſæ, illi debeatur. Patri vero adoratio, eodem nomine, ut primæ cauſſæ, reſervetur; & ſimul, quod Filius adorari debeat, id ex Patris dono, & voluntate profectum fuiſſe, agnoſcatur. Id quod ſane, Filii adorationem Patris adorationi per omnia parem eſſe non poſſe, evidenter oſtendit. Pater enim non ideo adoratur, quod ita cuipiam alii fuerit viſum, à quo ea acceperit, quibus adoratio debetur. Sed ipſe ex ſeipſo omnia habet, immo omnia ipſe omnibus largitur: adeo ut ad ipſum tandem omnis honor alii cuicumque debitus,

& porro ipſa Filii adoratio referenda ſit. Jam quod addit Volanus de eadem fide, qua in ſe, ut in Patrem, credi Chriſtus præcipiat, id etiam haud invitus concedo, modo de eodem fidei genere loquatur, non autem de omnimoda fidei æqualitate. Fidei enim in Chriſtum proximus finis eſt fides in ipſum Deum Patrem; quemadmodum in priore ſcripto attigimus. Unde clamabat ipſe Chriſtus Joh. 12. 44, *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me.* At fidei in Deum Patrem nullo modo finis eſt fides in Chriſtum. Itaque apparet, utriuſque fidei diverſam quandam eſſe rationem, & alteram altera tanto præſtantiorem eſſe, quanto finis iis, quorum eſt finis, præſtantior eſt: quamvis utraque, eadem definitione comprehendi queat: & idcirco neceſſe ſit, ut ejuſdem ſit generis. Eſt enim utraque fides, in Deum videlicet, & in Chriſtum, firma opinio veritatis verborum ejus ad ſe pertinentium cum vera cordis in eo fiducia per ſpem vitæ æternæ ab eodem conſequendæ conjuncta. Sic enim libet, quantum ad præſens inſtitutum attinet, utramque fidem una oratione utcumque deſcribere, atque eadem definitione comprehendi poſſe, oſtendere. Nam, ſicut Dei verba veriſſima ſunt; ſic & Chriſti. Sicut Deus nos vita æterna donabit, ſic & Chriſtus. Immo Chriſti verba nihil aliud ſunt, quam ipſius Dei verba Hebr. 1. 2. Per Chriſtum enim locutus eſt Deus. Nec alia ratione nos Deus vita æterna donabit, quam per ipſum Chriſtum. Cui, in hunc ipſum finem, omnem poteſtatem in cælo, & in terra dedit, eique omnia ſubjecit, id eſt vim ſibi ſubjiciendi largitus eſt. Futurum enim eſſe, ut vi iſta Chriſtus nos immortales reddat, locuples teſtis eſt Paulus Apoſtolus ad Philipp. cap. 3. ad finem. Cujus Pauli teſtimonia, à Volano allata ex initiis ipſius Epiſtolarum, & ex utraque Epiſtola ad Theſſalonicenſes, probant quidem manifeſte, Chriſtum una cum Deo Patre curam noſtri gerere, nobiſque in iis, quæ ad ſalutem noſtram æternam ſpectant, præſto eſſe, & jure invocari poſſe, ut latius ipſi contra Franciſcum Davidis diſſeruimus; non tamen inde æqualitas per omnia hiſce in rebus inter utrumque concludi poteſt. Quandoquidem, ut etiam in priore reſponſione diximus, in toto hoc ſalutis noſtræ negotio Deus Pater prima cauſſa eſt, Chriſtus autem ſecunda. Namque per Chriſtum iſta omnia Deus ipſe in nobis & facit, & facturus eſt. Quantum igitur prima cauſſa ſecundæ præſtat, tantum Deus Pater in his omnibus Chriſto præſtare dicendus eſt, & propterea etiam Dei Patris adoratio Chriſti adoratione ſublimior à nobis cenſetur. Nec ſane quiſquam aliter ſentire poteſt, niſi prius perſuaſum habeat, Chriſtum non minus, quam ejus patrem, eſſe illum unum Deum, ex quo omnia. Atqui hoc & cum multis, iiſque apertiſſimis Sacrarum Literarum teſtimoniis, præſertim vero ex eodem Paulo deſumptis, omnino pugnat, nec ex iis, quæ Volanus ex ipſo attulit, unquam, ne in ſpeciem quidem, probari poterit. Quare, quidquid teſtimonia iſta Pauli Volanus urgeat, atque exaggeret, quidquid, eorum occaſione, in nos maledictorum, & contumeliarum jaciat: diſcrimen adorationis inter Deum Patrem, & Chriſtum à nobis allatum firmiſſimum manebit, ipſe vero, ut parum modeſte ac Chriſtiane, ſic non admodum docte ac prudenter nobiſcum diſputaſſe, atque egiſſe exiſtimabitur.

VOLANUS Partic. 52. pag. 145.

Nam viginti quatuor illi ſenes, tam procidere ante inſidentem throno, quam coram agno deſcribuntur, & omnis creatura, quæ in cælo eſt, & quæ ſuper terram, & ſub terra, & in mari auditur dicens, Seſſori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur in ſæcula ſæculorum. Hic vero aperte audimus, quod una eademque tam Patri quam Filio ſine diſcrimine ullo tribuatur gloria, ut qui hæc teſtimonia producunt Ebionitæ, ſponte mendacii ſui teſtes contra ſe citare videantur. Quare cum negari omnino non poſſit, totam illam adorationem, quæ ſoli æterno debetur Deo, Filio quoque illius competere Domino Jeſu Chriſto, neceſſario ergo ſequitur, illum non ſola participatione donorum cœleſtium vocari, ſed verum naturaque eſſe Deum. Nullus enim in excellentiſſimis Dei creaturis tantus divinitatis emicat ſplendor, nulla operum Dei tanta in homine ullo vel Angelo conſpicitur gloria, ut propter donorum cœleſtium ſummam amplitudinem aliquam creaturam exæquare liceat creatori. Ac proinde Apoſtoli tametſi cœleſti ſpiritus virtute deſuper cumulate perfuſi, tantaque patrandorum miraculorum facultate præditi, quanta in ipſo Chriſto conſpecta fuit, nunquam tamen divinum aliquem cultum exhiberi ſibi paſſi ſunt, ut pro ſummo ſcelere omnem ejuſmodi honorem execrati fuerint. Et Angelus Joannem ad pedes ſuos provolutum acriter objurgat: vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, & unus fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſervant verba libri hujus, Deum adora. Ita vero nullam creaturam tanta dignitate præditam oſtendit Angelus, cui cultus divinus conveniat, ut prorſus nemini, niſi uni ac ſoli Deo ſit tribuendus. Agnoſcimus ergo verum æternumque Deum Dominum & ſalvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, ut pote quem Deus uno eodemque cultu ſecum adorari præcipit, & quidquid cultus & adorationis illi tribuitur, id in ſe profectum ultro agnoſcit.

ANONYMUS.

Etſi hæc non mecum, ſed cum ſuo illo adverſario diſputans, Volanus ſcripſit; tamen operæpretium duxi, ad meam ſententiam defendendam, diligenter ad ea reſpondere. Quod igitur attinet ad Johannis loca in Apoc. 5. idem dico, quod ſupra de Pauli locis dixi, me videlicet agnoſcere, idque perlibenter, inde aperte colligi, Chriſto una cum Deo Patre adorationem convenire, & quidem ejuſdem generis, id eſt cultum divinum. Interim tamen nego, totam illam adorationem, quæ ſoli æterno Deo debetur, filio quoque illius competere Domino Jeſu Chriſto. Neque, id ex Johannis verbis ullo modo probari poſſe, concedo. Quamvis enim ibi nullius diſcriminis, quod inter Dei Patris, & Chriſti adorationem ſit, fiat mentio; non tamen ſequitur, nullum inter eas eſſe diſcrimen; ut Volanus putat, in conſequentis fallaciam, ut ſæpe ſolet, incidens. Verum quidem eſt, ſi nullum eſt diſcrimen, nullius etiam diſcriminis mentionem fieri; ſed non contra, ſi nullius diſcriminis fiat mentio, nullum etiam eſſe diſcrimen. Si quis (exempli cauſſa) dixerit, debere nos Deum, & proximum amare, recte omnino locutus fuerit. Nec tamen hinc ſequetur, nullum eſſe inter amorem, quem Deo, & inter eum, quem proximo debemus, diſcrimen; licet nullius diſcriminis inter utrumque amorem in verbis iſtis ſit facta mentio. Sed mirum eſt, quomodo Volanus hic imprudens ſeipſum refellat. Inquit enim, totam illam adorationem, quæ ſoli æterno Deo debetur, filio quoque illius, Domino Jeſu Chriſto competere. Nam ex particula quoque perſpicuum eſt, Dominum Jeſum Chriſtum filium ſolius æterni Dei, Volano ipſi non eſſe ſolum æternum Deum; ſed eum modo, cujus eſt filius, hunc ipſi eſſe ſolum æternum Deum. Etſi enim fortaſſe dicet Volanus, in ſuis verbis pronomen Soli non tam cum nominibus Æterno Deo cohærere, quam cum verbo Debetur, & eandem vim habere, ac ſi dictum fuiſſet Solum, ſeu Tantum; tamen propter eandem particulam Quoque, quam certiſſimum eſt ſemper inter diverſa poni, neceſſario ex ipſius verbis colligetur, Dominum Jeſum Chriſtum æterni Dei filium, non eſſe ipſum æternum Deum. Ac præterea neceſſarium erit, vel adorationem Domini Jeſu Chriſti non eſſe plane eandem cum æterni Dei adoratione, alioqui falſo dictum fuiſſet, eam tantum æterno Deo deberi; vel certe, ideo adorationem Domino Jeſu Chriſto competere, quia ejus adoratio non in ipſo terminetur, ſed ab ipſo in æternum Deum ejus patrem tranſeat; qui, quidquid cultus, & adorationis Jeſu Chriſto tribuitur, id in ſe profectum ultro agnoſcat. Quemadmodum ipſe Volanus, veritate victus, fateri tandem coactus eſt: cum etiam proxime faſſus fuiſſet, Deum præcepiſſe, ut Chriſtus adoretur; mirifice interim & noſtram ſententiam confirmans, atque explicans, & ſuam imprudenter tantum non funditus evertens, ejuſque loco aliam

quandam

quandam ſubſtituens. Nam, ſi Deus, ut ipſe Volanus loquitur, Jeſum Chriſtum uno eodemque cultu ſecum adorari præcipit; jam hinc apparet, Jeſum Chriſtum non eſſe ipſum Deum, manifeſte enim is, qui præcipit, id eſt Deus, ab eo, de quo præcipitur, id eſt a Jeſu Chriſto, hoc loco diſtinguitur; hincque porro colligitur, non quidem, Jeſum Chriſtum eſſe æternum Deum, quemadmodum Volanus colligi exiſtimat, & propterea adorandum eſſe; ſed potius, Jeſum Chriſtum non propterea adorandum eſſe, quia ipſe ſit æternus Deus; ſed quia ſic Deus præcepit. Si item Deus, quidquid cultus & adorationis Chriſto tribuitur, id in ſe profectum ultro agnoſcit, apparet manifeſte, Chriſti adorationem cum adoratione, quæ ſoli Deo ex ipſius lege debetur, qualiſcumque tandem Chriſti adoratio ſit, nullo modo pugnare poſſe, etiamſi Chriſtus nec perſona, nec eſſentia ſit ipſe Deus. Quemadmodum ſi Rex aliquis primum ediceret, ne quis cuiquam, præterquam ſibi ſoli, in ſalutatione procumberet; deinde rurſus ediceret, ut unuſquiſque filio ſuo, aut cuipiam alii ſimiliter in ſaluratione procumberet, addens præterea, ſe quidquid honoris illi deferretur, ſibi ipſi delatum eſſe agniturum; nemo futurus eſſet, qui diceret ejuſmodi honorem iſti delatum cum honore pugnare, qui ſoli regi ex ipſius priore edicto debetur; quamvis iſte nec perſona, nec eſſentia ipſe REX ſit. Ego quidem (idque ut arbitror, facerent alii omnes, qui unius Dei cultores ſunt) vel lignum, & lapidem quempiam adorarem, ſi id Deus juberet, & quidquid cultus, & adorationis illi tribueretur, id in ſe proficiſci ultro agnoſceret. Ac tantum abeſt, ut vererer, ne unius Dei cultor, amplius appellari non poſſem, ut tunc maxime eam appellationem mihi convenire exiſtimarem; qui tantopere unum Deum colerem, ut, ipſo jubente, ſeque pro ſuo ipſius cultu id agniturum declarante, ne iis quidem me ſubmittere dubitarem, quæ alioqui me longe inferiora eſſent. Quid igitur de Chriſti adoratione dicemus, cum non ſolum, ut adverſarius ipſe confitetur, Deus præceperit, ut illum adoremus, & quidquid cultus & adorationis illi tribuatur, id in ſe profectum ultro agnoſcat; verum etiam tanta poteſtate, majeſtate, & gloria eum donaverit, ac decoraverit, ut nulla ratione fieri poſſit, quin à nobis divina ratione colatur, & adoretur? Quomodo enim fieri poteſt, ut Jeſus Chriſtus hominum, & angelorum omnium Dominus fuerit factus, eique omnis poteſtas in cælo, & in terra data fuerit, ſua ſimul Deique eccleſia regenda, & gubernanda illi fuerit tradita, cui eccleſiæ omnia bona, potiſſimum vero ſpiritualia, quibus illa indiget, ipſe perpetuo largiatur ac ſumminiſtret, præter ſeipſum denique Deus omnia ei ſubjecerit, ipſumque ſuum ſolium illi impertierit Epheſ. 1. 21, &c. Philip. 2. 9. &c. Mat. 28. 18. Epheſ. 1. 22, & 23. & cap. 5. 23, & 29. Cor. 15. 27. Heb. 2. 8. Apoc. 3. 21. Epheſ. 4. 6. Mat. 1. 21. Rom. 10. 12. Phil. 3. 21. Apoc. 2. 23. Apoc. 1. 2, & 3. cap. Matth. 28. 20. Luc. 1. 71. Heb. 7. 25; & tamen is adorari, id eſt divino cultu affici, à nobis non debeat? Ergo nos ejus ſervi, ejuſque populus erimus; ab ipſo quidquid expetendum in hac vita eſt, ipſamque æternam vitam exſpectabimus, ipſi omnia facta noſtra, omneſque ipſius cordis intimas cogitationes patere, perſuaſum habebimus, atque & has & illa pro meritis ab ipſo & puniri, & præmio affici agnoſcemus; eum denique necis, vitæque noſtræ imperium habere, nobiſque perpetuo adeſſe, atque ab omnibus malis, omnibuſque inimicis noſtris nos defendere ac vindicare poſſe, confitebimur, & tamen eum, licet vel corpore abſentem, vel certe nequaquam à nobis conſpectum, aut alio corporis ſenſu perceptum, non venerabimur atque colemus, hancque venerationem & cultum noſtrum non omni, qua fieri poteſt, externa ratione declarabimus, illique publice exhibebimus? Jam quid aliud eſt Chriſtum adorare eo adorationis genere, quod ipſi Deo debetur, quam hæc illi præſtare? Taceat igitur Volanus una cum ſuis omnibus: nec prius, Chriſtum, niſi æternus Deus & creator ſit, eo adorationis genere, quo ipſe æternus Deus & creator colendus eſt, adorari poſſe neget, quam iſta, quæ modo commemoravimus, vel Chriſtum, ut rem creatam, non habere oſtendat; vel, niſi æternus Deus & creator eſſet, eum habiturum non fuiſſe, probet. Neutrum autem illum facturum eſſe unquam, ſatis docere poſſunt ea, quæ à nobis ſupra partic. 4. hac de re diſputata ſunt. Itaque quod Volanus ait, nullam eſſe creaturam, quam propter donorum cæleſtium ſummam amplitudinem creatori exæquare liceat; ſi de pleniſſima exæquatione loquitur, qua fiat, ut inter creatorem & rem creatam in ipſa ſaltem adoratione, de qua diſputamus, nullum prorſus relinquatur diſcrimen, hoc illi libenter concedimus. Neque enim ut dictum eſt, omnimodam æqualitatem inter Dei creatoris, & Chriſti rei creatæ adorationem ſtatuimus. Sin autem eam exæquationem intelligit, qua fiat, ut eodem genere adorationis & creator, & res creata a nobis colatur, Chriſtianæ religionis myſteriorum ſe plane rudem eſſe oſtendit: quorum præcipuum ac maxime hujus religionis proprium, quoque non intellecto, neceſſe ſit in aliorum haud ſane mediocri ignoratione verſari, omnino eſt, non quod in Deo, licet eſſentia uno, ſint plures perſonæ, quodque Chriſtus, licet Dei filius & homo, ille ipſe Deus ſit, cujus eſt filius, quemadmodum à multis jam ſæculis hactenus à pleriſque Chriſtiani nominis exiſtimatum eſt; ſed quod Chriſtus, licet res creata, tot tantiſque donis divinis atque cæleſtibus à Deo creatore exornatus fuerit, ad tantamque ſublimitatem evectus, ut merito eodem adorationis genere, quo ipſe Deus creator, adorandus ſit. Hæc tanta Jeſu Chriſti exaltatio, quam divinæ literæ paſſim prædicant, atque inculcant, eſt Dei opus illud admirandum, quod is, ſe facturum multo ante prædixerat, quodque homines male inſtituti, deque Dei potentia ac benignitate erga humanum genus nondum, quantum decet, bene ſentientes, ſi quis illis narret, credere nolunt Act. 13. 41. Ii vero qui recte omnino de Deo ſentiunt, id & credunt, & lætabundi exclamant, *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris* Pſal. 113. 2. Jam vero quid huc pertinent exempla vel Apoſtolorum, vel angelorum, qui ſe adorari non ſuſtinuerunt, quæ Volanus attulit? Quid, quæſo, commune habent omnia ſimul dona, quæ omnibus angelis, omnibuſque Apoſtolis unquam fuerunt à Deo data, cum vel minimo eorum donorum, propter quæ nos Chriſtum, licet rem creatam, divino cultu afficiendum eſſe dicemus? Quis, obſecro, unquam ſive ex angelis, ſive ex hominibus, præter ipſum Chriſtum, cæleſtis Rex Dei populi eſt factus? Taceo majora, aut certe expreſſiora reliqua, quæ ante commemorata ſunt. Quorum nullum eſt, quod ulli alii vel inter homines, vel inter angelos unquam conceſſum fuerit. Taceo præterea, quod in eo ipſo, in quo potiſſimum Volanus Apoſtolos tum Chriſto comparat, hoc eſt in miraculorum patrandorum facultate, magnum eſt inter hunc, & illos diſcrimen. Nam, ut partic. 4. attigimus, Chriſtus virtute, aut poteſtate in ſeipſo ex Dei dono reſidente miracula & olim faciebat, & multo magis nunc facit. Apoſtoli vero non aliter, quam ex ipſius Chriſti virtute, aut poteſtate, illa facere poterant. Propterea non poterant ipſi per ſe ulli alii poteſtatem miraculorum faciendorum conferre. Quam tamen aliis multis, ipſiſque adeo Apoſtolis conferre per ſe ipſe potuit, & porrocontulit Chriſtus Mar. 3. 15; & nunc vel maxime conferre poteſt. Itaque longe fallitur Volanus, qui aſſerit, tanta fuiſſe miraculorum patrandorum facultate Apoſtolos præditos, quanta in ipſo Chriſto conſpecta fuit. Quanquam præterea hoc loco non de eo, quod olim in Chriſto fuerit conſpectum, ſed de eo, quod revera, licet non ita conſpicuum, hodie in ipſo ſit, agi debet; atque ipſe conſiderari, non qualis erat, dum adhuc in terris mortalis degeret, ſed qualis & fuit, & perpetuo futurus eſt, poſteaquam Deus illum à mortuis excitavit, & in ſuo ipſius ſolio ſedere juſſit. Et ſane ridiculum (ut quam leviſſime dicam) ſe prodit Volanus, cum

in acceptis donis homines ullos, aut angelos cum Chriſto confert; & Franciſcum Davidis ea in re imitatur, qui ejuſmodi ineptiſſimis comparationibus, Chriſtum nec adorandum, nec invocandum eſſe, quantacumque gloria, & poteſtate à Deo donatus fuiſſet, demonſtrare conabatur. Quanquam is Volano hac in parte cautior, cum videret, non poſſe concedi, Chriſtum ea à Deo adeptum fuiſſe, quæ ſupra recenſuimus, quin ſimul ei divinus cultus, & vera invocatio concederetur, aggreſſus eſt tandem negare, in eoque totus fuit, Chriſto à Deo ſupradicta illa dona revera data unquam fuiſſe. Quamobrem, ut paullo ante monuimus, ſi Volanus negare perſeveret, Chriſtum, ut rem creatam, propter donorum cæleſtium amplitudinem eo adorationis genere coli poſſe, quo colitur ipſe Deus creator, qui illum ejuſmodi donis donavit; neceſſe eſt tandem, ut & ipſe neget, Deum Chriſto, ut rei creatæ, ea dediſſe, quæ ſupra commemoravimus. Cæterum, quod Volanus ex angeli verbis Johannem Apoc. 22. 9, ſe adorare prohibentis colligit, nullam creaturam tanta dignitate præditam eſſe, ut ei cultus divinus conveniat, ea in re non leviter errat. Si enim id colligit ex ratione, quam affert angelus, cur Johannes ipſum adorare non debeat, non habet ea ratio locum in Chriſto. Is enim, quamvis, non ſecus atque angelus, res creata eſſet; non tamen conſervus Johannis, & fratrum ejus prophetarum, atque eorum, qui ſervarent verba libri illius, qualem ſe angelus eſſe dicit, nullam interea quod res creata ſit, mentionem faciens, ſed princeps, ac Dominus, Rex que perpetuus iſtorum omnium erat. Verum Volanus, angeli verbis recitandis, addit illis de ſuo vocem Unus, hoc pacto, *& unus fratrum tuorum*, &c. cum tamen legatur, *& fratrum tuorum*, &c. ita ut ſenſus ſit, non quidem, angelum eſſe unum ex fratribus, &c, ſed conſervum eſſe fratrum, &c. Nec vero aliter legitur in altero ſuperiore loco Apoc. 19. 10, ubi ſimiliter angelus Johannem ſe adorare volentem prohibuit. Quamvis Theodorus Beza, cui fortaſſe nimium Volanus credidit, utrobique pro, *& fratrum tuorum*, in ſua interpretatione ſcripſerit, *& [unus] ex fratribus tuis*, ſive, *& [unus] fratrum tuorum*. Quod ſi Volanus id, quod diximus, de nulla creatura adoranda, ex angeli concluſione illa colligit, *Deum adora*; jam, quod ad Chriſtum attinet, perperam hoc fieri, ſupra demonſtratum eſt, cum ex ipſius Volani verbis oſtendimus, Deum, quidquid cultus & adorationis Chriſto tribuitur, id in ſe profectum ultro agnoſcere; adeo ut, qui Chriſtum adorat, ipſum Deum adoret. Nam, quod inde Volanus argumentatur, Chriſtum igitur eſſe æternum Deum, id eſt illum ipſum Deum, qui cultum ei tributum in ſe profectum agnoſcit, perverſe admodum id facit; cum potius contrarium inde colligendum omnino ſit, & ſenſus ipſe communis nos doceat, neceſſe eſſe, ut alius ſit is, qui honorem alicui tributum in ſe profectum agnoſcit, & alius is, cui tributus honor in illum proficiſcitur. Nec enim hic locum habere poteſt ſophiſtica illa diſtinctio Eſſentiæ, & Perſonæ; cum non de Deo Patre, ſed de Deo indiſtincte agatur; nec ulla cauſſa ſit, cur una ex tribus illis divinis, quas confinxerunt, perſonis, magis, quam alia, honorem uni alii ex ipſis tributum in ſe profectum agnoſcat: cum omnes hac in re, (ut quidem ipſi volunt) ſint prorſus æquales. Dixi autem, Magis, quam alia. Nam, ſi Volanus dixerit, ſe Dei nomine ſolum Patrem intellexiſſe, nec de eo quidquam, Filii reſpectu, dixiſſe, quod ſimiliter de Filio, Patris reſpectu, dici non poſſit, ſequetur, recte quempiam locuturum eſſe, qui dixerit, Jeſum Chriſtum, quidquid cultus & adorationis Deo tribuitur, id in ſe profectum ultro agnoſcere. Quod tamen ineptiſſime dictum eſſet; idque ne Volano quidem ipſi ullo modo probatum iri exiſtimaverim. Relinquitur igitur, ut Volanus de Deo indiſtincte locutus fuerit, & conſequenter Jeſum Chriſtum hic non à Patre tantum, ſed ab ipſo Deo manifeſte diſtinxerit, & porro tanquam rem creatam conſideraverit. Quemadmodum ex eo quoque conſtare poteſt, quod ait, Deum præcepiſſe, ut Jeſus Chriſtus uno eodemque cultu ſecum adoretur: tantum abeſt, ut ex eo, quod Deum de ipſo Chriſto conſtituiſſe, hoc loco affirmavit, quamvis id veriſſimum ſit, concludi poſſit, Chriſtum Jeſum ipſum Deum eſſe; ut ipſe fieri debere credidit. Sed, antequam finem facio, ad Johannis locum redeo. Sciendum eſt enim, Cyprianum non legiſſe, *Deum adora*; ſed, *Jeſum Dominum adora*. Quæ lectio, ſi admittatur, plane contrarium probare poterit ejus, quod ex ipſo loco probare ſe poſſe, exiſtimavit Volanus. Videtur enim omnino angelus voluiſſe Johanni dicere, ſi in re aliqua creata Deum adorare vis, non me quidem, qui conſervus tuus ſum, ſed Jeſum, qui omnium eſt Dominus, ſicut debes, adora. Porro Cypriani verba, ex quibus ſimul apparet, eum ſenſiſſe, Chriſtum idcirco adorandum eſſe, quia Deus illum exaltando, id fieri præceperit, hæc ſunt in ſerm. De bono patientiæ ad finem, *Pater Deus præcepit filium ſuum adorari, & Apoſtolus Paulus divini præcepti memor ponit, & dicit* Philip. 2. Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, ut ſit ſuper omne nomen; ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Et in Apocalypſi* Apoc. 19, & 22, *angelus Joanni volenti adorare ſe reſiſtit, & dicit.* Vide ne feceris, quia conſervus tuus ſum & fratrum tuorum; Jeſum Dominum adora.

VOLANUS Partic. 53. Pag. 147.

Rumpantur ergo clamore Ebionitæ, & quidquid uſquam fallaciarum eſt, id in unum cumulum congerant, ut Filium Dei Deum pernegent, nos autem fidem & invocationem nomini ejus Sancto tribuentes, puraſque manus ad eum attollentes, ac ſalutem corporis & animæ ab eo expoſcentes, ſtoliditatem eorum & impietatem reipſa confutemus. Omni enim mente privatum ſe ſervus oſtendit, qui verberibus ac vinclis ad imperia Domini exequenda cogitur, & Dominum tamen eum ſibi eſſe negat. Nec diſſimili dementia exagitantur Ebionitæ, qui cum negare non poſſint, Chriſtum ab univerſa creatura adorandum, ipſum tamen Deum recognoſcere refugiunt. Sed quia aquam igni facilius concilies, quam adeo pugnantia & contraria ſecum conjungas, ipſa abſurditate revicti Ebionitæ, tandem Chriſto nuncium remittent, & quem Deum negant, ne adorandum quidem brevi concludent. Ac profecto tam aperta in Chriſtum rebellio, non aliam pœnam meretur, quam ut extrema cæcitate percutiantur à Domino, qui nodum in ſcirpo quærunt, & ubi plana expeditaque ſunt omnia, ipſi ſibi præcipitia accerſunt.

ANONYMUS.

Nihil hic contra nos dictum eſt à Volano, quod non per calumniam dictum videri poſſit, quodque commode in ipſum, ſuoſque à nobis retorqueri non queat. Quandoquidem nos nullis fallaciis utimur, ſed toti in ipſorum fallaciis detegendis ſumus, nec filium Dei Deum eſſe negamus: immo Jeſum Nazarænum, id eſt hominem illum, qui, imperante Tiberio Cæſare, Hieroſolymis crucifixus fuit, & à mortuis reſurrexit, qui ſolus Dei ille filius eſt, nec alius præter, aut ante ipſum, hunc, inquam, una cum Thoma ejus Apoſtolo Dominum, & Deum noſtrum eſſe confitemur Joh. 20. 28. Quod profecto ipſi non faciunt. Jeſum enim illum, qui revera crucifixus fuit, & à mortuis reſurrexit, illum, inquam, hominem minime Deum eſſe agnoſcunt; ſed alium quendam Deum eſſe ſtatuunt, qui hominem illum individue ſibi conjunxerit, quidque perfectiſſime Deus eſſet, non modo plane per ſe ſubſiſteret, etiam antequam homo ille Jeſus revera exiſteret. Nec porro nos, ut Volanus non obſcure nobis hic objicit, ſancto Dei filii nomini fidem, & invocationem denegamus, puraſve manus ad ipſum attollere dubitamus, & corporis, animæque ſalutem ab ipſo expoſcere. Immo ipſe Volanus una cum ſuis hæc facere plane recuſat; cum Jeſum Nazarænum pro nobis crucifixum & reſuſcitatum propter donorum cæleſtium amplitudinem, quibus à Deo donatus fuit, adorari, aut invocari jure poſſe negat. Cum tamen, niſi ob eam cauſſam adoretur, & invocetur, nihil in ipſo ſit, cur illi hæc tribui jure queant. Jam, quod ait,

tandem

tandem futurum, ut Chriſto nuncium remittamus, & brevi ne adorandum quidem concludamus; utrumque nos factis, non verbis tantum, & aperte jam per Dei gratiam refutamus, & poſthac apertius in dies refutaturos nos eſſe confidimus. Ipſe vero Volanus is eſt, qui una cum ſuis utrumque iſtud, quod nos facturos ait, jam feciſſe aliquo modo videri poteſt, cum nec illum ipſum, qui revera unctus a Deo fuit, aut certe non quatenus unctus fuit (nec enim ungitur à Deo æternus Deus) pro ſuo ſervatore atque æternæ vitæ datore agnoſcat: neque, ut dictum eſt, ei adorationem concedere velit. Poſtremo, quod, nos nodum in ſcirpo quærere, affirmat, &, ubi plana & expedita ſunt omnia, nobis ipſis præcipitia accerſere; nihil plane inveniri poteſt, quod vel à nobis magis abſit, vel melius in ipſum, & ſuos quadrare poſſit. Nam quomodo nos, quæſo, nodum in ſcirpo quærimus, qui, eum Sacræ Literæ Act. 2. 36, virum illum Jeſum Nazarænum, Dominum, & Chriſtum, id eſt populi ſui perpetuum ac cæleſtem regem à Deo factum fuiſſe, apertiſſime teſtentur, illique nomen, quod eſt ſupra omne nomen, propter ipſius uſque ad crucis mortem obedientiam, in hunc ipſum finem à Deo fuiſſe datum, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur Phil. 2. 9, ad ipſum Jeſum, ad virum, inquam, illum, tanquam ad regem noſtrum perpetuum atque cæleſtem, venerabundi confugimus, eumque in precibus noſtris invocare audemus, illique ex animo ubique locorum genua flectimus, ac divino eum cultu afficimus, nihil prorſus de Dei aut voluntate aut potentia dubitantes, nihil perquirentes, quomodo fieri potuerit, ut Deus hominem mortalem tantopere evexerit, ut eum ſibi ipſi parem feciſſe dici poſſit? quomodo, inquam, nos, cum ita nos geramus, nodum in ſcirpo quærimus? At vero quomodo Volanus una cum ſuis nodum in ſcirpo non quærit, qui tam apertis, aliiſque ejuſmodi compluribus Sacris Teſtimonnis nondum adduci poteſt, ut hominem illum divina majeſtate atque potentia à Deo decoratum fuiſſe credat; & tanquam id ab ipſo fieri vel non potuerit, vel non debuerit, ut interim Chriſto adorationem, & invocationem ſecundum Sacra Teſtimonia tribuat, in illo eſſentiam quandam eſſe comminiſcitur, quæ eadem numero ſit cum ipſius Dei eſſentia; & ita in inextricabiles labyrinthos ſeipſum involuit, quibus & divinis teſtimoniis manifeſtiſſima vis infertur, & univerſa religio noſtra in dubium revocatur, atque omnibus exteris ſuſpecta redditur; ac præterea ſalutis noſtræ ratio tota ferme pervertitur, dum id, quod Deus homini illi crucifixo & reſuſcitato ad fidem, ſpemque noſtram confirmandam, atque fovendam dedit, & ex pura ſua liberalitate conceſſit, ad ſubſtantiam, neſcio quam, transfertur, quæ ante illum hominem fuerit, idque omne ex propria ſua natura ſemper habuerit? Nam dicant, obſecro, adverſarii, quid abſurdi in eo eſt, quod Deus hominem illum Jeſum Nazarænum tantopere extulerit, ut ei adoratio, ſeu divinus cultus, & invocatio, ſive ipſius opis in ſpiritualibus ipſis rebus imploratio conveniat, ita ut ſacra oracula id apertiſſime teſtantia per inſolentes plane quaſdam atque importunas ſermonis figuras interpretari, vel potius pervertere cogamur, & de Dei eſſentia ea audacter aſſerere, quæ monſtri ſunt ſimilia, immo quæ impoſſibilia prorſus cenſeri debent? Nunquid Deus id facere non potuit? Atqui hoc vel cogitare quidem plane impium eſt; cum hic nulla contradictio, ut vocant, nulla rei ipſius paſſiva (ut ita loquamur) impotentia animadverti queat. Nunquid, eum voluiſſe, nullo modo eſt veriſimile? Atqui nihil unquam excogitari poterit, in quo tanta Dei potentia, ſapientia, ac bonitas, quanta in hoc, eluceat. Immo in hoc ſolo opere plus potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis divinæ apparere poteſt, quam fortaſſe in cæteris omnibus Dei operibus ſimul junctis. Quare nihil etiam veriſimilius eſt, quam Deum id facere voluiſſe. Deſinant igitur adverſarii ſe diutius hac in re torquere, ſibique ipſis nodos indiſſolubiles nectere, & ad Dei gloriam veram atque præcipuam cognoſcendam aditum præcludere; immo, quantum in ipſis eſt, eam imprudenter obſcurare atque delere: & aliquando tandem nobiſcum Deo de tanto beneficio gratias agentes, datum & conſtitutum ſibi ab eo regem perpetuum atque cæleſtem, ad quem in ſuis omnibus neceſſitatibus fidenter confugere poſſint, & à quo vitam ipſam æternam expectare debeant, eum agnoſcant, qui revera noſter eſt frater, qui, excepto peccato, omnia mala noſtra expertus eſt Heb. 2. 4, & 5. cap, qui denique non minus, quam nos, preces & ſupplicationes quondam ei offerre neceſſe habuit, qui poterat ipſum liberare à morte, atque exauditus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ, profectus in cœlum, ſubjectis illi angelis, poteſtatibus, atque virtutibus 1 Pet. 3. 22.

VOLANUS Partic. 54. Pag. 148.

Cujus cæcitatis ſuæ tanta jam annis hiſce, &c.

ANONYMUS.

Quatuor hic paginas occupat Volanus in Racovienſi illa ſeceſſione inſectanda, & cœtu illo vituperando nobiſque objiciendo, atque exprobrando, inque iis, quæ vel a me, vel ab adverſario illo ſuo contra allata ſunt, refellendis, quanquam rationem ipſam à me allatam, qua oſtendi, ſumma injuria hominibus illis tribui, quod aliam ſalutis viam præter Jeſum Chriſtum quærerent, qua una re univerſa Volani accuſatio continebatur, revera ne attingit quidem; tametſi denuo accuſationem ſuam ab hoc capite ordiatur. Tantum ex eo, quod dixeram, ſi multi ex noſtris hominibus tunc temporis aliquantulum à veritate aberrarunt, id non idcirco factum fuiſſe, quod Chriſtum Jeſum pro perfectiſſimo ſuo ſervatore non agnoſcerent, ſed, quod nondum ejus præcepta bene cognita haberent; ex hoc, inquam, Volanus occaſionem arripit oſtendendi, noſtros homines non ejuſmodi eſſe, qui pro magiſtris in profundis illis divinæ veritatis myſteriis, ut ipſe loquitur, id eſt in quæſtione, quæ hodie agitatur, de Dei, Chriſtique eſſentia, ac perſona, ſint deligendi; ſed neque etiam tales, quos in teterrimos errores prolapſos fuiſſe, non plane ſit veriſimile. Nam, ſi in præceptis vivendi à Chriſto traditis, quæ ita nude & aperte ſunt (inquit) in ſcripturis propoſita, ut nullus hæſitationi cujuſquam ſit locus relictus, ipſi hallucinati ſunt; an dubitabimus, quin illi in occultioribus religionis noſtræ myſteriis cæcutierint? Hæc ſunt breviter, ad quæ mihi reſpondendum eſſe hoc loco duxi, cæteris omiſſis, quæ ad priorem reſponſionem meam nihil pertinent. Unde factum eſt, ut integrum Volani locum non adſcripſerim. Quod igitur Volanus ait, noſtros homines pro magiſtris in profundis illis divinæ veritatis myſteriis deligendos non eſſe, facile hoc illi concedimus. Neque enim noſtri homines, ſe aliorum magiſtros jactant, aut tales haberi volunt: quamvis nihil dubitent, quin ipſi, quatenus ab aliis diſſentiunt, ipſiſſimam veritatem amplexati fuerint. Quam & ſi aliis quoque perſuaſum iri cupiunt, idque pro viribus modeſte ac placide conantur; non tamen tanquam aliorum magiſtri id faciunt, ſed tanquam cæterorum condiſcipuli; pro magiſtro & ſibi, & aliis hac in re ſolum Spiritum Sanctum proponentes, eoſque homines, quos certum eſt eo ſpiritu adeo fuiſſe præditos, ut, in rerum divinarum ſcientia errare non potuerint. Hi ſunt Novi, & Veteris Teſtamenti ſcriptores; nec alii præter ipſos. Quod ſi de eorum, quæ tanti viri ſcripſerunt, interpretatione quæratur, nullum hic ſimiliter, præter ipſum Spiritum Sanctum, magiſtrum quærendum eſſe affirmant: quem ab ſe petentibus cæleſtem patrem omnino daturum, teſtatus eſt Chriſtus Luc. 11. 13, & Jacobus ait Jac. 1. 5, & 6. Si quis ſapientia deſtituatur, eam illi datum iri à Deo, ſi modo eam ab ipſo petat cum fiducia nihil hæſitans. Eorundemque interim Sacrorum Scriptorum plura & clariora loca ad explanationem pauciorum, & obſcuriorum adhibenda eſſe ajunt: atque, hac ratione ipſos quoque ſcriptores ad ſui ipſorum etiam explicationem magiſtros agnoſcendos eſſe, confirmant. Nec aliam præterea Sacras Literas interpretandi certam rationem inveniri

ſtatuunt. Quas omnibus & ſingulis ad intelligendum à Deo propoſitas olim in perpetuum fuiſſe contendunt, nullis deinceps hominibus, quantumvis doctrina, & auctoritate, adde etiam ſanctitate pollentibus, nullis hominum conciliis, quantumvis ſancte in ſpeciem ac legitime congregatis, nulla denique viſibili eccleſia, quantumvis perpetua atque univerſali, vel conſtituta, vel promiſſa, vel indicata, cujus ſententia, & judicio in divinorum oraculorum interpretatione ſtandum nobis ſit. Atque hæc eadem ab iis ipſis, quos Volanus præceptores habet, pie ſane ac præclare contra Pontificios & antea diſputata ſunt, & hodie quoque, ubi opus ſit, diſputantur. Quin etiam Volanus ipſe, contra Lojolitas diſputans, coactus eſt Athanaſii, Hieronymi, Auguſtini, Theodoreti, & aliorum, quorum auctoritatem nobis identidem ipſe opponit, & ſacroſanctam quodammodo eſſe vult, tum dicta, tum exempla, & facta ſpernere, atque in hæc verba erumpere; *Abſit autem à piis mentibus, ut quovis fulgore hominum excellentium oculos perſtringi ſibi patiantur, ne in ſolam veritatis divinæ lucem intendant, ab eaque omnis veræ ſcientiæ ac doctrinæ cœleſtis regulam petant. Nam ſi ne Angelo quidem aliud Euangelium afferenti, præter id quod euangelizatum eſt, credi mandat Apoſtolus, nullus unquam quacunque authoritate præditus homo iſtud apud nos obtinebit, ut ſpreta doctrina Euangelicæ vocis, doctrinam illius & inſtituta ſequamur.* Et paullo inferius, poſtquam Scripturæ locos contra theologorum illorum ſententias recitaſſet, ſic ait; * *Faceſſant ergo hic quorumvis hominum exempla & authoritati divinæ cedat omnis humana authoritas. Agnoſcimus quidem Hieronymum, Auguſtinum, Athanaſium præclara in Eccleſia Dei fuiſſe lumina. Sed homines tamen fuiſſe meminimus, qui & in multis labi potuerunt, & confeſſione etiam ſua lapſi ſunt. Legemque hanc ipſi in omnia ſua ſcripta tulerunt, ut ſicubi à ſcripturis canonicis diſcreparent, neminem credendi religione obſtringerent.* Hæc Volanus, qui etiam ante dixerat, idque Lojolitis oppoſuerat *, Auguſtinum olim ne Concilii quidem Nicæni auctoritate, tametſi judicio univerſæ Eccleſiæ ſanctæ approbati, aggravari quemquam voluiſſe, niſi res ex ſcripturis ſacris, tanquam Communibus omnium teſtibus, approbata eſſet. Volui autem, hac mihi oblata occaſione, hæc ipſius Volani verba commemorare, ut is à ſeipſo reſponſionem petat, cum toties hominum præſtantium auctoritatem, Eccleſiæque conſenſum adverſum nos inculcat; & quidquid ejuſmodi, ad ſententiam noſtram infirmandam, hic toto libello congeſſit, ſua ipſius manu alibi diſjectum, ac diſſipatum eſſe intelligat. Eo vero libentius id feci, quod hoc ipſo in loco, dum ſine ulla cauſſa noſtrorum hominum auctoritatem elevare ſtudet, aliorum haud obſcure confirmare conatur; dicens, cum noſtri homines (ut ipſi quidem videtur) in Racoviano illo ſeceſſu tam turpiter, & multipliciter erraverint, neminem futurum, qui, relictis omnibus clariſſimis Eccleſiæ luminibus, ab iſtis indoctis nulloque judicio præditis certam aliquam ſcientiam requirat. Quaſi vero neceſſe ſit ab aliquibus hominibus certam rerum divinarum ſcientiam requirere; & non, ut dictum fuit, hac in re à Dei ſpiritu, diviniſque ſcriptoribus toti pendere debeamus. Quantacumque igitur noſtrorum hominum vel imperitia, vel ſtupiditas Volano eſſe videatur, aut etiam ſit; quantacumque rurſus eorum, qui aliter docent, doctrina atque judicium eſſe poſſit; ex ipſius Volani verbis dico, & ipſum Volanum, & quemlibet alium utrorumque argumenta, & teſtimonia ex ipſis divinis oraculis petita diligenter examinare debere, &, quale momentum utraque habeant, perpendere, atque hac ſola ratione de tota hac controverſia judicare; nec ullis umquam præjudiciis agere. Iſtud enim Pontificiis, aliiſque qui ad ſua figmenta ſtabilienda rationibus divinitus dictatis, & ſanctarum litterarum teſtimoniis deſtituuntur, penitus reliquendum eſt. Aut, ſi nihilominus libet hominum doctrinæ, & pietatis opinione præſtantium auctoritate uti, id tum demum faciendum videtur, cum abunde ſuperiori veritatis inquirendæ rationi ſatisfactum fuerit; non autem Volanus imitandus, qui contra nos paſſim, & ubique Patres, Eccleſiam, Apoſtolorum ſucceſſores, & cætera id genus commemorat, in eoque potiſſimum ſuæ cauſſæ præſidium ponere videtur; negligenter admodum interea ſe gerens in argumentis, & teſtimoniis examinandis, quæ nos vel tamquam ſacris litteris conſentanea, vel ex ipſis Sacris Litteris deprompta afferimus. Quemadmodum ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, ſatis conſtare poteſt; & multo apertius conſtabit, ſi quis cum priore reſponſione mea illius hoc ſcriptum ad eam refutandam editum diligenter contulerit. Jam vero, quod Volanus argumentatur, cum noſtri homines, ex ipſa confeſſione mea, aliquando in Chriſti præceptis intelligendis erraverint, veriſimile omnino eſſe, ut multo magis in religionis noſtræ myſteriis percipiendis hallucinati fuerint, Reſpondeo primum, non omnem errorem in Chriſti præceptis intelligendis ejuſmodi eſſe, qui fidem facere poſſit hominis in divinis myſteriis cæcutientis. Ejuſmodi enim error, opinio eſſe debet, quod aliquid à Chriſto juſſum, non ſit ab ipſo juſſum, aut etiam ſit vetitum; vel contra, quod aliquid à Chriſto vetitum, non fuerit ab ipſo vetitum, aut etiam fuerit juſſum. Nam profecto talis error oſtendit, hominem eo imbutum, Dei ſpiritu non eſſe præditum: quippe qui Chriſti cognitionem nondum habeat. Ut enim Johannes 1 Joh. 2. 3. ſcriptum reliquit, Qui dicit ſe noſſe Chriſtum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & veritas in eo non eſt. Atqui nemo umquam Chriſti mandata cuſtodierit, qui vel à Chriſto juſſa pro vetitis aut non juſſis, vel vetita pro juſſis aut non vetitis habuerit. Cæterum, ſi quis ea à Chriſto aut juſſa, aut vetita eſſe crediderit, quæ tamen nec vetita, nec juſſa ab ipſo fuerint, non eſt talis error indicium hominis ſpiritu Dei carentis. Nihil enim obſtat, quominus quis Chriſti vera præcepta omnia noſſe, eaque cuſtodire poſſit, etiamſi plura eſſe opinetur, quam ſint. Hujuſmodi autem erant noſtrorum hominum, qui una cum aliis Racoviam ſeceſſerant, in Chriſti præceptis intelligendis errores. Iique & pauciſſimi nec diuturni fuerunt. Atque interim eorum, qui vere ex noſtris erant, ſummam alacritatem in Chriſti mandatis, quantumvis arduis, exequendis notam recte judicantibus facere potuerunt: quemadmodum in priore mea reſponſione attigeram. Ac videat ſane Volanus, quid agat, cum Racoviam cum Monaſterio comparat, eamque illi pœne exæquat. Videat inquam, ne Dei iram in ſe provocet, cum homines innocentes peſſimorum hominum ſimiles facere non dubitat: nec interim, quam ſe omnibus cordatis hominibus hac importuna atque inepta comparatione contemnendum, ac deridendum præbeat, quidquam animadvertit. At deinde rurſus ad Volani ratiocinationem ex mea ipſius confeſſione ductam reſpondeo, id, quod in ea aſſumitur, præcepta vivendi à Chriſto tradita apertiſſime in Sacris Litteris expoſita fuiſſe, verum quidem eſſe, ſi eorum legentium reſpectu loquamur, qui, ut ſcriptura loquitur, oculos habent ad videndum. Cæterum, qui tales non ſunt, facile decipiuntur. Faciunt hujus rei certiſſimam fidem Pontificii omnes, qui turpiter in Chriſti præceptis intelligendis errant; adeo ut non ſolum vetita pro non vetitis, & juſſa pro non juſſis habeant; ſed non pauca, quæ vetita ſunt, pro juſſis habeant, in eoque ſæpe ſe Chriſto plurimum obedire opinentur, in quo maxime illius præcepta violant. Sed quid inter pontificios hujus rei documenta quæro? Nonne inter eos, qui hodie puriorem Chriſti cognitionem profitentur, multos eſſe neceſſe eſt, qui in Chriſti præceptis hallucinentur, cum (ut leviora taceam) alii ex ipſis nonnulla à Chriſto expreſſe vetita eſſe contendant, quæ alii, non modo non vetita, ſed juſſa etiam ab ipſo fuiſſe, firmiter aſſeverant? exempla proferrem, niſi ea notiſſima eſſent, atque, in hoc præſertim

* Pag. 38. * Pag. 30.

tim regno, omnibus conſpicua. Non recte igitur ullo modo argumentatur Volanus, cum ex errore aliquo in Chriſti præceptis recte intelligendis errorem multo magis in religionis noſtræ myſteriis percipiendis colligi vult: ejuſmodi, inquam, myſteriis, quorum cognitio (ut ipſe ſine dubio de iis ſtatuit, de quibus hic loquitur) ad ſalutem ſit neceſſaria. Quod ſi tamen ita argumentari libet, cur potius in iſtis ipſis myſteriis, de quibus hic agitur, Pontificiorum errorem aliquem inſignem fuiſſe non ſtatuit; cum pontificii, ut diximus, tam graviter & multipliciter in Chriſti præceptis recte intelligendis ſint lapſi? quos tamen ipſe in iſtis, quamvis diu admodum, immo perpetuo, antequam ipſorum tyrannis in Eccleſia plane obtineret, jactatis & controverſis, imitatur; nec ab eorum ferme veſtigiis quidquam prorſus aberrat. Debuerat ſane illa tanta ac propemodum inexplicabilis errorum colluvies, quæ inter pontificios tam diuturna fuit, & Volano, & omnibus piis omnia ſuſpecta reddere, quæ in ipſorum eccleſiis recepta animadvertiſſent. Præſertim vero ea, quæ aliquando in dubium fuerant vocata. Nam, ſi ante pontificiorum tyrrannidem jam eam ſententiam de Dei, & Chriſti natura ſive eſſentia exitiſſe dicat Volanus, quam ipſe una cum illis, & pleriſque aliis amplectitur; nec noſtrorum ſane hominum eadem de re ſententia a-b ipſis primum excogitata eſt. Verum, ſi præterea, Pontificiorum ſententiam jam antea ab univerſa eccleſia receptam fuiſſe, Volanus contendat (quamquam ne hoc quidem, poſtquam à Pontificiis recepta fuit, eam à falſitatis ſuſpicione liberare poterat) id aliter ſe habere, teſtantur hiſtoriæ. Ex quibus conſtat, Arrianam, quam vocant, hæreſim, huic plane contrariam, quæ late, ut Volanus ipſe in initio pag. 158 fatetur, dominata eſt aliquando, non prius concidiſſe, quam multis ante annis tyrannus iſta eccleſiaſtica extitiſſet. In quo illud maximopere conſiderandum videtur, quod iſta ipſa tyrannis tandem cauſſa fuit, ut concideret Arrianorum ſententia, & contraria omnino obtineret; tunc videlicet, cum ipſa quoque tyrannis omnino obtinuit: quodque Romana eccleſia, ut Pontificii hodie non immerito contra omnes Homouſianos jactant, qui ab ea eccleſia defecerunt, ea, inquam, eccleſia, quæ caput, & fundamentum hujus tyrannidis ſempet fuit, columna ſimul, & baſis fuit perpetua ejus ſententiæ, quæ Filium Dei homouſion, ſive coëſſentialem ipſi patri ſtatuit. Nec ſine Romana eccleſia, ejuſque auctoritate, quæ ſine dubio magna erat, umquam ea ſententia tantopere viguiſſet. Quocirca iis quidem, qui Romanam eccleſiam pro univerſali eccleſia habent, condonandum quodammodo videtur, ſi πάθημασι ſententiam ab univerſa eccleſia ſemper receptam fuiſſe affirment. Verum, quod Volanus & alii multi, qui cum eo ſentiunt, idem dicat, profecto vix id ferri poteſt. Nec ipſi ea in re ulla ſunt digni venia. Namque hoc dicentes, eccleſiam Romanam & ipſi pro univerſali Eccleſia ſe habere, tacite profitentur: quam tamen alioqui magni Antichriſti ſedem perpetuo fuiſſe dicunt, annos ab hinc circiter mille. Quod ſi verum eſt, non video, cur eccleſias, quæ illi adverſabantur, quales erant Arrianorum eccleſiæ, ſaniorem doctrinam habuiſſe, non ſit veriſimile, quam ipſam, & illas, quæ cum ea conſentiebant, præſertim vero, in eo religionis capite, propter quod unum maxime invicem diffidebant. Et hæc ſatis ſint in præſentia. Alias fortaſſe, hiſtoricorum locis in medium prolatis, rem ſic ſe habere, ut diximus, planum, Deo dante, omnibus faciemus.

VOLANUS. Partic. 55. pag. 152.

Verum Anonymus non diffitetur antiquorum illorum Theologorum ſummam fuiſſe eruditionem & eloquentiam, & in quibuſdam eximiam præterea nec noſtri ſeculi pietatem. Agnoſcit & recentiores ſcriptores eos eſſe viros, qui multarum rerum cognitione & linguarum peritia, & ingenii acumine longe ſint omnibus ſuæ ſectæ autoribus ſuperiores; ſed in eo Dei bonitatem prædicare ſe dicit, quod ſe miſeros homunciones ea ſcire voluit, quæ magnis & clariſſimis alioqui viris nunquam cognita fuerunt. At vero homo inepte, bonitatis & gratiæ Dei tanto luculentiora in eis hominibus extant teſtimonia, quanto & omni doctrina & pietate aliis ſuperiores judicantur. Hi ergo cum omnibus ſeculis præclara Dei organa fuerint agnita, ut vel tu hoſtis eorum ſummam doctrinæ ac pietatis laudem illis tribuere cogaris, quæ (malum) ſuperbia mentem tuam excæcat, ut majora gratiæ Dei dona inte quam in illos collata gloriari non erubeſcas? Nec vero quiſquam niſi inſanus à ſuo ipſius judicio pendet, ut nihil aliorum moratus judicia, talem ſe omnino ſtatuat, qualem erroris opinione finxit. Porro quicunque aliquam prudentiæ habent micam, adeo nihil unquam tribuere ſibi audent, ut in judiciis hominum potius, quam in mentis ſuæ ſenſu aquieſcant. Vide ergo Anonyme, & ſobrii hominis cogitationem ad momentum ſuſcipe, ut intelligas, quam procul diſtes ab ea prudentiæ opinione, qua teipſum inflaſti.

Anonymus. Falſo omnino mihi à Volano tribuitur, quod majora gratiæ Dei dona in noſtros homines (quamquam ipſe in me dicit; qua de re poſtea aliquid dicemus) quam in antiquiores, & recentiores theologos, collata fuiſſe glorier. Neque enim id ullo modo ſonant verba mea ab ipſo Volano recitata, nempe illa, *qui* (Deus noſter) *nos miſeros homunciones pro ineffabili ſua bonitate ea ſcire voluit, quæ magnis & clariſſimis alioqui viris nunquam cognita fuerunt.* Nam quid prohibet, quominus nos, Dei benignitate, in rebus divinis aliqua ſciamus, quæ illi neſciverunt; & tamen illi majora alioqui, quam nos, gratiæ Dei dona habuerint? Non diffitetur Volanus, cum adverſus Lojolitas loco paullo ante indicato diſputat, Athanaſium, Hieronymum, Auguſtinum, Theodoretum invocationem aut Mariæ virginis, aut aliorum ſanctorum, quorum animæ in cælis eſſe creduntur, vel dicto, vel facto approbaſſe. Num quia ipſe iſtud minime approbat, eaque in re Dei beneficio id videt, quod magni iſti viri non viderunt, idcirco ſtatuit Volanus, in ſe majora gratiæ Dei dona collata fuiſſe, quam in illos? Non putarim. Atque hic obiter conſiderandum eſt, quænam auctoritas viris iſtis, quantumvis alioqui magnis, tribuenda ſit in doctrina, quam nobis tradiderunt de Dei, Chriſtique natura ſive eſſentia, id eſt de re, ipſorum etiam ſententiâ, magna ex parte obſcuriſſima & explicatu difficillima, ut pote de qua ſacræ litteræ & parce, nec aperte loquantur: cum iidem in re tam clara, tam facili, tantopere Sacris Litteris teſtata graviſſime lapſi fuerint; adeo ut inter idololatras numerari poſſe videantur. Nam certe, qui invocationis cultum alii tribuit, quam Deo, ejuſque filio Jeſu Chriſto domino noſtro, is idolum quoddam ſibi fingit; cum nemo præter Deum, & Chriſtum preces noſtras è cælo audiendi nobiſque ſe invocantibus ſubveniendi poteſtatem habeat. Immo, ſi Volano credimus, ne Chriſtus quidem ipſe Dei filius ſine idololatriæ crimine invocari poteſt, niſi eſſentia ſit unus Deus cum patre ſuo. Nec vero putet quis; ſolos iſtos quatuor ex antiquioribus theologis, quorum ſcripta ad nos pervenere, quique ex Dei ipſius patris ſubſtantia vel eſſentia Chriſti generationem defendunt, in errore iſto invocationis ſanctorum hominum mortuorum fuiſſe. Apparet enim ex indiciis multis, ab Athanaſii temporibus eam opinionem plurimum in Eccleſia invaluiſſe. Sed & multo ante Athanaſium non defuerunt ex prædictis Theologis, aut certe ex iis, qui de Chriſti eſſentia diverſum à nobis ſenſerunt, quibus penitus perſuaſum fuit, ſanctos mortuos nos precibus ſuis apud Deum juvare. Mitto alia non pauca, quæ admodum ſuperſtitioſe vel dicta vel excogitata in iſtorum ſcriptis leguntur, quæque ad idololatriam proxime accedunt. Mitto manifeſtos alicubi & pueriles in ſcripturis interpretandis errores; qui Theodorum Bezam impulerunt, ut, neſcio quo in loco, diceret, in antiquioribus illis plus quidem conſcientiæ (ſic enim ipſe loquitur, ni fallor) ſed minus ſcientiæ fuiſſe, quam in noſtri temporis Theologis. Mitto, in quam, hæc, ne ſummam eruditionem, quam univerſe illis conceſſeram, & inſignem pietatem, quam in quibuſdam

me agnoſcere profeſſus fueram, nunc illis adimere velle, videri poſſim Nam ſum adhuc revera prorſus in eadem ſententia. Verum tamen nec ſumma fere omnium eruditio, nec inſignis aliquorum pietas efficit, quominus potuerint omnes in Dei, Chriſtique eſſentia perſcrutanda errare, cum potius vel in eo ipſo errore aſſerendo potuerint (ut certe plerique fecerunt) ſe & valde eruditos, & Chriſti gloriæ cupidiſſimos oſtendere. Quinetiam nec ſumma eorum eruditio, nec inſignis pietas (nam de eloquentia ſumma, quam illis ſimiliter tribuebam, nihil attinet dicere) a multis aliis erroribus in iis, quæ ad religionem noſtram pertinent, eos tutos reddit. Et enim, quod attinet ad pietatem illam inſignem, quam tamen, ut dixi, in quibuſdam tantum agnoſco, ea ignorationem tantummodo excludit eorum, quorum cognitio neceſſaria eſt ad ſalutem. Quod vero attinet ad ſummam eruditionem; ſumme eruditus is eſt, qui bonarum artium, & litterarum cognitione eſt apprime excultus, etiamſi de theologo fuerit ſermo, de quo ſi, ut theologo, ſeu quatenus theologus eſt, id dictum fuerit (quod tamen de iſtis à me factum non eſt, indiſtincte enim ſum locutus) intelligendum erit, eum in omni theologiæ parte optime eſſe verſatum, nec ullius rei extra ipſum poſitæ, quæ ad ſenſa ſacrarum litterarum recte percipienda pertinere poſſit, rudem aut expertem eſſe. Hæc autem omnia in eo etiam eſſe poſſunt, qui non tanto vel judicio, vel Dei ſpiritu ſit præditus, ut rerum ipſarum divinarum veritatem aſſequi plerumque poſſit. Ad ſummam, ignoratio veritatis rerum, cum ſumma eruditione conjuncta eſſe poteſt. Plurimi certe ſunt inter Pontificios theologos viri eruditiſſimi; qui tamen à veritatis rerum multarum & magnarum cognitione in ipſa ſacra philoſophia quam longiſſime abſunt. Aut, ſi ipſi earum veritatem tenent, neceſſe eſt profecto, ut, qui ab illis ſe ſegregarunt, in multis, iiſq; magnis, circa ſacram philoſophiam, erroribus verſentur, inter quos tamen ingens numerus eſt eruditiſſimorum virorum. Ex iis autem, quæ diximus, perſpicuum eſſe poteſt, quamvis de recentioribus Theologis dixerim, eos & multarum rerum cognitione, & linguarum peritia nobis longe præſtare, non tamen hinc continuo ſequi, eos, non dicam in omnibus, ſed ne in ullis quidem religionis noſtræ partibus veritatem melius noſſe, quam nos noverimus. Nam, quod addidi de ingenii acumine, quo nobis antecellunt; id, niſi vel acre ſimul judicium, vel potius, hac præſertim noſtra ætate, ſingularis quidam Dei favor adſit, ad veritatem in rebus divinis indagandam ſæpe potius obeſt, quam profit. Hæc dicere volui, ut Volanus ſciat, me, cum & antiquiores, & recentiores theologos nobis adverſantes laudandos mihi cenſui, ita tamen locutum fuiſſe, ut cauſſæ noſtræ nihil officerem; nec ea in re me ineptum hominem prodidiſſe, quemadmodum, ejus rei nomine, ipſe me appellat. Jam quod ea, quæ de noſtris hominibus dixi, quorum nomine mea illa reſponſio ſcripta eſt, ad me unum Volanus refert, tanquam ſi de me uno locutus eſſem; in eo ſane minus ſincere, aut certe minus prudenter, (nam, quid levius dicam, non invenio) verſatus fuiſſe dicendus eſt; & occaſionem quacumque ratione captaſſe in me invehendi. Nam ex quibus (rogo) illius mei ſcripti verbis intelligi poteſt, vel me à meo prorſus judicio pendere, vel prudentiæ opinione me ipſum inflaſſe? Cum enim verba mea ſemper ita accipienda ſint, ac ſi univerſus cœtus noſter per Poloniam, & Lituaniam ſparſus loqueretur, mihique ad hanc totius cœtus noſtri quaſi perſonam ſermo ipſe perpetuo accommodandus fuerit; quid, obſecro, poterit quiſquam vel animadvertere uſquam vel reprehendere in verbis meis, tamquam de me ipſo dictum? Sed fingamus, me de ipſo nominatim, & privatim locutum fuiſſe; quomodo conſtabit, aut verum erit, me à meo ipſius judicio pendere, aut me ipſum prudentiæ opinione inflaſſe? Nonne, quod ego ipſe ſentio (quod attinet ad eam quæſtionem, de qua præcipue agimus) contra complurium theologorum cum antiquiorum, tum recentiorum ſententiam, ſentiunt pariter mecum hodie innumerabiles ferme non homines modo, ſed eccleſiæ, idque non in una tantum orbis Chriſtiani parte; ſed in pluribus? deſinat ergo aliquando Volanus eloquentia ſua perverſe uti, & mecum poſthac candide agat, neu ſe ab illo ſuo, neſcio quo, Dei zelo ita rapi ſinat, ut, in manifeſtas calumnias prorupiſſe, cuiquam videri poſſit.

VOLANUS Partic. 56. pag. 154.

Videntur tibi erraſſe omnes in tradenda ſalutis doctrina, quicunque doctores ac paſtores ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus Chriſtum Dei Filium verum Deum prædicabant, te vero ſolum ac ſectatores tuos ſapere dicis, qui Chriſtum Deum eſſe negatis. Quibus obſecro teſtibus cauſam agemus, ut illos ne an vero vos delirare approbemus? At vero illi omnibus ætatum ſæculis cœleſtis doctrinæ acerrimi propugnatores, & pro ea fortiter occumbentes, ſanctiſſimi martyres ſunt judicati, ita ut ne vos quidem aliter dicere veritas cogat. Vos autem nemo recte ſentire præter vos ipſos dicit, imo ſacrilegos gloriæ Chriſti hoſtes, & impiæ doctrinæ autores, ac ſcripturarum ſanctarum impudentes everſores, omnes pii ac docti clamitant Et dubitatis adhuc, quæ teſtimonii autoritas ad veritatem approbandam majus pondus apud vos obtinere debeat.

Anonymus. Quæ it Volanus, quibus teſtibus, in controverſia noſtra, nobis agenda ſit cauſſa. Quaſi vero hominum teſtimonio in controverſiis de religionis Chriſtianæ decretis ſtandum ſit; aut ſit neceſſe tribunal quodammodo aliquod in terris habere, ubi ejuſmodi controverſiæ judicentur. Quid, quæſo, aut minus veriſimile, aut Pontificiæ tyrannidi magis conſentaneum? Præterea, quomodo teſtes ſeu potius judices in hac controverſia noſtra dari poterunt, qui ſint legitimi? Alterutrius enim partis is, qui hanc cauſſam cognoſcere poſſit, omnino erit. Aut enim ſentiet, Chriſtum eſſe illum Jehovam Deum creatorem cæli, & terræ (de hoc enim controverſamur, non autem ſimpliciter, utrum Chriſtus ſit verus Deus, quem eſſe, nos quoque affirmamus) aut ſentiet non eſſe. Nam, ſi qui ſunt, qui aſſenſionem hac in re cohibeant, & adhuc dubitent, ii profecto vel teſtimonio dicendo, vel ſententiæ tanta de re ferendæ inepti erunt. Niſi velimus iſtos pro judicibus hac ratione habere, ut ſacrarum litterarum teſtimoniis, & rationibus utriuſq; partis diligentius, quam antea, auditis atque perpenſis, in utram partem illi magis inclinaverint, aut etiam, quod prius nullo modo fecerant, plane conceſſerint, ea ſententia vera exiſtimanda ſit, altera falſa. Verum neque hoc ad Volani teſtimonium, quale videlicet ipſe quærit, quidquam facit, ut mox videbimus; nec nos ſane, niſi id alioqui Chriſtianis hominibus & divina ipſa veritate indignum videatur, tale judicium declinaturi ſimus. Nihil enim dubitamus, quin, ſi quis modo de hac quæſtione noſtra dubitare incipiat, & diligenter rationum, & teſtimoniorum hinc inde allatorum pondera, ac momenta examinare velit, multo citius noſtram, quam adverſariorum, ſententiam ſit probaturus. Sed non quærit Volanus ut tota cauſſa iis, qui neutrarum partium ſint, judicanda proponatur: immo ex eo ſententiam ferri vult, quod altera pars jam ſentiat. Quo quid abſurdius? Inquit enim, præter nos ipſos, neminem dicere, nos recte ſentire. Certum eſt autem, eum Noſtri ipſorum nomine omnes intelligere, qui noſtram ſententiam umquam ſunt amplexi. Alioquin evidenter falſiſſima loqueretur. Præter nos ipſos igitur neceſſe eſt, ut eos demum eſſe intelligat, qui noſtram ſententiam numquam ſunt amplexi; ita ſcilicet, ut eam retinuerint. Hos autem Volano non ejuſmodi eſſe, qui neque etiam eam rejecerint, ex eo apparet, quod tota vis argumentationis in eo eſt, quod omnes pii, ac docti nos (ob prædictam videlicet ſententiam noſtram) execrentur, ac deteſtentur. Propterea infert, *Et dubitabimus adhuc, quæ teſtimonii auctoritas*, &c. Nullum autem eſt dubium, quin Volanus nec impium, nec doctum eum eſſe exiſtimet, qui ſententiam noſtram non plane rejiciat. Itaque, in hac controverſia, alterius partis, id eſt noſtrorum adverſariorum, teſtimonio ſeu potius judicio ſtandum eſſe, cenſet. Potuitne quidquam iniquius excogitari? Conveniamus ſaltem prius, quinam ſint iſti viri pii ac docti. Neque vel ii à pietate, ac doctrina alieni judicentur, quos maxime

maxime pios ac doctos fuiſſe, nos contendimus, vel contra quidam & docti, & pii habeantur, quos aut tales non fuiſſe, apud nos certum eſt, aut non certum, fuiſſe. Neve à Volano in argumentatione ſua principium petatur. Adde, quod, ſi de veteribus loqui velimus, nihil de omnibus doctis ac piis affirmari poteſt; ob eam cauſſam, quod viget quidem memoria & extant ſcripta illorum, qui noſtrorum adverſariorum ſententiam & receperunt, & propugnarunt. At illorum, qui eam vel rejecerunt, vel etiam impugnarunt nec ulla extant ſcripta, & memoria pæne deleta eſt: eo quia & adverſariorum ſententia obtinuerit, qui omnia illorum ſcripta delenda curarunt; nec ullos hiſtoricos habeamus, niſi ex adverſariorum numero. Qui tamen, manifeſta veritate victi atque compulſi, ex pauciſſimis quibuſdam, quos noſtræ ſententiæ propugnatores variis temporibus fuiſſe commemorant, unum & doctrinæ atque eloquentiæ, ac conſtantiæ ſimul nomine non obſcure commendant; & hæreticum quidem, ſeu potius hæreſiarcham, illum omnes faciunt: cæterum, ſummum alioqui virum fuiſſe, quidam ex ipſis ingenue confitentur. Is fuit Photinus quondam Sirmii epiſcopus: quem certum eſt, ipſiſſimam noſtram ſententiam & ſermone, & ſcriptis acriter defendiſſe: idque poſtquam incepit, perpetuo, dum vixit. Quem nec Imperatoris Conſtantii ſibi infenſi præſentia, nec exilii evidens periculum deteruit, quominus id, quod ſentiebat, palam profiteretur & conſtantiſſime aſſeveraret. Qui ſuo denique epiſcopatu privari, atque extorris fieri maluit, quam quidquam de ſua ſententia decedere, & adverſariis gratificari. Immo qui, cum adverſarii de victoria contra eum, quem (ut pote plurimi contra unum) condemnaverant, in diſputatione quadam gloriarentur; non deſtitit ipſe, luculentiſſimis ſcriptis & Græce, & Latine editis, ſuam ſententiam, unaque cum ipſa divinam veritatem defendere, eorumque vanam gloriationem retundere, ac palam traducere. Cujus unius viri ſi monumenta extarent, non dubitamus, quin ſatis habituri eſſemus, quod in hoc genere adverſariis opponeremus. Sed de his hactenus. Neque enim nos propterea ſententiam noſtram aut libenter ſequimur, aut tuemur, quod ſive Photinus, ſive alius quiſpiam vir magnus eam conſtanter aſſerere non dubitaverit. Jam vero, ut Volani ratiocinationem penitus diſſolvamus, non eſt omittendum, illum ex eo etiam conſtare velle, noſtram cauſſam iniquam eſſe, quod nos ipſi de iis, qui contrariam ſententiam ſunt ſecuti, bene alioqui ſentimus, & non paucos etiam inter ipſos pro Jeſu Chriſti martyribus habemus; cum tamen ipſi contra pro perditis hæreticis nos ſemper habuerint, unde concludi poſſe videtur, nos contra nos ipſos ſententiam ferre. Hic primum dico, haud ſatis conſtare, quonam animo erga noſtros homines fuerint iſti omnes, quos veros Chriſti martyres fuiſſe, licet à ſententia noſtra alienos, libenter confitemur. Fieri enim facile poteſt, ut, quemadmodum nos illos à Chriſti regno non excludimus, quamvis in ſententia noſtra rejicienda eos graviter erraſſe credamus: ſic illi, quamvis, in ea retinenda noſtros homines graviter errare, exiſtimarent, tamen eos à Chriſti regno minime excluderent. Deinde dico, ex eo quod nos melius de illis ſentiamus, quam illi de nobis, nihil vel ipſorum cauſſam juvari, vel noſtram lædi; immo ex eo apparere, quanta ſit moderatio, & candor animi noſtri, &, ſi exemplis agere libet, potius inde cauſſæ noſtræ juſtitiam, illorum vero cauſſæ injuſtitiam colligi poſſe, affirmo. Vix enim invenias, quod, qui, non condemnatus ipſe, alios condemnet, non pejorem cauſſam defendat. Atque, ut alia exempla prætermittam eorum, qui alios à ſe in uno aut pluribus religionis noſtræ dogmatis diſſentientes, ab illis licet ipſi non condemnati, condemnarunt, aut condemnant; cum tamen rectius illi, quam ipſi ſentiant: unum tantummodo afferam ætate noſtra maxime illuſtre; & in quo rem ita ſe habere, ut dico, Volanus ipſe, ut arbitror, nullo pacto eſt negaturus. Condemnant hodie ii, qui Lutherani vocantur, omnes Calviniſtas, adeo ut eos & execrentur, & deteſtentur, ac pro alienis à vera Chriſtiana republica omnino habeant. Cum interim Calviniani, licet Lutheranos errare credant, non tamen eos condemnent, aut pro fratribus in Chriſto non habeant: modo alioqui ſecundum ſuam ipſorum Lutheranorum religionem ſint pii. Quinetiam ipſum Lutherum & Dei virum appellare, & ſanctitate illuſtrem fuiſſe, affirmare ſolent. Jam, ſi Volani argumentatio bona eſt, Lutherani in controverſia illa ſacramentaria (inde enim & diſſenſio inter utroſque, & tota condemnatio iſta) optime ſentiunt: Calviniani autem peſſime. Atqui aliter, niſi vehementer fallor, & ipſe Volanus cenſet, & cum Volano ii fere omnes, qui, Pontificiis idololatriis & ſuperſtitionibus valere juſſis, nec Lutherani alioqui, nec Calviniani ſunt. Itaque quidquid de teſtibus, quibus cauſam agamus, hoc loco Volanus ſcripſit, vel leve atque ineptum, vel etiam ipſius, & ſuorum cauſſæ inutile cenſendum eſt. VOLANUS Partic. 57. pag. 155.

Magna profecto impudentia veſtra eſt Ebionitæ, & inaudita quædam in contemnendo perpetuo univerſæ Eccleſiæ Chriſti judicio arrrgontia, ut quod illa ſemper de Chriſto credidit, & quam fidem diverſis hæreticis tanquam Achillis clypeum oppoſuit, illam vos falſi erroris inſimulare non pudeat.

Anonymus. Perpetuum iſtud univerſæ Chriſti eccleſiæ judicium nunquam probabit Volanus. Immo contrarium à nobis manifeſte probatur, quotieſcumque teſtimonia Chriſti Apoſtolorum (id quod ſæpiſſime facimus) in medium afferimus, ex quibus apertiſſime colligitur, unum illum Deum noſtrum, eum eſſe, qui eſt pater omnium, & ab iſto uno Deo Jeſum Chriſtum Dominum diſtingui, ut neceſſe ſit, Jeſum Chriſtum non eſſe illum unum Deum. Teſtimonia ſunt, 1 Cor. 8. 4, &c. & Eph. 4. 5. Quod & ipſe Chriſtus antea clariſſimis verbis teſtatur fuerat, Joh. 17. 3. Ut interim nihil dicam de innumerabilibus aliis locis apud eoſdem Apoſtolos, in quibus Chriſtus diſerte à Deo diſtinguitur: & ſæpe quidem, cum ei cultus, & in ipſum fides, aut aliquid ejuſmodi tribuitur; ex quo fit, ut nullus, naturæ humanæ à divina diſtinctæ obtentu, ſit tergiverſationi locus. Nam & Chriſtus ipſe antea diſcipulis ſuis dixerat Joh. 14. 1, *Creditis in Deum; & in me credite*, manifeſte, quod ad fidem etiam in ipſo collocandam attinet, ſe à Deo diſtinguens. Inſpiciat tamen lector hos locos, Act. 20. 21. Rom. 14. 18. 1 Cor. 12. 5, & 6. Philip. 2. 9. 1 Tim. 1. 1. 1 Pet. 2. 3, & 4. Apoc. 1. 13, & cap. 7. 10. & cap. 14. 4, & cap. 22. 1, & 3. In his enim omnibus locis Chriſtus à Deo diſerte diſtinguitur, quamvis ita conſideratus, ut, quemadmodum dictum eſt, ad naturarum diſtinctionem confugiendi aditus omnis præcludatur. Quibus eos omnes addere potes, qui ſunt in initiis Epiſtolarum Pauli, & ſecundæ Epiſt. Johannis, & in fine Epiſtolæ ad Epheſ. Et ſi enim Deus in locis iſtis Pater noſter, aut Pater ſimpliciter nominatur; tamen ipſius Chriſti pater in nullo eorum aperte dicitur. Nec, ſi Chriſtus, quatenus gratiam, pacem miſericordiam, & charitatem cum fide confert, atque eo nomine invocatur, unus ille Deus eſſet, ut adverſarii volunt; non eatenus etiam & pater, & pater noſter eſſet; aut, ubi iſta illi tribuuntur, & talis conſideratur, quemadmodum in prædictis omnibus locis fit, ibi ab eo, qui pater, & pater noſter eſt, diſerte diſtingueretur. Quid vero? An non vel id unicuique ſatis eſſe deberet, ut cognoſceret, Apoſtolos ſenſiſſe, Chriſtum omnino, quantum ad ipſam eandem numero eſſentiam ſeu naturam pertinet, à Deo diſtinctum eſſe, quod ipſum paſſim, quemadmodum etiam omnes facimus, filium Dei appellarunt? Nam, ſi Chriſtus eſt Dei filius, quomodo, quæſo, is erit ipſe Deus? Num poteſt quis ſui ipſius eſſe filius? Quæ tanta fuit ejus ætatis ſtupiditas, in qua demum creditum eſt, Chriſtum eſſe illum ipſum Deum, cujus eſt filius? Atque, ut eorum delirium omittam, qui, cum viderent, ſe aliter elabi non poſſe, non veriti ſunt affirmare, Chriſtum, quod ad humanitatem attinet, totius Trinitatis, & ſic tamen aliquo modo ſui

etiam

etiam ipſius filium eſſe; nonne plerique ex adverſariis noſtris, hæc animadvertentes, & faſſi ſunt, & fatentur ingenue, Dei ſimplici nomine frequenter in Apoſtolorum ſcriptis Deum patrem tantum ſignificari? Immo nonne hoc ipſum pro reſponſione ad prædicta omnia teſtimonia afferre ſunt coacti? Sed futilis prorſus iſtæc reſponſio eſt: quippe in qua & principium petitur, & id interim conceditur, unde, quod defendendum ſuſcipitur, plane oppugnatur. Explico, quid mihi velim. Dum dicitur ab adverſariis, in prædictis omnibus teſtimoniis, Dei ſimplici nomine, Deum tantum patrem intelligi; tacite pro conceſſo ſumitur, non Patrem ſolum, ſed alium quoque, nempe ſaltem Filium, abſolute & ſimpliciter Deum eſſe. Atqui hoc illud ipſum eſt, de quo diſputatur, quodque noſtri homines negant, aſſerentes, Filium Deum quidem eſſe, ſed non ſimpliciter & abſolute; id eſt non ita, ut in uno illo Deo ipſe quoque eſſentialiter (ut ſic dixerim) includatur; unde fiat, ut Dei ſimplici nomine, non modo ut prædicato, ſed etiam ut ſubjecto, filius ipſe Dei ſignificari poſſit. Nam quod Paulus dixit Act. 20. 28. 1 Tim. 3. 16, Deum ſanguine ſuo Eccleſiam acquiſiviſſe, & Deum in carne manifeſtatum fuiſſe, in quibus locis ſimplex Dei nomen, ut ſubjectum, poſitum eſt; iſta, inquam, loca ad Patrem referri commodiſſime poſſe, facile eſt oſtendere. Eraſmus certe, licet alioqui æternæ filii Dei divinitatis aſſertor, & tantopere alibi ab ipſo Volano, ut ſupra diximus, & quidem meritiſſimo laudatus, id percommode in priore loco fieri poſſe, multo ante has memoria noſtra motas & agitatas controverſias, * docuit: & ratione atque exemplis demonſtravit, filii Dei ſanguinem recte ipſius Dei patris ſanguinem appellari potuiſſe. In poſteriore vero nihil prorſus eſt, quod ad ipſum Deum patrem accommodari nequeat. Et primum illud ipſum, quod Deus ſit manifeſtatus ſeu patefactus in carne, optime Deo patri convenit. Nam & Chriſtus ipſe dixit Joh. 14. 9, *qui videt me, videt patrem.* Et enim hoc ad ipſius Chriſti præſentiam, adque verba, & opera, quæ, in carne exiſtens, dicebat, ac faciebat, referendum omnino eſſe, & proxime antecedentia, & ſubſequentia verba aperte declarant. Proxime enim dixerat, *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me?* Poſt vero, ut id ipſum explicaret, paucis interjectis, ſubjunxit, *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor. Pater autem, in me manens, ipſe facit opera.* Nec reticebo loca illa, in quibus Chriſtus vel inconſpicui Dei imago, vel forma expreſſa ſubſtantiæ Dei dicitur 2 Cor. 4. 4. Col. 1. 15. Heb. 1. 3; ubi Dei nomine Patrem ſignificari, adverſarii ipſi non concedunt modo, ſed etiam contendunt. Namque de Chriſto, quatenus in carne apparuit, & ad nos relationem habet, in illis agi, & res ipſa loquitur, ut ex adverſariis nonnulli (Calvinus præſertim) animadverterunt. Sequitur in prædicto Pauli teſtimonio, *juſtificatus eſt in ſpiritu*: quod nemo non videt ad Deum patrem rectiſſime accommodari; qui, per ſpiritum ſuum ſanctum effuſum in populum, & gentes per Chriſtum, juſtus, ac promiſſorum ſervator apparuit, & laudatus vehementer ac celebratus, atque (ut ita dixerim) approbatus eſt. Hoc enim eſſe, Deum juſtificari, omnes norunt, qui Sacras Literas vel ſummis labiis deguſtarunt. Additur, *apparuit angelis.* Nempe quia per Chriſtum mundo exhibitum ipſi quoque angeli de Dei patris cum majeſtate, tum voluntate ea noverunt, quæ antea non noverant; in eaque, ut inquit Petrus 1 Pet. 1. 12, inſpicere cupiunt. Tunc enim potiſſimum, apud Sacros Scriptores, Deus apparere dicitur, cum vel majeſtas, vel voluntas ejus elucet, atque conſpicitur. Subjungitur autem, *prædicatus eſt gentibus.* Gentes enim, quæ ut Paulus ait Epheſ. 2. 12, ſine Deo erant in mundo, Deum creatorem cæli, & terræ, ipſis, ut idem Act. 17. 23, &c. oſtendit, antea ignotum, per Jeſu Chriſti Apoſtolos ſibi prædicari, audiverunt: eum, inquam, Deum, qui virum illum Jeſum Nazarænum, per quem judicaturus eſt orbem, à mortuis excitavit. Vide Act. 17. 30, & 31. Atqui is, qui Jeſum à mortuis excitavit, Deus pater eſt; Act. 3. 26. Gal. 1. 1. 1 Pet. 1. 3. Subjicitur præterea, *creditus eſt in mundo.* Nam, ut Petrus 1 Pet. 1. 12, ait, per Chriſtum creditur in Deum, qui illum excitavit à mortuis. At poſtremo adjungitur, *receptus eſt in gloria*, ut Eraſmus locum convertit, non autem, *ſurſum receptus eſt in gloriam*, ut vertit Beza, duplici errore. Neque enim, etiamſi de ipſo Chriſto ſermo eſſet, deberet hic locus ad aſſumptionem Chriſti in cælum referri, quæ & fidem, quæ illi habita eſt in mundo, & ipſius prædicationem inter gentes anteceſſit, non autem ſubſecuta eſt; quemadmodum receptionem, de qua hic agitur, ſubſecutam eſſe, ordo ipſe narrationis oſtendit. Quid enim inſulſius eſſe poſſet, quam prius dicere, Chriſtum prædicatum fuiſſe gentibus, illique in mundo fidem fuiſſe habitam; poſtea vero addere, eum in cælum fuiſſe aſſumptum: cum non modo hoc illa, ut diximus, anteceſſerit, verum etiam eorum cauſſa quædam, aut certe ad ea præparatio, fuerit? Nec vero verbum ἀναλαμβάνειν, quo hic uſus eſt Apoſtolus, revera ſurſum recipere ſignificat: inveniturque in ipſo Novo Teſtamento ſimplicis receptionis, aut etiam acceptionis ſive aſſumptionis ſignificationem habere. Ut Act. 20. 13, ἐκεῖθεν μέλοντες ἀναλαμβάνειν τὸν Παῦλον quæ verba ſic reddidit ipſe Beza, *illinc recepturi* Paulum. Et rurſus ſeq. ὑπ. ἀναλαβόντες αὐτόν. Quod idem vertit, *recepto eo.* Cap. autem 23. 31. ἀναλαβόντες τὸν Παῦλον, ἤγαγον. Id eſt, interprete eodem ipſo Beza, *acceptum Paulum duxerunt.* Et Epiſt. ad Epheſ. cap. 6. 13. ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ. Quod, eodem interprete, eſt, *Aſſumite univerſam illam armaturam Dei.* Alter Bezæ error, illi tamen cum Caſtellione communis, eſt, quod, cum in Græco legatur ἐν δόξῃ, ipſe In gloriam eſt interpretatus; quaſi ſcriptum eſſet εἰς δόξαν. Invenitur quidem ſæpe in Sacris Literis εἰς pro ἐν uſurpatum; at contra ἐν pro εἰς aut perraro (ut arbitror) aut fortaſſe nunquam invenies: præſertim eo ſenſu, quem hic locus requireret. Quidquid de infinitis locis, ubi id fiat, idem Beza alicubi affirmaverit. Quanquam quid neceſſe erat, hac in parte, veterem lectionem mutare? Nonne, etiamſi In gloria ſcriptum fuiſſet, eadem ſententia conſervata dici poſſet; quod hic videlicet de aſſumptione in cælum ſermo eſſet? Certe in eo loco, quem ipſe Beza in ſuis annotationibus citat, Act. 1. 2. verbo ἀνελήφθη abſolute poſito, aſſumptum fuiſſe Chriſtum in cælum, ſignificatur. Sed nolunt nimirum noſtri Novi Sacrarum Literarum interpretes, lectores ſuarum interpretationum proprium judicium in verbis ſacris intelligendis adhibere poſſe. Verum ad rem noſtram. Dico igitur, omnino legendum eſſe, Receptus eſt in gloria. In gloria autem, ex Hebræorum idiotiſmo, pro eo, quod eſt Cum gloria, dictum eſt; ut Philipp. 4. 19. ſeu Glorioſe; quemadmodum ipſius Bezæ interpretatio eo in loco habet. Itaque loci noſtri ſententia eſt, Deum patrem, cæli, terræque creatorem, per Apoſtolorum Chriſti prædicationem, non ſolum plane agnitum, rejectiſque idolis, ſeu falſis diis, receptum fuiſſe; ſed etiam cum gloria ſeu glorioſe id factum eſſe: id eſt ſplendide, luculente, & valde illuſtri quadam ratione: ubi videlicet ſumma ipſius Dei patris majeſtas eluxerit, & ejus nominis clariſſima concelebratio conſecuta fuerit. De hac autem ſplendida Dei patris receptione, & idolorum rejectione, vide potiſſimum 1 Theſ. 1. 5, & deinceps uſque ad finem cap. Omitto autem, quod & ſuperior ille locus Act. 20. 28. in Syriacis codicibus aliter legitur (nec enim ibi Dei, ſed Chriſti nomen ſcriptum eſt) & quod poſterior in omnibus Latinis pro Deus habet Quod, & ita citatur ab antiquis Latinis ſcriptoribus: ut ſcilicet non de Deo, ſed de pietatis ſacramento ſeu myſterio loquatur Apoſtolus. Quæ ſane lectio, quemadmodum Eraſmo quoque, & aliis viſum eſt, multo convenientior nobis videtur. Nam ſine dubio omnia multo melius, magiſque proprie ad my-

* In apolog. ad Sanctium Caranzam.

myſterium pietatis accommodantur, quam ad Deum, ne eo quidem excepto, quod primo loco dicitur. Senſus enim eſt, pietatis myſterium, quod Euangelio videlicet continetur, in carne, id eſt per carnem, per homines ſcilicet mortales & multis calamitatibus obnoxios, initio ab ipſo Chriſto facto, publicatum fuiſſe. Unde Paulus 1 Cor. 4. 7. ait, ſe, & alios Apoſtolos habere theſaurum cognitionis Euangelicæ, qua hominum corda illuminantur, in vaſis teſtaceis; ut ſublimitas virtutis ſit Dei, & non ex ipſis. Ideoque & hic per decentiſſimam antitheſim ſubjungitur, juſtificatum fuiſſe hoc myſterium in ſpiritu. Hoc eſt, licet per imbecillos homines mundo exhibitum, divina tamen virtute confirmatum & approbatum eſſe. Cæterum, apparuiſſe angelis, prædicatum fuiſſe gentibus, creditum fuiſſe in mundo, & receptum fuiſſe cum gloria: hæc omnia, inquam, nemo non videt, quanto rectius ad Euangelicum myſterium, quam ad Deum, accommodentur. Sed neque ignorandum eſt, Syriacam interpretationem cum Latina prorſus conſentire: quamvis Immanuel Tremellius in ea Latina facienda, inſigni lapſu, hoc loco, Græcam lectionem expreſſerit. Itaque, ſi ex Græcorum codicum vulgata lectione neceſſe eſſet ad Chriſtum ſimplex Dei nomen, quod ibi, ut ſubjectum, poſitum eſt, referre (id quod tamen nullo modo neceſſe eſſe, oſtendimus) non idcirco, quid reſponderem, & lectioni iſti opponerem, habiturus non eſſem. Sed jam ſatis ſuperque de eo Pauli loco à nobis diſputatum eſt. Quod ideo fecimus, ut nihil impedire poſſet, quominus ex ante dictis planiſſimum fieret, Apoſtolorum ſententiam ab ea, quam perpetuam in Chriſti eccleſia fuiſſe, Volanus ait, plurimum abhorrere. Tametſi ejus tantummodo rei occaſione eum locum, licet ab Adverſario minime allatum, explanandum mihi ſumpſi, quod dixeram ab adverſariis principium peti, dum locos, qui apud Chriſti Apoſtolos extant, in quibus manifeſte Chriſtus à Deo diſtinguitur, ita accipiendos dicunt, ut Dei nomine non Deus ipſe abſolute, ſed Deus pater tantum intelligatur. Cui rei addideram, eos hac reſponſione id concedere, unde, quod defendendum ſuſceperunt, plane oppugnatur. Nam, ſi in locis prædictis, qui ſunt pæne infiniti, Dei ſimplici nomine, quod, ut ſubjectum, fuerit poſitum, Chriſti pater tantum intelligitur, idque ad ipſius Chriſti diſtinctionem: quid cauſſæ eſt, cur vel hinc non ſatis appareat, cum Deus unus ſit, unum iſtum Deum apud Apoſtolos Chriſti patrem tantum eſſe, non etiam ipſum Chriſtum? Si enim vel unus locus alicubi in apoſtolicis ſcriptis extaret, de quo nullo modo dubitari poſſet, quin ibi Dei nomine ea ratione, qua dixi, poſito, ſine una cum Jeſu Chriſti patre, ſive ſeorſum, ipſe Jeſus Chriſtus intelligeretur, aliqua eſſet ſaltem occaſio quærendi, num, ex Apoſtolorum ſententia, in illa unica eſſentia divina ipſe Dei filius, (quamquam hoc alioqui abſurdiſſimum, atque adeo impoſſibile videatur) aliqua ratione comprehenderetur. Sed nullus penitus ejuſmodi locus extat. Quocirca concludendum eſt, Apoſtolos omnino ſenſiſſe, ſolum Jeſu Chriſti patrem; non etiam ipſum Jeſum Chriſtum, illum unum Deum eſſe. Quomodo igitur audet Volanus aſſerere, perpetuum univerſæ Eccleſiæ judicium à nobis contemni, ſi hoc idem, quod Apoſtoli ipſi ſenſerunt, conſtanter aſſerimus? Numquid Apoſtoli ſuo tempore Chriſti eccleſiæ membra non fuere, eaque præcipua ac nobiliſſima, immo ejuſmodi membra, ex quibus ſolis illa ferme univerſa in ipſo initio conſtabat, quæque aliis omnibus ſpiritum, & vitam ab ipſo Chriſto acceptam impertiebant, nec ullo prorſus pacto hiſce in rebus quidquam peccare poterant? Non libet autem hoc tempore, vel potius per librorum inopiam non licet, manifeſte oſtendere, idem ſenſiſſe per aliquot ſæcula fere omnes, qui Chriſti nomen profitebantur, atque hæreticos omnino eos fuiſſe exiſtimatos, qui, Jeſum Chriſtum, unum illum Deum eſſe, dicebant. Id quod adverſarii ita ſunt interpretati, quaſi hæretici iſti unicæ divinæ eſſentiæ perſonas non diſtinguerent. Quia videlicet aliquando eo nomine fuerunt reprehenſi, quod Dei filium, ipſum patrem facerent. Sed non animadverterunt adverſarii, vel potius animadvertere noluerunt, ſcriptores illos, à quibus iſti reprehenſi ſunt, propterea ſic locutos fuiſſe, quia nullum alium, præter Chriſti patrem, unum illum Deum eſſe & agnoſcebant, & pro conceſſo quodammodo ſumebant. Sed de his alias fortaſſe fuſius, Deo volente. Nunc ſatis ſit, aperte demonſtraſſe, quod de perpetuo eccleſiæ Chriſti judicio à nobis ſpreto Volanus ait, ipſius merum commentum eſſe.

VOLANUS Partic. 58. pag. 155.

Illud vero quam temere & impudenter à vobis dicitur, quod quam nunc contra Dei Filium ſpargitis doctrinam, tam arcanum creditis eſſe myſterium, ut nunquam id magnis & clariſſimis viris cognitum fuiſſe prædicare non erubeſcatis? Num enim vos primi hujus arcani eſtis auctores, qui Ebionem Cherintum, ac deinde Samoſatenum hæc olim ſparſiſſe mendacia adeo negare non poteſtis, ut eos nunc ſanctorum loco veneremini, & ſolos Eccleſiæ veræ Dei membra fuiſſe jactetis?

Anonymus. Adeo turpiter hoc loco lapſus eſt Volanus, ut juſti in ſe judicii Dei apertiſſimum documentum dederit. Putavit enim, aliquid alicui eſſe cognitum in rerum divinarum ſcientia, cum is, id dici, & à quibuſdam affirmari, probe novit; ac præterea, quale ſit, inquirit. Cum tamen vel ipſi pueri ſciant, id demum alicui in ſcientiis eſſe cognitum, quod, ſicut verum eſt, ſic ab illo verum eſſe agnoſcitur, & approbatur. Quæ enim aut falſa ſunt, aut pro veris non agnoſcuntur, ea nullo modo, in hoc rerum genere, cognita eſſe dicuntur. Cum igitur in priore mea reſponſione dixi, Deum pro ineffabili ſua bonitate voluiſſe nos miſeros homunciones ea ſcire, quæ magnis alioqui & clariſſimis viris numquam fuerunt cognita; non ita ſtupidus fui, ut voluerim dicere, magnos illos viros, qui multis ab hinc ſæculis extiterunt, hæc numquam audiviſſe, aut, qualia eſſent, inquiſiviſſe, ut Volanus verba mea accepit; id quod ex conſequentibus ejus verbis, quæ proxima particula ſubjiciemus, aperte conſtat. Sed, ut manifeſtum eſt, dicere volui, eos hæc, licet vera, pro veris tamen non habuiſſe, neque approbaſſe. Quod idem de plurimis ejuſmodi viris, qui noſtra ætate vixerunt, affirmare licet; qui ea, quæ nos dicimus, audiverunt quidem, & examinaverunt; nec tamen, ut ſunt, vera eſſe, agnoverunt, neque approbarunt. Turpem autem iſtum lapſum ſuum alio non minus turpi vehementer auxit Volanus. Putavit enim ex verbis meis colligi, tam arcana & recondita ea eſſe, quæ nos de filio Dei aſſeveramus, ut nobis primis auctoribus accepta referri debeant. Quod tamen & à verbis meis quam longiſſime abeſt, quemadmodum unuſquiſque animadvertet (ea enim paullo ante recitavi) nec mihi umquam, ne per ſomnium quidem, in mentem venit. Id autem cum nihilominus falſum eſſe, ſine ulla cauſſa, & plane abs re oſtendere conatur Volanus, in tertium, eumque duplicem, errorem incidit, quo jam expoſitos lapſus ſuos prorſus cumulavit. Ait enim, adeo verum eſſe, Ebionem, Cerinthum, ac deinde Samoſatenum hæc olim ſparſiſſe, ut eos nunc ſanctorum loco veneremur, & ſolos Eccleſiæ veræ Dei membra fuiſſe, jactemus. Itaque, quod ad hoc poſterius attinet, id dicit, quod manifeſtæ falſitatis ipſemet coarguit; cum, ut vidimus, paullo ſuperius affirmet, nos fateri, quoſdam, qui aliter, atque iſti, de Chriſti perſona ſenſerunt, cæleſtis doctrinæ acerrimos propugnatores, & ſanctiſſimos martyres fuiſſe. Quod vero ad id pertinet, quod priore loco dicit, nimis aperte calumniatur. Nam ex quo, rogo, ſcriptorum noſtrorum loco colligi poteſt, nos quemquam ex iſtis pro ſancto venerari? Certe in enarratione quadam primæ partis primi capitis Euangelii Johannis, quod ſcriptum primum omnium à noſtris hominibus hac ætate editum fuit, ſententiam Cerinthi, & Ebionis, præſertim vero Cerinthi, longe diverſam à noſtra eſſe, in ipſa præfatione, ex Irenæo oſtenditur: tantum abeſt, ut, quia iſti ſcilicet

nobiſcum ſenſerint, eos pro ſanctis veneremur. Jam, quod ad Paulum Samoſatenum attinet, eum quidem nobiſcum ſenſiſſe arbitramur in eo, quod Dei filium, antequam in Mariæ virginis utero conciperetur, revera extitiſſe negaverit, atque adeo ejus de Chriſti perſona ſententiam univerſam parum à noſtra abfuiſſe, credimus, non tamen eum pro ſancto veneramur; nec tale quippiam, ni fallor, ex noſtris ſcriptis unquam elici poterit. Verum, ut ad Cerinthum, & Ebionem revertamur, & quantus Volani error & calumnia fuerit, melius appareat, dico, Cerinthi de Jeſu Chriſti perſona opinionem his verbis ab Irenæo deſcriptam fuiſſe, ut quidem in Latinis codicibus leguntur, Lib. 1. cap. 25. *Jeſum autem ſubjecit non ex virgine natum, impoſſibile enim hoc ei viſum eſt, fuiſſe autem eum Joſeph, & Mariæ filium, ut reliqui omnes homines, & plus potuiſſe juſtitia, & prudentia, & ſapientia præ omnibus, & poſt baptiſmum deſcendiſſe in eum Chriſtum, ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia, figura columbæ. & tunc annunciaſſe incognitum patrem, & virtutes perfeciſſe; in fine autem revolaſſe iterum Chriſtum de Jeſu, & Jeſum paſſum eſſe, reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe, exiſtentem ſpiritualem.* Hactenus Irenæus. Jam quid, quæſo, hæc deliria cum noſtrorum hominum ſententia commune habent, qui conſtanter credunt, Jeſum ex Maria virgine natum, nulla Joſephi opera, nullo ejus ſemine interveniente, quique nullum alium Chriſtum agnoſcunt, præter hunc ipſum Jeſum, qui ex Maria natus eſt, & revera crucis mortem ſubiit, ac reſurrexit? An non cum Cerinthi opinione Volani, & ſuorum ſententia potius convenit, dum ajunt, Dei Filium æternum de cælo deſcendiſſe ſibique hominem in unam eandemque hypoſtaſim copulaſſe; iſtumque filium non revera, ſed tantum per loquendi figuram, quam Idiomatum communicationem appellant, paſſum eſſe, & reſurrexiſſe; cum interim homo ille tantum revera paſſus fuerit, ac reſurrexerit? De Ebionæis porro idem Irenæus ſequenti cap. ſcribit, eos ea, quæ ſunt erga Dominum, non ſimiliter atque Cerinthum opinatos fuiſſe. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi in nulla re cum Cerintho circa Jeſu Domini perſonam conſenſerint. Certum eſt enim ex eodem Irenæo, Ebionæos, non ſecus atque Cerinthum, ſenſiſſe, dominum Jeſum ex Joſepho fuiſſe generatum. Sic enim ſcribit Lib. 3. 23. *Non ergo vera eſt quorundam interpretatio, qui ita audent interpretari ſcripturam. Ecce adoleſcentula in ventre habebit & pariet filium, quemadmodum & Theodotion eſt interpretatus Epheſius, & Aquila Ponticus utrique Judæi proſelyti, quos ſectati Ebionæi ex Joſeph generatum eum dicunt* &c. Cui conſentiens, quod ad Ebionæos attinet, Euſebius Lib. 6. cap. 16. eccl. hiſt. Volfg. Muſculo interprete, ſic ait; *Sciendum vero eſt, ex interpretibus illis Symmachum fuiſſe Ebionæum. Eſt autem hæreſis illa Ebionitarum ſic dicta, eorum, qui Chriſtum de Joſeph & Maria natum dicunt, & nudum eſſe hominem putant.* Idem Euſebius Lib. 3. cap. 24. dixerat, Ebionæos judicaſſe, Chriſtum ſimplicem & communem hominem fuiſſe, ex viri, & Mariæ conſuetudine natum. Subjungit quidem eodem loco Euſebius, alios ejuſdem appellationis non negaſſe, ex virgine, & Spiritu Sancto natum fuiſſe Dominum; tametſi, ante carnis nativitatem verbum, ſapientiamque fuiſſe, non confiterentur. Verum, & primos, & potiores Ebionitas, Joſephum Chriſti patrem revera eſſe, dixiſſe, ibidem ſatis apparet, & ſimplici Ebionitarum appellatione ejuſmodi homines, qui id ſentirent, intelligi ſecundum Euſebium debere, ex altero à nobis recitato loco manifeſtum eſt. Nec vero ii ut eidem Euſebio placet, licet in hoc ab iſtis diſſentirent, ejuſdem tamen appellationis etant, ideo Ebionitæ vocabantur, quod interim una cum illis Chriſtum ab æterno fuiſſe negarent; ſed, ut ibidem Euſebius docet, quod illos imitantes, omnino legis Moſaicæ obſervationem retinendam eſſe, ſtatuerent, quodque omnes Pauli Apoſtoli epiſtolas rejicerent, & Euangelio tantum, quod eſt ſecundum Hebræos uterentur. Nam & Irenæus prædicto loco de Ebionæis ſic ſcriptum reliquit; *Solo autem eo, quod eſt ſecundum Matthæum, Euangelio utuntur, & Apoſtolum Paulum recuſant, apoſtatam eum legis dicentes. Quæ autem ſunt prophetica curioſius exponere nituntur, & circumciduntur, ac perſeverant in iis conſuetudinibus, quæ ſunt ſecundum Legem, & Judaico charactere vitæ uti; & Hieroſolymam adorant, quaſi domus Dei ſit.* Accedat & huc Hieronymi teſtimonium, qui in epiſt. ad Auguſtinum, cujus initium eſt, *Tres ſimul epiſtolas*, &c. ſic ſcribit; *Si hoc verum eſt, in Cerinthi & Ebionis hæreſim delabimur, qui credentes in Chriſto, propter hoc ſolum à patribus anathematizati ſunt, quod Legis ceremonias Chriſti Euangelio miſcuerunt, & ſic nova confeſſi ſunt, ut vetera non amitterent.* Ex his igitur, quæ ex Irenæo, Euſebio, & Hieronymo attulimus, perſpicuum eſſe poteſt, quam aut imperite, aut calumnioſe Volanus noſtros homines Ebionitas vocet eoſque perpetuo ita nominet; Cum hoc nomen Judaici plane ſpiritus, ſub Chriſtianorum appellatione, hominibus tantum conveniat, à quibus nos mirum in modum diffidemus. Nam & hodie quoque tales homines extant: iiſque non minus, immo magis, quam ipſe Volanus, & ſui omnes, nobis ſunt infenſi. Iſtos igitur, ſi libet, Ebionitas Volanus appellet, nos vero, ſi famæ & exiſtimationi ſuæ conſultum eſſe velit, ne poſthac ita nominet. Neque enim, quia hac una in re cum Ebionitis conſentimus, quod Chriſtum, antequam ex Maria naſceretur, verbum, & ſapientiam Dei fuiſſe negamus, idcirco ab iis, qui aliter ſentiunt, Ebionitæ appellandi ſumus, alioquin ipſe Volanus à Pontificiis, multis nominibus, quæ ipſe ſibi tribui, ſine dubio ægerrime ferret, merito appellari poſſet; eam videlicet ob cauſſam, quod non modo una in re, ſed in compluribus una cum iis, qui ita appellantur, conſentiat, & ab ipſis Pontificiis diſſentiat. Sed, ſi præterea Volanus curat, ne parum ſciens hiſtoriæ eccleſiaſticæ videatur, ne cuiquam poſt hac aſſeveranter objiciat, quod Ebionem ſancti hominis loco veneretur. Quem enim Ebionem Volanus intelligit, à quo ſcilicet Ebionitæ appellati fuerint, is quidquid ab Hieronymo, & aliis etiam multo antiquioribus ſcriptum legatur, numquam fortaſſe fuit. Certe Irenæus iſtis omnibus antiquior, qui alios hæreſiarchas omnes nominatim perſtringit, Ebionæorum quidem ſive Ebionitarum pluribus in locis mentionem facit; ſed Ebionis (ni fallor) nuſquam. Et Euſebius non quidem ab Ebione quopiam dictos fuiſſe Ebionitas, ſed a mentis & intelligentiæ paupertate, quod Ebion Hebræis pauperem ſignificet, aperte teſtatur, prædicto cap. 24. Lib. 3. Atque idem clare intelligi poteſt ex epiſtola ad Philadelphienſes, quæ Ignatii nomine circumfertur; ut quidem in exemplari Græco ſcriptum invenimus. Nam in Latina editione is locus aliter legitur, & vulgatam potius de Ebione opinionem confirmat.

VOLANUS Partic. 59. pag. 155.

Scribis enim Anonyme, Paulum Samoſatenum, & Photinum, & alios, qui Jeſum Chriſtum, ut vos facitis antequam ex Maria naſceretur, revera non extitiſſe ſenſerunt, permultos diſcipulos feciſſe, qui per aliquod tempus & publice congregati ſunt, & in quibuſdam regionibus cum numero, tum autoritate cæteris Chriſtum profitentibus ſuperiores fuere. Inde vero vel tuo ipſius teſtimonio liquet, non tam abſtruſa, neque adeo recondita doctrinæ hujus veſtræ fuiſſe myſteria, ut vobis ſcilicet primis autoribus accepta referantur. Quomodo autem magnis illis & vere divinis Eccleſiæ ſcriptoribus ignota eſſe potuerunt qui in confutandis illis tanquam impiis & peſtiferis opinionibus perpetuam operam deſumpſerunt, & tandem ab univerſa Eccleſia profligaverunt? Sed vide qualem nobis Eccleſiam deſcribas, in cujus te gremio conſtitutum dicis, ut omnes Chriſtianos, qui Chriſtum verum Deum affirmant, hæreticos facias. Paulus Samoſatenus, & Photinus, inquis, & alii qui Chriſtum non Deum, ſed hominem ſolum affirmarunt permultos diſcipulos fecerunt, qui per aliquod tempus & publice congregati ſunt & in quibuſdam regionibus cum numero tum autoritate cæteris Chriſtum Deum profitentibus ſuperiores fuere. O egregiam argumentandi rationem, & vere dignam cujus tanto artificio & pondere

dere permoti inter ſolos Samoſatenianos Eccleſiam agnoſcamus, omnes autem alios Chriſti fideles pro hæreticis reputemus. Permultos (inquit Anonymus) fecerunt diſcipulos Paulus Samoſatenus & Photinus, qui publice congregati ſunt, & per aliquod tempus cum numero tum autoritate Catholicis ſuperiores fuerunt: Ergo illi fuerunt vera Eccleſia. Catholici autem omnes hæretici. At vero ſi tuum hoc valet Argumentum Anonyme, Sabellii quoque & Arrii, Neſtorii item atque Eutychetis valeat oportet. Permultos enim & hi fecerunt diſcipulos, imo plures quam primi illi veſtri magiſtri, tantoque longiori tempore virus ſuum propagaverunt, quanto acutius ſcripturarum ſenſum pervertendum ſibi deſumpſerunt. Arrii enim ſectatores minore impudentia Chriſtum verum Deum, quam priores illi præceptores veſtri negantes, multis ſæculis in Eccleſia floruerunt, & favoribus multorum nominis Chriſtiani principium adjuti, oppreſſis orthodoxis, dominatum in Eccleſia exercuerunt. At vero iſtis Eccleſiæ titulum tribuere non potes, niſi tuam ſectam, ut pote Arrianis repugnantem, in univerſum condemnes. Ita vero futile, imo vaniſſimum agnoſcis tuum eſſe argumentum, quo veram Eccleſiam in cætu Ebionitarum vel Samoſatenianorum conſiſtere demonſtras.

Anonymus. Quæ primo loco ex allatis verbis meis colligit Volanus, ea nihil ad rem facere, ſupra ſatis demonſtratum eſt. Neque enim ego vel nos ſententiæ noſtræ primos auctores feci unquam; vel quod ea ſententia à quibuſdam defenderetur, defenſa ve olim eſſet, priſcis illis magnis viris, quibus adhæret Volanus, incognitum fuiſſe, aut dixi, aut dicere volui. Jam vero, quod addit, me talem deſcribere Eccleſiam, in cujus gremio me conſtitutum dicam, ut omnes Chriſtianos, qui Chriſtum verum Deum affirmant, hæreticos faciam; id nec vere, & plane abs re ſimiliter dictum eſt. Non vere quidem eſt dictum, nec porro fideliter à Volano, dum ea repetit, verba mea ſunt recitata; cum nulla in illis Chriſti Dei, vel non Dei, nulla Catholicorum fiat mentio; cumque ego neminem reprehendam, nedum hæreticum faciam, qui, Chriſtum, verum Deum eſſe, affirmet. Nam, etſi Chriſtum, antequam ex Maria naſceretur, revera non extitiſſe, ſentio, illum tamen, Deum eſſe, ipſe confiteor; eumque verum, id eſt, non falſum aut imaginarium: & licet, Chriſtum, illum Deum eſſe, negem, qui cælum, terramque condidit; non tamen eos hæreticos facio, qui eſſe affirmant. Si modo, receptiore vocabuli uſu, hæreticum eum demum intelligimus, qui extra Eccleſiæ eſt gremium. In quem ſenſum hanc Hæretici vocem hoc loco ipſum Volanum accepiſſe, apparet. Graviter quidem errare iſtos omnes, conſtanter credo. Sed non idcirco eos à ſanctorum conſortio excludo: dummodo alioqui in recta ſalutis via perſiſtant, & Chriſto ſe obedientes præſtent. Abs re autem omnino hic locutus eſt Volanus; cum verba mea non ad Eccleſiam deſcribendam ullo pacto pertineant, ſed tantum ad oſtendendum, perverſe admodum ratiocinatum fuiſſe Volanum, qui dixiſſet, ſi ſententia noſtra vera eſt, nullam hactenus extitiſſe Eccleſiam. Quaſi vero vel nulli ante nos publice eandem ſententiam ſecuti ſint, vel ſaltem non publice, idque magno in numero, congregati fuerint. Hæc enim falſa eſſe, partim ex ipſius Volani verbis oſtendo, partim ex iis, quæ apud hiſtoricos leguntur, indico. Hinc patet, fœdiſſime lapſum fuiſſe Volanum, qui putaverit, me ex eo, quod noſtræ ſententiæ homines publice olim, non exiguo in numero, congregati aliquandiu fuerint, inter ipſos ſolos Eccleſiam agnoſci debere, cæteros vero omnes hæreticos eſſe, argumentari voluiſſe; &, cum me reprehendendi juſtiſſimam cauſſam ſe nactum eſſe, exiſtimaſſet, tantopere me ea in re exagitare voluerit: adeo ut ipſa verba mea, quibus eam argumentationem contineri, neſcio quo pacto, ſibi perſuaſerat, ſæpius, tamquam inſcitiam meam mihi exprobrans, otioſe repetierit. Quis autem unquam, præter ipſum Volanum, quem mei ſuggillandi nimium ſtudium in errorem rapuit, mea verba legens, in illis argumentationem iſtam ab ipſo reprehenſam contineri, vel leviter quidem ſuſpicari poterit? Mihi ſane Volani reſponſionem legenti, una cum juſta aliqua indignatione, ſtatim riſus obortus eſt; quem neminem tenere poſſe arbitror, qui, meis verbis antea lectis, in eam inciderit.

VOLANUS Partic. 60. Pag. 158.

Ac profecto ſi quid mentis haberes, &c.

Anonymus. Quia dixeram, Paulum Samoſatenum, Photinum, & alios, quorum ſententiæ de filii Dei (ut ſic dixerim) exiſtentia nos adhæremus, permultos diſcipulos feciſſe; hinc capta, ſeu potius arrepta occaſione, Volanus ait, me, niſi ſtolidus eſſem, vel ex hoc uno, quod ipſe fateor, iſtos ſcilicet novæ ſententiæ auctores avitam Eccleſiæ doctrinam oppugnaſſe, ſatis perſpicere poſſe, eorum ſententiam non orthodoxam, ſed hæreticam fuiſſe. Ac deinde per octo integras paginas totus in eo eſt, ut veritatem cujuſcumque inter Chriſtiani nominis homines de reb. divinis motæ quæſtionis à ſententia illius antiquæ Eccleſiæ petendam probet, omneſque pro hæreticis, id eſt peſſime ſentientibus, habendos, qui, cum ipſam Eccleſiam non poſſint, certos quoſdam homines ſuæ ſententiæ auctores habent. Ego, etſi Paulum Samoſatenum, Photinum, & alios, diſcipulos permultos feciſſe dixi; non tamen novæ ſententiæ auctores eos feci. Quamvis enim eorum ætate jam contraria ſententia ab Eccleſia, hoc eſt generatim ab iis, qui Jeſu Chriſto nomen dederant, recepta fuiſſet; non tamen ea, quæ ab ipſis aſſerebatur, nova erat: quippe quam ipſius Chriſti Apoſtoli conſtanter docuiſſent, unde etiam dubium non videtur, quin poſt ipſos Apoſtolos aliquamdiu ea ab univerſali eccleſia retenta fuerit. Sed neque hiſtorias, nec ſcripta ejus temporis ulla habemus, niſi eorum, qui contrariam ſententiam ſunt ſecuti; quibus, quod ad hiſtoriam attinet, hac in re minime fidendum eſt; quique, cum tandem principatum in Eccleſia obtinuerint, facile, ut alibi ſupra attigimus, curare potuerunt, ne adverſariorum ſcripta in poſterorum manus pervenirent. Hinc perſpicuum eſt, de ſententia illorum, qui hæretici ab iſtis ſunt habiti, nihil poſſe ſtatui; utrum videlicet ea ab antiqua Eccleſia, necne, recepta fuerit; nec mirum eſſe, ſi ea, licet olim paſſim recepta, iis, tanquam auctoribus, fuerit tributa, qui, poſteaquam, hominum male doctorum culpa, quodammodo exoleviſſet, illam inſtaurare ſint aggreſſi. Quemadmodum ætate noſtra nonnullæ de Chriſtiana religione ſententiæ, quæ jam pæne exoleverant, Luthero, Zuinglio, & aliis quibuſdam, tanquam auctoribus, attributæ ſunt: quæ tamen in ipſa univerſali eccleſia quondam vigebant. Quod ſi libri, & ſcriptores, unde hoc facile intelligi poteſt, perinde inviſi iis fuiſſent, qui in Eccleſia dominatum ſunt adepti, atque ii fuerunt, quos ante diximus, non minus hoc, quam illud, incertum foret. Periiſſent enim, ipſorum opera, omnino ejuſmodi quoque ſcripta. Sed quia plurima in illis ſunt, quæ ipſis aperte favent, adeo ut ſecundum ea ſcripta ſententiam omnibus de rebus, quæ hodie ſunt controverſæ, ferri non recuſent; idcirco ea ſunt conſervata, & communia ipſorum, & adverſariorum arma quodammodo effecta. Verum, quidquid ſit, quidquid hoc loco adverſus auctoritatem ſententiæ noſtræ à Volano congeſtum fuerit; ſatis ſemper erit nobis, eam divinis Literis non modo non adverſari, ſed prorſus conſentaneam eſſe, præ quibus humanam quantam libet auctoritatem, vel ipſo Volano teſte, nihili faciendam eſſe, ſatis demonſtratum eſt ſupra partic. 54. ubi etiam perpetuus, quem hic potiſſimum Volanus jactat, in ſua, ſuorumque ſententia Eccleſiæ conſenſus non leviter labefactatus, & convulſus fuit.

VOLANUS Partic. 61. Pag. 166.

In eo tamen ſtoliditatem ſuam & judicii temeritatem aperte declarant, quod judicio tamen Eccleſiæ in condemnatis aliis hæreſibus volentes nolentes ſubſcribere coguntur. Nam Sabellianos, Arrianos, Neſtorianos, & Eutychianos condemnent neceſſe eſt, ſi ſectam ſuam, ut pote omnibus illis hæreſibus repugnantem, ſalvam & incolumen eſſe velint. Sed non poſſunt approbare Eccleſiæ judicium in condemnatis omnibus hiſce ſectis, quin una eademque opera, ſuam quoque hæreſim recte condemnatam ſentire cogantur. Ita vero ſuo ipſius judicio Ebionitæ ſe hæreticos eſſe convincunt, & veritati divinæ

volentes ac ſcientes obluctantur. Quare tam obſtinata eorum malitia nihil meretur aliud, quam ut poſt unam atque alteram admonitionem, juxta conſilium Apoſtoli devitentur, atque in his ſuis ſordibus relinquantur. Hoc vero & ipſe faciam, neque inutilem operam amplius in ſanandis his, qui ultro perire volunt, conſumam: certo perſuaſus Dominum ipſum brevi ſceleſta eorum conſilia diſſipaturum, & ipſam hanc hæreſim, quod toties fecit, exterminaturum.

Anonymus Non potui me continere, quin inſulſam hanc & falſiſſimam in noſtros homines accuſationem, & redargutionem, quamvis ea ad priorem meam reſponſionem nihil pertineat, paucis refutarem, vel potius lectoribus, eam per ſe omnino refutaturis, conſiderandam proponerem. Nam cui, quæſo, probaturus eſt unquam Volanus, nos idcirco Sabellianos, Arrianos, Neſtorianos, & Eutychianos condemnare, quia eos Eccleſia quam ipſe vocat) condemnaverit; non autem ob id tantum, quod eorum opiniones Sacris Literis aperte refragentur? Aut quis tam hebes futurus eſt, qui exiſtimet, ex eo, quod nos quoſdam condemnamus, id eſt, male in aliqua religionis noſtræ parte ſenſiſſe, judicamus, quos eoſdem Eccleſia iſta condemnavit, conſequi, omnes, quos ipſa ſimiliter condemnavit, à nobis condemnari neceſſe eſſe? Nonne, ſi argumentatio iſta bona eſt, eadem ratione conſequitur, neceſſe eſſe, ut Volanus, & ſui omnes, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinianos, & reliquos quoſcumque eccleſia Romana condemnavit, pariter cordement; cum non eos modo, quos ſupra nominavimus, ſed præter alios multos, noſtros etiam homines ab ea jampridem condemnatos, & ipſi condemnarint? Ego profecto neſcio, an quidquam ineptius, aut iniquius dici, vel excogitari potuerit; præſertim, cum hinc Volanus colligat, nos, volentes ac ſcientes divinæ veritati obluctari. Quid enim, ſi ſubtilem iſtam, ſcilicet, ipſius ratiocinationem, nos, qui craſſiore ingenio ſumus, nondum vel animadvertimus, vel ſatis percepimus: atque perſuaſum hactenus habuimus, poſſe fieri, ut cum Volani Eccleſia iſta merito in quibuſdam conſentiamus, in quibuſdam vero minime? Cæterum, quod in nobis ſanandis inutilem operam amplius ſe conſumpturum negat; laudo ſane ejus conſilium. Inutilis enim prorſus eſt ea opera, quæ iis ſanandis inſumitur, qui optime valent. Nos hac in parte, Dei beneficio, rectiſſime valemus. Quod ſi tamen ſecus eſſet, certe medicamenta, quæ Volanus adhibet, ejuſmodi ſunt, quibus nihil effici poſſe, ſtatim apparet; immo, quæ morbum noſtrum, ſi aliquis eſſet, facillime confirmare & augere queant. Verum, ut dixi, nihil vel iſtis, vel ullis aliis medicamentis hac in re nobis eſt opus. Id quod in dies magis piis hominibus perſpectum iri confidimus: adeo ut opera etiam, & exemplo noſtro multos ad eandem, in qua nos ſumus, mentis, ac ſpiritus ſanitatem aliquando perventuros eſſe ſperemus; Deo opt. Max. conatus, & conſilia noſtra, quæ non ſceleſta, ut Volanus ait, ſed ſancta, & unius Dei, Chriſtique ejus cultoribus digniſſima ſunt, perpetuo adjuvante, eaque ad optatum à nobis finem pro ſua bonitate tandem perducturo.

VOLANUS Partic. 62. pag. 202.

Quare quod Anonymus me adhortatur, ut à peſtifera hac iſtorum hæreſi infectanda abſtineam, ne & exiſtimationem meam vehementer lædam, & hominibus me inviſum efficiam, non tanti hæc omnia æſtimo, ut quæcunque ſplendida & plauſibilia videntur mundo, pro ſtercorib. cuncta reputem, dummodo conſcientiam meam integram & ſinceram Domino approbem, meique oblitus in unica ejus gloria, illuſtranda recumbam. Te potius Anonyme quiſquis es & omnes tuos admoneo, & vehementer obſecro, ut tandem à ſpurciſſimis iſtis & blaſphemis in Chriſtum Dei Filium ſpargendis in vulgus abſtineatis ſcriptis, memores omnis peccati & blaſphemiæ illum ipſum judicem futurum, cui bellum hoc infelix, & cum tanto periculo veſtro conjunctum intuliſtis.

Anonymus. Quæ inter ſuperiorem locum, & hunc in Volani ſcripto interjecta ſunt, omnia ad illum refellendum pertinent, quem ipſe Adverſarium ſuum nominat: paucis quibuſdam exceptis, quæ ad finem addit; ubi nos & Chriſti gloriæ apertos hoſtes vocat, & Chriſtum, Deum & ſalutis auctorem negare ait, & idcirco magnam hominum partem ab eo colendo, & invocando deterrere. Quæ cuncta falſiſſima eſſe, cum ex priore ipſa reſponſione mea, tum ex iis, quæ hactenus poſtea diſputavi, unicuique perſpicuum eſſe poteſt. Quocirca, iis omiſſis, ad poſtremam hanc ad me pertinentem Volani ſcripti partem aliquid reſpondendum cenſui. Monueram ego fratrum nomine Volanum, non ut ab infectanda ſententia noſtra abſtineret; ſed ut poſthac in ſcriptis ſuis aliquanto modeſtior eſſe vellet; nec ita, ut facere inſtituerat, nos conviciis, ac contumeliis impetere, atque onerare pergeret: idque non quidem, ne hominibus ſimpliciter, ſed ne ſanæ mentis hominibus ſe inviſum tandem redderet, & (quod multo pluris fieri debet) Deo aliquando nimiæ ſuæ ſive iræ, ſive incogitantiæ juſtas pœnas daret. Quæ monitio utrum fidelis & Chriſtiana fuerit, necne aliis judicandum relinquo. Sed paruit ne Volanus tam ſanctæ admonitioni? Nihil minus. Quinimmo in poſteriore hoc ſcripto ſuo nihil aliud magis egiſſe videtur, quam ut noſtros homines, me vero potiſſimum, probris, & maledictis proſcinderet, ac calumniis premeret. Et me quidem vel privatim, vel aliis in communionem vocatis, ex neſcio quo prorepentem angulo ſcriptorem, novum Antichriſtum, cujus mentem intemperies quædam agitet, ſomniatorem, imprudentem, impoſtorem, cujus opera peſtem orbi Chriſtiano Satan moliatur, ſcripturas proterve lacerantem, eaſque ſuſpectas reddere, & homines ſimul ad quamvis impietatem abripere conantem, blaſphemiam evomentem, nihil ſobriæ mentis, immo nihil mentis habentem, inſania laborantem, Academicum, id eſt nihil certi in religione habentem, cui ludus jocuſque ſit ſcriptura ſacra, novum dialecticum novumque ratiocinatorem, in formandis ſyllogiſmis pueriliter errantem, ſenſu communi me carere oſtendentem, malitia quadam excæcatum, mentis meæ pravitatem declarantem, loca Sacrarum Literarum ſcelerate corrumpentem, ſeu ſceleſte verba Chriſti depravantem, fraude in obterenda veritate, ac perdita malitia præditum, frigidum ac jejunum calumniatorem, multa meo more jejune & intempeſtive nugantem, hominem perditum atque impudentem, ſtolide nugacem, odioſe garrulum, virulento ac pertinaci in Chriſtum Dei filium ejuſque gloriam odio præditum, ingente mentis ſtupore oppreſſum, theologaſtrum, ſpermologum, temulentis meis ſenſibus ſcripturas ſubſervire cogentem, hominem ineptum, hoſtem ſcriptorum, à quibus diſſentio, ſuperbia excæcatum, prudentiæ denique opinione inflatum facit, ac nominat. His, inquam, & aliis ejuſmodi nominibus, & criminationibus, ut ſupra, majore ex parte, viſum eſt; me appellat, atque opprimere ſtudet Volanus. Sed vivit Deus, qui, ut me has injurias ex animo Volano condonare novit, nec iis quidquam, niſi ipſius Volani cauſſa dolere, aut commoveri; ſic quidquid in illis continetur, quod ad voluntatem meam quoquo modo referri poſſit, à veritate alieniſſimum eſſe perſpicit. Cujus quidem rei vitam etiam, moreſque meos iis, qui me noverint, fidem & facere, & facturos eſſe confido. Nec debuerat ſane Volanus de homine ſibi ignoto tam turpia tam audacter ſcribere. Quod ſi me noverit unquam, futurum ſpero, ut ſi tamen erro, non malitia ulla, ſed ſola ignorantia me errare ipſe confiteatur; nec fortaſſe indignum amicitia ſua judicet. Illud & Volanum, & cæteros omnes, qui ob ſententiam de Jeſu Chriſti eſſentia & perſona, quam defendo, mihi ſeu noto, ſive ignoto, ſunt infenſi, monitos velim, me, Deo adjutore, ab ea defendenda non ſolum conviciis & calumniis iſtis, ſed ne ipſius quidem mortis terrore deterritum iri; niſi prius, eam falſam eſſe docear. Quod tamen nullo prorſus modo fieri poſſe, eamque, ut veriſſimam, ſic ad ſummi Dei, ipſiuſque Chriſti gloriam amplificandam, hominibuſque ſalutis æternæ viam magis magiſque patefaciendam, vehementer pertinere, perſuaſiſſimum habeo.

Scribebantur hæc à me Anno 1583. *Menſe Septembre*

Finis Reſponſionis ad Reſponſionem Andr. Volani.

DE TRINO ET UNO DEO,

adverſus novos Samoſatenicos.

LECTORI PIO ET CANDIDO S.

ETſi nos nihil vehementius optamus, quam ut unius Dei, Chriſtique ejus verior notitia, qua nos ipſe Deus, ut alios non paucos, in hac Eccleſiæ inſtauratione, pro ſingulari ſua benignitate inſtruxit, ad ejuſdem Dei gloriam, humanique generis ſalutem amplificandam, quam latiſſime diffundatur quodammodo & propagetur: tamen, ne forte ambitioſi hac in re eſſe videamur, neve conatum & factum noſtrum quiſquam aliter, atque par eſt interpretetur, à ſcriptionibus, quantum poſſumus, abſtinemus, nec niſi provocati certamen cum adverſariis inire ſolemus, quamvis perſuaſiſſimum habeamus, quo crebriores de iis, quæ inter nos controvertuntur, diſputationes editis ſcriptis inſtitutæ fuerint, eo majores quoque veritatis progreſſus futuros, eamque tandem apud omnes ſui ſtudioſos plane obtenturam. Verum, cum provocati ſumus, ne officio noſtro prorſus deeſſe, divinæque veritatis patrocinium deſerere merito videri poſſimus, utque eadem opera, ſi ita res poſtulet, nos ipſos cunctis purgemus, ad ſcribendum non inviti accedimus. Cum igitur aliquot ab hinc menſibus editæ fuerint Aſſertiones quædam de trino & uno Deo ex prælectionibus collegii Poſanienſis excerptæ, in quibus nos omnino petimur, falſæque doctrinæ, atque adeo impietatis graviter accuſamur, & novi Samoſatenici, contra quos nominatim illæ ſcriptæ ſunt, per contemptum appellamur, deliberatione prius, judicioque maturo adhibito, viſum eſt nobis in Aſſertionibus iſtis diutius non connivere, ſed paullo diligentius in eas ſingulas inquirere, & quaſi, ſcribendo animadvertere animadverſioneſque noſtras una cum ipſis aſſertionibus, ut ab adverſariis publicatæ ſunt, optima fide recuſis edendas curare, unde facile intelligi poſſit, nos, doctrinamque noſtram immerito tantopere ab iſtis reprehendi atque oppugnari, eoſque nec ad ſententiam ſuam confirmandam, nec ad noſtra labefactandam quidquam firmi aut ſolidi vel attuliſſe, vel etiam afferre potuiſſe. Quamobrem te, quiſquis es, candide ac pie lector, etiam atque etiam rogamus, & obſecramus, ut ſcriptionem hanc noſtram, cumque adverſariis concertationem, tamquam propemodum neceſſariam agnoſcere velis, eamque, quod ad te attinet, cui exiguum laborem hunc noſtrum dicamus, æqui bonique conſulere. Ex qua ſi utilitatis nonnihil, ut ſperamus, perceperis, id Deo acceptum referas. Quo volente, melius atque abſolutius aliquid in hoc eodem argumenti genere, ſi ita opus fuerit, à nobis aliquando es habiturus. Vale.

F. S. Senenſis nomine fratrum ſuorum in Polonia, de uno vero Deo, unoque Dei Filio conſentientium.

DE TRINO ET UNO DEO,

adverſus novos Samoſatenicos.

Aſſertio I.

1. MUlti quidem peſtilentes errores, contra Fidem Trini & unius Dei, noſtra ætate nati ſunt: ſed illa eſt maxime impia & blaſphema ſecta, quæ Pauli Samoſateni Hæreſim, jam pridem damnatam ab inferis conatur excitare. 2. Hæc enim cum Judæis & Mahometanis, ita unum eſſe Deum confitetur, ut eum principium Filii ab omni æternitate neget extiriſſe. (a) 3. Et Deum Chriſti Patrem in Sanctis Litteris ideo nominari autumat, quod Dei virtute obumbrante, ex (b) virgine ſit conceptus: 4. cum ante eandem virginem reipſa nuſquam fuerit, inquit. (c) 5. Eundem filium Deum vocari cenſet eo modo, quo illi Dii vocati ſunt, ad quos ſermo Dei factus eſt. (d) 6. Factum enim Deum & Dominum ait, quando poſt reſurrectionem data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra (e) 7. Spiritus autem Sancti nomine in ſacris literis nullam perſonam ſignificari docet: ſed nunc divinam potentiam, nunc eximium Dei donum hominibus datum. (f) 8 & Poſtremo dogma de Trino & uno Deo commentum Antichriſti. (g) tempore S. Juſtini Martyris inventum (h) aſſerit.

(a) *Simon Budnæus in Demonſtratione, quod Chriſtus non ſit ipſe Deus, qui eſt pater, fol. 6.* (b) *Ibidem fol. 5.* (c) *Miniſtri Sarm. & Tranſ. lib. 2. de falſa & vera unius Dei cognit. cap. 8.* (d) *Budnæus in Demonſt. fo. 4.* (e) *ibidem fol. 1. & 4.* (f) *Miniſtri in principio & fine cap. 4. lib. 2.*

(g) *Miniſtri cap. 2. lib. 1.* (h) *Budn. in præfat. Apol. ad Lectorem Polonum.*

Animadverſiones in Aſſertionem I.

1. *Multi quidem*) Immo contra fidem de uno vero Deo nullus gravior in Chriſti Eccleſiam ab Antichriſti ſpiritu error invectus eſt, quam in Deo, inque illius ſimpliciſſima eſſentia plures eſſe perſonas inter ſe diſtinctas, quarum quælibet ſit verus Deus, & non Patrem tantum domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, illum unum verum Deum, ſed Filium quoque ipſum, & Spiritum Sanctum. Quo nihil vel abſurdius, vel (ut ita dicamus) impoſſibilius, vel divinis oraculis magis contrarium excogitari poteſt.

2. *Hæc enim cum*) Judæorum, & Mahometanorum error non in Dei Filii æternitate neganda, ſed in Jeſu Nazaræno pro Dei Filio unigenito & Chriſto minime agnoſcendo conſiſtit, & conſequenter in ejus diſciplina tamquam unica ſalutis æternæ via nequaquam amplectenda. Cujus rei iſtas de Dei, ejuſque Filii, & ſpiritus Sancti natura, ſive eſſentia portentoſas opiniones potiſſimum cauſſam eſſe, apertius eſt, quam ut demonſtrari debeat.

3. *Et Deum Chriſti*) Quis vero negaverit Chriſtum Dei Filium (non autem, ut iſti inepte loquuntur, Deum Chriſti Patrem) in Sanctis Litteris ideo nominari,

quod, Dei virtute obumbrante, ex virgine ſit conceptus, cum apud Lucam angelus Dei hæc verba ipſi virgini dixerit Luc. 1. 31? *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

4. *Cum ante eandem.*) Quis porro dubitaverit, quin Chriſtus ante eandem virginem minime extiterit, cum poſt ipſam virginem & natam & jam nubilem factam de ipſo à Domini Angelo dictum fuerit paſtoribus Luc. 1. 27. 2. 11. Mat. 8. 18, 19: *Natus eſt vobis Hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate David*, cum ex ipſa virgine is ſit natus, cum denique ipſa virgo ejus mater fuerit? Annon iſtud ſtultiſſimum illum Homericum Margitem imitari eſſet, qui ambigebat, uter natu grandior eſſet, ipſe, an mater ipſius?

5. *Eundem filium.*) Eodem modo Jeſus Nazarænus, qui Dei filius eſt, Deus vocatur, quo illi, ad quos ſermo Dei factus eſt, quatenus duntaxat non ſecus ipſe, atque illi, Deus ab uno illo ſummoque Deo eſt factus & conſtitutus. Cæterum ratio, qua ipſe Jeſus Deus factus, conſtitutuſque eſt, adeo præſtantior atque excellentior eſt, quam illa fuit, qua dii facti, ac conſtituti illi fuerunt, ut modi longe inter ſe diverſi cenſeri debeant. Si quis autem, hæc veriſſima eſſe cognoſcere velit, expendat diligenter, quæ Chriſtus Judæis, ipſum, quod, cum homo eſſet, Deum ſe faceret, criminantibus, & blaſphemare dicentibus reſpondit, Joh. 10. 34.

6. *Factum enim.*) De hoc infra videndum erit.

7. *Spiritus autem.*) Nihil verius dici potuit.

8. *Poſtremo dogma.*) De origine iſtius dogmatis non adeo ſumus ſollicici. Nam, etiamſi ad ipſum mundi initium ea referenda eſſet, id ejus falſitatem evidentiſſimam nihil minuere poſſet.

Aſſertio II.

1. Nec advertunt iſti per quam acuti novi Magiſtri, quod ipſemet filius Dei, ſub nomine ſapientiæ, per Salomonem de ſe dixit: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.* (i) Eſt enim *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia*, teſte Apoſtolo, (k) & cum 2. idem Apoſtolus Dominum noſtrum proprium filium Dei appellat, (l) ſatis oſtendit, non tam filium Dei appellari, quod ex virgine conceptus ſit, quam quod ex ſubſtantia Dei patris ſit genitus ab æterno. 3 Nam filius Dei proprius is dici non poteſt, qui ex ejus ſubſtantia genitus non ſit, 4. ſed & ipſe Dominus dum ait: *Antequam Abraham fieret ego ſum*: (m) ſatis aperte declarat. 5. ſe ante virginem matrem & fuiſſe & eſſe: qui ſi tum primum Dominus fuiſſet factu, cum revixiſſet, certe ipſo die Natalis Domini, angelis ad paſtores locutus hæc non fuiſſet: (n) *Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* 6. Porro idem verus noſter Magiſter non obſcure docet Spiritum Sanctum eſſe perſonam, cum ei ea quæ perſonæ ſunt propria tribuit, (o) & alium Paracletum nominat. 7. (p) Jam vero fidei Catholicæ de Trino & Uno Deo antiquitas facile demonſtratur.

(i) *Prov. 8. 23.* (k) *1 Cor. 1. 24.* (l) *Rom. 8. 32.* (m) *Joan. 8. 58.* (n) *Luc. 2. 11.* (o) *Joan. 14. 26.* (p) *Ibidem verſ. 16.*

Animadverſiones in Aſſertionem II.

1. *Nec advertunt iſti.*) Quinimmo ipſi non animadvertunt, ſapientiam illam, de qua loquitur Salomon, nunquam Dei ſapientiam ab ipſo appellari, ſed Sapientiam ſimpliciter, Chriſtum vero à Paulo non ſimpliciter Sapientiam, ſed Dei ſapientiam vocari 1 Cor. 1. 24. Ait quidem Salomon Prov. 8. 22, Dominum ſive Jehovam poſſediſſe ſapientiam initio viæ ſuæ, id eſt ſapienter omnia & decreviſſe, & feciſſe: ſed non propterea de aliqua ſapientia loquitur, quæ Dei propria ſit. Nam per eandem illam ſapientiam & reges regnare, & principes juſtitiam decernere, ante ℣. 15. dixerat. Et ſane, ſi quis non videt, Salomonem per proſopopœjam de ſapientia in genere, & in abſtracto loqui, quæ nullo modo Chriſtus eſſe poteſt, is permulta, quæ in eo cap. & ſeq. ſcripta ſunt, parum attente legit. Jam vero Chriſtus Dei ſapientia dictus eſt à Paulo, quia per Chriſtum potiſſimum, & in Chriſto Deus ſuam ſapientiam prodit. Quemadmodum Euangelium, ab eodem Dei virtus dictum fuit Rom. 1. 16, quia Deus in illo potiſſimum, & per illud virtutem ſuam manifeſtam facit.

2. *Et cum idem Apoſtolus.*) Vocat idem Apoſtolus Chriſtum proprium Dei filium omnino propter alias cauſſas, quam propterea quia ex ſubſtantia Dei Patris ſit genitus ab æterno. Idque cum ex aliis multis, tum ex eo conſtat, quod in Epiſt. ad Hebr. 1. 5, ubi de hac propria Chriſti (ut ita loquamur) ex Deo filiatione agitur, ea ex eo loco potiſſimum probatur Pſal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Qui tamen locus alibi à Paulo Act. 13. 33, ad Chriſti reſurrectionem refertur. Et in eadem Epiſtola ad Hebr. 5. 5. ad ipſius Chriſti ſempiternum ſacerdotium, ad quod Deus illum vocavit, idem locus accommodatur. Atqui, antequam is ex virgine naſceretur, & homo eſſet, reipſa ad ejuſmodi munus, quod ſine humana natura conſiſtere nequit, vocari non potuit, tantum abeſt, ut id ab æterno factum fuerit.

3. *Nam Filius Dei.*) Cur vero? Nonne quia ſic videmus in animalibus contingere? Quaſi vero Deus ea ratione, qua animalia generant, & ipſe generet, aut generare poſſit. Quod ſi argumentum in hac filiorum materia ab animalibus ad Deum valeret, ſequeretur, omnes Dei filios ex ejus ſubſtantia generatos eſſe. Nullus eſt enim inter animantia filius, qui ex Patris ſubſtantia generatus non ſit, & tamen multi ſunt Dei filii, & quidem ex eo nati, & ab ipſo generati, qui tamen nullo modo ex ejus ſubſtantia geniti fuerunt. Quemadmodum ex his teſtimoniis apparet, Joh. 1. 13. Jac. 1. 18. 1 Joh. 3. 9, 10. & aliis ejuſmodi compluribus.

4. *Sed & ipſe.*) Ad hunc modum è Græco locus iſte converti debet, *Amen, amen dico vobis antequam Abraham fiat, ego ſum* Joh. 8. 58. Nam, cum nullum verbum nec antecedat, nec ſequatur, quod præſentis temporis no ſit, non dubium eſt, quin verbum γίνομαι ſignificationem præſentis temporis in futurum reſpicientis habeat, & non quidem Fieret, ſed Fiat omnino reddi debeat. Non erat autem adhuc factus Abraham, (quod nomen Patrem multitudinis, id eſt multarum gentium, ſignificat Gen. 17. 5.) quia nondum ad Gentes Dei regnum, & Euangelium tranſlatum fuerat, per quod gentes multæ crediderunt, & ita filii viri illius ſunt factæ, is vero tum demum Abraham, id eſt pater multarum gentium factus eſt Rom. 4. 11. xvi. 17. Verba autem illa, *ego ſum*, perfectam ipſa per ſe ſententiam continent. Id eſt, ſine ullo ex iis verbis, quæ ibidem expreſſa ſunt, licet aliquid in ipſis ſubaudiri neceſſe ſit. Idemque ſignificant, quod ſupra eodem cap. ℣. 24, 28, & infra cap. 13. 19. Nec enim verba illa, *antequam*, &c. cum verbo *ſum*, quod ſequitur, ſed cum verbo *dico*, quod præcedit, conjungi debent. Similes autem ſunt loci Johan. 13. 19, & 14. 29. Itaque ſic Chriſti verba intelligenda ſunt, ut idem ſit, ac ſi ſcriptum eſſet, Amen, amen dico vobis antequam Abraham fiat, quod ego ſum. Quorum verborum ſententia ex iis, quæ dicta fuerunt, unicuique conſtare poteſt. Monet nimirum non obſcure Dominus Jeſus Judæos illos, ut, antequam ab ipſis Dei regnum auferatur, & ad Gentes tranſferatur, credant, ſe eſſe Chriſtum, atque, ut Joh. 12. 36, dixit, credant in lucem, dum lucem habent.

5. *Qui ſi tum primum.*) Aut volunt, verba illa angeli ad paſtores de Jeſu dicta eſſe (ut ipſi loquuntur) ſecundum divinam naturam tantum, aut ſecundum humanam tantum, aut ſecundum utramque. Si ſecundum divinam tantum, primum ſibi ipſis adverſabuntur, qui infra Aſſertione 23. ejuſmodi de Jeſu teſtimonia ad humanam naturam referant. Deinde hoc nihil ad rem faciet, cum hic quæratur, quando Jeſus Dominus factus fuerit, quod in divinam naturam non cadit. Idque ipſi quoque ſatis fatentur, cum eadem Aſſertione 23. de ipſo ſic loquuntur, *Alioqui quatenus Deus, ſemper erat Dominus omnium.* Sin ſecundum humanam tantum, quomodo

modo Dominus revera eſſe poterat is, qui nemini adhuc dominabatur, ſed tunc primum natus, in præſepi faſciis involutus jacebat Luc. 2. 7, cuique paullo poſt propter illos, qui animam ipſius quærebant, in Ægyptum fugiendum fuit Mat. 2. 23? Quod ſi ſecundum utramque, id eſt, quia ſecundum divinam naturam vere Dominus jam erat, idcirco ſecundum naturam quoque humanam, quatenus individue naturæ divinæ erat conjuncta, eum Dominum merito dictum fuiſſe velint, ratiocinationem iſtam ex eo ineptam eſſe apparet, quod, ut theologi omnes fatentur, & res ipſa teſtatur, multa ſecundum humanam naturam ante reſurrectionem Jeſus minime habuiſſe dici poteſt, quæ tamen, ut divina natura perpetuo habeat, neceſſe eſt, ut impatibilitatem, ut immortalitatem, ut cæleſtem omnibuſque numeris abſolutam gloriam. Cæterum, quomodo angeli verba explicanda ſint, diſputabitur infra Aſſertione 23.

6. *Porro idem verus.*) Sæpiſſime apud Sacros Scriptores non paucis rebus ea tribuuntur, quæ perſonarum ſunt propria, nec tamen eæ res ſunt perſonæ, ut peccato, ut legi, quodque huc maxime pertinet, ut ſpiritui, id eſt vento, ut ſcripturæ Rom. 7. 11. 3. 19. Joh. 3. 8. Gal. 3. 8, ut denique charitati, de qua attente legantur, quæ ſcribit Paulus 1 ad Corinth. 13. Nec ſane mirabitur quiſquam, Spiritui Sancto in Sacris Literis multa tribui, quæ perſonæ tantum proprie conveniant, nec tamen eum eſſe perſonam. Nam, quod nullo modo ſit perſona, id evidentiſſimis cum rationibus, tum divinis teſtimoniis demonſtrari poteſt, quæ hoc loco proferre non eſt neceſſe.

7. *Jam vero fidei.*) De hoc ſtatim videbimus.

Aſſertio III.

1. Nam ut omnes Catholicæ fidei Articuli ſunt antiqui: (q) ſic is, qui Unius quidem Dei eſſentia ſive natura, Trini autem perſonis myſterium aperit, ita eſt antiquus ut omnibus fidelibus qui Deo placebant, (r) eſſet, quantum ſat erat, notus: 2. quam quidem fidem priſci illi Patriarchæ cum poſteris ſemper ad ætatem uſque noſtram coluerunt, (s) colentque deinceps veri Chriſti fideles, (in quibus non erit Deus recens) (t) uſque ad conſummationem ſeculi. (u) 3. Eandem antiquam ſalutaremque Fidem Abrahamus pater verbis & factis conſtanter profeſſus eſt: cum Deum Chriſtianorum, ſub perſonis trium Angelorum, Trinum & Unum Deum repræſentantibus alacris excepit: (x) quando tres vidit, & unum adoravit: (y) qui & communiter & ſigillatim Jehovah ſæpius nominatur. (z)

(q) 2 Cor. 4. 13. (r) Hebr. 11. 6. (s) Ibidem. (t) Pſal. 80. 10. (u) Mat. 28. 20. (x) Geneſ. 18. 1. (y) Orig. Aug. Hilar. (z) verſ. 1. 13. 33. & 20. 14.

Animadverſiones in Aſſertionem III.

1. *Nam ut omnes.*) Hæccine eſt illa demonſtratio, quam iſti polliciti fuerant? Nam quid hoc eſt aliud, quam principium (quod dicitur) potere? Probent prius, fidei articulum eſſe, quod Deus ſit unus eſſentia, ſive natura, trinus autem perſonis, & tum demum ex eo demonſtrent, fidem de uno & trino Deo eſſe antiquam.

2. *Quam quidem fidem.*) Immo iſte Deus trinus nulli antiquorum, qui verum Deum coluerint, nulli item eorum, qui verum Deum per Chriſtum agnoverint, aut agnituri ſint, cognitus vel fuit, vel futurus eſt unquam. Itaque non qui illum reſpuunt. Sed qui amplectuntur, ii non recentem modo, ſed plane imaginarium Deum habent.

3. *Eandem antiquam.*) Quidvis aliud potius cogitabat Abrahamus Gen. 18. 3, cum numero ſingulari tres illos viros, ſive angelos ab initio compellavit, quam Deum trinum & unum. Sed idcirco ſic locutus eſt, *vel quod unum* reliquis duobus, ut in legationibus fere fit, antecellere apparebat, *vel quod tanquam* unus propter muneris conjunctionem cenſeri poterant. Lotus quoque Gen. 19. 18, 19. ex iiſdem tribus duos, cum tamen nihil de tertio noſſet, numero ſingulari alloquutus eſt. Nec tamen, ut nos pro ipſis tacite fecimus, ratiocinantur iſti, cum de compellatione nihil dicant. Sed inquiunt, *tres vidit, & unum adoravit.* Quæ verba per ſe, a quocumque tandem primum dicta fuerint, reprehenſionibus, aut certe cavillis ſunt valde obnoxia. Nam neque ullo modo unum tantum adoratum fuiſſe ab Abrahamo conſtat, &, & ſi conſtaret, hoc ad eorum commentum penitus deſtruendum valeret. Ex eo enim appareret, unum tantum ex illis tribus adorari debuiſſe, & idcirco reliquos duos non fuiſſe adorandos, nec porro tribus illis angelis tres in Deo perſonas, quarum quælibet (ut ipſi volunt) adorari debeat, repræſentatas fuiſſe. Nam quod dicere videntur, unumquemque ex illis angelis Jehovam ſæpius nominari, id & falſum eſt, nec teſtimoniis, quæ attulerunt, ut quilibet videre poteſt, ulla ratione probatur; ac præterea, etiamſi verum eſſet, nihil ad rem faceret. Id enim idcirco fieri potuiſſet, quod quilibet eorum à Jehova miſſus eſſet. Miſſum enim mittentis nomine in ipſis divinis literis appellari ſolere, vulgatius eſt, quam ut exemplis confirmari debeat.

Aſſertio IV.

1. Hanc fidem fideles Patriarchæ poſteris ſuis divinis Prophetis quaſi per manus tradiderunt (a): ut vel ex uno Iſaia colligitur: 2. qui paſſim Trinum & Unum Deum, & incarnationem filii Dei prædicat: tum in aliis locis, (b) tum quando filium Dei ſic facit loquentem: (c) *Dominus Deus miſit me, & ſpiritus ejus:* & ſequitur: *Hæc dicit Dominus redemptor tuus, ſanctus Iſraël.* Quæ quidem verba eſſe Chriſti, ea, quæ proxime antecеſſerunt, ſunt argumento. 3. Hoc tamen libenter fatemur, hæc fidei Catholicæ admiranda ſacramenta paucis fuiſſe aperta nota, (d) tantiſper dum veniret Lux illa, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (e)

(a) Deut. 32. 7. (b) Iſa. 6. 3. Iſa. 7. 14. (c) Iſa. 48. 16, 17. (d) Coloſ. 1. 26. (e) Joan. 1. 9.

Animadverſiones in Aſſertionem IV.

1. *Hanc fidem fideles.*) Mæræ nugæ, quid enim huc Deut. locus, quem iſti citant, pertinet, cap. 32. 7? Namque in eo nihil prorſus iſta de re dicitur, ſed tantum de beneficiis eſt ſermo, quibus Jehova Iſraëlis populum affecerat.

2. *Ut vel ex uno.*) Miramur tantam confidentiam, cum nuſquam apud Eſaiam ne umbra quidem iſtius trinitatis in unò Deo appareat. Nam quod cap. 6. in acclamatione illa Seraphim ter ſanctus vocatur Jehova, id non triplicitatem perſonarum, ſed ſanctitatis potius perfectionem in eo ſignificat, vel ejus ſanctitatis conſtantem aſſeverationem, & prædicationem oſtendit. Vide Ezech. 21. 27. Ter autem in acclamationibus, ſeu compellationibus aliquid repeti ſolere ſine ulla ejus rei, ad quam illæ pertinent, vel referuntur, triplicitatis ſignificatione, & vulgatiſſimum eſt, & apud ipſos Prophetas hi loci demonſtrant. Hierem. 7. 4. & 22. 29. Locus porro apud eundem Eſaiam cap. 7. 14. nihil de filii Dei incarnatione habet, quam nullam Sacra Scriptura novit: ſed vaticinationem conceptionis filii Dei in virginis utero, ejuſdemque filii ortum, ſeu nativitatem continet, quæ in carnationem iſtam plane commentitiam eſſe docent, eamque penitus excludunt. Poſtremo locus cap. 48. 16, 17. ejus contrarium probat, quod iſti quærunt. Nam, etiamſi illis concedatur, ibi à Propheta (de Chriſti ſcilicet adventu vaticinante, quodque olim futurum erat, ob oculos ponente) ſub perſona ſua filium Dei loquentem induci: nihil tamen inde elicietur, niſi commemoratio Dei, ſpirituſque ejus, & filii Dei, id eſt Chriſti. Quis autem eſt, qui vel unum aliquem ex iſtis-tribus neget, vel eos ſimul in nobis eruditendis, inque ſalute noſtra ad exitum perducenda conjungi non fateatur, de quibus rebus eo in loco agitur? Verum interea Jehova Deus ibidem manifeſte à Chriſto

diſtinguitur, id eſt mittens à miſſo, ex quo apparet, Chriſtum non eſſe Jehovam Deum.

3. *Hoc tamen libenter.*) Tempus erit, cum id quoque fatebuntur iſta non admiranda Catholicæ fidei ſacramenta, ſed ridicula humanæ curioſitatis inventa eſſe.

Aſſertio V.

1. Quare & Chriſtus Dominus, & ejus lectiſſimi Apoſtoli apertius, quam in veteri lege myſterium S. Trinitatis docuerunt. 2. Et quanquam, quemadmodum ex uno loco ſcripturæ ſacræ, ſeptem eſſe Sacramenta non conſtat: ita nulla quidem ſcriptura docet aperte, tres eſſe divinas perſonas, & unam eſſentiam: tamen cum ſint aperta (ut ex conſequentibus intelligetur) literarum divinarum teſtimonia, in quibus 3. & Chriſtum Dominum, 4. & Spiritum S. verum Deum eſſe docemur, 5. patremque verum Deum eſſe concedant adverſarii, ac Deum eſſe unum libenter dent nobis, iidem Patrem, Filium, Spiritumque Sanctum, unum Deum eſſe natura, ſed diſtinctum tribus perſonis, vel inviti fateantur neceſſe eſt.

Animadverſiones in Aſſertionem V.

1. *Quare & Chriſtus*) Sic iſti ſomniant.

2. *Et quanquam*) Dignum patella operculum. Dignum nimirum exemplum, re quæ eo probari debet. Nam certe, quemadmodum, ſeptem eſſe Sacramenta, nec uno, nec pluribus in locis ſacra ſcriptura aut docet, aut innuit, ſic, tres eſſe divinas perſonas, & unam eſſentiam, nuſquam ulla ratione in ea aut traditur, aut indicatur.

3. *Et Chriſtum*) Hoc extra propoſitam quæſtionem eſt, cum de Deitate (ut ſic loquamur) non de dominatione quæratur. Vide autem, quid de hoc adverſariorum loco ſcripſerimus infra Aſſertione 23. numero 3.

4. *Et Spiritum S.*) Hoc plane falſum eſt.

5. *Patremque verum*) Non modo concedimus, verum etiam maxime contendimus, atque urgemus. Et addimus, Patrem eſſe illum verum Deum, τὸν ἀληθινὸν θεὸν, qui cum unus tantum ſit, neceſſe eſt, Patrem tantum illum verum Deum eſſe.

Aſſertio VI.

1 Nam ipſa veritas apertiſſimam & invictam de Trino & Uno Deo doctrinam tradidit hiſce verbis: 2. *Et ego*, inquit, *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis: ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere*: & paulo poſt Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis Joan. 14. ℣. 16. & conſequenti capite: Joan. 15. 26. Cum autem venerit *Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit* ℣. 26. 3. Hujus generis eſt illud apud D. Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* 4. Eandem Fidem profeſſi ſunt Apoſtoli: ut D. Paulus 1 Cor. 12. 4, 5, 6. *Diviſiones*, inquit, *gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Simile quiddam legitur Eph. 4. de uno Spiritu, uno Domino, & uno Deo. 5. In his divinis oraculis diſtinctio quidem perſonarum eſt manifeſta. Divinitas autem ſingularum perſonarum facile colligitur.

Animadverſiones in Aſſertionem VI.

1. *Nam ipſa veritas*) Hic quoque ſummam confidentiam miramur, cum in teſtimoniis, quæ citantur, nihil prorſus de uno & trino Deo ne ſuſpicari quidem liceat.

2 Et ego *inquit*) Ex tribus hiſce teſtimoniis nihil aliud colligitur, quam, Spiritum Sanctum à Patre per Chriſtum ipſius Chriſti diſcipulis miſſum, & datum fuiſſe. Quod veriſſimum eſſe confitemur. Sed quid hoc ad Trinitatem iſtam perſonarum in uno Deo probandum? An non potius ex eo manifeſtum eſt, ſolum Patrem eſſe illum unum Deum, cum ſolus Pater commemoretur, à quo miſſio iſta & datio, tanquam à prima cauſſa, proficiſcatur, ab uno autem illo Deo, tamquam à prima cauſſa, omnia bona proficiſci conſtet? Aut quis audivit umquam, unum illum Deum vel mitti, vel dari, aut eſſe, qui per eum aliquid vel mittat, vel det? Certe hæc cuilibet homini cordato ſummæ ineptiæ, vel potius blaſphemiæ videri debent.

3. *Hujus generis eſt*) Hic etiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti mentio quidem habetur, non tamen, tres iſtos in una Dei eſſentia eſſe, colligitur. Quod enim in nomen omnium trium omnes gentes baptizare jubentur Apoſtoli Matth. 28. 19. quod ad rem iſtam attinet, hoc nihil eſt. Cum, in Moſem quoque Iſraëlitas baptizatos fuiſſe, teſtetur Paulus 1 Cor. 10. 2. & ſæpe ipſi homines mortales in operationibus, & actionibus, ſive noſtris erga Deum, ſive Dei erga nos, cum ipſo conjungantur. Vide Exo. 14. 31. Judic. 7. 18. 1 Sam. 12. 18.

4. *Eandem Fidem*) Hæc duo Pauli teſtimonia omnino ejus contrarium demonſtrant, ad quod probandum fuere allata, cum in utroque unus Deus ab uno Domino, & uno ſpiritu apertiſſime diſtinguatur. Quod profecto perſpicue oſtendit, ad unius Dei eſſentiam nec Dominum illum, nec ſpiritum pertinere, aut certe Dominum illum, & ſpiritum, unum τὸν μόνον θεὸν, non eſſe. Ubi etiam animadvertes, quod ſi ex locis iſtis probaretur, in Deo tres perſonas eſſe, illæ tres perſonæ, unus Deus, unus Dominus, & unus ſpiritus eſſent. Itaque una ex illis tribus unius Dei perſonis, ipſe unus Deus eſſet. Quo nihil abſurdius dici, aut cogitari poteſt.

5. *In his divinis*) Diſtinctio non perſonarum, ſed rerum apparet. Singularum autem divinitas, qualem hoc loco intelligere neceſſe eſt, nullo prorſus pacto colligitur.

Aſſertio VII.

Sic Apoſtolorum perfecti diſcipuli diſertis verbis S. Trinitatem profeſſi ſunt: ut S. Clemens, (l) ut D. Dionyſius Areopagita (m) ut S. Ignatius Martyr 2. (n) Ac Ignatius quidem hoc divinum myſterium à S. Joanne Euangeliſta fideliſſime didicerat: 3. qui ut teſtis eſt D. Hieronymus (o) rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, adverſus Cerinthi & Ebionis dogma conſurgens, (quod Chriſtum Deum verum eſſe negabat) ſuum ſcripſit Euangelium. 4. Idcirco hiſce verbis exorſus eſt: (p) *In principio erat Verbum: & verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum.* His vero concluſit: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, &c.* q

(l) Epiſt. ad Jaco. fratrem Domini. (m) cap. 1 de div. nom. (n) Epiſt. ad Phil. (o) In lib. deſcrip. Eccl. (p) Joan. 1. 1. (q) Joan. 20. in fine.

Animadverſiones in Aſſertionem VII.

1. *Sic Apoſtolorum*) Quæ, tamquam ab iſtis tribus dicta, Clemente, Dionyſio, & Ignatio afferuntur, nihili æſtimanda ſunt, cum, priorum duorum nomine quæ circumferuntur, ſcripta adulterina plane habeantur, tertii vero partim adulterina, partim admodum corrupta, & additamentis quibuſdam coinquinata, adeo ut eorum quoque in ipſis fiat mentio, quæ non niſi poſt aliquot ſæcula extiterunt. Quamquam non ita corrumpi potuerunt, quin adhuc in ipſis clariſſimum teſtimonium extet, quod Chriſtus non ſit ille, qui eſt ſuper omnia Deus, ſed filius ipſius. Id enim ad verbum ſcriptum eſt in ea Epiſtola, quæ ad Tarſenſes inſcribitur. Et alibi non pauca leguntur, quæ doctrinam iſtam de Trinitate, quod, ſc. Pater Filius & Spiritus Sanctus ſint eſſentia unus Deus, prorſus refutant. Nec vero in Epiſtola ipſa, quam citant iſti, ad Philippenſes quidquam de Trinitate iſta legitur. Sed tantum dicitur, non eſſe

eſſe tres Patres, tres Filios, & tres Paracletos, ſed unum Patrem, unum Filium, & unum Paracletum. Adde quod ibidem locus ille (ut eſt in Latina interpretatione Deut. 6. 4.) *Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*, ad Patrem tantum referatur, & inferius acriter reprehenduntur illi, qui putant, illum, qui eſt ſuper omnia Deus, illum ſcilicet omnipotentem, ex virgine natum eſſe.

2. *Ac Ignatius quidem.*) Fabulæ.

3. *Qui ut teſtis.*) Hieronymi teſtimonio, qui trecentis circiter annis poſt ſcriptum à Johanne Euangelium extitit, nullo modo hac in re ſtandum eſt, præſertim cum ejus quodammodo cauſſa agatur. Adde quod ejus auctoritati Euſebii Pamphili auctoritas anteponenda eſt, qui annis plus minus ſeptuaginta ante ipſum floruit. Is autem aliam omnino cauſſam ab iſta, quam Hieronymus affert, * ſuæ ſcribendæ hiſtoriæ Johannem habuiſſe ait, quæ & ex ipſa hiſtoria apparet, & aliorum præterea ſcriptorum teſtimonio confirmatur. Quinetiam Hieronymus ipſe, loco ab iſtis citato, ejus cauſſæ meminit, eamque pluribus verbis explicat. Quam tamen multo latius ab Euſebio expoſitam fuiſſe invenies. Qui Euſebius ſcribit quidem, Johannem à Chriſti divinitate exorſum eſſe, quaſi illa ſibi tractanda reſervata fuiſſet, verum id ex ſenſu ſuo dicit, nec tanquam cauſſam, quam Johannes ſui Euangelii ſcribendi habuerit, illud commemorat.

4. *Idcirco hiſce verbis.*) Non ad iſtum modum profecto exorſus eſſet Johannes, ſi illud, quod iſti, dicunt, ei propoſitum fuiſſet. Apertiſſime enim tota de re ſcripſiſſet, non autem eo modo, ut ſaltem dubitandi non minor, quam antea, occaſio eſſet. Legantur noſtrorum iſtius univerſi loci explicationes, & rem ſe ita habere conſtabit.

5. *His vero concluſit.*) Nihil aptius ad iſtos erroris convincendos concludere potuit Johannes. Nam, ſi Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, Jeſus autem non ante Mariam matrem fuit, ob idque æternus Deus non eſt, ſequitur omnino, Chriſtum Dei Filium non ante eandem Mariam fuiſſe, ob idque æternum Deum non eſſe. Præterea, ſi Jeſus eſt Dei, ſeu Θεοῦ Filius, certiſſimum eſſe debet, alium eſſe Deum, & alium Jeſum, & idcirco, Jeſum eſſe Deum, ſeu τὸν Θεὸν, nullo pacto poſſe.

Aſſertio VIII.

1. Unde impius error Mahometi in Paulo Samoſateno 2. à plurimis Conciliis, præſertim à Concilio Antioch. plurimorum Epiſcoporum damnatus eſt, (r) & poſtea in celeberrimis duobus Conciliis, in Nicæno quidem primo, contra Arrium, in Conſtantinopolitano vero etiam primo, contra Macedonium, Articulus Fidei de Trino & uno Deo magis ac magis tot tantorumque Patrum ſummo conſenſu eſt confirmatus, & declaratus: (ſ) & deinceps ſemper à conſequentibus approbatus: nominatim vero recens à Concil. Tridentino.

(r) *Euſeb. in hiſt. lib. 7. cap. 22. & 23.* (ſ) *in Tomo Concil.*

Animadverſiones in Aſſertionem III.

1. *Unde impius.*) Ita loquuntur iſti, ac ſi Paulus Samoſatenus poſt Mahometem fuerit, cum tamen eum trecentis, & amplius annis anteceſſerit. Jam vero nemo ſanæ mentis, Mahometis de Jeſu Nazaræno falſam opinionem, Pauli Samoſateni ſententiam fuiſſe dixerit, cum Samoſatenus, Jeſum Nazaræum, verum & unigenam Dei filium, & Dominum noſtrum eſſe, agnoverit, eumque adorandum eſſe dixerit, ejuſque doctrinam perpetuam in Dei Eccleſia fore confeſſus fuerit, & alia non pauca de ipſo affirmaverit, quæ omnia Mahometes negavit.

2. *A plurimis Conciliis.*) Divina veritas nec ab ullis hominum Conciliis pendet, nec ab ipſo orbe univerſo, ne minima quidem ex parte, convelli unquam, aut labefactari poterit.

* Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 18.

Aſſertio IX.

1. Qui vero originem tam nefandi erroris ſcire velit, is facta impiorum Judæorum perpendat oportet, ex quibus facile in eam cognitionem veniet, ut hujus blaſphemiæ autores eoſdem eſſe non dubitet: qui filium Dei, quod patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe fœdi facientem Deo, volebant interficere. Joan. 5. 18. 2. Hujus autem turbidi & impuri fontis Judaici rivuli fuere Cerinthus, * Ebion, † Sabellius, Paulus Samoſatenus, Arrius, & eorum ſimiles alii. *

* *Epiph. lib. 1. hareſ. 28.* † *Euſeb. lib. 3. hiſt. cap. 21.*
* *Epiph. lib. 2. hareſ. 65.*

Animadverſiones in Aſſertionem IX.

1. *Qui vero originem.*) Si blaſphemia eſt negare, Deum Chriſti Patrem eſſe, & Chriſtum Deo eſſe æqualem, blaſphemi certe ſunt iſti, qui Chriſtum ipſum Deum eſſe contendunt. Nam hac ratione nec Deus Chriſti Pater, nec Chriſtus Deo æqualis erit. Nemo enim ſui ipſius Pater, nemo ſibi ipſi æqualis eſſe poteſt.

2. *Hujus autem.*) Hujus puriſſimæ & lucidiſſimæ veritatis atque ſententiæ, quod Deus, ſive eſſentia, ſive perſona, unus ſit, iſque Pater tantum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ob eamque rem Jeſus Chriſtus ille unus Deus eſſe nullo modo poſſit, perennis iſque limpidiſſimus fons eſt Spiritus Sanctus in Sacris Literis, eaque divinæ auræ particula, quam nobis Deus ipſe ab ipſo creationis initio indidit.

Aſſertio X.

Contra, Fide Catholica & Orthodoxa univerſa Dei Eccleſia, ita unum Deum eſſe credit & profitetur, ut Unitatem in Trinitate, & contra Trinitatem in Unitate veneretur. (z) 2. Sunt namque in una divina natura tres divinæ perſonæ: Pater, qui eſt à ſeipſo: Filius, qui ante omnia ſecula ex ſolo Patre natus eſt: (a) & Spiritus S. qui ab æterno ex Patre, Filioque procedit. 3. Quo fit, ut in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis, & in eſſentia unitas, & in Trinitate adoretur æqualitas. (b

(z) *Deut 6. 4. Gene. 18. ut ſupra.* (a) *Symbolum Nicænum:* (b) *in Præfat. Eccleſia.*

Animadverſiones in Aſſertionem X.

1. *Contra fide.*) Deum quidem unum eſſe, agnoſcit univerſa Dei Eccleſia. Sed ita ut unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate veneretur, id vel nulla Dei Eccleſia, vel certe non quatenus eſt Dei Eccleſia, agnoſcere ullo modo poteſt, cum iſtud humanum prorſus commentum ſit, cui divina veritas omnibus modis apertiſſime refragatur.

2. *Sunt namque in.*) Egregia vero probatio, præſertim cum ad eam ex parte confirmandam Nicænum ſymbolum afferatur, quod ducentis circiter ac quinquaginta poſt Apoſtolorum Chriſti tempora annis compoſitum fuit. Nempe cum jam divina veritas, quæ ipſorum Apoſtolorum tempore nonnihil contaminari cœperat, magna ex parte, non paucis doctis piiſque viris fruſtra renitentibus, fœdata ac corrupta fuiſſet. Quanquam Nicænum ſymbolum nihil aliud habet, niſi, Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum Patri ὁμοούσιον, id eſt conſubſtantialem eſſe, neque ex nihilo extitiſſe, aut aliquando non fuiſſe. Nihil interim de tribus divinis perſonis, quæ in una divina natura ſint, ſtatuens, aut pronuncians.

3. *Quo fit, ut.*) Quaſi iſta confeſſio Dei ſpiritum, & non hominum curioſitatem auctorem habuerit, eaque in veris Dei Eccleſiis aut ſemper fuerit, aut eſſe debuerit.

Aſſertio XI.

1 Jam vero ut prima perſona in divinis ſemper erat Deus: ita ſemper fuerit Pater neceſſe eſt: Sed ſcire oportet, hoc nomen Pater ſecus Deo Patri tribui, ratione æterni

filii: ſecus ratione noſtri Pſal. 2. 7. Prov. 8. 24. Mich. 5. 2. Hebr. 13. 8. 3. Ad primum genus refertur illud, *Filius meus es tu: ego hodie genui te* Pſ. 2. ut ſupra. 4. De nobis autem iliud intelligitur: *Nunquid non unus Pater omnium noſtrum?* 5. quod quomodo intelligatur inſequentia verba docent: *Nunquid non Deus unus creavit nos* Mala. 2. 10? 6. quod etiam Dominus inſinuavit, cum dixit: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum* Joan. 20. 17.

Animadverſiones in Aſſertionem XI.

1. *Jam vero ut.*) Immo nihil prorſus vetat, quominus Deus ſit, & tamen non ſit Pater. Illud enim naturæ eſt, hoc voluntatis.

2. *Sed ſcire oportet.*) Non negamus, ratione Jeſu Chriſti Dei filii, qui ex muliere in tempore (ut loquuntur) factus, & natus eſt, non autem alicujus æterni Filii Dei, aliter ex parte dici Patrem Deum, aliter ratione noſtri: ſed tamen ejuſdem filiationis in iis, quæ maximi ſunt momenti, nos quoque vel jam participes eſſe, vel aliquando fore affirmamus.

3. *Ad primum genus.*) Vel hinc apparet, Jeſum, Dei Filium ex parte eaque potiore & præſtantiore, non alia ratione eſſe, quam nos filii Dei vel jam ſimus, vel futuri ſimus. Iſtud enim teſtimonium, ut oſtendimus Aſſertione 2. numero 2. ad Jeſu reſurrectionem, & ſempiternum ſacerdotium refertur. Jeſumque propterea à Deo generatum, ejuſque Filium eſſe teſtatur, quod immortalis factus, Rex declaratus fuerit, Deique ſacerdos in perpetuum conſtitutus. Atqui nos quoque, qui filii Dei ſumus, nunc partim ſpe, partim reipſa iſta omnia aliquo modo jam habemus, & poſtea ſuo tempore, revera ac plene ea conſequemur, quemadmodum ex his locis liquido apparet, Joh. 5. 24. 1 Cor. 15. 53. Apoc. 1. 6. & 5. 10. & 20. 6. & 22. 5.

4. *De nobis autem*) Locus iſte, ut doctioribus placet, ad Deum non refertur. Vide, quid ibi annotarit Franciſcus Vatablus.

5. *Quod quomodo.*) Si hoc verum eſt, ergo locus iſte de quadam hominum divina filiatione loquitur, quæ per creationem contingit. Atqui creatio omnibus hominibus communis eſt. Ex quo ſequitur, de divina filiatione quadam, quæ omnibus hominibus eſt communis, iſto in loco agi. Verum quis non videt, cum divina Jeſu Chriſti filiatio cum noſtra confertur, non de ea filiatione noſtra ſermonem eſſe, quæ omnium hominum eſt communis, ſed quæ aliquorum, id eſt, in ipſum Jeſum Chriſtum credentium, eſt propria? Quis porro ignorat, homines, qui Dei filii in Sanctis Literis vocantur, ob aliam cauſſam, eamque multo præſtantiorem ita vocari, quam quia à Deo fuerint creati? Niſi novam creationem intelligere velimus, de qua nec Malachias Mal. 2. 10. eo in loco verba facit, nec iſti ſine dubio intelligunt.

6. *Quod etiam.*) Quinimmo ex iſtis Domini Jeſu verbis aperte colligitur, Deum eadem ratione ipſius Jeſu patrem eſſe, qua noſtrum quoque eſt. Nam ſtatim addit Joh. 20. 17, *Deum meum, & Deum veſtrum.* Nemo enim dixerit, Deum non ea ratione Domini Jeſu Deum eſſe, qua noſter Deus eſt. Et cur (obſecro) ea verba dixit Chriſtus, niſi ut ſuos conſolaretur, & ſe ad ſuum & illorum communem patrem & Deum mox aſcenſurum illis ſignificaret? Quare, quidquid de diverſitate aliqua inter ſe, & illos in ſuis verbis indicaſſet, id plane inutile ei, quod agebat, fuiſſet. Nam quod Meum, & Veſtrum dixit, non autem Noſtrum, id factum eſt, ut apertius, de quibuſnam loqueretur, conſtaret.

Aſſertio XII.

1. Secunda perſona S. Trinitatis eſt verus, & unigenitus Filius Dei Joan. 1. 18. 1 Joan. 5. 20. 2. æque verus Deus ac Pater ejus. Ibidem. 3. Quod cum multa divina oracula planum faciunt: tum illud planiſſimum, *In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum* Joan. 1 1. 4. Et illud Thomæ: *Dominus meus & Deus meus* Joan. 20. 28. 5. Hunc itaque Filium Dei mirandum in modum ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, conſtanter credimus. *

* *Symb. Nican.*

Animadverſiones in Aſſertionem XII.

1. *Secunda perſona.*) Jeſus Nazarænus, qui Chriſtus dicitur, non autem ſecunda alicujus trinitatis perſona, verus & unigenitus Dei Filius eſt.

2. *Æque verus Deus.*) Hic, etſi verus Deus, id eſt non fictus aut imaginarius, non tamen æque verus Deus, ac pater ipſius eſt. Idque vel ex eo conſtat, quod ejus Pater Deus eſt ipſius, Joh. 20. 17. Eph. 1. 17. Apoc. 3. 12. ipſe vero ſui Patris Deus non eſt. Nec tamen, Jeſum Chriſtum verum Deum eſſe, probat locus ille, 1 Joh. 5. 20. Ibi enim præcipuus ſermo eſt de Deo Patre ipſius, quem ait Johannes eſſe illum verum Deum, τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, cujus notitiam ipſum Jeſum Chriſtum nobis dediſſe affirmat. Quocirca verba illa *Hic eſt verus Deus*, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, non ad Jeſum Chriſtum, ſed ad Deum ipſius Patrem referenda ſunt.

3. *Quod cum multa.*) Immo locus iſte ſatis indicare poteſt, Jeſum Chriſtum non eſſe æque verum Deum, ac Patrem ipſius Joh. 1. 3. Cum ejus Pater ibi ὁ Θεὸς nominetur, id eſt ille unus Deus; ipſe vero Θεὸς, id eſt Deus, ſimpliciter eſſe dicatur. Quamvis enim non raro ille unus Deus Θεὸς, nullo præpoſito articulo, nominari ſoleat: tamen quia poteſt appellatio iſta, præſertim cum non ſubjecti (ut loquimur) ſed prædicati, quemadmodum hic fit, locum habet, aliis etiam præter unum illum Deum convenire; idcirco ad omnem dubitationem excludendam plane veriſimile eſt, Johannem, ſi, Jeſum Chriſtum unum illum Deum eſſe per omnia Patri æqualem, docere voluiſſet, non aliter, quam τὸν Θεὸν illum appellaturum fuiſſe, maxime cum jam ibidem Patrem τὸν Θεὸν nominaſſet. Nam ad perſonarum diſtinctionem ſatis erat, illum apud hunc fuiſſe, affirmaſſe. Præterea, cum ὁ Θεὸς unus tantum ſit, & de Jeſu Chriſto ſub Λόγῳ, ſeu Verbi appellatione dicatur, eum fuiſſe apud τὸν Θεὸν, quem ipſius patrem eſſe conſtat, nemo non videt, cum neceſſe ſit, ut alius ſit is, qui apud aliquem eſt, & alius is, apud quem ille eſt, Jeſum Chriſtum τὸν Θεὸν, ſive illum unum Deum eſſe non poſſe, ob eamque rem æque verum Deum, ac Patrem ipſius, non eſſe.

4. *Et illud Thomæ.*) Iſte locus ſimiliter potius indicat, Jeſum Chriſtum, quamvis Deum, non tamen ita Deum eſſe, ut ejus Pater eſt Joh. 20. 28. Apparet enim, Thomam ex comperta reſurrectione ipſius Jeſu collegiſſe, illum ſuum Dominum, & Deum eſſe. At Jeſu reſurrectio nullo modo oſtendit, illum eſſe æternum ac ſummum omnium rerum Dominum & Deum, qualis ejus pater eſt: immo contrarium demonſtrare poteſt. Neque enim in ejuſmodi Deum ullam reſurrectionem, ſicut nec mortem, revera cadere, ſine impietate maxima vel ſuſpicari quidem licet. Oſtendit tamen Jeſu reſurrectio, illum veraciſſimum eſſe, ideoque Chriſtum Dei, vivorum & mortuorum judicem, vitæque æternæ datorem ab ipſo Deo conſtitutum Joh. 4. 26. v. 22. XVII. 2. Nam talem ſe eſſe, ipſe profeſſus fuerat, unde fit, ut jure optimo Dominus, & Deus noſter & ſit, & eſſe dicatur.

5. *Hunc itaque.*) Iſti Nicænum Symbolum amplexi de Dei filio iſta conſtanter credunt. Nos autem ipſius Dei filii, ejuſque Euangeliſtarum, & Apoſtolorum dicta ſecuti, eum Cæſare Auguſto imperante natum eſſe, exque muliere factum fuiſſe, & per ſanctificationem Dei, & ſpiritus, perque reſurrectionem à mortuis Dei filium extitiſſe, & Dominum ac Deum noſtrum factum eſſe Luc. 2. 1 &c. Gal. 4. 4. Joh. 10. 36. Rom. 1. 4. Act. 2. 36. Joh. 20. 28, nobis penitus perſuademus, & firmiſſime aſſeveramus.

Aſſer-

Aſſertio XIII.

1. Tertia vero ejuſdem ſanctiſſimæ Trinitatis perſona dicitur Spiritus S. Mat. 28. 19. 2. Nam etſi & filius, & Pater eſt ſpiritus, & ſanctus: (ſi quidem Deum ſpiritum & ſanctum eſſe confitemur Joan. 4. 24. 1 Reg. 2. 2.) 3. tamen cum tertiæ divinæ perſonæ productioni proprium nomen non ſit impoſitum, ſed ſpiratio, & proceſſio appelletur Joan. 15. 26, efficitur hinc, ut etiam perſona proprio nomine careat: quo fit, ut recte communi omnibus tribus perſonis vocabulo Spiritus S. nominetur.

Animadverſiones in Aſſertionem XIII.

1. *Tertia vero.*) Quid Spiritus Sanctus dicatur, ſupra Aſſertione 1. numero 3. dictum eſt.

2. *Nam etſi &c.*) Nuſquam de Filio hoc dicitur. Quinimmo ipſe Apoſtolis ſuis dixit Luc. 24. 39, *Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut videtis me habere.* Nam, etiamſi Deum, τὸν Θεὸν, ſpiritum appellatum fuiſſe concederemus, id tamen nihil ad Filium pertineret, cum Filius non ſit ὁ Θεὸς, nec unquam à Sacris Scriptoribus eo nomine ſimpliciter appellatus fuerit. Jam vero locum illum Johan. 4. 24. (ubi tamen nos in Græco codice, non Deum ſpiritum eſſe, ſed Deum ſpiritum quærere, dictum fuiſſe ſuſpicamur) ad Patrem omnino referendum eſſe, antecedentia verba aperte demonſtrant. Ex quo præterea loco, ut ex aliis infinitis, manifeſtum eſt, nihil aliud eſſe Deum, ſeu τὸν Θεὸν, quam Patrem.

3. *Tamen cum tertiæ.*) Si nomen Spirationis, & Proceſſionis proprium nomen tertiæ divinæ perſonæ productionis non eſt, igitur ſecundæ quoque eſt communis. Itaque utraque ſpiratio & proceſſio eſt, vel potius ſpiratum quid & procedens. Quod vix iſtorum theologiam ferre poſſe crediderimus, quæ ſpecificam (ut vocant) inter ſecundam, & tertiam perſonam differentiam ſtatuere videtur, quod ſecunda gignatur, tertia vero ſpiretur. Quod ſi tamen ſecundum ipſos utraque ſpiratur atque procedit, cur, quatenus à prima ſpirantur atque procedunt, una primæ filius & eſt, & dicitur altera vero minime, cum tamen utraque (ut iidem aſſeverant) eandem prorſus cum illa eſſentiam habeat, & propterea nulla ratione conſtare poſſit, cur magis ſecunda, quam tertia ex illius ſubſtantia generata, ob idque ejus filius eſſe dicatur?

Aſſertio XIV.

1. Eſt autem Spiritus Sanctus Deus, æque ut Pater & Filius, æqualis utrique, ac ejuſdem cum utroque naturæ. 2. Cum enim divinus ſpiritus eas res gerat, quæ propriæ ſunt Dei, Deus verus ſit oportet: quales ſunt eæ, quas Apoſtolus ad Corinth. commemorat. 3. Sed Spiritum S. verum Deum eſſe, etiam idem Apoſtolus ad eoſdem Corinth. ſcribens haud obſcure docet: *Neſcitis*, inquit, *quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis* 1 Cor. 3. 16. 4. & paulo poſt: *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*, & in eadem Epiſtola: *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus S. qui in vobis eſt* 1 Cor. 6. 19? & paulo poſt: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 5. Credere itaque nos quoque oportet in Spiritum S. tanquam in verum Deum & Dominum vivificantem: qui cum patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. *

* *Symb. Nican.*

Animadverſiones in Aſſertionem XIV.

1. *Eſt autem Spiritus.*) Hoc nec verbis, nec ſententia uſquam ſcriptum legitur.

2. *Cum enim divinus.*) Quid mirum eſt, Spiritum Sanctum eas res gerere, quæ propriæ ſunt Dei, cum Dei virtus ſit atque potentia, cumque Dei operationes Spiritus Sancti nomine nuncupentur? Sed non propterea ſequitur, ipſum eſſe Deum, niſi prius conſtet, ipſum eſſe perſonam quandam ab ipſo Deo diſtinctam (quanquam hoc ipſum, ut ex iis etiam conſtat, quæ ſupra alibi attigimus, illum minime Deum eſſe aperte oſtenderet) cujus tamen rei contrarium ex iis, quæ modo diximus, clare perſpicitur. Neque enim alicujus perſonæ virtus, aut operatio, perſona aliqua, præſertim alia ab ea, cujus virtus & operatio eſt, eſſe poteſt. Præterea non ſatis eſſet, Spiritum Sanctum perſonam eſſe ab ea, cujus ſpiritus eſt, diſtinctam. Scimus enim, iis perſonis, quamvis creatis, per quas Deus aliquid operatur, eaſdem illas operationes in divinis literis paſſim attribui Eſa. 43. 11. Oſe. 3. 4, licet eæ Dei ſint propriæ. Nam & ipſum ſervare, quod Dei omnino proprium eſt, mortalibus hominibus attributum legitur, adeo ut ſervatores quoque nominentur. Vide Judic. 3. 9. 2 Reg. 13. 5. & Nehem. 9. 27.

3. *Sed Spiritum Sanctum.*) Deus in nobis habitare, ſeu manere dicitur, propterea quia de ſpiritu ſuo nobis dat, 1 Joh. 3. 24. & 4. 13. Id quod etiam ex poſtremo teſtimoniorum, quæ iſti citant, perſpicuum eſt. Statim enim ſubjungit ibi Paulus 1 Cor. 6. 19, *quem habetis à Deo.* Unde etiam fit, ut ipſe ſpiritus Dei ſeu Spiritus Sanctus in nobis habitare dicatur. Verum de Spiritu Sancto, quem iſti ſibi fingunt, id eſt de tertia illa perſona eſſentiæ divinæ, nihil dari poteſt. Apparet autem nullo modo in nobis idcirco dici habitare Deum, quia ſpiritus ipſe Dei, quo præditi ſumus, Deus ſit, cum ipſe ille Deus, cujus ſpiritus eſt, in nobis habitare dicatur. Quemadmodum ex ipſis ſacris verbis, quæ iſti protulerunt, intelligi poteſt. Nam cum Paulus dixiſſet 1 Cor. 16, & 17, *Spiritus Dei*, Τ Θεῦ, *habitat in vobis*, paullo poſt ſubjicit, *Templum enim Dei*, Τ Θεῦ, *ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Itaque illius Dei, cujus ſpiritum in Corinthiis illis habitare dixerat, eoſdem templum eſſe, non obſcure affirmavit.

4. *Et paulo poſt.*) Græci codices, quibus Syriacus interpres aſtipulatur, non habent, *Et portate* 1 Cor. 6. 20, in quo verbo eſt, quidquid pro adverſariis eo in loco videtur poſſe facere. Deinde ea verba, *Et portate Deum in corpore veſtro*, nullo modo ad Spiritum Sanctum, quem Corinthii illi à Deo habebant, accommodari poſſunt. Quorſum enim attinuiſſet illos hortari, ut eum ſpiritum portarent in corpore ſuo, quem jam haberent? Nam, ſi Portare pro eo, quod eſt Ne abjicite, dictum fuiſſe velimus, ſi quidem ſubaudiatur Imprudenter, inſolens plane id fuerit, ſin autem Conſulto, de rebus gravibus tantum & moleſtis id dici ſolet. Adde, quod alterum illud verbum, Glorificate, ſatis demonſtrat, ibi Dei nomine Spiritum Sanctum non intelligi. Nuſquam enim (ut credimus) in Sanctis Literis glorificari ab hominibus Spiritus Sanctus dicitur.

5. *Credere itaque.*) Ad ſuas nugas revertuntur. Nugæ enim merito appellari poſſunt, quæcumque non præter Sacras Literas tantum, ſed etiam contra ipſas ab hominibus de rebus divinis ſcripta, & conſtituta ſunt. Sciendum eſt autem non modo in ipſis Sacris Literis, ſed ne in ſymbolo quidem, quod Apoſtolorum vocatur, aliquid de fide in Spiritum Sanctum dictum fuiſſe. Neque enim *Credo in Spiritum Sanctum*, ſed *Credo Spiritum Sanctum*, omnino legendum in eo eſſe, præter alia multa, ipſa ſermonis ratio aperte docet. Aliter enim in ea omnia, quæ conſequuntur, & ſic (ut alia omittamus) in ipſam carnis reſurrectionem ſimiliter credendum eſſe, decretum in eo fuiſſet, quo quid abſurdius dici poteſt? Deum vero, aut Dominum Spiritum Sanctum eſſe, eumque cum Patre, & Filio ſimul adorari, & glorificari, neque etiam in ſymbolo ipſo Nicæno dictum eſt. Verum ex Conſtantinopolitanæ Synodi decretis, quæ ſexaginta circiter poſt annis congregata fuit, ſymbolo illi eſt additum. Nec tamen Deum, ſed Dominum tantum in additis illis verbis eum nominatum fuiſſe conſtat.

Aſſertio XV.

Procedit vero Spiritus S. à Patre Filioque æterna pro-

proceſſione, tanquam ab uno principio. Joan. 10. 30. 2. Unde in Sacris Literis, nunc Spiritus Chriſti * Galat. 4. vſ. 6. nunc Spiritus Patris Matt. 10. 20. appellatur, & modo à Patre Joan. 14. 26. modo à filio mitti dicitur Joan. 15. 26. & de eo, quod eſt filii, accipere legitur: De meo, inquit Dominus, *accipiet* Joan. 16. 14. ut vel hujuſmodi phraſes Patri Filioque communes, communiter eum ab utroque procedere ſint argumento: qua etiam in ſententia omnes veteres Orthodoxi Græci Patres fuere. Ex quo efficitur, Græcos novos & Ruthenos, multum à priſcis illis Patribus diſſidere. Reſtat ut adverſariorum fundamenta expendamus: & quam ſint infirma demonſtremus.

* *Concil. Lugd. Flor. Symb. Athan. Cyril. Nazian. Chriſoſt. &c.*

Animadverſiones in Aſſertionem XV.

1. *Procedit vero*) Spiritum Sanctum à Patre, & Filio æterna proceſſione, tamquam ab uno principio, procedere, apud ſacros ſcriptores nuſquam legitur. Nam etſi dixit Chriſtus Joh. 10. 50. *Ego & Pater unum ſumus*, quem locum ad id probandum iſti afferunt, tamen hoc nihil ad rem facit, cum ibi, ut ex antecedentibus patet, non de alia unitate ſit ſermo, quam poteſtatis. Poteſtatem vero illam ſupremam, propter quam illic unum cum Patre eſſe dicitur, Chriſto, ut homini atque in tempore, non autem ab æterno datam reipſa fuiſſe, complura ſacra teſtimonia evidenter demonſtrant. Hæcque inter alia, Matth. 28. 18. Joh. 5. 27. & 17. 2. Act. 2. vſ. 36. Eph. 1. 20, 21. &c.

2. *Unde in ſacris*) Non Spiritus ſanctus ſimpliciter, ſed ſpiritus, quo Chriſti fideles à Deo donantur, interdum ſpiritus Chriſti appellatur, eam potiſſimum ob cauſſam, quod eodem ſpiritu Chriſtus ipſe præditus fuit. Probatur id ſatis aperte ex eo ipſo loco, quem iſti afferunt, Gal. 4. 6. Ubi ſcriptum eſt, *Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus ſpiritum Filii ſui, in corda veſtra, clamantem Abba Pater.* Quod ſine dubio idem eſt, acſi dixiſſet, Quoniam Deus filios ſuos vos eſſe vult, idcirco eundem ſpiritum vobis dedit, quem ipſius Filius primogenitus habuit, quique ob eam cauſſam filiationis ſpiritus eſt. Opponit enim ſpiritum iſtum ſpiritui ſervitutis, quem ſub Lege Iſraëlitæ acceperant. Ut ex loco huic reſpondente conſtat, Rom 8. 15. Nam & hic ſubjungitur, *Itaque jam non es ſervus, ſed filius.*

3. *Et modo à Patre*) Non eſt dubium, quin à Filio quoque mitti Spiritus Sanctus in ſacris litteris dicatur. Sed hoc ita intelligendum eſt, ut à Patre acceptum mittat. Quemadmodum ex eodem ipſo teſtimonio planum fit, quod iſti afferunt, Johan. 5. 26. Ubi ait ipſe Filius, *Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Mittit igitur Filius quidem Spiritum Sanctum, ſed à Patre, à quo (tamquam à fonte videlicet) procedit, & eſt Filius tamquam rivus, qui à fonte acceptam irrigandis agris aquam ſuppeditet atque tranſmittat. Et ne quis putet, hoc ſemper ita fuiſſe, aut ex ipſius Filii natura pendere, audiat ipſum Filium ita dicentem Joh. 14. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*, &c. & Petrum, qui adhunc modum hac de re loquitur Act. 2. 33. *Dextera igitur Dei exaltatus (Jeſus) & Spiritus Sancti promiſſione accepta à Patre, effudit hunc, quem* (ſeu potius *hoc, quod*) *vos videtis, & auditis.*

4. *Et de eo, quod*) Iſtud propterea vere dictum eſt, quia poteſtatem ſuam & gloriam Pater cum Filio communicavit. Ut merito dici poſſit, quæcumque Pater habet, ea Filii quoque eſſe. Itaque ubi Chriſtus diſcipulis ſuis dixiſſet, ſpiritum illum veritatis de ſuo acceptuřm, & illis annunciaturum, illico adjunxit Joh. 16. 15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

5. *Ut vel hujuſmodi*) Immo phraſes iſtæ & loci, ubi illæ leguntur, ut dictum eſt, Spiritum Sanctum à ſolo Patre, tamquam à ſuo principio & fonte proficiſci oſtendunt, ita tamen, ut per Filium, tamquam per ſecundam cauſſam, & rivum quendam in eos, qui in ipſum Filium credunt, eique obediunt, derivetur.

Aſſertio XVI.

Quoniam vero longum eſſet omnia, quæ contra afferri ſolent ab adverſariis, argumenta enumerare, potiora duntaxat hic breviter diluemus. Solent igitur objicere, 1. primum quidem nomen Eſſentiæ Trinitatiſque in Sanctis Literis non extare, 2. ac deinde ſcripturas ipſas palam teſtari, Chriſti patrem ſolum eſſe verum Deum: vel quod idem eſt, unum Deum, ex quo omnia. (b) 3. Præterea nuſquam Triperſonatum Deum (ſic enim audent blaſphemare) in ſcripturis proponi. (c) 4. In veteri etiam Lege nullam fieri filii Dei mentionem, niſi quando Chriſtus Dominus prædicitur, ex hominibus naſciturus. (d) 5. Ad hæc paſſim in Literis Sacris Chriſtum vocari Filium hominis. (e) 6. Denique Acto. 2. aperte ſcriptum, Jeſum factum eſſe à Deo Chriſtum & Dominum. (f) 7. Spiritum vero in Actis quidem donum, Lucæ autem 24 Virtutem appellari. (g) 8. Atque hæc ſunt fere adverſariorum argumenta. Adquæ ſic ordine reſpondemus.

(a) *Nic. Taruta Theſi. 1.* (b) *5. Theſi par. 3.* (c) *cap. 3. primi lib. Miniſtro Sarmatæ, & Nic. Parut. Theſi 4.* (d *Miniſtri lib 2. cap 8 ante medium.* (e) *Simon Budn. in Apologia.* (f *Idem fol. 3. Demonſtrationis.* (g) *In principio & fine cap 4. lib. 2. Miniſtrorum.*

Animadverſiones in Aſſertio XVI.

1. *Primum quidem nomen*) Hoc, tamquam indicium quoddam falſitatis adverſariorum ſententiæ, dictum aliquando à noſtris fuit, non autem, quod pro ſolido argumento ad eos refutandos id ducerent.

2. *Ac deinde ſcripturas*) Hoc vero, tamquam ſolidiſſimum veritatis fundamentum, quod numquam adverſarii convellent. & tamquam præcipuum falſitatis adverſariorum ſententiæ argumentum, à noſtris identidem affertur atque inculcatur.

3. *Præterea nuſquam*) An non potius iſti blaſphemant, qui revera triperſonatum Deum inducunt? Nam quid aliud eſt, Deum eſſe trinum in perſonis, ſive in Deo tres eſſe perſonas, quam Deum triperſonatum eſſe? Cur res ipſas non rejiciunt, ſi vocabula tantopere horrent?

4. *In veteri etiam*) Dicimus, in Vetere Teſtamento nullam fieri Filii Dei mentionem, qui jam eſſet, aut fuiſſet, ſed qui ex Abrahami poſteris in Davidis familia naſciturus, & homo futurus eſſet. Nec aliter loquuntur noſtri in eo ipſo loco, quem citant iſti.

5. *Ad hæc paſſim*) Quis hoc poſſit negare?

6. *Denique* Acto. 2.) Hoc quoque an non veriſſimum eſt?

7. *Spiritum vero*) Ne hoc quidem negare quiſquam audebit.

8. *Atque hæc ſunt*) Multa præterea alia eaque firmiſſima argumenta habemus, etſi noſtrum non ſit aliquid probare, qui negamus, ſed adverſariorum probationes refellere, qui affirmant. Sed quomodo hæc pauca iſti refutent, videamus.

Aſſertio XVII.

Etſi diſputatio noſtra non eſt inſtituta de verbis, ſed de re ipſa: 1. tamen quoniam verboſi verba conſectantur, voces quibus Catholica Eccleſia utitur, eſſe ex utroque Teſtamento collectas, ſic demonſtramus. 2. Nam cum Exo. 3. (h) Deus vocetur, *qui eſt*, ſive ut in Hebræo legitur, *qui erit*, perſpicue hinc verbum Eſſentia ducitur. 3. Sic quoniam in Geneſi. (i) de Abrahamo hæc legimus, *Apparuerunt ei tres viri*, à tribus, qui Trinum & Unum Deum repræſentabant, nomen S. Trinitatis eſt inventum. Eadem via & ratione ex Novo Teſtamento eadem nomina ducuntur: 4. Eſſentiæ quidem in Apocal. (k) *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, 5. Trinitatis autem ex ejuſdem Euangeliſtæ Epi-

(h) *Exod. 3. 14.* (i) *Gen. 18. 2.* (k) *Apoc. 1. 8.*

ſtola

ſtola. (l) Tres ſunt, inquit, qui teſtimonium dant in cælo.

(l) 1 Joan. 5. 7.

Animadverſiones in Aſſertionem XVII.

1. *Tamen quoniam*) De iſtis vere dici poſſe, quod verba conſectentur, id inter cætera manifeſtum facit, quod paullo ante obſervavimus. Nam blaſphemare noſtros dicunt, propterea quod nuſquam triperſonatum Deum in ſcripturis proponi ajunt, nempe quia hac ratione Triperſonati Dei nomen enunciant, & tamen ipſi triperſonatum ipſum Deum revera inducunt, licet Triperſonati vocem diſerte numquam proferant.

2. *Nam cum*) Etſi nec de verbo Eſſentiæ, nec de re ipſa multum contendimus, aut laboramus, tamen operæpretium eſt conſiderare, quam graviter iſti errent, qui, propterea quod Deus (quemadmodum ipſi ajunt) ut in Hebræo legitur, vocetur, *qui erit*, perſpicue verbum Eſſentiæ inde duci affirmant. Cum enim Eſſentia (præſertim in hac quæſtione noſtra) aliquid, quod jam ſit, vel ſignificet, vel certe perpetuo indicet, quomodo ex verbo Erit, quod omnino aliquid futurum ſignificat, Eſſentiæ nomen duci poterit?

3. *Sic quoniam*) Ergo quia ſcriptum eſt, tres viros Abrahamo apparuiſſe, qui à Deo miſſi erant, licebit inde Trinitatis nomen colligere, idque ad Deum ipſum, ejuſque eſſentiam accomodare; & quia iſti dicunt, Deum perſonis trinum eſſe, non licebit ſine blaſphemia affirmare, ab ipſis triperſonatum Deum induci? Quæ iniquitas eſt, ſi hæc non eſt? Cæterum non modo ad Trinitatis nomen, ſed ad rem ipſam, quæ nomine iſto ſignificatur, nihil locum iſtum de tribus viris Abrahamo conſpectis pertinere poſſe, ſupra Aſſertione 3. numero 3. ſatis demonſtratum eſt.

4. *Eſſentiæ quidem*) Non poteſt locus iſte ad propoſitum facere, cum nomine Ejus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, apud Johannem in eo libro Deus pater tantum ſignificetur, ut ex ſalutatione patet, ubi Apoſtolus Deum Patrem à ſeptem illis ſpiritibus & ab ipſo Jeſu Chriſto diſtinguens, non aliter illum nominat, quam Eum, qui eſt, & qui venturus eſt Apoc. 1. 4.

5. *Trinitatis autem*) Præclarum vero teſtimonium. Quod videlicet non ſolum plane controverſum eſt, ſed ab antiquioribus etiam cum Latinis, tum Græcis codicibus prorſus abeſt, quodque Syriacus interpres nullo modo agnoſcit. Vide, quid theologi ipſi Lovanienſes in Novo Teſtamento, ab ipſis recognito, in locum iſtum annotaverint. Præterea, cum ex ſequentibus pateat, verba illa 1 Joh. 5. 1. *Et hi tres unum ſunt*, ſine quibus teſtimonium nullius ponderis eſt, nihil aliud ſignificare poſſe, quam Idem omnino teſtantur, nec ulla ratione eſſentiæ unitatem aliquam declarare, ridendi plane ſunt iſti, qui ejuſmodi teſtimonium ad Trinitatis nomen uni eſſentiæ divinæ accommodandum afferre non dubitaverint.

Aſſertio XVIII.

Non imus inficias hæc legi Joan. 17. (m) *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum.* Sed additur, *Et quem miſiſti Jeſum Chriſtum*: 1. quibus non excluduntur ea, quæ ſunt de natura patris, (quemadmodum cum dicitur, ſolus homo, non excipitur anima ejus) Nam cum Pater & Filius & Spiritus Sanctus ſint eadem natura, fieri non poteſt, ut nominatis verbis ſive Filius, ſive Spiritus Sanctus excludatur: 2. ſed falſi duntaxat Dii, ut præclare annotarunt D. Cyrillus & D. Chryſoſtomus. 3. Atque hanc interpretationem eſſe ex media ſcriptura depromptam teſtimonia utriuſque legis planum faciunt. Sic enim legimus in Deuter: (n) *Dominus ſolus Dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus*: 4. Sic ad Corinth. *Aut ego ſolus & Barnabas non habemus poteſtatem*, &c. Ubi etſi ſolum dixit: tamen non excluſit Barnabam.

(m) Joan. 17. 3. (n) Deut. 32. 12. (o) 1 Cor. 9. 6.

Animadverſiones in Aſſertionem XVIII.

1. *Quibus non excluduntur*) Proxime antecedentia verba, *ſed additur*, &c. per parentheſim legenda ſunt. Quæ enim hic dicuntur, ad ſuperiora tantum pertinent. Dicimus autem, iſtos peſſime argumentari. Nam etſi, cum dicitur, ſolum Patrem eſſe verum Deum, Patris nomine ea, quæ natura, ſeu de natura Patris ſunt, non excluduntur, non tamen Filius (ut de eo prius ſeparatim agamus) non excluditur. Neque enim Filius de natura Patris eſt eo ſenſu, in quem verba iſta, De natura, accipere hoc loco neceſſe eſt. Niſi fortaſſe, ſi vox Patris ita accipienda ſit, ac ſi expreſſe additum fuiſſet Tamquam patris. Quod ſi fiat, id nihil ad propoſitum faciet, cum in verbis iſtis, Pater eſt ſolus verus Deus, nullo modo ſubintelligendum ſit Tamquam pater, ſed potius perinde cenſeri debeat, ac ſi dictum foret, Is, qui eſt Pater, eſt ſolus verus Deus. Atque ob eam cauſſam falſum omnino erit, verbis iſtis ea non excludi, quæ ſunt quidem de natura Patris, ſed tamquam patris. Quod ſi dicat aliquis, Filium de natura illius eſſe, qui Pater eſt, non modo tamquam patris, ſed etiam tamquam Dei, eo quod Deus ſine filio ſuo eſſe non poſſit, Dicimus, hoc plane falſum eſſe, in eoque pro conceſſo ſumendo principium peti. Nam de hoc quoque inter nos diſputatur. Jam vero, quod ad Spiritum Sanctum attinet, concedi facile poteſt, eum eſſe de natura Patris, ut Dei, & propterea, cum dicitur, Is, qui eſt Pater, eſt ſolus verus Deus, Spiritum Sanctum non excludi, id eſt intelligi illum, qui Pater eſt, hoc eſt Deum, non ſine ſuo ſpiritu. Verum non idcirco ipſe ſpiritus erit verus Deus. Exemplum ipſum ſumamus, quod iſti attulerunt. Si dico, Solus homo eſt animal rationale, certum eſt, me non excludere animam ipſius hominis, quatenus ſcilicet hominem intelligo non ſine ipſius anima. Ea enim de natura ejus eſt. Sed non idcirco hominis anima erit animal rationale. Quæ autem de Spiritu Sancto diximus, eadem de Filio, etiamſi is de natura Patris tamquam Dei eſſet, dicta volumus. Sed dicet quiſpiam, Filium, & Spiritum Sanctum non ſolum de natura Patris tamquam Dei eſſe, ſed etiam unam naturam cum Patre, idque iſtos in aſſumptione ſui argumenti, ſeu conſequentiæ probatione dicere. Reſpondemus primum, hoc illud ipſum eſſe, de quo diſputatur, & locum iſtum idcirco à noſtris afferri ſolere, ut appareat, nec Filium, nec Spiritum Sanctum eſſe verum Deum, æque ac Patrem, quod reipſa idem eſt, atque non eſſe eandem naturam cum Patre. Deinde dicimus iſtos in conſequentiæ probatione plus dixiſſe, quam opus fuerat. Satis enim fuiſſet dicere, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe de natura Patris, quemadmodum fuerat propoſitum. Aut certe ad hunc modum proponere oportebat, Quibus non excluduntur ea, quæ ſunt eadem natura cum Patre. Quod ideo iſti non fecerunt, ne propoſitionis, ejuſque probationis ineptitudo quædam nimis aperta eſſet. Nam quid attinet dicere, non excludi ea, quæ ſunt eadem natura, idve, exemplo allato, probare, præſertim tali exemplo? Nec enim hominis anima eadem eſt natura cum ipſo homine. Patet hoc ex definitione utriuſque. Quæ enim definitio unius eſt, nunquam alterius eſſe poterit. Itaque id verum eſſe conſtat, quod ab initio diximus, iſtos peſſime argumentatos eſſe.

2. *Sed falſi*) Fatemur, omnino propter Gentium falſos Deos verba illa à Domino Jeſu dicta fuiſſe. Quis enim tunc temporis de iſtorum portentis, quibus duæ præterea perſonæ, ſeu ſubſiſtentiæ præter Patrem inducuntur, quarum utraque ſit æternus Deus per omnia ipſi Patri æqualis, vel ſomniabat quidem? Dicimus tamen, ejuſmodi eſſe Chriſti verba, ut iis non minus portenta iſta, quam falſi illi dii excludantur. Et enim, cum neceſſe ſit, ſolum verum Deum,

τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, unum tantum eſſe, iſque Pater eſſe dicatur, nec Filius autem, nec Spiritus Sanctus ſit Pater, quis tam hebes eſt, quin videat, nec Filium, nec Spiritum Sanctum eſſe illum verum Deum?

3. *Atque hanc.*) Ex media ſcriptura depromptum eſt, ſoli Jehovæ tribui aliquid ad Deos alienos excludendos, non autem eos, qui cum ipſo Jehova conjuncti ſunt, atque ab eo pendent, per quos ipſe aliquid operatur, quique ei ſunt cariſſimi. Cujus rei utinam iſti, ubi maxime opus eſt, meminiſſe vellent. Non ſane ex Chriſto Jehovæ ipſum Iehovam facerent.

4. *Sic ad Corinth.*) Exemplum iſtud nihil ad rem facit, cum is, quem iſti eo in loco non excludi ajunt, non ſolum aperte nominatus fuerit, ſed etiam eadem prorſus verborum ſtructura comprehenſus, ita ut non quidem non excludi, ſed diſertis verbis includi dicendus ſit. Nam ſi dicant, hic quoque aperte nominatum fuiſſe Jeſum Chriſtum, & eadem verborum ſtructura diſerte comprehenſum (id quod ſuperioribus illis verbis innuerant, *ſed additur*, &c.) Reſpondemus verbum quidem Cognoſcant, non minus ad Jeſum Chriſtum, quam ad Patrem referri, & propterea vitam æternam in utroque cognoſcendo conſiſtere: ſed nihil tamen, quod ad verborum ſtructuram attinet, ad Jeſum Chriſtum verba illa pertinere, *ſolum verum Deum.* Neque enim cohærent illa omnino cum verbo Cognoſcant, quaſi dicere voluerit Chriſtus, Ut cognoſcant te, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum, eſſe ſolum verum Deum. Sed verba illa, *ſolum verum Deum*, per appoſitionem legenda, & interpretanda ſunt. Acſi dictum fuiſſet, Ut cognoſcant te, qui es ſolus verus Deus, & cognoſcant, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum. Eſt autem animadvertendum, iſtos duas interpretationes & reſponſiones ad eundem locum attuliſſe, & ineptiſſime ſimul miſcuiſſe, quamvis illas tanquam unam attulerint. Nam & quia Filius, & Spiritus Sanctus ſint eadem natura cum Patre, neutrum excludi volunt, & quia Filius nominatus deinde ſit, ad ipſum quoque, quæ de Patre dicta ſunt, pertinere contendunt. Neque tamen interim animadvertunt, poſteriore interpretatione Spiritum Sanctum, cum ipſe nominatus non ſit, tacite excludi. Jam vero, quod ad locum iſtum Pauli attinet 1 Cor. 9. 6. (ut alia non pauca omittamus) præter ea, quæ dicta ſunt, illud obſervandum eſt, in Græco haberi ἢ μόνος ἐγὼ, καὶ Βαρνάβας, id eſt *Aut*, vel *Num ſolus ego & Barnabas*, anteponi videlicet nomen Solus nomini Ego, cui nomen Barnabas per ſimplicem copulam ſtatim conjungitur, ita ut poſſit utrumque pro uno nomine haberi, & nomen Solus ex ipſa Grammaticæ vi non minus ad Barnabam, quam ad Paulum pertinere.

Aſſertio XIX.

Sic in eadem Epiſtola (p) ore quidem Apoſtolico dicitur: *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia*: 1. ſed additur, *Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia*: 2. Ubi ſine dubio, vel ſententia adverſariorum à Dominatione Chriſti non excluditur Pater. 3. Quare ſi in cognitione Chriſti poſita eſt vita æterna, ſique per eundem Chriſtum unicum Dominum noſtrum facta ſunt omnia, idem Jeſus Chriſtus ſit verus Deus oportet. 4. Et quemadmodum hic à Devinitate Filius non excluditur, 5. ita nec Spiritus S., ut tum ex ſupra allatis ſcripturis, tum ex hac, (q) *Dominus autem ſpiritus eſt*, colligitur: 6. ſed neque à danda nobis vita excludi poteſt. Nam *ſpiritus vivificat*, ut habetur eodem capite: 7. Neque enim Sanctæ Literæ omnia ubique: ſed varia variis in locis tradunt.

(p) 1 Cor. 8. 6. (q) 2 Cor. 3. 17.

Animadverſiones in Aſſertionem XIX.

1. *Sed additur.*) Non ita additur, ut cum proxime dictis tanquam in unam ſententiam conjungi debeat 1 Cor. 8. 5, 6. Sed ſubjicitur tantum, ut id explicetur, quod reipſa propoſitum fuerat, nos ſcilicet unum tantummodo Deum, & unum Dominum habere. Nam, expoſito, quis eſſet ille noſter unus Deus, exponendum erat, quis noſter ille Dominus eſſet.

2. *Ubi ſine dubio.*) Non excluditur quidem Pater à dominatione Chriſti. Verum non propter rationes aliquas extra ipſum locum petitas, ſed quia, cum ibidem jam dictum fuerit, Patrem eſſe illum unum noſtrum Deum, ſequitur neceſſario, nullam eſſe dominationem, quam nos agnoſcere debeamus, quæ à Patre non pendeat & proficiſcatur, tantum abeſt, ut ab ea ipſe excludi poſſit. Nomen enim Deus eo loco, ut frequentiſſime fit, etſi nomen ejuſmodi eſt, quod aliis quoque in ipſis Sacris Literis tributum invenitur, tamen pro rerum primo auctore, & ex ſe ipſo Domino ac moderatore accipitur, quem unum tantum eſſe ait Apoſtolus, eumque Patrem illum quippe ex quo ſolo omnia deriventur atque dependeant. At vero, cum dicitur, nobiſeſſe unum Dominum Jeſum Chriſtum, quia nomen Dominus eo loco minus ſignificat, quam nomen Deus, à quo manifeſte diſtinguitur (eum enim ſignificat, qui nobis dominetur non ex ſeipſo, ſed ex alio, & per quem, non autem ex quo, aliquid in nos derivetur, ut ex ipſius Apoſtoli verbis apparet) idcirco nulla prorſus ratione poteſt Chriſtus in divinitate illa Patris ſupra expoſita eſſentialiter (ut ita dicamus) includi. Immo, ut ab ipſa ſecundum rationem iſtam excludatur, neceſſe eſt. Si dixerit (exempli cauſſa) civitas aliqua, cui gubernandæ Rex unum quempiam tantum nominatim præfecerit, ſibi unum tantummodo principem eſſe, itemque unum gubernatorem, rectiſſime locuta fuerit. Nec tamen vel Rex per præfectum illum civitatem iſtam non gubernabit, vel ille gubernator civitatis princeps erit eadem ratione, qua Rex ipſe eſt. Adde, quod, ſi diligentius res expendatur, qua ratione Chriſtus à divinitate illa Patris excluditur, eadem Pater à Chriſti dominatione illa excludi dicendus eſt. Nam, quemadmodum Chriſtus non eſt Deus, ex quo omnia, ſic Pater non eſt Dominus, per quem omnia. Immo, dicent iſti. Scriptum eſt enim de Deo, quem vos Patrem tantum eſſe contenditis, *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia* Rom. 11. 36. Et alibi legitur Heb. 2. 10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia*, &c. Ubi non dubium eſt, quin de Deo Patre verba fiant, quidquid aliter nonnullis viſum fuerit, & quidam Latini codices ſuadeant, qui in ſequentibus verbis contra fidem Græcorum exemplarium, & emendatiorum Latinorum, ac Syriacæ interpretationis, immo contra id, quod locus ipſe omnino poſtulat, non Conſummare habent, ſed Conſummari. Verum ſciendum eſt, alio ſenſu dici, per Deum, ſeu per Patrem eſſe omnia, & alio per Chriſtum. Per Deum, ſeu per Patrem dicuntur eſſe omnia, ne quis exiſtimet, ex Deo quidem omnia eſſe, ſed ita tamen, ut vel operandi inſtrumenta aliunde petat, vel ipſis inſtrumentis uti neceſſe habeat. Itaque, per ipſum quoque eſſe omnia, ſignificat, & inſtrumenta ipſa, per quæ aliquid operatur, ab ipſo proficiſci, ab eoque omnem vim ſuam ſumere, nec ipſi illis opus eſſe. Sed cum dicitur, per Chriſtum eſſe omnia, tunc Chriſtus is eſſe affirmatur, per quem Deus, tanquam per inſtrumentum, omnia in nobis operetur. Atque hoc ſenſu nullo modo Pater eſt Dominus, per quem omnia.

3. *Quare ſi.*) Quamvis in cognitione Chriſti poſita ſit vita æterna Joh. 14. 9. Mat. 11. 27. Joh. 17. 23, non tamen eſt Chriſtus verus Deus, æque ac Pater. Propterea enim, Chriſto cognito, vita æterna habetur, quod, qui Chriſtum novit, Patrem novit. Nec ſine Chriſto, ejuſque cognitione, Patris cognitio haberi poteſt. Hancque ob cauſſam ad vitam æternam conſequendam, Jeſu Chriſti cognitio cum Patris cognitione, ab ipſo Chriſto conjuncta eſt.

4. *Et quemadmodum.*) Non excluditur quidem Filius à divinitate Patris, ſed ea tamen ratione, qua Regis præfectus à regia illa poteſtate, atque auctoritate non excluditur. Cæterum, ſicuti præfectus Rex non eſt revera, ita & Filius non eſt revera ille Deus, qui eſt Pater.

ter. Atque hac ratione, ut diximus, à Patris divinitate excluditur.

5. *Ita nec Spiritus S.*) Ad locos ſupra allatos ſatis reſponſum eſt. Quod autem ad locum iſtum attinet 1 Cor. 3. 17, *Dominus autem ſpiritus eſt*, is nihil ad hanc rem pertinere poteſt, cum in eo non dicatur, Spiritum Sanctum eſſe Dominum, ſed Dominum eſſe illum ſpiritum, de quo videlicet antea ſermo fuerat. Id autem metonymice dictum eſt, quia nimirum ab ipſo Domino proficiſcitur ſpiritus ille. Non ſecus atque Chriſtus ſpes noſtra dicitur 1 Tim. 1. 1, quia ab ipſo ſpes, quam vitæ, ac felicitatis noſtræ habemus, proficiſcitur.

6. *Sed neque à danda.*) Nemo erit, qui neget, Spiritum Sanctum à danda nobis vita minime excludi. Nam, ut dictum fuit, Spiritus Sanctus ipſa Dei vis atque efficacia erga nos eſt. Non tamen huc pertinet locus ille 2 Cor. 2. 6, *ſpiritus autem vivificat*, ut iſti ſunt arbitrati. Ibi enim intelligendum eſt, non alia ratione vivificare ſpiritum, quam littera occidat. Atqui littera non propria quadam ſibique inſita vi occidit, ſed quia, quiſquis illi adhæret, moritur. Quare neque etiam ſpiritus ille propria quadam ſibique inſita vi vivificare dicendus eſt, ſed quia, quiſquis illi adhæret, vivit.

7. *Neque enim.*) Hoc verum eſt. Sed non ſunt tamen Sanctæ Literæ ſibi ipſis repugnantes. Quocirca, cum eæ 1 Cor. 3. 6. tradant, nobis unum eſſe Deum, eumque Patrem illum eſſe, ex quo omnia, & nos in illum, nullo modo fieri poteſt, ut alibi tradant, Spiritum Sanctum eſſe illum unum Deum, cum Spiritus Sanctus non ſit Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum.

Aſſertio XX.

Nuſquam quidem Literæ Sacræ Triperſonatum Deum vocant: (1. hæc namque portenta verborum ab Hæreticis ſunt conficta) 2. Sed eædem divinæ literæ ubique teſtantur unum Deum eſſe, Patrem & Filium & Spiritum S. ut ex ſuperiorum Theſium plurimis teſtimoniis intellectum eſt.

Animadverſiones in Aſſertionem XX.

1. *Hæc namque.*) Si hæretici ſunt, qui iſta verborum portenta ad alios tantum redarguendos confinxerunt, certe hæreticiſſimi (ut ſic loquamur) exiſtimandi ſunt illi, qui rerum ipſarum monſtra, quæ iis verbis ſignificantur, ad veritatem obruendam ex proprio capite confinxerunt. Vide, quæ ſcripſimus Aſſertione 16. numero 3. & Aſſert. 17. num. 1. & 3.

2. *Sed eædem.*) Immo divinæ litteræ ubique teſtantur, unum Deum eſſe, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec alium eſſe præter illum, ut ex jam examinatis teſtimoniis quilibet conjicere poteſt, & ſine dubio deprehendet, quiſquis Sacras Literas, omni præjudicio remoto, non oſcitanter perlegerit.

Aſſertio XXI.

1. Jam vero qua fronte audent iſti tam pertinaciter aeverare, nullam filii Dei in Veteri Teſtamento mentionem fieri? cum ipſe Apoſtolus tot tamque antiqua teſtimonia in ea Epiſtola, quam ad Hebræos ſcripſit, de Domino noſtro explanet? Sic enim ait: (a) 2. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te?* &: *Ego ero illi in Patrem: & ipſe erit mihi in filium*, 4 *& cum iterum intro ducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: 5. ad filium autem: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, præ participibus tuis, Et, Tu in principio Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli.*

(a) *Heb. 1. 5. Ibidem.*

Animadverſiones in Aſſertionem XXI.

1. *Jam vero.*) Iſti ipſi fatentur, a noſtris concedi, in Vetere Teſtamento filii Dei mentionem tunc fieri, cum Chriſtus Dominus prædicitur ex hominibus naſciturus. Id nimirum fatentur iſti ſupra Aſſertione 16. (de quo, quid ſit, vide ibidem numero 4. explicationem noſtram) & tamen hic eos noſtris objicere non pudet, quod, nullam fieri in Vetere Teſtamento filii Dei mentionem, pertinaciter aſſeverent. Itaque ſuo ipſorum teſtimonio hac in re graviter calumniati fuiſſe deprehenduntur.

2. *Cui enim.*) Hoc teſtimonium ad Chriſti reſurrectionem referendum eſſe antea docuimus, Aſſertione 2. numero 2.

3. *Et: ego ero illi.*) Hoc vero ad filium aliquem, qui jam eſſet 2 Sam. 7. 14, nedum qui ab æterno fuiſſet, non pertinere, verba ipſa aperte indicant, in quibus de futura (ut ita loquamur) paternitate, futuraque filiatione agitur. Itaque ex eo non modo non probatur id, quod iſti volunt, vel potius, niſi calumniari pergant, velle debent, verum etiam ſententia noſtra de Filio Dei, quod, antequam ex Maria naſceretur, non extiterit, haud mediocriter confirmatur.

4. *Et cum iterum.*) Hinc porro manifeſtum eſt, Filium Dei, de quo teſtimonia citat Apoſtolus, & hominem fuiſſe, & tanquam hominem ab ipſo, nec extra hominem conſideratum eſſe. Quandoquidem omnino tanquam homo, primogenitus ille in orbem terrarum introductus fuit Hebr. 1. 6. præſertim, cum iſte orbis terrarum ſit ille nobis futurus, Hebr. 2. 5, de quo, (ut ipſe ait) Apoſtolus loquitur.

5. *Ad filium autem.*) Dum ſine ulla cauſſa quærunt iſti, ut in Teſtamento Vetere filii Dei mentionem fieri oſtendant, ea teſtimonia afferre pergunt, quæ in univerſa hac diſputatione noſtra ipſis maxime adverſantur Pſal. 45. 6, &c. Ex hoc enim teſtimonio, Chriſtum & ea ratione Deum eſſe apparet, qua res creata Deus eſſe poteſt (de Salomone enim primum iſta omnia dicta ſunt) & tanquam Deum, ſeu quatenus Deus eſt, Deum ſuum habere, ab eoque præ ſuis conſortibus ungi. Ex quo etiam ſatis perſpicuum eſt, in loco iſto de nullo Dei Filio, qui homo non ſit, vel aliquando homo non fuerit, verba fieri.

6. *Et tu in principio* Hebr. 1. 10.) In his verbis, vel Apoſtoli ad Deum apoſtrophe eſt, ut non paucis ex noſtris viſum fuit, non autem de Dei filio teſtimonium aliquod, quod ipſe afferre voluerit: vel teſtimonium quidem de Dei filio eſt inter alia antecedentia numerandum, quæ ibi Apoſtolus attulit, non tamen quia verba Pſ. 102. 6, &c. ad ipſum Filium dirigantur, aut de Filio in ipſis, præcipue agatur, ſed quia is locus vaticinationem continet de re ad Filium quoque pertinente, & ex qua Filii ſumma præſtantia elucet, qua angelos antecellit, id quod Sacris Teſtimoniis confirmare, Apoſtolo, ut ex ỳſ. 4. apparet, propoſitum fuerat. Continet nimirum is locus vaticinationem de mundi hujus aſpectabilis abolitione, & horum ſæculorum in alia præſtantiora mutatione. Jam vero hæc per Filium in ejus poſtremo adventu fient 2 Cor. 15. 26, &c. Phil. 3. 21, cui hoc à Patre datum eſt, ut ipſe ſit, qui mortalitatem penitus aboleat, & ſuos vitæ ſempiternæ atque cæleſtis præmio afficiat, ſimulque cælos, qui nunc ſunt, & terram una cum impiis in die judicii perdat. Vide 2 Pet. 3. Quamvis igitur in Pſalmo mundi hujus abolitio atque mutatio Deo ipſi tribuatur, nec filii Dei ulla mentio aperte fiat, tamen quia Deus non niſi per Filium ſuum illam facturus eſt, propterea ad Filium vaticinatio iſta ab Apoſtolo merito accommodatur. Nam ſupra quoque ad Filium teſtimonium illud accommodavit Pſal. 97. 7, *adorent eum omnes angeli Dei*, idque in primogenito in orbem terrarum introducendo dictum fuiſſe ait, cum tamen in Pſalmo, unde teſtimonium illud petitum eſt, nulla aperta Filii Dei, ejuſve in orbem terrarum introductionis mentio fiat, & verba illa ad ipſum Deum ibi manifeſte referantur. Nempe quia locus vaticinationem de Filii regno continet, atque adoratio illa Deo tribuenda Jeſu Chriſti perſonam reſpicit, in quo, &

per quem in orbem terrarum introductum, id eſt in mundum illum inaſpectabilem, in ejuſque poſſeſſionem atque imperium miſſum, ipſi angeli Deum adoraturi erant. Nec vero quemquam moveat, quod in citato ab Apoſtolo loco noſtro ea verba habentur Pſ. 102. 25. *Tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli*, quæ nullo modo rem aliquam futuram ſignificant, nec ad Dei Filium, tanquam hominem, accommodari poſſunt. Namque animadvertendum eſt, Apoſtolum neceſſe habuiſſe iſta quoque verba recitare, ut ea intelligerentur, quæ in teſtimonium adducere volebat. Pendent enim ea omnia ex iſtis per nomina relativa, quibus terra & cæli in ipſis non nominati ſignificantur. Itaque iſta quoque attulit, ut, qua de re in verbis ipſius teſtimonii ageretur, percipi poſſet. Cumque neceſſe habuiſſet ab ipſo initio locum recitare, ad finem etiam ejus recitationem perduxit, & integrum prorſus attulit. Hoc dicimus propter extrema verba illa, *Tu autem idem es, & anni tui non deficient*, ſi cui fortaſſe videretur, ea ad Filii perſonam, tamquam hominis, minime accommodari poſſe. Nobis quidem ſecus videtur, & dicimus, in illis ſempiternum Jeſu Chriſti regnum ſignificari. Non eſt ſimiliter, cur quis de interpretatione noſtra dubitet, quia anteceſſerint verba illa. *Ad filium autem*, ex quibus videlicet appareat, Filium eſſe illum, ad quem hujus teſtimonii verba dirigantur, quemadmodum Filius eſt ille, ad quem verba proxime ſuperioris teſtimonii, quod ſtatim, ut hoc, poſt verba illa, *Ad Filium autem*, conſequitur, dirigantur. Nam *ad Filium autem* (ſubaudi, *dicit*) non ſignificat, Ipſum Filium alloquitur, ſed de Filio loquitur. Patet hoc ex ſuperioribus illis verbis, *Et ad Angelos quidem dicit*, quæ non cum ipſis Angelis, ſed de Angelis verba fieri ſignificant, ut ex loco ipſo Pſ. 104. 4. qui recitatur, apparet, Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ubi etiam non præcipue de ipſis angelis, ſed de Deo eſt ſermo. Cæterum diſſimilitudo inter hoc, & ſuperius teſtimonium nihili facienda eſt, non ſolum quia ſatis ſimilia ſunt, ſi in utroque aliqua ratione de Filio agatur, verum etiam quia Apoſtolum ejus rei nullam rationem habuiſſe conſtat. In ipſo enim afferendorum teſtimoniorum initio ait, *Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ubi nemo non videt, citati teſtimonii verba ipſi Filio dicta fuiſſe, ut præfatus Apoſtolus fuerat, & tamen illico addit, *Et rurſum, Ego ero illi in patrem*, &c. cujus teſtimonii verba ipſi Filio dicta non fuiſſe, certiſſimum eſt.

Aſſertio XXII.

Plurimas adverſarii ſolent nominare ſcripturas, quibus Chriſtum verum eſſe hominem docent. Sed eas nominant, 1. Ut fucum ſuæ cauſæ faciant: volentes multitudine teſtimoniorum ſuperiores videri: 2. Et in iis ſuum ingenium oſtentant, 3. Quæ, non minus à nobis, quam ab illis ſtant: qui ut Chriſtum Dominum verum Deum eſſe affirmamus: ita & verum hominem libenter cum D. Athanaſio profitemur, ut ſit Chriſtus Dominus perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Animadverſiones in Aſſertionem XXII.

1. *Ut fucum*) Immo ut fucum removeant, quem iſti, eorumque magiſtri rudioribus facere ſolent. Nam, ſi Chriſtus verus homo eſt, ut verus atque æternus Deus æque ac pater ſit, fieri nullo modo poteſt, etiamſi alioqui plures perſonæ in una Dei eſſentia eſſe poſſent, ac proinde diſtinctio illa Perſonæ & Eſſentiæ, ſimulque Idiomatum communicatio illa (quibus duabus rebus, licet manifeſte partim falſis atque ridiculis, partim nullum hic locum habentibus, veritatis velum quoddam obtenditur) plane admittendæ eſſent.

2. *Et in iis*) Nondum videre poſſumus, quænam ingenii oſtentatio eſſe poſſit in ſuadendo rationibuſque præterea, ſi opus eſt, confirmando, eum, qui verus homo ſit, id eſt res creata & natura mortalis atque caduca, æternum ſimul Deum, id eſt rem increatam & natura immortalem ac ſempiternam eſſe non poſſe. Nam quis tam hebes aut rudis eſt, qui, ſi animum adverterit, id ita ſe habere, perſpicue non cernat, & aliis aperte demonſtrare non queat?

3. *Quæ non minus*) Quomodo vero? Nam ex eo, quod Chriſtus ſit verus homo, in ſpeciem ſaltem probatur, eum non eſſe æternum Deum, quemadmodum iſti affirmant: nulla vero prorſus ratione ex eo ipſo concludi poteſt, eum eſſe æternum Deum, quod noſtri negant. De hoc enim inter utroſque diſputatur, non autem de eo ipſo, utrum Chriſtus ſit verus homo, nec ne.

Aſſertio XXIII.

1. Actor. 2. Petrus loquitur: *Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael: quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.* Sed intelligere oportet, Chriſtum ſecundum naturam divinam factum non eſſe: ſed potius illum eſſe, per quem facta ſunt omnia. Secundum vero humanam naturam factum eſſe concedimus, Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem.* 2. Et quidem multo ante reſurrectionem factum eum eſſe Chriſtum, id eſt, Regem & Dominum ſecundum naturam humanam, firmiſſimo argumento ſunt hæc divina teſtimonia: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* (a) &, *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* (b) Alioqui quatenus Deus, ſemper erat Dominus omnium. 3. Poſtremo adverſarii hoc verbum Dei aperte adulterant: Nam cum nuſquam habeat ſcriptura filium Dei eſſe factum Deum: (Abſit enim ut factitium eum Deum credamus) ipſi tamen hunc locum ita interpretantur, quaſi legerent, *Deum fecit*, & non *Dominum eum & Chriſtum fecit.*

(a) *Matth.* 2. 2. (b) *Luc.* 1. 43.

Animadverſiones in Aſſertionem XXIII.

1. *Actor. 2. Petrus*) Locus iſte à noſtris non idcirco allatus fuit, ut probaretur, Chriſtum, id eſt illum, qui Chriſtus eſt fuiſſe factum, ſed ut demonſtraretur, Jeſum Nazarænum, qua Dominus & Chriſtus eſt (eoque Deus, ut poſtea oſtendemus) non ſemper extitiſſe, ſed factum aliquando à Deo fuiſſe.

2. *Et quidem*) Non negamus, Jeſum Nazarænum etiam ante reſurrectionem Dominum, & regem aliqua ratione factum fuiſſe. Jam enim ingente poteſtate ac virtute præditus erat, & primitias quaſdam ſui dominatus, ſuique regni habebat. Verum tamen interim reipſa dominationem, & regnum ſuum, quippe ad quod prævia violenta morte perventurus erat, adeptus nondum fuerat Luc. 24. 26. Nec ſatis ſane mirari poſſumus, quemquam eſſe, qui hoc negare audeat, cum tota ſcriptura id apertiſſime teſtetur, præſertim vero locus à noſtris allatus, in quo diſertis verbis ſcriptum eſt Acto. 2. 36. eum Jeſum Nazarænum, quem Judæi crucifixerant, Dominum & Chriſtum à Deo factum fuiſſe. Nam, poſtquam crucifixus fuerat, & ita non ante reſurrectionem, id Deum feciſſe, & ipſa allata verba ſatis indicant, & totus locus aperte demonſtrat, in quo potiſſimum de Jeſu Nazaræni reſurrectione agitur, qua, & ſimul ea, quæ per ipſam ſecuta eſſet, ejuſdem Jeſu exaltatione expoſita & confirmata, tandem ita in prima illa concione, quam ad Judæos habuit, concludit Petrus, *Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.* Et tamen audent iſti aſſerere, filium Dei, etiam ſecundum humanam naturam multo ante reſurrectionem Regem, & Dominum fuiſſe factum. Neque hoc teſtimonium interea ab iis, qui contra ſentiunt, allatum ulla reſponſione dignantur. Nam quæ ipſi teſtimonia afferunt, in quibus Je-

ſus

ſus ab ipſo ortu rex Judæorum, & Dominus appellatus eſt, nullius plane ſunt ponderis. Nemo eſt enim, qui neſciat, ea, quæ vel ex Dei ſingulari aliquo decreto, vel aliqua quacumque ratione certo futura ſunt, tamquam præſentia haberi, ac dici. Præſertim vero, ſi futuræ qualitates ſint ejus rei, quæ jam ipſa adſit. Exemplum, ne longius abeamus, eſto in eo teſtimonio, quod iſti Aſſertione ſecunda ad idem, quod hic, probandum ex Luca citant Luc. 2. 11. *Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Nam ex Matthæo Matth. 1. 21. liquet, Jeſu nomen, quod à ſervando ſeu ſalvando ductum eſt, idcirco Dei filio ab ipſo ortu inditum fuiſſe, quia is ſalvum facturus eſſet populum ſuum à peccatis eorum. Non igitur adhuc revera ſalvator erat, cum natus eſt. Alioquin, ut Jeſu nomen illi conveniret, non opus fuiſſet ad id, quod futurum erat, reſpicere, & tamen jam tum diſerte Salvator appellatur. Ratio eſt quia jam decreverat Deus, ut Salvator eſſet. Quinetiam in altero teſtimoniorum, quæ hic citant, Maria Chriſti mater vocatur, cum tamen adhuc eum non peperiſſet, & ſic revera ejus mater nondum eſſet. Nempe quia mox certo futura erat. Cum Samuel miſſus eſt à Deo ad ungendum unum ex filiis Iſai, inter quos ſibi de rege proſpexiſſe Deus dixerat, ſimul atque Eliabum vidit, qui unus ex illis erat, decoro aſpectu, & ſtatura corporis procera, dixit 1 Sam. 16. 7. *Nam* (ſeu *Certe*) *coram Jehova Chriſtus ejus eſt?* putans eum eſſe, quem Dominus elegiſſet. Itaque Chriſtum Jehovæ illum vocavit, non quod jam eſſet, ſed quod omnino futurum arbitraretur, &, ita Deum jam decreviſſe, ſibi perſuaderet. Vide autem, ut iſtorum errorem clarius perſpicias, quæ ſcripſimus Aſſertione 2. numero 5. quibus alia multa ajungi poſſent, ſed his contenti eſſe volumus.

3. *Poſtremo adverſarii*) Quin potius aperte calumniantur iſti. Nemo enim ex noſtris ait, ſcriptum ibi eſſe, Jeſum Deum fuiſſe factum. Sed, ut iſti ipſi fatentur, ita locum interpretantur, ac ſi id ibi ſcriptum eſſet. Itaque falſum omnino eſt, eos verbum illud Dei adulterare, etiamſi in ſua interpretatione fallerentur. Cujus interpretationis ratio hæc eſt, quod, cum Dei nomen Chriſto in Sacris Literis alicubi tributum, ſit nomen (ut vocant) appellativum, quod dominationem, & benefaciendi vim aliquam inſignem & plane divinam ſignificat, hæc autem Domini, & Chriſti appellatione illi paſſim attributa prorſus contineantur, certe, ſi ſcriptum eſt, eum dominum & Chriſtum fuiſſe factum, intelligere oportet, Deum quoque eundem factum eſſe, &, ſi non ante revera Dominus & Chriſtus factus eſſe dicitur, quam à mortuis revixit, non ante quoque Deum factum fuiſſe, concludendum eſt. Præterea iſti ipſi Aſſertione 5. ex eo, quod Chriſtus in Sanctis Literis Dominus eſſe doceatur, Deum illum eſſe non obſcure contendunt. Cur ergo in aliis id tantopere vituperant, quod ipſimet faciunt? Adde, quod noſtri recte ex facto domino & Chriſto Deum factum colligunt, ſi vel ex ſola Domini appellatione, ut ab iſtis fit, Dei quoque appellationem colligere licet. Sed perperam ex eadem Domini appellatione colligunt iſti naturam divinam, de qua ſine dubio in Aſſertione illa quincta agebatur. Poteſt enim quis Dominus eſſe non natura, ſed Dei gratia. Ut certe Jeſus eſt, cum diſertis verbis ſcriptum ſit Acto. 2. 36. eum à Deo Dominum fuiſſe factum. Poſtremo, ut, quam iniqua iſtorum reprehenſio ſit, apertius conſtet, ſciendum eſt (ni fallimur) & Hilarium lib. 5. de Trinit. & Ambroſium lib. 1. de fide ad Gratianum, *fecit eum Deum & Chriſtum*, in Petri verbis legere.

Aſſertio XXIV.

Ad extremum quod ad divinitatem Spiritus Sancti attinet, 1. libenter damus adverſariis, Spiritum Sanctum eſſe donum & virtutem patris. 2. Sed hoc donum & hæc virtus eſt tertia divina perſona: quæ dividit aliâ dona ſingulis prout vult. (a) Nec mirum cuiquam debet videri, Spiritum divinum donum vocari, 3. cum ipſe etiam Filius ſit donum Patris. Sic enim de eo ait Propheta: *Parvulus natus eſt nobis: & filius datus eſt nobis.* (b) Ita ipſe quoque Filius nominatur 4. virtus Patris. Sic namque ait Apoſtolus. (c) *Nos autem prædicamus & Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Quamobrem merito Spiritus Sanctus donum Dei & virtus nominatur. Nam & gratis donatur: & prorſus divina in nobis operatur.

(a) 1 Cor. 12. 11. (b) Iſai. 9. 6. (c) Cor. 1. 24.

Animadverſiones in Aſſertionem XXIV.

1. *Libenter damus*) Non poteſt iſtud concedi quin ſimul concedatur Spiritum Sanctum non eſſe Deum æque ac Patrem. Semper enim donum & virtus, ipſo donante ac virtute prædito, inferius quiddam eſt.

2. *Sed hoc donum*) Cum iſtud probaverint, tum nos erraſſe confitebimur.

3. *Cum ipſe etiam*) Iſta ad confirmandum, non propterea Spiritum Sanctum non eſſe perſonam, quia donum & virtus Dei nominetur, aliquid fortaſſe valere poſſunt. Conſtat enim, filium Dei perſonam eſſe. Sed ad divinitatem Spiritus Sancti, de qua hic agitur, adverſus rationem iſtam tutandam nihil valent, cum ne in ipſo quidem Filio divinitas iſta à noſtris agnoſcatur. Quare principium, ut ſolent, petunt iſti. Neque enim de perſona, ſed de divinitate tantum Spiritus Sancti hoc loco mentio facta eſt. Præterea animadvertendum eſt, etiamſi poſſit Filius donum Patris vocari, non tamen eo nomine in ſanctis eum litteris diſerte appellari. Nam locus, quem iſti citant Eſai. 9. 5. *filius datus eſt nobis*, non aliter quam per interpretationem id continet, eamque valde dubiam. Siquidem, *filius datus eſt nobis*, ita intelligi poteſt, ac ſi dictum fuiſſet, *Rex datus eſt nobis.* Populi. n. Dei rex, ſeu Chriſtus, filius Dei, & Filius ſimpliciter appellatur Pſal. 2: 7, & 12. Dare autem regem, non eſt regem ipſum, ſive illum qui rex eſt, donare, ſed regem præficere ac conſtituere. Alii autem erant loci iſto aliquanto aptiores ad id, quod iſti volunt, probandum. Quibus tamen numquam efficietur, ut filius Dei æque proprie donum ipſius Dei vocetur, atque Spiritus Sanctus vocatur.

4. *Virtus Patris*) Immo Dei, ut ipſum prolatum teſtimonium habet 1 Cor. 1. 24. Quamquam enim idem eſt Pater, quod Deus, quemadmodum idem eſt Filius, quod Chriſtus (& propterea allatum locum, in quo non Filii, ſed Chriſti mentio fit, ad rem hac in parte facere concedimus) tamen, quia iſtis non idem eſt, &, ſi Filius, ſeu Chriſtus eſt Dei virtus, ſequitur, ipſum non eſſe illum Deum (aliud enim eſt res ipſa, aliud virtus ipſius) idcirco id notare libuit, & fallaciam, quæ in iſtorum verbis latet, una cum ipſorum de divinitate filii Dei ſententiæ falſitate detegere.

Aſſertio XXV.

1. Ex his igitur omnibus facile is, cui oculi ſunt, quibus Deus videtur, perſpicit, quanto in periculo æternæ ſalutis omnes ii verſentur, qui jam non Indulgentias Eccleſiæ, non Reliquias Sanctorum, non invocationem Divorum, cæteraque generis ejuſdem: ſed, quod longe intolerabilius eſt, ponentes in cælum os ſuum, ipſum Sanctum ſanctorum Deum Opt. Max. oppugnant, cum eoque infeliciſſimi bellum gerunt: 2. quem tamen eſſe Trinum & unum tam eſt neceſſarium, quam id, quod maxime dicitur neceſſarium. 3. Sed quod hæc adverſarii Orthodoxæ Fidei non videant, in promptu cauſa eſt: quia oculos fidei non habent. Nam *Euangelium in iis, qui pereunt, eſt opertum*, inquit Apoſtolus, 2 Cor. 4. 3.

Atque hæc ſunt Catholicæ Fidei inexpugnabilia de

Trino & Uno Deo firmamenta, quæ adverſarii quidem audent (quid enim non auderent?) oppugnare, vel potius ingenio vafro eludere. Sed quam id conentur inaniter, Theſium uſitata brevitas non patitur hic fuſius dicere. Laus Deo.

Animad. in Aſſert. XXV.

1. *Ex his igitur.*) Quinimmo ex his, ut ſuis locis à nobis indicatum eſt, ipſi cæci videre poſſunt, quam monſtroſa, ſibique nulla ex parte conſentanea ſint eorum, quos iſti ſequuntur, de Deo, Chriſtoque ejus, deque Spiritu Sancto dogmata, & quid judicandum de ea eccleſia ſit, quæ non modo tales nugas, quales ſunt Indulgentiæ, quas vocant, ſanctorum (quæ dicuntur) reliquiarum cultus, eorumdemque mortuorum invocatio, maximo numero vel excogitavit ipſa, vel approbavit verum etiam unius Dei, domini noſtri Jeſu Chriſti patris, majeſtatem minuere, Jeſum ipſum Chriſtum dividere, hominique illi ex Maria virgine nato, divinitatem, qua præditus ex Dei voluntate eſt, adimere, ſanctum denique ſpiritum, ab uno illo Deo, cujus ſpiritus eſt, eum non diſtinguendo, tollere, atque abolere, ſeu prudens, ſive imprudens, eſt auſa.

2. *Quem tamen.*) Nihil unquam confidentius dictum fuit. Namque ipſi ſenſui communi patet, unam tantum numero eſſentiam tres perſonas eſſe non poſſe, cum neceſſe ſit, ut quælibet perſona ſuam numero ab aliis diſtinctam eſſentiam habeat, ob eamque rem, ut, ubi tres ſunt perſonæ, ibi tres numero eſſentiæ ſint. Unum autem tantum numero, tria numero nulla ratione eſſe poſſe, ſi quis eſt, qui non intelligat, huic certe helleboro eſt opus.

3. *Sed quod hæc.*) Immo vero, quod erronei cujuſdam ſpiritus homines iſta tam aperta, blaſphema, & ridicula mendacia pro graviſſimis divinæ veritatis principiis Chriſtiano orbi obtrudere, & quavis ratione defendere pergant, ac pleroſque adhuc, qui aſſentiantur, habeant, nil mirum eſt, cum prædictum fuerit, hominem illum peccati, filium illum perditionis, venturum in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, quibus miſſurus eſſet Deus operationem erroris, ut crederent mendacio 2 Theſ. 2. 10, 11.

Atque ex his in iſtorum Aſſertiones Animadverſionibus noſtris ſatis perſpicuum eſſe arbitramur, quam non modo infirma, ſed nulla ſint illius de trino & uno Deo opinionis fundamenta. Quæ tamen adverſarii omni conatu ſtabilire ſtudent. Sed fruſtra nimirum id conantur. Namque neceſſe omnino eſt, ut in dies magis appareat, ac confirmetur, illum unum Deum, Domini noſtri Jeſu Chriſti patrem tantum eſſe. Ipſi in Eccleſia per eundem Jeſum Chriſtum ſit honor, gloria, imperium & nunc, & in omnem æternitatem.

THESIS ADVERSARIORUM.

CHRISTUS eſt ille unus Deus.

Argumentum noſtrum, contra hanc Theſin.

CHRISTUS diſtinguitur ab uno illo Deo: *Ergo*, Chriſtus non eſt ille unus DEUS.

ASſumptionem hujus argumenti, complura Novi Teſtamenti loca ſuppeditant, in quibus fit mentio Chriſti diſtincte à Deo; non tantum ſimpliciter nominato; ſed etiam in Græco, cum articulo appoſito, quæ omnino, de illo uno Deo, ſub ipſo Dei nomine, ibi verba fieri, demonſtrant. Conſequentiam, ipſe communis ſenſus oſtendit, qui nos docet, non poſſe quemquam, à ſemetipſo diſtingui, & diſtinctionem non poni, niſi inter diverſa.

Reſponſio Adverſariorum.

In iſtis Novi Teſtamenti locis, vel conſideratur Chriſtus, quatenus tantum eſt homo; ſeu ſecundum humanam naturam tantum: vel Dei nomine, non ipſa divinitas; ſive ipſe unus Deus, abſolute, atque indiſtincte, ſed Pater tantum Chriſti intelligitur.

Refutatio iſtius reſponſionis.

Prior exceptio nullam habere vim poteſt. Nam etiamſi Chriſtus haberet, in una & eadem perſona, divinam eſſentiam cum humana conjunctam, non tamen poſſet diſtingui ab uno illo Deo, ſi ipſe eſſet ille unus Deus: quemadmodum homo, nulla ratione diſtingui poteſt à creatura, ſive etiam ſubſtantia intelligente, cum ipſe ſit creatura & ſubſtantia intelligens. Nec recte unquam dicetur, verbi gratia, *Creatura intelligens, & homo*, ſive, *Subſtantia intelligens & homo*, quamvis certum ſit, hominem in una & eadem perſona habere cum animo, ſecundum quem eſt intelligens, conjunctum corpus, ſecundum quod non eſt intelligens. Sequeretur enim omnino, ex tali diſtinctione, hominem non eſſe ſubſtantiam, ſeu creaturam intelligentem.

Altera exceptio ſimiliter inanis eſt. Aut enim, neganda eſt aſſumptio noſtra, & reſpondendum ad probationes ejus, quas attulimus, aut, ſi ea una cum ſuis probationibus conceditur, concedendum ſimul eſt, in illis omnibus Novi Teſtamenti loci, illum unum Deum abſolute atque indiſtincte nominari, & propterea etiam intelligi; alioqui affirmari non poſſet, ibi Chriſtum ab illo uno Deo diſtingui. Nam quod in locis iſtis, illius unius Dei nomine, abſolute atque indiſtincte prolato, Pater tantum Chriſti intelligitur, vel hoc ſatis indicat, Patrem Chriſti tantum eſſe illum unum Deum.

Ad confirmandum autem argumentum, unum modo teſtimonium proferam, ubi neutra exceptio locum ullum habere poteſt. Ait enim Chriſtus diſcipulis ſuis, *Credite in Deum, & in me credite.* Ubi, cum de credendo in Chriſtum agatur, non audebunt adverſarii affirmare, ibi Chriſtum conſiderari ſecundum humanam naturam tantum. Et certe neceſſe eſt fateri, ibi Chriſtum de ſe, quantus quantus eſt, verba facere. Jam cum ibidem Dei nomini, in Græco, articulus fuerit appoſitus, & Deus, in quem Apoſtoli jam credebant, ſit ille unus Deus Iſraëlis abſolute, certum eſt, eo in loco, unum Deum, indiſtincte atque abſolute intelligi debere; nec poſſe negari, quin ibi Chriſtus, ab illo uno Deo omnino diſtinguatur; & conſequenter, quin Chriſtus nequaquam ſit ille unus Deus.

Aliud argumentum.

CHRISTUS non eſt Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: *Ergo*, Chriſtus non eſt ille unus DEUS.

ASſumptum, apud omnes in confeſſo eſt; ſed præterea apertiſſime probatur, ex verbis Pauli Apoſtoli, 1 Cor. 8. 6. ubi diſerte Chriſtus diſtinguitur, ab illo Patre, ex quo omnia, & nos in illum. Conſequentia vero ex eodem loco patet, ubi ille unus Deus definitur eſſe, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum.

Hoc argumentum attingitur in diſputatione Smiglenſi, ſed non recte deducitur, aut explicatur: quin

etiam

etiam in Pauli teſtimonio verba illa, *Et nullus alter*, adduntur, ſimili ſententia, ex quarto verſiculo in ſextum tranſlata.

Reſponſio.

Verba Pauli, in loco iſto, non ſunt accipienda definitive, ita ut intelligamus, nullum alium eſſe illum unum Deum, niſi Patrem illum, &c. Sed tantummodo intelligendum eſt, Patrem illum, ex quo omnia, & nos in illum, eſſe illum unum noſtrum Deum. Verba autem Pauli ſic accipienda eſſe, ut diximus, non ut in argumento accipiuntur, apparet ex eo, quod alioqui Pater ille, &c, non eſſet noſter Dominus, ſed Jeſus Chriſtus tantum. Eodem enim plane loquendi modo, ſicut prius dictum fuerat, nobis unum eſſe Deum Patrem illum, &c. ſic deinde ſubjungitur unum (ſubaudi nobis) eſſe Dominum Jeſum Chriſtum.

Refutatio reſponſionis.

Pauli verba ſunt apertiſſima, & manifeſte definiunt, quis ſit ille unus Deus noſter. *Nobis*, inquit, *unus eſt Deus Pater ille*, &c. Perinde eſt enim, ac ſi diceret, Nobis Chriſtianis, unus tantum eſt Deus, nempe Pater ille, &c. Explicat igitur ac definit Paulus clariſſime, quis ſit iſte Deus, quem unum Chriſtianis eſſe affirmat, adeo ut ex ejus tum verbis, tum ſententia, liquide conſtet, Patrem illum, tantummodo eſſe illum unum Chriſtianorum Deum. Inſtantia de verbis, quæ ibidem de uno Domino noſtro, qui Jeſus Chriſtus ſit, ſtatim ſubjiciuntur, non eſt valida, duplici de cauſſa. Primum, quia jam antea conſtitutum eſt à Paulo, Patrem illum eſſe, illum unum Deum; id quod omnem prorſus dominationem complectitur, quatenus ſimpliciter eſt dominatio. Quare, quod poſtea dicitur de uno tantum Domino, qui ſit Jeſus Chriſtus, neceſſario ita intelligendum eſt, ut non tamen propterea, Pater ille, ſimpliciter loquendo, non ſit noſter Dominus: alioqui, quod jam conſtitutum fuerat, diſſolveretur, & ſibi ipſi turpiter Apoſtolus adverſaretur. Deinde, vox Dominus, in eo Pauli loco, non quemvis Dominum ſignificat, ſed ut ex ipſis verbis manifeſtum eſt, eum Dominum, qui ab illo uno Deo diſtinguatur, & tamen nobis Chriſtianis ſit Dominus. Talis autem certe Pater ille non eſt. Ex quo perſpicuum eſt, iſtius loci poſteriora verba definitive accipi poſſe, vel potius debere, ut ipſa ſonant, nec ex illis ullum argumentum duci poſſe; quominus priora prorſus definitive accipiantur, quemadmodum & ipſa ſonant; id eſt, ita ut ab illa divinitate, de qua ibi Apoſtolus loquitur, excludatur, quicunque non eſt Pater ille, hoc eſt, ſtatuatur quemcumque alium non eſſe ejuſmodi Deum. Nam ſimiliter per poſteriora verba, ab ea dominatione, de qua ibi Apoſtolus loquitur, excluditur, quicumque non eſt Jeſus Chriſtus: hoc eſt, ſtatuitur, quemcumque alium non eſſe ejuſmodi Dominum. Animadverte autem præterea, argumentum non huc tendere, nec porro, ſi theſim ipſam oppugnare velit, tendere debere, ut ex Pauli verbis probet, Chriſtum non eſſe Deum; ſed, non eſſe illum unum Deum. Quocirca inſtantia de verbis ſequentibus, ex quibus videlicet non ſequatur, Patrem illum non eſſe noſtrum Dominum, non eſt ad rem: ſed ſi ad rem eſſe debet, oſtendendum eſt, ex prædictis verbis non ſequi, Patrem illum, non eſſe illum unum noſtrum Dominum, ſeu mavis demonſtrandum eſt, ſi bonum eſſet argumentum, poſſe ſimiliter ex ſequentibus verbis concludi, Patrem illum, non eſſe illum unum noſtrum Dominum: hoc autem abſurdum eſſe. Atqui nihil abſurdi iſtud continet, imo veriſſimum eſt, Patrem illum, non eſſe illum unum noſtrum Dominum, qui eſt Chriſtus Jeſus. Neque enim Pater ille, ab illo uno Deo, ad ipſius dexteram ſedere eſt juſſus, eive ab illo uno Deo omnia, præter ſeipſum, ſubjecta fuerant, quibus rebus unicus iſte in nos Jeſu Chriſti dominatus continetur.

Aliud argumentum.

Chriſtus non eſt ille altiſſimus: *Ergo*, Chriſtus non eſt ille unus Deus.

Aſſumptio probatur ex ipſius Chriſti verbis, *Pater major me eſt* Joh. 14. 26. Pugnant enim manifeſte inter ſe hæc duo, Majorem ſe habere, &, Eſſe illum altiſſimum. Conſequentiæ ratio eſt apertiſſima, cum inter alia unius illius Dei nomina, ſit ejus maxime proprium Altiſſimus, ſive, Ille altiſſimus, Græce, ὁ ὕψιστος.

Reſponſio.

Si Chriſti verba accipienda ſint ſimpliciter, tunc dicimus, Patrem eſſe majorem Filio, non natura ſive eſſentia, nec poteſtate vel auctoritate, ſed tantum ratione originis, quatenus, ſcilicet Pater, eſt principium Filii, non autem viciſſim Filius principium eſt Patris. Verum quod unus ille Deus vocatur Altiſſimus, ſeu ille altiſſimus, hoc fit ratione tantum naturæ, ſive eſſentiæ, vel etiam poteſtatis & auctoritatis, quibus in rebus nullum prorſus ſibi parem habet. Talis autem eſt Filius, non minus quam Pater. Quod ſi Chriſti verba non ſimpliciter, ſed ſecundum quid ſint accipienda, prout nos revera accipienda ſtatuimus, veriſſimum eſt, Patrem omnino majorem eſſe Filio, ſecundum ipſius Filii humanitatem; ſed hinc non excluditur omnimoda æqualitas Filii cum Patre, ſecundum ejuſdem Filii divinitatem.

Refutatio reſponſionis.

Chriſti verba ſimpliciter accipienda eſſe, poſtea oſtendemus. Si igitur ſimpliciter accipiantur, negari non poteſt, quin ſimpliciter Chriſtus minor ſit Patre, & conſequenter non ſit ipſe ille Altiſſimus. Nam iſtud, quod Chriſtus, ſeu Filius, ſui ipſius principium habet Patrem, aut veram minoritatem (ut ſic loquar) Filii, reſpectu Patris, inducit, aut non inducit. Si non inducere adverſarii velint, falſo igitur Chriſtus ex ipſorum ſententia dixerit, *Pater major eſt*. Sin autem inducere fateantur, neceſſe eſt ſimul fateri, Chriſtum, ut dixi, ſimpliciter minorem Patre eſſe, & conſequenter non eſſe illum Altiſſimum. Nam quod ajunt, Altiſſimum dici illum unum Deum non abſolute, ſed tantum ratione naturæ, ſive eſſentiæ, vel etiam poteſtatis & auctoritatis. Primum reſpondeo, nomen Altiſſimi, uni illi Deo atributum, abſolute ubique poni, & propterea abſolute etiam eſſe accipiendum, & longe abſurdiſſimum eſſe, ſi quis dicat illum, quem Spiritus Sanctus, tamquam nomine ejus proprio, vocat ſimpliciter Altiſſimum, ſive Illum altiſſimum, aliqua ratione quemquam ſe majorem habere, quo ipſe nulla ratione ſit major, quemadmodum certe Chriſtus, ſeu Filius, Patre non eſt. Deinde dico, hoc ipſum, quod Filius ſui principium Patrem habet, non poſſe efficere, ut Filius ſit minor Patre, niſi quod attinet ad poteſtatem vel auctoritatem, aut certe ad dignitatem; qua in re, ſimiliter, atque in aliis, nemo non videt, fieri non poſſe, ut is, qui ſit ille unus Deus, quemquam ſe majorem habeat, id eſt, ſe digniorem.

Jam vero, quod Chriſti verba ſint ſimpliciter accipienda, ut quidem vetuſtiſſimi quique Patrum cenſuerunt, non autem, ut adverſariis placet, ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum ejus humanitatem, ex eo patet, quod ejuſmodi figurata loquutio, vix uſquam alibi invenietur, nec illam loquendi uſus ferre poteſt, aut ratio ipſa. Continent ſiquidem hæc affirmantia licet verba, *Pater major me eſt*, aperte negationem hanc; videlicet, Ego non ſum tam magnus, ut pater. Atqui ſimpliciter de perſona quapiam, nullo pacto quicquam negari poteſt, quod ei ſecundum aliquam naturam conveniat. Nemo enim, exempli cauſſa, ſimpliciter negaverit, hominem quantum

eſſe, quia ejus anima revera non ſit quanta: ſatis eſt enim, ſi ejus corpus ſit quantum, ut profecto eſt. Ita ſimiliter, ſi Chriſtus ſecundum divinitatem tam magnus eſſet ut Pater, nullo pacto id de ſe ſimpliciter negare potuiſſet, quamvis ſecundum humanitatem, revera tam magnus non ſit; idque eo magis, quod ex adverſariorum ſententia, Chriſti perſona, divinitate ipſa maxime continetur. Nam divinitas, ſeu natura divina Chriſti per ſe conſiderata, ſecundum ipſos, eſt perfectiſſima perſona, quæ ſibi in eandemmet ſuam perſonam, humanam naturam copulaverit.

Locorum, qui ad probandam Divini Spiritus Sancti Perſonam à nobiliſſimo quodam viro allati fuerunt explanationes.

1. MAtth. c. 1. 20. Quod Chriſtus conceptus fuerit (ſeu magis generatus, ut angeli verba habent) ex Spiritu Sancto nullam vim probandi habet, quod Spiritus Sanctus ſit perſona: nec conſequenter, quod ſit, proprie loquendo, Deus. Certe enim ſi Angelus dixiſſet, Quod in ea generatum eſt, ex divina virtute eſt, omnino & recte locutus fuiſſet, & id ipſum dixiſſet, quod dicere voluit, nemo tamen ex verbis iſtis auderet concludere, divinam virtutem eſſe perſonam.

2. Cap. 3. 11. Locus iſte aperte contrarium probat, nempe Spiritum Sanctum non eſſe perſonam, neque enim perſona id eſſe poteſt, quo quis baptizatur, quemadmodum baptizatur aqua, ſed ut res tantum ſit neceſſe eſt, ſicut eſt aqua. Perſonæ eſt, baptizare, non autem ea baptizari. Locus vero ℣. 16. aliud nihil probare poteſt, quam Spiritum Sanctum eſſe rem quandam, ſed non tamen perſonam. Nec enim verba illa, *ſicut columbam*, ad ipſius rei eſſentiam referenda ſunt, ut ſcilicet hinc inferre liceat, ſicut columba res eſt animata, ſic Spiritus Sanctus res eſt animata, & ſic cum res divina ſit, etiam perſona: ſed referri debent ad externam ſpeciem & modum, idque non ipſius rei, ſed deſcenſus illius, qua de re infra latius numero ſeptimo.

3. Cap. 12. 32. Quod poſſint dici verba etiam adverſus res illas, quæ non ſunt perſonæ, cum per ſe manifeſtum eſt, tum aperte in ipſo Novo Teſtamento ejus rei exemplum ac teſtimonium habemus, Acto. 6. 13. Nam certe, locus ille ſanctus & lex, adverſus quam Stephanus verba blaſphema loqui accuſabatur, non erant perſonæ. Ubi etiam notabis, vocem *blaſphemiæ*, quæ in Græco codice eſt, licet in Latino deſideretur, ut videas, blaſphemari etiam adverſus illa poſſe, quæ non ſunt perſonæ. Quod dico, quia apud alios Euangeliſtas blaſphemiæ in Spiritum Sanctum fit mentio. Quod ſi ob id concludere ex iſto loco velis, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, quia cum Filio hominis, id eſt, cum Chriſto comparatur, qui ſine dubio eſt perſona, hæc ſimplex conjectura eſt, & quidem fallaciſſima, non autem probatio ulla. Quandoquidem ſatis eſt ad comparationem iſtam faciendam, quod in Spiritum Sanctum verba, & quidem blaſphema, dici poſſint, ut in Filium hominis, ad hoc autem nihil eſſe neceſſe, ut Spiritus Sanctus ſit perſona, jam exemplo loci illius ſancti & Legis oſtenſum eſt.

4. Cap. 28. 19. Duplici ratione videtur ex loco iſto Matth. 28. 19. probari poſſe, Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Primum, quia Gentes in illum baptizare jubentur Apoſtoli. Deinde, quia hac ipſa in re conjungitur cum Patre & Filio, qui ſunt perſonæ. Quod attinet ad priorem rationem, eam minime eſſe validam, oſtendit locus Acto. 19. 3. Ubi Paulus interrogat diſcipulos illos, in quid fuerint baptizati, ipſi vero reſpondent, In Johannis baptiſma. Nam certe in aliquid baptizari, eſt in rem baptizari, non in perſonam, & Johannis baptiſma, res erat, non perſona; ex quo intelligitur, potuiſſe baptizari, & poſſe, Gentes in Spiritum Sanctum, quamvis Spiritus Sanctus res tantum ſit, non etiam perſona. Quod ſi quis dicat, alio ſenſu dici, baptizari in baptiſma Johannis, & alio, baptizari in Spiritum Sanctum; Hoc primum nihil eſt, niſi ſimul probetur, ſenſum, quo dicitur quis baptizari in Spiritum Sanctum, ejuſmodi eſſe, qui non niſi perſonæ convenire videatur. Deinde, non diverſo ſenſu (quod pertinet ad propoſitum) iſta duo dicuntur. Quemadmodum enim baptizari in Johannis baptiſma, eſt in iis inſtitui, quæ pertinent ad baptiſma, id eſt, ad doctrinam Johannis: ſic baptiſari in Spiritum Sanctum eſt in iis inſtitui, quæ pertinent ad Spiritum S. qua de re infra circa finem aliquid apertius explicabimus. Nam ſi quis addat, & novæ cujuſdam rationis loco afferat, non diſerte in Spiritum S. ſed in nomen Spiritus S. apud Matthæum ſcriptum eſſe, qui loquendi modus non conveniat niſi perſonis. Primo loco reſpondemus, ſæpiſſime in divinis litteris, iis quæ non ſunt perſonæ, ea tribui, quæ ſunt propria perſonarum. Fatemur enim, multa de Spiritu Sancto in ſcriptura dici, quæ, proprie loquendo, perſonis tantum conveniunt, ſed nihilominus, propter multas cauſas, quarum nonnullæ ex hoc ſcripto noſtro colligi poterunt, omnino ſtatuimus, ipſum non eſſe perſonam, ſed ex earum rerum numero, de quibus ſcriptura ita loqui ſoler, ac ſi eſſent perſonæ, quamvis revera non ſint. Secundo reſpondemus, cum Pater & Filius ſint revera perſonæ, & vox *Nomen*, ſemel tantum ponatur, & prius etiam ex ipſo verborum ordine de illis, quam de Spiritu Sancto dicatur, non minus commode, quam uſitate, quod de Patre & Filio proprie effertur, ut videlicet illis nomen tribuatur, improprie de Spiritu ſancto efferri, quod fortaſſe nunquam factum fuiſſet, ſi Spiritus Sancti aut ſolius, aut non ſub eodem verborum contextu mentio facta fuiſſet. Reſtat, ut aliquid de poſteriore ratione dicamus, qua videbatur poſſe ex iſto loco Matth. 28. 19, probari, Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Breviter igitur dicimus, nihil abſurdi in eo eſſe, quod res quæ non ſint perſonæ, cum perſonis conjungantur. Exempla habes, Acto. 23. 32. Epheſ. 6. 10. Phil. 3. 10. 2 Theſ. 1. 9, & quidem, ut hic in perſonis Dei, & Chriſti, & in rebus ad nos non aliter ſpectantibus, quam nos ſpiritum Sanctum ſpectare contendimus.

5. Marci 13. 11. Quod in iſto loco, & in aliis, apud alios Euangeliſtas ei reſpondentibus, nec non alibi Spiritui Sancto tribuitur, *Quod loquatur*, non propterea concludendum inde eſt, Spiritum ipſum Sanctum eſſe perſonam. Alioqui ſimiliter concludendum eſſet, Legem, Chriſti ſanguinem, & divinam adhortationem, eſſe perſonas. Nam iſtis quoque tributum invenitur, quod loquatur, Rom. 3. 19. Heb. 12. 5. & 24. Quemadmodum igitur figuratus ſermo in iſtis tribus locis agnoſcendus eſt: ſic etiam in iis agnoſci debet, ubi Spiritus Sanctus loqui dicitur. Et in illis quidem locis eſt figura metaphoræ, per quam ob rei ſimilitudinem ea dicitur locutio, quæ revera non eſt locutio: in his vero eſt figura Metonymiæ, per quam id loqui dicitur, cujus vi quiſpiam loquitur. Hoc autem dico, de loco, qui hic affertur, & de aliis ei apud alios Euangeliſtas reſpondentibus. Nam alibi, ut Joh. 16. 13. metaphorice Spiritui Sancto tribuitur quod loquatur, quemadmo-

modum alia ſimilia quædam in eo toto Chriſti cum diſcipuli ſermone ei tribuuntur, quæ ad hanc eandem ſermonis figuram ſint referenda. Loqui igitur in iſto apud Johannem loco dicitur Spiritus Sanctus, non quia ſit cauſa ut aliquis loquatur, ut in loco qui hic affertur, ſed quia inſtillatio illa cognitionis rerum divinarum, quæ in mentibus hominum per Spiritum Sanctum, id eſt, per divinam efficaciam atque inſpirationem fit, eſt ſermo ſeu locutio quædam. Verum ad ipſum locum hic allatum & ſimiles revertendo, dicimus, aliud nihil eſſe Spiritum Sanctum in quopiam loqui, quam quempiam Spiritu Sancto loqui, ut de Stephano legimus, non potuiſſe ejus adverſarios reſiſtere ejus ſapientiæ & ſpiritui quo loquebatur, Act. 6 10. Sic enim habent exemplaria Græca, non autem *qui loquebatur*, ut eſt in Latina vulgata editione. Hoc porro quod de Stephano legimus, illud eſt, quod Chriſtus ſe facturum promiſerat, Luc. 21. 15. qui locus totam hanc rem non parum illuſtrat. Ex eo enim apparet, id, quod Chriſtus alibi dixit, Spiritum Sanctum, ſeu ſpiritum Dei loquuturum in ſuis diſcipulis, eoſve docturum quid loquantur, nihil eſſe aliud, quam ipſum Chriſtum Dei patris ſui virtute ac potentia, quæ in ejus manibus eſt poſita, effecturum, ut eam ſapientiam, eaque verba habeant, quibus tunc fuerit opus. Ubi etiam notabis, id quod modo innuimus, id eſt, Luc. 12. 12. non haberi, quod Spiritus Sanctus ipſe loquatur, ſed quod doceat quid oporteat loqui, & ſic cum Spiritus Sanctus apud Matthæum & Marcum dicitur loqui, agnoſcas metonymiam, de qua ante diximus.

6. Lucæ 2. 25. Ex iſto loco potius probatur, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam. Neque enim de perſonis, ſed de rebus dicitur, quod ſint ſuper aliquem, eo, inquam ſenſu, quo ibi dicitur Spiritus Sanctus fuiſſe ſuper Simeonem. Namque nuſquam legimus, ni fallor, exempli gratia, Deum vel Chriſtum eſſe ſuper aliquem, cum tamen de utroque legatur, quod ſint in aliquo. Sed de ira Dei, de pace, de miſericordia, quod vel ſit, vel maneat ſuper aliquem, & de ſimilibus quibuſdam ſane legimus, ut Joh. 3. 36. Gal. 6. 16. nempe, quod hæ res tantum ſunt, illæ vero perſonæ. Jam quod in eodem cap. 2. Lucæ, verſu ſequenti 26. dicitur, Simeonem oraculum habuiſſe à Spiritu Sancto, propterea dicitur, quia ſpiritus eſt virtus Dei: virtuti autem Dei ea tribui, quæ proprie ipſi Deo, cujus eſt virtus, conveniunt, nemo non videt, eſſe rationi apprime conſentaneum. Sed præterea ejus rei apertiſſimum exemplum habes Luc. 22. 69. Nam & Chriſti quoque virtus, pro ipſo Chriſto poſita invenitur, 2 Theſſ. 1. 7. Idem eſt igitur oraculum Spiritus Sancti, quod oraculum Dei, ſua virtute illum dantis, ſive per Angelum, ut Act. 10. ℣. 22. expreſſe ac diſerte legitur, ſive alia quacumque ratione. Tertium teſtimonium ex eodem Lucæ cap. 2. 27. ſumptum, nihil ad rem facit, cum in Græco non legatur, ex inſpiratione Spiritus Sancti, ſed tantum in ſpiritu.

7. Cap. 3. 22. Locus iſte Luc. 3. 22. qui videtur plane oſtendere, Spiritum Sanctum in forma columbæ apparuiſſe, aperte docet, haud ita rem ſe habere. Si enim id dicere voluiſſet Lucas, certe non *tanquam columba*, ſed *tanquam columbæ* dixiſſet, unde apparet, voculam *tanquam*, ſeu, ut vulgata habet editio, *ſicut*, voci *columbæ* junctam, tam hic, quam apud alios Euangeliſtas, tum ad verbum *deſcendere*, vel participium *deſcendentem*, referendam eſſe, tum etiam columbini deſcenſus, non autem columbini corporis ſimilitudinem declarare. Veriſimile quidem alioqui etiam eſt, iſtam corpoream ſpeciem ſeu formam, in qua Spiritus Sanctus in Chriſtum deſcendit, non vulgarem fuiſſe, & in qua nihil divini neceſſario conſpiceretur, qualis eſt forma columbæ, ſed plane ſingularem & miraculi plenam. Hæc dicere voluimus, ut verus ſenſus loci intelligatur. Alioquin parum, vel potius nihil refert ad probandum, quod Spiritus Sanctus ſit perſona, eum in columbæ forma conſpectum fuiſſe: neque enim propterea, vel Spiritus Sanctus erit columba, vel columba eſt perſona Vox Oſoba/ quæ in iſta Polonica verſione habetur, eſt ambigua, & in loco iſto non perſonam, ſed ſpeciem ſeu formam declarat: in Græco enim eſt vox εἶδος, quæ nullo modo perſonam ſignificat.

8. Cap. 4. 1. In iſto loco Luc. cap. 4. 1. non legitur, *ab hoc eodem ſpiritu*, ſed tantum, *in ſpiritu*. Itaque ſatius fuerat Matth. locum attuliſſe ſimiliter cap. 4. 1. ubi ſcriptum eſt, *à ſpiritu*, aut hunc locum cum illo conjunxiſſe. Sed concedamus diſerte ſcriptum eſſe, *à Spiritu Sancto*, certe non magis hinc ſequitur, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, quam ſequeretur divinam vim eſſe perſonam, ſi ſcriptum fuiſſet, *à divina vi*, quod nemo negabit recte ſcribi potuiſſe. Quod attinet ad locum eodem Lucæ cap. 18. ſi de primis verbis agatur, jam oſtenſum eſt ex eo, quod legamus Spiritum Sanctum eſſe ſuper aliquem, potius concludi poſſe, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam, vide ſupra numero 6. Sin autem de iis, quæ ſequuntur, *unxit me*, dicimus, verbum iſtud *unxit*, & ſimiliter id quod poſtea ſubjungitur, *miſit*, non ad ſpiritum, ſed ad Dominum referendum eſſe ibidem antea ſimul cum ſpiritu nominatum *ſpiritus Domini*. Id quod' manifeſtum eſt ex loco, unde verba iſta ſunt accepta, Eſ. 61. 1. Vide locum, & veritatem agnoſces, non tamen in vulgata Latina & Græca editione, in quibus eadem ambiguitas eſt, quæ apud Lucam: ſed in Hebræo codice, & in tranſlationibus cujuſcunque linguæ inde vere manantibus.

9. Cap. 12. 12. Quod Spiritus Sanctus doceat, hoc nullo pacto nos cogit fateri ipſum eſſe perſonam, ut ex iis intelligi poteſt, quæ ſcripſimus numero 5. Et, 1 Cor. 11. 14. naturæ tribuitur quod doceat, quæ tamen non eſt perſona. Præterea, ipſa ſpiritualis Chriſti unctio, qua ejus Chriſti fideles ſunt prædíti, docere dicitur, 1 Joh. 2. 27. Verum nemo neſcit ipſam unctionem non eſſe perſonam, & ſane locus iſte, in quo eadem de re verba fiunt, de qua agitur, ubicumque Spiritus Sanctus docere dicitur, vel ipſe unus ſatis eſt ad oſtendendum, quomodo Spiritui Sancto tribuatur, quod doceat, quamvis non ſit perſona.

10. Johannis 1. 33. Locus Joh. 1. 33. nihil habet quod ad rem faciat, niſi quod Spiritus Sanctus deſcendat & maneat ſuper aliquem. Atqui jam ſupra docuimus, eſſe vel manere ſupra aliquem, perſonæ non convenire, tantum abeſt, ut inde probari poſſit, aliquid eſſe perſonam.

11. Cap. 4. 24. In loco Joh. 4 24. Græcus codex non habet verbum *eſt*, quod ſi nihilominus ſubaudiri debet, tamen ex articulo, qui nomini *Deus*, eſt ſuppoſitus, non item nomini *ſpiritus*, conſtat non *ſpiritum*, ſed *Deum* in enunciatione iſta eſſe ſubjectum, ut ſenſus ſit, non quidem, quod ſpiritus habeat eſſentiam ac ſubſiſtentiam per ſe, eamque divinam, ſed quod ille unus noſter Deus, qui ſine dubio per ſe ſubſiſtit, habeat eſſentiam ſpiritualem. Verum nihil eſt neceſſe, verbum *eſt*, ſubaudiri. Nam cum nomen ſpiritus in Græco non minus accuſandi, quam nominandi caſu accipi poſſit, poteſt potius haud incommode ſubaudiri verbum, *quærit*, quod proxime ante legitur, ut ſit ſenſus, *Deum quærere ſpiritum*. Cæterum quacunque ratione iſta Chriſti verba interpretari velimus, cum in eis non quidem diſerte Spiritus Sancti, ſed *ſpiritus* ſimpliciter mentio fiat, cumque nulla prorſus ratione conſtet, ſimplici iſto nomine Spiritum Sanctum iſto in loco intelligendum eſſe, nihil erat, cur iſta Chriſti verba ad quidquam de Spiritus Sancti eſſentia probandum deberent afferri.

13. Cap. 14. 26. Jam abunde reſponſum eſt numero 5. & 9. ad id quod ſcriptum legitur, Spiritum Sanctum docere. Nam quod præterea in loco Joh. 14. 26. habetur, ipſum in memoriam revocare, ejuſmodi eſt, ut in ipſo quotidiano ſermone, id ipſum de qualibet re etiam omni ſenſu carente ſæpe dicatur. Frequenter enim audimus dicentes, hoc vel illud mihi in memoriam revocat, &c. de rebus quæ per ſe ipſæ nullius pre-

tii ſunt. Et ſi verbum iſtud revocandi in memoriam, ſeu ſuggerendi, frequens eſſet in Sacris Literis, nihil dubito, quin in ipſis aliquot ejuſmodi exempla haberentur, ac fortaſſe, ſi quis diligenter inquireret, vel ſub iſtis, vel ſub ſimilibus verbis exemplum aliquod tale in eis deprehenderet. Illud non reticebo, Euangelicos una, niſi fallor, cum pleriſque Pontificiis affirmare, ex ipſis Sacris Literis aperte colligi, cœnam Domini, nobis ipſius Domini mortem in memoriam revocare, cum tamen ipſa cœna Domini nequaquam ſit perſona.

13. Cap. 15. 26. Ex toto loco iſto, quinque colligi poſſunt de Spiritu Sancto dicta, quæ videantur indicare, illum omnino eſſe perſonam. Primum eſt, quod dicitur Venire. Secundum, quod appellatur Conſolator. Tertium, quod mittitur, (quanquam hæc poſteriora duo, in præcedenti quoque teſtimonio habentur, ſed nos hoc loco ea examinanda reſervavimus.) Quartum, quod procedat & emanet à Chriſti Patre. Quintum, quod teſtetur de Chriſto. Quod attinet ad primum, ſatis eſt commemorare, idem in ſcriptura dici de Dei regno, de mandato, de fide, de ira, nempe Dei, & de aliis rebus, quæ non ſunt perſonæ, quod ſcilicet veniant. Vide Luc. 17. 20. Rom. 7. 9. Gal. 3. 23. & 25. 1 Theſſ. 1. 10. De ſecundo dico, in ipſa ſcriptura, conſolandi actionem attributam inveniri iis rebus ipſis, quæ non ſunt perſonæ, Pſal. enim 23. 4. legimus, *Virga tua & pedum tuum ipſa conſolantur me.* Qua ſermonis figura ſimiliter dicere potuiſſet David, Sunt conſolatores mei. Nam ſine dubio, quiſquis conſolatur, is etiam eſt conſolator. Quis autem refugeret, exempli cauſa, ad hunc modum loqui, In meis afflictionibus, Dei gratia & bonitas, ipſi mei conſolatores ſunt, quamvis nemo neſciat, gratiam & bonitatem Dei non eſſe perſonas. Ad tertium omnibus in promptu eſt reſponſio, propter frequentiam divinorum teſtimoniorum, in quibus aliquid mitti dicitur, quod non eſt ullo modo perſona. Hæc autem frequentia potiſſimum eſt in libro Pſalmorum, ubi dicitur Deus mittere auxilium alicui, Pſal. 20. 3. Miſericordiam & veritatem ſuam, Pſal. 57. 4. Iram indignationis ſuæ, Pſal. 78. 49. Redemptionem populo ſuo, Pſal. 111. 9. Ex quarto, quamvis ii, qui Spiritum Sanctum ipſum Deum eſſe ſtatuunt, quales ſunt Euangelici omnes & Papiſtæ, putant inde intelligi, formam (ut ita loquar) perſonalitatis ejus: tamen ſine dubio contrarium potius probatur. Neque enim naturaliter perſona à perſona perpetuo & indeſinenter, aut etiam ſæpe aut ſubinde procedere ſeu emanare poteſt: qualem certum eſt proceſſionem iſtam Spiritus Sancti à Patre Chriſti eſſe, id quod etiam indicat verbum ipſum præſentis temporis, *procedit*. Res non perſonæ à perſonis ratione iſta emanant, ut habetur Mar. 7. 15. ubi idem eſt verbum, quod in loco iſto Joh. 15. 26. Sed jam ad quintum accedamus, propter quod potiſſimum ex voce *Nota* ſuppoſita, apparet locum iſtum allatum fuiſſe. Dicimus igitur, non perſonarum tantum eſſe teſtimonium dare, ſed etiam rerum, quæ non ſunt perſonæ, & quidem ſimiliter, ut hic de ipſo Chriſto, teſtari, Joh. 10. 25. & 1 Joh. 5. 8. In priore enim loco diſerte ipſe Chriſtus ait, opera quæ in nomine Patris ſui faciebat, teſtari de ipſo, non minus quam hic dixerat, Spiritum Sanctum de ſe teſtaturum. In poſteriore vero ſimiliter diſerte ſpiritui & aquæ & ſanguini tribuitur, quod teſtificentur, nempe Jeſum eſſe Chriſtum, ut ex præcedentibus conſtat. Certum eſt autem, aquam & ſanguinem (ſi forte idem quis de ſpiritu, qui ibi intelligitur, fateri nolit) non eſſe perſonas, ſed res tantum.

14. Cap. 16. 7. Locus Joh. 16. 7. nihil habet ad quod proximo numero 13. reſponſum non ſit. Quod vero ſcriptum eſt ℣. 8. quod ſcilicet Spiritus Sanctus arguturus eſſet mundum, &c. (non autem puniturus, ut verbum, Polonicum, hic ſcriptum ſignificare videtur) nullum habet momentum ad probandum, quod Spiritus Sanctus ſit perſona: præſertim cum actio iſta, ut alicujus perſonæ minime unquam apparuerit. Eſt enim redargutio iſta plane figurate dicta, & ſignificat effectum illum patefactionis illorum trium mundi vel erratorum, vel errati judiciorum, qui ex divinis donis, & vi atque efficacia divina, qua Chriſti diſcipuli ac fideles repleri debebant, profecturus erat. Adde, quod non deſunt exempla rerum, quæ non ſunt perſonæ, quibus tribuitur, quod arguant ſive corripiant, quales ſunt, malitia & averſio, Jer. 2. 19. Conſcientia, Joh. 8. 9. Lex, Jacob. 2. 10. & aliæ res ſimiles, de quibus hæc & ſimilia, in Sacra Scriptura leguntur. Quod ſi quis contendat in hujuſmodi locis, aut certe in pleriſque eorum, aliquam perſonam ſubintelligi, cujus revera ſit iſta arguendi ſeu corripiendi actio, quæ rebus iſtis tribuitur, & propterea iſti figurato loquendi modo ibi eſſe locum, ne hac de re fine ulla neceſſitate nunc diſputem, quam tamen veram eſſe non credo, dico, hic quoque, ubi Spiritui Sancto tribuitur, quod mundum arguat, perſonas eſſe, quarum actio iſta (quanquam ego ut paullo ante attigi, hic nullam veram ac rei ipſius propriam actionem agnoſco) cenſeri poteſt, Deus nempe ipſe, & Chriſtus à quo & per quem miſſus fuit Spiritus Sanctus, id eſt, Chriſti fideles, vi atque efficacia illa divina ſunt repleti, & cœleſtibus ac mirabilibus illis donis inſigniti, nec non ipſi Chriſti fideles, qui iſtis rebus divinis acceptis, mundum reipſa redarguebant. Jam ℣. 13. ejuſdem cap. 16. Joh. duo præterea habentur, ad quæ nondum reſponſum fuit, nempe *Spiritum Sanctum audire*, &, *à ſeipſo non loqui*. Nam ad illud, quod futura annunciet, quamvis non ita expreſſe, tamen ſatis per ea reſponſum arbitramur, quæ diximus numero 6. ad locum Lucæ 2. 26. Quod igitur ad iſta duo attinet, fateor ea eſſe ejuſmodi, quæ proprie accepta, nullo pacto alii, quam veræ perſonæ conveniant, adeo, ut hic mera proſopopœia ſeu perſonæ fictio agnoſcenda ſit, ſi Spiritus Sanctus revera non ſit perſona. Verum non omnino abhorret ſcriptura à meris proſopopœiis, quæ etiam vix reſolvi & explicari poſſunt, cujuſmodi eſt multiplex illa Pſal. 148. cui, multis aliis omiſſis, quaſdam ſimiles indicabimus, quæ propter verbum *audiendi*, aut alia ſimilia, cum hac noſtra commune aliquid habent. Eæ ſunt, Deut. 4. 28. & 30. 19. & 32. 1. Eſa. 1. 2. Ezech. 36. 1, &c. Mich. 6. 1, 2. Reſolvitur autem & explicatur proſopopœia mera hoc pacto, quod ſcilicet Chriſti diſcipuli debebant certi eſſe, ea quæ ſibi dictari ſentirent, pro divinitus dictatis omnino haberi debere. Et ſane alioqui, ſi Spiritus Sanctus eſſet vera perſona, nihil attinebat dicere, *à ſeipſo non loquetur*. Quis enim hac de re ambigere vel dubitare potuiſſet, ſed ficta perſona inducta potuit Chriſtus ita loqui. Jam vero, quod ſubjungit Spiritum Sanctum ſe glorificaturum, &c. apertiſſimus eſt iſtorum verborum ſenſus, cum ſcilicet illa vis divina, quæ effundi in ipſius diſcipulos debebat, ea quæ ad ipſius regnum pertinent, patefactura eſſet, hinc conſecuturum, ut ipſius gloria illuſtraretur.

15. Actorum totum cap. 1. præcipue autem ℣. 16. Maxima pars primi cap. Actorum Apoſtolicorum, contra quam hic affirmatur, nihil de Spiritu Sancto loquitur. Percurremus autem breviter pauca illa loca, ubi ejus fit mentio. Primum igitur ℣. 2. Chriſtus dicitur mandata dediſſe Apoſtolis per Spiritum Sanctum, ex quo conſtare videtur, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam, Neque enim per aliam perſonam, quam per ſeipſum mandata Chriſtus Apoſtolis dedit. Fateor tamen, dictionem *per*, in loco iſto poſſe ita accipi, ut non inſtrumentum, ſed auctorem ſignificet, quemadmodum in re ſimili videmus 1 Theſ. 4. 2. Non putet tamen quiſquam hinc concludi poſſe contrarium, id eſt, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, ut ſine dubio perſona eſt Dominus Jeſus, per quem ibi Paulus mandata dediſſe ait. Nam idem Paulus, eodem prorſus loquendi modo, gratiam ſibi datam auctorem facit mandatorum quorundam, quæ ſtatim daturus erat, Rom. 12. 3. ut alia innumera loca omittam, in quibus ſimiliter divinæ

gratiæ,

gratiæ, vel alii rei ſimili, quæ non eſt perſona, tribuitur in ſcriptura auctoritas, ſive efficiendi cauſa. Jam vero deinde in eodem cap. Acto. 1. 4, 5. mentio fit Spiritus Sancti, primum implicite ſub nomine promiſſionis Jeſu Chriſti Patris, & poſtea diſerte, cum explicatur promiſſio iſta, ubi dicitur Apoſtolos Spiritu Sancto baptizatum iri. Promiſſionis nomen per ſe potius rem quam perſonam indicat, quamquam ex promiſſionis iſtius explicatione conſtare videtur, non de ipſo Spiritu Sancto, ſed de Spiritus Sancti baptiſmo promiſſo ibi verba fieri. Ipſum vero Spiritu Sancto baptizari, ut numero 2. ſupra oſtendimus, ſatis aperte docet, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam. Sequitur ℣. 8. Spiritus Sancti mentio his verbis, *Accipietis virtutem ſuperveni entis Spiritus Sancti in vos.* Non arbitror autem quemquam eſſe, qui ex eo, quod Spiritui Sancto virtus tribuatur, hinc concludat Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Cum aliis rebus multis, quæ non ſunt perſonæ, idem tributum inveniatur. Vide 1 Cor. 15. 56. Phil. 3. 10. 2 Tim. 3. 5. Heb. 11. 34. Tametſi mihi ſit veriſimile, locutionem iſtam, *Virtus Spiritus Sancti*, quæ etiam alibi aliquoties legitur, idem omnino valere, quod locutio alia ſimilis valet, cui alicubi adjuncta reperitur. Locus eſt Rom. 15. 19. in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti; ut ſcilicet, quemadmodum voces, *ſignorum & prodigiorum*, ponuntur, ad explicandam virtutem, quam intelligit Apoſtolus, ſic etiam nomen Spiritus Sancti, ad idem explicandum ſit poſitum. Nam eodem ſenſu alibi Spiritum Sanctum ſimpliciter commemorat, ut 2 Cor. 6. 4. Breviter hæc locutio, *Virtus Spiritus Sancti*, eadem eſſe videtur, cum illa, *corona vitæ, corona gloriæ*, Jacob. 1. 12. 1 Pet. 5. 4. Id quod in iſto loco ſimul dicitur, de ſupervenientia (ut ſic loquar) in Apoſtolos Spiritus Sancti, ut intelligi poteſt ex iis, quæ diximus ſupra numero 6, non obſcure indicat, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam. Rerum enim eſt, non perſonarum, venire ſuper aliquem, non ſecus atque in aliquo manere, aut eſſe. Vide Luc. 21. 35. Act. 8. 24. & 13. 40. Reliquus locus in quo Spiritus S. iſto cap. 1 Act. mentio fiat, eſt is qui citatur ℣. 16. Verum nihil pertinere ad probandum, quod ſpiritus ſit perſona, eum per aliquem loqui, facile ex iis cognoſci poteſt, quæ diſputavimus ſupra numero 5. quibus illa adde, quæ infra à nobis dicentur num. 29.

16. Cap. 5. 3. Græcum exemplar, Acto. 5. 3. non habet, Mentireris in Spiritum Sanctum, ſed, Mentireris Spiritum Sanctum, quod ita accipi poteſt, &, ni fallor, debet, ut Latine iſta verba ſonant, ut ſcilicet Petrus velit dicere, Ananiam facto illo ſuo, præ ſe tuliſſe, ſe habere Spiritum Sanctum, cum tamen ipſe ſciret, haud ita rem ſe habere. Quamquam poteſt quis mentiri adverſus rem, quæ non ſit perſona, ut dicitur quis mentiri adverſus conſcientiam ſuam, & adverſus veritatem, qui poſterior loquendi modus invenitur in ipſis ſacris litteris, Jacob 3. 14. De Spiritu Sancto, quod teſtetur, jam reſpondimus ſupra num. 13. ad finem.

17. Cap. 7. 51. Quod Actor. 7. 51. dicuntur homines Spiritu Sancto reſiſtere, id nullam vim habet ad probandum Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Veritati ſiquidem reſiſtitur, ut 2 Tim. 3. 8. & verbis hominum ibidem cap. 4. 15. & de reſiſtendo voluntati Dei fit mentio Rom. 9. 19. Nec tamen aut veritas, aut verba hominum, aut Dei voluntas perſona eſt aliqua, ſed res tantum.

18. Cap. 8. 29. Spiritus nomine, Actor. 8. 29. intelligendum ſine dubio Angelus ille, cujus antea fuit mentio ℣. 26. Illud negari non poteſt, nihil eſſe quod cogat ſtatuere Spiritum iſtum idem eſſe, quod Spiritus Sanctus. Quare nihil ad rem facit locus iſte.

19. Cap. 13. 2. Quod attinet ad illud, quod Actor. 13. legimus verſu 2. intelligendum eſt, extitiſſe vocem quandam, quam conſtiterit eſſe divinam, quæque ipſa iſta verba protulerit, neq; dixerit præterea, Ego ſum Spiritus Sanctus, qui hæc vobis dico, adeo, ut idem iſto in loco ſit, Spiritus Sanctus dixit, quod, vox divina virtute extitit. Ita ut relativum *mihi*, & verbum *advocavi*, pro quo vulgata Latina editio habet, *aſſumpſi*, ad eum referatur, cujus nomine extitit vox illa, nempe ad Deum, ſeu mavis ad Chriſtum, cui à Deo Eccleſiæ cura demandata eſt. Jam quod attinet ad id, quod ſcriptum eſt ℣. 4. propterea dicuntur Saulus & Barnabas emiſſi à Spiritu Sancto, quia divina vi atque operatione emiſſi ſunt, nempe, vel ob id dictum eſt antea, de voce illa quæ jam extiterat, vel ob aliud aliquid ſimile, quod deinde expreſſius juſſi ſunt exire. Potuit autem vox illa & juſſus iſte per Angelum fieri, & nihilominus ſpiritui Sancto, id eſt, virtuti & efficaciæ divinæ utraque res tribui. Angelorum enim operationes à virtute & efficatia divina omnes, præſertim vero illæ, quæ nomine ipſius Dei aut Chriſti fiunt, plane proficiſcuntur.

20. Cap. 15. 28. Senſus iſtorum verborum, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, ſine dubio hic eſt, viſum eſt nobis ex divino afflatu ſive inſpiratione. Certi enim erant Apoſtoli, & reliqui, à quibus decretum illud manabat, cum ipſi in Jeſu Chriſti nomine congregati eſſent, ipſum Jeſum Chriſtum ſecundum promiſſum ſuum, Matth. 18. 20, in ipſorum medio fuiſſe, & divinitus illis inſpiratum, id decretum eſſe. Neque enim alioqui quicquam ibi legitur; quod indicet perſonam aliquam, quæ Spiritus Sanctus eſſe poſſit, vel interrogatam vel conſultam ab ipſis fuiſſe, quid de quæſtione illa ſtatuere debeant, vel ſua ſponte eos hac ipſa de re monuiſſe, ſententiamve ſuam ſuper ea aliquo modo declaraſſe. Utuntur igitur Apoſtoli, & alii, ad ſenſum iſtum, quem diximus, exprimendum, iſto loquendi modo, non quia Spiritus Sanctus ſit perſona, ſed quia proſopopœia, ſeu perſonæ fictione iſta vividius, ut ſic dixerim, iſta divina inſpiratio exprimitur, & majeſtas atque auctoritas major toti rei conciliatur.

21. Cap. 16. 6. Dicuntur Paulus & Silas prohibiti à Spiritus Sancto, ne prædicarent &c. Quia divina virtute atque efficacia prohibitio iſta facta eſt, ſive per Angelum, ſive alia quacunque ratione ea facta fuerit, in qua divina virtus fuerit animadverſa. Jam, quod ℣. ſequenti huic ſimile dicitur in vulgata editione Latina, in Syriaca & in quibuſdam Græcis exemplaribus, quæ Beza in ſua tranſlatione ſecutus eſt, ſic habet: *Et non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Veriſimile eſt autem, quamvis non legatur iſthic vocula illa *Idem*, quæ hic in loco citato appoſita eſt, hanc prohibitionem eadem ratione fuiſſe factam, qua priorem illam. Sed Spiritus Jeſu (ſi ita legi poſſe velimus) aliud nihil, judicio meo, eſſe poteſt, quam Angelus Jeſu. Neque enim invenies, quidquid alii doceant, Jeſu ſeu Chriſti Spiritus nomine Spiritum Sanctum ſimpliciter intelligi. Quod ſi ita res habet, ſequitur id, quod Jeſu Angelus, id eſt, Jeſus per Angelum ſuum facit, à Spiritus Sancto fieri dici. Ex quo ſatis conſtat, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam quandam ſingularem à Chriſto ejuſque Angelis diſtinctam, ſed vim atque efficaciam divinam, ſine qua iſta à Jeſu per Angelos ſuos non fiunt. Poſtremo & illud addam, præſertim propter priorum locum, in quo Spiritus, diſerte fit mentio, prohibendi actionem non perſonis tantum, ſed etiam rebus in ipſa ſcriptura tribui. Vide Act. 8. 36. & 10. 47. ſecundum Græcam veritatem.

22. Cap. 20. 28. Paulus quod vel ipſemet, ut quidem veriſimile eſt, vel Chriſti fideles in ejus nomine congregati fecerant, Spiritum Sanctum feciſſe dicit, non contentus dixiſſe id ipſum quod intelligebat, nempe divina inſpiratione ac nutu id factum fuiſſe, ob eam cauſam, quam ſupra numero 20. attulimus. Mirum enim eſt, quam figuratus ac proſopopaicus iſte loquendi modus, quamvis probe animadverſus, & eo ſenſu acceptus, qui veritatis limites nihil excedat, tamen vehementius multo auditorem afficiat, quam ſimplex & proprius. Cæterum nemo neſcit Chriſtum eſſe, qui epiſco-

epiſcopus, id eſt, paſtores in Eccleſia dat, & per ſuos hujuſce rei miniſtros conſtituit. Eph. 4. 11. Cum igitur idem hoc Spiritum Sanctum facere legimus, ſatis, ut proxime antea in re ſimili diximus, intelligere hinc poſſumus, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam quandam à Chriſto ejuſve miniſtris diſtinctam, ſed efficaciam & favorem illum divinum, ſine quo talia non fiunt.

23. Cap. 21. 11. Nihil habet locus hic quod ad rem faciat, niſi Spiritum Sanctum loqui, ad quod jam reſpondimus ſupra num. 5. & alia alibi diximus, unde facile reſponſio colligi poteſt, & figuratus iſte loquendi modus probe animadverti.

24. Roman. 8. 26, & 27. Paulus nomine ſpiritus non intelligit ipſum Spiritum Sanctum, ſed qualitatem illam hominis regenerati per Chriſti cognitionem, quæ animalitati, ut ſic loquar, opponitur, quæ quidem qualitas effectus ſane eſt Spiritus Sancti, id eſt, virtutis ac favoris divini in ipſa Chriſti patefactione ejuſque Euangelii prædicatione comprehenſi, ſed non tamen eſt ipſe Spiritus Sanctus. Nam quod Paulus ſpiritus nomine in loco iſto, id quod nos diximus, intelligat, non autem Spiritus Sanctus ipſum, aperte conſtat ex eo quod proximo 27 verſiculo ſubjungit, neque enim ibi ſcriptum eſt, *idem Spiritus*, ut nic citatum video: ſed, *qui autem ſcrutatur corda*, qua periphraſi Deus ſine dubio intelligitur: & ſtatim ſubjicitur, *ſcit*, (quod verbum hic omiſſum fuit.) *qui ſit ſenſus Spiritus.* Jam certum eſt, Spiritus nomen hic ſignificare eum Spiritum, de quo proxime eſt locutus, quod etiam apertiſſimum facit id quod ſtatim ſequitur, *quod ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.* Nam & antea de Spiritu dixerat, *eum poſtulare* &c. Verum nulla ratione fieri poteſt, ut Apoſtolus voluerit dicere, eum, qui ſcrutatur corda, ſcire, quis ſit ſenſus Spiritus Sancti. Cordium enim ſcrutatio nihil pertinet ad ſciendum, qui ſit ſenſus Spiritus Sancti, cum Spiritus Sanctus ipſius Dei Spiritus ſit. Itaque tantum abeſt, ut ex loco iſto Pauli probari poſſit, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, ut potius inde colligi queat, quomodo, etiamſi Spiritus Sanctus non eſt perſona, tamen ea de illo dicuntur, quæ ſunt propria perſonarum. Nam certe qualitas illa in homine regenerato, non eſt perſona, & tamen de ea dicitur, quod ſenſu, id eſt, cognitione eſt prædita, quod poſtulet, ſeu interpellet, & quod gemitus inenarrabiles habeat, quæ non niſi perſonis conveniunt. Senſus autem totius hujus Paulini loci eſt, regeneratos per Chriſti cognitionem homines, quos & hic & alibi ſanctos appellat, ſi ipſi per ſe conſiderentur, cum propter Chriſtum affliguntur, id quod infirmitates appellat, ingnoraturos quid agant, quidve Deum rogent, ſed quatenus qualitate illa ſunt prædíti, quæ illis per Chriſti cognitionem acceſſit, & ſpem ſimul ac notitiam habent liberationis ſuæ & modi ipſius, ardentiſſime à Deo implorare, ut in ſpe ac notitia iſta ipſos confirmare velit, ac tandem felicem & beatum exitum, ad quem ipſi ex ejus voluntate perpetuo anhelant, afflictionibus iſtis dare. Sancti igitur pro quibus ſpiritus iſte poſtulat, ii homines ſunt, in quibus talis Spiritus eſt, qui & pro ſingulis in quibus eſt, & in ſinglis, pro omnibus qui tales ſunt, Deum, ut dictum eſt, orare non intermittit.

25. Cap. 15. 16. Nihil habetur quod ad quæſtionem hanc de Spiritu Sancto pertinere poſſit, niſi, quod per Spiritum Sanctum, ſive ut in Græco & in ipſo vulgato Latino codice legitur, in Spiritu Sancto aliquid ſanctificetur. Sed hoc ad probandum, quod Spiritus Sanctus ſit perſona, nihil prorſus momenti habet: non paucis enim rebus, quæ non ſunt perſonæ, idem in ipſo Novo Teſtamento tribuitur. Vide Joh. 17. 1. 1 Tim. 4, 5. Hebr. 10. 10. & 29. Vide etiam, Matt. 23. 17. & 19. Hebr. 9. 13.

26. 1 Corinth. 2. 10. uſque ad 14. Non ſuccurrit nunc exemplum talis omnino locutionis, qualis iſta eſt 1 Cor. 2. 10, de Deo revelante per Spiritum ſuum, ut melius appareat revelationem iſtam divinam potuiſſe à Paulo dici, per eam rem factam fuiſſe, quæ non ſit perſona. Sed nemo eſt qui faſſurus non ſit, potuiſſe Apoſtolum, exempli cauſa, dicere, Deum iſta revelaſſe nobis per Euangelium ſuum: & tamen Euangelium Dei non eſt perſona. Utimur autem libenter hoc exemplo, ab ipſa re de qua agit Paulus nihil recedentes. Quia ſi quis diligenter rem perpendat, videbit iſtum Dei Spiritum, de quo ibi verba fiunt, aliud nihil eſſe, quam divinum illum afflatum & favorem, qui in Dei Euangelio continetur, per quem Deus ea, quæ præparavit diligentibus ipſum, patefecit iis, qui ipſi Euangelio credunt. Nam alibi etiam idem Apoſtolus ait, Jeſum Chriſtum per Euangelium vitam & immortalitatem in lucem protuliſſe 2 Tim. 1. 10. Quin etiam, ſi quis recte animadvertat, videbit ipſum Euangelium ab eodem Apoſtolo alibi ſpiritum appellari, & literæ, id eſt Moſaicæ legi opponi 2 Cor. 3. 6 &c. Jam quod Paulus ait, ſpiritum ſcrutari etiam profunda Dei, id nullo modo probat Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Nomine enim ſpiritus iſto in loco eum intelligit, in quo ſit ſpiritus, quemadmodum infra ejuſdem Epiſtolæ cap. 13. 4, &c. charitatis nomine eum intelligit, in quo ſit charitas, dum charitati tribuit, quod ſit manſueta, benigna, non invida, & alia plurima perſonarum propria. Quod ſi quis nihilominus adhuc dubitat, ne Paulus iſto in loco 1 Cor. 2. ſpiritus Dei nomine perſonam quandam intellexerit, conſideret tantum id quod ℣. 12. ſcribit, ubi Spiritui Dei opponit ſpiritum mundi. Nam certe ſpiritus mundi, quem ibi Paulum intelligere neceſſe eſt, non eſt perſona quædam.

27. 1. Cap. 6. 11. Quod per Dei Spiritum homines à ſuis peccatis abſolvantur, ſanctificentur, juſtificentur, ut iſto in loco legitur, id nullam habet vim probandi Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Nam & in ſanguine, id eſt, per ſanguinem Chriſti, tum ablui à peccatis noſtris dicimur, tum ſanctificari, & per fidem juſtificari, nec tamen vel Chriſti ſanguis vel fides ſunt perſonæ. Vide Heb. 13. 12. Apoc. 1. 5. Rom. 3. 38.

28. 2. Cap. 13. 13. In verbis iſtis communicatio Spiritus Sancti, vox *Spiritus Sancti*, non active: ſed paſſive accipi debet, id eſt, intelligere oportet, non quidem aliquid à Spiritu Sancto communicari: ſed ipſum Spiritum Sanctum communicari. Similem locutionem habes, 1 Cor. 10. 16, nec uſquam, ni fallor, hujuſmodi locutio aliter accipi debet. Jam quod Spiritus Sanctus ipſe communicetur, hoc potius oſtendit, illum eſſe rem non perſonam. Perſonarum enim eſt communicare: rerum vero communicari.

29. Hebræ. 3. 7. Quamvis ea, quæ ſupra num. 5. & alibi diſputavimus, ſatis eſſe poſſint ad demonſtrandum, quod verba iſta Heb. 3. 7, *Spiritus* ſcilicet *dicit* &c. non habent vim oſtendendi Spiritum Sanctum eſſe perſonam: illis tamen hoc addatur, quod de ſcriptura ſæpius legimus, eam aliquid dicere. Ut Rom. 4. 3. & 9. 17. & 10. 11. 1 Tim. 5. 28. & aliis in locis. Quod exemplum accommodatiſſimum cenſeri debet. Nam ſi de ſcriptura ipſa, quæ non modo non eſt perſona, ſed à perſonæ eſſentia quam longiſſime diſtat, legimus, quod aliquid dicat, multo magis id de Spiritu Sancto legi poteſt, etiamſi non ſit perſona, cum ſit efficacia ac virtus Dei, perſonæ omnium aliarum ſine ulla comparatione excellentiſſimæ, & ſic maxime propriæ perſonæ, præſertim cum Spiritus Sanctus ſit ſcripturæ autor, & non aliud in iſto & ſimilibus locis legamus, Spiritum Sanctum dicere, quam id quod in ſcriptura habetur, quodque ipſam ſcripturam dicere alicubi legimus. Jam, quod iſto eodem in loco Hebr. 3. 7. ſcriptum eſt, *Vocem ejus*, ſciendum eſt, relativum *ejus* non Spiritum Sanctum ſed Deum referre, Vide Pſal. 95. 7. unde verba iſta accepta ſunt.

30. 1 Johan. 5. 7. Verba iſta de teſtimonio Patris, verbi & Spiritus Sancti non habentur in emendatioribus & antiquioribns Græcis codicibus, nec in Syriaca editione, nec etiam in antiquiſſimis Latinis exemplaribus. Sed etiamſi verba iſta legi deberent, aliud nihil inde colligeretur, quam Spiritum Sanctum teſtari, ad quod reſpon-

reſponſum eſt ſupra numero 13. ad finem. Nam ſi quis dicat, cum Pater & ſermo ſint perſonæ, hinc intelligi, Spiritum Sanctum, qui cum illis conjungitur pariter eſſe perſonam; ad hoc quoque reſponſum eſt numero 4. ſimiliter ad finem.

Objectio. Sacræ Literæ Spiritum Sanctum non ſeparant a Deo Patre & filio, ſed in præcipuo loco jubemur baptizari omnes in hos tres: in altero item celebri, docemur, Patrem, ſermonem & Spiritum Sanctum idem eſſe: in tertio monemur peccatum in Spiritum Sanctum irremiſſibile eſſe.

Reſponſio. Nihil mirum videri debet, ſi Spiritus Sanctus ſæpe cum Deo & cum filio ejus Domino noſtro Jeſu Chriſto, in ſummis ac præcipuis rebus conjungitur, quamvis non ſit perſona. Quis enim merito mirari poteſt, ſi vis atque efficaciæ Dei, ſimul cum ipſo Deo & cum Chriſto, per quem Deus illam ſub Novo Teſtamento uberrime exſerit, quam ſæpiſſime fiat mentio, eique eadem tribuantur, quæ ipſi Deo & Chriſto tribuuntur, ipſorumque ſunt maxime propria? Quis ex eo, quod vis atque efficacia Dei ab ipſo Deo non ſeparetur, audebit concludere, ipſam vim & efficaciam eſſe perſonam divinam, ab ipſo Deo cujus vis & efficacia eſt, & à quo emanat, diſtinctam? De eo quod baptizari jubemur, in nomen Patris & filii & Spiritus Sancti, jam reſponſum eſt numero 4. Verum tamen libet hic aperte addere id, quod ibi vix obſcure innuimus, locum videlicet iſtum Matth. 28. 19. non pertinere ad formam verborum, quibus aquæ baptiſmus adminiſtrari debeat, ut inde ſcilicet colligi poſſit, Spiritum Sanctum divinam eſſe perſonam à Patre & filio diſtinctam, cui non ſecus ac Patri & filio ii conſecrentur ac dicentur, qui aqua baptizentur. Nuſquam enim in Actis Apoſtolicis, ubi tam ſæpe adminiſtrati baptiſmi aquæ fit mentio iſta verborum formula commemoratur, ſed tantum *nomine*, ſeu, *in nomen Jeſu Chriſti*, vel, *Domini Jeſu*, vel ſimpliciter, *Domini*, credentes baptizati fuiſſe dicuntur. Quare præter alias rationes, quæ id evincunt, quaſque hic explicare non eſt neceſſe, vel ob hanc unam concludendum eſt, ſenſum iſtius loci eſſe; debere eos, qui Jeſu Chriſti diſcipuli fiunt, inſtitui atque initiari ea doctrina, quæ ad Patrem & filium & Spiritum Sanctum pertinet. Quemadmodum enim baptiſmatis nomen pro doctrina ſeu diſciplina uſurpatur: ſic baptizandi verbum, pro eo, quod eſt inſtituere atque initiare doctrina ſeu diſciplina aliqua, optime uſurpari poteſt. De nomine baptiſmatis eſt locus apertus, cujus ſupra mentionem fecimus Act. 19. 3. Immo ipſum verbum *baptizandi*, idem cum ea quam diximus ſignificatione inveniri, haud immerito quis affirmaverit. Quicquid ſit, etiamſi apud Matthæum vox *baptizantes* aquæ baptiſmum ſignificaret, nihil aliud tamen eſſet intelligendum, quam eos, qui baptizantur aqua, debere inſtitui in iis, quæ pertinent ad Patrem & ad filium & ad Spiritum Sanctum, quemadmodum in loco illo Acto. 19. baptizatum fuiſſe in baptiſma Johannis, ſi velimus *baptizandi* verbum ibi baptiſmum aquæ ſignificare, aliud nihil eſt, quam in aquæ baptiſmo ſuſcipiendo in iis inſtitutum fuiſſe, quæ pertinent ad baptiſma, id eſt, ad doctrinam ſeu diſciplinam Johannis. Nemo autem neſcit, quam cognitio ejus doctrinæ, quæ ad Patrem, ad filium, & ad Spiritum Sanctum pertinet, ſit illi homini neceſſaria, qui Jeſu Chriſti diſcipulum ſe merito declarari velit, & in ejus nomine aqua baptizari, etiamſi nec filius, id eſt, ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſit ille idem unus Deus, qui Pater, ejuſdemve cum illo eſſentiæ, nec Spiritus Sanctus ſit perſona. Nam & Pater eſt primus auctor primumque principium religionis Chriſtianæ, atque ultimus ejus finis: & filius is eſt, in quo illa proponitur atque explicatur, & per quem initium, progreſſum, ac finem ſuum habet: & Spiritus Sanctus ea res eſt, ſine qua nec quicquam iſtorum ſit, nec ii, qui Chriſtianam religionem amplectuntur, perdurare in illa poſſunt. Fac enim non exeri à Deo vim atque efficaciam ſuam ſingularem in humanum genus, qua ejus ineffabilis benignitas erga ipſum, illudque beata immortalitate donandi conſilium patefiat ac confirmetur, & in ipſis cordibus obſignetur, certe vel nulla religio exiſtet, vel ſuo fine plane fruſtrabitur. Atque his paucis, quæ hac de re diſputavimus, volumus non tantum ad iſtum locum Matth. 28. ſed ad omnes alios quis allati ſunt, in quibus Dei & Chriſti & Spiritus Sancti fit mentio, eſſe reſponſum, & ſi qui ſunt alii ſimiles, qui vel afferri ſoleant, vel afferri poſſe videantur; ut conſtet, Spiritum Sanctum cum Deo & Chriſto conjungi, non aliam ob cauſam, niſi quia una cum Deo & Chriſto ad ſalutis noſtræ rationem pertinet, non autem propterea, quia ſicut illi, ſic etiam ipſe ſit perſona; multo autem minus quia iſti tres ſimul & quilibet ipſorum ſit unus ille Deus noſter. Hoc enim non modo naturæ ipſi totiſ ac rationi penitus adverſatur, ſed cum univerſa ſacra ſcriptura apertiſſime pugnat, quæ alium ubique facit illum unum Deum noſtrum: alium vero, tum Chriſtum, tum etiam Spiritum Sanctum: & ſolum Jeſu Chriſti patrem, à quo Spiritus Sanctus emanat, iſtum unum Deum noſtrum eſſe clariſſime teſtatur. Certe duo ex illis allatis locis, nempe Rom. 15. 16. & 2 Cor. 13. 13. manifeſte ſatis illum unum Deum à Chriſto & Spiritu Sancto diſtingunt. Eſt enim in Græco, nomini Dei additus articulus, qui illum unum Deum ibi debere intelligi omnino ſignificat. Nam quod præter iſtorum trium conjunctionem additur 1 Joh. 5. 7. quod unum ſint, ut non repetamus id, quod ante proximo num. 30. monuimus de loco iſto plane ſuſpecto, ſatis eſt pro reſponſione id, quod ſtatim v. 8. ſequitur, de ſpiritu & aqua & ſanguine: unde liquido apparet, quo ſenſu proxime dictum fuerit. Patrem verbum & Spiritum Sanctum eſſe unum. Quanquam ex multis aliis ſcripturæ locis conſtat, aliud omnino ſignificare *eſſe unum*, quam eſſe unam individuam eſſentiam. Vide, ut alia loca omittam, Joh. 17. 11. 21. 22. Nam in locis iſtis expreſſe indicatur hoc ipſum, quod Deus & Chriſtus ſeu Pater & filius ſint unum, nullo modo iſtam individuæ eſſentiæ unitatem declarare. Alioqui ſequeretur, Chriſti fideles eſſe unam tantum individuam eſſentiam & ſic unum tantum individuum hominem. Diſerte enim Chriſtus ibi Patrem orat, ut ſui fideles ſint unum, *ſicut nos*, inquit, *unum ſumus*.

De blaſphemia in Spiritum Sanctum, quatenus inde videatur poſſe colligi, ipſum Spiritum Sanctum eſſe perſonam, reſponſum eſt ſupra num. 3. Quatenus vero ex eo, quod blaſphemia iſta non remittitur velit quis colligere Spiritus Sancti ſummam excellentiam, nihil eſt, quod in eo adverſus nos laboret, cum nos ultro concedamus, vel potius contendamus, Spiritum Sanctum eſſe vim atque efficaciam Dei, qua quidem re nihil excellentius excogitari poteſt, præter ipſum Deum; in quem tamen blaſphemiæ non minus, quam eæ quæ in filium hominis, qui idem eſt ipſius Dei filius, dictæ fuerunt, remittuntur. Unde apparet, vel Spiritum Sanctum excellentiorem ipſo Deo Patre eſſe, quod vere ſine maxima in ipſum Deum blaſphemia ne cogitari quidem poteſt; vel iſtud, quod blaſphemia in Spiritum Sanctum non remittatur ex ipſius Spiritus Sancti perfectiſſima & abſolutiſſima excellentia per ſe nequaquam proficiſci, nec eam inde colligi neceſſario poſſe, quippe, quod neceſſe ſit, aliam iſtius rei eſſe cauſam. Alioqui ſane nec ipſa blaſphemia in Deum Patrem remitteretur, ut de filio taceam, quem tamen omnes, qui Spiritum Sanctum perſonam eſſe credunt, ſi non majoris, at certe non minoris excellentiæ quam ipſum Spiritum Sanctum eſſe ſtatuunt.

Argumentum ad probandum, quod Spiritus Sanctus ſit Deus.

Deo tantum peccatur. Sed in Spiritum Sanctum peccatur. Igitur Spiritus Sanctus eſt Deus.

Reſponſio.

OPortebat in argumento iſto dicere, *ſed Spiritui Sancto peccatur*, &, ſi hoc probatum fuiſſet, aliquas vires habuiſſet argumentatio, Aut certe oportebat dicere, *In Deum tantum peccatur.* Sed hoc nimis aperte falſum eſſe conſtitiſſet, cum ſcriptum inveniatur: *Si autem peccaverit in te frater tuus*, Matth. 18. 15. Et rurſus, *Neque in legem, neque in templum, neque in Cæſarem peccavi*, Act. 25. 8. Et rurſus, *Qui ſcortatur, in proprium corpus peccat*, 1 Cor. 6. 18. Igitur ex eo, quod peccetur in Spiritum Sanctum, non ſequitur Spiritum Sanctum eſſe Deum; niſi etiam eadem ratione concludere velimus, quemlibet fratrem noſtrum, & legem, & templum, & Cæſarem, & denique uniuſcujuſque corpus, eſſe Deum. Quanquam nuſquam ſcriptum invenitur, quod peccetur in Spiritum Sanctum, ſed quod in Spiritum Sanctum baſphemetur, Mar. 3. 29. Lucæ 12. 10. ſeu quod detur Spiritus Sancti blaſphemia, id eſt, Spiritus Sanctus blaſphemetur; vel quod contra Spiritum Sanctum quis verbum dicat, Mat. 12. 31. & 32. Atqui Act. 6. 11. & 13. accuſatur Stephanus, quod verba blaſphema dixerit non ſolum in Deum, ſed etiam in Moſen, adeoque contra locum illum ſanctum & legem; & non Deus modo, verum etiam homines blaſphemantur, Rom. 3. 8. imo & alia multa; ut Chriſtianorum bonum, doctrina, & verbum Rom. 14. 16. 1 Tim. 6. 1. Tit. 2. 5. Nec mirum; cum blaſphemari, nihil aliud ſit, quam verbis vituperari: hoc autem in quidlibet cadere poteſt.

Animadverſiones quædam extemporales in D. Johannis Niemojevii ſcriptum adverſus partem quandam Diſputationis F. S. de Jesu Christo Servatore.

1. F. S. non vocat mendacium, & ſomnium humanum, credere, fideles gratia Dei per mortem & ſanguinem Chriſti à peccatis expurgari; ſed, quod ea fides in Chriſtum, qua juſtificantur, ſit credere, per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, deleta fuiſſe peccata noſtra, hoc vero & periculi plenum mendacium continere ait, & humanum commentum eſſe affirmat. Siquidem, quamvis veriſſimum ſit, per mortem & ſanguinem Chriſti gratia Dei fideles à peccatis expurgari, ſive fidelium peccata per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, deleta fuiſſe; non tamen hoc credere eſt fides illa in Chriſtum nos juſtificans, de qua in parte illa diſputationis Fauſti cum Calviniano eccleſiaſte quærebatur. Id quod ipſe D. Niemojevius ſatis confirmat, cum fidem juſtificantem explicans, reſurrectionis Chriſti mentionem facit, cum tamen in ea Calvinianorum fide nulla prorſus de Chriſti reſurrectione mentio fiat.

2. Non deſtruit Fauſtus totis viribus medium remiſſionis peccatorum, nec illud rejicit aut eludit, multo minus eos, qui id medium tenent, impudenter ſubſannat, etiamſi in ſua fidei in Chriſtum juſtificantis expoſitione ſanguinis & mortis Chriſti non meminerit, immo nobis remiſſionem peccatorum per Chriſti mortem & ſanguinem contigiſſe agnoſcit, quod quo modo intelligendum ſit paullo poſt breviſſime explicabitur. Verum aliud eſt agnoſcere quidpiam veriſſimum eſſe, eorum etiam quæ ad ſalutem noſtram pertinent, aliud, quia id verum eſſe credatur, propterea peccatorum remiſſionem contingere, & hominem juſtificari.

3. Nec de Dei miſericordia ſcribit inordinate, quia dicat, Deum miſericordiam ſuam in illos exerere, qui doctrinam Chriſti amplectuntur & ſequuntur. Neque enim de omni Dei miſericordia loquitur. Novit enim optime Dei ineffabilem miſericordiam, qua humanum genus complexus eſt, ita ut perditiſſimos etiam homines, & antea ſibi infeſtiſſimos, dummodo in Jeſum Chriſtum credant, ſervare & in gratiam recipere & decreverit, & pollicitus ſit, omnem noſtram mandatorum Chriſti conſervationem anteceſſiſſe. Sed, eam miſericordiam Dei, qua reipſa peccatores ſervat, & reipſa illis peccata remittit, eorundem hominum peccatorum reſipiſcentiam ſubſequi, ex innumerabilibus prope Sacrorum Scriptorum teſtimoniis apertiſſime collegit. Quorum omnium loco ſatis ſit in præſentia illud unum attuliſſe, *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, Act. 3. 19.

4. Non ſpernit autem Dei ſapientiam, neque opus Dei ſubſannat, quia in ſalute nobis per Chriſtum parta miſericordiam divinam una cum juſtitia conjunctam non agnoſcat; ſi juſtitiam Dei in eum ſenſum accipiamus, in quem hoc loco à Domino Johanne accipitur; qui ſine dubio juſtitiam Dei, cæteros imitatus, Dei ſeveritatem in peccatis puniendis intelligit. Nec enim Deus, Chriſtum morti tradendo, ſeverum ſe erga peccata noſtra ſimul & clementem oſtendit; ſed clementem duntaxat. Cum morte & ſanguine Chriſti, non ideo deleta ſint peccata noſtra, quia ea ratione punita fuerint, ſed quia Chriſtus per mortem crucis, & ſanguinis ſui fuſionem in cœlum ingreſſus eſt, ubi pontifex in æternum eſt factus, id eſt potentatem eſt adeptus, nos à morte & aliis peccatorum pœnis in perpetuum liberandi, & ita omnibus ſibi obedientibus æternæ ſalutis cauſſa factus fuit, Heb. 5. 9.

5. Non prorſus negat Fauſtus fidem collocandam eſſe in ſanguine Chriſti; quamvis neget id in tertio cap. ad Romanos ſcriptum eſſe, & alia ratione, quam cæteri, ejuſmodi verba, ſi modo uſpiam in Sacris Literis extant, omnino interpretetur. Verba Fauſti, quibus hoc manifeſtum fit, hæc ſunt, *Quin hac eadem ratione poteſt dici confidendum eſſe ſanguini Chriſti, non quidem quia in ipſo ſanguine fides noſtra collocanda ſit, tanquam in eo, cujus vi noſtra peccata deleta fuerint (iſtud enim, ut dictum fuit, quocunque ſenſu dicatur, agnoſcendum, & ſecum animo reputandum potius, quam credendum eſt) ſed quia per ipſum, ſive etiam propter ipſum Chriſti ſanguinem in Deo fides noſtra eſt collocanda, id eſt, à Chriſti ſanguine ad Deo confidendum adduci debemus*, &c.

6. Nec vero ſentit de Chriſti morte, quod attinet ad delenda peccata noſtra, idem quod de Johannis Baptiſtæ, Pauli, & aliorum ſimilium morte; quorum nemo per mortem ſuam poteſtatem à morte nos aſſerendi conſequutus eſt. Quod tamen in Chriſto factum agnoſcimus. Nec porro æquantur ab ipſo verba Petri, qui promittit animam ſuam pro Chriſto ſe poſiturum cum illis Chriſti dicentis, *Ego ſum paſtor bonus, & animam*

meam

meam pono pro ovibus, ſed exemplo verborum Petri probatur, Ponere animam ſuam pro aliquo, niſi aliud præterea dicatur, non ſignificare mori, ut deleantur peccata illius; ut oſtendat, ex ſolis illis Chriſti verbis non potuiſſe audientes percipere, Chriſtum moriturum, ut delerentur peccata ipſorum, quod eo loco ſibi oſtendendum propoſuerat; non autem, ut neget, idcirco mortuum fuiſſe, ut delerentur peccata noſtra; quod veriſſimum eſſe & fatetur, & gloriatur.

7. Quocirca ultro concedit, non modo mortem & ſanguinem Ieſu Chriſti pro nobis fuſum, fuiſſe oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis, ut Paulus loquitur, verumetiam hanc hoſtiam pro peccatis noſtris oblatam dici poſſe, id eſt, in hunc finem, ut peccata, & iniquitates noſtræ emundentur & remittantur; quamvis Sacræ Literæ, Chriſtum quatenus oblatio & hoſtia non boni odoris Deo tantum, ſed expiatoria quoque eſt, ſe ipſum non in cruce, ut plerique exiſtimant, ſed in ipſo cœlo poſt reſurrectionem Deo obtuliſſe dicant. Nec mirum, cum non ante æternam redemptionem ſit natus, quam in ſancta illa non manu facta ingreſſus fuerit, ibique demum ſacerdotium fuerit adeptus; ut habetur tota fere Epiſt. ad Hebr. ſine ſacerdotio autem expiatoria oblatio eſſe nequeat. Agnoſcit igitur Fauſtus, ex morte & reſurrectione Chriſti felicitatem & juſtificationem noſtram, ſed eo ſenſu, quo ſupra cap. 4. expoſitum eſt.

8. Etiamſi Fauſtus plane negaret, fidem noſtram in Chriſti ſanguine collocandam eſſe (quod tamen aliter ſe habere capit. 5. oſtenſum fuit) non propterea dicendum eſſet, illum vel dominicam cœnam parum curare, vel non debere ejus participem fieri. Quandoquidem cœna Domini ad gratias Deo & ipſi Domino agendas pertinet, quod ipſe Dominus pro nobis corpus ſuum morti tradiderit, & in remiſſionem peccatorum noſtrorum ſanguinem fuderit, adque memoriam ejus rei celebrandam, non autem ad teſtandum, quod in ea ſanguinis Chriſti fuſione fidem noſtram collocemus; quæ, ſi quis proprie loqui velit, & ſecundum ſacræ Scripturæ morem, non in Chriſti ſanguine collocari dicetur, ſed in ipſo Chriſto, ſive in Deo per Chriſtum, qui, ut id faceremus, ſanguinem ſuum fundere non dubitavit.

9. Non quærit Fauſtus, ſi fides illa, quod per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, peccata noſtra deleta fuerint, nos juſtificat, cur Sacræ Literæ à nobis exigant bona opera. Sed quærit, cur, ſi iſta fides neceſſario & temper bona opera gignit, Chriſtus, & Apoſtoli tot verba faciunt de vita emendanda. *Nonne ſatius*, inquit, *fuiſſet homines monere, ut ea fide eſſent præditi?* Et mox ad ea, quæ contra dici poſſent, reſpondet.

10. Neque ita porro craſſe hallucinatur, ut ſuam imperfectam obedientiam illi perfectiſſimæ Chriſti præferat. Sed obedientiam noſtram illi fidei, quod Chriſtus ſua morte peccata noſtra deleverit, & æquat, & anteponit. Nam ſi fides illa Chriſtum apprehendit; hæc obedientia miſericordiam Dei apprehendit. Quare merito miratur theologos quoſdam, qui fidei illi quam ex propria dignitate juſtificare non poſſe fatentur, juſtificandi vim tribuunt, obedientiæ vero noſtræ tribuere perhorreſcunt, cum tamen eam fidem in nobis non minus, quam obedientiam noſtram, imperfectam perpetuo eſſe affirment. Atque eo magis, quod Chriſti apprehenſio iſta, ut ſupra diſputatum fuerat, & humanum commentum eſt, nec ullo modo ea fide fieri poteſt; miſericordiæ vero Dei apprehenſio & Sacris Literis teſtatiſſima eſt, &, Deo obediendo, eam omnino fieri contingit.

11. Ipſemet Fauſtus apertiſſime fatetur, fidem, cum firmam opinionem alicujus rei affirmatæ ſignificat, non minus præteritum tempus, quam futurum reſpicere poſſe. Sed interim negat, fidem in Chriſtum, qua juſtificamur, ad præterita potiſſimum reſpicere. Primum, quia, ut inter omnes conſtat, ea Dei promiſſionibus nititur, promiſſiones autem futurum tempus omnino reſpiciunt; Deinde, quia, tametſi fides præteritum tempus reſpicere poteſt, cum tamen de fide ſermo eſt, quæ nos Deo gratos efficiat, vix de re præterita credenda agitur. Poſtremo, quia, cum credere in Chriſtum nihil aliud ſit, quam Chriſto confidere, neceſſe eſt fidem in Chriſtum ad futura; non autem ad præterita reſpicere. Quorum omnium occaſione & de ſtatu primi hominis ante lapſum, & de ſignificatione varia multiplicique verbi Fidei, ſive Credendi, non inutiliter, ut D. Johannes ait, ſed & utiliſſime, & neceſſario, ſi ad ea, quæ ſibi objici poterant, reſpondere, & totam rem aperire volebat, à Fauſto diſputatum fuit.

12. Non ait Fauſtus, nihil eorum, quæ Chriſtus dixit, credi debere aut certum & utile eſſe, niſi id ipſi vulgo dixerit: ſed affirmat, etiamſi fides in Chriſtum, quæ nos juſtificat, eſſet, credere, ea veriſſima eſſe, quæ Chriſtus dixit, non tamen eam fidem firma perſuaſione contineri poſſe, quod per ea, quæ Chriſtus paſſus eſt, noſtra peccata deleta fuerint, cum nihil ea de re aperte in ſuis concionibus dixerit Chriſtus; quem tamen certiſſimum eſt doctrinam ſalutarem, & porro quæ fidem juſtificantem complecteretur, palam populo propoſuiſſe, & Euangelium regni publice annunciaſſe. Arrigit autem aures Fauſtus, cum adverſus ſententiam ſuam exemplum prædicationis ſeu collocutionis Chriſti cum Nicodemo affertur ea in parte, ubi de filio hominis exaltando agitur. Sed nihil tamen audit, quod ad propoſitum faciat; cum neque id populo aut populi primoribus, ſed uni tantum ſeparatim dictum fuerit, neque ab ipſo Nicodemo, ut ipſe D. Johannes confitetur, tunc ſit perceptum. Adde, quod non de Chriſti morte, ſed ad ſupremam majeſtatem exaltatione ibi verba fieri veriſimilimum eſt. Ad reliqua exempla nulla eſt opus reſponſione. In eo enim Johan. 6. ipſe D. Johannes fatetur, populum, quid Chriſtus diceret, tunc temporis non intellexiſſe. Ad illud vero Johan. 10. jam in ipſo Fauſti ſcripto reſponſum eſt. At poſtremum illud Johan. 12. eodem vitio, quo ſuperiore omnia, idque multo certius laborare, nempe quod nihil aperte ibi de deletione peccatorum per mortem ſuam Chriſtus dixerit, nemo eſt, qui per ſe perſpicere non queat.

13. Nullum Racha impactum eſt à Fauſto Eccleſiæ Chriſti, quia dixerit, aliquid, quod à pleriſque qui ſe Chriſtianos profitentur, aſſeritur, mendacium continere. Alioquin ſemper peccaremus, cum, fratrem quidpiam falſo affirmare, diceremus, ſive etiam contrarium tantummodo ejus, quod ille diceret, affirmaremus. Quid enim aliud eſt affirmare contrarium ejus, quod alter dicit, quam falſa eum dicere affirmare. Mendacium autem dicit is, qui falſa dicit, quamvis imprudenter id faciat, teſte, ſi recte memini, P. Nigidio apud A. Gellium ſive Agellium, qui, inter Mendacium dicere, & Mentiri, eam differentiam conſtituit, ut is mentiatur, qui non ipſe fallitur, ſed alios fallere conatur; mendacium vero is dicat, qui non tam alios fallit, quam ipſemet fallitur.

14. Quid autem dicemus, cum accuſatur, quod ne ipſi quidem Chriſto parcat, cum dicit plane ridiculum & iniquum, adeoque inſigniter mendacem apparitorum eſſe Chriſtum, ſi ea vera eſſet in Chriſtum fides, qua juſtificamur, quam Calviniani eſſe ajunt, ipſe plane negat? An non hoc potius, quanti Chriſtus ab ipſo fiat, aperte indicat, qui eos etiam, qui imprudenter & tacite ipſum criminantur, ferre non poteſt; & quod Chriſtus vel ridiculus, vel iniquus, vel mendax ſit, pro re, quæ prorſus fieri nequeat, ſe habere, non obſcure oſtendit.

15. Ait D. Johannes, Fauſtum nolle concedere, ex fide Chriſtiana vera bona opera naſci; cum tamen apertiſſimum ſit, illum hoc ipſum plane aſſerere; & idcirco Calviniſtarum fidem in Chriſtum ab ipſo pro fide juſtificante non agnoſci, quod ea ſine bonis operibus eſſe poteſt. Quemadmodum perſpicue demonſtrat, ad ea, quæ in contrariam partem diſputari poſſent, breviter reſpondendo.

16. Ait præterea, non concedi ab ipſo, Spiritum Sanctum credentibus in Jeſum Chriſtum dari; & tamen diſertis verbis id Fauſtus concedit. Quinetiam ad id probandum alterum ex teſtimoniis, quæ à D. Johanne poſtmodum proferuntur, ipſe prior attulerat, quod eſt cap. 1. Epiſtolæ ad Epheſios.

17. Quidquid à D. Johanne congeritur, ut probet, Deum fide illa in Chriſtum, qua Fauſtus nos juſtificari negat, ſummopere delectari, fruſtra congeritur; niſi ſimul probet, adeo eam fidem Deo placere, ut hominem ipſa præditum Spiritu Sancto donet, qui bona opera, quæ prius non habebat, in eo gignat. Quod nunquam faciet, cum, etſi Deus cognitione noſtra beneficiorum ab ipſo acceptorum, & ſua Chriſtique cum potentiæ, tum ſapientiæ, & bonitatis in eis dandis confeſſione, vehementer delectatur, eam tamen aliis inſuper beneficiis cumulare non ſoleat, immo multo magis, quam cæteros homines, qui ipſa carent, ea cognitione præditos puniat, niſi etiam, qui tali cognitione ſunt præditi, ſe eorum beneficiorum perpetuo memores & gratos oſtendat, quod ſine vitæ emendatione, & porro ſine bonis operibus fieri non poteſt; & cum certiſſimum ſit, Spiritum Sanctum, quod jam credentibus dabatur, non datum fuiſſe ante reſipiſcentiam, & obedientiam Chriſto præſtitam, Act. 2. 38, & 5. 32. & idcirco perſpicuum fiat, bona opera non ſubſequi modo, ſed etiam antecedere illam Spiritus Sancti dationem.

18. Si concordiæ modus recipiatur à Fauſto expoſitus inter teſtimonia ſacra, quæ in tribuendæ & adimenda operibus juſtificatione invicem diſſidere videntur, omnia planiſſima erunt. Videlicet, ſi non propter ipſorum operum perfectionem, aut meritum, ſed propter Dei ingentem largitatem, qui obedientiam noſtram ex Chriſti præſcripto ſibi præſtitam, quamvis imperfectam, & ſibi alioqui debitam, æterna vita donare decrevit, ipſis operibus bonis, tanquam iis, quæ in nobis, ſi juſtificari velimus, omnino eſſe debeant, juſtificationem vere à ſcriptura, ut verba ſonant, aſcribi affirmetur. Quò fit, ut unuſquiſque & ſoli Deo per Chriſtum omnem ſuam juſtitiam acceptam referat, & ad vitæ ſanctimoniam, ſine qua nemo Chriſtum videbit, ſi reipſa juſtus coram Deo haberi velit, omnino perducatur. Sin autem D. Johannis, & aliorum, qui cum ipſo ſentiunt concordia ineatur, præterquam quod manifeſta vis ſit ſane quam multis Sacrarum Literarum locis, quos aliter omnino, quam verba ipſa ſonent, interpretari neceſſe eſt, homines etiam à vitæ ſanctitatis ſtudio (ut ad vitia proclives omnes ſumus) facilime revocantur; dum putant, bona opera ad hominem juſtificandum non pertinere. Quod ſi D. Johannes, etiamſi ipſius verba aperte contrarium dicere videantur, ſentit, non prius juſtificari hominem, id eſt illi à Deo peccata remitti, quam pœnitentiam egerit, ut Sacræ Literæ manifeſte docent, atque ea ratione bona opera ad hominem juſtificandum pertinere agnoſcit, & confitetur; quidquid de vi ſanguinis & mortis Chriſti ſentiat, conveniet illi cum Fauſto; quamvis Fauſtus perſuaſiſſimum habeat, eam, quam D. Johannes cum Calviniſtis communem habet, ſententiam, de Dei gloria, atque adeo ipſius Chriſti plurimum detrahere. Quod fortaſſe & ipſe D. Johannes verum eſſe confitebitur, ſi unquam Fauſti diſputationis perlegendæ facultatem & otium habuerit.

19. Et quia D. Johannes dicit, Fauſtum gloriari, quod contra Calviniſtas ſcripſerit, & facile ei videri, contra illos ex abdito angulo tela vibrare; primum ſciendum eſt, non ideo parti illi ſuæ diſputationis, quæ ad D. Johannem miſſa eſt, titulum ejuſmodi præfixum à Fauſto fuiſſe, ex quo appareat, ipſum cum Calvinianis diſputare, quod inde gloriam aliquam ad ſe redituram putaverit: ſed ab ipſo ob eam rem id factum eſſe, ut ſciretur, cum quibus adverſariis res illi eſſet; & ita nonnulla, quæ alioqui in ipſius ſcripto ſubobſcura fuiſſent, clara omnino & aperta eſſent. Deinde non eſt ignorandum, Fauſtum ad ipſum illum Calvinianum eccleſiaſtem, qui cum diſputationem habet, jam abhinc ſeſquianno atque eo amplius, integram diſputationem mittendam curaſſe, & librum ſive exemplum ex eo deſcriptum Genevæ eſſe; ubi reſponſum adverſus ipſum cuditur, excudendum fortaſſe aliquando, & in lucem emittendum. Quod utinam celeriter fiat, ut veritas divina jam tandem ſerio caput exerat, & ex profundo, in quo tamdiu delituit, tota emergere poſſit.

20. Objicit poſtremo D. Johannes Fauſto, quod ex diametro cum Paulo pugnet, dum ait, erraſſe illos, qui Chriſti reſurrectionem fidei articulum appellarunt. „Nam, inquit, contra Paulus ait, Qui confitetur Do„minum Jeſum, quod Deus illum à mortuis excitave„rit, ſervabitur. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore „autem fit confeſſio ad ſalutem. Verum quiſquis Fauſti ſcriptum eo in loco legerit, rem multo aliter ſe habere intelliget; & quo pacto ipſius ſententia iſta de reſurrectione Chriſti huic Pauli teſtimonio (quamvis prima fronte contra eam apertiori, quam ipſe D. Johannes id recitaverit) non adverſetur, jam plene explicatum inveniet.

Cæterum ad ea omnia, quæ Fauſti ſententiæ obſtare videntur, ſive à D. Johanne in ſuo ſcripto allata, ſive ab adverſario Calviniano Fauſto objecta, ſive ab aliis excogitata fuerint, jam pleniſſime in ipſa diſputatione reſponſum eſt; &, ſi opus fuerit, brevi iterum paucis verbis reſpondebitur Deo dante; quem ex animo & continenter, ut nos ex omnibus Satanæ tenebris eripiat, orare debemus.

Notæ in ſcriptum N. N. Polonicum de Chriſti regno in terra.

Apoc. 20. *& regnabimus*, &c. Apud Johannem eſt, *Et regnabunt*, &c. non autem, *Et regnabimus*. Neque enim ad omnes Chriſtianos ſunt ejus verba referenda; ſed ad quoſdam tantum. Id quod in hac diſputatione non minimi momenti eſt, ut infra videbimus.

Matth. 23. *Habent Dominum Chriſtum è cœlo venientem*, &c. Apud Euangeliſtam cœli unde venturus ſit Chriſtus, cum Judæi dicturi eſſent, *Benedictus*, &c. nulla prorſus ſit mentio. Quin etiam non de Judæis in genere ibi agitur, ſed tantummodo de Hieroſolymitanis.

Apocal. 20. *Per mille annos regni Chriſti in terra*, &c. Nulla ibi terræ mentio, ubi regnum illud ſit futurum.

Matth. 24. *Idque ut regnet cum illis annos mille, ut [ſcriptum] extat* Apoc. 20 &c. Hoc eſt plane divinare. Nam quod locus ille Apoc 20. huc pertineat, nihil conſtat.

Quod autem id in terris fieri debeat Apoc. 5. 10. ſcriptum eſt, &c. Non eſt hic locus ad illum Apoc. 20. accommodandus. Hic enim de Chriſtianis in genere agitur, ibi vero de quibuſdam Chriſtianis. Ibi Chriſti, cum quo regnare debeant, bis diſerte fit mentio; hic ea de re nihil aperte dicitur. Ex quo ſequitur, non agi utrobique de eodem regno, aut certe nihil cogere, ut de eodem utrobique agi concedamus. Et ſane nihil prohibet, Chriſtianos regnaturos eſſe in terra, nec tamen Chriſtum corporaliter præſentem, cum quo una regnent, in terra futurum. Quanquam nec etiam quidquam prohibet, quominus illi dicantur cum Chriſto regnare, qui, ipſo regnante, ſub ejus auſpiciis & ipſi regnant. Quamvis hi in terra, ille vero corpore in cœlo perpetuo maneat. Itaque ex iſtis duobus locis, quantumvis ſimul junctis, regnum iſtud Chriſti, corporali ipſius præſentia una cum ſuis in terra, minime concludi poteſt. Mitto autem allegoricas interpretationes vocis Terræ apud Johannem in loco iſto, licet facillimas & Sacris Teſtimoniis maxime conſentaneas; ne forte videar argumentum inde ſumptum eludere potius, quam refutare. De locis Veteris Teſtamenti poſtea videbimus.

Matth.

Matth. 8 *Ibi ab ortu & occaſu congregabuntur fideles*, &c. Hic locus & ſimiles de Judæis à regno Dei excludendis, & gentibus in illud introducendis & congregandis manifeſte agunt. Quod enim apud Matthæum de filiis regni dicitur, apud Lucam cap. 13. 28. de ipſis Judæis pronunciatur. Ait enim ibi Chriſtus, Judæos alloquens, *Cum videritis Abraham*, &c. *vos autem expelli foras.* Non poſſunt igitur hi loci ad regnum iſtud Chriſti in terris referri; cum in eo, ut in hoc ſcripto habetur, Judæi ſummo in pretio ſint futuri; immo ejus conſtituendi ratio futura ſit Judæorum in terram Chanaan reductio, & ad Chriſtum ibi corpore præſentem ac regnantem converſio atque aggregatio.

Luc. 22. *Ibi edent & bibent ad menſam Domini*, &c. Non alium ſeu alterius generis eſum & potum Apoſtolorum cum ipſo intelligit ibi Chriſtus, quam eum, quem Apoc. 3. 20. illis verbis complectitur, *Cœnabo cum illo, & ipſe mecum*, nempe myſticum & ſpiritualem; quo videlicet ſumma apud ipſum gratia, & cum ipſo conjunctio ac neceſſitudo ſignificatur. Nam de myſtica ac ſpirituali cœna ibi Chriſtum loqui, indicant aperte verba antecedentia; *Ecce ſto ad oſtium: & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum.* Præterea non recte ad omnes fideles refertur id, quod de ipſis Apoſtolis eo in loco dicitur. Alioqui id quod ſubjungitur de thronis, ſuper quos ſeſſuri ſint judicantes duodecim tribus Iſraël, ad omnes fideles ſimiliter referendum eſſet. Quod quantum à veritate abſit, quilibet facile intelligit. Jam quod ſcriptor addit de novo fructu vitis, ſeu ut ipſe loquitur, de nova illa vite, ex qua ſe bibiturum dixit Chriſtus una cum Apoſtolis ſuis in regno patris ſui Mat. 26. 29, præterquam quod hoc quoque ad ſolos Apoſtolos pertinet, neceſſe eſt etiam, ut id factum fuerit ante ipſius in cœlum aſcenſum. Teſtatus eſt enim ibi Chriſtus, ſe vinum non bibiturum, donec iſtud fieret. Atqui Chriſtum ante ſuum in cœlum aſcenſum, & poſtquam verba illa dixit, una cum Petro & aliis ſuis diſcipulis bibiſſe, declarant ipſius Petri verba Act. 10. 41, Niſi velimus Chriſtum poſtquam reſurrexit à mortuis, nec dum in cœlum aſcenderat, bibiſſe quidem una cum diſcipulis: ſed non tamen vinum. Quod quam ſit ridiculum nemo non videt.

Ibi filii Dei manſueti poſſidebunt terram. Locus Matth. 5 5. ad quem præcipue verba iſta reſpiciunt, ad ea ſine dubio alludunt, quæ leguntur Pſ. 37. 11. immo inde ſunt deſumpta, ut alia multa ex Vetere Teſtamento à Chriſto & Apoſtolis ſumuntur; ſed tamen non raro alio ſenſu, quam prima fronte præſe ferant, qui ſenſus vel ex ſubjecta materia, vel ex analogia Chriſtianæ fidei eliciendus eſt. Et ex ſubjecta quidem materia, ut in verbis illis Pſ 19. *In omnem terram exivit ſonus eorum*, quæ cum ibi de cœlis dicta fuerint, ab Apoſtolo tamen Paulo Rom. 10. uſurpata, ad Apoſtolos ſeu Euangelii præcones accommodanda ſunt. Ex Chriſtianæ autem fidei analogia, ut in his apud Matthæum verbis. Quod enim in Pſal. de terra hac, quam incolimus, dictum eſt, in Euangelio de terra illa nova, ubi juſtitia habitat 2 Pet. 3. eſt intelligendum. Hanc enim terram, ut ibidem ait Petrus, nobis promiſit Chriſtus; nec præterea aliam. Eam autem jam extare, nec hanc eſſe quam incolimus, quæ ſcilicet innovanda ſit, id perſpicue docet, quod dixi ibi ſcriptum eſſe, in ea juſtitiam habitare. Nimirum enim ſedem illam beatorum intelligit Petrus, in qua jam Chriſtus eſt, quæ nobis nova erit, & futura etiam noſtrum reſpectu dicitur. Nam in orbem terrarum futurum (videlicet nobis) jam introductum eſſe Chriſtum, probant hi duo loci ſimul juncti, Hebr. 1. 8. & Hebr. 2. 5. Verba enim illa in poſteriore loco, *de quo loquimur*, neceſſe eſt omnino ut ad priorem locum relationem habeant. Quanquam, ut ante dictum eſt, etiamſi de hac ipſa terra, ubi nunc ſumus, Chriſtus apud Matthæum locutus fuiſſet, nihil tamen concluderetur, pro Chriſti regno iſto in terris corporali præſentiâ. Nihil enim impedit, quominus pacifici poſſideant hanc terram, Chriſto interim in cœlis manente.

Præſertim vero Ezech. 34. 23, 24, &c. Hic locus, & alii hujuſmodi de regno fidelium nihil loquuntur, ſed tantum de pace & quiete eorum ſub Chriſto Domino. Neque, ſi de regno loquerentur, inde concludi poſſet, Chriſtum regnaturum cum eis hic in terra corpore præſentem. Quamvis enim dicatur Chriſtus in medio ipſorum futurus, non tamen ſequitur, eum corpore præſentem illis adfuturum, niſi etiam velimus, cum ipſe Chriſtus dixit, ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine ipſius, ſe in medio eorum eſſe, eum voluiſſe ſignificare, ſe corpore præſentem illis adfuturum. In hæc abſurda nimirum incidunt, qui iſtud Chriſti in terris futurum regnum prædicant, nec quam vim habeat præſens ipſius regnum in cœlis ſatis perpendunt.

Sed adhuc plenius & clarius Ezech. 37. &c. *Illi, inquam, habitabunt*, &c. Miror ſane relativum Ὁντι illi, ſive Ipſi ita in hoc loco accipi ut ad patres, de quibus ante facta eſt mentio referatur. Nam vix credo quemquam eſſe, qui non clare perſpiciat, ex ductu totius ſermonis debere referri ad eos, de quibus præcipue verba fiunt, & de quibus proxime dictum fuerat, & *habitabunt*, &c. id eſt, ad Iſraëlitas in genere, qui videlicet eo tempore fuerint. Præſertim, cum fieri non poſſit, ut patres Iſraëlitarum in genere reſurgant à mortuis, ut terram illam inhabitent, cum patres Iſraëlitarum generatim fuerint mali. Notabis autem, quod non legitur ibi *Patres noſtri*, ut hic ſcriptum eſt; ſed *Patres veſtri*, ne forte quis credat vocem *noſtri*, ad Ezechielem nimirum & alios fideles relatam, bonos & fideles tantum Patres ſignificare poſſe. Adde, quod, etiamſi de fidelibus tantum patribus locus iſte accipiendus eſſet, non tamen verum eſſet filios & nepotes eorum reſurrecturos, ut in ea terra habitent. Quod profecto neceſſe foret, ſi pronomen *ipſi* ad Patres referendum eſſet. Eorum enim, licet fidelium, filii ac nepotes peſſimi fuerunt.

Apoc. 7. 15, 17. *Agnus in throno ſedens in medio throni habitabit cum illis* &c. Non legitur in eo loco, quod agnus ſedens in throno, in medio throni habitabit cum illis; ſed quod is, qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos, & quod agnus, qui eſt, in medio throni, reget illos, &c. Quanta autem differentia ſit inter hæc, quæ ibi leguntur, & ea, quæ tanquam ibi ſcripta hic citantur, videbit unuſquiſque per ſe, & mirabitur locum tam corrupte fuiſſe allatum, & quod de re præſente antea narrata, id eſt de ſeſſione in throno &c. majoris evidentiæ gratia repetitur, ad futuram detorqueri. Idque eo magis, quod, licet Chriſtus conſederit in throno patris ſui, ut ipſe affirmat, ſup. cap. 3. ad finem, & inf. cap. 22. in princ. legatur, *è throno Dei & agni*, tamen ſimplici nomine illius, qui ſedet in throno, nunquam Chriſtus ſeu agnus intelligitur, in viſione & libro illo, ſed ſemper Deus. Immo agnus non ſemel diſerte diſtinguitur ab eo, qui ſedet in throno, ut cap. 5. 13, & alibi. Nam quod de ipſo dicitur, quod ſtet vel ſit in medio throni, quo ſenſu id dicatur intelligi poteſt ex eo, quod ſcriptum eſt cap. 5. 6.

Luc. 1. *Idem etiam thronum Davidis patris ſui*, &c. Solium ſeu thronum Davidis poſſidere eſt regnare ſuper Dei populum, ut ipſius Dei populi verum ac legitimum regem, talemque ab ipſo Deo conſtitutum. Hac enim nota, nec præterea alia Davidis regnum à cæteris regnis diſtinguitur. Reliquæ enim vel loci vel ſubditorum circumſtantiæ accidentia ſunt, quæ nihil ad rei eſſentiam pertinent. Aut igitur negandum eſt, Chriſtum in cœlo manentem regnare ſuper Dei populum ea ratione, qua ante dictum eſt, quod ſumma eſſet blaſphemia; aut agnoſcendum, jam Davidis patris ſui ſolium Chriſtum poſſidere, & porro nihil opus eſſe, quo illud poſſideat, eum in terram deſcendere, & Hieroſolymis, ſuper Jacobi ſecundum carnem poſteros, corpore præſentem regnare.

Apoc. 20. prædicat reſurrectionem ex mortuis omnium fidelium Chriſti, &c. Sic quidem eſſe deberet, ſi in illo Apocalyp. loco de Chriſti deſcenſu in terras, ſeu ad nos adventu ageretur. Certum eſt enim in Chriſti adventu, eos, qui ipſius Chriſti ſunt, reſurrecturos, 1 Corinth. 15. 23 Verum in loco illo non dicitur, reſurrecturos fideles omnes, ſed quoſdam tantum Nempe qui decollati ſeu percuſſi fuerint ſecuri, propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei, quique non adoraverint beſtiam neque imaginem ejus, nec acceperint characterem ejus in frontibus aut in manibus ſuis. Nam, ut de ſecuri percuſſis nihil dicam, (nemo enim non videt, poſſe quempiam eſſe Chriſti fidelem, nec tamen propter nomen ejus ſecuri percuti) dico, poſſe fieri, & ſine dubio factum eſſe, ut plurimi non tales fuerint, de quibus dici poſſit, eos non adoraſſe beſtiam, &c. eo ſenſu, quo apud Joh dicitur, & tamen fuerint Chriſti fideles. Apparet enim Johannem de iis loqui, qui iſta facere renuerint, ob idque multa perpeſſi fuerint, aut certe perpeti fuerint parati, non autem de iis, qui ſimpliciter non fecerint; tum quia conjungit hos cum illis, qui ſecuri propter Chriſtum fuerint percuſſi; tum quia inter eos, qui iſta ſimpliciter non fecerint multi eſſe poſſunt, ac revera ſunt, non veri Chriſti fideles, ideoque indigni, qui ad eam gloriam reſurgant. Verum poſſunt ſimiliter inter eos, qui iſta ſimpliciter non fecerint plurimi eſſe Chriſti fideles, qui, vel quia beſtiæ tempore non fuerint, vel quia ob locorum diſtantias nihil commercii cum ea habere potuerint, non autem quia renuerint id facere, beſtiam non adoraverint, &c. de quibus, ut dictum eſt, non loquitur Johannes, & ſic apparet, eum non omnes Chriſti fideles ſuis verbis complecti. Præterea, cum inferius dicatur, mortuorum unumquemque fuiſſe judicatum ſecundum opera ſua; & ſi quis non fuit inventus ſcriptus in libro vitæ, conjectum fuiſſe in ſtagnum ignis; conſtat aperte mortuos iſtos non omnes fuiſſe malos aut infideles, immo multos ex illis fuiſſe inventos ſcriptos in libro vitæ, & conſequenter in antecedente reſurrectione illa non omnes bonos & Chriſti fideles reſurrexiſſe. Certum igitur eſſe debet, ibi non agi de Chriſti adventu ad nos, & conſequenter neque etiam de vera mortuorum reſurrectione; cum mortui non ſint reſurrecturi, niſi Chriſto ad nos adveniente. Tunc autem, ut dictum eſt, & hujus ſcripti auctor non obſcure fatetur, non aliqui tantum, ſed omnes Chriſti fideles reſurgent, & ſic inimica mors abolebitur. Atqui, inimica morte abolita, jam Chriſti regni finis erit. Ultimus enim hoſtis, qui aboletur, mors eſt 1 Cor. 15. ℣ſ. 26. Hoſtibus autem omnibus abolitis, & ſic Chriſto jam omnibus ſubjectis, ſubjicietur ipſe Chriſtus Deo, cui videlicet regnum tradet; ibidem ℣ſ. 24, & 28. Quomodo igitur fieri poteſt, ut poſtquam Chriſtus ad nos venerit, ipſius regnum adhuc per annos mille duret ac vigeat, ut ex illo loco Apoc. una cum aliis millenariis colligit hujus ſcripti auctor? Hinc, ut concludamus, conſtat, locum illum allegorica aliqua ratione interpretandum eſſe, & nihil inde elici poſſe ad regnum iſtud Chriſti in terris confirmandum, niſi illum cum clariſſimis aliis ſacris teſtimoniis apertiſſime pugnare velimus.

Qui exſcindet ac tollet omnem malitiam è terra, &c. An non hoc eſt idem cum eo, quod dicitur Matth. 13. ℣ſ. 41? *Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala*, &c. Atqui locus iſte apud Matthæum ab hoc eodem ſcriptore infra ad tempus refertur, quod poſt mille illos annos Chriſti regni futurum eſt.

Et inquiunt, ſufficit nobis Euangelium, &c. Quidquid hoc loco dicitur, nihil ad nos pertinet, qui Chriſti in terris regnum iſtud futurum negamus. Neque enim propterea nos ii ſumus, qui Apocalypſis librum ſpernamus, vel ſi quid ibi ad noſtram aut ſalutem, aut conſolationem ſpectans ſcriptum eſt, id parvi faciamus. Immo non dubitamus, & libri illius oracula diviniſſima eſſe, & plurima continere ad Eccleſiæ bonum maxime pertinentia. Sed interim aſſerimus (quod nemo negat) pleraque ibi ſcripta valde obſcura eſſe, neque quidquam quod ibi ſcriptum ſit, ita accipiendum eſſe, ut aliis divinis oraculis, quæ præceſſerant, & nihil obſcuritatis in ſe habent, ullo modo adverſetur. Atqui ſi locum illum 20. cap. & alios ejus libri ita acciperemus, ut poſtquam Chriſtus ad nos advenerit, vel aliqui vel omnes ejus fideles à mortuis excitati, cum ipſo Chriſto per annos mille in terris regnaturi eſſent, id ex diametro cum aliis ſcripturæ locis pugnaret, ex quibus apertiſſime colligitur, & adveniente Chriſto omnes ejus fideles reſurrecturos, & omnibus ejus fidelibus reſuſcitatis jam Chriſti regni finem futurum.

De habitatione ipſius in terra cum fidelibus, &c. Cum hoc de maxime diutina corporali habitatione, & de regno præſentia corporali diutiſſime adminiſtrando ſine dubio ſcriptor noſter intelligat, id ego apud Sacros Scriptores uſquam ſcriptum legi pernegare non dubito.

Velint nolint, aut ad Mahometem, &c. Immo potius ad nugas Mahometanas & Epicureas etiam amplectendas via quædam eſſe videtur, terrenum Chriſti regnum expectare. Nam quæ ſolent aut etiam poſſunt terrenæ voluptates eſſe, eæ ſane cum iis, quas Machometani à Deo ſperant, & in quibus Epicurus hominis felicitatem ſtatuebat, aut eædem ſunt, aut valde conſentiunt.

Ille eam [*vitam æternam*] *ponit poſt diem judicii, tandem aliquando neſcio quando*, &c. Quaſi vero judicii dies ille extremus tam cito futurus à nobis expectari non poſſit, quam cito ab iſtis expectatur regnum iſtud Chriſti in terris, (certe quæ iſtis ex Sacris Literis petita, indicia ſunt proximi regni iſtius, eadem nobis extremi illius diei adventantis ſunt ſigna) & quaſi non tam certo poſſit expectari ſeu futurus credi dies ille, ut regnum iſtud. Nunquid fortaſſe ſcriptor noſter quidquam dubitat de die illo? quod ſi ipſe nihil dubitat, cur alios dubitantes facit? Quanquam, quod attinet ad celeritatem adventus illius diei, modo certo adventurus credatur, ea nihil momenti habet in ſalute noſtra, ut ex Petri verbis colligitur 2 Petr. 3. Cæterum nemo eſt, qui vitam æternam, id eſt reſurrectionem, ad illam vitam, ponat poſt diem judicii, ſed nos omnes qui millenarii non ſumus, in ipſo illo die ponimus, nec ante illum expectamus; nempe ab ipſo Chriſto edocti, qui quater Joh. cap 6, hoc eſt ℣ſ. 39,40,44. & 54. ſe in extremo illo die ſuos fideles ſuſcitaturum ait. Quod ſatis eſt ad opinionem iſtam de reſurrectione fidelium Chriſti ante extremum illum diem manifeſtiſſimi erroris convincendam.

Id autem fiet illis mille annis, &c. Immo ſimulatque Chriſtus advenerit. Quibus peractis (longum autem tempus ad hæc peragenda non requiritur) ſtatim mundi finis erit, & vita illa æterna in cœlis initium ſumet. Quemadmodum ex illis ipſis teſtimoniis intelligi poteſt, quæ ab hujus ſcripti auctore hic proxime ante fuerunt citata.

Notæ In Eberhardi Spangembergii ſcriptum de duabus beſtiis Apocalypſis.

IV.

DUrum videtur, quod meretrix illa magna ſit idem cum beſtia, cum meretrix beſtiæ inſidere dicatur cap. 17. Apoc. Propterea hic locus diligentiore explicatione indigere videtur, cum, ut verum fatear, ipſius angeli verba iſtud idem, quod ſcilicet meretrix & beſtia, una & eadem res ſint, innuere videantur.

V.

Apud Danielem cap. 7. nihil habetur de hoc, quod hic

hic dicitur, videlicet, quartam beſtiam habuiſſe ea, quæ aliarum beſtiarum erant propria; & Tremellius ac Junius ſuis in eum locum annotationibus ſatis docuerunt, non eſſe temere affirmandum, quartam illam beſtiam eſſe Romanum Imperium.

VI.

Romam inter duo maria eſſe poſitam, non niſi plus quam improprie (ut ſic loquar) dici poteſt, cum uni ferme adhæreat, & ad illud, propter fluvium ſuum navigabilem, in id pauca ab inde paſſuum millia ſe exonerantem, poſita dici queat, ab altero vero non modo itinere aliquot dierum diſtet, ſed etiam celebri monte totam Italiam perpetuo interſecante ſeparetur: adeo ut potius inter mare (illud, ſcilicet, cui ferme adhæret) & montem poſitam eſſe dicendum videatur. Jam Apoc. cap. 17. nulla fit mentio duplicis maris, ſed aquarum tantum multarum, ſuper quas mulier illa ſedeat, quæ etiam non veræ ſint aquæ, ſed populi, & turbæ, & gentes, & linguæ. Locum Dan 11. huc pertinere non conſtat, & ſatis ex tota illius prædictionis ſerie liquet, de Antiocho Epiphane ibi verba fieri, quem Romani Pontificis typum fuiſſe, nihil ex Sacris Literis apparet.

VII.

Secunda Beſtia non dicitur ſemper fuiſſe apud alteram; immo ex Johannis verbis intelligi poteſt, aliquamdiu poſt illam extitiſſe, illamque etiam ſine hac ab ipſo Johanne proponi & conſiderari, & ideo, etiamſi admittatur alioqui ratiocinatio iſta, quod ſcilicet ex ſecunda beſtia colligatur profeſſio Chriſtiani nominis in altera prius nominata; non tamen hinc concludi abſolute poteſt priorem beſtiam non eſſe Romanum imperium adhuc ethnicum, ſed potius dicendum, ſub prioris beſtiæ nomine Romanum imperium, primum ut ethnicum, deinde etiam ut profeſſione Chriſtianum, accipi & ſignificari. Adde, quod ſi iſtud non fiat, interpretatio ſeptem capitum, quæ infra particula 15, &c. affertur, ſubſiſtere non poterit, cum ſex priora capita ad Romanum Imperium, ut ethnicum conſideratum, tantum pertineant.

IX.

Immo, qui velit defendere, beſtiæ prioris nomine non poſſe intelligi Romanum imperium profeſſione Chriſtianum, præcipue vero ſub Pontificibus, ſed neceſſe eſſe, ut intelligatur Romanum imperium adhuc ethnicum, optime videtur poſſe ratione iſta uti, quod Roma jam profeſſione Chriſtiana, & ipſi Romani Pontifices inprimis, nunquam blaſphemaverunt Dei nomen, aut eos, qui in cœlo habitant, id quod iſti priori beſtiæ tribuitur, quodque hoc apertiſſime ethnico Romano imperio convenit, quod & Chriſto in cœlo habitanti ac regnanti diſerte maledicebat, & blaſphemum atque injurium in verum Deum, ipſius Chriſti Patrem, multis modis erat.

X.

Cum meretrix illa Apoc. 17. dicatur eſſe civitas illa magna, non video, quomodo beſtia, ſuper quam meretrix ſedet, poſſit eſſe eccleſia Romana, neque enim civitas ſuper eccleſiam, ſed potius eccleſia ſuper civitatem ſedet. Præterea, ſi, ut ſupra affirmatum eſt, meretrix, & beſtia idem ſunt, ſequitur, beſtiam, ſimiliter ut meretrix eſt, eſſe civitatem illam magnam, non autem ejus eccleſiam.

XV.

Deſiderantur in enumeratione iſta capitum Romani imperii Tribuni militares, qui multo diutius imperium exercuerunt, quam Decemviri, qui tamen inter hæc capita numerantur. Ex quo ſequitur, ſi alioqui interpretatio iſta capitum Romani imperii admittenda ſit, Johannis tempore non quinque, ſed ſex iſtorum capitum jam cecidiſſe, adverſus manifeſta ipſius angeli verba. Crediderim tamen, interpretationem iſtam ab hac impugnatione defendi poſſe, Dictatoribus videlicet omiſſis, nec inter iſta Romani imperii capita numeratis, quippe qui nec ordinarius magiſtratus ex decreto ipſius populi unquam fuerint, nec certis aliquibus temporibus aut exiterint, aut eſſe deſierint; niſi quod poſt Syllam & deinde Cæſarem, quorum uterque ſeipſum Dictatorem fecit, nullus dictatoris nomen uſurpaſſe legitur.

XVII.

Cum dictum antea fuerit & mox repetatur, Romanum imperium profeſſione Chriſtianum, ſive Romanam Catholicam eccleſiam (ut pote quæ ſit beſtia illa) eſſe & ſeptimum & octavum caput, non eſt laborandum, ut Conſtantini Magni imperium, diverſum ab aliis, qui præceſſerant, fuiſſe oſtendatur, ut hinc ſcilicet, inferri poſſit, tunc cœpiſſe ſeptimum caput. Quaſi Conſtantinus fuerit ipſe caput iſtud; quemadmodum etiam indicant verba illa, in ſuperiore, id eſt, 16 ſectione poſita, po tym przerzeczonym ßoſtpm Krolu jaden inſy nienaſtapik oprocz Conſtantina wielkiego / Kamieniem &c. hoc eſt, *Poſt hunc prædictum ſextum regem, nullus alius ſucceſſit, præter Conſtantinum Magnum, brachium*, &c. Namque ex his verbis videtur omnino colligi, Conſtantinum Magnum, quatenus fuit brachium ſæculare eccleſiæ Romanæ, fuiſſe ſeptimum caput, ſeu ſeptimum regem; quod tamen eſſe nequit, ſi eccleſia ipſa Romana eſt caput iſtud.

XVIII.

Atqui, quod ſive imperator Romanus jam Chriſtianus factus, ſive ipſa eccleſia Romana, quatenus habuit imperatorem brachium ſuum ſæculare, ſit illud ſeptimum caput, videtur nullo pacto poſſe admitti. Diſerte enim dicit angelus Johanni, caput iſtud ſeptimum exiguo tempore duraturum. At vero quicquid auxilii ſæcularis Romana Eccleſia à Conſtantino Magno habuit, id multis ſæculis in ipſius Conſtantini ſucceſſoribus duravit, donec, ſcilicet, Græci imperatores cœperunt à Pontifice Romano diſſidere. Præterea, etiamſi poſt ipſius Conſtantini Magni, ac duorum filiorum ejus, Conſtantini & Conſtantis mortem, velit quis auxilium iſtud deſiiſſe, quippe ipſius Romæ dominatione ad Conſtantium reliquum Conſtantini Magni filium devoluta, qui Arrianus fuit, & poſt ipſum ad Julianum cognomento Apoſtatam (quanquam hoc non fuit deſinere, ſed interrumpi) non tamen brevi tempore duraturum iſtud ſeptimum caput, ſic ſimpliciter & abſolute dicere angelus potuiſſet, ſi omnino ſex priora capita ea ſunt, quæ partic. 15. fuerunt enumerata. Nam duo ex iſtis, nempe Decemviri & Triumviri, multo breviore temporis ſpatio duraverunt, præſertim Decemviri, qui vix biennium regnarunt. Recte autem, judicio meo, & hic, & ſequente particula 19. capita iſta dicuntur eſſe Romana, ſive in urbe Roma. Hinc enim id ſequitur, quod ego veriſſimum eſſe arbitror, beſtiam, ſcilicet, quæ capita ſeptem habet, eſſe ipſam Romam, non autem Romanam eccleſiam, Romam, inquam, prius ſub imperio ethnico, & ſæculari, deinde etiam ſub eccleſiaſtico, & modo illa, modo hac ratione conſideratam.

XXIV.

Si conſtaret, beſtiam aliud nihil eſſe, quam eccleſiam Romanam, facile poſſet admitti iſta concluſio, quod altera beſtia eodem tempore cum ipſa eſſe cæperit. Sed quemadmodum non recte Sect. 7. videtur eſſe concluſum, quod prior beſtia ſit Romanum imperium ſub Chriſti tantum nomine, ex eo, ſcilicet, quod beſtia iſta habeat beſtiam alteram, id eſt, Prophetam: cum, ut ibi diximus, in Apocalypſi non dicatur, ſemper ita, fuiſſe; ſic nec converſo ordine, probari poteſt, ſemper alteram beſtiam una cum priore fuiſſe, ſive eodem tempore cum ea eſſe cæpiſſe, ex eo, videlicet, quod beſtia prior aliud nihil ſit, quam eccleſia Romana, ſeu malumus Roma ſub eccleſiaſtico imperio; cum nihil conſtet, beſtiam non ſignificare Romam etiam ethnicam & ſub ſæculari imperio.

XXVII.

Cornu illud parvum apud Danielem, Tremellio & Junio hominibus Euangelicis, nec non aliis doctiſſimis

viris Romanæ eccleſiæ minime addictis, eſt Antiochus Epiphanes, quem typum Romani Pontificis geſtiſſe, nuſquam, ni fallor, nobis Spiritus Sanctus indicavit: Jam vocula abowiem / quia, cujus perpetuum eſt reddere rationem, non videtur hoc loco convenire, niſi clarius explicetur, & hoc ipſo loco repetatur, alteram Apocalypſis beſtiam eſſe caput & os prioris.

XXIX.

In verbis illis Ktore maczą quæ ſignificant, &c. verbum ;maczą/ *id eſt, ſignificant*, nimis improprie videtur uſurpatum pro eo quod eſt, *ex altera parte reſpondent*, ſeu *opponuntur*.

XXXI.

Cum Apoc. 13. dicatur, alteram beſtiam dicere habitantibus in terra, ut faciant imaginem prioris beſtiæ, nullo pacto verifimile videtur, alteram iſtam beſtiam eſſe hanc ipſam imaginem. Neque ulla cauſſa eſt, cur, ſi hoc Johannes ſenſiſſet, aliqua ratione id aperte non indicaſſet; præſertim, cum unica vocula addita, facere id potuiſſet, ſi dixiſſet, alteram beſtiam juſſiſſe, ut ſe facerent imaginem beſtiæ, quamquam magis obſtant præterea illa quæ ſequuntur, quod, ſcilicet, alteri beſtiæ datum fuerit, ut det Spiritum imagini iſti, ita ut etiam loquatur imago iſta, &c. Hæc enim manifeſte docent, aliud eſſe alteram beſtiam, aliud vero imaginem prioris beſtiæ.

XXXV.

Verba ipſius Apocalypſis, ubi expreſſæ ſunt univerſales voces, & cujuſcumque generis homines ſignificantes, non permittunt, ut intelligamus, characterem iſtum non pertinere niſi ad eos, qui antea vel ethnici fuerant, vel beſtiam bene cognoverant. Adde, quod non apparet, quod iſti habeant peculiare, ſibi à beſtia quodammodo inuſtum, quod alii omnes non habeant, qui beſtiam ſemper ex animo coluerunt.

XXXVI.

Ratio, quæ hic redditur præcedentis dicti, minus probabilis videtur, quam ipſum dictum; cum nulla ſit cauſſa, cur ii, qui ex animo beſtiam ſemper coluerunt, non ſint numerandi inter ipſius beſtiæ cultores, immo, cum nihil abſurdius, quam iſtos ab hoc numero apud Johannem excludi, & ipſa loca, quæ hic commemorantur, unde conſtat, omnes, qui ſalutem æternam non ſunt adepturi, beſtiam culturos, aperte docent, inter beſtiæ cultores à Johanne numerari illos etiam, qui eam & ſemper, & ex animo coluerunt, tantum abeſt, ut quemadmodum hic ſine ulla probatione affirmatur, ſint loca iſta interpretanda, ut iſti non numerentur.

XXXVII.

Poterat id, quod hoc loco dicitur omitti; cum, ſi non falſum, certe plane dubium ſit, & parum aut nihil pertineat ad præſens inſtitutum, & ad duarum illarum beſtiarum ſignificationem. Ego quidem, omnino falſum eſſe puto, eos pro fratribus habendos, qui nos perſequuntur. Neque enim alterius perſecutio, præſertim Chriſtum colentis & confitentis, ejuſque nomen, ut ſervatoris ſui, publice profitentis, quales nos ſumus, cum pietate Chriſtianaque charitate conſiſtere poteſt.

XL.

Quod illi tres reges Dan 7. ſignificent illos decem proxime nominatos, nulla ratione admittendum videtur. Cur enim non potius ibi ſcriptum fuiſſet, iſtos decem reges, non autem tres depreſſum iri? Quis umquam audivit, tres idem eſſe, quod decem, præſertim, ubi dictum fuerit, *tres ex iſtis decem* quemadmodum hic conceditur dictum fuiſſe, quamvis id diſerte ſcriptum non ſit. Sic enim habent prima ipſa verba hujus 40 particulæ Trzech krolow z onych ;ieſiaci / *&c. id eſt, Tres reges ex illis decem*, &c. Quanquam, ſatis hoc ipſum aperte apud Danielem legi, affirmari poteſt, cum conſtet, ibi dici, reges ſignificatos in Danielis ſomnio fuiſſe per cornua illa, de quibus diſerte legitur, idque bis, quod Daniel viderat tria de prioribus, id eſt, de decem cornibus avulſa fuiſſe. Locus Lucæ. 19. non probat, idem ſignificare ſolere tres, quod decem. Nam Chriſtus in parabola illa ſatis habuit narrare, quid cum tribus ex illis decem ſervis feciſſet ac dixiſſet nobilis ille vir, qui ſingulis minam dederat, jubens, ut negotiarentur. Nec inde ulla ratione colligi poteſt, decem & tres pro eodem interdum in ſcriptura accipi ſolere; præſertim, cum non appareat ex Chriſti verbis, tertium ſervum, qui veniſſe dicitur rationem redditurus Domino, numerum expleviſſe illorum ſervorum neque enim de eo dixit Chriſtus aliud, quam *& alius [ſervus] venit*, &c.

XLI.

Si diverſis in locis modo tria, modo decem cornua nominata invenirentur, poſſet locum habere conſideratio iſta ſignificationis ejuſdem, quam uterque hic numerus habere ſolet: Sed ubi non modo eodem prorſus in loco ſimul nominantur, ſed ita, ut conſtet, tria non eſſe illa decem, ſed tantum de numero illorum, nullus locus conſiderationi iſti prorſus relinquitur.

XLII.

Jam ſupra monuimus, haud temere affirmandum, quartam illam beſtiam Dan. 7. eſſe Romanum imperium. Verifimile enim plane videtur, imperium illud, quod poſt Alexandrum Magnum extitit, & Seleucidarum regnum appellari ſolet, per eam ſignificari. Unde conſequitur, non ſtatim ex eo, quod & apud Danielem, & apud Johannem decem regum fit mentio, eandem rem utrobique dici: præſertim, ſi verum eſt id, quod ſuperiore particula affirmatum eſt, numerum denarium in iſtis locis pluralitatem ſignificare, & non, ſcilicet, certum & præfinitum quendam numerum.

XLIV.

Hoc verum eſt, ſi Danielis loci ratio habeatur, non autem, ſi ad Johannis locum quis reſpiciat, quæ inter utrumque locum differentia ſatis docere poteſt; non agi utrobique de re eadem. Verba enim Apocalypſis non ita habent. *Sunt decem reges, qui ex iſto regno exorgent*; ſed tantum apud Danielem ita legitur. At in Apocalypſi verba ſunt, quæ omnino indicant, decem iſtos reges uno & eodem tempore extituros, cum diſerte dicatur, eos una hora cum beſtia poteſtatem, ut reges, accepturos.

XLV.

Hæc interpretatio prædictorum verborum Apocalypſis, ſine dubio ab ipſis verbis non parum abeſt. Nam longe aliud eſt, Sumere poteſtatem regni eadem hora cum beſtia, &, Poſtquam beſtia regnare cæperit, aperiri ſibi portam, ut poſſint regnare. Adde, quod reges iſti, ſi ii ſunt, qui ante, particula 42 & 43. eſſe ſunt dicti, non, poſtquam Romana eccleſia ſupremam poteſtatem Romæ obtinuit, ſed ante, magna & præſtantiore ex parte regnare cæperunt.

XLVI.

Hæc particula ſuperiorem redarguit, eique eſt contraria. Nam, ſi Romanum imperium in multos reges dividi debuit, ut eo citius ipſum Romanum imperium Chriſtianum nomen gerere poſſet hoc eſt, ſumma imperii ad eccleſiam Romanam devolvi; certe non eccleſiæ Romanæ ſumma poteſtas oſtium aperuit regibus iſtis regnandi: ſed contra, iſtorum regum poteſtas viam ſtravit eccleſiæ Romanæ ad iſtam ſupremam auctoritatem perveniendi.

XLIX.

Interpretatio loci Apoc. 20. quod attinet ad Satanam

tam vinctum, in abyſſum dejectum, & ibi diligenter admodum incluſum, ac poſtea ſolutum, quæ hic attingitur, & infra partic. 51. & deinceps apertius exponitur, mira admodum & abſurda videri debet, quod attinet præſertim ad tempus, quo iſta facta fuerint. Nam per eam efficitur, ut tunc Satanas vinctus, in abyſſum conjectus, ibique magna cum diligentia incluſus fuerit, cum beſtia, quæ ipſius Satanæ præcipuum eſt inſtrumentum, ſpirituali, eique ſummæ potentiæ carnalem ſolide ac ſtabiliter junctam habere cœpit; tunc vero inde ſolutus fuerit, cum beſtiæ ſpiritualis potentia inſigniter minui cæpit, ac labefactari. Quod ſi ante Carolum quinctum Imperatorem, electorum Dei non ſunt eæ lamentæ conſpectæ, quæ poſtea, hoc non idcirco factum eſt, quod Satanas in abyſſum detruſus eſſet: ſed potius quia Satanas ejuſque imperium ita graſſabatur in mundo, ut vix ulli electi Dei exiſterent: Eccleſia, videlicet, quæ ipſum Satanam, ſe, & mox futurum partum ſuum perſequentem eique inſidiantem, fugerat, in deſerto loco manente Apoc. 12. Nam alioqui non minus ante, quam poſt Carolum quinctum ii, qui ſeſe beſtiæ aliquo modo opponebant, & ſic electi Dei fuiſſe cenſeri poſſent, ab ipſa beſtia & regibus terræ, qui ab illa ſeducti fuerant, ſummopere vexati, & afflicti, atque etiam ex hac vita exterminati ſunt. Legatur martyrum, qui ſub beſtia, poſt alteram beſtiam exortam, paſſi ſunt, hiſtoria, quæ tamen ob ſcriptorum inopiam, & ingentem metum, ignorantiæ ſummæ rerum divinarum junctum, qui quominus iſta ſcriptis diligenter mandarentur, impediebat, plena haberi non potuit: inter cætera vero quæ in iſta ipſa hiſtoria non leguntur, diligenter inveſtigetur, quot (ex Albingenſium potiſſimum numero) qui Romanæ eccleſiæ hæretici erant, id præcipue Dominico, Dominicanorum monachorum auctore, curante, flammis exuſti, & aliis modis extincti fuerint. Floruit autem Dominicus iſte (ab Honorio tertio Pontif. (niſi me memoria fallit) in numerum Divorum relatus) annis ampliustrecentis ante Carolum quinctum Imperatorem. Nihil dico de Johanne Huſſio & Hieronymo Pragenſi, & non paucis aliis in Anglia, in Germania, & alibi ab Imperatoribus, regibus, principibus, & conciliis doctrinæ Romanæ eccleſiæ addictis, religionis cauſſa, ante Caroli quincti tempora, ultimo ſupplicio affectis. Namque ii ex prædicta hiſtoria ſatis noti eſſe poſſunt.

LI.

Quod caſtra ſanctorum, & urbs illa dilecta, cum ab iis, quos Satanas jam ſolutus excitaverat, infeſtari cæperunt, vellent ex urbe Babylone aufugere, nullum verbum (ni fallor) eſt apud Johannem in Apocalypſi, ſive cap. 20. ſive alio in loco. Immo ea, quæ cap. 20 leguntur, ſi quis diligenter attendat, ut ordine ipſius narrationis, ſic reipſa poſt Babylonis excidium extitura, facile cognoſcet; adeo ut ipſi illi mille anni, primaque illa reſurrectio, & Satanæ vincula & conjectio in abyſſum, &c. iſta, inquam, omnia Babylonis ruinam ſint ſecutura. Nam vel id, quod tunc dicuntur ii revicturi, qui nec beſtiam adoraverunt, aut imaginem ejus, nec characterem ipſius acceperunt, ſatis oſtendit, jam beſtiæ tyrannidem deſiiſſe, & ſic jam Babylonem cecidiſſe. Conſideretur vero, aliud plane eſſe, Caſtra ſua, & civitatem habere, quod de ſanctis apud Johannem cap. 20. Apoc. legitur, &, Fugere ex civitate Babylonis, quod eis pro eodem ipſo tempore in hac particula tribuitur.

LII

Apoc. capite 14. non tres angeli, ſed unus tantum dicitur Euangelium æternum prædicare. Nec apparet, ex prædicatione iſta conſecutum eſſe, ut ſanctus Dei populus cæperit ex Babylonis civitate fugere.

LIV.

Mille annorum nomine intelligi Apocalypſis 20. annos paullo plures, quam ſeptingentos; qui inter Carolum Magnum, & Carolum quinctum interceſſerunt, cum nihil aliud prorſus appareat, quod interpretationem iſtam juvet, ſed potius multa, quæ illam labefactent, non video, cur admitti ullo modo debeat

LV.

Non bene hæc conveniunt, Satanam fuiſſe ligatum, ne gentes deciperet, & tamen horribiles multas cædes, & varias plagas interim in mundo excitaſſe. Qua enim ratione (quæſo) iſta excitat Satan, niſi quia gentes decipit? Gentium enim nomine ii, ſine dubio, hoc loco intelliguntur, qui non ſunt veri Chriſtiani, etiamſi Chriſti nomen alioqui profiteantur. Nec vero habentur apud Joannem verba illa, ἵνα μὴ πλανήσῃ ἔτι τὰ ἔθνη *hoc eſt, ad populum plane perdendum*, ubi agitur de Satana ligato, ne decipiat gentes. Quaſi iſta ſatanæ vincula eo tantum ſpectent, ne Dei populus plane exterminetur, quantumvis interim alioqui gentes Satan decipiat. Sed ſimpliciter dicitur ſatan ligatus fuiſſe, ne gentes deciperet: addita etiam diſerte vocula *amplius*, quæ oſtendit, ſatanam, antequam ligaretur, id feciſſe, propter quod, ne id jam faceret, ligatus fuerit. Atqui Dei populum ſatanas numquam plane exterminavit, nec umquam tamen propius eo acceſſit, ut illum funditus perderet, quam eo tempore, quod medium fuit inter Carolum Magnum & Carolum quinctum Imperatores, tantum abeſt, uti nunc ligatus fuiſſe dici poſſit, ne gentes ſeduceret, eaſque ut ſolet adverſus Dei populum excitaret. Jam vero quod hic dicitur, viſum oſtenſum Johanni illorum, qui cum Chriſto vixerunt & regnarunt mille annis, accipi debere de vita, quæ iſtiuſmodi hominibus obtingit poſt diſſolutionem hujus tabernaculi, ut ſignificetur, eos, dum Antichriſtus hic vivit & regnat, ut Dei ſacerdotes victuros & regnaturos, nullo pacto, ex ſenſu præſertim ipſius hujus ſcripti, admitti poteſt, propter mentionem illam mille annorum. Certum eſt enim, iſtos mille annos eſſe eoſdem cum illis, quibus Satanas vinctus eſſe debuit, quemadmodum unicuique caput illud 20. Apoc, legenti conſtare poteſt, præſertim vero ex fine ℣ſ. 6. & principio ℣ſ. 7. ſimul junctis. Atqui, poſtquam finiti fuerint iſti mille anni, quibus Satan vinctus eſt futurus, non tamen deſinet ſtatim vita & regnum Antichriſti; immo ſoluto jam Satana, fiet fortius & vividius, ſi ipſi hujus ſcripti auctori credimus, qui vult, beſtiæ tyrannidem, durantibus Satanæ vinculis, numquam intercidiſſe. Præterea iſti mille anni habent certum ſuum & unicum principium; quemadmodum etiam ex verbis Johannis apparet, iſtos, qui regnaturi erant cum Chriſto, ſimul & ſemel omnes debuiſſe incipere regnare. Unde ſequeretur, omnium ſimul & ſemel terreſtre hoc tabernaculum diſſolvi debuiſſe, id eſt, omnes eodem tempore debuiſſe diem ſuum obire, ſi vera eſſet interpretatio iſta; id quod manifeſte fieri non poſſe apparet. Omitto autem, quod, ſi mille iſti anni eſt tempus illud, quod fluxit à Carolo Magno ad Carolum quinctum, ut ſupra affirmari vidimus, conſolatio & confirmatio, quam Chriſti fideles ſub Antichriſto percipere debere ex viſione iſta dicuntur, tunc plane deſineret, cum ea maxime fuit, & eſt opus. Nam poſt Carolum quinctum, & ſine ulla comparatione major fidelium Chriſti numerus, quam antea fuit, & Antichriſti tyrannis crudelior.

LVII.

Reſurrectio reliquorum mortuorum, ut quidem verba ipſa ferunt, *Cæteri vero mortuorum non revixerunt*, ejuſdem generis eſſe debet, aut ſaltem plane ſimilis, cujus eſt priorum. Quare, ſi priorum reſurrectio, eſt poſtquam diſſolutum fuerit hoc terreſtre tabernaculum, vivere & regnare cum Chriſto in cælo, ut ſuperioribus proximis duabus particulis dicitur, certe reliquorum reſurrectio non poteſt eſſe, venire in cognitionem veritatis divinæ. Hæc enim illi non parum eſt abſimilis; præſertim, cum multi ex iis, qui ad hunc

modum reſurrexerint, perituri nihilominus ſint. Præterea, quod iſta reliquorum mortuorum reſurrectio, non ſit patefieri ſibi divinam veritatem, aperte conſtare videtur ex ipſis verbis quibus illa deſcribitur poſtea, & narratur ỳſ. 12. & 13. unde etiam apparet, ſtatim poſt illam ſubſequi judicium æternum, ſecundum opera ipſorum: nempe quæ fecerint, antequam morerentur, & quæ propterea ipſorum adhuc mortuorum opera dici poſſint, ut docet modus ipſe loquendi, *& judicati ſunt mortui*, &c. Neque enim ita loqui potuiſſet Johannes, ſi ageretur de operibus, quæ fecerint, poſtquam mortui eſſe deſierint, ut fert interpretatio reſurrectionis eorum, quæ hic affertur.

LIX.

Arbitror hic pro Dan. 7. ſcribendum fuiſſe Dan. 12. Cæterum animadvertendum eſt, quamvis ſcriptum ſit, reliquos mortuorum non reſurrecturos, niſi poſt illos mille annos, non tamen intelligendum eſſe, id ſtatim poſtea futurum, ut ſcriptor noſter ſenſiſſe videtur. Antecedere enim reſurrectionem iſtam debet pugna gentium, à Satana jam ſoluto, excitatarum adverſus ſanctos eorumque caſtra, & civitatis dilectæ obſeſſio, atque obſeſſiorum igne divinitus demiſſo conſumptio, ut ſatis ex ipſa narratione patet. Ex quo etiam conficitur, ut etiamſi mille anni iſti finirentur tempore Caroli quincti Imperatoris, non tamen concludi debeat, immo ne fieri quidem ullo modo poſſit, ut ejuſdem tempore reſurrectio iſta eſſe cœperit. Nondum enim hactenus, nedum illius Imperatoris tempore, qui ante annos 40 mortuus eſt, vidimus obſeſſores iſtos divinitus extinctos.

LXI.

Si beſtia illa una cum ſuo falſo propheta eſt eccleſia Romana, una cum ſuo Pontifice, ut ſupra affirmatum in hoc ſcripto eſt, nullo pacto videtur dici poſſe, Gog & Magog eſſe ipſam eccleſiam Romanam, propter id, quod ſcriptum eſt ỳſ. 10. ejuſdem 20. cap. Apoc. *& diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi beſtia, & pſeudopropheta.* Primum enim ex his verbis conſtat, alios eſſe ſeductos iſtos, (hos autem certum eſt eſſe gentes, & inter ipſas, Gog & Magog, ut ex ỳſ. 7. liquido apparet) & alios beſtiam, & pſeudoprophetam. Deinde non obſcurum ex ipſis eſt, beſtiam, & pſeudoprophetam, jam conjectos fuiſſe in ſtagnum ſulphuris & ignis, cum diabolus ſimiliter eo conjiceretur. Hanc enim vim habent verba illa, *ubi beſtia & pſeudopropheta*; quæ ſine dubio referuntur ad id, quod ſcriptum eſt cap. ſuperiore ỳſ. 20. tamquam videlicet, ad id, quod antea factum fuiſſet. Et quidem nos, ut ſupra innuimus, id adeo ante punitum Gog & Magog factum eſſe credimus, ut etiam ante ipſos illos mille annos, quemadmodum tum narrationis ordo, tum alia multa ſuadent, omnino factum eſſe exiſtimemus. Adde, quod beſtia & falſus propheta conjecti dicuntur in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi dies noctesque cruciabuntur: ii vero qui decepti a diabolo obſederant urbem ſanctorum, & ſic Gog etiam & Magog, igne cælitus demiſſo dicuntur devorati. Ex quo ſimiliter ſatis liquet, aliud eſſe beſtiam, & falſum prophetam, & ſic, ex hujus ipſius ſcriptoris mente, Romanam eccleſiam cum ſuo Pontifice, & aliud Gog & Magog apud Johannem. Nam quod hic dicitur quemadmodum Gog & Magog ultimus hoſtis populi Dei apud Ezechielem cap. 39. ſcribitur, ſic imperium Romanum ſub Chriſtiano nomine, eſſe ultimum inimicum, per quem peccata populi ſui puniturus ſit Deus; videtur, ex verbis, quæ leguntur apud Ezechielem, non poſſe id plane ſtatui, quod hic de Gog & Magog affirmatur. Cum nihil vetet, Deum ſui populi reducendi principium facturum fuiſſe à deſtruendo Gog & Magog, unde proficiſcuntur illa, quæ ibi dicuntur de populo reducendo: necdum tamen, iſtis quamvis deſtructis, futurus eſſe finis abolendi inimicos populi Dei, quo plene ac perfecte in libertatem vindicaretur. Quod vero attinet ad Romanum imperium Chriſti nomen profitens, nuſquam alibi (quod ſciam) ſcriptum aut indicatum eſt, illud fore ultimum inimicum, quo utatur Deus in caſtigando populo ſuo. Apud Johannem certe, ut diximus, ſatis aperte legimus, Gentes ex quatuor terræ angulis, Gog & Magog à Satana congregatum iri, ut bellum inferant ſanctis, poſtquam jam beſtia & pſeudopropheta conjecti fuerint in ſtagnum ignis & ſulphuris; quam beſtiam certum eſt Romanum imperium ſignificare.

LXVII, LXVIII, & LXIX.

Quid apud Danielem ſignificet illa abominatio deſolationis, quatenus vel refertur, vel accommodatur ad Chriſti tempora declarat ipſe Chriſtus, ſi hæc duo loca ſimul jungantur, Matth. 24. 15. & Luc. 21. 20. id quod nihil habet commune cum eo, quod hic dicitur. Porro, quod ad ablatum ſacrificium attinet, id quatenus ſimiliter ad Chriſti tempora pertinet, illarum ſeptuaginta ſeptimanarum ultima ab ipſo Chriſto factum fuiſſe, ex ipſius angeli apud Danielem verbis cap. 9. conſtat. Quod tempus multis ſæculis illud antecedit, quo Romana eccleſia caput illud ſeptimum beſtiæ fieri potuit; & de ſacrificio Judæorum, non autem Chriſtianorum in prædictione iſta agitur. Locum Danielis 12. nihil cogit aliter intelligere, atque intelligantur antecedentia loca cap. 8. ỳſ. 11, & cap. 11. ỳſ. 31. in quibus eadem de re verba fiunt, & quæ certum eſt, de Antiocho Epiphane intelligenda eſſe: præſertim vero locus cap. 11. ita ut nemo id negare poſſit. Nec ulla eſt cauſſa, cur quis ea, quæ Dan. 12. hac de re ſunt ſcripta, eadem eſſe affirmet, cum iis quæ leguntur Apoc. 12.

LXXI, & LXXII.

Hic pro conceſſo id ſumitur, de quo nihil conſtat, id eſt, principium dierum, qui leguntur Dan. 12. eo tempore extitiſſe, quo Conſtantinus Magnus Imperator Romanus declaratus eſt; etiamſi concederetur, Danielis locum ad Chriſti tempora pertinere, de quo tamen ſimiliter nihil conſtat. Immo, ut diximus prorſus eſt veriſimile, ad Antiochum Epiphanem locum iſtum referendum eſſe, nam ad unguem (ſi Tremellio & Junio fidem non detrahimus, id ſine ulla hæſitatione teſtantibus) reſpondet dierum numerus, nec neceſſe eſt eos pro totidem annis accipere. Adeo, ut, quemadmodum etiam antea de aliis locis Danielis diximus, ſi quis velit iſta nihilominus ad beſtiæ alterius tempora, de qua in apocalypſi, referre, neceſſe ſit prius probare, Antiochum Epiphanem iſtius beſtiæ typum fuiſſe. Jam dies pro annis acceptos interpretari annos non ſolares, ſed lunares, novum plane & inauditum, ut arbitror, in Scriptura eſt, in qua nulla alia annorum computatio (niſi vehementer fallor) inter tam multos ac pœne innumerabiles, invenietur, quæ non ſit annorum ſolarium. Nec mirum, cum anni lunares, id eſt, duodecim lunarum, non ſint revera anni, niſi fiat debita intercalatio, id eſt, quoto aliquo anno adjectio dierum, qui illis deſunt, quibus adjectis, pares ſolaribus fiant. Ut à Judæis hodieque fit, qui tertio quoque anno tredecim menſium annum habent. Ad probandum autem, quod dies iſti Danielis ſint totidem anni lunares, afferre, quod 1290 anni lunares tunc expleti ſunt, cum decima pars civitatis corruit, qua de re ſcriptum eſt Apoc. 11. & hoc pro certo argumento veritatis iſtius ſupputationis proponere, nimis ab omni ratione recte argumentandi abeſt. Sunt enim hic multæ principii petitiones, ſeu ſumptiones pro conceſſis earum rerum, quas alii in hac ipſa diſputatione negant. Aut certe de quarum veritate nihil apparet. De duabus jam diximus, quarum altera eſt, Danielis locum pertinere ad Chriſti, vel potius poſt Chriſtum tempora, altera vero, initium dierum, qui ibi commemorantur, ſtatuendum eſſe in ipſo initio imperii Conſtantini Magni, id eſt, tum cœpiſſe ablationem jugis ſacrificii, & abominationem illam deſolationis. Tertia eſt, quod

quod oblatio illa jugis ſacrificii & abominatio deſolationis, de quibus apud Danielem, tum defierit, cum cecidit decima pars civitatis, de quo in Apocalypſi. Nam 1290 illi dies apud Danielem, tempus eſt, quo duæ iſtæ res durare debebant. Quarta eſt, quod tunc decima pars civitatis illius ceciderit, cum Carolus quintus Imperator coactus eſt pacem facere cum Proteſtantibus. Adde quod, ſi 1335 anni lunares finiuntur, ut hic dicitur, anno Chriſti 1602. nullo modo fieri poteſt, ut anni lunares 1290 finiti fuerint tempore pacis iſtius. Ea enim facta eſt ante annum Chriſti 1602. annis ſolaribus 47. & amplius; inter annos vero 1290, & 1335 lunares, non intercedunt niſi lunares anni 45. Miror autem, ſcriptorem noſtrum tantopere laborare in explicandis diebus 1290, & 1335. de quibus apud Danielem, cujus verba & prædictiones iſto in loco ad inſtitutam ſcriptionem pertinere, incertum plane eſt, & nihil prorſus dicere de diebus 1260. qui beſtiæ, de qua nominatim & ex profeſſo ipſe ſcribit, in Apocalypſi tribuuntur. Sed non potuit, videlicet, ullo pacto invenire, quomodo numerum iſtum dierum 1260. ad mox futuram (quam ipſe, ut cupit, ſic, quemadmodum fieri ſolet, etiam ſperat) liberationem Chriſti fidelium à tyrannide Antichriſti accommodaret.

LXXIII & LXXIV.

Laudo iſtam conſiderationem computationis incluſivæ & excluſivæ, ad loca illa Mat. & Marci, ubi agunt de Chriſti tranſfiguratione, cum Lucæ loco concilianda accommodationem. Sed quid re iſta hic erat opus, niſi ardens illud deſiderium liberationis à tyrannide Antichriſti, duorum tantum annorum, in ipſa expectanda, moram vix pati poſſet? Nam, quod ad oſtendendum, anno 1600. Chriſti, tantum bonum ſperari poſſe, affertur id quod ſcriptum eſt Apoc. 14. de ſanguine, id eſt rubro vino, quod ex lacu iræ Dei expreſſum pertigit ad frænos equorum per ſtadia 160 mihi plane ridiculum videtur, & de tanta re ſcriptione prorſus indignum.

LXXV.

Cum ſcriptor ipſe incertum relinquat, an anno Chriſti 1602. an vero 1600 futurus ſit iſte ipſius Chriſti adventus, non erat, cur laboraret in conciliando eo, quod ſcribit de anno 1600. cum eo, quod de Chriſti adventu legitur Mat. 24, & Mar. 13. omiſſo eo, quod ſcribit de anno 1602. quaſi, ſi anno 1602 & non prius adventus iſte Chriſti fuerit, nulla iſtiuſmodi conciliatione ſit opus: ſed tantum, ſi fuerit anno 1600. quod palam abſurdiſſimum eſt. Quamquam, ſi ipſe velit, prædictionem ſuam pro certa haberi, non prædictionis eventus, ſed ipſa prædictio cum locis illis Matthæi, & Marci concilianda eſt, ſive eam eventus poſtmodum comprobaverit, ſive minus. Sin vero pro certa haberi nolit, nulla conciliatione eſt opus. Poſtremo & illud addam, ſi ſcriptor noſter iſtum Chriſti adventum eum eſſe credit, qui finem hujus ſæculi ſecum ſit allaturus, ipſum vehementiſſime falli Sed non eſt id oſtendendi hic locus. Nam ipſum ſimiliter falli, quod tam cito liberationem fidelium Chriſti ex Antichriſti tyrannide & expectet, & futuram affirmet. Eventus manifeſte comprobabit. Nec neceſſe eſt id rationibus & auctoritatibus divinis (quæ quidem alioqui ſunt in promptu) hic demonſtrare.

Objecta ſeu Articuli Johannis Cuteni Miniſtri Euangelici.

1. INfantes cum naſcuntur, naſcuntur abſque pecato. Suntque tales qualis Adamus fuit, cum à Deo eſt creatus.

2. Infantes ſunt ſimiles filio Dei, Nam quemadmodum ille ſine peccato eſt, ſic & illi ſine peccato ſunt.

3. Adamus etiamſi non peccaſſet, futurus erat, & erat obnoxius morti corporali, ejuſque mortis, cum in Adamo, tumin aliis hominibus non eſt cauſſa peccatum.

4. Homo quilibet, ſi modo velit, poteſt non peccare.

5. Homo ipſe per ſe, & Deum voluntatemque ejus noſſe, & illam exequi poteſt.

6. Homo in hac vita viribus naturalibus, poteſt voluntatem Dei perfecte perficere.

7. Vita illa æterna nemini datur niſi promerenti.

8. Chriſtus in mundo non erat antequam in carne appareret. Cum autem non fuerit, nemini poterat eſſe utilis: cumque hic in carne verſaretur, nulla miracula per ſe ipſe edere potuit.

9. Chriſtus homo ſolummodo à Prophetis & Apoſtolis differt, quod ipſe ex Spiritu Sancto fuerit conceptus, quodque Deus per ipſum majora miracula quam per alios fecerit.

10. Chriſtus propterea venit, ut quemadmodum Moſes Judæorum: ſic ipſe noſter ſit Legis lator.

11. Lex Chriſti perfectior quam Moſis. Moſes enim externam, hic vero non ſolum externam ſed & internam à nobis probitatem requirit.

12. Moſes princeps erat, & dentem pro dente eximi juſſit. Ipſe vero noluit eſſe Rex, ſuoſque jure agere prohibuit &c.

13. Moſes ſuis terram Chanaan; Chriſtus vero cæleſte regnum promittit.

14. Chriſtus venit ut ſe exemplum omnium virtutum exhiberet.

15. Chriſtus utilis nobis, ſed imitantibus.

16. Homo cum peccat, ipſe per ſe ex peccato ſe erigere poteſt.

17. Euangelium Chriſti eſt, oſtendere hominibus pœnitentibus paratam apud Deum peccatorum remiſſionem.

18. Perpeſſiones Chriſti, cruciatus & mors, non ſunt oblatio nobis iram Dei placans, quam incurreramus, & incurrimus propter peccata noſtra.

19. Chriſti perpeſſiones ſunt tantummodo teſtimonium, certitudinem legis & Euangelii ipſius nobis confirmans. Præterea ſunt exemplum nos ad imitationem adhortans.

20. Chriſtus obedientia ſua apud patrem non nobis, ſed ſibi ipſi id promeruit, quod in morte non eſt relictus: ſed tertio die reſurrexit. Id quod etiam nobis ſperandum eſt, ſi ex lege ipſius vixerimus, exemploque ejus noſtras actiones direxerimus.

21. Uſus baptiſmi & menſæ Domini neceſſarius non eſt. Id quod inde colligo, quod Socinus hujus ſententiæ author, quamque illi approbant, nec baptizatus eſt, nec baptizari vult. Ac proinde nec menſam Domini curat.

22. Chriſtum invocare in cujuſque voluntate poſitum.

23. Anima unà cum corpore moritur: donec in adventu Domini in judicium utrumque ſimul reſurgat.

24. Baptiſmus, ſi quis eum putat ſibi neceſſarium, adminiſtrari debet in nomen Patris & Filii per Spiritum Sanctum. Atque hac formula uſus quidam miniſtrorum Chmielnici baptizavit pædagogum filiorum D. Joachimi Glinſcii. Cujus rei teſtimonium ipſemet Dominus Glinſcius qui coram aderat, nobis præſentibus ſuæ domi perhibuit.

25. Baptizari in nomen Patris & Filii aliter non intelligitur, quam quod dixit Divus Paulus, Omnes ſunt baptizati in Moſen 1 Cor. 10.

26. Etſi fortaſſis fruſtra id quæritur, ex iis præſertim qui omnia tribuunt viribus naturalibus, prima illa creatione in Adam a Deo homini donatis, attamen cum credant Chriſtum ex Spiritu Sancto eſſe conceptum;

27. Cupio ſcire quid de Spiritu Sancto ſentiant.

28. Fuerunt tales, qui tantum ſentiebant eum eſſe motionem natam in animâ hominis. Hæc ſuperioribus

articulis

articulis addenda decrevi, ſperans me ad ſingulos à Domino Lubieniecio & Domino Morzcovio reſponſum habiturum.

Ad objectiones ſeu articulos Cuteni Miniſtri Euangelici F. S. Reſponſio.

1. INfantes naſcuntur ſine peccato, quatenus ipſi, ſine dubio nondum quicquam peccarunt. Nec tamen ſunt qualis Adamus fuit, cum à Deo eſt creatus, quatenus ipſi æternæ morti ſunt obnoxii, id quod Adamus non erat, antequam peccaret; non quidem quia illis Adami peccatum imputetur, ſed quia ex Adamo, propter ſuum peccatum jam morti æternæ obnoxio facto, ſunt propagati.

2. Infantes, cum naſcuntur, nullius quidem peccati ſunt rei. Non tamen propterea filio Dei ſimiles ſunt, aut dici poſſunt. Quippe, cum Dei filius ita ſine peccato vixerit, ut nullam, quantumvis magnam externam tentationem, non penitus vicerit ac ſuperaverit, & interim omnium divinarum virtutum habitus habuerit. Quæ in infantibus recens natis nullum prorſus locum habere poſſunt.

3. Adamus antequam peccaret, quod ad ipſius naturam attinet, erat mortalis, ut poſt peccatum. Sed poſt peccatum non modo natura mortalis, ſed etiam morti penitus obnoxius fuit. Itaque mors ipſa corporis, non quatenus naturalis eſt, ſed quatenus eſt prorſus neceſſaria, & in Adamo & in nobis peccati effectus cenſenda eſt.

4. Quilibet homo, ubi ad eam ætatem pervenerit, ut rationis uſum habeat, ſi nulla mala inſtitutione, aut uſu corruptus fuerit, poſſet, ſi plane id vellet, nullum ex iis peccatis committere, quæ cum ipſa ratione pugnant, eique per ſe omnino adverſantur; ſed, ut ea peccata vitare poſſit, quæ ipſi rationi per ſe non omnino adverſantur, neceſſe eſt præterea, ut ſibi perſuadeat ac ſperet, ſi illa vitaverit, ſe ingens aliquod bonum inde conſecuturum. Propterea Deus præceptis ſuis, quæ per Chriſtum dedit, cum inter illa ſint non pauca, in quibus ea prohibentur, quæ per ſe humanæ rationi alioqui non omnino adverſantur, addit vitæ æternæ promiſſum, cui ut fidem adhibere poſſint, iis omnibus generatim concedit, quibus ipſe Chriſtus ejuſque Euangelium annunciatur.

5. Homo ipſe per ſe nec ſeipſum, nec Deum ejuſve voluntatem cognoſcere poteſt; ſed neceſſe eſt, ut hæc illi Deus aliqua ratione patefaciat; quæ patefactio ſi plena fuerit, qualis eſt in Euangelio, id eſt, cum vitæ æternæ promiſſo, jam habebit, unde poſſit vires ſumere ipſius Dei voluntatem perficiendi.

6. Homo in hac vita non quidem viribus naturalibus, ſed viribus ſibi à Deo per ſpem æternæ vitæ ſibi ab eo factam ſubminiſtratis, poteſt ejuſdem Dei voluntatem perficere.

7. Ad vitam æternam conſequendam non ulla merita, ſed Chriſti præceptorum obedientia requiritur, cui conſtitutum eſt præmium ſeu merces ipſa æterna vita, non quod obedientia iſta id per ſe mereatur, ſed quod ita Deo benigniſſimo cum humano genere agere viſum fuit.

8. Chriſtus certe non fuit, nec eſſe potuit, antequam eſſet. Eſſe autem, cum homo ſit, non potuit, antequam in utero matris ſuæ conciperetur. Poſtquam vero conceptus & natus fuit, munuſque ſuum obire cœpit, potuit per ſe ipſe miracula facere, quatenus poteſtas ea faciendi, quam à Deo habuerat, in ipſo ex ipſius Dei dono ac voluntate reſidebat.

9. Chriſtus homo Prophetis & Apoſtolis non eo tantum eſt præſtantior, quod ipſe ex Spiritu Sancto fuerit conceptus, ipſi vero minime, quodve Deus per ipſum majora miracula fecerit, quam per illos (quamquam præterea, quod attinet ad Apoſtolos, etiamſi, ut ipſe Chriſtus dixit, majora quam ipſe fecerit, miracula facere potuerint, non tamen ipſi ſua, ſed Chriſti poteſtate ea faciebant) ſed multo magis eſt ob id Chriſtus Prophetis & Apoſtolis præſtantior, quod per ſuum Euangelium ipſe mundo, non illi, beatam immortalitatem patefecit, ac Dei nomine æternum fœdus, illam iis largiendi, qui ipſi Chriſto, & per illum Deo confiſi fuerint, eique ſeſe obedientes præſtiterint, nobiſcum ſancivit & ſuo ſanguine confirmavit, ac præterea ab ipſo Deo eſt univerſorum hæres conſtitutus, cum pleniſſima poteſtate omnia juſſu ſuo regendi ac moderandi, non ipſorum Prophetarum modo & Apoſtolorum, totiuſque divini populi in perpetuum cæleſtis rex declaratus, ſed ipſorum angelorum omnium princeps ac Dominus factus.

10. Quamvis Chriſtum ſuam legem habeat, eamque Dei nomine mundo tulerit, non tamen ſimpliciter legis lator dicitur, cum ejus lex aliud nihil fuerit, quam complementum ac perfectio Moſaicæ legis. Nec ſane ob id præcipue in mundum venit, ut legem ferret, noſterve legis lator eſſet, ſed ut nos ſervaret, in quem etiam finem nobis ſuam legem dedit.

11. Chriſti lex, quia ut diximus, eſt complementum & perfectio legis Moſaicæ, ſine dubio ipſa lege Moſaica eſt perfectior. Nec tamen negandum eſt, quin ipſa quoque lex Moſis, ab hominibus interiorem probitatem requireret, licet non tam exactam, ut Chriſti lex requirit, quæ viciſſim non minus quam lex Moſis externam probitatem ſeu ſanctitatem poſtulat, ſed multo tamen excellentiorem.

12. Moſes ſine dubio fuit princeps, adeo ut alicubi Rex fuiſſe dicatur, ſed non tamen tamquam princeps juſſit, dentem pro dente eximi: ſed ſimpliciter tamquam legis lator ipſius Dei nomine. Chriſtus vero quamvis in terris more aliorum regum rex eſſe noluerit; non tamen hæc fuit cauſſa, cur noluerit ſuos iſtam talionis pœnam repetere. Cæterum cum aliquo coram judice litigare non omnino vetuit Chriſtus, ſed tantum ubi ulciſcendi cauſſa id fiat, & vindicta, quemadmodum in pœna talionis repetenda fiebat, ea ratione quæratur.

13. Terra Chanaan proprie loquendo non fuit promiſſa à Moſe ſive in lege Moſis, ſed fuit hæreditas à Deo decreta ante ipſam legem populo Iſraëlis. In promiſſis porro à Moſe factis nulla ſane eſt aperta mentio regni cæleſtis. Hoc enim Chriſtus demum ſibi obedientibus promiſit.

14. Chriſtus non ob id venit, ut ſe nobis exemplum omnium virtutum oſtenderet, ſed, ut ante dictum eſt, ut nos ſervaret, quamvis inter illa quæ fecit, & paſſus eſt, ut nos ſervaret, illud mirum in modum eluceat, quod in ſeipſo perfectiſſimum exemplar omnium, quarum ſectatores ii eſſe debent, qui tantæ ſalutis participes eſſe velint, divinarum virtutum præbuit, atque expreſſit.

14. Si quis eſt qui dubitet, an Chriſtus non profit niſi illis, qui ipſum imitantur, is profecto nec Chriſtianæ religionis guſtum ullum habere, nec Novi Teſtamenti ſcripta legiſſe merito videri poteſt.

16. Is homo, qui guſtum alioqui Chriſtianæ religionis habeat, & promiſſorum in ea contentorum, ſi ſimpliciter labatur, aut etiam aliquod gravius peccatum committat, fieri poteſt, ut ſine alia ſuperveniente Dei gratia ſeipſum erigat, & peccatum relinquat. Verum tamen, cum nemo in toto Chriſtianæ pietatis colendæ curriculo, ſuis ipſius viribus tuto confidere poſſit, nihil laudabilius & ſecurius, quam ad opem & auxilium divinum, quod nobis etiam alioqui in omnibus, quæ facere aggredimur, implorandum eſt, in ejuſmodi caſu recurrere. Quod ſi quis ita delinquat, ut vitæ ſanctimoniam abjiciat, & virtutum Chriſtianarum ſemita relicta, vitiorum viam ingrediatur, nulla ratione poteſt ipſe per ſe denuo ad virtutes ſectandas converti, & vitiis vale dicere. Sed neceſſe eſt, ut Deus ſingulari ſuo favore & gratia ad id præſtandum illi adeſſe, eumque juvare dignetur.

17. Euan-

17. Euangelium Chriſti non eſt ſimpliciter oſtendere, hominibus pœnitentibus paratam apud Deum peccatorum remiſſionem, ſed ita demum, ſi talis pœnitentia adjunctam ſibi habeat fidem in ipſum Chriſtum, id eſt, obedientiam præceptorum ejus ſub ſpe vitæ æternæ ab ipſo iis promiſſæ, qui talem obedientiam præſtiterint.

18. Chriſti promiſſiones cruciatus & mors non potuerunt eſſe obiatio, quæ nobis iram Dei placaverit, cum jam Deus nobis iratus non eſſet, cum Chriſtus munus ſuum obire cæpit, ſed contra per ipſum Chriſtum quæreret, atque adeo à nobis peteret, qui ipſius Dei inimici eramus, ut ſibi reconciliari vellemus, & peccatis relictis ad juſtitiæ opera ſectanda nos convertere; ſe enim, ſi id à nobis fieret, paratum eſſe omnia ipſa peccata noſtra nobis remittere ac condonare. Itaque quidquid paſſus eſt Chriſtus, crux denique & ſanguis ejus, non alio pertinent, quam ad ſuum effectum perducendum tantam Dei erga nos clementiam ac liberalitatem.

19. Chriſti perpeſſiones non modo teſtantur nobis & confirmant certitudinem legis Chriſti atque Euangelii, nec tantum ſunt nobis exemplum ad imitationem ipſius Chriſti adhortans; ſed ſunt, ut modo dicebamus, ratio & via perducendi ad ſuum effectum ingentem Dei erga nos benignitatem, in noſtris peccatis omnibus gratuito condonandis, & immortalitatis nobis afficiendis, & ſimul cum iis junctæ, quæ ipſas ſunt conſecuta. Sunt demonſtratio manifeſta, nihil tam dirum & atrox Chriſtum imitanti accidere poſſe, quod illi beatam immortalitatem, ad quam contendit, præripere poſſit.

20. Chriſtus obedientia, quam Deo præſtitit, quemadmodum nobis ſic etiam ſibi ipſi (proprie loquendo) nihil eſt meritus. Sed ſicut nihilominus hanc ipſius obedientiam, ex Dei decreto, conſecuta eſt ejus à mortuis reſurrectio, ſic etiam conſecuta eſt ipſius poteſtas, nos, qui, illi obtemperamus, à mortuis excitandi & ſalute æterna impertiendi.

21. Cœnæ Dominicæ uſus eſt neceſſarius, ut Chriſto obediamus, qui illum nobis præſcripſit. Baptiſmus autem in eccleſia, Apoſtolorum exemplo, omnino eſt retinendus. Quid hic Socinus faciat aut ſentiat, ipſimet perpendendum relinquimus. Quamquam certum eſt, ipſum de cœna Domini idem nobiſcum ſentire, atque, ut illum ad eam admittamus, vehementer expetere, cur autem baptiſmum nobiſcum hactenus non ſuſceperit, cauſſam non eſſe, quod illum damnet, cum ipſe omnes alios, qui alioqui noſtram doctrinam probant, ad eum accipiendum ſuadeat, atque adeo ſedulo impellat.

22. Nemo à nobis pro fratre habetur, qui Chriſtum invocare renuat, immo eum, qui ſit hujuſmodi ipſum Chriſtum, quem Dominum & Deum noſtrum agnoſcimus, utque talem adoramus & invocamus, penitus, ſive prudentem ſive imprudentem, negare cenſemus.

23. Quod animæ noſtræ una cum corporibus moriantur, nullo pacto aſſerimus. Tantum ex analogia totius ſcripturæ edocti affirmamus, eas uſque ad Chriſti adventum non frui beatitudine illa, quia illis eſt promiſſa, qui ipſius Chriſti ſunt.

24. Nos cum baptiſmum adminiſtramus, vel utimur uſitata formula verborum In nomine ſeu in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel ſimpliciter Apoſtolos imitati, in nomine Jeſu Chriſti baptizamus. Si quis ex noſtris alia formula eſt uſus, eſt ſingulare quiddam, quod ipſi noſtro cœtui adſcribi non debet.

25. Baptizari in nomen Patris & Filii, non eodem prorſus ſenſu dicitur, quo dixit Paulus Omnes baptizatos fuiſſe in Moſem. Nec nos cum Pauli locum iſtum afferimus Adverſariis reſpondentes, qui ex eo, quod Chriſtus juſſit Apoſtolos baptizare in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, colligunt Filium & Spiritum Sanctum, & utrumvis eorum eſſe illum unicum Deum noſtrum, aliud probare volumus, quam poſſe quem in aliquem (quod idem eſt atque In alicujus nomen) baptizari, quantumvis ille non ſit ille unicus Deus noſter.

26. Nos viribus naturalibus in prima creatione homini datis parum omnino in rebus divinis tribuimus, ſcientes, teſte Apoſtolo, animalem hominem non percipere quæ ſunt Spiritus Dei: & certe, quod Deus filium ſuum ex Spiritu Sancto concipi voluerit, indicat primæ creationis noſtræ, ubi de myſteriis divinis agitur, imperfectionem. Fit autem nobis in illis verbis ἐαὶ γὰρ πιστεύσι *attamen cum credant* &c. non levis injuria; quaſi vero dubitare merito de nobis poſſet, an crederemus, illud eſſe verum, quod apertiſſimis verbis, idque non ſemel, in ſacris litteris expreſſum eſt.

27. Spiritum Sanctum virtutem Dei atque efficaciam, qua aliquo modo res ab ipſo Deo ſanctificantur, eſſe credimus. Perſonam vero, ipſum Spiritum Sanctum proprie & in potiorem ſignificatum acceptum, & ab ipſo Deo cujus eſt ſpiritus, diſtinctum, eſſe negamus.

28. Sanctam motionem creatam à Deo in animæ hominis, metonymice auctorem rei pro reipſa nominando, Spiritum Sanctum appellari poſſe, dubitari nequit. Sed aliud eſt appellari poſſe, aliud vero reipſa eſſe.

Brevis diſcurſus de cauſſa, ob quam creditur aut non creditur Euangelio Jeſu Chriſti; & de eo, quod, qui credit, præmio, qui non credit, pœna à Deo afficiatur. F. S.

Ex Italico in Latinum tranſlatus.

HOmo in omnibus ſuis actionibus habet pro fine, bonum aliquod. Bonum vero duplex eſt. Nam bonum eſt, id quod juſtum & rationi conveniens eſt, ſine reſpectu emolumenti alicujus, quod ad illum, cui id faciendum eſt, rediturum ſit. Et bonum eſt illud, quod aliquod emolumentum adfert facienti illud. Nemo igitur eſt, qui deliberare faciat aliquid, quod non exiſtimet, aut juſtum & rationi conveniens eſſe, aut certo emolumentum ſibi allaturum.

Verum quidem eſt, quod juſta ut rationi conſentanea, adferunt fructum facienti ea: verum hoc non eſt naturaliter hominibus compertum: ſolum hoc naturaliter exploratum illis eſt, quod juſta & rationi conſentanea, quamvis

quamvis facienti ea nullum fructum ferant, quin potius detrimentum importent, nihilominus omni ex parte fieri debeant: quemadmodum altera ex parte ab iis expetitur naturâ, ut capiant aliquem fructum earum rerum, quas agunt, aut ſaltem detrimentum non ſentiant. Hinc fit, quod, dum homini aliquid faciendum occurrit, quod ipſimet juſtum & rationi conſentaneum videatur, allaturum autem ſit, (ut præ ſe fert) detrimentum, ex una parte ad id faciendum à ratione impellitur, quæ ipſi naturaliter dictat, ut ſemper faciat id, quod juſtum & rationi conveniens eſſe reputat: ex altera vero trahitur ad miſſum faciendum illud à cupiditate, quæ naturaliter eum movet, ad vitandum detrimentum.

Jam qui in hac lucta ſinit rationem evadere ſuperiorem, dignus laude eſt, ut enim faceret id, quod conveniens eſſe exiſtimabat, maluit pati, & nuncium remiſit proprio & innato deſiderio ſuo: quemadmodum è contrario, qui permittit appetitum ſuperiorem evadere, dignus eſt reprehenſione. Quandoquidem, ut ſatisfaceret ſuo deſiderio, non continuerit ſe, quin faceret id, quod ipſemet, fieri non debere, judicabat.

Verum, cum innatum illud deſiderium emolumenti, ſit nimis potens in nobis, ſæpius evenit, ut, niſi cognoſcamus vel cogitemus actionem juſtarum & rationi convenientium rerum, allaturam nobis emolumentum aliquod, eas miſſas faciamus. licet alioqui eas facere multum cuperemus; & faciamus ea, quæ nec juſta nec rationi conſona ſunt, quamvis alioqui diſpliceant nobis, quia ex iis ſperamus capere fructum aliquem, hoc eſt, vel honorem, vel commodum, vel voluptatem.

Cum igitur vellet Deus efficere, ut juſta & rationi conſentanea ageremus, & ſic nos reddere participes ſui ipſius, qui eſt fons omnis juſtitiæ & omnis rationis, non fuit ipſi ſatis, immittere ab ipſo ortu animis noſtris aliquam notitiam rerum prædictarum, vel variis modis, ac nominatim danda lege per manus Moſis ſuo populo, & potiſſimum manifeſtanda plene voluntate ſua per os Jeſu Chriſti, exponere nobis perfecte, quænam ſint revera juſta & rationi congrua: ſed inſuper, præter alios modos ad idem perficiendum ab eo uſurpatos, ad extremum in perſona ipſius Jeſu Chriſti effecit, ut haberemus majorem cauſſam, quam unquam antea, exiſtimandi, rerum ſuperius dictarum functiones, parituras fructum facientibus eas, propoſito præmio ei, quicunque eas exequeretur, vita æterna, & dato pro arrha, ipſo Chriſto (cui ſimiles eſſe ſtudere debemus, ſi eas velimus exequi) excitato à miſera morte ad vitam felicem & immortalem.

Quod præmium, cum ſit non ſolum ſummum & incomparabile, ſed etiam ſupra omnia alia cuivis deſideratiſſimum, (nulla enim res à nobis magis expetitur, quam felicitas & vita,) ſi nobis tam evidenter propoſitum fuiſſet, ut nulla reſtaret cauſſa ambigendi, nullum eſt dubium, quin nullus hominum eſſet, tam inimicus prædictarum rerum juſtarum & rationi convenientium, qui non redderetur earum amicus, hoc eſt, non eas exequeretur, ut potiretur tali præmio.

Quapropter voluit quidem Deus pollicitatione iſtius præmii, ſublevare fragilitatem humanam, ut ii, quibus alioqui juſta & rationi congrua placent, audientes tale promiſſum, erigantur in eam ſpem, quod actio eorum, maximo ipſis emolumento futura ſit, & ita ea faciant, at noluit per id eo rem deduci, ut nullum ſupereſſet diſcrimen inter hominem cupidum bene agendi, & inter eum, qui nullo ejus rei tangitur deſiderio: immo voluit, ut hæc ſit ratio diſcernendi & dignoſcendi unum ab altero. Quandoquidem, ut homo bene agendi cupidus, dum audit, ſermonem eſſe de præmio, quod propoſitum eſt agenti juſta & rationi conſentanea, facile adjungit fidem ejuſmodi bono nuncio; & adjungendo ei fidem, operatur res prædictas, atque hac ratione palam facit, ſe eſſe hominem bene agendi cupidum: ita è contrario, homo male agendi cupidus, dum audit, ſermonem eſſe de prædicto præmio, nolens fidem adhibere, deriſui id habet; & ex conſequenti animum non inducit ad agendum res prædictas, & ita ſe eum eſſe patefacit, cui bene agere non ſit cordi. Unde ſequitur, ut Deus, cum ſumma ſua gloria, juſtus appareat, & ſit largus remunerator illorum, horum vero ſeverus vindex.

Voluit igitur ſapientiſſimus Deus, inter alia, quæ non ſinunt, ut judicium humanum habeat pro re certiſſima, id, quod quicunque mandata & facta à Jeſu Nazaræno, qui dicitur Chriſtus, impleverit, habiturus ſit præmium, vitam æternam, voluit (inquam) ut Jeſus ipſe excitatus à mortuis, non conſpiceretur ab univerſo populo, ſed tantum ab aliquibus, quos teſtes dictæ reſurrectionis deſtinavit. Si enim univerſus populus illum vidiſſet, nullus tam ſceleratus fuiſſet, quin, poſtquam ea ratione perſpexiſſet, Chriſtum vera dixiſſe, & prædictum præmium certum eſſe, ſe illi adjunxiſſet, atque adeo probus homo apparuiſſet: Sed cum audiret, id tantum aſſeverari à prædictis teſtibus, & ita haberet aliquam ſaltem cauſſam dubitandi, eſſetne hoc verum necne, is, qui delectabatur male agendo, & quaſi obſtinatus erat in ſua malitia, non commodabat fidem hujuſmodi veritati & teſtimonio, ſed ſolum commodabant fidem illi, qui antea, non aliam ob cauſſam, non emendabant vitam ſuam, quam quod non cernerent adhuc, quomodo ſperare poſſent, ſe bene agendo, percepturos eos fructus, quos videbantur capere ex male agendo, qui, quam primum illis eorum aliqua lux ſpei affulſit, libenter, omiſſo pravo, bene agere & vitam mutare inſtituerunt: hærentibus aliis in ſuis peccatis, qui ob immodicam voluptatem, quam ex male agendo hauriebant, aut quod cupiditatibus ſuis nimis mancipati eſſent, nolebant credere, futurum ex re ipſorum, ſi mutarent vitam, niſi, ut dici ſolet, dato pignore in manum.

Porro, quoniam ea, quæ nos, ſi Chriſtum ſequi velimus, agere convenit, non ſolum juſta & rationi convenientia, ſed angelica & cœleſtia ſunt, & videntur magna ex parte excedere naturales humanas vires, hinc eſt, quod homini (generaliter loquendo) non ſufficit habere aliquam opinionem prædicti præmii, ſed neceſſe eſt, ſi perſeverare uſque ad finem, & in omni tentatione conſtans eſſe velit, ut habeat ejus aliquam certitudinem, quam Deus, pro ſua benignitate, virtute Spiritus ſui, nos ſentire faciat in cordibus noſtris. Verum hujuſmodi gratiam, non largitur niſi iis, qui, dum audiunt ſermonem eſſe de tali præmio, id verum eſſe poſſe, aſſentiuntur, adeo ut ſe componant ad miſſum faciendum pravum, & parendum voci Euangelii, cui primam illam fidem accommodant, quæ adhoc faciendum eſt neceſſaria, & quæ ſicut diximus, naſcitur ex eo, quod animus non ſit alienus ab agendis juſtis & rationi conſentaneis. His igitur tantum, ſi in hoc bono propoſito perſeverent, dat Deus hujuſmodi lumen rerum promiſſarum & apparatarum iis, qui eum diligunt, & obediunt voluntati ejus patefactæ per Chriſtum, quod ſatis ſit ad eos confirmandos in omni atrociſſimo etiam certamine, & inſtituendos ad ſuperandam omnem graviſſimam etiam difficultatem, quæ occurrat volenti ad extremum uſque inſiſtere veſtigiis Jeſu Chriſti. Alii, qui retenti à malitia aut peccatis ſuis, quantumvis, audientes prædicationem Euangelii, intelligant eſſe juſtum & rationi conſonum, obedire hujuſmodi voci, nihilominus, cum non videant certitudinem propoſiti præmii, nolunt ei obedire, neque vitam mutare inſtituunt, hi (inquam) non ſolum nunquam fruuntur prædicto dono Dei, ſenſu videlicet veritatis ejus beatiſſimorum promiſſorum, ſed ſolent præterea, in pœnam eorum vel improbitati vel negligentiæ debitam, præter alia ſupplicia, orbari ab illo nonnunquam donis naturalibus, & erepto iis magna ex parte intellectu, ſimiles beſtiis fieri. Nam ſi homo, ut ſuperius dictum eſt, non agendo juſta & rationi congrua, quamvis ipſi certum

tum

tum eſſe videatur, quod, ſi ea faciat, redundaturum ſit in eum detrimentum, dignus eſt reprehenſione: quanto magis reprehenſione, immo caſtigatione dignus erit, ſi ea tunc non agit, cum habet cauſſam credendi, quod actio eorum allatura ipſi ſit fructum infinitum. Debet igitur homo, cui fuerit revelata voluntas Dei, allata mundo per Chriſtum, conſiderare, quod, etiamſi res patratæ contra prædictam voluntatem, & ex conſequenti nec juſtæ nec rationi conſentaneæ, videantur ipſi poſſe parere aliquem magnum fructum, dum pariunt vel honorem, vel commodum, vel voluptatem inſignem: è contrario, ſi eas omittat, & agat ea, quæ juſta & rationi convenientia, & conformia ſunt prædictæ divinæ voluntati, quantumvis ſenſurus eſſe grave detrimentum videri poſſit, perferendo vel dehoneſtamentum, vel jacturam facultatum, vel afflictionem corporis non levem, nihilominus, ob ea, quæ de Chriſto excitato a mortuis, & evecto in cœlum, facto immortali & potentiſſimo, narrari intellexit, non levem habeat cauſſam ſperandi, quod imitanti illum tandem ſit propoſitum tantum commodum, quod largiſſime compenſet, immo ſuperet infinitis partibus, omne malum prius exhauſtum. Neque dubium eſt, quin, niſi plane mancipium peccati & carnalium mundanarumque cupiditatum ſit, decreturus ſit obedire prædictæ divinæ voluntati, & ita vitando graviſſimum ſupplicium, quod Deus irrogaturus eſt inobedientibus, poterit poſthac, juvante Deo, continuare prædictam obedientiam, & tandem reportare gloriam, divitias, & lætiam inenarrabilem & ſempiternam.

Contra Chiliaſtas, de regno Chriſti terreno per annos mille.

ETſi ſæpius dicere conſuevi, in quæſtione, De regno Chriſti in terris futuro, ratione corporeis oculis conſpicua & hiſce ſenſibus perceptibili, una cum ejuſdem Chriſti in terris corporali præſentia, idque per complura ſecula; me multo libentius audire, quam loqui, & doceri, quam docere velle: tamen ſciunt plerique me ex altera parte ſemper profeſſum fuiſſe, nullo pacto mihi probari ſententiam de ejuſmodi futuro Chriſti regno. Et revera ego ſemper eam ſacris literis analogiæque fidei noſtræ repugnantem, & pernicioſam ſimul eſſe ſum arbitratus, præter id, quod abſurdiſſima multa, & ſibi invicem adverſantia, ex ea neceſſario oriri mihi plane eſt viſum. Quod ſatis per ſe ſuperque eſt ad ejus falſitatem indicandam & coarguendam. Jam vero, poſtquam haud levi cum animi mei dolore reſcivi, multos, eoſque alioqui pietatis ſtudioſos, ſententiam iſtam ſerio ſequi & defendere, majore ſtudio animum ad veritatem hujus quæſtionis inveſtigandam applicui: & quod diligentius totam rem, ſacraque teſtimonia, & rationes inde ductas perſpexi ac conſideravi, eo firmius credidi, ſententiam iſtam & falſam & abſurdam, &, quod caput eſt, pernicioſam eſſe.

Primum enim mihi videtur, ſententiam iſtam de tali, quale ante expoſuimus Chriſti regno in terris futuro, viam ſternere ad regnum, quod nunc Chriſtus in cælo manens re ipſa habet, convellendum atque evertendum. Ex quo totius fidei noſtræ & Chriſtianæ religionis ruina, neceſſario ſequitur, ut jam, ni fallor, plerique omnes animadverterunt, quicquid contra diſputent ii, qui Chriſto in cælo manenti, adorationem & invocationem adimunt. Qui quidem ad ſententiam ſuam confirmandam hoc argumento potiſſimum utuntur, quod Chriſti regnum, ut Sacræ Literæ præferre videntur, ſit futurum in terra, idque in ipſa Judæa, ſuper Judaicum populum Hieroſolymis, poſtquam Dei nutu ac providentia, urbs illa in ea provincia, eodem loco ubi antea erat, inſtaurata fuerit. Nam ſi ita res ſe haberet, tunc ad hunc modum argumentari liceret: Regnum Chriſti unum tantum & ſimplex eſt non duplex, prout divinæ literæ ſatis aperte teſtantur, quæ unius tantum Chriſti regni mentionem faciunt, idque nunquam deſiturum ajunt, id eſt, nullum aliud, præter Dei ipſius regnum, ejus loco ſucceſſurum. Igitur ſi Chriſti regnum in terris ſuper populum Judaicum, in urbe Hieroſolyma futurum eſt, regnum Chriſti nullum eſſe poteſt, niſi Chriſtus ipſe in terris adſit, & ſuper populum Judaicum ſceptrum teneat, & conſequenter, cum hæc nondum fuerint nec ſint, nondum etiam fuit neque eſt Chriſti regnum, ſicque Chriſtus ad hunc diem in cælo manens, nondum regnavit nec regnat. Hujus argumenti vim nullo pacto effugere poſſunt ii, qui prophetica Veteris Teſtamenti, teſtimonia, de Chriſti regno ſuper domum Jacob, & Hieroſolymis in perpetuum futuro, & ſi qua ſunt ſimilia, quæ corporis ſenſibus comprehenſibile in terris Chriſti regnum, idque perpetuo duraturum promittere videntur, nullo pacto myſtice ſeu allegorice, ſed, ut verba ipſa ſonant, accipi volunt. Quibus conſultius, meo quidem judicio, foret, ipſis propheticis teſtimoniis relictis, ad ea tantum teſtimonia confugere, quæ in ipſius Novi Teſtamenti Sacris Literis (ubi aliqua de Chriſto nunc, dum in cælo manet, re ipſa regnante, apertiſſima ſunt teſtimonia) omnino docere videntur, Chriſtum, ratione ſupra dicta, in terra per multa ſæcula una cum ſuis regnaturum. Nam niſi prophetica illa teſtimonia, vel omnia vel aliqua ſaltem ex ipſis myſtice ſeu allegorice interpretemur, ubi (quæſo) apud Prophetas mentio facta deprehendetur, Chriſtum in cælo manentem, in Judaico populo nondum illi ſubjecto, tamen re ipſa ac pleno jure regnaturum? Ubinam, inquam, à Prophetis mentio facta deprehendetur, præſentis nunc pleno jure Chriſti regni, quod illi Euangelica & Apoſtolica ſcripta tribuunt, quodque agnoſcere neceſſe eſt, ſi Chriſtus nunc merito ac proprie eſt appellandus, eique adoratio & invocatio tribuenda? Numquid veriſimile eſt, prophetas ex profeſſo de Chriſti regno loquentes, regni ipſius potiorem & divinorem hanc ſaltem (ut ſic dixerim) partem, vel potius regnandi rationem ſilentio præteriiſſe? quodſi pars aliqua propheticarum vaticinationum de Chriſti regno, neceſſario myſtice ſeu allegorice eſt interpretanda, eadem ratione omnes, cum eædem aut ſimiles ubique ſint loquutiones, interpretari debebimus, aut certe poterimus. Ex quo fit, ut ex Propheticis de Chriſti regno prædictionibus, nihil prorſus ſolidi afferri poſſit ad regnum iſtud Chriſti in terris, de quo agimus, confirmandum. Niſi quis ante illud, ullum Chriſti regnum, nec fuiſſe umquam nec futurum, contendat.

Sed ſive quis ex prophetarum, ſive ex Apoſtolorum Euangeliſtarumque ſcriptis regnum iſtud Chriſti in terris probare velit, nullo modo argumentum negantium Chriſtum nunc re ipſa regnare, ſuperius allatum, diſſolvere poterit. Non poterit, inquam, effugere, quin vel præter & contra divina teſtimonia duplex Chriſti regnum faciat, vel Chriſtum in cælo manentem, nunc re ipſa regnare neget.

Objectio. Nam ſi dixerit, immo ſe afferere, & quod Chriſtus in cælo manens nunc re ipſa regnet, & quod poſtmodum in terra corpore præſens regnaturus ſit, hoc totum, inquam, ſe afferere unum idemque ac ſimplex Chriſti regnum eſſe, & regnum illius aſpectabile in terra, nihil aliud revera futurum, quam patefactionem

nem regni quod re ipſa jam inde Chriſtus habet, ex quo redivivus aſcendit in cœlum.

Reſponſio. Reſpondebitur tantam eſſe diverſitatem inter utramque regnandi rationem, ut omnino duo diverſa regna cenſenda ſint. Primum enim præſens, id eſt, hoc tempore regni Chriſti ratio ejuſmodi eſt, ut ipſum regnum plane ſubſiſtat, & pleno jure à Chriſto adminiſtretur, etiamſi totus terrarum orbis illi adverſaretur; ſatis enim eſt ad plenum jus hujus regni obtinendum, quod Chriſtus ſuprema divinaque poteſtate ſit præditus, qua tum in cœlo, tum in terra, quidquid velit, efficere queat. At futura illa, quam iſti ſibi fingunt, regni Chriſti ratio omnino requirit, ut multi ex hominibus ſint, qui eum pro Chriſto agnoſcant & venerentur, id eſt, ut regem ſuum colant. Deinde hæc Chriſti regni ratio præſens, nullum diſcrimen perſonarum aut locorum habet. Iſta vero futura poſtulat, ut peculiari quadam ratione Chriſtus ſuper Judaicum populum regnet, idque in ipſa urbe Hieruſalem. Præterea, ut paulo ante attigimus, præſens Chriſti regni ratio poteſtatem ſupremam, divinamque requirit, tum in cœlo, tum in terra: At futura iſta ſatis habet, ſi Chriſtus ſuprema poteſtate in terra ſit præditus, & ejus doctrina pro vera æternaque habeatur. Taceo nonnulla alia inſignia inter utramque regnandi rationem diſcrimina, quæ unuſquiſque cordatus homo facile per ſe animadvertere poteſt. Quanquam vel id ſatis indicat, has duas regnandi rationes, duo etiam regna conſtituere, quod, qui ſententiam iſtam probant de regno Chriſti, quale diximus, in terris futuro, illud ſimpliciter atque abſolute Chriſti regnum vocare ſolent. Quippe qui ſatis intelligant, non patefactionem revera præſentis Chriſti regni, ſed novum quoddam & abſolutum Chriſti regnum illud futurum. Et ſane quid attinet, ad hoc, ut patefiat præſens Chriſti in cœlo manentis regnum, ipſum Chriſtum corpore præſentem in terra mille annos una cum ſuis regnare? An non id melius præſtat, quod Chriſtus ipſe de cœlo deſcendens, univerſum orbem terrarum, divina prorſus ratione judicet, ſtatimque ſuos omnes immortales ac beatos reddat, ſibi vero adverſantes perdat, æternoque ſuplicio addicat? ut certe faciet. Hoc autem quia revera & patefactio & complementum eſt regni Chriſti, nam & ſupremam ſecundum Deum ipſius Chriſti poteſtatem declarat, & mortem, totius myſtici Chriſti corporis inimicum terrimum ac perniciosiſſimum, ultimumque inter omnes Chriſti hoſtes abolendum, abolet, merito alicubi ſed perraro tamen, regnum Chriſti vocatur, ut 2 Tim. 4. 1. Aliud Chriſti regnum in terris, ipſo Chriſto corpore præſente, non agnoſcit ſcriptura. Nec ſane aliter ſenſiſſe puriorem antiquitatem, vel ex ſymbolo, quod Apoſtolicum appellatur, conſtare poteſt: in quo aliud nihil, quod huc pertineat, dicitur, niſi Jeſum Chriſtum Dei filium, qui in cœlum aſcendit, inde venturum eſſe ad judicandum vivos & mortuos: de alia ulla in terra ſive regnandi ſive regni ſui patefaciendi ratione, in toto illo ſymbolo, ne ſyllaba quidem extat, nec ſane immerito. Sic enim, ſi quis recte animadvertat, perpetuus tenor Sacrarum Literarum Novi Teſtamenti omnino fert atque docet, ut aliquanto apertius mox, Deo dante, ſum oſtenſurus.

Nam quod deinde potiſſimum ſententiam iſtam de Chriſti regno in terris, ea ratione qua dictum eſt, futuro, me penitus averſari cogit, illud eſt, quod ſcilicet aperte video eam pugnare cum perpetuo ſenſu, qui in ſcriptis Euangeliſtarum & Apoſtolorum deprehenditur: in quibus adventus Chriſti de cœlo ad nos in terram, tantum ad judicandum mundum futurus deſcribitur, idque ſtatim; ut præcipue colligitur ex furis noctu venientis, ſæpius uſurpata ſimilitudine, & ex comparatione illa, Mat. 24. adventus Chriſti cum temporibus Noë, quando diluvium extitit: ex ea enim ipſa comparatione, & ex verbis omnibus, quæ ad eam explicandam Chriſtus profert, valde perſpicuum eſt, Chriſtum, ſimulatque advenerit, non quidem ſolium ſuum in terra erecturum, in quo ſedens regnet una cum ſuis per longiſſimum tempus, ſed in quo ſtatim de univerſo hominum genere ſententiam ferat; & alios quidem ad ſe recipiat, id eſt, præmio æterno donet, alios vero miſſos faciat, id eſt, æternis pœnis afficiat. Idque ſequente capite, idem Chriſtus perſpicue declarat cum ait: Ubi venerit filius hominis in gloria ſua cum omnibus angelis ſuis, tunc ſedebit ſuper ſolium ſuum glorioſo, & congregatum iri ante ipſum omnes gentes; ipſum autem alios ab aliis ſeparaturum, & juſtos quidem, ex ejus ferenda ſententia, vitam æternam adepturos, cæteros vero æternum ſupplicium ſubituros. Ubi nihil audis de ipſo ſeſſuro in ſolio ſuo ad regnandum cum hominibus piis in terra per complura ſæcula. Et ne quiſquam hic cauſari & tergiverſari poſſit, animadvertatur diligenter ex duobus ſupra dictis locis, præſertim vero ex poſteriore, apertiſſime id colligi quod modo dicebam, videlicet adventum Chriſti ſecum ſtatim allaturum, non quidem aliquorum hominum, aut majoris partis eorum, ſed univerſe omnium judicium, ultimamque ac diffinitivam de omnibus ſententiam. Atqui judicium hoc ultimum & univerſale, ii ipſi, contra quorum ſententiam diſputamus, fatentur fore extremum omnium, quæ in terra & in hoc ſæculo fieri debent, aut certe poſt regnum Chriſti in terris, non autem ante, nec ſimul cum eo futurum. Id quod inter alia eos fateri cogit locus ille, qui Achilles eſt teſtimoniorum, quæ proferunt ad confirmandam ſententiam ſuam, Apoc. cap. 20. Ibi enim manifeſte judicium iſtud futurum dicitur poſt mille illos annos, quibus duraturum eſt regnum illud, de quo ibi verba fiunt, quod iſti id eſſe autumant atque contendunt, de quo inter nos eſt quæſtio.

Ad demonſtrandum vero, Chriſti adventum ſecum ſtatim allaturum finem hujus ſæculi, & ipſius terræ interitum, & ita Chriſto adveniente, nullum penitus iſti regno locum futurum, nihil apertius excogitari poteſt eo, quod ſcriptum eſt, 2 Pet. 3. ubi diſerte dicitur, cum dies Domini advenerit, cœlos tranſituros, id eſt perituros, quemadmodum alibi ſcriptum eſt, & elementa ſolutum iri, terram vero & quæ in ea ſunt opera, exurenda eſſe, denique hæc omnia eſſe diſſolvenda. Namque idem eſſe adventum diei Domini ſeu diem Domini, quod ipſius Domini adventum, & Petrum nomine diei Domini, ipſius Domini adventum intellexiſſe, præter nonnulla alia in Novo Teſtamento loca, quæ dilucide oſtendunt, hæc duo pro uno & eodem ſumi atque uſurpari, ipſius Petri verba id clariſſime demonſtrant. Ut enim ex ℣. 4. conſtat, contra eos diſputat, qui prænunciatum ac promiſſum adventum Domini, tanquam rem prorſus vanam & quæ nunquam futura eſſet, ridebant. Itaque manifeſte, quod prius adventum Domini appellaverat, adventum deinde diei Domini vocat.

Et quando ſupra incidimus in mentionem celebris illius, pro regno Chriſti in terris aſſerendo, loci Apoc. cap. 20. operæ precium me facturum arbitror, ſi oſtendero, ex loco illo regnum iſtud nequaquam probari poſſe, & neceſſe eſſe, ut totus ille locus allegorica aliqua ratione accipiatur & explicetur. Etenim, ſi hoc evicero, facile, ut ſpero, non pauci ex adverſariis manus dabunt, cum reliqua omnia loca, tam in veteri quam in Novo Teſtamento, quomodo partim omnino debeant, partim commode poſſint allegorice ſumi & explanari, unuſquiſque parvo aut nullo negotio ſit intellecturus. Ad hoc igitur quod dixi oſtendendum, duplici via utar. Primum ſimpliciter probabo, ſi locus ille ita accipiendus eſſet, ut verba ſonare videntur, utque adverſarii eum accipiunt, id ibi dictum inventum iri, quod aperte pugnat cum clariſſimis Novi Teſtamenti locis. Deinde opponam illi locum, 1 Cor. 15. 23. & deinceps, ex quo loco, in eo quod inde eliciam, apertiſſimo, manifeſtius etiam conſtabit, locum illum Apocalypticum allegorice interpretandum eſſe, & eadem opera verba Pauli diligenter explanare conabor; idque eo li-

eo libentius, quod ſciam non paucos eſſe, qui ex illo ipſo loco ſententiam iſtam de Chriſti regno in terra futuro confirmare non dubitant. Jam in loco illo Apocal. aperte dicitur, animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei, ſive ipſos decollatos, & qui non adoraverunt beſtiam neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem in fronte ſua & in manu ſua, vixiſſe & regnaſſe cum Chriſto mille annis. Si iſtud *vivere*, reſurgere eſt corporali reſurrectione, & *regnare*, eſt hic in terra regnare; (ut quidem neceſſe eſt, ſi locus iſte ad regnum Chriſti, de quo diſputamus, confirmandum pertinere dicendus ſit) hæc ejus loci ſententia pugnat ex diametro cum eo, quod apertiſſime colligitur ex verbis Chriſti quater repetitis, Joan. cap. 6. id eſt ℣ſ. 39, 40, 44, & 54. in quibus omnibus locis Chriſtus id dicit, ex quo patet, eum quemlibet ex ſuis ultimo die reſuſcitaturum: quibus illud adſtipulatur, quod dixit Martha ipſi Chriſto, Joan. 11. 24, ſe ſcilicet ſcire, Lazarum fratrem ſuum, qui erat mortuus, reſurrecturum in reſurrectione futura die ultimo. Nonne hæc prorſus invicem repugnant, jam adveniſſe diem ultimum, &, adhuc ſupereſſe annos mille & amplius? Apparet enim ex eodem Apoc. loco, poſt mille illos annos ſuperfuturum adhuc aliquod ſpacium temporis, ante diem ultimum. Itaque cum Chriſti ac Marthæ, quæ Chriſti ipſius ſermonibus prius edocta ſine dubio, ad eum modum eſt loquuta, verba ſimpliciſſima & apertiſſima ſint, nec ulla penitus ſit cauſa, cur non ita omnino ſint accipienda, ut ipſa ſonant, neceſſe plane eſt, ut verba loci Apocalypſis, quæ viſionem quandam referunt, id eſt, rem, ut viſionum perpetuus mos eſt, ſubobſcuram & allegoricis interpretationibus prorſus obnoxiam, aliter accipiantur, atque ipſorum (ut ſic dixerimus) cortex præſeferat: niſi Spiritum Sanctum ſecum pugnare velimus, & quod Chriſtus ſæpius & conſtantiſſime fore aſſeveravit, non ita futurum ut ille dixit, ſed longe diverſa ratione ſtatuamus. Quæ cum abſurdiſſima & plena blaſphemiæ ſint, concludendum eſt omnino Apoc. locum allegorice interpretandum eſſe, id eſt ut ad confirmandum regnum Chriſti in terris, de quo controverſamur, nihil faciat. Sed jam cum loco iſto Apoc. conferamus locum iſtum Pauli 1 Cor. 15. eumque paullo diligentius examinemus. Itaque primum ex Pauli verbis, cum ait, vivificatum iri eos, qui ſunt Chriſti, in adventu ejus, aliquid colligi videtur, quod pugnet cum eo, quod ſcriptum eſt in loco Apoc. niſi locus ille allegorice explicetur. Hic enim indefinite, atque ob id univerſe dicuntur reſurrecturi ii, qui ſunt Chriſti, in ejus adventu, id eſt ſimul atque advenerit. Ibi vero non omnes qui Chriſti fuerint, ſed pars eorum quædam potior atque præſtantior, mille annis cum Chriſto regnatura, videtur reſurrectura dici. Neque enim omnes, qui Chriſti ſunt decollantur, aut beſtiam imaginemve ejus adorare, vel ejus characterem in fronte & manu ſua accipere nolunt: ſic enim omnino interpretanda videntur verba Joannis, ut videlicet ad eos referantur, qui iſta facere recuſent, non autem ſimpliciter non fecerint; fortaſſe quia nec de beſtia nec de ejus imagine quidquam audierunt unquam; vel quod in aliqua orbis parte fuerint, quo ejus notitia non pervenerit; vel quod prius fuerint, quam ipſa exiſteret. Confirmatur autem, Joannis verba non omnes qui Chriſti ſunt, complecti, ex eo quod ſubjungitur, cæteros mortuos non revixiſſe, donec mille anni complerentur. Nam hoc ad ſolos impios eoſve, qui Chriſti non ſunt, referre, nimis durum videtur. Veriſimile eſt enim, ſi hic eſſet ſenſus ejus loci, non dicturum fuiſſe Joannem ſimpliciter, *cæteri vero mortuorum*, ut dixit; ſed potius, cæteri vero mortuorum, qui iſta fecerunt, aut quidpiam ſimile. Adde, quod ex fine cap. apparet, inter eos mortuos, qui non revixerunt in priore illa reſurrectione, aliquos fuiſſe pios, & in libro vitæ ſcriptos. Dicitur enim ibi apertum fuiſſe librum vitæ, & judicatos fuiſſe iſtos mortuos, ex iis quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum, & tandem ſubjicitur, ſi quis non inventus fuit ſcriptus in libro vitæ, conjectum fuiſſe in ſtagnum ignis: quod certe clare oſtendit multos in libro vitæ ſcriptos ex iſtis mortuis inventos fuiſſe. Conſtat igitur jam, de non contemnendo diſcrimine inter iſta duo loca, niſi locus Apoc. allegorice accipiatur.

Sequitur diſcrimen ac diſſidium multo evidentius, multoque majoris momenti, ſi locus Apoc. ſecundum adverſariorum ſenſum ſit explicandus. Nam Paulus ſubjungit, Deinde, id eſt, reſuſcitatis iis qui ſunt Chriſti, in adventu ipſius, adfuturum finem. In loco autem Apocal. legitur, reſuſcitatis quibuſdam multis Chriſti fidelibus, eos regnaturos mille annis cum Chriſto. Certe enim, ſi hoc futurum eſt in terra, & ſic durante etiam hoc ſæculo, finis adhuc longiſſime aberit. Quamquam vox *finis* in Pauli loco, ut ex conſequentibus intelligi poteſt, non hujus ſæculi proprie, ſed regni Chriſti finem videtur ſignificare, ita ut, quomodocunque alioqui regnum iſtud, de quo in Apoc. interpretemur, niſi allegorica aliqua ratione totus locus explicetur, evidens plane atque ingens diſcrimen atque diſſidium inter iſtum & Pauli locum appareat.

Objectio. At excipiunt adverſarii; immo ex Pauli verbis, quæ ſtatim ſubjicit, aperte conſtare, poſt Chriſti adventum & reſurrectionem ipſius fidelium, & ante finem multa interceſſura, quæ ſcilicet fient illorum mille annorum ſpatio, de quibus in loco Apoc. adeo ut Pauli locus & cum loco Joannis mire hac in parte conſentiat, & ſententiam de commoratione diuturna Chriſti in terris poſt adventum ſuum, aperte confirmet. Quamvis enim Paulus ea verba protulerit, *Deinde finis*, ea tamen non ita accipienda eſſe, quaſi ſtatim adfuturus ſit finis; nam illico ibi ſubjungitur, *cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum aboleverit omnem principatum & omnem poteſtatem ac virtutem*: ex quibus verbis apparet, poſt adventum quidem Chriſti & reſurrectionem ipſius fidelium, finem, fore, ſed non tamen ſtatim, verum poſtquam deinceps ea facta fuerint, quæ ſubjiciuntur.

Reſponſio. Ad hæc reſpondeo. Primum quod attinet ad priorem partem eorum quæ ſubjiciuntur, id eſt, ad traditionem regni Deo & Patri, ſine dubio id factum iri poſt Chriſti adventum & reſurrectionem ejus fidelium; ſed neque hoc ullum temporis ſpatium, niſi breviſſimum requirit, nec quidquam aliud re ipſa eſt, quam executio adfuturi finis, finis, inquam, ut ego libentius interpretor, regni Chriſti; traditione enim regni Deo & Patri, finis Chriſti regni continetur atque (ut ſic loquar) efficitur. Jam vero quod attinet ad poſteriorem partem eorum, quæ ſubjiciuntur, id eſt, ad abolitionem omnis principatus, & omnis poteſtatis ac virtutis, neque hoc ſimiliter Chriſto ipſo, corpore præſente longo tempore, indiget, ſed neque ut id fiat, corporali Chriſti præſentia in terra, quidquam eſt opus, præſertim ſi recte intelligatur, quinam ſint iſti principatus, poteſtates ac virtutes: ex non paucis enim aliis locis ſatis conſtat, non homines hos eſſe, ſed dæmonas.

Præterea hæc pars non ita accipienda eſt, quaſi iſta deinceps fieri debeant, ut poſtea demonſtrabo. Et certe, ſi mens Pauli fuiſſet docere, iſta deinceps factum iri, præſertim vero ſi aliquod longum temporis ſpacium, antequam perficerentur, interceſſurum indicare voluiſſet, veriſimile eſt prorſus eum aliter loquuturum fuiſſe ac fecit, & dicturum, Deinde abolebit omnem principatum & omnem poteſtatem ac virtutem, tradetque mox regnum Deo & Patri, & erit finis. Nam ut locutus eſt, ejus verba ita accipi poſſunt (ut quidem mox docebo eſſe accipienda) ut intelligatur, iſta quidem fieri oportere ante finem, ſed non tamen poſt Chriſti adventum, & ejus fidelium reſurrectionem. Jam non ſolum Pauli verba ita accipi poſſe ut modo dictum eſt, verum etiam omnino debere demonſtrant aperte ea quæ ſequuntur, præſertim vero id quod ℣ſ. 26. dicitur,

ultimum inimicum abolendum, eſſe mortem. Nam ſi mors ultimus inimicus eſt, qui aboleatur, quomodo poſt reſurrectionem Chriſti fidelium aboleri poſſunt, vel abolendi ſunt omnes principatus, & omnes poteſtates ac virtutes? an non hi inter inimicos numerantur, vel potius ſunt præcipui Chriſti inimici? Nunquid ubi reſurrexerint Chriſti fideles, inimica mors nondum erit abolita? Quid magis abſurdum, & ſecum manifeſte pugnans excogitari poteſt?

Cæterum non modo ultimum inimicum abolendum, eſſe mortem, & conſequenter poſt Chriſti fidelium reſurrectionem non poſſe aboleri omnem principatum, omnemque poteſtatem ac virtutem, & neceſſe eſſe ut iſta omnia ante fuerint abolita, ſed etiam ſtatim poſt abolitam mortem, Chriſti regni finem adfuturum, probat manifeſte id, quod poſt mentionem abolitionis iſtorum omnium, illico addit Paulus; inquit enim, Chriſtum regnaturum, donec illi ſubjecti fuerint omnes inimici ejus: nam ſi ultimus inimicus ſubjiciendus, mors eſt, certe, morte abolita jam non amplius regnabit Chriſtus. Ubi diligenter animadvertendum eſt, eos qui Chriſto hoc tempore regnum non concedunt, & nondum eum regnaſſe volunt, nec non aliquos ex iis, qui eum quidem nunc regnare confitentur, ſed tamen nihilominus regnum iſtud ipſius in terris expectant, contra quos nos præcipue diſputamus, vehementer falli, exiſtimantes verba illa Pauli, *oportet eum regnare*, de futuro, id eſt, olim extituro regno accipienda eſſe; cum ex Græco verbo βασιλεύει, quod præſentis, vel præteriti imperfecti temporis tantum eſt, perſpicuum ſit, neceſſe eſſe, ut Paulus de regno loquatur, quod jam re ipſa ſit: qui, ſi de extituro regno loqui voluiſſet, non aliter quam βασιλεύσει aut βασιλεύσῃ, in futuro ſcilicet vel Aoriſto tempore dicere potuiſſet.

Jam quod ita Pauli verba accipienda ſint, ut ſimulatque omnes inimici Chriſti ei fuerint ſubjecti, ejus regni futurus ſit finis, ſeu regnum is Deo & patri ſit traditurus, & voculam *donec*, uſitatam in ejus verbis ſignificationem habere, ut videlicet rei finem declaret, non autem, ut aliquando ſolet, ſimpliciter eouſque rei durationem; nec eſſe quod quis arguetur, Paulum quidem dicere, Chriſtum regnaturum uſque ad ſubjectionem omnium ſuorum inimicorum, ſed non tamen negare, quin poſtea quoque ſit regnaturus. id plane ſuadet vel potius fateri cogit, quod abſurdiſſimum eſſet, Paulum, cum ex profeſſo de Chriſti regno agat, deque ejus fine, nullum verbum de durationeejus, etiam poſt ſubjectos Chriſti omnes inimicos, potuiſſe; præſertim vero ſi adhuc mille annos & amplius duraturum eſſet. Verum præterea, omnino verborum Pauli ſententiam eam eſſe, quam diximus, docent quæ paulo poſt eodem loco ſcripſit; *cum autem ſubjecta ei erunt omnia, tunc & ipſe filius ſubjicietur ei, qui ipſi ſubjecit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Ex quibus verbis patet, tunc adfuturum finem regni Chriſti, cum illi omnes inimici fuerint ſubjecti. Cui ſententiæ conſonat illud Dei ipſius, in Pſalmo celebre dictum, à Chriſto & ab Apoſtolis de ipſo Chriſto interpretatum; *Sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, quod nemo ſanæ mentis negaverit idem eſſe cum eo, quod hic Paulus ait, oportere Chriſtum regnare, donec illi ſubjiciantur omnes inimici ejus.

Unde etiam conſtat id veriſſimum eſſe, quod antea diximus, Pauli verba nulla ratione de regno aliquando extituro, ſed de eo quod jam extiterit, accipienda eſſe. Nam certe, ſeſſio Chriſti à dextris Dei, quæ idem eſt quod Chriſtum regnare, jam tum cæpit quum Chriſtus aſſumptus eſt in cælum Marc. 16. 19. Jamque igitur videant quid agant ii, qui loco illo Apoc. ut verba ſonant accepto, ad regnum iſtud Chriſti terrenum probandum, potiſſimum utuntur; ſic enim Chriſtum in terris, ratione cunctis aſpectabili, mille annis regnaturum concludunt, poſtquam ejus fideles plurimi reſurrexerint: & tamen ex Paulo certiſſimum eſt, tunc deſiturum Chriſti regnum, idque Deo & Patri ab ipſo traditum iri, cum ejus fideles à mortuis excitati fuerint; ac breviter iſti tunc plane Chriſti regnum iſtud cæpturum ſtatuunt, cum Chriſti regni finem adfuturum Paulus aperte docet. Ex his arbitror jam ſatis conſtare, locum illum Apoc. allegorice interpretandum omnino eſſe, & ſic nihil ex eo elici poſſe, quod regnum iſtud Chriſti in terris comprobandi vim ullam habeat. Quodſi quis me interroget, quænam ſit iſta allegorica ejus loci interpretatio, nihil pudebit confiteri, me hactenus eam ignorare, nec ex multis ejuſmodi interpretationibus, quas à doctiſſimis viris, cum antiquioribus tum recentioribus, afferri cognovi, ullam mihi, niſi forte aliqua ex parte, probari. Quid autem mirum, viſionem eamque propheticam, id eſt, de rebus futuris, non plene intelligi? An non hoc proprium eſt ferme omnium vaticinationum, ut ſcilicet non plene intelligantur, niſi poſt earum eventum?

Nec ſane neceſſe eſt in hac diſputatione, ejus viſionis veram interpretationem tenere: ſed ſatis omnino eſt, aperte conſtare, eam non ita eſſe interpretandam, ut ipſa verba ſonant, id quod me oſtendiſſe confido. Quanquam præterea animadvertendum eſt, in ipſa viſione nihil dici de loco, ubi regnent decollati iſti propter Chriſtum, & alii qui ibidem vixiſſe, id eſt, revixiſſe dicuntur. Dicitur enim tantummodo, eos regnare cum Chriſto, nec de Chriſto, qui è cælo in terram deſcenderit, ibi ulla fit mentio. Quare cum certum ſit Chriſtum in cælo regnare, videtur potius ibi dici, iſtorum una cum ipſo Chriſto regnum, in cælo quam in terra eſſe. Nam ſi quis dicat, poſtmodum ibidem affirmari, exactis mille annis, gentes quaſdam à diabolo ſeductas circuiſſe caſtra ſanctorum, & civitatem dilectam. Reſpondeo, nihil prorſus cogere, ut iſti ſancti illi ſint, quos revixiſſe & regnaſſe ſuperius dixerat. Et hæc in præſentia ſatis eſſe volo ad oſtendendum, adverſarios, in eo loco qui præcipuus inter omnes, quos afferre ſoleant, eſſe videtur, nihil ſolidi pro ſua opinione ſtabilienda habere.

Addam adhuc, quam breviſſime potero, aliam rationem, quæ ſententiam iſtam de terreno Chriſti & ſuorum regno, ſemper mihi ſuſpectam atque adeo plane inviſam reddidit, quam alii nonnulli attingunt, ad quam breviter explicandam venio. Univerſæ Novi Teſtamenti litteræ, totaque fidei noſtræ Analogia, id potiſſimum quærunt ac poſtulant, ut iſtis terrenis rebus omnibus neglectis atque pro nihilo habitis, quæ finem ſunt habituræ, quæque mortalibus oculis aſpiciuntur, ad res illas cæleſtes perpetuo aſpiremus, quæ ſunt æternæ & mortali homini inaſpectabiles. Cujus rei præclarum ac diſertum teſtimonium inter alia plurima extat, ad finem cap. 4. poſterioris ad Cor. Sed etiam inſignis valde eſt locus ille ſimiliter ad finem 3. cap. epiſtolæ ad Philip. Ubi ſcriptum eſt, noſtram converſationem, vel potius, ut Græcum verbum ſonat, tamquam propriæ civitatis jus atque uſum, in cælis eſſe, unde & ſervatorem expectamus Dominum Jeſum Chriſtum: ut intelligas, ibi cælorum appellatione, non quidem omnem locum ubi Deus regnet, ſuoque favore & benignitate adſit, quemadmodum non pauci, ſimilia teſtimonia eludentes, intelligendum contendunt: ſed omnino locum illum, ubi nunc Chriſtus præſens corpore habitat, qui cum hac noſtra terra, ubi nos diutiſſime eſſe regnaturos iſti contendunt, nihil commune habet, immo ubique in Sacris Literis ei opponitur. Atqui ſi hic in terris tam diu regnaturi ſumus, hocque ſaltem ex parte futurum eſt præmium fidei & laborum noſtrorum, quomodo fieri poteſt, ut de hac ipſa terra non cogitemus aſſidue, vel ut terrena omnia negligamus & poſthabeamus? Quid aptius ad homines à cæleſti illa & ſpirituali, ac pene angelica vita, una cum ſpiritus paupertate, id eſt, humilitate conjuncta, retrahendos atque abducendos, ad quam divina omnia ferme novi fœderis oracula nos adhortantur atque impellunt, quam expectatio diuturnæ fælicitatis in hac

ipſa

ipſa terra, ac terrena, quantumvis alioqui ſanctiſſima ratione auctoritatis & potentiæ adminiſtrationis? Certe quale præmium eſt, quod agendæ vitæ expectatur, talem fere neceſſe eſt ipſius vitæ rationem eſſe. Neminem autem his meis verbis turbari & offendi velim. Scio enim (quod ab ipſo initio faſſus ſum) multos eſſe, qui regnum iſtud expectant, & pii ſunt revera, & vitam plane ſpiritualem degunt, aut certe degere perpetuo ſtudent.

Verum hoc loco rei ipſius per ſe vis & natura à me inſpicitur & conſideratur, &, quid fieri ſit veriſimile, non autem quid re ipſa fiat; cum multa ſint, quæ Deo juvante impedire poſſunt, quominus quis ex concepta pernicioſa per ſe opinione, quicquam vitii contrahat. Præſertim ſi jam virtutis ſit ſtudioſus cultor, antequam ejuſmodi imbibat opinionem. Cæterum negari non poteſt, vim per ſe præmii vitæ agendæ eam eſſe, quam dixi. Hinc Chriſtus non quidem in terris ſed in cœlis copioſam eſſe mercedem noſtram affirmavit, & ſimilia dicta ſæpius repetiit, ut ſcilicet, dum veram noſtram mercedem exponeret, ſimul nos ad cœleſtis vitæ rationem, & mercedi noſtræ conſentaneam invitaret. Nam quod idem dixit, mites poſſeſſuros terram, ad locum Pſal. 37. 11. ubi eadem ſententia ad verbum legitur, ſine dubio alluſit. Ubi ſententia iſta, pro eo tempore & ſub Vetere Fœdere, in quo terrena ſunt promiſſa, ut ipſa verba ſonant, intelligi poterat: at vero à Chriſto Novi Fœderis mediatore uſurpata, in quo fœdere promiſſa cœleſtia ſunt, myſtice omnino eſt accipienda. Poſſet hæc ratio pluribus confirmari, & exactius ac plenius multo explicari atque concludi: ſed his paucis quæ dixi, contentus eſſe volo.

Innumera alia, ad ſententiam de terreno iſto Chriſti & ſuorum regno, plane diſſuadendam, ſeſe dicenda offerunt; verum temporis anguſtia, ea me ſcribere non permittit: unum tamen, quod apud me eſt maximi ponderis, breviter attingam, & mox finem huic ſcripto imponam. Dico igitur, ſententiam iſtam vel penitus diſſuadendi, vel ſaltem, ne ea publicetur, monendi, vim maximam habere, quod, ſi ea vera eſſet, aut certe ſi publicanda foret, Chriſtus & Apoſtoli eam aperte docuiſſent. Hoc autem eos non feciſſe, & Novi Teſtamenti lectio unumquemque ſatis docere poteſt, & id ſatis oſtendit, quod alioqui nullo modo fieri potuiſſet, ut totus orbis Chriſtianus per complura ſæcula eam pro falſa & ridicula habuiſſet; ſiquidem orbis Chriſtiani univerſi error aliquis, poteſt fortaſſe etiam per longum tempus, eſſe in re aliqua credenda & affirmanda, quæ Chriſti & Apoſtolorum dictis minus ſit conſentanea: ſed in ea penitus rejicienda & neganda, quam aperte vel Chriſtus vel Apoſtoli docuerint, nullo prorſus pacto; nec ejuſmodi erroris exemplum, ſed ne leviſſimam quidem umbram quiſquam inveniet unquam. Quare caveant diligenter ii, qui ſententiam iſtam hodie urgent, ne, etiamſi vera eſſet, id palam facere contendant, quod Deus obſcure tantum indicare voluerit, ob eam forte cauſam, ne Chriſti fideles de terra terreniſque rebus curandi aut cogitandi occaſionem inde ſumant, aliud nihil obſcura iſta indicatione quærens, quam ut, cum res evenerit, appareat, eam præfinito jam ab antiquiſſimis temporibus ipſius conſilio & decreto eveniſſe. Nam in hunc præcipue finem Propheticæ prædictiones exiſtunt, quo notum fiat Deum eſſe, eumque humana hæc curare. Jam quicquid de terreno iſto Chriſti & ſuorum regno (ſi id futurum tamen eſt, quod ut credam nullo modo adduci poſſum) in Sacris Literis continetur, id ad Propheticas prædictiones potius, quam ad divina Euangelicaque promiſſa, referendum eſſe? ne illi quidem ipſi, qui illud expectant, fortaſſe negare audebunt. Quamobrem, regnum iſtud omnino expectandum eſſe docere, & divina oracula, ut de ipſo loquentia, interpretari, ejus tantummodo eſt, qui Prophetico ſpiritu ſit præditus, quique utpote ab ipſo Deo edoctus, ejuſque ſpiritu afflatus, quæ dicit conſtantiſſime aſſerere atque aſſeverare non dubitet; non autem ejus, qui compluribus ſcriptis, divinis licet, teſtimoniis & rationibus atque argumentis, quamvis ex Sacris Literis petitis, ad ea quæ dicit, non tam aliis quam ſibi ipſi probanda ac perſuadenda indigeat, & ſi quis eum melius doceat, ab eo diſcedere, ſententiamque mutare ſit paratus. Cavendum eſt, ne hujuſmodi exoticis, & jam diutiſſime à toto orbe Chriſtiano explosis opinionibus invehendis, iiſve aſſerendis aut etiam diſputandis, inviſi plane iis etiam qui ſerio pietati ſtudent, merito reddamur; præſertim, ſi opiniones iſtæ nullum ſecum ſpirituale commodum afferunt, ſed potius gravia incommoda & pericula, qualia opinionem de Chriſti in terris regno iſto, ſecum afferre oſtendi. Necdum videre poſſum, quid ſpiritualis commodi, vel minimi quidem ex ea proficiſci queat. Nam quod quidam affirmant, hac ratione Judæos ad Jeſum Nazarænum pro Chriſto agnoſcendum allici, egregie falluntur iſti, pace eorum ſit dictum; cum potius nihil magis Judæos inde retrahere poſſit, quam ſi videant eos, qui Jeſum pro Chriſto habent, prædictiones de Chriſto & ejus regno, ex quibus ſolis ipſi de his rebus veritatem petunt, & petendam eſſe contendunt, ita ut ipſa verba ſonant, interpretari. Excluſis enim in prædictionibus iſtis, Allegoricis interpretationibus, nihil eſt cur ipſarum vi Jeſus Nazarænus pro Chriſto ſit habendus, immo cur non pro tali nequaquam ſit agnoſcendus. Cracoviæ. 17 Septembris 1589.

F. S.

Diſputatio breviſſima de Chriſti carne adverſus Mennonitas.

CRedunt quidam, haud ſane alioqui mali homines, ex iis quibus Chriſtiana religio cordi eſſe videtur, Jeſu Chriſti filii Dei carnem, nullo modo ex Mariæ virginis ſubſtantia, in ejus utero formatam fuiſſe: ſed tantummodo per illam, ſive de cœlo delapſam, ſive inibi alia ratione formatam, pertranſiiſſe; atque ut uno verbo dicam, Chriſtum naſcendo nihil de matre ſumpſiſſe: utque hanc ſententiam mordicus teneant, adeo ut ſint ex ipſis, qui propter hanc unam cauſſam mori non recuſent, tria potiſſimum, ut mihi relatum fuit, eos movent. Primum eſt, quod diſerte in divinis literis ſcriptum ſit, *Verbum factum fuiſſe carnem*, Joan. 1. 14. quod certe, ajunt, demonſtrat, Dei filium, qui idem quod verbum eſt, non quidem ex Maria virgine, ut vulgo creditur, carnem aſſumpſiſſe, ſed per ſe, quod ad ſubſtantiam attinet, nulla extrinſecus re aſſumpta, hominem factum fuiſſe. Alterum eſt, Quod, ſi Jeſu Chriſti caro ex Mariæ virginis ſubſtantia formata fuiſſet, utique ipſe Chriſtus, tanquam ex Adamo prognatus, non ſecus ac cæteri omnes homines, peccato, damnationi, morti denique obnoxius fuiſſet, & divinæ legi ſervandæ obſtrictus. Quæ ſi vera eſſent, jam nec noſtra peccata, tanquam agnus innocentiſſimus tollere, nec Deo nos reconciliare, nec morte ſua id, quod nos divinæ juſtitiæ debebamus, pro nobis exſolvere, nec obedientia ſua legi pro nobis ſatisfacere potuiſſet; ac proinde noſter ſervator non eſſet. Tertium eſt, quod ajunt ſatis conſtare, hominem naſcendo nihil ex matre ſumere, ſed ex Patre tantum, dicente præſertim Paulo Apoſtolo ea verba 1 Cor. 11. 12,

Sicut mulier ex viro, ita & vir per mulierem. Ex quibus patet, nihil in ortu noſtro ex muliere ſumi, ſed tantummodo nos per ipſam quaſi pertranſire. Hæ ſunt potiſſimæ rationes, ut dixi, quibus illi in ſua ſententia (ut quidem audio) retinentur: quibus pii hominis & amici precibus adductus, quam dilucidiſſime potero, reſpondere conſtitui.

1. Quod igitur ad primam attinet, falſum illud eſſe dico, quod ipſi pro conceſſo ſumunt. Nam in Græco Codice ſcriptum eſt, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Quæ verba etiamſi verti poſſunt, *Verbum caro factum eſt*, non minus tamen, ut omnes ſciunt, Latine ſonant, *verbum* ſive *ſermo caro fuit*. Ex iſtis autem duabus interpretationibus nemini dubium eſſe debet, eam eligendam eſſe, quæ loco ipſi magis conveniat. Atqui nullo pacto convenire reliquis Euangeliſtæ verbis poteſt, ut ea verba, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *verbum caro factum eſt*, interpretemur. Præſertim ſi eo ſenſu verba iſta accipiantur, quo iſti boni viri faciunt. Perverſo enim ordine, ſi id fieret, de verbo illo locutus eſſet Joannes. Nam prius ea narraſſet, quæ poſterius fuerint, poſterius vero id quod prius fuit. Quandoquidem ſine dubio prius eſt verbum caro factum, id eſt, ut illi interpretantur, effectum homo, quam in mundo fuerit, in propria venerit, à ſuis non fuerit receptum, poteſtatemque filios Dei fieri iis dederit, qui ex Deo ſunt nati. Quæ tamen omnia prius narrantur, quam illud dicatur. Rejecta igitur vulgata interpretatione, altera amplectenda eſt, qua nihil convenientius ipſi loco inveniri poteſt. Poſtquam enim Joannes multa de Chriſto, ſub verbi ſeu ſermonis appellatione dixiſſet, ne quis aliud intelligeret quam ipſe vellet, ait deinde, quaſi lectorem monendo, *verbum illud fuiſſe carnem*, id eſt, hominem imbecillem, & perpeſſionibus ac calamitatibus obnoxium, atque in mundi conſpectu vilem; cujus tamen ipſe & alii eam gloriam vidiſſent, quæ propria unigenæ Dei filii eſſet. Nam mox ſubjungit, *Et vidimus gloriam ejus* &c. Quod ſi quis tamen veterem lectionem retinere omnino velit, & *verbum caro factum eſt*, legere, ſatius multo eſt, ea verba alio referre, quam ab ipſis referantur; ad demiſſionem ſcilicet ſui ipſius poſtquam homo fuit, non autem ad id, quod homo fuerit factum. Tunc enim factum eſt caro verbum (quod nihil aliud, quam Jeſus Chriſtus filius Dei eſt) cum ſeſe volens omnibus malis ſubjecit, quæ illi a perditis hominibus illata fuere, & mortem crucis ſubire, non dubitavit ſeu recuſavit.

Sequitur ſecunda ratio, in qua id omne eſſe videtur, quod homines iſtos non plane immerito in iſtam de Chriſti carne ſententiam inducere potuit. Verum illud primum ſcire debuerant, falſum eſſe, quod à noſtris Magiſtris hactenus traditum eſt, Omnes homines, quia ab Adamo originem duxerint non poſſe non peccare; eam ſcilicet ob cauſſam, quod peccatum illud Adami hoc ſecum, vel ſua natura, vel divina voluntate traxerit, vel propter utrumque. Hoc enim nuſquam in Sacris Literis legitur; quamvis in ipſis legatur, hominem ad peccandum valde proclivem eſſe, Gen. 8. 21. 3 Reg. 8. 46. & neminem eſſe qui non peccet; quæ non tam propterea fiunt, quia peccatum illud univerſæ Adami poſteritati tantum vulnus impoſuerit, nec ita intelligenda ſunt, quaſi aliter fieri nullo modo poſſit: ſed intelligendum eſt, naturam humanam ſua ſponte fragilem & imbecillem eſſe, in iis exequendis quæ bona ſunt & Deo accepta, quippe quibus plærumque non appertitus modo, qui in homine vehementiſſimus eſt, ſed ex parte etiam ipſa ratio repugnet. Cujus rei teſtimonium evidentiſſimum in ipſo Adamo habemus, ejuſque conjuge; qui antequam peccaſſent, & ita, antequam labem aliquam ex peccato contraxiſſent, adeo tamen fragiles & imbecilles fuerunt, ut ſpreta aperta Dei monitione, ex vetita ſibi arbore, partim appetitu impulſi, partim ratione perſuaſi, comederint ac graviſſime peccaverint.

Cum autem dicitur, neminem eſſe qui non peccet, uſitatum loquendi modum eſſe intelligi debet, quo ſignificatur, vix inveniri hominem ſine peccato, quemadmodum etiam David dicebat Pſal. 14. 2. *neminem eſſe, qui quod bonum eſſet, faceret, ne unum quidem.* Nam ſi, ut Paulus facit, ad omnes Iſraëlitas verba Davidis referenda ſunt, certe non omnes omnino tales erant: atque ne longius abeamus, non talis erat ipſe David qui de ſe multo aliter alibi prædicat, Pſal. 18. Breviter, ad quoſcunque homines ea verba referenda ſint, certum eſſe debet, id ad amplificationem quandam dici, ut ſcopo, ad quem ſermo tendit, magis inſerviatur. Nam ut ſcopo ſibi propoſito magis inſerviret, Salomon quoque Deum orando dixit, neminem eſſe qui non peccet: quo ſcilicet populi ſui futura peccata aliqua ratione excuſaret, & ad veniam illis concedendam, ſi ad ipſius miſericordiam populus confugiſſet, Deum moveret atque adduceret. Deinde, etiamſi veriſſimum eſſet, neminem prorſus eſſe qui non peccet, non tamen continuo ſequeretur, aliter fieri nullo modo poſſe. Neque vero, quia affirmo Adamum quoque ad peccandum proclivem fuiſſe idcirco nego majorem in poſteris proclivitatem eſſe ad peccandum, quam in ipſo Adamo fuerit. Sed hoc longe aliud eſt, quam non poſſe non peccare, neque id ex primo peccato profectum eſt, ſed ſenſim ac paulatim per degenerationem, ut in omnibus aliis rebus evenire videmus, eſt factum. Ut ad rem igitur veniamus, dico falſum id eſſe, quod dicitur Chriſtum, ſi ex Adamo prognatus fuiſſet, peccato obnoxium fuiſſe futurum, id eſt, (nam alioqui argumentatio non recte concluſa fuiſſet) illum omnino peccaturum. Nihil autem dico, quod potuit Deus Chriſtum (quicquid mali ſecum prognatio ex Adamo afferat) à peccando conſervare, & ne peccaret efficere. Et hoc quidem attinet ad peccatum & ex eo damnationem. Quod autem pertinet ad damnationem, cui ſint obnoxii illi qui ex Adamo progenerantur, non propter proprium peccatum, ſed propter peccatum ipſius Adami; Dico, ab ea damnatione ſemper, Dei voluntate, eos exemptos fuiſſe, qui illi obediverint & confiſi fuerint, ut tota ſcriptura teſtatur, quæ hujuſmodi homines & juſtos, & juſtificatos, & Deo caros atque acceptos eſſe ubique affirmat. Nemo autem Deo plus obedivit vel confiſus fuit quam Chriſtus; Ergo Chriſtus quamvis ad Adamo prognatus, nulli tamen damnationi obnoxius fuit. De morte autem non eſt quod aliquid reſpondeam; cum ea mors, qua nobis Chriſtus ſalutem peperit, non ea ſit, cui ipſe, tamquam ex Adamo prognatus, obnoxius fuiſſe dici poſſit. Hæc enim naturalis eſt, illa vero violenta eaque deteſtabiliſſima, cui nullus hominum, ex eo ſolo quod ab Adamo originem ducat, ſubjectus eſt. Præterea Chriſtus morte & ſanguinis ſui fuſione, non idcirco nobis vitam & ſalutem comparavit, quia juſtitiæ divinæ aliquid pro noſtris peccatis ſolverit, ſed quia moriendo & ſanguinem ſuum fundendo, non ſolum peccatorum omnium remiſſionem nobis à Deo, ſi vitam ex ipſius Chriſti præſcripto emendaverimus, oblatam ſanxit & confirmavit, verum etiam ad æternam vitam ipſe pervenit, & poteſtatem eſt adeptus, omnes ſuos, id eſt, ſuis præceptis obedientes, eadem vita donandi. Hinc etiam patet reſponſio ad id quod dicebatur, de obligatione Chriſti ſervandi legem divinam, ſi ex Adamo prognatus fuiſſet; quaſi id propterea ſaluti nobis per Chriſtum partæ adverſetur, quod nemo pro aliis ea præſtare poſſit, quæ ipſe debet. Non enim, quia pro nobis præſtiterit id quod nos debebamus, propterea dicitur Chriſtus obedientia ſua nobis ſalutem peperiſſe, ſed quia ſua obedientia cælos penetravit, ibique in æternum vivens, poteſt in perpetuum, idque perfecte, ſervare omnes, qui per ipſum accedunt ad Deum, id eſt, qui ipſi obedientes Deo confidunt. Et quemadmodum delicto Adami factum eſt, ut, quicunque ex ipſo, carnali ratione propagantur, quamvis non omnes ea ratione delinquant, qua ipſe fecit, quia tamen

ex ipſo

ex ipſo ſunt nati, eidem morti ac damnatione ſint obnoxii, cui ipſe propter delictum ſuum, fuit: ſic Chriſti obedientia factum eſt, ut quicunque ex ipſo, ſpirituali ratione ſunt progeniti, id eſt, ei fidem habentes eumque imitantes, novam in terris ac cæleſtem quandam vitam vivunt, etiamſi non ita perfecte Deo obediunt ut ipſe fecit, ejuſdem tamen æternæ vitæ ac ſalutis, quam ipſe ſibi eadem obedientia ſua acquiſivit, participes ſint futuri.

III. Supereſt, ut de poſtrema iſtorum ratione agamus, in qua vehementer eos falli exiſtimo. Nam, ut audio, cum Philoſophi tum Medici, ratione atque experientia propemodum ipſa duce ac teſte, ajunt, ex matris ſanguine & ſubſtantia, non ſecus atque herbas ac ſtirpes naſcendo, ex terræ humore, ſic nos dum in utero formamur, multum accipere. In hoc tamen utrique inter ſe differunt, quod plerique Philoſophorum, mulieris ſemen ad generationem una cum viri ſemine concurrere negant, Medici vero affirmant. Neque vero aut Philoſophis aut Medicis adverſatur Paulus, cum ait, *Sicut mulier ex viro, ita & vir per mulierem*: Non enim, *per mulierem* dixit, quaſi nihil ſumat naſcendo ex muliere vir, & ſolum per eam quodammodo tranſeat: verum, vel ſic locutus eſt, ut ſermonis elegantiam quandam tueretur, quæ periiſſet, ſi utrobique dictione *ex*, uſus fuiſſet. Cum tamen interim dictione, *per*, idem ſignificare vellet poſtea, quod antea dictione, *ex*, ſignificaverat; vel *ex viro* dixit, non autem ex muliere, ſed *per mulierem*, ut differentiam aliquam inter hanc & illum, in generatione ſtatueret, atque à viro quidem primariam, à muliere vero mediam quandam corporis noſtri cauſſam proficiſci oſtenderet, quod ne Medici quidem ipſi fortaſſe negabunt; vel potius, ut equidem arbitror, alio reſpexit, & ad ea verba quæ paulo ante dixerat 1 Cor. 11. 8. *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro*, ſine dubio relationem habuit: Quæ verba non ad generationem formationemque in utero, ſed ad creationem referenda ſunt, in qua non vir ex muliere, ſed mulier ex viro formata eſt, ut ſacra hiſtoria docet. Atque hanc eorum Pauli verborum ſententiam eſſe, indicat alius ejuſdem Pauli locus 1 Tim. 2. 13. huic perſimilis, in quo ſcriptum eſt, *Adam enim prior formatus eſt, deinde Eva.* Cum igitur in loco noſtro poſtmodum dixit, *Sicut mulier ex viro, ita & vir per mulierem*, nihil aliud ſibi voluit quam oſtendere; ſi mulier ab initio ex viro formata eſt, per mulierem ex altera parte virum deinde naſci: ubi *ex muliere* etiam dicere potuiſſet, ſed hoc loco noluit, quia jam dictione *ex*, ad primam originem deſignandam uſus fuerat; Id tamen ſine dubio dicere voluit, virum dum naſcitur, ex muliere formari, quemadmodum mulier cum creata fuit ex viro fuit formata. Hinc eſt (contra quam iſti boni viri exiſtimant) quod in Sanctis Literis tam frequenter ſcriptum invenitur Job. 14. 1: 15. 14, 15: 24. 4. *ex muliere quapiam eſſe natum aut genitum virum aliquem*, numquam vero fortaſſis, ſi Hebræi & Græci fontes conſulantur, nec mulierem neque virum *ex viro*: Et, *homo natus ex muliere*, ſeu *nati ex mulieribus* ſæpe legatur Matt. 11. 11. Mat. 1. 16. numquam vero homo natus ex viro, ſeu nati ex viris, quamvis viro generatio non mulieri tribuatur: Et Chriſtus ipſe dicitur natus ex Maria, & ex muliere factus ſeu natus, Gal. 4. 4. Ex quibus omnibus tandem apparet, verba Pauli ab iſtis citata, non modo eorum ſententiæ non favere, ſed ei non parum adverſari; & propterea concludendum eſſe, cum, teſte Paulo, quemadmodum mulier ab initio ex viro formata eſt, ſic deinde ex muliere vir naſcitur, non ſecus ex mulieris ſubſtantia virum naſcendo accipere, quam ex viri ſubſtantia, cum primum formata eſt, mulier acceperit: & quia certiſſimum eſt, Chriſtum ex Maria virgine natum fuiſſe, Chriſtum quoque ex Mariæ virginis ſubſtantia naſcendo accepiſſe.

Atque ex his reſponſum ſatis videtur ad illa tria, quæ bonos iſtos alioqui, ut dixi, homines in eo errore detinere videntur, quod Jeſu Chriſti filii Dei caro nullo modo ex Mariæ matris ejus ſubſtantia formata fuerit, ſeu quod Chriſtus naſcendo nihil de matre ſumpſerit. Boni conſulet amicus, in cujus gratiam hæc ſcripſimus, exiguum hunc laborem noſtrum. Nam ita occupati eramus, ut vix hoc tantillum præſtare potuerimus. Videat ipſe pro virili ſua, ut iſti ſimplices homines ab eo errore retrahantur. Nam quo magis Chriſtum extollere, & noſtræ ſalutis rationem aſſerere ſe putant, eo magis Dei erga humanum genus beneficium incomparabile per Chriſtum datum, adeoque ipſum Chriſtum deprimunt, & viam ſalutis noſtræ magis etiam, quam antea eſſet, tenebris involvunt, ſeu potius, quantum in ipſis eſt, deſtruunt. Eo enim tendit eorum ſententia, ut Chriſtum verum hominem fuiſſe neget. Quod ſi admitatur, neceſſe eſt ut fidei ac ſpei noſtræ per ipſum Chriſtum, quæ unica ſalutis æternæ via eſt nobis à Deo propoſita, potiſſimum fundamentum evertatur. Deo enim per Chriſtum idcirco præcipue confidimus, in eoque ſpem noſtram collocamus, quia eum, qui homo erat ut nos ſumus, quemque ſequimur & imitamur, non modo à mortuis excitavit, verum etiam ſuprema gloria & poteſtate donavit. Id certe ex opinione iſta conſequitur, quod ipſi, qui eam tam arcte tenent, adeo verum eſſe contendunt, ut, quemadmodum vidimus, inter præcipua numerent, quæ eos in eam ſententiam induxerunt; id autem eſt, Chriſtum legi Dei ſervandæ obſtrictum non fuiſſe, quod non modo manifeſtis Pauli verbis repugnat, Gal. 4. 4. qui Dei filium natum ſeu factum, ſub lege fuiſſe, diſerte ſcribit, verum etiam ipſi ſalutis per Chriſtum partæ rationi plane adverſatur, cum, ut ibidem Paulus aperte indicat, neceſſe fuerit, ut Chriſtus ſub lege naſceretur, quo eos, qui ſub lege erant, redimere poſſet. Sed hæc hactenus.

Reſponſio F. S. ad objectiones Cuteni.

1. INfantes naſcuntur ſine peccato, quatenus ipſi ſine dubio nondum quidquam peccarunt: nec tamen ſunt qualis Adamus fuit, cum à Deo eſt creatus, quatenus ipſi, æternæ morti ſunt obnoxii, id quod Adamus non erat, antequam peccaret; non quidem, quia illis Adami peccatum imputetur, ſed quia ex Adamo, propter ſuum peccatum jam morti æternæ obnoxio facto, ſunt propagati.

2 Infantes, cum naſcuntur, nullius quidem peccati ſunt rei, non tamen propterea filii Dei ſimiles ſunt aut dici poſſunt: quippe cum Dei filius ita ſine peccato vixerit, ut nullam quantumvis magnam externam tentationem, non penitus vicerit ac ſuperaverit, & interim omnium divinarum virtutum habitus habuerit, quæ in infantibus recens natis, nullum prorſus locum habere poſſunt.

3. Adamus, antequam peccaret, quod ad ipſius naturam attinet, erat mortalis, ut poſt peccatum: ſed poſt peccatum, non modo natura mortalis, ſed etiam morti penitus obnoxius fuit. Itaque mors ipſa corporis, non quatenus naturalis eſt, ſed quatenus eſt prorſus neceſſaria & in Adamo & in nobis, peccati effectus cenſenda eſt.

4. Quilibet homo, ubi ad eam ætatem pervenerit, ut rationis uſum habeat, ſi nulla mala inſtitutione aut uſu corruptus fuerit, poſſet ſi plane id vellet, nullum ex iis peccatis committere, quæ cum ipſa ratione pugnant, eique per ſe omnino adverſantur: ſed ut ea pec-

cata vitare poſſit, quæ ipſi rationi per ſe non omnino adverſantur, neceſſe eſt præterea, ut ſibi perſuadeat ac ſperet, ſi illa vitaverit, ſe ingens aliquod inde bonum conſequuturum. Propterea Deus præceptis ſuis, quæ per Chriſtum dedit, cum inter illa ſint non pauca, in quibus ea prohibentur, quæ per ſe humanæ rationi alioqui non omnino adverſantur, addidit vitæ æternæ promiſſum, cui ut fidem adhibere poſſint, iis omnibus generatim concedit, quibus ipſe Chriſtus ejuſque Euangelium annunciatur.

5. Homo ipſe per ſe, nec ſeipſum, nec Deum ejuſque voluntatem cognoſcere poteſt, ſed neceſſe eſt, ut hæc illi Deus aliqua ratione patefaciat: quæ patefactio ſi plena fuerit, qualis eſt in Euangelio, id eſt, cum vitæ æternæ promiſſo, jam habebit, unde poſſit vires ſumere, ipſius Dei voluntatem perficiendi.

6. Homo in hac vita, non quidem viribus naturalibus, ſed viribus ſibi à Deo, per ſpem vitæ æternæ ſibi ab eo factam, ſubminiſtratis, poteſt ejuſdem Dei voluntatem perficere.

7. Ad vitam æternam conſequendam, non ullum meritum, ſed Chriſti præceptorum obedientia requiritur, cui conſtitutum eſt præmium ſeu merces, ipſa vita æterna; non quod obedientia iſta id per ſe mereatur, ſed quod ita Deo benigniſſimo, cum humano genere agere viſum fuit.

8. Chriſtus certe non fuit, nec eſſe potuit, antequam eſſet. Eſſe autem, cum homo ſit, non potuit, antequam in utero matris ſuæ conciperetur. Poſt quam vero conceptus & natus fuit, munuſque ſuum obire cœpit, potuit per ſe ipſe miracula facere, quatenus poteſtas ea faciendi, quam à Deo habuerat, in ipſo, ex ipſius Dei dono ac voluntate reſidebat.

9. Chriſtus homo, Prophetis & Apoſtolis non eo tantum eſt præſtantior, quod ipſe ex Spiritu Sancto fuerit conceptus, ipſi vero minime; quodve Deus per ipſum majora miracula fecerit, quam per illos: (quanquam præterea quod attinet ad Apoſtolos, etiamſi, ut ipſe Chriſtus dixit, majora quam ipſe fecerit, miracula facere potuerint; non tamen ipſi ſua, ſed Chriſti poteſtate ea faciebant) ſed multo magis eſt ob id Chriſtus Prophetis & Apoſtolis præſtantior, quod per ſuum Euangelium ipſe mundo, non illi beatam immortalitatem patefecit, ac Dei nomine æternum fœdus, illam iis largiendo, qui ipſi Chriſto, & per illum Deo confiſi, ei ſeſe obedientes præſtiterint, nobiſcum ſancivit & ſuo ſanguine confirmavit, ac præterea ab ipſo Deo eſt univerſorum hæres conſtitutus, cum pleniſſima poteſtate, omnia juſſu ſuo regendi ac moderandi; non ipſorum Prophetarum modo & Apoſtolorum, totiuſque divini populi in perpetuum cæleſtis Rex declaratus, ſed ipſorum Angelorum omnium princeps ac Dominus factus.

10. Quamvis Chriſtus ſuam legem habeat, eamque Dei nomine mundo tulerit, non tamen ſimpliciter legiſlator dicitur; cum ejus Lex, aliud nihil fuerit, quam complementum ac perfectio Moſaicæ. Nec ſane ob id præcipue in mundum venit, ut legem ferret, noſterve legiſlator eſſet; ſed ut nos ſervaret, in quem etiam finem nobis ſuam legem dedit.

11. Chriſti Lex, quia ut diximus eſt complementum & perfectio legis Moſaicæ, ſine dubio ipſa lege Moſaica eſt perfectior, nec tamen negandum eſt, quin ipſa quoque Lex Moſis, ab hominibus interiorem probitatem requireret, licet non tam exactam ut Chriſti Lex requirit; quæ viciſſim non minus, quam Lex Moſis, externam probitatem ſeu ſanctitatem poſtulat, ſed multo tamen excellentiorem.

12. Moſes ſine dubio fuit princeps, adeo ut alicubi Rex fuiſſe dicatur: ſed non tamen tanquam princeps juſſit dentem pro dente eximi, ſed ſimpliciter tanquam legiſlator ipſius Dei nomine. Chriſtus vero, quamvis in terris more aliorum Regum Rex eſſe noluerit, non tamen hæc fuit cauſa, cur noluerit ſuos iſtam talionis pœnam repetere. Cæterum, cum aliquo coram judice litigare, non omnino vetuit Chriſtus; ſed tantum, ubi ulciſcendi id cauſa fiat, & vindicta, quemadmodum in pœna talionis repetenda fiebat, ea ratione quæratur.

13. Terra Chanaan, proprie loquendo, non fuit promiſſa à Moſe, ſive in lege Moſis, ſed fuit hæreditas à Deo decreta, ante ipſam legem, populo Iſraëlis. In promiſſis vero à Moſe factis, nulla ſane eſt aperta mentio regni cæleſtis. Hoc enim Chriſtus demum ſibi obedientibus promiſit.

14. Chriſtus non ob id venit, ut ſe nobis exemplum omnium virtutum oſtenderet, ſed, ut ante dictum eſt, ut nos ſervaret; quamvis inter illa, quæ fecit & paſſus eſt ut nos ſervaret, illud mirum in modum eluceat, quod in ſe ipſo perfectiſſimum exemplar omnium, quorum ſectatores ii eſſe debent, qui tantæ ſalutis participes eſſe volunt, divinarum virtutum præbuit atque expreſſit.

15. Si qui eſt qui dubitet, an Chriſtus non profit, niſi illis qui ipſum imitantur, is profecto nec Chriſtianæ religionis guſtum ullum habere, nec Novi Teſtamenti ſcripta legiſſe merito videri poteſt.

16. Is homo, qui guſtum alioqui Chriſtianæ religionis habeat, & promiſſorum in ea contentorum, ſi ſimpliciter labatur, aut etiam aliquod gravius peccatum committat, fieri poteſt, ut ſine alia ſuperveniente Dei gratia ſe ipſum erigat, & peccatum relinquat. Verumtamen, cum nemo in toto Chriſtianæ pietatis colendæ curriculo, ſuis ipſius viribus tuto confidere poſſit, nihil laudabilius & ſecurius, quam ad opem & auxilium divinum, quod nobis etiam alioqui, in omnibus, quæ facere aggredimur, implorandum eſt, in ejuſmodi cauſa recurrere. Quodſi quis ita delinquat, ut vitæ ſanctimoniam abjiciat, & virtutum Chriſtianarum ſemita relicta, vitiorum viam ingrediatur, nulla ratione poteſt ipſe per ſe, denuo ad virtutes ſectandas converti, & vitiis valedicere; ſed neceſſe eſt, ut Deus ſingulari ſuo favore & gratia, ad id præſtandum illi adeſſe, eumque juvare dignetur.

17. Euangelium Chriſti non eſt ſimpliciter oſtendere hominibus pœnitentibus, paratam apud Deum peccatorum remiſſionem; ſed ita demum, ſi talis pœnitentia adjunctam ſibi habeat fidem in ipſum Chriſtum, id eſt, obedientiam præceptorum ejus ſub ſpe vitæ æternæ, ab ipſo iis promiſſæ, qui talem obedientiam præſtiterint.

18. Chriſti perpeſſiones, cruciatus & mors, non potuerunt eſſe oblatio, quæ nobis iram Dei placaverit; cum jam Deus iratus nobis non eſſet, cum Chriſtus munus ſuum obire cæpit, ſed contra per ipſum Chriſtum quæreret, atque adeo à nobis peteret, qui ipſius Dei inimici eramus, ut ſibi reconciliari vellemus, & peccatis relictis, ad juſtitiæ opera ſectanda nos convertere; ſe enim, ſi id à nobis fieret, paratum eſſe, omnia iſta peccata nobis remittere ac condonare. Itaque quidquid paſſus eſt Chriſtus, crux denique & ſanguis ejus, non alio pertinent, quam ad ſuum effectum perducendum tantam Dei erga nos clementiam ac liberalitatem.

19. Chriſti perpeſſiones, non modo teſtantur nobis & confirmant certitudinem legis Chriſti atque Euangelii, nec tantum ſunt nobis exemplum, ad imitationem ipſius Chriſti adhortans; ſed ſunt, ut modo dicebamus, ratio & via perducendi ad ſuum effectum, ingentem Dei erga nos benignitatem, in noſtris peccatis omnibus gratuito condonandis, & immortalitate nobis afficiendis; & ſimul cum iis juncta, quæ ipſas ſunt conſequuta, ſunt demonſtratio manifeſta, nihil tam dirum & atrox Chriſtum imitanti accidere poſſe, quod illi beatam immortalitatem, ad quam contendit, præripere poſſit.

20. Chriſtus, obedientia quam Deo præſtitit, quemadmodum nobis ſic etiam ſibi ipſi (proprie loquendo) nihil eſt meritus; ſed ſicut nihilominus hanc ipſius obedientiam, ex Dei decreto, conſequuta eſt ejus à mortuis

tuis reſurrectio, ſic etiam conſequuta eſt ipſius poteſtas, nos, qui illi obtemperamus, a mortuis excitandi, & ſalute æterna impertiendi.

21. Cœnæ Dominicæ uſus eſt neceſſarius, ut Chriſto obediamus, qui illum nobis præſcripſit. Baptiſmus autem in Eccleſia, Apoſtolorum exemplo, omnino eſt retinendus.

22. Nemo à nobis pro fratre habetur, qui Chriſtum invocare renuat: Imo eum qui ſit hujuſmodi, ipſum Chriſtum, quem Dominum & Deum agnoſcimus, utque talem adoramus & invocamus, penitus, ſive prudentem ſive imprudentem, negare cenſemus.

23. Quod animæ noſtræ una cum corporibus moriantur, nullo pacto aſſerimus; tantum ex analogia totius ſcripturæ edocti affirmamus, eas uſque ad Chriſti adventum, non frui beatitudine illa, quæ illis eſt promiſſa, qui ipſius Chriſti ſunt.

24. Nos, cum baptiſmum adminiſtramus, vel utimur uſitata formula verborum, *In nomine*, ſeu *in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; Vel ſimpliciter Apoſtolos imitati, *in nomine Jeſu Chriſti* baptiſamus. Si quis ex noſtris alia formula eſt uſus, eſt ſingulare quiddam, quod ipſi noſtro cœtui aſcribi non debet.

25. Baptiſari in nomen Patris & Filii, non eodem prorſus ſenſu dicitur, quo dixit Paulus, omnes baptiſatos fuiſſe in Moſen; nec nos, cum Pauli locum iſtum afferimus adverſariis reſpondentes, qui ex eo, quod Chriſtus juſſit Apoſtolos baptiſare in nomen Patris, & filii, & Spiritus Sancti, colligunt, filium & Spiritum Sanctum, & utrumvis eorum eſſe illum unicum Deum noſtrum, aliud probare volumus, quam poſſe quem in aliquem (quod idem eſt, atque in alicujus nomen) baptiſari, quamvis ille non ſit ille unicus Deus noſter.

26. Nos, viribus naturalibus, in prima creatione homini datis, parum omnino in rebus divinis tribuimus, ſcientes, teſte Apoſtolo, animalem hominem non percipere, quæ ſunt Spiritus Dei. Et certe, quod Deus filium ſuum ex Spiritu Sancto concipi voluerit, indicat primæ creationis noſtræ, ubi de myſteriis divinis agitur, imperfectionem. Fit autem nobis, in illis verbis, *Credunt nihilominus* &c. non levis injuria; quaſi vero dubitari merito de nobis poſſet, an crederemus illud eſſe verum, quod apertiſſimis verbis idque non ſemel, in Sacris Literis expreſſum eſt.

27. Spiritum Sanctum, virtutem Dei atque efficaciam, qua aliquo modo res ab ipſo Deo ſanctificantur, eſſe credimus. Perſonam vero ipſum Spiritum Sanctum, proprie & in potiorem ſignificationem acceptum, ab ipſo Deo cujus eſt Spiritus, diſtinctum eſſe negamus.

28. Sanctam motionem creatam à Deo in anima hominis, metonymice, auctorem rei pro re ipſa nominando, Spiritum Sanctum appellari poſſe, dubitari nequit. Sed aliud eſt appellari poſſe, aliud vero reipſa eſſe.

Joannis Niemojevii

Epiſtolæ duæ,

De Sacrificio & Invocatione Chriſti.

PErlecto ſcripto tuo contra Volanum, animadverti argumenta ejus ſatis accurate à te refutata, locaque ſcripturæ plæraque diligenter examinata ac elucidata, Verum non ſine mærore (ne quid gravius addam) incidi inter legendum in quoddam Paradoxon, Scripturæ Sacræ contrarium ac plane horrendum, dum Chriſtum in morte ſive in cruce ſacrificium obtuliſſe pernegas. Volanus circa cauſam efficientem turpiter lapſus eſt, dum Chriſtum morte ſua Patrem cæleſtem placaſſe, ex iratoque clementem ac miſericordem effeciſſe, aſſerere ac affirmare non veretur: Tu contra, Domine Socine, in cauſa media non leviter hallucinari videris, qui mortem Chriſti extenuas, effectumque præcipuum mortis Domini noſtri obliterare ac expungere vis, audacter pronuncians, Dominum Jeſum Chriſtum non in ara crucis, ſed in ipſo cœlo ſacrificium obtuliſſe. Miror quid tibi in mentem venerit, ut tam confidenter (ne quid aliud dicam) contra manifeſta Sacræ Scripturæ teſtimonia pugnare, contrariamque ſententiam tueri non timeas.

Legi quoque diligenter reſponſionem tuam ad Argumenta Franciſci Davidis; ubi Chriſti Domini invocationem, honoremque nomini ejus ſacroſancto convenientem aſſeris, ac contra calumnias Franciſci Davidis defendis: Attamen videris mihi, paucis verbis optimam ſententiam non tantum obſcuraſſe, ſed quaſi in dubium revocaſſe, adverſarioſque in errore confirmaſſe.

Quæris quid ſit, quod tantum malum ſecum importare poſſit? Breviter reſpondeo: verba illa quæ ſæpius addis; *Chriſtum Dominum invocare poſſumus, ſed non debemus ſive non tenemur, &c.* ruinam negotio cauſæque tuæ minantur. Non poſſum percipere, quomodo hæc conciliari poſſint; Non debemus, ſed poſſumus: quaſi in negotio ſalutis noſtræ liberum ſit facere vel omittere, prout nobis aliquid magis neceſſarium vel è contra viſum fuerit.

Ego vero non tantum poſſe, ſed & debere nos Jeſum Chriſtum invocare, ab illoque bona nobis neceſſaria petere, affirmo; quod hiſce rationibus breviter confirmare volo. Debemus in Jeſum Chriſtum credere, fiduciamque erga illum ſinceram concipere: Ergo & invocare nomen ejus ſanctum debemus, non tantum poſſumus. Item, debemus Jeſum Chriſtum, Dominum, regem, gubernatorem, ducem, protectoremque noſtrum agnoſcere, cui tuto inniti, ad ejuſque nos nutum componere debemus: Ergo eundem invocare, ab eoque precibus ambire, quo nobis auxilio ſuo præſto ſit, opemque non deneget, debemus. Poſſem per omnes partes eminentiæ Chriſti, ejuſque officii erga nos, diſcurrere, ex quibus omnibus invocationem ſacroſancti nominis ejus, non tantum poſſibilem (ut ita dicam) verum ſumme neceſſariam evincerem: Verum, quoniam mihi non cum adverſario res eſt, ab iis ſupерſedeo; hoc tantum in tuo ſcripto deſiderans ut ſemper & ubique rem, quam defendendam ſuſcepiſti, ornes, tuearis, maximeque commendes, præcavens, ne quod una manu exædificaſti, altera deſtruere aut labefactare videaris. Si enim poſſumus, ſed non debemus, aut ut tu ſcribis, non tenemur, quid inde ſequatur facile quivis colligere poterit. Adverſarius dicet: Quid tam ſtudioſe urges invocationem nominis Chriſti, cum ego id præſtare non tenear; Imo ſit tibi per me liberum invocare, mihi tu in re indifferente, tuo exemplo præſcribere non potes, &c. Unde non levis error pernicioſaque dubitatio ſuborietur, dum alii invocare Dominum Jeſum Chriſtum non ceſſant, imo ſedulo id præſtant, alii vero id facere recuſabunt, atque dum teſtimoniis exemplisque ſacris urgentur, libertate conſcientiæ ſuæ facile ſe tueri ac excuſare, ſi iſtud tuum pronunciatum ſtabit, poterunt. Mihi vero videtur hujuſmodi Chriſtianus, qui Dominum Jeſum Chriſtum invocare aut non vult, aut non audet, vix nomine Chriſtiani dignus: quod & tibi veriſimile videri credo. Cur igitur ex re neceſſaria, liberam

liberam ac indifferentem facere vis? Scio in publicis precibus non ſemper id requiri, cum & exempla Apoſtolorum diverſum oſtendant; verum hic non de hac re loquor, ſed conſcientiæ ſingulorum fidelium in veritate, notitiaque nominis Jeſu Chriſti erudiendæ ac ſtabiliendæ ſunt, ut quid credere de Chriſto, qualemque fiduciam concipere, quæ demum & qualia bona ab eo ſperare debeant, certo perſuaſi ſint. Qua in re qui recte edocti ſunt, Spiritu Sancto atteſtante in conſcientiis eorum, ſi in fide ac ſpe, reverentiaque erga Chriſtum Dominum fundati non aberrant, ii neque de invocatione nominis ejus unquam litem movebunt. Contra quicunque invocare non audent, ii neque fiduciam nec ſpem ullam veram ac ſinceram habent, Chriſtique Domini dignitatem, eminentiam, officiumque penitus aut ignorant, aut leviter tantum de illo perſuaſi ſunt, nunquamque guſtarunt quam benignus ac ſuavis ſit Dominus: ad quem cum certa fiducia (quod abſque ardenti invocatione nominis ejus fieri nequit) accedere non audent: certoque certius eſt hujuſmodi omnes ſive pleudochriſtianos, ſive tepidos, ſuper Chriſto Domino ſuper lapide vivo, veluti vivos lapides non ædificari.

Reſtat adhuc non levis ſcrupulus in eodem ſcripto, quem ut eximas opto, dum Adorationem Chriſti ab Invocatione diſtinguere videris. Negare non poſſum, ſæpius id accidere, ut aliquem adoremus (de civili adoratione loquor) ſine petitione alicujus rei ab eodem: Verum quomodo hæc in Chriſto Jeſu adorando diſtingui poſſint, non video neque percipere poſſum. Non enim amplius Jeſus Chriſtus nobiſcum verſatur carnali præſentia, ut eo viſo capita noſtra inclinemus, aut coram eo procidamus. Quod Papiſtæ ſe egregie præſtare putant, dum coram lignea crucifixi imagine ſe humiliant, ac capita aperiunt. Nobis vero qui Jeſum Chriſtum non in terra, neque in elementis terreſtribus præſentialiter quærimus, omnis Chriſti adoratio non tam externa, quanto magis interna eſſe debet. Quotieſcunque enim ad nomen Jeſu Chriſti genua flectimus, id abſque ardenti deſiderio cordis, ſive petitione auxilii ſalutaris facere non poſſumus; quod dum facimus nihil aliud agimus, niſi nomen ejus invocando, eundem non tantum interno affectu cordis veneramur, ſed etiam externo geſtu adoramus. Et ſæpiſſime fit, ut abſque exteriori reverentia, vel gemendo, vel precando auxilium ejus ambiamus; cum nunquam fieri poſſit (de veris adoratoribus loquor) ut Chriſtum adorando ab eo aliquid non petamus. Quod ſine invocatione nominis ejus fieri nequit. Intelligis, ni fallor, vir erudite, quare ego iſtam ſubtilem diſtinctionem inter Invocationem & Adorationem, non recipiam nec aſſequi poſſim: tuum erit nodum hunc expedire. Datæ Lublini Ultima Februarii, anno 1587.

Joannes Niemojevius.

Reſponſio F. S.

SEntentiam meam de Sacrificio Chriſti, hac theſi comprehenſam tibi impugnandam propono. *Sacrificium & oblatio Chriſti expiatoria pro peccatis noſtris, quamvis non ſine cruce & ſanguinis fuſione, non tamen revera in ipſa cruce ſanguiniſve fuſione, ſed mox in cœlo, Chriſto illuc ingreſſo, peracta eſt.* Hanc autem theſim ad unguem cum iis conſentire invenies, quæ contra Volanum hac de re ſcripſi. Sed jam ad alias tuarum literarum partes venio.

Damnas vehementer, quod in diſputatione mea cum Franciſco Davidis affirmem, nos Chriſtum Dominum invocare poſſe, non tamen teneri; hocque ipſi Chriſti invocationi, quam tamen ubique ſtabilire nitor, ruinam ſternere arbitraris. Hic autem pro eodem habes, *non debere*, & *non teneri*; cum tamen *non debere* eam vim habeat, ut ſignificet, aut certe ſignificare poſſit, *Id facere non licere*; quod contrarium eſſet ejus, quod ego aſſero: *Non teneri* autem (quæ locutio, quamvis fortaſſe non omnino Latina, ad hunc ſenſum explicandum, & olim & hodie uſurpata eſt) nihil aliud ſignificet, quam *Nullo jure cogi.* Videris etiam paulo aliter accipere Invocandi verbum quam ego accipiam, qui ipſam, (ut ſic dixerim) precum noſtrarum directionem eo verbo intelligo, quemadmodum & Franciſcus ipſe Davidis, (quanquam interim Adorationem aliquando cum Invocatione confunderet) ſe intelligere apertiſſimis verbis oſtendebat. Dico autem, te videri verbum iſtud paulo aliter accipere; nam Apoſtolorum exemplo, & publico ac perpetuo Eccleſiæ uſui, ad Deum potius quam ad Chriſtum ſuas preces dirigendi, occurrere volens ais, te hac de re non loqui: *Sed*, inquis, *conſcientiæ ſingulorum fidelium in veritate notitiaque nominis Jeſu Chriſti, erudiendæ ac ſtabiliendæ ſunt, ut quid credere de Chriſto, qualemque fiduciam concipere, quæ demum & qualia bona ab eo ſperare debeant, certo perſuaſi ſint.* Quaſi vero vel hoc ipſum à me diligentiſſime ubique non fiat, vel ſententia mea de invocatione Chriſti, huic rei quidquam adverſetur. Sed ſive recte perceperis, quid in verbis meis (ubi tamen proprietatem ſimul & communem loquendi uſum ſecutus ſum) ſignificet verbum Invocandi, ſive minus, oſtendam (ni fallor) nihil eorum quæ ad me hac de re ſcripſiſti, ſententiam meam labefactare, & nihil eſſe, cur dubites, ne propter illam à quoquam Chriſti invocatio in dubium merito revocetur. Igitur ſententia mea, ut ex prædictis intelligi poteſt, breviter hæc eſt; Nos quidem jure poſſe preces noſtras ad ipſum Chriſtum dirigere; ſed non tamen ad id faciendum divino jure cogi. Et hanc meam ſententiam clariſſime expoſui, idque non ſemel, in libello ipſo diſputationis meæ cum Franciſco Davidis, præſertim vero in eo ſcripto, quod legitur ante reſponſionem ejuſdem Franciſci per partes deſcriptam & à me refutatam: in quo ſcripto ad ea reſpondeo, quæ vir quidam pius & doctus (is erat D. Blandrata) breviſſime, ad Chriſti invocationis neceſſitatem probandam, ad me ſcripſerat, & ad demonſtrandum hanc neceſſitatem omnino urgendam eſſe. Quæ eadem reipſa ſunt cum iis quæ tu ſcribis. Itaque, niſi jam ad me diſputationis illius libellum remiſiſſes, poſſem merito, pro refutatione eorum quæ meis verbis objicis, te ad ſcriptum illud meum rejicere. Verum, libello jam à te mihi remiſſo, hic paucis ad tua objecta reſpondebo.

Primum igitur ſic ais: *Non poſſum percipere quomodo hæc conciliari poſſint, Non debemus, ſed poſſumus. Quaſi in negotio ſalutis noſtræ liberum ſit facere vel omittere, prout nobis aliquid neceſſarium vel contra viſum fuerit.* Ex his verbis tuis, quemadmodum etiam ex aliis, id appareret, quod dixi te, *Non debemus*, pro eo uſurpare, quod eſt *non tenemur*, ſive, *nullo jure cogimur.* Jam vero pro reſponſione dico, te hic vel principium, ut ajunt, petere, vel negotii ſalutis nomine, negotium religionis intelligere. Cum tamen inter utrumque differentia ſtatuenda videatur. In ſalutis noſtræ quidem negotio omnia ſunt neceſſaria. In religionis vero noſtræ negotio, non pauca ſunt non neceſſaria. Et ne aliunde, quam ex re ipſa, de qua agitur, exempla petamus, Ad Chriſtum preces noſtras dirigere, ſine dubio ad negotium noſtræ religionis pertinet: attamen nemo eſt, qui negare audeat, nos poſſe, ut ſæpiſſime quidem omnes facimus, non ad ipſum Chriſtum, ſed ad Deum preces noſtras dirigere. Quodſi pariter ad ſalutis noſtræ negotium pertineret, ad ipſum Chriſtum preces noſtras dirigere, id omittere ſane unquam ulla ratione poſſemus. Illud quod hac in re ad ſalutis noſtræ negotium pertinet, eſt, nos merito poſſe ad ipſum Chriſtum, ſemper & ubique, in rebus ad Eccleſiam ſeu publice ſeu privatim pertinentibus, preces noſtras dirigere, idque ex animo agnoſcere, & palam profiteri. Nam ſi quis hoc non agnoſcit, nec profiteretur, is poteſtatem, regnum, & gubernationem Chriſti in Eccleſia non agnoſcit nec profitetur; ſine qua agnitione & profeſſione nemo per Chriſtum ſalutem adipiſci poteſt.

Deinde

Deinde ſic argumentaris: *Debemus in Jeſum Chriſtum credere, fiduciamque erga illum ſinceram concipere: Ergo & invocare nomen ejus ſanctum debemus, non tantum poſſumus.* Reſpondeo, hic ſubeſſe conſequentis quam vocant fallaciam: Recte ſiquidem ex neceſſaria invocatione colligere quis poſſet neceſſariam fiduciam. Nam, ut Paulus ait, quomodo invocabit quis eum in quem non credit? Sed non recte contra ex neceſſaria fiducia, neceſſaria invocatio colligitur. Præſertim, ſi Invocationis nomine, ut in hac diſputatione fit, ipſa precum directio intelligatur. Nihil enim vetat, quominus alicui plane confidam, & tamen ad alium in meis neceſſitatibus preces meas dirigam, cui videlicet non minus confidam. Debemus Jeſu Chriſto confidere: ſed iidem debemus ipſi Deo confidere. Immo Chriſto confidere, nihil revera eſt aliud, quam ipſi Deo confidere. Neque enim in ipſo Chriſto fiducia noſtra terminatur; ſed per ipſum in Deum tranſit ibique acquieſcit. Quare, tametſi fiducia in Chriſtum neceſſaria eſt nobis, non tamen neceſſarium eſt, ut ad ipſum preces noſtras dirigamus; cum poſſimus eas ad Deum dirigere, cui ſimiliter immo excellentiore quadam ratione confidere omnino neceſſarium nobis eſt. Alioqui, ſi argumentatio tua a neceſſaria fiducia ad neceſſariam invocationem valeret, ad hunc modum quis argumentari poſſet. Neceſſarium eſt nobis ſemper atque ubique Chriſto confidere; Igitur neceſſarium eſt nobis ſemper atque ubique preces noſtras ad Chriſtum dirigere. Quod tamen quam à veritate abſit, nemo non videt.

At rurſus hac argumentatione uteris; *Debemus Jeſum Chriſtum, Dominum, Regem, Gubernatorem, Ducem, Protectoremque noſtrum agnoſcere, cui tuto inniti ad ejuſque nos nutum componere debemus: Ergo eundem invocare, ab eoque precibus ambire, quo nobis auxilio ſuo præſto ſit, opemque non deneget, debemus.* Hæc argumentatio eodem ferme vitio laborat, quo & ſuperior. Quandoquidem etiamſi neceſſarium eſſe videtur, ut is, cujus opem & auxilium precibus implorare omnino debeamus, à nobis Dominus, Rex, Gubernator, &c. noſter agnoſcendus ſit; non tamen contra neceſſarium eſt, ut ejus qui a nobis Dominus, Rex, Gubernator, &c. noſter agnoſcendus ſit, opem & auxilium implorare omnino debeamus. Nam ſi alius ſimiliter Dominus, Rex, Gubernator, &c. noſter nobis ſit agnoſcendus, nihil prohibebit, quin, illo præterito, hujus opem & auxilium precibus imploremus. Exemplum eſto in antiquis illis Imperatoribus, qui vel ſuos filios, vel alios homines ſibi conſortes imperii aſciſcebant. Certe iſtis licet ad imperii conſortium evectis, & ſic populi Dominis, Regibus, & Gubernatoribus conſtitutis ac declaratis, nemo tamen ex populo eorum opem & auxilium implorare cogebatur: ſed poterat adhuc unuſquiſque opem illorum & auxilium ſemper implorare, à quibus iſti, tales conſtituti ac declarati fuerant, quippe, quos non minus, quam iſtos, Dominos, Reges, & Gubernatores ſuos agnoſcere adhuc deberent. Similiter igitur, cum non Chriſtus tantum, à nobis Dominus Rex, Gubernator, &c. noſter ſit agnoſcendus, ſed Deus quoque à quo ipſe Chriſtus talis eſt nobis conſtitutus & declaratus, nihil prohibet, quominus non ipſius Chriſti, ſed Dei opem atque auxilium in precibus noſtris imploremus. Nam ſi dicas, te in argumentatione tua addidiſſe de Chriſto, quod ei tuto inniti debeamus, id quod de iſtis hominibus ad imperii conſortium aſcitis dici nequeat; jam in reſponſione ad ſuperius argumentum, ubi ex fiducia in Chriſto neceſſario collocanda, neceſſaria ejuſdem Chriſti invocatio colligebatur, huic rationi ſatisfactum eſt.

Verum hic ſtatim ſubjicis. *Poſſem per omnes partes eminentiæ Chriſti ejuſque officii erga nos, diſcurrere, ex quibus omnibus invocationem ſacroſancti nominis ejus non tantum poſſibilem (ut ita dicam) verum ſumme neceſſariam evincerem.* Ego vero affirmo, cum ex iis quæ ſupra enumeraſti, omnium, quæ Chriſtus habet, maximis & præſtantiſſimis, iſta Chriſti invocandi, id eſt, ad eum preces noſtras dirigendi ſumma neceſſitas, non niſi perperam, ut vidimus, colligi poſſit, nunquam eam recte, ex aliis Chriſti eminentiæ partibus, collectum iri: Sed tantum (quam quidem ipſe diligentiſſime ubique urgeo) indubitatam, & ab omnibus neceſſario agnoſcendam & prædicandam, ad Chriſtum preces noſtras dirigendi poteſtatem, quemadmodum ex his, ſic etiam fortaſſe ex illis rectiſſime concluſum iri.

Sed ais: *Si poſſumus ſed non debemus, aut, ut tu ſcribis, non tenemur, quid inde ſequatur facile quivis colligere poterit. Adverſarius dicet: Quid tam ſtudioſe urges invocationem nominis Chriſti, cum ego id præſtare non tenear?* Reſpondeo; Idcirco tam ſtudioſe urgeo invocationem Chriſti, ut Adverſarius mecum agnoſcat, & palam profiteatur, Chriſtum a nobis merito invocari, id eſt, preces noſtras ad ipſum dirigi poſſe, & conſequenter fateatur ac prædicet, Chriſtum in cœlo manentem, ſumma nunc in ipſo cœlo & in terra poteſtate reipſa præditum eſſe, univerſamque Eccleſiam ſuo nutu regere ac gubernare; & idcirco ut cæleſtem noſtrum Dominum, Regem, ac Gubernatorem à nobis adorari, ſeu divino cultu ac veneratione affici debere. Certe (ut interim ad alia quæ ſubjungis reſpondeam) qui ita de Chriſto ex animo, ut quidem prorſus neceſſarium eſſe dico, & ſentiet & loquetur, is nunquam dicet, ſe Chriſtum invocare, ſive ad ipſum preces noſtras dirigere, vel non audere vel nolle. Immo, quanquam id nec ne facere, ſibi liberum alioqui eſſe agnoſcet; tamen ſe ad illum preces ſuas directurum dicet, prout ſpiritus ſuggeſſerit, atque humana imbecillitas poſtulaverit; cujus potiſſimum juvandæ gratia, hoc Chriſto a Deo datum eſt, ut preces noſtras perpetuo exaudire, nobiſque opem ejus implorantibus opitulari poſſit: neque unquam iſte de Chriſti invocatione litem movebit, aut, dum alii Chriſtum invocabunt, id ipſe facere recuſabit. Cur enim, ſi jure optimo ſemper à ſe invocari Chriſtum poſſe & agnoſcit & profitetur, aliis Chriſtum invocantibus, ipſe id facere recuſet, niſi forte Chriſtianæ charitatis prorſus ſit expers, ideoque plane indignus, qui in Chriſtianorum cœtu locum habeat? Itaque ambabus (quod ajunt) ulnis, ea verba a te poſtmodum divinitus ſcripta, illorumque ſententiam amplector ac recipio; *Quicunque* (Chriſtum) *invocare non audent, ii neque fiduciam, nec ſpem ullam veram ac ſinceram habent, Chriſtique Domini dignitatem, eminentiam, officiumque penitus aut ignorant, aut leviter tantum de illo perſuaſi ſunt, nunquamque guſtarunt, quam benignus ac ſuavis ſit Dominus &c.* Recte igitur exiſtimaſti, mihi quoque veriſimile videri, eum, qui Dominum Jeſum Chriſtum invocare non vult, aut non audet, vix Chriſtiani nomine dignum eſſe. Niſi quod non modo vix, ſed ne vix quidem; & non modo veriſimile id mihi videtur, ſed perſuaſiſſimum mihi eſt. At nihil prorſus cum hoc pugnat, ut paulo ante oſtendi, aſſerere, poſſe nos quidem merito ad Chriſtum ipſum preces noſtras dirigere; non tamen (ſimpliciter & abſolute ſcilicet loquendo) ad id faciendum divino jure cogi. Nam præterquam quod nullum divinum, idque certum atque indubitatum præceptum ea de re extat, ipſa etiam ſubordinatio Chriſti ad Deum iſti neceſſitati penitus adverſatur. Ex iſta enim ſubordinatione, hoc inter Dei & Chriſti invocationem diſcrimen neceſſario conſequitur, quod ſcilicet Deum quidem invocare omnino debemus, ſive ad ipſum Deum ſive ad Chriſtum verba precum noſtrarum dirigendo (qui enim Chriſtum nominatim orat, ipſum Deum revera orat, cujus Chriſtus vicarius quodammodo eſt, eique, ut dixi, ſubordinatus:) Chriſtum vero, ob hanc ipſam cauſam, ſemper quidem invocare poſſumus, id eſt, ad ipſum preces noſtras dirigere (id enim facientes, nihil à præcepto ac neceſſitate invocandi Dei recedimus) ſed poſſumus etiam illum non invocare; id eſt, poſſumus non ad ipſum, ſed ad Deum verba precum noſtrarum dirigere. Cum enim Deus Chriſto nequaquam ſit ſubordinatus, qui Deum orat precum verbis non ad Chriſtum, ſed ad ipſum Deum directis, is nullo modo Chriſtum oraſſe cen-

cenſendus eſt. Aque cognitio & doctrina hujus diſcriminis inter Dei & Chriſti invocationem, certiſſima eſt ratio conſcientiæ noſtræ, in tota hac quæſtione invocationis Chriſti, quietæ ac tranquillæ reddendæ, & Adverſariorum, qui nos Chriſtum cum Deo confundere calumniantur, oris obſtruendi, illorumque pravitatis detegendæ; qui idcirco Chriſto invocationem adimunt, quia ſupremam illam poteſtatem & gubernationem, precumque noſtrarum exauditionem illi nequaquam concedunt; ex qua, ut oſtendi, non neceſſitas, ſed poteſtas tantum Chriſti invocandi neceſſario ſequitur. Eſt denique tutiſſima atque adeo unica via, ut conſervandi Deo in Eccleſia (quemadmodum omni ſtudio ac conatu curare debemus) ſuam prærogativam, ſic ipſam Chriſti invocationem prorſus ſtabiliendi, & adverſus omnes ſatanæ impetus inconcuſſam reddendi. Tantum abeſt, ut eam hac ratione labefactari poſſe, quiſquam merito ſuſpicari queat. Et propterea ego cum Franciſco Davidis diſputans, conſulto ipſiſſima interim (ut mihi quidem videtur) veritate nihil diſſimulata, hanc ipſam viam ſum ingreſſus. Sed quæ hac de re ſcripſi, ut ni fallor, apertiſſime mentem meam explicant, ſic recte intelligenda ac perpendenda ſunt. Alioqui, ſi quis, quæ legit, negligenter legat, non ſolum ex meis ſcriptis, ſed etiam ex ipſis Sacris Literis occaſionem ſumere facile poterit, licet plane immerito, de rebus divinis male ac perverſe ſentiendi.

Nunc venio ad ſcrupulum tuum propter diſtinctionem meam inter Chriſti Adorationem & Invocationem. Neque enim vides, quomodo Chriſtus corpore à nobis abſens adorari queat, qui eodem tempore invocetur: cum tamen videlicet ego ubique affirmem, nobis neceſſe eſſe Chriſtum adorare, invocare vero non item. Et ais: *Quotieſcunque enim ad nomen Jeſu Chriſti genua flectimus, id abſque ardenti deſiderio cordis, ſive petitione auxilii ſalutaris, facere non poſſumus.* Immo vero nihil impedit, quominus ad ipſius etiam Dei nomen, genua ſive corporis ſive animi flectamus, nihil tamen interea temporis cogitantes, niſi ut illum debito honore afficiamus. An non poſſumus Chriſto & corporis & animi genibus flexis, hymnos ac laudes canere ac tribuere divinas? An non eum & mente & lingua Dominum ac ſervatorem noſtrum, venerabundi agnoſcere ac confiteri? an non, ut in ipſius cæna fit, ei ſacro & divino cultu gratias agere, ejuſque nomen ſanctiſſimum divina plane ratione concelebrare; & tamen eodem ipſo tempore nihil de auxilio ab ipſo ſive petendo, ſive etiam expetendo cogitare? Profecto poſſumus. Talis eſt enim Chriſtus à Deo factus nobiſque conſtitutus, taliaque per ipſum beneficia accipimus, ut, etiam eo ſecluſo, quod nobis eum invocantibus opem in neceſſitatibus noſtris ferre poteſt, eum tamen prorſus divino honore afficere debeamus. Quamvis enim corpore nobis Chriſtus non adſit, adeſt tamen ſpiritu; & non modo geſtus noſtros omnes & verba videt & audit; ſed cor ipſum noſtrum perpetuo novit atque intuetur, nec quidquam hic diverſi eſt ab eo, quod foret ſi ubique & ſemper præſens nobis corpore adeſſet. Quocirca, quemadmodum nemo poteſt negare, quin, ſi Chriſtus corpore præſens nobis eſſet, eum adorare, & tamen eodem tempore ſimul non invocare poſſemus; ſic negandum nullo modo eſt, eum licet à nobis corpore abſentem, adorari ſine invocatione poſſe. Exempla quidem adorati, nec tamen ſimul invocati Chriſti, cum in terris eſſet, non pauca habemus, eaque non civilis ſed religioſæ adorationis; ut Mat. 2. 11. & cap. 14. 33. Joh. 9. 38 & alibi. Siquidem, ut in ipſa diſputatione mea cum Franciſco Davidis ſcripſi (ipſa autem verba adſcribam) *Adorat is, qui corpus aut animum alicui reverenter inclinat, & coram eo venerabundus procumbit, etſi nihil ab eo petat. Invocat autem is, qui in neceſſitate conſtitutus, aut aliquid percupiens, confidenter alienam opem & benignitatem implorat.* Quamobrem miror, diſtinctionem Adorationis & Invocationis Chriſti, non quidem à me excogitatem, ſed à rei ipſius, non minus quam vocabulorum diverſitate proficiſcentem, tibi homini erudito imprimis ac perſpicaci, adeo ſubtilem videri, ut eam percipere nequeas: cum potius neceſſe ſit ad ſummam quandam atque (ut ita dixerim) imperceptibilem ſubtilitatem confugere, ſi quis hæc duo, quæ & natura ipſa & loquendi uſus manifeſte diſtinxit atque ſejunxit, confundere velit, vel alterum ab altero numquam ſeparare. Dat: in agro Paulicoviano, die 20 Martii 1587.

F. S.

Joannis Niemojevii Epiſtola II.

VErba in reſponſione contra Volanum hæc extant: *Itaque affirmo Chriſtum non quidem in cruce, ſeu crucis ara ſe Deo obtuliſſe, ſed in ipſo cælo.* Item: *Nec porro ipſam Chriſti mortem, ejus revera ſacrificium eſſe aut fuiſſe, ſed illi præiviſſe &c.* In literis vero ad me datis quædam addidiſti, ſententiam tamen non mutaſti: immo hanc eſſe tuam opinionem, quod Chriſtus revera in cruce ſacrificium non peregiſſet, manifeſte confeſſus es.

Quid igitur dicam? Libenter placita ſcriberem, ſi pie ac juſte id facere poſſem, verum nec te officioſis mendaciis delectari puto, nec ego alicui adulari volo, contraque animi ſententiam loqui poſſum. Ut igitur tecum libere agam, nolo verborum circuitu uti, ſed fretus clariſſimis Novi Teſtamenti ſententiis, abſque omni tergiverſatione ſimpliciter affirmo, ſententiam tuam non tantum erroneam, verum cum teſtimoniis ſacræ ſcripturæ ex diametro pugnare. Non opus eſt longa probatione, ſed tantum ſcripturæ ſanctæ loca aliquot producenda, ex quibus ſententiæ tuæ vanitas, errorque deprehendi facile poteſt, quod facere, favente Deo, incipiam.

Paulus Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ &c.*

Hebr. 9. *Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum, & cinis juvencæ aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis puritatem; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum ſeipſum inculpatum obtulit Deo vivo?*

Ibidem; *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, ſicut Pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis, cum ſanguine alieno, alioqui oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à condito mundo. Sed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum, ad abolendum peccatum per immolationem ſui ipſius patefactus eſt: & ſicut illud ſtatutum eſt hominibus, ut ſemel moriantur, poſtea vero judicium; ita & Chriſtus ſemel oblatus, ut multorum peccata tolleret, altera vice abſque peccato conſpicietur iis qui ipſum expectant ad ſalutem, &c.* Poſſem plura teſtimonia adducere; verum nunc iis contentus eſſe volo, ex quibus manifeſta repugnantia opinionis tuæ apparet. Tu enim Jeſum Chriſtum ſeipſum in cruce obtuliſſe Deo negas, mortemque Chriſti pro vero ſacrificio agnoſcere non vis; teſtimonia vero citata, Chriſtum per mortem crucis ſeipſum obtuliſſe Deo, apertiſſime teſtantur.

Quid ad hæc dicturus es? Fortaſſis ad Dianian confugies: verum ego ipſiſſima verba urgeo, nec nunc de ſenſu verborum diſputationem inſtituere volo, verbis apertiſſimis contentus, ſicut omnes pios, Deique amantes facere decet. Obſecro itaque, ne extra & ultra propoſitum neceſſitatemque me in certamen provoces, hoc eſt, ne mecum de ſenſu verborum litem inſtituas: dabitur, Deo volente, oportunum tempus, de ſenſu verborum Apoſtoli conferendi ac diſputandi; nec deerunt rationes, Deo favente, ſententiam veram eruendi ac confirmandi. Nunc vero hoc tibi objicio, in hocque te non laudo, quod apertiſſima Spiritus Sancti pronunciata, per repugnantiam verborum oppugnare audeas. Spiritus enim ſanctus clariſſimis verbis mor-

mortem Chriſti oblationem nominat, tu vero per antiphaſin teſtimonio Spiritus Sancti contraire videris. Summa igitur meæ reprehenſionis, totiuſque diſputationis, quo ad præſentem Articulum, hæc ſit: aut oſtende, (quod te nunquam facturum puto) ſcripturam Novi Teſtamenti, mortem Chriſti oblationem ſive ſacrificium non vocare, aut manifeſtæ veritati cedere, palinodiamque canere non dubites, teque ab errore liberes, nec cæteris ſcandalum, adverſariiſque occaſionem ſugillandi calumniandique præbeas. Tu Chriſti ſacrificium in cælo demum peragi aſſeris, conferens Chriſti aſcenſum cum introitu veteris Pontificis in ſancta ſanctorum. Verum quamvis negare nolo, Chriſti ſacerdotium eſſe æternum, in cæloque ſacerdotem pro nobis interpellando, vultuique Dei apparendo agere: tamen nihilominus in terra per mortem crucis, idem Chriſtus ſeipſum obtulit, morſque ejus jure optimo oblatio vocari, atteſtante Spiritu Sancto, poteſt. Nam & ſub lege Pontifex cum ſanguine in ſanctuarium ingrediebatur, qui ſanguis mactatorum animalium erat; ea vero mactatio animantium, oblatio ſive ſacrificium appellatur. Ita & Chriſtus ſeipſum per mortem crucis obtulit, ſanguinemque proprium effundi paſſus eſt: per quem ſanguinem introivit in tabernaculum non manu factum, hoc eſt, in ipſum cælum, ut ibi æternus Sacerdos Deo appareat pro nobis. Sed ab iſtis uberius tractandis ſuperſedeo; à propoſito certamine non diſcedens, hoc unum urgeo, aut oſtende in Novo Teſtamento mortem Chriſti oblationem non appellari, aut te eraſſe, ſententiamque ſcripturæ ſacræ contrariam edidiſſe confitere. Quod attinet ad rationem juſtificationis noſtræ, effectaque mortis Chriſti ſcias me cum illis non ſentire, qui Chriſtum morte ſua Deum placaſſe, ex iratoque clementem effeciſſe imaginantur. Nec illis aſſentior, qui fide mortua juſtificari volunt. Novi, gratia Dei, diſtinguere autorem juſtificationis noſtræ à cauſa media, patriſque clementiſſimi miſericordiam gratiamque, ſummam præcipuamque cauſam ſalutis noſtræ agnoſco: qui quicquid fecit, id totum, primo reſpectu, propter ſeipſum fecit, ut miſericordia ejus immenſa, bonitaſque ineffabilis appareret. Attamen mediæ cauſæ quæ in Chriſto mediatore præcipue concurrunt, non ſunt negligendæ, nec leviter tranſeundæ, aut in alium ſenſum, quem Spiritus Sanctus non dictet, accipiendæ. Opera bona à fide juſtificante ſeparare nolo, ſed fidem cum operibus (a Paulo edoctus) confundere caveo: etſi enim opera à fide reipta non ſeparantur, tamen in negotio juſtificationis, ratione quadam diſtinguuntur. Sed de his dabitur aliquando opportunior diſſerendi occaſio, tempuſque & locum Deus, ſi voluerit, ſuppeditabit. Nunc vero finem priori parti controverſiæ noſtræ imponens, rogo quod & ſuperius poſtulavi, ne in reſpondendo terminos propoſitos mutare velis, in aliudque genus tranſcendere audeas, hoc eſt, ne mecum de ſententia verborum litem moveas: ſed ſi id negare non poteris, me pro ſententia mea confirmanda, Apoſtolica verba recte adduxiſſe, nihil præterea reſtabit, quam ut errorem tuum agnoſcas corrigaſque. Quod ut facias ſuadeo, idque tibi à Deo optimo dari ac ſuggeri opto.

Sed jam ulterius progrediamur, deque filii Dei invocatione agamus. Video te laborare, quo crimen à te labefactatæ invocationis Jeſu Chriſti removeas, teque nihil hujuſmodi ſcripſiſſe, unde adverſarii occaſionem erroris ſui ſtabiliendi habeant, oſtendere poſſis. Ego ingenue fateor, te docte, pie, ac luculenter pro aſſerenda Domini noſtri Jeſu Chriſti gloria ſcripſiſſe, adverſarioſque fortiſſimis telis ex verbo Dei petitis confodiſſe, armaque eorum irrita ac vana reddidiſſe: & niſi pauca illa verba; de quibus mox agemus, addidiſſes, non puto aliquid validius, quo adverſarii contundantur planeque corruant, ſcripto illo tuo contra Franciſcum edito inveniri poſſe. Verum cum invocationem filii Dei, quam tantopere commendaſti ac ſtabiliviſti, non ita neceſſariam ſicut fiduciam in dominum noſtrum Jeſum Chriſtum aſſeris, ſed liberam facis, ad quam nemo jure divino neceſſario cogatur: videris mihi à priori ſententia etſi non recedere, tamen aliquatenus deflectere. Si enim invocatio Jeſu Chriſti non eſt adeo neceſſaria, ut quivis Chriſtianus jure divino ad eam cogatur, profecto inter adiaphora numeranda, potiuſque ſingulorum fidelium conſcientiis relinquenda, ut quilibet juxta ſuggeſtionem ſpiritus: vel illa uteretur vel eam negligeret; nullaque fuiſſet cauſa tam acriter cum adverſariis hac de re contendendi. Si enim Chriſtus gloriam integram ab iis, qui nomen ejus invocare nec audent nec volunt, habere poteſt, profectò permittendi ſunt ejuſmodi propriis conſcientiis, ut hac in parte libertate Chriſtiana utantur. Verum ſi invocatio Jeſu Chriſti ad gloriam nominis ejus refertur, ſine quo honor Domini Jeſu Chriſti illibatus conſervari, gloriaque ei integra tribui non poteſt, profecto invocatio nominis Jeſu Chriſti, res eſt ex neceſſariis, ad fidem religionemque Chriſtianam pertinentibus. Verum his breviter prælibatis, ad Apologiam tuam accedamus: Objicis mihi quod inter verba, *non debere*, & *non teneri*, diſcrimen nullum ſtatuam, qua de re contendere nolo, nam me grammaticum non eſſe, non inficior. Agnoſco hæc duo verba, me in una ſignificatione accepiſſe: verum à te admonitus, ero poſthac cautior.

Diſcrimen quoddam inter res ad ſalutem neceſſarias, & illas quæ ad religionis negotium pertinent, ſtatuis: quæ ad ſalutis negotium faciunt, eas neceſſarias affirmas, quæ vero religioni ſerviunt, non pauca non neceſſaria aſſeris. Ego, mi domine, explicatiorem accuratioremque hujus rei deſcriptionem deſidero: verba enim, ut à te ſcripta ſunt, niſi candidum interpretem nacta fuerint, poſſent nonnullam ſuſpicionem injicere, te de religione Chriſtiana minus ſentire; ſive imprudentius loqui. Religio enim vera ea omnia continet, quæ ad cultum Dei, Jeſuque Chriſti tam internum quam externum, in verbo Dei præſcriptum, pertinent: ex quibus ſi quis, ſciens ac volens aliquid omiſerit, puto hujuſmodi hominem contemptæ religionis (niſi reſipuerit) pœnas luiturum. Ego itaque omnia quæ ad religionem Chriſtianam vere ac proprie pertinent, cum iis rebus quæ ſaluti noſtræ ſerviunt, conjungere didici. Scio, quo ad religionis negotium, à multis peccari, non malitia ſed ignorantia, qui (ut ſpero) veniam habituri ſunt, ſi ex eorum numero fuerunt vel ſunt, qui vero timore Dei imbuti, ſincero cordis affectu Deum quærunt, nihil temere omittentes, quod perſpectum a Deoque profectum habent. Sed de his non eſt nunc dicendi locus: nobis, quibus veritas Dei ampliori modo patefacta eſt, nulla excuſatio relicta, ſi ſcientes volenteſque negligentes in religione, non tantum interna, ſed etiam externa fuerimus. Non debemus igitur nec poſſumus religionis officium, à ſalutis negotio diſtinguere: immo potius ſalutis noſtræ modum ſive medium, majori ex parte in vera religione conſtituere. Sed jam videamus exemplum à te adductum hujuſmodi. *Ad Chriſtum ipſum preces noſtras re ipſa dirigere, ſine dubio ad negotium religionis noſtræ pertinet: attamen nemo eſt qui negare audeat, nos poſſe, ut ſæpiſſime quidem omnes facimus, non ad ipſum Chriſtum, ſed ad Deum preces dirigere. Illud quod hac in re ad ſalutis noſtræ negotium pertinet eſt, nos merito poſſe ad ipſum Chriſtum ſemper & ubique in rebus ad Eccleſiam ſeu privatim ſeu publice pertinentibus preces noſtras dirigere, idque ex animo agnoſcere & palam profiteri. Nam niſi quis hoc agnoſcat & profiteatur, is poteſtatem, regnum & gubernationem Chriſti in Eccleſia non agnoſcit nec profitetur: ſine qua agnitione & profeſſione nemo ſalutem per Chriſtum adipiſci poteſt.*

Exemplum à te loco argumentationis poſitum, videtur fallaciam redolere, quam ego aut nominare neſcio, aut ad fallaciam diviſionis pertinere arbitror: vis enim ex eo quod aſſidue non fit, concludere, quod neceſſario facere non teneamur. Verum facile per inſtantiam

argumentum tuum ſolvere poſſum. Deus Pater non ſemper invocatur; immo Stephanus ſolum Chriſtum invocavit, Paulus quoque non ſemel id feciſſe legitur: ergo invocatio Dei non eſt neceſſaria ad ſalutem. Non recte igitur, (pace tua dixerim) argumentaris, ab eo quod ſemper non fit, ad non neceſſarium actum. Nam de tempore & loco non eſt præſcribendum: Spiritus ſuggeret fiduciaque, quam erga Chriſtum unus altero majorem habet, ſingulos fidelium inſtruet. Ego libenter ad gloriam Chriſti fateor, me nunquam in privatis meis gemitibus ſive precibus, quoties Deum Patrem invoco, ejuſque auxilium imploro, Chriſtum omittere: novi enim certiſſimeque confido, me niſi per ipſum non poſſe ad Patrem tuto ac confidenter accedere; quoniam ſic Patri omnipotenti placuit, ut Chriſtus ſit opitulator ac interpellator noſter, per quem cum fiducia ad thronum divinæ gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, confugiamus. Quod ad publicas preces Eccleſiæ pertinet, hæ pro temporis neceſſitatiſque ratione moderari poſſunt. Fruſtra itaque hoc exemplum adduxiſti, immo meo judicio extra propoſitum: nam non quæritur an ſemper & ubique neceſſarium ſit preces ad Chriſtum dirigere, ſed an res ſit neceſſaria homini Chriſtiano Chriſtum invocare, ad eumque preces dirigere. Tu ipſemet fateris, hoc ad ſalutis noſtræ negotium pertinere, ut agnoſcamus nos merito poſſe ad ipſum Chriſtum ſemper & ubique preces noſtras dirigere. Hoc tuum poſſe, neceſſario oppoſitum, mihi haud dubie labefactationem Invocationis Chriſti continere videtur. Quid enim hoc eſt: poſſumus invocare Chriſtum, idque ut profiteamur, ad ſalutem neceſſarium eſt: verum ut invocemus nullo jure cogimur? Si quis ita argumentaretur: poſſumus confidere Chriſto, idque agnoſcere & profiteri debemus, verum ut ei confidamus, nullo jure cogimur: nonne tibi abſurda hujuſmodi argumentatio videretur? Scio quid reſpondere poſſis; nos expreſſum mandatum habere de fide in Chriſtum dirigenda, de precibus vero ad eum dirigendis non item. Ego nunc hac de re diligentius agere nolo, tu ipſe tuum ſcriptum inſpice, videbis te contra Franciſcum, Dei ordinationem & conſtitutionem loco præcepti approbare; immo aliquot loca, niſi fallor, adducis (quæ & ego adducere, niſi brevitati conſulerem, poſſem) quæ vim expreſſi mandati habent.

Sed quid pluribus opus eſt, cum tu ipſe evidenter teſteris, eum, qui Chriſtum invocandum negat, nec poteſtatem, nec regnum, nec gubernationem Chriſti in Eccleſia agnoſcere, ſine qua agnitione & profeſſione, nemo ſalutem per Chriſtum adipiſci poteſt. Si igitur is qui Chriſtum invocari jure ac merito poſſe non agnoſcit neque profitetur, Chriſtum Dominum vere nec agnoſcit nec confitetur, ob cujus ignorantiam ſalute per Chriſtum parta privandus eſt: quomodo is, qui ſciens Chriſtum eſſe invocandum, tamen non invocat, majori pœna dignus non erit? Conſtat itaque ex tuamet ipſius confeſſione, Domini noſtri Jeſu Chriſti invocationem ad ſalutem conſequendam eſſe neceſſariam. Si enim hujuſce rei ignoratio ab agnitione vera Jeſu Chriſti excludit, à ſaluteque per Chriſtum acquirenda arcet: quomodo rei ipſius neglectus ſive contemptus eundem effectum producere non debeat?

Accedis poſtea ad meam argumentationem, quæ à natura vique fidei, fiduciæque erga Jeſum Chriſtum conceptæ, ad effectum neceſſariæ Invocationis producebatur. Quam tu hujuſmodi reſponſo rejicere tentas, objiciens argumento à me producto fallaciam conſequentis: *Recte ſiquidem* (verba tua refero) *ex neceſſaria Invocatione colligere quis poſſet neceſſariam fiduciam. Nam, ut Paulus ait, quomodo invocabit quis eum in quem non credit? Sed non recte contra ex neceſſaria fiducia, neceſſaria Invocatio colligitur, præſertim, ſi Invocationis nomine, ut in hac diſputatione fit, ipſa precum directio intelligatur. Nihil enim vetat, quominus alicus plane confidam, & tamen ad alium in meis neceſſitatibus preces meas dirigam; cui videlicet non minus confidam. Debemus Jeſu Chriſto confidere, ſed iidem debemus ipſi Deo confidere; imo Chriſto confidere, nihil revera eſt aliud, quam ipſi Deo confidere: neque enim in ipſo Chriſto fiducia terminatur, ſed per ipſum in Deum tranſit, ibique conquieſcit. Quare tametſi fiducia in Chriſtum neceſſaria nobis eſt, non tamen neceſſarium eſt, ut ad ipſum preces noſtras dirigamus, cum poſſimus eas ad Deum dirigere cui ſimiliter, immo excellentiore quadam ratione confidere, omnino neceſſarium nobis eſt.*

Hæc tua, Domine Socine, ad argumentationem meam reſponſio, tantum abeſt, ut vim argumenti mei enervet debilitetve, quin potius connexum argumenti mei ſtringit ac confirmat. Nam quod tu ex neceſſaria Invocatione neceſſariam fiduciam colligis, ſed non è contra; videris mihi hac in re multum hallucinari, qui res conjunctiſſimas divellere tentas, quæ mutuam relationem habent, & invicem reciprocantur. Si enim in eum ad quem preces dirigo, credere, eique confidere debeo: quomodo viciſſim eum cui tuto confido, (ut Jeſu Chriſto tutiſſime confidere debemus) nunquam in neceſſitatibus mei invocare audebo aut non curabo? Profecto ſi quis reperiretur, qui de fide in Jeſum Chriſtum gloriari auderet, eumque invocare negligeret, iſtum ex tribus vitiis ad minus uno laborare oporteret: vel enim de Domino Jeſu Chriſto minus ſentiret, videlicet, invocantem ac confidentem juvare non poſſe: aut ſe ejus auxilio non indigere arbitraretur: vel potius (quod veriſimilius eſt) loco veræ fidei nomen tantum inane prætenderet, fimulataque fide gloriaretur. Sed quoniam veri Chriſtiani de Domino ac ſalvatore noſtro perſuaſi ſunt, eum, & poſſe & velle juvare, ejuſque auxilio & opera ſemper & ubique ſe indigere: certe hi omnes ex fiducia concepta aliter facere nec poſſunt, nec debent, quin ad Chriſtum in neceſſitatibus ſuis aſſidue confugiant, ab eoque auxilium petant. Fiducia igitur vera neceſſario producit Invocationem, non minus quam Invocatio ſincera veram fiduciam requirit.

Quod vero à perſona excellentiaque Dei Patris, ad infringendam neceſſitatem Invocationis Jeſu Chriſti, argumentum petis, cui excellentiori modo confidere, eundemque invocare tutiſſime poſſumus: facis id impertinenter, immo (pace tua ſit dictum) minus conſiderate. Quid enim aliud facis, quam ab Adverſariis arma mutuaris, & non ſentiens in eorum caſtra tranſire videris? Si enim propterea, quod ad Deum preces noſtras dirigere neceſſe habeamus, ad Chriſtum non neceſſario eaſdem dirigere teneamur: nonne eadem ſequela fidem in Chriſtum non neceſſariam, aliquis imprudens exiſtimare poterit? maxime cum Deum talem habeamus & profiteamur, qui ſine alicujus ope nobis ſuccurrere, noſque ex omni periculo liberare, ſoluſque eripere poſſit. Cur igitur alii cuipiam, præter Deum ipſum patrem benigniſſimum, omnino potentemque protectorem confidamus, ſive in neceſſitatibus noſtris ad alium quempiam confugiamus? Vides, ſi modo attendere voles, te hujuſmodi argumentis plus gloriæ Chriſti nocere, quam prodeſſe, adverſariiſque anſam contra Chriſtum inſurgendi præbere. Novimus, gratia Dei, & libenter profitemur ineffabilem majeſtatem, bonitatemque Patris noſtri clementiſſimi: ſed, ubi agitur de gloria Chriſti, non opus eſt potentiam ac majeſtatem Dei prætendere, excellentiaque Patris gloriam filii obſcurare, ſed voluntas, conſilium ac ordinatio Dei conſideranda ac proponenda eſt. Si Deus nos voluiſſet per ſe ſolum ſalvare, & abſque mediatore conſervare, profecto id facere ſicut potuiſſet, ita & feciſſet, Chriſtumque ſalvatorem neque promiſiſſet neque exhibuiſſet. Sed quoniam Jeſum Chriſtum conſtituit Dominum, Salvatorem ac mediatorem noſtrum, per quem ad Patrem accedere debemus, eique omnem poteſtatem in cælo & in terra tradidit, in quem poſt Deum credere, eique tuto confidere poſſumus, inanis

eſt

eſt omnis diſputatio de eminentia Patris: ſufficere enim ſola voluntas ejus poteſt, proque certiſſima regula fiduciæ ac obedientiæ noſtræ erga Chriſtum, Dei ordinatio ac conſtitutio eſſe debet. Tuum argumentum itaque valde claudicat, quod in hunc modum formare oportet: Poſſumus & tenemur Deum Patrem invocare: ergo ad Chriſtum preces noſtras dirigere quamvis poſſumus tamen non tenemur. Manifeſta fallacia conſequentis, quam ab inſtanti, ſimili argumento oſtendere poſſum: Poſſumus & tenemur in Deum Patrem credere, ergo Jeſu Chriſto quamvis confidere poſſumus tamen non tenemur. Non eſt ovum ovo ſimilius quam hoc argumentum tuo argumento. Verba itaque à te in hunc modum ſcripta: *Quare tametſi fiducia in Chriſtum neceſſaria nobis eſt, non tamen neceſſarium eſt, ut ad ipſum preces noſtras dirigamus, &c.* Quicunque diligenter intpicere ac dijudicare voluerit, videbit ad labefactandam Invocationem Chriſti ſpectare: quicquid enim neceſſarium non eſt, id fortaſſis & parum prodeſſe poteſt. Verum ne in re manifeſta nimius ſim, laboreque ſuperfluo utar, malo à rationibus meis quieſcere, teque ipſum potius contra temet ratiocinantem audire, ut ita facilius abſurditatem iſtam animadvertere poſſis, erroremque tuum corrigere velis. Verba hujuſmodi in tuo ſcripto extant: *Recte igitur exiſtimaſti, mihi quoque veriſimile videri, cum, qui Dominum Jeſum Chriſtum invocare aut non vult, aut non audet, vix Chriſtiani nomine dignum eſſe; niſi quod non modo vix, ſed ne vix quidem, & non modo veriſimile id mihi videtur, ſed perſuaſiſſimum mihi eſt.* Si ita judicas, Domine Socine, quod is qui Chriſtum invocare non vult, nomine Chriſtiani hominis indignus eſt, quomodo abſolutam neceſſitatem invocationis Chriſti negare audes? Videris profecto pugnantia loqui & aſſerere. Nam ſi neceſſarium eſt, ut is, qui per Chriſtum ſalvari vult, ſit verus Chriſtianus; verus autem Chriſtianus eſſe non poteſt, quicumque Chriſtum invocare non vult nec audet: nonne vides ex hoc tuo connexo hujuſmodi concluſionem neceſſario ſequi, quod quicumque nomen Chriſti invocare non vult nec audet, iſtum ad ſalutem per Chriſtum partam non pertinere. Unde & hujuſmodi conſequens neceſſario emerget, quod invocatio nominis Jeſu Chriſti æque eſt neceſſaria, quam ſalutis noſtræ certa perſuaſio, nominiſque Chriſti vera profeſſio. Vide igitur quomodo Dominus Fauſtus Dominum Socinum oppugnet, ut ex hoc mutuo conflictu veritas (cui rogo reluctari noli) tanto magis eluceſcat. Poſita hac ratiocinatione Domini Fauſti contra Dominum Socinum, ego aliam non diſſimilem adjiciam: Omnis res, per quam gloria Chriſti maxime eluceſcit & amplificatur, nominiſque Chriſtiani profeſſio ſtabiliter ac confirmatur, eſt ſumme neceſſaria: Dirigere preces noſtras ad Dominum Jeſum Chriſtum, eſt res per quam gloria Chriſti amplificatur & eluceſcit, nominiſque Chriſtiani profeſſio declaratur ac confirmatus: Ergo directio precum noſtrarum ad Chriſtum, res eſt maxime neceſſaria. Rogo quid in hoc argumento (quamvis ab homine indocto formato) deſideras? Majorem propoſitionem, ſcio te non vituperaturum. Minorem tu ipſe defendis, quando eum qui Chriſtum invocare non vult nec audet, hominis Chriſtiani nomine indignum judicaſti, ignarumque Dominii, regni ac poteſtatis Chriſti declaraſti. Si igitur conſtat, per Invocationem, Chriſti regnum ac gloriam ejus illuſtrari, certiſſime invocatio nominis Chriſti res eſt neceſſaria & non libera tantum.

Quod ad eminentiam paternam attinet, (cujus in hoc ſcripto mentionem facis) hæc nulla ratione per Invocationem Chriſti nominis minuitur ſive obſcuratur, ſed magis ſtabilitur illuſtraturque: nam quicquid poteſtatis ac gloriæ Chriſtus poſſidet, id totum à Patre habere, omnibus piis, in regnoque Chriſti doctis, certiſſimum eſt, atque omnis gloria Chriſti, in gloriam Dei Patris redundat. Non eſt igitur verendum, ne adverſarii juſtam cauſam calumniandi, gloriæque Dei detrahendi, ex doctrina neceſſariæ Invocationis Chriſti, accipere poſſint; quibus os obſtruendum, non hujuſmodi ſubtilioribus diſtinctionibus, ſed aperto verbo Dei, in quo expreſſum teſtimonium extat, de ſumma Chriſti exaltatione, quem Pater in ſolio ſecum conſidere fecit, vicariumque ſuum conſtituit. Non poteſt igitur gloria Chriſti gloriæ Dei, ne quidem in minutiſſima particula derogare: quin potius ita ſtatuendum eſt, quod minima gloriæ Chriſti abnegatio, neceſſario vergit in Deum ipſum, ut autorem gloriæque Chriſti vindicem.

Stat itaque firmum argumentum meum à poteſtate Chriſti ad neceſſariam invocationem nominis ejus ductum. Tu vero volens hoc elidere, potius eludis exemplo ab iis, quos Imperatores in conſortium imperii aſciſcere ſoliti erant. Exemplum hujuſmodi non poſſe integre accommodari Chriſto, tu ipſe vidiſti: attamen non video, quid te juvare poſſit. Illi enim, qui olim ab Imperatoribus in conſortium legebantur, non nomine tenus, ſed re ipſa honore debito afficiebantur; nec unquam placuiſſet imperatoribus illis, ſi quis neglectis & poſthabitis eorum conſortibus ſive collegis, ad Imperatores ſolos recurreret. Quod præcipue in filiis Imperatorum ſpectabatur: exemplum quoque Joſephi à Pharaone exaltati, hujus rei clariſſimum exhibet teſtimonium. Non poſſum itaque non mirari, cur tam inconſiderate ſcripſeris: *Similiter igitur, cum non Chriſtus tantum à nobis Dominus, Rex, Gubernator,* &c. *noſter ſit agnoſcendus, ſed Deus quoque, à quo ipſe Chriſtus talis eſt nobis conſtitutus & declaratus, nihil prohibet, quominus non ipſius Chriſti, ſed Dei opem atque auxilium in precibus noſtris imploremus,* &c. Argumentum hujuſmodi eſt: non ſolus Chriſtus eſt Rex & Dominus noſter, ſed etiam Deus Pater, multo excellentiore modo: ergo poſſumus non Chriſtum, ſed Deum ipſum invocare. Quod verba inferius poſita magis confirmant: *Sed poſſumus illum etiam non invocare, id eſt, poſſumus non ad ipſum ſed ad Deum verba precum noſtrarum dirigere,* &c. Si ita argumentum tuum concluſiſſes: Poſſumus Chriſtum non ſemper nec ubique invocare, ſed ſæpe ſolum Patrem implorare poſſumus, recte concluſiſſes. Verum dum indefinite verba hæc: *poſſumus Chriſtum non invocare*, ſcripſeris, videris eos juſtificare, qui Chriſtum nunquam invocant, nec invocare curant ſive audent. Si enim poſſumus non invocare, ergo qui non invocant, nihil peccant, dignumque reprehenſione admittunt. A ſimili: poſſumus feria ſexta non jejunare, ergo qui non jejunant, non peccant. Quicumque enim non faciunt, ad quod nullo jure divino coguntur, neſcio qua ratione iſtud pro peccato imputari poſſit ac debeat. Videris hujuſmodi intempeſtivis argumentis, non ſolum invocationem ſed etiam eminentiam Chriſti, etſi non tu ipſe labefactare, tamen adverſariis ad labefactandum imprudens cauſam porrigere. Chriſtus ipſe teſtatur, ſibi à Patre omne judicium commiſſum, ut omnes honorificent Filium, quemadmodum Patrem honorificant. Abſque dubio hæc verba ſummum honorem Chriſto deferunt, in quo & invocationem nominis ejus, facile quivis non contentioſus includi, agnoſcere poterit: habent igitur hæc verba vim expreſſi mandati invocationis Chriſti. Nam quicumque Chriſtum non invocant, ii nec debito honore (quod tu ipſe fateris) afficiunt. Status itaque quæſtionis noſtræ non eſt, an ſemper & ubique Chriſtum invocare teneamur: ſed an gloria Chriſti, noſtræque ſalutis fiducia id exigant requirantque, ut Chriſtus neceſſario invocetur. Quod neceſſario faciendum eſſe, firmiſſimis rationibus comprobatum, meo judicio, videtur, tuque ipſe majori ex parte mihi ſuffragari videris, dum omnes iſtos, quicumque Chriſtum nec invocant nec invocare audent, condemnare videris. Stat igitur, in æternumque firmiſſima perſtabit hæc propoſitio: Chriſtus ab omnibus iis, qui per Chriſtum ſalvari volunt, neceſſario invocandus eſt. Rogo te itaque obnixe, ut poſt hac tuo *Poſſumus* renuncies, locoque ejus, *Tenemur* reponas ac aſcribas.

Hoc inſuper loco colophonis addo. Quamvis nullum de invocando Chriſto mandatum in Novo Teſtamento extaret (prout non pauca, quæ vim expreſſi mandati retineant, eſſe puto) tamen ſi non abſoluta, conſequentis nihilominus neceſſitate Chriſtum invocare tenemur. Nam abſque invocatione nominis Jeſu Chriſti, neque fides vera, fiduciaque ſincera erga Chriſtum defendi, nominiſque ac majeſtatis ejus autoritas conſervari poteſt, nomenque Chriſtianum juſte ac legitime uſurpari. Sed de his in præſenti ſufficere arbitror.

Quod ad ſcrupulum à te injectum, ob diſtinctionem Adorationis & invocationis Chriſti, attinet, neque adhuc mihi exemptum video. Non ſum adeo rudis, gratia Dei, ut, quid inter vocabula adorationis & invocationis interſit, neſciam: verum ubi de religione noſtra erga Jeſum Chriſtum agitur, inter hæc duo diſcernere nec ſcio nec poſſum: maxime cum nos Chriſtum præſentem præſentia corporali non habeamus. Quicquid enim gloriæ honoriſve Chriſto a nobis exhibetur, id potius ad internum cultum referendum duco: nam etſi aliquando externos geſtus adhibemus, tamen ii per ſe parum aut nihil valent: incitamenta tamen ſunt ad attentiorem orationem ſive gratiarum actionem, ardentioremque, cujus tota energia in interiori animi motu, ſeriaque cordis affectione conſtat. Miror itaque qui fiat, ut tu hymnos, laudes, gratiarumque actiones in adoratione includens, invocationem ſub eodem genere habere nolis; cum gratiarum actio etſi ſpecie (ut ita dicam) differat, tamen ſub eodem genere cum invocatione, id eſt, ſub interna adoratione, de religione Chriſtiana loquendo, comprehendi poſſit ac debeat.

Quod vero ſcribis: Talem eſſe Chriſtum à Deo factum & nobis conſtitutum taliaque nos per ipſum beneficia accepiſſe, ut etiam eo ſecluſo, quod nobis eum invocantibus opem in neceſſitatibus noſtris ferre poteſt, eum tamen prorſus divino honore afficere debeamus, &c. ut verum fatear, maluiſſem à te non fuiſſe ſcripta: videntur enim imprudenter (ſit dicto venia) ſcripta: nam ſi Chriſtus nos in neceſſitatibus noſtris juvare non poſſet, parum abeſſet, quin otioſum ac exauthoratum (quod abſit) Chriſtum haberemus. Si enim Chriſtus nobis in neceſſitatibus noſtris ſuccurrere non poſſet, nec Rex, nec caput, nec ſponſus, nec paſtor noſter merito vocari deberet. Qualis enim Rex, qui ſubditos ad ſe confugientes, nec exaudire nec adjuvare poteſt? Cujuſmodi caput, quod membra non vivificat? Quomodo ſponſus, qui ſponſam non nutrit nec defendit? Eſſetne paſtor, qui lupos ab ovibus non arcet, nec oves tuetur. Ex adverſo, quales ſubditi, qui in neceſſitatibus ſuis Regem non invocant? Cujuſmodi membra, quæ à capite vitam non accipiunt? Fidelis ne uxor, quæ mariti ſui auxilium in neceſſitate non implorat? Suntne propriæ oves quæ ſub tutelam paſtoris ſui non confugiunt; Sed ſufficit; tu enim iſta omnia optime noſti, cæteroſque multo me doctius inſtruere potes: modo cave, ne præjudicata opinio noceat, neque pudeat à minori aliquando admoneri & diſcere. Ego hoc epiphonemate rem totam concludo; Vincat veritas. Amen. Datæ Lublini, 25 Aprilis, anno 1587.

Joannes Niemojevius.

Reſponſio F. S.

PRopoſui tibi, tanquam ex ſcripto meo contra Volanum deſumptam (quod ſcriptum tibi hac in parte Scripturæ Sacræ contrarium viſum fuerat) hanc theſim impugnandam: *Sacrificium & oblatio Chriſti expiatoria pro peccatis noſtris, quamvis non ſine cruce & ſanguinis fuſione, non tamen revera in ipſa cruce ſanguiniſve fuſione, ſed mox in cœlo, Chriſto illuc ingreſſo, peracta eſt.*

Antequam theſim iſtam meam impugnes, ais, me in ea, verba quædam addidiſſe, quæ in duabus ſententiis non extant, quas tibi ex ſcripto contra Volanum deſcripſiſti, quaſque ibidem recitas; verba opinor illa, *quamvis non ſine cruce & ſanguinis fuſione.* Putaſſe me exiſtimare, aliquid etiam à me additum fuiſſe in verbo *peracta eſt*, quod in illis nudis ſententiis non extat, nec ejus ſenſus plane in eis eſt expreſſus; niſi ex verbis, quæ deinde ſubjicis, conſtaret te intelligere, id verbum ad ſententiam in eo ſcripto expoſitam pertinere. Ut autem apertiſſime conſtat, me nihil omnino iis, quæ antea ſcripſeram, addidiſſe, immo apertius antea locutum fuiſſe, quam poſtea iis verbis, quæ tu addita exiſtimaſti: deſcribam hic utrumque locum integrum, ubi illæ duæ ſententiæ leguntur. Quod & tu ſane, ni fallor, facere debueras, cum tibi eas deſcripſiſti. Sic enim eadem opera, & melius ſemper, quid ſentiam, intellexiſſes, & jam ad ea omnia reipſa reſponſum datum à me vidiſſes, quæ tanquam evidentiſſima contra theſim meam teſtimonia attuliſti. Immo non ſolum locos illos integros, ut quidem mihi videtur, ſed totam hac de re diſputationem, quæ paucis omnino paginis continetur, tibi deſcribere debueras: ſic enim in nova, necdum bene cognita ſententia, quam quis impugnare in animo habet, ut eum qui eam conſtanter affirmat & docet, poſſit ab ea retrahere, facere meo judicio decet. Sed jam utriuſque loci verba, ut in meo ſcripto leguntur, adſcribam.

Prior locus ſic habet. Dico igitur, non leviter falli Volanum, qui cum pleriſque putet, tunc Chriſtum ſe obtuliſſe Deo, cum ſanguinem ſuum fudit, exiſtimans idem eſſe, Chriſtum ſe Deo obtuliſſe per proprium ſanguinem, & Chriſtum ſuum ipſius ſanguinem Deo obtuliſſe. Quod poſterius nunquam revera Apoſtolus dicit, ut paullo poſt apparebit. Itaque ex mente ejuſdem Apoſtoli affirmo, Chriſtum non quidem in cruce ſeu ara crucis, ut vulgo loquuntur, ſe Deo obtuliſſe, ſed in ipſo cœlo. Loquor autem (nota) una cum Apoſtolo, de vera & perfecta, non autem de incohata quadam oblatione. Patet hoc, &c. *Ex his quidem verbis apertiſſime patet, me multo clarius expreſſiſſe in ſcripto contra Volanum, quam in theſi mea inde petita, me à Chriſti oblatione crucem & ſanguinem ejus non ſeparare; & fateri, inchoatam quodammodo in cruce fuiſſe Chriſti oblationem, non tamen ibidem revera perfectam. Quod etiam in diſputatione mea de Jeſu Chriſto Servatore, diſertius ſcripſeram tum aliis tum his verbis*: Sententia mea non ſejungit Chriſti mortem, ab ejuſdem pro nobis oblatione: immo aſſero, eum non obtuliſſe ſeipſum, niſi per mortem, id eſt, non niſi morte ſua interveniente; quamvis oblatio non ante perfecta fuerit, quam poſt reſurrectionem & aſcenſum ipſius in cœlum.

Alter porro locus ita ſe habet. Nec porro (ait ſcriptura) ipſam Chriſti mortem, ejus revera ſacrificium eſſe aut fuiſſe, ſed illi præiviſſe: quippe quod oblatione ſui ipſius in cœlo, contineretur. Appellatur quidem à Paulo Chriſti factum illud, quod mortem pro nobis ſubire voluit, oblatio & victima Deo, in odorem bonæ fragrantiæ, nam facta egregia, quibus patrandis charitas atque beneficentia erga homines exercetur, Deove obedientia præſtatur, hoſtiæ Deo gratæ appellari ſolent. Ut ex his locis apparet Hebr. 13. 16. 1 Petr. 2. 5. Phil. 4. 18. in quorum poſtremo idem loquendi modus habetur, qui in ſuperiore illo Pauli loco, qui Paulus alibi hortatur, ut noſtra corpora hoſtiam Deo placentem exhibeamus. Verum quod ipſa mors Chriſti ſit ejus ſacrificium illud expiatorium de quo hic agimus, id nuſquam ſcriptm extat. Quanquam ex eo, quod ſine prævia morte ſacrificium ipſum peragi non poterat, factum eſt, ut non modo Chriſtus pro peccatis noſtris, ſeu propter peccata noſtra mortuus eſſe dicatur; ſed etiam ipſi morti ſeu ſanguini Chriſti, peccatorum expiatio tribuatur, nempe potiſſimum, ut hac ratione Dei, ipſiuſque Chriſti ſumma in nobis ſervandis charitas maximopere commendetur. *Hactenus verba mea: ex quibus te ipſum jam agnoſcere arbitror, me in theſi mea nihil iis addidiſſe, quæ contra Volanum ſcripſeram. Nunc viden-*

videndum eſt, quibus teſtimoniis me docere velis, eandem meam theſim, Spiritus Sancti verbis penitus adverſari, & ex diametro cum illis pugnare.

Primum verba illa Pauli producis, Epheſ. 5. Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem ac victimam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. *Hunc locum, ut ex verbis meis paullo ante recitatis apparet, non ſolum jam antea ipſe obſervaveram, ſed etiam nihil contra meam aſſertionem continere, oſtenderam. Et ſane miror, cum me à mea ſententia retrahere tantopere coneris, te hunc ipſum locum attuliſſe, non refutatis iis, quæ jam ego ad eundem reſpondendo ſcripſeram, & ibi ſcripſeram, unde tu ſententiam meam excerpſeras. Quanquam vero, ut aliud præterea reſpondeam, minime eſt neceſſe: tamen, ut clarius perſpicias, ipſa hujus loci verba, contra quam tu omnino credis, ſententiæ meæ nihil repugnare, & ſimul agnoſcas, me ab ipſo meæ ſententiæ publicandæ initio, hunc locum non ſine reſponſione præteriiſſe; adſcribam hic, quæ de eo ſcripſi in diſputatione mea de Jeſu Chriſto Servatore. Sic autem ad verbum ibi habetur.* Neque vero huic meæ ſententiæ, de oblatione Chriſti pro nobis (ut fortaſſe quiſpiam exiſtimare poſſet) obſtant ea verba Pauli, in principio cap. 5. ad Epheſ. Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem ac hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Ubi, cum dilectionis Chriſti mentio fiat, apparet de ipſa crucis morte dici, vel potius de ipſo Chriſto, quatenus crucis mortem ſubiit, quod fuerit oblatio Deo gratiſſima. Primum enim ſententia mea, &c. *Nam hic ſequuntur ea verba, quæ ſupra ex eadem diſputatione retuli. Sed paullo poſt ſic ibidem legitur.* Præterea non dicit Paulus Chriſtum obtuliſſe ſe Deo pro nobis; quamvis id multi crediderint, & præſertim qui eum locum vertendo, ejus verbis præpoſitionem *in* addiderunt (*Beza is fuerat in prima ſuæ tranſlationis editione*) hoc pacto: Qui tradidit ſemetipſum pro nobis in oblationem &c. Siquidem verbum Tradidit, quod in Græco eſt παρεδωκεν, non eſt conjungendum cum voce προσφορὰν, hoc eſt, oblationem. Ut recte & Tigurini & Caſtellio animadverterunt, qui diſtinctionem inter ipſa adhibuerunt. Id autem omnino ſuadet, cum ipſum verbum παραδιδόναι, (cujus in victimis offerendis nullum fortaſſe uſum invenies) tum Apoſtoli mens, qui maximam Chriſti dilectionem exprimere voluit, & aperte dicere; Chriſtum ſeipſum pro nobis in mortem tradidiſſe. In mortem autem tradere, ſimplici verbo Tradidit expreſſit, ut hac ipſa de re loquens ſæpius fecit. Nam hoc eodem cap. vſ. 25. inquit. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea. Et ad Gal. 2. 20. In fide filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Et de Deo, qui ita nos dilexerit, ut eum morti tradiderit, ad Rom. cap. 8. 32; Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Atque eodem ſenſu uſurpavit quoque verbum Dare Chriſtus ipſe, ſeu potius, ut quibuſdam placet, Euangeliſta Johannes in his verbis: Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, cap. 3. 16. Quod & ipſe Paulus fecit ad Gal. 1. 4. & Tit. 2. 14. Id vero non ita expreſſiſſet, ſi dixiſſet, Chriſtum obtuliſſe ſe Deo pro nobis. Neque enim hoc, ut illud mortem ob oculos ponit, cum poſſit quis ſe offerre Deo nec tamen mori. Nam idem Apoſtolus, in principio cap. 12. ad Rom. ſcribit, ut præbeant corpora ſua hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Senſus igitur hujus loci eſt, Chriſtum ita nos dilexiſſe, ut ſeipſum pro nobis in mortem tradiderit. Deinde ut Epheſii ad ſingulare hoc Chriſti facinus imitandum magis accendantur, per appoſitionem ſubjungitur, hanc ipſius Chriſti eximiam charitatem, hoc ipſius egregium opus, fuiſſe Deo oblationem & hoſtiam gratiſſimam. Itaque non de ejus corporis oblatione, ſed de oblatione præſtantiſſimi facti agitur. Nam ipſum factum hoſtiam appellari poſſe, patet ex eo, quod ſcriptum eſt ad Hebr. 13. 16. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivi ſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Quin ſimilem prorſus loquendi modum, cum eadem appoſitionis uſitatiſſima figura, habes ad finem Epiſt. ad Philipp. ubi ſcriptum eſt: Habeo autem omnia & abundo: repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam gratam, placentem Deo. Ex quo loco etiam apparet, ea verba, de quibus ſupra egimus, *In odorem ſuavitatis*, quibus LXX Interpretes reddiderunt id, quod in Hebræo eſt, *In odorem quietis*, nullam expiationem, nedum, ut ibi diximus, iræ placatio. eſſe ſignificare, & propterea in illis verbis ad Epheſ. non agi de hoſtia aliqua expiatoria. Ut Hieronymus quoque in explanatione hujus loci optime agnoviſſe videtur, quamvis verbi Tradidit ſenſum omnino aſſecutus non fuerit. Nam ibi ita ſcriptum reliquit; Quemadmodum enim ille ſe tradidit pro nobis, ſic & iſte, pro quibus poteſt, libenter occumbens imitabitur eum, qui oblationem & hoſtiam in odorem ſuavitatis ſe Patri tradidit, & fiet etiam ipſe (nota) oblatio & hoſtia Dei in odorem ſuavitatis.

Non opus eſt, arbitror, me quidquam addere, ut oſtendam Pauli verba, ex vi ipſius Grammaticæ, & ſecundùm ipſum litteralem (ut vocant) ſenſum, de alia oblatione accipienda eſſe, quam de qua inter nos agitur: Tantum, ut melius intelligi poſſit id, quod in ſupra ſcriptis verbis meis dicitur de verbis illis, *In odorem ſuavitatis* (nam ad ſuperiora lectorem quodammodo rejicio) ſciendum eſt, me antea in eodem opere monuiſſe, prædicta ſacræ ſcripturæ verba vix uſurpari in ſacrificiis expiatoriis, ſed potiſſimum ac fere ſemper in aliis ſacrificiis non expiatoriis; ut videre eſt primis tribus capitibus Levitici, in quibus de ſacrificiis non expiatoriis agitur, & de holocauſto quod ſolum & per ſe expiatorium non erat, & manifeſte diſtinguitur apud Moſem ab hoſtia pro peccato. In ſequentibus vero capitibus, ubi de variis ſacrificiis expiatoris agitur, ſemel tantum (ni fallor) in uno ex illis ea verba leguntur. Capite porro 16; ubi diligentiſſime tota cerimonia ſacrificii illius anniverſarii pro peccatis, explicatur, cui ſacrificio potiſſimum in epiſtola ad Heb. aſſimilatur Chriſti ſacrificium, nunquam leguntur. Adde, quod verba illa, in ſacrificio expiatorio non de eo dicuntur, per quod maxime & revera peccata expiabantur (nam neque inde odor ullus ad ſuperiora ferebatur) ſed de combuſtione adipis & renium: quæ tametſi ad abſolvendam expiationem, in legalibus illis ſacrificiis requirebatur, tamen, ut ea quæ fiebat jam egreſſo pontifice ex ſacrario, nihil ſibi reſpondens in Chriſti ſacrificio expiatorio habet, ubi omnia abſoluta ſunt, nunquam Chriſto ipſo pontifice ex ſacrario egreſſo.

Affers deinde, tamquam teſtimonium theſi ac ſententiæ meæ manifeſte apertiſſimeque contrarium, locum ad Heb. cap. 9. hæc videlicet verba, ut à te deſcripta ſunt. *Nam ſi ſanguis taurorum & hircorum; & cinis juvenæ aſpergens inquinatos ſanctificat ad carnis puritatem, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeipſum inculpatum obtulit Deo vivo.* Primum hic omiſſa ſunt multa verba inter voces *Deo* & *vivo*, fortaſſe ſcribæ errore, quem miror te non animadverriſſe: ex autem ſic in Bezæ tranſlatione, quam ſequi videris, leguntur, *purgabit conſcientiam veſtram à mortuis operibus ad ſerviendum Deo.* Ex quibus verbis apparet, hoc loco, ſi ipſa nuda verba ſpectes non agi de expiatione ſeu purgatione à reatu peccatorum, de qua nos agimus, & theſis mea loquitur; ſed de purgatione ab ipſis peccatis, id eſt, de vi quam Chriſti ſanguis habet efficiendi, ut peccatis relictis, Deo ſerviamus. Qua de re diſputatum eſt à me, præſertim cum hunc ipſum locum explico, diſputatione de Chriſto Servatore, & quomodo hoc verum ſit, plurib us demonſtratum. Igitur quod ad ipſa verba attinet (quæ ſola hic attendi vis, omiſſa in præſentia diſputatione de ſenſu verborum) non poteſt hic locus theſi meæ eſſe contrarius, etiamſi (quod tamen longe aliter ſe habet, ut poſtea oſtendam) diſerte in eo ſcriptum eſt, in ipſa cruce ſanguiniſque

fuſione, aut ſaltem in ipſo ſanguine peractam fuiſſe Chriſti oblationem. Mea enim theſis diſertis verbis, non de quacumque Chriſti oblatione, ſed, ut dixi, de expiatoria pro peccatis noſtris oblatione loquitur: de ea, inquam, unde factum ſit, ut à reatu & pœna peccatis noſtris debita, liberati ſimus, non autem unde factum ſit, ut peccatis relictis, Deo ſerviamus. Deinde, cum verba divini illius ſcriptoris à te allata, ad ſuperiora referantur, ut particula *Nam*, aperte oſtendit, non erant antecedentia verba in hujus loci recitatione omittenda, quæ in eadem Bezæ tranſlatione ſic habent: *Adveniens autem Chriſtus pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non hujus ſtructuræ: neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, æternam redemptionem nactus. Nam ſi ſanguis* &c. Hæc autem verba ſatis docent, quid ſit Chriſti oblatio, quæ hic commemoratur, eamque non ſine ingreſſu Chriſti in ſacrarium, hoc eſt, in ipſum cælum, peractam fuiſſe oſtendunt. Ut enim iiſdem verbis utar, quibus uſus ſum in diſputatione de Chriſto Servatore: Hic ratio redditur eorum quæ prius dicta fuerant. Dictum autem fuerat, Chriſtum per proprium ſanguinem ingreſſum in ſancta, æternam redemptionem inveniſſe; ergo hic, cur Chriſtus in cælum, per proprium ſanguinem ingreſſus, æternam redemptionem invenerit, ratio redditur, & ita non de ſola ejus ſanguinis fuſione, ſed de ipſius quoque in cælum ingreſſu mentio fit. Quibus verbis meis addo, hinc omnino ſequi id quod ibidem proxime ante dixeram, ea verba, *obtulit ſemetipſum Deo*, explananda eſſe hoc pacto, *ſeipſum in cælis Deo pro nobis præſentavit*. Alioqui tota periodus peſſime cohæreret cum verbis proxime antecedentibus, nec illorum, ut tamen neceſſe eſt, rationem redderet. Itaque tantum abeſt, ut hic locus ſententiam meam labefactet, ut eam maxime confirmet, ſi modo velimus, in eo de expiatoria Chriſti oblatione agi pro peccatis noſtris. aliter nihil ad rem noſtram, locus iſte, ut jam dictum fuit. Confirmatur autem hic oblatione Chriſti ſui ipſius verba fieri, quæ peracta fuerit in cælo, ex illis verbis, *per ſpiritum æternum*. Nam (& hic ſimiliter iiſdem verbis utar, quibus uſus ſum in diſputatione de Chriſto Servatore) per ſpiritum æternum ſe obtuliſſe Chriſtus dicitur, quia jam in æternum vivit, & idcirco in æternum pro nobis in conſpectu Dei apparebit; non autem, ut multi ſimpliciter interpretantur, quia æterna ſit Chriſti ſacrificii expiatio: ſic enim ſumſiſſet auctor iſte id, quod probare animo intenderat. Hic autem *ſpiritus* opponitur *litteræ*, hoc eſt Legi, quæ neque æterna fuit nec in æternum ſacerdotes conſtituebat. Atque in his paucis verbis eadem ſententia continetur, quæ pluribus ad finem cap. 7. explicata fuerat, ubi ſcriptum eſt. *Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem juris jurandi, quod poſt Legem fuit, filium in æternum perfectum* (*ſeu conſecratum*) Quid igitur quæſo hic locus habet, unde videri poſſit, hic apertiſſime affirmari id quod ego nego, in ſanguinis videlicet Chriſti fuſione, peractam fuiſſe expiatoriam pro peccatis noſtris ejuſdem Chriſti oblationem? Nunquid, quia hic dicitur, ſanguinem Chriſti, qui ſe obtulit Deo, purgare conſcientiam noſtram ab operibus mortuis; idcirco, non dicam aperte dicitur, ut quidem tibi videtur, ſed concludi debet, ipſo Chriſti ſanguine peractam fuiſſe ejuſmodi oblationem? Mihi quidem nullo modo videtur: tum quia, ut contra Volanum ſcripſeram, cum ſine Chriſti ſanguine, Chriſti hæc oblatio fieri non potuerit, merito ſanguini, oblationis ipſius effectus tribui poteſt; tum vero quia oblatio ipſa, alia effecta producere poteſt, (ut quidem ſi nuda hujus loci verba tantummodo attendamus, omnino producit) præter hunc qui hic ſanguini tribuitur; & ſic, licet quadam in re cum ipſo conveniat, non tamen ipſo revera contineri. Immo ipſa verba apertiſſime potius præferunt, ideo Chriſti ſanguinem purgare &c. quod eum conſecuta ſit oblatio ejuſdem Chriſti per ſpiritum æternum, quemadmodum vitulorum & hircorum ſanguinem, id eſt, horum animalium mactationem conſequebatur ingreſſus legalis pontificis in ſancta; ad quam rem, ut jam dictum fuit, hic manifeſta relatio habetur.

Poſtremo ad eandem theſis ſentiæque meæ cum Sacris Literis manifeſtam repugnantiam oſtendendam, affertur a te locus in fine ejuſdem. 9. cap. epiſt. ad Heb. ut in Bezæ tranſlatione legitur, hoc pacto: *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, ſicut Pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno; alioqui oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à condito mundo: Sed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum, ad abolendum peccatum per immolationem ſui ipſius patefactus eſt. Et ſicut illud ſtatutum eſt hominibus, ut ſemel moriantur, poſtea vero judicium: ita & Chriſtus ſemel oblatus ut multorum peccata tolleret, altera vice abſque peccato conſpicietur iis, qui ipſum expectant ad ſalutem.* Hic locus non modo theſi ſententiæque meæ non eſt contrarius, ſed eam aperte confirmat, præſertim in primis verbis, ex quibus cætera alioquin per ſe ambigua explananda ſunt. Quomodo autem eam confirmet, jam docui in ipſo ſcripto meo contra Volanum, in his verbis: *Tertiam, quod prædicta verba probant, illud eſt, quod oblatio illa antiqua, cum qua ſcriptor ille oblationem Chriſti confert, non fieret niſi ingrediente pontifice in ſancta, & propterea ſimiliter Chriſti oblatio facta non fuerit, niſi poſtquam Chriſtus in cælum ipſum ingreſſus eſt. Id quod etiam ſatis aperte in illis explicatur, cum, ut monuimus repetendum ſit ex præcedentibus poſt verbum neque, In ipſum cælum introivit.* Sed & in diſputatione de Chriſto Servatore, ex hoc ipſo loco ſententiam meam confirmaveram, his verbis: *Quid quod auctor ipſe* (Epiſtolæ ad Hebr.) *quidnam Chriſti oblationis nomine intelligat, adeo dilucide explicat, ut nulla dubitandi occaſio relinquatur. Sic enim ſcribit eodem cap. 9. 25. Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſacra per ſingulos annos in ſanguine alieno. Elegantiſſime opponit Chriſti, quam ſui ipſius ſemel oblationem fecit, ingreſſui pontificis quotannis in ſancta cum ſanguine alieno.* Offerre *enim*, Ingreſſui in ſancta *reſpondet*: *verba*, Neque ſæpe, *verbis* Per ſingulos annos; Semetipſum, Sanguini alieno, *cum decente quadam antitheſi oppoſita eſſe apparet.* Et mox: *Quis igitur in his verbis manifeſte non deprehendat, nihil aliud eſſe obtuliſſe Chriſtum ſeipſum Deo* (*agebatur enim de verbis ſuperioris à te allati loci ejuſdem cap.*) *quam, per proprii ſanguinis fuſionem, ſive, ut idem hic ſcriptor loquitur, per proprium ſanguinem, vera ſancta, hoc eſt, cælum ipſum ingreſſum eſſe, & ibi pro nobis coram Deo aſtare?* Hactenus ibi, quod pertinet ad prima hujus loci verba jam quod attinet ad ſequentia, in quibus, ut arbitror, pondus ipſius teſtimonii ponis, ea ſimiliter uſque ad ea verba, *Et ſicut illud*, &c. ſententiam meam confirmare ibidem oſtenduntur. Hic tamen brevitatis cauſſa, ſatis habeo paucis demonſtrare, nec ipſa nec reliqua quidquam illi adverſari. Nam quid illi adverſari poſſunt verba illa? *alioqui oportuiſſet eum ſæpe paſſum fuiſſe à condito mundo.* Num propterea illi adverſantur, quod à paſſione (ut ſic loquar) ad oblationem argumentans ſcriptor ille divinus, oſtendit idem eſſe paſſionem & oblationem? Atqui non ab eodem ad idem, quamvis cum adjunctione aliqua, quæ illis verbis continetur, *à condito mundo*, ſed à conjunctis, ſeu ab antecedente ad conſequens, argumentum illic ducitur, id eſt, ex negato neceſſario antecedente conſequens etiam negatur. Quod argumentandi genus longe elegantius atque concinnius eſt. Ex eo igitur, quod Chriſtus non ſæpe paſſus eſt à condito mundo, colligit ſcriptor ille eum non neceſſe habuiſſe, ut ſæpe ſemetipſum offerat, ſeu, non ſæpe ſemetipſum obtuliſſe. Neque enim oblatio ſine antecedente paſſione eſſe poteſt. Veluti ſi quis ita loqueretur: Non oportuit Chriſtum ſæpius reſurgere, alioquin oportuiſſet eum ſæpius mori; nemo eſſet qui hinc concluderet, apud iſtum idem eſſe Chriſti mortem & reſurrectionem, ſed tantummodo, non poſſe reſur-

reſurrectionem eſſe ubi mors non eſt. Verba porro, quæ ſequuntur; *ſed nunc ſemel in conſummatione ſeculorum, ad abolendum peccatum per immolationem ſui ipſius patefactus eſt*, non video quomodo, ne in ſpeciem quidem, meæ ſententiæ adverſentur, niſi immolationis nomine ſolam mactationem intelligamus; quaſi ex eo quod dicitur Chriſtus per ſui ipſius immolationem apparuiſſe ad abolendum peccatum, ſequatur (ſi quidem immolatio ſolam mactationem ſignificat) ſola mactatione Chriſti abolitum fuiſſe peccatum, & ſic ſola Chriſti crucis morte & ſanguinis fuſione, ablationem ejus expiatoriam pro peccatis noſtris contineri. Atqui immolatio, ſive ut in Græco eſt, θυσία non ſolam mactationem, ſed aliud præterea ſignificat, id eſt, quidquid poſt mactationem ipſam, (ut quidem in omnibus ejuſmodi ſacrificiis uſu venit) faciendum reſtat. Etiamſi aliquando verbum θύω per ſynecdochen, ſolam mactationem ſignificare inveniatur, etiam ubi nullum ſacrificium eſt: ut Act. 10. 13. Præterea, quamvis per Chriſti mortem abolitum ſit peccatum, non tamen idcirco ſequitur, vim aliquam propriam in ipſa morte fuiſſe, qua id factum fuerit: ſed tantum non ſine Chriſti morte id fieri potuiſſe. Quemadmodum ſcriptum eſt Heb. 2. eundem Chriſtum per mortem illum deſtruxiſſe, qui mortis habeat imperium, hoc eſt, diabolum; cum tamen non revera ipſa morte hoc præſtiterit Chriſtus: immo ipſa ejus mors per ſe contrarium effeciſſet, id eſt, diabolum in ſuo mortis imperio vehementiſſime confirmaſſet: verum quia non poterat ſine Chriſti morte, ejuſdem reſurrectio & exaltatio exiſtere, quarum vi revera diaboli imperium illud mortis abolitum eſt; propterea per mortem ſuam id Chriſtus effeciſſe dicitur. Nec quidquam tritius aut frequentius his loquendis modis eſt, ſive in ſacris ſive in profanis litteris. Qua de re rurſus aliquid poſtea dicam, ut oſtendam, me hic interea nequaquam ab ipſis verbis (quod tu nunc fieri vetas) ad eorum ſententiam tranſire. Quæ autem hic dixi, non propter locum à te allatum dixi, cum in eo neutiquam dicatur, per Chriſti mortem abolitum fuiſſe peccatum; non modo quia, ut dictum eſt, aliud immolatio ſeu θύσια Chriſti ſignificat, præter ejuſdem mactationem, ſed etiam quia verba illa, *ad abolendum peccatum*, non ſunt cum illis conjungenda, *per immolationem ſui ipſius*. (Nam & ſic alii fortaſſe omnes, ut ego arbitror, præter unum Seb. Caſtellionem, exiſtimarunt: in omnibus enim aliis tranſlationibus, in omnibuſque codicibus Græcis, quos quidem ego inſpexi, diſtinctio inter utraque verba appoſita eſt.) Itaque ſicut nemo dixerit, ſcriptum eſſe, per Chriſti nativitatem datum fuiſſe ab ipſo Chriſto teſtimonium veritati, licet ipſe dicat, ſe ad hoc natum fuiſſe, ut teſtimonium daret veritati; ſic ex eo, quod ſcriptum fuerit, Chriſtum per ſui ipſius immolationem apparuiſſe ad abolendum peccatum, minime dicendum eſt, conſequi, ſcriptum ſimul fuiſſe, per Chriſti mortem abolitum fuiſſe peccatum, licet Chriſti immolatio aliud nihil eſſet quam ipſius mors. Sed idcirco dixi, quæ dixi, quia ingenue & fateor & glorior, per Chriſti mortem abolitum fuiſſe peccatum, idque aut quid ſimile, quod idem plane ſignificat, pluribus in locis ſacrarum litterarum ſcriptum eſſe, optime novi. Cæterum quid ſibi velit, Chriſtum per ſui immolationem apparuiſſe ſeu patefactum eſſe, non eſt hic differendi locus. Alibi, id eſt, in diſputatione de Chriſto Servatore meam ſententiam abunde expoſui. At vero dices fortaſſe, te immolationis nomine totum ſacrificium totamque oblationem intelligere, & propterea, cum nomen iſtud referatur ad patiendi verbum paullo ante poſitum, hinc ſequi, paſſionem ipſam totum ſacrificium totamque oblationem complecti, ſeu paſſione ſacrificium oblationemque peractam fuiſſe. Reſpondeo primum, prorſus negari poſſe, immolationis nomen ad Patiendi verbum relationem habere: ſed referendum eſſe ad verbum Offerendi ſuperius poſitum, & verba illa, *Alioquin* &c. per parentheſin legenda eſſe, ut in ipſa Bezæ tranſlatione leguntur. Deinde etiamſi immolationis nomen ad Patiendi verbum referendum eſſet, & immolatio pro toto ſacrificio, totaque oblatione accipiatur: non tamen continuo ſequi, paſſione ipſa ſacrificium oblationemque contineri, ſed tantum ſacrificium & oblationem non ſine paſſione fuiſſe aut peragi potuiſſe. Sed jam de poſtremis hujus loci verbis agamus: *Et ſicut illud* &c. Exiſtimas enim (ni fallor) cum in hac comparatione, Chriſti oblatio morti hominibus ſtatutæ reſpondeat, hic aperte dici, Chriſti oblationem ipſius mortem fuiſſe. Verum meo judicio aliter res ſe habet. Nemo enim negare poteſt; ideo Chriſti oblationem morti hominibus ſtatutæ recte reſpondere poſſe, quod, ut jam ſæpe dixi & in mea ipſa theſi aſſerui, inque ſcriptis meis dilucide expoſui, non fuit Chriſti oblatio ſine ejuſdem Chriſti morte, nec ſine ea peragi potuit.

Arbitror jam ſatis conſtare poſſe, plurimum abeſſe ut ſacræ ſcripturæ loca à te citata, cum mea theſi ex diametro pugnent. Nec ſane id, quod ipſe ex eis contra me concludis, quidquam theſi meæ adverſatur, aut ſententiæ meæ quam ipſe refers. Ais enim; *Tu Jeſum Chriſtum ſeipſum in cruce Deo obtuliſſe negas, mortemque Chriſti pro vero ſacrificio agnoſcere non vis: teſtimonia vero citata, Chriſtum per mortem crucis ſeipſum obtuliſſe Deo, apertiſſime teſtantur.* Si citata à te teſtimonia nihil amplius teſtantur, quam, Chriſtum Deo ſe obtuliſſe per mortem crucis, quomodo, quæſo, meæ theſi adverſari poſſunt, in qua aſſero, Chriſto in cælum ingreſſo, ejus oblationem demum peractam fuiſſe? aut potius quomodo eam confirmandi non vim aliquam habent? Scriptum enim eſt diſerte, Chriſtum per proprium ſanguinem introiſſe ſemel in ſancta. Heb. 9. ℣. 12. quæ ſancta ipſum cælum eſſe, nec te ipſum negare, jam pro conceſſo ſupra à me ſumptum eſt, & probatur aperte eodem cap. 24. præter alia multa ejuſdem rei apud eundem ſcriptorem evidentiſſima argumenta. Certe, ſi Chriſtus per proprium ſanguinem ingreſſus eſt in cælum, verum erit, Chriſtum per crucis mortem ſe Deo obtuliſſe, & ſimul tamen non ſolum verum eſſe poterit, ſed etiam veriſimile fiet, Chriſti oblationem ingreſſu ipſius in cælum peractam fuiſſe. Præſertim cum, quemadmodum dicitur Chriſtus ſemel oblatus, ſic ſemel in cælum ingreſſus fuiſſe dicatur. Jam quod ipſe ais, me negare Chriſtum ſeipſum in cruce Deo obtuliſſe, & nolle Chriſti mortem pro vero ſacrificio agnoſcere, nullo modo pugnare poteſt cum eo, quod Chriſtus ſeipſum per mortis crucem Deo obtulerit: niſi etiam, Chriſtum in cruce cælum ingreſſum non eſſe, & Chriſti mortem verum ipſius ingreſſum in cælum non agnoſci, cum eo pugnare velis, quod Chriſtus per proprium ſanguinem, id eſt, per crucis mortem in cælum ingreſſus fuerit. Numquam ego negavi Chriſtum per crucis mortem ſe Deo obtuliſſe: Alioquin, cum affirmem ingreſſu ejuſdem Chriſti in cælum, ipſius oblationem contineri & peractam eſſe, ſimul contra manifeſtæ ſcripturæ verba negaſſem, Chriſtum per proprium ſanguinem in cælum ingreſſum fuiſſe: vel potius, cum id negare non poſſem, mihi ipſi manifeſte adverſatus fuiſſem, & Chriſti ingreſſu in cælum, ejus oblationem contineri negaſſem. Quanquam in nullo ex teſtimoniis à te allatis dicitur (nedum illa, ut ipſe ais, id apertiſſime teſtentur) Chriſtum per crucis mortem ſe Deo obtuliſſe. Quemadmodum ex examinatione mea ſupra allata verborum, unicuique conſtare poteſt, & quilibet, qui conſiderate ea legat atque perpendat, facile agnoſcet ac confitebitur. Quocirca vehementiſſime ſum miratus, te ea adeo aperta contra theſim ſententiamque meam teſtimonia eſſe putaſſe, ut tibi licuiſſe crediderit à me flagitare, ne ad verborum ſententiam in illis diluendis nunc confugerem. Quod tamen non jure te feciſſe ipſe ſatis agnoſcere videris, cum de verborum ſententia diſputationem in aliud tempus differs. Nam ſi illud fieri aliquando poteſt, cur nunc non fit, cum jam diſputatio inter

nos inſtituta eſt, vel potius cum, ut video, id curas ut verba ſententiamque meam revocem? Ego ſane nullo modo mea dicta revocare poſſum, niſi id facere me debere docear: id autem quomodo doceri poſſum, niſi dicta mea Sacris Literis adverſari perſuadear? hoc vero quomodo perſuaderi poſſum, niſi de ſententia verborum, quæ contra me afferuntur, diligenter agatur? Sed Deo ago gratias, quod non neceſſe habui meo jure uti, & poſtulationi tuæ, ſatis facere potui, ac teſtimonia à te allata diluere, oſtendendo, (quamquam id per ſe ſatis manifeſtum eſt) verba ipſarum nihil omnino ſonare, quod dictis meis adverſetur. Quodſi de verborum ſententia agendum fuiſſet, & penitius inquirendum, qua ratione expiata fuerint à Chriſto peccata noſtra, apertiſſime conſtitiſſet Chriſti oblationem expiatoriam, non in ipſa cruce, ſed in cœlo peractam fuiſſe. Quemadmodum in ipſo ſcripto meo contra Volanum oſtendi: ſed multo clarius atque uberius in diſputatione de Chriſto Servatore. Nec vero tuæ petitioni non fatis feci, cum expoſui cur dici potuerit Chriſti ſanguinem ſeu mortem purgare ſeu abolere peccata noſtra, ſive per Chriſti mortem abolitum fuiſſe peccatum: neque hic à verbis ipſis ad ſententiam tranſivi. „ Vulgatiſſimum enim eſt ac frequentiſſimum, & pro„ pterea ipſis verbis conſonum, ei rei aliquem effectum „ tribuere, ſine qua effectus ille non exiſtit, quamvis „ res illa vera ipſius cauſa efficiens non ſit, nec proxima „ inſtrumentalis. Hinc, exempli cauſa, ſcriptum legimus fidem ſervare; cum tamen non aliter fides ſervet, quam quia eam ſalus conſequitur, nec ſine fide ſalutem quis adipiſcitur, Deo revera interea ut efficiente cauſa, per Chriſtum ut proximam inſtrumentalem, ſervante, id eſt, æternam vitam dante, vel aliam ſalutem largiente; nullas vires fide ipſa ad id efficiendum revera habente aut conferente. Similiter per fidem juſtificari dicimur; quamvis non aliter per fidem juſtificemur, quam quia Deus per Chriſtum, ipſi Chriſto fidentes juſtificat. Quamquam, quod attinet ad locutionem iſtam, *per mortem Chriſti*, & ſimiles, jam, ſcripturæ exemplis prolatis, quam vim ejuſmodi verba habeant, eamque cum theſi ſententiaque mea nihil prorſus pugnantem, ſatis demonſtratum eſt. Poſſem hic exemplis compluribus apertiſſimis oſtendere, quam non jure à me petieris, ne de verborum ſententia agam, etiamſi in teſtimoniis tuis, verba cum ſententia mea appertiſſime pugnantia legerentur; ſed hoc labore, ut puto ſupervacaneo, ſuperſedere volo. A me id tantum, judicio meo petere debueras, ne mirarer, ſi tantopere ſententiam meam vituperares, ab eaque me retrahendum curares, cum ea manifeſte, quod ad verba attinet (ſi modo id ita ſe habuiſſet) cum non paucis locis Sacrarum Literarum pugnaret. Sed vix etiam hoc ipſum jure facere potueras, cum in ſcripto meo contra Volanum, à te bis perlecto & diligenter examinato, ea legantur per quæ teſtimonia à te allata, & ſi qua ſunt ſimilia, aut aperte aut tacite diluuntur; cumque ibidem ſententia mea non ſimpliciter exponatur, ſed clare explicetur, & teſtimoniis rationibuſque divinis confirmetur, adeo ut neque Volanus merito mihi inſultare, nec quiſquam infirmus offendi poſſit, aut ullus adverſarius hinc calumniandi meque condemnandi occaſionem arripere. Legantur modo diligenter, quæ ibi ſcripſi. Nam ea, niſi fallor, futura ſunt ſemper ſatis ad me defendendum, ſententiamque meam ſi non probandam, ſaltem probabilem oſtendendam unicuique, non prorſus à veritatis ſenſu alieno. Dices, me tibi injuriam facere, qui ſcriptum illud meum diligenter examinaveris, & tamen ſententiam meam plane improbes. At ego manifeſte deprehendo ex iis quæ ad me ſcripſiſti, te eorum, quæ ibi legiſti, oblitum fuiſſe, & vix quidquam meminiſſe præter ſententiam ipſam meam, eamque mutilam & imperfectam.

Sed, ut jam diſputationem hanc concludam, quod à me petis & urges, ut aut erraſſe me agnoſcam & confitear, ſententiamque edidiſſe Scripturæ Sacræ contrariam, aut oſtendam in Novo Teſtamento mortem Chriſti oblationem ſeu ſacrificium non appellari; hoc, inquam, nulla prorſus ratione petere potes. Primum, quia ſive mecum diſputare, ſeu me à ſententia mea retrahere velis, tuum eſt probare ſententiæ meæ falſitatem, non autem meum probare veritatem. Præſertim cum jam id fecerim in ſcripto meo contra Volanum, quod nuper legiſti, & quo lecto, me redarguere cœpiſti. Deinde, quia Sacræ Scripturæ loci, quos hactenus meæ ſententiæ oppoſuiſti, neque verbis neque ſententia, Chriſti mortem, ſacrificium illud & oblationem ejuſdem Chriſti vocant expiatoriam propeccatis noſtris, & multo minus ajunt, in ipſa cruce ſanguinisve Chriſti fuſione, expiatoriam ejuſmodi oblationem revera peractam fuiſſe. Quod tibi probandum eſt, ſi velis me theſim ſententiamque meam revocare, aut eam probandum ſuſcipere. Poſtremò, quia talis negans enunciatio nulla ratione probari poteſt, quantumvis vera ſit, niſi omnia verba totius Novi Teſtamenti in medium producantur & examinentur. Si petiiſſes, ut probarem in Novo Teſtamento dici, mortem Chriſti non eſſe oblationem, &c. tolerabilior fuiſſet petitio tua (quamvis nec ipſa æqua, eique ſimilis quæ Papiſtæ & Lutherani contra nos utuntur, dum petunt ut oſtendamus locum in Sacris Literis, ubi dicatur illud quod in cœna Domini datur, non eſſe corpus Chriſti. Niſi quod tanto minus æqua hæc tua petitio foret, quam iſta Papiſtarum & Lutheranorum, quanto illi clarius in ipſis Sacris Literis contrariæ ſententiæ habent teſtimonium: immo ut verius loquar, ipſi habent apertiſſimum teſtimonium affirmans, illud quod in cœna Domini datur, eſſe illud Chriſti corpus, quod pro nobis fuit traditum, tu vero nullum locum habes aperte affirmantem, mortem Chriſti eſſe oblationem illam expiatoriam) ſed petere, ut oſtendam in Novo Teſtamento Chriſti mortem non appellari oblationem, intolerabilis plane petitio eſt. Jam ſi hoc petere in animo habuiſti, ut oſtendam ex aliquot Novi Teſtamenti locis, ipſam Chriſti mortem non eſſe oblationem illam expiatoriam; quanquam, ut dixi, hoc à me jure petere non potes, tamen ex multis, quæ in variis ſcriptis meis, quæ omnia legiſti, ad id probandum attuli, unum ſeligam; quando tu ejus, licet aliquanto obſcurius meminiſti, inquiens, me conferre Chriſti aſcenſum cum introitu veteris pontificis in Sancta Sanctorum: non quidem, ut illud hic rurſus explicem, jam enim ſupra ex ipſis ſcriptis meis verba illud explicantia recitavi, ſed ut, quæ contra videris afferre voluiſſe, refellam.

Dico igitur primum, non me conferre ingreſſum Chriſti in cœlum cum ingreſſu veteris pontificis in Sancta Sanctorum, ſed ipſum Spiritum Sanctum id facere, in Epiſtola ad Hebr. cum alibi tum vero maxime cap. 9. Deinde, quod ad hanc collationem ſeu comparationem ejuſque vim declinandam, ais te nolle negare Chriſti ſacerdotium eſſe æternum (ſunt ipſa verba tua) in cœloque ſacerdotem pro nobis interpellando, vultuique Dei apparendo, agere, tamen nihilominus (ais) in terra per mortem crucis idem Chriſtus ſeipſum obtulit, morſque ejus jure optimo oblatio vocari, atteſtante Spiritu Sancto, poteſt. Quod, inquam, ſic ſcribis, hoc nihil pertinet ad ipſam comparationem. Comparatio enim in eo eſt, quod, quemadmodum vetus Pontifex non faciebat oblationem ſuam, niſi poſtquam ingreſſus eſt in Sancta Sanctorum; ſic Chriſtus ſuam oblationem non fecit, niſi poſtquam ingreſſus eſt in cœlum: & pontifex quidem fuſo prius pecudum ſanguine, id eſt pecudibus mactatis; Chriſtus autem fuſo prius ſuo ſanguine, id eſt, ſeipſo in crucis mortem tradito. Nihil ad hanc comparandi rationem Chriſti ſacerdotii æternitas. Ex qua tamen ſine dubio colligitur, Chriſti oblationem expiatoriam ipſa crucis morte non contineri, quæ jam non eſt amplius; ſed Chriſti coram Deo in cœlo apparitione, quæ perpetuo durat & duratura eſt. Durat quidem ac perpetuo durabit Chriſti mortis, quicunque ab ipſa manat, effectus & efficacia: ſed aliud eſt oblationis efficacia, aliud ipſa oblatio. Nec ſolam Chriſti

obla-

oblationis efficaciam, ſed ipſammet oblationem perpetuo durare neceſſe eſt, ſi Chriſtus revera æternus eſt ſacerdos, eamque illam unam quam ſemel fecit, cum unica in perpetuum ſit oblatio Chriſti expiatoria. Scriptor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 8. aperte teſtatur, * *neceſſe eſſe, ut Chriſtus*, qui eſt in cælo, *aliquid habeat quod offerat*; &, *ſi eſſet in terra, non futurum ſacerdotem*: & tu tamen affirmas, Chriſtum in terra ſeipſum obtuliſſe. Jam, ut idem ſcriptor ait, oblationes quæ fiunt in terra, ſive ii qui eas offerunt, *exemplari & umbræ deſerviunt cæleſtium.* Ubi in Vatabli Bibliis ſic annotatum reperies: *Id eſt, qui quidem exemplari & umbræ deſerviebant eorum quæ agenda olim erant in cœlis per Chriſtum. In cœlo enim Deo ſeipſum offert Chriſtus.* Vides ut alii ante me, iique doctiſſimi viri agnoverint, Chriſtum ſui ipſius oblationem non in terra ſed in cœlo feciſſe. Quod & te agniturum ſpero, ſi modo tantum locum ipſum cap. 8. Epiſt. ad Hebr. diligenter inſpexeris, omniaque ejus verba perpenderis. Nihil reſpondeo ad illud quod ais, Spiritum Sanctum atteſtari, Chriſti mortem, oblationem jure optimo vocari. Supra enim ſatis ſuperque ad hoc reſponſum eſt. Sed illico ſubjungis: *Nam & ſub lege pontifex cum ſanguine in ſanctuarium ingrediebatur, qui ſanguis mactatorum animalium erat: ea vero mactatio animantium, oblatio ſive ſacrificium appellabatur.* Hæc poſtrema verba, in quibus tota vis eſt, nunquam cuiquam probabis, niſi locos proferas. Quod te facere poſſe non arbitror. Nam certiſſimum eſt, ſola mactatione ſive apud Hebræos ſive apud Gentes, nullam oblationem peractam fuiſſe, quod & nomen ipſum oblationis aperte indicat, cum in ipſa mactatione nihil prorſus offerretur. Unde etiam fit, ut mihi neganti, Chriſti oblationem in ipſius morte peractam fuiſſe, nullum probandi onus incumbat: ſed contra iis incumbat, qui iſtud affirmant; quippe qui id affirment, quod alioqui contra omnem uſum atque rationem, adeoque ipſum ſenſum communem eſſe videtur. Et hæc quidem hactenus, quod attinet ad Chriſti oblationem expiatoriam pro peccatis noſtris, ut tibi rationem redderem, cur ex iis quæ à te ſcripta ſunt, ne ſuſpicari quidem poſſim, eam in cruce peractam fuiſſe ſeu in morte Chriſti: tametſi autem tu à re ipſa, de qua theſis mea loquitur, ad appellationem diſputationem tranſtuliſti, tamen arbitror hac etiam in parte me objectis tuis ſatiſfeciſſe.

De effectu mortis Chriſti, gaudeo te melius ſentire, quam alii quidam ſentiant: me autem vel illum negligere aut non multum curare, vel aliter accipere ac Spiritus Sanctus dictet, nunquam deprehendes. Imo ſi ſcripta mea paullo diligentius, quam hactenus feceris, examinare volueris, in quibus, præſertim vero in diſputatione de Chriſto Servatore, tuſiſſime hac de re diſſero, videbis ſpero, quam procul ab iſtis vitiis abſim, & quam calumnientur ii, qui me horum audacter inſimulant; quibuſcum te ſentire, virum tam pium atque cordatum, indignum plane eſſet.

Quod ad opera & fidem in juſtificatione noſtra attinet, dico Paulum nullo modo diſtinguere opera (quæ non implendæ legis gratia, nec ut merito illorum ac propria vi juſtificemur coram Deo, ſed ut ipſi Deo ex Chriſti præſcriptione obediamus, à nobis fiunt) ab ea fide, qua ſive per quam nos juſtificari aſſerit: ejuſmodi enim opera non modo à fide, qua juſtificamur, ſeparari nequeunt, ut ipſe confiteris, ſed anima ſeu forma quædam ac vita ejus fidei ſunt: ſicut Jacobus nos aperte docet, cum ea, reſpectu fidei, ſpiritui corpori vitam danti confert. Quod veriſſime & maxime proprie illis convenire, & jam in ſcriptis meis ſatis demonſtravi, & ſuo tempore me omnibus vere piis demonſtraturum ſpero.

Sequitur ut de Chriſti Invocatione agamus, & ratio à me reddatur, cur non poſſim tibi acquieſcere iterum me monenti ac ſuadenti, ut ſententiam meam mutem, quæ eſt, Chriſtum à nobis invocari, id eſt, ad eum preces noſtras dirigi jure poſſe, non tamen ad id faciendum nos divino jure cogi; atque affirmem, omnino neceſſarium nobis eſſe preces noſtras ad Chriſtum dirigere. Primum igitur, ut me ad hoc faciendum moveas, repetis id quod prius dixeras, ſi mea ſententia vera eſt, rem adiaphoram ſeu indifferentem eſſe Chriſti invocationem, & propterea nullam fuiſſe cauſam tam acriter hac de re cum adverſariis contendendi. Ad hoc jam ſatis reſponſum eſt in prioribus meis ad te litteris, in illis verbis: *Reſpondeo, Idcirco tam ſtudioſe urgeo invocationem Chriſti, ut Adverſarius*, &c. cujus meæ reſponſionis, mirum eſt te nullam mentionem facere, cum iterum idem mihi objicis. Apparet autem te ſtatum quæſtionis & controverſiæ inter nos & adverſarios, non recte tenere, aut non meminiſſe; quem ut plane percipias, ac ſimul videas, mihi iſtud objectum eſſe jam diu notiſſimum, & ad diluendum facillimum, plenioremque reſponſionem habeas, adſcribam hoc loco, quæ contra Franciſcum Davidis hac de re ſcripſi, quamvis à te nuper una cum aliis huc pertinentibus jam lecta, quando te eorum non meminiſſe video. Sic igitur verba mea habent cap. 27. partic. 4. *Ad id vero quod poſtea addis*; *Alioqui* (nempe niſi Chriſti invocatio vel præcepta eſt vel prohibita) *Chriſti invocationem adiaphoram futuram, quare etiam concludis de ea diſputandum non eſſe*; *Reſpondeo, Si Adiaphori nomine rem intelligis, quæ nec bona per ſe nec mala ſit, conſequentiam tuam non eſſe bonam. Sunt enim multa per ſe bona, quæ tamen præcepta non ſunt. Quodſi nomine Adiaphori id modo intelligis, quod nec prohibitum eſt nec præceptum; jam fateor ego, de Chriſto invocando, id eſt, de precibus noſtris ad ipſum dirigendis, nullum certum mandatum extare, ideoque nos poſſe quidem ſemper id facere, non tamen teneri; nec propterea ſequitur, de Chriſti invocatione diſputandum inter nos non eſſe. Etenim illud, de quo inter nos circa Chriſti invocationem diſputatur, nullo modo nec nobis nec vobis eſt Adiaphorum. Nos enim contendimus, neminem Chriſtianum eſſe poſſe, qui non fateatur, ſe confidenter in neceſſitatibus ſuis Chriſti opem implorare poſſe, & conſequenter ipſius ſummam in angelos & in homines, & in ipſos dæmonas poteſtatem, cum plena ac perpetua præſenteque totius Eccleſiæ cura & gubernatione conjunctam, non agnoſcat & confiteatur, Deumque per ipſum in Eccleſia omnia facere & largiri, ſibi non perſuadeat. Vos contra, eum qui nunc Chriſti opem imploret, idololatram eſſe affirmatis; & divino verbo, atque adeo Dei gloriæ ſummopere adverſari contenditis, ſi Chriſtus nunc in cælis manens aliquid efficere vel largiri ipſe poſſit, aut ſi Eccleſiam regat atque gubernet aliter, quam per verbi miniſterium ſemel conſtitutum; ac proinde in Deum graviter peccare, qui aliam præterea hoc tempore poteſtatem, aut Eccleſiæ curam in Chriſto agnoſcunt & eſſe contendunt.* Hactenus ibi verba mea. Controverſia igitur inter nos & adverſarios eſt, Utrum Chriſtus jure invocari poſſit, nec ne: illi negant, nos affirmamus. Quid igitur quæritur ampl ius in noſtra cum illis diſputatione, quam ut demonſtremus, nos jure poſſe Chriſtum invocare? ex qua una re demonſtrata, omnia quæ ad Chriſti gloriam & majeſtatem ſacris teſtimoniis comprobatam & nobis commendatam pertinent, neceſſario conſequuntur & illibata conſervantur. At inquies, Non debere addi, *Nos tamen Chriſtum invocare, id, eſt ad eum precationes noſtras dirigere, divino jure non cogi.* Cur vero? An quia hoc eſt falſum? Atqui ego affirmo eſſe veriſſimum; ut jam ſatis in ipſis meis ad te prioribus litteris oſtendi, & in his poſtea, Deo dante, tuis ad meas rationes reſponſionibus refutandis, clarius oſtendam. An quia hoc, quantumvis verum, in dubium videtur revocare, an Chriſtus invocari poſſit, aut ſaltem quia ſine ullo incommodo reticeri poteſt? Immo hoc ut veriſſimum eſt, ſic (quæ eſt veritatis natura) mirum in modum confirmat nos in ea ſententia, quod Chriſtus jure à nobis invocari poſſit, id eſt, eam nobis in dubium revocari nullo modo permittit; nec cum propter hoc, tum propter diſtinctionem ac diſcrimen, quod inter Dei & Chriſti invoca-

* Ne conſulas hic Bezam: nam verba Apoſtoli corrupit, addens de ſuo verbum Fuit, & mutans Offerat in Offerret.

invocationem ſtatuendum omnino eſt, ſilentio præteriri aut debet aut poteſt. Quemadmodum in priore velitatione noſtra & dixi, & aliqua ex parte demonſtravi. Quod ut melius intelligatur, Dico, Adverſarios, ut probent Chriſtum invocari jure non poſſe, hoc potiſſimum argumento uti, quod nullum ea de re extet præceptum expreſſum atque indubitatum, ſine quo tam arduam rem in divino cultu audere nemo debeat. Ut argumentum hoc diſſolvamus, aut aſſumptio aut conſequentia nobis eſt neganda, Aſſumptionem nullo modo negare poſſumus, quidquid tibi neganda eſſe videatur. Nam, ſi præceptum eſt datum ut Chriſtum invocemus, quandocumque ejus rei occaſio ſeſe obtulerit, id facere omnino debemus. Omnia „ enim præcepta affirmantia ſemper obligant, cum ſe „ rei præceptæ occaſio offert. Occaſio Chriſti invo„ candi eſt ſine dubio, cum quis in aliqua neceſſitate eſt conſtitutus, quæ divina ope indigeat, & multo magis, cum quis jam reipſa invocare vult. Ergo, ſi præceptum eſt ut Chriſtum invocemus, numquam, cum in aliqua neceſſitate ſumus quæ divina ope indigeat, & multo minus cum jam reipſa invocare volumus, omittere poſſumus quin Chriſtum invocemus. Sed hoc manifeſte eſt falſum. Ergo falſum eſt, extare præceptum de invocando Chriſto. Igitur non Adverſariorum argumenti aſſumptio, ſed conſequentia neganda eſt, & oſtendendum, quamvis præceptum datum non ſit, ut Chriſtum invocemus, invocari tamen à nobis jure poſſe. Quemadmodum ego latiſſime oſtendi in diſputatione mea cum Franciſco Davidis. Apparet igitur, neceſſe eſſe huc devenire, ut fateamur, non extare præceptum de invocando Chriſto; & conſequenter, nos divino jure non cogi Chriſtum invocare. Quod divino jure cogamur invocare, hoc Dei eſt proprium, & ad ipſius Dei prærogotivam ſupra Chriſtum maxime pertinet; ut poſtea clarius patebit. Jam quod ais, ſi Chriſtum divino jure invocare non cogimur, relinquendum eſſe liberum conſcientiis fidelium, *ut quilibet* (ſic ſcribis) *juxta ſuggeſtionem ſpiritus, vel illa uteretur vel eam negligeret*; Dico me nuſquam urgere, ut quiſquam omnino Chriſtum invocet, id eſt, ad ipſum verba precationum ſuarum dirigat; ſed hoc, ut ex ipſis prioribus meis ad te litteris intelligi poteſt, prout ſpiritus unicuique ſuggeſſerit, liberum relinquere. Id quod nihil pugnat cum eo, quod ab Adverſariis contendo: id enim contendo, ut ex animo agnoſcant, ſe jure poſſe preces ſuas ad Chriſtum dirigere, & propterea ſimul fateantur, ſe paratiſſimos eſſe ad id faciendum, quandocumque id illis ſpiritus ſuggeſſerit. Quomodo vero is, qui ita & ſentiat & loquatur, dici umquam poterit, non audere aut nolle Chriſtum invocare? Hoc ego in alteris meis litteris longe à veritate abeſſe docui, & tamen tu rurſus in hunc hæc cadere poſſe affirmas, confundens iterum, quod ſæpe in poſterioribus hiſce tuis literis facis, Non audere ac nolle invocare Chriſtum, cum Non invocare Chriſtum; cum tamen fieri poſſit, ut quis Chriſtum non invocet, id eſt, re ipſa ad eum preces ſuas non dirigat, non quia non audeat aut nolit id facere, ſed quia id ſpiritus non ſuggeſſerit. Quare caute omnino interpretandum eſt in verbis tuis verbum *Negligeret*, ſi ea admitti debent; ut ſcilicet ſignificet *Non uti*, non autem *Aſpernari*, ſeu mavis *Nihil curare*. Quinetiam ob eandem cauſſam caute ſimiliter accipi debet id verbum, etiamſi certiſſimum eſſe velis, propter antecedentia verba ita interpretandum, ac ſi ſcriptum à te fuiſſet, *Non uteretur*. Poteſt enim adhuc ita accipi, ut ad propoſitum non autem ad eventum referatur; & breviter poſſunt verba tua ita accipi, ac ſi dixiſſes, *ut quilibet juxta ſuggeſtionem ſpiritus ſtatueret, an illa velit uti, nec ne*. Atqui ex ſententia mea hoc nullo modo conſequi poteſt. Nemini enim qui ex animo agnoſcat, Chriſtum jure invocari poſſe, ſuggere poteſt ſpiritus, ut ſtatuat non invocare Chriſtum. Immo ejuſmodi homini ſæpius ſuggeret ſpiritus, ut Chriſtum invocet, ſive charitate Eccleſiæque ædificatione id requirente, ſive humana imbecillitate ad id impellente (quemadmodum in altero meo ad te ſcripto jam dictum eſt) ſive etiam aliis juſtis cauſſis & rationibus id ſuadentibus, pro loci ac temporis ratione. Hæc ſatis ad ea quæ præludii cujuſdam loco meæ ſententiæ iterum objeciſti. Nunc de iis videamus, quæ meæ ad priores tuas litteras reſponſioni objicienda cenſuiſti.

Dixeram, videri ſtatuendam differentiam inter negotium ſalutis, & negotium religionis. Petis hic, vir humaniſſime, ſeu deſideras accuratiorem explicationem. Nulla alia accuratiore explicatione mihi opus eſſe videtur, præter eam, quam, ut primum meum autographum teſtari poteſt, ab initio ſcripſeram; ſed poſtea, cum tecum mihi rem eſſe cogitarem, id eſt, cum viro apprime erudito ac perſpicaci, conſulto tanquam ſupervacaneam delevi. Ea eſt, quod latius patet negotium religionis, quam negotium ſalutis; & omnia quidem, quæ ad ſalutem pertinent, ad religionem quoque pertinent, ſed non contra. Quare quod ais, religionem veram ea omnia continere, quæ ad cultum Dei Jeſuque Chriſti tam internum quam externum, in verbo Dei præſcriptum pertinent, nihil contra differentiam iſtam facit. Sed tu ex eo, quod religio omnia continet quæ ad ſalutem ſpectant, credis fortaſſe, viciſſim ſalutem noſtram ea continere omnia, quæ ad religionem ſpectant, & ſic, quemadmodum negotium ſalutis à religionis negotio disjungi non poteſt, ſic ſimiliter religionis negotium à ſalutis negotio non poſſe disjungi. Quod perinde eſt, ac ſi quis exiſtimaret, quia, ubicumque eſt homo ibi eſt animal, ſic viciſſim ubicumque eſt animal ibi eſſe hominem. Quod fallaciæ genus appellatur fallacia conſequentis, in quam (ignoſce mihi vir præſtantiſſime) ſæpe incidere mihi videris in hiſce diſputationibus noſtris. Scire (exempli gratia) licere homini Chriſtiano ex omnibus cibis cum gratiarum actione comedere, ſine dubio ad religionem pertinet, non pertinet tamen ad ſalutem, teſte Paulo Rom. 14. Hoc idem dico de omnibus rebus adiaphoris, quæ plurimæ ſunt, de quibus ſcire quid ſentiendum ſit, nemo negare poteſt ad religionem pertinere, quamvis ad ſalutem non pertineat. Quot ſunt ad religionem noſtram pertinentia, de quibus quotidie diſputatur, quæ tamen ad ſalutem non pertinent? Certe plura, quam multi exiſtimant. Exempla proferrem, ſed ſatis eſſe arbitror rem indicaſſe: jam enim ad ea reſpondendum eſt, quæ contra exemplum à me prius allatum ſcripſiſti.

Ais igitur, *Exemplum à te loco argumentationis poſitum, videtur fallaciam redolere, quam ego aut nominare neſcio, aut ad fallaciam diviſionis pertinere arbitror. Vis enim ex eo quod aſſidue non fit, concludere quod neceſſario facere non teneamur.* Certe ita argumentatus eſſem, ut verba tua ſonant, turpis fallacia eſſet in argumentatione mea, non quidem diviſionis, ſed manifeſtæ ignorationis elenchi. Ab eo enim quod non fit, ad id argumentatus eſſem quod facere non teneamur. Ego non ab eo quod non fit, ſed ab eo quod non fieri jure poteſt, argumentum duxi. Fallacia porro, quam tu in argumentatione mea eſſe ſuſpicaris, non diviſionis eſt, ſed A ſecundum quid, ad ſimpliciter. Verum longe abeſt argumentatio mea ab hac fallacia. Ad quod oſtendendum, quia hic cardo totius quæſtionis noſtræ vertitur, quid vel jam dixerim vel dicturus ſim (quæſo te) diligenter attende. Jam ſupra dixi id, quod veriſſimum eſt, & de quo inter omnes Theologos conſtat, præcepta affirmantia ſemper obligare, cum rei præceptæ faciendæ occaſio ſeſe offert. Jam vero ſi neceſſario tenemur Chriſtum invocare, certe neceſſe eſt etiam ut id nobis præceptum fuerit. Et, ſi præceptum eſt, neceſſe eſt etiam ut ſemper Chriſtum invocemus, quandocumque Chriſti invocandi occaſio ſe offert. Ergo, ſi hoc neceſſe non eſt, non eſt etiam de Chriſto invocando nobis præceptum

ceptum datum ; &, ſi præceptum non eſt datum, ne ceſſario Chriſtum invocare non tenemur. Recte igitur & ſine ulla prorſus fallacia concluſi, ex eo, quod non ſemper Chriſti invocandi oblata occaſione Chriſtum invocare tenemur, nos Chriſtum invocare neceſſario non teneri. Tu ipſe hujus fortaſſe ratiocinationis vim ſentiens, tibi ipſi manifeſto contrarius, cum prius tacite conceſſiſſes, & poſtea aperte conceſſeris (nempe quia nimis evidenter eſt verum) nos poſſe Chriſtum non ſemper nec ubique (ais enim, ſi ita concluſiſſem, me recte concluſurum fuiſſe) invocare, ſed ſæpe ſolum patrem implorare ; tamen de veris Chriſtianis hæc verba ſcripſiſti, *Certe hi omnes ex fiducia concepta aliter facere nec poſſunt nec debent, quin ad Chriſtum in neceſſitatibus ſuis aſſidue* (nota) *confugiant, ab eoque auxilium petant.* Oſtenderam ego argumentum tuum a fiducia in Chriſtum ad ejuſdem invocationem ductum infirmum eſſe, vel ex eo, quod hinc ſequeretur, cum ſemper atque ubique Chriſto confidere debeamus, ſemper etiam atque ubique debere nos preces noſtras ad Chriſtum dirigere. Quod & manifeſto falſum eſt, & tu verum non eſſe confiteris ; & tamen, cum illud tuum argumentum defendere velles, coactus es contrarium affirmare, & in iſtam ipſam abſurditatem, quam ego effugi à te non poſſe prædixeram incidere. Rem paulo diligentius, te obſecro, perpende, & videbis nullo pacto contendere te poſſe, Chriſtum neceſſario nobis invocandum eſſe, quin etiam contra manifeſtam veritatem contendas, nos numquam in precibus noſtris omittere poſſe quin Chriſtum invocemus ; niſi novum quoddam divini præcepti genus inducas, ut non ſemper, oblata rei præceptæ occaſione, ſed aliquando, prout nobis videbitur, quidpiam facere jubeamur ; & breviter velis præceptum nobis fuiſſe, non quidem ſimpliciter ut Chriſtum invocemus, ſed ut eum aliquando invocemus. Quod numquam probare poteris. Nam quidquid ad hoc confirmandum attuleris, aut ſimpliciter, & ſic ſemper in precibus noſtris invocandum eſſe Chriſtum, oſtendendi vim habebit (id quod fieri nequit) aut nihil ad Chriſti invocationem præcipiendam pertinebit. Propterea etiam veriſſimum eſſet, nos neceſſe omnino habere aliquando preces noſtras ad Chriſtum dirigere, non tamen affirmandum ſimpliciter eſſet, ut tu facis, Chriſtum neceſſario nobis invocandum eſſe ; ſed tantum, Chriſtum neceſſario aliquando nobis eſſe invocandum. Percurre cogitatione omnia Dei præcepta affirmantia, nullum invenies, quod, rei præceptæ occaſione oblata, ullo pacto omitti poſſit, ſi, quæ res illa præcepta ſit, recte intelligatur. Dices fortaſſe, cœnam Domini celebrare, divinum præceptum eſſe (quod ego quoque ſentio) & tamen Aliquando tantum neceſſe nos habere eam celebrare. Verum iſtud præceptum nullam certam rei præceptæ occaſionem habet, & iſtud *Aliquando*, in hoc præcepto exequendo, non cuilibet rei præceptæ occaſioni opponitur, ſed cuilibet tempori. Quodſi tamen ulla certa occaſione cœnæ Domini celebrandæ dari poteſt, non dubium eſt, quin ſemper ea occaſione oblata, neceſſe ſit cœnam Domini celebrare. Puto me ſatis demonſtraſſe, in argumentatione mea, quod ad ipſius formam attinet, nullam penitus eſſe faliaciam, immo ne quod ad materiam quidem, cum, quæ in illa aut aſſumpſi aut pro conceſſis poſui, veriſima eſſe oſtenderim, & partim à te ipſo conceſſa. Videndum nihilominus tamen eſt de inſtantia, quam contra argumentum meum affers, & qua facile illud ſolvere te poſſe ais. Ea eſt ejuſmodi ; *Deus Pater non ſemper invocatur : immo Stephanus ſolum Chriſtum invocavit, Paulus quoque non ſemel id feciſſe legitur. Ergo invocatio Dei non eſt neceſſaria ad ſalutem.* Ad hanc ipſam inſtantiam non modo pluribus in locis contra Franciſcum Davidis diſputans, aperte reſpondi, & rem hanc totam clariſſime expoſui : ſed in ipſo priore ad te ſcripto meo ea dixi, unde reſponſio evidenter appareat, & totius rei explicatio. Sunt enim ibi hæc verba mea ; *Ex iſta enim ſubordinatione* (Chriſti ad Deum) *hoc inter Dei & Chriſti invocationem diſcrimen neceſſario conſequitur, quod ſcilicet Deum quidem invocare omnino debemus, ſive ad ipſum Deum ſive ad Chriſtum verba precum noſtrarum dirigendo ; qui enim Chriſtum nominatim orat,* (nota) *ipſum Deum revera orat, cujus Chriſtus vicarius quodammodo eſt, eique ut dixi, ſubordinatus : Chriſtum vero ob hanc ipſam cauſſam ſemper quidem invocare poſſumus, id eſt, ad ipſum preces noſtras dirigere ; id enim facientes nihil à præcepto* (nota) *ac neceſſitate invocandi Dei recedimus. Sed poſſumus etiam illum non invocare, id eſt, poſſumus non ad ipſum, ſed ad Deum verba precum noſtrarum dirigere. Cum enim Deus Chriſto nequaquam ſit ſubordinatus, qui Deum orat, precum verbis non ad Chriſtum ſed ad ipſum Deum directis, nullo modo Chriſtum oraſſe cenſendus eſt.* Vides (niſi vehementer fallor) inſtantiam tuam jam antea à me everſam fuiſſe, ex qua everſione conſtat aperte, id veriſſimum eſſe quod ſupra ſcripſi, ſoli Deo hoc convenire, ut ipſum neceſſario invocare debeamus, non etiam Jeſu Chriſto ; aut certe conſtat, quod ad ipſam neceſſitatem invocandi attinet, diſcrimen omnino inter Dei & Chriſti invocationem ſtatuendum eſſe, quod à te nullum ſtatuitur, ſumma ſubordinationis Chriſti ad Deum obſcuratione vel potius deletione. Inſtantiam quam huc affers, de fiducia in Deum & in Chriſtum ſimiliter neceſſaria, ſuo loco infra, ad rem non facere, Deo dante, demonſtrabo. Nunc, ut pergam oſtendere, jure divino (abſolute loquendo, ut in prioribus meis ad te litteris ſcripſi) nos non cogi, nec ſemper nec aliquando ad Chriſtum preces dirigere, verba quædam tua, quæ hic ſequuntur, examinabo : ex quibus rurſus te tibi ipſi in hac Chriſti invocandi neceſſitate adverſari docebo, & interim ſententiam meam confirmare. Sed prius explicandum mihi eſt, quid verbis illis *abſolute loquendo*, mihi velim. Dico igitur, non eſſe abſolute neceſſe, ut quis ad Chriſtum ne ſemel quidem preces ſuas dirigat, id eſt, fieri poſſe, ut quis preces ſuas numquam ad ipſum Chriſtum direxerit, & tamen nec ideo peccaverit, & nihilominus ſalutem per eundem Chriſtum conſequatur ; quippe cui numquam contigerit ullam ex iis cauſſis habere, quas ſupra attigi, omnino preces, ſuas ad Chriſtum dirigendi. Alioqui ſi ullam ex illis cauſſis habuerit, nec tamen preces ſuas ad Chriſtum direxerit, & grave peccatum commiſiſſe dicendus erit, & neceſſe habebit ut illud ſibi dimittatur, ſi ſalutem per Chriſtum ſit conſecuturus. Itaque licet non abſolute, tamen per accidens (ut loquuntur) ad ipſum Chriſtum preces noſtras dirigere aliquando neceſſe habemus. Quod neceſſitatis genus non modo in hac re tam gravi tantique momenti, ſed in levioribus quoque multis per ſe adiaphoris rebus cernitur : multa enim ſæpe charitate, Eccleſiæque ædificatione, aliiſve juſtis cauſſis cogentibus, facere neceſſe habemus, quæ alioqui prorſus omittere poſſumus, id eſt, niſi ea fecerimus, graviter peccamus. Exempla, quippe quæ omnibus, & tibi præſertim ſunt nota, nihil opus eſt producere. Jam enim ad tua verba examinanda accedendum eſt.

Itaque ſic ſcribis, *de tempore & loco non eſt præſcribendum*, nempe invocandi Chriſti. Sed ſi de tempore non eſt præſcribendum, Ergo ne de ipſa quidem invocatione præſcribendum eſt. Ea enim omnino ſuum tempus habet, id eſt, cum in neceſſitate quis eſt conſtitutus, & multo magis, cum invocare vult. *Sed*, addis, *ſpiritus ſuggeret* : id ego prior dixeram, & hic repetii, atque iterum repeto, ſpiritus ſuggeſtioni reiinquendum eſſe, ut hac in parte precationes noſtras moderetur, ſatiſque propterea eſſe, nos jam penitus eſſe perſuaſos, à nobis jure optimo Chriſti opem, in precationibus noſtris implorari nominatim poſſe, idque ſemper & ubique. Ita fiet, ut ſpiritu ſuggerente, id etiam facere non dubitemus. Subjicis autem poſtea : *fiduciaque quam erga Chriſtum unus altero majorem habet, ſingulos fidelium inſtruet.* Fiducia in Chriſtum non inſtruit

ſtruit quemquam ex Chriſti fidelibus, ut omnino ad ipſum Chriſtum preces ſuas dirigat, ſed unumquemque monet, cum Chriſtus preces noſtras intelligat, poſſe ad ipſum preces noſtras dirigi. Alioqui, cum Chriſti fideles nunquam fiducia in Chriſtum deſtituantur, ad ipſum ſemper in neceſſitatibus ſuis preces dirigere inſtruerentur, quod falſum eſſe, oſtenſum eſt. Cæterum, quod ad hoc pertinet, in quo Chriſti fideles de Chriſti invocatione monentur, ſeu inſtruuntur, par eſt in omnibus prorſus in Chriſtum fiducia; licet alioqui alius alio majorem habeat. Nam ſi quis propter fiduciæ in Chriſtum paucitatem, vel minimum quidem dubitet, an Chriſtum ſemper & ubique invocare jure poſſit, is Chriſti fidelis revera non eſt. Pergis autem, & ais, *Ego libenter ad gloriam Chriſti fateor, me nunquam in privatis meis gemitibus ſive precibus, quoties Deum Patrem invoco, ejuſque auxilium imploro, Chriſtum omittere. Novi enim, certiſſimeque confido, me niſi per ipſum non poſſe ad Patrem tuto ac confidenter accedere.* Si cum ais, te nunquam Chriſtum omittere, intelligis, te ſemper ad Chriſtum quoque preces tuas dirigere, id quidem facis, quod facere jure potes. Sed ratio, quam affers, oſtendit, te exiſtimare hoc facere tibi neceſſe eſſe. Quomodo igitur alibi, veritate cogente, fateris, poſſe nos ſæpe ſolum Deum Patrem invocare? Nunquid alia hac in re eſt conditio tua, quam noſtrum omnium? Vides arbitror, te tecum pugnare, id quod propterea fit, quod, quæ adfers ad probandam Chriſti invocandi neceſſitatem, quemadmodum etiam ipſum neceſſitatis verbum ſimpliciter prolatum poſtulat, ſi recte allata ſunt, probant, non quidem aliquando, ſed ſemper in precibus noſtris invocandum eſſe Chriſtum. Itaque, ut vidimus, non obſcure concluſiſti, nos neceſſe habere nunquam Chriſti invocationem in noſtris privatis precationibus omittere, quamvis poſtmodum ſic ſcribas, *Quod ad publicas preces Eccleſiæ pertinet, hæ pro temporis neceſſitatiſque ratione moderari poſſunt*, cum tamen ratio, quam attuleras, neceſſitatis invocandi ſemper Chriſti in privatis precibus, ſi ullam vim habet, eandem prorſus habeat & in publicis. Jam illa verba, *pro temporis neceſſitatiſque ratione*, ſatis indicant, teipſum veritatem quodammodo ſenſiſſe, id eſt, nullam ordinariam eſſe neceſſitatem invocandi Chriſti; ſed fieri poſſe, ut neceſſitas aliqua id faciendi emergat. Quod ego quoque non ſolum fateor, ſed memini, me aliquando ad Synodum Chmelnicenſem ſcripſiſſe, recte futurum, ſi hoc tempore propter falſos iſtos fratres, qui Chriſtum invocare nolunt, conſtitueretur, ut in publicis precibus non tantum Deus Pater, ſed Chriſtus quoque invocaretur. Addidiſti etiam alia verba, quæ neceſſitati non omittendi Chriſti invocationem in precibus noſtris antea concluſæ adverſantur, nempe illa, *nam non quæritur an ſemper & ubique neceſſarium ſit preces ad Chriſtum dirigere*, & illico ſubjungis, *ſed an res ſit neceſſaria homini Chriſtiano Chriſtum invocare ad eumque preces dirigere.* Quæ poſteriora verba, ut ſupra demonſtratum eſt, cum prioribus modo recitatis pugnant. Si enim neceſſaria res eſt homini Chriſtiano preces ad Chriſtum dirigere, neceſſarium eſt etiam ſemper & ubique (cum ſcilicet quis precari vult) ad Chriſtum preces dirigere. Cæterum ſuperiora verba tua, quod nunquam omittas Chriſtum in tuis privatis precibus, quod ad ipſa verba attinet, poſſunt etiam ita accipi, quaſi non omittas Chriſti meminiſſe, inque ejus nomine ad Patrem accedas, agnoſcens Chriſtum eum eſſe, per quem Deus Pater omnia Chriſti ipſius fidelibus largiatur, nec niſi Chriſti fideles ad Deum accedere poſſe, & hoc probat ratio tua ſupra deſcripta in recitandis verbis tuis; non autem, nos non poſſe ad Patrem tuto & confidenter precationes noſtras dirigere, niſi ſimul ad Chriſtum quoque eas dirigamus. Sed ad rem locutus non fuiſſes, ſi hæc tuorum verborum ſententia eſſet. Verba porro, quæ ibi ſubjungis, *quoniam ſic patri omnipotenti placuit, ut Chriſtus ſit opitulator ac interpellator noſter, per quem cum fiducia ad thronum divinæ gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, confugiamus*, quorum ſententia & verba ſimul ipſa, aliqua ex parte, expreſſa ſunt in fine cap. 4. Epiſt. ad Hebr. ſi, ut ego quidem arbitror, ad Chriſti invocationem in prædicto ad Hebr. loco referri poſſunt, non præceptum, ut in diſputatione mea cum Franciſco Davidis docui, ſed adhortationem continere dicenda ſunt, & commonefactionem propter imbecillitatem noſtram, quæ mirifice ſublevatur, eo non fruſtra invocando, qui compati poteſt infirmitatibus noſtris, ut ibi paulo ante ſcriptum eſt. Quod ſi præceptum continerent, omnes idem facere cogerentur, quod tu facis (priorem enim verborum tuorum interpretationem omnino retineo) & nunquam Deum Patrem invocare poſſent, quin ſimul preces ſuas ad Chriſtum dirigerent, ut ſatis jam ſuperque demonſtratum eſt.

Vidimus, te coactum fuiſſe tecum pugnare, & aliqua ratione ſententiam meam, quam oppugnas, confirmare: Nunc videamus de reliquis, quæ mihi objicis. Ais, *Hoc tuum poſſe* (ſemper & ubique invocare Chriſtum) *neceſſario oppoſitum, mihi haud dubie labefactationem invocationis Chriſti continere videtur.* Continet ſine dubio iſtud meum *Poſſe*, quatenus Neceſſario opponitur, labefactationem abſolutæ neceſſitatis invocandi Chriſti; ſed non tamen ipſius Chriſti invocationis: immo illud ipſum expreſſe ac diſerte continet, quod noſtris adverſariis, qui Chriſto invocationem non concedunt, opponendum eſt, & nihil minus; apertiſſimeque contra ipſos Chriſti invocationem confirmat. Jam, quod exiſtimare præ te fers, me ita argumentari, Poſſumus, ergo nullo jure cogimur, plurimum falleris, ſi ita exiſtimas. Nihil ego hic argumentor, ſed tantum ſententiam meam profero, cum ajo, Nos poſſe, non tamen ullo jure cogi. Immo ipſa verba, Non tamen, aut ſimilia, aperte docent, me fateri, iſtud meum *poſſe* per ſe non opponi ulli neceſſitati; & quamvis hic ita eveniat, ut cum neceſſitate non conjungatur, tamen alioqui optime cum neceſſitate conjungi poſſe, tantum abeſt, ut ex ipſo *poſſe* excluſionem neceſſitatis concludam. Poſſem hic pluribus oſtendere, quam turpem lapſum mihi aſcripſeris, idque plane injuria, cum nulla tam fœdi mei erroris ne leviſſima quidem ſuſpicio eſſe poſſit: Sed brevitati aliqua ſaltem ex parte conſulendum eſt. Ad inſtantiam tuam de fiducia in Chriſtum propter jam dicta nihil reſpondendum eſt. Tantum dico, quod credis, non ſecus præceptum eſſe, ut ad Chriſtum preces noſtras dirigamus, ac præceptum eſt, ut illi confidamus, id longe aliter ſe habere. Nulla enim (quod tu tamen pro conceſſo ſumis) Dei ordinatio, aut conſtitutio extat de precibus ad Chriſtum dirigendis. Loca, quæ ego ipſe contra Franciſcum Davidis attuli, quemadmodum ibi dixi, videri quidem poſſunt vim habere expreſſi præcepti: ſed tamen revera non habere, ex natura præcepti ac perpetua vi, de qua ſupra egimus, quam precibus ad Chriſtum dirigendis non exeri compertiſſimum eſt, omnino ſtatuere debemus.

Deinde ex eo, quod ipſe affirmo, neceſſarium eſſe ad ſalutem per Chriſtum conſequendam agnoſcere ac profiteri, Chriſtum jure ac merito invocari poſſe, tanquam à minore, argumentari vis, magis neceſſarium eſſe reipſa Chriſtum invocare. Quod argumentum perverſa plane ratione concluſum eſt, cum plus ſit reipſa omnino invocare, quam, omnino agnoſcere, ſe jure ac merito poſſe invocare. Qualenam (rogo te) eſt iſtud argumentum? Hoc jure ac merito fieri poſſe agnoſcendum eſt: Ergo multo vel aliquanto magis fieri debet. Exemplum afferam non longe petitum ſæpius mihi varia ratione uſurpandum. Agnoſcendum eſt, nos ſemper & ubique poſſe jure ac merito ad Chriſtum preces dirigere: Ergo multo vel aliquanto magis debemus ſemper & ubique preces ad Chriſtum dirigere. Tanta eſt denique iſtius tui argumenti inutilitas, ut in ipſa ratiocinatione concludenda alios (quos vocant) terminos pro iis, quos antea poſueras, ſubſtituere coactus fueris, primum in illis verbis, *quomodo is, qui ſciens Chriſtum*

eſſe

eſſe invocandum, &c. Aliud eſt enim, Chriſtum eſſe invocandum: aliud vero, Chriſtum jure ac merito invocari poſſe. Hoc poteſtatem tantum; illud neceſſitatem quoque ſignificat. Itaque medium tui argumenti terminum, in quo tota vis eſt, mutaſti. Deinde, cum idem argumentum alia quadam forma repetis, in ipſa concluſione illa verba ponis, *quomodo rei ipſius neglectus ſive contemptus* &c. Atqui aliud eſt Negligere ſive contemnere invocare Chriſtum, aliud non invocare, quemadmodum ſupra oſtendi: aliud eſſe Nolle & non audere invocare Chriſtum, aliud *Non invocare*, quod quo ſenſu à me ipſo dicatur, longe à contemptionis ſuſpicione invocationis Chriſti remoto, apertiſſimum unicuique mea ſcripta legenti eſſe poteſt. Itaque argumentationis tuæ alterum ex duobus extremis terminis ſimiliter mutaſti. Præterea in tua argumenti repetitione inſignis eſt cum ambiguitas tum fallacia. Cum enim dicis, *Si enim hujuſce rei ignoratio*, &c. non apparet, quid Hujuſce rei nomine intelligas. Nam ſupra commemoraſti, &, poſſe jure ac merito Chriſtum invocari, &, Chriſtum invocandum eſſe; & denique proxime omnium, Chriſti invocationem ad ſalutem eſſe neceſſariam, quorum primum non idem, eſt quod ſecundum & tertium. Hic igitur eſt ſumma ambiguitas. Sed ſtatuamus, te, ut æquum eſt, primum intelligere, in concluſione certe ſumma eſt fallacia. Oportet enim, ut ibi nomine Dei ipſius, idem intelligas. Verum qui, Chriſtum non invocat, id eſt, quem modo contingit reipſa ad Chriſtum preces non dirigere, nullo pacto contemnit, Chriſtum jure ac merito poſſe invocari; cum ne contemnere quidem invocare Chriſtum ulla ratione dici poſſit, ut jam demonſtratum eſt.

Deinceps refutationem meam priorum argumentationum tuarum refellere aggrederis. Et dicis, me argumenti tui à fiducia in Chriſtum ad ejuſdem invocationem ducti connexum ſtringere ac confirmare; quia videlicet fateor, invocationem ſine fiducia eſſe non poſſe. Cur vero? An quia, ſi invocatio ſine fiducia eſſe nequit, viciſſim fiducia ſine invocatione eſſe non poteſt? Atqui hæc eſt manifeſta fallacia conſequentis, ut prius te monueram. Neque enim, ſi ex duobus hoc ſine illo eſſe non poteſt, continuo nec illud ſine hoc eſſe poterit, alioqui infinita abſurdiſſima concludi recte poſſent. Formes tibi ſyllogiſmum ex hac propoſitione. *Quicunque quempiam invocat, illi etiam confidit*, ad probandam ex fiducia in Chriſtum ejuſdem invocationem, & videbis, te συμπέρασμα prorſus ſyllogiſmum formare, id eſt, ex puris affirmativis in ſecunda figura. Sic enim neceſſario tibi formandus erit: Quicumque quempiam invocat, illi etiam confidit, Ergo quilibet Chriſtianus verus Chriſtum invocat. Quo argumentandi genere, ut pote vitioſiſſimo, nihil abſurdi non concludi poteſt. Ut ſi ita argumenter: Quicumque quempiam amat, illum etiam aliqua ratione novit, Quilibet eum, quem odio habet, aliqua ratione novit, Ergo quilibet eum, quem odio habet, amat, Quod ſi, ut ais, fiducia & invocatio adeo conjuncta ſunt, ut reciprocentur, id quod ego prorſus nego, jam non ego ſum, qui argumenti tui connexum ſtringo ac confirmo, ſed materiæ ipſius (ut loquuntur) neceſſitas. Sed videamus, quomodo nihilominus, ex meo dicto argumenti tui nexum ſtringi ac confirmari, oſtendere conaris. Sic igitur ſcribis; *Si enim in eum, ad quem preces dirigo, credere eique confidere debeo, quomodo viciſſim eum, cui tuto confido (ut Jeſu Chriſto tutiſſime confidere debemus) nunquam in neceſſitatibus meis invocare audebo aut non curabo?* Hic manifeſte terminos quæſtionis noſtræ mutas. Non enim, ut jam non ſemel monui, quæritur à nobis, utrum quis poſſit non audere, aut etiam non curare invocare Chriſtum; ſed utrum poſſit non invocare. Quæ inter ſe (præſertim Non audere invocare, & Non invocare) plurimum differunt. Et recte fortaſſe concludi poteſt, eum, qui cuipiam confidit, illum etiam audere invocare: ſed non tamen, illum etiam invocare. Nihil enim vetat, quo minus quidpiam non faciam, non quia non audeam, ſed aliquam aliam ob cauſſam. Ut nihil dicam, quod fieri poteſt, ut quempiam invocare non audeam, non quia illi non confidam, ſed vel quia prohibitus ſim id facere; vel quia quidpiam aliunde, ſi id fecero, gravioris mali mihi metuam; vel propter alias cauſſas. Ex quo apparet, ex natura ipſius fiduciæ neceſſario reipſa invocationem vel etiam (ut ſic dixerim) invocandi auſum non conſequi ipſam fiduciam. Adeo ut, quamvis veriſſimum ſit, neminem, qui Chriſto confidat, non audere illum invocare, tamen hoc non ex ipſa fiducia ſimpliciter oriatur, ſed ex eo, quod in Chriſto invocando nullæ alioqui ſunt cauſſæ, quæ ab ipſo invocando deterrere quemquam poſſint. At vero, quia non ſimiliter abſunt omnes cauſæ, quæ efficere poſſunt, ut quis reipſa (non quidem quia non audeat aut etiam non curet; ſed quia non contigerit, ut id ſpiritus ſuggeſſerit) Chriſtum non invocet, nempe quia adeſt Deus Pater, cui ſimiliter confidit, & ad quem nominatim preces ſuas ſe dirigere jure poſſe novit; propterea non ſimiliter in ipſo Chriſto, ex fiducia in eum, ejuſdem reipſa invocatio ſequitur, ut ſequitur ab ipſo invocando non deterreri. Ex his apparet, quæ poſtea ſcribis de uno ex tribus vitiis, quo laborare neceſſe ſit eum, qui de fide in Jeſum Chriſtum glorietur, & tamen eum invocare negligat, aut ad rem non facere, ſi verbum Negligere, ut quidem apparet, apud te contemnere & aſpernari ſignificat, aut non recte concluſa eſſe, cum hæc ſimul vera eſſe poſſint, quempiam Chriſto ex animo confidere, ita exiſtimantem, & ſe illius auxilio indigere, & illum ſibi eum invocanti opitulari poſſe, & tamen iſtum re ipſa Chriſtum non invocare, id eſt, ad ipſum preces ſuas non dirigere. Nimirum, quia noverit, ipſius Chriſti auxilium ſe impetrare poſſe, non minus ſi ad Deum precationes ſuas dirigat, quam ſi ad ipſum Chriſtum. In verbis, quæ deinde addis, incidis in tibi à me quodammodo prædictam & ſupra commemoratam abſurditatem illam, in quam te vis iſtius tui argumenti à neceſſaria fiducia ad neceſſariam invocationem ducti neceſſario impulit, & Chriſtianos aliter facere nec poſſe nec debere affirmas, quin ad Chriſtum in neceſſitatibus ſuis *aſſidue* confugiant, ab eoque auxilium petant. Quæ abſurditas pariter conſequitur ex eo, quod hic rurſus concludis, hoc pacto, *Fiducia igitur vera neceſſario producit invocationem non minus, quam invocatio ſincera veram fiduciam requirat*. Nam ſi hoc verum eſt, ſequitur omnino, ut, quoniam aſſidue Chriſto confidendum nobis eſt, aſſidue etiam illum in neceſſitatibus noſtris invocare debeamus. Accipio autem iſta tua verba, de fiducia in Chriſtum, ejuſque invocatione. Alioqui, ſi indefinite, ut ſonant, accipiantur, multo majora abſurda ex illis neceſſario conſequentur, ut ex ante diſputatis intelligi poteſt.

Objicis deinde mihi, quod ab Adverſariis arma mutuer, & non ſentiens in eorum caſtra tranſire videar; quia excellentiam Dei Patris urgeam, ex neceſſitateque, quam habemus invocandi Dei, concludam (ut tibi quidem viſum eſt) nos non habere neceſſe invocare Chriſtum.

Si, quandocumque urgetur excellentia Dei Patris, in caſtra tranſitur iſtorum Adverſariorum, nunquam deberemus illam urgere contra alios Adverſarios, qui ſunt tanquam alterum extremum, nobis medium, ſeu medii locum tenentibus: & tamen, niſi illam maxime ac potiſſimum urgeremus, neceſſe eſſet, nos in ipſorum caſtra tranſire. Igitur videndum eſt, an ſuo loco & tempore Dei Patris excellentia, nec ne, urgeatur. Ego quidem, in hac diſputatione me eam ſuo loco & tempore urſiſſe, penitus mihi perſuadeo. Tametſi hoc loco, ubi à fiducia in Chriſtum argumentabaris ad ejuſdem invocationem, neutiquam eam urſi; quamvis ejus, quaſi tranſiens, mentionem fecerim, & merito quidem eam commemoravi, ut poſtea dicam, Vis meæ reſponſionis, ut verba ipſa ſonant, non in eo eſt, quod neceſſe habeamus Deum invocare, cujus rei hic nullam mentionem facio, tantum abeſt, ut ex iſta ne-

ceſſitate colligam, nos non neceſſe habere Chriſtum invocare, ſic enim nihil reſpondiſſem: ſed in eo eſt, quod, cum non ſolum Chriſto, ſed etiam Deo confidere debeamus, poſſumus ad ipſum Deum (ſolum videlicet) preces noſtras dirigere; & ſic non neceſſe habemus propter neceſſariam fiduciam in Chriſtum eas dirigere ad Chriſtum. Quod ut manifeſtius conſtaret, merito excellentiæ Dei ſupra Chriſtum in ipſa fiducia in eo collocanda mentionem feci. Idque ita, ut interim oſtenderim, fiduciam, quæ in Chriſto collocatur, in ipſo Deo revera collocari; Ut tanto clarius appareret, nihil obſtare, quominus Chriſto confidamus, & tamen ad Deum ſolum precationes noſtras dirigamus. Quare quævis hic inſtantia, non modo tua de neceſſitate confidendi Deo, quæ non excludat neceſſitatem confidendi Chriſto, nihil ad rem facit. Oportuiſſet ſaltem, te inſtantiam afferre alicujus rei, quam Deo ſoli, & non ſimul Chriſto, tribuere poſſimus, & tamen eandem Chriſto tribuere teneamur, ejuſmodi autem inſtantiam nullam invenire poteris; quippe quæ ſibi ipſi adverſetur, ſeque ipſa deſtruat. Præterea, non eſſe eandem rationem invocationis, quæ eſt fiduciæ, vel ex eo patet, quod ſæpius eſt dictum, neceſſe nos habere ſemper Chriſto confidere, non autem ſemper Chriſtum invocare. Quod ut apertius fiat, recitabo hic ea, quæ ſcripſi contra Franciſcum Davidis, qui mihi tamquam pugnantia inter ſe obſcuriſſimaque dicta objiciebat, quod dixiſſem, nos Chriſtum adorare eique ſervire non tantum poſſe, ſed etiam debere: eundem tamen nos invocare quidem poſſe, non tamen teneri. Eadem enim in tota hac quæſtione eſt prorſus ratio fidei ſeu fiduciæ, quæ adorationis & ſervitutis, de quibus ibi agitur. Sic igitur contra eum ſcripſi cap. 19. partic. 9a. *Servitutis & adorationis, quæ Chriſto tribuuntur, alia ratio, quam invocationis eſt, ita ut Chriſto ſervire, eumque adorare omnino debeamus, invocare vero tantummodo poſſimus. Servitus enim & adoratio, de quibus hoc loco agitur, affectiones quædam potius, quam actiones, ſunt animi & mentis noſtræ; eaque non alicujus temporis aut occaſionis, ſed perpetuæ & nobis inhærentes: Invocatio vero, cum pro precum directione & opis imploratione ipſa accipitur, ut & nos facimus, & uſus loquendi requirit, eſt actio quædam non nobis perpetuo inhærens, ſed quæ à nobis pro tempore & occaſione, quantumvis frequenter id fiat, ſuſcipitur. Hinc fit, ut perpetuo uno eodemque temporis momento & Deo & Chriſto ſervire & utrumque adorare poſſimus: At Chriſtum invocare non poſſumus, niſi ad eum nominatim preces noſtras dirigamus. Quocirca, ſi Chriſtum invocare omnino deberemus, numquam ad Deum patrem ſolum noſtras preces dirigere poſſemus. Quod falſum eſſe, exempla ſanctorum virorum & purioris Chriſtianæ Eccleſiæ antiquiſſimus uſus oſtendit. Neque enim ut ſuperiore cap. partic. 6. dictum eſt, qui Deum patrem invocat, Chriſtum ipſum invocat; quemadmodum qui Chriſtum invocat, ipſum Deum patrem invocat. Et hanc ob cauſſam, quamvis ad Chriſtum, nulla patris expreſſa mentione facta, preces ſuas dirigat, præcepto tamen de invocando Deo patre ſatisfacit Sic rex præfectos dat, à quibus ea peti poſſint, quæ ab ipſo ſolo alioqui peti poſſunt. Non tamen, ut omnino à præfectis petatur, jubet. Neque enim, ne quiſquam jam ſe adeat, interdicit. Cum autem ipſe rex aditur, nullo modo à præfectis, ſed ab ipſo tantum rege petitur; quamvis, cum à præfectis petitur, ab ipſo rege, cujus auctoritate ac nomine illi omnia faciunt, petatur. Itaque vides, in diſtinctione illa mea nullam eſſe antilogiam, nullum ænigma, ſed eam ſenſui ipſi communi quodammodo patere.* Voluí in recitandis his verbis contra Franciſcum Davidis ea non omittere, quæ de differentia inter Dei & Chriſti invocationem agunt, quamvis alia idem ſignificantia in priore meo ad te ſcripto legantur, quæ etiam in hoc poſteriore ſunt repetita, ut ipſe hæc relegens mireris, quomodo tamen, his non ſemel in meis ſcriptis lectis, vel quædam mihi objeceris, vel ſaltem non alia ratione, quam feceris. Non eſt igitur, ut ad propoſitum revertar, meum argumentum ullum tale in ſcripto meo, quale tu formari oportere ais, videlicet ad hunc modum: *Poſſumus & tenemur Deum patrem invocare: ergo ad Chriſtum preces noſtras dirigere, quamvis poſſumus, tamen non tenemur:* ſed hæc ſententia tantum ex meo ſcripto elici poteſt: Quamvis ad Chriſtum preces noſtras dirigere poſſimus (id quod ſolum, & nihil amplius, concludi poteſt ex neceſſaria fiducia noſtra in Chriſto) non tamen hinc ſequi, nos neceſſario ad ipſum Chriſtum preces dirigere debere. Nempe quia ad ſolum Deum, cui ſimiliter neceſſario confidendum nobis eſt, eas dirigere poſſumus. Nec putes tamen, etiamſi argumentatus ita fuiſſem, ut tibi videtur (quod ſane mihi numquam in mentem venit) argumentum, quod ipſe ſubjicis, hoc pacto, *Poſſumus & tenemur in Deum patrem credere: Ergo Jeſu Chriſto quamvis confidere poſſumus, tamen non tenemur*, ne putes, inquam, hoc argumentum inſtantiam manifeſtam futuram fuiſſe argumentationis meæ, atque, ut ais, non tam ovum ovo ſimile eſſe, quam hoc argumentum eſt ſuperiori illi à te mihi tributo. Similitudo enim argumentorum exacta non in concipiendorum verborum forma tantum, ſed etiam in materia verbis contenta conſiſtit. Non eſt autem ſimilis materia fiduciæ, & directionis precum; non ſolum propter ea, quæ contra Franciſcum Davidis ſcripta recitavi, ſed etiam multo magis, quod ad propoſitum noſtrum attinet, propter hæc, Primum (præſertim cum de Chriſto eſt ſermo) nihil eſt medium inter fiduciam, & diffidentiam. Adeo ut, qui Chriſto non confidit, ei neceſſario diffidat; quod ſcelus plane eſt. Deinde, ſi quis Chriſto non confidit, hunc neceſſe eſt etiam ipſi Deo non confidere, ſpiritu ſancto id non obſcure atteſtante pluribus in locis. Præterea, cui in rebus divinis confidere poſſumus, ob hoc ipſum, quod poſſumus, etiam debemus. Cur enim poſſumus cuipiam in rebus divinis confidere, qualiſcumque tandem ſit hæc fiducia, niſi quia aut ille veriſſima ac certiſſima nobis Dei nomine promiſſa facit, veramque nobis colendi Dei ab eoque felicitatem ſperandi rationem ac viam docet; aut etiam ipſemet ex ipſius Dei ordinatione nobis felicitatem eſt daturus? Verum, qui talis eſt, ei omnino confidere debemus. Alioqui Dei voluntati reſiſteremus, & veritati divinæ non aſſentiremur. Nihil tale in materia invocationis ſeu directionis precum, quamvis ad ipſum Chriſtum relatæ, cernitur. Si quis enim ad Chriſtum preces ſuas non dirigit, non quia non audeat, aut nolit, ſed quia ita illi contingit facere, nulla cauſſa exiſtente ex iis, quæ illum monere poſſint, ut ad Chriſtum preces ſuas dirigat, nihil ſceleris admittit; ſi interim ad Deum tamen ſuas preces dirigat. Medium enim quiddam inter directionem precum ſuarum ad Chriſtum, & abhorrentiam (ut ſic loquar) à dirigendis ad Chriſtum precibus ſuis, eſt eas dirigere ad ipſum Deum. Jam, qui ad Chriſtum preces ſuas non dirigit, non propterea ne ad Deum quidem eas dirigit. Poſtremo, ſi ad Chriſtum dirigere ſuas preces quis poteſt, non ſequitur eum etiam omnino debere. Hic enim poteſtas cum neceſſitate minime convertitur, aut reciprocatur. Alioqui quemadmodum ſemper poteſt, ſic etiam contra manifeſtam veritatem ſemper omnino deberet. Verum, ut ſuperius indicatum eſt, ego hic nihil fueram argumentatus, nedum tale argumentum feciſſem, quale tu mihi tribuis; ſed tantum ad argumentum tuum à fiducia in Chriſtum ductum reſpondens, oſtenderam quomodo ex iſta quantumvis neceſſaria fiducia, ad eundem Chriſtum neceſſaria precum directio minime ſequeretur. Quocirca falſa & abſurda, quæ à ſimili ex iſto tamquam meo argumento ducis, id eſt, quædam Chriſti gloriam ac majeſtatem obſcurantia ac minuentia, nihilo magis ad verba, quam ad mentem meam pertinent. Quæ quam tota in eo ſit, ut Chriſti gloria ac majeſtas illuſtretur atque amplificetur, & Chriſtus ipſe novit, nec te ipſum ignorare exiſtimo. Nec ſane opus quidquam erat hoc loco ad oſtendendum

dum, Dei Patris eminentiam atque erga nos bonitatem gloriæ Chriſti nihil officere, ea afferre quæ ipſe contra alios affero. Neque enim, ut dictum eſt ante, ego hic Dei eminentiam ſeu bonitatem urſi, præſertim ad Chriſti neceſſariam invocationem ſimpliciter labefactandam. Qua de re inferius agendum erit. Multo autem minus (ſi tamen extra propoſitum hoc in loco noſtrum, hac de re agendum videbatur) pro conceſſo ſumendum quodammodo erat, ex eo quod Chriſtus conſtitutus ſit nobis à Deo dominus, Servator, mediator, cui omnem poteſtatem in cælo & in terra tradiderit, in quem poſt Deum credere, eſque tuto confidere poſſimus, omnino conſtare, Dei voluntatem eſſe ut neceſſario ad Chriſtum preces noſtras dirigamus: nihil enim iſta omnia ad hanc Dei voluntatem probandum momenti habent, ſed tantum ad probandum, Dei voluntatem eſſe ut preces noſtras ad Chriſtum dirigere poſſimus: niſi quædam verba, quæ Mediatoris vocem explicantia addidiſti, nempe hæc, *per quem ad Patrem accedere debeamus*, neceſſitatem iſtam ex Dei voluntate preces ad Chriſtum dirigendi continere, apertiſſimum eſſe credidiſti. Atqui ſi verba iſta talem neceſſitatem continerent, omnino etiam continerent neceſſitatem ſemper preces noſtras ad Chriſtum dirigendi. Non aliter enim quam per Chriſtum, ad patrem accedere nos poſſe certum eſt. Sed quid ſit, per Chriſtum ad patrem accedere, quatenus ſcilicet hoc facere omnino jubemur ac cogimur, dictum eſt ſupra cum tua verba examinavi, ubi ob hanc ipſam cauſſam te numquam in privatis tuis precibus ad Deum, Chriſtum omittere dixiſti.

Subjicis poſtea verba hæc mea in priore ad te ſcripto, *Quare tametſi fiducia in Chriſtum neceſſaria nobis eſt, non tamen neceſſarium eſt, ut ad ipſum preces noſtras dirigamus*, ſpectare ad labefactandam Chriſti invocationem. Id quod primum ex eo concludere videris, quod ante concluſeras, non eſſe neceſſarium Chriſto confidere, ſi (quemadmodum me argumentatum fuiſſe exiſtimabas) quia poſſumus & tenemur Deum patrem invocare, concludendum eſt, nos non teneri ad Chriſtum preces noſtras dirigere. Verum ego ingenue fateor, me nulla ratione intelligere poſſe, quomodo ex priore illa tua concluſione hæc poſterior ſequatur. Quamquam cum jam demonſtraverim, te fruſtra adverſum me iſtam priorem concluſionem extuliſſe, nihil eſt cur hic quidquam reſpondeam. At deinde idem ex eo aperte concludis, quod (ais) *quicquid neceſſarium non eſt, id fortaſſis & parum prodeſſe poteſt.* Sed quid attinebat, quæſo, ut iſtud mihi objiceres, verba illa mea afferre? An non hoc ipſum expreſſe continet ipſa ſententia mea contra quam diſputas, obque hoc ipſum tantum me reprehendere pridem inſtituiſti? Videris autem ipſe agnoſcere, quam ſit infirmum objectum iſtud, cum vocem *fortaſſis* appoſueris, idque potius ex quorundam aliorum ſententia ſcripſiſti, quam ex tua ipſius. Sunt enim quidam inter noſtros homines, qui nondum percipere queunt, quæ ſit differentia inter neceſſarium & utile in religione noſtra. Quibuſcum te non ſentire, vel ex eo intelligo, quod ipſam cognitionem, quam noſtri homines habent de Dei Chriſtique natura atque eſſentia, à communi ſententia diſcrepantem, niſi fallor, ad ſalutem conſequendam neceſſariam eſſe non credis, & rectiſſime quidem judicio meo: alioqui perirent ii omnes, qui tali cognitione ſunt aut fuerunt, aut futuri ſunt umquam deſtituti: ex quo ſequeretur, ut alia abſurda omittam, multos ſanctiſſimos & viros & fœminas Chriſtique martyres periiſſe. Non negabis tamen (quod & veriſſimum eſt) prædictam cognitionem non modo utilem & valde utilem, ſed longe utiliſſimam eſſe ad ipſam ſalutem adipiſcendam. Taceo innumerabilia alia exempla ejuſdem rei cum inter doctiſſimos multos viros conſtet, ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, quod ad cognitionem præſertim ſpectat, pauciſſima omnino eſſe. Sed fortaſſe exemplum quæris actionis ſeu facti alicujus noſtri, qualis Chriſti invocatio eſt, quod in religione noſtra nobis ſit valde utile, nec tamen neceſſarium. Non eſt neceſſe tale exemplum invenire. Satis enim eſt oſtendiſſe ad objectum tuum diluendum, aliquid, immo multa admodum utilia eſſe poſſe in noſtra ipſa religione, quæ tamen non ſint neceſſaria. Sed accipe nihilominus hoc exemplum. Aſſidue exercere ſe in ſtudiis ſacrarum literarum non eſt ad ſalutem neceſſarium, alioqui perirent innumerabiles homines maxime pii, qui hoc non faciunt: & tamen admodum utile eſſe nemo negaverit. Nec vero hic dixeris, iis eſſe neceſſarium qui id poſſunt facere. Nemo enim hoc tibi concedet; cum nulli ad ſalutem neceſſarium ſit aliud, quam Deo per Chriſtum confidere: quod etſi prægnantiſſimum quiddam eſt, tamen compertiſſimum ratione atque uſu eſt, id in eo quoque inveniri poſſe, qui ſe aſſidue in ſtudiis Sacrarum Litterarum non exerceat, etiamſi id facere maxime poſſit. Dummodo ne inaniter & ſine fructu aliquo Chriſtiano tempus, quod lectioni & examinationi ſacrorum ſcriptorum dare poſſet, terre audeat. Mitto autem, quod etiamſi Chriſti invocatio parum nobis prodeſſet, non idcirco ea nobis contemnenda foret. Nam ſatis eſſet, eam aliquo loco & tempore alia digna effecta parituram, qualis eſt celebratio nominis Chriſti, & publica conteſtatio agnitionis imperii, ac perpetuæ ejuſdem Chriſti in Eccleſia curæ ac gubernationis; atque etiam in tali agnitione, ad Chriſti gloriam ſui ipſius exercitatio quædam ac confirmatio, quod non in publicis modo, ſed etiam in privatis precibus locum habere poteſt.

Sed jam ad me meis dictis revincendum tranſis. Ubi in te ego refutando, & oſtendendo me mihi ipſi optime conſtare, non ero longior, cum jam ſupra errorem tuum in confundendis iſtis locutionibus, *Non vult nec audet invocare Chriſtum*, & *Non invocat Chriſtum*, & ſimul, quo ſenſu ex ſententia verbiſque multis meis colligi poſſit, me neminem condemnare, quamvis reipſa Chriſtum non invocet, id eſt, ad eum preces ſuas non dirigat, abunde oſtenderim atque explicuerim. Quid enim aliud ex aliis meis dictis contra me concludis, quam, quicumque nomen Chriſti invocare non vult nec audet, iſtud ad ſalutem per Chriſtum partam non pertinere? Hic autem obiter dicendum mihi eſt, te dum ita concludis, *Nomen Chriſti invocare*, pro eodem ponere quod eſt, *Chriſtum invocare*, quod & ſi fieri poſſe videatur, cum, Hebraica locutione, ſæpe idem ſignificet, exempli gratia, Nomen Dei, quod Deus: tamen, cum hic Invocandi verbum pro eodem accipiatur, quod eſt preces dirigere, non videtur debere mutari hæc locutio Invocare Chriſtum, in hanc, Invocare nomen Chriſti. Nam Invocare nomen Chriſti, cultum ac fidem erga Chriſtum, unde quidem fiat ut quis audeat ad ipſum ſuas preces dirigere, non tamen ipſum Dirigere ad Chriſtum ſuas preces, ſignificat, quod cuilibet conſtare poterit, ſi velit, ubi locutio iſta legitur, loco ipſius ſubſtituere, Dirigere preces ſuas ad Chriſtum. Videbit enim, non bene quadrare hoc non dicam ubique, ſed, ni fallor, nuſquam. Fateor igitur, ut ad rem redeam, eum, qui Chriſtum invocare nec vult nec audet, ad ſalutem per Chriſtum partam non pertinere; nec propterea mihi quidquam adverſor, etiamſi affirmem invocationem Chriſti, id eſt, directionem ad ipſum precum noſtrarum non eſſe neceſſariam, abſoluta ſcilicet ulla neceſſitate ſive ſemper ſive etiam aliquando. Nam per accidens (ut ajunt neceſſariam eſſe & fateor & contra Adverſarios ipſe contendo, cum illam ſemper & ubique jure fieri poſſe tantopere urgeo. Quidquid enim in religione noſtra jure fieri poteſt, id etiam neceſſitati per accidens eſt obnoxium; cum qua neceſſitate ac poteſtate, unde ea ortum ducit, in iis qui eam agnoſcunt, nullo modo ſimul conſiſtere poteſt Nolle nec audere.

Affers deinceps ad probandam neceſſitatem directio-

nis precum noſtrarum ad Chriſtum, hoc argumentum: *Omnis res per quam gloria Chriſti maxime eluceſcit & amplificatur, nominiſque Chriſtiani profeſſio ſtabilitur ac confirmatur, eſt ſumme neceſſaria: Dirigere preces noſtras ad Dominum Jeſum Chriſtum eſt res, per quam gloria Chriſti amplificatur & eluceſcit nominiſque Chriſtiani profeſſio declaratur ac confirmatur: ergo directio precum noſtrarum ad Chriſtum res eſt maxime neceſſaria.*

Si infirmitatem iſtius argumenti, à te quamvis apprime docto homine formati, agnoſcere ipſe vis, ſubſtitue in aſſumptione ſeu minore propoſitione pro, Dirigere preces, &c. Dirigere ſemper & ubique preces, &c. & videbis, eam propoſitionem non modo tam veram eſſe, ut antea, ſed etiam, ut ſic dixerim veriorem. Ex quo fiet, ut iſtius argumentationis vi, ſi recte ea concluſa eſt, concludere ſimiliter, & quodammodo verius poſſis, Dirigere ſemper & ubique preces noſtras ad Chriſtum rem eſſe maxime neceſſariam. Quod non laborabo amplius, ut falſum eſſe oſtendam, contentus exemplo Apoſtolorum, & tua ipſiuſmet confeſſione, licet eam non ſemel convellere, iſta tua nova quadam neceſſitate probanda, ut vidimus, coactus fueris. Non eſt igitur major argumenti tui propoſitio ſimpliciter & abſolute vera, non ſolum in Chriſti perſona, ſed ne in Deo quidem ipſo. Multa enim in Eccleſia fieri poſſent, per quæ Dei ipſius gloria maxime eluceſceret & amplificaretur, & cultus ipſius Dei ſtabiliretur ac confirmaretur, quæ tamen non fiunt. Nempe quod alia fiant, quæ idem revera præſtant atque efficiunt. Quamobrem, cum publica ac conſtans profeſſio in Eccleſia, quod Chriſtus omnem poteſtatem in cælo & in terra habeat, quod Eccleſiam ipſe perpetuo regat atque gubernet, quodque merito unuſquiſque noſtrum ſemper & ubique ejus opem cum vera cordis fiducia implorare, ad eumque precationes ſuas dirigere poſſit, præter ipſius Chriſti cœnæ celebrationem, aliaque non pauca quæ quotidie fiunt aut dicuntur, fierive aut dici poſſunt, non minus (niſi quid novi accidat, quod ipſam precum directionem ad Chriſtum omnino poſtulet) Chriſti gloriam illuſtret atque amplificet, Chriſtianique nominis profeſſionem ſtabiliat ac confirmet, quam ſi præterea aliquando (pro conceſſo enim ſumo tuam aſſumptionem ſic debere accipi) preces reipſa ad ipſum Chriſtum dirigerentur; concludendum eſt, non eſſe ſumme neceſſarium reipſa preces noſtras ad Chriſtum dirigere, idque eo magis, quod in hac invocationis materia cogimur (velimus nolimus) Dei eminentiam ſupra Chriſtum agnoſcere; cum, ut demonſtratum eſt, Deum ſemper & ubique invocare teneamur, Chriſtum vero non item. Hanc Dei eminentiam, & ſic quod Deus Chriſto ſubordinatus non ſit, quemadmodum Chriſtus Deo, ego urgeo; quam optime novi per Chriſti invocationem non minui nec obſcurari. Aliter enim quomodo tantopere contenderem, Chriſtum jure invocari poſſe? Non igitur per Chriſti invocationem, ſed per Chriſti invocationis neceſſitatem affirmo ego minui atque obſcurari hanc Dei eminentiam, ut nimis manifeſtum eſt. Nam iſta tua neceſſitas, ut ſcilicet non ſemper ſed aliquando ſit neceſſe, non præſcripto nec quando, nec ubi, nec quoties, res inaudita eſt in religione noſtra, nec ſimplicem Neceſſitatis appellationem meretur, nedum cum illis adjunctionibus, ſumma, ſeu Maxima, quæ ex verbis tuis aperte colliguntur. Aliam Dei patris eminentiam nec urgeo, nec commemoro in hac diſputatione, niſi alicubi, ut, quemadmodum ſupra oſtendi, non quidem vel Chriſti invocationem vel etiam invocationis neceſſitatem ei officere aut indicem aut concludam; ſed tantum, ut majorem infirmitatem alicujus tuæ argumentationis oſtendam. Quod Chriſti gloria Dei gloriæ deroget, ne per ſomnium quidem cogitavi umquam, immo haud ſcio, an ullus hactenus evidentius, copioſius, ac diligentius, quam ego in ſcriptis meis fecerim, Chriſti gloriam, præcipue hanc, quod ejus opem in precibus noſtris ſacris fidenter implorare poſſimus, ad ipſius Dei gloriam maxime ac vehementiſſime ſpectare, docuerit ac demonſtraverit. Sed cum Chriſti gloria nominatur, vera Chriſti gloria intelligi debet, illa nimirum quam ſacris teſtimoniis edocti, Deum illi tribuiſſe, cumque ipſo communicaſſe ſcimus, quæ quamvis ſumma omnino ac multiplex & pene incredibilis ſit, aliquid tamen ei cogitatione noſtra addere poſſumus, quod ad ipſum Chriſtum quodammodo cum Deo confundendum pertineat, quale iſtud eſt, quod preces noſtras ad Chriſtum dirigere omnino debeamus. Id quod neque in fiducia, neque in ſervitute, neque in adoratione, nec denique in ulla re alia, quam tribuere ex Dei ordinatione Chriſto conveniat, contingere poteſt, ut ex iis conſtare arbitror, quæ ſupra à me ſcripta ſunt. Et hæc ſatis eſſe volo pro reſponſione ad ea, quæ iterum mihi objicis, quaſi ſine cauſſa, eminentiæ Dei ſupra Chriſtum aliquoties in altero meo ſcripto mentionem fecerim. Nam, quod hic hanc meam inter Deum & Chriſtum in invocatione diſtinctionem, tamquam ſubtiliorem carpis, eam ejuſmodi non eſſe, ſed ipſi ſenſui communi quodammodo patere, oſtendunt ſatis, quæ ſupra recitavi contra Franciſcum Davidis à me ſcripta.

Jam, quod tantum pondus in eo ſtatuis, quod Chriſti gloria Dei gloriæ nihil deroget, ut propter hoc ſic inferas, *Stat itaque firmum argumentum meum, à poteſtate Chriſti ad neceſſariam invocationem nominis ejus ductum*, videre ſane nequeo quo jure id facias. Pro conceſſo enim ſumo, te hic, quemadmodum ſupra feciſti, & res ipſa poſtulat, per Invocationem nominis Chriſti, ipſius Chriſti invocationem, id eſt, ad eum precum directionem intelligere. Nam quid, obſecro, adverſus id, quod ego contra affirmo, & exemplo allato, oſtendo, non poſſe colligi ex certiſſima licet poteſtate neceſſariam invocationem, defendere tuum argumentum poteſt, quod Chriſti gloria Dei gloriæ nihil prorſus deroget? Nunquid ego tuum argumentum ex eo oppugnare ac convellere tento, quod Chriſti hæc gloria, quæ ex neceſſitate illum invocandi oriretur, derogaret Dei Patris gloriæ? Nihil minus. Nam quid hoc ad argumentum tuum? Fuiſſet hoc, ut tu quidem exiſtimaſti, argumentum pro mea, vel contra tuam ſententiam, non autem reſponſio ad argumentum tuum. Ego vero (ut mihi quidem videtur) diligentiſſime caveo, ne ejuſmodi craſſos errores in diſputando committam; quamvis tu hunc eundem plane errorem mihi ante quoque aſcripſeris, in ſolutione alterius tui in priore ſcripto allati argumenti à fiducia ad invocationem, ut ante viſum eſt. Nunquid fortaſſe hujus rei, quod hic Dei gloriæ derogaretur, in tuo argumento ſolvendo ullam mentionem feci? Nullam omnino. Tantum ut probarem, te conſequentis fallacia deceptum, quemadmodum invocatio vera & merito facta, eſſe non poteſt ſine ſumma aliqua poteſtate ejus qui invocatur, ſic exiſtimaſſe, ſummam poteſtatem invocatione carere non poſſe; quod plane falſum eſt, etiamſi, ut tua argumentatio habet, ea ſumma poteſtas neceſſario agnoſcenda eſſet: ut hoc, inquam, probarem, ſatis aperte dixi, hoc verum quidem futurum, ſi in una tantum perſona ſumma iſta poteſtas agnoſcenda eſſet; ſed ſi in pluribus ea ſit agnoſcenda, ex hoc non poſſe conſequi neceſſariam invocationem, ſeu precum directionem ad certam unam ex illis. Idque confirmavi exemplo allato ſummæ poteſtatis mundanæ non in una tantum perſona agnoſcendæ. Ad quod exemplum quid tu reſpondeas, poſtea videbimus. Nam prius denuo hic aperiendum eſt, quid te maxime in hunc errorem inducere potuerit, & porro, ut ex tua ad meum exemplum reſponſione apparet, omnino induxerit. Illud autem eſt, quod putas eandem eſſe hic rationem invocationis, quæ adorationis, puta, & ſervitutis; & ſicut ſumma eaque prorſus agnoſcenda poteſtas, cuicumque illam habeuti, etiamſi plures eam haberent, neceſſario adorationem,

id

id eſt, ſummam reverentiam, nempe humanam, ſi poteſtas ſit humana, divinam vero, ſi poteſtas ſit divina, & parem ſervitutem conciliat, ita exiſtimaſti neceſſario invocationem conciliare: quod tamen à veritate abhorrere, & diſcrimen, quod ad neceſſitatem attinet, inter invocationem, & adorationem ſervitutemque ſtatuendum plane eſſe, vel id te monere poterat, quod in ipſius Dei Chriſtique perſona paulo poſt agnoſcis & fateris; id eſt, poſſe ſæpe nos ad Patrem ſolum preces noſtras dirigere, quod certe in adoratione & ſervitute non contingit. Semper enim & ubique non Deum ſolum, ſed Chriſtum quoque adorare cogimur ſeu tenemur, eique ſervire; hoc neceſſario requirente ſumma, quam habet in nos cum patre Deo communem, poteſtate a nobis neceſſario agnoſcenda. Ea enim nequaquam à nobis agnoſceretur eo modo, quo agnoſci debet, ſi unquam eum adorare eique ſervire prætermitteremus. Nunc ad refutationem tuam exempli mei venio; qua diluenda, apertius tota de re conſtabit.

Primo igitur loco ais, me ipſum vidiſſe hujuſmodi exemplum (nempe Imperatorum, & ab ipſis ad imperii conſortium aſcitorum) non poſſe integre accommodari Chriſto, nimirum, arbitror, quia, ut cuicumque vel difficillimo diſputatori ſatiffacerem, ego ipſe ſum faſſus, in hoc eſſe diſſimile exemplum, quod Chriſto omnino confidendum eſt, illis vero ad imperii conſortium evectis hoc non debebatur; in tuo autem argumento ejus rei mentio fiebat, quod Chriſto tuto inniti deberemus. Verum ego ibidem ſatis huic objectioni occurri, oſtendens, jam me in ſuperiore argumento diſſolvendo, huic rationi ſatiffeciſſe. Quare nihil neceſſarium erat, ut exemplum, quod alioqui, fateor, ea carere non poterat, hanc quoque rem in ſe contineret, cujus te ipſum noviſſe nullam hic neceſſitatem eſſe, ſatis indicat, quod in poſteriore hoc tuo argumento commemorando dicis, ut vidimus, te illud à poteſtate Chriſti ad neceſſariam invocationem duxiſſe, nulla fiduciæ in eo collocandæ mentione facta. Itaque etſi non ſimpliciter, tamen habita ratione argumentorum tuorum & mearum reſponſionum, exemplum à me allatum Chriſto prorſus accommodari poteſt; eo magis, quod ſi ulla alia differentia eſt inter exemplum & rem de qua quæritur, ea eſt, quod illi imperii conſortes ab Imperatoribus aſciti, non erant prioribus iſtis Imperatoribus ſubordinati, quemadmodum Chriſtus ſubordinatus eſt Deo. Quare, ſi tamen nemo cogebatur opem ipſorum implorare, ubi videlicet priores Imperatores aderant, & parem cum illis adhuc poteſtatem retinebant, multo minus cogetur quiſquam Chriſti opem implorare, Deo ubique præſente non minus quam Chriſto, & eandem poteſtatem, quam Chriſto dedit, ſibi retinente.

At deinde ais, iſtos ab Imperatoribus ad imperii conſortium evectos, non nomine tenus ſed reipſa debito honore affectos fuiſſe: quaſi vero vel ego dixerim iſtos reipſa debito honore non fuiſſe affectos, vel nolim neceſſe eſſe Chriſtum debito honore afficere; vel denique conſtet, ad Chriſtum preces dirigere (hæc enim eſt illa opis imploratio, de qua hic agimus) honorem eſſe Chriſto debitum, id eſt, ejuſmodi quod illi exhibere ſit neceſſe. Nonne vides, te hoc loco omnino principium petere? Nam ſi honoris debiti nomine, non quidem neceſſarium, ſed qui convenire poſſit, intelligis, præterquam quod improprie prorſus loqueris, nihilominus etiam principium petis; ſi modo verbum *Afficiebantur*, quod in tuis verbis legitur, ſignificat, Affici omnino debebant. Jam enim in ipſo exemplo explicando à me negatum eſt, quemquam coactum fuiſſe ipſorum opem implorare: quam tamen opis implorationem non nego illis convenire potuiſſe, ſeu, ut clarius loquar, illis tribui potuiſſe: alioqui nihil ad rem facere exemplum videretur, cum ex mea ipſius confeſſione manifeſtum ſit, Chriſti opem implorari poſſe. Quod ſi verbum tuum illud *Afficiebantur*, id modo ſignificat quod ſonat, id eſt, factum ipſum, hoc nihil ad rem, ubi non de eo quod fieret, ſed de eo quod jure facere quis cogeretur, quæritur. Præterea, quomodo probas, iſtis omnem honorem exhibitum fuiſſe, qui exhiberi merito poterat? Sed quidquid ſit, illud certiſſimum eſt te nunquam probaturum, quemquam coactum fuiſſe illorum opem implorare, præſentibus præſertim prioribus Imperatoribus, & eandem cum illis adhuc poteſtatem retinentibus. Opis autem implorationem, in hoc exemplo, ipſam modo & per ſe intelligo, qualis eſt privata ac ſine ſupplici libello. Nam in publica ſeu cum ſupplici libello, quidam præterea honor continebatur iſtis imperii conſortibus debitus, quippe qui prioribus Imperatoribus non eſſent ſubordinati, ſed tantum eorum ſocii. Propterea non licebat fortaſſe in tali opis imploratione unquam eos omittere, quamvis abſentes & ignaros: cum tamen Chriſtum, omnia perpetuo licet ſcientem, etiam in publica invocatione ſæpe ſine dubio omittere liceat. Id quod quiſque igitur iſtis ſemper reipſa tribuere cogebatur, erat reverentia, ſervitus, obedientia, & ſi qua ſunt ſimilia, quæ neceſſario agnitionem neceſſariam ſummæ nec ſubordinatæ poteſtatis comitari debent. Itaque quod ais, *nec unquam placuiſſet imperatoribus illis, ſi quis neglectis & poſthabitis eorum conſortibus ſive collegis, ad imperatores ſolos recurreret*; ſi de poſthabitione & neglectu loqueris, quod attinet ad ſolum factum, non autem ad conſilium omnino ita faciendi, nunquam iſtud verum eſſe oſtendes; niſi propterea id non placiturum fuiſſe Imperatoribus illis dicas, quod noluiſſent, ſe ſolos neceſſitatibus & poſtulatis ſubjectorum hominum providere coactos, ut antea, eſſe (quanquam hoc verum fuiſſet forſitan, ſi multos id facere animadvertiſſent, non autem ſi unum aliquem, aut etiam paucos quoſdam) Atqui iſtud in Deum cadere nequit, nec quidquam ad quæſtionem noſtram pertinet. Legitur quidem in Eccleſiaſtica hiſtoria, ſi recte memini, de quodam Amphilocho, qui conſulto Arcadio à Theodoſio patre ad imperii conſortium nuper evecto, honorem quendam non exhibuit aliquando; ſed ſoli patri pariter præſenti exhibuit, ut hoc Theodoſio miraturo ægreque (ut factum eſt) laturo, Amphilochus occaſionem haberet oſtendendi, Deum ſimiliter ægre ferre, ſi quis ipſi ſoli, Chriſto filio, cum quo ſolium ipſum ſuum communicavit, prætermiſſo, cultum divinum præſtaret; & idcirco Theodoſium adhortandi, ne eos ferre vellet, qui Chriſtum ipſum non colerent. Verum hoc nihil ad invocationem ſive opis implorationem; qua licet unum Theodoſium Amphilochus tunc honoraſſet, dummodo alioqui Arcadium honore illi conveniente affeciſſet, nihil Theodoſius vel miratus eſſet vel ægre tuliſſet. Jam Pharaonis & Joſephi exemplum quomodo hujus rei clariſſimum exhibeat teſtimonium (ut ipſe aſſeris) non video: nihil enim ibi apparet, vel inde apparere poteſt de Pharaone ægre ferente aut laturo, ſi quis preces ſuas non ad Joſephum, ſed ad ipſum direxiſſet: niſi velis, quod Pharao dixit in Joſepho toti Ægypto præficiendo, neminem pedem aut manum moturum in tota terra Ægypti ſine imperio ipſius, huc pertinere. Nam ſi hoc eam vim habere dicas, acſi Pharao dixiſſet, neminem quidquam impetraturum, niſi id petiiſſet à Joſepho, ab eoque precibus obtinuiſſet; hoc ſingulare quiddam in eo exemplo erit, quod nec in aliis exemplis invenitur, nec propterea, ut idem aut ſimile quidpiam à Deo in Chriſto factum fuerit, quidquam ſuadebit. Itaque propter exempli ſingularitatem nihil ex eo concludi poterit, niſi cum manifeſta principii petitione. Quanquam non crediderim ego neceſſe eſſe, verba illa Pharaonis ad iſtum modum interpretari: immo tantum illis ſignificari, quidquid juſſiſſet Joſephus, unumquemque facere debuiſſe; quidquid vetaſſet, à nemine fieri potuiſſe. Ut nihil dicam, quod, quamvis ad conceſſiones eorum quæ peterentur, verba iſta accommodari aut poſſent aut etiam deberent, nihil prohibet quominus Pharaonis mens fuerit, ut nihil, licet à ſe petitum, cuiquam daretur niſi per manum Joſephi, &

ejus juſſu interveniente. Quod ſane ego in Chriſto agnoſco & ſæpe in meis ſcriptis aſſero, Deum in Eccleſia nihil largiri niſi per Chriſtum, id eſt, ipſius juſſu interveniente; quamvis id ab ipſo Deo tantum petitum fuerit. Denique iſtud Pharaonis, ſive alterius cujuſvis regis terreni exemplum, qui alicui curam ſui regni demandarit, non eſt magnopere in hac parte urgendum; cum fieri poſſit & quotidie fiat, ut non tam ad illum honorandum & evehendum, quam ad ſe moleſtia & labore liberandum, ut ſupra attigimus, id fecerit, quod, ut ibi dixi, nullo pacto in Deum cadere poteſt.

Ad ea quæ ſtatim ſubjungis, ut refutes argumentum quoddam meum, quod ex meis verbis elicis, nihil eſt cur reſpondere debeam, cum ego revera nihil argumentatus fuerim, ut ſupra demonſtravi. Tametſi veriſſimum eſt (& hoc pacto alibi ſum argumentatus) ſi Chriſtus non ſemper in precibus noſtris invocandus eſt, nullum igitur de precibus noſtris ad illum dirigendis præceptum extare; quodſi nullum præceptum extat, non neceſſarium eſſe ad illum preces dirigere. Nec propterea illos juſtifico, qui nunquam Chriſtum invocant, ſi id conſulto & per contemptum invocationis Chriſti faciunt, ac præcipue ſi non invocant, ubi ſpiritus, propter quamvis cauſſam, quæ multæ eſſe poſſunt, id ut fiat ſuggerit. Itaque nullo pacto eminentiam Chriſti aut labefacto, aut labefactare videri poſſum; quam ſcio in hac parte firmiſſimam, & inconcuſſam perpetuo fore, dummodo à me urgeatur, probetur, demonſtretur (quemmadmodum ſemper & ubique fit) optimo jure poſſe nos in precibus noſtris ſemper & ubique Chriſti opem implorare, ut pote illius, qui ex patris voluntate omnia in Eccleſia adminiſtret, omniaque faciendi poteſtatem habeat, cum exauditione precum noſtrarum, immo cordium ac renum inſpectione atque exploratione perpetuo conjunctam.

Jam vero quod addis Chriſtum ipſum teſtari, ſibi à Patre omne judicium commiſſum, ut omnes honorificent, filium quemadmodum Patrem honorificant, & ais, *Abſque dubio hæc verba ſummum honorem Chriſto deferunt, in quo & invocationem nominis ejus facile quivis non contentioſus includi, agnoſcere poterit*, ſi, ut apparet, ac quemadmodum ſoles, per Invocationem nominis Chriſti, ipſius Chriſti invocationem intelligis, hoc eſt, ad ipſum precum noſtrarum directionem (quanquam non debuiſſes toties ambiguitate verborum, e iam tibi fortaſſe ipſi, occaſionem errandi præbere) ego plane diverſum ſentio, id eſt, contentioſum omnino eum futurum, qui verbis iſtis directionem reipſa precum noſtrarum ad Chriſtum contineri velit. Conſtat enim, verbis iſtis eum modo honorem contineri, qui neceſſario ex eo ſequitur, quod Chriſto à Deo omne judicium, hoc eſt, omnis Eccleſiæ gubernatio commiſſa fuerit, quam, ut ſupra oſtenſum eſt, precum reipſa directio neceſſario non conſequitur, licet eam adoratio ac ſervitus neceſſario conſequatur, quibus adde & obedientiam, quæ tamen ſervitute continetur. Nam de obedientia præcipue, ſeu, quod idem eſt, de fide reipſa Chriſti verbis adhibenda eo in loco agi, oſtendunt ea, quæ ſequuntur; *qui non honorificat Filium non honorificat Patrem, qui miſit illum. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam.* Eſt igitur verborum Chriſti, quæ à te ſunt allata, ut contra Franciſcum Davidis cap. 9. partic. 3. ſcripſi, hæc ſententia, *Oportere nos Chriſto obedire, & ipſum non ſecus ac Deum Patrem revereri; quia omnia gubernat, & ſibi non obedientes ac contumaces punire pro arbitrio atque imperio poteſt.* Quanquam vero verba iſta Chriſti, & totus ille locus directionem reipſa precum noſtrarum non continet, continet tamen neceſſariam agnitionem ac publicam profeſſionem poteſtatis dirigendarum precum, quippe quæ ex omni Eccleſiæ gubernatione neceſſario conſequatur, quemadmodum contra eundem Franciſcum ſcripſi partic. 2. capitis 21. his verbis, *Iſte ipſe apud Joh. locus ſatis aperte docet Chriſti invocationem ad Dei gloriam pertinere. Supra enim cap. 9. partic. 3. de gubernatione ſeu judicio, quod in Eccleſia nunc Chriſtus exerceat, iſtic agi oſtendimus; propter quod honos illi ſicut patri ejus cœleſti tribuendus ab omnibus ſit. Qui honor profecto aliud ſit neceſſe eſt, quam, ipſum ſimpliciter judicem ſeu gubernatorem eſſe, cognoſcere; neque enim hac ratione honor ullus Chriſto tribuetur, niſi etiam quæ judicis & gubernatoris ſunt, illi tribuantur. Inter quæ id potiſſimum numerari debet, ut ejus clementiam & æquitatem implorari poſſe agnoſcatur, & publice affirmetur.* Vides, quam diligens fuerim in eliciendo ex hoc loco, quidquid ad Chriſti invocationem pertinens inde elici poteſt: Nam, ut neceſſitas ipſius invocationis recte ac neceſſario inde eliciatur, impedit ipſa invocationis ratio & natura, quæ nullo modo ex ſubordinata poteſtate quantumvis magna, neceſſario conſequitur; nec invocandi legitimæ facultati, aliiſque non paucis ad Chriſti ſummam gloriam ſpectantibus, quæ ex ejus poteſtate neceſſario conſequuntur, eſt ſimilis. Itaque non habent à te citata Chriſti verba vim expreſſi mandati invocationis Chriſti, ut exiſtimaſti, licet aliarum rerum prædictarum habeant, quemadmodum ego ipſe de adoratione ſeu divino cultu contra Volanum ſcribens ſum faſſus; & in alio ſcripto ad quendam, in quo ſcripto eandem diſtinctionem attuli inter neceſſitatem adorandi Chriſti, eumque invocandi, quæ tibi Chriſti invocationem labefactare videtur. Sed, ut ad te revertar, addis deinceps me ipſum fateri, eos, qui Chriſtum non invocant, eum nec debito honore afficere. Ubi, ut ſoles, *Non invocant* uſurpas pro *Non audent nec volunt invocare*; vel potius (ſi hoc recte ex verbis meis & aperte concludendum eſt) *Non agnoſcunt & profitentur ſe jure poſſe invocare.* Melius feciſſes, ſi ubique dixiſſes, me videri (tametſi non tantum videor, ſed ſic eſt revera) condemnare omnes iſtos, quicumque Chriſtum non invocant nec invocare audent, ut paulo poſt ſcribis. Nam illa verba, *nec invocare audent*, aut declarant, quo ſenſu priora, *non invocant*, ſint à te dicta, aut certe illorum defectum ſupplent. Sed paulo ante verba iſta, hæc ſcripſiſti: *Status itaque quæſtionis noſtræ non eſt, an ſemper & ubique Chriſtum invocare teneamur; ſed an gloria Chriſti noſtræque ſalutis fiducia id exigant requirantque, ut Chriſtus neceſſario invocetur.* Ad quæ quid mihi merito reſpondendum ſit, ſupra abunde expoſitum eſt. Hic tamen hoc dicam, ſtatum quæſtionis noſtræ eſſe, ut ex ſcriptis meis manifeſtum eſt, An Chriſtum invocare, id eſt, ad eum preces noſtras dirigere teneamur, ſeu divino jure cogamur. Ex quo ſequitur, ſi non ſemper & ubique cogimur, partem negantem noſtræ quæſtionis, quam ego defendo, jure optimo à me defendi; primum, quia non poſſumus dici ſimpliciter divino jure cogi quidquam facere, ſi non ſemper & ubique, data videlicet ejus rei faciendi occaſione cogimur; deinde, quia, ſi non ſemper & ubique, ne aliquando quidem, neceſſitate videlicet abſoluta cogimur, ut ante pluribus eſt demonſtratum. Quod tu in quæſtionis noſtræ ſtatu exponendo addis, de Chriſti gloriæ noſtræque fiduciæ (ut ſic loquar) exigentia, id revera non pars ipſius quæſtionis eſt, ſed ad rationes pertinet, quibus tu pro parte affirmante uteris: quæ cum nullam vim contra ſententiam meam habere, ut quidem mihi videtur, ſatis evidenter docuerim, non video cur debeam, ut mones, meo *Poſſumus* renunciare, ejuſque loco *Tenemur* reponere ac ſcribere. Tu potius (ea tamen reverentia, qua me cum tanto viro agere decet) monendus mihi es, ut tuæ iſti incertæ ac vagæ & ſimul tamen abſolutæ neceſſitati invocandi Chriſti renuncies, ejuſque loco certam ſtabilemque invocandi Chriſti, ſeu ad ipſum preces noſtras dirigendi facultatis agnitionem & profeſſionem ſubſtituas; ex qua, certa ſimiliter ac ſtabilis ſuo tempore, ex ſuppoſito ſive ex accidente neceſſitas conſequitur ad Chriſtum preces dirigendi: Aliter & Chriſti invocationem, quantum in te fuerit, plane incertam reddes, & infirmorum conſcientias aut lædes aut torquebis; qui audientes, ſibi neceſſarium eſſe ad Chriſtum preces dirigere, & tamen non

ſemper & ubique, aut totum hoc tanquam ſibi minime conſtans, & una cum ipſo directionem ipſam precum ad Chriſtum contemnent atque aſpernabuntur, aut ſemper dubitandi cauſſam habebunt, ne graviter peccaverint, ſi quando ad Chriſtum preces dirigere omiſerint, multo autem magis, ſi ſæpe id illis contigerit, verentes, ne tunc maxime oportuerit Chriſtum invocare, quippe quod neceſſitas illa vaga tunc acciderit id faciendi; cum nullo pacto ſit veriſimile, ut id, quod neceſſarium eſt ut faciamus, quamvis non ſemper ſed aliquando, tempus ſuæ neceſſitatis ex ſola voluntate noſtra habeat, ſi alioqui per ſe tempus ſuum habet. Mitto alia abſurda & pericula, vel obſcurandæ ſubordinationis Dei ad Chriſtum, vel Adverſarios, qui Chriſtum invocari poſſe negant, in ſuo perniciosiſſimo errore confirmandi, ſi viderint, neceſſe eſſe, ut, qui poſſe ajunt, idque defendere volunt, neceſſarium etiam idem eſſe dicant atque contendant; quando illi vel jam ſciunt, vel facillime intelligere poſſunt, ex eo ipſo quod omnes fateri coguntur, non ſemper & ubique preces noſtras ad Chriſtum dirigere nos teneri, nullum hac de re præceptum datum fuiſſe.

Nam quod poſtremo colophonis loco addis, etiamſi nullum in Novo Teſtamento mandatum extaret de invocando Chriſto (quanquam non pauca eſſe putas, quæ vim expreſſi mandati habeant) *tamen* (ais) *ſi non neceſſitate abſoluta, conſequentis nihilominus neceſſitate Chriſtum invocare teneremur*; velim ſcias, me, cum ullum præceptum de Chriſti ope, directis ad eum precibus imploranda extare nego, non tantum de expreſſo verbis præcepto loqui, ſed etiam de colligendo per neceſſarias conſequentias ex aliis præceptis, hominiſque Chriſtiani neceſſario officio. Itaque ſi ea vera eſſent, quæ ſtatim ſubjicis his verbis, *Nam abſque invocatione nominis Jeſu Chriſti, neque fides vera fiduciaque ſincera erga Chriſtum defendi, nominiſque ac majeſtatis ejus autoritas conſervari poteſt, nomenque Chriſtianum juſte ac legitime uſurpari*, ſi inquam, hæc vera eſſent (interpretatis videlicet verbis illis, *invocatione nominis Jeſu Chriſti*, acſi ſcripſiſſes, *directionem precum noſtrarum ad Jeſum Chriſtum*) ingenue faterer, certum de precibus ad Chriſtum noſtris dirigendis præceptum extare. Sed ea minus vera eſſe, & ad iſta omnia optime atque integre conſervanda, ſatis eſſe conſtantem ac publicam agnitionem & profeſſionem divinæ poteſtatis Jeſu Chriſti, & conſequenter ad eum ſemper & ubique preces noſtras dirigendi legitimæ facultatis, quibuſcum neceſſario adoratio, ſervitus & obedientia erga eundem Jeſum Chriſtum conjuncta eſt, ſpero ex ante diſputatis, omnibus facile conſtiturum. Nec tibi ipſi fortaſſe tam vera iſta, quæ affirmaſti, viſa fuiſſent, ſi pro, Invocatione nominis Jeſu Chriſti, Directione precum noſtrarum ad Jeſum Chriſtum, ſcripſiſſes. Nam certe ſine invocatione nominis Jeſu Chriſti, ut hæc locutio ex Sacris Literis accipienda eſt, ne Chriſtianiſmus quidem conſiſtere poteſt. Jam cum agitur in hac religionis materia de neceſſitate abſoluta, quod attinet præſertim ad officium noſtrum, id intelligendum eſt, quod omnino ſit neceſſarium, ſi Deo obedire velimus & ſalvi eſſe; quæ neceſſitas alioqui abſoluta vocari nequit per ſe ipſa, cum conditionem conjunctam perpetuo habeat. Itaque ſi ſalvi eſſe non poſſumus ſine directione precum ad Chriſtum, ut quidem non poſſumus ſi ea vera ſunt quæ tu affirmas, ſtatuendum eſt, etiamſi nullum verbis expreſſum ea de re præceptum extet, tamen precum noſtrarum ad Chriſtum directionem abſolute nobis neceſſariam eſſe, id qvod ego nullo prorſus pacto aut concedere poſſum, aut quod affirmetur, laudare.

Reſtat ſcrupulus diſtinctionis inter Chriſti Invocationem & Adorationem; quem tibi nondum exemptum eſſe, ſane miror. Primum dicis, te optime ſcire, quid interſit inter vocabula Adorationis & Invocationis; ſed tamen te inter hæc duo, quatenus ea nunc ad Chriſtum referuntur, diſtinguere nec ſcire nec poſſe; cum, quidquid honoris & gloriæ Chriſto nunc corporali præſentia minime nobis præſenti exhibetur, ad internum cultum potiſſimum referendum ducas. Hic ſane aliud prætexis, ac de te affirmas. Videris enim adhuc omnino ignorare, quid inter duo iſta vocabula interſit. Oſtendunt enim hæc verba ſatis aperte, tibi non videri interiorem cultum ſine invocatione eſſe poſſe, cum tamen manifeſtum ſit, interiorem cultum eſſe poſſe ſine ulla petitione. Itaque negare videris, neceſſarium eſſe ut in invocatione ſit aliqua petitio; quod tamen & nomen ipſum Invocationis neceſſarium eſſe oſtendit, & inter nos plane conſtat; cum jam certiſſimum ſit, nobis idem eſſe in tota hac diſputatione de invocatione Chriſti, Invocationem & Precum directionem. Num fortaſſe negabis, interiorem cultum ſine ulla petitione eſſe poſſe? Atqui ut agnoſcas hoc nullo modo negandum eſſe, id tantum tecum animo reputa, quod Chriſtum interiore cultu afficere ſemper & ubique, immo indeſinenter, quatenus per humanam fragilitatem licet, debemus; non tamen ſemper & ubique, nedum indeſinenter, aliquid ab eo debemus petere. Quid plura? cum Invocatio, ut dixi, idem nobis ſit, quod Precum directio, & ipſe fatearis, nos ſæpe ad ſolum Patrem preces dirigere poſſe, immo, ut ipſa tua verba habent, cum fatearis, nos poſſe Chriſtum non ſemper nec ubique invocare, nunquid non clare perſpicis, interiorem cultum Chriſto exhibendum non ſemper habere ſecum conjunctam invocationem? alioqui oporteret te affirmare ſimiliter, nos poſſe non ſemper nec ubique Chriſtum interiore cultu afficere, quod impium plane eſſet. Certe, ſi hoc non ſatis eſt, ut intelligas, me jure optimo inter Chriſti ipſius corpore abſentis adorationem & invocationem diſtinxiſſe, & adorationem ſine invocatione eſſe poſſe conſtanter affirmaſſe, vix ſcio quomodo unquam id tibi perſuaderi poterit. Verumtamen ut interim aliquot tuæ hac in re incuriæ, tuique ipſius decipiendi cauſſæ explicentur, atque hac ratione adhuc tentetur, an ſcrupulus iſte tibi eximi poſſit, reſpondendum eſt ad ea quæ meis dictis objicis.

Objicis igitur primum, quod hymnos, laudes, gratiarumque actiones in adoratione (ut ais) includam, invocationem tamen ſub eodem genere habere nolim.

Hic rurſus in conſequentis fallaciam incidis. Putas enim, ſi Invocatio ſub adoratione, ut ſuo genere contineatur, utramque neceſſario ſemper ſimul junctam eſſe. Atqui aliter res ſe habet. Siquidem fieri poteſt, ut nulla ſit invocatio ſine adoratione, ut ſpecies ſine ſuo genere; nec tamen contra ullo pacto concludi aut debeat aut poſſit, adorationem ſine invocatione eſſe non poſſe. Immo neceſſe eſt, ſi Adoratio eſt genus, Invocatio vero ejus ſpecies, ut ſæpe adoratio ſine invocatione eſſe poſſit. Neque vero ego uſquam aut tacite aut aperte ſcripſi, Chriſti invocationem ſine adoratione eſſe poſſe. Illis ſane exemplis hymnorum, laudum & gratiarum actionum afferendis, nihil aliud oſtendere volui, ut quidem ipſa verba mea clare explicant, quam, dari poſſe Chriſti adorationem ſine invocatione. Quid igitur hinc contra ſententiam meam de diſtinctione adorationis & invocationis colligi poteſt? Mirum ſane hoc & tanquam portentum quoddam eſſet, ſi ex demonſtratione, quod adoratio ſine invocatione eſſe queat, ſive etiam ex hujus rei affirmatione, colligi poſſet, nequaquam adorationem ſine invocatione eſſe poſſe. Nam hæc eſt breviter ac reipſa illa mea diſtinctio. Nonne id quod ex dicto meo colligeretur, cum ipſo meo dicto ex diametro (quod ajunt) expreſſeque pugnaret? Scio quidem te non ita collegiſſe: ſed tamen verba mea ab omni ſuſpicione, quod diſtinctioni illi meæ adverſentur, liberare volui. Non laborabo, ut oſtendam ex illis exemplis meis non recte colligi, invocationem, tanquam ad ſuum genus, ad adorationem pertinere. Satis eſt enim, hoc ipſo conceſſo quod tu ex ipſis collegiſti, aperte oſtendiſſe, id non modo ad diſtinctionem meam inter adorationem & invocationem labefactandam non pertinere, ſed eam manifeſte confirmare. At deinde mihi objicis, quod hæc verba ſcripſerim: Talis eſt Chriſtus à Deo factus nobiſque

conſtitutus, taliaque per ipſum beneficia accepimus, ut etiam eo ſecluſo, quod nobis eum invocantibus opem in neceſſitatibus noſtris ferre poteſt, eum tamen prorſus divino honore afficere debeamus. Ais enim, *Si Chriſtus nos in neceſſitatibus noſtris juvare non poſſet, parum abeſſet quin otioſum ac exautoratum (quod abſit) Chriſtum haberemus, &c.* Hoc loco videris in accidentis fallaciam incidere. Ego enim conſidero res in natura ſua, ut mihi ſatis ſit, intellectu poſſe eas inter ſe diſtingui: tu vero eas conſideras prout in ſubjecto (ut loquuntur) ut ſimul ſint neceſſe eſt. Quod, etiamſi veriſſimum eſſe concedatur; tamen, quod ad illud attinet de quo agitur, ex accidente eſt. Quid enim impedit, quominus ea, unde fit ut Chriſtum adorare & invocare poſſimus, nunquam reipſa divelli poſſint, & non ſemper omnia conjuncta in Chriſto eſſe, & tamen propter aliqua ex ipſis, eum merito adoremus, quæ ipſa per ſe, ut eum invocemus, nullam vim habeant? Summæ dignitati * ſummæque beneficentiæ ſummus honor debetur, & divinæ quidem divinus, Chriſtus ſummam eamque divinam dignitatem habet, ſummamque, eamque divinam beneficentiam in nos exercuit. Ergo vel ob iſta ſola, ei à nobis divinus honor & ſic adoratio debetur. Atqui iſta ſola non ſatis ſunt, ut eum invocare poſſimus, niſi etiam nos juvare poſſit, noſtraſque preces exaudire; ac præterea niſi conſtet, non fuiſſe à Deo prohibitum ut ipſum invocemus: quæ quanquam omnia in Chriſto ſunt, & illi dempta eum quodammodo exauctoratum redderent; non eſt tamen, quin ex natura ipſa rerum fieri poſſit, ut ſine his iſta ſint. Immo, etiamſi ne ex natura quidem ipſa rerum hoc fieri poſſet, tamen ſatis ad mea verba defendenda eſſet, quod conſideratione diſtingui poſſent; & jure affirmari, unis per ſe adorationem tantum, alteris vero cum ipſis junctis etiam invocationem convenire. Quapropter nihil eſt opus ut demonſtrem, ut quidem in promptu eſt, hæc reipſa ſejungi poſſe, immo fieri potuiſſe, ſi ita Deo viſum foret, ut Chriſtus ipſe, id eſt, is qui ab eo Chriſtus factus eſt, una illa ſine alteris habuiſſe, ſive etiam cum illis unis quædam tamen ex alteris, & non omnia. Mitto, quod in ipſis verbis meis (quibus addere potuiſſem, quod perpetuo à Chriſto divina beneficia accipimus & majora his accepturi ſumus, cui rei per ſe adoratio debetur) non ſecluſi quod Chriſtus nos juvare poſſit, ſed quod nobis eum invocantibus ſubvenire queat. Poſſunt enim, ut modo attigi, hæc ſeparari, id eſt, fieri poteſt, ut quis juvare poſſit & porro juvet, nec tamen ipſum invocantibus ſubvenire queat; nempe vel quia eorum preces non audiat, vel quia prohibitus ſit ipſum invocantes juvare. Sed jam de his ſatis.

Quæ hic obiter addis ab confirmandam neceſſitatem invocandi Chriſti his verbis; *quales ſubditi, qui in neceſſitatibus Regem ſuum non invocant?* Et mox, *Fidelis ne uxor, quæ mariti ſui auxilium in neceſſitate non implorat? ſuntne propriæ oves, quæ ſub tutelam paſtoris ſui non confugiunt?* Hæc, inquam, omnia eam vim non habere quam credis, ſatis ſuperius oſtenſum eſt, ubi de natura egi poteſtatis ejuſdem in pluribus, quam una, perſonis reſidente, quarum etiam illa de qua agitur, alteri ſit ſubordinata. Hic tamen dicam, nec ſubditos malos, nec uxorem infidelem, nec oves alienas eſſe, quæ ad regem, maritum & paſtorem ſuum in ſuis neceſſitatibus non confugiunt, modo ne ad alienum regem, maritum, aut paſtorem confugiant, ſed opem ab eo petant, qui non modo eorum regi, marito ac paſtori conjunctiſſimus ſit, ſed ipſorum poteſtatis ſolus auctor, à quo ipſi perpetuo pendeant, & ad quem ut hi confugiant, nunquam ægre ſint laturi; dummodo id per ipſorum contemptum, vel quia ipſis iſti non fidant, fieri nec videant nec ſuſpicari poſſint. Applica nunc tu ipſe hæc omnia nobis, Chriſto, & Deo, in quibus ea ſunt, & in hac diſputatione eſſe ſtatuuntur, quæ vel à me in tuis ſimilitudinibus addita, fortaſſe in ipſis rebus, unde ſimilitudines ducuntur inveniri nequeunt, vel à te nullo modo, ſi non veritatis quandam umbram, ſed ipſam (ut quidem non dubito) veritatem quæris, omittenda erant. Vincat igitur, ut tu in ipſo tuo ſcripto concludis, veritas. Quod ut in nobis potiſſimum eveniat, id caveamus diligentiſſime quod tu me mones, ne præjudicatæ opiniones nobis noceant, neve nos pudeat, ut ais, à minore aliquando admoneri, ab eoque diſcere. Mihi ſane præjudicatam; hiſce in diſputationibus noſtris, nullam opinionem nocere, argumento eſſe poterit diligentia mea, in omnibus & ſingulis à te contra me allatis, perpendendis, examinandis, excutiendis. Quam equidem in te, propterea quod hoc honore ea digna non cenſeo, in meis penſitandis tantam non requiro; ſed talem nihilominus deſidero, quæ & me à labore ſæpius earundem rerum ſcribendarum & inculcandarum, te vero cum ab eodem labore, & moleſtia non jam litterarum ſed voluminum meorum legendorum, in quibus eadem identidem repetantur; tum maxime à ſuſpicione, ne præjudicata opinione impeditus, mea aut vix legere ſuſtineris, aut non intellexeris, aut perpendere nolueris, prorſus liberare atque immunem reddere queat. Cracoviæ. Die 20 Maji 1587.

F. S.

* Cic. li. 2. de Inventione Dignitas (eſt) alicujus honeſta, & cultu & honore & verecundia digna auctoritas.

Ad
HIERONYMUM MOSCOROVIUM,
F. S.
In ſuam cum
ERASMO JOHANNIS
Diſputationem.

PRÆFATIO.

QUantopere vera exaltationis hominis Jeſu Chriſti cognitio, ad claram ipſius Chriſtianæ religionis notitiam, ſit neceſſaria, tibi, Hieronyme Moſcorovi, Viro tam ſolida atque erudita pietate præſtanti, incompertum eſſe nequit. Mihi quidem id adeo exploratum eſt, ut hujuſce rei, aliqua ſaltem ex parte, ignorationem, maximorum errorum inter eos, qui Chriſti nomen ſunt profeſſi, diutiſſime cauſſam fuiſſe, hodieque eſſe, affirmare non dubitem. Tantæ autem ac tam perniciosæ ignorationis origo & caput, eſt ac fuit ſemper, de exiſtentia unigeniti filii Dei non recte ſentire, atque opinari, ante conceptum ex Spiritu Sancto & natum ex virgine Jeſum Nazarenum, jam reipſa ac perfecte Dei filium unigenitum extitiſſe, qui, videlicet, vel ex ipſa eſſentia Dei patris genitus, vel ex nihilo, antequam aliud quidquam crearetur, ab ipſo Deo creatus ſit, & ſuo tempore humanam naturam aſſumpſerit, vel hominem, ſive, ut alii loqui malunt, humanum corpus ſeu carnem induerit. Atque, ut nunc nihil de iis dicam, qui, propterea Jeſum Nazarenum unigenitum Dei filium eſſe, ſunt arbitrati, quod is natura divina conſtet ex ipſa Dei patris eſſentia genita, quæ humanam naturam aſſumſerit, quorum ſententiam Sacris Teſtimoniis confirmari non poſſe, ſatis jam noſtrorum hominum publice editis ſcriptis demonſtratum eſſe videtur; de iis aliquid hic attingam, contra quorum ſententiam vix quidquam nominatim hactenus noſtri homines in publicum ediderunt, de iis, inquam, qui Arrii ſimiles eumve imitati, Jeſum Nazarenum ſubſtantiam quandam ſpiritalem primam omnium divinitus creatam, eſſe ſtatuunt, quæ humanum corpus ſeu carnem induerit. Hi enim maxime hominis Jeſu Chriſti exaltationem obſcurant, vel potius penitus tollunt; cùm vix quidem concedant, Jeſum Chriſtum verum eſſe vel umquam fuiſſe hominem: quippe qui vel nullam aliam animam, præter ſubſtantiam iſtam ſpiritalem humana anima multo excellentiorem, ei tribuant: vel certe mentis ſeu intellectus humani loco eam in ipſo eſſe velint. Viderunt nempe iſti (id quod plerique alii non vident) nullo pacto fieri poſſe, ut duæ diverſæ naturæ, quarum utravis per ſe ſubſiſtere poſſit & perſonam conſtituere, ita ſimul jungantur, ut unam tantum perſonam conſtituant: præſertim de qua interim tamen eſſentialiter utravis per ſe ipſarum naturarum vere ac proprie prædicetur. Quare, cum pro conceſſo ſumant (quod etiam veriſſimum eſt) in Chriſto Jeſu unam tantum eſſe perſonam, cumque in eo filium Dei unigenitum agnoſcant, quem perſonam eſſe certum eſt, & cujus per ſe naturam nihil cum humana natura commune habere, ipſi autumant; neceſſe habuerunt, veram naturam humanam à Chriſto Jeſu excludere (quippe quæ per ſe perſonam conſtituere ſit apta (ac ſentire, Chriſtum revera & eſſentialiter hominem non eſſe, aut dici poſſe: ſed tantum, quatenus verum humanum corpus induit. En quo tandem perducat ſententia iſta de unigeniti filii Dei, ante Jeſum Nazarenum ex virgine natum, exiſtentia; ut ſcilicet, non modo admirabile

bile atque omnium excellentiſſimum atque humanō generi ſaluberrimum Dei opus in Jeſu Chriſto homine ad ſui æqualitatem evehendo obſcuretur, ſed Jeſus Chriſtus verus eſſe homo negetur: id eſt, ipſa ſalutis noſtræ æternæ ratio funditus propemodum evertatur, & ſapientiſſimum, in via nobis ad immortalitatem tradenda ac commonſtranda, ipſius Dei conſilium pœne irritum reddatur. Eſt tamen, quod iſtorum miſereamur, quos in tam pernicioſum errorem ſententia iſta induxit; cum non pauca extent ſacra teſtimonia, quæ hominibus imperitis & parum firmis videri poſſint eam continere. Atque adeo curandum nobis eſt, ut ejuſmodi locorum verus ſenſus, ſatis licet iis, qui mentis oculos divinis rebus cernendis aptos habent, per ſe clarus & apertus, iſtis etiam explicetur, & patefiat: aut ſaltem oſtendatur, multum abeſſe, ut ex illis ſententia iſta elici debeat. Ego ſane, pro virili parte, id præſtare jamdiu ſum conatus: præcipue vero in diſputatione quadam inter Eraſmum Johannis, & me, ex ipſius Eraſmi ſcripto quodam, & mea ad ipſum reſponſione, à me olim compoſita & conſcripta. Anni enim ſunt circiter undecim, cum Eraſmus ipſe Johannis vir eruditus & in Sacris Litteris haud mediocriter exercitatus, qui nunc Claudiopolitanæ eccleſiæ in Tranſilvania eſt paſtor, Cracoviam primum, ut arbitror, veniens, à noſtris hominibus petiit, ut ſibi liceret coram ipſis explicare argumenta quædam, quibus à ſententia noſtra de nullo reipſa, ante hominem Jeſum Nazarenum ex Maria virgine natum, unigenito Dei filio, amplectenda abſterreretur, & in ſua huic plane contraria retinenda confirmaretur, licet alioqui nobiſcum de uno tantum Deo, Domini noſtri Jeſu Chriſti patre, conſentiret: atque ut ſimul quæ à nobis ad iſta argumenta reſponderentur, audire poſſet, eaque, quatenus opus eſſe ſibi videretur, refellere. Annuerunt fratres; & ex ipſius Eraſmi voluntate, uni ex ipſorum numero nominatim provinciam ad ejus argumenta coram aliis, qui adfuturi erant, reſpondendi demandarunt. Is autem unus ipſe fui. Itaque biduo amanter & placide diſputavimus, me ſingulatim atque ordine ad omnia, quæ Eraſmus afferebat, reſpondente: tametſi meæ reſponſiones Eraſmo nequaquam probari poterant. Haud ita multo pòſt, cum Eraſmus Cracoviæ adhuc hæreret, ego vero tunc temporis ruri habitarem, miſſum eſt ad me, vel ab ipſo Eraſmo (nam non ſatis memini) vel certe ipſo Eraſmo id curante, ejus ſcriptum, in quo noſtræ diſputationis capita ſe complexum fuiſſe, profitebatur. Quo perlecto, cum animadvertiſſem, non ſolum (quod ipſemet ingenue ad finem ipſius ſcripti fatebatur) multa, quæ à me dicta fuerant, ab Eraſmo omiſſa fuiſſe, ſed etiam nonnulla ex iis, quæ non omiſerat, parum recte expoſita, & ſimul poſtmodum reſciviſſem, Eraſmum aliquot exempla iſtius ſui ſcripti ad varios in variis locis degentes amicos ſuos miſiſſe; decrevi ſcripto ſimiliter ea omnia refellere, quæ ipſe Eraſmus ſe dicentem in ſuo ſcripto faciebat. Quod etiam brevi perfeci, & ſcriptum meum ad ampliſſimum virum Andream Dudithium, multiplici ac varia eruditione inſignem & utriuſque noſtrum amantiſſimum, miſi: rogans, ut, eo accurate perlecto, illud quam primum ad ipſum Eraſmum Johannis, qui jam Cracovia, alio diſceſſerat, tranſmittere vellet. Id quod, licet non tam cito, ut voluiſſem, ab ipſo tamen factum fuiſſe, poſtea certo cognovi. Ad hoc ſcriptum meum nihil umquam, quod ſciam, Eraſmus reſpondit. Tantum (ut quidem audivi) profeſſus eſt, ſe, eo lecto, multo magis in ſua ſententia confirmatum fuiſſe. Ex quo ſummum me deſiderium cepit, hanc noſtram diſputationem in lucem emittendi; ut, ſcilicet, quando hic labor meus nihil apud ipſum, cum quo diſputabam, profeciſſet: tentarem an apud alios aliquid proficere poſſet: & rem totam piis atque eruditis hominibus dijudicandam proponerem; ut, ex utracumque parte ſtaret veritas, ea tandem obtineret. Verum huic meo deſiderio ſatisfaciendi nullam antehac facultatem habere potui. Nunc vero (Dei, arbitror, providentia) cum ea mihi, ne cogitanti quidem, mira quadam ratione data fuerit, nolui occaſionem hanc ſpernere, cum iis, qui divinarum rerum ſcientiæ ſtudio tenentur, hoc, quidquid eſt, communicandi. Quod nimirum id ad ſcientiam iſtam, omnium ſine ulla controverſia nobiliſſimam & utiliſſimam, maxime pertinere videatur. Expenduntur ſiquidem in hac diſputatione, ut antea innuimus, & examinantur ſatis diligenter ſacra teſtimonia

non

non pauca, & inde petita argumenta, aliæque rationes, quæ cum ipſis conſentire videntur, ex quibus plurimi in ea opinione confirmantur, Unigenitum Dei filium aliud quidpiam revera eſſe, præter hominem Jeſum Nazarenum; ita ut, ea perlecta, facile quivis, quid de teſtimoniis iſtis ſentiendum ſit, quave ratione ſint explicanda, ſtatuere poſſit. Hoc tantum non leviter doleo, quod ex ipſius Eraſmi Johannis litteris, quas nuper ad me dedit, intellexi, ipſum gravate ferre, quod utrumque hoc, noſtrum ſcriptum in publicum nunc edatur. Id enim propediem, ut quidem ſperabam, futurum, jam ipſi ſignificaveram. Voluiſſet ipſe, ut conjicio, prius ſaltem ſcriptum ſuum accuratius recognoſcere. Itaque, ſi id mihi fuiſſet integrum (quamquam propter diſtantiam locorum & alia impedimenta, diu admodum hanc editionem differre opus fuiſſet, & interim fortaſſe hujuſce rei facultas, quæ à multis aliis rebus pendet, aliquo modo mihi periiſſet) facile hac diſputatione noſtra edenda ſupersediſſem. Sed, cum ipſius litteræ mihi ſunt redditæ, jam totum opus, præter hunc primum quaternionem, typis excuſum fuerat. Scripſit autem iiſdem in litteris idem Eraſmus, ſe hanc controverſiam in quodam ſuo ſcripto ſolide tractaſſe: quippe in quo & ſuam ſententiam aliquot argumentis accurate expoſitis & confirmatis tuetur, & quæ à nobis objiciuntur ordine refellit. Hoc igitur ſuum ſcriptum, quod ſi ei morem gerere voluiſſem, ſe ſtatim ad me miſſurum pollicebatur, ut refutarem, me conari voluiſſet, & illud una cum refutatione mea imprimendum curare. Sed præſtabit, ut ipſe ſcriptum iſtud ſuum edat. Ad quod refellendum, ſi ſatis ea non eſſe judicavero, quæ in hac diſputatione à me ſunt dicta, parvo labore & ſumptu, Deo dante, quæ deerunt, ſeparato libello addere potero. Satis me officio meo ſatisfeciſſe mihi videbor, cum hic lectores monuerim (non obſcure enim id ex iis, quæ ſupra dixi, colligi poteſt) quid ipſe Eraſmus de ſuo ſcripto, ad quod in hac diſputatione reſpondetur, ſentiat: illud, videlicet, imperfectum eſſe. Verum tamen ſubjungit ipſe, ſe cauſſæ ſuæ tantopere confidere, ut auſit vel iſta ipſa paucula ſua verba cum prolixis noſtrorum hominum commentariis, quos de Chriſto homine confecerunt, committere. Quocirca doloris, quem ex ipſius litteris me cepiſſe dixi, ex iiſdem litteris non mediocre levamen ſentio: & ſpero ipſum tandem, quidquid à me factum eſt, boni conſulturum.

Jam vero tibi, Moſcorovi præſtantiſſime, hunc Libellum potiſſimum inſcribere placuit, quod quamvis, Dei benignitate, noſter jam ſis factus: tamen vix nullum in toto hoc regno noverim, qui incorruptius de hac inter me, & Eraſmum Johannis controverſia judicare queat. Nam non ſolum ea eruditione atque ingenii ac judicii acumine polles, quibus pauciſſimi ſunt prædiți; ſed tanto animi candore ac ſinceritate præſtas; ut crediderim, facile fore, ut quicumque te noverit, ſi inter te, & ipſum aliqua de re contendatur, ubi, quid ipſe pro ſe, aut contra te afferat, recte cognoveris, te unum litis veſtræ judicem libenter ſit conſtiturus. Quid dicam de ſumma tua prudentia ac multarum, nec ſane minimarum, rerum uſu, unde ad graves controverſiæ dirimendas, etiam in iis, quæ ad ipſa noſtræ religionis dogmata ſpectant, plurimum adjumenti omnino comparatur? O felicem illum diem, quo te cœtus noſter ſuum eſſe; plane vidit. Nam, ut tu, ex eo tempore, hujus mundi illecebris ſpretis, & vanis curis relictis, Dei Chriſtique ſervitio te totum conſecraſti, æternæque tuæ ſalutis, à qua alioqui facillime aberraſſes, certiſſimam viam es ingreſſus: ſic cœtus noſter te tanto viro auctus, jam ſperare merito potuit fore, ut alii etiam præſtantes viri, partim exemplo, partim cura tua, ad ipſum ſe aggregent: & ſic tandem aliquando noſtrorum hominum innocentia, & veriſſimæ ac ſolidiſſimæ pietatis ſtudium iis omnibus innoteſcat, qui, quamvis adhuc nobis infenſi, probi ſunt tamen alioqui homines, & ad veritatem, ſi illis clare ac ſincere proponatur, amplectendam apti, quæ illos ab æterna morte atque interitu vindicare poteſt, & ad beatam immortalemque vitam transferre. Neque enim id præcipue noſtri homines agunt, ut de Dei Chriſtique eſſentia inexplicabiles & à Sacris Literis abhorrentes ſententiæ ex Chriſtiana republica, quantum ipſi efficere poſſunt, ejiciantur, atque adeo inde perpetuo exulent: ſed ut vitæ ex Jeſu Chriſti Domini noſtri præſcripto puritas & ſanctitas, quæ ſola ad

æter-

æternam vitam eſt via, inter eos, qui nomen ipſius Jeſu Chriſti nominat, quos nimis turpe eſt ab iniquitate non recedere 2 Tim. 2. 19, ita vigeat, ut qui nondum Chriſto nomen dederunt, incipiant admirabundi de Chriſtianæ doctrinæ præſtantia & efficacia ſerio cogitare, & agnoſcentes, vere inter eos, qui Chriſtiani vocantur, Deum habitare, ad eum ipſum, à quo Chriſtiani nominantur, ad principem, inquam, & auctorem ſalutis æternæ, ab ipſo Deo mortalibus datum & conſtitutum, ex animo convertantur. Hoc, inquam, præcipue noſtri homines agunt & curant, & propter hoc unum, quemadmodum de Dei Chriſtique eſſentia, ſic de aliis non paucis ad Chriſtianam religionem pertinentibus, ut veræ certæque & divinis teſtimoniis conſentaneæ ſententiæ obtineant, quoad poſſunt, dant operam. Vident enim his contrarias, quæ ubique ferme hactenus obtinuerunt, opiniones facile impedire, quominus quis iſtam, de qua paullo ante dixi, unicam ſalutis æternæ viam teneat. Cujus rei fidem facere poteſt vita, quam ii, qui Chriſtiani nominantur, vulgo, jam à compluribus ſæculis, ducunt; è quorum numero vix milleſimum quemque reperias, qui verè Chriſtianis moribus ſit aut fuerit præditus. Illud certiſſimum eſſe videtur, nullo modo fieri poſſe, ut cum vera ac plena rerum divinarum cognitione, quæ paſſim habeatur, tam diu tam exiguus hominum vere piorum ſit numerus. Ea autem de hominum vere piorum numero, qui vel nunc ſit, vel jamdiu antea fuerit, affirmo, quæ omnes veriſſima eſſe, & agnoſcunt & ingemiſcunt: tot calamitatum graviſſimarum, quæ Chriſtianum orbem, jam per tot ſæcula, miſerrime affligunt, cauſſam merito in ipſorum Chriſtianorum vitia ac ſcelera, & qui ubique regnat, luxum & voluptariam vitam conferentes. Ita ut nihil frequentius audiatur, quam publice, & voce, & ſcripto, reprehendi mundoque exprobrari crimina iſta. Sed vix quidquam proficitur, aut proficietur unquam, vixque à peccati ubique regnantis dominatu illi ipſi, qui Chriſtum Jeſum omnis juſtitiæ parentem ſe purius multo, quam vulgo fiat, colere profitentur, vindicari poterunt, niſi prius ſalutis æternæ ratio ac firmamentum dilucide cunctis appareat. Id quod ſine divinæ majeſtatis, ad quam Chriſtus homo evectus fuit, vera cognitione, ut ab initio attigimus, nunquam fiet. Niſi enim, eum ipſum, qui viæ ad æternam ſalutem conſequendam dux nobis ac præmonſtrator fuit, cum communem nobiſcum naturam haberet, & ſine peccato per omnia, ut divina oracula loquuntur, ſimiliter ac nos, tentatus fuiſſet, non modo ad immortalem beatitudinem perveniſſe credamus, verum etiam ipſius immortalis beatitudinis iis dandæ, qui ipſum imitati fuerint ejuſque dictis paruerint, eoſque perpetuo fovendi & ab omnibus malis protegendi, pleniſſimam poteſtatem adeptum fuiſſe, nobis certo perſuadeamus; vix fiet, unquam, ut ſerio noſtrum quiſquam reſipiſcat, & viam iſtam nobis præmonſtratam, valde aſperam alioqui naturæque noſtræ inviſam, ingrediatur ac teneat, ſeſeque ab inveterata peccandi aſſuetudine ad juſtitiæ opera ex animo ſectanda convertat. Dux autem viæ iſtius ac præmonſtrator, ex ipſius Dei conſilio, Jeſus Chriſtus homo fuit, nec alius quiſquam: diſerte Paulo Apoſtolo conteſtante, unicum eſſe mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Jeſum. Quare, iſtum ipſum hominem ad tantam majeſtatem evectum fuiſſe, agnoſcendum nobis eſt. Hoc autem illi demum recte ac vere facient, qui nullum alium Dei filium unigenitum, ante, aut præter hunc hominem, agnoſcent. Certiſſimum ſiquidem eſt, Dei filium unigenitum nobis viam iſtam patefeciſſe, & ipſum Deum alioqui inviſibilem nobis enarraſſe.

Legant igitur, obſecro, æquo animo ii, in quorum manus ea inciderit, hanc diſputationem noſtram; ex qua minimo negotio intelligent, nihil eſſe, cur ſuſpicari quis debeat, aut etiam poſſit, Dei filium unigenitum ante Jeſum Chriſtum hominem extitiſſe. Tuque, eruditiſſime Moſcorovi, amoris & obſervantiæ in quem meæ hunc tibi inſcriptum libellum teſtem ac monumentum perpetuo extare velim, quando non ſatis temporis habui, ut tibi eum expendendum antea traderem, ſi quid in eo à me dictum reperies, quod minus vere aut recte dictum cenſeas, monere me ſtatim ne graveris; ut quamprimum id corrigere aliqua ratione poſſim, atque, ut te vere dignus hic meus labor aliquando appareat, nec facile unquam intereat, curare. Deus cœleſtibus ſuis donis in dies magis te augeat ac cumulet. Anno à Chriſto nato CIↃ IↃ XCV. die 16 men. Junii.

Diſputatio inter *Eraſmum Johannis* affirmantem, Chriſtum fuiſſe unigenitum Dei filium, etiam antequam ex virgine naſceretur, & *F. S.* contrariam ſententiam aſſerentem. Ubi ille argumentantis, hic vero reſpondentis partes perpetuo obtinet.

A Fauſto quidem ſcripta; ſed ita, ut quæ Eraſmum dicentum facit, ſit (idque, quo ad ejus fieri potuit, ad verbum) quidquid ipſe Eraſmus ſibi attribuit in quodam ſcripto, in quo Diſputationis, quam coram cum Fauſto hac eadem de re habuit, capita exponere conatus eſt. Itaque, etſi uterque ſic loquens inducitur, quaſi res quodammodo agatur; tamen nihil aliud intelligendum eſt, quam hic à Fauſto ea omnia refutari, quæ vel ad ſuam ſententiam confirmandam, vel ad contrariam labefactandam in eo ſcripto Eraſmus expoſuit.

ERASMUS JOHANNIS.

PRimo omnium fateor, me tecum facere, in articulo de uno vero Deo patre, nec trinitatem agnoſcere, quamobrem etiam patior perſecutionem à Germanis. Verum in doctrina de perſona & officio Chriſti nego, me tecum ſentire, quamquam paratus ſim meliora amplecti, & in tuam ſententiam: defendere, quatenus eam defendere è ſcriptura adverſus me poſſis. Atque ut tanto rectius error mihi eripiatur, omnino neceſſe eſt, ut palam & ingenue proferam ea, quibus impedior, quominus tecum faciam. Ita ad rem propius accedo, & quatuor rationes, quibus à tua ſententia alienor, & in mea retineor, leviter attingo.

Quarum prima eſt, quod videatur non parum decedere majeſtati Dei, dum ejuſmodi ei opponitur mediator, qui ſit purus homo, qualem ipſe doces, etſi majoribus, quam alii, donis ornatum. Contra vero hac re maxime extolli Dei altitudinem, ſi credamus, ad eam non patere aditum, niſi per ejuſmodi mediatorem, qui ſit filius Dei unigenitus, & creator totius mundi, & omnium angelorum & hominum.

Secundo non parum detrahitur Chriſto ejuſque dignitati, ſi merus homo habeatur, in quo nihil ſit eſſentiale, quod in alio quovis homine non reperiatur, & ſi per eum opera ſolummodo redemptionis peragantur, digne vero honorari Chriſtum ſi habeatur non ſolum pro filio Mariæ, ſed etiam unigenito filio Dei, cujus eſſentia longiſſime excedat claritate & ſplendore omnium angelorum eſſentiam quantumvis ſpiritualem, quique fuerit ante initium rerum omnium, ac per quem Deus non ſolum redemerit mundum, ſed etiam ex nihilo creaverit.

Tertio affirmo tua ſententia non leviter extenuari beneficium redemptionis, ut pote quod per hominem effici potuerit, cum tamen nihil ſit hoc beneficio majus, maximeque in hoc elaborandum, ut ejus dignitas omnibus modis exaggeretur. Quod ſi quis Chriſtum agnoſcit unigenitum Dei filium & creatorem mundi, is rapitur in admirationem tam ſtupendi operis, & cogitur fateri, oportere omnium maximum eſſe beneficium, pro quo obtinendo neceſſe fuerit parentem rerum omnium de cælo deſcendere, hominem induere, & acerbiſſimum mortis ſupplicium ſubire.

Quarto elogia illa magnificentiſſima, quibus ſcriptura inſignit Chriſtum, longe eſſe auguſtiora, quam ut cadere poſſint in hominem, ut, quod totum Vetus Teſtamentum, cujus ſumma eſt dignitas, in hunc unum reſpexit, ſacerdotium, regnum, omniſque ordo prophetarum in Chriſtum quaſi digitum intenderint, quem tanto cum deſiderio omnes patriarchæ, reges, & prophetæ cum tota eccleſia veteris teſtamenti expectarint, de quo Johannes dicat, dignum ſe non eſſe cujus ſolvat corrigiam calceamenti, qui à Paulo dicitur imago Dei inconſpicui, primogenitus omnium creaturarum, ſplendor gloriæ Dei, & character ſubſtantiæ ejus, in quo habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, per quem omnia ſunt condita, de cujus plenitudine omnes accipiunt, quem angeli adorent Heb. 1. Hæc, inquam, & alia multa, quæ ſcriptura Chriſto tribuit, non quadrant in tam vile ſubjectum, quale à te conſtituitur, & quodammodo coarctanda eſt magnificentia horum encomiorum, quo in Chriſto homine, utcumque locum habeant. Quod ſi revera agnoſcimus Chriſtum unigenitum Dei filium, quem Deus tantis dotibus exornarit, ut per eum & mundum condiderit, & omnia ſua opera exequatur, majeſtatem ſuam hæc elogia retinebunt, & optime in Chriſtum quadrabunt.

Has quatuor rationes, ut dictum eſt, breviter attigi, quibus fateor me non parum confirmari in mea ſententia. Verum nolo nunc de his prolixius agere, nec magnopere ad eas reſponſum peto, quandoquidem reſtat quinta ratio, quæ præcipuam vim in ſe continet hujus controverſiæ, qua cadente ſimul aliæ omnes cadunt: quæſtante omnes ſtant, ad quam proponendam me nunc accingo.

F. S.

Quamquam non admodum requiris, ut ad quatuor iſtas rationes reſpondeam, tamen, ut, quemadmodum inſtituta diſputatio poſtulat, nihil à te afferatur, ſive contra ſententiam meam, quod à me non refutetur eas omnes refellere conabor.

Quod igitur ad primam attinet, Dico eam in priore parte ad propoſitam inter nos quæſtionem non facere. Quærimus enim, utrum Chriſtus fuerit unigenitus Dei filius, nec ne, antequam ex virgine naſceretur, non autem utrum fuerit purus homo. Nihil autem impedit, quominus Chriſtus non fuerit unigenitus Dei filius, niſi poſtquam natus eſt ex virgine, nec tamen ſit aut fuerit unquam purus homo: At enim

ais, tu, eum purum hominem fuiſſe doces. Primum non credo me unquam de Chriſto ad iſtum modum locutum eſſe. Deinde dico, quidquid ego doceam, hoc extra quæſtionem noſtram eſſe. Sed fac præterea, & me docere, Chriſtum eſſe purum hominem, & hoc maxime ad quæſtionem noſtram pertinere: Nego quidquam vel Dei majeſtati decedere, vel abſurdi in eo eſſe, quod mediator inter Deum & nos ſit purus homo. Id autem jure à me fieri ſatis indicat Paulus 1 Tim. 2. 5, dum diſerte ait, unum mediatorem Dei, & hominum eſſe hominem Chriſtum Jeſum. Nam alioqui hic ſimplici hominis appellatione non fuiſſet contentus; præſertim ubi nihil cogebat Chriſtum hominem appellari; niſi quod fortaſſe mens Pauli erat ſignificare, Chriſtum Jeſum, quatenus eſt homo, mediatorem unicum Dei & hominum eſſe, id quod rationem iſtam tuam Apoſtolico ſpiritui adverſari plane oſtenderet. Adhæc, ſi Dei majeſtas non ferret, ut ipſius Dei, & hominum mediator eſſet purus homo, non ferret ſimiliter, ut ejuſmodi mediator, purus homo jure exiſtimari poſſet. Atqui Chriſtus nihil manifeſte in ſe habuit aut fecit, quod purus homo habere aut facere nequeat, ſi Deus velit. Itaque purus homo jure exiſtimari potuit, quemadmodum & olim & hodie à plurimis exiſtimatus eſt; qui tamen, eum ſervatorem ſuum & ſempiternæ vitæ datorem eſſe, agnoverunt, quo nihil majus, ſeu manifeſte, ſive non manifeſte, in ipſo vel fuit, vel eſſe poteſt. Poſtremo, quemadmodum nihil Dei majeſtati ex eo decedit, quod filius ejus unigenitus ſumma ignominia & turpiſſima morte ab hujus mundi principibus affectus fuerit, nempe quia ſic ſalutis noſtræ ratio poſtulabat; ſic nihil Dei majeſtati ex eo decedere poteſt, quod purus homo mediator ſit inter ipſum & nos, modo ſic ratio ſalutis noſtræ requirat; ut certe requiri contendet, quiſquis Chriſtum purum hominem eſſe affirmat. Immo, cum Dei gloria ex ipſius erga nos benignitate, ac beneficentia maxime appareat, vehementer ejus gloriam amplificat, quod purum hominem, quales nos ſumus, mediatorem ſuum eſſe voluerit, eumque iis donis cumulare, quibus ad ejuſmodi munus perfecte obeundum opus erat. Non poteſt autem Dei majeſtas ea re minui, quæ ipſius gloria plurimum amplificatur. Adde, quod ex ejuſmodi donis majeſtas Dei maximopere elucet; nec perſonæ dignitas tam in eſſentia ipſa, quam in qualitatibus conſiſtit. Hinc fit, ut perſona, quantumvis indigna, eandem prorſus cum digniſſima eſſentiam habere poſſit, ſolis qualitatibus ingens, dignitatis ratione, inter utramque diſcrimen conſtituentibus.

Jam quod in altera hujus primæ rationis parte, de filio Dei unigenito dicis, & alibi identidem repetis, ad rem nullo modo facere videtur, cum neque ego negem, Chriſtum revera Dei filium unigenitium eſſe, nec quidquam prohibeat, quin purus homo unigenitus Dei filius eſſe poſſit. Siquidem purum hominem in hac diſputatione eum intelligere neceſſe eſt, qui hominis quidem eſſentiam habeat, nec præterea ullam: cæterum qualitatibus cum nullo alio homine communibus præditus eſſe poſſit. Quocirca niſi velis, Chriſtum ex ipſa Dei eſſentia genitum eſſe (quod te nolle arbitror) nihil eſt, cur tibi potius, quam mihi, Chriſtum filium Dei unigenitum eſſe, jure affirmare liceat. Quod vero addis de creatore totius mundi, & omnium angelorum & hominum, dico, te eum tibi fingere, qui nunquam fuit præter ipſum Deum; nec ſi, ut putas, creare eſt ex nihilo condere, ullo modo eſſe poteſt. Nam & quidam ex iis, qui alioqui tecum ſentiunt, ſuntque in hac quæſtione exercitatiſſimi, pro ſumma blaſphemia habent, ſi quis creationem iſtam ulli alii præter ipſum ſolum Deum tribuat; & nominatim ſi ejus filio unigenito eam tribuere velit. Præterea, cum ipſe, ut infra videbimus, non modo fatearis, ſed plane contendas, redemptionem præſtantius eſſe opus, quam creationem, non video, quid, te ipſo judice, decedere poſſit majeſtati Dei, ſi mediatorem ſuum eum conſtituit, qui ſit redemptor, quamvis non ſit creator.

Secunda ratio eodem vitio laborat, quo primam, cum eam refellere inſtitui, laborare oſtendi, ac præterea nihil habet, ad quod reipſa jam reſponſum non ſit, niſi id ipſum, in quo prædictum vitium conſiſtit; id videlicet, quod dicis de eſſentia excellentiore. Nam hoc ſane aliquo pacto ad Chriſti perſonæ dignitatem amplificandam perinere poſſet. Verum iſtiuſmodi dignitas perſonæ Chriſti non adeo quærenda eſt; & multo pluris, quam ipſa, eſt æſtimandum, multoque magis ad Chriſti gloriam & honorem pertinere dicendum id, cum quo dignitas iſta conſiſtere non poteſt, quod ſcilicet, quamvis, quod ad ipſam eſſentiam attinet, Chriſtus nihil aliud, quam homo eſſet, tamen talem ſe in voluntariis laudabilibuſque dictionibus, & operationibus præſtiterit, qualem nullus hominum præſtitit, aut præſtiturus eſt unquam. Huc accedit quod non tam de ipſa Chriſti gloria, nedum, de dignitate iſta, ſolliciti eſſe debemus, quam de Dei gloria. Atqui hæc multo major conſpicitur, ſi per Chriſtum, licet purum hominem, tot tantaque Deus patraverit, quam ſi eadem per ipſum diviniore aliqua eſſentia præditum, quamvis ea à ſe donatum, patraſſet. Quemadmodum multo magis laude dignus & gloria eſt artifex quiſpiam, ſi inſtrumento aliquo viliore & ad rem ipſam per ſe ineptiore opus aliquod inſigne faciat, quam ſi idem opus præſtantiore aliquo inſtrumento, & ad rem ipſam per ſe aptiſſimo faceret; quamvis inſtrumentum illud ab ipſo fabrefactum eſſet. Sed, etiamſi dignitas perſonæ Chriſti omnino quærenda eſſet, huc tamen nihil attineret, quod dicis de eſſentia ejus ante initium omnium rerum, (ſi modo ipſum quoque rem creatam eſſe fateris.) Nihil enim vetat, quominus Chriſtus, licet poſt tot alias creaturas à Deo conditus, perſonæ tamen ſuæ dignitate præſtantior ſit, quam ea, quæ prima omnium fuit condita. Immo facile fieri poteſt, ut quæ omnium prima à Deo fuit condita, omnium viliſſima fuerit; videmus enim eundem Deum à vilioribus, id eſt, inanimatis, incepiſſe, & ad præſtantiora, id eſt, animata, & tandem ad hominem intellectu præditum, creando, perveniſſe: in ea quidem creatione, quam Moſes litteris conſignavit. Id porro, quod ais, dignitati Chriſti detrahi, ſi per eum opera tantummodo redemptionis peragantur & non etiam videlicet, creationis; jam ſatis refutatum eſt, cum de Dei majeſtate in mediatore conſtituendo egimus. Satis enim eſt, quod Chriſtus præſtantioris cujuſdam operis media cauſſa fuerit, quam ſit creatio. Nec quidquam ejus dignitati adderet, quod etiam creationis fuiſſet. Quemadmodum opifici cuipiam, qui domum ab alio exædificatam, ab ipſis fundamentis inſtauraſſet, & ad multo elegantiorem & præſtantiorem formam redegiſſet, quam antea eſſet, nihil prorſus dignitatis adderetur, ſi ejus domus, ut antea fabricata erat, ædificator fuiſſet.

Ad tertiam rationem dico, nullo modo extenuari poſſe beneficium redeptionis per extenuationem qualemcunque ejus, per quem facta eſt; cum qualis & quanta ipſa redemptio ſit, manifeſte conſtet. Tunc locum fortaſſe haberet ratio iſta, ſi de qualitate & magnitudine redemptionis minime conſtaret; videretur enim ex eſſentia ſeu natura non admodum præſtante, aut certe non ſingulari illius, per quem ea facta fuiſſet, poſſe colligi, eam non adeo excellentem rem eſſe. Nunc, quando, qualis ſit & quanta redemptio noſtra, quo ad in hoc ſæculo percipere licet, aperte intelligimus, nec ea ex majore quadam Chriſti perſonæ præſtantia, per quem facta eſt, major apparere poteſt quam illi credant, qui Chriſti perſonæ præſtantiam iſtam non agnoſcunt, nullus rationi iſti eſt locus. Miror autem, quod Chriſtum, omnium rerum parentem auſus fueris appellare, non modo præter, ſed contra univerſas Sacras Literas, quæ unum illum Deum, quem tu Chriſtum non eſſe, nec ejuſdem cum Chriſto eſſentiæ fateris, unum etiam & ſolum parentem noſtrum atque omnium rerum prædicant, & hac ipſa ratione eum à Chriſto

diſtin-

dicunguunt. Vix auſit Trinitarius ullus hoc tempore ita loqui, ut tu locutus es. Et ſane non vides, te iſtis tuis rationibus paulatim in trinitariorum caſtra reverti. Nam certe, ſi tu recte ratiocinaris, ut major Chriſti perſonæ dignitas, ſic redemptionis noſtræ per ipſum factæ beneficium amplius atque auguſtius omnibus appareret, ſi Chriſtus ille ipſe Deus eſſet præter quem non eſt alius, & de quo ſcriptum legimus Deut. 6. 4, *Audi Iſrael Jehova Deus noſter Jehova unus eſt.* Mitto autem, quod in hac tertia ratione extra propoſitam quæſtionem mihi objicere videris, non quidem ut in ſuperioribus, quod Chriſtum purum hominem faciam, ſed quod hominem illum eſſe agnoſcam, cum videlicet ais, ſententia mea non leviter extenuari beneficium redemptionis, ut pote quod per hominem effici potuerit. Mitto hoc, inquam. Arbitror enim, te ipſa voce hominis purum hominem intellexiſſe. Quanquam non deſunt ex iis, qui tecum ſentiunt, qui concedere nolint, Chriſtum eſſe aut fuiſſe hominem. Id enim cum veſtra ſententia prorſus pugnat; niſi velitis, vel Chriſtum eſſe duplex ὑφιστάμενον, ſive, ut vocant, ſuppoſitum, vel in uno ſuppoſito Chriſto eſſe duplicem formam eſſentialem. Quod utrumque falſiſſimum atque adeo impoſſibile plane eſt. Certe videris tu ipſe, omnino hominem ab ipſa unigeniti filii Dei eſſentia penitus excludere, cum rudiores quoſdam Trinitarios hac in re imitatus, extra omnem ſcripturam dicis, unigenitum Dei filium, quem omnium rerum parentem vocas, hominem induiſſe. Nam profecto aliud eſt, quod induitur, & aliud quod induit. Sed non eſt meum, nunc abſurdiſſima multa, & cum Sacris Literis apertiſſimè pugnantia adeoque impoſſibilia perſequi, aut ulla ex parte explicare, quæ ex ſententia veſtra neceſſario proficiſcuntur.

Jam igitur ad quartam tuam rationem veniamus, in qua nonnulla dicuntur, quæ infra diligentius examinabuntur, ea, videlicet, quæ aliquod pondus habere videntur. Nam quod affirmas, longe auguſtius eſſe, quam ut in hominem cadere poſſit, in unum Chriſtum totum Vetus Teſtamentum reſpexiſſe, & omnia ſimul, quæ ſub eo erant, omneſque Patriarchas, reges, & Prophetas cum tota Eccleſia Veteris Teſtamenti maximo cum deſiderio eum expectaſſe; quod inquam, affirmas, hæc in hominem cadere non poſſe, ne de iis, quæ hic pro conceſſis ſumis, quidquam dicam, quorum ſaltem pars in dubium merito revocari poteſt: Dico, ſi iſta omnia ſingulatim apertius explicentur, nec ſub verborum involucro principium (quod ajunt) alicubi tacite petatur, plane perſpectum iri, tantum abeſſe, ut quidquam eorum in hominem cadere non poſſit, ut nonnulla ſint, quæ non niſi homini convenire queant, veluti expectatio illa venturi Chriſti (quæ non ſemper, ut tibi videtur, ſed aliquando, idque ſero tandem in Iſraëlis eccleſia fuit.) Hominem enim expectabant Iſraëlitæ, quemadmodum etiam illis promiſſus fuerat, ex Davidis ſemine, nec aiius quiſquam præter hominem, Chriſtus eſſe poterat. Chriſtus enim populi Dei, & ſic hominum verum & proprium regem ſignificat. Atqui verus & proprius Rex, ejuſdem generis, ſive, ut logici loquuntur, ejuſdem ſpeciei ſit oportet, cujus ii ſunt, quorum eſt Rex, & idcirco homo, quamvis cunctis animantibus dominetur, non tamen beſtiarum Rex niſi minus proprie & metaphorice appellabitur, quemadmodum etiam Deus per Metaphoram hominum Rex dicitur. Quod affers ex Johannis verbis, quæ de Chriſto dixit, id tibi plurimum adverſatur. Johannes enim ibi de Chriſto, ut homine, aperte loquitur; ut indicat illud ipſum, quod ait, de corrigia calceamenti ejus, & demonſtrant alia ejus verba apud Johannem Euangeliſtam; ubi ad id reſpiciens, quod pridie ejus diei dixerat, quodque à te allatum fuit, inquit Joh. 1. 30, *Hic eſt, de quo dixi, Poſt me venit vir, qui ante me fuit*, &c. Cur vero non potuit Johannes de Chriſto homine dicere, quod ipſe non eſſet dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus? Num fortaſſe, quia & ipſe Joannes homo erat? Quaſi verò inter hominem & hominem ſumma diſtantia eſſe nequeat propter diverſas qualitates. An non, ſi quis ex nobis dicat, exempli cauſſa, Paulum Apoſtolum fuiſſe talem Jeſu Chriſti ſervum, cujus nos digni non fuiſſemus ſolvere calceamenti corrigiam, rectiſſime loquetur, quamvis Paulus, non ſecus ac nos, homo fuerit? Atqui non minor, immo multo major erat inter Johannem, & Chriſtum hominem, differentia, quatenus etiam uterque Dei miniſter erat, quam inter quemlibet noſtrum & Paulum, quatenus & ille fuit, & nos Chriſti ſervi ſumus. Adde, huod ibi Johannes Chriſtum conſiderat, qualis etiam poſtmodum futurus erat, idque quoniam erat certiſſimum, tanquam rem præſentem accipit. Patet hoc ex eo, quod baptiſmi Sancti Spiritus mentionem facit, quem daturus eſſet Chriſtus, quodque hujus rei cauſſa nominatim, cum, videlicet, ipſe aqua tantum baptizaret, tantopere ſibi Chriſtum præfert. Nihil autem eſſe ex Sacris Literis certius poteſt, quam, ſicut Spiritu Sancto baptizandi poteſtatem reipſa non habuit Chriſtus, niſi poſt ſuam glorificationem, ſic, ut hominem glorificatum, eam poteſtatem illum à Deo conſecutum fuiſſe. Jam quantus eſt Chriſtus homo præ Johanne, ſi poſt ſuam glorificationem conſideretur? tantus nempe, ut proverbiale (ni fallor) dictum illud, quod Johannes ad id ſignificandum uſurpavit, in cujuſmodi tamen dictis hyperbolicum aliquid ſine ulla veritatis offenſione eſſe poteſt, non ſatis id expreſſiſſe videatur. Jam, quod Chriſtus, ut ais, à Paulo dicitur imago Dei in conſpicui, ſplendorque gloriæ Dei, & character ſubſtantiæ ejus; hæc omnia, inquam, optime ac pleniſſime Chriſto homini conveniunt, in quo, & per quem mirabili ratione ipſa Dei gloria apparet, & voluntas apertiſſime cognoſcitur, ſeque ipſum Deus nobis exprimit. Quin etiam ad Chriſtum hominem hæc omnino referenda eſſe, ipſi loci indicant, ubi ea dicta ſunt 2 Cor. 4. 4. Col. 1. 15. Hebr. 1. 3; quippe in quibus vel paullo ante, vel ibidem de Chriſto ſit ſermo, quatenus aut ſanguinem ſuum in remiſſionem noſtrorum peccatorum fudit, aut Euangelium annunciavit, aut per ipſum Deus hiſce ultimis temporibus nobiſcum eſt locutus. Illud certiſſimum eſt, iſta divina omnia, quatenus ad humanum genus referuntur ad ipſumque pertinent, de Chriſto dicta fuiſſe. Quocirca, cum certiſſimum ſimiliter ſit, Chriſtum hominem mediatorem inter Deum & homines fuiſſe, immo hominem Chriſtum Jeſum unicum Dei & hominum mediatorem à Paulo dici 1 Tim. 2. 5. Cumque quod Chriſtus aliter, quam ut homo, humano generi quidquam divinum impertierit unquam, nihil aperte conſtet, immo cum nec Chriſtus eſſe potuerit, ut paullo ante oſtenſum eſt, niſi homo, nec Dei filius ille dilectus quiſquam diſerte uſquam dicatur, qui non ſit homo, ſub quibus Chriſti & Filii Dei appellationibus iſta omnia illi tribuuntur; cum inquam, hæc ita ſe habeant, nulla cauſſa eſt, cur dubitare poſſimus, quin iſta ipſa omnia non dicam homini conveniant, ſed de alio, quam de homine, dici non potuerint. Cæterum, quod Paulus dicit Col. 2. 9. Joh. 1. 16, in Chriſto habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, & Johannes teſtatur, omnes nos de ejus plenitudine accepiſſe, utrumvis iſtorum, cur homini convenire nequeat, hactenus videre non poſſum. Quod enim attinet ad Pauli verba, in illis, ut ex contextu ipſo ſatis liquet, divinitatis nomine nihil aliud intelligitur, quam ipſius Dei voluntas, quam in Chriſto corporaliter omnem habitare ait Apoſtolus, id eſt, totam eamque ſolidam (non autem imperfectam & adumbratam ut quondam in Lege Moſis) in Chriſti Euangelio ejuſque præceptis contineri. Quod vero pertinet ad Johannis teſtimonium, illud explicatur manifeſte per antecedentia verba, ad quæ relationem habet: per illa, ſcilicet, *plenum gratiæ & veritatis.* In Chriſto enim pleniſſime Dei benignitas & fidelitas in ſuis promiſſis ſervandis extitit, cujus nos omnes participes facti ſumus. Hæc autem ſi quis Chriſto homini con-

venire non videt, neceſſe eſt profecto eum præjudicata aliqua eaque firmiſſima opinione impediri, quominus veritatem manifeſtiſſimam cernere queat. Arbitror, me ea dixiſſe, quæ ſatis eſſe poſſint ad rationem tuam in præſentia refutandam. Nam de reliquis nonnullis, quæ ante commemoraſti, Chriſto in ſcriptura attributis, infra, ut dictum eſt, diſputandum nobis erit. Illud unum, antequam finiam, non reticebo te hic quoque ita locutum fuiſſe, ut non ſolum à propoſita quæſtione diſceſſeris, quatenus Chriſti hominis mentionem feciſti, ſed etiam illum, hominem eſſe aut fuiſſe non concedas. Id enim hic ſimiliter innuunt verba illa tua, *quam ut cadere poſſint in hominem.* Quod ſi quanta Dei & potentia & ſapientia & erga humanum genus benignitas ſit, quantaque in eo apparere poſſit, quod Chriſto homini iſta omnia attribui jure poſſe voluerit, aliquanto diligentius quam fortaſſe feciſti, perpendiſſes; nec ſane ita unquam locutus eſſes, nec ejuſmodi encomia quodammodo coarctanda dixiſſes, ſi ad Chriſtum hominem accommodari debeant. Quæ omnino ſuam majeſtatem retinent, etiamſi per Chriſtum mundus hic aſpectabilis, & qui aliquando periturus eſt, conditus non fuerit, nec omnia ſua opera per eum Deus exequatur; dummodo certum ſit, ut eſſe debet, inaſpectabilem illum & nunquam interiturum, qui nobis futurus eſt, mundum, per Chriſtum fuiſſe conditum, & nihil à Deo in Chriſti eccleſia fieri quantumvis magnum & admirandum, quod per ipſum Chriſtum non fiat.

E. J.

Cum non hoc agam in præſentia, ut prolixe in quatuor iſtis rationibus defendendis verſer, eas miſſas facio, & quintam rationem in manus ſumo, à qua tota hæc controverſia dependet. Hæc vero ea eſt. Quod ſentiam tuam ſententiam defendi non poſſe, niſi plurima ſcripturæ dicta violenter torqueantur, & quaſi per vim alio trahantur. Et hæc eſt inter alias cauſſa, cur alterum quoque dogma longe veriſſimum de uno vero Deo minus feliciter progrediatur, quia multi abſterrentur ejuſmodi contortis ſcripturæ interpretationibus, quas plerique veſtrorum ſequuntur in doctrina de Chriſto, iiſque adeo offenduntur, ut ea etiam ſuſpecta ipſis fiant, quæ rectiſſime de uno vero Deo contra Trinitatem docentur. Verum ne temere id affirmare videar, aliquot argumentis demonſtrare aggredior.

F. S.

Si dogma de uno vero Deo hactenus minus feliciter progreſſum eſt, quod tamen ego, omnibus recte perpenſis, affirmari poſſe non crediderim, alia omnino ejus rei fuit & eſt cauſſa, quam à te allata. Idque vel ex eo patet, quod, ut ipſe fateris, plerique ex noſtris hominibus interpretationes iſtas ſequuntur, quas tu contortas appellas. Nam, cum interpretationes iſtæ, ut tibi videtur, neceſſario ex ſententia noſtra oriantur, quam in doctrina de Chriſto aſſerimus; perinde eſt, acſi dixiſſes, pleroſque eorum eas ſequi, qui & tecum & nobiſcum idem de uno vero Deo contra Trinitatem ſentiunt. Nam ſine dubio plerique ex iſtis idem de Chriſto aſſerunt, quod nos aſſerimus. Ex quo conſtat, ſententiam noſtram Sacris Litteris videri magis conſentaneam, quam tua videatur. Tantum abeſt, ut per eam contorqueri ſcripturæ dicta credantur, & quodammodo vim pati. Quinimmo, cum magna pars eorum, qui hodie nobiſcum ſentiunt, etiam poſtquam Deum illum Trinum abjecerant, in iſtis ſacrarum litterarum locis interpretandis tecum olim ſentirent; ubi ſententia noſtra doceri incepit, paullatim, interpretationibus illis relictis, noſtras, receperunt: unaque cum iis tandem ipſam ſententiam ſunt amplexi. Non diffiteor tamen hactenus, nihil à nobis editum fuiſſe, quo dicta Scripturæ, quæ tu intelligis, diligenter omnino explicata & explanata fuerint; & adhuc iis, qui non facile ab inveteratis opinionibus quantumvis falſis diſcedere poſſunt, ſatisfactum à nobis non eſſe. Sed, qui ſententiæ noſtræ veritatem agnoverunt, eamque omni prorſus difficultate & abſurditate, ſive rationem ſpectes, ſive perpetuum ſacrarum litterarum tenorem conſideres, carere animadverterunt; ii haut ægre ferunt, ſi quædam Scripturæ dicta nondum plane intelligunt, nec, qua ratione explicanda ſint, ſic ut eidem veritati nihil prorſus repugnare videantur, ſuſpicari adhuc poſſunt. Tentabo ego, Deo adjutore, num ea, quæ allaturus es, ita explicari queant, ut non iſtis tantum, ſed tibi quoque fortaſſe plene ſatisfiat: tibique ipſi appareat, non noſtris, ſed veſtris interpretationibus ſcripturam torqueri, eique vim afferri. Itaque tua argumenta audiamus.

E. J.

Primum Argumentum. Omnis cognitio veri Dei eſt à Chriſto Jeſu, quemadmodum probatur duobus teſtimoniis, Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit nobis*, & Matth. 11. *Nemo novit patrem* (hoc eſt Deum) *niſi filius, & cui filius voluerit revelare.* In ſanctis veteris teſtamenti fuit veri Dei cognitio. Ergo Chriſtum, qui eam ſanctis veteris teſtamenti revelarit, tum fuiſſe neceſſe eſt.

F. S.

Tuum hoc argumentum, nec omnino id probat, quod tibi probandum ſumſiſti, nec cum ipſis teſtimoniis, quæ attuliſti, plane conſentit. Probandum enim tibi ſumſeras, Chriſtum fuiſſe unigenitum Dei filium, antequam ex virgine naſceretur, & de filio, ſeu de unigenito filio teſtimonia ipſa loquuntur, quæ protuliſti; tuum vero argumentum de Chriſto ſimpliciter concludit, quod fuerit ante virginem matrem. Itaque in majore propoſitione & in ipſa concluſione pro Jeſu Chriſto, ſeu Chriſto, unigenitus filius Dei ſubſtituendus eſt. Jam vero, ut de vi ipſius argumenti agamus, dico, majorem propoſitionem nullo modo concedi poſſe; præſertim, ſi verbum Eſt in ea, tanquam rei naturam ſeu conditionem perpetuam declarans, accipiatur, & ad omne tempus referatur. Nec porro propoſitio iſta ex allatis teſtimoniis ulla ratione probatur.

Quod enim attinet ad teſtimonium poſteriore loco allatum; illud nec de omni Dei cognitione, ſed quatenus eſt pater, eaque plena, loquitur, nec ad præteritum tempus refertur. Quod loquatur de cognitione Dei, quatenus eſt pater, ex eo ſatis perſpicuum eſt, quod de Patris cognitione diſerte in ea verba fiunt, nec de alia præterea. Id quod tu ipſe ſentiens, cum illud recitaſti, vocem Patrem interpretatus es Deum. Atqui verum quidem eſt, patrem iſtum, eſſe Deum; ſed ex ipſa voce apparet, illic non conſiderari ſimpliciter, ut Deum, ſed ut patrem. Non omnem autem Dei cognitionem, ut patris, eſſe, nec porro in vetere teſtamento Dei, ut patris veram cognitionem fuiſſe, vel illa Pauli verba oſtendunt Rom. 8. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.* Quod vero teſtimonium iſtud de pleniore aliqua cognitione loquatur, primum indicat ipſum verbum Græcum ἐπιγινώσκει quod ſine dubio plus ſignificat, quam ſi ſimplex verbum γινώσκει, ſcriptum eſſet, ac plenam omnino quandam cognitionem declarat. Deinde id ex eo demonſtratur, quod antecedit: neminem, ſcilicet, noſſe filium, niſi patrem. Nam certe, etiam præter patrem ſunt, qui filii aliquam cognitionem habeant. Quod ſi huc quoque referenda dicas verba illa, *& cui voluerit filius revelare*; tamen falſum erit, neminem noſſe filium, niſi patrem, & cui filius ſeipſum revelare voluerit: ſi hoc de qualicumque non autem de plena tantum cognitione accipiatur. Certum eſt enim, poſſe diligi à nobis filium, antequam is ſeipſum nobis revelet. Atqui dilectio ſine aliqua cognitione eſſe non poteſt. Igitur, etiam antequam filius ſeipſum nobis revelet, poſſumus ejus aliquam cognitionem habere. Quod autem poſſimus filium diligere,

antequam is ſeipſum nobis revelet, probant hæc verba ipſius filii Joh. 14. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Idem enim Revelandi, quod Manifeſtandi, verbum pollere, nemo arbitror negaverit. Quamobrem, ſi dixeris, hic Chriſtum de pleniore ſui ipſius patefactione loqui, nihil eſt, cur nolis, itidem in teſtimonio à te allato eum de pleniore iſta patefactione locutum eſſe, ob idque de pleniore etiam cognitione. Nec porro rationem differentiæ ullam inter hos duos locos, quod ad verbi illius ſignificationem attinet, afferre poteris; niſi id pro conceſſo ſumas, quod vel plane controverſum inter nos ſit, vel non minus, quam ea, de quibus controverſamur, probationis indigeat. Poſtremo verba ſimpliciter prolata, ſimpliciter etiam in dubio ſunt accipienda. Verum qui ex parte tantum, non autem ulla ratione plene aliquem novit, non ſimpliciter eum novit, ſed, ut loquuntur, ſecundum quid. Quare nec, ſe illum noſſe, affirmare, proprie loquendo, ſimpliciter poterit. Hinc dixit Chriſtus Joh. 19. 18. ſervum neſcire, quid faciat dominus ipſius, non quod ex nulla parte id ſciat, ſed quod non plene ſciat, quemadmodum ſequentia verba demonſtrant, *vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Quapropter, cum de patre cognoſcendo allatum à te teſtimonium ſimpliciter loquatur; non de cognoſcendo illo etiam ex parte tantum, & ſecundum quid, ſed ſolum de eo pleniore aliqua ratione & ſimpliciter cognoſcendo verba fieri, niſi aliunde contrarium appareat, concludendum eſt.

Jam, quod prædictum teſtimonium ad præteritum tempus referri non debeat, planum fit ex ipſo verbo ἐπιγνώσεως, quod præſentis temporis eſt, nec ad præteritum ullo modo trahi poteſt; niſi fortaſſe, ſi jam conſtaret, filium præterito etiam illo tempore fuiſſe. Verum de hoc adeo inter nos non conſtat, ut ſit illud ipſum de quo diſputamus, & quod ego falſum eſſe conſtanter affirmo; tu vero, ut verum eſſe oſtenderes, nec aliam ob cauſſam, hoc ipſum teſtimonium protuliſti.

Alterum teſtimonium à te allatum, quamvis in priore parte de omni tempore loquatur, negans, quemquam unquam vidiſſe Deum; non tamen de omni tempore in poſteriore loquitur, dum ait, filium unigenitum, qui eſt in ſinu Patris, enarraſſe; nec, quod loquatur, intelligi poteſt, niſi prius certum ſit, filium unigenitum ſemper fuiſſe, id quod, ut dixi, illud ipſum eſt, de quo controverſamur. Quin etiam poſſet filius unigenitus ſemper fuiſſe, & Deum enarraſſe, nec tamen ſemper enarraſſe. Nec vero eſt in Euangeliſtæ verbis ea vis, quam tu ſine dubio exiſtimas; neminem, videlicet, unquam Deum noviſſe, niſi quatenus Filius enarraverit. Neque enim, etiamſi verbum Videre pro Cognoſcere uſurpatum eſſet, hæc verba ipſa præſeferrent: in quibus præciſe negatur, quemquam unquam Deum vidiſſe. Jam loci ſententia, ipſis verbis plane conſentanea, hæc eſt: Quamvis nemo unquam Deum viderit, & ſic per ejus viſionem nemini unquam contigerit ipſum Deum cognoſcere; tamen per filii unigeniti enarrationem Dei cognitionem hominibus contigiſſe. Hoc autem per ſe nullo pacto excludit alias rationes cognoſcendi Dei, præſertim quocumque tempore. Non enim ex ſimplici eaque particulari affirmatione negatio ulla univerſalis colligi poteſt. Nam, ſi quis dicat, non eſſe ibi ſimplicem affirmationem, propter pronomen Ipſe, quod eam vim habeat, ac ſi dictum eſſet, Ipſe, & non alius, animadvertendum eſt, fieri poſſe, præſertim ex linguæ Hebreæ proprietate, ut pronomen illud nullam vim habeat niſi exornandi orationem, & nomen, quod antecelſit, quia interpoſita fuerant illa verba, *qui eſt in ſinu Patris* quodammodo repræſentandi. Exempla hujus rei in Sacris Literis ſunt frequentiſſima. Præterea, etiamſi id pronomen vim iſtam efficiendi negationem & cæteros omnes excludendi haberet, poſſent tamen verba illa, *Ipſe*, ſive *ille*, (ἐκεῖνος enim eſt in Græco) *enarravit*, ita accipi, ut ad præſens illud ſæculum referrentur, non autem ad omnia præterita; quemadmodum accepiſſe videtur Beza, addens in interpretatione de ſuo verbum Nobis; quod verbum tu ipſe quoque (quod ſane valde miror, id enim non parum tibi obeſt) in ipſo teſtimonio recitando addidiſti. Sed ego & facile conceſſerim, vim iſtam illius pronominis, & nihil addendum Johannis verbis dixerim. Nec tamen ex teſtimonio iſto propoſitio illa tua, probabitur. Verbum enim enarravit, quod Græce eſt, ἐξηγήσατο, non tantum rectam, ut, quemadmodum infra videbimus, id verbum accipis, ſed ſimul exactam expoſitionem & explanationem rei declarat, aut certe declarare poteſt; quæ non eſt neceſſaria ad qualemcumque ipſius rei cognitionem. Quocirca verum eſſe poteſt, idque ſimpliciter, id eſt, quarumcumque perſonarum & temporum reſpectu, ſolum filium Dei unigenitum, ipſum Deum enarraſſe; & interim non minus verum eſſe, ut profecto eſt, etiam ſine unigenito filio Dei aliquam inter homines Dei cognitionem fuiſſe. Ex his autem apparet, non modo Johannis verba, ut antea dictum eſt, ad omne tempus non niſi ex parte pertinere, verum etiam non de qualibet ſed de plena Dei cognitione in illis agi, merito affirmari poſſe. Nec ſane, ſi de qualibet Dei cognitione in illis ageretur, viſionis Dei mentio in ipſis facta eſſet. Quandoquidem, aliquam Dei cognitionem etiam ſine ipſius Dei viſione haberi poſſe, certiſſimum eſſe videtur; at plenam cognitionem non item. Itaque ſi quis iſtorum verborum clariorem explationem habere velit; addat in illorum ſententiæ ſuperiore expoſitione noſtra Plene, & Plenam ante verba Cognoſcere, & Cognitionem. Nos enim id facere propterea omiſimus, ut tanto magis conſtare poſſet, nulla ratione ex verbis illis majorem tui argumenti propoſitionem confirmari.

Hactenus à me ita diſputatum eſt, quaſi nullum dubium ſit, quin in propoſitione illa tua Omnis cognitionis nomine, quælibet etiam non plena cognitio intelligi debeat; quemadmodum te intelligere certum eſt. Verum, ſi quis eſſet, qui eodem modo argumentans Congnitionis ſimplici nomine plenam cognitionem intelligeret, eamque generalem in Dei populo; tunc major quidem iſta argumenti propoſitio vera eſſet, cum certum ſit nullam ejuſmodi Dei veri cognitionem extitiſſe, niſi per unigenitum Dei filium. Sed minor propoſitio eſſet falſa. Neque enim in ſanctis Veteris Teſtamenti fuit generatim plena veri Dei cognitio. Quinetiam ne in ullo quidem ex ipſis plenam veri Dei cognitionem fuiſſe, affirmare licet; non quidem (quod, videlicet, tunc temporis filius Dei unigenitus non fuerit) propter duo iſta teſtimonia à te allata, quorum neutrum de omni tempore prorſus loquitur, prius vero de generali præterea & publica quadam Dei cognitione accipi debet; ſed propterea quod ea de re nihil apparet, aut diſerte ſcriptum eſt. Quamvis enim pluribus in locis legatur, tunc etiam Dei cognitionem extitiſſe; tamen non ſimpliciter, ſed ſecundum quid ejuſmodi teſtimonia accipienda eſſe, docent aperte plurima alia loca; ex quibus colligitur, plenam Dei cognitionem ſub Novo demum Teſtamento contigiſſe, ac contingere debuiſſe. Legatur cap. 3. poſterioris ad Corinth. & quæ ſcripta ſunt in initio epiſt. ad Heb. & deinceps pluribus in locis, præſertim vero cap. 2. 3. 7. 8. & 10. & vel ex his cognoſcet quilibet, quam uberior Dei cognitio ſub Novo Teſtamento extiterit, quam ſub vetere. Quodſi ad ipſa Novi Teſtamenti præcepta, quæ explicantur cum alibi paſſim, tum potiſſimum Matth. cap. 5. 6. & 7. ad ipſas ejuſdem teſtamenti promiſſiones, quæ & ibidem & alibi exponuntur, atque in epiſt. ad Heb. cap. 3. meliores iis, quæ in Vetere Teſtamento erant, eſſe dicuntur, reſpicere velimus, idem confiteri cogemur; maxime cum ſcriptum ſit à Paulo, vitæ æternæ & immortalitatis cognitionem

per Euangelium Jeſu Chriſti, quod ipſe Paulus prædicabat, contigiſſe, 2 Tim. 1. id quod aliis ex locis, iiſque non paucis, ſatis perſpicuum eſt. Inter quos vide 1 Joh. 1. 2. & 3.

E. J.

Ego vero in teſtimoniis à me allatis urgeo particulas univerſales. Nemo Deum vidit unquam, &, Nemo novit patrem ſine filio, & dico comprehendi tempus Veteris & Novi Teſtamenti, & omnes quicumque Deum unquam noverunt. Qui aliter accipit, is non ſimpliciter accipit verba ſed reſtringit. Reſtringit enim verba, qui cognitionem Dei de qua generaliter fit ſermo intelligit de pleniore cognitione Novi Teſtamenti. Is vero qui affirmat omnem cognitionem hiſce duabus ſententiis comprehendi, non reſtringit eas, cum de omni cognitione loquantur, & tam imperfecta quam perfecta cognitio ſit cognitio, & tam ii Deum norint, qui imperfecte norint, quam qui perfecte. Deinde, quod ad dictum Johannis attinet, puerile eſt, ſi dicamus Johannem loqui de viſione oculorum, cum omnibus conſtet Deum oculis nequaquam videri. Loquitur igitur Johannes de cognitione mentis, ita ut videre idem ſit quod cognoſcere, ut ſententia ſit, Deum à nullo mortalium unquam fuiſſe cognitum, niſi Chriſto revelante. Præterea cum poſtea ſequatur, filium expoſuiſſe nobis Deum, hinc facile colligitur, Johannem loqui de cognitione mentis. Si enim ſolus filius expoſuit nobis rectam Dei cognitionem, ſequitur, Johannem velle dicere, omnem rectam Dei cognitionem longiſſime remotam eſſe à captu omnium mortalium, niſi à Chriſto exponatur ac reveletur. Quod ſi prior pars de ſenſu oculorum eſſet intelligenda, in poſteriore dicendum fuiſſet, filius, qui eſt in ſinu patris, is fecit ut Deum oculis intueremur. Verum quia dicitur Chriſtus expoſuiſſe nobis, colligitur priora quoque verba de expoſitione per filium facta intelligi oportere: ita ut Chriſtus quoque in Veteri Teſtamento fuerit fons omnium oraculorum, quæ Prophetis ſunt patefacta. Chriſtus vero ea à Deo immediate acceperit, & eccleſiæ ſuæ per Prophetas revelarit.

F. S.

Particula univerſalis Nemo, quæ eſt in teſtimonio ex Matthæo prolato, non poteſt habere eam vim, ut omnino comprehendat tempus Veteris & Novi Teſtamenti, & omnes, quicumque Deum unquam noverunt. Prohibet enim hoc, ut dictum eſt, verbum Græcum ἐπιγινώσκει, quod præſentis temporis tantum eſt, & Cognoſcit, ſive agnoſcit, ut Seba. Caſtellioni placuit, verti debuerat, non autem Novit; quod verbum eſt ambiguum, & tam præteritum, quam præſens tempus ſignificare poteſt. Nam, ſi dixeris, quamvis id verbum per ſe præſentis temporis ſit, tamen tanquam indefinitum quiddam accipi debere, quod rei naturam explicet, atque ad omnia tempora pertineat; jam ego huic exceptioni ocurri, cum dixi, non poſſe verbum illud ad præteritum tempus ullo modo trahi, niſi fortaſſe, ſi aliunde conſtaret, filium præterito etiam illo tempore fuiſſe; id eſt, jam certum eſſet illud, quod ejuſmodi tractione probare animus eſſet, & dixi fortaſſe; quia nihil obſtat, quominus tunc quoque filius fuerit, & tamen eo tempore etiam ſine ipſo filio quiſpiam Patrem noverit, immo ipſe filius nondum patrem noverit; quod attinet, inquam, ad vim ipſorum verborum, *Nemo cognoſcit patrem, niſi filius, & cui filius voluerit revelare* Exemplo à nobis confecto ſimilis locutionis, res clarior fiet. Si quis dicat, Nemo præter hunc Regis cubicularium ipſius Regis mentem cognoſcit, & is, cui ipſe cubicularius patefacere voluerit. Certe, etiamſi conſtet, iſtum cubicularium multo ante tempore non ſolum extitiſſe, ſed Regis etiam cubicularium fuiſſe, fieri nihilominus poterit, ut veriſſima iſte dixerit, & interim tamen ante hoc tempus non modo ſine cubiculario iſto contigerit Regis mentem cognoſci, ſed ipſe cubicularius eam non noverit. Quippe quod is, qui iſta dixit, de præſente tantum tempore, non etiam de præterito loqui potuerit. Itaque vides, in ratiocinatione tua ex particula univerſali ducta non uno modo principium peti; & ea pro conceſſis tacite ſumi, quæ vel probare ipſa ratiocinatione quæris, vel tibi prius probanda erant. Hoc autem dico, quantum pertinet ad teſtimonium ex Matthæo prolatum. Nam in teſtimonio Johannis fateor, eandem particulam complecti omnes, qui unquam fuerunt; ſed non ex ſimplici vi ipſius particulæ, verum ex eo, quod adjuncta eſt verbo præteriti temporis Vidit, & addita eſt alia particula Unquam, quæ id genus omne tempus comprehendit, quod verbo, cui adhæret, ſignificatur. Sed quid hoc ad ratiocinationem tuam? Primum enim Johannes de viſione, ex qua, ut diximus, cognitio oritur, non autem de ipſa cognitione in illis prioribus verbis loquitur. At enim ais, puerile hoc eſſe, ſi dicamus, Johannem loqui de viſione oculorum. Reſpondeo, ſive viſio iſta ſit oculorum, ſeu qualiſcumque ſit, eam eſſe quid diverſum à cognitione: nec ullo modo puerile cenſendum, ſi Johannes hoc loco de ea ſit locutus. Alioqui pueriliter omnino alibi locutus eſſet, ubi non contentus hanc eandem ſententiam, *Deum nemo vidit unquam*, totidem verbis abſolute extuliſſe 1 Joh. 4. 12, (unde apparet eum de viſione iſta non autem de cognitione locutum eſſe, falſum eſt enim prorſus, neminem unquam noviſſe Deum) hoc, inquam, non contentus, haud multo inferius ſcribit, *Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo poteſt diligere?* Ex quibus verbis præterea conſtat, eo ſenſu, quo diximus, ſententiam illam ſupra ab ipſo fuiſſe prolatam. Pueriliter quoque plane locutus fuiſſet Paulus, cum aſſerit 1 Tim. 6. 16. Col. 1. 15, neminem ex omnibus vidiſſe, aut videre poſſe Deum, ipſique inviſibilis ſive inconſpicui nomen attribuit. Sed affers rationem tui dicti; quam non auctoritate ſolum, ut jam feci, ſed ratione ſimiliter refutabo. Quia, inquis, omnibus conſtat, Deum oculis nequaquam videri. Quaſi vero nihil ſit dicendum, niſi quod aliquo modo ignoratum ſit. Immo ſcriptores, & quicumque de re aliqua verba faciunt, perſæpe ea dicunt, vel potius dicere neceſſe habent, quæ ſunt notiſſima; ut inde nimirum eorum, quæ docere volunt, & minus nota ſunt, aut fidem faciant, aut explicandorum ſibi viam parent. Quemadmodum ſine dubio hic fecit Johannes, ut ex mea loci explanatione ſuperius allata intelligi poteſt; ſi modo ita notum eſt, ut dicis, Deum ea viſione, quam ego intelligo, & à cognitione diſtinguo, nequaquam videri. Quod dico propter Anthropomorphitas (quos vocant) & alios nonnullos, qui hoc, licet veriſſimum, non tamen facile concedent; & Paulus ſatis oſtendit, non eſſe rem apud omnes certam, cum id doceat, nec appareat, ob aliud quippiam demonſtrandum, hoc ab eo fieri. Deinde fac, Johannem non de viſione, ſed de cognitione ibi locutum fuiſſe, quid inde concludere poteris? Etenim, ſi velis, illum de quacumque cognitione loqui, non ſolum id, quod falſiſſimum eſt, eum dicentem facies, ſed contrarium ejus, quod in tua argumentatione aſſumis. Aſſumis enim, in Vetere Teſtamento veri Dei cognitionem fuiſſe. Quomodo autem hoc verum eſſe poterit, ſi nemo ullo cognitionis genere Deum unquam noverat, cum jam Vetus Teſtamentum amplius non erat? Nam, quod ita accipis verba Johannis, ac ſi dixiſſet, Nemo unquam novit Deum, niſi quatenus filius unigenitus enarravit; hoc eſt vim manifeſtam ipſis verbis afferre; in quibus duæ ſententiæ diſtinctæ habentur; atque in priore, ut dictum eſt ſupra, præciſe negatur, Deum a quoquam fuiſſe viſum, & porro cognitum ſi ibi Videre idem eſt, quod Cognoſcere. Quod ſi velis quidem, Johannem in priore ſententia de omni cognitione loqui, ſeu perfecta, ſive imperfecta; ſed tamen de immediata, quam prorſus neget ulli unquam contigiſſe, in poſteriore vero exponat quodnam ſolum & ſemper fuerit medium cognoſcendi Dei; dico nihil conſtare ex verbis ipſis, quod filius unigenitus ſolus & ſemper fuerit medium cognoſcen-

gnoſcendi Dei quacumque cognitione; ſed tantum, quod ſimpliciter fuerit medium cognoſcendi Dei; idque non quacumque ſed pleniore quadam & exactiore cognitione; ut ex iis, quæ ante diſputata ſunt, facile apparebit. Neque enim, ſi prior ſententia de immediata cognitione accipienda eſt, per univerſalem illam vocem Nemo excluduntur ab immediata cognitione alii præter homines: Non excluduntur, inquam, angeli, per quos certum eſt Deum ſæpiſſime ſe hominibus patefeciſſe, adeoque legem ſuam, ex qua factum eſt, ut eum non minima ex parte Iſraëlis populus cognoverit, Moſi ac per illum ipſi populo dediſſe: Act. 7. 53. Gal 3. 19. Hebr. 2. 2. Jam, ſi videndi verbo in priore Johannis ſententia non quælibet cognitio intelligenda eſt, ſed plena cognitio, quemadmodum ipſum verbum, ſi ad cognitionem referatur, omnino præ ſe fert; hoc nihil te juvat: cum, ut dictum eſt, plena veri Dei cognitio in Vetere Teſtamento non fuerit. Sed præſtat ſane ad ipſam viſionem verbum illud referre. Sic enim & verbum ipſum, ut ſonat, accipitur, & planiſſima alibique non ſemel atque adeo iiſdem plane verbis alicubi configuata ſententia, ex Joannis dicto colligitur. Miror autem, te tantopere negare, contra multorum, immo omnium, quos hactenus legi, ſententiam, verbum illud iſto loco de ipſa viſione accipi poſſe, idque propterea quod in ſequentibus verbis non de ipſa viſione, ſed de cognitione agatur. Cum potius, eo quia in ſequentibus verbis de cognitione agitur, neceſſe ſit, ut in præcedentibus iſtis de ea non agatur. Siquidem in iſtis præciſa negatio eſt, in illis autem affirmatio, & ſic fieri non poteſt, ſi utrobique de eadem re agitur, ut verba ullo pacto cohæreant, aut ſibi ipſi Johannes conſtet. At vero, ſi primum de viſione, deinde vero de cognitione agatur: & verba ipſa optime inter ſe cohærent, & Johannes non modo ſibi omnino conſtat, ſed illud dicit, quod appoſitiſſimum eſt, & à Paulo quoque Apoſtolo pauciſſimis verbis dictum fuit. Quid enim eſt aliud, Chriſtum eſſe imaginem Dei inviſibilis, quam Deum à nemine unquam fuiſſe viſum vera viſione, filium autem unigenitum, illum enarraſſe?

Supereſt, ut de eo aliquid dicam, quod ais, me Scripturæ verba non accipere ſimpliciter, ſed reſtringere; quia videlicet Cognoſcendi ſimplici verbo pleniorem cognitionem abſolute intelligo ſignificari, non autem pleniorem Novi Teſtamenti, ut tu mihi tribuis. Dico igitur, me jam oſtendiſſe, rem potius contra ſe habere, cum ego ſimpliciter tantum verba accipiam, tu vero etiam ſecundum quid. Eſt autem animadvertendum, non reſtringi verba, cum eorum propria tantum ſignificatio retinetur, minus propria aliqua rejecta. Minus propria ſignificatio verbis Cognoſcendi ſimpliciter prolati eſt, ut cognitionem ex parte declaret, propria vero, ut plenam; quemadmodum ipſe loquendi uſus ſatis docet. Quamobrem qui per verbum Cognoſcendi ſimpliciter prolatum, non ex parte, ſed plenam tantum cognitionem intelligit, is nequaquam verbum illud reſtringit. Sed qui ex parte cognitionem etiam intelligit, is minus proprie verbum accipit, illudque quodammodo dilatat; quod fieri non debet, niſi faciendum eſſe, aliunde conſtet. Nam quod ais, teſtimonia à te allata de omni cognitione loqui, id nullo pacto admitti poteſt, cum verbum Cognoſcendi & Videndi, quæ tu pro eodem accipis, itemque verbum Enarrandi ſimpliciter in ipſis proferantur, nulla univerſali particula adjecta. Particula enim univerſalis Nemo nullo modo ad ipſum verbum, ſive ad cognitionem eo verbo ſignificatam referri poteſt; ſed ad homines tantum pertinet. Hoc autem dico, quia videris, neſcio quo pacto, velle, ut particula illa vim habeat oſtendendi, de omni cognitione verba fieri. Sed Poſtremo affirmas, tam imperfectam, quam perfectam cognitionem, eſſe cognitionem, & tam eos Deum noviſſe qui imperfecte eum noverunt, quam, qui perfecte. Ego vero iſta prorſus nego: & dico, imperfectam, id eſt, ex parte tantum, cognitionem non tam eſſe cognitionem, quam perfectam, id eſt plenam: neque utramque ſub eodem genere univoco comprehendi, ſed vel æquivoco, vel ſaltem analogo. Prius enim omnino & magis proprie, cognitio de plena cognitione prædicatur: deinde vero & minus proprie, de cognitione ex parte, & idcirco verum eſſe non poteſt, quod ais, eos qui Deum imperfecte norunt, tam illum noviſſe, quam, qui perfecte; etiamſi, ut apparet, particulas illas *tam*, & *quam* non ad rei intenſionem (ut vocant) ſed ad rem ipſam ſimpliciter in verbis tuis referri velis. Adde vero hoc loco id, quod ſupra attigimus; videlicet in neutro ex tuis teſtimoniis verbum Cognoſcendi ſimpliciter ſcriptum eſſe, ſive id, quod tantundem valeat. Quandoquidem, ut ante dictum fuit, in altero eſt verbum ἐπιγινώσκειν, quod plus ſignificat, quam ſimplex verbum Cognoſcere; in altero vero verbum Videre, quod, ſi ad cognitionem referri debeat, exactam cognitionem præ ſe fert, & verbum Enarrare, quod de exactiore aliqua cognitione agi declarat.

Itaque tandem, ut arbitror, conſtat, in teſtimoniis à te allatis nullam vim eſſe ad id probandum, quod in argumenti tui majore propoſitione dicere voluiſti, quo minime probato, argumentum ipſum penitus diſſolvi atque evaneſcere, neceſſe eſt.

E. J.

Secundum Argumentum. Propono dictum 1 Cor. 8. *Nobis unus tantum eſt Deus pater ex quo omnia.* Hic nulla neceſſitas cogit, cur reſtringamus particulam univerſalem, quominus de omnibus Dei operibus tam creationis, quam redemptionis, accipiamus. Dixit Paulus paulo ante, non eſſe, alium Deum niſi unum, & idolum nihil eſſe. Hæc ſunt generalia, ideoque veriſimile eſt, Paulum in genere loqui de omnibus Dei operibus. Igitur particulæ, *per quem omnia*, quæ ſequuntur de Chriſto, non debent reſtringi ad opera redemptionis. Opponuntur enim inter ſe Ex quo, & Per quem, ſuntque ejuſdem amplitudinis. Præterea Ex quo, ſignificat actionem mediatam, quam Deus efficit non per ſe, ſed per alium, Per quem vero, immediatam, quam ipſemet Chriſtus efficit Deo mandante ac vires ſuppeditante. Sequitur igitur, Deum non in ſe, aut per ſe, mundum creaſſe, ſed per filium; alias tollitur diſcrimen harum particularum Ex quo, & Per quem.

F. S.

Hoc ſecundum argumentum ſimiliter non probat ipſam theſim, quod Chriſtus fuerit Dei filius unigenitus, antequam ex virgine naſceretur. Nec ullo modo corrigi, ut primum poteſt, cum ne allatum quidem teſtimonium ad ipſam theſim accommodari queat. Sed ſi recte concluſum eſt, probat tantum, ipſum Chriſtum fuiſſe ante illud tempus. Cum autem hoc vitium ſit commune pleriſque aliis, de quibus deinceps videbimus, argumentis tuis, nihil de eo poſthac dicam. Sed fingam, theſim, quam tibi probandam ſumpſiſti eſſe hujuſmodi *Is, qui eſt unigenitus Dei filius, fuit, antequam ex virgine naſceretur* (hoc enim à me plane negatur) & ubique pro conceſſo à te ſumi permittam, quod & veriſſimum eſt, Chriſtum eſſe unigenitum Dei filium. Nunc ad argumentum.

In hoc argumento non oſtendis, vocem Omnia, in verbis illis *ex quo omnia*, non debere reſtringi ad ea omnia, quæ ad Chriſti eccleſiam, ſeu ad Chriſtianos, quatenus ſunt Chriſtiani, quoquo modo pertinent. Sic enim interpretor ego vocem illam, eo in loco: non autem, ut ea tantum complectatur, quæ pertinent ad redemptionem, quamquam poſſet quis Redemptionis verbum ita late interpretari, ut hoc idem eſſet cum eo, quod ego intelligo. Verum tamen ſatius eſt ſic loqui, ut ego feci, quo omnis ambiguitas tollatur. Non oſtendis, inquam, in argumento tuo, falſam eſſe, nec recipi ullo pacto debere interpretationem iſtam meam.

Hoc autem non oſtenſo, infirmum prorſus eſt tuum argumentum; cum alioqui certiſſimum ſit, voces iſtas univerſales ſæpiſſime debere reſtringi, prout locus, & ſubjecta materia poſtulat: quin etiam non raro, quamvis nec locus, nec ſubjecta materia id per ſe requirat, tamen ad abſurda vitanda eas reſtringendas eſſe conſtet. At enim dices, te oſtendiſſe, vocem Omnia, iſto in loco, indiſtincte ſumi debere, & generaliter: adeo ut ad opera quoque creationis pertineat; cum ibi paulo ante generaliter dicatur, non eſſe alium Deum, niſi unum, & idolum nihil eſſe. Reſpondeo, Iſta quidem per ſe eſſe generalia; ſed tamen à Paulo Chriſtianis, quatenus Chriſtiani ſunt, accommodari: idque, antequam verba illa proferat, *ex quo omnia.* Inquit enim ſtatim poſt generalia iſta, *Nam etſi ſunt, qui dicantur dii, ſive in cœlo, ſive in terra (ſiquidem ſunt dii multi & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus, Jeſus Chriſtus per quem omnia, & nos per* ſeu *propter ipſum.* Vides, Apoſtolum à generalitate illa, quam verba præ ſe ferebant, diſcedere; tanquam aliquid difficultatis habiturum eſſet in ea perſiſtere, ac ſimpliciter affirmare, Deum unum tantum eſſe, (quamvis alioqui id recte intellectum veriſſimum ſit) propter eam videlicet cauſſam, quod multi ſint dii & domini, aut certe eſſe dicantur. Propterea concludit, quidquid ſit, Nobis, id eſt Chriſtianis, unum eſſe Deum, Patrem illum, ex quo omnia: ex quo, ſcilicet, Chriſtiani, quatenus ſunt Chriſtiani (jam enim illos à reliquis hominibus diſtinxerat & ſeparaverat) omnia habent. Quemadmodum igitur dicendo *nobis*, Chriſtianos intelligit, eoſque non quatenus res creatæ ſunt, aut homines, ſed quatenus ſunt Chriſtiani, ſic dicendo Omnia, non ſolum omnia noſtra, id eſt, Chriſtianorum tantum intelligit, ſed etiam, ut Chriſtianorum; non autem, ut rerum creatarum, aut etiam hominum. Quod vero omnino reſpectu Chriſtianorum, idque quatenus ſunt Chriſtiani, de Deo loquatur, vel ex eo colligi poteſt, quod illum Patris nomine vocat. Nempe quia illum hoc loco, ut Patrem, & ſic Chriſtianorum, quatenus Chriſtiani ſunt, Deum conſiderat. Idem præterea ex eo patet, quod ſequitur, *& nos in illum.* Quaſi dicat: Quemadmodum à Deo, quem nos Chriſtiani non niſi unum habemus, videlicet à Patre illo ad nos, tanquam filios, omnia proficiſcuntur, ſic nos viciſſim in illum unum tendimus, & ad eum, tanquam Patrem noſtrum, omnes reſpicimus, atque aſpiramus. Certum igitur eſſe debet, cum deinde Apoſtolus ſubjungit, *& unus Dominus, Jeſus Chriſtus, per quem omnia.* Omnium nomine ea omnia intelligi, quæ ad Chriſtianos, ut Chriſtianos, pertinent, non autem prorſus omnia, quæ unquam creata fuere, aut facta, quæve ad quoſcumque quacumque ratione pertinent; & eum, qui ad hæc vocem Omnia referat, verborum Apoſtoli ſenſum corrumpere, & in alienam à propoſito, adeoque ab ipſis verbis ſententiam, locum tranſferre. Itaque fateor quidem, opponi hoc loco inter ſe Ex quo, & Per quem, atque inde ſequi, Deum hic mediatam, Chriſtum autem immediatam cauſſam omnium oſtendi; ſed non prorſus omnium, præſertim vero cœli, & terræ, qui creati ſunt multo ante, quam Chriſtiani exiſterent, ad quos omnia iſta omnino referenda ſunt, ut alibi quoque ſine dubio faciendum eſt; ubi ſimiliter Dei, tanquam iſtorum auctoris, fit mentio; videlicet, 1 Cor. 12. 6. & 2 Cor. 5. 18. Ut nihil dicam de articulo in Græco non minus hic, quam in prædictis locis voci τὰ πάντα id eſt Omnia præpoſito, qui de cujuſdam generis ſeu de quibuſdam omnibus ſermonem eſſe videtur indicare. Mitto etiam, quod oppoſitio iſta verborum ex quo, & Per quem, non eſt perpetua, quodque Deo ipſi alibi tribuitur, quod non modo ex illo, ſed etiam per illum ſint omnia, Rom. 11. 36. Hebr. 2. 15. id quod quamvis idcirco fieri poſſit (ut in animadverſione fratrum ſecunda, in 19. Aſſertionem de trino & uno Deo collegii Poſnanienſis explicatum eſt) quia alio ſenſu dictio Per ibi accipiatur, quam hic accipitur, tamen poteſt etiam ſimul fieri, ut ideo in prædictis locis, per ipſum Deum omnia eſſe, fuerit dictum, quod vox Omnia latius ibi pateat, quam hic (ut certe patet) atque multa etiam comprehendat, quorum nec mediata nec immediata cauſſa Chriſtus ſit, & propterea non potuerit dici, ea per Chriſtum eſſe. Adde autem iis quæ ante dicta ſunt, concedi poſſe, cum Paulus dicit, Ex quo omnia, Omnium nomine res omnes creatas, cœlumque & terram ipſam debere intelligi; nec tamen inde ſecuturum, cum deinde dicit, Per quem omnia, eadem omnia ſignificari. Sæpe enim, ubi una & eadem vox, eaque etiam non repetita, ut hic, ſed ſemel tantum expreſſa, ad plura refertur, ſolet ſecundum naturam eorum, ad quæ refertur, ſignificationem diverſam habere, ut cum Petrus dicit 1 Pet. 4. 17. Tempus eſſe ut judicium incipiat à domo Dei, (ſubaudi *& pergat ad impios.*) Nam certe alio ſenſu dictum eſt ab ipſo judicium reſpectu domus Dei, & alio, reſpectu impiorum. Vel, cum auctor Epiſt. ad Hebr. ait Hebr. 7: 27, Chriſtum non habuiſſe quotidie neceſſe, quemadmodum pontifices (legales videlicet) prius pro ſuis peccatis, deinde pro populi offerre, hoc enim ab ipſo ſemel fuiſſe factum, cum ſeipſum obtulit. Hic enim niſi Peccatorum nomen, quatenus ad ipſum Chriſtum accommodatur, aliter interpreteris, quam, quatenus ad pontifices illos, aut ad populum refertur, turpiſſime blaſphemantem facies divinum illum ſcriptorem. Nihil igitur hic ſimiliter impedit, quominus vox Omnia ad Deum relata unum ſignificet, ad Chriſtum vero aliud: id eſt, non tam plenam habeat ſignificationem, cum refertur ad Chriſtum, quam, cum refertur ad Deum. Quemadmodum in exemplo proxime allato Peccatorum nomen, quatenus refertur ad pontifices illos, atque ad populum: & reatum & pœnam peccatorum ſignificat. Quatenus vero refertur ad Chriſtum, pœnam tantum declarat, eamque non revera ut pœnam, ſed ut quæ pœna eſſe ſoleat, mortem ſcilicet, atque eam antecedentes ærumnas & calamitates; à quibus ut ipſe quoque liberaretur, Chriſtus ſeipſum obtulit. Quod ſi nihilominus neceſſe eſſe velimus, ut in loco noſtro utrobique vox Omnia idem prorſus ſignificet; certe cum nulli dubium eſſe poſſit, ut dictum fuit, quin ejuſmodi voces univerſales ſæpiſſime reſtringi debeant, potius ex eo, quod plane veriſimile eſt, vocem iſtam ad Chriſtum relatam ea tantum complecti; quæ ad Chriſtianos, ut Chriſtianos, pertinent, immo ex eo, quod certum eſt, fieri non poſſe, ut ad Jeſum Chriſtum relata ea comprehendat, quæ fuerunt ante ipſum, Jeſus autem ipſe Chriſtus vere & proprie loquendo non fuit, antequam ex virgine naſceretur, utrumque enim nomen, Jeſus, & Chriſtus, ad illum hominem omnino ſpectant; ex hoc, inquam, potius ſtatuare debemus, vocem Omnia ad ipſum Deum relatam, eo pacto, quo dictum eſt, reſtringendam eſſe, quam cum iſtis incommodis & acyrologiis ejus vim plane univerſalem, cum ad Chriſtum refertur, eſſe retinendam. Namque præterea animadvertendum eſt, Chriſtum hoc loco manifeſtè tanquam eum, qui revera & pleno jure unicus Dominus noſter ſit, conſiderari: & idcirco neceſſe eſſe, ut eatenus per ipſum omnia eſſe dicantur, quatenus revera ac pleno jure eſt unicus noſter Dominus. Atqui aſſerere, Jeſum Chriſtum, noſtrum unicum Dominum revera & pleno jure fuiſſe, etiam antequam ex virgine naſceretur, nihil aliud eſt, quam univerſam religionem noſtram pervertere, ac ludibrio exponere, & ipſas Sacras Literas abjicere atque contemnere; quarum, præter perpetuum ſenſum, aperta teſtimonia, quæ id falſum eſſe demonſtrant, plurima ſunt. Sed unum tantum, quod pro omnibus eſſe poteſt, brevitatis cauſſa attuliſſe ſat fuerit. Inquit igitur Paulus ad Romanos ſcribens Rom. 14, *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & revixit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur.* Ex quibus verbis apparet, Chriſtum non modo, antequam ex virgine naſceretur, ſed antequam à mortuis reſurgeret,

ret, non fuiſſe revera & pleno jure unicum noſtrum Dominum.

E. J.

Tertium Argumentum. Profero dicta Pauli Phil. 2. Cum eſſet in forma Dei & æqualis Deo aſſumpſit formam ſervi, & factus eſt obediens patri uſque ad mortem crucis, 2 Cor. 8. *Noſtis beneficentiam Domini Jeſu Chriſti, quod propter nos pauper factus ſit, cum eſſet dives, ut vos illius paupertate diteſceretis.* Hinc ſic colligo: Summa humilitatio præſupponit ſummam gloriam & felicitatem, quicumque ex ditiſſimo fit pauperrimus, eum ditiſſimum ante fuiſſe neceſſe eſt. In Chriſto hoc accidit. Non autem apparet illa felicitas ac divitiæ illæ in Chriſto verſante in his terris, cum eo nihil fuerit calamitoſius toto illo tempore, quo in his terris vixit uſque ad id tempus, quo crucifixus eſt & humiliatus uſque ad mortem crucis. Ergo neceſſe eſt, ut præceſſerit ejus nativitatem gloria illa & beatitudo in cælis; ex qua demiſerit ſe in has miſerias & omnium rerum indigentiam noſtri cauſſa.

F. S.

In hac tua argumentatione ſumis tanquam probatum ex teſtimoniis à te citatis, in Chriſto ſummam fuiſſe humilitationem, eumque ex ditiſſimo factum fuiſſe pauperrimum; hoc ex poſteriore, illud vero ex priore teſtimonio. Quod in Chriſto ſumma fuerit humiliatio id dupliciter poteſt intelligi, prout nomen ſumma accipitur, relative ſcilicet, aut per ſe ſive abſolute. Jam ſi abſolute accipitur, falſum eſt, ſummam humilitationem ſummam gloriam & felicitatem quæ videlicet anteceſſerit, præſupponere. Poteſt enim ejuſmodi ſumma humiliatio eſſe, ubi non modo ſumma, ſed ne ulla quidem gloria aut felicitas anteceſſerit. Quare, ſi formam ſervi aſſumere, & fieri obedientem uſque ad mortem crucis, quod Chriſto in verbis teſtimonii, quæ protuliſti, tribuitur, ſumma per ſe eſt humiliatio; in quolibet, cui iſta contigerint, ſummam humiliationem fuiſſe merito dicetur. Sin autem relative nomen iſtud accipitur; ſumma humiliatio præſupponit anteceſſiſſe, proprie loquendo, non ſummam gloriam, nec ullo modo felicitatem, ſed tantummodo ſummam excellentiam, eamque non abſolute ſummam, ſed ſummam relative ad humiliationem. Atqui, ſi hoc pacto nomen Summa in verbis tuis accipi debet, neceſſe eſt, ſi velis ex loco à te producto probare, in Chriſto fuiſſe ſummam humiliationem, aut ſimpliciter hæc ipſa, vel ſimilia verba, in quibus tu relationem contineri contendas, ibi eſſe ſcripta, aut illud quoquo modo expreſſum eſſe, ad quod, humiliatio, quæ ibi ſimiliter exprimatur, relationem habeat. Id, quod priore loco dixi, non eſt; quemadmodum fatebitur, quicumque verba à te prolata legerit. Neceſſe igitur eſt, ut ſit hoc poſterius. Quod ſi ita ſe res habet, quid attinet dicere, ſummam humiliationem, quæ, videlicet, ex citato loco probetur, præſupponere ſummam gloriam & felicitatem, ſi id quod ex humiliatione Chriſti relative accepta colligi poteſt, ibidem commemoratum fuerit? Et ſane id commemoratum ibi fuit. Nam, ut tu ipſe locum citaſti, dicitur ibi, eum fuiſſe in forma Dei, & æqualem Deo. Hæc tibi igitur urgenda erant, quæ ipſum teſtimonium per ſe probat, & ex quibus intelligitur, quænam excellentia illa fuerit, quæ Chriſti humiliationem anteceſſit; non autem in genere ſumma gloria & felicitas Chriſti (quæ qualis fuerit, quærendum poſtea ſit) ex allati teſtimonii verbis per argumentationem, perperam colligenda.

Jam vero, quod attinet ad id, quod ſecundo loco, tanquam ex altero teſtimonio probatum, te ſumſiſſe dixi, Chriſtum videlicet ex ditiſſimo pauperrimum fuiſſe factum, id nullo modo ex teſtimonii verbis, qualia tu ipſe recitaſti, probari videtur. Nec enim Superlativa ibi ſunt nomina, Pauperrimus, Ditiſſimus; ſed Poſitiva, Pauper, Dives.

His ita expoſitis, & demonſtrato, te in argumentatione tua vel ea ſumpſiſſe, tanquam per teſtimonia, quæ protuleras, probata, quorum probatio in illis, ut à te ipſo recitata ſunt, minime continetur; vel perperam ex eo, quod tanquam probatum ſumpſeras, argumentatum eſſe; ſequitur, ut videamus, quid tu poſtea inferas. Quamvis enim ſatis ex iis, quæ dixi, diſſoluta ſit univerſa ferme tua argumentatio; alia tamen ejus vitia adhuc ſunt retegenda. Infers igitur, non apparere illam felicitatem, illaſque divitias in Chriſto verſante in his terris; cum eo nihil fuerit calamitoſius toto illo tempore, quo in his terris ante mortem crucis vixit. Quod ad felicitatem attinet, jam dictum eſt, non eſſe quærendam in Chriſto ante ſui ipſius humiliationem felicitatem ullam, ſed tantummodo aliquam excellentiam, quæ citra ullam felicitatem eſſe poteſt. Verum fingamus, felicitatem iſtam eſſe quærendam; unde, quæſo te, habes, aut quomodo demonſtrare potes, nihil Chriſto fuiſſe calamitoſius toto illo tempore, quod ejus mortem anteceſſit? Certe in ſacra de ipſo hiſtoria nihil, quod ego meminerim, de ejus ſtatu, & conditione explicite narratur, niſi vel, cum plane infans eſſet, vel, poſtquam jam annos natus circiter triginta Euangelium prædicare incepit. Cur igitur, alios imitatus, (quorum tamen hic invidiam ſubire nolim) id ita aſſeveras, quod nec tu, nec illi certo ſcire queunt? De divitiis, dico, Paulum non eas Chriſti divitias intelligere, quibus calamitates opponuntur, vel opponi poſſunt. Ejus enim generis divitias Chriſtum habuiſſe eo loco intelligit, de quibus alibi ſcribit ad eoſdem Corinthios 1 Cor. 1. 5. eos in Chriſto Jeſu divites eſſe factos in omni verbo, & in omni ſcientia, ita ut nihil illis deſit in ulla gratia, ſpirituales nimirum divitias. Et infra eoſdem alloquens ait 1 Cor. 4.8. *Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis. Sine nobis regnatis; & utinam regnaretis, ut & nos vobiſcum regnemus.* Hic enim ſimiliter de divitiis donorum Spiritus Sancti ſermonem eſſe, indicant verba antecedentia, quibus monet eos, ut ipſius, & Apollo exemplo diſcant, propter dona ſibi divinitus conceſſa non ſuperbire, neque alius contra alium inflari. Sed quid aliunde exempla conquiro? Nonne in ipſo teſtimonio tuo ea verba, *ut vos illius paupertate diteſceretis*, de hujus generis divitiis ſunt accipienda? Neque enim Corinthii hujus vitæ commodis per Chriſtum, ſed ſpiritualibus bonis aucti fuerant; quemadmodum in ſuperioribus exemplis aut expreſſum eſt, aut indicatum. Sententia igitur loci à te prolati eſt, Chriſtum, cum dives eſſet donis cæleſtibus & divinis operationibus, dum Euangelium regni Dei annunciabat, poſtmodum iſtis donis cæleſtibus non fuiſſe uſum; divinas autem illas operationes quodammodo abjeciſſe, & ſeſe illis privaſſe; tunc ſcilicet, cum ſe comprehendi, & miais modis illudi, cædi denique ac flagellari, permiſit, & tandem crucis morte affici. Quæ omnia cum propter nos Chriſtus fecerit, recte innuit Paulus, eum ſingulari quadam beneficentia erga nos fuiſſe uſum, noſque ipſius paupertate fuiſſe ditatos. Nam alibi quoque ſcriptum eſt ab eodem Paulo Eph. 2. 13. per ſanguinem Chriſti gentes, quæ aliquando procul erant, factas eſſe prope; id eſt, ex non Dei populo Dei populum fuiſſe factum, & ſic compluribus ſpiritualibus donis ditatas eſſe, quibus antea penitus carebant. Propterea hic Corinthios alloquens, qui ex gentibus erant, *propter vos*, inquit, & *ut vos diteſceretis* Miror autem, te de antecedente gloria, quam ex humiliatione (quamvis non admodum recte) colligebas, nullam deinde mentionem feciſſe. Certe, ſi hanc Chriſto adimis, tunc cum in terris verſatus eſt, contra aperta ſcripturæ teſtimonia id facis.

E. J.

Quomodo vero is poteſt eſſe beatus & dives, qui non habet, quo caput reclinet, quique ſit ipſis vulpibus & alitibus pauperior?

F. S.

De beatudine jam dictum eſt, ex ipſa humiliatione

tione, ex qua ſola tu id colligis, nequaquam concludi poſſe, Chriſtum beatum fuiſſe, antequam ſeſe humiliaret. Quod ſi tamen poſſet concludi, ea, quæ tu modo commemoraſti, quæ beatitudinem excludere videntur, non tribuuntur Chriſto per totum illud tempus, quo ante mortem in terris verſatus eſt; ſed ea de ſe Chriſtus affirmat tunc temporis, cum jam poſt trigeſimum ſuæ ætatis annum Euangelium Dei annunciaret, nec ullum locum, ubi requieſceret, haberet. De divitiis, etſi, quod ad ea attinet, quæ à te commemorata ſunt, idem reſponderi poteſt; tamen addo, jam me expoſuiſſe, qua ratione hic in terris Chriſtus fuerit dives, divitiis, videlicet, non terrenis, ſed cæleſtibus: non carnalibus, ſed ſpiritualibus: eumque tunc factum fuiſſe pauperem, cum ſe illarum uſu privavit. Quamquam verbum Græcum ἐπτώχευσε, non ſignificat revera, Pauper eſt factus, ſed potiſſimum Mendicavit; aut certe hoc non minus, quam illud ſignificat. Hæc autem ſignificatio rectiſſime cum mea divitiarum Chriſti interpretatione convenit. Tranſlatio eſt enim elegans ab aliquo, qui multas pecunias haberet, quique quantumvis revera dives eſſet, mendicare tamen ſuſtineret, ac pauperum ſortem ſubire. Namque ſimili modo Chriſtus fecit. Cum enim iis donis cæleſtibus eſſet à Deo ditatus, quibus innocentiam ſuam aſſerere, eamque omnibus patefacere ac probare potuiſſet, atque, inimicis ſuis proſtratis, ſplendorem & dignitatem ſuam retinere ac tueri, iis tamen aliquando nulla ex parte eſt uſus; ſed ea ultro eſt paſſus, quæ antea dixi, & tanquam ſi homo ſons atque alienæ opis indigus eſſet, ita ſe geſſit, & hominum omnibus cæleſtibus donis deſtitutorum ſortem ſubiit. Notandum eſt enim, in Pauli verbis non haberi vocem ullam, quæ indicet, divitias Chriſti, una cum ipſa mendicitate ſeu potius mendicatione non fuiſſe: ſed ſimpliciter dici, eum mendicaſſe, cum eſſet dives, ἐπτώχευσε, πλούσιος ὤν. Ad verbum, *mendicavit, dives exiſtens*; ex qua loquendi forma aperte potius indicari videtur, eodem tempore eum & divitem fuiſſe, & tamen mendicaſſe. Huc accedit, quod, ſi quis pertinaciter neget, Paulum, cum Chriſtum divitem fuiſſe, dixit, de divitiis illis ſpiritualibus locutum eſſe; non videtur ſaltem poſſe negare, illum divitem dici poſſe, cujus in manu ſit, quantumcunque velit divitiarum habere, in Chriſti autem manu, dum hic in terris ageret, poſitum fuiſſe ſummas ſibi opes ingentemque pecuniæ vim comparare, ea, videlicet, poteſtate, qua tot alia plane admiranda faciebat, nemo, arbitror, non confitebitur. Quod cum facere noluerit, ſed pauper eſſe elegerit, recte ob hanc cauſſam dicere potuit Paulus, Chriſtum, cum dives eſſet, pauperem noſtri cauſſa fuiſſe. Nam, pauperem eſſe, ſignificat verbum πτωχεύω, ubi à Mendicandi ſignificatione receſſeris: non autem, ut arbitror, Pauperem fieri. Cujus verbi dum propriam & uſitatam ſignificationem diligenter inquiro, incidi in Lexicum quoddam, ubi hæc verba habentur: *Paulus de ſervatore 2. ad Corinth. cap.* 8. ὅτι δι ὑμᾶς ἐπτώχευσε πλούσιος ὤν; *id eſt, veſtra cauſſa, ut mendicus, nihil poſſidens aliorum opibus eguit, cum tamen locuples eſſet.* Ex quibus apparet, eorum auctorem, quiſquis fuerit (linguæ autem Græcæ peritum eum fuiſſe neceſſe eſt) in interpretatione verbi πτωχεύω hoc loco ea in parte mecum maxime facere, quod non Pauperem fieri, ſed pro Paupere ſe gerere ſignificet; & porro in eo mihi aſtipulari, quod iſtæ divitiæ Chriſti una cum iſta ejuſdem mendicitate ſeu paupertate eſſent.

E. J.

Nego, Chriſtum vere dici beatum divitem & glorioſum inter tot difficultates & defectus, imo tum revera dico fuiſſe pauperem, cum in terris verſaretur; & præcipue cum fungeretur munere docendi.

F. S.

De beato & divite, itemque de paupere Chriſto, cum in terris verſaretur, ſupra ſatis reſponſum eſt. De glorioſo vero iterum dico, nec humiliationem omnino præſupponere antecedentem gloriam, ſed tantummodo excellentiam, nec Chriſtum gloria caruiſſe, cum in terris verſaretur, & tunc maxime, cum docendi munere fungeretur. Neque enim ſuis modo diſcipulis aut quibuſdam ex Apoſtolis tunc glorioſus extitit, Joh. 1. 14. & 2. Petri 1. 17. ſed etiam in aliorum conſpectu gloria fuit præditus, Joh. 2. 11. Ex quo loco perſpicuum eſt, non ſolum, Chriſtum apud populum glorioſum fuiſſe (nam, ſi cum unum tantum ſignum, idque non adeo mirandum, in privato loco edidiſſet, dicitur gloriam ſuam patefeciſſe, quid dicendum eſt, cum tot tantaque alia ſigna publice edidit) verum etiam gloriam iſtam ex miraculis factis manaſſe. Unde ſequitur, cum ipſe velis, Chriſti ſui ipſius humiliationem fuiſſe gloriæ ſuæ abjectionem quandam, te negare non poſſe, tunc Chriſtum ſeipſum humiliaſſe, cum mirabilia illa opera facere deſtitit, nec poteſtate, qua illa faciebat, ad ſe è manibus ſuorum inimicorum, atque ex tanta ignominia & morte liberandum, uſus fuit: nec neceſſe eſſe, ut aliam quandam gloriam comminiſcaris, qua quia privatus fuerit, humiliatus jure dici poſſit, eamque ad id tempus referas, quo ipſum Chriſtum fuiſſe non conſtat, immo ex hoc nec ullo modo neceſſaria & plane incerta gloria, eum tunc fuiſſe ſtatuas, cum nondum natus erat quo nihil abſurdius excogitari poteſt.

E. J.

Rogo te, an non inter ſe opponuntur divitiæ Chriſti & paupertas, humiliatio item & gloria, & quidem eodem reſpectu.

F. S.

Omnino, ſi paupertatem, & divitias Chriſti eodem modo accipiamus. Sed tu ſine dubio loqueris, aut certe loqui debes de divitiis, & paupertate Chriſti, de quibus loquitur Paulus in loco à te citato, ubi, ut ſupra oſtendi, paupertas non intelligitur reipſa & vere, quemadmodum intelliguntur divitiæ; ex quo fit, ut (id quod etiam ex verbis ipſis colligi poteſt) & has, & illam ſimul eodem tempore in Chriſto fuiſſe affirmare liceat. Verum tamen, ut veritati inquirendæ amplior ſit locus, concedo tibi, eas inter ſe opponi. Ac præterea, quamvis hic, proprie loquendo, verum non ſit, concedo tibi, humiliationem præſupponere antecedentem gloriam; & fateor, Chriſtum antequam ſe humiliaſſet, fuiſſe glorioſum, gloriamque iſtam, & humiliationem ſimiliter inter ſe opponi.

E. J.

Atqui gloriæ Chriſti opponitur ignominia & mors crucis, & ſic ejus divitiis opponitur paupertas & defectus tum aliarum rerum tum etiam hujus vitæ commodorum. Ergo gloria quoque Chriſti, quæ hanc mortem crucis & divitiæ quæ hanc ejus ſummam inopiam præceſſerunt, ſimul includunt felicitatem & affluentiam commodorum, quæ vitam reddant ſuavem & ab ea omnem miſeriæ & calamitatis ſenſum depellant. Alias non recte opponerentur ignominiæ & calamitatibus vitæ Chriſti. Cumque nihil tale reperiatur in Chriſto, quamdiu doctoris munere perfunctus eſt in his terris, ad aliud omnino tempus hæc felicitas pertinet, nempe id quod præceſſit ejus nativitatem ex virgine.

F. S.

Aſſeris, Chriſti divitiis opponi paupertatem ac defectum, tum aliarum rerum, tum hujus vitæ commodorum: nec id tamen ulla ratione probas; licet hoc illud ſit, de quo hoc loco potiſſimum controverſamur. Fortaſſe credis, te id ſatis probaſſe, quia ſupra commemoraſti, Chriſtum (quemadmodum ipſe partim dixit, partim tu eum dicentem facis, ut mox docebo) non habuiſſe, ubi caput reclinaret, & ipſis vulpibus & alitibus pauperiorem fuiſſe. Nam, quamvis hoc nihil prorſus ad rem faciat, non poſſum aliud invenire, ex Sacris Literis à te allatum, quod huc ullo modo pertinere queat. Jam iſtud quid,

quid, quæſo, ad probandum, quænam ſit illa Chriſti paupertas, quæ ejuſdem divitiis opponatur? Primum enim in Chriſti verbis nulla paupertatis expreſſa mentio, quæ omnino requiritur, cum de ipſius verbi vi agatur. Etenim, quamvis tu, dum eorum verborum ſententiam exponere tentas, dicas, Chriſtum fuiſſe vulpibus & alitibus pauperiorem, tamen non ſic locutus eſt Chriſtus (nec ſane audivi unquam, beſtias pauperes vocari) nec aliud de ſe reipſa dixit Luc. 9. 58, quam, ſe non habere, ubi caput reclinaret; cum tamen & vulpes ſua luſtra, & volucres cœli ſuos nidos haberent. Id quod non ad paupertatem, ſed ad calamitatem illam eſt referendum, quam ſecum trahebat Euangelii prædicatio; cujus cauſſa nec ullo in loco quieſcere poterat, & non facile inveniebat, qui eum hoſpitio reciperet, (paullo enim ante, ut eſt apud Lucam, in quodam Samaritanorum vico non fuerat ei conceſſum diverſorium: ſed una cum ſuis diſcipulis inde fuerat excluſus; quo ſine dubio hæc ejus verba reſpiciunt.) Cujus rei voluit monere illum, qui dixerat, ſe ſecuturum ipſum quocumque iviſſet; ut, ſcilicet, ſi id facere vellet, ad ejuſmodi incommoda perpetienda ſe pararet. Neque enim ullo modo apparet, iſtum ſic locutum fuiſſe, quia, ut quidam ſunt arbitrati, divitias à Chriſto ſperaret, quemadmodum in quibuſdam Latinis codicibus in margine ad eum locum annotatum fuit his verbis, *Sequens Chriſtum ob divitias*; &, ſi appareret, potius inde colligi poſſet, Chriſtum ditiſſimum fuiſſe. Deinde fac, ibi diſerte ſcriptum eſſe, Chriſtum fuiſſe pauperrimum, idque propter defectum tum aliarum rerum, tum hujus vitæ commodorum; certe nulla ibidem divitiarum Chriſti, quas ante hac habuiſſet, & quibus paupertas iſta opponatur, fit mentio. Nunquid non potuit alia ratione ibi pauper vocari Chriſtus, quam à Paulo tum dictus fuit, cum ejus paupertati ejuſdem divitias antecedentes, ut tibi placet, oppoſuit? Non ſic igitur tibi agendum erat: ſed probandum, in ipſo Pauli loco de paupertate iſta verba fieri, ut inde ejuſdem generis divitias fuiſſe demonſtrares, quibus ibidem illa opponitur. Quod cum nullo prorſus pacto feceris, nec facere poſſis; ſequitur, ratiocinationem tuam in hac parte omnino inanem eſſe. In qua parte explicanda, ſane miror, quod tam firmiter aſſeverare auſus fueris, Chriſtum fuiſſe pauperrimum, & ſumme inopem rerum hujus vitæ: cum tamen ex Johannis Euangeliſtæ verbis liqueat, illum una cum ſuis diſcipulis, qui eum comitabantur, habuiſſe in Judæ Iſcariotæ manibus communem marſupium, unde etiam aliquid pauperibus dandum promi ſoleret. Joh. 12. 6. & cap. 13. 29.

Jam quod dicis de ignominia & morte crucis, quæ Chriſti gloriæ opponatur; id ſupra ſatis aperte conceſſi, cum dixi, me tibi concedere, Chriſti humiliationem ejuſdem gloriæ opponi. Certum eſt enim, Chriſti humiliationem, de qua loquitur, eam, videlicet, cujus meminit Paulus ad Philip. 2. fuiſſe ignominiam & mortem crucis. Sed paullo ante oſtenderam, quænam Chriſti gloria illa fuiſſet, eaque certa & teſtatiſſima, cui iſta recte opponerentur, quæque proxime & ignominiam, & mortem crucis antegreſſa eſſet; nec de alia incompertiſſima quadam Chriſti gloria, quæ ejus nativitatem anteceſſerit, perabſurde quærendum eſſe docueram. Quod ſi recte intellexeris unquam, quid ſit forma illa Dei, in qua Chriſtus erat, illaque ipſius cum Deo æqualitas, cujus ibidem Paulus mentionem facit, quæ illa ſunt revera, quibus Chriſti humiliatio opponitur, quam poſtea ſubjungit; id enim ex ipſo contextu apertiſſimum eſt; Si recte, inquam, id unquam intellexeris, tunc fateberis ipſe ingenue, ratiocinationem tuam, hac etiam in parte, nihili eſſe, nec ex eo loco quidquam contra ſententiam meam concludi poſſe; cum iſta de Jeſu Chriſto ipſo, ut verba ſonant, non autem de filio quodam Dei unigenito, qui ante Jeſum Chriſtum natum extiterit, dicta fuerint: hæc autem illa ſint, quibus potiſſimum ex loco illo ſententia mea oppugnari poſſe videatur. Poterunt autem fortaſſe nonnihil ad totum locum intelligendum te juvare ea; quæ de eo ſcripſi in mea pro fratribus reſponſione ad Andream Volanum, licet, ut Trinitarium, paullo aliter locum illum accipientem, ac tu facias. Cæterum libet adhuc tibi oſtendere, etiamſi quæ abs te de divitiis & gloria Chriſti dicta, hactenus refutavi, veriſſima eſſent, te tamen haud recte argumentum tuum concluſiſſe: idque in univerſa ejus concluſione collegiſſe, quod ex iſtis nullo modo ſequitur; ac præterea, ſi recte concluſa eſſet argumentatio tua, in abſurdiſſima quædam devenire, neceſſe omnino futurum.

Concludis igitur, cum iſtæ divitiæ, iſtaque gloria, atque adeo beatitas, quæ Jeſu Chriſto ante paupertatem & humiliationem tribui in Sacris Literis, tibi probaſſe videris, in ipſo non fuerint verſante in terris, neceſſe eſt, ut eas in cœlo habuerit, ex iiſque noſtri cauſſa ſe in has miſerias demiſerit, & omnium rerum indigentiam: & conſequenter, ut illæ ad illud tempus pertineant, quod ejus ex virgine nativitatem præceſſit.

Sed primum, unde (obſecro) habes, hæc omnia à Chriſto abfuiſſe toto tempore, quo verſatus eſt in terris, antequam crucifigeretur? Certe, ut ſupra admonui, quid egerit Chriſtus, quove in ſtatu ejus res fuerint, antequam Euangelium prædicaret, aut, ad illud prædicandum accingeretur, nihil ferme commemoratum eſt à Sacris Scriptoribus, præter quædam pauca, quæ illi in prima infantia contigerunt, quæ, cuicuimodi fuerint, nihil ad rem faciunt; cum nec in ætate illa per ſe ulla fere ratio conditionis vitæ, ac fortunæ hominis habeatur, & ſpatium deinde uſque ad Euangelii prædicationem interceſſerit viginti quinque plus minus annorum, cum Chriſtus, ut ex ſacra ipſa hiſtoria colligere licet, vix trigeſimum tertium ſuæ ætatis annum exceſſerit, cum eſt crucifixus. Quo toto viginti quinque annorum tempore, nihil de eo memoriæ traditum in ſacra hiſtoria invenimus, niſi ea, quæ ſcripſit Lucas cap. 2. non multo ante finem uſque ad tertii initium; ex quibus vix quidquam de conditione vitæ, deque ſtatu rerum ipſius ſciri poteſt. Hoc ipſum, ut videtur, tu ipſe cum animadvertiſſes, id, quod in argumento proponendo de toto tempore dixeras, quo Chriſtus verſatus eſt in terris, ad finem tuorum verborum, ut vidimus, teipſum quodammodo corrigens, de eo tantum tempore dixiſti, quo doctoris munere in terris functus eſt.

Verum finge deinde, certiſſimum eſſe, Chriſtum hic in terris, poſtquam ex virgine natus eſt, perpetuo contemptum, pauperem, & calamitoſum fuiſſe; nunquid gloriam, divitias, & felicitatem in hoc ipſo annorum curſu aliquandiu in cœlis habere non potuit, quas noſtri cauſſa reliquerit, ut, ſcilicet, in terris ſalutem noſtram operaretur; nempe Euangelio nobis prædicando, eoque pluribus modis confirmando, ac denique obedientia ſua erga Deum uſque ad mortem crucis via nobis ad cœlum patefacienda? Nam, ſi dixeris, neceſſe futurum, ſi hoc verum eſſet, Chriſtum hoc eodem tempore in cœlo fuiſſe, de hoc autem nihil ſcriptum extare; Primum reſpondebo, Immo id ſcriptum eſſe, ubicumque ipſe de ſe affirmat, vel quod deſcenderit de cœlo, vel quod fuerit in cœlo Joh. 6. 62, præſertim cum alicubi de ſe ſub nomine Filii hominis, & ſic de ſe homine iſta dicat. Deinde affirmabo multo minus conſtare, Chriſtum fuiſſe, antequam ex virgine naſceretur, id quod tamen neceſſe eſt, ſi tua argumentatio recte eſt concluſa, ex quo ſequitur, te quodammodo pro conceſſo tacite ſumere illud ipſum, quod argumentatione tua probare debes; Quaſi jam certum ſit, Chriſtum ante illud tempus fuiſſe, & nihil aliud quæratur, niſi utrum ante, an vero poſt, iſtam gloriam, divitias, & felicitatem habuerit. Nam certe non concludis tu id ipſum, quod probandum ſumpſiſti, videlicet, ante illud tempus Chriſtum fuiſſe: ſed, ante illud tempus eum iſta omnia habuiſſe. At dices, ſi iſta omnia tunc habuit, conſequitur neceſſario, ipſum tunc fuiſſe.

Reſpon-

Reſpondeo non proprie conſequi, ſed hoc in illo contineri, & ab illo ut loquimur, præſupponi. Ex quo intelligitur, non in hoc tantum, ſed & in pleriſque aliis tuis argumentis, in quibus idem reipſa fit, eſſe tacitam quandam principii petitionem; quæ cum circa affirmationem rei verſetur, quæ alioqui per ſe plane paradoxa eſt, ac perabſurda, quempiam, ſcilicet fuiſſe, antequam ex matre ſua naſceretur; quælibet exceptio, etiam parum probabilis, cui modo qualibet ratione, locus eſſe poſſit, ſatis eſt ad argumentationes iſtas tuas infirmandas ac diſſolvendas.

Sed jam abſurda videamus, quæ omnino conſequuntur, ſi recte argumentum tuum concluſum eſt. Ea duo ſunt. Unum eſt, quod Jeſus Chriſtus in cœlo, antequam ex virgine naſceretur, eas divitias, eamque gloriam & felicitatem haberet, quibus paupertas, ignominia, & miſeria hujus vitæ opponuntur. Itaque ex vi argumenti tui dicendum eſt, eum in cœlo tunc habuiſſe aurum, argentum, veſtes, ſuppellectilia, prædia ruſtica & urbana, armenta, greges, & id genus alia, quibus ejuſmodi divitiæ continentur, populi præterea auram & plauſum, ejuſdemque ſalutationes, acclamationes, encomia, celebrationes, & reliqua, in quibus ea gloria conſiſtit: & denique, ut tuis verbis utar, affluentiam commodorum, quæ vitam reddunt ſuavem, & ab ea omnem miſeriæ & calamitatis ſenſum depellunt. Namque hæc commoda tu ipſe Chriſto in eo ſtatu tribuis, quibus addi poſſunt honeſtæ voluptates. His enim ſimul junctis (quoniam hic de felicitate humana non admodum ſubtiliter agitur) ea felicitas contineri dici poteſt. Hæc autem Chriſtum in cœlo habuiſſe, præſertim quod pertinet ad divitias, an non res eſt plane abſurdiſſima?

Alterum abſurdum eſt, quod homo ille, qui crucifixus revera, & mortuus eſt, extiterit in cœlo, ipſius Dei manibus fortaſſe, ut Adam in terra, formatus, aut ex alia quapiam virgine natus, antequam ex Maria virgine, Auguſto imperante, naſceretur. Nam præterquam quod is homo, qui crucifixus revera & mortuus eſt, ex argumentatione ipſa tua, ille ipſe eſt, qui ante omnia bona iſta habuit aliquando; nemo etiam niſi verus homo, ejuſmodi bonis frui poteſt. Hoc autem an non abſurdiſſimum jure dici poſſit, tu ipſe judicato.

Sed quod poſtremo omnem vim tuo argumento penitus adimit, eſt quod Pauli teſtimonia illa duo, quibus totum innititur, de divitiis & de gloria Chriſti loquuntur, quæ notæ illis eſſent, ad quos ſcribebat, atque compertæ. Quemadmodum in loco ad Corinth. verba illa docent, *Noſtis*, ſeu *ſcitis enim*, &c. & in utroque id demonſtrat, quod Jeſu Chriſti exemplo eos movere vult. Exempla autem, movendi cauſſa, non ſolent proponi, niſi rerum, compertarum apud eos ipſos qui movendi ſunt, aut ſaltem ejuſmodi, quas ita ſe habere illi facile inveſtigare queant. Atqui quod Chriſtus divitias ullas aut gloriam habuiſſet, antequam ex virgine naſceretur, id nec ullo modo iſtis, ad quos Paulus ſcribebat, jam compertum eſſe poterat, nec, etiamſi veriſſimum fuiſſet, illud inveſtigare ulla prorſus ratione potuiſſent.

E. 7.

Quartum argumentum. Chriſtus Johan. 8. dicit, *Amen amen dico vobis antequam Abraham fieret ego ſum.* Ergo Chriſtus fuit ante Abrahamum quatenus eſt unigenitus Dei filius & non tum cepit eſſe totus, quando ex virgine fuit natus. Nec alia eſt mens iſtius loci; ſiquidem quæſtio eſt An Chriſtus Abraham viderit; quod de ſe affirmat Chriſtus, Judæi negant. Tu, inquiunt, nondum es natus annos quinquaginta, & Abrahamum vidiſti. Chriſtus negat ſe tam recentem eſſe, imo vero ante Abrahamum fuiſſe, ideoque illis mirum videri non debere, ſi Abrahamum vidiſſe ſe dicat.

F. S.

Ratio, quam affers, cur Chriſti dictum aliter accipi non poſſit, ac tu una cum pleriſque aliisill ud accepiſti, inanis cenſeri debet, cum plane falſum ſit, Chriſtum affirmaſſe, ſe vidiſſe Abrahamum, qui ne ab Abrahamo quidem viſum ſe fuiſſe affirmavit. Id quod eſt quidquid ex Chriſti verbis colligi poſſe videtur, & tuæ aliorumque ſententiæ aliquo modo favere. Et tamen id veriſſimum eſſe poteſt, etiamſi Chriſtus, antequam ex virgine naſceretur, non extiterit. Quandoquidem Abrahamus Propheta erat, ipſo Deo teſte, Gen. 20. 7. Prophetæ autem futura videbant; unde etiam apud Hebræos Videntes olim ſunt appellati, 1 Sam. 9. 9. Verba Chriſti, ex quibus tu ſine dubio, neſcio tamen quo pacto, colligis, eum de ſe dixiſſe, quod Abrahamum viderit, in vulgatis codicibus ſic leguntur. *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum; & vidit, & gaviſus eſt.* Videre diem alicujus non eſt proprie ipſum videre; multo autem minus ab ipſo videri. Sed, ut plerique hodie hunc locum accipere videntur, eſt adventus in hunc mundum & actionum illius notitiam aliquo modo habere. Quanquam diem ſuum hoc loco potuit Chriſtus vocare alterum adventum ſuum. Quemadmodum alibi & ab ipſo & ab ejus Apoſtolis ſæpe vocatur. Præterea ſciendum eſt, in Græco verba Exultavit, Vidit, Graviſus eſt, eſſe Aoriſtis expreſſa, ἠγαλλιάσατο, εἶδε, ἐχάρη quæ verba ita poſſunt accipi, ac ſi potentialis (quam vocant) particula ἂν illis fuiſſet addita, & ad hunc modum verti: Exultaſſet, Vidiſſet, Graviſus eſſet. Nam præter ipſam Græcæ Linguæ conſuetudinem, quæ hoc fert, atque alia exempla in ipſis Novi Teſtamenti ſcriptis verba illa, quæ paullo ante idem Chriſtus de eodem Abrahamo iiſdem Judæis dixit, τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησεν, quæ vulgo reddita ſunt, *Hoc Abraham non fecit*, potius reddi debuerant (ut Wolfg. Muſculo placet, atque Henr. Bullingerus locum explicat) *Hoc Abraham non feciſſet*; quemadmodum unuſquiſque facile confitebitur, qui locum ipſum inſpexerit. Et ſane in loco noſtro multo credibilius eſt, Chriſtum de Abrahamo affirmaſſe, id quod veriſimile plane erat, Abrahamum, videlicet, ſumme deſideraturum fuiſſe, ipſius diem videre, eoque viſo, gaviſurum, quam id, de quo nihil prorſus conſtabat, nempe, Abrahamum revera ſumme deſideraſſe, ut ipſius diem videret, eumque vidiſſe, & gaviſum eſſe. Lingua porro, qua locutus eſt Chriſtus, ſententiam, quam ego magis probo, non aliter explicare poteſt, quam per ſimplicia præterita, quæ, ut in verbis Græcis factum eſt, ambiguum reddant ſermonem. Quam ambiguitatem ideo conſervare voluit Johannes, ut ſequentibus Judæorum verbis aliquis locus eſſe poſſet; ut tunc fuerat, cum res acta eſt, quam nobis ob oculos ponere voluit. Quidquid vero de hoc ſtatuendum ſit; illud indubitatum eſt, Chriſtum, contra quam tua ratio pro conceſſo ſumit, non dixiſſe, Abrahamum à ſe fuiſſe viſum. Itaque, ut dixi, ea inanis cenſenda eſt. Adde, quod illi nullus locus eſſe poteſt, niſi Chriſti dictum, quod tu attuliſti, ita aut legatur, aut ſaltem jure legi poſſit, quemadmodum tu ex vulgatis interpretationibus illud citaſti. Atqui Grammaticæ ratio nullo modo patitur, ut in eo legatur Fieret, ſed, ejus loco Fiat legendum eſſe, omnino oſtendit; id eſt, verbum Græcum γένωμαι non præteriti, ſed præſentis temporis verbo cum futuri tamen ſignificatione in Latina interpretatione reddendum. Quamvis enim modi infinitivi & aoriſti temporis ejuſmodi voces, & ad præteritum, & ad futurum tempus accommodari per ſe queant; tamen, ad utrum accommodandæ, certo quodam in loco ſint, indicant ibidem adjuncta verba. Si quis igitur noſſe velit, in illis verbis πρὶν Ἀβραὰμ γένωμαι, utro tempore vox γένωμαι accipienda ſit, oportet inſpicere, utrius temporis, præſentis, an præteriti, ſit verbum illud, à quo iſta pendent. Nam ſi præſentis aut futuri temporis fuerit: verbo præſentis temporis reddenda erit vox γένωμαι; ſin præteriti, verbo præteriti temporis. Atqui duo ſunt verba, à quorum altero neceſſe eſt ut iſta pendeant, λέγω, quod antecedit, & εἰμι, quod ſequitur. Utrumque autem præſentis temporis eſt. Ergo fieri non poteſt, quin vox γένωμαι verbo præſentis temporis reddi debeat.

ebat. Et ſane nemo fuit hactenus, qui, cum nihil alioqui de vulgata interpretatione à quoquam dubitaretur, & verba illa, Antequam Abraham fieret, quæ pro Græcis iſtis πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι poſita ſunt, à verbo Sum, id eſt, εἰμὶ, quod ſequitur, pendere exiſtimarentur, manifeſtum in Chriſti dicto ſolœciſmum eſſe non dixerit. Nec alia ratione illum fere excuſabant, niſi quod cum proprium (ajebant) Dei ſit, ſemper eſſe, non autem aut fuiſſe, aut futurum eſſe, Chriſtus ſe eſſe ipſum Deum hoc pacto ſignificare voluiſſet. Quæ ratio quam levis ſit, atque adeo inepta & falſa, nunc non eſt opus explicare; ſed ſatis eſt dixiſſe, eam tibi placere non poſſe, qui confiteris, Chriſtum, non eſſe ipſum Deum. Igitur nihil dubitare debes, quin ad ſolœciſſimum iſtum evitandum Fiat, non autem Fieret verbum γένεσθαι vertendum ſit. Quanquam non eſt, ut arbitror, membrum illud potius periodi, πρὶν Ἀβραὰμ γένεσθαι, conjungendum cum verbo εἰμὶ, ſed cum verbo λέγω, & vox ὅτι ſeu Quod, quæ omnino ſubaudiri in hac periodo debet, non ante ipſum, ſed proxime ante verbum εἰμὶ ſtatuenda, ut totus locus Latine ſic reddatur. *Amen Amen dico vobis, antequam Abraham fiat, quod ego ſum.* Nam & hæc locutio, Ego ſum, ſimpliciter & abſolute ab eodem Chriſto eſt uſurpata non ſolum alibi apud hunc ſcriptorem, videlicet infra cap. 13. 19. ſed etiam in hoc ipſo cum Judæis ſermone, idque bis, id eſt, ſupra ℣. 24. (ubi etiam eadem ferme, quam hic eſſe mox docebo, ſententia habetur) & ℣. 28. & iſta conjunctio verborum Dico, ſeu Dixi vobis, cum Antequam, adeoque ſequente verbo Fiat, quod in Græco ſimiliter eſt γένεσθαι, non eſt ſine exemplo in ejuſdem Chriſti verbis apud hunc ipſum ſcriptorem. Sic enim locutus ab eo ſcribitur, tum in ante citato loco cap. 13. 19. tum vero cap. 14. 29. ubi in Græco ſcriptum eſt πρὶν γένηται quemadmodum & hic. Oſtendi, ni fallor, Chriſti dictum non poſſe, Grammaticæ ratione ſalva, legi, ut tu illud recitaſti; & quomodo legendum ſit, docui. Unde neceſſario ſequitur, argumentum tuum ex eo ductum nullo pacto conſiſtere, nec te quidquam ad ſententiam tuam ſtabiliendam inde elicere poſſe. Id quod ſatis ſuperque eſt, ut tibi me hac in parte ſatisfactum eſſe confiteri debeas. Verum quia forteſſe præterea quæris, quid igitur ſibi velit Chriſtus iſto ſuo dicto; hic quoque, ſi potero, tibi ſatisfaciam. Nam profecto, quemadmodum loci lectio à me expoſita, cum germaniſſima ſit, non idcirco rejici debet, quia forte non intelligatur ejus ſententia (neque enim hic ſolus locus obſcurus eſt in Sacris Literis; licet nihil dubitetur quomodo ſit legendus) ſic quærendum eſt diligenter, an ſententiam quoque ipſam vere ipſius loci germanam aſſequi poſſimus. Id autem non admodum difficile videtur conſideranti nomen Abraham poſſe vel ipſum hominem, cui hoc nomen à Deo impoſitum fuit, ſignificare, vel id, quod ipſum nomen declarat, & propter quod illi homini à Deo fuit impoſitum, id eſt Patrem multitudinis ſeu multarum gentium. Si priorem ſignificationem ſimpliciter hoc loco ſequaris; nihil ſane inteliges. Conſtat enim, hominem illum Abrahamum fuiſſe factum, id eſt, natum eſſe & extitiſſe, multo ante, quam hæc verba Chriſtus proferret. At ſi alteram amplectaris, aut priorem etiam, verum non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, id eſt, quatenus homo ille Abraham Pater multarum gentium eſt; omnia plana ſunt, & ſenſus verborum Chriſti eſt, monere Judæos, ut antequam gentibus fides & pœnitentia ad vitam detur, atque ut populus Dei ſint, concedatur, credere velint, ipſum eſſe Chriſtum Dei filium ipſique fidem habere; alioqui videlicet futurum, (quod & alibi ſæpe illis comminatus fuerat) ut, gentibus in regnum Dei admiſſis atque receptis, ipſi eo priventur, & foras ejiciantur. Nam certe Abraham, quatenus eſt aut ſignificat Pater multarum gentium, non fuit factus neque extitit, donec gentibus fidei donum fuit à Deo datum. Quoniam enim Abraham homo ille Deo inſigniter præ cæteris, qui ante ipſum fuerant, Deo confidit, propterea exemplum fidei in Deum omnibus eſt deinceps propoſitus, & metaphorice omnium Deo fidentium Pater dictus, & quia multæ gentes olim Deo fidem habituræ erant; idcirco potiſſimum Pater multarum gentium eſt à Deo nominatus & conſtitutus. Quæ omnia luculenter ſatis docet atque explicat Paulus ad Rom. cap. 4. Jam verba illa Chriſti, Ego ſum, ſignificare, Ego ſum lux mundi, ſervator, redemptor, denique Chriſtus Dei filius, demonſtrant alii loci, quos ante indicavi, in quibus ea leguntur. Judæos vero, poſtquam gentes per fidem in Deum verum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti populus Dei ſunt factæ, repulſos quodammodo fuiſſe, nec illis generatim viam ad ſalutem amplius patere, donec plenitudo gentium, ut Paulus loquitur Rom. 11 25, ingrediatur, apertius eſt, quam ut probari debeat. Satis eſt autem ad id percipiendum ea legere quæ idem Paulus ſcribit ad Rom. cap. 11.

E. J.

Fateor me per omnem vitam meam non magis contortam ſcripturæ interpretationem audiviſſe; ideoque eam penitus improbo.

F. S.

Cum primum Fatendi verbum in tuis verbis animadverti, ſperabam, te potius faſſurum nullam in vita tua ſcripturæ interpretationem te audiviſſe, quæ hac ſit aut acutior aut verior, quæve magis divinum quid ſapiat, & a Deo ipſo patefactam fuiſſe præ ſe ferat. Ego quidem certe non leves conjecturas habeo, illum, qui primus ætate noſtra eam in lucem protulit (hic autem is fuit, qui primus quoque ſententiam de Chriſti origine, quam ego conſtanter defendo, hac ætate renovavit) precibus multis ab ipſo Chriſto illam impetraſſe. Hoc profecto affirmare auſim, cum Deus illi viro permulta aliis prorſus tunc temporis incognita patefecerit, vix quidquam inter illa omnia eſſe, quod interpretatione hac divinius videri queat. Tibi tamen, ut ais, plane contorta viſa eſt. Cur vero? Nam, aut Chriſti verba concedis legi debere, vel ſaltem poſſe, ut ego legenda docui, aut non concedis. Si concedis; nulla cauſſa eſt, cur interpretationem hanc contortam eſſe dicas, immo cur eam ipſis verbis accommodatiſſimam eſſe non fatearis: atque adeo ſolam eſſe, quæ illis accommodari queat. Sin autem non concedis, & vis omnino locum non aliter legi debere, atque hactenus plerique tenſerunt; tu is es, qui una cum aliis ſcripturam contorqueſ, & illius verbis manifeſtam vim affers; cum, ut ſupra oſtendi, nulla grammaticæ ratio patiatur, ut ad iſtum modum hic locus legi debeat. Sed, ut conjicio, durum admodum tibi videtur, quod Chriſtus ad illud ipſum non reſponderit, quod Judæi dixerant, eique objecerant. Ego vero contra, durum omnino videri debere exiſtimaverim, ſi Chriſtus iſtorum hominum perverſitatem atque ſtultitiam quodammodo approbaſſet; illiſque tacite conceſſiſſet, ſe id dixiſſe, quod nullo modo dixerat, quodque nec ad inſtitutum ſermonem quidquam faciebat, & plane falſum ac ridiculum merito viſum fuiſſet, nullaque præterea alia ratione, quam ipſius Chriſti ſimplici aſſeveratione, confirmari potuiſſet. Hinc patet, quam non recte in argumento tuo explicando ea verba dixeris, *quæſtio eſt an Chriſtus Abrahamum viderit, quod de ſe affirmat Chriſtus Judæi negant.* Nam quomodo ea de re quæſtionem inſtituiſſet Chriſtus, cujus veritas inveſtigari nullo pacto potuiſſet, niſi quatenus ſenſus ipſe communis dictaſſet id falſiſſimum eſſe, quod ipſe in ea quæſtione affirmaſſet ac defendendum ſuſcepiſſet? Niſi igitur velimus, Chriſtum contra ſapientis Prov. 26. 4, præceptum ſtultis ſecundum ſtultitiam illorum ita reſpondiſſe, ut ſtultus & ipſe una cum illis videri poſſet, ſtatuendum eſt prorſus, eum ad illud ipſum, quod Judæi ipſi objecerant, minime reſpondiſſe; ſed potius ut mea interpretatio fert, ad inſtitutum antea ſermonem eos ſuo reſponſo revocaſſe; qui totus in eo verſabatur, quod ipſe eſſet Dei filius, cujus verbis credere illi deberent, &, niſi credidiſſent, futurum eſſet, ut funditus perirent; & interim tamen,

ut idem ſapiens eodem in loco monet, ſecundum illorum ſtultitiam ita reſpondiſſe, ut ſibi ſapientes eſſe minime videri poſſent: ſed potius agnoſcerent, ſe, qui illum in verbis capere voluerant, ac mendacii coarguere, merito ab ipſo unius verbi ambiguitate deluſos, & ſuæ ſtultitiæ ac perverſitatis, mirabili elegantia & brevitate ſermonis, ſevere admonitos & caſtigatos fuiſſe.

E. J.

Quintum Argumentum. Propono locum Hebr. 1. 10. *Tu Domine initio terram fundaſti; ipſi peribunt, tu autem permanes.* Eo enim dico luculentiſſime probari, Chriſtum fuiſſe filium Dei unigenitum, per quem Deus mundum crearit, priuſquam ex virgine naſceretur. Verſatur ſiquidem autor hujus Epiſtolæ in hoc argumento, ut oſtendat dignitatem Chriſti, ſupra omnes angelos & homines, idque probat primum excellentiore nomine, quod ſortitus ſit præ angelis, quia dictus ſit filius Dei ℣. 5. Deinde ℣. 6. probat excellentiam Chriſti ſupra omnes angelos argumento adorationis, quam angeli debent Chriſto, & ad id probandum citat teſtimonium ex Pſal. 27. Tertio arguit præcellentiam Chriſti ex eo, quod thronus ejus dicitur durare in ſeculum ex Pſal. 45. Quarto adducit teſtimonium Pſal. 102. idque conjungit cum prioribus conjunctione Et, ℣. 10. ne quis dubitet de intentione autoris; & probat opere creationis dignitatem Chriſti ſupra angelos. Cum igitur certum ſit, hoc dictum Pſal. loqui de prima creatione, eamque tribuere Chriſto, neceſſario ſequitur, Chriſtum eſſe eum, per quem Deus mundum non ſolum redemerit, ſed etiam crearit ex nihilo, nec poſſe aliter hunc locum accipi, niſi quis velit torquere.

F. S.

Ais, auctorem Epiſtolæ ad Hebr. verſari in hoc argumento, ut oſtendat dignitatem Chriſti ſupra omnes angelos & homines. Id quod etiam ad primum ejus Epiſt. caput privatim refers; ut ex iis, quæ ſubjungis, ſatis liquet. De angelis veriſſimum dicis; de hominibus autem, nequaquam. Sed eſt tuum additamentum. Ex quo, ſi verum eſſet, colligeretur quodammodo, Chriſtum non fuiſſe hominem. Nam & ſupra oſtendi, te non ſemel perinde locutum fuiſſe, ac ſi Chriſtus non eſſet homo, aut certe homo ſimpliciter appellari non poſſet. Jam vero, ut ad argumentationem tuam veniamus; quod aſſeris, auctorem illum, dum affert, ad Chriſti dignitatem probandam, Pſal. 102. illam colligere ex opere creationis; id prorſus nego. Nec vero, ut arbitraris, id ſequitur ex eo, quod ibi de creatione agatur. Neque enim totus ille locus idcirco à ſcriptore illo affertur, quod totus, id eſt, quidquid ibi de Domino illo dicitur, qui à principio nominatur, & compellatur, ad Chriſtum pertineat: præcipue vero id, quod primo verſiculo comprehenditur. Sed ideo primus quoque verſiculus affertur, quia alioquin ea, quæ ſequuntur, & ad Chriſtum ea ratione pertinent, quam poſtea explicabo, nullo modo intelligi potuiſſent. Et profecto videmus, quotidie hoc ipſum contingere, & apud omnes ſcriptores uſitatiſſimum, ipſa nimirum neceſſitate cogente, eſſe, ut in teſtimoniis, ipſarum etiam divinarum litterarum, afferendis integri loci recitentur, quamvis non omnia illorum verba, ad rem faciant. Id quod ſupra hoc eodem cap. factum fuiſſe, à quibuſdam animadverſum eſt, nempe in afferendo teſtimonio Pſalmi 45. Nam quid, obſecro, ad Chriſti excellentiam ſupra angelos probandam pertinent verba illa? *Virga æquitatis virga regni tui; Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Nonne hæc omnia multis aliis regibus, & partim etiam longe inferioris conditionis hominibus convenire poſſunt? Sed quia intertexta ea verba aliis verbis erant, quæ proprie, & ut ſonant, accepta, illi tantum convenire poſſunt, qui angelis ſit dignior atque excellentior; propterea una cum illis ea quoque attulit auctor Epiſtolæ. Similiter in loco noſtro, quia verba, quæ ad propoſitum ipſius facient, quorum initium eſt ibi, *Ipſi peribunt*, &c. ab iis, quæ verſiculo ſuperiore continentur, prorſus pendebant, nec ſine illis ut dictum eſt, intelligi poterant; idcirco iſta quoque recitavit, vel potius recitare neceſſe habuit, quamvis ad ipſius propoſitum non facerent.

Sed dices, Certum eſt, & iſta, & ſequentia de uno eodemque dici; quare, ſi ſequentia de Chriſto dicuntur, neceſſe eſt, ut iſta quoque de Chriſto dicantur. Reſpondeo, ſequentia ad propoſitum facere, quamvis de Chriſto ipſo nec ſimpliciter, nec præcipue dicantur, ſed de Deo. Nam ideo ad propoſitum faciunt, quia, quæ in illis de Deo ac præcipue ſimpliciter dicuntur (ſunt enim omnia futura) in Chriſto implenda erant, ut eo, qui viva imago eſt ipſius Dei. Quemadmodum etiam paullo ante citatus eſt ex Pſal. 97. locus ille, *Et adorent eum omnes angeli Dei*, & de Chriſto acceptus. Non quod ibi verba iſta proprie atque abſolute de Chriſto fuerint dicta (patet enim unicuique ſuperiora legenti, aut certe admodum veriſimile eſt, de Deo ipſo illa fuiſſe dicta) ſed quod in Chriſto, quo adorando, ipſe Deus adoratur, id erat implendum. Eſt enim in eo Pſalmo, ut omnes animadverterunt, de Chriſti regno, ſub ipſius Dei perſona, vaticinatio. Nimirum quia regnat & regnaturus eſt ipſe Deus per Chriſtum. Sic in loco noſtro, licet totus Pſalmus nihil aliud ſit, ut inſcriptio ipſa docet, quam precatio ad ipſum Deum; tamen à verſiculo 14. ad finem uſque, ineſt ibi vaticinatio ſatis aperta de ſalute, quam Chriſtus Dei nomine nobis attulit, & de mutatione hujus ſeculi per eundem Chriſtum facienda, in aliud, ſcilicet, longe melius & præſtantius, deque ipſius Chriſti æterna duratione. Quatenus igitur de hiſce rebus ibi eſt ſermo, eatenus etiam, nec ulterius, quidquid ibi dicitur, licet de Deo ſimpliciter dictum, ad ipſum Chriſtum ſimul pertinet. Non enim, ut quibuſdam Judaico ſpiritu imbutis placuiſſe video, cenſendum eſt, hunc ſcriptorem loca iſta attuliſſe, non ut revera ex Spiritus Sancti mente ad ipſum Chriſtum pertinentia, & de ipſo Chriſto aliquo modo dicta, ſed tantum ut à ſe illi accommodata; quod & aliis pleriſque in locis factum fuiſſe in Novi Teſtamenti ſcriptis volunt, cum teſtimonia ex veteri citantur, & ad Chriſtum referentur. Namque hoc (quod alicubi ſane fieri, non negamus) ubicumque ejuſmodi teſtimonia afferuntur ad aliquid de Chriſto divina auctoritate probandum & confirmandum, quemadmodum hic ſine controverſia factum fuit, nihil aliud eſt, quam, ut leviter dicam, Novi Teſtamenti ſcripta omnia falſitatis ſuſpecta reddere, eaque deridenda cunctis exponere. Quin immo, niſi etiam iis, ad quos hic auctor Epiſtolæ eam ſcribebat, vel jam conſtitiſſet, vel facile conſtare potuiſſet, Scripturæ locos ab ipſo allatos ad Meſſiam pertinere, fruſtra & prorſus ridicule eos attuliſſet. Unde etiam fit, ut nullo pacto tanquam ad ſuum propoſitum facientia ea prima verba hujus teſtimonii afferre potuerit; in quibus de cœli & terræ creatione agitur; Quandoquidem Hebræis nec conſtabat, nec conſtare poterat, hanc partem, quæ nullam vaticinationem per ſe continet, ad Meſſiam pertinere. Cum omnes indubitatæ de Meſſia in Vetere Teſtamento ſententiæ in futurum reſpiciant; quippe quod Meſſias nondum extitiſſet, ſed extiturus eſſet. Quod vero & ipſe Epiſtolæ auctor quæcumque de Chriſto teſtimonia in medium protulit, ea ut in futurum, illius temporis ratione, quo ſcripta fuerunt, reſpicientia protulerit; perſpicuum eſt ex eo, ad quod probandum ea prolata ſunt. Id autem illud ſine dubio eſt, quod ſuperioribus illis verbis continetur, *Tanto melior*, id eſt, præſtantior, *angelis effectus*, *quanto differentius*, id eſt, excellentius, *præ illis nomen hæreditavit.* Ex quibus intelligitur, non conferri Chriſtum cum angelis ſimpliciter & in univerſum, adeo ut originis etiam, & eſſentiæ, quam ſemper habuerit, ratione cum illis conferatur; ſed tantum eorum ratione conferri, quæ à Deo exaltatus obtinuerit, & hæreditario quodam jure conſecutus ſit. Id quod planiſſimum præterea faciunt verba, quæ pro-

proxime antecedant; & quando hoc fuerit, demonſtrant. Verba, inquam, illa, ex quibus hæc, quæ modo recitavi, inferuntur, *purgationem peccatorum faciens* (vel, ut Græci codices habent, *per ſemetipſum purgatione peccatorum noſtrorum facta*) *ſedit ad dexteram majeſtatis in excelſis.* Illico enim ſequitur, *Tanto* &c. Tunc igitur, Chriſtum præſtantiorem angelis factum fuiſſe, affirmat hic divinus ſcriptor, cum, aut poſtquam, purgatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum facta, ſedit ad dexteram majeſtatis in excelſis. Quis igitur non videt, fieri non poſſe, ut ad præſtantiam Chriſti præ angelis, quam ipſe intelligit, & ex Sacris Literis deinde confirmare aggreditur, teſtimonium aliquod attulerit, ubi cæli & terræ prima creatio Chriſto attributa fuerit? vel ut ipſe ad eam confirmandam (quanquam id, ut dixi, alioqui etiam prorſus ridicule feciſſet) Chriſto creationem iſtam attribuerit, & locum aliquem de ea loquentem ad ipſum ulla ratione accommodaverit? Ita enim creatio hanc Chriſti præ angelis excellentiam longiſſimo tempore anteceſſit.

Huc accedit, quod quidam ordo opparet in iis recenſendis, quæ Sacras Literas Chriſto tribuere ſcriptor noſter oſtendit; qui ordo plane perverteretur, ſi in teſtimonio, de quo diſputamus, Chriſto prima rerum creatio tribueretur, & ob hanc cauſſam, ut tibi videtur, illud fuiſſet allatum. Etenim in primis duobus teſtimoniis, quæ ſimul affert, tribuitur Chriſto, quod ſit filius Dei, & Deus illius pater, quodque Deus illum quodam die genuerit; quod nondum extitiſſe, quando dictum fuit, id eſt, tempore regis Davidis, demonſtrant verba futuri temporis Ero, & Erit, quæ in poſteriore teſtimonio leguntur. Quando vero id proprie & revera extiterit; docet Paulus Act. 13. 33. prius teſtimonium de Chriſti reſurrectione accipiens. Atque id ipſum oſtendit ipſe auctor hujus epiſtolæ, ſive is fuerit idem Paulus, ſive quiſquis alius, dum cap. 5. 5. eundem locum ad inaugurationem à Deo factam ſacerdotii Chriſti refert; iis, inquam, oſtendit, qui ex pluribus locis ejuſdem epiſtolæ didicerunt, Chriſtum non ante fuiſſe noſtrum ſacerdotem conſecratum, quam mortem fuerit expertus, & immortalis factus.

Sequitur teſtimonium adorationis, quam Chriſto debent ipſi angeli. Atqui ejuſmodi adoratio non fuit debita Chriſto, niſi poſt mortem crucis, tanquam præmium ſummæ obedientiæ, quam Deo præſtitit, ut Paulus docet ad Philip. cap. 2. 9, 10, & 11. adeoque poſt ejus aſſumptionem in cælum, & immiſſionem in hæreditatem futuri ſæculi. Nam ſcriptor noſter aperte indicat, ſe non de alia adoratione teſtimonium à ſe allatum accipere, quam de ea, quæ ſecuta eſt introductionem primogeniti in orbem terrarum, id eſt, ejuſdem Chriſti in futurum non quidem ipſi Chriſto, ſed nobis orbem terrarum. De hoc enim terrarum orbe ſe loqui teſtatur auctor ipſe paullo infra, id eſt, cap. 2. 5. Conſecuta autem eſt poſſeſſio futuri ſæculi ejuſdem Chriſti reſurrectionem & immortalitatem. Poſſeſſionem vero ipſam conſequitur regni duratio æterna; quam comitatur amplitudo divinorum donorum, & poteſtatis, ultra omnes alios, qui à Deo donati & exaltati fuerunt, aut futuri ſunt unquam. Itaque ſubjicit teſtimonium Pſal. 45. ubi iſta habentur; cum quo conjungit teſtimonium hoc Pſal. 102. quippe in quo eadem regni æterna duratio commemoratur; ſimul hujus ſeculi mutationis, qua regnum perficietur & ſtabilietur, fit aperta mentio. Quæ omnia id neceſſario ſecum trahunt, quo ipſius Chriſti & membrorum ejus ſumma felicitas & gloria continetur, quodque quanta Chriſti excellentia ſit, apertius, quam cætera omnia, declarat; hoc eſt, victoriam & triumphum de omnibus inimicis, potiſſimum vero de morte & inferno. Ad quod probandum affert poſtea teſtimonium ex Pſal. 110. Cumque nihil aliud præterea reſtet, hacque victoria & triumpho, Chriſti majeſtas & ſublimitas concludatur, finem facit ejus ex ſacris documentis probandæ & confirmandæ.

Vides, ut arbitror, hujus ſcriptoris ordinem &, ut magnus orator eſt, in Chriſti excellentiis connectendis artificium. Quod plane periret, ſi ut tu putas, loco iſto Pſal. 102. in teſtimonium adducendo, id ſpectaſſet, ut Chriſto cæli terræque primam creationem tribuendam doceret; etiamſi alioqui ea illi tribuenda eſſet, idque ex loco iſto conſtare poſſet. Quare non poteſt ſine ſumma non modo ipſius veritatis jactura, ſed etiam hujus divini ſcriptoris injuria, vel vulgata, quam tu ſequeris, loci interpretatio retineri, vel mea rejici.

E. 7.

Ego vero interpretationem tuam fateor eſſe coactam, ac præterea, me non videre, quomodo hic agatur de reparatione mundi, cui potius Chriſti perpetuæ adorationi opponatur fragilitas & inconſtantia rerum humanarum; quo ſic ejus dignitas conſpicitur.

F. S.

Aſt ego ingenue fateor, me neſcire, cur meam interpretationem coactam appellare non dubites, cum & verba & ſententia manifeſta ſcriptoris eam omnino requirant: atque, ut oſtendi, neceſſarium illi fuerit, etiamſi prima pars loci, quam citavit, ad propoſitum non faceret, eam tamen una cum reliquo loco recitare. Nam quod ais, non poſſe hic agi de reparatione mundi, cum potius agatur de ejus fragilitate & inconſtantia, eaque opponatur perpetuæ Chriſti durationi (ſic enim puto in ſcripto tuo legendum, non autem adorationi ut legitur) Reſpondeo, non de reparatione, ſed de mutatione mundi agi, ut ipſa verba præ ſe ferunt. Non enim reparabitur cælum hoc, quod videmus, aut terra hæc, quam incolimus; ſed eorum loco novum cælum, & nova tetra ſubſtituetur. Hoc eſt diſſolventur & peribunt, quemadmodum ipſe Pſaltes loquitur, ipſum hoc cælum, & ipſa hæc terra, pereunte ſimul vita animali, propter quam ea creavit Deus; & alia exiſtent ſæcula una cum ſpirituali vita illis conveniente, quam nobis per Chriſtum idem Deus promiſit. Qua de re fuſius à me alibi eſt diſputatum, contra Franciſcum Puccium, cæli terræque hujus perpetuam durationem aſſerentem, eorumque futuram inſtaurationem, una cum aliis non paucis, tantummodo agnoſcentem. Sed unus ille locus 2 Pet. 3. ſatis eſt ad opinionem iſtam falſitatis coarguendam, ex quo præterea loco non obſcure intelligitur, diſſolutionem harum rerum & in multo præſtantiores mutationem, per Chriſtum faciendam eſſe. Illud poſtremo, antequam ad alia tua argumenta reſpondeam, omittere nolui, quod credis omnino, ſi per Chriſtum à Deo mundus primum creatus fuit, inde colligi, Chriſtum, jam tum fuiſſe filium Dei unigenitum. Nam ego contra, crediderim, fieri poſſe, ut prima mundi creatio per Chriſtum facta fuerit, nec tamen Chriſtus unquam fuerit filius Dei unigenitus. Quod enim Chriſtus filius Dei unigenitus ſit, ut certe eſt, id nihil prorſus commune habet, aut habere poteſt cum prima rerum creatione, præſertim ſi ipſe quoque Chriſtus omnino creatus fuit, ut tu ſine dubio tenes.

E. 7.

Sextum Argumentum. Venio ad dictum Chriſti Joh. 17. *Glorifica me pater ea gloria, quam habui apud te, antequam hic mundus fieret.* Hinc enim colligo, Revera tum fuiſſe unigenitum Dei, filium, ſiquidem hoc rogat Chriſtus his verbis, ut quandoquidem nunc ſibi moriendum ſit, & extrema ignominia perferenda, ne pater ipſum in morte ſinat interire, ſed quandoquidem fere peractum ſit opus redemptionis ſibi commiſſum, efficeret, ut iſti gloriæ redderetur, qua ante conditum mundum in cælis uſus fuiſſet.

F. S.

Non defuerunt ex ipſis Trinitariis, quorum plerique hunc locum valde contra nos omnes urgere ſolent, qui aliter, ac vulgo fiat, & abs re factum eſt, illum acce-

perint. Ex quibus inter antiquiores potiſſimum Aurelius Auguſtinus; qui luculenter admodum pluribus verbis illum explicat; ex quibus quædam recitabo, namque eadem opera, quomodo hæc Chriſti verba intelligenda omnino ſentiam, clare exponam, & nonnihil hanc ſententiam meam interim confirmabo. Primum igitur ſic ſcribit Auguſtinus in ea verba, *Claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet, apud te* (Sic enim ipſe ea legit, ut in vulgatis noſtris codicibus habentur) *Ordo* (inquit) *verborum eſt, quam habui apud te, priuſquam mundus eſſet. Ad hoc valet, quod ait, Et nunc clarifica me, hoc eſt ſicut tunc, ita & nunc; ſicut tunc prædeſtinatione, ita & nunc perfectione. Fac in mundo, quod apud te jam fuerat ante mundum; fac in ſuo tempore, quod ante omnia tempora ſtatuiſti.* Et paulo poſt; *Si enim de nobis dixit Apoſtolus, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, cur abhorrere putatur à vero, ſi tunc pater caput noſtrum glorificavit, quando nos in ipſo, ut membra ejus eſſemus, elegit? Sic enim nos electi, quomodo ipſe clarificatus, quia priuſquam mundus eſſet, nec nos eramus, nec ipſe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Hæc autem verba dicit Auguſtinus, contra eos, qui nolebant, Chriſtum dicere potuiſſe, ſe, ut hominem, gloriam, ſeu claritatem iſtam ante mundum conditum apud Patrem habuiſſe. Tandem vero, poſtquam probaſſet, Chriſtum, ut hominem, non minus, quam nos, à Deo fuiſſe prædeſtinatum, ſic concludit; *ſecundum hanc ergo prædeſtinationem etiam clarificatus eſt, antequam mundus eſſet, ut eſſet claritas ejus ex reſurrectione mortuorum apud patrem, ad cujus dexteram ſedet. Cum ergo videret illius prædeſtinatæ ſuæ clarificationis veniſſe jam tempus, ut & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædeſtinatione jam factum, oravit dicens, Et nunc clarifica me tu pater apud temet ipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te. Tanquam diceret; claritatem, quam habui apud te in prædeſtinatione tua, jam tempus eſt, ut apud te habeam, etiam vivens in dextera tua.* Hactenus Auguſtinus, in cujus verbis notandum eſt nomen Redditionis non pro datione ejus, quod ablatum quoquo modo fuiſſet (ſic enim contra ſuam ipſius ſententiam in hoc loco explicando locutus eſſet) ſed pro rei quaſi debitæ præſtatione uſurpatum eſſe; idque ſane eleganter. Nam verbum Reddendi inter alias hanc quoque ſignificationem habet. Apparet igitur, ut arbitror, ſatis evidenter, quam apte & commode Chriſti verba ad rei deſtinationem non autem ad rem ipſam referantur. Nec profecto video (ut hanc interpretationem magis confirmem, eamque ad tuum argumentum diſſolvendum accommodem) cur, ſi Paulus dixit, nobis datam eſſe gratiam in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia, 2 Tim. 1. 9. cum tamen nos tunc minime eſſemus, Chriſtus quoque dicere non potuerit, ſe ante mundum conditum habuiſſe eam gloriam, qua mox glorificandus erat, etiamſi nondum extitiſſet, cum mundus eſt conditus. Præſertim, cum non ſimpliciter dicat Chriſtus, ſe eam habuiſſe, ſed, apud Patrem Deum. Quemadmodum idem Luc. 20. 38. dicit, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum Deo vivere, quamvis reipſa non ſint amplius; nempe quia Deus eos à morte in vitam eamque perennem aliquando revocare decrevit. Id quod ex eo colligit Chriſtus, quod alioqui Deus, qui ſe Deum illorum appellat, mortuorum Deus eſſet, & non tantum vivorum, ut eſt.

E. J.

Phraſis qua utitur Chriſtus multo plenior eſt; nec ei prorſus ſimiles ſunt citatæ de aliis fidelibus. Recte quidem iis dicitur donata fuiſſe ſalus in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia, etiamſi illam ſuo demum tempore poſſidebunt; Verum nuſquam legitur habuiſſe eos apud Deum gloriam ante conditum mundum ideoque non plane ſimiles ſunt hæ phraſes loquendi, præſertim cum ex ipſo ſcopo Chriſti non obſcure appareat, eum eſſe verborum ſenſum, quod roget Patrem, ut quandoquidem nunc ignominioſiſſimam mortem crucis eſſet ſubiturus ne pateretur ipſum abſorberi ſed priſtinæ gloriæ, quam antea in cœlis habuiſſet, reſtitueret.

F. S.

Si idcirco negas plane ſimilem eſſe locutionem Paulinam, quam ego attuleram, ei, de qua contendimus, quod verba non ſint prorſus eadem, ſeu quod non prorſus de eadem re utrobique verba fiant, ut innuit id, quod dicis, nuſquam legi, fideles habuiſſe apud Deum gloriam ante conditum mundum; nimis difficilem te præbes in hac diſputatione. Quaſi vero non ſatis ſit ad plenam, quod ad propoſitum attinet ſimilitudinem inter utraſque conſtituendam, ſi quidquid virium in utriuſvis verbis eſt ad eam ſententiam, de qua quæritur, exprimendam, id in alterius quoque verbis ſit. Fateor quidem ob hanc ipſam cauſſam non eſſe has duas locutiones plane ſimiles, etiam quod ad propoſitum noſtrum attinet. Verum hoc interpretationi tuæ obeſt, eamque magis dubiam oſtendit. Quandoquidem diſſimilitudo in eo eſt, quod verba locutionis à me prolatæ plus virium habent ad ſententiam, quam tu probas, exprimendam, quod ſcilicet non de rei deſtinatione, ſed de ipſa re agatur, quam verba locutionis, de qua diſputamus: ſeu mavis, verba locutionis, de qua diſputamus, plus virium habent ad ſententiam, quam ego probo, exprimendam, quod videlicet non de ipſa re, ſed de rei deſtinatione agatur, quam verba locutionis à me allatæ. Sunt enim in locutione, cujus ſententiam quærimus, ut ſupra attigi, verba illa *apud te*, quæ, ut dixi, deſtinationem poſſunt innuere. Nam hoc ſenſu alibi quoque dicitur, vitam æternam, quæ nobis patefacta eſt, fuiſſe antea apud Patrem 1 Joh. 1. 2. Hæc autem verba deſunt in locutione, quam ego attuli; unde fit, ut minor ſit cauſſa ſuſpicandi, ibi non de ipſa re, ſed de rei deſtinatione agi. Et tamen certum eſt, de rei deſtinatione, non autem de ipſa re ibi ſermonem eſſe. Cum interim nihil præterea virium, quod attinet ad propoſitum noſtrum, ſit in verbis unius locutionis, quod in alterius non ſit. Nam, quod in ea, de qua controverſamur, eſt Gloria, in altera eſt Gratia. Nulla autem eſt cauſſa, cur minus de gloria, quam de gratia dicere poſſimus, eam eſſe, licet deſtinatione tantum ſit, vel illius eſſe, qui nondum extiterit. Immo Paulus affirmat, eos eſſe glorificatos à Deo, qui deſtinatione tantum gloriam à Deo ſunt adepti, quique nondum extiterunt, Rom. 8. 30. Certum eſt enim, ibi Apoſtolum loqui in genere de omnibus quos Deus per Chriſtum ſervare decrevit. Jam, quod in locutione noſtra eſt Habuiſſe, in ea, quam illi reſpondere dixi, eſt, Datam ſibi fuiſſe. Atqui non minus requiritur, ut is jam ſit, cui aliquid detur, quam is, qui aliquid habeat. Nec aliam differentiam ſuſpicari poſſumus inter hæc duo eſſe, niſi, quod Habuiſſe magis rei ipſius adeptionem vel poſſeſſionem ſignificare poſſit, quam, Sibi datum fuiſſe. Ubi animadvertendum eſt, verbum Dandi eſſe aliquo modo ambiguum. Nam & ſignificare poteſt ipſum offerre, etiamſi non ſequatur acceptionis effectus, & cum effectu acceptionis. Sed prior ſignificatio ut minus propria, ſic minus multo eſt uſitata, quam poſterior; ideoque in dubio non illa, ſed hæc attendenda eſt. Quod ſi, ut debet, fiat, tunc nullum prorſus in propoſito noſtro diſcrimen eſſe poterit inter Habuiſſe, & Sibi datum fuiſſe. Cuicumque enim ſecundum hanc ſignificationem aliquid datum fuit, is profecto id etiam habuit. Quanquam vix crediderim, cum verbum Dandi præteriti perfecti ſimplici voce effertur, in priore illa ſignificatione uſquam inveniri. Adde, quod non magis poteſt dici, cuipiam quid oblatum fuiſſe, quod reipſa nondum fuerit oblatum, quam quempiam aliquid habuiſſe, quod reipſa nondum habuit. Immo adde, quod diſerte alicubi ſcriptum invenitur, nos id habere, quod nondum reipſa habemus, ſed nobis tantum decretum eſt. Scribit enim Paulus 2 Cor. 5. 1. nos ſcire, quod, ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam in cœlis. Et auctor ad Hebr. ait Hebr. 10. 34. eos, ad quos

ſcribit,

ſcribit, facultatum ſuarum rapinam cum gaudio accepiſſe, eo quod cognoſcerent, ſe habere in ſe ipſis meliorem ſubſtantiam in cælis, eamque permanentem. In Græco autem nomen Latinum ſubſtantia, eſt ὑπαρξις; quod plane reſpondet nomini, ὑπαρχόντων, quo ſupra facultates ſignificatæ ſunt. Hoc dico, ne quis fortaſſe, non ſatis ex loco ipſo monitus, ſubſtantiam hoc loco in alium quendam ſenſum accipiat, in eum, ſcilicet, in quem alibi accipiendum eſt apud hunc ipſum ſcriptorem, id eſt, cap. 3. 14. & cap. 11. 1. nam ibi Græcum verbum eſt ὑποστασις, & hoc ſubſtantiæ genus habent jam reipſa fideles omnes. Certum eſt autem, non modo illam domum, de qua loquitur Paulus, ſed hanc ſubſtantiam, de qua auctor ad Heb. prædicto loco verba facit, non reipſa, ſed Dei decreto tantum, haberi à nobis, dum hic ſumus. Ubi etiam diligenter notandum eſt, quod nihilominus ſubſtantiam hanc cæleſtem dicuntur iſti habere in ſeipſis, ſive, ut Beza interpretatus eſt, apud ſeipſos: atque inde concludendum, nihil impedire quominus Chriſti dictum à te allatum de divino decreto; non autem de effectu ſeu re ipſa accipiendum ſit. Nam ſi contingit, hoc fieri debere, ubi dicitur quis rem in ſeipſo, ſive apud ſeipſum, habere; quanto magis id fieri poterit, ubi quis apud Deum rem habere dicitur, qui loquendi modus Dei decretum prorſus ſignificare poteſt, cum alter iſte rem ipſam præſentem ipſiuſque rei poſſeſſionem omnino præ ſe ferat? Huic ſimile eſt id, quod in prima ſua epiſt. ſcribit Johannes 2 Joh. 3. 15. nullum homicidam habere vitam æternam in ſeipſo manentem. Hoc enim aperte indicat, dum in hac vita ſumus, quoſdam inveniri, de quibus recte dicere poſſis, eos habere vitam æternam in ſe ipſis manentem. Quod profecto non ad rem ipſam, ejuſve poſſeſſionem præſentem, licet id verba maxime præſeferant, ſed ad rei decretum ipſiuſque rei certo futuram poſſeſſionem referri debet. Alioqui perperam alibi eſſet ſcriptum Tit. 1. 2. 3. 7. vitam æternam à fidelibus & gratia Dei juſtificatis ſperari, eamque bene operantibus à Deo tunc datum iri, cum reddet unicuique ſecundum opera ſua Rom. 2. 7. vel, ut Beza eum locum convertit, eos, qui in bono opere perſtant, vitam æternam quærere; aliaque ejuſmodi non pauca, quæ paſſim apud ſacros ſcriptores leguntur. Nam ex iis perſpicuum eſt, eos, de quibus potiſſimum intelligere potuit Johannes, quod habeant vitam æternam in ſeipſis manentem, eam non re ipſa, ſed ſpe tantum exque Dei decreto habere. Certe, quod ad ſimplex Habendi verbum attinet, quod, ut dixi, magis rei ipſius poſſeſſionem ſignificare videtur, quam ſi illi, ut in Chriſti dicto factum eſt, addatur, *apud Deum*, tum ipſe Chriſtus diſerte, tum alii de eo ſæpe dicunt, quod, qui credit in ipſum, habeat vitam æternam. Et idem Chriſtus alibi affirmavit Joh. 10. 16. ſe habere alias oves, quæ non eſſent ex ovili illo populi Hebræi, cum tamen nec illæ eſſent adhuc reipſa Chriſti oves, nec ipſe eas revera haberet: ſed certo habiturus eſſet. At poſtremo, ſi quis idem pollere (ut ad illud, quod initio propoſuimus, revertamur) cognoſcere, velit, Datum ſibi fuiſſe, quod Habuiſſe, idque in ipſius Chriſti verbis in eadem precatione ad Patrem de eadem re loquentis, ſic, ut ejus dicti, de quo diſputamus, veriſſimam eſſe fateatur interpretationem, quam ego ſequor; meminerit illorum verborum, quæ poſtmodum Chriſtus protulit: *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut, ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* An non hæc verba ſuperiorum illorum, *Et nunc clarifica me tu pater apud temet ipſum claritate, quam habui, priusquam mundus eſſet, apud te*, explanatio quædam cenſeri debent ea in parte, de qua ambigimus? Nemo quippe non videt, utrobique de eadem claritate, ſermonem eſſe, & quod ibi eſt, Habui apud te, hic eſſe, dediſti mihi: ſuperiora autem illa verba, *priuſquam mundus eſſet*, cur & quo ſenſu dicta fuerint, per hæc explicari, *quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Dilectio igitur illa, qua Deus non Chriſtum modo, ſed nos etiam in ipſo ante conſtitutionem mundi dilexit, cauſſa eſt, ut & merito dixerit Chriſtus, ſe jam tum habuiſſe claritatem ſeu gloriam apud Deum, ſive eam ſibi ab eo fuiſſe datam, & nos idem de nobis jure dicere poſſimus. Non autem ita locutus eſt de ſe Chriſtus, quia jam tum illam reipſa haberet. Supereſt ad ſimilitudinem, quæ eſt inter Chriſti dictum, quod tu attulisti, & Pauli à me prolatum, confirmandam animadvertere, quod in illo eſt, priuſquam mundus eſſet, in hoc eſſe, Ante tempora ſæcularia; quæ idem reipſa ſignificare nemo (opinor) negaturus eſt. Quamquam non eſt hoc ullo modo neceſſarium; ſed ſatis eſt de eo tempore Paulum loqui, quo certum eſt, nobis non effectu, ſed deſtinatione tantum datam fuiſſe gratiam. Antequam vero de comparatione horum locorum ſermonem abſolvam, illud non eſt ſilentio prætereundum, quod, ſi Paulus dicere potuit, nobis datam fuiſſe gratiam ante tempora ſæcularia, licet fieri poſſet, ut multi ex nobis eam non acciperent, vel acceptam abjicerent, (neque enim de cujuſdam generis prædeſtinatis, id eſt, certo omnino gratiam accepturis, eamque perpetuo habituris, quos non pauci, ob ejus verba alibi non recte intellecta, eſſe opinantur, ſed de omnibus Chriſto nomen dantibus loquitur Paulus) multo magis dicere potuit Chriſtus, ſe, priuſquam mundus eſſet, habuiſſe gloriam, cum nullo pacto fieri poſſet, ut is eam reipſa non acciperet, ac perpetuo retineret.

Cæterum, quod ais ex ipſo ſcopo Chriſti non obſcure apparere eum eſſe verborum ſenſum, quod roget patrem, ut quandoquidem nunc ignominioſiſſimam mortem crucis eſſet ſubiturus; ne pateretur ipſum abſorberi: ſed priſtinæ gloriæ, quam antea in cælis habuiſſet, reſtitueret; quæſo te, ſi pro iliis verbis, *ſed priſtinæ &c.* hæc quiſpiam ſubſtitueret, *ſed ea gloria ipſum donaret, quam ei ante mundum conditum propter ipſam crucis mortem ſuo tempore dare decreverat*, an non rectiſſime iſta cum ſuperioribus cohærerent? an non quilibet fateretur, hanc Chriſti mentem eſſe potuiſſe, adeo ut nulla vel rei præſenti vel ipſius verbis accommodatior inveniri poſſet? Nam quomodo colligis ex ipſo Chriſti ſcopo, iſtum eſſe ejus verborum ſenſum, quem tu poſuiſti? aut quem eſſe conſtituis Chriſti ſcopum? An non animadvertis, te pro conceſſo tacite ſumere idipſum quod ex Chriſti verbis intelligi debere contendis (ut, ſcilicet, inde evincas, ipſum Chriſtum extitiſſe ante creationem mundi) nempe Chriſtum ante mundum conditum habuiſſe reipſa in cælo quandam gloriam? Neque enim cogitare quis poteſt, Chriſti ſcopum ad gloriam iſtam reſpicere, niſi, ipſam gloriam fuiſſe, jam apud ſe conſtituat. Præterea, nonne Chriſti ſcopus eſt impetrare à Patre eam gloriam, qua revera poſtea glorificatus ab eo fuit? Huic autem ſcopo nonne ita convenit, Chriſtum petere gloriam, quæ ſibi multo ante ab ipſo Patre decreta fuiſſet, ut illam repetere, quam multo ante reipſa in cælo habuiſſet? Immo vero, ſi quænam illa gloria ſit, quam, ut tibi placet, ante mundum conditum reipſa in cælo habuit Chriſtus, paullo diligentius perpendamus, eamque cum illa, qua glorificatus poſtea à patre fuit, comparemus, inveniemus ſine dubio, repetitionem iſtam nullo modo cum hoc ſcopo convenire. Etenim Chriſti gloria, qua poſt mortem crucis à Patre glorificatus fuit, ejuſmodi eſt, ut eam Chriſtus ante conditum mundum in cælo nec habuerit, nec habere potuerit. Primum enim gloria iſta mundo apparuit, & eatenus potiſſimum poſt mortem crucis glorificatus eſt à Patre Chriſtus, quatenus omnes mundi nationes eum coluerunt, & pro Domino ac Deo ſuo ſunt veneratæ, ejuſque ſumma potentia atque majeſtas mirabilibus iiſque innumeris operibus ipſius auſpiciis & nomine factis univerſo mundo conſpecta eſt. Hæc ſane, cum mundus nondum eſſet, nulla ratione eſſe potuerunt. Deinde gloria, qua Chriſtum poſt mortem donavit Pater, ex parte, eaque,

ut quibuſdam videtur, præcipua, ea continetur, quod gentes, quæ antea Deum non noverant, ab eoque longe aberant, per ipſum ad Dei cognitionem pervenerint, ad eumque ſint adductæ, & ab eo in poſſeſſionem atque hæreditatem ipſi Chriſto una cum Judæis fidelibus datæ. Hoc vero quando unquam ante Chriſti mortem, nedum ante mundi creationem, extitit? Adhæc nulli dubium eſſe poteſt, quin ſumma Chriſti gloria, qua eum Pater poſt crucis mortem affecit, fuerit eum conſtituere & declarare vivorum & mortuorum judicem. Nam ipſemet ait Joh. 5. 22, 23, Patrem Filio omne judicium dediſſe, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem; qua gloria nulla major excogitari poteſt. Atqui idem teſtatur, judicandi poteſtatem ideo ſibi datam à Patre fuiſſe, quia ipſe ſit homo Joh. 5. ỳſ. 27. Quomodo igitur gloriam iſtam habere potuit Chriſtus, priuſquam mundus crearetur, cum non modo vivi, & mortui non eſſent, ſed ipſe nondum eſſet natus homo? Omitto alia multa, quæ ad Chriſti gloriam pertinent, qua pater illum decoravit poſtquam crucis mortem eſt paſſus, quæque à divinis ſcriptoribus commemorantur; quorum nihil eſt, quod ante mundi creationem Chriſtus habere potuerit. Ut plane mirum videri poſſit, te vel ex hoc ſolo interpretationem verborum Chriſti, quam amplexus es, defendi non poſſe, haud intellexiſſe. Nec profecto video, quid ad hæc reſponſurus ſis, niſi velis ſcopum Chriſti non fuiſſe eam omnem gloriam à Patre impetrare, quam obtinuit, ſed quandam gloriam tantummodo, eamque ejuſmodi, quæ vix gloria appellari queat. Quippe cum ſine ulla controverſia ante mundum conditum homines non eſſent, & de angelis à multis dubitetur; denique id certum ſit, an ullæ creaturæ tunc extarent, ſine quibus Chriſti nulla vera gloria videtur poſſe exiſtere. Quod ſi nihilominus iſtum vis Chriſti ſcopum fuiſſe, judicabunt alii, quam hoc abſurdum cenſeri debeat, & ego interea mirabor, quod in Chriſti dicto recitando ea verba prætermiſeris, quæ verbis *glorifica me tu pater* ſtatim ſubjunguntur, videlicet, *apud temetipſum*, illaque non urſeris. Videtur enim his verbis, ſi illa per ſe ſpectentur, Chriſtus ſignificare, ſe non petere à Patre, niſi eam gloriam, quæ in ejus conſpectu tantum eſt gloria. Verum dicendum eſt, verbis illis efferendis, non hanc fuiſſe Chriſti mentem, quæ ab ipſo quodammodo communi ſenſu abhorret: ſed hanc, Petere à Patre, ut gloria, quam ipſi daturus erat, eſſet ſolida & vera gloria adeo, ut etiam apud ipſum Patrem ſive in ipſius Patris conſpectu gloria eſſet.

E. 7.

Septimum Argumentum. Produco locum Johan. 6. *Quid ſi videritis filium hominis aſcendentem eo, ubi erat prius.* Dico enim, Chriſtum duo quaſi miracula proponere Judæis, quibus adhuc multo magis in admirationem raperentur, quam antea. Primum quod affirmat, ſe in cælum aſcenſurum, id quod inauditum quiddam erat. Deinde in cælum, in quo fuerat prius, ſuper quo magis adhuc poſſent obſtupeſcere, cum de Chriſto velut homine & filio Joſephi ſentirent, qui nunquam in cælis fuiſſet. Hinc igitur colligo, quandoquidem Chriſtus affirmat, ſe prius in cælis fuiſſe, quo erat aſcenſurus, non tum cœpiſſe, cum naſceretur ex virgine, ſed ante in cælis apud patrem in cæleſti gloria fuiſſe.

E. 8.

Jam dixerat Judæis Chriſtus, ſe de cælo deſcendiſſe; qua de re illi murmuraverant, ut ſcriptum eſt ſupra ỳſ. 42. idque non ſemel repetierat. Cumque hoc ex duobus quaſi miraculis, (quæ appellas) altero, te ipſo teſte, majus eſſet, adde, & illud quodammodo complecteretur (quid enim aut facilius aut veriſimilius, quam quempiam, qui de cælo deſcenderit, in cælum aſcenſurum?) patet te vehementer falli, qui putes, Chriſtum hoc loco, hæc duo de ſe Judæis propoſuiſſe, ut multo magis adhuc in admirationem raperentur, quaſi vero de his antea nihil dixiſſet, aut ſaltem, id quod majus eſt, non commemoraſſet. Sic autem iis accidere ſolet, qui, quomodo interpretationes ſuas ſtabiliant, & aliorum infirment, anxie quærunt, potius quam, quomodo ſit locus interpretandus. In quorum numero cum te minime eſſe exiſtimem, nolim te iſta ſectari, & teipſum ejus culpæ, cui affinis non es, hac ratione cuiquam ſuſpectum reddere. Adde, quod mens Chriſti, iis verbis afferendis quæ citaſti, & apertiſſima eſt ex ipſo ſermonis contextu, & iis etiam, qui alioqui tecum ſentiunt, compertiſſima. Nam, cum ſenſiſſet, offenſos fuiſſe diſcipulos ſuos iis, quæ dixerat de ſua carne comedenda, ipſis, non autem Judæis, ut tu aſſeris (unde ſuperior error tuus multo gravior apparet) verba iſta dixit; quibus admoneri poſſent, ipſum non de carnali ſuæ carnis eſu, ſed de ſpirituali locutum fuiſſe. Inſpicias modo ipſe locum, & te, in Chriſti mente explicanda, longiſſime à ſcopo aberraſſe agnoſces. Non igitur admittendum ullo modo eſt, id quod tuis verbis ſignificas, & quo nititur argumentatio tua, Chriſtum hic eo reſpexiſſe, quod Judæi de ipſo velut homine, & filio Joſephi ſentirent, qui nunquam in cælis fuiſſet. Nihil enim hoc ad Chriſti mentem, hoc quidem in loco. Ubi rurſus negare videris, Chriſtum revera fuiſſe hominem. Nam hæc ſine dubio tuorum verborum ſententia eſt, Judæos ſenſiſſe, Chriſtum eſſe hominem, & filium Joſephi. Unde ſequatur, illum nunquam fuiſſe in cælo. Quam ipſorum, ſcilicet, ſententiam Chriſtus, dum eos interim in ipſius admirationem vehementiorem raperet, tacite refellere voluerit; & propterea dixerit, ſe in cælo fuiſſe. Atqui hoc quantum à veritate abſit, vel illud demonſtrare poteſt, quod Chriſtus, cum hic dicere vult, ſe fuiſſe in cælo, ut ſolet, ſeipſum tertia perſona Filium hominis, id eſt hominem, appellat, atque ipſi hominis filio tribuit, quod in cælo fuerit. Itaque nulla eſt prorſus collectio illa tua ex iis, quæ ante dixeras: quod, cum Chriſtus affirmet, ſe prius fuiſſe in cælis, quo erat aſcenſurus, non tum cœperit, cum naſceretur ex virgine, ſed ante in cælis apud patrem in cæleſti gloria fuerit. Neque enim hoc colligi poteſt ex iis, quæ ante dicta à te ſunt, niſi, quatenus dixeris, aut dicere volueris, Chriſtum, ut hominem, non potuiſſe ante illud tempus fuiſſe in cælis. Hoc autem falſum eſſe, non modo Pauli Apoſtoli exemplum 2 Cor. 12. ſed, ut dixi, ipſa Chriſti verba hoc loco aperte docent. Huc accedit, quod potuiſſet Chriſtus, cum hæc verba dixit, fuiſſe jam in cælo, idque non ut homo, nec tamen extitiſſe ſive eſſe cæpiſſe, antequam ex virgine naſceretur; Nihil enim impedit, quominus quædam ſubſtantia, ex qua præter eam, quam habet, humanam naturam, Chriſtus conſtet, tunc demum à Deo creata fuerit, cum humanæ iſti naturæ conjuncta eſt; quemadmodum plerique hodie theologi de animabus noſtris affirmant, quod videlicet, tunc demum à Deo creentur, cum in corpora, ut illis placet, immittuntur. Secundum autem ſubſtantiam iſtam Chriſtum in cælo jam eſſe potuiſſe, poſtquam natus eſſet ex virgine, etiamſi non ſecundum humanam naturam, Pauli verba indicant, qui de ſuo raptu uſque ad tertium cælum & in paradiſum verba faciens, ait, ſe neſcire, an in corpore, an extra corpus raptus fuerit: ſeu mavis, an cum corpore, an vero ſine corpore. Utroque enim modo ex Græco legi poteſt. Nam Pauli corpus eandem rationem cum ipſius ſpiritu habuiſſe, quam habitura eſſet Chriſti humana natura cum ſubſtantia iſta, nemo arbitror negaverit. Quocirca, ſi Paulus potuit rapi in cælum extra corpus aut ſine corpore, & ſic in cælo eſſe, ſed non ratione corporis, planum eſſe debet, Chriſtum quoque poſtquam ex virgine eſt natus, & antequam moreretur, extra ipſam humanam naturam, aut ſine ipſa humana natura in cælo eſſe potuiſſe. Si modo ejuſmodi, quam diximus, ſubſtantiam ſuæ humanæ naturæ junctam habuit. Quod ſi non habuit; certe nec ipſe extitit, antequam ex virgine naſceretur, niſi illum jam hominem fuiſſe velimus,

antequam

antequam ex virgine fuerit natus, nec tuæ ratiocinationi ullus locus eſſe poteſt. Quamobrem agnoſcendum tibi eſt, nulla ratione ex Chriſti verbis colligi poſſe, ipſum non tum cœpiſſe, cum naſceretur ex virgine, ſed ante in cœlis apud patrem in cœleſti gloria fuiſſe; quemadmodum tu colligebas. Et, ſi ſcire velis, quo ſenſu tamen Chriſtus affirmaverit, ſe fuiſſe in cœlo, quo erat videntibus diſcipulis aſcenſurus, non autem ſimpliciter aſcenſurus, ut tu eum dicentem facis, quaſi certum ſit, eum non antea eo aſcendiſſe; ſi velis, inquam, hoc ſcire, conſiderandum tibi eſſe arbitror, Chriſti verba aut cum aliquo, aut cum nullo tropo accipienda eſſe. Si cum aliquo; nemo non videt, quam apte Chriſtus, ut homo, in cœlo fuiſſe dici poſſit, antequam, videntibus diſcipulis, cum ſuo corpore eo aſcenderit; cum perpetuo in cœlo mente ſua verſaretur, cœleſtiaque omnia ita cognita haberet, ut ea tanquam præſentia ſemper inſpiceret: idque ratione quadam plane ſingulari, & præter ac ſupra omnem aliorum divinorum hominum ſortem. Sin autem, ut mihi quidem videtur, nullo cum tropo ſunt Chriſti verba accipienda; neceſſe eſt fateri, ipſum, ut hominem, aut certe, poſtquam fuit homo, fuiſſe in cœlo ante aſcenſionem illam ſuam Apoſtolis conſpicuam. Quam ſententiam ego vehementer probo, hancque verborum Chriſti interpretationem libentiſſime ſequor atque amplector.

E. J.

Fateor, mihi hanc interpretationem eſſe novam, & à ſimplicitate ſcripturæ alienam.

F. S.

Quod hæc interpretatio tibi ſit nova, haud ſane miror. Sed, quod illa à ſimplicitate Scripturæ aliena tibi videatur, equidem ſatis mirari non poſſum; cum potius nulla alia interpretatio excogitari queat, quæ tam Scripturæ ſimplicitatem ſequi quam hæc facit, cuiquam merito videri poſſit; immo cum hæc interpretatio nihil aliud ſit, quam ab ipſa Scripturæ ſimplicitate nihil prorſus diſcedere, ſed verba omnia ut proprie ſonant accipere. Id quod in nulla alia interpretatione evenire poteſt: præſertim vero in ea quam tu probas; quæ non aliter ſuſtineri poteſt, quam ſi ad ſacram illam Trinitariorum anchoram confugeris, tropi idiomatum (ut vocant) communicationis. In quo explicando & ad Chriſti verba accommodando non uno modo in principii petitionem incidere neceſſe eſt; ut in aliis diſputationibus meis, potiſſimum vero adverſus Andream Volanum, oſtenſum fuit. Qui tropus, idque quatenus ad præſentem diſputationem pertineat, prorſus inſolens, tam ſæpe in Sacris Literis inducendus tibi eſt, ſi tuam de Chriſti perſona ſententiam retinere velis, ut, ſi Scripturæ ſimplicitatem ſequi tantopere tibi eſt cordi, quemadmodum prætefers, vel ob hanc cauſſam ejuſmodi ſententia tibi penitus ſit abjicienda.

Sed fortaſſe, cum ais, interpretationem meam à Scripturæ ſimplicitate tibi videri alienam, non loqueris de hoc ipſo loco, cujus interpretationem quærimus, ſed univerſe ſcripturam intelligis. Verum quænam eſt iſta ſimplicitas Scripturæ? num quando alibi de Chriſto loquitur, qui in cœlo fuerit ante celebrem illum aſcenſum ſuum, aperte eum non quatenus homo eſt, nec, poſtquam homo fuit, conſiderare, ſed quatenus eſt quippiam aliud, & antequam homo natus eſt? Immo vero nuſquam alibi Chriſtus in cœlo pro eo tempore fuiſſe aut dicitur, aut non obſcure ſignificatur, quin vel ipſa Chriſti perſona ſimpliciter deſignetur, vel ſub filii hominis appellatione de ipſo verba fiant. Quin etiam adeo verum eſt, Chriſtum, ut hominem, in ejuſmodi locis conſiderari, ut, cum Chriſtus dixiſſet, ſe eſſe panem, qui de cœlo deſcendiſſet, ex quo ſi quis comediſſet, victurus eſſet in æternum, illico ſubjunxerit Joh. 6. 51, Panem, quem ipſe daturus eſſet (nempe ad comedendum) eſſe carnem ſuam, quam daturus eſſet pro mundi vita. Num forte ſimplicitatem Scripturæ eſſe vis, Chriſtum dupliciter conſiderare, id eſt, modo ut hominem natum ex virgine, modo vero ut alia eſſentia præterquam hominis, præditum, & antequam ex virgine naſceretur? Atqui hoc, præterquam quod per ſeipſum nihil cum ſimplicitate commune habet, vel potius cum ſimplicitate ex diametro pugnat, illud etiam ipſum eſt aut certe id continet, de quo diſputamus, & ad quod probandum Chriſti verba, de quorum interpretatione ambigimus, in medium attuleras. Denique non video, quid tibi volueris, cum dixiſti interpretationem meam tibi videri à ſimplicitate Scripturæ alienam: nec quomodo fieri potuerit, ut id dicere non dubitaveris.

Sed aliud præterea fortaſſe eſt, quod te ab ea amplectenda deterret. Nempe quod Chriſtus nunquam conſpectus fuerit ante reſurrectionem in cœlum aſcendere, vel inde deſcendere, aut certe nihil, quod fuerit conſpectus uſquam traditum ab Euangeliſtis fuerit. Atqui nondum erat tempus, ut iſta de Chriſto conſpicerentur. Qui quantus revera apud Deum eſſet, tum demum conſtare debebat, cum jam ipſi Deo uſque ad mortem crucis obedientiam præſtitiſſet. Nam ſi dixeris, ſaltem uni aut alteri ex ſuis diſcipulis eum id patefacturum fuiſſe, idque Euangeliſtas ſcripturos, ut cum in monte coram illis tribus tranſfiguratus eſt; Reſpondebo, tranſfigurationem iſtam fuiſſe poſt jam cœptam Euangelii prædicationem, à quo ferme tempore incipiunt Euangeliſtæ Chriſti factorum hiſtoriam narrare; hunc autem ejus aſcenſum & deſcenſum de cœlis fuiſſe antea, idque fortaſſe diu; cujus temporis Chriſti actiones illi non commemorant. Ut nihil dicam, quod eo tempore nec ullos diſcipulos habebat Chriſtus, nec, ut de cœleſti ſuo munere cuiquam fidem faceret, opus erat: quodque non à majoribus ad minora, ſed contra, à minoribus ad majora de ſe ſuaque excellentia documenta ac teſtimonia progrediendum illi erat. Nec vero dubitari poteſt, quin, ſi iſte aſcenſus & deſcenſus Chriſti de cœlo revera fuerunt, fuerint omnino ante Euangelii cœptam prædicationem. Sic enim & ipſius Chriſti verba ferunt, ubicumque id vel dicit vel innuit, oſtendens, ſe de cœlo ad ſuum munus obeundum deſcendiſſe, & res ipſa docet. Propterea enim fuit Chriſtus homo ille in cœlo (ut ego quidem nihil dubito) priuſquam à mortuis reſurgeret, ut rerum cœleſtium uberrima cognitione imbueretur, eaque certa & conſtantiſſima, quam deinde, quatenus liceret atque opus eſſet, cum hominibus communicaret, & cujus vi prædicandi Euangelii munus quam rectiſſime obiret, & alia admodum ardua, quæ illi exequenda erant, fideliter omnino atque intrepide exequeretur. Unde perſpicuum eſt, graviter errare, ſi quiſquam eſt, qui exiſtimet, haud veriſimile eſſe, vel non adeo neceſſarium fuiſſe, Chriſtum hominem ante mortem in cœlum aſcendiſſe, ibique aliquandiu commoratum eſſe, ut verba ipſa indicant, in quibus Chriſtus in cœlo fuiſſe ſignificatur; cum potius nihil aut veriſimilius, aut magis neceſſarium eſſe potuerit ante ipſam Euangelii prædicationem. Sed ſatis jam confirmavimus, Chriſtum hominem ante mortem & reſurrectionem ſuam in cœlo revera fuiſſe, aut certe eſſe potuiſſe; præſertim cum unicuique Pauli exemplum notiſſimum ſit, nec ullo modo ſit veriſimile id Paulo conceſſum fuiſſe, quod Chriſto conceſſum non fuerit.

E. J.

Octavum Argumentum. Creare hominem ex nihilo, ad hanc terrenam vitam, non eſt opus ita præſtans, ut eſt ex faucibus æternæ mortis & regno diaboli in cœleſte ac æternum Dei regnum tranſferre. Totius item mundi judicium exercere omniumque hominum, qui ab initio mundi vixerunt, cogitationes, dicta, & facta cujuſmodi fuerint noſſe, & de iis ſententiam ferre. Jam plurimum ex hoc labefactatur ſententia tua. Nam quemadmodum Deus ſua altitudine longiſſime excedit dignitatem Filii, utpote qui ſit ſine origine, cum filius ex ipſo originem ducat; indignum eſt tribuere excellentiſſimæ majeſtati Dei opus vilius & dignitate infe-

rius operibus Filii; idque ipſe facis, ſi in operibus reparationis, quæ filio aſcribuntur, quidquam eſt quod certare cum creatione mundi poſſit. Quemadmodum enim nihil eſt Deo ſublimius, ita nec paria Deo & Chriſto, nedum inferiora Deo Chriſto præſtantiora, tribuere oportet.

F. S.

In hac tua argumentatione plura ſunt vitia. Primum enim non id concludit, quod tibi probandum eſt. Quandoquidem probandum tibi eſt, Chriſtum ſive unigenitum Dei filium extitiſſe antequam ex virgine naſceretur. Hic vero concluditur, idque prorſus obſcure, (deſunt enim ante verba illa, *Quemadmodum enim nihil*, &c. hæc aut ſimilia verba, *quippe qui mundi creationis opus Deo tribuas*) opus creandi hominis ex nihilo ad hanc terrenam vitam non eſſe tribuendum Deo; ubi etiam omnino ſubaudiendum eſt, Immediate. Nam ſi putas, ex hoc ſequi, Deum per Filium creaſſe hominem ex nihilo ad hanc terrenam vitam, unde neceſſario conſequeretur, filium extitiſſe, antequam ex virgine naſceretur; plurimum falleris, & prorſus ἀσυλλογίςως eſt ratiocinatio tua. Quid enim? Num fortaſſe conſtat, Deum mediate (ſic enim loquendum eſt) non feciſſe quidquam, niſi per Filium, aut ſaltem non ullum inſigne opus, quale eſt opus primæ hominis creationis? Certe ſi hac de re conſtaret, ſtultus ego eſſem, qui id negarem, ſine quo, ut ſenſus ipſe communis docet, ea nec conſtare, nec eſſe poteſt; & ridicula prorſus eſſet tota diſputatio noſtra. Siquidem certiſſimum eſt, Deum, antequam Chriſtus ex virgine naſceretur, multa inſignia opera mediate feciſſe. Itaque eſt hic principii petitio (quam vocant) ſatis evidens, ſi argumentationem tuam ad rem utcumque facere velis. Id quod ad eam refutandam ſatis omnino eſſe debet. Alia tamen ejus vitia exponamus.

Deinde igitur, quod ais, indignum eſſe tribuere Deo opus dignitate inferius operibus Filii; tripliciter peccat hæc tua enunciatio. Unum ejus peccatum eſt, quod nihil impedit, quominus excellentiſſimus quiſpiam opifex opus aliquod faciat, quod quibuſdam alterius opificis multo minus excellentis operibus ſit dignitate inferius; dummodo & id ſuo in genere perfectum ſit, & alia opera ab eo aliquando ſint facta, quæ omnibus multo minus excellentis opificis operibus longe præſtent. Ut, exempli cauſſa, in picteribus videmus, inter quos qui excellentiſſimi ſunt, non abſtinent ſæpe ab iis pingendis, quæ pingere facilius ſit, quam quædam alia, quæ interdum multo minus excellentes pictores pingunt. Quare non levis eſt fallacia in illis verbis tuis, *inferiora Deo, Chriſto præſtantiora tribui.* Non enim, ſi unum Deo opus tribuitur, quod inferius ſit quibuſdam operibus Chriſti; idcirco inferiora Deo, Chriſto præſtantiora tribuuntur. Id enim tum demum vere dici poterit, ſi generatim opera, quæ Deo tribuantur, Chriſti operibus inferiora fuerint. Alterum tuæ enunciationis peccatum eſt, quod quædam opera eſſe poſſunt, quæ neceſſe ſit, ut Deus per ſeipſum faciat, quamvis ea non tam præſtantia ſint, ut alia nonnulla, quæ per alios facere poteſt; quippe quod ipſe vi aliqua & facultate ſit præditus, quæ in illis faciendis omnino requiratur, nec cum ullo alio communicari queat. Et ſane talem in Deo vim creandi ex nihilo plærique eſſe volunt; inter quos, ut ſupra in reſponſione ad primam ex quatuor tuis illis rationibus attigi, non nulli ex iis ipſis ſunt, qui alioqui de filio Dei ante omnia creato tecum ſentiunt. Tertium tuæ enunciationis peccatum eſt, quod cum omnia Chriſti opera, Dei quoque opera ſint (nam per Chriſtum Deus operatur) quidquid dignitatis in Chriſti operibus eſt, ad Deum non minus, quam ad Chriſtum refertur: immo tanto magis, quanto in omnibus operationibus major ratio habetur primæ, quam ſecundæ cauſſæ; præſertim vero, cum ſecunda cauſſa, quas vires ad efficiendum habet, eas omnes à prima cauſſa habet, ut hic profecto contingit, ubi Chriſtus, quidquid habet virium, Deo id omne acceptum ut referat neceſſe eſt. Quid igitur Dei majeſtatem minuere poteſt, ſi per Chriſtum, qui, quantus quantus eſt, ex ipſo eſt, aliqua opera fecerit præſtantiora, quam, non dicam unum quodpiam, ſed vel multa, vel etiam omnia opera ſint, quæ per ſeipſum fecit? Nonne & horum gloria ad ipſum univerſa prorſus refertur, & illorum præcipua ac primaria: ad Chriſtum vero horum penitus nulla, illorum autem ſecundaria tantum quædam gloria? Nam quod videris indignitatem hujus rei in eo ſolo conſtituere, quod Deus per ſeipſum aliquid faciat, quo quidquam præſtantius inter ea inveniatur, quæ per Chriſtum facit, præter id, quod in tuæ enunciationis primo peccato exponendo dictum eſt (id enim multo magis hic locum habere poteſt, ubi & præſtantioris & minus præſtantis operis præcipuus auctor eſt ipſe Deus.) Dico ad Dei potentiam exaggerandam maxime pertinere, ſi per alios, quibus ipſe vim omnem operandi, qua pollent, conferat, ac ſubminiſtret, præſtantiſſima quædam opera faciat, quæ etiam illa excedant, quorum ipſe per ſeipſum eſt auctor. Nam tu ipſe, ut infra videbimus, vis longe præſtantius eſſe opus, vim creandi alicui tribuere, quam ipſum creare, adeo ut hoc operi redemptionis, & aliis, quæ in Chriſto majora, quam ſit ipſa primi hominis creatio, agnoſcis, præſtare omnino velis. Præterea ad Dei bonitatem commendandam plurimum facit, quod ipſe Deus hactenus ſe demittat, ut, cum præſtantiſſima etiam opera per alios faciat, viliora quædam per ſeipſum facere dignetur; præſertim ſi ea ſint ejuſmodi, quæ beneficentiam ejus aliquam inſignem contineant, ut certe continet opus primæ creationis. Atqui nihil majeſtati Dei poteſt decedere, ubi tantopere ejus potentia ac bonitas illuſtratur; quibus duabus rebus patefaciendis, ipſius gloria potiſſimum continetur. Taceo autem, quod in argumentatione tua Chriſto tanquam opus tribuere videris, quod omnium facta & cogitationes noverit. Nam hoc opus aliquod eſſe, nemo arbitror tibi conceſſerit.

E. J.

Equidem non nego, quin multum faciat ad Dei potentiam exaggerandam, ſi per alios res præclaras agat. Verum alterum non ita ſe habet: id eſt, quod dixiſti de ejus bonitate commendanda. Demittit enim quidem ſe Deus & humiliat, verum non in ſe ac ſua perſona, ſed in aliis, veluti in Chriſto & angelis, per quos humano generi quodammodo ſervit. In ſe vero nihil facit, quod indignum ſit ſua immenſitate, & incomprehenſibili majeſtate. Exempli gratia indecorum eſt, ſi Rex ipſe velit ingredi culinam & parare cibos; quod tamen ipſi honeſtum eſt, ſi curet fieri per alios. Opera vero quæ Rex ipſemet in ſua perſona propria agat ejuſmodi eſſe oportet, quæ omnibus aliis & majeſtate & dignitate antecellant, ſi ſuam exiſtimationem apud ſubditos tueri velit. Nam quod, cum coram aliis de quæſtione hac noſtra circa Jeſu Chriſti perſonam diſputaremus, me interrogaſti, an aliquid ſit opus ſuperius & dignius creatione mundi, quod Deo tribuatur tanquam proprium opus, quandoquidem Filio velim utraque tam creationis, quam redemptionis opera aſcribi: Reſpondeo, ut tum feci, eſſe omnino, & quanquam de illis nunc non ſit locus; tamen, data hac occaſione, breviter hic quoque indicabo. Dico igitur, duo opera Dei eſſe propria, quæ creationem & reparationem omniaque opera immediate à Chriſto facta, longiſſime antecedunt. Quorum primum eſt creatio Filii, quando Deus pro ſua infinita potentia ex nihilo produxit creatorem mundi; cum Chriſtus, omni ſua potentia, producere non poſſit, niſi creaturam. Quia enim per Chriſtum Deus omnia condidit, neceſſe eſt, ut credamus, Deum ante Omnia filio ſuo indidiſſe virtutem ex nihilo creandi mundum, angelos, & homines, & hoc Dei opus omnium angelorum & hominum artem longiſſime ſuperat; ac ipſum initium mundi ac rerum omnium antecedit, quemadmodum alterum finem præſentis ſæculi ſequitur. Id vero eſt beatiſſimum illud ac immor-

immortale Dei regnum, quando non ſolum in omnes beatos angelos & homines, ſed etiam in filium ſuum unigenitum æternum regnum obtinebit, ac ſua felicitate luce ac vita complebit; tum videlicet, quando futurus eſt omnia in omnibus. Huic regno Dei opponitur regnum Chriſti; idque præſentis mundi terminis continetur, eo quod incipiat cum creatione mundi, & deſinat cum curſu hujus mundi. Quando enim judicium erit peractum, tradet Filius regnum Deo & patri. Hæc dico duo eſſe opera Dei immediata, quæ per ſe agat, non per alium, quæ ſua magnitudine omnia Chriſti opera excedunt. Volui autem res maximas digitio ſolum monſtrare, cum mihi ſit occaſio de his aliquid dicendi; quorum defenſionem in aliud tempus rejicio.

F. S.

Tametſi verum eſt, Deum per ſe nihil facere, quod indignum ſit ipſius incomprehenſibili majeſtate; non tamen hinc ſequitur, Deum nequaquam per ſeipſum quædam opera facere, quibuſdam minora, quæ per alios facit. Neque enim hoc indignum eſt incomprehenſibili ejus majeſtate. Modo opera, quæ per ſeipſum facit, ſimpliciter conſiderata, vilia non ſint; quemadmodum certe non eſt mundi creatio. Sed tu quod à me dictum fuit comparate, ſimpliciter accipis; id eſt, quod de vilioribus operibus dixi, ſi cum præſtantiſſimis quibuſdam comparentur, tu de ſimpliciter vilibus me dicentem facis; & idcirco ſimilitudinem attuliſti, Regis, qui ipſe ingrediatur culinam, & cibos paret; quod ſimpliciter & per ſe vile eſt, & non tantum Rege, ſed nobili quolibet viro indignum, ſi alium habere poſſit, per quem id faciat. Nec vides interea, ſi ſimilitudo iſta vim ullam ad tuam ſententiam confirmandam habere debet, neceſſe eſſe, ut mundum creare Dei reſpectu, eodem loco ponas, quo ingredi culinam & cibos parare reſpectu Regis. Quod quam abſurdum ſit, ut ipſe oſtendis, qui ipſum opus creandi mundi tanti æſtimas, ut vim id faciendi alii dediſſe pro opere habeas, quod Chriſti opera omnia, ne ipſa quidem reparatione, de qua ſcilicet antea locutus fueras, excepta, longiſſime antecedat. Jam quando Regis ſimilitudinem attuliſti, libet tibi oſtendere, quam tuæ ſententiæ obſit, ſi ea recte utaris, & non ad opera, ab ipſo Rege facta, quæ per ſe & ſimpliciter ſint vilia, ſed ad ea accommodes, quæ, ſi cum aliis quibuſdam comparentur, quæ per alios facit, vilia cenſeri poſſint. Si igitur Rex ipſe non quidem, ut tu dixiſti, ingrediatur culinam & cibos paret, ſed egeno homini ſtipem porrigat, aut quidquam cuipiam ſua manu donet, vel infimorum hominum querelas ipſe audiat atque compeſcat; nunquid rem ſe indignam faciet, quia, ſcilicet, per miniſtros ſuos præſtantiora quædam exequatur? verbi gratia alicujus qui injuſte captivus ab hoſte detineatur, per vim liberationem, juris in cauſſis graviſſimis dictionem, populi ſui ab omnibus malis & injuriis externis defenſionem, & ejuſmodi alia. Nunquid priora iſta, quæ commemoravi, & ſimilia alia per ſe ipſum faciendo, exiſtimationem ſuam apud ſubditos tueri non poterit? An non potius, quemadmodum quibuſdam Regibus eveniſſe ſcimus, ea ratione ſummam humanitatis & bonitatis exiſtimationem, eoque majorem etiam venerationem apud omnes ſibi conciliabit?

Cæterum quod te, cum coram aliis diſputaremus, à me interrogatum fuiſſe dicis; id, niſi memoria me vehementer fallit, ad hunc modum ſe habet. Cum ego ad interrogationem tuam, utrum opus præſtantius eſſet, creatio an redemptio, id ipſum tandem reſpondiſſem, quod quærebas, concedens tibi, redemptionem creationi præſtare; ſtatim intuliſti primum: igitur me id facere quod abſurdum eſſet, id eſt, Chriſto non concedere, quod minus eſt, cum tamen concederem, quod eſt majus; qua de re hic nullam mentionem facis. Deinde vero dixiſti, indignum eſſe Chriſto immediatum aliquod opus tribuere, quo aliud præſtantius ſimiliter immediatum Deo non tribuatur. Ad illud ego reſpondi, nihil prohibere, quominus quis alicujus præſtantioris operis ſit auctor, minus vero præſtantis non ſit, etiamſi circa eandem rem utrumque verſetur, & tuam adverſum me ratiocinationem valde ſum admiratus. Ad hoc vero, poſtquam oſtendiſſem nihil indignitatis ea in re futurum, cum animadverterem neceſſe eſſe ad tuam rationem concludendam (quæ tamen, quo tenderet, nondum videbam) ut opus aliquod Dei immediatum invenires, quod humani generis redemptione præſtantius eſſet; dixi, me libenter ex te cogniturum, quodnam ejuſmodi Dei opus daretur. Quod cum dixiſſem, illico reſpondiſti, hoc nullum aliud eſſe poſſe, niſi creationem creatoris, id eſt Chriſti creationem, cui vim alia omnia creandi indidiſſet. Talis, inquam, tunc fuit, ſi recte memini, argumentatio tua, quam nunc in aliam formam vertiſti. Id quod ſilentio prorſus præteriiſſem, niſi docere voluiſſem, interrogationem meam, quæ omnino commemoranda mihi erat, aut ea prætermittenda, quæ hic de duobus illis immediatis Dei operibus diſſeruiſti, ejuſmodi fuiſſe, ad quam tibi omnino reſpondendum eſſet, ſi rationem contra me tuam concludere velles. Et quidem rectiſſime memini, poſtquam diſputatio eo die peracta eſt, & omnes ex loco, ubi habita fuerat, diſceſſimus, me cuidam ex illis, qui interfuerant, dixiſſe, non veniſſe mihi in mentem, cum diſputaremus, ad tuam argumentationem funditus evertendam dicere, aliud Dei opus inveniri immediatum, quod, ſi bona eſſet ratiocinatio tua, non ſolum mundi creationem, ſed etiam ipſam creatoris creationem, ſi ea alioqui daretur, longe antecederet. Hoc erat redemptoris creatio. Nam certe, ſi creatorem creare plus eſt, quam ſimpliciter creare, ſimiliter redemptorem creare plus erit, quam ſimpliciter redimere; & conſequenter; ſi redemptio creationi præſtat, plus erit creare redemptorem, quam creatorem. Itaque dabitur Dei opus immediatum, quod Chriſti immediatum opus redemptionis antecellat, quamvis Deus nullum creatorem creaverit; quem etiamſi creaſſet, non tamen conſtaret ullo modo, hunc eſſe Chriſtum ſive ipſius Dei filium unigenitum. Hæc, quæ tunc cum communi amico privatim contuli, mihi ipſi omnino fidem faciunt, te eo modo, quo dixi, ratiocinatum prius fuiſſe, & fortaſſe ob eam rem nihil tunc de altero illo immediato Dei opere dixiſſe. Id enim ad ratiocinationem iſtam tibi obfuiſſet, & mihi eam ſimiliter evertendi modum præbuiſſet, nec neceſſe mihi fuiſſet ad hanc illius evertendæ rationem aliud quoddam immediatum Dei opus excogitare, quod redemptione Chriſti ſuperius dignitate tibi ipſi eſſe videretur. Quidquid ſit, quoniam tu defenſionem eorum, quæ hic dixiſti, in aliud tempus rejicis; ea diligentius non examinabo; præſertim cum alioqui univerſa argumentatio tua abunde confutata videatur. Id tantum dicam, me magnopere mirari, te inter immediata Dei opera, quæ longe præſtantiſſima ſint, non commemoraſſe iſtud, quod ego dicebam, redemptoris, videlicet, creationem, & ſimul Jeſu Chriſti hominis exaltationem, qua neſcio an ullum excellentius & mirabilius Dei opus vel cogitatione quidem comprehendere quiſquam poſſit.

E. J.

Nonum Argumentum. Adduco duo loca, quæ Chriſto tribuunt ſui ipſius ex morte reſuſcitationem, Joh. 10. *Nemo tollit à me animam meam; poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſum eam aſſumendi.* Et Joan. 2. *Deſtruite templum hoc; & tribus diebus reædificabo illud.* Hinc igitur probo, Chriſtum ſua virtute ex morte reſurrexiſſe, & fuiſſe aliquid in Chriſto eſſentiale, quod corpus mortuum in vitam revocaret, eum vero fuiſſe filium Dei unigenitum, per quem ſecula ſunt condita, & vita angelis & hominibus inſpirata.

F. S.

Fateor, me nullo modo percipere poſſe, quomodo

ex eo,

ex eo, quod in Chriſto aliquid eſſentiale fuerit, quod corpus ejus mortuum in vitam revocaret, colligas, in eo fuiſſe filium Dei unigenitum, per quem ſæcula ſint condita, & vita angelis, & hominibus inſpirata. Quamvis enim alioqui veriſſimum ſit, Chriſtum & fuiſſe, & eſſe filium Dei unigenitum; tamen non video, cur eſſentiale illud, quod in ipſo fuerit, à quo ejus mortuum corpus in vitam fuerit revocatum, aliquid aliud eſſe non potuerit, præter filium Dei unigenitum; &, ſi filius Dei unigenitus fuit, cur neceſſe ſit, per eum ſæcula, id eſt, ut tu ſine dubio intelligis, mundum viſibilem, & inviſibilem fuiſſe conditum, & vitam angelis, atque hominibus inſpiratam. Ego ſane, qui Chriſtum ipſum Dei filium unigenitum eſſe & agnoſco, & contendo, (non autem in ipſo tanquam aliquid eſſentiale Dei filium unigenitum fuiſſe, ut tu loqueris, præter omnem Sacrarum Literarum conſuetudinem) non tamen concedo, alia ſæcula per ipſum fuiſſe condita, quam ea, quæ ſunt nobis futura æterna; nec angelis ullam vitam ab ipſo inſpiratam eſſe cenſeo, niſi quatenus eorum poteſtas à Chriſti poteſtate poſt ejus exaltationem pendet; quemadmodum in reſponſione ad ultimum tuum argumentum explicabitur, hominibus vero naturalem hanc, quam tu potiſſimum hoc loco intelligis, eum inſpiraſſe, non credo; id enim ſoli Deo ejus patri acceptum referendum cenſeo. Itaque poſſum, ſi velim, tibi concedere, ex locis, quos attuliſti, probari aliquid eſſentiale in Chriſto fuiſſe, quod corpus ipſius mortuum in vitam revocaverit. Nec tamen quidquam tibi conceſſero, quod meo judicio vim ullam id concludendi habeat, quod tu ex eo concluſiſti. Atque in eadem hac ſententia arbitror fore eos omnes, qui vel argumentandi rationem recte noverint, vel in rebus Philoſophicis & divinis fuerint exercitati. Apparet autem præter alia argumentationis vitia, te pro conceſſo in ea ſumere id ipſum, quod à me prorſus negatur, & in quæſtione noſtra vertitur: filium videlicet quendam Dei unigenitum eſſe, per quem cœlum, & terra ipſa fuerit condita, & vita angelis & hominibus inſpirata, quaſi non de hoc, ſed de eo controverſia noſtra ſit, utrum iſte filius Dei unigenitus fuerit in Chriſto nec ne. Quocirca nihil eſt omnino, quod me cogat, ad locos quos citaſti quidquam præterea reſpondere. Verumtamen, quia neque etiam ex locis iſtis id colligi debere exiſtimo, quod tu collegiſti, de re illa eſſentiali, quæ in Chriſto fuerit, nec inde probari poſſe quidquam eſſentiale in Chriſto fuiſſe, quod in ſingulis Chriſtianis hominibus non ſit, id quod in re theologica non minimi momenti eſſe videtur; idcirco paullo diligentius eos mihi examinandos cenſui.

Dico igitur, ut à poſteriore incipiam, non poſſe ex loco iſto quidquam ſolidi in religionis noſtræ dogmatis conſtituendis elici, ſi quis in verbis ipſis prorſus hærere velit. Eſt enim ſermo totus metaphoricus & allegoricus; in cujuſmodi ſermonibus non ſunt verba ſecundum ipſum ſenſum allegoricum ſuperſtitioſe obſervanda. Quippe quorum aliqua nonnunquam rei veritati non per omnia reſpondeant; ſic nimirum inſtituta metaphora ſive allegoria ferente, atque exigente.

E. J.

Loci ſententia eſt perſpicua. Neque enim negari poteſt, Chriſtum per templum intelligere ſuum corpus, ſibique ejus ex morte ſuſcitandi poteſtatem vendicare.

F. S.

Loci ſententiam perſpicuam eſſe non nego. Immo hinc colligo, non poſſe ex ipſo loco illud elici, quod tu putas. Nimirum quia non ſit extra ipſam apertam ſententiam vagandum, & in allegoriæ verbis curioſius Philoſophandum. Loci porro ſententia eſt, Judæis, qui à Chriſto ſignum quærebant, ſignum futurum ipſius reſurrectionem. Nam hoc idem alias dixit Chriſtus Matth. 12. 40, reſurrectionem ſuam nec præterea aliud ſignum iſtis ab ipſo ſignum quærentibus datum iri affirmans, idque, quod de reſurrectione ſua intelligebat, ad ſimilitudinem illius, quod Jonæ Prophetæ acciderat, futurum dicens. Nempe, quia, ſicut fuerat Jonas tribus diebus, & tribus noctibus in ventre Ceti, & poſtea, ſcilicet, inde evaſerat, ſic ipſe futurus eſſet in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, & poſtea, ſcilicet, inde evaſurus foret per reſurrectionem. Unde conſtat, non haberi in hoc ſigno rationem niſi ipſius reſurrectionis: non autem præterea ejus rei, quod Chriſtus ſeipſum reſuſcitaturus eſſet. Nam certe non ipſe Jonas ſeipſum è ventre ceti eduxit; ſed cetus eum, Deo ſic volente & operante, in littus evomuit. Sic etiam non ipſe Chriſtus ſeipſum ex terræ corde ſive inferno exemit, atque eduxit; ſed infernus, eum, ſic Deo jubente atque efficiente, evomuit, & quodammodo viventibus reſtituit. Et ſane nullo modo in hoc ſigno, reſuſcitationis ſui ipſius ratio haberi potuit; cum nemini vel apparuerit, vel apparere potuerit, quod Chriſtus ſeipſum reſuſcitaverit. Signa enim non ſunt ſigna, niſi quatenus iis apparent, quibus ſigna eſſe debent. Adde quod, ubi Scriptura de ratione, qua Chriſtus reſuſcitatus fuerit, diſerte loquitur, quod ſæpe admodum fit, ſemper Deo, nunquam autem ipſi Chriſto hoc opus tribuit.

E. J.

Deo etiam imputatur id, quod fit Dei virtute, ſic Deo tribuitur redemptio mundi, quam tamen non ipſemet confecit, ſed per Chriſtum. Sic omnino verum eſt ac manet, Deum excitaſſe Chriſtum ex mortuis, etiamſi id fecerit Chriſtus virtute ſibi à Deo indita.

F. S.

At enim redemptio, quæ Deus tribuitur, eadem Chriſto quoque apertiſſime aſcribitur. Nec enim ego, Chriſtum ſeipſum non reſuſcitaſſe ex eo ſolo ſum argumentatus, quod Deus id feciſſe dicatur: ſed quod præterea nullo in loco, cum ita frequenter ea de re verba fiant, Sacris Scriptoribus in Novo Teſtamento hæc reſuſcitatio ipſi Chriſto tribuatur quod nullo modo futurum fuiſſe eſt veriſimile, ſi ipſe ſeipſum reſuſcitaſſet. Præſertim quia, etiamſi nuſquam ſcriptum eſſet, Chriſtum nos redemiſſe, aut aliquid ſimile; nihilominus id ex tota religionis ipſius Chriſti ratione apertiſſime conſtaret; & tamen id diſerte commemorare non omiſerunt prædicti divini ſcriptores, immo frequentius Chriſto, quam Deo redemptionem noſtram tribuerunt. Quanto igitur magis non omiſiſſent reſuſcitationem ſui ipſius, quam Chriſtus feciſſet, commemorare, cum ea ejuſmodi ſit, quæ non ſolum ex ipſa ratione religionis noſtræ nullo pacto conſtet, ſed plane ridicula atque abſurda atque adeo impoſſibilis eſſe videatur? Quid enim magis vel riſu dignum, vel à veritate alienum aut videri, aut eſſe poteſt, quam eum, qui mortuus ſit, ſeipſum in vitam revocare? Atqui, teſtibus iiſdem divinis ſcriptoribus, ſcimus, omnino ipſum Chriſtum, ipſumque Dei filium mortuum revera fuiſſe, antequam reſurgeret, id eſt in vitam revocaretur. Nam nec fieri poteſt, ut quis revera in vitam revocaretur, qui non ſit revera mortuus. Quem tu tamen Dei filium, minime tunc fuiſſe mortuum, neſcio quo pacto, affirmare audes; cum illi tribuas, quod corpus ſuum in vitam revocaverit. Nam ſi dicas, idcirco Dei filium mortuum fuiſſe dici, quia ejus corpus mortuum fuerit; Reſpondeo, hanc loquendi figuram inſolentiſſimam eſſe, nec ulla ratione admitti poſſe. Quemadmodum iis, qui hominum animos immortales eſſe ſtatuunt, nulla ratione dicere licebit, alicujus animum mortuum fuiſſe, eam ſcilicet ob cauſſam, quod corpus, cum quo animus conjunctus erat, fuerit mortuum; nec quiſquam ita ſentientem & loquentem ferre unquam poterit. Nec vero te moveat, quod in teſtimonio à te citato ea verba ſunt, *Et ego in tribus diebus erigam illud*, quibus ipſi Chriſto reſuſcitatio ſui ipſius tribui videtur. Nam præterquam quod, ut initio dixi, in hujuſmodi allegoricis locutionibus non eſt neceſſe, verba, & ſententiam ſibi per omnia reſpondere; ac præterea non potuit Chriſtus, ſi in cepta metaphora perſeverare volebat, aliter loqui;

qui ; quemadmodum pluribus verbis oſtenſum eſt in defenſione, quæ paratur, noſtrarum animadverſionum in Aſſertiones de trino & uno Deo collegii Poſnanienſis. Præter hoc, inquam, eſt locus in Sacris Litteris, ubi de fidelibus Chriſti mortuis tale quid dicitur ; adeo ut ibi non minus illis, quam hic ipſi Chriſto tribui videatur, quod ſeipſos in vitam revocent. Eſt is locus Luc. cap. 17. 33. Ubi dicitur, quod *qui perdiderit animam ſuam* (nempe propter Chriſti fidem) *vivificabit illam.*

E. J.

Senſus loci citati eſt, fideles eo ipſo quod pro Chriſto patientes moriantur, hoc conſequi, ut vitam æternam adipiſcantur : contra, eos qui id facere recuſant, non ſolum æternam non adipiſci, ſed etiam hac temporali tandem ſpoliari. Non igitur tribuitur fidelibus ea vis, qua ſe ipſos vivificent ; verum quia in ipſis eſt ea obedientia, quam Deus æterna vita compenſat, dicuntur ipſi id facere, quod Deus ſine ipſis facit. At* *illo* prorſus ſenſu Chriſtus dicitur ſemetipſum excitare ; nec ſimilis formula de ullo Chriſtiano in ſacris reperitur. Timotheus, fideliter docendo, ſervabat eos, qui ipſius doctrinæ obtemperabant. At non erat in eo vis ſervandi auditores ; ſed Deus externo illo inſtrumento utebatur, ad ſalutem impertiendam credentibus, quam ob cauſſam dicitur ſervare. Sic Apoſtoli edebant miracula non virtute ſibi inſita, ſed invocato Chriſti nomine. At Chriſtus reſuſcitat mortuos virtute ſibi inhærente, quanquam à Deo indita, non quæ foris, aut extra ipſum eſſet. Ita etiam habuit in ſe poteſtatem fugiendi mortem & vitam corpori ſuo reſtituendi.

F S.

Dum ſententiam loci à me allati explicare conaris, interim aliqua ratione ejus vim ad id, quod volo, probandum confirmas. Nam, ſi non recte tribuitur ibi ea vis fidelibus, quod ſeipſos vivificent ; ſed dicuntur ipſis id facere, quod Deus ſine ipſis facit ; cur ſimiliter dicere non poterimus, Chriſtum, in loco à te allato, non tribuere revera ſibi eam vim, quod ſeipſum eſſet reſuſcitaturus, ſed ſeipſum id facturum affirmare quod Deus ſine ipſo facturus eſſet, præſertim, cum idem Chriſtus ſit, qui utrobique loquitur? Reſpondebis (opinor) quemadmodum ex ſententia potius, quam ex verbis tuis intelligi poteſt, in loco à me allato, etiam quod ad ipſa verba attinet, non ſignificari actionem ullam illius, qui perdiderit animam ſuam propter Chriſtum, quæ actio futura ſit poſtea ; ſed tantum dici ; quod is, qui id fecerit, eo ipſo facto vivificabit animam ſuam, id eſt, animam ſuam perdendo, cauſſa erit, ut illa vivificetur. At vero in teſtimonio à te prolato, actionem reſuſcitandi corpus ſuum aperte Chriſto tribui, poſtquam corpus fuerit mortuum : Itaque non poſſe ibi illam loquendi figuram eſſe, quam in loco à me citato dixiſti. Sic, inquam, ut conjicio, ad ratiocinationem meam ex verbis tuis ductam reſpondebis. Atqui nullo pacto affirmari poteſt, in loco, quem ego attuli, nullam, quod ad ipſa verba attinet, actionem ſignificari illius, qui animam ſuam perdiderit, quæ actio futura ſit poſtea. Nam hæc verba, *qui perdiderit animam ſuam, vivificabit eam*, non minus ita poſſunt accipi, ac ſi dictum fuiſſet, Poſtquam perdiderit, vivificabit, quàm, perdendo vivificabit, immo illo potius, quam hoc modo, accipienda eſſe, ſuadet locus ſimilis Matth. 16. 25. ut dicam in examinatione alterius tui teſtimonii. Quare agnoſcere potes, reſponſionem iſtam, quam ego ex ſententia tua tibi tribuo, non eſſe firmam. Hanc vero ſi reſpuas, non video ſane alioqui, cur nolis formulas loquendi horum locorum ſimiles, cum quod in tuo loco eſt Erigam ſive Excitabo illud, in meo ſit Vivificabit, aut, ſi vim Græci verbi ζωοποιῶ ſpectes, Vivam producet, ſeu gignet illam. Nunquid enim plus efficacitatis habet verbum Erigendi ſive excitandi oppoſitum verbo Deſtruendi, ut in tuo loco, quam Verbum Vivificandi ſeu Vivum producendi oppoſitum verbo Perdendi, ut eſt in meo ? An non utrumque eſt verbum (ut vocant) activum ? An non utrumque vitam quæ alicui detur, alterum metaphorice, alterum vero proprie in locis ipſis ſignificat ? An non ipſe denique animadvertis, qua ratione Chriſtus dixit, fideles ſuos animam, quam pro ipſo perdidiſſent, vivam producturos, eadem dixiſſe, aut certe dicere potuiſſe, ſe corpus ſuum, quod à Judæis deſtrueretur, erecturum ? Etenim, ſi hoc fieri potuiſſe neges, quia in Chriſto ejuſmodi vis fuerit ad corpus ſuum poſt mortem excitandum, quæ non ſit in ullo ipſius fideli ad animam ſuam poſt mortem vivificandam ; hoc nihil aliud eſt, quam manifeſte principium petere. Niſi forte id te ſatis probaſſe exiſtimes, quia exempla quarundam rerum, protuleris, quæ & Chriſto, & fidelibus illius tribuantur : & tamen in Chriſto quidem ſint revera, in ejus vero fidelibus, aut per quendam tantummodo loquendi modum, aut per participationem ab ipſo. Verum iſta exempla nullam vim habere poſſunt, niſi fortaſſe oſtendendi, rem ſic ſe habere poſſe, ut tu dicis ; non autem ſic ſe omnino habere. Immo, rei ipſius habita ratione, de qua diſputamus, nullam vim prorſus habere queunt. Cum aliud ſit loqui de Chriſto vivente, aliud vero de mortuo. Chriſtus vivens & habere potuit, & porro habuit multa, quæ alii non habuerunt. At mortuus, fuit, donec revixit, cæteris omnibus in re ulla habenda par. Id eſt, ut cæteri omnes, pro eo tempore, nihil reipſa habuit. *Pugnant enim hæc duo inter ſe, Aliquid reipſa habere, & Eſſe mortuum, non minus, quam Eſſe mortuum, & Vivere. Quis enim, eum quidquam reipſa habere poſſe dicat, qui non vivat* ? Itaque, quod præterea, quia in exemplis, quæ attuliſti, continetur, Chriſtum reſuſcitare mortuos virtute ſibi inhærente ; ex hoc ipſo per ſe videris concludere, Chriſtum habuiſſe in ſe poteſtatem fugiendi mortem, & vitam corpori ſuo reſtituendi ; hoc, inquam, meo judicio perperam abs te fit. Potuit enim Chriſtus poteſtatem in ſe habere fugiendi mortem : ſed quando, videlicet, vivebat. Nam quomodo fugere mortem poteſt is, qui non vivit ? poſtquam igitur Chriſtus, cum poteſtate iſta uti noluiſſet, mortem non fugit, id eſt, mortuus eſt ; jam poteſtate ipſa tantiſper, dum revixit, deſtitutus fuit. Nec ipſemet corpori ſuo vitam reſtituere potuit ; ſed ut alius quiſpiam, nempe Deus, id fecerit, neceſſe eſt. Atque ut tandem unico verbo ad exempla tua, & rationem iſtam reſpondeam, dico, id omne, quod inde recte concludi queat, tuæ cauſſæ accommodatum, nullum locum habere poſſe, niſi prius conſtet, in Chriſto fuiſſe aliquid eſſentiale, quo alii homines careant. Atqui hac de re non modo nihil conſtat, ſed hoc illud eſt, quod ex Chriſti verbis, de quibus controverſamur, cujus controverſiæ cauſſa iſta à te dicta ſunt, confirmare voluiſti.

Sed, ut de altero tuo teſtimonio jam aliquid ſeparatim dicamus (quamquam id per ſuperiora ſatis dilutum videtur) animadvertendum eſt, verbum. Sumendi, quod in Latinis codicibus legitur, Græcis eſſe λαβεῖν quod verbum, ut apud Latinos Accipere, frequentiſſime nullam actionem ſed paſſionem tantum (ut logici loquuntur) declarat. Quamobrem locus ad hunc modum verti debet : *Poteſtatem habeo ponendi animam meam ; & poteſtatem habeo rurſus accipiendi eam.* Ejus autem ſenſus eſt, Chriſtus, quemadmodum cruentam mortem ſubiturus erat, non quia ſic vellent Judæi, ſed quia ſic Deus volebat, cui ipſe hac in re, ut in cæteris omnibus, ſe obedientem præſtabat ; ita illis invitis, reſurrecturum eſſe, & vitam recuperaturum, ſic Deo volente, à quo ipſe totus pendebat. Illico enim ſubjicit Chriſtus, *Hoc mandatum accepi à patre meo*, & proxime ante dixerat, *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam*, id eſt, *accipiam eam. Nemo tollit eam à me ; ſed ego pono eam à me ipſo.* Quoniam igitur ita animam ſuam, propter ſolum

Dei

* fortaſſe alio.

Dei mandatum Chriſtus volens ponebat, ut eam recepturus eſſet; idcirco ſe poteſtatem habere dixit animam ſuam ponendi, & iterum eam accipiendi. Ubi diligenter ſunt expendenda verba illa, *Propterea me diligit Pater, quia*, &c. Quorum ſententiam eſſe oportet, vel quod inde, tanquam ex effectu, apparet, ſe diligi a Patre; ſimili enim locutione, hoc eodem ſenſu ipſe Chriſtus alibi utitur, cum de muliere illa, quæ peccatrix fuerat, inquit Luc. 7. 47, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; vel quod illa erat cauſſa, cur Pater ipſam diligeret. Utrocumque enim modo verba iſta interpreteris, ſatis liquebit, non ipſum Chriſtum vi aliqua ſibi inhærente ſeipſum reſuſcitaſſe: ſed Deum fuiſſe, qui eum alioqui in morte remanſurum, vitæ immortali ſua potentia reſtituit. Nam, ſi in priorem ſenſum ea verba accipias; nulla Dei erga Chriſtum præſens dilectio ex eo ipſo colligi poterat, quod Chriſtus poneret animam ſuam, ut eam virtute jam ſibi inhærente reciperet. At, ſi ipſe Deus ſine virtute iſta, ſua propria potentia id facturus erat; hinc ſane colligi poterat, quantopere Deus eum diligeret. Rurſus, ſi poſteriore ſenſu verba illa prolata fuiſſe velis; nulla omnino cauſſa eſt, cur Deus Chriſtum eo nomine diligeret, quod mori non recuſaret, ut vi, quam in ſe ipſe jam haberet, ſeipſum in vitam revocaret. Et certe non modo nulla eſt cauſſa, cur propter hoc eum Deus diligeret; ſed hac ratione Chriſti charitas erga nos non minima ex parte minuitur, & egregium ac prorſus incomparabile ejus factum, quod ut nos ſervaret, ſeipſum in interitus periculum adduxerit Joh. 10. 11, & 15. Pſal. 22. Luc. 23. 46. Hebr. 5. 7, plane tollitur; ac denique fides illa, & ſpes in Deum tumma, qua in ipſa morte præditus fuit, una cum piis precibus, quas ipſe Deo obtulit, ut ſe ſervaret à morte, perit penitus atque evaneſcit. At vero, ſi omnis vis reſuſcitationis ipſius à Deo immediate manatura erat, & ipſe Chriſtus nullam in ſeipſo vim id præſtandi erat habiturus; omnia prorſus conſtant; ac potiſſimum Dei erga Chriſtum ſummæ dilectionis cauſſa ex eo apparet, quod Chriſtus mori non recuſaverit, ut vitam denuo acciperet. Sic enim perſpicuum eſt, ipſum Dei bonitati ac promiſſis maxime confiſum fuiſſe, ſuamque ipſius vitam, ut illi obtiberet, ſpreviſſe. Quibus rebus nihil Deo gratius eſſe poteſt. Ut igitur concludamus, dico, cum verbum λαμβάνω ſive Accipio ſæpiſſime nullam accipientis actionem ſignificet, non poſſe ex Chriſti verbis omnino colligi, eum vi aliqua ſibi inhærente animam ſuam recepiſſe, quam poſuerit: ſed potius ex aliis, quæ ipſe ibidem dicit, exque totius rei ratione ſtatuendum eſſe, illum in ea recipienda nihil egiſſe; Nam, etſi Chriſtus dicit, ejus rei ſe habere poteſtatem, ſciendum eſt, hanc locutionem, Habere poteſtatem, ſeu, Sibi datam eſſe poteſtatem, iis etiam rebus accommodari, in quibus quis revera nihil agit, ſed, ut diximus logicos loqui, patitur tantum. Exemplum ſit in illis Johannis Euangeliſtæ verbis de Chriſto Joh. 2. 12, *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri*, &c. Nec enim potuit Johannes hic agere de ea divina filiatione, in qua conſequenda nos ipſi aliquid ſine dubio agimus, de ea, inquam, qua regeneramur in hac vita, & novum hominem induimus; hanc enim jam habent illi, de quibus loquitur: qui, videlicet, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo jam ſunt nati. Sed neceſſe eſt, ut de alia quadam divina filiatione egerit; in qua nimirum nullæ noſtræ ſunt partes, niſi eam accipiendi, id eſt, datam habendi. Hæc vero quæ ſit, ſi recte noverimus, videbimus etiam de eadem re hic agi, de qua in illis Chriſti verbis. Nihil enim aliud eſt filiatio iſta divina, quam beata immortalitas, quam nobis Euangelio ſuo Chriſtus attulit; cujus, in reſurrectione homines in hac vita per Spiritum Dei renati, quales, ipſo Johanne teſte, ſunt, qui Chriſtum ejuſque Euangelium recipiunt, compotes omnino fient. Nam ipſe Chriſtus dixit Luc 10. 36, propter ipſam reſurrectionem iſtos filios Dei futuros; quibus, licet ea in re nihil prorſus agentibus, poteſtatem tamen à Chriſto fuiſſe datam divinæ iſtius filiationis adipiſcendæ, diſerte ait Johannes. Quid igitur mirum, ſi Chriſtus dixerit, ſe habere poteſtatem recipiendi animam ſuam (quod, ut dictum fuit, idem reipſa eſt cum hac divina filiatione, id eſt, beata immortalitate, ſiquidem non amplius moriturus, ſed in cœlo poſtmodum perpetuo regnaturus, Chriſtus revixit, quamvis Chriſtus ipſe revera nihil ea in re acturus eſſet? Nam, ſi quis objiciat, in Chriſti verbis præceſſiſſe, quod haberet poteſtatem ponendi animam ſuam, id quod proprie dictum ſit, & de re, in qua ipſe Chriſtus aliquid acturus eſſet: ac propterea ſatis indicari, verba quoque ſequentia proprie accipienda eſſe, & de re, ubi Chriſtus aliquid eſſet acturus; Reſpondeo, immo præcedentia verba, quæ proprie ſunt dicta, anſam præbuiſſe Chriſto in ſequentibus eadem locutione, licet minus proprie, utendi: atque hac ratione eam in loco, ubi alioqui fortaſſe minus conveniſſet, tolerabiliorem reddi. Quemadmodum in hac eadem reſurrectionis materia idem Chriſtus dixit, quod, qui propter ipſum perdiderit animam ſuam, inveniet eam, Matth. 16. 25. Quia enim præceſſit, *perdiderit animam ſuam*, quod proprie, aut certe uſitatiſſime dicitur, recte ſubjicitur, ut poſterior pars priori elegantius opponatur, *inveniet eam*; quamvis hoc per ſe nec proprie, nec uſitate dicatur. Ubi interim vides, cum de anima recipienda Chriſtus agit, non ſibi tantum, ſed aliis quoque id tribuere, quod proprie acceptum, indicat omnino rem aliquam eſſentialem poſt ipſam mortem manere, quæ tamen non eſt anima, & jam ante reſurrectionem eſſe; immo illum ipſum, qui mortuus eſt, nec dum reſurrexit, adhuc extare oſtendit. Cui loco adde non ſolum, quem antea protulimus, Luc. 17. 33. ſed etiam Mar. 8. 35. ubi ſimiliter Chriſtus ait, eum, qui propter ipſum, & Euangelium animam ſuam perdiderit, eam ſervaturum. Qui locus ut ſuperior ille, plane vim & actionem præ ſe fert ſeipſum excitandi à mortuis; ſi modo uterque ita accipiatur, non ut vivificare & ſervare animam ſuam iſtis tribuatur, dum eam perdunt, (quemadmodum tu ſine dubio, ut ſupra diximus, priorem locum accipis) ſed poſtquam eam perdiderunt. Nam hoc potius, quod illo modo, locos iſtos accipiendos eſſe, ſuadet locus ſimilis paullo ante citatus, ubi neceſſe eſt verba illa, *qui perdiderit animam ſuam, inveniet eam*, ita accipere, ac ſi additum fuiſſet, non quidem, dum eam perdiderit, ſed, poſtquam eam perdiderit. Atque ex his omnibus tandem intelligere potes, ex teſtimoniis tuis nihil ſolidi poſſe elici ad id probandum, quod quærebas; neque in illis quidquam Chriſto tribui, quod alibi omnibus ejus fidelibus non tribuatur; & propterea, uti prædixeram, ex illis nihil eſſentiale, ſive ante ſive poſt mortem, in Chriſto fuiſſe, concludi poſſe, quod in ſingulis non ſit Chriſtianis.

E. J.

Decimum Argumentum. Eccleſia tam Veteris quam Novi Teſtamenti non eſt ſine capite Chriſto. Ergo Chriſtus exiſtebat jam tum cum vetus Eccleſia erat. Alioqui non potuiſſet eſſe ejus caput.

F. S.

Nego iſtius tui argumenti aſſumptionem, quatenus in ea pro conceſſo ſumitur, Chriſtum veteris eccleſiæ caput fuiſſe.

E. J.

Videtur aſſumptio mea probari poſſe ex eo, quod membra capite egent, quod illis det vitam, nec ſine eo conſiſtere poſſunt. Membrorum autem Eccleſiæ caput Deus, ex quo omnis vita manat, eſſe non poteſt, niſi per mediatorem Jeſum Chriſtum. Cum enim Deus nulli ſit caput & vita, niſi quem amet, & omnes homines ſint per peccatum à Deo alienati, non eſt quoque caput ulli, niſi beneficio mediatoris.

F. S.

In hac tua probatione rurſus quædam, ut conceſſa, ſumis,

ſumis, quæ uullo modo ſunt tibi concedenda. Primum enim pro conceſſo ſumis, veterem eccleſiam tanquam membra unius corporis fuiſſe, inter quæ non eſſet caput; ita ut per ſe ipſa conſiderata, ſine capite eſſet. Atqui animadvertendum eſt, metaphoram iſtam corporis, quod per ſe caput non habeat, non fuiſſe eccleſiæ veteri unquam accommodatum, ſed tantum novæ. Ex quo fit, ut, ſi quis negaverit, veterem eccleſiam fuiſſe tanquam corpus quoddam multorum & variorum membrorum, vel, ſi tamen non fuit, non ceſſerit, eam per ſe inter membra ſua caput non habuiſſe, nihil inventurus ſis, quo iſta evidenter probes, & ex Sacris Litteris, quemadmodum hic fieri decet, deſumpta oſtendas. Deinde ſumis pro conceſſo, peccata hominum apud Deum nunquam expiata fuiſſe, niſi per mediatorem: Poſtremo, hunc mediatorem, eſſe Jeſum Chriſtum; cum tamen non modo hæc nuſquam in Sacris Litteris ſcripta extent, ſed frequentiſſima in illis de peccatorum expiatione apud Deum ſine ulla mediatoris mentione, teſtimonia legantur; nec in univerſo teſtamento veteri & novo quidquam de Jeſu Chriſto, ut ante novum fœdus mediatore, ſcriptum legatur; Immo in Novo Teſtamento teſtimonia ſint ſatis aperta, quod Chriſtus novi, non etiam veteris, fœderis mediator fuerit.

E. J.

Cum mihi ea abs te negari videam, quæ minime negari oportere exiſtimabam, non ultra progrediar.

F. S.

Ego ſimiliter, etſi ſcio, ea, quæ tibi non conceſſi, tibi eſſe cum plurimis communia, tamen, cum manifeſte videam, ea ejuſmodi eſſe, quæ, ſi quis animum advertere velit, ſaltem incertiſſima eſſe omnino ſit faſſurus; iis, quæ dixi, nihil addam amplius; nec teſtimoniis ipſis in medium prolatis ipſorum falſitatem oſtendam. Tametſi video, te idcirco potiſſimum veritatem ejus quæſtionis, de qua diſputamus, nondum perſpicere poſſe, quod nondum veteris & novi fœderis diſcrimen recte tenes; quemadmodum mihi planum faciunt ea, quæ in hoc argumento concludendo & confirmando dixiſti. Quibus plene confutatis, ſperarem fieri poſſe, ut verum utriuſque fœderis diſcrimen agnoſceres, & porro mecum in præſente diſputatione conſentires. Sed alias fortaſſe hac tanta de re, Deo volente, pluribus agemus.

E. J.

Undecimum Argumentum. Propono dicta 1 Joh. 4. *Per hoc patefacta eſt charitas Dei erga nos, quod filium ſuum unigenitum miſit in hunc mundum.* Gal. 4. *cum venit plenitudo temporis emiſit filium ſuum natum ex muliere.* Hinc colligo Chriſtum habuiſſe ſuam exiſtentiam, antequam naſceretur ex virgine, quia dicitur uuigenitus Dei filius eſſe emiſſus in mundum, & natus ex virgine. Nam qui non ſit antequam naſcatur, is non dicitur emitti ad naſcendum.

F. S.

Deus bone quid audio? quemquam ne emitti ad naſcendum? Quis unquam ita locutus eſt? Certe teſtimonia à te prolata non dicunt, Chriſtum fuiſſe emiſſum ad naſcendum. Sed dices, hanc eſſe tuam interpretationem. Mirabilis vero interpretatio iſta eſt, quæ Paulum ejus contrarium dicentem facit, quod aperte dicit. Is enim, ut tu ipſe ejus verba recitaſti, dicit, Deum emiſiſſe, filium ſuum natum ex muliere. Atqui is, qui natus emittitur, jam natus eſt, cum emittitur. Qui vero emittitur ad naſcendum, (ſi modo ita loqui licet) cum emittitur, nondum eſt natus. Niſi te eruditum hominem eſſe jam perſpexiſſem, cogitare potuiſſem, num fortaſſe vocem Natum in Latino codice pro ſupino, quod vocant, non autem participio accepiſſes, &, quemadmodum, exempli gratia, recte dicitur, Mittere aliquem præliatum contra hoſtes, pro, ad præliandum contra hoſtes, ſic credidiſſes, hoc loco, nova quadam latinitate, dictum fuiſſe, Deum miſiſſe filium ſuum natum ex muliere, pro, ad naſcendum ex muliere. quanquam tu in loci verbis recitandis non Mittendi, ſed Emittendi verbum extuliſti, quod ad locutionem iſtam non perinde videtur accommodatum. Hoc, inquam, niſi, præter quædam tua verba, de quibus mox agemus, eruditio tua, plane me abſterruiſſet, de te cogitare fortaſſe potuiſſem. Nam alioqui ſane non video, quomodo non veritus fueris apertiſſima Pauli verba tam inſigniter pervertere, eaque interpretando corrumpere. Verum quidem eſt, in teſtimoniis, quæ protuliſti, dici, ut ais, filium Dei unigenitum eſſe miſſum ſive emiſſum in mundum, & ex muliere, id eſt, ex virgine eſſe natum, ſed non tamen hoc ordine, quem tua verba indicant: quaſi miſſio anteceſſerit nativitatem. Immo Paulus, apud quem, non etiam apud Johannem, miſſio una cum nativitate commemoratur, aperte, ut dictum eſt, nativitatem miſſioni præceſſiſſe ſignificat. Sed quoniam, ut appareat, tu in eo etiam ſolo, quod Dei filius miſſus fuerit à Deo in mundum, magnam vim eſſe exiſtimas ad oſtendendum, quod Dei filius, jam exiſteret, antequam naſceretur ex virgine, quaſi id complectatur, Mitti in mundum, quod ipſe Chriſtus alicubi appellat, Naſci in mundum Joh. 16. 21. Dico, te hujus locutionis, Mitti in mundum, apud Sacros Scriptores vim neutiquam eſſe aſſecutum. Ea enim, ut alii loci indicant, in quibus vel ipſa, vel aliæ ſimiles locutiones inveniuntur Joh. 18. 37. 2 Joh. 4. 1. quales ſunt Venire in mundum, Exire in mundum, non complectitur naſci in hunc mundum, ſed ad munus aliquod inter homines obeundum mitti, ſine ulla controverſia, ſignificat. Nam nulla ratione, Naſci in hunc mundum, ea locutione comprehendi, vel ille locus oſtendit, Joh. 17. ℣. 18. *ſicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum.* Certe enim Apoſtoli non tunc fuerunt à Chriſto in mundum miſſi, cum in hunc mundum ſunt nati.

E. J.

Chriſtus emiſit Apoſtolos è Judæa in univerſum mundum. At Chriſtus miſſus eſt è cælo in mundum. Præterea opponuntur inter ſe deſcendere de cælo, & venire in mundum. Iterum relinquere mundum & redire in cælum: & ſi primum non accipitur de loci mutatione, nec ſequentia commode poſſunt, quod tamen neceſſe eſt.

F. S.

Cum differentiam iſtam conſtituis inter miſſionem, qua miſſi ſunt Apoſtoli in mundum, & miſſionem, qua Chriſtus ſimiliter miſſus eſt in mundum; jam non amplius ex teſtimoniis a te allatis argumentaris; in quibus ſimpliciter dicitur, Chriſtum miſſum fuiſſe in mundum, non addito videlicet, unde miſſus fuerit, quemadmodum nec additum eſt, unde Apoſtoli fuerint miſſi, ubi miſſi fuiſſe in mundum dicuntur. Adde quod ex teſtimonio à me prolato, ſatis conſtat, ejuſdem generis fuiſſe miſſionem Apoſtolorum in mundum, cujus fuerat miſſio Chriſti. Hoc enim ex particula Sicut aperte colligitur. In hac ſiquidem re ſaltem, ſi non in alia, ſimilitudinem inter utramque miſſionem ea particula oſtendit. Atqui, ſi miſſio Chriſti in mundum, fuit eum de cælo mittere, ut, ſcilicet, ex virgine naſceretur, profecto, cum certum ſit, Chriſtum non tum prædicaſſe Euangelium, cum in virginis utero conciperetur, & ex ea naſceretur; hoc miſſionis genus nihil habet commune cum miſſione Apoſtolorum. Qui ideo miſſi in mundum ſunt dicti, quia ad prædicandum Euangelium miſſi fuerant. In quo etiam nulla mutationis loci habetur ratio. Nam ſi ea tamen intervenit, id ex accidente eſt; quod quidem attinet ad ipſam miſſionem. Poteſt enim quis mitti ad prædicandum Euangelium, nec tamen locum mutare. Quanquam ſatis eſt Apoſtolos jam in mundo fuiſſe. Ut intelligatur, non ſignificari eos locum mutaſſe, cum dicuntur miſſi fuiſſe in mundum; & propterea non ejus generis miſſione miſſos fuiſſe in mundum,

qua Chriſtus eſt miſſus, ſi ideo Chriſtus miſſus in mundum dicitur, quod, locum mutans, de cælo in mundum venerit, ubi antea non eſſet. Id quod, ut dixi, cum Chriſti verbis pugnat; qui miſſionem ſuam cum Apoſtolorum miſſione non ſolum eodem orationis membro complectitur, ſed etiam aperte hanc illi aſſimilat.

Jam vero, quod ais, opponi inter ſe, Deſcendere de cælo & venire in mundum. Iterum relinquere mundum & redire in cælum, recte facis, qui, teſtimoniis omiſſis, quæ antea attuleras, ut pote, quæ prorſus nihil probant; alia producis, quæ aliquid probare videantur, tametſi hoc recta diſputandi ratio & lex non patitur; præſertim, cum tu nihilominus interea à prioribus teſtimoniis recedere nolle videri velis, quin potius tuam inde ductam argumentationem confirmare. Quod tamen revera non facis; ſed una cum Novis Teſtimoniis novum etiam argumentum profers. Prius enim ex eo argumentabaris, quod unigenitus Dei filius diceretur, emiſſus in mundum, & natus ex virgine. Nunc autem ex eo argumentaris, quod Chriſtus dicat, ſe deſcendiſſe de cœlo & veniſſe in mundum; idque ita, ut appareat ex ſequentibus, eum de loci mutatione loqui; quippe qui ſtatim ſubjungat, iterum ſe relinquere mundum, & redire in cœlum. Ad quod argumentum convellendum, antequam propius accedam, monendum cenſui primum, Chriſtum non dixiſſe, ſe deſcendiſſe de cœlo, & veniſſe in mundum, nec in eo loco, quem tu intelligis Joh. 16. 28, nec uſquam alibi: ſed, ſe exiviſſe à Patre, & in mundum veniſſe. Aliud autem ſignificare poteſt Deſcendiſſe de cœlo, ſi ſubjiciatur, Et veniſſe in mundum, quam Exiviſſe à Patre, ſi idem ſubjungatur. Deinde, eundem Chriſtum nuſquam diſerte dixiſſe, ſe redire in cœlum; ſed in loco, quem intelligis, ad Patrem ſe ire, affirmaſſe. Quidquid ſit, ut argumenti tui vim ad id, quod quæris, probandum nullam eſſe oſtendam, eo omiſſo, quod, quamvis poſterior pars verborum Chriſti de mutatione loci accipienda ſit, commode tamen, contra quam tu putas, prior de alia re accipi poteſt, nam de hoc jam plura ſcripſi in reſponſione mea ad Volanum, quam videre poteris; eoque ſimiliter omiſſo, quod verba illa *Exivi à Patre*, alium ab eo, quem tu ſequeris, ſenſum habent, eumque planiſſimum, & ab aliis etiam agnitum, atque ipſis Sacris Literis aperte conteſtatum; his, inquam, omiſſis, Dico, concedi poſſe, Chriſtum eo in loco ea ipſa verba dixiſſe, quæ tu illi tribuis, atque adeo dicere voluiſſe, ſe revera ex ipſo cœlo in mundum veniſſe, loci vera & propria mutatione facta. Nec tamen hinc quidquam efficietur, quod tuam ſententiam juvet. Siquidem, ut in reſponſione ad ſeptimum argumentum diximus, potuit Chriſtus, poſtquam natus eſt ex virgine, fuiſſe revera in cœlo, & inde ad munus Euangelii annunciandi obeundum deſcendiſſe, & in mundum veniſſe. Nam, quod Chriſtus in mundum venerit, poſtquam eſt natus, ſatis docere poſſunt ipſius verba illa Joh 10. 37, *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Nec vero, propterea quod jam Chriſtus in mundo fuiſſet, ibique natus & educatus eſſet, dicere non potuit, ſe de cœlo deſcendiſſe, & in mundum veniſſe, cum de cœlo, quo è terra aſcenderat, rurſus in terram deſcendit. Quemadmodum, ſi quis in Polonia natus & altus, in Germaniam poſtea iret, ibique aliquandiu commoratus rurſus in Poloniam veniret, rectiſſime dicere poſſet, ſe ex Germania diſceſſiſſe, & in Poloniam veniſſe. Quanquam nihil vetat, quominus, licet Chriſti verbis, ut à te concinnata ſunt, Deſcendiſſe de cœlo loci mutationem ſignificet; id tamen, quod ſubjicitur, Et in mundum veniſſe, eo ſenſu dicatur, quem locutione iſta aut ſimili ſignificari apud Sacros Scriptores antea diximus, & ad Euangelii prædicandi munus, quod, poſtquam de cœlo deſcendiſſet, obire inceperit, omnino referatur. Adeo autem perpetuam eſſe arbitror, quam ſupra dixi, iſtius locutionis ſignificationem in Sacris Literis, ut nihil dubitem, quin in loco illo apud Johannem Joh. 1. 9, *quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, non *venientem*, ſed *veniens* legendum ſit: Nam legi poſſe, cum animadverſum eſt à multis, tum Græcum exemplar conſulenti manifeſtum eſt: Ut nimirum participium illud non ad omnem hominem referatur, ſic enim ſignificationi iſti non eſſet locus, ſed ad Lucem. Nam alibi quoque lux illa, nempe Chriſtus, in mundum veniſſe dicitur Joh. 3. 19. XII. 46; quatenus ſcilicet Chriſtus, Euangelii prædicatione & confirmatione, mundi tenebras illuminavit. Sed de his hactenus.

E. J.

Duodecimum Argumentum. Adduco locum Johan. 12. ubi Johannes citat teſtimonium ex Eſaia cap. 6. & applicat Chriſto, teſtans, Eſaiam vidiſſe gloriam ejus, & locutum eſſe de eo: unde colligo Chriſtum fuiſſe in Veteri Teſtamento, qui ſit allocutus Prophetas.

F. S.

In verbis illis iſtius loci, *quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo*, relativa Ejus, & Eo poſſunt commode illum Dominum referre in prioribus Eſaiæ verbis ibi recitatis nominatum, vel potius eum, (qui tamen idem eſt) qui in poſterioribus loquens inducitur, id eſt, Deum. Et ſane in Græca Rob. Stephani editione in folio (ut vocant) annotatum eſt in margine, nota quadam id ſignificante, codicem quendam vetuſtiſſimum in Italia ab amicis typographi collatum pro τὴν δόξαν αὐτοῦ id eſt *Gloriam ejus*, habuiſſe τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, id eſt, Gloriam Dei. Eadem lectio adnotata eſt in margine codicis Græci editi à Chriſtoph. Froſchovero Tiguri anno 1559. Et ego habui quondam in Italia Græcum codicem manu ſcriptum antiquiſſimum & elegantiſſimum, quem mihi eripuit quidam, in quo, niſi me memoria fallit, eadem lectio in ipſo contextu conſignata erat. Sed, etiamſi hujus antiquæ lectionis nullum prorſus indicium extaret, & vulgata lectio omnino retinenda eſſet; jam dixi, quomodo Johannis verba commode ad Deum referri poſſint.

E. J.

Ipſe contextus hoc poſtulat omnino, ut de Chriſto hæc verba accipiantur. Præcedit enim ſermo de incredulitate Judæorum, quod Chriſto tot ſigna edenti non crediderint. Ac ne cui id novum videri poſſit, adducit teſtimonium Eſaiæ, qui jam olim prædixit ita futurum. Verum ne quis Johanni objicere poſſit male accommodari dictum Eſaiæ iis rebus, quæ tum à Chriſto gerebantur, addit expreſſe, Eſaiam de Chriſto locutum eſſe, ideoque alienum a ſuo inſtituto non eſſe illud teſtimonium. Præterea ſequentes verſiculi 42, 43. de Chriſto loquuntur; nec poteſt ab his 41. ſecludi.

F. S.

Quod præcedat ſermo de incredulitate Judæorum, ad quam Eſaiæ teſtimonium accommodetur; hoc nihil aliud poſtulat, niſi, ut Eſaiæ teſtimonium ad tempora Chriſti pertineat, tunc videlicet, cum in terris agens Judæis concionatus eſt, & tunc potiſſimum vaticinatio illa ſuum exitum habuerit. Sed, quod poſtrema illa Johannis verba magis ad Chriſtum, quam ad Deum referantur, id nullo modo poſtulat. Quid enim impedit, quominus Eſaias illa verba protulerit, ſeu recenſuerit, cum Dei gloriam vidit, & de ipſo eſt locutus, & interim tamen tota vaticinatio ad Chriſti tempora ejuſque apud Judæos Euangelii prædicationem referatur? Nam de qua Dei gloria, quam ipſe viderit, Eſaias loquatur, aut certe loqui poſſit, poſtea videbimus. Illud hoc loco non omittam, te non ſatis ſolide ratiocinari, cum oſtendere vis, qua ratione ex ipſius Johannis mente ejus verba ad Chriſtum referenda ſint, & ais, ideo Johannem expreſſe addidiſſe, Eſaiam de Chriſto locutum fuiſſe, ne quis ipſi objicere poſſit, quod male iis rebus, quæ à Chriſto gerebantur, Eſaiæ dictum accommodet. Quaſi vero, ſi hoc antea illi objicere potuiſſet, poſtea, propter iſta ejus verba, objici amplius

plius non poſſet. Nam quid, quæſo, probarent Johannis ejuſmodi verba, niſi quatenus ejus auctoritate ſtaretur. Atqui ſi ejus auctoritate ſtandum erat, ne antea quidem id objici poterat. Adde, quod eadem verba Eſaiæ cap. 6. à Paulo ſimiliter ad incredulitatem Judæorum accommodantur, cum illis ab ipſo Euangelium & Jeſus Chriſtus prædicaretur & annunciaretur; nec tamen additur ab eo, quod Eſaias iſta dixiſſet, cum de Chriſto loqueretur aut aliud ſimile quidpiam. Et Chriſtus ipſe eandem prophetiam Eſaiæ in Judæis impletam fuiſſe affirmat Mat. 10. 14. nec tamen iſti tacitæ objectioni ullo modo occurrit. Itaque, ut dixi, ratiocinatio iſta tua nihil firmitatis habet. Cæterum, quod dicis de ſequentibus verſiculis, qui de Chriſto loquantur, nec poſſint à præcedente ſeparari; Ad hoc reſpondeo, iſtam tuam rationem & regulam, quam videris ſtatuere, ut, ſcilicet, pronomina relativa tacita aut expreſſa ad proxima referantur, in ſacris præſertim literis, non eſſe perpetuam: potiſſimum vero apud hunc ſcriptorem fallaciſſimam eſſe; quemadmodum agnoſcet quiſquis diligenter ejus primam epiſtolam legerit, maxime ubi, ut hoc loco fit, de Deo, & Chriſto agitur. Sæpe enim, altero proxime nominato, in relativis tacitis aut expreſſis, quæ ſubjungit, alterum intelligit. Ut, exempli cauſſa, ad finem ſecundi cap. cum dixiſſet, *Et nunc filioli manete in eo, ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus*, illico addit, *Si ſcitis quoniam juſtus eſt, ſcitote, quoniam & omnis, qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt.* Nam, ſicut nemo dubitare poteſt, quin priora verba de Chriſto ſint dicta, ſic nemo erit, qui neget, poſteriora de Deo dicta eſſe; præſertim, cum ſtatim in principio ſequen. cap. ſcriptum ſit. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur.* Sed & paullo ante in eodem cap. 2. mira videtur eſſe confuſio pronominum relativorum, nec ſatis dignoſci poſſe, ad Chriſtumne, an vero ad Deum, ſive ad Filiumne, an vero ad Patrem, hæc, aut illa verba referenda ſint. Præterea dico, 42 & 43. verſiculum nullo incommodo à 41 ſejungi poſſe: immo, ni fallor, debere. Nam quidquid eſt ab illis verbis verſiculi 37. *ut ſermo Eſaiæ*, &c. uſque ad finem verſiculi 41. videtur omnino, per parentheſim legendum eſſe. totum enim hoc teſtimoniis exponendis & confirmandis inſumitur, quibus id, quod antea dictum fuerat, probaretur. Qua re perfecta, ſtatim fit reditus ad ſuperiora, & ſermo cum eo, quod antea fuerat dictum, conjungitur atque connectitur Nemo enim, arbitror, negaverit, verba illa in initio verſiculi 42. *Verum tamen & ex principibus multi crediderunt in eum*, conjungi debere cum ſuperioribus illis verſiculi 37. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum*, ad eaque relationem habere.

E. 7.

Quid igitur cauſſæ fuit, ut Johannes poſt recitata teſtimonia hanc appendicem addiderit, cum omnibus conſtet Dei gloriam in Veteri Teſtamento apparuiſſe, & prophetas de ipſo Deo locutos eſſe? Plane igitur ocioſa & ſupervacanea eſt hæc pars, ſi de Deo intelligatur. Quia vero nemo facile de Chriſto iſtum locum prophetæ intellexiſſet, niſi diſerte fuiſſet Chriſto accommodatus, ideo Johannes hæc verba addidit.

F. S.

Viſa eſt gloria Dei in Vetere teſtamento; ſed (eo nimirum ſenſu, quo Scriptura hanc locutionem uſurpare ſolet) non perpetuo, immo raro, ut mox dicam. Locuti etiam ſunt prophetæ de Deo; ſed non ſemper, nam ſæpiſſime de aliis quoque verba fecerunt; intellige præcipue, ſive, ut loquuntur principaliter. Nam conſequenter, &, ut ſic dicam, acceſſorie, & de Deo fere ſunt locuti, cum tamen de aliis ſermo inſtitutus præcipue eſſet, & rurſus de aliis verba fecerunt, cum tamen de Deo præcipue loquerentur. Id quod unicuique prophetica ſcripta legenti apertiſſime conſtabit Jam vero, quod Dei gloria, quam Scriptura intelligit, cum eam conſpectam fuiſſe dicit, in Vetere Teſtamento perpetuo non apparuit, immo ita raro, ut ſimpliciter loquendo, vix apparuiſſe dici poſſit; indicant inter alios, qui in Scriptura extant, plures loci apud ipſum Eſaiam, in quibus Novi Teſtamenti tempora prædicuntur, & tunc gloriam Dei viſum iri affirmatur. Loci ſunt cap. 35. 2. cap. 40. 5. cap. 60. 1. & 2. & cap. 66. 18. Et alii fortaſſe apud eundem prophetam. Dei autem gloriam tunc videri Scriptura intelligit, cum Deum ſingulari aliqua ratione, & cum ſplendore ac majeſtate quadam eximia ſe præſentem oſtendit. Propterea legitur Exod. 16. 7. *Mane videbitis gloriam Domini*: & 10. *& ecce gloria Domini apparuit in nube*, nempe quia Dei præſentia ſplendida ac magnifica aliqua ratione ibi oſtenſa eſt. Idem habetur Levit. 9. 6. & 23. Num. 14. 10. & cap. 16. 19. & 42. & cap. 20. 6. Vide etiam Exod. 33. 18. ubi Moſes ipſe Deum rogat, ut ipſi oſtendat gloriam ſuam. Sed quid plura, cum certum ſit, Eſaiam eo in loco, ad quem ipſe vis appendicem (quam vocas) Johannis referendam eſſe, id eſt cap. 6. talem de Deo viſionem habuiſſe, qualis cum exhibetur, tunc Dei gloriam apparuiſſe, Scriptura nominatim dicit, idque ad differentiam aliarum Dei, quæ prophetis ipſis contingunt, apparitionum? Nam Ezechiel, cum cap. primo, per totum caput, ſimilem viſionem ſibi juxta fluvium Chebar exhibitam luculenter enarraſſet; non ſolum in initio ſecundi capitis dixit, *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*: ſed etiam, cum poſtea rurſus non diſſimilem viſionem habuiſſet cap. 3. 23. inquit, *Et ecce ibi gloria Domini ſtabat, quaſi gloria, quam vidi juxta fluvium Chebar.* Itaque, ut tandem concludam, dico, Johanni cauſſam addendi, quod Eſaias illa dixiſſet, cum vidit gloriam Dei, hanc fuiſſe, ut indicaret locum in Eſaiæ libro, ubi hæc ſcripta erant. Viſio enim illa magnifica & glorioſa admodum celebrem locum faciebat; gloriaque Dei nominata, quam Eſaias vidiſſet, ſtatim viſio iſta intelligebatur. Nihil enim ſimile nec ante, nec poſt, ei conſpectum fuiſſe legitur. Quod autem adjungit, *& locutus eſt de eo*, id eo pertinet, ut ſciamus, verba, quæ ex eo loco recitaverat, ad id confirmandum, quod dixerat; Judæos credere non potuiſſe, ad ipſum Deum referenda eſſe: verba, inquam, illa, *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*; quatenus ſcilicet Dei conſilio excæcatio iſta, & induratio eventura prædicitur. Quod alioqui non facile animadverſum fuiſſet, cum ſine dubio ultima verba, *& ſanem eos*, ad Deum referenda ſint: ea autem fuerint in prima perſona enunciata, ſuperiora vero in tertia. Unde conſtare videtur, ad alium quempiam ſuperiora referenda eſſe. Id autem eo libentius feciſſe Johannes exiſtimandus eſt, quod Græca editio, qua tunc potiſſimum utebantur, id eſt illa, quæ 70 illis interpretibus tribuitur, locum hunc ejuſmodi verbis expreſſum habebat, ut vix ulla ratione excæcationem, & indurationem iſtam Dei conſilio factam fuiſſe, apparere poſſet. Sic enim in ea editione locus hic habebatur, ut à Luca ſub Pauli perſona recitatur Act. 28. quemadmodum teſtatur Hieronymus in commentariis ſuis in Eſaiam. Sed & hodie in vulgata interpretatione Græca, quam multi illam ipſam 70 interpretum eſſe volunt, ad eum modum legitur.

E. 7.

Fateor mihi hæc nequaquam ſatisfacere.

F. S.

Ego vero non video, cur ea tibi ſatisfacere non debeant, præſertim cum cauſſa quam ipſe in extremis tuis verbis attuliſti, cur Johannes hæc verba addiderit, quia videlicet alioqui nemo facile iſtum locum Prophetæ de Chriſto intellexiſſet (ubi corrigis quodammodo id, quod ſupra dixeras de eo, quod alioqui Johanni objici potuiſſet, & aliquanto tolerabilius loqueris) cum, inquam, iſta cauſſa, ut ante dictum fuit, nullam firmitatem habeat. Non enim ſolum, quemad-

modum oſtendi, fuit à Paulo hic idem locus eidem Judæorum incredulitati accommodatus citra ulla ejuſmodi à ſe addita verba; ſed etiam vix invenies tales additiones unquam à Novi Teſtamenti ſcriptoribus uſurpari, cum ex Vetere Teſtamento locos citant, quos ad Chriſtum ejuſque tempora accommodent; etiamſi ſæpe illi ejuſmodi ſunt, ut multo minus, quam iſte apud Eſaiam, ad rem facere videantur. Cujus generis ſunt illi duo ab eodem Johanne citati Joh. 19. 36, 37, *os non comminuetis ex eo*, &, *Videbunt in quem tranſfixerunt.* Certe, quod Johannes in illis verbis, *quando vidit gloriam ejus*, ad id reſpexerit, quod ego dixi, id eſt, ad ſplendidam & magnificam viſionem illam Dei, quæ Eſaiæ apparuit, ſenſerunt alii quoque ante me. Atque inter hos auctor vel potius auctores annotationum Novi Teſtamenti in Bibliis Vatabli. Namque ad verba iſta ſic ibi annotatum eſt, *Id eſt, hoc prædixit Eſaias, quum vidiſſet magnificum illum ſplendorem in quo apparuerat illi Deus in templo illo imaginario.* Ex qua etiam annotatione, etſi auctor illius, ut veriſimile eſt, Trinitarius erat, tamen conjici poteſt, illum ea Johannis verba non ad Chriſtum ſed ad Deum retuliſſe; cum nihil addatur, unde ſciri poſſit, quomodo id, quod dixerat, ad Chriſtum accommodari debeat.

Hæc profecto ſatis eſſe deberent, ut planum fiat, Johannem de Deo potius, quam de Chriſto, locutum fuiſſe: & ſic tibi ſatisfiat in reſponſione ad argumentum, quod ex iſto Johannis loco duxiſti. At tamen, ut nihil prætermittam, quod à me deſiderare poſſis, Dico, Johannis verba ad Chriſtum, ut tibi placet, referri poſſe, nec tamen hinc quidquam tuam cauſſam adjutum iri. Nam, aut vis Johannem intellexiſſe gloriam aliquam Chriſti ab Eſaia viſam, quæ ex ipſis Eſaiæ verbis colligi poſſit; aut, quæ inde non poſſit colligi. Si nolis, illam inde poſſe colligi, non ſatis prudentem facies Johannem, qui ſe lectorum ludibrio exponat, tanquam, qui ſua ſomnia narret potius, quam id, quod revera fuerit. Qua tamen de re utcumque ſtatuendum ſit, cum qualis fuerit viſio iſta gloriæ Chriſti, quæ ex ipſis Prophetæ verbis non colligatur, nullo modo conſtet, nihil impediet, quominus dicamus, eam futuræ gloriæ fuiſſe, per ſpiritum Propheticum; de quo vide 1 Petr. 1. 11. Ex quo nihil prorſus concludi poterit de Chriſti exiſtentia tempore Eſaiæ, vel antequam ex virgine naſceretur. Sin autem velis, iſtam Chriſti gloriam ex ipſis Eſaiæ verbis colligi poſſe; Tunc rurſus, aut vis, Johannem, cum verba illa addidit, ad utrumque Eſaiæ locum reſpexiſſe, aut ad poſterius à ſe recitatum tantum. Si ad utrumque, apparet, quod ad priore loco citatum attinet, neceſſe eſſe, ut Johannes de futura Chriſti gloria ab Eſaia viſa loquatur. Quandoquidem totum illud caput 53. Eſaiæ loquitur de Chriſto, ut homine; qui, licet coram hominibus deſpectus aliquamdiu eſſet futurus, & turpi morte afficiendus, tamen & apud Deum, propter ſanctitatem atque innocentiam ſuam admirabilem, perpetuo gloriosus futurus eſſet, & poſtmodum, propter ſuam obedientiam, non ſolum apud Deum, ſed etiam apud homines ingentem eamque perennem gloriam adepturus. Cum igitur illa Chriſti gloria ab Eſaia viſa, quæ ex loco iſto colligi poteſt, ejuſmodi ſit, ut ad Chriſtum hominem referri debeat; non eſt ullo modo dubitandum, quin ea, quæ ex altero loco colligatur, ad eundem Chriſtum hominem ſit referenda. Ea vero qualis ſit, ſatis ex loco ipſo intelligi poteſt. Cum enim conſtet, ibi prædici cæcitatem, & duritiam cordis Judæorum in fide Chriſto adhibenda, & ſtatim ſequatur prædictio deſolationis, & vaſtationis illius populi; apparet, Chriſti gloriam ab Eſaia prævisam, glorioſam illam punitionem fuiſſe ſuorum inimicorum, & conſequenter ad alias gentes ſui nominis perilluſtrem propagationem. Quanquam Chriſti hominis futura gloria in illa etiam ipſa Dei viſione Eſaiæ exhibita continetur; ut paullo poſt dicam. Nam, ſi velis, verba Johannis tantummodo ad locum iſtum poſterius citatum referenda eſſe, tunc neceſſe eſt, ut gloria Chriſti ab Eſaia viſa vel in viſione illa contineatur, vel in aliis, quæ ibi prædicuntur. Si in viſione illa continetur: aut ideo continetur, quod Chriſtus ſit ille idem Jehova, qui Eſaiæ conſpectus eſt: aut quia in ea Jehovæ gloria, quæ in viſione illa conſpecta fuit, Chriſti quoque gloria contineatur. Quod Chriſtus ſit ille idem Jehova, te, qui mecum de uno Deo Patre conſentis, dicturum eſſe, in animum meum inducere non poſſum; licet non deſint, ex iis qui tecum ſentiunt, qui omnino velint, Chriſtum in Vetere Teſtamento frequentiſſime Jehovam fuiſſe appellatum, & in locis pœne innumerabilibus id, quod diſerte Jehovæ tributum eſt, ad Chriſtum referri debere; etiamſi nulla rei futuræ prædictio in illis contineatur (nam hoc unum eſt ex pluribus abſurdis, in quæ tandem veſtram ſententiam defendenti deveniendum eſt) quod aliud nihil eſt, quam Trinitariis, vel certe iis, qui Chriſtum ex ipſa divina eſſentia & generatum eſſe & conſtare volunt, aperte favere. Sed hæc relinquamus; & quando ſatis alibi à noſtris hominibus, & à me ipſo demonſtratum eſt, Chriſtum non eſſe illum Jehovam, & ad hunc locum, tanquam, ſcilicet, ſi à Johanne ad Chriſtum accommodatus fuiſſet, à quibuſdam & à me ipſo, ut ſpero, non male reſponſum fuit; concludamus, ſi Chriſti gloria ab Eſaia viſa in illa ipſa viſione continetur, id alia ratione fieri, quam quia is, qui illi in gloria eſt conſpectus, ipſe Chriſtus eſſet: altera, videlicet, illa ratione, quod in illa Jehovæ gloria, Chriſti quoque gloria contineatur. Unde etiam reſponſio patet adverſus illos, qui hinc, propter Johannis verba, Chriſtum, ipſum Jehovam eſſe probari contendunt. Namque intelligendum eſt nimirum, in viſione illa non præſentem, ſed futuram Jehovæ ſeu Dei gloriam apparuiſſe, & Eſaiæ repræſentatam eſſe: gloriam, inquam, illam, de qua, ut ſupra indicavi, idem Eſaias alibi vaticinatur, quod ab hominibus conſpicienda eſſet; quæ etiam in verbis, quæ in ipſa viſione audivit, diſerte commemoratur. Clamabant enim illi Seraphim, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Jehova exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Tunc enim revera omnis terra Jehovæ gloria plena fuit, quando Chriſtus primum Iſraëlis populo apparuit, & deinde prædicatus eſt gentibus per univerſum orbem. Quod ut verum eſſe intelligas, vide ex locis ejuſdem Eſaiæ, quos ſupra notavi, potiſſimum cap. 66. 18. Cum hæc igitur ita ſe habeant, unicuique perſpicuum eſſe poteſt, quomodo in gloria illa Jehovæ ab Eſaia conſpecta ipſius Chriſti gloria contineretur, & ita per illius viſionem Chriſti gloriam, non quidem tunc præſentem, ſed poſt ipſum Chriſtum ex virgine natum & mundo exhibitum futuram, ille viderit. Unde liquet, ex Chriſti gloria, quæ in illa viſione Eſaiæ apparuerit, nullo pacto ipſius Chriſti exiſtentiam, antequam ex virgine naſceretur, probari poſſe. Quod ſi poſtremo Chriſti gloria, quam vidit Eſaias, quæ ex loco iſto poſſit intelligi, non in illa viſione, ſed in aliis continetur, quæ ibi prædicuntur, neceſſe eſt, ut illa non præſens, ſed futura fuerit. Qualis vero illa eſſe poſſit, jam antea oſtendi: id eſt, ejuſmodi, quæ omnino poſt Chriſtum ex virgine natum, extiterit: immo poſtquam Chriſtus, Judæis annunciatus, ab illis rejectus fuit.

E. 7.

Decimum Tertium Argumentum. Prodo teſtimonium, quod extat Hebr. 1. 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Hoc dictum, quia citatur è Pſal. 97. ſatis declarat, Davidem ſuo tempore hortatum eſſe angelos ad laudandum & celebrandum Chriſtum, quod minime feciſſet, ſi ſuo tempore non extitiſſet. Quod ſi quis dicat aliam fuiſſe mentem Davidis, neque hoc argumentum eo Pſalmo tractari: Saltem ex hac citatione colligitur quod ſentit autor ejus Epiſtolæ de Chriſto, eum videlicet reipſa tempore Davidis extitiſſe, & ab angelis adoratum eſſe. Alias minime iſtud Pſalmi teſtimonium citare potuiſſet.

F. S.

F. S.

In Pſalmo 97. quemadmodum alii etiam animadverterunt, eſt vaticinatio de regno Chriſti: idque ſub typo plenæ poſſeſſionis terræ Iſraëlis, quam, devictis ſuis hoſtibus, adeptus eſt David: per quem, videlicet, Deus tunc regnaſſe dicitur. Atque id, quod dixi, de typo Davidis, confirmat prorſus in Græca interpretatione inſcriptio; quæ, ſi Latine reddatur, ſic ad verbum habet, *Pſalmus Davidi, quando terra ipſi reſtituta eſt.* Nam apud Hebræos, ut ibidem ſubjungitur, Pſalmus ille eſt ſine titulo. Id vero, quod dixi, de regno Chriſti ibi prædicto, ſenſit omnino auctor ipſe epiſtolæ ad Hebræos. Et propterea verba, quæ ex illo citat, ad Chriſti regni initium accommodavit; regni, inquam, illius tum primum initi, cum Chriſtus in cælum, devicta morte, & inferno, tranſlatus eſt, & in futurum nobis orbem terrarum introductus; per quem, videlicet, Deus regnat, & regnaturus eſt; quemadmodum oſtendi ſupra in reſponſione ad quinctum argumentum. Quid igitur cauſſæ habes, cur omnino velis, ſi ad Chriſtum verba illa Pſalmi recte fuerint accommodata, ipſum Chriſtum jam tum, id eſt, Davidis tempore, extitiſſe, cum verba iſta, ipſo eodem, qui ea ad Chriſtum accommodavit, teſte, in futurum, ſecundum quidem myſticum ſenſum, quem ipſe aperte ſecutus eſt, prorſus reſpiciant? Nulla equidem ratione videre poſſum, cur tantopere id aſſeveres, immo cur contrarium potius inde colligi non fatearis; ſi modo de Chriſti exiſtentia quidquam inde colligi poteſt. Niſi velis, quia is, de quo verba illa expreſſe dicuntur, eſt, ut quidem videtur, Jehova, Jehova autem jam tum ſine dubio erat; idcirco neceſſe eſſe, ut Chriſtus cui accommodantur, jam tum eſſet. Atqui hæc ratio, eo ſtante, quod modo dixi, quodque certiſſimum eſt, videlicet, in verbis illis eſſe myſticum ſenſum, qui ad futurum tempus referatur, quemque is ipſe, qui ea citat, omnino ſecutus fuerit; nullum momentum habere poteſt; niſi verba illa, quæ expreſſe de Jehova videntur dicta, non aliter ad Chriſtum accommodari potuerint, quam ſi Chriſtus ſit eſſentialiter, ut ita loquar, ipſe Jehova. Hoc autem nec tu ſine dubio vis, & plane falſum eſſe conſtat; cum Sacras Litteras legenti nullum dubium eſſe poſſit, quin & angelis, & hominibus ea non raro tribuantur, quæ ipſius Dei ſunt. Quia, nimirum, ſæpe contingit, ut illi ſint mediæ quædam cauſſæ eorum, quæ vel à Deo erga homines, vel etiam ab hominibus erga Deum fiunt. Sed cum iis, qui hoc, quod palam falſum eſſe diximus, aſſeverare nihilominus non dubitant, quatenus volunt omnino, ut, ſi quid de Deo ſeu Jehova in Vetere Teſtamento dictum, in Novo ad Chriſtum accommodatum fuit, inde neceſſario colligatur, Chriſtum eſſe ipſum Jehovam, cum iſtis, inquam, abunde à noſtris hominibus concertatum eſt: &, exemplis in medium prolatis aliorum, præter Chriſtum, quibus ea tributa fuerunt, quæ Dei ſunt, error iſte confutatus. Id quod aliquanto etiam diligentius fit in ea defenſione, quam dixi à fratribus parari pro Animadverſionibus in Aſſertiones de trino & uno Deo Collegii Poſnanienſis. Tecum vero non ita agere neceſſe eſt: ſed tantummodo te hortari, ut diligenter conſideres ea, quæ ante dixi, de re futura, quæ in verbis illis *& adorent eum omnes angeli Dei*, ſub typo rei præſentis prædicta fuerit; quam, ipſo typo, reque tunc præſente omiſſa, ſolam ſpectaverit auctor illius epiſtolæ; & idcirco ad Chriſtum, licet, cum Pſalmus ille compoſitus eſt, nondum exiſtentem, plane futurum, verba iſta inde ſumpta accommodare non dubitaverit. Nam, cur non ſolum accommodaverit, ſed, tanquam de ipſo Chriſto dicta, acceperit, ſatis demonſtratum eſt, cum ad tuum quintum argumentum reſpondimus.

E. J.

Decimum Quartum Argumentum. Produco initium cap. 1. ad Coloſſen: quod initium diſtinguo in partes duas, quarum prima ỳſ. 16. & 17, agit de prima creatione, quæ facta eſt per Chriſtum. Altera 18, 19, 20. de inſtauratione mundi ſecundum quam Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, & opponuntur inter ſe quæ ỳſ. 16. dicuntur per Chriſtum condita eſſe omnia tum quæ in cælo ſunt; tum quæ in terra, & 20. omnia eſſe per eum reconciliata tum quæ in cælo ſunt, tum quæ in terra. Eſt igitur Chriſtus utriuſque operis effector tum creationis mundi tum redemptionis; ſecus eſſet inanis tautologia.

F. S.

Quas duas partes facis loci, quem attuliſti, eæ non ſunt à re recte conſtitutæ, nec quales ipſe Paulus facit. Is enim toto hoc loco de ſecunda tantum creatione agit, non etiam de prima. Ut abunde à me demonſtratum eſt in reſponſione ad Volanum, & hic poſtea confirmabitur. Quæ ſecunda creatio duas partes habet. Una eſt renovatio rerum intelligentia præditarum cæleſtium & terreſtrium, idque ſingularum per ſe, quatenus potiſſimum illis Chriſtus dominari incepit eaſque regere ac gubernare. Altera eſt earundem renovatio, quatenus per eundem Chriſtum ſunt inter ſe erga Deum reconciliatæ & concordes factæ. Poſterior pars, finalis cauſſa eſt prioris: Prior vero poſterioris cauſſa inſtrumentalis ſive efficiens ſecundaria. Continetur autem prior pars tribus primis verſiculis, 16, 17, & 18. poſterior vero ỳſ. 19, & 20. quamquam priora verba ỳſ. 16. ad utramque pertinent. In illis enim ſummatim proponitur, quod per Chriſtum hæc omnium rerum renovatio ſit facta. Deinde; quia rurſus prior pars renovationis in duo membra dividebatur, quatenus ſcilicet res aut ſunt cæleſtes, aut terreſtres, ſive ut ibidem ipſe Paulus loquitur, aut viſibiles, aut inviſibiles; propterea prius unum membrum explicat, deinde alterum. Explicat prius de cæleſtibus in illis verbis; *ſive throni, ſive dominationes*, &c. uſque ad verſiculum 18. ubi deinde explicat de terreſtribus. Et quemadmodum, in priore membro explicando, dixit, omnes thronos, dominationes, principatus, & poteſtates per Chriſtum creatas, id eſt, renovatas & reformatas eſſe; adeo ut ad ipſum nunc referantur, & ipſe omnibus præſit, & per ipſum omnes conſiſtant; Sic in altero explicando ait, ipſum eſſe caput corporis Eccleſiæ, principium, primogenitum ex mortuis. Sic enim Chriſtus primus omnium à morte in vitam æternam eſt revocatus, ut nemini, niſi per ipſum, idem contingere queat, & ipſe non vivorum modo, ſed mortuorum etiam dominus ſit factus. His dictis ſubjungit ea verba, *ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens*; quæ & ad utrumque membrum hujus prioris partis referuntur, & ſimul, quænam potiſſimum in iis explicandis Apoſtoli mens fuerit, ſatis aperte indicant. Nempe oſtendere, Chriſtum omnibus & cæleſtibus & terreſtribus præeſſe ac dominari, atque hac præcipue ratione omnes per ipſum renovatos ac reformatos fuiſſe. Cum priorem partem iſtius novæ per Chriſtum creationis Paulus executus eſſet, poſteriorem aggreditur. Quæ, quoniam, ut dixi, prioris eſt finalis cauſſa, & ſimul ejus effectus; propterea per particulam Quia eam incipit. Ac ſi diceret: Idcirco, quæ ſuperius expoſui fuerunt Chriſto à Deo attributa, ut id fieri poſſet, quod ſtatim dicam, quodque ut fieret, Deus decreverat; Hoc eſt, ut in uno Chriſto eſſet quidquid ipſe generi humano de ſua erga ipſum benignitate ac voluntate patefieri & exhiberi volebat (hoc eſt enim habitare in Chriſto omnem plenitudinem; quemadmodum oſtendi ſupra in reſponſione ad ultimam ex tuis quatuor prioribus rationibus) atque hac ratione nulla diſcordia amplius inter res cæleſtes, & terreſtres, aut terreſtrium inter ſe eſſe poſſet: ſed omnes ſimul inter ſe reconciliatæ ac concordes factæ per unum Chriſtum in ipſum Deum tenderent. εἰς αὐτὸν enim eſt in Græco; quod *in ſeipſum* ſignificat, non autem *ſibi*, ut Caſtellio & Beza interpretati ſunt, exiſtimantes, hic agi de ipſa reconciliatione cum Deo, nec

interim animadvertentes, nullo pacto dici poſſe, res cœleſtes fuiſſe cum ipſo Deo per Chriſtum reconciliatas, qua de re explicatum eſt à me pluribus in diſputatione illa, quam habui cum Jacobo Coveto de Jeſu Chriſto ſervatore. Ubi etiam, cur Chriſti crucis & ſanguinis in hac cœleſtium, & terreſtrium rerum inter ſe pacificatione mentionem Paulus fecerit, docere ſum conatus: præter id, quod oſtendi, quomodo Dei voluntas pleniſſime in uno Chriſto patefacta, quæ illa plenitudine, ut dixi, continetur, quam omnem in Chriſto habitare Deum voluiſſe, Paulus affirmat, cauſſa fuerit, ut pacificatio iſta extiterit. Vides, ut arbitror, in Pauli verbis haud revera opponi inter ſe, quæ leguntur ℣ſ. 16. & quæ ſcripta ſunt ℣ſ. 20, & nullam eſſe παλιλογίαν, id eſt, ejuſdem creationis repetitionem, etiamſi Apoſtolus de ſecunda tantum creatione agat; cum, quod generatim prius dixerat, per ſuas ſpecies deinde explicet

E. J.

Non ita eſt. Propterea quod in altera parte æque fit mentio omnium quæ in cœlo & in terra ſunt, quam in prima.

F. S.

Atqui ſpecies diverſæ, unde conſtituitur differentia inter priorem, & poſteriorem partem, non ſunt ratione rerum ipſarum (hoc enim eſt tantum in membris duobus prioris partis) ſed ratione ipſius ſecundæ creationis, ſeu renovationis, quæ, diverſo modo conſiderata, duas conſtituit ſpecies. Immo ratio iſta tua & meam ſententiam confirmat, & tuam vehementer labefactat, quod attinet ad hujus Paulini loci explicationem. Nam, ſi utrobique omnium fit mentio, quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, & hac in re utraque pars eſt prorſus ſimilis, ut ex ipſa tua ratione colligitur; ſatis conſtare poteſt, non agi in priore parte de prima creatione, in altera vero de inſtauratione mundi, ut tu opinaris. Neque enim eædem omnes res cœleſtes, & terreſtres ſunt inſtauratæ, quæ etiam primum creatæ. Sed ex illis, quæ primum ſunt creatæ, inſtauratæ ſunt eæ tantum res, quæ intelligentia ſunt prædítæ; adeo ut ingens numerus, immo maxima pars rerum primo creatarum, ad inſtaurationem non pertineat. At vero, ſi in priore parte de renovatione omnium rerum ſecundum unam rationem, in altera autem de eadem renovatione ſecundum aliam rationem agatur, ut ego ſentio, omnia ſibi conſtant; cum omnes res renovatæ ſeu reformatæ ad utramque reformationis rationem pertineant, niſi quod poſſunt ipſi quoque diaboli ad priorem rationem pertinere, ad poſteriorem non item. Cum enim diaboli quoque principatus & poteſtates alibi, adeoque in eadem hac Epiſtola ad Coloſ. ab eadem Paulo manifeſte appellentur Epheſ. 6. 12. Coloſ 2. 15; nihil eſt, quod impediat, quominus eos hoc loco verbis illis complexus fuerit, *ſive principatus, ſive poteſtates*; præſertim cum certum ſit, eos quoque Chriſto à Deo ſubjectos fuiſſe, & per Chriſtum eorum vires, & poteſtatem imminutas atque immutatas. Quæ imminutio, & immutatio licet ipſis diabolis in bonum non cedat, cedit tamen in bonum iis, qui præcipue ad hanc mundi reformationem pertinent, & ipſius univerſæ reformationis pars ſunt, eaque utilis admodum ac conſentanea. Propterea ipſi quoque diaboli reformati per Chriſtum fuiſſe, dici à Paulo potuerunt, ſecundum eam reformationis rationem, quam priore loco expoſuit. Quod ſi iidem, ut dixi, ad alteram rationem non pertinent, quemadmodum alia, de quibus utrobique Paulus loquitur, nihil abſurdi ea in re eſſe videtur, cum ſatis ſit, alia omnia pertinere.

E J.

Ergo reconciliatio ſecundum tuam ſententiam pertingit ad pios & diabolos. Ubi igitur manent homines impii?

F. *S.*

Immo ego diſerte negavi, reconciliationem pertinere ad diabolos. Sed quia tu fortaſſis ab initio credideras, me totum Pauli locum à te allatum, ad reconciliationem referre, propterea tanquam ſi verum eſſet id, quod de me opinatus antea fueras, nunc ita loqueris; quamvis aperte monuerim, me poſteriorem tantum, quam feci, verborum Pauli partem ad reconciliationem referre. Quæ etiam reconciliatio, ut dixi, non ea eſt, qua nos ex Dei inimicis amici facti ſumus (nam de iſta loquitur ſequens verſiculus 21, quem tu, loco Pauli afferendo, nequaquam es complexus) ſed de ea, qua inter ſe res cœleſtes & terreſtres ſunt pacificatæ. Cæterum quod de hominibus impiis interrogas, cum certum ſit, te loqui te iis impiis, qui impii eſſe perſeverant, nihil incommodi habet, ſi illi nec ſecundum priorem nec ſecundum poſteriorem rationem reipſa ſint per Chriſtum reformati; etiamſi Paulus de omnibus hominibus, ſi ejus verba ſpectes, loquatur. Non enim crediderim, teipſum negare, eos ad reconciliationem, de qua Paulus verba facit, minime reipſa pertinere, & tamen certum eſt, Paulum ibi ſuis verbis omnia complecti, tum quæ in cælis, tum quæ in terris ſunt. Quæ loquendi formula tibi non omnes homines tantum, ſed omnes prorſus res, præter ipſum Deum & Chriſtum videtur comprehendere: ſi modo, ut hactenus pro certo habui, & pro conceſſo alicubi ſumpſi, quemadmodum vis, priorem partem ad primam creationem pertinere, ſic eam ad omnium prorſus rerum primam creationem pertinere velis. Quanquam Paulus, cum de reconciliatione iſta & pacificatione, quam dixi, agit, non tam eventum, quam Dei conſilium, ſpectare videtur. Quod ſcilicet Deus per Chriſtum omnia tam cœleſtia, quam terreſtria, inter ſe reconciliare & pacificare cuiaverit: & porro, quantum in ipſo fuit, reconciliaverit, & pacificaverit. Atque hac ratione impii quidem ipſi, qui impii eſſe perſeverant, à verbis Pauli excluduntur. Nam, quod ad alteram reformationis rationem attinet, ſi diaboli, ut ante oſtendi, ad ipſam pertinent, nihil eſt, cur ſimili modo impii quoque ad eam pertinere non poſſint. Itaque tandem agnoſcere potes, quomodo totus Pauli locus de nova ſeu ſecunda creatione commodiſſime accipi poſſit; ad quam omnia quæ Apoſtolus ſine dubio intelligit, id eſt, res omnes intelligentia prædítæ aliquo modo pertineant; nec quidquam eſſe opus ita ejus verba interpretari, ut primum de mundi creatione, deinde de inſtauratione agat.

E. J.

Non eſt ſolus iſte locus Pauli ad Coloſſ. ubi priore loco de creatione mundi agatur, poſtea vero de redemptione, ſed etiam apud Johannem cap. primo idem omnino fit; & inanis committitur tautologia, ſi hoc diſcrimen tollatur. Præterea Vetus Teſtamentum erit clarius novo. Ibi enim nova creatio vocatur, ut in Eſaia cum Dominus inquit. *Ecce creo cœlum novum & terram novam*; ſecus autem fit in novo, ſi tua ſententia vera eſt, & ſi hæc loca quæ diſerte loquuntur de creatione accipienda ſunt de nova creatione. Nam ſi dicas, deeſſe commoda verba, quibus id efferatur, reſponderi poteſt, id nequaquam ita eſſe. Non enim deſunt verba in Vetere Teſtamento, etſi non idonea verba compoſita in promptu ſunt, quibus nova creatio efferatur, aliiſque poteſt verbis ita efferri, ut diſtincte intelligatur id quod res eſt.

F. S.

Quando dicis, apud Johannem cap. primo prius agi de mundi creatione, poſtea vero de redemptione, alioqui inanem committi παλιλογίαν, rogo te, an de creatione prius agi ibi intelligas, *Omnia per ipſum facta ſunt*, &c. an vero ibi, *Et mundus per ipſum factus eſt*. Si in prioribus verbis, non erit iſte locus plane ſimilis loco ad Coloſſ. neque ad eum pertinere poterunt, quæ hic diſputas de verbis, quibus prima vel nova creatio ſignificetur. Non enim ibi, ut in loco ad Coloſſ. dubium eſt de ſignificatione verbi alicujus: utrum, videlicet, primam, an ſecundam creationem ſignificet. Certum eſt enim, etiamſi ibi de prima creatione non

agatur,

agatur, verbum tamen Faciendi proprie, ut ſonat, accipi poſſe; ut quidem à me accipitur. Qui in illis verbis nullum tropum agnoſco; niſi vulgatiſſimum illum, & uſitatiorem in Sacris Literis, quam ſit propria vocabuli ſignificatio, cum voces univerſales reſtringuntur, & ad ſubjectam materiam accommodantur. Quandoquidem arbitror, Omnium appellatione, eo loco, illa omnia ſignificari, quæ ad negotium Euangelii pertinent. Nam hæc tantum, nec præterea alia, eſſe poteſt Johannis ſubjecta materia. Atque idcirco, nihil aliud eum dicere voluiſſe, contendo, quam, quæcumque ad Euangelii negotium pertinentia facta conſpicerentur, ea omnia per Chriſtum facta fuiſſe. Plurima enim ejuſmodi, eaque cæteris præſtantiora, tunc facta fuiſſe apparebant, cum jam Chriſtus corpore abeſſet; quæ tamen per eum, id eſt, ejus poteſtate fuerant facta. Quod ſi intelligis, in poſterioribus illis Johannis verbis agi prius de creatione, jam id non poterit eſſe verum, cum antea de redemptione actum fuerit, ſi non alibi, at certe in proximis verbis, *quæ illuminat omnem hominem veniens in mundum.* Sic enim legi debere ſupra monuimus. Quod dico, non quia multum interſit, utrum de redemptione prius aperte, deinde vero ſub nomine creationis, fuerit actum, an vero contra, quod ad παῤῥησίαν attinet, quam tu interpretationi meæ objicis: ſed quia, cum indubitatum ſit, poſt prædicta verba, *& mundus per ipſum factus eſt*, de redemptione iterum agi, hinc agnoſcere poſſis, non futurum abſurdum, ſi quis ejus loci verba ita interpretetur, ut repetitio aliqua in illis inſit. Quamquam mirum videri debet, quod in Johanne repetitiones, aut παῤῥησίας ipſas tanquam inſolens aliquid admittere nolis; cum plane conſtet, ſcriptorem illum iſtis quodammodo delectari, earumque exempla adeo apud ipſum frequentia eſſe, ut ſupervacaneum ſit ea proferre. Hoc tantum dicam, me non dubitare, quin tu & hunc, & ſuperiorem locum, una cum pleriſque aliis divinarum litterarum ſtudioſis, de prima creatione accipias. Ex quo neceſſario ſequitur, repetitionem atque adeo παῤῥησίαν in his Johannis verbis eſſe (nam quid aliud eſt, mundum per Chriſtum eſſe factum, quam, per eum omnia eſſe facta, ſi utrumque de prima creatione accipiatur) quæ tamen non erit, ſi ut ego volo, verba utrobique explicentur. Qua ratione priorem locum explicari velim, jam dictum eſt. Poſteriorem vero ita explico, ut ſenſus ſit, vel mundum iſtum, quem incolimus, id eſt, homines in eo habitantes, per Chriſtum, quantum in ipſo fuit, inſtauratos & reformatos fuiſſe, & quaſi denuo factos, quemadmodum ante annos ferme viginti duos eum locum accipiendum eſſe docui, vel futurum nobis mundum, per Chriſtum eſſe factum. Quæ explicatio ſuperiori adjuncta eſt, eaque abunde confirmata, iis fortaſſe omnibus dilutis, quæ illi adverſari videantur, in ſupra dicta defenſione animadverſionum noſtrarum in Aſſertiones collegii Poſnanienſis. Jam vero aliud eſt ſine dubio, omnia, quæ ad Euangelii negotium pertinentia facta conſpicerentur, per Chriſtum facta fuiſſe: aliud vero, vel mundum per Chriſtum quaſi denuo factum eſſe (tametſi hoc ex illo conſequitur) vel futurum nobis mundum per eundem factum fuiſſe; quamvis hic fuerit finis rerum ad Euangelii negotium pertinentium, quæ tunc factæ conſpiciebantur. Ex quo etiam intelligi poteſt, ſi dixeris, hac ratione plures παῤῥησίας commiſſum iri, quia videlicet in hiſce duobus ſententiis agetur de redemptione, & jam ego faſſus ſum in aliis totius loci verbis non ſemel de redemptione agi, te id non jure dicturum. Nihil enim obſtat, quominus ſæpius de redemptione agatur, nec tamen ulla committatur παῤῥησία; quippe quod non eodem modo id fiat, neque de iiſdem prorſus rebus ad redemptionem pertinentia, & plures ejus partes; præſertim, ſi nomen Redemptionis ita accipiatur, quemadmodum à te fieri video: ſcilicet, omnes ſuas proximas cauſſas, omniaque ſua effecta, & appendices quaſdam ac potiſſimum reformationem rerum omnium complectatur. Alioqui, ſi nomen iſtud propria ipſius ſignificatione acceptum fuerit, pauca omnino verba erunt in toto eo Johannis loco, in quibus de redemptione agatur. Neque hæc eo dico, ut docere velim, nullam παῤῥησίαν futuram, ſi, ubi tu de prima creatione agi putas, de iis agatur, quæ ante expoſui (jam enim aſſerui, Johannem παῤῥησίας quodammodo delectari) ſed, ut intelligi poſſit, tolerabiliorem eam fore, ſi mea, quam ſi tua interpretatio recipiatur.

Nam quod deinde ais, ſi Creationis ſimplici nomine in locis à te allatis nova creatio intelligatur, Vetus Teſtamentum novo clarius futurum; ſiquidem in Vetere Teſtamento cum nova creatio prædicitur, ea diſerte nominatur; hoc, inquam, quod ais, non videtur quidquam momenti habere. Quandoquidem ſubjecta Novi Teſtamenti materia, & illius perſona, per quem alicubi in teſtamento novo facta creatio dicitur, & denique locorum ipſorum circumſtantiæ, & cum aliis ſimilibus collationes planiſſimum faciunt, non de prima, ſed de alia quadam creatione agi. Quæ ſit Novi Teſtamenti materia, & qam illa à prima creatione abſit, adeo ut proprium ejus ſit illud, quod primæ creationi opponitur, id eſt; regeneratio & reformatio, apertius eſt, quam ut probari debeat. Illius porro perſona, per quem alicubi facta creatio dicitur, Jeſus Chriſtus eſt, Epheſ. 3. 10. quem, proprie loquendo, certiſſimum eſt, etiamſi is, qui unigenitus Dei filius eſt, antea fuiſſet, non extitiſſet, niſi poſtquam ex virgine eſt natus: aut certe de ipſius ante illud tempus exiſtentia nihil aliunde aperte conſtare, immo perridiculum eſſe, exiſtimare aliquem extitiſſe, antequam ex matre ſua ſit natus; quemadmodum ſupra alibi diximus. Quod ſi ſub alia appellatione ſeu nomine, quam Jeſu Chriſti, in locis à te productis, illi creatio tribuitur, ut apud Johannem ſub Verbi ſeu Sermonis appellatione Joh. 1. 1, &c. apud Paulum vero ſub Dilecti Dei filii nomine Col. 1. 14, &c. cum nihil impediat, quominus nomen ſive appellatio illa homini ipſi Jeſu Nazareno per ſe rectiſſime conveniat, ſicut non pauci ex vetuſtioribus & recentioribus ipſis Trinitariis de ipſo verbo ſeu Sermone (nam de Dilecto Dei filio non eſt qui dubitet) fateri ſunt coacti; non eſt cur inde aliam quandam ſubſtantiam, ſeu ſubſtantiam, præter illum hominem, vel ante ipſum imaginemur. Sed potius ex eo, quod alibi diſerte ipſi Jeſu Chriſto creationem tribui videmus, concludendum omnino eſt, nihil aliud eſſe aut fuiſſe unquam verbum, ſeu ſermonem illum, illumve dilectum Dei filium, quam ipſum Jeſum. Cæterum, quod ad circumſtantias ipſorum locorum attinet, & cum aliis ſimilibus collationes, ex quibus perſpicuum fiat, non poſſe creationem iſtam eſſe primam illam à Moſe deſcriptam, ſed neceſſe eſſe ut alia quæpiam ſit, eaque poſt Chriſtum ex virgine natum; ſatis erit, ne nimis longi ſimus, ſi id in ipſo loco Pauli, ex quo tuum argumentum formaſti, evenire demonſtravero. Sed prius, ut melius intelligas, rationem tuam à majore claritate ductam, quæ in Vetere Teſtamento eſſet, quam in novo, nullum momentum habere, animadvertere debes, in loco Eſaiæ à te allato, & ſi qui ſunt ſimiles, aut neceſſe fuiſſe addere aliquid, quod de nova creatione verba fieri indicaret, aut nihilo clariorem fuiſſe ſermonem, eo addito, quam ſi non additum fuiſſet. Aut enim verbum Creandi ita prolatum fuerat, & tales erant loci circumſtantiæ, ut ad præteritum tempus creatio iſta poſſet referri; & tunc neceſſe erat aliquid addere, ex quo non de prima jam diu facta creatione, ſed de alia facienda agi conſtaret. Alioqui cum certum eſſet, eum, qui ſe creare dicebat, primam creationem feciſſe, vix fieri potuiſſet, quin ad illam verba ipſius referrentur. Aut rurſus Creandi verbum ita prolatum fuerat, & tales loci circumſtantiæ erant, ut nulla ratione ad præteritum tempus ea creatio poſſet referri;

ferri; & tunc, etiamſi ſimpliciter dictum fuiſſet, *Ecce creo cœlum & terram*, tamen nemo prorſus fuiſſet, qui de nova aliqua creatione ſeu reformatione rerum verba iſta non accepiſſet. Cum igitur voces additæ Novum & Novam aut neceſſariæ fuerint, aut ſupervacaneæ, nulla inde (nam præter iſtas voces nihil eſt in ipſis verbis, unde ea colligatur) major claritas colligi poteſt in verbis Veteris Teſtamenti, quam ſit in verbis novi. Nam etſi in verbis Novi Teſtamenti Creandi verbum; aut aliud ſimile, ad præteritum tempus manifeſte refertur, & de re jam facta ſermonem eſſe conſtat; tamen cum, ut dictum fuit, aliunde non appareat, per Chriſtum Jeſum, per quem facta hæc creatio dicitur, primam creationem fuiſſe factam, immo cum id, proprie loquendo, impoſſibile omnino exiſtimari debeat, nihil fuit neceſſe, quemadmodum in Veteris Teſtamenti verbis fuit (ſi modo voces iſtæ ibi aliquid efficiunt) addere voces ullas, quæ de nova aliqua creatione, non autem de prima, ſermonem eſſe ſignificarent. Præſertim cum & in vetere, & in Novo Fœdere ſimplex ipſum verbum Creandi novam aliquam creationem ſeu reformationem ſignificare inveniatur. Quod ſi major iſta claritas non ex verbis ipſis, & loquentis conſilio, ſed aliunde, & ex accidente oritur; nihil abſurdi eſt in eo, quod alicubi Veteris Fœderis verba eadem de re clariora ſint, quam verba Novi Fœderis. Quanquam crediderim, jure affirmari poſſe, non de eadem ipſa re utrobique agi; ſive non idem dici à Paulo, quod prædictum fuerat olim à Deo apud Eſaiam: ubi proverbialis quædam videtur eſſe locutio, qua ingens aliqua rerum mutatio ſignificari ſoleret.

Verum, hoc omiſſo, jam ad Paulini loci circumſtantias veniamus, & ſimilis alicujus loci cum eo collationem. Primum igitur, quod dilectus Dei filius, per quem creationem iſtam factam fuiſſe, Paulus ſcribit, ibidem Imago Dei inconſpicui vocatur, id non obſcure indicat, de homine illo Jeſu Dei filio verba fieri, per quem Deus ultimis temporibus locutus eſſe ſcribitur, & qui propterea ibidem expreſſa imago ſubſtantiæ ejus eſſe dicitur. Nam 2 Cor. 4. quoque, ubi à Paulo Chriſtus imago Dei appellatur, ex ipſius loci verbis patet, id fieri ratione Euangelii per ipſum publicati & confirmati, nec alia potiſſimum de cauſſa iſta appellatione Chriſtus inſignitur, niſi ut ſciamus, quæcumque homo ille Jeſus, qui Chriſtus nominatur, nobis annunciavit & patefecit, ea revera divina eſſe, nec alio loco habenda, quam ſi ipſum Deum præſentem conſpexiſſemus, eaque nobis dicentem audiviſſemus. Quo ſenſu, ut ex loco ipſo, ſi ſequentia verba legantur, aperte conſtat, dixit ipſe Chriſtus Joh. 10. 19, qui ipſum viderit, patrem vidiſſe; & ſic, qua ratione potiſſimum ipſe Imago Dei ſit, dilucide expoſuit. Jam, quæ hic multi de iſta Dei imagine ante publicatum & confirmatum Euangelium philoſophantur, inanes ſunt ſpeculationes, à mente & ſimplicitate Apoſtolica valde abhorrentes. Vide locum 2 Cor. 4. 4. & deinceps uſque ad illa verba, *ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Jeſu*; eaque conjunge cum verbis, quæ ſunt ad finem cap. præcedentis. Vide etiam, quæ ſupra hac eadem de re dixi, cum ad ultimam illarum quatuor tuarum rationum reſpondi. Præterea in hoc eodem loco ad Col. Paulus proxime de ſanguine illius dilecti filii Dei mentionem fecerat; quod ſine controverſia ſimiliter demonſtrat, ipſum de eo, ut homine, verba facere; & propterea creationem, quæ illi poſtea tribuitur, non poſſe eſſe primam creationem, quæ facta eſt longiſſimo tempore, antequam homo ille fuerit. Adhæc, ſi Pauli mens fuiſſet Chriſto primam creationem buere, iis ſane loquendi modis uſus eſſet, quibus in ea commemoranda tum alii omnes Sacri Scriptores uti ſolent, tum ipſe Act. 14. 15. eſt uſus, ipſiuſque cœli, & terræ creationis diſerte meminiſſet; qua ſola commemorata, ſæpe univerſa prima creatio intelligitur. Verum nullam ipſius cœli, & terræ creationis mentionem facit, quamvis utrumque commemoret; quippe qui ea omnia, quæ in cœlo, & in terra ſunt, generatim nominet. Ex quo aperte oſtenditur, illum de alia quadam creatione loqui: qua nimirum ipſum cœlum ipſaque terra non comprehendatur. Sed neque alia ex iis, quæ ſunt in cœlo, & in terra hac ratione comprehendi, præter ſubſtantias intelligentia præditas, eaſque fortaſſe non omnes, ex eo apparet, quod, non dicam nihil, quod ejuſmodi non ſit, ibi commemoratur, ſed paullo inferius, ubi reconciliationis & pacificationis aperta fit mentio, quæ ad iſtas tantum ſubſtantias, nec tamen ad omnes, pertinet; omnia ſimiliter generatim commemorantur, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terra. Et hæc ſatis ſint, quod attinet ad ipſius loci circumſtantias.

Quod vero pertinet ad alicujus ſimilis loci cum eo collationem, nihil illuſtrius in hoc genere excogitari poteſt, quam, ſi quis cum hoc loco ea conferat, quæ idem Paulus in Epiſt. ad Epheſios ſcribit. In qua, & alii non pauci aliis reſpondentes, loci ſunt, qui huic noſtro in hac ad Coloſſ. Epiſtola aperte reſpondent. Ibi igitur cap. primo & 2. quamvis hoc idem argumentum pleniſſime tractet de excellentia illius à Deo dilecti, deque maximis operibus per ipſum à Deo factis; tamen ne verbum quidem diſerte ſcribit de creatione ulla univerſali per ipſum facta; niſi demum cap. 3. ubi ſatis perſpicuum eſt, eum loqui de reformatione cultus, & religionis univerſæ per unum Chriſtum factæ; qua potiſſimum aggregatio gentium omnium ad Dei populi rempub. continetur: de qua jam antea locutus fuerat. Sed in iis verbis, quæ proprie loco noſtro reſpondent, & ſunt cap. 1. 20. uſque ad finem capitis, quibus addi debent ea, quæ ſcripta ſunt ſupra ℣. 10. & infra cap. 2. 13. uſque ad ℣. 17. ubi tamen aliquid dicitur, quod in ipſo loco noſtro expreſſum non eſt, ſed exprimitur in hac eadem Epiſtola ad Coloſſ. cap. 2. 14. in iſtis, in quam verbis, nulla fit aperta mentio univerſalis alicujus creationis: & præſertim, quod inviſibilia illa Throni, Dominationes, &c. per Chriſtum creata fuerint. Sed pro eo, quod eſt in loco noſtro, In eo, ſive per eum condita ſunt omnia: ibi eſt, Inſtaurare, ſeu potius, Summatim comprehendere omnia in Chriſto, ſive per Chriſtum. Quod hic legitur, Thronos, Dominationes &c. per ipſum, & in ipſum creatos eſſe, & ipſum ante omnes eſſe, & omnes in ipſo conſtare: ibi ſimpliciter ſcriptum eſt, Ipſum conſtitutum fuiſſe ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem. Nempe quia, ut à principio diximus, eatenus potiſſimum ſunt iſta creata, id eſt, reformata, per Chriſtum, quatenus illis ipſe dominari incepit, eaque regere ac gubernare. Nam præterquam quod hoc per ſe novam formam in hierarchiam illam inducit, quæ antea talem dominum ac rectorem non habebat; eſt etiam cauſſa eorum omnium, qui in illa continentur, poteſtatem & munera mutandi, augendi, minuendi, prout ipſi viſum fuerit. Quemadmodum fieri videmus, ſi quis alicujus reipub. princeps ac dominus fit factus. Quam rempublicam vel ob id, quod principem ac dominum, quem antea non haberet, ſit nacta, novam ſimul formam nactam eſſe, nemo negare audebit. Eſt autem animadvertendum, quod in loco ad Epheſios Paulus ad futurum quoque tempus & ſæculum aperte reſpicit. Quod ſi velimus, illum idem tacite intellexiſſe in loco ad Coloſſ. poterunt verba illa, *ſive Throni, ſive dominationes*, &c. ad terreſtria quoque referri, & in futurum tempus ſimul reſpicere. Etenim certum eſt, Chriſtum tandem non minus reipſa, & evidenter omnibus hujus mundi principibus dominaturum, ipſorumque dominum eſſe à cunctis ipſis agnitum iri, atque hac ratione eos per Chriſtum reformandos eſſe, quàm cœleſtibus illis principibus omnibus jam dominetur, ipſorumque dominus eſſe à cunctis ipſis agnoſcatur, atque hac ratione illi fuerint per Chriſtum reformati. Jam ſi hoc pacto locum ad Coloſſ. accipiamus, ceſſabit illa diſtinctio, quam ſupra poſuimus in ipſis Pauli verbis inter cœleſtia, & terreſtria.

ſtria in priore loci parte. Quæ res ad id, de quo quæritur, nullum momentum habet. Proinde judicent de iſta loci interpretatione homines docti. Ego in neutram partem pluribus diſputabo. Reliquæ locorum partes quam inter ſe ſint ſimiles, & idcirco demonſtrent, recte à me ſuperiores duas invicem collatas fuiſſe, & utrarumque utrobique eandem ſententiam eſſe, quilibet per ſe, eas conferendo, facillime agnoſcet. Itaque id ſolum monebimus, non debere cuiquam durum videri, quod, ut locum ad Coloſſenſes, quem attuliſti, cum iis, quæ ſcripſit idem Paulus ad Epheſios, conferremus, decimum verſiculum primi capitis Epiſt. ad Epheſios cum vigeſimo conjunxerimus. Non ſolum quia manifeſtum eſt, ea, quæ ſcripta ſunt cap. 2. 13. uſque ad ℣. 17. ad hanc collationem, pertinere, & propterea ad eam exequendam conjungenda eſſe, ut à nobis factum eſt, cum fine cap. præcedentis; ſed etiam quia, ſi quis rem diligentius inſpexerit, videbit, quidquid interjectum eſt inter 10, & 20. verſiculum primi cap. ejuſmodi eſſe, ut Apoſtolus tantiſper à propoſito ipſo Chriſti concelebrandi aliquantulum digreſſus fuiſſe cenſeri debeat, & 20. verſic. ad propoſitum fuiſſe reverſus.

Hactenus oſtendi, ni fallor, tantum abeſſe, ut quidquam incommodi accidat, ſi Pauli totum locum à te allatum de ſecunda tantum creatione accipiamus, non etiam de prima; ut potius multa plane abſurda, atque adeo impoſſibilia, emerſura ſint, ſi aliter fiat. Nunc, quia tu plurimum urges ipſum verbum Creandi (nec ſane quidquam eſt, quod præterea urgere poſſis) oſtendendum eſt primo loco, reliquas rationes, quas affers, ut probes, illud hoc loco novam creationem ſignificare non poſſe, non eſſe ejuſmodi, quæ vim aliquam perſuadendi habeant; deinde, exemplis prolatis, planum faciendum ejus verbi, vel inde ducti & conjugati nominis Creaturæ, uſum non rarum in Sacris Literis eſſe, ut novam creationem ſignificet.

Duæ videntur eſſe rationes tuæ, quæ implicite in tuis verbis continentur. Quarum una eſt, quod, cum non deſint alia verba, quibus nova creatio ſignificetur, quæ, videlicet, ſint aperta; non ſit dicendum, Apoſtolum ad id ſignificandum, ſimplici verbo Creandi uti voluiſſe, quod obſcurum eſt. Altera eſt, quod, cum ſcribenti (præcipue vero de re tanti ponderis) ratio ſit habenda perſpicuitatis, ſi unum quodpiam verbum compoſitum in promptu non erat, quo iſta nova creatio clare efferretur, & à vetere diſtingueretur; pluribus verbis id fieri poterat, ut factum eſt in ipſo Vetere Teſtamento, & porro debebat.

Ad priorem rationem dico, certiſſimum eſſe, Novi Teſtamenti ſcripta Hebraicis idiotiſmis abundare, & propterea multa verba, multaſque locutiones, quæ ibi ſunt, & videri & eſſe obſcuras, niſi uſus Sacrarum Literarum attendatur. Cujus obſcuritatis nullam propemodum rationem habendam eſſe cenſuerunt ſcriptores illi; alioqui, Græce ſcribentes, Hebraiſmos illos vitaſſent. Itaque cum Hebræi compoſitis verbis careant; & idcirco ſæpe ſimplicibus pro compoſitis utantur; non putavit Paulus, ad novam creationem ſignificandam, vitandum ſibi eſſe ſimplex verbum creare; præſertim, cum idem ipſum verbum hoc ſenſu uſurpari ſciret in lingua Hebræa, atque adeo in ſcriptis Veteris Teſtamenti; ut poſtea demonſtrabo. Adde (& hoc magis proprie ad tuam rationem convellendam pertinet) quod, niſi verbum aliquod novum formare voluiſſet, quale fuiſſet ἀναπλάζω (tunc enim non utebantur Græci, ut arbitror, verbo iſto) nullum habebat verbum, quo reformationem illam, quam ipſe intelligebat, ita commode exprimere poſſet, ut verbo κτίζειν. Eam enim reformationem intelligebat, qua res, licet antea extitiſſent, tamen tunc primum revera conditæ dici poſſent. Quippe quæ tunc demum ſuam veram formam adeptæ eſſent. Neque enim κτίζειν ex nihilo aliquid creare, ſed condere, & ſuam formam rei indere ſignificat; & propterea commode, etiam citra Hebraici ſermonis rationem, tunc videtur poſſe uſurpari, cum nova aliqua forma inducitur.

Ad alteram rationem reſpondeo, non potuiſſe Paulum pluribus verbis mentem ſuam apertius explicare, quin multum dignitatis, & elegantiæ, adde etiam efficacitatis, de ipſius ſermone decederet. Nempe enim, ut conjicere licet, hanc novam rerum, de quibus loquebatur, creationem, veteri tacite opponere volebat, atque docere, non in vetere illa ſed in hac nova, ut dixi, res iſtas conditas ſuam veram formam adeptas fuiſſe. Quare eodem ipſo verbo, eoque nudo, uti debuit, quo vetus ipſa creatio ſignificatur. Neque vero illi jure metuendum erat, ne quis verbum iſtud in ipſius verbis ad veterem creationem traheret. Nam & ipſa ſubjecta materia Novi Teſtamenti, circa quam verſabatur; & ipſius loci circumſtantiæ illæ, quas ſupra expoſui, ſatis ſuperque unumquemque monere debuerant, nullo pacto fieri poſſe, ut hic de vetere creatione eſſet ſermo. Quod ſi nihilominus tamen permulti id ſunt arbitrati, curioſitatis humanæ vitio id factum eſt; quæ inauditis & portentoſis quibuſdam rebus mirifice delectatur, & quaſlibet occaſiones ſpecioſarum quarundam, licet inanium, ſpeculationum arripit, ac conſectatur. Nam hoc idem in aliis multis ad religionem pertinentibus, adeoque in aliis ſcripturæ verbis interpretandis evenit. In quibus alioqui non ipſorum interpretantium, ſed eorum, qui verba illa protulerunt, culpâ error commiſſus fuiſſe videretur. Illuſtriſſimum hujus rei eſt exemplum in verbis, quibus uſus eſt Dominus in cœnæ ſuæ ritu inſtituendo. Quæ ſi propter ipſorum ſpeciem quandam in portentoſum plane ſenſum à plurimis accepta fuerunt; non eſt, cur quis cauſſetur, Dominum nimis obſcure locutum fuiſſe, & clarius loqui debuiſſe. Sed vitio hominum id prorſus attribuendum eſt; qui, quantumvis ex reipſa, ejuſque plurimis circumſtantiis, de Chriſti mente moniti, occaſionem tamen propter vanitatem mentis ſuæ arripuerunt ex Chriſti verbis monſtra quædam fabricandi, iiſque ſe mirum in modum oblectandi

Reſtat, ut, exemplis in medium prolatis, oſtendamus, verbum κτίζειν, id eſt, Condere, ſeu mavis Creare, quo hic uſus eſt Paulus, & nomen κτίσεως, id eſt creaturæ, quo proxime fuerat uſus, Dei filium primogenitum πάσης κτίσεως, id eſt, omnis creaturæ appellans, ad novam creationem, ſeu ad reformationem aliquam ſignificandam, in Sacris Literis accommodari: idemque in ipſo Hebræo verbo Bara contingere, quod alioqui primam creationem magis multo, quam verbum κτίζειν, præ ſe fert; ac propterea in Vetere Teſtamento, ut quidam obſervarunt, ſoli Deo tributum invenitur. Igitur in ipſo Vetere Teſtamento apud Eſaiam hæc verba leguntur cap. 45. 7. *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum.* Ubi non eſt dubium, quin verba iſta omnia ſimplicia pro compoſitis uſurpata fuerint, atque ita ſint accipienda, quaſi dictum fuiſſet, Recreavi (quanquam hoc verbum Latinis auribus aliud ſonat) Reformavi, Refeci. Ut ſcilicet Creandi verbum hoc loco novam creationem ſignificet. Nam de vetere ſeu prima, quæ omnium eſt communis, & in qua omnia pariter ad ſuam gloriam Deus creavit, & creat, ſermo eſſe non poteſt. Et cap. 65. 18. ſcriptum eſt, *quia ecce ego creo Hieruſalem exultationem, & populum ejus gaudium.* Ubi Vatablus ſic annotat, *id eſt, inſtauraturus ſum Eccleſiam, quam gaudio afficiam.* Hieronymus autem ſic verba accipit, quaſi ſcriptum ſit, *Creabo Hieruſalem in exultatione, & populum ejus in gaudio.* Quos ſecuti in magnis Rob. Steph. Bibliis annotationum auctores in eum locum hæc verba ſcripſerunt, *Præſ. Heb. pro fut. Creaturus ſum Jeruſalem [cum] exultatione, & populum eius [cum] gaudio id eſt inſtauraturus ſum Jeruſalem, hoc eſt redditurus ſum Eccleſiæ & populo gaudium & exultationem.* Nec ſane aliter Creandi verbum accipiendum eſſe videtur, cum Deus apud eundem Eſaiam ſupra dicto cap. 43. 1. & 15. ait, ſe creare Jacob & Iſraël. Nam

in

in iſtis locis veterem ſeu primam commemorare divinam creationem, quæ impiis quoque, & à Deo prorſus alienis contingit, nihil ad rem, aut parum admodum facere poteſt. Ibi enim de inſigni quodam beneficio, quo Deus affecturus eſſet populum illum, deque futura liberatione è manibus inimicorum ejus, verba fiunt. Id quod Deus vel ex eo perſuadere illi vult, quod illum ſibi in peculiarem populum delegerit, & alias ex magnis calamitatibus exemerit, & ſic eos nova quadam ratione creaverit atque inſtauraverit: vel idem efficacibus verbis confirmare, prædicens, ſe Iſraëlem creaturum eſſe, id eſt, plane renovaturum: atque, etiamſi funditus jam periiſſe dici quodammodo poterit, tamen eum ſe inſtauraturum, & ad præſtantiorem formam redacturum, id eſt feliciorem, quam antea fuerit, redditurum. Et hæc Eſaiæ teſtimonia ſatis ſint, quod ad Vetus Teſtamentum attinet, & ipſum verbum Bara.

In novo porro teſtamento ipſemet Paulus nobis exempla abunde ſuppeditabit. Primum enim cap. 2. epiſt. ad Epheſ. 10. ſcriptum eſt, *ipſius enim ſumus factura creati* (Græcè eſt κτισθέντες) in *Chriſto Jeſu*, &c. Nam quis negare poteſt, quin eo loco Creati idem ſit, quod Reformati, ſeu Creati non quidem quatenus primo conditi fuimus, & homines ſumus, ſed quatenus deinde iterum fuimus conditi, & ſumus Chriſtiani? Sed & infra eodem cap. ỳſ. 15. hæc verba leguntur, *ut duos condat* (in Græco eſt κτίσῃ) *in ſemetipſo in unum novum hominem.* Ubi manifeſtum eſt Condat pro Reformet poſitum eſſe. In Caſtellionis tamen, & Bezæ interpretationibus hoc non apparet. Ipſi enim, ſententiam tantum non etiam verba ſpectantes, ſic locum converterunt, ut verbum Condere regat (ut loquuntur) immediate poſt ſe non Duos, ſed unum novum hominem. Cujuſmodi interpretationes in Sacris Litteris non ſunt, meo judicio, laudandæ. Quippe quæ locorum inter ſe collationem tollant, & verborum vim obſcurent, atque hac ratione præcipuam Scripturæ intelligendæ viam quodammodo occludant. Sed ad rem noſtram. Nam in eadem præterea epiſtola cap. 3. 9. eſt locus ille, ubi ſecundum Græca exemplaria ſcriptum eſt, Deum creaſſe (eſt autem in verbis Græcis participium κτίσαντα) omnia per Jeſum Chriſtum. Unde, quemadmodum dictum eſt ſupra, ſatis intelligi poteſt, non agi ibi de prima creatione, cum certum ſit, ipſum Jeſum Chriſtum nondum extitiſſe, cum primo omnia creata fuerunt; etiamſi Dei filius dilectus, ſeu Verbum, ſive ſermo ille, quibus alibi omnium creatio aut tribuitur, aut tribui creditur, jam extitiſſet. Quamobrem neceſſe eſt, niſi verbis aliquam vim facere velimus, fateri, verbum Creare ſeu κτίζειν reformationem rerum ſeu renovationem ſignificare. Nam alibi quoque ſcribit idem Paulus 2 Cor. 5. 17. omnia facta eſſe nova. Huc accedit, quod, ut ſimiliter ſupra dictum fuit, locus ipſe per ſe aperte oſtendit, non de prima, ſed de ſecunda creatione ibi verba fieri: potiſſimum vero de reformatione illa, qua una cum gente Iſraëlitica aliæ omnes gentes unus Dei populus ſunt factæ. Certe Johannes Calvinus ex ipſo loco monitus & vidit, & confeſſus eſt, eam Pauli ſententiam ibi potius ad ſecundam, quam ad primam creationem pertinere. Ejus verba, ut ea à quodam recitata inveni, qui etiam Luterum in eundem locum videndum monet, bona fide ſubſcribam. *Non tam* (inquit) *de prima creatione interpretari licet, quam de inſtauratione ſpirituali. Tametſi verum eſt illud, verbo Dei creata eſſe omnia Pſal. 33. Ioh. 1. circumſtantia tamen loci poſtulat, ut de renovatione intelligamus, quæ continetur in beneficio redemptionis.* Hactenus Calvini verba. Quod enim alii volunt, mentem Pauli fuiſſe dicere, quemadmodum Deus per Jeſum Chriſtum omnia primo creavit, ſic per eundem ea inſtauraſſe; hoc nec cum antecendentibus, nec cum ſequentibus verbis eorumve ſententia aperte cohæreret, & nimis conciſe, quantumque ego meminiſſe poſſum, præter omnem Pauli morem dictum eſſet. Quamquam eſt præterea animadvertendum, neque in Latinis codicibus, idque Ambroſii etiam & Hieronymi ætate, neque in Syriaca interpretatione legi verba illa, *per Jeſum Chriſtum.* Cui lectioni ſi, ut debemus, locum eſſe poſſe velimus, jam ceſſabit ratio iſta, cur primæ creationis ibi mentio fiat. Nec alia ulla excogitari poterit, quæ iſta infirmior non ſit, & verba illa, *qui omnia creavit*, minus cum aliis cohærentia, & multo magis conciſa non reddat.

Vidimus de verbo ipſo κτίζειν ſeu Condere ſive Creare. Nunc de conjugato ſive inde ducto nomine κτίσεως aut alio creaturam ſignificante videamus; num ſcilicet id nomen novam creaturam apud ſacros ſcriptores ſignificare ſoleat. Et primum inſignis locus apud eundem Paulum occurrit, ubi id nomen ſæpius repetitum eſt cum novæ creaturæ ſignificatione. Is eſt cap. 8. epiſt. ad Rom. à ỳſ. 19. uſque ad ỳſ. 24. Nam etſi plerique creaturæ nomen ibi aliter acceperunt; tamen id incogitantia quadam, & vocis prima facie conſtat eſſe factum, ſi quis paullo diligentius totum locum expenderit. Vidit hoc Anonymus quidam, qui in eam epiſtolam haud ſane contemnendos commentarios ſcripſit, eoſque Paulo tertio Pontifici Rom. dicavit. Auguſtinus id tantum vidit, nulla ratione fieri poſſe, ut de omnibus creaturis, ſeu de univerſitate rerum, ut aliis viſum eſt, ſub eo nomine à Paulo verba fierent. Quare ad homines tantum eam vocem retulit; quippe qui obſervaſſet, Creaturæ nomen in Sanctis Literis, idque etiam apud ipſum Paulum interdum hominem tantum ſignificare. Mat. 16. 15, Col. 1. 23. Sed falſus eſt tamen, (niſi nos ipſi vehementiſſime fallimur) opinione ſua. Plurimæ enim ſunt cauſſæ, quibus omnino prohibemur, Creaturæ nomen ibi aliter accipere, quam, pro nova creatura, pro ipſis, inquam, tantummodo hominibus Dei ſpiritu regeneratis; quos Apoſtolus dicit perpeſſionibus quidem, & calumitatibus, adeoque vitæ hujus jacturæ potiſſimum eſſe obnoxios; ſed non tamen quod hic ſit eorum finis, ſive eventum ipſum, ſive illorum mentem ſpectes. Expectant ſiquidem ipſi ſumma cum ſpe, quam illis per Chriſtum fecit Deus, diem illum, quo filii Dei patefient, id eſt, homines qui per Dei ſpiritum fuerint regeniti, ex ipſoque Deo nati, beatam immortalitatem ad ipſius Chriſti exemplum adipiſcentur; gementes tamen interim & ſuſpirantes ſub tanto malorum pondere, non ſolum ipſi in univerſum ſeu generatim, ſed ii etiam inter ipſos, qui cæteris antecellunt, & ab aliis propter præcipuas quaſdam ac præſtantiores divini ſpiritus partes, quas adepti ſunt; ex quibus unus ipſe Paulus erat, merito diſtingui poſſunt. Hanc omnino eſſe illius loci ſententiam, & per ſe (ut mihi quidem videtur cuilibet ea de re monito apertiſſimum eſſe poteſt, & nos accurate, ſingulis fere verbis perpenſis, in diſputatione, quam cum Franciſco Puccio habuimus de mortalitate primi hominis, id planiſſimum facere conati ſumus. Hic autem denuo eundem laborem ſubire & ſane piguit, & minus neceſſarium eſſe duximus.

Sed præter ipſum Paulum, Jacobum habemus qui ſuæ epiſtolæ cap. 1. 18. voce κτίσματος, id eſt Creaturæ, novam creaturam ſignificavit, inquiens de Deo, *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus*: ſive ut Græca verba ſonant *primitiæ quædam creaturarum ejus*. Ubi pro *creaturarum* in Græco eſt κτισμάτων. Initium ſeu Primitiæ, ſine dubio, temporis prioritatem declarant. Unde patet, Apoſtolos, & qui illorum ætate per Dei verbum regenerati fuerunt, aliis Dei creaturis tempore priores fuiſſe. Atqui ſi Creaturarum nomine primas ſeu veteres creaturas intelligas, hoc falſiſſimum erit, cum aliquot millibus annorum ante mundus à Deo creatus eſſet quam iſti exiſterent. Neceſſe eſt igitur, ut Creaturæ nomen hoc loco novam creaturam ſignificet; quæ nimirum tunc temporis primum exiſtere cæpit. Hinc perſpicuum eſt, cur Chriſtus apud Johannem in Apocalypſi ſe Principium creaturæ Dei ἡ κτίσεως τοῦ Θεοῦ appellaverit Apoc. 1. 14. Nempe quia & ab ipſo ſumptum eſt initium

tium contendi novas creaturas, & per ipſum aliæ omnes ſunt conditæ. Nam & proxime ſe teſtem illum fidelem & verum appellaverat. Quia enim Chriſtus aliis doctrina, & exemplo ſuo prævit, ac divinæ voluntatis fidem fecit, idcirco & quatenus eſt nova creatura. alias omnes tempore antecedit, & aliarum omnium eſt auctor atque origo. Hic autem locus non à me ſolum, ſed ab aliis etiam nonnullis & antiquis & recentioribus theologis, ad veterem Creationem non pertinere agnitus eſt. Ut, iis junctis, quæ modo ad eum explicandum breviter attuli, poſſit merito inter ea teſtimonia numerari, in quibus certum ſit τ κτισις ſeu Creaturæ nomen non veterem, ſed novam creaturam ſignificare. Sed, quid ſi nullum ejuſmodi teſtimonium haberemus, nec uſquam alibi verbum κτιζειν non primam creationem, ſed reformationem declarare inveniretur; num propterea ab eo verbo in hunc ſenſum in Pauli loco, quem produxiſti, accipiendo abſtinendum nobis eſſet? Non ſane; cum etiam citra ullum Hebraiſmum & propriam verbi κτιζειν ſignificationem, de quibus ſupra egimus loquendi figura atque tranſlatio facile admitti poſſit, ut quæ reformantur, formari ſimpliciter dicantur. Præſertim cum præter alia multa, quæ ante expoſuimus, ex quibus patet, hanc eſſe omnino ejus verbi vim eo in loco, manifeſtum ſit, novæ creaturæ, & novæ creationis per Chriſtum factæ plurimis in locis mentionem fieri; idque apud ipſum Paulum; ut 2 Cor. 5. 17. Gal. 6. 15. Epheſ. 4. 24. Coloſſ. 3. 10. adeo ut, ſi mihi verum dicendum eſt, ego valde ſemper ſim eos miratus, qui cum facillimam ſibi ab ipſo Paulo ſuppeditatam ejus verborum explanandi rationem præ manibus haberent, unius verbi ſpecie detenti, atque decepti, ea omiſſa, mirabiles quoſdam vel potius, ut dictum eſt ſupra, plane portentoſos ſenſus ſcripturæ ſacræ accommodare non ſint veriti.

E. J.

Equidem non nego aliquibus Novi Teſtamenti locis de nova creatione agi, eaque ipſe ita accipio. Verum quæritur de aliis locis, ubi ſimpliciter de creatione agitur nulla reſtrictione addita, & quidem diſtincte ſubjungitur opus reparationis; ne quis intelligi id putet cum de creatione per Chriſtum facta agitur. Quemadmodum igitur nihil obſtat, quominus idem artifex domum inſtauret, qui eam primo ædificavit. ita cum Chriſto & creatio mundi & redemptio diſtincte in ſcriptura aſcribatur, utraque illi eſt relinquenda, nec altera detrahenda. Quo conceſſo alterum quoque ſequitur, Chriſtum non ſolum eſſe filium Mariæ, ſed Dei quoque filium unigenitum, qui ante initium rerum omnium ſit à Deo creatus, per quem poſtea mundum condiderit & collapſum reſtaurarit.

F. S.

Jam à me loci & citati & examinati ſunt, in quibus vel ſimpliciter de creatione agitur, nulla reſtrictione addita, qualis eſt locus Epheſ. 3. 9. vel Creaturæ nomen ſæpius ſimpliciter eſt poſitum nec ullo pacto reſtrictum: immo tandem cum univerſali particula Omnis prolatum. Qualis eſt locus Rom. 8. 19. uſque ad ℣. 24. Quinetiam in altero quoque loco vox Omnia verbo Creandi adjuncta fuit; ſi modo id quæris, ut loci, qui pro exemplis afferantur, non ſolum Creandi aut Creaturæ ſimplex verbum habeant, id eſt, nulla particula ſeu voce adjecta, quæ ipſum verbum, ut ſic dixerim, modificet, ſeu qualitatem quandam illi apponat; ſed etiam de creatione in genere aut etiam univerſe loquantur, non autem de cujuſdam aut quarundam rerum creatione. Quod ſi ita eſt. id profecto petis, quod eſt iniquum. Cum enim ego contendam, verbum creandi in Pauli teſtimonio, quod protuliſti, reformandi ſignificationem habere, idque ſatis ſit ad ipſum teſtimonium diluendum, quemadmodum apparebit, ſi pro Creata ſunt, reponatur, Reformata ſunt; abunde tibi ſatisfactum eſſe debet, ſi exempla producantur, ubi ſimplex verbum Creare, Reformare, aut ſimplex nomen Creatura, rem, quatenus reformata eſt, ſignificet. Id autem in omnibus exemplis contingit à me allatis.

Nam quod præterea dicis, in teſtimoniis tuis diſtincte Reparationis opus commemorari, ad hoc jam ſupra reſponſum eſt, &, quod ad Pauli teſtimonium attinet, demonſtratum, ea verba, in quibus ſeparatim de reparatione agi intelligis, continere partem totius illius reformationis, de qua ego perpetuo agere Apoſtolum affirmo, nec ullo modo de prima creatione verba facere. Namque illud præcipue hic eſt obſervandum, quod Reparationis nomine putas te complecti totum id, de quo ego tantum loqui Paulum contendo; cum tamen, ſi nomen hoc proprie accipiatur, partem ſolum complectaris. Plus enim complectitur verbum Reformationis, ſeu Renovationis, quo ego utor, quam Reparationis. Quidquid enim reparatum eſt, id etiam reformatum, ſeu renovatum eſſe dici poteſt. Sed non contra. Ex quo fit, ut angeli reformati quidem, ſive etiam aliquo modo renovati per Chriſtum dici poſſint; at reparati, nullo pacto. Reparari enim dicuntur illa, quæ perdita recuperantur, aut collapſa inſtaurantur; id quod certe angelis per Chriſtum (quod ſciamus) non contigit. Quamvis non deſint, qui, propterea quod Paulus de omnium reconciliatione, & pacificatione, tum quæ in cælis, tum quæ in terra ſunt, quæ per Chriſtum facta fuerit, verba facit, Angelis quoque Chriſto mediatore ad eos Deo reconciliandos, & cum ipſo pacificandos, aut ſaltem in gratia apud eum conſervandos, opus fuiſſe, aſſerere non dubitent; non intelligentes, ut ante dictum eſt, de quo reconciliationis genere Apoſtolus loquatur. Itaque, ut ad rem redeam, non recte argumentaris, quando ex eo, quod Paulus diſtincte de reparatione agat, & conſequenter, ut tibi videtur, non poſſit ſub Creandi verbo eam comprehendere voluiſſe, colligis, neceſſe eſſe, ut Creationis nomine primam creationem intelligat. Quaſi vero non ſit quidquam medium inter primam creationem, & reparationem, ſeu quidpiam tertium, quod vocabulo Creationis ſignificari poſſit. Nec diſſimile quid dico de loco Johannis cap. 1. Neque enim, ſi diſtincte ſit tibi reparationis mentio, & abſurdum, ut quidem tu arbitraris, eſt. quod ibidem aut ante, aut poſt de eadem agatur, tunc videlicet, cum de omnibus, aut de mundo facto ſit mentio; propterea ſequitur, in iſtis locis de omnibus, quæ primo à Deo facta fuerunt, deque Mundi prima, ut ita loquar, factura verba fieri, poteſt enim eſſe aliquid tertium, nec ad reparationem, nec ad mundi omniumve primam facturam proprie pertinens, de quo in locis iſtis agatur. Ut certe eſt, quemadmodum ſupra oſtendi; adeo ut neque idem utrobique ſignificari docuerim.

Cæterum haud recte meam mentem percipis, ſi credis, me propterea quod Chriſto in Sacris Literis mundi redemptio tribuatur, eidem primam mundi creationem minime tribuendam eſſe, ſtatuere. Non ſum Dei gratia tam ſtupidus, ut ita argumenter. Sed dico cum per ſe prorſus ridiculum & abſurdum eſſe videatur, Chriſto tribuere, quod per ipſum mundus primo fuerit creatus, niſi prius conſtet, eum jam tum extitiſſe, cum mundus primo creatus eſt; aut certe, cum nuſquam de iſta prima creatione per ipſum facta diſerte ſcriptum quidquam fuerit, conſentaneum plane eſſe, ut loci, in quibus dicitur, per Chriſtum creationem eſſe factam, non de prima, ſed de ſecunda creatione accipiantur. Nam nec quidquam abſurdi in eo eſt, aut eſſe poteſt, quod ſecunda creatio per Chriſtum facta fuerit, & quod fuerit facta, id & certiſſimum & teſtatiſſimum eſt. Adeo ut hæc ſola ratio, ſi non ad argumentum tuum funditus evertendum, ſaltem ad illud vehementer infirmandum ac labefactandum plurimum valeat, & ad teſtimonia, quæ affers, dubia reddenda. Atque hoc idem in ſuperioribus tuis omnibus argumentis & teſtimoniis, per ea, quæ à me dicta ſunt, evenire, vix teipſum negaturum crediderim. Atqui hoc ſatis eſt, ut ſi minus mecum conſentire adhuc velis, at poſthac,

niſi

niſi firmiores rationes & divina oracula certiora habeas, non tantopere de ſententia, quam probandam ſuſcepe-ras, atteveres, eamque inexpugnabilem eſſe ſtatuas. A quo tamen ſi nihilominus tibi non abſtinendum eſſe cenſes, rogo te, ut ſaltem, etiamſi ea vera non eſſet, nolis exiſtimare quemadmodum in poſtremis tuis verbis præ te feis; Chriſtum Mariæ tantum filium, non etiam Dei filium unigenitum futurum: ſed potius, ſi ea vera ſit, atque eo pacto explicetur, quo tu eam explicas, ut ſcilicet filius Dei unigenitus hominem induerit, ſequi agnoſcas, eundem Chriſtum vix, aut ne vix quidem, ſimul Mariæ filium, & Dei unigenitum filium eſſe poſſe: immo, ut neutrum revera ſit, neceſſe eſſe. Sicut enim homo conſtans ex anima, & corpore, in quod anima videlicet, ut pleriſque placet, cælitus immiſſa fuerit, neque anima revera eſt, neque corpus; ſic Chriſtus conſtans ex Dei filio unigenito, & homine ex Maria concepto & nato, id eſt, filio Mariæ, quem, videlicet, Dei filius unigenitus de cælo deſcendens induerit, nec unigenitus Dei filius revera, nec Mariæ filius erit.

Abſolvi hanc Diſputationem die 30. *Novembris, Anno* 1584.

Ad replendas reliquas has pagellas, addita eſt ejuſdem argumenti quæſtio ab eodem Eraſmo Johannis eidem Socino propoſita, & ad eam Socini reſponſum.

ERASMI JOHANNIS *Quæſtio.*

QUum Chriſtus dicat diſerte Joan. 16. 14. Spiritum Sanctum ab ipſo accepturum, quod annunciabit Apoſtolis, & non à ſe loqui, ſed quæcumque viderit & audiverit; videtur hinc omnino ſequi, Chriſtum eſſe ipſo Spiritu Sancto ſuperiorem, nec ejus donis ditari poſſe. Quomodo enim Chriſtum ditaret ſpiritus, qui à Chriſto accipit ſua? Nihilominus, quum ſcriptura affirmet, Chriſtum Spiritus Sancti donis copioſe a Deo fuiſſe unctum, uſque adeo ut nos quoque de ejus plenitudine accipiamus; non video qui ſtare poſſit, Chriſtum eſſe Spiritu Sancto excellentiorem, & Spiritum Sanctum lucem ſuam & doctrinam à Chriſto accipere. Niſi igitur dicamus, Chriſtum, quatenus eſt unigenitus Dei, nihil accipere à quoquam, ne à ſpiritu quidem ſancto, ſed immediate à Deo ejuſque divina luce impleri, Chriſtum vero hominem Spiritus Sancti donis, tanquam Spiritu Sancto multo inferiorem, ditari, & nobiſcum de eodem ſpiritu communicare: non video quomodo hæc ſcripturæ loca conciliari poſſint. Rogo, amice tuam humanitatem, ut ſi quid habes, quod hac in quæſtione tuæ conſcientiæ ſatis faciat, data opportunitate, mecum communices, & me tua eruditione doctiorem reddas.

T.H. deditus Eraſmus Johannis.

F. S. Reſponſum.

HOmo ille Jeſus Nazarenus, qui (ut ego quidem ſentio) ipſiſſimus Dei filius eſt unigenitus & alius nemo nec præter, nec ante illum, ſecundum diverſa tempora, non quidem Spiritu Sancto, quem ego perſonam non eſſe, penitus mihi perſuadeo, ſed ſeipſo major, meo judicio conferi debet: idque ipſius Spiritus Sancti ratione. Major enim ſine dubio, ſecundum hanc ipſam rationem, poſt, quam ante glorificationem fuit. Immo ſeipſo major in dies, cum hic mortalis ageret, ejuſdem Spiritus Sancti ratione fiebat, Luc. 2. 40, & 52. Quocirca nihil prorſus abſurditatis in eo eſt, quod idem ipſe Jeſus Nazarenus, homo, inquam ille, ab initio & per aliquod tempus Spiritu Sancto doctore egeret: poſtea vero Spiritum Sanctum ipſe daret, & per illum alios doceret. Id quod eſt omnium, quæ, quod ad Spiritum Sanctum attinet, habere Chriſtus legitur, maximum & præſtantiſſimum. Nam, quod ipſe Jeſus apud Johannem ait, Spiritum Sanctum de ſuo accepturum & Apoſtolis nunciaturum, & paullo ante dixerat, eum non à ſe ipſo locuturum, ſed, quæcumque audiviſſet, dicturum: hæc non ſignificant, Spiritam Sanctum à quoquam revera doctum iri (hoc enim in veram perſonam tantum cadit) ſed per proſopopœjam iſta, ut alia complura dicuntur; & ſignificant vim illam & efficaciam divinam, quam accepturi erant Apoſtoli, & qua in omnem veritatem ducendi erant, de rebus ejuſmodi eos docturam, quæ ad Chriſtum pertinerent. Cum enim certum eſſet, poſt Chriſti glorificationem, tunc videlicet, cum Spiritus Sanctus dandus erat futurum, ut omnia, quæ Dei eſſent, ipſius quoque Chriſti eſſent, & idcirco jam Chriſti eſſe, ob rei mox futuræ certitudinem, dicerentur, merito dicere potuit Chriſtus, Spiritum Sanctum, qui de rebus plane divinis locuturus erat, deque eis Apoſtolos docturus, ea docturum, quæ ad ipſum pertinerent. Propterea ſubjungit ipſe, *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi*, &c. Et hæc quidem, quod pertinet ad illa verba, *quia de meo accipiet & annunciabit vobis*; in quibus ratio redditur, cur Spiritus Sanctus glorificaturus eſſet Chriſtum. Atqui non propterea glorificari poterat à Spiritu Sancto Chriſtus quod Chriſtus illum, quæ annunciaret, docuiſſet. hoc enim quantumvis verum fuiſſet, nullo modo apparere potuiſſet; ſed quod, ut dictum eſt, ea annunciaret, quæ ad Chriſtum pertinerent ad ejuſque gloriam; id quod omnibus palam futurum erat. Quod vero pertinet ad illa verba, *non enim loquetur à ſemetipſo*, &c. idcirco ea dixit Dominus Jeſus, ut oſtenderet, conſolatorem illum, ſpiritum veritatis, vere divinum futurum eaque patefacturum, quæ Deus patefieri vellet, quæque certiſſima eſſent. Nec vero ait Chriſtus, illum à ſe quidquam auditurum; ſed ſimpliciter, auditurum affirmat. Itaque non *à me*, ſed à *Patre*, ſubaudiendum eſt potius; quemadmodum idem ſpiritus non quidem à Chriſto, ſed à Patre proficiſci dicitur Joh. 15. 26. licet non niſi per Chriſtum, poſtquam is glorificatus eſt, in Eccleſiam derivetur. Cæterum, quod putas, filium Dei unigenitum citra Spiritus Sancti interventum divina luce impleri potuiſſe; id quidem verum eſſet, ſi Spiritus Sanctus (ut jam me ſtatuere dixi) nihil eſt aliud, quam virtus & efficacia quædam Dei; non video, quomodo res ulla creata (fateris enim ipſe, unigenitum Dei filium eſſe rem creatam) citra Spiritus Sancti interventum, quantumvis immediate eam à Deo acceperit, luce divina compleri queat.

Hæc habui, quæ ad quæſtionem tuam breviter reſponderem, non quo te erudirem, qui ipſe abs te doceri de multis cupio, ſed ut, cum in ea meæ conſcientiæ plane ſatisfaciam, te rogante, ſententiam meam tecum amice communicarem.

Tui ſtudioſiſſimus

F. S.

AUCTOR RESPONSIONIS
Ad Libellum
JACOBI VUJEKI,
De Divinitate Filii Dei & Spiritus Sancti.

AD LECTORES.

CUm primum libellus Jacobi Vujeki Societatis Jeſu (ut ipſe ſeſe nominat) de Divinitate filii Dei, & Spiritus Sancti, Polonica lingua conſcriptus, ante biennium editus fuit, animus erat ſtatim, Deo juvante, illum ſcripto publice refutare. Sed multa me hactenus partim retardarunt, partim impedierunt. Retardarunt quidem potiſſimum res duæ. Una, quod ſcirem, fratres, noſtri cœtus, jam diu paraſſe Reſponſionem ad Apologiam Gabrielis Eutropii Sadecii pro Theſibus de Trino & uno Deo collegii Poſnanien: contra ipſorum fratrum Animadverſiones ante annos aliquot editam; in qua Reſponſione & ad pleraque reſpondetur eorum, quæ Vujekus, ſeu potius Rob. Bellarminus ejuſdem, cujus ipſe, ſodalitatis (à Bellarmino enim Vujekus ipſe ſe accepiſſe profitetur) contra ſententiam noſtram, ſcripſit, & ſimul non pauca dicuntur, quæ reſponſionem ad reliqua omnia ſuppeditare queant. Altera, quod ſperarem, alium quempiam ex cœtu noſtro, me huic labori aptiorem, ad libellum iſtum, quatenus opus foret, plene reſponſurum. Impedierunt vero me uſque ad hunc diem cum aliæ neceſſariæ occupationes meæ, tum minus firma valetudo, qua fere hoc tempore ſum uſus. Nec fortaſſe unquam hunc laborem ſuſcepiſſem, niſi ſuperiore hyeme in ſynodo quadam noſtra publice rogatus fuiſſem, & tantum non juſſus curare, ne Vujekus diutius gloriari poſſet, ad iſtum ſuum libellum à nullo ex noſtris hominibus plene reſcriptum fuiſſe. Ex eo tempore id unum maxime mihi cordi fuit, ut primum meum conſilium iſtius libelli refutandi ſequerer, non ingenio quidem aut eruditione ulla mea, ſed Dei ipſiuſque Chriſti ope fretus; cujus vera gloria ejuſmodi ſcriptis quodammodo obſcuratur, & ſalutis noſtræ æternæ ratio facile pervertitur. Sed morbo gravi ac diuturno correptus id præſtare ſtatim non potui: & ad hoc tempus rem differre coactus fui. Hæc pauca dixiſſe volui, ne quis ſuſpicetur, me temere atque inconſulto hoc opus aggreſſum fuiſſe, vel juſtam nullam cauſſam habuiſſe, cur tam tarde id aggrederer. Quod equidem perlibenter quam citiſſime feciſſem tum maxime propter eas cauſſas quas jam dixi, tum etiam quia videbam, hac ratione Bellarmino reſponſum iri; quo nemo accuratius & acutius & hunc, de quo potiſſimum hic agendum eſt, & alios Eccleſiæ ſuæ errores propugnaſſe hac noſtra ætate creditur. Unde etiam factum eſt, ut quando Bellarminus Latine ſcripſit, ad iſtum Vujeki Polonicum libellum Latine reſcribere non ſim veritus; ſic exiſtimans; me non cum ipſo Vujeko revera, ſed cum Bellarmino congredi. Quorum neutrum ægre laturum ſpero, quòd nomen meum non prodiderim: ſi tam veritatis ſunt amantes, quam videri volunt. Ad veritatem enim inquirendam aut defendendam, nihil adjumenti affert, ſcire, quis ille ſit, qui tecum diſputat, immo potius impedimento eſſe poteſt; quemadmodum ſæpe quidem uſuvenit: ut ſcilicet, major habeatur ratio auctoritatis illius, qui loquitur, quam ponderis rationum & teſtimoniorum, quibus ſua dicta confirmat. Id quod tamen unum, ſi in ulla veritate, in ea maxime, quæ ad divinarum rerum ſcientiam pertinet, ſpectandum eſt. Quare ſatis mirari nequeo, cur quidam, præcipue vero ex Romanæ Eccleſiæ propugnatoribus, tam graviter in eos invehi ſoleant, qui ſua de rebus divinis ſcripta, non adſcripto ſuo nomine, in lucem edunt, adeo ut apud ipſos jam lege cautum fuerit, ne ejuſmodi libri, qui auctoris nomine carent, legi aut diſtrahi poſſint; cum potius, quo omnis perſonarum reſpectus excluderetur, & ſola veritas indagaretur, cavendum lege fuiſſet, ne quiſquam ſcriptis ſuis, quæ de rebus divinis ageret, in publicum emittendis nomen ſuum apponeret. Ego quidem, quidquid alioqui hac de re ſentiendum ſit, juſtiſſimas alias cauſſas habui, cur meum nomen in hac mea Refutatione publice extare noluerim, cæteroqui paratiſſimus, quemadmodum,

quas Eccleſias hodie maxime probem, palam profiteor, eiſque unis conſtanter adhæreo, ſic in hac diſputatione me earum defenſionem ſuſcipere vel auſum fuiſſe, vel non recuſaſſe, ubi opus fuerit, & voce & ſcripto, meo ipſius nomine expreſſo, publice confiteri. Sed jam hac de re ſatis. Cæterum in hoc meo labore id potiſſimum ſum conatus, ut, omnibus omiſſis, quæ ad Vujeki libellum refellendum, aut ſententiam noſtram confirmandam minime pertinent, nihil intactum relinquam, quod vel reſponſionis revera indigeat, vel indigere Vujeko viſum fuerit: addens tamen præterea reſponſionem ad ea, ſi qua fuerint, quæ Bellarminus ſcripſerit, reſponſione non indigna, & Vujekus omiſerit. Ordinem porro in reſpondendo eum omnino ſum ſecutus, quem Vujekus à Bellarmino inſtitutum in ſcribendo probavit: non tam quod mihi quoque probaretur, quam ut ne ullus labor lectori in conferendis utriuſque noſtrum dictis, eorumque probationibus exhiberetur. Quanquam dedi operam, ut ſi quis nec Vujeki libellum nec Bellarmini opus habeat, poſſit nihilominus tota de re judicare: utriuſque ubique aut verbis, aut ſententia, quam refellendam mihi ſumpſerim, fideliſſime recitata. Sed jam longiore Præfatione omiſſa, ad Refutationem noſtram diligenter legendam & conſiderandam lectores omnes hortor. In qua ante omnia ad ea reſpondetur, quæ in ſua Præfatione Vujekus nobis objecit; multaque dicuntur hac occaſione, quæ alioquin mihi præfanda fuiſſent. Dat. 6 die Septemb. anno 1592.

Reſpon-

Reſponſionis ad Libellum JACOBI VUJEKI, de Divinitate filii Dei & Spiritus Sancti.

CAPUT I.

In quo ea refelluntur, quæ Vujekus in ſua Præfatione iis objicit, contra quos potiſſimum ſcribit.

ANntequam ad ea reſpondeamus, quæ Vujekus in ſua Præfatione nobis, quos Anabaptiſtas, cum uno tantum nomine nos vocare vult, potiſſimum appellat, multis verbis objicit; exponenda eſt tum ipſius ſuorumque, tum noſtra, quod ad præſentem diſputationem attinet, de Jeſu Chriſto ſententia; quo melius dijudicari queat, an nobis merito iſta objecerit: & an potius quædam ex iſtis ipſi, ſuiſque jure objici poſſint.

Vujekus igitur una cum ſuis de Jeſu Chriſto ſentit, eum conſtare ex duabus naturis, divina, & humana: quarum divina non ſolum extiterit, ac per ſe ſubſtiterit, & perſona fuerit ante humanam, ſed ſit revera ipſa per ſe ille unigenitus Dei filius, quem Jeſum Chriſtum eſſe, Sacræ Literæ teſtantur; qui ab omni æternitate ex Dei Patris ſubſtantia generatus fuerit, & totam illius eſſentiam per generationem iſtam habuerit: ac conſequenter unus ille Deus Iſraëlis & noſter ſit, quemadmodum & pater ipſe. Quæ quidem divina natura in virginis Mariæ utero humanam naturam aſſumpſerit, & in unam & eandem perſonam ſibi individue copulaverit. Ex quo fiat, ut unus & idem Jeſus Chriſtus, non modo homo ſit verus, ſed etiam æternus Deus: & propterea illi divinus cultus tribuatur, propter divinam, inquam, naturam (quæ in ipſo humanam ſuſtentet) cui ſoli & proprie iſta conveniant; humana natura alioqui per ſe indigna, cui iſta tribuantur. Hæc eſt, ut dixi, Vujeki & ſuorum, quatenus ad rem noſtram pertinet, de Jeſu Chriſto ſententia.

At nos de Jeſu Chriſto ſentimus, eum eſſe illum hominem, qui in Mariæ virginis utero ex Spiritu Sancto conceptus eſt, & ex ea natus. Et hunc ipſum hominem, illum unigenitum Dei filium eſſe affirmamus, quem divina teſtimonia nobis commendant: nec alium extra aut ante ipſum. Cui homini eam divinam poteſtatem atque imperium à Deo ipſius patre datum & donatum eſſe aſſerimus, ut merito ac neceſſario illi ipſi per ſe, & Dei nomen, & divinus cultus tribuatur.

Nunc ad Vujeki objecta, quæ in ipſius Præfatione continentur, veniamus. Ea autem ad quatuor capita, revocari poſſunt: unum, quod fides noſtra ſit Satanica: alterum, quod ſit Judaica: tertium, quod ſit Ethnica: quartum, quod ſit Mahometana; tametſi ipſe in ſuo quaſi epilogo trium tantum mentionem fecerit: in illis, inquam, verbis, pagina ejuſdem Præfationis 16. Pokazatem nakrotce &c. id eſt, *Oſtendã breviter, Magnifice Domine, fidem Anabaptiſtarum non eſſe Chriſtianam, ſed Satanicam, Judaicam, & Machometanam fidem*; oblitus quod nos, ut ſuo loco oſtendemus, Ethnicis in divino cultu aſſimilaſſet.

Jam quod fides noſtra ſit Satanica, non alio modo probare nititur, niſi quia neceſſe ſit, ut illa nobis à Satana ejuſque ſpiritu ſuggeſta fuerit; quatenus, ſcilicet, Chriſtum Dominum ex ipſius Majeſtate deturbare conamur; nempe quod non ipſum, ſed ejus patrem tantum, illum unum Deum Iſraëlis & noſtrum agnoſcamus. Atqui, etiamſi hæc vera eſſent, non tamen idcirco fides noſtra Satanica ibi, ubi præterea uno verborum contextu ipſam Judaicam & Mahometanam Vujekus nominavit, nominanda ab eo erat. Judaicam enim & Mahometanam ideo vocavit, quod de Deo & Chriſto (ut quidem ipſi videtur) ſimiliter atque Judæi & Mahometani credamus & ſentiamus. Sic igitur, cum Satanicam ibidem eam vocavit, eum propterea id feciſſe oportuit, quod de Deo & Chriſto idem credamus, quod Satanas: non autem, quod noſtra de Chriſto fides obis à Satana ejuſque ſpiritu ſuggeſta fuerit. Verum hæc leviora Vujeki errata omittamus; & quomodo, quæ de Chriſto credimus, à Satana nobis ſuggeſta fuiſſe, oſtendere ac perſuadere conetur, paulo diligentius conſideremus. Verba ejus, quibus hoc tentat, ea ſunt quorum initium eſt ad finem ſecundæ paginæ, ipſius Præfationis, & finis in initio quartæ. Illa, inquam, Ale cowz wſzyſtkiego ieſt za ptzeczyna &c. id eſt; *Sed quæ tamen eſt cauſſa tantæ malitiæ atque odii Satanæ in Chriſtum? Nihil Satana elatius aut ſuperbius. Ipſe enim eſt Rex ſuper omnes elatos & ſuperbos homines. Et propterea nihil illi tam grave eſt, ut hoc, quod is, qui propter nos, & propter noſtram ſalutem ſe adeo demittere voluit, ut cum eſſet Dominus omnium, acceperit formam ſervi, & ſervi quidem ſontis, & tanquam infimus, & nequiſſimus ſervus, dederit ſe capiendum, vinciendum, flagellandum, conſpuendum, & denique turpiſſimum & graviſſimum cruciatum & mortem crucis ſubire voluit; quod hic, inquam, ita ſublimiter evectus ſit, & per hanc ſuam humilitatem & mortem crucis ita vehementer celebratus & exaltatus, ut in hujus Jeſu conſputi & crucifixi nomine flectat ſe & procumbat omne genu, non ſolum eorum, qui ſunt in terra, ſed etiam eorum, qui vel in inferno, vel in cœlo habitant; nec ulla ſit lingua, quæ non confiteatur, quod Jeſus Deus & Dominus omnium ſedet in dextera Dei Patris ſui, ut communis regni & gloriæ particeps & heres. Hoc eſt, quod Satanam urit; hoc eſt, quod illum torquet, quodque illum excruciat, tanquam ignis inferni; quod qui conſputus, qui flagellatus, qui crucifixus fuit, hunc, ut Deum verum omnes adorant, invocant, glorificant, concelebrant. Idcirco nihil non facit, ut hæc Chriſti Domini gloria (quam is habet ut ſibi debitam) aboleat & perdat, & hic eſt præcipuus labor & cura ejus.* Hactenus Vujeki verba; in quibus illud primum notandum eſt, quod quidquid de Chriſti antecedente poteſtate ac ſui ipſius demiſſione in illis dicitur, nihil ad propoſitum facit, immo totam Vujeki ratiocinationem alioqui optimam, ſed ejus inſtituto, ut mox dicemus, prorſus adverſantem, infirmat & labefactat. Neque enim grave Satanæ videri aut debet aut poteſt, quod is, qui jam reipſa & natura ſua (ut quidem Vujekus ſine dubio intelligit) omnium, tam ſcilicet cæleſtium, quam terreſtrium, & infernorum, Dominus eſſet, cum ſeipſum ſua ſponte de tam ſublimi gradu ad omnium infimum demiſiſſet, rurſus ad eundem ſupremum gradum palam evectus fuerit; præſertim cum iſtum non hominem quidem, ſed Deum ipſum eſſe, ſit neceſſarium. Quare hæc pars, quamvis, ſecundum ipſius Vujeki ſenſum, veriſſima eſſet, hoc tamen loco reticenda illi erat. Verum illam non reticuit, ne videretur illius Chriſti divinitatis, quam ipſe cum ſuis ei tribuit, eſſe oblitus. Sed tamen, Deo linguam ipſius, ut arbitror, hoc loco regente ac moderante, ita locutus eſt, ut veriſſimus ſenſus ex ejus verbis elici queat; ne, quando imprudens contra ſeipſum ſuoſque pro nobis ratiocinabatur, quidquam in tota ipſius ratiocinatione eſſet, ad quod nos Amen dicere non poſſemus; ut poſtea declarabo. Jam quid, obſecro, efficacius afferre potuiſſemus nos, ad demonſtrandum, quod Satana auctore fiat, ut Vujekus & reliqui Adverſarii noſtri ſententiam noſtram de Chriſto Jeſu rejiciant penitus, & prorſus extinctam cupiant, quam illud ipſum quod Vujekus contra nos reipſa attulit,

in paulo ante recitatis verbis, ut probaret, Satanam noſtræ ſententiæ de Chriſto auctorem eſſe? quod ſcilicet nullo pacto Satanas ferre poteſt, ut humana ipſa natura, cui ille vehementiſſime invidet, ac perpetuo adverſatur, ut homo, inquam, ipſe Chriſtus Jeſus (in hominem enim ipſum iſta revera & proprie cadunt, capi, vinciri, flagellari, conſpui, & crucifigi) ad tantam ſublimitatem fuerit evectus, ut quemadmodum ipſe Vujekus loquitur, Dei patris ſui communis regni particeps & heres fuerit factus, adeo ut ipſum, tanquam verum Deum, omnes adorent, invocent, glorificent, concelebrent. Propterea enim, ne iſta tam ſublimia de homine ipſo credantur, illique vere ac proprie tribuantur, hominibus imperitis & parum firmis, ab ipſo ferme initio ſuggeſſit Satan, ut, locis quibuſdam divinarum Litterarum abutentes, & ſophiſticis rationibus ac conſecutionibus innixi, & ſibi & aliis perſuaderent, in Chriſto Jeſu, præter humanam eſſe divinam eſſentiam ſeu naturam, qua revera ipſe Chriſtus ſubſiſtat, cuique uni iſta omnia vere ac proprie dentur; & per accidens tantum, quia ſcilicet, acciderit, ut divina iſta natura ſecum, in unam & eandem perſonam, humanam naturam aſſumſerit, cum humana natura communicentur: non autem propria & vera communicatione. Itaque noſtrum omnino eſt iſta Vujeki ratiocinatione uti adverſum ipſum, & omnes, qui cum eo ſentiunt, ne eo quidem excepto, quod de antecedente Chriſti poteſtate, ſuique ipſius demiſſione ſcripſit; non modo quia recte interpretatum veriſſimum eſt: verum etiam, quia, ſi recta interpretatio adhibeatur, ratiocinationem ipſam minime infirmat. Si enim, quod Chriſtus antequam ſe demiſerit, eſſet omnium dominus, haud ita intelligamus, quaſi natura ſua talis eſſet, ſed Dei dono: idque non univerſe prorſus ad omnes referatur, ſed ad eos omnes, quibus ſeipſum ſuæ ſponte ſubjecit, ad quos, tanquam ad ſubjectam materiam, vox alioqui univerſalis, ut frequentiſſime fieri conſuevis, reſtringi debeat: vel, ſi prorſus univerſe accipiatur, non de jam plene accepta, ſed de illi firmiſſime decreta, moxque certiſſime ac pleniſſime accipienda dominatione intelligatur, quam propterea merito, ut loquendi communis fert uſus ipſis Sacris Litteris familiariſſimus, jam habuiſſe dici potuit; Si denique demiſſio iſta de ipſo Chriſto Jeſu intelligatur, quemadmodum diſerte Paulus loquitur 2. cap. ad Philipp. unde iſta ſumpta ſunt, ita ut de homine illo ſit ſermo (neque enim ante illum hominem, aut extra ipſum, fuit unquam Chriſtus Jeſus) qui jam ingente in homines & dæmones poteſtate præditus, & omnium creatarum rerum dominus & heres deſignatus, ſe ipſum ut noſtram ſalutem operaretur, tantopere dejecerit; Si, inquam, ad hunc modum iſtam ratiocinationis Vujeki partem interpretemur, ex ea haud quidquam infirmatur ratiocinatio ipſa. Hoc ſiquidem pacto quidquid ſublime Chriſto in ea tribuitur, ad illum hominem vere ac proprie pertinet; unde merito Satan humani generis capitaliſſimus hoſtis uritur ac cruciatur, atque ut hujus rei notitia ex hominum animis extirpetur diligentiſſime curat. Quod cum aperte moliri nequeat (nimis enim frequentia & perſpicua ſunt divina teſtimonia, de ſuprema hominis Jeſu exaltatione) per cuniculos id ipſum tentat; & ſane (pro dolor) obtinet perque ſpeciem ipſius Jeſu Chriſti mirifice amplificandi, illi id tribuens, quod nec habet, nec habere poteſt, illud ei adimit, quod certiſſime habet, quodque fidei ac ſpei noſtræ in Deo collocandæ firmamentum eſt: quo denique ratio continetur, qua Deus nos vita æterna donare conſtituit; ut ex iis, quæ deinceps in hac noſtra Reſponſione dicentur, apertius conſtabit. Non laborabo autem, ut clarius demonſtrem, Vujeki ſupra recitata verba, quibus imprudens, ut dixi, contra ſe ſuoſque ratiocinatus eſt, ad ipſius ſenſum, quem minime expreſſit, plerumque accommodari non poſſe, ad noſtrum vero perquam optime prepetuo accommodari. Nam præter ea, quæ jam dicta ſunt, quis eſt, qui non videat, Sedere ad dexteram ſive in dextera Dei patris ſui, & divini regni participem & heredem eſſe, de ipſo Deo, qui antea ſe demiſiſſet ac dejeciſſet, nullo pacto dici poſſe: ſed ut de ipſo homine hæc dicantur neceſſe eſſe? Recte igitur, ipſiuſmet Vujeki verbis, contra ipſum id concludo, quod adverſum nos ipſe concludere voluit; & ſatanæ inventum fuiſſe ſtatuo, aſſerere, in Chriſto Jeſu eſſentialiter atque hypoſtatice illam unicam diviuam naturam eſſe, cui uni vere ac proprie divinus cultus debeatur. Hoc enim aliud nihil eſt, quam ipſius hominis Jeſu conſputi ac crucifixi ſupremam ac diviniſſimam exaltationem negare, quam Satan ex hominum memoria penitus delere & cupit, & quærit.

Sed jam illud examinandum accedamus, quod ſecundo loco nobis Vujekus objicit, fidem, ſcilicet, noſtram eſſe Judaicam. Ubi illud primum animadvertendum eſt, in hac & ſimilibus & Vujeki, & aliorum adverſariorum objectionibus ſubeſſe eam fallaciam, quæ appellatur A ſecundum quid ad ſimpliciter. Quia enim, aliqua in re, noſtra de Deo & Chriſto fides, ſeu affirmando ſeu negando, convenit, cum quorundam fide, qui alioqui deteſtabiles & habentur & ſunt; propterea ſimpliciter affirmant, noſtram fidem cum illorum fide convenire. Hinc nos non modo Ebionitas, & novos Judæos, novoſque Mahometanos ſumma injuria paſſim appellare non verentur; ſed etiam quod perriduculum eſt, Sabellianos vocare, interdum eos non pudet; quia videlicet in eo cum Sabellio convenimus, quod in divina eſſentia unam tantum perſonam ſtatuimus. Cum tamen alioqui ſententia noſtra à Sabelliana mirum in modum diſcrepet: ipſorum vero cum ea adeo reipſa conſentiat, ut merito ipſi Sabelliani dici poſſint; quemadmodum cum ab aliis, tum à Petro Gonedzio, ſi recte memini, jamdiu oſtenſum fuit. Sed de iſta, quam nobis aliquando objiciunt, ſententiæ noſtræ cum Sabelliana convenientia, aliquid poſtea exactius dicemus, cum id examinabimus, quod Vujekus hoc loco ſcripſit, nos Judaice & Turcice in divinitate unam tantum perſonam habere. Nunc animadvertat lector, quod ſi omnino liceret, propter convenientiam fidei alicujus cum fide alterius, qui præceſſerit, in re aliqua, ab hoc illum denominare, nullus fuit tam turpis hæreticus, à quo quilibet ex ipſis adverſariis noſtris denominari jure non poſſet; quippe quod ejus fides cum illius fide aliqua in re conveniat.

Jam vero deinde videndum nobis, quomodo Vujekus crediderit, ſe demonſtraſſe, fidem noſtram de Jeſu Chriſto merito Judaicam appellari poſſe. Inquit enim ipſius Præfat. pag. 9. Αδοτιεμ πρε cοι ιπεqο &c. id eſt, *Nam propter quid aliud Iudæi Dominum Jeſum Chriſtum perſequebantur, niſi propter hoc, quod ille, cum eſſet homo, faciebat ſeipſum Deum: quod Judæi habebant pro blaſphemia? Propter quod voluerunt eum lapidare, niſi quod dixit, Ego ſum antequam Abraham naſceretur, &, Ego & pater unum ſumus? Propter quid voluerunt eum interficere, niſi quod vocabat Deum proprium patrem ſuum, faciens ſe Deo æqualem? Denique propter quid aliud fuit Chriſtus Dominus morte damnatus, niſi quod, cum eſſet adjuratus à Caipha, confeſſus eſt, ſe eſſe Chriſtum filium Dei? Quo audito Caiphas exclamavit, Ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur; & clamaverunt omnes, Reus eſt mortis. Idem etiam coram Pilato ſunt profeſſi, dicentes, Nos legem habemus; & ſecundum legem hic eſt reus mortis, quia ſe fecit Filium Dei. Et filium certe non adſcititium nec adoptivum, quales filii erant omnes Judæi (hoc enim non habuiſſent pro blaſphemia) Sed filium Dei proprium & naturalem, & Patri ſuo æqualem.* His verbis, quibus alia plura, amplificandi, & explicandi cauſſa, addit, putat Vujekus, ſe confeciſſe, fidem noſtram de Jeſu Chriſto eſſe Judaicam. Quaſi vero nos negemus, Jeſum Chriſtum, quamvis ſit homo, tamen eſſe Deum, & æqualem Deo: vel proprium & naturalem Dei filium

eſſe

eſſe non agnoſcamus, & patri ſuo æqualem. Quamquam non omnia hæc quæ ipſe Chriſto tribuit, nec nos, ſi recte intelligantur, vera eſſe negamus, ita clare probantur ex locis ab eo indicatis, ut ipſe exiſtimat; quemadmodum inferius apparebit in reſponſione ad teſtimonia ex Novo Teſtamento pro ſententia adverſariorum producta, ubi loci iſti omnes una cum illo, *Ego & pater unus ſumus.* (De quo nunc nihil aliud dicimus, niſi quod, Jeſum Chriſtum cum Deo patre ſuo unum eſſe & agnoſcimus & confitemur) diligentius excutientur. Nam quod Chriſtus dixerit, *Ego ſum, antequam Abraham naſceretur*, id nos negamus; & verba illa Chriſti Joh. 8. 58. aliter & legenda & explicanda eſſe, quam vulgo fiat, jam diu noſtri homines breviter docuerunt in Animadverſionibus in Theſes Collegii Poſnanienſis de uno & trino Deo; & aliquanto copioſius idem demonſtratum eſt ab auctore Diſputationis adverſus Andream Volanum; ſed copioſiſſime in defenſione illarum animadverſionum, & in Diſputatione Fauſti Socini cum Eraſmo Johannis (qui libri aliquando, Deo volente, in publicum edentur) id ipſum eſt confirmatum. Non pigebit tamen infra, ubi Vujekus hunc locum adverſum nos attulit, aliquid in eandem ſententiam ſcribere.

Jam in iis quæ Vujekus, amplificandi & explicandi gratia hic ſubjicit, primum notandum eſt, eum diſerte aſſerere, ſi fides & confeſſio noſtra conferatur cum fide illorum antiquorum Judæorum, nullam differentiam inter ipſas inventum iri. Ergo, ſi Vujeko credendum eſt, antiqui illi Judæi credebant, & confitebantur, Jeſum Nazarenum eſſe Chriſtum ſervatorem ſuum, vivorum & mortuorum judicem, atque omnium heredem & dominum à Deo Patre ſuo deſignatum & conſtitutum. Nam certe nos iſta omnia de Jeſu Nazareno conſtanter & credimus, & confitemur. Ut cætera omittam, quæ nos de eodem Jeſu ſimiliter, ut credimus, ſic etiam confitemur, quæ antiqui illi Judæi de ipſo non poterant credere, quia vel illa non audiverant, vel ea nondum extiterant; ut, quod ex Spiritu Sancto conceptus fuerit, & ex virgine natus: quod ex morte crucis redivivus, paucis poſt diebus in cælum aſſumptus fuerit, ibique ſubditis ſibi Angelis & poteſtatibus & virtutibus, ad Dei dexteram collocatus, & jam omnem poteſtatem in cælo & in terra adeptus, ipſiuſque inferni & mortis claves habens, omnia pro arbitratu ſuo in Eccleſia moderetur & regat.

Sed addit Vujekus, *nos non ſecus atque antiquos illos Judæos, Chriſtum Dominum & Servatorem noſtrum, & propter eandem cauſſam, perſequi, lapidare, & turpiſſima crucis morte afficere.* In quibus quidem verbis præter veritatem, quæ nulla prorſus in eis eſt, Vujeki ingenium deſidero. Nam finge, ea veriſſima eſſe, quæ ante de nobis dixit, & manifeſto falſiſſima ſunt, quæque poſtea repetit, noſque ſic credere de Chriſto ut Judæi illi credebant; num idcirco nos, ut illi, &, propter eandem cauſſam, Chriſtum perſequimur, lapidamus, & cruci figimus? Quid, quæſo, magis vel falſum vel etiam impoſſibile? Dicet, ſe figurate locutum fuiſſe, ac dicere voluiſſe, nos, eo ipſo, quod ita credimus de Chriſto, tantopere illum lædere, ut iſta illi facere merito dici poſſimus. Atqui huic figuratæ locutioni non poteſt hic eſſe locus, ubi diſerte inter iſta, quæ nos Chriſto faciamus, & cauſſam, propter quam faciamus, diſtinguitur, & ea quidem diſtinctione, qua in illis Judæis iſta, quæ Chriſto revera fecerunt, à cauſſa cur fecerint, diſtinguitur, id eſt, vera & reali diſtinctione. Itaque ſi illis Judæis hac ratione comparandi ſumus, oportet oſtendere, nos non modo ſic credere de Chriſto, ut illi credebant (quod tamen, quod attinet ad propoſitum noſtrum, & ad ipſam Vujeki mentem, nulla penitus ex parte verum eſt) quo cauſſa illa continetur; Verum etiam propter hanc cauſſam nos præterea iſta Chriſto facere, ut illi fecerunt.

Sed jam piget me tam turpes, ridiculas, & manifeſtas calumnias refellere. Quare ad alia tranſeo; & omiſſis aliis omnibus, quæ Vujekus hic contra nos amplificat, ut pote vel ſatis jam refutatis, vel poſtea commodiore loco refutandis; id unum dicam, non recte locutum fuiſſe Vujekum, cum in initio pag. 12. ſuæ Præfationis aſſeruit, Chriſtum admodum frequenter confeſſum fuiſſe, ſe eſſe verum Deum. Nunquam enim Chriſtus id dixit; Tametſi ſæpe de ſeipſo ea dixit, ex quibus facile & neceſſario colligitur, eum eſſe verum Deum, id eſt, divino imperio ac poteſtate revera præditum. Qua de re poſtea uberius. Illud etiam ſilentio non prætermittam, quod Vujekus nos hic apertiſſime ab Arrianis diſtinguit, quibus videlicet nos pejores eſſe ait. Ex quo deberet ille addiſcere & a ſeipſo doceri, non debere nos quorundam nomine appellari, propterea quod aliqua in re cum ipſis ſentiamus. Nam certe, ut ipſe hic fatetur, noſtra de Chriſto ſententia cum Arriana ex parte convenit, idque iis in rebus, quæ ſecundum Vujeki & ſuorum ſententiam à veritate prorſus ſunt aliena, maximique ſunt momenti, & tamen ipſo Vujeko teſte, nos Arriani appellandi non ſumus.

Sequitur, ut de tertio objecto agamus. Ait igitur Vujekus pag. ſuæ Præfationis 13, & 14. *nos more Ethnico, dividere gradus in divinitate, atque inducere & adorare duos Deos: unum majorem, & alterum minorem: unum verum & proprium Deum, præter quem nullus alius eſt Deus, & alterum Deum non proprium, ſed adſcitium: unum ſeniorem, antiquum & æternum Deum, qui principium non habet, & alterum juniorem, novum & recentem, qui cum antea non eſſet, demum ex virgine Maria eſſe cœpit: unum creatorem & non creatum, & alterum creatum & factum Deum. Et ſic, cum hoc nobis propoſuerimus, ut habeamus tantum unam perſonam in divinitate, quemadmodum Judæi & Turcæ habent tamen, velimus nolimus, non unum Deum, ſed duos, valde inæquales, & vix non contrarios Deos habemus, credimus, adoramus, & confitemur more ethnico. Propter quod etiam omnes fideles jure debent nos habere pro Ethnicis.*

Recitavi non ſententiam modo, ſed verba ipſa Vujeki; ad quæ antequam reſpondeo, libet vehementer mirari, hominem Pontificium aliis objicere, quod non unum tantum Deum, qui æternus & creator eſt, ſed alium quoque nec æternum nec creatorem habeant, quodque propterea in deorum pluralitate Ethnicos imitentur; cum ipſi Pontificii Deos non æternos & creatos abſque numero colant; inter quos, videlicet, curam plurimarum rerum humanarum ſunt partiti, aſſignata cuique ſeparatim ſua propria cura, quo vix quidquam excogitari poteſt ad morem Ethnicum colendi divinitatem, deque ea in cura humanarum rerum ſentiendi propius accedens; quemadmodum à multis ingenio, eruditione, ac pietate præſtantibus viris, noſtro hoc ſæculo, demonſtratum fuit. Potiſſimum autem miror, ejuſmodi hominem nobis non obſcure objicere, quod Jeſum Chriſtum colamus & adoremus, atque in neceſſitatibus noſtris invocemus, & interim eum creatorem rerum omnium non agnoſcamus; cum ipſe una cum ſuis Pontificiis, præcipue vero ejuſdem ſodalitatis hominibus, Mariam virginem, ipſius Jeſu Chriſti matrem, (negent id quantum velint) palam & manifeſte colant, adorent, & ad eam, ipſiuſmet opem implorantes, preces fundant; cum tamen Maria virgo non modo res omnes non creaverit, ſed de ejus divina aliqua poteſtate nihil penitus in Sacris Teſtimoniis extet: de Chriſto autem Jeſu, ad ſupremam & diviniſſimam poteſtatem à Deo evecto & exaltato, quæ exaltatio nullo prorſus modo in ipſum rerum omnium creatorem cadit, præclariſſima & frequentiſſima in divinis Literis Teſtimonia habeamus. An non hoc eſt vere ac plane Ethnicum, numina ex ſuo capite ſibi fingere, eaque ex ſuo ipſius præſcripto colere ac venerari? Nolo hunc fœdiſſimum errorem, qui diutiſſime apud Pontificios viguit, &

adhuc iſtorum, qui ſe ſocietatis Jeſu nominant, potiſſimum curâ & operâ viget, virgini Mariæ ea tribuendi, quæ Dei & Chriſti ſunt propria, pluribus exaggerare; cum alii ante me ejus ſummam turpitudinem ſatis mundo, ſi reſpicere vellet, ut tamen magna ex parte reſipuit, patefecerint. Hoc tantum dicam, cum nuper Bellarmini Diſputationum primum Tomum evoluerem, ſupra modum me miratum fuiſſe, quod ad finem fere ſingularum controverſiamur, homo alioqui acutus & ſagax, ea verba aut curaverit aut permiſerit adſcribi, LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI MARIÆ. Quibus verbis manifeſte virgini Mariæ divinus cultus, aut ex æquo cum ipſo Deo, aut certe ſecundum Deum, exhibetur. Quanto ſatius fuiſſet, ad exemplum & imitationem Sacrorum Scriptorum, pro virgine Maria, Jeſum Chriſtum reponere! hoc præſertim ſæculo, quo jam ſacri libri, per Dei gratiam, diligenter evolvi atque inſpici cœperunt, & in eo opere, ubi de rebus divinis controverſiæ, ex ipſo verbo Dei definiendæ, proponuntur.

Sed jam Vujeki objectio diluenda mihi eſt. Dico igitur, nos in divinitate colenda nullo pacto cum Ethnicis comparari poſſe: præſertim vero in eo, quod in ipſis culpandum eſt. Atque eo omiſſo, quod Ethnici non duos tantum, ut nobis Vujekus objicit, & propter hoc ipſum nos cum Ethnicis comparat, & eorum ſimiles eſſe dicit, ſed innumeros colebant; affirmo, Ethnicorum errorem non in eo fuiſſe, quod non unum tantum Deum colerent: ſed in eo præcipue, quod curam mundi, atque hujus univerſitatis, & ipſarum rerum humanarum, in plures Deos diſtribuerent, qui nequaquam ab uno ſolo Deo penderent, à quo, videlicet, curam iſtam ſibi demandatam habuiſſent, cuique eſſent ſubordinati; adeo, ut eorum poteſtas, & gubernatio, & cultus, quo propter illam afficiebantur, ad unum illum Deum tota referretur. Tametſi enim Jovem maxima pars cæteris omnibus diis anteponebat, & multorum Deorum parentem & auctorem faciebat; non tamen, exempli cauſſa, Neptunum aut Plutonem divinum imperium, quod illis tribuebant, à Jove ſibi donatum habuiſſe dicebant; ſed, utpote ejus germanos fratres, in mundi totius imperio inter ſe cum ipſo dividendo, illud ſorte obtinuiſſe, credebant. Errabant igitur turpiter, quod non ſolum iſta ſibi fingerent, ſed ad unum principium omnia non referrent; quemadmodum neceſſe eſſe ut fiat, Chriſtiani ſcriptores, adverſus eos diſputantes, probant atque demonſtrant. Quid, quæſo, hoc Ethnicorum delirium cum noſtro non unius illius Dei tantum, ſed etiam hominis Jeſu Chriſti, quem Deum & Deum quidem noſtrum, propter ejus divinam in nos poteſtatem atque imperium agnoſcimus, cultu & veneratione commune habet? Primum enim non nos ipſi, ut Ethnici faciebant, divinam iſtam poteſtatem & imperium comminiſcimur; ſed, hæc revera hominem illum Chriſtum Jeſum habere, ex divinis ac certiſſimis iiſque multiplicibus teſtimoniis, cognoſcimus atque intelligimus. Ex quibus ipſis deinde, præter manifeſtiſſimam rationem, penitus perſuaſum nobis eſt, ab uno illo Deo hæc ſibi donata illum habuiſſe; idque ita, ut interim ille unus Deus, ſe ſua auctoritate & prærogativa, nulla ex parte, privaverit: ſed tantum in nobis divina ratione regendis ac gubernandis, & ad æternam felicitatem perducendis, hominem Chriſtum Jeſum ſibi ſubordinaverit; quo fides & ſpes noſtra in ipſum Deum mirum in modum confirmaretur, & perpetuo aleretur, cum ſciremus, ſalutem noſtram & beatam immortalitatem in illius manu & poteſtate à Deo fuiſſe poſitam, qui infirmitates noſtras, & calamitates, quibus ii ſunt expoſiti, qui, propterea quod in Deo ſpem ſuam collocant, ei obedire volunt, omnes expertus eſſet, ac mortalis homo, ut nos, fuiſſet. Unde quidquid divini cultus homini Chriſto Jeſu, ut debemus, ſic tribuimus, id omne in unum illum Deum redundat, inque illius gloriam cedit; adeo ut inter nos, & Ethnicos, in divinitate colenda, nulla prorſus ſit ſimilitudo: & merito profiteri ac contendere poſſimus, nos non duos Deos, ſed unum tantum colere. Verumtamen mirum eſt, Vujekum, in religione Chriſtiana pro re abominabili habere, duos eſſentia diſtinctos, & ſic quenquam præter illum unum Deum divino cultu afficere; cum potius hoc eſſe Chriſtianæ religionis proprium Divina oracula paſſim teſtentur. Nam quid illud eſt apud Paulum 1 Cor. 8: *Nobis unus eſt Deus, Pater ille, ex quo omnia & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos propter illum*, quam non ſolum illum unum Deum noſtrum, ſed aliam etiam quandam perſonam nobis divina ratione colendam eſſe, id eſt, Jeſum Chriſtum? Agitur enim ibi de divinitate colenda; & diis gentium atque idolis, quæ ab illis colebantur, opponitur primum ille unus Deus, deinde etiam Chriſtus, ut unus noſter Dominus; differentia hac inter eos expreſſe conſtituta, quod ille, ut is, ex quo omnia, id eſt, prima cauſſa noſtræ felicitatis, hic vero, ut is per quem omnia, id eſt, ejuſdem noſtræ felicitatis cauſſa ſecunda, quæ etiam efficiens inſtrumentalis appellari poteſt, colendus à nobis ſit; ut interim, dum duo colendi proponuntur, ad unum tamen ex iiſdem utriuſque cultum referendum eſſe intelligatur, tanquam ad ultimum ipſius cultus ſcopum, in quo totus tandem conquieſcat. Præterea, cum idem Apoſtolus Philip. 2, Deum ſupra modum Jeſum Chriſtum, propter ſui ipſius demiſſionem inſignem, & obedientiam uſque ad mortem crucis, evexiſſe ſcribit, eique donaviſſe nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, ac ſubterraneorum; an non ſimiliter aperte docet, non ſolum illum unum Deum, ſed alium etiam ex ipſius Dei voluntate, ipſoque Deo id curante, ab omnibus coli debere, nempe Jeſum Chriſtum hominem? Addit tamen ſtatim ibidem, *& omnis lingua confiteatur, quod Dominus* [*eſt*] *Jeſus Chriſtus, ad Dei Patris gloriam*; ut quidem in Græco legitur; quibus verbis Chriſti divinitatis agnitionem, Chriſtique cultum ad Dei ipſius gloriam pertinere aperte affirmat; ut certum ſit, nihil cultui illi, qui uni Deo debetur, hac ratione derogari: non quia Chriſtus ſit ille unus Deus; ſed quia ab illo uno Deo, non quidem naturaliter & neceſſario, ſed ex dono & gratia, iſta fuerit conſecutus. Idem Paulus 1 Cor. 12. 5. & 6. non ſemel unum illum Deum à Jeſu Chriſto, quatenus Jeſus Chriſtus eſt Dominus, & unus quidem Dominus Epheſ. 4. 5, & 6, nempe divinus & cæleſtis, & idcirco divino cultu afficiendus, clariſſime diſtinguit, & Deo Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſic uni illi Deo tribuit, quod Chriſtum à ſe ex mortuis exciratum in ſua dextra poſuerit in cæleſtibus ſupra omnem aliam poteſtatem, omniaque ſub illius pedes ſubjecerit; quæ certe divinum cultum omnino poſtulant: & conſequenter oſtendunt, Chriſtum, ab uno illo Deo licet diſtinctum, colendum nobis divina ratione eſſe. Porro in Apocalypſi Apocal. 5. 8. coram Agno, ab illo, qui in throno ſedebat, & ſic plane ab illo uno Deo diſtincto, cecidiſſe dicuntur quatuor illa animalia, & viginti quatuor ſeniores, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſint orationes ſanctorum. Idem Agnus, qui occiſus fuit, dignus ibidem dicitur accipere virtutem, & divitias, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem: omnibus creatis rebus acclamantibus, Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula Apoc. 5. 12, 13. Quæ omnia manifeſtiſſime non modo illum unum Deum, ſed etiam Chriſtum, quatenus ab illo uno Deo diſtinguitur, divina ratione coli, & colendum eſſe docent atque demonſtrant. Deficeret me tempus, ſi omnia alia, quæ non in Novo Teſtamento ſolum, ſed etiam in Vetere Teſtimonia extant de Chriſto, quatenus ab illo uno Deo diſtinguitur, divino cultu afficiendo, in medium producere vellem; ut is, qui negat, in religione Chriſtiana oportere aut licere duos, quorum unus alteri ſit ſubordina-

tus

tus ab eoque totus pendeat, divino cultu afficere, is ſolem meridie lucere neget, ipſiuſque Chriſtianæ religionis præcipuum myſterium ſe ignorare oſtendat: ac proinde, ſi ſummo jure cum ipſo ſit agendum, Chriſtiani nomine omnino ſit privandus: tantum abeſt, ut is, qui iſta profitetur, propter id, ut Vujeko placet, non Chriſtianus, ſed Ethnicus ſit appellandus. Qui Vujekus, dum ad ſuam objectionem de duobus diis, qui à nobis Ethnico more colantur, confirmandum plurimum urget, ac ſæpius variis modis repetit, quod unum altero longe majorem agnoſcimus, & nominatim commemorat, illum majorem à nobis eum Deum ſtatui, præter quem non ſit alius Deus, non videt, ſe totam ſuam objectionem labefactare, eamque prorſus diluendi, rationem omnibus exponere. Nam certe omnis culpa in duobus divino cultu afficiendis, & omnis invidia, tanquam hac ratione plures dii Ethnico more colantur, penitus abeſt, ſi unus adeo major altero ſtatuitur, ut ab eo omnis divinitas, & conſequenter illius alterius divinitas, proficiſcatur ac pendeat. Nec quidquam ad ullam objectionem diluendam efficacius eſſe poteſt, quam, ad iſtam Vujeki evertendam, hæc horum duorum, qui à nobis divina ratione coluntur, diſparitas, cui tantopere ipſa objectio innititur; præſertim ſi diligentius explicetur, & ſubordinationem unius ad alterum ex ea neceſſario conſequi, oſtendatur. Quemadmodum, me jam ſatis oſtendiſſe, mihi perſuadeo. Et ridiculum ſane eſt, quod Vujekus arbitratur, nos quodammodo in illud incidiſſe, quod tantopere vitare ſtuduimus, id eſt, ne plures Deos haberemus, unde factum eſt, ut in ipſa divina eſſentia unam tantum perſonam eſſe contendamus. Nam inquit, *Tamen, velint nolint, non unum Deum, ſed duos valde inæquales colunt.* Neque enim animadvertit, hac ipſa iſtorum duorum inæqualitate illud vitari, quod nos vitare voluimus. Voluimus ſiquidem vitare, ne plures Deos, ſummos, videlicet, ac prorſus æquales & ſine ulla ſubordinatione ad unum tantum, haberemus. Id quod neceſſario ex eo conſequitur, ſi plures perſonæ ſtatuantur, quæ naturaliter atque ab omni æternitate habeant perfectiſſime eſſentiam divinam. Multiplicatis enim perſonis, individuas eſſentias quoque multiplicari neceſſe eſt. Jam quod ait, Judaicum & Turcicum eſſe, unam tantum perſonam in divinitate ſtatuere: illo ſophiſmate utitur, quo accidentis fallacia continetur. Ex accidente enim eſt, quod attinet ad id, de quo hic eſt agendum, ſi Judæi & Turcæ unam tantum perſonam in divinitate ponunt. Neque enim ob hanc cauſſam ulla ex parte à Chriſtianis diſtinguuntur: hocve illorum eſt proprium, & à Chriſtianis alienum. Unde etiam Judaicum & Turcicum non niſi æquivoce & improprie vocari poteſt. Quod Judæos & Turcas à Chriſtianis, in ipſo divino cultu, diſtinguit ac ſeparat, non iſtud ſane eſt; ſed eſt, Jeſum Chriſtum, ut ab uno illo Deo ſupra omnes res creatas evectum atque exaltatum, ac ſupremo & divino imperio & poteſtate donatum, pro ſuo Domino & Deo non agnoſcere, nec eum divina ratione colere. Similis atque adeo major fallacia eſt, cum Vujeki ſymmyſtæ aperte nos Sabellianos vocant (à qua nobis inurenda nota Vujekus ipſe neque hic proxime ſeq. pag. id eſt Præfationis 15. nec pag. 3. & 11. ipſius Libelli omnino abeſt) ob hanc ipſam videlicet cauſſam, quod unam tantum perſonam in divina illa unica eſſentia eſſe contendimus; quod Sabellius quoque faciebat. Neque enim Sabellii error in eo fuit, quod plures perſonas in divina eſſentia eſſe negaret: ſed quod Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quos ad divinam eſſentiam pertinere volebat, unam tantum perſonam eſſe diceret; quo nihil ſtultius excogitari potuit. Sed nos quam longiſſime ab iſta ſtultitia abſumus; & patrem tantum, illam unam perſonam eſſe affirmamus. Itaque, etiamſi in eo cum Sabellio convenimus, quod in divina eſſentia unam tantum perſonam ponimus; tamen id, quod ad propoſitum attinet, prorſus ex accidente eſt; & propterea nullam vim habere poteſt, ad nos Sabellianos nominandos. Eo magis, quod ſi apud Tertullianum opinio Praxeæ, qui idem, quod Sabellius, de Patre, & Filio ſenſiſſe traditur, diligenter excutiatur, invenietur, Praxeam non ſe oppoſuiſſe ſententiæ, quæ jam tunc temporis vigeret, quod, quamvis Pater, & Filius unicam illam numero eſſentiam divinam totam pariter uterque haberet, tamen eſſent duæ diſtinctæ perſonæ: ſed potius ſententiam iſtam de unica Patris, & Filii numero eſſentia, quæ quamvis nondum in eccleſia viguiſſet, antea tamen extiterat, & ab Ignatio, ſi ipſius vere ſunt, quæ ejus nomine circumferuntur, Epiſtolæ, refutata fuerat, una cum quibuſdam aliis renovaſſe, & acriter propugnaſſe; ex qua ſicut neceſſario efficitur, ſic etiam effici ab omnibus tunc exiſtimatum eſt, unicam ſimiliter eſſe Patris, & filii perſonam; immo, ut revera ſunt, ſic pro eodem utrumque eſt habitum. Nec enim, ut ex multis conjicere licet, ſophiſtica iſta ſenſuique ipſi communi repugnans inter individuam ſive unam numero eſſentiam & perſonam in Deo, diſtinctio adhuc excogitata fuerat. Sed de his in præſentia hactenus.

Reſtat quarta objectio, quod fides noſtra ſit Mahometana. Id probare Vujekus nititur tribus rationibus. Quarum prima eſt, quod fides noſtra de Deo, & Chriſto conſenrit cum Mahometana. Nec quidquam addit amplius, exiſtimans arbitror, ſe ſatis id ſupra planum feciſſe. Verum, quantopere fallatur, ex iis, quæ hactenus adverſus ipſum diſputavimus, ſatis perſpici poteſt. Putat ipſe, Mahometiſmum circa fidem de Deo, & Chriſto in eo conſiſtere, quod credatur, in Deo unam tantum eſſe perſonam, & Chriſtum non eſſe generatum ex ipſa ſubſtantia ſive eſſentia Dei. Sed longe errat. Nam, quod ad Deum attinet, nihil finxit Mahometes adverſus Chriſtiana dogmata, in aſſerendo unicam tantum eſſe in Deo perſonam; tametſi aſſertio iſta iis adverſabatur, quæ ejus ætate inter eos, qui Chriſto nomen dederant, vulgo de Dei natura docebantur. Quod vero ad Chriſtum pertinet, qua in re potiſſimum Mahometiſmus verſetur, ſupra monuimus; quamvis hic quoque fateamur: quæ aſſeruit Mahometes de Chriſti natura, non fuiſſe iis conſentanea, quæ tunc paſſim ab hominibus Chriſtiani nominis credebantur. Sed non ſatis eſt hoc ad oſtendendum, ea dogmatis Chriſtianis revera adverſari, & Mahometanam, non autem Chriſtianam fidem habere eum, qui illa non penitus rejiciat. Teſtimoniis Sacris iſtud probandum eſt; de quibus ſuo loco agemus.

Secunda ratio, qua Vujekus conatur oſtendere, noſtram de Deo, & Chriſto fidem Mahometanam eſſe, hæc eſt, quod Servetus, progenitor, ut ipſe ait, noſter, teſte Lindano, cum in Africam tranſfretaſſet, Alcoranum edoctus eſt; & ſtatim poſtea ſcripſit ejuſmodi libros, qui doctrinam Chriſtianam in Mahometanam tranſformant. Hic primum negamus. Servetum fuiſſe progenitorem noſtrum; quippe à quo nec ſententiam noſtram de Deo, & Chriſto acceperimus, & hac ipſa in re non parum ab ipſo diſſideamus: præſertim in explicando, quid ſit illud Verbum ſeu Sermo, de quo Johannes in principio ſui Euangelii loquitur: ſed multo magis in iis interpretandis, quæ illi ibidem tribuuntur; quæ tamen maximi ſunt momenti ad recte intelligendum, quid de Chriſto ſentire aut poſſimus, aut debeamus. Deinde quod is doctrinam ſuam de Deo, & Chriſto ex Alcorano deſumpſerit, eaque talis ſit, quæ non Chriſtiana ſed Mahometana potius appellari debeat, prorſus negamus. Præclariſſime enim, & ſupra ac contra omnem doctrinam Mahometanam, ſenſit Servetus de Chriſto Domino; quem etiam, cum ad ignis ſupplicium duceretur, palam invocare non dubitavit; licet, ut ii voluiſſent, qui illum ducebant, noluerit unquam æternum filium Dei, ſed tantum æterni Dei filium eum confiteri, quæ ipſius conſtantia in extrema illa hora, teſtimonium dicet aliquando contra eos, qui morti illum adjudicarunt, & contra omnes, qui alios idem ſentientes & profiten-

tes ad ſanguinem uſque inſectantur ac perſequuntur

Tertia ratio eſt ducta ex iis, quæ miniſtri Tranſylvanici ex Alcorano fidei ſuæ de Deo teſtimonia afferunt, his verbis, quod, videlicet, Jeſus nunquam docuit, ut in ipſum crederetur, tanquam in Altiſſimum. Quandoquidem unus eſt Altiſſimus, & non duo aut tres: Item, quod Jeſus non vocavit ſe unquam Deum, ſed potius dixit, *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Sed quid audio? Nunquid, ſi ſententia aliqua in Alcorano ſcripta inveniatur, quæ vera ſit, is, qui ea uſus fuerit, ejuſve doctrina, ad quam ea ſententia pertineat, ſtatim Mahometana cenſenda erit; Nam quid verius, quam iſta duo de Jeſu dicta? Certe ejuſmodi invenies apud Lactantium, & Tertullianum, & apud ipſum, ni fallor, Juſtinum. Quamquam ſatis eſt, illa manifeſtiſſime eſſe vera, ut dictum eſt. Quocircá ſi miniſtri illi, Alcorani, ubi hæc ſcripta ſunt, mentionem faciunt, non eſt intelligendum, eos Alcorani teſtimonio velle uti ad ea confirmanda: ſed ad oſtendendum, falſam de Chriſti divinitate ſententiam ex iis, quæ ipſe Chriſtus dixit, etiam ab iis, qui penitus extra eccleſiam ſunt, merito redargutam fuiſſe. Nec aliter intelligenda ſunt eorundem Miniſtrorum verba, quibus, ut Vujekus affirmat, hortantur lectorem, ut Alcoranum legat, promittentes quod ibi inveniet plura egregia & inſignia de Chriſto. Non enim eſt cenſendum, eos Alcorani auctoritate velle uti, ſed tantum adverſariis exprobrare ipſorum cæcitatem, qui ea, cum Chriſtianos ſe vocent, de Chriſto non viderint, quæ is vidit, qui Chriſtianam religionem oppugnavit.

Hæc erant, quæ mihi ad Vujeki Præfationem reſpondenda videbantur, quorum pleraque ſi vim rationum ab eo contra nos allatarum æſtimare voluiſſem, reticeri à me poterant. Sed id mihi potius fuit æſtimandum, quid Vujekus, & una cum eo fortaſſe alii complures, de iiſdem ipſius rationibus judicent, ac multo magis judicaſſent, ſi eas non refutaſſem. Nunc ad librum ipſum refellendum accedamus.

CAPUT II.

In quo refelluntur, aut notantur, aut examinantur quædam, quæ in quatuor prioribus capitibus à Vujeko ſunt ſcripta.

ANtequam Vujekus ad rem ipſam accedat, quatuor priora capita inſumit in narranda origine & progreſſu eorum, qui noſtra ætate ſententias de Deo, & Chriſto renovarunt, contra quas ipſe librum ſuum edidit, in ipſiſque ſententiis explicandis, & quibus illæ acceptæ referri debeant, oſtendendo, ac denique in pluribus rationibus & cauſſis recenſendis, propter quas neceſſe ſit, eccleſiam, in qua ipſe eſt, & cujus dogmata tuetur, non modo veritatem habere, ſed omni armorum genere ad eam defendendam, inſtructam eſſe. Ad hæc ſingula nos aliquid reſcribere nihil eſt neceſſe: præſertim vel ubi, ſive in narrando, ſive in ratiocinando, parum aut nihil à veritate Vujekus receſſerit, vel ubi jam alii ante nos non pauci, in reſpondendo, egregiam operam navaverint. Tantum igitur ea vel refellemus, vel notabimus, vel examinabimus, quæ a veritate longe recedunt, & ad quæ hactenus vel à paucis, ita ut ejuſmodi ſcripta vix inveniantur, vel fortaſſe à nemine reſponſum fuit: idque eo ordine, quo in Vujeki libello ſcripta leguntur.

Primo igitur in initio fere primi cap. ſcriptum à Vujeko invenimus, ex Auguſtino & Bellarmino ſumptum, & in ſuam hujus quæſtionis perfationem incluſum, eos, qui illum unum Deum, trinum non eſſe docent; & Chriſtum, nec illum Deum eſſe, nec ab æterno extitiſſe, contendunt, exiſtimare, ſe non poſſe ſufficienter Deum patrem honorare, niſi per contumeliam unici ejus filii; *quamvis*, inquit, *ſcriptum ſit, quod, qui non honorat filium, hic Patrem non honorat.*

Reſpondeo pro noſtris hominibus, & pro me ipſo, Nos quidem id præcipue quærere, ut uni illi Deo noſtro, quem patrem ſolum Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe conſtantiſſime credimus, atque aſſeveramus, ſuus verus honor omnino conſtet; ac propterea plurimum laboramus, ut hoc ipſum & alii credant, & confiteantur: & quidquid divinitatis in alio quopiam inveniatur, id ab ipſo ſolo patre Chriſti non quidem neceſſario & naturaliter, ſed ex libera voluntate & gratia ac dono ipſius profectum fuiſſe, agnoſcant, & hanc ob cauſſam, quam maxime poſſumus, conamur ex divinis teſtimoniis, indeque apertiſſimis rationibus deſumptis, planiſſimum facere, ſummum & inexplicabilem fuiſſe errorem illorum, qui primi auſi ſunt alium quempiam, præter ſolum Chriſti patrem, illum unum Deum eſſe aſſerere, & in ipſam numero unicam eſſentiam divinam plures perſonas inducere, & nominatim, affirmare, Chriſtum eſſe illum unum Deum, cum vel ipſius Chriſti nomen ſatis doceat, iſtud nullo pacto fieri poſſe. Manifeſte enim, Sacris Litteris idem clariſſime atteſtantibus, Chriſtus habet relationem ad unum illum Deum. Propterea frequentiſſime in Vetere Teſtamento ſcriptum invenitur, Chriſtus ſive Unctus Jehovæ, id eſt, unius illius Dei, tunc etiam, cum de ipſo Chriſto domino noſtro verba fiunt; ut Pſal. 2. 2. & Pſal. 132. 17. Nam, cum de Chriſto domino noſtro eſt ſermo, quoniam illi multo magis, quam cæteris omnibus, Chriſti ſive Uncti Dei nomen convenit, indeque hoc nomen tanquam ejus proprium eſt factum, & ſæpiſſime eſt repetendum; idcirco brevius ac figurate, ſine relationis iſtius expreſſione, Chriſtus ſive Unctus ſimpliciter dici ſolet; atque ſubaudiendum ubique relinquitur, Domini, ſeu Dei, ſeu aliquid, quod idem polleat; in Novo quidem Teſtamento fere ſemper: in vetere autem alicubi tantum, ut apud Danielem cap. 9. 25, 26. quamquam ſubſunt ibi aliæ hujus figuratæ ac defectivæ locutionis cauſſæ. Nec fortaſſe in toto V. T. alius eſt locus, ubi Chriſti nomen cum iſtius ſuæ relationis defectu legatur. Sed & in novo ipſa relatio diſerte aliquando exprimitur; ut Luc. 2. 26. & 9. 20. Apoc. 11. 15. & 12. 10. Cum igitur Chriſtus relative dicatur ad Jehovam, ſeu ad illum unum Deum noſtrum, & ipſius Chriſtus ſemper vel tacite vel expreſſe nominetur; quomodo (obſecro) fieri poteſt, ut ipſemet ſit ille unus Deus? Itaque nos quidem, ut dixi, id potiſſimum quærimus, ut ſolus pater Jeſu Chriſti domini noſtri, ille unus Deus eſſe agnoſcatur: ſed tamen non per contumeliam ipſius Chriſti, quæ enim contumelia eſſe in eo poteſt, quod omnino neceſſarium eſt; aut quid Chriſto adimitur, cum negatur, illum eum eſſe, qui nullo pacto eſſe poteſt, ſi Chriſtus eſt? An non potius hoc eſt ipſi manifeſte detrahere atque aperte negare, eum eſſe Chriſtum, ſi quis contendat eum eſſe illum unum Deum? Hoc, inquam, eſt Chriſtum abolere, non autem Chriſto gloriam tribuere, & quicunque maxima illa, quæ Chriſtus habet, adorationem, invocationem, &c. negat illi convenire, niſi ſit ille unus Deus, is ſimul imprudens, vel Chriſtum iſta habere, vel eum, Chriſtum revera eſſe, negat. Quocirca, cum hic craſſiſſimus error, à nobis pro viribus profligatur, tantum abeſt, ut Dei unicum filium, qui idem eſt, quod Chriſtus, contumelia afficere tentemus, ut potius illi ſuum verum honorem & gloriam aſſerere ſtudeamus, & quod vere Chriſtus ſit, omnes agnoſcant, curemus

Subjicit ſtatim Vujekus pag. 2. cauſſam ſeu occaſionem narrare, cur Michael Servetus cœperit de Chriſto aliter docere atque alii docerent, & Bellarminum, qui

* qui idem in ſua præfatione ſcripſit, ſecutus ait, quod cum in ſcholis Lutheranorum, quibus operam dabat (addit Vujekus præter id, quod ſcripſit Bellarminus, *quam fuit diſcipulus Farelli, & ſocius Calvini*, quod non convenit cum Lutheranorum ſcholis; neuter enim iſtorum fuit Lutheranus) idemtidem repeti audiret, verbum Dei non eſſe explicationi Eccleſiæ, aut patrum & doctorum Eccleſiaſticorum, ſed ſoli teſtimonio & judicio ſpiritus alligatum; cœpit & ipſe ſpiritum jactare, & mirari, cur Lutherani (addit Vujekus de ſuo, *& Calviniſtæ*, cum tamen Galviniſtæ nondum extitiſſent, quippe Calvino adhuc diſcipulo, ut Vujekus ipſe paulo ante dixerat) cum Papiſtis de Eccleſia & Sacramentis tantopere contenderent, de Chriſto autem ipſo litem nullam haberent; & cum diſſentirent de corpore, de capite convenirent. Majora igitur moliri meditans, ſed metuens tamen, ne juveniles anni ei fidem & auctoritatem detraherent, annorum enim erat quinque & viginti; id quod annis deerat, Prophetici nominis auctoritate compenſare decrevit, & ſummum ſe orbis terrarum Prophetam nominavit, teſte Calvino lib. 4. Inſtit. cap. 16.

Hæc eſt narratio Bellarminica & Vujekana, de cauſſa, ſive occaſione & origine doctrinæ Serveti. In qua primum illud animadvertendum eſt, eam non convenire cum eo, quod Vujekus in ſua præfatione citavit & approbavit ex Lindano, ut ſupra vidimus quod ſcilicet Servetus in Africam trajiciens, ibi Alcoranum edoctus, ſtatim poſtea libros ediderit Mahometana doctrina refertos, præſertim cum Bellarminus & Vujekus hoc loco ſubjungant de Serveto alia verba, *Itaque jam prophetica libertate aſſumpta, eodem ſpiritu afflatus edidit libros illos quos inſcripſit, De erroribus Trinitatis, &c.* Hi enim ſunt iidem libri cum iſtis, quos in præfatione Vujekus nominavit, aliam cauſſam & tempus eorum edendorum aſcribens, ut modo expoſuimus. Deinde notandum eſt, ad hanc narrationem, in eo, quod maximi momenti eſt, ſpiritus, videlicet, jactatione, confirmandam, Calvini teſtimonium adduci, qui Servetum Genevæ capiendum curavit; ubi tandem, ejuſdem potiſſimum opera quemadmodum in ſua præfatione ipſe Bellarminus, & Vujekus cap. 1. pag. 7. fatetur, combuſtus eſt. Præterea non eſt ſilentio prætereundum, quod hic ſcribitur de ætate Serveti, cum docere cœpit. Certiſſimum enim eſt Servetum, cum ſupplicio affectus eſt, jam ſenem fuiſſe, & Calvino multo grandiorem natu, quod fieri non poteſt, ſi anno 1532 primum innoteſcere cæpit, & annos natus erat tantum viginti quinque. Nam quod tempore iſto cœperit innoteſcere, affirmat Bellarminus * in ipſo hujus tractationis initio, teſtem citans Surium, & idem repetit Vujekus in initio capitis ſecundi: ſed hoc manifeſto falſum eſt, ut alia multa, quæ idem Surius ſcripſit. Extat enim epiſtola Oecolampadii ad Bucerum, lib. 4. epiſt. ejus & Zuinglii data quinta Auguſti 1531. id eſt paucis menſibus ante ipſius obitum, in qua mentionem facit libri de Trinitatis erroribus jam typis excuſi. Extant præterea ejuſdem epiſtolæ duæ ad ipſum Servetum (& ſunt priores duæ primi libri) ubi diſputat contra opiniones illius de filio Dei; & in priore, ejus confeſſionis cujuſdam meminit; poſteriorem vero ad hunc modum inſcribit, Serveto Hiſpano neganti Chriſtum eſſe filium Dei conſubſtantialem. Quas epiſtolas (ſunt enim ſine die) veriſſimile eſt aliquot annis aut ſaltem anno uno ſcriptas fuiſſe ante ſuperiorem, quam citavimus. Errat etiam Bellarminus, & cum eo Vujekus, de tempore, quo exuſtus fuit Servetus. Non enim anno 1555. ſed anno 1553. menſe Octobri id accidit; ut Sleidanus ſat diligens ſcriptor litteris mandavit. Cujus rei, quæ apud me eorum teſtimonio, qui præſentes fuere, certiſſima eſt, fidem præterea facit, liber Calvini poſt Serveti mortem de Servetano ipſo negotio editus anno 1554. Ex hoc errore factum eſt, ut & Bellarminus, in ſua præfatione & Vujekus cap. 1. pag. 8. ſcripſerit, Valentinum Gentilem ſupplicio à Bernenſibus fuiſſe affectum anno undecimo poſt mortem Serveti. Cum id fuerit anno 1566. & ſic non undecimo ſed tredecimo anno poſt Serveti mortem. Hæc errata, quantumvis levia, arguunt iſtorum duorum hominum negligentiam; & monent, non debere illis temere fidem adhiberi in iis quæ narrant. Quæ uterque hic addit de pavore Serveti in ſupplicio ſubeundo, eo minus credi debent, quod Calvini teſtimonio confirmantur.

De eo, quod Vujekus pag. 4. ſcribit, quod univerſa Chriſti Eccleſia & denique univerſus orbis per mille quingentos & quinquaginta annos credidit in Deum unum in Trinitate &c. cum illud hic non probet, hic ſimiliter nihil eſt reſpondendum. Sed reſponſio ad refutationem, quatenus opus fuerit, 12. capitis reſervanda. Interim in hoc ejus diligentiam laudabo, quod, ubi Bellarminus * in ſua præfatione ſcripſerat, per 1580. annos, dempſit ipſe, quamvis quarto anno poſt ſcribens, annos 30. ex numero iſto; & ſic annis triginta quatuor brevius tempus fecit; tametſi inde initium ſumeret, unde ſine dubio Bellarminus ſumpſerat, hoc eſt, ab Apoſtolorum tempore. Recte enim animadvertit, ex ſumma iſta detrahendos eſſe annos vitæ Chriſti in carne, quos Bellarminus, communi quodam errore, (Papiſtarum præſertim ſcriptorum in ſuorum dogmatum antiquitate, atque perpetuitate commendanda) computaverat; quaſi Apoſtolorum & Chriſti eccleſiæ jam ædificatæ ac conſtitutæ tempora ab ipſius Chriſti nativitate, aut conceptione, à qua annos ſuos, id eſt, quam vulgo Æram vocant, Latina Eccleſia numerare incipit, initium ſumpſerint.

Nihil eſt etiam, cur reſpondere debeam ad ea, quæ de Valentino Gentili bona ex parte ab ipſius juratis hoſtibus accepta, hic Vujekus poſt Bellarminum commemorat. Cum nos iſtius hominis nec facta nec doctrinam probemus, & Vujekus ipſe una cum Bellarmino fateatur, hunc non noſtrum, ſed Tritheitarum, & novorum Arrianorum fuiſſe ducem. Dicam tantum, neutrum iſtorum recte feciſſe, dum Bezam imitati, Matthæo Gribaldo mortuo, quodammodo inſultantes, ajunt, illum peſte correptum, ab omnibus derelictum fuiſſe, & mortuum eſſe ut beſtiam; ut verbum quo hic pag. 9. uſus eſt Vujekus, ſignificat; ſive ut canem, ut Bellarminus * in ſua præfationis ſcripſit. Quaſi vero peſte correptis, in compluribus regionibus, idem vulgo non eveniat, ut ab omnibus deſerantur. Præſertim ſi nec uxorem, nec liberos habeant, quemadmodum Gribaldum non habuiſſe credo: id quod tamen non affirmo. Quidquid ſit, nunquam ab homine pio & prudente talis vitæ finis, cuiquam exprobrabitur, qualem ſæpe optimis etiam viris contingere, non eſt dubium. Pietas ſane & vitæ innocentia, qua Gribaldum præditum fuiſſe conſtat, iſta inſultatione indigna eſt prorſus, præſertim contumelioſis illis verbis additis, quod mortuus ſit ut beſtia ſive (quod pejus ſonat) ut canis. Neque enim hoc dictum fuit, quia aliquid alioqui in Gribaldi morte hac contumelia dignum animadverſum fuerit: ſed quia ita iſtis, plebeio quodam more, cum quis in morte derelinquitur, de tanto viro loqui placuit. Quem præterea certum eſt quidem peſte extinctum fuiſſe; ſed an, ut ipſi aſſerunt, ab omnibus derelictum, incertum eſt. De Liſmanino non mirum eſt, eum talem vitæ finem habuiſſe, qualem iſti aſſerunt ſi vera ſunt ea, quæ de ejus moribus narrantur. Sed homini jam diu mortuo parcere, in re præſertim non manifeſta, conſultius eſt. Nam quod hoc loco, ubi de diſcipulis, ac Symmiſtis ſeu collegis Valentini Gentilis agitur, & Bellarminus, & Vujekus Franciſcum Davidis, & Jacobum Palæologum commemorent, mirum ſane videri debet; cum iſti nihil cum Gentili commune habuerint. Cæterum de Franciſco Davidis aliquid inferius commodiore loco reſpondebimus,

* Tom. 1. Col. 261. † Tom. 1. Col. 272. A.

* Tom 1. Col. 261. † Tom. 1. Col. 263.

quan-

quando inter noſtros illum iſti recenſent. At de Palæologo, quem ſimilter ex noſtro numero fuiſſe, ſine dubio arbitrantur, jam reſpondeo, nullo pacto Dei beneficium erga ipſum iſtud fuiſſe, quod Eccleſiæ Romanæ reconciliatus fuerit, ſed debitam ipſius impietati pœnam. Nam præter quam quod noſtros homines ſimpliciſſimos licet atque innocentiſſimos edito adverſus eos libro, cum interim tamen eos fratres appellare illum non puderet, tanquam peſſimos nebulones traducere non eſt veritus; unus etiam, atque adeo, ni fallor præcipuus fuit ex anteſignanis illorum, qui Chriſtum nec adorandum nec invocandum eſſe hodie affirmant, & interim tamen ſe Chriſtianos eſſe impudenter profitentur, quo vix quidquam ſceleſtius in religione noſtra depravanda excogitari poſſe exiſtimo. Merito igitur talis homo talem finem eſt ſortitus; ut cum ſui nominis perpetua ignominia, &, quod multo pejus eſt, animæ æterna jactura, illi magnæ meretrici, cum qua ſcortati ſunt reges terræ, à qua per Dei gratiam, olim ſe ſejunxerat, & ab ejus tyrannide non ſemel liberatus fuerat, non quidem teſtimoniis aut rationibus ullis permotus, ſed præſentis ſupplicii terrore compulſus, denuo ſeſe adjunxerit; cujus imperio ac juſſu miſer poſtmodum cruenta morte finem ſenilibus ſuis annis invenit.

Exponens Vujekus in initio ſecundi cap. quod pater & Patriarcha (ut ipſe loquitur) Samoſatenorum, ſive Ebionitarum, &c. noſtro ſeculo fuerit Michael Servetus, mentionem (quod & antea fecerat) facit Georii Blandratæ, ut illius, qui ducem iſtum ſecutus fuerit; quem ait à ſui fratris filio in lecto jacentem ſuffocatum fuiſſe; ſignificans nimirum hac ratione, quod à Deo graviſſime ob impias, ſcilicet, quas de Deo & Chriſto haberet opiniones, punitus fuerit. Hic equidem mortuo homini, & qui de noſtris Eccleſiis aliquando præclare eſt meritus, libentiſſime parcerem. Sed quia iſtud aut ſimile genus mortis ab eo homine, quem Vujekus dicit, illatum ei fuiſſe publica vox eſt & fama; ne quis hoc certum indicium eſſe putet iræ Dei adverſus ipſum, propter illa, quæ de Deo & Chriſto docuerat, & in Tranſylvania propagaverat; monendum lectorem harum rerum ignarum cenſui, Blandratam haud paulo ante mortem ſuam, vivente adhuc Stephano Rege Poloniæ, in illius gratiam, & quo illum erga ſe liberaliorem (ut fecit) redderet, plurimum remiſiſſe de ſtudio ſuo in Eccleſiis noſtris Tranſylvanicis, noſtriſque hominibus juvandis: immo eo randem deveniſſe, ut vix exiſtimaretur priorem, quam tantopere foverat, de Deo, & Chriſto ſententiam retinere: ſed potius Jeſuitis, qui in ea provincia tunc temporis Stephani regis, & ejus fratris Chriſtophori principis, haud multo ante vita functi, opeac liberalitate non mediocriter florebant, jam adhærere, aut certe cum eis quodammodo colludere. Illud certiſſimum eſt, eum ab eo tempore, quo liberalitatem, quam ambiebat, regis Stephani erga ſe eſt expertus, cœpiſſe quoſdam ex noſtris hominibus quos chariſſimos prius habebat, & ſuis opibus juvabat, ſpernere, ac deſerere, etiam contra promiſſa & obligationem ſuam, & tandem illos penitus deſeruiſſe, atque omni veræ ac ſinceræ pietatis ſtudio valedixiſſe, & ſolis pecuniis congerendis intentum fuiſſe. Quæ fortaſſe, juſtiſſimo Dei judicio, quod graviſſimum exercere ſolet contra tales deſertores, ei necem ab eo, quem ſuum heredem fecerat, conciliarunt.

Addit Vujekus breviſſime narrationem judicii habiti in Tranſylvania de Franciſco Davidis, ejuſque ad perpetuum carcerem damnationis; & addit, illum paulo poſt in mentis furorem incidiſſe, & biduo extinctum eſſe; quod idem Bellarminus * ait. Atqui certum eſt, illum in ipſo initio menſis Junii carceri incluſum fuiſſe, & vixiſſe, niſi vehementer fallor, uſque ad menſem Novembrem, quo extinctus eſt. Quod profecto, cum ſpatium quinque integrorum menſium contineat, oſtendit iſtos haud ſatis recte tempus iſtud indicaſſe. Quemadmodum manifeſte in eo ſunt decepti, quod hæc anno 1580. accidiſſe ſcribunt: cum certiſſimum ſit, ea facta fuiſſe uno anno ante, hoc eſt, anno 1579. eo anni tempore, quod paulo ante dixi. De phreneſi iſta, in quam inciderit, aliquid ſane auditum eſt: ſed non quod biduo tantum ante mortem, verum plurimis diebus Sciendum autem eſt, illum, antequam in cuſtodiam eſt datus, morbo illo Tranſylvanico, quem colicam vulgo vocant, quo alias laboraverat, & manibus debilitatus fuerat, denuo laborare cœpiſſe, eoque ante mortem nunquam liberatum fuiſſe: & propterea veriſimillimum eſſe, eum non alio, quam morbo iſto, interiiſſe. Hæc mihi dicenda viſa ſunt, ut iterum lector monearur, ne facile Bellarmino aut Vujeko aliquid narranti fidem adhibeat. Jam quod Vujekus ſcribit, eum à miniſtris omnibus, etiam à Samoſatenicis Anabaptiſtis, id eſt, à noſtris pro hæretico damnatum fuiſſe; ſi Damnandi verbum eo ſenſu protulit, ut ſignificet tantum, quod illum hereticum eſſe judicaverint, veriſſimum dicit; immo pluſquam hereticum judicaverunt. Nam talem hominem indignum Chriſtiano nomine eſſe dixerunt; quippe qui, Chriſto invocationis cultum prorſus derrahendo, & eum curam Eccleſiæ gerere negando, ſimul reipſa negaret, eum eſſe Chriſtum. Ex quo apparet, non eſſe, cur Vujekus, aut Bellarminus non contra tales homines, ſed contra nos præcipue ſcribendo, Franciſci Davidis miſerum interitum commemorent; quaſi hoc exemplo velint lectores monere de ira Dei adverſus eos, qui ita de divinitate credunt, ut nos credimus, vel etiam docent, ut nos docemus. Qua in re non tam nobis ingentem injuriam faciunt, tacite nobis objicientes, quod Franciſci Davidis doctrinam approbemus, quam ſibi ipſis, dum ſibi contradicunt, ex altera parte diſerte confitentes, noſtros homines illi adverſatos fuiſſe, & tandem hereticum publice illum pronunciaſſe. Quod ſi Vujekus Damnandi verbo intelligit, noſtros miniſtros cenſuiſſe illum aliqua pœna afficiendum; aut vult fallere aut egregiè fallitur. Nam certum eſt, in judicio illo cum Miniſter quidam Calvinianus Chriſtophoro principi, qui toti actioni interfuit ac præfuit, ſatis longa oratione ſuaſiſſet, ut talem hominem è medio tolleret, minitans ei Dei iram, niſi id feciſſet, Miniſtros noſtros propius ad ipſum Principem accedentes, reverenter illi ſupplicaſſe, ut miſeri hominis miſereri vellet, & clementem ac benignum ſe erga illum præbere.

Progrediens Vujekus ad exponendum, quid Novi Samoſateni inter ſe omnes commune habeant quidve non commune, ſed in quo alii ab aliis diſſentiant, ait F. S. in refutatione Theſium Franciſci Davidis defendere quidem, Chriſtum à nobis in precibus invocari poſſe: ſed tamen addere, quod perfectior res ſit, Chriſto relicto, ad Deum Patrem recta accedere. Quod à Bellarmino * ex cap. 1. hujus de divinitate Chriſti quæſtionis accepit, additis de ſuo duobus illis verbis, Chriſto relicto. Sed ſane Bellarminus, & multo magis Vujekus hac in re non parum errant. Verba Socini, unde hæc adverſus illum criminatio exſtructa eſt, ſic plane ſe habent: *Quod ſiquis tanta eſt fide præditus, ut ad Deum ipſum perpetuo recta accedere audeat, nec conſolatione, quæ ex Chriſti fratris ſui per omnia tentati invocatione proficiſcitur, indigeat; hic non opus habet, ut Chriſtum invocet.* Primum nemo (arbitror) non videt, hoc dictum à Socino fuiſſe per conceſſionem quandam; & ex modo, quo illud extulit, ſatis patet, perinde accipienda ipſius verba, acſi ſic diciſſet, *Quanquam autem fieri non poſſe videtur, ut quis tanta ſit fide præditus, ut*, &c; *tamen ſi quis velit talem hominem inveniri poſſe: is non opus habebit, ut Chriſtum invocet.* Dixerat enim proxime ante, Chriſti invocationem ad nos in fide confirmandos & ad fragilitatem noſtram ſublevandam pertinere. Itaque non potuit merito ex verbis iſtis colligi, rem perfectiorem eſſe, Chriſto relicto, recta ad Deum ipſum accedere:

* Tom. 1. col. 272. B.

* Tom. 1. col. 273. A.

dere : cum potius ex illis debeat intelligi, neminem eſſe, qui aliquando Chriſti invocatione opus non habeat. Sed finge deinde verba Socini ita interpretanda eſſe, ut affirment, revera homines dari, qui Chriſtum invocare opus non habeant, propterea quia firmiſſima & maxima quadam ſint fide præditi; non tamen hinc ſequetur, eum affirmare perfectiorem rem eſſe, Chriſto relicto, recta ad ipſum Deum, ſive ad Deum patrem accedere. Sic enim videretur conſulere, ut ita fiat: & cenſere, perfectiorem hominem à Chriſto invocando abſtinere debere; cum tamen ex iſta ipſius verborum interpretatione, nihil aliud colligi queat, quam hominem, firmiſſima & maxima fide præditum, Chriſti invocationis non indigere. Nam quod Socinus alioqui ſenſerit, hominem, quantumvis perfectum, recte facturum, ſi Chriſtum invocaverit, docent apertiſſime quæ ſtatim ſubjunxit verba ad hunc modum: *Quem tamen, quantacunque Dei fide præditus, ſi invocaverit, non modo ipſum Deum non offendet: ſed eum ſuo facto glorificabit, eique reipſa gratias aget, quod tantam poteſtatem humanæ naturæ in Chriſto conceſſerit.* In toto autem iſto Socini loco interpretando, Alexander quoque Vitrelinus, qui, nomine Polonicarum noſtræ confeſſionis eccleſiarum, judicium illud in cauſſa Franciſci Davidis ſcripſit, ſimili modo, quo Bellarminus & Vujekus, utpote in re ſibi nova percipienda, eſt lapſus. Quo facilius error iſte, quantumvis gravis, duobus iſtis, quibus omnia noſtrorum hominum ſcripta neceſſario ſuſpecta ſunt atque inviſa, ignoſci ac condonari poteſt.

Sed multo gravior eſt utriuſque error, & nulla venia dignus, quippe qui cum manifeſta calumnia ſit conjunctus, cum Bellarminus * ad finem primi cap. Vujekus autem hic ad finem ſecundi, ſcribunt, noſtros & Chriſti invocationis adverſarios, certiſſima ratione demonſtrare, nos nobiſcum ipſos pugnare; quippe qui nolimus, invocari ſanctos, quia non ſunt Dii veri, & tamen Chriſtum invocari velimus, quem ſimiliter verum Deum non eſſe palam affirmamus. Primum enim nos non idcirco Sanctos, id eſt, homines jam vita functos, de quorum æterna ſalute perſuaſi ſumus, invocari poſſe negamus, quod non ſint veri Dii; non, inquam, tali loquendi formula in re iſta utimur. Sed dicimus, illis invocationem concedi non poſſe, propterea quod non conſtet, ipſos habere ullam rerum humanarum curam, ſibi à Deo demandatam, & preces noſtras intelligere, quemadmodum omnino, ad invocationem concedendam, eſt neceſſarium. Atqui horum utrumque Chriſtum habere, Sacris Teſtimoniis clariſſime docemur. Deinde aperte falſiſſimum eſt, nos palam affirmare, Chriſtum non eſſe verum Deum; immo contrarium publice profitemur, & in noſtris tam Latina, quam Polonica lingua non paucis editis ſcriptis Chriſtum verum Deum eſſe, aſſerimus. Quod ſi alicubi fortaſſe ab aliquo ex noſtris ſcriptum aliter fuit; ibi ſane, quemadmodum loci circumſtantiæ facile declarabunt, nomen veri Dei, perfectiſſima ratione Deum ſignificabit. Quo ſenſu, teſte Eraſmo, † Arriani negabant Chriſtum eſſe verum Deum; cum tamen & Deum, eumque non falſum & magnum Deum eſſe faterentur. Verum, dum Bellarminus, & Vujekus probant iſtorum Chriſti invocationi adverſantium contra nos falſam ratiocinationem, noſque calumniantur, non vident, ſe tacite confiteri, invocationem, quam ipſi, una cum ſuis, Sanctis tribuunt, aliud præterea eſſe, quam eos rogare, ut pro nobis orent Deum, id eſt, eſſe quoque eos orare, ut ipſi nobis poteſtate, qua ſint præditi, opem ferant. Quod tamen alioqui, ut idololatriæ crimen effugiant, conſtanter negant. Nam certum eſt, ſanctorum invocationem, quam nos negamus, eam eſſe quam ipſi cum ſuis aſſerunt. Atqui ſi eam, ut ipſi volunt, propterea negamus, quod ſanctos veros Deos non eſſe affirmemus; patet, invocationem iſtam, ipſis teſtibus, eſſe opis divinæ ab invocati poteſtate pendentis implorationem. Quis enim eſt, qui neſciat, ad aliquem invocandum, ut Deum pro ſe oret, nullo modo requiri, ut iſte ſit verus Deus?

In tertio Vujeki cap. qui inſcribitur, Summa doctrinæ novorum Arrianorum, nihil eſt, ad quod quidquam reſcribamus. In quarto in fine pag. 19 & initio 20. objicit Euangelicis, quod nihil credendum affirment, niſi quod ad litteram, ut vulgo loquuntur, ſive, ut ipſius verba Latine ſonant, iiſdem litteris, in S. ſcriptura non inveniatur. Noſque hoc idem ab illis acceptum affirmare ait. Atqui hoc minus verum eſt: immo aperte falſum; cum tam nos, quam Euangelici, paſſim in ſcriptis noſtris bonas conſecutiones & ratiocinationes ex verbis ſacræ ſcripturæ deductas admittamus, iiſque frequenter ipſimet utamur, non modo in aliquo dogmate refellendo, ſed etiam in confirmando. Sed tamen neque illi, nec nos concedimus, ut ulla viſibilis Eccleſia poſſit merito jactare, ſe habere quoddam verbum Dei non ſcriptum, unde hauriantur alia dogmata, præter ea, quæ in ſcripto continentur, quæ non minus neceſſario, quam illa, credenda nobis ſint. Nihil enim, ut à nobis credatur, neceſſarium eſſe aſſerimus, niſi in ipſa Sacra Scriptura extet, vel ex ipſa neceſſario concludatur. Hoc, inquam, illud eſt, quod nos una cum Euangelicis de rebus in religione Chriſtiana credendis affirmamus. Et propterea, ſi verum illud eſt, quod Vujekus poſtmodum pag. 21. pro certo ſe ſcire affirmat, quod, videlicet, Euangelici nec audent, nec ullo modo poſſunt nobiſcum de his rebus id eſt, de Trinitate & de Chriſto diſputare; ſequitur Vujekum ſentire, noſtram iiſdem de rebus ſententiam non poſſe ulla ratione ex ipſa Sacra Scriptura refelli: & vanam operam tam ipſum, quam Bellarminum, quem nobis in ſuo libello expreſſit, ſumpſiſſe, dum ſanctarum litterarum teſtimonio nos erroris convincere ſunt agreſſi. Et profecto, dum loca Scripturæ contra nos adducunt, coguntur ſæpius ad Patrum, quos vocant, interpretationes confugere; cernentes alioqui parum firmitatis adverſus nos in illis eſſe. Hoſius ſane Cardinalis, quem Vujekus plurimi facit, non uno in loco aperte faſſus eſt, trinitatem perſonarum in uno Deo non poſſe ex ſolis Sacris Litteris evidenter & neceſſario concludi; ſed neceſſe eſſe hoc dogma patrum & conciliorum, & denique Eccleſiæ authoritate confirmare. Id quod, ſi nihil præterea aliud ad idem probandum haberemus, plane demonſtrat, vel dogma iſtud falſum eſſe, vel certe nihil ad ſalutem neceſſarium. Fieri enim non poteſt, ut tot alia minoris momenti, & multa, ſine quorum cognitione nihilominus æterna ſalus nobis contingere poſſet, tam accurate & aperte fuerint Sacris Litteris conſignata, hoc vero dogma non fuerit, ſi & verum eſt, & ad ſalutem æternam conſequendam cognitu neceſſarium.

Poſtquam Vujekus ſibi ſufficienter concluſiſſe viſus eſt, non poſſe Euangelicos erroris nos convincere: ait, hinc ſequi oportere, ut Catholici, id eſt, Papiſtæ id faciant, qui omnia, ſcilicet, habent ad hoc accommodata; quæ etiam enarrat; & in decem claſſes diſtribuit. Quarum omnium primam facit traditiones, quas ipſe vocat, Apoſtolorum, id eſt, verbum illud Dei ſuum non ſcriptum: ſecundum autem, verbum Dei ſcriptum; neſcio, an quia hoc illo, tempore poſterius eſſe velit, an vero etiam dignitate. Nam iſtud multos ſcriptores Pontificios ſentire, animadverti facile poteſt. Quam vero immerito atque imperite ita ſentiant, immo, in ſuo illo verbo Dei non ſcripto aſſerendo, turpiter errent, ab aliis compluribus ſatis demonſtratum eſt. Reliqua, quæ poſterioribus octo claſſibus continentur, vel ſimiliter ab aliis multis parum aut nihil ponderis habere oſtenſum eſt: vel ejuſmodi ſunt, quæ deinceps in reſponſione ad argumenta adverſarii commodius examinabuntur. Quare jam una cum Vujeko ad rem ipſam accedendum eſt: & ſingulatim ea argumen-

* Tom 1. Col. 273. B. † In Apol. adverſus Mon. Hiſpanos to 9. pag. 841.

gumenta refellenda, quæ ipſe ex Bellarmino profert ad probandum, quod Dominus Jeſus Chriſtus Dei filius ſit ille verus Deus Iſraelis, idem qui & Pater.

CAPUT III.

In quo refelluntur argumenta ex Vetere & Novo Teſtamento ſimul ducta.

CAput quinctum Vujeki nihil habet, præter enumerationem claſſium argumentorum Bellarmini, quæ novem ſunt, ut ab ipſo Bellarmino fuerunt digeſtæ. Quarum prima eſt eorum, quæ ex Vetere & Novo Teſtamento ſimul ſunt ducta; quibus exponendis ac confirmandis totum caput ſextum inſumit; quod nos Deo juvante refellere aggredimur.

In ipſo igitur ſexti cap. initio Vujekus (ex eodem Bellarmino *id ſumens, cap. 4. hujus quæſtionis, ubi aggreditur hujus primæ claſſis argumenta exponere) ait hoc genus argumentorum, ubi, videlicet, ea, quæ in Vetere Teſtamento de uno illo vero Deo Iſraelis ſunt dicta, de Chriſto in Novo Teſtamento exponuntur, non habere ullam reſponſionem; ex eis enim certo demonſtrari, Chriſtum eſſe illum unum verum Deum Iſraelis.

Ad hoc reſpondeo: Si quanta Chriſti hominis divina majeſtas, & cum illo uno Deo, non quidem per eſſentiæ communionem, aut in unam perſonam unionem, quorum neutrum ullo pacto eſſe fierive poteſt, ſed per imperii ac poteſtatis communicationem & ſibi ſubordinationem, ex dono & gratia ipſius unius Dei factam, conjunctio & unitas ſit, Bellarminus, & Vujekus vel recte intelligerent, vel ſatis perpenderent; viſuros, tantum abeſſe, ut iſtud genus argumentorum, quatenus expoſitio iſta de Chriſto (quæ applicatio potius & accommodatio ad Chriſtum dici debet) ad Novi Fœderis & Chriſti jam ex virgine nati tempora refertur, nullam habeat ſolutionem: ut nihil magis in promptu ſit, quam ea ſolvere; quemadmodum, ſuis locis, Deo adjutore, demonſtrabimus. Hujuſmodi autem pleraque ſunt hujus primæ claſſis argumenta, quæ non ſatis conſulto Bellarminus cum iis miſcuit ac confudit (præſertim nobiſcum diſputans) in quibus dicitur, ea, quæ in illo uno Deo pro eo tempore, quod Chriſti ex virgine nativitatem anteceſſit, & non tanquam futura, ſed ut vel præterita, vel præſentia in V. T. dicuntur, in novo de Chriſto pro eodem illo tempore exponi. Quæ ſine dubio aliam reſponſionem requirunt; maxime vero à nobis, qui Chriſtum, antequam ex virgine naſceretur, revera extitiſſe negamus. In illis enim argumentis refellendis facile conceditur expoſitio, vel potius, ut diximus, applicatio ſive accommodatio iſta ad Chriſtum, ſed negatur, inde ſequi, Chriſtum eſſe illum unum Deum. In his vero refutandis nobis omnino negandum eſt, expoſitionem iſtam fieri, & ad rationes adverſariorum reſpondendum, quibus illam fieri, probare conantur; ut jam, ad primum argumentum, quod hujus generis eſt, refutandum, faciemus.

Reſponſio ad I. Argumentum.

Itaque primum argumentum tale eſt. *Scriptum eſt Numer.* 21. (Vujekus corrupte habet 24.) ℣. 5. Loquutuſque [populus;] (addit Vujekus, Judaicus in deſerto) contra Dominum & Moyſen, ait: cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis; non ſunt aquæ, &c. Quamobrem immiſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, &c. *Hic* (ipſa Vujeki verba recito) *fatentur omnes, agi de vero & altiſſimo Deo, quem ſoli Judæi noverant, & Anabaptiſtæ, Servetani, & Gentiliſtæ habent hoc pro certo* (*pro axiomate* ſcripſit Bellarminus) *Deum Iſraël eſſe verum Deum, & hunc eſſe ſolum Patrem. At D. Paulus teſtatur, Chriſtum eſſe illum ipſum Deum, quem Judæi tentarunt in deſerto.* (Melius multo, & brevius Bellarminus, *illum ipſum Deum, eſſe Chriſtum*) *ſic enim ait, 1 Cor.* 10. 9: Neque tentemus Chriſtum ſicut quidam eorum Judæorum (vox Judæorum ad declarationem addita eſt à Vujeko) tentaverunt; & à ſerpentibus perierunt. *Et ſic Chriſtus & eſt ille Deus verus Iſraelis, atque omnino unus &, idem Deus, qui & Pater: & fuit antequam, ſecundum carnem, naſceretur ex virgine intemerata.* Hactenus Vujekus; qui ſatis inepte addidit Bellarmini verbis ultimam iſtam partem, *Et fuit antequam*, &c quaſi non ſit neceſſe, ſi Chriſtus eſt ille unus Deus Iſraëlis, eum fuiſſe, antequam ex virgine naſceretur.

Sed reſpondeo ad argumentum; & dico, certum quidem ferme inter omnes eſſe, apud Moſem in loco iſto, agi de uno illo Deo Iſraëlis; verum non minus certum neceſſario inter omnes eſſe, non de ipſo ſolo, ſed de Moſe quoque agi: immo expreſſius de Moſe agi, quam de illo uno Deo. Moſes enim ibi diſerte nominatur. Ille autem unus Deus Iſraëlis non diſerte nominatur; præſertim cum in Hebræo non ſit Jehovæ nomen, ſed Elohim. Unde poſſet quis haud immerito ſuſpicari, nomine Elohim non ſignificari illum unum Deum Iſraelis, ſed angelum cujus miniſterio Iſraelitæ educti fuerant ex Ægypto; quod illos optime ſciviſſe, conſtat ex cap. proxime antecedente, id eſt, cap. 20. 16. ubi hæc ipſorum ſunt verba: *Et quomodo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miſeritque Angelum, qui eduxerit nos de Ægypto.* Hujus angeli fit etiam aperta mentio in ipſa hiſtoria Exod. 14. 19. A Stephano autem idem angelus commemoratur, cum ejus, ſive in ejus manu dicitur Moſes miſſus fuiſſe redemptor, id eſt, ad redimendum, hoc autem ſignificat ad educendum populum ex Ægypto, Act. 7. 35. Ubi verſiculo ſequente ſubjungitur, *Hic eduxit illos*, &c. quæ verba ad Angelum iſtum potius, quam ad Moſem, ut multi ſentiunt, referri debere, ſuadet, quod illi tribuitur, quod fecerit prodigia & ſigna, non ſolum in terra Ægypti, ſed in mari rubro, & in deſerto annis quadraginta. In omnibus autem his locis & toto iſto tempore multa prodigia & ſigna facta ſunt, in quibus efficiendis nullam partem videtur Moſes habuiſſe. Denique apertiſſimum eſt, præter illum unum Deum Iſraelis, qui liberationis populi ex Ægypto prima & veriſſima cauſſa & auctor fuit, eam tribui quoque non tantum Moſi, ſed etiam angelo, cujus ductu, & poteſtate ea facta fuerit. Nec obſtat, quominus vox Elohim, in loco, de quo agitur, ad angelum iſtum referri poſſit, quod paulo poſt, cum ſuæ murmurationis pœnam populus ſenſiſſet, dixerint Moſi, *Peccavimus, quia locuti ſumus contra Jehovam, & contra te.* Nam certe, loquendo contra angelum illum, contra ipſum Jehovam loquebantur: non quod ille Angelus eſſet revera ipſe Jehova, ille unus Deus Iſraelis: ſed quod ejus legatus eſſet, ejuſque perſonam ſuſtineret. Eſt enim, ut ex Stephani verbis aperte conſtat, hic idem ille angelus, qui Moſi in rubo apparens, dixerat Exod. 3. 1, & 6: *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob*: quique ibidem in hiſtoria Jehova eſt appellatus. De quo angelo ſunt etiam ab ipſo Jehova dicta verba illa Exod. 23. 20, &c: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparavi: obſerva eum, & audi vocem ejus; nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaveris; & eſt nomen meum in illo.* Jam enim oſtendimus, ex verbis Stephani, eundem Angelum, cujus ductu populus ex Ægypto liberatus fuerat, fuiſſe in deſerto perpetuo cum populo. Quid mirum igitur, ſi, cum in ipſo nomen Jehovæ eſſet, idque populus à Jehova, ut vidimus, monitus, optime ſciret, quæ contra eum locuti fuerant, contra Jehovam ſe locutos fuiſſe, agnoverint? Et quando hanc interpretationem attigimus, quæ fortaſſe nova videbitur, quod vox Elohim in loco illo ad angelum iſtum referri debeat; non omittam monere, quod, cum idem angelus alibi

in

*Tom. 1. col. 282. B.

in ſua propria perſona conſideratur, Elohim aperte vocatur. Scriptum eſt enim ſupra indicato loco Exod. 3. 6 *Abſcondit Moyſes faciem ſuam, non enim audebat aſpicere contra Deum*; nam vox Deum in Hebræo eſt Elohim, cum enim de inſpiciendo in illum agatur, certum eſt, eum in ſua propria perſona conſiderari, & propterea ab appellatione Jehovæ, quæ illi, cum non in ſua propria perſona conſideraretur, paulo ante tributa fuerat, ad Elohim illum appellandum mutationem factam eſſe. Elohim enim vero videndi actu conſpectum fuiſſe, ſæpius leges in Vetere Teſtamento: at Jehovam, fortaſſe nunquam, niſi in viſione & figurato loquendi modo: ſed tantum angelum Jehovæ, qui etiam Elohim ſimpliciter ac proprie vocatur. Concludo igitur, ut ad rem redeam, in loco Num. 21. 5. unius illius Dei Iſraelis non fieri expreſſam mentionem; & veriſimile admodum eſſe, nomine Domini, quod vulgo in Latina editione legitur, quodque in Hebræo non Jehova eſt, ſed Elohim, illum angelum ſignificari, quo duce, eductus eſt populus Iſraelis ex Ægypto. Quapropter ex iſto loco (etiamſi nulla Moſis facta fuiſſet mentio) juncto cum eo, quod ſcribit Paulus 1 Cor. 10. 9. nullo modo concludi poteſt, Chriſtum, eſſe illum unum Deum Iſraelis, ut adverſarii putant; ſed tantum, ſi Moſes nominatus non fuiſſet, colligi inde videri poſſet, Chriſtum jam tum reipſa fuiſſe; quod etſi nos negamus: tamen non ad hoc probandum locus iſte revera allatus fuerat. Nunc, eum Moſes nominatus fuerit, & contra eum, populum murmuraſſe, diſerte fuerit ſcriptum; quid vetat, etiamſi pariter ſcriptum diſerte eſſet, eos contra unum illum Deum Iſraelis murmuraſſe, quominus ad Moſem referri debeat, cum Paulus dicit, aut certe dicere videtur, Chriſtum à quibuſdam ex populo tunc temporis tentatum fuiſſe? Sed dices, certum eſt, Moſem non fuiſſe Chriſtum. Verum hoc quidem eſt, ſi Chriſti nomen neceſſario ad Jeſu Chriſti tantum perſonam referatur, vel in potiore ſua ſignificatione accipiatur. Sed neutrum facere cogunt verba & circumſtantiæ loci Pauli; qui nomen Jeſu non adjecit, ſed Chriſtum ſimpliciter dixit, munus potius quam perſonam ipſam declaraturus, & articulum, Græce ſcribens, appoſuit, non ut intelligeretur, eum Chriſti nomen in potiore ſignificatione accipere, id eſt, ita, ut ipſe tantum Jeſus Chriſtus intelligi deberet; ſed potius, ne quis de ipſo tantum Chriſto Jeſu eum loqui ſuſpicaretur. Is enim, Chriſti ſimplici nomine, ſine ullo articulo, tanquam ſi proprium ejus nomen eſſet, ſæpiſſime ſignificatur, nempe quia maxime proprie & perfectiſſima ratione ei appellatio iſta convenit. Jam locus ipſe Pauli non requirit, ut ipſe Jeſus Chriſtus tentatus fuerit ab illis quibuſdam ex populo Iſraëlitico; ſed ad ejus propoſitum ſatis eſt, ut is, qui ab illis tentatus fuit, idem fuerit pro eo tempore, illis, qui nunc nobis eſt Chriſtus Jeſus, id eſt, Dei & ipſorum mediator, eorumque magiſter, dux, princeps, ac gubernator. Qualis profecto fuit Moſes; qui hanc ob cauſſam rectiſſime cum Jeſu Chriſto in hoc propoſito conferri potuit, & ipſe quoque, Chriſtus appellari, unctus ſiquidem à Deo & ipſe, ut Jeſus Nazarænus fuit Spiritu Sancto & virtute, atque ipſius Dei populo ab ipſo Deo præfectus Act. 10. 38. Num. 11. 17; adeo ut Rex in Iſraele fuiſſe dicatur, Deuter. 33. 5. Chriſtus autem reipſa idem eſt, quod Rex populi Dei. Nam quod Moſes alioqui longe inferior Jeſu Chriſto fuerit Act 7. 22, & illi comparatus vix Chriſtus appellari poſſit; hoc Pauli ratiocinationem confirmat. Qui manifeſte nihil aliud voluit perſuadere Corinthiis illis, niſi fore, ut, ſi Jeſum Chriſtum tentaſſent, graviſſime à Deo punirentur. Nam ſi illi graviſſime puniti fuerunt, qui Moſem ſibi à Deo pro mediatore ac duce & gubernatore datum tentare ſunt auſi, qui tamen Jeſu Chriſto longe fuit inferior; quanto magis id eveniet illis, qui Jeſum ipſum Chriſtum, Dominum, regem, ac ſervatorem ſuum tentaverint? Vide autem ſimilem expreſſam ratiocinationem Hebr. 2. 2, 3. Eſt autem Pauli locutio, quod ad Chriſti nomen attinet, huic ſimilis: videlicet, ſi quis hodie diceret in Polonia, Ne injuriam ullam faciamus Regi noſtro, quemadmodum anteceſſores noſtri ab ipſo initio nullam unquam fecerunt. Neque enim hæc verba ſignificarent, hunc ipſum, qui nunc eſt Rex, ab ipſo initio & deinceps extitiſſe ac vixiſſe; ſed ad alios qui Reges longe ante ipſum fuerant, verba iſta referenda eſſent, eoſque etiam complecterentur, qui ab ipſo initio Polonis præfuiſſent, atque imperaſſent, licet nondum ipſo regio nomine ac dignitate inſignitos, & multo minore majeſtate atque auctoritate pollentes, quam præſens Rex ſit. Ut autem melius appareat, verba Pauli de tentato Chriſto in deſerto, ad Moſem, non autem ad Deum ipſum referenda eſſe; non videtur poſtremo reticendum, ſatis ex ipſa hiſtoria conſtare, non aliter ibi tentatum fuiſſe Deum à populo, quam quia Moſem tentaverunt. Tentatio enim tota illis verbis continetur, *Quare nos eduxiſti*, &c. ut quidem leguntur in vulgata editione, & à Bellarmino & Vujeko citantur. Atqui, ſi verbum illud *Eduxiſti*, ſingularis numeri retineatur, nemo non videt, verba iſta omnia ad ſolum Moſem dirigi, & conſequenter totam tentationem. Habet quidem Hebræus codex *Eduxiſtis*. Sed hæc varietas ab uno tantum vocali punctulo pendet, non autem à litteræ ullius diverſitate; & probabilius eſt, debere punctum iſtud tale apponi ut legatur *Eduxiſti*, ſeu, ut Hebræum verbum ſonat, Aſcendere feciſti, propter teſtimonium vulgatæ Latinæ editionis, cui Græca conſentit. Adde quod, etiamſi legi deberet *Eduxiſtis*; tamen non videretur ſentiendum, in plurali iſto numero Deum comprehendi, ſed Aaronem, quamvis paulo ante mortuum. Superiore enim cap. cum adhuc viveret, legitur populus contra illum & Moſem murmuraſſe, dicendo ſimiliter, *Cur nos feciſtis aſcendere de Ægypto*? Breviter, quod contra ipſum Deum, illum compellando, verba murmurationis ſuæ direxerint, nuſquam, arbitror, alibi legitur. Vide autem ad vulgatam lectionem confirmandam Exod. 14. 11, & 17. 3. Num. 16. 13.

Videre poterunt & Bellarminus & Vujekus, pro reſponſione ad hoc primum argumentum, nihil neceſſe eſſe eo confugere, quo noſtros homines confugiſſe ajunt, ac dicere, in illis verbis Pauli, *Sicut quidam eorum tentaverunt*, ſubaudiendum eſſe Deum; & idcirco neceſſarium minime eſſe ad illa reſpondere, quæ illi contra attulerunt. Verumtamen quia Bellarminus mentionem facit cujuſdam reſponſionis noſtrorum hominum; quæ proxime ad hanc accedit, quam nos attulimus, nec ullo modo ſpernenda videtur; & quia in illa refutanda quædam dicit à veritate alieniſſima, ex quibus Vujekus hoc primum argumentum confirmandi materiam ſumpſit; operæ pretium erit illam à Bellarmini impetitionibus defendere.

Reſponſio noſtrorum hominum eſt, populum Iſraelis tentaſſe Chriſtum in figura, quatenus Moſem tentaverunt, qui Chriſti typus erat. Ad probandum autem, Paulum hoc ſenſu dixiſſe, eos tentaſſe Chriſtum, aut certe ſic veriſimile eſſe, ajunt, eum paulo ante dixiſſe, petram, ex qua bibebant, fuiſſe Chriſtum; id quod verum eſſe nequeat, niſi typice ac figurate. Sententia igitur iſta antea probata, & ſic indicato ſenſu, quo ipſe intelligeret, Chriſtum inter Iſraelitas in deſerto fuiſſe, nihil mirum videri debere, ſi Paulus poſtea auſus eſt ſimpliciter dicere, illos ibi Chriſtum tentaſſe, quamvis non reipſa, ſed in typo illud factum fuiſſe, dicere vellet. Præſertim cum facile conſtare poſſet, qualis eſſet typus iſte, & in ipſo loco Sacræ Hiſtoriæ, quem ille intelligebat, diſerte ſcriptum extaret, contra Moſem loquutum populum fuiſſe, & ſic eum tentaſſe. Quod enim Moſes typus Chriſti fuiſſet, neminem Chriſtianam religionem edoctum aut ignorare, aut ſaltem his Pauli verbis monitum, non ſtatim intelligere potuiſſe. Hæc eſt revera apud noſtros homines receptior ad argumentum iſtud primum reſponſio, ejuſque confirmatio; quidquid aliqui ex noſtris aliter reſponde-

rint, vel hanc ipſam reſponſionem aliter confirmavetint.

Bellarminus hujus confirmationis, quam nos expoſuimus, non meminit, ſed tantum, quid ad eam refellendam reſpondeat, aut reſponſurus eſſet, ſatis ſuis verbis, dum aliud agit, indicavit. Meminit autem alterius cujuſdam confirmationis, quam legit in Tranſylvanorum libris, quod, ſcilicet eodem in loco à Paulo dicatur, omnia Iſraëlitis illis contigiſſe in figura. Hanc confirmationem Bellarminus impugnat. Ad quam impugnationem non eſt, cur quidquam reſpondeam; cum noſtri homines, ut dixi, alia confirmatione utantur. Sed quia Bellarminus in impugnatione iſta ea dicere videtur, quæ reſponſionem ipſam labefactare queant; Idcirco antequam noſtrorum hominum confirmationem ab iis, quæ ad eam refellendam ex dictis Bellarmini colligi poſſunt, defendere inſtituam, reſponſionem iſtam tuendam mihi duxi.

Sic igitur illam labefactare Bellarminus videtur tentaſſe.

Alia, quæ ibi à Paulo dicuntur Iraëlitæ feciſſe & propter ea puniti fuiſſe, non in figura, ſed revera facta ab illis ſunt. Ergo & hoc, quod Chriſtum tentaſſe dicuntur, non quidem in figura, ſed revera ab illis factum fuiſſe oportet.

Reſpondeo, nihil cogere, ut quia reliqua proprie & ad litteram (ut ipſius Bellarmini verbis utar) intelligenda ſunt, hoc unum de tentato Chriſto figurate ſeu typice accipi nequeat. Ad Pauli ſiquidem ſcopum, cujus unius hic ratio haberi debet, & ad illud perſuadendum, quod perſuadere voluit, non minus pertinet, quod Iſraëlitæ illi Chriſtum in figura tentaverint, id eſt, illum tentaverint, qui figura ſeu typus Chriſti erat, quam, quod Chriſtum ipſum revera tentaverint. Immo tanto magis pertinet, quanto fortius eſt affirmans argumentum à longe minore ductum, quam ab eodem, vel prorſus ſimili, ut etiam antea attigimus; Si enim illi à Deo graviter puniti fuerunt, qui Chriſtum tantummodo in figura tentaverunt; multo magis profecto cenſendum eſt, graviter à Deo eos punitum iri, qui Chriſtum ipſum revera tentaverint. Certum eſt autem Apoſtoli ſcopum fuiſſe deterrere Corinthios & omnes, qui epiſtolam illam unquam lecturi eſſent, à Chriſto tentando, divinæ punitionis metu. Itaque Bellarmini ratiocinatio, ad noſtrorum hominum reſponſionem refellendam, nullas vires habet.

Sed videamus, quid dixerit, quod ad confirmationem ipſius reſponſionis refutandam pertineat. Ait igitur, Paulum ibidem clariſſime dicere, Chriſtum cum Moſe in deſerto (ut Deum, videlicet, non ut hominem) Judæis adfuiſſe. Ad quod probandum affert illa ipſa verba: *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus. Id eſt*, inquit, *Judæi in deſerto, biberant aquam de petra, ſed non erat ea petra materialis, quæ ſua virtute potum præbebat, ſed erat alia quædam petra inviſibilis & ſpiritualis, quæ illis perpetuo aderat, eoſque comitabatur, & omnia illis procurabat: ea vero petra erat Chriſtus.* Et addit, ſic exponere omnes, nec facile poſſe excogitari alium ſenſum. Quod ſane miror illum auſum fuiſſe ſcribere, cum Eraſmus in ſuis annotationibus monuerit, Origenem homilia quinta in Exodum, ſequentem petram referre ad nubem, quæ præceſſiſſe legitur Hebræos: & quod plus eſt, Auguſtinum cum aliis aliquot locis, tum contra Adverſarium Legis, & Prophetarum lib. 2. cap. 6. interpretari, *Petra erat Criſtus, id eſt, Petra ſignificabat Chriſtum.*

Sed ipſam, quorumcumque illa tandem ſit, à Bellarmino allatam interpretationem expendamus. Nam certe, ſi ea recipienda eſſet, funditus everteretur noſtræ reſponſionis confirmatio. Nihil autem in ejus verbis animadvertere poſſum, quod interpretationem iſtam ſuadere queat, præter iſta duo, Unum, quod petra illa à Paulo vocatur ſpiritualis: Alterum quod (ut ipſe quidem affirmat) virtute ſua potum præbebat. Atqui neutrum iſtorum ullam vim habet, vel habere poteſt. Vim quidem nullam habere poteſt, quod petra illa virtute ſua potum præberet, cum hoc ſit ipſius Bellarmini, aut cujuſpiam alterius commentum, nulla ratione, ſolidave auctoritate fultum. Quod autem petra illa, ſpiritualis à Paulo vocetur; hoc nihil eſt ad concludendum, Paulum non de materiali petra, ex qua aquæ fluxerant, ſed de alia inviſibili & ſpirituali loqui. Etenim idem Paulus & eſcam illam, id eſt, manna, & potum ipſum (quem aquam illam materialem fuiſſe, Bellarminus ipſe non negat) ſpiritualem vocat. Nempe quia aliquid myſticum in ſe habebant. Ut enim hoc ipſum de petra explicans, Eraſmus ait, *Quidquid myſticum habet ſenſum, ſpirituale dicimus.* Hinc in Apocalypſi dicitur, civitatem illam magnam, ubi & Dominus noſter crucifixus fuit, vocari ſpiritualiter, id eſt, myſtice & allegorice, Sodomam & Ægyptum. Et certe mirum eſt, cum apertiſſimum ſit, Paulum de potu illo loqui, quo in deſerto uſi ſunt Iſraëlitæ, & potum hunc de materiali petra fluxiſſe conſtet, omnibus hunc locum legentibus non ſimiliter conſtare, cum idem ait, eos bibiſſe de petra (quod neceſſe eſt, per metonymiam, interpretari de eo, quod ex petra fluebat) Petræ nomine ipſam materialem petram intelligi oportere; quam Paulus, explicans, cur illam tamen ſpiritualem appellaſſet, dicat fuiſſe Chriſtum, id eſt, adumbraſſe & figuraſſe Chriſtum. Adde, quod, etiamſi, ut Bellarminus ait, Chriſtus ſua virtute potum illum Iſraëlitis præbuiſſet, non tamen idcirco dicere potuiſſet Paulus, eos de Chriſto bibiſſe. Namque metonymiæ nullus locus fuiſſet; cum ex ipſo Chriſto aqua illa materialis non flueret. Quemadmodum, propter hanc ipſam cauſſam, nemo dixerit, eos de Jehova Deo ſuo bibiſſe, quamvis certum ſit, Jehovæ Dei virtute aquam illam eis præbitam fuiſſe. Objicit Bellarminus Tranſylvanis, quod hoc in loco propterea confugiant ad figuras, ne cogantur admittere, Chriſtum fuiſſe, antequam naſceretur ex virgine. Sed ipſi multo magis poteſt objici, quod hic una cum ſuis evidentiſſimam figuram ab Auguſtino ipſo, quem tanti faciunt, agnitam, admittere nolint, & potius abſurdiſſima quædam dicere; ne, videlicet, in re ſacramentaria, ex hoc loco convinci poſſint perperam agere, cum negant, verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, poſſe accipi figurate, ſed neceſſe omnino eſſe, ut ſic prorſus accipiantur, ut ſonant.

Satis, ut arbitror, confirmatio reſponſionis noſtrorum hominum ab iis, quæ ex Bellarmini verbis contra eam colligi poterant, defenſa à nobis fuit. Verum quia audivi aliquando Bellarmini & Vujeki ſymmyſtas & ſocios affirmantes, non poſſe Pauli verba de materiali petra accipi, cum Paulus dicat, petram conſecutam fuiſſe Iſraëlitas illos, qui ex ea bibebant, nullo autem modo appareat, aut veriſimile ſit, petram illam materialem eos conſecutam fuiſſe: Viſum eſt mihi hoc objectum quoque diluendum eſſe, &, omiſſa Photii interpretatione, quam Beza in ſuis annotationibus citat, quod, ſcilicet, verbum Græcum ἀκολουθούσης, id eſt *ſequente*, poſſit exponi pro *obſequente*, præſertim cum in Græco non ſit pronomen *eos*, additum in Latino codice; Dico una cum aliis doctiſſimis viris, ſatis conſtare, ut paulo ante diſputatum eſt, Petræ nomine metonymice aquam, quæ ex petra fluxerat, intelligendam eſſe; quam neceſſe eſt, rivum factum, Iſraëlitas per deſertum ſecutam fuiſſe Exod. 17. 5, & 6, tam primo quam ſecundo, cum petra à Moſe, juſſu Dei ad aquam illis præbendam percuſſa fuit Num. 20. 11. Erat enim totum illud deſertum alioquin aquis fluentibus, aut ad bibendum populo expoſitis penitus deſtitutum; ut ex pluribus ipſius hiſtoriæ locis intelligi poteſt, & diſerte ab ipſo Moſe populo in memoriam redigitur Deut. 8. 15. & apud Eſaiam cap. 43. 20. ipſe Deus ait, *Glorificabit me beſtia agri, draconcs, & ſtruthiones:*

thiones: quia dedi in deſerto aquas flumina in invio; ut darem populo meo, electo meo. Vides, ipſa flumina ſe in deſerto populo ſuo dediſſe, Deum profiteri; quod nulla alia ratione factum legitur, quam cum petra, præſertim ſecundo, percuſſa eſt. Tunc enim aquæ largiſſimæ egreſſæ fuiſſe leguntur.

Jam igitur poteſt Vujekus videre, ex verbis illis Pauli, Petra autem erat Chriſtus, non ſolum non confirmari, ut ipſe, Bellarmini interpretationem amplexus, putabat, fundamentum hujus primi argumenti, ex aliis ejuſdem Pauli ſequentibus verbis ſumptum, quod, ſcilicet Chriſtus ipſe revera tentatus in deſerto ab Iſraëlitis fuerit; ſed illud potius everti; quippe ex quibus conſtet, Paulum jam antea affirmaſſe Chriſtum in deſerto fuiſſe, non quidem revera, ſed typice tantum. Et hæc plus quam ſatis ſint pro reſponſione ad iſtud primum argumentum: multis aliis omiſſis, quæ ad illud diluendum, dici potuiſſent.

Reſponſio ad II. Argumentum.

Secundum argumentum ſumptum eſt ex Epiſtola Judæ, ℣. 5. ubi dicitur, ſecundum vulgatam Latinam editionem, Jeſum, cum ſervaſſet populum ex Ægypto, ſecundo eos, qui non crediderunt, perdidiſſe, quod junctum cum eo, quod ſcriptum eſt Exod. 20. 7. & Deut. 32. 12. ubi affirmatur, Jehovam Deum Iſraëlis, & quidem ſine Deo alieno, eduxiſſe populum de Ægypto, demonſtrare videtur, Jeſum eſſe ipſum Jehovam Deum Iſraelis.

Ad hoc argumentum à Beda etiam, dum in eum Judæ locum ſcribit, notatum, Bellarminus ait, ſe non vidiſſe reſponſionem. Nec præterea aliud quidquam de eo ſcribit. Sed non mirum eſt, quod dicit. Vel enim vix ab allis hodie invenietur allatum, cum in Græcis omnibus exemplaribus, non Jeſu nomen ſed Domini legatur, ad Græca autem exemplaria ſemper provocent ii, adverſus quos afferendum fuiſſet; vel ab iſtis propter hanc eandem cauſſam, reſponſione indignum eſt viſum. Vujekus autem tametſi reſponſionis ullius, quæ afferri ſoleat, diſerte non meminit; tamen id refellere conatur, quod reſponderi & poteſt, & debet; ut mox dicemus.

Reſpondemus igitur ad argumentum ſine ulla hæſitatione, apud Judam non Jeſus, ut vulgata editio habet, ſed Dominus legi debere, in Græco enim conſtantiſſime legitur ὁ κύριος. Atqui ait Vujekus, plus ponderis habere Latinum; quam Græcum textum. Miror ſane hominem; quamvis hic error illi cum ſuis omnibus ſit communis; cum certum ſit, Judam non Latine, ſed Græce ſcripſiſſe. Nec aliud mihi hoc loco, ad iſtum errorem confutandum, dicere eſt neceſſe; cum abunde ſatis ab aliis (quibuſdam etiam Pontificiis doctiſſimis viris in teſtimonium adductis, & ipſorum conciliorum, ni fallor, auctoritate in medium prolata) confutatus fuerit.

Sed habet Vujekus aliud effugium; videlicet, etiamſi legendum ſit Dominus, tamen intelligendum nihilominus ipſum Jeſum, qui hoc nomine paſſim in Novo Teſtamento vocatur. Præſertim, cum interpres Latinus Jeſu nomen cenſuerit hoc loco reponendum.

Reſpondeo, paſſim quidem in Novo Teſtamento Domini nomen ipſi Jeſu tribui, ſed ad tempora ipſius Novi Teſtamenti relatum, non autem, ut hic, ad veteris. Cum enim ad Veteris Teſtamenti tempora refertur, ſemper Deus ipſe, hoc eſt, ipſius Jeſu pater, eo nomine ſignificatur. Quod vetus interpres pro Domino Jeſum ſubſtituerit, hoc fidem facere quidem poteſt, quomodo ille & alii fortaſſe, eo tempore, quo ipſe vixit, iſtum locum intellexerint. Cæterum neque ipſius, nec aliorum tanta eſt auctoritas, ut ea ſtandum nobis ſit. Miror tamen & Bellarminum, & Vujekum iſtius loci apud Judam, ut in Latinis exemplaribus legitur, nihil aliud urſiſſe niſi, quod ibi Jeſus dicatur populum ſervaſſe ex Ægypto; cum alia quæ ibidem de eodem adduntur, multo majoris momenti ſint, ad probandum, quod Jeſus ſit ille unus Deus Iſraelis, ſi nomen Jeſu ibi recte legeretur. Eduxiſſe enim populum ex Ægypto Moſi etiam & angelo illi, de quo ſupra in reſponſione ad primum argumentum, in Sacris Litteris tribuitur; quorum certe neuter erat ille unus Deus Iſraelis. Itaque argumentum hoc, ut à Bellarmino & Vujeko expoſitum fuit, neutiquam id probat, ad quod probandum allatum eſt: etiamſi apud Judam Jeſu nomen legi debere illis concedatur.

Reſponſio ad III. Argumentum.

Tertium argumentum, ut Vujekus illud recitat, eſt hujuſmodi: *Dicit David de Deo Iſraelis Pſal.* 67. 19. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium. Dominus in eis in Sinai, in ſancto, Aſcendiſti in altum, cepiſti, captivitatem, accepiſti dona in hominibus (ex hominibus ſcripſit Vujekus.) *Hoc etiam proprie Paulus aſcribit Chriſto Domino, aſſerens, quod hæc verba David de Chriſto dixit.* (Hæc ultima verba addit Vujekus de ſuo) *Unicuique noſtrum* (*inquit*) *data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit* (*dixit* habet Vujekus) *Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit* (*diſtribuit* eſt apud Vujekum) *dona hominibus Epheſ.* 4. 7. *Eſt igitur Chriſtus ille Deus Iſraelis, qui in monte Sinai audiendum ſe præbuit Judæis.*

Reſponſio, quam ad hoc argumentum Franciſcus Davidis & Blandrata (ut Bellarminus ipſe teſtatur) attulerunt, in diſputatione ſcilicet Albana, eſt optima, quamvis Bellarminus in ipſo initio col. 286. tom. 1. eam nihil valere affirmet. Ajunt enim, illa verba *Aſcendens in altum*, &c. ſive ut eſt in Hebræo, *Aſcendiſti in altum* &c. eſſe prophetiam de Chriſto futuro, & non dici iſta de ipſo uno Deo Iſraelis. Quomodo enim, cum Paulus iſta ad Chriſtum accommodet ſupra omnes cœlos exaltatum, negare primum quis audebit, hanc eſſe de Chriſto futuro prophetiam? Deinde quid erit, quod ſuadere poſſit, iſta nihilominus de uno illo Deo Iſraelis fuiſſe dicta? Certe in ipſo Pſalmo non apparet manifeſte de quo hæc dicantur. Unde variæ Rabinorum ſuper hac re fuerunt ſententiæ; & Paraphraſtes Chaldaicus (teſte Beza in ſuis annotationibus in locum ad Epheſ. 4.) de Moſe iſta eſt interpretatus. Sed concedamus (ut quidem mihi maxime probatur) liquido conſtare, ea referri debere ad illum Deum proxime ante nominatum; quamvis ille in tertia perſona nominetur, is vero, de quo hæc dicuntur, in ſecunda; non tamen evincetur, hunc eſſe illum unum Deum Iſraelis. In Hebræo enim nomen Deus eſt Elohim, quod aliis præter unum illum Deum Iſraelis, præſertim Chriſto homini, tribui recte poſſe, nemo eſt qui neget. Præterea hunc non eſſe illum unum Deum Iſraelis, ſuadere omnino videtur, quod, eo cum ſuis curribus &c. nominato, ſtatim ſubjungitur, *Dominus in eis.* Veriſimile enim eſt prorſus hunc dominum alium eſſe ab illo Deo; quippe de quo dicatur, quod in curribus, &c. illius Dei ſit, id eſt, illis virtute ſua ac favore adſit. Eſt autem hic Dominus ille unus Deus Iſraelis; ut hoc ipſum, quod de eo dicitur, oſtendit, præter nomen ipſum Adonai cum punctulo Kametz in Hebræo notatum, quod ad ſolum unum illum Deum Iſraelis ſignificandum uſurpari ſolet.

Sed videamus, cur Bellarminus audeat affirmare, reſponſionem hanc noſtram nihil valere. *Nam* (inquit) *etiam David Pſal.* 67. *de futura Chriſti Aſcenſione vaticinatur, & tamen de eodem Chriſto, ibidem dicit, quod deſcenderit ad montem Sina, & pertranſierit cum populo per deſertum, & alia quæ non poſſunt convenire ei, qui non fuerit ante incarnationem.* Hæc ſunt ipſa Bellarmini verba; quæ miror tantum virum ſcripſiſſe. Primum enim ita loquitur, quaſi locus ipſe de quo diſputatur non ſit in

Pſal. 67. & non David, ſed alius quiſpiam ejus loci ſit auctor. Deinde pro eo, quod debuiſſet dicere, de eodem, de quo iſta dicuntur, *Aſcendens* ſive *Aſcendiſti in altum*, &c. dictum paulo ante fuiſſe, quod deſcenderit olim ad Montem Sina, & pertranſierit cum populo per deſertum, &c. ait, Davidem de futura Chriſti aſcenſione vaticinatum fuiſſe, & tamen de eodem Chriſto ibidem dixiſſe, quod deſcenderit, &c. quod non eſt reſponſionem ad locum prius allatum, & ad argumentum inde ductum ulla ex parte retellere, ſed novum locum, novumque ex eo argumentum afferre; præſertim cum in ipſa reſponſione nec verbis, nec ſententia, nec denique per conſequentiam contineatur, non poſſe fieri, ut in loco, quem Paulus citat, dicatur, Chriſtum jam tum fuiſſe, & ſic extitiſſe, antequam ex virgine naſceretur: propterea, videlicet, quod ibi ſit de ejus futura aſcenſione vaticinatio. Tantummodo enim in ea continetur, non de uno illo Deo Iſraelis ibi verba fieri, ſed de futuro Chriſto. Poſtremo, ubi Bellarminus ſaltem debuerat poſt illa verba, *quæ non poſſunt convenire ei*, ſcribere, *qui tantum futurus eſſet, & non etiam multo ante fuiſſet*, ſcripſit, *qui non fuerit ante incarnationem*. Quaſi vero ii, contra quos ſcribit, admittant iſtam incarnationem: immo ad iſtum modum loquantur, cum ſignificare volunt, Chriſtum non fuiſſe, antequam ex virgine naſceretur: Et quaſi non neceſſe ſit, proprie loquendo, ut, qui incarnatus eſt, fuerit antequam incarnaretur. Adde quod omnia iſta, locum de quo agitur, præcedentia, quæ Bellarminus de Chriſto a Davide dicta exiſtimat, poſſent optime de eo dicta fuiſſe, qui nunquam homo naſciturus eſſet. Neque enim ante verba illa, *Aſcendiſti in altum*, &c. eſt vaticinatio de futura Chriſti aſcenſione, aut de Chriſto dicitur, quod deſcenderit, &c. ut Bellarminus audet afferere. Ex quo iſtius novi (ut diximus) & loci & argumenti ab eo allati, omnis vis penitus diſſolvitur. Hæc Bellarmino, pro noſtra reſponſione tuenda, reſpondentes, paulo accuratius ſine ulla alioqui neceſſitate adverſus ipſum diſputavimus, ut lector agnoſcat, illum, quantumvis alioquin magnum virum, inſigniter aliquando in illis ſuis diſputationibus decipi, & multipliciter in paucis verbis labi; ne quiſquam facile illi contra ſuos adverſarios aliquid affirmanti, aut concludenti fidem adhibeat: ſed quæ dicit, diligentius perpendere aſſueſcat.

Ex iis, quæ diximus, apparet nihil eſſe, cur demonſtremus, etiamſi in Pſalmo verba illa de uno illo Deo Iſraelis fuiſſent dicta, & a Paulo ad Chriſtum accommodata, non tamen hinc concluſum iri, Chriſtum eſſe unum illum Deum. Satis enim eſt, demonſtraſſe, nullam cauſſam eſſe, cur Pſalmi verba ad illum unum Deum referantur. Tantum non eſt omittendum, quod minus verum eſt id, quod ſupra monuimus, Vujekum Bellarmini verbis de ſuo addidiſſe, videlicet, Paulum affirmare, Davidem verba illa de Chriſto dixiſſe. Aliud enim eſt in Chriſto illa impleta eſſe, ſive impleri debuiſſe (quod eſt quidquid neceſſario ex Pauli verbis elici poteſt) aliud vero, de Chriſto dicta fuiſſe. Ratiocinatio & conjectura illa Hieronymi, & Theodoreti, quod Paulus voluerit oſtendere, eundem eſſe (*Deum* addit Vujekus) qui olim deſcenderat in montem Sinai, coram Judæis, & qui poſtea aſcendit in cœlum coram Apoſtolis, quam Vujekus poſt Bellarminum commemorat & laudat, futilis plane eſt; cum is, de quo in Pſalmo dicitur, *Aſcendiſti in altum*, &c. non dicatur ibidem deſcendiſſe in montem Sinai. Montis enim Sinai fit tantummodo mentio antea ℣. 9, & 18. Jam ℣. 9. agi de illo ipſo de quo poſtmodum dicitur, *Aſcendiſti in altum*, &c. nullo modo apparet. Immo conſtat, non agi; cum ibi agatur de Deo Iſraelis; ad quem verba & locum iſtum a Paulo citatum referri non debere, ſupra oſtendimus. In verſiculo porro 18. jam demonſtratum eſt, nomine Domini alium intelligendum eſſe, quam Deum illum, cujus multitudo curruum, &c. recenſetur, quem veriſimile eſt eum eſſe, de quo dicta ſunt verba a Paulo citata.

Conjungunt una in ipſis afferendis & Bellarminus, & Vujekus quartum, & quinctum argumentum, ſeu locum unde argumenta ſumuntur. Nos, præſertim quia Bellarminus, cum de ſolutionibus refellendis agit, quæ a noſtris hominibus afferuntur, ſeparatim de utroque loquitur, alterum ab altero ſeparabimus.

Reſponſio ad IV. Argumentum.

Quartum igitur argumentum eſt ſumptum ex Pſal. 96. 7. *Ubi* (ait Vujekus) *de Deo Iſraëlis dicit David.* Adorate Deum omnes angeli ejus. Et poſtmodum ſubjungit Vujekus (qui latius & melius argumentum explicat, quam Bellarminus explicaverit.) *Paulus autem affirmat* (nempe Hebr. 1. 6.) *Chriſtum eſſe illum, qui ſecundum iſtud verbum Davidis debet adorari ab angelis. Et ſic David* (*quemadmodum Paulus teſtatur*) *Chriſtum confitetur eſſe Deum Iſraëlis.*

Reſpondeo dupliciter, Nec, videlicet, neceſſe eſſe verba illa Pſalmi referre ad illum unum Deum Iſraelis: nec, ſi omnino fiat referenda, quia Chriſto applicata fuerint, propterea ullo modo concludi poſſe, Chriſtum eſſe illum unum Deum Iſraelis. Quod non ſit neceſſe, verba illa Pſalmi referre ad illum unum Deum Iſraelis, ex eo patet, quod ſine dubio referenda ſunt ad illum, qui paulo ante poſtremo nominatus eſt; nempe ad Dominum univerſæ terræ, ſive ad Dominum ſimpliciter, ut vulgata habet Latina editio, & Græca, unde illa fluxit. Atqui nihil cogit, utrocumque modo legatur, nomine iſtius Domini illum unum Deum Iſraelis intelligere. Quamvis enim ibi ſit ſcriptum, *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini*, quod in Hebræo eſt, *Jehovæ*, & ſtatim addatur, *a Domino univerſæ terræ*; vel *a Domino, omnis terræ*: & nomine *Jehovæ* ſignificetur ille unus Deus Iſraelis; nihil tamen impedit, quominus id, quod ſequitur, *a Domino*, &c. ad alium, quam ad Jehovam referatur. Immo, ſi vulgata lectio retineatur, omnino veriſimile hoc videtur. Hebraice enim legitur Adon: quod nomen, ita ſimpliciter & abſolute poſitum, nimis abſurdum eſſet, ut poſt Jehovæ nomen ſequeretur, ſi ad eundem Jehovam referendum eſſet; cum ipſum nomen per ſe multo inferius ſit nomine Jehova, & rebus creatis quacunque vel minima dominatione præditis paſſim accommodetur. Quid hic ſint reſponſuri Bellarminus, & Vujekus, qui vulgatam editionem ubique omnino ſequendam cenſent, ſane non video; præſertim cum, etiamſi Bellarminus una cum aliis ſuis fateatur, Latinam Pſalmorum tranſlationem vulgatam non ex Hebraico fonte, ſed ex Græco fuiſſe derivatam: propterea in quibuſdam locis fateri videatur, aliquod in ea eſſe vitium, non quidem ejus auctori, ſed Græcis codicibus tribuendum; tamen, ubi diverſitas ab eo, quod hodie in Hebræo legitur, a ſolis punctis pendet, illam omnino vulgatæ Hebraicæ antepo at. Etenim diverſitas in loco iſto Latinæ & Græcæ interpretationis ab eo, quod hodie in Hebræo legitur, ab uno tantum punctulo pendet. Quodſi nihilominus Hebraicam hodiernam lectionem ſequi malint; an non, cum inter omnes conſtet, in Pſalmo iſto eſſe vaticinationem de regno Chriſti, potuit Chriſtus homo, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra Mat. 28. 18, tanquam in poſſeſſionem regni ſui intrans, Prophetice deſcriptus & prænuntiatus merito vocari Dominus univerſæ terræ? Jam ſi quis ſuſpicetur, ne omnino iſte Dominus univerſæ terræ ſit unus & idem cum Jehova ante nominato, propterea quod non legatur inter utrumque copula Et, quæ inter diverſa poni ſolet; Dico, non eſſe perpetuum in ipſis Sacris Literis, ut cum ſub eadem ſtructura verborum diverſi comprehenduntur, vocula iſta inter eos ponatur; præſertim ſi alius ab alio pendeat, eique ſit ſubordinatus; ut ſine dubio a Jehova pendet, illique ſubordinatus eſt homo Chriſtus Jeſus. Exemplum hujus rei, quam dico, idque ſimiliter ubi de divinitate eſt ſermo, ſuppeditare nobis poſſunt verba Jacobi Patriarchæ Joſepho filio ſuo benedicentis; Gen.

Gen. 48. 15, & 16. *Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt patres mei Abraham, & Iſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea, uſque in præſentem diem, Angelus, qui eruit me de cunctis malis benedicat*, &c. Ubi nemo negaverit, Angelum poſtremo nominatum, licet nulla præcedente copula, illi Deo, qui ante nominatus eſt, adjunctum, diverſum tamen ab eo eſſe.

Altera argumenti ſolutio, quæ eſt negare ejus conſequentiam, quemadmodum prior jam allata fuit negare aſſumptionem, breviſſime attingitur in Animadverſionibus in Theſes Collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo, Animadverſione 6. in Theſim 21. his verbis: *Locus vaticinationem de Filii regno continet; atque adoratio illa Deo tribuenda Jeſu Chriſti perſonam reſpicit, in quo, & per quem in orbem terrarum introductum, id eſt, in mundum illum inaſpectabilem in ejuſque poſſeſſionem atque imperium miſſum, ipſi Angeli Deum adoraturi erant.* Certum namque eſt, Chriſto homini, & quidem ut homini, id eſt, ſine ulla conſideratione, quod in ſe habeat eſſentialiter aliquam naturam divinam, adorationem ab ipſis angelis deberi, poſtquam à Deo propter ſui ipſius demiſſionem & obedientiam uſque ad mortem crucis, nomen ſupra omne nomen eſt adeptus. Id enim apertiſſime conſtat ex verbis Pauli ad Philip. cap. 2. ubi hac de re agit. Diſerte enim ibi dicit, Deum, propter prædictas cauſſas, Jeſum Chriſtum ſupra modum evexiſſe, & dediſſe illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum. Jam quemadmodum obedientia (nam de ſui ipſius demiſſione infra in reſponſione ad argumentum ex iſto Pauli loco ductum idem probabimus) ſine dubio ad humanam tantum naturam pertinet (quamvis Philippus Melanchthon aliter ſenſiſſe videatur, qui propterea à Poſſevino ipſoque Bellarmino, & aliis pontificiis ſcriptoribus graviſſime reprehenditur, ac ſimul irridetur) ſic exaltationem propter obedientiam, ad humanam tantum naturam pertinere neceſſe eſt. Præterquam quod certum alioqui eſt, divinam naturam exaltari vere ac proprie non poſſe, & conſequenter neceſſe eſt, ut adoratio, quæ Chriſto ab omnibus cœleſtibus, & ſic ab ipſis angelis, propter iſtam exaltationem, debetur, ei, ut homini debeatur. Ex quo ſequitur, adorationem iſtam in ipſo Chriſto non terminari: ſed in Deum, qui illum exaltavit, ab ipſo Chriſto tranſire, ut in ultimum ſuum ſcopum: & ſic veriſſimum eſſe, in Chriſto, & per Chriſtum, & quidem ut hominem, ipſum Deum adorari, id eſt, eo ipſo, quod Chriſtus homo adoretur, & dum Chriſtus homo adoratur, adorari ipſum Deum: & conſequenter, quamvis Chriſtus non ſit ille unus Deus, rectiſſime tamen novam illam quandam adorationem, quam ab omnibus angelis, in Chriſti regno, illi uni Deo tribuendam Propheta prædixerat, de ipſius Chriſti adoratione ab auctore Epiſtolæ ad Hebræos expoſitam, ſive ad ipſum Chriſtum accommodatam fuiſſe. Certe enim novus prorſus unum illum Deum adorandi modus angelis fuit, eum in Chriſto homine adorare.

Nec obſtat, ſi quis dicat, divinum iſtum ſcriptorem non modo novam iſtam adorationem, quam angeli uni illi Deo tributuri eſſent, de Chriſti adoratione exponere, ſeuad ipſum Chriſtum illam accommodare: ſed ex Pſalmi verbis ipſis colligere ac concludere, Chriſtum ab angelis adorari debere; quod facere non potuerit, niſi Chriſtus ſit ille, de quo in Pſalmo dictum eſt, *Et adorent eum omnes angeli Dei.* Hæc enim ſola verba, ad id probandum, ex Pſalmo ab ipſo citari. Hoc, inquam, nihil obſtat, quia Apoſtolus, non tam hoc loco probare, quam docere vult; id eſt, occultum Pſalmi verborum ſenſum quendam patefacere. Si modo certum eſſe velimus, ut in præſente diſputatione pro conceſſo ſumitur, in Pſalmo de uno illo Deo verba fieri. Alioqui enim ſi ſimpliciter probare vult, quomodo, quæſo, probat, id quod de uno illo Deo in Pſalmo dictum eſt, de Chriſto dictum fuiſſe, ut inde concludat, Chriſtum ab angelis adorandum eſſe? Neceſſe eſt, ut dicas, eum iſtud propterea probare, quia pro conceſſo ſumat, Chriſtum eſſe illum unum Deum; Atqui hoc fieri nullo modo poteſt. Nam ſi iſtud pro conceſſo ſumpſiſſet, quid attinebat ex adoratione, quæ Chriſto ab ipſis Angelis debeatur, excellentiam ejus ſupra angelos oſtendere, aut ipſam Chriſti adorationem ab ipſis Angelis illi debitam ex Pſalmi verbis probare? Nonne, ſi jam certum & conceſſum erat, Chriſtum eſſe illum unum Deum, hæc jam per ſe notiſſima & probatiſſima erant? Cogimur itaque fateri, Apoſtolum vel non ſimpliciter probare voluiſſe, vel certe non iſta ratione, quod Chriſtus ſit ille unus Deus. Concludendum igitur eſt (ſi modo velimus, verba, quæ ex Pſalmo citat, de uno illo Deo dicta eſſe) divini hujus ſcriptoris hanc mentem fuiſſe, ut, quia jam inter peritiores ipſos Hebræos conſtaret, de futuro Chriſto, eoque in ſui regni poſſeſſionem mittendo, in eo Pſalmo, ſub illius unius Dei nomine, agi, non quia Chriſtus ipſe futurus eſſet ille unus Deus, ſed quia unius illius Dei perſonam ſinguläri quadam ratione ſuſtinere debebat, ex ejuſdem Pſalmi verbis, ſua interpretatione adhibita, perſuaderet, Chriſtum ab ipſis angelis adorandum eſſe; nempe quia non modo multa alia, quæ in eo Pſalmo de illo uno Deo dicuntur, ut facile ii concedebant, ad quos ſcribebat (ſcribebat enim ut ex ipſa Epiſtola patet, ad Judæos quidem, ſed jam Chriſtianos factos) ad Chriſtum accommodanda eſſent: ſed etiam illud ipſum, quod ibi habetur de omnibus angelis illum unum Deum adoraturis. Id quod non facile cuiquam perſuaderi poteſt, niſi, præter id, quod veriſimile eſt, ſi multa alia, quæ de illo uno Deo ibi dicuntur, idcirco ad Chriſtum accommodanda ſunt, quia de ipſius Chriſti regno ſub unius illius Dei nomine ibi agitur, hoc etiam ad Chriſtum accommodandum eſſe, quod nimirum ad ipſius regnum pertinet, accedat quoque ipſius ſcriptoris auctoritas, & Prophetiæ ſpiritus, quo patefacit, quale & quantum revera ſit Chriſti regnum, & quam divina prorſus & perfectiſſima ratione Chriſtus, illius unius Dei perſonam ſuſtineat.

Denique, ad argumentationem, ex loco iſto Sacri illius Scriptoris ductam, omnino ac penitus diſſolvendam, hoc dilemmate utor: Aut colligitur ex ipſius verbis, quod Chriſtus ſit ille unus Deus Iſraelis, quia id ipſe probet, Aut quia, etiamſi id non probat, tamen ita illum ſenſiſſe, ex iis, quæ dicit; intelligi poteſt. Si dicas, illum id probare, primum rem dices longe abſurdiſſimam, & ab ejus propoſito alienam. Facies enim eum, creatorem ſeu Deum ipſum, quatenus etiam eſt Deus & creator, cum ſuis creaturis conferentem; cum tamen apertiſſimum ſit, eum inſtituiſſe collationem cujuſdam rei creatæ, id eſt, Chriſti Jeſu, quatenus eſt creatus cum aliis quibuſdam rebus creatis, id eſt, cum ipſis angelis Dei; quemadmodum in reſponſione ad proximum, id eſt quinctum argumentum demonſtrabimus. Deinde rogo, quomodo id probet. Si dixeris, ex eo, quod certum eſſet, & propterea ab ipſo pro conceſſo ſumatur, ea, quæ in Pſalmo illo, cujus verba citat, ſunt ſcripta de adoratione illa ab angelis præſtanda, ad Chriſtum pertinere, quippe quod ibi agatur, ut ipſe aperte explicat, de Primogenito in orbem terrarum introducendo: conſtet autem ex ipſis Pſalmi verbis, hunc eundem, ad quem iſta pertinent, eſſe illum unum Deum; Reſpondebo, iſtum argumentandi modum longe abeſſe à verbis Apoſtoli; qui manifeſte non hoc agit, ut pro conceſſo ſumat, ad Chriſtum adorationem iſtam pertinere, ut ex hoc aliquid aliud concludat, quod inde conſequi ſtatim omnibus non pateat, neque id ipſum tamen ſit, quod ille probare inſtituit, quamvis illud ex hoc neceſſario conſequatur; ut poſtea explicabo. Non hoc, inquam, agit Apoſtolus. Sed iſtud ipſum urget, Chriſto, videlicet, adorationem ab ipſis angelis deberi; ex quo apertiſſime omnes poſſint intelligere, Chriſtum angelis præſtantiorem eſſe. Quod illud ipſum eſt, quod ab initio probandum

ibi proposuit. Etenim non omnibus statim patet, si ad Christum adoratio illa referenda sit, Christum esse illum unum Deum, etiamsi alioqui omnibus constaret, eum, cui in Psalmo adoratio illa diserte tribuitur, esse illum unum Deum. Nihil enim vetat, ut supra docuimus, quominus adoratio ista, illi uni Deo diserte attributa, ad Christum tamen pertineat: quamvis ipse non sit ille unus Deus; utpote in quo, & per quem, ut antea expositum, adoratio ista illi uni Deo præstanda erat. Sed præterea negandum est prorsus, constare, quod is, cui adoratio ista in Psalmo diserte tribuitur, sit ille unus Deus; quemadmodum ex prima nostra hujus quarti argumenti solutione apertum est. Quod si nihilominus concederetur, Apostolum ratione ista probaturum fuisse, Christum esse illum unum Deum; non tamen hoc illud ipsum esset, quod probare instituerat. Instituerat enim, ut dictum fuit, probare, Christum angelis præstantiorem esse, non autem, esse illum unum Deum; quamvis verissimum sit, si Christus est ille unus Deus, eum præstantiorem, & quidem sine ulla comparatione angelis esse. Quamquam, cum non simpliciter præstantiorem Christum angelis esse, sibi probandum proposuisset, sed quatenus & ipse, & illi à Deo divinis donis ornati fuerant (ut suo loco docebimus) minus verum est, ex eo, quod probasset, Christum esse illum unum Deum, consequenter etiam id probaturum fuisse, quod sibi probandum proposuerat. Videamus tamen, an alia ratione concludi possit, eum probasse, Christum esse illum unum Deum. Et Bellarminus quidem Tom. 1. col. 286. B. ait, Paulum, nempe in loco isto, hoc argumento usum fuisse: Christus jubetur adorari ab angelis. Igitur est Deus verus; id est, (ut ipse sine dubio intelligit) ille unus Deus Israelis. Atqui plurimum fallitur Bellarminus. Nam neque ista mens Pauli fuit, si velimus Paulum esse auctorem ejus epistolæ) ut & jam vidimus, & posthac videbimus; & Paulo indignissimum est argumentum istud, cum apertum sit, Christo homini, ut homini, quemadmodum antea expositum & demonstratum est, adorationem ab ipsis angelis deberi: & Paulus ipse is fuerit, qui in sua epistola ad Philip. id nos docuit Phil. 2. 9, &c.

Nulla alia ratione, nisi vehementer fallor, ostendi potest, auctorem epist. ad Hebr. in loco de quo agitur, probasse, Christum esse illum unum Deum. Neutra autem ex his duabus, quas exposuimus, vim ullam habet; etiamsi negari non posset, recte ab Apostolo pro concesso sumptum fuisse, quod verba Psalmi, ab ipso citata ad Christum pertineant. Quo fundamento non minus, quam prior, omnino nititur posterior ratio; quamvis id à nobis in ea exponenda dictum non fuerit.

Sequitur altera pars dilemmatis, quod, scilicet, non quidem probaverit scriptor ille divinus, Christum esse illum unum Deum; sed hoc ex ipsius verbis colligatur. At vero id non alio modo potest colligi, quam eo, qui in ipso argumento nectendo ab Adversariis expositus est; nempe, quod appareat, verba Psalmi, quæ Apostolus de Christo interpretatur, de uno illo Deo dicta fuisse. Ad quod & prima & secunda solutione nostra jam satis superque responsum est. Itaque ad quinctum argumentum dissolvendum transeamus.

Responsio ad V. Argumentum.

Quinctum argumentum tale est: *De uno illo Deo Israelis Psal.* 101. 26 dicitur: Tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, &c. *Atqui in epist. ad Heb.* c. 1. 10. *ut ostendatur Christus major esse angelis, de eo hæc verba dicta fuisse affirmatur; & sic Christus creator cæli, & terræ asseritur. Id quod videlicet, angelis nullo modo convenit. Ergo Christus est unus ille Deus Israelis.*

Ad hoc argumentum responderunt Transylvani nostræ confessionis ministri, & alii similiter ex nostris hominibus respondere solent, negando in epist ad Hebr. citato loco, affirmari, verba ista Psalmi dicta esse de Christo. Quamvis enim ea ibi leguntur inter alia divina testimonia, à sacro scriptore illo prolata, de Christi excellentia supra angelos, tamen, non ut testimonium de Christo proferret, hæc fuisse ab ipso commemorata: sed ut illis uteretur ad apostrophen ad Deum faciendam. Nempe quia (ut is dicere solebat, qui primus nostra ætate hanc ejus loci interpretationem docuit) raptus in admirationem maximi ac pæne incredibilis operis Dei in exaltando Christo, adeo ut illum supra omnes res creatas evexerit, & divinum illi regnum nunquam interiturum dederit, ut patet ex testimonio, quod de Christo proxime citaverat, *Thronus tuus Deus*, &c. ad ipsum conversus, non suis, sed antiqui prophetæ verbis, quo plus ponderis haberent, præsertim cum aliquid de Deo propheticum exprimere vellet, ejus omnipotentiam, & summum imperium agnoscit, & confitetur: quasi diceret: Et quid mirum est, Domine, te hominem ad tantam potestatem ac majestatem evehere, pro tuo arbitratu, potuisse, cum tu cælum terramque creaveris & fundaveris, & sic mundum universum condideris ac stabilieris, ac rursum totam hanc ingentem & admirabilissimam structuram sis dissoluturus & penitus consumpturus, & in ejus locum (non secus atque cum attrita & jam consumpta aliqua vestis abjicitur & mutatur, alia alterius generis sumpta) novum cælum, novamque terram, id est, novam vivendi & habitandi rationem substituturus? Suadere autem omnino videtur, non fuisse locum istum Psalmi à D. scriptore, ut testimonium de Christo, allatum superiori addendum: primum, quod in antiquioribus emendatis codicibus, tum Græcis tum Latinis, nulla notatur distinctio inter particulam, *Et*, Psalmi verbis à scriptore isto ab initio additam, & ipsa verba Psalmi, quod tamen necesse esset ad ostendendum, prædictam particulam non esse legendam conjunctim cum verbis ex Psalmo desumptis, sed eandem vim habere, ac si scriptum fuisset, *Et rursum*, (quemadmodum paulo ante factum est, cum post unum testimonium, aliud statim, nullis aliis verbis interm stis, allatum est) si revera, ut de Christo testimonium, verba ista ex Psalmo citata fuissent. Deinde parum verisimile est, simplicem particulam *Et*, inter duo tam multis verbis comprehensa de Christo testimonia, ad illa invicem distinguenda fuisse positam, & non apertius, verbulo uno saltem addito, ut supra factum est, significatum, verba, quæ sequerentur, similiter ut superiora, pro testimonio afferri. Hinc apparere potest, rationem à Bellarmino ex ista eadem particula, *Et*, ductam, ad ostendendum, quia sit particula conjunctiva, non minus verba, quibus proposita est, quam antecedentia in testimonium de Christo fuisse adducta, valde infirmam esse; cum potius ex illa ita nude posita contrarium suaderi videatur. Nam alioqui ad apostrophen faciendam videtur & necessaria & accommodatissima fuisse. Idem enim valere potest quod Autem, seu Vero sine ulla vi, proprie loquendo conjunctiva, sed potius disjunctiva, ut frequentissime præsertim in S. Literis, accidit. Sebastianus quidem Castellio, vir maxime pius, & apprime eruditus, si paulo diutius vixisset, statuerat omnino, in nova editione, quam parabat, translationis suæ Novi Testamenti, istum locum ad hunc modum edere, *Tu vero Domine*, &c. quamvis alioqui Dei filio tribueret, quod per ipsum cæli & terræ, de quibus in eo Psalmi loco agitur, creatio facta fuisset; propterea videlicet, quod nihilominus, ab amicis monitus, agnovisset nullo pacto fieri posse, ut verba illa Psalmi, tamquam, de Christo testimonium, allata fuissent: propter eas nimirum rationes, quas paullo post explicabo.

Prius enim alia responsio, quæ mihi plus probatur, ad argumentum istud afferenda est. Ea autem accurate explicata est in Animadversionibus illis in Theses &c, eodem loco, qui non ita multo ante citatus fuit, id est,

id eſt, Animadverſione 6. in Theſim 21. ad hunc modum. *In his verbis* (nempe Hebr. 1. 10.) *teſtimonium quidem de Dei filio eſt, inter alia antecedentia numerandum, quæ ibi Apoſtolus attulit; non tamen quia verba ad ipſum Filium dirigantur, aut de Filio in ipſis præcipue agatur: ſed quia is locus vaticinationem continet de re ad Filium quoque pertinente, & ex qua Filii ſumma præſtantia elucet, qua angelos antecellit; id quod teſtimoniis confirmare, Apoſtolo, ut ex v. 4. apparet, propoſitum fuerat. Continet nimirum is locus vaticinationem de mundi hujus aſpectabilis abolitione, & horum ſæculorum in alia præſtantiora mutatione. Jam vero hæc per Filium in ejus poſtremo adventu fient, cui hoc à Patre datum eſt, ut ipſe ſit, qui mortalitatem penitus aboleat* 1 Cor. 15. 24, &c. Phil. 3. 21, *& ſuos vitæ ſempiternæ atque cœleſtis præmio afficiat, ſimulque cœlos qui nunc ſunt, & terram una cum impiis in die judicii perdat. Vide* 2. Pet. 3. *Quamvis igitur in Pſalmo hujus mundi abolitio atque mutatio ipſi Deo tribuatur, nec filii Dei ulla mentio aperte fiat; tamen quia Deus non niſi per filium ſuum illam facturus eſt, propterea ad Filium vaticinatio iſta ab Apoſtolo merito accommodatur.* Hactenus explicatio, cui paulo poſt eodem loco ſubjungitur reſponſio ad ea, quæ potiſſimum illi objici poſſunt: quam, licet aliquanto longiorem, integram tamen non pigebit hic deſcribere. Ea autem ſic ſe habet: *Nec vero quenquam moveat, quod in citato ab Apoſtolo loco noſtro ea verba habentur*, Tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli, *quæ nullo modo rem aliquam futuram ſignificant, nec ad Dei filium tanquam hominem, accommodari poſſunt. Namque animadvertendum eſt, Apoſtolum neceſſe habuiſſe iſta quoque verba recitare, ut ea intelligerentur, quæ in teſtimonium adducere volebat. Pendent enim ea omnia ex iſtis, per pronomina relativa, quibus terra & cœli, in ipſis non nominati, ſignificantur. Itaque iſta quoque attulit, ut qua de re in verbis ipſius teſtimonii ageretur, percipi poſſet. Cumque neceſſe habuiſſet ab ipſo initio locum recitare, ad finem etiam ejus recitationem perduxit, & integrum prorſus attulit. Hoc dicimus propter extrema verba illa*, Tu autem idem es, & anni tui non deficient, *ſi cui fortaſſe videretur, ea ad Filii perſonam, tanquam hominis, minime accommodari poſſe. Nobis quidem ſecus videtur; & dicimus, in illis ſempiternum Jeſu Chriſti regnum ſignificari. Non eſt ſimiliter, quod quis de interpretatione noſtra dubitet, quia anteceſſerint verba illa*, Ad Filium autem, *ex quibus, videlicet, appareat, Filium eſſe illum, ad quem hujus teſtimonii verba diriguntur, quemadmodum Filius eſt ille, ad quem verba proxime ſuperioris teſtimonii, quod ſtatim una cum hoc, poſt verba illa*, Ad filium autem *conſequitur, diriguntur. Nam*, Ad filium autem, (*ſubaudi* Dicit) *non ſignificat Ipſum Filium alloquitur, ſed de Filio loquitur. Patet hoc ex ſuperioribus illis verbis*, Et ad angelos quidem dicit, *quæ non cum ipſis angelis, ſed de angelis verba fieri ſignificant; ut ex loco ipſo, qui recitatur, appareat*, Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. *Ubi etiam non præcipue de ipſis angelis, ſed de Deo eſt ſermo. Cæterum diſſimilitudo inter hoc, & ſuperius teſtimonium nihili facienda eſt, non ſolum quia ſatis ſimilia ſunt, ſi in utroque aliqua ratione de Filio agatur, verum etiam, quia Apoſtolum ejus rei nullam rationem habuiſſe conſtat. In ipſo enim afferendorum teſtimoniorum initio ait.* Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te? *Ubi nemo non videt, citati teſtimonii verba ipſi filio dicta fuiſſe, ut præfatus Apoſtolus fuerat, & tamen illico addit*, Et rurſum, Ego ero illi in patrem, &c. *cujus teſtimonii verba ipſi Filio dicta non fuiſſe, certiſſimum eſt.*

Habes & interpretationem loci de quo agitur, & ejus defenſionem ejuſmodi, ut unicuique veritatis ſtudioſo ſatisfacere poſſint. Gabriel certe Eutropius, cum ſibi animadverſiones iſtas ſatis diligenter refellendas ſumpſiſſet, neutram attingere eſt auſus. Quare non videtur neceſſarium interpretationem ipſam pluribus confirmare. Verumtamen duo afferemus, ex quibus perſuaderi facile poteſt, verba illa, *Et tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli*, tanquam ad Chriſtum pertinentia, ab Apoſtolo minime allata fuiſſe. Unde conſequitur, vel ipſum Pſalmi locum ab Apoſtolo recitatum aliud eſſe, quam teſtimonium de Chriſto; vel certe verba iſta, ipſius teſtimonii partem non eſſe; quemadmodum in ſuperioribus reſponſionibus & interpretationibus hujus loci explicatum eſt. Quæ duo eo libentius affero, quod Bellarminus ea ex parte attigit, atque ut ſibi (ita arbitror) viſum eſt, penitus diluit; cum tamen revera nihil ſolidi contra ea attulerit.

Primo igitur loco, Dico ab omni veriſimilitudine abeſſe, quod Apoſtolus protulerit teſtimonium unde probetur, Chriſtum ſeu Dei filium, de quo ibi agitur, cœli & terræ creatorem fuiſſe: ob eam cauſſam, quod certum eſt, totam illius primi cap. diſputationem, à ℣. 4. uſque ad finem, pertinere ad comparationem filii Dei cum angelis, & ad oſtenſionem, quod Dei filius, quatenus res creata eſt, & donis à Deo affectus, præſtantior eſt, quam angeli. Patet hoc ex ipſo initio diſputationis, ubi diſerte Theſis ipſa exponitur: quæ talis eſt: *Dei filius tanto præſtantior angelis eſt factus, quanto excellentius, præ illis, nomen hæreditavit.* Hæc, inquam eſt Theſis, quam Apoſtolus ſibi probandam proponit. Illius igitur verba conſideremus: & primum, verbum *factus*; quod aperte demonſtrat, nolle hic Apoſtolum diſputare de aliqua Filii Dei præſtantia, quam naturaliter & ab æterno habeat: ſed de præſtantia, qua in tempore (ut loquuntur) fuerit ornatus & decoratus: eamque conferre cum præſtantia, qua ſimiliter angeli in tempore ornati & decorati fuerint, & illam huic anteponendam eſſe, hac ratione, planum facere: vel oſtendere, angelos ejuſmodi præſtantia nunquam ornatos & decoratos fuiſſe. Deinde conſideremus alteram partem Theſis, quæ generalem quandam rationem continet prioris ac præcipuæ partis, quam modo expoſuimus, quod ſcilicet Dei filius angelis præſtantior fuerit factus; ad quam rationem omnia, quæ deinde produxit teſtimonia ſacra, referenda ſunt: quæ videlicet illam confirment; quippe quam Theſis ſuæ partem fecerit, ea autem eſt, Dei filium excellentius nomen hæreditaſſe, quam angeli. Omnia igitur & ſingula teſtimonia, quæ producentur, hoc ipſum probare debebunt: & conſequenter demonſtrare, Dei filium angelis præſtantiorem fuiſſe factum. At vero quis neſcit Hæreditare in Sacris Literis, nihil aliud eſſe, quam ſortiri, ſeu, tanquam partem ſibi aſſignatam, aliquid adipiſci? Itaque, quacumque tandem ſignificatione vocem Nomen accipias, Hereditare nomen, idem eſt, quod nomen ſortiri, ſeu Nomen aliquod, tanquam partem ſibi aſſignatam, adipiſci. Verum quid commune, obſecro, habet cœlum, & terram creaſſe, quod unius Dei eſt proprium, omnem præſtantiam & nominis excellentiam ab æterno habentis, cum eo, quod quis valde excellens aliquod nomen ſit ſortitus, ſeu, tanquam partem ſibi aſſignatam, adeptus, unde præſtans admodum factus fuerit? Nulla igitur ratione fieri poteſt, ut Apoſtolus de Dei filio teſtimonium produxerit, quo probetur, illum creaſſe cœlum, & terram. Hoc enim nihil prorſus facit ad propoſitam Theſim de filio Dei angelis tanto præſtantiore facto, quanto excellentius, præ illis, nomen hæreditavit. Adde, quod etiamſi diſerte Apoſtolus Theſim iſtam non propoſuiſſet; nihil tamen abſurdius excogitari poſſet, quam ſi (tanto præſertim teſtimoniorum apparatu) creaturam cum ſuo creatore, etiam quatenus eſt creator, conferre inſtituiſſet.

Ad poſtremam hanc rationem, quamvis non omnino ita deductam, reſpondet Bellarminus, * *Paulum conferre Chriſtum cum Angelis, quia dicturus erat, eum paulo minus ab angelis fuiſſe minoratum per paſſionem. Itaque ne putaremus, Chriſtum eſſe omnino Angelis minorem, confert eum cum Angelis, & oſtendit nullam eſſe inter eos comparationem, cum Chriſtus ſit Filius, Angeli autem, ſervi.* Hæc ſunt ipſiſſima Bellarmini verba.

Sed nihil vel ad rem, vel recte (ignoſcat mihi ipſe) loquitur hoc loco Bellarminus. Ad rem quidem propterea non loquitur, quia dum deberet docere, quomodo

* Tom. 1. col. 286. D.

non abſurde Apoſtolus creatorem cum ſuis creaturis comparare potuerit; docet, cur Chriſtum cum Angelis contulerit, & oſtenderit nullam eſſe inter eos comparationem, quia Chriſtus ſit filius, & Angeli ſint ſervi. Atqui non de hoc agitur, an recte fecerit Apoſtolus oſtendens, Chriſtum eſſe filium, & Angelos ſervos, dum eos inter ſe comparat, quod eum feciſſe in confeſſo eſt: ſed, an ſit veriſimile, eum in hac comparatione voluiſſe oſtendere, Chriſtum eſſe creatorem, Angelos vero creaturas: & ſic inter creatorem ipſum, ejuſque creaturas comparationem inſtituiſſe; qua de re controverſia eſt.

Minus recte autem Bellarminus loquitur, primum quia, etiamſi verum eſſet, quod affirmat, Paulum idcirco contuliſſe Chriſtum cum Angelis, quia dicturus eſſet, eum paulo minus ab Angelis fuiſſe minoratum per paſſionem, non tamen hinc ſequeretur, eum merito oſtendere voluiſſe, nullam eſſe inter Chriſtum & Angelos comparationem, ſi id modo cavere volebat, ut Bellarminus ait, ne putaremus, Chriſtum eſſe omnino Angelis minorem. Ad hoc enim cavendum, ſatis erat oſtendere ſimpliciter, Chriſtum Angelis eſſe majorem; immo ſatis erat, docere paſſionem illam eum non omnino ipſis minorem, ſed quadamtenus tantum feciſſe. Deinde haud verum eſt, Apoſtolum in comparatione iſta Chriſti cum Angelis eo reſpexiſſe, quod dicturus eſſet, Chriſtum per paſſionum paulo minus ab Angelis fuiſſe minoratum. Nam quo reſpexerit, & in quem finem comparationem iſtam inſtituerit, ac demonſtraverit, Chriſtum ſeu Dei filium Angelis eſſe præſtantiorem, & multo quidem præſtantiorem, ipſemet ſtatim aperte declarat, illico ſubjungens cap. 2. *Propterea abundantius oportet obſervare nos ea, quæ audivimus: ne forte pereffluamus. Si enim, qui per Angelos dictus eſt ſermo, &c.* Jam quod poſtmodum ſubjungit de minoratione Chriſti ab Angelis, nullius præmunitionis indigebat, ac præviæ demonſtrationis, quod inter Chriſtum, & Angelos nulla eſſet comparatio, quia Chriſtus ſit filius, Angeli vero ſervi. Minorationis ſiquidem iſtius, Chriſti ab Angelis ideo mentionem facit, ut doceat, quomodo ad Chriſtum rectiſſime accommodetur octavus Pſalmus, & in eo ipſius ſumma excellentia & dominatio, orbiſque futuri imperium Angelis minime datum prædicatur, & deſcribatur. Itaque ſatis eodem in loco Chriſti excellentiam ſupra Angelos & commemorat, & probat, & ad eam probandum iſta ipſa quæ anteceſſit, ejus ab iiſdem minoratione utitur, tanquam cauſa ſine qua, ut in ipſo Pſalmo octavo indicatum fuerat, ea exiſtere non poterat. Tantum abeſt, ut minoratio iſta præviam cautionem aliquam poſtularet.

Poſtremo, ne ſingula Bellarmini errata perſequar, in eo haud leviter errat, quod non modo contra fidem omnium tam Græcorum, quam Latinorum codicum legit *per*, ubi legendum eſt *propter* in illis Apoſtoli verbis, *propter paſſionem mortis*; verum etiam una cum quibuſdam aliis nec verborum ſtructuram curans; nec intelligens quomodo Chriſtus paulo ſeu pauliſper (utroque enim modo dictio Græca βραχύ reddi poteſt) minor Angelis fuerit factus, & qua ratione rurſus, & ob quam cauſam ipſis fuerit in perpetuum factus multo præſtantior; verba, *propter paſſionem, &c.* ſive ut ipſe legit, *per paſſionem*, non cum ſequentibus ſed cum præcedentibus conjungit. Et pro eo, quod deberet intelligere, Chriſtum, propter paſſionem mortis, gloria & honore fuiſſe coronatum, & hac ratione Angelis multo præſtantiorem fuiſſe factum, intelligit Chriſtum per paſſionem Angelis minorem factum fuiſſe. Cum tamen eo ſenſu minor Angelis Chriſtus factus fuiſſe dicatur, quo nimirum typice idem in Pſalmo octavo de homine generatim dicitur; qui videlicet, quatenus eſt homo, nempe mortalis, & multis infirmitatibus obnoxius, aliquanto ſeu ad breve aliquod tempus minor eſt Angelis. Et ſane plerique alii Theologi, inter ipſos etiam Pontificios, ni fallor, minorationem iſtam Chriſti ab Angelis non ad ejus paſſionem, ſed ad humanitatem referunt: id eſt, ut ipſi volunt, ad ejus præexiſtentis incarnationem: non animadvertentes, idem, ut dixi, typice & ſecundum literalem, ut vocant, ſenſum, de homine in genere dici; de quo tamen certum eſt, eum non incarnari, & non exiſtere, antequam homo naſcatur.

Alterum, quod ſecundo loco nobis afferendum cenſuimus ad perſuadendum, non eſſe veriſimile, ut auctor Epiſt. ad Hebræos locum Pſal. 101, quod ad ejus prima verba attinet, ut teſtimonium de Chriſto attulerit, eſt, quod nuſquam alibi Chriſtus cœlum terramque creaſſe, diſerte dicitur. Quod tamen ſi verum eſſet, videtur impoſſibile, quin compluribus aliis in locis, ſi non Veteris, ſaltem N. T. ſcriptum extaret. Quamvis enim omnia per ipſum modo facta, modo creata eſſe, & omnia tam viſibilia, quam inviſibilia tum in cœlis, tum in terris condita per eum fuiſſe, in eo legatur Joh. 1. Eph. 3. Col. 1, tamen nunquam ipſius cœli, & terræ per ipſum creatæ fit mentio. Quod unum profecto ſatis eſt ad agnoſcendum, iſtis in locis alia de re agi, quam de prima creatione rerum; de quo poſtea latius ſuis locis. Adde quod ea, quæ Chriſto in Novo Teſtamento tribuitur creatio ſub particulis univerſalibus, quibus cœlum terramque ipſam omnino comprehendi videatur, quidquid tandem creatio iſta ſignificet, ita tribuitur, ut non dicatur ipſe Chriſtus creaſſe, ſed per ipſum creatio facta eſſe. Quare mirum prorſus videretur, ſi alicubi tamen in Teſtamento Vetere de Chriſto diceretur, quod ipſe cœlum terramque creaverit. Nam non Chriſtum, ſed Deum Patrem tantum in Sacris Literis dici creatorem præſertim cœli & terræ, agnovit quoque purior antiquitas; quæ in ſymbolo, quod Apoſtolicum vocatur, Deum Patrem tantum, non etiam Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, cœli terræque creatorem nominavit.

Ad iſta quæ poſtremo loco diximus, & alii ante nos conſiderarunt, reſpondet Bellarminus, *Patrem Chriſti eſſe creatorem, ſed non ſine verbo ſuo, cum quo, ſicut eſt Deus unus, ita & unus creator.* Et mox ait, *non pugnare eſſe creatorem, & eſſe eum, per quem Deus Pater creat. Nam idem Chriſtus dixit Joan. 5.* Pater meus operatur, & ego operor, *& tamen etiam dixit Joan. 14.* Pater in me manens ipſe facit opera; *itaque uterque vere creat, quia uterque habet in ſe omnipotentiam, & eandem omnipotentiam.*

Apparet, Bellarminum vim rationum, quas refellendas ſuſcepit, non percepiſſe, & ſtatum quæſtionis mutaſſe. Neque enim nunc quæritur, utrum Chriſtus ſit creator: ſed utrum in loco illo Pſalmi creator appellatus fuerit, & vis rationum iſtarum non in eo conſiſtit; quod Chriſtus non poſſit eſſe creator, quia Pater eſt creator, & quia per Chriſtum Pater creavit: ſed in eo, quod non ſoleant unquam Sacræ Literæ appellare Chriſtum creatorem, ſed tantummodo Patrem: & ſi quando illi creationem tamen tribuunt, nunquam dicant, eum creaſſe, ſed per eum, Patrem ſeu Deum creaſſe: Unde nullo pacto ſit veriſimile, ut in iſto Pſalmi loco creator cœli & terræ diſerte appellatus fuerit, ſeu dictus cœlum & terram ipſe creaſſe. Præterea, dum Bellarminus vult probare nihil impedire, quominus Chriſtus ſit creator, etiamſi Pater tantum ſeu ſolus (quanquam has particulas de induſtria Bellarminus in reſpondendo omiſit; cum tamen ſupra, in ipſa ratione exponenda, vocem ſolus appoſuiſſet) dicatur creator, principium, quod ajunt, ſi quis animadvertat, quodammodo petit. Namque ad in probandum affert, quod Pater cum ſuo verbo eſt Deus unus, & conſequenter unus creator; & propterea, cum Pater dicitur creator neceſſarium ſit intelligere, non ſine verbo ſuo. Verum ſi, verbi ſui nomine, non plus intelligit, quam ſi Chriſtum dixiſſet, eſt hæc manifeſta principii petitio, cum ait, Patris verbum eſſe unum Deum cum ipſo Patre. Ad quid enim aliud probandum allatus eſt locus iſte Epiſt. ad Hebr. & Pſal. illius, niſi ad hoc, quod Chriſtus ſit unus & idem Deus cum Patre? Quod ſi verbi ſui nomine propterea eſt uſus, ut hac ratione probaret, Chriſtum,

qui,

qui, videlicet, verbum Patris eſt, eſſe unum Deum cum Patre, & inde concluderet, eſſe etiam unum creatorem, eſt hic tamen quædam principii petitio; cum certum ſit, eos, contra quos diſputat, etiamſi fatentur, Chriſtum eſſe verbum Dei ſeu Patris, non tamen concedere, tale verbum eſſe, quale neceſſe eſt ut ſit, ſi ex eo ipſo, quod eſt Patris verbum, continuo ſequatur, eum eſſe unum & eundem Deum cum Patre.

Sed multo certior & evidentior Bellarmini fallacia in eo eſt, cum ex eo quod Chriſtus dixerit, *Pater meus operatur, & ego operor*, quamvis alibi dixerit, *Pater in me manens ipſe facit opera*, perperam concludit, utrumque vere creare: pro eo, quod ſimpliciter concludere debuerat (quamvis neque hoc recte, ut mox dicam) id ipſum, ad quod probandum Chriſti verba iſta attulerat, quod aliud nihil erat, niſi, non pugnare, eſſe creatorem, & eſſe eum, per quem Pater creat. Quanquam hoc ipſum ut monui, non recte concluſum eſt. Alia enim eſt ratio creationis, alia operationis. Operandi vis ipſa, cum re creata a Deo communicari poteſt, & hinc merito dici, & Deum per illam operari, & ipſam quoque operari. At creandi vis ita propria Dei eſt, aut certe ab omnibus Theologis eſſe affirmatur, ut cum nulla re creata à Deo communicari poſſit. Ita ut, quando legimus, per Chriſtum, Deum creaſſe, doctiores & acutiores Arriani, qui Chriſtum rem creatam eſſe ſtatuunt, & tamen per ipſum à Deo mundum univerſum, tam Veterem, quam Novum, factum eſſe contendunt, affirment verbum creandi in tali locutione, ut ſæpe alibi in Sacris Literis, non plus ſignificare, quam facere. Ne quis, ex ea putet ſe poſſe colligere, Chriſtum quoque una cum Patre creare, & ſic rem creatam ipſum minime eſſe.

Verum, jam Bellarmino in præſentia omiſſo, cum ſatis probatum à nobis videatur, mentem Apoſtoli eſſe non poſſe, ut Chriſto ex Pſal. teſtimonio creationem cœli & terræ tribuat; nihil aliud agendum reſtat, niſi lectorem monere, ut, quo nihilominus agnoſcat, teſtimonium illud Chriſto potuiſſe accommodari, animadvertat, in Pſal. illo à ỳ. 14, & deinceps non obſcuram contineri vaticinationem de Chriſto, quatenus ſalutem Dei nomine nobis allaturus erat, ſive Deus per ipſum nos erat ſervaturus, quamvis ipſius Chriſti nulla aperta mentio, ſed tantum Dei fiat. Quamobrem nihil veriſimilius eſt, quam, cum de ſæculi hujus mutatione a Deo facienda, ibi verba fiunt, tunc ſimiliter de ipſo Chriſto vaticinationem eſſe, per quem certiſſimum eſt, iſtam mutationem à Deo factum iri. Hac enim potiſſimum ſalus noſtra, id eſt, æterna vita continetur. Propterea, mutatione iſta expoſita, ſub Dei perſona, ipſius Chriſti regni æternitatem commemorari cenſendum eſt: præſertim, cum expreſſe ad extremum addatur, *filii ſervorum tuorum habitabunt; & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.*

Responsio ad VI. Argumentum.

Sextum argumentum ſic à Bellarmino, & Vujeko exponitur: Eſai. 6. 1. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri; duabus velabant faciem, & duabus velabant pedes, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth plena eſt omnis terra gloria ejus. *Et inf. vſ.* 9. Et dixit Dominus ad me; Ito & dic populo huic, Excæca cor populi hujus, & aures illorum aggrava, & claude oculos eorum, &c, (verba hujus poſterioris loci ex Vujeko deſcripſi, qui nec vulgatam editionem nec Hebraicam veritatem per omnia eſt ſecutus, Bellarmino tamen hac in re aliquanto fidelior fuit; ſed hoc ad vim argumenti parum aut nihil refert) *Non potuit clarius deſcribi majeſtas ſummi Dei, quam hic à Propheta depicta eſt. Et quamvis adverſarii hæc de ſolo Patre intelligant, tamen Joannes cap.* 12. 41, *exponit hunc locum de Chriſto Domino. Nam ſimul atque attulit verba illa Eſai.* 6. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, &c, *poſtea ſtatim addit*: Hæc verba dixit Eſaias quando vidit gloriam ejus, & locutus eſt de eo (*hoc eſt de Chriſto*) verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum. *Et in alio loco idem Joannes ait*, Audivi clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt Apoc. 4. 8. *Sed quis alius venturus eſt, niſi Chriſtus? Nam is veniet judicare vivos & mortuos.* Hactenus Vujekus cum Bellarmino; cui de ſuo addidit poſtrema verba iſta, *Nam is veniet, &c.*

Sunt hic revera, pro uno, duo argumenta, Unum ex loco Eſaiæ, junctо cum loco Joh. 12. Alterum ex loco Apocal. qui locus & argumentum ex eo ſumptum, debuerat reſervari ad tertiam argumentorem claſſem, qua illa continentur, quæ ex Novo tantum Teſtamento ſunt ducta. Nos ad utrumque ſeparatim reſpondebimus: ſub hoc tamen uno ſexto argumenta: ne ordinem & numerum, à Bellarmino & Vujeko in hac prima claſſe ſervatum, perturbemus.

Quod igitur attinet ad argumentum priore loco expoſitum; Dico, duplicem eſſe ejus ſolutionem, & utramque ſatis unicuique obviam: Primum, quia verba Johannis commode poſſunt referri ad Deum: Alteram, quia, etiamſi Johannes in ſuis verbis pro ominibus *ejus*, & *eo* Chriſtum intellexiſſet; non tamen ſequeretur, Chriſtum eſſe illum Dominum ſeu Jehovam, qui in viſione illa conſpectus fuit ab Eſaia.

Jam quod Johannis verba ad Deum commode referri poſſint, facile confitebitur, quiſquis animadverterit, à ỳ. 37. quatuor conſequentes verſiculos per parentheſim legi aut debere, aut ſaltem poſſe. Apertiſſimum enim eſt, verſiculum demum 42. cum iſto 37, & ſenſu & verbis conjungi, cum alii quatuor intermedii, videri poſſint aliquantum à propoſito digredi. Hoc pacto pronomina relativa *ejus*, & *eo* Deum referent, qui proxime ante in verbo *ſanem*, licet tacite, nominatus eſt: & prius; eodem modo, in verbis *excæcavit*, & *induravit* (quamvis hæc tertiæ perſonæ ſint, illud vero primæ) nominatus fuit. Neque enim dubium eſſe videtur in verbis *excæcavit*, & *induravit*, non minus, quam in verbo *ſanem*, ſubaudiendum eſſe Deum, de quo ea dicantur. Nam, ut eſt in Hebræo, apud Eſaiam ipſe Propheta jubetur iſta facere; & conſequenter apparet, Dei conſilio & opera, iſtam excæcationem & indurationem fuiſſe factam; quanquam non ſine præcedente culpa populi iſtius, qui ſua ſponte atque obſtinatione & malitia ſua illam accerſierat, ac commeritus fuerat, ſed non eſt hac de re hic diſputandi locus. Veruntamen quia poſſet quis apud Johannem verba *excæcavit*, & *induravit*, Hebraica phraſi, ita interpretari, ac ſi ſcriptum fuiſſet, excæcati ſunt & induratum eſt, præſertim cum idem Eſaiæ locus hoc modo ex parte apud Matth. 13. & Act. cap 28, legatur; propterea relationem quæ poſſit fieri ad Deum in pronominibus *ejus*, & *eo*, potiſſimum ex verbo *ſanem* colligo: quod ſine ullo dubio ce Deo dicitur. Quod verbum Bellarminus, & Vujekus reticere non debuerant, ſed integrum locum recitare: ut appareret, quid proxime antecedat verba illa, *Hæc dixit Eſaias, &c.* in quibus argumentationis pondus conſiſtit; ne alioqui viderentur id forte curaſſe, ne lector indiligens (quales plerique ſunt) poſſet animadvertere, pronomina iſta ad alium, quam ad Chriſtum, poſſe referri. Quanquam, ut, pronomina iſta Deum referre, exiſtimari jure poſſit, ſatis eſt, eum antea, cum eadem de re ageretur, nominatum fuiſſe, ſi hujus Sacri Scriptoris uſus in prima ejus Epiſtola pronominis Græci ὡπὶς diligenter obſervetur. Ibi enim ſæpe eo utitur cum relationem ad remotiorem, ut exemplis allatis infra, cum de quibuſdam adverſariorum teſtimoniis agetur, ex ea Epiſtola petitis, aperte, ut ſpero, demonſtrabo. Jam Deus, cum de eadem re ageretur, nominatus antea fuerat in verbis illis ex Eſaia citatis, *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?*

Sed

Sed nullum exemplum accommodatius inveniri poteſt, quam illud in hoc ipſo Euangelio cap. 9. 22. ubi pronomen αὐτὸν ſive Eum, Jeſum refert, nec aperte nec tacite, niſi multo ante, nominatum; cum proxime ter eodem pronomine, cæcus ille natus ſignificatus fuiſſet. Non eſt autem prætercundum in editione Græca Rob. Stephani in folio (ut vocant) Teſtamenti Novi, nota quadam id ſignificante, in margine annotatum eſſe, codicem quendam vetuſtiſſimum ab amicis Typographi in Italia collatum pro τὴν δόξαν αὐτοῦ, id eſt, gloriam ejus, habuiſſe τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, id eſt gloriam Dei. Atque eadem lectio annotata eſt in margine codicis Græci editi à Chriſtophoro Froſchovero Tiguri anno 1559. quæ lectio, cum, opera & teſtimonio hominum, hac in re, minime ſuſpectorum, prodita & confirmata fuerit; nullo pacto ab iis ſperni debet, qui veritatis ſunt amatores.

Verum demus Adverſariis, omnino pronomina Ejus, & Eo Chriſtum referre. Num continuo ſequetur, Chriſtum eſſe illum Dominum ab Eſaia in viſione illa conſpectum? Nullo modo. Certum enim eſt, utrumque Eſaiæ teſtimonium (nam ad utrumque verba iſta Johannis ſine dubio referri debent, præſertim, cum dicat, *Hæc dixit*, non autem, *Hos dixit*) ad rem futuram reſpicere: &, ſi ad rem futuram non reſpicerent, minime potuiſſe à Johanne proferri ad confirmandum id, quod voluit. Ex quo etiam ſequitur, gloriam iſtam ab Eſaia viſam futuram gloriam fuiſſe illi repræſentatam, aut alia ratione patefactam, quantum ad eam prædicendam & futuram agnoſcendam ſatis eſſet. Dicuntur enim Prophetæ videre, quæ prædicunt & futura norunt; unde olim Videntes nominati fuerunt, 1 Reg. 9. 9. Hoc dico, quia nihil cogit, gloriam iſtam, quam vidiſſe Eſaiam Johannes affirmat, ad illam gloriam referre, cujus viſio deſcribitur apud eundem Eſaiam c. 6. unde alterum teſtimonium eſt prolatum. Sed ſatis eſt, ſi ab Eſaia gloria Chriſti (nam ad Chriſtum nunc damus eam referri debere) in ſpiritu viſa fuerit, atque prædicta. Ut certe prædicta fuit in utroque loco: & præſertim c. 53. unde prius teſtimonium citatum fuit; ubi uno & eodem vaticinationis contextu ſumma Chriſti gloria, quæ (ut Petrus loquitur 1 Pet. 1. 12.) ejus paſſionem conſecutura erat, luculenter prædicitur. Et ſane, cum ad utrumque locum Johannis verba reſpiciant, & illa duo, Vidiſſe gloriam ejus, & locutum fuiſſe de eo conjunctim ponantur; veriſimile plane eſt, vel potius neceſſarium, ut iſtorum duorum utrumque ſimiliter ad utrumque locum ſpectet, quod ſolum ſatis eſt ad totam Adverſariorum argumentationem diſſolvendam. Etenim in poſteriore quoque loco, ut diximus, Chriſti gloria prædicitur, eaque non vulgaris, ſed maxima & præclariſſima. Quandoquidem poſt mentionem factam futuræ cæcitatis & indurationis Judæorum in Chriſto non agnoſcendo & amplectendo, prædicitur deſolatio, & vaſtatio illius populi, ejuſque rejectio: & ỳſ. 12. qui per parentheſim legi debet, Gentium, poſt Judæorum rejectionem iſtam vocatio, & ad Chriſtum converſio, idque ingente numero. Ac ſtatim poſtea ſubjungitur ejuſdem populi Judaici in priſtinum atque adeo meliorem ſtatum reſtitutio; quæ nimirum per Chriſti agnitionem illis eſt obventura. Quæ profecto glorioſiſſima, Chriſto partim jam evenerunt, partim adhuc eventura ſunt. Hæc autem gloria, quam ibi prædictam fuiſſe diximus multo conjunctior & verborum ſtructura, & re ipſa eſt cum eo, quod inde à Johanne citatur, quam gloria illa, quæ præcedit in illa viſione Dei, quæ Eſaiæ contigit, & propterea veriſimilius eſt, ut de hac, quam de illa, Johannes locutus fuerit, ubi dicit, Eſaiam Chriſti gloriam tunc vidiſſe, cum illud dixit, quod ipſe ex iſto loco citat.

Sed demus præterea Adverſariis, quanquam contra omnem veriſimilitudinem & rationem, Johannem locutum fuiſſe de gloria in viſione illa Eſaiæ conſpecta. Non tamen idcirco obtinebunt, quod volunt. Non tamen, inquam, ex hoc concludere poterunt, Chriſtum eſſe illum Dominum ſeu Jehovam, quem Eſaias tunc ſe vidiſſe ait: præſertim, cum aliud ſit videre gloriam alicujus, aliud vero aliquem videre, & Johannes dicat Eſaiam non quidem ipſum Chriſtum vidiſſe, ſed gloriam ejus. Jam in illa Dei unius gloria, quam Eſaias vidit, Chriſti quoque gloria continetur, propter quam cauſſam tunc Chriſti gloriam vidiſſe à Johanne dicitur: non autem propterea quod Chriſtus ſit ille ipſe Deus. Intelligendum enim eſt, Eſaiæ, in viſione illa, non præſentem quidem Dei gloriam, ſed futuram repræſentatam fuiſſe: gloriam, inquam, de qua alibi ſæpe idem Eſaias vaticinatus eſt; ut cap. 35. 2. cap. 40. 5. cap. 60. 1, & 2, & cap. 66. 18, quæ in verbis etiam in viſione ipſa ab Eſaia auditis aperte commemoratur. Dicitur enim in illis, plenam eſſe omnem terram Jehovæ ſeu illius unius Dei gloria. Hoc enim tunc revera factum eſt, quando Chriſtus primum Iſraelis populo apparuit, & deinde prædicatus eſt gentibus per univerſum orbem. Quod ut ita eſſe melius poſſis intelligere, vide, ex ejuſdem Eſaiæ locis paulo ante notatis, potiſſimum poſtremum, id eſt, cap. 66. 18. Hinc liquido conſtare poteſt, qua ratione & modo in gloria illa unius illius Dei ab Eſaia viſa, ipſius quoque Chriſti gloria contineatur: non quæ tunc fuerit, ſed quæ poſt ipſum ex virgine natum & mundo exhibitum ac patefactum extiterit.

Satis ad prius argumentum reſponſum eſt: Videamus nunc de poſteriore, quod ex loco Apoc. 4. 8. eſt ductum. Ubi ſane Bellarminum, quemcunque alium, à quo ipſe argumentum iſtud, iſtamque ejus loci & ſimilium interpretationem acceperit, ſatis mirari non poſſum. Primum enim conſtat, vocem ὁ ἐρχόμενος, quæ à vetere interprete, *qui venturus eſt*, reddita fuit, non minus verti potuiſſe; qui futurus eſt, ἐρχόμενα enim apud Græcos, qui Phraſim iſtam ab Hebræis ſunt mutuati, tam dicuntur futura, quam ventura, & quidem in ipſo N. T. ut Joh. 16. 13. τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν, id eſt, *quæ futura ſunt, annunciabit vobis*: & Act. 18. 21. in Græcis exemplaribus legitur ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην, pro eo quod eſt, *Feſtum futurum*; ut alia exempla omittam. Quanquam ipſum nomen Venturus apud Latinos quoque frequentiſſime idem ſignificat, quod Futurus, & propterea recte in loco Joh. 16. paulo ante citato, vetus interpres, quem alii ſunt imitati, *quæ ventura ſunt*, vocem, τὰ ἐρχόμενα, reddidit; quamvis certiſſimum ſit, ut diximus, ibi vocem iſtam idem ſignificare, quod, *quæ futura ſunt*. Immo, cum ſine ſubſtantivo verbo ſimpliciter vox Venturus uſurpatur, vix unquam aliud ſignificat, quam vox Futurus. Hinc paſſim apud probatos latinitatis auctores legimus, *bella ventura*, *mala ventura*, & ſimilia non pauca. Jam verba Græca non requirunt, ut in iſto & ſimilibus locis in Apocalypſi verbum ſubſtantivum apponatur voci Venturus; ſed tamen apponitur, quia non poſſunt, quæ antecedunt ſimiliter per ſimplicia nomina ſeu participia Latine efferri: præcipue vero illud *Qui erat*; quod ne in Græco quidem factum eſt, nec ſane diſtincte ab eo, quod Latine redditum fuit, *Qui eſt*, fieri ullo modo potuit. Alioqui omnia iſta tria, & Græce, & Latine participiis, quæ vim nominum haberent, enuncianda fuiſſent. Deinde quis eſt, qui non videat, cum antea dictum fuerit, *Qui erat & qui eſt*, id quod ſubjungitur, *& qui venturus eſt*, nihil aliud eſſe, quam, *& qui futurus eſt*? ut, ſcilicet, ubique de eſſendo (ut ita loquar) non autem in duobus quidem prioribus enunciatis, vel potius attributis, de eſſendo, in tertio vero reliquo de veniendo agatur. Quis porro ſimiliter non videt, à Johanne, tribus iſtis attributis, Dei æternitatem, ſeu mavis abſolutam perpetuitatem deſcribi, quæ omnia tria tempora, præteritum, ſcilicet, præſens, & futurum complectitur? Quod ſi quis quærat, cur igitur Johannes non potius dixerit ὁ ἦν, vel ὁ ἐστὶ καὶ ὁ ἐσόμενος, quam ὁ ἐρχόμενος; cauſſa eſt in promptu, ab aliis etiam, ut à Theod. Beza, in ſuis annotationibus in alium locum ſimilem primo cap. animadverſa; nempe quia alia iſta duo verba (quanquam Beza ſolius ὁ ἦν mentionem facit) videntur omnino ſignificare futuram exiſtentiam ejus rei, quæ antea non eſſet; id quod in voce ἐρχόμενος non

non evènit, tunc etiam, cum pro Futurus accipitur. Optimè enim immo multo magis proprie, ſignificare poteſt eſſentiam futuram rei, quæ jam ſit. Sed quod poſtremo turpem errorem manifeſte redarguit illorum, qui exiſtimant, locum iſtum Apocalypſis, propter verbum *venturus eſt*, non ſolum ad Chriſtum referri poſſe, ſed ad ipſum ſolum referri neceſſe eſſe, ut Bellarminus videtur exiſtimaſſe, inquiens, * *At quis venturus eſt, niſi Chriſtus?* illud eſt, quod cap. 1. 4. legitur, *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt: & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt: & à Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis*, &c. ex quibus aperte conſtat, alium eſſe Jeſum Chriſtum, & alium iſtum, qui appellatur *Is qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*. Adeo ut, cum iſta attributa ſint divinæ eſſentiæ propria, & Deum abſolute & indiſtincte declarent; haud immerito fuerint, qui ex loco iſto collegerint, Chriſtum non pertinere ad ipſam eſſentiam divinam. Quamquam enim reſpondent quidam, Jeſu Chriſti diſtincte mentionem fieri, non quod ipſe quoque non includatur eſſentialiter in illo, de quo antea dicitur, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*, ſed quod propter duplicem ejus naturam divinam & humanam, bis nominandus fuerit, primum ſecundum divinam, deinde ſecundum humanam: Etſi, inquam, ſic reſpondent quidam; tamen hoc nihil eſt, cum gratia & pax, ut ipſis placet, non poſſit dari à Chriſto, nec ejus nomen propter gratiam & pacem conſequendam invocari, niſi quatenus eſt Deus; ut non obſcure affirmat Bellarminus ipſe, Tom. 1. col. 322. A. ex gratia & pace, quam Paulus à Chriſto precatur, colligens, illum eſſe Deum. Unde etiam ſequitur, quod ſi jam, quatenus Deus eſt, vel, ut ipſi loquuntur, ſecundum divinam naturam, precatus fuiſſet Johannes gratiam & pacem à Chriſto; ullus eaſdem res ab eodem aliqua alia ratione iterum precandi relictus fuiſſet locus. Itaque appareret, in illo, qui appellatur *Is, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, nullo pacto Jeſum Chriſtum includi, tantum abeſt, ut ipſe ſolus ea appellatione intelligatur. Quod diſerte monuiſſe volui, ſi forte Bellarminus, & Vujekus dicerent, quamvis affirment illa verba, *Qui venturus eſt*, non poſſe pertinere, niſi ad Chriſtum, non tamen ſe negare, quin Deus quoque Pater ea appellatione *Qui eſt*, &c. includatur; cum illa ad utrumque, diſtincte, pertinere poſſit, diſtinguendo, inquam, attributa iſta, & ad Patrem illa tantum accommodando, quæ ipſi conveniunt, ad Chriſtum vero illud etiam, quod Patri non convenit, nimirum, *Qui venturus eſt*. Satis enim ſe habere, ſi demonſtrent, Chriſtum illa appellatione includi, & conſequenter eſſe illum Deum omnipotentem, de quo tam apud Johannem, quam apud Eſaiam audita eſt illa acclamatio, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. Namque hoc eorum effugium, ipſorum argumentum à mea objectione neutiquam defendit; ſi modo ea recte percipiatur: & conſideretur, me, ne iſtud quidem fieri poſſe, demonſtraſſe, ut Chriſtus appellatione iſta aliquo modo includatur.

Pudebit arbitror Bellarminum, & Vujekum, quod ita loquuti fuerint, quaſi ſolus Chriſtus ibi ſignificetur, quemadmodum illos ſenſiſſe inde etiam apparet, quod infra, in decimo hujus claſſis argumento formando, oſtendunt, ſe velle, in loco ſimili ſup. cap. 1. 8. de ſolo Chriſto ſermonem eſſe. Niſi enim id vellent, argumentum ex loco illo formare non potuiſſent. Pudebit, inquam, illos, quod ita fuerint locuti. Nam ſi id verum eſſet, ſequeretur, Johannem 1. cap. bis gratiam & pacem à Chriſto precatum fuiſſe: à Deo vero Patre, ne ſemel quidem; quo nihil abſurdius, aut à ſacrarum ſcripturarum uſu alienius, ne fingi quidem poteſt. Sed pudeat ſimiliter ipſos, quod conjectura moti tam levi ac futili, ducta ex attributo illo, *qui venturus eſt*, cenſuerint, Chriſtum appellatione iſta contineri. Pudeat, inquam, non ſolum propter jam allatas rationes, ſed etiam propter hanc, quod Chriſtus, ſive agnus, in illa Johannis viſione, diſerte diſtinguitur, & ſic alius eſt ab eo, qui ſedet in Throno; quemadmodum, etiam alibi ſupra attigimus. Nam omiſſis aliis hujus rei probationibus ac teſtimoniis, id evidenter probant verba illa *Sedenti in Throno, & Agno*: præſertim cum in Græco legatur, τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῷ θρόνῳ καὶ τῷ ἀρνίῳ repetitus enim articulus docet neceſſe eſſe, ut alius ſit is, qui ſedet in Throno, & alius, Agnus. Quamvis enim Chriſtus ipſe in eadem Apocalypſi dicat Apoc. 3. 22. ſe ſedeſſe in throno patris ſui; tamen, in illa viſione, nunquam in eo ſedere deſcribitur. Atqui certum eſt, illum, de quo ibi iſta dicuntur, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*, eſſe eundem illum, qui in Throno ſedere dicitur. Ergo Chriſtus diſtinguitur & alius eſt ab eo, de quo iſta dicuntur, *Qui eſt*, &c. Quod autem is, de quo iſta dicuntur, ſit ille idem, qui in Throno ſedet, probatur primum ex primi cap. loco ſuperius allato, ℣. 4, ex verbis, inquam, illis, *in conſpectu Throni ejus*: deinde etiam ex loco ipſo ab adverſariis prolato cap. 4. Statim enim poſt verba ad ipſis recitata, ſubjungitur, *Et cum darent illa animalia gloriam, honorem & benedictionem ſedenti ſuper Thronum*, &c. ubi manifeſte is, qui antea dictus fuerat *Is qui eſt*, &c. poſtea dicitur *Sedens in Throno*. Præterea quomodo fieri poteſt, ut is, qui dicitur Dominus ille Deus omnipotens, ut in loco iſto, quem protulerunt Adverſarii, & ſimiliter cap. 11. 17. (ubi etiam quilibet animadvertet, de uno illo Deo ſimpliciter atque abſolute agi) is dicitur, *qui eſt, & qui erat*, &c. non ſit ille idem, qui in Throno ſedet? An alium quempiam in Throno ſedentem, Johanni, in viſione illa, conſpectum fuiſſe ſuſpicabimur, & non Dominum ipſum Deum omnipotentem? Nimis hoc abſurdum atque adeo impoſſibile eſt.

Verum dicent fortaſſe Adverſarii, Chriſtum ibi, ſecundum humanam naturam tantum conſiderari, cum Agnus vocatur; quod & agni nomen ipſum indicet; Reſpondeo, neceſſe eſſe, ut ſub ipſa agni appellatione Chriſtus in ea viſione, quantus quantus eſt, conſideretur; Ibi enim ut ſupra vidimus, divinus cultus idque magnificentiſſima ratione, Agno tribuitur; qualis cultus Chriſto, quantus quantus eſt tantummodo, & non alio modo, ut concedatur & conveniat, neceſſe eſt. Adde, quod de agno c. 5. 6. dicitur eum habere cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Dei ſpiritus miſſi in omnem terram. Nam præter quam quod hinc alioqui per ſe apparet, Agnum, id eſt, Chriſtum conſiderari cum omni virtute ac potentia ſua; poſſet etiam quis haud injuria ſuſpicari, ſeptem iſtos ſpiritus illos eoſdem eſſe, à quibus Johannes ab initio gratiam & pacem precatur, ſeu mavis, optat; & ſic Chriſtum, cum Agnus vocatur, conſiderari, ut divina poteſtate præditum, & quantus quantus eſt, certiſſimum foret. Quod enim ibi iſti ſeptem ſpiritus dicuntur eſſe in conſpectu Throni, hic vero dicantur miſſi in univerſum orbem: non prohibet, quominus ſint utrobique iidem. Nam & Angelus Gabriel, cum jam miſſus eſſet ad Zachariam, tamen dicit, *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum* Luc. 1. ℣. 19. Certe hac interpretatione oſtenditur, quam merito à ſeptem illis ſpiritibus potuerit Johannes gratiam & pacem precari, ſive optare. Nihil enim ſunt aliud, hac ratione, ſpiritus iſti, niſi Chriſti virtus atque potentia. Nam alibi quoque in ea viſione hoc eſt cap. 3. 1. de Chriſto ſcriptum eſt, quod habet ſeptem ſpiritus Dei. A quo Chriſto etiamſi poſtea nominatim idem precetur; hoc dici jure poteſt declaratio antecedentis precationis. Nam ſæpe, ut in prophanis, ſic etiam atque adeo multo ſæpius in S. litteris, Et pro Id eſt, uſurpatur. Denique verisimile eſt, Johannem à memine gratiam & pacem precatum eſſe, præterquam à Deo Patre, & à Domino Jeſu Chriſto; quemadmodum & Paulus Apoſtolus ſemper in ſuis epiſtolis fecit, & ipſe, in ſecunda ſua epiſtola, ab hac regula non receſſit. Sed de his hactenus.

* Sic etiam loquitur G. Genebrardus lib. 1. de San. Trinitate pag. 126 à quo ſine dubio iſta eſt Bellarminus mutuatus.

Re-

Reſponſio ad VII. Argumentum

Ad Septimum argumentum formandum producitur primum locus Eſa. cap. 8. 13. Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter: & erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſrael in laqueum, & in ruinam habitantibus Hieruſalem, & offendent plurimi & cadent, & conterentur. Deinde ſubjungitur: *Hic ſane apertiſſime (quemadmodum & ipſi Judæi conſenſu, confitentur) ipſe ſummus Deus & Dominus exercituum, vocatur quibuſdam hominibus ſanctificatio, & quibuſdam lapis offenſionis, petra ſcandali, laqueus & ruina.* Demum additur, *Sed hoc ipſum proprie aſſcribunt Chriſto Domino Lucas, Petrus, & Paulus. Nam apud Lucam Simeon ſic de Chriſto loquitur* c. 2. 34. Ecce hic (*Jeſus*) poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem (Vujekus habet, reſurrectionem à mortuis) multorum, *& Rom.* 9. 30. Quid ergo dicemus; quod Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſrael vero, ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offenſionis (*hoc eſt in Chriſtum*) ſicut ſcriptum eſt (addit Vujekus *Iſaiæ* 8. 14.) Ecce pono in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali; & omnis qui credit in eum, non confundetur. *Similiter & divus Petrus 1 Pet.* 2. 3. Vobis eſt honor credentibus, non credentibus autem, lapis offenſionis & petra ſcandali. Ac denique concluditur: *Eſt igitur Chriſtus Dominus ille unus Deus Iſraelis.*

Reſpondeo, Simeonem apud Lucam nec locum iſtum Eſaiæ cap. 8. ut de Chriſto accipiendum, ipſi accommodare, nec illius ullam mentionem facere: ſed tantummodo de Chriſto quædam dicere, quæ ſimilia ſunt eorum, quæ de uno illo Deo Iſraëlis in loco iſto apud Eſaiam dicuntur. Ex quo nullo pacto conſequitur, Chriſtum eſſe illum unum Deum Iſraëlis. Nihil enim verat, quominus duobus, licet alioqui longe diverſis, ſimilia aut eadem etiam eveniant: ſeu quominus de utroque duorum, alioqui longe diverſorum, ſimilia eademve jure dicantur. Plutarchi paralleli, præſertim breviſſimi illi, qui inter ejus opuſcula leguntur, fidem hujus rei vel rudiſſimo homini facere poſſunt. Nihil autem mirum, ſi, quemadmodum ille unus Deus quibuſdam hominibus fuit ſanctificatio, quibuſdam vero lapis offenſionis, &c. Chriſtus fuerit quibuſdam hominibus reſurrectio, quibuſdam vero ruina; licet alius ſit ille unus Deus, & alius Chriſtus: nec ullo modo uterque eandem individuam eſſentiam habeat. Quemadmodum enim uni illi Deo adhærere & obedire oportet, & qui hæc facit, felix evadit, qui vero non facit, ruit in interitum; Sic Chriſto adhærere & obedire eſt opus; & ſi quis hæc præſtet, ab omnibus ſuis malis & miſeriis in quibus jacebat, liberatur atque erigitur; ſin minus, interit prorſus: & quidquid bonorum aut felicitatis habet, aut ſibi habere videtur, perdit omnino, & cum ſummis malis ac miſeriis commutat. Talis eſt enim illius unius Dei voluntas, ut ſcilicet, qui credit in Chriſtum (quod revera aliud nihil eſt, quam illi adhærere eique obedire) habeat vitam æternam, Johan. 6. 40. quemadmodum etiam, ex altera parte, ira Dei manet ſuper illum, qui Chriſto non paret, Joh. 3. 36. Vides ſimilitudinem iſtam inter illum unum Deum, & Chriſtum, non ab identitate eſſentiæ & individuæ naturæ, ſed à voluntate illius unius Dei proficiſci.

Locus Pauli ad Rom: oſtendit tantum, verba, quæ Eſaiæ cap. 8. de illo uno Deo dicuntur, ad Chriſtum accomodari poſſe, dum ea tanquam ſi de Chriſto dicta fuiſſent, adjungit verbis ejuſdem prophetæ cap. 28. quem locum revera citat, & merito de Chriſto exponit. Ibi enim ſine dubio eſt prædictio de Chriſto. Quocirca non ſatis fideliter ſe geſſit Vujekus, cum præter id, quod factum fuerat à Bellarmino, poſt illa Pauli verba, *ſicut ſcriptum eſt*, interſeruerit, Iſaiæ 8. 14. quaſi locum iſtum præcipue citet Paulus, eumque de Chriſto exponat; cum tamen ipſa prima verba recitati ab ipſo loci aperte doceant, Paulum, non iſtum, ſed illum alterum cap. 28. revera citare: nempe quia, ut dictum fuit, in eo certum eſt de Chriſto agi: in iſto vero, non item. Quod ſi nihilominus iſtius loci verba in eum tranſfert, quem citat, perinde acſi ibi ſcripta eſſent; nihil tamen aliud eſt intelligendum, quam poſſe, ut antea diximus, ea Chriſto accommodari. Neque aliter accipienda ſunt verba Pauli, dum ipſum locum recitat, quam ſi manifeſte fateretur, ſe, propterea quia Chriſtus in eo loco lapis vocatur, hinc ſumpſiſſe occaſionem huc transferendi ipſique accommodandi illa, quæ, ſub hac eadem lapidis metaphora, alibi idem propheta de ipſo Deo dixit; nempe quia hæc eadem in Chriſto quoque eveniant.

In loco Petri accommodatio iſta ad Chriſtum, non autem de Chriſto ipſo expoſitio, eo minus eſt obſcura, quod etiamſi verba illa, de illo uno Deo apud Eſaiam dicta, ibi commemorantur una cum aliis, quæ de Chriſto apparet dicta fuiſſe; non tamen illis interſeruntur; ſed diſtincte ab illis ponuntur, & ſic, inſpecto loco, unde illa ſumuntur, haud difficile eſt agnoſcere ea à Petro non de Chriſto ipſo exponi, ſed tantummodo ad ipſum accommodari.

Hanc utriuſque Apoſtoli mentem fuiſſe, nec aliud præterea de ipſis hac in re affirmari poſſe, unicuique pio atque erudito homini probatum iri ſperamus; præſertim, cum certum ſit, iſta, quæ de illo uno Deo apud Eſaiam prædicantur, multo ante Chriſti adventum & ejus tempora impleta fuiſſe. Eſt enim ibi prædictio de utriuſque domus Iſraelis captivitate, quarum altera, id eſt, decem tribuum, jam inſtabat, & propterea pluribus verbis paulo ante eodem cap. aperte prædicta fuerat; Altera vero, id eſt, tribus Judæ & Benjamin captivitas, ut pote, quæ plurimis annis poſt futura erat, brevius & obſcurius (urbe ipſa tamen Hieruſalem nominata) in iſtis ipſis verbis, quæ de illo uno Deo dicuntur, prænunciata fuit. Nec quiſquam affirmare poteſt, iſtam prædictionem figurate ad Chriſti quoque tempora pertinere: quamvis paulo poſt ſint ibi ſcripta verba illa *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus*, &c. quæ myſtice ad Chriſtum, qui ita loquatur, ſpectare, docet nos auctor epiſt. ad Hebr. cap. 2. Nihil enim ibi impedit, quominus ſuperiora tamen ſolum ad ea tempora pertineant, quibus captivitates illæ evenerunt. Immo, ita ſentiendum eſſe, demonſtrant verba proxime iſtis præcedentia, quæ ad Chriſti tempora ſpectare faſſi ſumus. Sic enim ibi legitur: *Et expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à domo Jacob, & præſtolabor eum.* Et ſtatim ſubjungitur, *Ecce ego & pueri*, &c. Hinc ſiquidem apparet, iis malis, quæ antea utrique domui Iſraelis prænunciata fuerant, propter quæ poterat dici Deus abſcondiſſe faciem ſuam à Jacob, poſt aliquod tempus, quo Dei clementia expectata eſt, Chriſti adventum ſucceſſiſſe.

Reſponſio ad VIII. Argumentum.

Octavum argumentum ita ſe habet: Eſa. 40. 3. *ſcriptum eſt*: Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. *Hæc quidem Eſaias de Deo Iſraelis dicit. Nullum enim alium Judæi abſolute Dominum & Deum ſuum vocabant, præter ſolum verum Deum; Præſertim vero Prophetæ, & alii ſancti homines. Et tamen hæc vox, de qua Eſaias loquitur, nullus alius fuit, niſi Johannes Baptiſta, qui viam parævit Chriſto Domino, quemadmodum teſtantur omnes Euangeliſtæ, Mat.* 3. 3. *Mar.* 1. 3. *Luc.* 1. 76. *Joh.* 1. 23. *Eſt igitur Chriſtus, ille Dominus & Deus Iſraelis, quem Adverſarii faciunt ſolum Patrem.*

Hoc argumentum duo habet vitia, quæ illud Jeſuitis hominibus, qui eruditione pollent, & in Dialectica

ctica ſunt bene exercitati, plane indignum reddunt. Unum vitium eſt, quod conſtat, ut loquuntur, ex puris particularibus. Pro eo enim, quod dici omnino in eo debuerat, Johannem non paraviſſe viam, niſi Deo Iſraelis; & ſubjungi, illum paraviſſe viam Chriſto, dicitur, Johannem paraviſſe viam Deo Iſraelis, & eundem Chriſto viam paraviſſe; & hinc concluditur, quod Chriſtus ſit Deus Iſraelis. Quaſi vero neceſſe ſit, ut Johannes uni tantum viam paraverit, aut ſaltem, ſic factum fuiſſe, inter omnes conſtet. Alterum argumenti vitium eſt, quod conſtat ex quatuor terminis, ut ajunt. Medius enim terminus qui in propoſitione eſt, Clamare, Parate viam Domino, in aſſumptione eſt, Parare viam Domino. Unde apparet, ex argumento iſto nihil poſſe concludi. Aliud enim eſt, Parare viam; aliud vero, Clamare, Parate viam. Quare facile fieri potuit, ut Johannes ipſe uni paraverit viam, alii vero alios parare juſſerit; modo unius via alterius viam non impediat, nec illi ullo modo adverſetur. Quanto igitur magis, ſi una & eadem ſit utriuſque via? qualis certe eſt illius unius Dei Iſraelis, & Chriſti via. Itaque optime fieri poteſt, ut alioqui alius ſit ille unus Deus Iſraelis, & alius Chriſtus; & tamen Johannes illi uni Deo Iſraelis viam parare, alios juſſerit: ipſe vero Chriſto viam paraverit.

Hæc ſatis in præſentia erunt pro reſponſione ad octavum iſtud argumentum. Nam ſi quid in eo, quando recte formatum fuerit, vis aut efficaciæ eſſe poteſt; ea tota continetur ultimo argumento 1. hujus claſſis. Ad quem locum ubi pervenerimus dabo operam, ut & huic, & illi pleniſſime per me, Deo dante, ſatisfiat.

Reſponſio ad IX. Argumentum.

Nonum argumentum tale eſt. Eſa. 45. 23. *ſic ait Dominus Deus Iſraëlis*; Ego Deus, & non eſt alius. Juravi per memetipſum quod mihi curvabitur omne genu. *Verum hoc idem Paulus dicit de Chriſto, Rom.* 14. 10. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim, Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu. *Et ſic, ſecundum hoc Apoſtoli teſtimonium, Chriſtus eſt ille Deus, præter quem non eſt alius Deus.*

Reſpondeo, hic quoque aperte argumentum conſtare ex quatuor terminis. Quo ejus vitio explicando, omnis vis argumenti eadem opera diſſolvetur. In propoſitione igitur medius terminus revera eſt Omne genu alicui curvari, In aſſumptione vero, Omnes ſtare ante tribunal alicujus. Atqui aliud eſt, curvare genua alicui, aliud vero, ante tribunal ejus ſtare, & poteſt quis uno & eodem tempore uni curvare genua, & ante tribunal alterius ſtare. Veluti ſi Rex aliquis, cui præſenti genua omnes flectere ſemper debeant, præſens eſſe velit, cum coram tribunali Judicis à ſe delegati cauſſæ judicantur; an non, qui venient, ut ab iſto delegato judice cauſſæ ſuæ judicentur, uno & eodem tempore & ante judicis iſtius tribunal ſtabunt, id eſt, apparebunt, ſeſeque tribunali illius ſubjicient, & Regi præſenti genua curvabunt? Nonne ex eo, quod ſtent ante tribunal judicis iſtius, conſequetur neceſſario, quia Rex perpetuo ſit præſens, ut Regi genua flectant? nec tamen ulla prorſus ratione inde ſequetur, judicem iſtum eſſe unum & eundem cum ipſo Rege. Applicemus hoc exemplum ad rem noſtram; & interim, quid revera ex Pauli verbis colligi poſſit, explicemus, atque Adverſarios perperam colligere doceamus. Certum eſt, Chriſtum in munere mundi judicandi, eſſe judicem à Deo delegatum: per quem, videlicet, Deus mundum judicare conſtituerit. Id enim expreſſe affirmat Paulus Act. 17. 31. Hinc ſequitur, quod cum Chriſtus in tribunali ſuo ſedebit, mundum judicaturus, ibi Dei majeſtas vehementiſſime & clariſſime, immo magis quam unquam antea, elucebit: & conſequenter ab iis, qui ante iſtud tribunal ſtabunt, agnoſcetur & approbabitur. Itaque iſtis Deus, ut mortalibus eſſe poteſt, plane erit præſens. Præſente autem Deo, genua ipſi flectenda eſſe, nemo eſt qui neget. Ergo, qui ante Chriſti tribunal ſtabunt, genua Deo flectent. Stabunt autem omnes. Omne igitur genu ſe Deo flectet tunc, cum ante Chriſti tribunal ſtabitur. Atque hoc pacto verba illa ipſius Dei apud Eſaiam, de curvando ſibi omni genu, ad effectum perducentur. Vides, concluſum eſſe id ipſum quod Paulus concludere voluit, idque ea ratione, quæ in verbis ipſius expreſſa eſt: nec tamen neceſſe fuiſſe ſtatuere, quod Chriſtus ſit ipſe Deus, idve pro conceſſo ſumere, immo ea fuiſſe dicta, quæ omnino arguunt, Chriſtum non eſſe ipſum Deum. Quod ut melius appareat, explicemus paulo apertius, quomodo verum ſit, quod diximus (ne quiſquam arbitror auſus fuerit negare) Chriſto, ad univerſum orbem terrarum judicandum, pro tribunali ſedente, Dei majeſtatem ſplendidiſſime ſe patefacturam. Chriſtus, ut ante attigimus, quatenus judex erit totius orbis, Dei ipſius perſonam ſuſtinebit; licet ipſe, ut homo, judicium iſtud ſit peracturus. Paulus enim ſupra citato loco Act. 17. virum ſimpliciter eum appellat; & clarius id Chriſtus ipſe indicavit, cum dixit, Patrem dediſſe poteſtatem Filio faciendi judicium, quia filius hominis ſit, Joh. 5. 27. Conſtat igitur, Chriſtum Dei nomine & auctoritate mundum judicaturum. Unde quidquid majeſtatis in judicio iſto erit, id totum ad ipſum Deum præcipue referetur. Summa vero majeſtas in eo conſpicietur, quod univerſus orbis illi tribunali ſubjiciatur, indeque in ipſum ſententiæ ferantur, vel beatæ immortalitatis, vel ſempiterni interitus, eaque ipſiuſmet judicis juſſu ac poteſtate, executioni ſtatim in omnium conſpectu mandentur. Aderunt præterea angeli creaturæ excellentiſſimæ hujus judicii adminiſtri, quorum cura & officium erit ſententias exequi, contra impios & injuſtos homines latas; ut aperte colligitur ex eo, quod legitur ab ipſo Chriſto dictum Mat. 13. 41, 42, 49, 50. In quod propter ipſorum angelorum ſummam, ut dixi, excellentiam, ſine evidente inſignis majeſtatis expreſſione fieri non poterit. Quid plura? ipſe Chriſtus dixit, ſe tunc venturum cum virtute multa & majeſtate Mat. 24. 30, & Mat. 16. 27, cum ſui patris gloria; quo nihil majus dici poteſt. Univerſam autem hanc majeſtatem ad ipſum Deum præcipue referendam eſſe, nec Chriſtum eſſe ipſum Deum, ſatis docuit ipſe Chriſtus Mat. 26. 64, cum ait, viſum iri filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.

Demonſtratum eſt, ut arbitror, ex loco Pauli Rom. 14. 10, 11. nullo modo poſſe colligi, Chriſtum eſſe illum unum Deum Iſraëlis. Quippe quod ibi non dicatur id, quod aſſumendum in argumentatione iſta fuiſſet, videlicet, Chriſto curvatum iri omne genu; ſed tantum, omnes ſtaturos ante tribunal Chriſti. Quamvis enim alibi dicatur Phil. 2. 10, Deum velle, & curaſſe, ut omne genu ſe in nomine Jeſu flectat; tamen hoc nihil ad præſentem locum, ex eoque ab Adverſariis ductam argumentationem; niſi quatenus, etiamſi in loco, de quo agitur, Paulus dixiſſet, omne genu Chriſto curvatum iri, & ſic argumentatio illa vitio careret quatuor terminorum; nihilominus tamen, vel ex iſto alio Pauli teſtimonio oſtendi poteſt, nihil ejus, quod Adverſarii volunt, iſta argumentatione concludi, ut mox dicemus.

Finge enim ſic ſe rem habere, id eſt, Paulum dixiſſe, Chriſto omne genu curvatum iri, ſeu, quemadmodum Bellarminus, quaſi reſipiſcens, eum poſtea loquentem inducit, Chriſto omnia genua flectenda eſſe, pro eo, quod dixit, omnes ſtaturos ante tribunal Chriſti. Nunquid hinc neceſſario ſequetur, Chriſtum eſſe illum ipſum Dominum, qui apud Eſaiam dixit, Mihi curvabitur omne genu, quia videlicet Paulus ex hoc Eſaiæ loco, iſtud de Chriſto concludat? Nullo pacto. Nam, cum ex ejuſdem Pauli clariſſimis verbis, quæ alibi id eſt Philip. 2. ſcripſit, apertiſſime conſtet, hoc, quod Chriſto omne genu curvari aliquando debeat, ex illius unius Dei dono profectum eſſe: & ſic, Chriſtum, hac in re, ut in aliis omnibus, totum ab illo uno Deo pendere, &, hujus ipſius rei ratione, ab

tino illo Deo diſtingui; neceſſe eſt, Chriſtum, etiam quatenus omne genu illi curvari debet, illi uni Deo ſubordinatum eſſe; ita ut quicumque Chriſto genua flectit, illi uni Deo genua flectat. Ex quo conſequitur, jure potuiſſe Paulum affirmare, impletum iri vaticinationem illam apud Eſaiam de curvando illi uni Deo omni genu, hac ratione; quod Chriſto omne genu curvabitur; etiamſi Chriſtus non ſit ille unus Deus. Hinc apparet, quam nihili ſit reſponſio Bellarmini à Vujeko hic addita, ſed non bene expreſſa, ad rationem, quæ ex iſto loco ad Philip. 2. cap. elici poteſt contra ipſius argumentationem. Si modo ratio iſta ita explicetur, ut nos illam explicabimus. Jam enim, ſola ejus explicatione, refutata eſt Bellarmini reſponſio, quæ tota in hoc conſiſtit, quod Paulus non modo dixerit, Chriſto flectenda eſſe omnia genua, verum etiam addiderit, id ſcriptum eſſe, & locum Eſaiæ citaverit, ubi Deus Iſrael loquitur de ſe. Quanquam eſt præterea animadvertendum, Paulum non dixiſſe, ſcriptum eſſe, id tribuendum Chriſto, quod ipſe commemorat: ſed tantummodo, ſe propterea id commemorare quia ſcriptum ſit, *Vivo ego*, &c.

Sed Bellarminus, animadvertens, ut arbitror, ſe hactenus ad rationem iſtam ex Pauli loco ad Philip. 2. ductam nihil revera, quod ſolidum eſſet, reſpondiſſe; quaſi de eo loco nondum actum fuiſſet, ſubjicit To. 1. col. 287. A. hæc verba: *Neque obſtat, quod dicitur Philip.* 2. Dedit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen; *nam juxta commentarium Ambroſii, Pater dedit Filio nomen ſuper omne nomen per æternam generationem, juxta alios omnes, dedit homini Chriſto poſt reſurrectionem nomen ſuper omne nomen, id eſt, nomen veri Dei, non quod antea id non haberet, ſed quod non cognoſcebatur; Deus autem ita clarificavit eum, ut totus mundus noverit, hominem illum crucifixum eſſe verum Deum.*

Reſpondeo, interpretationem iſtam ſecundum commentarium Ambroſii nullius refutationis indigere, cum ex ipſius Pauli verbis manifeſtum ſit, Paulum agere de Chriſti exaltatione poſt mortem crucis, & per hanc mortem ab ipſo Chriſto præſtitam obedientiam. Aliorum vero omnium, ſcilicet Patrum (in quo non parum falli Bellarminum arbitror, qui ita affirmet) alteram interpretationem vaniſſimum effugium eſſe dico. Rogo enim, quomodo ante reſurrectionem & mortem habebat Chriſtus homo nomen iſtud ſupra omne nomen? Neceſſe eſt, ut reſpondeant, per hypoſtaticam unionem naturæ divinæ cum humana, ab ipſo conceptionis momento in virginis utero. Atqui cum iſta natura divina, ut illis placet, eſſet ipſe ille unus Deus, quomodo quæſo fieri potuit, ut Chriſtus homo indigeret ulla clarificatione & manifeſtatione nominis ſui, ab alio præſertim petenda, quam à ſemetipſo? An non, ſine ullo alterius perſonæ dono, ſi ipſe ille unus Deus erat, neceſſario ſuo tempore clariſſimum & manifeſtiſſimum ejus ſupremum nomen futurum erat? An non, ſi hic nihilominus aliqua actione, præter ſolam ipſius voluntatem, opus erat, non poterat ab ipſomet, qui in ſe omnia habebat, actio iſta proficiſci? Diſerte enim, ut audivimus, Bellarminus una cum Patribus, quorum videlicet interpretationem omnino probat, fatetur, Patrem Chriſti, illum fuiſſe, qui ipſi Chriſto homini dedit nomen ſupra omne nomen; & ſic ab alia perſona, quam à ſua ipſius, agnoſcit, Chriſtum clarificationem iſtam & manifeſtationem ſui nominis habuiſſe. Quod, ut diximus, plane abſurdum, atque adeo impoſſibile cenſendum eſt, ſi jam antea ipſe Chriſtus erat ille unus Deus.

Sed addit Bellarminus confirmationes iſtius, ſuæ & Patrum interpretationis. Statim enim ſubjungit: *Et quod hic locus de manifeſtatione nominis intelligi debeat, patet, quia Chriſtus id petiit, Joan.* 17. Pater clarifica me claritate, quam habui apud te priuſquam mundus fieret. *Præterea Philip.* 2. *id explicatur, cum dicitur*: Et omnis lingua confiteatur, &c. *Denique etiam ante mortem Chriſtus dicebatur Filius Dei vivi, Matth.* 16. *& Joh.* 11. *& paſſim dicebatur Dominus Joh.* 13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim. *Non igitur propter mortem acquiſivit nomen Filii Dei, aut nomen Domini, ſed manifeſtationem ejus.*

Reſpondeo, Chriſtum Joh. 17. loqui de gloria ſibi à Patre ante conditum mundum deſtinata, non autem, quam jam tum re ipſa haberet, præſertim ut æternus & unus ille Deus; quemadmodum ipſemet Chriſtus ſatis in ipſa eadem precatione ad Patrem poſtmodum declarat, inquiens ℣. 24. *ut videant claritatem, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Explicat Chriſtus, cur dixiſſet, ſibi datam fuiſſe claritatem à Patre: nempe quia ab ipſo dilectus fuerat ante conſtitutionem mundi. Non igitur quia, per æternam ex illius ſubſtantia generationem, eam ab ipſo habuiſſet. Nam quis non videt, *Quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem*, idem eſſe, quod, Quia ante mundi conſtitutionem me ſummo beneficio afficere, id eſt, clarificare decreviſti? Idem Chriſtus dicit, ſe claritatem ſibi datam à Patre, dediſſe diſcipulis ſuis, ibidem ℣. 22. Nunquid Chriſtus diſcipulis ſuis dedit claritatem illam unius æterni Dei, aut jam tum alia ratione claritatem ſuam illis dederat, quam promiſſione & deſtinatione? Certe Auguſtinus, qui maximæ auctoritatis, præſertim in hac de Chriſti divinitate quæſtione, apud noſtros omnes Adverſarios ſemper fuit, non aliter atque nos facimus, Chriſti verba illa accipit à Bellarmino allata. Et quia, dum illa explicat, quædam ſimul dicit, quæ ipſam explicationem confirment, non gravabor hic illius verba, licet ſatis multa, adſcribere. Scribens igitur in ea Chriſti verba, Claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet apud te, *Ordo*, inquit, *verborum eſt*, quam habui apud te, priuſquam mundus eſſet. *Ad hoc valet, quod ait*, Et nunc clarifica me. *Hoc eſt ſicut tunc, ita & nunc; ſicut tunc prædeſtinatione, ſic & nunc perfectione. Fac in mundo, quod apud te jam fuerat ante mundum; fac in ſuo tempore, quod ante omnia tempora ſtatuiſti.* Et paulo poſt: *Si enim de nobis dixit Apoſtolus*, Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, *cur abhorrere putatur à vero, ſi tunc Pater caput noſtrum glorificavit, quando nos in ipſo, ut membra ejus eſſemus, elegit? Sic enim nos electi, quomodo ipſe clarificatus, quia, priuſquam mundus eſſet, nec nos eramus, nec ipſe mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus.* Tandem vero concludit: *Secundum hanc ergo prædeſtinationem* (proxime enim ante probaverat, Chriſtum, ut hominem, non ſecus ac nos, fuiſſe prædeſtinatum à Deo) *etiam clarificatus eſt, antequam mundus eſſet; ut eſſet claritas ejus ex reſurrectione mortuorum apud Patrem, ad cujus dexteram ſedet. Cum ergo videret, illius prædeſtinatæ ſuæ clarificationis veniſſe jam tempus; ut & nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædeſtinatione jam factum, oravit dicens.* Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te. *Tanquam diceret, Claritatem, quam habui apud te, in prædeſtinatione tua, jam tempus eſt, ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua.* Hactenus Auguſtinus; in cujus verbis animadvertere oportet, nomen Redditionis ſumi pro rei quaſi debitæ præſtatione (idque Latine & eleganter, quod attinet ad verbi Reddendi ſignificationem) non autem pro reſtitutione ejus, quod ante reipſa haberetur. Alioqui contra ſuam ipſius ſententiam locutus fuiſſet. Vult enim, ut ex toto loco patet, illos erroris coarguere, qui volebant, Chriſtum potuiſſe dicere, ſe, ut hominem, claritatem iſtam ante mundum conditum apud Patrem habuiſſe. Nec vero Bellarminus ipſe poteſt Chriſti verba aliter accipere, quam de ipſo Chriſto homine: cum manifeſte ea citaverit, dum agitur de nominis claritate Chriſto homini data, quam vult eum reipſa habuiſſe omnem ante reſurrectionem, licet nondum patefactam. Verum nunquid Chriſtus homo ante conditum mundum claritatem ullam habuit, niſi in prædeſtinatione?

Sequitur alia confirmatio interpretationis Patrum & Bellarmini, illius Paulini loci, ex ejuſdem loci verbis illis petita, *Et omnis lingua confiteatur*: &c. Debilis omnino confirmatio; quaſi non poſſit quis confiteri id, quod

quod tunc primum extiterit: & quaſi in Sacris Literis verbum Confiteri paſſim non idem ſignificet, quod Palam affirmare ſeu profiteri. Ita ut falſis etiam rebus interdum accommodetur: ut Tit. 1. 16. *Confitentur ſe noſſe Deum*, id eſt, *Palam affirmant*, ſeu *profitentur*, *ſe noſſe Deum*; cum tamen iſti Deum revera non noſſent. Sequitur enim *factis autem negant*, *cum ſint abominati*, *& inobedientes*, *& ad omne bonum opus reprobi.* Johannes autem in ſua prima Epiſtola ait 1 Joh. 2. 44. 8, eum eſſe mendacem, qui dicat, ſe noſſe Chriſtum, & præcepta ejus non ſervet, & illum minime Deum noſſe, qui charitate non ſit præditus. Nihil igitur aliud eſt apud Paulum, *Et omnis lingua confiteatur*, quam, *Et omnis lingua palam affirmet*, ſeu *profiteatur*. Quæ verba optime ac rectiſſime ea de re dici poſſe, quæ antea non eſſet, nemo unquam negabit.

Jam quod Bellarminus addit, Chriſtum etiam ante reſurrectionem appellatum fuiſſe filium Dei vivi & Dominum, hoc ad præſentem diſputationem proprie non pertinet: ubi non quæritur de nomine Filii Dei, aut de nomine Domini, ſed de adoratione Chriſto abomnibus rebus creatis debita, & potuit Chriſtus merito filius Dei vivi, & Dominus appellari etiam tum, cum adoratio iſta illi non deberetur. Jam vero ab angelis ante ipſius reſurrectionem non debebatur Chriſto adoratio, cum certum ſit, angelos nondum fuiſſe illi ſubjectos, ut poſtea oſtendam. Verum eſt tamen, alia, id eſt, præſtantiore ratione fuiſſe Chriſtum reipſa filium Dei ac dominum poſt reſurrectionem & exaltationem ſuam, quam antea erat; ut explicabimus ad finem reſponſionis ad primum argumentum tertiæ claſſis, & propterea, quod attinet ad Domini nomen, leguntur hic apud Paulum illa verba, *Et omnis lingua confiteatur, quod Ieſus Chriſtus* [*eſt*] *Dominus*, *ad Dei Patris gloriam*; ut quidem habent Græca exemplaria. Nam Latina habent, *quia Dominus Ieſus Chriſtus eſt in gloria Dei Patris.* Ex quo etiam apparet, in ſuperiore confirmatione, & in ſententia iſta citanda Bellarmini aſtus: qui non recitavit niſi prima illa verba, *Et omnis lingua confiteatur*; ne, ſi omnia recitaſſet (quod illi ſecundum Latina exemplaria faciendum erat) conſtaret, ſententiam iſtam nihil prorſus ejus cauſſam juvare, immo ei non parum nocere. Apparuiſſet enim, Paulum ibi agere de ipſa re, quæ antea non fuiſſet, non autem de manifeſtatione rei. Nemo enim præter Bellarminum, & quoſdam alios, neſcit, in gloria Dei Patris Jeſum Chriſtum non fuiſſe, niſi poſt reſurrectionem & in cœlum aſcenſionem.

Mirum eſt ſane, Bellarminum, & quemcunque alium ante ipſum, clariſſima Pauli verba, quibus diſertiſſime teſtatur, Jeſum Chriſtum, propter ſuam obedientiam uſque ad mortem crucis, à Deo fuiſſe mirum in modum exaltatum, dato illi nomine, quod eſt ſupra omne nomen, ita, interpretando corrumpere auſos fuiſſe, ut Paulum contrarium ejus, quod dicit, dicentem faciant, id eſt, Deum nec revera exaltaſſe Chriſtum, nec dediſſe illi ſummum iſtud nomen propter ejus obedientiam uſque ad mortem crucis; quippe cum, ſecundum eorum hujus loci interpretationem, Chriſtus iſta jam ante mortem haberet. Sed bene habet, quod non modo locus ipſe ita clarus eſt, ut iſtis impiis & in Deum contumelioſis interpretationibus non ſit obnoxius; verum alia apertiora etiam divina teſtimonia eadem de re habemus, quale eſt illud ejuſdem Apoſtoli ad Epheſ. cap. 1. 20. & deinceps uſque ad finem cap. ex quo apertiſſime conſtat, Chriſtum, poſtquam illum Deus à mortuis excitaſſet, conſtitutum ab ipſo fuiſſe ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſupra quamcumque aliam rem creatam, quantavis poteſtate aut dignitate præſtantem: nominatim vero ſupra ipſos angelos omnes; quos propterea apparet antehac non fuiſſe illi ſubjectos, ut paulo ante dicebamus, ſed tunc eſſe cœpiſſe, cum Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam profectus eſt in cœlum, id quod diſerte Petrus teſtatur inquiens de illo, *Profectus in cœlum*, *ſubjectis ſibi* (id eſt *ipſi*) *angelis*, *& poteſtatibus*, *& virtutibus.* Nonne id ſolum, quod Chriſtus poſt reſurrectionem cœperit, profectus in cœlum, ſedere in dextera patris ſui, ſive Dei, quod pluribus teſtimoniis ſacris confirmatur Mar. 16. 19. Act. 2. 34. Epheſ. 1. 20. Hebr. 1. 3, ſatis ſuperque eſſe deberet ad oſtendendum, Chriſtum ante reſurrectionem ſuam ſuprema potentia & majeſtate illa divina minime fuiſſe præditum? Senſit hoc Bellarminus alibi, id eſt To. 1. col. 496. B. & propterea audacter, quamvis fateatur, Chriſtum dici ſediſſe à dextris Dei poſt aſcenſionem, tamen ait id factum fuiſſe in ipſa incarnatione: ſed nihilominus idcirco dici ſediſſe poſt aſcenſionem, quia tunc primum perfecte innotuit gloria & majeſtas illius hominis, & ad hoc probandum citat hunc locum ad Philip. 2. Egregia ſane probatio, cum in hoc loco, ut vidimus, nullum ſit indicium iſtius perfectæ patefactionis: ſed tantum diſertis verbis datio ſupremi nominis, id eſt, poteſtatis & majeſtatis commemoretur. Vix credo; ullum ex antiquioribus eſſe, qui non fateatur, Chriſtum hominem tum primum revera in dextera Dei ſediſſe, cum poſt reſurrectionem tranſlatus eſt in cœlum, & tum primum, ut hominem, ſupremam illam potentiam & majeſtatem fuiſſe adeptum. Iſtamque Bellarmini, & eorum, quos ipſe ſecutus fuerit, ſummam in hoc negando audaciam vehementer miror. Præſtitiſſet, ſi effugere volebat Bellarminus vim argumenti à ſeſſione in dextera Dei ducti, ad probandum quod Chriſtus homo revera ante reſurrectionem ſuprema illa potentia & majeſtate non fuerit præditus, ut Sedere ad Dei dexteram interpretaretur, perfecte notam fieri potentiam ac majeſtatem iſtam. Sed ipſemet To. 1. col. 495. B. ait, probabiliorem ſenſum articuli illius, *Chriſtus ſedet à dextris patris*, hunc eſſe, id eſt, pari potentia & honore regnat, judicat & gubernat omnia cum ipſo Patre. Hæc autem ipſe Chriſto homini tribuit ab ipſa incarnatione, & idcirco contra apertiſſima Sacrarum Literarum teſtimonia, quæ ipſemet ſic loqui, inficiari non potuit, coactus eſt negare, Chriſtum poſt aſcenſionem in Dei dextera ſedere cœpiſſe. Sed de his jam hoc loco ſatis.

Reſponſio ad X. Argumentum.

Decimum argumentum à Bellarmino conciſe admodum & obſcure aliatum, ſic format & explicat Vujekus, Iſaiæ 41. 4. XLIV. 6. XLVIII. 12. Ego ſum primus, Ego ſum noviſſimus. *Hoc dicit ſcriptura admodum frequenter de Deo Iſraëlis. Divus autem Iohannes hoc idem tribuit Chriſto Apocal.* 1. 8. Ego ſum Alpha & Omega, *& infra* ℣. 17. Ego ſum primus & noviſſimus, & vivens & fui mortuus. *Et ſic Chriſtus Dominus eſt ille verus & unus Deus*, *ante quem non fuit ullus alius Deus*, *neque poſt ipſum erit.*

Reſpondeo, Aut iſtud, quod Chriſtus in Apocalypſi de ſe ipſo dicit, habet per ſeipſum hanc vim, ut oſtendat, eum eſſe illum unum verum Deum: aut non habet. Si habet, nihil attinuit, aut certe nihil neceſſe fuit ad argumentum formandum, afferre loca illa Eſaiæ, ubi hoc idem de Deo Iſraëlis dicitur. Quodſi non habet, ut is qui argumentum hoc prius formavit, videtur ſenſiſſe, & ſic ſentiri debere, deinceps oſtendemus; jam non ſatis eſt, ad argumentum concludendum, docere, hoc idem de Iſraëlis Deo dici. Nihil enim vetat, quin unum & idem de diverſis dici poſſit. Sed oſtendere oportet, vel ubi de Deo dictum eſt, dictum ſimul aut indicatum fuiſſe, id de ipſo Deo tantum dici poſſe: vel, ubi de Chriſto dicitur, haberi relationem ad eum locum, ubi de Deo dictum fuit; ita ut is locus de Chriſto exponatur, aut ſaltem ad ipſum accommodetur. Verum neutrum iſtorum oſtenditur, aut per ſe ullo modo apparet; quidquid Bellarminus col. 287. C. dicat, Johannem ad verba Eſaiæ reſpexiſſe, nulla ratione id probans, & interim non leviter errans, dum ea verba Johanni tribuit, quæ ſunt Chriſti. Sed ſingamus, fieri non poſſe, ut unum & idem de diverſis dicatur. Adhuc reſtabit

probandum eodem ſenſu dictum fuiſſe de Chriſto, quod ſit primus & noviſſimus, quo dictum prius fuerat de Deo. Nam ſi diverſo ſenſu dictum fuerit; jam non erit unum & idem de utroque dictum. Non enim in iiſdem verbis, ſed in eodem ſenſu, rei (ut ſic dixerim) identitas conſiſtit. Et ſane iſtius argumenti propterea nulla vis eſſe poteſt, quia nihil impedit, quominus in alio ſenſu dictum fuerit de Deo, quod ſit primus & noviſſimus, & alio, de Chriſto.

Sed dicet aliquis, immo iſta verba unum tantum ſenſum habere poſſe, eumque ejuſmodi, ut ad illum unum Deum tantum accommodari queat. Quid enim aliud eſt, eſſe primum & noviſſimum, quam, eſſe principium & finem rerum omnium? Hoc autem certum eſt de uno illo Deo tantum dici poſſe.

Reſpondeo primum, Si ita quis argumentari velit, non fuiſſe hoc argumentum in hac prima claſſe recenſendum, ſed in quarta, aut quincta, ubi de nominibus, & attributis Dei agitur, quibus Chriſtus inſignitus ac decoratus fuerit. Deinde dico, verum quidem eſſe, iſtorum verborum iſtum eſſe ſenſum, ſi ſimpliciter atque abſolute accipiantur, ſed nego, cum de Chriſto dicuntur, ſimpliciter atque abſolute accipi. Nam quod Bellarminus ait, inde conſtare, verba iſta abſolute accipienda eſſe, quod Chriſtus ibi dicitur Alpha & Omega. Iſtæ enim abſolute ſunt prima & ultima litteræ. Primum animadvertendum eſt in vulgata editione cap. 1. Apoc. à Bellarmino citato non dici Chriſtum Alpha & Omega. Sed illum unum Deum tantum, idque ℣ſ. 8. quem Vujekus expreſſe citavit. Etenim quod ipſi volunt, ibi Chriſtum eſſe, qui loquatur, quia de eo dicitur, quod venturus ſit; refutatum eſt hoc ſupra in reſponſione ad alterum argumentum una cum ſexto argumento allatum. Et certe ſi ibi de Chriſto ſermo eſſet, jam viciſſent Adverſarii; nec opus eſſet, ut iſto argumento uterentur ſumpto ab Alpha & Omega, quo nomine ſe ibi Chriſtus appellet. Fateor tamen, alibi in eadem Apocalypſi, ſecundum ipſam vulgatam editionem, Chriſtum vocare ſe Alpha & Omega; id eſt, cap. 22. 13. quem locum Adverſarii minime animadverterunt; illum enim ſine dubio citaſſent. Verum deinde conſiderandum eſt eſſe hic fallaciam ſatis evidentem. Neque enim Alpha & Omega ſunt abſolute, illud primum, hoc ultimum: ſed, ut Bellarminus in ſua ratiocinatione coactus eſt fateri, illud prima, hoc vero ultima litterarum; idque non revera abſolute, ſed tantum, quatenus ad ordinem & ſeriem ſpectat, quo litteræ in Alphabeto (ut vocant) ſcribi ſolent. Eſt igitur videndum, quid in hac metaphora, qua Chriſtus utitur, appellans ſe Alpha & Omega, reſpondeat litteris, ut in Alphabeto ſunt ordinatæ, quarum illa eſt prima, hæc vero ultima: ſi velimus ſcire, quarum rerum aut cujus rei reſpectu, Chriſtus vocet ſe primum & ultimum, ſeu principium & finem (ut habetur inferius cap. 22. 13.) quemadmodum Alpha principium eſt Alphabeti, Omega vero finis. Jam igitur, ſi quis ex metaphora iſta concludere velit, Chriſtum rerum omnium eſſe principium & finem; oportebit, eum docere litteris ſeu Alphabeto ex altera parte reſpondere, Res omnes. Hoc vero non probabit unquam; cum potius partim appareat, partim ſit omnino veriſimile, certam quandam ſeu certas quaſdam res illi reſpondere; ut mox oſtendam. Oportet enim prius conſiderare, quamvis veriſſimum ſit, illum unum Deum eſſe abſolute principium & finem rerum omnium, tamen veriſimillimum eſſe, cum apud Eſaiam vocat ſe primum & ultimum, non ſimpliciter prorſus & abſolute locutum ibi eum fuiſſe, ſed ſecundum quid: potiſſimum vero cap. 44. 6. ubi loci circumſtantiæ, & verba præcedentia & conſequentia cogunt fateri, ideo Deum vocaſſe ſe primum & ultimum, quia ipſe ſolus ſibi formaverat & elegerat populum Iſraëlis, multiſque beneficiis affecerat ac turatus fuerat, & deinceps perpetuo curaturus ac conſervaturus erat: nec alius præter ipſum. Oecolampadius ſane, & Calvinus, ambo Trinitarii & ſententiæ noſtræ de Chriſto infenſiſſimi, hanc loci ſententiam agnoverunt, & ille quidem ait, poſſe Dei verba ſic exponi: *Ego primus ſum, qui multis vos beneficiis affeci. Ego & poſtremus, qui poſthac iterum beneficiis proſecuturus ſum.* Hic vero ſic in eadem verba ſcribit: *His verbis non prædicat æternitatem Dei, ſed eum ſibi perpetuo ſimilem eſſe oſtendit, ut eum talem erga ſe futurum ſperent, qualem antea experti ſunt.* Quid mirum igitur, ſi Chriſtus vocaverit ſe primum & ultimum, ſeu principium & finem, non quia omnium rerum principium ſit & finis, ſed quia æternæ ſalutis noſtræ inchoator & perfector ſit, atque eccleſiam hanc militantem & auſpicatus fuerit, & finem ſit illi impoſiturus: & denique, quemadmodum ipſe primus beatæ immortalitatis conſequendæ rationem mundo patefecit, ſic poſt eum nemo extiturus ſit, qui aliud quidquam eo ſpectans patefaciat? Namque Euangelium, quod ipſe primus annunciavit, æternum eſt, & fœdus æternum, quod ipſe & primus & ſolus, Dei patris ſui nomine nobiſcum pepigit, Apoc. 14. 16. Heb. 18. 20. Quod autem Chriſti mens hæc fuerit, cum ſe primum & ultimum vocavit: non obſcure indicant verba, quæ illico addidit ℣ſ. 17, & 18. *Et vivus & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum. Et habeo claves mortis, & inferni*: Quaſi diceret, Propterea primum & ultimum me vocavi, quia, etſi, dum primus æternam mundi ſalutem operor, mortuus fui; tamen revixi, & vivo, vivamque perpetuo & inchoatum opus ad finem ego ipſe perducam, ac meos omnes à mortuis excitabo, & reipſa vita æterna donabo. Capite etiam ſecundo ℣ſ. 8. poſt verba illa, *Hæc dicit primus & noviſſimus*, ſtatim ſubjungitur, *qui fuit mortuus & vivit*; ut idem, ſcilicet, intelligamus. Vides, lector, ni fallor, quam futile ſit argumentum iſtud, ad probandum quod Chriſtus ſit ille unus Deus, quod, ſcilicet, primus & ultimus in Apocalypſi appelletur, & ille unus Deus ſimiliter primus & ultimus apud Eſaiam nominetur, cum nec abſolute ſic Chriſtum appellatum fuiſſe conſtet, immo ſatis appareat, ſecundum quid appellationem iſtam illi fuiſſe tributam: nec ille ipſe unus Deus, in citatis locis, abſolute ſic fuerit nominatus; idque alio reſpectu, quam Chriſtus in Apocalypſi. Minus futile argumentum fuiſſet, ſi, pro locis Eſaiæ, expreſſe ac nominatim allati fuiſſent ex eadem Apocalypſi loci, ubi Deus ipſe vocat ſe principium & finem cap. 1. 8. (quem locum adverſarii ad Chriſtum inepte ac ridicule detorſerunt) & cap. 21. 6. Veriſimile enim videtur, cum in eadem viſione eadem appellatio & Deo, & Chriſto tribuatur, eodem ſenſu, vel ejuſdem rei reſpectu, utrique fuiſſe tributam. Ad quod reſpondeo, ſatis conſtare, ut ante oſtendimus, quo ſenſu, & cujus, ſeu quarum rerum, reſpectu Chriſto tributa fuerit: nec ullo modo poſſe probari, abſolute omnino & ſimpliciter ei tributam fuiſſe; qua ratione ne Deo quidem ipſi in viſione illa tributam fuiſſe, veriſimile eſt: ſed reſpective; & quidem eodem ſenſu, quo Chriſto tributa fuit. Nec tamen hinc ſequetur; Chriſtum eſſe ipſum Deum; cum eadem ipſa in re Deus ſemper ut primaria efficiens cauſſa, Chriſtus vero ut ſecundaria ſeu inſtrumentalis ſe habeat, & agnoſci debeat.

Reſponſio ad XI. Argumentum.

Undecimum & ultimum hujus primæ claſſis argumentum his verbis formatum eſt Malach. 3. 1. Ecce ego mitto angelum ſeu nuncium meum; & præparabit viam ante faciem meam. *Hic etiam loquitur Deus Iſraël. Nam omnia exemplaria Hebraica, Græca, Chaldaica, Latina ſic habent*, ante faciem meam. *Et tamen Chriſtus ipſe affirmat, hunc Angelum ſeu nuncium, eſſe Johannem Baptiſtam, qui præparavit viam ante faciem Chriſti Domini, Matth.* 11. 10. *Et Lucæ* 1. 76. *Zacharias ait*, Præibis ante faciem Domini præparare vias ejus. *Quid autem hoc poteſt eſſe clarius? Nam cui alii Johannes viam præparavit, niſi Chriſto?*

Reſpondeo. Et primum fateor, argumentum hoc,

quod

quod idem reipſa eſt cum argumento octavo, aliquanto minus male formatum eſſe. Hoc enim tantum vitium apertum habet, quod pro conceſſo ſumit, Johannem non præparaſſe viam ante faciem ullius, præterquam Chriſti. Cum tamen poſſit quis ex ipſis locis in argumento citatis colligere, Johannem ante faciem non modo Chriſti, ſed alterius etiam, hoc eſt Dei ipſius viam paraviſſe; etiamſi ex iiſdem locis conſtaret, quatenus ante Chriſti faciem viam paravit, impletam fuiſſe vaticinationem illam apud Malachiam, ut hodie in omnibus exemplaribus legitur; ubi Deus ipſe dicit, ſe miſſurum angelum ſuum, qui præparabit viam ante faciem ſuam, id eſt ipſius Dei. Quamvis enim alius ſit ipſe Deus, alius vero Chriſtus; nihil impedit, quominus eo ipſo, quod Johannes viam ante Chriſti faciem paravit, ante ipſius Dei faciem quoque paraverit. Immo id neceſſarium eſt, ſi Chriſtus Dei ipſius perſonam ſuſtinuit, ut certe ſuſtinuit, idque omnium, quæ excogitari poſſint, excellentiſſima ratione. Deus enim in ipſo Chriſto fuiſſe dicitur tunc, cum Chriſtus in terris munus ſuum obibat, 2 Cor. 5. 19. quod quemadmodum aperte docet, alium eſſe Deum, alium vero Chriſtum, cum neceſſe ſit, ut alius ſit is, qui eſt in aliquo, & alius is, in quo eſt; ſic manifeſte declarat, Chriſtum perfectiſſima ratione Dei perſonam in munere ſuo obeundo ſuſtinuiſſe. Nec vero arbitror, quia ſcriptum ſit, *ante faciem meam*, quenquam ita rudem futurum, qui exiſtimet, non niſi in Chriſto ipſo vaticinationem Malachiæ impletam fuiſſe, cum alioqui Deus faciem revera non habeat. Nemo enim ignorat Ante faciem ex Hebraico idiotiſmo idem ſignificare, quod ſimpliciter Ante, & verbo Lepanai, quod apud Malachiam redditum eſt, *ante faciem meam*, millies utitur Deus ipſe in Vetere Teſtamento, pro eo tempore, quo nondum Chriſtus homo extiterat; & Actor. 13. 24. dicitur Johannes prædicaſſe ante faciem adventus Chriſti; cum tamen Chriſti adventus nullam revera faciem haberet. Sed ineptus eſſem, ſi pluribus hac de re agerem. Illud conſiderandum eſt, ex locis in argumento citatis, non plane conſtare, Malachiæ Prophetiam, ut nunc quidem legitur, in Chriſto impletam fuiſſe, nec Chriſtus id ſane dicit; immo ipſe aliter eam citat, & non *ante faciem meam*, ſed, *ante te*, & *ante faciem tuam*, legit. Id quod non tantum apud Matthæum facit, ſed apud Lucam quoque cap. 7. 27. Nec eſt dicendum, Chriſtum ita legere, ut oſtenderet, quomodo ipſe interpretaretur illud, *ante faciem meam*. Sed neceſſe eſt confiteri, ita tunc temporis in vulgatis codicibus ſcriptum extitiſſe. Diſerte enim ait, *Hic eſt de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto*, &c. quam lectionem ideo non rejicit Chriſtus, non quia plane idem ſit Ante te, quod Ante faciem meam, id eſt, Ante me, ſed quia nihil refert, utrocunque modo legas; cum certum ſit, Johannem & ante Deum ipſum, & ante Chriſtum viam præparaſſe. Ex verbis etiam Zachariæ nihil aliud neceſſario colligitur, quam Johannem præiſſe ante faciem ipſius Dei ad præparandam viam ejus. Fateor enim, nomine Domini, in Zachariæ verbis, ipſum Deum ſignificari; quamvis nec Bellarminus, nec Vujekus id probet; cum tamen, ad argumentum formandum, neceſſe ſit ut res ita ſe habeat. Nec eſt, quod quis dicat, ſatis hoc per ſe conſtare, cum verba illa ante Chriſtum natum fint prolata, ad quem ſolum, excepto ipſo Deo, alioqui referri vox Domini potuiſſet. Quandoquidem potuit commodiſſime Zacharias in ſua prædictione eum Dominum intelligere, qui nondum extitiſſet, modo ante faciem ipſius Johannes ejus viam paraturus eſſet. Sed dices, cur igitur concedis nihilominus, Domini nomine apud Zachariam ipſum Deum intelligi. Propterea concedo, quod obſervavi, in N. Teſtamento, ſeu verba ſint prolata ante Chriſtum patefactum & natum, ſeu poſt, nomine ipſo κύριος ſine articulo, ut eſt in Zachariæ verbis, tunc, cum ſubſtantive accipitur, raro admodum Chriſtum ſignificari, (immo, in hoc ipſo Lucæ Euangelio, nunquam: quamvis in eo frequenter Chriſtus ſolo κύριε nomine appelletur) ſed, fere ſemper, ipſum Deum. Nempe quia in Veteris T. Græca tranſlatione nomen κύριος ſine ullo articulo, tanquam ſi proprium nomen eſſet, ad Jehovam proprium Dei nomen exprimendum, fere uſurpatum fuerat. Quod hoc loco nec Vujeko, nec Bellarmino in mentem veniſſe, penitus mihi perſuadeo; eoſque nihil habituros fuiſſe ſolidi, quod reſponderent, exiſtimo, ſi quis contendiſſet, Domini vocabulo, Chriſtum, non autem Deum ipſum, intelligendum eſſe. Hoc autem non refutato, aliud nihil ex Zachariæ verbis concludere poterant, niſi Johannem ante Chriſti faciem viam præparaſſe; quod nemo eſt, qui neget. Fateor igitur, ut ad propoſitum redeam, ex verbis Zachariæ aperte colligi, Johannem præparaſſe viam ante faciem ipſius Dei, ac præterea mea ſponte concedo, Zachariam ad Malachiæ vaticinationem, cum hoc diceret, reſpexiſſe. Sed nego tamen, aperte ſimiliter hinc colligi, Malachiæ prædictionem de ipſo Deo, qui Angelum miſſurus eſſet ad præparandam viam ante faciem ſuam, in perſona demum ipſius Chriſti impletam fuiſſe. Nam & citra Chriſti perſonam merito dici poteſt, Johannem Deo ipſi ſive ante Deum ipſum viam paraſſe, qui populum venit moniturus, ut pœnitentiam agerent, & ad Deum converterentur; jam enim Dei judicium inſtare. Quin apud eundem Prophetam Malachiam cap. ſeq. videtur eſſe explicatum, iſtud veniſſe Johannem ad viam præparandam ante faciem Dei, nihil aliud eſſe, quam quod modo diximus. Inquit enim ad finem ſuæ Prophetiæ: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Quæ prædictio cum eadem explicatione, quid ſit parare viam ante faciem Dei, de Johanne tacite exponitur ab angelo, cum de ipſo ait Zachariæ apud Luc: *Et multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat patrum corda in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam.* Scio adverſarios, Domini Dei Iſraëlis nomine hoc loco contendere omnino Chriſtum intelligi. Sed quam jure id faciant, videbimus infra in examinatione ſecundi argumenti tertiæ claſſis, quod ex ipſo hoc loco nectunt. Sed, ut jam concludam, Dico, in hoc argumento neutiquam probatum fuiſſe, Malachiæ prædictionem illam in initio cap. 3. ut nunc quidem legitur, & ab adverſariis urgetur, in ipſius Chriſti perſona, quatenus de Deo Iſraelis in ea fit mentio, impletam eſſe. Non quod omnino id negem; ſed ut appareat, quanta argumenti ſit infirmitas. Alioqui enim ſatis ante probavi, eo ipſo, quod Johannes ante Chriſti faciem viam paraverit, ante ipſius Dei faciem viam paraſſe illum, jure dici non ſolum poſſe, ſed etiam debere; quamvis Chriſtus non ſit Deus ipſe. Nempe quia Dei perſonam, idque omnium excellentiſſima ratione, in ſuo munere in terris obeundo, ſuſtinuit.

CAPUT IV.

In quo refutantur Argumenta ex ſolo Vetere Teſtamento deſumpta.

SEquitur ſecunda claſſis argumentorum, id eſt, eorum, quæ ex ſolo Vetere Teſtamento ducta. Quorum primum ducitur ex Pſalmo ſecundo, quatenus ipſius aſſumptio inde elicitur. Quam cum nos veram eſſe agnoſcamus, & ex Pſalmo iſto colligi, facile concedamus; non eſt, cur hujuſce rei probationes à Bellarmino & Vujeko allatas recitemus. Sed ſatis eſt ipſum argumentum recitare; quod tale eſt.

Responsio ad I. Argumentum.

Meſſias eſt filius Dei adorandus ab omnibus Regibus, & quibus ille iraſcitur, ii omnino peribunt; & qui in illo confidunt, ii beati erunt Ergo Meſſias eſt verus Deus.

Reſpondeo, hic nihil contra nos concludi; quippe qui fateamur, Chriſtum ſeu Meſſiam eſſe verum Deum. Sed quia apparet, nomine veri Dei, in hoc argumento, intelligi illum unum Deum Iſraëlis, ſeu illum, qui perfectiſſima ratione eſt Deus, quem Meſſiam eſſe nos minime agnoſcimus; videndum eſt, ecquid, ad conſequentiam argumenti probandam, afferatur.

Itaque ſtatim ſubjicitur; *Namſolus verus Deus habet imperium vitæ & mortis* 1 *Reg.* 2. 6, *& in ſolo vero Deo confidere tota ſcriptura jubet. Maledictus enim eſt, quicunque confidit in homine, & benedictus qui confidit in Deo Hierem.* 17. 5, 7.

Iſtæ probationes, ex uno argumento, duo nobis efficiunt; quatenus oſtendere videntur duarum partium, quas aſſumptio habet, utramvis ſatis eſſe ad idem concludendum, quod antea concluſum fuerat.

Prius argumentum eſt tale; ſolus verus Deus habet imperium vitæ & mortis. Meſſias ſeu Chriſtus habet imperium vitæ & mortis. Ergo Chriſtus eſt verus Deus; id eſt, ut diximus, ille unus Deus Iſraëlis.

Alterum argumentum eſt hujuſmodi: Soli vero Deo confidendum eſt. Sed Meſſiæ ſeu Chriſto confidendum eſt. Igitur Chriſtus eſt verus Deus.

Reſpondeo ad prius argumentum: Et dico, plus hic aſſumi quam in totius argumentationis aſſumptione expreſſum & ex Pſalmo ſecundo deſumptum fuerat. Ibi enim habetur perituros illos, quibus Meſſias iraſcitur, & beatos fore, qui in illo confidunt: Hic, vero, Meſſiam habere imperium vitæ & mortis; quod multo plus eſt, quam illud. Et fieri facile poſſet, ut Deus Meſſiæ, ut rei creatæ, hoc privilegium conceſſiſſet, ut cuicunque ille iraſceretur, is omnino periret, quicunque vero ei confideret, is beatus evaderet; nec tamen ipſi Meſſiæ poteſtatem conceſſiſſet quenquam prorſus interimendi, aut beatum efficiendi: nedum omnes quoſcunque ipſe voluerit; ut ſignificant verba iſta, *Habet imperium vitæ & mortis* Itaque apparet, hoc argumentum eſſe extra id, quod propoſitum fuerat: nec ejus aſſumptionem ex Pſalmo ſecundo probari. Quod non ideo à me dicitur, quia alioqui negem, Meſſiam, id eſt, Jeſum Chriſtum habere imperium vitæ & mortis; modo id recte intelligatur, neque extra fines regni ipſius Chriſti extendatur. Quamvis enim illi data fuerit omnis poteſtas in cœlo, & in terra; hoc tamen intelligendum eſt in iis, quæ, quacunque tandem ratione, ad ejus regnum pertinent, aut pertinere poſſunt. Itaque ex eo, quod ex Sacris Literis facile oſtendi poteſt, Chriſtum habere imperium vitæ & mortis (ſcriptum eſt enim Joh. 4. 21. Apoc. 1. 12. de eo, quod vivificet quos vult, & quod habeat claves mortis, atque inferni) non tamen ſequitur, eum etiam extra regnum ſuum, id eſt, ubi nulla prorſus ratione de iis agatur, quæ ad ipſius regnum pertinent, iſto imperio eſſe præditum. In quo differentia apparet inter Chriſtum, & Deum in mortis & vitæ imperio; cum Deus nullis omnino finibus circumſcriptum iſtud imperium habeat, Chriſtus autem ſui regni & eorum, quæ quovis modo ad illud pertinent aut pertinere poſſunt, finibus habeat circumſcriptum; præter id, quod Deus à nemine tale imperium habet: Chriſtus vero, ex ipſius Dei dono & largitate. Quod ipſum per ſe ſatis eſt ad argumentum adverſariorum convellendum; cum propoſitio illa, *Solus verus Deus habet imperium vitæ & mortis*, ſi vera eſſe cenſenda eſt, non aliter intelligi debeat, quam illa, quæ à Paulo Apoſtolo teſtimonium habet, videlicet, *Solum verum Deum habere immortalitatem*; cum tamen & Angeli habeant immortalitatem, & eos in reſurrectione juſtorum habituri ſimus; id eſt, ut de vitæ ac mortis imperio accipiatur, quod quis à nemine acceptum in ſeipſo naturaliter & eſſentialiter habeat. Quanquam utcumque intelligatur propoſitio iſta, ea nullo pacto probatur ex loco ad eam probandam allato, 1 Reg. 2. 6. Sic enim ibi ſcriptum eſt: *Dominus mortificat, & vivificat: deducit ad inferos; & reducit.* Ubi dictio *ſolus*, aut alia ſimilis excluſiva nec legitur, nec, ut ſubaudiatur, neceſſe eſt.

Venio ad alterum Argumentum, cujus ſimiliter propoſitio, quamvis alioqui, ſi recte intelligatur, veriſſima, minime ex eo teſtimonio probatur, quod ad eam confirmandam productum fuit ex Hierem. inquam cap. 17. 5, 7. Propoſitio enim eſt, *Soli vero Deo confidendum eſt.* Productum vero teſtimonium habet, maledictum eſſe hominem, qui confidit in homine: & beatum eſſe, qui in Deo confidit. Atqui reperitur, qui nec homo eſt, nec ille Deus, de quo hic agitur. Quare non ſequitur ex teſtimonio iſto, ſoli vero Deo confidendum eſſe. Non excludit, inquam, iſtud teſtimonium verbi gratia, Angelos, quominus in illis quis confidere poſſit. Nullus enim Angelus eſt homo: etiamſi nullus eorum ſimiliter ſit ille Deus. Quare ſi quis probare vellet, in Angelis minime confidendum eſſe, alio certe eſſet illi utendum teſtimonio. Jam, quod ad Chriſtum attinet, de quo eſt quæſtio, is ejuſmodi eſt, ut, quamvis non ſit ille Deus, & ſit homo; talis tamen ſit homo, ut merito dici poſſit, eum non ſimpliciter eſſe hominem, ſed divinum hominem: præſertim poſt ipſius glorificationem; poſtquam revera cœpit habere locum id, quod in Pſal. 2. de ei confidendo dictum eſt. Libenter enim nos quoque poſtrema Pſalmi verba ad Chriſtum ſeu filium referimus; quamvis non deſint, qui omnino ad Jehovam referenda eſſe contendunt. Verum paulo diligentius præterea teſtimonium ipſum expendamus. Verſiculo enim 5. ad hunc modum legimus: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.* A Bellarmino, & Vujeko ſola prima pars hujus totius ſententiæ, quæ una eſt, non plures, recitata fuit: quo animi candore, ipſi viderint. Non ſimpliciter igitur pronunciatur hic maledictus homo ille, qui in homine confidit, ſed qui ita confidit, ut ponat carnem brachium ſuum, id eſt, in ipſis humanis viribus ſpem ſuam collocet, ſeu in homine ipſo per ſe, citra ſpiritus ac virtutis divinæ opem. Hoc enim omnino per vocabulum carnis ſignificatur, & cum neque etiam hoc videretur ſatis, ad abſolute pronunciandum quenquam maledictum; additur poſtremo expreſſe, *& à Domino recedit cor ejus.* Ut, ſcilicet, intelligatur, Deum habiturum aliquam rationem illorum, qui, licet homini cuipiam plus æquo confidant, humanis viribus id tribuentes, quod ipſius Dei eſt proprium, tamen interea ab ipſo Deo non deficiunt, nec mentem ab ipſo averſam aut alienam gerunt. Quid, quæſo, ſententia iſta ad probandum, non debere quenquam confidere Meſſiæ, niſi ſit ille unus Deus, quia, ſcilicet, alioqui nihil aliud ſit, niſi homo? Num fortaſſe nos, qui Meſſiæ, id eſt, Chriſto confidimus, nec tamen eum pro uno illo Deo habemus, in ipſo Chriſto homine ita confidimus, ut humanis illius viribus, citra ſpiritum ac virtutem ab illo uno Deo proficiſcentem, nobis opem ferendi poteſtatem tribuamus? Nunquid, dum illi confidimus, interim animum & cor noſtrum ab uno illo Deo averſum & alienum habemus? Quid magis ab omni & veritate & veriſimilitudine alienum? cum potius ita hic nos geramus, ut adverſarii videantur ſibi habere juſtam cauſam nobis objiciendi, quod Dei Patris, quem ſolum illum unum Deum eſſe contendimus, gloriam, per Chriſti filii ejus ignominiam, quæramus?

Sed ut ipſi adverſarii fateantur, ſui argumenti & loci ex Hieremia citati vim nullam eſſe, ad probandum, Chriſto non eſſe confidendum, niſi non tantum homo, ſed etiam ſit ille unus Deus; dicant mihi, obſecro, ipſi, inquam, Pontificii, an non virgo Maria Chriſti Mater corpore & anima, ut ipſis placet, in cœlum aſſumpta, eſt homo? An fortaſſe excellentior homo eſt, quam

neceſſe

neceſſe ſit, Jeſum ipſum Chriſtum eſſe, ſi non eſt ille unus Deus? Non dicent, opinor. Quomodo igitur, cum ipſa non ſit ille unus Deus, eam tamen (ut cætera præteream, quibus demonſtrant, ſe in illa confidere) ſpem ſuam vocant? Quid enim eſt in aliquo confidere, ſi hoc non eſt, eum ſpem ſuam eſſe ſtatuere? An non coguntur, ſi velint hoc ſuum factum tueri, oſtendere non eſſe ſimpliciter vetitum in homine confidere? Fatebuntur ipſimet ſine dubio. Sed dicent, non quia vis ſit in vocabulo homine, ſed in verbo confidere. Neque enim omnem fiduciam in homine collocandam prohiberi: ſed eam, quæ, ut in noſtræ felicitatis auctore collocetur; ſe autem fiduciam quidem in Maria V, licet homine, collocare, ſed non ut in ſuæ felicitatis auctore. Atqui nec in Chriſto homine ita confidendum nobis eſt, ut in noſtræ felicitatis auctore, id eſt, ſola & prima cauſa. Atque hoc eſt illud omnino, quod diſtinguit fiduciam in ſolo illo uno Deo collocandam, ab ea, quæ in re aliqua creata collocari poteſt, prout poteſtas & cura fuerit, quam illi erga nos & de nobis unus ille Deus dederit ac mandaverit. Et quia Chriſto homini data eſt ab uno illo Deo nobis perfecte atque abſolute felicitandis ſumma poteſtas & cura; idcirco magnificentiſſime de fiducia in Chriſto, quamvis ipſe non ſit ille unus Deus, collocanda; ſacra teſtimonia loquuntur; nec tantum id fieri à nobis poſſe, ſed etiam omnino debere, demonſtrant. Nec unquam probabunt adverſarii alia ratione, aliamve ob cauſam, in Chriſto nobis confidendum eſſe, quam ut in ſecunda ſeu inſtrumentali efficiente felicitatis noſtræ cauſa, & ob id, quod ab illo uno Deo nobis abſolute felicitandis, hac conditione, ut illum pro tali habeamus, præfectus fuit. Quod ſi fiducia, quam Pontificii in Maria Virgine Chriſti Matre collocant, fundamentum ſuum ſimiliter in Dei ordinatione haberet, nullo pacto ejus rei nomine reprehendendi, ſed potius laudandi eſſent.

Responsio ad II. Argumentum

Secundum argumentum ſumitur ex verbis Eſaiæ cap. 48. 12, &c. Audi me Jacob & Iſraël, quem ego vocavi. Ego ipſe, & ego primus & noviſſimus: manus etiam mea fundavit terram, dextera mea menſa eſt cœlos. *Et infra* ℣ſ. 16. Accedite ad me, & audite hoc. Non loquutus ſum in abſcondito à principio. A tempore antequam fieret, (*aut*, eo tempore, cum hoc factum eſt) ibi eram. Et nunc Dominus Deus miſit me & ſpiritus ejus. *Hic manifeſtum eſt, hunc miſſum, non fuiſſe Patrem, Pater enim non habet, à quo mittatur, filius autem ex altera parte de ſeipſo teſtatur, quod ſit miſſus à Patre, Joh.* 8. 18, *& à Spiritu Sancto, Luc.* 4. 18. *Et tamen videmus; hunc miſſum eſſe illum verum Deum, qui cœlum & terram creavit, & qui eſt primus & noviſſimus.*

Reſpondeo, apud Prophetas, & nominatim apud Eſaiam, nihil frequentius eſſe mutatione perſonarum: præſertim ipſius Prophetæ, & Dei, nempe quia Propheta Dei nomine loquitur: & nunc in perſona ipſius Dei, nunc in propria perſona verba facit; idque ſæpe ſæpius nullo prorſus indicio addito hujus mutationis; ut merito alicubi dixerit Eraſmus, in ſcriptis Prophetarum non tam dici aut narrari aliquid, quam actionem quandam repræſentari, jure videri poſſe. Facile tamen mutationes iſtæ, potiſſimum vero inter Deum, & Prophetam, ex iis agnoſcuntur, quæ dicit is, qui loquens inducitur. Jam hic non eundem eſſe eum, qui ℣ſ. 12. 13. loquitur cum eo, qui loquitur ℣ſ 16. ſed illum quidem eſſe ipſum Deum, hunc vero, Prophetam: præter ea, quæ utrobique dicuntur, unde id liquido conſtat, illud ſuadet, quod jam ℣ſ. 14, perſonæ mutatio facta erat à Deo ad Prophetam; idque compellando populum, *Congregamini, &c.* ut hic, *Accedite ad me &c*, manifeſte enim ℣ſ. 14. de Deo, ſeu Jehova eſt ſermo in tertia perſona, *Jehova dilexit eum, &c.* Rurſus autem ℣ſ. 15, mutatur perſona, & Deus loquens inducitur. Sed iterum, ut prius, à Deo ad ipſum Prophetam fit mutatio. At Bellarminus, aſtutia nimis evidente ℣ſ. 14. & 15, noluit recitare; nimirum ex quibus iſtæ perſonarum mutationes patent: & ſic falſum illud eſſe oſtenditur, quod ipſe lectorem incautum credere voluit, continuari, videlicet, à fine ℣ſ. 13, uſque ad ℣ſ. 16, in eadem perſona ſermonem.

Verum nihilominus excipit Bellarminus, non poſſe verba ℣ſ. 16, referri ad Prophetam, quamvis Franciſcus Vatablus homo Hebraicæ linguæ peritiſſimus, & in Sacris V. Teſtamenti ſcriptoribus explanandis exercitatiſſimus, idemque tamen Trinitarius ac Pontificius, referenda ſentiat. Utitur igitur Bellarminus hac ratione: videlicet, neceſſe eſſe, ut prædicta verba referantur ad Chriſtum, quod probat teſtimonio Patrum, Prophetæ autem nullo modo convenire.

Reſpondeo ad priorem hujus rationis partem; Prophetam haud raro Chriſti typum gerere in tota illa ſua Prophetia: ut omnes hac noſtra ætate animadverterunt; id quod ſacris teſtimoniis confirmatur. Nam exempli cauſa, quod cap. 61. 1. Propheta de ſe pro eo tempore dicit, ad Chriſtum ſuo tempore referendum erat. Quemadmodum Chriſtus ipſe docet, Luc. 4. 18. Idem apparet de eo, quod ſcriptum eſt cap. 8. 18. *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Jehova*, nam Hebr. 2. 13. de Chriſto exponitur. Quamvis igitur verba iſta, de quibus agitur, ad Chriſtum referenda eſſent, non tamen inde ſequeretur ad Prophetam referri non poſſe; cum nihil vetet, quominus ad utrumque ſimul, ad unum quidem, ut adumbratum, ad alterum vero, ut adumbrantem, referantur.

Ad alteram ratiocinationis partem reſpondeo, non poſſe negari, quin verba illa, *Non locutus ſum in abſcondito in principio*, ad Prophetam referri poſſint, qui, videlicet, ab ipſo ſui muneris initio clare id, de quo ibi agitur, prædixiſſet. Quod ſi quæ ſtatim ſequuntur ad Prophetam minime accomodari poſſent; non propterea negandum eſſet, factam fuiſſe mutationem perſonæ in initio verſiculi à Deo ad Prophetam. Quandoquidem ſæpe accidit, ut de typo multa dicantur, quæ illi minime conveniunt, ſed tantum ei, cujus eſt typus; ut de Davide & Salomone, quatenus in Sacris Literis, præſertim vero in Pſalmis Chriſti typum gerunt, omnes fatentur. Quanquam non video, cur verba Hebraica ita reddi nequeant, ut Caſtellio reddidit, immo fortaſſe non debeant, ad hunc, inquam, modum. *Non tecto ab initio locutus ſum, ex quo id evenit, ecce idem adſum.* Particula enim Hebræa מִן non modo ibi, ſed etiam, hic, id eſt, hoc in loco, in Sacris Literis ſignificare deprehenditur, ut teſtis eſt Pagninus in ſuo linguæ Sanctæ Theſauro. Porro verba iſta idem Caſtellio ſic explicat: *Hoc eſt, Senacheribi caſum non obſcure prædixi, & nunc poſteaquam id evenit, non latito (quod facerem præ pudore, ſi non eveniſſet, quod prædixeram) ſed me præſentem exhibeo, ut oſtendam me vera prædixiſſe, atque ita fidem merear de futuris, quæ præſignifico.* Nam profecto ſi hac ratione, quæ videtur omnium aliarum optima, verba Hebræa & reddantur & explicetur; nemo non videt, ea ad ipſum Prophetam referri poſſe, eique optime convenire.

Sed præterea conſiderandum eſt, ad reſponſionem noſtram convellendam, quæ revera in eo conſiſtit, quod fiat mutatio perſonæ, nec idem ſit, qui loquitur ℣ſ. 12. & 13. & qui loquitur ℣ſ. 16, nihil pertinere, quod Chriſtus ſit is, qui loquitur ℣ſ. 16, niſi pro conceſſo ſumatur, Chriſtum eſſe illum unum Deum; quod illud idem eſt, de quo diſputatur, & ad quod probandum adverſarii locum iſtum Eſaiæ attulerunt. Immo nos facile dabimus, ea Chriſti eſſe verba, non quidem, qui tunc exiſteret; ſed qui, licet poſtea extiturus, Prophetico tamen more, loquens, tanquam præſens, inducatur; id quod non ſolum ſub typo ſui ipſius ab Eſaia, fieri ſolet, ut antea diximus, ſed etiam ſine typo ullo, nec tamen ex ejuſmodi locis quiſquam eſt, qui Chriſti jam tum exiſtentiam colligere audeat. (Quanquam etſi iſtud inde colligi poſſet, nihil tamen ad rem faceret, cum hic non quæratur,

utrum jam tum Chriſtus exiſteret: ſed, an ſit ille unus Deus.) Talis autem videtur inſignis locus cap. proxime ſeq. 49. ab initio per complures verſiculos. Quinetiam addo, ſi Chriſtus ille eſt, qui hic loquitur ỳſ.16, ex hoc contrarium probari ejus, quod adverſarii volunt. Appareret enim ex illis ipſis verbis, quæ ipſi maxime urgent, *Et nunc Dominus, id eſt, Jehova, miſit me &c.* Chriſtum non eſſe Jehovam, ſiquidem neceſſe eſt, ut alius ſit is, qui miſit, & alius is, quem ille miſit. Nihil igitur agit Bellarminus, niſi probet evidenter, eundem eſſe, qui loquitur hic ỳſ.16. cum eo, qui loquitur ſupra ỳſ.12, & 13. Atqui hoc nunquam facere poterit; atque unicuique homini cordato, mutationem perſonæ eſſe factam, argumentum ſemper erit apertiſſimum, quod is, qui ſupra loquitur, id eſt, Jehova, hic in tertia perſona ita nominatur, ut appareat, ab alio de eo verba fieri.

Ex iis, quæ diximus, patet reſponſio ad ea omnia, quæ Bellarminus, & cum eo Vujekus ſcripſerunt digna, quibus aliquo modo reſponderetur, dum ſolutionem argumenti ſui, quæ eſt, quod fiat mutatio perſonæ à Deo ad Prophetam, refellere conantur. Præſertim cum nos non dicamus in ỳſ. 16, fieri mutationem perſonæ ab illis verbis, *Et nunc, &c*, ſed facile concedamus, totum verſiculum ad unam tantum perſonam, quæ loquatur; pertinere. Oſtendimus enim, quomodo verba Hebraica commodiſſime jam & reddita & explicata inveniantur, ita ut omnia optime ipſi Prophetæ conveniant. Quodſi quis ſit, qui nolit concedere, particulam שָׁם in loco noſtro, poſſe ſignificare Hic (in hoc enim tota vis conſiſtit, cur Caſtellionis interpretatio probari aut debeat, aut ſaltem poſſit) ſed tantum Ibi; nihil tamen incommodi inde ſequetur. Senſus enim erit, ab eo tempore quo extitit id, quod ipſe prædixerat, ſe ibi adfuiſſe, id eſt, quemadmodum non in abſcondito prædixerat, ſic, cum jam eventu prædictio ſua comprobaretur, non latuiſſe: ſed palam id agnoviſſe verumque ſe vatem fuiſſe, omnibus demonſtraſſe. Poſſet etiam, ut Pagninus & alii acceperunt, locus accipi non de re prædicta, ſed de prædictione ipſa ſeu Prophetia. Nec tamen, ut Bellarminus exiſtimat, ridicula eſſet, expoſitio iſta. Non enim ſenſus eſſet, *Cum fieret hæc Prophetia, ego aderam*, ut ipſe iſtos dicentes facit, ſed, ut Pagninus diſerte habet, *A tempore, quo fuit ipſa Prophetia, ibi eram*; id eſt, poſtquam prædictio hæc mea extitit, non latui: ſed ab eo tempore perpetuo ibi eram; quippe quem meæ prædictionis non puderet, & qui conſtanter ejus eodem in loco eventum expectarem.

Placet autem antequam ulterius progrediamur, ad majorem hujus ſecundi argumenti futilitatem indicandam, paucis examinare id, quod in ipſo formando ſcriptum eſt, Patrem non habere à quo mittatur, ac proinde neceſſe eſſe, ut de Filio, qui alibi & a Patre, & à Spiritu S. miſſus legitur, verba illa apud Eſaiam accipiantur. Rogo enim adverſarios, qui ſciant, Patrem non habere, à quo mittatur. Id certe nuſquam eſt ſcriptum; nec colligitur ex eo, quod non diſerte legatur, Patrem aliquando fuiſſe miſſum, nihil enim vetat, quin nihilominus & fieri potuerit, & factum aliquando fuerit. Non ex eo etiam colligi poteſt, quod Pater à nemine originem habeat, ipſe vero omnium ſit origo; cum, ut aliquis poſſit quempiam mittere, ſatis ſit, ut non ſit minor ipſo, quemadmodum adverſariis placet: nec quidquam impediat, quod ab ipſo originem habeat; cum inde, ut iiſdem placet, nulla minoritas inferatur, vel poteſtatis, vel majeſtatis, vel denique divinitatis. Certe, ſi iſtud axioma tueri velint, quod quidem veriſſimum eſt, ſed cum ipſorum Theologia minime conſentiens, Patrem neminem habere à quo mittatur; oportet, ut agnoſcant & fateantur, Patrem neminem habere ſibi prorſus æqualem, ſed ipſum abſolute omnibus majeſtate & poteſtate antecellere. Sed quid eſt, quod dicunt, ſi ibi de Patre miſſo non eſt mentio, oportere ut ſit de filio? Nam quid eſt principium petere, ſi hoc non eſt? Afferrur locus ad probandum, quod filius, id eſt, Chriſtus ſit ille unus Deus, & interim, in probatione ipſa, pro conceſſo iſtud ipſum ſumtur. Nihil enim filius ad locum iſtum pertinere poteſt, niſi jam conſtet, eum eſſe illum unum Deum; ſi modo locus iſte ad illum unum Deum eſt referendus, ut adverſariorum argumentum omnino poſtulat. Nihil autem dico, quod indicium allatum, quod de filio ſit accipiendus locus, quia, ſcilicet ipſe teſtetur, ſe à Patre, & à Spiritu Sancto fuiſſe miſſum, vanum cenſeri debet, tum quia apud Eſaiam legi poteſt, *& ſpiritum ſuum*, ut habet Caſtellionis interpretatio, & ita non de ſpiritu mittente, ſed miſſo, ſermo eſſe: tum vero quia ex loco Luc.4.18, nequaquam probatur, Chriſtum à Spiritu Sancto miſſum fuiſſe, verbum enim Miſit, quemadmodum & Unxit, ad Dominum ibi nominatum, non autem ad ſpiritum referri debet; ut ex Eſaiæ loco, Eſai.61.1, unde locus apud Lucam ſumptus eſt, apertiſſime conſtat. Ut ſane mirer, Bellarminum hominem egregie eruditum atque accuratum, iſtud non animadvertiſſe. Sed jam ad tertium argumentum veniamus.

Responsio ad III. Argumentum.

Tertium argumentum à Vujeko ad hunc modum exponitur: Eſaiæ 35.4. Deus ipſe veniet & ſalvabit vos. Tunc oculi cæcorum, & aures ſurdorum erunt apertæ. Tunc ſaltabit claudus ſicut cervus, & lingua mutorum ſolvetur. *Hunc quoque locum de Chriſto intelligendum eſſe, docet ipſe Chriſtus Dominus, cum Joannis diſcipulis ſic reſpondet Matth.* 11.4. Ite & renunciate Joanni, quæ audiſtis, & quæ vidiſtis. Cæci vident, ſurdi audiunt, claudi ambulant, &c. *Et doctores omnes de Chriſto hunc locum exponunt. Quod autem Dominus Deus, de quo hic agitur, ſit ille Deus Iſraëlis, hinc patet, quod Propheta ſic abſolute ac ſimpliciter dicit*, Deus ipſe veniet. *Nam falſos & non proprios* (id eſt, ut Bellarminus habet, *metaphoricos*,) Deos *nunquam ſic abſolute Prophetæ vocant* Deos. *Præcipue vero iſta vocula ipſe*, Deus ipſe veniet, *clare demonſtrat, Prophetam loqui de* Deo *vero. Non autem de miniſtro aliquo loco ipſius.* Sic Vujekus ex Bellarmino, col. 290, qui habet duo amplius ad confirmandum, quod locus Eſaiæ debeat intelligi de Chriſto, non autem de ullo Propheta: Unum, quod nunquam Deus per Prophetas talia miracula fecit: Alterum, quod, quando Eſaias hæc ſcripſit, jam mortui erant omnes Prophetæ, qui miracula fecerunt, & manifeſtum eſt, Eſaiam de re futura loqui.

Reſpondeo. Et primo loco nego, neceſſe eſſe ut locus Eſaiæ de uno illo Deo Iſraëlis, accipiatur. Poſſunt enim verba ejus ita intelligi, ut, quando de re futura manifeſte loquitur, quidquid in illis dicitur, in futurum reſpiciat: & ſic, quamvis Deus, qui ibi nominatur, hac appellatione *Deus veſter*, vocetur (tametſi hoc præcedit verba in argumento citata, nec in ipſo hujus rei ulla fit mentio) non tamen continuo ſequatur, ibi ſermonem eſſe de uno illo Deo Iſraëlis, qui jam tum erat. Potuit enim Chriſtus homo, qui naſciturus erat, illorumque Deus futurus, iſta appellatione inſigniri. Fatemur enim nos, atque adeo vehementer lætamur, & gloriamur, Chriſtum hominem, unius illius Dei Iſraelis decreto ac voluntate, noſtrum Deum eſſe; ut infra explicabitur in ſolutione ſeptimi argumenti tertiæ claſſis. Nam quod in argumento dicitur, Prophetas nunquam vocare abſolute Deos, falſos & metaphoricos Deos; hoc nihil ad rem facit, niſi pro conceſſo ſumatur, præter illum unum Deum Iſraelis, nullum eſſe Deum niſi falſum, aut metaphoricum. Atqui hoc ita ſimpliciter dictum falſiſſimum eſt; cum ſcriptura manifeſte Dei appellationem nec falſam nec metaphoricam ei aliquando tribuat, qui tamen non eſt ille unus Deus Iſraëlis; ut Chriſtus ipſe aperte teſtatur Joh. 10. 35. Fatetur autem Bellarminus ipſe col. 297. b. iſtos, d quibus ibi Chriſtus ait, vocatos à ſcriptura fuiſſe Deos, Dei dono Deitatem participaſſe. Verum, qui Dei dono Deitatem participat, & ſimul divino teſtimonio Deus appellatur, is profecto nec falſus nec metaphoricus Deus eſt. Sed hac de re latius infra in reſpon-

reſponſione ad primum argumentum quartæ claſſis.

Secundo reſpondeo, etiamſi concedatur, Eſaiam de illo uno Deo Iſraëlis verba facere, non tamen ſequi, Chriſtum eſſe illum Deum. Quamvis enim facile concedam, prædictionem iſtam pertinere ad Chriſti tempora; non tamen hinc ſequitur, Chriſtum eſſe illum unum Deum, de quo Eſaias loquitur. Nec Chriſti ipſius verba ad diſcipulos Johannis hoc ullo modo nos docent; quippe ex quibus ne id quidem colligi certo poſſit, quod ego, ut dixi, facile concedo. Nulla enim ibi mentio hujus loci Eſaiæ, &, quæ ibi Chriſtus de ſe vere prædicat, ſatis per ſe ſunt, ad demonſtrandum, illum eſſe Meſſiam à Deo promiſſum; etiamſi, quæ in Eſaiæ loco continentur, tanquam ſigna venturi Meſſiæ, prædicta non fuiſſent. Neque enim tantum iſta ibi commemoratur, quæ in loco Eſaiæ leguntur: ſed præterea, mortuos reſurgere, pauperes euangelizari, & beatum eſſe, qui in Chriſto ſcandalizatus non fuerit. Eſtque interim hic animadvertendum, quod, quatenus ex Chriſti verbis in argumento colligitur, Eſaiæ locum ad ipſum Chriſtum pertinere, erat hoc argumentum ad ſuperiorem claſſem referendum. Facile igitur, ut ad rem redeam, concedo, Eſaiæ prædictionem ad Chriſti tempora pertinere. Interea tamen affirmo, eam commode poſſe, vel potius, ut multæ aliæ ſimiles, debere ad tempora etiam liberationis ex captivitate Babylonica referri, tanquam redemptionis nobis per Chriſtum partæ typum. Indicant hoc ſatis aperte ultimus & penultimus cap. verſiculus, ubi prædictio iſta demum terminatur; in quibus diſerte redemptorum, id eſt, ex captivitate liberatorum, & eorum in Sion reditus fit mentio. Nam quod in captivitate illa ſolvenda miracula non extiterunt, qualia Eſaias fore prædixit, & qualia Chriſti tempore extiterunt; hoc nihil impedit. Allegorice enim ſunt miracula iſta, ſaltem pro eo tempore, accipienda; quemadmodum veriſimile plane eſt, ut pleraque alia, quæ ibi prædicuntur mira & magna, allegorice accipiantur, ad quodcumque tandem tempus illa pertineant, quatenus vero ad Chriſti tempus pertinent, id eſt prorſus neceſſarium. Quod ſi ad liberationem ex captivitate Babylonica fateamur, Eſaiæ prædictionem referri poſſe; jam conſtabit, quid in ea ſignificet, ipſum Deum venturum, & ſalutem daturum, ſi de uno illo Deo eſt ſermo; id eſt, non quidem ipſius Dei perſonam reipſa venturam, ſed Dei favorem præſentiſſimum futurum. Et ſane aut prorſus impoſſibile, aut certe Dei majeſtate indigniſſimum eſt, illum aliter venire, ut ſervet, quam per ſui favoris ac virtutis præſentiam, & turpiter errat, quicumque aliter ſentit; quaſi vero vel loco moveri ille unus Deus poſſit, vel ſervare ne queat, niſi in propria perſona ipſe veniat. Non igitur tam craſſe aut demiſſe de Deo ſentiendum eſt, propter unum metaphoricum veniendi verbum (ut alibi ſimiliter innumera alia) illi in iſto Eſaiæ loco accommodatum; præſertim cum aliis in locis hac eadem metaphora ſcriptura utatur; ut Pſal. 79. 3. c. 2. Ex quo apparet, pronominis *ipſe* non eam hoc loco vim eſſe ut ſignificet, Deum ipſum per ſe, non autem per miniſtrum aliquem venturum; ſed ut non vulgarem Dei favorem, ſeu, ut Latini ipſi loquuntur, præſentiam, verum ſingularem quandam omnino declaret; ſi modo in Eſaiæ verbis pronomen iſtud vim ullam habet, & non potius, ut ſæpe alias, quamvis in Hebræa lingua admodum elegans, ſuperfluum tamen ſeu redundans alioqui cenſeri debet.

Potuiſſem etiam oſtendere, Deum tunc venire dici, cum aliquis ejus loco venit, & propterea ſingulari quadam ratione Deum venturum dictum fuiſſe, cum Chriſtus venturus eſſet, quippe quod Chriſtus ſingulari quadam ratione ejus loco venturus erat. Sed quoniam hac de re, id eſt de Chriſto, qui excellentiſſima ratione Dei perſonam ſuſtinuerit, jam aliquid, quod ſatis eſſe poſſit ad præſens argumentum penitus diſſolvendum ſupra diximus, & inferius fortaſſe aliquid amplius commodiore loco dicendum erit; nolui quidquam hac de re hoc loco diſputare. Tantum monitum lectorem velim, Bellarminum ipſum vidiſſe, tunc Deum venire dici poſſe, cum quis ejus nomine venit. Alioqui non laboraſſet, ut propter pronomen *ipſe* oſtenderet, Eſaiæ locum de miniſtro aliquo, qui Dei loco venturus eſſet, accipi non poſſe. Nam quod multo magis etiam laboravit, ut conquiſitis miris quibuſdam rationibus, quas ſupra expoſuimus, doceret Eſaiæ verba ad Prophetam aliquem accommodari non poſſe; id ſupervacaneum plane fuit. Pluſque in hoc, quam ipſe, vidit Vujekus, qui totum hoc omiſit. Nec ſane quidquam aliud Bellarmino faciendum hac in parte erat, quam ſimpliciter monendum, neminem extitiſſe, de quo ſuſpicari poſſimus, Eſaiæ vaticinationem in eo impletam eſſe, præter unum Chriſtum, hanc videlicet ob cauſam, quod de quovis alio certiſſimum eſſet, illum non fuiſſe ipſum Deum Iſraëlis. Tota ſiquidem argumenti vis ex iſto Eſaiæ loco ducti in eo conſiſtit, quod neceſſe ſit, eum, in quo prædictio iſta impleta fuerit, eſſe illum unum Deum Iſraëlis. Sed quam hoc longe a veritate abhorreat, ſatis ut ſpero, demonſtratum à nobis fuit.

Responsio ad IV. Argumentum.

Quartum argumentum ſic habet: Eſai. 52. 5. Dicit Dominus, jugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipſe qui loquebar, ecce venio, ecce adſum. *Certum eſt* (ait Vujekus cum Bellarmino) *hunc, qui hæc dicit, eſſe illum Deum verum. Sed iſte idem eſt Chriſtus. Ergo Chriſtus eſt ille Deus verus.* Quod autem iſte idem ſit Chriſtus, ſic probant, *Nam* inquiunt, *dicit, Ego qui loquebar, ecce venio* (hæc duo verba addit Vujekus de ſuo) *ecce adſum. Quando enim quæſo, qui prius loquebatur per Prophetas, fuit hominibus præſens in mundo, ut per ſeipſum loqueretur, niſi, cum natus eſt Chriſtus?* Et addit Vujekus in hujuſce rei teſtimonium locum Hebr. 1. 1. Subjiciunt poſtea, verba ſtatim ſequentia, Quam pulchri ſuper montes ſunt pedes exangelizantis pacem, prædicantis bonum, de Chriſto ſermonem eſſe docere; *quaſi Propheta videret eum jam perambulantem montes Judææ, & euangelizantem.* Proferunt etiam illa verba ℣ſ. 8, oculo ad oculum; & ea quæ leguntur ℣ſ. 9. 10, ubi tandem dicitur, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Poſtremo notant verba illa, ℣ſ. 12. Præcedet vos Dominus, &c, ac denique concludunt, Patres hunc locum ad eundem modum exponere.

Reſpondeo, me non negare, Eſaiæ locum myſtice ad Chriſti tempora pertinere. Sed, ut de ſuperiore loco dixi ſic de hoc affirmo, aperte conſtare, eum, ſecundum literam (ut vocant) ad liberationem ex captivitate Babylonica referendum eſſe. In præcedentibus enim verſiculis hujus capitis qui plane cum iſtis (qui propterea ſoli recitari non debuerant, ſunt conjuncti, expreſſa fit mentio, inter alia quæ huc pertinent, ſolvendæ captivitatis filiæ Sion, & Aſſyrii, qui oppreſſurus erat Dei populum, ex cujus manu redimendi erant. Ex quo patet, quid ſibi velint verba illa ℣ſ. 6. *Propter hoc ſciet, &c.* ubi nullum eſt verbum, quod ſignificet adventum, ut Vujeki verba ferunt; nec eſt ſcriptum, ſecundum Hebraicam veritatem, *qui loquebatur*, ſed potius, *qui loquor.* Eſt enim participium præſens cum nota articuli vim habente; quod Græce ad verbum ſonat ὁ λαλῶν. Itaque ſenſus eſt, non quidem, Ego, qui prius, ſive olim (ut Bellarminus habet) loquebar per Prophetas, ecce ego per me ipſum loquor: ſed, Ego, qui hæc verbis promitto, eadem reipſa præſtabo, vobis enim adero. Quid enim tritius, ut etiam ſupra attigimus, quam, per Dei præſentiam, ſignificari ejus præſentem operam ac favorem? Notentur autem verba illa, *ſciet populus nomen meum*, quæ ſignificant, cognoſcet populus meus, quis ſim revera, id eſt, quam fidelis in promiſſis meis ſervandis. Et veriſimile eſt, hoc loco, nominis appellatione, non

ſimpli-

simpliciter (ut sæpe quidem fit) intelligi ipsum Deum, sed ejus nomen Jehova. Exodi enim 6,3. ait ipse Deus. *Apparui Abrahamo & Isaaco & Jacobo in Deo Scadai, sed nomine meo Jehova non fui cognitus illis.* Quorum verborum doctissimi Theologi ajunt hanc esse sententiam, Patres hos agnovisse quidem, Deum esse sufficientiæ, ut sic dicam, plenum, id est, habere; quo possit omnibus benefacere; sed non tamen reipsa expertos esse; illum efficere, ac præstare, quæ promisisset. Nam, ut scriptum est Heb. 11.13, omnes isti mortui sunt, nondum acceptis promissis, sibi posterisque suis à Deo factis. Quid igitur hic somniamus Deum per se ipsum loquentem, pro Deo præsente; id est, favente ac sua promissa præstante? Mirum autem est; Vujekum ad confirmandum; quod Deus, postquam natus est Christus; per seipsum loquutus fuerit, citasse locum Hebr. 1.1. ubi plane contrarium probatur, id est, Deum non per seipsum, sed per filium, quemadmodum antea per Prophetas, tunc locutum fuisse. Quare, quatenus, etiam velimus, hanc Esaiæ prædictionem ad Christum ejusque tempora spectare, aliud nihil, per Dei ipsius, qui locutus est, præsentiam, intelligere debemus, quam ejus præsentem favorem & gratiam, & eorum quæ locutus, id est, pollicitus est, præstationem. Verba illa, *Quam pulchri sunt pedes, &c*, à Paulo indefinite accepta sunt: & non ad Christum ipsum tantum, sed ad omnes euangelizantes; immo non ad ipsum Christum euangelizantem, sed ad eos, qui ipsum Christum annunciabant, & euangelizabant accommodata; ut patet Rom. 10. 14, 15, tanquam videlicet eorum numero comprehensos, qui euangelizant pacem, & bona, de quibus indefinite singulari numero Esaias locutus fuerat. Quæ locutio indefinita universali æquipollet; atque idem est, euangelizantis bona, quod, cujuscunque euangelizantis bona. Adeo ut optime etiam verba ista ad prædictionem liberationis ex captivitate Babylonica referri possint; quæ prædictio non ipsius Esaiæ fuit propria, sed & tunc, & deinceps, aliis Prophetis communis. Verba item illa, *oculo ad oculum*, nihil vetat, quominus eodem referantur, immo multo probabilius, quam ad Christi tempora. Neque enim de videndo ipso Deo ibi agitur: sed de videndo, cum Deus reduceret Sion, id est, populum suum ex Babylone liberatum in Hierusalem reduceret; qui propterea ℣. 12, dicitur illos præcessurus, quemadmodum idem Dominus, id est Jehova, dicitur præcessisse eundem populum, ex Ægypto liberatum, in nube, & in columna ignis, Exod. 13.21. Postremo quod dicitur de oculis omnium gentium, & de omnibus finibus terræ visuris salutare Dei: hoc quoque pro suo modulo, & secundum usum divinarum prædictionum, ad eandem ex Babylone liberationem accommodari potest. Nam cum ea sub Cyro, tam late in orbe terrarum dominante, contigerit, & quidem jussu publicoque ipsius edicto; non potuit non esse celebris & multis gentibus ac regionibus nota. Alioqui, si ipsa verba spectare velimus, prædictio ista ne ipsius quidem Christi tempore impleta fuit; sed paulatim postea impleri cœpit: nec unquam hactenus perfecte impleta est. Est autem præterea usitatissimum in typicis prædictionibus, ut alibi supra attigimus, multa dici, quæ ad ipsum typum non bene accommodentur, & hyperbolice dicantur; ut indicetur, subesse mysterium, & alio respicere Spiritum Sanctum, quam ad rem illam, sub cujus nomine prædictio illa exponitur; sicut viciſſim multa dicuntur, quæ ad typum ipsum melius, quam ad rem, quæ typo adumbratur, accommodari possunt. Et sic adumbrantis & adumbratæ rei fit in prædictionibus istis quasi mistio quædam; ut oporteat cautum & prudentem admodum esse lectorem, addam, & Spiritu Prophetico aliquatenus præditum, qui eas, quamvis jam impletas, perfecte intelligere velit.

Responsio ad V. Argumentum.

Quinctum argumentum ad hunc modum deducitur Esaiæ. 45. Hæc dicit Dominus, Labor Ægypti, & negotiatio Æthi piæ, & Sabaim, viri præstantes & sublimes ad te accedent, & tui erunt. Post te ambulabunt, vincti compedibus incedent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus & absque te non est Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël salvator. *Hic quoque Deus Pater de filio suo, & incarnatione ejus ita expresse loquitur, ut D. Hieronymus in hunc locum scribat, nullum esse effugium à laqueis hujus testimonii. Nam etsi supra loquutus est de Cyro; tamen quia Cyro id non convenit, Non est Deus præter te, cogimur hæc de Christo omnino intelligere* (Bellarminus tamen fatetur de Cyro etiam, sed ut Christum referebat, intelligi ista posse) *Neque enim hæc de Patre exponi possunt, cum ipse Pater sit, qui dicit de alia persona*: Te adorabunt; te deprecabuntur: *Et addit verba deprecantium*: Tantum in te est Deus; & non est absque te Deus. *Præterea Patri non convenienter dicerres, In te est Deus. At Christo hæc omnia optime conveniunt. Nam & in eo est Deus, cum sit humanitas ejus templum divinitatis: & absque ipso non est Deus, quia ipse solus cum Patre, & Spiritu Sancto est verus Deus. Et sic Christus est ille Deus Israelis.*

Respondeo, Hieronymum valde fuisse deceptum opinione sua. Nihil enim facilius, quam ex istis revera laqueis, id est, sophisticis interpretationibus evadere; ut statim ostendam. Sciendum enim est, pronomen *te* perpetuo in istis Esaiæ verbis, ubi apud Hebræos legitur, esse feminini generis, & similiter possessivum nomen *tui*, quod semel in illis legitur. Ex quo sequitur, nullo pacto ad Christum, vel ad Cyrum verba ista referri posse: sed necesse esse, ut ad Hierusalem, vel potius ad Sionem, id est, congregationem Israëlis, & mystice ad Christi Ecclesiam, referantur; quemadmodum & Francisco Vatablo, & aliis linguæ Hebraicæ peritissimis viris placet. Ex quo solo jam isti laquei fracti & contriti sunt. Ad cujus rei confirmationem, animadvertendum est, in proxime superiore versiculo, factam esse mentionem cœtus Israëlitici sub nomine captivitatis, in illis verbis, *& captivitatem meam dimittet*. Quod nomen apud Hebræos, non secus atque apud Latinos, feminini est generis. Habemus igitur ex ipso Esaiæ verborum contextu, quomodo verba, de quibus agimus, illuc referantur, quo ea referenda esse diximus. Quanquam si ad Cyrum referentur (quemadmodum necesse quodammodo esset, si pronomina ista essent masculini generis) jam constaret, quomodo ad Christum, cujus ille hic typus esset, relata, accipienda essent, aut certe accipi possent; id est, ita, ut sententiæ adversariorum nihil faverent. Alioqui nulla prorsus ratione de Cyro dici potuissent. Rectissime autem de Israëlis congregatione seu Synagoga, & de Christi Ecclesia ea dicta fuisse, mox breviter ostendemus. Prius enim occurrendum est adversarius, qui excipere potuerunt, Hieronymum adeo peritum fuisse linguæ Hebraicæ, ut errare non potuerit in non dignoscendo genere feminino à masculino; & propterea existimandum esse, locum à Judæis postea fuisse corruptum. Namque respondeo, differentiam istam generis in punctis tantum vocalibus consistere. Hieronymi autem ætate, ni fallor, vix extabant exemplaria ipsorum Bibliorum punctis notata, nisi fortasse quædam, quæ à Judæis, tanquam in communi thesauro asservabantur, ut ad ea, in ambiguis locis recte legendis, recurrere possent. Quare non est mirum, si Hieronymus, sua præjudicata opinione de Christi æterna & communi cum Patre divinitate impeditus, veram lectionem vel non est suspicatus, vel eam rejecit; putans se id tuto facere posse, cum publice erroris convinci nequiret. Sed jam breviter, verba illa Esaiæ ad Synagogam seu ad Ecclesiam rectissime posse accommodari, doceamus.

Primum igitur ait Esaias, quod in summo honore & celebratione futura sit, adeo ut etiam adoratum iri eam dicat. Atqui hæc eadem de Sione dicit idem Esaias pluribus verbis cap. 49. 18, usque ad finem. Atque eadem multo latius & uberius repetit per totum cap. 60, ubi etiam

etiam ỳſ. 6. fit mentio, ut hic, mercium pretioſarum, & nominatim de Saba, quæ futurum ſit ut ad illam afferantur. Deinde ſequitur in verbis Eſaiæ, de quibus agimus: *Tantum in te eſt Deus.* Jam utramcunque, ſive Synagogam ſive Eccleſiam ſuo tempore reſpicias; confitendum omnino erit, alibi Deum non fuiſſe; id eſt, neque Dei cognitionem, neque ejus ſpiritum ac favorem alibi in terris, tanquam ſuam ſedem ac domicilium habuiſſe. Quod quia apud omnes teſtatiſſimum eſt, & notiſſimæ ſunt iſtæ locutiones, eſſe ſeu habitare ac manere Deum in aliquo, Templum Dei eſſe, & ſi quæ ſint ſimiles: non laborabo, ut teſtimoniis Sacrarum Literarum confirmem, rectiſſime dici, Deum in ſui populi Synagoga ſuaque Eccleſia tantum eſſe. Quanquam Hebraica dictio, quæ reddita eſt *tantum*, poteſt non minus reddi profecto, vel utique. Et ſic multo etiam facilior erit ſententia & nullis difficultatibus obnoxia. Quod ſi verba iſta ad Chriſtum nihilominus referri poſſent, non aliter accipienda eſſent, quam dicta ſint de Eccleſia ipſius, id eſt, intelligendum foret, eodem genere (ut ſic dixerim) eſſendi Deum eſſe in Chriſto, quo eſt in Eccleſia, nempe per gratiam, licet pleniore multo, & longe auguſtiore quadam ratione. Vel, ſi mavis, in eum ſenſum eſſent accipienda, quo Paulus ſine dubio dixit, Deum fuiſſe in Chriſto, cum mundum ſibi reconciliaret; qua de re jam ſupra ſatis diximus. Nam ſive in hunc, ſive in illum ſenſum accipias, Deum in Chriſto eſſe, recte de eo dici poteſt, non ſolum, profecto, ſed etiam, tantum in te eſt Deus, propter ſingularem ejuſmodi exiſtentiam Dei in Chriſto, ſupra ac præter omnes alias res creatas. Adde quod quocunque modo, qui admitti poſſit, interpreteris, Deum eſſe in Chriſto, neceſſe eſt, ut ex hoc contrarium probetur ejus, quod inde adverſarii probare ſe poſſe, putant. Namque omnino, ſi Deus eſt in Chriſto, oportet, Chriſtum non eſſe ipſum Deum. Neceſſe ſiquidem eſt, quemadmodum alibi ante monuimus, ut alius ſit is, qui eſt in aliquo, & alius is, in quo eſt. Quod enim Bellarminus ait, Deum eſſe in Chriſto, cum Chriſti humanitas ſit quaſi templum divinitatis; hoc prorſus nihil eſt. Nam Chriſti humanitas non eſt Chriſtus, immo ne res quidem per ſe ſubſiſtens, quemadmodum neceſſe eſt, ut ſit id, de quo dicitur, *Deus in te eſt.*

Sciendum eſt præterea, in Hebræo non legi, *Et abſque te non eſt Deus*; ſed ad verbum, *Et non amplius*; *non Deus.* Quod ſignificat, nullum eſſe Deum, præter illum, qui proxime nominatus fuerat; de quo ſtatim ſubjungitur, *Vere tu es Deus abſcondens te* (tum autem, *abſconditus*, ut vulgo legitur) Deus Iſraëlis ſalvator, facta manifeſta apoſtrophe ad ipſum, quandoquidem poſtrema verba vocandi caſu prolata ſunt, non autem nominandi; ut quilibet facile concedet. Ex quibus omnibus perſpicuum eſſe credimus, nullam vim prorſus iſtius tantopere, opinione adverſariorum, formidabilis argumenti, apparare, aut exiſtimari poſſe.

Reſponſio ad VI. Argumentum.

Sextum argumentum ſumitur ex Baruchi cap. 3. 36. ubi legitur, ſecundum vulgatam editionem, hic eſt Deus noſter; & non æſtimabitur alius ad eum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ: & tradidit eam Jacob dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus, & cum hominibus converſatus eſt. Ex quo ſic infertur: *Hic etiam aperte agitur de Deo Iſraelis, qui ſolus non habet ſimilem, & qui primum, data omni ſcientia Iſraeli, hoc eſt lege in monte Sinai, deinde, homo factus, in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus eſt.* Subjicitur autem non exiguus numerus Patrum antiquorum, qui ad hunc modum locum iſtum ſunt interpretati. Ac poſtremo dicitur, nos non habere, quid reſpondeamus, niſi, quod liber iſte eſt apocryphus, quia non invenitur Hebraice.

Reſpondeo, immo nos per Dei gratiam habere aliud, quod reſpondeamus. Tametſi reſponſio iſta de libro, qui non ſit in canone Hebræorum, ſatis hodie eſſe deberet. Qua de re nihil neceſſe eſt nunc diſputare. Reſpondemus autem, verba Græca Baruchi ita ſe habere, ut verba illa, quæ Vetus Interpres tranſtulit, *viſus eſt*, & *converſatus eſt*, non minus recte verti potuerint, *viſa eſt*, & *converſata eſt*; referendo, ſcilicet, illa non ad Deum, ſed ad ſcientiam ab eo datam. Et ad hunc modum tranſlata ſunt, idque in variis linguis, à multis, quos quidem adverſarii pro hæreticis habent, interim tamen de Chriſti perſona idem cum ipſis ſentiunt. Cauſa, cur iſti omnes, quantumvis de Chriſto idem, quod adverſarii, quod attinet ad ejus divinitatem, ſentientes, à vulgata interpretatione receſſerint, manifeſta eſt. Quandoquidem ſtatim in initio cap. ſeq. ſubjungitur, ut ipſa vulgata editio habet, *Hic liber mandatorum Dei, & Lex, quæ eſt in æternum.* Quibus verbis declaratur, in proxime antecedentibus non quidem de Deo, ſed de ſcientia illa Jacobo data, eſſe ſermonem; quam Baruchus ſtatim declarans, quid ſit, ait eſſe Dei Legem. Quod ipſorum adverſariorum, hoc ipſo in loco, teſtimonio veriſſimum eſt. Perſimilis autem locus eſt in alio apocrypho libro, nempe in Eccleſiaſtico cap. 24. ubi, poſtquam, ab ipſo initio capitis inducta fuiſſet ſapientia valde multa in ſui ipſius commendationem dicens; tandem ỳſ. 32. ut Græca verba habent, ſic legitur: *Hæc omnia liber [ſunt] fœderis Dei altiſſimi, legis, quam mandavit Moſes [quaſi] hæreditatem in congregationibus Jacob.* Declarat expreſſe auctor ejus libri, ſe ſapientiæ nomine, cui tot & tanta tribuerat, eam divinam ſcientiam intelligere, quæ Dei Lege continetur: ſimili modo, ut hic Baruchus plane ſe intelligere declarat omnis ſcientiæ nomine, quæ, poſtquam Jacobo data fuit, viſa, id eſt, cognita in terris fuerit, & hominibus familiaris facta. Et tamen omnes ferme Pontificii, ſimili, ut in Barucho, cæcitate, locum illum Eccleſiaſtici de ſapientia, ad Chriſtum referunt, deque eo exponunt. Nec video quam tam gravium ac turpium errorum excuſationem habeant, præter auctoritatem iſtorum Patrum. Quorum ſi in divinis oraculis interpretandis puerilia tantum ac manifeſtiſſima errata colligere quis velit, habebit (opinor) unde magnum conficiat volumen.

Reſponſio ad VII. Argumenta.

Septimum argumentum, Zachariæ 2. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum*; Poſt (hanc addit Vujekus de ſuo) gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliarunt vos, qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Quia ecce ego levo manum meam ſuper eos; & erunt prædæ his, qui ſerviebant ſibi (mihi habet Vujekus) & cognoſcetis quia Dominus exercituum miſit me. Canta & lætare filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa; & erunt mihi in populum; & habitabo in medio tui; & ſcies, quod Dominus exercituum miſit me ad te. *Hic locus eſt efficaciſſimus, quemadmodum monent Euſebius, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Theodoretus, & Rupertus. Nam aperte dicit, Deum exercituum miſſum eſſe à Deo exercituum; & hoc repetit ſæpius. Quoniam vero unus tantum eſt Deus exercituum, hinc omnino ſequitur, Chriſtum eſſe unum & eundem Deum & Dominum exercituum cum Patre ſuo, licet perſona ab eo diſtinguatur.*

Reſpondeo primum, nihil conſtare, iſtum, qui dicit, ſe eſſe miſſum à Domino exercituum, eſſe Chriſtum; nec poſſe ipſoſmet Trinitarios, etiamſi ipſorum de tribus perſonis in uno Deo ſententia vera eſſet, id affirmare; quantumvis certum eſſet, iſtum & vocare ſe, & eſſe Dominum exercituum. Poſſet enim fieri, ut iſte nihilominus non Chriſtus ſeu filius, ſed Spiritus Sanctus eſſet. Senſerunt hanc difficultatem adverſarii in proxime ſeq. argumento. Sed eadem non minus

hic locum habet; cum non Filius tantum, ſed etiam Spiritus Sanctus à Patre mitti poſſit: immo & ab ipſo Filio Spiritus Sanctus mittatur. Ut nihil dicam, quod, ut ſupra monui, nulla cauſſa eſt, cur Pater ipſe, ſive à Filio, ſive à Spiritu Sancto mitti non poſſit; ſi modo omnium trium & uniuſcujuſque ipſorum eadem per omnia eſt dignitas, potentia, atque majeſtas, ut ipſi Trinitarii contendunt. Breviter ex hoc argumento, ſi recte concluſum eſſet, nihil aliud poſſet colligi, niſi duos eſſe, quorum uterque ſit & vocetur Dominus ſive Jehova exercituum; ſed quod alter eorum ſit Chriſtus, nullo modo, etiamſi certum eſſet, hanc prophetiam ad Chriſti tempora omnino eſſe referendam. Fit enim in ea aperta mentio de mittendo cum ultione ad Gentes, quæ Judæos afflixerant. Quod certe Chriſti temporibus non eſt factum, niſi fortaſſe poſt ipſius glorificationem, poſt quam ſicut Chriſtus non poteſt dici miſſus, niſi in perſona Apoſtolorum, ſic Spiritus Sanctus ipſemet dicitur eſſe miſſus. Unde potius concludendum eſſet, iſtum alterum Dominum exercituum eſſe Spiritum Sanctum; ſi modo conſtaret, Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Qua de re infra ſuo loco.

Deinde reſpondeo, iſtum, qui dicit, ſe eſſe miſſum à Domino exercituum, ex loci ipſius verbis non conſtare eſſe Dominum exercituum, neque id, ne ſemel quidem, nedum ſæpius hic fuiſſe dictum. Tota vis autem eſt in ipſis primis verbis. Quibus recte explicatis & intellectis, veritas patebit. Jam, ut id fiat, neceſſe eſt videre, quis ſit ille, qui apud Zachariam iſta verba pronunciat, *Hæc dicit Dominus exercituum, Poſt gloriam*, &c. Apparet autem ex antecedentibus hunc eſſe angelum illum alterum, qui occurrit angelo loquenti cum Zacharia, quem etiam alloqui cæperat à ℣. 4. & pergit uſque ad finem cap. & in ipſo ſermonis initio facit mentionem Zachariæ, cui vult ut dicat ea, quæ ſequuntur, inquiens, *Loquere ad puerum iſtum dicens, Abſque muro*, &c. Itaque apparet, quod præter illum, qui verba iſta pronunciat, *Hæc dicit Dominus*, &c. adſunt ibi, ipſo ſciente, cum quibus etiam loquitur, alii duo ſeu duæ aliæ perſonæ; nempe Zacharias, & angelus qui ab ipſo prophetiæ initio cum ipſo loquebatur. Hoc, quod apertiſſimum eſt, conſtituto, Dico pronomen Me in verbis illis, *miſit me*, non ad Dominum exercituum, ſed ad alterum iſtum angelum, qui verba illa, *Hæc dicit Dominus*, profert, referendum eſſe. Qui, quamvis ipſum Dominum exercituum loquentem videatur inducere, tamen reipſa nihil agit aliud, niſi narrat, quid Dominus exercituum dicat; hoc nimirum pacto: *Hæc* (ſive ut eſt in Hebræo *Sic*) *dicit Dominus exercituum, quod poſt gloriam*, &c. Nam particulam Quod frequentiſſime in Sacris Literis ſubaudiendam eſſe, nemo eſt qui ignoret. Hæc autem interpretatio multo etiam probabilior videbitur, ſi animadvertatur verbum Miſit poſitum fuiſſe pro Mittet; quemadmodum & locus omnino requirit, & ſæpiſſime fit apud Prophetas; ut ſcilicet præteritum pro futuro uſurpetur. Ita ut Angelus narret, quid Dominus exercituum dicat ſe facturum. Quod proprium eſt prophetiarum, & ſermonum quos apud prophetas Dominus exercituum habet. Nam, ſi quis dixerit, cum apud Prophetas pronunciantur verba iſta, *Sic dicit Dominus*, id quod poſtea ſubjungitur Dominum dicere, ex ipſius Domini perſona ſemper dici, ipſumque Dominum loquentem revera induci; Reſpondeo, iſtud, quamvis fortaſſe alibi perpetuo fiat, hic nullo pacto potuiſſe fieri, propterea quia, ut docui, duæ aliæ perſonæ aderant, ipſo ſciente & cum eis loquente, qui verba iſta, *Sic dicit Dominus*, &c. proferebat. Oportebat enim, ſi Dominum ipſum loquentem inducere voluiſſet ac dicentem, quod ſe miſſurus eſſet; ut ad hunc modum dixiſſet, *Sic dicit Dominus exercituum, Poſt gloriam mittam te ad gentes*, & addidiſſet, non quidem, ut nunc legimus, *quæ ſpoliarunt vos*, ſed, *quæ ſpoliarunt populum meum*, aut aliquid ſimile. Hoc poſterius inefficacius fuiſſet, nec bene expreſſiſſet, iſtos ſpoliatos pertinere ad Zachariam, eumque; ex illorum numero eſſe, ut exprimit pronomen Vos. Prius autem illud incertum reddidiſſet, quis eſſet, ille, quem miſſurus eſſet Dominus exercituum, an ſcilicet angelus ipſe, qui ejus verba referebat, an vero alter eorum qui præter ipſum aderant, & uter ipſorum: ſed præcipue, an alter ille angelus. Verum angelus, qui Domini exercituum verba referebat, volebat (idque ſane velle, aut tacere debebat) iſtos duos, qui aderant, certo ſcire ſe eum eſſe, quem Dominus exercituum miſſurus eſſet, & propterea coactus fuit ſeipſum expreſſe per pronomen Me nominare; quod facere non potuiſſet, ſi ipſum Dominum loquentem revera induxiſſet, & non ſimpliciter, ut ſine dubio fecit, quid diceret, retuliſſet. Quod autem nequaquam ſit veriſimile, nec merito quemquam poſſe ſuſpicari, pronomen Me ad ipſum Dominum exercituum referendum eſſe, vel hinc patet, quod alioqui non eſſet nominatus is, qui miſſurus eſſet, nec, quis eſſet, liquido conſtaret; id quod non modo ab uſu prophetiarum in Vetere Teſtamento penitus abhorret; ſed ipſum per ſe abſurdiſſimum omnium cenſeri debet. Ut omittam, quod nihil abſurdius aut magis ridiculum excogitari poteſt (quamvis Adverſarii ſibi in eo valde placeant) quam ita Scripturam interpretari, ut ita dicatur ipſe Dominus exercituum ab aliquo mitti: & quidem ab ipſo Domino exercituum.

Explanatis primis verbis, in quibus videbatur Adverſariis noſtris aperte dici, Dominum exercituum mitti, nempe à Domino exercituum: & oſtenſo, longe aliter rem ſe habere; facile eſt animadvertere, hinc ſequi, ne in ſequentibus quidem reliquis verbis quidquam tale vel dictum vel indicatum fuiſſe. Quando ſcilicet, jam demonſtratum eſt, eum, qui per totum illum ſermonem de ſe miſſo aut mittendo verba facit, nullo modo eſſe ipſum Dominum exercituum. Nam quod idem poſtea dicit (ut quidem Bellarminus, & Vujekus legunt) *qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: ſciendum eſt, ſecundum Hebræi & Græci codicis atque emendatiorum Latinorum veritatem, non *mei* ſed *ſui*, vel potius *ejus* legendum eſſe. Et ſic pro eo, quod videbatur, eum, qui loquitur, eſſe ipſum Dominum exercituum, apparet nullo modo eſſe. Diſtinguit enim dicens *ſui* ſive *ejus*, ſe ab eo, cujus pupilla oculi tangi dicitur, cum illi tanguntur. Is autem ſine dubio eſt Dominus exercituum. Adde, quod, cum legi debeat *ſui*, ſive *ejus*, non haberet pronomen hoc, non ſecus ac verbum *miſit*, ad quem referretur, ſi nomen Domini exercituum ante expreſſum ad illum referendum eſſet, qui loquitur. Sequuntur verba illa, *Quia ecce ego levo manum ſuper eos*; quæ etiamſi concedamus referri ad illum ipſum, qui loquitur, & non de eo tantum dici, cujus perſonam ille, ut ab eo miſſus, ſuſtinebat; non tamen hinc ſequetur, eum, qui loquitur, eſſe ipſum Dominum excercituum. Certum enim eſt, & poſſe & ſolere à Deo mitti angelos, non ut ſimplices nuncios, ſed tali poteſtate præditos, ut iſta & majora etiam de ſe affirmare poſſint. Vide hiſtoriam trium angelorum, qui Abrahamo apparuerunt, Gen. 18. & deinceps; & memineris, quot & quanta per angelos Deus patraverit in Ægypto, & in deſerto, & ſub Davide, cum populum David numeraſſet, & ſub Ezechia contra exercitum Senacheribi, & denique fere ſemper, cum, ut hoc loco, ulciſci injurias ſibi aut populo ſuo factas voluit. Certe, quidquid afflictionum & pœnarum, propter injurias ab eo ſibi factas, populo Iſraelis in deſerto inflixit, angeli illius miniſterio inflixiſſe, quem ipſis ducem dederat, indicant verba illa de eo ab ipſo Deo dicta, *quia non dimittet cum peccaveris*, Exod. 23. 21. Poſtremo, cum legis in iſto Zachariæ loco verba illa, *& applicabuntur gentes multæ ad Dominum*, &c. non eſt quod exiſtimes, illa dici ab alio quam ab ipſo Domino ſeu Jehova, ad quem dicuntur gentes multæ appliicatum iri; ut, quia poſtea ſequitur, *& erunt mihi in populum*, &c. quæ verba non niſi à Jehova

hova dici poſſunt, credas, te poſſe inde colligere, duos eſſe, quorum uterque ſit Jehova. Etenim haud raro apud prophetas Jehova de ſeipſo in tertia perſona loquitur: quippe ex Hebraico idiotiſmo uſurpandi antecedentia pro relativis. Inductus autem jam fuerat Jehova ipſe loquens, ab illis verbis *Lauda*, ſeu *Canta & lætare filia Sion*, &c. ut demonſtrant verba illa, *ait Dominus* cujus Jehovæ verba durant uſque ad illa, *Et ſcies*, &c. ubi angelus ad ſuam ipſius perſonam redit. Itaque, Ad Dominum, in ſuperioribus verbis idem valet, quod Ad me; quemadmodum ſuperiore capite ỳſ. 17. *Et conſolabitur adhuc Dominus Sion*, idem eſt; quod, *Et ego conſolabor adhuc Sion.* Ipſius enim Domini iſta ſunt verba. Id ipſum animadvertere potes infra cap. 8. 9. ubi verba illa, *domus Domini exercituum*, omnino idem valent, quod, *domus mea.* Et quia exempla alia, & apud hunc, & apud alios prophetas, ſunt unicuique obvia; non adducam plura. Tantum dicam, ſi quis prophetarum verba velit ad exactas Grammaticæ regulas revocare, præſertim linguæ Latinæ, aut alterius cujuſpiam præter Hebraicam, eum in infinita abſurda deventurum. Oportet enim in illis intelligendis judicio ac prudentia potius, quam regulis grammaticalibus, uti: ac diligenter animadvertere, ad quem quodque referatur, non tam ex ipſo verborum ſono atque ordine, quam ex verborum ſententia: ac propterea ſæpius vel verbum unum, aut plura ſubaudire, vel etiam verbis ipſis aliquam vim facere. Unum tantum de tam multis exemplis afferam (quippe quod locus ſit non abſimilis huic noſtro) Hierem. cap. 27. in ipſo initio; ubi ſic legitur: *In principio regni Joakim filii Joſiæ regis Juda factum eſt verbum iſtud ad Hieremiam à Domino, dicens, Hæc dicit Dominus ad me, Fac tibi vincula*, &c. Quis erit, qui, ſi ipſa verba, ut ſonant, accipere velit, non ſimiliter, ut adverſarii in iſto Zachariæ loco faciunt, referat illud *me* ad Dominum priore loco nominatum, ad quem Dominus nominatus poſteriore loco ea dixerit, quæ ſequuntur, *Fac tibi vincula*, &c. Et tamen, ut ex iſtis ipſis, quæ ſequuntur, patet, neceſſe eſt, ut pronomen Me non quidem ad Dominum priore loco nominatum, qui idem prorſus eſt cum Domino poſteriore loco nominato, ſed ad Hieremiam referatur; inſolente omnino, præſertim in aliis linguis, quam Hebraica, & figura & ſtructura verborum. Sed noſtri Adverſarii & nunc, & olim nihil penſi hac in re habent aut habuerunt unquam, modo ad ſuam ſententiam contra nos confirmandam aliquid ex divinis oraculis videantur ſibi poſſe elicere, & ſic in abſurdiſſima multa deveniunt, atque exteris, id eſt, à Chriſto alienis hominibus, quorum plerique adhuc Chriſtianæ religionis cognitionem apud illos eſſe opinantur, ipſam religionem Chriſtianam (quod ſane vehementiſſime dolendum eſt) illudendam ac deridendam exponunt.

Reſponſio ad VIII. Argumentum.

Octavum argumentum ſic ſe habet: Zacha. 3. 1. Oſtendit mihi Dominus Jeſum ſacerdotem magnum, ſtantem coram Angelo Domini: & ſatan ſtabat à dexteris ejus ut adverſaretur ei. Et dixit Dominus ad ſatan, Increpet Dominus te ſatan, Dominus qui elegit Hieruſalem. *Hic aperte audimus quod Dominus (Jehova) dicit ad ſatanam, Increpet te Dominus (Jehova) Ex quo ſequitur, Dominum (Jehovam) non eſſe unam perſonam, ſed plures perſonas. Quod autem altera perſona ex his ſit Chriſtus, teſtantur Doctores, Euſebius, Hieronymus, Theodoretus, & Rupertus. Et affert cauſſam Theodoretus, cur potius ſit Filius, quam Spiritus Sanctus, is, qui dicit, Increpet te Dominus. Satan enim adverſabatur Jeſu filio Joſedeki, qui gerebat figuram Chriſti Domini. Propterea, cum Jeſus ille per ſe ſatanæ reſiſtere non poſſet, Filius Dei, qui ſimiliter Jeſus nominandus erat, increpuit pro illo ſatanam, & ſimul hac increpatione ſignificavit, ſe, carne aſſumpta, ſatanam increpaturum. Quod fecit Matth. 4 vers 10. quando ei dixit*, Vade ſathana.

Reſpondeo primum, ut ad ſuperius argumentum, Non poſſe ex loco iſto ullo pacto concludi, alteram ex duabus iſtis perſonis, quarum utraque appellatur Jehova, eſſe Chriſtum: ſed tantum duos eſſe, quorum uterque ſit Jehova; ſi modo ex appellatione liceret ſemper ipſam eſſentiam colligere. Nec ſi vera eſt Trinitariorum ſententia, Theodoreti ratio, cur potius alter ex iſtis ſit Filius, quam Spiritus Sanctus, quidquam valet, immo contra ipſum retorqueri poteſt, atque ejus vi oſtendi, nullo pacto eſſe veriſimile, ut iſte alter, qui Jehova dicitur, ſit Chriſtus. Ratio enim tota in eo conſiſtit, quod ille Jeſus ſacerdos, Jeſu Chriſti figura eſſet: quod ſi ita eſt, videtur hinc potius neceſſario conſequi, eum, qui illi opitulari quodammodo volebat, & pro illo (ut quidem in ratione iſta deducenda affirmatur) ſatanam increpuit, alium eſſe, quam Jeſum Chriſtum. Jam enim in ea viſione Jeſus ſacerdos, ſi alioqui Chriſti typus erat, Chriſti perſonam repræſentabat. Nec videtur fieri poſſe, ut in ipſa eadem viſione, eodem temporis momento, quis & in ſua propria perſona vere, & in altera repræſentative ſeu adumbrate appareat, altera ab altera manifeſte diſtincta, ut in hoc loco evenit. Cætera quæ huic rationi annectuntur, adeo futilia ſunt, ut refutatione non indigeant. Hoc unum non reticebo, haud verum eſſe, Jehovam iſtum, qui ad ſatanam locutus eſt, eum increpaſſe. Immo apparet, eum increpare noluiſſe: ſed tantum increpationem Jehovæ commendaſſe.

Jam ne quis credat, me ſatis habere; ut oſtendam, argumentum non concludere id, quod Adverſarii volunt, & interim, quaſi hoc teſtimonio convictum concedere duos eſſe, quorum uterque revera ſit Jehova. Reſpondeo ſecundo loco, appellari quidem hoc loco duos nomine Jehovæ: ſed tamen unum tantum ex illis eſſe revera Jehovam. Quandoquidem is, qui, Jehova appellatus, allocutus eſt ſatanam, eſt vel angelus, qui ab initio cum Zacharia locutus eſt, vel angelus ille Jehovæ, coram quo Jeſus ſacerdos ſtabat; quem, ſcilicet, Zacharias antea non viderat, donec alter ille angelus, quem ſuperiore cap. locutum fuiſſe docuimus, à ỳſ. 4. uſque ad finem cap. ei illum oſtendit. Ad hunc enim angelum, cujus verba proxime relata fuerant, & ſic de quo poſtremo Zacharias fuerat locutus, videntur omnino referenda eſſe verba illa, *oſtendit mihi.* Neque enim in Hebræo eſt vox Dominus ſeu Jehova; ſed, ad verbum, ſic Hebraicum exemplar habet: *Et oſtendit mihi*, ſeu, ut verbum verbo plane reddatur, *Et videre me fecit Jehoſchuam ſacerdotem magnum ſtantem ante faciem angeli Jehovæ*, &c. Quamquam poſſunt etiam verba iſta, *oſtendit mihi*, referri ad angelum, qui ab initio cum Zacharia loquebatur, tanquam ad eum, ad quem Zachariæ ſermo revertatur, poſtquam digreſſione quadam facta, abſolvit verba alterius angeli, qui huic obviam factus fuerat, & tunc vulgata lectio locum habere poſſet. Nam hic angelus alibi à Propheta Dominus ſeu Jehova appellatur; ut poſtea demonſtrabo. Jam quod vel hic angelus, vel angelus illis Jehovæ, coram quo Jeſus ſacerdos ſtabat, ſit idem ille, qui poſtea nominatur Jehova, ex eo videtur demonſtrari poſſe, quod vix videtur poſſe fieri, ut, cum res narretur, quæ agatur, indicatur aliquis loqui, cujus nec antea, ut ibi præſentis, mentio ulla facta fuerit, nec veniens, cum loqui incipit, deſcribatur. Adde, quod attinet ad poſteriorem angelum, ipſum omnino decuiſſe ſatanam alloqui, & adverſus eum Jeſu ſacerdotis magni defenſionem ſuſcipere; quippe coram quo ipſe Jeſus ſtaret, nempe ut coram eo, qui Jehovæ Dei perſonam ſuſtineret. Proprium enim eſt ſacerdotis magni coram Deo ſtare. Unde etiam patet, quam merito potuerit angelus iſte Jehovæ nomine appellari, præſertim cum angelus ille, qui ab initio cum Zacharia loquebatur, nec cum ipſo loqui plane deſtitit, uſque ad finem 6. cap. Jehovæ nomine ſatis aperte appelletur, idque ſæpius; primum cap. 1. 20. deinde cap. 4. 8. ubi certe, niſi no-

mine Jehovæ angelus iſte ſignificaretur, ſed ipſe Jehova Deus; multo clarior, quam ſuperior ille ad 7. argumentum formandum allatus, eſſet locus iſte ad probandum, quod ſint duo, quorum uterque ſit Jehova, & quorum alter ab altero ſit miſſus. Sequente enim verſiculo id ipſe ait, *Et ſcietis quia Dominus* (id eſt) *Jehova) exercituum miſerit me ad vos.* Verum, cum manifeſtum ſit, angelum locutum fuiſſe cum Zacharia, iſque angelus jam ſupra Jehova nominatus inveniatur; nullum dubium eſſe poteſt, quin is, qui iſto in loco vocatur Jehova, cujus verbum ad Zachariam extiterit, ſit angelus iſte; præſertim, cum de vero Jehova, ut à ſe plane diſtincto diſerte verba faciat. Idem habes cap. 6.9. ubi ſimiliter is, qui Jehova appellatur, cujus verbum ad Zachariam extiterit, tandem ỳſ. 15. ad finem cap. ubi, ut dixi, angelus ille deſinit cum Zacharia loqui, ſic ait: *Et ſcietis, quia Dominus exercituum miſerit me ad vos.* Præterea in ipſo ferme prophetiæ initio, nempe cap. 1.7. fit mentio Jehovæ, cujus verbum ſimiliter ad Zachariam extiterit. at ỳſ. 9. apparet, ab angelo iſto verbum iſtud fuiſſe progreſſum. Inquit enim, *Et dixit ad me angelus ille Domini, qui loquebatur in me*, id eſt, *mecum.* Unde admodum veriſimile ſit, hunc ipſum angelum, eum eſſe, qui Jehova nominatus ſatanam allocutus dicitur. Jam enim Propheta aperte declaraverat, ſe angelo iſti, Jehovæ appellationem tribuere. Qua in re illud videtur conſiderandum, quod cum apud hunc Prophetam, ſive huic ſive alii angelo Jehovæ nomen tribuitur, ipſum nomen ſimplex ponitur, nec unquam additur *exercituum.* Veriſimile eſt enim, hoc ad differentiam inter verum Jehovam, & angelos, qui Jehovæ nomine vocantur, factum eſſe. Non quod apud hunc ipſum prophetam, etiam cum adhuc in ejus prophetia aliquis angelus loquitur, ipſe verus Jehova ſimplici Jehovæ nomine non vocetur: ſed ut, cum vox *exercituum* additur, jam ſciatur, omnino de ipſo vero Jehova ſermonem eſſe.

Reſponſio ad IX. Argumentum.

Nonum argumentum, quod ultimum eſt hujus ſecundæ claſſis, his verbis continetur, Zach. 12. 10. Effundam ſuper domum David & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt. *Hic locus intelligitur de Chriſto confixo in cruce. Et tamen hoc dicit Deus Iſraël, qui ſolus poteſt effundere in homines ſpiritum gratiæ, & precum. Eſt igitur Chriſtus Deus Iſraëlis. D. enim Johannes teſtatur, hanc prophetiam impletam fuiſſe, quando Chriſtus fuit crucifixus & lancea perforatus*, Joan. 19 27. *id quod præterea res ipſa aperte oſtendit. Nam quando alias, quæſo, Deus dator gratiæ fuit confixus, niſi cum Chriſtus verus Deus & Dominus gloriæ* (*ut Paulus illum vocat*, 1 Cor. 2. 8.) *fuit crucifixus? Aut oſtendant Anabaptiſtæ, quando vel ubi Deus Pater fuit confixus, ut vere diceret*, Aſpicient ad me quem confixerunt.

Reſpondeo. Ac primum dico, hoc argumentum revera ad ſuperiorem claſſem pertinere. Niſi enim locus Johannis eſſet, nihil prohiberet, quominus de metaphorica tantum, eaque jam facta, confixione hæc Dei verba acciperentur. Deinde affirmo, Johannis teſtimonium ſive in loco ab Adverſariis citato, ſive Apoc. 1.7. unde probatur, hunc Zachariæ locum ad Chriſtum pertinere, quamvis Zacharias de uno illo Deo Iſraelis loquatur, non tamen probare, Chriſtum eſſe illum unum Deum Iſraelis, non magis, quam apud eundem Zachariam probent, Dei oculi pupillam eſſe populum Judaicum, illa de Deo verba, *Qui tangit vos* (id eſt, populum Judaicum.) *tangit pupillam oculi ejus* aut quam apud Lucam in Actis apoſtolorum probent, Jeſu Nazareni cultores, eſſe ipſum Jeſum Nazarenum, verba illa ipſius Jeſu ad Paulum adhuc Saulum (qui non certe ipſum Chriſtum jam in cælis revera regnantem, & ſecundum ipſius Pauli opinionem mortuum atque penitus vivis & ex mundo exemptum, ſed ipſius cultores perſequebatur) *Saule Saule quid me perſequeris* Act. 4. & 5. & rurſus *Ego ſum Jeſus Nazarenus quem tu perſequeris*: aut denique non magis quam ſimiliter probent, Chriſti minimos eſſe ipſum Chriſtum, verba illa, quæ ſe in die judicii dicturum, ipſe Chriſtus teſtatur, iis, quos in poſſeſſionem cæleſtis regni eſt introducturus Matth. 25. 35. & 42. *Eſurivi, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere*, &c. ſeu verba illa, quæ viciſſim ſe dicturum teſtatur, iis, quos æterno ſupplicio adjudicabit: *Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere*, &c. Quoniam videlicet, idem ipſe Chriſtus teſtabitur, hæc facta fuiſſe, quando eſurienti & ſitienti &c. alicui ex ſuis minimis datus, aut non datus eſt ab iſtis cibus & potus, &c. Quis tam ſtupidus eſt, quin videat, hisloquendi modis, non quidem eandem eſſentiam, ſed ſummam conjunctionem & amorem ſignificare? Jam quis Deo conjunctior quam Chriſtus homo, quis carior aut fuit unquam, aut eſſe poteſt, quamvis utriuſque eſſentia ſit admodum diverſa? nam & apud eundem prophetam Zach. 13.7. Deus Chriſtum virum ſocium ſuum appellat; qua appellatione ſumma Chriſti hominis cum Deo conjunctio declaratur. Numquid conjunctiorem aut cariorem Deo populum Judaicum fuiſſe dicemus, quam fuerit ipſe homo Chriſtus? Cur igitur, ſi per ſuum angelum Deus olim monuit, quod, qui tangeret populum Judaicum, is tangeret pupillam oculi ſui; non potuit etiam dicere ſe configi ab illis, qui Chriſtum configebant, quamvis Chriſtus non ſit unus & idem eſſentia cum ipſo, quemadmodum populus Judaicus non erat revera pupilla oculi Dei, nec quidquam ad ejus eſſentiam pertinebat, tametſi alioqui neceſſe eſt, ut id, quod per pupillam oculi Dei ſignificatur, ad ipſius Dei eſſentiam pertineat? Idem eſt enim immo multo plus, quam ſi Deus dixiſſet ab eo ſe tangi, qui tangeret populum ſuum. Qui enim pupillam oculi alicujus tangit, non ſolum illum tangit, ſed in nobiliſſima, & ex minima etiam punctura dolorem maximum accipiente, parte eum tangit. Faceſſant igitur iſtæ ſtolidæ divinorum oraculorum interpretationes, quibus monſtra ac portenta opinionum ac dogmatum, non ſine magna divinæ majeſtatis injuria, in populum Chriſtianum ſunt invecta.

Addam tamen nihilominus & aliam ad locum; iſtum reſponſionem; nempe, quamvis apud Zachariam vulgo legantur voculæ illæ, *ad me*, in illis verbis, *Et aſpicient ad me, quem confixerunt*, ſeu *compunxerunt*; tamen ex verbis Johannis ſatis conſtare, ipſius tempore, voculas iſtas, in eo loco non fuiſſe lectas. Aut certe, à Johanne locum iſtum ad Chriſtum accommodatum fuiſſe, ſecundum eam lectionem, quæ illas non haberet (cur enim alioquin eas plane omiſiſſet?) adeo ut hic de uno illo Deo verba non fierent. Et ſane ex ipſo loco intelligi poteſt, voculas iſtas fuiſſe additas. Statim enim ſubjungitur, *Et plangent ſuper eum, ut in planctu ſuper unigenitum; & mœrere* [*continget*] *ſuper ipſum, ſicut mœrere* [*contingit*] *ſuper primogenitum.* Ex quibus verbis apparet, non de eo ipſo, qui loquitur, ſed de alio ſupra verba fieri, & ſic redundare illud *ad me*, quod ibi legitur. Erat nimirum hic locus, inſignis de Jeſu Nazareno clavis confixo, & lancea perfeſſo prædictio; & propterea, Judæos illum, ab ipſo Euangelii initio corrupiſſe, eſt admodum veriſimile; ſicut ſimilem locum corruperunt, Pſal. 22.17. ita ut, quamvis veræ lectionis, etiam in quibuſdam Hebraicis codicibus teſtimonia appareant; tamen vulgo apud eos pro, *Foderunt manus meas, & pedes meos*, legatur, *Sicut leo manus meas, & pedes meos.* Cujus lectionis ineptitudo, ſimiliter ut hic ejuſdem falſitatem prodit. Animadvertendum denique eſt, locum hunc Zachariæ etiamſi Hebraica lectio, quam hodie habemus, omnino incorrupta eſſe ſtatuatur, poſſe tamen ex Hebræo ita verti, ut nulla in eo, quemadmodum nec in loco apud Joh. cap. 19. Dei Iſraelis confixi mentio fiat. Hoc nimirum

rum pacto, *Et aspicient ad me cum illo quem confixerunt.* Monuit hujus rei nos Marcus Marius D. Salvatoris Canonicus regularis. Is enim in præfatione Thesauri sui novi linguæ sanctæ cap. 2. hunc locum ad istum quem dixi modum legit. Quod idem facit in Thesauro in verbo Dakar; & neutro in loco vulgatæ lectionis quidquam meminit. Sed nec suæ interpretationis ullam rationem affert; quod, ut arbitror, confisus fuerit, eam unicuique linguæ Hebraicæ haud imperito facile probatum iri. Et sane absurditas, quæ vel in ipso totius loci contextu, vel in eo, quod apud Euangelistam nulla illius, qui apud Prophetam loquitur, confixi mentio fiat, prorsus apparere videtur, non aliter, quam hac interpretatione admissa, penitus evanescere potest. Speramus autem, auctoritatem hominis Pontificii, ejusdemque in Hebraica lingua exercitatissimi, tanti ponderis apud Adversarios nostros futuram, ut locum istum contra nos tantopere urgere jam desinant.

CAPUT V.

In quo refelluntur argumenta ex solo Novo Testamento desumpta.

VEnimus ad tertiam argumentorum classem, id est, eorum, quæ ex solo N. T. sunt desumpta: in quibus dissolvendis major videtur esse difficultas, sed quia contra certissimam alioqui & apertissimam veritatem, quod ille unus Deus nullus alius sit, neque esse possit, nisi Pater Domini nostri Jesu Christi, nullas vires hominum sophismata habere possunt; speramus ipso Deo adjutore, nos facile illa solvturos. Itaque ad rem aggrediamur.

Responsio ad I. Argumentum

Primum igitur argumentum his verbis formatum apud Vujekum ex Bellarmino legitur. *Primum testimonium sit illa egregia confessio Petri, quæ profecta est à revelatione Dei Patris, Matth.* 16. 17. Tu es Christus filius Dei vivi. *Quibus verbis D. Petrus confitetur, Christum esse verum & naturalem Dei filium. Nam propterea addidit illud verbum* vivi, *quia proprium est rerum viventium gignere sibi simile in natura. Quod & loca illa amplius confirmant, ubi Christus est nominatus* Filius Dei unigenitus *Joan.* 3. 16. *&* proprius Dei Filius *Rom.* 8. 32. *&* verus Filius 1 *Joan.* 5. 20. *immo* naturalis Filius. *Propter hoc enim vocatur expressa imago substantiæ sive subsistentiæ Patris. Hebr.* 1. 3. *quod non convenit filiis asciticiis seu adoptivis. Ac breviter talis Filius, cujus comparatione Angeli vocantur servi Hebr.* 1. 7. *Qui tamen alioqui sunt filii Dei adoptivi seu asciticii, & qui dem præcipui. Denique Christus Dominus à Judæis idcirco fuit accusatus, quod se fecisset Dei Filium.* Nos, *inquiunt*, legem habemus, & secundum legem (nostram addit Vujekus) debet mori, quia fecit se Filium Dei, Joan. 19. 7. *Atqui certum est, quod non propterea fuit accusatus, quod se fecisset filium Dei non proprium aut adoptivum. Quandoquidem & ipsi Judæi faciebant se tales Dei filios.* Unum, *inquiunt*, patrem habemus Deum, *Ioan.* 8. 41. *Et tamen Christus non diluit hanc accusationem Iudæorum, neque coram Caipha neque coram Pilato, immo eam, ut veram admisit; & in hac confessione est mortuus.*

Cum igitur Christus Dominus sit verus, proprius unigenitus, & naturalis Filius Dei: sequitur omnino, eum genitum esse ex substantia Patris. Nec particulam substantiæ accepit. Deus enim non potest dividi, aut partiri. Et sic accepit totam substantiam Patris, & propterea est unus & idem Deus cum Patre.

Respondeo, negando assumptionem hujus argumenti. Quanquam nec ipsa consequentia admittenda est; ut postea dicam. Argumentum breviter tale est: Christus genitus est ex substantia Dei Patris; Ergo est unus & idem Deus cum Patre. Nego igitur, Christum esse genitum ex substantia Dei Patris, & propterea id nego, quod Dei substantia sive essentia (substantia enim hic pro essentia usurpatur) non solum, ut ipsi Adversarii & fatentur & simul urgent, est prorsus impartibilis; sed etiam minime est tota communicabilis, id est, non potest Dei essentia tota pluribus personis esse communis. Nec enim multiplicari illa potest, cum necesse sit, eam esse unam numero, sicut Deus necessario unus est numero; nec eadem numero essentia, plurium personarum essentia esse potest. Hoc enim implicat contradictionem, cum ad diversam personam constituendam, diversa, id est, non eadem numero essentia requiratur. Jam, cum genitor & genitus sint duæ diversæ personæ, si Christus esset genitus ex essentia Dei Patris, necesse esset, Dei essentiam vel esse aliqua ratione partibilem, vel multiplicari, vel eandem numero essentiam, pluribus personis esse communem. Quæ omnia cum partim testimonio ipsorum Adversariorum, partim ratione manifesta, ejusmodi esse demonstraverimus, ut fieri nullo modo possint; nullo etiam modo fieri posse demonstratum est, ut Christus sit genitus ex essentia seu substantia Dei Patris. Hoc fundamento certissimo ac firmissimo posito; facile erit ad rationes Adversariorum respondere, quibus contrarium probare conantur.

Prima ratio quam afferunt ad probandum, quod Christus sit genitus ex substantia Dei Patris, est, quia est filius Dei vivi: proprium autem viventium est gignere sibi simile in natura. Hinc igitur intelligendum esse ajunt, Christum fuisse genitum à Deo similem ipsi in natura, & sic ex ipsius Dei substantia.

Respondeo. Si hæc ratio bona est, non Christus tantum, sed etiam alii, magno numero, sunt geniti ex substantia Dei. Scriptum est enim apud Oseam, & repetitum à Paulo in Epist. ad Rom: *Et erit in loco ubi dicitur, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.* Neque enim credo, quenquam esse vel tam rudem usus Sacrarum Literarum, vel tam cæcum in videndo, quæ sit sententia loci cum apud Oseam, tum apud Paulum, ut existimet, istos vocari quidem debuisse filios Dei vivi, sed non tamen esse. Quod si tamen quis adeo rudis aut cæcus est, ut ita existimet; id saltem & intelliget & videbit, istos ex ratiocinatione Adversariorum, si non esse, vocari tamen debuisse, filios Dei genitos ex substantia ipsius Dei; quod & falsum & absurdum plane est. Sed quis est, qui non videat, vocem *vivi* additam nomini Dei eam vim habere non posse, quam illi tribuunt Adversarii, eorumque esse istud merum commentum, vel potius somnium? Additur enim ista vox nomini Dei, sive in verbis Petri, sive alibi, ad distinguendum Deum verum & vitam in seipso habentem ab idolis, & falsis diis; qui vel res sunt mortuæ, vel certe vitam in seipsis non habent, & ostendit hoc Dei epithetum in verbis Petri, cujus & qualis Dei Christus sit filius: non autem, qualis filius. Et hæc satis sint ad hanc primam infirmissimam rationem convellendam.

Secunda ratio est, quia Christus est filius Dei unigenitus. Rationem consequentiæ non explicant. Sed facile est intelligere, eos sic argumentari. Unigenitus filius idem est, quod Unicus filius. Atqui, nisi Christus sit genitus ex substantia Dei Patris, erit filius Dei adoptivus, & ex gratia, sicut & cæteri alii Dei filii. Et sic non erit ulla ratione unicus Dei filius.

Respondeo, immo jure Christum vocari unigenitum, id est, unicum Dei filium, nec tamen hinc sequi, illum genitum esse ex substantia Dei Patris. Nec sane debuit ex tam debili ratiocinatione concludi id, quod, ut antea docuimus, nulla ratione fieri potest. Christus enim unigenitus Dei filius merito appellatur, quia pluribus modis aliis Dei filiis omnibus antecellit; licet non ipse solus sit ex eo genitus. Siquidem & alii ex Deo geniti seu nati sunt, Joh. 1. 13. Jac. 1. 18. 1 Jon. 3. 9 & 10. Nam alibi etiam in Sacris Literis unigenitum filium, sive unicum, dici illum, qui non solus ex patre suo est genitus, probat exemplum Isaaci, qui unigenitus Abrahami filius appellatur, Gen. 22. 2, 12. Hebr. 11. 17. Certum siquidem est, eo ipso tempore, pro quo ita appellatur, non solum ipsum Isaacum extitisse ex Abrahamo

genitum ſed etiam Iſmaelem. Quod exemplum rei noſtræ accommodatiſſimum cenſeri debet; cum dubium non ſit, quin Iſaacus Chriſti typus fuerit. Quemadmodum igitur Iſaacus propterea unigenitus Abrahami filius eſt appellatus, quia pluribus modis fratrem ſuum Iſmaelem ex eodem patre genitum antecellebat; ſic Chriſtus merito unigenitus Dei filius eſt dictus, quia fratres ſuos ex eodem Patre Deo genitos pluribus modis antecellit.

Primum, ut ille, paterna erga ſe dilectione; quæ potiſſima hujus rei videtur eſſe cauſſa. Hinc Salomon Prover. 4. 3. dicit, ſe fuiſſe unigenitum coram matre ſua, quamvis non eſſet ſolus ex eadem matre Davidi natus; ut expreſſe habetur 1 Paral. 3. 5. nempe quia præter alios matri ſuæ carus erat. Propterea Græca tranſlatio tam in duobus illis Gen. locis cap. 22. quam in hoc Prov. 4. pro eo, quod in Latina habetur Unigenitum, habet ἀγαπητὸν ſeu ἠγαπημένον, id eſt, Dilectum ſeu Amatum. Eſt autem in Hebræo vox Jehid, quæ proprie ſignificat Unicum; quæ, cum ad filium refertur, eandem vim omnino habet, quam vox Unigenitus; ut, præter rationem manifeſtam, docet locus Hebr. 11. 17. Ibi enim vox iſta Hebræa non in verſione tantum Latina Unigeniti voce, ſed in ipſius auctoris Græcis verbis voce μονογενῆς, quæ Unigenitum plane ſignificat, reddita fuit. Atqui eadem Hebræa vox ad unicam dilectionem ſignificandam uſurpata invenitur; ut Pſal. 22. (ſecundum Hebraici codicis numerum) ỳſ. 20. & Pſal. 35. 17. ubi David animam ſeu vitam ſuam Jehidathi, id eſt, *Unicam meam*, vocat. Nihil enim homini vita carius. Atque utrobique Græca tranſlatio habet μονογενῆ, id eſt, *Unigenitam*. Quin Deus ipſe Chriſti pater videtur declaraſſe, quid ſibi vellet excellens iſta Unigeniti appellatio Chriſto tributa & nomini Filii Dei addita; cum tam in ejus baptiſmo, quam in tranſfiguratione, ubi illum quam maxime commendare voluit, Filium illum ſuum dilectum, eum appellavit, in quo ſibi complacuiſſet: nec quidquam amplius illi tribuit. Ex quo concludi poteſt, Unigeniti appellationem, utpote ad eum commendandum omnium appoſitiſſimam, appellatione iſta Illius dilecti filii, fuiſſe expreſſam.

Deinde quemadmodum Iſaac, ut veriſimile omnino eſt, propterea etiam eſt Unigenitus Abrahami filius appellatus Gal. 4. 30. Hebr. 1. 2. Gen. 21. 12. Gal. 3. 17, quia ſolus ei in univerſa hereditate ſucceſſurus erat; ſic Chriſtus unigenitus Dei filius eſt dictus, quia ſolus univerſorum heres fuit à Deo conſtitutus, & ſicut in Iſaac tantum vocandum erat ſemen Abrahamo; ſic in ſolo Chriſto ſemen filiorum Dei vocandum fuit. Quod, ad unigeniti appellationem tribuendam, maximi momenti eſſe, nemo, opinor, negaverit.

Adde quod ſi quis recte animadverterit, pro quo tempore Chriſtus Unigenitus Dei filius eſt appellatus; videbit, illi iſtam appellationem conveniſſe, non modo quia aliis Dei filiis longe præſtabat: ſed etiam quia revera nullus alius homo adhuc talis Dei filius erat, qualem eſſe oportet eum, qui ſub Novo Teſtamento iſta appellatione ſit dignus. Chriſtus enim pro eo tempore appellatus eſt Unigenitus Dei filius, quod ejus reſurrectionem & glorificationem, Spiritumque Sancti miſſionem anteceſſit; quibus rebus factum eſt, ut tales inter homines Dei filii eſſe cœperint, quales inhac mortali vita eſſe poſſunt. Unde, ut diximus, pro eo tempore, quo ſic appellatus fuit, merito Chriſto Unigeniti filii Dei appellatio convenit, etiamſi ea omnino hanc vim haberet, ut omnes alios à vera ex Deo filiatione excluderet. Sed ex antedictis, ni fallor, conſtat, eam hanc vim non habere, & ſingularitatem tantum quandam in eodem ex Deo filiationis genere ſignificare. Qua de re, antequam reſponſionem ad hoc primum hujus tertiæ claſſis argumentum concludamus, aliquid iterum dicemus; & alias cauſſas, cur Chriſtus unigenitus Dei filius dicatur, explicabimus.

Sequitur tertia ratio Adverſariorum, qua nituntur Probare; Chriſtum ex Dei Patris ſubſtantia genitum eſſet; quia videlicet, Proprius Dei filius vocetur.

Reſpondeo, vocem Proprii in Novo Teſtamento non habere aliam vim majorem, quam interdum ſignificandi aliquid omnino ſuum, id eſt, quale nemo alius habeat; ut in loco illo, *Et unicuique ſeminum proprium corpus*, 1 Cor. 15. 38. & ſæpiſſime nihil aliud ſignificare, quam ſimpliciter, Suum, aut Suum ipſius, id eſt, non alienum; ut, cum dicitur Chriſtus *non per ſanguinem hircorum & taurorum, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus fuiſſe in ſancta* Heb. 9. 12: aut cum Paulus dicit 1 Cor. 6. 18, eum, *qui ſcortatur, in proprium* (ἴδιον enim eſt in Græco) *corpus peccare*; ubi Latina editio habet *ſuum*. Tertiam aliam ſignificationem non credo hujus vocabuli in Novo Teſtamento inveniri. Utcumque autem ſignificatione dixerit Paulus, Deum non peperciſſe proprio filio; nihil, ex ipſius vocabuli vi, concludi poteſt de generatione ex Dei Patris ſubſtantia. Nihil enim vetat, quominus Chriſtus ſit Dei filius peculiaris & ſuus, non autem alienus: & tamen non ſit generatus ex ipſius Dei ſubſtantia. Et certe vis rationis Adverſariorum in eo tota eſt, ſi proprius opponatur Metaphorico. Quod nec unquam fit in Novo Teſtamento, & in illo Pauli loco, qui ſolus eſt, ubi Chriſtus vocetur Proprius Dei filius, hæc ſignificatio non poteſt habere locum; cum non addatur vox Suo; quæ omnino requiri in tali locutione videtur, ad iſtam vocis Proprii ſignificationem exprimendam. Nam alioqui, ut dixi; Proprius Suum ſimpliciter ſignificare ſolet. Quin etiam tum demum ſolet Proprius Metaphorico opponi, cum dicitur, exempli cauſſa, Hoc nomen, ſeu hoc vocabulum eſt proprium; Hæc ſignificatio, ſive hic ſenſus eſt proprius, &c. ſed cum alicui nominatæ rei ſimplex vox Proprii adjungitur, ut Filius proprius, Paſtor proprius, Vitis propria, nunquam fortaſſe, ſive in Græca, ſive in Latina lingua, cum iſta ſignificatione invenietur. Tunc enim ad ſenſum iſtum exprimendum dici ſolet, Filius proprie dictus, Paſtor proprie dictus, &c.

Satis ſane fuerat ad hanc tertiam rationem labefactandam monuiſſe, & exemplis prolatis oſtendiſſe, vocem Proprii nihil aliud quam Suum, aut Suum ipſius, in Novo Teſtamento ſolere ſignificare. Alia tamen addidimus, ut rudioribus etiam & moroſioribus, hac in re, ſatis fieri poſſet.

Quarta adjungitur ratio: nempe, quod Chriſtus Verus Dei filius nominetur. Quod quanquam non probatur ex allato teſtimonio 1 Jon. 5. 20. cum in Græco aliter legatur; concedimus tamen ultro, Chriſtum eſſe verum Dei filium: ſed eo ſenſu, quo ſcriptum eſt apud Matthæum, diſcipulos de ipſo dixiſſe Mat. 14. 33, *Vere filius Dei es*: aut apud Marcum de eo Centurionem affirmaſſe Mar. 15. 39, *Vere hic homo filius Dei erat*. Hos autem de generatione ex ipſa Dei ſubſtantia quidquam cum ita locuti ſunt, cogitaſſe, nemo, arbitror, dicturus eſt. In verbis quidem Centurionis vox Homo oſtendit, illum nihil tale ſomniaſſe. Diſcipulos autem tunc iſtuc reſpexiſſe, ne Bellarminus * quidem ipſe concedet, qui alibi diſerte ſcribit, diſcipulos tunc vocaſſe, Filium Dei Chriſtum, eo modo, quo omnes ſancti dicuntur filii Dei. Qua tamen in re, ut Petro ſcilicet tribuat, illum, ante omnes alios diſcipulos, agnoviſſe Chriſtum, filium Dei verum & naturalem, peregregie fallitur. Conſtat enim diſcipulos jam tum animadverſiſſe, quod attinet ad ipſam ex Deo filiationem, aliquid ſingulare in Chriſto, præter id, quod alii omnes ſancti habent, quod vel ex ipſa adoratione, dum coram ipſo confeſſionem iſtam ediderunt, perſpicuum eſt. Nam ſi Bellarminus dicat, ſe aliud nihil intelexiſſe, quam tunc diſcipulos ſenſiſſe, Chriſtum eſſe filium Dei ex gratia, ut ex gratia ſunt filii Dei omnes ſancti; tamen affirmo, eum non ita loqui debuiſſe, cum ipſius ex gratia divinæ filiationis plures ſint modis inter ſe differentes, & alii aliis multo præſtantiores. Ut nihil dicam, quod ſecundum ipſum, qui Dei

* Tom. 1, col. 680. D.

filius,

filius eſt tantum ex ipſius Dei gratia, is adorari non debet. Jam ſi quis velit, Chriſtum non modo verum Dei filium, ſed filium illum verum Dei fuiſſe dictum, & ita Latina verba apud Johannem in loco ab Adverſariis allato accipiat, ac ſi pronomen Illo additum fuiſſet, & Græcè ſic ſcriptum eſſet, σὺ τὸν μόνον ἀντὶ τοῦ ἀληθινοῦ, ex quo appareat, ipſum tantum, inter alios omnes, eſſe verum Dei filium; Dico, poſſe iſtud admitti. Nec enim hinc ſequetur, Chriſtum ex Dei ſubſtantia fuiſſe generatum; Vox enim Verus ſignificabit perfectiſſimam, ſive aliis omnibus perfectiorem filiationis rationem: non quidem abſolute, ſed quatenus Deus filios generat; in quem generationem filii alicujus ex ſubſtantia ſua cadere non poſſe, jam antea demonſtratum eſt.

Quincta ratio eſt, quod Chriſtus dicatur naturalis Dei filius. Hoc quia nuſquam eſt diſerte ſcriptum, ad id probandum, affertur teſtimonium, quod, etiamſi ita interpretandum eſſet, ut Adverſarii volunt, non tamen hinc ſequeretur, Chriſtum dictum fuiſſe naturalem Dei filium, ſed talem filium, qualem ipſi contendunt eum eſſe; qui ſi talis fuerit, ſine dubio naturalis Dei filius merito dici poterit. Atqui hoc non eſt ex appellatione Naturalis filii Dei concludere, Chriſtum eſſe talem Dei filium, qualem ipſi volunt: ſed contra, ex eo, quod Chriſtus ſit talis Dei filius, qualem ipſi volunt, concludere, merito naturalem Dei filium eum dici poſſe.

Omiſſa igitur ratiocinatione ipſa Adverſariorum, utpote quæ, ut ab ipſis fuit propoſita, prorſus nulla eſt; videamus, ecquid ex loco illo ad Hebr. 1. 3. probetur, Chriſtum talem eſſe Dei filium, qualem ipſi eſſe contendunt. Verba ſic habent: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ*, ſive, ut Bellarminus, ex Græco videlicet, legit, *imago ſeu character hypoſtaſis ejus*, &c. *Ejus*, inquam, non *Paternæ*, ut Adverſarii ſcribunt. Relativum enim Ejus non quidem vocem Patris, quæ nulla anteceſſit, ſed Dei, quæ anteceſſit, refert. Nam tametſi idem omnino eſt Deus, qui Pater Chriſti; tamen hoc Adverſarii ſimpliciter non concedunt; ut pote qui eum quoque, qui Chriſti Pater non eſt, nempe ipſum Chriſtum, atque etiam Spiritum Sanctum, illum unum Deum eſſe volunt: & hic in ipſo verbo vis eſt poſita. Itaque, cum reipſa legatur *Dei*, non autem *Patris*, non poteſt ex verbis hujus loci colligi, qualis ſit Dei filius Chriſtus. Sic enim, nulla ratione apparet, Chriſtum dici imaginem ſeu characterem, &c. quatenus eſt filius Dei, ſed ſimpliciter imaginem ſeu characterem, &c. Sed Adverſarii propterea ita legunt, ac ſi ſcriptum eſſet *Patris*, ut ſuam de pluribus hypoſtaſibus in Deo ſententiam ex hoc loco aliquo modo confirment; vel potius ut evitent, ne ex eo concludi poſſit, unicam eſſe in Deo hypoſtaſim; ut certe poteſt, ſi Chriſtus ibi dicatur (ut certe dicitur) eſſe imago ſeu character hypoſtaſis Dei, & nomen Deus abſolute ac ſimpliciter, ut quidem ibi prolatum eſt, accipiatur. Eſt enim in Græco additus articulus, & dictum ὁ Θεὸς. Unde conſtat, non de aliqua perſona, quæ ſit Deus, ſed de illo uno Deo abſolute ac ſimpliciter agi. Dicitur autem hic Chriſtus imago ſeu character hypoſtaſis, non Patris quidem, ſed abſolute illius unius Dei, non quia ex ſubſtantia ipſius ſit generatus, ſeu mavis eo ſenſu, qui non poſſit ei convenire, niſi ex Dei ſubſtantia generatus fuerit: ſed quia ipſum Deum alioqui inaſpectabilem, nobis aſpiciendum exhibet; id eſt, ejus voluntatem atque potentiam, ſibi perfectiſſime patefactam, & ſecum, quatenus fieri poteſt, & quatenus ad nos pertinet, perfectiſſime communicatam, nobis oſtendit, & quoad licet, ob oculos ponit; ita ut Deum ipſum contemplemur, cum Chriſtum contemplamur, quod quidem attinet ad ſalutem noſtram. Ubi non requiritur, ut ipſam Dei ſubſtantiam expreſſam ante oculos habeamus, ſed tantum voluntatem ac potentiam. Nec verbum Hypoſtaſis, cum hoc loco Dei hypoſtaſis nominatur, ipſam Dei ſubſtantiam vere ac proprie ſignificat: ſed perinde eſt, ac ſi dicſt fmuiſſet, Ipſiuſmet Dei; ac breviter nihil aliud hic dicitur, quam, quod 2 Cor. 4. 4. Col. 1. 15. Joh. 14. 9; ſcriptum legimus Chriſtum eſſe imaginem Dei, & qui Chriſtum videt, Patrem quoque videre, de quo agendum erit in reſponſione ad 5. arg. hujus claſſis.

Quoniam vero incidimus in mentionem Naturalis filii Dei, quo nomine Chriſtum ornari Adverſarii dicunt; quanquam ipſi falluntur: nec unquam appellatio iſta in S. Literis Chriſto tributa invenitur; tamen quia ab initio, cum Vujeki Præfationem refutaremus, diximus, nos concedere, Chriſtum eſſe naturalem Dei filium, ſi modo id recte intelligatur; explicandum hoc loco videtur, quomodo iſtud concedamus, & quo ſenſu vocem Naturalis hac in quæſtione accipiamus.

Dico igitur, Naturalem filium hic, ſecundum ipſorum Adverſariorum verba, opponi Adoptivo ſive Aſciticio filio, id eſt, ei qui, cum aliquando non eſſet filius, poſtea ex gratia & beneficio factus eſt filius. Ergo, qui filius natus eſt & filius ſemper fuit, is profecto adoptivus ſive aſciticius filius non erit; & conſequenter erit naturalis filius. Nam quid alioqui etiam aliud Naturalis eſt, quam Natura ſua talis, id eſt, natus talis? Hinc apparet Adverſariorum error, qui, ſibi ipſis contradicentes, & oppoſitionem adoptivi, & Naturalis, quam ipſimet ſtatuunt, minime ſervantes, progrediente diſputatione, Naturalem filium eum tantum intelligunt, qui ejuſdem naturæ atque eſſentiæ omnino ſit, cujus eſt pater, & Bellarminus hic col. 294. C. ſatis aperte negat, Chriſtum fore verum ac naturalem Dei filium, niſi ſit ex Dei ſubſtantia genitus. Et, cum manifeſte, ut in aliis etiam quæſtionibus fit, Gratiæ Naturam in hac quæſtione opponant; tamen poſtea non quidem naturam, ſed neceſſitatem quandam videntur gratiæ opponere: dum concludunt, Chriſtum gratia fore Dei filium, niſi ſit ex Dei ſubſtantia genitus; quam generationem ipſi neceſſariam atque æternam eſſe volunt. Sed ad propoſitum revertamur. Dico igitur, Chriſtum merito dici poſſe Dei filium naturalem, quia natus eſt Dei filius, tametſi ex ipſa Dei ſubſtantia non fuerit generatus. Natum autem illum fuiſſe Dei filium alia ratione, quam per generationem ex ipſius Dei ſubſtantia, probant Angeli verba Mariæ matri ejus dicta Luc. 1. 55, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Quia igitur homo ille Jeſus Nazarenus, qui dictus eſt Chriſtus, non viri alicujus opera, ſed Spiritus S. virtutiſque Altiſſimi operatione generatus eſt in matris utero; propterea filius Dei eſt vocatus: & conſequenter Dei filius eſt natus. Ubi vides nullam fieri mentionem generationis ex ſubſtantia Dei; quæ, ſecundum Adverſarios jam ante generationem iſtam in utero matris factam, immo ab omni æternitate extiterat.

Sed excipit hic Bellarminus, * & ait, Adamum, Evam, & angelos omnes non genitos eſſe ex ſemine viri, ſed immediate opera Dei; & tamen Chriſtum dici filium Dei unigenitum. Reſpondeo, rationem iſtam non recte fuiſſe concluſam, Adamus enim, & Eva, angelique omnes non quidem geniti à Deo, ſed creati & ſunt & dicuntur. Quamvis enim non ſint geniti ex ſemine non tantum viri, ut Bellarminus inepte, ratione angelorum, ſimpliciter loquitur, ſed etiam angeli, aut cujuſcunque alterius; nullo tamen pacto hinc ſequitur, eos aliunde eſſe genitos, & conſequenter ex Deo. Quaſi quidquid rationale eſſe habet, neceſſe ſit ut ab alio generetur, cum potius creatio ſit vera cauſſa exiſtentiæ illarum rerum, quæ habent eſſe rationale, non minus quam reliquarum; cui poſtea quodammodo ſucceſſit, vi ſeminis, generatio in iis, quæ multiplicantur, ad conſervationem ſpeciei, pereuntibus individuis. Cum igitur Dei opera in Adamo & Eva, & omnibus angelis formandis nullius ſeminis vicem ſuppleverit, non geniti quidem iſti à Deo ſed creati tantum ſunt. At vero Dei opera & virtus, in Chriſto homine, in Mariæ virginis utero, formando, ſeminis viri, vel potius

* Tom. 1, col. 294. B, & C.

viri ipſius vicem ſupplevit, ut poſtea dicam; & propterea Chriſtus homo merito à Deo in utero ſuæ matris generatus dicitur. Neque ei ad conſuetam hominis generationem quidquam defuit, præter viri ſemen; cujus loco, ut dixi, Dei opera ac virtus fuit. Cætera omnia adfuerunt, concipi in utero matris, ex ipſius ſubſtantia accipere, paulatim in eodem matris utero formari uſque ad ipſius formationis complementum, ac, denique ab ea in lucem edi exque ea naſci. Quæ licet non omnia ad ipſam generationem, per ſe conſideratam, proprie ſpectent; ſunt tamen ea, quæ non proprie ſpectant, neceſſariæ quædam conſuetæ generationis appendices. Atqui hæc omnia, non modo ſupplementum vicis ſeminis ex Dei opera, in Adamo & Eva, angeliſque omnibus formandis defuerunt. Quomodo igitur generati à Deo fuiſſe, dici poſſunt?

Sed iterum excipit Bellarminus; & ait, *Si ideo eſt Filius Dei Chriſtus, quia conceptus eſt in utero Virginis opera Spiritus S. ergo Filius Spiritus Sancti dici poterit: at hoc nuſquam habet Scriptura, immo contra, Spiritum à Filio procedere dicit Joan. 15. & alibi.*

Reſpondeo. Hæc ratio nihil valet, cum Spiritus S. non ſit perſona, ut ſuo loco oſtendemus, ſed tantum virtus & efficacia Dei; adeo ut idem ſit Spiritus S. opera quidpiam eſſe factum, quod virtutis & efficaciæ Dei opera. Nec Scriptura uſquam dicit, Spiritum S. à Filio procedere: ſed tantum, ab eo mitti, & quidem à Patre acceptum, à quo procedat; ut ille ipſe locus habet, Joh. 15. quem Bellarminus citavit: ad finem, ſcilicet, capitis.

Tertio Bellarminus excipit; & inquit, *Hoc non eſt, eſſe naturalem & verum Filium, non n. Deus ex ſubſtantia ſua genuit Chriſtum in utero Virginis, ſed ex ſola ſubſtantia Virginis. Unde Hebr. 7. dicitur, Chriſtus ſine patre & ſine matre, id eſt, ſine patre in terris, ſine matre in cælis, ut omnes Græci & Latini expoſuerunt.*

Reſpondeo, jam demonſtratum à nobis fuiſſe, ad verum & naturalem Dei filium conſtituendum, non requiri, ut ex ipſa Dei ſubſtantia ſit generatus: ſed ſatis eſſe, quod ſit natus Dei filius, & vera, id eſt (ſi vocem Veri in potiſſima ſignificatione accipere velimus) perfectiſſima ratione, qua Deus filios generat, ab ipſo Deo generatus. Quamvis autem Chriſtus in utero Virginis ex ſubſtantia Dei non ſit generatus; negari tamen non poteſt, quin Dei virtus, in Chriſto homine formando, viri vicem ſuppleverit. Nam cum ipſa Virgo ad Angelum dixiſſet, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco*; ſtatim Angelus reſpondit, *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quod omnino perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Quod viri opera in homine gignendo fieri ſolet, hic virtutis divinæ opera fiet. Nec ſane conſequitur quia Chriſtus homo in virginis utero ex ipſa Dei ſubſtantia non ſit genitus, idcirco ex ſola Virginis ſubſtantia eum fuiſſe generatum. Nec Mennonitis danda eſt occaſio, ejuſmodi male concluſis rationibus, in ſuo errore perſeverandi. Sed quemadmodum urgendum eſt, Chriſtum hominem ex Virgine matre non minus ſumpſiſſe, quam alii homines ex ſuis matribus ſumant, ſumere autem, ex ipſis Sacris Literis & phyſicis etiam, ſi opus ſit, rationibus demonſtrandum; ſic non eſt negandum, Dei virtutem in virginis uterum ſubſtantiam aliquam creatam immiſiſſe, aut ibi creaſſe, ex qua Chriſtus, juncto eo, quod ex ipſius Virginis ſubſtantia ſumſit, verus homo generatus fuerit. Qui propterea, ut homo, non matrem tantum, nempe Virginem ipſam, habuerit, ſed patrem quoque, nempe ipſum Deum. Nec quidquam obſtat locus ille ad Heb. 7. illud enim *ſine patre, ſine matre*, &c. non de ipſo Chriſto, ut cuicumque legenti conſtabit, ſed de Melchiſedeco dicitur. Quamvis enim ſubjiciatur, Melchiſedecum ſimilem fuiſſe Filio Dei, non eam ob cauſſam id dicitur, quia Chriſtus quoque aliqua ratione ſine patre, & ſine matre fuerit. Præſertim, cum verba iſta, *ſine patre, ſine matre*, non ita ſint accipienda, quaſi Melchiſedecus ſine patre, & ſine matre fuerit; ſed intelligendum, ejus patris, aut matris nullam in ſacra hiſtoria fieri mentionem. Nam quid, quæſo, ad rem, de qua ibi agitur, pertinere poteſt, quod Chriſtus aliquo modo revera ſine patre, & ſine matre fuerit; præſertim, ſi hoc ad iſtum modum interpretemur, Sine patre in terris, ſine matre in cælis. Quæ eſt una ex illis iſtorum Patrum ſeu Græcorum ſeu Latinorum puerilibus interpretationibus, de quibus alicubi antea diximus. Agitur ſiquidem ibi de Chriſti ſacerdotio; cujus perpetuitas & extraordinaria inſtitutio adumbrata fuerit in Melchiſedeci ſacerdotio. Quod enim Melchiſedeci patris, aut matris, genealogiæve ipſius nulla fiat mentio; hoc ſane oſtendit, ejus ſacerdotium non pependiſſe ab aliqua divina promiſſione alicui certæ hominum familiæ, aut generi facta, quemadmodum nec Chriſti ſacerdotium pendet. Quod autem nec initium dierum ipſius (intellige in ſacerdotii munere obeundo; nam ſi de initio vitæ auctor loqueretur, vox *dierum* fuiſſet omiſſa, & dictum, *nec initium, nec finem vitæ habens*) neć finis vitæ commemoretur; hoc omnino indicat, nec ipſum cuiquam in ſacerdotio ſucceſſiſſe, nec quemquam ipſi: & perpetuitatem ſacerdotii adumbrat, quam Chriſtus revera habet, eo quod finem vitæ revera non habeat; qui etiam non modo ſucceſſorem in ſacerdotio non habuit, nec habiturus eſt: ſed neque, in eo munere, cuiquam ipſe ſucceſſit. Hæc eſt ſine dubio Auctoris mens ac ſententia eo in loco, ut verba ipſa, & res, quam ſibi tractandam ſumpſit, ſatis aperte docent. Ubi animadvertendum eſt, non dixiſſe divinum iſtum ſcriptorem, Chriſtum ſeu Filium Dei fuiſſe aſſimiliatum Melchiſedeco, ſed contra; Melchiſedecum Filio Dei; ut, ſcilicet, intelligamus, non omnia, quæ de Melchiſedeco dicit, eadem in Chriſto eſſe: ſed illis ea omnia contineri, quæ de Chriſto in Melchiſedeco vult fuiſſe adumbrata.

Tribus iſtis exceptionibus, quas, ut ſpero, inanes eſſe prorſus oſtendi, ſubjungit Bellarminus reſponſionem ad locum Lucæ cap. 1. ut omnino perſuadeat, Chriſtum non propterea dici Dei filium, quia in Virginis utero, Spiritus Sancti opera fuerit conceptus; & ex auctoritate quorundam Patrum ait, in eo Lucæ loco, *virtutem Altiſſimi eſſe Verbum Dei, quod in uterum virginis deſcendit, ibique carnem induit, ac ideo Filius Mariæ Filius Altiſſimi dicitur.* Potuiſſet autem Bellarminus Patribus, quos citat, addere Juſtinum in ſecunda Apologia, Auguſtinum in Quæſt. Vet. & N. T. quæſt. 51. & Theophylactum locum Lucæ explicantem, & ſic aliquanto tolerabilius, quam fecit, ab omni ratione iſtus interpretationis afferenda abſtinuiſſet.

Sed videamus, an interpretatio iſta ſuſtineri ullo modo poſſit. Nos quidem dicimus, non poſſe: Primum quia ſi Virtus Altiſſimi Verbum iſtud Dei perſonale (ut ita loquar) qui ipſe Filius Dei ſit, ſignificaret; nihil opus fuiſſet Spiritus Sancti ſupervenientis in Virginem opera ac præſentia. Quamvis enim aliqui ex iſtis Patribus velint, myſterium Trinitatis iſto in loco fuiſſe indicatum, & propterea altiſſimi, id eſt, Patris, Virtutis Altiſſimi, id eſt, Filii, & Spiritus Sancti factam eſſe mentionem, qui omnes tres ad unius ex ipſis, nempe Filii, incarnationem operandam concurrerint; tamen nullo pacto, præſente ipſa perſona Filii, & in Virginis uterum deſcendente, Spiritus Sancti ſupervenientia in ipſam Virginem opus erat. non magis quam Patris ipſius: ſed tantummodo, ut Patris, ejus vi atque efficacia. Vidit, ut arbitror, hanc difficultatem Juſtinus, & idcirco aſſeruit ſatis profecto audacter & inconſulto, in Angeli verbis & Spiritum Sanctum, & Virtutem Altiſſimi nihil aliud eſſe, quam Verbum Dei primogenitum. Quæ Juſtini inconſulta audacia vel ex eo coarguitur, quod ſtatim dicemus.

Nam ſecundo loco ad interpretationem iſtorum Patrum refellendam afferimus, quod alibi Spiritui Sancto ſimpliciter conceptio Chriſti in Virginis utero tribuitur, idque bis apud Matthæum, id eſt, & ab ipſo Euangeliſta, & ab angelo Dei: primum his verbis Mat. 1. ℣. 18. & 20. *inventa eſt* (Maria) *in utero habens de Spiritu Sancto*:

Sancto: deinde iſtis, *quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Non ad hunc ſane modum loqueretur Scriptura, Spiritus Sancti tantum, ut iſtius conceptionis auctoris, mentionem faciens, ſi alibi vel præcipuum auctorem eſſe indicaret, vel ſolum aſſereret, verbum iſtud Dei. Hic ſane Juſtinus ſi ſuam ſententiam tueri vellet, cogeretur dicere, utrobique apud Matthæum, Spiritus Sancti nomine, Verbum Dei primogenitum ſignificari; quod abſurdum plane eſt. Neque enim, ſecundum ipſum Juſtinum, id quod natum ſeu conceptum in utero Mariæ erat, de verbo ſive ex verbo iſto Dei erat modo; ſed ipſum erat Dei verbum.

Tertio contra iſtorum Patrum interpretationem affero, quod Angelus de virtute Altiſſimi nihil aliud dicit Mariæ virgini, niſi, *obumbrabit tibi.* Quod nullo pacto aut ſignificat, aut indicat deſcenſum ipſius virtutis in virginis uterum; ſed potius illum excludit (non enim id obumbrare dicitur quod rem ipſam ingreditur) & oſtendit tantum ac declarat ejus præſentem vim atque operationem; & quam fieri potuit honeſtiſſime eandem virtutem loco viri virginem amplectentem ob oculos ponit.

Quarto ac poſtremo conſiderandum propono, quam inepte Angelus locutus fuiſſet, ſi dixiſſet, Filius Dei deſcendet in uterum tuum, ibique carnem induet; ac propterea, quod naſcetur ex te, vocabitur filius Dei, Nam, quæſo, cui dubium hoc eſſe poterat, quod Angelus intuliſſet ac concluſiſſet? Nunquid alius concipi, alius vero naſci potuit? Non igitur virtutis Altiſſimi nomine, verbum iſtud æternum vel jam præexiſtens Dei, quod idem apud iſtos eſt, quod filius Dei, Angelum ſignificare voluiſſe, ullo modo eſt veriſimile. Nam quod quidam ex Patribus, ut Tertullianus (ſi modo liber de Trinitate ipſius eſt,) & Epiphanius ponderant in verbis Angelidictionem διὸ ſive Et additam voci διὸ ſeu Propterea, eamque etiam interpretantur, & cum verbo τὸ γεννώμενον ſeu *quod naſceretur*, conjungunt, unde poſſet quis colligere, Angelum voluiſſe dicere non modo filium Dei fore, illum æternum vel jam præexiſtentem Dei filium, ſed etiam illum, qui ex ipſa virgine naſceretur, nempe hominem illum tum primum in ea gignendum; Primum dico, ponderationem iſtam haud ſatis dignam fuiſſe eruditiſſimis iſtis viris, cum certum ſit, voculam illam, ſua natura copulativam, additam dictioni iſti cauſſali ſæpe nullam vim aut ſignificationem ei adjicere, ſed tantum ornatus, & ſermonis partes conjungendi gratia uſurpari: & idcirco una cum cauſſali ipſa dictione Latine optime reddi *Ideoque*, ut quidem hic in vulgatis emendatoribus (niſi fallor) codicibus Latinis ſimpliciter legitur. Nam in aliis legitur *Ideoque &.* Deinde affirmo ſenſum iſtum, quem dixi poſſe ex ponderatione iſta extrui, eſſe abſurdum. Quia per eum conſtituuntur duo filii Dei; & merus Neſtorianiſmus (ſi modo id revera Neſtorius ſenſit) meritiſſimo damnatus inducitur, id eſt, duæ perſonæ in uno Chriſto eſſe dicuntur.

Verum Bellarminus, videns, ut arbitror, priorem iſtam ex Patribus petitam ad locum Lucæ reſponſionem non eſſe tutam, & in ipſo loco aperte dici, vocatum iri Chriſtum, filium Dei, quia, Spiritus Sancti opera, in Virginis utero conceptus fuiſſet; addit hujus dicti alteram eamque novam interpretationem; & ait, *Poſſet etiam dici, conceptionem de Spiritu Sancto, ſignum, non cauſſam eſſe, cur Chriſtus dicatur filius Dei. Decuit enim, ut ſi Dei filius hominis filius fieri vellet, non niſi ex virgine naſceretur; & ſi virgo paritura eſſet non niſi Deum pareret, ut recte ait B. Bernardus ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt.*

Reſpondeo, interpretationem iſtam coactiſſimam eſſe, & ratiocinationem continere peſſime concluſam. Nam etiamſi concederetur, ſi filius ille Dei, quem iſti imaginati ſunt, hominis filius fieri vellet (quod tamen nullo modo fieri poteſt) decuiſſe, ut ex virgine naſceretur; non tamen ſequeretur, eum qui ex virgine ſit natus, eſſe, iſtum Dei filium. Eſt enim hic manifeſta fallacia, quam conſequentis vocant. Etenim quid vetat, quominus, ex Dei voluntate, alius quiſpiam ex virgine naſcatur? At ſubjungitur, pariter decuiſſe, ut ſi virgo paritura eſſet; non niſi Deum pareret. Cur igitur hæc ratio ſola non eſt aliata, quæ ſi recte concluſa eſt, poteſt conficere id, quod quæritur, omiſſa iſta altera, quæ nec per ſe, nec, ut pars totius ratiocinationis, quidquam, ad id conficiendum, adjumenti affert? Sed neque hæc ratio quidquam valet; propterea quod & virgo potuit decentiſſime, ex Dei voluntate, eum parere qui non ſit Deus, id eſt, ut hic intelligere eſt neceſſe, ipſa eſſentia Deus; nec, ſi non potuit, hinc tamen ſequitur, iſtum ab ipſa pariendum debuiſſe eſſe Dei filium, ex ſubſtantia, videlicet, ipſius Dei genitum. Potuit enim eſſe Spiritus Sanctus, qui, ſecundum iſtorum Theologiam, eſt perſona, & Deus non minus, quam Dei filius. Immo & ipſe Pater eſſe potuit. Nulla enim eſt ratio, cur ſi filius potuit naſci homo, non potuerit ſimiliter homo naſci & Spiritus Sanctus, & Pater ipſe. Si modo iſtæ ſunt tres in una divina eſſentia perſonæ, inter ſe dignitate, majeſtate, ac potentia omnino pares. Et ex his tandem teſtimonium Angeli apud Lucam, quod produximus ad probandum, ipſum hominem Jeſum Nazarenum, qui dictus eſt Chriſtus, ut hominem, habere Deum, Patrem, & Dei filium natum eſſe, ac conſequenter merito naturalem Dei filium appellari poſſe, à Bellarmini Sophiſmatis, ut ſperamus, liberatum & vindicatum apparet.

Sexta ratio, quam Vujekus, una cum Bellarmino, affert, ut probet, Chriſtum ex ipſius Dei ſubſtantia genitum eſſe, hæc eſt, Quod videlicet, talis Dei filius Chriſtus ſit, ut Angeli præ ipſo appellentur ſervi. Qui tamen alioqui ſunt filii adoptivi ſeu aſcititii, & quidem præcipui.

Reſpondeo primum, in hac ratione pro conceſſo ſumi, nullum eſſe filium Dei, niſi vel adoptivum, vel ex ſubſtantia ipſius Dei genitum. Quod tamen falſum eſſe in ipſa Chriſti perſona, ſupra demonſtratum eſt. Deinde nego iſtam conſequentiam: Angeli ſunt filii Dei adoptivi præcipui. Ergo non poteſt Chriſtus, ut filius adoptivus, tanto præſtantior illis eſſe, ut ipſi, ejus reſpectu, ſervi dicantur. Quandoquidem, ut alia nunc omittam, quæ huc pertinent, neque oſtendam explicatius, quomodo Chriſtus ſit Dei filius & naturalis ſimul & adoptivus, id enim poſtmodum fiet; Dico, angelos eſſe quidem Dei filios præcipuos; non tamen abſolute, ſed comparate ad quaſdam alias creatas perſonas. Interim enim illis, ad perfectiſſimum ex Deo filiationem, plurima deſunt, ac ſemper defuerunt. Quæ omnia in unum Chriſtum, licet ex ipſius ſubſtantia minime genitum, à Deo collata, illum talem effecerunt, ut angeli, ejus reſpectu, jam non filii, ſed ſervi dicantur.

Septima & ultima ratio eſt, quod Chriſtus propterea fuit a Judæis accuſatus, quod ſe faceret Dei filium. Non fuit autem accuſatus, quod ſe faceret filium Dei non proprium ſeu adoptivum. Ipſi ſiquidem Judæi ſe tales Dei filios appellabant. Qui etiam ſuæ legis meminerunt, ſecundum quam mori deberet, quia filium Dei ſe feciſſet. Hanc autem accuſationem Chriſtus non diluit, ſed, ut veram admiſit: & in iſta confeſſione, quod nimirum eſſet talis Dei filius, qualem ſe eum feciſſe, Judæi dicebant, mortuus eſt.

Reſpondeo, ex iſta ratione nihil aliud concludi poſſe, quam Chriſtum ſe feciſſe ſingularem quendam Dei filium. Iſtud autem nos conſtanter agnoſcimus & confitemur; & quomodo veriſſimum ſit, Chriſtum eſſe ſingularem Dei filium, quamvis ex ipſius Dei ſubſtantia non ſit generatus, jam ante oſtendimus: & deinceps uberius, Deo dante demonſtrabimus. Jam ſi quis diligenter inſpiciat factam ad Chriſtum à Cajapha & aliis Judæis interrogationem, an eſſet Dei filius, intelliget omnino, aliud nihil eos, filii Dei, & quidem ſingularis cujuſdam filii Dei, nomine, intellexiſſe, quam Chriſtum. Apud Matthæum enim Matth. 26. 63. & Marcum Mar. cap. 14. 61. Cajaphas illum interrogat, an ſit Chriſtus, ille Dei ſeu Benedicti filius. Eſt enim in Græco adhibitus articulus ad nomen Filius, qui ſingularem quendam

Dei filiuſn omnino declarat. Hunc autem eundem eſſe cum Chriſto, ſeu, qui Chriſtus eſt, eum eſſe ſingularem iſtum Dei filium, ipſa interrogationis verba manifeſte docent; ex quibus conſtat, unicam eſſe interrogationem, & verba illa, *ille Dei filius*, fuiſſe adhibita ad magis declarandam illius, qui Chriſtus ſit, dignitatem atque præſtantiam: non autem ad aliquid addendum, quod Chriſti appellatio per ſe non complectatur. Simili modo Johannes ad finem cap. 20. ſui Euangelii ſcripſit, *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quod Jeſus eſt Chriſtus, ille Dei filius.* Et Petrus in illa ſua confeſſione, apud Matthæum inquit Matth. 16. 16. *Tu es Chriſtus, ille filius Dei vivi.* Quam tamen confeſſionem recitantes Marcus Marc. 8. 29, & Lucas Luc. 9. 20, nihil amplius habent, quam, *Tu es Chriſtus Dei.* Ex quo planiſſimum fit, Chriſti ſeu Chriſti Dei ſimplicem appellationem idem reipſa continere, ac ſi addatur, ille Dei filius. Jam apud Lucam Luc. 22. 67, &c, cum prius Judaicæ Reipublicæ principes viri eum interrogaſſent, an eſſet Chriſtus, & ille ita reſpondiſſet, ut appareret, eum fateri, ſe eſſe: denuo illum interrogant, & quodammodo confeſſionem jam ab ipſo factam illi exprobrant, dicentes omnes, *Tu ergo es ille filius Dei?* Unde ſimiliter perſpicuum fit, idem reipſa eſſe Chriſtum, & illum Dei filium. Idem colligitur ex confeſſione Nathanaëlis, Joh. 1. 49. *Tu es ille filius Dei* (eſt enim & hic in Græco articulus) *Tu es ille Rex Iſraël.* Idem enim eſt eſſe illum Regem Iſraëlis, quod eſſe Chriſtum. Atqui tantum abeſt, ut eſſe Chriſtum ullo modo ſignificet, eſſe ex ſubſtantia Dei genitum, & conſequenter, ut adverſariis placet, eſſe ipſum Deum: ut potius is, qui Chriſtus ſit, nullo modo poſſit eſſe ipſe Deus: ut oſtendimus ſupra cap. 2, non procul ab initio capitis. Jam, quod ad legem attinet, quam Judæi ſe habere dicebant, ſecundum quam Jeſus mori deberet, quia filium Dei ſe fecerat; non eſt intelligendum, legem iſtam, ut fortaſſe adverſarii putant, fuiſſe eam, qua morte plectebantur, qui ad alienos Deos adorandos populum hortabantur; quaſi Chriſtus hoc feciſſet, prædicans ſe filium Dei, quia, ſcilicet, ex ipſa Dei ſubſtantia genitum ſe dixiſſet, atque hac ratione ſe Deum feciſſet. Nimis enim longe petita fuiſſet iſta accuſatio; præſertim, cum Chriſtus ſemper ad unum illum Deum Iſraëlis omnia referret. Sed potius, ſi modo revera legem aliquam talem illi ſe habere, eamque in libris Moſis extare, perſuaſi erant, intelligendum eſt, legem iſtam, illam fuiſſe, quæ Deut. 18, habetur his verbis, *Propheta, qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* Jeſus enim, ſe filium Dei faciendo, id eſt, illum ſingularem Dei filium (in Judæorum enim verbis, ut quidem emendatiora exemplaria habent, ſimiliter eſt articulus ſingularitatem iſtam denotans) Chriſtum, quemadmodum antea demonſtratum eſt, ut ipſimet Judæi ſentiebant, ſe fecerat: & conſequenter, quamvis Dei Iſraëlis nomine loqueretur, id dixerat, quod Judæi falſiſſimum eſſe exiſtimabant, vel certe ſe exiſtimare profitebantur; & ſic minime à Deo illi præceptum fuiſſe, ut id diceret, aut ſentiebant, aut ſentire præ ſe ferebant. Quanquam fieri poteſt, ut legem iſtam vel falſo Judæi jactarent, vel non in ipſis libris Moſis expreſſam illam ſe habere putarent, ſed datam ſibi à patribus haberent, ex interpretatione verborum Moſis. Et ſane veriſimile eſt, mortis pœnam, ex interpretatione legis de occidendo falſo Propheta, conſtitutam apud Judæos fuiſſe ei, qui falſo ſe illum Dei filium, quem tanto cum deſiderio expectabant, id eſt, Chriſtum, eſſe prædicaſſet. Articulus certe ille, cujus jam ſæpius meminimus, oſtendit, Judæos faſſos fuiſſe iſtum ſingularem Dei filium. Ex quo ſequitur, eos non ſimpliciter ob id, quod talem ſe quis vocaſſet, illum dignum morte cenſuiſſe: ſed quia falſo vocaſſet. Unde conſtat, adverſarios vehementer falli, ſi, ut quidem omnino videntur, exiſtimant, Chriſtum propterea accuſatum fuiſſe à Judæis, quod ſe Dei filium feciſſet; quia id, videlicet, dixiſſet de ſe, quod fieri nullo modo poterat, ut quidem ipſis videbatur. Nec ſane, ut arbitror, unquam probabunt, aut veriſimile efficient adverſarii, Judæos de aliquo Dei filio ex ſubſtantia ipſius Dei genito vel cogitaſſe quidem, nedum perſuaſos fuiſſe. Quod tamen neceſſe eſſet, ſi nomen filii Dei, quod Chriſtum ſibi arrogaſſe, dicebant, & propterea illum accuſabant, iſtam generationem ex ipſa Dei ſubſtantia apud ipſos ſignificaſſet; propter id, quod jam diximus de articulo illo: qui omnino demonſtrat, Judæos iſtum Dei filium quem ſe faciebat Chriſtus, minime, rem falſam aut imaginariam eſſe, exiſtimaſſe: ſed de eo aliquando extituro perſuaſiſſimos fuiſſe. Itaque id, quo maxime adverſarii niti videbantur, ut oſtenderent, Chriſtum ſe talem Dei filium feciſſe, qui ex ipſius Dei ſubſtantia ſit generatus, adeo ut auderent affirmare, illum, quia id, cum ſibi objiceretur, non diluiſſet, ſed, ut verum, admiſiſſet, in iſta confeſſione, quod ipſe ex Dei ipſius ſubſtantia eſſet genitus, mortuum eſſe; idipſum, inquam, maxime oſtendit, Chriſtum nihil tale, nedum confeſſum fuiſſe, ſed ne cogitaſſe quidem, dum agerentur iſta.

Per ea, quæ hactenus à nobis diſputata ſunt, abunde oſtenſum videtur, aſſumptionem hujus argumenti, quæ erat, Chriſtum genitum eſſe ex ſubſtantia Dei Patris, merito à nobis negatam fuiſſe, nec adverſarios quidquam ſolidi ad eam probandam attuliſſe. Diximus autem in initio, non ſolum aſſumptionem, ſed ne conſequentiam quidem hujus argumenti admittendam eſſe. Poſito enim, quod Chriſtus genitus ſit ex ſubſtantia Dei Patris; non tamen ſequitur, eum eſſe unum & eundem Deum cum Patre. Ut enim hoc ſequatur, neceſſe eſt, ut in generatione totam & eandem numero ſubſtantiam Patris acceperit. Hoc autem, cum omnino alia ſit perſona Patris, alia filii, nullo pacto fieri poſſe, ſupra breviter docuimus. Nam ſi dicatur, immo fieri non potuiſſe, ut partem tantum ſubſtantiæ Dei Patris, aut eam totam quidem, ſed non eandem, niſi ſpecie, non autem numero, acceperit; Reſpondeo, de tota accipienda non numero, ſed ſpecie, eadem, me quidem fateri id nullo modo fieri poſſe: ſed tamen magis impoſſibile eſſe, ut una & eadem numero eſſentia tota pluribus perſonis ſit communis. Hoc enim implicat contradictionem; illud vero minime; ſed tantum contradicit ei quod pro conceſſo ponitur, & de quo ex divinis teſtimoniis inter omnes conſtat: nempe Dei ſubſtantiam ſive eſſentiam ita eſſe numero unam ut nulla ratione multiplicari queat. Verum, quod attinet ad partem ſubſtantiæ accipiendam, etiamſi Dei ſubſtantia ſimiliter nulla ratione videtur poſſe admittere, ut ex ea portio aliqua derivetur; tamen hoc nec contradictionem ullam implicat; nec rei ulli pro conceſſa poſitæ aut ſacris teſtimoniis teſtatæ contradicit. Unde concludendum eſt, ſi ſtatuatur, Chriſtum ex Dei ſubſtantia fuiſſe genitum: portionem ex Dei Patris ſubſtantia derivatam fuiſſe, ex qua Chriſtus conſtet; quemadmodum ex antiquioribus Theologis Chriſtianis Tertullianus, Lactantius & alii ſenſiſſe videntur. Sin autem hoc fieri non poſſe contenditur, agnoſcendum eſt, non recte fuiſſe conſtitutum, Dei filium ex Patris ſui ſubſtantia fuiſſe generatum; quippe quod fieri nequeat, niſi vel in iſtud, vel in multo majora abſurda incidatur; ac denique quærendum, quomodo igitur Deus filios generet: atque inveſtigandum, qua ratione Chriſtus ſit unigenitus ſive unicus & ſingularis Dei filius, quamvis, ut & alii Dei filii, ex ipſius Dei ſubſtantia minime ſit generatus. Quod tametſi à nobis ſatis jam explicatum fuiſſe videri poteſt; tamen accuratius aliquanto tota de re, quam breviſſime fieri poterit, nobis adhuc explicandum cenſuimus.

Apparet igitur, neceſſe eſſe, ut quando nullo prorſus pacto fieri poteſt, ut Deus ex ſua ſubſtantia generet, qui ejus dicuntur filii atque ab eo geniti, per ſimilitudinem aliquam ita dicantur, quam cum iis habeant, qui

ex ſub-

ex ſubſtantia alicujus generantur; hæc ſiquidem demum, proprie dicta, eſt tum generatio, tum filiatio; Habeant, inquam, conſiderati reſpectu Dei, quemadmodum illi reſpectu ejus, ex quo ſunt geniti. Hæc autem ſimilitudo duplex eſſe poteſt; aut, videlicet, in ipſa perſona, aut in modo exiſtendi. In ipſa perſona intelligo, ut quemadmodum ii, qui ex ſubſtantia alicujus generantur, ſimiles ſunt & ſubſtantia, & qualitatibus illi, ex quo ſunt geniti; ſic iſti Deo ſint ſimiles in iis, quæ Dei ſunt propria; cujuſmodi ſunt ſapientia, ſanctitas, immortalitas, dominatio, &c. In modo autem exiſtendi intelligo, vel quia, ut exiſterent tales, Dei actio & operatio intervenerit, ut actio & operatio intervenit illius, ex cujus ſubſtantia quis ſit generatus, ad hoc, ut ei ſimilis exiſteret: vel quia ipſum ſuum eſſe, ſeu quod ſimpliciter extiterunt, ex tali Dei actione & operatione habeant, quæ aliqua ratione actioni & operationi reſpondeat illius, ex cujus ſubſtantia quis generatus, inde habuit, ut exiſteret. Hujus autem rei, quam poſtremo diximus, nullum revera exemplum habemus niſi in Chriſto Jeſu; qui, ut ſupra docuimus, hoc ipſum quod extiterit, id eſt, conceptus & natus fuerit, ex tali Dei actione & operatione habet, quæ viri gignentis actioni & operationi reſpondet; quod nec in Angelis, nec in ulla alia re creata contigit. Adeo ut, quatenus ſimpliciter exiſtunt, non geniti à Deo, ſed creati tantum dici poſſint, quicunque præter Chriſtum filii Dei appellantur: Chriſtus vero, quatenus ſimpliciter exiſtit, non creatus modo à Deo, ſed etiam ab ipſo genitus merito dicatur. Ex quo, ut dictum fuit, conſequitur, ut naturalis Dei filius jure appellari queat, & quidem ſolus naturalis, ac propterea unigenitus: præſertim inter homines, quorum reſpectu potiſſimum unigenitus Dei filius eſt appellatus. Angeli enim eatenus tantum naturales Dei filii dici nequeunt, quatenus non ſunt ab initio nati Dei filii; quamvis alioqui nunquam non fuerunt filii Dei: ut pote tales ab ipſo initio creati. Homines vero, qui filii Dei ſunt, præter unum Jeſum Chriſtum, ab ipſo initio nec nati, nec creati ſunt Dei filii, ſed poſtea facti. Itaque apparet, eſſe quiddam medium, in filiatione divina, inter naturalem, & adoptivum filium. Qui enim non prius extitit, quam Dei filius fuerit, nempe quia talis creatus ſit; is ſane adoptivus dici nequit; ſi ut diximus, creatus tantum Dei filius, non etiam natus eſt. Hinc conſtat, non recte Bellarminum locutum & una cum ipſo Vujekum fuiſſe, cum Angelos Dei filios adoptivos nominarunt. Quin etiam, proprie loquendo, ne homines quidem ipſi, qui Dei filii ſunt, adoptivi Dei filii dici debent; quamvis nec nati ſint ab initio nec creati Dei filii. Adoptivus enim filius is eſt, qui pro filio quidem habetur, ſed tamen revera non eſt filius. At qui homines, qui Dei filii ſunt aut dicuntur, præſertim Chriſtiani, revera ſunt Dei filii; ut quidem filios Deus generat. Propterea eos genuiſſe Deus dicitur, ut ſupra, ſacris teſtimoniis citatis, oſtendimus. Nemo vero dicet, ſe genuiſſe filium ſuum adoptivum. Ex quo concludendum eſt, cum ſcriptura, de filiatione Chriſtianorum loquens, eo vocabulo utitur, quo adoptio ſignificari ſolet, id eſt, vocabulo υἱοθεσίας, non aliam ob cauſam id facere, niſi quia, ab initio, nec nati, nec creati ſunt Dei filii: ſed poſtea facti, & tamen ſimul geniti, per eam, ſcilicet gignendi actionem, quæ in Deum cadit. Et certe Paulus, cum ait nos expectare υἱοθεσίαν quod Latine legitur, *adoptionem*, non intelligit, nos expectare, ut pro Dei filiis habeamur: ſed, ut revera ſimus, id eſt, immortales reipſa efficiamur. Sequitur enim ſtatim, *redemptionem corporis noſtri*; quod declarat, quæ ſit iſta adoptio, quam expectamus. Chriſtus ſiquidem ipſe affirmat, eos, qui digni fuerint habiti ſæculo illo futuro & reſurrectione ex mortuis, fore Dei filios, ob id quod reſurrectionis ſint filii, Luc. 20. 36.

His ita conſtitutis, videamus nunc, qualis & quomodo Jeſus Chriſtus ſit Dei filius. Jam dictum, eſt eum filium naturalem eſſe, propterea quia natus ſit Dei filius. Verum cum filiatio ex Deo ſimilitudine potiſſimum contineatur, quam quis cum Deo habeat; poteſt ipſe Chriſtus, quatenus propter hanc cauſam, præter illam, quod exiſtentiam ſuam per Dei actionem & operationem habet ſimilem ei, per quam exiſtunt ii, qui ex Patris ſui ſubſtantia ſunt geniti, Dei filius eſt non modo naturalis, ſed etiam adoptivus Dei filius dici, eo ſenſu, quo, ut dictum eſt, ſcriptura homines Chriſtianos adoptivos Dei filios vocat; nempe quia ſimilitudinem, quam cum Deo habet, non in ipſa conceptione & nativitate habuit; ſed poſtea ex Dei dono & gratia illam adeptus eſt. Quæ quanto major & multiplicior (ut ita dicam) in dies in illo fuit: tanto excellentior Dei filius eſt factus, & non ſemel, neque una ratione à Deo genitus: non declaratione tantum, ut ex parte ſenſiſſe Hilarius * videtur, qui eum & in nativitate ex virgine, & in baptiſmo, & in reſurrectione a mortuis generatum a Deo fuiſſe, agnoſcit: ſed etiam effectu ipſo, id eſt per adeptionem ejus cum Deo ſimilitudinis, quam antea vel omnino non habebat, vel non tantam. Similitudinem cum Deo immortalitatis non habuit Chriſtus ante reſurrectionem ſuam. Propterea merito Paulus Act. 13 33, verba Pſalmi, *Ego hodie genui te*, ad Chriſti reſurrectionem retulit. Ubi tamen notandum eſt, & in hoc, & in aliis locis non paucis, ſimplici Chriſti reſurrectionis nomine, totum id intelligi, quod poſt reſurrectionem ipſam eſt conſecutum; adeo ut non ſolum immortalitas, ſed plena Chriſti glorificatio, & ad Dei dexteram ſeſſio eo nomine ſignificetur. Quocirca Paulus, cum, huc locum Pſalmi accommodans, ſatis aperte docet, tunc Chriſtum à Deo generatum fuiſſe, cum ab eo reſuſcitatus fuit, non immortalitatis tantum, ſed poteſtatis quoque ac dominationis Chriſti, ac denique regni ſuper Dei populum rationem habuit. Quod vel inde perſpicuum eſt, quod ait, Deum, quod patribus promiſerat, filiis præſtitiſſe, cum Chriſtum reſuſcitavit. Promiſerat autem illis regem tanta poteſtate præditum, ut eos plane ſervare poſſet, illiſque benedicere, id eſt, felices ipſos ac beatos reddere. Itaque non una ratione generatus eſt Chriſtus Dei filius in reſurrectione ſua. Tunc enim non modo immortalitate ſimilis Deo eſt factus, ſed, quod multo eſt præſtantius divino etiam imperio ac poteſtate abſoluta (in iis ſcilicet, quæ ad Eccleſiam ipſius quoquo modo pertinent, aut pertinere poſſunt) in ipſam mortem atque infernum, & in omnes ſive in terra ſive in cœlo exiſtentes, quantumvis excellentiſſimas, res creatas. Hinc apparet, Chriſtum, ante reſurrectionem ſuam, fuiſſe quidem Dei filium, propter ſimilitudinem, quam cum ipſo habebat, imperii ac dominationis: jam enim & mari, & ventis, & morbis, & morti, quatenus ad hanc præſentem vitam ſpectat, & dæmonibus ipſis imperabat; ſed tamen tanto excellentiore ratione Dei filium, propter eandem cum Deo ſimilitudinem, poſt reſurrectionem fuiſſe, quanto major tunc fuit, quam antea, ſimilitudo iſta. Tunc enim, ut cætera, omittam, & in ipſum infernum, id eſt, in mortem, quatenus etiam ad æternam vitam reipſa dandam pertinet, ſeu in ipſam æternam mortem, inque ipſos omnes Dei Angelos imperium ac dominationem primum eſt adeptus. Quæ res ad abſolutam illam poteſtatem, de qua antea diximus, & Eccleſiæ gubernationem, & ſic ad Chriſtum illum Dei omnino efficiendum (Jeſum enim Nazarænum, qui crucifixus fuerat, factum à Deo Dominum & Chriſtum fuiſſe, legimus Act. 2. 36.) prorſus neceſſariæ erant. Oſtendimus autem ſupra, idem in Sacris Literis eſſe Chriſtum Dei, & ſingularem illum Dei filium, ac conſequenter unigenitum. Id quod res ipſa clamat; cum & ea, quæ Chriſtum Dei efficiunt, res ſint alioqui ipſius Dei propriæ, omniumque excepta ipſa divina eſſentia præſtantiſſimæ, & uni tantum Chriſto Dei contingant; qui non niſi unus eſt. Nec enim plures uno, populi Dei cœleſtes reges

* Hilar. in Pſal. 2.

ſunt

ſunt aut eſſe poſſunt. Quamvis autem Jeſus ante reſurrectionem iſta omnia non haberet; Chriſti tamen nomine etiam tum jure eſt appellatus: non tantum quia jam huic tanto tamque abſoluto imperio ac poteſtati deſtinatus ab ipſo Deo fuerat; ſed etiam, quia, ut diximus, hujus imperii ac poteſtatis partem, quæ propria Chriſti eſt, jam fuerat adeptus. Adeo ut illam, ut quidem faciebat, cum aliis communicare poſſet, eamque ipſe dare; ut diſerte Euangeliſtæ teſtantur Matth. 10. 1. Marc. 3. 15. Id quod nulli alii, præter ipſum, eſt à Deo conceſſum, & conſequenter, cum hoc proprium alioqui ipſius Dei ſit, liquido apparet, ſingularem quandam habuiſſe Chriſtum cum Deo ipſius Dei opera, etiam, dum hic mortalis ageret, ſimilitudinem; & propterea etiam tum, hujus rei nomine, unigenitum Dei filium fuiſſe. Quæ ſimilitudo adeo poſt reſurrectionem aucta eſt; ut tunc demum, immortalitatis ſimilitudine præſertim adjuncta, qua antea carebat, merito a Deo generatus dicatur. Et idcirco idem Paulus, qui Pſalmi verba, *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*, ad Chriſti reſurrectionem accommodaverat, ad Romanos ſcribens, diſerte ait, Chriſtum ex reſurrectione mortuorum definitum, id eſt, conſtitutum fuiſſe Dei filium. Eſt enim Græce ὁρισθέντος Quæ vox non *prædeſtinatum* aut *declaratum*, ut Latinæ interpretationes fere habent, ſed *definitum*, ut Caſtellio vertit, id eſt, *conſtitutum* proprie ſignificat. Quanquam ſi vocem prædeſtinati retineas, quam vulgata editio habet; multo magis apparebit, Chriſtum, ante reſurrectionem, filium Dei plene ac perfecte non fuiſſe; cum hac ratione, ne ex ipſa quidem reſurrectione talis continuo extiterit: ſed tantum, ut talis eſſet, prædeſtinatus fuerit. Id quod vere dici poteſt, ſi reſurrectionis nomen pro ipſa modo, ut Pauli verba ſonant, reſurrectione à mortuis accipias, citra ea, quæ illam, poſtmodum ſunt conſecuta. Chriſtus ſiquidem, ſimul atque a mortuis reſurrexit, quamvis & immortalitati, & ſupremæ in omnes res creatas poteſtati excellentiore modo, quam antea, deſtinatus fuerit, quippe, cui, ad iſta conſequenda, nihil jam faciendum reſtaret; tamen, quamdiu adhuc in terris fuit, ſicut ſupremam illam poteſtatem reipſa non eſt adeptus, nec ad Dei dexteram reipſa conſtitutus; ſic naturam immortalem reipſa non induit. Hoc enim vel ex eo patet, quod poſt reſurrectionem revera comedit ac bibit, quod ii facere nequeunt, qui naturam immortalem habent; revera, inquam, ut fidem faceret, ſe ſpecturum non eſſe, & vere à mortuis reſurrexiſſe; ut ex ipſis locis colligitur, ubi, eum poſt reſurrectionem comediſſe ac bibiſſe legitur, Luc. 24. 41, &c. Act. 10. ℣. 41. Et ſane ob hanc cauſam, videlicet, ut ſuæ reſurrectionis fidem faceret, oportuit, eum, tantiſper, dum hic fuit, naturam immortalem non induere. Alioqui ejus diſcipuli eum aſpicere atque agnoſcere non potuiſſent, neque enim mortales oculi immortalium corporum ſplendorem ferre queunt; & neceſſe fuiſſet, illum priorem ſpeciem ſui corporis aſſumere; & ſic Apoſtolorum, & aliorum, quibus apparuit, ſenſibus impoſuiſſet potius, quam ſui ipſius redivivi certam fidem feciſſet. An fortaſſe credibile eſt, corpora noſtra, poſtquam immortalia fuerint facta, veſtigia vulnerum, quæ mortales acceperimus, revera habitura? Atqui Chriſtus, poſt reſurrectionem, vulnerum, quæ, dum cruci affigeretur, ibique jam affixus accepit, veſtigia revera habuit; iiſque, ad ſuam reſurrectionem confirmandam; uti quodammodo neceſſe habuit Luc. 24. 39, 40. Joh. 20. 25, & 27. Sed hæc obiter, conſtat igitur, ut ad propoſitum revertamur, Chriſtum ante reſurrectionem Dei filium plene ac perfecte non fuiſſe; cum illi & immortalitatis & abſolutæ dominationis cum Deo ſimilitudo deeſſet. Immortalitatis autem nomine in tota hac diſputatione non ſimpliciter naturam ipſam immortalem, ſed cum beatitudine conjunctam intelligo, Latinos antiquos ſcriptores, & inter ipſos Chriſtianos, Lactantium præcipue imitatus. Verumtamen ſanctitatis & ſapientiæ ſimilitudinem cum Deo perfecte habuit Chriſtus, etiam ante reſurrectionem. Ac propterea, præter cauſas ante expoſitas, jure, pro eo tempore, Dei filius eſt appellatus & quidem unigenitus; cum nemo alius, præter ipſum, in hac vita mortali perfectam utramvis harum cum Deo ſimilitudinem habuerit. Nec tamen illas naturales habuit, id eſt, cum iis non eſt conceptus & natus; & idcirco, earum reſpectu, naturalis Dei filius dici nequit. Unde apparet, ejuſdem rei reſpectu, Chriſtum unigenitum Dei filium eſſe, nec tamen naturalem: multumque abeſſe, ut unigeniti appellatio, cum de divina filiatione agitur, naturalem filium omnino arguat, quemadmodum adverſarii opinantur. Nam, quod iſta duo naturalia, eo ſenſu, quem jam explicuimus, Chriſtus non habuerit, ad hunc modum probatur. De ſapientia aperte Lucas teſtatur, eum & ſapientia, & ætate, & gratia profeciſſe, tum apud Deum, tum apud homines. Quod ſi perfectam ſapientiæ cum Deo ſimilitudinem ab ipſo ortu habuiſſet; certe ſapientia, ut ætate, proficere, id eſt, augeri apud Deum non potuiſſet. De ſanctitate autem, id eſt, juſtitia & vitæ integritate divina ac cœleſti, res ipſa loquitur. Quandoquidem ea in infantem non cadit, & rationis uſum in homine ejuſque actionem requirit. Hancque non minus, quam ſapientiam, una cum ætate in Chriſto auctam fuiſſe, quamvis, prout ætas ferebat, ſemper perfecta fuerit; illud indicat, quod gratia apud Deum ipſum, profeciſſe Chriſtum Lucas ſcribit, id eſt, in dies illi gratiorem fuiſſe. Quod fieri non potuiſſe videtur, ſi ab ipſo ortus initio, non ſolum pro ætate, ſed etiam omnino abſolute, perfecte juſtitia & vitæ integritate illa, de qua loquimur, Chriſtus fuiſſet præditus.

Arbitror, me ſatis dilucide oſtendiſſe, quomodo Chriſtus ſit Dei filius: & quidem unigenitus, quamvis ex ipſius Dei ſubſtantia generatus non fuerit. Ubi illud potiſſimum eſt memoria tenendum, quod de ipſa Chriſti Dei appellatione, & re, quæ illi ſubeſt, diſputavimus. Hoc enim per ſe & excellentiſſimam, quæ eſſe poſſit, & unicam ex Deo generationem ac filiationem potiſſimum continet atque demonſtrat.

Itaque tandem videre poſſunt pii ac cordati omnes, qualem vim habeat ad probandum, quod Chriſtus ſit ille unus verus Deus, adverſariorum argumentum ex eo ductum, quod Chriſtus ſit Dei filius; quidquid huic voci filius addatur; quando oſtendimus, ne id quidem ſatis futurum, ſi adderetur, ex ipſa Dei ſubſtantia generatus; ſi modò alioqui fieri poſſet, ut Deus ex ſua ipſius ſubſtantia generaret. Quinimmo hoc argumentum contra ipſos retorquetur; eſtque unum ex potioribus ad eos falſæ opinionis redarguendos. Nemo enim ſui ipſius filius eſſe poteſt. Quare, ſi Chriſtus eſt illius unius veri Dei filius, nequit ullo pacto fieri, ut ipſe Chriſtus ſit ille unus verus Deus. Atque hoc ipſo argumento, ad hoc ipſum probandum, videtur uti Ignatius, aut quiſquis fuit auctor illius Epiſtolæ, quæ, ſub ejus nomine, ad Tarſenſes inſcribitur. Diſputans enim, ut ex ipſius Epiſtolæ propoſitione apparet, inter cæteros, adverſus illos, qui dicebant, Chriſtum eſſe illum Deum, qui eſt ſuper omnia: ſic ait (ut quidem habet Latina editio, quæ ante Græcam, ni fallor apparuit) *Et quia non eſt ipſe ille, qui eſt ſuper omnia Deus, ſed filius ipſius, &c.* In Græco hoc loco additur poſt vocem *Deus & Pater*. Quæ lectio, de qua merito ſuſpicari poſſumus, ne non ſit vera, ſi tamen vera eſt, non ita eſt accipienda vox Pater, quaſi ad diſtinctionem ſit poſita inter Deum Patrem, & Deum filium: ſed ad illum unum Deum, qui abſolute eſt ſuper omnia, melius exprimendum; quippe cum ſolus Pater hic Deus ſit. Probatur hoc primum, quia paulo ante, cum auctor Epiſtolæ proponit, contra quos ſit diſputaturus, ne in Græco quidem *patris* vox habetur; ſed ut Latine, ad hunc modum, ſi verbum verbo reddas, legitur, *Alii autem, quod ipſe eſt ille ſuper omnia Deus.* Deinde, quia ſi mens illius ſcriptoris fuiſſet, tantum Deum Patrem à Deo filio diſtinguere, ſupervacanea fuiſſent

verba

verba iſta, *ille ſuper omnia Deus.* Immo ejus menti contraria. Iſtis enim verbis, quamvis vox *pater* adjungatur, negari plane videtur, Chriſtum eſſe illum Deum, qui eſt ſuper omnia. Quare dicere ſimpliciter debuiſſet, *Et quia non eſt ipſe pater, &c*, ac ſimiliter in propoſitione dicere, ſe audiviſſe, quoſdam eſſe, qui dicerent, non quidem, Chriſtum eſſe illum ſuper omnia Deum, ſed, Chriſtum eſſe ipſum Patrem. Verum jam ad ſecundum hujus tertiæ claſſis argumentum diſſolvendum accedamus.

Reſponſio ad II. Argumentum.

Secundum igitur argumentum his verbis formatum eſt, *Luc.* 1. 16. *Angelus Gabriël de Sancto Joanne ſic ait*: Multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum: & ipſe præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ. *Dominus Deus Iſraëlis (quemadmodum omnes, & præcipue Anabaptiſtæ confitentur) ſolus eſt Deus verus. Atqui hic Angelus vocat Chriſtum Dominum Deum Iſraëlis; ut Irenæus, Ambroſius, Euthymius, Beda, & alii doctores ſcribunt in hunc locum, nec poteſt aliter intelligi. Nam hæc verba*: Et ipſe præcedet ante illum, *non poſſunt referri ad ullum alium, niſi ad Dominum Deum Iſraëlis, hoc eodem in loco ante commemoratum. Certum autem ſimiliter eſt, Joannem præceſſiſſe Chriſtum, non autem Deum patrem.* Eduxit Deus Iſraëli ſalvatorem Jeſum (*ait Paulus Act.* 13. 24.) & ante faciem adventum ejus prædicavit Joannes baptiſmum pœnitentiæ. *Quod & verba illa confirmant*: Multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum. *Joannes enim non conabatur convertere homines ad ullum alium, niſi ad Chriſtum; quem aſſidue annunciabat. Propterea, ſimul atque vidit Jeſum, dixit verba illa*: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi *Joan.* 1. 29. *Et confeſtim ad verba iſta Andreas, qui erat diſcipulus Joannis, convertit ſe ad Chriſtum Dominum, & ſecutus eſt eum. Et ſic Chriſtus eſt Deus Iſraëlis, idem qui & pater ejus.*

Huic argumento revera ſatis factum fuit in reſponſione ad undecimum argumentum primæ claſſis. Verumtamen hic etiam aliquid ad illud penitus diſſolvendum dicemus. Primum igitur negamus, Johannem non præceſſiſſe ante Deum Patrem, propter eas cauſas, quæ ſupra explicatæ fuerunt. Et dicimus, in eo ipſo loco, ex quo hoc argumentum ductum eſt, ſatis expreſſum fuiſſe, quomodo Johannes ante Deum ipſum Patrem præceſſerit, & quid ſibi velint illa verba, *Et ipſe præcedet ante illum.* Ad finem enim verſiculi legitur, *parare Domino plebem perfectam.* Ecce quid fuerit, præceſſiſſe Johannem ante illum, id eſt, Deum, & quidem Deum Patrem; nempe veniſſe paratum illi populum perfectum, vel potius, ut Græcum verbum ſonat inſtructum. Nomen enim Domini ad Chriſtum referri non debere, id ſuadet, quod in Græco eſt κυρίῳ, ſine articulo. Qua de re ſupra à nobis dictum. Deinde dicimus, pronomen ejus relativum; Hebraico more, potuiſſe poni pro antecedente; ut, ſcilicet, non referatur ad Deum Iſraëlis proxime nominatum, ſed Chriſtum ipſum, quamvis antea non nominatum ſignificet. Hic autem Hebraicæ linguæ uſus in ipſo N. T. alibi invenitur; præſertim vero apud Johannem in prima ejus Epiſtola 2. 3. Potiſſimum autem apparet illo dicto cap. 3. 2, ubi, ſimiliter ut hic, quamvis Deus & Deus quidem Pater nominatus antea fuiſſet; ſubjunguntur tamen illa verba, *Scimus, quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Certum enim eſt, verbum *apparuerit*, & conſequenter pronomina *ei*, & *eum*, ad Chriſtum referenda eſſe, non autem ad Deum Patrem: & perinde haberi ac ſi ſcriptum fuiſſet, *Scimus, quoniam, cum apparuerit, ſimiles Chriſto*, ſeu *filio Dei erimus, &c.* Sic igitur hoc loco novum videri non deberet, ſi verba illa, *Et ipſe præcedet ante illum*, ita accipienda eſſent, ac ſi ſcriptum fuiſſet, *Et ipſe præcedet ante Chriſtum*; ſi modo quis contendere velit, Johannem ante Chriſtum tantummodo præceſſiſſe. Præterea animadvertendum eſt in Græco pro ea voce, quæ in Latino eſt Ante, eſſe vocem ἐνώπιον; quæ Coram ſignificat, ſive in conſpectu: verbum autem præcedet eſſe προελεύσεται, quod admodum uſitate Progredietur ſignificare poteſt. Et certe dictio Coram non bene jungitur cum verbo præcedendi. Itaque videtur, hoc loco non agi de præeundo ante Dominum Deum Iſraëlis, ſed de progrediendo, id eſt, ambulando in conſpectu ejus. Quid autem ſit ambulare in conſpectu Dei, ſive coram Deo, declarant hæc loca in lib. Gen. 17. 1. XXIV. 40. XLVIII. 15, quæ lector inſpiciat. Videbitur omnino hæc interpretatio, ut nova, ſic plane dura; præſertim quia Angelus videtur prorſus ad vaticinationem Malachiæ reſpicere; ubi de præparanda via ante faciem domini verba fiunt. Atqui, ſi vocis ἐνώπιον vis & uſus conſideretur, quæ nunquam aliud ſignificat, quam ut dictum eſt, Coram, ſive in conſpectu; non modo appoſita, ſed neceſſaria videbitur interpretatio, ſi non plane iſta, quam attulimus, ſaltem ei non abſimilis; per quam, videlicet, non præceſſio ulla ante Deum Iſraëlis ſignificetur, ſed progreſſio aliqua in ejus conſpectu. Jam apud Malachiam, in loco, ad quem Angelum reſpexiſſe conſtat, id eſt, cap ultimo, nihil dicitur de præcedendo Dominum, niſi in illis verbis, *antequam veniat dies domini magnus & terribilis*; quod præceſſionis ante dominum genus nequaquam illud eſt, de quo hic Angelum agere neceſſe eſt, ſi ex ipſius verbis argumentum hoc, quod refellimus, eliciendum eſt. Capite porro tertio Malachiæ, ſi quis eo Angelum reſpexiſſe velit, etiamſi ſupra tacite quodammodo conceſſerimus, ibi agi de præceſſione quadam, tamen hic aperte monemus, verba, *ante faciem meam*, idem ſignificare poſſe, quod, in conſpectu meo, quemadmodum ipſa ſonant. Et apud omnes tres Euangeliſtas Matth. 11. 10. Marc 1. 2. Luc. 7. 27, ubi iſtius vaticinationis fit mentio, eſt in Græco vox ἐμπροσθέν, quæ rectiſſime Coram, ſive in conſpectu verti poteſt, immo in N. T. hæc eſt ejus vocis uſitatior ſignificatio. Et quidem vox Hebræa *Lepanai* vix unquam, niſi fallor, aliud ſignificat, quam Coram me. Quocirca, cum Zacharias Johannis Baptiſtæ Pater dixit, Johannem præiturum ante faciem Domini, verum quidem dixit, quamvis, Domini nomine, ipſum Deum Iſraëlis intellexerit; ſed non tamen cenſendus eſt Zacharias Malachiæ verba interpretari, vel potius ea inter ſua verba inſerere voluiſſe: ſed plane ſimilem ſententiam, dum ad eum Malachiæ locum alluderet, protuliſſe. Quæ igitur à nobis hoc loco diſputantur, non eo reſpiciunt, ut negemus, Johannem præceſſiſſe ante Deum Iſraëlis: quomodo enim ex hoc minime concludatur, Chriſtum eſſe illum Deum Iſraëlis, jam ex iis, quæ ſupra alibi diſputavimus, intelligi poteſt; ſed ut loca à locis diſtinguantur, & verba Angeli, quibus argumentum nititur, quod præ manibus habemus, præceſſionis iſtius mentionem non facere agnoſcatur.

Nam quod ex iiſdem Angeli verbis colligitur, Johannem multos ex populo Iſraëlis convertiſſe ad dominum Deum ipſorum, id nullam penitus vim habet ad oſtendendum, Chriſtum eſſe iſtum Deum. Quandoquidem manifeſto falſum eſt, quod in argumenti deductione dicitur, Johannem non fuiſſe conatum homines convertere ad alium, quam ad Chriſtum. Cum potius aperte conſtet, eum ad Chriſtum neminem convertere curaſſe, ſed ne potuiſſe quidem. Convertitur enim quis (eo ſenſu quem hic intelligere eſt neceſſe) ad eum, cui antea merito, aliqua ratione adhærebat, & poſtea ab ipſo, ſine juſta cauſa, alienus eſt factus; aut ſaltem, cui adhærendum eſſe, jam aliqua ratione aperte ac publice ſit confirmatum. Atqui Iſraëlitæ, quos ad frugem revocavit Johannes, nunquam Chriſto prius ulla ratione adhæſerant; nec, Chriſto adhærendum eſſe, aperte ac publice ante Johannis prædicationem ulla ratione confirmatum fuerat. Quare nec illos ad Chriſtum convertere potuit: ſed tantum, ſicut fecit, eos ad illum mittere, utque in ipſum crederent, monere. Ad Deum igitur, non autem ad Chriſtum, convertebat homines Johannes: quip-

quippe à Deo, cui vel ipſi, vel eorum majores aliquando adhæſerant, immo ipſi adhuc ſe adhærere profitebantur, cuique adhærendum eſſe, infinitis modis antea publice atque aperte confirmatum fuerat, impura ſua vita, & peccatis contra divinam legem, re ipſa alienos factos. Convertebat, inquam, prædicatione pœnitentiæ, ad quam illos, terrore impendentium alioqui pœnarum, adducebat. Pœnitentiam vero proprie ad Deum, quatenus à Chriſto diſtinguitur, referri, docent verba illa Pauli Act. 20. 21. *Teſtificans Judæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Quod Johannes, conſpecto Chriſto dixerit, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: hoc non oſtendit conatum convertendi populum ad Chriſtum, ſi proprie loqui velimus; ſed perſuadendi, remiſſionem peccatorum in Chriſto quærendam eſſe. De Andrea, quod affertur, nihil ad rem facit; cum in hiſtoria non dicatur, Andream converſum fuiſſe ad Chriſtum, ſed tantummodo, illum fuiſſe ſecutum.

Reſponſio ad III. Argumentum

Tertium argumentum tale eſt: Joan. 5. 8. Eo magis Judæi Jeſum interficere quærebant, quod non ſolum ſolvebat ſabbathum ſed etiam Deum vocabat Patrem ſuum, æqualem ſe faciens Deo. *Cum igitur Chriſtus vocaret ſe ac faceret æqualem Deo: jam certe erat Deus verus, æternus, & ſummus. Nam, ut Chryſoſtomus, Cyrillus, Auguſtinus, & alii omnes Doctores ſcribunt in hunc locum, & quemadmodum ipſe Joannes Euangeliſta teſtatur, recte hoc Judæi ſentiebant, & vere hoc de Chriſto dicebant, quod vocaret ſe ac faceret æqualem Deo. Si enim hæc Iudæorum opinio falſa fuiſſet (ut recte notat Chryſoſtomus) tunc profecto aut ipſe Chriſtus Dominus, aut Euangeliſtæ* (ſic habet Vujekus pro *Euangeliſta*) *id declaraſſent, ne erraremus in re tanta. Sicut, cum Chriſtus Dominus dixit, ſe triduo templum denuo ædificaturum eſſe, Ioan. 2. 21. declaravit ſtatim Euangeliſta, quod hoc dixiſſet de templo corporis ſui. Et in alio loco: cum diſcipuli, ex verbis Domini, ſibi perſuaderent, Ioannem non moriturum; ipſemet Ioannes declarat, quod non dixiſſet Ieſus, eum non moriturum Ioan. 21. 23. Atqui hic Chriſtus Dominus non ſolum non reprobavit hanc Iudæorum opinionem, ſed potius illam comprobavit, dicens, ſe ea facere, quæ & Pater facit. Et ſicut Pater excitat quos vult; ſic & filius. Et toto illo cap. 5. Ioan. variis modis oſtendit ſe eſſe æqualem Deo.*

Reſpondeo, conſequentiam hujus argumenti nullam eſſe, immo argumentum in Adverſarios facile retorqueri. Tantum enim abeſt, ut ex eo quod Chriſtus ſit æqualis Deo, ſequatur, ipſum eſſe æternum & ſummum Deum, ut potius ex hoc ipſo neceſſario conſequatur, Chriſtum non eſſe æternum & ſummum Deum. Nemo enim ſibi ipſi æqualis eſſe poteſt. Certum eſt autem, Deum cui Chriſtus ſit æqualis, eſſe æternum & ſummum Deum. Idque, ad argumentum Adverſariorum concludendum, neceſſarium eſt; ſi tamen concludi ullo modo poſſet. Sed quominus concludi poſſit, obſtat quod ſummus & æternus Deus unus tantum eſt; adeo ut ex hoc conſequatur, argumentum in ipſos Adverſarios, ut diximus, merito retorqueri. Præterea hic eſt fallacia A dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Neque enim Chriſtus ſimpliciter ſe Deo æqualem fecit; immo æqualitatis ſuæ cum Deo nihil diſerte meminit, ſed tantummodo dixit, *Pater meus uſque modo operatur; & ego operor*; unde colligitur, ipſum ſe æqualem Deo feciſſe. Itaque Chriſti cum Deo æqualitas, de qua Euangeliſta loquitur, huc tantum pertinet, atque hactenus tantum extenditur, quatenus ipſe operatur, quemadmodum Deus ſeu Pater operatur. Quam æqualitatem in hoc ipſo non eſſe omnimodam, declarant ſubſequentia verba ipſius Chriſti; quibus antecedentia iſta explicat, & rem totam dilucide exponit. Inquit enim, *Amen Amen dico vobis, Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Audis hic æqualitatem, quæ eſt inter Chriſtum, & Deum, ſeu Filium, & Patrem in operando, & ſimul eadem in re inæqualitem. Æqualitas eſt, quatenus filius ea facit, quæ Pater facit; Inæqualitas vero, quatenus Filius nihil poteſt facere à ſeipſo. Quod profecto ſatis eſt ad demonſtrandum, Filium non eſſe illum ſummum & æternum Deum. Quid enim abſurdius aut impoſſibilius, quam ſummum illum & æternum Deum nihil à ſeipſo facere poſſe? Pater igitur, qui ſine controverſia eſt ſummus ille & æternus Deus, à ſeipſo, abſque dubio, omnia facere poteſt, & ſic magna inæqualitas in operando inter Patrem, & filium apparet; præſertim, ſi recte intelligatur, quid ſibi velit, filium à ſeipſo nihil poſſe facere. Id autem, quamvis alioqui per ſe clariſſimum, declarat Chriſtus illico ſubſequentibus verbis, *niſi quod viderit Patrem facientem.* Hoc enim perinde eſt, ac ſi dixiſſet, Niſi quod faciendi poteſtatem & juſſum à Patre habuerit. Nam præterquam quod hic ſenſus omnino requiritur, propter antecedentia verba, quæ, ut diximus, per ſe ſunt clariſſima; certum eſt in Chriſti verbis idem eſſe, Filium videre Patrem facientem, &, Filio à Patre demonſtrari opera, quod Chriſtus mox ſubjunxit: non ſolum quia ipſe loquendi formulæ id plane oſtendunt, ſed etiam quia ſermonis Chriſti connexio idem prorſus ſuadet. Atqui, Filio à Patre opera demonſtrari, aliud nihil eſt, quam, Operandi poteſtatem & juſſum Filium à Patre habere; quemadmodum docet id, quod ſtatim ſubjicitur, *Et majora his demonſtrabit ei opera, ut vos miremini.* Quæ verba oſtendunt, quidquid hoc loco Chriſtus ait, non ad imaginariam illam ex Patre generationem æternam & neceſſariam, ut Adverſarii facere conſueverunt, per quam, ſcilicet, Chriſtus poteſtatem acceperit ea faciendi, quæ Pater facit, ſed ad liberam Patris voluntatem, & ad conceſſionem, in tempore, ut loquuntur, factam, referendum eſſe. *Demonſtrabit*, inquit, quod denotat, demonſtrationem iſtam aliud eſſe, quam aliquid, quod jam ab æterno perfecte exiterit. Verum ex demonſtratione iſta tantum proficiſci operandi facultatem, quam Chriſtus habet, apparet manifeſte ex verbis illis, *Non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem.* Non igitur ab æterno perfecte in Chriſto ſeu in Filio operandi facultas fuit, & conſequenter in operandi facultate non eſt Chriſtus per omnia Deo Patri æqualis. Eſt autem animadvertendum, in verbis illis, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit*, ſi dictio Enim ſuam propriam vim habet reddendi rationem, neceſſe eſſe, ut, *ille fecerit*, idem ſit, quod, *illum facientem viderit*, id eſt, ut diximus, Ille conceſſerit ac juſſerit. Sed & vox *ſimiliter*, quæ ſubjicitur, &, in ſequente periodo, repetita dictio Enim id prohibere omnino videntur. Quamobrem exiſtimo, dictionem Enim in verbis iſtis vim conſuetam rationem reddendi non habere, ut Rom. 5. 7. & alibi haud raro, eumque totius loci eſſe ſenſum, ac ſi Chriſtus dixiſſet, *Quod dixi, patrem meum uſque modo operari, & me quoque operari: id non ita intelligendum eſt, quaſi per omnia me in operando parem Patri faciam. Vobis enim ſancte ac conſtanter affirmo, me, a me ipſo, nullam vim aut auctoritatem quidquam faciendi habere, ſed, quidquid facio, id ex conceſſione & juſſu Patris facere. Nihil tamen eſt adeo excellens ex iis, quæ Pater facit, quod ego quoque non faciam. Sic enim me diligit Pater, ut nihil faciat ipſe, quod me facere non jubeat, ejuſve faciendi poteſtatem mihi non concedat; ut ſuo tempore conſtabit. Nam & multo majora opera, quam ea ſint, quæ me hactenus facere vidiſtis, concedet, mihi, & mandabit Pater ut faciam; adeo ut vos vehementer miraturi ſitis*, &c. Satis eſt hactenus Chriſti verba paraphraſi explanaſſe, atque hac ratione planum feciſſe, quam fallantur Adverſarii, qui putant, ex Chriſti verbis, quæ ſubjunxit, poſtquam ſenſit, Judæos ex iis, quæ dixerat, collegiſſe, quod ſe æqualem Deo faceret, aperte conſtare, Chriſtum profeſſum fuiſſe, ſe ſimpliciter & abſolute Deo æqualem eſſe, cum potius Chriſtus contrarium manifeſte fuerit profeſſus; tametſi,

rametſi, quod prius dixerat, Patrem operari, & ſe operari, interim conſtanter aſſeruerit, & explicando etiam amplificaverit; potiſſimum vero, cum ſibi facultatem vivificandi quos vellet, ut Pater ſuſcitat mortuos & quos vult vivificat, tribuere non dubitavit. Quod tamen, ſaltem ex parte, id eſt, quatenus vivificationem & ſuſcitationem à mortuis ad vitam æternam complectitur, ad futurum tempus referri debet; licet, propter rei certitudinem, præſentis temporis verbis enunciatum fuerit. Id quod verbum Demonſtravit, quod anteceſſit in illis verbis, *Et majora his demonſtrabit ei opera*, ad quæ totum iſtud relationem habet, ſatis aperte docet. Jam enim oſtendimus, & locus ipſe omnino ſuadet, Demonſtrari à Patre filio opera, idem eſſe, quod, Filium à Patre juſſum & poteſtatem operandi accipere.

Potuiſſem, ad hoc tertium argumentum diſſolvendum, aliam viam ingredi, cujus hic meminit Bellarminus *, & negare, Chriſtum feciſſe ſe æqualem Deo, ac dicere, non conſtare Euangeliſtam verba illa, *faciens ſe æqualem Deo*, ex ſuo, & non potius ex Judæorum tantum ſenſu protuliſſe. Nam, quod ex Judæorum tantum ſenſu protulerit, id indicare videtur, quod ibidem dicit, Jeſum ſabbatum ſolviſſe. Satis enim conſtat Jeſum contra Dei præceptum, de quiete die ſeptimo ſervanda, nihil revera commiſiſſe: ſed tantum Judæis ita viſum fuiſſe. Quod enim Bellarminus ait, parum referre, utrum Euangeliſta referat ſententiam Judæorum, an exponat id, quod erat; quia, ſcilicet, Judæorum opinio vera eſſet; inepte hoc ab ipſo dictum eſt, id eſt, cum manifeſta principii petitione. Neque hanc ineptudinem excuſat, quod deinde veram Judæorum opinionem fuiſſe, probare nititur, inquiens, Euangeliſtam, ut veram, illam exponere, id quod poſtea confirmare aggreditur. Hoc enim illi dicendum modo erat; videlicet, propterea parum referre, quia Euangeliſta ejus, ut veræ, mentionem facit. Sed præterea, hoc omiſſo, dico confirmationem iſtius rei, quod, ſcilicet, Euangeliſta, ut veram, Judæorum opinionem commemoraverit, nempe quia alioqui; ne erraremus una cum illis, falſitatis lectorem monuiſſet; eſſe valde infirmam. Satis enim Euangeliſta & habuit & habere debuit, ſermonem ipſius Chriſti recenſere, quo verba illa ſua; ex quibus Judæi collegerant, eum ſe facere æqualem Deo, latiſſime explicat ac declarat. Ex qua explicatione & declaratione, ut ante docuimus, non obſcure apparet, eum profeſſum fuiſſe, ſe minime Deo Patri in operando abſolute parem eſſe. Qua de re longe aliter ex Judæorum ſenſu, alioqui lector facile exiſtimare potuiſſet.

Hanc viam, inquam, argumenti diſſolvendi ingredi poteram; ſed nolui. Quippe qui ex modo loquendi, quo uſus eſt Euangeliſta, ſentiam, eum omnino una cum Judæis cenſuiſſe, Chriſtum, verbis illis, ſe æqualem Deo feciſſe: verum, quod ad ipſum Euangeliſtam attinet, eo ſenſu, quem antea expoſui. Veriſimile enim plane eſt, ſi Euangeliſta de opinione tantum Judæorum loqui voluiſſet, quam ipſe penitus improbaſſet; additurum fuiſſe verbum aliquod, quo id ſignificaret, cum alioqui, ut ipſe ſimpliciter locutus eſt, inquiens, *faciens ſe æqualem Deo*; neceſſe ſit intelligere, hoc ipſum eum quoque ſenſiſſe, non minus, quam ſenſerit, Chriſtum appellaſſe Deum, Patrem ſuum; quod ab ipſo, uno & eodem verborum contextu, proxime dictum fuerat. Nam quod ad Sabbatum pertinet, quod Chriſtus ſolveret, Dico, revera Chriſtum ſolviſſe Sabbatum, antiquis Judæorum traditionibus inſpectis, ad quam aliquo modo veram Sabbati ſolutionem, non autem ad falſam aliquam Chriſto à Judæis objectam Euangeliſta reſpexit, ejuſque cum ita locutus eſt, rationem habuit.

* Tom. 1. col. 296. A.

Reſponſio ad IV. Argumentum.

Quartum argumentum, ductum ex loco Joh. 10. 30. breviter tale eſt: *Chriſtus eſt unus eſſentia cum Patre. Ergo idem Deus eſt, qui & Pater.* Aſſumptio probatur ex prædicto loco; ubi Chriſtus ait, *Ego & Pater unum ſumus.* Conſequentia per ſe patet, eo poſito, de quo inter nos convenit, Dei eſſentiam unam tantum numero eſſe. Ad demonſtrandum vero, Chriſti verba non niſi de unitate eſſentiæ accipi poſſe, non autem de unitate tantum concordiæ, tres rationes afferuntur, quas ipſius Vujeki & Bellarmini verbis deinceps exponemus.

Prima ratio eſt: *Chriſtus Dominus, volens oſtendere, non perituras ſuas oves, facit hoc argumentum.* Nemo poteſt oves rapere de manibus Patris mei, quia ipſe major omnibus eſt. Ergo nec de manibus meis poteſt ullus oves meas rapere. Ego enim & Pater unum ſumus. *Quod argumentum nullius ponderis eſſet, niſi illa verba*, Unum ſumus, *ſignificarent, unam & eandem eſſe manum, id eſt, potentiam Patris, & Filii. Quod ſi una & eadem potentia, jam certe una & eadem eſſentia. Nam in Deo idem eſt potentia, quod eſſentia.*

Secunda ratio apud Bellarminum (neque enim illam omnino recte Vujekus expoſuit) ſic habet: *Judæi, audito hoc verbo ſuſtulerunt lapides; ut jacerent in eum. Ergo intellexerunt per illud*; Unum ſumus, *Chriſtum ſe vere Deum unum cum Patre prædicare; non enim lapidare voluiſſent, ſi tantum credidiſſent, Chriſtum ſe dicere unum eſſe cum patre concordia voluntatis. Cum autem Judæi ſic intellexerint, nec tamen Chriſtus correxerit eorum ſententiam, conſtat eos recte intellexiſſe.*

Tertia ratio hæc eſt: *Chriſtus ipſe expoſuit, quid hoc ſit*, Ego & Pater unum ſumus *Nam cum Judæi propter hoc eum vellent lapidare, dixit illis*, Vos dicitis, blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum. *Et ſic idem eſt, Ego & Pater unum ſumus, quod Filius Dei ſum. Sunt igitur unum non tantum conſenſione voluntatis, quæ eſſe poteſt etiam inter illos, qui non ſunt conſanguinei: ſed ſic unum ſunt; ut Pater & filius unum ſunt, hoc eſt, unitate naturæ.*

Reſpondeo ad argumentum, negando ejus aſſumptionem; quam ex Chriſti verbis illis, *Ego & Pater unum ſumus*, neutiquam probari affirmo; cum aliunde conſtet, hoc ipſum, quod Chriſtus & Pater unum ſint, nullo modo ad eſſentiæ unitatem referendum eſſe. Ex verbis, videlicet, illis ipſius Chriſti ad Patrem de diſcipulis ſuis Joh. 17. 22, *Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Certum enim eſt, Chriſtum non dediſſe claritatem iſtam ſuis diſcipulis, ut fierent unum eſſentia, cum propter alias cauſſas, tum propter hanc, quod ſi de unitate eſſentiæ ſecundum ſpeciem agatur: jam illi ab ipſo ortu inter ſe iſtam habebant; ſin vero de unitate eſſentiæ ſecundum numerum: hoc fieri nullo modo poterat. Reſpondet ad locum iſtum, vel ad ſimilem iſti eodem cap. ℣. 11. Bellarminus * una cum Cyrillo & Chryſoſtomo (quam reſponſionem Vujekus quibuſdam additis, quibuſdam rurſus demptis, recitat) *Chriſtum non velle, ut Apoſtoli ſint ita unum omnino, ut ſunt unum divinæ perſonæ, ſed velle, ut Apoſtoli per gratiam Dei efficiantur unum ex concordia voluntatis, & eo modo imitentur divinas perſonas, quæ ſunt naturaliter unum voluntate & conſenſu, & proinde etiam eſſentia. Non enim poſſunt naturaliter agentia libera idem velle, niſi habeant eandem numero naturam.* Hæc reſponſio, ad hunc modum explicata, futilis plane videtur, & Principii petitionem continere, nimirum pro conceſſo in ea ſumi, eſſe divinas perſonas, id eſt, plures una eſſe perſonas in una Dei eſſentia, immo unam ex illis eſſe Chriſtum. Quod re ipſa illud idem eſt, de quo diſputatur, & ad quod probandum locus Joh. 10. 30. de cujus interpretatione agitur, allatus fuerat. Si dictum fuiſſet, potuiſſe Chriſtum in loco Joh. 17. ita loqui, ut eſt locutus, etiamſi intellexerint, ſe ita unum eſſe cum Patre, ut eadem utriuſque ſit numero eſſentia; tolerabilius multo reſponſum eſſet; nec tamen tali reſponſione quidquam effectum fuiſſet. Dictio enim *ſicut*, quæ in Chriſti verbis habetur, oſtendit, ejuſdem generis eſſe unitatem illam,

* Tom. 1. col. 298. D.

qua Chriſtus & Pater ſunt unum, cujus ea eſt, qua Chriſtus curabat, ut ſui diſcipuli unum eſſent: & idcirco ex eo, quod Chriſtus & Pater unum eſſe dicantur, nihil poſſe concludi de eadem utriuſque numero eſſentia; cum, ut dictum eſt, certum ſit, diſcipulos non potuiſſe ejuſdem inter ſe numero eſſentiæ eſſe: & ridiculum ſit exiſtimare, id Chriſtum curaſſe. Animadvertas autem præterea, Bellarminum pro eo, quod dicere debuerat, Chriſtum de unitate eſſentiæ ſuæ & Patris, etiam in loco iſto, locutum fuiſſe, & inde voluntatis & conſenſus ſui & Patris unitatem tacite collegiſſe, quam diſcipulos ſuos imitari velit; converſo ordine, ex eo, quod Chriſtus de unitate loquatur voluntatis & conſenſus ſui & Patris, quam ſuos diſcipulos velit imitari, de unitate eſſentiæ Chriſti & Patris conſequenter conſtare, dixiſſe. Quod nihil ad rem facit, cum hic quæratur, de qua unitate inter ſe & Patrem Chriſtus loquatur: non autem quid ex illa colligi poſſit. Adde, quod ſi ex voluntatis & conſenſus Chriſti & Patris unitate, eſſentiæ quoque unitas omnino colligitur, & hoc ſatis Bellarmino eſt; nihil neceſſe fuit, ut tantopere Bellarminus laboraret in probando contra ſuos Adverſarios, ex Chriſti verbis, *Ego & Pater unum ſumus*, Chriſti & Patris eſſentiæ unitatem; cum ipſi Adverſarii ultro & fateantur & velint, Chriſtum, verbis iſtis, ſuæ & Patris voluntatis concordiam & unitatem ſignificaſſe. Sed ſatis vidit ipſe Bellarminus, collectionem iſtam non eſſe bonam; & propterea in ſua hac præpoſtera ratiocinatione, cum unitatis meminit voluntatis & conſenſus in divinis perſonis, verbum Naturaliter adjunxit, & quod naturalis in divinis perſonis ſit iſta unitas, neceſſe habuit dicere, ſi ex ea unitatem eſſentiæ colligere voluit; tametſi id alioqui nihil ad ſimilitudinem pertineat ejuſdem unitatis, quæ, ut in ſuis diſcipulis ſit, Chriſtus curet; ea ſiquidem naturalis in Chriſti diſcipulis eſſe nequit. Quædam alia omitto, quæ Bellarminicæ iſti hoc in loco ratiocinationi objici merito poſſunt; & ad ipſum argumentum ex Chriſti verbis Joh. 10. 30. ductum redeo; ac breviter concludo, ad oſtendendum, hoc, quod Chriſtus ait, ſe & Patrem unum eſſe, nullam per ſe habere vim demonſtrandi, utriuſque eandem eſſentiam eſſe, ſatis cenſeri debere, ex loco Joh. 17. docuiſſe phraſim iſtam, Unum eſſe, ad ipſos Chriſtum & Patrem relatam, alium ſenſum habere. Quanquam, ad quoſcumque illa relata inveniatur, ſi aliud ſignificare deprehenditur, hoc ſimiliter ſatis eſt ad argumentum, ex illis tantummodo Chriſti verbis extructum, penitus diſſolvendum; ut, cum Paulus ait 1 Cor. 3. 8. eum qui plantat, & eum qui rigat, unum eſſe; vel, cum ad Galatas ſcribens, Gal. 3. 28. inquit, *Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*; ſive, ut Græca exemplaria habent, *unus*; quod ad unitatem eſſentiæ declarandam multo magis pertinere videtur. Senſit hoc ipſe Bellarminus,* & propterea tandem addidit, ſi ex hoc, quod Pater & Filius unum dicuntur, non omnino ſequeretur, eos eſſe unum eſſentia; tamen locum Joh. 10. 30. non poſſe accipi, niſi de unitate eſſentiæ, propter rationem, qua ibi hoc dictum fuit, ut ſup. oſtenderat. Itaque jam ad rationes reſpondeamus, quibus id oſtendere eſt conatus.

Prima ratio nullas habet vires, duplici de cauſſa: Primum, quia de alia, quam potentiæ, unitate potuit Chriſtus loqui: & tamen argumentum ſuum recte concludere: Deinde quia, etiamſi de unitate potentiæ omnino fuerit locutus; non tamen continuo inde ſequitur unitas eſſentiæ. Quod attinet ad priorem cauſſam, Dico, Chriſti mentem hanc eſſe poſſe, tantam ſe habere cum Patre rerum & voluntatis conjunctionem, ut ſi quis velit ipſius oves de ejus manu rapere, prorſus idem ſit, ac ſi de ipſius Patris manu eas rapere vellet; quod ſi nullo pacto fieri poteſt, ut quis de Patris manu eas rapiat: fieri etiam non poſſe, ut quiſquam eas de ipſius manu rapiat. Hanc vero tantam conjunctionem non obſcure præcedentibus verbis Chriſtus indicaverat, inquiens, *Pater meus, qui dedit mihi* (ſubaudi *oves meas*) *major omnibus eſt; & nemo poteſt rapere* (ſubaudi iterum, *oves meas*) *de manu Patris mei*: Hic enim primum Chriſtus profitetur, oves ſuas ſibi datas fuiſſe à Patre; & ſic indicat, eas non minus Patris, quam ſuas, eſſe: ſeque in illis poſſidendis ac gubernandis Patri ſubordinatum ab ipſo Patre fuiſſe. Deinde apertius, quamvis ſibi à Patre datas, in ipſius Patris manu adhuc eas eſſe oſtendit, cum ait, neminem poſſe eas rapere de manu Patris ſui. Sed Bellarminus ita hæc Chriſti verba commemoravit, ut nihil appareat in illis de iſta tanta inter Patrem & Chriſtum conjunctione. Non ſolum enim nullam mentionem fecit, quod dixerit, oves ſibi datas fuiſſe à Patre; ſed, cum meminit eorum verborum, *nemo poteſt rapere de manu Patris mei*, addidit ſimplicem vocem *oves*; cum tamen, *oves meas*, ut diximus, omnino ſit ſubaudiendum. Cum vero concluſionem argumenti Chriſti exponit, *oves meas*, diſerte appoſuit. Quaſi non de iiſdem ovibus utrobique agatur, quæ & Patris & Chriſti ſint: ſed de diverſis; & quaſi Chriſtus dixerit, Quemadmodum nemo poteſt de manu Patris mei oves ipſius Patris rapere; ſic de manu mea meas oves nemo rapere poteſt. Cur vero? Nempe quia Ego & Pater ejuſdem plane eſſentiæ, eoque & potentiæ ſumus. Fuit hic ſine dubio, ut alibi ſæpe, aſtutulus Bellarminus; &, arte ſua, locum ſibi alioqui parum faventem, ac reſponſionem ad argumentum, quod inde una cum aliis adverſariis noſtris ducit, ſuppeditantem, obſcurare eſt conatus.

Jam, quod attinet ad alteram cauſſam, cur prima Bellarmini ratio non recte fuerit concluſa, Dico, me libenter concedere, unitatem iſtam Chriſti cum Patre referri ad potentiam. Sed interim aſſero, eam non eſſe extendendam ultra limites ejus rei, de qua agitur, & ſimilium: atque intelligendum, non quidem ſimpliciter & abſolute, unam & eandem eſſe potentiam Chriſti & Patris, ſed ſecundum quid, quatenus, ſcilicet, Pater cum Chriſto in regendis & ſervandis iis, quos illi dedit, ſuam potentiam communicavit: & quidem talem ſeu tam magnam, ut ea in re ipſe Pater, id eſt, Deus habet. Nam de communicatione iſta potentiæ Dei cum Chriſto, & quidem cum Chriſto homine, ſupra, non uno in loco, ex Sacris Literis teſtimonia ſunt prolata, & infra fortaſſe proferentur.

Secunda ratio Bellarmini ſimiliter vim nullam habet: niſi fortaſſe probandi, Chriſtum non fuiſſe locutum de ſimplici tantum unitate concordiæ voluntatis inter ſe & Patrem. Sed nihil valet ad oſtendendum, Chriſtum non potuiſſe loqui de ſumma tantum inter ſe & Patrem conjunctione, non voluntatis modo, ſed etiam rerum. Hoc enim per ſe ſatis erat ad Judæos impellendos, ut Chriſtum lapidarent. Præterea haud verum cenſeri debet, Chriſtum non correxiſſe ſententiam Judæorum in interpretandis illis ſuis verbis, *Ego & Pater unum ſumus*. Correxit enim omnino, ſimulatque ipſi iſtam ſuam ſententiam declaraverunt; quæ erat, quod ipſe faceret ſeipſum Deum. Nam, cum illi hoc intelligerent de tali Deo, qualis homo eſſe nequeat, ſeu de divinitate loquerentur, quæ cum homine communicari non poſſit, ut patet ex illis ipſorum verbis, *homo cum ſis*; Chriſtus reſponſione ſua oſtendit, ſe minime talem Deum ſeipſum feciſſe unquam: ſed tantummodo Filium Dei ſe appellaſſe, quia ſanctificatus à Patre & miſſus in mundum fuiſſet: & conſequenter hac ratione, & non alia, ſe Deum feciſſe; ratione, videlicet, quæ in hominem cadere poteſt revera, & non per Idiomatum tantum (quam vocant) communicationem. Homo enim ipſe revera & ſanctificari à Deo, & in mundum ab ipſo mitti poteſt. Nam Chriſtus ipſe Patrem rogat Joh. 17. 17, 18, ut eos ſanctificet, quos ſibi dedit, eoſque ſe miſiſſe in mundum ait, quemadmodum ipſe à Patre in mundum miſſus fuerat. Mirum eſt autem, Bellarminum, inanibus & falſis conjecturis concluſiſſe, Judæos ſenſiſſe, Chriſtum, *per illud Unum ſumus* (ipſius verbis utor) *ſe vere Deum unum cum Patre prædicare*: cum id facere admodum in promptu haberet ex eo, quod

* Tom. 8. col. 299. A.

quod Judæi ipſi declarantes in quem ſenſum verba illa Chriſti accepiſſent, ajunt, propterea ſe illum lapidare, quod cum homo eſſet, Deum ſe faceret.

Tertia ratio, quam inanis ſit, immo quòd Adverſariorum propoſito adverſetur, facile ex iis intelligi poteſt, quæ diſputavimus contra primum hujuſce claſſis argumentum; ubi oſtendimus, ex eo, quod Chriſtus ſit Dei filius, non modo non probari, eum eſſe illum unum Deum, ſive unius & ejuſdem eſſentiæ numero cum Deo Patre ſuo: verum etiam neceſſario concludi, Chriſtum non eſſe illum unum Deum. Adde, quod Chriſtus, cum, Judæis reſpondens, ait, ſe dixiſſe *Filius Dei ſum*, non eſt neceſſe, immo ne veriſimile quidem, ut reſpexerit ad illa verba ſua, *Ego & Pater unum ſumus*; cum potius ex his verbis appareat (quod & veriſſimum eſt) eum alibi ante ſe Filium Dei appellaſſe. Chriſti ſane mentem, in ſua reſponſione, fuiſſe conſtat, docere, ſe non modo in iſtis, ſed in nullis aliis ſuis verbis, Deum talem ſeipſum feciſſe, qualem intelligere præſeferebant Judæi, nihilque amplius ſibi unquam tribuiſſe, quam quod filius Dei eſſet.

Ad ea, quæ hoc loco Vujekus ex Bellarmino accepta diſputat adverſus noſtros homines, qui ajunt (quod & nos in ſecunda ratione confutanda attigimus) Chriſtum correxiſſe opinionem Judæorum; ſi qua fuerint reſponſione digna, reſpondebitur in refutatione primi argumenti ſequentis Claſſis, ubi examinanda erunt diligentius illa Chriſti verba, quæ noſtri homines pro ſua ſententia afferunt eod. Joh. cap. ỳ. 24. & deinceps. Hoc tantum in præſentia dicam, peſſime Bellarminum ex eo, quod Chriſtus affirmet, Patrem in ſe, & ſe in Patre eſſe, concludere, Patrem & Chriſtum ejuſdem naturæ ſive eſſentiæ eſſe, quia, ſcilicet, hæc mutua inhabitatio non poſſit eſſe ſine identitate naturæ. Ergo, ſi Bellarmino credimus, qui credit, quod Jeſus eſt Filius Dei, & qui in charitate manet, is ejuſdem eſt naturæ, id eſt, eſſentiæ cum Deo. Johannes enim in prima ſua Epiſtola aſſerit 1 Joh. 4. 15, 16, utrumque iſtorum manere in Deo, & Deum in ipſo. Ubi, Manendi verbo, mutua iſta inhabitatio, quam Bellarminus urget, expreſſius etiam ſignificatur.

Reſponſio ad V. Argumentum.

Quinctum argumentum his verbis expoſitum eſt: Joan. 14. 1. Creditis (Vujekus habet, Si creditis) in Deum, & in me credite, *inquit ipſe Chriſtus Dominus. Hinc deducit Auguſtinus & alii Doctores, Chriſtum eſſe illum verum Deum quem Judæi colebant. Nam ſi non eſſet ille verus Deus, non poſſet ſibi arrogare fidem, quæ illi ſoli debetur. Nunc autem perinde eſt, ac ſi diceret: Si in Deum creditis, in me quoque vobis credendum eſt, quem hic hominem videtis. Nam ego non ſolum ſum homo, ſed etiam ille Deus in quem vos creditis. Et addit ibidem* ỳſ. 7. Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis. *Item* ỳſ. 9. Philippe, qui videt me, videt & Patrem. *Ex quo loco Cyrillus concludit, Chriſtum eſſe unum Deum cum Patre. Nam alioqui non eſſet verum, quod qui novit Chriſtum, novit & Patrem, niſi eſſet una utriuſque natura. Accedit quod Apoſtoli bene noverant, Jeſum eſſe hominem bonum, ſapientem, Prophetam & Chriſtum. Et tamen illis Dominus ait*: Si cognoviſſetis me: *Et rurſus*: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me. *Hoc igitur illis deerat, ut cognoſcerent, illum eſſe Deum verum, & unum cum Patre. Nam cætera jam cognoverant. Denique Philippus dixit*: ỳſ. 8. Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit (apud Vujekum eſt ſufficiet) nobis. *Sciebant enim Apoſtoli, nihil homini poſſe ſufficere ad ſalutem & veram beatitudinem ſine cognitione veri Dei: quem verum Deum, Patrem eſſe non dubitabant. Propterea Chriſtus reſpondens Philippo*; Philippe, qui videt me, videt & Patrem, *non ſatis feciſſet quæſtioni illius: niſi ſignificare voluiſſet, ſe eſſe verum Deum, & unum Deum cum Patre: atque in cognitione ſui ſalutem conſiſtere, ſicut in cognitione Patris.*

Reſpondeo, hic pro uno argumento ſeu teſtimonio ſacro, ad argumentum formandum pro æterna & una cum ea, quæ Dei Patris eſt, divinitate Chriſti, nos quatuor argumenta habere, ex quatuor teſtimoniis ducta. Quod igitur attinet ad primum, ductum ex verbis illis ipſius Chriſti, *Creditis in Deum, & in me credite.* Dico tantum abeſſe, ut hinc probari poſſit, Chriſtum eſſe illum unum Deum, ſicut Pater eſt, ut contrarium aperte hinc colligatur. Diſtinguit enim Chriſtus manifeſte inter ſe, & Deum; & ſic oſtendit, alium eſſe ſe, & alium, Deum, illum unum, inquam, Deum. Nam Græce legitur vox Deus hoc loco cum articulo. Excipit Bellarminus, additam eſſe particulam Et, propter humanam Chriſti naturam, non autem ad diſtinguendum Chriſtum à Deo. Reſpondeo, non potuiſſe propter humanam Chriſti naturam apponi particulam Et, niſi humana Chriſti natura hic per ſeipſa conſideretur. Aliter enim, ſi Chriſtus eſt ille unus Deus, non potuit inter ipſum & illum unum Deum poni particula iſta; cujus, in tali verborum conſtructione, perpetuum officium eſt diſtinguere, & alioqui diverſa, aliqua in re copulare. Neceſſe eſt autem, ſi Bellarminus velit, ex hoc loco concludi poſſe, Chriſtum eſſe illum unum Deum, ut hic humana Chriſti natura nequaquam per ſe ipſa conſideretur. Quanquam aliam ob cauſſam humana Chriſti natura non potuit hic per ſeipſa conſiderari, quia, videlicet, de credendo in ipſum Chriſtum agitur, & quidem ejus generis fide, cujus eſt illa, qua creditur in ipſum Deum. Itaque, ſecundum ipſa Adverſariorum placita; neceſſe eſt, ut divina Chriſti natura, ſi non ſola, certe cum humana conjuncta, hoc loco potiſſimum conſideretur: & conſequenter Chriſtus, quantus quantus eſt, ab illo uno Deo diſtinguatur. Nugatoria igitur eſt iſta Bellarmini exceptio, & quam ſubjicit, à Vujeko recitata, verborum Chriſti interpretatio, ridicula & ſibi ipſi contraria; dum facit Chriſtum dicentem, *Ego ſum ille Deus, in quem vos creditis.* Manifeſte enim prius Chriſtum ſe ab iſto Deo diſtinguentem fecerat, ac dicentem, *Si in Deum creditis, in me quoque vobis credendum eſt.* Nec quidquam diſtinctionem iſtam & contradictionem aut tollit aut minuit id, quod utrobique addit de humanitate Chriſti; cum ipſemet ad ſuum argumentum concludendum, coactus fuerit interim non ipſius humanitatis, ſed divinitatis rationem habere, quod quidem attinet ad credendum in ipſum Chriſtum; quod illud eſt, de quo in Chriſti verbis agitur, & quod, ad argumentum hoc primum formandum, in medium allatum fuit. Nam quod in argumento dicitur, non potuiſſe Chriſtum ſibi arrogare fidem, quæ ſoli illi vero Deo debetur, niſi ipſe eſſet ille verus Deus: Ad hoc reſpondeo, Chriſtum ipſum alibi rationem iſtam diſſolvere, cum ait Joh. 12. 44, *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui me miſit.* Quamvis igitur Chriſtus monuerit diſcipulos ſuos, ut, quando in Deum credebant, in ſe quoque crederent; non tamen ſibi illam fidem arrogavit, quæ ſoli Deo debetur. Soli enim Deo ea fides debetur, quæ in ipſo Deo terminetur & conquieſcat, ut in prima & quatenus prima, ſola cauſſa omnis felicitatis, omniumque bonorum. Chriſto hæc fides non debetur, etiamſi ipſi eſt confidendum. Confiditur enim ei ſeu in ipſum creditur, quia à Deo poteſtate nos felices faciendi donatus fuit & huic muneri præfectus. Quare non agnoſcitur Chriſtus, dum illi confiditur, prima cauſſa felicitatis noſtræ: nec in ipſo Chriſto fides noſtra terminatur ac conquieſcit; quæ ſemper in Deum, tanquam in ultimum ſuum ſcopum reſpicit: à quo omnis virtus & decretum nos ſervandi proficiſcitur.

Ad ſecundum argumentum, quod elicitur potiſſimum ex illis ejuſdem Chriſti verbis Joh. 14. 9, *Si cognoviſſetis me, & patrem meum utique cognoviſſetis*; Reſpondeo, ſi Chriſtus de cognitione naturæ ſive eſſentiæ

& ſuæ & Patris loqueretur, aliquam vim habiturum argumentum iſtud. Nunc autem, cum non de naturæ ſive eſſentiæ cognitione, ſed de cognitione, quod ad ſe attinet, muneris & doctrinæ, quod vero pertinet ad Deum, decreti ac voluntatis loquatur; nulla prorſus conſequentia eſt, ſiquis ex eo, quod Chriſtus dicit, ſe cognito, cognoſci etiam Patrem concludat, utriuſque unam & eandem eſſentiam eſſe. Quod autem Chriſtus de cognitione naturæ ſive eſſentiæ ſuæ & Patris non loquatur, docet primum ipſe loquendi uſus, in quo, Aliquem cognoſcere, longe aliud perpetuo ſignificat, quam ipſius eſſentiam noſſe: Deinde docet, quod ex loco ipſo patet, agi de cognitione doctrinæ & muneris Chriſti, ut dictum eſt; per quæ cognita ad cognitionem decreti ac voluntatis Dei Patris pervenitur: & conſequenter ad conjunctionem cum ipſo Deo, & ad beatam vitam, ut quilibet, antecedentia verba ab ipſo initio cap. diligenter inſpiciens, aperte viſurus eſt, nec ullum indicium apparet, quod de cognitione eſſentiæ ſermo eſſe queat. Præterea idem docetur ex verbis illis, quæ ſtatim conſequuntur, *Et nunc cognoſcitis eum, & vidiſtis eum.* Neque enim aliud hic reipſa dicere voluit Chriſtus, quam id, quod antea dixerat, *Et quo ego vado, ſcitis; & viam ſcitis.* Quod certe nihil quodammodo cum congnitione eſſentiæ Dei, quæ in hac vita mortali haberi poteſt, ſed multum cum cognitione decreti & voluntatis divinæ commune habet. Ex eo enim quod ſcirent, quo Chriſtus iret, & qua via eo iretur, diſcipuli, Dei Patris decretum de ipſis ac voluntatem noverant.

Tertium argumentum, quod ducitur ex ejuſdem Chriſti verbis, cum ait Joh. 14. 9, *Tanto tempore vobiſcum ſum: & non cognoviſtis me?* & ex illis etiam ſuperioris teſtimonii primis verbis, *Si cognoviſſetis me*, infirmum admodum eſt; cum Chriſti mens non ſit negare ſimpliciter, diſcipulos noviſſe ipſum, ſive ex toto ſive ex parte quadam: ſed oſtendere, mirum eſſe, ſi ipſum non noverint, & interim ſimul fateri, eos ipſum non noviſſe perfecte; licet omnia quæ ad cognitionem ipſius pertinent, aliquatenus noviſſent; cujuſmodi ſunt ea, quæ in argumento ſimpliciter noviſſe dicuntur. Neque enim noverant adhuc perfecte, quam bonus, quam ſapiens, qualis Propheta, qualiſve Chriſtus Dei eſſet. Quod ſi modo hoc poſtremum perfecte noviſſent; ſatis illum cognoviſſent. Hoc igitur potiſſimum illud erat, quod ipſis ad Chriſti cognitionem deerat; ſcire, videlicet, ac cognoſcere, qualis Chriſtus eſſet, & quale regnum ipſius. Quod illi ſine dubio non cognoverunt, niſi poſtquam Spiritum Sanctum acceperunt, reſuſcitato & glorificato Chriſto. Nam quod iſta ante ipſius mortem non noſſent, oſtendit inter cætera ipſorum in reſurrectione Chriſti incredulitas, quam illis ipſe Chriſtus exprobravit Marc. 16. 14. Siquidem, Johanne ipſo teſte Joh. 20. 9, adhuc ſcripturam ignorabant, quod oporteret illum reſurgere à mortuis. De unitate autem eſſentiæ, quam Chriſtus cum Deo haberet, quæque illis cognoſcenda reſtaret, nullum indicium in univerſa Euangelica hiſtoria extat.

De quarto & poſtremo argumento ex ipſius Chriſti verbis ſimiliter ducto Joh. 14. 9, *Qui videt me, videt & Patrem*, nihil eſt laborandum, ut illud diluamus. Neque enim ullo modo ex verbis iſtis colligi poteſt, in cognitione Chriſti ſalutem conſiſtere, non ſecus atque in cognitione Patris: licet ea ad petitionem Philippi, *Oſtende nobis Patrem*, omnino reſpiciant. Ex qua, propter ſubſequentia verba, *& ſufficit nobis*, apparet Philippum in una Patris cognitione ſalutem poſuiſſe. Immo ex hoc ipſo id evidentius apparet, quod & ipſa Chriſti verba præ ſe ferunt: eatenus, videlicet, in Chriſti cognitione ſalutem conſiſtere, quatenus, Chriſto cognoſcendo, ejus pater cognoſcitur. Nec aliter ſane eſt intelligendum quod idem Chriſtus alibi dixit Joh. 17. 3, Vitam æternam eſſe cognoſcere Patrem, & ipſum Chriſtum. Tantummodo addendum eſt, non modo, cognito Chriſto, cognoſci Patrem, ſed non niſi per Chriſti cognitionem ad Patris cognitionem perveniri: & propterea merito Chriſtum dixiſſe, in ipſo Chriſto cognoſcendo vitam æternam conſiſtere. Mirum eſt autem, Bellarminum affirmaſſe, Chriſtum non ſatisfeciſſe quæſtioni (petitioni, potius dicendum erat) Philippi, niſi ſignificaverit, ſe eſſe unum Deum cum Patre; quaſi Chriſtus dixerit, idem per ſe eſſe ipſum cognoſcere, quod Patrem cognoſcere, & non aperte docuerit, qua ratione & modo ad ipſius Patris cognitionem, quam Philippus ſolum quærebat, perveniatur. Nam quod hæc ratio & modus ſit ipſum Chriſtum cognoſcere; hoc, quod attinet ad id, de quo agebatur, ex accidente eſt. Nec ex eo ullo pacto concludi poteſt, Chriſtum eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre; ut in refutatione ſecundi horum quatuor argumentorum demonſtratum fuit.

Reſponſio ad VI. Argumentum.

Sextum argumentum hujus tertiæ claſſis ſic habet: Joan. 16. 15. Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt. *Ergo filius habet etiam eſſentiam Patris. Nam ne quis dicat, hoc debere intelligi de aliis rebus, quæ non ſunt in Patre: propterea ſupra dixit* ℣ſ. 14. Ille (*ſpiritus*) me clarificabit, quia de meo accipiet. *Illud ergo eſt commune Patri & Filio, quod accipit Spiritus Sanctus ab utroque. Quid autem à Filio Spiritus S. accipit? ſcientiam ſine dubio. Nam addit*: Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. *Et ſuperius* ℣ſ. 13. Non loquetur à ſeipſo: ſed quæcunque audiet, loquetur. *Eſt igitur una ſcientia Patris & filii. Sed ſcientia & eſſentia in Deo idem ſunt, ut etiam Ariſtoteles cognovit intellectu naturali. Quapropter una eſt eſſentia utriuſque. Et ſic exponunt, omnes Doctores Catholici, Chryſoſtomus, Cyrillus, Auguſtinus, & alii in hunc locum.*

Reſpondeo, hæc verba per ſe, *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt*, non poſſe, ex uſu communi loquendi, referri ad Patris eſſentiam; ut ipſe Bellarminus vidit: qui ſibi ipſi opportit exemplum hujus locutionis in marito & uxore, cum dicimus, Omnia quæ habet vir, ſunt uxoris. Nam quod in argumento dicitur, nihilominus hoc loco propterea referri, quod hæc communitas rerum inter Patrem, & Filium dicatur reſpectu ejus, quod Spiritus Sanctus accipit ab utroque (à Filio, dicendum erat) à Filio vero Spiritum Sanctum accipere ſcientiam, quæ in Deo idem ſit, quod eſſentia: Reſpondeo, neceſſe eſſe, ex ipſorum Adverſariorum ſententia, ut vel id, quod Spiritus Sanctus hoc loco à filio accipere dicitur; non ſit ſcientia, vel ſcientia in Deo non ſit idem cum eſſentia, quidquid Theologi & Philoſophi contra diſputent. Eſſentiam enim Spiritus Sanctus, ut ipſis Adverſariis placet, à Patre & Filio ab æterno accepit. Hoc autem loco agitur de re nondum accepta, ſed quam accepturus Spiritus Sanctus eſſet. Inquit enim *De meo accipiet*, Præterea hic revera non agitur de ſcientia. Quod ex illis ipſis verbis conſtat, quæ ſtatim adduntur, ex quibus, de ea agi, Adverſarii colligunt; ex illis, inquam, *& revelabit vobis.* Neque enim ſcientiam, proprie loquendo, erat Spiritus Sanctus Chriſti diſcipulis revelaturus; nec ſcientia proprie revelari ſeu patefieri dicitur: ſed dari ſeu donari. Non igitur ipſam ſcientiam Filii, ſeu Patris & Filii erat Spiritus Sanctus accepturus, ſed res quæ ad Patrem pertinerent, quod attinet ad negotium ſalutis noſtræ, & conſequenter pertinerent ad Filium; cum quo, in negotio ſalutis noſtræ, Pater omnia communicavit. Et idcirco ait Chriſtus, *De meo accipiet, & revelabit vobis*, id eſt, Ea accipiet vobis patefacienda, quæ ad me attinebunt. In qua patefactione ſcientiam non quidem patefecit ſed dedit Spiritus Sanctus diſcipulis Chriſti. Quæ tamen ſcientia, Dei eſſentialis ſcientia eſſe non potuit. Hæc enim nemini datur aut dari poteſt: quatenus, ſcilicet, eſt eſſentialis. Nam alioqui nemo negaverit, Deum ſcientiam ſuam communicare poſſe. Ex quo de ſumma adver-

adverſariorum argumenti fallacia apparet. Siquidem in eo tacite pro conceſſo ſumitur, eum qui ſcientiam Dei ſecum communicatam habeat, non aliter eam habere poſſe, quam eſſentialiter, & eadem ipſa ratione, qua Deus illam habet. Concludamus igitur, etiamſi veriſſimum eſſet, ſcientiam in Deo idem eſſe, quod eſſentia, potuiſſe Chriſtum dicere, ſe ſcientiam Dei patris ſui habere: nec tamen inde colligi poſſe, eum eandem eſſentiam habere cum Deo Patre. Quandoquidem potuit Deus pater efficere, ut Chriſtus ea ſciat, quæ ipſe ſcit, unde merito dicere Chriſtus potuerit, ſe ſcientiam Patris habere, ſeu Patris ſcientiam eſſe ſuam; quamvis ſcientiam iſtam non eſſentialiter, ut in ipſo Patre, ſed (ut ſic dixerim) effective tantum habeat. Et ſic (arbitror) cuilibet conſtare poteſt, ſextum hoc argumentum nihili æſtimandum eſſe.

Reſponſio ad VII. Argumentum.

Septimum argumentum ſumptum eſt ex confeſſione illa Thomæ Apoſtoli Joh. 20. 29. *Dominus meus & Deus meus. Certum eſt enim* ait Vujekus cum Bellarmino) *Thomam hic loqui de illo vero Deo Iſraelis, tum quia in Græco habetur articulus, qui ſignificat illum verum Deum, tum, etiam quia Thomas, cum eſſet Judæus, non noverat alium Deum præter illum de quo ſcriptum eſt Deut* 6.6. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. *Et addit Chryſoſtomus, Thomam, cum hæc dixit, impleviſſe verba illa Pſalmi* 76. 3. Manibus meis Deum quæſivi, & non ſum deceptus. *Dubium autem non eſt, quin in eo Pſalmo de vero Deo Iſraëlis agatur.*

Reſpondeo, in Græco quidem eſſe articulum, ſed tamen non habere hoc loco vim cujuſdam ſingularis Dei declarandi ſeu ſignificandi, propter additum nomini ὁ Θεὸς, id eſt, *Deus* pronomen μου, id eſt, *meus*. Quando enim ejuſmodi pronomina nominibus adduntur, nec cum ſubſtantivo verbo nomina efferuntur: tunc ſolet articulus nominibus præpoſitus non habere vim ſuam conſuetam, nec aliam ſingularitatem ejus rei, quam nomen, cui præponitur, ſignificat, præter illam, quæ ex ipſo addito pronomine colligitur. Ut exempli cauſſa, cum Chriſtus ait Mat. 7. 9. *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei?* certe non intelligit aliquem ſingularem ſeu unicum filium, ſed quemlibet filium Alioqui peſſime ratiocinatus fuiſſet; cum nemo noſtrum ſit ſingularis ſeu unicus Dei filius. Et tamen in Græco nomini Filius eſt præpoſitus articulus; qui nullam aliam vim eo loco habet, præter eam, quam habet pronomen Suus nomini Filius additum: ut, ſcilicet, non de quocunque qui patrem habeat, ſed de eo cujus pater ſit is, à quo petit, hic agi intelligatur. Sic in loco noſtro articulus nullam majorem vim habet, quam habeat pronomen Meus nomini Deus additum; ſcilicet, ut intelligamus, Thomam agnoviſſe Chriſtum non cujuſpiam modo alterius, ſeu quorundam aliorum Deum, aut ſimpliciter Deum, ſed ſuum ipſius Deum; id eſt, non modo Dominum, quod prius expreſſerat, ſed divinum Dominum: quem, nimirum, colere, cuique confidere deberet. Probatum eſt autem ſupra cap. 1. Chriſtianos homines non tantum illum unum Deum, ſed alium quoque id eſt, Jeſum Chriſtum hominem, divino cultu afficere debere. Præterea, quod attinet ad iſtum articulum ſciendum eſt, eum poſſe ita accipi, ac ſi eſſet adverbium vocandi, & nomen Deus, cui præponitur, quamvis nominativi caſus, caſu vocativo elatum eſſet: vel articulum & nomen ſimul ita explicari, ac ſi ſimplex nomen ſine ullo adverbio, vocandi caſu elatum fuiſſet. Habes hujus rei appoſitiſſimum exemplum in illis Chriſti in cruce affixi verbis Mat. 27. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Pro eo enim, quod apud Matthæum eſt, Θεέ μου, Θεέ μου, id eſt, vocandi caſus ſine ullo adverbio, apud Marcum legitur Mat. 15. 24. ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, id eſt, nominandi caſus cum articulo ſibi præpoſito. Eſt autem hoc, ut nominativus caſus cum articulo loco vocativi caſus accipiatur, non ſemel alibi in Novo Teſtamento uſurpatum, & in Græca Pſalmorum editione adeo frequenter, idque in ipſo nomine Dei, & quidem cum exclamandi ſignificatione (ut in proxime allatis Chriſti verbis ex Pſal. 21. deſumptis) ut vehementer mirer Bellarminum, qui ad probandum, hic non fuiſſe Thomæ exclamationem ad Deum patrem, quemadmodum quidam ſentiunt, ait non eſſe in Græco ὦ ſignum exclamantis, ſed articulum.

Jam vero, quod attinet ad alteram rationem, præter articulum, qua conſequentia hujus argumenti nititur: quod, ſcilicet Thomas, cum Judæus eſſet, nullum alium Deum agnoſceret, præter illum unum Deum in Lege propoſitum; Reſpondeo, Thomam, cum verba illa proferret, non jam Judæum religione, ſed Chriſtianum fuiſſe, aut certe non ſimpliciter Judæum, ſed Chriſtianum quoque. Propterea non modo illum unum Deum Iſraelis, ſed etiam Chriſtum hominem, ſuum Deum agnovit, id eſt, ſibi ab illo uno Deo divinæ poteſtatis plenum, regem datum, à quo æterna ſalus ſibi expectanda foret: quemque, ut antea dictum eſt, divino cultu afficere deberet.

Poſtremo, quod ad locum Pſal. 76. pertinet, huc à Chryſoſtomo accommodatum, Reſpondeo, in Hebræo aliter legi, immo in ipſa vulgata Latina & Græca tranſlatione, ſecundum quam ibi habetur, Pſalmi auctorem quæſiviſſe Deum tempore ſuæ afflictionis, extenſis innocte ad eum manibus. Quod nihil aliud eſt, quam, ipſum noctu, ut fit, intentius preces, ut ſibi ſubveniret, Deo adhibuiſſe. Hoc autem nihil habet commune cum eo, quod Thomas Chriſtum manibus tangere voluerit. Adde, quod, nuſquam (ni fallor) alibi reperies, prophetam in V. T. verba de ſeipſo proferre, quæ typice ac prophetice ad aliquem ex Chriſti diſcipulis reſpiciant, immo ad alium quemvis, præter ipſum Chriſtum; adeo ut iterum Bellarminum vehementer mirari cogar, qui ejuſmodi nugis, in ſuo hoc argumento confirmando, quodammodo delectatus fuerit. Potuiſſet autem ad 7. hoc argumentum plenius diluendum, diligentius explicari vox Deus. Sed fiet id, Deo dante, in reſponſione ad 1. argumentum claſſis ſequentis.

Responsio ad VIII. Argumentum.

Octavum argumentum ducitur ex verbis Pauli; Apoſtoli Rom. 9. 5. *Et ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Hic Chriſtus* (inquiunt Bellarminus & Vujekus una cum multis Patribus, quos citant) *vocatus eſt verus Deus. Quandoquidem* (ajunt) *nemo eſt ſuper omnia, niſi ſummus Deus.*

Reſpondeo, debuiſſe hoc argumentum aliter formari, cum argumentantes vim aliquam (immo Vujekus magnam) ponant in ipſo nomine Deus, quo hic appellatus fuerit Chriſtus; quamvis dicat Bellarminus, etiam ſine nomine Deus argumentum valere. Certe in ipſo argumento formando, nulla eſt ratio habita vocis Deus, qua Chriſtus ſit appellatus, ſed tantum ejus ſententiæ, quod Chriſtus ſit ſupra omnia. Jam, ſive habeatur ratio vocis Deus, ſive non habeatur; dato & conceſſo, quod vox iſta in Pauli verbis legi debeat; Dico, nullam eſſe cauſſam, cur Eraſmi interpretatio hoc loco rejiciatur: ut ſcilicet, verba illa, *qui eſt ſuper omnia* &c. non referantur ad Chriſtum proxime nominatum: ſed ante ipſa punctum ſtatui debeat, quod illa à ſuperioribus ſejungat, ita ut ad Deum abſolute referantur, perinde ac ſi diſerte ſcriptum fuiſſet; *Ille qui eſt ſuper omnia Deus, ſit benedictus in ſæcula.* Simplex enim nomen Benedictus, idem valere poſſe, quod Benedictus ſit, complura in vetere, & in Novo Teſtamento loca evidenter probant. Non eſt, inquam ulla cauſſa, cur hæc interpretatio, vel potius lectio & interpunctio Eraſmi rejici poſſe videatur; niſi una tantum, quam Adverſarii non afferunt; neque enim illam animadverterunt. Ea eſt, quod, cum ſimplex nomen Benedictus idem ſigni-

ſicat quod Benedictus ſit, ſemper fere ſolet anteponi ei, ad quem refertur, perraro autem poſtponi. Codicum ſcriptura, & Patrum auctoritas, ad interpunctionem iſtam refellendam, nullius eſt momenti. Patres enim eam lectionem & ſenſum ſunt ſecuti, qui ipſorum ſententiæ de divinitate Chriſti maxime viſus eſt favere; & ſecundum eorum mentem codices à ſcribis ſunt & in hoc, & in aliis locis interpuncti. Verum tamen, propter cauſſam iſtam, quam ego attuli, facile concedo, verba prolati Paulini teſtimonii omnia ad Chriſtum referenda eſſe. Nego tamen hinc ſequi, Chriſtum eſſe illum unum ſeu ſummum Deum. Ex ipſo enim Dei nomine illi tributo id concludi non poſſe, & ſupra alibi diſputatum eſt, & infra apertius demonſtrabitur. Ex eo porro, quod dicatur non ſimpliciter Deus, ſed Deus ſuper omnia; id ſimiliter concludi non poteſt, cum ex compluribus Sacris Teſtimoniis conſtet Epheſ. 1. 22. 1 Cor. 15. 27, 28. Hebr. 2. 6, &c, Deum illum unum & ſummum Chriſto omnia ſubjeciſſe, & quidem Chriſto homini. Qui propterea ſuo tempore ſubjicietur ei, qui ipſi ſubjecit omnia, ut ille unus & ſummus Deus ſit omnia in omnibus. Itaque id, quod in argumento aſſeritur, & unde vis ipſius argumenti tota pendet, nihil eſſe ſuper omnia, niſi ſummum Deum, id eſt, illum unum Iſraelis Deum, non eſt ſimpliciter verum, immo ſimpliciter prolatum manifeſtæ falſitatis divinis teſtimoniis redarguitur. Sed ita tantummodo eſt verum, ſi iſtud, Eſſe ſuper omnia, intelligatur ex natura ſua, ſive ex ſeipſo: aut ſi vox Omnia ita prorſus univerſe accipiatur, ut nihil omnino extra illum, de quo eſt ſermo, excludatur. Jam, cum de Chriſto affirmatur, quod ſit ſuper omnia; neque id ex natura ſua Chriſtum habere, ſed ex dono Dei, intelligendum eſſe, monent teſtimonia, quorum paulo ante meminimus, & vocem *omnia* non ita prorſus univerſe accipi, docet Paulus, inquiens 1 Cor. 15. 27, *Cum autem dicat omnia ſubjecta ſunt* [*ei*] (id eſt, Chriſto) *ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia.* Adde, quod in loco iſto Pauli Rom. 9. vox Græca, quæ reddita eſt *omnia*, non minus reddi poteſt *omnes.* Vox autem Omnes, ſimpliciter prolata, ad homines tantum referri ſolet, ut ex plurimis Sacrarum Litterarum locis, præter communem loquendi uſum apertiſſimum eſt. Verum, quod, Chriſtus ſit ſuper omnes homines, nullo pacto demonſtrat, eum eſſe ſummum, ſive illum unum Deum; cum teſtatiſſimum ſit, Chriſtum quatenus eſt homo, omnibus aliis hominibus ſuperiorem eſſe, illiſque dominari, & Chriſtianorum omnium caput eſſe ac principem.

Reſponſio ad IX. Argumentum.

Nonum argumentum ſic habet: *Ad* Gal. cap. 1. 12. Notum vobis facio Euangelium, quod prædicatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem *Jeſu Chriſti. Et in initio ejuſdem Epiſtolæ ait* ℣. 1. Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per *Jeſum Chriſtum* ac *Deum* Patrem, &c. *Ubi D. Paulus opponit Chriſtum hominibus, ac propterea docet, Chriſtum non eſſe purum hominem, ut Anabaptiſtæ illum habere volunt, ſed eſſe etiam Deum, ut eſt Deus Pater. Et non ſolum opponit illum hominibus, ſed etiam Angelis. Addit enim*: Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit. *Aperte igitur Paulus hoc loco ſeparat Chriſtum ab omni creatura, & eum Deo Patri quaſi ex altera parte conjungit, docens, eum non eſſe creaturam, ſed verum creatorem.*

Reſpondeo. Non potuit hoc argumentum à Bellarmino ita fulciri, ut valde infirmum nihilominus non ſit, Nam, etiamſi totum concederetur, nihil amplius ex eo concludi poſſet, quam. Chriſtum non eſſe purum hominem, neque Angelum, nec puram creaturam; non autem eſſe illum unum Deum creatorem. Nam ſunt, qui concedant, immo contendant, ſimpliciter Chriſtum non eſſe creaturam: negent tamen eſſe Deum creatorem, ex quorum numero ſunt omnes ii, qui Tritheitæ vocantur, & Novi Arriani. Sed ipſum argumentum diligentius expendamus.

Dicitur in eo, Paulum opponere Chriſtum hominibus, quod verum eſt. Sed quid hinc ſequitur? Num, Chriſtum non eſſe hominem? Minime vero. Oportet igitur oppoſitionem iſtam recte intelligere. In argumento dicitur, fieri oppoſitionem iſtam, quatenus Chriſtus non eſt purus homo, id eſt, non modo humanam eſſentiam habet, ſed etiam divinam. Nos autem dicimus, oppoſitionem iſtam eo reſpicere, quod Chriſtus, licet ſit homo, tamen homo ſit ſingulariſſimus, & ſingulari prorſus ratione divinus: immo, poſtquam à reſurrectione mortuorum in cælum aſcendit, ad quod tempus Pauli verba referre neceſſe eſt, ita ab aliis hominibus ſegregatus, & adeo multa, quæ humanam naturam alioqui longe excedunt, adeptus & conſecutus, ut non injuria hominibus ſimpliciter opponi poſſit, quaſi ipſe jam non ſit homo. Quo reſpexiſſe Paulum, illud aperte indicat, quod mentionem facit in citato altero loco, qui prior eſt in ipſius Epiſtola, reſurrectionis Chriſti à mortuis, in illis verbis (quæ aſtute à Bellarmino fuerant omiſſa, appoſita tantum nota, *&c*). *qui ſuſcitavit eum à mortuis.* Chriſti vero reſurrectione ſæpius apud Sacros Scriptores, quidquid reſurrectionem conſecutum eſt, ſignificari, diximus alibi ſupra: & probant hi loci, Act. 2. 32, 33. cap. 13. 33. Rom. 4. 25. Philip. 3. ℣. 10. 1 Petr. 1. 3, 3. 21. Jam ſingularitatem quampiam cauſſam eſſe poſſe, ut res aliqua, appellatione ſui generis non comprehendatur, & tanquam ſi ejus generis non eſſet, commemoretur: docet inſcriptio Pſal. 17. ubi Saul diſtinguitur ab omnibus inimicis Davidis; cum tamen ipſe vel ſummus Davidis inimicus eſſet, & Petrus apud Marcum cap. 16 7. diſtinguitur à diſcipulis Chriſti; cum tamen & ipſe (& quidem eximius) Chriſti diſcipulus eſſet. Nimirum utrobique propter ſingularitatem iſtam.

Dicant jam ipſi Adverſarii, cum neceſſe ſit, ut antea diximus, aliquam adhibere interpretationem verbis Pauli Chriſtum hominibus opponentis: alioqui Chriſtum non eſſe hominem; utra interpretatio ſit magis probabilis, an ipſorum, quæ id continet, quod plane eſt controverſum; & de quo in ipſis Pauli verbis nihil apparet, cujus denique interpretationis nullum fortaſſis in re ſimili exemplum proferri poteſt, an potius noſtra, quæ id continet, quod apud omnes teſtatiſſimum eſt, & cujus manifeſtum indicium in ipſis Pauli verbis extat: cujus denique interpretationis in ſimilibus rebus exempla proferuntur.

Concludamus igitur, Chriſtum Jeſum, licet hominem, à Paulo hominibus opponi, non quia præter humanam eſſentiam & naturam, divinam quoque habeat, de quo nihil apparet, & de quo inter nos contenditur; ſed quia ſingulariſſimus homo ſit, & immortalis factus, atque in cælum tranſlatus fuerit, divinamque majeſtatem ſit adeptus. Quæ omnia illum à cæteris omnibus longiſſime ſegregant atque diſterminant, & de quibus inter omnes conſtat, & quorum Paulus ipſe ibidem, reſurrectionem Chriſti commemorando, non obſcure, S. S. ſcriptorum loquendi uſu inſpecto, mentionem facit: Præſertim, cum hæc interpretatio eum ſenſum omnino exprimat, qui aut neceſſarius eſt in Pauli verbis, aut certe admodum veriſimilis; nimirum, ipſum Paulum cæleſti prorſus ac divina ratione ad apoſtolatum fuiſſe electum: quod, videlicet, nulli alii Apoſtolo contigit; nempe, ut ab ipſo Chriſto, jam glorificato & in dextera Dei collocato, ſibi apparente & ſeſe audiendum & conſpiciendum de cælis præbente, ad Euangelium mundo annunciandum, ſingulariter ac nominatim electus fuerit. Qui ſenſus ex Adverſariorum interpretatione elici non poteſt. Nam ſecundum interpretationem iſtam, quilibet ex illis undecim Apoſtolis, qui à Chriſto ipſo, dum in terris adhuc viveret, ad ipſum

Apoſto-

Apoſtolatus munus delecti fuerant, & in univerſum orbem miſſi, idem, quod Paulus, de ſe affirmare potuiſſet.

Cæterum, quod in argumento aſſeritur, Paulum ipſis etiam angelis Chriſtum opponere, id, hoc in loco, nullo pacto verum eſt; & perridicule à Bellarmino ex illis verbis elicitum fuit, *Licet nos, aut Angelus de cœlo prædicaverit*, &c. Neque enim Chriſtus, ſive ante ſive poſt illa verba, ut qui ipſe Euangelium prædicaverit, à Paulo commemoratur; ſed, ut qui ipſum Paulum ad id prædicandum elegerit. Deinde in verbis iſtis nulla fit oppoſitio perſonarum, ſed rerum tantum; id eſt, opponitur Euangelium jam à Paulo prædicatum cuicumque alii Euangelio a quocumque, ſive homine, ſive angelo, ſive etiam ipſomet Paulo, prædicando. Alioqui Paulus ibidem ſibi ipſi opponeretur. Nemo autem ſibi ipſi opponitur, eo ſenſu, quo hic verbum Opponendi accipere neceſſe eſt: nempe ut diverſitas naturæ ſive eſſentiæ aut certe perpetuæ conditionis ſignificetur. Vidit Bellarminus, ad ſuam rationem concludendam, non ſatis eſſe, ſi Chriſtus hominibus opponatur. Et idcirco conatus eſt valde inepte ex verbis Pauli eodem loco ſcriptis oppoſitionem Chriſti, & Angelorum exſculpere. Quod cum adhuc non ſatis eſſe perſpiceret, cum Chriſtus poſſit eſſe nec purus homo, nec angelus, nec tamen ille unus Deus, ſatis confidenter ex iiſdem verbis concludit, Paulum ſeparare Chriſtum ab omni creatura; cum tamen in illis nec Chriſti fiat mentio, nec Omnis creaturæ: ac præterea, ut dixi, non perſonarum ibi, ſed rerum tantummodo oppoſitio fiat. Nam quod Paulus Chriſtum cum Deo Patre conjungit, non in verbis iſtis, ubi etiam angelorum; ſed in ſuperioribus, ubi hominum tantum meminit, id facit, & propterea plane nugatorium eſt, quod Bellarminus ait, Paulum, quaſi ex altera parte, Chriſtum cum Deo Patre conjunctum omnibus creaturis opponere.

Reſponſio ad X. Argumentum.

Decimum argumentum ductum eſt ex illis verbis Pauli Apoſtoli ad Philippenſes, cap 2. 6, 7. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Subjungam autem argumenti deductionem ex ipſis Bellarmini verbis. Quippe quæ breviora ſint ac concinniora, quam Vujeki. Ait igitur Bellarminus, * *Hic videtur clariſſime explicari, Chriſtum eſſe verum Deum, cum habeat formam, id eſt, naturam Dei, & ſecundum illam non ſit rapina, ſed natura æqualis Deo Patri.* Quod autem Forma Dei apud Paulum ſignificet naturam Dei, ſic col. ſeq. A. probare nititur: *Forma Dei opponitur formæ ſervi hoc loco, at forma ſervi eſt natura humana. Ergo* (ſupple tu in verbis Bellarmini) *forma Dei eſt natura divina.* Jam, quod forma ſervi ſit hoc loco natura humana, ſic deinceps oſtendere conatur: *nam explicans* (inquit) *Paulus quid ſit formam ſervi accipiens, ſubjungit*: In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Ideo igitur formam ſervi accepit, quia inter homines, ut homo apparuit, ſimilis cæteris etiam exteriori figura.* Hactenus Bellarmini verba; quæ habes hic apud Vujekum pag. 70.

Reſpondeo, retorquendo argumentum in Adverſarios, hoc pacto: Chriſtus habet formam Dei, & eſt æqualis Deo. Ergo non eſt ipſe Deus. Dei autem nomine, in hac diſputatione, ut conſtat, intelligitur ille unus Deus. Quod, ſi eſt æqualis Deo, non ſit ipſe Deus, probatum eſt ſupra in reſponſione ad tertium argumentum hujus claſſis. Jam quod attinet ad formam Dei, ad id probandum, quod dixi, utor eodem argumento, quo Adverſarii utuntur, oppoſitionis formæ Dei & formæ ſervi, quæ in Pauli verbis apparet; atque ex ea concludo, cum forma ſervi naturam ſervilem, hoc loco minime ſignificet, ſimiliter formam Dei, naturam divinam minime ſignificare: & rurſum, cum forma ſervi aliud nihil, hoc loco, ſignificet, quam ſpeciem ſervilem, ſic ſimiliter formam Dei aliud nihil ſignificare, quam ſpeciem divinam. Servus, propter infirmam ſuam conditionem, coram aliis plane vilis ac deſpectus eſt, aliorumque injuriis valde expoſitus; quas ne verbo quidem ulciſci audet. Sic Chriſtus coram aliis; paulo ante mortem ſuam, mirum in modum demiſſus ac dejectus fuit, ſummaſque injurias à Judæis & Gentibus eſt paſſus, quas ne verbo quidem eſt ultus, nominatim vero, quod proprium ſervorum eſt, ab eiſdem vinctus & flagellatus fuit; Et hæc omnia ſua ſponte fecit ac paſſus eſt. Propterea, formam ſervi eum ſumpſiſſe, Paulus ait: Rurſus Deus omnibus imperat dæmoneſque ipſos coërcet, adeo ut ejus nutui obtemperent. Idem paſſim habet, qui ipſum adorent, ejuſque opem, ubi nihil humanæ vires valent, humiliter implorent. Sic Chriſtus, antequam ſeſe demitteret, ſolo verbo mari, ventis, morbis, morti dæmonibuſque ipſis imperans, eo ſibi obedientes habebat; & paſſim erant, qui coram ipſo ſeſe poſternerent, ejuſque opem proſtrati implorarent, idque iis in rebus, quæ humanis viribus fieri nullo modo poterant. Itaque merito à Paulo in forma Dei fuiſſe dicitur.

Nam quod Bellarminus hic ait, Græcam vocem μορφὴ quæ hoc loco formæ voce reddita eſt, in ſcriptura nuſquam accipi pro forma exteriore, idque patere percurrenti omnia loca; Hoc & falſum & ſimul nugatorium eſt prorſus. In toto ſiquidem N. T. non eſt forſaſſe hæc ipſa vox ullo alio in loco, præterquam apud Marcum cap. 16. 12. ibique omnino exteriorem formam ſignificat; adeo ut Latinus interpres pro ea vocem Effigiei poſuerit. Eſtque animadvertendum, de Chriſto ſimiliter ibi ſermonem eſſe: deque eo dici, quod duobus ex ſuis diſcipulis rus euntibus apparuerit in alia forma. Sicut igitur ibi de Chriſto dicitur, eum apparuiſſe in alia forma, quod idem eſt, ac ſi dictum fuiſſet, eum apparuiſſe, cum eſſet in alia forma, idque manifeſto ſignificat, eum aliam ſpeciem ſeu etiam formam exteriorem habuiſſe; Sic hoc loco, Chriſtum in forma Dei fuiſſe, aliud nihil ſignificat, quam eum divinam ſpeciem ſeu divinam formam exteriorem habuiſſe.

Jam, quod Adverſarii aſſerunt, formam ſervi hoc loco naturam humanam ſignificare, propterea quia ſubjunguntur illa verba; *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*; Dico, verba iſta non proprie eſſe explicationem ejus, quod antea dictum fuerat, Chriſtum, videlicet, formam ſervi ſumpſiſſe; ſed aliam (non abſimili tamen ſenſu) oppoſitionem ei factam, quod prius Paulus dixerat, Chriſtum in Dei forma fuiſſe, cui videlicet, hic opponit, eum fuiſſe; quod ad exteriora attinet, ſimilem vulgaribus hominibus. Hominum enim ſimplici appellatione; vulgares homines ſolere intelligi, indicat Pſal. 81. ubi Aſaph eos homines, quos Deos & Excelſi filios eſſe dixerat, morituros nihilominus ait, ut homines, id eſt, non ſecus ac reliqui vulgares homines. Eſtque ibi tacita antitheſis ſeu oppoſitio inter Deum & hominem; huic noſtræ valde ſimilis; eaque reſpectu unius & ejuſdem perſonæ, quæ, quod ad naturam attinet, non niſi humanam revera habebat. Id quod ad locum noſtrum illuſtrandum, & oſtendendum, in uno & eodem Chriſto, licet humanam naturam tantum habente, Deum homini potuiſſe opponi, haud parum momenti affert. Eſt etiam locus inſignis Judic. cap. 16. ubi Samſon ℣. 7. & 11. dicit, ſe futurum, ſicut unus homo: id eſt, unus ex hominibus; cum dicere vellet, ſe fore, ſicut quilibet homo; ut poſtea aperte dicit ℣. 17. Senſus igitur loci noſtri eſt, Chriſtum, depoſita Dei forma, quæ quid ſit, paulo ante explicavimus, ſeſe talem prætuliſſe, ac ſi à reliquis vulgaribus hominibus nihil diſtaret: non autem, humanam naturam ſumpſiſſe, quemadmodum Adverſarii ſentiunt. Quem ſenſum ut tueretur Bellarminus, coactus eſt verbis illis, *& habitu inventus ut homo*, cum illa huc accommodare vellet, addere, in eis explanandis, de ſuo particulam Etiam:

* Tom. 1. col. 302. A.

& ſic locum, qui, ut ipſe fatetur, de exteriore figura aperte loquitur, hac additione, de alia etiam re, id eſt, de ipſa natura tacite loquentem facere. Nec vero dicat Bellarminus, ſe particulam iſtam non addidiſſe, ſed ea voculam Et expreſſiſſe, quæ haud raro idem valet, quod Etiam. Nam, ſi hoc loco id valeret, nec ſimplex copula eſſet; non quidem, *& habitu inventus*, ſed *inventus & habitu*, ſcriptum eſſet. Jam vero neceſſe eſſe, ut Chriſtus formam illam Dei, quæ idem reipſa eſt cum æqualitate, quam, cum Deo habuiſſe, hic dicitur, ad tempus depoſuerit, & ſic naturam divinam quam ei Adverſarii tribuunt, iſta Dei forma ſignificari non poſſe, docent verba illa, *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo* quod idem eſt, ac ſic dictum fuiſſet, Non mordicus retinuit ſuam cum Deo æqualitatem, ut raptor aliquis rem, quam rapuerit, ſolet. Se enim, non quidem eam rapuiſſe, ſed ex gratuito Dei dono habuiſſe, agnovit, & propterea ad illius nutum à ſe deponendam duxit. Sequitur enim, *ſed ſemetipſum exinanivit*, &c. Hunc eſſe veriſſimum & planiſſimum iſtorum verborum, *non rapinam* &c. ſenſum, agnoſcet, opinor, quilibet pius & eruditus homo, modò præjudicata aliqua opinione non ſit impeditus. Quidquid hoc loco Bellarminus de iſtis verbis diſputet, ea, partim ſuis, partim alienis verbis, magis obſcurans ac pervertens, quam illuſtrans atque explanans. Et quando jam cœpimus demonſtrare, Dei formam, ſeu cum Deo æqualitatem, quam Paulus Chriſto hoc in loco tribuit, non poſſe eſſe naturam ipſam & eſſentiam divinam, quam Chriſtus ſcilicet, haberet, antequam homo naſceretur, in eodem rationibus demonſtrando pergamus. Sed prius breviter rationem jam allatam repetamus.

Prima igitur ratio eſt, quia formam Dei ſeu æqualitatem iſtam cum Deo, Chriſtum ad tempus depoſuiſſe, oſtendunt manifeſte verba illa, *non rapinam arbitratus eſt, &c.* divinam autem naturam ſive eſſentiam, ne ad temporis quidem momentum deponi poſſe, nimis apertum eſt; & Adverſarii Chriſtum, id eſt, Dei filium eam nunquam depoſuiſſe aut deponere potuiſſe, plane affirmant.

Secunda ratio ex iiſdem verbis ducta eſt; quia, videlicet, neutiquam in Deum ipſum, ſive eum, qui illam revera habeat, cadit non exiſtimare ſeu arbitrari, ſe rapuiſſe naturam ſive eſſentiam divinam; præſertim, ſi hinc aliqua ejus voluntaria actio profecta fuiſſe dicatur (ut certe ex Pauli verbis colligitur, voluntariam Chriſti actionem ſeipſum exinaniendi hinc profectam fuiſſe, quod non arbitratus fuerit rapinam, quod eſſet æqualis Deo) Hoc enim indicat, fieri potuiſſe, ut Deus arbitraretur, ſe rapuiſſe naturam ſive eſſentiam divinam. Id quod perabſurdum eſt: immo vero valde impium, quocunque tandem ſenſu id dicatur. De Jeſu Chriſto quidem, ſine ulla abſurditate aut ſcelere, dici poteſt, fieri potuiſſe, ut is arbitraretur, ſe rapuiſſe æqualitatem, quam cum Deo habebat, id eſt, ita ſe gereret, ac ſi eam rapuiſſet; eam, videlicet, ut antea expoſuimus, mordicus retinendo. Sed de Deo quomodo dici poteſt, eum mordicus ſuam eſſentiam divinam retinere potuiſſe? Hoc enim, ut cætera omittam, aperte demonſtrat, eum potuiſſe illam deponere. Quod, ut in prima ratione dictum eſt, nullo modo fieri poteſt; eſtque res valde impia de Deo iſta cogitare.

Tertia ratio eſt, quod ſimiliter in Deum non cadit ſeipſum exinanire, etiamſi exinanitio iſta id non ſignificaret, quod proprie ſonat, id eſt, abjectionem ſeu depoſitionem rei vel rerum, quarum quis ſit plenus, ſed tantummodo ſui ipſius demiſſionem ac dejectionem. Neque enim Deus ſe demittere aut dejicere poteſt, quin Altiſſimus eſſe deſinat, & ſic deſinat eſſe Deus. Synonyma ſunt enim in Sacris Literis Deus, cum pro eo ponitur, quem hic intelligimus, & Altiſſimus.

Quarta ratio eſt, quod, ob eandem cauſſam, neque etiam exaltari ſive extolli in Deum cadit, alioqui non eſſet Altiſſimus. Neceſſe eſt autem, ut in verbis Pauli is, qui dicitur fuiſſe exaltatus, idem plane ſit cum eo, qui ſe exinaniviſſe dicitur. Atqui exinaniviſſe, ſeu demiſiſſe ſe ac dejeciſſe, ſecundum Adverſariorum interpretationem non potuit Dei filius, niſi ſecundum divinam naturam. Quomodo enim ſecundum humanam potuiſſet, cum nondum humanam naturam haberet, quodque ſe demiſerit ac dejecerit, aliud nihil ſit, ſecundum ipſos, quam ipſam humanam naturam aſſumpſiſſe? Sequitur igitur neceſſario ex Adverſariorum interpretatione, ut is, qui fuit exaltatus, fuerit ipſe Dei filius ſecundum divinam naturam, hoc eſt, ut illis placet, ipſe Deus. Sed hoc, ut diximus, fieri nullo modo potuit. Ergo ipſorum interpretationem falſam eſſe neceſſe eſt, ac conſequenter patet, Dei formam, ſeu cum Deo æqualitatem, in iſto Pauli loco aliud eſſe, quam naturam ſive eſſentiam divinam, quam Chriſtus haberet antequam homo naſceretur, in ipſoque pro eo tempore conſideratam. Nec eſt, quod quis dicat eundem plane fuiſſe exaltatum, qui ſe demiſerat, licet non ſecundum eandem naturam. Nam idem eſt, ſi adverſariorum placita attendantur, Illum æternum Dei Filium, quem unum & eundem cum Patre Deum faciunt, ſecundum humanam naturam tantum exaltatum fuiſſe, quod, ipſum æternum Dei filium revera non fuiſſe exaltatum, ſed tantum per Idiomatum, quam vocant, communicationem. Poteſt, cum hac quarta ratione ad eam amplificandam conjungi, quod non ſimpliciter de exaltatione in verbis Pauli fit mentio: ſed de ejuſmodi exaltatione, quæ in eum finem facta fuerit, ut adoratio & divinus cultus inde conſequeretur. Nam certe hoc in divinam naturam ſive eſſentiam non cadit: quippe cui, quod ad ſublimitatem attinet, nihil unquam defuerit, quod ad adorationem & cultum divinum illi præſtandum requiratur. Propterea coactus eſt alibi Bellarminus aſſerere, Paulum, hoc loco, non de vera exaltatione loqui, ſed de declaratione ſublimitatis, quam jam Chriſtus haberet, nempe ab ipſo conceptionis momento in utero Virginis. Sed quam recte ac pie id aſſeruerit, vidimus ſupra in reſponſione ad 9. arg. 1. claſſis. Certe iſta Pauli verborum interpretatio non modo ipſa verba corrumpit, in quibus diſerte, ut etiam alibi, de Chriſti exaltatione poſt mortem fit mentio; verum etiam Paulum quodammodo nugantem, & quid dicat, neſcientem facit. Quid enim magis aut nugatorium aut inſulſum, quam affirmare, æternum, quem iſti fingunt; Dei filium, hoc eſt, ut ipſis placet, illum unum Deum, pro præmio ſuæ demiſſionis in humana natura aſſumenda ſuæque in ea natura obedientiæ uſque ad mortem crucis præſtitæ, id habuiſſe ut agnoſceretur qualis eſſet? Egregia profecto præmio afficiendi ratio, id cuipiam dare, quod in ipſius manu & voluntate omnino eſt poſitum. Egregium porro illum unum Deum iſti faciunt, qui eum præmio affici poſſe, adeoque affectum fuiſſe, docent.

Quincta & ultima ratio, qua nunc utemur, ad probandum, Dei formam ſeu cum Deo æqualitatem, cujus hic meminit Paulus, non eſſe naturam ſive eſſentiam divinam, quam Chriſtus haberet, antequam in utero virginis conciperetur, Hæc eſt, quod Paulus manifeſte, hoc loco, exemplo Chriſti, ſui ipſius demiſſionem vult docere ac perſuadere. Ex quo ſequitur, neceſſe eſſe, ut in Chriſto hæc ſui ipſius demiſſio fuerit viſa atque conſpecta. Neque enim exempla, ad docendum ac perſuadendum propoſita, rerum eſſe poſſunt à nemine viſarum aut conſpectarum. Jam quis, rogo aut vidit, aut videre potuit, Chriſtum, ſolam Dei eſſentiam & naturam habentem, in Virginis utero humanam naturam aſſumere, aut etiam quavis alia ratione in ipſa Dei eſſentia ſeu natura ſeſe demittere ac dejicere.

Quamobrem concludendum eſt, Paulum, ut Ambroſio etiam placet; de Chriſto jam homine nato loqui, atque ejus divinam formam, & cum Deo æqualitatem, intelligere eam, quam ſupra diximus, & in tertio hujus claſſis argumento examinando attigimus; quam Chriſtus, dum ſe vinciri, flagellari, & in crucem agi permiſit, ſervi forma ſumpta, depoſuit, id

quod

quod ab omnibus viſum & conſpectum fuit. Unde voluntariæ ſuiipſius, ejuſque maxime inſignis, abjectionis illuſtriſſimum exemplum perpetuo eſt futurum.

Non putamus autem, nobis quidquam reſpondendum eſſe ad id, quod Vujekus una cum Bellarmino hic objicit de Apoſtolis, qui maxima miracula facerent, & tamen nemo poſſit, vel auſurus ſit dicere, eos fuiſſe in forma Dei. Neque enim nos iſtam Dei formam ſimpliciter, miracula facere, interpretamur, ut ex iis, quæ ante diximus, conſtare poteſt, ubi haud paulo aliter eam nos accipere docuimus. Nec ſane illi ipſi, contra quos Bellarminus & Vujekus nominatim hac de re diſputant, miraculorum ſimpliciter mentionem fecerunt, ſed operum divinorum. Nimirum intelligentes, Chriſtum, poteſtate & auctoritate in ſeipſo perpetuo reſidente, ad Dei exemplum, mirabilia multa feciſſe. Id quod Apoſtoli nunquam fecerunt aut facere potuerunt; quippe qui poteſtatem, qua erant in faciendis miraculis præditi, in ſeipſis perpetuo reſidentem non haberent, nec propria auctoritate, ſed ipſius Chriſti ea facerent: cujus nomen etiam in eis faciendis aut aperte aut tacite ſine dubio ſemper invocabant.

Cætera, quæ Vujekus objicit, quaſi ex interpretatione noſtra ſequatur, Chriſtum fuiſſe ſemper ſervum, nec unquam plenitudinem ullam habuiſſe, aut divitem fuiſſe, reſponſionis ſimiliter ullius indigere non videntur. Quandoquidem, quod ad ſervum attinet, ſic ipſe loquitur, quia eſſe ſervum idem eſſe, quod eſſe hominem, intelligit. Atqui hoc, præſertim hoc loco, apertiſſime falſum eſt. Neque enim de Dei ſervo hic agitur, aut ſervus dicitur comparate ad Deum. Sed ſervi nomine ipſa conditio ſervilis intelligitur, qua quidam homines à cæteris hominibus diſtinguuntur. Hæcque conditio, utpote omnium infima, divinæ conditioni (ut ſic loquar) quæ omnium ſuprema eſt, opponitur. Quanquam nec quilibet homo, in Sacris Literis, Dei ſervus dicitur; nec homo, quatenus ſimpliciter eſt homo, etiam comparate ad Deum, ſervus nominari ſolet. De plenitudine & divitiis miror, quid ibi in mentem venerit: cum nos, Chriſtum hominem divinarum divitiarum pleniſſimum fuiſſe, & aſſeramus & doceamus, etiamſi ipſam divinam naturam & eſſentiam non habuerit. Quibus divinis divitiis vacuum ſeſe oſtendit, eaſque ad tempus quodammodo abjecit, cum, in manus hominum peccatorum ſe tradi, paſſus eſt, ab eiſque, ut illis libuit, tractari.

Quoniam vero Bellarminus, ut probet, Chriſtum hominem non poſſe dici æqualem Deo, quia Deus illum ad ſuam æqualitatem evexerit, affert verba illa ipſius Dei apud Eſai. 42. *Gloriam meam alteri non dabo*: Reſpondemus, ſatis ex eodem loco conſtare, quid alterius nomine Deus intelligat. Illico enim addit, *nec laudem meam ſculptilibus*. Loquitur igitur Deus, ſub nomine iſto, de iis, qui cum ipſo nihil commune habent: & quibus ſi gloria & laus aliqua tribuatur, ea ad ipſum Deum non refertur, ſed contra tantundem gloriæ & laudis ipſi aufertur: cujuſmodi ſunt ſculptilia, non autem dicit Deus, ſe ſuam gloriam cum nemine à ſe omnino dependente ſibique ſubordinato communicaturum. Sic enim nihil ipſius gloriæ decedit; cum ad ipſum quidquid gloriæ talis ei ſubordinatus habet, prorſus referatur. Immo ejus gloria augetur, cum conſideratur, illum & potuiſſe & voluiſſe cum aliqua re creata, ex ſumma poteſtate ac benignitate ſua, communicare ſuam gloriam. Adde, quod ex iiſdem verbis, *nec laudem meam ſculptilibus*, aperte colligitur, verbum dandi, hoc loco, non veræ dationis, ſed permiſſionis tantum ſignificationem habere, ut etiam aliis in locis: nominatim vero Pſal. 16, in illis verbis, *nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Cui enim dubium eſſe potuiſſet unquam, ne Deus, propriè loquendo, ſuam laudem ſculptilibus eſſet daturus, id eſt, eam cum ipſis ſua ſponte communicaturus? Non negat igitur Deus, ſe ſua ſponte cum alio ſuam gloriam communicaturum, ſed ait, ſe non permiſſurum, ut cuiquam à ſe alieno ſua gloria tribuatur. Præterea quidquid gloriæ Deum Chriſto dediſſe, & ad quamcunque ſui æqualitatem eum evexiſſe dicamus; agnoſcimus tamen, gloriam, quæ ipſius Dei propria eſt, Chriſto ab ipſo nec datam nec permiſſam fuiſſe. Ut, ſcilicet, Chriſtus omnis ſalutis omniumque bonorum primus auctor & fons habeatur. Sibi enim hanc gloriam Deum integram penitus reſervaſſe affirmamus.

Reſponſio ad XI. Argumentum.

Ad undecimum argumentum formandum affertur locus 1 Joh. 5. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis.* Quanquam dupliciter, ſi quis recte animadvertat, ex hoc loco argumentatur Bellarminus; quod idem ex Vujeki verbis, quamvis non ſint plane eadem cum verbis Bellarmini, intelligi poteſt. Nec tamen in tota ſua argumentatione meminit vulgati modi argumentandi ex hoc loco; quippe qui, ut tacite faſſus eſt, cum ageret de teſtimonio illo: *Ego & pater unum ſumus*; videret, Unum eſſe, ad aliam unitatem, quam eſſentiæ, referri in Sacris Literis ſolere; quemadmodum ſupra à nobis oſtenſum fuit. Voluit nihilominus, cum id ſibi in promptu eſſe crederet, quaſi aliud agens reſponſionem refellere, qua iſte vulgatus ex hoc loco argumentandi modus ineptus oſtendi ſolet. Idem facit Vujekus. Immo hoc ſolum facit, omiſſa reſponſione quæ ad quodlibet argumentum ex hoc loco ducendum accommodari conſuevit, quam tamen Bellarminus non prorſus omittit, eamque refellere conatur; ut poſtea videbimus. Prius enim explicandum eſt duplex iſtud, quod ex hoc teſtimonio ducit, Bellarmini argumentum.

Primum igitur, ut commodius ad totam argumentationem reſpondeamus, argumentum recenſebimus ac diluemus, quod ſecundo loco & implicite cum altero argumento, quod magis præcipuum eſt, afferre nobis videtur. Id reipſa tale eſt: Teſtimonium Spiritus, aquæ, & ſanguinis, opponitur teſtimonio Patris, verbi, & Spiritus Sancti. Sed teſtimonium ſpiritus, aquæ, & ſanguinis eſt teſtimonium de vera humanitate Chriſti. Ergo teſtimonium Patris, verbi, & Spiritus Sancti eſt teſtimonium de vera ejus divinitate. Quod dicit factum fuiſſe *tum alibi ſæpe, tum etiam in baptiſmo & tranſfiguratione.*

Reſpondeo, hic quædam affirmari & pro conceſſis ſumi, quæ minus vera ſunt. Pro conceſſo enim ſumitur, opponi iſta teſtimonia, ut quæ de uno & eodem Chriſto diverſa atque adeo oppoſita teſtentur. De quo tamen nihil apparet. Immo verba omnino præ ſe ferunt, de eadem re prorſus utrumque teſtimonium teſtari, & in eo tantam invicem opponi, quod prius teſtimonium à teſtibus in cœlo teſtantibus, poſterius vero à teſtantibus in terra proficiſcitur. Nam quod Bellarminus conſiderat, quia alteri teſtes ſint humani, alteri vero divini, concludendum eſſe, illos de vera Chriſti humanitate, hos vero de vera Chriſti divinitate teſtificari; hoc prorſus nihil eſt. Cum nec verum ſit, omnes iſtos tres in terra teſtantes eſſe humanos teſtes, ut poſtea videbimus: nec quidquam prohibeat, quominus diviniſſimus etiam teſtis de vera Chriſti humanitate teſtetur, & contra humanus de divinitate. Sumitur etiam, idque multo evidentius, ut ex ipſius Bellarmini verbis patet, pro conceſſo, ſpiritum hic ſignificare eum ſpiritum, quem Chriſtus moriens exhalavit: aquam vero & ſanguinem, eam aquam & ſanguinem, qui ex ejus perfoſſo latere fluxerunt; Cum tamen, quod ad ſpiritum attinet, ex antecedentibus appareat, ejus nomine ſignificari, ut ſolet, vim & efficaciam divinam, quæ in terra, ut ſic loquar, diu verſata eſt, ad fidem faciendam, quod Jeſus eſt Chriſtus. Neque enim quenquam vis iſta & efficacia fallere poteſt. Et idcirco ibi dici-

dicitur (ut quidem Græca exemplaria habent) *quoniam ſpiritus eſt veritas*; id quod de ſpiritu, quem Chriſtus moriens exhalavit, non recte diceretur. Quod ſi etiam legamus, ut Latina exemplaria habent, *quoniam Chriſtus eſt veritas*, ita ut ſenſus ſit, ſpiritum teſtari, quod Chriſtus ſit veritas; nihilominus apparebit, ſpiritus nomine non poſſe intelligi ſpiritum à Chriſto in morte exhalatum. Valde enim improprie diceretur, ſpiritum iſtum teſtari, quod Chriſtus ſit veritas, etiamſi de morte ipſius Chriſti id dici poſſit. Cum non ſimpliciter mors ſeu ſpiritus exhalatio id teſtata fuiſſe dici queat, ſed cruenta mors, eaque maxime deteſtabilis, quam Chriſtus voluntarie ſubiit. Denique quis eſt, qui non videat, quam inepta ac ridicula ſit interpretatio, ſpiritus ſimplex nomen, ſpiritum, quem quis moriens exhalaverit, interpretari? Jam, quod attinet ad aquam, & ſanguinem, qui teſtetur de Chriſto, nullo pacto intelligenda eſt illa aqua, & ſanguis, qui ex Chriſti perfoſſo latere fluxit; cum, quidquid comminiſcatur Bellarminus, non de teſtificando, quod Chriſtus ſit verus homo, ſed, quod Jeſus ſit Chriſtus, ejuſque doctrina vera & divina, hoc loco agatur. Fuerunt quidem aqua, & ſanguis, de quibus hic loquitur Apoſtolus, adumbrati in iis, qui fluxerunt ex Chriſti latere; ſed aliud tamen ipſi ſunt revera, per quos ſeu in quibus Chriſtus veniſſe hoc eodem loco dicitur. Poteſt autem aquæ nomine commode intelligi vitæ puritas & innocentia: ſanguinis vero, ipſa cruenta mors. In his enim revera Chriſtus venit; & hæc una cum ſpiritu, id eſt, ut diximus, vi & efficacia divina hic in terris verſante & ex infinitis miraculis conſpicua, non ſolum in perſona ipſius Chriſti, ſed etiam in iis, qui, poſtquam ille hinc abiit, ejus doctrinam publice ſunt profeſſi, veritatis ejuſdem doctrinæ fidem ampliſſimam fecerunt. Apoſtoli quidem potiſſimum, & eorum ſucceſſores miraculis, vitæ innocentia, & denique ſanguinis ſui, propter Chriſti nomen, voluntaria fuſione, tantopere religionem Chriſtianam ſunt teſtati, ut tandem orbem ferme univerſum ad hanc religionem adduxerint, & Chriſto ſubjecerint.

Oſtendimus, Bellarminum in hoc ſuo argumento quædam, licet falſa, pro conceſſis ſumere, unde illud, à nobis convulſum fuiſſe, conſtat. Sed ut ejus infirmitas magis appareat, finge, iſta vera eſſe; nunquid propterea recte concluſum fuerit argumentum? Minime vero. Nam, etiamſi ſpiritus, & aqua, & ſanguis, quos in terra teſtari ait Johannes, id ſinguli ſignificarent quod Bellarminus affirmat, atque hinc conſequeretur, iplorum teſtimonium eſſe, quod Chriſtus ſit verus homo: ac præterea certum eſſet, iſtorum teſtimonium ita alterorum trium teſtimonio opponi, ut de re oppoſita teſtentur; Non tamen ſequeretur, alteros tres teſtari, quod Chriſtus ſit verus Deus, eo ſenſu quem Bellarminus intelligit. Satis enim de re oppoſita teſtantur, ſi eorum teſtimonium eſt, quod Jeſus eſt Chriſtus, id eſt, ille unigenitus Dei filius, cum quo Deus ſuum divinum imperium ac poteſtatem, & conſequenter ſuam divinitatem communicavit. Si certum alioqui eſſet, Chriſtum habere divinitatem illam, quam Bellarminus vult; tunc fortaſſe ex oppoſitione iſta colligi poſſet, alteros teſtes de ejus humanitate, alteros vero de iſta ejus divinitate teſtari. Sed ex ipſa oppoſitione iſtam Chriſti divinitatem colligere, hoc futile plane eſt.

Jam quid eſt, quod Bellarminus ait, Patrem, verbum, & Spiritum Sanctum, tum alibi ſæpe, tum etiam in baptiſmo & tranſfiguratione perhibuiſſe teſtimonium de vera Chriſti divinitate? Siccine libet confidenter affirmare ea, de quibus nihil penitus apparet? In baptiſmo poteſt quidem dici, Patrem, & Spiritum Sanctum teſtatum fuiſſe de Chriſto; ſed de verbo, id eſt, ipſo Dei filio, ibi de ſeipſo teſtificante, verbum nullum. Deinde hoc teſtimonium non de divina, quam Chriſtus habeat, eſſentia & natura, quemadmodum Bellarminus intelligit, ſed de ipſius ex Deo filiatione fuit; quam ſupra docuimus generationem ex ipſa Dei ſubſtantia nullo pacto ſignificare poſſe. Fateor tamen, hic ita fuiſſe locutum Bellarminum & cum eo Vujekum, ut imprudentes verum dixerint, quatenus veræ Chriſti divinitati in baptiſmo teſtimonium datum fuiſſe ajunt. Vera enim Chriſti divinitas, id eſt, non ficta illa & imaginaria per eandem eſſentiam & naturam cum Deo Patre, ſed per communicatam ſibi homini à Deo Patre poteſtatem atque imperium divinum, eo teſtimonio ſine dubio continetur, quod illi in baptiſmo Deus Pater dedit, inquiens, *Hic eſt ille meus filius dilectus, in quo mihi bene complacui.* Qua de re, in reſponſione ad primum hujus claſſis argumentum, ſatis explicatum à nobis fuit. De teſtimonio, Chriſto in tranſfiguratione dato, idem dicendum apparet; niſi, quod, ejus reſpectu, eo minus vere, quam reſpectu teſtimonii, in baptiſmo eidem Chriſto dati, Bellarminus locutus eſt, quod ibi Spiritus Sancti nulla prorſus fit mentio.

Alterum & magis præcipuum Bellarmini argumentum eſt, quod, cum teſtes, qui, hoc loco, in terra teſtari dicuntur, ſint teſtes humani & creati, neceſſe ſit ut alteri teſtes, qui in cœlo teſtari dicuntur, & ab ipſis diſtinguuntur, ſint teſtes divini & increati: & conſequenter verbum, id eſt, Dei filius, ſit divina & increata perſona.

Reſpondeo primum, teſtes, qui in terra teſtari dicuntur, non omnes eſſe humanos & creatos teſtes. Spiritus enim, ut ante docuimus, eſt virtus & efficacia Dei in terris mirabilia efficiens, ad confirmandum, quod Jeſus ſit Chriſtus. Quæ Dei virtus & efficacia certe non eſt ſimpliciter res creata. Deinde dico, hos duplices teſtes hic diſtingui, ut verba ipſa diſerte ſonant, quatenus hi in terra, illi vero in cœlo teſtantur: & propterea Spiritum Sanctum in utraque claſſe poni: quia modo conſideratur ut, in terra quodammodo verſans ibidem ea ratione, qua diximus teſtatur: modo ut de cœlo teſtimonium perhibet; quemadmodum potiſſimum id facit, cum ſua ſacra dona inde in eos effundit, qui Chriſti fidem amplectuntur. Bellarmini interpretatio, quod verba illa, *in cœlo*, & itidem illa, *in terra*, non declarent locum, ſed teſtimonii, id eſt, teſtium qualitatem, non poteſt admitti. Nam, ſi iſta Johannis mens fuiſſet, non conjunxiſſet verba iſta cum verbo *teſtantur*, ſeu *teſtimonium dant*, ſed cum verbis *tres ſunt*, hoc pacto: *Quoniam tres ſunt in cœlo, qui, &c.* & mox, *Et tres ſunt in terra, qui, &c.* Sic enim facile potuiſſet admitti, eſſe in cœlo, eſſe in terra, idem ſignificare, quod eſſe cœleſtem ſeu divinum, eſſe terreſtrem ſive humanum. Nunc autem, ut ipſe eſt locutus, neceſſe eſt, ut ejus mens fuerit, vel quemadmodum nos omnino exiſtimamus & verba ipſa ſonant, loci diverſitatem notare, vel ſaltem diverſitatem teſtimonii: non quidem, quatenus teſtes ſint diverſi, ut Bellarminus intellexit, cum pro qualitate teſtium, qualitatem teſtimonii dixit, nec quatenus diverſis de rebus teſtimonium feratur; ſed quatenus teſtandi modi ſint diverſi: hic cœleſtis, ille vero terreſtris. Sed quia hic ſenſus, licet verbis accommodari poſſit, verus eſſe nequit, propter id, quod diximus de ſpiritu per miracula teſtante, qui modus non quidem terreſtris, ſed cœleſtis eſt; Idcirco alter ille ſenſus de diverſitate loci, utpote verus & verbis multo magis conſentaneus, amplectendus nobis eſt. Neque huic ſenſui obſtat id, quod Bellarminus objicit de Angelis, qui, ut teſtes, & ipſi commemorati fuiſſent, ſi hic ageretur de cœlo, tanquam de loco, & non potius cœli mentio fieret ad divinos & increatos teſtes denotandos; cum Angeli Chriſto non ſemel teſtimonium dederint. Namque conſiderandum eſt, Johannem perſonam tantum unam, aut rem unam ſingulos teſtes, quos recenſet, facere, ut etiam nomen teſtis, quod implicite in Apoſtoli verbis contineri, ipſe Bellarminus agnoſcit, perſe omnino requirit: & tres in cœlo, & tres item in terra tales teſtes eſſe, demonſtrare voluiſſe. Ad hunc autem numerum non

pote-

poterant Angeli pertinere, qui plures ſunt perſonæ, nec tanquam una perſona hac in re conſiderari poſſunt; quippe qui nec omnes ſimul nec iidem ſemper, ſive unus ſive plures, de Chriſto teſtati fuerint. Præterea voluit Johannes perpetuos quoſdam & aſſiduos uſque ad illud tempus, quo ſcribebat, ac deinceps etiam per aliquod ſaltem temporis ſpatium, teſtes de Chriſto recenſere. Et propterea verbo præſentis, non autem præteriti temporis eſt uſus. In hoc certe numero Angeli non erant, ut Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, qui ſubinde variis rationibus de Chriſto teſtabantur. Verbum enim, id eſt, Chriſtus ipſe Jeſus, de ſeipſo eatenus aſſidue teſtabatur, quatenus per ipſius nominis invocationem multa mirabilia quotidie fiebant. Spiritus Sanctus, quomodo potiſſimum, de cœlo aſſidue de Chriſto teſtaretur, dictum eſt paulo ante. De Patre nullum eſt dubium, utpote ſine cujus nomine iſta fieri non poterant (ipſe eſt enim qui operatur omnia in omnibus 1 Cor. 11. 6.) & qui pro tali, id eſt, horum omnium auctore à cunctis & habebatur, & prædicabatur. De Angelis vero, quod aſſidue Chriſto teſtimonium darent, nec quidquam uſquam eſt memoriæ traditum, nec ratio ulla, quæ id ſuadeat. Denique, quod Bellarminus ex Johannis verbis, quæ ſtatim ſequuntur, *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*, colligit, quidquid dictum eſt de teſtibus tribus in cœlo teſtantibus, ad ipſum Deum pertinere: perperam id facit; cum poſteriora iſta Johannis verba aliud nihil indicent (ſi modo ad priora relationem habent) quam, in prioribus, teſtimonii ipſius Dei factam fuiſſe mentionem. Quam certe factam eſſe, apparet, cum Patris teſtimonium in ipſis commemoratum fuerit; præſertim, cum Johannes, in poſterioribus, Dei, ut Patris, meminerit, inquiens, Deum teſtificatum fuiſſe de filio ſuo.

Hactenus ita locutus ſum, quaſi nullam controverſiam patiatur locus iſte; qui tamen adeo eſt controverſus, ut potius tuto affirmari poſſit, verba illa, *in cœlo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra*, addita olim fuiſſe. Certum eſt enim, emendatiora Græca exemplaria, & antiquiora Latina, verba iſta non habere. Syriaca vero prorſus non habent. Et contextus ipſe totius loci, adulterina illa eſſe, videtur ſatis per ſe docere. Legatur Eraſmus in ſuis annotationibus in hunc locum, & ipſorum Theologorum Lovanienſium notationes; in quibus inter cætera ſcriptum eſt, antiquum correctorium, quod contribuerat M. N. Hunnæus, annotare, verba iſta omnia præter extremas illas duas voces, *in terra*, quas quædam exemplaria habent, deeſſe libris Græcis & antiquis Latinis. Breviter, cum locus plane controverſus ſit, nihil ex eo colligi poteſt ad quidquam concludendum; tametſi nos, quæ inde duxit Bellarminus, tanquam ſi indubitatus locus eſſet, reſpondere voluimus. Hinc patet, nihil eſſe, quod Bellarminus aliquot auctores citat hunc locum agnoſcentes, ad reſponſionem hanc retundendam, quæ ad quodlibet argumentum ex hoc loco ducendum afferri poteſt. Neque enim ideo non eſt locus controverſus; quod aliquot ſcriptores eum agnoſcunt. Quanquam certum eſt, hoc valere contra Blandratam, qui aſſerit, ſolum Hieronymum verba iſta legere; adverſus quem Blandratam merito auctores iſtos citat Bellarminus. Apparet tamen, illum interim conatum fuiſſe locum aſſerere, eumque minime ſuſpectum eſſe perſuadere. Quod, ut diximus, nequaquam hac ratione efficere potuit.

Cæterum, quum, ut ſupra attigimus, nec Bellarminus nec Vujekus urgeant verba illa iſtius loci, *Et hi tres unum ſunt*, ad probandum, verbum ſeu Dei filium eandem eſſentiam cum Patre habere; tamen quia nihilominus conantur refellere reſponſionem, quæ privatim ad verba iſta afferri ſolet, quæque nullo pacto eſt contemnenda; aliquid etiam de hoc dicemus. Reſponſio eſt, ſi ratio ex verbis illis vulgo ducta valeret, concludendum ſimiliter fore, ſpiritum, aquam, & ſanguinem, qui eodem in loco commemorantur, eandem eſſentiam inter ſe habere; cum ſimiliter de ſpiritu, aqua, & ſanguine ibidem dicatur, *Et hi tres unum ſunt*. Excipit Bellarminus, & ait, in multis Latinis codicibus verba iſta de ſpiritu, aqua, & ſanguine non legi. Addit Vujekus, & in multis etiam Græcis. Quod per incuriam, credo, illi excidit; cum nullum memoretur exemplar Græcum, quod iſta verba non habeat, præter codicem Hiſpanienſem, cujus Eraſmus meminit. Sed interim in eodem iſto codice, verba iſta de Patre, verbo, & Spiritu Sancto, non *unum ſunt*, habent, ſed, *in unum ſunt*. Subjungit Bellarminus, in Græcis quidem exemplaribus legi: ſed ad hunc modum, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσιν, id eſt, *Et hi tres in unum ſunt*, diverſe ab eo, quod dicitur de Patre, verbo, & Spiritu Sancto καὶ ἕξω οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, id eſt, *Et hi tres unum ſunt*. Ut, ſcilicet, intelligamus, cum de ſpiritu, aqua, & ſanguine verba fiunt, non dici, illos eſſe unum, ut dicitur de Patre, verbo, & Spiritu Sancto: ſed tantum, conſpirare in unum teſtimonium.

Ad hæc reſpondeo, aliquot ſive etiam multos Latinos codices non poſſe officere multo pluribus & uſitatæ ac receptæ lectioni; præſertim, cum ea ſibi conſentientia habeat omnia fere exemplaria Græca, atque etiam Syriacam editionem. Jam diverſitas illa in Græcis codicibus non eſt magni æſtimanda. Ut enim Eraſmus recte annotavit, poteſt vocula *in* ex idiotiſmo Hebraico prorſus abundare; ut, quod ad ſenſum attinet, nihil penitus differentiæ ſit inter priora & poſteriora verba, id quod locus ipſe omnino videtur requirere, alioquin inconcinnitas quædam in ipſo eſſet. Complutenſis quidem editio utrobique habet εἰς τὸ ἓν εἰσι, id eſt, *in unum ſunt*. Ut interim intelligas, non eſſe abſolute verum, quod Bellarminus ait de diverſitate in Græcis codicibus. Hæc placuit dixiſſe, ut pleniſſime Bellarmino & Vujeko reſponderemus; quamvis nec res ipſa, nec ipſorum ſcribendi modus, id nos facere ulla ratione cogeret.

Reſponſio ad XII. Argumentum.

Duodecimum argumentum petitum eſt ex loco 1 Joh. 5. 20. Ubi ſecundum vulgatam editionem ad hunc modum legitur: *Scimus, quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio ejus. Hic eſt verus Deus & vita æterna.* Sic enim Bellarminus & Vujekus hinc argumentantur: Unus ſolus eſt verus Deus, ut ſcriptum eſt Joh. 17. 3, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum*, quod ibi de Patre dicitur. Ergo cum Chriſtus ſit verus Deus, neceſſe eſt, ut ſit unus & idem cum Patre Deus.

Reſpondeo; Et primum retorqueo contra adverſarios propoſitionem iſtam, Unus ſolus eſt verus Deus, & Pater eſt hic Deus. Inde enim ſic concludo, Ergo Chriſtus ſeu filius Dei, non eſt iſte verus Deus; cum filius Dei non ſit Pater, nec Pater ſit filius. Hic neceſſe habent ad diſtinctionem perſonæ & individuæ eſſentiæ confugere; quæ cum pugnet cum ipſo ſenſu communi, &, ſimpliciter allata, ſit in hac diſputatione quædam principii petitio, coguntur illam ſacris teſtimoniis confirmare; quod nunquam facient. Deinde nego id, quod illi pro conceſſo ſumunt, verba, ſcilicet, illa, *Hic eſt verus Deus*, referri ad Dei filium. Non quod negem, Chriſtum eſſe verum Deum, ut alibi ſupra docui: ſed quod hic locus id non patitur, ut ſtatim demonſtrabo. Agitur enim hic non ſimpliciter de vero Deo, ſed de illo vero Deo, ut articulus in Græco appoſitus ὁ ἀληθινὸς Θεὸς aperte indicat. Chriſtus autem etſi eſt verus Deus; non tamen eſt ille verus Deus, ille, inquam, ſolus verus Deus, id eſt, ille ſolus perfectiſſima ratione Deus. Nam Pater tantum iſte Deus eſt. Nec quidquam juvat, ut verba iſta,

Hic eſt verus Deus, ad Chriſtum referantur, quod Chriſtus poſtremo nominatus fuerit. Neque enim ſemper pronomina relativa id referunt, quod propius eſt; ſed id fere, de quo præcipue agitur. Alioqui ſæpe loci ſenſus perverteretur. Nec propinquitas major efficere debet, ut de quoquam ſub pronomine relativo id cenſeatur dictum, quod illi convenire non poteſt, præſertim cum alius, quamvis non ita propinquus, nominatus fuerit, cui id, quod ſub pronomine relativo dicitur, optime conveniat. Sæpe denique (ut alibi ſupra de Prophetarum verbis in Vetere Teſtamento, utrum ad hunc, an vero ad illum, referendis diximus) non tam Grammaticales regulæ, hac in re, quam ratio ipſa attendenda eſt. Exemplo eſto locus ille apud Paulum 2 Theſ. 2. 9. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, &c.* Hic enim, ſi relativum *cujus* propinquiorem referre debet, referet omnino Dominum, ſeu, ut Latini codices habent, Dominum Jeſum; præſertim cum de ejus adventu proxime mentio facta fuerit. Et tamen, niſi prorſus inſaniiſſe & blaſphemaſſe Paulum velimus, fieri nullo modo poteſt, ut eum referat; ſed neceſſe eſt, ut referat iniquum illum paulo ante nominatum. In Epiſtola etiam ad Hebr. 5. 7. ſcriptum eſt, *Qui in diebus carnis ſuæ, &c.* Ubi nemo non videt, relativum qui non referre Melchiſedecum proxime nominatum, ſed Chriſtum; cujus nomen haud propius, quam in initio quincti verſus legitur. Exempla autem ad id, quod hic agitur accommodatiora nulla afferri poſſunt, quam hujuſmodi; ubi videlicet, relativum eſt ex pronomine Qui, quæ, quod: hujus enim pronominis relativi potiſſimum videtur eſſe proprium cum iis conjungi nominibus, eaque referre, quæ proxima ſunt. Quod tamen, ut vidimus, aliter ſe habere deprehenditur, ubi vel nomen ejus, de quo præcipue agitur, longinquius ante nominatum eſt, vel ſub pronomine iſto relativo ea dicuntur, quæ nullo pacto propius nominato convenire poſſunt. Sed ne longius abeamus, exempla ſunt in promptu apud eundem Johannem in eadem Epiſtola, adeoque in eodem capite; ubi relativa pronomina tacita aut expreſſa non propius ſed remotius nominatum referunt: idque cum de Deo, ut hic, & Chriſto agitur. Primum enim ad finem ſecundi capitis ſcriptum eſt, *Et nunc filioli manete in eo; ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.* Hic de Chriſto ſermonem eſſe, nemo, arbitror, negaverit. At illico ſequitur. *Si ſcitis quoniam juſtus eſt, ſcitote, quoniam omnis qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt.* Ubi ſine dubio tacitum pronomen relativum, ſubaudiendum ante vocem *juſtus*, non Chriſtum, ſed Deum refert, ſeu Patrem, qui, ſive expreſſo ipſius nomine, ſeu per expreſſum pronomen relativum, longinquius nominatus antea fuerat: Deum autem ſeu Patrem ab iſto tacito pronomine relativo referri, primum res ipſa monet; cum quilibet, qui juſtitiam faciat, ex iſto, quem refert, natus eſſe dicatur. Tametſi enim merito dici poteſt, quemlibet fidelem Chriſti juſtum ex ipſo Chriſto natum eſſe; tamen nec aperte ſic loqui conſuevit ſcriptura, & aliud eſt omnis, id eſt, quilibet, qui facit juſtitiam, & aliud, quilibet fidelis Chriſti juſtus. Deinde idipſum docent manifeſte, quæ ſtatim ſequuntur, verba in initio 3. cap. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur.* Præterea ejuſdem cap. 3. 2, pronomen relativum tacitum, ſubaudiendum; videlicet, in illis verbis, *Scimus, quoniam, cum apparuerit*, non refert Deum proxime & paulo ante nominatum, ſed Chriſtum, de quo remotius antea verba ſunt facta. Poſtremo, aliis quibuſdam omiſſis non ita apertis, exemplum affero ex eodem cap. unde adverſariorum teſtimonium ſumptum eſt, ℣ſ. 14. ubi ſcriptum eſt, *Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum, quia, quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Satis conſtare inter omnes exiſtimo, relativum *Eum* non Dei filium, ſed ipſum Deum ſignificare. Hic enim Johannes, ſuo more, repetit quod dixerat cap. 3, 21, 22, *fiduciam habemus ad Deum; Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam præcepta ejus cuſtodimus, &c.* Unde Eraſmus & Beza hic, pro relativo eum, nomen Deum in ſuis tranſlationibus reponere non dubitarunt. Et tamen proxime, & paulo ante ſæpius Dei filius nominatus, & de eo continua verborum ſerie actum fuerat; cum de Deo ipſo tribus verſiculis ante tantummodo verba facta fuiſſent. Quid igitur mirum, quod apud eundem ſcriptorem pronomen Hic non Jeſum Chriſtum proxime nominatum, ſed illum verum, ut Græca exemplaria habent, qui paulo ante nominatus fuit, & poſſit & debeat referre: cum de ipſo præcipue hoc loco agatur, nec uſquam alibi Jeſus Chriſtus ille verus Deus eſſe dicatur, aut quidpiam aliud, quod tantundem valeat, de ipſo aperte affirmetur? Agitur, inquam, præcipue de illo vero, qui eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti (ipſius enim filius, Jeſus Chriſtus ibidem diſerte dicitur) utpote quem filius Dei, veniens, ut cognoſceremus, effecit. Et hic dicitur eſſe ille verus Deus, atque ut ſequente, id eſt, ultimo Epiſt. 10. patet idolis opponitur Chriſtum autem ipſum per ſe idolis opponi, non invenies, ut arbitror; fortaſſe unquam: at ejus Patrem ſive Deum per ſe, ſæpiſſime; ut præter V. T. teſtimonia, quæ huic quæſtioni non ita accommodata eſſe fatemur, oſtendunt in N. T. hæc loca, Act. 14. 15, ubi Vanorum nomine Hebraica phraſi intelliguntur idola: & cap. 17. 24, ac deinceps uſque ad ℣ſ. 30. 1 Cor. 8. 4. 2 Cor. 6. 16. 1 Theſſ. 8. 9, ex quo loco apparet, illum verum Deum, qui idolis opponitur eſſe Patrem D. noſtri Jeſu Chriſti. Quod idem colligitur ex verbis ipſius Chriſti, quæ adverſarii citant Joh. 17. 3, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum.* Fatentur enim omnes, dictionem *ſolum*, propter idola præcipue appoſitam fuiſſe. Apparet igitur, nihil eſſe, cur verba illa apud Joh. in loco, de quo agitur, *Hic eſt verus Deus*, ad Chriſtum, & non potius ad Deum, ipſius Chriſti Patrem, referantur; præſertim cum plane veriſimile ſit, proxime antecedentia verba illa, *Et ſumus in illo vero* (prout totus hic locus in Græco legitur) referenda eſſe ad illum eumdem verum, cujus cognitionem nobis dedit Dei filius veniens; ut, quæ ſtatim conſequuntur, *in filio ejus, &c.*, ex Hebræorum idiotiſmo, eoque in N. T. frequentiſſimo, ita accipiantur, ac ſi ſcriptum fuiſſet, *per filium ejus, &c.* ut Eraſmus annotavit. Quod ſi quis obſtinate velit, omnino ad ipſum filium verba iſta referri debere; nihil prorſus incommodi erit, ſi verba iſta omnia uſque ad illa, *Hic eſt, &c.*, per parentheſim legantur; id quod fieri poſſe, nemo audebit negare. Fieri autem etiam debere, admodum probabile eſſe, concedet facile quiſquis contraria opinione prius occupatus non fuerit. Sed, ſive de ipſo filio verba illa dicantur; *Et ſumus in illo vero*, ſive non dicantur: ſive tota iſta orationis pars per parentheſim legatur, ſive non legatur; certiſſimum eſt, ſequentia verba, *hic eſt verus Deus*, non ad Jeſum Chriſtum, ſed ad illum verum nobis ab ipſo patefactum, & cujus filius ibidem Jeſus Chriſtus dicitur, referenda eſſe, ut ante docuimus. Quanquam in eam ſententiam facile devenio, ut, quando hujus loci omnino videtur idem ſenſus eſſe, qui eſt verborum ipſius Chriſti apud eundem Johannem Joh. 17. 5, *Hæc eſt autem vitæ æterna, &c.*, non ſolum ad Chriſti Patrem clauſula iſta, *Hic eſt verus Deus & vita æterna*, ſit referenda, ſed etiam ad Chriſtum, quatenus referri & poteſt & debet. Perinde ac ſi Johannes dixiſſet, hic habetis verum Deum, & vitam æternam. Verum quidem Deum; quia ecce habetis Chriſti Patrem, qui eſt ille ſolus verus Deus, ut ipſe Chriſtus dixit: Vitam autem æternam; quia ecce ſimul cum Chriſti Patre ipſum Chriſtum habetis. Horum enim duorum cognitione vita æterna continetur, quemadmodum idem Chriſtus affirmavit. Jam, pronomen *Hic* eandem vim habere poſſe, ac ſi *hoc* dictum fuiſſet, ita ut referatur ad totum illud, quod proxime præceſſit: maſculino tamen, non neutro genere, pronomen iſtud fuiſſe enunciatum, propter nomen *verus Deus* maſculini generis, quod

illi

li ſtatim ſubjiciebatur, & per verbum ſubſtantivum ſeu verbum *Sum, es, eſt*, cum illo conjungebatur; non ſolum infinita exempla hujuſmodi apud omnes probatos auctores docent: ſed hujus rei in ipſius Novi Teſtamenti ſcriptis exempla habemus; ut Matth. 13. 38. *Bonum verò ſemen, Hi ſunt filii regni.* Vides, ut pronomen *Hi*, quamvis neceſſe ſit, ut referat *Bonum ſemen*, tamen prolatum fuerit non neutro genere & ſingulari numero, ut neutrius generis & ſingularis numeri eſt *Bonum ſemen*, ſed genere maſculino & numero plurali; ut, ſcilicet, concordet, cum *filii regni*, quod ſtatim illi ſubjicitur, & per ſubſtantivum verbum cum illo conjungitur. Quin habes exemplum peraccommodum in illis verbis Chriſti, quæ ſenſu cum his Johannis verbis convenire diximus, *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant, &c.* Pronomen ſiquidem *hæc* refertur ad illud, *ut cognoſcant, &c.* Quapropter non feminino, ſed neutro genere, ſecundum exactiores Grammaticæ regulas, efferendum fuiſſet; & tamen feminino elatum fuit, propter nomen *vita æterna* ſtatim ſubjectum, illique per verbum *eſt* conjunctum.

Reſponſio ad XIII. Argumentum.

Decimotertio Vujekus una cum Bellarmino argumentatur ex loco Joh. 1. 1. *In principio erat verbum; & verbum erat apud Deum; & Deus erat verbum*, & ℣. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Argumentatur autem Bellarminus ex verbis iſtis nominatim tribus modis; ſed re ipſa ſunt quatuor: Ut ex Vujeki verbis clarius colligitur. Nos ſingulatim ea recenſebimus ac diluemus.

Primum argumentum ductum eſt ex voce verbum, qua hic Chriſtus appellatur, ut nos ipſi fatemur. Eſt igitur Chriſtus verbum, & quidem Dei verbum; quod ipſum nos ſimiliter fatemur. *Verbum* autem *ſeu λογος eſt mentis proles ſeu notitia & conceptus*, inquit Bellarminus. Itaque Chriſtus eſt divinæ mentis proles ſeu notitia & conceptus. Atqui in Deo (teſte etiam Ariſtotele) idem eſt intelligens, intellectus, intellectio, & ſpecies intelligibilis. Ergo Chriſtus eſt idem cum Deo, id eſt, ejuſdem numero ſubſtantiæ & naturæ. Bellarmini argumentum paulo conciſius recitavimus, cum non ſit animus multa ab ipſo, in eo exponendo minus recte dicta refutare, ſed breviter ac ſimpliciter ad ipſum argumentum reſpondere.

Itaque reſpondeo, in hoc argumento eſſe evidentem Æquivocationis fallaciam; ut ſtatim apparebit. Vox ſiquidem λογος conſueta ac frequentiſſima, præſertim in Sacris Literis (ubi Vetus Interpres verbum plerumque illam reddidit) ſignificatione, non dubium eſt, quin ſermonem ſignificet. Exemplis afferendis ſuperſedeo, nam res in confeſſo eſt, & ea paſſim ſunt obvia. Nunc dico, Chriſtum appellari λογον, ſeu verbum, id eſt, ſermonem Dei, ob eam cauſam, quod, quemadmodum per ſuum ſermonem homo potiſſimum cognoſcitur ejuſque voluntas patefit; ſic per Chriſtum Deus potiſſimum cognoſcitur ejuſque voluntas patefit. Figurata igitur & ad vulgi captum accommodata ſignificatione Chriſtus verbum Dei appellatur; ut in pleriſque aliis contingit. Quæ de Deo in ſcriptura dicuntur; non autem iſta pluſquam propria & Philoſophica, quam Bellarminus affert. Ad quam confirmandam, & eam, quam nos attulimus, labefactandam, aliud nihil à reliquis ſuis argumentis, quæ deinceps, Deo volente refellemus, diſtinctum in medium protulit, niſi, ſcriptum eſſe, verbum carnem fuiſſe factum. Quaſi vero Chriſtus non potuerit, figurata, atque adeo ea, quæ nobis probatur, ſignificatione, verbum Dei appellari, etiam pro eo tempore, quo extiterit, antequam homo naſceretur. Ut nihil hic dicam de ambigua ex Græco ejus loci lectione, *Et verbum caro factum eſt*, unde tota iſta probatio ſimul & exceptio Bellarmini pendet. Nam poſtea hac de re, quantum ſatis fuerit, explicabo.

Vidit, arbitror, Vujekus hunc defectum in Bellarmini argumentatione; eumque ſupplere voluit. Sed admodum infeliciter id tentavit. Inquit enim: *Non propter hoc ſolum* (Chriſtus) *vocatus eſt verbum, quia nobis Dei voluntatem patefecerit, vel quia per ipſum Deus Pater ad nos locutus fuerit.* (*Namque hoc illi convenit tantum ſecundum humanitatem; non autem ſecundum divinitatem: Johannis autem propoſitum fuit hoc loco ejus divinitatem deſcribere.*) *Sed potius verbum vocatus eſt propter ſuam divinitatem, &c.* Nihil inſulſius dici potuit; cum hic pro conceſſo ſumatur illud ipſum, quod in quæſtione eſt. In quæſtione ſiquidem eſt, an Chriſtus habeat iſtam divinitatem, id eſt, divinam naturam atque eſſentiam ab humana diſtinctam; ita ut, quamvis homo ſit, tamen unus etiam & idem Deus ſit cum Deo Patre ſuo. Certe enim, qui dicit, Johannis propoſitum fuiſſe hoc loco Chriſti divinitatem, nempe hanc, quam diximus, deſcribere; is neceſſario ſimul dicit & pro conceſſo ſumit, Chriſtum iſtam divinitate habere. Ad quod tamen probandum hic ipſe Johannis locus allatus fuerat. Quidquid igitur hic Vujekus ſubjicit de verbo vivo, æterno, &c, Dei Patris, & conſequenter de Dei filio, qui ex ejus corde, ut ipſe loquitur, ex ejuſque ſubſtantia ineffabili modo ab æterno generetur, quem Chriſtum eſſe affirmat, & propterea verbum à Johanne hic appellatum fuiſſe contendit; hoc, inquam, univerſum, & quidquid præterea, propter eandem appellationem, ſubjungit de ſapientia, potentia & imagine Dei, ſine qua Deus nunquam fuerit, quæ ipſe Dei filius ſit; cum, quod ad hunc locum attinet, nullum aliud fundamentum, ſi ipſa Vujeki verba inſpicias, præter hoc, habeat, quod Johanni propoſitum fuerit divinitatem Chriſti deſcribere, inani prorſus fundamento nititur, eſtque hic principii petitio nimis manifeſta. De loco Proverb. 8, quem hic commemorat, inferius videndum erit. Interim duo à Vujeko accipimus, quæ ille dat. Unum eſt, Chriſtum appellatum fuiſſe verbum, quia nobis Dei Patris voluntate patefecit perque ipſum ad nos Deus Pater locutus eſt, licet nolit propter hoc tantum ſic fuiſſe appellatum. Alterum eſt, quod iſta hujus appellationis cauſa, ſecundum humanitatem tantum; non etiam ſecundum divinitatem, Chriſto conveniat. Etenim ex his duobus neceſſario concluditur; non poſſe, ad Chriſti divinitatem, id eſt, eſſentiam divinam confirmandam, quidquam firmitudinis habere, quod Chriſtus verbum fuit appellatus: immo veriſimile ac probabile admodum eſſe, cum Johannes illum ſic appellavit, nullam rationem, quod ad eſſentiam attinet, niſi humanitatis ipſius habuiſſe. Jam vero plurima afferri poſſent ad ſententiam noſtram confirmandam, cur Chriſtus à Johanne appellatus fuerit verbum, nempe, Dei, ut expreſſum eſt ab eodem ſcriptore in Apoc. 19. 13. *Et vocatur nomen ejus verbum Dei.* Qui locus, & quæ verba indicant, hanc eſſe appellationem ipſi Jeſu Chriſto tributam, toti, inquam, illi ſuppoſito merito accommodatam; non autem, in eo eſſe ſubſtantiam quandam, quæ etiam citra & ante totum illud ſuppoſitum, & ſic citra & ante ipſius humanitatem, ſemper ſit ac fuerit revera & eſſentialiter neſcio quod verbum Dei. Poſſent, ut dixi, plurima afferri ad ſententiam noſtram confirmandam. Sed quia & res ſatis per ſe manifeſta eſt, & ab adverſariis ipſis agnita & conceſſa, niſi quod huic certiſſimæ cauſæ iſtius appellationis Chriſto tributæ aliam incertiſſimam addere volunt: ac præterea quia ad ipſorum argumentum diluendum ſatis eſſe videtur, demonſtraſſe, Chriſtum aliam ob cauſam, quam ea eſt, qua argumentum nititur, jure Dei verbum appellari potuiſſe; propterea pauciſſimis contenti erimus.

Conſideret igitur primum unuſquiſque, an non videatur omnino Euangeliſta voluiſſe explicare, cur Chriſtum verbum appellaſſet, cum, poſtquam expreſſiſſet ℣. 17; iſtud verbum aliud nihil eſſe, quam Jeſum Chriſtum, pro verbo, videlicet, aperte Jeſum Chriſtum reponens, ſtatim ℣. 18. ſubjunxit, *Deum nemo*

vidit unquam; Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Deinde meminerit lector, ejus loci, qui apud eundem ſcriptorem eſt, omnium conſenſu huic plane ſimilis ac reſpondentis in initio primæ ipſius Epiſtolæ, *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectaverunt, de Verbo vitæ*, &c. Chriſtum (ut quidem plerique ſentiunt, & nominatim Vujekus inf. pag. 97.) quem in Euangelio appellaverat ſimpliciter Verbum, hic appellat Verbum vitæ; id quod tamen in Euangelio quoque inſinuaverat, cum in iſto Verbo vitam fuiſſe dixerat. Verum quænam eſt hæc vita? Æterna nimirum, ut hic ſeq. verſiculo ſtatim docet atque explicat, inquiens, *Et vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et infra cap. 5. 11. ait, *Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus eſt.* Jeſus Chriſtus igitur ejuſmodi Verbum dicitur, in quo ſit æterna vita, ſeu quod vitæ æternæ verbum ſit. Nempe, quia ipſe nobis vitam æternam Euangelio ſuo annunciavit ac promiſit; ut in hac eadem epiſt. cap. 2. 25. dicitur, *Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.* Et Paulus ad Tim. ſcribens ait de Chriſto 2 Tim. 1. 10, *qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Euangelium.* Hoc autem idem eſt cum eo, quod Chriſtus Dei Verbum appelletur, quia Dei voluntatem nobis patefaciat. Dei enim voluntas eſt, ut habeamus vitam æternam, ea ratione, quæ in Chriſti Euangelio præſcripta eſt: quemadmodum ipſe Chriſtus teſtatur Joh. 6. 40. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Et hæc ſatis ſint pro confirmatione ſententiæ noſtræ hoc in loco circa cauſſam cur Chriſtus Verbum appellatus fuerit.

Nam quod Bellarminus ſatis obſcure contendit, propterea non poſſe Verbi nomen ad Jeſum Chriſtum hominem ſimpliciter accommodari, quia Euangeliſta dicat, Verbum factum fuiſſe carnem; Reſpondemus, verbum Græcum, quod Latine redditum fuit, Factum eſt, eſſe ἐγένετο quod non minus Fuit, quam Factum eſt, ſignificat: debuiſſeque locum verti, *Et Verbum caro fuit*, non autem, *Et Verbum caro factum eſt*; quemadmodum ordo ipſe verborum Johannis poſtulat. Qui abſurde diceret, Verbum carnem eſſe factum, id eſt, ut Adverſarii volunt, naturam humanam aſſumpſiſſe, poſteaquam de ipſo ea dixiſſet, quæ poſt Chriſtum hominem natum extiterunt. Sed non abſurde poſt iſta omnia de eo dicta, ſub Verbi appellatione, de homine, qui aliquando mortalis fuit, ſe loqui declaravit, dicens, iſtud Verbum fuiſſe carnem. Hinc patet reſponſio ad id, quod huic interpretationi Bellarminus * objicit, inquiens, ſi Eſſe, non Fieri, ſignificare voluiſſet Johannes, dicturum fuiſſe ἐγένετο, vel γίνεται, id eſt, Erat, vel Eſt: non autem ἐγένετο, id eſt, fuit. Quia *Chriſtus*, inquit, *eſt etiam nunc caro.* Nihil minus verum dici potuit; cum, ut, modo innuimus, Caro hominem mortalem ſignificet. Hinc Paulus 1 Cor. 15. 50, *caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt; nec corruptio incorruptelam poſſidebit.* Creditur quidem paſſim Chriſtum in cælum tranſlatum habere carnem; ſed, ipſum adhuc eſſe carnem, nemo pius vel cogitare, vel audire ſine horrore poteſt.

Secundum argumentum, quod ex iſto Euangelii Johannis initio ducitur, à Bellarmino tantummodo indicatum, à Vujeko vero aliquanto clarius expoſitum eo nititur, quod Verbum iſtud dicitur fuiſſe in principio apud Deum. Hoc autem, inquiunt, idem eſt quod Ante omnem rem creatam. Et conſequenter Verbum iſtud, id eſt, Dei filius, qui Chriſtus dictus eſt, non eſt res creata; & ſic neceſſario eſt ipſe Deus.

Reſpondeo, hæc verba, *In principio*, ſeu Græce, ἐν ἀρχῇ nequaquam per ſe ſignificare Ante omnem rem creatam, ſed initium aliquod, idque pro ſubjecta materia, varium ac diverſum; ut omnia Sacra Teſtimonia in quibus iſta duo verba abſolute, ut hic, poſita leguntur manifeſte docent. Vide autem inter cætera hæc loca, Eſa. 52. 4 LXX. 9. Dan. 8. 1. ac denique Act. 11. 15. ubi Græce ἐν ἀρχῇ, ſcriptum invenies. Cum igitur ſubjecta materia hic ſit Euangelium; nulli dubium eſſe poteſt, quin hoc loco *In principio*, Euangelii initium ſignificet; ac ſi ſcriptum fuiſſet, *In principio Euangelii.* Semper enim in hujuſmodi locis aliquid ſubaudiendum eſt, ad quod vox Principii referatur. Quare quod ait Vujekus, nimis turpe Anabaptiſtarum ſophiſma eſſe, ita Johannis verba interpretari, ac ſi dixiſſet, Verbum, id eſt, Chriſtum fuiſſe in initio officii ſui: *Nam quis*, inquit, *eſt qui neſciat, unumquemque eo tempore eſſe, quo aliquid facit?* Hæc, inquam, Vujeki reprehenſio nihil pertinet ad interpretationem, quam nos attulimus; quam tamen credimus apud noſtros homines, quos ille, ut alibi diximus, ſimplici Anabaptiſtarum nomine appellare ſolet, omnibus aliis receptiorem eſſe. Aliud eſt enim principio Euangelii, & aliud, In initio officii ſui; undecumque tandem Euangelii initium ſumatur. Neque enim Johannes, cum ſcribere aggreſſus eſt, pro conceſſo ſumpſit, Jeſum Chriſtum eſſe primum Euangelii auctorem. Immo, antequam aliud faciat, id docere inſtituit; idque præcipue propter Johannem Baptiſtam. Cujus tanta in populo fuerat exiſtimatio, ut multi ei tribuerent illa, quæ propria Jeſu Chriſti erant. Propterea diſerte monet, Baptiſtam, quamvis, videlicet, tempore Jeſu Chriſto priorem, non tamen fuiſſe lucem illam vitalem: quin potius veniſſe, ut de luce iſta teſtaretur; quæ, nimirum, Jeſus Chriſtus erat. Euangelii porro principium nihilominus à prædicatione Johannis Baptiſtæ ſumitur; ut ipſa prima Marci Euangeliſtæ verba docere poſſunt: *Initium Euangelii Jeſu Chriſti filii Dei; ſicut ſcriptum eſt in Prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto*, &c. Mens igitur Johannis fuit docere, Jeſum Chriſtum, quem, ob ſuperius dictam cauſſam, Verbum nominat, jam tum, cum Baptiſta prædicare cœpit, fuiſſe à Deo huic muneri voluntatem ſuam patefaciendi deſtinatum, & jam reipſa ad id ſingulariter electum; adeo ut Johannes Baptiſta, ipſo, ut tempore patefactionis ſuæ, aliquanto ſuperior, ſic dignitate multo inferior eſſet: immo ſua prædictione illi inſerviret, & tanquam acceſſorium quiddam (ut ſic dixerim) ipſius Jeſu Chriſti eſſet. Idcirco, ſummatim dicto, quod de Jeſu Chriſto in ſuam hiſtoriam Euangelicam ſibi quodammodo præfandum cenſuit; ſtatim ſubjecit Joh. 1. 15: *Johannes teſtimonium perhibet de ipſo: & clamat, dicens, Hic erat, quem dixi; qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia potior me erat.* Quibus verbis Johannes Baptiſta docere voluit, Jeſum Chriſtum, quem ipſe tempore anteceſſerat, ſibi in Dei, ut ita dicam, intentione præceſſiſſe, utpote digniorem ac præſtantiorem, & qui ſuæ prædicationis proximus finis eſſet. Non extitit igitur Chriſtus poſt Baptiſtam, tanquam is, qui in ſuo munere eum conſequeretur, quive ab ipſo penderet; ſed contra Baptiſta Chriſtum conſequebatur, & ab ipſo pendebat; utpote cui, ad Euangelium primitus publicandum electo, præcurſor datus fuiſſet. Itaque Chriſtus Jeſus, quatenus Dei Verbum eſt, in ipſo Euangelii initio fuit; ſed tamen non apud homines, cum nondum ipſe prædicare cœpiſſet, ſed apud Deum. Legimus enim, illum ipſi Johanni Baptiſtæ, qui ad præparandam viam ante faciem ipſius miſſus fuerat, & à cujus prædicatione, ut ex Marco oſtendimus, initium Euangelii ſumitur, aliquando fuiſſe ignotum, Joh. 1. 30, 33. Merito igitur ait Euangeliſta noſter, *In principio erat Verbum; & Verbum erat apud Deum*; etiamſi de exiſtentia Chriſti Jeſu (qui ſine dubio iſtud Verbum eſt) ante omnem rem creatam, nihil, cum illa ſcriberet, vel cogitaverit, vel etiam cogitare potuerit.

Tertium argumentum, quod ſecundum eſt apud Bellarminum, ex eo ſumitur, quod in citatis Euangeliſtæ verbis Chriſtus ſeu Verbum vocatur Deus, *Et Deus erat*

* Tom. 1. col. 309. D.

erat Verbum. Nam Joannes, inquit Bellarminus, *in toto illo fere cap. ſemper repetit initio ſequentis ſententiæ id, quod poſuerat in fine præcedentis.* In principio, *inquit*, erat Verbum; *deinde ſubjungit*: Et verbum erat apud Deum. *Ubi vides, idem nomen poni in fine primæ ſententiæ, & initio ſecundæ. Sic etiam quia in ſecunda dixerat*: Et Verbum erat apud Deum; *in tertia dicit*: Et Deus erat Verbum. *Ubi idem Deus eſſe dicitur, & is apud quem erat Verbum; & is, qui erat ipſum Verbum. Id ipſum obſervare licet in ſequentibus*: In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, &c. Hactenus verba Bellarmini, quæ neſcio cur Vujekus omiſerit; cum multa alia non omittat, quæ minus vel veritatis vel acuminis habere videntur.

Reſpondeo, conjecturam iſtam ex eo ductam, quod Euangeliſta, non quidem in toto fere illo cap. ut parum conſiderate ait Bellarminus, ſed in bona parte illius quaſi procœmii & argumenti operis ſui, facere conſueverit, non tanti eſſe debere, ut ipſum Euangeliſtam abſurda & falſa dicentem faciamus. Quid autem abſurdius aut magis falſum dici poteſt, quam eundem eſſe eum, qui eſt apud aliquem, & eum, apud quem iſte eſt? Certe enim, ſi, cum Johannes dicit, *Et Deus erat Verbum*, voce Deus eum Deum ſignificat, apud quem, proxime dixerat, Verbum fuiſſe; Sequitur omnino, illum Deum, apud quem erat Verbum, & ipſum Verbum, quod apud illum erat, eundem eſſe; utrumcunque tandem nomen in verbis iſtis, *Et Deus erat Verbum*, ſubjecti aut prædicati locum teneat. Confugere, ut hic Bellarminus cum ſuis neceſſe habet, ad diſtinctionem unius numero eſſentiæ, & perſonæ, eſt vaniſſimum effugium; cum diſtinctio iſta non minus falſa & abſurda ſit, quam illud ipſum, quod, ejus ope, nec falſum nec abſurdum eſſe, probare intenditur; quemadmodum alibi ſupra oſtendimus, docentes, eam (ut loquuntur) implicare contradictionem. Itaque nos merito ex hoc ipſo Johannis loco colligimus, nullo pacto fieri poſſe, ut Verbum ſeu Chriſtus Dei filius ſit ille unus Deus; cum ſatis aperte hic dicatur, eum fuiſſe apud illum unum Deum. Articulus enim appoſitus in Græco voci Θεὸν, id eſt, Deum, in illis verbis, *Et verbum erat apud Deum*, id plane demonſtrat. Præterea, ut Euangeliſta iſtum ſuum morem, quem Bellarminus obſervavit, repetendi in initio ſequentis ſententiæ id, quod poſuit in fine præcedentis, hic quoque ſervaſſe dici poſſit; ſatis eſſe videtur, ſi, quemadmodum ipſe Bellarminus poſtea loquitur, idem nomen poſuerit in initio tertiæ ſententiæ, quod poſuit in fine ſecundæ, etiamſi diverſa ſignificatione. Etenim ſimile omnino quiddam eum feciſſe in illis verbis, quæ inferius legunrur, *Mundus per ipſum factus eſt; & Mundus eum non cognovit*, neceſſe eſt, ut Bellarminus fateatur, qui una cum pleriſque aliis vult, Mundum, qui per Verbum, id eſt, Chriſtum factus hic dicitur, eſſe ſubſtantiam cœli & terræ. Nam certe Mundus, qui Chriſtum non cognoviſſe ſimiliter hic dicitur, non eſt ſubſtantia cœli & terræ; ut poſtmodum apertius explicabimus. Ubi Bellarminum ſibi ipſi contradicentem oſtendemus, ac tacite concedentem, non minus diverſo ſenſu accipi in prædictis verbis vocem Mundi in ſequente ſententia ab eo, quo accipitur in præcedente, quam ſit diverſus is ſenſus, quo nos volumus vocem Deus accipi debere in præcedente ſententia illa, *Et verbum erat apud Deum*, ab eo, quo accipienda ſit in ſequente ſententia, *Et Deus erat Verbum*. Et ſane, ſi mens Johannis fuiſſet, ut in eundem ſenſum vox Deus utrobique acciperetur, articulum ei voci non minus in ſequente, quam in præcedente ſententia appoſuiſſet. Immo ſolet Græca lingua, cum aliquod nomen eodem ſenſu vult repetere articulum ei in repetendo apponere, quamvis antea appoſitus non fuerit; tantum abeſt, ut antea appoſitum, in repetendo deinde ommittat. Ut hic paulo inferius, cum Johannes prius dixiſſet, *In ipſo vita erat*, nullo nomini Vitæ articulo appoſito, poſtea ſubjungens, *Et vita erat Lux hominum*, articulum ei appoſuit, nempe ut intelligeretur, eum de illa vita jam nominata loqui; habente articulo eandem vim, ac ſi dixiſſet, *Et hæc vita erat lux hominum.* Atque hoc ipſum idem Euangeliſta alibi facit in ipſo Dei nomine, de quo hic agitur. Cap. enim 13. 3. cum dixiſſet, *& quia à Deo exivit*, ſine articulo, ſtatim ſubjiciens, *Et ad Deum vadit*, nomini *Deum* addidit articulum. Nimirum, ut apertius, de eodem Deo ſe poſtea loqui, de quo antea locutus erat, nobis indicaret.

At enim ajunt non pauci, propter duas cauſſas non fuiſſe in loco noſtro additum articulum ſecundo loco voci Dei; primum, ut indicaretur diſtinctio perſonarum Patris, & Filii: deinde, ut appareret Dei nomen ſecundo loco poſitum, eſſe prædicatum, & vocem Verbum, cui appoſitus eſt articulus, ſubjectum. Reſpondeo, diſtinctionem apertiſſimam perſonarum Patris, & Filii jam ab Euangeliſta fuiſſe factam, cum dixit, hunc fuiſſe apud illum. Præterea dico, articulum voci Deus appoſitum vel non appoſitum, ex ipſa ſententia Adverſariorum, aut nullam vim habere, aut non perſonas tantum, ſed ſimul naturas quoque diſtinguere. Quandoquidem ipſe Deus Pater ſæpe ſine articulo ſimpliciter nominatur; & contra, Filium cum articulo, tametſi egregie falluntur, Deum aliquando nominari contendunt Adverſarii, ut in loco 1. epiſt. Joh. quem ſupra examinavimus, *Hic eſt verus Deus*, &c. & ad Tit. cap. 2. (de quo loco inferius agemus) *adventum gloriæ magni Dei*, quemadmodum hic Bellarminus * notat. Qui neſcio, quid ſibi velit, quando hinc concludit, nihil referre in diſputatione noſtra, quod Johannes ſecundo loco articulum non addiderit. Nihil refert quidem, ſi ita res ſe habet, ut Filius ſit idem cum Patre Deus, ad diſtinctionem inter Patrem & Filium. Sed refert tamen ad ſtatuendum, utrum ſecundo loco de eodem Deo agatur, ut inde concludi poſſit, Filium eſſe eundem Deum cum Patre. Cum certum ſit alioqui, nomen Dei ſine articulo, cum locum prædicati obtinet, non modo ſummo illi Deo, ſed etiam ejus creaturis aliquando in Sacris Literis tribui, ut ſupra alicubi indicatum eſt, & infra clarius demonſtrabitur. Nam hic ſecundo loco nomen Deus prædicati locum obtinere, & ab iſtis; quibus nunc reſpondemus, ut ex altera cauſſa, quam mox refellemus, patet, & à pleriſque aliis conſtanter aſſeritur. Quanquam ſatis eſt ſi id ita eſſe poſſit; quod nemo unquam negabit.

Ad alteram cauſſam diſtinguendi prædicatum à ſubjecto, Reſpondeo, eam non tanti eſſe, ut non potius cavendum fuiſſet, ne quis putaret, non de eodem Deo utrobique agi. Deinde, cum certum ſit, nomen Deus ſine articulo admodum frequenter ſubjecti loco eſſe, nomen autem Verbum, cum Chriſtum ſignificat, ſive prædicatum ſit ſive ſubjectum, ſine articulo eſſe nequeat; eadem dubitatio manet, utrum nomen Deus, an Verbum ſit ſubjectum, vel prædicatum. Adde, quod, utrocumque modo res ſe habeat, ſi utrique nomini appoſitus fuiſſet articulus, idem ſenſus reipſa emerſiſſet. Nam ſive Johannes dixiſſet illud Verbum fuiſſe illum Deum, ſive illum Deum fuiſſe illud Verbum; hinc certum eſſet, illud verbum ipſam illius Dei naturam habere. Bellarminus certe, qui hoc ipſum ex his Johannis verbis, *Et Deus erat Verbum*, vult concludere, *Deus* facit ſubjectum, Verbum vero, prædicatum; quamvis ſi, ut alii volunt, contra fiat, nihil referre oſtendat.

Quartum argumentum, quod eſt Bellarmini tertium, ſumitur ex eo, quod omnia per hoc Verbum facta dicuntur. *Hinc enim ſequitur* (ait cum Auguſtino Bellarminus) *Verbum non eſſe factum, & proinde non eſſe creaturam, & proinde eſſe unum Deum cum Patre. Nihil enim eſt, niſi Deus & creaturæ ejus.*

Reſpondeo tripliciter. Primum nego, valere hanc conſequentiam, Verbum non eſt factum; Ergo non eſt creatura. Tametſi enim Facere & Creare in Sacris Literis confundi videntur, cum ad Deum utrumque

* Tom. 1. col. 316. B.

refertur; tamen communis opinio Theologorum eſt, Creare proprie eſſe, ex nihilo condere, Facere vero, ex præexiſtente materia. Et certe ſi, ut omnes ſentire videntur, Dei ejuſque ſolius eſt ex nihilo condere: cum certum ſit, verbum Creandi in Sacris Literis de ſolo Deo aliquid condente uſurpari; nihil veriſimilius eſt, quam Creare proprie eſſe, ex nihilo condere. Quemadmodum ex altera parte, cum faciendi verbum non de Deo tantum, ſed de creaturis quoque aliquid condentibus uſurpetur; videtur omnino concludendum, Facere proprie eſſe, ex præexiſtente materia condere ſeu formare. Arriani quidem facile Homouſianis concedunt, Verbum non eſſe factum; creatum tamen eſſe contendunt. Quare hæc argumentatio, à non facto ad non creatum, nihil firmitatis habet.

Secundo loco reſpondeo, negans, ex eo, quod ſcriptum ſit, omnia per Verbum eſſe facta, colligi debere, ipſum Verbum non eſſe factum, etiamſi vox Omnia univerſe plane accipienda fuerit. Semper enim in iſtiuſmodi locutionibus, quantumvis univerſalibus, excipitur is, de quo ipſa univerſalis enunciatio affertur. Jam non aliter, ex eo, quod per Verbum omnia ſint facta, quæ, videlicet, facta ſunt, colligi poteſt, ipſum Verbum non eſſe factum, niſi quia abſurdum atque adeo impoſſibile ſit, Verbum per ſeipſum factum fuiſſe. Atqui, ſi nomine Omnium, quæ ſunt facta, hoc in loco Verbum ipſum, per quod facta dicuntur, etiamſi factum & ipſum ſit, comprehendi non debet; corruit funditus argumentatio iſta. Regulam certe, quam nos modo diximus, de univerſalibus iſtiuſmodi locutionibus veram eſſe, concedet quiſquis & loquendi uſus, & ipſarum divinarum litterarum moris peritus fuerit. Nobis ſatis eſt, ad vim argumenti retundendam, vel unicum exemplum ex Sacris Literis petitum proferre, ubi in ejuſmodi prorſus locutione univerſali is excipiendus ſit, de quo ipſa univerſalis enunciatio effertur. Eſt id autem in promptu, atque adeo in hoc ipſo Euangeliſtæ ſermone, quatuor tantum poſt verſiculis, cum ait: *Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Nam ſi ita verum eſt, Johannem Baptiſtam veniſſe ad teſtificandum de Chriſto, quo omnes per ipſum Johannem in Chriſtum crederent, ut nemo prorſus excipiatur, ſequitur omnino, Johannem in Chriſtum non credidiſſe, niſi velimus, illum per ſeipſum credidiſſe; quod abſurdiſſimum eſt; non minus, quam ſequatur, Verbum non eſſe factum, niſi velimus, illud per ſeipſum factum fuiſſe, ſi, cum per ipſum omnia dicuntur facta, quæ, ſcilicet, facta ſunt, nihil omnino hinc excipiendum eſt. Verum, quemadmodum apertum eſt, vocem Omnes, quantumvis univerſe alioqui accipiendam, ipſum Johannem non comprehendere, ſic non minus certum eſt, vocem Omnia, ipſum Verbum non comprehendere: & non minus hic Verbum, quam ibi Johannem, excipiendum eſſe, etiamſi alioqui vox Omnia plane univerſe accipienda eſſet.

Sed tertio loco reſpondeo, vocem Omnia non prorſus univerſe accipiendum eſſe, ſed ad ſubjectam materiam reſtringuendam; quemadmodum frequentiſſime, in novi præſertim fœderis ſcriptis, uſu venit. Subjecta autem materia eſt, ut antea diximus, Euangelium ſeu novum ipſum fœdus, quod cum hominibus Deus pepigit. Senſus igitur verborum Johannis eſt, omnia, quæ jam facta eſſent, cum ipſe ſcriberet, ad Euangelium & ad novum fœdus pertinentia, per verbum, id eſt, per Chriſtum facta fuiſſe. Addit autem verba illa, *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, triplici de cauſſa. Primum, ut declararet, quod dixerat, per Verbum facta eſſe omnia, non ita accipiendum eſſe, quaſi omnium, quæ facta fuiſſent, ad Euangelium pertinentium, Chriſtus proxima & immediata inſtrumentalis cauſſa fuiſſet. Multorum enim ejuſmodi eorumque maximorum, non ipſe Chriſtus, ſed ejus Apoſtoli proxima & immediata inſtrumentalis cauſſa fuerant; per quos, videlicet, Chriſtus ea fecerat. Unde Paulus Rom. 15. 18. *Non enim audeo aliqui id loqui eorum, quæ per me non effecerit Chriſtus in obedientiam Gentium verbo & factis.* Propterea Johannes pro eo, quod prius dixerat, *Omnia per ipſum*, poſtea dixit, *Sine ipſo nihil.* Ut ſciremus, Chriſtum quidem, Dei reſpectu, horum omnium mediam cauſſam fuiſſe: ſed tamen, reſpectu noſtri, non ita mediam, quin aliæ infra ipſum mediæ cauſſæ inſtrumentales interveneriſent, per quas multa facta merito dici poſſint; quamvis non ſine ipſo; quippe à quo munus & poteſtatem atque adeo efficaciam, à Deo per ipſum in illos proficiſcentem, iſta faciendi habuiſſent. Altera cauſſa, cur Johannes iſta verba addiderit, eſt, ut ex illis omnibus, de quibus ipſe loquebatur, nihil prorſus excipiendum doceret, quantumvis minimum aut maximum; quippe qui nobis perſuaſiſſimum eſſe vellet, Chriſtum etiam poſtquam in cælum aſcendit, immo potiſſimum & maxime poſt ſuum in cælum aſcenſum, omnium, quæ quocumque modo ad ipſius eccleſiam pertinent, ſine ulla penitus exceptione, curam gerere, & cuncta pro ſuo arbitratu regere ac moderari. Tertia cauſſa pertinet privatim ad verba illa, *quod factum eſt*; quibus declarare voluit, quæ eſſent iſta omnia, quæ per Verbum facta eſſe dixerat, ſi quis eſſet, quem ſubjecta Euangelii materia non moneret, quænam iſta eſſent. Videlicet, non quidem omnia, quæ eſſent aut unquam fuiſſent, ſed quæ facta eſſent; nuper, ſcilicet, ac recens, inuſitata nimirum & mirabilia atque divina. Nam Paulus quoque ſimplici eorum, quæ facta eſſent, nomine, iſta, nec alia intellexit, in illis verbis Rom. 1. 20. *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Senſus enim illius Paulini loci ab interpretibus & explanatoribus, præterquam à vetere Latino interprete, omnibus, quos ego quidem legerim, depravati, eſt ſempiternam virtutem ac divinitatem Dei quæ poſtquam mundus creatus erat, conſpectæ non fuerant, per mirabilia, ad Euangelii prædicationem confirmandam, in eaque promovenda divinitus patrata opera, intellectas & intelligendo conſpectas fuiſſe. Continet ſiquidem Euangelii prædicatio eam Dei ſempiternam virtutem ac divinitatem antea Mundo non conſpectam, de qua ibi Apoſtolus loquitur: id eſt, Dei ſempiternum decretum de hominibus beata immortalitate afficiendis, quotquot in Chriſtum crediderint. Eſt enim, ut idem Apoſtolus Paulo ante affirmaverat, Euangelium virtus Dei in ſalutem omni credenti: itemque in æternum duraturæ divinæ voluntatis in iis, quæ ad ipſius Dei cultum pertinent, non adumbrata oſtenſio quædam, ſed ſolida pateſactio. Nam, ut ſimiliter idem Apoſtolus Col. 2. 9. ait, in Chriſto, hoc eſt, in Euangelio & doctrina ipſius, habitat omnis plenitudo Deitatis (idem autem eſt Deitas, quod Divinitas) corporaliter. Quod ſolidam ac perfectam Dei colendi rationem ſignificare, docent apertiſſime verba antecedentia per aliquot verſiculos. Jam, quam nos Paulini ad Rom. loci explicationem attulimus, ipſius verbis, ut jacent ac ſonant, & à vetere interprete, quod ad ordinem & ſonum attinet, fideliter fuerunt expreſſa, prorſus conſentaneam eſſe, nemo tandem non eſt agniturus, & reliquos omnes, ut ſperamus, reprehenſurus, qui vel ipſorum verborum ordinem pervertere ſunt auſi, vel præpoſitionem A in illis verbis *à creatura*, id eſt, creatione *mundi* in Ex tranſformarunt; cum tamen Græce ſit ἐκ, quod non Ex ſed A ſignificat: & non à verbo *conſpiciuntur*, quod inferius legitur, ſed à nomine *inviſibilia* quod ſupra proxime ſcriptum eſt, omnino pendet: locutione perſimili ejus, quæ habetur Mat. 13. 35. *abſcondita à conſtitutione mundi.* Tantum in eo reprehendendus vetus interpres videtur, quod dictionem *quoque* uſurpavit, ubi & reponendum erat, & dicendum non *ſempiterna quoque* &c. ſed, *& ſempiterna ejus virtus, & divinitas.* Sed jam ad rem noſtram redeamus.

Poterit igitur, ni fallor, Bellarminus, videre, quævis reſtringendi ſit in illis verbis, *quod factum eſt*; quam

quam etſi, ut arbitror, Miniſtri Tranſylvani recte intellexerunt; eam tamen, fateor, minus recte verbis expreſſerunt, & Bellarmino occaſionem eam ſubſanandi dederunt. Sed certe non minori ritu digna eſt vis illa reſtringendi, quam Bellarminus * verbis iſtis ineſſe vult: ut, ſcilicet, ab omnibus per Verbum factis Spiritum S. excludant: quippe qui factus non ſit. Sed non eſt nunc illam exagitandi ulla neceſſitas; præſertim, cum Bellarminus ipſe, animadvertens, ut veriſimile eſt, quam interpretatio iſta inſulſa videri poſſit, & interim ſentiens, aliquid myſterii, quod ſuæ & ſuorum ſententiæ de omnibus univerſe prorſus per Chriſtum factis parum conduceret, in verbis iſtis ineſſe, ſi conjungantur cum ſuperioribus; non veritus eſt affirmare, lectionem illam probabiliorem eſſe, quam ſequitur Auguſtinus; ut, ſcilicet, conjungantur cum ſequentibus, &, facto ab ipſis ſequentis periodi initio, legatur, Quod factum eſt, in ipſo vita erat, &c. Qua lectione, quicumque tandem illam approbaverint, nihil ineptius, in hoc quidem genere, excogitari poſſe exiſtimo. Poterit ſimiliter idem Bellarminus videre, ut oſtendatur, verba iſta Johannis, *Omnia per ipſum facta ſunt*, nequaquam de prima creatione omnium rerum accipi debere; nihil neceſſe eſſe ea ita interpretari, ac ſi dictum fuiſſet, *Omnia per ipſum ſunt renovata*; Sed verbi *facta ſunt* maxime propria & uſitatiſſima ſignificatione ſervata, ſatis eſſe vocem Omnia ad ſubjectam materiam reſtringere & accommodare. Quod, ut diximus, frequentiſſime in ipſis Novi Fœderis ſcriptis fieri neceſſe eſt; adeo ut merito affirmari poſſit, ſemper, ubi alioqui non conſtet, vocem iſtam prorſus univerſe accipiendam eſſe, eam ad ſubjectam materiam eſſe reſtringendam. Et quanquam exempla hujus reſtrictionis paſſim extant; quædam tamen loca ex iis, quæ alibi à noſtris hominibus, ut in Diſput. adverſus Andream Volanum, ſunt notata, hic annotare libuit: Mat. 17. 11. Marc. 13. 23. Luc. 11. 41 Joh. 4 25. XIV. 26. XIX. 28. Act. 2. 44. Rom. 14. 2. 1 Cor. 2. 15. Gal. 3. 22. 2 Tim. 2. 10. Tit. 1. 15. 2 Pet. 3. 4. Apoc. 21. 5. In quibus omnibus locis in Græco eſt vox *πάντα*, id eſt, Omnia ſine articulo, ut in loco, de quo hic controverſamur; ne quis cauſſetur, propter articulum appoſitum poſſe reſtringi vocem univerſalem, & ſignificari certa quædam omnia: ſed ubi appoſitus non ſit, reſtrictionem iſtam fieri non poſſe.

Vujekus hic nihil addit ad confirmandum, quod hoc loco dicatur, per Chriſtum omnia prorſus facta fuiſſe, id eſt, cœlum, & terram, & omnia quæ in eis ſunt; licet id conſtanter affirmet. Niſi quod meminit loci Coloſſ. 1. 16. de quo mox in ſeq. argumenti examinatione videndum erit. Sed Bellarminus, ad id confirmandum, affert verba, quæ paulo inferius Johannes de Verbo, id eſt, Chriſto ſcripſit; quæ dicit loci noſtri eſſe explicationem; illa, videlicet: *In mundo erat; & mundus per ipſum factus eſt; & mundus eum non cognovit. Hic enim*, inquit, *habemus eum mundum factum eſſe per Chriſtum, qui Chriſtum non cognovit. At ſi effectio mundi non eſſet creatio ſed renovatio, falſum eſſet illud: Mundus eum non cognovit, cum renovatio fiat per fidem & cognitionem Chriſti.* Hæc ille.

Reſpondeo, hoc eſſe, Novum Teſtimonium, novumque ex eo argumentum afferre, non autem explicationem ſuperioris teſtimonii. Quid enim vetat quominus diverſa de re utrobique agatur, & in priore teſtimonio nihil dicatur de Mundi creatione, etiamſi in poſteriore de ea ageretur? Immo veriſimile eſt, ſi in poſteriore de ea agitur, in priore, alia de re actum fuiſſe. Deinde dico, prioris teſtimonii verba non ita à me accipi, ac ſi Johannes dixiſſet, *Omnia per ipſum renovata ſunt*; quaſi fatear, ibi de Mundo quidem, per vocem Omnia ſignificato, verba fieri: ſed tamen non quatenus creatus, ſed quatenus renovatus fuit. Non ſic, inquam, à me accipiuntur verba Joh. ſed, ut jam dictum eſt, verbum *facta ſunt* proprie accipio; vocem autem Omnia non quidem Mundum, ſed omnia mirabilia ac divina opera ad N. Fœdus pertinentia ſignificare ajo. Itaque, ſi de renovatione tamen Mundi in verbis iſtis mentionem fieri conceſſero; hoc, quod attinet ad ipſa Johannis verba, ut à me accipiuntur, ex accidente erit. Nempe quia accidit, ut per iſta quæ dixi, mirabilia ac divina opera Mundus renovatus fuerit. Nec fortaſſe aliter ſenſerunt ii ex noſtris, contra quos Bellarminus hoc loco diſputat.

Reſtat igitur videndum, an ex hoc altero loco Bellarminus evincat, non quidem, ſuperiorem ex ipſius ſententia explicandum eſſe, ſed, quidquid de ſuperioris loci explicatione ſtatuendum ſit, mundum tamen hunc ipſum, quem videmus, & in quo habitamus, proprie loquendo, factum ſeu creatum à Chriſto fuiſſe. Arbitratur ipſe, id plane ex hoc loco evinci, quia in eo dicatur, eum mundum factum eſſe per Chriſtum, qui Chriſtum non cognovit. Reſpondeo primum, ex ipſius Bellarmini verbis, quæ paulo inferius ſcribit, conſtare, ipſum velle, non eundem eſſe mundum illum, qui factus hic dicitur per Chriſtum, cum eo, qui Chriſtum non cognoviſſe, hic ſimiliter affirmatur Ubi mirabilis apparet Bellarmini inconſtantia, & ipſius verborum contradictio. Ejus paulo inferius ſcripta verba ſunt hæc, *Mundus in Scripturis, aut ſignificat ſubſtantiam cœli & terræ, ut Eccl. 3.* Mundum tradidit diſputationi eorum. *Aut homines impios dilectores mundi: Joan. 12.* Princeps hujus mundi ejicietur foras: *Joan. 17.* Pro his rogo, non pro mundo; *Ergo cum dicitur*: Mundus per ipſum factus eſt, *vel ſignificatur ſubſtantia cœli & terræ, ut exponunt omnes Patres. Vel ſenſus erit, per Chriſtum factos eſſe homines impios, quæ eſt ingens blaſphemia, accipiendo enim mundum pro impiis, Chriſtus non facit, ſed deſtruit mundum, ut faciat novam creaturam.* Nihil hic dico de hac manca prorſus & imperfecta vocis Mundus in Scripturis uſus, Bellarmini declaratione & diſtinctione. Nam paulo poſt aliquid huc pertinens explicandum erit. Sed ut, quod affirmavi de ipſius Bellarmini ejuſque verborum inconſtantia & contradictione, planum faciam: Dico, ſi mundus per Chriſtum factus, eſt ſubſtantia cœli & terræ, ut ex Bellarmini ratiocinatione neceſſario colligitur, non eum profecto mundum factum eſſe per Chriſtum, qui eum non cognovit. Neque enim ſubſtantia cœli & terræ is mundus eſt, qui non cognovit Chriſtum. Quinetiam cum Bellarminus, & quidem merito, neget, eum mundum, qui factus eſt per Chriſtum, eſſe homines impios: certiſſimum autem ſit, homines impios Chriſtum non cognoviſſe, immo, ex Bellarmini diſtinctione, neceſſarium videatur, ut is mundus, qui Chriſtum non cognovit, nihil aliud fuerit, quam homines impii; quis non videt, hinc ſequi, plane diverſum eſſe eum mundum, qui Chriſtum non cognovit, ab eo, qui per Chriſtum eſt factus? Quod ſi Bellarminus, ut ſuam hanc antilogiam diluat, dicat, ſe, Subſtantiæ cœli & terræ nomine, non ipſum cœlum tantum & terram, ſed ea ſimul omnia intelligere, quæ ipſis continentur, & inter hæc præcipue omnes homines, & conſequenter etiam impios, ſed non quatenus ſunt impii, qui quatenus ſunt homines à Chriſto ſint facti, quatenus vero ſunt impii Chriſtum non cognoverint; Si hoc pacto, inquam, Bellarminus ſua verba interpretetur; tamen impropriiſſime (ut ſic loquar) ab eo dictum fuerit, eum mundum factum eſſe per Chriſtum, qui eum non cognovit. Sic enim non quidem mundus per Chriſtum factus, ſed pars quædam ejus Chriſtum non cognoviſſe dicenda eſt: Ex hoc autem ipſo manifeſtum eſt, diverſa admodum ſignificatione accipi vocem Mundi à Bellarmino in Johannis verbis, & magis quidem diverſa, quam nos velimus, nomen Deus accipi in ſuperioribus illis ejuſdem Johannis verbis, de quibus jam egimus, *Et Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum.* Quod tamen Bellarminus fieri non debere contendit: ſed, ex hujus, hoc in loco, ſcriptoris uſu, oportere, ut idem ſit Deus, qui in utroque

* Tom. 1. col. 311. A.

iſtorum verborum membro nominatur; quamvis ibi nomen Deus prius cum articulo, deinde ſine articulo legatur: hic vero nomen Mundus utrobique articulum habeat appoſitum. Quod ſane ſuadet, ut hic multo magis de eodem mundo, quam ibi de eodem Deo, in utroque orationis membro, putemus eſſe ſermonem. Jam nos ibi intelligimus in poſteriore membro, licet non eundem prorſus Deum, quem in priore, eum tamen, qui eadem divinitate quatenus illa communicari cum alio potuit, partim jam reipſa erat præditus, partim certiſſime, ex illius Dei prius nominati firmiſſimo decreto, mox erat futurus. Ita ut, quod attinet ad nos, id eſt, ad ſalutem noſtram, cujus cauſa, ut ipſemet alibi ex parte teſtatur Joh. 20. 31, de Chriſto hiſtoriam ſuam ſine dubio Johannes ſcripſit; iſte Deus, qui in poſteriore membro nominatur, ſit nobis pro illo Deo, qui in priore membro nominatus fuit. Adeo ut hic Deus cum illo multo majorem conjunctionem ejuſque participationem habeat, quam impii homines conjuncti ſunt cum mundo hoc univerſo, ex eove participant.

Sed ad Bellarmini ratiocinationem, ex Johannis verbis ductum, de mundo hoc à Chriſto creato, revertamur. Dico igitur deinde, in ea duo præcipue pro veris ac conceſſis ſumi, quæ vel falſa, vel controverſa ſunt. Primo pro conceſſo ſumitur in utraque horum verborum parte *& mundus per ipſum factus eſt*; *& mundus eum non cognovit*, de eodem mundo, ſaltem ex parte; agi; ita ut mundus, qui Chriſtum non cognoviſſe dicitur, appellatione ejus mundi, qui per Chriſtum factus eſſe affirmatur, prorſus contineatur. Ex quo, tanquam certiſſimo, tacite concludit Bellarminus, non poſſe verbum *factus eſt* proprie accipi, quin neceſſario ex verbis iſtis efficiatur, Chriſtum homines proprie loquendo, feciſſe ac creaſſe. Atqui iſtud, quod pro conceſſo ſumit Bellarminus, plane controverſum eſt. Immo acute admodum & eleganter videri debet locutus eſſe Johannes, ſi, cum ter hic mundi aperte ſemper ac diſerte, nulla inter ſe relatione expreſſa, mentio ab ipſo fiat, ubique diverſum mundum intelligat; ita ut in mundo uno Chriſtum fuiſſe dicat, alterum per ipſum factum eſſe, tertium eum non cognoviſſe. Mundus, in quo Chriſtus fuit ſive erat, eſt hæc hominum quaſi civitas & communio ac ſocietas; in quam ſignificationem frequentius fortaſſe, quam in ullam aliam, vocem mundi in ſcripturis accipi, vehementer miror Bellarminum tam non animadverſiſſe, ut in ſua diſtinctione de hujus vocis in ſcripturis ſignificatione, ejus nullam penitus mentionem fecerit. Eſtque ſignificatio iſta adeo in multis linguis hodie uſitata, exemplaque in ipſo Novo Teſtamento ſic ubique obvia, ut ſupervacaneum ſit quidquam ad eam confirmandam afferre. Mundus porro, qui per Chriſtum eſt factus, ſi verbum fieri non renovari, ſed primo effici ſignificat, eſt futurum nobis illud ſæculum, quod jam Chriſto eſt præſens, & in quod, ipſius obedientia partum atque conditum, ille jam introductus eſt; in quo una cum ipſo immortales ac beati erimus in perpetuum omnes, quotquot ipſius eſſe inventi fuerimus, id eſt, in ipſum crediderimus eique obediverimus. Hoc præſens ſæculum, id eſt, hanc vivendi rationem animalem & mortalem, mundum in Sacris Literis appellari, quamvis nec hujus, vocis mundi, ſignificationis quidquam in ſua illa diſtinctione Bellarminus meminerit, nemo arbitror, ignorat: ut in illis Chriſti verbis ad Patrem, *Non rogo, ut tollas eos de mundo*, Joh. 17. 5. & aliis in locis. Quid mirum igitur ſi ſimiliter futurum ſæculum, id eſt, ratio illa vivendi ſpiritualis & æterna mundus appellatur à ſacris ſcriptoribus? Petrus quidem novam terram novoſque cœlos eam vocat 1 Petr. 3. 13, & orbem terræ futurum auctor Epiſtolæ ad Hebræos Hebr. 2. 5. Breviter ſæculum & mundus pro eodem in Sacris Literis uſurpantur; & unum & idem verbum apud Hebræos utrumque ſignificat. Sed expreſſe ſæculum illud nobis futurum, Chriſto autem jam præſens ipſo mundi ſeu ἅγιος (ut hic apud Johannem eſt, ſimplici nomine appellari ab auctore Epiſtolæ ad Hebræos cap. 10. 5, intelliget quiſquis id ſaltem animadverterit, quod eſt clariſſimum; nempe Chriſti oblationem & ſacrificium non extitiſſe tum primum, cum Chriſtus in hunc mundum eſt ingreſſus. Ex quo neceſſario conficitur, verba illa, *Ideo, ingrediens in mundum, dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi, &c*; Non poſſe referri ad ingreſſum Chriſti in hunc mundum: ſed oportere de ingreſſu Chriſti in alium quempiam mundum in illis agi; in quem, videlicet, ſimul atque Chriſtus ingreſſus eſt, immo cum in illum ingrederetur, ſuum ſacrificium & oblationem fecerit. Jam, præterquam quod Chriſtus, præter mundum hunc, quem incolimus, in nullum alium ingreſſus fuiſſe dici poteſt, niſi in futurum illum, quem nobis, ut diximus, ſua obedientia peperit, ac condidit; in illum etiam ingrediens, revera ſui corporis oblationem fecit. Quæ licet ſemel facta fuerit: neceſſe tamen eſt, illam in perpetuum durare: non quidem vim modo & efficaciam ipſius, ſed ipſam oblationem. Alioqui nec Chriſtus eſſet ſacerdos in æternum, nec quidquam nunc in cœlis offerret, adverſus id, quod in eadem Epiſtola expreſſe docemur; aut non unam tantum ejus oblationem eſſe oporteret, quod & toti illi Epiſtolæ, & rationi manifeſtæ adverſatur; cum hic de expiatoria pro noſtris peccatis oblatione agatur, quæ non niſi una eſſe poteſt. Teſtimonia æterni ſacerdotii Chriſti & unicæ ipſius oblationis ex Epiſtola illa afferre ſupervacaneum omnino eſt. Sunt enim & clariſſima, & ſæpius repetita, & denique ab omnibus agnita. Sed quod Chriſtus, in cœlis manens, nunc offerat, licet id ex ejus æterno ſacerdotio neceſſario conſequatur, expreſſum teſtimonium afferre operæ pretium fuerit. Eſt autem illud cap. 8, 3, & 4, ubi diſerte dicitur, oportere Chriſtum habere aliquid, quod offerat; & ſi in terra eſſet, id eſt, eo tempore fuiſſet, eum non fore ſacerdotem; cum adhuc eſſent ſacerdotes alii, qui (in terra videlicet) offerrent donaria ſecundum legem. Unde liquido apparet, Chriſtum in cœlo offerre, & ibi ſacerdotis munus exequi, idque in perpetuum. Hæc ſi animadverſa fuiſſent; nec cæteri, qui ab Eccleſia Romana defecerunt, negaſſent Pontificiis, ipſam Chriſti oblationem adhuc durare, ſeu, Chriſtum adhuc expiatorium ſacrificium offerre; nec Pontificii ſuam miſſam, ubi in terra pro peccatis Chriſtus (per ſuos, ſcilicet, miniſtros) offerat, hinc ſtabilire auſi fuiſſent. Immo ruit funditus miſſa iſta, ſi intelligatur, Chriſti oblationem expiatoriam pro peccatis noſtris, præſentatione (ut ſic dixerim) ſuiipſius coram Deo in cœlo, ſeu pro nobis ibi in Dei conſpectu apparitione, quæ perpetuo durat, omnino contineri. Cui quidem antecedere oportuit ipſius Chriſti corporis mactationem & ſanguinis fuſionem. Sed non tamen Chriſti corporis mactatio & ſanguinis fuſio eſt oblatio ipſa. Quemadmodum in ſacrificio illo legali anniverſario, quod potiſſimum Chriſti ſacrificium adumbravit, non pecudum mactatio & ſanguinis eorum fuſio erat oblatio illa expiatoria, hæc enim extra locum ipſum oblationis fiebant. Sed oblationem expiatoriam peragebat ſummus Pontifex tunc, cum, mactatis jam pecudibus & ſanguine earum fuſo, ingrediebatur ſolus in Sancta Sanctorum, non ſine ſanguine, quem pro ſuiis & populi ignorantiis offerebat. Ut diſerte ſcriptum habes in eadem Epiſt. ad Hebr. cap. 9. 7. Ex cujus cap. 5. 24. aperte conſtat, in Chriſti oblatione expiatoria, Sanctis illis Sanctorum cœlum ipſum reſpondere, ubi Chriſtus hanc ſuam oblationem peragat; quatenus, ut ante diximus, vultui ſeu in conſpectu Dei pro nobis apparet. Jam ad iſtam perpetuam oblationem Chriſti, quam ſuiipſius facit, neceſſe fuit, ut corpus haberet immortale, quodque in perpetuum duraret. Idcirco in ſupradicto loco cap. ejus Epiſt. 10. de quo hic præcipue agitur, inducitur ipſe Chriſtus dicens, Deum ſibi aptaviſſe corpus, id eſt, perfeciſſe atque abſolutum reddidiſſe, ſeu concinnaſſe & ad id, quod quærebatur,

batur, aptum & accommodatum feciſſe. Quod nihil aliud eſt, quam Chriſti corpus, quod prius mortale erat, immortale à Deo factum fuiſſe. Hoc enim ſignificatur verbo Græco κατηρτισω. Quod ibi redditum eſt Aptaſti: non autem connexio aut applicatio aliqua; quemadmodum plerique crediderunt, iſto Latino verbo decepti; quod iſtud ſignificare poteſt, & ad commentitiam illam filii Dei (quam vocant) incarnationem retulerunt. Viſus eſt autem nobis iſte locus dignus, in quo explicando aliquantiſper immoraremur, & propterea de Chriſti oblatione expiatoria breviter diſſereremus; ut eo manifeſtius appareret, ibi mundi ſimplici appellatione futurum illud immortale ſeculum ſignificari; unde merito concludi poſſit, veriſimile eſſe, Johannem cum dixit mundum per Chriſtum factum fuiſſe, iſtud ſæculum intellexiſſe. Quandoquidem certum eſt, immortalem vivendi rationem nobis per Chriſtum, ut non ſemel dictum eſt, partam & conditam fuiſſe. Cæterum mundus, qui ab eodem Johanne Chriſtum non cognoviſſe dicitur, quid ſit facile omnes norunt; præſertim, cum mundi nomen paſſim in Sacris Literis in eum ſenſum accipiatur, qui huic loco maxime convenit: ut, ſcilicet, homines carnales & huic mundo plane deditos atque affixos ſignificet. Veriſſime enim & maxime proprie de iſtis dici poteſt, eos Chriſtum non cognoviſſe.

Secundo loco in Bellarmini ratiocinatione pro conceſſo ſumitur; Si verba illa, *& mundus per ipſum factus eſt*, de mundi renovatione per Chriſtum facta acciperentur: tunc falſum futurum, quod ſequitur, *& mundus eum non cognovit*; *cum renovatio*, inquit, *fiat per fidem & cognitionem Chriſti*; poſito, videlicet, quod jam ſumptum ab eo diximus pro conceſſo, nomen mundi utrobique in eundem ſenſum accipiendum eſſe. Sed fallitur egregie Bellarminus noſter. Perinde eſt enim, ac ſi ad hunc modum ratiocinaretur: Chriſtus eſt ſervator mundi, Joh. 4. 42. 1 Joh. 4. 14, falſo igitur dixerit quis, Chriſtum ab hoc mundo, cujus ipſe ſervator eſt, non fuiſſe cognitum, cum ſalus exiſtat per fidem & cognitionem Chriſti, quod tamen & vere & uſitatiſſime dici poteſt. Tametſi enim Soter Græca vox, quæ apud Johannem reddita eſt ſervator, ſeu ſalvator, ut Cicero * teſtatur, eum ſignificat, qui ſalutem dedit; in hac tamen locutione, *Chriſtus eſt ſervator mundi*, id ſignificatur, quod Chriſtus, quantum in ſe eſt, efficit. Quod idem evenit in aliis ejuſmodi de Chriſto enunciationibus; ut, cum dicitur illuminans omnem hominem, quod ſuperiore verſiculo apud eundem Johannem legitur. Similibus enim locutionibus non ipſe effectus, ſed efficiendi vis, non eventus, ſed conſilium declaratur. Quemadmodum igitur Chriſtus ſervaſſe mundum dicitur, quamvis maxima pars hominum pereat; ſic renovaſſe mundum dici à Johanne potuit, quamvis maxima pars hominum ab eo renovata non fuerit. Unde ſicut, nihilominus ut Chriſtus mundo ſalutem dediſſe dicatur: Mundum tamen eum non cognoviſſe, merito dici poteſt; ita, nihilominus ut Chriſtus mundum renovaſſe à Johanne dictus fuerit: merito ab eodem dici potuit, Chriſtum à mundo cognitum non fuiſſe. Quod enim vere de maxima parte dicitur, id de toto quoque indefinite citra mendacium dici conſuevit. Eſt autem animadvertendum, etiamſi Bellarminus hac de re litem non moveat, non ſine cauſa multis ex noſtris hominibus viſum fuiſſe verbum faciendi renovationem ſignificare poſſe. Eſt enim id idiotiſmus Hebræorum, qui, cum verba compoſita non habeant; haud raro ſimplicibus pro compoſitis utuntur, ut hic factus eſt, idem ſit, ac refectus eſt, ut ita loquar, id eſt, denuo factus, ſeu renovatus & inſtauratus. Adde, quod cum Chriſtus ipſe dicat, ſe illum panem cœleſtem eſſe, qui dat vitam mundo, Joh. 6. 33*, merito mundus per ipſum factus dicitur. Cui enim quis vitam dat, eum ſane facere ac condere dicendus videtur. Interim autem ex hoc Chriſti ipſius teſtimonio, qui aſſerit, ſe vitam mundo dare, qui tamen, ut dictum eſt, maxima ex parte, perit ac morti æternæ mancipatur, agnoſcat lector, quam verum ſit, quod diximus, hujuſmodi locutionibus de Chriſto, ipſius vim, & id, quod ipſe, quantum in ſe eſt, facit, non autem effectum ipſum declarari.

Jam igitur ex iis, quæ diximus apparet, vocem ter hic a Johanne repetitam in eundem ſemper ſenſum accipi poſſe, ut, ſcilicet, ubique homines generatim ſignificet; nec tamen hinc ſequi, ipſos homines primo factos ſeu creatos per Chriſtum fuiſſe. Itaque, ſive eadem, ſive diverſa ubique ſignificatione mundi vocabulum Johannem extuliſſe velimus; planum fecimus nihil ex hoc loco elicere poſſe adverſarios, quod adverſum nos quidquam firmitatis habeat. Nam quod nec eadem, nec ubique diverſa ſignificatione extulerit: id ſermonis elegantia, & uſus ipſe loquendi vix ulla ratione patitur.

Reſponſio ad XIV. Argumentum.

Decimum quartum hujus claſſis argumentum ac teſtimonium petitur ex Epiſt. ad Coloſſ. 1. 16. Ubi, Vujeko recitante, ſic legitur: in ipſo (*hoc eſt in Chriſto, aut per Chriſtum*) condita ſunt omnia in cœlo & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates. Omnia per ipſum, & in ipſo ſunt creata. Et ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant. *Hic locus* (ſubjungit Vujekus cum Bellarmino) *eſt clarior ſuperiore: nam explicat, quæ ſint illa omnia, quæ Chriſtus creavit, & conſervat, & ait eſſe omnia omnino tam cœleſtia, quam terreſtria, uſque ad ſummos Angelos. Ex quo certum argumentum exiſtit, Chriſtum non eſſe creaturam, ſed verum Deum creatorem cum Patre.*

Reſpondeo, negando conſequentiam, propter eam cauſam, quæ in ſuperioris loci examinatione à me allata eſt, videlicet, quod in hujuſmodi, quantumvis univerſalibus, locutionibus, ſemper excipitur is, de quo ipſa enunciatio univerſalis effertur. Itaque non recte concluſum eſt, per Chriſtum dicuntur omnia creata: Ergo ipſe Chriſtus non eſt creatus; præſertim, cum proxime ante id de Chriſto dictum fuerit, quod oſtendit, eum omnino eſſe creaturam; cum ſcilicet, dictus eſt *primogenitus omnis creaturæ*. Uſus enim perpetuus Sacrarum Literarum, quarum propria eſt hæc phraſis, eſſe deprehenditur, ut is, qui aliquorum dicitur primogenitus, ſit ex numero ipſorum. Cum igitur Chriſtus dicatur Primogenitus omnis creaturæ: neceſſe eſt, ut & ipſe ſit creatura. Nec ſatis eſt, ut ita appellari potuerit, quod, quemadmodum Bellarminus * cum Chryſoſtomo exponit, Chriſtus à Patre genitus ſit, antequam ulla creatura fuerit. Ex quo ſequitur, Bellarminum ipſum & Homouſianos omnes, qui negant, Chriſtum, ut rem creatam, ante omnes res alias, cum primo crearentur, extitiſſe, neceſſe habere hunc Pauli locum non de prima, ſed de ſecunda creatione interpretari. Quandoquidem vocabulum Primogenitus non dignitate tantum, ſed etiam tempore, Chriſtum alias res creatas antecedere, oſtendit. Quod cum ipſi adverſarii, maxime vero Bellarminus hoc loco & fatentur, & urgent, tum perſpicue docent verba Pauli, *Quoniam in ipſo ſunt condita, &c.*, & iterum, *Omnia per ipſum & in ipſum creata ſunt*. Quomodo enim per ipſum creari potuiſſent, niſi ipſe prior fuiſſet? Igitur eadem vox Primogenitus, cum dicatur Primogenitus omnis creaturæ, quod, ut dictum eſt, demonſtrat omnino, illum quoque eſſe creaturam, prorſus nos docet, ipſum, ut creaturam, omnes alias creaturas tempore anteceſſiſſe. Id quod, ut falſiſſimum & eſt, & ab omnibus Homouſianis exiſtimatur, ſi ad primam creationem hæc referantur; ſic & veriſſimum eſt, & ab omnibus, ut veriſſimum, agnoſcitur, ſi referatur ad ſecundam creationem. Chriſtus enim

* Act. 4. in Verrem.

* Tom. 1. col. 312. C.

ut nova creatura, omnes alias novas creaturas non dignitate tantum, ſed tempore etiam ſine ulla controverſia antecedit. Atque hoc eodem ſenſu vocatur idem Chriſtus Apoc. 3. 14. ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ, id eſt, *Principium creaturæ Dei.* Hoc enim aperte declarat, Deum in creando, initium à Chriſto feciſſe. Quidquid interpretes & explanatores hunc locum aliter aut vertant, aut exponant. Coguntur igitur, ut dictum eſt, Adverſarii ipſi, niſi ex Homouſianis Arriani fieri velint, hunc locum Pauli ad Coloſſenſes non ad veterem, ſed ad novam creationem referre. Verum tamen videamus, quibus argumentis Bellarminus tentet perſuadere, neceſſe eſſe, ut hic locus de prima creatione accipiatur; eaque ſingulatim diluamus.

Primo ait, præter unum Procopium, in Geneſim ſcribentem, & a noſtris hominibus citatum, qui melior fuit rhetor, quam theologus, omnes interpretes hunc locum intelligere de prima creatione. Qui tamen Procopius paulo ante docet, Chriſtum humanam naturam induiſſe, *ut hominem quem creaverat reſtitueret & ſanaret. Cum igitur* (ſubjungit Bellarminus) *paulo poſt dicit, per Chriſtum omnia creata ſecundum Apoſtolum ad Coloſſenſes, & exponit, inſtaurata, vult dicere, Chriſtum inſtauraſſe quod antea creaverat.*

Reſpondeo, ridiculum eſſe auctoritatem contra nos afferre eorum, qui ante hac hunc Pauli locum ſunt interpretati, cum nos ingenue profiteamur, ſententiam noſtram de Chriſti natura ſive eſſentia adverſari omnibus Scripturæ interpretibus, quorum ſcripta ad noſtram ætatem pervenere. Eorum enim, qui idem, quod nos ſentiebant, cura & opera Adverſariorum, qui prævaluerunt, ſcripta omnia periere: aut certe in manus noſtras non devenerunt. Jam Procopii auctoritatem hoc loco nihil elevat, quod fuerit melior rhetor quam theologus; ſi modo hac in re Bellarmino credendum eſt. Neque enim hic de re ipſa theologica agitur, in qua Procopius ab aliorum ſententia nihil recedit; ſed nominatim de interpretatione aliquorum Pauli verborum eſt quæſtio; quod per ſe ad grammaticum & rhetorem maxime pertinet. Quod vero Procopius nihilominus de Chriſto ſentiat aliter, atque nos ſentimus; hoc potius ejus pro nobis teſtimonio pondus addit ejuſque auctoritatem hac in parte minime ſuſpectam reddit. Neque enim noſtri homines, qui ejus teſtimonium protulerunt, eo proferendo, probare voluerunt, Procopium, in loco iſto Pauli ad Coloſſenſes interpretando, declaraviſſe, ſe idem nobiſcum de Chriſto ſentire, eique primam rerum creationem non concedere. Sed tantum ſcriptorem iſtum, haud ſane ſpernendum, in ipſo loco interpretando nobiſcum facere. Quare ſine cauſſa omnino hic Bellarminus laborat, ut oſtendat, Procopium nihilominus ſenſiſſe, à Chriſto primam creationem factam fuiſſe, nec quidquam aliud agit, quam ejus teſtimonium pro nobis multo magis confirmat.

Secundo Bellarminus ait, verba iſta Pauli, *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa*, &c. ab ipſo ſubjungi ut probet id, quod proxime dixerat, Chriſtum eſſe primogenitum omnis creaturæ; quod Bellarminus una cum Chryſoſtomo, ut dictum eſt, exponit Genitum ante omnem creaturam. *At ſi* inquit, *condere ſignificet inſtaurare, Paulus nihil probat: non enim ſequitur, Inſtauravit omnes creaturas, ergo fuit ipſe ante omnes creaturas, quam ſæpe enim architecti inſtaurant ædificia, quæ multis annis antea exſtructa fuerant quam ipſi naſcerentur? ut igitur Paulus recte probet, Chriſtum eſſe primogenitum ante omnem creaturam, non oportet interpretari ipſe omnia condidit, id eſt, inſtauravit, ſed ſimpliciter creavit.*

Reſpondeo, in hac ratiocinatione principium omnino peti, id eſt, id pro conceſſo ſumi, quod nos negamus, immo quod reipſa illud ipſum eſt, de quo controverſamur. Cum enim dicimus, verbum illud apud Paulum, *condita* ſeu *creata ſunt* nequaquam de prima creatione accipi debere, cujus contrarium ſibi probandum ſumit Bellarminus; eodem tempore tacite dicimus, nomen Creaturæ, quod proxime antecedit, ad quod ea, quæ ſequuntur, relationem habent, non de prima ſeu vetere creatura, ſed de nova accipiendum eſſe, id quod etiam antea ſatis aperte demonſtravimus, omnibus Homouſianis confitendum eſſe. Quomodo igitur ſine Principii petitione potuit Bellarminus pro conceſſo ſumere, nomen iſtud veterem creaturam ſignificare? Nam certe, ſi non veterem, ſed novam creaturam ſignificat; perit tota ipſius ratiocinatio. Rectiſſime enim probat Paulus, Chriſtum eſſe ante omnem novam creaturam, ſi per ipſum Chriſtum omnia renovata, id eſt, reformata eſſe docet. Neque enim quidquam nova creatura eſt, niſi tum demum, cum renovatum eſt ac reformatum. Atqui neceſſe eſt, ut is per quem aliquid renovatur, ſit ante quam illud renovatum fuerit. Ergo Chriſtus ante omnem novam creaturam ut fuerit, neceſſe eſt, ſi per ipſum omnia ſunt renovata. Plura dicere non eſt opus, ad hanc Bellarmini argumentationem penitus diſſolvendam.

Tertio, ut in ſuperiore, ratione ex præcedentibus, ſic deinde ex ſequentibus verbis argumentatur Bellarminus; & ait. *Poſtquam Paulus dixerat, per Chriſtum omnia creata, ſubjungit alia encomia Chriſti, dicens ipſum etiam eſſe caput Eccleſiæ, & primogenitum mortuorum, & per ipſum inſtaurata omnia, & pacificatos per crucem ejus Angelos cum hominibus. Niſi ergo faciamus Paulum ineptè loquacem, qui ſemper eadem repetat, oportet fateri in prima parte capitis agi de creatione, in ſecunda de reparatione.*

Reſpondeo, nullam ineptam loquacitatem in Paulo deprehendi, etiamſi utrobique non quidem de reparatione (neque enim ego iſto verbo utor) ſed de reformatione loquatur. Quod ut recte percipi queat, animadvertendum eſt, Paulum primo totam hanc per Chriſtum factam reformationem verbis illis generalibus propoſuiſſe. *In ipſo condita ſunt univerſa in cælis & in terra, viſibilia & inviſibilia.* Deinde quia univerſa hæc reformatio duas præcipuas partes habet, Unam, quæ pertinet ad reformationem omnium rerum cæleſtium, & terreſtrium, viſibilium, & inviſibilium, quæ, ſcilicet, intelligentia ſint præditæ, idque ſingularum per ſe, quatenus potiſſimum Chriſtus cœpit illis dominari, eaſque regere ac gubernare: Alteram, quæ pertinet ad earundem iſtarum rerum reformationem, quatenus per ipſum Chriſtum ſunt inter ſe conjunctæ atque erga Deum inter ſe reconciliatæ ac concordes factæ; ideirco prius priorem partem explicat uſque ad ℣ſ. 19. poſtea vero poſteriorem, dicto ℣ſ. 19. 20. Et quia rurſus prior pars in duo membra dividitur, quatenus videlicet res iſtæ, intelligentia præditæ & à Chriſto ſingulatim omnes per ſe aliqua ratione reformatæ, ſunt aut cæleſtes, aut terreſtres, ſive aut viſibiles, aut inviſibiles, incipit explicare de cæleſtibus ab illis verbis, *ſive throni*, &c. & pergit uſque ad ℣ſ. 18. ubi deinde de terreſtribus explicat. Senſus igitur totius loci eſt, per Chriſtum omnes res tam cæleſtes, quam terreſtres, intelligentia præditas, reformatas fuiſſe; Et primum quidem earum omnium dominum ipſum Chriſtum eſſe factum; ita ut omnes jam ab ejus nutu pendeant, & quidquid virtutis aut poteſtatis habent in ejus manu ſit poſitum. Itaque angelos ipſos omnes (quos nomine Thronorum, Dominationum, &c. intelligit Apoſtolus) cum tota ipſorum hierarchia hac ratione per Chriſtum reformatos fuiſſe, jam inter Deum, & ipſos Chriſto ipſo interpoſito; adeo ut non amplius, ut ſolebant, immediate Dei perſonam ſuſtineant, cum propter aliquid, ad Eccleſiam quoquomodo pertinens, cælitus mittuntur: ſed ipſius Chriſti; qui pro arbitratu ſuo omnia ipſorum munera diſpoſuerit ac diſtribuerit, & perpetuo diſponat ac diſtribuat, ut ipſorum princeps ac moderator, ad quem jam cuncti pertineant, & ad ipſum reſpiciant ac referantur. Præterea Eccleſiam univerſam, in terris militantem, eum caput ſuum ſortitam eſſe, & ita Dei populum Chriſto jam in eo omnia regente ac pro arbitratu diſponente, novam formam adeptum eſſe atque eodem Chriſto, omnium primo ex mortuis ad vitam immortalem excitato,

rege-

regenitum eſſe in ſpem vivam, ut Petrus ait 1 Petr. 1. 3, 4. hereditatis illius cæleſtis & immarceſcibilis, quam ab ipſo Chriſto principe ſuo ejus hereditatis domino expectat. Deinde vero, omnes res prædictas inter ſe per eundem Chriſtum conjunctas fuiſſe, & pacatas ac concordes redditas eſſe erga ipſum Deum, qui id curaverit atque effecerit, hac ratione & modo; videlicet, quod non ſolum per ipſum Chriſtum (hic Caſtellionis verſionem ſequor) habitare pariter in omnibus illi placuerit; ſed etiam pro quibus vis hominibus Chriſtum morti tradens, & ipſis hominibus & angelis omnibus quantopere humanum genus, ſine ulla perſonarum diſtinctione, diligat, manifeſtum fecerit. Credo ſatis conſtare, hic nullam ineptam Pauli loquacitatem eſſe, & omnia optime inter ſe cohærere, ſi verbum Condita ſeu Creata ſunt, Reformata ſunt interpretemur, quod ex uſu Sacrarum Litterarum fieri poſſe, oſtendunt hi loci, Eſa. 45. 7. 65. 18. Epheſ. 2. 10. & 15.

Quarto & ultimo nititur Bellarminus ex ipſo contextu probare, hic verbum Creandi non ad reformationem ſeu renovationem, ſed ad primam creationem referri debere. *Nam dicit* (inquit) *omnia creata per Chriſtum, etiam Thronos & Dominationes. At Angeli non fuerunt renovati per Chriſtum, quippe qui non facti ſunt veteres per peccatum. Dicuntur quidem pacificati cum hominibus, ſed pacificare non eſt condere & creare*, &c.

Reſpondeo, ex ſupra dictis conſtare, quo ſenſu angeli ipſi per Chriſtum reformati merito dici poſſint, citra ullam conſiderationem, quod peccaverint, & veteres per peccatum facti fuerint. Quæ reformatio, licet in divinis litteris ſatis aperta, & ex eo ſolo neceſſario manans, quod Chriſtus homo totius illius hierarchiæ princeps ac dominus & abſolutus moderator factus fuerit, vulgo non animadverſa, mirum eſt quantum tenebrarum huic Paulino loco offuderit. Jam, quod Angeli cum hominibus ſint pacificati, non eam vim per ſe fortaſſe habet, ut propterea ipſi angeli reformati dici poſſint; nec nos id dicimus. Sed neque etiam affirmamus, Pacificare, eſſe Condere & creare: Verum affirmamus, eo quod per Chriſtum omnes res cæleſtes & terreſtres intelligentia præditæ inter ſe conjunctæ ac pacificatæ & reconciliatæ erga Deum ſunt, merito dici poſſe, hanc rerum univerſitatem novam quandam formam accepiſſe. Quid enim magis pertinere poteſt ad reformationem univerſitatis earum rerum quæ intelligentia ſunt præditæ, quam ſi, ubi antea inter ſe diſſidebant ac diſjunctæ erant, in unum & eundem finem conſentiant ac conſpirent: atque hac ratione, quaſi in unum corpus conjungantur ac coaleſcant? Multo plura hic ſcribere potuiſſemus pro confirmatione ſententiæ noſtræ in hoc Paulino teſtimonio interpretando. Sed poterit lector ex parte illa petere ex diſput. adver. Andream Volanum. Reliqua ex diſput: Fauſti Socini cum Eraſmo Johannis peti poterunt, ubi fuſiſſime de interpretatione hujus loci agitur; ſi unquam, ut ſperamus, diſputatio iſta in publicum edita fuerit. Quamquam ea quæ nos hoc loco diſputavimus, ſatis eſſe poſſunt ad ſententiam noſtram adverſus eos, cum quibus nobis res eſt, tutandam, vel potius ad illos, ut eam & ipſi probent & amplectantur, adigendos; ſi tantopere, ut præſeferunt, Arrii opinionem averſantur, & jure Homouſiani appellari volunt.

Reſponſio ad XV. Argumentum

Decimum quintum & ultimum hujus claſſis argumentum petitum eſt ex cap. 1. epiſt. ad Heb. ℣. 2. & 10. Verſiculo enim 2. ſcriptum eſt de Filio, *Per quem* (Deus) *fecit & ſæcula.* Ver. autem 10 legitur, *Et tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli*; quæ verba ex Pſalmo ſumpta videtur omnino ſcriptor ille ad Chriſtum accommodare & tanquam de eo dicta accipere. *Hic habemus* (inquit poſt Bellarminum Vujekus) *clariſſime quod requirebant Adverſarii in duobus locis ſuperioribus, nimirum Chriſtum feciſſe cælum & terram, & proinde ipſum non eſſe creaturam, ſed creatorem unum cum Patre.* Solent ſiquidem noſtri homines, cum teſtimonia afferuntur, in quibus, per Chriſtum omnia facta aut creata eſſe dicuntur; merito excipere, nullam mentionem apertam in ipſis fieri creationis cæli & terræ; cum tamen, ubi de rerum prima creatione agitur, vix unquam eorum, ut creatorum, aperta mentio omittatur: immo frequenter univerſa creatio prima ſolius cœli & terræ creatæ ſeu factæ commemoratione ſignificetur.

Cæterum ad argumentum breviter reſpondeo, jam in diluendo quincto 1. claſſis arg. demonſtratum fuiſſe, verba illa Pſalmi, *Et tu initio*, &c. non ita citari à Divino illo ſcriptore, quaſi, de Chriſto ſeu Filio dictum fuiſſe, ſentiat, quod cælum terramque creaverit, & iſtorum verborum principium ad Filium pertinere velit. Ad quem locum lectorem rejicimus. Verba porro illa ipſius ſcriptoris, *per quem fecit & ſæcula*, in quem ſenſum accipienda ſint, ex iis intelligi poteſt, quæ diſputavimus, cum de verbis illis Johannis Euangeliſtæ ageremus, *& mundus per ipſum factus eſt.* Eo autem magis interpretatio noſtra, quod hæc ad futurum mundum ſeu ſæculum referri debeant, hoc loco recipienda eſt, quod nomen Sæcula, ſive, ut in Græco eſt, οἱ αἰῶνες, æternitatem illam, quam ſperamus, & qua futurum nobis ſæculum continetur, quodammodo ob oculos ponit, & idcirco futurum illum mundum evidentius ſignificat. Adde, quod locus ipſe aperte docet, non de vetere, ſed de novo mundo verba fieri, quem per Chriſtum Deus fecerit. Eſt enim ſermo de Dei filio, ut nobis patefacto; nempe per quem Deus nobis locutus fuerit, quemque omnium heredem conſtituerit, quæ longiſſimo tempore poſt veteris mundi creationem facta ſunt. Quæ vero, obſecro, cohærentia verborum, aut rerum eſſet iſta, ſi ſcriptor ille dixiſſet, Deum ultimis diebus nobis locutum fuiſſe per Filium, per quem cælum etiam & terram fecerit? At ſi, poſtquam dixit, Deum per filium poſtremis temporibus nobis fuiſſe locutum, eumque heredem & dominum omnium rerum feciſſe, addiderit, per ipſum præterea futurum illud atque immortale ſeculum à Deo factum eſſe; nemo non videt, quam hæc omnia cohæreant, & ſeſe conſequantur. Per patefactionem enim voluntatis divinæ & adeptionem dominatus omnium rerum, tum firmiſſimam ſpem æternæ illius ac beatæ vitæ nobis Chriſtus fecit, tum eam reipſa nobis dandi poteſtatem eſt conſecutus.

Sed excipiunt Adverſarii, & ajunt, ex iis, quæ inferius cap. 11. hujus epiſt. ℣. 3. ſunt ſcripta, conſtare, quid ſit Facere ſæcula; ex illis, inquam verbis: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent, quod*, inquiunt, *certe non poteſt intelligi niſi de creatione prima cælorum, qui ante creationem cum nihil eſſent, verbo Dei facti ſunt, & viſibiles apparuerunt.*

Reſpondeo primum, locum iſtum nihil habere commune cum eo, de quo diſputamus, excepto verbo *ſæcula*; quo veterem mundum ſignificari poſſe, non nego. Verum hac de re non eſt inter nos quæſtio. Sed quærimus, utrum in loco noſtro id ſignificetur, an potius novus mundus & futurum illud immortale ſæculum. Sane vero Sæcula æternitatem a parte poſt (ut loquuntur) ſignificare tritiſſimum & vulgatiſſimum eſt. Et ſine ulla comparatione multo frequentius verbum iſtud hanc æternitatem, & ſic futurum illud immortale ſæculum, quam veterem mundum ſignificat. Dixi autem, nihil commune habere locum iſtum cum noſtro, niſi verbum *ſæcula*, quia ne verbum quidem faciendi ibi legitur; quod neceſſarium eſt ad ratiocinationem Adverſariorum concludendam. Quandoquidem ex loco noſtro oſtendere volunt, quid ſit Facere ſæcula. Neque enim ibi dicitur, facta eſſe ſæcula, ſed aptata, id eſt, concinnata & apte compoſita & accommodata. Quod etiamſi reipſa idem eſſet, cum Facta eſſe (quod tamen à veritate non parum abeſt) hoc ni-

hilo-

hilominus ſatis non eſſet in hac diſputatione, ubi de ipſa phraſi facere ſæcula nominatim agitur.

Sed finge deinde, in loco iſto diſerte ſcriptum fuiſſe, *facta eſſe ſæcula*; quid hoc ad rem noſtram, cum iſtius loci ad noſtrum nulla prorſus appareat relatio, & tanto intervallo, id eſt, decem capitibus interpoſitis, alter ab altero diſtet? Non ſatis eſt probaſſe, facere ſæcula, ſignificare cœlum & terram creare; ſed conjecturas ſaltem afferre oportet, cur hæc ſignificatio in loco noſtro agnoſcenda ſit. At nullæ unquam afferentur; cum omnes, quæ ex antecedentibus & conſequentibus verbis, ex loci ipſius argumento, ex circumſtantiis denique quibuſcunque, duci poſſunt, contrarium plane ſuadeant. Certe ipſa ſequentia verba, *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, &c.* quæ maxime omnium videntur pleriſque indicare, de æterno quodam & coëſſentiali Dei filio hic verba fieri, & conſequenter, cum per ipſum Deus ſæcula feciſſe legitur, intelligendum eſſe, Deum per ipſum, cœlum & terram creaſſe; Iſtæ, inquam, ipſa verba maxime declarant, de Dei filio agi conſpicuo & humano generi exhibito; cum certum ſit, attributa iſta ſplendoris gloriæ, &c, ad nos reſpicere, & eatenus hic Dei filio tribui, quatenue nobis talis eſt.

CAPUT VI.

In quo diluuntur argumenta ex nominibus veri Dei, quibus Chriſtus ſit appellatus.

JAm de quarta argumentorum claſſe nobis eſt agendum, quæ argumenta continet ex quibuſdam nominibus ducta, quibus Chriſtus appellatus in divinis teſtimoniis fuerit: quæ nomina uni tantùm illi vero Deo conveniant. De quibus, age, ſingulatim diſpiciamus, & argumenta, quæ inde adverſarii ducunt, examinemus.

De Primo Dei nomine.

Primum nomen divinum (inquit Vujekus cum Bellarmino) *eſt Deus, ex quo non leve argumentum ſumere poſſumus. Nam ſcriptura ſacra non vocat ullum alium, Deum abſolute & ſine additamento, niſi ſolum verum Deum, ut Irenæus ſcribit lib. 3. cap. 6. 8. Et ipſa res hoc clare demonſtrat. Cum enim ſcriptura nihil frequentius repetat, quam unum eſſe Deum: quomodo ipſa ſibi contraria non eſſet, ſi non ſolum Deum verum, ſed etiam quempiam alium, Deum ita abſolute vocaret? Atqui hoc nomen abſolute tribuitur Chriſto Domino in ſcriptura* Eſai. 9. 6. Vocabitur nomen ejus Deus fortis. Joan. 20. 29, *Thomas ſic ait Chriſto*: Dominus meus & Deus meus. Act. 20. 28, Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopus, regere Eccleſia Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Rom. 9. 5, qui eſt ſuper omnia Deus. Apoc. 4. 8, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. 1 Joan. 3. 16, In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille pro nobis animam ſuam poſuit. *Quomodo igitur non erit Deus verus, qui tam ſæpe in ſcriptura abſolute Deus eſt nominatus: Et quomodo hoc quæſo, quod Chriſtus abſolute vocatus eſt Deus, concordat cum ſcriptura illa*, Exod. 20. 3, Non habebis Deos alienos coram me. *Et cum illa*, 1 Cor. 8. 6. Nobis unus eſt Deus: *ſi Chriſtus non eſt unus Deus cum Patre?* Hactenus Vujeki verba ex Bellarmino tranſlata, & adverſariorum argumentatio.

Antequam argumentationem iſtam univerſam penitus, Deo dante, diluam ac diſſolvam: monendus eſt mihi lector, unica reſponſione omnia fortaſſe hujus quartæ claſſis argumenta dilui poſſe. Cum enim certiſſimum ſit, ut ex iis, quæ ſupra non in uno loco diſputata ſunt, intelligi poteſt, & Sacræ Literæ apertiſſime teſtantur, Deum cum Chriſto homine majeſtatem, potentiam, & imperium ſuum divinum communicaſſe; nullum fere nomen eſſe poteſt ex iis, quæ Deo tribuuntur, quod Chriſto homini ſimiliter tribui non poſſit, ſine ulla ipſius Dei injuria, immo cum ipſius magna gloria; quatenus, videlicet, hac ratione ejus ſumma erga humanum genus bonitas & liberalitas innuitur, vel potius prædicatur. Nemo enim tam ſtultus eſt, qui, ſi legerit, Chriſtum hominem aliquo nomine vocari, quod ipſi Deo tribui ſoleat, exiſtimet, Chriſtum, ut ita vocetur, id ex ſeipſo habere, & non ſtatim intelligat, ex dono & largitate Dei iſtam Chriſto tributam divinam appellationem pendere. Non igitur ſomniet quis antea aliam in Chriſto eſſentiam, præter humanam, nec præjudicatam iſtam opinionem ad ſcripturæ lectionem afferat; & ſine dubio, cum de Chriſto, quantum vis honorifice ſcriptura loquitur, etiamſi nomen ipſum hominis non exprimat, & nominatim, cum Chriſtus, in Sacris Literis, ipſis divinis nominibus inſignitur ac decoratur, facile intelliget, Dei in ipſum Chriſtum, & conſequenter in humanum genus ineffabilem bonitatem prædicari; non autem ſignificari (quod alioqui etiam impoſſibile plane eſſe apparet) Chriſtum eſſe ipſummet Deum. Hoc, quam breviſſime potuimus, explicato, quod ad omnia hujus claſſis argumenta convellenda maxime pertinet, jam primam iſtam argumentationem ex nomine ipſo Deus ductam diluere aggrediamur.

Reſpondeo igitur, negando hujus argumentationis tum propoſitionem, tum conſequentiam, propoſitione, nimirum, in eum ſenſum, qui hoc loco neceſſarius videtur accepta. Nego, inquam, propoſitionem iſtam, in ſcriptura Dei nomen abſolute poſitum ſoli illi uni Deo tribui. Nam rebus quoque creatis tribuitur aliquando; ut mox docebimus. Quod adeo verum eſt, ut Bellarminus ipſe non auſus fuerit id aperte negare in ſua argumentatione deducenda. Cum tamen, ad eam rectè concludendam, id facere neceſſe haberet. Verba ejus hæc ſunt: *Scriptura non ſolet abſolute vocare Deum niſi Deum verum*, quæ verba poſſunt jure in hunc ſenſum accipi, quod perraro id à ſcriptura fiat; ſi modo fit. Atqui non ſatis eſt, perraro fieri, vel dubitari, an unquam fiat, ſi inde argumentari quis velit, Chriſtum, qui abſolute Deus in ſcriptura vocatur, eſſe illum verum Deum. Vidit hoc Bellarminus; & propterea, quod ipſe directe affirmare non eſt auſus, obliquo, Irenæi teſtimonio & verbis citatis, in quibus id affirmari videtur, aſſerere voluit. Vujekus vero, apertius agens, id ex ſua ipſius perſona plane aſſeruit. Verum, ut dixi, id minime verum eſt. Pro conceſſo autem ſumo (ut ex ſuperioribus verbis meis patet) cum Bellarminus & Vujekus hic verum Deum nominant, eos illum unum Deum intelligere. Nam alioqui nihil dicerent. Nemo enim noſtrum negat, Chriſtum eſſe verum Deum, id eſt, non nomine tantum, ſed reipſa Deum, qua de re ſuperius alibi non ſemel explicatum eſt.

Hoc autem poſito, quod ponere neceſſarium plane eſt; antequam teſtimonia ſacra proferam, ubi nomen Dei abſolute creaturis tribuitur, libet oſtendere; Irenæum ipſum, licet aperte id alicubi videatur negare, præcipue vero in loco à Bellarmino hic minime citato, id eſt, ad finem ejuſdem cap. 8. lib. 3, ex cujus initio tantum citat ipſe hoc loco verba illa, *Soluta igitur, &c.* tamen non aliter, ac nos ſentire, quatenus fatetur, in ſcripturis abſolutum Dei nomen aliis etiam tribui, præter illum unum Deum. Sentit enim omnino, eos, qui adoptionem ſeu adoptionis ſpiritum accipiunt, Deos ſimpliciter interdum in Sacris Literis vocari. Manifeſte enim teſtimonia Pſal. 49. & 81, ubi Deorum ſimpliciter fit mentio, de iis, qui adoptionem acceperunt, exponit, inquiens eodem cap. 6. lib. 3, quod adverſarii citant, ad hunc modum Pſal. 81. 1: *Et iterum, Deus ſtetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos diſcernit. De Patre, & filio, & de iis, qui adoptionem perceperunt, dicit.* Et mox Pſal. 49. 1: *Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram. Quis Deus? de quo dixit, Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit; hoc eſt, filius*

filius, qui ſecundum manifeſtationem hominibus advenit, qui dicit palam, apparui iis, qui me non quærunt. Quorum autem Deorum? Quibus dicit, Ego dixi, Dii eſtis & filii altiſſimi omnes Pſal. 81. 6. *Ii, ſcilicet, qui adoptionis gratiam adepti ſunt, per quam clamamus Abba Pater.* Et clarius hac de re ſententiam ſuam explicans, in fine procœmii lib. 4, ſic ſcriptum reliquit: *Et manifeſtavimus, neminem alium Deum appellari à ſcripturis niſi Patrem omnium & filium, & eos, qui adoptionem habent.* Et rurſus ſtatim in initio ipſius 4. libri: *Cum ſit igitur firmum & conſtans, neminem alterum Deum & Dominum à ſpiritu prædicatum, niſi eum, qui dominatur omnium, Deus cum verbo ſuo, & eos, qui adoptionis ſpiritum accipiunt, &c.* Ex his apertiſſimis ſententiæ Irenæi cum noſtra conſentientis teſtimoniis apparet, omnia, quæ idem ſcripſit, huic ſententiæ in ſpeciem adverſantia, in eum ſenſum accipienda eſſe, qui ex tota iſta apud ipſum de Dei nomine tractatione facile percipitur. Contendit enim Irenæus, neminem vocari Deum in ſcripturis ſine aliquo additamento, qui revera non ſit Deus, ſed tantum nomine. Verum autem Deum ex ſeipſo eſſe Patrem ſolum; cui primum ac ſingulari ratione, ut rem, ſcilicet, non creatam, verbum ipſius ſeu filium fere ſolet adjungere, ac Deum cum ipſo nominare. Nempe, quia filius Dominium accepit à Patre ſuo; ut diſerte ſcribit in initio ferme cap. 6. lib. 2. Et cap. 12. paulo poſt medium ſic ait. *Quoniam, qui paſſus eſt ſub Pontio Pilato, hic Dominus eſt omnium & Rex, & Deus, & judex, ab eo, qui eſt omnium Deus, accipiens poteſtatem.* Deinde de eodem cap. 6. & alibi, ut vidimus, etiam eos adjungit, qui adoptionem acceperunt: ob eam cauſam, quod iſti, quamvis creaturæ, ab ipſo Patre Deo, qui eos per Chriſtum ſuos filios fecit, id acceperunt, unde merito & revera, non nomine tantum dii in Sacris Literis dicuntur. Cæteras autem creaturas omnes, ſeu mavis, quamcumque creaturam per ſe conſideratam, ac denique quemcumque alium, qui ab ipſo uno Deo Patre divinitatem aliquam non acceperit, nec eſſe, nec vocari Deum in Sacris Literis: niſi cum aliquo additamento, unde appareat, eum revera non eſſe Deum. Hæc eſt omnino Irenæi ſententia; ut cuilibet ſcripta ejus de hoc argumento diligenter evolventi ac rimanti apparebit. Nam, quod ipſe ſentiat, unum illum & ſolum verum Deum eſſe Patrem tantum, præter innumera fere alibi hujus rei apud ipſum teſtimonia, in hac ipſa de ipſo Dei nomine tractatione non pauca extant. Ut illud paulo poſt initium cap. 9. lib. 3. *Et ipſo Domino Patrem tantum Deum & Dominum eum, qui ſolus eſt Deus & dominator omnium, tradente diſcipulis, ſequi nos oportet, &c.* In qua ſententia confirmanda, quod ſcilicet, Pater Chriſti tantum ſit ille unus Deus, reliquum capitis inſumit. Et lib. 4. cap. 1, poſt alia in eandem ſententiam dicta, ſic legitur: *Et Apoſtoli autem ſecundum eum*, (id eſt, poſt Chriſtum) *tranſgreſſores oſtenduntur præcepti, Demiurgum Deum & Dominum & Patrem confitentes, quemadmodum oſtendimus, ſi non hic ſolus eſt Deus & Pater.* Jam vero, ſententiâ Irenæi explicanda, ſatis teſtimoniorum videmur attuliſſe ad probandum, quod in Sacris Literis nomen Dei, abſolute poſitum, creaturis ipſis aliquando tribuatur: unum, videlicet, ex Pſal. 49. 1, & duo ex Pſal. 81, nempe ℣. 1, 6: quod poſtremum teſtimonium eo plus ponderis habet, quod ab ipſo Domino Jeſu Chriſto, apud Johannem, cap 10. 34, ad hoc ipſum probandum affertur. Adde iſtis ſimilia duo teſtimonia, Exod. 15. 11. Deut. 10. 17. Adde præterea, quod judices ſeu magiſtratus ipſi Dei ſimplici nomine appellantur, Exod. 21. 6. XXII. 26. Ut nihil dicam de Angelis, quos certum eſt non raro eodem nomine in ſcripturis ſignificari. Quod qui negant, meminerint tantum, in Pſal. 8. 6, vocem Hebraicam Elohim, quæ idem prorſus valet, quod Deus ſeu Dii, non ſolum a pleriſque interpretibus, iiſque linguæ Hebraicæ peritiſſimis, de Angelis exponi, ſed etiam ab ipſo Spiritu Sancto in Epiſt. ad Hebr 2. 7, 9: itemque Pſal. 96. 7, eandem vocem Elohim, ut neceſſario aliud ſignificat, quam illum unum Deum, ſic de Angelis à multis, & nominatim ab eodem auctore Epiſt. ad Hebr. 1. 6, expoſitam fuiſſe; quamvis utrobique abſolute vox iſta poſita fuerit. Patet igitur falſam eſſe ut diximus, propoſitionem argumentationis adverſariorum; videlicet, in ſcripturis nomen Deus, abſolute poſitum, non tribui niſi illi uni vero Deo.

Sed fac præterea, propoſitionem iſtam veram eſſe, ſi in eum ſenſum accipiatur, in quem hic accipi neceſſe eſt; ut, ſcilicet, in medio relinquantur ii loci, ubi Chriſtus abſolute Deus nominatur, quippe de quibus inter nos controverſia eſt; an propterea ſequetur, quia Dei nomen, abſolute poſitum, nuſquam alibi cuiquam, niſi illi uni Deo, tribuitur: idcirco, cum Chriſto tribuitur, neceſſe eſſe, ut Chriſtus ſit ille unus Deus? Nullo prorſus modo. Tantopere enim excedit Chriſtus homo omnes alias creaturas, & tam, ultra & ſupra eas omnes, divinitatis particeps eſt factus, ut merito potuerit illi concedi, ut Dei nomine abſolute appelletur; etiamſi id omnibus aliis creaturis perpetuo negatum fuiſſet. An non Chriſtus homo, propter ſuam obedientiam, à Deo nomine donatus eſt, quod eſt ſupra omne nomen Phil. 2. 9? An non excellentius nomen, quam ipſi Angeli, adeptus eſt Hebr. 1. 4. Certe Lactantius * ita veriſſime de ipſo auſus eſt ſcribere, *propterea quia tam fidelis extitit, quia ſibi nihil prorſus aſſumpſit, ut mandata mittentis impleret, & ſacerdotis perpetui dignitatem, & regis ſummi honorem, & judicis poteſtatem, & Dei nomen accepit.* Quem imitatus Chriſtophorus Longolius homo alioqui Eccleſiæ Romanæ addictus, in ea oratione, quam ad Lutheranos ſcripſit, hæc verba habet: *Quid Chriſtum ſummi regis honore, ſummi judicis poteſtate, ſummi Dei nomine adornavit? Nempe illa animi demiſſio, &c.*

Vidimus, nec propoſitionem, nec conſequentiam argumentationis adverſariorum conſiſtere. Nunc de aſſumptione, quamvis ea, recte intellecta, vera cenſenda ſit, aliquid tamen, ut eam lector recte intelligat, dicendum eſt; & interim oſtendendum, vix locum ullum, inter loca ab adverſariis allata, eſſe, ex quo illa probetur. Sciendum eſt igitur ante omnia, nomen Deus ſua natura eſſe nomen appellativum, & idcirco pluribus conveniens: per excellentiam tamen uni illi ſummo rerum auctori & conditori ſingulariter attribui: ita ut, in Teſtamento Novo, cum ſubjecti locum abſolute obtinet, ſive cum articulo ſit, ſive ſine articulo, vel cum obtinet rationem prædicati, ſi articulum habeat ſimpliciter, aut ſine tali adjuncto vel conſtructione, quæ articuli vim infringat; nunquam niſi ipſi ſoli, ne Chriſto quidem ipſo excepto, tributum inveniatur. Nam, ſicubi Chriſtus in Novo Teſtamento Deus nominatur: tunc nomen Deus non ſubjecti, ſed prædicati locum tenet; ac præterea vel articulo caret, vel quidpiam aliud, præter articulum, adeſt, quod articuli vim infringit.

Jam primus locus, ad aſſumptionem argumenti probandam, id eſt, ad oſtendendum, quod Chriſtus, Deus abſolute in ſcripturis vocetur, ab adverſariis allatus, Eſai. 6. 9, id minime probat. Neque enim abſolute nomen Deus eſt ibi poſitum, ſed cum adjuncto Fortis. Ut interim taceam, quod Rabbini appellationem iſtam una cum cæteris, quæ ibi recenſentur, non ad Meſſiam referunt: de quo ibi alioqui vaticinationem eſſe concedunt: ſed ad illum, qui ejus nomen vocabit; nempe ad unum illum Deum. In Hebræo enim vocabit legitur, non vocabitur, ut habet vulgata editio. Deus autem alibi alicujus nomen vocare ſimpliciter dicitur, nulla alia re addita; idque apud eundem Eſaiam cap. 45. ℣. 3, ubi non pauci, phraſim iſtam Hebraicam non animadvertentes, vel intellexerunt, Cyrum ibi vocari à Jehova Deum Iſraëlis, vel exiſtimarunt, verba, quæ ibi leguntur, *voco nomen tuum*, eo reſpicere, quod paulo ante, in eodem orationis contextu, Cyri nomen ipſum expreſſum fuerat. Hieronymus tamen Oſorius ejus vim eſt aſſecutus;

* Lib. 4. cap. 14.

& verba

& verba iſta in ſua Paraphraſi his verbis explicavit, *tibi præſens adero, teque benignitate ſingulari complectar.* Hæc autem dico, non quod interpretationem Rabinorum probem in loco iſto ab adverſariis allato: ſed ut eo magis appareat, non eſſe certam probationem, quam inde illi ſumunt. Adde autem iis, quæ diximus, quod multi verba iſta, *Deus fortis*, ex Hebræo aliter legunt, videlicet, *Fortis heros*, vel, converſo ordine, *Heros fortis.*

De ſecundo loco Joh. 20. 29. idem dico, quod de primo affirmavi; videlicet, non haberi ibi Dei nomen abſolute poſitum, ſed cum adjuncto Meus. Quod adjunctum, ut ſupra in reſponſione ad 7. arg. ſuperioris claſſis oſtendimus, efficit, ut additus articulus (ſi modo ibi nomen Deus nominativi, & non potius vocativi caſus cenſeri debet) ſuam vim non retineat.

In tertio loco Act 20. 28. (ubi, ſi nomen Deus ad Chriſtum referretur, contra id, quod ante diximus, Chriſtus Dei nomine, ſubjecti locum tenente, in Novo Teſtamento appellaretur) dicimus, nomen Deus ad Chriſtum minime referri debere, ſed ad ipſum Deum patrem; cujus dicitur is eſſe ſanguis, quem Chriſtus effudit, ea figura ſermonis & ob eam cauſſam, propter quam dicitur apud Prophetam, eum, qui tangit Dei populum, ipſius Dei pupillam oculi tangere: & ſupra, in diſſolutione 9. argumenti ſecundæ claſſis, oſtendimus, Euangeliſtam Johannem ejuſdem Prophetæ verba de ipſo Deo Patre dicta, *videbunt in quem transfixerunt*, merito ad Chriſtum lancea in cruce transfixum accommodare potuiſſe. Summa enim & perfectiſſima alioqui inter Deum Patrem, & Chriſtum conjunctio, etiamſi utriuſque eſſentia neceſſario ſit diverſa, efficit, ut Chriſti ſanguis, ipſius Dei Patris ſanguis appellari queat: præſertim cum, ut pro nobis fuſus fuit, conſideratur. Eſt enim Chriſtus agnus Dei qui peccatum Mundi tollit, & conſequenter ſanguis hujus agni, in hunc finem effuſus, ipſius Dei ſanguis merito dici poteſt; non quaſi ipſe Deus hunc ſanguinem in ſeipſo habeat; ſed quia illum ſingulari ratione, ſicut & agnum ipſum, poſſidet atque, ut rem ſuam; una cum ipſo agno, pro noſtris peccatis expiandis dat. Taceo quod in Syriaca editione pro *Dei*, legitur *Chriſti.*

Quartus locus Rom. 9. 5. ut, in octavo ſuperioris claſſis argumento diluendo, diximus, commodiſſime ita accipi poteſt, ut nomen Deus ad Deum Patrem referatur; niſi ea ratio obſtet, quam nos ibi attulimus; quæ etiamſi nos non parum noveat, aliis fortaſſe non probabitur. Præterea non eſt ibi Dei nomen abſolute poſitum: ſed cum illa additione, *ſuper omnia*, ſeu *ſuper omnes*; quæ indicat, nomen Deus pro Domino ſeu Dominatore divino accipiendum eſſe. Atqui nemo eſt, qui auſit negare, Chriſtum, ut hominem, divina ratione cunctis dominari, & omnibus, uno tantum Deo, qui illum ad tantam ſublimitatem extulit, excepto, excellentiorem eſſe.

Quinctum locum, Apoc. 4. 8. non ad Chriſtum, ſed ad Deum referri debere, docuimus ſupra, cum diluimus ſextum argumentum primæ claſſis. Neque hic quidquam addere eſt opus.

Sextus locus, 1 Joh. 3. 16. non ita legitur in Græco; ubi deeſt nomen ipſum Dei, propter quod allatus fuit. Sed fingamus, Latini veteris interpretis lectionem recipiendam * eſſe, quamvis à Syriaco quoque interprete rejiciatur; num idcirco pronomen Ille, quod ſequitur, referet Dei nomen; Non ſane, tum propter eas cauſſas, quas in reſponſione ad 12. arg. ſuperioris claſſis explicavimus, tum etiam, quia in Græco pronomen iſtud eſt ἐκεῖνος quod non modo eum, qui multo ante, verum etiam eum, qui nunquam antea aperte nominatus fuerit, referre & ſignificare poteſt. Quod idem de pronomine ipſo Latino Ille vere affirmare licet.

Volui demonſtrare, nullum ex teſtimoniis, quæ Adverſarii protulerunt, probare, Chriſtum abſolute Deum in ſcripturis vocari; non, ut dictum eſt, quia id negem eo pacto explicatum, quo antea explicui; ſed quia in nonnullis ex iſtis teſtimoniis, ſi Dei nomen ad Chriſtum referri deberet, id eſſet contra prædictam explicationem noſtram; quam ego veriſſimam eſſe arbitror: licet alioqui in Vetere Teſtamento Dei nomen, tunc etiam, cum ſubjecti locum tenet, abſolute creaturis tributum inveniatur. Ut ex iis teſtimoniis conſtare poteſt, quæ ſupra citavimus. Fateor igitur, Chriſtum alicubi in Novo Teſtamento abſolute vocari Deum. Dei tamen nomine prædicati loco obtinente, & articulo, qui ſuam vim integram retineat, carente. Nec vocari tantum fateor Chriſtum Deum: ſed etiam eſſe, & quidem ipſum hominem Chriſtum. Nec fateor modo, verum etiam contendo. Nempe quia Chriſtus homo divina poteſtate atque imperio eſt præditus. Nam ſi, ut ipſemet ait, Joh. 10. 34. Scriptura cujus dicta reſcindi non poſſunt, eos affirmat eſſe Deos, ad quos illius unius Dei ſermo factus fuerat; quanto magis Chriſtus homo erit Deus, qui à Patre ſanctificatus fuit & in Mundum miſſus; id eſt à cæteris hominibus, & porro à creatis rebus omnibus diviniſſima atque excellentiſſima ratione fuit ſegregatus, & donis cæleſtibus ſupra alias omnes res creatas, ſine ulla controverſia, repletus ac cumulatus, vitæ immortali & beatiſſimæ humano generi & annunciandæ & reipſa dandæ præpoſitus fuit? Jam quacunque alia ratione quis interpretari velit iſtam a Patre ſanctificationem, & in mundum miſſionem; nemo non videt, utramque ad Chriſtum, ut hominem, pertinere, & conſequenter, Chriſtum ipſum teſtari, divinitatem ſuam, quamvis excellentiſſimam, non ſibi eſſe naturalem, ſed ex gratia ſibi à Deo Patre datam fuiſſe.

Conantur Adverſarii, & inter cæteros Bellarminus, hunc ſcopulum vitare. Sed interim in alium non minus periculoſum impingunt. Verba Bellarmini To. 1. Col. 297. B. à Vujeko pag. 59. & 60. relata, ſunt iſta: *Reſpondeo cum Hilario Lib. 7. de Trinit. Chriſtum voluiſſe dicere, Si illi poſſunt appellari Dii qui dono Dei participant Deitatem, quia ſermo Dei ad eos factus eſt, & ſunt a Deo principes aliorum conſtituti, auctoritate ab ipſo accepta, quanto magis ego poſſum dici vere Deus, licet homo ſim, cum Pater me ſingulari dono ſanctificaverit, id eſt ſanctum ſanctorum fecerit, in ipſa conceptione uniendo naturæ meæ humanæ hypoſtaſim Verbi ſui*, &c.

Longum eſſet, ſi docere velim, Hilarium neque hæc dicere, neque ita ſentire, ut Bellarminus ait. Legat, quicunque velit, verba ipſius eo loco, quem Bellarminus citavit; & videbit, quam verba ejus abſint ab eo, quod iſte eum dicentem facit. Tantum hoc affirmo, neceſſe eſſe, ut ipſe Hilarius ait, ut omnis, in Chriſti verbis, de homine reſponſio ſit. Sed quid ſcopulus alter ille ſit, in quem una cum aliis impingit Bellarminus, explicemus. Rogo enim, quis iſte eſt, qui, ſe à Patre ſanctificatum eſſe, dicit, per unionem Verbi ejuſdem Patris cum natura ſua humana? Si dicat Bellarminus, eſſe ipſum Verbum? mendacium manifeſte apparebit; cum verbum hic conſideretur, ut res diverſa ab eo, qui loquitur; quippe quod naturæ ejus humanæ unitum fuiſſe dicatur. Si dicat, eſſe ipſam naturam humanam; hic ſimiliter mendacium apparebit manifeſtum; cum ſimiliter, naturam humanam diverſum quid eſſe conſtet ab eo, qui loquitur; quippe qui naturam hanc humanam ſe habere profiteatur: ac præterea natura humana in Chriſto per ſe, ut ipſis Adverſariis placet, nullam ſubſiſtentiam habeat, & idcirco nec loqui, nec quidquam aliud per ſe agere poſſit. Quod ſi denique dicat, eſſe totum illud ſuppoſitum Verbi & naturæ humanæ, cui Verbum unitum fuerit; non minus falſum hoc eſſe conſtabit. Quomodo enim, obſecro, fieri poteſt, ut Verbum uniatur naturæ humanæ ipſius Verbi jam cum natura iſta humana conjuncti? Quis unquam has labyrintheas ambages, explicare poſſit? Quis non aperte cognoſcat, neceſſe eſſe, ſi Adverſarii, ſanctificationem iſtam à Patre, interpretari velint unionem Verbi cum natura humana, ut iſte ſanctificatus

* Complutenſis tantum Græca editio conſentit cum vulgata Latina.

ſit,

ſit ipſe homo Chriſtus Jeſus ab ipſo verbo diſtinctus, per cujus ſua cum natura humana unionem ſanctificatus fuerit? Atqui, hac ratione, cum adverſus ipſorum placita, tum contra ipſiſſimam veritatem, & hominis Jeſu Chriſti ſubſiſtentia inducitur citra ipſum Verbum, & duæ perſonæ in Chriſto ſtatuuntur; nempe Verbi ipſius, & hominis Jeſu Chriſti. Conſideret præterea lector, quod, cum Adverſarii vulgo affirment, Verbum univiſſe ſibi naturam humanam; hic, ut ſanctificationem iſtam à Patre factam, unionem iſtam interpretentur, aliter, id eſt, contraria ratione loqui coguntur, & dicere, Verbum fuiſſe unitum naturæ humanæ; ne alioqui ex eorum interpretatione ſequatur, Verbum, ex eo, quod naturam humanam ſibi univerit, ſanctificatum fuiſſe. Quod longe abſurdiſſimum eſſe conſtat. Ad hæc animadvertatur, non ſatis eſſe, ſi Bellarminus una cum ſuis ſanctificationem iſtam, quam ſe habuiſſe à Patre Chriſtus ait, ita interpretetur, ut unionem Verbi cum humana natura ſignificet: unde fiat, ut Chriſtus merito Deus appellari poſſit, & ſic non gratia donata, ſed naturalis Chriſti divinitas eſſe appareat; niſi etiam doceat, quomodo ex eo, quod Pater Chriſtum in Mundum miſerit, juncto cum eo, quod eum ſanctificaverit, ſequatur, Chriſtum eſſe Deum; non quidem gratia ſed natura. Utrumque enim ſimul Chriſtus commemorat, & ex utroque ſimul fieri contendit; ut ipſe jure Deum ſeu Dei filium, quamvis homo eſſet, ſe nominaverit. Nunquam autem iſtud Bellarminus docere poterit; & propterea, in ſua Chriſti verborum interpretatione, iſtius in Mundum miſſionis nullum penitus verbum fecit. Eſt autem Mitti in Mundum, non quidem naſci, ſeu ex loco aliquo qui extra terrarum orbem ſit, in ipſum induci: ſed, poſtquam quis jam in orbe terrarum eſt natus & adultus, munei alicui præfici, quod publice inter homines ſit obeundum, ut vel unus ille locus ſatis docet, qui eſt Joh. 17. 18. *Sicut tu me miſiſti in Mundum, & ego miſi eos in Mundum.*

Sed habet Bellarminus ex Chryſoſtomo aliud effugium, ut evitet, quominus Chriſtus ſuam divinitatem loco iſto apud Joh. c. 10. totam Dei Patris gratiæ aſcripſerit; Videlicet, quod Chriſtus nonomnino iſtis primis verbis ſuæ divinitatis rationem explicuerit, ſed iis, quæ ſtatim conſequuntur, *Si non facio opera Patris mei*, &c. Ex hoc enim, quod Chriſtus opera Patris ſui faciebat, vult, illum potiſſimum argumentari, ſe eſſe Deum, & porro non gratia, ſed natura Deum. Verum nec mens Chriſti fuit, verbis iſtis, ſe Deum eſſe, oſtendere, ſed ſummam, quam cum Deo Patre ſuo conjunctionem habebat, demonſtrare; & falſum eſt, ex eo, quod Chriſtus Dei Patris opera faceret, ſequi, illum eſſe Deum non gratia, ſed natura; ut apertius conſtabit in reſponſionibus ad argumenta 6. claſſis, & ſatis intelligi poteſt ex iis, quæ diſputata ſunt in reſponſione ad 1. arg. claſſis ſuperioris. Sequitur quidem ex illa ſumma conjunctione Chriſti cum Patre, ipſum eſſe Deum, Deum, inquam, ea ratione, quæ pluribus in locis à nobis explicata fuit. Sed tamen hoc, quod attinet ad id, de quo Chriſtus agebat, cum ſe Patris opera facere affirmabat, ex accidente eſt. Id enim, iſtud affirmando, agebat Chriſtus, ut, omiſſa de appellatione Dei, quam ipſe ſibi tribuiſſet, quippe de qua jam ſatis reſpondiſſet, diſputatione, rationem redderet, cur dixiſſet, ſe unum eſſe cum Patre unde Judæi occaſionem ceperant illi objiciendi, quod ſe Deum faceret; cum tamen ipſe nunquam ſe Deum, ſed tantummodo Dei filium nominaſſet. Cæterum, antequam ad 2. hujus claſſis arg. diſſolvendum accedo, lectorem moneo, ut, ſi fortaſſe dubitat, an alii etiam præter Irenæum, qui orthodoxi exiſtimentur, ante nos ſenſerint, Dei ſimplex nomen ipſis etiam creaturis tribui; legat in opere illo, quod falſo Juſtino inſcribitur, Reſponſionum ad Orthodoxos, Reſponſionem 142. Eſt enim ſcriptor ille non ſolum Trinitarius, ſed etiam, meo quidem judicio, alioqui magnus theologus. Legat etiam Auguſtinum in Quæſtionibus ſuper Geneſim, Quæſtione 105. & Cyrillum Alexandinum lib. 1. in Johan. cap. 4. Ubi quod Auguſtinus, loco prædicto, minus explicite dixit, ipſe explicatiſſime his verbis, Georgio Trapezuntio interprete, expoſuit: *Illud apprime tenendum eſt, quod quando divina ſcriptura nominibus, ſecundum Græcæ linguæ uſum, articulos præponit, tunc & unum & quod ſolum proprie atque vere tale quid dicitur, ſignificat, articulo autem non adjecto, generalius cuncta deſignat, ut verbi cauſa: Multi vocati ſunt dii: ſed quando cum articulo Græca lingua Deus dicitur, tunc ſolus & propriè Deus deſignatur. Cum verò abſque articulo Deus profertur, qui ad hoc gratia vocatus eſt, intelligitur* Quamvis enim Cyrillus de uſu articuli in Dei nomine minus vere loquatur (qua de re Auguſtinus cautius eſt locutus) tamen ex ipſius verbis iſtis, quemadmodum & ex Auguſtini verbis, apparet, eum ſenſiſſe, nonnunquam in S. Literis quempiam vocari Deum, qui non natura, ſed gratia ſit Deus. Jam hic nihil reſpondemus ad id, quod Adverſarii ajunt, Chriſtum non poſſe eſſe Deum, niſi idem Deus ſit cum Patre ſuo, quin convellantur dicta & præcepta de uno ſolo Deo, quem habeamus, & habere debeamus: nam huic objectioni ſatisfactum eſt in ipſo ferme initio hujus noſtræ Refut., id eſt, c. 1. & alibi etiam ea ſunt dicta, per quæ illa penitus diluitur, & nihili eſſe oſtenditur.

De ſecundo nomine Dei.

Secundum nomen divinum, quod Chriſto tribui in S. Literis Adverſarii volunt, ex quo conſtet, Chriſtum eſſe illum unum Deum, eſt nomen Jehova, quod nomen illius unius Dei proprium eſſe probant ex eo, quod ſecundum Hebraicam veritatem, ſcriptum eſt Exo. 15. 3. *Jehova nomen ejus.* Jam, hoc nomen Chriſto fuiſſe tributum, primum oſtendere nituntur, allato Hieremiæ teſtimonio, cap. 23. 5. *Et ſuſcitabo David germen juſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit.* Et infra: *Et hoc eſt nomen, quo vocabunt* Hebraice ad verbum eſt, *vocabit*) *eum, Jehova juſtus noſter*, ſeu, *juſtitia noſtra.* Item Eſaiæ teſtimonium afferunt, cap 40.3. *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Jehovæ*; quod vulgo legitur Domino. Nam, hunc Dominum eſſe Chriſtum, cui Johannes Baptiſta viam paravit, *teſtantur*, inquiunt, *omnes Euangeliſtæ, Mat.* 3. 3. *Marc.* 1. 4. *Luc.* 3. 4. *Joan.* 1. 24.

Reſpondeo, in neutro ex iſtis duobus locis nomen Jehovæ abſolute Chriſto tribui, ita ut ipſe Chriſtus ſimpliciter Jehova appelletur. Quod ad locum Eſaiæ attinet, ſatis eſſe poſſunt ea, quæ diximus in reſponſione ad 8. & 11. arg. 1. claſſis. In loco autem apud Hieremiam verba intermedia, quæ in recitatione teſtimonii, non ſine conſueta ſua arte atque aſtu Bellarminus omiſit, oſtendunt, poſtrema verba potius ad Iſraëlem, quam ad regem illum, id eſt, Chriſtum referri debere. Sunt autem omiſſa verba iſta: *& faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illius ſalvabitur Juda, & Iſraël habitabit confidenter.* Et ſtatim ſequitur; *& hoc eſt nomen, quo vocabunt eum*, &c. Similis plane ac fere idem eſt locus apud eundem Hieremiam cap. 33. 15. ex quo apparebit, ultima ſuperioris teſtimonii verba ad Iſraëlem proxime nominatum referenda eſſe. Is locus ex Hebræo ad verbum ſic habet: *In diebus illis & in tempore illo germinare faciam Davidi germen juſtum: & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſervabitur Juda, & Hieruſalem habitabit confidenter; & hoc* (ſubaudi *nomen ejus*, ut habes in ſuperiore loco) *quo vocabit eam, Jehova juſtitia noſtra. Eam* enim expreſſe habet Hebraicus codex; quod pronomen neceſſe eſt, ut referat Hieruſalem: quæ hic manifeſte eundem locum tenet, quem in ſuperiore teſtimonio Iſraël. Itaque ibi, pronomen Eum ſimiliter Iſraëlem referre, prorſus eſt veriſimile. Quod ſi regem etiam illum, id eſt, Chriſtum ibi referret; jam ex hoc altero teſtimonio conſtaret, vel non propterea abſolute affirmari poſſe, Chriſtum, Jehovam fuiſſe appellatum, vel certe ex tali appellatione non conſequi,

eum eſſe revera ipſum Jehovam; niſi ſimiliter concludere velimus, Hieruſalem revera eſſe ipſum Jehovam. Jam, ſive de Chriſto, ſive de Iſraële ultima verba prioris Hieremiæ teſtimonii dicantur; ſenſus eſt, tunc futurum, ut Jehova ille unus Deus noſter nos juſtificet. Hoc enim tempore illo, per Chriſtum, in Iſraële populo ſuo, Jehova facturus erat: Docent nos hunc ſenſum alii loci ſimiles non pauci, ex quibus duos adverſum ſe ex Rabbinis Bellarminus * citat, videlicet, Exo. 17. 15. *Ædificavit Moſes altare, & vocavit nomen ejus, Jehova exaltatio mea*: & Ezechielis prophetiæ ultima verba, *Et erit ex eo die nomen urbis Jehova illic.* In quibus, & aliis ejuſmodi locis non tribuitur ipſum nomen Jehova rebus iſtis; de aliquid de Jehova per illas, aut circa illas ſignificatur. Torquet ſe plurimum Bellarminus, ut iſta apertiſſima exempla eludat. Sed nihil prorſus agit. Et tandem turpiter diſputandi vera ratione neglecta, novum, dum reſpondere videri vult, argumentum nectit.

Ait enim primum de Deo Patre non dicit, *Jehova juſtitia noſtra*, ſed de Chriſto, *ipſe eſt n.* inquit, *qui pro nobis divinæ juſtitiæ ſatisfecit. Unde Iſa. 53. dicitur*: In ſcientia ſua juſtificabit ipſe ſervus meus multos. *Et* 1 Cor. 1. Qui factus eſt nobis ſapientia, & juſtitia, & redemtio. Quid audio? Deus Pater non eſt juſtitia noſtra, id eſt, non ipſe nos juſtificat? Potuitne quidquam minus theologice, vel potius magis impie dici? Quis unquam fuit, qui auſus ſit negare, Deum Patrem nos ſervare, redimere, juſtificare, licet Chriſto quoque hæc tribuantur, ut, videlicet, mediæ & ſecundæ cauſſæ, qua ad hæc efficienda Deus Pater utitur? Quid rogo, cum Paulus ait Rom. 8. 33. *Deus eſt, qui juſtificat*, nunquid Deum Patrem non intelligit? Jam verba, quæ paulo ante leguntur, *quos vocavit, hos & juſtificavit*, manifeſte ad eum referuntur, de quo antea dixerat, *prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui.* Numquid hic non eſt Deus Pater? Sed ineptus eſſem, ſi in re certiſſima & apud omnes confeſſa plura teſtimonia proferrem.

Deinde vero Bellarminus, ut elabatur, dicit, nec altare illud, nec Hieruſalem dici ſimpliciter Jehovam: ſed Chriſtum, dici: & affert teſtimonium, quod ſupra ex Vujeko retulimus, Eſa. 40. 3. &c. Atqui hoc eſt novum argumentum afferre, ad probandum, quod Chriſtus nominetur Jehova, non autem jam allatum defendere, & optime fecit Vujekus, qui teſtimonium iſtud diſtincte omnino à priore recenſuit. Sed quam illud ſit ineptum ad probandum, quod iſti volunt, una cum aliis teſtimoniis, quæ hic Bellarminus ait, ſe in prima & ſecunda claſſe attuliſſe, in quibus Chriſtus vocetur Jehova, ſuis locis ſupra ſatis demonſtratum fuit.

Addit Bellarminus, de Chriſto dici id, quod nomen Jehova ſignificat. Unde concludit, & ipſum nomen ei convenire. Verum, aut iſtud, quod de Chriſto dicitur, ſignificatum à nomine Jehova, ejuſmodi eſt, ut ſoli illi uni Deo, conveniat: aut non eſt. Si eſt; quid ineptius, quam ex re ipſa, quæ de Chriſto dicitur, non ſtatim argumentari, ipſum eſſe illum unum Deum: ſed ex ea prius colligere, nomen, quod eam ſignificat, Chriſto convenire, ut inde poſtmodum concludatur, Chriſtum eſſe illum unum Deum? Si non eſt; fruſtra ex nomine, quod propter rem, quam ſignificat, Chriſto convenire Bellarminus ratiocinatur, id concludit, quod ex ipſa re concludere nequit. Cæterum Bellarminus contendit, nomen Jehova proprie ſignificare *eum, qui eſt fons eſſendi, & cum non habeat eſſe ab alio, dat rebus omnibus ut ſint.* Non revoco nunc in dubium, quamvis jure poſſem, iſtam, quam Bellarminus ait eſſe propriam nominis Jehovæ ſignificationem, non etiam ex hac ipſa ſignificatione concludo, Chriſtum, ſeu Dei filium, non eſſe Jehovam; cum magnis viris Pontificiis teſtibus, ipſoque Bellarmino † non abnuente, certum ſit Dei Filium non eſſe fontem eſſendi, & ſuum eſſe ab alio, id eſt, à Patre habere. Sed quæro, ubinam iſta, quæ nomine Jehovæ Bellarminus ſignificari affirmat, de Chriſto dicantur. Profert ipſe teſtimonium illud ex Apoc. 1. 4. & 11. cap. *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Atqui neque de Chriſto hæc verba in iſtis locis dicuntur, ut ſupra docuimus, ſed de Deo Patre; nec iſtum eſſendi fontem exprimunt, ſed perpetuitatem tantummodo declarant. Deinde affert etiam teſtimonium illud Joh. 13. 19. *A modo dico vobis, priuſquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum.* At quam longe abeſt, quod Chriſtus dicat, Ego ſum, ab eo, quod profiteatur, ſe eſſe fontem eſſendi! Eſt enim dictum à Chriſto ſæpius de ſeipſo, Ego ſum, conciſe ac figurate, pro eo, quod eſt Ego ſum ille Dei filius, ſeu Chriſtus, ſeu Lux & ſervator Mundi, ſeu aliquid tale. Ut aperte docet locus ille Joh. 8. 25. *Si enim non credideritis, quod ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.* Nam certe non voluit Dominus Jeſus dicere, ſi non credidiſſent Judæi, ipſum eſſe fontem eſſendi, morituros eſſe in peccatis ſuis: ſed ſi non credidiſſent, ipſum eſſe Meſſiam ſeu Chriſtum Dei filium. Sed & paulo inferius ℣. 28. idem Dominus Jeſus ait, *cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil: ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.* Quis ex iſtis, quæ ſubjungit Jeſus, non agnoſcit, Ego ſum, ſignificare Ego ſum Meſſias ſeu Chriſtus Dei, qui ejus vi atque auctoritate omnia & facio, & loquor? Quomodo, quæſo, cohærere poſſent iſta, ſi dixiſſet, Ego ſum fons eſſendi, & à me ipſo facio nihil, &c. Jam igitur Bellarminus iſtas putidas ratiocinationes reliquat, & meliores; ſi habet proferat.

Affert autem poſtremo, quod nomen Jehova redditum eſt à 70 interpretibus κύριος, & ab Hieronymo Dominus: Chriſtus autem paſſim κύριος ſeu Dominus abſolute appellatur. Unde concludit, eum appellari Jehovam. Reſpondeo, nec 70 interpretes, nec Hieronymum, eos imitatum, reddidiſſe nomen Jehovam κύριον ſeu Dominum, quia putarent, ſe hoc pacto nomen illud exprimere; ſed quia nec 70 illis melius quidquam ſuccurrit, quod Græcis auribus inauditum non foret, nec Hieronymus hac in parte quidquam innovare voluit. Alioqui nomen Jehova eſt nomen proprium, κύριος vero ſeu Dominus, appellativum & plurimis vulgo tributum: & idcirco, vel ob hoc ſolum valde ineptum ad nomen Jehovæ exprimendum. Conati tamen ſunt 70 huic malo hac ratione mederi, ut, ſcilicet, nomen κύριος fere ſemper cum Jehovæ loco ponitur, ſit ſine articulo; ut etiam alibi ante monuimus; quo commodius nomen proprium referre poſſet. Neque enim ſolent appellativa nomina in Græca lingua, cum ſubjecti locum tenent, efferri ſine articulo. At Chriſtus, cum κύριος ſubjective (ut ſic dixerim) appellatur, fere ſemper articulus præponitur nomini iſti. Ex quo fit, ut ego argumentum ab eodem nomine κύριος ductum in ipſum Bellarminum torqueam: & merito ſic concludam, Cum nomen κύριος, quando Jehovam ſignificat, fere ſemper ſine articulo efferatur, quando vero Chriſtum, fere ſemper cum articulo; ſatis conſtare poſſe, Chriſtum non eſſe Jehovam, &, quod κύριος nominetur, minime propterea Jehovam nominari. Nihil autem dico, quod, ſi angeli ipſi multo Chriſto inferiores, cum Jehovæ perſonam aliqua in re ſuſtinent, Jehovæ nomine appellati inveniuntur, ut non uno in loco ſup: à nobis demonſtratum eſt; multo magis fieri poteſt, ut Chriſtus, qui perpetuo in toto ſalutis noſtræ negotio Jehovæ Dei perſonam ſuſtinet, ipſiuſque perpetuus in Eccleſia vicarius eſt, Jehovæ nomine appelletur: nec tamen ipſe ſit revera Jehova · ſive ejuſdem cum ipſo eſſentiæ. Nam certe nullus angelorum eſt revera Jehova, eandemve cum ipſo Jehova eſſentiam habet.

De Tertio Dei nomine.

Tertium divinum nomen, quod Chriſto in Scripturis tribui, aſſerunt Adverſarii, eſt Altiſſimus. Pro-

* To. 1. Col. 324. D. † Tom. 1. Col. 405. B. &c.

Proferunt teſtimonium ex Pſal. 86. 5. Sed ad probandum, nomen Altiſſimi, quod ibi legitur, de Chriſto intelligi debere, nihil prorſus afferunt, niſi auctoritatem Hieronymi, Auguſtini, & aliorum expoſitorum. Egregia ſane probatio, quæ, ne ut commemoraretur quidem, digna fuit; nedum ea nobis ſit refellenda.

Sed addunt, Zachariam Johan. Baptiſtæ patrem Chriſtum vocaſſe Altiſſimum, cum prædixit de filio ſuo Luc. 1. 76, eum vocatum iri Prophetam Altiſſimi, quia præiturus eſſet ante faciem Domini. Nam, hunc Dominum, nullum alium, quam Chriſtum, eſſe contendunt. Quod falſum eſſe oſtendimus in reſponſio ad argumentum undecimum primæ claſſis, & ſecundum tertiæ. Adde, quod non ſequitur: Johannes vocabitur Propheta Altiſſimi, quia præibit ante faciem Chriſti: Ergo Chriſtus eſt Altiſſimus. Sed potius ſequitur, Ergo Chriſtus ab Altiſſimo ita pendet, ut ejus munus univerſum ab ipſo immediate proficiſcatur; adeo ut eum, qui ante Chriſti faciem miſſus fuerit, ab ipſo Altiſſimo mitti neceſſe ſit, & conſequenter ipſius Altiſſimi Prophetam eſſe.

Ajunt præterea, cum Chriſto datum ſit nomen ſuper omne nomen, ut Paulus ait Philip. 2. 9. eum poſſe vocari Altiſſimum. Hoc genus argumentandi, ubi de ipſo nomine agitur Chriſto in Scripturis tributo, quemadmodum, cum de nomine Jehovæ ageretur, innuimus, prorſus ineptum eſt, & nihil revera ad rem facit. Neque enim quæſtio hic eſt, utrum Chriſtus propter aliquam cauſſam poſſit vocari Altiſſimus, ſed an in Scriptura vocatus fuerit: cum ea nomine Altiſſimi nullum alium, præter illum unum Deum, appellare ſoleat. Mirum autem profecto eſt, Adverſarios audere, inde Chriſtum, illum unum Deum eſſe, probare, unde maxime probatur, eum non eſſe. Uni enim illi Deo nemo quidquam dare poteſt. Atqui in loco iſto non ſolum nomen ſupra omne nomen datum Chriſto fuiſſe legimus, ſed ab illo uno Deo. Habet enim in Græco vox Deus articulum. Ex quo etiam apparet, Chriſtum, quamvis iſtud nomen ſupra omne nomen habeat; non tamen ſimpliciter & abſolute poſſe vocari Altiſſimum 1 Cor. 15. 17, &c. cum altior ipſo ſit is, qui ei iſtud nomen dedit, & præter ſeipſum illi omnia ſubjecit. Cui, ut ſe altiori, ſubjicetur Chriſtus manifeſte, ſuo tempore, una cum omnibus, quæ ſibi ab ipſo ſubjecta fuere.

Hinc patet reſponſio ad id, quod Adverſarii poſtremo addunt de Chriſto, ab eodem Paulo Rom. 9. 5. dicto Deo ſuper omnia, etiamſi *omnia*, & non potius *omnes* apud Paulum legendum eſſet, ac certum foret, locum iſtum ad Chriſtum referendum eſſe. Neque enim hinc ſequitur, Chriſtum ſimpliciter, & abſolute Altiſſimum nominari poſſe; cum aliunde certum ſit, hoc, quod Chriſtus ſit Deus ſuper omnia, ab uno illo Deo profectum fuiſſe, qui illi ſubjecit omnia. Unde neceſſario ſequitur, nec Chriſtum eſſe illum unum Deum, & ſupra ſe iſtum unum Deum habere, & conſequenter, Chriſtum non eſſe ſimpliciter & abſolute Altiſſimum.

De quarto Dei nomine.

Quartum nomen Dei proprium, Chriſto tributum, ajunt Adverſarii eſſe nomen inviſibilis. Probare conantur aſſumptum, primum ex eo, quod ſcriptum eſt, neminem noſſe Filium, niſi Patrem, Matth. 11. 27.

Hæc probatio nihili eſt; cum ipſum nomen Inviſibilis, de quo agitur, in teſtimonio iſto, Chriſto tributum minime legatur. Deinde aliud eſt Non cognoſci, aliud Inviſibilem eſſe. Quod vel ex eo patet, quod ibidem dicitur, Patrem non cognoſci, niſi à Filio, & ab iis quibus Filius revelare voluerit. Ergo pater, Chriſto revelante cognoſcitur. Et tamen certum eſt, Patrem omnino inviſibilem eſſe. Ex quo poſtremo apparet, non abſolute negaſſe Chriſtum in loco prædicto, ſe ſeu Filium à nemine cognoſci, niſi à Patre: & in verbis ipſius, cum ait, *nemo novit Filium, niſi Pater*, ſubaudiendum eſſe, *& cui voluerit Pater revelare*. Nam ipſe Chriſtus Petro cognoſcenti, ipſum eſſe Filium Dei vivi, reſpondit Mat. 19. 17, *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*. Niſi quis malit, verba illa, *& cui voluerit Filius revelare*, ad utrumque, quod præceſſit, referre. Ut ſenſus ſit, tam Filium ab alio etiam, quam à Patre, quam Patrem ab alio etiam, quam à Filio cognoſci; modo Filius ei revelare voluerit. Nam alibi etiam ipſe Chriſtus de patefactione loquitur, quam ipſe ſui ipſius faciat, id eſt, Joh. 14. 21. Denique abſurdum eſt cogitare, Patrem cognoſci ab alio etiam, quam à Filio, ipſo Filio patefaciente, Filium vero nullo modo, niſi à Patre, cognoſci. Ex quo ſequitur, etiamſi Non cognoſci, idem eſſet in illis Chriſti verbis, quod Inviſibilem eſſe; tamen ex eis nequaquam concludi poſſe, Chriſtum abſolute eſſe inviſibilem; cum nequaquam abſolute in verbis iſtis negaverit Chriſtus, Filium non cognoſci.

Secundo probare nituntur Adverſarii, Chriſtum dici inviſibilem, quia dicitur Imago Dei inviſibilis. Ajunt enim Col. 1. 15, oportere, ut Chriſtus ipſe ſit inviſibilis; alioqui non poſſet eſſe vera Dei inviſibilis imago.

Hæc probatio eodem vitio laborat, quo & ſuperior. Quandoquidem in teſtimonio iſto nomen, de quo agitur, Chriſto tributum non habetur. Neque enim nomen Inviſibilis in loco iſto de Chriſto dicitur, ſed de Deo; ut Bellarminus ipſe ex Græco contextu conſtare fatetur. Sed etiamſi de Chriſto diceretur, non idcirco Chriſtus Inviſibilis ſimpliciter appellaretur, ſed quatenus eſt imago Dei. Cæterum reſpondeo, immo ex ſententia iſtius enunciationis, quod Chriſtus ſit imago Dei inviſibilis, neceſſario ſequi, ipſum Chriſtum eſſe viſibilem. Dicitur enim hoc reſpectu noſtri, & propterea ſenſus eſt, nos intuendo Chriſtum, Deum videre, id eſt, perinde eſſe, ac ſi videremus Deum ipſum, qui alioqui nobis eſt inviſibilis. Quod ſi ipſe Chriſtus quoque per ſe eſſet nobis inviſibilis, quomodo, quæſo, nobis imago Dei eſſet? id eſt, quomodo nobis repræſentaret Deum? Quod autem Chriſtus Dei imago reſpectu noſtri dicatur, quatenus, videlicet, Euangelium annunciando, nobis Deum patefecit; docet aperte locus ſimilis 2 Cor. 4. 4. Præterea, ſi vera Adverſariorum ratiocinatio eſſet de Dei inviſibilis imagine, quam neceſſe ſit, propter expreſſum attributum iſtud inviſibilis, & ipſam eſſe inviſibilem; ejuſdem ratiocinationis vi ſequeretur, imaginem iſtam Dei, Deum, quatenus inviſibilis eſt, exprimere. Quod non ſolum abſurdiſſimum eſt, ſed etiam implicat contradictionem.

Jam quod poſtremo, ad hanc Chriſti inviſibilitatem confirmandam, ab Adverſariis affertur ex Apoſt. 19. 12, 13. ubi de Chriſto ſcriptum eſt, eum habere nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi ipſe, & nomen ejus eſſe Verbum Dei: unde concludunt, Verbum Dei, id eſt, Dei Filium eſſe quid inviſibile; Hoc, inquam, ſatis ſuperque per ea refellitur, quæ diximus paulo ante, cum examinaremus verba illa ipſius Chriſti, *Nemo novit Filium*, &c.

De quinto Dei nomine.

Quinctum divinum nomen, quod Chriſto tribui Adverſarii aſſerunt, eſt Deus gloriæ, ſeu Rex gloriæ. De Deo gloriæ pro ferunt Pauli teſtimonium, qui 1 Cor. 2. 8. appellat Chriſtum Dominum gloriæ. At enim aliud eſt Deus gloriæ, aliud Dominus gloriæ; præſertim cum certum ſit, vocem Gloriæ in utraque iſta appellatione, ex Hebraico idiotiſmo, idem valere, quod Glorioſus. Nam Deum & Dominum omnino differre, licet aliquando pro eodem accipi videantur, docet manifeſte Paulus, qui non ſemel dicerte inter Deum, & Dominum (idque cum Domini nomine ipſum Chriſtum intelligeret) de eadem re loquens, & ejuſdem rei ratione diſtinguit. Nempe 1 Cor. 8. 6. & cap. 12. 5, & 6. Epheſ. 4. 5, & 6.

De Rege porro gloriæ afferunt teſtimonium Pſal. 23. 7. *Attollite portas Principes veſtras; & elevamini portæ*

æternales; *& introibit Rex gloriæ.* Nam hunc locum de Meſſia intelligendum eſſe dicunt; & nituntur auctoritate Juſtini, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, & aliorum. Verum hic duplex eſt error; Primum, quod non docent, locum iſtum Pſalmi de Chriſto accipi debere, niſi allato, ut ſolent, eorum, quibus nos contradicere profitemur, teſtimonio. Deinde, quod nomen iſtud Rex gloriæ, illius unius Dei nomen eſſe non probant. Etenim ſi dicant, probationem hujus rei apertam eſſe, cum verba illa Pſalmi, *& introibit*; &c. de uno illo Deo dicantur, ut ex ſequentibus patet, ubi iſte dicitur eſſe Jehova fortis & potens; nihil agent. Cum neceſſe ſit, ut locus, unde iſtud probetur, ſit diverſus ab eo, ubi Chriſto idem nomen tribuatur; ſi quidem, ex ipſo nomine Rex gloriæ Chriſto tributo, argumentari velint (ut certe volunt) Chriſtum eſſe illum unum Deum. Alioqui, etiamſi verum erit idem nomen Rex gloriæ tribui & illi uni Deo & Chriſto, quatenus, ſcilicet, ille unus Deus, cui tributum inveniatur, ſit Chriſtus; non tamen ex iſta hujus nominis attributione ſequetur, Chriſtum eſſe illum unum Deum. Immo neceſſe erit, id prius aliunde conſtare; ut in prædicto loco, ex eo quod (quemadmodum Adverſariis placet) ibidem Chriſtus Jehova dicatur: & ſic, quod attinet ad locum iſtum, argumentum non ex nomine Rex gloriæ, ſed ex nomine Jehova ſumetur; quippe de quo nomine ex infinitis Sacris Teſtimoniis certum ſit, unius illius Dei nomen eſſe.

Sed fingamus, Adverſarios non ex nomine Rex gloriæ, ſed ex nomine Jehova, idque ſuo loco, argumentatos fuiſſe: Reſpondemus, locum iſtum Pſalmi vel ad Chriſtum referri non poſſe, vel certe non tanquam ad eum, qui ſit ille ipſe Jehova, de quo ibi nominatim agitur; ſed tanquam ad eum, in cujus perſona, licet diverſæ eſſentiæ ab ipſo Jehova, id impletum fuerit, quod de Jehova ibi prædictum fuit, propter eas cauſſas, quas ſupra in reſponſione ad aliquot argumenta primæ & ſecundæ claſſis attulimus.

De ſexto Dei nomine.

Sextum Dei nomen, Chriſto tributum, ajunt eſſe Rex regum & Dominus dominantium, quod ſoli illi vero Deo convenire dicunt. Ad quod probandum afferunt verba Pauli 1 Tim. 6. 15. de ipſo dicta, *ſolus potens Rex regum & Dominus dominantium.* Nam hoc idem nomen Chriſto tribui, patet ex locis Apoc. 17. 14. & cap. 19. 16.

Reſpondeo primum, vocem Solus, in iſto Pauli teſtimonio, non jungi niſi nomini Potens. Nam in Græco nomen *Rex regum*, &c. habet articulum, qui prohibet, quominus vox *ſolus*, cum eo jungi poſſit. Deinde dico cum vox iſta manifeſte jungatur, ut dictum eſt nomini Potens; ſi Adverſariorum ratiocinatio bona eſſet, ſecuturum, de multis vere dici poſſe, quod unuſquiſque illorum ſit ille ſolus verus Deus. Invenitur enim nomen iſtud Potens, ſive, ut in Græco eſt δυνάστης multis ſimul attributum: Luc. 1. 52. *Depoſuit potentes*, Græce; δυνάστας &c. Et Act. 8. 27. Eunuchus ille vocatur Potens, δυνάστης Candacis reginæ Æthiopum. Quodſi etiam nullum teſtimonium in Sacris Literis extaret hujus nominis alii tributi, quam illi uni vero Deo; quis eſt Græce linguæ non ignarus, qui neſciat, nomen iſtud rectiſſime ac maxime proprie ei convenire, qui potentatum aliquem habeat, & idem ferme ſignificare, quod vox Perſica Satrapa à Græcis & Latinis uſurpata? Quocirca, etiamſi vox *ſolus* in Pauli verbis nomini *Rex regum* &c. jungeretur; non tamen propterea concludendum eſſet, neminem iſto nomine appellari poſſe, niſi illum unum Deum, ſed intelligendum illum unum Deum vocari ſolum Regem regum, &c. quia ipſe ſolus hoc à ſeipſo habet, ut ſit Rex regum, &c. quemadmodum vocatur ſolus Potens ſeu δυνάστης, quia ſolus à ſe ipſo habet, ut ſit Potens ſeu δυνάστης: &, ſi quis eſt præterea, qui vel Rex regum, &c. vel Potens ſeu δυνάστης ſit, hoc illum omnino ab ipſo habere. Nam & ſtatim ſequitur de eodem, *qui ſolus habet immortalitatem*; cum tamen certum ſit, ut alibi ſupra diximus, & angelos habere immortalitatem, & nos in reſurrectione eam adepturos, Luc. 20. 37. 1 Cor. 15. 53. ſed quia nemo præter ipſum, immortalitatem à ſeipſo habet, & quicumque illam habet, aut habiturus unquam eſt, ab ipſo omnino habet, aut habiturus eſt; idcirco ipſe ſolus immortalitatem habere dicitur. Jam, ſi quis dubitat, an Chriſtus hoc à ſeipſo habeat, ut ſit rex regum & Dominus dominantium, an vero ab alio, & à quo, & quomodo; legat tantummodo locum illum apud Danielem 7. 13, 14. ubi Chriſtus homo à Deo univerſale iſtud regnum & dominationem accepturus prædicitur, & per viſionem Danieligraphice deſcribitur ac repræſentatur. Neque eſt ſilentio prætereundum, quod quemadmodum de nomine Deus ſupra monuimus, ſic in nomine iſto Rex regum & Dominus dominantium, cum de illo uno Deo apud Paulum, loco ante notato, dicitur, præponitur ei, ut diximus, articulus. At, cum de Chriſto in duobus illis Apoc. locis effertur, neutrobi articulus apponitur. Quod indicat, in hac ipſa appellatione, illum unum Deum aliquid ſingulare habere, quod Chriſtus non habet.

De aliquot aliis Dei nominibus.

Poſtremo Vujekus, Bellarminum exprimens, congerit aliquot nomina, quæ ait ab Anabaptiſtis (Tranſylvanos nominat Bellarminus; verum Tranſylvani non ſunt, ni fallor, Anabaptiſtæ) ſoli Deo Patri tribui; cum tamen illa Chriſto quoque tributa inveniantur. Ea ſunt Unus, Verus, ſolus, Magnus, Pater omnium. Sed de nomine Verus erravit Bellarminus. Neque enim ſeparatim iſtius nominis, ut Dei Patris proprii, eo in loco, quem ipſe citat, id eſt; lib. 2. cap. 5. mentionem faciunt Tranſylvani, & locum illum, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum*, Joh. 17. 3. nominatim propter nomen Solus citant, non autem propter nomen Verus. Jam vero, tametſi neque eſt animus, nec cogor, hic defendere quidquid Tranſylvani ſcripſerunt; tamen quia iſta, quæ ab illis hoc loco dicta ab Adverſariis reprehenduntur, ſi recte intelligantur, vera ſunt: & quia Adverſarii, dum illa reprehendunt, interim aliis Sacris Teſtimoniis ſuum errorem de Chriſto illo uno Deo confirmare nituntur; bene erit, ut, quæ hic ſcribunt, breviter refutemus.

Ajunt igitur primum, nomen Unus Chriſto convenire, ex eo conſtare, quod à Paulo 1 Cor. 8. 6. appellatur Unus Dominus. Verum, cum Tranſylvani hoc nomen unus Dei Patris proprium dicunt, intelligunt junctum cum nomine Deus; ut teſtimonia oſtendunt, quæ ad id probandum afferunt. Oſtendimus autem ſupra, aliud eſſe Deum, & aliud Dominum. In quo mira eſt confidentia Bellarmini, qui non tantum eo teſtimonio utitur, quod nihil ad rem facit; ſed inde illud ſumit, ubi expreſſe non ſolum inter Deum, & Dominum diſtinguitur, ſed etiam ipſorum Tranſylvanorum dictum aperte comprobatur. Proxime enim ante, eodem verſiculo, ut omnes norunt, ſcriptum eſt, *Unus nobis eſt Deus, Pater ille*, &c.

Deinde (quanquam hoc, ut dixi, ad dicta Tranſylvanorum non pertinet) proferunt locum 1 Joh. 5. 20. *Hic eſt verus Deus*, ut probent, Chriſto nomen veri, id eſt, Veri Dei attribui. Sed nos iſta Johannis verba de Deo Patre accipienda eſſe, antea docuimus; & alioqui fatemur omnes, Chriſtum merito nomine Veri Dei appellari poſſe. Quare hoc inter Adverſariorum argumenta non numeramus.

Tertio, ut de nomine Solus idem probent, citant quod ſcriptum eſt Jud. ℣. 4. *Solum dominatorem & dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes*, ut quidem legitur in vulgata editione. Quæ lectio, etiamſi omnia ad Jeſum Chriſtum referrentur, nihil obeſſet ſententiæ

Tran-

Tranſylvanorum, qui manifeſte loquuntur de nomine Solus juncto aut tacite aut expreſſe nomini Deus. Sed quia in Græco additur nomen Deus, aliter eſt nobis reſpondendum, & dicendum una cum iiſdem Tranſylvanis, verba illa, τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, id eſt, *ſolum herum Deum*, minime ad Jeſum Chriſtum referenda eſſe. Nam haud levis eſſet hæc inconcinnitas, immo abſurditas ſermonis, prius appellare Jeſum Chriſtum ſolum herum Deum, & poſtea Domini noſtri, tanquam diverſa appellatione eum inſignire. An non plus eſt, eſſe ſolum herum Deum, quam Dominum noſtrum? An non totum hoc, illo aperte continetur? Quis eſt autem, qui non facile agnoſcat, verba Græca ad hunc modum, ſi ſenſus ſpectetur, proprie ſonare, *& Deum, qui ſolus eſt herus, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes*, quemadmodum Eraſmus, Caſtellio, & alii reddiderunt, & Beza quoque ab initio reddiderat?

Sed objiciunt Adverſarii, in Græco unum tantum eſſe articulum, & propterea, ex ratione linguæ Græcæ, ad unam tantum perſonam, & conſequenter ad unum Jeſum Chriſtum omnia referenda eſſe. Reſpondeo, regulam iſtam in Græca lingua non eſſe perpetuam, atque, ubi ea ceſſet, ex loci circumſtantiis optime dijudicari. Quod ea non ſit perpetua, ſatis perſuadere deberet ſolum Eraſmi teſtimonium, hominis, omnium judicio, linguæ Græcæ peritiſſimi. Is enim non ſolum locum iſtum reddidit, ut diximus: ſed in loco ſimili, de quo mox nobis agendum erit, Tit. 2. 13. diſerte ait, ſermonem eſſe plane ancipitem. Sed probemus, regulam iſtam non eſſe perpetuam ipſius Novi Teſtamenti auctoritate. Mat. 21. 12. ſcriptum eſt, *& ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo.* Ubi in Græco non eſt niſi unus articulus, nominibus *vendentes & ementes* præpoſitus. Et tamen certiſſimum eſt, alios fuiſſe vendentes, & alios ementes: & mentem Euangeliſtæ fuiſſe dicere, Chriſtum ejeciſſe tam eos, qui emebant, quam eos, qui vendebant in templo, non autem eos, qui ſimul & vendebant & emebant: ut neceſſe eſſet, ſi iſta unius tantum articuli regula vera eſſet. Eodem modo, id eſt, cum uno tantum articulo, idem invenies ſcriptum Mar. 11. 15. & Luc. 19. 45. Sed locus eſt præterea, regulam iſtam perpetuam non eſſe declarans, valde præſenti diſputationi accommodatus, Epheſ. 5. 5. *in regno Chriſti & Dei*, quo loco nemo, quod ſciam, vel antiquorum, vel recentiorum Theologorum auſus eſt abuti ad probandum, Chriſtum eſſe Deum; quippe qui ſenſerint, de Deo diſtincte a Chriſto ibi eſſe ſermonem; quamvis Hieronymus in eum locum, velit non excludi ibi Chriſtum aut ſeparari à Deo; non tamen propter ipſam ſermonis conſtructionem, ſed propterea quia, ſcilicet, alioqui certum ſit, Chriſtum eſſe Deum. Nam, propter hanc eandem cauſam, nec Spiritum etiam Sanctum excludi vult. Et tamen ibi eſt unus tantum articulus in verbis Græcis, qui ſecundum regulam iſtam, deberet efficere, ut de una tantum perſona eſſet ſermo, id eſt, de Dei filio, qui & Chriſtus & Deus eo in loco appellaretur. Unde Hieronymi ratiocinatio, quod, propter Dei nomen, ibi omnes tres divinæ perſonæ intelligantur penitus evaneſceret.

Sequitur, ut videamus de nomine Magnus, quod Chriſto tributum fuiſſe, adverſus Tranſylvanos contendunt Adverſarii. Afferunt autem ad id probandum locum illum Tit. 2. 13. *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ Magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Nam nomen Magni Dei ad Jeſum Chriſtum referri, nituntur probare duabus rationibus: Primum propter regulam prædictam unius articuli, in Græco enim unus tantum eſt articulus: Deinde, quia Deus Pater non expectatur venturus, ſed Filius.

Reſpondeo, jam à nobis oſtenſum fuiſſe, regulam iſtam non eſſe perpetuam. Quare nihil eſt, cur amplius ad priorem ex iſtis duabus rationibus reſpondeamus; niſi pro teſtimonio iſtius regulæ non perpetuæ velimus eum ipſum locum addere, quem ipſi Adverſarii antea protulerunt, Jud. 4. cum, ut ſupra docuimus, ne alioquin inconcinnus & abſurdus, ſit ſermo, neceſſe ſit, nomina, *ſolum herum Deum*, ad alium, quam ad Chriſtum referre; & non pauci doctiſſimi interpretes locum iſtum ſic verterint, ut nomina iſta nullo pacto ad Chriſtum referri poſſint. Hic autem Vujekum mirari ſubit, qui auſus ſit affirmare, omnes Doctores locum iſtum, & hunc ad Titum ad Filium tantum referre; cum vix, præter id, quod apud Oecumenium habetur, inveniri poſſit ullus Doctor, id eſt, antiquus Theologus, qui, Judæ locum explicet, aut commemoret, & in commentariis Ambroſio tributis nomen Magni Dei ad Deum Patrem referatur, in explicatione loci ad Titum.

Ad alteram rationem reſpondeo; non dicere Paulum, nos expectare adventum Magni Dei, ſed adventum gloriæ Magni Dei. Nam quod excipit Bellarminus, ex Hebraica phraſi Adventum gloriæ, idem eſſe, quod adventum glorioſum (id quod ac ſi ita prorſus ſcriptum eſſet, Vujekus arripuit) dico, debuiſſe illum probare, iſtam phraſim hoc in loco agnoſcendam eſſe. Nam alioqui Dei Patris gloriam venturam dici poſſe, cum Chriſtus judex advenerit, docent ipſius Chriſti verba, qui ait, ſe venturum in gloria, id eſt, cum gloria Patris ſui, Mat. 16. 27. Marc. 8. 38. Certe in iis, quæ paulo ante citavimus, Ambroſii commentariis ſic legitur: *Hanc eſſe dicit beatam ſpem credentium quia expectant adventum gloriæ Magni Dei, quod revelari habet judice Chriſto, in quo Dei Patris videbitur poteſtas & gloria, ut fidei ſuæ præmium conſequantur.* Adde, quod vox παρουσία quæ & hic, & alibi vulgo in Novo Teſtamento reddita eſt Adventus, magis proprie præſentiam ſignificat, licet aliquando pro adventu uſurpetur. Dei vero Patris gloriam præſentem futuram una cum Chriſto quando is unicuique reddet ſecundum opera ſua, quis negare audebit? Poſtremo an obſecro, adeo abſurdum videtur, ſi Deus Pater venturus dicatur, cum Chriſtus veniet orbem terrarum judicaturus? An non Chriſtus, in Mundo judicando, Dei Patris perſonam ſuſtinebit, tanquam ejus à quo munus hoc adeptus fuerit, & cujus nomine illud adminiſtret? Certe ipſemet Chriſtus ait, poteſtatem ſibi à Patre datam eſſe judicii faciendi, quia filius hominis ſit. Quod aperte oſtendit, Chriſtum, ut hominem, & idcirco non ex ſua, ſed ex illius perſona, qui ipſi hanc poteſtatem dedit, tanquam delegatum judicem, Mundum judicaturum. Et alibi diſerte eſt ſcriptum, Deum per virum quendam orbem terrarum judicaturum cum juſtitia. Merito igitur, cum Chriſtus ad hoc judicandi munus obeundum veniet, Deus pater venire dici poterit. Vide autem, quæ de Deo veniente, etiamſi in propria ſua perſona ipſe non veniat, ex Sacris Literis docuimus ſupra in reſponſione ad tertium argumentum ſecundæ claſſis.

Supereſt, ut de nomine Pater omnium, aliquid Adverſariis reſpondeamus. Ajunt enim ipſi, hoc nomen Chriſto tribui, cum apud Eſaiam vocatur Pater futuri ſæculi Eſa. 9. 6. Hinc enim concludentes dicunt, *Eſt igitur Chriſtus Pater omnium noſtrum.*

Reſpondeo, Chriſtum eſſe Patrem futuri ſæculi, ſignificare, Chriſtum eſſe, ut alibi vocatur, principem & auctorem vitæ, nempe æternæ, quæ futura eſt: non autem eſſe patrem noſtrum omnium: quod tametſi vere dici poſſit, quatenus per ipſum ejuſque Euangelium regeniti ſumus, & illius ſimiles per obedientiæ ſpiritum, operâ ipſius facti; tamen id nuſquam, ni fallor, diſerte eſt ſcriptum. Et, ſi eſſet, non ſatis eſſet. Aliud eſt enim, eſſe patrem omnium noſtrum, aliud vero, eſſe patrem omnium. Qui enim eſt pater omnium, non noſtrum modo omnium, ſed omnium etiam angelorum, & ipſius Chriſti eſt pater. Hic autem ſolus Deus Pater eſt; nec ullus alius eſſe poteſt. Quamobrem quæ poſtea afferunt Adverſarii de Chriſto, qui Joh. 14. 18. Apoſtolis dixerit, *Non relinquam vos orphanos* (quod nobis dictum fuiſſe, Vujekus interpretatur) quique eoſdem Apoſtolos, filiolos appellaverit, Marc. 10. 24. Joh. 13. 33. nihil ad propoſitum faciunt. Certe Johannes Apoſtolus, in prima ſua Epiſtola, plures, quam Chriſtus fecerit,

filiolos appellavit, & non ſemel filiolos ſuos. Et Paulus idem fecit ad Galatas ſcribens Gal. 4. 19; cum Chriſtus Apoſtolos tantum ſimpliciter filiolos appellaverit, quod ita poteſt accipi, ut non tamen, appellatione iſta, ſe patrem illorum eſſe, confeſſus fuerit. Quemadmodum ipſe loquendi communis uſus nos docere poteſt.

Jamque ex iis, quæ inde ab initio hujus ſexti capitis hucuſque diſputavimus, ſatis conſtare arbitramur, quam vere ac recte hic concludant Adverſarii ad hunc modum: *Cum igitur omnia nomina veri Dei Chriſto conveniant, eſt omnino Chriſtus verus Deus*, intelligentes, ut jam ſæpius repetii, nomine Veri Dei, illum unum Deum. Quandoquidem nec aſſumptionem iſtius ratiocinationis ulla ferme exparte probaverunt, & conſecutio ipſa, quamvis aſſumptio vera eſſet, non eſt tuta; quemadmodum in ipſo hujus de divinis nominibus Chriſto tributis diſputationis initio demonſtravimus.

CAPUT VII.

In quo diluuntur argumenta ex proprietatibus, ſive attributis Dei ducta.

QUincta claſſis argumentorum jam nobis examinanda eſt; quæ iis argumentis conſtat, quæ ducuntur ex proprietatibus ſive attributis Dei, quorum hic præcipua Vujekus poſt Bellarminum colligit, eaque Chriſto convenire, conatur oſtendere.

De primo Dei attributo.

Prima proprietas ſeu attributum Dei ab Adverſariis commemoratum eſt Æternitas. Æternitatem autem Filio, id eſt, Chriſto tribui, dicunt primo ex eo probari, quod Proverb. 8. 23. ſcriptum ſit, Ab æterno ordinata ſum, *quæ ſunt verba*, inquiunt, *Sapientiæ* (Vujekus addit *Dei*; quod apud Bellarminum non legitur) *Non autem*, inquiunt, *Sapientiæ eſſentialis, quæ eſt omnino idem cum eſſentia Dei. Nam illa non gignitur. Hæc autem dicit* ℣. 28. Ante omnes colleſego parturiebar. *Nec eſt ſapientia creata, quæ hic loquitur: nam nihil creatum eſt ab æterno. Et præterea hæc Sapientia diſtinguit ſeipſam à creaturis dicens* ℣. 22, Dominus poſſedit me ab initio, antequam quidquam faceret à principio. *Ergo neceſſario eſt ſapientia genita, id eſt, Filius de quo* 1 *Cor.* 1. 24: *Paulus dicit, quod Chriſtus eſt Virtus & Sapientia Dei.*

Reſpondeo primum, Solomonem ſapientiam iſtam, Dei ſapientiam non vocare: ſed ſimpliciter, Sapientiam. Propterea Bellarminus, ne mendacii argui poſſet, nomen Dei non addidit, quod tamen ad ipſam rationem concludendam neceſſarium eſt. Chriſtus enim non ſimpliciter Sapientia, ſed Dei ſapientia vocatur; eo quidem in loco, quem Bellarminus ipſe ex Paulo citavit. Jam quemadmodum Solomo ſapientiam iſtam Dei ſapientiam non vocat, ſed ſimpliciter Sapientiam; ſic revera non ſingulariter de ipſa propria Dei ſapientia agit: ſed de ſapientia in genere & in abſtracto, deque ea per Proſopopœiam loquitur, id eſt, quaſi eſſet perſona aliqua; cum tamen non ſit revera. Id quod ex compluribus, quæ & iſto octavo & præcedente ſeptimo, & ſeq. 9. capite de ſapientia iſta Salomo dicit, manifeſtum eſt. Nec ullum cordatum hominem fore arbitror, qui iſta tria capita perlegens, id non animadvertat; niſi jam vehementer diverſa opinione præoccupatus fuerit. Nam, ut ex tam multis, pauca tantum quædam inde hujus rei indicia proferamus; quid illud eſt, quod ab ipſo initio, id eſt; cap. 7. 4. ſcriptum eſt? *Dic ſapientiæ, Soror mea es tu, & propinquam intelligentiam voca.* Sic enim ex Hebræo vertit Sanctes Pagnines. Quid, inquam, iſtud eſt? Nam cuinam apparebat nedum vulgo nota eſſet (quemadmodum verba iſta, ſi de vera perſona eſt ſermo, docent) Sapientiæ perſona aliqua, cui, videlicet, in promptu quis haberet dicere, *Soror mea es tu*? Quis eſt tam ſtupidus qui non videat, figuratum & Proſopopœicum eſſe ſermonem, quo ſignificatur, debere unumquemque ſapientiam æmulari, id eſt, curare, ut ſapienter ſe in ſuis actionibus gerat? Quod ſi perſona eſt Sapientia iſta; perſona itidem erit intelligentia: de qua ſimilitea, tanquam de perſona in iſtis verbis fit mentio. Apparet enim ex verbis ipſis, non idem prorſus hic eſſe ſapientiam, & intelligentiam, ſed res aliquo modo diverſas: quibus Solomo expreſſius id, quod intelligit, ſignificare voluerit. Itaque, pro una perſona divina, duas hic habebimus; ſiquidem hic de Dei ſapientia eſt ſermo. Eadem enim ratione neceſſe eſt, ut de Dei intelligentia ſimiliter ſit ſermo. Rurſus in initio 8. c. legitur, *Nonne ſapientia clamat, & intelligentia dat vocem ſuam? In ſummitate* [*locorum*] *excelſorum, juxta viam* [*in*] *loco ſemitarum ſtat. In loco portarum, in oſtio civitatis* [*in*] *ingreſſu oſtiorum clamat, Ad vos, ò viri clamo*, &c. Quis hic manifeſtam Proſopopœiam non videat, præſertim cum ſimiliter non ſapientiæ tantum, ſed intelligentiæ quoque diſerte fiat mentio? Vult enim Solomo ſignificare hoc figurato ſermone, quantopere unuſquiſque, variis de cauſſis, ad ſapientiam & intelligentiam capeſſendam perpetuo invitetur; ut nulla ſit excuſatio, ſi ſtulte quis, & inſipienter ſe gerat. Poſtremo in initio 9. cap. idem argumentum tractans, inducit ſapientiam omnes ad ſe invitantem, conſtituta ſibi peregregia domo, mactata victima, & convivio apparato, ad quod, ſuis puellis miſſis, vocat omnes, clamans, *Quiſquis eſt ſimplex, declinet huc*, &c. An non, ut reliqua omittam, vel iſtæ puellæ ſapientiæ attributæ, perſpicue docent, hic non agi de aliqua ſapientia, quæ ſit perſona? alioquin oporteret, iſtas quoque puellas eſſe revera perſonas. Neminem ego credo tam bardum futurum, qui, ſi animum ad hæc advertere velit, ſtatim non agnoſcat Solomonem, hiſce tribus capitibus, de ſapientia in genere & in abſtracto loqui, idque tanquam ſi perſona aliqua eſſet; cui adjungit, eodem figurato loquendi modo, intelligentiam; ut melius intelligatur, quid ipſe tantopere hominibus commendare velit, quemadmodum paulo ante attigimus. Nempe, ut non ſint ſimplices, & carentes corde, ut ipſe hic ſæpius loquitur; ſed ſciant & intelligant, quid ſibi ſit agendum, id quod ſibi in hoc opere propoſitum eſſe, declarat ab ipſo 1. capitis initio. Ubi multo pluribus nominibus, præter Sapientiæ nomen, utitur ad mentem hanc ſuam, in hoc libro ſcribendo, ſignificandam. Jam igitur prima noſtra reſponſio ſit, Salomonem hic non de Dei ſingulari aliqua ſapientia loqui, nec de vera perſona verba facere. Quare nihil ea, quæ hoc loco dicit, ad ipſum Chriſtum pertinere poſſunt, qui eſt perſona, & Dei ſapientia diſerte appellatur.

Secunda reſponſio erit, verba, quæ de ſe ſapientiam hic dicere, Adverſarii arbitrantur, intelligentiæ potius tribuenda eſſe, de qua, ut diximus, & ſuperiore cap. 7. & in hujus 8. cap. initio, ut de re à ſapientia aliquo modo diverſa, verba facit. Quas tamen ℣. 2. conjungit, de iiſque ſimul numero ſingulari tanquam de re una loquitur, & utramque ſimul loquentem, inducit, à ℣. 4. uſq. ad ℣. 12. ubi ſeparatim ſapientiam loquentem facit uſque ad dimidium ℣. 14. ubi ſimiliter intelligentiam ſeparatim facit loquentem. Et quemadmodum ſapientia ſeparatim ad hunc modum cœperat loqui, *Ego ſapientia habito in aſtutia*, &c. ſic intelligentia ad eundem modum ſeparatim loqui incipit, *Ego intelligentia, mea eſt fortitudo*, &c. & pergit uſque ad finem capitis. Conſulatur Hebraicus codex; & apparebit, rem ita habere, ut diximus. Nec ſit, qui moveatur, quia ſtatuamus principium verborum, quæ intelligentia ſeparatim ſeu diſtincte à ſapientia dicat, in medio verſiculi. Non ſolum enim hoc uſui Veteris Scripturæ non repugnat; ſed aliquando ſententia prorſus imperfecta, quæ non longe à fine verſiculi cœperat, perficitur demum in ſeq. verſiculo. Ut habes exemplum 2 Paral. 30. 18, 19. Nec ſuperſtitioſe admodum

iſtorum

iſtorum verſic : diviſio curanda. Alioqui ſæpe in abſurda deveniretur. Sed præcipue verba ipſa ſunt attendenda, ut nos hic facimus. Nam ſi quis objiciat, Vocem Hebraicam, quam nos una cum Pagnino intelligentiam ỳſ. 14. reddimus, non eſſe eandem cum ea, quæ ab ipſo initio cap. legitur, Reſpondemus, immo eſſe eandem, licet formativæ litteræ ſint aliquantulùm diverſæ, ab eadem enim radice, & ſimiliter feminina terminatione deducitur, idemque prorſus ſignificat. Quare nullum poteſt eſſe dubium, quin eadem ſit omnino res iſta nominata ỳſ. 14. cum ea, quæ nominata eſt ỳſ. 1. Jam vero, ſi verba illa, quæ in vulgata editione ſic leguntur, *Ab æterno ordinata ſum*, &c. non ſapientiæ, ſed intelligentiæ ſunt verba; nihil hoc ad concludendum, quod Chriſtus ſit æternus; cum Chriſtus non Dei intelligentia, ſed ſapientia, dictus fuerit.

Tertio reſpondemus, verba illa *Ab æterno*, non ſic ex Hebræo debere legi, ſed *A ſæculo*. Non eſt autem idem A ſæculo, quod Ab æterno; ut hæc loca demonſtrant, Eſa. 64. 4. Hier. 2. 29. Luc. 1. 70. & alia ſimilia non pauca. A ſæculo, igitur non æternitatem, ſed magnam aliquam antiquitatem reique primum initium declarat. Et hic ſane, quid ſignificet, docent ſequentia; nempe rerum creatarum, quas videmus, initium. Senſus enim litteralis eſt, cum primum Deus hunc mundum creare cœpit, antequam quidquam creatum eſſet, intelligentiam fuiſſe, & quidem apud ipſum Deum. Quod nihil eſt aliud, quam Deum, quidquid creavit, intelligenter, ut ſic dixerim, id eſt, prudenter creaſſe; ut homines animentur ad ipſam intelligentiam ſeu prudentiam ſectandam: quando Deus ipſe nihil ſine intelligentia & prudentia fecit, dum hunc mundum conderet, immo ejus ſummam rationem habuit. Quæ propterea proſopopœico & metaphorico ſermone dicitur ỳſ. 30. tunc apud ipſum fuiſſe educata & perpetuo in delitiis habita. Itaque, etiamſi intelligentia iſta, ſeu mavis ſapientia, Chriſtus eſſet, non tamen hinc ſequeretur, Chriſtum fuiſſe ab æterno, ſed tantum in ipſo primo initio rerum creandarum, id eſt, hujus mundi viſibilis condendi. Quod quia nos nihilominus negamus; idcirco oſtendimus, Adverſarios nihil attuliſſe, quo probetur, Chriſtum eſſe ſapientiam iſtam; quamvis ad ipſum argumentum diluendum, pro æternitate Chriſti allatum, id facere minime neceſſe haberemus.

Quarto loco, cum ad argumentationem Adverſariorum univerſam concludendam, neceſſarium ſit, ut de iſta ſapientia ſit ſcriptum, eam genitam eſſe, Reſpondemus, id minime eſſe ſcriptum: Nam locus, quem ipſi citant *parturiebar* habet, non autem *gignebar*, & qui verbum iſtud *parturiebar* Dei filio accommodant, non longe Homouſianorum ipſorum judicio, à Turcarum blaſphemia abeſſe cenſendi ſunt; qui, cum audiunt, Chriſtianos dicere Deum habere filium, interrogant, ecquæ uxor Dei fuerit. An non ſatius eſt, quam iſtam improprietatem admittere, ut parturire ſit gignere, metaphoricum & proſopopœicum ſermonem agnoſcere, quo ſignificatur, jam tum ſapientiam ſeu intelligentiam extitiſſe, id eſt, ejus uſum fuiſſe? Idem certe Hebraicum verbum, quod hic legitur, accommodatur Pſal. 89. 2. terræ, & Orbi; & Latine reditum eſt Formandi verbo. *Priuſquam montes fierent & formaretur terra, & Orbis.* Unde & hic tam Pagninus, quam Tigurini non quidem *parturiebar*, ſed *formata ſum*, illud reddiderunt. Jeſus porro Sirachides, cujus auctoritas apud Adverſarios eſt Sacroſancta, cum Solomonem, in ſapientia ſeipſam commendante inducenda, imitaretur, quamvis ab initio ſic ipſam loquentem feciſſet Eccl. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodii*; tamen ejuſdem cap. ỳ. 12, 14. eam dicentem facit, ſe à creatore omnium fuiſſe creatam; & totum hunc Solomonis locum, ubi de ſapientiæ antiquitate agitur, paucis verbis exprimens, ſic habet, *Ante ſæcula ab initio creavit me*; ut quidem Græce legitur. Ex quo apparet ipſum ſub nomine ſapientiæ non fuiſſe locutum de filio aliquo Dei æterno, nec, Solomonem ſimiliter locutum eſſe, ſenſiſſe. Qua de re autem locutus fuerit, & quid ſapientiæ nomine intellexerit, declarat ipſemet eodem cap, ỳ. 32. de quo vide, quid ſcripſerim in reſp. ad 6. arg. 2. claſſis. Breviter ex toto contextu apparet; eum per proſopopœiam de ſapientia in genere & in abſtracto loqui, quam divina lege, quod, ſcilicet, ad nos attinet, omnino contineri vult. Illuſtrat etiam maxime totum hunc Solomonis de ſapientia locum id, quod libro Sapientiæ, quem Averſarii, ut ipſe liber præ ſe fert, ejuſdem Solomonis eſſe credunt, ſcriptum eſt cap. 7 & deinceps per aliquot capita de ſapientia; ubi ſimiliter multa, ut de perſona aliqua, de ſapientia in genere & in abſtracto dicuntur; quemadmodum quilibet facillime poteſt animadvertere.

Quincto loco, quia ſimiliter, ad Adverſariorum argumentum concludendum, neceſſarium eſt, ut ipſa perſona Chriſti ſit re ipſa atque (ut ſic loquar) ſubſtantialiter ſapientia Dei, Reſpondemus, hoc ex Pauli verbis, quæ Adverſarii citarunt, minime colligi poſſe: immo & ex verbis iſtis, & ex toto ipſo loco aperte conſtare, Chriſtum vocari à Paulo Dei ſapientiam, quatenus ejus doctrina & Euangelium iis, qui vocati ſunt id eſt, credunt, ſapientiam Dei patefacit, ſeu res eſt plena ſapientiæ Dei. Propterea & paulo ante, & alibi Paulus ipſum Euangelium, ſeu verbum crucis, ait Rom. 1. 16. 1 Cor. 1. 18. eſſe *virtutem Dei in ſalutem omni credenti, ſeu iis, qui ſalvi fiunt.* Ubi etiam aperte veritatem Dei opponit ſtultitiæ, ut, ſcilicet, intelligas. Virtutis nomine in iſtis locis ſapientiam comprehendi; quod deinde clarius explicatur in iis verbis, quæ Adverſarii citarunt; ubi Chriſtum crucifixum prædicatum, quod idem eſt, quod verbum crucis, ſeu Euangelium, Judæis quidem ſcandalum, Græcis vero ſtultitiam, iiſdem autem vocatis Dei virtutem eſſe ait, & Dei ſapientiam. Ex quibus omnibus præter alia quæ toto illo loco ſparſa, brevitatis cauſſa omittimus, luce meridiana clarius fit, Chriſtum Dei ſapientiam vocari à Paulo ob eam cauſſam quam nos diximus: non autem ob eam, quam Adverſarii opinantur; quorum ratiocinatio ſi vera eſſet, ſequeretur, ipſum Euangelium & verbum crucis eſſe reipſa ac ſubſtantialiter Dei virtutem, & Dei ſapientiam, & ſic, ut illis placet, æternum Dei filium.

Multa omittimus, quæ ad vanitatem commenti iſtius Adverſariorum & totius argumentationis futilitatem magis coarguendam pertinere poſſent, atque id tantum monemus, ex ipſorum ratiocinatione manifeſte colligi, Chriſtum non eſſe ſapientiam Dei eſſentialem. Quod ſi verum eſt, ſequitur Chriſtum eſſe ſapientiam Dei accidentalem, quo ſecundum ipſos Adverſarios nihil abſurdius ne excogitari quidem poteſt. Præterea ego ipſos rogo, Chriſtus ut Dei ſapientia genita, ut illi eum vocant, eſtne in ipſo Deo, an vero extra Deum? Si dixerint, Extra Deum; quomodo igitur verum erit, quod ipſi paſſim prædicant atque contendunt, in Deo eſſe tres perſonas? Nunquid Chriſtus, ut Dei ſapientia genita, non eſt una ex illis tribus perſonis? Quod ſi dixerint, In ipſo Deo; quomodo non erit ſapientia Dei eſſentialis, cum, ut ipſis placet, & non ſemel ni fallor, in hac univerſa diſputatione vel tacite vel aperte repetunt, quidquid eſt in Deo eſt ipſe Deus? Annon hæc ſunt longe abſurdiſſima? Nec ſane quidquam, quod vel in ſpeciem ipſorum dicta hoc loco tueatur, reſpondere poſſunt, niſi, ſe Dei ſimplici nomine ſolam Patris perſonam intelligere; cujus, ut Patris, Chriſtus non ſit eſſentialis ſapientia, licet ſit, ut Dei. Atqui triplex in reſponſione iſta quædam Principii petitio eſt; Primum, quod in ea pro conceſſo ſumitur, in uno Deo eſſe plures perſonas: Deinde, quod poſſit tamen, ſimplici Dei nomine una tantum ex iſtis perſonis ſignificari: Poſtremo, quod in Pauli verbis, cum Chriſtum Dei ſapientiam appellat, iſta una, ibi Dei nomine ſignificata, ſit ipſius Chriſti Pater. Quorum primum nos præciſe negamus; reliqua vero duo ſi primum verum eſſet, nequaquam ſimpliciter affirmari poſſe aut pro conceſſis ſumi, ſed omnia evidente

probatione indigere, & nos aſſeveramus, & res ipſa loquitur. Et hæc jam ſatis ſint, ad hanc primam pro Chriſti æternitate argumentationem penitus diſſolvendam.

Secundo pro eadem Chriſti æternitate affert Vujekus cum Bellarmino locum Mich. 5. 2. Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur Dux, qui regat populum meum Iſrael: & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis, ut quidem legitur in vulgata editione. *De Chriſto igitur*, inquit Vujekus, *Propheta ait, ejus egreſſus eſſe à diebus æternitatis, ſive à diebus æternis: hoc eſt, ipſum ante omnia ſæcula egreſſum eſſe & natum ex Patre. Nam, ſicut verbis illis*, Ex te egredietur Dux, *ſignificatur vera nativitas Chriſti ſecundum humanitatem: ſic etiam illis aliis* Et egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis, *neceſſe eſt ſignificari veram nativitatem illam æternam ex Patre. Idem n. eſt verbum in utroque loco, tam in textu Latino, quam in Hebræo.* Hactenus Vujekus; quo aliquanto clarius locutus eſt Bellarminus, non addens verba iſta, *ſecundum humanitatem*, & rurſus, *illam æternam ex Patre*. Nam in his, præſertim in poſterioribus verbis, eſt manifeſta Principii petitio; ut quidem ipſa ſonant. Sic igitur, ex Bellarmini mente ratio iſta concludenda eſt, *in prioribus verbis Egredi veram nativitatem ſignificat: Ergo & in poſterioribus Egreſſus veram nativitatem ut ſignificet, neceſſe eſt. Sed in poſteriobus dicitur* Egreſſus ejus à diebus æternitatis. *Igitur Propheta hic dicit, Chriſtum vere natum eſſe ab æterno.*

Reſpondeo, hujus ipſius rationis vi concludi, non ſolum de vera nativitate utrobique agi, ſed etiam de eadem nativitate. Poſteriora enim verba, cum utrobique ſit idem vocabulum, id eſt, ab eodem fonte derivatum, ſive ut Grammatici Hebræi loquuntur, ab eadem radice ductum, ad priora omnino referuntur. Quare ſive verba iſta, quæ in Latino codice leguntur, *à diebus æternitatis*, ſignificant ab æterno, ſeu ob omni æternitate (quod nimis quam falſum & abſurdum eſt) non autem quandam aliam Chriſti veram nativitatem, præter eam, quæ in oppido Betlehem fuit, ab omni æternitate fuiſſe; ſequitur nativitatem Chriſti in oppido Bethlehem fuiſſe ab omni æternitate. Verum, ut in ſuperiore argumentatione monuimus, hic quoque non eſt in Hebræo vox, quæ æternitatem ſignificet, ſed vox Sæculi; ita ut aliud ſit id, quod hoc loco eſt ſcriptum, quam Ab æterno, ſive Ab omni æternitate. Et ſane vel mentio dierum, quæ hic fit, poterat monere, de æternitate verba non fieri. Eſt igitur ad verbum in Hebræo, *à diebus ſæculi*. Dies autem ſæculi quid ſint, declarant hæc loca, Eſa. 53. 9. & 11. Malach. 3. 4. id eſt, idem eſſe, docent, quod Dies antiqui; relatione, videlicet, habita ad rem, de qua eſt ſermo. Ita ut *A* diebus ſæculi idem ferme ſignificet, quod ſupra diximus ſignificare *A* ſæculo, id eſt, antiquum & primum rei initium. Quod hic ſatis ex eo intelligitur, quod proxime antecedit, *ab initio*. Etenim ejuſmodi phraſis ſimiliter, ut alibi ante monuimus, non æternitatem, ſed principium declarat ejus rei, de qua agitur. Quocirca neceſſe eſt, ut loci apud Michæam ſenſus ſit, Chriſtum, quatenus naſciturus eſſet in oppido Bethleem, & futurus divinus dux & rector populi Iſraëlis, ſuam originem trahere ab initio & à priſcis diebus, id eſt, ab eo primo tempore, cum Deus olim in populo ſuo regem ſtabilivit ac confirmavit. Quod revera cœptum eſt fieri in perſona Davidis, qui & Bethlemita fuit, & auctor ſtirpis & familiæ ipſius Chriſti. Certe Johannes Toſarrius Aquilovicanus, qui perbreves atque elegantes paraphraſes, quæ extant, in omnes prophetas conſcripſit, hunc locum ad hunc modum eſt interpretatus; *Ex te tamen* (Bethlehem) *quantumvis parva & contempta, prodibit mihi qui ſit dominator in Iſraël. Genus autem ducet à primis & priſci ſæculi regibus.*

Tertio æternitatem Chriſti colligunt, ex eo, quod ſcriptum eſt à Johanne in Euangelio, *In principio erat Verbum*, & prima epiſtola, *Quod erat ab initio*, &c. *Quid enim*, inquiunt, *eſt*, in principio erat Verbum, *niſi Verbum non cœpit eſſe, ſed fuit ſemper?*

Ad hoc argumentum ſatis reſponſum eſt, per ea quæ diximus in examinatione decimi tertii argumenti principalis claſſis tertiæ, dum reſpondimus ad ſecundum argumentum ex principio Euangelii Johannis ſumptum. Ibi enim, citatis aliquot teſtimoniis oſtendimus, longe abeſſe phraſim iſtam In principio, ab eo, ut æternitatem declaret. Quod idem conſequenter intelligendum eſt de phraſi Ab initio, quæ plane idem pollet. Neque Eſſe in principio poteſt per ſe ſignificare, nunquam cœpiſſe eſſe, ſeu ſemper fuiſſe; cum, ut ibi dictum eſt, nomine Principii, in phraſi iſta, non cujuſlibet rei principium, ſed ejus, de qua agitur, ſignificetur: quam ſubjecta materia oſtendit.

Addit autem Vujekus, ex initio epiſtolæ primæ Johannis (quem locum ipſe, à Bellarmino prætermiſſum, attulit) Chriſtum vocari Verbum vitæ, & Vitam æternam, quæ eſſet apud Patrem, & manifeſtata ſit nobis. Unde concludit, Chriſtum fuiſſe apud Patrem, antequam ſe carne humana manifeſtaret, & eſſe ab æterno, cum ſit vita æterna; ut etiam ſcriptum eſt fine ejuſdem epiſt. *Hic eſt verus Deus & vita æterna.*

Reſpondeo primum, falli Vujekum, cum ait, Chriſtum in initio epiſt. 1. Johan. vocari vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & in fine ipſummet Chriſtum per ſe vitam æternam appellari. Sed quia nihilominus utrumque concedimus, & Chriſtum appellari vitam æternam; & fuiſſe apud Patrem antequam patefieret; dico deinde, non tunc patefactum fuiſſe Chriſtum, cum natus eſt homo; ſed cum Euangelii annunciandi munus obire cœpit. Ut verbum ipſum Patefaciendi ſeu Manifeſtandi ſatis aperte docet. Ante quod tempus, dico, illum fuiſſe apud Deum. Quia ipſi ſoli Deo, ut is qui muneri iſti deſtinatus eſſet, erat notus: hominibus vero minime; cum ne ipſi quidem Johanni Baptiſtæ, ut alibi dixi, aliquando notus eſſet. Nam, quod objicit Vujekus de angelis, paſtoribus, magis, Simeone, & Anna, quibus eſſet notus ſimul atque natus eſt, hoc nihil convellit explicationem noſtram iſtius phraſis Apud Deum eſſe. Cum enim in ea explicanda dicimus Soli Deo, non opponimus Deum cuilibet ſingulari homini, ſed hominibus generatim, id eſt, populo ipſius Dei. Multo minus autem angelis eum opponimus, de quibus hic non agitur. Præterea dicimus, iſtos ſingulares homines, quos Vujekus commemorat, habuiſſe quandam generalem Chriſti notitiam, quatenus illum agnoverant datum à Deo ſervatorem & regem populi ſui. Sed qualis ſervator & qualis rex futurus eſſet, non noverant; & præcipue non noverant eum eſſe Dei Verbum, qua de re hic agitur; id eſt, neſciebant, eum voluntatem Dei, non ante patefactam, annunciaturum, de vitæ æterna danda iis, qui non quidem Moſaica, ſed ipſius Chriſti præcepta ſervaſſent. Jam quod Vujekus à Bellarmino * acceptum hic dicit, & infra pag. 102. repetit, Chriſtus eſt vita æterna, neceſſe eſſe, ut ipſe ſit æternus; eſt hic fallacia ſumma. Nec ullas vires habere poteſt argumentatio iſta per ſe: ſed tantum ex accidente; quatenus, videlicet, accidit, ut is, qui fons eſt & prima cauſſa vitæ æternæ, ſit æternus, & ſimul Chriſtus hoc ſenſu vita æterna eſſe ac dici intelligitur, quod ſcilicet ipſe ſit fons & prima cauſſa vitæ æternæ. Id quod tamen eſt falſum. Eſt enim Chriſtus vita æterna, non quidem hoc ſenſu: ſed primum eo ſenſu, quo ipſe dixit Joh. 12. vſ. 50. Patris ſui mandatum eſſe vitam æternam. Nam, ſi quis Chriſto obedierit, is ſine dubio vitam æternam conſequetur: Deinde quia per ipſum, ut ſecundam à ſe factam & conſtitutam cauſſam, Deus Pater, qui ſolus fons & prima cauſſa eſt vitæ æternæ, nobis reipſa vitam æternam dabit. Animadvertatur autem, alioqui etiam iſtius argumentationis fallacia ſeu falſa ſpecies propter nomen Æternus; quod non eodem ſenſu accipitur, cum Chriſtus dicitur eſſe vitæ æterna, & cum ex eodem concluditur, Chriſtum eſſe æternum. Ibi enim intelligitur æternitas à parte poſt (ut ajunt) hic vero à parte ante. Quæ hic ſubjicit Vujekus, quod

* Tom. 1. Col. 319. B.

per

per verbum, eodem apud Johannem loco, omnia facta eſſe dicuntur, & mundus ipſe per illud factus eſſe dicitur, quem oporteat nos intelligere cœlum & terram eſſe; jam ſupra ſatis ſuperque diluta ac refutata ſunt.

Quarto proferunt ipſius Chriſti teſtimonium dicentis Joh. 8. 58, *Antequam Abraham fieret, ego ſum*; ut quidem vulgo legitur. Quanquam enim (ſubobſcure tamen) fatentur hinc Chriſti æternitatem non probari & idcirco ad propoſitum verba iſta Chriſti non pertinere; tamen quia in illis apertiſſime dici autumant, Chriſtum reipſa extitiſſe, antequam Abraham naſceretur: nos autem contendimus, Sacris Teſtimoniis doceri non poſſe Chriſtum ſeu Dei filium reipſa extitiſſe, antequam in virginis utero conciperetur ex eaque naſceretur; propterea, ad nos erroris revincendos, ea afferre voluerunt.

Nos vero, rametſi, ut primo capite hujus noſtræ refutationis diximus, in aliquot noſtrorum hominum ſcriptis, quæ partim edita jam ſunt, partim, Deo volente aliquando edentur, abunde oſtenſum ſit, quænam ſit vera iſtius loci ſententia, & quam ab eo aliena, ut quidquam inde adverſum nos concludi poſſit; tamen aliquid hic quoque, ad hoc teſtimonium contra nos allatum diluendum, ſcribere libuit.

Dico igitur, verba Græca prædicti loci apud Johannem, ex vi Grammaticæ, omnino Latine ita legenda eſſe: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fiat, Ego ſum. Fiat*, inquam, non autem *fieret*, ibi legendum eſt. Primum enim, ſi quis Græcæ linguæ prorſus ignarus aut admodum rudis, dubitet, an verbum γένῃ quod Vetus Interpres, quem alii ſunt imitati, reddidit *fieret*, recte poſſit reddi *fiat*, conſulat hæc duo, apud eundem Johan. iſti ſimilia loca, cap. 13. 19. XIV. 29, ubi quemadmodum ab eodem Vetere Interprete & aliis factum inveniet, neceſſarium eſſe deprehendet, ut verbum γένῃ, reddatur *fiat*, non autem ullo modo *fieret*. Deinde, quod in hoc quoque loco omnino *fiat* reddi debeat, id eſt, tempore præſente, non autem præterito, ex eo facile intelliget, quod duo alia verba, à quorum alterutro dictionem *antequam*, una cum verbo iſto ſibi adjuncto, pendere neceſſe eſt, *dico*, quod præcedit, & *ſum* quod ſequitur, ambo ſunt præſentis temporis. Unde neceſſario, ſecundum ipſam Grammaticam, ſequitur, verbum iſtud ſimiliter eſſe præſentis temporis, & propterea *fiat*, non autem *fieret* legendum eſſe. Ex quo ſatis ad hoc teſtimonium, pro ſententia noſtra de Chriſti perſona, quando primum eſſe cœperit, reſponſum eſt: & demonſtratum, minus verum eſſe, Chriſtum dixiſſe, Ego ſum, antequam Abraham naſceretur; quod tamen Vujekus in initio ſui libelli affirmavit. Quod ſi quis de ſenſu Chriſti verborum quærat: quamvis nihil me cogat, eum exponere; tamen dico primum, verba illa *antequam Abraham fiat*, pendere a verbo *dico*, quod præcedit, non autem à verbo *ſum*, quod ſequitur; perinde ac ſi ſcriptum fuiſſet, *dico vobis, antequam Abraham fiat, quod ego ſum*. Particula enim *quod* ſubaudiri debet omnino: Atqui non, ut vulgo fit, ante verba iſta, *antequam Abraham, &c.*, ſed poſt ſubaudiri debet. Nam verba illa *Ego ſum*, ſtant per ſe; & ſignificant, ut ante etiam alibi diximus, Ego ſum Chriſtus & ſervator veſter. Quemadmodum apparet ſupra in eodem ſermone Chriſti cum Judæis vſ. 24, 28, & cap. 13. 19, ejuſdem Euangeliſtæ in ſermone, quem idem Chriſtus cum ſuis diſcipulis habuit. Deinde dico, Chriſtum, quia Judæi voluerant eum capere in verbis, quaſi dixiſſet ſe vidiſſe Abrahamum, quod tamen nullo modo dixerat; non minus merito, quam acute & eleganter detorſiſſe nomen Abraham ab homine ipſo, cui à Deo id fuerat impoſitum, ad rem, quam ipſum nomen ſignificat, & propter quam homo ille ita nominatus fuerat. Significat autem Patrem multitudinis ſeu multarum gentium. Itaque poſtremo concludo, Chriſtum verbis iſtis voluiſſe graviter monere Judæos illos, ut crederent ſe eſſe Chriſtum & ſervatorem ipſorum, antequam illud exiſteret, quod prædictum fuerat, Abraham, videlicet, fore Patrem multarum gentium Rom. 4. 16, 17, id eſt, ad gentes quoque prædicationem & patefactionem verbi & voluntatis divinæ perventuram, & multos fideles ex ipſis extituros. *Abraham* enim, inquit Paulus, *pater eſt omnium noſtrum*, id eſt, fidelium ſeu credentium, *ſicut ſcriptum eſt, quia patrem multarum gentium poſui te*. Antequam igitur hoc exiſtat, & ſic Abraham, id eſt, quod nomen iſtud ſonat, revera fiat, monet Chriſtus Judæos, ut in ſe credant; alioqui, ſcilicet, eos à Dei regno excluſum iri; quemadmodum alias illis, modo apertius, modo obſcurius, comminatus fuerat. Propter quod etiam aliquando ira perciti, ut hic lapidare, ſic ibi, è civitate ejectum, de monte præcipitare voluerunt.

In hac Chriſti verborum explicatione noſtra ſatis reſponſum eſt ad ea, quæ hic Vujekus affert, ut probet, omnino vulgatam, non autem vel hanc, vel aliam noſtrorum hominum interpretationem, recipiendam eſſe: præſertim vero ad id, quod ait, Chriſtum alioqui ad rem locutum non fuiſſe. Oſtendimus enim, Judæos fuiſſe, qui ad rem non ſunt locuti, dum Chriſtum dicentem faciunt, ſe vidiſſe Abrahamum, cui calumniæ aſſentiri Chriſtum non decuit, id quod profecto feciſſet, ſi ita reſpondiſſet, ut adverſarii opinantur. Immo decuit, ut Judæos ſe in verbis captantes, occaſione ex uno verbo ſumpta, in re caperet ipſe ac comprehenderet: atque interim ad totius illius ſermonis, quem cum ipſis habuerat, ſcopum ac propoſitum revocaret. Id enim toto eo ſermone egerat Chriſtus, ut illis perſuaderet, ſe eſſe Chriſtum, ipſoſque graviſſime peccare, qui non modo in ſe non crederent, ſed etiam ipſum perſequerentur, & interficere quærerent. Cujus peccati, niſi reſipiſcerent, juſtas pœnas daturi eſſent.

Congerit hîc poſtremo Vujekus una cum Bellarmino aliquot loca ad Chriſti æternitatem probandam, ad quæ Bellarminus ait noſtros homines nihil reſpondere. Primus locus eſt Joh. 17. 5. *Clarifica me tu pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Ad hunc locum reſpondimus nos, cum diluimus nonum argumentum primæ claſſis, refutantes confirmationes quaſdam Bellarmini ſuæ interpretationis loci ad Philip. 2, ubi de exaltatione Chriſti agitur; & ipſo Auguſtino auctore, oſtendimus, locum iſtum, de prædeſtinata ante mundum Chriſto homini gloria, debere intelligi.

Secundus locus eſt Hebr. 7. 3. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Ad hunc locum ſimiliter jam ſatis reſponſum per me fuit in diſſolutione primi argumenti tertiæ claſſis. Ubi docuimus, hæc verba de Melchiſedeco dicta eſſe: nec ita accipi poſſe, ut ſonant: debereque ea, quod ad initium dierum attinet, potiſſimum referri ad ipſius ſacerdotium; cujus initium non legitur, id quod adumbrabat Chriſti, quem figurabat, ſacerdotium, ſeu Chriſtum, ut ſacerdotem nemini ſucceſſiſſe, nec principium ullum certum, videlicet, in lege, conſtitutum habuiſſe. Denique cum Melchiſedecus ibi cum Chriſto comparetur, non quidem abſolute atque univerſe, ſed quatenus rex & ſacerdos, potiſſimum vero quatenus ſacerdos fuit; nullo pacto poſſunt verba iſta, *nec initium dierum, &c.* ad Chriſti ſeu filii Dei perſonam abſolute accommodari: ſed ut ad regnum, maxime vero ad ſacerdotium ipſius accommodentur, neceſſe eſt. Quod cum fieri non poſſit ad eum modum, ut ipſa verba ſonant, nimirum quia & regni & ſacerdotii Chriſti initium aperte Sacris Literis conſignatum eſt; oportet omnino id fieri, quatenus illud conſideratur, quod in Melchiſedeco per id adumbratum fuit, quod non legitur ſcriptum de eo, quando rex, præcipue vero, quando ſacerdos eſſe cœperit. Quod nihil aliud eſſe poteſt, quam quod diximus, Chriſti videlicet ſacerdotium nullum certum principium in ipſa lege conſtitutum habuiſſe.

Tertius locus eſt in eadem ad Hebr. Epiſtola cap. 13. 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem & in ſæcula.*

Atqui

Atqui hæc de Chriſto verba non poſſunt ullo pacto ejus æternitatem ſignificare, niſi fortaſſe à parte poſt, propter illud in *ſæcula*; immo, à parte ante voces illæ *heri & hodie* indicant potius, ipſum non admodum diu extitiſſe; licet perpetuitatem ex quo extitit, declarent. Senſus enim eſt, Chriſtum, id eſt, Chriſti doctrinam (de ea ſiquidem ibi manifeſte agitur, non de ipſa Chriſti perſona) ex quo cœpit, nunquam deſiiſſe, nec in poſterum deſituram. Non autem, ut adverſarii parum conſulte affirmant, Chriſtum, id eſt, ipſam Chriſti perſonam ſemper fuiſſe, & ſemper eſſe, & ſemper futuram. Conjungunt cum hoc loco verba illa in Apoc. repetita, *Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Sed jam ipſorum audacia atque adeo confidentia, in iſtis verbis ad Chriſtum referendis, ſatis à nobis patefacta eſt, dum reſpondimus ad ſextum argumentum primæ claſſis.

Quartus & poſtremus locus eſt 1 Joh. 5. 20. *Hic eſt verus Deus & vita æterna*, ubi Bellarminus (quod Vujekus, ut vidimus, præoccupans, ante arripuit) ex eo, quod Chriſtus ſit vita æterna concludit, & ipſum fuiſſe æternum. Ad quam ratiocinationem jam reſponſum non ita multo ante à nobis eſt: & prius alibi, quinam iſtius loci apud Johannem tutiſſimus ſenſus videri poſſit, explicatum.

De ſecundo Dei attributo.

Secundum attributum ſeu proprietas divina eſt immenſitas: quam Chriſto tribui, primo ex eo dicunt conſtare, quod ſcriptum eſt Baruch. 3. 25. *Magnus eſt & non habens finem, excelſus & immenſus.* Hoc enim de Chriſto dici ajunt id oſtendere, quod ſcriptum eſt in fine cap. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.*

Atqui huic loco (ut alia quæ reſponderi poſſent omittamus) jam ſatiſfactum per nos fuit, & oſtenſum, poſſe ex Græco, & propter ea, quæ in initio ſeq. cap. 4, leguntur, debere, verba iſta *poſt hæc, &c*, aliter legi & ad ſcientiam, de qua ibi eſt ſermo, referri. Vide reſponſionem noſtram ad 6. Arg. 2 Claſſis. Et nota, quod in ipſo initio 4. cap. Græca verba ſic habent, Αυτη ἡ βιβλος &c, quæ verba, cum neceſſario ad ſuperiora referantur, non debent, nec poſſunt aliter verti, quam, *hæc* (ſubaudi *ſcientia*) *eſt liber, &c*, ut Tigurini verterunt. Quod à Caſtellione, & ab aliis, qui tamen poſtrema verba 3. cap. ad ſcientiam referunt, animadverſum non fuiſſe valde miror.

Secundo ad idem probandum citant verba illa ipſius Chriſti, Joh. 3. 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo.* Et addunt, *Si Chriſtus in cælo erat, quando hæc loquebatur in terra, igitur ſimul in cœlo & in terra erat: non autem corpore tunc erat in cœlo, cum ſe diceret aſcenſurum in cœlum, igitur alia in Chriſto natura erat, præter humanam illam, quæ cernebatur oculis mortalium, videlicet divina, quæ immenſa eſt, & cœlum ſimul, ac terram replet.*

Reſpondeo: Et primum dico, verba Græca, quæ Latine ſunt reddita, *qui eſt in cœlo*, poſſe reddi, *qui erat in cœlo*, quemadmodum & ab Eraſmo, & à Beza, & ab aliis annotatum fuit. Itaque nihil ſolidi eſt in tota argumentatione iſta. Deinde, cum de filio hominis, id eſt, de homine diſerte verba fiant; ita Chriſti verba ſunt interpretanda, ut ad ipſum hominem proprie accommodentur; ſi modo proprie ſunt accipienda. Quod ſi non proprie ſed figurate accipienda ſint: quid vetat, quominus ipſe homo, id eſt, Chriſtus, quatenus homo erat, tunc temporis in cœlo eſſe dictus fuerit? An non in cœlo is eſſe figurate atque eleganter dici poteſt, qui in cœlo ſemper mente verſetur cœleſtiaque omnia perfectiſſima & quaſi præſentia perpetuo habeat? Sed adverſarii figuratum ſermonem in ipſo nomine filii hominis eſſe contendunt; de quo per idiomatum communicationem dici volunt id, quod Dei cum eo in eadem perſona conjuncti eſt proprium. Sed, ut hoc illis concedi poſſit, oporteret ſaltem de iſta conjunctione perſonali Dei, & hominis, ſeu divinæ, & humanæ naturæ in Chriſto, aperte conſtare: quod illud ipſum eſt reipſa, quod ex hoc loco probare volunt. Præterea, quemadmodum in homine, qui ex animo, & corpore conſtat, quæ propria corporis ſunt, animæ tribui ſeparatim non poſſunt, nec contra; ſic, ſi Chriſtus, ut adverſarii volunt, conſtat ex Deo & homine, ſive ex divina, & humana natura, non poſſunt quæ ſunt Dei ſeu divinæ naturæ propria, ſeparatim homini ſeu humanæ naturæ tribui: nec contra. Nec idiomatum communicatio aliud præterea efficere poteſt quam ut quæ unius tantum ſunt naturæ, ipſi ſuppoſito tribuantur; quemadmodum, quæ propria ſunt animæ tantum, aut corporis tantum, ipſi homini merito tribui poſſunt. Sed quid eſt, quod adverſarii dicunt, Chriſtum non potuiſſe dicere, quod tunc corpore eſſet in cœlo, cum, ſe diceret aſcenſurum in cœlum? Nam quomodo, obſecro, probant, Chriſtum tunc dixiſſe, ſe aſcenſurum in cœlum: Dicent (neque enim video, unde id alioqui colligere audeant) ex illis verbis, *Nemo aſcendit in cœlum.* Atqui verbum *aſcendit*, ut ex Græco patet, non eſt præſentis temporis, ut figurate ad futurum tempus accommodari aut poſſit, aut etiam debeat, ſed præteriti; adeo ut neceſſe ſit (niſi Ubiquitarii eſſe velimus) fateri, vel totum Chriſti ſermonem figuratum eſſe, & iſtum aſcenſum & deſcenſum atque exiſtentiam in cœlo metaphorice & allegorice accipi debere, vel, Chriſtum revera, poſtquam homo natus fuit, antequam verba iſta diceret, aſcendiſſe in cœlum: ex quo etiam merito dicere potuerit, ſe hominem ibi fuiſſe (jam enim dictum eſt pro *qui eſt*, jure poſſe reponi *qui erat*) & ſic nihil prorſus ad Chriſti immenſitatem probandam hæc ipſius verba pertinere poſſunt.

Tertio afferunt ejuſdem Chriſti verba, Matth. 18. 20. *Ubi fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, in medio illorum ſum. Hinc* enim inquiunt, *ſimiliter immenſitas Chriſti apparet. Nam & in cœlo, & in terra, & in omnibus mundi regionibus neceſſe eſt eſſe illum, qui eſt præſens, ubicunque aliqui congregati fuerint in nomine ipſius.* Bellarminus pro *ipſius* habet *Chriſti.*

Reſpondeo, negans primum conſequentiam hujus argumentationis: etiamſi, ut in ipſa pro conceſſo ſumitur, Chriſti verba de reali & eſſentiali præſentia accipienda eſſent. Poſſet enim Chriſtus in omnibus locis, ubi ſint duo aut tres aut plures congregati in nomine ipſius, eſſentialiter adeſſe: nec tamen eſſe ubique, quemadmodum, ad hoc ut immenſus ſit, omnino requiritur. Neque enim (arbitror) in aëre, aut ſub aquis, vel etiam in ipſo cœlo congregationes aliquando fiunt duorum aut trium, aut plurium in Chriſti nomine. Sed deinde quis non videt, aut negare poteſt, Chriſtum in iſto & ſimilibus locis de præſentia ſua, quod ad favorem & auxilium attinet, verba facere? Quid enim prodeſſet, ipſum reali præſentia totum nobis adeſſe, niſi nobis faveret atque opem ferret? An non alioqui adeſſe poſſet atque adeo in medio noſtrum eſſe, ut nos puniret, quemadmodum aderit impiis hominibus, & in medio illorum ſedebit, cum veniet æternis ſupplíciis eos addicturus? Nunquid fortaſſe favore & gratia atque ope ſua nobis adeſſe Chriſtus non poteſt, niſi realiter atque eſſentialiter nobis ſit præſens? Si ita eſt, Chriſtus minus poteſt, quam quilibet homo princeps. Inter quos nemo eſt, qui, licet corpore, & ſic realiter abſens, prout auctoritate ac potentia pollet, magis minuſve aliquibus favere atque opem ferre non valeat. Poteſt homo mortalis abſens, per aliquos ſuos miniſtros, ſumma beneficia ac multiplicia in plurimos conferre. Et non poterit Chriſtus, cui innumerabilis Angelorum numerus ſervit, & ad ipſius nutum ubique ſunt præſto, cuiquam beneficium dare, ſive id animam ſive corpus reſpiciat, niſi realiter ipſe præſens adſit? Abſint quam longiſſime impiæ iſtæ ac ſtultæ de Chriſto opiniones ab omnibus qui ipſius Chriſti nomen invocare non dubi-

dubitant. Et pudeat adverſarios, ſi modo ipſi ita de Chriſto opinantur, id ei non concedere, quod Mariæ virgini, & aliis ſanctis concedunt, ut, ſcilicet, quantumvis abſentes, pios homines juvare poſſint.

De Tertio Dei attributo.

Tertia Dei proprietas ſive attributum ponitur ab adverſariis potentia, ſeu potius omnipotentia. Afferunt, ut id probent, locum illum 1 Tim. 6. 15, *qui ſolus eſt potens.*

Si Græce vox, quæ reddita eſt potens, eſſet δυνατὸς, ad rem faceret locus iſte. Sed ut ſupra vidimus, eſt δυνάστης. Quæ vox revera non potentem ſed potentatum aliquem ſeu principatum habentem ſignificat. Itaque ad rem non facit. Præterea ante oſtendimus; in quem ſenſum in iſto & ſimilibus locis vox ſolus accipienda ſit; id eſt, ut alios minime ab eadem appellatione excludat: ſed tantum doceat, alios omnes, ut ipſis eadem appellatio tribui poſſit, non ex ſeipſis habere, ſed ab iſto, qui propterea ſolus talis eſſe dicitur.

Jam ad probandum, quod Chriſto potentia ſeu omnipotentia tribuatur, nihil in medium producunt, niſi teſtimonia illa Apoc. ubi Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens appellatur. Quæ jamdiu à nobis oſtenſum eſt ad Chriſtum non eſſe referenda. Tantum, dum conantur reſpondere ad ea, quæ noſtri homines afferre ſolent, ut oſtendant differentiam inter potentiam Dei Patris, & Chriſti, mentionem faciunt illorum Chriſti verborum Joh. 5. 19, *quæ Pater facit, hæc filius quoque ſimiliter facit.* Sed & de his, & de aliis eodem loco Chriſti verbis, in quibus de ipſius potentia in operando agitur, videnda ſunt, quæ ſcripſimus in reſponſione ad 3. Arg. tertiæ Claſſis.

De Quarto Dei attributo.

Quartam proprietatem ſive attributum divinum ponunt adverſarii ſapientiam. Citant Pauli locum Rom. 16. 27, *ſoli ſapienti Deo.* De quo dico, quod de aliis, ubi vox ſolus legitur, & modo & antea notavimus. Quocirca non eſt, quod laboremus, ne ſapientis nomen Chriſto tributum fuiſſe fateri cogamur. Id enim facile concedimus, ſcientes, non ita Deum eſſe ſolum ſapientem, quin ſapientiam creaturis ſuis largiatur: unde aliquæ ipſo ſapientis nomine ſunt appellatæ; ut potiſſimum Solomonis Proverbia & Eccleſiaſtes teſtantur, in quibus libris ſæpiſſime ſapientum fit mentio. Et ipſe Solomo Eccl. 12. 9, ſecundum vulgatam editionem non ſapiens modo, ſed ſapientiſſimus fuiſſe dicitur. Quanto igitur magis id de Chriſto homine vere dici poſſe, certum eſt, qui de ſe dixit Luc. 11. 3, *Ecce plus quam Salomon hic?* Nihil eſt igitur, cur ad teſtimonia reſpondeamus, quæ adverſarii attulerunt, ut probent, Chriſto tribui, quod ſit ſapiens; tametſi ea id non probant, & locus ille, *In ipſo ſunt omnes theſauri, &c.* Col. 2. 3, ſi quis recte animadvertat, non ad Chriſtum, ſed ad myſterium Dei Patris & Chriſti eſt referendus.

De Quincto Dei attributo.

Quinctum Dei attributum ſeu proprietas, ex ordine adverſariorum, eſt Bonitas: *Nemo eſt bonus, niſi ſolus Deus*, Luc. 18. 19. De quo dic, ut ſupra, ac memineris, & hic, & alibi ubique, aliud eſſe, rem, de qua agitur, prorſus eſſentialem & omnibus numeris abſolutiſſimam atque integram in ſeipſo habere, aliud vero ea, ut qualitate, licet inſeparabili præditum eſſe, ejuſque, quantumvis abundanter, factum fuiſſe participem. Hoc facit, ut ſimplex appellatio ex re ducta nihilominus tribui poſſit. Illud vero, ut ſoli convenire merito dici queat. Quanquam teſtimonia ab adverſariis prolata pro Chriſti bonitate vel nihil probant, vel ſimul oſtendunt, alios etiam, præter Chriſtum, bonos appellari poſſe. Locus quidem Sap. 7. 24, ad Chriſtum non pertinet: ut unuſquiſque, eum legens animadvertet. Idque facile intelligi poteſt ex iis, quæ ante diſputavimus in examinatione loci Prov. 8. Deinde Sapientia ibi, quam iſti imperite admodum Chriſtum eſſe volunt, non quidem bona appellatur, ſed imago bonitatis divinæ eſſe dicitur. Niſi enim pro conceſſo ſumant id, quod à me pernegatur, ſapientiam, de qua ibi agitur, eſſe propriam aliquam Dei ſapientiam ex ipſius ſubſtantia genitam, potius contrarium ex appellatione iſta probabitur. Nemo enim neſcit alioqui rei alicujus imaginem, à re, cujus eſt imago, quod ad interiores atque eſſentiales (ut ſic dixerim) qualitates attinet, longe differre ſolere. Locus porro Matth. 20. ℣. 15, *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Demonſtrat, de aliquo homine Patre familias, ſub cujus perſona regni cœlorum conditio quædam ibi deſcribitur, & adumbratur, dici poſſe, eum eſſe bonum, non autem id tantum docet, videlicet, Chriſto appellationem iſtam convenire; ſi modo certum eſſet, iſtum Patrem familias Chriſtum nobis figurare, quod ſane incertum eſt. Immo veriſimilius multo eſt, ut Deum Patrem figuret: qui alibi ſub nomine ſimiliter hominis Patris familias vineæ Domini, certiſſime adumbratur, Matth. 21. 33, &c. An non Chriſtus ipſe alibi ait, *Bonus homo de bono theſauro, &c.* Nonne Joſeph ille ab Arimathea vir bonus appellatur Luc. 23. 50? Cur igitur ejuſmodi argumentis utimur ad probandum, Chriſtum eſſe illum unum Deum, quibus, ſi recte concluſa ſunt, ſimiliter probatur, non unum hominem mortalem, eſſe illum unum Deum?

De Sexto Dei attributo.

Sexta & ultima proprietas ſeu attributum divinum commemoratur ab adverſariis Majeſtas adoranda ſummo honore & cultu. Hanc autem Chriſto tribui, pluribus modis oſtendere ſtudent; quos antequam recenſeamus & examinemus, lectorem rogamus, ut relegat modo, quæ de hoc argumento ſcripſimus cap. 1. hujus noſtræ Refutat. & fatis fortaſſe habebit, ut agnoſcere poſſit, nobis Chriſtianis, præter illum unum Deum, hominem quoque Chriſtum Jeſum divino cultu eſſe afficiendum, & nihilominus inter Chriſti hominis, & illius unius Dei cultum differentiam eſſe ſtatuendam & agnoſcendam, quatenus Deo Chriſtus ſubordinatus eſt ab eoque totus pendet; ita ut quidquid cultus Chriſto tribuitur, id totum ad Deum ipſum referatur, in eoque, ut in ultimo ſuo ſcopo terminetur ac conquieſcat. Quare nihil agunt adverſarii, niſi probent, Chriſtum alio præterea diviniore cultu, qui nulla prorſus ratione ab eo differat, qui illi ſoli Deo debetur afficiendum eſſe. Quod an iis rationibus & teſtimoniis fecerunt, quæ attulerunt, jam videndum nobis eſt.

Primo igitur Vujekus affert non commemoratam hic à Bellarmino viſionem illam Eſai. 6. juncto eo, quod ſcribitur Joh. 12, qua de re cum actum fuerit in reſponſione ad 6. Argumentum primæ Claſſis, ubi docuimus, illum Dominum in ſumma illa majeſtate ab Eſaia viſum, ex Johannis verbis non probari, fuiſſe Chriſtum; non eſt quod hic aliud quidquam dicamus.

Secundo afferunt verba Pſalmi 96. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Quæ verba in Epiſt. ad Hebr. 1. 6. de Chriſto exponi affirmant. Sed vide, quæ ſcripſimus, reſpondentes ad quartum argumentum primæ claſſis: ut agnoſcas, qua ratione Chriſto verba iſta Pſalmi accommodentur: eique divina adoratio tribuatur; ita, videlicet, ut non tamen hinc ſequatur, Chriſtum eſſe illum unum Deum. Quippe quod nequaquam in ipſo Chriſto adoratio iſta terminetur. Ex quo con-

conſequitur; adorationem iſtam, quatenus nihilominus ipſius Chriſti perſonam reſpicit, non eſſe illi prorſus æqualem, quæ uni illi Deo debetur. Quæ enim uni illi Deo debetur, hoc proprium habet, ut in ipſo illo uno Deo penitus terminetur. Et falluntur adverſarii, dum hic ajunt, in Pſalmo propterea agi de adoratione ſoli illi uni Deo debita, quia illa ibi idololatriæ opponatur. Nam, ut cap. 1. hujus Refutationis oſtendimus, Paulus 1 Cor. 8. Chriſti, ut unius Domini, per quem omnia, adorationem idololatriæ opponit; nec tamen adoratio iſta illa eſt, quæ illi uni ſoli Deo eſt debita. Ea enim, ut ex eodem Pauli loco conſtat, hoc omnino habet, ut is, cui tribuitur, conſideretur, ut Pater ille ex quo omnia.

Tertio ajunt, Chriſtum habere templum. Malach. 3. 1. *quod*, inquiunt, *eſt ſignum illi convenire cultum ſolius Dei proprium.*

Reſpondeo primum, vocem Hebræam *Hechal*, quæ apud Malachiam in loco iſto reddita eſt *Templum*, proprie ſignificare Regiam: & per tranſlationem ad Templum quoque ſignificandum, quippe quod divini numinis Regia eſſe cenſeatur, uſurpatam fuiſſe. Quemadmodum factum videmus in voce Græca *Baſilica*; Latina facta. Quæ proprie idem quod Regia ſignificat, & tamen ad Templum quoque ſignificandum tranſlata fuit. Habes de voce Hechal ſignificante Regiam non pauca exempla in Sacris Literis. Nos tibi duo tantum notabimus, 3 Reg. 21. 1. Daniel 1. 4, ubi ipſa vulgata editio habet Palatium. Et quemadmodum *Baſilica* peculiari ſignificatione ſignificat locum, ubi Rex, ſeu is qui dominatur ac præeſt, jus dicit; ſic ajunt quidam, in lingua Hebraica verſatiſſimi †, *Hechal* tale quiddam ſignificare. Et ſane locus ipſe apud Malachiam, in hunc ſenſum indicat accipiendam ibi hanc vocem eſſe; ubi, videlicet, fit mentio dominatoris, qui expectatur: nempe ut veniat ad jus dicendum, & in populo, cui dominaturus eſt, omnia componenda. Quod certe Chriſtus veniens fecit in Eccleſia ſua, & populo, ſuper quem à Deo Patre Dominus conſtitutus fuit. Templi nomen certe non ita huic loco convenit. Sed tam Vujekus, quam Bellarminus, ut omnino videri poſſet Templi hic mentionem fieri, addiderant de ſuo ipſi voci Templum, parum conſulte hoc loco à Vetere Interprete uſurpatæ, Epithetum Sanctum. Quod tamen nuſquam, id eſt, nec in Hebræis, nec in Græcis, nec denique in Latinis exemplaribus extare comperimus.

Verum demus deinde, *Templum*, apud Malachiam legi: & Chriſto tribui, quod Templum habeat: hancque argumenti aſſumptionem, ut veram, adverſariis concedamus, nunquid conſecutio valida eſt? Minime quidem. Ex eo enim, quod Chriſtus Templum habeat, nihil aliud concludi poteſt, quam ei divinum cultum convenire: non autem præterea, illum ipſum cultum, qui ſolius unius Dei eſt proprius. Documento hujus rei eſſe poſſunt tot Templa apud Ethnicos, in quibus variis diis, quibus dedicata erant, varius etiam cultus tribuebatur. Itaque neutiquam ex natura, ut ita dicam, Templi eſt, ut idem plane divinus cultus in eo cuicumque id dedicatum fuerit, peragatur. Oportuiſſet adverſarios probare, nullo pacto fieri poſſe, ut ullus alius, præter unum illum ſolum Deum Templum habeat merito ac revera, & ſic aliquid effeciſſent: ubi docuiſſent, Chriſtum merito ac revera Templum habere. Sed hac ratione miſeri idololatrias ſuas varias ac multiplices aliquanto apertius etiam, quam nunc fecerint, detexiſſent; cum infinita Templa ipſi habeant nominatim aliis, præter illum unum Deum, dicata. Quod cum, aliqua ſaltem ex parte, divino monitu ſe feciſſe jactent; miror eos adeo confidentes eſſe, ut non vereantur aſſerere, habere Templum, eſſe ſignum cultus, uni illi ſoli Deo debiti, ſibi convenientis. Ex quo neceſſario, ſi ſibi ipſi conſtare velint, ſequitur, Mariam virginem Chriſti Matrem, innumeroſque alios, qui apud ipſos Templa habent, ab iis eo cultu affici, qui ſolius Dei eſt proprius.

† Joh. Forſterus.

Quarto dicunt, invocationem abſentis, eſſe apud nos cultum ipſius Dei proprium. *Atqui Chriſtus*, ajunt, *invocatur* (ſubaudi *licet abſens.*) *Ergo* (conclude tu pro illis) *Chriſtus ſecundum ves ipſos, habet cultum ipſius Dei proprium: & conſequenter Chriſtus eſt ipſe Deus.*

Reſpondeo, axioma iſtud, quod invocatio abſentis ſit cultus ſolius Dei proprius, nullo pacto apud nos extare, vel à nobis agnoſci. Nec Bellarminus candide in hac re ſe geſſit, qui optime novit, nos iſtud axioma, quod Trinitariorum eſt, qui ab Eccleſia Romana ſeparati ſunt, vel illorum, qui Chriſto invocationis cultum prorſus adimunt, minime recipere. Quamobrem corruit funditus iſta ipſius adverſum nos argumentatio. Nec eſt, quod quidquam reſpondeamus ad teſtimonia, quæ profert Chriſti abſentis invocati; cum ea omnia & multo plura à nobis, ad idem probandum adverſus eos ſoleant afferri, qui Chriſto invocationem non concedunt; quemadmodum ipſe Bellarminus * vidit, cum legit, ut hic quidem obſcurius, alibi vero apertius teſtatur, exiguum illud Fauſti Socini ſcriptum, quo Franciſci Davidis theſes de non invocando Chriſto confutantur. Nec debuerat unquam ipſe impias & ridiculas iſtorum locorum interpretationes, ne, ſcilicet, ex illis invocatio Chriſti colligi poſſit, à quibuſdam allatas, adverſariis (& ſic nobis quoque, immo nobis præcipue) ut facit, ſimpliciter unquam tribuere: ſed ſemper iis tantum, qui, Chriſtum minime invocandum eſſe docent. Cujuſmodi, ut ipſemet probe novit, fuit tandem Franciſcus Davidis, tametſi antea diu una cum aliis noſtris hominibus dum, ſcilicet, & ipſe noſter eſſe eſt viſus, contrarium docuiſſet.

Quincto & poſtremo urgent adverſarii, Prophetas fere omnes prædixiſſe, omnem idololatriam deſituram poſt adventum Meſſiæ. Nam hoc falſum fore ajunt, immo vere dici poſſe, poſt Meſſiæ adventum idololatriam maxime floruiſſe, & inſigne præter omnia alia idolum extitiſſe, ſi Chriſtus non eſt verus Deus eo cultu dignus, qui ſoli illi uni Deo debetur (ſic enim & Vujekus hic & Bellarminus loqui debuit. Nam Bellarminus, ut cultum iſtum ſoli illi uni Deo debitum ſignificet, ſuos imitatus, ſimplici Latriæ vocabulo non recte utitur) *Etenim* inquiunt *Eccleſia toto orbe terrarum, à mille quingentis & amplius annis, Templis, aris, invocationibus, & feſtis diebus Chriſtum coluit.*

Reſpondeo, cultus iſtos non eſſe illius unius Dei proprios, vel adverſariis ipſis teſtibus, qui iſta omnia multis ac prope innumeris aliis, præter illum unum Deum, potiſſimum vero Mariæ virgini attribuunt. De Templis aris & feſtis diebus nullo pacto negare id poſſunt. Sed nec de invocationibus id eos negare poſſe, oſtendimus cap. 1. hujus noſtræ Refutationis. Præterea longe à veritate abeſt, quod iſti affirmant, omnes fere Prophetas prædixiſſe idololatriæ toto orbe terrarum exterminationem poſt Meſſiæ adventum, id eſt, ſtatim poſtquam Meſſias advenerit. Nam ſi hoc verum eſſet, mentiti eſſent Prophetæ; quod vel cogitare eſt impium. Certiſſimum enim etiam apud ipſos adverſarios eſt, poſt Chriſti adventum diutiſſime plurimis in locis duraſſe, & adhuc in non exigua orbis terrarum parte durare fœdiſſimas idololatrias. Quod ſi dicant de iis locis ſe loqui, ubi alioqui verus Deus colatur, ut fit, ubi Chriſtiani nominis homines degunt; ne hoc quidem prædixerunt Prophetæ. Sed vel omnium ubique idolorum everſionem tunc futuram prædixerunt, cum Evangelium ubique terrarum reipſa annunciatum fuerit, quod nondum eſt factum, ſeu tunc cum Dei judicium de univerſo orbe appropinquaverit; vel de Judæa tantum aut Samaria ſunt locuti, ſeu de Judæ tantum aut Iſraëlis populo: in quibus vel ab ipſomet populo ſponte abjectis, vel ab illorum hoſtibus, voluntate Dei confractis ac diſperſis idolis omnibus, externa idololatria deſitura eſſet. Inſpiciat modo lector loca ipſa diligenter, quæ Vujekus citavit, Eſai. 2. 18. Zach. 13. 1, & quæ præterea hic Bellarminus notavit,

* Tom. 1, col. 271. A. & col. 323. A. & B.

Eſai. 31.

Eſai. 31. Ezech. 6. 30. Oſe. 10. Mich. 1, noſque vera dicere deprehendet.

Subjungunt hic adverſarii reſponſionem ad quandam exceptionem noſtram, cum idololatriæ arguimur, propterea quod Chriſtum, quem tamen illum unum Deum eſſe negamus, adoremus & invocemus. Excipimus enim, Deum juſſiſſe, ut Chriſtum divino cultu afficiamus, & Chriſtum, quamvis non ſit ille unus Deus, tamen habere in ſe, ex Dei dono, eam divinitatem, quæ iſto cultu ſit digna. Reſpondent igitur ipſi, niſi Chriſtus ſit verus Deus, id eſt, ille unus Deus, non potuiſſe Deum jubere, ut divino cultu afficiatur. Sic enim ſibi ipſi contrarius eſſet, qui in lege, nempe Deut. 6. 13. ad hunc modum juſſerit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, & Eſai. 42. 8. dixerit, *Gloriam meam alteri non dabo*. Quod vero Chriſtus cultu divino ſit dignus, quia in ipſo Deus habitet: hoc nullo pacto admittendum eſſe. Sic enim ſequeretur, totum mundum poſſe ac debere à nobis adorari, præcipue vero Angelos, & Sanctos homines, in quibus ſingulariter Deus habitat.

Reſpondeo prius ad poſterius iſtud, in quo ſibi Bellarminus valde placet. Sæpe enim id repetit in tota hac diſputatione: præſertim vero col. 304. A. & B, ubi eadem de re agebatur, & tamen hoc nihil prorſus ad rem facit. Neque enim vel dicimus nos, vel hoc ipſo in loco ipſe Bellarminus nos dicentes facit, Chriſtum divino cultu afficiendum eſſe, quia Deus in ipſo habitet, ſed quia (utor ipſius Bellarmini verbis) *in ſe habet adorandam divinitatem*, id eſt, habet imperium ac poteſtatem in nos divinam, & ſecundum ipſum Deum, ſummam atque abſolutam, qua in re neminem ſibi parem aut ſimilem habet. Eſt igitur evidentiſſima & hic, & in ſuperiore, quem notavimus loco Bellarminianæ ratiocinationis fallacia, quæ conſequentis vocatur. Non enim, ſi divina iſta poteſtas atque imperium non contingit, niſi per Dei inhabitationem in illo, qui eo ſit præditus; propterea ſequitur, ubicumque ſit Dei habitatio, ibi eſſe iſtam divinam poteſtatem atque imperium. Quod ne Bellarminus quidem ipſe auderet aperte dicere; ſed tacite tamen ut dicat, neceſſe eſt, ſi quidquam contra nos concludere velit.

Ad id, quod priore loco dictum eſt, reſpondeo, quod ad Dei præceptum attinet, Deut. 6. nihil contra illud à Deo fieri, licet jubeat, Chriſtum hominem ſeu Chriſtum, quamvis prorſus res creata ſit, cultu divino affici. Neque enim, cum iſtud præceptum datum eſt, Chriſtus extabat, nedum divina poteſtate atque imperio eſſet præditus. Quod imperium ac poteſtas omnino per ſe, etiam Deo tacente, cultu divino affici debet; quemadmodum colligitur ex verbis ipſius Chriſti, Joh. 5. 22, & 23. & Pauli Phil. 2. 9, & 10. Vbi non dicitur Deus iſta poteſtate atque imperio Chriſtum affeciſſe, & poſtea juſſiſſe, ut illi cultus divinus exhibeatur: ſed in hunc finem affeciſſe, ut illi cultus iſte exhiberetur. Quod plane ſignificat, mirabile iſtud Dei opus in Chriſto tantopere extollendo per ſeipſum jubere ac neceſſario poſtulare, ut Chriſtus divina ratione colatur. Adde, quod, ut ex Pauli eodem in loco poſtremis verbis colligitur, & nos jam ſæpe, nec ita multo ante monuimus, totus Chriſti cultus ad ipſius Dei Patris gloriam pertinet, ad ipſumque refertur, in ipſoque tandem terminatur. Adeo ut quicumque Chriſtum divino cultu afficit, non tam Chriſtum ipſum, quam Deum Patrem, cui Chriſtus cum omni ſuo imperio ac poteſtate ſubordinatus eſt, & à quo prorſus pendet, tali cultu afficiat. Ex quo fit, ut nihil revera, Chriſto adorando & invocando fiat, quod, non dicam adverſetur, ſed iſti præcepto divino de uno illo Deo adorando, plane non conſentiat. Qui enim, ut ipſe Chriſtus ait Joh. 5. 2, *non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui illum miſit*. Ex quo apparet, non ex identitate eſſentiæ cum Patre, ſed ex demandato ipſi à Patre munere fieri, ut neceſſe ſit, ad Deum Patrem, qui eſt ille unus Deus, honorificandum, ipſum filium honorificare. Quod multo etiam apertius conſtat, ſi proxime antecedentia verba, à quibus hæc lucem quodammodo accipiunt, diligentius inſpiciantur, *Omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*. Unde tandem conſequitur, tantum abeſſe, ut quis Chriſtum hominem ſimili honore, quo Deum Patrem afficit, id eſt, cultu divino afficiens, quidquam contra illud præceptum committat de illo uno adorando illique ſoli ſerviendo; ut potius iſti præcepto non ſatisfaciat, ſi Chriſto homini divinum cultum non tribuat. Qua in re memineris ejus, quod alias monuimus, judicium iſtud filio à Patre datum, unde neceſſario cultus divinus illi debetur, ei quia homo ſit, datum fuiſſe; ut diſerte ipſe Chriſtus teſtatur, Joh. 5. 27, & ſic nullum hic locum habere æternam illam ac commentitiam ex Patre generationem ſeu cum ipſo coëſſentialitatem, per quam & propter quam (ut adverſarii, verba ipſius Chriſti & in eo 5. Joh. cap. & alibi manifeſte corrumpentes, ſomniant) iſta, quæ diviniſſima ſine dubio ſunt, adeptus fuerit. Jam vero, quod pertinet ad teſtimonium Eſaiæ, *Gloriam meam alteri non dabo*, ſatis reſponſum eſt ad finem examinationis decimi argumenti tertiæ claſſis, quo lectorem rejicimus. Tantum hic addimus, Juſtinum in dial. cum Tryphone Judæo loco iſto Eſaiæ uti ad probandum, quod Deus gloriam ſuam ſoli Chriſto dederit, cum Tryphon illum attuliſſet, ut oſtenderet, quemadmodum nunc trinitarii vulgo faciunt, Deum ſtatuiſſe nulli, præter ſeipſum, unquam dare gloriam ſuam: & ſic, ne Chriſto quidem eam dediſſe, concluderet. Sic enim iſta Dei apud Eſaiam verba interpretatur Juſtinus, quaſi Deus voluerit dicere, ſe non daturum gloriam ſuam cuiquam alii, niſi, videlicet, Chriſto: de quo, nimirum, ad Gentes illuminandas & ſervandas ab ſe mittendo loquebatur. Et tandem, toto ipſo loco recitato, ſic, ut quidem Græca verba ſonant, concludit: *Intellexiſtis, ô amici, quod Deus dicit daturum [ſe] huic, quem in lucem, Gentium conſtituit, gloriam, & non alii cuipiam; non autem ut dixit Tryphon, quaſi ſibi ipſi Deus retineat gloriam.*

Non igitur vel demonſtrationes contra nos ſunt, argumenta ex uno ſolo Deo adorando ducta, vel nos nobiſcum & cum certiſſima ratione pugnamus, quemadmodum Bellarminus * manifeſte nos à Franciſco Davidis & ejus ſectatoribus convinci affirmat, quia Chriſto adorationem & invocationem tribuamus, & tamen unum illum Deum, ipſum eſſe non ſentiamus.

Supereſt, ut, quia Bellarminus † ſæpius repetit, & hic poſtremo urget, Chriſtum non poſſe cultu latriæ affici, niſi ſit ille ſummus & altiſſimus Deus, duo dicamus: unum, quod pertinet ad ipſum Latriæ vocabulum, de quo poſtea videbimus. Alterum, quod ad rem ipſam ſpectat. Propterea enim ait, cultu Latriæ non poſſe Chriſtum affici, niſi ſit ille altiſſimus, quia, ut ſe ipſe declarat, Latriæ nomine, eum cultum intelligit, qui ſoli altiſſimo convenit, & in Vujeki verbis, qui pag. 113, hac eadem adverſum nos ratiocinatione utitur, omiſſo Latriæ vocabulo, cultus ſive adoratio nominatur, quæ ſolius Dei altiſſimi eſt propria. Sed unde, quæſo, habent, Chriſtum affici cultu illo, qui ſoli altiſſimo convenit? An, ut ſupra vidimus, quia nos ipſi dicamus, abſentis invocationem cultum eſſe illi uni Deo tantum, convenientem? Atqui hæc, ut ibi docuimus, evidens calumnia eſt. Num quia Chriſtus adoratur? Sed nos paulo ante oſtendimus, divinum cultum, qui Chriſto debetur, quatenus ipſum Chriſtum reſpicit, non eſſe illum, qui illi uni ſoli Deo convenit, & alioqui adorationem ſeu divinum cultum divino in nos imperio ac poteſtati, id eſt, ei, qui illa præditus ſit à nobis neceſſario deberi. Sed fortaſſe id pro conceſſo ſumſit Bellarminus, propter notiſſimum teſtimonium illud à nobis paulo ante citatum Joh. 5. *Ut omnes honorificent filium, quemadmodum honorificant Patrem*. Verum nihil eſt certius, quam dictionem *ſicut* non habere per ſe eam vim, ut omnimodam æqualitatem declaret: ſed tantum, ut idem rei genus ſignificet. Quemadmodum,

* Tom. 1. col. 383. B. † Tom. 1. col. 322. D.

inter alia complura probant hæc teſtimonia Mat. 5. 48. Joh. 17. 14. 1 Joh. 4. 17. Jam de Latriæ vocabulo, quod ſcilicet, cultus, qui ſoli Altiſſimo convenit, eo ſignificetur, non video unde hoc, præter ſuorum auctoritatem, habuerit Bellarminus: niſi fortaſſe ex verbis illis, *& illi ſoli ſervies.* ubi Mat. 4. 12. & Luc 4. 8. in Græco pro *ſervies* eſt λατρεύσεις. Sed hoc non eſt ſatis. Quandoquidem hac ratione ſequeretur verbum, προσκυνεῖν, cultum ſignificare, qui ſoli Altiſſimo conveniat. Quod tamen palam falſum eſt. Verbum enim iſtud pro Adorandi verbo, quod Latine legitur, in Græco extat iſto eodem loco; & certiſſimum eſt, dictionem *ſoli*, licet verbo *ſervies*, tantum adjunctam ad verbum tamen *adorabis* pariter pertinere. Aliter Chriſtus ad rem non reſpondiſſet; cum nominatim Diabolus ab eo quæſiviſſet, ut ſe adoraret, non autem, ut ſibi ſerviret.

CAP. VIII.

In quo diſſolvuntur argumenta ex divinis operibus ducta.

SEquitur ſexta claſſis argumentorum pro æterna atque eſſentiali eademque cum ea, quæ eſt Dei Patris, divinitate Chriſti. Quæ claſſis ea argumenta complectitur, quæ ab operibus divinis, Chriſto tributis, Bellarminus & cum eo Vujekus duci poſſe exiſtimarunt.

De primo Dei opere.

Primum Dei opus, quod ipſius Dei proprium ſit, & Chriſto interim tribuatur, ponunt Adverſarii creationem, quam Chriſto tribui ex iis teſtimoniis apparere ajunt, quæ ſupra in aliis claſſibus ſunt allata: unde conſtare aſſerunt, Chriſtum feciſſe Mundum, ſeu cælum & terram. Ea autem ſunt, Joh. 1. 3, 10. Col. 1. ℣. 16. Heb. 1. 10. Quæ cum ſuis locis, id eſt, in examinatione quincti argumenti primæ claſſis, & decimi tertii ac decimi quarti tertiæ à nobis diluta fuerint; non eſt, quod hic quidquam ad illa reſpondeamus. Addunt vero illud Prover. 8. 27. *Quando appendebat fundamenta terræ*, &c. Sed & hoc dilutum eſt, cum in primo ſuperioris claſſis argumento diſſolvendo docuimus, ſapientiam iſtam, ſeu potius intelligentiam, de qua ibi eſt ſermo, non eſſe Chriſtum Jeſum. Quamquam hæc omnia & ſimilia teſtimonia, vel ob id nihili facienda videntur, quod nuſquam in illis ſeu Chriſto ſive rei illi, quam Adverſarii Chriſtum eſſe contendunt, tribuitur, quod creaverit, aut etiam fecerit, ſed tantum, quod vel tamquam inſtrumentalis cauſſa creandi & faciendi fuerit, vel, quæ fiebant, aut creabantur, compoſuerit; ſi modo ex ipſo creationis opere, ut quidem profitentur, argumentari volunt Adverſarii. Cæterum quod apud Eſaiam Eſa. 44. 24. (quem locum ipſi citant) ſcriptum eſt, *Ego ſum Dominus extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum*: & ſimiliter apud Jobum, cap. 9. 8. *qui extendit cælos ſolus*; Hæc, inquam, teſtimonia non probant, Deum in Mundo condendo & componendo nullius prorſus opera fuiſſe uſum: ſed tantum, nullius, qui ab ipſo totus non penderet, vimque iſtam, circa Mundi creationem aliquid operandi, ab ipſo omnem non habuerit. Sic enim merito dicitur Deus ſolus, & à nemine adjutus Mundum creaſſe ac feciſſe; cum omnis & vis & munus quidquam in ea re faciendi, quod alius habuerit, ab ipſo prorſus profectum fuerit; præſertim cum ex hoc intelligi poſſit, Deum iſtius opera non propterea fuiſſe uſum, quia ſine ipſa mundum condere non poſſet: ſed, ut bonitatem ſuam exerceret in communicanda, aliqua ratione, cum illo, vi & poteſtate ſua. Ad hunc ſane modum Arriani teſtimonia iſta haud immerito interpretantur, aut certe interpretari poſſunt: ne cogantur, vel negare, per Dei Filium Mundum, id eſt, cælum & terram, fuiſſe creatum, vel fateri, Filium Dei eſſe Patri coëſſentialem, immo ipſummet Deum.

Sed addunt præterea Adverſarii pro teſtimonio ad idem probandum locum Joh. 5. 19. *quæcunque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Quorum verborum quis ſit ſenſus, diximus in reſponſione ad tertium argumentum tertiæ claſſis. Hic autem addimus, ex totius loci circumſtantiis liquido conſtare, Chriſtum ibi non loqui de omnibus & ſingulis patris ſui operibus, ſed tantum de iis, quæ divinitus fieri omnes agnoſcunt & fatentur, quæque dum fiunt, cernuntur, aut quod fiant ſeu facta fuerunt, certiſſime apparet. Breviter de miraculis Chriſtus loquitur, quæ alibi Opera Patris ſimpliciter vocat Joh. 10. 27. & ſibi quoque, ut hic, tribuit. Quocirca perperam ab Adverſariis trahuntur Chriſti verba ad animarum creationem: quod opus nemo eſt qui cernat, dum fit, nec, quod fiat aut factum fuerit, certiſſime apparet. Quinimmo plurimi ſunt, qui iſtam animarum creationem negant. Sed multo magis perperam trahuntur ab iiſdem Adverſariis, hoc eodem loco, hæc eadem Chriſti verba ad Mundi creationem, cum Chriſtus diſerte tam de ſe quam de Patre in præſente tempore tantum loquatur quod nullo prorſus pacto poteſt trahi ad præteritum quoque, niſi prius conſtet, Chriſtum ſeu Filium jam tum extitiſſe. Id quod nos, ut ipſi probe norunt, penitus negamus.

Hoc ipſi ſentientes (nam Bellarminus ipſe non obſcure id confitetur) deductiones, videlicet, iſtas ex Chriſti verbis, quod attinet ad tempus ante Chriſtum ex Maria natum, ad nos non pertinere; afferunt poſtremo nominatim contra nos dictum illud apud Hierem. 10. 11. *Dii, qui cælum & terram non fecerunt, pereant de terra & de ſub cælo.* Hinc enim ajunt, ſequitur, *Si Chriſtus non creavit cælum & terram, aut non eſſe Deum, aut debere exterminari de mundo Sed Anabaptiſtæ* (Bellarminus habet *Samoſateni*) *non negant Chriſtum eſſe Deum, nec volunt, eum exterminandum eſſe eum Ergo admittere debent, eſſe creatorem.* Hactenus Adverſarii.

Ad iſtud argumentum pleniſſime ac ſolidiſſime reſponſum eſt in Diſp. adverſus Andream Volanum, Reſponſione altera pag. 69. ubi etiam oſtenditur, Chriſtum quamvis cælum & terram non creaverit, non modo Deum eſſe nequaquam exterminandum, ſed etiam adorandum. Summa hæc eſt, primum, Hieremiam non loqui de omnibus diis, ſed de iis, qui Jehovæ Deo opponuntur, atque ut primi auctores rerum, coluntur. Quod nos minime, in Chriſto Deo aſſerendo, facimus; immo illum Jehovæ Deo ſubordinatum eſſe dicimus, ut unico omnium rerum auctori, ab ipſoque totum pendere. Nam niſi iſto pacto Hieremiæ verba interpretaremur; exterminandi eſſent & alii dii qui tamen Jehovæ ſunt cari, de quibus ſupra eſt viſum. Deinde, cum Hieremias iſta ſcripſit, Chriſtus nondum erat; nec ullo modo apparet, dictum iſtud ad omnia conſequentia tempora pertinere, immo ex loco ipſo conſtat, hanc fuiſſe admonitionem Hieremiæ ad Judæos, qui tunc temporis in Babylonia degebant, ut ſcirent, quid ſibi reſpondendum eſſet Chaldæis illis, ſi ab ipſis ad idola colenda ſollicitati fuiſſent. Multa hic addit Bellarminus, nobis omiſſis, contra Arrianos, ut oſtendat, omnino, ſi Chriſtus partem, ut ipſi fatentur, in Mundi creatione habet, neceſſe eſſe, ut ſit plane eodem modo creator, quo eſt Pater. Quæ quia ad nos proprie non pertinent, & ſi quid eſt in illis, quod ad nos quoque pertineat, jam ſatis per ea, quæ ſupra à nobis diſputata fuerunt, dilutum ac refutatum eſt; idcirco nihil de iis dicam; ſed una cum Vujeko ad alia tranſibo.

De ſecundo Dei opere.

Secundum igitur proprium Dei opus, ex Adverſariorum ordine, eſt totius Mundi conſervatio. Hanc autem Chriſto tribui probare nituntur primo ex epiſt. ad Heb. 1. ℣. 3. *portanſque omnia verbo virtutis ſuæ.* Portare enim hic interpretantur Suſtinere, alere, & conſervare.

Re-

Reſpondeo primum, vocem Omnia non minus hic, quam alibi, ut ſupra vidimus, non omnino univerſe accipiendam eſſe: ſed ad Chriſti Eccleſiam & regnum accommodandum; ubi vere dici poteſt, Chriſtum ſuſtinere, alere, & conſervare omnia potentia ſua; quam tamen potentiam à Deo conſecutus eſt, qui eum caput Eccleſiæ conſtituit; ut habes Epheſ. 1. ad finem. Ubi etiam de iſta totius Eccleſiæ quodammodo nutritione breviter agitur; idque per voces ſimiliter univerſales Omnia,& Omnibus;quæ ſine dubio ad ipſam Eccleſiam reſtringendæ ſunt. Deinde reſpondeo, verbum Portans, quod Græce eſt φέρων, ut Eraſmus, ſcribens in hunc locum, ait, potius agendi ſeu movendi ac moderandi ſignificationem habere, quam portandi. Verba ipſius Eraſmi ſubjiciam: *Meo quidem judicio*, inquit, φέρων *hoc loco non ſignificat idem, quod portans ſive bajulans, ſed agens potius ſeu movens ac moderans. Nam* φερόμενα *dicuntur Græcis, quæ impetu quodam aguntur, unde &* φορὰν *impetum vocant. Et* ἄγλη φέρει, *dicitur qui ſuo arbitratu moderatur aliquem*, &c. Itaque de gubernatione hic agi dicendum potius eſt,quam de conſervatione.Quod etiam indicat illud, *verbo potentiæ ſuæ*, quo juſſus & imperium ſignificatur. Quæ non ita apte conſervationi, ut gubernationi conveniunt. Ambroſius certe, aut quiſquis illorum commentariorum in hanc Epiſtolam eſt auctor, Portans interpretatur Gubernans. Aliud autem omnino eſt Conſervare eo ſenſu, quo hic intelligere eſt neceſſe, aliud Gubernare. Nam qui gubernat, quantavis poteſtate ac juſtitia polleat; quatenus modo gubernat, vel exterius, vel ad bene eſſe tantum conſervat. Verum hic agitur de univerſa & præcipue de interiore atque eſſentiali rerum omnium conſervatione; quam neque hoc in loco, neque ullo alio (quod ſciam) Chriſto Scriptura tribuit. Quam tamen ſi tribueret, intelligendum eſſet, ut de Eccleſiæ conſervatione diximus: videlicet, potentiam iſtam Chriſtum non ex ſeipſo habere, ſed ex Dei dono adeptum fuiſſe. Atqui conſervatio rerum omnium, quæ Dei propria dici poſſit, ea eſt, quæ ab ipſis conſervantis naturali nec aliunde petita ſeu habita potentia proficiſcatur.

Secundo afferunt locum Col. 1. 17. *Omnia in ipſo conſtant.* Nam Chryſoſtomo, ut ajunt, auctore, hæc verba ſignificant, omnium ſubſiſtentiam pendere à Filio Dei, ita ut, ſi ab ipſo conſervetur, conſiſtat; ſin minus, continuo intereat.

Reſpondeo, vocem Omnia hic quoque non omnino univerſe accipiendam, ſed ut ſupra in reſponſione ad 14. arg. 3. claſſ. diximus, reſtringendam eſſe ad res intelligentia præditas, idque non quatenus ſimpliciter ſunt, ſed quatenus per ipſum Chriſtum ſunt aliquo modo reformatæ. Agitur enim ibi de reformatione earum, non autem de prima creatione. Verum igitur erit, omnes res intelligentia præditas, quatenus per Chriſtum ſunt reformatæ, ab ipſo Chriſto conſervari. Nec tamen hoc ad rem quidpiam faciet; cum hic de ipſarum rerum, & quidem prorſus omnino, quatenus etiam ſimpliciter ſunt ac vivunt, vel permanent, conſervatione agatur.

De tertio Dei opere.

Tertium proprium Dei opus faciunt Adverſarii Salvationem; quam certiſſimum eſt Chriſto in Sacris Literis paſſim tribui. Reſpondeo, Servare eſſe proprium Dei opus, quatenus omnis ſalus à Deo proficiſcitur, nec ullus eſt, qui, ut prima ſalutis cauſſa, quemquam ſervet, niſi ille unus Deus. Chriſtum vero non ut primam cauſſam ſervare, ex eo probatur quod non minus ipſe, quam alii quidam, qui ſunt dicti ſervatores, licet ipſis & ſalutis genere, & ſervandi poteſtate longe ſuperior, quatenus ſervator eſt, à Deo datus, miſſus, excitatus, & evectus fuit; ut aperte docent hæc loca, Eſa.19.20. XLVI.6. Joh.3.16,17. Act.5.31.XIII.23. 1 Joh. 4. 14. Nec tamen, ut nobis Adverſarii tacite objiciunt, dicimus, Chriſtum eſſe tantum miniſtrum ſalutis noſtræ, ut ſunt Apoſtoli. Sed agnoſcimus, ita datum eum nobis à Deo fuiſſe ſervatorem, ut ipſe poteſtatem nos ſervandi habeat, & vitam æternam reipſa nobis conferendi. Illi enim Deus omnia ſubjecit, id eſt, ſibi ſubjiciendi poteſtatem dedit. Qua poteſtate transfigurabit corpora noſtra vilia, ut fiant conformia corpori ipſius glorioſo, Philipenſ. 3. 21. Nec ſolum in ſalute noſtra perficienda, ſed etiam in inchoanda; & promovenda Chriſti hominis non ſimplex miniſterium, ſed ſummam poteſtatem & agnoſcimus & prædicamus. Quo pertinere fatemur verba, quæ hic ex Epiſtola ad Hebr. repetunt Adverſarii, *portanſque omnia verbo virtutis ſuæ*; ſed quæ ſtatim ſequuntur, negamus huc pertinere, quod quidem attinet ad voces, *per ſemetipſum*, quas ipſi tantopere urgent. Nihil enim ad Chriſti poteſtatem in negotio ſalutis noſtræ ſignificandam eæ pertinet. Sed tantum docent, Chriſtum non per ſanguinem hircorum & taurorum, ſed per proprium ſanguinem, ut infra alibi clarius in eadem Epiſt. Hebr. 1.8. explicatur, id feciſſe, quod ibidem dicitur, id eſt, peccata noſtra purgaſſe. Eſt enim ibi verbum Græcum πεποιήκε, quod præteritum tempus proprie declarat. Tametſi alioqui verum ſit, Chriſtum nunc quoque noſtra peccata expiare. Quod cum ex aliis locis ejuſdem Epiſtolæ, & ex tota oblationis Chriſti ratione ibi explicata, tum ex cap. 2. 17, 18. intelligitur; ubi etiam, quid iſta expiatio ſit, declaratur; id eſt, auxiliari iis, qui tentantur. Quod nihil eſt aliud, quam in omnibus periculis nobis ſua ope præſto eſſe: nec permittere, ut mala nos attingant, quæ puniendorum ſcelerum gratia divinitus in humanum genus immittuntur. Vide Apoc. 3. 10. Et ſane, ex his locis, in ſalutis noſtræ negotio Chriſti non miniſterium modo, ſed poteſtas evidenter apparet. Verum diſtinguenda ſunt loca, & agnoſcendum, ubi quidque revera dicatur. Jam locus Eſa. 35. 4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos.* quem hic Adverſarii proferunt, explicatus eſt à nobis in reſponſione ad tertium argumentum ſecundæ claſſis.

De quarto Dei opere.

Quartum opus Dei proprium & Chriſto tributum, ponunt Adverſarii prædictionem futurorum & ſcrutationem cordium. Quod enim Chriſto prædictio futurorum tribuatur, dicunt, Primo ex ipſius Chriſti verbis probari, Joh. 13. 19. *Hoc dixi vobis prius, quam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis, quia ego ſum.* Verum hic locus nec generatim Chriſto futurorum prædictionem tribuit; nec in iſta una re prædicenda eum aliquid ſingulare habere docet, præter id, quod Prophetæ habuerint, qui & ipſi futura prædixerunt. Quare nihil, quod ad Chriſti divinitatem attinet, ex eo concludi poteſt; præſertim, cum aliunde conſtet, Chriſto à Deo, quæ futura ſunt, patefieri, Apoc. 1. 1. Nam quod Chriſtus ait diſcipulis, eos ex eventu iſtius rei ab ſe prædictæ agnituros, ipſum eſſe Chriſtum (id enim ut alibi ante docuimus ſignificat illud, *Ego ſum*, non autem Chriſtum eſſe Jehovam) hæc non ex ipſa per ſe rei prædictione, ſed cum ex rei prædictæ, quæ eveniſſet, ad ipſummet pertinentis qualitate, tum vero ex eo, quod inde conſtiturum erat, ipſum eſſe hominem divinum, ob idque veracem, à diſcipulis ſuis colligi voluit: quibus nimirum apertiſſime antea dixerat ſe eſſe Chriſtum.

Secundo citant locum 1 Petr. 1. 11. *Scrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias.*

Reſpondeo, ex ipſo loco poſſe intelligi, quo ſenſu hic dicatur Spiritus Chriſti; nempe qui ſuggerit ea, quæ ſunt Chriſti; quemadmodum Spiritus veritatis dicitur, qui ſuggerit, quæ ſunt veritatis 1 Joh. 4. 6. id eſt, quæ ad Chriſtum pertinent, quæ ad veritatem pertinent. Iſta enim phraſi hoc ſenſu utitur Paulus, cum ait, *Itaque, quæ pacis ſunt, ſectemur*, Rom. 14. 19. Nihil igitur

ex iſto loco concludi poteſt de Chriſto ipſo futura prædicente.

Jam, quod attinet ad cordium ſcrutationem, proferunt primo locum Joh. 2. 25. *Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.*

Reſpondeo, etiamſi ſcire, quid ſit in corde hominis, ſit Dei proprium, & ipſi ſoli in Sacris Literis tribuatur; tamen non debere hoc ita intelligi, quaſi hanc vim non poſſit aut nolit Deus cum ullo alio communicare. Patet enim, illum eam communicaſſe cum aliis, ut ipſi Adverſarii de Eliſæo fatentur. Sed excipit Vujekus. Prophetas noviſſe cogitationes hominum ſpiritu Dei, Chriſtum autem ſpiritu ſuo, & profert teſtimonium Marc. 2. 8. Ad hoc dico, non opponi in hac re Spiritu ſuo & Spiritu Dei, cum utrumque ſimul verum eſſe poſſit, atque adeo ſit. Qui enim ſpiritu Dei, hominis cor cognoſcit, is ſpiritu tamen ſuo id cognoſcit, quatenus ejus ſpiritu à Dei ſpiritu hoc accepit, ut illud cognoſcat. Et Chriſtus in iſto loco apud Marcum dicitur noviſſe Spiritu ſuo cogitationes illorum, non ut ſignificetur, illum ne à Deo quidem, ſcilicet, quia ipſe Deus eſſet, id accepiſſe: ſed, ut intelligatur, eum non ex conjecturis ullis, aut alterius hominis patefactione eas noviſſe, ſed ſua ſponte. Quod Dei virtutem, qua id fiat, minime excludit. Sic in ipſo loco Joh. 2. dicitur Chriſtus non opus habuiſſe, ut quiſquam illi teſtaretur de homine. Quod, ut ſatis conſtat, ipſorum hominum, non autem Dei reſpectu dicitur: nec divinam, ſed humanam tantum patefactionem excludit.

Sed ſecundo efficacius teſtimonium proferunt Apoc. 2. 23. *Ego ſum ſcrutans renes & corda.* Ajunt enim, nullum Prophetarum auſurum eſſe ita loqui. Hoc ego facile admitto; & una cum Adverſariis dico, Chriſtum omnibus Prophetis longe præſtare; adeo ut ipſe & filius & dominus in domo Dei ſit Hebr. 3. 5, 6: ipſi vero ſervi ac miniſtri. Et propterea & in hoc & in ſuperiore loco ei ſimpliciter & abſolute tribui agnoſco, quod corda hominum noſcat & ſcrutetur. Quod de nullo Prophetarum unquam dictum fuit aut dici potuit. Verumtamen, quemadmodum Chriſtus homo hoc à Deo ex gratuito dono habet, ut cunctis dominetur & ipſius domum ut filius ac Dominus regat totam & gubernet, præmiaque & pœnas, unicuique, pro ut ſe geſſerit, decernat; Sic neceſſe eſt, ut ab ipſo Deo habuerit, ut abſolute humana corda norit ac ſcrutetur. Cum enim tota hæc gubernatio interiorem hominem potiſſimum reſpiciat, & hic, in præmiis ac pœnis decernendis, uniuſcujuſque actiones ex cordis affectu potiſſimum æſtimentur; quomodo Chriſtus tantum munus digne ac juſte obire poſſet, niſi abſolutam humanorum cordium notitiam haberet? Merito igitur ac veriſſime ipſe de ſe dixit, *Ego ſum ſcrutans renes & corda.* Sed non tamen hinc ſequitur, eum ex ſeipſo hoc habere. Quod tamen neceſſe eſt, ſi quis inde concludere velit, eum eſſe illum unum Deum. Nam ſi quis articulum urgeat, qui in Græco habetur, ubi legitur ὁ ἐρευνῶν, quaſi hic locus, propter articulum iſtum, ſit omnino vertendus, ut Eraſmus vertit, *ille ſcrutans*, &c. ſciendum eſt, articulum participiis junctum ſæpiſſime nullam vim habere. Propterea idem Eraſmus ſuperiore cap. ejuſdem lib. ℣. 18. ὁ ζῶν non vertit, *ille vivens*, ſed, ut vetus interpres, ſimpliciter, *vivus*: alii vero recentiores, *qui vivo.* Ita ut ſenſus loci, de quo agimus, is ſit omnino, quem Caſtellio in ſua tranſlatione expreſſit, ſic vertens, *Et efficiam, ut intelligant omnes Eccleſiæ, eum eſſe me, qui renes & corda ſcruter*; quod idem eſt, ac Chriſtum hoc habere, quod renes & corda ſcrutatur. Atque ut hoc Chriſtus de ſe dicere voluerit, locus ipſe per ſe ſatis monet: non autem docere, ſe eſſe illum unicum renum & cordium ſcrutatorem, quemadmodum Eraſmi tranſlatio prorſus ſignificare videtur; quod in aliorum, præterquam Caſtellionis, tranſlationibus, ſicut etiam in Græco, manet ambiguum. Cui Eraſmo, vel propter hanc cauſſam, quod locum dubium ita interpretatus eſt, ut inde Chriſti æterna divinitas colligi poſſit, minus infenſi Homouſiani eſſe deberent, & minus ſuſpectum in hoc argumento divinitatis Chriſti cum de accommodandis nec ne ad eam Sacrarum Literarum quibuſdam locis quæritur, ejus teſtimonium auctoritatemque habere.

De quinto Dei opere.

Quintum & ultimum, quod Adverſarii faciunt Dei opus proprium, & Chriſto tamen tributum, eſt Patratio miraculorum. Fatenturt tamen, hoc debere intelligi *propria*, ut quidem Vujekus habet, *potentia*, ut vero Bellarminus, qui aliquanto captioſius eſt locutus, *auctoritate.* Sed omnes captiones amovere oportet, atque explicatius & clarius loqui.

Dico igitur, verum eſſe (tametſi revera hujus rei minime fidem faciunt teſtimonia ab Adverſariis citata) ſolius Dei eſſe facere miracula: hoc videlicet ſenſu quod omnis vis ac poteſtas faciendorum miraculorum ab ipſo uno Deo proficiſcitur; nec quiſquam miracula facere poteſt, ipſo non dante & concedente. Hæc autem datio & conceſſio varia eſſe poteſt, & amplior reſtrictiorve, pro ut ipſi Deo viſum fuerit. Præcipua vero differentia in eo conſiſtit, an poteſtas data & conceſſa in eo ipſo reſideat, cui data eſt, ejuſque arbitrio ſit perpetuo permiſſa, atque ejus propria facta: an vero non in eo ipſo reſideat, cui eſt data; Sed ad arbitrium dantis ei ſit conceſſa: ita ut precario (ut ajunt) non autem dominii titulo, eam poſſideat. Chriſto, ut omnium domino & heredi univerſorum deſignato, ipſiuſque Dei perſonam pleniſſima ac ſingulariſſima ratione in terris, in iis quæ ad ſalutem noſtram æternam pertinent, dum hic mortalis adhuc fuit, ſuſtinenti, talem poteſtatem Deum dare miracula faciendi decuit, qualem priore loco deſcripſimus; quæ colligitur ex iis ipſis, quæ Adverſarii attulerunt, id eſt, partim ex imperio & auctoritate, qua illa faciebat: partim ex eo, quod poteſtatem miracula faciendi aliis ipſe dabat: partim denique ex eo, quod in ipſius nomine ab aliis miracula fiebant, atque adeo ab iis ipſis, qui jam, ea faciendi poteſtatem ab ipſo adepti erant. Cujus rei teſtimonium extat non modo poſt ipſius glorificationem, cujuſmodi Adverſarii protulerunt, ſed etiam ante, Luc. 10. 17. Prophetis vero, qui ante Chriſtum fuerunt, & ipſis Chriſti Apoſtolis, ut pote ſervis ac ſimplicibus Dei miniſtris, data eſt poteſtas faciendi miracula, qualem poſteriore loco expoſuimus. Eſtque hæc valde inſignis, inter Chriſtum, & ipſos, differentia in miraculis faciendis; quam hic Averſarii ipſi, quamvis non exacte, agnoſcunt, atque adeo adverſum nos urgent. Eam tamen alibi, ubi videlicet noſtri homines ex eo, quod Chriſtus mirabilia faceret, ei, licet homini, neque eidem Deo cum patre ſuo, quaſdam appellationes & attributa conveniſſe ajunt, quæ cæteris hominibus non conveniunt, nullo modo agnoſcere videntur; ac dicere audent, ſi propter miracula, quæ faceret, de Chriſto iſta dici poſſunt, poterunt quoque de Apoſtolis dici, quia & ipſi miracula faciebant. Id quod ſatis refellimus in reſponſione ad decimum argumentum tertiæ claſſis. Eodem pacto ſe gerunt, cum agitur de habitatione Dei in Chriſto, ut ſupra alicubi attigimus, de Chriſti munere in Euangelio prædicando, de ejuſdem rerum divinarum notitia, de ipſa quoque cordium humanorum ſcrutatione, ac denique de omnibus aliis Chriſti excellentiis; ex quibus ſi noſtri homines oſtendere volunt non mirum eſſe, ſi Chriſtus omnibus creaturis longe præfertur, licet & ipſe res creata ſit, nec eandem eſſentiam habeat cum Deo Patre ſuo; ſtatim clamant, iſta omnia partim in Apoſtolis, partim in Prophetis fuiſſe, & poſtea, ubi ipſi æternam atque eſſentialem Chriſti divinitatem demonſtrare volunt; non modo fatentur, ſed urgent ipſi, ut vidimus, maximum, hiſce in rebus, eſſe inter Chriſtum, & Prophetas Apoſtoloſque diſcrimen; quaſi vero vel noſtri homines iſtas in Chriſto excellentias ita intelligant & tales eſſe ſtatuant, quales in Prophetis & Apoſtolis fuiſſe, Adverſarii

ſarii docent: vel quaſi, ad conſtituendum diſcrimen iſtud, non ſatis ſit, in Chriſto iſta omnia multo excellentiore ratione inveniri & eſſe, quam unquam in Prophetis & Apoſtolis fuerunt, niſi etiam Chriſtus ea non quidem ex gratuito Dei Patris ſui dono, ſed ex propria eſſentia ac natura habeat. Atqui, ut exemplum non longe petamus, & eodem tempore ad propoſitum revertamur, nunquid differentia, quam, ipſis adverſariis aſſentientibus, ſtatuimus in poteſtate miraculorum faciendorum inter Chriſtum, & Prophetas Apoſtoloſque, non ſatis eſt ad oſtendendum, quantopere hac ipſa in re Chriſtus illis præſtet, etiamſi alioqui Chriſtus, ſimiliter ut ipſi, non quidem à ſe ipſo, ſed ad alio iſtam poteſtatem habuerit? Sed bene habet, quod teſtimonia expreſſa atque indubitata habemus, rem ita eſſe. Adeo ut ipſe Chriſtus confeſſus ſit, ſe mira opera, quæ faciebat, in ſui Patris nomine facere, Joh. 10. 25, & aliquando ita locutus fuerit, ac ſi cum aliquid miri operis patrare vellet, id precibus ab ipſo Patre ſuo impetraret, Joh. 11. 41, 42. Ubi ſine dubio figurate Chriſtus eſt locutus, ut oſtenderet, poteſtatem miracula faciendi, quam jam abſolute reipſa habebat, ſe à Patre idque ex gratuito dono accepiſſe. Nam eadem ſermonis figura, etiam poſtquam glorificatus eſt, & omnium quæ in Eccleſia fiunt, ſummus arbiter ac moderator conſtitutus, cum omni in cœlo & in terra poteſtate; tamen adhuc rogare ſive interpellare pro nobis Rom. 8. 34. Hebr. 7. 25. diſerte dicitur. Nempe, ut meminerimus, eum poteſtatem non à ſe ipſo, ſed ab eo, quem pro nobis rogare ſeu interpellare ibidem tacite dicitur, ex illius libero dono habuiſſe. Alia non pauca teſtimonia ſacra extant, præſertim vero Joh. 5, de poteſtate iſta, quam Chriſtus non à ſe ipſo habeat, ſed dono à Patre acceperit; quæ adverſarii ad commenticiam illam ab æterno generationem detorquent: ſed quam ridicule atque imperite id faciant, cum loca ipſa per ſe abunde docent, tum quæ modo teſtimonia citavimus, manifeſte demonſtrant.

Refutavimus, niſi vehementer fallimur, ſatis accurate ac ſolide quicquid ex Sacris Literis Vujekus à Bellarmino acceptum una cum ipſo attulit atque congeſſit ac digeſſit ad probandum, Chriſtum eſſe eundem illum unum Deum Iſraëlis, qui & Pater; & ſi quid ipſe addidit toto ſuo libello, ac multa præterea à Bellarmino allata & ab ipſo omiſſa, quæ nobis aliqua reſponſione digna ſunt viſa, ſimiliter refellimus. Speramuſque hunc haud ſane exiguum laborem noſtrum haud inutilem hominibus veritatem amantibus fore. Quibus hoc unum, quod ad omnia, licet ferme, ut apparet, innumera adverſariorum argumenta ita infirmanda & labefactanda facit, ut neminem, qui paulo cordatior ſit, quidquam movere poſſint, in memoriam redigere placuit: Nuſquam, videlicet, in Sacris Literis diſerte ſcriptum eſſe hoc ipſum, quod de Chriſto adverſarii tradunt atque contendunt. Cum tamen, ſi id verum eſſet, opus fuiſſet, ut de eo diſertiſſima in illis non pauca teſtimonia extarent, tum ob rei alioqui impoſſibilitatem (ut ſic loquar) & incredibilitatem, tum vero, quia, ut adverſarii ipſi volunt, id noſſe ac firmiter credere, ad ſalutem conſequendam, eſſet prorſus neceſſarium. Tot argumentorum in ejuſmodi re congeries, crede mihi pie lector, ſignum potius eſt manifeſtum rei ipſius in Sacris Literis non conſignatæ, quam, ut ejus ullam fidem facere poſſit. Plus multo, quam innumera iſta omnia, ad ejus fidem faciendam tanto ſtudio conquiſita & congeſta, virium ac roboris haberet vel unus locus in ſcriptura, ubi diſerte ac ſimpliciter ſcriptum eſſet, à Chriſto cœlum terramque creatam fuiſſe; quem nondum invenire adverſarii potuerunt; licet, tanquam ſi eum inveniſſent, mirifice aliquando exultent. Sed jam ad reliqua pergamus.

CAPUT IX.

In quo, quantum neceſſe eſt, refelluntur, quæ ſeptima, octava, & nona argumentorum claſſe continentur.

ANimus erat, cum ab initio hanc noſtram Refutationem aggreſſi ſumus, quidquid Vujekus ex Bellarmino adverſum nos ſcripſit, accuratius examinare, & in ſingula, quemadmodum hactenus fecimus, diligenter inſpicere ac diſquirere. Verum, cum refutatis iis, quæ revera refutationis indigebant, id eſt, argumentis penitus diſſolutis, quæ ex ſacris teſtimoniis ſunt ducta, ad Chriſti coëſſentialem & coëternam cum Deo Patre divinitatem probandam, opus hoc noſtrum adeo excreviſſe animadverterimus, ut jam juſtum vel potius grande volumen efficiat; noluimus lectorem poſthac, uſque ad totius Refutationis finem haud neceſſaria ſcriptione gravare. Quamobrem, quia quæ reliquis, id eſt, ſeptima, octava, & nona argumentorum claſſibus continentur, nullam ferme refutationem aut reſponſionem neceſſario poſtulant; breviter ad ea omnia hoc uno cap. reſpondere conſtituimus.

De Septima Claſſe.

Septima igitur Claſſis continet auctoritates, & teſtimonia Patrum, Doctorum, & Conciliorum, inde à primo ſæculo poſt Chriſtum natum uſque ad præſens noſtrum ſæculum. Quæ, ut quidem adverſariis videtur, docent, ſemper in Eccleſia eandem ſententiam de Chriſti divinitate viguiſſe, quam ipſi tenent, ac contra nos defendunt. Quem univerſalem Eccleſiæ conſenſum non minoris faciendum eſſe, Vujekus ait, quam teſtimonia ipſa divinarum literarum. Ajunt autem eo libentius ſe auctoritates iſtas, Patrum, eorumque perpetuum conſenſum adverſum nos proferre, quod nos ipſi (quos Samoſatenos vocant) jactare ſoleamus, Patres, qui ante Concilium Nicænum fuerunt, nobiſcum facere, & reliquorum etiam teſtimonia citare conſueverimus, ut ipſorum varietates & ſibi ipſis contradictiones oſtendamus.

Ad hæc paucis ſic reſpondeo, totius orbis conſenſum nihil poſſe adverſum id, quod divinis oraculis aperte eſt conſignatum. Nihil autem in Veteris Novique Teſtamenti ſcriptis, quæ ipſi quoque adverſarii divina oracula eſſe fatentur, apertius conſignatum eſt, quam unum tantum eſſe Deum ſummum & bonorum primum fontem & auctorem. Huncque eſſe Patrem D. noſtri Jeſu Chriſti, nec alium præter ipſum: Dominum vero ipſum noſtrum Jeſum Chriſtum quidquid divinitatis ſeu divini imperii, poteſtatis, & auctoritatis habet, ab hoc uno Deo Patre ſuo habuiſſe, non quidem ab æterno, ſeu per æternam & neceſſariam generationem, ſed ex dono & gratia ipſius Dei Patris: cujus non antea filius fuiſſe legitur, quam in virginis Mariæ Matris ſuæ utero, ex Sancto Spiritu, id eſt, ejuſdem Dei opera & vi atque efficacia, conceptus, indeque natus eſt. Eo vero minus adverſus divina teſtimonia, etiamſi non adeo aperta eſſent, orbis vel univerſi conſenſus, quantumvis perpetuus, valet, cum id, in quo conſenſus iſte conſiſtit, ipſi etiam rationi ac ſenſui communi evidenter repugnat, ut certe id repugnat; in quo Patres iſtos perpetuo adverſus ſententiam noſtram conſenſiſſe adverſarii ajunt: vel ipſis adverſariis id non obſcure confitentibus, cum tam ſæpe monent, hac in re non ratione, ſed divinis patefactionibus ſtandum eſſe (verum multa quidem divinitus patefiunt ſupra rationem & humanum captum: nihil tamen contra rationem ſenſumque ipſum communem) quas etiam divinas patefactiones non ſcripto tantum Dei verbo ſed quodam præterea non ſcripto, quod, ſcilicet, in Chriſti Eccleſia perpetuo conſervatum fuerit, contineri volunt. Qua in re

multipliciter & errant, &, quod ad Chriſti Eccleſiam attinet, principium petunt. Sed non eſt hic hac de re diſputandi locus; præſertim cum multiplex iſte ipſorum error jam diu ab aliis publice contutatus fuerit. Satis eſt in præſentia, nihil verum eſſe poſſe, quod Dei ſcripto verbo repugnet; id quod Adverſarii ipſi fateri coguntur; ſed ſcripti divini verbi interpretationem ab Eccleſia petendam aſſerunt. Nec vident miſeri, ut cætera omittam, cum de ipſa Eccleſia ſit controverſia, neceſſe eſſe ad eam inquirendam, ac quæ & qualis illa ſit, ſtatuendum, ad ſcriptum Dei verbum confugere; quod etiam ipſi omnino faciunt, cum nulla alia ſint principia aut teſtimonia, unde argumenta duci ac promi poſſint omnibus communia, qui de Eccleſia controverſantur, præter ipſum ſcriptum Dei verbum. Quomodo igitur ab Eccleſia ſcripti Dei verbi interpretatio petenda eſt, ſi antequam de ipſa Eccleſia conſtet, neceſſe eſt ſcriptum Dei verbum proferre idque interpretari? Ad hæc longe à veritate abeſt, non modo totius Chriſtiani orbis, ſed ne ejus quidem, quæ Chriſti revera Eccleſia fuerit, perpetuum plane conſenſum, vel pro Adverſariorum ſententia, vel adverſus noſtram fuiſſe: etiamſi omnes, quotquot extant, ſcriptores vel nobis adverſarentur, vel Adverſariis etiam plane faverent. Neque enim omnium, qui de rebus ſacris poſt Apoſtolos ſcripſerunt, & Chriſtianos ſe eſſe ſunt profeſſi, extant ſcripta, immo, ex antiquioribus, paucorum; & pauciſſimi inter eos, qui Chriſtum ſunt profeſſi, fuerunt, qui ſcripſerint, præ illis, qui nihil ſcripſerunt; quorum numerus infinitus fuit. Nec ii, quorum ſcripta extant, fidem faciunt, alios omnes Chriſtiani nominis, idem quod ipſi, ſenſiſſe; immo contrarium aperte teſtantur. Et ex ipſis hiſtoriis, quas Adverſarii ſententiæ noſtræ ſcripſerunt, patet, non defuiſſe, qui ſcriptis editis vel noſtram ſententiam defenderint, vel ipſorum oppugnarint. Jam quid dicemus de Arrianorum ſententia, quæ Adverſariorum ſententiæ plane regugnat, & in eo, de quo toto Vujeki libello agitur, cum noſtra prorſus conſentit? Nonne ea aliquando majorem Chriſtiani orbis partem occupavit? & quamvis poſtea paulatim defecerit: multos tamen per aliquot ſæculorum ſpatium perpetuo habuit fautores; inter quos non pauci Reges qui Chriſti nomen profitebantur, uſque ad extremum fuerunt. Nonne Arrianorum concilia multa numerantur, eorumque nonnulla maxima Epiſcoporum frequentia celebrata, præſertim vero Ariminenſe? Non eſt igitur, cur Adverſarii univerſalem iſtum ac perpetuum Eccleſiæ conſenſum jactent, ſive ejus, quæ nomine tantum, ſive ejus quæ re etiam ipſa Chriſti Eccleſia fuerit. Nam quæ & ubi, per plurima ſæcula, vera fuerit Chriſti Eccleſia, adhuc ſub judicelis eſt. Itaque hæc auctoritatum & teſtimoniorum ex Patribus & Conciliis congeries nullas vires habet: præſertim vero adverſum nos, qui ab iſtis Patribus & Conciliis, quæ extant, nos diſſentire non diffitemur. Neque enim (arbitror) ex ſcriptis noſtrorum hominum oſtendetur unquam, eos aſſerere, aut exiſtimare, ſcriptores ante concilium Nicænum, qui hodie extant, noſtræ ſententiæ fuiſſe; quamvis per ſuaſi omnes ſimus, eos non minus, immo vero magis Adverſariorum ſententiæ repugnare quam noſtræ. Niſi noſtræ ſententiæ nomine intelligatur ſimpliciter id, quod ſentimus de uno illo Deo; quod videlicet, is nullus alius ſit præter Jeſu Chriſti patrem. Hanc enim eandem iſtorum Patrum fuiſſe ſententiam, ſi non omnium, at certe maximæ partis eorum, omnino nobis perſuademus, quamvis alioqui à nobis diſſentiant, quatenus Chriſtum ſeu Dei filium, ante orbem conditum, ex ipſius Patris ſubſtantia extitiſſe volunt, & Patribus illis ſub Vetere Teſtamento ſæpius apparuiſſe, immo illum unum Deum ipſius patrem & ipſum Mundum, & alia omnia deinceps per eum feciſſe & quæcunque eos ſcire voluerit, hominibus per ipſum patefeciſſe. Sed nihil neceſſe eſt, rem ita ſe habere hoc loco demonſtrare. Alibi fortaſſe id à nobis fiet aliquando, ſi Deo placuerit, in illorum gratiam qui iſtorum Patrum auctoritate plus quam deceat, moventur. Tantum hoc loco monemus, Primum Juſtinum in dialogo cum Tryphone Judæo aperte confiteri, non paucos ſua ætate fuiſſe, qui Chriſti nomen profiterentur, & tamen idem ſentirent, quod nos de Chriſti natura & eſſentia ſentimus. Deinde, inter ſcriptores, quorum teſtimonia Adverſarii hic commemorant, aliquos eſſe, quibus ſcripta quædam, unde aliqua ex iſtis teſtimoniis proferuntur, falſo ſunt tributa, aut certe de quibus, an ea ſcripſerint merito dubitatur. Quidquid ſub nomine Dionyſii Areopagitæ circumfertur, adulterinum, eſſe, jam, diu ex ipſis Pontificiis quidam Theologi animadverterunt. Vide Eraſmum in Declaratione adverſus Theologos Pariſienſes cap. 91. & in Annotat. Act. cap. 17. & Sixtum Senenſem Bibliothecæ ſanctæ Lib. 6. annot. 229. & Lib. 2. in *Dionyſius*. Idem dico de Clementis Romani opere, quod hic ab Adverſariis citatur. Liber ſub Juſtini nomine de recta fidei explicatione nullo pacto eſt ipſius, ut & ſtylus, & modus explicandi materiam iſtam de Divinitate longe à ſtylo & modo Juſtini in confeſſis ejus operibus abhorrentes, clare demonſtrant; præterquam quod nec Euſebius, nec Hieronymus, qui Juſtini ſcripta diligenter recenſent, ullam iſtius libri mentionem faciunt; ſicut nec de Dionyſio Areopagita, quod quidquam ſcripſerit, nec de Clemente Romano, quod opus iſtud Conſtitutionum ediderit, prorſus meminerunt. Ignatii Epiſtolæ non ſunt liberæ à ſuſpicione depravationis & additionis, & denique ſuppoſitionis, & locus ille ab Adverſariis citatus in Epiſt. ad Philip. in Latina editione, de cujus depravatione minus quam de Græcæ ſuſpicari licet, ita legitur, ut omnino Adverſariorum ſententiæ ejus ſcriptoris verba repugnent. Quæ ex Ruffino de Clemente Alexandrino, deque Origine citantur, quæque ex ejus verſione apud Euſebium de Gregorio Thaumaturgo leguntur, nullam certam fidem facere poſſunt, propter illius hominis, in Græcis ſcriptoribus vertendis, & citandis, ac præſertim in Origene non dicam vertendo ac citando, ſed plane corrumpendo prodigioſam licentiam atque audaciam. Et hæc in præſentia volumus ſatis eſſe, quod attinet ad teſtimonia iſtorum Patrum ante concilium Nicænum. De Patribus, qui poſt fuerunt, non eſt, quod quidquam dicamus, cum nos contra ipſos quodammodo perpetuo diſputemus, quamquam ex ipſis, præcipue vero ex Hilario multa depromi poſſunt cum opinione de Chriſto, de perſonis divinitatis, vulgo hodie recepta, minime conſentientia, quod nullo pacto diluitur per teſtimonia, quæ ex ipſis Adverſarii citant. Nihil enim vetat, quin ipſi ſibi ipſis contradicant; ut illis fere accidit, qui falſa dogmata tuentur. Et valde Bellarminum * miror, qui omnino exiſtimaſſe videatur aliquot ipſorum teſtimoniis proferendis, poſſe ſe planum facere, ipſos ſibi minime contradicere. Ejus quidem verba hoc præſeferunt; licet fortaſſe intellexerit, ſe velle oſtendere, ut poſtmodum facere conatur, loca ex ipſis à noſtris hominibus citata, eos ſibi ipſis contradicere minime demonſtrare. Quidquid ſit, hic finis erit reſpondendi ad ea, quæ ſeptima hac claſſe pro ſua ſententia confirmanda Adverſarii congeſſerunt.

De octava claſſe.

Octava claſſis continet Sibyllarum teſtimonia: quæ, cum nulla divina auctoritate confirmentur: nihil nos cogit ad ea quidquam reſpondere. Primum enim, quid alioqui nos jubet credere, vel iſtas Sibyllas revera aliquando fuiſſe? Nemo enim eſt, qui vel ipſarum tempore, vel ſaltem earum ætati proximus, quidquam de illis ſcriptum reliquerit, & certam aliquam hiſtoriam de eis tradiderit. Sed & Varro, & quotquot ante ipſum de Sibyllis, una vel pluribus, mentionem fecerunt, nihil explicati aut certi habuiſſe dici poſſunt: quemadmodum eorum, quæ commemorantur, de illis

* Tom. 1. col. 330. A, & B.

teſti-

teſtimonia ſatis aperte indicant. Memorant inter alias, quas omnes decem eſſe volunt, quandam, quam Cumanam fuiſſe ajunt, & Amaltheam nominant. Hanc Tarquinio Priſco quincto regi Rom:, (quamquam Dionyſius Halicarnaſſeus Tarquinio Superbo id accidiſſe, famam fuiſſe ſcribit) narrant ſuos quoſdam libros venales obtuliſſe, &c. Sed, cum Livius diligentiſſimus hiſtoriæ Romanæ ſcriptor nullam prorſus hujus rei mentionem fecerit, merito pro fabula narrationem iſtam habitam fuiſſe, habendamque eſſe, ſtatuere poſſumus. Quod pace Varronis ſit dictum, quem Lactantius ejus auctorem citat. Quod idem facere Dionyſius Halicarnaſſeus videtur. Ita & alias de Sibyllis narrationes fabulas eſſe, veriſimile eſt, & potius credendum videtur, eas nunquam extitiſſe: aut certe, quæ ipſarum nomine circumferuntur, carmina, majore ex parte conficta eſſe. Quid de illis, quæ Ciceronis tempore Romæ aſſervabantur, ipſe Cicero ſenſerit, ex his verbis patet, quæ de illis ſcripſit. *Callide*, inquit, *qui illa compoſuit, perfecit, ut quodcumque accidiſſet, prædictum videretur, hominum & temporum definitione ſublata*, &c. Ex quibus intelligitur, eum pro certo habuiſſe, non Sibyllam aliquam, ſed quempiam alium verſus illos compoſuiſſe; idque tamquam ſi eſſet vates, cum tamen revera non eſſet. Id quod ex verbis, quæ ſubjungit clarius etiam perſpicitur. Videat lector locum. Nam quod Paulus Gentibus ſuaſerit, ut Sibyllam legerent, eo magis falſum exiſtimandum eſt, quod Clemens Alexandrinus, hujus rei auctor, citat ad ejus fidem faciendam ipſa Pauli verba, tanquam alicubi ab eo ſcripta: cum tamen certum ſit, ea non extare in iis Pauli ſcriptis quæ ſola pro germanis ipſius ſcriptis ſemper habita fuerunt, aut ab univerſa Eccleſia, aut etiam ab aliqua ejus parte. Jam quod ipſe Clemens Sibyllinis iſtis verſibus una cum aliis, qui vel ante vel poſt ipſum fuerunt pro teſtimonio ſæpe utatur, nihil eſt mirum, etiamſi ii merito plurimis doctis & cordatis viris ſemper fuerunt ſuſpecti. Inter quos arbitror omnino fuiſſe Hieronymum. Alioqui non ſcripſiſſet de Lactantio, *Utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, ut aliena deſtruxit.* Certe enim, ſi quæ multa profert Lactantius teſtimonia ex Sibyllinis carminibus tam de uno Deo omnium conditore, quam de Chriſto Dei filio domino ac ſervatore noſtro, certa eſſent; ſatis vel hoc ſolo videri poſſet noſtra confirmaſſe. Verum tamen breviter ecquid habeant, pro opinione Adverſariorum teſtimonia ab ipſis ex iſtis carminibus citata diſpiciamus.

Citant primum Sibyllæ Erythrææ carmen acroſtichum, ut legitur apud Euſebium; quod hoc diſticho concludi dicunt: *Unus & æternus Deus his ſervator, & idem Chriſtus pronobis paſſus, quam carmina ſignant.* Atqui ego hos eoſdem verſus, ut à Volf. Muſculo ſunt Latine redditi (nam Græci codicis copia non fuit) ſic ſcriptos apud eundem Euſebium reperi * : *Omnipoteus Deus eſt præſcriptus verſibus iſtis Servator noſtro æternus rex paſſus amore.* Verum Chriſtus & Deus eſt, & quidem omnipotens (data eſt enim illi omnis poteſtas in cælo & in terra Mat. 28. 18.) & rex noſter iſque æternus (quod ut à parte poſt intelligatur neceſſe eſt) nec tamen hinc ſequitur, eum eſſe illum unum Deum; ut ſupra abunde diſputatum fuit. Adde, quod iſtius Acroſtichi ultima carmina (inter quæ videlicet ſunt duo iſta, quippe omnium poſtrema) quibus per capitales litteras nomen Crucis exprimitur, non leguntur, ut arbitror in emendatoribus Euſebianis codicibus. Nam nec Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca lib. 2. ubi integrum iſtud Acroſtichum Græce commemorat ac recitat, eorum ullam facit mentionem: quamvis Euſebium auctorem citet: nec apud Auguſtinum, quem ſimiliter citat auctorem Lib. 18. 23. de civitate Dei ſcripta inveniuntur: nec denique Joh. Lodovicus Vives vir doctus & accuratus, in ſuis in eum Auguſtini locum commentariis, eorum quidquam meminit; cum tamen ex ipſo Euſebio, (nam apud Auguſtinum, ut ipſe Auguſtinus noverat, corrupte Latine leguntur,) Græca ipſa carmina recitet. Nec ſane ultima iſta carmina ullo modo cum antecedentibus cohærent, quatenus ſunt ac roſticha. Si *Cruce* ex acroſticho fieret, cohærere dici poſſent. Nunc vero, cum efficiatur *crux*, nemo non videt ineptiſſime ab aliquo ſciolo ea fuiſſe addita & potiſſimum iſta extremia duo prorſus adulterina ſeu additicia eſſe, ex eo conſtat, quod ſunt tanquam explicatio brevis ſeu mavis epilogus quidam antecedentium; quod in ejuſmodi prædictionibus ineptum & inuſitatum plane quiddam eſt.

Jam reliqua deinde omnia, quæ Adverſarii ex Sibyllinis verſibus citant teſtimonia, nihil amplius habent, quam, Chriſtum eſſe Deum, & quidem noſtrum Deum, eundemque totius Mundi dominum. Quæ nos omnia Chriſto homini, citra ullam æternam atque eſſentialem una cum Deo Patre divinitatem, rectiſſime convenire, variis in locis ſupra demonſtravimus.

De nona claſſe.

Nona & ultima claſſis conſtat viſionibus, ut Adverſarii ajunt, divinis, & miraculis ipſorum ſententiam confirmantibus, quæ hic ad duodecim, vel potius quatuor decim, nam tria ſub uno numero XI ponunt, recenſent. Ad hæc tripliciter reſpondeo. Primum hæc non ſatis eſſe ad quidquam confirmandum, quod ſit Dei verbo ſcripto repugnans: Deinde nullos hic citari auctores, niſi ſuſpectos & Adverſariorum ſententiæ addictos: Poſtremo, iſtas viſiones & miracula omnia, excepta prima viſione (quam plurimis ex ipſis Trinitariis fabulam viſum iri non dubitamus) pertinere ad Arrianorum opinionem; deteſtandam potius quam ad Adverſariorum confirmandam. In quo duo animadvertenda ſunt: Unum eſt, quod Arrianorum quorumcumque opinio in iis, quæ de Chriſto affirmabant, minime vera erat: Alterum, idque multo majoris momenti, quod, ut ex multis Scriptorum de Arrianis dictis ac narrationibus intelligi poteſt, plerique Arriani, cum jam omnes ſtatuiſſent, Chriſtum non eſſe illum unum Deum, & primi ipſorum qui extiterant, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ cum eſſe prorſus negaſſent; ea ratione & argumento, quod Adverſarii penitus inſolibile & inexpugnabile eſſe cenſent, de uno Deo colendo, Chriſto cultum divinum adimebant. Atqui longe præſtat eſſe Trinitarium, quam Chriſto divinum cultum non tribuere: immo Trinitarius (meo quidem judicio) modo alioqui Chriſti præcepta conſervet, nec ulla ratione eos perſequatur, qui Trinitarii non ſunt, ſed potius cum ipſis fraterne conferre, ac veritatem inquirere non recuſet, merito Chriſtianus dici debet. Qui vero Chriſtum divina ratione non colit, is nullo modo Chriſtianus dici poteſt. Quocirca non eſt dubitandum, quin Deo minus diſplicerent Homouſiani Trinitarii, quam vulgus Arrianorum: immo quin illi ſi alioqui pie vivebant, ei accepti eſſent, hi vero, omnino inviſi. Quid igitur mirum, ſi cum totus fere orbis Chriſtianus in has duas (ut ita dicam) factiones diviſus eſſet, Deus viſionibus & miraculis teſtari voluiſſet, utra ipſarum viam ſalutis vel adhuc retineret, vel jam abjeciſſet? Itaque etiamſi viſiones & miracula iſta veriſſima eſſent ac diviniſſima; non idcirco ſequitur, ſententiam Trinitariorum, quatenus Trinitarii erant, Deo probatam fuiſſe, Arrianorum vero quatenus minime eraut Trinitarii, ſuiſſe improbatam: ſed tantum, illos, ut Chriſti membra, à Deo agnitos fuiſſe, hos vero, minime. Adde duobus, quæ animadvertenda diximus, & tertium; nempe Arrianos acerrime tunc perſecutos fuiſſe miſeros Homouſianos, idque diu & variis in locis; cum Homouſiani contra vel quia nollent, vel quia non poſſent, aut nullas aut non admodum graves perſecutiones adverſus Arrianos adhuc excitaſſent. Quare merito ſe Deus Arrianis iratum oſtendit. Quod ſi Deus odium ſuum declarat contra perſecutores, quamvis alioqui melius ea ipſa in re ſentiant, cujus cauſſa perſequi inſtituunt, quam ii,

* Sem. ad conventum ſanct. qui inſcribitur Lib. 5. de vita Conſtant. Imperat.

quos perſequuntur; caveant ſibi ab ejus ira & indignatione ii, qui eos graviſſime infectantur eorumque ſanguinem tantopere ſitiunt, quorum non modo vita, ut ipſimet fateri coguntur, ſed doctrina quoque ob quam ab ipſis infeſtantur, ut ſuo tempore Deus oſtendet, melior ac probatior eſt, quam ipſorum.

De Arrii porro mortis genere eſt, quod aliquid reſpondeamus. Miramur ſane, Adverſarios, etiamſi compertiſſimum eſſet, Arrium eum vitæ finem feciſſe, quem Eccleſiaſticæ, quam habemus hiſtoricæ auctores homines Trinitarii, & Athanaſius ejus inimicus ſcribunt, eo tamen ad fidem faciendam falſitatis dogmatis Arriani uti non dubitare. Cum ex ipſa hiſtoria conſtet, & ex ipſis Athanaſii verbis ad Serapionem fratrem, quæ hic numero IV. Adverſarii recitant, ſatis intelligi poſſit, Arrium, paulo ante tam miſerabilem ſuum exitum, Conſtantino Magno Imperatori ſolenne jusjurandum præſtitiſſe contra ſuam ipſius conſcientiam, & cauſſam, quam jampridem defendendam ſuſceperat, ſcelerate tandem prodidiſſe; adeo ut Imperator, qui etiam, ut tantum ſcelus caveret, ei prædixerat, audita ejus morte, agnoverit, eum ſui perjurii pœnas dediſſe. Nihil igitur hinc de mala Arrii cuſſa, quod ad ipſius dogma attinet, concludi poteſt. Sed potius contrarium colligi poſſe videtur; nempe Arrium non tam ob ipſum perjurium (nam id aliquo modo excuſari poſſet, tum ob artem, qua in ipſo juramento præſtando, ut Socrates Lib. 1. cap. 31. ſcribit, uſus fuerat, tum ob quæſitam cum aliis pacem & concordiam) quam propter optimam & Deo gratiſſimam cauſſam à ſe deſertam, tam fœdo mortis genere periiſſe.

Atque hic finis erit refutandi omnia, quæ Vujekus, & Bellarminus congeſſerunt ad demonſtrandum, Chriſtum Dei filium ejuſdem plane eſſentiæ cum Patre ſuo eſſe, atque unum & eundem prorſus cum ipſo Deum. Reſtat, ut ea refutemus, quæ ad idem de Spiritu S. perſuadendum attuleruut, quatenus, videlicet, veritatis defendendæ gratia, neceſſarium eſſe judicaverimus. Id quod mox, Deo juvante, quam breviſſime facere conabimur.

CAPUT X.

In quo breviter refelluntur argumenta omnia pro perſonali Spiritus S. divinitate ab Adverſariis allata.

ADverſarii ut probent: Spiritum S. eſſe eundem Deum, qui eſt Deus Pater, licet perſona ab eo diſtinctum, eadem via id facere aggrediuntur, qua idem antea de Dei filio perſuadere omni cognatu tentarunt; & non modo totidem, ſed eaſdem argum. claſſes faciunt, præter unam. Nam illius loco, quæ, cum de Filio Dei eſt actum, Sibyllarum teſtimonium continebat, aliam reponunt, quæ argumenta continet ducta à majoritate Spiritus S. ſupra Chriſtum, quatenus eſt homo.

Ad hæc omnia, ut breviſſime quidem, ſed tamen quantum ſatis eſſe poſſit, reſpondeamus; nihil eſt opus ſingula recenſere ac refellere, cum propter id, quod ad multa jam ſuperius, cum de divinitate Chriſti ageretur, reſponſum eſt: tum vero quia unica reſponſione omnia, præter Patrum auctoritates & viſiones ac miracula, ſimul dilui queunt. Quo tamen, etiamſi ad ſingula reſpondere vellemus, ſemper fere tota diſputatio tandem redigeretur. Reſponſio eſt, Spiritui quidem ſancto ea tribui, quæ unius Dei ſunt propria: nimirum quia virtus ſit atque efficacia Dei: unde etiam, quod Spiritus S. facit, Deus ipſe meritiſſimo facere dicitur; ſed hoc tamen non ſatis eſſe ad ſententiam Adverſariorum probandum, niſi aperte demonſtretur, Spiritum Sanctum, ſive iſtam Dei virtutem & efficaciam, eſſe perſonam ab ipſo Deo, cujus ſpiritus & efficacia eſt, diſtinctam. Nam quod in teſtimoniis ſacris, quæ Adverſarii citant, Spiritui S. actiones tribuuntur, & ea, quæ perſonarum ſunt propria; ex hoc nihil concludi poteſt, cum aliis rebus, quas perſonas non eſſe conſtat, ſimiliter in Scripturis Sacris actiones tribuantur, & ea, quæ ſunt propria perſonarum. Cujus rei pleniſſimam fidem facere poteſt vel locus ille Pauli 1 Cor. 13. a 4. uſque ad 8. ubi perpetuo de charitate, tanquam de perſona aliqua loquitur, illi permulta tribuens quæ revera non niſi in perſonam cadunt. Quod ſi quis dixerit, ſatis conſtare, Paulum eo in loco figurate loqui, &, Charitatis nomine, eum intelligere, qui charitate ſit præditus, quatenus ea eſt præditus; Reſpondebo, cum Spiritus Sanctus ſit Spiritus Dei, certumque ſit alioqui, ſpiritum alicujus perſonæ non poſſe eſſe perſonam ab ea, cujus eſt ſpiritus, diſtinctam, non minus conſtare, cum Spiritui Sancto ea tribuuntur, quæ perſonæ & ſimul ipſius Dei ſunt propria, nihil aliud intelligendum, nomine Spiritus Sancti, eſſe, quam ipſum Deum ſpiritu ſuo, id eſt, virtute atque efficacia ſua, agentem atque operantem.

Sed inſtabit adhuc aliquis & dicet, hoc fieri non poſſe, cum non uno in loco, maxime vero cap. 12. prioris ad Cor. inducatur Spiritus Sanctus agens atque operans diſtincte ab ipſo Deo: qui ſimiliter ibidem agens atque operans eadem in re inducitur. Reſpondeo, cum non omnia, quæ agit atque operatur Deus, per Spiritum Sanctum agat atque operetur; propterea in eadem etiam actione & operatione, licet proprie loquendo ipſe Deus tantum ſit, qui agit, atque operatur, Spiritum Sanctum ab ipſo Deo diſtingui; præſertim cum ipſe Spiritus Sanctus, per quem Deus agit atque operatur, diverſimode conſiderari poſſit. Similitudine ad locum iſtum 1 Cor. 12. accommodata utemur, ut melius intelligi tota res queat. Sit aliquis vir princeps dives ac locuples, qui plurima dona inter eos, qui ejus imperio ſubjiciuntur, aliqua peculiari in re ſibi obedientes, diſtribuat, eaque varia ac multiplicia, veſtes, vaſa, ſupplectilem, equos, currus, arma, &c. Poterit ſane quis merito dicere, diverſa hic diverſis donari; ſed tamen unam eandemque eſſe liberalitatem quæ unicuique pro arbitratu ſuo largiatur: unum eundemque eſſe virum principem, qui horum omnium donorum ſit auctor, etiamſi nec liberalitas iſta ſit perſona aliqua, nec, proprie loquendo, ipſa liberalitas quidquam agat, ſed vir ipſe princeps tantum liberalitate iſta ſua. Quæ propterea ſingulariter notari hic ac nominari potuit, quia aliud quoddam genus eſt hoc liberalitatis ab ea, qua idem vir princeps (verbi gratia) pauperibus & egenis ſubvenit. Sicut aliud quoddam genus Spiritus Sancti eſt, per quem Deus Chriſto credentes ſibique hac in re obedientes variis donis afficit, ab eo, per quem (exempli cauſſa) ſui cognitionem humano generi largitur. Unde fit, ut ejus, in loco iſto, apud Paulum ſingularis mentio fiat & ab ipſo Deo diſtincta, quamvis revera perſona aliqua non ſit. Mente vero tenendum eſt, quod ab initio diximus, Spiritum Sanctum eſſe virtutem atque efficaciam Dei, id quod ex his locis conſtat, Epheſ. 3. 7, 20. 2 Petr. 1. 3. & aliis ſimilibus; in quibus ſi, virtutis aut efficaciæ ſeu operationis divinæ loco, Spiritum Sanctum reponas, videbis, nullam prorſus ſententiæ differentiam induci, & idem plane eſſe ac ſi hoc nomen pro illis ubique ſcriptum fuiſſet. Nec tamen omnis virtus & efficacia Dei, ut antea innuimus, Spiritus Sanctus eſt, ſed ea tantum, qua res aliquomodo ſanctificantur; quamvis alioqui Spiritus Dei nomine appelletur, Sancti epitheto non adjuncto, quælibet Dei virtus & efficacia; ut, eum apud Eſaiam Eſa. 40. 7. legitur, exareſcere herbam & cadere florem, cum Jehovæ ſpiritus ſufflaverit in eum: aut, cum Deus ipſe dicit, ſe repleviſſe Beſeleel filium Uri Dei ſpiritu; cum tamen ibi non agatur niſi de ſcientia artis mechanicæ divinitus illi homini datæ, Exod. 31. 3. Adde, quod per antitheſim quodammodo Spiritus Sancti, Spiritus Dei malus nonnunquam in Sacris Literis legitur, ut 1 Reg. 18. 10: & 19. 9. Nam Spiritum Sanctum contra, interdum ſpiritum Dei bonum vocari, teſtantur hæc loca Pſal. 14. 2. x. 2. Eſdr. 9. 20. Quid eſt autem ſpiritus Dei malus,

niſi

niſi vis & efficacia divina, qua nimirum homines torquentur, & in reprobum ſenſum dantur, aut alia ratione affliguntur? Sic vides, ut dixi, Spiritus Dei nomine quamlibet Dei vim atque efficaciam ſignificari poſſe, non modo eam quæ Spiritus Sanctus appellatur; quam etiam varie poſſe conſiderari ac diſtingui, paulo ante indicavimus. Quoniam vero virtus iſta atque efficacia divina, qua res aliquo modo ſanctificantur, longe aliis præſtat, eſtque Dei maxime propria, eamque (nempe quia Deus ea, præter alias omnes, frequentiſſime utitur) ſæpiſſime in Sacris Literis commemorari neceſſe eſt; propterea fit, ut, Dei Spiritus, aut ſimpliciter etiam Spiritus nomine, Spiritus Sanctus ſignificetur: Et proſopopœiæ, ac metonymiæ ſint hic admodum frequentes. Alioqui nulla cauſa eſt, cur Spiritus Sanctus perſona cenſeri debeat magis, quam alii Dei Spiritus, qui omnes ſimiliter virtus ſunt atque efficacia Dei. Virtutem autem aut efficaciam alicujus, perſonam eſſe ab eo diſtinctam, nemo impoſſibile eſſe non videt. Cæterum Spiritum Sanctum non quocunque modo acceptum eſſe perſonam, immo frequentiſſime, Spiritus Sancti nomine, in ſcriptura perſonam non intelligi, omnes fateri coguntur; cum palam ſit, Spiritum Sanctum vocari dona ipſa cœleſtia ac divina, idque in Sacris Literis uſitatiſſimum eſſe. Verum ne tum quidem perſonam eſſe, cum in potiorem ſenſum accipitur, præter ea, quæ jam dicta ſunt, probatur, ni fallor, ſatis evidenter hac ratione. Spiritus Sanctus in potiorem ſenſum acceptus, naturaliter in ipſo Deo eſt. Alioqui non potuiſſet Paulus 1 Cor. 2. 10, Dei Spiritum (qui idem ibi ſine dubio eſt, quod Spiritus Sanctus in potiorem ſenſum acceptus) comparare cum hominis ſpiritu, qui naturaliter eſt in homine. Sic enim ait, *Quis hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Atqui, ſi Spiritus Sanctus de quo loquimur, in ipſo Deo eſt naturaliter, Deus autem ipſe, in quo eſt, perſona ut ſit neceſſe eſt, ſequitur, Spiritum Sanctum iſtum non eſſe perſonam. Aliter enim una perſona in alia naturaliter eſſet; idque non reciproce; cum Deus viciſſim in Spiritu Sancto eſſe eo modo, quo in ipſo Spiritus Sanctus eſt, nullo pacto dici poſſit. Eſt ſiquidem Spiritus Sanctus in Deo, quatenus Dei eſt. Deus autem non eſt Spiritus Sancti eo ſenſu, quo Spiritus Sanctus Dei eſſe hoc loco dicitur. Verum unam perſonam in alia naturaliter eſſe, præſertim haud reciproce, nulla ratione fieri poteſt. Jam Deum, in quo Spiritus Sanctus eſt, ſeu cujus eſt, eſſe perſonam, declarat Paulus, cum, loco ſupra citato, proxime antecedente verſiculo ait 1 Cor. 2 20, *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum ſuum.* Revelare enim eſt actio. Actiones autem ſunt perſonarum ſeu ſuppoſitorum. Neque vero hic ulla proſopopœia aut metonymia eſſe poteſt, ſed neceſſe eſt ut maxime proprie Deo iſta actio revelandi tributa fuerit: ut omnes fatentur, cum ne cogitari quidem poſſit, cui magis aut æque proprie ea tribui queat.

Credo, me ſatis oſtendiſſe, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam, non magis, quam aliæ vel proprietates vel effecta Dei, ſint perſonæ; cum nihil ſit aliud, quam peculiaris quædam virtus & efficacia Dei. Quæ ſi, ut ipſius Dei proprietas, & vis, per quam agit, conſideratur & accipitur; figuræ metonymiæ aut proſopopœiæ accommodatiſſimus eſt locus: Et metonymiæ quidem, ſi, Spiritus Sancti nomine, ipſe Deus cujus eſt ſpiritus, quique per eum agit, ſignificetur: Proſopopœiæ vero ut quando Deus per Spiritum Sanctum agit, ipſi Spiritui Sancto, Dei actio tribuatur. Sin autem hæc virtus & efficacia Dei conſideratur & accipitur ut res, in quibus agit, ab ipſa afficiuntur; utrique iſti figuræ ſimiliter aptiſſimus eſt locus. Quandoquidem commodiſſime per metonymiam is, qui à Spiritu Sancto aliquo modo affectus, quidpiam agit, quatenus id agit, Spiritus Sanctus, ſeu Spiritus Dei metonymice dici poteſt, ut factum eſt apud Paulum, cum ait 2 Cor. 1. 10, Spiritum (ſubaudi Dei) omnia ſcrutari, etiam profunda Dei. Ubi, Spiritus Dei nomine, ſine dubio intellexit hominem Spiritu Dei præditum, quatenus videlicet ab iſto ſpiritu afficitur. Simili metonymia vidimus antea eſſe uſum, cum de charitate loqueretur 1 Cor. 1. Jam per proſopœiam ipſi Spiritui Sancto actionem tribui, quæ ipſius ſpiritus ope ab homine fiat, adeo eſt proclive, ut nihil magis. Hac certe figura Paulus, quod ipſe gratiæ divinæ ope egerat, non modo gratiam divinam egiſſe ait, ei tribuens, quod laboraverit, ſed ſeipſum laboraſſe negat; cum tamen nemo ignoret, Dei gratiam non eſſe perſonam.

Sed finge, Spiritum Sanctum eſſe perſonam à Deo Patre diſtinctam (quod tamen ut à veritate, ſic etiam ab omni veriſimilitudine abhorret) nunquid hinc continuo ſequetur ipſum eſſe eundem Deum cum Deo Patre? Nullo modo; cum huic rei, ut, ſcilicet plures perſonæ eandem numero eſſentiam habeant, propter contradictionis implicationem, tota natura reclamet, ut ſupra alibi eſt indicatum: & ex altera parte nihil vetet, quominus Deus cum re creata ea, quæ alioqui ipſius Dei ſunt propria, cummunicare dignatus fuerit. Hic enim nihil cui tota natura reclamet, nihil, inquam, quod contradictionem implicet, invenies. Ubi id tamen ſingulariter, non ſine cauſa animadvertendum eſt, nuſquam, ni fallor, in Sanctis Literis Spiritui Sancto diſerte tribui, quod quidquam creet, ſed Dei Spiritu, ſeu per Dei Spiritum alicubi fortaſſe creatas res dici, tanquam, videlicet, inſtrumento ſeu per inſtrumentum. Nam locus Jobi 33. 4, ab adverſariis citatus, non *creavit*, ſed *fecit*, habet. Adde, quod non ubicunque Dei Spiritus nominatur, ibi Spiritus Sanctus eſt intelligendus; ut ex iis conſtare poteſt, quæ ſupra diſputavimus.

Quodſi una cum adverſariis dicas, fieri non poſſe, ut Spiritus Sanctus ſit creatus, quin Chriſtus ſit minor, ut res creata eſt, aliqua alia re creata, cum, quatenus Chriſtus res creata eſt, Spiritu Sancto minor eſſe deprehendatur: ſatis autem conſtare idque nos ipſos conſtanter aſſerere, Chriſtum, quacunque ratione, omni re creata majorem, id eſt, præſtantiorem eſſe; Reſpondeo (& interim hanc novam, quam hic Beliarminus † excogitavit, argumentorum claſſem diſſolvo) negans, Chriſtum, ut rem creatam, Spiritu Sancto minorem eſſe; ſi modo ſtatuatur, Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Nec teſtimonia, quæ adverſarii ad id probandum attulerunt, quidquam probant, tum propter alia, quæ deinceps dicentur, tum vero propter hanc cauſam: Videlicet, quod omnia iſta teſtimonia de Chriſto loquuntur, antequam glorificatus fuerit, & in dextera Dei collocatus. Atqui nos, cum dicimus, Chriſtum licet rem creatam abſolute omnibus creatis rebus eſſe præſtantiorem, intelligimus de Chriſto jam glorificato & in Dei dextera collocato, nec aliter loquuntur ipſæ Sacræ Literæ Hebr. 8. 9. quæ eum, dum adhuc mortalis fuit, minorem Angelis fuiſſe tradunt, aliqua ſaltem ratione. Adde, quod aliquot ex iſtis teſtimoniis ſunt, de quibus dici merito poſſit, etiamſi Spiritus Sanctus ſit perſona, tamen in illis non agi de Spiritu Sancto perſona, ſed (ut adverſarii ipſi de Dei ſapientia loquentes, niſi quid aliud obſtet, dici poſſe oſtendunt) de Spiritu Sancto ſeu Spiritu Dei, qui ipſius Dei eſſentialis eſt Spiritus. Nam alioqui etiam ante oſtenſum eſt, neceſſe eſſe confiteri, Spiritum Sanctum non quocunque modo acceptum eſſe perſonam. Præterea quædam ſunt ex iſtis teſtimoniis, in quibus creditum eſt ab adverſariis id Spiritui Sancto tribui, quod tamen ipſi Deo aperte vel tacite, à Spiritu Sancto diſtincte nominato, omnino tribuitur. Cujuſmodi eſt locus ille Eſai. 61. 1. Luc. 4. 18, quemadmodum docuimus ſupra in reſponſione ad ſecundum argumentum ſecundæ claſſis argumentorum pro eadem cum Patre Filii Dei divinitate: & ille Rom. 8. 11. Ubi neceſſe eſt Bellarmini * & Vujeki † ſupinitatem (ut ſic loquar) mirari;

* Tom. 1. col. 153. C. * Cap. 20. Bell. Tom. 1. col. 354. A. † Vuj. p. 163.

cum;

cum unicuique legenti apertiſſimum ſit, ibi non quidem ipſi ſpiritui, ſed ei, cujus eſt ſpiritus, id eſt, Deo tribui reſuſcitationem Jeſu à mortuis. Quod porro attinet ad reliqua teſtimonia, locus primus omnium allatus, Eſai. 48. 16, ut alibi ſupra monuimus, ſic legi ex Hebræo poteſt, *Dominus Deus miſit me, & ſpiritum ſuum*, ut vertit Caſtellio. In loco Hebr. 9. 14, in Græco non habetur, *per Spiritum Sanctum*, ſed *per Spiritum æternum*, quod non ſignificat, Chriſtum à Spiritu Sancto impulſum fuiſſe ad ſeipſum offerendum (etiamſi hoc alioqui ſit verum, nec tamen Chriſtum hominem minorem Spiritu Sancto eſſe doceat) ſed rationem, ſecundum quam Chriſtus ſeipſum obtulit, non eſſe legalem & temporariam, ſed ſpiritualem atque æternam. Vide ejuſdem Epiſt. 7. 16. & 28. Jam, quod Chriſtus ex Spiritu Sancto fuerit conceptus, hoc non oſtendit, Spiritum Sanctum ejus conceptionis fuiſſe auctorem, ſed inſtrumentum ſeu inſtrumentalem cauſam tantum. Verum nihil vetat, quin opus aliquod ſit longe præſtantius, quam inſtrumentum, quo factum fuit. Immo raro aliter accidit. Similiter quod Chriſtus in Spiritu Dei ejecerit dæmonia, nullo modo oſtendit, Chriſtum iſto Dei Spiritu eſſe minorem. Potuit enim Chriſtus Spiritu iſto ad dæmonia ejicienda, tanquam inſtrumento ſibi divinitus conceſſo, uti. Atqui inſtrumenta iis; qui ipſis utuntur, quantumvis excellentia & animata, non quidem majora, abſolute etiam conſiderata, ſed minora eſſe ſolent. Quod ſi ratiocinatio adverſariorum valet, Deus ipſe minor eſt ſpiritu ſuo ſeu fortitudine ſpiritus ſui. Legitur enim Eſai. 11. 15. de Deo, *Et levabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui*: immo vero minor, quam ventus aliquis vehemens (de quo etiam multi locum iſtum Eſaiæ exponunt) ſcriptum eſt enim Pſal. 47. 8 ſimiliter de Deo, *In ſpiritu vehementi conteres naves Tharſis*. Denique ex eo, quod, blaſphemia in Spiritum Sanctum non remittatur, blaſphemia vero in Chriſtum hominem remittatur, non ſequitur, Chriſtum hominem eſſe minorem Spiritu Sancto. Alioqui aut ſequeretur, blaſphemiam in Deum Patrem non remitti, aut Deum Patrem ſimiliter eſſe minorem Spiritu Sancto. Quod Deus Pater ſit minor Spiritu Sancto, nemo eſt, qui vel cogitare quidem non horreat. Quod autem blaſphemia in Deum Patrem non remittatur, ſicut remittitur blaſphemia in Chriſtum hominem, nemo fortaſſe unquam dixit. Et præter exempla multa eorum, qui in Deum blaſphemi fuerant, & ad ipſum ſunt converſi, & conſequenter blaſphemiæ ſuæ veniam impetrarunt, quæ quotidiana ſunt; talem blaſphemiam remitti, docet abunde idem locus apud Marcum, quem adverſarii ex Matthæo citarunt. Sic enim apud Marcum legitur Marc. 3. 28. *Omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint. Qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum &c.*

Patet igitur (ni fallimur) etiamſi adverſarii evincerent, Spiritum Sanctum eſſe perſonam (quod tamen nunquam facient) non tamen eos evicturos eum eſſe unum & eundem Deum cum Deo Patre, ſeu non eſſe rem creatam. Nam quod ajunt, fieri non poſſe, ut in præcepto Chriſti Apoſtolis dato de baptiſmo, creatura cum creatore conjungatur, quod argumentum eandem vim habet (ſi quam tamen habet) ad probandum ſimiliter, Dei filium non eſſe rem creatam; Reſpondeo, immo in Sacris Literis res creatas interdum cum creatore conjungi, idque in re, quæ non minoris ſit momenti quam baptiſmus; cujuſmodi eſt timor & fides. De timore habes teſtimonium 1 Reg. 12. 18. *Et timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem*: de fide vero Exod. 14. 31, ubi ſecundum veritatem Hebraicam legitur, *Et timuerunt populus Jehovam, & crediderunt in Jehova, & in Moſe ſervo ejus.* Nihil igitur impedit, quominus res creata cum creatore conjungatur, etiam in rebus maximis, & quæ ad ipſius creatoris cultum pertinent. Semper enim in promptu eſt conveniens diſcrimen, eadem ipſa in re, agnoſcere inter creatorem & creaturam: prout totius religionis & divini verbi analogia requirit. Jam quod ad ipſum baptiſmum attinet, poſſe quem in creaturam (quod idem eſt, quod in nomen creaturæ) baptizari, docet Paulus, cum ait, Iſraëlitas baptizatos fuiſſe in Moſem, nec ulla cauſa eſt, cur, ſi ſimpliciter in Moſem baptizati fuiſſe dicuntur, 1 Cor. 10. 2, non potuerint ac poſſint dici baptizati fuiſſe in Deum & in Moſem. Immo conjunctio hæc Dei cum creatura tolerabilior eſt multo, quam, cum ſoli creaturæ id tribuitur, quod Dei proprie eſt, non autem creaturæ. Neque enim ex conjunctione iſta colligitur æqualitas inter Deum, & creaturam, ſed tantum quod utrique idem conveniat: verum Deo, ut principio & fini omnium rerum: creaturæ autem, ut ipſius Dei miniſtro, aut etiam ſecundæ cauſæ ab ipſo ordinatæ. Sic igitur per conjunctionem iſtam, & ad Deum rem pertinere exprimitur, & ipſius prærogativa nullo negotio intelligitur. Neutrum autem horum fit, cum creatura ſola nominatur. Tunc enim totum illi videtur tribui. Nihil igitur incommodi eſt in præceptione illa Matth. 28. 19, *Baptizantes in nomine*, (ſeu potius *in nomen*) *Patris, & filii & Spiritus Sancti*, etiamſi Pater ſolus ſit creator, filius autem & Spiritus Sanctus, creaturæ. Et conjunctio iſta creatoris cum creaturis in baptiſmo, multo tolerabilior videri debet, quam, cum baptiſmi in creaturam ſimpliciter fit mentio; ut apud Paulum fieri paulo ante oſtendimus. Hæc dicta ſint ad adverſariorum ratiocinationem refellendam: non autem quaſi nos arbitremur, Spiritum Sanctum eſſe creaturam; quem jam diximus, in potiore ſenſu acceptum, non modo virtutem eſſe quandam & efficaciam Dei, verum etiam in ipſo Deo naturaliter eſſe, in quo nihil creati eſſe poteſt.

Supereſt ad Patrum auctoritates & viſiones ac miracula, indeque ducta argumenta aliquid reſpondere. Verum, quæ jam reſpondimus, cum de divinitate filii Dei diſputaretur, ſatis pro reſponſione eſſe poſſunt hoc quoque in loco: præſertim, cum hic argumenta iſta multo minus ponderis habeant. Namque ante concilium Nicænum rara admodum, quæ controverſa non ſint, Patrum iſtorum teſtimonia extant, quæ, quod ad Spiritum Sanctum attinet, non dicam adverſariis faveant, ſed nobiſcum prorſus non faciant. Viſiones vero & miracula iſta ſive vera ſive falſa ſint, cum ea contra Arianos extiterint, non ad quæſtionem de Spiritu Sancto, ſed de filio Dei, & potius, ut ante dictum eſt, ad Arianos ipſos deteſtandos quam ad ſententiam Homouſianorum comprobandam, omnino pertinent. Nulla enim alia, præter jam ante à ſe relata, hic adverſarii commemorant.

Jamque nobis tandem videmur, Deo adjutore, planum feciſſe, nihil à Bellarmino & Vujeko fuiſſe allatum ad confirmandum communem errorem de una & eadem filii ac Spiritus Sancti cum Deo Patre eſſentiali ac perſonali divinitate, quod quidquam ſoliditatis habeat. Et ſperamus, ſi quis in hanc Refutationem noſtram inciderit, eamque perlegerit, facile agniturum, veritatem à nobis omnino ſtare; qui illum unum Deum nullum alium, niſi Domini noſtri Jeſu Chriſti Patrem, eſſe contendimus & aſſeveramus. Quocirca ſupervacaneum eſſe arbitratus ſum ultimam partem Vujekani libelli, & diſputationis Bellarminicæ adverſum nos, refellere; in qua reſpondent ad argumenta, quæ ajunt ſoleri afferri contra divinitatem (nempe quam ipſi aſſerunt) filii Dei, & Spiritus Sancti: etiamſi mihi argumenta iſta valde probarentur. Nunc, cum majore ex parte mihi non probentur, nulla cauſa eſt, cur à reſponſionibus adverſariorum ea defendere debeam. Tametſi alioqui magna hic nihilominus ſeſe offert occaſio, reſponſionibus iſtis refellendis, ſophiſmata adverſariorum patefaciendi, & imperitas ac parum Theologicas divini verbi, quibus utuntur, explicationes palam traducendi. Si Deus unquam tantum otii & bonæ valetudinis dederit, ut quemadmodum animus eſt, aliquando actoris partes, in hac de divinitate quæſtione, ipſi ſumamus; ſpero, me, eodem ipſo Deo favente, ejuſmodi pro ſen-

ſententia noſtra argumenta & rationes ex Sacris Literis petitas collecturum, eaſque eodem tempore adverſus omnes impugnationes ita præmuniturum, ut fortaſſe piis hominibus & divinæ veritatis amore incenſis, ſi præſens hic noſter labor cum iſto, quem futurum ſperamus, conjungatur, parum admodum ad plenam hujus rei tractationem deſiderandum eſſe videatur. Interim ſummas atque immortales Deo & Chriſto gratias ago, quod inter varias cum animi curas, tum maximæ corporis perpetuas afflictationes, tantum alacritatis & virium mihi dederit, ut hanc Refutationem, idque haud ſane longo temporis ſpatio, ad finem perducere potuerim. Ipſi honor, gloria & imperium in omnem perennitatem. Amen.

Finis Refutationis libelli Jac. Vujeki de divinitate filii Dei, & Spiritus Sancti.

AD LECTOREM.

DUm hujus operis Latina hæc editio anno ſuperiore cœpta, neſcio quas ab cauſas diu intermittitur, prodiit liber Martini Smiglecii Jeſuitæ Polonicus de divinitate æterna, ſeu potius, quæ ante omne ævum fuerit, filii Dei. In quo libro ad pleraque reſpondetur, quæ in hac Refut. jam antea Polonice edita in contrariam partem diſputantur. Quam quidem reſponſionem animus eſt aliquando diligenter refellere; quod videantur iſtius hominis ſophiſmata, aliqua ſaltem ex parte, apud homines imperitos fidem facile inventura. Interim tamen operæ pretium eſt viſum guſtum aliquem tibi præbere rationis ac modi, quem Smiglecius reſpondendi tenet; ut vel hinc ſtatuere poſſis, quanti ipſius dicta ſint æſtimanda. Guſtum autem hunc tibi præbebimus ex iis, quæ in ipſo reſpondendi initio ſcribit; ut intelligas, ipſum ſibi hoc unum videri propoſuiſſe, non ut revera reſponderet, ſed, ut reſpondiſſe quoquo modo videri poſſet.

Initium igitur reſpondendi Smiglecius facit ab aſſerendo teſtimonio, quod quidam ex ipſius ſymmyſtis ac magiſtris putant ſe habere in verbis Zachar. 2, ad probandum, quod Chriſtus ſit ille unus Deus Iſraëlis. Hoc autem teſtimonium plurimi omnino Smiglecius facere videtur. Quemadmodum etiam ex ipſius Novogrodienſi cum Licinio noſtro diſputatione intelligi poteſt, & propterea ægerrime fert, in Refutatione noſtra illud tam diligenter ac copioſe dilutum fuiſſe. Cumque nihil ſolidi haberet, quo Refutationis dicta refelleret, ad calumnias & ſophiſmata ſe convertit; ex quibus breviter hic pleraque indicabimus; plenam hac ipſa in parte Refutationis defenſionem in illud tempus rejicientes, cum ipſa Refutatio, Deo volente, ab omnibus ipſius impugnationibus defendetur.

1. Primum itaque evidenter calumniatur Smiglecius, dum ſui libri pag. 34, & 35. aſſerit, in Refut. noſtra Angelum qui verba illa apud Zachariam dicit, increpari ſeu objurgari, propterea, videlicet, quod in ea, inquam, Polonica pag. 137. (id quod in hac Latina legitur pag. 176) dicatur, Angelum iſtum voluiſſe, ut alter Angelus, & Zacharias qui aderant, certo ex ipſius verbis ſcirent, ſeipſum à Domino exercituum ad Gentes miſſum iri, idque ut voluerit neceſſe fuiſſe, alioqui omnino tacere illum debuiſſe. Quantumvis enim ſiniſtre quis hæc Refutationis verba accipiat, nunquam concludi poterit, hic Angelum iſtum objurgari, aut increpari, ſed tantummodo, quid illi omnino faciendum fuerit, doceri. Ubi nihil penitus vel abſurde vel audacter dictum animadverti poteſt: præſertim cum Refutationis verba non abſolute accipienda ſint, ſed eo poſito, quod antecedit, nempe, Angelum iſtum voluiſſe dicere, ſe miſſum iri à Domino exercituum. Nam certe hoc pacto neceſſe eſt, ut ſimul voluerit id ab iis qui aderant, intelligi. Alioqui, quid quæſo iſtud dicere attinuiſſet? De hoc enim uno prorſus tacendo agitur, cum dicitur, Angelum alioqui omnino tacere debuiſſe. Ut quilibet æquus ac diligens lector per ſe ipſe facile intelliget ac judicabit.

2. Pergit autem Smiglecius calumniari, cum pag. 35. ait, in Refutat. diſcedi à ſcriptura, ſeu ſcripturæ aliquid objici, eo quod dicatur, etiamſi fortaſſe ubique alibi apud Prophetas poſt verba iſta, *Sic dicit Dominus exercituum*, ipſe Dominus exercituum, ex ſua ipſius perſona loquens inducatur, tamen id hoc loco fieri nullo modo potuiſſe. Primum enim hic nihil aliud fit, niſi rationibus oſtenditur (affert ſiquidem Refutatio diſerte ſui dicti rationem) non potuiſſe hoc loco id ſervari, quod alibi ſervari ſolet in ſcriptura. Deinde hic quoque non abſolute & ſimpliciter Refutationis verba ſunt accipienda; ſed ſimiliter eo demum poſito, quod Angelus dicere voluerit, ſe à Domino exercituum miſſum iri. Etenim ſcopus Refutationis in prædictis verbis eſt, non quidem probare, Angelum id dicere voluiſſe: ſed ſi dicere voluit, quid hoc ſecum attulerit, demonſtrare, & conſequenter docere, neminem mirari debere, ſi aliquid hic alioqui inuſitatum fieri contingat. Nam, quod id Angelus omnino dicere voluerit, ſatis oſtenditur, cum non una ratione concluditur, fieri non poſſe, ut in verbis illis, *Poſt gloriam miſit me, &c*, ipſemet Dominus exercituum, loquens inducatur. Satis enim alioqui conſtat, Angelum eſſe, qui loquitur. Et hoc pertinet ad confirmanda pariter quæ diximus de ſuperiore calumnia.

3. Sed nec à calumnia abeſt id, quod Smiglecius pag. 37. ſcribit, addi videlicet ſcriptura in refutatione voculam *quod*. Neque enim proprie id addi ſcripturæ dici poteſt, quod, quamvis in ipſa ſcriptura non diſerte expreſſum, ſubaudiendum tamen, idque ex frequente ipſius ſcripturæ uſu contenditur; præſertim cum teſtimonio viri docti & neutiquam in eo, de quo agitur, ſuſpecti confirmatur. Cujuſmodi certe eſt teſtimonium Joh. Toſarrii, quod in margine adſcribitur. Ubi quidem dicitur, Toſarrium addere ſimiliter particulam *quod*. Sed tamen additio iſta non ita accipienda eſt, quaſi aliquid ipſi ſcripturæ addatur, ſed tantum verbis in ea diſerte expreſſis. Ad ſcripturam enim ipſam non modo verba in ea diſerte expreſſa, ſed etiam illa, quæ ſubaudiuntur, omnino pertinent.

4. Has Smiglecii calumnias ſequitur ejuſdem turpe ſophiſma, id eſt, craſſiſſima fallacia (quam vocant) ignorationis Elenchi, dum eadem pag. 37. ait, in Refutatione dici, niſi pronomen *me* in verbis illis *miſit me*, ad Angelum referatur, non appariturum, quem Deus exercituum miſerit. Sic enim verba Refutationis recitat: cum tamen in ipſa Refutat. pag. 137, ad finem ita ad verbum legatur, *quod alioqui non eſſet nominatus ille qui miſſurus eſſet; nec appareret, quis miſerit.* Fuit nimirum hujus rationis apud ipſum Smiglecium tanta vis, ut cum eam aliter declinare non poſſet, aliam quodammodo ei oppoſitam ſatis ſane confidenter pro ipſa ſuppoſuerit: hancque ſuppoſititiam & plane futilem pro ipſa vera & probabiliſſima ſibi refellendam, hoc eſt, cum ſua ipſius inani umbra, ſibi pugnandum ſtatuerit.

5. Quoniam vero in Refutatione, dum error inſignis Bellarmini & Vujeki oſtenditur; qui in verbis illis hujus apud Zachariam loci, *qui vos tangit, tangit pupillam oculi ejus*, loco *ejus*, corruptiores Latinos codices ſecuti, legunt *mei*. Quoniam, inquam, dum hic iſtorum error arguitur, ſimul docetur, vel ex hoc, quod non *mei*, ſed *ejus* ibi legatur, conſtare poſſe, ipſum Dominum exercituum loquentem non induci; Hic Smiglecius ait, in ipſa Refut. affirmari, ſæpius apud

Prophetas

Prophetas Jehovam de ſeipſo in tertia perſona loqui; itaque ratiocinationem iſtam, ipſius Refut. teſtimonio nihili eſſe. Atqui hoc ingens eſt Smiglecii ſophiſma: cum enim dicit Refutatio, Jehovam de ſeipſo in tertia perſona loqui, intelligit (ut ex ipſius verbis manifeſtum eſt cum ait, apud Hebræos antecedens pro relativo ſolere uſurpari) Jehovam ſeipſum, Jehova tantum nomine expreſſo, in tertia perſona nominare ſolere, non autem ſimplici relativo tertiæ perſonæ ſeipſum ſignificare. Quamquam enim in S. L. obſervatum eſt, nonnunquam etiam relativum pro antecedente uſurpari; non tamen ullo pacto fieri poſſe credendum eſt, ut relativum tertiæ perſonæ ipſum loquentem ſignificet. Inſolentiſſima enim prorſus eſſet iſta ſermonis figura; quam nec ſacræ nec profanæ litteræ, ut arbitror, unquam uſurparunt.

Allatus poſtremo fuerat in Refutatione pro exemplo ſimilis loquendi modi, ubi ſcilicet ipſis tantum expreſſis verbis non ſit omnino inhæredum, atque adeo, quemadmodum in Zachariæ loco, Jehova ſeu Dominus loquens videatur induci, cum tamen revera non inducatur, locus apud Hieremiam cap. 27. in ipſo initio. Ubi ſic legitur: *In principio regni Joakim filii Joſiæ regis Juda, factum eſt verbum iſtud ad Hieremiam à Domino dicens, Hæc dicit Dominus ad me, Fac tibi vincula, &c.* Videntur enim hic omnino verba iſta, *Hæc dicit Dominus ad me*, &c. dici ex perſona Domini proxime antea nominati, ita ut pronomen Me iſtum Dominum referat, ad quem alius, qui ſimiliter ſit Dominus, dixerit, *Fac tibi vincula*, &c. non ſecus atque in Zachariæ loco videantur verba illa, *Poſt gloriam miſit me*, &c. eſſe verba ipſius Domini exercituum, qui proxime antea nominatus eſt. Et tamen certum eſt, iſta apud Hieremiam, eſſe verba non Domini, ſed alterius, id eſt, ipſius Hieremiæ. Quare mirum videri non debet, ſi apud Zachariam quoque, verba illa non quidem Domini ſint, ſed alterius, id eſt, ipſius Angeli, qui ibi loquens inducitur. Ad hoc Smiglecius reſpondet, hanc eſſe puerilem rationem: quandoquidem verba illa, *miſit me ad Gentes*, apud Zachariam ſunt Domini exercituum; & propterea illud *me* de Domino exercituum exponitur: Contra vero apud Hieremiam verba illa, *Hæc dicit Dominus ad me*, non ſunt verba Domini exercituum, ſed Prophetæ & propterea illud *me* exponitur non quidem de Domino exercituum, ſed de Propheta. Potuitne quidquam vere puerilius reſponderi? potuitne craſſius ſophiſma afferri & evidentior Principii (quod ajunt) petitionis fallacia committi? Quid enim aliud revera contenditur, niſi, utrum verba illa apud Zachariam ſint nec ne ipſius Domini exercituum? Cur vero audet Smiglecius aſſeverare, verba iſta apud Zachariam eſſe ipſius Domini exercituum? Nonne quia proxime antecedit, *hæc dicit Dominus exercituum*? Atqui ſimiliter apud Hieremiam proxime ante verba illa, *Hæc dicit Dominus ad me*, ſcriptum eſt, *Factum eſt verbum illud ad Hieremiam à Domino dicens*; poſt quæ aut ſimilia verba, non minus, quam poſt illa *Hæc dicit Dominus*, ſolent quæ ſequuntur, eſſe verba ipſius Domini, cujus rei apud eundem Hieremiam & alios Prophetas haud rara exempla habes: apud Ezechielem vero frequentiſſima. Itaque appoſitiſſimum eſt exemplum iſtud ad oſtendendum, verba, quæ apud Zachariam leguntur, *Poſt gloriam miſit me ad Gentes*, poſſe ita accipi, ut ab ipſo Domino exercituum prolata eſſe minime intelligantur; non tamen à Propheta dicta cenſeantur, quemadmodum Smiglecius hic pag. 39. (quod pro nova ipſius calumnia haberi poteſt) Refutationem dicentem facit: ſed, ut in ea diſerte dicitur, ab Angelo, ex ſua ipſius perſona, loquente. Quod multo probabilius eſt; quam ut apud Hieremiam ipſe Propheta ex ſua ipſius perſona loquatur. Hieremias enim jam loqui eo in loco minime inductus fuerat; Angelus vero apud Zachariam jam inductus fuerat, adeo ut ſimplici ſubauditione particulæ Quod, & ſic Grammatica ipſa non omnino ſpreta (ſolet enim, ut dictum eſt, particula iſta in Sacris Literis ſæpius ſubaudiri) planiſſimum fiat, Angelum ex ſua ipſius perſona, quid Dominus exercituum dicat, recitare: Apud Hieremiam vero oporteat Grammaticæ conſiderationem penitus abjicere, ſi Hieremias ipſe, ut quidem neceſſe eſt, verba illa dicere cenſendus ſit.

Vides lector, quot vel calumnias, vel ſophiſmata (nec tamen omnia, quæ aut ſophiſtice aut per calumniam hoc uno in loco ſcripſit, indicavimus) novit Smigl. in uno tantum argumento afferendo colligere. Quare ejus librum caute legere ex his paucis quæ in eo notavimus, diſce; ac vale. die 17. Martii, 1595.

HIERONYMUS à MOSKOROW
MOSCOROWIUS
Chriſtiano & erudito LECTORI.

TAndem prodit F. S. diſputatio adverſus collegium Jeſuitarum Poſnanienſe. Qua notas ſuas Theſibus ejuſdem collegii oppoſitas adverſus Gabrielem Eutropium, qui patrocinium earundem theſium ſuſceperat, vindicavit. Opus, in quo S. ingenium, judicium, eruditionem, & ſingularem in diſputando dexteritatem, atque ſummum in modo cum Adverſariis agendi candorem, ſpectare & intueri poteris. Etſi autem viri hujus is ſcriptorum genius ſit, ut in ſingulis ſpectare hæc poſſis, tamen in hoc opere ſe ipſum quodammodo S. ſuperaſſe videri queat. Cujus etiam de hoc ipſo opere judicium reticendum minime videbatur. Etenim facta quondam, eo ſuperſtite, ejus operis mentione, modeſtiſſime, qui mos viri fuit, dixit: nullum eſſe in operibus ſuis, quod minus ſibi diſpliceat. Quo magis dolendum eſt, tum ob occupationes, tum ob quaſdam cauſſas opus ejuſmodi, in quo ſumma animi contentione elaboraſſet, ab illo abſolvi & ad finem perduci non potuiſſe. Sed non eſt quod pluribus id tibi commendemus, ipſius ſpecies, dignitas, præſtantia, utilitas, hoc longe uberius exequetur. Unum eſt quod te rogandum putem, erudite & Chriſtiane lector, ut æquum auctori legendo te præbeas, quem hactenus multi eruditi ſine ulla cauſſa perſequuntur, nomenque illius indigniſſimis modis exagitare & traducere nihil verentur; & animos multorum, qui auctoritate potius aliorum nituntur, quam veritatis divinæ rationibus permoventur, contra auctorem noſtrum incitare, exulcerare, & in dies magis ac magis exaſperare non exhorreſcunt: quantumque in ipſis eſt, ut hominis immerentis manes capitalibus odiis objiciant, annituntur. Sed viderint, quo jure hæc faciant. Illud tamen teſtari de eo libet, quod Vir fuerit ingenio prorſus admirabili, judicio peracri, divinarum literarum eruditione mirum in modum præſtans, pietate inſignis, humilitate & modeſtia Chriſtiana in omni vitæ curſu conſpicuus, candore eximio & prorſus ſingulari, & in quo omnia ſumma facile deprehendere poſſes. Priora illa excellenti naturæ bonitate viro illi ſumma contigerant, reliqua indefeſſo labore pararat. Ad quæ etiam adjutorem habuit virum incomparabilem, Lælium Socinum Patruum ſuum. Cujus viri quanta pietas fuerit, quanta rerum divinarum notitia, quanta eruditio & variarum linguarum cognitio, quantus cum doctiſſimis quibuſque totius Europæ viris uſus, quam ſtupendum ingenium, quantum judicium, id explicare oratione vires noſtras longe ſuperat. Et tamen quemadmodum idem olim, ita nunc noſter auctor, licet tantus vir fuerit, eam gratiam pro laboribus & vigiliis ſuis à pleriſque refert, ut illius proſcindendi, infectandi,

maledictis & calumniis onerandi nullum faciant finem. Sed is genius ſummorum virorum, & optime de ſocietate humana meritorum, ſemper fuit, ut pro maximis ſuis meritis, præter odia & inſectationes multorum, amplius nihil referrent. Ille tamen Deus, qui innocentiæ & veritatis ſemper aſſertor & defenſor eſt, & qui ab iis omnibus qui de humana ſocietate præclare meriti unquam fuere, ejuſmodi tempeſtates ſemper fere depulit, & ab iis viris, temporis, cujus veritas filia, tractu, proculdubio depulſurus: & cum eorum innocentiam, virtutem, & pietatem, tum veritatem ſuam in illuſtri & auguſto admodum loco collocaturus eſt. Ea ſpes nos tenet, nec dubitamus, quin tandem ſit, quo tendit, divina benignitate emerſura. Nihil enim eſt tam occultum, quod non reveletur, ut ait D. Jeſus Chriſtus Servator noſter. Vale & his fruere lector Chriſtiane. Racoviæ 20 Maii. Anno Chriſti 1618.

Defen-

Defenſio Animadverſionum F. S.

In Aſſertiones Theologicas Collegii Poſnanienſis de Trino & uno Deo, adverſus GABRIELEM EUTROPIUM.

CAPUT I.

QUoniam Adverſarius, antequam ad noſtras Animadverſiones oppugnandas deſcendat, quædam præfatur, quibus omnem fidem dictis noſtris abroget, ſuis autem conciliet, non abs re fore duximus, ſi ea prius diluerimus, quam ad ipſarum Animadverſionum defenſionem accedamus.

Adverſarii dicta.

1. Primum igitur, ait, hæreticos conſueviſſe opinionum ſuarum impietatem velaminibus ſcripturarum, ſeu velleribus ovium, contegere & adornare. Ad quod confirmandum & explicandum Vincentii Lirinenſis hac de re multa verba, integro loco recitato, affert.

2. Hinc infert ex præcepto Johannis Apoſtoli 1 Joh. 4. 1. non eſſe credendum omni ſpiritui; ſed probandos eſſe ſpiritus, an ex Deo ſint. Probare autem ſpiritus (quod attinet ad rem, de qua agit) ita videtur interpretari, quod nihil ſit aliud, quam cognoſcere, ac certo deprehendere, eum, qui Sacris Teſtimoniis ad dogma aliquod probandum utitur, id bono, pio, ſincero, & divino ſpiritu facere, non autem fucato & veſtitu ovium cooperto, alicujus denique Satanæ, qui ſe tranſfiguraverit in angelum lucis.

3. Hoc autem quomodo à nobis, cùm noſtris magiſtris credidimus, factum fuerit, quærit; &, quænam ſit illa lux, per quam ipſorum ſpiritum aſpexerimus, & probaverimus.

4. Deinde ſubjungit ipſe rationem probandorum ſpirituum; & dicit, eos per Eccleſiæ ſpiritum probari. Quæ cum ſit corpus Chriſti, certiſſimum eſt, illam non alio ſpiritu vivere, quam Chriſti.

5. Hinc autem colligit, cujuſcumque hominis ſpiritum ab Eccleſiæ Spiritu diſcrepantem ex Deo non eſſe; idque exemplo Johannis Apoſtoli clarum eſſe ait *Omnis*, inquit Johannes 1 Joh. 4. 2. *ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.* Hoc autem confitetur Eccleſiæ ſpiritus.

6. Poſtremo ait, nos, cum dicamus, Chriſtum nihil aliud eſſe, quam hominem tantum, negare, eum in carne veniſſe, ſed carnem veniſſe aſſeverare.

7. Hæc ſunt ab ipſo ſcripta ab initio primæ pag. uſque ad finem ſeptimæ. Ad quæ ſingula aliquid dicendum nobis eſt. Numerorum autem utrobique appoſitæ notæ, eorum, quæ dicemus, quid cuique Adverſarii dicto reſpondeat, ſtatim indicabunt. Atque hac eadem Adverſarii dicta recitandi, eiſque reſpondendi ratione, perpetuo deinceps utemur.

Reſponſiones.

1. Facile confidimus, ſolere hæreticos ad dogmata ſua confirmanda ſcripturæ teſtimoniis abuti. Neque ad id cuiquam probandum, opus fuiſſe arbitramur Vincentii Lirinenſis verba afferre. Sed idcirco potiſſimum ea ab Adverſario ſunt allata, quod in illis plurimum Patribus, quos vocant, & catholicæ cuidam Eccleſiæ tribuitur. A cujus, videlicet, decretis nullo modo liceat recedere; qui ſquid Sacræ Litteræ diverſum docere videantur. Quamobrem dum id, quod dictum eſt, concedimus, interim ex altera parte monemus, eorum, qui, humana potius, quam divina auctoritate moti atque confiſi, quidpiam in religione Chriſtiana defendendum ſuſcipiunt, hoc proprium eſſe, ut ſibi viam aliquam ad Sacrarum Litterarum teſtimonia quoquo modo declinanda præmuniant. Jam vero, quia non dubium eſt, quin Adverſarius Hæreticorum nomine eos omnes intelligat, qui ab Eccleſia Romana deſciverunt, quam ſimpliciter Eccleſiam paſſim appellat; conſiderandum eſt, Chriſti monitionem illam Mat. 5. 17. *Attendite à falſis Prophetis*, &c. non ſatis recte ad iſtos omnes tacite ab ipſo accommodari, etiamſi alioqui falſa dogmata docerent. Quemadmodum nec à Vincentio Lirinenſi, quem ipſe, videlicet, imitatur, ſat recte ad homines iſtorum ſimiles aperte accommodatur. Quidquid enim iſti docent (de pleriſque loquimur, deque iis, quos uterque ipſorum maxime intelligit) id non tanquam ſibi ſingulari aliqua ratione divinitus patefactum docent: quod prophetarum eſt proprium. Sed ex ea patefactione divina id ſe colligere profitentur, quæ communis eſt omnium; ex ea nimirum quæ Sacris Litteris continetur. Ad quas interpretandas & explanandas nullum ejuſmodi ſpiritum à Deo ſibi datum affirmant, ut neceſſe ſit ipſorum interpretationi, aut explanationi aquieſcere, etiamſi ejus nullam rationem afferrent. Hoc enim revera eſt illorum, qui iſtos audacter hæreticos pronunciant. atque idcirco, in ipſos, quatenus falſa docent, Chriſti monitio illa recte convenire dicenda eſt. Sed iſti cur ſic, & ſic hunc, & illum locum interpretentur, aut explanent, rationes perpetuo afferunt, eaſque ſæpiſſime, ut ex iiſdem Sacris Litteris deſumptas; & aperta (ut ipſi quidem arbitrantur) teſtimonia indidem deprompta, ad ſuam interpretationem, vel explanationem confirmandam proferunt; quibus moveri eos volunt, quos docere inſtituunt. Nec aliam præterea ob cauſſam ſibi fidem adjungi, aut cupiunt, aut certe quærunt; ingenue confitentes, niſi hac ratione id, quod volunt, perſuadere queant, nihil eſſe, cur ab omnibus rejici penitus, & derideri non poſſint ac debeant. Interim tamen aſſeverant, cum, ſe veritatem tenere, perſuaſum habeant, id à Deo profectum fuiſſe; cui nimirum omnia bona, maxime vero divinarum rerum cognitio, accepta referenda ſunt. Sed hoc longe aliud eſt, quam id, quod Prophetas mentientium eſt proprium; cujuſque & Lirinenſis, & Adverſarius homines iſtos inſimulare voluerunt. Hoc enim ipſum non Prophetæ tantum, ſed omnes & ſinguli, quotquot ad Dei eccleſiam pertinent, dicere ac præſe ferre & poſſunt, & debent.

2. Itaque Johannis præceptum de probandis ſpiritibus, cum is ſine dubio de Prophetis ſeu veris ſeu falſis loquatur, non proprie ad eos pertinet, quos Adverſarius hæreticos nominat. Vel ſi aliquo modo pertinet, atque, ut libenter fatemur, eis accommodari tamen poteſt; neceſſe eſt, ut illorum ſpiritus probare, aliud omnino ſit, quam cognoſcere, an bono & ſincero, non autem malo & fucato quodam Spiritu Sanctas Lite-

ras interpretentur. Hoc enim in iis, qui nullum divinum Spiritum ſe habere dictitant, quo prorſus impellantur, nec ſe tanquam Prophetas venditant, parum momenti habet ad eorum doctrinam explorandam. Sed quocumque tandem Spiritu id faciant, videndum eſt, an, dum Sanctas Literas interpretantur, aut explanant, à ſenſu quem eædem divinæ literæ ſeu paſſim ſeu aliquibus in locis aperte produnt, nec ne recedant. Quemadmodum ad dignoſcendum, num ii, qui ſe divinum Spiritum habere gloriantur, ab eoque impulſos loqui, videndum eſt, an ea, quæ dicunt, cum aliis, quæ divino Spiritu impellente dicta fuiſſe certum eſt, nec ne conveniant. Et hoc vere ac proprie eſt Spiritus probare. Qua de re Joannes loquitur.

3. Cum igitur adverſarius quærit, qua ratione noſtrorum magiſtrorum ſpiritum probaverimus, (quanquam nos in nullius, præterquam Chriſti Jeſu, & Apoſtolorum ejus, magiſtri verba juravimus) reſpondemus, nos ex iis principiis eum probaſſe, quæ apud omnes, qui Chriſtum profitentur, certa atque confeſſa ſunt; ex iiſdem, videlicet, Literis Sacris, ex quibus dogmata ſua, vel potius alienorum dogmatum falſitatem nobis oſtendere illi ſunt conati. Nam quod adverſarius ait, hoc ſatis non eſſe, cum de ipſo Dei verbo magna quæſtio ſit, utrum bono, vel malo ſpiritu, illo quis utatur; iſtud, ut dictum fuit, nullum locum habere poteſt, ubi is, qui eo verbo utitur, ſe pro divino homine atque Propheta non venditat. Immo, quemcunque tandem ſe eſſe profiteatur, dicimus ſatis eſſe, diligenter animadvertere, an ratio, qua iſte ſcripto Dei verbo utitur, à ſenſu, qui in reliquo eodem verbo apparet, minime diſcrepet. Apparet enim tandem is ſenſus. Nam per revocationem uniuſcujuſque rationis ad ſua propria principia, quemadmodum in omni veritate inveſtiganda fieri convenit, ad quædam principia ac pronunciata devenire neceſſe eſt; quæ in ipſo Dei verbo ita clara atque aperta ſunt, ut nemo ſanæ mentis ea vel poſſit, vel audeat negare. Quod ſi quis tamen ea negaverit, is ab omnibus ſtatim exſibilatur, & manifeſtiſſimi erroris convincitur. Nec ſane aliam ob cauſam fit, ut adverſarii noſtri hanc veritatis divinæ inquirendæ rationem tantopere ſubterfugiant, & ſcriptum Dei verbum vel nimis obſcurum, vel mancum atque imperfectum eſſe cauſſentur, niſi quia cognoverunt, fieri non poſſe, quin, ſi ſolo ſcripto Dei verbo agatur, tandem ad veritatis cognitionem perveniatur, & ipſi cauſa cadant. Alioqui, cur, præjudiciis omnibus rejectis, & auctoritate illa ſuæ commenticiæ Eccleſiæ plane controverſa, verboque illo ſuo non ſcripto, Judæorum ridiculæ atque inani Cabalæ perquam ſimili, prorſus omiſſo, ex ipſis Sacris Literis veritatem inveſtigandam eſſe non concedunt, & ipſis ſolis, ut nos, armati in certamen nobiſcum non deſcendunt? Præſertim cum nos (quidquid illi hac in parte nobis objiciant) non quodvis dogma, in ipſis divinis literis non expreſſum, prorſus rejiciendum eſſe ſtatuamus, ob id ipſum ſcilicet tantum, quod ibi expreſſum non ſit. Hoc enim de illis dogmatis nominatim dicere ſolemus, quæ ad ſalutem neceſſaria eſſe creduntur. Quanquam ne hic quidem hoc contenti ſumus; ſed, quod in aliis facimus, in his quoque facere non omittimus; & oſtendimus, aut certe oſtendere conamur, non modo illa in Sacris Literis expreſſa non fuiſſe, ſed ne indicata quidem: immo ipſis plane eſſe contraria. Quemadmodum unuſquiſque fatebitur, qui ſcripta noſtra non oſcitanter legerit.

4. Ratio igitur probandorum ſpiritum ea eſt, quam ſupra diximus, non autem ad Eccleſiæ Spiritum confugere. Nam, ut verum ſit, Eccleſiam errare non poſſe (quod nos tamen, ut poſtea dicemus, in iis tantum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, verum eſſe arbitramur) quænam, & ubi iſta Eccleſia ſit, plane incertum eſt: id eſt, nullo modo inter eos conſtat, qui ſe ipſius Eccleſiæ membra eſſe profitentur. Nec vero noſtrâ demum memoriâ hac de re dubitatum fuit; ſed ſemper ab ipſis ferme Apoſtolorum temporibus uſque ad noſtra tempora, ubi & quænam eſſet vera Eccleſia, fuit diſputatum. Præcipue vero, poſtquam ſub Conſtantio Conſtantini magni filio, imperatore orientis & occidentis, Eccleſiæ aperte diſſidere cœperunt. Et ſane mirum eſt, cum adverſarius ſtatuat, per Eccleſiæ Spiritum probandos eſſe Spiritus, ipſam Eccleſiam nobis non demonſtraſſe, id eſt, quam ipſe intelligit, eam veram Eccleſiam eſſe, non oſtendiſſe. Quaſi vero, quænam, & ubi ea ſit, non minus inter omnes conſtet, quam conſtat, ſacras, quæ vocantur, literas divino ſpiritu, impellente ſcriptas fuiſſe; quarum interpretationem ab Eccleſia omnino ipſe fieri vult. Cum tamen, velit nolit, neceſſe ſit, ut ex ipſis Sacris Literis Eccleſia inveſtigetur. Quod qua ratione, quæ ſumus, fieri poterit, ſi illarum interpretatio ab ipſa Eccleſia petenda eſt? Nam, quod quidam ex adverſarii Symmyſtis ajunt, ex verbo Dei non ſcripto poſſe Eccleſiam agnoſci, id nugatorium plane eſt; cum verbum iſtud non ſcriptum certo ſciri nequeat, niſi prius cognoſcatur Eccleſia, in qua videlicet conſervatum fuerit, quæ de eo teſtetur, ipſumque promat. Quanquam hujus quoque verbi interpretationem ab Eccleſia omnino petendam eſſe dicent. Unde ſimiliter fiet, ut ex hoc verbo ipſa Eccleſia nequaquam inveſtigari poſſit. Adde, quod non dubium eſt, quin adverſarius Eccleſiæ nomine, ut ſupra diximus, Romanum Pontificem intelligat, una cum iis omnibus, qui illi parent. Quem tamen ab iis, contra quos diſputat, id eſt, à nobis, pro tali minime haberi, optime novit. Jam quæ mirabilis diſputandi ratio hæc eſt, ea pro conceſſis ſumere, quæ ab adverſario manifeſte pernegantur? Id ſaltem verum eſſe, demonſtraſſet, ex quo probare vult, ſuæ iſti Eccleſiæ in Sacris Literis interpretandis omnino credendum eſſe; per Spiritum Sanctum Eccleſiæ, Spiritus probari. Nam quod ait, Eccleſiam Chriſti corpus eſſe; & propterea illam non alio, quam Chriſti, Spiritu vivere, hoc ad id demonſtrandum ita, ut ad rem faciat, nihil prorſus valet. Certum eſt enim, Eccleſiam per cujus Spiritum probandi ſint Spiritus, talem eſſe debere, ut nobis appareat. Aliter de ejus Spiritu conſtare non poterit. Verum ea Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti adeo, ut non alio, quam Chriſti, Spiritu vivat, nullo modo nobis apparet; quidquid adverſarii hic nos irrideant, & contra diſputent. Probatur hoc ratione evidente. Nemo enim verum Chriſti membrum eſſe poteſt, niſi, ut ipſe adverſarius in ſua argumentatione & fatetur, & contendit, Chriſti Spiritu ſit præditus. Namque, ut ait Apoſtolus Rom. 8. 9, *qui Chriſti Spiritum non habet, hic non eſt ejus.* Præterea, nemo verum Chriſti eſt membrum, niſi veram etiam fidem habeat, videlicet in eundem Chriſtum. Per fidem enim corpori Chriſti inſerimur, & fide in illo ſtamus, Rom. 11. 19, &c. Atqui nec Chriſti Spiritus, nec vera in eum fides nobis certo apparet; quippe quod utrumque in corde lateat. Nam & Chriſti Spiritus in corda mittitur, Gal. 4. 6, & corde creditur ad juſtitiam, Rom. 10. 10. Igitur neque etiam, quæ vere Chriſti ſint membra, apparere poteſt. Et conſequenter ea Eccleſia, quæ Chriſti corpus eſt, minime apparet. Poteſt quidem ex externis factis noſtris unicuique conſtare, cum Chriſti Spiritu, & fide vera deſtituimur. Nam, ut inquit Paulus Gal. 5. 19, manifeſta ſunt opera carnis. Sed ex iiſdem externis factis Chriſti Spiritus, & vera fides certo colligi non poteſt. Induunt enim facile externa facta à recto corde minime proficiſcentia eandem faciem, quam illa habent, quæ inde proficiſcuntur. Breviter, vitium ſimulari non poteſt, virtus poteſt. Quo magis miramur, adverſarium velle nobis Romanum Pontificem, ejuſque aſſeclas pro ea Eccleſia quodammodo obtrudere, quæ Chriſti corpus ſit; cum ex iſtorum externis factis non modo colligi nulla ratione poſſit, eos Chriſti Spiritu veraque in eum fide præditos eſſe, ſed etiam plane contrarium nobis manifeſte appareat. Sed fac poſtremo, aſpectabilem aliquam Eccleſiam dari, de qua vere ac con-

conſtanter affirmari poſſit, eam Chriſti corpus eſſe, nunquid continuo ſecundum ejus ſpiritum omnes de religione controverſiæ, omneſque ſacrorum teſtimoniorum interpretationes dijudicandæ ac probandæ erunt? Non putamus. Ut enim cœtus aliquis ſit Chriſti corpus revera, non neceſſe eſt, ut omnia noſcat, quæ ad religionem pertinent, omneſque Sacrarum Literarum locos recte intelligat; ſed ſatis eſt, illum ea noſſe, eaque intelligere, ſine quorum intelligentia atque notitia fieri non poteſt, ut ſalutem æternam per Chriſtum conſequatur. Neque enim quiſquam æternam ſalutem per Chriſtum adepturus eſt, qui ad ipſius Chriſti corpus revera non pertinuerit Epheſ. 5. 23. Nam Chriſtus ſui corporis, quod eſt Eccleſia, non alieni, aut alienorum membrorum eſt ſervator Epheſ. 1. 23. Igitur poterit ipſa Eccleſia, quæ Chriſti corpus à Paulo nominatur, nonnullarum rerum divinarum cognitione carere, & aliquos apud ſacros ſcriptores locos non recte intelligere Quod enim ſi Chriſti corpus eſt, neceſſe ſit, eam non alio, quam Chriſti, Spiritu vivere, id non ſimpliciter verum eſt, ſed tantummodo quatenus Chriſti corpus eſt. Quocirca non poterunt tuto omnes ſpiritus per ejus ſpiritum probari; ſed ii tantum, qui de dogmatis agant ad ſalutem neceſſariis. Horum ſi quidem, nec præterea aliorum, cognitio, ut diximus, ad Chriſti corpus iſtud myſticum conſtituendum neceſſario requiritur. Nec tamen hæc dogmata, quænam ea ſint, erit hujus Eccleſiæ omnino judicare. Sed tantummodo, ſi dixerit, aliquod dogma ad ſalutem neceſſarium non eſſe, veriſſimum ejus judicium cenſendum erit. Nec enim, ut dictum eſt, quidquam ignorare poteſt eorum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Cæterum nihil prohibet, quo minus dogma aliquod ad ſalutem eſſe neceſſarium dicat, quod tamen non ſit.

Ut igitur concludamus, nulla cum dubitatione aſſerimus, viam iſtam probandorum ſpirituum, quam nobis adverſarius proponit, ut ſcilicet per Eccleſiæ Spiritum probentur, aut falſam & inanem, aut certe dubiam prorſus atque incertam eſſe. Quare non eſt ab ea via, quam nos elegimus, & præter quam nullam omnino Chriſtiano orbi dedit, aut oſtendit Deus, ullo modo recedendum; & ad ſolum ſcriptum ipſius Dei verbum, de quo eorum, qui Chriſtum profitentur, nemo dubitat, aut dubitare poteſt, in omnibus confugiendum, quæ ad religionem noſtram pertinent, examinandis. Tanquam videlicet ad multa certaque atque indubitata principia inibi apertiſſime comprehenſa; quibus, quidquid dubitationis in ipſo reliquo verbo intelligendo oriri poteſt, tollitur tandem atque præciditur. Sed jam de his ſatis hoc loco. Alibi enim in hiſce reſponſionibus noſtris hac eadem de re agendum erit; potiſſimum vero in poſtremo earum capite. Ubi de verbo illo Dei non ſcripto, de quo Pontificii tantopere gloriantur, nominatim diſputabitur; quod adverſarius pag. 107. non veritus eſt aſſerere, longe ſecurius in uſu Orthodoxæ Eccleſiæ conſervari, quam verbum ſcriptum. Nunc ad alia tranſeamus.

5. Nam quod adverſarius ſubjicit, cujuſcumque hominis Spiritum ab Eccleſia diſcrepantem ex Deo non eſſe, id quemadmodum oſtendimus, nulli uſui nobis eſt futurum; cum Eccleſia iſta non appareat, atque etiamſi appareret, id tamen perpetuum non eſſet, cum Eccleſia iſta in iis, quæ ad ſalutem non ſunt neceſſaria, falli poſſit. Sed operæ pretium eſt conſiderari, quomodo adverſarius iſtud ſuum axioma clarum eſſe probet. *Clarum eſt*, inquit, *Apoſtoli exemplo.* Quis unquam audivit, unico exemplo univerſalem aliquam enunciationem demonſtrari poſſe? Etenim, ſi ipſe ita accipienda Apoſtoli verba contendat, ut omnis ſpiritus, qui confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo ſit, non quod attinet ad hanc confeſſionem tantum, ſed etiam quod pertinet ad alia omnia, & ſpiritus nomine non vim, & cauſam illam propriam & ſingularem, qua iſta ipſa confeſſio fit, intelligendam dicat, ſed univerſum ſpiritum illius, qui talem confeſſionem edit; jam hoc non quidem exemplum erit, ſed certum indicium, quod divini ſpiritus faciat fidem. Et ſane, ſi adverſarius Apoſtoli loco pro exemplo revera uti voluiſſet, verba ſua ad hunc modum, ut fecit, non concepiſſet, *Spiritus namque Eccleſiæ confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe. Sed omnis, inquit Apoſtolus, Spiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.* Verum poſteriorem hanc partem per negationem enunciaſſet, hoc pacto; ſed omnis, inquit Apoſtolus, ſpiritus qui non confitetur, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt. Id enim vel ex Græco codice patere, vel ex Latini ſententia, quæ in ſecunda ejuſdem Joannis Epiſtola clare expreſſa eſt, elicere poterat. Nunc, cum per affirmationem hanc poſteriorem partem conceperit, apparet, eum voce exempli abuſum fuiſſe, atque ex Apoſtoli verbo omnino concludere voluiſſe, quia Eccleſiæ Spiritus confitetur, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ejus ſpiritum ex Deo eſſe; & idcirco, ab ejus ſpiritu ſi quis ſpiritus diſcrepet, eum ex Deo non eſſe, quod ſibi demonſtrandum ſumpſerat. Et ſic patet, illum verba Apoſtoli ita accipienda ſtatuere, ut paulo ante expoſuimus. Sed, ſi ad iſtum modum accipienda ſunt Apoſtoli verba, certe non magis Spiritus Eccleſiæ, quam intelligit adverſarius, ex Deo erit, quam ſpiritus non paucorum cœtuum, quos tamen ipſe pro hæreticis habet. Quales ſunt ii, qui Lutherani, & qui Calviniani dicuntur. Quandoquidem iſtorum cœtuum ſpiritus, vel ipſo, ut arbitramur, adverſario non negante, non ſecus atque ſpiritus iſtius Eccleſiæ, confiteretur, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe. Itaque, ſi recte colligit adverſarius; Cujuſcumque hominis ſpiritus ab iſtorum cœtuum ſpiritibus diſcrepat, ex Deo non eſt. Sed Pontificiorum hominum, qualis eſt ipſe adverſarius, ſpiritus ab iſtorum cœtuum ſpiritibus diſcrepat; Ergo Pontificiorum hominum, & porro adverſarii Spiritus ex Deo non eſt. Et ſic utrique, & Eccleſia videlicet adverſarii, & cœtus iſti ſive utrorumque ſpiritus, ex ipſius adverſarii argumento, ex Deo plane, idque eodem tempore, & eſſe & non eſſe deprehendentur. Videat igitur ipſe in quos laqueos imprudens ſeipſum induerit, dum alios ſuæ Eccleſiæ auctoritate irretire conatur.

6. Sed & in eo quoque, unde ſe cauſam nactum eſſe exiſtimavit nos graviter accuſandi, & tanquam Spiritu Antichriſti præditos non obſcure traducendi, ita eſt lapſus adverſarius, ut interim ſeipſum potius & ſuos tales oſtendat, quales nos eſſe, demonſtrare nititur. Dum ſcilicet nobis objicit, quod negemus, Chriſtum in carne veniſſe. Ubi primum conſiderandum eſt, quantopere adverſarius nobis invidiam conciliare ſtuduerit; qui non contentus ſcripſiſſe, à nobis dici, Chriſtum nihil aliud eſſe, quam hominem, inſolente prorſus, niſi fallimur, & inepta loquendi ratione uſus, addidit *tantum*. Perinde ac ſi verba illa *Nihil aliud, quam*, non idem præſtarent ſola, atque ſi illis adjungatur particula aliqua, ut vocant, excluſiva. Nec vero hic modo ſic de nobis locutus eſt adverſarius; ſed idem etiam fecit pag. 33. in illis verbis *cum vero iſtud Anabaptiſtarum genus, Meſſiam qui venit, nihil eſſe aliud, quam hominem tantum opinetur, &c.* Et alibi, id eſt pag. 22. plane contendit, à nobis affirmari, Chriſtum hominem eſſe tantum, & vocem *tantum*, dum ſcripturas interpretamur, à nobis addi. Et pag. denique 85. ait, ſectam Samoſatenicam (nos autem ubique diſerte Samoſatenicos appellat) una cum ſecta Machometana obſtinatiſſime aſſeverare, Chriſtum nihil aliud, quam hominem fuiſſe. Atqui nos, & ſi nullum Dei filium in Jeſu Chriſto agnoſcimus, qui unquam ante, aut extra hominem illum fuerit natum ex Maria virgine; non tamen ita loqui ſolemus, ut dicamus, Chriſtum nihil aliud, quam hominem eſſe, ſive hominem tantum eſſe. Optime ſcientes, has locutiones, quamvis, ſi quis eas certo quodam modo accipiat, veræ oſtendi poſſint, tamen alio modo acceptas non eſſe veras, &, quocunque modo accipiantur, male ſonare. Quippe quæ hominem

ab aliis, iiſque vulgaribus, hominibus nihil differentem declarare poſſint. Quandoquidem nos ſic de Chriſto ſentimus, eum plus quam hominem (ut ita loquamur) etiam cum hic in terris eſſet, meritiſſimo vocari potuiſſe. Nec ſatis Joſephi nobiliſſimi ſcriptoris prudentiam laudare poſſumus, qui, cum de ipſo dixiſſet, *Fuit eodem tempore Jeſus vir ſapiens*, ſtatim addit, *ſi modo eum virum dicere fas eſt*. At vero deinde, & ſi nos dicimus, ante, vel extra hominem illum Jeſum Nazarænum, nullum fuiſſe unquam Dei filium unigenitum, cur tamen Chriſtum, qui is Dei filius eſt, in carne veniſſe, negare dicendi ſumus? Nonne maxime, eum in carne veniſſe, confitemur, ſi extra carnem, aut ſine carne illum unquam fuiſſe, non agnoſcimus? Sed decipitur nimirum adverſarius vehementer in hac locutione, venire in carne. Putat enim, non ſolum ita aliud eſſe carnem, in qua quis venit, & aliud illum, qui in ea venit, ut ille ſine hac omnino conſiderari poſſit, ſed etiam neceſſe eſſe, ut is, qui in carne venit, alia, quam humana, natura ſit præditus. Ac præterea fortaſſe exiſtimat, ex ipſa locutione conſtare, eum, qui venit in carne, aliquando ab ipſa carne ſejunctum fuiſſe. Verum aliter prorſus res ſe habet. Primum enim tum apud ſacros, tum apud profanos ſcriptores, atque adeo in ipſo communi ſermone, frequentiſſime Caro alicujus dicitur, & ſic diſtinguitur caro ab eo, cujus caro eſt; cum tamen caro illius quid diverſum revera, aut diſtinctum ab eo non ſit, niſi ut pars à toto. Deinde ambulare in carne, vivere in carne, permanere in carne, hæc omnia à Paulo Apoſtolo de ſeipſo dicta inveniuntur 2 Cor. 10. 3. Gal. 2. 20. Phil. 1. 24; nec tamen vel Paulus ipſe ſine ſua carne conſiderari poterat, cum ejus pars ipſius caro eſſet, vel alia, quam humana natura Paulus præditus erat. Nam, quod in locutione, de qua agimus, eſt verbum Veniendi, quod conjunctionem aliquam eorum, quæ antea ſeparata eſſent, videtur ſignificare, id in propoſito noſtro aliquid pro adverſario eſſet, ſi, quæ ſtatim ſequitur, præpoſitio *In* motum ad locum, ut ajunt, ſignificaret. Non ſignificare autem, id planum facit, quod non in carnem, ſed in carne ſcriptum eſt. Quod animadvertentes quidam * qui ex hoc loco eandem, quam adverſarius, ſententiam colligi volebant, audacter ex ſexto caſu quartum fecerunt, & è Græco, ubi ſcriptum eſt ἐν σαρκὶ, locum convertentes, vel potius eum corrumpentes, perinde ac ſi εἰς σάρκα ſcriptum eſſet, in carnem reddiderunt. Qui error, ob depravatum fortaſſis quem habuit Græcum codicem, commiſſus etiam fuit à Vetere Interprete (niſi mendoſi ſunt Latini codices) in ſecunda Epiſtola ejuſdem Apoſtoli. Quanquam nec iſtum loquendi modum, nec ſententiam, quæ ex ipſo colligeretur, hic conſiſtere ullo modo poſſe, vel illud ſatis indicare poterat, quod non de filio Dei nominatim, non de verbo ſeu ſermone, non denique de re quapiam diſerte verba fiunt, de qua licet idem, quod Jeſus ipſe Chriſtus plane fuiſſet, tamen dici potuiſſe videretur, eam in carnem veniſſe; ſed de Jeſu Chriſto nominatim loquitur Apoſtolus. Jeſus autem & Chriſtus nomina ſunt revera illius hominis in virginis utero concepti, qui nullo modo nec in carnem venire potuit, nec veniſſe dici. Quatenus igitur verbum veniendi conjunctionem quandam rerum antea diſjunctarum ſignificare poteſt, non eſt illud ad carnis vocem referendum; nec debent verba In carne ita accipi, quaſi ipſi verbo veniendi penitus adhæreant. Sed inter hæc, & illud aliquid ſubaudiendum eſt; ut in mundum, ad nos, vel tale quidpiam. Nihil enim frequentius in ipſis Sacris Literis, quam verbum venire abſolute, poſitum, id eſt neutiquam expreſſo, quo veniatur; idque præſertim cum de Chriſto eſt ſermo, qui venerit, aut venturus eſſet in mundum, ſive ad populum Iſraëlis, ut Mat. 3. 11, & cap. 11. 3, & cap. 18. 11; Joh. 4. 25, & cap. 5. 45, & cap. 7. 27; & aliis compluribus in locis. Senſus igitur verborum Apoſtoli eſt, Jeſum Chriſtum veniſſe in mundum, ſive ad Iſraëlis populum; idque in carne. In carne autem nihil aliud eſt, quam cum carne, frequentiſſima Hebræorum phraſi. Denique, ſi quis ex ſimili aliquo loco intelligere velit, quid ſit apud Johannem, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, id eſt, quam vim & verbum Veniendi, & præpoſitio In, ea in locutione habeat, legat apud eundem in eadem Epiſtola cap. 5. 6. verba illa; *Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem, Jeſus Chriſtus; non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine.* Sunt autem non pauci, qui exiſtiment, ideo Johannem ita conſtanter de Jeſu Chriſto affirmaſſe, quod in carne ſec cum carne venerit, ut eos omnes ſevere notaret, ac redargueret, qui negabant, Chriſtum, verum, id eſt carneum & quale cæteri homines habent, corpus habuiſſe; quorum jam tum non exiguum numerum extitiſſe, ex rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus liquet. Nos vero, ſatius eſſe credimus, ſi carnis vocabulum ad humilitatem & infirmitatem, quæ in Jeſu Chriſti cruce maxime conſpecta eſt, ſignificandam, à Joanne uſurpatum fuiſſe dicatur. Ob quam cauſam etiam potiſſimum dictum ab eodem Joh. 1. 14, fuiſſe contendimus, verbum factum fuiſſe, vel potius ſimpliciter fuiſſe, carnem. Non enim dubium eſt, quin Græca vox ἐγένετο, quæ ibi legitur, tam fuit, quam factum eſt, recte verti poſſit. Unde etiam apparet, nos, etiamſi diceremus, Chriſtum carnem veniſſe, ut nobis adverſarius objicit, non tamen prorſus ſine Sacri Teſtimonii auctoritate id facturos fuiſſe. Nam profecto is, qui caro fuit, caro etiam venit. Quanquam non videmus, quomodo iſtum loquendi modum reprehendere audeat adverſarius, qui vocem carnis pro homine accipit. Etenim, quia Chriſtum (ut ipſe aſſerit) hominem tantum fuiſſe dicamus, ait, nos aſſeverare, Chriſtum carnem veniſſe. Nunquid vero non rectiſſime loqueretur, qui diceret, Chriſtum veniſſe hominem? Sed ad propoſitum revertamur. Carnis igitur Chriſti nomine ipſius humilitatem atque infirmitatem, quæ præcipue in ipſa cruce conſpecta eſt, potiſſimum ſignificari, declarat præterea locus ille in Epiſtola ad Hebr. cap. 5. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit* (vel potius *poterat*) *illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, &c.* Atque eadem vocabuli carnis vis atque poteſtas omnino videtur haberi in eadem Epiſtola cap. 2. 14, ubi ſcriptum eſt. *Quia ergo pueri communicaverunt* (id eſt communicant) *carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem, &c.* Veriſimilius enim eſt, eo in loco agi de perpeſſionibus, & afflictionibus, ipſaque violenta morte, cui fideles Jeſu Chriſti ſunt expoſiti, & quodammodo obnoxii, & de ſimilitudine, quam cum iis Chriſtus hac in parte habuit, quam ſimpliciter de humana & mortali natura ac conditione. Dictio enim Ergo oſtendit, hæc verba ad ſuperiora reſpicere, nempe ad ea, *Decebat enim eum, propter quem omnia, &c.* In quibus non ſimpliciter de humana ipſa & mortali Chriſti natura ac conditione, ſed de ipſius afflictionibus manifeſte agitur. Hanc autem vocabuli Carnis vim ac poteſtatem hoc loco idcirco libenter agnoſcimus, quod non putamus Johannis verba ita legenda eſſe, ut in omnibus Latinis interpretationibus hactenus leguntur, *Jeſum Chriſtum veniſſe, &c.* Sed, ut primus fortaſſe omnium ætate noſtra Thomas Naogeorgus animadvertit, Jeſum Chriſtum, qui venit, &c. In Græco enim eſt participium ἐληλυθότα, & in ſimili ſecundæ Epiſtolæ loco ἐρχόμενον. Quorum utrumvis per infinitivum hoc loco vix, ac ne vix quidem reddi poteſt. Sed, ut per indicativum, utrumque reddatur, quemadmodum ipſius Grammaticæ ratio alioqui etiam potius ſuadet, neceſſarium videtur. Non enim id præcipue agit Johannes, ut doceat, Jeſum Chriſtum veniſſe in carne, hocque prorſus credendum eſſe; ſed, ut moneat, ejus Jeſu Chriſti nomen confitendum & profitendum eſſe, qui in carne venit. Ne quem, ſcilicet, ut Naogeorgi verbis utamur, *ejus crux & humilitas, & ſervile ſchema offendat, quomi-*

* Th. Beza.

quominus credat, & confiteatur, eum eſſe expectatum à Patribus Meſſiam. Multi quidem erant Johannis tempore, qui, cum alioqui divinæ gloriæ ſtudioſi viderentur, ſpiritum, munuſque Propheticum ementientes, Jeſum Chriſtum non confitebantur, id eſt Jeſum Nazaræum, Chriſtum eſſe, negabant; idque potiſſimum ob eam cauſam, quod nulla cum mundana majeſtate, aut potentia, ſed humilis & abjectus veniſſet; adeo, ut etiam tanquam nefarius plane homo crucifixus fuiſſet. Quoniam igitur plures ejuſmodi falſi Prophetæ extiterant, monet Johannes, eum demum Spiritum ex Deo eſſe, qui Jeſum Chriſtum confitetur, qui in carne venit; quem qui non confitetur, merito hunc Antichriſti Spiritum eſſe ait. Itaque contra omnino res ſe habeat, atque hactenus vulgo exiſtimatum fuit. Neque enim iſti falſi Prophetæ, quos Johannes hoc loco cavendos præcipit, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe negabant; immo, eum Jeſum, qui Chriſtus dicebatur, in carne veniſſe conſtanter affirmabant, & ex hoc ipſo, eum rejiciendum, nec pro Chriſto agnoſcendum eſſe, populo perſuadere conabantur. Multus autem eſt in hoc Joannes, & in prima, & in ſecunda Epiſtola, ut perſuadeat, Jeſum eſſe Chriſtum, & eos penitus fugiendos eſſe dicat, ut Antichriſtos, qui id negabant. Quod cur facere auderent, nuſquam alibi explicat; ſed in loco tantum, de quo agimus, in utraque Epiſtola illis verbis, *qui in carne venit*, ſeu *venientem in carne*, non obſcure indicat. Hanc omnino Apoſtoli mentem hic eſſe agnoſcent omnes, qui præter vim ipſam verborum Græcorum, quid idem alibi dicat, diligenter attenderint; ubi ſimiliter vel de iis loquitur, qui falſam, quæque ex Deo non eſſet, doctrinam afferebant, vel, quænam ſit vera & ex Deo doctrina, exponit. Meminerit autem lector hos locos inſpicere in ipſa prima Epiſtola 5 cap. 2. 17. uſque ad 27, cap. 3. 23, cap. 4. 15. & cap. 5. 1, & ỳſ. 4. uſque ad ỳſ. 14. In ſecunda autem Epiſtola, ea, quæ antecedunt ſeptimum verſ. in quo de Jeſu Chriſti adventu in carne agitur. Qui verſiculus ex vi dictionis quoniam, ad ſuperiora omnino relationem habet. Atque hoc ſane, itemque ſequentia verba planum faciunt, non aliam fuiſſe Johannis mentem præter eam, quam diximus. Fuimus autem in ea & explicanda, & demonſtranda paulo longiores, non ſolum quia nec ante, nec poſt Naogeorgum id factum fuiſſe, hactenus comperimus, verum etiam, quia oſtendere voluimus, id verum eſſe, quod ab initio diximus, adverſarium videlicet noſtrum id nobis objeciſſe, quod & ipſi & iis omnibus, qui cum eo ſentiunt, potius objiciendum videtur. Nos enim tanquam eos accuſat, qui illud idem negemus, quod Johannes Apoſtolus maximopere confitendum monet; adeo ut, qui id non confitentur, hos ex Deo non eſſe dicat, ſed Antichriſti Spiritu duci. Atqui Johannes, ut vidimus, monet, eum Jeſum Chriſtum confitendum eſſe, qui in carne venit, id eſt, qui humilis atqui infirmus fuit, perpeſſioneſque plurimas, & tandem acerbiſſimam & maxime deteſtabilem crucis mortem eſt expertus. Quod nos ſane facimus; & nullum Chriſtum ſeu filium Dei unigenitum, nec præter, nec ante iſtum, unquam aut novimus, aut nominamus. Eumque, cui, vere & proprie loquendo, per ſe hæc omnia non contigerint, hunc nec Chriſtum, nec unigenitum Dei filium ullo pacto agnoſcimus. Adverſarius vero una cum ſuis contra, verum Chriſtum, id eſt divinum regem ac Dominum noſtrum, verumque Dei filium unigenitum etiam extra penitus, & ante iſta omnia & nominat, & agnoſcit; huicque nunquam, niſi figurate loquendo, & per quandam idiomatum communicationem, id eſt non reipſa, ſed verbo tantum, aut certe per accidens, ea contigiſſe affirmat. Nec porro addduci poſſunt iſti, ut confiteantur, & pro ſuo Deo ac Domino venerentur, atque adorent illum ipſum, qui infirmus revera & imbecillis fuit, quique revera & per ſe dolores mortis eſt expertus. Quippe qui Dei potentiam, & bonitatem ſummam, ac plane admirabilem ſapientiam in eo homine, ſupra quam dici poſſit, poſtea extollendo ac Deificando, divinis licet oraculis teſtatiſſimam, agnoſcere nondum plane queunt. Et hanc ob cauſam, ut illum tamen interea aliquo modo, quemadmodum nimis aperte juſſi ſunt facere, colere bona conſcientia poſſint, æternam quandam ſubſtantiam Deoque illius Patri conſubſtantialem, ut vocant, ſive coëſſentialem ſunt commenti, cui ille in unam hypoſtaſim indiſſolubili quodam modo fuerit junctus; hancque revera pro illo adorant. Satis ſuperque reſponſum videtur ad ea omnia, quibus adverſarius non nobis, ſed ſibi ſuiſque dictis fidem adjungendam eſſe, probare voluit. Nunc ad ea, quæ contra ipſas animadverſiones noſtras ſcribit, examinanda veniamus.

Caput II.

IN primam collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo Aſſertionem hæc verba in Animadverſionibus noſtris Numero 1. ſcripſeramus, *Immo contra fidem de uno vero Deo nullus gravior in Chriſti Eccleſiam ab Antichriſti Spiritu error invectus eſt, quam in Deo, inque illius ſimpliciſſima eſſentia plures eſſe perſonas inter ſe diſtinctas*, una cum aliis verbis, quæ licet cum his connexa, adverſarius tamen ab ipſis dividit. His vero ſeparatim ea, quæ ſequuntur, objicit, à pag. 8, uſque ad finem pag. 14.

Adverſarii dicta.

1. Magnas primum turbas facit, quod dictum à nobis fuerit, in Chriſti Eccleſiam ab Antichriſti Spiritu errorem ſuiſſe invectum contra fidem de uno vero Deo; & ait, nullo pacto fieri poſſe, ut Chriſti Eccleſia erret, præſertim in fide. Atque ad id probandum ſacra quædam teſtimonia affert.

2. Hinc ſimul, arrepta occaſione, non pauca ſcribit de noſtra (ut quidem illi videtur) temeritate atque arrogantia; qui ſcilicet Eccleſiæ judicio ſtare nolimus; ſed unuſquiſque vel aliquorum apoſtatarum, vel proprio noſtro. Cum tamen propter varias cauſas, ob quas ſinguli homines errare poſſunt, data fuerit à Deo Eccleſia regula minime fallax, à qua recedendum non ſit.

3. Addit præterea, eum, qui dicit, Eccleſiam, errare, ſe ipſum manifeſte condemnare. Nam, ſi ipſe, membrum Eccleſiæ ſe eſſe fatetur, ſibi quoque errorem aſcribit. Sin negat, jam Ethnici, & publicani infamiam & pœnam non effugit.

4. Tandem vero a nobis quærit, ubi ſive in Novo, ſive in Vetere Teſtamento ſit ſcriptum, Eccleſia Novi Teſtamenti errat, vel caret divinis promiſſionibus, vel Dei promiſſiones fallunt.

Reſponſiones.

1. Fruſtra omnino tantas adverſarius turbas dedit, vel potius dare conatus eſt. Ejuſque reprehenſio univerſa in ὁμωνυμίας, ſive æquivocationis, quam vocant, fallaciam incidit. Etenim, ſi verba noſtra ita accipit, quaſi dixerimus, Chriſti Eccleſiam, dum adhuc vere Chriſti Eccleſia eſt, in errore ab Antichriſti Spiritu in eam invecto verſari (ut ſane eum accipere ex iis, quæ poſtea ſcribit, quemadmodum ſuo loco oſtendemus, perſpicuum eſt) ſi igitur verba noſtra ita accipit, certe aut non videt, aut ſe non videre ſimulat, recte ex communi loquendi uſu eam Chriſti Eccleſiam appellari à nobis potuiſſe, quæ amplius non ſit, ſed antea eſſet. A qua locutione ne ipſe quidem Chriſtus abhorruit, cum primariis Judæorum dixit Matth. 21. 31, meretrices ipſis præcedere in regnum Dei. Eas enim, quæ meretrices amplius non erant, ſed tantum antea fuerant, manifeſte meretrices ſimpliciter appellavit. Quanquam nihil eſt, cur quis omnino velit, in verbis noſtris eam appellatam fuiſſe Chriſti Eccleſiam, quæ in errore verſetur. Nihil enim impedit, quominus ea ita intelligantur, ut Chriſti Eccleſiam vocemus, non

poſtquam error in eam invectus fuit, ſed tunc, cum invehebatur. Nam fingat Adverſarius, hanc fuiſſe mentem noſtram; fatebitur profecto, nos, præſertim, ubi brevitati ſtudendum erat, vix aliter loqui potuiſſe, ac locuti ſumus. Et ſane ſimiles loquendi modi non in communi tantum ſermone ſunt frequentiſſimi; ſed apud probatiſſimos quoſque ſcriptores paſſim occurrunt. Quinetiam Chriſtum ipſum ut ſuperioris, ſic hujus quoque locutionis auctorem habemus. Qui in Apocalypſi ait Apoc. 2. 20, mulierem Jezabelem ſeducere ſervos ſuos, ut ſcortentur, &c. Servos enim ſuos appellat Chriſtus, non poſtquam ſeducti ſunt, ſed cum eos ſeducere Jezabel eſt aggreſſa. Quod ſi adverſarius, ne hoc quidem nobis vult concedere, ut unquam Chriſti Eccleſia ea fuerit, in quam ab Antichriſti Spiritu fuerit error invectus, nullam tamen habet cauſam, cur nos reprehendat. Nemo enim neſcit, Chriſti Eccleſiam eos dici poſſe, & porro conſueviſſe, qui Chriſtum profitentes, in ejuſdem Chriſti nomine, quod ad externa attinet, congregantur; ſive revera ſint Chriſti Eccleſia, ſive non ſint. Præſertim ſi pro Chriſti Eccleſia vulgo habeantur, & ſic nominentur. Ut certe de iis affirmare poſſumus, qui errorem iſtum, de quo loquimur, receperunt. Hi enim, nec præterea alii, vera Chriſti Eccleſia, ab exteris etiam omnibus, diutiſſime hactenus & vocati ſunt, & exiſtimati. Atque hic ſimiliter ipſe Chriſtus ſuo exemplo nobis favet, qui Judæos appellavit eos, quorum ſimiles idem ipſe alibi negat eſſe Judæos Joh. 13. 33. XVIII. 36, & mentiri illos ait, dum ſe Judæos eſſe dicunt Apoc. 2. 9. III. 9.

Quamobrem nihil opus eſt ad ea reſpondere, quibus adverſarius oſtendere conatur, falſum eſſe, Chriſti Eccleſiam errare poſſe; præſertim in fide. Sive hoc de ea intelligat, quæ Chriſti Eccleſia eſſe perſeveret; ſive de ea, quæ aliquando fuerit. Neutrum enim à nobis revera hoc loco dicitur; quamvis adverſarius Chriſti Eccleſiæ æquivoco nomine deceptus, vel potius eo abuſus, nos utrumque dicentes faciat.

Verumtamen, quia ſuperiore cap. diximus, Eccleſiam ipſam, quæ Chriſti corpus eſt, in iis, quæ ad ſalutem neceſſaria non ſunt, errare poſſe; & quia nihil dubitamus, quin aſpectabilis ſeu viſibilis Chriſti Eccleſia poſſit à veræ fidei profeſſione deficere, & ſic definere Chriſti Eccleſia eſſe; idcirco admonendum lectorem cenſuimus, quidquid ab adverſario ex Sacris Literis affertur, quod ſententiæ noſtræ refragari videatur, id omne & ad Chriſti Eccleſiam illam eſſe referendum, quam viſibilem non eſſe, ante docuimus; vel certe ad eam, quæ Chriſti Eccleſia eſſe perſeveret, & de iis rebus accipiendum, ſine quibus vera Chriſti Eccleſia eſſe nequit, id eſt, ut jam diximus, quæ ad ſalutem æternam conſequendam ſunt neceſſariæ. Omnes igitur promiſſiones, quantumvis perpetuæ, quas profert adverſarius ut Chriſti Eccleſiæ factas, ita accipiendæ ſunt, ut vel ad veros Chriſtianos tantum pertineant, qui ſoli, ut ſupra demonſtravimus, vera Chriſti ſunt membra, ob idque ſoli vera Chriſti Eccleſia, quique, ut dictum fuit, nobis nullo modo apparere poſſunt; vel certe ad eos, qui veram Chriſti fidem profitentur. Hoſque, non quidem tales perpetuo futuros, promiſſum ibi fuiſſe, ſentiendum eſt; ſed, qui tales fuerint, ad eos perpetuo promiſſiones iſtas ſpecaturas, in eiſque effectum ſuum habituras. Cum vero vel in iiſdem promiſſionibus, vel in aliis de Chriſti Eccleſia ſententiis auditur, portas inferorum non prævalituras adverſus eam Matth. 16. 12, (quanquam hic non quidem perſeverantia in veritate promittitur, ſed in veritate perſeveranti, contra infernum victoria) nullam habere ipſam commercium cum Diabolo 2 Cor. 6. 15, (ubi tamen non de opinionibus, ſed de factis manifeſte agitur) denique eſſe illam veritatis columnam & firmamentum 1 Tim. 3. 15; non eſt exiſtimandum, Eccleſiam nulla prorſus ratione in rebus divinis intelligendis labi; aut errare poſſe; ſed eatenus ab errore eam tutam futuram, quatenus neceſſe eſt, ne ab inferno abſorbeatur, neve Diabolo ullo modo adhæreat, aut veritatem illam amittat, qua æterna ſalus continetur. Veritatis enim ſimplici nomine in Novo Teſtamento paſſim, non quidem univerſa de rebus ipſis divinis veritas; ſed κατ' ἐξοχὴν Euangelii veritas, ut eam alicubi Paulus appellat, ſive ipſum Euangelium intelligitur; ſine cujus cognitione vera, nulla eſt certa via ad æternam ſalutem Joh. 8. 32, 33. Rom. 1. 18. 2. 8. 2 Cor. 4. 2. Col. 1. 5. 2 Theſ. 2. x. 12. Epheſ. 1. 13. 1 Tim. 2. 4. Tit. 1. 4. Joh. 16. 13. Quod ſi Chriſtus promiſit futurum, ut Spiritus Sanctus duceret primos illos Apoſtolos ad omnem veritatem, etiamſi concedatur, quod de illis dixit, de omnibus Apoſtolis eum dixiſſe, tamen hoc ad Eccleſiam trahendum non eſt. Alia eſt enim Apoſtolorum ratio, & alia Eccleſiæ, nec in Eccleſia perpetuo Apoſtolos futuros, uſquam ſcriptum extat. Nam quod ſpiritum veritatis cum primis illis in æternum manſurum, Chriſtus dixiſſe legitur Joh. 14. 16, non eo hoc reſpicit, ut Apoſtolos ipſos aliqua ratione, id eſt in ſucceſſoribus ſuis, in æternum futuros oſtendat; ſed ut eos, qui vere ſint Apoſtoli, ſpiritu illo veritatis nunquam deſtitutum iri, ſignificet. Adde, quod in ipſis primis Apoſtolis ea verba *omnem veritatem*, non ita ſunt accipienda, ut in rebus ſacris omnem ignorationem excludant, ſed eam tantummodo, cum qua Apoſtolici muneris recta perfunctio conſiſtere non poteſt. Propterea ibi quoque, ut in aliis locis, nomini veritatis præpoſitus eſt in Græco articulus, πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, id eſt omnem illam veritatem; univerſam nimirum veritatem Euangelicam, cujus Apoſtoli præcones, & poſt ipſum magiſtri in orbe terrarum à Chriſto conſtituti fuerant.

2. Si in rebus divinis hominum judicio ſtandum eſſet, & nos paucorum hominum noſtroque ipſorum judicio potius, quam aliorum omnium ſtare vellemus, haberet adverſarius, cur nos temeritatis, atque arrogantiæ argueret; etiamſi ſuam iſtam Eccleſiam oſtendere nullo modo poſſet. Nunc, cum non modo Eccleſiam iſtam oſtendere nequeat, ſed etiam nunquam probaturus ſit, vel hominum ullorum judicio in rebus divinis ſtandum eſſe, vel nos aliquibus hominibus, aut nobis ipſis in iiſdem rebus fidem adjungere, nihil eſt, cur nos arrogantiæ, aut temeritatis accuſet. Fit quidem, ut nos ſæpe eam ſententiam amplectamur, quæ vel paucis hominibus, vel etiam nullis præter nos noſtro ſæculo probata fuerit. Sed hoc non ideo fit, quod vel paucis aliis, vel nobis ipſis fidem adhibeamus, ſed, quod clare perſpiciamus, eam divinis oraculis conſentaneam eſſe. Quorum interpretationem, omni præjudicio penitus remoto, ab iiſdem divinis oraculis, ea ratione, qua ſuperiore cap. dictum eſt, nobis petendam ducimus. Nec ſane fallimur exiſtimatione noſtra: ſemper enim invenimus, & compluribus & clariſſimis locis, eos explicari, qui non ita magno numero paulo obſcuriores ſunt. Falluntur, ſine dubio, ſæpiſſime, aut certe falli poſſunt, ſinguli homines in ſententia aliqua aſſerenda; præſertim in rebus ſacris. Verum, ut huic incommodo in rebus iſtis, in quibus errare perniciem ſempiternam nobis afferre poteſt, Deus obviam iret, non quidem Eccleſiam ullam, ad cujus judicium confugiendum eſſet, nobis oſtendit; ſed verbum ſuum nobis ſcriptum dedit; id eſt homines ſibi cariſſimos ac vere divinos ad ea ſcribenda atque æternis monumentis conſignanda impulit, quæ de ſua erga humanum genus voluntate nos omnino ſcire voluit, quæque nos aut facere, aut ſperare ab ipſo debere, plane conſtituit. Idque iis verbis, eoque orationis genere, ut unicuique Dei gloriam amanti, eorum ſcripta, quantum ſatis eſt, intellectu facilia eſſent; nec, præter ipſa ſcripta, ad ea penitus percipienda aliud auxilium requirendum foret, niſi ipſius Dei Spiritus, quem omnibus petentibus ſe daturum per Jeſum Chriſtum monuit, ac certo promiſit Luc. 11. 13. Hæc autem, quæ hoc loco affirmamus, ejuſmodique alia, quæ ſuperius itidem aſſeruimus, quamvis per ſe ipſa admodum probabilia & ſacris teſtimoniis aperte conſentanea, nec (quippe quæ ab adverſario ſimpliciter affirmatis opponuntur) ullam

ullam probationem neceſſario requirentia, tamen omnibus probari debere, oſtendemus clarius, Deo dante, in ultimo harum reſponſionum capite; ne cuipiam fortaſſis videatur, nos in eum errorem incidere, in quem Adverſarius hoc loco pluribus modis incidit; ut ſcilicet principium, quod dicitur, petamus, eaque pro conceſſis ſumamus, quæ Adverſarius negat.

3. Jam ſatis explicatum eſt, non neceſſe eſſe, verba noſtra ita accipi, ut in veram Chriſti eccleſiam errorem fuiſſe ab Antichriſti ſpiritu invectum, dixiſſe cenſeamur, inque Adverſarii reprehenſione æquivocationis fallacia detecta. Quam ipſi Adverſario haud ignotam fuiſſe, vel hoc ipſum indicat, quod putavit, non poſſe reprehenſionem ſuam locum habere, quin ipſi nobis adverſati fuiſſe deprehendamur. Neque enim, quemquam ſibi ipſi adverſari, temere credendum eſt. Quocirca, niſi Adverſarius, ut ſophiſtæ nomen effugiat, in temeritatis ſuſpicionem venire velit, neceſſe habet fateri, ſe id agnoviſſe, quod veriſſimum eſt, nempe, vel à nobis nullo modo dici, Chriſti eccleſiam errare, vel Chriſti eccleſiæ nomine ὁμωνύμως aliam eccleſiam ab ea, quæ Chriſti revera eccleſia eſt, ſignificari. Nec vero, Adverſario ipſo teſte, nos aut ſoli, aut primi ſumus, qui eccleſiam errare dixerimus, ſed hoc enunciatum eorum omnium & fuit, & eſt commune, quos ipſe hæreticos eſſe ſtatuit. Ut ex iis aperte colligitur, quæ ſcribit ad finem pag. 12. & tota pag. 13. Ex quo apparet, ſi modo id à nobis revera dictum fuiſſet, exiſtimandum eſſe, haud temere id nobis excidiſſe, quemadmodum nec aliis excidit; quippe qui, ut Adverſario placet, id prorſus contendere ſoleant, quare nequaquam veriſimile eſt, nos in eo nobis ipſis adverſatos fuiſſe. Ut enim ſibi ipſi quiſpiam adverſetur, præſertim tam aperte ac graviter, ut hic factum eſſe oporteret, tunc evenire ſolet, cum quid non plane conſulto dicitur. Nam quod ait Adverſarius, nos hæreticos eſſe, & hæreticos teſte Paulo ſuo proprio judicio eſſe condemnatos Tit. 3. 11. unde exiſtimari poſſit, in noſtræ hæreſis pœnam id nobis contigiſſe, quod alioqui nulli contingere conſuevit. Primum Adverſarii aſſumptionem iſtam negamus, in qua manifeſte hoc loco principium petitur; & nos ab omni hæreſi, qualem Paulus intelligit, quam longiſſime & animo, & factis, & verbis denique abeſſe contendimus. Deinde, Pauli ſententiam non eam eſſe, quam Adverſarius exiſtimat, affirmamus. Non enim ſentit Paulus, hominem hæreticum in iis, quæ dicit, ſecum ipſum pugnare, aut ſibi adverſari, ſed, ſi quis, qui eccleſiæ alicui præſit, ab eo ſe ſeparet, eumque poſt unam & alteram irritam admonitionem vitandum curet, nulla eum injuria afficere; quippe cum jam ipſe hæreſi ſua ſe ab aliis dividat, & ab Eccleſia illa, ſua ſponte præcidat. Atque in hunc ſenſum, qui & ipſi loco, & rationi maxime conſentaneus eſt, Pauli verba Cyprianus * alicubi accepit, à quo non diſſentit Hieronymus in commentariis ſuis in eum locum. Sed quid, ſi demus Adverſario, non modo à nobis dictum fuiſſe, Chriſti eccleſiam errare, ſed etiam de vera Chriſti eccleſia nos locutos eſſe; num propterea neceſſario ſequetur, niſi nos ipſos ejuſdem eccleſiæ membra eſſe negemus, in nobis ipſis eundem hærere errorem? Nullo modo, Eccleſiæ ſiquidem nomine non ſinguli homines, qui ad Eccleſiam pertinent, ſed univerſus cœtus intelligitur. Ita ut, ſi major iſtorum hominum pars aliqua in re erret, recte dici queat, Eccleſiam errare, quamvis multi ex ipſis inveniantur, qui ab eo errore longe abſint. Itaque in Adverſarii redargutione ea fallacia eſt, quæ proprie ignoratio elenchi appelari poſſit. Quandoquidem id, quod de tota ſimul Eccleſia dictum fuerat, ad ſingulos homines, ex quibus Eccleſia conſtat, in ea pertrahitur. Denique quam εἰσυλλόγιστον Adverſarii redargutio ſit, planiſſimum erit, ſi eam ſuis propoſitionibus explicaverimus. Hoc nimirum pacto.

* Epiſt. Lib. 1. Epiſt. 5.

Eccleſia ex Animadverſorum ſententia errat.

Ipſi Animadveres dicunt, ſe eſſe ex membris Eccleſiæ.

Ergo Ipſi Animadverſores, ex ſua ipſorum ſententia; ſe errare dicunt.

Nam quis eſt, qui non videat, in hac argumentatione quatuor eſſe terminos, quos appellant, & in minore propoſitione Ex membris Eccleſiæ, dictum fuiſſe, cum Eccleſiam dicendum eſſet?

4. Quemadmodum modo fecimus, ſic quoque nunc poſſumus Adverſario dare, expreſſum in noſtris verbis fuiſſe, Eccleſiam errare; nec tamen id nobis objici poterit, quod ipſe ſuis interrogationibus hoc loco objicit. Non enim agunt verba noſtra de Eccleſiæ errore in genere vel indefinite, ſed de quodam certo errore; quem revera errorem eſſe, & conſequenter, ſi is in Eccleſia ſit, merito Eccleſiam errare dici poſſe, multis modis in univerſa diſputatione probamus. Quamobrem nihil neceſſe eſt, alia præterea ratione probare Eccleſiam errare, aut errare poſſe. Quin etiam, cum præcipua inter Adverſarium, & nos controverſia ſit, utrum opinio iſta de trino & uno Deo, quam ipſe ab Eccleſia receptam fuiſſe omnino vult, error ſit nec ne, jam certum eſt, ut quidem Adverſario videtur, in controverſiam ſimul venire, utrum Eccleſia nec ne errare poſſit. Quid igitur opus eſt, nos ulla ratione probare, Eccleſiam errare, aut errare poſſe? Certe non magis ſaltem eſt hoc nobis probandum, quam oſtendendum, opinionem de trino & uno Deo falſam eſſe. Atqui non eſt noſtri omnino officii hoc loco, id eſt in ipſa univerſa diſputatione iſtud oſtendere; ſed tantummodo rationes, & teſtimonia diluere, quibus contrarium demonſtrare in ſuis Aſſertionibus ipſi ſunt aggreſſi; actorum ſibi partes interea ſumentes, reorum vero nobis dantes. Et ſane ipſi ſunt, unaque cum illis potiſſimum eorum iſte ſingularis propugnator, qui ex eo, quod opinio iſta ab Eccleſia recepta fuerit, veriſſimam illam eſſe contendunt; nempe quia Eccleſia errare non poſſit. Non autem nos ſumus, qui ex eo, quod Eccleſia erret, aut errare poſſit, illam falſam eſſe, demonſtrare velimus. Quod profecto, etiamſi noſtræ actorum partes eſſent, ineptiſſime à nobis fieret. Quæ enim hæc eſſet argumentatio? Eccleſia errat, aut errare poteſt; Ergo hæc opinio, quam Eccleſia recepit, falſa eſt. An non manifeſta hic foret conſequentis fallacia? Nam ſequitur quidem, ſi certa quædam, quam Eccleſia receperit, opinio falſa ſit, Eccleſiam errare poſſe, atque adeo errare; ſed non contra, ſi Eccleſia erret, aut errare poſſit, opinionem iſtam ab ipſa receptam falſam eſſe. Patet igitur nulla prorſus ratione noſtrum eſſe, aut eſſe poſſe in hac diſputatione probare Eccleſiam errare, aut errare poſſe. Sed cum id ex ſententia noſtra neceſſario conſequatur, Adverſariorum omnino eſſe contrarium demonſtrare. Quippe qui ex falſitate iſtius conſequentis, antecedentis quoque falſitatem colligere velint. Nec vero exiſtimet quiſquam, ſatis ab Adverſario probatum fuiſſe, Eccleſiam errare poſſe, quia interrogationibus ſuis non obſcure monuerit, id nuſquam in Sacris Literis ſcriptum eſſe. Nihil enim impedit, quominus Eccleſia & errare poſſit, & re ipſa erret, nec tamen id apud ſacros ſcriptores legatur. Quemadmodum ex iis, quæ ſtatim dicentur, dilucidius apparebit. Nam finge præterea id, quod ex ſententia noſtra neceſſario conſequitur, vel converſo ordine inepte à nobis ad eandem ſententiam confirmandam ſumi, vel (quod non inepte fortaſſe fieri potuiſſet) ad tacitam objectionem refellendam conſtanter aſſeverari; num idcirco illud nobis probandum eſſet? Non ſane. Nam, cum Eccleſia nihil aliud ſit, quam hominum multitudo quædam, eorumque non bonorum magis, quam malorum (loquimur enim hic de viſibili eccleſia) certe cum hominum proprium ſit errare, ſatis per ſe conſtat, Eccleſiam errare poſſe, eamque errare plane eſt veriſimile. Quapropter non illius, qui dicit, Eccleſiam errare, aut errare poſſe, ſed illius, qui negat, tamquam aliquid novum

& à veriſimilitudine abhorrens dicentis, officium eſt id, quod dicit, probare. Præſertim cum ejuſmodi hominum multitudinem, quæ Eccleſia ſimiliter erat, aliquando, idque multipliciter atque graviſſime erraſſe conſtat. Eccleſiam videlicet, quæ fuit ſub Vetere Teſtamento. Quod & ipſe Adverſarius tacite confitetur, cùm quærit, non ut Eccleſiam ſimpliciter, ſed Novi Teſtamenti Eccleſiam errare, in Sacris Literis ſcriptum eſſe oſtendamus. Ex quibus omnibus aperte conſtat, quam alieno loco is nobis objiciat, quod gloriemur, à nobis nihil afferri abſque puro & expreſſo verbo Dei. Quaſi vero vel nos ii ſimus, qui ad noſtra dogmata confirmanda, Eccleſiam errare urgeamus, vel gloratio iſta noſtra ad ea etiam pertrahendo ſit, quæ, niſi contrarium probetur, tanquam rationi atque adeo experientiæ ipſi plane conſentanea, ſunt ſatis per ſe nota & manifeſta. Nihil autem dicimus, quod ſophiſtice omnino loquitur Adverſarius, dum, ſe requirere ait à nobis, ut indicemus, ubi ſcriptum ſit, Eccleſia Novi Teſtamenti caret divinis promiſſionibus; & fallacia illa utitur, quæ dicitur A ſecundum quid ad ſimpliciter. Neque enim hic quærendum eſt ſimpliciter, utrum Eccleſia divinis promiſſionibus careat, ſed ejuſmodi divinis promiſſionibus, quibus contineatur eam nunquam ulla ratione erraturam. Poteſt enim Eccleſia ipſa viſibilis divinis promiſſionibus non carere, nec tamen promiſſiones ullas habere, quod nullo modo errare queat. Sed quæſivit nimirum Adverſarius, quemadmodum ſæpe ſolet, ut nos in omnium invidiam vocaret, quaſi diceremus, Eccleſiam nullas divinas promiſſiones habere. Nec interim ſuæ exiſtimationis, aut cauſſæ ſuſceptæ, quam his modis ſuſpectam facile omnibus reddit, ullam rationem habuit. Verum quid præterea inſulſius, quam à nobis quærere, ubi ſcriptum ſit, Eccleſiam Novi Teſtamenti divinis quibuſdam certis promiſſionibus carere, quibus illam non carere, ipſe probare debet, & porro vi ipſius diſputandi rationis adactus probare inſtituit? Quod quam apte & ad rem noſtram accommodate ab ipſo factum fuerit, ſupra ſatis eſt viſum.

Ut autem multo magis perſpicuum ſit, quantopere idem Adverſarius in univerſa ſua reprehenſione fallatur, quæ hoc capite continetur, hæc addenda cenſuimus. Putat ipſe, ſi à nobis dictum fuiſſet, opinionem de trino & uno Deo à vera Chriſti eccleſia fuiſſe receptam, eamque opinionem falſam eſſe, turpiſſimi lapſus notam nobis inuri continuo poſſe. Ut iis ſcilicet, qui Chriſti eccleſiæ id tribuerimus, quod ea indigniſſimum eſſe, & nulla prorſus ratione in ea inveniri poſſe ipſi fortaſſe ſentiamus. Sed, ut dictum eſt, plurimum fallitur. Primum enim nos non ii ſumus, qui alios facile à Chriſti eccleſia excludamus. Et quamquam opinionem iſtam de uno & trino Deo, non ſolum falſam, ſed periculoſam admodum eſſe cenſemus, quippe quæ & de uno vero Deo fidem labefactare poſſit, & totam ſalutis noſtræ per Chriſtum rationem pervertere, ac præterea Euangelii Jeſu Chriſti inter exteros propagationi ſummo eam impedimento eſſe cernimus, atque idcirco, quam maxime poſſumus, eam ex omnium mentibus evulſam cupimus, & porro pro viribus curamus, nihil interea Deo & Chriſto ipſo adjutore, cujus cauſſam agimus, ingentia hujus mundi mala formidantes, quæ nobis ob hanc ipſam cauſam undique imminent, atque impendent, immo jam ex parte aſſidue nos premunt. Quamquam igitur ſic & ſentimus, & nos gerimus, non tamen à Chriſti vera eccleſia prorſus eos excludimus, qui opinionem iſtam vel antehac ſunt amplexi, vel etiam hodie retinent, dummodo ipſi alioqui bene ſibi ſint conſcii; & illuceſcenti divinæ veritati feneſtras (ut ſic dixerimus) cordis ſui humana aliqua ratione adducti minime occludant, & adverſus eos, qui eam veritatem tuentur, nequaquam gladios, & ignes aut intentent, aut quodammodo ſpirent; ſed animo erga illos ſint placido atque Chriſtiano, nulla præterea ratione, quam Dei verbo, eos vincere ac profligare conantes. Neque enim ignari ſumus, maximum numerum extitiſſe hominum falſam Trinitatis opinionem probantium, quos à Chriſti regno excludere nimis temerarium fuerit; ut pote vel Chriſtiana vitæ ſanctimonia præditos, vel etiam ſuo ſanguine Jeſu Chriſti Euangelium conteſtatos. Cum iſti igitur ad veram Chriſti eccleſiam pertineant; recte dici poteſt, in Chriſti veram eccleſiam errorem iſtum invectum fuiſſe. Præſertum cum nihil vetet, iſtos veræ Chriſti eccleſiæ majorem, aut etiam maximam partem aliquando fuiſſe. Jam enim dictum eſt à nobis, & ratione confirmatum, ipſam eccleſiam quæ vere Chriſti corpus eſt, in iis, quæ ad ſalutem non ſunt neceſſaria, errare poſſe. Sed objicit Adverſarius, nos ipſos affirmare, errorem iſtum eſſe contra fidem de uno vero Deo. Nunquid enim is ad Chriſti veram Eccleſiam pertinere poteſt, qui unum verum Deum eſſe non credat? Reſpondemus, Contra fidem de uno vero Deo, in verbis noſtris nihil aliud ſignificare, quam, quod paulo ante explicavimus; id eſt, Aptum ad fidem de uno vero Deo labefactandam. Itaque cum dicimus, nullum graviorem contra fidem de uno vero Deo ab Antichriſti ſpiritu errorem in Chriſti eccleſiam fuiſſe invectum, perinde eſt, ac ſi dixiſſemus, Antichriſti ſpiritum in Chriſti eccleſiam nullum errorem invexiſſe, qui magis huc tendat, ut fidem de uno vero Deo labefactet: nec quidquam ex iis, quæ à Chriſti eccleſia recepta ſunt, ei fidei magis adverſari. Non autem, vel ex errore iſto fidem de uno vero Deo in ipſa Chriſti Eccleſia jam convulſam fuiſſe, vel, ita ei fidei errorem iſtum adverſari, ut is, qui illum amplexus fuerit, eam fidem nullo pacto retinere queat. Nam, quod Adverſarius ea verba noſtra *nullus gravior*, &c. non leviter exagitat, quaſi hoc ad errorem maxime exagerandum pertineat, id nihil eſt; cum fiat comparatio non cum omnibus erroribus, ſive etiam cum iis, qui invehi potuiſſent; ſed cum iis tantum, qui invecti ſunt. Verum inſtat idem, nobiſque objicit, quod Chriſti eccleſiam in fide errare dicamus. Ubi ſuo more ſophiſma in ſuis verbis includit, inque æquivocationis fallaciam incidit. In fide enim errare quamvis indefinite ſignificare poſſit, falli in aliquibus, quæ credantur, ad religionem pertinentibus, tamen recepta loquendi conſuetudine in iis demum falli ſignificat, quæ in religione omnino credenda aut non credenda ſunt, & poteſt quis de ipſo Deo aliquid credere, quod falſum ſit, aut non credere, quod ſit verum & tamen non in iis decipi, quæ de Deo omnino ſunt credenda aut non credenda, & conſequenter ſecundum prædictam loquendi conſuetudinem non errare in fide. Cujus generis errorem nos quoque à vera Chriſti Eccleſia longe abeſſe ſtatuimus. Atqui error trinitatis perſonarum in una Dei eſſentia, ut ex iis, quæ modo dicebamus, intelligi poteſt, non plane vetat, quominus ea de Deo credantur, quæ omnino ſunt credenda, ea vero non credantur, quæ omnino non ſunt credenda. Denique quod Adverſarius urget à nobis dictum fuiſſe, hunc errorem ab Antichriſti ſpiritu fuiſſe invectum, quaſi nullus error in veram Chriſti Eccleſiam ab Antichriſti ſpiritu invehi poſſit, errat ipſe vehementer. Modo enim is error, ut dictum fuit, ſalutem non adimat neceſſario, nihil eſt, cur fieri non poſſit, ut in ipſam Chriſti veram Eccleſiam invehatur. Non ſunt autem omnes ab Antichriſti ſpiritu invecti errores ejuſmodi, qui ſalutem prorſus adimant, tametſi omnes eo aliqua ratione tendant; & vel minimo eorum implicitum eſſe unicuique, quo ad fieri poteſt, vitandum atque cavendum ſit; & ad plenam atque perfectam illam, quæ nobis contingere poteſt, rerum divinarum cognitionem aſpirandum.

CAPUT III.

REpetit Adverſarius ante reprehenſa verba noſtra, hoc pacto, *Nullus gravior error &c. quam in Deo, inque illius, ſimpliciſſima eſſentia plures eſſe perſonas inter ſe diſtinctas*, illiſque rurſus à fine pag. 14. uſque ad initium pag. 18. ea objicit, quæ ſequuntur.

Adver-

Adverſarii dicta.

1. Reprehendit nos, quod nolimus admittere nomina eſſentiæ, ſubſtantiæ, perſonæ, trinitatis, & alia, quia non legantur in ſcripturis, & tamen hoc loco eſſentiæ vocabulo ipſi utamur.

2. Deinde ait, videri nos ex eo, quod Dei eſſentia ſimpliciſſima ſit, velle colligere, in ejus eſſentia nequaquam tres perſonas eſſe inter ſe diſtinctas. Atque hic per occaſionem nos ſuggillandi, inquit, immo hoc ipſum, quod Dei eſſentia ſit ſimpliciſſima, magno eſſe uſui ad noſtros errores demonſtrandos, noſque huic propoſitioni ſæpenumero in noſtris opinionibus contradicere. Hoc enim potiſſimum ea ſignificari, nihil in Dei eſſentia eſſe, quod ipſa eſſentia non ſit; adque hoc probandum teſtimonia quædam Patrum, quos vocant, & rationes affert. Mox ad rationem, quam ex ſimplicitate divinæ eſſentiæ nos contra plures in ipſa eſſentia perſonas attuliſſe exiſtimat, per inſtantiam reſpondet, inquiens, quemadmodum Dei attributa inter ſe differentia, quæ videlicet in Dei eſſentia ſunt, ipſius eſſentiæ ſimplicitati non repugnant, ſic neque tres perſonas inter ſe diſtinctas ei ſimplicitati repugnare. Ad quod confirmandum Juſtini (ut quidem ipſe putat) auctoritate, & Thomæ Aquinatis explicatione quadam utitur.

3. Quod ſi (poſtremo ait) mens alicujus hoc non capit, meminiſſe debemus, primam Chriſtiani hominis vocem eſſe *credo*. Itaque hoc tanquam benignitate Dei nobis patefactum, credendum eſſe, non autem, quia id apprehendere non poſſimus, negandum.

Reſponſiones.

1. Rejiciuntur à noſtris hominibus in ipſorum ſcriptis nomina trinitatis, & perſonarum in Deo, non ob id præcipue, quod ipſa nomina in Sacris Literis non legantur, ſed quod res ipſæ, quas ſignificant, contra quam adverſarius aſſeverat, ibidem nullo modo contineantur. Quamvis, ut in prima animadverſione in Aſſertionem 16. diximus, nomina, quibus adverſarii neceſſe habent uti ad ſua dogmata explicanda, nuſquam apud Sacros Scriptores legi, indicium quoddam eſſe poſſit falſitatis ipſorum dogmatum. Jam ſubſtantiæ Dei nomen ab ullo ex noſtris hominibus non admitti, vix credere poſſumus; cum id nomen extet in Epiſtola ad Hebræos cap. 1. ỳ. 3. Nam quid aliud eſt Græce ὑπόστασις, quam Latine ſubſtantia? Et ſane non modo Vetus Interpres, ſed etiam Eraſmus, Caſtellio, & alii eam vocem ſic reddiderunt. Sed vis eſt in ipſius nominis explicatione. Quocirca miramur adverſarium, qui omnino concedere videatur, id nomen in ſcripturis non legi. Neque enim ex perſona tantum noſtra, ea verba eum dixiſſe, credendum eſt, *quod non legantur in ſcripturis*; cum illico ſubjiciat, *licet in rebus, & ſenſu habeantur expreſſæ*, quæ ex perſona noſtra dicere nullo pacto potuit. Cæterum, quod ad nomen eſſentiæ Dei attinet, etiamſi non legitur in Sacra Scriptura, non tamen plane à noſtris hominibus rejicitur. Præſertim vero à Nicolao Paruta; quem tamen Aſſertionum ſcriptor & ſolum, & nominatim tanquam hoc nomen in Sanctis Literis inveniri negantem, idque ipſius Symmyſtis objicientem, citat prædicta Aſſert. 16. Quinimmo liquido apparet, ipſum Parutam ab iſto nomine neutiquam abhorrere; cum Theſi 5. ſcripſerit hæc verba, *An non longe differt eſſentia Dei ab exiſtente Deo, quum eſſentia, ſi vere, ac proprie loquamur, non ſit ipſe Deus, ſed ipſius Dei attributum? Eſſentiæ enim vox nihil vivum intelligenſve ſignificat, non magis quam naturæ, vel divinitatis, ſed cujuſque rei ſtatum & diſpoſitionem. Et quemadmodum non dicimus naturam & divinitatem eſſe Deum, ſic neque eſſentiam. Recte poſſumus unam divinam eſſentiam dicere. Sicut unus eſt Deus exiſtens. Sed unum eſſe Deum eſſentiam, nequaquam. Hoc enim eſſet non ſolum confundere prorſus ſtatum rei cum ipſa re; ſed etiam aliud loqui, quam ſcriptura.* Ex his Parutæ verbis apertiſſimum eſt, ab ipſo eſſentiæ Dei nomen non rejici; ac præterea, quid illud ſit, quod ipſe negat, in ſcripturis ſanctis dici, aut contineri. Nempe, eſſentiam eſſe Deum, vel, unum eſſe Deum eſſentiam, non autem ipſum Dei eſſentiæ nomen. Nec ſane unquam in citatis ab Aſſertionum ſcriptore locis vel adverſariis objicit, eſſentiæ Dei vocabulum in ſcriptura non legi, vel, quod non legatur, affirmat. Sed finge, nos ante animadverſiones noſtras eſſentiæ vocabulum, cum de Deo eſt ſermo, plane rejicere ſolitos fuiſſe; nunquid poſtea in verbis iſtis ipſarum animadverſionum ab adverſario reprehenſis omnino illud admittimus? Non videtur. Sunt enim verba iſta revera ex adverſariorum perſona, non autem ex noſtra, à nobis dicta. Recitamus enim ibi ſimpliciter adverſariorum ſententiam, & nihil interim aſſerimus. Ex quo præterea intelligi poteſt, non eſſe, cur ex hoc loco nobis quiſquam objiciat, Dei eſſentiam eſſe ſimpliciſſimam. Quanquam neque id, ſi recte intelligatur, nos negare audemus, nec noſtris opinionibus, quidquid & hic & alibi adverſarius dicat, ei ullo modo contradicimus. Quemadmodum ſuis locis oſtenſuri ſumus. Verumtamen, cum Sacræ Literæ nuſquam (quod ſciamus) Dei eſſentiam ſimpliciſſimam eſſe teſtentur, & de Deo præter id, quod in Sacris Literis expreſſum eſt, quidquam aſſerere, periculi plenum cenſeri debeat, quam maxime poſſumus, & ab iſta, & ab ejuſmodi aliis enunciationibus abſtinemus, quamvis alioquin & veriſſimæ & certiſſimæ eſſe videantur. Nihil vero rationis vim, quæ in noſtris verbis ineſt, aut minuit, aut retundit, quod non ex perſona noſtra, ſed ex adverſariorum, dicta fuerint verba illa, *in Deo, inque illius ſimpliciſſima eſſentia*. Nam certe, etſi de Dei eſſentia, quod ſimpliciſſima ſit, nihil à nobis affirmatur, falſa tamen nihilominus eſt adverſariorum ſententia, in Dei ſimpliciſſima eſſentia plures eſſe perſonas inter ſe diſtinctas. Se enim ipſam deſtruit hæc enunciatio, in eaque aſſerenda pugnantia loquuntur adverſarii; ut poſtea videbimus. Adde, quod ad fidem de uno vero Deo labefactandam non minus pertinet, ſi dicas, in ſimpliciſſima, quam ipſe aſſeras, Dei eſſentia eſſe plures perſonas, quarum quælibet ſit verus Deus, quam, ſi Dei eſſentiam eſſe ſimpliciſſimam, reticeres, & interim, in ea plures iſtas perſonas eſſe diceres. Vis enim fidei de uno vero Deo labefactandæ in eo eſt, quod plures eſſe perſonæ ſtatuantur, quarum quælibet ſit verus Deus. Id quod non minus illo, quam hoc modo fit, nec illo alioqui magis, quam hoc, unum Deum eſſe affirmatur. Niſi quod priore modo Dei eſſentiæ ſimplicitas diſerte aſſeritur; in poſteriore vero non item. Atqui hoc non ad pluralitatem Deorum, ſed ad unius Dei ejuſve eſſentiæ compoſitionem excludendam proprie pertinet.

2. Jam ſi ex eo, quod Dei eſſentia ſimpliciſſima ſit, neceſſario ejuſdem eſſentiæ compoſitio omnis excluditur, ſequitur omnino, plures perſonas in Dei eſſentia eſſe non poſſe inter ſe diſtinctas, niſi Dei eſſentiam tanquam ſpeciem, ſeu communem quandam pluribus individuis naturam, accipiamus. Quod ut à veritate, ſic ab adverſariorum mente plurimum abhorret; quippe qui Dei eſſentiam unam numero eſſe fateantur, eamque prorſus individuam; deque ea ſic conſiderata loquantur, cum in ipſa plures perſonas inter ſe diſtinctas eſſe affirmant. Quod ſi verum aliquo modo eſt, verum etiam eſſe oportet, unam iſtam numero eſſentiam ex pluribus quibuſdam compoſitam eſſe. Atqui hoc manifeſte cum eo pugnat, quod hæc eadem eſſentia ſimpliciſſima ſit. Itaque falſiſſimam, atque, ut paulo ante dicebamus, ſibi ipſi contradicentem ſeque ipſam plane deſtruentem, apud ipſos adverſarios hanc eorum enunciationem eſſe apparet. In Deo, inque ejus ſimpliciſſima eſſentia ſunt plures perſonæ inter ſe diſtinctæ. Nec aliud habent ipſi, quod reſpondeant, niſi argumentum quidem noſtrum recte concluſum eſſe in eſſentiis finitis; ſed in Dei eſſentia, quæ infinita eſt, nequaquam. In qua reſponſione non uno modo principium petunt; eaque dicunt,

quæ

quæ ex parte manifeſto ſunt falſa ſimul atque ridicula. Quemadmodum à nobis oſtenderetur, ſic reſponſione iſta adverſarius noſter uſus eſſet. Nam quod ipſe pro reſponſione affert inſtantiam de Dei attributis inter ſe diſtinctis & differentibus, quæ tamen in ipſa Dei eſſentia ſunt, eſt in eo evidens fallacia ignorationis Elenchi. Dei enim attributa nec revera ſubſiſtentiæ quædam ſunt, quales ſunt perſonæ, nec ullo modo perſonæ appellari queunt. Alioqui non tres tantum, ſed ex ipſius adverſarii enumeratione ſex, & plures ſubſiſtentiæ ſeu perſonæ in Deo eſſent, vel eſſe dici poſſent. Cum enim Dei attributorum meminit, inter ſe differentium, inquit pag. 16. *ut eſt potentia, ſapientia, bonitas, veritas, juſtitia, miſericordia, & alia, quæ in Sacris Literis occurrunt.* Poteſt igitur fieri, ut plura attributa iſta, quamvis inter ſe diſtincta & differentia, in Dei eſſentia, licet ſimpliciſſima, ſint, nec divinæ eſſentiæ ſimplicitati ullo modo repugnent; nec tamen plures perſonæ inter ſe diſtinctæ in eadem ſimpliciſſima eſſentia eſſe poſſint, ejuſdemque ſimplicitati non repugnare. Thomæ Aquinatis ex hoc inextricabili labyrintho exeundi rationem nullo pacto probare poſſumus; cum in ea nonnulla pro conceſſis ſumantur, quæ nec vera ſunt, nec magis probabilia, quam illud ipſum, quod ex eis demonſtrandum erat. Nam quis illi unquam concedat, proprietatem perſonalem non habere aliquam unionem cum ſuo correlativo, ſi utrumque in una & eadem numero eſſentia ſimul & pariter invenitur? Aut ſi unionem pro identitate, ut ſic loquamur, accipit, quis illi dederit, quia inter proprietatem perſonalem, & ſuum correlativum non ſit aliqua unio, id eſt identitas, non fieri etiam ex ipſis ullam compoſitionem? Neque enim eorum, ex quibus aliquid componendum eſt, identitas ulla requiritur. Quinimmo ex iiſdem nihil componitur, ſed ex diverſis. Non vidit Thomas, quamvis alioqui perſpicax & acutus, ex negatione omnis unionis inter proprietates perſonales manifeſte potius ſequi, plures proprietates perſonales non poſſe in una eademque numero eſſentia eſſe; & idcirco, ſe, dum inſtantem adverſarium repellere conatur, illi arma ad ſe confodiendum tradere. Quod vero ad Juſtini auctoritatem, ea non tanti apud quenquam eſt, aut eſſe debet, ut quæ dicit, eo credenda & recipienda ſint, quia ipſe dicat, cum de noſtræ religionis dogmatis quæritur. Et ſane nos in iis, quæ de filii Dei natura, & generatione ſenſit, licet ejus ſententia ad adverſariorum ſententia non parum diſcrepet, ab ipſo tamen nos diſſidere aperte profitemur. Quanquam nihil neceſſe erat hæc hoc loco dicere; cum verba, quæ ad adverſario citantur, nullo modo ſint, aut eſſe poſſint Juſtini. Sunt enim illa in libro quæſtionum ad Orthodoxos Quæſt. 129. qui liber falſo omnino Juſtino aſcriptus eſt. Ut enim pleraque alia hujus rei non obſcura indicia omittamus, non modo in eo libro citatur Irenæus * & martyr nominatur, cum tamen Juſtinus multis annis ante eum mortuus fuerit, verum etiam Origenis † teſtimonium bis affertur, qui poſt Juſtini mortem annis circiter viginti eſt natus. Ac præterea Manichæorum in eodem libro †† fit mentio, quorum auctor Manes, annis plus minus centum & viginti poſt Juſtinum mortuum, doctrinam ſuam diſſeminare cœpit. Et quoniam diximus, Juſtini ſententiam de filio Dei ab adverſariorum ſententia non parum diſtare, ſciat lector parum cautus, libellum illum, qui Juſtini nomine circumfertur cum hoc titulo, Expoſitio fidei, &c. in quo trinitatis ſententia qualem adverſarii defendunt, prorſus afferi videtur, nullo modo eſſe Juſtini. Nam præterquam quod ea, quæ ibi de filio Dei dicuntur, multum ab iis differunt, quæ in confeſſis atque indubitatis Juſtini ſcriptis leguntur, & præſertim in dialogo cum Tryphone Judæo, nullam etiam ejus libri nec Euſebius, nec Hieronymus mentionem facit, cum ſcriptorum, quæ Juſtinus reliquerit, diligentiſſime uterque catologum conſcribit. Quis autem eſt in veterum ſcriptis legendis paulo exercitator, qui, ſi non ſententiam ipſam, ſaltem illam explicandi modum, quo illius libelli auctor eſt uſus, ejus temporis eſſe non cognoſcat, quod poſt Nicænum Concilium fuit? In quo, ut doctiſſimus vir Joachimus Camerarius ait, utraque voce, οὐσίας, & ὑποστάσεως, id eſt eſſentiæ, & ſubſtantiæ ſeu ſubſiſtantiæ ſimpliciſſime uſi fuiſſent Epiſcopi; quippe de quibus vocibus controverſia, ut idem Camerarius arbitratur, nondum ulla eſſet. Hæ tamen voces in eo libello ſæpius accurate admodum & diligenter diſtinguuntur, ut mirum videri debeat, Gregorium Nyſſenum fratris Baſilii Magni admonitione ulla ſuper ea re egere potuiſſe, ipſumque Baſilium ad fratrem de hoc argumento ſcribentem nullam ejus libelli mentionem feciſſe, ſi tale ſcriptum Juſtini tam celebris & antiqui ſcriptoris extabat. Sint autem hæc à nobis obiter hoc loco dicta, quæ alibi fortaſſe aliquando pluribus confirmari poterunt. Cæterum quod adverſarius ait, nihil in Dei eſſentia eſſe, quod ipſa eſſentia non ſit, hoc nihil illum juvat in præſente diſputatione. Quid enim hoc ad rem, niſi pro conceſſo ſumatur illud ipſum, de quo diſputatio inſtituta eſt, in una, videlicet, Dei eſſentia plures eſſe perſonas? Sit enim quantumvis verum, quidquid in Dei eſſentia eſt, ipſam eſſentiam eſſe, negamus nos, plures perſonas in una Dei eſſentia eſſe poſſe, hocque illius ſummæ ſimplicitati, quam adverſarii aſſerunt, repugnare contendimus. Quippe cum ipſis concedentibus, Dei eſſentia non genere ſeu ſpecie, ſed numero ſit una. Quare non quidquid in Dei eſſentia eſt, ipſam eſſentiam eſſe, hoc loco adverſum nos oſtendendum erat; ſed potius, nihil eſſe, quod in Dei eſſentia eſſe nequeat citra ullam ejuſdem eſſentiæ compoſitionem; aut certe, id de quibuſdam affirmari jure poſſe; quæ in eo, de quo quæritur, nihil à perſonis differant. Horum autem illud, creatas quoque res in ipſa Dei eſſentia contineri poſſe, nec tamen eam minus ſimplicem futuram, demonſtraret: Hoc vero tentatum quidem eſt ab adverſario, cum de Dei attributis exemplum attulit; ſed, ut vidimus, fruſtra, cum Dei attributa in eo ipſo, de quo quærimus, multum à perſonis differant.

3. Merito adverſarius, cum rationibus prorſus deſtituatur, ad ſimplicem quandam fidem, vel potius credulitatem confugit. Sed meminiſſe illum oportebat, ea Chriſtiano homini de Deo credenda eſſe, licet rationi minus conſentanea, quæ ab ipſo Deo non quidem patefacta eſſe putentur, ſed revera ſint patefacta. Quale certe non eſt iſtud, quod in una Dei eſſentia tres ſint perſonæ; ſeu quod Deus ſit trinus, licet idem ſit ſimpliciſſimus. Quod ſi, dum, non propterea quidpiam negandum eſſe dicit, quod mente non capiatur, ad id tantum reſpicit, quod de Dei attributis dixerat, quæ in Deo ſint ſine ulla compoſitione, aut diviſione, jam oſtenſum eſt, hoc exemplum ad rem non facere. Sed præterea animadvertendum eſt, longe aliud eſſe, quidpiam mente non capere, &, capere mente, quidpiam eſſe non poſſe. Seu, aliquid negare, quia id apprehendere nequeas; &, idcirco aliquid negare, quia, id eſſe non poſſe, deprehendas. Alterum omnino ſtultum eſt, ubi Dei teſtimonium ea de re non obſcurum profertur. Alterum vero tantam vim habet, ut divina ipſa teſtimonia, quantumvis prima facie aperta, aliter interpretari & permittat, & cogat, quam ipſa verba ſonent. Tantum abeſt, ut, ubi ne in ſpeciem quidem ullum apertum extat divinum teſtimonium, id concedere debeamus, quod eſſe non poſſe, ipſi deprehendimus. Quocirca quidquid adverſarius hoc loco nobis obloquitur, tanquam proprii ingenii fiducia id negantibus, quod patefactum aliis à Deo fuerit, quia videlicet nos id apprehendere nequeamus, nobis nulla ratione convenit, qui id negamus, quod non modo eſſe non poſſe, manifeſto deprehendimus, ſed de quo nullum prorſus extat divinum teſtimonium: immo cui innumerabilia divina teſtimonia apertiſſime refragantur. Ipſe potius adverſarius una cum ſuis omnibus gravi

* Reſpon. ad Quæſt. 115. † Reſpon. ad Quæſt. 82, & 86.
†† Reſpon. ad Quæſt. 127.

gravi & reprehenſione, & objurgatione digniſſimus eſt, qui de Deo ea conſtanter aſſeverare & defendere audeat, & eos, qui idem non faciunt, diris devovere ac maledictis proſcindere, quæ nec ullum apertum habent divinum teſtimonium, & non modo cum univerſa & natura, & ratione manifeſte pugnant; ſed etiam ex infinitis divinis teſtimoniis falſiſſima eſſe demonſtrari poſſunt.

Caput IV.

Pergens Adverſarius, verba noſtra ſubjungit, quæ cum præcedentibus & ſenſu, & ſtructura omnino cohærent, nec ſine illis intelligi poſſunt. Hæc autem ſunt, *quarum quælibet ſit verus Deus, & non Patrem tantum Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe illum unum verum Deum, ſed filium quoque ipſius, & Spiritum Sanctum. Quo nihil vel abſurdius, vel (ut ita dicamus) impoſſibilius, vel divinis oraculis magis contrarium excogitari poteſt.* Ad quæ impugnanda à pag. 18. uſque ad pag. 39. multa ſcribit. Quæ nos commodioris reſponſionis gratia in tres partes dividemus. In quarum prima ea reponemus, quæ vel in univerſum quodammodo ſeu generatim noſtris verbis objicit, vel ad verba ipſa carpenda, nobiſque ipſis opponenda pertinere exiſtimavit. Atque in hac parte ab ordine ac ſerie ipſius verborum nihil recedemus. In ſecunda ea recenſebimus, quæ poſtmodum affert, ut oſtendat, qua arte (ut ipſe ait) opinionum noſtrarum turpitudinem contegamus. Atque hic ea erunt, quæ à nobis perperam teſtimoniis aut rationibus reſponderi putat, quæ contra nos produci ſolent. In tertia vero parte teſtimonia, & rationes enumerabimus, ex quibus contra quam à nobis dictum fuerit, opinionem de trino & uno Deo divinis oraculis prorſus conſentaneam eſſe, oſtendere conatur. In his autem poſterioribus duabus partibus ſic diſponendis ordinem ab ipſo quidem propoſitum, ſed non bene ſervatum retinebimus; & ex ipſius male congeſtis ac digeſtis bona ex parte verbis & ſententiis, quoad ejus fieri poterit, ejus mentem eliciemus, eamque ordine exponemus.

Adverſarii dictorum

Pars I.

1. Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ait eſſe apud Deum Luc. 18, & omnia poſſibilia credenti Marc. 9; & in Chriſtiana religione non privatum ſenſum, ſed fidem eſſe afferendam, qua difficilia, & ea, quæ putantur abſurda & impoſſibilia, apprehenduntur.

2. Præterea inquit, nos ipſos ſatis fateri, iſtud, quod tamen recipere nolumus, aliqua ratione eſſe poſſibile; cum non ſimpliciter, nihil impoſſibilius eſſe dixerimus, ſed interpoſitis verbi illis, *ut ita dicamus*; quæ interponi non ſolent, niſi, cum vel non Latina, vel minus apta & propria vox eſt. Atqui non tam rudes nos eſſe ait, quin ſciamus, Impoſſibile eſſe vocem Latinam. Sequitur igitur, ut ipſimet fateamur, improprie hoc loco fuiſſe à nobis uſurpatam; & propterea id aliqua ratione poſſibile eſſe aſſeramus.

3. Hinc infert, quod, ſi nos ipſos penitus cognoſceremus, vanitatem etiam noſtrarum inventionum perſpiceremus; nec tanta confidentia, & ſuperbia decerneremus, Eccleſiæ de trino & uno Deo fidem divinis oraculis eſſe contrariam.

4. Hæc tamen oracula nos non annoraſſe, nobis objicit; niſi forte illa oracula intelligi velimus, ex quibus olim inimicus reſponſa dabat. Jam enim Chriſtianos prorſus eſſe nos deſiiſſe ait, cum (inquit) nos tam aperte Chriſti & Spiritus Sancti divinitatis hoſtes profiteamur, ipſum vero Deum Patrem latenter contumeliis afficiamus.

Reſponſiones.

1. Vix dici poteſt, quantopere Adverſarius verborum ambiguitatibus delectetur, iiſque abutatur. Nempe quod naturalis & pervulgata quædam ſedes ea ſit fallacium argumentorum. Impoſſibile dupliciter dicitur, reſpective & abſolute. Impoſſibile enim id appellatur, quod fieri ab aliquo ſeu aliquibus non poteſt, ipſorum videlicet reſpectu, qui id non poſſunt facere. Impoſſibile etiam dicitur id, quod ipſum per ſe nulla ratione fieri aut eſſe poteſt. Verba noſtra, ut manifeſtum eſt, de hoc poſteriore impoſſibili agunt. Quid igitur huc pertinet dictum illud, quod ex Domini Jeſu verbis mutuatus eſt Adverſarius Luc. 18. 27, *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum*, ubi de priore impoſſibili agitur, & ſententia eſt, ea, quæ viribus humanis fieri nequeant, divinis poſſe fieri; quemadmodum res, ad quam dictum illud à Domino accommodatur, aperte declarat? Certe quæ abſolute impoſſibilia ſunt, id eſt, quæ ipſa per ſe nulla ratione fieri aut eſſe poſſunt, ea nec apud Deum, nec apud homines ſunt poſſibilia: Niſi hic Apud homines idem ſignificet, quod Ut hominibus videtur. In quem ſenſum ſine dubio Adverſarius locutionem iſtam accipit. Id quod etiam docent ipſius verba illa, *quæ putantur abſurda & impoſſibilia*, &c. ſed tunc Apud Deum in prædicta ſententia ſimiliter idem ſignificabit, quod, Ut Deo videtur. quod nec intelligit Adverſarius, & valde inepte, atque adeo impie diceretur. Sed alia adhuc, eaque fœdior, æquivocatio eſt in Adverſarii verbis, dum contra noſtram ſententiam ejuſdem Domini Jeſu aliud dictum affert Marc. 9. 23, *omnia poſſibilia ſunt credenti.* Loquitur enim Dominus manifeſte de iis, quæ nondum ſunt, eaque ut fiant, eum impetrare poſſe ait, qui modo credat. Nos autem loquimur de iis, quæ jam eſſe, immo ſemper fuiſſe dicuntur, eaque, ne eſſe quidem poſſe, dicimus. Quid ergo, quæſumus, Chriſti dictum ad ſententiam noſtram? Verum Adverſarius noſter verborum Chriſti, ſi per ſe conſiderentur, æquivocatione quadam deceptus, vel potius ea abuſus, ſic interpretatus eſt ejus dictum, quaſi voluerit dicere, omnia, ab eo, qui credat, cenſeri poſſibilia, id eſt ejuſmodi, quæ eſſe poſſint, atque adeo ſint. Quod nec ad Chriſti mentem quidquam facit, & niſi dexire admodum accipiatur, inſulſe dictum videri debet. Nam quis eſt, qui neſciat, eum, qui aliquid jam credat, illud idem eſſe poſſe, omnino cenſere? Credentis igitur nomen hoc loco ſi Adverſarii interpretatio aliqua ratione ſuſtineri queat, ita accipiendum eſt, ut eum ſignificet, qui de veracitate (ut ſic loquamur) ejus, qui rem aliquam affirmat, non dubitet, & illi fidem habeat. Atqui longe alia, ni fallimur, eſt notio ejus nominis in Chriſti verbis. In quibus eum ſignificat, qui credit rem aliquam à quopiam fieri poſſe, & porro factum iri. Quandoquidem Chriſti mens fuit docere, neminem crediturum, ipſum Chriſtum, ſive Deum per Chriſtum aliquid & poſſe & velle facere, quin id impetraturus eſſet. Quod alii loci omnes declarant, in quibus Chriſtus ab iis, qui aliquid ſive ab ipſo, ſive à Deo impetrare velint, hoc requirit; ut ſcilicet credant, ſeu fidem habeant. Maxime vero id demonſtrant hi duo loci, Matth. 9. 28. Marc. 11. 2. 3. & 24. Non eſt autem, quod hic Adverſarius de afferenda fide, non autem privato ſenſu quidquam dicat, aut contendat; cum id, quod nos impoſſibile eſſe diximus, nuſquam, ut ſupra dictum fuit, in divinis litteris affirmetur.

2. Ex prædictis perſpicuum eſt, cur verba illa *ut ita dicamus*, potiſſimum à nobis interpoſita fuerint, cum diximus, nihil impoſſibilius excogitari poſſe, quam in Deo, inque illius ſimpliciſſima eſſentia eſſe plures perſonas inter ſe diſtinctas, quarum quælibet ſit verus Deus, & non patrem tantum Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe illum unum verum Deum, ſed filium quoque

ipſius, & Spiritum Sanctum. Nempe quia voce Impoſſibilis in eum ſenſum accepta, ut id ſignificet, quod ipſum per ſe nulla ratione fieri aut eſſe poteſt: quemadmodum nos hic illam uſurpabamus, nullus, proprie loquendo, locus comparationi in ea eſſe poteſt, nec aliud alio magis impoſſibile inveniri. Quanquam præterea ea vox non ſatis Latina nobis, quemadmodum nec aliis compluribus, videbatur. Sed non tantam in eo ſcripto habebamus Latinitatis rationem, ut ea verba propter hanc ſolam cauſſam interponenda viderentur. Gratias autem agimus Adverſario, qui eam vocem teſtimonio ſuo Latinam eſſe nos docuit. Sed fac, nos ea verba ideo potiſſimum interpoſuiſſe, quod minus proprie vocem ipſam Impoſſibilis à nobis uſurpari crederemus: Non tamen ſequitur, nos interim aſſeruiſſe, aliqua ratione poſſibile id eſſe, de quo loquebamur. Neque enim neceſſario vera eſt ea Adverſarii enunciatio, *Quod non proprie impoſſibile eſſe quis dicit, aliqua ratione eſſe poſſibile aſſerit*, quæ ex conſequentis fallacia extructa eſt. Verum ſiquidem eſt, id, quod aliqua ratione eſt poſſibile, non proprie impoſſibile eſſe; ſed non fortaſſe contra, quidquid non proprie eſt impoſſibile, id aliqua ratione poſſibile eſſe. Exemplo ſimilis locutionis res planiſſima fiet. Cœlum, ubi Deus, & Chriſtus cum angelis ſuis habitat, immortale dici poteſt, propter perpetuam atque æternam ejus durationem: ſed minus proprie. Neque enim quidquid perpetuo & in æternum durat, & duraturum eſt, proprie loquendo eſt immortale. Namque hoc earum rerum eſt proprium, quæ anima & vita ſunt præditæ. Nec tamen cœlum iſtud ulla ratione mortale eſt. Atque hoc ſatis erit ad enunciationem iſtam falſitatis ſuſpectam reddendam, noſque ab Adverſarii calumnia prorſus liberandos.

3. De tanta iſta confidentia, atque ſuperbia, quam nobis Adverſarius objicit, ſupra ſatis reſponſum eſt; præſertim cap. 2. partic. 2. De vanitate autem noſtrarum inventionum, & an vere dictum ſit à nobis, opinionem de trino & uno Deo divinis oraculis eſſe contrariam, paulo poſt videbimus.

4. Non annotavimus autem, quænam eſſent iſta divina oracula, quia nec aliud nobis faciendum ſumpſeramus, quam, ut in Aſſertiones illas quodammodo animadverteremus, ea refellentes, quæ ipſarum ſcriptor ad eas probandas attulerat, nec ſatis fuiſſet annotaſſe, niſi ea etiam explicuiſſemus, & iis, quæ Adverſarii contra explicationes noſtras afferre ſolent, reſpondiſſemus. Id quod nimis longum fuiſſet, & noſtræ ſcriptionis brevitati, cui maxime ſtudebamus, plane contrarium. Quanquam nihil eſt opus oracula divina annotare & explicare, quæ iſti opinioni de trino & uno Deo adverſantur. Ea enim adeo manifeſte cum omni veritate pugnat, ut plus ſatis ſit ad ea reſpondere, quæ pro ipſa confirmanda in medium producuntur ab Adverſariis. Hinc fiet, ut ne in hac quidem reſponſione noſtra in qua non admodum brevitati ſtudemus, oracula iſta ulla ex parte commemoraturi ſimus; niſi quatenus ad Adverſarii rationes, & teſtimonia diluenda neceſſarium fuerit. Jam vero, quod Adverſarius ait, fortaſſe nos Divinorum oraculorum nomine ea intellexiſſe, ex quibus olim inimicus reſponſa dabat, in eo ſatis prodit, ſe hactenus in Chriſtiana ſchola parum profeciſſe, &, quid charitas ſit Chriſtianis hominibus præſcripta, nondum uſu didiciſſe. Nam quod ſubjungit, nos Chriſtianos eſſe, prorſus defiiſſe, & Chriſti ac Spiritus Sancti divinitatis apertos hoſtes nos profiteri, latenter autem ipſum Deum Patrem contumeliis afficere, partim, ut ſperamus, vita moribuſque noſtris abunde refellitur, partim verba, ſcriptaque noſtra id apertiſſime refutant. Quod ut apertius etiam fiat, jam age ea exponamus, atque examinemus, quæ ad iſta graviſſima nobis objecta crimina confirmanda ſcripſit Adverſarius.

Adverſarii dictorum

Pars II.

1. Poſtquam viſus eſt ſibi, ſatis probaſſe, eſſe quoddam Dei verbum æternum & per ſe ſubſiſtens, quod, caro factum, Chriſtus ſit, ſubjungit, nos hujus omnipotentis verbi hoſtes, ex iis, quæ de Chriſto ſecundum humanam naturam ſunt dicta, ſumere occaſionem ad fallendos animos infirmorum in fide, & ad hunc modum argumentari. Chriſtus homo eſt tantum, Ergo Deus non eſt. Itaque negat vocem Tantum uſquam legi, ubi Chriſtus homo eſſe dicitur, noſque dum ſcripturas interpretamur, vocem iſtam è noſtro cerebro addidiſſe affirmat. Deinde ait, ſi nihilominus dicamus, nos ſic argumentari poſſe; Chriſtus homo eſt, Ergo non eſt Deus; ſtupidos nos eſſe, qui inter diverſa, & contraria non diſtinguamus. Nam contraria quidem ſimul eſſe non poſſe; ſed diverſa poſſe. Deum autem & hominem diverſa eſſe. Poſtremo pro explicatione, quomodo Chriſtus Deus ſit ſimul, & homo, ea refert, quæ in ſymbolo habentur, quod in miſſa, quam vocant, recitatur, ubi de fide in Dei filium agitur. Hæc autem ab ipſo ſcripta ſunt à fine pag. 21. uſque ad finem ferme pag. 22.

2. Poſtea vero aggreditur reprehendere noſtras explicationes initii Euangelii Johannis. Quod ſcilicet ad verba *In principio* addiderimus, *Novi Teſtamenti*, vel *ſui Euangelii*; non animadvertentes interea, quam ineptum ſit dicere, Chriſtum fuiſſe in principio ſui teſtamenti, ſeu euangelii, quaſi inveniatur, qui ignoret, jam tum quemlibet eſſe, cum aliquid incipit agere. Sed ne ſic quidem ait, nos concludere, quod volumus. Neque enim ſequitur, Chriſtum ab æterno non fuiſſe, quia in principio Novi Teſtamenti ſeu Euangelii fuerit. Quandoquidem Pater quoque in principio Novi Teſtamenti erat; nec tamen propterea ab æterno non fuit.

3. Reprehendit ſimiliter explanationem noſtram illorum verborum, *Verbum erat apud Deum*; quæ eſt, Verbum, id eſt Chriſtus, quatenus Dei verbum erat, ſoli Deo ert notus, ut ſcilicet explanatione noſtra Euangeliſtæ verba evertamus; & ſic concludamus: Erat ſoli Deo notum illud verbum, Ergo non erat apud Deum. Atque hic ſubjicit exemplum ſeu ſimilitudinem alicujus ex noſtris, apud ſocium pecuniam deponentis; qui certe nollet ſibi eſſe fraudi, ſi ſocius diceret, pecuniam quidem apud ſe eſſe, quia ſibi ſoli eſſet nota; cæterum revera apud ſe non eſſe, atque idcirco eam ſe reddere non poſſe.

4. Præterea tanquam noſtram interpretationem ad ea verba, *& Deus erat Verbum*, affert hæc verba, *Nequaquam vulgaris fuit hic doctor, ſed plane divina virtus in ipſo relucebat*. Cui interpretationi objicit, Apoſtolos quoque non vulgares fuiſſe doctores, & in ſingulis divinam virtutem reluxiſſe. Præterea, Johannem non divinam plane virtutem in Verbo reluxiſſe, ſed Deum fuiſſe, dicere. *Aliud autem eſt*, inquit, *Deum eſſe: Aliud plane divinam virtutem in aliquo relucere.*

5. Pergit autem, & ait, cum Johannes ſubjungat, omnia per ipſum facta eſſe; & ne aliquid excludatur, addat, *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, tamen nos auſos fuiſſe mutare Omnia in Quædam, & univerſale interpretari per ejus oppoſitum particulare, referentes Omnia ad novam creaturam tantum. Ex quo fit, ut, cum deinde Joannes dicit, Verbum in mundo fuiſſe, & mundum per ipſum factum eſſe, non de hoc mundo, in quo nos habitamus, loquatur, ſed de nova creatura tantum. Unde, cum poſtea dicat, mundum eum, vel potius ipſum non cognoviſſe, emergat ſenſus abſurdiſſimus, novam creaturam eum non cognoviſſe. Quod vero miniſter quidam (ut ipſe Adverſarius eum nominat) explanationem iſtam verbi Omnia pro

Quædam

Quædam, loco illo apud Marcum confirmavit Mar. 1. 5. *Egrediebatur ad eum omnis Judæa regio, & Hieroſolymitæ univerſi*; interrogat, an etiam per iſtum locum interpretetur illa Pſaltis verba Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti*, vel illa Pſal. 118, *Omnia mandata tua veritas*, & ſimilia, ut ſcilicet vox Omnia, quædam tantum ſignificet. Ac præterea interrogat, ſi ad locum Marci fuiſſet appoſitum, *Et multi erant, qui non egrediebantur*, vel aliquid ſimile iſtius, quod eſt apud Johannem, *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*; potuiſſet ne cum exceptione exponi?

6. Tandem vero dicit, hanc eſſe rationem, qua noſtros ſectatores in errorem inducimus, Oſtentare nos unum ſcripturæ locum per alios interpretari; Ut cum, ex eo, quod Chriſtus ſalvator ubique in Sacris Literis appelletur, negamus illum verum Deum credi poſſe. Quandoquidem alii quoque homines, quorum nemo creditus fuit Deus, ſalvatores in Sanctis Literis ſunt nominati. Atqui, illos hac noſtra ratiocinatione capi affirmat, qui inter ſalutem, quam attulit Chriſtus, & eam, quam iſti attulerant, neſciunt diſtinguere. Hæc autem leguntur ab initio Pag. 24. uſque ad finem ferme pag. 27.

Reſponſiones.

1. Supra cap. 1. partic. 6. ſatis reſponſum eſt, quantum ad hoc attinet, quod Chriſtum, hominem tantum fuiſſe, dicamus. Debuerat autem Adverſarius locos ex noſtris ſcriptis producere. Etſi nos in iis ſcriptis, quæ vere ſunt noſtra, vel nullos extare arbitramur, vel ejuſmodi, qui nulli juſtæ offenſioni locum relinquant; & ſine dubio non tales, in quibus ſcripturas interpretemur. Quod vero attinet ad argumentationem iſtam: Si Chriſtus homo eſt, ergo non eſt Deus; ſi quidem Dei nomine ſummus ille rerum omnium creator intelligitur, eam ſane libenter, ut noſtram, agnoſcimus. Atque eam inveniet lector explicatam in Animadverſionibus Aſſertionis 22. nuſquam addita particula Tantum ad vocem Homo; ſed epitheto duntaxat Verus, quemadmodum in ipſa Aſſertione additum fuerat. Jam vero fatetur ipſe Adverſarius, contraria ejus naturæ eſſe, ut altero conceſſo, alterum negetur; quippe quæ ſe mutuo pellant, & interimant. Sic enim ipſemet ſcribit pag. 22. Verum nemo negaverit, immortale, & mortale; æternum, & quod principium habuit; immutabile, & mutabile, eſſe contraria, non minus, quam nigrum, & album; bonum, & malum; quæ Adverſarius ipſe pro exemplis contrariorum ſumpſit. Sed Deus eſt natura immortalis, æternus, & immutabilis; homo vero natura mortalis, principium habens, & mutabilis. Ergo, qui, quempiam Deum eſſe dicit, hominem eſſe negat; & viciſſim, qui quempiam hominem eſſe dicit, Deum eſſe negat. Et ſane miramur Adverſarium; quippe qui inter diverſa & contraria aperte diſtinguens, Deum & hominem diverſa eſſe dicat, præciſe negare voluiſſe, Deum & hominem eſſe contraria. Non ſunt quidem Deus & homo ſimpliciter & abſolute contraria; quandoquidem ſubſtantia ſubſtantiæ contraria eſſe non poteſt. Sed contraria tamen ſunt, quatenus, ut oſtenſum fuit, qualitates ſeu proprietates naturales habent plane contrarias. Unde fit, ut, de quo unum eſſentialiter (ut ſic dixerimus) prædicetur, alterum eſſentialiter prædicari nullo pacto poſſit. Niſi velimus de una atque eadem re, ea, quæ ſunt contraria, eſſentialiter prædicari poſſe. Fieri quidem poteſt, ut in una atque eadem re ad ejus eſſentiam conſtituendam eæ ſubſtantiæ concurrant, quæ qualitates naturales contrarias habeant; ut plerique in homine contingere exiſtimant, qui ex anima, & corpore ſit conſtitutus; quorum (ut cæteras contrarias qualitates omittamus) hoc natura mortale ſit, illa vero immortalis. Sed interim ipſe homo nec corpus eſt revera, neque anima. Aut certe, ſi anima eſt, corpus eſſe non poteſt; & contra, ſi eſt corpus, nullo modo poteſt eſſe anima. Sic fieri fortaſſe poſſet (& quidem ad hunc modum ex noſtris Adverſariis plerique inter antiquiores loquuntur) ut ex Deo, & homine, licet ſubſtantiis contrarias qualitates ſeu proprietates naturales habentibus, Chriſtus conſtitutus fuiſſet. Sed, quod idem Chriſtus & Deus ſit, & homo, id vero inter impoſſibilia omnino numerandum eſt; multo magis, quam, quod idem homo & anima ſit, & corpus. Nam multo etiam magis Dei natura cum hominis natura, quam animæ cum corporis pugnat. Adde, quod, ut Chriſtus, ſi verus homo eſt, Deus, qualem hic intelligimus, eſſe nequeat, non neceſſe eſt, Deum, & hominem eſſe contraria; ſed ſatis eſt, eſſe diverſa. Adverſarii enim regula, quod duo diverſa ſimul eſſe poſſint, tunc vera eſt, cum vel diverſa iſta alicujus rei ſunt accidentia, vel ſi ipſius rei, aut in ipſa re ſubſtantiæ ſunt, non prædicantur abſolute de ſubjecto, ſed aliqua ratione ejus ſunt partes, ex quibus ipſum ſubjectum conſtituitur, & tertium quid efficitur. Sed quod duæ diverſæ ſubſtantiæ de uno & eodem ſubjecto abſolute prædicari poſſint, atque hac ratione ſimul eſſe, nullo modo fieri poteſt. Alioqui una eademque res diverſas ſui ipſius eſſentias ſeu formas eſſentiales habere poſſet. Quod (ut dicitur) implicat contradictionem. Quandoquidem tot res diverſas eſſe neceſſe eſt, quot ſunt diverſæ formæ eſſentiales. Ex forma enim eſſentiali diverſa, diverſa etiam res neceſſario conſtituitur. Immo nihil aliud eſt, rem diverſam eſſe, quam diverſam formam eſſentialem habere. Jam nemo ſanæ mentis dixerit, in uno eodemque Chriſto, Deum, & hominem ſimul eſſe ut accidentia. Nullo etiam pacto concedunt Adverſarii, has duas ſubſtantias, Deum, & hominem Chriſti tanquam duas partes eſſe, ex quibus tertium quid, hoc eſt ipſe Chriſtus efficiatur, & in hoc claudicare fatentur ſimilitudinem animæ, & corporis in homine; cujus ſunt tanquam partes duæ, ex quibus tertium quid, hoc eſt ipſe homo, efficitur. Quanquam, etiamſi hac quoque in parte ſimilitudo rectiſſima eſſet, nihil hoc eos juvaret. Immo eorum ſententiam funditus everteret. Ut enim paulo ante diximus, homo ipſe nec corpus eſt, neque anima revera. Sic Chriſtus ipſe revera nec Deus, nec homo eſſet. Quid igitur volunt Adverſarii, aut certe, cum Chriſtum, Deum, & hominem eſſe dicunt, neceſſe eſt, ut velint? Nempe, has duas ſubſtantias, licet diverſas, Hominem ſcilicet, & Deum, abſolute & diſtincte utramque de uno eodemque Chriſto, ut de uno tantum ſubjecto ſeu ſuppoſito prædicari. Et ita unius ejuſdemque rei duas diverſas formas eſſentiales inducunt. Quod, ut dictum fuit, plane eſt impoſſibile. Hic ſine dubio neceſſe habent, ut effugere conentur, novum aliquem modum & naturæ prorſus incognitum adeoque repugnantem comminiſci; quo ſubſtantia aliqua de ſubjecto quodam abſolute prædicetur, & tamen ejus ſubjecti eſſentia non ſit; & ſic contra omnem rationem loqui coguntur. Quare deſinant, rogamus, in ſententia ſua vel defendenda, vel probanda rationibus contra ſe allatis reſpondere, aut rationibus ullo modo uti, ſed ſacris tantum teſtimoniis agant, ultro confitentes, ſi rationibus agatur, de ſua cauſſa actum eſſe. Nam, ſi omnes aliæ rationes hoc loco afferendæ atque explicandæ eſſent, quibus neceſſario evincitur, fieri non poſſe (quidquid hic tandem novi & naturæ prorſus incogniti Adverſarii comminiſcantur) ut, qui verus homo eſt, idem æternus Deus ſit, nimis longi eſſemus. Sed quæ diximus ſatis ſuperque eſſe poterunt. Quocirca nihil eſt, quod quidquam reſpondeamus ad explicationem ex Nicæno Symbolo petitam, quomodo idem Chriſtus & Deus ſit & homo. Præſertim, cum ibi ea dicantur, quæ, ex rationibus ſaltem ab ipſo Adverſario alibi contra nos allatis, manifeſto ſunt falſa, Deum ſcilicet incarnatum eſſe, & hominem eſſe factum, &c. Qui enim poſſunt iſta in Deum cadere, ſi Dei ſubſtantiæ nihil novi accidere poteſt? Quanquam non ita omnino loquitur Adverſarius; ſed ſæpius negat, in Deo quidquam eſſe,

quod ipſius ſubſtantia non ſit, immo non ſit ipſe Deus, & ſic omnia accidentia cujuſcumque generis, licet penitus inſeparabilia, atque ex ipſa eſſentia neceſſario manantia, à Deo excludit. Quanto igitur magis adventitia omnia & nova accidentia à Deo ejuſque ſubſtantia excludenda ſunt? Verum quis negare poterit, ſi Deus tunc incarnatus eſt revera, & homo factus, cum Chriſtus Jeſus de Spiritu Sancto in Mariæ virginis utero eſt conceptus, exque ea natus, ipſi Deo ejuſque ſubſtantiæ adventicium aliquid & novum, idque maximi momenti accidiſſe? Sed jam ad reliqua pergamus.

2. Aliud eſt ipſa verba alicujus ſcriptoris aliis verbis idem ſignificantibus, ſed pluribus & clarioribus, reddere; aliud vero eadem verba aperire & explicare. Illud Paraphraſis; hoc Explanatio vocari ſolet. In paraphraſi nihil poni debet, quod ab ipſo auctore eo ipſo in loco rectiſſime dici non potuerit. Ex illius enim perſona omnia dicuntur. In explanatione autem multa dici poſſunt, quæ minus recte ab ipſo auctore dicta eo in loco fuiſſent. Si quando igitur in noſtrorum hominum ſcriptis verba illa prima Euangelii Johannis, *In principio erat verbum*, ſic exponuntur, *In principio ſui Euangelii Chriſtus erat* (nam *ſui teſtamenti* nemo fortaſſe ex noſtris hoc loco ſcripſit) non eſt hæc paraphraſis; neque ea verba ex ipſius Euangeliſtæ perſona dicuntur. Fatemur enim abſurdum videri poſſe, ſi Johannes ipſe dixiſſet, Chriſtum in Euangelii ſui principio fuiſſe. Idque propter eam ipſam rationem, quam Adverſarius affert. Sed explanatio iſta eſt; verbaque ex ipſius explanantis perſona ſunt dicta, qui illud Euangelium, in cujus principio Chriſtum fuiſſe, à Johanne verbis illis dictum contendit, quod & quale Euangelium ſit, docere unico verbo voluit, id eſt, voce *ſui*. Certum enim eſſe debet, iſtud Euangelium non aliud, quam ipſius Chriſti Euangelium eſſe. Id quod ſi ipſe Johannes eo loco expreſſiſſet, inepte locutus videri poſſet. Itaque, cum vel noſtri homines, vel qui noſtri eſſe exiſtimantur, ipſum Johannem loquentem faciunt, & paraphraſi utuntur, vocem Sui reticent. Quemadmodum in ea paraphraſi factum eſt, quæ anno 1561. ab eo ipſo *ſcripta fuit, qui ſententiam, quam de Jeſu Chriſti perſona amplexi ſumus, primus omnium hac ætate noſtra (quod ſciamus) ex Sacris Literis docuit. Sic enim in ea legitur, *In Euangelii principio erat Dei ſermo* &c. & in ſcripto illo, ubi Adverſarius legit eam interpretationem verborum, *& Deus erat Verbum*, quam, ut noſtram, tantopere vituperat, paulo ante hæc verba extant, *Dicit ergo Johannes, In principio Euangelii erat ſermo*, &c. Ceſſat vero omnis abſurditas, ſi in ipſius Johannis verbis vox Sui, non addatur. Iſque convenientiſſime inducitur dicens, in Euangelii principio fuiſſe Chriſtum, idque ut Dei ſermonem. His enim verbis ipſe Chriſtus verus Euangelii auctor non obſcure aſſeritur; ne quis vel Johannem Baptiſtam, vel alium quempiam ejus auctorem eſſe exiſtimet. Præterea non tam abſurdum eſt, ut videri poſſe diximus, & Adverſarius cenſet, ſi Johannes ipſe dixiſſet, Chriſtum fuiſſe in principio ſui Euangelii, quia videlicet nemo neſciat, unumquemque jam tum eſſe, cum aliquid agere incipit. Poteſt enim Euangelii Chriſti principium ſumi ante ipſam Chriſti prædicationem; id eſt ab initio prædicationis Johannis Baptiſtæ, ut Marcus profecto facit, cum ait Marc. 1. 1. &c, *Initium* (eſt autem in Græco vox ἀρχὴ, non ſecus atque apud Johannem) *euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta* (vel potius *in Prophetis*) *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, &c. Et Petrus ait Act. 1. 21, *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jeſus, incipiens à baptiſmate Johannis*, &c. ubi manifeſte principium muneris Domini Jeſu in terris ab Johannis baptiſmo repetitur. Et poſſunt hæc Petri verba pro explanatione eſſe verborum Marci: ſi quis fortaſſe de eorum ſententia dubitaret, & primum verſiculum nullo modo cum ſequentibus connectendum eſſe ſuſpicaretur. Legitur enim apud eccleſiaſticarum rerum ſcriptores, Marcum Euangelium ſuum à Petro hauſiſſe, & tantum non eo dictante ſcripſiſſe. Hæc autem, quæ hic de Jeſu Chriſti euangelii principio diximus, potuit Adverſarius in ſcriptis legere noſtrorum hominum ante annos plurimos editis, ſi ita in ipſis verſatus eſt, ut videri vult. Idque in eo ipſo loco ubi fortaſſe legit verbum Sui ad Euangelii verbum additum. In ea videlicet explicatione primæ partis primi cap. Joh quæ annos ab hinc circiter viginti duos Latine conſcripta, & poſtmodum edita, mox Polonice quoque ωδ ϑφφεφαπεύς converſa atque edita fuit. Sic enim ibi ſcriptum eſt. *In principio erat Verbum*; *Hoc eſt Chriſtus Dei filius in principio Euangelii ſui, eo nimirum tempore, quo Johannes Baptiſta ad frugem Iſraëliticum populum revocare cœpit, & antequam ipſius Baptiſtæ prædicatione Judæis innotuiſſet, jam erat, & erat à Deo huic muneri, voluntatem ſcilicet ſuam patefaciendi, deſtinatus. Nam Euangelii principium à Baptiſtæ prædicatione ducendum eſſe, ex Marco liquido conſtat Marc. 1, quem hic noſter, quod ad Principii nomen attinet, auctorem habet*, &c. Si hæc verba Adverſarius attente legiſſet, aperte cognoviſſet, ſe nihil habere, quod nobis objiceret, etiamſi ipſum Johannem feciſſemus dicentem, Jeſum Chriſtum Dei verbum in principio ſui euangelii fuiſſe. Ridiculum eſt autem, quod poſtea addit, nos hac interpretatione noſtra, quod Principii nomen ad Euangelii ſeu teſtamenti novi principium referendum ſit, non tamen concludere, quod volumus, nempe Chriſtum non fuiſſe ab æterno. Quaſi vero non ipſi Adverſarii ſint, qui ex eo loco Chriſti æternitatem evincere volunt, & nos interpretatione noſtra aliud quæramus, quam, ut, loco explicato, perperam iſtud ab ipſis fieri demonſtremus. Sed commune eſt hoc Adverſariorum vitium, & vulgatum in nos ſophiſma, ut quæ à nobis ad ipſorum falſas aut dubias verbi Dei interpretationes illincque pro ſententia ſua ab illis ductas argumentationes refellendas ac diluendas afferuntur, ad ipſam ſententiam noſtram probandam afferri dicant, & nos ſæpiſſime inepte prorſus atque imperite ex reſpondentibus argumentantes faciant.

3. Nam id etiam, quod ſtatim Adverſarius addit, hujus & deterioris ſimul eſt generis. Dicimus enim, Verbum, id eſt Chriſtum, apud Deum fuiſſe, à Johanne dici, quia in eo principio, de quo eum loqui affirmamus, & in quo diſerte poſtea, Verbum apud Deum fuiſſe, ſcribit, Chriſtus, ut ipſius Dei verbum, ſoli Deo erat notus; & hanc vocis Apud, & locutionis illius Eſſe apud Deum, vim & ſignificationem ex aliis locis confirmamus; atque adeo ex ſimillimis ejuſdem ſcriptoris hoc loco agnoſcendam eſſe demonſtramus. Qualis eſt ille in initio primæ Epiſtolæ 1 Joh. 1. 2, ubi manifeſte opponuntur Eſſe apud Deum, &, Hominibus patefieri. Quid ergo habet Adverſarius, ut nos non modo per contemptum Novos grammaticos appellet, ſed etiam nobis objiciat, quod interpretatione noſtra illud evertere velimus, quod Euangeliſta dicit, & negare Verbum illud, de quo loquitur, apud Deum fuiſſe? Quaſi vero primum certiſſimum ſit, Euangeliſtæ verba non poſſe aliter accipi, atque ipſe cum ſuis accipienda contendit; ac deinde nobis propoſitum ſit, ſententiam, quam ipſi inde eliciunt, penitus falſam eſſe oſtendere; cum tamen & Euangeliſtæ verba alium ſenſum habere poſſe conſtet, quam ipſi autument, & certum ſit, nos interpretatione noſtra id unum ſpectare, ut recte Euangeliſtæ mente percepta, iſtos ad commenta ſua confirmanda ejus verbis abuti, unuſquiſque poſſit agnoſcere. Nam quid dicemus de ineptiſſimo ſive exemplo ſive ſimilitudine, quam ad noſtram interpretationem infirmandam ſimul & deridendam attulit? Certe præterquam quod nullo modo ad rem facere poteſt, cum nos Eſſe apud aliquem, in alium ſenſum accipi poſſe, quam hic à nobis fiat, minime negemus, in ea etiam manifeſte principium petitur, & à verbis, de quorum ſignificatione quæritur per ſummam elenchi ignorationem ad rem tranſitur. Quæritur enim, quo

* Lælius Socinus.

quo ſenſu dictum fuerit à Johanne, Verbum fuiſſe apud Deum; & contendit Adverſarius, hoc ſignificare, Chriſtum natura ſua divina individue conjunctum cum Deo Patre fuiſſe, & nos ridet, qui hoc de Chriſto negantes, dicimus, ea locutione ſignificari, Chriſtum ſoli Deo fuiſſe notum. Ut autem nos merito ſe ridere oſtendat, exemplum ſeu ſimilitudinem affert, in qua cum manifeſta principii petitione id ipſum ponitur, quod ei reſpondere ſeu ſimile eſſe poſſit, quod nos de Chriſto negamus, ipſe affirmat. Nec porro in ea revera de interpretatione ullorum verborum quæritur, ſed de facto, cujus occaſione de verbis ab ipſis altercantibus prolatis inepte diſputatur. Nam quid eſt, cur is, apud quem pecunia depoſita fuerit, non plane neget, eam pecuniam apud ſe eſſe? Si in ſimilitudine ſua explicanda dixiſſet Adverſarius, chirographum aliquod ſeu tabulas extare, in quibus antea ſcriptum eſſet, pecuniam iſtam apud illum eſſe, qui depoſitum negat, quæ verba is, ſimiliter ac nos Johannis verba, interpretaretur, quamvis in ea nihilominus principium petitum fuiſſet, non tamen ita turpiter in ipſa fuiſſet erratum, & verba cum facto imperite commutata. Multa alia omittimus, quæ iſtius ſimilitudinis ad id, quod Adverſarius per ipſam efficere voluit ineptitudinem, & ipſius per ſe vitia oſtendere poſſent. Nam & hæc ipſa quæ diximus, minus neceſſaria videri poterunt.

4. Interpretationem iſtam à Simone Budnæo in libello de duabus naturis in Chriſto allatam, nequaquam abdicamus; nec habet Adverſarius cur eam merito rejiciat, aut vituperet. Quid enim per verba illa, *Plane divina virtus in ipſo relucebat*, & intelligere deceat, & Budnæus ipſe intelexerit, declarat aperte id, quod idem Budnæus in brevi ſcripto una cum prædicto libello ab ipſo edito, quod titulum habet, *Brevis demonſtratio*, &c. de ratione, cur Chriſtus Deus in Sacris Literis appellatus fuerit, & porro Deus ſit, cordate ſane ac pie ſcripſit. Sic enim concludit, *Ideo itaque & Deus dicitur Chriſtus, quod omnia, illâ à Deo data virtute poſſit, quod omnibus imperet, quod illi omnes etiam angeli pareant, quodque vitam in ſemetipſo habeat. Sed hæc omnia à Deo habet, & eidem accepta refert.* Ecce tibi vis & pondus voculæ illius Plane, quam Adverſarius, cum inſtantiam de Apoſtolis attulit, prorſus omiſit. Ac maluit (quod illi ſæpiſſime contingit) malus dialecticus videri, quam id dicere, quod falſitatis coargui aliqua ratione poſſe ſentiebat. Et certe nihil eorum, quæ modo Budnæi verbis recitandis commemoravimus, & ex quibus fit, ut in Chriſto, qui ea habet omnia, non divina tantum, ſed plane divina, virtus reluxerit, in ullo ex Apoſtolis, ſed ne in omnibus quidem ſimul fuit unquam. Nam quod Adverſarius objicit, Johannem non dixiſſe, In Verbo plane divina virtus relucebat, ſed Deus erat Verbum, & aliud eſſe, Deum eſſe; aliud Plane divinam virtutem in aliquo relucere, in eo & principium petit, & ſimul vel id dicit, quod manifeſte falſum eſt, vel æquivocationis captione utitur. Si enim prorſus negare vult, Deum eſſe, ſignificare poſſe, plane divinam virtutem in aliquo eſſe, ſive, illum Deum eſſe, in quo plane divina virtus reluceat, hoc illud ipſum eſt, quod nos affirmamus, & de quo hoc loco diſputatur. Ac præterea Sacris Literis, adeoque ipſi Chriſto, aperte adverſatur, qui ſcripturam, quæ dicit, eos eſſe Deos, ad quos Dei ſermo factus eſt Joh. 10. 35. ſolvi poſſe negat. Etenim ſi iſti, qui nihil amplius quam terreni ac temporarii judices erant, ſunt dicti dii eſſe, & porro erant dii; nemo profecto, qui mente non careat, negaverit, eum, in quo plane divina virtus relucebat, præſertim eo modo, quem ſupra expoſuimus, Deum ob id ipſum merito dici potuiſſe, & porro fuiſſe. Sin autem vult Adverſarius dicere, plane divinam virtutem in aliquo relucere poſſe, qui tamen non ſit Deus ab æterno, id eſt ſummus ille omnium rerum conditor, eſt hic aperta æquivocatio. Profecto enim nomen Deus licet ſua natura & uſu adhuc appellativum, tamen ut proprium frequentiſſime uſurpatur, & de illo omnium deorum Deo κατ' ἐξοχὴν non prædicative tantum (ut ſic loquamur) ſed ſubjective quoque paſſim dicitur. Atqui nos in Johannis verbis nullo modo proprium, ſed omnino appellativum, nomen Deus agnoſcendum eſſe aperte contendimus. Cujus rei non leve argumentum id eſſe poteſt, quod in Græco non eſt appoſitus articulus, qui tamen antea fuerat, cum manifeſte idem nomen tanquam proprium uſurpatum fuit. Qua de re infra alibi videndum erit.

5. Nemo noſtrum eſt, qui commutet Omnia, quod eſt apud Johannem, in Quædam. Fac enim Johannem ita dicentem Quædam per ipſum facta ſunt, ſenſus erit ab eo, quem nos in illius verbis agnoſcimus, plane diverſus, & porro ad Johannis ſcopum à nobis expoſitum ineptiſſimus. Sed dicimus, verbum Omnia apud Johannem cum uſitatiſſima figura ἰδιώτης ſeu defectu verborum uſurpatum fuiſſe; ſubaudienda enim eſſe hæc aut ſimilia verba, *Quæ ad Euangelium pertinent*, ſeu, *Quæ pertinent ad novam creationem.* Itaque in verbo Omnia conſuetam ac propriam vim nihil excludendi agnoſcimus; ſed tamen id requirimus, ut, quemadmodum uſus frequentiſſimus eſt ipſarum Sacrarum Literarum, hoc ad ſubjectam materiam referatur. Subjectam autem materiam Euangelium eſſe, res ipſa per ſe aperte clamat. Solemus autem inter alia innumerabilia, quæ afferri poſſunt, exempla, illud potiſſimum afferre, ut pote rei noſtræ accommodatiſſimum, quod extat 2 Cor. 5. 17. *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia nova.* Nemo enim non videt, ibi voce Omnia ea tantum omnia ſignificari, quæ ad Dei fœdus atque promiſſa, ad vitam moreſque noſtros, ad pietatem denique & religionem pertinent. Quia nimirum talis eſt ſubjecta materia. Verum, ne quis fortaſſe cauſſetur, in loco iſto Pauli non eſſe in Græco ſimpliciter πάντα ſine articulo, ut in hoc Johannis loco, ſed τὰ πάντα, cum articulo; qui articulus certa quædam omnia indicare poſſit, legat apud eundem Johannem locum illum cap. 4. 25. *ſcio, quia Meſſias venit (qui dicitur Chriſtus.) Cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.* Ibi enim in Græco non eſt articulus, & tamen certum eſt, verbum Omnia ad ea referendum eſſe, quæ ad Dei cultum atque notitiam pertinent, vel potius ſunt neceſſaria. De his enim erat ſermo inſtitutus. Præterea apud eundem ait Chriſtus ſuis diſcipulis Joh. 14. 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Hic enim ſimiliter in Græco non eſt articulus, & nihilominus certa quædam omnia intelligenda ſunt. Niſi velimus, Spiritum Sanctum docuiſſe Apoſtolos (ut cætera omittamus) omnes artes ſeu mechanicas ſeu liberales. Jam vero quis neſcit, Omnium appellatione Chriſtum ea omnia intellexiſſe, quæ ad ipſius religionem pertinebant? ſic enim ſubjecta materia poſtulat, ſimulque perſona eorum, quibus loquebatur. Nam & alibi ipſe Johannes 1 Joh. 2. 20. eos, ad quos ſcribit, dicit unctionem, id eſt Spiritum Sanctum, habere à ſancto, & noſſe omnia, καὶ (inquit) οἴδατε πάντα, & rurſus ait 27, eandem unctionem docere illos περὶ πάντων, de omnibus. Ubi, niſi quis certa quædam omnia intelligat, ea videlicet, de quibus Apoſtolum agere, aliunde colligi poteſt, falſam prorſus ſententiam ex veriſſimis ejus verbis eliciet. Adde autem his locis apud eundem Johannem verba illa, *Poſtea ſciens Jeſus, quia omnia jam conſummata ſunt*, id eſt eſſent, ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται. Certe enim, ſi verbum Omnia ſimpliciter acciperetur ac ſine ullo verborum defectu, & falſa ſimul, & longe abſurdiſſima ſententia eſſet, ſed ſubjecta materia monet, de omnibus illis loqui Euangeliſtam, quæ de Chriſti in terris munere à Prophetis prædicta, & à Deo decreta fuerant. Quod ſi quis exemplis hiſce paucis, quæ ex eodem Johanne attulimus, non contentus, plura adhuc poſtulet, hos locos inſpicere poterit Matth. 17. 11. Marc. 13. 23. Luc. 11. 41. Act. 2. 44, & 20. 35.

Rom. 14. 2. 1 Cor. 2. 15, & VI. 12, & X. 23, & 33, & XIII. 7. Gal 3. 22. Philip. 4. 13. 2 Tim. 2. 10. Tit. 1. 15, & cap. 2. 9. 2 Petr. 3. 4. Apoc. 21. 5. Inter hos autem locos multi ſunt ejuſmodi, qui ſuperioribus ad id demonſtrandum, quod volumus de uſu ſimplicis vocis πᾶς fortaſſe magis ſint apti. Ne putet autem lector, omnes, qui afferri potuiſſent, allatos fuiſſe. Permultos enim omiſimus; & præſertim eos, in quibus vel minima dubitatio eſſe poſſit. Breviter, ſi quis non adeo in Novi Teſtamenti ſcriptis verſatus librum Concordantiarum (quem vocant) conſuluerit, inveniet multo ſæpius verbum Omnia ſimpliciter poſitum certa quædam omnia ſignificare, quam omnia indiſtincte prorſus atque abſolute. Itaque nihil omnino ad interpretationem noſtram verborum Johannis convellendam pertinet, quod in quibuſdam locis ex Sacris Literis ab Adverſario allatis verbum Omnia nullam diſtinctionem recipere videatur. Satis enim nobis eſt, ſi ſæpe, immo ſi aliquando recipere debeat. Quid igitur ſi plerumque, præſertim vero in ipſo Novo Teſtamento? Quanquam idem de vetere, unde ſua teſtimonia Adverſarius deſumpſit, affirmare non dubitamus. Quid, quod teſtimonia iſta nihil ad rem faciunt? Namque in iis duobus, quæ aperte commemoravit, quorum ſimilia quoque intelligi vult, neutrobi verbum Omnia ſimpliciter poſitum eſt; ſed cum manifeſta relatione. In priore enim teſtimonio Pſal. 104. 24. referendum eſt verbum Omnia ad *opera tua*, quæ verba proxime antecedunt; & in Hebræo legitur כלם Omnia illa. In poſteriore vero Pſal. 119. 86. diſerte ſcriptum eſt *Omnia mandata tua*. Non poteſt autem in hiſce & ſimilibus locis eſſe ea figura, quam nos in Johannis loco eſſe contendimus, videlicet ἔλλειψις, aut certe non eodem modo; cum de quibus omnibus ſit ſermo, expreſſe additum fuerit. In cujuſmodi tamen locis ſi quando contingit, ut non prorſus omnia ſint intelligenda ejus generis, quod expreſſum eſt, tunc ſolet non ἔλλειψις ſeu Defectus eſſe in verbis; ſed figura Synecdoche, quam Miniſter ille, cujus Adverſarius meminit ſine dubio non admodum recte cum Defectu confudit. Verum tamen non omnino extra rem eſt locutus. Nam, ſi, ubi dictio univerſalis ad aliquod certum genus diſerte refertur, eſt tamen ea dictio interdum adhuc reſtringenda, multo profecto magis id fieri poſſe videtur, cum ſimpliciter eſt poſita. Nec quidquam obſtat, quod ſæpiſſime, ad certum genus relata, coarctari amplius non poſſe inveniatur. Satis enim eſt exempla aliquot inveniri, ubi omnino coarctari debeat; & in loco, de quo ambigitur, cauſſam ſubeſſe, cur non ita univerſe, ut ſonat, ſit verbum illud accipiendum. In loco autem, de quo ambigimus, cauſſam iſtam ſubeſſe, ea planum faciunt, quæ à noſtris hominibus hactenus ſunt ſcripta ad probandum, quod Johannes ὁ λόγῳ ſeu Verbi nomine nihil aliud, quam hominem illum Jeſum Nazarenum, intellexerit, quodque de nulla re alia eum loqui verisimile ſit, quam de iis, quæ ad ipſum Euangelium pertinent. Ex hoc enim neceſſario ſequitur, dictionem Omnia reſtringendam eſſe, ne Johannem alioquin ea dicentem faciamus, quæ & falſiſſima ſunt, & ab ejus propoſito aliena. Quamobrem ne adverſus quidem Miniſtrum iſtum, contra quem potiſſimum eos attulit Adverſarius, quidquam poſſunt iſtiuſmodi Sacrarum Literarum loci, ubi dictio Omnia ex interpretatione nullo modo præter id, quod ibi ſcriptum ſit, coanguſtanda eſt.

Sed interim digniſſimum animadverſione eſt, quam fœde lapſus fuerit Adverſarius, dum contra ejuſdem Miniſtri interpretationem exemplumque ab ipſo allatum, urget verba illa, quæ ſtatim Johannes ſubjungit, *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Cum enim interrogare debuiſſet, quid ſi ad locum Marci fuiſſet appoſitum, Et nullus erat, qui non egrederetur, interrogat, quid ſi fuiſſet appoſitum, Multi erant, qui non egrediebantur. Certe ſi hoc fuiſſet appoſitum, Marci dictum, quod omnis Judææ regio, & Hieroſolymitæ univerſi egrederentur ad Johannem, cum exceptione exponi non potuiſſet modo, ſed etiam debuiſſet. Nam ipſa exceptio in ejus verbis explicata eſſet. Verum, ne videamur hac ratione vim iſtorum Johannis verborum declinare, aut ſubterfugere velle, quædam de illis accuratius mox erunt nobis diſputanda. Prius enim ad id reſpondere volumus, quod Adverſarius ait hoc eodem loco pag. 26. *Si* (inquit) *univerſaliter eſt intelligendum Omnia in ſapientia feciſti, cur etiam Omnia per ipſum facta ſunt, non eodem modo?* Primum igitur, ut ante diximus, locus iſte nequaquam eſt ſimilis noſtro. Siquidem ibi verbum Omnia non eſt ſimpliciter poſitum, ſed cum manifeſta relatione ad Opera tua; ubi nulla ἔλλειψις ſeu Defectus locum habet, aut certe non qualis in loco noſtro eſſe poteſt. Deinde non obſcurum videtur, Adverſarium non ſolum ex locutionis, ſed etiam ex rei ſimilitudine argumentari. Quaſi Johannes de eadem re loquatur, de qua Pſaltes locutus fuerat; & ſapientia illa, in qua ille dixerat, Deum omnia feciſſe, nihil aliud ſit, quam Verbum, per quod hic dixit omnia facta eſſe. Idque maxime ob eam cauſſam, quod Chriſtus, qui ſine controverſia eſt illud Verbum, alibi Dei ſapientia eſſe dicitur. Quoniam igitur hoc ſibi velle videtur Adverſarius, dicimus, in hac ejus tacita argumentatione principium dupliciter peti. Neque enim ullo pacto concedimus nos, utrobique de eadem re agi, aut Chriſtum, quamvis Dei ſapientia eſſe dicatur, eſſe illam ſapientiam, in qua Deus fecit omnia opera ſua. Qua de re ſuo loco infra latius diſſeremus. Nunc ad Johannis verba illa revertimur, *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Dicimus enim, verba iſta non eam vim habere, ut dictio Omnia, quæ anteceſſit, prorſus univerſaliter ſit accipienda. Nec ejuſmodi verba poſt univerſales enunciationes ad ἔλλειψιν ſeu Defectum, ſed ad Synecdochen excludendam addi ſolent. Addat quis alicui ex exemplis, quæ ſupra attulimus, ſimilia verba, & videbit, Defectum, qui in illo eſſe poteſt, hac ratione non tolli; ſed Synecdochen tantum excludi. Verbi gratia, cum Johannes dixit, *Poſtea ſciens Jeſus, quod omnia conſummata eſſent*, ſi addidiſſet, *& quod nihil non eſſet conſummatum*, ut certe potuiſſet, non utique colligeretur ex his verbis nullam ἔλλειψιν eſſe in antecedentibus, ſeu Verbum Omnia prorſus univerſe accipiendum eſſe; ſed tantummodo concluderetur, ex certis illis quibuſdam omnibus, de quibus antea dictum eſſet, nihil prorſus non fuiſſe conſummatum. Ne quis præter Defectus figuram, Synecdochen quoque in præcedentibus verbis eſſe exiſtimaret. Reſponderat apud eundem Johannem Jeſus pontifici eum interroganti de diſcipulis & de doctrina ipſius Joh. 18. 20, *Ego palam locutus ſum in mundo; ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quo omnes Judæi conveniunt.* Hoc autem non contentus, ſtatim addit, *Et in occulto locutus ſum nihil.* Quæ verba nullo pacto tollunt defectum, qui in præcedentibus eſſe poteſt, ut certe eſt (neque enim ſimpliciter verum erat, Jeſum ſemper docuiſſe in ſynagoga, & in templo) nec ex illis concludere licet, Chriſtum nihil prorſus locutum fuiſſe, id eſt (nam hic rurſus alia Defectus figura ſubeſt) docuiſſe, in occulto. Certum eſt enim, eum multa diſcipulos ſuos privatim docuiſſe, ſed tantummodo per ipſa intelligendum eſt, in illo docendi genere, de quo Chriſtus loquebatur, nihil prorſus fuiſſe, quod ab ipſo occulte factum eſſet. Sic igitur, cum ipſe Johannes ait, *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, non efficitur ex his verbis, nullum defectum eſſe in præcedentibus, & verbum Omnia in illis prorſus univerſe accipiendum eſſe; nec porro ex ipſis concluditur, nihil penitus eſſe, quod ſine Verbo illo, de quo verba fiebant, factum non ſit. Sed excluditur tantum Synecdoche, quam præter Defectum in antecedentibus eſſe, ſuſpicari quis potuiſſet, & concluditur, nihil omnino eſſe ex illis certis quibuſdam omnibus, de quibus ſermo erat, quod ſine illo Verbo ſit factum. Id eſt, quæcumque pertinebant ad Euangelium, non quidem majore ex parte tantum, aut generatim, ſed omnia prorſus & ſingula non ſine verbo illo,

id

id eſt Jeſu Chriſto Domino noſtro facta eſſe. Quandoquidem illa omnia, quæ ipſius Apoſtolorum, vel aliorum fidelium diſcipulorum opera, aut quacumque alia ratione facta ſunt, quæ ad Euangelium pertineant, non modo ante, ſed etiam poſt aſcenſum ipſius in cœlum, nullo prorſus excepto, efficacia ac poteſtate illa, qua ipſe Jeſus Chriſtus præditus eſt, ſunt facta, & ipſo annuente, atque, ut ſcriptura loquitur Marc. 16.20. cooperante ad exitum perducta. Propter quod potiſſimum veriſimile eſt, Johannem, quaſi explicantem id, quod prius dixerat, per Verbum ſeu ſermonem, id eſt, Chriſtum Jeſum facta eſſe omnia, ſubjunxiſſe, ſine ipſo nihil factum eſſe. Ut intelligeretur, præpoſitionem Per, non habere eam vim, ut cenſeri debeat, ipſummet Chriſtum immediate (ut loquuntur) Omnia ut inſtrumentalem cauſſam feciſſe, ſed nihil ſine ipſius opera fuiſſe factum. Ex quo etiam colligi poteſt, non agi hic de mundi creatione, quæ per Verbum iſtud ſeu ſermonem ſit facta; Eam etiam non aliter, quam immediate per ipſum fieri potuiſſe conſtat, aut certe factam fuiſſe Adverſarii volunt. Habes autem huic noſtro valde ſimilem locum in ipſius Chriſti verbis, cum Apoſtolis ſuis dixit Joh. 15 5, *Sine me nihil poteſtis facere.* Nec enim voluit tunc Chriſtus dicere, eos (exempli cauſſa) ſine ipſo non poſſe comedere, aut bibere, aut ſimilia facere, ſive etiam manibus ſuis quidquam operari eorum, quæ ad hanc mortalem vitam pertinent; ſed nihil facere poſſe boni, vel operari in rebus ad Euangelium, & vitam æternam ſpectantibus. Adde, quod ſi quis Johannis ſenſum penitius inſpexerit, cognoſcet, tantum abeſſe, ut per verba illa. *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, docere voluerit, in antecedentibus verbis verbum Omnia nihil prorſus eorum, quæ ſunt, aut fuerunt unquam, non comprehendere, ut potius, dum nihil excipiendum eſſe docet eorum omnium, quæ intellexerat, ſimul quænam Omnia intellexerit, ſignificet: non quidem videlicet omnia, quæ eſſent, aut fuiſſent unquam, ſed quæ facta eſſent, id eſt nuper & recens facta fuiſſe (inuſitata videlicet ac mirabilia) aut viſum, aut auditum eſſet. Nam & Paulus ſimplici Eorum, quæ facta ſunt, nomine, Chriſti, ejuſque diſcipulorum mirabilia opera potiſſimum intellexit, Rom. 1 20. quamvis plerique ad res creatas ab initio mundi ejus verba retulerint, eo decepti, quod crediderunt, verba, quæ antecedunt, *à creatura*, id eſt creatione, *mundi* cum verbo *conſpiciuntur*, quod poſtmodum ſequitur conjungenda eſſe, & præpoſitionem A pro Ex eſſe accipiendam. Cum tamen ea cum verbo *inviſibilia*, quod præcedit, multo planiore ac faciliore verborum ſtructura, ſint conjungenda, nihil ejus præpoſitionis propria ſignificatione immutata; & loci ſententia ſit, ea, quæ poſtquam mundus conditus fuerat, de Deo non apparuerant, per Chriſti, & diſcipulorum ejus mirabilia opera conſpecta fuiſſe. Eſtque locutio iſta *Inviſibilia à creatione mundi* ei ſimilis quæ habetur Matth. 13. 35. *abſcondita à conſtitutione mundi.* Sed hæc obiter. Illud tamen addemus, Niſi verba illa, *quod factum eſt*, aliter accipiantur, ac vulgo ſonant, niſique aliquid paulo reconditioris ſenſus in illis inſit, prorſus ſupervacanea ea videri poſſe. Namque hinc factum eſt, ut non pauci ea cum ſequentibus omnino conjungenda judicarent; non autem cum antecedentibus, in quibus ſatis ſuperque expreſſum eſſe videbant id, quod hæc illis adjuncta ſignificare poſſe exiſtimabant. Jam quod Adverſarius ait, ex interpretatione noſtra ſequi, Johannem, cum poſtea de mundo, in quo Verbum eſſet, quique per ipſum factus fuiſſet, loquitur, non hunc mundum, in quo habitamus intelligere; ſi mundi hujus, in quo habitamus, nomine non quidem ipſum orbem terrarum, vel cœlum ſimul, & terram intelligit, ſed homines ipſos, inter quos habitamus, ſeu hominum hanc quaſi civitatem & rempublicam, in qua ſumus, plurimum opinione ſua fallitur, ſeque in noſtrorum hominum ſcriptis, ut ſupra etiam olte idimus, parum diligenter verſatum prodit. Etenim certum eſt, à noſtris hominibus verba illa *In mundo erat*, perinde accipi, ac ſi ſcriptum eſſet, Inter homines verſabatur, ſeu verſatus eſt. Quæ vero ſequuntur, *Et mundus per ipſum factus eſt*, ad hunc modum ab ipſis explanantur, Homines, id eſt hæc quaſi hominum civitas, denuo per ipſum facta & creata, id eſt formata eſt. Agnoſcitur enim hic à noſtris hominibus Hebraiſmus in verbo *factus eſt*, ut ſcilicet ſimplex pro compoſito (nam compoſitis verbis carent Hebræi) fuerit poſitum. Quomodo vero hæc renovatio facta fuerit, in explicatione illa, cujus ſupra mentionem fecimus, Latine & Polonice olim edita, his verbis exponitur; *Illius opera & cultus ille carnalis, quo Deum Iſraëliticus populus colebat, abolitus fuit, & idola fere omnia, quæ gentibus reſponſa dabant, ſublata fuerunt. Præterea ex Judæis, & gentibus unus Dei populus factus eſt, & utrique ex tenebris, & morte in lucem, immortalitatemque fuere tranſlati, &, ut omnia paucis comprehendam, Apoſtoli verbis 2 Cor. 5. 17. utar paulo ante expoſitis, hoc eſt, illius opera vetera præterierunt, & nova facta ſunt omnia.* An non hæc hominum ſeu humanæ civitatis inſtauratio ac reformatio fuit, eaque vel omnium judicio maxima & præſtantiſſima? Ad hunc autem modum Johannis verbis explicatis, nullus abſurdus ſenſus ex ſequentibus verbis emergit, *Et mundus ipſum non cognovit*; etiam ſi de eodem mundo, ut quidem in prædicta fit explicatione, omnino accipi debeant. Sic enim deinceps ibidem verba iſta explanantur, *Et tamen, cum hæc Chriſtus fecerit, totque beneficia in homines contulerit, ab illis cognitus non fuit. Quin & à Judæis crucis ſupplicio affectus, Romano magiſtratu aſſentiente, & poſtea in membris ſuis tum à Judæis, tum à gentibus acerrime inſectatus, & quotidie morti acerbiſſimæ datus fuit.* Et recte quidem noſter explanator iſte. Nam & Paulus ait 1 Cor. 2. 8, *ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, & Chriſtus ipſe Joh. 16. 3, *Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.* Adde, quod etiamſi iſta mundi renovatio ad ſolam mentis hominum reformationem referri deberet, (modo ne ad ipſos tantum homines reipſa reformatos referretur; ut à nobis fieri omnino debere, Adverſarius arbitrabatur, ſi in verbis illis, *omnia per ipſum facta ſunt*, non prorſus omnia intelligi volebamus) non tamen male cohærerent ſequentia verba, quamvis de eodem mundo accepta. Quemadmodum enim Chriſtus dicitur mundi ſervator Joh. 4. 42. 1 Joh. 4. 14. Joh. 1. 9, licet mundi maxima pars pereat, & illuminare dicitur omnem hominem, quamvis interim plerique hominum in tenebris maneant, ſic generatim hominum mentes reformaſſe idem Chriſtus recte dicitur, quamvis maxima eorum pars eas reformatas non habeant. Nempe quia ſimiles locutiones id ſignificant, quod Chriſtus, quantum in ipſo eſt, facit, non autem id, quod re ipſa in nobis fit; & efficiendi vis, non ipſe effectus, conſilium, non eventus iſtis loquendi modis declaratur. Quod ſi Adverſarius, cum ait, ex ſuperiore noſtra verborum, *Omnia per ipſum facta ſunt* interpretatione ſequi, verba, quæ poſtmodum ſcripta ſunt, *In mundo erat*, &c. non de hoc mundo, in quo habitamus, accipi debere, Hujus mundi nomine non ipſos homines tantum, ſed ipſum quoque terreſtrem, vel terreſtrem ſimul & cœleſtem hunc globum una fortaſſe cum omnibus, quæ in illis ſunt, intelligit, fatemur illum veriſſima dicere. Sed interim interpretationem noſtram ipſius interpretationi vel ob id anteponendam eſſe dicimus, quod nos ubique eandem prorſus ſignificationem vocis Mundi, eamque uſitatiſſimam, retinemus, & homines ipſos tantum, ſive, ut dictum eſt, hanc quaſi hominum civitatem ſemper intelligimus, ipſe vero variare compellitur, & in poſtrema parte, *Et mundus eum non cognovit*, non amplius una cum hominibus ipſam terram aut cœlum, eave omnia, quæ in illis in ſunt, ſed homines tantum, ut nos facimus, intelligere cogitur. Immo ipſe pag. 26. Mundi nomine in poſtremis iſtis verbis non quidem homines ſimpliciter & generatim ut à

nobis fit (cum enim maxima pars hominum Chriſtum non cognoviſſent, rectiſſime dici ſimpliciter & generatim potuit, homines eum non cognoviſſe; nam quod maxima pars facit, omnes facere videntur) non igitur ſic ipſe Mundi nomen accipit hoc loco, ſed mundi amatores, ut alibi ſæpe accidit, eo nomine vult ſignificari. Atqui nullo pacto eſt veriſimile, Johannem, cum ter Mundi voce in tribus ſuæ orationis continuatis membris utatur, in primis duobus eodem prorſus ſenſu, in tertio vero non parum diverſo extuliſſe. Nam, ſi diverſo ubique ſenſu quiſpiam nomen iſtud à Johanne uſurpatum fuiſſe diceret, multo tolerabilius loqueretur; nec à veritate fortaſſe abeſſet. Elegantia certe & acumen quoddam haud contemnendum in Euangeliſtæ verbis eſſet, ut poſtmodum explicabimus. Interim monemus, nihil vetare quominus apud Johannem unum quodque orationis membrum prorſus abſolute, & ſine ulla ad reliqua duo, quod ad ſententiam attinet, relatione accipiatur. Videtur quidem id verum eſſe, quod Adverſarius nimis aſſeveranter affirmat, inter ſecundum, & tertium membrum relationem ipſius ſententiæ eſſe. Quaſi voluerit dicere Johannes, mundum, licet à Chriſto factum, ipſum tamen Chriſtum non cognoviſſe, atque hac ratione culpam mundi in Chriſto non cognoſcendo exaggerare. Et hoc ſane in explanatione illa noſtra & agnoſcitur, & urgetur; quippe ex quo ſatis conſtare poſſit, Johannem non de prima, ſed de ſecunda creatione agere. Neque enim ſi per Chriſtum prima creatio facta eſſet, idcirco gravius deliquiſſet mundus in eo non cognoſcendo. Cum nihil adhuc eſſet, quod mundo, ne leviſſime quidem, ſuadere vel deberet, vel etiam poſſet, per Chriſtum primam creationem fuiſſe factam. Sed per eundem Chriſtum mundum inſtauratum & reformatum fuiſſe, quæ ſecunda creatio eſt, res ipſa loquebatur. Verum igitur eſt quidem, ſecundum, & tertium membrum in Euangeliſtæ oratione eo modo, quo dictum eſt, cohærere. Sed ita demum, ſi certum ſit, ipſum de eodem mundo utrobique loqui, aliqua ſaltem ex parte; id eſt, ut, quod poſteriore loco Mundi appellatione ſignificatum eſt, id priore loco eadem appellatione comprehenſum fuerit. Id quod putabat Adverſarius nullo modo à nobis concedi. Quocirca cum ait, *niſi Chriſtus etiam iſtos creaſſet, qui eum non cognoverunt, quorſum eſſet iſta exaggeratio, mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit?* principium quodammodo petit. Pro conceſſo enim ſumit, Johannem de eodem mundo aliqua ex parte utrobique verba facere. Hoc enim ut paulo ante innuimus, revera incertum eſt. Sed & alia ratione in prædictis verbis petit principium. Nam pro conceſſo ponit, homines mundi amantes non potuiſſe dici creatos per Chriſtum, niſi primæ creationis reſpectu. Quod tamen, ut ſupra oſtendimus, perſpicue falſum eſt; cum, ut ſecundæ creationis reſpectu per Chriſtum creati dici poſſint, ſatis ſit per Chriſtum non ſtetiſſe, quominus eos reformaverit & novos homines fecerit. Sed ad id revertamur, quod diximus, nihil abſurdi in eo eſſe, ſi quis in Johannis verbis Mundi nomen ubique diverſa ſignificatione accipiat. Nam, ſi quis fortaſſe eſſet, qui Hebraiſmum illum, quem in verbo *factus eſt*, eſſe diximus, agnoſcere plane recuſaret, poterit, ſi voluerit, commode ita euangeliſtæ verba interpretari, ut, cum dicit, mundum per Verbum factum fuiſſe, Mundi appellatione non hunc mundum, quem nunc incolimus, ut antea fecerit, cum dicit, Verbum in mundo fuiſſe, ſed futurum nobis mundum intelligat; qui jam eſt revera, novos videlicet illos cœlos, novamque terram, quos, ut Petrus ait 2 Pet. 3. 13, ſecundum Domini promiſſum expectamus. Nam illos jam eſſe, docent aperte ſequentia verba, *in quibus juſtitia habitat*. Hic enim nobis futurus mundus, hæcque futura ſæcula fine dubio per Chriſtum ſunt facta; & de his omnino loquitur auctor Epiſt. ad Hebr. cum ait, Deum per filium ſuum nobis poſtremis temporibus locutum fuiſſe, eumque univerſorum hæredem conſtituiſſe, & per ipſum ſæcula quoque feciſſe. Illud certe ex loco iſto, ſi quis eum ſanis oculis inſpiciat, perſpicuum eſſe debet, ſæcula quædam, quod idem eſt, ac mundum quendam, per Chriſtum fuiſſe factum extremis temporibus, & poſtquam Deus per ipſum tandem poſt Prophetas, per quos patribus locutus fuerat, nobis locutus eſt. De hoc igitur mundo commodiſſime accipi poſſunt Johannis verba, cum ait, mundum per Verbum, id eſt per Chriſtum Jeſum, factum eſſe. At enim verba, quæ ſequuntur, *Et mundus ipſum non cognovit*, de mundanis hominibus ſeu mundi amatoribus, ut Adverſario, & pleriſque aliis placet, erunt accipienda; & ſic vario ſenſu eodem in loco vox Mundus à Johanne prolata dicetur. Vehementer ſane & nunc miramur, & olim mirati ſumus, cum omnes ferme adverſarii noſtri, ex ſententia noſtra in verbis illis interpretandis, *Et mundus per ipſum factus eſt*, neceſſario conſequi falſo ſibi perſuaſiſſent, Johannem, niſi abſurdiſſima dicens induceretur, de diverſis mundis locutum fuiſſe, ſatis ſe ad nos manifeſti erroris coarguendos habere exiſtimaſſe. Quaſi nullo pacto ſit veriſimile, Johannem variis ſenſibus Mundi vocabulum eodem ſimul loco in tribus diſtinctis ſententiis extuliſſe. Quod tamen, ut dictum eſt ſupra, & elegans & argutum videri debet. Præſertim, ſi ſenſus ipſi non ſint obſcuri, id eſt novi prorſus atque inuſitati, ut profecto non ſunt tres jam indicati hujus vocabuli ſenſus. Primum enim & tertium nemo negaverit, ut maxime ipſi loco convenientes, ſic uſitatiſſimos eſſe. Secundum vero, in quo tota eſt hujus controverſiæ vis, nullo modo inuſitatum dicere poſſumus. Etenim, ſi minus concedatur ex jam citato Epiſt. ad Hebr. loco, ubi eadem eſt locutio, conſtare ſæculorum nomine, quæ idem ſunt, quod Mundus, futurum nobis mundum interdum intelligi; certe ex Petri loco perſpicuum eſt, quod futurum nobis eſt ſæculum, cœlos, & terram, quanquam novos, appellari. Quid vero aliud ſunt cœli, & terra, quam mundus? Quod ſi quis vocabulum requirat, quod propius etiam ad Mundi vocabulum accedat, immo Mundi voce non male reddi poſſit, quo futurum ſæculum ſignificetur, legat locum illum in eadem Epiſt. ad Heb. 1. 6. *Et, cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ*, &c. Nam, ut in 6. Animadverſ. in Aſſert. 21. breviter attigimus, hic orbis terræ nomine mundus ille inaſpectabilis intelligendus eſt, in cujus imperium, & poſſeſſionem Dei filius Jeſus Chriſtus miſſus fuit. Qui idem mundus ſive orbis terræ, futurus eſſe dicitur, paulo inferius in eadem Epiſtola, his verbis Heb. 2. 6, *Non enim angelis ſubjecit orbem terræ futurum, de quo loquimur*. Non ſolum enim utrobique eſt eadem vox Orbis terræ, & in Græco οἰκουμένη; verum etiam verba illa, *de quo loquimur*, planiſſimum faciunt, ſuperius de eadem re ſermonem fuiſſe; atque apertiſſime docent, ubi ſupra Orbis terrarum, aut alterius nominis idem ſignificantis ſit facta mentio aliqua præcipuæ, etiamſi id nomen ſolum & ſimplex fuerit prolatum, tamen cum adjunctione vocis Futuri intelligendum eſſe. Nempe quia, ut dictum eſt, nobis eſt futurus mundus iſte, quamvis ipſi Chriſto ſit præſens. Nam quomodo alioquin introduci in ipſum potuiſſet? Et quemadmodum mundus iſte, quia nobis eſt futurus, ſimpliciter & abſolute futurus nominatur; ſic ſimpliciter & abſolute idem factus per Chriſtum dicitur, quia nobis factus eſt. Conſtat enim inter omnes adeoque ipſa luce eſt clarius, vitam vivendique rationem illam cœleſtem atque immortalem, quam omnes Chriſti fideles expectamus, per ipſum Chriſtum nobis partam & comparatam, atque adeo factam & conditam fuiſſe. Verum, ſi quis paulo ſuperſtitioſior, non contentus locum inveniſſe, ubi Orbis terræ, ſive οἰκουμένης vox ſimpliciter poſita futurum nobis ſæculum ſignificet, locum adhuc poſtulet, ubi diſerte & ſimpliciter ſcripta vox Mundus, & in Græco κόσμος, ut apud Johannem eſt, id declaret, is locum habet in eadem ipſa Epiſt. ad Hebr. cap. 10. 5. Ubi ſic ſcriptum legitur *Ideo ingrediens mundum*, (in Græco

autem

autem eſt, Διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον) *dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi, &c.* Neque enim hic agi poteſt de ingreſſu Chriſti in hunc mundum terreſtrem; in quemcumque tandem ſenſum ingreſſum iſtum accipiamus. Quamvis plerique vel ignoratione decepti ſententiæ eorum verborum, *corpus autem aptaſti mihi*, vel (idque potiſſimum) non recte intelligentes, ubi, & quando, & quomodo, ex mente præſertim auctoris illius Epiſtolæ, hoſtiam & oblationem ſui corporis Chriſtus fecerit, aliter omnino ſenſerint. Agitur iſtic ſine ulla controverſia de Chriſti corporis oblatione, & ſacrificio; quo ſemel peracto, omnia legalia ſacrificia defierint. Atqui Chriſti corporis ſacrificium, ex mente quidem iſtius divini ſcriptoris, non in terra, ſed in cœlo; non cum Chriſtus cruci affixus eſt, ſed cum poſt reſurrectionem cœlum aſcendit; non deniqne ipſa Chriſti morte & ſanguinis in cruce fuſione, ſed ſui ipſius poſt mortem coram Deo pro nobis (ut his verbis utamur) apparitione & præſentatione peractum eſt. Quemadmodum loci complures, qui hunc locum antecedunt, totaque tractatio ipſa Chriſti ſacrificii, & cum legalibus ſacrificiis comparatio in ea Epiſtola manifeſte oſtendunt. Hocque potiſſimum id demonſtrat, quod in ea aperte dicitur, Chriſtum non debuiſſe eſſe noſtrum Pontificem, niſi prius omnes infirmitates noſtras eſſet expertus, & cœlis ſublimior factus. Vide cap. 2. ℣ſ. 17. uſque ad finem; & conjunge cum præcedentibus inde à ℣ſ. 9, &c. & IV. 14, & deinceps; & V. 9, & 10; & VI. ℣ſ. ult. & VII. 26, &c. uſque ad ℣ſ. 6. capitis 8. Ex his enim omnibus locis ſatis conſtat, Chriſtum non fuiſſe conſecratum Pontificem, niſi poſt crucis mortem, cum ingreſſus eſt cœlum. Quomodo igitur potuit Chriſtus ſacrificium ſui corporis peragere hic in terra, ſi nondum Pontifex conſecratus fuerat? Sed totum ferme caput nonum, quemadmodum res fuerit geſta, dilucidius explicat; & per ſanguinem quidem ſuum ipſius, ingreſſum fuiſſe Chriſtum in verum ſacrarium, id eſt in cœlum, ut legalis Pontifex per alienum ſanguinem ingrediebatur ſemel quotannis in Sancta Sanctorum; cæterum, ut in ipſis Sanctis Sanctorum oblatio à Pontifice legali fiebat, ſic à Chriſto ſui ipſius oblationem in ipſo cœlo factam fuiſſe, aperte docet. Ad quam oblationem peragendam neceſſe fuit, ut Deus ipſi Chriſto corpus aptaret; id eſt concinnaret, & ad rem hanc accommodatum redderet. Niſi enim illud ab omni infirmitate prius liberaſſet, & incorruptibile atque immortale effeciſſet, nulla ratione in ipſo cœlo, quod beatæ atque æternæ vitæ eſt ſedes, offerri id corpus potuiſſet. Ut igitur ad propoſitum revertamur, patet, mundum iſtum, in quem ingrediens Chriſtus corporis ſibi à Deo aptati, id eſt ſui corporis glorificati oblationem fecit, non aliud eſſe, quam beatæ atque æternæ vitæ ſtatum & ſedem, ſeu quam illum terrarum orbem, in quem introductus ab ipſis etiam Angelis adorari debuit. Atque hunc mundum per verbum, id eſt per ipſum Chriſtum factum fuiſſe (nobis videlicet, ut ſupra expoſuimus) recte dicere potuit Johannes. Nec ſane videmus, quid huic (non magis, quam ſuperiori) interpretationi noſtræ objici poſſit. Indicabunt de ea, collatis aliis, quos vel attulimus, vel afferre adhuc potuiſſemus, divinarum literarum locis, homines pii & veritatis amantes; & nihil, ut ſperamus, eſſe cognoſcent, cur nos adverſarii vel impietatis, vel nimiæ audaciæ accuſent, ſi de hujus mundi, quem incolimus prima creatione Johannem locutum non fuiſſe, affirmare non dubitamus.

6. Rectiſſime à noſtris hominibus dicitur, ex eo, quod Chriſtus in Sacris Literis paſſim Salvator appelletur, colligi non poſſe, eum eſſe ſummum & æternum, non autem, ut adverſarius eos loquentes facit, verum Deum; idque ob eam cauſam, quod alii quoque, Salvatores in iiſdem Sacris Literis ſunt appellati, quos tamen ſummos & æternos Deos non eſſe conſtat. Eſtque argumentum hoc non à ſimili tantum, ſed à minore quoqueductum. Id quod multo eſt ſolidius. Etenim, ſi ſalvatores dicti ſunt illi, qui terrenam temporariamque ſalutem Iſraëlis populo aliquando attulerunt, quamvis nullo modo ſummi atque æterni dii eſſent; multo certe magis potuit is ſalvator appellari, qui cœleſtem æternamque ſalutem omnibus populis & attulit, & perpetuo allaturus eſt atque daturus, quamvis ſummus atque æternus Deus non ſit. Quamobrem, quidquid hic adverſarius congerit, ut in ſalutis genere ejuſque afferendæ ratione Chriſtum iſtis aliis ſalvatoribus quam longiſſime anteferendum demonſtret, id univerſum ad noſtrum argumentum ſeu potius reſponſionem maxime confirmandum pertinet. Itaque imprudens contra ſeipſum pro nobis non leviter argumentatur, dum ſe reſponſionis noſtræ ſummam fallaciam oſtenſurum ſperat. Nam quod ait, id, quod Chriſtus in hominum ſalute facit, ſolius Dei (nempe ſummi atque æterni) eſſe proprium, in eo, quod ad ipſam argumentandi rationem attinet, graviter, idque dupliciter, ut alias, labitur. Quandoquidem & principium petit, & à nomine ad rem turpi ignoratione Elenchi diſputationem tranſfert. Principium petit; nam negamus nos, quidquam ex iis, quæ in hominum ſalute Chriſtus facit, aut omnia etiam ſimul juncta ita Dei ſummi atque æterni eſſe propria, ut cum alio ab ipſo communicari nequiverint. Sic enim accipienda eſt vox Proprium in adverſarii verbis, niſi in tertium gravem errorem eum incidiſſe velimus, hoc eſt in æquivocationis fallaciam, & tamen Chriſto in hominum ſalute procuranda & perficienda nihil eorum adimimus, quæ hoc loco illi adverſarius tribuit. Quippe qui & totum mundum, & omnes homines, omnibus ſeculis à peccatis ſervandi, eoſque è Diaboli faucibus eripiendi, ab æterna morte liberandi, & cœleſti regno donandi (hæc enim ea omnia ſunt, quæ hic Chriſto adverſarius tribuit) poteſtatem à Deo Patre ſuo, eum accepiſſe & agnoſcimus, & confitemur; atque adeo, ubi opus eſt, vehementer urgemus, atque contendimus. A nomine vero ad rem tranſfert adverſarius diſputationem; quia non utrum ex iis, propter quæ ſalvator Chriſtus appellatur, ſed utrum ex nomine ſive appellatione ipſa ſalvatoris illi attributa colligi poſſit, eum eſſe ſummum atque æternum Deum, diſputatio erat. Videat lector adverſarii ipſius verba in initio pag. 27. & nos veriſſima dicere deprehendet. Niſi quod, ut ante monuimus, adverſarius de vero Deo loquitur; quaſi nos, Chriſtum verum Deum eſſe negemus. Quod tamen à nobis non fit (neque id, ut infra alibi patebit, ipſe adverſarius ignorat, aut ignorare poteſt) niſi verus Deus, ut Eraſmus * alicubi ſignificare poſſe docet, perfectiſſima ratione Deum ſignificet. Verum de ſalvatoris ſeu nomine ſeu reipſa Chriſto attributa iterum videndum erit.

* Apolog. ad Monachos Hiſp. cap. de Trinitate.

Adverſarii dictorum PARS III.

1. Quia ſcriptum eſt, verbo Domini cœlos firmatos eſſe, & ſpiritu oris ejus omnem virtutem eorum; itemque legitur Pſal. 32. Pſal. 142, *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit & creata ſunt*; & quia ſine verbo (inquit) ſuo nunquam fuit Deus, hinc concludit, ſeu potius videtur velle concludere, cum Chriſtus verbum Dei dicatur, per quod facta ſunt omnia, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, aperte conſtare, eum eſſe verbum illud, & per Chriſtum ipſos cœlos conditos eſſe, & quidquid unquam à Deo creatum fuit, & ſine ipſo, tanquam ſuo verbo, nunquam Deum fuiſſe. Affert autem ad explicandum aliqua ratione, quomodo Deus omnia per verbum ſuum operetur, ſimilitudinem humanæ mentis, quæ non ſine verbo quodam ſuo exerceat ſuas operationes; & ſimul aliquid admiſcet de ſpiritu, qui ex Deo & ejus verbo pariter emanet, quemadmodum ex humana mente ejuſque verbo pariter intentio ſeu ſpiritus quidam emanat.

2. Addit autem, Deum per hoc idem verbum ſuum, huma-

humanum genus à peccati labe liberaſſe, ut ait Propheta Pſal 106, *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Et Jacobus de ſalute, quam Deus nobis per Chriſtum dedit, ait Jac. 1, *Voluntarie nos genuit verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Ex quo apparet ſcilicet Chriſtum iſtud Dei verbum eſſe.

3. Præterea, inquit, Johannes teſtatur, verbum factum eſſe carnem, quod quid aliud eſt, quam Chriſtum, etiam priuſquam homo naſceretur, verbum Dei fuiſſe?

4. Cujus, ait, idem Johannes, naturam eſſe divinam, docere volens, dixit, In principio erat verbum. Nam principium ſimpliciter & abſolute æternitatem ſignificat.

5. Et quemadmodum Deus primus & noviſſimus dicitur, quia eſt ab æterno, & manet in æternum; ſic Chriſtus primus & noviſſimus vocatur, qui fuit mortuus & vivit Apoc. 2. Ubi, inquit, expreſſe duas in eo naturas videmus; alteram divinam, ſecundum quam eſt ab æterno; alteram humanam, ſecundum quam fuit mortuus, & vivit.

6. Verbum igitur, inquit, non eſt creatum, ut hæretici dicunt. Alioqui oſtendant ipſi, per quod aliud verbum fuerit creatum.

Sunt autem, quæ hucuſque retulimus, ab adverſario ſcripta (quamvis, ex parte, potius indicata) à fine pag. 19, uſque ad finem pag. 21. Quæ vero ſequuntur, ſcripta ſunt à fine pag. 28, uſque ad finem pag. 38.

9. Quod ſuperius attigerat, hic pluribus tractat de Jeſu ſive ſalvatoris nomine, Chriſto ab ipſo Angelo impoſito Matth. 1. Quod nomen, licet, ſi vocis ſimilitudo ſpectetur, poſſit dici aliis quibuſdam, ut Chriſti typis, commune; tamen, ſi ejus cauſam ſpectes, ſoli Chriſto convenire ait. Quippe qui à peccatis ſervet Act. 4, & in nullo alio ſit ſalus; quique glorioſa ſit redditurus corpora noſtra vilia ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia Philip. 3. Et cujus ſanguis emundet nos ab omni peccato, & ab omni iniquitate. 1 Johan. 1. Atqui nemo, inquit, mundum de immundo conceptum ſemine facere poteſt, Job. 14. & 23. nemo talis ſalvator eſt præter Deum ipſum. Scriptum eſt enim Eſai. 43, *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſalvator*; Item Oſe. 13. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me*; Item, *Deum abſque me neſcies, & non eſt ſalvator præter me.*

8. Deus ipſe igitur (ait) is eſt, quem ſervire fecimus in noſtris peccatis, & cui laborem præbuimus in iniquitatibus noſtris: Nam modo recitato loco Eſaias hæc eadem Dominum de ſe dicentem inducit. Verum Paulus hæc ipſa Chriſto tribuit in verbis illis Philip. 2, *Qui, cum in forma Dei eſſet, &c.* Subjicit enim & ſervi formam eum ſumpſiſſe, & uſque ad crucis mortem ſe humiliaſſe.

9. Præterea de Chriſto ipſo, inquiunt, dictum eſt Iſai. 45. *Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſalvator.* Quis igitur dubitabit, quin Chriſtus ſit natura non tantum creata, ſed etiam increata, & porro ipſe Deus? Eſt quidem (ait) in hominibus quoque Deus; ſed in re tantum creata eum ita eſſe, ut abſque illa non ſit Deus, abſurdum & impium eſt, ſi quis affirmet. Proinde videant, quid agant ii, qui verba iſta ad Cyrum torquent.

10. Hinc conatur oſtendere, cur Chriſtus Deus abſconditus dicatur; pluresque ejus rei cauſas affert, quia ſcilicet caro & ſanguis filium Dei non revelet, ſed Pater, qui in cœlis eſt Matth. 11. & 16; quemadmodum nec Patrem novit quiſquam, niſi is, cui voluerit filius revelare; nec ſpiritus, qui docet omnem veritatem, fuit datus, antequam Jeſus eſſet glorificatus Joan. 7. Quia in humana forma delituerit, quia lateat in Sacramento altaris. Quia denique & in libris Veteris Teſtamenti Judæis, & in Novi nobis ejus divinitas, licet ibi clare comprehenſa, non appareat.

11. Admiſcet autem hic, filium Dei una cum Patre, ac Spiritu Sancto Jacobo Patriarchæ apud Luzam innotuiſſe. Nam plures perſonas ei apparuiſſe, evidenter, inquit, conſtat ex textu Hebraico Gen. 35. 7.

12. Adnectit præterea, Jeſum Nazarænum, nobis minime negantibus, eſſe unigenitum Dei filium. Unde conſtare vult, eum non habere communem cum aliis ejuſdem Patris Filiis generationem. Sed illi adoptione ſunt filii; ergo Jeſus natura. *Si natura* (inquit) *certe in Jeſu eſt natura Patris*, & ſic Dei. Sed divina natura eſt ab æterno; Ergo Jeſus, quatenus eſt filius Dei unigenitus, eſt ab æterno. Itaque ait, nos nobis ipſis contradicere, cum hic in ſecunda animadverſione dicimus, Judæorum, & Mahometanorum errorem, non conſiſtere in æternitate filii Dei neganda, ſed in Jeſu Nazaræno pro Dei filio unigenito & Chriſto minime agnoſcendo.

13. Mox ad Eſaiam revertitur, qui ait, Eſai. 35, *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos*; & addidit ſigna, *Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Quæ omnia tunc extitiſſe conſtat, cum Chriſtus apparuit. Chriſtus igitur eſt ipſe Deus.

14. Quinetiam ipſe Chriſtus *ſæpius* (inquit) *aperuit, ſe Deum veniſſe. Ex quibus illud* Johan. 14: Ego lux veni in mundum. Deus *autem* lux eſt 1 Johan. 16. inquit Johannes.

15. Quoniam vero unus tantum eſt Deus, qui ait Deut. 4. Eſai. 43, *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me, non erit*, neceſſe eſt, ut Chriſtus, qui Deus eſt, unus ſit cum Deo Patre Deus.

16. Adde, quod Chriſtus Act. 13. Joh. 1. & 14. 1 Johan. 1. vita, auctor & dator vitæ, & vita æterna, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis, in Sacris Literis appellatur.

17 Unde factum eſt, ut quatenus æterna vita eſt, mori non potuerit. Quinimmo non Dei Patris tantum, & Spiritus Sancti, ſed ejus quoque divinitas ipſum à mortuis excitavit. Quemadmodum ipſe prædixerat, inquiens Johan. 2. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

18. Præterea ſolus Deus novit corda filiorum hominum 2 Paral. 6. Sed Chriſtus ea novit; Ergo Chriſtus eſt ipſe Deus.

19. Adhæc Chriſtus 1 Cor. 4, *cum venerit, illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*

20. *Illique curvabitur omne genu*, & omnis lingua confitebitur Deo; quæ verba apud Eſaiam Eſai. 45, ille Deus loquitur, præter quem non eſt alius. Sed hæc de Chriſto interpretatur Paulus Rom. 14. *Omnes*, inquit, *ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Ubi ſic concludit, *Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.* Cui Deo? Nempe, ante cujus tribunal ſtabimus. Chriſti, inquam, qui eſt idem cum Patre, & Spiritu Sancto Deus.

21. In eadem Epiſtola teſtatur Paulus Rom. 11, nullam creaturam eſſe, quæ Dei ſapientiam comprehendat; cum ait Matth. 11, *O altitudo, &c.* Sed filius Patrem novit, & quidem ſolus, & cui ipſe voluerit revelare Luc. 10. *Itaque filius, neceſſario eſt Deus, qui ſolus novit, & comprehendit Deum Patrem: ut pote ſapientiſſimus, ſapientiſſimum; optimus, optimum; æqualis, æqualem.*

22. Idem tamen Apoſtolus de Spiritu Sancto ſcribit 1 Cor. 2, *quæ Dei ſunt nemo cognovit, niſi Spiritus Dei, &c.* Unde liquet per dictiones (quas vocant) excluſivas ſeu exceptivas alicui perſonæ divinitatis appoſitas, non excludi reliquas perſonas, in iis, quæ ad eſſentiam pertinent, ſed tantum creaturas.

23. Valde autem mirabili artificio Spiritus Sanctus in Sacris Literis divinitatis perſonas comprehendit, ut apud eundem Paulum 1 Theſſ. 3, *Dominus dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti*; quod divus Baſilius ita explicat, *Reſpondeant nobis, qui ſpiritum in ſervitutem redigunt, quiſnam fit*

ſit Dominus dirigens in charitatem Dei, & in patientiam Chriſti? Si enim Patrem intelligunt, omnino fuiſſet dictum, Dominus vos dirigat in ſuam charitatem: ſi filium, appoſitum fuiſſet in ſuam patientiam. Quærant igitur, quæ alia ſit perſona Domini appellatione appellari digna.

24. Sed & in illis verbis Angeli apud Lucam, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, ut Theophylactus Chryſoſtomi abbreviator explicat, tres perſonæ exprimantur; Spiritus Sanctus, Virtus Altiſſimi, & Altiſſimus.

25. Harum autem eandem eſſe divinitatem Samoſatenici (id eſt animadverſiones) negantes; negant enim & Spiritum Sanctum, qui eſt Spiritus Dei, & virtutem altiſſimi eſſe ejuſdem cum Parre naturæ; fingunt Deum compoſitum ex natura divina & non divina, & ſic non modo ſummo illi ac perfectiſſimo bono derogant; ſed illi propoſitioni contraveniunt, Dei eſſentia eſt ſimpliciſſima; quam tamen ultro conceſſerunt, & puriſſimæ ac ſimpliciſſimæ Dei naturæ aliquid aliud, quod eandem naturam non habeat, admiſcere nituntur.

Reſponſiones.

1. Eſt in adverſarii ratiocinatione duplex æquivocationis fallacia. Æquivocum enim eſt verbi Dei nomen; æquivoca ſimiliter vox Omnia. De voce Omnia ſupra ſatis eſt viſum. Verbum illud Dei, quo cœli firmati, ſive, ut locus apud Hebræos legitur, facti ſunt, nihil eſt aliud, quam præſens, atque, ut ita dicamus, formata voluntas Dei; quemadmodum res ipſa aperte monet. Voluntatem autem Dei intelligimus, non qua vult, ſed ipſum velle. Eſtque verbi nomen iſti voluntati divinæ attributum non propria, ut fere fit, cum de Deo loquuntur Sacræ Literæ, ſed ab hominibus tranſlata ſignificatione. Quia enim ſolent homines potentia atque auctoritate præditi, cum aliquid fieri volunt, verbo aliquo id declarare, propterea Deus tanquam loquens inducitur, cum aliquid vult fieri, id eſt, exiſtere. Ex his ſequitur verbum iſtud Dei non eſſe aliquid in ipſo Deo ſubſiſtens, ſed tantummodo effectum ipſius voluntatis, qua vult, eumque non naturalem & neceſſarium ſed plane voluntarium & liberum. Tantum abeſt, ut aliquid ſit, quod per ſe ſubſiſtat, & ſine quo nunquam Deus eſſe potuerit; ut quidem neceſſe eſſet, ſi Chriſtus iſtud verbum foret, & ex eo, ut adverſarius opinatur, concludi poſſet, eum ab omni æternitate fuiſſe.

Quod ſi Chriſtus nihilominus à Johanne verbum (nempe Dei) vocatur, id propterea potiſſimum eſt factum, quia, quemadmodum per hominis verbum, id eſt ſermonem ejus voluntas cognoſcitur, ſic per Chriſtum, Dei voluntas patefit. Hinc Chriſtus imago inconſpicui Dei eſſe dicitur 2 Cor. 4. 4. Col. 1. 15. Joh. 1. 18. Nam, ut apud eundem Johannem paulo poſt legitur, *Deum nemo vidit unquam; unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.* Nunquid aliam potiorem cauſam, cur Chriſtus Dei verbum nominetur, adhuc quærimus, aut meliorem Johannis mentis in Chriſto Dei verbo appellando interpretationem deſideramus?

Adde, quod, ut ex Græco verbo λόγος ſatis perſpicuum eſt, non verbum, ſed ſermo, quemadmodum eruditioribus fere omnibus ætate noſtra eſt viſum, & antiquioribus ipſis Latinis Theologis * placuit, aut certe verbum cum vocis ſermonis uſitatiore ſignificatione apud Johannem legendum eſt. Quamvis adverſarius in initio pag. 21, omnino vocem Verbum retinendam putet; nullam præterea ejus rei revera rationem afferens, niſi quod ipſius ſententiæ ea vox magis eſt conſentanea. Si ſermo igitur Dei, proprie loquendo, eſt Chriſtus à Johanne dictus, nemo non videt, quam accommodata ſit ea, quæ à nobis allata eſt, interpretatio. Sermone enim quidquid alioqui in hominis corde latet, fit manifeſtum. Sic Chriſtus non aliquid tantum de Dei voluntate, ſed omnem Dei voluntatem in humano genere redimendo atque immortalitate donando aliis notam fecit. Itaque princeps & auctor eſt præterea Chriſtus illius ſermonis, qui ob ſuam excellentiam Sermo, ſive ὁ λόγος ſimpliciter in Sacris Novi Teſtamenti Literis paſſim merito eſt appellatus. Sermonis videlicet Euangelici, qui hominibus ſalutem æternam affert. Quid mirum igitur, ſi Chriſtus ſermo, ſive ὁ λόγος ſimpliciter nominatur? Nonne, quemadmodum in potiſſima hujus appellationis cauſa, quam paulo ante attulimus, appoſitiſſima metaphora, ſic in hac cauſa elegantiſſima metonymia apparet? Quibus duabus loquendi figuris in appellationibus Chriſto tributis nihil eſt frequentius.

Non tamen negaverimus, Johannem, cum Chriſtum ſermonem ſeu τὸν λόγον appellavit, ad id etiam reſpicere potuiſſe, quod Dei verbo, ut vulgata editio habet, cœlos factos fuiſſe ſcriptum eſt Pſal. 33 6; 2 Petr. 3. 5. id quod Petrus ad terram quoque accommodat. Utrobique enim in Græco ὁ λόγος nomen legitur. Non quidem quia cœli ac terra iſta per Chriſtum ſint facta, ſed quia novi illi cœli, novaque terra, quas olim per Eſaiam ſe conditurum Deus prædixerat Eſaiæ 65. 17. LXVI. 22, per ipſum ſunt conditi; eodemque nomine libenter eum appellare potuit Johannes, per quem novus mundus eſt factus, quo id appellatum eſt, per quod vetus mundus factus eſſe legitur. Nec vero opus erat, ut adverſarius, quo probaret, verbo Dei in ipſa prima creatione omnia fuiſſe creata, ea verba ex Pſalmis citaret, *Ipſe dixit & facta ſunt*, quæ vel non habentur in Hebræo, vel paulo aliter leguntur, & non ad primam creationem, ſed alio à multis referuntur. Poterat enim ex eo, quod ſcriptum eſt in primo Geneſis capite, idem apertius oſtendere, ubi nulla alia ratione Deus cuncta creaſſe narratur, quam dicendo, ut exiſterent.

Verum quid dictio, ſeu verbum iſtud eſſet, jam dictum fuit. Idque ſane præter ea, quæ ſupra diximus, auctoritas eorum ſuadet, qui linguæ Hebrææ peritiſſimi aliquid in ea verba, ubi primum ejus dictionis fit mentio, annotarunt. Inter quos Franciſcus Vatablus ad hunc modum annotavit; *Dicere, pro jubere & præcipere utuntur Hebræi. Alii accipiunt dicere, pro velle vel decernere, & ita vertunt, decrevit, aut voluit Deus lucem fieri, & facta eſt.* Atque idem in diffuſioribus in priores Pſalmos annotationibus ad verba illa, *Verbo domini cœli facti ſunt*, ſic annotat, *verbum, juſſum & præceptum ſignificat, vel, ut aliis placet, voluntatem.* Hinc legitur illud, quod ab ipſo adverſario citatum fuit, *Ipſe mandavit, & creata ſunt.*

Nec vero fit, qui putet, jubere, & velle, quamvis, tanquam diverſa, ad Moſis, & Pſaltis verba explananda afferuntur, reipſa diverſa eſſe. Eſt enim iſtud Dei juſſum illi ſimile, quo uſus eſt Chriſtus Matth. 8. 26. Marc. 4. 39. Luc. 8. 24, cum ventis, & mari imperavit, ſeu ventum, & tempeſtatem increpavit, & vento comminatus, dixit ei, *Obmuteſce.* Ubi videlicet nihil revera eſt, quod juſſa intelligat, eaque ſuſcipiat & exequatur. Sed per proſopopœiam omnia dicuntur, & præſentem formatamque voluntatem, ut aliquid fiat, ob oculos ponunt. Præterea, quidquid Theologi quidam hic commenti fuerint, quis eſt, qui non agnoſcat, nullo pacto fieri poſſe, ut, exempli cauſa, in verbis illis, *Et dixit Deus fiat*, (vel potius *fit*) *lux*, verbum *dixit* ſubſiſtens aliquod per ſe verbum, exque ipſo Deo ab æterno & neceſſario manans declaret, per quod ſcilicet lux creata fuerit? Nam ſi id declararet, ſine dubio verbum iſtud vel ipſum dicere eſſet, vel id, quod dicitur. Id, quod dicitur, nullo pacto eſſe poteſt; niſi velimus æternum Dei verbum eſſe voces illas fiat, aut ſit lux, & tot alias diverſas, quæ deinceps ſubjunguntur ſimili loquendi modo, cum aliarum rerum creatio exponitur. Ipſum dicere ſimiliter eſſe nequit. Alioqui verbum Dei æternum, modo eſſet, modo non eſſet. Quo nihil excogitari goteſt abſurdius, aut ſibi ipſi magis contrarium. Patet enim ſatis ex ipſa

* Vide Eraſ. in Apolog. de *In principio erat ſermo.*

ipſa Moſis narratione Deum non ſemper dixiſſe, ſed & cæpiſſe dicere, cum antea non diceret, & dicere deſiiſſe, donec rurſus dixerit.

Adde, quod non poteſt verbum iſtud æternum, eſſe ipſum dicere, τὸ λέγειν, quod illis verbis continetur, *Et dixit Deus, &c*, niſi ſimul ſit dicere Fiat, aut ſit lux, fiat, aut ſit firmamentum, &c. Itaque ſequetur, hæc ab æterno fuiſſe dicta, ob idque vel ab æterno lucem, firmamentum, & reliqua fuiſſe creata, vel Dei dictum effectu caruiſſe. Quorum utrumque quam ab omni veritate, atque adeo pietate alienum ſit, omnes norunt, qui ipſi à veritate, ac pietate non ſint prorſus alieni.

Pluribus ſane poſſet inſulſiſſimum iſtud quorundam, quos adverſarius imitatus eſt, commentum rejici, & quale ſit, demonſtrari. Hoc tantum dicemus eos, qui inter Catholicos (ut appellati ſunt) melius verba Moſis interpretari ſunt exiſtimati, ex verbo Dixit alia ratione collegiſſe, per filium Dei primam creationem fuiſſe factam. Oportet enim inquiunt, aliquem fuiſſe, ad quem Deus locutus fuerit; is vero nullus alius eſſe poteſt, quam Dei filius à Johanne verbum appellatus, per quod omnia facta fuerint. Qua interpretatione recepta, nullus locus eſt priori iſti ridiculo aliorum commento. Atqui temerarium omnino fuit, ex unico verbulo tantam rem colligere. Præſertim cum certum ſit verbum Hebræum אמר quo ibi utitur Moſes, de iis ſæpius uſurpari, qui cum nemine quidquam loquuntur, ſed ſecum ipſi aliquid cogitant, aut decernunt. Qua de re licet vulgatiſſima, ſi quis eſt tamen, qui dubitet, conſulat ex innumeris pæne, qui extant, hos paucos locos Exod. 2. 14, (quem locum conferat cum Act 7. 28.) & ℣. 15. 2 Sam. 21. 16. 2 Par. 2. 1. Pſal. 30. 6 &c. Ex quo fit ut ſine ulla ſermonis figura, quæ receptiſſima non ſit, in prædictis Geneſis locis verba illa, *Et dixit Deus*, ſic (quod & factum fuiſſe, Vatablum teſtari docuimus) commodiſſime verti poſſint, *Et voluit*, ſeu *decrevit Deus*.

Nam, ſi quis dicat, non bene cohæſura, quæ ſequuntur, cum, exempli gratia, ſcriptum ſit, *fiat*, vel *ſit lux*, non autem *fieri*, vel *eſſe lucem*, ſive *ut fieret*, vel, *ut eſſet lux*, Hoc nihil eſt. Etenim, poſtquam Dei decretum ipſius tanquam loquentis verbis explicatur, parum refert, an recta potius, quam obliqua oratione id fiat. Immo, ſi recta fiat, plus & venuſtatis, & efficacitatis, & denique gravitatis, præſertim in Hebræa lingua, habere ſermo videtur. Nec vero id, cum ipſorum hominum cogitationes dicendi verbo ſignificantur, exemplo haud dubio caret. Legimus enim apud eundem Moſem Exod. 26. 28, *diximus, ſit juramentum inter nos, &c.* Pro eo quod eſt, cogitavimus ſeu, quantum in nobis erat, decrevimus, ut eſſet juramentum, &c. Jam igitur tandem conſtare poteſt, quid ſibi velint ea verba, *Et dixit Deus, &c.* Verum apertiſſimum eſt, eandem ſententiam eſſe eorum verborum, *Verbo domini cœli facti ſunt*, quod & adverſarius fateri cogitur, cum tanquam verba idem ſignificantia, illa ex Pſalmo, ut vulgata editio habet, attulerit, *Ipſe dixit, & facta ſunt*.

Ex quo intelligitur, & ipſum, & quicumque cum eo ſentiunt, turpi figuræ dictionis (quam vocant) fallacia deceptos fuiſſe, cum verba illa Verbo domini cœli facti ſunt, perinde acceperunt, quaſi vox Verbo eodem ſenſu poſita fuerit, quo, verbi gratia, vox Potentia fuiſſet, ſi dictum foret, potentia domini cœli facti ſunt. Ut ſcilicet mediam quandam cauſam efficientem ſignificet, non autem in efficiendo quandam rationem ſeu modum; ut ſine dubio ſignificat. Nempe, Deum decreviſſe tantum, ut cœli fierent, & ſtatim factos eſſe. Non quidem videlicet ipſo decreto, ut media efficiente cauſa, ſed vi ac potentia ipſius domini, quæ media cauſa efficiens fuit.

Sed ſatis jam ſuperque de illo Pſalmi loco. Nam in eo quod additur, *Et ſpiritu oris ejus omnis virtus* (vel potius *exercituus*) *eorum*, aut ſpiritus oris, ut Vatablo, & aliis doctioribus placet, idem ſignificat, quod verbum; aut, ſi aliud ſignificat, ut iis videtur, qui ex eo loco trinitatem elicere volunt (atque hoc ſentit ipſe adverſarius, vultque Spiritum Sanctum intelligi) nihil hoc ad præſentem quæſtionem. Fatemur enim omnes, ſpiritu, id eſt virtute ac potentia Dei omnem cœlorum exercituum conditum fuiſſe. Sed illud nimirum quæritur, utrum iſte ſpiritus perſona ſit, ſeu quiddam per ſe ſubſiſtens, nec ne. Quanquam & illud quærendum eſt, utrum iſte ſpiritus ſit idem ille, qui Spiritus Sanctus vocatur. De quibus fortaſſe alibi infra differendum erit.

Cæterum, quod attinet ad ſimilitudinem humanæ mentis, quam adverſarius affert, nihil opus eſt eam diligenter examinare, atque oſtendere, quam parum accommodata ad rem noſtram ſit: quanquam falſa ſint nonnulla, quæ in ea explicanda dicuntur. Neque enim contra nos ſatis eſt veriſimile feciſſe, aut etiam plane probaſſe, Dei eſſe verbum quoddam æternum, itemque ſpiritum; niſi ſimul probetur, verbum iſtud, iſtumque ſpiritum, eſſe perſonas, ac præterea, dominum noſtrum Jeſum Chriſtum illud ipſum verbum eſſe. Quod nec fecit adverſarius, nec porro faciet unquam. Tantum hic Athanaſii verba quædam adſcribemus, ex quibus apparet, illum ſenſiſſe, non modo ſimilitudinem iſtam verbi hominis & humanæ mentis ad explicandum, quale ſit Dei verbum, ineptam eſſe; ſed etiam quomodo ex Deo verbum ſit, non eſſe quærendum. Ut adverſarius à ſuis ſaltem magiſtris atque antefignanis diſcat ab hujuſmodi ſimilitudinibus & inquiſitionibus abſtinere. Sic igitur ſcribit Athanaſius Serm. 3. contra Arrianos, Petro Nannio interprete; *Neque quærendum eſt, cur non tale ſit Dei verbum, quale noſtrum eſt, quum Deus nequaquam talis ſit, quales nos ſumus, quemadmodum dictum eſt: imo indecorum eſt quærere, quomodo ex Deo verbum ſit, aut quomodo ſit Dei ſplendor, aut quomodo gignat Deus, & quis ſit modus generationis Dei. Inſanierit enim, qui talia auderet, quoniam rem ineffabilem & propriam divinæ naturæ, & duntaxat ipſi ac filio ſuo cognitam verbis interpretari conatur.* Quod ſi idem Athanaſius ibidem paulo poſt in Sacris Literis legenti, eſſe quoddam Dei verbum, nec ſeſe ea in re ſatis expedienti atque hæſitanti, concedit in noſtro verbo exemplum mutuari, & inde colligere, *quemadmodum* (ſunt verba ipſius Athanaſii) *illud proprium eſt nobis, & ex nobis exiſtit, non autem genus aliquod operis extra nos à nobis factum, ita quoque Dei verbum proprium eſſe Deo, & ex Deo exiſtere.* Primum videat ipſe Athanaſius, an iſtud bene conſentiat cum eo, quod prius dixerat, indecorum eſſe, noſtri præſertim verbi exemplo, quærere, quomodo, ex Deo verbum ſit. Deinde conſideret adverſarius, quantopere hos ab Athanaſio conſtitutos limites in hujus ſimilitudinis explicatione ſua tranſgreſſus fuerit, & quam diverſum ſit, ſibi ipſi non de ipſa re, ſed de rei ratione hæſitanti ſuccurrere conari, & rem ipſam alios docere, velle, eamque explicare.

2. In Pſal 107. 20, loco iſto non eſt neceſſe quidquam Prophetici intelligere; quod ſcilicet ad Chriſtum referendum ſit. Nec porro de liberatione ab ipſa peccati labe ibi agitur; ſed de liberatione ab iis malis, quæ Deus ob peccata immiſerat. Quam non ante procuraverat ipſe Deus, quam malis oppreſſi ad ſe clamarent. Id quod ſane aliter in liberatione contigit nobis per Chriſtum parta; quam ne cogitantes quidem, utpote qui captivitatem noſtram ipſi non ſentiebamus, Dei bonitate incredibili adepti ſumus. Itaque apparet, verbum, quo miſſo, iſti ſanati ſunt, nequaquam Chriſtum eſſe, per quem genus humanum peccati labe infectum ac Diaboli fraude oppreſſum Deus Pater recuperavit, ut adverſarius vocis verbi æquivocatione deceptus ſtatim, re non bene perpenſa, exiſtimavit. Ac ſimul apparet, verbum iſtud Dei, id eſſe, quod antea diximus, decretum ſcilicet ſeu mavis juſſum ejus. Vatablus certe ad verba (ut Tigurini verterunt) *Miſſoque verbo ſuo*, ſic annotat, *id eſt ſolo ſuo juſſu*. Nam Mittere verbum,

He-

Hebraiſmus eſt, quo aliud nihil ſignificatur, quam ipſum decretum, quod jam Verbi nomine ſignificari diximus, facere atque interponere. Ut Pſal. quoque 147. *Qui emittit eloquium ſuum terræ, uſque ad celeritatem currit verbum ejus.* Et rurſus, *Mittet verbum ſuum & liquefaciet ea.* Unde & venire Dei verbum dicitur, cum Deus aliquid plane vult fieri, nec amplius differri. Ut Pſal. 105. Ubi dicitur, Joſephum in Ægypto primo ſervum, deinde vinctum in carcere fuiſſe, donec Domini verbum venit. Denique verbum Mittendi in ejuſmodi locutionibus nihil per ſe ſubſiſtens, quod mittatur, ſed rei tantum præſentiam declarat. Nam & miſericordiam, & veritatem ſeu fidem ſuam mittere Deus dicitur, quando reipſa bonitatem ſuam præſtat, & quod promiſit, facit. Ut in iiſdem Pſalmis legimus Pſal. 57 Quinetiam & mittere ſimpliciter de cælo dicitur Deus, cum alicui adeſt, ut ibidem ſcriptum eſt. *Mittet de cælis, & ſalvabit me.*

Jam vero, quod ad locum Jacobi attinet, Jac. 1. 18. Miramur, Adverſarium non intelligere, quid ſit verbum illud veritatis, quo Deus nos generat. Quis enim dubitare poteſt, quin hoc verbum ſit ſermo ille Euangelicus, quo nullus verior inveniri poteſt, quoque Dei antiqua promiſſa populo præſtantur? An non eſt hic idem cum eo, quem Paulus ſermonem veritatis Euangelii vocat Col. 1. 5.? Quid vero opus eſt in Jacobi verbis Chriſtum ipſum hujus verbi auctorem intelligere? Quaſi vero alibi ſermoni Euangelico ea non tribuantur, quæ per ipſum Deus, ipſeque Chriſtus efficit. Nonne idem Jacobus eodem cap. poſtea inquit, ſermonem ſeu verbum inſitum, quod eos jubet recipere, ad quos ſcribit, eorum animas ſervare poſſe? Breviter, ſi quis dubitat utrum Euangelico ſermoni tribui poſſit, quod per eum Deus nos genuerit, legat Petri locum ad finem cap. 1. prioris epiſt. & fortaſſis dubitare deſinet.

3. Nec Johannes dicit, Verbum eſſe factum carnem, ſed ait, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, quod rectiſſime, ut alibi ſupra monuimus, verti poteſt, Verbum caro fuit; nec ſi carnem fuiſſe factum verbum, diſerte diceret, continuo ſequeretur, Chriſtum, de quo ſine dubio loquitur, antequam homo naſceretur, jam reipſa extitiſſe. Carnis enim appellatio non ipſam humanitatem, ut ſic loquamur, ſed in hominum conſpectu humilitatem, ipſaſque perpeſſiones & crucem declarare poteſt. De quo ſatis ſupra cap. 1. partic. 6. diſputatum eſt. Sed priorem interpretationem ſuadet omnino ipſius contextus ſeries. Maximeque eſt veriſimile, Johannem, quid fuiſſet verbum illud, de quo multa locutus fuerat, tandem explicare voluiſſe. Nempe fuiſſe hominem, eumque multis afflictionibus, & calamitatibus obnoxium. Utrumque enim Carnis nomine ſignificatur. Hac vero interpretatione admiſſa, quæ nulla unquam ratione tanquam aut verbis, aut totius loci ſententiæ minus conſentanea rejici poterit, vel ex hoc ſolo loco, ex quo illam maxime confirmari putant Adverſarii, eorum de filii Dei ante ortum ex Maria virgine ſubſiſtentia opinionem labefactari poſſe, omnibus aperte conſtabit.

4. Immo nuſquam fortaſſe Principii, ſive Initii nomen, licet ſimpliciter & abſolute poſitum, æternitatem ſignificat; præſertim vero in hac locutione In principio, ſive, Ab initio. Quocirca non poſſumus ſatis mirari Adverſarium, qui ita confidenter contra manifeſtiſſimam veritatem locutus fuerit. Inſpiciat unuſquiſque loca tam veteris, quam Novi Teſtamenti; & videbit, idque centies, Principii, ſive initii nomen ſimpliciter & abſolute poſitum, modo hujus, modo illius rei originem vel potius inceptionem (ut ſic dicamus) ſignificare; prout ſubjecta requirit materia. Adeo ut turpis ignorantiæ aut negligentiæ nomine ii omnes accuſandi videantur, qui, cum Johannes, ut manifeſtum eſt, de Euangelio ſcribere inſtituerit, ad aliud, quam ad Euangelii principium, ipſius verba iſta *In principio* retulerunt. Si quis autem in ipſo Novo Teſtamento locos requirat, in quibus Principii, ſive initii nomen ſimpliciter & abſolute poſitum nullo modo æternitatem ſignificet, hoſce potiſſimum ſibi apud eundem Johannem notatos habeat. Joh. 15. 27. & cap. 16. 14. 1 Joh. 2. 7. & 3. 24. Quibus omnino addat locum illum Act. 11. 15. *ſicut & in nos in initio.* Quippe in quo Græcus codex ἐν ἀρχῇ habeat, non ſecus atque in eo, de quo diſputamus.

Quod igitur Adverſarius Platonem, Ciceronémque imitatus ait, *Ante omnia eſt principium, & ante ipſum non eſt aliud*, verum eſt quidem, ſi recte intelligatur. Nam alioqui ad principium conſtituendum, teſte Ariſtotele, * ſatis eſt, non eſſe ex neceſſitate poſt aliud; poſt ipſum vero aliquid ex neceſſitate eſſe. Quare nihil prohibet quidpiam ante principium eſſe, aut non eſſe poſt. Nimirum ſi diverſi generis fuerit ab illis, quorum ratione principium aut eſt, aut dicitur. Igitur, quænam ſint iſta omnia, ante quæ principium eſt, quæve iſta alia, quæ ante ipſum non ſunt, ex ſubjecta materia intelligendum eſt. Præſertim, ſi hæc principii quaſi definitio quædam nobis uſui eſſe debet ad eos locos intelligendos, ubi Principii nomen ſimpliciter, & abſolute poſitum fuerit. Simpliciter autem & abſolute poſitum, ubique diximus, Adverſarii verbis hanc vocem Poſitum adjungentes, quia in hunc ſenſum dictiones Simpliciter & Abſolute accipiendæ in ejus verbis ſunt, ſi ad inſtitutam diſputationem ea pertinere debent, & ad Johannis locum referri. Ut videlicet de iis locis ſit ſermo, ubi Principii nomen ſcriptum ſit, nulla alia re adjuncta, cujus principium eſſe dicatur. Nam; ſi Simpliciter & abſolute acceptum, vel non de ipſo Principii nomine, ſed de re tantum, quæ eo nomine ſignificatur, locutus fuiſſet; certe aut nihil ad rem eſſet locutus, aut manifeſte principium, de principio agens, petiiſſet Namque hoc illud eſt, quod nos pernegamus, in Johannis verbis Principii nomen ſimpliciter & abſolute accipi debere. Quamquam principium ſimpliciter & abſolute acceptum non æternitas eſt, ſed ipſe Deus. Nec ſane defuerunt, qui Principii nomine ipſum Deum in Johannis verbis ſignificari exiſtimarunt. Itaque Johannes dixiſſet, Verbum fuiſſe in Deo apud Deum; (quo quid inſulſius?) Dixit enim de ipſo, *Hoc erat in principio apud Deum.*

Sed finge, principium iſtud eſſe æternitatem, quid aliud dixiſſet Johannes, quam verbum fuiſſe in æternitate? At neque hic loquendi modus (ut quidem credimus) notus eſt Sacris Literis, neque ipſe per ſe Verbum æternum eſſe declarat. Cum enim æternitas omne tempus comprehendat, nihil unquam fuit, aut futurum eſt, quod in æternitate eſſe, ſuo tempore dici non poſſit. Utuntur quidem Sacræ Literæ hac locutione Ab ævo, ſive A ſæculo. Sed ævum ſeu ſæculum iſtud non eſt æternitas. Nec idem valet locutio iſta atque hæc Ab æterno, qua uti ſolemus; pro qua Latiniores dicunt Ab omni, ſive Ex omni æternitate. Hinc factum eſt, ut Arriani, qui Chriſtum ab omni æternitate fuiſſe negant, concedant tamen, vel potius contendant, eum non ſolum à ſæculo fuiſſe, ſed ante omnia ſæcula.

Adde, quod non ſatis eſſet, in Sacris Litteris hanc locutionem Ab æternitate uſurpari pro eo, quod Latini dicunt Ab omni æternitate, niſi etiam conſtaret, eadem ſignificatione in iiſdem dici In æternitate, ſi quis Principii nomen æternitatem ſignificare in Johannis verbis contendat, indeque colligere velit, Verbum, de quo loquitur, ab omni æternitate fuiſſe: quemadmodum Adverſarius facit. Neque enim ſi eodem ſenſu in Sacris Literis dicitur A principio, & In principio, idcirco ſequitur, in iiſdem dici In æternitate, ſi dictum inveniatur Ab æternitate, eodemque ſenſu accipiendum eſſe. Neque enim eſt eadem Principii & Æternitatis ratio. Illud enim, ut principium, ſemel fuit; hæc vero, etiam ut æternitas, ſemper eſt. Qua-

* In lib. de Poëtica.

mobrem neceſſe eſt, Adverſarium, ſi ex eo, quod legitur, Verbum fuiſſe in principio, demonſtrare velit, illud ab omni æternitate fuiſſe, non quidem aut dicere, aut etiam oſtendere, Principii nomen ſimpliciter & abſolute poſitum ſignificare æternitatem (quod tamen nunquam oſtendet) hoc enim nihil eum juvare poteſt; ſed probare, locutionem hanc In principio, aut ei ſimilem, idem valere in ſcriptura ſacra, quod apud Latinos ſcriptores Ab omni, ſive Ex omni æternitate. Cujus rei vix ullum exemplum ex ipſa univerſa ſcriptura proferre poterit; cum pæne innumeri loci in ea extent, in quibus ejuſmodi locutiones longe aliam ſignificationem habent; quemadmodum ab initio dictum eſt.

5. Eſt hic fallacia, quæ dicitur A ſecundum quid ad ſimpliciter, cum elenchi propria ignoratione conjuncta. Quamvis enim Chriſtus, quemadmodum Deus dicitur primus & noviſſimus, ſic & ipſe primus & noviſſimus dicatur, non tamen ſimpliciter, ut ille, dicitur, nec eodem modo, ſed ſecundum quid, & alia ratione. Quinimmo, etiamſi Deus ſine dubio primus & noviſſimus ſimpliciter & ſit, & merito dici queat, quippe à quo omnia, quæcumque exiſtunt, originem ducunt, & ad quem omnia referuntur, qui denique principium & finis ſit rerum omnium, tamen in locis Eſaiæ ab Adverſario notatis recte intuenti apparebit, Deum non plane ſimpliciter, ſed ſecundum quid primum & noviſſimum appellari. Nempe quia ipſe ſolus Iſraëlis populum & formaverat, ſibique elegerat, ac tutatus fuerat, & ſuſcepturus, ac curaturus perpetuoque conſervaturus erat; nec alius præter ipſum.

Itaque, etiamſi Chriſtus non ſit omnium rerum principium & finis, merito ſimiliter primus & ultimus dici potuit. Quippe qui ſalutis noſtræ & inchoator, & perfector ſit; qui eccleſiam hanc militantem & auſpicatus fuerit, & finem ſit illi impoſiturus; qui denique primus æternæ vitæ conſequendæ rationem mundo patefecerit, & poſt quem nemo extiturus ſit, qui aliud quidquam eo ſpectans patefaciat. Euangelium enim ab ipſo primum annunciatum æternum eſt, & fœdus æternum, quod ipſe & primus & ſolus nobiſcum Dei patris ſui nomine percuſſit, Apoc. 14. 16. Heb. 13. ℣. 20. Idcirco epiſt. ad Heb. ſcriptum eſt *Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe* (vel potius *idem*) *& in ſæcula.*

Vides alia ratione, id eſt alterius rei reſpectu, Deum ſe apud Eſaiam Eſa. 44. 6: 48. 12. primum & noviſſimum appellaſſe, & alia Chriſtum apud Johannem idem de ſe dicere potuiſſe. Quamquam ſemper alia ratione Deus, alia ratione Chriſtus, eadem etiam ipſa in re, primus & noviſſimus erit; id eſt Deus ut primaria, Chriſtus vero ut ſecundaria cauſſa, diſertis verbis Paulo teſtante 1 Cor. 8. Deum eſſe patrem illum, à quo omnia, & nos in ipſum, Chriſtum vero, illum per quem omnia, & nos per ipſum.

Quod vero Chriſtus in loco, quem Adverſarius citavit, ſe primum & ultimum nominans Apoc. 2. 8. ad ea tantum, quæ paulo ante à nobis dicta ſunt, reſpexerit, noſtræque per ipſum parte ſalutis ratione iſta de ſe dixerit, docent non obſcure, quæ ſequuntur verba, *qui fuit mortuus & vivit.* Quaſi dicat, Propterea me primum & ultimum appellavi, quia, etſi, dum mundi æternam ſalutem primus operor, mortuus fui, revixi tamen, & vivo, vivamque perpetuo, & inchoatum opus ad finem ego ipſe perducam; reque ipſa meos omnes æterna vita donabo. Hunc autem Chriſti verborum ſenſum eſſe, apertius demonſtrat ſuperior ſimilis locus primo capite ℣. 17. & 18. Poſtquam enim dixiſſet, *Ego ſum primus & noviſſimus*, illico addit, *& vivus & fui mortuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.*

Hæ ſunt duæ (ut ſic loquamur) Chriſti naturæ, quarum videlicet unam Chriſtus depoſuit, nempe mortalitatem ſui corporis atque infirmitatem, alteram ſuſcepit, immortalitatem nimirum, ſummumque robur atque potentiam; quæ hiſce verbis ſunt expreſſæ, & alibi paſſim in Sancti Spiritus monumentis apertiſſime conteſtatæ. Non autem illæ duæ, quas eodem tempore in ipſo eſſe, aut fuiſſe hic expreſſe à nobis videri, putavit Adverſarius; de quibus nihil in Sacris Literis uſquam nec aperte, nec obſcure eſt traditum.

6. Nihil ineptius quæri potuit; licet argutus admodum, antiquiores quoſdam imitatus, hic videri voluerit Adverſarius. Quaſi vero vel nos verbum illud, quo omnia primum creata ſunt, creatum eſſe contendamus, qui ne ſubſiſtens quidem aliquid ipſum revera eſſe agnoſcimus; vel fieri non poſſit, ut id, per quod omnia ſunt creata, à Deo ipſo, nulla media cauſſa interveniente, creatum fuerit, vel denique, etiamſi reliqua omnia per quoddam verbum, per ipſum videlicet, fuerint creata, ipſum tamen per aliud quippiam increatum, quod verbum non ſit, creari non potuerit. Objiciat modo iſta Adverſarius Arrianis, ad quos ea proprie pertinent; & videbit, quam turpiter deluſum ipſum ſint dimiſſuri.

7. Etſi ſuperioris partis partic. 6. ſatis demonſtratum fuit, neque ex nomine Salvatoris Chriſto in Sanctis Literis attributo, neque ex ipſa re, quæ eo nomine ſignificatur, colligi poſſe, Chriſtum eſſe ſummum atque æternum Deum, ſive unum eſſentia cum Deo Patre ipſius; tamen hic addimus, veriſſimum quidem eſſe, ut ſupra attigimus, ſalutem, quam per Chriſtum Deus hominibus confert, veriſſime ac maxime proprie ſalutem eſſe; cum qua ſi cæteræ ſalutes, quas per alios Deus dedit, comparentur, typi ſeu figuræ quædam, vel potius umbræ ipſius dici poſſint; ac præterea nullum alium præter Chriſtum tantam ſalutem largiendi poteſtatem habere, idque in perpetuum. Unde factum eſt, ut præ cæteris & ſingulari quadam ratione Salvator dictus fuerit. Sed non idcirco ſequitur, Chriſtum iſta omnia à Deo non accepiſſe, quemadmodum alii, qui Salvatores ſunt dicti, à Deo acceperant, ut eos, quos ſervarunt, ſervare poſſent. Certe Chriſtum quoque, quatenus ſervator noſter eſt, à Deo datum, miſſum, excitatum, & evectum fuiſſe, probant manifeſte hi loci, Eſa. 19. 20. & cap. 49. 6 Joh. 3. 16, & 17. Act. 5. 31. & cap. 13. 23. 1 Joh. 4. 14. Nulla eſt ſalus, ſive magna ſive parva, ſive æterna ſive temporaria, ſive ſpiritualis ſive corporalis, ſive denique rara & inuſitata ſive vulgaris & frequens, quæ à Deo ipſo non proficiſcatur, & de qua dici non debeat, Nemo ſalvat præter Deum. Quemadmodum ſacra ipſa teſtimonia, quæ Adverſarius attulit, ſatis planum faciunt; quippe quæ indefinite loquantur, & ad omne ſalutis genus referri & poſſint, & debeant; non autem ad æternam tantum ſalutem. Ut in Eſaiæ loco demonſtrant præterea verba illa, quæ ſtatim adduntur, *Ego annunciavi & ſalvavi, &c.* quæ ſine dubio de ſalutis genere, quod omnibus conſpicuum fuiſſet, & ſic de corporali temporariaque ſalute ſunt accipienda.

Itaque non minus unum, quam aliud ſalutis genus Dei proprium eſt; nec magis hanc, quam illam, ſalutem conferendi poteſtatem Deus rebus creatis largiri poteſt, cum ipſe pariter ubique primaria efficiens cauſſa maneat, inſtrumentorum ſive ſecundarum cauſſarum vicem interea rebus creatis obeuntibus. Unde recte dicitur, neminem præter Deum ſervare. Quemadmodum, ſi quis diceret, neminem præter Deum terrarum orbem luce colluſtrare, rectiſſime loqueretur, quamvis certiſſimum ſit, ſolem hanc vim terras luce colluſtrandi habere, & porro eas colluſtrare. Nempe quia vim iſtam à Deo ſol habuit, & Deus ipſe eſt, qui per ſolem terras luce colluſtrat. Quocirca, ſi Deus antiquis & temporariis ſervatoribus illis ſervandi poteſtatem conceſſit, ex quo etiam ſervatores ſunt dicti, & tamen interim ipſe is fuit, qui per illos populum ſuum ſervavit, nulla cauſſa eſt, cur Chriſto nos in æternum ſer-

ſervandi & corpora noſtra immortalitate glorioſa donandi poteſtatem concedere non potuerit; & interim tamen ipſe is eſſe, qui per Chriſtum nos ſervet, & beatos atque immortales reddat. Immo ex eo ipſo loco Philip. 3. 20 & 21. ubi ſcriptum eſt, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum transfiguraturum eſſe corpora noſtra vilia, ut ſint conformia glorioſo ipſius corpori, ut ex iiſdem ipſis verbis, unde contrarium colligi poſſe, Adverſarius putavit, videlicet ex illis, *ſecundum operationem, qua etiam ſubjicere poſſit ſibi omnia*, ſatis conſtat, Chriſtum non alia ratione hæc effecturum, quam vi illius ſummæ poteſtatis, quam a Deo accepit. Occurrit enim ibi Apoſtolus iis, qui fortaſſe dicturi fuiſſent; Et quomodo poterit Jeſus Chriſtus, qui homo fuit, ut nos ſumus, tantam efficiendi potentiam habere, ut noſtra corpora à morte in æternum vindicet, & ex viliſſimis glorioſiſſima reddat? Poterit omnino, inquit Paulus; Certum eſt enim illum poteſtatem habere ſibi ſubjiciendi omnia, & propterea etiam ipſam mortalitatem in ſuis omnibus prorſus delendi. Ultimus hoſtis à Chriſto abolendus, ut idem 1 Cor. 15. ℣. 16, &c. teſtatur, mors eſt. *Omnia enim* inquit, *ſubjecit ſub pedibus ejus.* Subjecit igitur quiſpiam. Ergo non natura, ſed alterius beneficio poteſtatem ſibi ſubjiciendi omnia Chriſtus habet. Quis vero iſte alter eſt? Nempe Deus Pater, ut ibidem non obſcure teſtatur idem Paulus inquiens: *Tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia.* Id ipſum ſimiliter teſtatur ſcribens ad Epheſios Epheſ. 1. 17, &c.

Nam, quod in his, & ſimilibus locis, Chriſto omnia eſſe ſubjecta, nihil aliud ſit, quam, illum poteſtatem habere ſibi ſubjiciendi omnia, declarat locus epiſt. ad Heb. cap 2. ubi expreſſe dicitur, ita Chriſto omnia ſubjecta fuiſſe, ut nihil dimiſſum fuerit ei non ſubjectum, & tamen ſtatim additur, *Nunc autem nondum videmus omnia ſubjecta ei.* Eſt igitur Chriſti operatio ſive efficacitas illa, qua ſibi ſubjicere poſſit omnia, non illi naturalis, ſed a Deo benigniſſimo profecta. Hinc fit, ut ipſe Deus Pater, etiam poſtquam illi à dextris Chriſtus aſſedit, eum ſe eſſe dicat, qui ipſi omnes inimicos ſit ſubjecturus Pſal. 110. *Sede à dextris meis*, inquit, *donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Nempe quia, etſi Chriſtus ipſe is eſt, qui id facit, tamen poteſtatem id faciendi omnem à Deo Patre accepit.

Jam quod ad peccata delenda attinet, eadem prorſus eſt, quæ ſervandi ratio Immo nihil ferme aliud reipſa eſt, peccata delere, quam ſervare, & à malis quæ peccatorum pœnæ eſſe ſolent, liberare. Etenim, quod de ipſo Chriſti ſanguine ſcriptum eſt, eum nos mundare ab omni peccato 1 Joh. 1. 7. (nam *& ab omni iniquitate*, Adverſarius de ſuo addidit) id potius indicat, Chriſtum omnino, ut rem creatam peccata noſtra delere. Tantum abeſt, ut inde colligi poſſit, eum non creatam tantum, ſed increatam quoque rem eſſe. Sanguinem enim nullo modo ut res increata, ſed ut creata & habuit, & fudit Chriſtus.

Adde quod, ſi qua ratione Chriſti ſanguis nos mundet à peccatis, id eſt ab ipſorum pœnis nos liberet, ſive ſecundum veritatem, ſive ſecundum ipſius Adverſarii opinionem perpendatur, ex hoc ipſo deprehendetur, neceſſario conſequi, Chriſtum rem creatam tantum eſſe; nec ullo pacto ipſum Deum eſſe poſſe. Sed tractatio hæc non eſt hujus loci; & ſatis eſſe in præſentia volumus ea, quæ alibi à noſtris hominibus hac ipſa de re ſunt ſcripta & diſputata. Quod ſi Chriſtus ſic etiam peccata delet, ut ipſam culpam, cui vult, remittat, aut etiam ex immundo mundum faciat, hoc eſt hominem peccati ſervum juſtitiæ mancipet, id omne Deo Patri ſimiliter acceptum refert; qui cum nobis eum non terrenum & carnalem, ſed ſpiritualem & cæleſtem regem præfecerit, illi etiam ea dedit, ſine quibus ejuſmodi regnum adminiſtrari non poteſt. Cæterum animadvertendum eſt, locum Jobi 14. ab Adverſario allatum multo aliter legi in Hebræo, quam in Latino codice. Sic enim ad verbum in Hebræo habetur? *Quis dabit mundum ex immundo? Non unus.* Et eſt ſenſus; non poſſe fieri, ut homo, qui fragilis eſt, atque impedimentis calamitatum undique perpetuo circumdatus, ita vivat, actioneſque ſuas moderetur, ut nuſquam labatur, nec unquam à recta via deflectat; quare non videri æquum, ut Deus ſummo jure cum homine velit agere, quemadmodum ex verbis antecedentibus liquet. Itaque non de liberando homine à peccatis Jobus ibi loquitur, quod ſolus Deus facere poſſit; ſed de perfecta juſtitia ab homine mortali præſtanda; quod fieri à nemine poſſe ait.

8. Plura ſunt hic Adverſarii errata. Primum id, quod Dominus apud Eſaiam Eſa. 43. 24, ut jam tranſactum, commemorat, & populo exprobrat, ipſe pro vaticinatione accipit. Deinde quaſi Prophetico ſpiritu præditus, quanquam alios quoſdam ſecutus, vaticinationem iſtam ad redemptionem, quam Deus per Chriſtum populo ſuo fecit, referendam ſtatuit; cum tamen non videatur ibi agi de redemptione ulla, ſed tantum de moleſtia & labore, quem Deus, humano more loquens, dicit ſe ſuſcepiſſe propter peccata populi. Id quod non minus in eo puniendo, quam in redimendo, evenire potuit. Eſt enim ibi ad præcedentia elegans quædam relatio, atque antitheſis. Dixerat enim antea Dominus populo ſuo, *Non te ſervire feci in oblatione, nec laborare te feci in thure.* Id eſt, Non fui tibi cauſſa laboris, aut moleſtiæ in rebus iſtis mihi exhibendis, quia ſcilicet hæc à te non multum exegi. Itaque, paucis additis, per antitheſim ſui, & illorum, poſtmodum ſubjungit, *Verum tamen*, vel *Quin potius ſervire me feciſti in peccatis tuis; laborare me feciſti in iniquitatibus tuis.* Id eſt, Immo tu mihi peccatis & iniquitatibus tuis cauſſa moleſtiæ, ac laboris fuiſti.

Præterea, quod Chriſtus formam ſervi ſumpſerit, ut Paulus ait Phil. 2. 7. id per ſe ad Serviendi verbum, quod eſt apud Eſaiam, referri non poteſt. Neque enim ideo ſervi formam ſumpſiſſe eo in loco Chriſtus dicitur, quia ſervierit, nobis videlicet in noſtris peccatis delendis; quemadmodum ipſe Chriſtus Mat. 20. 21. dicit, ſe veniſſe, ut miniſtraret. Sed quia ſpeciem ſumpſit hominis abjectiſſimi, quales ſervi ſunt, & omnium deterrimi; tunc ſcilicet, cum Dei forma ſeu ſpecie, hoc eſt divinæ vis ac poteſtatis, qua præditus erat, uſu, & demonſtratione pauliſper depoſita, ſe comprehendendum, conſtringendum, conſpuendum, illudendum, flagellandum, crucifigendum denique ſuis inimicis dedit. Nam quod ſubjicit Paulus, eum in hominum ſimilitudine fuiſſe conſtitutum, & figura inventum fuiſſe ut hominem, id nihil eſt aliud, quam inter ipſum, & quemlibet alium hominem non fuiſſe, in ſpeciem, ullam differentiam. Nam ſimilem loquendi modum invenies Judic. cap. 16. 7. & 11. Ubi Samſon dicit, ſe futurum ſicut unum hominem, ſive hominum, id eſt, ex hominibus. Cum dicere vellet, inter ſe & quemlibet alium hominem nihil interfuturum. Quod vetus interpres animadvertens, priore loco vertit, *ut cæteri homines*, poſteriore vero *aliorum hominum ſimilis.* Quam interpretationem comprobat ipſe Samſon, cum poſtea ℣. 17. eandem ſententiam repetens dicit, ſe futurum ſicut omnem, id eſt quemlibet, hominem. Sed & Pſal. 82. ℣. 7. ſcriptum legitur, *moriemini ſicut homines*, pro eo quod eſt, Moriemini haud ſecus, ac quilibet alius homo. Poſtremo in eo errat Adverſarius, quod putat, ſi quid de Deo cæli, terræque conditore dictum aut prædictum Chriſto accommodari poſſit, aut etiam debeat, continuo ſequi, Chriſtum eſſe illum ipſum Deum, aut ejuſdem numero cum illo eſſentiæ. Qui error longe graviſſimus infra commodiore loco, id eſt partic. 20. apertius explicabitur.

9. Verba illa apud Eſaiam, *tantum in te eſt Deus*, &c. neque ad Cyrum, neque ad Chriſtum referri debere, illud ſatis oſtendit, quod pronomen Te, in Hebræo eſt feminini generis. Ad Hieruſalem igitur, vel potius

ad Iſraëlis congregationem referenda ſunt; quemadmodum linguæ Hebraicæ peritiſſimis doctiſſimiſque nonnullis viris placuit, atque inter hos Franciſco Vatablo. Nulla autem poteſt eſſe dubitatio, quin ea, quæ poſtea ſubjunguntur, *Vere tu es Deus abſconditus*, &c. ad illum Deum referri debeant, qui proxime nominatus fuerat, ad quemcunque tandem ipſa præcedentia verba referenda ſint. Ex eo enim, quod dictum fuerat, *Tantum in te eſt Deus*, &c. mutata perſona (quod frequens eſt apud Prophetas, præſertim vero apud Eſaiam) manifeſte infertur, *Vere tu es Deus abſconditus*. Quanquam ſi quæ ſtatim ſequuntur verba *Deus Iſraël ſervator*, vocandi caſu non autem nominandi legi debent, ut quidem omnino videtur, erit hic mutatio perſonæ omnibus ſcriptoribus familiaris, id eſt cum manifeſta apoſtrophe. Ex qua omnis anſa præcidetur contendendi, verba iſta *Vere tu es Deus abſconditus*, ad perſonam ſeu rem illam referri omnino debere, de qua proxime dictum fuit, tantum in ea eſſe Deum. Tametſi, ut diximus, certum eſt ad Hieruſalem, vel potius ad congregationem Iſraëlis ſuperiora verba referenda eſſe. Eſtque totius loci ſententia, nuſquam Deum ita ſe præſentem oſtendere ac patefacere, ut in populo ſuo, & in urbe, quam elegerat, ut ibi adoraretur. Ubi propterea notus erat; alibi vero ignotus. Nimirum quia ſeipſum aliis celabat quodammodo & abſcondebat, id eſt, non patefaciebat. Verbum enim Hebræum, quod Abſconditus redditum fuit, proprie ſeipſum abſcondentem ſignificat. Conſonant autem loco iſti alii loci in Sacris Literis. Præcipue vero ille apud Pſaltem Pſal. 147. 19, *Qui annunciat verbum ſuum Jacob, ſtatuta & judicia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni nationi; & judicia ſua non manifeſtavit eis.*

Adde, quod hæc ipſa verba, *Tantum in te eſt Deus*, ſi ad Chriſtum referenda eſſent, contrarium omnino oſtenderent ejus, ad quod probandum ab Adverſario allata fuerunt. Nam certe, ſi in Chriſto eſt Deus, Chriſtus non eſt ipſe Deus. Alius enim ſit oportet is, qui in aliquo eſt, & is, in quo eſt. Et Adverſarius ipſe non obſcure confitetur, Dei nomen hoc loco ad Patrem referendum eſſe. Ex quo præterea conſtat, quemadmodum etiam ex aliis infinitis locis patet, Dei nomen ſimpliciter prolatum, cum ſubjecti locum obtinet, Deum Patrem ſignificare. Quod nihil aliud eſt, quam ſolum Patrem eſſe illum unum Deum.

Jam quod maxime urget Adverſarius, ibidem additum fuiſſe, *& abſque te non eſt Deus*, quaſi hoc de natura tantum creata dici nequeat, Primum ſciendum eſt, in Hebræo non repeti pronomen Te; atque, ut doctioribus ejus linguæ placet, ſententiam eſſe, nullum eſſe Deum præter illum, qui ante commemoratus fuerat. Qui cum, ut diximus, vel ipſo Adverſario concedente, Deus Pater ſit, certum eſſe poteſt, præter Deum Patrem nullum eſſe Deum, ſummum videlicet, & ſuapte natura Deum. Deinde falſum eſt, quod Adverſarius ait, de re tantum creata dici non poſſe, quod abſque illa non ſit Deus. Neque enim ſunt verba iſta ita accipienda, ut nullo prorſus pacto Deus ſine illa eſſe poſſit. Sed eſt intelligendum, Deum nobis non eſſe ullum ſine illa, nec ſine illa Deum nobis eſſe revera Deum. Quod cur de natura tantum creata dici nequeat, nulla cauſſa eſt, ſi Deo placuerit deinceps per naturam illam, nec alia præterea ratione, ſe humano generi vere Deum exhibere; nec ſine creatæ illius rei cognitione aditum ad ſe patere. Hoc autem de Chriſto Deum conſtituiſſe fatentur omnes. Itaque veriſſimum erit, abſque Chriſto non eſſe Deum; nec tamen ſequetur, Chriſtum, quod ad ſuam ipſius naturam attinet, aliud, quam rem creatam eſſe. Nam ſimiliter, ut nonnullis doctiſſimis viris placuiſſe diximus, in Iſraëlis tantum populo dictus eſt Deus eſſe (nec quiſquam erit in Sacris Literis verſatus, qui hunc loquendi modum reprehendere prorſus audeat) cum tamen populus Iſraëlis nihil niſi res creata eſſet.

10. Quidquid igitur hic congerit Adverſarius, ut oſtendat, cur Chriſtus Deus abſconditus dicatur, ὁπτῶς ἀόρατον plane eſt; nec ulla refutatione ulla ex parte eget. Illud tantummodo non videtur reticendum, tantum abeſſe, ut Chriſti divinitas, quæ Novi Teſtamenti libris clare comprehenſa eſt, nobis, iiſque, qui nobiſcum ſentiunt, ſit abſcondita, ut potius nos ii ſimus, qui Dei beneficio eam recte novimus. Communicatam videlicet à Deo Patre, ex gratia & voluntate ipſius revera, cum homine illo Jeſu, qui Chriſtus eſt. Quam plerique alii, qui Chriſti nomen profitentur, è quorum numero Adverſarius eſt; naturalem eſſe ſtatuentes, & non homini illi revera, ſed cuidam Verbo, quod hominem illum aſſumpſerit eam concedentes, dum interim admirabilem Dei bonitatem atque ſapientiam in humana natura noſtra uſque ad ſui ipſius æqualitatem extollenda minime agnoſcunt, pro vera Chriſti divinitate, quam Euangeliſtarum, & Apoſtolorum ſcripta apertiſſime prædicant, commenticiam quandam (quod ad ipſius Chriſti perſonam attinet) inducunt, quæ ne per ſomnium quidem divinis illis viris unquam in mentem venit.

11. Quia Dei nomen in Hebræo jungitur verbo pluralis numeri, idcirco conſequi arbitratur Adverſarius, in viſione illa apparuiſſe Jacobo plures perſonas; id eſt non Deum Patrem tantum, ſed filium quoque, & Spiritum Sanctum. Verum debuerat animadvertere, nomina poteſtatem & dominationem ſignificantia ſolere apud Hebræos ad exaggerationem quandam plurali numero efferri, quamvis de una tantum perſona ſint dicta, ut in nominibus Adon, & Baal factum eſſe teſtantur inter alios, in nomine quidem Adon hi loci, Gen. 24. 9, & 50; Exod. 21. 4, & 32; 1 Reg. 22. 17. In nomine vero Baal iſti, Exo. 21. 29; & XXII. 10, 11; Eſa. 1. 3. Cum igitur ob hanc ipſam cauſſam Dei nomen Elohim, quod potentiam & gubernationem ſignificat, plurali numero efferatur, quid mirum, illi quandoque verba pluralis numeri conjungi, cum ad ſermonis quandam venuſtatem, atque elegantiam, tum vero ad majorem exaggerationem, etiamſi de una tantum perſona accipi debeat? Certe 1 Sam. 28. 13, legitur Elohim vidi aſcendentes de terra, cum tamen de una tantum perſona, quæ ſibi conſpecta fuerat, mulier illa loqueretur. Quid quod locus ab Adverſario allatus de angelis accipi poteſt, ac fortaſſe debet, per quos Deus Jacobo apparuiſſet? Hunc quidem ſenſum ſecutus eſt Chaldaicus paraphraſes, & alii poſt ipſum. Atque idem multis viſum eſt in loco ſimili eodem lib. Gen. 20. 13, & inter cæteros, ni fallimur, Thomæ de Vio Cardinali Cajetano, homini ſane docto ac diligenti; qui etiam affirmat, ſuppoſita Trinitate, inepte ac falſo dici de Deo, Elohim fecerunt.

Sed præterea conſiderandum eſt, quantopere hallucinetur Adverſarius, qui ex eo, quod plures perſonæ divinæ Jacobo apparuerint, haud obſcure colligit, illas fuiſſe tres, eaſque, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Nam, ut nihil dicamus, quod Spiritus Sanctus non eſt perſona, aut certe, utrum perſona ſit nec ne, dubitatum eſt plurimum, an non plures perſonæ eſſe poſſent, nec tamen tres, ſed vel duæ, vel plures tribus? An non, ſi duæ tantum, Pater, & Spiritus Sanctus, ſine filio, de quo hic præcipue agitur, & de quo non conſtat, utrum jam tum extiterit? An non denique plures eſſe perſonæ potuerunt, non tamen inter eas filius, aut Spiritus Sanctus eſſe? Quis non videt in hac Adverſarii ratiocinatione; præter manifeſtam principii petitionem, evidentiſſimam eſſe fallaciam conſequentis? Nam ſequitur quidem, ſi tres perſonæ, id eſt Pater, filius, & Spiritus Sanctus Jacobo apparuerunt, plures perſonas Jacobo apparuiſſe; ſed non contra, ſi plures perſonæ ei apparuerunt, tres fuiſſe, eaſque, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

12. Nomen Unigeniti ſeu μονογενοῦς, quod apud Johannem & in Euangelio, & in prima Epiſtola, Chriſto, ut Dei filio, attribuitur, reſpondet ſine dubio nomini

Hebræo

Hebræo Jechid. Nam pro eo, quod in Geneſi cap. 22. ubi de Iſaaco, ut Abrahami filio eſt ſermo, legitur Jechid, in Epiſtola ad Hebræos cap. 11. vox μονογενὴς ſcripta eſt. Atqui Jechid licet unicum ſignificet, tamen, quamvis ad filium referatur, non omnino genitura unicum ſignificat; ſed ſucceſſione, aliave inſigni qualitate unicum ſignificare poteſt, potiſſimum vero unice dilectum declarare ſolet. Hinc David Pſal. 22. 20, & Pſal. 35. 17. Jechidathi Unicam meam dixit, cum vitam ſuam intelligeret. Nihil enim homini vita carius. Atque utrobique Græca tranſlatio habet μονογενῆ μου, id eſt Unigenitam meam. Jam vero quæ diximus omnia ex prædicto Geneſis loco intelligi poſſunt. Neque enim ſolus Iſaacus ab Abrahamo generatus tunc extabat. Vivebat enim Iſmaël, quem non ſecus, atque Iſaacum, ipſe Abrahamus genuerat. Sed quia Iſaacus unice dilectus ipſi erat, ac præterea ſolus ei in hereditate erat ſucceſſurus, in eoque ſolo ſemen, ut ſcriptura loquitur, ipſi erat vocandum, idcirco unicus Abrahamo filius fuiſſe eſt dictus, & porro ab auctore Epiſtolæ ad Hebr. ipſius unigenitus appellatus. Quid igitur mirum, ſi inter tot homines Dei filios homo Jeſus Chriſtus Unigenitus diceretur, quamvis ea prorſus ratione, qua Deus filios generat, non minus alii homines, quam ipſe Chriſtus, ex Deo geniti eſſent Joh. 1. 13. Jac. 1. 18. 1 Joh. 3. 9, & 10? (Nam ex Deo alios quoque genitos dici, teſtimoniis prolatis jam oſtenſum fuit à nobis Animadver. tertia in ſecundam Aſſertionem Adverſariorum) Quandoquidem Chriſtus non ſolum præ aliis omnibus filiis Deo dilectus eſt, unde dilectum filium ſuum eum Deus ſingulariter nominavit Mat. 17. 5; ſed etiam ante omnes alios cœleſtem hæreditatem obtinuit Hebr. 1. 2; immo ſolus univerſorum hæres & Dominus eſt factus. Adde, quod per eum alii omnes ex hominibus veri filii Dei naſcuntur, & ex eo propagantur non minus, quam per Iſaacum veri filii Abrahami, id eſt in ejus ſemine æſtimandi, omnes propagati fuerint.

Quinetiam, ſi recte res perpendatur, videbimus, pro eo tempore, quo Chriſtus Dei filius unigenitus in Sanctis Literis vocatur, id eſt ante ipſius reſurrectionem, nullum alium inter homines verum Dei filium, quales poſtea ex eo ſunt propagati, adhuc extitiſſe. Siquidem non alii modo, ſed ipſi Apoſtoli & carnis infirmitate, & rerum divinarum ignorantia ejuſmodi, ante Chriſti reſurrectionem, & Spiritus Sancti in ipſos à cœlo deſcenſum laborabant, ut vix Dei filius quiſquam ex illis adhuc nominari aliqua ratione poſſet, nedum verus filius Dei eſſet. Merito igitur Chriſtus pro eo tempore Unigenitus Dei filius eſt appellatus, etiamſi Unigeniti nomen eam vim haberet, ut plane ſolum filium ſignificaret.

Quod ſi nihilominus tamen ob Unigeniti appellationem quærimus præterea rationem aliquam, propter quam Chriſtus ab ipſo ortu filius Dei fuerit, ſeu natus ſit filius Dei, nec unquam non fuerit Dei filius, cum alii omnes non naſcantur Dei filii, ſed fiant; ſi denique ſingularem aliquem modum quærimus, quo Deus Chriſtum, præter cæteros omnes ex hominibus filios ſuos, genuerit, cur non meminimus, Chriſtum Jeſum in virginis utero Dei virtute conceptum formatumque fuiſſe, & ob hanc cauſſam Dei filium vocari debuiſſe Luc. 1. 35? Aut ſi meminimus, cur hoc contenti non ſumus? Quid hic illorum deeſt, quæ modo commemoravimus? Aut quomodo ſi propter iſta eſt Chriſtus Dei filius vocatus, non etiam propter eadem Unigenitus Dei filius eſt nominatus, ſi modo ſingularis genituræ in eo nomine ratio habetur? Quid igitur ad Unigeniti appellationem explicandam ex ipſius Dei natura, ſive eſſentia generationem ſomniamus, quam nec Sacræ Literæ uſquam memorant, nec quiſquam percipere poteſt: immo quam ſatis perſpectum eſt ex eorum genere eſſe, quæ fieri nequeunt, niſi vel partibilis aliquo modo ſit ipſa Dei eſſentia, id quod nemo non videt, quam ſit abſurdum atque adeo impium, vel ſit tota communicabilis, quod fieri non poteſt, quin plura uno ſuppoſita, ut vocant, inducantur, quorum quilibet ſit natura ſummus ille ſolus Deus; id quod, quidquid Adverſarii contra diſputent, manifeſtam implicat, ut dicitur, contradictionem? Communicare quidem dicitur Deus naturam ſuam; ſed non tamen, ut ita loquamur, ſubſtantialiter, verum effective & qualitative. Atqui hoc pacto non cum Chriſto tantum, ſed cum aliis quoque creatis rebus Deus naturam ſuam communicavit & communicaturus eſt. Nam Petrus diſerte ait 2 Petr. 1. 4, nos divinæ naturæ κοινωνοὺς ſeu particeps eſſe, vel certe futuros aliquando, tunc videlicet, cum beata immortalitate donabimur in reſurrectione juſtorum; propter quam etiam filii Dei erimus, ut aperte teſtatur Chriſtus apud Lucam cap. 20. 36. Ex quo apparet, ſi divinæ naturæ participatio neceſſaria eſt, ut quis Dei filius ſit, ne nos quidem ea deſtitui, nec propter ipſam ſolam potuiſſe Chriſtum Unigenitum Dei filium appellari.

Huc accedit, quod, qui ad iſtam ex natura ſive eſſentia ipſius Dei ſubſtantialem generationem, Jeſu Chriſti filiationem revocant, de homine illo Jeſu revera nihil dicunt; neque enim is revera ex ipſa Dei eſſentia generatus fuit, & tamen unigenitus ille Dei filius eſt revera homo ipſe Jeſus. Unigenitum enim ſuum, ſeu proprium, ut Paulus loquitur Joh. 3. 16. Rom. 8. 32, filium Deus dedit & tradidit pro nobis omnibus, nempe in mortem, eique non pepercit. Atqui homo ille Jeſus pro nobis revera mortuus eſt, nec præterea alius quiſpiam. Videant igitur Adverſarii, quid agant, dum eum, qui unigenitus Dei filius in Sacris Literis diſertis verbis eſt dictus, agnoſcere recuſantes, alium quempiam quærunt, qui ſcilicet aliquando extra & ante iſtum fuerit. Quamvis autem ſatis à nobis oſtenſum ſit, quomodo Jeſus Chriſtus filius Dei unigenitus dici potuerit, etiamſi ad ſingularem aliquam generationem nomen Unigeniti referre velimus, eamque ejuſmodi, ut is merito natus, alii vero adoptati filii Dei dici poſſint, ſi nimirum ejus ſecundum carnem nativitatem conſideremus; tamen addimus, idem ſimiliter dici poſſe ejus nativitatis reſpectu, quæ eſt ſecundum ſpiritum; cujus ratio multiplex eſt. Immo, quemadmodum præcipuam cauſſam, cur Chriſtus filius Dei fuerit dictus non ad conceptionis & ortus carnalis modum, licet ſecundum hunc quoque Dei filius fuerit appellatus, ſed ad ſpiritualem nativitatem, Paulo Apoſtolo auctore Rom. 1. 4, libenter referimus, ſic Unigeniti appellationem ad eandem ſpiritualem potius, quam ad carnalem nativitatem referendam eſſe ducimus (ſi modo, ut diximus, alicujus genituræ; ut nomen ipſum requirere videtur, ratio eſt habenda) & dicendum, idcirco unigenitum Dei filium Chriſtum vocari, quod ab ipſo Deo ſecundum ſpiritum immediate, ut loquuntur, quacumque ratione ſit genitus; alii vero omnes mediate, idque, ut ſupra attigimus, per ipſum, gignantur. Nam ut de ſpirituali ex Deo filiatione, quæ in hac mortali vita contingit, nihil dicamus, fuit ipſe à Deo immediate à mortuis in vitam revocatus, & immortalis factus ac rerum dominus conſtitutus, quæ præſtantiſſima ex Deo ſecundum ſpiritum generatio eſt, & univerſæ divinæ filiationis perfectio atque abſolutio; Nos vero mediate, videlicet per ipſum, à Deo omnia iſta conſequemur.

Cum igitur hæc ipſe ante omnes ſolus habeat; cumque aliorum omnium, quamvis frater, Rex ſit ac dominus factus; cum denique à Deo factus ſit æternus ipſius Dei Chriſtus, quod ipſum per ſe plane inſignem Dei filiationem continet, ſatis conſtat, cur unigenitus Dei filius generationis ipſius ratione appellari potuerit. Nam, quod tunc maxime eum genuiſſe Deus dicatur, cum iſta illi dedit, alibi infra, id eſt cap. 8. partic. 6. latius explicabimus. Verumtamen nobis vehementer probatur, in Unigeniti ſeu μονογενοῦς nomine, cum Chriſto accommodatum fuit, præcipuam rationem habitam fuiſſe ſummæ & ſingularis in eum paternæ dilectionis, qua tamen cætera omnia continentur.

Hinc Pater ipſe Deus, cum ipſum filium ſuum maxime commendare hominibus vellet Matth. 3. & 17, ſuum ὁ ἀγαπητὸν, ſeu dilectum illum filium, eum nominare ſatis habuit; idque non ſemel ab ipſo eſt factum. Jam Septuaginta interpretes vocem Hebræam Jechid, cui vocem μονογενὴς reſpondere ex Epiſt. ad Hebr. oſtendimus, ſupra dicto cap. 22. Gen. bis ἀγαπητὸν id eſt Dilectum verterunt. Quod idem factum eſt Prover. cap. 4. 3. ubi ἀγαπώμενον illam redditam legimus. Atque ibi obſervandum eſt, Salomonem affirmare, ſe fuiſſe unigenitum coram matre ſua; cum tamen ex ipſa David alios filios ſuſcepiſſet; ut diſerte ſcriptum eſt 1 Par. cap. 3. quidquid Rabini ſomnient, quod reliqui præter Solomonem filii Uriæ eſſent adoptati à Davide. Eſt autem in voce μονογενὴς ſive Unigeniti, quam vetus interpres auctorem ad Hebr. imitatus pro voce Jechid prædictis locis repoſuit, manifeſta tranſlatio. Quia enim filii unigeniti dilectiſſimi parentibus eſſe ſolent, idcirco, qui dilectiſſimus patri, aut matri eſt, is ejus unigenitus appellatur.

Ex prædictis conſtare poteſt, nullam in noſtris verbis eſſe repugnantiam, cum in Animadverſionibus diximus, errorem Judæorum, & Mahometanorum non conſiſtere in neganda filii Dei æternitate, ſed in Jeſu Nazaræno pro Dei filio unigenito non agnoſcendo. Neque enim, quemadmodum oſtendimus, in Unigeniti filii Dei appellatione, quæ Chriſto tribuitur, divinæ ipſius naturæ ſive eſſentiæ, ut Adverſarius opinatur, ex qua, ſcilicet, ſubſtantialiter genitus fuerit, ratio habetur. Ubi ejuſdem Adverſarii alius inſignis error eſt animadvertendus. Putat enim ſi Chriſtus natura ſit filius Dei, neceſſario conſequi, in illo Dei Patris eſſe naturam, id eſt eſſentiam ipſam. Quod tamen evidenter eſt falſum. Natura enim filius apud ipſummet Adverſarium ei opponitur, qui filius eſt adoptione. Ut igitur Chriſtus natura ſit Dei filius, ſatis eſt, eum non adoptatum, ſed natum fuiſſe Dei filium. Id autem citra ullam ipſius eſſentiæ Patris mentionem, quæ in eo fuerit, factum eſſe, docent Sacræ Literæ, ut ſupra demonſtratum fuit.

Quanquam eſt præterea in Adverſarii ratiocinatione conſequentis fallacia. Non enim, ſi, filii Dei æternitate conceſſa, ſequitur, in Dei filio eſſe Patris naturam, viciſſim, quia in Dei filio Patris natura ſit, Dei filii æternitas conſequitur. Nam quod ipſe ait, divinam naturam non poſſe eſſe, niſi ab æterno, hic prorſus evidens eſt fallacia, quam compoſitionis nominant. Aliud enim eſt, divinam naturam Filii, id eſt eam divinam naturam, quam Filius habeat, eſſe æternam; aliud eandem divinam naturam, ut Filii naturam eſſe æternam, id eſt naturam iſtam ab omni æternitate Filii naturam fuiſſe. Potuit enim ea natura in ipſo Deo Patre eſſe antequam Filius exiſteret, qui ſcilicet aliquando non fuerit, quemque Deus Pater non natura & neceſſario, ſed libera voluntate ex ſua ſubſtantia genuerit. Ut certe quibuſdam ex antiquioribus theologis *, quos tamen Adverſarii ſecum omnino facere prædicant, placuiſſe apparet. Nam etſi coæternum filium ſibi Deum genuiſſe alicubi dixerunt, ſatis ex loco ipſo conſtat, vel coæternitatem iſtam à parte poſt (ut loquuntur) debere intelligi, vel potius coæternum idem ibi ſignificare, quod ante ſæcula ſimul exiſtens.

13. Dicitur venire Deus, cum quidpiam ſingulariter efficit in nobis. Præcipuus vero eſt hujus locutionis uſus, cum nos ab aliqua calamitate liberans & ab inimicis noſtris defendens, vel etiam cum contra pro meritis nos puniens, Deus inducitur. Illius exemplum habes Pſal. 80. 3. Hujus vero Malach. 4. in fine. Aliquando autem ſimpliciter Deus ad aliquem venire dicitur; & tunc favor aliquis ſingularis Dei erga illum ſignificatur, ut Pſal. 101. 2. Unde & apud Latinos hoc ſenſu Deus ſeu Numen alicui adeſſe & præſens eſſe dicitur. Denique venire dicitur Deus, quandocunque venit aliquis ejus nomine, quem ipſe miſerit; quemadmodum & loqui Deus ipſe, & alia omnia facere dicitur, quæ quiſpiam ab ipſo miſſus ejus nomine loquitur, & facit. Cujus rei exempla in Sacris Literis frequentiſſima ſunt; præſertim vero in Vetere Teſtamento, ubi millies, quæ ab aliquo vel angelo vel homine divino ipſius Dei nomine, vel etiam juſſu fiunt, ab ipſo Deo fieri dicuntur. Quare non poſſumus Adverſarium ſatis mirari, qui hæc vel ignoret, vel ignorare ſe ſimulet.

Eſt autem ipſius Veniendi Verbi inſigne exemplum 1 Sam. 3. 10. ubi Deus dicitur ad Samuelem veniſſe, & ſtetiſſe, eumque vocaſſe; cum ſine dubio angeli alicujus miniſterio hæc omnia facta fuerint. Nil mirum igitur eſſe debet, ſi, cum Chriſtus nos ſervatum venit, ipſe Deus veniſſe dicitur, quamvis non ſit Chriſtus ipſe Deus; cum non modo ab ipſo Deo profecta ſit ſalus Luc. 1. 69. Joh. 5. 43. XVII. 12, quam nobis Chriſtus attulit, ſed Chriſtus in ipſius Dei Patris ſui nomine venerit; &, cum eſſet in hoc mundo, ſuos in ejuſdem Patris nomine ſervaret. Ubi vides ex regula ſupra ſcripta, ipſum Deum Patrem veniſſe, cum Chriſtus venit. At certe Chriſtus non eſt ipſe Deus Pater. Præterea, ſi Deus erat in Chriſto, ut inquit Paulus 2 Cor. 5. 19, mundum ſibi reconcilians, an non Deus nos ſervatum in Chriſto venit? Quis autem ipſe Deus eſt, qui in Chriſto erat? Certe, ut nemo negat, ipſe Deus Pater; de quo tam ſæpe ipſe Chriſtus dixit, quod in ſe eſſet. Deus igitur ipſe pater fuit, qui ad nos ſervandos venit in Chriſto. Tantum abeſt, ut Chriſtus ſit ille ipſe Deus, qui ad nos ſervandos venit. Non videt Adverſarius, ſe cum ſuis omnibus, dum ad Chriſti naturalem atque æternam divinitatem aſſerendam Sacra Teſtimonia plane detorquent, ſæpius in merum Sabellianiſmum incidere, quem tamen tantopere ſe abhorrere profitentur, & (quod perridiculum ſane eſt) nobis interdum attribuere atque objicere non dubitant.

14. Turpis vel conſequentis, vel æquivocationis una cum petitione principii miſtæ, fallacia eſt in argumentatione iſta, Deus eſt lux; Chriſtus eſt lux. Ergo Chriſtus eſt Deus. Sic enim reipſa argumentatur Adverſarius. Conſequentis fallaciam arguit ipſa argumenti forma ex puris affirmativis, ut loquuntur, in ſecunda figura. Neque enim ſi Deus lux eſt, viciſſim id, quod eſt Lux, eſt Deus. Alioqui hac eadem ratione probari poterit Chriſti diſcipulos eſſe ipſum Chriſtum. Chriſtus enim eſt lux mundi, Joh. 8. 12. & Chriſti diſcipuli ſimiliter ſunt lux Mundi, Matth. 5. 13. Quod ſi lucis nomine omnium ſupremam lucem Adverſarius intelligit, ubi Deus lux eſſe dicitur, ſeu lucem aliquam, quæ de Deo tantum prædicari poſſit; præterquam quod principium petit (nam hac de re nihil conſtat, & veriſimilius eſt, nomen Lucis à Johanne 1 Joh. 1. 5. generice uſurpatum fuiſſe, cum articulum ei appoſuerit) æquivocatione etiam nominis fallitur nimis evidenter. Quaſi Lucis nomen ſemper ſupremam illam Lucem ſignificet. Hoc ipſemet aliqua ex parte agnoſcens, fatetur, Apoſtolos quoque lucem mundi ab ipſo Chriſto appellatos fuiſſe. Sed neminem ipſorum dicere potuiſſe Joh. 12. 4, *Ego lux in mundum veni*, quemadmodum de ſe dixit Chriſtus.

Jam vero, ſi Adverſarius Chriſti verba ita accipit, ut ſimplici Lucis nomine ſe appellaverit, quemadmodum Deus ſimplici Lucis nomine appellatus invenitur; quaſi nomen Lux per appoſitionem cohæreat cum pronomine Ego, ut ſit ſenſus, Ego, qui ſum lux, &c. id quod neget Apoſtolos dicere de ſe potuiſſe; Hoc nihil eſt, niſi prius probet, ſolum Deum ſimplici Lucis nomine, cum id nomen videlicet, ut hic, prædicati locum obtinet, appellari poſſe. Quod nunquam faciet Immo contrarium ex ipſis Sacris Literis probatur; in quibus, licet rariſſima omnino ſint ejuſmodi exempla, locum tamen habes, ubi de alia re, quam de Deo lux ſimpliciter prædicatur; hoc eſt de lege. Is eſt Prover. 6. 23. ubi ex Hebræo ad verbum ſic legitur. *Quia lucerna [eſt] præ-*

* Juſtinus in colloquio cum Tryph. Jud. Tertull. adverſus Praxeam, & adverſus Hermogenem. Lact. lib. 2. cap. 9.

præceptum, & Lex [eſt] Lux, & via vitæ [ſunt] increpationes correptionis.

Adde, quod nihil prohibere poteſt, quominus ſi Apoſtoli lux mundi dicti ſunt, Lucis etiam ſimplici nomine appellari potuerint. Nam certe qui Lux mundi eſt, Lux eſt. Quod enim Adverſarius ait, ne Johannem quidem Baptiſtam, quo nullus major inter natos mulierem extitit, Lucis nomine potuiſſe appellari, dicente Euangeliſtæ Joh. 1. 8, *Non erat ille Lux*, nimis apertum eſt, locum non ita accipiendum eſſe, quaſi Johannes non eſſet Lux; ſed intelligendum non fuiſſe eum lucem illam, de qua ibi agebatur, ut loci circumſtantiæ omnes, & articulus, qui in Græco appoſitus nomini Lucis fuit, ſatis declarant. Unde factum eſt, ut recentiores interpretes, fortaſſe omnes, pronomen addiderint, & locum aut ſic verterint, Non erat ille lux illa; aut ſic, Non erat ille ipſa Lux.

Præterea fallitur Adverſarius, qui putet, verba illa Chriſti de Johanne Baptiſta Mat. 11. 11, quod inter natos mulierum non ſurrexit illo major, ut apud Matthæum leguntur, ſimpliciter accipienda eſſe. Alioqui ipſo etiam Chriſto major fuiſſet. Ad Prophetas igitur tantum ſunt referenda verba illa, ut ex Luca apparet Luc. 7. 28, Prophetarum autem nomine eo in loco, ut alibi ſæpe, ii Prophetæ intelliguntur, qui Chriſtum anteceſſerunt. Quid quod ibidem addit Chriſtus, *qui autem minimus eſt in regno Dei, major eſt illo?* Non igitur major fuit Johannes Baptiſta Apoſtolis, quod præſertim attinet ad orbem terrarum divinæ veritatis patefactione illuminandum; unde Lucis appellatio iſta ducitur. Quinimmo haud paulo minor hac in parte unoquoque illorum fuit. Et nihilominus eſt ipſe à Chriſto ardens & lucens lucerna appellatus, in cujus luce ad tempus exultare voluerint Judæi. Quanto igitur magis quilibet ex Apoſtolis, Lucis ſimplici nomine appellari poteſt?

Cæterum, ſi verba Chriſti, *Ego Lux in mundum veni* ita accipit Adverſarius, ut idem ſit, ac ſi dixiſſet, Ego veni in mundum, ut lux eſſem, nempe ipſius mundi, & negat, quemquam ex Apoſtolis hoc de ſe dicere potuiſſe, Primum hoc nihil facit ad propoſitum ab initio argumentum, ſive ad locum illum, ubi Deus ſimpliciter Lux eſſe dicitur, ex quo nihil aliud videtur colligi poſſe (quanquam, ut vidimus, perperam) niſi, cum Deus Lux eſſe dicatur, Chriſtus autem ſimiliter Lux appelletur, Chriſtum eſſe Deum, neque eo quidquam pertinere poteſt, quod Chriſtus hac potius, quam illa ratione, ſe lucem appellaverit. Deinde non videmus, cur, ſi Apoſtoli lux mundi erant, non potuerint etiam dicere, ſe in mundum veniſſe, ut lux mundi eſſent. Siquidem Venire in mundum non eſt ex loco aliquo extra orbem terrarum poſito in ipſum terrarum orbem venire, vel ſe ſub corporea forma mundo conſpiciendum præbere, ut fortaſſe exiſtimavit Adverſarius; ſed neque etiam in mundum naſci, ut Joh. 16. 21. loquitur ſcriptura: verum publice in mundo aliquod munus aggredi. Nam & ipſi Apoſtoli mitti in mundum ſunt dicti Joh. 17. 18, quemadmodum Chriſtus ipſe miſſus fuerat in mundum, & falſi Prophetæ, cum incipiunt prædicare, exire in mundum dicuntur. Quidquid ſit, hoc nihil pertinet ad ipſam lucis appellationem, de qua hoc loco agitur.

Sed quid tandem erit, etiamſi ſolus Chriſtus dicere potuerit, ſe in mundum veniſſe, id eſt publice prædicare agreſſum fuiſſe, ut mundi lux eſſet? Num fortaſſe negatum eſt unquam à nobis, Chriſtum Apoſtolis in rebus omnibus longe anteferendum eſſe? aut quid ad rem facit in hac ipſa Lucis appellatione, inque mundo illuminando, Apoſtolos (quod nos libentiſſime agnoſcimus, & fatemur) neutiquam cum Chriſto comparandos eſſe? Nunquid propterea ſequitur, Chriſtum eſſe Deum, illum videlicet Deum, præter quem non eſt alius? Non ſane. Non enim ex ſe ipſo tantam illuminandi vim habet Chriſtus, ſed ab eo, à quo dictum eſt illi Eſa. 42. 6, *Cuſtodiam te ac dabo te in fœdus populi, in lucem gentium*, & rurſus 49. 6, *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ Act.* 13. 47.

15. Quo ſenſu oſtendimus ſupra, Deum apud Eſaiam ſe primum & noviſſimum nominaſſe, eodem apud eundem ait Eſa. 43. 10, ante ſe non fuiſte formatum Deum, & poſt ſe non futurum, id eſt, ut ſequentia verba indicant, non eſſe, quod Iſraël ab alio quopiam Deo ſalutem ſperaret, quam ipſe ut inceperat, nec alius Deus ante ipſum eam inchoaverat, ſic quoque perfecturus eſſet; non autem quiſpiam alius Deus poſt ipſum ei extremam, ut ſic dicamus, manum impoſiturus. Non igitur, nullum unquam futurum ait Deus, qui Deus & ſit, & dicatur, quem videlicet ipſe formaverit, & cujus miniſterio ipſe in ſervando Iſraël utatur, adeo ut nihilominus ipſe, & non alius ſit Iſraëlis ſervator, qualem Deum nos Chriſtum agnoſcimus. Sed etſi de Deo ullo non futuro Deus loqueretur, non tamen vel Chriſtus non eſſet Deus, vel unus eſſentia, ut Adverſarius vocem Unus ſine dubio intelligit, cum Deo ipſo eſſet. Primum enim ſententia eſſet, non quidem omnino non futurum amplius Deum ullum, ſed non futurum poſt ipſum; id eſt non deſiturum ipſum, & in ipſius quodammodo locum alium quempiam Deum ſuffectum iri, hæc enim ſignificatio eſſe ſolet dictionis Poſt in Sacris Literis; ut exempli gratia, ubi Deus dicit Gen. 17. 7, ſe futurum Deum Abrahami, & ſeminis ejus poſt eum; id eſt, poſtquam ipſe Abrahamus eſſe deſiiſſet. Itaque diceret Deus, quemadmodum nullus fuiſſet Deus, antequam ipſe eſſe inciperet, hoc eſt nunquam fuiſſet, cum non ipſe, ſed alius quiſpiam eſſet Deus, ſic nunquam futurum, ut poſtquam ipſe eſſe deſierit, alius Deus exiſtat; id eſt nunquam futurum, ut ipſe, Deus eſſe deſinat, & alius, eſſe incipiat.

Deinde hoc loco Dei nomen, ut plerumque ſolet, ſummum rerum omnium conditorem & conſervatorem ſignificaret; qualis certe nullus eſſe poteſt præter unum. Atqui Chriſtus Deus quidem eſt, ſed non talis Deus. Quare Adverſarius, dum hic, & alibi urget, Chriſtum eſſe Deum, ut hinc probet, Chriſtum eſſ illum unum Deum, aut in æquivocationis fallaciam incidit, aut manifeſte principium petit.

Præterea, etſi Chriſtus eſt Deus, nec unus eſſentia cum Deo Patre, non tamen eſt alius Deus ab ipſo: cum & divinitatem ſuam Deo Patri acceptam referat, & qua Deus eſt, illi ſit omnino ſubordinatus, ab eoque totus pendeat. Hanc rem univerſam dilucide admodum & egregie explicat Lactantius lib. divin. Inſt. 4. cap. 29. niſi quod eandem ſubſtantiam Patris, & Filii eſſe vult. Verum hoc ab ipſo non intelligi, quaſi eadem numero ſit amborum eſſentia, multa declarant, quæ cum poſtea eodem in loco, tum alius ſæpius ſcripta reliquit. Idem argumentum tractarunt ante ipſum nonnulli, & in eandem ſententiam ſcripſerunt. Præcipue vero Tertullianus pluribus in locis. Sed non eſt poſtremo reticendum, verba Hebræa apud Eſaiam ejuſmodi eſſe, ut verti poſſint, Non eſt ante me formatum Dei, nec poſt me erit. Quemadmodum poſt doctiſſimos Hebræorum, Sancti Pagnino interpretari locum placuit.

16. Chriſtus vita eſt, & vita quidem æterna, quia vitæ æternæ auctor & dator eſt. Æternæ autem vitæ eſt auctor, ſive, ut in Græco eſt Act. 3. 15. ἀρχηγὸς, id eſt dux & princeps, quia ipſe omnium primus à mortuis ad immortalem vitam eſt excitatus, & cunctis aliis ad eandem vitam tum verbis, tum factis aditum patefecit, fuitque æternæ poſt mortem vitæ inventor quodammodo atque fundator. Dator porro vitæ æternæ eſt, non ſolum ob prædictas cauſſas, ſed etiam quia homines Deo ſecundum præſcriptam à ſe rationem obedientes ſibique confidentes à morte vindicandi poteſtatem habet, & vita æterna donandi. Sed hanc poteſtatem ut ſupra partic. 8. vidimus à Deo Patre habet, quatenus Deus Pater ei omnia ſubjecit. Quod certe non ab æterna illa & neceſſaria, quam Adverſarii ſomniarunt, generatione profectum eſt, ſed à libera Dei Patris voluntate, qui filium ſuum Jeſum, ut ſcriptum eſt Phil. 2. 10,

quia obediens uſque ad crucis morrem fuiſſet, vehementiſſime extulit, eique omnia & cæleſtia & terreſtria, & ſubterranea juſſit genua flectere. Et Hebr. 2. 9. XII. 2. legimus, Jeſum propter paſſionem mortis gloria, & honore fuiſſe coronatum, & rurſus, eum pro gaudio ſibi propoſito ſuſtinuiſſe crucem, & in dextera throni Dei conſediſſe. Nam & ipſe dixit Luc. 24. 26, oportuiſſe, ut Chriſtus iſta pateretur, & ita intraret in gloriam ſuam. Habet igitur Chriſtus vitæ dandæ immortalis poteſtatem ex Dei beneficio, non autem ex eo, quod ipſe ſit ille unus Deus. Atque ad hanc vitæ auctoris & datoris appellationem Chriſto attributam maxime pertinet, quod ipſe palam profeſſus eſt, datum ſibi fuiſſe à Patre, ut habeat vitam in ſemetipſo Joh. 5. 26. (ſicut alibi quoque ſcriptum eſt, *In ipſo vita erat* 1. 4.) ut ſcilicet, quemadmodum præcedentia verba aperte docent, ii, qui vocem ipſius audirent, id eſt ei obedirent, viverent. Quod vix poteſt dici, quam inepte atque intempeſtive ad commenticiam illam æternam generationem ab Adverſariis referri ſoleat; cum manifeſtum ſit, Chriſtum ibi de ſe ut filio hominis, id eſt homine, loqui. Id quod vel ea, quæ ſtatim conſequuntur, verba planiſſimum faciunt, *Et poteſtatem dedit ei etiam judicium facere, quia filius hominis eſt.* Idem Chriſtus patrem orans Joh. 17. 2, & ſic, ut homo, verba de ſe faciens dixit, ſibi ab illo datam fuiſſe poteſtatem omnis carnis, ut omnibus, quos ſibi dediſſet, iis daret vitam æternam. Vitam autem æternam eam eſſe, ſi ipſum patrem ſeque noſſent. Quam nimirum cognitionem ipſe primus & ſolus illis dederat. Itaque & ex hoc & ex ſuperiore loco apparet, Chriſtum quidem pro eo etiam tempore, quo munere ſuo in terris eſt functus, merito vitæ auctorem & datorem dictum fuiſſe, verum aliam ob cauſſam, quam quia ſit unus ille Deus, cum ab ipſo illo uno Deo, quidquid illud eſt, ſe accepiſſe ipſe fateatur. Id autem pro eo tempore nihil eſt aliud, quam auctorem fuiſſe & datorem ejus diſciplinæ & cognitionis, quæ illam ſuſcipientibus vitam æternam confert.

Cæterum, quod Adverſarius ait 1 Joh. 1. 2, Chriſtum appellatum fuiſſe vitam æternam, quæ erat apud Patrem; id non ita ſe habet. De ipſa enim vita æterna, cujus auctor & dator eſt Chriſtus, ibi verba fiunt. Nec quidquam cogit metonymiam iſtam eo in loco agnoſcere; quam tamen nullo modo negamus alioqui recipi poſſe, &, ſi ibi eam agnoſci debere prorſus neceſſe eſſet, jam quid ſit Apud Patrem Chriſtum fuiſſe, idque ut vitæ æternæ auctorem & doctorem, ex iis, quæ ſuperiore hujus cap. parte partic. 3. diſputata ſunt, facile intelligi poteſt.

17. Nihil prohibet, eum ipſum revera, qui vita æterna ſit ea ratione, qua, Chriſtum ante reſurrectionem fuiſſe, oſtendimus, mori poſſe, & porro mori; ut certe Chriſtus non ſecus, atque alii omnes, eſt mortuus. Atque hoc, ni fallimur, ſibi vult id, quod in Symbolo Apoſtolico nuncupato dicitur, deſcendiſſe illum ad inferos. Hoc enim ſignificat, inter illum, & cæteros mortuos pro eo tempore, quod inter ejus mortem, & reſurrectionem interceſſit, nullam differentiam fuiſſe. Inferi enim ii ſunt, qui jam ſunt mortui; & Infernus ſtatus omnium mortuorum eſt. In quo ſtatu non permanſit Chriſtus; quippe de quo ſcriptum fuiſſet Pſal. 16. 10. *Non derelinques animam meam in inferno.* Ereptus igitur eſt Chriſtus & liberatus ex Inferni faucibus Act. 2. 31, id eſt ex ſtatu reliquorum mortuorum. A quo vero? Num à ſemetipſo? Quid, rogamus, abſurdius aut ſacro modo allato teſtimonio aliiſque compluribus magis diſſentaneum, in quibus diſerte dicitur alium fuiſſe, qui eum liberaverit, & in vitam revocaverit, huncque Deum ipſius patrem fuiſſe? Quare nihil fuiſſet opus, ſi ipſe ſe ipſum revera à mortuis excitandi poteſtatem naturalem ac perpetuam habuiſſet, eaque porro, ut Adverſarius exiſtimat, excitaſſet.

At enim Patris, & filii omnia opera communia ſunt atque indiviſa. Hæc principii petio eſt. Nam iſtud nos pernegamus. Deinde ſi ita res ſe haberet, non ita frequenter ad Deum Patrem ſive ad Deum ſimpliciter hoc opus, quemadmodum pleraque alia referretur. Sed diſerte ac diſtincte filii quoque, qui ſeipſum virtute ſua propria à mortuis excitaſſet, ſæpius mentio fieret. Nam quod ipſe Chriſtus ait Joh. 2. 19, *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, conſiderandum eſt, cum Judæi à Chriſto ſignum petiiſſent Mat. 12. 39, ipſe autem, ut alibi aliquanto explicatius dixit, nullum aliud ſignum ipſos habituros eſſe, reſpondere vellet, quam reſurrectionem ſuam poſt triduum à morte ſibi ab ipſis allata, idque ſub metaphora templi diruendi & erigendi efferre, neceſſe illum habuiſſe, quo ſuam interea reſponſionem ad illorum petitionem accommodaret, ſibi tribuere templi erectionem. Alioqui vel in metaphora non perſtitiſſet, vel nihil ferme ad rem locutus fuiſſe viſus eſſet; aut certe non id dixiſſet, quod dicere volebat. Nam, ſi dixiſſet, Solvite templum hoc, corpus, inquam, hoc meum deſtruite, & Deus triduo illud eriget, ut vera omnino, ſic ad rem ſine dubio locutus eſſet. Quamvis enim illi, ut ipſemet ſignum oſtenderet, id eſt faceret, petiiſſent; tamen hoc omnium ſignorum ad Chriſtum pertinentium futurum erat excellentiſſimum, & quaſi aliorum ab ipſo Chriſto editorum ſigillum ac confirmatio; nec quidquam erat aptius ad demonſtrandum, cur Chriſtus tanta auctoritate ementes, & vendentes è Dei templo ejeciſſet, ad quod ſibi oſtendendum, ſignum ab ipſo edi illi petierant. Verum hac ratione Chriſtus metaphoræ velum abſtuliſſet, in qua omnino perſiſtere volebat. Sin autem dixiſſet, Deſtruite templum hoc, & triduo Deus eriget illud, ſive, & triduo erigetur, potuiſſent illi dicere, Quid hoc ad rem? Neque enim ſimpliciter ſcire volumus, ex aliquo ſigno, an ſis verus Propheta, quanquam hæc ratio dignoſcendi Prophetas, ex rebus ſcilicet mirabilibus prædictis, fallax eſt admodum, & potius ad cognoſcendos falſos, ſi non evenerint ea, quæ prædicta ſunt Deut. 18. 22, quam ad cognoſcendos veros, ſi evenerint, data fuit nobis regula iſta. Sed ex aliquo ſigno à te ipſo edito cupimus videre ac cognoſcere, te merito tibi tantam ſumere auctoritatem, quantam ſumis. Itaque hoc ipſum, quod illis ſuo tempore palam futurum, cum id ſcilicet eveniſſet, quod ipſe dixiſſet, conteſtari volebat Jeſus, ejuſmodi verbis minime conteſtatus eſſet. Sed ſeipſum futurum dicens, qui templum triduo erigeret, ſi ab illis deſtrueretur, præterquam quod ad illorum petitionem rectiſſime reſpondet, qui, ut dictum eſt, ſignum ab ipſo poſtulabant, tale etiam ſignum ſe editurum pollicetur, ex quo profecto ſi eveniſſet, conjicere potuiſſent, ipſum illum eſſe, quem ſe eſſe dicebat, & factis ipſis præferebat. Nam ingens plane ipſis Judæis ejuſmodi ſignum viſum fuiſſe, eorum de Jeſu id ſe facturum dicente admiratio, quæ ibidem commemoratur, ſatis demonſtrat.

Ut igitur concludamus, etſi Chriſtus ipſe proprie loquendo, is futurus non erat, qui templum illud erigeret, quod ipſe intelligebat, tamen neceſſe quodammodo habuit ita loqui, & ſibi id tribuere, quod Dei ſolius futurum erat. Quanquam alioqui, etiam in ipſis Sacris Literis, non modo in communi loquendi uſu, cum de reſurrectione agitur, ſæpius mortuis ea tribuuntur, quæ vel Dei & Chriſti ſunt propria, vel certe illis minime conveniunt. Et ne longius abeamus, dicuntur mortui reſurgere, quomodo vero reſurgere poſſunt, ſi ſunt mortui, id eſt ipſi non ſunt amplius? Quomodo reſurget, verbi gratia, Paulus, ſi Paulus ipſe non eſt, nec denuo eſt futurus, niſi poſtquam reſurrexerit? Quin etiam ipſi Deo & Chriſto hic id tribuitur, quod minime verum eſt, ſi verborum proprietatem ſpectemus; cum dicitur videlicet mortuos excitaturus, puta Petrum, aut Johannem. Nam qui fieri poteſt, ut Petrum, aut Johannem excitet, cum neuter illorum futurus ſit revera antequam excitetur?

Præterea ait Chriſtus Mat. 10. 39, eum qui propter ipſum animam perdiderit, eam inventurum; & Luc. 17. 33, (quod mirum ſane videri poteſt, dicit, quod,

qui

qui perdiderit animam ſuam, vivificabit eam, vel potius, ut Græcum verbum proprie ſignificat, vivam gignet ſeu producet illam. An non hic manifeſte hominibus ea tribuuntur, quæ vel illis revera minime conveniunt, vel Dei & Chriſti ſunt propria? Itaque per proſopopœiam hæc omnia dicuntur. Qua non ſolum in loco ab Adverſario allato, ſed alibi quoque utens Chriſtus, non dubitavit dicere, ſe habere poteſtatem ponendi animam ſuam, & iterum eam ſumendi Joh. 10. 18. quem locum ſimiliter tantopere urgent plerique ad Chriſti æternam divinitatem probandam. Sed quam imperite, vel ex iis, quæ diximus, ſatis conſtare poteſt Nam finge poſtremo, Chriſtum ipſum revera corpus ſuum a mortuis excitaſſe, num continuo ſequetur, illum eſſe æternum Deum? Nullo modo. Videndum enim adhuc relinquitur, qua virtute, aut poteſtate hoc fecerit. Nihil autem impedit, quominus id virtute, aut poteſtate à Patre accepta fecerit. Immo nihil eſt veriſimilius, aut potius magis neceſſarium, quam quando Chriſtus alios à mortuis excitandi poteſtatem à Patre accepit, ut ſupra oſtendimus, ſui etiam corporis excitandi poteſtatem (ſi modo ipſe is fuit, qui corpus ſuum à mortuis excitavit) à Deo Patre acceperit, à quo faſſus eſt ipſe, ſe mandatum habuiſſe ponendi animam ſuam, & iterum eam ſumendi, eo ipſo in loco, ubi harum rerum poteſtatem ſe habere dixerat. Quod ſane indicat, poteſtatem iſtam, quacumque tandem ratione iliam interpretemur, illi ex Patris dono liberaque voluntate conceſſam fuiſſe, atque eatenus illum eam habuiſſe, quatenus ſubjectus erat Patri ejuſque mandata excipiebat.

18. In Adverſarii argumentatione eſt fallacia A ſecundum quid ad ſimpliciter, & ſimul propria elenchi ignoratio. Solus Deus novit arcana filiorum hominum, ſed non omnino ſolus, nec qualibet cognitione ſolus novit, verum ea cognitione, quam naturaliter quis habeat, quæque ex nullius dono ſit profecta. Hanc enim adeo ſolus habet, ut quidquid alii de cordibus filiorum hominum noverint, id ipſi uni acceptum referant, neceſſe ſit. Nam & ſolus immortalitatem habere dicitur Luc. 20. ℣. 36. & tamen & ipſius angeli ſunt immortales, & qui juſtorum reſurrectionis particeps erunt, immortalitatem adipiſcentur. Nempe quia ipſe ſolus à ſeipſo immortalitatem habet; alii vero omnes aliunde, & quidem ad ipſo, & ex ipſius dono ac largitate. Adde, quod res ipſa aperte loquitur, locum, ubi ſcriptum eſt à Paulo 1 Tim. 6. 16. *qui ſolus habet immortalitatem*, ad Deum Patrem referendum eſſe, quemadmodum & Ambroſius & Cyrillus explicant & fatentur; ille quidem in commentariis ſuis in eundem locum, hic vero in Theſ. lib. 4. cap. 2. Sed & locum illum apud eundem Paulum, *Regi autem ſeculorum, immortali, inviſibili*, &c. & hic non diffitetur, & ille vult ad Deum Patrem referri.

Sed præſtat ipſa Ambroſii verba in hunc locum ſcripta recitare. Inquit igitur, *Hæc ad Dei Patris perſonam pertinent, quem immortalem ideo ſolum & inviſibilem appellat, quia omnis immortalitas ab ipſo eſt, ut ipſi ſoli magis competat in veritate; quia quiſquis immortalis eſt, non à ſe hanc habet, ſed ab illo*, &c. Itaque, niſi Adverſarius vel ipſum Chriſtum immortalitate carere velit, vel dicat Chriſtum eſſe Deum Patrem, ſatis videre poteſt, quam parum firma ſit argumentatio ſua. Quod ſi vel ad filium quoque Pauli verba pertinere contendat, vel nihilominus, ut de Patre tantum loquatur Paulus, ideo filium non excludi dicat, quia ſit ejuſdem cum Patre naturæ, quid de angelis Dei dicet? num & ipſi ejuſdem cum Deo Patre naturæ erunt? Nam certe nec ipſi excluduntur. Sunt enim, ut diximus, & Chriſtus teſtatur, immortales. Immo, dicet fortaſſe, excluduntur. Paulus enim de naturali immortalitate loquitur. Quandoquidem ſunt, qui dicant, angelos Dei ne ex ipſius quidem Dei dono naturalem immortalitatem habere. At nos ſimiliter dicimus, cum Deus ſolus corda filiorum hominum noſſe dicitur, naturalem cognitionem eſſe intelligendam. Probet igitur Adverſarius cognitionem, quam Chriſtus habet, cordium filiorum hominum illi eſſe naturalem. Satis eſt, inquiet, ad hoc probandum, nuſquam legi, illi fuiſſe datam. Reſpondemus, ne immortalitatem quidem angelis datam fuiſſe fortaſſe uſquam legi. Præterea, cum Chriſto ea data fuiſſe legamus, ſine quibus cognitio iſta cordium filiorum hominum eſſe non poteſt, nec ipſa ſine cognitione iſta conſiſtere poſſint, certe confitendum eſt, nos ſimul ſatis aperte legere, cognitionem iſtam Chriſto datam fuiſſe. Legimus autem Joh. 5. ℣. 22. Chriſto fuiſſe datum à Patre omne judicium. Atqui ubi eſſentialis cognitio eſt cordium filiorum hominum, ibi quoque omne judicium ſit neceſſe eſt. Dei enim propria eſt ejuſmodi cognitio. Deus autem natura ſua omne judicium habet, id eſt omnium rerum adminiſtrationem & gubernationem. Ergo non eſt in Chriſto eſſentialis iſta cognitio. Alioqui omne judicium illi a Patre dari non potuiſſet. Nemini enim illud ipſum dari poteſt, quod jam habet. Rurſus Hebere omne judicium ſecum neceſſario conjunctam habet cognitionem cordium filiorum hominum. Nam quomodo judicare poteſt quis homines omnino, id eſt, eos prorſus regere ac gubernare, eiſque pro cujuſque factis & cogitationibus ex quibus facta maxime judicantur, digna rependere, niſi eorum corda noverit? Quamobrem, cum legimus, Chriſto à Patre datum fuiſſe omne judicium, ſimul etiam, licet non diſerte expreſſum, legimus, illi cordium filiorum hominum cognitionem fuiſſe datam, non autem hanc illi naturalem ſive eſſentialem eſſe. Et ſane, ubi Chriſtus ipſe de ſe dicit, quod ſit ſcrutans renes & corda, non ſolum ſtatim ſubjicit, *Et dabo unicuique veſtrum ſecundum opera ſua*, qui effectus eſt omnis judicii ſibi à patre dati; ſed etiam ibidem Paulo poſt ait, *Et qui vicerit, & cuſtodierit uſque finem in opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea; tamquam vas figuli confringentur; ſicut & ego accepi à Patre meo.* Ut ſcilicet ſciamus, eum eatenus corda & renes ſcrutari, quatenus omnium hominum gubernationem atque imperium à Deo Patre accepit; ſeu ne miremur, ipſum dixiſſe, ſe eſſe, qui renes, & corda ſcrutetur, cum ea à Patre acceperit, quæ ſine hoc eſſe non poſſunt.

Adhæc animadvertendum eſt, inter omnes conſtare, cum dictum fuit 1 Par. 6. 30 Deum ſolum noſſe corda filiorum hominum, Jeſum Chriſtum, quatenus eſt homo, nondum extitiſſe. Quocirca, ſi quis eſt, qui affirmet, Chriſtum, ut hominem cognitionem iſtam habuiſſe atque habere (ut quidem nos affirmamus) is ſententia iſta nullo pacto refelli poteſt Nec porro ex ea poteſt probari, Chriſtum eam cognitionem non habere, niſi ſit ipſe Deus, etiamſi ſententia ipſa cæteroqui ſimpliciſſime accipienda eſſet, & qui hoc facere tentat, is in eam elenchi ignorationem incidit, quæ dicitur, Non ſecundum idem tempus. Ex hoc efficitur, ut verba illa Salomonis Pro. 24. 12. *Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera ſua*, quæ Adverſarius ad Chriſtum veriſſime ſpectare ait, poſſint nunc ſine dubio veriſſime de Chriſto dici, &, ſi quid Prophetici in ipſis eſt, id etiam ad Chriſtum referri; non tamen pro eo tempore, quo Salomon illa ſcripſit, nec ita, ut Chriſtus is omnino ſit, de quo ibi verba fiunt.

19. Arbitramur, Adverſarium, quamvis id ipſe reticeat, ad eum locum potiſſimum reſpexiſſe, qui eſt apud Daniel. 2. 22. *Ipſe revelat*, &c. Nam ibi de Deo dicuntur hæc, quæ Paulus Chriſto tribuit. Sed eſt fallacia conſequentis in Adverſarii ratiocinatione. Verum ſiquidem eſt Deum revelare abſcondita, &c. ſed non idcirco ſequitur, quicumque revelat abſcondita, &c. hunc eſſe ipſum Deum. Quod ſi & Danielis verba, & alia in Sacris Literis ſimilia ita accipienda eſſe contendat Adverſarius, ac ſi ſcriptum eſſet, ipſe ſolus revelat, &c. jam ſatis reſponſum eſt, cum modo de cognitione cordis filiorum hominum ageremus. Et ſane ſi Chriſto à Deo una cum omni judicio datum eſt, ut norit corda hominum,

num, ſimul neceſſario datum eſt, ut illuminare poſſit abſcondita tenebrarum, & manifeſtare conſilia cordium, & porro ſuo tempore id faciat.

20. In hac Adverſarii argumentatione continetur fons omnis erroris & ipſius, & ſuorum circa Chriſti perſonam. Quia enim nonnulla inveniuntur apud Veteris Teſtamenti Prophetas de ipſo Deo dicta aut prædicta, quæ in Teſtamento Novo ab Euangeliſtis, atque Apoſtolis, vel Chriſto tribuuntur, vel ad Chriſtum accommodantur, idcirco opinati ſunt, Chriſtum eſſentialiter eſſe ipſum Deum. Qua in re vix dici poteſt, quam turpiter ſint lapſi, non animadvertentes, Deum cum Chriſto non quidem neceſſario atque ab æterno; ſed libera, ſua voluntate, & poſt ipſum Chriſtum è virgine natum, atque adeo poſt eundem à mortuis excitatum, reipſa omnia ſua, quæ potuit, & ad ſalutem noſtram pertinent, communicaſſe; neque aliter, quam per ipſum, nos ſervare voluiſſe. Ut videlicet ſpes noſtra, quam in ipſo Deo collocare debemus, firma & rata eſſet 1 Pet. 1. 21. cum videremus ipſum poteſtatem omnem nos ſervandi ei dediſſe, qui princeps noſtræ confeſſionis, & auctor noſtræ religionis fuiſſet; quique eas omnes calamitates expertus eſſet, omniaque mala ſubiiſſet, quæ religionem iſtam comitari ſolent, nobiſque perpetuo imminent atque impendent; qui denique frater noſter eſſet. Hæc enim certam nobis ſpem faciunt, non futurum, ut ea, quæ de nobis ſervandis Deus per ipſum Chriſtum, ſi ejus dictis obedientes eſſemus, promiſit, effectu ullo modo careant. Alioqui neceſſe eſſet, Chriſtum ſuimet ipſius oblivíſci, ſuæque propriæ gloriæ contemptorem eſſe, & membra quodammodo corporis ſui à ſeipſo abjicere atque amputare velle. Hoc autem fulcimento omnino, inter tot pericula, & de ſalute noſtra futura dubitandi cauſſas, indigebat fragilitas noſtra. Nimis enim natura ſua diſſitus eſt à nobis Deus, nec facile perſuaderi poſſumus, illum de noſtris miſeriis adeo ſollicitum eſſe, ut inde nos eripere prorſus velit, dumque adhuc in ipſis ſumus, perpetuo juvare & fovere, atque æterna tandem beatitate donare. Sed quando harum rerum omnium pleniſſimam curam & poteſtatem homini, noſtrum ſimili eaſdemque miſerias experto, Deum mandaſſe ac tradidiſſe novimus, facile iſta omnia credimus, & creuentes in cœpto curſu ad metam uſque perſeveramus. Hæc autem paſſim in Sanctis Literis aut indicantur, aut etiam aperte commemorantur. Præſertim vero tota ferme Epiſt. ad Heb. Cujus tamen ſatis eſt finem ſecundi & quarti cap. diligenter legiſſe ac perpendiſſe. Quæ ſi Adverſarii vel animadvertiſſent, vel penitus introſpexiſſent, ac præterea conſideraſſent, quod ubi Deus potiſſimum ſe patefacit, & ſingulariter aliquid operatur, ibi ipſe Deus adeſſe dicitur, in ſupra dictum fœdum errorem non incidiſſent. Quædam hac de re ante attigimus partic 13. quæ ſatis eſſe poſſunt ad errorem iſtum indicandum.

Libet hic tamen de iis, qui Dei perſonam ſuſtinent, & ejus nomine aliquid faciunt, aliquot teſtimonia proferre, ex quibus conſtet, ad eo ipſi Deo tribui id, quod illi faciunt, ut interdum Deus eſſentialiter in illis eſſe, vel potius illi Deus ipſe eſſe videantur; cum tamen longe aliter res ſe habeat. Dicit Moſes populo Iſraëlis, Jehovam Deum ipſorum duxiſſe illos quadraginta annis per deſertum, Deut. 8. 2. Certum eſt tamen id ab ipſo Moſe factum fuiſſe, ut ipſe iiſdem teſtatur eodem lib. cap. 29. 5. ſecundum Hebraicam veritatem. Quinetiam ibidem ſubjungit Moſes hæc verba, *ut ſciatis, me eſſe Jehovam Deum veſtrum.* Cur vero ſic loquitur Moſes, niſi quia Dei perſonam ſuſtinebat, & Dei nomine cuncta faciebat? Quoties dicitur Deus eduxiſſe populum Iſraëlis è ſervitute Ægypti? An non ipſe Deus in Vetere Teſtamento ſe potiſſimum hac appellatione decorare quodammodo ac ſimul deſcribere ſolet? Atqui hic quoque certum eſt, Moſem fuiſſe, qui ex Ægypto populum eduxit, quemadmodum non modo illi exprobrant ipſi Iſraëlitæ, Exod. 14. 11. & cap. 32. 1. & aliis in locis, verum etiam aſſerit Stephanus Actor. 7. 36. Immo ipſe Deus id confirmat, Exod 32. 7. & cap. 33. 1. Ad ſummam, quidquid Moſes ut Dei miniſter fecit, ipſe Deus feciſſe dicitur; & vicißim quidquid Deus ipſe per Moſis miniſterium effecit, ipſi Moſi tribuitur, tanta eſt inter eum, cujus quis perſonam ſuſtinet, & eum, qui ſuſtinet, convenientia atque conjunctio, adeo ut legem ipſam Moſes dediſſe dicatur, Joh. 7. 19. quam tamen potiore ex parte non ex ipſo Moſis ore, aut ex tabulis tantum ab ipſo ex monte allatis Iſraelitæ acceperant, ſed ab ipſo Deo primum ſibi terri ac pronunciari audiverant.

Præterea paſſim in ſcripturis dicitur Deus aut introducturus eſſe, aut jam introduxiſſe Iſraelis populum in terram, quam illorum patribus promiſerat, & tamen non dubium eſt, quin Joſue populum illum in eam terram induxerit. Quod & Deus ipſe teſtatus erat futurum, Deut. 31. 23. Nunquid quiſquam iſta & ſimilia multa legens adeo ſtultus futurus eſt, ut vel in ejuſmodi hominibus Deum ipſum eſſentialiter fuiſſe, vel etiam illos ipſum Deum eſſe exiſtimet?

Magna igitur fuit inſcitia, cum apertiſſimum ſit, Deum per Chriſtum hominem, ſeu virum, mundum judicaturum eſſe, ut diſertis verbis teſtatur Paulus Act. 17. 31. nihilominus tamen ex eo, quod Chriſti tribunal Dei tribunal eſſe dicatur, & qui Chriſto rationem reddet, Deo rationem redditurum, qui denique illi genua flectet, Deo genua flexurum, exiſtimare ac ſtatuere, vel in ipſo Chriſto Deum ipſum eſſentialiter eſſe, vel etiam Chriſtum eſſe, ipſum Deum. Neceſſarium enim eſt, ſi Chriſtus in orbe terrarum judicando Dei perſonam ſuſtinet, ut ejus tribunal ipſius Dei tribunal ſit, &, qui illi rationem reddit, illique genua flectit, Deo ipſi rationem reddat, ac genua flectat; cujuſcumque tandem eſſentiæ Chriſtus ſit.

21. Generalibus appellationibus ſolent ea non contineri, quæ ſunt aliqua ratione eximia, licet ejuſdem ſint generis. Hinc in inſcriptione Pſal. 18. poſt omnes Davidis inimicos hac ipſa generali appellatione nominatos, additur Saul, hoc pacto, *in die, qua eripuit eum Jehova de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saulis.* Quia nimirum Saul, quamvis & ipſe Davidis inimicus, præ ceteris omnibus illi inimicus erat. Similiter apud Marcum dicit angelus mulieribus Jeſum Nazarenum, qui crucifixus fuerat, quærentibus Mat. 16. 7. *Ite, dicite diſcipulis ejus, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam*; non quod Petrus quoque Jeſu diſcipulus non eſſet, ſed quod ratione quadam cæteris anteiret. Cum igitur Paulus negat Rom. 11. 34. quemquam noſſe Domini ſenſum ſeu mentem, licet hic loquendi modus omnes creaturas comprehendere queat, Chriſtum tamen, quamvis & ipſe à Deo creatus fuerit, non comprehendit, nempe quia Chriſtus omnium rerum creatarum præcipua eſt, adeoque excellens, ut extra aliarum creaturarum numerum cenſeri debeat. Adde, quod Paulus non negat ſimpliciter, quamvis verba ſimpliciter prolata videantur, quemquam noſſe mentem Domini; ſed quemquam ex ſeipſo noſſe, & Domino ipſo ſua ſponte ac ſine ulla neceſſitate non patefaciente. Propterea ex Eſaia addit 40. 13. *aut quis conſiliarius ejus fuit?* &c. Quaſi dicat, ſi quiſquam eſt, qui noverit mentem Domini, id non ex ſe ipſo, ſed ex ipſius Domini largitate habet, non autem quia Deus alicujus conſilio indiguerit, & idcirco illi mentem ſuam patefecerit. Nam Apoſtoli verba ſimpliciter, ut ſonare videntur, accipienda non eſſe, docet ille ipſe locus, quem Adverſarius attulit ad probandum, ſolum Chriſtum ſeu Dei filium ipſius Dei cognitionem habere. Ibi enim, ut ipſe Adverſarius fatetur, aperte dicitur Mat. 11. 27. præter filium ei quoque Patrem cognitum eſſe, cui filius eum patefacere voluerit; ut certe patefecit. Nam Joh. 1. 18. dicitur, Deum quidem a nemine unquam fuiſſe viſum, ab unigenito tamen filio, qui in ſinu Patris eſt, enarratum fuiſſe. Et rurſus 1 Joh. 5. 20. ſcriptum eſt, filium Dei veniſſe,

& de-

& dediſſe nobis mentem, ut cognoſcamus illum, qui verus eſt, Itaque non eſt ſimpliciter verum, Deum nulli creaturæ eſſe aut eſſe poſſe cognitum; ſed nulli, niſi ipſe pro ſua ſola bonitate illi ſe patefecerit. Ut quidem ſingulari quadam ratione ſe primum Chriſto patefecit, & per ipſum deinde aliis hominibus. Nam de hominibus ſine dubio (ut hoc etiam addamus) loquitur Paulus, non autem de omnibus creaturis; adeo ut verbis ſuis, *Quis novit*, &c. revera angelos non complectatur, niſi (ut dicitur) ex accidente.

Verum quem meliorem interpretem Pauli verborum volumus, quam ipſum Paulum? Is enim alibi eadem ferme verba repetens, ubi dixiſſet 1 Cor. 2. 16. *Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* illico addit, *Nos autem ſenſum Chriſti tenemus.* Ex quo patet, quomodo intelligat, quod ait neminem cognoſcere ſenſum Domini; videlicet niſi ipſe illum patefecerit, ut quidem nobis per Chriſtum patefecit. Nam ſupra quoque profeſſus fuerat, neminem noſſe, quæ Dei ſunt, niſi Dei ſpiritum. Sed nos ſpiritum Dei accepiſſe, & per ſpiritum ſuum, qui profunditates etiam Dei ſcrutatur, ea nobis Deum patefeciſſe, ſimul dixerat. Quem ſcilicet ſpiritum ex Chriſto hauſimus, tanquam ex rivo, qui ab ipſo fonte, cum Deo fonti illi viſum eſt, ad nos manaverit. Accepit enim & ipſe Chriſtus Dei ſpiritum; alioqui ex Apoſtoli regula ne ipſe quidem, quæ Dei ſunt noviſſet, nedum alios ea cognitione impertire potuiſſet. Sed non accepit, quemadmodum nos, ad menſuram, ut ſcriptum eſt Joh. 3. 35. verum adeo abundanter, atque, ut ita loquamur, exuberanter accepit, ut de plenitudine ejus omnes acceperimus. Nam ſuper eum, ut apud Eſaiam legimus Eſa. 11. 2. Jehovæ Dei noſtri ſpiritus requievit, ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & timoris Jehovæ. Et de ſe ipſo interpretatus eſt ipſe verba illa apud eundem Eſaiam Luc. 4. ℣. 21. Eſa. 61. 1. *Spiritus Jehovæ Dei ſuper me. Eo quod unxerit me*, &c. Et Lucas Luc. 2. 40. de ipſo ait (ut quidem Græca & Syriaca exemplaria habent) *Puer autem creſcebat, corroborabaturque ſpiritu, & implebatur ſapientia, & gratia Dei erat ſuper illum.*

Ex quibus omnibus, & aliis multo pluribus divinis teſtimoniis patet, unde fiat, ut Chriſtus ſingulari plane ratione Deum noverit, ab eoque in alios cognitio iſta, pro ſpiritus, quem quiſque accepit, menſura, derivetur. Non quidem videlicet ex ipſius natura, quæ eadem ſit cum Dei natura, ſed ex Dei ſpiritu & gratia, qua ante & ſupra omnes repletus ac donatus eſt. Etenim, ſi nos, quamvis natura noſtra infinito quodam ſpatio à Dei natura diſtet, ipſius tamen Dei non levem Chriſti beneficio cognitionem habemus, nihil prohibet, quominus Chriſtus ipſe Dei cognitionem quandam ſingularem primus habere potuerit, licet ejus natura ſive eſſentia eadem non ſit cum Dei eſſentia. Nec tamen interim non erit Chriſtus & optimus, & ſapientiſſimus, & Deo æqualis, eo nimirum modo, quo is, qui Deus ipſe non eſt, eſſe poteſt. Immo Deo æqualis eſſe Chriſtus non poſſet, ſi eadem ipſius & Dei eſſentia eſſet, & ſic ipſe Deus eſſet. Non enim ſibi ipſi æqualis eſſe poteſt. Nam quod hic Dei apud Paulum ſimplici nomine Adverſarius Chriſti patrem intelligit, recte quidem facit; ſi quidem ſolus Chriſti pater eſt Deus ille, qui hoc ſimplici nomine, tanquam ipſius proprio, appellatur, ille videlicet unus Deus. Quare ſi deinde velit, ipſum quoque Chriſtum eſſe illum Deum, ac Deo idcirco æqualem, quia ſit æqualis Patri, cum ipſe non ſit Pater, & id negat, quod prius tacite conceſſerat, & nimis aperte principium petit. Nam eandem numero Dei eſſentiam pluribus perſonis communem eſſe poſſe ſtatuit; quod non ſolum à nobis pernegatur, ſed etiam hoc loco potiſſimum in controverſia eſt.

22. Non de Spiritu Sancto tantum dicit ibi Paulus 1 Cor. 2. quod noverit ea, quæ ſunt Dei, ſed de illis etiam, quibus is ſpiritus eſt datus, ut ſupra oſtenſum eſt. Immo quod ait, neminem noſſe ea, quæ ſunt Dei, niſi ſpiritum Dei, id nihil aliud eſt, quam illos ſolos, quibus Dei ſpiritus datur, cognoſcere ea, quæ ſunt Dei. Nec enim eſt Dei ſpiritus perſona aliqua ab ipſo Deo diſtincta, ſeu quidpiam per ſe ſubſiſtens atque intelligens. Sed de eo & hoc & alia multa per proſopopœjam & metonymiam in Sacris Literis dicuntur, quemadmodum ſuo loco, id eſt cap. 11. partic. 1. oſtendere conabimur.

23. Caruit fortaſſe Baſilius, quamvis alioqui litteratiſſimus, cognitione Hebrææ linguæ, cujus idiotiſmis Novi Teſtamenti ſcripta abundant. Nam ſi ejus linguæ notitiam habuiſſet, vix unquam locum iſtum Pauli ad id probandum quod volebat, tanti feciſſet. Vidiſſet enim Hebraiſmum ibi eſſe, vel certe eſſe poſſe, repetitionem videlicet antecedentis pro relativo, cujus, inter alia in ipſo Novo Teſtamento exempla, inſigne valde illud eſt, quod habetur apud eundem Paulum 1 Cor. 1. 8. *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine in die adventus domini noſtri Jeſu Chriſti.* Loquitur enim ibi Apoſtolus omnino de ipſo Chriſto, ut antecedentia verba aperte oſtendunt. Quidquid multi ſine ulla neceſſitate velint, hæc ad Deum multo ante nominatum referenda eſſe, duriſſima atque inſolente plane verborum ſtructura; præſertim cum Deus ſupra nec recto caſu, nec tanquam perſona agens nominatus fuerit. Poſitum eſt igitur in prædictis verbis ſine dubio *Domini noſtri Jeſu Chriſti* pro Sui, aut ipſius. Sic etiam in loco 2 Theſ. 3. 5. de quo agimus, *Chriſti* pro Sui ipſius dictum eſt. Dominus enim ille Chriſtus eſt. De quo ab eodem Paulo ſub eodem Domini nomine (quanquam hunc quoque locum Baſilius ad Spiritum Sanctum refert) aliquid tale & majus etiam dicitur ad finem tertii cap. prioris ad eoſdem Theſſalonicenſes epiſtolæ. Ubi tamen ſimiliter ad periodi, ſeu totius verborum comprehenſionis finem, repetitur nomen Chriſti, non addito, ut ſaltem ex Græci ſermonis proprietate fieri debere videbatur, pronomine Ipſius. Et Theodoretus, qui in explicatione alterius loci Baſilium imitatur, & Domini nomine Spiritum Sanctum intelligit, hic plane ab ipſo diſſentiens, vult Domini nomen ad filium referendum eſſe. Eſt autem in his duobus locis Hebraiſmus, quem diximus, multo tolerabilior, quam in illo ad Corinthios, cum hic utrobique Dei nomen interponatur, quod rectiſſime in omni lingua ab antecedente nomine per conſtructionem pendet antequam antecedens ipſum repetatur, ibi vero nihil prorſus tale interponatur.

Verum, ſi quis eſt, qui adhuc dubitet, utrum in exemplis à nobis allatis antecedens illud nomen aut pronomen ad Chriſtum referri debeat, & propterea, an in illis Hebraiſmus ille ſit nec ne, ambigat, ſumat ex eadem Epiſtola poſteriore ad Theſſ. exemplum aliud ſimiliter appoſitiſſimum; de quo nullo pacto dubitare poterit. Ex cap. videlicet 1 ℣. 7, & 8. ubi ſic ſcriptum eſt, *in revelatione domini Jeſu de cælo cum angelis virtutis ejus, in flama ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Nam quis negare poteſt, pro relativo aliquo vel ſolo, vel certe cum antecedente conjuncto ipſum tantum antecedens fuiſſe poſitum; & ita ſcriptum, quaſi alius ſit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, alius vero is, ad quem totus ſermo refertur? Nam quod participium Dantis ad Dominum Jeſum referri debeat, non autem ad Ignem ex Græco codice liquet. Ubi ad verbum non In flamma ignis, ſed In igne flammæ legitur; id eſt in igne flammeo ſeu flammante. Ne quis fortaſſe exiſtimet ad Flammam participium illud referri poſſe. Deſinat igitur Adverſarius, hodie præſertim in tanta luce veritatis & cognitione bonarum litterarum, ejuſmodi locos, qui nihil ad rem faciunt, tamquam teſtimonia certiſſima, pro ſua ſententia afferre. Adde, quod his afferendis, apud ipſos rudiores nihil aliud efficere poterit, quam, ut credatur, alium quendam eſſe Dominum præter Deum, & Chriſtum. Cæterum, quod iſte ter-

tius

tius Dominus, Spiritus Sanctus ſit, id aliunde petendum erit.

24. Præſtabat Auguſtini auctoritate, quam Theophylacti uti ad probandum, quod in Angeli verbis ad Mariam virginem Virtus Altiſſimi filium Dei à Spiritu Sancto prius nominato diſtinctum ſignificaret. Is enim Auguſtinus in lib. quæſt. Vet. & No. Teſt. quæſt. 51. omnino vult, Spiritum Sanctum ibi nominatum, vere ipſum Spiritum Sanctum eſſe, virtutem aurem Altiſſimi eſſe Chriſtum. Nam quod Theophylactus Chryſoſtomi abbreviator eſt, ut eum Averſarius nominat, id non adeo verum eſt, ut nihil unquam ipſe dicat de ſuo. Ipſe ſane Chryſoſtomus homilia 2. in expoſit. ſymb. de Angeli verbis iſtis agens, pro eodem, id eſt, pro Spiritu Sancto omnino accipere videtur & Spiritum Sanctum, & Altiſſimi virtutem. Idem ſe ſenſiſſe oſtendit Tertullianis libro, qui de Trinitate inſcribitur, circa medium. Juſtinus vero in ſecunda apologia de hoc loco agens, hæc verba, Sigiſmundo Gelenio interprete, ſcripta reliquit; *eum ſpiritum eamque virtutem nefas eſt intelligi aliud eſſe, quam verbum illud Dei primogenitum.* Ex quibus verbis quamvis appareat, illum ſententiam ſuam de exiſtentia filii Dei ante orbem conditum eo loco Euangelii confirmare voluiſſe; ſimul tamen conſtat, illum pro eodem & ſpiritum, & virtutem illam accepiſſe. Quare ſecundum ipſum trinitati perſonarum divinarum probandæ in Angeli verbis nullus eſt locus. Cæterum Chryſoſtomi, quam nos eſſe credimus, & Tertulliani, quæ ſine dubio eſt, ſententia, ut & Spiritus Sanctus, virtus Altiſſimi eo in loco nihil aliud ſit, quam ipſe Spiritus Sanctus, a pleriſque (niſi fallimur) cum antiquioribus tum recentioribus theologis recepta eſt. Ex qua nimirum intelligi poteſt, quid Spiritus Sanctus ſit: Id eſt nihil aliud, quam Dei virtus, non autem perſona quædam.

Quid vero quæſumus evincet Adverſarius, etiamſi illi concedatur aliud in Angeli verbis eſſe Spiritum Sanctum, aliud virtutem Altiſſimi, & porro virtutem Altiſſimi filium Dei eſſe? nihil profecto, niſi ab Angelo & Altiſſimum, & filium ejus, & Spiritum Sanctum nominari, ac præterea Dei filium jam tum extitiſſe. Quorum hoc, licet à nobis negetur, non eſt tamen hoc loco in controverſia; illud vero, niſi alterum inde colligeretur, omnino à nobis concedi poſſet, quippe qui optime ſciamus, ſæpe in ſacris Novi Teſtamenti literis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ſimul commemorari, & in iis, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, conjungi. Nam ſequeturne propterea, tres eſſe divinitatis perſonas, ſeu quemlibet iſtorum eſſe illum unum verum Deum? Nihil minus. Quandoquidem potius ex Angeli verbis conſtabit, Patrem ſolum, etiam reſpectu ipſius filii, & Spiritus Sancti eſſe illum unum verum Deum. Quippe qui ſolus inter ipſos Altiſſimus vocetur, nec ulla præterea appellatione ab utroque diſtinguatur. Eſt enim Altiſſimi appellatio in Sanctis Literis unius illius veri Dei maxime propria.

25. Quæ hic nobis objiciuntur, commodius, utpote ſuis locis, diluentur, Deo dante, infra, cum ad ea reſpondebimus, quæ Adverſarius ſcripſit contra Animadverſiones noſtras in Aſſert. 14. & 18. Interim rogatum lectorem volumus, ut diligenter conſideret, an Adverſarius tot teſtimoniis & rationibus afferendis id vel præſtiterit, vel præſtare ſaltem conatus fuerit, quod ſibi præſtandum ab initio propoſuerat, & pag. 28. clarius repetierat, hicque ad finem hujus diſputationis ſe præſtitiſſe affirmat. Id erat probare, huic ſententiæ, quod in una Dei eſſentia ſint plures perſonæ, & non tantum Chriſti Pater, ſed ipſe quoque filius, & Spiritus Sanctus ſit ille unus verus Deus, quam ſententiam ipſius Eccleſia tenet, optime conſonare divina oracula. Nam, ut nihil de iis dicamus, quæ ad filii divinitatem, de qua agimus, probandam attulit, quæ nihil huc pertinere, nos demonſtraſſe confidimus, ea perfecto, quæ pro eadem Spiritus Sancti divinitate confirmanda produxit, ut pauciſſima, ſic leviſſima ſunt. Adeo ut nihil dubitemus, quin ipſum Adverſarium hac in parte ſui laboris pœniteat.

Caput V.

In eadem prima de trino & uno Deo collegii Poſnanienſis Aſſertione de ſecta noſtra, ut ipſi eam appellant, hæc verba habentur, *Et Deum Chriſti Patrem in Sanctis Literis ideo nominari autumant, quod Dei virtute obumbrante ex B. virgine ſit conceptus.* In verba iſta nos ad hunc modum num. 3. animadvertimus. *Quis vero negaverit, Chriſtum Dei filium (non autem, ut iſti inepte loquuntur, Deum Chriſti Patrem) in Sanctis Literis ideo nominari, quod, Dei virtute obumbrante, ex virgine ſit conceptus, cum angelus Dei hæc verba ipſi virgini dixerit* Luc. 2. 31. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Quæ noſtra verba ſic carpere Adverſarius conatur pag. 39, & 40.

Adverſarii dicta.

1. Primum dicit, nos nobiſcum pugnare, qui prius Chriſtum Dei filium vocemus, deinde in parentheſi Deum Chriſti Patrem inepte dici judicemus. Aitque hic novum aliquod ſuum myſterium Antichriſtum loqui.

2. Poſt vero addit, nos falli, qui putemus, tunc primum Dei filium extitiſſe, cum in mundo agnoſci & vocari filius Dei cœpit. Quaſi vero multa hodie non ſint & in cælo, & in terra adhuc ignota, & quorum ne nomina quidem ſciuntur.

Reſponſiones.

1. Fœdum Poſnanienſis collegii vel potius Alphonſi Piſani lapſum turpiſſimo in nos cavillo Adverſarius cumulavit, evidente diviſionis fallacia uſus. Neque enim judicamus nos, Deum Chriſti patrem inepte dici. Nam quomodo fieri poteſt, ut id vel per ſomnium quidem dixerimus; cum nihil aliud ubique contra Adverſarios urgeamus, quam ſolum Chriſti Patrem eſſe illum unum Deum? Nonne Animadverſiones noſtræ his verbis concluduntur, *neceſſe omnino eſt, ut in dies magis appareat, ac confirmetur, illum unum Deum domini noſtri Jeſu Chriſti Patrem tantum eſſe.* Quid igitur inepte dici judicamus? Nempe, ut aperte conſtat, Deum Chriſti Patrem in Sanctis Literis ideo nominari, quod Dei virtute obumbrante ex virgine ſit conceptus. Totum hoc ſimul dictum inepte dici judicamus. Hæc enim verba ex vi grammaticæ & communi loquendi uſu ſignificant, Deum Dei virtute obumbrante ex virgine fuiſſe conceptum, & idcirco Chriſti Patrem in Sanctis Literis nominari, quo nihil magis vel falſum, vel abſurdum, vel denique præpoſterum, ne cogitari quidem poteſt. Quod ſi pro *Deum Chriſti Patrem* in verbis iſtis *Chriſtum Dei filium*, ut nos fecimus, repoſueris, quemadmodum hic non una de cauſſa loquendum fuerat, omnia recte cohærent, & noſtrorum hominum ſententia revera exponitur; non autem ea, quæ, ut longiſſime & ab ipſorum & ab omnium mente abeſt, riſum ſimul, & indignationem, aut certe ingentem admirationem unicuique legenti excitare poteſt. Jam igitur videt Adverſarius, numquid novum aliquod myſterium per nos Antichriſtus loquatur, an potius per Aphonſum Piſanum, licet imprudentem & neſcium, Satanas ipſe plane monſtroſum quiddam locutus fuerit, & nos loquentes facere voluerit.

2. Inaniter hoc loco non pauca verba fundit Adverſarius, & in elenchi propria ignoratione eaque maxima, vel etiam in fœdiore fallacia verſatur. Nec enim Angeli verba, ut ipſe affirmat, ad tacitam noſtram opinionem detorquemus, & ex eo, quod in eis habetur, filium

filium Dei id vocatum iri, quod ſanctum ex virgine naſceretur, concludimus, Dei filium tum primum extitiſſe, cum ex virgine eſt natus. Nullum enim prorſus, ut apparet, hac ipſa de re verbum fecimus; nec porro facere in animo habuimus. Sed tantum, ut manifeſtum eſt, ex Angeli verbis id veriſſimum eſſe oſtendere voluimus, quod tanquam à nobis non recte dictum, commemoratum in aſſertione fuerat, vel potius commemorare Alphonſus Piſanus voluerat, Chriſtum videlicet ideo Dei filium in Sanctis Literis nominari, quod Dei virtute obumbrante ex virgine conceptus eſſet. Non igitur, quia, cum Angelus dixerit, *vocabitur filius Dei*, conſequatur, tum primum filium Dei extitiſſe, ideo ſequente animadverſione ſtultiſſimo Homerico Margiti eos aſſimilamus, qui Chriſtum ante Mariam virginem fuiſſe contendunt, quemadmodum adverſarius exiſtimavit. Sed, ut ex ipſis noſtris verbis perſpicuum eſt, ob eam cauſam aſſimilamus, quod Maria virgo Chriſti Mater fuit. Homericus enim Margites ambigebat, uter prior eſſet natus, ipſe, an Mater ſua.

Adverſarii dictum.

Quoniam vero in prædicta animadverſione ad probandum, Chriſtum minime ante Mariam virginem extitiſſe, dixeramus, poſt ipſam jam natam & nubilem factam de Chriſto à Domini Angelo Paſtoribus dictum fuiſſe Luc. 2. 11, *Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David*, ait adverſarius, hominem factum natum ex matre, qui eſt ab æterno genitus ex patre. Id quod extat in ipſo initio pag. 41.

Reſponſio.

Principium, ut ſolet, petit adverſarius. Certum eſt enim, his verbis, *Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus*, ſi hujus loquendi modi conſueta vis ſpectetur, ſignificare eo die primum natum eſſe Chriſtum. Nemo enim bis revera naſcitur. Quod ſi nihilominus, Chriſtum etiam ante eum diem revera natum fuiſſe adverſarius contendit, ſed diverſa ratione ab ea, qua eo die natus eſt, neceſſe eſt, ut iſtas duas veras, licet diverſas nativitates, ut pote, quæ à communi natura & uſu plane abhorreant, vel, exemplo allato, dari tamen poſſe oſtendat, vel teſtimonio ſive argumento ſaltem aliquo confirmet, ac probet; præſertim cum, quod ad ipſum Chriſtum attinet, prior illa, quam ipſe hic aſſerit, ab æterno ſcilicet ex patre, à nobis aperte negetur, atque illud ipſum revera ſit, de quo hoc loco diſputatur. Aliquanto igitur rectius reſpondiſſet, ſi dixiſſet, Angelum non ſimpliciter dixiſſe, Natus eſt hodie, &c, ſed natus eſt *vobis* hodie &c, quaſi verbum Vobis indicet, natum quidem illum jam antea fuiſſe, ſed non illis. Verumtamen, hanc quoque reſponſionem infirmam eſſe, oſtendit locus Propheticus apud Eſaiam huic reſpondens Eſai. 9. 6, *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Ex quo apparet, verbum Vobis non habere eam vim, quæ in reſponſione iſta illi tribuitur. Etenim puer ille nunquam antea natus fuerat aut genitus. Itaque non dictus eſt nobis natus ad differentiam aliorum, quibus olim natus fuiſſet, vel ejus temporis, quo certe nobis natus non erat; ſed Nobis idem eſt, quod noſtri cauſa, ut nobis bene ſit, ad commodum noſtrum, ut denique illo perfruamur. In hunc igitur ſenſum ſimiliter verbum vobis in Angeli verbis eſt accipiendum atque explanandum.

Caput VI.

IN eandem primam Aſſertionem ſic à nobis ſcriptum fuerat Animadverſ. 5. *Eodem modo Jeſus Nazarænus, qui Dei filius eſt, Deus vocatur, quo illi, ad quos ſermo Dei factus eſt, quatenus duntaxat non ſecus atque illi, Deus ab uno illo ſummoque Deo eſt factus & conſtitutus.* Ad hujus autem rei explicationem & confirmationem verba ipſius Jeſu attuleramus, Joh. 10. 34. Contra hæc ſic ſcribit adverſarius à pag. 41. uſque ad pag. 44.

Adverſarii dicta.

1. Primo loco ait, Sacras Scripturas non agnoſcere Jeſum Dei filium Deum factum & conſtitutum; Immo apud Eſaiam Eſai. 43. Dominum dicere, *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.*

2. Addit deinde, Jeſum Chriſtum non factum, ſed genitum eſſe, & non primo factum, aut formatum creatumve dici, ſed primogenitum. Paulus enim Coloſſ. 1. illum omnis creaturæ primogenitum appellat; ſicut etiam in Eccleſiaſtico Eccleſ. 24, ſapientia vocatur primo genita ante omnem creaturam. Quod quid ſit, Paulus ſequentibus verbis docet, cum ait, in ipſo condita eſſe univerſa, &c. Quibus concludit & oſtendit omnia per ipſum & in ipſo eſſe creata, & ipſum eſſe ante omnes, & ejus virtute omnia conſervari. Id quod etiam docet Apoſtolus ad Hebr. 1. ſcribens de eo, *portans omnia verbo virtutis ſuæ.*

3. Nec eſt (inquit) quod Samoſatenici hæc ad novam creationem referant, Chriſtoque illam concedant, ut antiquam adimant. Quod tamen perverſe faciunt. Sic enim reipſa argumentantur, *Per quem humanum genus eſt reſtauratum, ut nova fieret creatura, per illum non eſt creatum. Sed per Dei filium eſt humanum genus reſtauratum, ut nova fieret creatura: Ergo per Dei filium humanum genus non eſt creatum.* At enim nihil impedit nova creatura, quominus Dei filius humani generis & univerſorum ſit creator. Nam *utrum eſt majus* (inquit) *creare, an ab æterna morte liberare? An non ille omnium eſt creator, qui apud Oſeam dixit Oſeæ 13: ero mors tua, o mors, morſus tuus ero inferne?*

4. Itaque concludens, majorem eſſe redemptionem, quam creationem, ſic poſtmodum infert; *procul igitur ſit à Chriſtianis tanta impietas, ut negent eſſe omnium creatorem, quem Redemptorem confitentur.*

5. Poſtremo, quod attinet ad locum apud Johannem Joh. 10. à nobis allatum, ait, vel ex ipſo nos graviter confutari. Nec enim dicit ibi Chriſtus de ſe, Quem Pater Deum fecit & conſtituit, ſed quem Pater ſanctificavit. Propria autem Chriſti ſanctificatio ea eſt per quam, ut ait Paulus Coloſſ. 2, *inhabitat in ipſo omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Quod factum eſt, cum ei ſuum verbum Pater univit. Et argumentatur Chriſtus à minore ad longe majus.

Reſponſiones.

1. Scripturas Sacras agnoſcere Jeſum Dei filium, Deum factum à ſummo illo Deo & conſtitutum ex infra dicendis planiſſimum fiet; id ipſo etiam adverſario non obſcure concedente. Neque enim, ut hoc verum ſit, id ipſum ad verbum ſcriptum invenire eſt neceſſe. Sed ſatis eſt, ſententiam ipſam in Sacris Literis aperte extare. Alioqui ne illi quidem, ad quos Dei ſermo factus eſt, qui dii ſunt, ut Pſaltes ait Pſal. 82. 6. & Chriſtus confirmat Joh. 10. 35, dici poterunt dii à Deo illo ſummo facti & conſtituti. Nuſquam enim id diſerte ſcriptum eſt. Itaque vel à ſe ipſis dii erunt, vel ab alio, quam à ſummo illo Deo dii facti & conſtituti. Quorum utrumque plane abſurdum atque impium eſt. Ad Eſaiæ locum Eſai. 43. 10, ſatis reſponſum eſt ſupra cap. 4. parte 3 Partic. 15. Et ſane ſi verba illa, *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit*, ita forent accipienda, ut ex ipſis colligi poſſet, Chriſtum non fuiſſe à ſummo illo Deo Deum factum & conſtitutum, colligi ſimiliter ex iiſdem poſſet, illos, ad quos Dei ſermo factus eſt, non fuiſſe ab illo ſummo Deo Deos factos & conſtitutos. Vide autem, ut hæc

omnia rectius intelligas, quæ ſcripſimus cap. 4. parte 2 Partic. 4.

2. Fallacia diviſionis, ſeu mavis à ſecundum quid ad ſimpliciter, primum eſt evidens in adverſarii verbis. Nam, ut probet, Chriſtum non eſſe factum Deum, teſtimonia affert, ex quibus probari exiſtimat, Chriſtum non eſſe factum, ſed genitum. Atqui aliud eſt, Chriſtum eſſe factum Deum, aliud ſimpliciter eſſe factum. Nec eſt in hac quæſtione vox Deus ullo modo excludenda, & à reliquis ſeparanda. Nihil enim prohibet, quominus Chriſtus non ſit factus, & tamen ſit factus Deus, quod attinet ad ipſam vim verborum, & argumentandi formam. Nam, ſi nihilominus verum eſt, Chriſtum non poſſe eſſe factum Deum, niſi ipſe ſit factus, id ex materiæ neceſſitate, ut loquuntur, proficiſcitur, adeoque ipſius argumentationis reſpectu ex accidente eſt. Deinde nulla eſt conſequentia, Chriſtus eſt genitus, Ergo non eſt factus. Etenim nos quoque geniti ſumus, & quidem ab ipſo Deo, Jac. 1. 18, & tamen nemo negaverit, nos eſſe factos, & quidem ejus etiam rei ratione, cujus ratione geniti ſumus. Geniti igitur vox, ſive de nobis, ſive de Chriſto dicatur, nullam præterea vim habet, quam, ut filiationem declaret. Itaque, quod Chriſtus primogenitus dictus fuerit, id non tollit, quin ejuſdem etiam rei ratione primo creatus, aut formatus fuerit; aut etiam factus. Sed tantum demonſtrat, talem fuiſſe ejus ante alios creationem, & formationem, atque, ut ita dicamus, factionem, ut etiam filius ante alios fuerit.

Quanquam nuſquam, niſi fallimur, Chriſtus ipſe ſolus ſimpliciter primogenitus appellatur; cùm tamen alii appellentur, Hebr. 12. 23. Nam verba illa, quæ ſunt in eadem Epiſt. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, &c.* quamvis ad Chriſtum pertineant, non tamen ad ipſum Chriſtum in Pſalmo unde ſumpta ſunt, proprie referuntur; ſed ad illum, de quo ibi verba fiunt, & ſic ad Davidem; qui cum typus Chriſti eſſet, certum eſt, ibi ſub ejus perſona vaticinationem de Chriſto ejuſque cœlesti regno contineri. Cujus regni adumbratio quædam fuit, acquiſitio, ſeu potius receptio illa terræ, quæ Davidi obtigit. De qua ſecundum literalem ſenſum ibi agitur; quemadmodum etiam ipſius Pſalmi inſcriptio in Græca editione, unde Latina fluxit vulgata tranſlatio, aperte teſtatur. Ex quo profecto apparet, quam frivolum ſit adverſarii argumentum à voce primogeniti ductum. Sed appellatur Chriſtus modo primogenitus inter multos fratres, modo primogenitus ex mortuis ſive mortuorum, modo primogenitus omnis creaturæ Quibus locutionibus nihil aliud ſignificatur, quam ipſum quidem Chriſtum & multorum fratrum, & eorum, qui mortui fuerint, atque ad vitam æternam revixerint, & omnium denique creatarum rerum primum eſſe, ſed fratrem tamen & ipſum, & mortuum ac vitæ reſtitutum & ipſum, ac denique rem creatam & ipſum. Nec enim unquam invenies (ut quidem credimus) primogenitum ſeu proprie ſeu metaphorice quinquam aliorum dici, ſive ex aliis, ſive inter alios, quin ipſum ex eorum ſit genere. Quamobrem id, quod adverſarius maxime ſibi favere exiſtimat, ut oſtendat, Chriſtum non fuiſſe creatum, quod ſcilicet à Paulo appellatus fuerit primogenitus omnis creaturæ, id maximè eum creaturam eſſe demonſtrat. Non habentur autem in Græco libri Eccleſiaſtici contextu de ſapientia verba illa Eccl. 24. 12, & 14. *Primogenita ante omnem creaturam.* Sed habetur tamen de eadem ſapientia ibidem bis & in Græco, & in Latino codice, quod creata fuerit. Quare ſi ſapientia illa, ut adverſario placet, Chriſtus eſt, ſequetur neceſſario, Chriſtum eſſe creatum.

Sed urget adverſarius, à Paulo Col. 1. 16 dici, per Chriſtum, & in Chriſto omnia eſſe creata (quamquam hic non in Chriſto, ſed in Chriſtum dicendumerat. Eſt enim in Græco εἰς αὐτὸν, id eſt In ipſum, non autem in ipſo, ut habent Latini codices: ſupra vero in ipſo, in illis verbis, *in ipſo condita ſunt*, &c. Per ipſum Hebraica phraſi omnino ſignificat) & ipſum eſſe ante omnes, & omnia in ipſo conſtare; id eſt omnia ejus virtute conſervari. Verum fruſtra hæc Pauli verba urget Adverſarius. Neceſſe ſiquidem eſt, ut iſta Omnia, & iſti Omnes, ſub nomine Omnis creaturæ, quod anteceſſit, comprehendantur. Reddit enim hic rationem Paulus, cur Chriſtum primogenitum omnis creaturæ appellaverit. Nam, cum dixiſſet, *qui eſt primogenitus omnis creaturæ*, ſtatim ſubjunxit, *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa* &c. Atqui nomine Omnis creaturæ ſecundum ipſius Adverſarii ſententiam, ut mox oſtendemus, non poſſunt eæ creaturæ intelligi, quæ extiterunt, antequam Chriſtus in virginis utero conciperetur. Ergo neque ea, quæ poſtea infert, ad creaturas iſtas referri poſſunt. Demonſtratum eſt enim à nobis, primogenitum eſſe Chriſtum omnis creaturæ, neceſſario ſignificare ipſum eſſe creaturam, atque, ut creaturam, omni alia creatura priorem eſſe. Id quod ad tempus potiſſimum eſt referendum, cum ob ipſius vocis Primogeniti vim, tum quia reliquæ creaturæ per ipſum condi nequiviſſent (quod tamen factum fuiſſe, ibidem diſerte Paulus ait) niſi ipſe eas tempore anteceſſiſſet. Sed Chriſtus, ut creatura, ex ipſius Adverſarii ſententia (neque enim Adverſarius Arrianus eſt) non anteceſſit tempore eas creaturas, quæ extiterunt, antequam ipſe in Virginis utero conciperetur. Igitur ſecundum ipſius Adverſarii ſententiam de iſtis creaturis non loquitur Paulus, cum ait, omnia in Chriſto condita eſſe, & quæ ſequuntur.

Quamquam, cum Adverſarius ex Pauli verbis evincere velit, Chriſtum non fuiſſe factum ſeu creatum, poteſt illi concedi, Paulum de iſtis quoque creaturis loqui, nec tamen id obtinebit, quod quærit. Nihil enim abſurdi eſt in eo, quod omnia prorſus dicantur per Chriſtum creata, & tamen ipſe quoque ſit creatus; quamvis non poſſit quidquam per ſe ipſum creari. Uſus enim perpetuus loquendi fert, ut in ejuſmodi enunciationibus is omnino exceptus intelligatur, per quem, vel à quo fieri aliquid dicitur; nec inter alios ſive alia numeretur, quæ ibi quantumvis univerſe nominantur. Hinc idem Paulus explicans Davidis ſententiam illam 1 Cor. 15. 27. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus*, manifeſtum eſſe inquit, excipiendum eſſe eum, qui ei ſubjecit omnia. Idcirco Apoſtolus ſecundum verum loci ſenſum, quamvis dixiſſet aperte, Chriſtum eſſe creaturam, cum dixit illum eſſe primogenitum omnis creaturæ, ſtatim tamen intulit, *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa, &c.*

3. Secundum autem prædictum ſenſum, qui, ut oſtendimus, non verus modo, ſed etiam ex ipſorum vi verborum neceſſarius eſt, ſatis apparet, illam omnem creaturam, de qua Paulus loquitur, novam creaturam eſſe. Aliter neceſſe eſſet Arrii ſententiam ſequi, & ſtatuere Chriſtum, ut rem creatam, omnes non tantum novas, ſed veteres quoque creaturas tempore anteceſſiſſe. Atqui Arii ſententia iſta & plurimum à veritate abeſt, & rationem ſalutis noſtræ per Chriſtum, divinarumque literarum intelligentiam haud leviter turbat atque obſcurat. Id autem hoc loco planum facere non eſt opus, cum adverſarius ipſe una cum iis, quos defendendos contra nos ſuſcepit, Arii opinionem magis etiam, quam nos facimus, vituperet, ac deteſtetur. Hæc igitur omnis nova creatura, eſt illa revera, quam Chriſtus, ut & ipſe creatura, tempore antegreſſus eſt. Hæc eſt illa, quæ per ipſum eſt condita. Quidquid, ſive in cœlo ſive in terra, ſeu viſibile ſeu inviſibile, aliqua ratione in iis, quæ ad pietatem & divina myſteria divinamque œconomiam quoquo modo pertinent, renovatum eſt, id univerſum per Chriſtum eſt renovatum, & ad ipſum relationem habet; ut videlicet ad caput & principem atque adeo finem, ad quem citra Deum omnia hæc tendunt. Ex quorum numero ſunt & Angeli ipſi omnes, quorum cum Chriſtus Dominus ſit conſtitutus, neceſſe eſt in ipſorum univerſa hierarchia permulta innovata eſſe. Quod ſi hoc tantum illis novum contigiſſet, ut hominem ſibi præfectum haberent, ad cujus nutum omnes præſto illi eſſe debeant, eique

pror-

prorſus parere, ſatis renovati omnes dici poſſent. Ut cætera omittamus, quæ propter ſalutem nobis à Chriſto partam in omnibus Angelis, noſtrum reſpectu, innovata eſſe oportet. Hi una cum hominibus renovatis ſunt illi omnes, ante quos (ut renovatos ſcilicet) Chriſtus non dignitate eſt ſolum, verum etiam tempore. Quanquam videtur, apud Paulum potius legendum eſſe *ante omnia*, quam *ante omnes*. Hæc denique ſunt illa omnia, quæ in Chriſto, vel per Chriſtum conſiſtunt, ſive, ut adverſarius interpretatur, ejus virtute conſervantur.

Jam quid hic habet adverſarius, quod reprehendat, niſi plane Arrianus eſſe velit? Immo quid habet, quod ſummo jure non laudet, nobis etiam gratiis actis, quod & ipſi, & aliis ſuis rationem oſtenderimus, qua ſe ab Arrianis tutari poſſint, eiſque ingens hoc telum è manibus extorquere? Nam quod ille ait, nos ex eo, quod per Chriſtum nova creatio ſit facta, colligere & argumentari, per eundem veterem factam non fuiſſe, falſum eſt prorſus; nec unquam argumentatio iſta, quam ipſe formans nobis tribuit, ex officina noſtra prodiit.

Verum hoc illud eſt, quod alibi diximus, adverſarios, quæ à nobis ad excipiendum & reſpondendum dicuntur, ea ita accipere, quaſi nos ex illis ſententiam noſtram confirmare & probare velimus, atque eodem tempore & rei eſſe, & actores: Vel potius nos ex reis actores ipſi faciunt. Afferunt ipſi iſtum Pauli locum ad Coloſſenſes tanquam teſtimonium apertiſſimum æternæ divinitatis Chriſti, & primæ creationis omnium rerum per ipſum factæ. Nos autem pro reſponſione dicimus, locum iſtum intelligi poſſe de nova creatione, quam certum eſt per Chriſtum fuiſſe factam; idque non poſſibile tantum, ſed veriſimile quoque eſſe oſtendimus. Quinetiam hoc non contenti, ex ipſis Pauli verbis, validiſſimis rationibus adhibitis, demonſtramus, nullo pacto fieri poſſe, ut Paulus de prima creatione rerum locutus fuerit; ſed neceſſe eſſe, ut de ſecunda verba fecerit. Quis unquam ſanæ mentis dixerit, nos vel non ea ratione, qua decet, adverſariis reſpondere, vel ex eo, quod reſpondentes dicimus, Paulum de nova tantum creatione, quam per Chriſtum factam eſſe ait, hoc loco agere, argumentari velle, fieri non poſſe, ut per Chriſtum vetus creatio ſit facta? Stolidus plane atque ineptus is eſſet, qui ita argumentaretur.

Quocirca injuria prorſus ab adverſario nobis objicitur, quod ex ipſa nova creatura ſumamus occaſionem excludendi Chriſtum à prima rerum omnium creatione; niſi quatenus oſtendimus, eos locos, qui ab adverſariis de prima creatione per Chriſtum facta differere exiſtimantur, de ſecunda loqui. Ipſe potius eſt, qui non ſolum ex nova creatione, ut poſtea videbimus, veterem colligit; verum etiam una cum ſuis omnibus ex ipſa nova creatione veterem facit, & præclara, de nova creatione per Chriſtum facta, teſtimonia, quæ ad ipſius Chriſti veram & ſolidam gloriam illuſtrandam, adque divina myſteria patefacienda plurimum conducunt, quantum in ſe eſt, obſcurat, atque depravat; & ad illud Chriſto tribuendum detorquet, quod, ipſo teſte, minus eſt eo, ad quod eidem Chriſto tribuendum nos illis utimur. Itaque videre poteſt adverſarius, tantum abeſſe, ut noſtræ ſententiæ officere credamus, novam creationem vetere præſtantiorem eſſe, & majus eſſe ab æterna morte liberare, quam primo creare, ut etiam id ipſum nos ad noſtri defenſionem & ipſius redargutionem urgeamus. Quæ cum ita ſe habeant, nullo modo fieri poteſt, ut filio Dei quidquam eripere conemur, quemadmodum nos ipſe non obſcure inſimulat; adeo ut etiam ſacrilegos prædones hic pag. 42. nos vocare non dubitaverit. Nam ſi Chriſti eſſe agnoſcimus id, quod majus eſt, cur illud, quod eſt minus ejuſdem eſſe non agnoſceremus, niſi veritas manifeſta nos inde retraheret? Cur alioqui non profiteremur, nos credere, omnia, quæ unquam creata fuerunt, per Chriſtum fuiſſe creata? Neque enim hinc ſequeretur, id, quod nos ſane & præcipue & omnino negamus, ipſum videlicet Chriſtum ejuſdem eſſentiæ cum Deo Patre ſuo eſſe. Quemadmodum Arriani probe noverunt, contra quos hoc nunquam nec probatum fuit, nec probari poterit, licet illud ipſi non concedant modo, verum etiam acerrime contendant.

4. Jam vero quid eſt, quod adverſarius ait, valde impium eſſe, ſi Chriſto concedatur nova creatio, id eſt, ut ipſe interpretatur, redemptio, interim tamen vetus creatio, quam ipſe ſimpliciter creationem nominat, illi non tribuatur? Cur tandem hoc vel leviter quidem abſurdum, nedum valde impium cenſeri debet? Num, quia, ut ipſe adverſarius prorſus argumentari videtur, major eſt redemptio, quam creatio, & cui id, quod majus eſt conceditur, id etiam tribui debeat, quod eſt minus? Hujuſmodi argumentum plane ridiculum atque ineptum eſt. In quo videlicet ſumma eſt ignorantia Elenchi & principii petitio. Nam quod attinet ad Elenchi ignorationem, verum eſt quidem, cui conceditur id, quod eſt majus, id etiam debere tribui, quod eſt minus. Sed hoc nimirum ſenſu, ut, cui conceditur, quod aliquid efficere poſſit, quod majus ſit, eidem ſit tribuendum, quod id poſſit efficere, quod eſt minus; idque, ſi modo, ejuſdem ſit generis utrumque ejuſdemque prorſus facultatis. Alioqui poterit; exempli cauſa, fictor ſtatuam ſeu ſignum aliquod ex ære, aut marmore egregium facere. Idem tamen vilem calceum ex corio non poterit. At vero ita cuipiam tribui debere, quod minus eſt, ſi illi concedatur, quod eſt majus, ut, ſi id fecit, quod majus eſt, fecerit etiam id, quod eſt minus, quemadmodum in argumento iſto concluditur, falſiſſimum eſt. Ut præter infinita exempla, quæ quotidie occurrunt, Sacrarum Literarum ipſa exempla docent, in ipſa etiam Chriſti perſona. Quis enim negaverit majus eſſe Spiritu Sancto baptizare, quam aqua? Chriſtus tamen Spiritu Sancto baptizavit ipſe, Joh. 1. 33, aqua ipſe non baptizavit, Joh. 4. 2. Majus fuit ſine dubio Iſraëlis populum in terram Chanaän, inque ejus ſtabilem poſſeſſionem, populis illis omnibus debellatis, inducere, quam ſimpliciter per deſertum ducere. Illud tamen fecit Joſue, hoc non fecit.

Jam quod attinet ad principii petitionem quæ in prædicto argumento eſt, ea hoc exemplo patefiet. Multo minus profecto fuit eundem Iſraëlis populum in Ægyptum inducere, quam illum inde educere. Hoc tamen Moſes fecit, illud non fecit. Verum dicet adverſarius, quomodo illud Moſes feciſſet, qui nondum erat? Sed quî novit ipſe, Chriſtum jam tum fuiſſe, cum res creari cæperunt? Nonne hoc illud eſt, quod à nobis maxime negatur? Nonne de hoc ipſo controverſamur? Pudeat igitur adverſarium, ſi modo argumento iſto uti voluit. Quod ſi præter id, quod ejus verborum contextus omnino ſuadet, non quidem argumento iſto voluit uti, ſed tantum dicere, cum idem ſit creator, qui & redemptor, ut ex loco illo apud Oſeam patet, valde impium eſſe eum negare creatorem, quem fatearis redemptorem, quaſi alius redimere poſſit præter eum, qui creavit, ad hoc per ea, quæ ſupra non uno in loco diſputata ſunt, abunde reſponſum eſt; præſertim vero, cum de ſalvatoris tum nomine tum re Chriſto in Sacris Literis tributa ageremus, cap. 4. Partic. 2. Partic. 6; & Partic. 3. Partic. 7. Ut enim ſervator, ſic redemptor eſt Chriſtus: videlicet non ut prima cauſa, ſed ut ſecunda. Ideo enim redemptor eſt, quia per eum Deus nos redemit. Atque hoc ſenſu dixit Paulus Chriſtum nobis à Deo factum eſſe redemptionem 1 Cor. 1. 30, quemadmodum ibidem dixerat, factum eundem nobis à Deo fuiſſe ſapientiam, ſanctificationem, & juſtitiam. Id eſt per Chriſtum nos à Deo & ſapientes, & ſanctos, & juſtos factos eſſe. Hinc Chriſtus in Apoc. 5. 9, dicitur ipſi Deo nos redemiſſe. Hinc à Paulo dicitur Act. 20. 28, Deum ſanguine ſuo Eccleſiam acquiſiviſſe. De quo loco Eraſmus in Apologia ad Sanctium Caranzam ſic peregregie ſcribit, *Quid, quæſo, periculi ſit; quum Pater Paulo dictus ſit ſervator ac redemptor,*

quod per filium nos redemit, ſi ſanguinem à filio fuſum in ara crucis, hactenus ſuum appellat, quod eum tradiderit pro nobis in mortem? Et paulo poſt, *Non igitur uſque adeo ſit abſurdum, ſi Pater victimam illam, quam ipſe ſubjecit, illud precium, quo redemit per filium genus hominum, ſuum precium, aut ſuam hoſtiam, aut ſuum ſanguinem appellet.* Ex his autem patet (ut hoc etiam obiter dicamus) quomodo reſpondendum ſit illis, qui locum iſtum tanquam certiſſimum teſtimonium afferunt, quod Deus homo factus fuerit, ſive quod Chriſtus ſit ipſe Deus. Verum, ut, ad propoſitum revertentes, concludamus, dicimus, veriſſimum quidem eſſe, qui redemptor ſit, eundem eſſe creatorem; ſed tum demum, ſi, ut prima cauſa, ſit redemptor, qualis Deus Chriſti Pater eſt; non autem ſi ſit redemptor, ut ſecunda cauſa, qualis eſt ipſe Chriſtus.

5. Non dicit quidem diſerte Chriſtus apud Johannem eo in loco, ad quem nos lectorem rejeceramus, ſe à Deo Deum factum fuiſſe & conſtitutum: ſed ea tamen dicit, ex quibus id apertiſſime colligitur. Quod adeo verum eſt, ut adverſarius ipſe idem imprudens fateri coactus fuerit, ut Partic. 1, monuimus; de quo poſtea videbimus. Certum enim eſt, Chriſtum divinitatem ſuam, ut ex cauſa, ex eo colligere, quod à Patre ſanctificatus fuerit, & in mundum miſſus. Igitur, ſi Chriſtus propterea Deus eſt, quia Pater Deus eum ſanctificavit, & in mundum miſit, ſequitur neceſſario, eum à Deo per ſanctificationem factum fuiſſe Deum, & ab eodem per in mundum miſſionem Deum conſtitutum. Id enim dicitur fieri, quod aliquando non erat, & ab eo fieri, qui, ut ſit, efficit. Atqui, ſi Chriſtus à Deo Patre ſanctificatus fuit, tempus erat, cum hæc ipſius ſanctificatio non erat; vel quia nondum ipſe Chriſtus exiſteret, vel quia, ſemper licet fuerit ſanctus; peculiari tamen aliqua ſanctitate poſtea à Deo donatus fuerit, quam ipſe hoc loco intelligat, & ſic Deus effecit, ut ea ſanctificatio eſſet, quæ prius non erat. Quare, ſi ſanctificatio ipſa Chriſti facta eſt, idque à Deo, ex ſanctificatione autem iſta dicit Chriſtus, ſe habere divinitatem ſuam, quis non videt. Chriſtum à Deo Deum fuiſſe factum? Id porro dicitur tale quid conſtitui, quod aliquando non tale erat; atque ab eo conſtitui, qui, ut tale ſit, efficit; Verum, ſi Chriſtus ex eo, quod à Patre Deo miſſus fuit in mundum, divinam qualitatem eſt adeptus, Tempus autem ſine dubio fuit, cum nondum in mundum à Deo fuerat miſſus, Nemo negare poteſt, aliquando divinam iſtam qualitatem in Chriſto non fuiſſe; & proinde à Deo, qui eum in mundum miſit, ut ea in ipſo eſſet, effectum eſſe. Unde omnino conſequitur, Chriſtum à Deo Deum fuiſſe conſtitutum.

Sed ait adverſarius, immo ex hoc ipſo, quod Chriſtus à Patre Deo ſanctificatus eſt, apparere, Chriſtum non fuiſſe à Deo factum & conſtitutum Deum. Hæc enim Chriſti ſanctificatio eſt illa, per quam habitat in ipſo omnis plenitudo divinitatis corporaliter Coloſſ. 2; quod factum eſt, inquit, cum ei ſuum verbum Pater univit. Atqui multipliciter in hac ſua ratiocinatione peccat adverſarius, & ſuo ſe tandem ipſe (quod ajunt) gladio jugulat. Primum enim non ex ſola ſanctificatione colligit Chriſtus ſuam divinitatem, ſed ex miſſione ſimul in mundum. Mitti autem in mundum, ut ex iis, quæ cap 4. Parte 3. Partic 14. diſſeruimus, intelligi poteſt, nihil eſt aliud, quam alicui muneri publice obeundo reipſa præfici. Itaque iſta in mundum miſſio nullo modo ad eam ſanctificationem referri poteſt, quam adverſarius intelligit. Ea enim ab ipſo Chriſti conceptionis initio, ut illi placet, fuit, At Chriſtus munus ſuum publice obire non cæpit, niſi natus jam annos circiter triginta Luc. 3. 23; cui muneri licet antea deſtinatus, tunc tamen primum a Deo Patre reipſa præfectus fuit. Propterea ipſe Chriſtus nativitatem ſuam ab adventu in mundum aperte diſtinxit, illamque huic antecedere indicavit, Pilato dicens Joh. 18. 37, *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Ad hæc, cum Chriſtus hoc loco ſimpliciter dicat, ſe fuiſſe à Deo Patre ſanctificatum, ſanctificari autem à Deo etiam alii dicantur, nullo pacto poteſt ex ipſius verbis neceſſario id colligi, quod adverſarius putat; id eſt illum ſanctificatione quadam ſanctificatum fuiſſe, quæ non modo ulli alii non contigerit unquam, ſed ne contingere quidem ulla ratione poſſit. Quamvis alioqui veriſſimum ſit, Chriſtum ſingulari prorſus ratione, ut in mundum à Deo miſſum, ſic etiam ab ipſo ſanctificatum fuiſſe. Nec tamen idcirco non argumentabitur Chriſtus à minore ad longe majus; quod ab ipſo fieri nos ipſi antea in animadverſione noſtra ſatis aperte indicaveramus. Multo enim plus eſt, ſanctificari à Deo, & in mundum ab ipſo mitti, quam Dei ſermonem ad ſe fieri.

At enim Paulus ait, in Chriſto habitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter. Quid tum poſtea? An neceſſe eſt, hoc ipſum voluiſſe Chriſtum dicere, cum ait, ſe ſanctificatum fuiſſe à Deo? Non ſane; cum, ut dictum fuit, ipſum ſanctificandi verbum iſtud per ſe non declaret. Siquidem & alii quoque à Deo ſanctificantur; nec ullus tamen fuit, aut futurus eſt unquam præter Chriſtum, in quo divinitatis plenitudo omnis corporaliter habitet. Nec vero eſt veriſimile, Chriſtum aliud omnino ex verbis ſuis colligi voluiſſe, quam id, quod in verbis ipſis expreſſum eſt; ſed divinitatem ſuam ea ratione confirmare voluiſſe, quæ ex ipſius verbis ab audientibus facile intelligi non poſſet. Nam quomodo alioqui, ſe minime blaſphemum eſſe, illis perſuadere potuiſſet? Quod profecto illum omnino curaſſe palam eſt. Adde, quod apud Paulum Col. 2. 9, inhabitare in Chriſto omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, non illud eſt, quod adverſarius exiſtimavit; ſed ea locutione ſignificatur, in Chriſto revera & ſolide omnem prorſus divinarum rerum, & divinæ potiſſimum voluntatis cognitionem eſſe. Nam & paulo ante Apoſtolus dixerat, in Chriſto, ſive in Dei Patris & Chriſti myſterio, reconditos eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ. Hoc enim ibi agit Paulus, ut perſuadeat Coloſſenſibus, ne uſquam alibi quærant, quomodo Deum colant, aut rerum divinarum, quas nos ſcire eſt opus, cognitionem expiſcentur, quam in Chriſto, relicta plane, quod ad hanc partem attinet, humana philoſophia, & relicto ſimul quidquid homines, tanquam à divinitate aliqua edocti, ea de re tradunt; quin etiam & ipſa Moſis Lege, quam is à Deo accepit, poſthabita. Quippe quod iſta vel vana prorſus & commenticia eſſent, vel certe imperfecta, & bona ex parte umbra rerum futurarum; cum corpus ipſum cujus videlicet umbra erant, Chriſti eſſet. Hanc, nec præterea aliam Pauli mentem eſſe, & idcirco non de alia plenitudine divinitatis, quæ omnis corporaliter in Chriſto inhabitet, eum loqui præter eam, quam diximus, agnoſcet quiſquis totum illud caput diligenter legerit, & potiſſimum verba perpenderit. Quæ locum ipſum proxime antecedunt.

Sed quid dicemus, quod adverſarius vult, ſanctificandi verbo in Chriſti ſermone ſignificari conjunctionem verbi paterni, id eſt æternæ cujuſdam ſubſtantiæ, quæ Deus ſit, cum ipſo homine Chriſto? Si enim ita vult ſignificari, ut id negari non poſſit, quis tam fatuus erit, qui hoc illi concedat? Certe ipſemet vim verbi ſanctificandi ſic explicat, *Sanctificare Deus aliquam rem dicitur, quum ei ſeſe, quadam ratione, per ſuam gratiam & operationem conjungit, inprimis eam mundans, tandem perficiens.* Et addit, *quæ ſanctificatio multis eſt communis.* Ergo non ea eſt vis verbi ſanctificandi, ut omnino ſingularem conjunctionem iſtius verbi paterni cum Chriſto ſignificet. Nam quod ait, iſtam conjunctionem, quam ipſe idem eſſe putat cum inhabitatione omnis plenitudinis divinitatis corporaliter, Chriſti propriam eſſe ſanctificationem, hoc quod ad vim perpetuam & neceſſariam verbi ſanctificandi attinet, nihil eſt.

Verum adverſarius, cum ex alicujus verbi ſignificatione aliquid colligere debet, nova ac mirabili quadam dialec-

dialectica, ex eo ipſo, quod debet colligere, id pro conceſſo ſumens ſignificationem ipſius verbi argumentatur. Namque idem ſimiliter eum feciſſe deprehendimus in argumento pro Chriſti æterna divinitate ex Salvatoris appellatione ducendo, idque ſupra ſatis perſpicue oſtendimus. Quod ſi fatetur ipſe Sanctificandi verbo in Chriſti ſermone ita ſignificari Verbi illius paterni conjunctionem cum Chriſto, ut tamen id negari poſſit, cum verbum ipſum per ſe hanc vim non habeat, quomodo auſus eſt dicere, ex hoc ipſo loco à nobis allato nos graviter confutari?

Denique quid tandem egit, etiamſi ea omnia vera eſſent, quæ hic dicit? Num id probavit, quod voluit, Chriſtum ſcilicet non fuiſſe à Deo Deum factum & conſtitutum? Immo contrarium ipſe reipſa concluſit. Sic enim Chriſtum loquentem facit; *Si illos homines, ad quos ſermo Dei factus eſt, ſcriptura ſine blaſphemia, Deos vocat, multo magis ego, licet homo, quem Pater ſanctificavit, ei ſuum verbum uniendo, & præſtando ut inhabitet omnis plenitudo divinitatis in ipſo corporaliter, ſine blaſphemia me Dei filium eſſe dico, quod etiam operibus mei patris oſtendo.* Ergo Adverſarius fatetur, Chriſtum hic de ſe, ut homine, loqui; qui, cum ei pater verbum ſuum unierit, ſine blaſphemia Dei filius dicatur. Verum, ſi ſine blaſphemia Chriſtus, ut homo, filius Dei dicitur, profecto Chriſtus, ut homo, revera Dei filius eſt. Si Chriſtus, ut homo, eſt revera Dei filius, idem, ut homo, eſt etiam Deus. Sed Chriſtus, ut homo non ſemper fuit. Ergo Chriſtus non ſemper fuit Deus, quatenus homo eſt; & conſequenter eatenus etiam Deus aliquando eſt factus. Factum enim in hac diſputatione non omnino opponimus Nato, etſi id alioqui rectiſſime fiat, ſed Ei, qui aliquando non fuit. Et adverſarius ipſe pag. 118. vult, Jeſum Nazarenum factum fuiſſe Chriſtum & Dominum ac ſalvatorem, ſtatim in ipſa unione Verbi cum natura humana, id eſt cum primum in matris utero conceptus eſt.

In univerſa igitur hac noſtra argumentatione, nihil eſt, quod Adverſarius negare poſſit, ut eam, ejuſque vim effugiat, niſi vel Chriſtum, ut hominem, eſſe revera Dei filium, quamvis ſine blaſphemia Dei filius dicatur, vel etiamſi, ut homo, eſt revera Dei filius, ut hominem, Deum eſſe. Quia ſcilicet, ut homo, licet verus, non niſi adoptivus tamen ſit Dei filius. Utrumvis autem neget, ſuæ eccleſiæ decretis aperte adverſatur: à qua, Carolo magno Franciæ rege, necdum imperatore, id curante, damnatus eſt ſub Hadriano primo pontifice Romano Eliphandus epiſcopus Toletanus, eo quod Chriſtum, qua homo eſt, nuncupativum vel adoptivum tantum Dei filium eſſe affirmaret.

Videtur tamen cum ex ſuperioribus ejus citatis verbis, tum vero ex iis, quæ illis ſtatim addidit, intelligi poſſe, eum omnino negaturum Chriſtum, ut hominem, revera Dei filium eſſe; & dicturum, ideo ſine blaſphemia Chriſtum, ut hominem, Dei filium dici, quia illi verus Dei filius ſit unitus, & ſic per idiomatum, quam vocant, communicationem, Dei filium recte vocari, licet ipſe, ut homo, revera Dei filius non ſit. Paria enim in poſtremis ſuis hoc loco verbis facit hæc duo in Chriſto, Dicere filium hominis filium Dei, & Dicere Deum hominem. Ad hoc reſpondemus, idiomatum communicationem iſtam, ut, quod unius tantum eſt proprium, de altero ſibi conjuncto ſeparatim dici poſſit, nullum, aut vix ullum locum habere, ſive in ſacris, ſive in profanis litteris, ſive etiam in ipſis quotidianis ſermonibus. Sed tantum figuram loquendi uſitatam eſſe, ut quæ unius ex duobus in unum ſuppoſitum, quod ajunt, conjunctis proprium eſt, toti ſuppoſito tribuatur, vel etiam contra, quod totius ſuppoſiti eſt, alteri ex conjunctis aſcribatur. Ut, exempli cauſſa, cum homo ex anima & corpore ſit conſtitutus, non tamen ejus corpori ſeparatim id tribuitur umquam, quod animæ eſt proprium; nec contra quod corporis, ipſi animæ. Nam quis auſus fuerit dicere corpus cujuſpiam hominis ingenioſum eſſe, aut animam gracilem? Dicetur tamen homo ipſe & gracilis & ingenioſus, quamvis illud animæ, hoc corporis ſit proprium, & ejus ſive anima ſive corpus quidpiam appetere dicetur, licet ipſum appetere totius hominis ſit.

Adde, quod ſi Chriſtus, ut homo, revera filius Dei non eſſet, & nihilominus propter idiomatum communicationem ſine blaſphemia dicere liceret de Chriſto Mar. 15. 39. *Vere hic homo eſt Dei filius*, ut centurio ille dixit, qui tamen iſtam idiomatum communicationem ne ſomniabat quidem, non idcirco ſine blaſphemia dici poſſet, Hic, ut homo, ſeu, quatenus eſt homo, vere eſt Dei filius. Perit enim omnis idiomatum communicatio, cum alterum ex conjunctis, ut in ſua natura conſideratum, profertur & enunciatur. Atqui, ut ante dictum eſt, Adverſarius facit Chriſtum loquentem non ſolum de ſe homine, ſed etiam ut homine, cum illum ſeipſum à Verbo patris diſerte diſtinguentem inducat, & ſibi patris Verbum unitum ab ipſo Patre fuiſſe, dicentem. Id quod profecto merum Neſtorianiſmum ſapit. Adeo ut miremur, quomodo ab iis, qui illi præſunt, hæc publicare non permiſſus modo, ſed etiam, ut libri titulus præſeferet, juſſus fuerit. Manifeſte enim ejus verba Chriſtum hominem, perſonam à patris Verbo diſtinctam faciunt, adeoque antequam Verbum ipſi uniretur, extitiſſe demonſtrant.

Quod ſi fortaſſe confitetur Adverſarius, Chriſtum quatenus homo eſt, revera Dei filium fuiſſe, ſed tamen non niſi adoptivum, primum hoc cum Angeli verbis pugnat, quibus eum, filium Dei naſciturum, & ob eam rem, ut hominem, non adoptatum quidem, ſed natum eum fuiſſe nos docet; qua de re vide quæ ſcripſimus cap. 4. parte 3. partic. 12. Deinde hoc idem duos diverſos Dei filios facit; ſecundum quidem ipſius Adverſarii ſententiam; unum naturalem, id eſt, Verbum ipſum Dei, alterum adoptivum, id eſt, illum hominem, cui unitum fuerit Dei verbum. Nam de homine illo, tamquam de perſona ab ipſo Dei Verbo diſtincta Adverſarium loqui, modo oſtendimus. Aut certe hoc, unum & eundem Dei filium partim adoptivum, partim naturalem conſtituit, idque ſecundum ipſius eſſentiam & ſubſtantiam. Quod nemo erit, quin vel impoſſibile, vel plane abſurdum eſſe dicat.

Poſtremo non ſequitur, ſi Chriſtus, ut homo Dei filius adoptivus tantum eſt, eum, ut hominem, non eſſe Deum. Immo tanto magis ſequitur, eum eſſe Deum factum, quod hic potiſſimum in controverſia eſt, quodque prorſus negat Adverſarius. Quiſquis enim revera eſt Dei filius, quacumque tandem ratione ſit, is eadem ratione Deus etiam eſt. Id quod præter rationem manifeſtam indicant verba illa Pſalmi Pſal. 82. 6. *Ego dixi dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Ubi pro eodem accipitur, Deum eſſe, & eſſe Dei filium. Idemque confirmare omnino videtur Chriſtus ipſe tacite concedens, quod ſe ipſum deum fecerit, quatenus videlicet ſe Dei filium eſſe dixit. Igitur, quia Chriſtus, quatenus eſt homo, ut proxime citato loco ſupra diſſeruimus, ſingulari quadam ratione præ cæteris Dei filius eſt, ſingulari etiam quadam ratione, quatenus eſt homo, præ cæteris eſt Deus. Quare nihil eſt id, quod ab Adverſario hic pag. 44. dictum fuit, Chriſtum non eſſe factum deum, nec ejus humanam naturam ſic in divinam tranſiviſſe, ut amplius non ſit homo, quaſi quatenus homo eſt, non poſſit etiam Deus eſſe, ſive non poſſit, ut homo, Deus eſſe factus, & tamen homo perſiſtere. Certe ii, ad quos ſermo Dei factus fuerat, dii erant facti, idque quatenus homines erant, nec enim aliam præter humanam naturam habebant (ſic enim, ne quis cavilletur in tota hac diſputatione verba iſta, Ut homo, ſeu quatenus eſt homo, intelligimus, ut ſcilicet nihil aliud, quam ſolam

naturam humanam ſignificemus) nec tamen homines eſſe deſierant. Sed ipſe nimirum Dei nomine evidente vel æquivocationis, vel petitionis principii fallacia ſummum illum Deum intelligit, quem nos quoque non modo, ut ipſe, de homine, ut homine, dici ſeu prædicari poſſe negamus, ſed etiam contra quam ipſe, vel de eodem eſſentialiter prædicari poſſe, de quo homo eſſentialiter prædicetur, nullo modo concedimus. Cujus rei rationes expoſuimus ſupra cap. 4. par. 2. partic. 1.

Caput VII.

CUm in ſecunda collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo Aſſertione ſic ſcriptum eſſet, *Nec advertunt iſti per quam acuti novi Magiſtri, quod ipſemet filius Dei ſub nomine Sapientiæ per Salomonem de ſe dixit* Pro. 8. 23. *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret*, Nos contra ſic ſcripſimus, *Quinimmo ipſi non animadvertunt, ſapientiam illam, de qua loquitur Salomon nunquam Dei ſapientiam ab ipſo appellari, ſed ſapientiam ſimpliciter, Chriſtum vero à Paulo non ſimpliciter ſapientiam* 1 Cor. 1. 24. *ſed Dei Sapientiam vocari. Ait quidem Salomon, Dominum ſive Jehovam poſſediſſe ſapientiam initio viæ ſuæ, id eſt ſapienter omnia & decreviſſe & feciſſe; ſed non propterea de aliqua ſapientia loquitur, quæ Dei propria ſit. Nam per eandem illam ſapientiam & reges regnare, & principes juſtitiam decernere ante dixerat. Et ſane ſi quis non videt, Salomonem per proſopopœiam de ſapientia in genere & in abſtracto loqui, quæ nullo modo Chriſtus eſſe poteſt, is permulta, quæ in eo cap. & ſequente ſcripta ſunt, parum attente legit. Jam vero Chriſtus Dei ſapientia dictus eſt à Paulo, quia per Chriſtum potiſſimum, & in Chriſto Deus ſuam ſapientiam prodit* Rom. 1. 16. *quemadmodum Euangelium ab eodem Dei virtus dictum fuit, quia Deus in illo potiſſimum, & per illud virtutem ſuam manifeſtam facit.* Contra hæc verba noſtra ſic inſurgit Adverſarius ab initio pag. 45. per totam ferme pag. 48.

Adverſarii dicta.

1. Ait primum, nemini dubium eſſe poſſe, quin ea ſapientia, de qua idem Salomon ſcribit Prov. 3. *Dominus ſapientia fundavit terram: ſtabilivit cælos prudentia. Sapientia illius erruperunt abyſſi & nubes rore concreſcunt*, ſit ipſius Domini, id eſt Dei, ſapientia. Itaque Salomonem non de ſapientia ſimpliciter, ſed de Dei ſapientia loqui, dum eam ſic loquentem facit, Prov. 8. *Dominus poſſedit me*, &c.

2. Nec vero non erit, inquit, hæc propria ipſius Dei ſapientia, etiamſi hæc verba ita interpretemur, Dominus omnia ſapienter & decrevit, & fecit. Alioqui Deus in omnibus ſapienter faciendis non ſua, ſed vel aliena, vel nulla ſapientia uteretur.

3. Verum tamen interpretationem iſtam rejicit, tanquam eam, ex qua valde abſurda ſententia emergat. Sequitur enim *antequam quidquam faceret à principio.* Itaque ex interpretatione iſta concluderetur, Deum non ſolum decreviſſe, ſed etiam feciſſe omnia, antequam quidquam faceret.

4. Porro falſum eſſe ait, eam ſapientiam, per quam reges regnant, non eſſe Dei propriam. Nam, ut in Eccleſiaſtico legitur Eccle. 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper & eſt ante ævum.* Suam enim ſapientiam Deus creaturis, quantum illius ſunt capaces, communicat.

5. Quod autem Salomon non loquatur ibi de ſapientia per proſopopœiam, ex eo conſtare dicit, quod idem ſcribit Pro. 2. *Si ſapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ, ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini.* Certe, inquit, *rem fictam Spiritus Sanctus invocare & quærere non ſuadet, quod eſſet ſimile idololatriæ.*

6. Propriam autem cauſſam, cur Chriſtus Dei ſapientia vocetur, affirmat non illam eſſe, quod Deus in Chriſto, & per Chriſtum potiſſimum ſuam ſapientiam prodit; ſed hanc, quod in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, ut ait Paulus Coloſſ. 2. Nulla res creata, inquit, omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ continet. Satis igitur apparere, Chriſtum eſſe illam ſapientiam increatam, de qua Salomon Pro. 2. *Ab æterno ordinata ſum*; & quæ ſequuntur.

7. Objicit tandem nobis, quod legamus in Sacris Literis, Chriſtum eſſe Dei ſapientiam, & unigenitum Dei filium, & tamen unigenitum Dei filium Dei eſſe ſapientiam non credamus. Quippe qui velimus, Dei ſapientiam, & Dei unigenitum non fuiſſe ante virginem Mariam. Et tamen certum eſt inquit, ſine Dei ſapientia nihil factum eſſe, quæ unigenitus Dei filius eſt. Et idcircode ipſo ſcripſit Johannes, *Omnia per ipſum facta ſunt*, &c.

Reſponſiones.

1. In evidentem elenchi ignorationem incidit Adverſarius, quam poſtea exponemus. Sciendum enim eſt, non afferri ab iis, quos ipſe ſequitur, teſtimonium Salomonis ad probandum ſimpliciter, quod Dei ſapientia ante omnes res ab ipſo creatas extiterit; quaſi inde concludere velint, cum Chriſtus Dei ſapientia appelletur, Chriſtum ante omnes res creatas extitiſſe. Nam quis negare audeat, Dei ſapientiam ante omnes res ab ipſo creatas fuiſſe. Nunquid Deus ſine ſapientia vel cogitari quidem poteſt? Aut quid attinet ad id probandum Salomonis teſtimonium afferre? Sed idcirco teſtimonium Salomonis affertur, ut oſtendatur, Dei ſapientiam, quæ ante omnes res ab ipſo creatas, fuit, aliquid ſubſiſtens per ſe eſſe, & ab ipſo Deo perſona diſtincta; unde merito colligi poſſit, Chriſtum, qui Dei ſapientia dicitur, ante omnes res creatas fuiſſe. Alioqui facillime unicuique æquivocationis fallacia conſtaret, quæ in hac argumentatione eſt. Cum Chriſtus omnino ſit aliquid per ſe ſubſiſtens, ſeu perſona quædam ab ipſo Deo diſtincta, talem autem eſſe ſapientiam, illam quæ ante omnes res fuit ab ipſo creatas, nullo modo conſtet; immo non eſſe, alioqui palam ſit. Cum enim hæc ſapientia in ipſo ſit Deo, deque illius natura atque eſſentia, ſequeretur Deum præter ſuam ipſius perſonam aliam quoque habere perſonam. Quod non modo abſurdum, ſed impoſſibile plane eſt, manifeſtam enim implicat contradictionem. Nam perſona, quam quis habet, omnino ſua ipſius, qui eam habet, perſona eſt. At ſi eam præter ſuam ipſius perſonam habet, jam ſua ipſius perſona non eſt.

Hic nihil aliud reſpondere poſſunt Adverſarii, niſi Dei ſapientiam, quæ perſona eſt, eſſe quidem in Deo & de natura atque eſſentia ipſius Dei; ſed non ut perſonam. Quod tamen ſecundum ipſorum mirabilem theologiam manifeſto falſum eſt. Niſi Dei nomine non quidem Deus ſimpliciter, ſed una, ut ipſi loquuntur, ex divinitatis perſonis, nempe Pater intelligatur. Atqui hoc quilibet audacter negare poterit, cum in eo triplex principii petitio inſit, videlicet, & quod plures divinitatis ſint perſonæ, & quod Dei ſimplici atque abſoluto nomine una tantum illarum intelligi poſſit, & denique, quod hic certa quædam ex illis, id eſt Pater, omnino intelligi debeat. Horum enim primum plane à nobis negatur, reliqua vero duo, niſi primum ſit verum, nullum locum habent; Sin autem eſt verum, ea probari nulla ratione poſſunt. Ad hæc Dei bonitas, potentia, juſtitia, & ſi qua ſunt ſimilia, non ſunt res per ſe ſubſiſtentes ſeu perſonæ; ut diſputatum eſt ſupra cap. 3. partic. 2. Cur igitur Dei ſapientiam, quæ appellatione, ratione, vi nihil ab iſtis differt, rem per ſe ſubſiſtentem ſeu perſonam eſſe dicemus?

Itaque ad probandam hanc ſubſiſtentiam, atque, ut ita loquamur, perſonalitatem Dei ſapientiæ illius, quæ ante omnes res creatas fuit, afferri ſolet ab Adverſariis teſtimonium Salomonis Prover. 8. quippe quod

ibi

ibi de Sapientia tanquam de re per ſe ſubſiſtente, & perſona quadam loquatur, quæ hæc Dei ipſius videtur eſſe Sapientia, quam Chriſtum eſſe contendunt. Propterea in ſecunda hac Aſſertione ſcriptum eſt, Chriſtum ibi de ſe ſub Sapientiæ nomine locutum fuiſſe.

Jam ad teſtimonium iſtud nos reipſa dupliciter reſpondimus; primum negantes Salomonem ibi de ſapientia, quæ Dei propria ſit, verba facere, ſed de ſapientia in genere & in abſtracto eum loqui aſſerentes. Deinde affirmantes, in ejus verbis proſopopœiam eſſe evidentem; ut ex multis, quæ ibidem dicuntur, intelligi poteſt. Cum igitur Adverſarius vult priorem ex iſtis duabus reſponſionibus convellere, & oſtendere Salomonem de ſapientia, quæ Dei propria ſit, loqui, nihil ad rem facit quod alios locos citet, in quibus omnino videatur dicere Deum ſua propria ſapientia omnia creaſſe; niſi ſimul de ea ſapientia tanquam de re per ſe ſubſiſtente ſeu perſona loquatur. Quod certè non facit in loco cap. 3. Prov. quem Adverſarius protulit. Nihil enim vetat, quominus ibi de propria Dei ſapientia verba faciat, hic vero minime, cum ibi alio modo de ſapientia loquatur, quam hic loquitur. Et hæc eſt evidens illa elenchi ignoratio, in quam Adverſarium incidiſſe, ab initio diximus.

Adde, quod non magis ibi, quam hic, apparet, Salomonem de Dei propria ſapientia loqui, cum neque ibi Dei ſapientiam diſerte nominet. Nec enim aliud ſecundum Hebraicam veritatem de ipſa ſapientia dicit, niſi, quod Dominus ſive Jehova in ſapientia fundaverit terram. Nam ubi vulgata editio habet, *Sapientia illius eruperunt abyſſi*, Hebræus codex habet, *In ſcientia illius*, &c. Non eſt autem neceſſe, ut in Salomonis verbis idem omnino ſignificet Scientia, quod Sapientia. Immo veriſimile eſt, duo aliqua ratione inter ſe diverſa his duobus diverſis nominibus eum ſignificare voluiſſe; quemadmodum ipſa revera ſignificant. Deum autem in ſapientia fundaſſe terram, quid aliud eſt, quam cum ſapientia id eſt ſapienter terræ fundamenta jeciſſe? Itaque potius dicendum eſt, Salomonem ibi quoque de ſapientia in genere loqui, quam de propria aliqua Dei ſapientia.

2. Nam quod ait Adverſarius, non poſſe Deum ſapienter facere, quæ facit, niſi ſua ſapientia, hic quoque in elenchi ignorantiam incidit, aut certe in æquivocationis fallaciam, præter fallaciam accidentis, ut poſtea videbimus. Nec enim negavimus nos, Salomonem de Dei ſapientia loqui, licet negaverimus, eum ſapientiam iſtam unquam eo loco Dei ſapientiam appellare. Ex hoc enim tantum colligimus, eum non loqui de aliqua ſapientia, quæ ſit Dei propria; quemadmodum ſine dubio loquitur Paulus, cum Chriſtum Dei ſapientiam eſſe dicit, & quemadmodum ipſum Salomonem loqui neceſſe fuiſſet, ſi Sapientiæ nomine Chriſtum intellexiſſet. Itaque non levis elenchi ignoratio eſt in Adverſarii reprehenſione.

Quod ſi Adverſarius (ut ſane videtur, alteram enim pro altera in ſuis verbis reponit) vocem Propria pro Sua accipit, dicimus illum in æquivoco verſari. Exemplo ad rem noſtram accommodato veritas patefiet. Si quis ex ſe ipſo ſuoque ipſius conſilio aliquid ſapienter egerit, dicere poterit, ſe propria ſapientia id egiſſe, id eſt ſua & non aliena ſive aliunde petita; non tamen ita propria, ut alii non inveniantur, qui eadem ſapientia ſint præditi. Quo ſenſu & receptiore & in diſputationibus uſitatiore uſi ſumus nos, ut ſatis ex ipſa re patet, voce Propria, cum diximus; Salomonem non loqui de aliqua ſapientia, quæ Dei propria ſit. Atque in hunc ſenſum ea voce accepta, non ſunt contradictoria, ut exemplum modo allatum oſtendit, Aliena ſapientia & Propria ſapientia, adeo ut neceſſe ſit, ſi quis ſapienter aliquid facit, & aliena ſapientia non facit, eum propria facere; quemadmodum Adverſarius putavit, Sua tamen interim pro Propria, quod prius dixerat, ſubſtituens, ut ſe ipſum potius, quam alios, commodius falleret.

Quod ſi nihilominus Deus, cum aliquid (ut quidem omnia) ſapienter & decernit, & facit, propria etiam quadam ſua, non modo non aliena, ſapientia utitur; id, quantum ad locutionem iſtam attinet, Deus omnia ſapienter & decrevit & fecit, ex accidente eſt. Unde ſumma accidentis eſt fallacia in Adverſarii verbis hic pag. 45. dum ex eo, quod dixeramus, Salomonem quidem dicere, Deum omnia ſapienter & decreviſſe, & feciſſe, non tamen loqui de ſapientia aliqua, quæ Dei ſit propria, concludit, nos opinari, Deum abſque ſapientia propria ſapienter omnia & decreviſſe, & feciſſe. Aliud eſt enim quærere quid voluerit Salomon dicere; aliud, quid circa ipſam rem eveniat, quam dicere voluit. Adde, quod hæc eadem accidentis fallacia eſt, etiamſi Propria pro Sua accipiatur. Etſi enim Deus ſine dubio, dum ſapienter omnia decernit, & facit, ſua, non aliena ſapientia utitur, tamen id ipſius locutionis reſpectu, propter quam hæc omnis diſputatio eſt, ex accidente eſſe, cenſeri debet.

3. Non fuit nobis animus, cum diximus, Salomonem dicere Dominum poſſediſſe ſapientiam initio viæ ſuæ, id eſt ſapienter omnia & decreviſſe, & feciſſe, ſola iſta verba Salomonis, quæ expreſſe retuleramus, interpretari, aut ita interpretari, ut verba noſtra poſſent commode in contextu ipſo pro relatis Salomonis verbis reponi. Sed loci ſententiam tantum explicare voluimus; quæ ſi in relatis verbis plane integra non eſt, non ſunt ea, quæ cum illis cohærent, ab ipſa excludenda. Quamquam non ita cohærent, quæ ſtatim ſequuntur verba, ut Adverſarius exiſtimavit; nec porro in Hebræo ita leguntur, ut in Latino codice. Pro eo enim, quod Latinus codex habet, *antequam quidquam faceret à principio*, Hebræus habet ad verbum, *ante opera ſua ex tunc*; quæ indicant, omnino repetendum eſſe, קנני, *poſſedit me*; Quod ſi fiat, apparebit, Salomonem ad rei majorem confirmationem eandem ferme ſententiam repetiiſſe. Quare nihil incommodi erit, etiamſi verba explanationis noſtræ in ipſo contextu loco Salomonis verborum, quæ retuleramus, legantur. Erunt enim deinde eadem paululum immutata pro iſtis, quæ ſequuntur, repetenda, & hoc pacto legendum, Dominus ſapienter omnia & decrevit, & fecit; ſapienter, inquam, plane omnia opera ſua eſt Dominus operatus. Nam quid aliud alioqui etiam ſignificare poteſt hæc locutio, Sapientiam à quopiam, antequam quidquam operaretur, jam tum fuiſſe poſſeſſam, quam illum plane ſapienter omnia opera ſua feciſſe? Quocirca ridiculus prorſus videtur Adverſarius, qui, quo eum cavillatio ſua in verbis noſtris & fallacia compoſitionis in Salomonis verbis rapit, haud invitus ſequens, ait pag. 46. ex interpretatione noſtra naſci aliam quoque hæreſim; nempe mundum eſſe ab æterno. Cujus rei occaſione Miniſtros apud nos verbi Dei lupos vocat, quibus oves ſint commiſſæ. Deus hoc illi una cum aliis, quæ in nos atque adeo in ipſum Deum graviter peccat, condonare velit.

4. Omnis ſapientia ex Deo eſt. Id eſt, Nullus homo eſt ſapiens, niſi Dei beneficio. Non tamen ea ſapientia, qua homines ſunt præditi, propria ipſius Dei eſt. Immo ex hoc ipſo, quod eam illis ipſe dedit, apparet eam Dei non eſſe propriam. Omnis vita ſimiliter ex Deo eſt. Apud ipſum enim ut David cecinit, eſt fons vitæ; nec quidquam vivit, quod Dei beneficio non vivat. Non tamen ea vita, qua nos vivimus, propria eſt ipſius Dei. Immo jam non eſt propria ipſius, ſi nos ea vita vivimus. Quamobrem non quia, proprie loquendo, communicet nobiſcum Deus ſuam ipſius ſapientiam, & vitam, ideo ejus beneficio & ſapimus, & vivimus; ſed quia virtute ſua in nobis ſapientiam, & vitam creat. Ejus vero propria tum ſapientia tum vita plane increata eſt: Eccleſiaſtici locus ad verbum in Græco ſic habet Eccleſ. 1. 1, *Omnis ſapientia à Domino, & cum illo eſt in ſæculum.* quod non ſignificat, eandem ipſam ſapientiam, quæ à Deo proficiſcitur, cum ipſo ſemper eſſe; ſed, quemadmodum nemo eſt ſapiens, niſi Dei beneficio, ſic ipſum Deum perpetuo & in omnibus ſuis operibus ſapientiſſimum eſſe.

5. Triplex fallacia eſt in hac Adverſarii verborum noſtrorum reprehenſione, Ignorationis elenchi, Æquivocationis, & A ſecundum quod ad ſimpliciter. Ignoratio elenchi eſt duplex. Primum in eo, quod ibi Salomon loquitur Prov. 2. 3. de intelligentia (ſic enim eſt in Hebræo) nos autem una cum ipſo Salomone hic loquimur de Sapientia. Non eſt autem idem omnino ſapientia & intelligentia; & Chriſtus à Paulo non Dei intelligentia, ſed Dei ſapientia appellatus eſt. Deinde quia non diximus nos, Salomonem de Sapientia per proſopopœiam loqui, ubicumque eam tanquam perſonam inducit, ſed diximus ſimpliciter Salomonem loqui de ſapientia per proſopopœiam; id eſt in eo loco, qui in Aſſertione citatus fuerat. Ut patet ex verbis illis noſtris *ſi quis non videt*, &c. *is permulta, quæ in eo cap. & ſeq. ſcripta ſunt, parum attente legit.* Apparet enim in cap. ſeq. de eadem ſapientia ſermonem eſſe. Hæc autem non eo à nobis dicuntur, quod negemus, vel etiam, ubi opus eſt, non contendamus, Salomonem ubicumque Sapientiam tanquam perſonam inducit, de eadem ſemper ſapientia loqui, idque per proſopopœiam. Sed ut fallacia reprehenſionis Adverſarii detegatur. Tota enim vis hujus diſputationis potiſſimum in eo conſiſtit, utrum ſapientia iſta ſit Dei propria, nec ne. Quod in loco, de quo quærebatur, videbatur fortaſſe dici poſſe; at in eo, quem poſtea Adverſarius attulit, nullo modo. Et Arrianus quiſpiam facile concedet, immo contendet, in ejuſmodi loco nullam eſſe proſopopœiam, & de Sapientia ante omnia à Deo creata eſſe ſermonem, quæ Chriſtus ſit, qui, licet res creata, tamen (ut nos quoque ſentimus) invocari merito queat. At idem fortaſſe negabit, non eſſe proſopopœiam, ubi dubitari poſſit, num de propria Dei ſapientia verba fiant. Propria enim Dei ſapientia ea tantum videtur eſſe, quæ ab omni æternitate in ipſo fuit. Hanc autem perſonam eſſe, negant non minus, quam nos, Arriani omnes.

Æquivocationis porro fallacia in Adverſarii reprehenſione, eaque inſignis, in eo eſt, quod verbum Invocandi (ſi modo de ipſa inteiligentia invocanda ibi agitur) eo in loco nihil aliud ſignificat, quam ſimpliciter Vocare. Eſt enim in Hebræo verbum, קָרָא quod vocare proprie ſignificat, licet ſæpe Invocandi vim & ſignificationem habeat, & eſt cum ea ſtructura ſeu conſtructione nominis, quod poſt ſe, quemadmodum grammatici loquuntur, ut rem patientem regit, quæ frequentiſſima eſt, cum ſimpliciter Vocare ſignificat; admodum vero infrequens, cum invocationem declarat. Nec ſane debuerat vetus interpres aliter, quam ſimplici verbo Vocandi Hebræum verbum exprimere, præſertim cum verba ſequantur ejuſdem cum præcedentibus ſignificationis, quæ id plane ſuadent. Sequitur enim *intelligentiæ* (ſeu *prudentiæ*) *dederis vocem tuam*; non autem, ut vetus interpretatio habet, *& inclinaveris cor tuum prudentiæ.* Tametſi hoc quoque ſatis declarat non de intelligentia, ſeu prudentia invocanda, id eſt de precibus illi adhibendis, ſed de ipſa ſectanda & quærenda agi. Quemadmodum reliqua, quæ ſequuntur, verba planiſſimum faciunt. Quod ſi nobis vetus interpretatio attenda eſſet, juſtitia quoque poſſet & deberet invocari; & porro ex Adverſarii argumentatione aliquid per ſe ſubſiſtens ſeu perſona eſſet. Nam Eſa. cap. 59. 4. ſcriptum eſt ſecundum veterem interpretationem, *Non eſt, qui invocet juſtitiam.* Id quod populo exprobratur tanquam id, in quo ab ipſo peccetur. Eundem errorem, quod ad ſapientiam attinet, commiſit idem vetus interpres cap. 1. 28. ejuſdem lib. Proverb. Ubi enim vertere debuerat, Tunc vocabunt me, & non reſpondebo, vertit, *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* In quem errorem & alii quidam interpretes inciderunt, exiſtimantes fortaſſis, ibi perſonam aliquam divinam loquentem induci. Quod tamen non ita eſſe, poterat eos vel hoc unum monere, quod numero plurali in Hebræo ab initio nominata fuerat ſapientia ℣ſ. 20. quo omnia, quæ ſequuntur, referenda ſunt. Quod idem contigit in initio cap. 9.

Ex quibus locis, ubi non minus, quam cap. 8. de ſapientia, tanquam perſona, verba fiunt, ſatis poteſt unuſquiſque intelligere, Salomonem ubique de ſapientia in genere & in abſtracto per proſopopœiam loqui, & quando de ea vocanda agit, nihil aliud ſignificare velle, quam ejus ardens deſiderium, & conquiſitionem. Quanquam locus ab Adverſario allatus rectiſſime ex Hebræo ita verti poteſt, ac fortaſſe debet: *Nam ſi pro intelligentia* (id eſt, ut habeas intelligentiam) *invocaveris*, &c. Invocaveris videlicet Deum. Sequitur enim poſtea, *Quia Jehova dabit ſapientiam, ex ore ejus ſcientia & intelligentia.* Itaque non de vocanda ſive invocanda intelligentia ibi revera agetur, ſed de invocando Deo, qui illam dare velit. Hæc autem certe non eſt perſona aliqua, ſed habitus (ut vocant) quem in nobis Deus creat potentia ſua, & ſic in Adverſarii argumentatione erit ſimiliter fallacia æquivocationis, illi cum vetere interprete communis; ut ii præſertim agnoſcent, qui Hebrææ linguæ non fuerint plane rudes.

Jam vero fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter, in quam haud invitus ſe involvit Adverſarius, in eo eſt, quod concludit, Spiritum Sanctum non ſuadere, ut invocetur, aut quæratur res ficta. Neque enim diximus nos ſapientiam, de qua Salomon loquitur cap. 8. eſſe ſimpliciter rem fictam; ſed tantum quatenus tanquam perſona aliqua ab eo inducitur. Id enim, ut pueri ipſi norunt ſignificat, per proſopopœiam de aliqua re loqui. Satis autem ſine dubio viſum fuiſſet Adverſario, ad ſuam ratiouem concludendam & nos redarguendos; hoc, quod diximus, ſi in ipſis verbis, quæ attulerat ex Salomone, tantum de invocanda ſapientia aliquid dictum fuiſſet. Videtur enim non ſuaſurum fuiſſe Spiritum Sanctum, ut ficta perſona invocaretur. Sed quia de prudentia etiam quærenda in illis dicitur, quam eandem cum ſapientia eſſe Adverſarius ſtatuit, & ita quærenda, ut pecunia quæritur, quod ſatis indicat, hic non agi de perſona aliqua, ſed de re tantum, propterea ut eodem tempore huic tacitæ objectioni quodammodo reſponderet, atque interim nos majore invidia gravaret, volens oſtendere interpretationem noſtram omnibus verbis Salomonis à ſe allatis adverſari, neceſſe habuit, cum non tantum perſonæ, ſed etiam res quærantur, nos ſapientiam apud Salomonem non modo fictam perſonam, ſed etiam fictam rem eſſe dicentes facere.

Sed poſtremo, ut, quanta ſit fallacia iſta, conſtet apertius, animadvertendum eſt, non tam impium aut abſurdum eſſe, quam Adverſarius hoc loco exiſtimare videtur, iis, quæ perſonæ non ſunt, invocationem tribuere, dummodo de natura ſint Dei; ut quidem ipſe Sapientiam, de qua loquitur Salomon, omnino eſſe vult. Id quod tum ex aliis, tum ex ipſius Adverſarii verbis, quæ alibi dixit, planum faciemus infra cap. 13. partic 4. Poſſemus autem plurimis iiſque evidentiſſimis rationibus, quæ ex locis ipſis ducerentur, demonſtrare, Salomonem, cum de ſapientia, tanquam de perſona loquitur, omnino proſopopœia uti. Sed præter eas, quas ſupra attigimus, has paucas tantum exponere libuit.

Primum, ſi Salomon de vera perſona loqueretur, neceſſe eſſet, iſtam perſonam jam tum populo univerſo fuiſſe cognitam, id eſt, populum univerſum ſciviſſe perſonam aliquam eſſe, quæ Sapientia vocaretur. Hoc autem, præſertim ſi ad divinam in Dei eſſentia perſonam referatur, plane falſum eſt; vel ipſis Adverſariis teſtibus, qui myſterium iſtud plurium in Deo perſonarum vulgo in Iſraëlis populo ante Chriſti adventum ignotum fuiſſe, paſſim confitentur; ut etiam ex ipſis Aſſertionibus intelligi poteſt, in quarum tertia ſcriptum eſt, articulum Dei unius eſſentia & trini perſonis antiquitus omnibus fidelibus, qui Deo placebant, quantum ſat erat, fuiſſe notum. Omnibus fidelibus, inquit Aſſertio, qui Deo placebant; non autem omni populo, &, Quantum ſat erat; non autem, ut id etiam ſcirent, unam ex illis perſonis Sapientiam vocari.

Deinde

Deinde animadvertendum eſt, Salomonem non ſapientiam tantum, ſed una cum ipſa ſæpius prudentiam, ſive intelligentiam, vel etiam ſeparatim prudentiam, & intelligentiam, tanquam perſonas quaſdam nominare. Quod manifeſte indicat, illum de vera & certa aliqua perſona non loqui, ſed de re quapiam multiplici, ad quam ſignificandam pluribus opus fuerit uti vocabulis, vel in uno, vel in diverſis locis. Ut ex omnibus ſimul junctis intelligi poſſit, quid ſit res iſta, quam ille tantopere commendat, & ſub nomine ſapientiæ, utpote reliquis ſignificantiore, potiſſimum commemorat. Quanquam, cum ſapientiam ſolam nominat, ſolet eam, ut vidimus, plurali numero efferre. Quo ſcilicet rem iſtam multiplicem, quoad fieri poteſt, unico vocabulo melius exprimat.

Namque monendus eſt præterea lector, in loco, de quo diſputamus, ubi multa de ſola ſapientia, eaque numero ſingulari prolata, dici omnino videntur, nec nos hactenus negavimus, ſi Hebraicam veritatem ſpectes, poſſe, &, ut quidem nos arbitramur, debere omnia iſta, à fine videlicet verſiculi 14. uſque ad finem capitis, ut de intelligentia dicta accipi, non autem de ſapientia. Quandoquidem ab ipſo capitis initio propoſuerat Salomon & ſapientiam, & intelligentiam, ac de utraque ſimul, tanquam perſona una, propter rationem modo allatam multipli citatis rei, non pauca dixerat uſque ad ℣. 12. Verſiculo autem 12. de ſola ſapientia, quam prius nominaverat, quædam dicere inſtituit uſque ad finem ferme ℣. 14. Qui verſiculus in Hebræo ſic ad verbum habet; *Mihi* [ſapientiæ] *conſilium, & eſſentia* (id eſt rei effectio) *Ego intelligentia, mihi fortitudo.* Prorſus enim exiſtimamus nos, non eſſe addendum, ut à quibuſdam factum eſt, verbum Sum verbis iſtis, *Ego intelligentia*, quaſi ſapientia dicat, ſe eſſe intelligentiam; qui loquendi modus & inſolens plane eſt, nec bene convenit cum eo, quod propoſitum fuerat ab initio; ubi, ut dictum fuit, de ſapientia, & de intelligentia ſimul nominatim verba fiunt; ſed legendum eſſe ſimpliciter, ut verba jacent, *Ego intelligentia*, quod videlicet de intelligentia, quam poſteriore loco nominaverat, ſeparatim loqui inſtituat. Quamvis enim ab initio ſit nomen Hebræum תְּבוּנָה, hic vero בִּינָה, tamen utrumque nomen ut ab uno eodemque verbo ductum eſt ſic plane idem ſignificat, & modo intelligentia, idque frequentius, modo prudentia verti poteſt. Nec quenquam moveat, quod hic non ſit initium verſiculi, ut ſecundum hunc ſenſum videtur eſſe debere. Nam ſæpe regula iſta fallit parum attentos. Et obſervatum eſt non ſolum à doctis, ſed ab aliis quoque, haud raro ſententiæ ab iis, quæ antecedunt, ſeparatæ principium in medio verſu eſſe. Itaque apparet, nihil ſaltem impedire, quominus non de ſapientia, ſed de intelligentia accipi iſta debeant, quæ ex Salomone adverſarius protulit. Videat igitur ipſe, quam debili, vel potius nullo fundamento in hac diſputatione ipſius, & ſuorum ſententia innitatur.

Poſtremo, quod maxime demonſtrat, quidquid Salomon de ſapientia tanquam perſona loquitur, per proſopopœiam dictum eſſe, illud eſt, quod ad finem cap. 9. per antitheſin mulierem quandam ſtultam inducit; id eſt fatuitatem & ſtultitiam per proſopopœiam loquentem facit, & ſedentem ad oſtium domus ſuæ, atque clamantem, & vocantem eos, qui illac prætereunt; quemadmodum ſupra ſapientiam, & intelligentiam clamantes & vocantes induxerat. De quibus etiam tanquam de mulieribus locutus fuerat; ut cap. 7. 4. *Dic ſapientiæ ſoror mea tu es, & cognatam intelligentiam vocabis.* & cap. 9. de ſapientia numero plurali nominata *Miſit puellas ſuas, &c.*

Ex quibus præter alia multa, quæ omiſimus, quis non intelligit, Salomonem de ſapientia tanquam de perſona aliqua per proſopopœiam loqui, & nullo modo fieri poſſe, ut iſta ſapientia ſit ipſe Chriſtus, is ſane mentis oculos ad veritatis clariſſimam lucem occluſos tenet. Salomonem autem imitati ſunt auctor libri ſapientiæ, qui vulgo, ut liber ipſe alicubi præ ſe fert, ipſius Salomonis eſſe dicitur, & Jeſus Sirachides libri Eccleſiaſtici ſcriptor, ille cap. 7. & 8; hic vero cap. 24. cum ſeq. & aliqua ex parte cap. 1. ac ſapientiæ laudes, ea tanquam perſona inducta, explicuerunt. Diximus autem alibi ſupra, in Eccleſiaſtici cap. 24. ſapientiam à Deo creatam fuiſſe, non ſemel dici. Sed ſimiliter bis cap. 1. dicitur, eam fuiſſe creatam. Primum quidem ℣. 4. dicitur, eam omnium primam creatam fuiſſe. Deinde vero ℣. 8. Dominum ipſum illam creaſſe. Ex quibus locis adverſarius, qui una cum ſuis librum illum, tanquam canonicum, recipit, cogitur fateri, vel Dei filium rem creatam eſſe, vel ibi non eſſe ſermonem de Dei filio; nec porro quidquam ejuſmodi teſtimonia, ſive apud ipſum Salomonem, quem, ut dictum eſt, Sirachides imitatus fuit, ſive apud quemvis alium, ad filii Dei æternitatem probandam pertinere poſſe. Arrianis ſunt iſta teſtimonia relinquenda, qui Dei filium primum omnium creatum fuiſſe aſſeverant. Et ſane ad ipſos potius, quam adverſarios hoſce noſtros refellendos conati ſumus oſtendere, omnino apud Salomonem, & conſequenter apud alios iſtos ſcriptores, quos quamvis non canonicos & ab ipſo Hieronymo è canone expunctos, plurimi tamen facimus, proſopopœiam omnino eſſe, cum de ſapientia, tanquam de perſona, loquuntur. Quanquam ad utroſque refellendos ſatis eſt, quod, ut jam diu diximus, Chriſtus non ſapientia ſimpliciter, ſed Dei ſapientia appellatur; & præterea, quod in utrorumque ratiocinatione eſt æquivocationis fallacia; cum Chriſtus aliam ob cauſam Dei ſapientia appellari potuerit, & porro appellatus fuerit, quam quia ſit ſapientia illa Dei, de qua ſive creata ſive increata, ſcriptores iſtos loqui ipſi autumant. Quod ita ſe habere mox planius à nobis fiet.

6. Nam quod ait adverſarius, ex Apoſtolo liquere, propriam cauſam, cur Chriſtus Dei ſapientia appellatus fuerit, hanc eſſe, quod in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi Coloſſ. 2, non animadvertit, ſe in conſequentis fallaciam vel potius ſimplicis accidentis incidere. Quamvis enim ſi ex eo, quod in Chriſto ſint omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, nomen imponendum Chriſto fuiſſet, ſapientia appellatus eſſet, vel potius appellari potuiſſet, non tamen idcirco ſequitur, ſi ſapientia fuit appellatus, eum propterea fuiſſe appellatum, quia in eo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſint abſconditi. Potuit enim ob aliam quandam cauſam ſic appellari; quemadmodum à nobis exemplo Euangelii in re ſimili allato probatum fuit. Atque hoc ſatis eſt ad argumentum diſſolvendum, quod vel ante in aſſertione ipſa, vel poſtea in apologia ex ſapientiæ Dei nomine Chriſto attributo fuit ductum. Tametſi non potuiſſe tantum ob illam aliam cauſam ſic appellari, id quod ne adverſarius quidem negare eſt auſus, ſed appellatum etiam fuiſſe diximus. Quod profecto ſic ſe habere, fatebuntur omnes, qui ſine præjudiciis diligenter totum locum 1 Cor. 1. inſpexerint, idque potiſſimum conſideraverint, quod Chriſtus ibidem ſimul Dei virtus ſeu potentia appellatur. Nam quis negare audebit, idcirco Dei potentiam Chriſtum ibi à Paulo nominari, quod Deus in Chriſto, & per Chriſtum potiſſimum ſuam potentiam prodat? Illud certum eſt, ex adjuncto virtutis ſeu potentiæ Dei nomine conſtare ſapientiæ Dei nomen, quo Chriſtus eſt appellatus, nullam divinam perſonam ſignificare, niſi velimus, Chriſtum duplicem perſonam divinam eſſe. Apparet enim cum Dei nomen repetatur, & ſcriptum ſit, non quidem Dei virtutem & ſapientiam, ſed *Dei virtutem, & Dei ſapientiam*, omnino diſtingui ſapientiam à virtute. De utraque vero idem ſtatuendum eſſe, &, ſi una ad divinam aliquam perſonam referatur, alteram quoque referri oportere, quilibet ſanæ mentis dixerit.

At enim ait adverſarius, certum eſt tamen, à Paulo dictum fuiſſe, in Chriſto abſconditos eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ. De nulla autem creatura

hoc

hoc dici poteſt; Ergo Chriſtus non eſt res aliqua creata. Atqui hoc eſt novum quoddam argumentum, non ex nomine quidem ductum Sapientiæ Dei, quo appellatus eſt Chriſtus, ſed ex re ipſa, quam revera nomini iſti ſubeſſe probandum fuerat. Nam hæc eſt, ut vidimus ſupra, mirabilis quædam dialectica noſtri Adverſarii. Certe ſi bonum eſt iſtud ipſius argumentum, ſive Chriſtus ſit ea ſapientia, de qua loquitur Salomon, ſive non ſit, neceſſe eſt, ut ſit ejuſmodi, qualem eum ipſe eſſe contendit. Quare, omiſſa Sapientiæ Dei appellatione, videndum eſt, an propter iſta alia Chriſto tributa ſequatur, illum non eſſe rem creatam. Diximus autem, hoc nullo pacto ſequi. Eſt enim in argumentatione iſta æquivocationis fallacia inſignis, & præterea à ſecundum quid ad ſimpliciter. Æquivocum eſt ſapientiæ & ſcientiæ nomen. Nam & id quod ſapere ac ſcire aut poſſumus, aut debemus, & ipſum ſapere, ipſumque ſcire ſignificat. Jam ſi in poſteriorem ſenſum accipiatur, poteſt fortaſſe videri, nulli creatæ rei convenire poſſe, ut in ea omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ ſint reconditi. Sin autem in priorem, nihil appareret, cur convenire optime non poſſit. Quid enim vetat, quominus in aliqua re creata repoſita fuerint à Deo omnia, quæ ſapere & ſcire aut poſſumus aut debemus? Verum in priorem ſenſum dictum iſtud Pauli accipi debere, docet aperte locus ipſe, in quo agitur non de ipſo habitu, vel actu ſapiendi & ſciendi, ſed de rebus, quas ſapere & ſcire oporteat, ut ex iis poteſt intelligi, quæ diſputavimus cap ſuperiore partic. 5. Quin ſimul etiam ex ipſo loco Col. 2. 3. intelligitur, non ſimpliciter de omni iſta ſapientia & ſcientia ſermonem eſſe, ſed de ea tantum omni, quæ ad Deum rite colendum pertinet. Nam de certa quadam loqui Paulum, vel ipſe articulus indicat utrique nomini præpoſitus. Unde appareret argumenti fallacia, quam diximus, à ſecundum quid ad ſimpliciter. Idque adeo verum eſt, de iſta tantum videlicet omni ſapientia & ſcientia ibi verba fieri, ut quia hanc in Dei & Chriſti myſterio contineri, recte dicere potuit Paulus, videatur potius dicendum, illum verba iſta de myſterio ipſo, quam de Chriſto dixiſſe. De myſterio enim loquebatur. Itaque, & ſi Chriſtus proxime nominatus fuit, non videtur tamen dubitandum, quin ad ipſum myſterium verba iſta referri debeant; niſi poſt copulam Et, quæ ſtatim poſt vocem Patris ſequitur, repetendum ſit ex antecedentibus, In agnitionem, & ſic de ipſo Chriſto poſtremo ſit ſermo. Quod tamen multo minus veriſimile eſt, quam, ut de myſterio non Dei & Patris tantum, ſed Chriſti quoque agatur.

Hæc autem loci interpretatio, ut ad ipſum myſterium verba illa referantur, ab aliis etiam ante nos animadverſa, ſi recipiatur, apparet, omnino falſam eſſe argumentationis Adverſarii propoſitionem illam; Nulla res creata omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ continet, ſi modo ad locum Pauli ea referatur, ut quidem hic fieri neceſſe eſt; cum iſti theſauri in myſterio Dei & Chriſti contineantur, quod ſine dubio res creata eſt. Quamquam non videmus nos, cur, quacumque ratione, & in quemcumque tandem ſenſum ea accipiatur, vera eſſe queat; cum nihil impediat, quominus Deus rem aliquam creatam omni ſapientia, omnique ſcientia, quocumque modo accepta, penitus replere poſſit. Quamobrem alteram argumenti propoſitionem, videlicet, in Chriſto reconditos eſſe omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ, quamvis fortaſſe ea ex Pauli citatis verbis non probetur, quemadmodum Adverſarius, eorum amphiboliam non animadvertens, prorſus aſſeruit, illi ultro ac libentiſſime damus ut veriſſimam, & ex aliis locis compluribus manifeſtam; ſi modo in eum ſenſum ea accipiatur, quem ſupra diximus, & noſtræ de Chriſto, quod res creata ſit, ſententiæ minime adverſari docuimus; etiamſi nulla diſtinctio propoſitioni iſti adhibeatur, &, quatenus vis ipſa verborum fert, eam quam latiſſime quis interpretetur.

7. Si quis eſt, qui quid hic ſibi Adverſarius velit, recte intelligat, aut eum non ineptiſſime ratiocinatum fuiſſe, oſtendere queat, nos iſtum rogamus, ut id nobis exponere ne gravetur. Nam quid attinebat dicere nos in Sacris Literis legere, Chriſtum eſſe Dei filium unigenitum, eundemque eſſe Dei ſapientiam, & tamen negare, unigenitum Dei filium eſſe Dei ſapientiam, cum nec nos negemus, unigenitum Dei filim eſſe Dei ſapientiam, nec ſub hoc nomine Unigeniti filii Dei, ſed ſub ipſo Chriſti nomine de hac Sapientiæ Dei appellatione illi tributa in noſtra Animadverſione perpetuo diſputaverimus? Quod ſi Adverſarius oſtendere cupiens, quam graviter erraremus, negantes ſcilicet, ut quidem ipſe exiſtimabat, Chriſtum eſſe Dei ſapientiam, ex hoc colligere voluit, nos negare, unigenitum Dei filium eſſe Dei ſapientiam, quia videlicet Chriſtus dicatur, & ſit unigenitus Dei filius, cur hoc tantum non dixit, eo omiſſo, quod Chriſtus dicatur & ſit Dei ſapientia, quod non ad gravitatem erroris, ſed ad ipſum errorem oſtendendum pertinet? immo cur hoc poſterius Chriſtum videlicet dici & eſſe Dei ſapientiam, quod à nobis negari pro conceſſo ſumebat, nos legere in Sacris Literis, idque nulla ratione negare poſſe, dixit? Deinde quænam conſequentia eſt iſta, Nos, quia velimus, Dei ſapientiam, & Dei unigenitum non fuiſſe ante virginem Mariam, idcirco minime credere, unigenitum Dei filium eſſe Dei ſapientiam? Certe potius ad hoc credendum non poteſt niſi adjumento eſſe, velle, neque hanc, neque illum quodam tempore adhuc fuiſſe, & ſic in re quadam utrumque convenire.

Jam vero, quod ait, ſine Dei ſapientia nihil eſſe factum, veriſſimum eſſe confitemur. Sed cum ſubjungit, hanc Dei Sapientiam eſſe unigenitum Dei filium, hoc plane negamus; & dicimus illum in manifeſto æquivoco verſari, & ſimul principium quodammodo petere. Nam certum eſt, Dei ſapientiam iſtam tunc ſaltem extitiſſe, cum ab initio res crearentur, quare, ſi velit, unigenitum Dei filium eſſe iſtam Dei ſapientiam, oportet, ut etiam velit, unigenitum Dei filium jam tum extitiſſe. Quod illud eſt, quod nos maxime negamus. Immo aſſerimus, cum unigenitus Dei filius nullus alius ſit, aut fuerit umquam præter Jeſum Nazarenum, qui dicitur Chriſtus, Jeſus autem Nazarenus non fuerit, cum ab initio res crearentur, nullo modo poſſe fieri, ut unigenitus Dei filius ſit ſapientia illa Dei, ſine qua nihil ab ipſo creationis initio factum fuit. Quamvis igitur negemus, Dei filium unigenitum ante virginem Mariam extitiſſe, non tamen idem de Dei ſapientia ſimpliciter negamus, quemadmodum Adverſarius per ſummam calumniam nobis aſcripſit. Atque hic omittimus aliam horribilem & ridiculam ſimul calumniam ejuſdem Adverſarii, quam cum ſuperiore conjungit, affirmans, nos Diaboli horrendam impietatem ſectari, qui homicida fuit ab initio, & libenter velle, aliquando non fuiſſe eum, per quem nos ſumus, & ſine quo eſſe non poſſumus. Nemo enim erit, qui hæc legens ejus judicium non deſideret, ſimulque maximam in nos iniquitatem non vehementer miretur.

Jam quod poſtremo objicit, de unigenito Dei filio ſcriptum eſſe, quod omnia per ipſum ſint facta, & ſine ipſo factum ſit nihil, quod factum ſit, ſatis explicatum & dilutum fuit ſupra cap. 4. parte 2. partic. 5. Adde, quod æquivocatio eſt in dictione Sine. Alio enim ſenſu dicitur, ſine Dei ſapientia nihil eſſe factum, & alio dicit Johannes, ſine Verbo, quod Dei filius unigenitus eſt Jeſus Chriſtus, nihil eſſe factum, quod factum ſit. Illud ſignificat, omnia ſapientia adhibita id eſt ſapienter à Deo eſſe facta. Hoc vero ſignificat, nihil eorum quæ ad Euangelii negotium pertinent, à Deo factum eſſe, quin per Chriſtum tanquam inſtrumentalem & ſecundam cauſſam factum fuerit.

Caput VIII.

IN eadem ſecunda aſſertione ſcriptum eſt Rom. 8. 32: Paulum ex eo, quod Chriſtum proprium Dei filium

vocat

vocat, ſatis oſtendere, illum ex ſubſtantia Patris genitum fuiſſe ab æterno. Contra hoc Animadverſione ibidem ſecunda diximus, neceſſe eſſe, ut ob alias cauſſas Paulus appellaverit Chriſtum proprium Dei filium, quam ob hanc, quod ex ſubſtantia Patris ab æterno genitus fuerit. Nam in Epiſt. ad Hebr. hæc propria Chriſti divina filiatio ex eo loco maxime probatur Heb. 1. 5, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; qui locus à Paulo Act. 13. ad ipſius Chriſti reſurrectionem refertur, & in eadem Epiſt. ad Hebr. ad id, quod Deus Chriſtum ad ſacerdotium vocaverit, accommodatur, quæ nihil habent commune cum eo, quod Chriſtus ex Patris ſubſtantia ab æterno ſit genitus. Sed ut in Aſſertionem 11. numero 3. animadvertimus, docent, ideo potiſſimum proprium Dei filium Chriſtum dici, quod immortalis factus Rex declaratus fuerit; Deique ſacerdos in perpetuum conſtitutus. In Aſſertionem vero 12. Animadver. 5. diximus, quidquid in Nicæno ſymbolo, quod Adverſarii amplectuntur, hac de re dicatur, ex Euangeliſtarum & Apoſtolorum dictis conſtare, Chriſtum per ſanctificationem Dei & ſpiritus, perque reſurrectionem à mortuis Dei filium extitiſſe. Contra quæ à fine pag. 48, uſque ad initium pag. 55. hæc ſcribit Adverſarius.

Adverſarii dicta.

1. Antequam locorum, quos attulimus interpretationes noſtras indeque ductas rationes refellere aggrediatur, ait ex ipſo illo loco in Epiſt. ad Hebr. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, apparere, Angelos, licet Dei filios, cum unigenito Dei filio collatos, creaturas & ſervos tantum cenſeri. Id quod oſtendit, inquit, unigenitum Dei filium eſſe illorum creatorem.

2. Et quia huc ſolis, & ignis comparationem accommodaverat, quod ſcilicet ignis licet habeat lumen ſuum, tamen, ſi inferatur, ubi ſit ſol, mox ejus lumen evaneſcat, idcirco poſtmodum ſubjungit, quod, quemadmodum comparatio ignis ab ſolem demonſtrat naturam, ſeu vim illam, quæ eſt in creaturis, fuiſſe in producendo igne ſolem quodammodo imitatam, ſic Angelorum comparatio ad Chriſtum clariſſime confitetur & prædicat, Deum Patrem in illis ſibi pro filiis adoptandis eam ſapientiam imitatum fuiſſe, qua ante omnes filios adoptivos ſui unigeniti eſt pater, & ſine qua nunquam eſt. Atque hic colligit, eos, qui negant, Deum ſui unigeniti filii ab æterno fuiſſe patrem, illam ejus naturam negare, quam in Angelis & hominibus adoptandis eſt imitatus.

3. *Quiſquis autem* (inquit) *illam ineffabilem & immenſam vim contemplatur, qua Pater ſua natura ante omnes filios adoptivos eſt Pater, & quam in eis adamandis eſt imitatus, meminerit iſtius Prov. 25, Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria. Itaque* (ſubjungit) *tantum myſterium fide & ſilentio potius eſt venerandum, quam ullis rationibus diſcutiendum.*

4. Ut autem magis refutationem, quam parabat, dictorum noſtrorum præmuniret, reprehendit nos, idque per calumniam à nobis factum fuiſſe ait, quod Euangeliſtarum, & Apoſtolorum dicta ſymbolo Nicæno oppoſuerimus. Quaſi Patres illi ex toto orbe Chriſtiano collecti, & Apoſtolorum temporibus viciniores, quorum multi pro Chriſti fide gravia paulo ante fuerant paſſi, & quos Euſebius Pamphili præcipuos ac laudatiſſimos Dei ſervos eſſe dixit, Dei filii & Euangeliſtarum dicta in ſymbolo illo componendo non fuerint ſecuti.

5. Mox ait, nos minime, ut profitemur, Euangeliſtarum dicta ſequutos eſſe; qui dicamus; Chriſtum per reſurrectionem eſſe factum filium Dei, cum illi inter cætera teſtentur, ipſum Chriſtum ante paſſionem & reſurrectionem, affirmaſſe ſe eſſe Dei filium. *Secundum ergo* (inquit) *opinionem Samoſatenicorum, Chriſtus ſe filium Dei, antequam eſſet, fecit.*

6. Tandem ad interpretationes noſtras confutandas accedens, ait, nos ſequentis ſcripturæ profundiorem ſenſum non apprehendentes, perverſe in Pauli verbis Act. 13. interpretari, *reſuſcitans Jeſum* pro generans Jeſum; quaſi, quoties adimpletæ promiſſiones ſcribuntur, toties Chriſtus fuerit generatus. Profundiorem autem ſenſum ſequentis ſcripturæ, *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, vult eſſe, quod, cum Chriſtus paſſionis tempore non putaretur eſſe filius Dei, nec in eo adimpletas eſſe promiſſiones, Deus, eum reſuſcitando declaraverit, eum eſſe filium ſuum; filium videlicet illius, qui dixit ad eum, *Filius meus es tu; ego hodie genui te. Nam quoties* (inquit) *promiſſiones & voces Prophetarum ſunt adimpletæ, toties Jeſus eſt declaratus Filius Dei, non vero generatus.*

7. *Præſertim* (ſubjungit illico) *in reſurrectione, quam ipſe Chriſtus vocat ſignum Jonæ Prophetæ. Quemadmodum enim Jonam Deus, per id quod fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, declaravit miſſum ad prædicandum Niniviſis pœnitentiam: ita Chriſtum, per id, quod filius hominis fuit in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus, itidem declaravit miſſum, ut prædicaretur in nomine ejus pœnitentia & remiſſio peccatorum.*

8. Hinc colligit, Chriſtum eſſe verum cum Parre & Spiritu Sancto Deum, cum videlicet in ejus nomine fiat remiſſio peccatorum, qui non ſine Patre & Spiritu Sancto ſit.

9. Verumtamen haud obſcure ait, poſſe alicui ex iis, qui humana tantum ſapiunt, videri prima fronte ſcripturam iſtam, *Filius meus es tu*, &c. non ſuo loco à Paulo inſertam. Atqui ſic ſolere Apoſtolos interdum facere, ut infirmorum auditorum animi ad majora capienda præparentur. Itaque Paulus factus, ut ipſe de ſe ait, infirmus infirmis, *ante ſcripturam* (inquit) *qua Chriſti reſurrectio comprobatur, inſeruit eam de Filio Dei, ut auditores, poſtquam viderent fieri, in ſcripturis, mentionem Filii Dei, cogitare inciperent, non incredibile hunc eſſe Filium Dei, cujus reſurrectio annunciatur, eundemque jam verum Meſſiam adveniſſe.*

10. Poſtremo, quod attinet ad locum ad Hebr. 5. *maluit* (inquit) *Apoſtolus uti iſta Periphraſi magis exornandæ & amplificandæ rei gratia: quam ita ſimpliciter dicere, Pater eum clarificavit.*

Reſponſiones.

1. Quidquid hic dicit Adverſarius, quod ejus ſententiæ, ſi verum eſſet, favere poſſit, in eo principium ab ipſo peti dici poteſt. Cæterum noſtram ratiocinationem confirmat, & ſuorum argumentationem labefactat. Quatenus enim vult, in primo cap. Epiſt. ad Hebr. in Chriſto conſiderari divinam quandam filiationem, quæ Angelorum divinam filiationem obſcuret, id plane confirmat, quod nos diximus, iſtic de propria Chriſti ex Deo filiatione agi. Ut, quia ibidem ad probandam hanc filiationem locus ille ex Pſalmo potiſſimum allatus fuerat, *Filius meus es tu* &c. locus autem iſte alibi ab Apoſtolis, Chriſti reſurrectioni, & divinæ ejuſdem ad perpetuum ſacerdotium vocationi accommodatur, hinc appareret, propriam Chriſti ex Deo filiationem, rebus contineri longe diverſis à conſubſtantialitate iſta cum Patre, quam ex ipſa hac filiatione argumentantur Adverſarii. Quatenus vero ait, quia Angelorum ex Deo filiatio ab unigeniti filiatione obſcuratur, apparere, eos ut creaturas conſiderari, & conſequenter, unigenitum, ut illorum creatorem, principium petere videtur. Prorſus enim negamus nos, neque id ulla ratione apparet, ex eo quod Chriſti filiatio Angelorum filiationem, ſi invicem conferantur, obſcuret, ſequi in hac collatione rationem haberi, quòd Angeli ſint creaturæ. Satis enim eſt ad inſignem inter has duas filiationes differentiam conſtituendam alterius rei, cujus ipſe Adverſarius meminit, haberi rationem. Nempe, quod Angeli ſint ſervi; Chriſtus autem, dominus, & quidem ipſorum Angelorum omnium; ac

præ-

præterea tanta poteſtate ac majeſtate præditus, ut, uno Deo excepto, univerſis atque omnibus, ſive in cœlo, ſive in terra longe præſtet, eaque ſibi ſubjecta habeat. Hæc autem non illi ſunt naturalia; ſed ea ex Dei largitate ac beneficio habet: Quemadmodum diſſeruimus cap. 4. parte 3. partic. 7. Et ſane non rerum naturalium, ſed ex Dei bonitate conceſſarum in comparatione iſta rationem haberi, demonſtrant prima ipſa verba comparationis Hebr. 1. 4, *Tanto melior*, id eſt præſtantior, *angelis effectus*, *quanto differentius*, id eſt excellentius, *præ illis nomen hæreditavit*. Quibus verbis ſtatim ſubjicitur, *Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Unde patet, filiationem iſtam Chriſti ex Deo, quæ, ſi cum Chriſto angeli conferantur, angelorum ex Deo filiationem, ut Adverſario placet, evaneſcere facit, hæreditatam, ut veteris interpretis verbo utamur, ab ipſo Chriſto fuiſſe; non autem illi fuiſſe naturalem, & multo minus una cum ipſo æternam, ut quidem fuiſſet, ſi ea ad id reſpiceret, ſeu propterea talis eſſet, quod angeli eſſent creaturæ, ipſe vero eorum creator. Certe Theodoretus in hunc ſcribens locum veritate clariſſima convictus & fatetur, & contendit, hic de æterna generatione non agi, quod & alii Trinitarii confitentur, & præcipue inter recentiores Joh. Oecolampadius.

2. Si Adverſarius ex ſimilitudine comparationis ignis ad ſolem id argumentari vult, quod de comparatione angelorum ad Chriſtum concludit; quia videlicet ſimilitudo iſta bene conveniat in eo, propter quod allata fuerat, id eſt, ut oſtenderetur, angelorum divinam filiationem in Chriſti filiationis conſpectu evaneſcere; eo omiſſo, quod in aſſumptione ſua falſa dicit, & pluribus modis in univerſa argumentatione principium petit, quemadmodum quilibet non imperitus facile animadvertet, quodque probandum ſaltem illi fuiſſet, eandem rationem eſſe naturæ ſeu vis illius, quæ eſt in creaturis, ad ignem & ſolem, & illius, quæ eſt Dei Patris, ad angelos, & Chriſtum; his omnibus, ut dictum eſt, omiſſis, dicimus, illum in manifeſtam accidentis fallaciam incidere, & velle contra id, quod eſt in proverbio, ſimilitudinem currere quatuor pedibus. Nam, quod comparatio ignis ad ſolem demonſtret, naturam in producendo igne ſolem quodammodo imitatam fuiſſe, hoc licet, ut diximus, falſum ſit, tamen quantumvis verum, quod ad propoſitum attinet, id eſt ad illud, propter quod ſimilitudo iſta allata fuerat, plane ex accidente eſt.

Adde, quod in iſta concluſione turpiſſimus eſt error conſequentiæ. Cum enim concludendum fuiſſet, comparationem angelorum ad Chriſtum, oſtendere Deum in angelis adoptandis Chriſtum imitatum fuiſſe ſive unigenitum filium ſuum, ſive ſapientiam ſuam, quæ unigenitus ipſius filius eſt, concluditur ineptiſſime, eum imitatum fuiſſe ſapientiam ſuam; qua ſui unigeniti eſt pater. Ex quo interim conſequitur, Dei ſapientiam non eſſe ipſum unigenitum Dei filium, contra id, quod tantopere ſupra contendit Adverſarius. Sed condonemus illi hunc graviſſimum errorem, & ſuorum dictorum repugnantiam, & fingamus, illum id concluſiſſe, quod concludere debuerat; ac prærerea dicamus, ut quidem veriſimile eſt, eum non argumentari, ſed docere tantum voluiſſe, iſtaque comparationis ignis ad ſolem ſimilitudine non ad quidquam probandum, ſed tantummodo ad rem ipſam explicandam uſum fuiſſe, atque ita illum à petitionis principii, & accidentis fallacia (nam cæteri errores aliqua ratione nihilominus manent) vindicemus; An non in eo graviter accuſandus erit, quod affirmet, comparationem angelorum ad Chriſtum clariſſime confiteri & prædicare, Deum Patrem in angelis adoptandis ſuam propriam ſapientiam, ſine qua nunquam fuit, quæque unigenitus (ut ipſi placet) ejus eſt filius (ſic enim, ut diximus, concludendum illi fuerat) imitatum fuiſſe? Primum enim quid vetat, quominus angeli, ut Dei filii, cum Chriſto, ut multo præſtantiore, conferantur, & tamen angeli adoptati à Deo fuerint, priuſquam Chriſtus exiſteret ſive unigenitus Dei filius; & ſic nullo modo in illis adoptandis Deus ſuum unigenitum filium imitatus fuiſſe dici poſſit? Nunquid neceſſe eſt, ut id, quod eſt præſtantius, prius exiſtat, quam id, quod eſt minus præſtans? Quid magis falſum excogitari potuit, cum potius contrarium evenire ſoleat, ut ſcilicet imperfectioribus perfectiora ſuccedant eave conſequantur?

At enim (inquiet Adverſarius) iſtud verum eſt in rebus creatis. Sed Chriſtus, ſive unigenitus Dei filius non eſt res creata, ſed eſt ſapientia Dei increata. Verum quid eſt principium petere, ſi hoc non eſt? Tota hæc diſputatio ob id ſuſcepta fuit ab Adverſario, ut probaret, Chriſtum ſive unigenitum Dei filium eſſe ex ſubſtantia Patris, & ab æterno Dei filium fuiſſe. Quemadmodum præcipue illud oſtendit, quod poſtremo concludit contra eos, qui negant Deum ſui proprii filii ab æterno fuiſſe patrem. Hic vero iſtud idem, ratiocinando, pro conceſſo ſumit; idque præter id, quod imitatus in angelis adoptandis unigenitus Dei filius requirat. Nam ad imitationem iſtam ſatis eſt, unigenitum Dei filium ante angelos adoptatos extitiſſe. Itaque tandem apparet, concluſionem iſtam, univerſamque ipſam ratiocinationem plane abſurdam atque ineptam eſſe.

3. Jampridem adeoque ab ipſo initio monuerunt noſtri homines, hanc eſſe rationem, qua potiſſimum Satanas utatur ad ſua inventa in religionis negotio ſtabilienda: Si videlicet dicat, myſteria eſſe, quæ non inquiri, ſed adorari debeant. Hac ſi quidem arte diu inter cætera confirmavit, atque etiamnum in complurium animis confirmat tranſubſtantiationis (quam vocant) in cœna Domini monſtroſiſſimum juxta ac perniciosiſſimum commentum. Iidem noſtri homines ſimiliter eodem tempore monuerunt, ſententiam iſtam ſapientis Prov. 25. 27, *Qui ſcrutator eſt majeſtatis opprimetur à gloria* (quanquam in Hebræo aliter eſt) in iſtos maxime convenire, qui Dei eſſentiam perſcrutari voluerunt, ac de ipſa ea affirmarunt, quæ ſi vera eſſent, ne angeli quidem ipſi plura fortaſſe de ea ſcire poſſent; & iis, quæ in divinis oraculis clariſſime patefacta ſunt, non contenti, auſi ſunt per mirabiles quaſdam conſecutiones multa quæ interim ipſimet nec percipiunt nec percipere poſſunt, de Deo & loqui, & docere. Unde factum eſt, ut juſto ipſius Dei judicio eo devenerint, ut hac in re ipſo ſenſu communi deſtituti fuerint, eaque certiſſima eſſe, & dixerint, & crediderint, quæ tamen nullo prorſus pacto vera eſſe poſſe, apertiſſime ac clariſſime conſtat.

4. Quicumque, & quotcumque tandem fuerint iſti patres dicimus iis, quæ ab illis conſtituta fuerunt, ea anteponenda eſſe, quæ ab Apoſtolis & Euangeliſtis fuerunt ſcripta; ex hiſque, non autem ex illis, veritatem de filio Dei petendam eſſe. At enim ſunt patres iſti dicta ſecuti Euangeliſtarum, & Apoſtolorum. Hoc videant illi, qui ipſos, ut interpretes fidiſſimos ad eadem dicta intelligenda adhibent. Nobis ea dicta per ſe ſatis clara & aperta ſunt; &, quatenus eſt neceſſarium, ut ea intelligamus, eatenus nullo nos homine interprete indigere, perſuaſiſſimum habemus. Patres iſtos nihilominus non contemnimus. Sed non propterea illorum ſententiam in ſymbolo illo expoſitam amplectimur, ipſumque Euſebium Pamphili, quem ipſorum ſanctitatis teſtem citat Adverſarius, hac in re imitamur. Is enim Euſebius & ab initio ſymbolo iſti ſubſcribere noluit; & poſtea ideo ſubſcripſit, quia putavit verba, quæ ſuæ ſententiæ adverſari videbantur, ita accipi poſſe, ut non adverſarentur. Quemadmodum ipſius Epiſtola, quam Symmyſtis ſuis ſcripſit, teſtatur; quam in ſua hiſtoria deſcripſit Theodoritus lib. 1. cap. 12. Ex cujus potiſſimum fine apparet, ipſum ſententiam, quam antea habuerat, retinuiſſe. Atqui antea Arrianis eum adhæſiſſe, docent Athanaſii verba, cum alibi, tum in Epiſtola ad epiſcopos Africanos, quam idem Theodoritus ſuæ hiſtoriæ intexuit lib. 1. cap. 8. quæque inter ipſius

Atha-

Athanaſii opera extat. Quinetiam idem Theodoritus, quamvis eodem lib. cap. 11. ad finem Arrianos reprehendat tanquam Euſebii ſcriptis contradicentes, eum tamen ex ipſorum numero ibidem facit, & alibi, hoc eſt cap. 20. poſt Nicænam Synodum eum inter quoſdam numerat, qui Arriana labe infecti eſſent; ejuſque judicium Athanaſium ſubire noluiſſe indicat cap. 27. Id quod Sozomenus aperte tradit lib. 2. cap. 24.

Quid plura? Hieronymus in ſingulis tribus libris adverſus Ruffinum ipſum Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum Arrianum diſertiſſimis verbis nominat, & in Epiſtola ad Creſiphontem adverſus Pelagianos de eo ſic ſcribit, *quem fuiſſe Arrianum nemo eſt, qui neſciat.* Et ſane quidquid Socrates lib. 2. cap. 17. conetur Euſebium ex ipſiuſmet ſcriptis Arrianum non fuiſſe oſtendere, tamen non tantum ex iis, quæ modo attulimus, ſed ex aliis quoque, præcipue vero ex multis, quæ in illius extant ſcriptis, ſatis apparet, illum non longe ab Arrianorum ſententia abfuiſſe. Nam quod, creaturam Dei filium in iis, quæ Socrates citat, nec eſſe, nec dici vult, ſciendum eſt, multos Arrianos idem olim ſenſiſſe & hodie ſentire. Arrianos enim vocamus, quicumque Dei filium ante ſæcula extitiſſe volunt, & tamen non concedunt, eum ex ipſa Patris ſubſtantia eſſe; licet, ut Euſebius faciebat, quidam inter ipſos ὁμοούσιον, id eſt conſubſtantialem ſive coëſſentialem Patri illum dicere non dubitent, quod videlicet ex ſubſtantia ſit ſubſtantiæ patris ſimili, & ab aliarum rerum ſubſtantia longe diverſa. Tametſi ad hoc ipſum melius & cautius exprimendum, plerique alii nullo modo τὸ ὁμοούσιον, ſed ὁμοιούσιον voce uti vellent. Sed hæc hactenus.

5. Non pugnant hæc inter ſe, Jeſus Chriſtus extitit (hoc ſiquidem verbo nos uſi ſumus) filius Dei per reſurrectionem, &, Jeſus Chriſtus erat filius Dei ante paſſionem & reſurrectionem, & qui ex hoc illud falſitatis arguit, ut Adverſarius facit, ipſum Spiritum Sanctum imprudens mendacii arguit, qui utrumque dicit. De poſteriore nullum eſt dubium; de priore vero mox videbimus. Sed hujus perverſæ ratiocinationis, quod ſecundum opinionem noſtram, quia ſcilicet dicimus, Chriſtum per reſurrectionem Dei filium extitiſſe, Chriſtus ſe Dei filium fecerit, antequam eſſet, illico, ut Deo viſum eſt, aliquid pœnarum dedit Adverſarius. Nam calumniam in nos ſuam exaggerare ſtudens, ſtatim addit hæc verba, quæ leguntur pag. 52. *nonne iſti Judæis vociferantibus, crucifige, crucifige, quia Filium Dei ſe fecit, non applaudunt?* ſuo enim ipſius teſtimonio invitus atque adeo contra id ipſum, quod conabatur, confirmavit nos minime applaudere Judæis. Nam quid aliud eſt Nonne non applaudunt, quam Minime applaudunt?

6. Sed jam demonſtremus, quanta ipſum Spiritum Sanctum injuria Adverſarius imprudens affecerit. Nihil eſt apertius verbis Pauli Apoſtoli, quibus Act. 13. locum illum Pſal. 2. *filius meus es tu, ego hodie genui te,* ad Chriſti reſurrectionem accommodat, ita ut velit, illis verbis ipſam reſurrectionem ſignificari. Quid enim eſt dicere, quod Deus impleverit ſuam promiſſionem *reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, filius meus es tu, ego hodie genui te,* niſi aperte teſtari, in illis Pſalmi verbis fuiſſe prædictum & præſignificatum, Jeſum à Deo reſuſcitandum fore, & porro verba illa, *ego hodie genui te,* eo ipſo die, quo Jeſus à Deo ex mortuis ſuſcitatus eſt, impleta fuiſſe, & conſequenter, Jeſum per reſurrectionem filium Dei extitiſſe? Quod profecto mirum videri non debet. Cum enim Deus natura hoc habeat, ut non modo ipſe immortalis ſit, ſed aliis quoque immortalitatem largiri poſſit, ac præterea dominus ſit univerſorum, is vere prorſus, & maxime proprie Dei filius cenſendus eſt, qui iſta omnia habeat; ob eamque rem tunc à Deo generari dicendus, cum hæc ipſa à Deo adipiſcitur. Atqui hæc omnia à Deo tunc, cum ab ipſo à mortuis eſt excitatus, adeptus eſt Jeſus. Nam & nunquam amplius moriturus reſurrexit Act. 13. 34. Rom. 6. 9; & reſurgendo id eſt conſecutus, ut omnia ſub pedibus ſubjecta habeat, id eſt ſibi poſſit ſubjicere omnia, & conſequenter mortem in ſuis membris abolere ſuoſque immortales efficere, 1 Cor. 15. 26, & 27. Epheſ. 1. 20, & 22. Philip. 3. 21. Hebr. 2. 8, & 9. Apoc. 1. 18. Et ſimul per reſurrectionem id eſt adeptus, ut non hominum tantum, ſed angelorum quoque omnium, ſive bonorum ſive malorum, ſit dominus; nec quidquam aut in cœlo, aut in terra, aut ſub terra ſit, quod illius voluntati non magis, quam ipſius Dei voluntati, reſiſtere queat, Matth. 28. 18. Act. 2. 32, &c. Rom. 14. 9. Eph. 1. 20, &c. Philip. 2. 8, &c. Col. 1. 18, & & cap. 2. 10. Hebr. 1. 3, &c. 1 Pet. 3. 21, & 22. Apoc. 5. 12, & 13. præter alia non pauca divinarum litterarum teſtimonia, quæ hæc omnia ſic ſe habere, ut diximus, ſatis docere poſſunt.

Extitit igitur Jeſus Chriſtus per reſurrectionem Dei filius, idque Spiritus Sanctus clariſſime teſtatur. Qui, ſi nihil aliud teſtaretur, quam ipſum per reſurrectionem dominum & Chriſtum à Deo factum fuiſſe Act. 2. 36, ut jam oſtenſum à nobis fuit in Animadverſionibus in Aſſert. 23. & ubi ad eum locum ventum fuerit, iterum Adverſarii cavillationibus reſolutis, Deo dante oſtendetur; hoc ſatis ſuperque eſſet, ut nos doceret, Jeſum Chriſtum per reſurrectionem extitiſſe ſive etiam factum fuiſſe Dei filium. Nam, ut Animadver. 3. in Aſſert 24. diximus, qui Chriſtus, ſeu Rex Dei populi eſt, filius Dei appellatur in Sacris Literis. Adhæc, cum ipſe Jeſus Chriſtus, id eſt homo ille, poſtquam mortuus fuit, antequam reſurgeret, nequaquam exiſteret, per reſurrectionem vero extiterit, & quidem talis, qualem ſupra diximus, quid convenientius dici poteſt, quam illum per reſurrectionem filium Dei extitiſſe, & tunc maxime à Deo, qui ipſum reſuſcitavit, fuiſſe generatum Col. 1. 18? An non primogenitus mortuorum ſive ex mortuis dictus eſt in Sacris Literis Apoc. 1. 15? Nonne Chriſtus ipſe Matth. 19. 28. regenerationem vocat id, quod Luc. 14. 14. juſtorum reſurrectionem appellat? Verum, quod Chriſtus Jeſus per reſurrectionem à mortuis Dei filius extiterit, teſtatur præterea idem Spiritus Sanctus per Paulum Apoſtolum etiam alio in loco; id eſt in Epiſt. ad Rom. cap. 1. 4. ubi de Chriſto Jeſu ſecundum Græcam veritatem hæc ad verbum leguntur; *Qui definitus ſeu conſtitutus eſt filius Dei in potentia ſecundum Spiritum Sanctificationis ex reſurrectione mortuorum.* Vox enim, quam nos vertimus *definitus* ſeu *conſtitutus* in Græco eſt ὁρισθέντος. Certum eſt autem verbum ὁρίζω, unde illa ducta eſt, Definire, ſeu conſtituere, vel ſtatuere ſignificare. Atque ipſe vetus interpres verbi iſtius voces uno ex tribus dictis modis reddidit in his locis Luc. 22. 22. Act. 2. 23, & cap. 10. 42, & cap. 17. 26, & 31. ex quibus petenda eſt vera ſignificatio verbi iſtius in loco noſtro. Hoc dicimus, quia Eraſmus in ſuis in hunc locum annotationibus aſſerit, verbum ὁρίζω ſignificare etiam Certo pronunciare ac promulgare, quod decreveris (quæ tamen ſignificatio rem non quidem factam, ſed decretam tantummodo antea fuiſſe, oſtendere videtur) idque hoc loco uſu venire vult. Quod ita intelligat, ut velit, dictum à Paulo fuiſſe, Chriſtum, qui jam antea filius Dei erat, filium Dei ex reſurrectione certo indicatum & declaratum fuiſſe. Ac præterea antiquiores Græci hujus loci explanatores ſic vocem ὁρισθέντος acceperunt, ut ſignificet demonſtratum & declaratum. Quæ tamen interpretationes non aliunde ſunt profectæ, quam inde, quod hæc veritas, quod Chriſtus per reſurrectionem conſtitutus fuerit Dei filius, paucis fuit bene cognita. Nam, ſi bene cognita fuiſſet, certe nemo à propria verbi ſignificatione & in ipſis Sacris Literis uſitata ad minus propriam, & divinis ſcriptoribus, ut arbitramur, ac profanis quoque fortaſſe, incognitam deflexiſſet. Nec tantopere, ut fecit, locus iſte interpretes torſiſſet.

Ad explicandum autem hunc locum, ex aliis ſupra allatis potiſſimum accommodatus eſt ille Act. 10. 42. ubi

dicitur, Jeſum Nazarenum, quia videlicet, ut antecedentia demonſtrant, fuerit à Deo à mortuis excitatus, illum eſſe, qui à Deo ſit conſtitutus (ὁ ὡρισμένος eſt in Græco) judex vivorum & mortuorum. Judex autem Hebraica phraſi gubernatorem & dominum ſignificat. Atque huic loco ſimilis eſt ille apud Paulum Rom. 14. 9. *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & revixit, ut & mortuorum & vivorum dominetur.* Sed dominum & gubernatorem eſſe vivorum, & mortuorum, idem reipſa eſt, quod eſſe Dei filium, propter cauſſas ante allatas; Igitur, Jeſum Nazarenum, quia à mortuis fuerit à Deo excitatus, illum eſſe, qui conſtitutus à Deo fuerit judex vivorum & mortuorum, nihil aliud eſt, quam Jeſum Nazarenum, qui eſt Chriſtus, per reſurrectionem à mortuis conſtitutum fuiſſe Dei filium. Adde, quod evidentiſſima illa antitheſis, quæ in ipſo loco ad Rom. 1. habetur, carnis & ſpiritus, nativitatiſque ex ſemine Davidis, & filiationis ex Deo, ſatis oſtendit, cum Chriſtus ibi Dei filius nominatur, non de ulla declaratione, ſed de ipſa exiſtentia agi. Neque enim ait Paulus, Chriſtum declaratum fuiſſe ex ſemine David, ſed factum ſeu natum fuiſſe ex ſemine David ſecundum carnem. Quare dicendum etiam omnino videtur, eum dixiſſe, non quidem Chriſtum declaratum fuiſſe, ſed extitiſſe Dei filium per ſpiritum ſanctificationis &c. Præterea in loco ipſo Hebr. 1. qui huic diſputationi occaſionem dedit, non modo, ut ante demonſtratum eſt, verba Pſalmi, *Filius meus es tu, &c.* de naturali nedum de æterna filiatione minime accipiuntur; ſed ad tempus, quod Chriſti reſurrectionem conſecutum eſt, referuntur, adeoque ad ipſam reſurrectionem accommodantur. Siquidem reſurrectionis Chriſti nomne gloriam etiam, quam per reſurrectionem eſt adeptus, ſignificare ſolent ſacræ litteræ. Etenim, poſtquam dixiſſet Apoſtolus, Chriſtum conſediſſe in dextera majeſtatis in excelſis, ſtatim intulit, *Tanto melior angelis effectus*, &c. à quibus verbis pendent ea, quæ dicuntur poſtea de filii Dei nomine Chriſto apud Davidem tributo. Itaque ex Apoſtoli mente Davidis verba, quatenus myſticè de Chriſto intelliguntur, non ante impleta ſunt, quam Chriſtus reſurrexit, & ad dexteram Dei in cœlo conſedit. Quid autem dicemus de loco Hebr. 5. quem attuleramus ad probandum verba iſta referri ad ſacerdotium Chriſti, ad quod vocatus eſt à Deo? Nonne, ſi ad ſacerdotium Chriſti referuntur, ad ipſius quoque reſurrectionem, & in cœlum aſcenſionem referuntur? Neque enim fuit ſacerdos Chriſtus revera, niſi poſtquam cœlis ſublimior eſt factus, ut diſputatum eſt à nobis ſupra cap. 4. part. 2. partic. 5. Meritiſſimo autem generatus tunc dicitur a Deo Chriſtus, cum factus eſt ſacerdos in æternum. Namque iſtud ſacerdotium nihil eſt aliud, quam æterna illa cura & poteſtas nos ſervandi atque hac ratione peccata noſtra perpetuo expiandi, qua Chriſtus à Deo donatus fuit, ſub ſacerdotii nomine in ſanctis litteris nobis propoſita, ut diſpenſatio iſta divina aperte ſignificetur, & oſtendatur, Chriſtum quidem illum eſſe, qui nos ſervet, & a pœnis noſtrorum peccatorum nos liberet; ſed tamen non ut primam, ſed ut ſecundam cauſſam; nec tanquam ex ſe ipſo naturaque ſua tantam poteſtatem habentem, ſed tamquam eum, qui illam à Deo acceperit; adeo ut, quod ad hanc rem pertinet, non ſecus exiſtimandum de eo ſit, ac ſi, ut ſacerdotes ſolent, precibus ſuis nobis veniam à Deo, & ſalutem impetraret. Unde etiam diſerte interpellare pro nobis eſt dictus.

Satis conſtare arbitramur, Chriſtum per reſurrectionem à mortuis Dei filium extitiſſe, & Pſalmi verba, *filius meus es tu, ego hodie genui te*, huc referenda eſſe; Paulo præſertim auctore Actor. 13. & ſcriptore Epiſt. ad Hebr. cap. 1. & 5. Id quod ante nos multi viderunt, qui tamen Chriſto æternam ex Deo generationem tribuunt. Inter quos memoria noſtra potiſſimum Franciſcus Vatablus, qui in diffuſioribus ſuis in priores pſalmos annotationibus ad vocem Hodie ſic annotat, *Diem reſurrectionis hunc diem interpretatur Paulus Act. 13. Heb. 1.* & *5. q. d. Ego ſuſcitavi te, & ita genui in vitam æternam. Cum Chriſtus oſtenditur Dei filius, rex eſſe probatur.* Ecce ut vir iſte doctiſſimus hac in re per omnia nobiſcum ſentit. Sed & inter antiquos Hilarius, qui nemini ex Homouſianis ſolida quadam doctrina ſecundus eſt, in eundem locum ſcribens, ad id præcipue, quod Chriſtus primogenitus eſt ex mortuis, eum pertinere ſtatuit, & vocem iſtam Dei Patris in Chriſti reſurrectione extitiſſe affirmat, idque ex apoſtolica auctoritate, propter verba Pauli Act. 13. Atque Hilarium ſecutus Eraſmus, multa præclare in eandem ſententiam, pſalmum ipſum enarrans ſcripſit. Hæcque inter cætera; *Ego hodie genui te. Genuit enim illum immortalitati, qui mortalis erat natus ex virgine.* Et paulo poſt. *Quid eſt hodie genui te? Hodie te conſecravi immortalitati. Hodie te feci primogenitum ex mortuis. Hodie tibi dedi omnem poteſtatem in cœlo, & in terra.* Idem præter Hilarium ſenſiſſe Theodorum Antiochenum, & Joh. Chryſoſtomum, teſtatur M. Ant. Flaminius, in hoc cum ipſis plane conſentiens. Quamquam, quod ad Chryſoſtomum attinet, id nos invenire non potuimus. Sed tantum invenimus, illum in Homilia in Johannem, quæ inſcribitur De fide in Chriſto, in ipſo initio omnino velle, ut pſalmi verba non ad æternam Chriſti generationem, ſed ad eam, quæ in tempore facta eſt, referantur, cum videlicet natus eſt ex virgine, tametſi ad utramque referri poſſe ſcribit in Epiſt. ad Heb. cap. 1. Ambroſium, quem ante illum ſcripſiſſe credimus, & ſententia & verbis plane imitatus. Si modo commentarii in eam epiſt. Ambroſio tributi ipſius Ambroſii ſunt.

Non eſt igitur, quod Adverſarius Apoſtoli verba clariſſima Act. 13. ſuis profundioribus ſenſibus, undecumque illos mutuatus fuerit, obſcurare tentet, aut nobis objiciat, quod verba Reſuſcitans Jeſum, interpretemur Generans Jeſum. Immo prorſus volumus verbis Reſuſcitans Jeſum ipſam Jeſu reſurrectionem ſignificari, & cum Paulus id prædictum fuiſſe dicat in verbis illis, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, hinc colligimus, tunc potiſſimum generatum à Deo fuiſſe Chriſtum, cum reſuſcitatus ab ipſo eſt. Itaque non Generans pro Reſuſcitans reponimus, quod ſi fieret, periret plane ratiocinatio noſtra; nec porro Reſuſcitans pro Generans in Pauli verbis interpretamur. Sed verbo Genui, ejuſque ſignificatione in loco illo Pſalmi reſurrectionem contineri oſtendimus.

Jam quid illud eſt, quod innuit, ex interpretatione noſtra ſequi, toties Chriſtum fuiſſe generatum, quoties adimpletæ ſunt ſcripturæ? Certe ex interpretatione noſtra hoc tantum ſequitur, ſcripturam illam, *Ego hodie genui te*, tunc fuiſſe impletam, cum Chriſtus à mortuis excitatus eſt. Immo quid eſt, quod ipſe ait, quoties ſcripturæ ſunt adimpletæ, toties Jeſum eſſe declaratum filium Dei? Nam, cum Chriſtus reſurrexit, quænam ſcriptura impleta eſt; iſtane ipſa', *Ego hodie genui te?* Ergo nos veriſſima diximus, qui hoc ipſum affirmavimus. Si dixerit, alias ſcripturas; quid huc pertinet ſcriptura iſta, aut cur eam Paulus attulit? Ut oſtenderetur, inquiet, Chriſtum eſſe Dei filium. Nam illa verba Reſuſcitans Jeſum, hic pag. 53. ita interpretanda eſſe ait, *Per reſuſcitationem ſuum filium eſſe declarans.* Egregia ſane interpretatio, & eo digna, qui aliis, licet falſo, objiciat, quod verba iſta aliter accipiant, atque ipſa ſonant. Hæc quidem interpretatio, præter quam quod verbis ipſis nullo pacto convenit (quis enim audivit unquam Reſuſcitare idem eſſe aut valere, quod Per reſuſcitationem ſuum filium eſſe declarare?) pervertit etiam Apoſtoli verborum & ſententiæ vim, atque ordinem. Neque enim Apoſtolus ex Jeſu reſurrectione declaratam filiationem, ſed contra ex prædicta per Davidem filiatione factam Jeſu reſurrectionem demonſtrare voluit. Quemadmodum apertiſſimum eſt, & ſupra à nobis explicatum fuit.

Ad hæc, cum inter nos & Adverſarium contendatur, utrum ex Pauli verbis intelligi debeat, Jeſum per reſur-

reſurrectionem extitiſſe Dei filium, ut nos aſſerimus, an vero, Jeſum per reſurrectionem fuiſſe declaratum Dei filium, ut ipſe aſſerit; monſtroſa iſta Adverſarii interpretatio Reſuſcitans, id eſt Per reſuſcitationem filium ſuum eſſe declarans, manifeſte principium petit; nec ulla ratione niti poteſt, niſi ea, quæ accidentis fallaciam contineat. Ut ſcilicet quia Jeſus, cum reſuſcitatus eſt à Deo, declaratus eſt eſſe ejus filius, idcirco, cum legitur, Deum reſuſcitaſſe Jeſum, perinde ſit, ac ſi ſcriptum fuiſſet, Deum, reſuſcitando Jeſum, declaraſſe eum eſſe filium ſuum. Quod enim ad vim attinet ac ſignificationem ipſam verbi Reſuſcitandi, declaratio iſta ex accidente plane eſt.

Poſtremo & illud animadvertendum eſt, quod, cum neceſſe ſit, locum pſalmi à Paulo allatum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ad ipſum verbum Reſuſcitans relationem habere, certe ſi Reſuſcitans idem eſt, quod Per reſuſcitationem filium ſuum eſſe declarans, locus iſte non ad ipſum verbum Reſuſcitans, neque ad actionem, quæ illo verbo ſignificatur, ſed tantum ad filii ſui nomen referetur; niſi verbum Genui apud Davidem ſignificet non quidem generare, ſed A ſe generatum declarare. Id quod nec ſentit, ut credimus, Adverſarius, nec concedendum arbitramur; cum verba fiant ad ipſum filium, cui privatim de declaratione iſta quidquam dicere nihil attinebat; & cum in his verbis, *Ego hodie genui te*, ad præcedentia *Filius meus es tu* manifeſta relatio habeatur, & quomodo illa vera ſint, explicetur.

Vides Chriſtiane lector, ut profundior ille Adverſarii ſenſus, quem nos, ſcilicet, non apprehendebamus, hoc loco prorſus evanuerit. Tametſi enim veritatem in ſe continet, tamen ad locum ipſum revera non pertinet; ſed ipſius reſpectu accidentale quippiam exiſtimandum eſt. Vides item, melius etiam, quam antea, quemadmodum aperte ex ipſo loco colligatur, Chriſtum per reſurrectionem à mortuis Dei filium extitiſſe. Unde ſequitur, non quidem eum ante reſurrectionem Dei filium non fuiſſe, ſed alia quadam ratione. Erat Chriſtus Dei filius etiam antequam reſurgeret à mortuis quia, ut ipſe ait Joh. 10. 36. jam ſanctificatus à Deo fuerat, & in mundum miſſus. Quæ ſanctificatio non ſolum ingentem atque uberrimam illam ſpiritus vim, qua donatus a Deo fuerat Joh. 1. 16: 3. 34. & ſegregationem per ſingulariſſimam vocationem, perque inuſitata cæleſtia dona reliquis omnibus hominibus ſignificare poteſt, verum etiam ortum, & conceptionem illius in virginis utero admirabilem ac plane divinam, propter quam Dei filius vocandus erat Luc. 1. 35. ac præterea perfectiſſimam innocentiam, cujus qui participes ſunt, filios Dei ob id ipſum eſſe, teſtatur ipſe Chriſtus Matth. 5. 45. Quamquam, ſicut perfecte Dei filius extitit, ſic perfecte ſanctificatus à Deo tum demum fuit Chriſtus, cum à reliquis omnibus mortuis eſt ſeparatus, & ad vitam immortalem reſtitutus, atque ab ipſis etiam viventibus hominibus ſegregatus ſublimior cælis eſt factus, & ipſorum angelorum, non modo hominum, eſt dominus conſtitutus. Propterea Paulus Rom 1. 4. cum, ut vidimus, dixit, Chriſtum definitum ſeu conſtitutum fuiſſe Dei filium ex reſurrectione mortuorum, id ſecundum ſpiritum ſanctificationis factum fuiſſe ait. Atque ex his ſatis intelligere poteſt Adverſarius, quæ ſit ſententia noſtra de ſanctificatione Dei, & ſpiritus in Chriſto, quam pag. 51. ait ſe optaſſe, ut à nobis apertius explicata fuiſſet. Ad hæc, Chriſtus & ab ipſo ortus ſui initio iis omnibus deſtinatus erat, quæ reipſa per reſurrectionem plene eſt conſecutus, & jam ante reſurrectionem ſummi illius divini imperii ac poteſtatis, propter quam potiſſimum filius Dei extitit, tales ac tantas primitias habebat, ut hanc quoque ob cauſſam jam tum Dei filius appellatus fuerit, ac merito ab hominibus adoratus. Quamquam id ſolum ad hominum adorationem illi merito conciliandam ſatis erat, quod in eo Deus per ſpiritum ſuum ſingulari prorſus ratione jam habitaret, & in ipſo loqueretur, ac reſponſa (ut ſic dixerimus) mundo daret; unde Dei inconſpicui imago eſt dictus Col. 1. 15. 2. Cor. 4. 4. & ipſe, qui ſe vidiſſet, patrem vidiſſe affirmavit Joh. 14. 9. Ex quo fiebat, ut qui ipſum adorabant, Deum patrem in ipſo adorarent. Quod ſi Iſraëlitæ ante arcam teſtamenti ſeu fœderis ſine ullo idololatriæ crimine procumbebant, quia nimirum Deus in ea ſe illis præſentem oſtendebat, &, tamquam ex proprio & peculiari loco, inde illis reſponſa dabat, & quomodo ibi habitabat, multo magis profecto id ante ipſum Chriſtum fieri potuit, cujus fuit arca illa typus atque umbra quædam, quæque ipſa per ſe infinitis partibus Chriſto eſt inferior, adeo ut ne comparari quidem cum eo, utroque per ſe conſiderato, ullo modo poſſit.

Sed, ut aliquando finem faciamus, & diſputationem hanc de divina Chriſti per reſurrectionem à mortuis filiatione concludamus; dicimus, nemini mirum videri debere, ſi hac ratione fiat, ut Chriſto plures divinæ filiationes tribuantur, & ſæpius à Deo generatus affirmetur, qui noverit, quomodo Deus filios generet, vel, quid ſit eſſe Dei filium. Nam cum hoc pluribus modis ſeparatim propter varias eaſque diſtinctas divinæ naturæ, ut Petrus loquitur 2 Petr. 1. participationes contingere poſſit, quemadmodum ex ante diſputatis perſpicuum eſt, neceſſe eſt, ut etiam plures in uno tantum ſuppoſito divinæ poſſint eſſe filiationes & ex Deo generationes. Quod Hilarius quoque in ipſo Chriſto eveniſſe agnoſcit; vultque verba illa de eo dicta, *Ego hodie genui te*, ſæpius vera extitiſſe ſeu vere dicta à Deo fuiſſe. Nos quidem certe & dum hic mortales degimus, filii Dei & vocamur & ſumus, ſi illi ex Chriſti præſcriptione, quatenus fert humana conditio, in ſanctitate ſimiles ſumus, & iterum præſtantiore quadam ratione filii Dei efficiemur, cum præter abſolutiorem ſanctitatem immortalitatis participes reddemur, atque hac quoque in parte ſimiles Deo erimus. Eleganter autem utramque hanc filiationem noſtram, quæ ex aliis pluribus Sacris Teſtimoniis aperte colligitur, paucis verbis non ita unicuique apertis, quamvis alioqui notiſſimis, complexus eſt Johannes, cum de Chriſto ait, eum dediſſe poteſtatem filios Dei fieri iis, qui credunt in ipſius nomine, quos ex Deo natos eſſe dicit. Ubi vides, filios Dei fieri eos, qui jam ſunt ex Deo nati. Eſt autem ſententia, eos, qui per finem in Chriſtum jam hic ſunt renati, & divinæ naturæ participes, ad ſempiternam illam regenerationem nobis promiſſam adque beatam immortalitatem participandam in cælum evolaturos.

7. Plurimæ ſunt in hac Adverſarii ratiocinatione fallaciæ. Sed nos eam tantum indicabimus, licet per ſe ſatis manifeſtam, qua detecta, vis argumentationis nulla eſſe apparebit. Putat ipſe, quia per reſurrectionem Chriſtus is eſſe declaratus fuerit, in cujus nomine prædicanda ſit pœnitentia, & remiſſio peccatorum, per eàndem non potuiſſe eundem Chriſtum Dei filium exiſtere aut generari. In quo ſumma eſt ignoratio elenchi; cum unum per rem aliquam in quopiam declarari, aliud vero per eandem rem in eodem effici, nihil prorſus vetet. Quinimmo per quod quidpiam efficitur, per idem etiam eſſe declaratur. Nam cauſſa declarat effectum ſuum, id eſt, ubi cauſſa apparet, ibi ejus effectus eſſe intelligitur. Quocirca, etiamſi Adverſarius (nam hic aperte id non fecit) demonſtraſſet, Chriſti reſurrectionem declaraſſe ipſum eſſe Dei filium, & inde argumentatus fuiſſet, Chriſtum per reſurrectionem non potuiſſe Dei filium exiſtere aut generari, peſſime nihilominus tamen argumentatus eſſet, cum eadem reſurrectio ſimul & efficere, &, ut cauſſa, declarare potuerit Chriſtum Dei filium. Quod ſi non ut cauſſam tantummodo, ſed ut effectum quemadmodum ipſe prorſus ſentit, reſurrectionem Chriſti eum Dei filium declaraſſe dixiſſet, in aliam elenchi ignorationem, vel in fallaciam à ſecundum quid ad ſimpliciter incidiſſet. Nam etſi non poteſt reſurrectio ſecundum eandem rationem Chriſti filiationis divinæ & cauſſa & effectus eſſe; poteſt tamen ſecundum diverſam:

aut, ſi Chriſtus ſecundum quandam rationem non potuit per reſurrectionem Dei filius exiſtere, non ſequitur ſimpliciter, & omnino non potuiſſe. Ut diverſæ rationes à nobis antea explicatæ, quibus Dei filius extitit, planum faciunt; quarum quædam anteceſſerunt, quædam vero ipſius reſurrectionem ſunt conſecutæ.

8. In Chriſti nomine peccata remittuntur, non quia Chriſtus unus ſit ſecundum eſſentiam (ſic enim intelligit Adverſarius) cum Patre Deus (nam de Spiritu Sancto alibi agendum erit) ſed quia hanc poteſtatem à Deo accepit. Et quidem, cum adhuc mortalis in terris ageret, non ſolum ea ratione potuit remittere peccata, quod cuicumque ipſe remittere peccata volebat, remiſſa erant, quod ſine dubio non ſatis eſt, ut dici potuerit in ſuo nomine peccata remiſiſſe, ſed etiam ea ratione, quod ipſemet remiſſionem ipſam & remiſſionis effectum pleniſſimum præſtare poterat, quatenus ad hanc vitam pertinebat: Id eſt, pœnas omnes, quæ in hac vita propter peccata divinitus infliguntur, pœnitus delendi, & qui peccaverant, ab illis omnino liberandi ipſemet poteſtatem habebat. Id quod, niſi fallimur, innuere voluit ipſe, cum dixit, filium hominis habere poteſtatem dimittendi in terra peccata. Sic enim leguntur hæc poſtrema verba in Græco apud Marcum Mar. 2. 10. Ex quibus conſtat, verba In terra cum verbis Dimittendi peccata plane conjungi debere. In terra autem dimittere peccata, id ſane videtur eſſe, quod diximus; id eſt à terrenis peccatorum pœnis homines liberare. Quemadmodum etiam loci hiſtoria ipſa clare demonſtrat. Hujus igitur remiſſionis reſpectu poteſt fortaſſe dici Chriſtus jam tum in ſuo nomine peccata remiſiſſe. Nomen enim poteſtatem in Sacris Literis ſignificare ſolet. At poſtquam Chriſtus à mortuis non amplius moriturus reſurrexit, quia tunc omnem in cælo, & in terra poteſtatem eſt reipſa adeptus, peccata remittendi omni prorſus ratione poteſtatem habuit. Ut locus ipſe apud Lucam ab Adverſario citatus, ſi cum Mat. loco cap 28. 18. conjungatur, non obſcure docet; ita ut ab ipſa quoque æterna morte propria peccatorum pœna homines liberare, & ſempiterna vita ipſe donare queat. Idque ſuo proprio nomine & auctoritate, atque ut rerum omnium Dominus; non autem amplius ut Patris legatus, ſicut antea fecerat. Ut enim, quemadmodum ipſe ait Joh. 5. 43. tunc in Patris ſui nomine venerat; ſic neceſſe eſt, ut quæcumque faceret, in ſui Patris nomine faceret. Quapropter alibi dixit, ſe, quæ faceret opera, in nomine Patris ſui facere Joh. 10. 23. & alia multa in eandem ſententiam ab eo fuerunt dicta.

Ex prædictis perſpicuum eſt, quod in ipſius Chriſti nomine prædicetur pœnitentia, & remiſſio peccatorum, id non ex ejus natura proficiſci, ut certe proficiſceretur, ſi eſſet unus cum patre ſecundum eſſentiam Deus, ſed ex ipſius Dei Patris beneficio; qui, ut viſum fuit, ei omnia ſubjecit, & conſequenter is fuit, qui immortalitate homines reſipiſcentes donandi, & ſic pleniſſime ac reipſa eorum peccata delendi poteſtatem illi conceſſit. Id quod ab ipſo Chriſto ſatis expreſſum fuit, cum dixit Joh. 5. 22. 27. Patrem omne judicium filio dediſſe, & poteſtatem ei dediſſe judicium faciendi, quia filius hominis eſſet. Nam certe, ſi Chriſtus, quia homo eſt, à Patre habuit, ut judicet mundum, id non ex æterna ulla ex ipſo generatione, nec ut unus cum ipſo ſecundum eſſentiam Deus habuit. In judicandi autem poteſtate peccata etiam pœnitentiam agentibus in ſuo nomine remittendi poteſtas continetur. Igitur certum eſt, in Chriſti nomine pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum prædicari & potuiſſe, & debuiſſe, quamvis non ſit ſecundum eſſentiam unus cum Patre Deus.

9. Verum eſt ſine dubio, ſolere Apoſtolos, quoſdam Veteris Teſtamenti locos ſuis ſcriptis aut ſermonibus inferre, qui ſuo loco poſiti non videantur iis, qui humana tantum ſapiunt. Et propterea factum eſt, ut ipſe Adverſarius una cum aliis, qui putant, Deum generare ex propria ſua ſubſtantia, quemadmodum homines & cætera animalia generant, non potuerint credere locum illum, *filius meus es tu*; *ego hodie genui te*, ſatis apte afferri potuiſſe ad ipſam Chriſti reſurrectionem comprobandam, quamvis manifeſte ob id à Paulo allatus fuerit. Itaque, ut tamen Apoſtoli verba recte inter ſe cohærere poſſent, Adverſarius portentoſam illam verbi Reſuſcitandi interpretationem ſupra attulit. Hic vero, mutata ſententia, dicit, locum iſtum inſertum à Paulo ſuo ſermoni fuiſſe, ut auditores mentionem filii Dei fieri in Sacris Literis intelligerent, antequam ipſe ſcripturam afferret, qua Chriſti reſurrectio comprobaretur; idque ob ipſorum infirmitatem. Verum, ſi Paulus auditorum infirmitati hac ab Adverſario excogitata ratione conſulere volebat, debuerat aut ante, aut poſt afferre locum iſtum, non autem ibi inſerere, ubi ut ipſi Adverſario placet, non ſuo loco inſertus humana tantum ſapientibus videri poſſet, vel certe eam ſententiam & prædictionem continere, quæ, ut idem Adverſarius vult, minime in illo continetur. Et ſane ridiculum eſt dicere, ob auditorum infirmitatem ſolere Apoſtolos ea ſuis ſermonibus inſerere, quæ alioqui haud ſuo loco inſerta, videri quoquo modo poſſint. Et debuerat Adverſarius unum ſaltem exemplum ejus rei afferre. Non autem in tam ſeria & accurata diſputatione id tantummodo verbis ſuis confirmare.

10. Fallacia diviſionis manifeſta eſt in Adverſarii interpretatione. Cum enim dicat Apoſtolus, *Chriſtus non ſemet ipſum clarificavit, ut fieret pontifex; ſed qui locutus eſt ad eum*, &c. ita verba, *ſed qui*, &c. accipit, ac ſi ſcriptum eſſet, ſed is eum clarificavit, qui &c. omiſſis antecedentibus verbis illis, *ut fieret pontifex*, quæ plane cohærent cum verbo Clarificavit, & non minus, quam illud, δόξῃ κρίνῃ repeti debent. Non enim de glorificatione Chriſti ſimpliciter agit Apoſtolus, ſed de glorificatione in ſacerdotio ineundo, quam à Deo Patre profectam fuiſſe, oſtendere vult ſequente ſcripturæ loco, ut liquido apparet ex alio loco quem ſtatim ſubjungit, ad id ipſum iterum probandum, quod jam probaverat. Namque id aperte docent verba, quæ ante illum ſcribit, *Quemadmodum & in alio loco dicit*.

Adverſarii dictum.

Quia in eandem ſecundam Aſſertionem animadvertentes dixeramus, Deum non generare ex ſua ſubſtantia, & oſtenderamus, generatos à Deo, & ex Deo natos complures in Sanctis Literis dici, qui tamen ex Dei ſubſtantia non ſunt, objicit nobis Adverſarius pag. 55. quod Chriſtum non minus adoptivum Dei filium faciamus, quam nos eſſe poſſimus ipſius Chriſti beneficio. Hoc autem verum eſſe non poſſe, ſed neceſſe eſſe, ut Chriſtus ex Dei ſubſtantia ſit generatus, vel ex eo perſpici poſſe ait, quod in plurimis Sacræ Scripturæ locis Chriſtus unigenitus dicitur. Quod falſum eſſet, niſi ipſe eo modo natus fuiſſet, quo alii naſci non poſſunt. Sed alii per adoptionem ſunt nati; Ergo ipſe non per adoptionem, ſed naturaliter ab æterno eſt generatus. Id quod ſcripſerat etiam antea circa finem pag. 32.

Reſponſio.

Nec nos diximus, Chriſtum eſſe adoptivum tantum Dei filium, aut naturalem eſſe negavimus. Nec, ſi Chriſtus naturalis eſt Dei filius, continuo ex ipſius ſubſtantia ab æterno eſt generatus. Modo enim ex virgine matre natus ſit Dei filius, ut quidem eſt natus, naturalis Dei filius eſt. Unigeniti nomen Chriſto tributum ad generationem ipſius ex Patris ſubſtantia non pertinere, pluribus demonſtratum eſt ſupra cap. 4. partic. 12. ubi etiam id attigimus, quod modo diximus, de Chriſto naturali Dei filio, idque ex ſententia ipſius Adverſarii verum eſſe oſtendimus.

Caput IX.

Pergentes in eandem aſſertionem ſecundam animadvertere, dixeramus, locum illum apud Joh. ad finem 8. cap. *Antequam Abraham* &c. ad hunc modum è Græco convertendum eſſe; *Antequam Abraham fiat, ego ſum.* Id eſt verbum γενέσθαι non Fieret, ſed Fiat reddi debere. Adque id probandum hac potiſſimum ratione uſi fueramus, quod nullum verbum nec antecederet, nec ſequeretur, quod præſentis temporis non eſſet. Attuleramus præterea locos admodum ſimiles apud eundem Johannem cap. 13. 19, & cap. 14. 29; in quibus verbum γενέσθαι ab omnibus interpretibus redditum eſt verbo Fiat, nec aliter reddi poteſt. Loci autem ſententiam eſſe dicebamus ejuſmodi, ut Judæi à Chriſto monerentur, ipſum eſſe verum Meſſiam, idque credere vellent, priuſquam Abraham, id eſt, Pater multarum gentium, fieret. Nam gentibus per fidem filiis Abrahami factis, ipſi à cæleſti regno arcendi erant. Atque ita locum accipi debere affirmabamus, ac ſi diſerte ſcriptum eſſet, Ar en amen dico vobis, antequam Abraham fiat, quod ego ſum. Nam Ego ſum, ita ſimpliciter à Chriſto proferri ſolere; & ſignificare Ego ſum Chriſtus, ſeu Meſſias, ex eodem Chriſti cum Judæis ſermone planum fieri; in quo bis antea ſic locutus fuerat. Videlicet eodem cap. 8. 24, & 28. Præter locum ſupra allatum cap. 13.19. Contra hæc, quæ cum ipſo diſputantes latius explicabimus, inſurgit Adverſarius à fine pag. 55. uſque ad initium pag. 64. ubi quædam dicit vel plane puerilia, quale illud eſt de pluribus negationibus, quibus orationem noſtram obſcuriorem reddere conati ſimus, vel quæ nihil ad rem ipſam faciant. Itaque ea tantum hic colligemus, quæ aliqua refutatione indigent.

Adverſarii dicta.

1. Primum igitur nobis opponit, quod interpretationes complurium linguarum, quas enumerat, additis etiam non modo interpretum, ſed typographorum nominibus, & loco præterea ac tempore, quo editæ fuerunt, adſcripto, verbum γενέσθαι non præſentis, ſed præteriti temporis verbo reddiderint; immo nos ipſi ante hac ad eundem modum & Polonice in noſtra Novi Teſtamenti editione, & Latine in aliis libellis id verbum interpretati ſimus.

2. Addit autem, loci ſententiam non permittere verbum illud verti, niſi per præteriti temporis verbum, quemadmodum ipſum præteriti temporis eſt. Quod autem loci ſententia id fieri nulla ratione patiatur, ex eo conſtare affirmat, quod ſupra, cum de Abrahamo verba ſunt facta, de illo Abrahamo, qui jam fuerat, & Chriſtus ipſe, & Judæi ſunt locuti. Ad ſuperiora vero debere verba hæc referri, de quibus diſputamus, ipſum contextum aperte docere ait.

3. Ex quo etiam infert, quod, cum Judæi ad illud reſpondentes, quod dixerat Chriſtus, Abrahamum ipſius diem vidiſſe, dixiſſent, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti*, ipſe vero ſtatim ſubjunxerit, *Amen amen dico vobis antequam Abraham*, &c. ſententia Chriſti verborum nulla alia eſſe poſſit, quam hæc; *Admiramini & quæritis Judæi, qua ratione potuerim videre Abrahamum Patrem veſtrum quem dixi exultaſſe ut videret diem meum, vidiſſe & gaviſum eſſe: cum illo ſeculo quo vixit, eo quod necdum quinquaginta annos habeam, exiſtimetis me non fuiſſe. Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego ſum.*

4. Quibus hoc indicium addit, quod Judæi Jeſum lapidare voluerunt; nimirum tamquam blaſphemum; ſentientes, illum verbis ſuis divinitatem indicaſſe. Ad quam interim probandam admiſcet per inſinuationem locum illum Pauli Rom.9. *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, & ſimul nos, tanquam eam negantes, Judæis illis comparat, & linguis, ſcriptiſque Jeſum à nobis lapidari ait.

5. Exagitat deinde id, quod diximus, nec ante nec poſt verbum γενέσθαι ullum verbum eſſe, quod præſentis temporis non ſit. Nam multa verba (inquit) anteceſſerunt, quæ ad Abrahamum aliquo modo referuntur, quorum nullum eſt præſentis temporis. Poſt vero quodnam verbum ſequi potuit, cum ibi Chriſti cum Judæis ſermo finiatur? Sequitur quidem verbum Sum, quod eſt præſentis temporis. Verum id nentiquam pertinet ad Abrahamum.

6. Objicit vero nobis, quod Chriſti verborum ſententiam ab eo, quem nunc ſequimur, diverſis iiſque compluribus modis antea explicaverimus.

7. Jam quod attinet ad Chriſti verba, quæ alibi etiam extulit, Ego ſum, dicit, nos minime vim iſtius dicti intelligere velle, quam ſenſerunt Judæi comprehenſuri Jeſum. Nam, ut dixit illis, Ego ſum, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram. Vult autem (nempe quia Chriſtus ſit ipſe Deus, qui ſolus vere eſt) eo ſenſu dictum fuiſſe à Chriſto Ego ſum, quo a Deo Moſi dictum fuerat Exod. 3. *Ego ſum qui ſum*, ſive *Ero qui ero.* Nihil enim, inquit, refert, quo tempore iſtud efferatur. Siquidem tam præteritum, quam futurum, Deo eſt præſens. Et addit, nomen etiam ipſum Dei Jehova ab Eſſe fuiſſe derivatum. Ac demum concludit, licet in loco noſtro Chriſtus verba iſta Ego ſum per comparationem ad Abrahamum dixerit, id tamen ad divinitatis declarationem tendere.

8. Locos poſtremo Joh. 13.19. & XIV. 29. ait non eſſe huic ſimiles, quia in illis Chriſtus de eo loquebatur, quod erat futurum, in hoc vero de eo, quod præteriit; id eſt de Abrahamo, quem Judæorum patrem appellavit. Neque enim Abrahamus ſecundum fidem, ſed ſecundum carnem Judæorum iſtorum pater fuit.

Reſponſiones.

1. Nihil opus erat pompoſa (ut ſic loquamur) enarratione iſtâ interpretationum Novi Teſtamenti. Sed ſatius fuiſſet uno verbo dicere omnes interpretationes nobis adverſari. Aut ſi oſtentatio quærenda erat, non erant prætermittendæ Sanctis Pagnini & aliorum quorundam vel interpretationes, vel ad Græcam veritatem in Latina lingua recognitiones; & tot præterea in aliis linguis editiones, eaſque multo plures iis, quas Adverſarius commemorat. Quod ſi eas tantum interpretationes putavit ſe commemorare poſſe, quas ſibi videre contigiſſet, debuerat etiam dicere non quidem ſimpliciter Neminem, ut hic facit pag. 56. ſed Neminem, quod ſciret, præteritum tempus in præſens aut futurum (ut ipſe loquitur) mutandum judicaſſe. Verum fatemur nos ultro, atque concedimus, nullam in ulla lingua extare interpretationem, quæ nobis faveat. Sed quid hoc momenti habet, niſi ad noſtros homines excuſandos, ſi & ipſi hactenus hoc in loco verbum γενέσθαι præterito tempore in ſuis interpretationibus reddiderunt? Hominum, licet univerſorum, auctoritas nihil contra manifeſtas rationes manifeſtamque veritatem valet, aut certe valere debet. Præſertim, ubi de cauſſa ipſorum erroris apparet. Ut hic ſane apparet, eaque duplici. Etenim, quod jam omnes perſuaſiſſimum haberent, Chriſtum non modo ante Abrahamum, ſed etiam ante mundi creationem extitiſſe, quodque nomen Abraham non idem ſonaret in ipſa lingua Græca, unde tranſlatio fiebat, quod in ea lingua, unde id nomen eſt ductum, idcirco factum eſt, ut locus non fuerit intellectus, & contra ipſius grammaticæ vim, ut poſtea videbimus, verbum γενέσθαι hoc loco præteriti temporis verbo fuerit redditum. Quamquam ſatis eſſet ad teſtimonium, quod inde Adverſarii contra noſtram de Chriſti perſona ſententiam eliciunt, diluendum, oſtendere, ut quidem in promptu eſt, verbum illud non minus Fiat, quam Fieret, verti poſſe.

2. Hoc videns Adverſarius, ut is, qui non veritatem, ſed victoriam quærit, neque conceſſit, ut debuerat, nec plane negavit, id fieri poſſe. Adeo enim non conceſſit,

ut omnino verbum præteriti temporis eſſe dixerit, & perridicule pag. 58. nos, qui illud præſentis temporis verbo in futurum reſpicente vertimus, Antichriſtum imitari affirmaverit, de quo ſcriptum ſit Dan. 7, quod exiſtimaturus eſt, ſe poſſe mutare tempora & leges. Ad hujuſmodi ſcilicet temporum mutationes Danielis vaticinatio pertinet. Sed, cum interim videret, alibi eo modo interpretandum eſſe, quo nos hic interpretamur, ait hic tamen id fieri nullo modo poſſe. Jam vero quod ſimpliciter ait, verbum eſſe præteriti temporis, fallitur, & æquivoco Aoriſti nomine decipitur. Eſt Aoriſtus quidem ſimpliciter præteriti temporis in modo indicativo, unde ductæ in aliis modis voces Aoriſti nomen retinent; ſed non ſunt tamen hi Aoriſti ubique ſimpliciter præteriti temporis. Immo in ſubjunctivo modo Futurorum vicem obtinent. In modo autem infinitivo, in quo eſt noſtrum γνῶναι, non tam præteriti, quam futuri ſignificationem habent. Suntque exempla hujus ſignificationis multo frequentiora, quam illius. Sed ne hic aliarum ſimilium vocum exempla quæ in Novo Teſtamento innumerabilia ſunt, ſine ulla neceſſitate congeramus, ſatis fuerit præter illa duo, quæ jam annotavimus, Joh. 13, 19, & cap. 14. 29. alia quædam ipſius vocis γνῶναι indicare. Inſpiciantur igitur hi loci, Matth. 20. 26, & 24. 6. Joh. 3. 10, & 5. 6. Act. 1. 22, & 26. 28, & 29, & 27. 29. Philip. 3. 21. Apoc. 1. 1, & 4. 1, & 22. 6. Quid plura? Nemo Græcæ linguæ non plane rudis non modo negaturus eſt; vocis γνῶναι eam ſignificationem eſſe poſſe, quam nos hoc loco eſſe affirmamus; ſed non etiam faſſurus, ſi Johannes id Chriſtum dicentem facere voluiſſet, quod nos eum dixiſſe contendimus, non aliter ſcripturum fuiſſe, ac ſcripſit.

Itaque rationem perpendamus, quam Adverſarius affert, ut probet, neceſſe eſſe; ut hoc loco, ubi de Abraham eſt ſermo, vox γνῶναι non poſſit in aliam ſignificationem accipi, quam temporis præteriti. Quia, inquit, ſupra ubique de Abraham illo, qui jam fuerat, eſt ſermo. Quaſi vero non poſſit ab una ſignificatione nominis Abraham ad aliam tranſiri. Immo quaſi hæc tranſitio & venuſta & arguta, & denique ſicut Chriſti ſapientia digniſſima, ſic Judæorum malitiæ maxime conſentanea cenſenda non ſit. An non ultro conceſſit Adverſarius ipſe pag. 57. duplicem eſſe nominis Abraham ſignificationem, earumque alteram eam eſſe, qua nos nomen iſtud à Chriſto hoc loco prolatum fuiſſe volumus, quam etiam accurate ſane explicuit, noſque illi propterea nunc gratias agentes hoc labore levavit? Oſtendat igitur, ſi poteſt, tranſitionem iſtam non potuiſſe fieri, & cum antea appellatione Abraham homo ille, qui jam pridem extiterat, ſignificatus fuerit, poſtea non potuiſſe eadem appellatione id ſignificari, quod nomen ipſum declarat, Patrem ſcilicet eſſe multarum gentium, & propter quod ſic hominem illum Deus ipſe nominari voluerat, quodque nondum revera extiterat. Quod ſi hoc oſtendere non poteſt, veritati concedat, & Deo nos plurimum debere agnoſcat, qui viro illi, * per quem omnium primum noſtra ætate ſententiam, quam de Jeſu Chriſti perſona amplexi ſumus, exponi voluit, hunc non minus appoſitum atque adeo neceſſarium, quam egregium & verum in Chriſti verbis ſenſum olim patefecerit. Quod tamen non ſine multis precibus, ipſius Jeſu nomine invocato, impetravit ille. Ut quædam etiam verba indicant, quæ aliquando in hunc locum commentans, cum verum ipſorum ſenſum ſe nondum aſſecutum eſſe noſſet, tandem ſcripſit; *Si Chriſtus* (inquit) *præſens eſſet, ridicula iſta omnia diſſolveret; ſed nos quædam nubes opinionis humanæ malè vexat. Et credo hujus loci explicationem aliquam facillimam eſſe, ſed quæ mihi nondum appareat. Jeſus nos erudiat, & liberet.* Hactenus ille. Jam quod Adverſarius ait, Chriſti verba ad ſuperiora referri debere, id, ut ſtatim dicemus, nihil eſt.

3. Etenim, quamvis Chriſtus ad ea Judæorum verba reſpondeat, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti*, tamen nihil vetat, quominus reſpondendo alio torqueat ſermonem; ad rem nimirum graviorem, & ad eorum quibus reſpondebat, ſupercilium retundendum aptiorem, & univerſo denique antecedenti ſermoni accommodatiorem. In quo plurimum jam inde ab ipſo initio gloriati fuerant Judæi de patre ſuo Abrahamo, at Chriſtus contra, eos ſemen quidem Abrahami eſſe faſſus erat, videlicet ſecundum carnem, & Abrahamum illorum patrem appellaverat, ſed nihilominus tamen eos Abrahami filios eſſe negaverat, videlicet ſecundum ſpiritum, & ipſius factorum imitationem, quales eſſe debebant veri Abrahami filii, & ii futuri erant, (non ex ipſorum genere, ſed ex aliis gentibus) propter quos potiſſimum nomen Abraham homini illi à Deo fuerat inditum, id quod ſua extrema reſponſione, tam commoda de Abrahami exiſtentia aliquid dicendi occaſione oblata, iis verbis Chriſtus prudentiſſime concluſit, & complexus eſt, quæ Abraham nondum factum eſſe, oſtendant. Adde, quod Judæi ſua illa interrogatione plane commeriti fuerant, ut Chriſtus eos ſevere deluderet; nec digni ullo pacto erant, quibus omnino ſecundum ipſam interrogationem reſponderet. Neque enim dixerat Chriſtus, ſe vidiſſe Abrahamum, ut Adverſarius ipſum Chriſtum Judæis concedentem inducit. Sed dixerat tantummodo, Abrahamum vidiſſe ſuum diem, id eſt adventum ſuum in mundum, & ſe munus ſuum adminiſtrantem. Quod nihil commune habet cum eo, quod ipſe Chriſtus Abrahamum vidiſſet. Quamobrem, ſi Chriſtus reſponſione ſua docere voluiſſet, quomodo factum eſſet, aut fieri potuiſſet, ut ipſe vidiſſet Abrahamum, Judæorum inſaniæ aſſentiri viſus fuiſſet, &, ſe id dixiſſe, affirmare, quod non dixerat. Juſtiſſime igitur alio argute ſermonem detorſit, & eos, qui ipſum verbis capere volebant, adeo ipſe verbis & conſtrinxit ſimul, & deterruit, ut non verbis amplius contra ipſum, ſed factis ſibi agendum putarent. Sic itaque (id eſt multo aliter, quam Adverſarius fecit) Chriſtus loqui inducendus eſt. Nunquid vobis, inſani, dixi me Abrahamum vidiſſe? Vos quæritis ſtultiſſime me in verbis capere. At ego ſapienter vos deprehendam in ſtultitia veſtra. Neque tamen à verbis inſtituti ſermonis longius vagabor. Vobis igitur, antequam Abraham fiat, etiam atque etiam confirmo, quod ego ſum. Nam poſteaquam Abraham factus fuerit, non modo quicumque ex vobis noluerint credere, quod ego ſum, ut hodie vobis dixi, morientur in peccatis ſuis; ſed facultas hoc ipſum credenti nationi veſtræ in poſterum adimetur.

Nec vero omittendum videtur, quod veriſimile eſt, Chriſtum antea dicere voluiſſe, Abrahamum non quidem vidiſſe diem ſuum, & gaviſum fuiſſe, de quo nihil conſtabat; ſed, ſi vidiſſet, id eſt, ſi præſens tunc temporis fuiſſet, & ipſum ſuum munus obeuntem conſpexiſſet, fuiſſe graviſurum; id quod credibile plane erat. Sic enim totus locus ex Hebræi potiſſimum ſermonis proprietate verti poteſt, *Abraham pater veſter exultaſſet, ut videret diem meum; &, ſi vidiſſet, utique graviſus eſſet.* Hebræi enim unico præterito, quod ipſi habent, pro omnibus omnium modorum præteritis, quæ aliæ linguæ habent, uti coguntur. Sed & Græci (præſertim vero Sacri Scriptores) aoriſtis indicativi modi, etiam ſine potentiali particula ἄν, quales videlicet hic ſunt, pro præteritis imperfectis & pluſquam perfectis ſubjectivi & optativi modi uti conſueverunt. Hinc factum eſt, ut quidam non indocti homines, inter quos Joh. Calvinus, locum illum Philip. 2. 6, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, Non rapinam arbitratus eſſet, interpretari non dubitaverint; plerique vero illum Rom. 9. 3. ηὐχόμην fic converterint, *Optarim*, ſive *Optarem enim*, & utroque in loco annotaverit Theod. Beza, hanc eandem eclipſim particulæ ἄν alibi occurrere. Quin ſupra Chriſtus in hoc eodem cum Judæis ſermone, atque adeo de eodem Abrahamo loquens dixit τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησε, ubi etſi in omnibus Latinis editionibus verbum ἐποίησε, Fecit eſt redditum, tamen

planior

* Lælius Socinus.

planior multo erit ſententia, ſi legatur Feciſſet, ut Volf. Muſculo placet, & Henr. Bullingerus locum explicavit.

Jam vero, quod Hebræi duabus copulis duobus verbis additis, idem præſtare ſoleant, ac ſi priori verbo vel ſolam, vel poſt ipſam copulam particulam conditionalem addidiſſent, poſterius vero ſine ulla copula aut ſimpliciter, aut cum aſſeverante particula enunciaſſent, ut idem eſſe queat apud ipſos Et vidiſſet & gaviſus eſſet, quod apud nos, Et, ſi vidiſſet, utique gaviſus eſſet, illi ſciunt, qui Hebræas Literas vel leviter guſtarunt. Quod ſi quis tamen exemplum aliquod ejuſmodi locutionis requirat, videat cap. 18. Hierem. ver. 8, & 10. Nam pro conditionali particula, quæ utrobique in vulgata editione recte eſt, niſi quod rectius fuiſſet cum conjunctiva particula ſibi adjuncta, hoc pacto, *Et, ſi*, vel *Quod ſi*, &c. in Hebræo ſimplex eſt copula. Prorſus autem veriſimile videtur, etiamſi Johannes intellexerit, hanc fuiſſe ſententiam verborum Chriſti, quam nos dicimus, eam tamen clarius, ut quidem potuiſſet, explicare noluiſſe, tum, ut, poſtquam eum loquentem inducebat, ipſa etiam ejus verba, non autem ſua referret, tum vero, ut Judæorum aſtutiam ſimul, & perverſitatem, Chriſtumque in verbis capiendi ſtudium legenti magis ob oculos poneret. Ex his igitur omnibus, quorum judicem pium & doctum lectorem conſtituimus, apparet, ni fallimur, quam perverſe Judæi Chriſtum poſtea interrogaverint, quamque commeriti fuerint, ut Chriſtus, reſpondendo, alio ſermonem detorſerit, atque interim tamen, ut eos deluderet, ſpeciem quandam ad ipſam interrogationem reſpondendi præ ſe tulerit. Tametſi exprobratio potius & redargutio, quam interrogatio, iſta dici debet.

4. Nihil eſt neceſſe, Judæos idcirco Chriſtum lapidare voluiſſe, quod crederent, eum blaſphemaſſe, eſtque in Adverſarii ratiocinatione conſequentis fallacia. Lapidabant quidem Judæi quos blaſphemare credebant. Sed non tamen quoſcunque lapidabant, aut lapidare volebant, eos blaſphemare credebant.

Deinde propria eſt elenchi ignoratio, in eadem Adverſarii ratione. Siquidem qui lapidabantur, tanquam blaſphemi, ii non privatim ab unoquoque, qui blaſphemiam audiſſet, ſtatim lapidabantur, ſed vel publico populi conſenſu, vel, cauſſa cognita, ex magiſtratus judicio & auctoritate. Alioqui privatæ lapidationes multæ aut fiebant, aut certe fieri poterant etiam ob cauſſas, quæ in ipſa Lege non continerentur, & ab ira potius lapidantium proficiſci, quam ab aliqua firma opinione ſceleris ejus, qui lapidaretur.

Præterea alia eſt conſequentis fallacia in Adverſarii ratione. Nam etſi Judæi exiſtimaturi fuiſſent, Jeſum blaſphemaſſe, ſi æternum Deum ipſum ſe feciſſe credidiſſent, non tamen contra, ſi Chriſtum blaſphemaſſe exiſtimarunt, ſequitur, eos, quod ſeipſum æternum Deum feciſſet, credidiſſe. Potuit enim ob aliam cauſſam eis videri blaſphemaſſe. Nempe quia dixiſſet, Abrahamum nondum extitiſſe, & ſic Moſem, adeoque ipſum Spiritum Sanctum mendacii reos feciſſet, qui diſerte teſtabantur, eum jampridem extitiſſe, & mortuum eſſe; &, ſi ad nominis ipſius Abrahami ſignificationem reſpicere velimus, jamdiu numeroſiſſimam ejus prolem, eamque in multas ac varias gentes diviſam fuiſſe, aperte docebant.

Poſtremo nullam prorſus firmitatem Adverſarii ratio habere poteſt, cum Judæi, etiamſi recte intelleXiſſent, Chriſtum minime blaſphemaſſe, tamen haberent unde blaſphemiæ crimen ſe illi objicere poſſe ſperarent, idque ſuæ ab odio in eum atque ira profectæ lapidationi obtendere. Cur enim tunc temporis multis id videri non potuiſſet, quod poſtea plerisque viſum eſt, Chriſtum verbis illis ſeipſum æternum Deum feciſſe, quamvis revera non feciſſet? Quid ſi ipſi Judæi, qui illum lapidare volebant, Jeſum aliqua ratione è medio tollendi cupiditate excæcati, in eundem hunc errorem ſunt lapſi; nunquid ipſorum Chriſti mentis, & verborum interpretatio nobis pro regula ad eadem intelligenda eſſe debet? Fallaciſſima igitur omnino eſt ac plane inepta ratio iſta ex eo petita, quod Judæi Chriſtum lapidare voluerint.

Cæterum, quod ad probationem divinitatis Chriſti attinet, quam tacite Adverſarius ex Pauli verbis Rom. 9. colligit, nihil eſt, quod quidquam reſpondeamus, cum hoc loco, non utrum Chriſtus ſit Deus; ſed utrum ſe Deum in illis apud Johannem verbis fecerit, diſputemus. Nec vero nos Chriſtum Deum eſſe negamus, & quidem ſuper omnia benedictum in ſecula, quemadmodum Pauli verba eo in loco præ ſe ferunt. Sed in eo eſt vis, utrum Chriſtus talis ſit reipſa ab omni æternitate & ex ſua natura, an vero talis extiterit poſtquam natus eſt ex virgine, ac potiſſimum poſt ſuam à mortuis reſurrectionem, & ex Dei Patris dono. Adverſarius una cum ſuis priore modo iſtam divinitatem contra omnem ſcripturam omnemque rationem Chriſto tribuunt; Nos vero poſteriore, divinis iiſque compluribus & apertiſſimis teſtimoniis nec non manifeſtiſſima ratione edocti, eam illi non modo libentiſſime tribuimus, ſed ab aliis imprudenter ereptam, quoad poſſumus, aſſerimus, & vindicamus.

5. Evidens vel elenchi ignoratio, vel fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter eſt in Adverſarii reprehenſione. Nam quis eſt, quin videat, in verbis noſtris, Antecedere, & Conſequi, verbi γένος reſpectu dici, idque in ea tantum periodo, in qua eſt ipſum verbum γένος, etiamſi Chriſtus continuate vel ante, vel poſt, alia locutus fuiſſet? Nunc cum periodus illa ſola ſit, nec ulla alia verba in eodem orationis contextu eam vel conſequantur, vel antecedant; vix dici poteſt, quantus fuerit hic Adverſarii lapſus; ſi modo id quod de antecedendo, & conſequendo dixeramus, ratione tantum verbi γένος dictum eſſe intellexit, quod ſane intelligere debuit; præſertim cum res ipſa ſatis illum de noſtra mente monere potuerit. Quandoquidem voces iſtæ aoriſticæ infinitivi modi, ut ſupra dictum eſt, modo præteriti temporis vim habent, modo futuri, quod tamen in Latina lingua verbo præſentis temporis exprimitur. Ad dignoſcendum autem utrius temporis vim habeant, tunc ſcilicet cum conjunguntur cum adverbiis indeterminatum tempus ſignificantibus, & non minus recte cum futuri, quam cum præteriti temporis verbo cohærentibus, quale eſt πρίν, id eſt Antequam, ut hic factum videmus; ad hoc, ut diximus, dignoſcendum nihil eſt aptius, quam videre cujuſnam temporis ſit verbum illud, unde ipſum adverbium, & porro ipſa vox aoriſtica una cum eo pendet. Neceſſe eſt enim, ut ſemper ab aliquo verbo pendeant. Nam, ſi verbum illud fuerit præteriti temporis, tunc & ipſa aoriſtica vox præteritum tempus ſignificabit, quamquam hoc non eſt perpetuum. Sin vero præſentis, aut futuri, futurum tempus omnino ſignificabit. Verbum autem illud tam ſequi, quam præcedere poteſt dictam vocem cum ſuo adverbio quod inde pendet; quod profecto ex loco noſtro apparet. Namque in his verbis Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν πρὶν Ἀβραὰμ γένος ἐγώ εἰμι, verbum illud, unde pendet adverbium πρὶν, cui vox γένος adhæret, tam poteſt eſſe εἰμὶ quam λέγω, & alterutrum ut ſit, neceſſe eſt; cum nullum præterea verbum in hac tota comprehenſione inveniatur. Itaque, cum neutrum illorum præteriti temporis ſit, ſed utrumque præſentis, ſequitur neceſſario ex vi ipſius grammaticæ, vocem γένος non præteriti, ſed præſentis temporis eſſe, cujus ſignificatio in futurum reſpicit. Propterea igitur ſcripſeramus nos verba illa, *cum nullum verbum nec antecedat, nec ſequatur, quod præſentis temporis non ſit, non dubium eſt, quin verbum* γένος *ſignificationem præſentis temporis in futurum reſpicientis habeat.* Quæ ſe non intelligere Adverſarius dicere debuerat potius, quam ea vel hic ita ſophiſtice reprehendere, vel ſupra, ob

repetitas negationes, tam puerilitet, affectatæ obſcuritatis notare.

6. Cum pro re certiſſima haberetur, in Chriſti verbis pro Græco γένομαι Fieret Latine legendum eſſe, nil mirum eſt, ſi noſtri homines, ut oſtenderent, hunc locum non adverſari ſuæ ipſorum ſententiæ de Chriſti perſona, quæ ex infinitis aliis locis apertiſſime colligitur, & ex tota religionis noſtræ analogia manifeſtiſſima eſt, conati ſunt oſtendere, ipſius loci ſenſum alium eſſe, quam nunc affirment, poſtquam non Fieret, ſed Fiat legendum eſſe animadverterunt. Quod ſi aliquid fortaſſe abſurditatis in prioribus interpretationibus inerat (id quod tamen non arbitramur, ſi modo recte intelligantur) condonandum ſane illis videtur, cum præſtet aliquid abſurdi dicere, quam loci alicujus ſenſum pro vero recipere, quo tota ferme ratio religionis noſtræ turbetur, ac tantum non pervertatur.

7. Fallacia quædam diviſionis in Adverſarii eſt reprehenſione. Etenim in verbis illis Chriſti *Ego ſum*, Joh. 18. 5. manifeſte ſubaudiendum eſt, Jeſus Nazarenus, & perinde cenſendum, ac ſi Chriſtus diſerte dixiſſet, Ego ſum Jeſus Nazarenus; non autem verba ipſa Ego ſum per ſe accipienda, & conſideranda. Præterea, quamvis ſcriptum ſit ỳſ. ſeq. quod, cum Chriſtus dixiſſet, Ego ſum, illi qui eum comprehenſuri venerant, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram, non eſt tamen intelligendum, vi iſtius dicti illud factum eſſe, quod quiddam magicum aut cabaliſticum ſapit. Sed animadvertendum eſt, ac concludendum, quod non viribus ſuis, ſed Dei tantum conſilio, ac voluntate illi poſtea Jeſum comprehenderint. Nam, cum maxime (poſtquam videlicet, ſe eum eſſe faſſus eſſet, quem illi quærerent) propius ad illum accedere, eumque comprehendere debuiſſent, abeunt retrorſum, & ipſi in terram cadunt. Quanquam ſi ipſius dicti vi hæc facta fuerunt, ſatis ſuperque virium ad ea efficienda ipſe Jeſus in eo quoquo modo nominatus habere potuit; nimirum, qui non ſolum divina poteſtate jam eſſet præditus, verum etiam univerſorum hæres ac dominus jam à Deo deſignatus fuiſſet, in cujus nomine omne genu cæleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum ſe flexurum eſſet, nec opus eſt, ut in dicto illo ipſum æternum Deum comprehenſum fuiſſe ſomniemus. Nam in loco illo Exod. 3. ut ipſe Adverſarius ſatis animadvertit, non legendum eſt, Ego ſum, qui ſum, ſed Ero, qui ero. Et ſi enim ipſe dicit, nihil referre, quo tempore iſtud efferatur, quia videlicet tam præterritum, quam futurum, apud Deum ſit præſens, tamen plurimum omnino refert, ut infra alibi, id eſt cap. 20. partic. 2. oſtendemus, ubi etiam de tetragrammato Dei nomine agemus. Quia ipſemet Adverſarius hoc loco hoc ipſum refutat, quod prius dixerat; cum poſtea ait, Chriſtum non dixiſſe Ego fui, ſed Ego ſum, ut ad divinitatis declarationem id tenderet. Nam, ſi nihil refert, quo tempore verbum iſtud efferatur, cur non potius Fui dixiſſe, atque ita ſe, quod pertinebat ad Abraham, non de re adhuc futura, ut alioqui verba omnino indicant, ſed de ea, quæ jam fuiſſet, loqui oſtendiſſet?

Cæterum haud levi accidentis fallacia vult omnino Adverſarius, ſi hæc verba Ego ſum, à Deo de ſe dicta, æternam ipſius eſſentiam ſignificant (de quo tamen nihil apparet) hinc conſequi, eadem à Chriſto dicta idem de ipſo Chriſto ſignificare. Quaſi pro loquentis ratione non poſſint eadem verba diverſum ſenſum habere, & quaſi non certum ſit, & ab omnibus fere conceſſum, in tribus illis locis à nobis allatis, Joh. 8. 24. 28, & cap. 13. 19. hæc ipſa verba Ego ſum à Chriſto de ſeipſo dicta non aliud potiſſimum ſignificare, quam ipſum eſſe Meſſiam illum promiſſum, Iſraëlique à Deo miſſum & conſtitutum ſervatorem ac liberatorem. Hanc quidem eſſe vim verborum Ego ſum à Chriſto dictorum, declarat aperte Matthæus, qui, quod apud Marcum Marc. 3. 6, & Lucam Luc. 21. 8, ſcriptum eſt, de iis, quos ſe pro Chriſto venditaturos eſſe, monuit ipſe Chriſtus, quod videlicet dicturi eſſent, Ego ſum, ipſe ſic extulit Mat. 24. 5, *dicentes, Ego ſum Chriſtus.*

Adde, quod, ſi verba, Ego ſum, eam vim habitura fuiſſent, quam Adverſarius affirmat, oportuiſſet illa per ſe enunciata eſſe, non autem cum conſtructione ſimul aliorum verborum, & cum ſignificatione exiſtendi non quidem ſimpliciter, ſed ante aliud quidpiam; ut quidem hic factum eſſe, ipſe contendit. Nec unquam probabit ipſe, id potuiſſe fieri, quod, hanc objectionem ſentiens, tam audacter factum eſſe aſſeverat, ut Chriſtus ſcilicet per comparationem ad Abraham dixerit, Antequam Abraham fieret, ego ſum, & ſimul tamen ad ſuæ divinitatis declarationem verbum Sum tendere voluerit.

8. Ad oſtendendam vim verbi γένεσθαι in loco noſtro nihil accommodatius afferri poterat, quam duo illi loci apud eundem Euangeliſtam cap. 13. 19, & cap. 14. 29. quippe in quibus ſit ipſum verbum γενέσθαι cum eadem ſtructura verborum; adeo ut nihil ſimilius inveniri queat. Id quod ne ipſe quidem Adverſarius negare eſt auſus. Quid igitur iſtud eſt, quod dicit, Ibi Chriſtus de eo, quod futurum erat, loquebatur, hic vero de eo quod præteriit? Certe nihil aliud, quam apertiſſime principium petere, & interim tamen teſtimonia noſtra magis confirmare. Principii enim petitio manifeſta eſt in eo, quod ait, hic Chriſtum loqui de re præterita. Quandoquidem hoc illud ipſum eſt, de quo hoc loco controverſamur, quodque nos falſum omnino eſſe, contendimus. Major autem confirmatio teſtimoniorum noſtrorum in eo eſt, quod in illis duobus locis de re futura vult prorſus eſſe ſermonem; idque etiam demonſtrat. Nihil enim nos aliud quærimus, quam ex locis, ubi certiſſimum ſit, de re futura agi, cum ea ibi per verbum γένεσθαι ſimili modo, quo hic, conſtructum ſignificetur, concludere, hic quoque & poſſe, & niſi contrarium probetur, debere intelligi, verbum γενέσθαι non præteritam, ſed futuram rem ſignificare.

Caput X.

Adverſarii in eadem ſecunda Aſſertione, ut refutarent noſtrorum hominum ſententiam, cujus in prima aſſertione mentionem fecerant, quæ eſt, tunc revera Jeſum fuiſſe à Deo Dominum factum, cum à mortuis excitatus, conſecutus eſt ab ipſo omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, attulerant Angeli verba ad paſtores Luc. 2 11, *Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Nos hunc locum de vera & plena dominatione, quam Jeſus jam adeptus eſſet, minime ab ipſis Adverſariis accipi poſſe, docueramus, probando, tunc temporis Jeſum nec ſecundum divinam tantum naturam, nec ſecundum humanam tantum, nec ſecundum utramque revera Dominum factum fuiſſe. Idque partim ex ipſorum Adverſariorum mente, partim propter evidentes rationes, quas attulimus. Inter quas ad probandum, quod Jeſus jam tum non eſſet revera Dominus ſecundum humanam naturam tantum, illa erat, quod is nemini adhuc dominaretur, ſed tunc primum natus in præſepi faſciis involutus jaceret, cuique paulo poſt propter illos, qui animam ipſius quærebant, in Ægyptum fugiendum fuiſſet. Contra hæc ab initio pag. 64, uſque ad medium & eo amplius pag. 65. quædam pauca ſcribit Adverſarius, quæ ſic habent.

Adverſarii dicta.

1. Mordet nos primo loco, quod in Animadver. in Aſſert. 23. faſſi fuerimus, Jeſum etiam ante reſurrectionem aliqua ratione Dominum & regem fuiſſe factum; hic vero à diviſione argumentantes concludamus, eum ante reſurrectionem non fuiſſe Dominum.

2. Deinde ſtatuit ipſe, Jeſum jam tum, cum Angelus paſtores eſt allocutus, immo à primo ſuæ conceptionis tempore, & ſecundum divinam, & ſecundum humanam naturam

naturam per unionem cum verbo Dominum fuiſſe; & ait, nequaquam, propterea quod Jeſus in Ægyptum fugerit, dicendum eſſe, illum non fuiſſe Dominum. Nam majoris hominum utilitatis cauſſa id faciebat, & poteſtate ſua uti nolebat, quemadmodum nec Deus omnia facit, quæ poteſt.

3. Itaque concludit, quamvis humana ratio non concedat, eum, qui adhuc infans ſit, & faſciis involutus in præſepio jaceat, in cœlo, & ubique regnare, atque ab Angelis adorari, id tamen & credere, & confiteri magnanimam catholicam fidem, cujus virtutem apud nos periiſſe affirmat, qui rationibus utimur, & argumentationibus Satanæ victi ſumus.

Reſponſiones.

1. Nulla prorſus eſt in verbis noſtris repugnantia; ſed eſt in Adverſarii morſu & tacita reprehenſione, fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter. Aliud eſt enim, aliqua ratione eſſe Dominum, aliud vero ſimpliciter, eſſe Dominum; adeo ut, quamvis illud verum ſit, hoc tamen falſum eſſe poſſit. Quinetiam invicem opponuntur hæc duo, Aliqua ratione & Simpliciter. Idem eſt enim Aliqua ratione, quod Aliqua tantum ratione. Quare, utrumvis verum ſit, alterum verum eſſe non poteſt. Præterea aliud eſt Ante Jeſu reſurrectionem; aliud vero Illico poſt ejus nativitatem. Nam ante Jeſu reſurrectionem multum temporis fuit poſt ejus nativitatem. Et quamvis, quidquid illico poſt Jeſu nativitatem fuit, fuerit etiam ante ipſius reſurrectionem, non tamen contra, quidquid ante Jeſu reſurrectionem fuit, idem fuit illico poſt ejus nativitatem. Itaque nullo pacto ſequitur, ſi Chriſtus fuit Dominus ante ſuam reſurrectionem, illico etiam poſt nativitatem ſuam fuiſſe Dominum. Ex quo apparet præter jam dictam fallaciam, alteram ex his duabus in Adverſarii morſu fallaciam eſſe, aut propriæ ignorationis elenchi, aut conſequentis. Quibus fallaciis adde errorem in argumento illo noſtro ex diviſione referendo. Nos enim aſſumentes facit, Chriſtum ſimul atque natus eſt, non fuiſſe Dominum, etiam ſecundum divinam naturam tantum. Quod quomodo affirmare potuiſſemus, divina iſta natura, ut hic diſputandi gratia fit, conceſſa? Aſſumpſimus igitur, non factum fuiſſe Dominum, non autem ſimpliciter, non fuiſſe. Quærebatur enim quando fuiſſet Dominus factus; tametſi in aliis duobus membris noſtræ diviſionis ad probandum, quod nondum eſſet factus, oſtenderimus, tunc non fuiſſe. Nam certe, qui factus eſt Dominus, Dominus eſt; ſed non contra.

2. Cum ex diviſione à nobis propoſita elegerit Adverſarius partem illam, quod Jeſus propter unionem cum verbo ſecundum utramque naturam ab Angelo Dominus fuerit dictus, ad ea reſpondere debuerat, quæ nos ad iſtam opinionem convellendam attulimus; non autem, iis prætermiſſis, ad ea ſe convertere, quæ à nobis contra eum ſunt allata, qui affirmare voluiſſet, Jeſum ab Angelo Dominum ſecundum humanam naturam tantum fuiſſe appellatum. Nam adverſus opinionem iſtam ea attuleramus, quæ Adverſarius refellere conatur; ipſi Jeſu videlicet paulo poſt fugiendum fuiſſe in Ægyptum, &c. Sed vix poteſt Adverſarii reprehenſio aut reſponſio ulla non cum aliqua inſigni fallacia eſſe conjuncta. Adde quod, etſi Chriſtus ad ipſius Dei exemplum multa facere poteſt, quæ tamen non facit (id quod non animadvertentes ex iis etiam, qui Chriſtiani nominantur, quidam, eum hodie regnare aut impie aut certe falſo negant, quia ſcilicet nondum hoſtes ſuos plane debellat, ſibique ſubjectos reddit) tamen longe aliud eſt quidpiam non facere, quod facere poſſis, aliud id facere, quod iſti potentiæ adverſetur. Quid autem magis cœli ac terræ dominationi adverſari cenſendum eſt, quam ob vitam ſuam à rege quopiam terreno tutandam fugere ac latitare? Poteſt quidem quis hæc facere, & jam tanti dominatus jura aliqua habere, ſed ut dominatum ipſum jam revera habeat, & tamen hæc faciat, inter ea numerandum videtur, quæ fieri nullo modo poſſunt. Sed quod Chriſtus non modo ſtatim ab ipſo ortu, ſed ne ante reſurrectionem quidem cœli & terræ Dominus revera non eſſet; præter ea, quæ ſupra non uno in loco huc pertinentia diſputata ſunt, ex iis clarius apparebit, quæ dicentur, cum ad Aſſert. 23. ventum fuerit.

3. Catholica fides, id eſt fides, qua univerſi illi ſunt prædíti, qui Chriſti ſpiritu gubernantur, ubicumque tandem locorum ſint, non ſane in eo magnanimitatem ſuam prodit, quod credat, Chriſtum, cum adhuc infans in præſepi faſciis involutus eſſet, in cœlo, & ubique regnaſſe, & ab angelis adoratum fuiſſe, cum de his nihil in divinis oraculis tradatur, immo cum multa his contraria in Sacris Literis legantur, cumque hæc vera eſſe & pro certis haberi, nihil vel ad Dei gloriam, vel ad æternam hominum ſalutem pertinere queat. Sed in eo ſe magnanimam hæc fides oſtendit, quod credit, hominem illum Jeſum Nazarenum, qui crucifixus fuit, tantopere à Deo exaltatum fuiſſe, ut in cœlum ſubvectus ibi ad ipſius Dei dexteram in ipſius Dei ſolio collocatus fuerit, ab ipſis etiam angelis adoretur, & ad ejus nutum omnia ſive in cœlo, ſive in terra, præſto ſint, atque obediant; & mors ipſa atque infernus pareat. Hæc enim non modo in divinis oraculis, ſunt teſtatiſſima, ſed ad Dei gloriam patefaciendam atque amplificandam, nobiſque beatam immortalemque vitam conciliandam quam maxime pertinent. Rationibus porro atque argumentationibus contra expreſſum & indubitatum Dei verbum uti, quod ſæpe Adverſarii faciunt, à Satanæ ſpiritu ſine dubio proficiſcitur. Verum eaſdem, licet ab hominis ingenio excogitatas, modo ne Dei verbo adverſentur, ſed ipſi ſint conſentaneæ, ad ipſa divina teſtimonia interpretanda, & ad hominum commenta retegenda adhibere, Dei donum eſt; qui idcirco rationis quaſi oculis nos inſtruxit, ut, cœlestis patefactionis lumine, tanquam ſole, exoriente, ſalutarem veritatem agnoſcere, & ab ea pernicioſa mendacia ſecernere valeamus.

Caput XI.

Quoniam in eadem ſecunda Aſſertione ad probandum, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, dictum fuerat, Chriſtum Spiritui Sancto tribuiſſe ea, quæ perſonæ ſunt propria, nos in hoc animadvertentes diximus, rationem iſtam invalidam eſſe. Nam ſæpe apud Sacros Scriptores iis, quæ non ſunt perſonæ, ea tribuuntur, quæ perſonis tantum conveniunt; idque factum eſſe oſtendimus in peccato, in lege, in ſpiritu, id eſt vento, in ſcriptura, & denique in charitate. Contra hoc ad hunc modum ad finem pag. 65, & in principio pag. 66. diſſerit Adverſarius.

Adverſarii dicta.

1. Primum ait, nos negaturos ipſum quoque Patrem, & Filium eſſe perſonas, *ſi ita* (inquit) *libuerit argumentari, Quæ ſunt propria perſonarum, aliquando peccato & vento tribuuntur, & tamen non ſunt perſonæ. Ergo licet Patri & Filio, tribuantur propria perſonarum, non erunt perſonæ.*

2. Deinde dicit, nos in Animadver. 2. Aſſert. 14. fateri, Spiritum Sanctum eſſe Dei virtutem atque potentiam; cui cum perſonæ proprietates attribui dicamus, licet non ſit perſona, ſequitur, nos credere, eum vel Dei accidens eſſe, vel ſubſtantiam ab eo diverſam. Itaque Deum, quem naturæ ſimpliciſſimæ eſſe conceſſimus, ex diverſis compoſitum fingimus.

Reſponſiones.

1. Suo more Adverſarius nos ex reis actores facit, & turpiſſime argumentantes fingit. Reſpondemus ad argumentum

mentum Adverſariorum ductum ex eo, quod Spiritui Sancto ea tribuantur, quæ perſonarum ſunt propria; & conſequentiam falſam eſſe oſtendimus, cum multa tribuantur perſonarum propria iis etiam, quæ non ſunt perſonæ. Ipſe vero nos argumentantes inducit, & concludentes, quia multis, quæ non ſunt perſonæ, perſonarum propria tribuuntur, idcirco Spiritum Sanctum cui perſonarum propria tribuuntur, non eſſe perſonam. Itaque non ſolum una cum diſputandi ordine pervertit verba noſtra, ſed etiam nos ineptiſſime in ſecunda figura ex puris affirmativis iiſque particularibus argumentantes facit. Hæc ſive ignorantia, ſive malitia, in quam, ut diximus, ſæpius Adverſarius incidit, talis & tanta eſt, ut fidem omnibus quæ dicit, apud cordatos homines merito abrogare queat. Potuiſſet ferri Adverſarius, ſi dixiſſet, cum conſtet, Spiritui Sancto ea tribui, quæ ſunt propria perſonarum, hoc debere eſſe indicium, ſive hinc probabile fieri, ipſum eſſe perſonam. Ad quod indicium ſeu probabilitatem convellendam non ſatis eſſe, ſi oſtendatur, multis, quæ perſonæ non ſunt, aliquando ea tribui, quæ ſunt perſonarum propria; niſi etiam aut rationibus aut teſtimoniis aliis vel planum, vel ſaltem probabile fiat, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam. Id quod ſenſimus nos in Animadverſione noſtra. Sed tamen eo loco; tum quia in Aſſertione, ejus rei nulla facta fuerat mentio, ſed ſimpliciter, ex eo, quod Spiritui Sancto ea tributa fuiſſent, quæ perſonæ ſunt propria, oſtenſum eſſe dictum fuerat, eum eſſe perſonam, tum vero quia brevitati nobis ſtudendum erat, ea tantum verba ad finem ejuſdem Animadverſionis ſcripſimus, *Nam quod nullo modo ſit perſona, id evidentiſſimis cum rationibus, tum divinis teſtimoniis demonſtrari poteſt, quæ hoc loco proferre non eſt neceſſe.* Quibus verbis Adverſarius alibi, hoc eſt in examinatione eorum, quæ animadverſa ſunt à nobis in Aſſertionem 24, ad hunc modum pag. 124. reſpondet; *Erat neceſſe, ut latens ulcus videremus, tentaremuſque ei medicinam adhibere.*

Ne igitur poſthac vel ipſe vel alius quiſpiam idem à nobis requirat, conſtituimus hoc loco ex ipſis Sacris Literis oſtendere, Spiritum Sanctum non eſſe perſonam. Id autem, antequam aliud dicamus, monendum lectorem cenſuimus, quemadmodum nos fatemur, aliquam fuiſſe cauſſam, cur Spiritus Sanctus perſona eſſe cenſeretur, alioqui non id tam firmiter jamdiu à pleriſque creditum & acerrime à multis defenſum fuiſſet, ſic debere Adverſarios noſtros confiteri, nonnullam ſaltem cauſſam fuiſſe, cur Spiritus Sanctus minime perſona eſſe putaretur. Alioqui nec olim multi, inter quos Lactantius, teſte Hieronymo, * inventi fuiſſent, nec hodie multo plures invenirentur, qui id plane & ſentiant, & defendere ſint parati. Atqui vel leviſſima cauſſa id ſentiendi magnum argumentum eſſe poteſt, id etiam eſſe verum. Neque enim veriſimile eſt, de vera perſona ea ſcripta fuiſſe, quæ ſuſpicionem ullam merito cuiquam injicere poſſint, eam veram perſonam non eſſe. Nam cur, quæſumus, id fieret? Cur, quemadmodum de confeſſis inter omnes perſonis factum eſſe videmus, fere ſemper, tanquam de perſona, de Spiritu Sancto Sacræ Literæ aperte non loquerentur, non autem, ut faciunt, ſæpiſſime tanquam de re quapiam, quæ non ſit perſona? Contra vero, quod nonnunquam, aut ſæpe etiam, tanquam de perſona, de ipſo locutæ fuerint, cum tamen non ſit perſona, nihil eſt mirum. Nam & proſopopœia, & metonymia, ut uſitatiſſimæ ſic accommodatiſſimæ ſunt ſermonis figuræ, ad ſenſa efficacius explicanda, & rem, quæ narratur, aut dicitur, tanquam ob oculos ponendam.

Jam vero, Spiritum Sanctum indiſtincte acceptum perſonam non eſſe, ſatis ex eo conſtat, quod dari, & de eo dari, idque vel ad menſuram, vel ſine menſura, effundi, & de eo effundi, potari, augeri, duplicari, vel partes ex eo fieri, auferri, & de eo auferri, modo eſſe, modo non eſſe, extingui denique Spiritus Sanctus dicitur; atque his ſimilia non pauca de eo dicuntur Act. 5. 32. 1 Joh. 4. 13. Joh. 3. 34. Epheſ. 4. 7. Act. 2. 17, & 33. 1 Cor. 12. 13. Epheſ. 5. 18. 2 Reg. 2. 9. Pſal. 51. 11. Num. 11. 17. Joh. 7. 39. 1 Theſſ. 5. 19. Etſi enim in locis, in quibus hæc dicta eſſe intelligimus, non eſt, niſi in paucis quibuſdam, Spiritus Sancti nomen diſerte ſcriptum, tamen nemo futurus eſt, qui, de ipſo Spiritu Sancto ubique verba fieri, negare audeat. Atqui iſta omnia ejuſmodi ſunt, ut nihil eorum de vera perſona dici queat. Ut enim de eo tantum, quod, ut frequentiſſimum ſic leviſſimum eſt omnium, aliquid explicatius dicamus, certum eſt, Spiritum Sanctum eo modo, quo datur, dari non poſſe, ſi eſt perſona. Nam aut totus datur, aut ejus pars. Si pars datur, aut hanc perſonam finitæ, aut infinitæ ſubſtantiæ eſſe volumus: ſi infinitæ; in partes id, quod infinitum eſt, dividi non poteſt: ſi finitæ; nullo pacto in partes dividi poteſt perſona, quin ſimul perſona ipſa corrumpatur, aut certe mutiletur. Sed corrumpi plane perſonam iſtam neceſſe eſſet, cum innumerabilibus Spiritus Sanctus detur, ſi cuicumque datur, ejus portio aliqua daretur. Sin autem totus datur, certe ſi finitæ ſubſtantiæ eſt, uni tantum dari eodem tempore poteſt, & tamen teſtimoniis Sacris docemur, eum ſæpiſſime compluribus eodem tempore fuiſſe datum. Quod ſi eſt infinitæ ſubſtantiæ, præter alia, quæ dici poſſent, id præcipue eſt animadvertendum, quod finitæ ſubſtantiæ. quales ſunt homines, quibus Spiritus Sanctus datur, non poſſunt infinitæ alicujus ſubſtantiæ, præſertim per modum receptionis, eſſe capaces. Vel certe, ſi Spiritus Sanctus ſubſtantiæ eſt infinitæ, is ſemper ubique eſt, & idcirco nec ullo pacto dari poteſt, nec magis in uno, quam in alio homine, aut magis in homine, quam in re alia quacumque eſſe. Præterea neceſſe eſt, in omnibus, quibus datur, eundem omnino eſſe Spiritum Sanctum, & conſequenter eadem prorſus ipſius effecta. Quæ tamen & diverſa ſunt, & alia aliis præſtantiora, quemadmodum potiſſimum ex iis intelligitur quæ ſcribit Paulus 1 Cor. cap. 12, & 14. Quod ſi ne id quidem, quod, ut diximus, eſt omnium leviſſimum (quid enim alioqui vetat quominus perſona dari poſſit?) de Spiritu Sancto dici poteſt, ſi Spiritus Sanctus eſt perſona, quid de aliis dicemus compluribus, quæ de Spiritu Sancto dici monuimus, quorum nullum ulla ratione de vera perſona dici poteſt? Peſſime igitur Adverſarius una cum ſuis loquitur, cum, nulla adhibita diſtinctione, Spiritum Sanctum perſonam eſſe contendit, idque nominatim de eo tunc etiam affirmat, cum in Sacris Literis tanquam donum conſideratur. Ut patet ex iis, quæ in aſſertione 24. leguntur, & in Adverſarii Apologia pag. 125.

Videtur quidem hic error illis antiquioribus quoque communis eſſe, qui primi nobis hanc Spiritus Sancti in divina eſſentia perſonam fabricarunt. Sed non idcirco eſt excuſandus; præſertim, cum antiquitus nonnulli fuerint, atque ætate noſtra ſint plurimi, qui licet Spiritum Sanctum perſonam eſſe credant, non tamen indiſtincte id verum eſſe dicant, & in locis paulo ante à nobis indicatis fateantur Spiritus Sancti, ſive ſpiritus Dei, ſive ſpiritus ſimplici nomine non ipſam Spiritus Sancti perſonam, ſed ipſius tantum dona & operationes ſignificari. Id quod alibi, id eſt pag. 101. in defenſione Aſſert. 14. agnoſcere videtur ipſe Adverſarius, dum nobis objicit, quod dona Spiritus Sancti cum eorum diſtributore confundamus. Sed quam recte, quamque conſtanter id faciat, ſuo loco poſtea videbimus. Nunc vero, ut nullo pacto ipſum Spiritum Sanctum perſonam eſſe probemus, ſic argumentamur. Spiritus Sanctus in potiorem ſignificationem acceptus, quemque ſi perſonam non eſſe conſtiterit, certum eſſe poterit, ipſum Spiritum Sanctum nulla ratione eſſe perſonam, non eſt extra Deum naturaliter, ſed in ipſo Deo. Nam, ſi in Deo naturaliter non eſſet, non potuiſſet Paulus Dei ſpiritum, qui ſine dubio ibi idem eſt, quod Spiritus Sanctus in potiorem ſenſum acceptus, cum hominis ſpiritu comparare, qui eſt in homine naturaliter. Inquit enim 1 Cor. 2. 11. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis,*

* Hier. ad Pammach. & Oceanum, & in comment. Ep. ad Gal. cap. 4.

nominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.

Cum igitur Spiritus iſte Sanctus ſit in ipſo Deo naturaliter, idem ferme hic dicimus, quod ſupra attigimus, cum de Dei ſapientia ageremus, cap. 7. partic. 1. quodque univerſum trinitatis perſonarum in uno Deo commentum facile retegere poteſt. Nam certum eſt, ipſum Deum, in quo Spiritus Sanctus eſt, perſonam eſſe. Alioqui Deus ipſe nihil ageret. Perſonarum enim tantum ſeu ſuppoſitorum ſunt actiones. Atqui de ipſo Deo, in quo eſt Spiritus Sanctus, ſcribit ibidem Paulus, quod per ſpiritum ſuum revelaverit nobis, quæ præparaverit diligentibus ipſum, quæ quidem ſine dubio actio eſt. Quare neceſſe eſt, ut quidquid naturaliter in ipſo Deo ſit, in quadam quoque perſona ſit naturaliter. Igitur ſi Spiritus Sanctus eſt perſona, ſequitur, unam perſonam naturaliter in alia eſſe perſona, idque haud reciproce (nec enim Deus viciſſim in ipſo Spiritu Sancto eſſe dicitur) quod nullo modo fieri poteſt. Aut certe ſequitur, Dei & Spiritus Sancti eandem eſſe perſonam, & unum idemque per omnia illud eſſe, quod ineſt & id, in quo illud ineſt. Quorum utrumque manifeſto falſum eſt.

Itaque apparet, Spiritum Sanctum quocumque modo acceptum non eſſe perſonam, ſed vim atque efficaciam Dei, non quidem omnem, ſed qua res ratione aliqua ſanctificantur; hoc enim ſignificat Sancti appellatio. Nam alioqui Dei vis & efficacia, quæ ſpiritus ſimiliter vocatur, ibi etiam apparebit, ubi nullus erit Spiritus Sanctus. Ut, cum Eſaias ait Eſa. 40. 7, areſcere herbam & cadere florem, cum ſpiritus Domini ſufflaverit in eum. Quinetiam ſpiritus Dei malus legitur in Sacris Literis 1 Sam. 18. 10. xix. 9, qui nihil aliud eſt, quam vis & efficacia quædam divina, qua homines vel torquentur, vel in reprobum, ut Paulus loquitur Rom. 1. 28, ſenſum dantur, ad cujus differentiam ex altera parte legitur ſpiritus Dei bonus Pſal. 143. 10. Nehem. 9. 20. Spiritus igitur Dei nomen per ſe vim & efficaciam ſignificat, variaſque appellationes aſſumit ſecundum ea, quæ efficit, & operatur, eaque vis & efficacia divina, quæ generali vocabulo Spiritus Sanctus appellabitur, eadem pro diverſis operationibus diverſas ſuſcipiet appellationes. Hinc apud Eſaiam Eſa. 11. 2 *ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & metus Jehovæ.*

Breviter omnis divina vis & efficacia Dei ſpiritus appellari poteſt, & idcirco Deus ipſe dicit, ſe repleviſſe Dei ſpiritu Beſeleel filium Uri Exo. 31. 3; quia videlicet eum impleviſſet ſcientia artis mechanicæ, qua opus erat ad ea omnia fabricanda, quæ ad ſui cultum ut fierent, Moſi præceperat. Verum quia vis illa & efficacia divina, qua aliqua ratione res ſanctificantur, aliis longe præſtat, eſtque Dei maxime propria, eamque & ipſe frequentiſſime ac plurimum exerit, & Sacræ Literæ commemorare neceſſe habent; propterea factum eſt, ut Dei ſpiritus, aut etiam ſimpliciter Spiritus nomine vis iſta ſignificetur, quæ, ut diximus, peculiari nomine Spiritus Sanctus appellatur. Eſt autem hæc Spiritus pro vi & efficacia appellatio per metaphoram à vento & flatu ducta; quo res nimirum qualitate aliqua facile replentur, & ſimul commoventur atque agitantur. Siquidem ea vox, quæ in divinis literis reddita eſt Spiritus, apud Hebræos & Græcos, ut etiam interdum apud Latinos vox ipſa Spiritus, ventum & flatum ſignificat. Eademque prorſus metaphora in eadem ipſa re, de qua loquimur, apud Latinos obtinuit. Pro eo enim, quod Sanctæ Literæ Dei ſpiritum dicunt, ipſi divinum afflatum nominant, & quempiam Dei numine afflari ajunt, vel etiam, ut Cicero* de poëtis dixit, divino quodam ſpiritu afflari.

Quamobrem non erat, cur quiſquam Dei ſpiritum in Sacris Literis perſonam aliquam ſignificare exiſtimaret, etiamſi quædam illi attributa inveniret, quæ perſonarum ſunt propria. Sive enim vis iſta atque efficacia divina, quatenus Deus per eam agit, conſideratur, & Dei ſpiritus nominatur, metonymiæ ſane & proſopopœiæ aptiſſimus eſt locus; Metonymiæ quidem, ut ſpiritus Dei nomine ipſe Deus, qui ipiritu ſuo agit, ſignificetur; Proſopopœiæ vero, ut, quando per ſpiritum ſuum Deus agit, ipſi ſpiritui actio tribuatur. Sive eadem iſta vis atque efficacia divina, quatenus res, in quibus Deus agit, ab ipſa afficiuntur, conſideratur, ac Dei ſpiritus appellatur, nulla eſt cauſſa, cur ſimiliter vel per metonymiam is, qui ab eo ſpiritu affectus aliquid agit, Spiritus Dei nomine intelligi non poſſit, vel per proſopopœiam; quandoquidem is, qui ita affectus eſt, per eum ſpiritum agit, actio illa ipſi Dei ſpiritui aſcribi nequeat. Exempla plurima ſimilium locutionum in ipſis Sacris Literis ſunt in promptu; & nos jam, ut dictum fuit, in Animadverſionibus noſtris non pauca inde deprompta attulimus. Quæ ita ſunt aperta, ut nec ea negare Adverſarius ipſe auſus fuerit, nec quiſquam ſanæ mentis negaturus ſit unquam. Atque hæc ſatis eſſe volumus, ut appareat, nos haud immerito negare, Spiritum Sanctum revera eſſe perſonam, quamvis ei in divinis literis ea tribuantur, quæ perſonarum ſunt propria.

2. Fœdiſſimus hoc loco Adverſarii lapſus ſola inſtantia coarguendus eſt. Nam ſi ex eo, quod nos negamus, Spiritum Sanctum eſſe perſonam, & interim confitemur, eum eſſe virtutem & potentiam Dei, ſequitur, nos eum vel accidens Dei facere, vel ſubſtantiam ab eo diverſam; ſequetur etiam ſimiliter, exempli cauſſa, ſi Dei juſtitia non eſt perſona, ut certe non eſt, eam vel Dei eſſe accidens, vel ſubſtantiam ab eo diverſam. Aut igitur peſſime, ut quidem apparet, argumentatus eſt Adverſarius; aut certe nihil nos dicentes facit, quod abſurdum ulla ratione videri debeat.

Caput XII.

In tertia & quarta collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo Aſſertione, ad probandum, fidem de trino & uno Deo eſſe antiquam, hæc allata fuerant. Primum, quod hic ſit articulus fidei, Deinde, quod antiquitus fidelibus omnibus, qui Deo placebant Heb. 11. 6. ea eſſet ſatis nota, Ibidem, ab ipſiſque culta, quemadmodum ab omnibus ſemper coletur, in quibus non fuerit Deus recens Pſal. 80. 10. Mat. 28. 20. Tum vero, quod Abrahamus eam profeſſus eſſet Gen. 18. 1. in perſonis angelorum, quando tres vidit, & unum adoravit, qui & communiter & ſigillatim Jehova ſæpius nominaretur Præterea, quod Patriarchæ poſteris eam quaſi per manus tradidiſſent, Deut. 32. 7. Poſtremo, quod Eſaias Eſa. 6. 3. vii. 14. paſſim trinum & unum Deum, & filii Dei incarnationem prædicaret tum alibi, tum vero ubi Dei filium ſic facit loquentem, *Dominus miſit me & ſpiritus ejus*, 48. 16, & 17. & ſequitur, *Hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſraël*, quæ verba Chriſti eſſe delararent proxime antecedentia.

Ad iſta nos ſic reſpondimus; Id, quod primo & ſecundo loco dictum eſt, negavimus. Ex hiſtoria illa de tribus viris ſeu angelis, qui Abrahamo apparuerunt, nihil poſſe colligi ad Dei unius trinitatem confirmandam, non tantum diximus, ſed etiam probavimus. Meras nugas eſſe diximus, quod Patriarchæ fidem iſtam poſteris tradidiſſent, & locum Deut. 32. 7. nihil ad rem facere oſtendimus, cum ibi de beneficiis tantum ſit ſermo, quibus Jehova populum Iſraëlis affecerat. Quod de Eſaia afferebatur, plane negavimus. Seraphim enim acclamationem illam, in qua Jehova ter ſanctus nominatur, non triplicitatem perſonarum, ſed ſanctitatis potius perfectionem in ipſo Jehova ſignificare, vel ejus ſanctitatis conſtantem aſſeverationem, & prædicationem oſtendere diximus. Quod exemplo ejus, quod habetur Ezech. 21. 27. confirmavimus, & præterea exemplis templi, & terræ ter ſine ulla triplicitatis eorum ſignificatione apud Hier. cap. 7. 4, & cap. 22. 29. acclamando vel compellando nominatorum nihil ſolidi argumentationem ex loco iſto Eſaiæ

ductam

* Cic. pro Arch.

ductam habere docuimus. Locum vero ejuſdem Eſaiæ cap. 7. 14. nihil de filii Dei incarnatione habere diximus; quam nullam noſſet Sacra Scriptura. Quinimmo ibi contineri vaticinationem de ortu filii Dei, ex quo commenticiam incarnationem iſtam eſſe appareret. Locum denique apud eundem Eſaiam cap. 48. 16, & 17. potius aperte demonſtrare, Chriſtum non eſſe Jehovam Deum, cum ibi Chriſtus (ſi modo Propheta ſub perſona ſua Chriſtum loquentem inducit) à Jehova Deo diſtinguatur. Cæterum, quia Jehovæ Dei ſpiritus ibi nominetur, à quo miſſus fuerit Chriſtus, nihil aliud inde colligi poſſe, quam Jehovæ Dei, & ſpiritus ejus, & Chriſti ſimul in ſalute noſtra operanda conjunctionem; non autem videlicet ullam in ipſo Deo perſonarum trinitatem. Contra hæc à fine pag. 66. uſque ad mediam fere pag. 71. ſic ſcribit Adverſarius:

Adverſarii dicta.

1. Jubet, ut Symbolum bene ediſcamus, ad hoc, ut ſciamus fidei articulum eſſe, quod Deus ſit unus eſſentia & trinus perſonis. Ibi enim dicitur, *Credo in Deum, Patrem omnipotentem*, &c. *& in Jeſum Chriſtum Filium ejus*, &c. *Credo in Spiritum Sanctum.* Hinc, arrepta occaſione, in nos multa convitia jacit, & tandem dicit noſtros poſteriores, quos edidimus, libros cum prioribus non conſentire.

2. Quod vero negamus, Patriarchis Deum trinum & unum fuiſſe cognitum, in eo nos Judæorum cantilenam canere, ſed nihil probare.

3. Quod ad hiſtoriam attinet trium angelorum, qui Abrahamo apparuerunt, ait, nos cum Thalmudiſtis acerrimis Chriſtianæ fidei hoſtibus ſentire. Sed eos refelli ab initio cap. 18. libri Gen. ubi aſſerit, oſtendi, Jehovam in tribus viris Abrahamo apparuiſſe. *Qua de re*, inquit, *in concione, polonicis poſtillis nuper adjuncta, copioſe tractatur.*

4. Locum Deut. 32. 7. ad rem facere ait, quia non ob aliam cauſſam Deus tanta beneficia populo præſtitiſſet, niſi ut magis ab eo cognoſceretur, & amaretur, & propterea Hebræi pii & ſapientes ſimul cum acceptis beneficiis ea, quæ ad pietatem, & fidem ſpectant, poſteris tradebant.

5. Non negat, cauſſam à nobis allatam, cur Seraphim apud Eſaiam Jehovam ter ſanctum vocent, eſſe veram. Sed ait, per illam non excludi trium perſonarum ſignificationem. Negat autem exempla terræ, & aliarum rerum tei repetitarum quidquam ſententiam noſtram juvare, quia peſſime quis ad hunc modum argumentetur; *Quod terra non habet, nec Deus habet. Perſonas terra non habet: Ergo perſonas Deus non habet. Item. Quod nomen terræ ſi repetatur, non poteſt ſignificare, etiam Dei nomen non poteſt ſignificare. Perſonas nomen terræ, ſi repetatur, non poteſt ſignificare. Ergo nomen quoque Dei ſi repetatur perſonas non poteſt ſignificare.*

6. Acriter nos objurgat, & ſummæ etiam arrogantiæ damnat, quod auſi ſimus dicere, ſcripturam ſacram nullam noſſe filii Dei incarnationem; quaſi omnia, quæ in Sacris Literis ſcripta ſunt cognitiſſima habeamus.

7. De loco Eſaiæ cap. 48. 16. ait, Hieronymum ſic ſcribere, *brevi verſiculo Trinitatis nobis oſtenditur ſacramentum.* Deum autem verum eſſe, qui ea verba dicat, ſequentia oſtendere. Cæterum in divinis perſonis mittentem à miſſo diſtingui non naturæ, ſed perſonæ tantum ratione. Itaque ibi etiam Jehovam Chriſtum dici.

Reſponſiones.

1. Putat Adverſarius, in ſymbolo, quod Apoſtolicum vocatur, in ipſis primis verbis, *Credo in Deum Patrem*, &c. diſtinctionem eſſe ponendam inter Deum, & Patrem, & intelligendum, poſt vocem Deum, tres perſonas, in quibus Deus conſiſtat, deinceps ſingulatim commemorari, in quas credendum ſit; Patrem videlicet, Filium, & Spiritum Sanctum; & ſic, qua ratione in Deum credatur, explicari. Sed interpretatio iſta, licet à multis Trinitariis recepta, ut plane inſolens atque inſulſiſſima eſt, ſic nullo negotio falſitatis convincitur. Primum enim ſi iſte Symboli ſenſus eſſet, non dictum poſtea fuiſſet, *Et in Jeſum Chriſtum* &c. ſed ſine præpoſitione In. Et Jeſum Chriſtum, &c. vel potius etiam ſine conjunctione Et, ſimpliciter, Jeſum Chriſtum, &c. Cum enim præpoſitio In non fuerit ipſi voci Patrem antea præpoſita, nulla ratione potuit ea anteponi nomini Jeſum Chriſtum, ſi vox Patris diſtincte à voce Deum accipienda eſt. Nam hoc pacto non repetitur, nec repeti poteſt ante vocem Patrem tacite verbum Credo; ſed neceſſe eſt, ut vox Patrem per appoſitionem enuncietur. Itaque ſimiliter ante nomen Jeſum Chriſtum verbum Credo tacite repeti nequit; ſed neceſſe eſt, ut id nomen per appoſitionem efferatur, & conſequenter nulla ratione ei præpoſitio In poteſt anteponi. Deinde, cum ad Spiritum Sanctum ventum eſt, ineptiſſime repetitur verbum Credo, ſi Spiritus Sanctus ibi ad Dei nomen ab initio poſitum explicandum pertinet; quantumvis longo intervallo ab eo diſtet.

Quanquam, ut à nobis in Animadver. 5. Aſſertionis 14. oſtenſum eſt, nullo modo poteſt admitti, in eo Symbolo dictum fuiſſe, credendum eſſe in Spiritum Sanctum, ut in Patrem ſcilicet, & Filium creditur. Alioqui ex vi grammaticæ ibidem dictum fuiſſet, eodem modo in reliqua, quæ poſtea nominantur, credendum eſſe. Quo nihil abſurdius dici poteſt.

Quamobrem concludendum eſt, vel, ut ibi diximus ſcriptum in eo fuiſſe, non quidem Credo in Spiritum Sanctum, ſed Credo Spiritum Sanctum, vel certe (quod idem reipſa eſt) non eodem ſenſu, quo ibidem dictum fuerat, Credo in Deum, Credo in Chriſtum, ſed eodem quo dicitur, exempli cauſſa, Credo in carnis reſurrectionem. Sic enim interdum locutos fuiſſe antiquiores theologos poſtea obſervavimus; in primis vero Tertullianum, & Cyprianum. Credere autem Spiritum Sanctum, quid ſibi velit, declarant hi loci Joh. 7. 39, & Act. 19. 2. Præterea, cum Jeſus Chriſtus in Symbolo Dominus noſter nominetur, ſatis patet, eum non fuiſſe comprehenſum in Dei nomine ſupra poſito, & ſcilicet deinde explicato. Quid enim attinet eum Dominum noſtrum nominare, quem, ipſum Deum eſſe ibidem explices? Certum igitur eſſe debet, Deum diſtincte à Chriſto Jeſu in Symbolo nominatum fuiſſe, eique prorſus Patris appellationem fuiſſe tributam, ſicut Jeſu Chriſto Filii ejus appellatio, tributa eſt; qui nimirum non ipſe Deus, ſed Dominus noſter eſt.

Multa conſulto omittimus, quæ ad interpretationis Adverſariorum ridiculum commentum apertius retegendum dici potuiſſent. Sed tantum id poſtremo dicimus, maximam fuiſſe iſtorum audaciam, qui verbis planiſſimis inſolentiſſimam explanationem accommodare ſunt conati. Quaſi vero ſententia, quam præ ſe ferunt, quidquam abſurdi contineat, & paſſim in Sacris Literis Jeſus Chriſtus ab ipſo Deo, non modo à Deo Patre, non diſtinguatur, idque quatenus etiam in ipſum Jeſum Chriſtum credi debet. Cujus rei vel ea ipſius Chriſti verba apertiſſimam faciunt fidem, quæ diſcipulis ſuis dixit Joh. 14. 1, *Creditis in Deum, & in me credite.*

2. Nihil attinebat nos quidquam probare, qui negamus; præſertim cum ab Aſſertione, quæ affirmat, nihil probatum fuiſſet. Quæ enim teſtimonia in ipſa allata fuerunt, ea nihil omnino ad rem faciunt; ob eamque cauſſam nulla ipſorum à nobis mentio fuit facta. Itaque ſilentio noſtro ſummam Adverſariorum ſive audaciam ſive oſcitantiam quandam occultaveramus. Cogimur autem nunc eam in apertum producere. Nam, cum videmus, nos accuſari, quod nihil probaverimus, multo magis à nobis requiri intelligimus, ut allatis contra nos probationibus reſpondeamus. Primum igitur ad probandum, quod articulus fidei (quem ipſi vocant) de uno & trino Deo ita ſit antiquus, ut omnibus fidelibus, qui

qui Deo placebant, eſſet, quantum ſat erat, notus, allatus eſt locus Hebr. 11. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere [Deo] Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quid, quæſumus, hic de trino & uno Deo vel ſuſpicari quidem licet? Quid porro ad rem pertinere poteſt locus iſte, niſi principium ipſum manifeſtiſſime petatur, & pro conceſſo ſumatur fidem erga Deum id omnino complecti, ut credatur, eum eſſentia quidem unum eſſe, trinum autem perſonis? Sed fortaſſe dicet Adverſarius, in ipſa Aſſertione hunc locum notatum fuiſſe ſtatim poſt verbum Placebant, & propterea illud ad id tantum probandum pertinere, quod fideles Deo placerent. Atqui hoc inſulſiſſimum eſt, cum nemo vel neſciat, vel neget, fideles ſemper Deo placuiſſe. Quod ſi quis tamen ea de re dubitaret, nullo pacto propter locum iſtum dubitare deſineret. Quandoquidem oſtendit quidem locus, non poſſe quemquam Deo placere, niſi ſit fidelis; ſed non idcirco demonſtrat; quemlibet fidelem Deo placere. Verum deinde idem locus manifeſte aliatus eſt ad probandum, quod iſtam fidem de trino & uno Deo priſci illi Patriarchæ cum poſteris ad ætatem uſque noſtram coluiſſent. Conſideret autem hoc, rogamus, lector non plane ſtolidus, & riſum teneat, ſi poteſt. Præterea, quia dictum fuerat in Aſſertione, eandem iſtam fidem cultum iri deinceps à veris Chriſti fidelibus uſque ad conſummationem ſæculi; ad id probandum prolatum fuerat teſtimonium ipſius Chriſti Matth. 28. 20. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Sed quid rurſus hic de trino & uno Deo? An non hic ſimiliter principium apertiſſime petitur, dum pro conceſſo ſumitur, omnes, quibus Chriſtus adeſt, neceſſe eſſe, ut credant, Deum eſſentia unum eſſe & trinum perſonis? Poſtremo poſt Chriſti fidelium nomen, interjecta cum parentheſis notis fuerant in Aſſertione hæc verba, *in quibus non erit Deus recens*, quibus adſcriptus fuit locus Pſal. 80. 10. ubi ſecundum Græcam, & vulgatam Latinam editionem legitur, dictum fuiſſe à Deo Iſraëlis populo, *Non erit in te Deus recens.* Nam in Hebræo pro Recens eſt Alienus ſive Extraneus. Jam, ſi hic locus citatus eſt ad oſtendendum, quicumque non agnoſcunt Deum trinum & unum, eos habere Deum recentem, ut quidem ad hoc citatum fuiſſe, verba ipſa omnino præ ſe ferunt, nihil magis ridiculum inveniri poteſt, cum Dei unius & trini nulla hic fiat mentio. Sin autem ad probandum, non debere in Chriſti fidelibus eſſe Deum recentem, hoc quoque inſulſiſſimum eſſe dicimus. Quandoquidem nec quiſquam eſt, qui id neget, ſi de ſummo rerum omnium auctore Deo, ut præſens diſputatio requirit, locus accipiatur; nec ſi quiſquam id, in quemcumque tandem ſenſum nomen Dei accipiatur, negare audeat, hoc loco convinci poſſet; cum multa in Vetere Teſtamento ſuo populo præceperit Deus, quæ ſub novo ad Chriſti fideles nullo modo pertinent. Itaque, ſi is ex altera parte oſtenderet ex Sacris Novi Fœderis Literis, Chriſti fideles debere recentem aliquem Deum habere, id eſt priſcis illis incognitum, nec locus iſte (quanquam, ut dictum fuit, in eo revera non de recente, ſed de alieno ſive extraneo Deo verba fiunt) nec quicumque alius ſimilis illi opponi poſſet, aut contrariam ſententiam quidquam juvare. Hæc autem obiter dicere voluimus, ne quiſquam exiſtimet nos contra Dei præcepta facere, qui Novi Fœderis oraculis admoniti Chriſtum pro Deo noſtro habemus & adoramus. Cum tamen interim non modo dicamus, eum, quo tempore Pſalmus ille compoſitus fuit, Dei populo non fuiſſe cognitum ut Deum, qui tunc coli deberet, ſed ne exiſtiſſe quidem eum revera, affirmare non dubitemus.

3. Quamvis Talmudiſtæ acerrimi ſint Chriſtianæ fidei hoſtes, & ſæpe turpiter errent, non tamen ſemper errant: nec ſemper ea, quæ dicunt, cum Chriſtiana fide pugnant. Locus autem in initio cap. 18. Gen. nulla ratione hic eos refellet. Etſi enim ibi primum dicitur, Jehovam apparuiſſe Abrahamo, & poſtmodum ſubjungitur, Abrahamum vidiſſe tres viros; non tamen ſequitur, Jehovam apparuiſſe Abrahamo in tribus viris, niſi In tribus viris ſignificare poſſit, non ſolum In omnibus ſive etiam In ſingulis tribus viris, ut profecto Adverſarius intelligit; ſed etiam Inter tres viros, id quod ipſe dicere noluit. Satis enim eſt ſecundum hiſtoriæ verba, Jehovam Abrahamo apparuiſſe, cum ei tres illi viri ſunt conſpecti, ſive omnes tres, aut etiam ſinguli Jehovæ perſonam ſuſtinerent, ſive eam ſuſtineret unus tantum ex illis, cui reliqui duo comites adjuncti eſſent.

Quanquam autem nihil momenti habet ad Deum trinum & unum probandum, quod Jehova in omnibus illis ſive etiam ſingulis tribus viris Abrahamo apparuerit, nec propterea refelluntur Talmudiſtæ & nos una cum illis, qui negamus, in ea apparitione trinitatis alicujus perſonarum in Deo myſterium ſignificatum fuiſſe (quid enim vetat, quominus Deus, licet unus tantum ut eſſentia, ſic etiam perſona, in pluribus tamen perſonis appareat, & vel it plures perſonas ſimul, ſive una omnes, ſive per ſe ſingulas ipſius perſonam ſuſtinere) tamen dicimus ac monemus, multo veriſimilius eſſe, unum tantum ex illis tribus viris ſive angelis Jehovæ perſonam ſuſtinuiſſe; eum videlicet, qui pauliſper cum Abrahamo remanſit, cum alii duo jam abiiſſent. Is enim ſolus aperte Jehova ſæpius appellatur; alii duo non item, quidquid dicat Aſſertio Adverſariorum, quæ vult, niſi fallimur, & omnes tres ſimul, & ſeparatim unumquemque ipſorum Jehovam ſæpius nominari, nixa videlicet his locis; eodem cap. 18. 1. 13, & 39, & cap. 19. 14.

Quod enim attinet ad primum, jam oſtenſum eſt, ſi modo unus, qui Jehovæ perſonam ſuſtineret, inter illos tres fuerit, rectiſſime dictum fuiſſe, Jehovam Abrahamo apparuiſſe, quamvis poſtea trium fiat mentio, qui illi apparuerint. Nempe quia reliqui duo eum, qui Jehova privatim nominatur, comitarentur.

Secundus locus aliud nihil habet, quam, *Et dixit Jehova ad Abraham.* Ubi nihil apparet Jehovæ appellationem ad omnes tres referendam eſſe. Immo veriſimile prorſus eſt, unum tantum ex ipſis ea verba protuliſſe; eum videlicet, qui Jehovæ perſonam proprie ſuſtineret.

Locus porro tertius manifeſte ad unum tantum refertur: id eſt ad eum, qui cum reliquis duobus non diſceſſerat; quem nos jam diximus ſolum Jehovæ perſonam ſubſtinuiſſe. Hinc factum eſt, ut Moſes cum iſtum ibi Jehovam nominaſſet, ſtatim ſeq. verſiculo, id eſt in initio cap. 19. illos duos reliquos quaſi ad tertii jam nominati diſtinctionem & propriam differentiam angelos tantum nominaverit.

Locus denique quartus ſic habet, *quia delebit Jehova civitatem hanc.* Sunt autem verba Loti ad generos ſuos. Ex quibus videtur poſſe colligi, illos duos angelos Jehovæ nomine fuiſſe appellatos. Ipſi enim ſuperiore ver. dixerant, Jehovam ipſos miſiſſe, ut perderent locum illum. Verum facile eſt videre, Lotum ipſi Jehovæ tribuere id, quod angeli illi Jehovæ juſſu & decreto facturi erant, vel potius, angelos illos ideo dixiſſe, ſe miſſos fuiſſe à Jehova ad perdendum locum illum, non quia ipſimet revera illum perdituri eſſent, id enim Jehova ipſe fecit Gen. 19. 24. miſſo è cœlo ſulphure & igne, ſed quia Jehova ipſorum miniſterio & uteretur & uſurus eſſet ad locum, inde Loto cum ſuis educto, ad perditionem præparandum; & ſimul etiam quia ad ipſorum angelorum nutum & quaſi datum ſignum id fieri debebat. Sic enim alibi ſæpe divini homines id facere dicuntur, quod Deus ad ipſorum ſeu voluntatem ſeu preces facere dignatur. Vide Apoc. 11. 6. Idcirco inferius ℣. 21, & 22. alter iſtorum angelorum tribuit ſibi, quod ſubvertere poſſet illam quoque urbem, in quam Lotus ſe recipere volebat; & ait, ſe non poſſe quidquam facere (de futura aliarum urbium perditione nimirum loquens) donec Lotus eo perveniſſet.

Cæterum, quod Adverſarius nos ad concionem poſtillis Polonicis nuper adjunctam rejicit, ut intelligamus,

quomodo Jehova in tribus viris Abrahamo apparuerit, nos viciſſim illum rejicimus ad ea, quæ non ſolum homines doctiſſimi iidemque Trinitarii, quamvis alioqui apud eum non orthodoxi, hoc noſtro ſæculo in eum locum ſcripſerunt, Lutherus, inquam, Calvinus, Muſculus, & alii: ſed etiam ad ea, quæ Chryſoſtomus, ei, ut credimus, planè orthodoxus & tantus Trinitarius, olim in eundem locum eſt commentatus. Ut ſciat, nihil illum ad tres perſonas in una Dei eſſentia ſignificandas pertinere. Ut interim nihil dicamus de antiquioribus illis Juſtino *, & Tertulliano †, quibus Euſebius aſtipulatur; qui unum ex illis tribus Abrahamo conſpectis & ab eo receptis ipſum Dei filium revera fuiſſe volunt; illum videlicet, quem diximus aliis antecelluiſſe; reliquos vero duos, angelos cum eo miſſos. Nimirum iſti omnes & una cum ipſis eorum æquales, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, tres perſonas in una numero Dei eſſentia minime agnoverunt.

4. Locus Deut. 32. 2. non fuerat in Aſſertione allatus ad probandum, quod pii & ſapientes Hebræi poſteris ſuis ea traderent, quæ ad fidem, & pietatem ſpectabant; qua de re nemo eſt, qui dubitet. Sed ad probandum, quod Patriarchæ poſteris ſuis divinis Prophetis fidem de trino & uno Deo quaſi per manus tradidiſſent; id quod à nobis negatur. Ex quo apparet Adverſarium evidente elenchi ignorationis fallacia uſum eſſe; idque, ubi ipſa ſubjecta materia docet, iſti ſophiſmati nullum locum eſſe poſſe. Et hoc ſatis ſit pro reſponſione ad ineptam, quam attulit fœdiſſimi errati ſuorum hominum defenſionem. Nam ipſius ſive defenſionis ſive reprehenſionis turpes alias fallacias explicare nimis longum eſſet, eæque à quolibet vel mediocri judicio prædito facile animadverti poſſunt.

5. Satis nobis fuiſſet negare, in illa Seraphica acclamatione apud Eſaiam ullam indicari trinitatem perſonarum in Deo, ſive ideo ter in ea Deum ſanctum nominari, quia in ejus eſſentia ſint tres perſonæ. Quandoquidem in hac & aliis ejuſmodi argumentationibus ex ſimplicibus conjecturis, & ab eo, quod fieri potuit, ductis, nulla prorſus eſt vis ad quidquam probandum. Ineſt enim in ipſis omnino manifeſta conſequentis fallacia. Namque in propoſito noſtro, etiamſi, eo poſito, quod in Deo tres eſſent perſonæ, neceſſarium eſſet, propter ipſas tres perſonas eum ter fuiſſe ſanctum appellatum (id quod tamen nequaquam eſſet neceſſarium) non tamen contra ſequeretur, ſi ter fuit ſanctus appellatus, id propterea fuiſſe factum, quia in ipſo tres ſint perſonæ; ſive, inde colligi poſſe, in Deo tres eſſe perſonas. Solent vero ejuſmodi conjecturæ ab iis, qui paulo cordatiores ſunt, non ad quidquam revera probandum afferri; ſed ad ejus, quod alioqui ſat probatum fuerit, majorem quandam, tamquam ſcilicet per effectus, quamvis non proprios, confirmationem. Quocirca, ſi alioqui de trinitate perſonarum in Deo conſtaret, tunc ſane liceret acclamationem iſtam, & ſi qua ſunt alia ſimilia, ad eam trinitatem, præſertim in ipſis locis explicandis accommodare. Nec aliter fortaſſe accipiendum eſt, quidquid antiquiores theologi de ejuſmodi locis ad eam accommodandis ſcripſerunt.

Ut igitur ad id, quod initio diximus, revertamur, cum argumentum ex acclamatione illa pro trinitate perſonarum in Deo ductum infirmiſſimum & fallaciſſimum ſit, ſimplici negatione ejus, quod in eo ſumitur, ſatis ſuperque à nobis refutari poterat. Verumtamen hoc non contenti non ſolum per apertas inſtantias ejus infirmitatem, & fallaciam oſtendimus, & ob aliam quampiam cauſſam, quam ob perſonarum in ipſo trinitatem, Deum ter potuiſſe ſanctum appellari, docuimus, ſed etiam, propter quam cauſſam id fieri potuerit, demonſtravimus, exemplo etiam ejus rei ex ipſis Sacris Literis prolato. Quam cauſſam cum ipſe Adverſarius rejicere nequeat, quid eſt, cur adhuc illorum Seraphim acclamationem iſtam nobis opponere poſſit, & argumentum ex ea ductum contra nos urgere? Immo ipſemet, ſe jam hoc facere non poſſe recte novit. Propterea, ad ingenium rediens, ad ſuaſque ridiculas technas confugiens, nos ex reſpondentibus argumentantes facit, & in novam quandam faciem diſputationem vertit.

Fingit igitur, nos, quam attulimus cauſſam ad probandum alio veriſimilius reſpicere trinam illam ſanctitatis Dei appellationem, quam ad ipſius Dei aliquam perſonarum trinitatem, eam ideo attuliſſe, ut probemus, nullo pacto fieri poſſe, ut ad iſtam trinitatem reſpiciat. Quaſi hoc nobis ſit probandum, & non ſatis habeamus oſtendere, nihil neceſſe eſſe, ut ad eam reſpiciat. Vel quaſi Adverſarii ſatis habeant, ſi reſpicere poſſit, & non præterea ad eorum argumentum concludendum opus ſit, ut omnino reſpiciat. Fingit inſuper inſtantias noſtras eſſe argumenta, ſive nos inde argumenta ducere pro aſſertione, quæ Adverſariorum aſſertioni ſit prorſus contraria. Id quod tamen nunquam nobis in mentem venit. Quamvis enim veriſſimum ſit, quemadmodum terra nullam in ſua eſſentia triplicitatem habet ſubſiſtentiarum, ſic Deum in ſua eſſentia nullam trinitatem perſonarum habere, & quemadmodum Terræ nomen, ſi repetatur, nullam in ipſa ſubſiſtentiarum multiplicitatem poteſt ſignificare; ſic ſi Dei nomen repetatur, nullam in ipſo ſubſiſtentiarum triplicitatem ſignificare poſſe; non tamen adeo ſtulti ſumus, ut quæ de Deo dicimus, ea ex iis colligamus, quæ de terra omnes fatentur, ſive illa ex his conſequi exiſtimemus; neque agnoſcamus fieri poſſe, ut, quæ de terra omnes fatentur, veriſſima ſint, & tamen falſa ſint ea, quæ nos de Deo affirmamus.

Itaque, ut abunde patet, non ad iſta de Deo probanda, licet veriſſima, Hieremiæ locum, ubi terra ab ipſo ter compellatur Hier. 22. 29 attulimus, quid enim ea hoc loco probare nobis opus erat; ſed ad fidem faciendam, ea etiam, in quibus nulla triplicitas eſt, ſolere ter, nulla alia interjecta voce, appellari, vel certe ſine ulla eorum triplicitatis ſignificatione id fieri. Ut inde conſtaret, nihil, quod ad perſonarum in Deo trinitatem attinet, ex eo poſſe colligi, quod in Seraphim acclamatione illa Deus ter, nulla alia interjecta voce, Sanctus appellatus fuiſſet. Atque hoc idem ipſa Romana eccleſia omnino ſentire videtur. Quippe quæ in ſua miſſa non ad Trinitatem, ſed ad ipſum Deum Patrem acclamationem iſtam referat. Sed præterea animadvertendum eſt, non ipſum Dei nomen, ut Adverſarius pro conceſſo ponit in ea acclamatione repetitum fuiſſe, ſed tantummodo Dei epithetum. Ex quo perſpicuum eſt, nos exempla attuliſſe (nam Templi Jehovæ quoque, Hier. 7. 4. non terræ tantum attulimus) ex quibus à majore ad minus negative (ut loquuntur) ratiocinando, multo magis Adverſariorum argumentationis infirmitas apparere poteſt. Nam ſi, ubi res ipſa ter appellatur, nulla tamen rei ipſius triplicitas intelligitur, multo minus, ubi non res ipſa, ſed rei epithetum ter nominatur, concludere quis poterit, rei ipſius triplicitatem, ſeu trinitatem aliquam omnino intelligendam eſſe.

6. Ut jure ac merito aſſerere poſſimus, ſcripturam ſacram nullam noſſe filii Dei incarnationem, non eſt neceſſe, nos omnia cognitiſſima habere, quæ in Sacris Literis ſunt ſcripta. Sed ſatis eſt, ſi vel unum locum in ipſis Sacris Literis invenerimus, ſive ſententiam unam, ex qua aperte colligatur, Dei filium non fuiſſe incarnatum. Nec enim Sacra Scriptura ſibi ipſi contraria eſſe poteſt, aut à ſe ipſa diverſa. Ejuſmodi autem ſententias complures invenimus, non unam tantum atque inter alias, illas, quarum in Animadverſione noſtra meminimus. Quod ſcilicet filius Dei in virginis utero conceptus fuerit, & ex eo tempore ortus ſeu natus. Quæ ſententiæ, ut ibi diximus, incarnationem iſtam penitus excludunt. Ille enim tum primum Dei filium eſſe cœpiſſe demonſtrant; iſta vero jam antea eum fuiſſe docet. Oportebat ſaltem, ut Adverſarius, quando nos tantopere objurgare volebat, vel ſententias iſtas ad incarnationem filii Dei excludendam nihil pertinere oſtenderet, vel ipſe ejuſdem incarnationis teſtimonia aliqua

* Juſtinus in colloq. cum Tryph. Jud.

† Tertull. lib. de Trinit. Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 2.

aliqua ex divinis literis proferret. Nam quod in Aſſertione allatum fuerat Eſa. 7. 14. id jam nos ejuſmodi eſſe oſtenderamus, ut ex eo contrarium potius colligeretur; quippe ex quo ſententiæ illæ elicerentur, quas diximus ad incarnationem filii Dei excludendam omnino pertinere. Plura dicere potuiſſemus, ut Adverſarii objurgationem atque accuſationem intempeſtivam ac prorſus ineptam & iniquam eſſe demonſtraremus. Sed ad eam refellendam ac diluendam hæc pauca ſatis erunt.

7. Egregia ſane probatio, Hieronymi auctoritatem contra nos afferre in quæſtione de Trinitate, ejuſque Sacrarum Literarum interpretationes ad Trinitatem perſonarum in Deo ex illis eliciendam nobis objicere; hominis videlicet, qui & ſententiæ noſtræ juratus hoſtis fuit, & ſæpe una cum aliis non paucis ejus ſæculi ſcriptoribus Sacræ Scripturæ locos ad noſtros homines, id eſt Trinitatem iſtam negantes, revincendos violenter atque adeo (liceat nobis, quod verum eſt, dicere) impudenter detorſit. Quemadmodum hoc noſtro ſæculo multi ex illis ipſis animadverterunt, qui eandem Trinitatem manibus pedibuſque, quod dicitur, propugnant atque defendunt. Quamquam potuit Hieronymus eo in loco Sacramenti Trinitatis nomine intelligere, non quod tres ſint in Deo perſonæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ſed quod iſti tres in noſtræ ſalutis myſterio concurrant. Id quod nos in Animadver. noſtra veriſſimum eſſe aſſi ſumus, neque ex ipſo Eſaiæ loco colligi poſſe negavimus. Certe, ut intra alibi dicetur, veteres theologi, cum Trinitatem nominabant, non, ut nunc fere fit ipſam Dei eſſentiam in tribus perſonis conſiſtentem, ſed ſimpliciter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum intelligebant.

Jam quod Adverſarius ait, ſequentia verba, *ſic dicit Jehova redemptor tuus*, &c. oſtendere, Deum, verum, illum videlicet unum Deum eſſe, qui hæc loquitur, id eſt, qui dicit, *Dominus Deus* (quamquam in Hebræo non Deus eſt, ſed Jehova) *miſit me, & ſpiritus ejus*, valde ipſum miramur, cum contrarium potius ex ſequentibus iſtis verbis omnino colligi debeat. Manifeſte enim oſtendunt, non minus, quam ipſa per ſe oſtendant antecedentia verba, alium eſſe, qui antecedentia, & porro ipſa ſequentia verba dicit, & alium Jehovam ſive Deum. Namque is ſine dubio loquitur, qui mittitur, & quemadmodum antea dixerat, ſe à Jehova fuiſſe miſſum, & ita ſe Jehovam non eſſe, aperte profeſſus fuerat; ſi deinde de Jehova ſive Deo, tanquam de alio à ſe, verba facit. Quippe de quo in tertia perſona loquatur, & cujus, ut tertiæ perſonæ, verba recitet, quibus ſua ipſius legatio continebatur; nomineque ipſius Jehovæ ſive Dei, non autem ſuo proprio, divina mandata populo exponat.

Quod igitur in Aſſertione dictum fuerat, verba antecedentia eſſe argumento, quod verba iſta *Hæc dicit Dominus redemptor tuus*, &c. ſint verba Chriſti (id quod nos in Animadverſionibus noſtris propter ejus evidentem vel futilitatem, vel falſitatem refellere neglexeramus) ſi ita intelligendum eſt, ut is, qui profert omnia illa verba, ſit Chriſtus, facile id concedi poteſt; certum enim eſt, eum eſſe, quod literalem ſenſum attinet, ipſum Eſaiam, quem ibi, ut alibi quoque, venturi Chriſti perſonam typice ac myſtice ſuſtinere, non eſt abſurdum. Atqui, ſi ita ſe res habet, conſtat Chriſtum non eſſe illum Dominum. Alius eſt enim omnino is, qui ait Dominum aliquid dicere; alius vero ipſo Dominus. Itaque hoc ſenſu futile eſt, Adverſarios affirmare, quod Chriſti ſint verba illa; immo illis prorſus inutile, cum ex eo contrarium probetur ejus, quod inde colligere volunt.

Quod ſi intelligunt, verba illa eſſe Chriſti non quidem omnia, ſed tantum, quæ ibi Domini nomine dicuntur, & ſic Chriſtum eſſe illum Dominum concludere volunt, hoc nec cum ipſa Aſſertione convenit, in qua non de iis, quæ Domini nomine dicuntur, quæ ne recitantur quidem, ſed de omnibus illis verbis, *Hæc dicit Dominus*, &c. eſt ſermo, nec ullo pacto ex antecedentibus colligitur. Immo, cum in antecedentibus, ut Aſſertio ipſa vult, Chriſtus loquatur, ſi idem non eſt, qui poſtea ſubjungit, *Hæc dicit Dominus*, &c. nihil in ſequentibus concludi ex antecedentibus poteſt, quod ad Chriſti perſonam attinet. Sin autem eſt idem, apparet, ipſum Chriſtum ibi de illo Domino, tanquam de tertia perſona loqui, & conſequenter, verba, quæ Domini nomine poſtea proferuntur, ipſius Chriſti verba non eſſe.

Poſtremo, cum Adverſarius dicit, in divinis perſonis mittentem à miſſo diſtingui; non ratione naturæ, ſed perſonæ tantum; in hoc primum evidenter principium petit, quippe qui divinas perſonas, id eſt in una Dei eſſentia plures perſonas, eſſe pro conceſſo ſumat; ad quod ipſum tamen probandum locus, de cujus interpretatione hic quæritur, a ſuis adeoque ab ipſo allatus fuerat. Deinde in elenchi ignoratione verſatur, cum hic non perſona aliqua divinitatis, ſed ipſe Jehova ſit is, qui Chriſtum mittit, ſi modo is, qui mittitur, Chriſtus eſt. Ex quo etiam fit, ut imprudens contra ſe ipſum argumentetur. Nam ſi mittens à miſſo perſonæ ratione diſtinguitur, ſequitur, aliam eſſe perſonam Jehovæ, & aliam Chriſti, & ſic Chriſtum non eſſe ipſum Jehovam, nec porro Jehovam eſſe ipſum Chriſtum. Quemadmodum Adverſarii ipſi ex eo, quod alia ſit in divinis perſona Patris, & alia perſona Filii, concludunt, nec Filium eſſe Patrem, nec Patrem viciſſim eſſe Filium. Neque enim eo confugere poteſt Adverſarius, ut dicat Jehovæ nomine hoc loco unam tantum divinitatis perſonam intelligi, hancque Patrem eſſe, quin pluribus modis principium petat, ut alibi ante monuimus, id eſt cap 7. partic. 1. Nam & in eo rurſus principium petit, quod poſtea ait, hic Jehovam Chriſtum dici. Niſi id ſatis ſe probaſſe exiſtimat per ea, quæ paulo ante dixit, ex quibus tamen contrarium demonſtrari, ſupra abunde docuimus.

Caput XIII.

Quincta & ſexta collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo Aſſertio oſtendere conatur, Trinitatis dogma à Chriſto & Apoſtolis apertius traditum eſſe, quam in vetere lege fuiſſet. In quincta tamen conceditur, nullam Sacram Scripturam aperte docere, tres eſſe divinas perſonas, & unam eſſentiam. Verum id ex eo evidenter colligi affirmatur, quod & Chriſtus Dominus, & Spiritus Sanctus verus Deus, & Pater ſimiliter verus Deus appellatur. Ad quod reſpondimus nos, dicentes primum, nihil ad rem facere, quod Chriſtus Dominus appelletur, cum hic non de dominatione, ſed de deitate agatur, id eſt de natura divina: deinde negantes, Spiritum Sanctum in Sanctis Literis vocari Deum verum. Hic ait Adverſarius non eſſe commorandum; quod Scripturis non utamur. Quaſi vero nobis, qui negamus, fuiſſent omnino ſcripturæ producendæ, cum tamen Adverſarii, qui affirmant, nullas produxiſſent. In ſexta Aſſertione afferuntur primo loco Chriſti ad Apoſtolos ſuos verba, in quibus ait Joh. 14. 16, & 26. ſe rogaturum Patrem, qui dabit illis Paracletum, Spiritum veritatis, & Patrem miſſurum Spiritum Sanctum in nomine ipſius, & denique Joh. 15. 26. ſe à Patre miſſurum Paracletum Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. Secundo affertur illud Mat. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Tertio afferuntur Pauli teſtimonia 1 Cor. 12. 4, 5, & 6. & Epheſ. 4. iiſdem verſiculis; ubi diſtincte de uno Deo, uno Domino, & uno Spiritu fit mentio. Nos vero in Animadverſionibus noſtris, quod ad prima teſtimonia attinet, dicimus, quamvis inde colligatur, Spiritum Sanctum à Patre per Chriſtum ejus diſcipulis fuiſſe miſſum, nullam tamen inde trinitatem perſonarum in Deo probari; ſed potius oſtendi Patrem ſolum eſſe primam omnium rerum cauſſam, ob eamque rem ipſum ſolum eſſe illum unum Deum: & indigniſſimum

eſſe exiſtimare, illum unum Deum vel dari ſeu mitti à quoquam, vel per ipſum quidquam mitti, aut dari; ut certe neceſſe eſſet, ſi & Chriſtus & ſpiritus ſanctus, uterque per ſe, eſſet ille unus Deus. Ad ſecundum teſtimonium reſpondemus, nihil aliud ex eo colligi, quam Apoſtolos juſſos fuiſſe baptizare in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; nec inde ſequi, hos tres eſſe ejuſdem eſſentiæ divinæ. Nam, ſi abſurdum videatur, in alium, quam in Deum, baptizari, Iſraelitæ in Moſem baptizati fuiſſe dicuntur 1 Cor. 10. 2. Sin autem offendat, quod aliud quidpiam, quod non ſit ipſe Deus, cum Deo ipſo in actione iſta conjungatur, ſæpe ipſi homines mortales cum ipſo Deo in actionibus & operationibus conjunguntur. Denique ad teſtimonia tertio loco citata hanc reſponſionem afferimus, quod potius ex illis probetur, illum Dominum, illumque ſpiritum, non eſſe illum unum Deum, cum ab ipſis unus ille Deus apertiſſime diſtinguatur; quodque ſi ex iſtis locis probaretur, tres perſonas in uno Deo eſſe, una ex illis tribus perſonis ipſe unus Deus eſſet. Quod longe abſurdiſſimum eſſe, nemo eſt, quin videat. Ad hæc Adverſarius à fine pag. 72. uſque ad initium pag. 79. ſic reſpondendum cenſuit.

Adverſarii dicta.

1. Primum ex eo, quod Spiritus Sanctus à Patre procedat, dicit conſtare, illum ejuſdem cum Patre eſſe naturæ, ac proinde illi æqualem. In Deo enim qui ſimpliciſſimæ eſſentiæ ſit, nihil eſſe majus, aut minus, quodve diverſam naturam habeat. Rurſus ex eo, quod Filius ſit veritas, & Spiritus Sanctus ſpiritus veritatis, quodque hunc ſpiritum Filius quoque a Patre mittat, conſtare, Filium eſſe utrique æqualem. Nam (inquit) quod dixit, ſe rogaturum Patrem, ſecundum humanam naturam dixit.

2. Deinde dicit, Spiritum Sanctum vere id oſtendere, quod Chriſtus alium Paracletum eum vocat, qui docet omnia, & ſuggerit omnia.

3. Addit autem de miſſione Spiritus Sancti non eſſe humano more cogitandum, ut videlicet nos facimus, qui propterea id, quod non poſſumus apprehendere, impudenti & impio ore blaſphemamus.

4. Jam in verbis illis, *Baptizantes eos in nomine*, &c. affirmat omnino Nomen, ut alibi, poteſtatem ac divinam virtutem ſignificare, quæ in baptiſmo invocetur. Unde conſtare ait, parem eſſe trium perſonarum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti ad regenerandum hominem invocationem, & conſequenter parem voluntatem, poteſtatem, & operationem; id quod aliunde etiam conſtare ait. Ex quo conſequitur neceſſario horum trium eſſe eandem naturam & eſſentiam. Et addit, nullam creaturam quantumvis excellentiſſimam ita Deo Patri conjunctam legi, ut ſimul in nomine Patris, & illius factum aliquid dicatur.

5. Ad exemplum Iſraëlitarum in Moſem baptizatorum reſpondet, Paulum non dicere in nomine Patris, & Moſis fuiſſe baptizatos, ſed in Moſem, vel in Moſe. Eum autem baptiſmum figuram & umbram fuiſſe noſtri baptiſmi. In illo per Moſem divina poteſtate exterius miraculum eſt factum, quod per hominem fieri poteſt. In noſtro vero homo regeneratur, è Dæmonis poteſtate eripitur, ei cælum aperitur, & vita æterna donatur; idque Chriſtus cum Patre, & Spiritu Sancto facit. Hoc autem Dei eſt proprium. Quare exemplum iſtud afferre, nihil aliud eſſe ait, quam umbram ſoli opponere, & figuram cum veritate confundere, famulum cum Domino, Moſem cum Chriſto.

6. Ad id vero, quod dicebamus, ipſos homines mortales ſæpe cum ipſo Deo in actionibus & operationibus conjungi, reſpondet homines conjungi cum Deo per exteriora tantum & tanquam externas cauſſas; idque, quomodo in exemplis à nobis allatis factum fuerit, oſtendere conatur. Atqui *ſatis evidens eſt*, inquit, Filium, & Spiritum Sanctum in Baptiſmo tanquam interiorem cauſſam ablutionis, & juſtificationis cum Patre conjungi, ſimulque invocari.

7. Denique, quod attinet ad duo Pauli teſtimonia, dicit, nos non cernere, quam contra Deum peccemus, cum unum Deum ab uno Domino, & Spiritu, natura non perſonis diſtingui intelligimus. *Si enim*, inquit, *natura, unus Deus, ab uno Domino, & uno ſpiritu diſtinguitur, unus Deus nec Dominus nec Spiritus erit.*

Reſponſiones.

1. Ut veriſſimum ſit, quidquid à Deo Patre procedere dicitur, in ipſo eſſe, & ob eam cauſſam ejuſdem eſſe cum ipſo naturæ, quod tamen plane contra ſe habet, nam quæ in aliqua re inſunt ita, ut de natura id eſt eſſentia ipſius ſint, ex ipſa re nullo modo procedere poſſunt, ſed in ipſa perpetuo manent; Verumtamen, ut iſtud ſit veriſſimum, nihil hoc eſt ad propoſitam diſputationem. Neque enim hic quæritur, utrum Spiritus Sanctus ſit ejuſdem naturæ cum Patre, ſed an ſit certa perſona quædam eſſentiæ divinæ; id quod nequaquam ex eo ſequitur, quod ſit ejuſdem cum Deo Patre naturæ ſive eſſentiæ. Juſtitia enim Dei (quo exemplo alias uſi ſumus) eſt ſine dubio, ut ipſi Adverſario placet, ejuſdem eſſentiæ cum ipſo Deo; nec tamen eſt certa quædam perſona eſſentiæ divinæ. Probet igitur ipſe prius, Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Alioquin nihil aget; quidquid eum ejuſdem cum Deo Patre eſſentiæ eſſe demonſtraverit. Ex quibus apparet, Adverſarium & falſam propoſitionem ſumpſiſſe, ex eoque argumentatum eſſe, quod illud ipſum, quod probare volebat, penitus convellit, & in ſumma elenchi ignoratione eſſe verſatum.

Addit autem, cum de filio loquitur, inſignes alias fallacias, primum æquivocationis, dum non diſtinguit inter filium ſeu Chriſtum, quatenus eſt veritas, & veritatem, cujus Spiritus Sanctus dicitur eſſe ſpiritus. Neque enim Chriſtus eſt veritas illa (nam utrobique eandem alioqui veritatem nominari concedimus) eſſentialiter & naturaliter, ſed quatenus ejus veritatis nobis eſt auctor & promulgator. Itaque Chriſtus per metonymiam veritas illa eſſe dicitur; quemadmodum alia multa per eandem figuram de eo prædicantur, quæ partim omnes agnoſcunt, partim propter falſas de ejus eſſentia opiniones plurimi nondum vident. Inter illa autem, quæ omnes agnoſcunt, ſunt iſta, Spes noſtra, Reſurrectio, Pax noſtra 1 Tim. 1. 1. Joh. 11. 25. Epheſ. 2. 14. quæ nemo non videt metonymice non autem eſſentialiter de Chriſto dici. Deinde in aliam fallaciam, id eſt figuræ dictionis, incidit Adverſarius, quæ ſane perridicula eſt. Putat enim dici ſpiritum veritatis eo ſenſu, quo dicitur, aut dici poteſt Spiritus Patris, quia ſcilicet à veritate procedat, ut à Patre procedit. Cum tamen pueri ipſi ſciant, eo ſenſu dici Spiritum veritatis, quo ex altera parte dicitur Spiritus erroris; ut vel Johannis verba illa docent 1 Joh. 4. 6. *In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Spiritus igitur veritatis dicitur, quia veritatem ſuggerit & docet, & quæ homines vi iſta atque efficacia divina afflati aut ſentiunt, aut loquuntur, ea veriſſima ſunt; non autem quia à veritate proficiſcatur. Præterea, cum ex eo, quod Filius Spiritum Sanctum à Patre mittit, ait, conſtare, eum eſſe æqualem Patri, perverſe admodum colligit, cum potius hinc inæqualitas inter filium, & patrem appareat. Hoc enim indicat, Spiritum Sanctum nequaquam ab ipſo filio, ſicut à Patre, tanquam à ſuo fonte, manare. Ut dictum eſt à nobis in Animadver. 2. Aſſert. 15. ad quem locum ubi pervenerimus, de diſtinctione illa ſecundum humanam, & ſecundum divinam naturam aliquid diſſeremus.

2. Jam oſtenſum eſt ſupra cap. 11. non eſſe recte concluſum, Spiritui Sancto ea tribuuntur, quæ perſonarum ſunt propria; ergo eſt vera perſona. Præſertim cum, eum veram perſonam non eſſe, aliunde appareat; ut ibi ſatis demonſtratum fuit. Nam quod Chriſtus eum alium Paracletum nominat, & alium ſine controverſia

ſui

ſui reſpectu dicit; non idcirco ſequitur, quemadmodum Chriſtus vera eſt perſona, ſic quoque Spiritum Sanctum veram eſſe perſonam. Similitudo enim in eo tantum conſiſtit, quod ſicut Chriſtus diſcipulos ſuos præſens conſolabatur, ſic, ipſo abſente, conſolaturus illos erat Spiritus Sanctus. Itaque non eſt per diviſionis fallaciam diſtinguenda in verbis Chriſti vox Paracletum à voce Alium; ſed conjunctim omnino ſunt legendæ. Ita ut intelligatur non quidem datum iri à Patre quendam alium, de quo ſtatim per appoſitionem dicatur, quod ſit Paracletus ſeu conſolator; ſed datum à Patre iri Paracletum ſeu conſolatorem alium. Simili ratione (quod modo pertinet ad ipſam locutionem) poſſet magiſter artis cujuſpiam ab egenis diſcipulis diſcedens dicere, Ego quidem à vobis abero; ſed habebitis tamen alium magiſtrum egeſtatem veſtram. Nam ut eſt apud Poëtam, *Magiſter artis venter*. Nec tamen egeſtas eſt perſona ulla, licet magiſter iſte abiens ſit perſona.

3. Ad ſua refugia convolat Adverſarius, cum ſe victum manifeſtis videt rationibus, & principium audacter petens, id veriſſimum eſſe pro conceſſo ſumit, & in Sacris Literis expreſſum, quod in ipſa inter nos quæſtiona verſatur; ac ſupra humani ingenii vires id eſſe affirmat, quod nos unicuique homini cordato planiſſimum eſſe contendimus, & in quo conſtat nihil arduum ad intelligendum eſſe, niſi ea ſint vera, quæ nos humana commenta eſſe, & dicimus, & evidenter probamus. De conviciis illis turpiſſimis, quæ temere & ſine ulla cauſſa eum in nos jacere, ex his manifeſtum eſt, ipſe viderit.

4. In hac invocatione, quam Adverſarius propter Chriſti verba Matth. 28. 19. contendit fieri in baptiſmo, non Patris ſolum, ſed etiam Filii, & Spiritus Sancti, ſeparatim de filio, & poſtea de Spiritu Sancto agendum eſt cum ſine dubio Filius ſit perſona, Spiritus autem Sanctus nobis nequaquam perſona eſſe videatur. Igitur, quamvis, ut poſtea dicemus, nulla invocatio ex verbis illis colligi poſſit, tamen quia nos alioqui Dei filio Chriſto Jeſu invocationem concedimus, dicimus ex Chriſti invocatione una cum Patre in baptiſmo, non poſſe concludi, utriuſque invocationem eſſe parem. Nam Pater invocari poteſt, ut certe invocatur, ut prima regenerationis noſtræ cauſſa, Chriſtus vero ut ſecunda. Ille enim is eſt, ex quo omnia 1 Cor. 8. hic vero is, per quem omnia. Quantum igitur intereſt inter primam, & ſecundam cauſſam, tantum intereſt inter Dei Patris, & Chriſti invocationem, ut regeneremur, & novi homines efficiamur. Itaque præpoſtere argumentatus eſt Adverſarius, dum hic ex pari invocatione parem operationem colligere voluit. Cum par invocatio hoc loco non niſi ex pari ac per omnia prorſus æquali operatione colligi poſſit.

Jam vero Spiritus Sancti invocatio, niſi is perſona eſſe oſtendatur ab ipſo Deo Patre diſtincta, par eſſe poteſt ipſius Dei Patris invocationi, & tamen hoc nihil Adverſarium juvabit; quippe qui probandum ſibi ſumpſerit tres eſſe perſonas in una eſſentia divina. Quod ſi dicat, Immo ex ipſa Spiritus Sancti invocatione una cum Deo Patre, conſtare eum eſſe perſonam à Deo Patre diſtinctam, negamus nos conſequentiam iſtam. Quamvis enim exemplum fortaſſe nullum ejus rei inveniatur, tamen non videmus, cur quiſpiam Deum, unaque ejus virtutem atque potentiam invocare non poſſit. Eam virtutem dicimus & potentiam Dei, quam inter omnes conſtat, non eſſe perſonam. Certe David Pſal. 57. 2. xxxvi. 8. xiii. 6. Lii. 10 dicit, ſe in umbra alarum Dei ſperaturum, idque alibi alios facturos ait. Aliis vero in locis, ſe in Dei miſericordia ſperaſſe, affirmat. Nec tamen vel umbra alarum Dei, vel ejus miſericordia ſunt perſonæ. Quid vero prohibet, quominus id invocetur, in quo ſperatur? Quamquam, ſi, ut velle videtur Adverſarius, vox Nomen, cum de eo dicitur, ad quem cultus aliquis referatur, poteſtatem & virtutem divinam ſignificat; ubicumque legimus (quod paſſim evenit) Dei nomen invocatum fuiſſe, ibi Dei poteſtatem atque virtutem fuiſſe invocatam, ſcriptum eſſe confitendum erit. Quid quod ipſe Adverſarius hic pag. 74. in ipſo initio explicans ſignificationem locutionis In nomine hæc verba ſcribit? *Deinde ſignificat, in poteſtate ac virtute divina, quæ præſto non adeſt, niſi credentibus in eum ejuſque opem implorantibus.*

En quanta ſit veritatis vis. Ipſe Adverſarius, qui obnixe contendit, Spiritum Sanctum ideo perſonam eſſe, quod ei ea tribuantur quæ perſonæ ſunt propria, nec veritati alioqui vult cedere, quæ clamat, attributa iſta non tanti eſſe, ut ex ipſis perſonæ veritas concludi poſſit, ipſius veritatis vi impulſus non ſolum rei cuidam, quæ perſona non eſt, ea tribuit quæ perſonæ ſunt propria, & in quibus ei, cui non debentur, aut non conveniunt tribuendis ſummum peccatum & ſcelus admittitur, fidem ſcilicet in eam, ejuſque invocationem; verum etiam illi ipſi rei tribuit, quam nos Spiritum Sanctum ipſum eſſe affirmamus. Nec vero poteſt Adverſarius dicere, ſe quoque poteſtatis ac virtutis divinæ nomine ſpiritum ipſum ſanctum, quem ipſe perſonam eſſe aſſeverat, aut divinam aliam perſonam intellexiſſe. Manifeſtum enim eſt, eum de poteſtate ac virtute illa divina loqui, quæ communis ex æquo ſit omnibus tribus perſonis; quæ profecto non eſt perſona. Vult enim ex locutione In nomine, qua poteſtatem ac virtutem iſtam divinam ſignificari ait, oſtendere, non minus, neque alia ratione Filium, & Spiritum Sanctum, quam Patrem in baptiſmo invocari; quia videlicet dictum fuerit, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Ut igitur ad propoſitum revertamur, dicimus, etiamſi verum eſſet, Spiritum Sanctum una cum Patre in baptiſmo invocari, inde periculum quidem fortaſſis futurum, Spiritum Sanctum aliquid à Patre diſtinctum eſſe, ſed perſonam aliquam, nullo modo. Et idcirco concludimus, nihil Adverſarii ſententiam, quod ad Spiritum Sanctum attinet (nam de Filio idem antea docuimus) juvari poſſe iſtis Chriſti verbis, licet ad Spiritus Sancti invocationem pertractis, niſi prius oſtendatur, Spiritum Sanctum eſſe perſonam. Sed præterea falſum eſt, ut in initio attigimus, ex Chriſti verbis colligi, Filium, & Spiritum Sanctum in baptiſmo invocari. Nec enim vox Nomen quidquam iſti ſententiæ patrocinatur; cum ob alias cauſſas, tum vero propter hanc, quod hoc in loco vox iſta, contra quam Adverſarius aſſeverat, poteſtatem aut virtutem aliquam non declarat; ſed In nomen Patris, &c. (ſic enim ſonant verba Græca) frequentiſſima in Sacris Literis locutione idem eſt, atque In Patrem &c. Hebræi enim alicujus rei nomen pro re ipſa uſitatiſſime dicunt. Itaque, quod hic ipſe Chriſtus dicit, Baptizari in nomen Filii, Paulus alibi, In Chriſtum baptizari dixit. Nempe (ut quidem habent Græca exemplaria) Rom. 6. 3. & Gal. 3. 27. Adde, quod ſi vox Nomen poteſtatem ac virtutem aliquam hic declaratura fuiſſet, dictum eſſet In nomine, ut Adverſarius dictum fuiſſe, veterem interpretem ſecutus, pro conceſſo ſumit, & exempla ab eo allata poſtulant. Qua locutione confitemur interdum poteſtatem ſeu virtutem ſignificari. Atqui in Græco eſt εἰς τὸ ὄνομα, id eſt, ut diximus, In nomen. Eſt quidem alibi diſerte ſcriptum ſecundum ipſam Græcam veritatem, de baptiſmo accipiendo in nomine Jeſu Chriſti, ut Act. 2. 38. ſed quid hoc ad locum noſtrum, ubi alia eſt locutio, & ubi de Spiritu Sancto quoque agitur, quem in baptiſmo invocari, aliunde nullo pacto apparet? Nec tamen hoc idcirco dicimus, quod locutionem iſtam In nomine ipſam per ſe in baptiſmo accipiendo invocationem declarare concedamus. Quandoquidem hic quoque vulgatiſſimum illum Hebraiſmum agnoſcere poſſumus. Ut baptizari in nomine Chriſti idem ſignificet, quod baptizari in Chriſto, vel, ſi vox Nomen hic aliquid expreſſius ſignificat, id denominationem à Chriſto eique ſui ipſius ſubjectionem declarat, quam is profiteatur, qui baptiſmum accipit. Quæ licet per ſe maxima ſint, & Jeſu Chriſti ingentem in eum, qui baptizatur, poteſtatem & jus indicent, ab eo ipſo, qui baptizatur, agnitum, non

tamen ipſa per ſe eum, qui baptiſmum accipit, Chriſtum invocare demonſtrant, & ob hanc cauſſam concludimus non ſolum Spiritus Sancti, ſed ne Chriſti quidem ipſius in baptiſmo invocationem ex locutione iſta, In nomine, colligi poſſe, quam ſive in verbis illis Chriſti, *Baptizantes* &c. ſive alibi, ubi de baptiſmo agatur, eſſe appareat.

Ex prædictis autem patet, quam frigidum ſit illud, quod Adverſarius ait, nuſquam creaturam ullam in hac locutione, in nomine, cum Deo Patre conjungi, etiamſi ea locutio in Chriſti verbis eſſet, de quibus agimus. cum nihil aliud ſæpe ſignificet locutio iſta, cum Deo accommodatur, quam, ſi Deus ipſe ſimpliciter nominaretur. Atqui cum Deo ſimpliciter nominato creaturas conjungi, idque in rebus maximis & alioquin ipſius Dei propriis, interdum ſolere, declarat inter alia exemplum illud in Animadverſionibus à nobis allatum Exod. cap. 14. ℣. 31. *Et crediderunt in Jehovam, & in Moſem ſervum ejus*, Cui adde illud, quod ſcriptum eſt 2 Paral. 20. 20. *Credite in Jehovam Deum veſtrum & confirmabimini; credite in Prophetas ejus, & proſperabimini.* Nam quis eſt, qui neſciat, Credere in aliquem rem maximam eſſe, & in ſolum Deum alioqui eſſe credendum?

Præterea nulla prorſus eſſe poteſt conſequentia, quam ex ipſo dicto ſuo Adverſarius ducit. Quid enim vetat, quominus, etiamſi alibi id factum non inveniatur, hic tamen factum fuerit? Certe, ſi Adverſarii ratio vera eſſet, nihil ſingulare uſquam in Sacris Literis inveniretur, id eſt cujus prorſus ſimile quippiam alibi dictum non eſſet. Et tamen multa ejuſmodi inveniuntur. E quorum numero fortaſſe eſt illud, quod attuleramus ex cap. 12. prioris Libri Sam. *Et timuit univerſus populus vehementer Jehovam, & Samuelem.* Nuſquam enim fortaſſe alibi res creata cum Deo conjungitur in timore erga ipſum. Idem dici poteſt de tertio exemplo à nobis allato ex lib. Judic. 7. ubi Gedeon cum Jehova in victoria contra Madianitas conjungitur. Si multi eſſent loci, in quibus cum Deo Patre aliæ res conjungerentur in locutione iſta In nomine, poſſet inde fortaſſis aliquod argumentum duci ad quidpiam in hac quæſtione noſtra probandum. Nunc, cum locus, de quo quærimus, ſit fortaſſe unicus in tota Scriptura, in quo conjunctio iſta fiat, quomodo, quæſumus, poteſt quiſquam ex eo, quod conjunctio rei creatæ in locutione illa nuſquam alibi extet, colligere ne hic quidem extare? Nam alius quiſpiam contra viciſſim colliget, cum nuſquam alibi res non creata in ea locutione cum Deo Patre conjungatur, ne hic quidem conjungi.

At enim ait Adverſarius, ex Pauli Apoſtoli verbis 1 Cor. 6. 11. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*, conſtare Filium, & Spiritum Sanctum non minus regenerare, quam Patrem. Atqui hoc aliud eſt, quam argumentari hanc parem in omnibus tribus regenerandi vim ex verbis Chriſti, *Baptizantes* &c. & ex pari invocatione illorum, quæ in iiſdem verbis contineatur, de quo Diſputatio inſtituta erat. Sed ita nimirum ſolet Adverſarius, quemadmodum alibi ſupra viſum eſt, dum ſcilicet quæritur, an ex certis quibuſdam verbis certave quadam appellatione certa quædam ſententia eliciatur, ex ea ipſa ſententia, quam aliunde colligi exiſtimat, prolatis ea de re aliis teſtimoniis argumentari.

Verum concedamus illi hanc diſputandi mirabilem rationem; & quid momenti habeant, quæ in medium affert, conſideremus. Dicimus igitur, ex Pauli verbis minime conſtare, Filium ſeu Chriſtum (nam de Spiritu Sancto, niſi prius probet Adverſarius, eum eſſe perſonam à Patre diſtinctam, ut ante dictum eſt, nihil attinet quærere) non minus regenerare, ſive, ut ipſe loquitur, Patrem non magis regenerare, quam Filium, id eſt (ſic enim ipſe ſe explicat, nec alioquin recte concluderet) eandem prorſus in regenerando operationem eſſe Filii, quæ eſt Patris. Nam etſi verum eſt, hac in re Patrem cum Filio conjungi, non quidem tacitè, ut Adverſarius cum evidente principii petitione affirmat, ſed expreſſe, dum nominatur Spiritus Dei noſtri (idem enim eſt, regenerari in Spiritu Dei noſtri, quod regenerari à Deo noſtro per Spiritum ipſius) Etſi hoc, ut diximus, verum eſt, tamen non conſequitur ex conjunctione iſta, parem omnino eſſe utriuſque operationem. Quemadmodum ex conjunctionibus aliarum perſonarum cum Deo, de quibus jam diximus manifeſtum eſt. Ubi, quemadmodum Adverſarius ipſe contra ſe ipſum imprudens argumentans pag. 78. contendit, alia eſt Dei, alia perſonæ illius, quæ cum ipſo conjungitur, operatio. Etenim, quod ibidem ait, magnam eſſe differentiam inter cauſſam interiorem, & exteriorem, & alias illas perſonas cum Deo conjunctas exteriores tantum cauſſas illis in rebus fuiſſe, Filium vero regenerationis eſſe interiorem cauſſam; Primum hoc ipſum rurſus nihil aliud eſt, quam contra ſeipſum argumentari, niſi prius probetur, interiorem cauſſam unam tantum eſſe poſſe, non plures; de quo paullo poſt videbimus. Deinde ex Pauli verbis non liquet, Chriſtum regenerationis noſtræ interiorem eſſe cauſſam. Namque In nomine Chriſti, ut ſupra diximus, ita accipi poteſt, ac ſi dictum fuiſſet in Chriſto. Immo hoc loco accipi debere, oſtendit, id, quod ſequitur, *& in Spiritu Dei noſtri.* In Chriſto autem, tritiſſima in Sacris Litteris locutione, nihil aliud eſt, quam Per Chriſtum. Itaque ſententia Pauli eſt, regenerationem fieri per Chriſtum, & per Dei Spiritum.

Jam quid obſtat, quominus Paulus externam cum interiore regenerationis cauſſa conjungat, ut quomodo illa contingat & fiat, exacte doceat? Immo vero quid veriſimilius eſt, quam ipſum utriuſque cauſſæ mentionem feciſſe? Cum igitur certum ſit, Spiritum Dei noſtri regenerationis noſtræ non externam ſed interiorem eſſe cauſſam, cenſendum videtur, Jeſu Chriſti nos regenerantis mentionem factam fuiſſe non ut interioris, ſed ut externæ cauſſæ. Eſt autem Chriſtus regenerationis noſtræ externa cauſſa, quia ipſe auctor eſt Euangelii prædicationis, nec ſolum auctor, ſed pluribus etiam modis confirmator, fœderiſque quod Deus nobiſcum in Euangelio pepigit, mediator & ſponſor, ejuſdemque ſanguine ſuo (liceat nobis his vocabulis uti) ſancitor & obſignator. Nec, poſtquam etiam in cœlum receptus eſt, factum eſt, ſine ipſo quidquam eorum, quæ ad Euangelii promulgationem, & confirmationem quoquo modo pertinent. Euangelii autem prædicatio & confirmatio tanquam inſtrumentum quodpiam eſt noſtræ regenerationis, 1 Petr. 1. 23. Jac. 1. 18. Præterea conſtitutum eſt à Deo, ut quicumque Jeſu Chriſti verbis fidem adhibuerit, eumque pro ſpirituali ac perpetuo rege ac domino ſuo agnoverit, is Sp. S. donum accipiat, quo plane homines regenerantur. Quomodo igitur non recte potuit Apoſtolus dicere, nos regenerari, ſive, ut ipſe loquitur, ablui, ſanctificari, juſtificari per Chriſtum, & per Dei noſtri Spiritum, etiamſi, quod ad ipſum Chriſtum attinet, eum ut harum rerum interiorem cauſſam non conſideraverit, ſed ut externam tantum?

Nec vero ita loquimur, quaſi negemus, Chriſtum interiorem regenerationis noſtræ cauſſam eſſe. Sed dicimus, neque id ex Pauli verbis probari, nec verum eſſe, quatenus à Dei noſtri Spiritu ſeorſum Chriſtus conſideretur. Eatenus enim Chriſtus regenerationis noſtræ interior cauſſa eſt, quatenus Dei noſtri Spiritum ab ipſo Deo acceptum nobis impertit atque largitur. Ex quo perſpicuum eſt, non recte argumentari Adverſarium, qui Chriſtum ſeu Dei filium idcirco ejuſdem eſſentiæ cum Patre eſſe concludit, quia regenerationis noſtræ ſit interior cauſſa. Quaſi neceſſe ſit, interiorem regenerationis noſtra cauſſam eſſe unam tantum, nec poſſint eſſe duæ; una prima & ſumma, altera ſecunda & media. Si adverſarius aut ſciret, aut ſaltem ſuſpicaretur, hominem illum Jeſum Nazarenum tantopere fuiſſe à Deo evectum, & tanta poteſtate donatum,

donatum, ut ipſe ſit, qui omnia, quæ ad Eccleſiam quoquo modo pertinent, gubernet atque adminiſtret, adeo ut nihil vel in ipſa, vel ad ipſam quavis ratione ſpectans, à Deo fiat, quin per ipſum Jeſum efficiatur, non ſane ita argumentatus eſſet, neque ex eo, quod Paulus dicit 1 Cor. 1. ſe plantaſſe, Apollo autem rigaſſe, Deum vero fuiſſe, qui incrementum dederit, collegiſſet, aut Filium non dare incrementum baptiſmo, aut ſi dat, eſſe ipſum Deum. Quandoquidem, cum Deus hominibus adhuc mortalibus ac terrenis, licet miniſtris ſuis, in operatione aliqua opponitur, Dei nomine non tantum ipſe Deus, ſed cæleſtes quoque & immortales creaturæ intelligi poſſunt, per quas, ut ſecundas cauſſas, inviſibiliter Deus operatur. Quapropter, niſi aliunde conſtet, rem ſic ſe habere non poſſe, nihil impedit alioquin, quominus Paulus rectiſſime locutus ſit, & tamen Deus incrementum illud per angelum quempiam dederit. Tantum abeſt, ut Jeſus Chriſtus, qui omnibus angelis præſtantior eorumque dominus eſt factus Heb. 1. 4. 1 Pet. 3. 22. omnino ab eo incremento dando excludendus ſit, niſi ſit ipſe Deus.

Atque ut in univerſum, cum Deus hominibus opponitur, appareat Dei nomine non ſolum ſupra dicti generis, ſed etiam ſecundas quaſque cauſſas, per quas ipſe citra homines operatur, comprehendi. Sumamus pro exemplo id, unde tranſlationem ſuam duxit Paulus. Si agricola diceret, ſe quidem plantare, & irrigare, Deum autem illum eſſe, qui dat incrementum, recte diceret; nec tamen excluderet ab incremento dando ſolem, & pluvias, atque ipſam terram, aliaque nonnulla, quin ne ipſam quidem aquam, qua ipſe irrigavit, quibus Deus, ut ſecundis cauſſis à ſe ea vi & efficacia donatis, ad incrementum dandum utitur. Quanto igitur minus, cum Paulus, Deum ſibi, & Apollo opponens, illi omnino tribuit, quod incrementum det, non excluditur ab incremento dando Chriſtus, licet non ſit ipſe Deus; cum Chriſtus non modo ſecunda ſit cauſſa, per quam Deus incrementum iſtud dat; ſed & in hoc, & in aliis omnibus ad Eccleſiam ſpectantibus ipſius Dei tanquam vicarius ſit, ſine quo nihil prorſus ab eo fiat? Nam quis audivit unquam, cum Rex vulgaribus ejus miniſtris opponitur, quibus aliquid negetur, quod illi tribuatur, id ei quoque negari, qui regis ipſius in omnibus vices gerat, & omnia ejus nomine adminiſtret? Agnoſcat aliquando Adverſarius hominis illius Jeſu Chriſti pro nobis olim crucifixi divinam in cælis majeſtatem atque potentiam, quam, ut univerſa Scriptura teſtatur, ex ipſius Dei dono & largitate eſt conſecutus. Et ſic deſinet cum illo, licet re creata, ullam ex aliis creaturis, aut etiam omnes ſimul, comparare; aut exiſtimare, ea, quæ hominibus mortalibus negata Deo tribuuntur, Jeſu Chriſto tribui non poſſe, niſi natura & eſſentia ſit ipſe Deus.

5. Jam dictum eſt, in Chriſti verbis *Baptizantes*, &c. non eſſe In nomine, ſed In nomen, & In nomen (exempli cauſſa) Filii aliud nihil eſſe, quam In Filium. Quare exemplum à nobis allatum accommodatiſſimum eſt ad probandum id, quod volumus, cum in eo dicatur, Iſraelitas baptizatos fuiſſe in Moſem 1 Cor. 10. 2. Hoc enim voluimus probare, In aliquem baptizari poſſe, qui tamen non ſit ipſe Deus. Quod ſi ibi non eſt conjunctus Moſes cum Patre, quemadmodum hic filius cum Patre eſt, hoc nihil eſt prorſus, cum conjunctio iſta per ſe non poſſit efficere, ut eodem modo omnino dicatur quis baptizari in filium, quo baptizatur in Patrem, quemadmodum conjunctio illa Moſis cum Jehova in credendo in illum non efficit, ut eodem modo omnino dicantur Iſraelitæ credidiſſe in Moſem, quo crediderant in Jehovam; ut Adverſarius ipſe contra ſeipſum interim quemadmodum antea diximus, argumentans, acriter contendit. Ex quo intelligitur, potuiſſe Paulum rectiſſime, ſi voluiſſet, dicere, Iſraelitas in Deum, & in Moſem baptizatos fuiſſe, quod & veriſſimum eſt; adeo ut id, quamvis non expreſſum, intelligi debeat. Sicut etiam, cum ipſe Deus Exo. 19. 9. dicit Moſis verba illa *Ut etiam in te credant in æternum*, intelligendum eſt, ac ſi dixiſſet, ut etiam in me, & in te credant in æternum. Neque enim propterea eodem loco habetur Moſes, quo Deus ipſe; ſed alia ratione in Deum, & alia in Moſem Iſraelitæ baptizati fuiſſe intelliguntur; quemadmodum alia ratione in Deum, alia in Moſem credidiſſe ſunt dicti. Et ſane qui conjungitur cum Deo in credendo in illum, tanto magis cum eodem conjungi poteſt in baptizando in illum, quanto fides baptiſmo præſtat, & interiorem, id eſt maxime verum cultum, magis præ ſe fert. Nam, quod ait Adverſarius, Chriſtum in baptiſmo regenerare, & alia illa facere, quæ Dei dicit eſſe propria, jam dictum eſt, neque hoc ex eo colligi, quod baptizemur in Chriſtum, neque iſta ita Dei eſſe propria, ut ea cum Jeſu Chriſto, licet re creata, communicare non potuerit, eumque harum rerum omnium ſecundam cauſſam facere. Ut certe fecit; quemadmodum ex pluribus, quæ variis in locis hujus noſtræ reſponſionis & jam dicta ſunt, & adhuc dicentur, planiſſimum omnibus futurum arbitramur.

Cæterum excellentiam Chriſti ſupra Moſem, & majora, quæ in baptiſmo noſtro Chriſtus præſtet, quam Moſes in baptiſmo illo Iſraelitarum præſtiterit, quæ tantopere Adverſarius exaggerat, nihil aliud ſunt, quam arma, quæ nobis præbet ad ipſum confodiendum. Nam, ſi in Moſem, licet rem creatam, dicti ſunt Iſraelitæ baptizati fuiſſe, qui famulus tantum Dei erat, & nihil magni momenti ea in re præſtitit, multo magis poſſumus nos dici in Chriſtum, licet rem creatam, baptizari, qui filius Dei eſt, & omnium hæres conſtitutus, quique hac ipſa in re multa egregia ac divina præſtat.

6. Simili ratione contra ipſum retorquemus, quod ait, homines illos, quos Scriptura cum Deo conjungit, non conjungi, niſi per exteriora & tanquam exteriores tantum cauſſas; ſed Chriſtum, ſeu Dei filium (nam de Spiritu Sancto, ut non ſemel jam dictum fuit, nihil eſt, quod reſpondeamus) interius in baptiſmo agere. Etenim, ſi is, qui exterius tantum aliquid agit cum Deo conjungitur, licet non ſit ipſe Deus; quanto magis Chriſtus ſeu Dei filius, qui interius, agit, cum Deo conjungi poteſt, licet non ſit ipſe Deus? Nam quod hoc loco de invocatione filii Dei, quæ fiat in baptiſmo repetitur, ad id jam ſupra abunde reſponſum fuit. Quod ſi ex eo ipſo, quod filius interius in baptiſmo noſtro operetur, ſe argumentari Adverſarius dicat, filium eſſe ipſum Deum, & hanc interiorem filii operationem ex eo colligere, quod filius una cum Deo Patre in baptiſmo accipiendo conjungatur, ſimiliter contra ipſum retorquemus, quod ait, in exemplis à nobis allatis homines per exteriora tantum cum Deo conjungi. Si enim poteſt quis in re aliqua cum Deo conjungi, quamvis Deus ea in re interius, ipſe vero exterius tantum operetur, nulla cauſſa eſt, cur filius cum Deo Patre in baptiſmo conjungi non potuerit, etiamſi Deus Pater interius, filius vero exterius tantum operaretur.

Atque ex his tandem conſtare arbitramur, verba illa Chriſti, *Baptizantes*, &c. non ſolum non probare, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe tres perſonas in una eſſentia, ad quod probandum allata fuerant; ſed neq; etiam nos docere, Dei filium Chriſtum Jeſum ejuſdem naturæ ſive eſſentiæ cum Patre eſſe. Quidquid Adverſarius, ut hæc ex illis oſtenderet, in medium attulerit.

7. Evidentiſſima eſt in Adverſarii ratiocinatione, ut ad abſurdum vel impoſſibile Paulinorum teſtimoniorum interpretationem noſtram deducat, diviſionis fallacia, vel à ſecundum quid ad ſimpliciter. Proponit enim de uno Domino, & uno ſpiritu, & concludit ſimpliciter de Domino, & de ſpiritu. Et certe, ſi ita concluſiſſet, ut propoſuerat, unuſquiſque eum vel nihil impoſſibile aut abſurdum concludere, vel in æquivocationis fallaciam incidere, manifeſte vidiſſet. Quod æquivocationis vitium etſi nihilominus; ut eam ipſe concluſit, in ejus ratiocinatione eſt; latet tamen quodammodo propter aliud vitium ſupra dictum, & nimiam quandam verborum ſpeciem, ut poſtea dicemus. Si igitur

ad hunc modum concluſiſſet, unus Deus nec unus Dominus, nec unus ſpiritus erit, quemadmodum ut concluderet, ejus propoſitio omnino poſtulabat; nemo unquam hoc vel impoſſibile vel abſurdum judicaſſet, etiamſi Deus & Dominus, & ſpiritus ſit. Niſi ſi unum Dominum, & unum ſpiritum in alium ſenſum accepiſſet, quam & Paulus intelligit, & nos eum ſecuti intelleximus. Ut enim diſputatum eſt à nobis in Animadverſ. 2. Aſſert. 19. cum Paulus Dominum à Deo diſtinguit, tunc Domini nomine eum ſignificat, qui omnibus quidem dominetur, ſed non ex ſeipſo (hoc enim Dei proprium eſt) verum ex alio, id eſt ex Deo. Hoc ſenſu Chriſtus eſt unus Dominus, nec alius præter ipſum. Similiter cum Spiritus à Deo apud Paulum diſtinguitur, non intelligitur Spiritus nomine ſpiritalis ſubſtantia, ſed vis & efficacia quædam Chriſti fidelibus extrinſecus adveniens. Atque hoc ſenſu ſimiliter Spiritus Sanctus unus ſpiritus eſt, nec alius præter ipſum. Itaque hoc ſenſu Deus non modo unus Dominus aut unus ſpiritus, ſed ne Dominus quidem ſimpliciter aut ſpiritus eſt. Neque enim Deus vel ex alio quopiam omnibus dominatur, vel vis aut efficacia ulla eſt ipſe revera, ſed ipſius vis & efficaciæ auctor. Ex quo id apparet, quod diximus, æquivocationis quoque fallaciam eſſe in ratiocinatione Adverſarii ita concluſa, ut perperam, alioqui etiam, ab ipſo concluſa fuit, & nihil eum vel impoſſibile vel abſurdum ex interpretatione noſtra concluſiſſe, quamvis prima fronte & abſurdiſſimum & plane impoſſibile videatur, unum Deum nec Dominum, nec ſpiritum eſſe.

Jam quid ex Pauli teſtimoniorum in Aſſertione allatorum interpretatione noſtra concludi & poſſit & debeat, nos ipſi planum fecimus in noſtra Animadverſione his verbis, *Quod profecto perſpicue oſtendit, ad unius Dei eſſentiam nec Dominum illum, nec Spiritum pertinere, aut certe Dominum illum, & Spiritum unum Deum, τ μόνον Θεόν, non eſſe.* In quibus expreſſimus relativum Illum, ut non ſimpliciter de Domino, & de Spiritu, vel etiam de uno Domino, & de uno Spiritu, ſed de uno illo Domino, & de uno illo Spiritu, de quo videlicet in Pauli verbis interpretandis proxime mentionem feceramus, ut debebamus, ſic nos loqui & concludere conſtaret. Quod idem ſi, uti debuerat, Adverſarius feciſſet, nihil niſi, quod veriſſimum eſſet, atque & ipſius, & ſuorum ſententiam convellere poſſet, ex noſtra interpretatione & ipſe concluſiſſet. Quamquam præterea nihil nos interpretamur; ſed ſimpliciter id de Pauli verbis dicimus, quod manifeſtiſſimum eſt, quodque ne ipſe quidem Adverſarius negare audet. Nempe, in ipſis unum Deum ab uno Domino, & uno Spiritu apertiſſime diſtingui.

At enim, inquiet Adverſarius, jam dixi, vos, ut in Animadverſione noſtra 5. videre eſt, intelligere, diſtingui natura, non perſonis; Ego autem perſonis non natura diſtingui intelligo. Reſpondemus, nos, quatenus ea, quæ diſtinguuntur, ſunt perſonæ, non magis natura, quam perſona diſtingui, intellexiſſe, cum ſatis habeamus, ſi quoquo modo diſtinguantur. Nam quod in Animadverſ. 5. diximus, in Pauli teſtimoniis apparere diſtinctionem non perſonarum, ſed rerum, id propterea diximus, quia, Spiritum illum non credimus eſſe perſonam. Itaque Perſonæ vocabulum non poteſt, ut quidem nobis videtur, omnibus convenire; ſed Rei poteſt. Res eſt enim aliqua ſine dubio Spiritus ille non minus, quam ille Deus, & ille Dominus. Quod autem ſatis habeamus, ſi quoquo modo diſtinguantur, ex eo patet, quod ille à quo unus Dominus, & unus Spiritus diſtinguitur, eſt unus Deus: ex quo neceſſario ſequitur, nec illum Dominum, nec illum Spiritum eſſe unum Deum. Ubi nullum locum habet, quod Adverſarius dicit de natura, & perſonis, quaſi Dominus, & Spiritus ille diſtinguantur ab uno Deo non natura, ſed perſonis. Unus enim Deus, ut iis placet, quibuſcum ipſe facit, non perſonam, ſed naturam ſignificat. Aut certe, ſi perſonam ſignificare volunt, neceſſe eſt, ut quidquid ab uno Deo diſtinguitur perſona, eatenus etiam natura ab eo diſtinguatur, quatenus eſt unus Deus. Quemadmodum in eadem hac re, cum dicunt, Filium à Patre diſtingui ratione perſonæ, non autem naturæ, coguntur tamen fateri, natura etiam diſtingui, quatenus Pater eſt pater. Itaque non ſolum volunt, Filium non eſſe eandem perſonam cum Patre, ſed neque etiam ea paternitatis, ut ita dicamus, natura præditum, qua præditus eſt Pater. Quocirca, ſi quis ſimpliciter dixerit, Filium non eſſe Patrem, hunc rectiſſime locutum confitentur. Similiter igitur, ſi unus Dominus, & unus Spiritus diſtinguuntur ab uno Deo ratione perſonæ, neceſſe eſt, ut natura quoque ab illo diſtinguantur, quatenus eſt unus Deus, & propterea neuter ipſorum vel unicam illam divinitatem habeat, quam unus Deus habet, vel unus Deus eſſe ſimpliciter dici poſſit. Denique non poteſt ulla ratione Adverſarius vel id, quod ipſe dicere voluit, defendere, vel id, quod nos diximus, jure reprehendere, niſi pro conceſſo ſumat, Unius Dei nomen eſſe æquivocum, & modo divinam illam unicam naturam ſignificare, modo Patrem tantum declarare, non quidem ratione naturæ, ſed perſonæ, hocque poſterius in Paulinis teſtimoniis fieri. At debuerat ſaltem id ſuis in verbis indicare, ne alioqui plane contra manifeſtam veritatem loqui videretur, & abſurdiſſima dicere, ſtatuens, quempiam poſſe ab uno Deo perſona diſtingui, licet interim natura non diſtinguatur; idque ita ut hi & ipſe unus Deus. Sed idcirco fortaſſe voluit mentem ſuam latius explicare, ne nimis evidenter appareret, eum non uno modo principium petere, & ſimul tamen non leviter noſtram ſententiam confirmare. Nam certe, ſi ipſe Pater per ſe nomine unius Dei ſimpliciter & appellari poteſt & appellatur, id quod nec Filio, nec Spiritui Sancto unquam contingit; non minimum indicium hoc eſt, ſolum Patrem revera eſſe illum unum Deum, non etiam filium, & Spiritum Sanctum.

Caput XIV.

Cum in ſeptima Aſſertione collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo ad probandum, quod Apoſtolorum perfecti diſcipuli diſertis verbis trinitatem iſtam profeſſi eſſent, adducta in teſtimonium fuiſſent quædam tanquam à Clemente, Dionyſio Areopagita, & Ignatio ſcripta, nos ſcripta, quæ Clementi, & Dionyſio illi tribuuntur, plane adulterina haberi diximus; quæ vero Ignatio, partim adulterina, partim vero corrupta, adeo ut in ipſis quædam etiam nominarentur, quæ aliquot poſt ſæculis primum extitiſſent. Quamquam non ita corrumpi potuiſſent, quin apertiſſimum teſtimonium in eis extaret, quod Chriſtus non eſſet ille, qui eſt ſuper omnia Deus. Id enim in ea Epiſtola, quæ ad Tarſenſes inſcribitur, ad verbum legi. Quinetiam addidimus, in ipſa Epiſtola ad Philippenſes, quæ ab Adverſariis citata fuerat, non ſolum nihil de Trinitate iſta haberi, ſed etiam nonnulla, quæ eam convellerent, ſcripta eſſe. Nempe & Patrem tantum eſſe illum unum Deum, & Deum illum omnia potentem non eſſe natum ex Virgine. Deinde, cum in eadem ſeptima Aſſertione adjunctum fuiſſet, eundem Ignatium myſterium Trinitatis à Johanne Euangeliſta didiciſſe, fabulas has eſſe diximus. Præterea, quia ibidem dictum fuerat, Johannem ſuum Euangelium ſcripſiſſe contra Cerinthi, & Ebionis dogma, quod negaret, Chriſtum verum Deum eſſe, idque Hieronymi teſtimonio fuerat confirmatum, monuimus, Hieronymi teſtimonio, cum in propria quodammodo cauſa loquatur, hac in re ſtandum non eſſe, eique Euſebii ut pote antiquioris teſtimonium eſſe anteferendum, qui aliam omnino cauſſam ſcribendi Euangelii Johannem habuiſſe ſcriberet. Nam quod idem Euſebius eodem loco diceret, Chriſti divinitatem quaſi reſervatam tractandam Johanni fuiſſe, id ex ſuo ſenſu ab eo dici, nec ut cauſam afferri, quam Johannes Euangelii conſcribendi habuiſſet. Poſtremo,

cum

cum ibidem additum fuiſſet, Johannem ob prædictam cauſſam ſuum Euangelium verbis illis exorſum eſſe: *In principio erat Verbum*, &c. & iſtis concluſiſſe *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei*, &c. Diximus, quod ad Euangelii initium attinet, apertiſſime de tota re ſcripturum fuiſſe Johannem, ſi id illi propoſitum fuiſſet, quod iſti affirmabant, non autem ita fuiſſe locuturum, ut ſaltem non minor, quam antea, dubitandi occaſio eſſet. Idque vel ex noſtris ejus loci explicationibus conſtare poſſe. Quod vero pertinet ad concluſionem illam, contrarium potius inde colligi; quippe cum ibi affirmetur, Jeſum eſſe Chriſtum Dei filium, Jeſus autem ante Mariam matrem non extiterit, nec quiſquam is eſſe poſſit, cujus eſt filius. Contra iſta Adverſarius fine pag. 79 uſque ad finem pag. 83. ad hunc modum ſcribit.

Adverſarii dicta.

1. Ait primo, nos nullas rationes afferre, cur ea ſcripta non ſint Clementis, & Dionyſii Areopagitæ. Deinde de Clementinorum librorum veritate ſcripſiſſe dicit Lambertum Grunterum Venradium, eoſque refutaſſe, qui adulterinos dicunt. De ſcriptis vero Dionyſii Areopagitæ non eſſe ambigendum propter plurima teſtimonia, quæ affert, quorum potiſſima hæc ſunt, Georgii Pachymeræ antiqui & graviſſimi ſcriptoris in ea ſcripta, paraphraſis, & ſancti Maximi ſcholia; quorum teſtimonio clarum eſt, ea quæ explicant, ſcripta fuiſſe ab illo Dionyſio, qui fuit Pauli diſcipulus. Ac præterea ipſorum ſcriptorum antiquiſſimi manu ſcripti codices; nominatim vero in Gallia unus ante annos, ut ii affirmant, qui in hoc genere librorum tractando diu ſunt verſati, mille ducentos ſcriptus. Reliqua quæ affert, ſunt teſtimonia quorundam aut hominum aut codicum, qui multo poſt extiterunt. Subjungit autem Dei providentia factum eſſe, ut tanti viri, qui à Paulo non lacte ſed ſolido cibo fuerat enutritus, monumenta non interierint, quæ cum omnes noſtri temporis hæreticos admodum premant, illorum tandem ſupremum perfugium hoc eſſe, ut ea Dionyſii Areopagitæ non eſſe dicant.

2. Si in Ignatii ſcriptis tale quid eſſet, qualia ea ſunt, quæ nos in illis eſſe dicimus, id nos ſine dubio prolaturos fuiſſe affirmat. *Hoc enim*, inquit, *genus hominum omnes occaſiones captare ſolet ad calumniandos antiquos ſcriptores eorumque auctoritatem imminuendam.* De loco in Epiſtola ad Tarſenſes ait, Ignatium reprehendere *illos, à quibus Deus Pater eſſe idem, qui Filius putabatur. Jam enim*, inquit, *tum ſpargebantur ſemina erroris Sabellii, & Patropaſſianorum.* Eundem vero, dicit & in eadem Epiſtola, & in aliis Ebionitas, & alios, qui Chriſto divinitatem adimebant, vitandos præcipere. In Epiſtola autem ad Philippenſes multa ſcribere de utraque Chriſti natura, ac divinitatis perſonas æquales confiteri his verbis; Dominus mittens Apoſtolos docere omnes gentes, præcepit ipſis baptizare, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non in unius trium nominum, vel trium, qui homines eſſent facti, ſed in nomine trium æqualium.*

3. Acriter reprehendit nos, quod fabulæ nobis eſſe videantur, *ſi quis* (inquit) *Ignatium à Johanne Apoſtolo, hoc eſt diſcipulum à Magiſtro, divina myſteria, quæ in Epiſtolis leguntur, didiciſſe affirmet.*

4. Cauſſam, quam Euſebius affert, cur Johannes ſuum Euangelium ſcripſerit, ait non pugnare cum illa, quam affert Hieronymus. Id vero, quod idem Euſebius dicit de divinitate Chriſti, quæ Johanni tractanda reſervata à Sancto Spiritu fuerit, non ſuo tantum ſenſu dicere, ſed etiam illius temporis Eccleſiæ, cujus judicium, cum eſſet epiſcopus, optime potuit habere perſpectum.

5. Dicit, nos nimium nobis placere, qui noſtrorum explicationes velimus legi, Patres vero calumniemur, & contemnamus. Noſtras explicationes loca ſcripturarum habere in unum chaos convoluta & confuſa, ut ſic impietas apud imprudentes occultetur. Ex patribus vero diſci poſſe, non inuſitatum fuiſſe Logon vocari filium Dei; quod etiam, teſte Lactantio, philoſophici libri oſtendant; eundemque uſum hujus vocis in Sibyllarum & aliorum carminibus reperiri. Propterea ex initio & concluſione Euangelii Johannis conſtare, eum velle, ut credatur, *Jeſum Chriſtum filium Dei illud eſſet Verbum, quod erat in principio, & quod erat apud Deum, & quod erat Deus.*

6. Quare quæ nos ex concluſione illa collegimus, cavillationes eſſe, quæ ab hoc ipſo verbo, quod erat in principio, & ſuo tempore caro factum eſt, redarguantur, eas vero ex eo morbo naſci, quod nobis perſuaſerimus, Jeſum ſecundum naturam divinam ante beatam virginem non fuiſſe, & nolimus credere, perſonas divinitatis non confundi, nec ſubſtantiam ſeparari.

Reſponſiones.

1. Nihil fuit opus, nos rationes ullas afferre ejus, quod diximus de Clementis, & Dionyſii Areopagitæ, quæ feruntur, ſcriptis. Non enim adulterina eſſe, quamquam id veriſſimum cenſeremus, ſed adulterina plane haberi, affirmavimus. Teſtimonia potius afferre debuiſſemus. Sed neque his quidquam opus fuit; cum perſpicuum ſit, omnes Latinas eccleſias quæ Romano pontifici non parent, ut ipſe Adverſarius, quod attinet ad Dionyſium Areopagitam, confitetur, ſcripta iſta pro adulterinis habere; & non paucos inter ipſos pontificios eſſe, qui Clementina illa ſcripta germana eſſe non concedant, De Dionyſii vero illius ſcriptis quoſdam etiam pontificios idem ſenſiſſe. Cujus rei fidem quoque facit id, quod Eraſmus narrat de Guilhelmo Grocino * Anglo, quem, cum eccleſiaſticarum, id eſt Romanæ eccleſiæ conſtitionum pæne uſque ad ſuperſtitionem obſervantiſſimus eſſet, ac præterea ſumma doctrina & acerrimo judicio præditus, tamen publice Londini libros Hierarchiæ eccleſiaſticæ explanantem, ſententiam, quam prius contra eos protulerat, qui Areopagitæ illius opus illud eſſe negabant, ſua ſponte revocare non puduit; & tandem dicere, ſibi quoque Dionyſii Areopagitæ nequaquam videri. Ut nihil dicamus, quod ipſe Eraſmus annos ab hinc ſexaginta ſex in præfatione ſuæ Paraphraſis in priorem ad Cor. ſcripſit, eruditis opus illud recentioris cujuſpiam, quam ille Dionyſius eſſet, videri. Id quod non propter ſolum Laurentium Vallam, quem certum eſt ita ſenſiſſe, & Grocinum iſtum, ſed propter alios etiam nonnullos eruditos, ab eo tunc ſcriptum fuiſſe, prorſus eſt veriſimile.

Jam vero, ut ad ea reſpondeamus, quæ Adverſarius affert contra judicium de Clementis & Areopagitæ ſcriptis, quod nos ſecuti ſumus, dicimus ſatis eſſe, ſi iſti Lamberto Gruntero, quidquid ipſe ſcribat pro aſſerenda veritate Clementinorum librorum (nam ejus ſcriptum nobis videre non contigit) Euſebii, & Hieronymi auctoritas & teſtimonium opponatur, præſertim quod attinet ad Epiſtolam illam ad Jacobum fratrem Domini, quæ in Aſſertione citata fuerat. Uterque enim affirmat, unam tantum Epiſtolam Clementis pro germana ab Eccleſia habitam fuiſſe, quam ille Roma ad Corinthios ſcripſerat. Eadem Euſebii & Hieronymi auctoritas & teſtimonium ad ea omnia diluenda ſatis eſſe debet, quæ pertinent ad ſcripta Dionyſii Areopagitæ. Cum enim uterque admodum diligenter ab initio publicati Euangelii uſque ad ſua tempora Græcos ſcriptores eccleſiaſticos recenſeat, quod Dionyſius iſte ex ſacra ipſa hiſtoria notus, & cujus alioqui Euſebius non ſemel diſerte meminit, quidquam ſcripſerit, nullam mentionem faciunt. Quod apertiſſimum eſt indicium, vel nondum ſcripta iſta elaborata fuiſſe, vel pro adulterinis fuiſſe habita. Sed nec Gennadius, qui in ſuo catalogo quoſdam recenſet ab Hieronymo † prætermiſſos, iſtius ſcriptoris quidquam meminit.

* In Declar. adver. Theolog. Pariſ. cap. 91.

† Euſeb. lib. 3. & 4. hiſtor. Eccl. Hieron. in Catal. ſcriptor Eccl.

Quæ Maximi feruntur in eos libros ſcholia, adulterina & ipſa cum ob hanc, tum ob aliam etiam cauſſam eſſe oportet; ſi modo hic Maximus ante Hieronymum aut ejus ſaltem ætate floruit. Duorum enim omnino Maximorum mentionem facit Hieronymus, qui aliquid ſcripſerint; Unius, cujus etiam Euſebius * mentionem facit; ſed hunc uterque de mali origine, & quod materia à Deo fuerit condita, ſub Commodo & Severo imperatoribus, librum ſcripſiſſe aſſerunt; nec quidquam præterea de eo commemorant; Alterius vero, quem Philoſophum appellat; atque hunc Gratiano imperatori librum à ſe ſcriptum de fide adverſus Arrianos dediſſe ait, nullius alterius ſcripti quod ediderit mentionem faciens. Sancti quidem Maximi nomine, ut is, cui ſcholia iſta tribuuntur, appellatur, is intelligendus videretur, qui poſt Macarium Hieroſolymorum epiſcopus fuit, homo ſanctitatè celebris, & vulgo Confeſſor dictus. Verum, quod hic quidquam ſcripſerit, nihil à rerum eccleſiaſticarum Scriptoribus traditum invenimus.

De Georgio porro illo Pachymero nihil habemus, quod dicamus, niſi illum Euſebio & Hieronymo nulla ratione opponi poſſe, quippe qui, niſi vehementer fallimur, poſt utrumque extiterit. Nam alioqui, quo tempore vixerit, nec Adverſarius adſcribit, nec nos compertum habemus. Miramur tamen id, quod Adverſarius affirmat, iſtius Georgii, & Maximi teſtimonio conſtare, libros illos eſſe illius Areopagitæ, cum G. Genebrardus inſignis theologus Pariſienſis, quamvis utriuſque ad primam (ſic ipſe loquitur) antiquitatem eorum librorum confirmandam mentionem faciat, tamen non audeat omnino affirmare illos Dionyſii Areopagitæ eſſe; ſed *ſive ſit Areopagita*, inquit, *ſive Corinthius*, Dionyſium iſtum alicubi nominans. † Atqui Corinthius Areopagita centum plus minus annis poſterior fuit, neque, ut ille, Apoſtoli alicujus diſcipulus. Sed nec, quod ejuſmodi libros conſcripſerit, Euſebius aut Hieronymus, qui ejus ſcripta recenſent, ullam mentionem faciunt. Genebrardus porro præter Maximum & Pachymerum, iſtorum librorum interpretem etiam nominat Dionyſium Alexandrinum, utroque (ut credimus) multo antiquiorem. Verum iidem Euſebius & Hieronymus id falſum eſſe indicant, cum inter ſcripta hujus Dionyſii interpretationem iſtam non commemorent. Denique quod de codicibus antiquis manu ſcriptis dicit Adverſarius, id nunquam, etiamſi, quod non credimus, inſcriptio ipſa id contineret, probabit Dionyſium Areopagitam fuiſſe illorum ſcriptorum auctorem; præſertim contrarium Euſebii & Hieronymi auctoritate aperte ſuadente. Non igitur mirum, ſi omnes, quos hæreticos Adverſarius appellat, ſcripta illa falſo Dionyſio illi attributa contendunt. Quamvis etiam alioqui ex iis, quæ ibi dicuntur, id ſtatim unicuique vel mediocriter in eccleſiaſticis illius & proximarum ætatum ſcriptoribus verſato abunde patere poſſit. Nam quod Adverſarius propter ingens nimirum diſcrimen rerum, quæ à Paulo Apoſtolo ſcriptæ fuerunt, & earum, quæ illius diſcipulo Dionyſio aſcribuntur, ait Dionyſium à Paulo non lacte, videlicet ut cæteri, ſed ſolido cibo enutritum fuiſſe, præterquam quod nugæ ſunt vaniſſimæ (neque enim alia ratione Pauli diſcipulus fuiſſe Dionyſius traditur Act. 17. 34. niſi quod una cum quibuſdam aliis ei Athenis paucis diebus verum Deum & Jeſum ab ipſo à mortuis excitatum annuncianti adhæſerit atque crediderit) nihil etiam ad rem facit. Quaſi vero diſcipulo epiſcopo Athenienſi licuerit ea ſcripto promulgare, quæ magiſter, Apoſtolus gentium vix audebat effari, & quorum in ſuis ſcriptis nihil meminit. Quod enim Dionyſius iſte Galliarum Apoſtolus fuerit, ut Adverſarius affirmat, id nullo ullius gravioris ſcriptoris, ut quidem nobis perſuademus, teſtimonio comprobatur. Certe Euſebius * teſtimonium Dionyſii Corinthii afferens, de epiſcopatu Athenienſi, quem primus omnium obtinuerit, nihil de Apoſtolatu iſto ſcribit.

* Lib. 5. Hiſt. Eccl. † Lib. primo de Trin.

* Eccl. Hiſt. lib. 4.

Sed jam ſatis ſuperque de adulterinis Dionyſii Areopagitæ ſcriptis à nobis diſputatum eſt. Id tamen nihilominus, ut Adverſario pleniſſime reſpondeamus, addere libet, ſi omnes noſtri temporis hæretici, (quos ipſe vocat) quia ſcilicet ſe ſcriptis iſtis premi videant, validiſſimis rationibus & teſtimoniis innixi ea adulterina eſſe contendunt, ex altera parte ii, quos ipſe orthodoxos eſſe arbitratur, cum alioqui, niſi ad ejuſmodi perfugia convolent, de ſuis commentis actum eſſe aperte cognoſcant, infirmiſſimis licet rationibus & teſtimoniis uſi, non verentur illorum tanquam germanorum defenſionem ſuſcipere, eaque pro talibus imperitæ multitudini obtrudere.

2. Ex Ignatio nihil protulimus, quod fidem faceret, nos, quæ de additamentis dixeramus, quibus ejus ſcripta (ſi modo ejus ſunt) inquinata fuiſſent, non temere dixiſſe; non ob aliam cauſſam, niſi quod brevitati, quam ſcriptionis genus requirebat, conſuluimus, præſertim cum ſatis alioqui ad teſtimonium, quod inde Adverſarii protulerant, reſponſum foret. Nec ſane nobis id propoſitum eſt, ut antiquorum ſcriptorum auctoritatem imminuamus, quam, ut par eſt illis tribuere, & ipſimet ſibi tribui voluerunt, ſartam tectamque eſſe optamus. Multo autem minus eos calumniandi occaſiones captamus. Quin potius quæ quodammodo per calumniam, tanquam ab ipſis ſcripta, tantis viris indigniſſima, illis ſunt attributa, retigimus & indicamus.

Sciendum autem eſt, cum Animadverſiones illas ſcripſimus, Græcum Epiſtolarum Ignatii * exemplar videre nondum nobis contigiſſe; ſed Latinum tantum. In quo, cum præter alia, Miſſarum plurali numero mentionem fieri recordaremur, huc potiſſimum reſpicientes, diximus, in illis Epiſtolis quædam commemorari, quæ non niſi aliquot ſæculis poſt Ignatii tempora extiterunt. Privata enim Miſſa (quam vocant) in qua videlicet, ſolus appellatus ſacerdos, quod illic conſecrari dicitur, ſumit, reliqui autem omnes ſpectatores ſunt tantum, quæque in uno eodemque templo ſingulis diebus celebratur, non una modo ſed plures, idque etiam eodem tempore, unde pluralis numeri in miſſa appellanda uſus extitit; talis igitur miſſa à veteribus illis per aliquot ſæcula penitus ignorata fuit, & idcirco nec numeri pluralis uſum in miſſa nominanda illis cognitum (ni fallimur) nedum receptum fuiſſe comperies. Nacti vero poſtea ſumus Græcum codicem, ubi eum locum aliter ſe habere invenimus. Non deſunt tamen in ipſo Græco exemplari quædam, quæ non cum Ignatii ſæculo, ſed cum ſuccedentibus conveniant. Quale eſt illud, quod legitur in Epiſt. ad Philadelph. ubi monentur principes, ut Cæſari obediant; milites autem principibus; & principes vero, & milites una cum ipſo Cæſare, epiſcopo. Quæ monitio inepta ac ridicula eſt prorſus, niſi jam iſti omnes nomen Chriſto dederint. Id autem ſub Conſtantino Magno primum factum eſt, qui ducentis circiter poſt annis fuit. Ut nihil interim dicamus, quod hic ineptiſſime obedientiæ genus, quod epiſco debetur, cum eo, quod debetur principibus & Cæſari confunditur; nec ulla mentio interea fit obedientiæ, quam epiſcopus ipſe Cæſari debeat. Cum tamen certiſſimum ſit, non minus nec alia ratione epiſcopum, quam cæteros omnes, Cæſari obedire debere. Et in Epiſt. ad Smyrn. nulla appoſita generis honoris diſtinctione, ſimpliciter epiſcopum prius, deinde regem honorandum eſſe, traditur. Fuit nimirum liber iſte Epiſtolarum Ignatii, quandocumque id factum fuerit, ab iis partim depravatus, partim etiam conſarcinatus, qui tyrannidem epiſcoporum non in Eccleſiam tantum, ſed in Rempublicam quoque contra omne jus faſque invectam vehementer probabant, ac ſtabilire volebant. Toties enim ibi non obedientia modo, ſed ſubjectio (ut ſic loquamur) quæ epiſcopo debeatur, repetitur atque inculcatur, ut faſtidium ipſis etiam tyrannis epiſcopis legentibus oboriri queat.

Præterea (ut magis de corruptione illarum Epiſtolarum conſtet) ſcriptum eſt in Epiſt. ad Philipp. eum, qui

* In Epiſt. ad Smyrn.

die

die dominico, aut ſabbato jejunaverit, præter unum ſabbatum Paſchatis, interfectorem Chriſti eſſe. In ea porro, quæ ſcripta eſt ad Antiochenos, prohibentur uxores viros ſuos de nomine vocare. In ea denique quæ Epheſiis inſcribitur, legitur, Jeſum Chriſtum in omnibus ſuis precibus mentionem noſtri facere. Num quæſumus, veriſimile eſt Ignatium Johannis Apoſtoli diſcipulum & Chriſti martyrem hæc ſcripſiſſe partim falſiſſima, partim plane abſurda, partim perquam inepte ac ridicule dicta?

Plura alia prudentes omittimus, quæ ſi non iis ipſis, quibuſcum nobis res eſt, at certe aliis quantumvis alioqui à ſententia noſtra, de qua in hac diſputatione agitur, alienis, Ignatio prorſus indigna videri poſſunt, & tamen in illis Epiſtolis leguntur, unde eas adulteratas fuiſſe appareat; & ad illud venimus, quod Adverſarius dicit, Ignatium, cum in Epiſt. ad Tarſenſes negavit, Chriſtum eſſe illum, qui eſt ſuper omnia Deus, eos reprehendiſſe, qui putabant, Deum Patrem eſſe eundem cum filio. Dicimus enim, ex ipſis Ignatii verbis conſtare, non hoc revera fuiſſe πρωτότυπον in ea diſputatione, ſed hoc, Utrum ſcilicet Chriſtus eſſet Deus ille, qui eſt ſuper omnia, necne; quem Ignatius diſerte negat eſſe, quippe qui illius ſit filius. Nondum enim abſurdiſſima illa opinio Chriſtianorum mentes occupaverat, eandem numero eſſentiam, diſtinctis perſonis, Patri & Filio poſſe eſſe communem. Certum autem erat; eum, qui eſt ſuper omnia Deus, unum tantum eſſe. Quare conſequebatur neceſſario, Filium hunc Deum non eſſe, niſi ſit idem Filius, qui Pater, cum ſine dubio Pater ſit ille Deus. Quemadmodum quidem etiam ſequitur, ſi Filius non eſt ille Deus, eum non eſſe eundem cum Patre. Verumtamen non hoc, ſed illud probandum ſibi ſumpſit Ignatius. Pro concello enim poſuit Filium non eſſe eundem cum Patre, & ex eo concluſit, Chriſtum non eſſe eum, qui eſt ſuper omnia Deus.

Nam quod de vera eſſentiæ ſimul & perſonæ, non autem de conficta illa perſonæ citra eſſentiam diſtinctione ageret Ignatius, planum facit id, quod poſtmodum adjungit, nec nudum hominem ἐδὲ ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe Chriſtum. Cum enim unum eſſentiæ quaſi extremum jam a Chriſto removiſſet, negans, eum eſſe illum unum Deum, qui eſt ſuper omnia, id eſt illum unum Deum, alterum quoque deinde illi adimit, nec nudum etiam hominem eum eſſe concedens. Confirmant aperte hoc idem teſtimonia à nobis in Animad. allata ex Epiſt. ad Philip. Ibi enim ſimiliter negatur, Chriſtum eſſe illum Deum, qui eſt ſuper omnia, illum exiſtentem, illum qui ſolus eſt verus, illum omnipotentem ſive omnem dominatum & poteſtatem habentem, τὸν παντοκράτορα, illum denique, qui unus Deus eſſe dicitur, & de quo ſcriptum eſt Deut. 6. 4, *Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.* Quæ omnia de ipſa ſuprema illa divina eſſentia agi, eamque ab hoc ſcriptore Chriſto non concedi, apertiſſime demonſtrant. Quare quod reſpondet Adverſarius, in eadem ad Tarſenſes Epiſt. & in aliis quoque, doceri, eos eſſe vitandos, qui, ut Ebionitæ faciebant, Chriſto divinitatem adimerent, id nihil ad rem facit. Ebionitæ enim nudum hominem Chriſtum eſſe ſtatuebant; & ſic alterum illud extremum Chriſto tribuebant, quod jam diximus Ignatium ſimiliter atque alterum à Chriſto removere.

Nec vero ſi in Epiſt. ad Philipp. de utraque Chriſti natura multa ſcribit, idcirco Chriſtum illum unum Deum facit, ſive ejuſdem cum Patre ſuo eſſentiæ, contra id, ad quod probandum nos ex ea Epiſtola teſtimonia citaveramus. Qui ea citando nihil aliud facere voluimus, quemadmodum etiam verba ipſa noſtra præ ſe ferunt, quam oſtendere, tantum abeſſe, ut in ea Epiſtola Trinitas, quam Adverſarii defendunt, aſſereretur, quemadmodum in Aſſertione dictum fuerat, ut potius ea convelleretur; non autem quidquid nos de Chriſti eſſentia, & perſona ſentimus, Ignatii auctoritate confirmare. Neque enim ignorabamus, in illis Epiſtolis aliud ex parte de Chriſto doceri, quam nos ſentiamus.

Prædictis autem addimus, cum, ut oſtenſum fuit, ſcriptor iſte in locis, quos protulimus, de ipſa divina eſſentia agat, videri, eum omnino contra dogma de coeſſentialitate trium perſonarum, quod jam circumferretur, ex profeſſo diſputare, quando in initio ferme Epiſtolæ ad Philipp. ubi eorum, quæ jam expoſuimus, magna pars legitur, verba illa ſcribit *Unus igitur Deus & Pater; non duo, neque tres.* Hoc enim ut antecedentia, & ſequentia verba demonſtrant, Filii, & Spiritus Sancti reſpectu dicit; qui ſi una cum Patre pariter in illo uno Deo contineantur, neceſſario conſequi vult, tres Patres, tres Filios, & tres Spiritus Sanctos eſſe. Quippe quod nihil dici de uno poſſit, quod de aliis duobus neceſſe non ſit dicere. Hæc autem nullo modo dixiſſet, ſi ii, quos tacite reprehendebat, nullam diſtinctionem perſonarum agnoviſſent, id eſt unam tantum perſonam in uno illo Deo eſſe ſtatuiſſent, quamvis in eo & Patrem, & filium, & Spiritum Sanctum agnoſcerent, quemadmodum ſine dubio eos ſenſiſſe intelligit Adverſarius, & hoc tantum nomine ab Ignatio reprehenſos fuiſſe. Quanquam in ſententiam hanc longe abſurdiſſimam neceſſe fuiſſe ut tandem venirent, ſi triplicitatem illam, quam ipſis objecerat, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti devitare vellent, oſtendere volens ſcriptor iſte, & ſimul ipſam falſitatis convincere, verbis Chriſti allatis, quibus baptizari ab Apoſtolis omnes gentes præcipit, ſubjungit, ex illis conſtare, non unum eſſe, qui tria nomina habeat, & Pater, Filiuſque ſimul, & Spiritus Sanctus appelletur; ſed tres revera eſſe, quorum quilibet ſuo ſeparato ab aliis nomine vocetur.

Itaque apparet, eos, qui hic reprehenduntur, tametſi in ea ſententia non eſſent, quam poſtea Sabellius, & qui Patripaſſiani appellati fuerunt, amplexi ſunt, ſed plures perſonas in una Dei eſſentia agnoſcerent, tamen hæreſi iſti viam paraſſe, ut non male, quamvis imprudens, locutus ſit Adverſarius, cum ait jam tum cæptum eſſe ſpargi ſemina illius erroris. Nec ſane hac noſtra ipſa ætate defuerunt, qui, luculentis ſcriptis editis, demonſtrarunt, omnes, qui ſententiam de pluribus perſonis in una Dei eſſentia ſequuntur, vel plane (re ſcilicet non autem verbis) Sabellianos eſſe, vel profecto, niſi in triplicitatem illam antiquis iſtis ab hoc ſcriptore objectam incidere tandem velint, ut Sabelliani evadant, neceſſe eſſe.

Jam locus, quem ex eadem Epiſt. ad Philipp. Adverſarius affert, qui, ut credimus, is eſt, quem Aſſertionis ſcriptor intellexerat, minime probat, Ignatium, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quas idem Adverſarius divinitatis perſonas vocat, eſſe æquales eo ſenſu, quo hic intelligere eſt opus; id eſt ſimpliciter & per omnia, quod ad ipſam eſſentiam pertinet, æquales. Vox enim Græca ὁμότιμος ejuſdem quidem honoris participes & conſortes omnino ſignificat; ſed non tamen ut Adverſarius opinatur, eadem prorſus æqualitate. Quemadmodum alia pleraque nomina ad eundem modum compoſita docere poſſunt, ſi quis ex compoſitione ipſa id minus deprehendere queat. Quod ſi tamen aliquando ſimiles voces omnimodam æqualitatem ſignificant, id, ſi vim ipſam vocis ſpectes, ex accidente eſt. Adde, quod vox illa ad id referenda eſt, de quo in verbis Chriſti ibidem citatis agitur, nec ad alia porrigenda. Quia enim Chriſtus præceperat baptizari in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, inde colligit & infert ſcriptor iſte, hos tres ejuſdem honoris eſſe conſortes, hujus videlicet honoris, quod in ipſorum nomen baptizentur omnes gentes; non autem cujuſcumque honoris. Eſt igitur in Adverſarii argumentatione ex voce iſta Græca duplex fallacia. Nempe figuræ dictionis, & à ſecundum quid ad ſimpliciter. Putavit enim, id quod ut effectus prælcriptæ rationis baptizandi ab Ignatio dicitur, ut cauſſam dici. Huc accedit, quod Latinum exemplar, ante editum (ni fallimur) Græcum, Venetiis annos ab hinc ferme quadraginta excuſum plane contrariam lectionem habet.

Quippe

Quippe in quo ſcriptum ſit, Non in unum quendam trinomium, neque in tres unius ejuſdemque honoris. Nam ſi diligenter ubique Latina cum Græcis conferantur, videbit doctus ac prudens lector, nihil eſſe, cur alicubi, ubi diſſentiunt, Latinum exemplar Græco præferendum non videatur. Quanquam, ut tandem de hiſce Ignatii, quæ feruntur, teſtimoniis diſputandi finem faciamus, lectorem monendum cenſuimus inter Ignatii Epiſtolas duas iſtas ad Tarſenſes, & ad Philippenſes neque ab Euſebio, neque ab Hieronymo recenſeri. Quare utraque merito ſuſpecta nobis eſſe debet. Quod ſane dolemus. Namque, ut demonſtratum fuit, ex illis, ſi indubitatæ forent, trinitatis, vel etiam (ut ſic loquamur) binitatis perſonarum in uno Deo opinionem ſero in Eccleſiam irrepſiſſe, & ab initio valde oppugnatam ab ejus proceribus fuiſſe, aperte conſtaret.

3. Fabulas appellavimus, affirmare Ignatium ab Johanne Trinitatem iſtam edoctum fuiſſe, non autem ab illo ea myſteria didiciſſe, quæ in ipſius Ignatii Epiſtolis leguntur. Quod ſi, dum nos hic reprehendit, omnino & intelligit, & dicere vult Adverſarius, in Epiſtolis illis myſterium iſtius Trinitatis legi, jam hoc ipſum nos ante aperte negaveramus. Itaque in ejus reprehenſione aut ſumma eſt elenchi ignoratio, aut manifeſta principii petitio.

4. Et ſi cauſſa, quam Euſebius affert, non pugnat per ſe cum ea, quam affert Hieronymus, tamen quatenus non eſt eadem, ſed diverſa, per accidens pugnat. Neque enim, ſi ea vera eſſet, quam Hieronymus affert, ſimpliciter illam alteram aſſignaſſet Euſebius, quem id hac in re ignoraſſe, quod Hieronymus poſtea noverit, nullo modo eſt veriſimile. Jam quod diximus, Euſebium, dum poſtmodum addit, Chriſti divinitatem Johanni tractandam reſervatam fuiſſe, ex ſuo ſenſu loqui, non ita intelligendum eſt, quaſi negare voluerimus, Eccleſiæ quoque illius temporis eandem ſententiam fuiſſe (quanquam neque etiam id aſſeverare, ut Adverſarius facit, quiſquam jure poteſt, etiamſi non ſolum, ut ipſe ait, ſenſum tunc præſentis Eccleſiæ optime potuerit Euſebius habere perſpectum, ſed etiam reipſa habuiſſe compertum ſit, nihil enim in ejus verbis eſt, unde intelligi poſſit, eum ex aliorum etiam ſenſu loqui) ſed ex noſtris ipſis, quæ ſequuntur, verbis ita eſt accipiendum, ut ad cauſſam, quam Johannes ſcribendi Euangelii, quemadmodum videlicet ferebatur, habuiſſet, iſtud, quod Euſebius ſubjunxit, referendum non eſſet. Nam ex aliorum ſenſu, & ſecundum id, quod ferebatur, de cauſſa iſta Euſebium ſcripſiſſe, planum faciunt ipſius verba, ubi eam explicat. Id quod aperte indicat aliam illam cauſſam ab Hieronymo allatam ad Euſebii aures non perveniſſe; multo autem minus in Eccleſia ejus ætate jactatam fuiſſe. Cum enim de eo, quod ferebatur, Euſebius ſcriberet, nihil eſt, cur eam reticere debuiſſet.

5. Hic rurſus in nobis reprehendendis in ſummam elenchi ignorationem incidit Adverſarius. Neque enim nos ea verba, *Legantur noſtrorum*, &c. idcirco diximus, quod vellemus eo loco noſtrorum hominum explicationes pro rectis & veris cuiquam legendas proponere, ſed tantum monere ex illis intelligi poſſe, Johannem Chriſti divinam eſſentiam, quam Adverſarii intelligunt, minime eo loco aſſeruiſſe, ita, ut, ſi de ea antea dubitabatur, poſtea, quatenus ejus verbis fides adhibita fuiſſet, dubitari deſitum eſſet. Inſpiciat quivis verba noſtra ab ipſo Adverſario recitata, & ſtatim nos veriſſima loqui, illum vero prorſus Sophiſtam agere deprehendet. Quod ſi nihilominus verum eſt, nos explicationes noſtras ejus loci pluris facere, quam eas, quas theologi iſti, quos Adverſarius commemorat, ſcripſerunt, tamen neque id ex verbis illis noſtris colligi poteſt, nec inde ſequitur, nos theologos iſtos contemnere & calumniari. Quos & ſi hac in re à vero ſcopo longe aberraſſe, perſuaſum habemus, & in quibuſdam præterea aliis veritatem eos non perſpexiſſe credimus, tamen & magnos doctiſſimoſque viros fuiſſe agnoſcimus, & ob hanc cauſſam eos non leviter ſuſpicimus, & reveremur, nec temere unquam ab ipſis diſſentire audemus. Tantum abeſt ut eos aut contemnamus, aut calumniemur. Sed Adverſarius eſt, qui nos (ejus pace dictum volumus) hac in re ſeu prudens ſive imprudens calumniatur. Quod idem ſimiliter facit, dum ait, nos ad occultandam noſtratum explicationum impietatem, in illis ſcripturæ locos in unum Chaos confundere & convolvere. Nollet nimirum Adverſarius tantam vim Sacrorum Teſtimoniorum, ut ſæpe fit, à noſtris hominibus congeri, quibus errores, quos ipſe tuetur, profligari cernit; id quod ipſe impietatis noſtræ occultationem nominat, non obſcure concedens illis congerendis nos neutiquam fruſtra laborare, & cauſſam noſtram non parum juvare, ſaltem apud illos, quos ipſe imprudentes vocat; id eſt, ut nos interpretamur, humanorum inventorum propemodum ignaros, & divinis teſtimoniis ſimpliciter acquieſcentes; ac Philoſophica iſta à Lactantio citata, quæ nobis hic ipſe opponit, penitus aut neſcientes nec ſcire volentes, aut certe aſpernantes & rejicientes. Nam Sibyllina carmina, quæ idem Lactantius recitat, majore ex parte pio quodam ſtudio conficta à Chriſtianis fuiſſe res ipſa monet, quamvis id diluere fruſtra ipſe tentet. Propter quam cauſſam fortaſſe potiſſimum & Hieronymus * & alii optarunt, ut Lactantius tam noſtra confirmaſſet, quam facile aliena deſtruxit. Quanquam nihil eſt nec in Sibyllinis carminibus, nec in aliis à Lactantio commemoratis, quod quidquam explicationi noſtræ appellationis τὸ λόγος Chriſto à Johanne tributæ officere cenſendum ſit. Quinetiam ne id quidem verum eſt, in carminibus illis ullam apertam, mentionem τοῦ λόγου fieri, ut perſonæ. Nam in illis, ἐκπλαφιζόμενοι σιγήσῃ, μὴ τις ἐπιστῶ, τῆς λόγου, &c. in quibus, nec præterea alibi, ſuſpicari quis poteſt id factum eſſe, nihil prohibet, quin vox λόγου aliud, quam perſonam ſignificet. Immo nihil eſt, cur de alia re quapiam eam vocem non accipiamus, propter pronomen τῆς. Niſi velimus plures perſonas fuiſſe, quæ λόγος nomine appellari poſſent. Ad ſermonem igitur Euangelicum recte ea vox referri poteſt, quem Chriſtus antea publicaverat, & poſtea collaphis cæſus ne mutivit quidem; ut nemo eſſet, qui, quantus & qualis ſermo ille eſſet, amplius cognoſceret.

Non eſt autem prætermittendum, quod quidquid cæteroqui hoc loco, quaſi contra nos, diſputat Adverſarius, non modo nihil prorſus contra nos facit, verum etiam id univerſum à nobis quoque veriſſimum agnoſcitur. Logon ſcilicet vocari filium Dei, & ex initio Euangelii Johannis ejuſdemque concluſione conſtare eum velle, ut credatur, Jeſum Chriſtum filium Dei illud eſſe verbum, quod erat in principio, & quod erat apud Deum, & quod erat Deus. Immo hæc ipſa omnia noſtram ſententiam & explicationem confirmant & aliorum omnium labefactant. Quandoquidem nec Filius ille Dei ante Jeſum Chriſtum ex virgine natum extitiſſe, uſquam legitur, & Jeſus Chriſtus quod, ut alibi ſupra diximus, & Jeſus, & Chriſtus nomina ſint illius hominis, non eſt niſi homo ille, quem nos, nec alium vel præter, vel ante ipſum, Verbum illud eſſe contendimus, quod erat in principio, & quod erat apud Deum, & quod erat Deus; & idcirco neceſſe eſſe, ut ex iſtis illis attributis aliud omnino intelligatur, quam vel ejus exiſtentiam ante cœli, terræque & aliarum rerum omnium creationem, vel eſſentiæ aut habitationis cujuſdam cum Deo perpetuæ ab omni ævo communionem.

6. Non ſunt igitur cavillationes ea, quæ nos ex illa Johannis concluſione colligimus, ſed in iis, quæ Adverſarius illis objicit, ſunt partim manifeſtæ, partim occultiores plures principii petitiones; dum Eſſe in principio aliter ille accipit, ac nos accipiamus; dum proconceſſo ſumit, Johannem ſcripſiſſe, Verbum factum eſſe carnem, cum nos potius, Verbum fuiſſe carnem, illum

* Hieron. ad Paulinum de inſt. Monachi.

ſcri-

ſcripſiſſe contendamus, &, ſi tamen ſcripſit, Verbum factum eſſe carnem, id aliter intelligamus atque ipſe Adverſarius intelligit; dum præterea in Jeſu divinam quandam naturam eſſe ſtatuit per ſe ſubſiſtentem, quæque ante ipſum Jeſum & ab æterno fuerit, id quod nos pernegamus; dum denique illius unius Dei ſeu ΘΕΟΥ plures perſonas eſſe ſtatuit, quarum tamen una per ſe & ſimpliciter ΘΕΟΣ nomine appelletur: quæ à nobis in univerſa hac diſputatione vel potiſſimum negantur, vel ſibi minus conſentanea eſſe, & probationis plurimum indigere dicuntur.

Caput XV.

Aſſertio octava & nona Poſnanienſis collegii de trino & uno Deo in eo occupantur, ut oſtendant, eos, qui trinitatem perſonarum in uno Deo non agnoverunt, & auctores, ut Adverſariis videtur, ejus abjiciendæ fuerunt, à plurimis conciliis fuiſſe damnatos. Inter quos primus nominatur Paulus Samoſatenus, in quo impius Mahometis error damnatus fuiſſe dicitur. Admiſcetur autem in nona Aſſertione, originem hujus blaſphemiæ (ſic enim Adverſarii loquuntur) ab impiis Judæis cæpiſſe; quippe qui Chriſtum, propterea quod Deum Patrem ſuum eſſe diceret Joan. 5. 18, æqualem ſe faciens Deo, interficere volebant. In hæc nos animadvertimus, Primum, quod Adverſarii ita loquerentur, quaſi Paulus Samoſatenus poſt Mahometem fuiſſet, quem tamen trecentis amplius annis anteceſſit; & ſimul oſtendimus, Samoſateni ſententiam longe diſtare ab errore Mahometis. Deinde, divinam veritatem à nullis hominum conciliis pendere, diximus. Præterea Judæorum illorum imitatores eos potius eſſe, qui Trinitatem iſtam defenderent, tacite docuimus; dum iſtos, & Deum Chriſti Patrem, & Chriſtum Deo æqualem eſſe, reipſa negare oſtendimus; quippe qui Chriſtum Deum ipſum facerent, Nemo autem ſui ipſius pater, aut ſibi ipſi æqualis eſſe poſſit. Poſtremo ſententiæ noſtræ, quod unus ille Deus Pater tantum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit, & propterea ipſe Chriſtus is Deus eſſe nequeat, non ullos homines unquam, ſed Spiritum Sanctum in ſcriptura, divinæque auræ particulam omnibus inditam perpetuum auctorem fuiſſe, aſſeruimus. Adverſus has noſtras Animadverſiones Adverſarius pag. 84. uſque ad mediam pag. 87. ad hunc modum ſcribit.

Adverſarii dicta.

1. Primum inquit, *Non intelligunt Samoſatenici ita Mahometem, in Paulo Samoſateno quamvis cum eum* (ſic enim prorſus ibi legitur; ſed aut Cum, ut credimus, aut certe Quamvis abundat) *plurimis annis anteceſſerit, à Conciliis damnatum, quemadmodum & ipſi in eodem ſuo Magiſtro ſunt damnati.*

2. Deinde aſſerit, omnino Samoſatenicos Anabaptiſtas, id eſt nos, cum Mahometanis in iis, quæ præcipua ſunt, conſentire. Quia ſcilicet una cum illis Deum trinum & unum non agnoſcimus; quem tamen Chriſtiani colunt invocantes Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & propterea neceſſario in eundem credentes. Invocant enim hos (inquit) in ipſa regeneratione, id eſt in baptiſmo. Itaque, quod hi tres ſint unus Deus, hoc ait eſſe Chriſtianæ religionis primum fundamentum; ad quod evertendum Samoſatenica ſecta cum Mahometana conſpirare cœperit, & una cum ea contra veram divinitatem Jeſu Chriſti teſtimonium dicere, eamque blaſphemare; ac nihil aliud eum, quam hominem, fuiſſe, obſtinatiſſime aſſeverare. De præſtantia nonnihil inter eas differentiæ eſſe. At nos Chriſti ſanctimoniæ excellentiam facile ita depreſſuros, ut Mahometes ex hac parte nihil obſtaculi habiturus eſſet, ſi magiſter adeſſet, qui demonſtraret rationes, & tandem ait nuper Palæologum declaraſſe, quo Samoſatenica ſecta ſpectet, & quid ejus magiſtri contra omnes provincias machinentur.

3. Concilia, licet hominum, ſi Apoſtolica auctoritate congregata fuerint, quanti facienda ſint, docere ait caput quindecimum Actorum. In Apoſtolorum autem loca atque eorum, qui primi rexerunt eccleſias, eos epiſcopos & paſtores ſucceſſiſſe innuit, qui in illis conciliis, quibus nos auctoritatem derogamus, congregati fuerunt. Cum autem crebro Pontificiis objiciamus, quod homines ſint, videri nos tacite ſignificare, nos ipſos non eſſe homines, & idcirco explicationes noſtras ſcripturarum non ut ab hominibus eſſe accipiendas.

4. Ait, nos nolle intelligere, catholicam eccleſiam tres perſonas non confundere, neque earum ſubſtantiam ſeparare.

5. Jactationem noſtram, in qua nos inſolentius oſtentemus, de origine noſtræ ſententiæ, vel ſacramenti Baptiſmi verbis retundi affirmat.

Reſponſiones.

1. Non ignorabamus, modum loquendi, quo uſus erat Aſſertionum ſcriptor, cum ait Mahometis errorem in Samoſateno damnatum fuiſſe, ſuſtineri poſſe, quamvis Samoſatenus plurimis annis Mahometem anteceſſerit. Sed quia verba prima fronte adeoque conſueta loquendi ratione ſignificant, Mahometem tempore Samoſateno priorem fuiſſe, ne hiſtoriarum rudes lectores exiſtimarent, Samoſatenum, quem primum auctorem quodammodo ſententiæ noſtræ Adverſarii faciunt, & à quo nos denominant, non veritum fuiſſe Mahometem tam inſignem & manifeſtum pſeudoprophetam hac in re imitari, & hanc ob cauſſam, quin ipſa ſententia noſtra falſiſſima eſſet, nihil dubitare inciperent; idcirco rem, uti eſt, exponere voluimus, & verborum Aſſertionis fallaciam quandam detegere. Sed dignum animadverſione eſt, Adverſarium, dum ambiguitatem iſtam excuſare vult, verba de eadem ipſa re protuliſſe multo magis ambigua; immo ejuſmodi, quæ ſi rectum ac communem loquendi uſum ſpectes, non aliter accipi poſſunt, quam, ut intelligatur, Mahometem plurimis annis Samoſateno anteriorem fuiſſe. Nam certe in Adverſarii verbis, quæ antea deſcripſimus, neceſſe eſt, niſi nova loquendi ratio, novaque adeo grammatica inſtituatur, ut verbum Anteceſſit ad Mahometem referatur, pronomen vero Eum ad Paulum Samoſatenum. Diximus autem, hoc (quamvis per ſe ſit leve) animadverſione dignum eſſe, quia videtur juſtitia divina hominem iſtum perſequi. Etenim alibi quoque eum contrarium ſcripſiſſe oſtendimus ejus, quod ſcribere omnino volebat.

2. Plurimus omnino eſt ubique Adverſarius in ea fallacia ſectanda, quæ principii petitio dicitur. Nam aſſerere vere Chriſtianorum eſſe, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tanquam unum Deum adorare & invocare, nihil aliud eſt in hac diſputatione de convenientia inter Samoſatenum, & Mahometem in præcipuis contra Chriſtianam religionem, quam principii manifeſta petitio; quam non excuſant quædam ad id probandum indicata. Nam de his ſeparatim vel agitur, vel agi debet, cum de hoc ipſo diſputatur, utrum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſint unus Deus necne. Quod hic pluribus in locis fit. Sed videamus, quænam ſint iſta. Videntur autem eſſe duo. Primum, quod orbis Chriſtianus id faciat. Deinde, quod illud in ipſa baptiſmi ſuſceptione omnes profiteantur. Quod ad Chriſtianorum conſenſum attinet, is nihil probare poteſt, cum non appareat, eum fuiſſe, & eſſe omnium, eumque perpetuum. Immo, cum appareat, aliquando, ut Arrianorum tempore ſub Conſtantio Conſtantini filio, & Valente imperatore, ac Vandalis in Africa, Gothis autem & Longobardis in Italia regnantibus, ingentem fuiſſe Chriſtianorum numerum, qui trinum iſtum Deum minime colerent, aut invocarent. Adeo ut etiam interdum rerum potiti in Eccleſia viderentur. Oportet enim

in hac

in hac ratione à conſenſu Chriſtianorum ducta, Chriſtianos non eos intelligere, qui ad veram Chriſti eccleſiam pertinent, ſed omnes, qui Chriſti nomen profitentur. Alioqui in perpetua principii petitione verſaremur, negante Adverſario, eos ad veram Chriſti eccleſiam pertinere, qui nobis, quod ad doctrinam attinet (ſic enim hoc loco veram Chriſti eccleſiam accipimus) omnino pertinere viderentur; & contra, eos ad eam pertinere affirmante, quos fortaſſe nos minime pertinere arbitraremur.

Quanquam ſatis ſuperque eſt, quod ante Conſtantini Magni tempora & aliquanto poſt, nihil aperte conſtat de trino Deo à Chriſtianis paſſim adorato & invocato, vel potius, quod conſtat, talem Deum & præcipuis & pleriſque Chriſtianis tunc fuiſſe incognitum. Id enim ex omnium Chriſtianorum ſcriptis, qui tempora illa anteceſſerunt (quæ modo adulterina aut ſuppoſiticia non ſint, ut illa Dionyſii Areopagitæ, & Clementis, & liber de orthodoxa fide Juſtino attributus, de quibus ſupra egimus) intelligere licet. In quibus ubique unus ille Deus, Pater tantum Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe aſſeritur. Idque potiſſimum in eo libro fit, qui inter libros Tertulliani de Trinitate inſcribitur. Quod nomen, licet fortaſſe nunquam in ipſo libro legatur, legitur tamen apud eundem Tertullianum ſæpius in libro adverſus Praxeam; ubi ſimiliter aperte uni tantum Jeſu Chriſti Patri tribuitur, quod ſit ille unus Deus. Neque enim, ut præclare hac in parte diſputavit G. Genebrardus 2. lib. de Trinitate veteres illi, quicumque de Trinitate ſunt locuti, Trinitatis nomine eſſentiam ſignificarunt; ſed nomen hoc ad perſonas tantum retulerunt. Non igitur Deum trinum in perſonis Trinitatem nominando intelligebant; ſed Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ſignificabant. Nam non Filium modo, ſed Spiritum quoque Sanctum, perſonam illum eſſe, exiſtimantes, colebant iſti præter Patrem. Cui tamen interim ſuam prærogativam, ut qui ſolus ille unus Deus eſſet, reſervabant, & ex ipſius quidem ſubſtantia filium & Spiritum Sanctum ab eo productos credebant, non tamen eandem numero horum trium eſſentiam aſſerebant. Itaque Tritheitæ erant; ut etiam à Tritheitis noſtri temporis obſervatum eſt.

Nec vero nobis quidquam hactenus legere contigit, quod trini iſtius Dei à Chriſtianis jam tum recepti & culti fidem facere videatur magis, quam, quæ ex dialogo, qui Philopatris inſcribitur, & inter Luciani opera numeratur, ad id probandum affert Genebrardus lib. 1, & 2. de Trinitate. Sed peritiores ſentiunt, dialogum illum falſo Luciano fuiſſe adſcriptum, & alicujus recentioris opus eſſe, ut alia omittamus, quibus teſtimonium iſtud facile dilui poteſt, & oſtendi, etiamſi dialogus ille ſuppoſiticius non eſſet, tamen verba illa non demonſtrare paſſim à Chriſtianis Luciani ætate trinum Deum cultum fuiſſe, ſed fortaſſe alicubi à quibuſdam id factum eſſe perſuadere. Diximus autem Fortaſſe, quia nihil vetat, quominus ad Tritheitarum opinionem, de quibus modo dicebamus, quales tunc temporis plurimi Chriſtiani erant, ſcriptoris illius verba referantur. Qui, cum Patris, Filii, & Spiritus Sancti unam ſubſtantiam eſſe dicerent, quamvis illud ita intelligerent, quemadmodum ſi quis diceret trium hominum Patris, Filii, & nepotis, aut trium rerum, fontis, fluvii, & rivuli eandem ſubſtantiam eſſe, tamen videbatur poſſe affirmari, eos unum facere tria, & tria unum, ſicut in eo dialogo ſcriptum eſt. Namque hoc ipſum illis objectum fuiſſe, ex lib. illo Tertulliani adverſus Praxeam facile intelligi poteſt.

Quid quod concedere Adverſario poſſumus, omnes Chriſtianos ab Apoſtolorum temporibus trinum Deum coluiſſe, nec tamen inde neceſſario ſequetur, id facere vere Chriſtianorum eſſe? Neceſſe enim erit adhuc, ut probet, eos, ut Chriſtianos, id feciſſe, non autem ſe facere exiſtimaſſe. Alioqui niſi hoc probet, ejus ratiocinatio ab accidentis fallacia, qua, ſi neceſſario concludere debet, omnino laborat, non liberabitur. Jam vero, quod pertinet ad baptiſmi ſuſceptionem, quidquid inde ad trini Dei invocationem ſtabiliendam colligi poſſe Adverſarius exiſtimat, refutatum eſt abunde ſupra cap. 13. partic. 4. & deinceps. Oſtendimus enim, nec verba illa, *In nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ullam invocationem continere; nec, ſi continerent, propterea ſequi, Filii invocationem parem Patris invocationi eſſe, eumque ejuſdem cum Patre eſſentiæ agnoſci debere. Nam de Spiritu Sancto diximus, Adverſarium neceſſe habere prius probare, eum eſſe perſonam, cum id ex verbis illis minime probetur, etiamſi ex illis, Spiritum Sanctum invocari conſtaret. Hic tantum addimus, etiamſi Spiritus Sanctus & perſona à Patre diſtincta eſſet, & invocaretur, non idcirco concludi poſſe, eandem numero ipſius, & Patris eſſentiam eſſe; propter eas cauſſas, ex quibus ibi concluſimus, Filium, licet perſonam à Patre diſtinctam, & cui invocatio conveniat, non tamen ejuſdem cum Patre eſſentiæ eſſe. Et ſane Tritheitæ, inter quos, ut dictum eſt, multos ex illis veteribus numerandos eſſe apparet, ſatis admonere poſſunt, argumentum ab invocatione ad eandem numero cum Patre eſſentiam ductum nihil firmitatis habere.

Ex his perſpicuum eſſe credimus, nullo pacto fundamentum Chriſtianæ religionis eſſe credere, Deum unum ſimul & trinum eſſe. Quod tamen Samoſatenica, quam Adverſarius vocat, ſecta, id eſt noſtra eccleſia, evertere non eſt aggreſſa. Sed, hoc jam ab aliis everſo, verum fundamentum ipſa, inſtaurare hac noſtra ætate cœpit; nempe, hominem illum Jeſum Nazarenum eſſe revera Dei filium unigenitum, eundemque propter crucis mortem Dominum & Chriſtum à Deo fuiſſe factum, & tanto honore ac gloria coronatum, ut ipſi etiam Angeli eum adorare debeant. Quippe cui, præter ſeipſum, Deus omnia & quæ in terra, & quæ in cœlo ſunt, ſubjecerit. Hæc eſt vera Chriſti divinitas. Hoc eſt præcipuum & proprium Chriſtianæ religionis myſterium, tum divinis oraculis teſtatiſſimum, tum nihil in ſe habens, quod vel abſurdum, vel impoſſibile cuiquam videri queat; immo quod Dei ſummam & admirabilem potentiam, ſapientiam, bonitatem undique non ſpiret, eam nobis quaſi manibus contrectandam exhibeat. Non autem in Deo, licet eſſentia uno, plures tamen eſſe perſonas, & propterea Filium, quamvis alium à Patre, eundem tamen numero Deum cum ipſo eſſe, unumque illum Deum, illum Altiſſimum, natum factumque hominem, & mortuum fuiſſe; & alia ejuſmodi plurima commenticio iſto fundamento contenta. Quæ omnia manifeſte & abſurdiſſima, & prorſus impoſſibilia ſunt, nec quidquam de Deo nobis proponunt, quod ipſo indignum non appareat. Unde factum eſt, ut nec Mahometes ipſe fundamentum iſtud evertere revera ſit conatus; ſed ex eo utpote evidentiſſime falſo atque conficto, & tamen à Chriſtiani nominis populo pro veriſſimo ac primo ſuæ religionis fundamento habito, ipſius Chriſtianæ religionis abolendæ occaſionem arripuerit, & veræ Chriſti divinitatis tollendæ, quam modo à noſtri hominibus reſtitutam oſtendimus. Tantum abeſt, ut illi cum Mahomete hac in re conſpiraverint. Nec porro, ſi quis quidquid paulo excellentius nihilominus Chriſto Mahometes tribuit, & qua ratione diligenter attenderit, dicturus ſit unquam, eum homini illi Jeſu iſta tribuere; ſed potius ſpiritui cuidam divino eique ſubſiſtenti, qui homini illi aſſiſteret, & cum eo conjunctus eſſet. Ex quo ſatis liquet, Mahometis ſententiam de Chriſti eſſentia & natura propius ad eorum, qui trinum Deum colunt, accedere, quam ad noſtrorum hominum ſententiam; & ne in eo quidem Mahometanam ſectam cum eccleſia noſtra convenire, quod utraque Chriſtum nihil aliud, quam hominem, fuiſſe aſſeveret. Apparet enim, Mahometem hoc neutiquam dixiſſe. Sed neque nos ipſi, ut ſupra cap. 1. partic. 6. oſtenſum eſt, ſic loqui de Chriſto ſolemus. Longe tamen diverſa ratione ab ea re abſtinentes, quam Mahometes abſtinuerit, utpote qui a Sergio monacho Neſtoriano, ut tra-

ut traditur, inſtitutus, Neſtorianiſmum quendam ſaperet; aut certe, quia Neſtorianiſmus tunc plurimum in oriente vigebat, eum, ut ſuæ impoſturæ faciliorem in hominum illorum animos aditum pararet, aliquo modo præ ſe tulerit; à quo nos vehementer abhorremus.

Quid igitur cauſſæ habet Adverſarius, quamobrem vel in fundamento religionis Chriſtianæ evertendo, vel in Chriſto, homine tantum ſtatuendo, Mahometanos cum noſtris hominibus conſentire dicat, atque inter hos, & illos nonnihil tantummodo de Chriſti præſtantia differre? Nam de præſtantiæ differentia, an non vel illa legit, quæ nos hoc loco, in Animadver. 1. Aſſert. 8. de diſcrimine hac in re inter Mahometem & Samoſatenum, à quo nos denominat, ſcripſimus? Scripſimus autem, Samoſatenum Jeſum Nazarenum verum & unigenam Dei filium, & Dominum noſtrum eſſe agnoviſſe, eumque adorandum dixiſſe, ejuſque doctrinam perpetuam in Dei eccleſia fore, confeſſum fuiſſe, aliaque non pauca de ipſo affirmaſſe, quæ omnia Mahometes negaverit. Eſtne hoc nonnihil tantum differentiæ de præſtantia Chriſti, an potius ſumma & maxima de ipſo Chriſto differentia? ex qua nimirum, utrum Chriſti ſervi & cultores ac perpetui diſcipuli nec ne eſſe debeamus, perſpicue pendet; & propterea in qua evidenter totius de Chriſtiana religione, omnibus aliis poſthabitis, nec ne amplectenda quæſtionis cardo vertitur. Cur igitur tam atrociter nos contra manifeſtam veritatem criminatur? Cur præterea addit, nos ſanctimoniæ quoque Chriſti excellentiam, ſi ad eam rem magiſtrum haberemus, omnino depreſſuros eſſe? cum ipſe, niſi plane ſtupidus ſit, ejuſmodi magiſtros jam extitiſſe recte noverit, & quanta hactenus conſtantia, labore, ſtudio, adde etiam periculo noſtro illis obſtiterimus, & perpetuo obſiſtamus, noſſe potuerit? Quid denique etiam Palæologum illum inter magiſtros noſtros numerat, cum quo nobis annos complures perpetuum fuit diſſidium, quemque nobis tandem multo magis infenſum, quam iis omnibus, qui Deum trinum colunt, fuiſſe conſtat? Ad hos autem cum poſtremo deſciverit, adeoque ad illos ipſos, è quorum numero eſt Adverſarius, certe, ſi, quod minime dubitamus, aliquid in eo aliquando deprehenſum eſt, quod deteſtandum prorſus videatur, id non nobis, ſed Adverſario potius, & ſuis objiciendum atque exprobrandum eſt.

3. Concilia hominum ſpiritu Dei præditorum, Deique ipſius auctoritate in Jeſu Chriſti nomine revera congregatorum, hominum ipſorum, ſive humana concilia non ſunt, ſed divina. Apoſtoli, & qui erant cum ipſis, ſine dubio & tales homines erant, & tali ratione congregabantur. Quocirca merito Spiritui Sancto primum, deinde ſibi ea placuiſſe, quæ conſtituebant, affirmare poterant. Sed epiſcopos & paſtores, qui concilia illa habuerunt, in quibus contra ſententiam noſtram aliquid conſtitutum eſt, quis tales homines fuiſſe talique ratione tunc congregatos eſſe, affirmare audeat? At enim id propterea affirmare licere Adverſario videtur, quia in Apoſtolorum, inquit, & eorum, qui primi rexerunt eccleſias loca ſucceſſerunt. Verum quid eſt, quæſumus, ſuccedere in locum Apoſtoli? nonne poſt ipſum munere Apoſtolico fungi? Atqui aliud eſt eſſe epiſcopum ſeu paſtorem; aliud vero fungi munere Apoſtolico. Ut patet Epheſ. 4. 11. Succedere autem in locum aliorum, qui Apoſtolis conjuncti erant, quæcunque tandem ſit iſta ſucceſſio, non ſatis eſt ad auctoritatem Apoſtolicam, quam ipſe Adverſarius hic requirit, conciliandam. Nec unquam auſi fuiſſent illi per ſe ſine Apoſtolis decreta illa condere, & tanquam à Spiritu Sancto profecta, edere ac ſervanda curare. Adde, quod ſucceſſio iſta in locum ſive Apoſtolorum, ſive eorum, qui primi rexerunt eccleſias, nihil aliud majus, de quo conſtanter affirmare liceat, continere poteſt, quam externam adminiſtrationem ejuſdem muneris, & in iiſdem locis. Atqui hac ratione ſuccedere, in propoſito noſtro nihil eſt. Neque enim vel externo muneri, vel certis locis ſpiritum ſuum Deus alligavit. Id quod ipſi etiam Pontificii fatentur, dum ſolis Petri ſucceſſoribus in Romana eccleſia hoc privilegium, ne in fide errare poſſint, datum volunt. Cæteros autem epiſcopos etiamſi aliis Apoſtolis in verbo Dei miniſtrando iiſdem in locis ſucceſſerint, & errare in fide potuiſſe, & porro erraſſe, atque adeo defeciſſe concedunt. Qua de re legantur hiſtoriæ. * Ex quibus conſtat, Paulum ipſum Samoſatenum, quem tantum hæreſiarcham ipſi faciunt, Antiochiæ epiſcopum fuiſſe, id eſt ejus loci, ubi Petrus Apoſtolus aliquandiu hæſit, atque epiſcopus etiam fuit. Ex quo liquet, Samoſatenum unum ex ipſius Petri ſucceſſoribus & muneris & loci ratione fuiſſe. Quos cur magis Romæ, quam Antiochiæ ab errando in fide immunes eſſe velint, nulla cauſa eſt.

Nihil eſt igitur, ut diximus, in propoſito noſtro, ipſis etiam Pontificiis teſtibus, externa iſta ſucceſſio, niſi interior accedat: Id eſt, niſi ii, qui munus & locum occupant, quem ſancti viri ante ipſos tenuerunt, illorum fidem & ſanctimoniam imitentur, illiſque ea in re ſuccedant. De quo cum nemini quidquam conſtare poſſit, & idcirco fieri facile queat, ut plerique ex iſtis ſucceſſoribus vera fide & ſanctitate non ſint præditi, nec porro, cum congregantur in Jeſu Chriſti nomine revera congregentur, temerarium plane eſt aſſeverare, id, quod ab illis conſtituitur, à Spiritu Sancto profectum eſſe. Sed de vera Apoſtolorum aliorumque divinorum hominum in Chriſti eccleſia ſucceſſione, diſputatum eſt ab aliis compluribus ante nos, contra eccleſiaſticam Pontificiorum tyrrannidem, & aperte demonſtratum, eam muneris tantum externi eodem in loco adminiſtratione minime contineri, ex illave dignoſci, totamque ſpiritualem, & nulla ex parte carnalem eſſe.

Itaque cum Adverſariis objicimus, quod ſint homines, nihil aliud dicere volumus, quam nihil conſtare, eos Dei ſpiritu, & multo minus divina ulla auctoritate præditos eſſe; nec ex eo, quod ſecundum carnem Apoſtolis, & aliis primis Eccleſiæ rectoribus per longam ſæculorum ſeriem, ut quidem ipſis videtur, ſucceſſerint (nam de hoc quidem proprie loquendo, verum eſſe poteſt; cum vix unquam legitime fuerint electi; ſed per ambitionem, vel contentionem ſæpiſſime, interdum etiam per avaritiam, vel per invidiam alii in aliorum locum ſuffecti fuerint, idque ab iis, qui, ejus rei auctoritatem non habebant) ullo modo exiſtimandum eſſe, ipſos de rebus divinis eam ſententiam ferre poſſe, qua ſtandum nobis ſit; quemadmodum ipſi nos facere debere contendunt. Nec tamen interim, nos homines eſſe negamus, aut ullam divinam auctoritatem nobis vindicamus, ut perperam colligit Adverſarius. Immo quia ubique, contra quam ipſi faciunt, profitemur, nihil credendum aut recipiendum eorum, quæ docemus & tradimus, niſi prius id Sacris Teſtimoniis conſentaneum eſſe conſtiterit, propterea nihil fuit opus, ut, cum ipſos homines eſſe monebamus, nos quoque homines eſſe confiteremur. Diverſa enim prorſus eſt ipſorum & noſtri ratio, cum conſtet, nos minime id nobis tribuere, quod ipſi evidentiſſime ſibi arrogant.

4. Legantur quæ ſcripſimus ad finem duorum proximorum capitum, ut intelligatur, Adverſarium, dum hic tacite vult, Dei ſimplex nomen pro una tantum ex ipſius Dei perſonis uſurpari, & principium non uno modo petere, & interim ſententiæ ſuæ falſitatem indicare.

5. Jam cap. 13. partic. 4. uſque ad partic. 7. demonſtratum eſt à nobis, verba iſta in baptiſmo inſtituendo ſententiæ noſtræ claritati nihil officere. Nec vero jactatio, aut inſolentior oſtentatio ulla eſt in verbis noſtris. Sed contra falſam de origine ſententiæ noſtræ aſſertionem ſimplex & vera de eadem origine aſſertio.

* Euſeb. hiſt. eccl. lib. 7. Hieron. in catalo. ſcriptor. eccl. Euſeb. hiſt. eccl. lib. 3.

Caput XVI.

IN decima collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo Aſſertione, illorum ſententiæ, qui, Deum trinum eſſe non agnoverint, opponitur fides & profeſſio de uno quidem Deo, ſed ita ut Unitas in Trinitate, & Trinitas in Unitate colatur; eaque univerſæ Eccleſiæ eſſe dicitur. Afferunturque teſtimonia ex Sacris Literis Deut. 6. 4, & Gen. 18. Hic nos negavimus Dei eccleſiam, ſaltem quatenus eſt Dei eccleſia, iſtam unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate venerari. Hoc enim divinæ veritati manifeſte repugnare diximus. Ad teſtimonia allata nihil reſpondimus, quia prius teſtimonium tantummodo unum Jehovam, id eſt ſupremum Deum eſſe probat; quod nos & agnoſcimus, & vehementer, ubi opus eſt, urgemus, maxime quia per trecentos amplius annos in univerſa Eccleſia, quam ipſi Adverſarii intelligunt, locus & ſententia iſta ad Patrem tantum referebatur; quemadmodum colligi poteſt ex ſcriptis omnium, qui toto illo annorum ſpatio extiterunt. Immo vix invenietur quiſquam, qui ante Auguſtinum locum illum aliter acceperit. Certe Athanaſius ipſe non ad Trinitatem, ut poſtea Auguſtinus * fecit, ſed, ut dictum eſt, ad ſolum Patrem ab ipſo Chriſto ſententiam illam relatam fuiſſe vult, Sermone 4. contra Arrianos. Ubi idem ſentit de alia ſimili ſententia; quam ipſe Chriſtus protulit Marc. 10. 18, *Nemo bonus, niſi unus Deus.* Jam vero poſterius teſtimonium, ex quo videlicet Adverſarii trinitatem perſonarum in Deo probari autumant, nos in Animadver. 3. Aſſert. 3. ad rem nihil facere oſtenderamus. Subjungitur in eadem 10. Aſſertione, Filium ante omnia ſæcula ex ſolo Patre natum eſſe. Atque ad id probandum affertur Symbolum Nicænum. Riſimus nos ejuſmodi probationem, ut pote ex eo petitam, quod ducentis circiter ac quinquaginta annis poſt Apoſtolorum tempora extitiſſet. Atque addidimus, in eo tamen Symbolo nullam mentionem fieri de tribus perſonis, quæ ſint in una divina natura. Quia vero poſtremo in eadem Aſſertione dictum fuerat, in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis in eſſentia unitatem, & in Trinitate adorari æqualitatem; ad idque confirmandum præfatio quædam Eccleſiæ fuerat indicata, ubi ea confeſſio haberetur, mirati talem confirmationem, diximus, nihil conſtare, confeſſionem iſtam Dei ſpiritum, & non potius hominum curioſitatem auctorem habuiſſe, eamve ſemper in veris Dei eccleſiis aut fuiſſe, aut eſſe debuiſſe. Adverſarius ad hæc ad finem pag. 87. & deinceps pag. 88. ſic breviter excipit.

* Auguſtin. De Trinit. lib. 5. cap. 11. & aliis in locis.

Adverſarii dicta.

1. Ait, nos negare, meridie lucere, cum negamus, ab Eccleſia Deum unum ita agnoſci, ut Unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneretur.

2. Deinde nos ideo concilium Nicænum carpere dicit, quod jam olim ab eo nos damnatos intelligamus. Ejus vero longe plura, quam habeantur in vulgatis editionibus, contineri in quatuor libris ex Arabico & Græco Vaticano exemplari ab Alfonſo Piſano collectis, quos appareat nos minime legiſſe, & propterea de iis loqui, quæ non ſatis cognita habeamus.

3. Simili temeritate nos confeſſioni Eccleſiæ obtrectare affirmat; quam à Spiritu Sancto gubernari liqueat.

Reſponſiones.

1. Aut verba noſtra parum attente legit Adverſarius, & ſic in illis reprehendendis in elenchi ignorationem incidit; Aut ſi ea diligenter legit, dum ea reprehendit, fallacia utitur à ſecundum quid ad ſimpliciter. Neque enim diximus nos abſolute, Eccleſiam Deum iſtum trinum & unum non agnoſcere. Sed illud tantum affirmavimus, non quatenus eccleſia Dei eſt, illum agnoſcere. Nam ipſam Dei eccleſiam in multis poſſe errare, adeoque hoc ipſo trini & unius Dei errore teneri poſſe, oſtenſum eſt à nobis ſupra cap. 1, & 2. Verum, cum Eccleſia errat, non quatenus eſt Dei eccleſia id facit. Sed quatenus ex hominibus conſtat, qui errando ſunt obnoxii. Præterea fac nos abſolute diviſſe, ab Eccleſia Deum trinum & unum non agnoſci, Numquid propterea meridie lucere negavimus, quia ſcilicet Eccleſia, quam Adverſarius intelligit, aut etiam maxima pars eorum, qui Chriſti nomine appellantur, manifeſte ſe illum colere profitetur? An non hic rurſus in alterutram ex duabus fallaciis inciditur, aut petitionis principii, aut æquivocationis? Neque enim concedimus nos, Eccleſiam id eſt (quemadmodum in Aſſertione ſua locuti ſunt Adverſarii) univerſam Dei eccleſiam revera eſſe eam, quæ ſic vulgo appellatur. Sed veram Eccleſiam veros fideles Chriſti omnes intelligimus, qui per univerſum terrarum orbem ſunt diſperſi, de quibus quid hac de re ſentiant, aut ſentire ſe profiteantur, nihil ex ſenſuum perceptione affirmare aut negare licet, cum ipſi nobis ſint incogniti, ſed tantummodo ex ratione divina & Sacrarum Literarum Teſtimoniis. Ex quibus cum (ut quidem nobis videtur) conſtet, Deum iſtum trinum & unum nullo modo verum, ſed plane commenticium eſſe, merito negare potuimus, Dei eccleſiam illum agnoſcere.

2. Nicænum concilium non carpimus hoc loco; ſed duntaxat ad id probandum, de quo quæritur, propterea quia longo admodum tempore poſt Apoſtolos habitum fuit, ineptum eſſe affirmamus. Quod cum jam diu affirmaverimus, nullo pacto excuſari poteſt ſcriptor Aſſertionum, qui nominatim contra nos ſcribens, nihilominus illius auctoritate uſus fuerit. Quod de eo ex Vaticanis exemplaribus collegerit atque ediderit Alphonſus Piſanus, non multum curandum cenſuimus, cum plures ſcriptores habeamus, qui vel in ipſo concilio interfuerunt, vel ea ferme ætate vixerunt, vel uno tantum poſt ſæculo extiterunt, cum videlicet eorum, quæ ibi acta fuerant, recens adhuc propter rei magnitudinem, & ſingularitatem eſſet memoria. Ex quibus fideliſſime colligi poteſt quidquid ad concilium illud pertinet. Quanquam (ut interim intelligas Adverſarium in elenchi ignorationem incidiſſe) non quæritur hic de omnibus, quæ in eo concilio acta fuerunt, ſeu de toto ipſo concilio; ſed de ejus concilii ſymbolo tantum. In quo recitando, niſi memoria nos fallit, ne ipſe quidem Alphonſus Piſanus in illis ſuis quatuor libris quidquam commemorat de tribus perſonis in una divina natura. Quod ſi tamen commemorat; id commenticium eſſe facile convincit Euſebius apud Theodoritum, Ruffinus &, Socrates, qui omnes ſymbolum illud recitant, atque in eo ad verbum ferme ubique conſentiunt; nec tamen apud ipſorum ullum ibi tale quid legitur. Adde, quod ipſa Romana eccleſia, quæ ſymbolum iſtud Conſtantinopolitano ſymbolo incluſum in ſuam miſſam inſeruit, eique addidit quidquid ad fidei noſtræ expoſitionem pertinere cenſuit, tale illud nobis dedit, ut nihil de tribus perſonis in una Dei natura in eo audiatur. Hæc cum jam nobis perſpectiſſima eſſent, non videmur ſane de iis locuti fuiſſe, quæ ſatis cognita non haberemus, cum affirmavimus, in eo ſymbolo nihil de tribus divinis perſonis, quæ in una divina natura ſint, conſtitutum & pronunciatum fuiſſe.

3. Ad ſuam uſitatiſſimam fallaciam petitionis principii confugit Adverſarius; & vult ſatis eſſe debere, ſi ipſe pronunciet, eam eſſe Eccleſiam illam, quæ à Spiritu Sancto gubernetur, cujus confeſſionem nos à ſpiritu Dei profectam negamus. Quanquam, ut verum fateamur, neſcimus, quam Eccleſiæ præfationem ipſe intelligat, ubi confeſio iſta habeatur. Nam in ea, quæ in miſſa Romana præfatio appellatur, nulla ejuſmodi eſt confeſſio. Immo aperte ibidem totus cultus uni Deo Chriſti Patri tribuitur, & ipſe ſolus ſupplici confeſſione Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth nominatur.

Reliquiæ

Reliquiæ enim ſunt iſtæ incorruptæ adhuc antiquitatis; id eſt, cum nondum unus Deus in tribus perſonis eſſe credebatur, nec ridicule ſimul & confidenter triplex iſta appellatio, ut eſt apud Eſa. cap. 6. ad Deum aliquem trinum ſignificandum pertinere affirmabatur.

Caput XVII.

Multa ſcripſeramus animadvertentes in Aſſertionem undecimam collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo; ad quæ Adverſarius nihil reſpondet, inquiens, ſuperius ſe ſatis de illis dixiſſe. Quod tamen aliter ſe habere intelliget, quiſquis omnia diligenter legerit. Tantum illud arridet quod dixeramus, *Jeſum, Dei filium ex parte, eaque potiore & præſtantiore, non alia ratione eſſe, quam nos filii Dei vel jam ſimus, vel futuri ſimus.* Id quod etiam tamquam ſcelus & impietatem deteſtandam nobis objicerat pag. 13. ſubtractis tamen verbis illis, *ex parte, eaque potiore & præſtantiore*; quippe quæ ad calumniam ſtruendam non parum impedimenti afferrent. Quaſi nos nullam omnino differentiam hac in re inter nos, & Chriſtum ſtatueremus. Putat autem, quæ diximus de noſtra & Jeſu divina filiatione una illa Apoſtoli interrogatione Heb. 2 5 refelli, *Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Atqui ille Jeſus non cum ſuis fidelibus, ſed cum angelis comparatur; quibus, teſte eodem ſcriptore, non ſubjecit Deus orbem futurum; quem tamen hominibus Chriſti fidelibus ſubjecit. Nam ipſi quoque Chriſti fideles una cum ipſo Chriſto in futuro ſæculo regnabunt. Quemadmodum, præter alios locos hic in tertia Animadver. ex Apocalypſi potiſſimum notatos, probant evidenter in eadem Apocalypſi ipſius Chriſti verba cap. 2. ỳſ. 26. & 27. Non leguntur etiam angeli ſacerdotes Dei facti, aut futuri eſſe, quales facti ſunt, & erunt Chriſti fideles, ut nos teſtimoniis prolatis in eadem Animadver. oſtendimus. Regno autem, & ſacerdotio divinam ipſam filiationem, quam Jeſus habet, potiſſimum contineri, demonſtratum fuerat à nobis ibidem ex iſtis ipſis verbis, *Filius meus es tu; ego hodie genui te*; prout illa à Paulo Act. 13. 33. Heb. 5. 5. & ab eodem ipſo Epiſtolæ ad Heb. ſcriptore accipiuntur. Nec vero interim inter noſtram ipſam, & Jeſu ejuſdem generis divinam filiationem non magnam differentiam conſtituimus. Unde etiam ex parte factum eſſe dicimus, ut is Dei filius unigenitus appellatus fuerit. Sicut diſputavimus ſupra cap. 4. parte. 3. partic. 12. Quod ſi Adverſarius exiſtimat, interrogationem illam Apoſtoli, & verba quæ ex Pſalmo affert, manifeſte eam vim habere, ut ſignificent, Jeſum ex ipſius Dei ſubſtantia generatum fuiſſe, id quod inter Chriſti fideles nemini contigit, aut contingere poteſt; ex quo perſpicuum ſit, divinam filiationem noſtram cum ea, quam Chriſtus habet, in re omnium maxima, & qua propria eſſentia ipſius Chriſti divinæ filiationis contineatur, nihil commune habere, Jam demonſtratum eſt, eum vehementer, falli, ſupra cap. 8. partic. 1, 2, & 6.

Caput XIIX.

In Aſſertione duodecima collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo, ubi nominatim de Filii divinitate agitur, ſcriptum eſt, Filium eſſe æque verum Deum, ac patrem ejus. Atque ad id probandum allatus fuerat locus 1 Joh. 5. 20. itemque ejuſdem Johannis verba illa Joh. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & ſimul apud eundem illud Thomæ 20. 28. *Dominus meus, & Deus meus.* In hæc primum notavimus, vel ex eo conſtare poſſe, Filium non eſſe æque verum Deum, ac Patrem, quod Pater Filii Deus eſſet, non autem contra, Filius, Patris. Deinde ad teſtimonia pro æqualitate iſta aliata reſpondentes, diximus, locum 1 Joh. 5. ad Patrem, non autem ad Filium referendum eſſe; idque ratione aperta confirmavimus. Locum autem 1 Joh. 1. contrarium potius probare docuimus, cum Pater ibi ὁ Θεὸς, id eſt ille unus Deus, cum articulo, Filius vero, ſeu Verbum, ſine articulo Θεὸς, id eſt Deus, ſimpliciter appelletur. Nam ad perſonarum diſtinctionem ſatis futurum fuiſſe diximus, quod hunc apud illum fuiſſe dixiſſet. Præterea, cum ὁ Θεὸς, ille Deus, unus tantum ſit, apud hunc vero Filius ſeu Verbum fuiſſe dicatur, ſequi affirmavimus, Filium non eſſe illum Deum, nemo enim is eſſe poteſt, apud quem eſt; & conſequenter, cum ille Deus in Johannis verbis is Pater, concluſimus, hinc conſtare, Filium non eſſe æque verum Deum, ac patrem ejus. De verbis Thomæ ſimiliter diximus, illa potius indicare, Filium non ita eſſe Deum, ut Pater eſt. Ex comperta enim ejus reſurrectione colligit Thomas, illum eſſe Deum. Atqui reſurrectio non poteſt oſtendere, quemquam eſſe ſummum & ab omni æternitate Deum, qualis eſt Pater. Immo contrarium poteſt demonſtrare; cum reſurrectio in ejuſmodi Deum cadere nullo modo poſſit. Contra hæc Adverſarius à fine pag. 89. uſque ad initium pag. 96. ad hunc modum inſurgit.

Adverſarii dicta.

1. Primum ex eo, quod Pater ſit Chriſti Deus, negat ullo modo ſequi, Chriſtum non eſſe æque verum Deum; cum in Chriſto ſint duæ naturæ, *quod* (ait) *jam ſuperius in Scripturis oſtendi annotavimus.* Quæ cum in Patre non ſint, *Pater enim non eſt* (inquit) *homo factus, ſed Unigenitus tantum, de quo Johannes, & Verbum caro factum eſt*, hinc fieri concludit, ut Chriſtus Patris Deus non dicatur.

2. Deinde plurimum nos exagitare incipit, quia ſcilicet *præter verum Deum; qui dixit* Eſa. 43. *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit, alium non æque verum Deum fingamus*, & ſic duos Deos colamus, unum verum, alterum, non æque verum. Primo igitur loco ait, iſtum non æque verum Deum nuſquam commemoratum eſſe apud Sacros Scriptores. Quare miratur, nos audere eum proferre atque aſſerere, qui alioqui ſoleamus in Sanctos Patres, & univerſam Eccleſiam *acerbiſſime, contumelioſiſſime, tum nimium inſolenter* invehi ob Trinitatis, Eſſentiæ, Perſonarum & alia omnia ab ipſis invecta, quæ non habentur in Scripturis.

3. Poſtea ſubjungit, noſtrum hoc inventum vel ex eo manifeſte redargui, (atque hic ſuum Deum, trinum & unum orat, ut nobis cor aperiat, quo intelligamus infelices, in quantum errorem ſimus lapſi) quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus Mar. 12. duo tantum charitatis præcepta ponit? unum Dei, qui unus eſt, ſuper omnia amandi; alterum proximi, quales multi ſunt, diligendi. *Tertium præceptum* (inquit) *de non æque vero Deo, eſt nullum.* Ex quo tacite concludit, non eſſe, cur iſtum non æque verum Deum, id eſt Chriſtum, amandum putemus.

4. Quod ſi nihilominus tamen illum amandum ſtatuimus, interrogat, utrius ex duobus illis præceptis regulam in hoc amore tenendam cenſeamus. Nam, ſi prioris, illi uni Deo, qui dixit, ſe gloriam ſuam alteri non daturum Iſa. 42. *non æque verum Deum exæquamus. Si poſterioris, tanti illum facimus, quanti hominem facere æquum eſt. Nemo enim ſeipſum magis, quam hominem, debet diligere.* Hoc autem poſterius omnino à nobis fieri, concludit.

5. Atqui (inquit) *Apoſtoli & omnes pii, ſecundum primi legem mandati Chriſtum diligebant, credebantque eſſe verum cum Patre & Spiritu Sancto Deum.* Hoc autem ex eo probari ait, quod Paulus dicit Rom. 8, nullam prorſus creaturam nos ſeparare poſſe à charitate Chriſti, ſive à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Hæc igitur charitas *apud Apoſtolum* (inquit) *& reliquos ſuperabat omnes creaturas: quid hoc* (ſubjungit) *erat aliud, quam quod Chriſtum ſecundum*

primum illud mandatum, non ut aliquam creaturam, ſed ut verum cum Patre & Spiritu Sancto Deum amabant?

6. Atque hic interim nos monet, ut obſervemus verba illa Davidis Pſ. 43. *Quia propter te mortificamur*, &c. ad Deum fuiſſe dicta, quem eundem Chriſtum eſſe Apoſtolus declaret.

7. Addit autem ad confirmandum, quod Chriſtus amandus ſit ſuper omnia ſecundum normam prioris præcepti, & non quantum ſeipſum, Paulum ſeq. cap. Rom. 9. eum appellaſſe Deum ſuper omnia. Et ſimul ait, ſi Chriſtus eſt ſuper omnia, nihil habere ex iis, ſuper quæ eſt, ſibi æquale.

8. Denique jubet, nos, vel potius magiſtros noſtros aperire oculos & attendere, quid Paulus ſcribat 1 Cor. cap. 16. *Siquis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema, Maranatha. Amant ne Chriſtum*, inquit, *qui non aliter quam creaturam ſolum docent amandum?* Sic innuit, nos unigenitum Dei Patris amore unigeniti nequaquam amare Et tandem concludit, à nobis non æque verum Deum in Chriſti loco ſtatui, & eum, qui eſt ſuper omnia, detrudi inter omnia, & contra evidens Johannis teſtimonium 1 Joh. 5. verum Deum negari.

9. Jam quod attinet ad locum Joh. 1. dicit, nos in articulo illo penſitando ſomniare argumenta contra Chriſtum, ubi nulla eſſe poſſunt; cum articuli officium ſecundum Grammaticorum præcepta ſit rem definitam ſignificare, non autem mutare naturam, ſi apponatur, vel detrahatur (hicque pro exemplo affert, quod, cum Johannes ibidem Vitam prius nominaſſet, articulo non præpoſito, deinde eidem nulla ſignificationis mutatione articulum præpoſuit) cum denique articuli ornatus & euphoniæ gratia in Græco ſermone quandoque omittantur, quandoque addantur.

10. Ad id, quod diximus, ex verbis Johannis conſtare, Chriſtum non eſſe ὁ Θεὸς, videtur (hoc enim in ipſius verbis expreſſum non eſt) pro reſponſione afferre, quod non intelligamus, qua ratione hoc nomen Deus tribus perſonis ſit commune. *Eſt enim*, inquit, *commune, non ut æquivocum, neque ut genus vel ſpecies: ſed ea ratione, quæ rebus creatis convenire non poteſt, & quam nec ullius intellectus percipit, ſola vero fide appprehenditur. Nam in perſonis* (ait) *eſt unitas maxima, nempe unitas eſſentiæ.*

11. Verum ſi (inquit) *ob non appoſitum articulum, unigenitum eſſe æque verum Deum ut eſt Pater negant, quod hæc eorum in Animad. ſequenti Num. 2. verba oſtendunt*, Cum Filius non ſit ὁ Θεὸς nec unquam à Sacris Scriptoribus, eo nomine ſimpliciter appellatus fuerit, *jam deſinant negare, & reſipiſcant.* Ac poſtmodum profert teſtimonium in illis verbis Thomæ, *Dominus meus, & Deus meus* Joh. 20. 29. ubi articulos haberi affirmat.

12. Inquiens, non modo articulis in Græco textu, ſed evidentiſſima confeſſione Chriſtum Dominum & Deum noſtrum prædicari. Quod adeo clarum (ait) teſtimonium, cum noſtram mentem Chriſto inimicam perturbet, ne nihil dicamus, per ea, quæ humanæ naturæ conveniebant, noſtro uſitato more divinitatem ſupprimere nitimur.

Reſponſiones.

1. Quod in Chriſto ſint illæ duæ naturæ, quas Adverſarius intelligit, ab ipſo minime ex ſcripturis probatum fuiſſe, intelligit quiſquis ea legerit, quæ ſcripſimus cap. 4. partic 2, & 3. Ubi etiam partis 2. partic 1. oſtendimus, nullo modo fieri poſſe, ut Chriſtus Jeſus iſtas duas naturas habeat, adeo ut Deus æternus ſimul ſit, & homo. Nam id, quod hoc loco affert ex Johanne, *Et Verbum caro factum eſt*, ad id probandum minime pertinere, oſtenſum eſt ſatis cap. 1. partic. 6.

2. Summa eſt elenchi ignoratio in hac reprehenſione. Quod enim diximus negando id, quod in collegii Poſnanienſis Aſſertione affirmatum fuerat, ita Adverſarius accipit, quaſi nos priores id affirmaverimus, quod negatione noſtra continetur. Non igitur nos priores ſeu noſtra ſponte affirmavimus, Chriſtum non eſſe æque verum Deum, ac patrem ipſius; ſed Adverſarii & ſua ſponte & priores in Aſſertione iſta affirmaverunt, Chriſtum ſeu Filium æquè verum Deum eſſe, ac patrem ejus. Id quod nos negavimus; & ſimul noſtræ negationis rationes ex Sacris Teſtimoniis, atque adeo ex iis ipſis, quæ ad ſuam affirmationem confirmandam ipſi citaverant, depromptas attulimus. Quamobrem non noſtrum erat ex Scripturis locos proferre, ubi ſcriptum eſſet, Chriſtum non eſſe æque verum Deum ac Patrem ipſius; ſed ipſorum erat ex iiſdem Scripturis verba in teſtimonium adducere, in quibus expreſſum eſſet, Chriſtum eſſe æque verum Deum, ac patrem ejus. Si modo ipſis diſertis verbis Scripturarum agendum eſt, non autem conſecutionibus ullis inde ductis. Nam in iis locis, quos ipſi protulerunt, id diſerte ſcriptum non eſſe certiſſimum eſt. Sed nec ejuſmodi ſententiam ex ullo eorum colligi poſſe, demonſtratum à nobis fuit. Quamquam ipſis diſertis verbis Scripturarum omnino agendum eſſe, nec verum eſt, & nobis falſo ab Adverſario tribuitur, quod ſic prorſus, & non aliter fieri velimus. Quod enim dicit de nominibus Trinitatis, Eſſentiæ, Perſonarum, & aliis, quorum cauſſa in ſuos homines maximopere debacchati ſimus; quia videlicet illa ab ipſis invecta in Scripturis non habeantur; id abunde refutatum eſt ſupra cap. 3. partic. 1. atque idem pauciſſimis verbis dilutum jam antea fuerat Animadver. 1. in Aſſert. 16.

Adeo autem Adverſarius ſibi placet in iſta ſua, quam diximus, elenchi ignoratione, inque nobis non obſcure tribuendo, quod Chriſtum non æque verum Deum ac Patrem eſſe, ipſi priores & noſtra ſponte affirmemus, ut alia inſuper ridicula atque inſulſa diviſionis faliacia adjuncta, ſæpius inculcet, quod quidam non æque verus Deus à nobis inducatur, & colatur. Nam quid eſt, quæſumus, aut quid per ſe ſignificat, Non æque verus Deus? Nunquid nos ita locuti ſumus; An non expreſſe addidimus, Ac pater ipſius? Sed mutilatam iſtam, inſolentem, ineptam locutionem idcirco nobis, idque repetito affingit Adverſarius, ut non ſolum ob locutionem ipſam, ſed etiam ob rem, quam locutio, qualiſcumque illa ſit, omnino præ ſe fert, nobis ſententiæque noſtræ ſummam invidiam conciliet. Quaſi Deus ille, quem nos colimus, ipſa confeſſione noſtra, non ſit plane verus Deus, aut certe non æque verus ac quiſpiam alius, qui à nobis non colatur. Pag. enim 91. nos Non æque veri Dei cultores ſimpliciter appellat. Quo nihil magis inſcite ſimul, ac perverſe in nos dici potuit.

Sed ut de re ipſa, Adverſarii fallaciis omiſſis, aliquid ſeparatim dicamus, ſic breviter concludimus. Si Adverſariis licuit, ut ſuam affirmationem probarent, quod Chriſtus ſit æque verus Deus ac Pater ejus, conſecutionibus uti ex Sacris Literis, ut ipſi opinabantur, ductis, multo magis nobis licuiſſe, ejuſdem affirmationis negationem, quam, refutatis ipſius affirmationis probationibus ab Adverſariis allatis, probare nihil nos cogebat, ejuſdem generis conſecutionibus confirmare. Jam quod Adverſarius ad iſtam noſtram negationem falſitatis convincendam verba illa apud Eſaiam commemorat, *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit*, ea nihil ad rem facere, oſtendunt, quæ diſputata ſunt à nobis cap. 4. parte 3. partic. 15. ubi ejus loci ſententiam expoſuimus.

3. Primum in Adverſarii ratiocinatione eſt ea ignoratio elenchi, quæ dicitur, Non ſecundum idem tempus. Etenim, cum Chriſtus divina præcepta illi Scribæ exponit Mar. 12. 29. ad legem Moſis, veteriſque teſtamenti præcepta reſpicit. Nam de primo omnium ſeu magno mandato, quod in lege eſſet, interrogaverat ipſum Scriba ille ſeu Legis doctor, ut ex Matthæo liquet. Apud quem concludens Chriſtus ait Mat. 22. 36. in illis duobus mandatis univerſam Legem & prophetas pendere. Quaſi diceret, quidquid mandatorum vel diſerte in ipſa Lege, vel in Prophetis Legem explanantibus contineretur, illis duobus mandatis comprehendi. Ad præteritum

igitur

igitur & antecedens tempus, quo ſola lex Moſis divinorum præceptorum quaſi theſaurus quidam erat, reſpicit Chriſtus, non autem ad futurum & conſequens, quo ipſe homo Chriſtus, Dominus & Deus noſter à Summo illo Deo ejus Patre conſtituendus & declarandus erat, & propterea tacite cunctis præcipiendum, ut illum plus quam ſe ipſos amarent. Deinde perperam omnino colligit Adverſarius, Si quis in illis duobus præceptis nominatus non ſit, non eſſe, cur eum amare debeamus; etiamſi nullum præterea nec tacitum nec expreſſum dilectionis præceptum extaret. In ipſo enim præcepto de amando Deo tacite ii comprehenduntur, qui, niſi amentur, ne ipſe quidem Deus amabitur. Qualis præcipue eſt is, quem nos Deum quidem, ſed non tamen æque verum Deum, ac patrem ejus, agnoſcimus, homo Chriſtus Jeſus. Nam ut Johannes ait 1 Joh. 5. 1, *qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus eſt ex eo.*

Nec vero ſatis mirari poſſumus, Adverſarium ad iſtum modum contra nos ratiocinatum fuiſſe, cum eadem argumentandi ratione contra ipſius Eccleſiam concludi poſſit, non eſſe cur angelos ſanctoſque homines, qui ex hac vita exceſſerunt, colamus & veneremur. Præceptum enim habemus de Deo Solo colendo & venerando. Nec aliud præterea, ſi ad Vetus Teſtamentum reſpicias, cultus aut venerationis ſacræ præceptum nobis eſt datum. Itaque angeli ſanctique homines in hoc præcepto non modo non ſunt nominati, ſed etiam excluſi. In Novo autem Teſtamento Jeſum præterea dominum colere ac venerari jubemur, de angelis vero ſanctiſve hominibus colendis aut venerandis nullum ibi præceptum extat; ſed potius contrarium ex variis locis aperte colligitur. Et tamen Eccleſia iſta Adverſarii non hos ipſos tantum colere ac venerari jubet, ſed etiam ipſorum imagines & reliquias; quamvis imaginum omnium cultus diſertiſſimis verbis in Dei lege interdictus fuerit. Quidquid igitur Adverſarius una cum ſuis ad retinendum nihilominus angelorum, ſanctorum hominum, adeoque eorumque imaginum & reliquiarum cultum & venerationem reſpondendum iſti argumentandi rationi cenſuerit, idem tanto magis ad retinendam illius dilectionem, qui Deus eſt, non tamen æque verus Deus ac Pater ipſius, id eſt Chriſti hominis, ſibi reſponſum putet, quanto & hic multis partibus, quam illi, ad ipſum Deum propius accedit, & nullum de hoc non amando, quemadmodum de illis non colendis nec venerandis præceptum extat; immo recte facere qui hunc diligat, ex illis Petri verbis intelligitur 1 Petr. 3. 8, *quem* (Jeſum Chriſtum) *cum non videritis, diligitis.* Nam de Chriſto homine Petrum loqui, illud docet, quod de eo ab iſtis non viſo dicit. Tacite enim illos ſecum, & cum aliis, qui eum viderant, confert. Ac ſi diceret, Vos, quamvis Jeſum Chriſtum non videritis, ut nos vidimus, tamen eum diligitis. Totus enim locus ad illorum commendationem, quo ſequentibus monitionibus libentius & alacrius obtemperent, manifeſte pertinet.

4. Jam oſtenſum eſt, etiamſi Chriſtus homo neutro ex illis duobus præceptis comprehendatur, tamen amandum eſſe à nobis; & quidem plus quam nos ipſos, cum poſt illa duo perærcepta is Dominus & Deus noſter à ſummo illo Deo conſtitutus & declaratus fuerit. Sed fac, neceſſe eſſe, ut alterutro ex illis præceptis comprehendatur, alioquin nihil eſſe, cur eum amare debeamus, jam dictum eſt, eum priore præcepto de amando Deo comprehendi. Nec tamen ſequitur, eum Deo exæquari, quia ſcilicet neceſſe ſit ſecundum ejuſdem præcepti regulam, id eſt, ut Adverſarius hunc loquendi modum accipit, eadem prorſus ratione, qua Deus ipſe amari debet, Chriſtum amare. Eſt enim in hac Adverſarii ratiocinatione ea fallacia, quæ A ſecundum quid ad ſimpliciter appellatur. Neque enim Chriſtus homo eo præcepto comprehendetur per ſe & principaliter, ut ipſe Deus comprehenditur, ſed per accidens & acceſſorie; quatenus videlicet, ut dictum fuit, fieri non poteſt, ut quis Deum amet, & Chriſtum hominem ipſius Dei filium non amet, idque prout ejus qualitates, & in nos merita poſtulant, ac denique prout Deus eum amari à nobis velle, etiam citra ullum præceptum, ſignificaverit. Ex quo contingere poteſt, ut profecto contingit, eum à nobis proxime poſt ipſum Deum ſupra omnes alias res creatas debere amari eodem amoris genere, quo ipſe Deus amandus eſt, quamvis non prorſus æquali amore. Tales enim ſunt Chriſti hominis qualitates, talia in nos merita, ac denique tali ratione eum Deus nobis præfecit, & ſupra omnes res creatas extulit, ut is quam proxime ad ipſum Deum accedat; nec in iis, quæ aliorum omnium ad nos, noſtraque commoda pertinentium ſunt præſtantiſſima, aliud eſt inter Deum, & Chriſtum hominem diſcrimen, quam, ut alibi ſupra demonſtratum fuit, quod Deus prima cauſſa eſt, Chriſtus autem ſecunda, & idcirco neceſſe eſt, ut amor, quem utrique debemus ejuſdem generis ſit, licèt non per omnia æqualis, ſed eadem inter ſe differentia, quæ eſt inter primam, & ſecundam cauſſam. Quæ differentia eo conſtantius & inviolabilius retinenda eſt, quo Chriſtus non naturaliter & per ſe ipſum eſt ſecunda cauſſa, ſed ex Dei ſola voluntate ac virtute. Hinc patet, non dediſſe Deum Chriſto homini eam gloriam, quæ ipſius Dei propria eſt; quamvis eo amoris genere amari eum a nobis voluerit, quo ipſe amari debet. Adhuc enim prorſus inviolata manet ipſius prærogativa; ex qua fit, ut ad ipſum tanquam omnis noſtri boni primum auctorem cuncta quæ à nobis proficiſcuntur, una cum ipſo amore, quo Chriſtum amamus, pariter referantur, & tanquam in ultimo fine ac ſcopo ſuo, inibi conquieſcant.

Quanquam longe alia eſt ſententia ejus Dei dicti apud Eſaiam Eſa. 42. 8, *Gloriam meam alteri non dabo*, quam ut alioqui etiam Chriſtus homo à Dei gloria propterea excludi debeat. Opponit enim ibi Deus ſibi ipſi non ſuos coſque, qui ab ipſo toti pendent, qualis eſt homo Chriſtus; ſed alienos, quales erant dii gentium & ſculptilia. De quibus eum loqui planum faciunt verba, quæ ſtatim ſubjicit, *nec laudem meam ſculptilibus.* Præterea Dandi verbum Permittendi eo in loco ſignificationem habet; ut alibi quoque Pſal. 16. 10, *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, id eſt, Nec permittes, &c. idemque aliis in locis factum eſt; ut Gen. 20. 6, & cap. 31. 7. Exo. 3. 19. & cap. 12. 23. Ubique enim apud Hebræos idem verbum in his habetur, quod in loco illo Eſaiæ. Itaque non vult Deus dicere, ſe ſua ſponte non communicaturum ſuam gloriam cum alio, hoc enim & ſæpe fecit, & facit, & multo magis, nempe cum multo pluribus in hujus ſæculi fine eam communicando, facturus eſt; ſed ſe non permiſſurum, ut quiſquam contra, aut citra voluntatem ſuam divina gloria afficiatur. Et ſane ridiculum eſt exiſtimare, Deum prædixiſſe, ſe non communicaturum ſua ſponte laudem ſuam ſculptilibus.

Ad hæc conſiderandum videtur, num alius fortaſſe ſit ſenſus eorum verborum, *Gloriam meam alteri non dabo.* Ex quo videlicet appareat, Chriſtum hominem non modo à Dei gloria illorum vi non excludi, ſed ejus participem aperte ſignificari; atque ita hic locus, qui adverſus Chriſti hominis divinitatem cum ipſo à Deo Patre communicatam afferri præcipue ſolet, eam maxime confirmet. Senſus autem iſte is eſt, quem ſecutus eſt Juſtinus in dialogo cum Tryphone Judæo. Nam cum Tryphonem induxiſſet verba iſta afferentem tanquam illa, ex quibus omnino videretur probari, Chriſtum non eſſe adorandum, ſe autem eum reprehendentem, quod locum non attuliſſet integrum, mox ſubjungit, ut quidem habet interpretatio Sigiſmundi Gelenii, *Ego vobis recitabo ſermonis ſeriem, ut ex ipſo cognoſcatis, quod Deus Chriſto ſuo ſoli det hanc gloriam.* Et paulo poſt recitare incipit verba Eſa. cap. 42. 5. *Hæc dicit Dominus creans cœlos*, &c. uſque ad vſ. 14. *Tacui*, &c. Quo facto, illico ſubjicit, *His recitatis, intelleximus, inquam, viri amici, Deum dicere, daturum ſe glo-*

ſe gloriam, huic quem prælucere gentibus voluit, non cuiquam alteri: & falli Tryphonem, qui putat, Deum ſibi retinere ſuam gloriam?

Attulimus autem hæc Juſtini verba de ſententia dicti illius apud Eſaiam, non quod vel explicationem iſtam vehementer probemus (ea enim refelli videtur ex loco ſimili cap. 48.11.) vel illius ad teſtimonium hoc diluendum quidquam indigeamus (jam enim ſolidæ aliæ reſponſiones ante ſunt a nobis allatæ) ſed potiſſimum ob eam cauſſam, ut vel ex hoc uno loco appareat, Juſtinum nequaquam ſenſiſſe, Chriſtum ejuſdem numero eſſentiæ cum Patre eſſe; nec, ſi non ſit, Dei gloriam illum habere non poſſe. Nam ſi prius ſenſiſſet, utique Tryphoni reſpondens dixiſſet, Chriſtum non eſſe alterum, ſive alium ab illo Deo, qui, ſe gloriam ſuam alteri daturum negavit. Et, ſi poſterius, nullo modo eam explicationem loci veram eſſe affirmaſſet, quæ ſtatuit, Chriſtum ſimul eſſe alium à Deo, ſic ut ab eo ipſius gloriam accipere poſſit, ſimul revera illam ab ipſo acceptu rum eſſe. Eſt autem Juſtinus omnium antiquiſſimus, quorum plane indubitata ſcripta ulla poſt Apoſtolos & Euangeliſtas habeamus, & dialogus ille cum Tryphone quin germaniſſimus liber ipſius Juſtini ſit, à nemine, quod ſciamus, aut putemus, dubitatum fuit unquam. Quem quidem perlegere cuicumque contigerit, næ is ſatis intelliget, quantopere Eccleſiæ illius temporis de Deo & Chriſto ſententia ab ea abhorreret, quam pro ſacroſancta & perpetua in Chriſti eccleſia nobis Adverſarii obtrudere volunt.

5. Condonandus Adverſario eſt communis quidam error. Quod ſcilicet Apoſtolus in illis verbis Rom. 8. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* de charitate noſtra in Chriſtum loquatur, quamvis ſatis perſpicuum ſit, eum loqui de Chriſti charitate in nos; id eſt, ut ipſe poſtmodum declarat, de charitate, quam Deus in Chriſto nobis exhibuit, & exhibiturus eſt. Nam quod ibi quoque charitatem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ut ipſa Pauli verba habent, interpretati plerique ex antiquioribus ſunt charitatem, qua nos Deum in Chriſto diligimus, nimis ineptum videtur. Sententia autem totius loci apertiſſima eſt, nihil impediturum unquam quominus ea charitas, qua nos Deus in Chriſto complexus eſt, ad ſuum effectum, eumque pleniſſimum, percucatur. Neque tunc etiam, cum maxime in hoc mundo affligimur, de charitate iſta divina erga nos quidquam dubitandum eſſe; quaſi per ejuſmodi mala ab ipſa aliqua ratione excidere poſſimus. Sed hoc relinquamus; & Adverſario concedamus, Paulum loqui de charitate, qua nos Chriſtum diligimus. Quid potuit ineptius ab ipſo colligi atque concludi, quam Chriſtum ab Apoſtolis & aliis piis non fuiſſe amatum ut aliquam creaturam, ſed ut verum cum Patre Deum, eo quia dicat Apoſtolus, ab iſta charitate nullam creaturam ſe, aliosque pios ſeparare poſſe? Certe, ſi quiſpiam de amico ſuo, quem unice diligat verba faciens, conſtanter affirmet, nullam creaturam ſe ab illo diligendo ſeparare poſſe, nemo tam ſtultus erit, qui hinc colligat, iſtum voluiſſe dicere, ſe amicum ſuum non ut aliquam creaturam, ſed ut verum cum cæleſti Patre Deum amare. Eſt igitur in hac ratiocinatione turpis fallacia accidentis. Quia enim accidit, ut id, quod negatur ſeparare poſſe à Chriſti charitate, ſit creatura, concluditur, Chriſtum non eſſe creaturam; quod videlicet aliud oporteat eſſe id, quod ſeparare, & aliud id, unde ſeparare poſſe negatur. Qua in concluſione rurſus eſt alia fallacia ignorationis elenchi. Neque enim Chriſtus ipſe, ſed Chriſti charitas illud eſt, unde nos negamus ſeparari poſſe. Itaque ex iſtius argumentationis vi concluditur, non quidem Chriſtum ipſum, ſed charitatem, qua nos Chriſtum diligimus, non eſſe creaturam.

Quamquam autem non hac ipſa argumentatione Adverſarius eſt uſus, tamen ei illam idcirco quodammodo tribuimus, quod nulla alia minus inepta ad id concludendum, quod ipſe vult, ex ipſis Pauli verbis elici poteſt. Quod enim ipſe ex eo argumentatur, quod Chriſti charitas omnes creaturas ſuperaret, primum non ad hunc modum loquitur Apoſtolus; ne quis putet de ipſis verbis quidquam laborandum eſſe. Sed Adverſarius eſt, qui, tanquam ex Apoſtoli ſententia, ſic loquitur. Deinde, quidnam ex hoc ſequitur, quod Chriſti charitas, id eſt, qua Chriſtus diligitur, ſuperet omnem creaturam? Nunquid Chriſtum non eſſe creaturam, aut non ut aliquam creaturam, ſed ut ipſum Deum diligi? Nullo prorſus modo. Nam quod ad prius attinet, non ipſe Chriſtus, ſed Chriſti charitas ſuperare omnem creaturam hic dicitur. Deinde ſuperatio (ut ſic dixerimus) iſta non in omnibus, ſed in re quadam eſt intelligenda; id eſt in eo, quod illa nulla creatura extingui, aut minui poteſt. Tametſi hoc proprie non eſt ſuperare, ſed minime ſuperari. Etenim Pauli verba illa, *Sed in his omnibus ſuperamus*, ad quæ reſpexiſſe videtur Adverſarius, non ad omnes creaturas quæ ſuperentur, ſed ad mala & pericula ibi proxime enumerata quibus obnoxii ſunt Chriſtiani, manifeſto referenda ſunt, in quibus malis & periculis ipſi Chriſtiani ſperant, ſeu vincunt; vel potius, ut in Græco eſt (ſi ita Latine loqui licet) ſupervincunt. Id eſt cum eis colluctantes plane victores evadunt. Unde etiam apparet totum hoc ſuperandi genus aliud eſſe ab eo, ex quo colligi poſſit, eum qui ſuperat, præſtantiorem, quam is, qui ſuperatur, eſſentiam habere. Præterea cum Chriſtiani ipſi ſuperare dicantur, hinc ſequeretur, ipſos Chriſtianos creaturas non eſſe, non autem charitatem aut Chriſtum.

Jam vero, quod attinet ad illud, quod poſteriore loco dictum fuerat, quodque ex ipſius Adverſarii mente eſſe, ejus verba omnino declarant, nondum videre poſſumus, quomodo, ſi charitas, qua Chriſtum diligimus, ſuperat omnem creaturam, neceſſe ſit, ut Chriſtum non ut creaturam aliquam, ſed ut ipſum Deum amemus. Neque enim ſi Chriſtus ſupra omnem creaturam diligitur (hoc ſiquidem revera ſibi volunt ut credimus Adverſarii verba) idcirco Chriſtus non ut aliqua creatura diligitur. Ut, ſi dixerit quiſpiam, ſe amare parentem ſuum ſupra omnem hominem, non propterea ſignificare volet, illum ab ſe non ut aliquem hominem amari, niſi Aliquem pro Ullum accipias. Verum hoc ſenſu (ſi modo ei in ejuſmodi verbis locus eſſe poteſt) nihil obſtat quominus fateamur, Chriſtum non ut aliquam creaturam ab Apoſtolis & aliis piis amatum fuiſſe. Hinc enim minime ſequetur, Chriſtum non ut creaturam ab illis fuiſſe amatum; ſed nullam creaturam ita amatam ab ipſis fuiſſe, ut Chriſtus fuit. Id quod nullo pacto ſignificat, Chriſtum illis non fuiſſe creaturam. Quemadmodum is, qui dicit, nullum hominem ab ſe ita amari, ut patrem, non ſignificat, ſe patrem ſuum pro homine non habere. Immo iſti loquendi modi propter comparationem, quam continent, potius indicant, id, quod anteferatur, ejuſdem generis omnino eſſe cum iis, quibus anteferatur.

Quamquam, ut antea diximus, non eſt, quod de verbis ipſis multum laboremus, cum ea ex quibus omnis hic de verbis diſputatio oritur, non Pauli, ſed Adverſarii ſint; qui ſibi ipſi hac ratione decipulas fallaciarum non paucas tetendit. Ut enim ex ſupra dictis intelligere licet, nuſquam poteſt ſe vertere, ut id ex verbis ſuis concludat, quod concludere vult, quin vel in elenchi ignorationis, vel in à ſecundum quid ad ſimpliciter, vel in æquivocationis, vel denique in figuræ dictionis fallaciam incidat. Quibus tamen fallaciis non contentus, aliam præterea in verbis ſuis adhibuit, ſibi, ut non ſemel jam dictum eſt, familiariſſimam, petitionis principii, eamque duplicem. Quarum una eſt, quod pro eodem ponit, Chriſtum ſecundum prius ex duobus illis præceptis amari, & eodem prorſus modo amari, quo ipſe Deus amatur, cum tamen nihil impediat, quominus Chriſtum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex tota virtute noſtra amemus, quemadmodum in eo præcepto amari Deus jubetur, & tamen Deus ut creator, Chriſtus vero ut res creata à nobis ametur. Ut ex iis, quæ ſupra diſputavimus, conſtare poteſt. Altera principii

petitio

petitio eſt (tametſi hæc ad argumentationem ipſam non pertinet) quod perinde ac ſi certum foret, atque inter nos jam conſtaret, Spiritum Sanctum eſſe perſonam Deo Patri per omnia æqualem, & de Chriſto, ſeu Filio tantum inter nos diſputatio eſſet, ex ſuprema & unica illa divinitate, quem Chriſto tribui, ſuo & aliorum nomine à Paulo opinatur, concludit, Chriſtum ab Apoſtolis, & omnibus piis creditum fuiſſe verum una cum Patre & Spiritu Sancto Deum.

6. Verba illa Pſalmi ad Deum dicta, nequaquam refert Paulus tanquam dicta ad Chriſtum, ſed illud Prophetæ teſtimonium recitat, ut oſtendat Dei fideles, & ſic Chriſtianos gladio & violentæ morti perpetuo objectos quodammodo eſſe. Sunt enim Chriſtiani vel omnium maxime Dei fideles; & qui eo nomine, ſive ob eam cauſſam, quod ſunt Chriſtiani occiduntur, ii propter Deum occiduntur; quamvis iidem interim propter Chriſtum ſine dubio occidantur, nec tamen Chriſtus ſit ipſe Deus. Eſt enim in iſta tacita Adverſarii conſecutione conſequentis fallacia manifeſta. Siquidem ex eo, quod, quiſquis eſt ille verus Deus, propter eum Chriſtiani occiduntur, tacite colligit, propter quemcumque Chriſtiani occiduntur, eum eſſe illum verum Deum.

7. Fatemur Chriſtum eſſe Deum ſuper omnia benedictum in ſæcula; ut alibi etiam faſſi ſumus, tametſi locus Pauli anceps eſt, & de Patre Deo non minus, quam de Chriſto accipi poteſt; ut compluribus in locis Eraſmus annotavit, & demonſtravit. Potiſſimum vero in Reſponſ. ad collationes juvenis περιεργοδιδασκάλου, & ad artic. monach. Hiſp. Verumtamen, ut diximus, id libenter fatemur; & porro Chriſtum ſupra omnia amandum eſſe agnoſcimus. Nam objiciat nobis, ſi poteſt, Adverſarius aliquid ſupra quod Chriſtum non amandum eſſe dicamus. Si Deum nobis objiciet; nos illi pro uno duos objiciemus Patrem, & Spiritum Sanctum, ſupra quos certum eſt illum nolle Chriſtum amari. Quod ſi dixerit & Patrem & Spiritum Sanctum eundem eſſe Deum cum Chriſto, nos pro ejuſmodi ridicula & commenticia ratione, ſolidiſſimam ex ipſis Sacris Literis afferemus, quæ eſt, Quod, cum Chriſto dicuntur omnia eſſe ſubjecta 1 Cor. 15. 27. & ſic Chriſtus dicitur Deus ſuper omnia, manifeſte is excipiendus eſt, qui ei omnia ſubjecit, id eſt Deus; & propterea ſimiliter, cum ob hanc cauſſam, quaſi is ſit ſuper omnia, Chriſtus ſuper omnia amandus dicitur, Deum excipi manifeſtum eſſe. Neque vero alia ratione Chriſtum ſuper omnia eſſe umquam invenire poteris, niſi quia Deus Pater illi omnia ſubjecit. Quare nihil opus fuiſſet, ſi ipſe Chriſtus per ſe ejuſmodi fuiſſet, ſive eam naturam in ſe habuiſſet, cui neceſſario omnia eſſent ſubjecta. Id quod profecto fuiſſet, ſi is unus & idem eſſentia Deus cum Patre ſuo eſſet. Hinc intelligi par eſt, etiamſi Chriſtus ut res creata ametur, non tamen ſequi eum ſuper omnia non amari, quando certiſſimum eſt ei non aliter, quam ut rei creatæ, omnia à Deo ſubjecta fuiſſe. Si modo Adverſarii ratio, quam hoc loco non excutimus, prorſus recipienda eſt; quia videlicet Chriſtus ſit ſuper omnia, eum ſuper omnia amandum eſſe. Nec tamen idcirco quidquam habebit Chriſtus ſibi ſubjectum, ſive ex iis, ſuper quæ eſt, quod ipſi ſit æquale; quemadmodum ex eo exiſtimare Adverſarius videtur, quod alia etiam multa ipſi ſubjecta, ut res creatæ amentur. Nimis enim aperta eſt hic fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter. Siquidem in eo ſolum eſt æqualitas, quod & iſta, & Chriſtus ſunt res creatæ; & propterea Chriſtus ſimiliter atque iſta, non aliter, quam ut res creata, amari poteſt. In reliquis vero ſumma eſt inæqualitas. Tanta nimirum, quanta inter Dominum, eumque perpetuum atque cæleſtem ac divina plane ratione Dominantem, & conſervos ſuos in illo hiſque amandis eſſe debet.

8. Nihil eſt igitur, cur Adverſarius vel nos, vel magiſtros noſtros moneat, ut Pauli verba attendamus, qui eos deteſtatur, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non amant. Sed ipſe potius una cum ſuis omnibus monendus eſt, ut hominem illum Jeſum Nazarenum, qui revera & mortuus eſt, & reſurrexit, & hac ratione omnium Dominus eſt factus (quandoquidem, ut idem Paulus ait Rom. 14. 9. in hoc Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & revixit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur) hunc dicimus, non alium quendam, qui antequam ex matre ſua naſceretur, Dominus noſter reipſa fuerit, amare meminerint, niſi deteſtabiles ex Pauli ſententia eſſe velint. Quod ſi nullo etiam monente, hominem illum amant revera, ſecundum utrum ex illis duobus dilectionis præceptis amant? Si ſecundum prius, ex ipſius Adverſarii ratiocinatione hominem Deo exæquant. Si ſecundum alterum, non plus quam ſe ipſos illum amant. Atqui Dominum tuum perpetuum atque cæleſtem, qui, ut te in vitam æternam ſervaret, vitam ſuam & ſanguinem fudit, & propterea ita à Deo evectus eſt, ut ipſorum etiam angelorum Dominus ſit factus, quique te poteſtate ſibi à Deo tradita & nunc perpetuo fovet atque tuetur, & poſtea ſempiterna beatitudine donabit, hunc (dicimus) non plus, quam teipſum amare, non minimum ſcelus atque impietas cenſenda eſt. Quamobrem aut agnoſcat Adverſarius, dilemma illud, quo contra nos eſt uſus, non recte concluſum ab ipſo fuiſſe, aut ſcelerate atque impie neget, Chriſtum, quatenus eſt homo, ſeu ſecundum humanam naturam amandum à nobis eſſe, & tandem ex his, & ſuperioribus multis verbis noſtris intelligat, nos, licet Jeſum Chriſtum, non ut creatorem, ſeu ut rem creatam amemus, tamen & amore unigeniti Dei filii eum amare, & non infra, ſed ſupra omnia conſtituere, atque, ut talem nobis ipſis in amore longe anteponere.

Quod autem æque verum Deum, ut ejus patrem, illum non agnoſcimus, in hoc non modo prærogativæ Patris, qui nobis, ut inquit Paulus 1 Cor. 8. 6. unus ille Deus eſt, ſed ipſiuſmet Chriſti ſummam rationem habemus. Nam alioqui eum mendacem faceremus, qui ſemper ſibi Patrem prætulit, ſibique omnia, quæ habet ab ipſo data fuiſſe confeſſus eſt, ac denique Deum ſuum eum eſſe dixit Apoc. 2, & 3. idque tunc etiam, cum jam plenum imperii jus in omnia cæleſtia & terreſtria adeptus eſſet, atque, ut talis, verba faceret. Deum tamen verum illum eſſe plane confitemur, quamvis hoc in Johannis loco illo 1 Joh. 5. 10. ſcriptum eſſe minime agnoſcamus. Cujus rei validas in Animadver. noſtris attulimus rationes, quas refellere Adverſarius debuerat, non autem duplici, eaque inſigni calumnia, nos, contra evidens Johannis teſtimonium, negare Chriſtum eſſe verum Deum, ita audacter aſſerere. Itaque non nobis de iis, quæ de Chriſto affirmamus, ratio in die judicii reddenda erit, quemadmodum hoc loco Adverſarius ait; ſed ipſi, niſi reſipiſcat, erit reddenda ratio de turpiſſimis iſtis in nos calumniis, & multo magis de iis, quæ contra majeſtatem & ſupremam excellentiam ac divinitatem Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti, ipſiuſque Chriſti hominis propriam ac veram divinitatem, aut aperte, aut tacite aſſeverare non dubitat.

9. Si articuli officium eſt rem definitam ſignificare, certe, prout vel apponetur, vel detrahetur, rem definitam ſignificare aut non ſignificare poterit. Nec nos ſane aliud quærimus; non autem quod naturam mutare poſſit, quemadmodum Adverſarius ſumma elenchi ignoratione nobis objicit; fallacia nimirum accidentis deceptus. Quia enim in Dei nomine accidit, ut, re definita non ſignificata, mutetur natura, id eſt diverſa natura indicetur ab ea, quæ rei definitæ ſignificatione continetur, quippe quod natura ipſaque eſſentia Deus unus tantum ſit, idcirco falſo exiſtimavit, nos articulo appoſito vel detracto vim naturæ mutandæ tribuere; propterea videlicet, quod iſtam rei definitæ ſignificationem articulo contineri arbitramur. Mutat igitur quidem aut mutare poteſt ex ſententia noſtra naturam articulus additus vel detractus nomini Dei; non ob vim tamen ipſius articuli, ſed per accidens, ut dictum eſt.

Nec nos aliud oſtendere voluimus ex vi articuli apud Johannem additi, cum Chriſti Pater Dei nomine ſignificatus eſt, detracti vero, cum Chriſtus Deus eſt appellatus, niſi Chriſtum non eſſe unum illum Deum, articulo illo definite ſignificatum.

Ubi animadvertendum eſt, duplicem eſſe hanc rei definitionem articulo ſignificatam. Aut enim relativa eſt, aut abſoluta. Namque præpoſitus articulus nomini appellativo ſimpliciter prolato, quod per ſe vagum eſt & pluribus convenit, vel illud definit, ac reſtringit ad rem aliquam prius aperte aut tacite commemoratam ſive indicatam, & hanc relativam definitionem appellamus; vel ad rem non quidem commemoratam aut indicatam, ſed tamen ejuſmodi, quæ aliqua ratione cæteris rebus, quibus alioqui idem nomen convenit, præſtet atque antecellat; & hanc abſolutam definitionem nominamus. Exemplum relativæ definitionis ſit in verbis ab ipſo Adverſario indicatis apud eundem Johannem eodem in loco. Cum enim dixiſſet, in Verbo fuiſſe vitam, nullo nomini Vitæ articulo præpoſito, ſtatim ſubjecit, Vitam fuiſſe hominum lucem, articulo eidem nomini addito. Nempe ut intelligeretur, non quidem quamlibet vitam fuiſſe hominum lucem, ſed illam, quæ in Verbo fuerat. Perinde eſt enim, ac ſi dixiſſet, Et hæc vita erat lux hominum. Atque in hoc quidem exemplo res, ad quam definitæ relatio habetur, aperte fuerat commemorata Matth. 2. 8. Non fuerat autem aperte ſed tacite tantum commemorata, ubi apud Matthæum Herodes Rex Magis, qui ab Oriente venerant, mandat, ut euntes Bethleemam inquirant diligenter de puerulo, περὶ τοῦ παιδίου. Nulla enim aperta mentio pueruli antea facta erat; ſed tacita in illis Magorum verbis, *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Itaque, ut de iſto puerulo inquirant, Herodem illis mandaſſe, indicat articulus additus nomini Pueruli.

Exemplum porro abſolutæ definitionis præbebunt nobis verba diſcipuli, quem Jeſus diligebat, cum de ipſo Jeſu ad Petrum, qui nondum eum agnoverat, dixit Joh. 21. 7, *Dominus eſt*, ὁ κύριός ἐστι. Quamvis enim diſcipuli illi inter ſe nihil tunc de Jeſu collocuti eſſent, & Domini nomen per ſe multis hominibus conveniat, tamen ut ſignificaret eum hominem qui aderat eſſe Jeſum, potuit Johannes, vel potius potuiſſet, ſi Græce fuiſſet locutus, dicere eſſe Dominum, articulo nomini iſti præpoſito; quemadmodum ibi ſcriptum eſt. Quia nimirum Jeſus inter alios homines, qui Domini appellari poterant, ſingulari quadam & excellentiore ratione, præſertim ipſi Johanni & Petro, Dominus erat.

Cum igitur idem Johannes in initio ſui Euangelii apertiſſime ſignificare vellet, Verbum, id eſt Chriſtum, fuiſſe apud illum altiſſimum Deum, qui omnes Deos antecellit, ſatis habuit Dei nomini articulum præponere, & dicere Verbum fuiſſe apud τὸν Θεόν. Nam hac ratione manifeſte, quamvis antea illum non nominaſſet, eum Deum, quem intelligebat, definivit, & ab aliis omnibus Diis ſecrevit. At vero deinde, quia Verbum Deum quidem fuiſſe, ſed non tamen illum altiſſimum docere volebat, Dei nomini nullum articulum præpoſuit, & ſic ſignificationem illius nominis non definivit, nec vel ad jam nominatum Deum, vel ad ſingularem aliquam divinitatem reſtrinxit; ſed in ſua indefinita & generali ſignificatione reliquit. Quod ſi nihilominus ille altiſſimus, ſimplici Dei nomine nullo addito articulo, ſæpe ſignificatur, id propterea fit, quod tunc Dei nomen, licet revera appellativum, tamen tanquam proprium illius uſurpatur ob excellentiam, quam, ut diximus, is ſupra omnes Deos obtinet. Itaque κατ' ἐξοχὴν eo ſimplici nomine appellatur. Sed tunc nomen illud non prædicati, ut in Johannis verbis illis *& Deus erat Verbum* ſed ſubjecti rationem habet. Nec unquam id nomen ſine articulo, cum prædicati loco eſt, per ſe ipſam altiſſimam divinitatem ſignificare poterit. Sed ſi illam ſignificabit, id ex accidente fiet, & ex aliis loci circumſtantiis deprehendetur. Atqui in Johannis verbis loci circumſtantiæ id nullo pacto oſtendunt, immo contrarium ſuadent; quemadmodum dictum eſt in Animadverſione noſtra. Adeo ut etiamſi alioqui nomen Deus ſine articulo tunc etiam cum prædicati locum obtinet, altiſſimam divinitatem per ſe ipſum ſignificare aptum eſſet, tamen hoc loco eam vim minime illi tribuendam eſſe, omnino concludendum foret.

Non parum autem miramur, quod Adverſarius articuli vim, quam nos diximus, ſi Dei nomini addatur vel detrahatur, tantopere elevet, ac nullam prorſus eſſe ſtatuere videatur; cum duo ex antiquis Trinitariis, quorum auctoritas apud ipſius Eccleſiam pene ſacra & inviolata eſt, eam & aſſeruerint, & maximi fecerint. Prior eſt Aur. Auguſtinus, qui in primo ex ſeptem quæſtionum libris, ſive in quæſtionibus ſuper Geneſin quæſt. 105. ejus, quod Jacob fratri ſuo dixit Gen. 33, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum videt aliquis faciem Dei* ſententiam inquirens, poſt quædam ſic ait, *Quod etſi benigno animo dicta hæc verba fraterna ſunt, quoniam & poſt bonam ſuſceptionem metus tranſierat, potuit ſic dici, quemadmodum & Moyſes Pharaonis Deus dictus eſt* 1 *Cor.* 8, *ſecundum quod dicit Apoſtolus, Etſi ſunt, qui dicuntur dii, ſive in cœlo, ſive in terra, quemadmodum ſunt dii multi & Domini multi; maxime quia ſine articulo in Græco dictum eſt, quo articulo evidentiſſime ſolet Dei veri unius fieri ſignificatio. Non enim dixit* θεὸς τοῦ Θεοῦ, *ſed dixit* θεὸς Θεοῦ; *facile autem hoc intelligunt, qua diſtantia dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere ſolent.* Hactenus Auguſtinus, cui ſi, utpote homini nec Græco nec Græcæ linguæ admodum perito, hac in te credere Adverſarius nolit, alteri ſaltem credat, qui & Græcæ linguæ homo, & Græcus ſcriptor eſt valde eruditus. Is eſt Cerillus epiſcopus Alexandrinus, cujus lib. 1. cap 4. in Euang. Johannis hæc verba, Georgio Trapezuntio interprete, leguntur; *Illud apprime tenendum eſt, quod quando divina ſcriptura nominibus, ſecundum Græcæ linguæ uſum, articulos præponit, tunc & unum, & quod ſolum proprie atque vere tale quid dicitur, ſignificat; articulo autem non adjecto, generalius cuncta deſignat, ut verbi cauſſa; Multi vocati ſunt dii; ſed quando cum articulo Græca lingua Deus dicitur, tunc ſolus & proprie Deus deſignatur: quum vero abſque articulo Deus profertur, quia ad hoc gratia vocatus eſt, intelligitur.* Certe Cyrillus hoc loco plus etiam dicit, quam nos dicamus. Quanquam credimus ejus verba ita accipienda eſſe, ut contra aperta teſtimonia Sacrarum Literarum loqui non videatur; in quibus, ut dictum eſt, Dei nomen, quia videlicet tunc ſubjecti locum tenet, etiam ſine articulo ſæpe ad eum, qui ſolus & proprie, ut ipſe loquitur, Deus eſt, manifeſte refertur.

Et quoniam Adverſarius grammaticorum auctoritatem ac ſententiam de vi articuli, quanquam immerito, ut vidimus, nobis oppoſuit, attendat ipſe, quid in lexicis cum Cyrilli verbis conſentiens ſcriptum inveniatur. Nam in Lexico, quod Rob. Conſtantinus edidit, in voce Θεὸς leguntur hæc verba, *In divinis literis, quum Deos vocant amicos Dei, non apponitur articulus, ſed tantum* Θεοί ἐστι *dii eſtis. At quoties ſignificatur verus ille & ſolus Deus, ſemper articulus* ὁ Θεός. Quamobrem nulla prorſus cauſſa erat, cur ita ſine ulla exceptione nobis objiceret, quod argumenta, quæ ipſe falſo & injurioſe admodum contra Chriſtum vocat, ſomniemus, ubi nulla ſint.

Huc accedit, quod ipſemet Adverſarius, haud ſatis ſibi hac in re conſtans, non obſcure confitetur, articuli nomini Dei appoſiti aut detracti, non exiguam vim eſſe ad differentiam conſtituendam. Namque ad id, quod nos dixeramus, nihil opus fuiſſe, ut Johannes articulum, quem prius Dei nomini appoſuerat, deinde detraheret ad perſonas Patri, & Filii diſtinguendas, nam ſatis jam diſtinctæ fuerant, cum dictum eſt, hunc apud illum fuiſſe, reſpondet, Sabellianis & Patropaſſianis hoc non fuiſſe ſatis. Atque ita vult ad majorem diſtinctionem articulum prius appoſitum, deinde detractum fuiſſe.

Nihil

Nihil eſt igitur, ipſomet Adverſario teſte, in propoſito noſtro id, quod ait, articulos in Græco ſermone ornatus atque euphoniæ cauſſa quandoque omitti, quandoque addi; cum ipſemet hoc loco id factum eſſe ſatis aperte neget.

Quamquam vehementer falliter Adverſarius, qui putet, diſtinctionem illam perſonarum ſine diſtinctione ſcilicet divinitatis Patris, & Filii, articuli appoſitione & detractione augeri potuiſſe; cum nec ad vim diſtinguendi perſonas, quæ eo continetur, quod hic apud illum eſſet, quidquam omnino addi poſſit, nec ſi quærat quiſpiam, cur, cum filius Deus nominatus eſt, articulus non fuerit appoſitus, qui appoſitus fuerat, cum Pater Dei nomine appellatus eſt, quidquam reſponderi poſſit, quin ſimul oſtendatur Patrem, quatenus eſt Deus, Filio excellentiorem eſſe; ſi modo id ad utriuſque perſonæ diſtinctionem notandam factum fuiſſe affirmetur. Ex quo ſequitur, Adverſarium, dum putat ſe exceptionem noſtram ad iſtam cauſſam diſtinguendarum perſonarum refellere, non mediocriter ſententiam noſtram confirmare de vi articuli appoſiti & omiſſi in Johannis verbis. Qua de re præcipue hoc loco controverſamur, & cujus occaſione cætera omnia utrinque ſunt dicta.

Cæterum lectorem monendum cenſuimus, nos, quidquid de vi articuli in animadverſione noſtra diximus, potius ad Adverſariorum probationem ex Johannis verbis ductam, quod Filius Dei eſſet æque verus Deus, atque ipſe Pater, refellendam, quam ad contrariam ſententiam noſtram confirmandam, dixiſſe. Quaſi diceremus, tantum abeſſe, ut ex Johannis verbis iſta divinitatis æqualitas inter Patrem, & Filium probetur, ut potius, ſi quid quod huc pertineat, inde elici poſſit, contrarium ex ipſis facile oſtendi queat.

10. Nihil aliud hic facit Adverſarius, quam principium manifeſte petit; ſatis indicans fabulas eſſe, quas nobis narrat, cum intellectu id, quod affirmat, percipi poſſe negat, ſed fide tantum apprehendi. Quaſi vero diſerte id in Sacris Literis alicubi ſcriptum inveniatur. Supra non uno in loco ea dicta ſunt à nobis, quæ quidquid hoc loco Adverſarius dicit, abunde refutare poſſint, præcipue vero circa finem cap. 13. ſiquidem nemo negaverit, idem eſſe τὸν Θεὸν, ſive Illum Deum, quod Unum Deum. Quod autem verum eſſe nequeat id, quod Adverſarius ait, Dei, hoc eſt τῷ Θεῷ nomen tribus perſonis, ut ipſe loquitur, ea ratione eſſe commune, quam unitas eſſentiæ, id eſt unius numero eſſentia requirit, ex eo ipſo demonſtratur, quod ex Animadverſione noſtra aperte colligitur, quodque ipſe alia ſane ratione, quam fecit, refellere debuerat. Nempe, quod ſi id verum eſſet, nullo modo poſſet filius, ſeu verbum, quod una eſt ex tribus illis perſonis, præter manifeſtam ab ipſo diſtinctionem, Deo, hoc eſt τῷ Θεῷ per relationem quandam opponi ut apud Johannem perſpicue fit, cum aſſerit, Verbum fuiſſe apud Deum πρὸς τὸν Θεὸν. Nemo enim à ſeipſo diſtingui poteſt, aut ulla ratione ſibi ipſi opponi.

11. Aperta elenchi ignoratio eſt in Adverſarii reprehenſione, ſeu mavis diviſionis fallacia. Neque enim diximus nos abſolute, Filium nunquam hoc nomine ὁ Θεὸς appellatum fuiſſe; ſed non ſimpliciter eo nomine. Itaque vocem Simpliciter, quam ipſemet Adverſarius refert, atque in verbis noſtris agnoſcit, & poſtea tacite inde ſubtrahit, diſerte in Animadverſione noſtra adſcripſimus, idque propter iſtum ipſum locum, quem nobis opponit. Ibi enim Chriſtus non nominatur à Thoma ὁ Θεὸς ſimpliciter, ſed addito ὡς, hoc pacto, ὁ Θεὸς μου. Ex qua additione vis illa articuli, de qua ſupra diximus, evaneſcit. Neque enim eo definitur hic ille Deus, qui eſt ſupra omnes Deos; ſed tantum ſecundum Græce linguæ uſum, propter additum relativum illud nomen, Dei nomen definiens, additur & ipſe. Nec quidquam amplius definit, quam nomen illud relativum per ſe definiat. Adeo ut illis verbis Thomas nihil aliud ſignificaverit, quam Chriſtum eſſe ſuum Deum; non autem, ut cuipiam fortaſſis videri poſſet, eſſe illum ſuum Deum, id eſt illum, quem præ aliis omnibus diis pro ſuo Deo agnoſcel at. Qui Græcam linguam vel mediocriter norunt, ſciunt nos vera dicere. Et propterea exemplis, quæ ubique ſunt obvia, afferendis ſuperſedebimus.

Sed præterea æquivocatio in Adverſarii reprehenſione facile eſſe poteſt, aut alia elenchi ignoratio. Cum enim negatum eſt à nobis, Chriſtum hoc nomine ὁ Θεὸς ſimpliciter appellatum fuiſſe, intelleximus, ut patet, nomen Dei cum præpoſito articulo illi ſimpliciter non fuiſſe attributum. Atqui in Thomæ verbis non eſt certum particulam ὁ eſſe articulum, id eſt articuli vim habere. Poteſt enim vox Θεὸς vocandi ſignificatione prolata fuiſſe, & ſic particula illa, adverbii vocandi vim obtinere. Nam neque aliter fere vocativus caſus hujus nominis, nec fortaſſe, niſi in loco illo Matth. 27. ver. 46. Θεέ μου, Θεέ μου, in Sacris Literis aſſertur, ſed paſſim in Græca Veteris Teſtamenti, præſertim vero Pſalmorum tranſlatione, præter paucos reliquos Novi Teſtamenti locos, nominativus caſus articulo præpoſito pro vocativo uſurpatur. Et ſane hac ratione Chriſtus ſimpliciter ὁ Θεὸς, nominatus invenitur. Heb 1. 9. quem locum nos minime ignorabamus, cum Animadverſionem illam noſtram ſcripſimus. Sed nihil hoc ad rem, ut diximus. Nec vero, quominus vox Θεὸς in Thomæ verbis vocativi caſus vim habeat, obſtat id, quod ſequitur, καὶ ὁ κύριός μου; quaſi vox κύριε vocativi caſus vim habere nequeat, cum id nomen videlicet paſſim in ipſis Sacris Literis vocandi caſum habeat κύριε. Etenim quia nomini Θεὸς nomen κύριε adjunctum fuit, potuit ad illius exemplum flecti, & quemadmodum in illo, ſic in ipſo caſus rectus pro vocandi caſu uſurpari. Ut in nomine βασιλεὺς factum videmus in Græca editione Pſ. 5. 2. πρόσχες τῇ φωνῇ τῆς δεήσεώς μου ὁ βασιλεύς μου, καὶ ὁ Θεός μου. Quod in Latina hujus editionis interpretatione vulgo legitur, *Intendi voci orationis meæ rex meus & Deus meus.* Quin habes locum in ipſo nomine κύριε huic noſtro plane ſimilem Pſal. 34. 23. πρόσχες τῇ κρίσει μου ὁ Θεός μου, καὶ ὁ κύριός μου. Quod in eadem vulgata interpretatione eſt, *Intende Judicio meo Deus meus & Dominus meus.* Latinam autem iſtorum locorum interpretationem ideo attulimus, ut conſtet, poſſe ex ſenſu ipſo Latini interpretis verba Thomæ ut vocandi caſu prolata accipi, licet, quemadmodum in locis iſtis factum videmus, recti caſus voces in ipſis Latinis reddendis conſervatæ fuerint.

12. Nec nos, Chriſtum Dominum deumque noſtrum eſſe negamus, immo & ultro profitemur, & vehementer gloriamur, nec per ea, quæ humanæ naturæ conveniebant, ejus divinitatem, quam ipſi Adverſarii intelligunt, ſupprimere conati ſumus. Non enim id egimus revera, ut ex eo, quod Chriſtus reſurrexerit, omnino concluderemus, ipſum non ita eſſe Deum, ut Pater eſt, quemadmodum Adverſarius exiſtimat, ſed tantum, ut ex eo, quod Thomas ex comperta Chriſti reſurrectione colligit, eum eſſe Dominum ſuum & Deum ſuum, demonſtraremus, ex ipſius verbis minime intelligi poſſe, Chriſtum eſſe æque verum Deum, ac patrem ipſius; ut in Adverſariorum Aſſertione dictum fuerat. Sed potius locum iſtum contrarium indicare. Debuerat Adverſarius, rationes noſtras refellendo, vel oſtendere, Thomam aliunde, quam ex comperta Chriſti reſurrectione collegiſſe, illum eſſe Dominum & Deum ſuum, vel probare, ex Chriſti reſurrectione planum fieri, illum eſſe æternum ac ſummum rerum omnium Dominum & Deum, qualis ejus pater eſt; & ſic exceptionem noſtram diluere, atque eorum, quos defendendos ſuſcepit, probationem confirmare; de hoc enim præcipue agebatur, non autem id tantum arrodere, quod nos præterea, ut probatio iſta infirmior etiam appareret, non plane aſſeveranter addidimus, ejuſque arrodendi rationem ex eo nectere, quod nec ullo modo compertum eſt, & à nobis prorſus negatur, ex duplici ſcilicet illa Chriſti natura; & ſic in nobis reprehendendis

una cum aliqua elenchi ignoratione aliquam ſimiliter principii petitionem conjungere.

Caput XIX.

In decima tertia, decima quarta, & decima quinta, Aſſertione collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo agitur nominatim de Spiritu Sancto. Atque in decima tertia quidem agitur de ipſo nomine Spiritus Sancti, at in decima quarta de ipſius divinitate; in decima quinta vero de proceſſione ejuſdem à Patre, & Filio. Quare hoc caput in tres partes dividemus.

Pars Prima.

Primum igitur ajunt Adverſarii, hoc quidem vocabulum Spiritus Sancti eſſe commune Patri quoque, & Filio, tertiam tamen Trinitatis perſonam eo nominari, quippe quæ nullum habeat proprium nomen, ſed ſpiratio & proceſſio appelletur. Negavimus nos in Animadver. noſtris uſquam dici Filium eſſe ſpiritum, immo oſtendimus, ipſum Filium, ſe ſpiritum non eſſe, docuiſſe. Nempe cum ſuis Apoſtolis dixit Luc. 24. 39. *Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut videtis me habere*, & locum Joh. 4. 24, qui ab Adverſariis allatus fuerat, ad Filium nequaquam pertinere, docuimus, cum de Patre nominatim ibi ſit ſermo. Quinetiam diximus, nos ſuſpicari, in Græco codice, non Deum Spiritum eſſe, ſed Deum Spiritum quærere, dictum fuiſſe. Deinde ſubjunximus, ſi nomen Spirationis & Proceſſionis non eſt proprium Spiritus Sancti, ſed commune videlicet Filio; nihil eſſe, cur Trinitarii Filium à Spiritu Sancto diſtinguant, quod hic ſcilicet ſpiretur, ille vero gignatur; nec ullam cauſſam dari poſſe, ſi uterque ſpiratur & procedit à Patre, eandemque prorſus cum illo eſſentiam habet, cur magis ille, quam hic ex ipſius ſubſtantia generatus, juſque Filius eſſe dicatur. Adverſus hæc pag. 96, & 97. hæc pauca ſcribit Adverſarius.

Adverſarii dicta.

1. Primum dicit, nos nolle credere, in Chriſto eſſe duas naturas; quaſi temeritas noſtra argumenti vim habeat.

2. Deinde ingentis arrogantiæ cum perniciosiſſima impietate conjunctæ nos accuſat, quod ſacros Euangeliorum codices ſuſpectos facere aggrediamur, affirmatque, nos, poſtquam docuimus, contemnendam eſſe Eccleſiæ auctoritatem, hoc inſuper agere, ut Scripturis primum minor, deinde nulla fides adhibeatur.

3. Poſtremo in materia ſpirationis & proceſſionis ad theologicas ſcholas nos rejicit.

Reſponſiones.

1. Miramur Adverſarium non pudere nobis temeritatem objicere, quam velimus argumenti vim habere; cum nos nihil affirmemus, ſed tantum verum eſſe non agnoſcamus id, quod Trinitarii de duplici Chriſti natura conſtanter affirmant, Ipſe vero tacitam ſimplicemque eadem de re affirmationem ſuam argumenti vim habere velit, adeoque apertiſſima Chriſti verba, quod ipſe non ſit ſpiritus eludere poſſe.

2. Turpis elenchi ignoratio eſt in hac Adverſarii tam acri reprehenſione; cum nihil minus dixerimus nos, quam Johannis locum Joh. 4. 24. nobis eſſe ſuſpectum, quem in ipſo Græco codice, ubi tantummodo, non etiam in Latino noſtrum illud ſuſpicari locum habet, incorruptiſſimum & omni approbatione digniſſimum eſſe prorſus nos credere ſignificavimus; adeo ut hæc ingens calumnia potius, quam injuſta reprehenſio Adverſarii, merito videri queat. Neque enim, cum diximus, nos ſuſpicari, in Græco codice non Deum Spiritum eſſe, ſed Deum Spiritum quærere dictum fuiſſe, intelligere potuimus, non ſuſpicari Græca verba aliter legenda eſſe, ac leguntur, quemadmodum Adverſarius fortaſſe eſt opinatus. Sed, ut patet, eorum verborum aliam ſententiam eſſe, nos ſuſpicari dicere voluimus, quam ea, quæ vulgo recepta eſt, & ſecundum quam locus ille in Latino codice legitur, & in Aſſertione citatus fuerat. Eſt enim in Græco codice pro voce Spiritus, quæ eſt in Latino, vox πνεῦμα, quæ non minus quarti, quam primi caſus eſſe poteſt; nec habetur in Græco verbum ſubſtantivum (quod vocant) ut habetur in Latino. Sed ſcriptum eſt ibi ſimpliciter, πνεῦμα ὁ Θεὸς. Itaque poteſt commodè locus ſic verti, SpiritumDeus, & ſubaudiri Quærit κυνηγεῖ, ex verbis proxime antecedentibus. *Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* Jamque apparet, ut falſo, ſic importune prorſus nobis hic ab Adverſario objici, quod hoc agamus, ut ſcripturis primum minor, deinde nulla fides adhibeatur. Scimus autem id potius & ipſum, & ſuos omnes male habere, quod nos nimis magnam, ut ipſis videtur, adeoque omnem fidem in divinis rebus ſolis ſcripturis hoc tempore adhibendam eſſe contendimus. Qua de re infra alibi latius agetur.

3. Oportebat rationes noſtras refellere, non autem ad theologicas ſcholas nos rejicere. Vidimus autem jamdiu multa, quæ Scholaſtici theologi de ſpiratione & proceſſione iſta ſcribunt, & quamvis, dempta principii petitione, quæ omnibus eſt communis, plurima à non nullis ſubtiliter diſputata invenire nobis ſit viſum, nihil tamen adhuc legimus, quod ratiocinationem noſtram contra diſtinctionem ſecundæ & tertiæ Trinitatis perſonæ, ut loquuntur, reſpectu primæ, in hoc, quod illa ſit ejus filius, hæc vero minime, diluere, nobiſve ſatis facere ullo modo poſſit. Niſi fortaſſe apud Græcos illos, qui Spiritum Sanctum à ſolo quidem Patre, ſed per filium tamen procedere volunt. Quorum ſententia ab iis, quibus cum diſputamus penitus exploſa eſt.

Pars Secunda.

Cum Adverſarii aſſeruiſſent, Spiritum Sanctum eſſe Deum æque ut Patrem, & Filium; diximus nos, hoc nuſquam nec verbis, nec ſententia ſcriptum legi. Deinde, quia id probare conati fuerant ex eo, quod Spiritus Sanctus eas res gerat, quæ proprie ſunt Dei; ad hoc reſpondimus, id mirum non eſſe, cum Spiritus Sanctus Dei virtus ſit atque potentia, Deique operationes Spiritus Sancti nomine nuncupentur. Sed hinc non ſequi, ipſum eſſe Deum, niſi prius conſtet, eum eſſe perſonam ab ipſo Deo diſtinctam. Immo ex iſtis apparere, eum non eſſe; cum alicujus perſonæ virtus aut operatio non poſſit eſſe perſona aliqua, præſertim alia ab ea, cujus virtus eſt & operatio. Præterea addidimus, fieri poſſe, ut Spiritus Sanctus ſit perſona, ab ea, cujus eſt, ſpiritus, diſtincta, nec tamen ſit Deus. Nam aliis quoque perſonis, quarum nulla eſt Deus, eæ operationes tributæ inveniuntur, quæ ipſius Dei ſunt propriæ. Quia vero, quod Spiritus Sanctus ſit Deus, inde etiam probare voluerant Adverſarii, quod Deus dicatur 1 Joh. 3.24.4.13. habitare in nobis, quia in nobis habitet Spiritus Sanctus, rationem iſtam ex eo confutavimus, quod Deus in nobis ideo habitare dicatur, quia de ſuo ſpiritu nobis dat; qui ſpiritus propterea & ipſe habitare in nobis dicitur. Atqui de Spiritu Sancto quem iſti intelligunt, id eſt de tertia, quam fingunt, divinæ eſſentiæ perſona, nihil dari poteſt. Diximus præterea nuſquam, ut credimus, Spiritum Sanctum ab hominibus glorificari, in Sanctis Literis dici; nec quidquam de fide in Spiritum Sanctum non modo in illis, ſed ne in ipſo quidem ſymbolo, quod Apoſtolorum vocatur, revera dictum fuiſſe, contra quam in Aſſertione iſta 14, partim aliunde tacite, partim ex Nicæno ſymbolo expreſſe concluſum fuerat. Sed & alia non pauca contra eandem Aſſertionem ſcripſimus, ad quæ refellenda Adverſarius aut prorſus nihil, aut inania tantum verba ſine ulla probatione, affert. Ad hæc autem refutanda ab initio pag 98. uſque ad initium pag. 101. iſta ſcribit.

Ad-

Adverſarii dicta.

1. Primum ait, eos locos, qui docent Spiritum Sanctum eſſe Deum, docere etiam, eum eſſe æqualem.

2. Deinde dicit, nos iterum Deum fingere ex diverſis compoſitum, quippe qui hic, Spiritum Sanctum eſſe virtutem Dei, Aſſert. vero 18. num. 1. eum eſſe de natura Patris ut Dei confiteamur, & tamen eum Deum eſſe negemus; ſententiæ interim illi contradicentes, cujus veritatem agnoſcimus, Dei eſſentia eſt ſimpliciſſima. multaque hic congerit de Dei proprietatibus, quantumvis ſine accidentibus, ex Auguſtino & aliis deſumpta, & ad Julii Cæſaris Scaligeri imitationem quaſi encomium quoddam Dei ex illis conficit; quædam intermiſcens ad divinitatem, quam ipſe intelligit, Filii & Spiritus Sancti confirmandam, quæ vel nullam penitus probationem continent, vel cujuſmodi jam antea attulerat, & nos ſupra abunde refutavimus.

3. Interea in ipſo initio ſuperioris reprehenſionis notat, à nobis non ſcribi, à quo & ubi Dei operationes Spiritus Sancti nomine nuncupentur.

4. Jam ad probandum, quod Spiritus Sanctus ſit perſona diſtincta ab aliis perſonis, ut Patris perſonæ, & idem ſit Deus, ſic ait, 1 Cor. 12. *Apoſtolus ſcribit, diviſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Deinceps: Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult.* Atque hinc infert, *Si voluntate non caret, certe nec ratione: hoc igitur ipſum non aliud eſt, quam perſona.*

5. Subjungit poſtmodum, nos hic quoque non diſtinguere, reliquas perſonas, per quas Deus operatur à Chriſto, & Spiritu Sancto; cum tamen ſine illis operationes illæ fieri potuerint, ſine his vero nihil boni fieri poſſit. Nam & Chriſtus dicit Joh. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, & 1 Cor. 12. nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto. Præterea aliæ perſonæ extrinſecus tantum operantur, Chriſtus vero cum Spiritu Sancto interius; id quod Dei eſt proprium.

6. Addit præterea nos confundere dona Spiritus Sancti cum ipſo eorum diſtributore.

7. Poſtremo inquit Act. 7. *Spiritum Sanctum Samſatenici nec glorificari, nec in eundem credi volunt: in quo illud Stephani competit. Dura cervice & incircumciſi cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, nempe illi damnati Hæretici, ita & vos.*

Reſponſiones.

1. Elenchi ignoratio una cum petitione principii hic eſt. Elenchi quidem ignoratio, quia nos Spiritus Sancti non æqualitatem iſtam tantum, ſed divinitatem quoque (ut ſic dixerimus) perſonalem, quam Adverſarii intelligebant, cum illum, Deum eſſe, dicebant, ſcriptam legi negavimus. Principii vero petitio propter hoc idem; quia videlicet negamus nos locos ullos docere, Spiritum Sanctum eſſe Deum.

2. Quanta in hac reprehenſione ſit elenchi ignoratio, ex iis ſatis intelligi poteſt, quæ diſputata ſunt à nobis ſupra cap. 3. partic. 2. ubi oſtendimus, inepte ab Adverſario perſonas divinæ eſſentiæ, quas ipſe fingit, cum ejuſdem attributis comparari. Quando quæritur, an Spiritus Sanctus ſit Deus, non id ſimpliciter quæritur, utrum ſit ex Dei eſſentia ſeu natura, atque ita ea ratione ſit Deus, qua, quidquid in Deo eſt, Deus eſſe à pleriſque affirmatur, ſed an ita ſit Deus, ut interim propriam perſonam habeat, ſeu res ſit intelligens & per ſe ſubſiſtens. Quocirca ſine ulla cauſſa hic nobis objicitur, quod putemus id, quod naturaliter eſt Dei non eſſe Deum. Neque enim negavimus nos, ſi Spiritus Sanctus concedatur eſſe de natura Patris ut Dei, hinc ſequi, ipſum eſſe Deum eo ſenſu, quo diceretur Dei juſtitia eſſe Deus, & quem neceſſario requirit ſententia illa, quæ paſſim recepta eſt, quod in Deo nulla prorſus ullius generis ſint accidentia, ejuſque eſſentia ita ſimplex ſit, ut in ea nullæ prorſus ſint partes, aut certe non ejuſmodi, ut ſingulæ per ſe à tota eſſentia ulla ratione diſtinguantur. Quam ſententiam hoc loco nec aperte, nec tacite rejecimus, aut rejeciſſe videri poſſumus. Sed, ſi quid à nobis dictum eſt, quod ei adverſari videatur, id in iis continetur, quæ ſcripſimus in prima Animadver. in Aſſert. 18. ad quem locum ubi pervenerimus, apertius aliquid hac de re dicemus.

Hic ſatis fuerat, monuiſſe, quo ſenſu negetur à nobis, Spiritum Sanctum eſſe Deum. Nempe eo, quo Adverſarii idem affirmant, id quod & res ipſa diſputatioque noſtra omnino poſtulat, & nos illis verbis planiſſimum fecimus, quæ Adverſarius ipſe hoc loco recitat, *Sed non propterea ſequitur, ipſum eſſe Deum, niſi prius conſtet, ipſum eſſe perſonam ab ipſo Deo diſtinctam.* Non autem eo, ut nobis objici poſſit, quod in Deo accidentia aut partes ullas eſſentiæ conſtituamus; etiamſi ipſi nos confeſſi eſſemus, Spiritum Sanctum eſſe de natura Patris ut Dei, quemadmodum & hic, & alibi, id eſt pag. 125 Adverſarius de nobis affirmat. Nam revera id nos nuſquam confeſſi ſumus. Sed tantummodo in eo loco, quem ipſe citat, diximus, id concedi poſſe, nec tamen ſecuturum, Spiritum Sanctum eſſe verum Deum. Cujus noſtri dicti poſtea rationem reddemus. Hinc apparet, nos nequaquam illi ſententiæ contradicere, Dei eſſentia eſt ſimpliciſſima; cujus tamen veritatem nos agnoviſſe, non omnino vere aſſerit Adverſarius, ut oſtenſum eſt ſupra cap. 3. partic. 1. Jam, ſi ex eo ipſo, quod negamus, Spiritum Sanctum ita eſſe Deum, ut ſit vera perſona, & tamen interim confitemur, eum eſſe virtutem ac potentiam Dei, concludere hic vult Adverſarius, nos ſtatuere, Spiritum Sanctum eſſe vel accidens Dei, vel ſubſtantiam ipſius ab eo tamen diverſam, quemadmodum ad hunc locum reſpiciens concluſit in ipſo fine Animadver. noſtrarum in ſecundam Aſſertionem pag. 66. quantus, & quam fœdus ſit hic ipſius error, breviter demonſtratum eſt à nobis cap. 11. partic. 2.

3. Nihil neceſſe erat, nos adſcribere à quo & ubi Dei operationes Spiritus Sancti nomine nuncupentur. Id enim inter omnes conſtat; & Adverſarius ipſe idem tacite confitetur, dum nos reprehendit, quod dona Spiritus Sancti cum ipſo eorum diſtributore confundamus, id eſt non diſtinguamus ſcripturæ locos, in quibus Spiritus Sancti dona ipſius Spiritus Sancti nomine appellantur, ab iis, in quibus ipſe Spiritus, qui ea diſtribuit, ſub hoc ipſo nomine commemoratur. Nam certe Spiritus Sancti dona, Dei & quidem patris operationes eſſe, non negabit, ni fallimur, ipſe Adverſarius. Quod ſi tamen negaverit, convincent illum erroris manifeſti verba illa Pauli *Diviſiones operationum, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*; ut ſtatim planum faciemus.

4. Aut vult Adverſarius verba iſta 1 Cor. 12. *Diviſiones operationum ſunt*, &c. de Patre diſtincte accipi debere, aut non vult. Si non vult, & ſextæ Aſſertioni colleg. Poſnan. & ſibi ipſi, qui eam hac etiam in parte approbat, aperte contradicit. Ibi enim affirmatur, ex toto illo Pauli loco, & alio ſimili ad Epheſ. 4. conſtare de diſtinctione trium perſonarum, Patris, Filii, & Spiritus Sancti in eadem divinitate; ſub nomine videlicet unius Dei, unius Domini, & unius Spiritus. Ex quo, ſi verum eſt, neceſſario ſequitur, unius ſive ejuſdem Dei nomine in verbis iſtis Patris perſonam ab aliis diſtinctam ſignificatam fuiſſe. Quod ſi Adverſarius hoc ipſum vult, ut quidem neceſſe eſt; cum hinc probare contendat, Spiritum Sanctum perſonam eſſe ab aliis diſtinctam, quomodo ex verbis iſtis colligere poteſt, Spiritum Sanctum eſſe Deum? Nam ſi, ut apparet, propterea colligit, quod operationes in prædictis verbis Deo tributæ tribuantur deinde Spiritui, id eſt Spiritui Sancto, in illis verbis, *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus*, in æquivocationis, aut certe propriæ ignorationis elenchi fallaciam incidit. Etenim, ſi ipſius Dei nominis rationem habet, æquivocatio eſt

manifeſte, cum jam ipſe velit, Dei nomine hoc loco non naturam ipſam divinam, ſed Dei Patris perſonam intelligi, unde, ſi ad ipſum Dei nomen in ſua ratiocinatione reſpiciat Adverſarius, ſequetur concluſio, Spiritum Sanctum eſſe Deum Patrem. Sin autem non ipſius Dei nominis rationem habet, ſed ejus rei, quod ea, quæ Patris perſonæ nominatim tribuuntur, Spiritui quoque tribuantur; ex quo neceſſe ſit, eandem utriuſque naturam eſſe, & conſequenter, cum Pater ſit Deus, Spiritum quoque Sanctum eſſe Deum, hic vel æquivocationem ſimiliter eſſe dicimus, idque ratione verbi operandi; vel, ſi quis mavult, propriam elenchi ignorationem. Cum enim Deus Pater, ut jam pro conceſſo hic ſumitur, in illis ipſis verbis, in quibus omnium operatio, nec præterea aliud quidquam ei tribuitur, à Spiritu iſto diſtinguatur, nullo modo fieri poteſt, quin illi operatio iſta aliqua ratione conveniat, qua ipſi ſpiritui eadem convenire nequeat. Alioqui per attributionem iſtam nulla diſtinctio inter utrumque conſtitueretur. Itaque, cum poſtea ipſe Spiritus eadem omnia operari dicitur, neceſſe eſt, ut verbum Operandi utrobique non eodem prorſus ſenſu proferatur, vel, ut aliquid ſubaudiatur, quod alterius ab altero operationem diſtinguat. Ita ut nihil inde de eadem utriuſque natura colligi poſſit. Adde quod, ut & in Animadver. & alibi ſupra dictum eſt (qua de re mox etiam nonnihil dicendum erit) eædem operationes & ipſi Deo, & rebus creatis interdum tribuuntur, quamvis operationes ſint, quæ alioqui ſoli Deo convenire dicuntur. Unde perſpicuum eſt, etiamſi hic non appareret de ea, quam modo diximus, diſtinctione; tamen nihil de eadem Dei Patris, & Spiritus Sancti natura ex eadem attributa omnium operatione concludi poſſe. Et hæc ſatis ſint ad oſtendendum, nihil omnino cogere, ut ex Pauli loco iſto intelligamus, Spiritum Sanctum eſſe Deum. Quod autem ex eo, quod ibi voluntas illi tribuatur, colligi nequeat, ipſum eſſe perſonam, jam ſatis demonſtratum à nobis fuerat Animadver. 6. in 2. Aſſertionem, & abunde confirmatum deinde eſt ſupra cap. 11. partic. 1. In quibus locis oſtendimus, infirmiſſimam eſſe rationem iſtam, Spiritui Sancto tribuuntur ea, quæ propria ſunt perſonarum. Ergo Spiritus Sanctus eſt perſona. Et certe, ut Adverſarius intelligeret nominatim, ex hoc ipſo, quod Spiritui Sancto voluntas tribuatur, concludi neutiquam poſſe, illum eſſe perſonam, debuerat ſatis eſſe exemplum à nobis in Animadver. allatum de ſpiritu, id eſt vento; cui ſimiliter voluntas tribuitur Joh. 3. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat*; & tamen certiſſimum eſt, ventum non eſſe perſonam.

5. Nihil hic dicitur, quod alibi à nobis reipſa confutatum & repulſum non fuerit, ac contra ipſum Adverſarium retortum, nempe ſupra cap. 13. partic. 4, 5. & 6. Modo enim ipſe (ut ſane divinis teſtimoniis coactus facit) concedat, eos etiam, qui ejuſdem naturæ cum Deo non ſunt, cum ipſo Deo in quibuſdam operationibus alioqui ſoli Deo attributis conjungi, quidquid deinde ſubjiciat de differentia in operando inter iſtos, & Spiritum Sanctum, aut Chriſtum, id vel nihil eſt, quia manifeſte principium in eo petitur, vel, etiamſi verum ſit, illi plurimum obeſt, & nobis contra ipſius argumentationem validiſſimam exceptionem à minore (quod ajunt) ductam ſuppeditat. Qua de re vide, quæ in ſupra notatis locis diſſertimus, ubi partic. 4. reſponſionem invenies nominatim ad hoc, quod hic dicitur de interiore Chriſti & Spiritus Sancti operatione, quæ propria Dei ſit.

Nec vero ad æqualitatem divinitatis Chriſti, & Spiritus Sancti, ſi perſona eſſet, quemadmodum hoc loco ponitur, cum Deo Patre oſtendendam, quidquam faciunt teſtimonia hic ab Adverſario allata Joh. 15, & 1 Cor. 12. quia videlicet ex illis probetur, ſine Chriſti, & Spiritus Sancti operationibus non eſſe poſſibile quidquam hodie fieri. Nam aut ut penitus omnique prorſus ratione abſolutam neceſſitatem operationum Chriſti & Spiritus Sancti, ſi aliquid boni fieri debeat, Adverſarius intelligit, aut non prorſus abſolutam. Si poſteriore modo, hoc non æqualitatem iſtam, ſed inæqualitatem plane oſtendit. Certiſſimum enim eſt, Dei Patris operationem penitus, omnique prorſus ratione abſolute neceſſariam eſſe ad aliquid boni faciendum. Sin autem priore, negamus nos ex allatis teſtimoniis talem neceſſitatem operationum Chriſti & Spiritus Sancti, ſi quid boni fieri debeat, probari. Nam quod ait Chriſtus ſuis Apoſtolis Joh. 15. 5, *Sine me nihil poteſtatis facere*, veriſſimum eſſe poteſt, ut profecto eſt, etiamſi Chriſtus, quemadmodum nos credimus, poſtquam homo eſt natus, id ex Dei Patris dono conſecutus fuerit, ut ſine ipſo nihil fieri poſſit, non autem id natura ſua ab omni æternitate habuerit, & ſic neceſſitas iſta operationis Chriſti in re ulla bona facienda non penitus & omni prorſus ratione abſoluta ſit, ſed à libera Dei Patris voluntate profecta fuerit. Similiter nihil obſtat, quominus non niſi per Spiritum Sanctum poſſit quis dicere Dominum Jeſum 1 Cor. 12. 3, & tamen, ſi Spiritus Sanctus eſt perſona à Deo Patre diſtincta (nam alioqui extra propoſitum hæc dicerentur) non ab ipſius æterna natura neceſſario, ſed à Dei Patris libera voluntate id profectum fuerit.

6. Supra cap. 11. partic. 1. innuimus, id quod nobis hoc loco Adverſarius objicit, nec recte nec conſtanter ab ipſo objectum fuiſſe. Non recte quidem objectum fuit, quia tantum abeſt, ut nos diſtributorem donorum cum ipſis donis confundamus, ut potius tacite Aſſertionum ſcriptorem, quod hæc ipſe confundat, redarguamus: quippe qui, cum teſtimonia afferre deberet, ubi de Spiritu Sancto, ut tertia illa unius divinæ eſſentiæ perſona, & ſic ut donorum diſtributore, ageretur, ea affert, in quibus de perſona iſta nullo modo agi poteſt, ſed de donis ipſis revera agi neceſſe eſt, ſi cauſſa attendatur, cur Spiritus Sanctus & propterea Deus ipſe in nobis manere ſeu habitare dicatur. Nam, quod Deus non idcirco in nobis habitare ſit dictus, quia Spiritus ipſe Sanctus, qui in nobis habitat, ſit Deus, ſed quia Deus per ſpiritum in nobis habitat, præter teſtimonia in Animadver. allata, probat eleganter id, quod ſcriptum eſt in fine cap. 2. ad Epheſ. *in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto*, ſive ut Græca exemplaria habent, *in ſpiritu*; id eſt, ut Eraſmus, Beza, & alii verterunt, *per ſpiritum*. Non conſtanter autem nobis id objecit Adverſarius, quoniam ipſe paſſim ubique, nulla diſtinctione adhibita, Spiritum Sanctum Deum verum eſſe contendit, hoc vero nobis objiciendo, haud obſcure fatetur, Spiritum Sanctum, ſeu ſpiritum Dei, dona etiam, quæ fidelibus Chriſti diſtribuuntur, appellari, & iſta dona verum Deum non eſſe concedit, cum tamen alibi, id eſt pag. 125. ut clarius interim ejus inconſtantiam videas, velit Spiritum Sanctum etiam quatenus eſt donum Dei, ipſo Deo inferiorem non eſſe, & ſic eſſe Deum verum. Atqui nos, Spiritum Sanctum, quatenus donatur, perſonam non eſſe, & conſequenter nec verum Deum, ſatis docuimus ſupra dicto cap. 11. partic. 1.

7. Non plane negatum eſt à nobis, Spiritum Sanctum glorificari poſſe. Quid enim vetat, quatenus Dei virtus eſt, & potentia in ipſo reſidens glorificari? Nam eatenus invocari etiam poſſe, oſtendimus ſupra cap. 13. partic. 4. quamvis nullo modo ſit perſona. Idque ex ipſius Adverſarii verbis quibuſdam aperte colligi docuimus. Certe, ſi quis glorificaret juſtitiam, & bonitatem Dei, à nemine jure reprehendi poſſet, quare neque etiam is reprehendi debet, qui Dei virtutem atque potentiam glorificet. Diximus tamen nos credere, nuſquam in divinis literis dici, Spiritum Sanctum ab hominibus glorificari; ut doceremus verba illa Pauli 1 Cor. 6. 20, *Glorificate Deum in corpore veſtro*, contra quam in Aſſertione factum fuerat, ad Spiritum Sanctum referenda non eſſe. Atque hic libet lectorem monere, ne contra ſententiam vel potius opinionem noſtram, putet eſſe locum illum apud Petrum priore Epiſt. cap. 4. 14. *Secundum illos quidem blaſphematur; ſecundum vos autem glorificatur* (ut quidem

legitur

legitur in Græcis codicibus, nam in vulgatis Latinis hæc verba non leguntur) quaſi verbà iſta ad Dei ſpiritum proxime nominatum referri debeant, ut Eraſmus in annotationibus locum accepit, & Beza eſt interpretatus, addens de ſuo ante verba iſta pronomen Qui. Nam recte intuenti, præſertim cum nullum pronomen, quod proximum Spiritus Dei nomen referat, in Græcis verbis extet, apparebit, hæc non ad ſpiritum Dei, ſed ad Chriſtum paulo ante nominatum, de quo præcipue eſt ſermo, referenda eſſe. Qui cum ipſius fideles probris ab impiis afficiuntur (qua de re ibi agitur) ab ipſis quidem impiis, vel, ut quidem ipſis impiis, qui hoc quærunt, videtur, blaſphematur; à fidelibus vero, vel, ut illi ſentiunt ſeu perſuaſum habent, glorificatur.

Jam vero, quod attinet ad fidem in Spiritum Sanctum, ne hoc quidem prorſus negavimus, in Spiritum Sanctum videlicet credendum eſſe; ſed ſolum quatenus quid diſtinctum ab ipſo Deo Patre & Chriſto conſideretur, ita ut non tantum in Deum Patrem, & in Jeſum Chriſtum, ſed in Spiritum Sanctum quoque, ut ipſa nimirum verba Aſſertionis ferunt, credere nos oporteat. Quo autem ſenſu negaverimus, in ipſo (quod vocant) Apoſtolorum Symbolo ſcriptum revera fuiſſe quidquam de credendo in Spiritum Sanctum, expoſuimus ſupra cap. 12. partic. 1. De Stephani verbis, quæ in nos competere Adverſarius affirmat, nihil nobis dicendum cenſuimus; quamvis ea ut contra nos ab ipſo allata commemorare voluerimus, ejuſque ipſa verba recitare, quo unuſquiſque agnoſcere poſſit, quam inepte atque adeo ridicule is Scripturæ Teſtimonia in nos torqueat.

Pars Tertia.

Ad probandum, quod Spiritus Sanctus à Patre Filioque tanquam ab uno principio æterna proceſſione procedat, allatum primo fuerat in Aſſertione 15. Chriſti dictum illud Joh. 10. 30, *Ego & pater unum ſumus.* Nos autem in noſtris Animadverſ. diximus, dictum illud de unitate poteſtatis accipiendum eſſe; non autem videlicet de unitate naturæ. Poteſtatem vero Chriſto ut homini, ideoque in tempore (ut loquuntur) non autem ab æterno datam reipſa fuiſſe, pluribus prolatis teſtimoniis oſtendimus. Deinde dictum fuerat, Spiritum Sanctum nunc Patris, nunc Filii ſpiritum appellari. Ubi nos monuimus, non Spiritum Sanctum ſimpliciter, ſed ſpiritum, quo Chriſti fideles à Deo donantur, interdum Chriſti ſpiritum appellari, ob id potiſſimum, quod Chriſtus eodem ſpiritu fuit præditus. Hoc autem ex eo ipſo loco oſtendimus, qui in Aſſertione allatus fuerat, Gal. 4. 6. Additum præterea fuerat, Spiritum Sanctum modo à Patre modo à Filio mitti dici. Hic faſſi ſumus, à Filio, quoque in Sacris Literis dici Spiritum Sanctum mitti. Sed hoc diximus intelligendum eſſe, ut à Patre acceptum mittat. Nam Filius ipſe in ipſo loco, qui in Aſſertione citatus fuerat, Joh. 15. 26. dixit, ſe illum a Patre miſſurum, eumque à Patre procedere. Hoc autem ipſum, quod Patre acceptum Filius Spiritum Sanctum mittat, non ſemper fuiſſe, nec ex Filii natura pendere, probavimus ex duobus locis, Joh. 14. 16, & Act. 2. 33. Poſtremo allata fuerant Domini verba illa, *de meo accipiet*, Joh. 16. 14. Quæ nos idcirco ab ipſo dicta fuiſſe affirmavimus, quia Pater poteſtatem ſuam, & gloriam cum eo communicavit, unde merito dici poſſit, quæcumque Pater habet, ea Filii quoque eſſe. Nam propter hoc ſe dixiſſe, Spiritum Sanctum de ſuo accepturum, ibidem Dominus ſubjunxit. Contra hæc à nobis in prædictam Aſſert. 15. animadverſa Adverſarius pag. 101, 102, & 103. hæc ſcribit.

Adverſarii dicta.

1. Ait, nos præter rem loqui. Non enim Chriſtum ut hominem poteſtatem accepiſſe; ſed, ſi ut homo accepit, illum carere alia poteſtate, ut eſt Deus, nobis oſtendendum fuiſſe; *Cum manifeſtum ſit*, inquit, *non modo filium hominis eſſe, verum etiam Filium Dei unigenitum: hominem ex Spiritu Sancto conceptum natumque ex Maria virgine, & Deum de Deo verum, genitum non factum ante omnia ſæcula.*

2. Objicit nobis, quod contra apertiſſima Sacra Teſtimoni. (hæc autem ibidem citat) nolimus, *ſpiritum Chriſti, quo Chriſti fideles donantur, tum ſpiritum Chriſti, eſſe Spiritum Sanctum.* Noſque prò noſtra opinione trahere dicit locum illum ad Gal. 4. *Quoniam autem eſtis filii*, &c. *quo teſtimonio*, inquit, *poſtquam probaverunt ſpiritum, quem Deus Pater mittit fidelibus, eſſe Filii ejus ſpiritum, putant ſe probaſſe hunc non eſſe Spiritum Sanctum.*

3. Atqui huic ſententiæ nos ipſos contradicere ait, dum fatemur, Spiritum Sanctum à Filio quoque mitti.

4. Cæterum, quod à Patre acceptum Spiritum Sanctum à Filio mitti, ex loco illo Joh. 15. 26 conſtare diximus, *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*, &c. ait, nos in noſtra explicatione addere verbum illud *acceptum.* Quod Chriſtus non protulit, ſed tantum dixit, *mittam à Patre, de quo*, inquit, *alibi, quem mittet Pater in nomine meo: tam ergo Pater quam Filius mittit Spiritum Sanctum. Pater in nomine Filii, Filius à Patre.*

5. Addit autem, ex iis, quæ Paulus cap 4. ad Gal. ſcribit, collatis cum 8. cap. ad Rom. ſatis conſtare, *Spiritum Sanctum non minus Filii quam Patris eſſe ſpiritum: ac proinde æque ab utroque mitti.* Nos autem abuti locis illis Joh. 14. 16, & Act. 2. 33. quippe qui de humana natura ſint accipiendi.

6. Dicit tandem; nos ſentire, loco illo, *Propterea dixi quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, valde nos urgeri, & ob hanc cauſſam illum non ut alios excutere, ſed attingere.

Reſponſiones.

1. Non obliviſcitur Adverſarius ſui moris, ut ſcilicet nos ex reſpondentibus argumentantes faciat. Noſtrum erat oſtendere ex unitate poteſtatis Patris, & Filii non ſequi, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio tanquam ab uno principio, æterna proceſſione procedere, quemadmodum ſequi debuiſſet, ſi locus ad id probandum in Aſſertione allatus ullas vires ejus probandi habiturus fuiſſet. Itaque ad rem apprime locuti ſumus, cum ex Sacris Literis docuimus, poteſtatem iſtam Filio ut homini fuiſſe datam. Nam ex hoc neceſſario ſequitur, fieri poſſe, ut Filius eandem, quam Pater poteſtatem habeat, & tamen non fuerit ab æterno, & conſequenter Spiritus Sanctus neutiquam æterna proceſſione, tanquam ab uno principio, à Patre, & Filio procedat. Immo ne hoc quidem oſtendere revera noſtrum erat. Sed, poſtquam docuimus, locum illum non de alia unitate, quam poteſtatis loqui, Adverſariorum fuiſſet, ex ipſa unitate poteſtatis æternam iſtam paremque ab utroque Spiritus Sancti proceſſionem probare. Verum, quoniam ubique non victoriæ quærendæ, ſed veritatis patefaciendæ cauſſa diſputamus, propterea plus præſtitimus, quam alioqui ex diſputandi legibus cogebamur. Quamobrem nulla ratione exigi à nobis poteſt, ut oſtendamus, ſi Chriſtus, ut homo, accepit poteſtatem, illum eandem ut Deum natura videlicet atque æternum non habere. Quanquam hoc oſtendere nullo modo eſt opus, cum id, quemadmodum in Animadver. noſtra innuimus, per ſe pateat. Quid enim attinuiſſet Chriſto, ut homini, à Patre poteſtatem illam dari, quam, ut Deus, jam per ſe habuiſſet? Nonne natura iſta divina cum ipſa humana natura, cui individue in una perſona conjuncta erat, neceſſario ab ipſo conjunctionis initio illam communicaſſet? Nonne ſi nihilominus ut iſta conjunctio jam eſſet, neceſſe tamen fuiſſet, ut humanæ naturæ poteſtas iſta daretur, ſi eam habitura illa eſſet, ab eo potius, qui ſibi arctiſſimo & indiſſolubili nodo conjunctus fuiſſet, id eſt à Dei filio ſeu Verbo eam illa accepiſſet, quam à diſjuncto, hoc eſt à Deo Patre? At nuſquam legitur, Chriſtum aut Jeſum,

ſive

ſive humanæ naturæ aperta mentione facta, ſive non facta, à Dei Filio ſeu Verbo poteſtatem ullam accepiſſe, ſed Deum Patrem illi, ut dictum eſt, adeoque nominatim ipſi Filio, poteſtatem iſtam dediſſe, pluribus in locis diſerte ſcriptum extat.

Hactenus ita locuti ſumus, ac ſi Adverſarius verba ſaltem Animadverſionis noſtræ intellexiſſet. Atqui, ut poſtea ejus verbis diligentius conſideratis animadvertimus, is nequaquam intellexit, nos dixiſſe, poteſtatem illam ſupremam, propter quam in ipſo loco in Aſſertione citato Chriſtus unum cum Patre diceretur, illi ut homini datam fuiſſe; cum tamen hoc ipſum diſertis verbis dixerimus. Sed putavit nos ſimpliciter dixiſſe, Chriſtum ut hominem poteſtatem accepiſſe, ex quo tacite negat, ſequi, illum, ut Deum, alia poteſtate caruiſſe. Eſt igitur in ejus reprehenſione evidens elenchi ignoratio, cum nos illam ipſam poteſtatem, quam ipſe Chriſtum, ut Deum, habere vult, ei ut homini datam a Deo Patre fuiſſe dixerimus, ad idque probandum Sacra Teſtimonia protulerimus. Quare non, ut fecit; ratiocinationem noſtram reprehendere, ſed teſtimonia noſtra diluere omnino debebat, ſi ad rem loqui volebat, & eo vitio ipſe carere, quod nobis immerito objicit. Cæterum, quæ, ne principium plane petiiſſe videretur, addidit, ut oſtenderet, in Chriſto, præter humanam, divinam eſſentiam eſſe; ejuſmodi fere omnia ſunt, ut in illis maxime principium petat; & partim talia, ut contrarium potius probent; partim, quæ nihil ad rem faciant. Nam quod Chriſtus unigenitus Dei filius ſit, nihil pertinere ad eſſentiam iſtam divinam oſtendendam, demonſtratum eſt ſupra cap. 4. parte 3. partic. 12.

Jam quod ſit Deus verus de Deo vero, genitus, non factus ante omnia ſæcula, hoc ſimul totum non ex divinis literis, ſed ex Symbolo concilii Nicæni petitum eſt, cujus auctoritate minime ſtandum eſſe, nos conſtanter affirmare, nemo eſt qui neſciat. Certe Auguſtinus, quem imitari Adverſarius debuerat, cum Maximino * Arrianorum epiſcopo diſputans, ejus concilii auctoritate ſibi utendum non cenſuit, eaque Maximum non detineri faſſus eſt, non magis quam ipſe Ariminenſis concilii auctoritate teneretur. Quanquam, ut & in Animadverſionibus, & in ſuperioribus reſponſionibus dictum eſt, confitemur & nos, adeoque contendimus, Chriſtum eſſe verum Deum; ſed alio ſenſu, quam id aſſeruit concilium Nicænum. Neque enim hic Dei nomen ad eſſentiam, ſed ad qualitates referimus. Id quod in Sacra Scriptura, ut ſupra alibi oſtendimus, uſitatum eſt. Jam vero, quod Chriſtus ſit homo de Spiritu Sancto conceptus natuſque ex Maria virgine, quod profecto veriſſimum, & divinis oraculis teſtatiſſimum eſt, non modo non oſtendit, divinam eſſentiam ab humana diſtinctam in Chriſto eſſe; ſed, ſi in hoc Chriſti divinitas, ut quidem Adverſarii mens eſt, exprimitur, plane demonſtrat, illum ipſum hominem eſſe Deum, nec divinitatem Chriſti aliquid eſſe diſtinctum per eſſentiam ab ipſa humanitate, ſed ipſi humanitati perpetuo inhærentem qualitatem, quam ex conceptionis & nativitatis modo fuerit adepta.

2. Hæc Adverſarii non fallacia, ſed manifeſta calumnia cenſenda eſt. Nam quid aliud ſibi volunt ea ipſa verba noſtra, unde criminationem in nos ſuam ſtruxit Adverſarius, quæque ipſe hic recitat, *Non Spiritus Sanctus ſimpliciter, ſed ſpiritus quo Chriſti fideles à Deo donantur, interdum ſpiritus Chriſti appellatur*, quam ſpiritum, quo Chriſti fideles donantur, eſſe Spiritum Sanctum? Niſi enim ex ſententia ipſa noſtra is ſpiritus, Spiritus Sanctus eſſet, nihil attinuiſſet, nos vocem illam *ſimpliciter* addere. Quæ, ut apparet, idcirco à nobis addita eſt, ut doceremus, Spiritum Sanctum non omni ratione & reſpectu dici Chriſti ſpiritum; ſed quatenus Chriſti fidelibus datur. Quia enim ipſe Chriſtus eodem ſpiritu fuit præditus, propterea potiſſimum is ſpiritus Chriſti ſpiritus interdum eſt appellatus. Non autem quia is ab ipſo Chriſto tanquam ab uno eodemque cum Patre principio ab æterno procedat. Teſtimonium Pauli ad Gal. 4. in Aſſertione citatum apertiſſimis verbis ad hoc ipſum oſtendendum protulimus; non autem ad probandum, quod ſpiritus, quem Deus Pater mittit fidelibus, ſit filii ejus ſpiritus, tantum abeſt, ut ſolidiſſime, quemadmodum nobis Adverſarius objicit, hinc probare voluerimus, hunc non eſſe Spiritum Sanctum.

3. Quam igitur Adverſarius in verbis noſtris contradictionem eſſe vult, ea eſt ipſius nos turpiter calumniantis clariſſima ſolidiſſimaque redargutio.

4. Vocem *acceptum*, quæ in ipſis Chriſti verbis non eſt, in explicatione noſtra poſuimus, non verbis Chriſti quidquam addendi, ſed ea tantum explanandi gratia. Nam quomodo explanari poteſt locus aliquis, ſi nihil aliud dicatur, quam quod diſerte in ipſo loco eſt ſcriptum? Oſtendat Adverſarius, ſi poteſt, verba illa, *mittam à Patre*, aliter explicari poſſe, aliudve ſignificare, quam Mittam acceptum à Patre. Nam ipſe ſane quid aliud ſignificent, nullo pacto explicat; ut ex ipſius verbis, quæ recitavimus, intelligi poteſt. Num fortaſſe hæc ſententia, quod Chriſtus mittat Spiritum Sanctum acceptum à Patre, falſa eſt, & Sacris Literis repugnans? Nihil minus. Immo, ut in Animadver. notavimus, diſerte Act. 2. 33. ſcriptum eſt, Jeſum, accepta Spiritus Sancti promiſſione à Patre, illum effudiſſe. Nam quod Adverſarius (qua de re paulo poſt videbimus) vult, iſtud humanæ naturæ ratione eſſe dictum, hic prorſus nihil eſt. Quid enim obſtat, quominus, cum ea verba Chriſtus dixit, *quem ego mittam vobis à Patre*, ſimiliter ratione humanæ naturæ locutus fuerit? Aut quomodo probabit Adverſarius, eum tunc non humanæ, ſed divinæ naturæ ratione locutum fuiſſe? Satis igitur apparet, locum iſtum in ipſa Aſſertione allatum nihil momenti habere ad ſententiam de æterna proceſſione Spiritus Sancti à Filio confirmandam; ſed potius ad eam convellendam. Adde quod, ut in Animad. indicavimus (in quo tamen Adverſarius connivet) ibi Chriſtus non ſolum ait, ſe miſſurum Spiritum Sanctum à Patre, quæ locutio ipſa per ſe oſtendit, iſtum ſpiritum ab ipſo Chriſto, velut à ſuo fonte, minime proficiſci; ſed addit, *qui à Patre procedit*. Quod ſimpliciter commemorare nihil opus fuiſſet, nec porro decuiſſet, ſi non minus ab ipſo Chriſto ſeu Filio, quam à Patre Spiritus Sanctus procederet, & niſi Chriſtus verum & unicum ipſius fontem indicare voluiſſet.

5. Nihil eſt opus cum 8. cap. ad Rom. ea conferre, quæ ſcribit Paulus ad Gal. cap. 4. Namque in ipſo illo 8. cap. idem fidelium ſpiritus primum Dei, deinde ſtatim Chriſti ſpiritus appellatur ℣. 9. Verum alia ratione Dei ſpiritus, alia Chriſti ſpiritus nominatur. Dicitur Dei ſpiritus, propterea quod, tanquam à ſuo vero & unico fonte, à Deo proficiſcitur. Chriſti autem ſpiritus ideo dicitur, quia eundem ſpiritum Chriſtus habuit, ut jam dictum eſt, & ex ipſo loco ad Gal juncto ℣. 15. ejuſdem cap 8 ad Rom. in Animadver. oſtenſum. Fefellit igitur, ut ſcriptorem Aſſertionum, ſic eum, qui eas defendendas ſuſcepit, ſimilis figura dictionis ſeu mavis ὁμωνυμία horum per ſe verborum *ſpiritus Chriſti*, ſeu *ſpiritus filii Dei*. Quocirca peſſime ex eo, quod idem ſpiritus & Patris, & Filii ſpiritus appelletur, non minus Filii, quam Patris eſſe ſpiritum concludit, ac proinde æque ab utroque mitti. In quo etiam alia ratione mirabilem dialecticum, ut ſolet, ſe oſtendit, tentans ex probatione concluſionis aſſumptionem probare. Si enim probavit, Spiritum Sanctum non minus Filii, quam Patris eſſe ſpiritum, quid attinet inde rurſus probare, æque ab utroque mitti? Nunquid ob eam cauſſam, quod hic nominatim de miſſione iſta diſputabatur? Sed idcirco de ea diſputabatur, quod Aſſertionum ſcriptor ex eo, quod ab utroque mitteretur, probare voluerat, Spiritum Sanctum a Patre, filioque æterna proceſſione, tanquam ab uno principio procedere. Quod idem eſt, atque Spiritum Sanctum non minus filii, quam Patris ſpiritum eſſe. Itaque, hoc probato, id habet Adverſarius, quod

* Lib. 3. cap. 14.

quod quærebat ; & inepte ex eo illud probare nititur , quod ejus probandi cauſſa confirmandum ſuſceperat.

Huc accedit, quod non eſt bona ratiocinatio, Spiritus Sanctus non minus filii, quam Patris eſt ſpiritus, Ergo æque ab utroque mittitur, & videtur Adverſarius conſequentis fallacia fuiſſe deceptus. Quia nimirum, ſi æque ab utroque mittatur, utriuſque pariter eſſe, neceſſe ſit. Sed non convertuntur hæc duo, & fieri poteſt, ut utriuſque pariter ſit, nec tamen æque ab utroque mittatur ; præſertim ſecundum ipſius Adverſarii & ſuorum theologiam. Quid enim vetat, quominus, etiamſi utriuſque pariter ſit ſpiritus, tamen ab uno mediate (ut ſic loquamur) ab altero vero immediate mittatur? Certe Adverſarius una cum ſuis vult, mundi creationem non minus filii, quam Patris eſſe, & tamen omnes Patrem per Filium mundum creaſſe dicunt, & in creandi ratione & modo ipſo Patrem à Filio ut videlicet mediatam ab immediata cauſſa diſtinguunt. Alioqui aut nunquam Pater per Filium, ſed ſemper Pater & Filius, aut certe viciſſim Filius per Patrem mundum creaſſe ab ipſis diceretur. Quod tamen non ſit, & ſi quis diceret, Filium per Patrem mundum creaſſe, iſtum pro blaſphemo non minus quam nos, ſine dubio haberent.

Nec vero eſt hic locus ullus diſtinctioni illi, in qua interim principium petitur, divinæ, & humanæ in Chriſto naturæ, quam diſtinctionem fruſtra omnino hoc loco nobis opponit Adverſarius, ut teſtimonia ſacra à nobis prolata eludat, ex quibus aperte colligitur, hoc ipſum quod Pater per Filium Spiritum Sanctum mittat, non ſemper fuiſſe, neque ex ipſius Filii natura pendere. Nam ſi ex ſua divina natura hoc perpetuo habuit Filius, quid attinebat, ipſum ſecundum humanam naturam vel Patrem rogare, ut eum mitteret, vel eum mittendum ab ipſo impetrare, atque accipere ; idque poſt ſuam glorificationem & aſcenſum in cœlum? An non hoc ipſum humana ejus natura, præſertim jam glorioſa plane reddita, à divina, cum qua in una eademque perſona conjuncta erat, neceſſario trahebat, aut ſaltem divina iſta natura pro ſuo arbitratu cum humana communicare poterat? Ridiculum igitur eſt, exiſtimare, Filium ab alia perſona petere, aut accipere, quod in ſua ipſius perſona habuerit, & toti ſibi quandocumque & quomodocumque libuiſſet impertire potuerit. Ex quo non ſolum in Spiritu Sancto a Patre accipiendo & mittendo hoc divinæ & humanæ naturæ diſtinctionis commentum inane retegitur; ſed etiam in plerisque aliis, ex quibus alioqui perſpicuum eſt, Filium ex natura ſua non ea omnia habere quæ Pater habet, eoque longe inferiorem eſſe. Si vel unum locum Adverſarius attuliſſet, ubi Filius ita mittere Spiritum Sanctum diceretur, ut non eum accepiſſe & impetraſſe, ſed à ſeipſo habuiſſe conſtaret, permittendum illi eſſet, ut aliis in locis ad diſtinctionem iſtam confugeret humanæ & divinæ naturæ, quantumvis eam nos negemus, deque ea inter nos & ipſum controverſia ſit, ſed nihil tale protulit. Tantummodo eorum locorum & hic, & in defenſione Aſſert. 6. meminit, in quibus Pater in nomine Filii, & Filius à Patre mittere Spiritum Sanctum dicitur. Quæ utraque locutio oſtendit potius, præſertim vero poſterior, de qua ante dictum eſt, Filium non aliter Spiritum Sanctum mittere, quam à Patre acceptum. Prior ſane aperte docet, Patrem per filium mittere, ita ut ipſe Filius, quem videlicet Pater hoc honore dignari velit, mittere dici poſſit. Auctorem enim & principem hujus Spiritus Sancti miſſionis facit Chriſtus ubique Deum Patrem ſuum ; utpote à quo ſolo, tanquam fonte ſuo, vis iſta atque efficacia emanet, & à quo ea petenda ſit. Sed interim tamen non ſine ſua ipſius opera ex ejuſdem Dei Patris voluntate, qui ipſum ſumma gloria afficere decreverat, Spiritum Sanctum datum iri ſignificat.

6. In Aſſertione non fuerat citatus niſi ℣. 14. cap. 16. Euang. Joh. ad probandum, quod Spiritus Sanctus de eo, quod Filii eſt, accipiat. Id quod per ſe nulla ratione oſtendere poteſt, Spiritum Sanctum æterna proceſſione, tanquam ab uno principio, non minus à Filio, quam à Patre, procedere. (Nam hoc illud erat, quod demonſtrare Aſſertionis ſcriptor voluerat) quandoquidem Spiritum Sanctum de eo, quod Filii eſt, accipere, aliud nihil ſignificat, quam ea, quæ nunciat, & docet, ad Filium pertinere. Inquit enim ibi Chriſtus, de meo accipiet, & annunciabit vobis. Atque ibidem dixit, ſe ob hanc ipſam cauſſam ab eo glorificatum iri. Unde præterea conſtat, potuiſſe acceptionem iſtam ab ipſis Chriſti diſcipulis aperte intelligi, & animadverti, cum Spiritus Sanctus illis miſſus fuiſſet. Quomodo enim alioqui Chriſtus ex acceptione iſta glorificatus eſſet? Verum quis, Spiritu Sancto miſſo, aperte intellexit, aut animadvertit, vel intelligere aut animadvertere potuit, illum, tanquam ab uno principio, non minus à Filio, quam à Patre æterna proceſſione procedere? Adde, quod verbum futuri temporis Accipiet ſatis indicat, ad nullam proceſſionem æternam eoque perennem, ut ipſius acceptionis cauſſam, acceptionem iſtam per ſe referri poſſe. Itaque, ut ad propoſitum revertamur, poteramus nos in Animadverſione noſtra jure optimo ſimpliciter negare, locum in Aſſert. citatum quidquam ad rem facere. Ut tamen veritas magis eluceret, illorum etiam Chriſti verborum noſtra ſponte mentionem fecimus, quæ cum loco iſto conjuncta ſunt, & videntur aſſertionem probabilem reddere, in quibus videlicet cauſſa exponitur, cur Chriſtus dixiſſet, Spiritum Sanctum de ſuo accepturum. Non eſt igitur, cur Adverſarius nobis objiciat, quod locum iſtum, ut alios, non excutiamus, ſed attingamus ; quaſi is in Aſſert. citatus fuiſſet. Sed eſt potius, cur ſinceritatem & ingenuitatem animi noſtri agnoſcat. Quanquam quid excuſſione alia, præſertim in tam brevi ſcripto, indigebat locus iſte, cum dixerimus, Chriſtum idcirco affirmaſſe, omnia quæcumque Pater haberet ſua eſſe, quod Pater cum ipſo poteſtatem & gloriam ſuam communicaſſet? Adverſarii partes erant, oſtendere, rationem iſtam vel falſam, vel nobis inutilem eſſe ; non autem id carpere, quod jure commendari poterat.

Caput XX.

Decimaſexta Aſſertio collegii Poſnanienſis de trino & uno Deo nihil eſt aliud, quam enumeratio potiorum argumentorum (ut quidem Aſſertionum ſcriptor exiſtimavit) quibus noſtri homines trinum illum Deum hominum curioſorum audacia confictum eſſe, docere ſolent. In qua enumeratione nos quædam reprehendimus, nullis allatis divinis teſtimoniis; quippe quibus nullus locus eſſet, cum tantum de eo ageretur, Quid nos diceremus, quidve, ut ab Adverſariis dictum, impugnaremus. Et tamen notat Aſſertionum defenſor, nullas à nobis hic tractari ſcripturas ; quaſi illis tractandis eſſet locus. Alios autem ventos noſtros, licet arrogantiam & impietatem ſpirantes, ſe hic non curare ait. Itaque nobis per Adverſarium non licet, qualia ſint argumenta noſtra exponere, niſi arrogantes & impii haberi velimus. Jam vero primum argumentum, quod nobis in Aſſertione iſta tribuitur, eſt, quod nomina Eſſentiæ & Trinitatis in Sacris Literis non extent ; idque ſequente id eſt decima ſeptima Aſſertione refutari inſtituitur. Hoc non ut ſolidum aliquod argumentum ad Adverſarios refellendos, ſed ut indicium quoddam falſæ ipſorum ſententiæ, à noſtris aliquando commemoratum fuiſſe, diximus in 1. Animadver. 16. Aſſertionis. Quia tamen in ejus refutatione objectum nobis fuerat, quod hic, utpote verboſi, verba conſectaremur, reſpondimus, immo in Aſſertionibus ipſis hoc maxime fieri. Quippe cum in 16. Aſſertione nos blaſphemare dicti fuiſſemus, propterea quod triperſonatum Deum ab Adverſariis induci diceremus, & ſic

nomen

nomen ipſum Triperſonati Dei enunciaremus; & tamen interim ipſæ Aſſertiones, Deum trinum perſonis eſſe dicerent, quod nihil aliud eſt, quam Deum triperſonatum facere, & ſic eam rem probarent, atque inducerent, à cujus vocabulo tantopere horrerent. Deinde, qnia ad idem nobis tributum argumentum refutandum dictum fuerat, nomen Eſſentiæ ex eo duci, quod Deus vocetur Qui eſt, ſive Qui erit, reſpondimus, ex verbo Erit Exo. 3. 14. (ſic enim ut Aſſertio ipſa fatetur in Hebræo legitur) non poſſe colligi eſſentiam; cum id verbum ſit futuri temporis, nomen autem Eſſentiæ aliquid, quod jam ſit, vel ſignificet, vel certe perpetuo indicet. Additum fuerat in eadem decima ſeptima Aſſert. idem Eſſentiæ nomen duci ex verbis illis in Apoc. 1. 4. *qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Hic diximus, verba iſta ad ſolum patrem referri, qui ea appellatione à ſeptem illis ſpiritibus, & à Jeſu Chriſto diſtingueretur. Poſtremo ibidem ad Trinitatis nomen ſtabiliendum citatus fuerat locus ille apud Johannem 1 Joh. 5. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo.* Ubi nos affirmavimus, locum iſtum eſſe plane controverſum; quippe qui in antiquioribus codicibus ſeu Græcis ſive Latinis non legeretur, nec à Syriaco interprete agnoſceretur, & monuimus, ut ea legerentur, quæ in eum locum annotaſſent ipſi theologi Lovanienſes. Sed præterea addidimus, teſtimonium iſtud nullas vires habere poſſe ad Trinitatem in Deo nominandam, niſi illa verba quæ ſequuntur, *& hi tres unum ſunt*, ad eſſentiæ unitatem referri debeant. Quod non ita eſſe, ex aliis ſequentibus pateret. Ad hæc noſtra refellenda Adverſarius pag. 105, 106, & 107. ad hunc modum ſcribit.

Adverſarii dicta.

1. Dicit, quemque hominum naturaliter ſuam perſonam habere; & tamen neminem, niſi irriſorem humanæ dignitatis, homines Uniperſonatos appellare. Unde vult intelligi, Deum, licet in tribus perſonis conſiſtentem, non poſſe Triperſonatum ſine blaſphemia appellari.

2. Affirmat, ignorantiam noſtram admodum craſſam id olere, quod exiſtimamus, tempora apud Deum labi & ſuccedere, & propterea ex verbo Erit nomen ejus eſſentiæ colligi poſſe nolimus.

3. Ait, nos male conjicere, in illis verbis Apocalypſis, Patrem tantum ſignificari, ob id, quod poſtea ſalutentur fideles etiam à Jeſu Chriſto. Id enim factum eſſe ad exprimendam naturam humanam Filii, cujus naturæ meritum ibi explicatur Deinde monet, alia in eo cap. eandem Chriſti cum Patre divinitatem oſtendere.

4. Aſſerit, verba illa, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, nuſquam abeſſe; idque teſtimonio eorundem Lovanienſium theologorum; quorum verba recitat, quæ annotarunt ad caput illud 5. primæ Epiſt. Joh. ℣. 8. ex quibus tantum colligitur, quod in ſeq. illis verbis, *& hi tres unum ſunt*, quædam exemplaria varient. Addit autem, Rob. Stephanum, qui in editione ſua, præter Complutenſe caſtigatiſſimum exemplar, vetuſtiſſimo Italico, & octo ex regia Bibliotheca uſus eſt, aliis undique corrogatis, nuſquam hæc verba deeſſe meminiſſe; idemque videri poſſe in illo apparatu regiæ editionis apud Plantinum, concludens tandem illud eſſe integrum & indubitatum Dei verbum, quod Eccleſia catholica approbet; quæ non in membranis tantum ſcriptum, ſed ab Apoſtolis traditum verbum habet; quod *longe ſecurius in uſu orthodoxæ religionis conſervatur, & ſemper ad poſteros tranſmittitur*, per quod de omnibus controverſiis judicat. Ad cujus Eccleſiæ ſpiritum pertinere ait, docere, quam vim habeat Unum in verbis illis, *& hi tres unum ſunt*, non autem id muneris noſtri eſſe.

Reſponſiones.

1. Omnis homo naturaliter ſuum caput habet. Nec tamen quiſquam eſt, qui homines Unicipites appellet. At vero ſi vel hominis, vel alterius animalis monſtrum aliquod tribus cum capitibus natum fuerit, aut animal aliquod naturaliter tria habens capita inveniatur, aut inveniri fingatur; certe nemo erit, qui triceps illud nominare dubitet, ut Cerberum Poëtæ nominant. Hinc etiam Janus biceps ſeu bifrons ab iiſdem dictus eſt; quippe qui duo capita, cum alii unum tantum habeant, habuiſſe fuerit dictus. Talia enim nomina non rerum conſuetarum, ſed ſive ejuſdem generis, ſive alterius ratione inſolentium cauſſa, inventa ſunt. Nam neque bimanus ullus homo dicitur, quamvis duas manus habeat. Briareus tamen, & Gyges; qui centum manus uterque habuiſſe ſunt ficti, Centimani ſunt appellati. Atque, ut alio exemplo ad rem noſtram accommodatiore utamur, nemo inter homines, licet unum corpus habentes, Unicorpor appellatur. Atque Geryon, qui tria corpora habere dictus eſt, Tricorpor aliquando à Poëtis vocatus fuit. Nempe quia hoc inſolens, illud vero conſuetum eſt. Cum igitur plane inſolens ſit, ut quiſquam naturaliter tres perſonas habeat, unam autem unuſquiſque habere comperiatur, merito ſi Deus tres ipſe tamen naturaliter perſonas habet, Triperſonatus ſine ulla irriſione dici poteſt; quamvis homines Uniperſonati non dicantur. Adde, quod ſi quis nihilominus homines Uniperſonatos vocaret, inepte quidem omnino loqueretur, propterea quod non homines tantum, ſed quidquid perſonam habet, unam tantum & habet, & ut habeat, neceſſe eſt, non tamen hoc ad humanam dignitatem irridendam ullo modo pertineret.

2. Si apud Deum tempora nec labuntur, nec ſuccedunt, Ergo, cum quidpiam de ipſo Deo futuro tempore enunciatur, nequaquam ad ipſum Deum id referendum eſt, præſertim vero ad ejus eſſentiam. Sed eſt intelligendum noſtri reſpectu, & propter effecta ſive operationes quaſdam divinas id dictum eſſe. Quamobrem, cum Deus apud Moſem ait Exod. 3. 14, *Ero, qui ero*, & *Sic dices filiis Iſraël, Ero miſit me ad vos*, non eſt exiſtimandum, eum de eſſentia ſua loqui, id quod etiam alioqui parum aut nihil ad rem pertineret. Sed de effectis, quæ mox ab ipſo profectura erant; in quibus ſe erga populum illum talem oſtenderet, qualem ſe patribus illorum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo fore promiſerat. Quod & locus ipſe per ſe, ſi ſequentia verba legantur, planiſſimum facit. Nam hinc quoque Deus nomine appellatur, quod à verbo Eſſe ductum eſt, & quia apud Hebræos quatuor literis hoc modo יהוה ſcribitur, Tetragrammaton Græco vocabulo dicitur. Hæc enim Dei appellatio docet, illum eum ſemper fore, quem ſe futurum profitetur, ſive illum eſſe conſiſtentem, conſtantem, firmum & veracem in promiſſis ſuis, quemadmodum aperte ſatis intelligitur ex eo, quod ipſe de hoc ſuo nomine dicit haud multo inferius, id eſt Exo. cap. 6. 3. Ubi Hebræi & Chriſtiani complures viri doctiſſimi hoc idem annotarunt. Id quod abunde confirmatur ex iis, quæ ibidem ſtatim ſequuntur, & cur Deus ſe eo nomine id eſt Jehovam appellet, demonſtrant ℣. 6, 7, & 8. præter innumerabilia alia teſtimonia Veteris Teſtamenti, ex quibus ſimiliter hanc vim hujus nominis quiſque deprehendere poteſt.

Quinetiam certum eſt, tunc hoc nomen ſibi Deum indidiſſe, cum ſuperiora illa verba ad Moſem dixit. Interrogatus enim ab illo, quid reſpondere deberet populo, ſi ipſum rogarent, quodnam eſſet nomen Dei Patrum ſuorum, à quo miſſus fuiſſet, reſpondit, *Ero qui ero*, &, *Sic dices filiis Iſraël, Ero miſit me ad vos.* Quid enim aliud eſt יהוה quam Erit, tertia perſona ſingularis futuri temporis à verbo היה, quod ſignificat Fuit? Nam ut G. Genebrardi * hominis & valde docti, & inter catholicos (quos vocant) adverſarios noſtros præcipui verbis utamur, *Deus quia loquebatur, prima perſona uſus eſt, Moſes, cum rem*

*. Lib. 1. de Trinitate.

ad Pharaonem, populumque deferret, mentem quidem retinuit, verbum autem per tertiam expreſſit. Quid ita? Quoniam Domini ut abſentis memoriam faciebat, quod omnibus aliena mandata referentibus perquam familiare eſt. Cum igitur Deus loquitur אהיה *peculiare illi nomen eſt, cum de Deo alter* יהוה *aut* יהוה *Jehve aut Jihie. Nihil enim intereſt, utrum dicas, cum præſertim* הוה, *&* היה, *à quibus hæc futura creantur, idem valeant, niſi quod hic vox* יהוה *Jehve ἐυφωνίας cauſſa uſitata eſt.* Hactenus Genebrardus, quem, cum hæc viderit, & originem nominis יהוה ipſius Dei verbis expreſſam probe animadverterit, mirum eſt ejus ſignificationem, quam, ut diximus, locus ipſe ſatis aperte docet, non recte animadvertiſſe, & ad ipſam Dei eſſentiam, ſive eſſendi (ſic enim loquendum eſt) modum & rationem, non autem ad conſtantiam & firmitatem in promiſſis, ſive ad id, quod exiſtere & eſſe faciat, quæ promittit, nomen iſtud retuliſſe. Aur. Auguſtino, & aliis multis, qui ipſum Auguſtinum vel anteceſſerunt, vel ſecuti ſunt, condonari aliquo modo poteſt, ſi locum iſtum, & conſequenter nomen יהוה ad ipſam Dei eſſentiam retulerunt. Non enim Ero, ſed Sum, legendum eſſe exiſtimarunt. Sed qui, ut Genebrardus, & Aſſertionum ſcriptor, Ero legendum eſſe concedunt, iſti nihil habent, quo ſuum errorem excuſare poſſint. Joh. quidem Brentius, qui alioqui in diſputatione de eſſentia Dei cum Aſſertionibus iſtis prorſus facit, tantum abeſt, ut ex loco illo quidquam de Dei eſſentia colligi velit, ut potius per ipſum ab ea ſcrutanda nos retrahi affirmet. Ejus verba quædam de multis, quæ in hanc ſententiam locum iſtum explanans ſcripſit, recitare non gravabimur. *Nam cum* (inquit) *Deus ſupra in promiſſione ſua dixerit ad Moſen: Ero tecum. Et iterum: Ero qui ero, occaſione ex illa promiſſione accepta, aſſumit ſibi in publicum nomen vocabulum Jehova, quod eſt tertia perſona futuri temporis ab* הוה, *& ſignificat, ſi exponas, Erit, quemadmodum paulo ante oſtendimus. Aſſumit autem hoc nomen, non ut vocet nos ad perſcrutandam imperveſtigabilem eſſentiam ſuam, ſed potius ut avocet nos ab inquiſitione arcanæ ſuæ eſſentiæ, & deducat nos ad cognoſcendum verbum & promiſſiones ſuas, ut quotieſcunque hoc nomen Dei Jehova vel legimus vel audimus, admoneamur Deum ejuſmodi Deum eſſe, qui non velit, ut ſcrutemur occultam eſſentiam ſuam, ſed ut inquiramus manifeſtam voluntatem ipſius in verbo & promiſſionibus ejus, qui & tantæ tamque firmæ ſit veritatis, ut quod promiſit, minime evaneſcat, ſed certiſſime Erit, ut merito hoc nomine Jehova, hoc eſt Erit, vocetur.* Hæc Brentius. Vide autem quid in locum Exo. 6. ſcripſerit Franciſcus Vatablus, Paulus Fagius, & auctores annotationum in magnis Bibliis Rob. Stephani. Ex his enim nominis Jehovæ eam ſignificationem eſſe, quam diximus, & Brentius contendit, facile intelliges, & ob eam cauſſam, quod Deus vocetur Qui erit, ad ipſius Dei eſſentiam deſignandam nihil pertinere, cognoſces.

3. Petit quodammodo principium Adverſarius, dum non ſolum duas adeo diſtinctas in Chriſto naturas ponit, ut perinde atque ſi duæ in Chriſto perſonæ eſſent, bis ſeparatim eodem in loco ſeptem illas Aſiæ eccleſias ab eo ſalutare Johannes potuerit; verum etiam ipſum Jeſum Chriſtum iis verbis comprehendi vult, in quibus nominatus non eſt, quamvis mox in aliis, quæ ſequuntur, atque eadem de re agunt, diſerte nominatus fuerit. Aretas in locum iſtum Apocalypſis ſcribens, quamvis velit, *Qui eſt* referri ad Patrem, *Qui erat*, ad Filium, & *Qui venturus* eſt, ſeu *Qui venit*, ad Spiritum Sanctum; tamen fatetur ad ipſum Patrem omnia poſſe referri; *ut qui* (inquit) *in ſeipſo contineat omnium, quæ ſunt, originem, & media, & fines.* Ex quibus appareat, quantopere homo doctus, idem Trinitarius, ab Adverſarii interpretatione diverſe eum locum acceperit. Ad Patrem porro ipſum omnino locum referendum eſſe, ſenſerunt inter eos, qui noſtra ætate eum librum explanandum ſuſceperunt homines Trinitarii Henricus Bullingerus, Alfonſus Conradus, & Petrus Artopœus, & Trinitatis perſonas in ſalutatione illa diſtingui dixerunt. Ut ſcilicet primis verbis, *ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, Pater ſignificetur; ſequentibus vero, *à ſeptem ſpiritibus*, &c. Spiritus Sanctus; poſtremis autem, *à Jeſu Chriſto*, &c. ipſe Dei filius. Nec ſane arbitramur, Adverſarium facile inventurum ex ſuis doctum aliquem ſcriptorem, qui prima verba illa promiſcue (nam Aretas, ut diximus, ſingulis ſingula eorum membra diſtincte applicat) ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ſimul referenda dicat. Atqui niſi id fiat, aut ſaltem membrum illud, *Qui eſt*, ad omnes tres referatur, teſtimonium hoc ad Eſſentiæ nomen toti Trinitati conveniens confirmandum prorſus inutile fuerit. Neque enim alioqui id ex aliis duobus membris, *Qui erat, & Qui venturus eſt*, colligi poteſt; cum ea non præſens, ut hic opus eſt, ſed vel præteritum, vel futurum tempus ſignificent. Ne quidquam dicamus de verbo Venturus eſt ſive ἐρχόμενος, quod eſſendi ſignificationem per ſe non habet, unde Eſſentiæ nomen duci poſſit. Nec vero hæc dicimus, quaſi Eſſentiæ Dei nomen refugiamus, quod & in ipſis Animadverſionibus monuimus, & ſupra cap. 3. partic. 1. confirmavimus; ſed ut Animadverſiones noſtras ab Adverſarii impugnationibus tueremur, & interim verum ſenſum quorundam Scripturæ locorum aperire tentemus. Cæterum, quod Adverſarius ait, alia in eo primo cap. Apoc. eandem Chriſti cum Patre divinitatem oſtendere, quaſi voluerit dicere, etiamſi in verbis illis, *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, Chriſtus comprehenſus non fuiſſet, tamen, cum poſtea ibidem appareat, eum eandem cum Patre divinitatem habere, concludendum eſſe, quidquid de Patre ibi dicitur, Chriſto quoque accommodandum eſſe. Quod hoc igitur Adverſarius ait, Primum oſtendit, ſe vim ſuæ ipſius ratiocinationis nequaquam percipere. Ea enim ſatis habet ſi Chriſtus ejuſdem Patre divinitatis ſit, ubicumque & quomodocumque tandem illud probetur; nec ullo modo requirit, ut id ex noſtro loco, vel capite, vel etiam libro demonſtretur. Deinde, cum verba ejuſdem cap. non proferat, ex quibus iſta eadem Chriſti, & Patris divinitas colligatur, nihil agit. Supra alicubi ex cap. 2. verba illa protulit, *Ego ſum primus & noviſſimus*, quæ eadem habentur cap. 1. ſed ad illa reſponſum eſt à nobis cap. 4. parte 3. partic. 3. Certe non ita eandem Chriſti, & Patris divinitatem eſſe, ut per omnia ſit æqualis, & non minus eſſentialis in Chriſto, quam in Patre, quemadmodum in Adverſarii ratiocinatione intelligere neceſſe eſt, in ipſo primo capite declarat non modo, quod Jeſus Chriſtus, ut dictum fuit, ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, qua appellatione Pater ſine dubio ſignificatur, manifeſte diſtinguitur; ſed etiam, quod in ipſo initio dicitur Deus, nempe Pater, dediſſe Jeſu Chriſto revelationem illam. Ut alia ejuſdem capitis verba & ſententias omittamus, ex quibus idem intelligi poteſt.

4. Quid dices lector de hac ſeu fraude ſeu ſupina negligentia Adverſarii noſtri? An non vel hinc conjicies injuſtitiam cauſſæ quam defendit? Quæritur, quid Lovanienſes theologi annotaverint in eum locum, qui in vulgatis codicibus apud Johannem Epiſt. 1. cap. 5. ad hunc modum legitur, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt.* Quæ verba ſcripta ſunt verſu 7. Adverſarius autem annotationem Lovanienſium recitat, quam ipſemet fatetur ad verba pertinere, quæ ſcripta ſunt ℣ſ. 8. iis prætermiſſis quæ proxime annotaverant, ad ℣ſ. 7, & 8. ſimul pertinentia; ex quibus conſtat, verum eſſe id, quod nos in Animadverſionibus de iſto Johannis loco dixeramus. Nam cum prædicti theologi prius in margine ipſius contextus indicaſſent, in quinque manu ſcriptis exemplaribus Latinis, & in Syriacis codibus hæc omnia verba deeſſe, *in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant*, ac ſimul quærendas ſuas notationes

monuiſ-

monuiſſent, quæ ad libri finem ſunt additæ, Deinde in ipſis notationibus ſic ad verbum ſcripſerunt; *Codicibus Syris, illiſque Latinis, non pauca Græcorum exemplaria conſentiunt. Antiquum etiam correctorium quod M. N. Humæus contribuit, deeſſe hæc ipſa libris Græcis & antiquis Latinis, annotat. His & multi veterum Patrum ſuffragantur. Inter Latinos Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. Leo Epiſt. 10. cap. 5. Beda hæc enarrans ſcripturam; Inter Græcos, Cyrillus lib. 14. theſauri cap. 5. Oecumenius in hunc ſcribens locum. Et horum tum auctorum, tum codicum plerique etiam,* τὸ in terra, *auferunt.*

Paucula quædam auctoris deſiderantur; Reliqua prorſus auctor non abſolvit.

F. S.

EPISTOLA DEDICATORIA

OMNIBUS

Verbi Dei Miniſtris, qui in Tranſilvania, unum illum Deum, Patrem tantum Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe, docent ac profitentur,

F. S. ab eodem Deo patre, & Domino Jeſu Chriſto ſalutem & gratiam precatur, atque has ſuas vigilias offert.

QUONIAM nihil dubito, quin vobis mirum admodum videatur, quod per quindecim circiter annorum ſpatium, ex quo primum edita eſt Confutatio Reſponſionis meæ ad Theſes Franciſci Davidis de non invocando Chriſto ab eodem Franciſco conſcripta, una cum Confutatione Judicii eccleſiarum Polonicarum, de hac controverſia, & cum narratione rerum, ejuſdem controverſiæ cauſſa, in Tranſilvania geſtarum: nihil neque à me, neque ab ullo alio publice editum fuerit, quo vel totus vel pars ſaltem iſtius libri refellatur; Viſum eſt mihi vobis ipſis, quorum gratia potiſſimum Reſponſio mea ad iſtud Davidianum ſcriptum nunc aliquando tandem in lucem emittitur, hujus rei, quatenus præſertim ad me pertinet, rationem reddere, ac deinde ad calumnias quaſdam reſpondere, quibus nominatim contra me reſperſus eſt liber iſte; quæ ſane vereor, ne apud eos, quibus nondum ſum cognitus, propter tam diuturnum meum ſilentium, aliquam hactenus fidem invenerint.

Scire igitur in primis vos velim (& credo aliquos adhuc apud vos vivere, qui id minime ignorant) me, anno Chriſti 1579, aliquanto ante judicium Albæ Juliæ habitum de Franciſco Davidis, ad quod litteris ipſius Principis Claudiopoli fueram evocatus, amicis rogantibus ac monentibus, Reſponſionem hanc, quæ nunc primum editur, conſcripſiſſe, & mecum Albam Juliam attuliſſe, ut ea præſto eſſet, ſi, quemadmodum futurum fama erat, fuiſſent, qui eam ſibi oſtendi, omnino vellent. Quam quidem Reſponſionem paucis omnino diebus abſolvi. Nam quod in narratione illa, quam ante commemoravi, ſcriptum eſt, me unico Franciſci Davidis folio, per integras duas ſeptimanas ſcriptitando (uti Adamo Litterato oſtendi) vix reſpondere potuiſſe; id neque ita ſe habet, & aliud quiddam eſt. Simul atque enim mihi, tribus ferme menſibus poſtquam illud exarare cœperat, ipſius Franciſci ſcripti copia facta eſt, cum tantum in generali ſynodo, quæ diu poſt futura credebatur, Refutationem meam paratam eſſe debere, penitus mihi perſuaſum eſſet; aggreſſus ſum, ſcripto iſto refutando, magnum quoddam opus conficere; in quo, videlicet, de Chriſti regno pleniſſima tractatio haberetur. Videbam enim, ad falſas & valde pernicioſas planeque Judaicas quaſdam de Chriſto opiniones, quas, præter vel etiam ante Franciſcum Davidis, Jacobus Palæologus, Johannes Sommerus, Mathias Glirius, & alii in Tranſilvania diſſeminaverant, ex multorum animis radicitus extirpandas, tractatione iſta opus eſſe: in qua nimirum, tota ferme Chriſtianæ religionis ratio explicaretur. Hujus igitur mei operis quidquid in dies ſcribebam, Adamo Litterato, qui ad me ventitabat, oſtendere ſolebam. ubi non quia paucis verbis, ut poſtea reipſa comprobavi, Franciſci ſcriptum refellere, ſcribendo, nequirem, ſed ut eadem opera pluribus prodeſſem, plurima verba in pauciſſimis refellendis faciebam. Verùm hæc Davidiani ſcripti Refutatio non illa eſt, de qua antea dixi, & quæ nunc in lucem emittitur. Etenim nec tam prolixi ſcripti in conventu illo Albano uſus ullus eſſe, nec ad illud tempus tantum opus perfici potuiſſet. Itaque multo breviorem aliam, ex inchoata longiore iſta ex parte excerptam & concinnatam, Refutationem ſcribere & mecum Albam Juliam afferre amici juſſerunt. Quamquam ne hujus quidem brevioris ſcripti in conventu illo uſus aliquis fuit; niſi quod multi ex iis, qui aderant, illud paratum eſſe cognoverunt. Jam verò, de Franciſci Davidis cauſſa judicio peracto, quamvis ejus aſſeclæ fere omnes, ſententiam de Chriſto non invocando ſe abjicere, palam profeſſi fuiſſent; tamen cognitum eſt poſtea, id non ex animo ab ipſis factum eſſe. Quocirca putavi breviorem hanc ad ipſius Franciſci ſcriptum Reſponſionem meam alicui uſui plane futuram. Et idcirco illam fratribus tradidi, ut ea, pro arbitratu ſuo, uterentur ad Chriſti majeſtatem aſſerendam, meiſque laboribus & vigiliis fruerentur; ſi modo illas haud inutiles & infructuoſas eſſe exiſtimarent. Quod ſi illam typis mandare vellent, ejus quoque rei nominatim eis poteſtatem faciebam. Idem, atque adeo multo diligentius, reperii, cum mihi ex Tranſilvania, ob morbum illum iſtic ferme epidemicum, quem Colicam vulgò vocant, omnino diſcedendum fuit; addens, ut, ſi hos meos qualeſcunque labores publice edendos cenſuiſſent, liberum per me ipſis erat addere, minuere, mutare quidquid eis placuiſſet; modò ne nomen meum in opere iſto appareret, ſi quid, me prius non conſulto, aliter atque à me ſcriptum fuiſſet, in eo legendum ſtatuiſſent. At verò, poſtquam anno proximo liber, de quo ab initio dixi, Palæologi (cujus opus eſt Confutatio Judicii eccleſiarum Polonicarum) Glirii, & Davidis, Franciſci Davidis filii, opera & cura eſt

cura eſt editus; cœpi vehementer cupere, & per literas D. Georgium Blandratam rogare, monere, atque adeo urgere, ut aliquid libro iſti opponeretur. Sed nihil umquam efficere aut impetrare potui. Tantum antequam ederetur liber iſte, immo dum adhuc in Tranſilvania eſſem, edita eſt Hungarice, eaque ex parte, ut mihi amici quidam affirmabant, mutilata, reſponſio mea ad Theſes Franciſci Davidis de non invocando Chriſto, quæ etiam in initio iſtius libri Latinè extat, ſed graviſſimis mendis prorſus referta, ut ex hac noſtra editione conſtabit. Cum igitur ſpem nullam eſſe cernerem, ut fratrum Tranſilvanorum opera libro iſti ulla ex parte publice reſponderetur; converti me tandem ad fratres Polonos, inter quos jam diu habitabam, illiſque perſuaſi, recte futurum, ſi Jeſu Chriſti invocatio ab impugnationibus Franciſci Davidis defenderetur, idque edita mea Reſponſione ad illius pro ſuis Theſibus Defenſionem. Verùm, ubi in Reſponſione mea ſcriptum eſſe reſciverunt, nullum extare expreſſum in Sacris Litteris præceptum de Chriſto invocando, id eſt, de precibus noſtris nominatim ad ipſum Chriſtum dirigendis, & propterea, invocandi verbo in hunc ſenſum accepto, poſſe nos quidem jure Chriſtum invocare, non tamen id facere teneri; non pauci ex ipſis (id quod etiam Tranſilvanis fratribus ab initio evenerat) non mediocriter ſunt offenſi. Et quamvis ſæpius illis & voce, & ſcripto oſtenderim, nihil eſſe, cur hic offendi quiſquam debeat: immo hanc eſſe ſolam rationem, & iis, qui Chriſto invocationem non concedunt, & iis, qui ex Chriſti invocatione, eum, unum illum Iſraëlis Deum eſſe colligunt, os plane obſtruendi; tamen, ut ipſi hanc meam Reſponſionem excudendam curarent, numquam adduci potuerunt: niſi prius iſtud inde eximeretur, quo offenſi fuerant. Atqui nullo pacto eis, hac in parte, à me ſatis fieri poterat, tum, quod mutila, & minime ad utroſque, de quibus dixi, revincendos apta de invocatione Chriſti doctrina, iſto exempto, in mea Reſponſione fuiſſet: tum verò quod jam mihi id non erat integrum; quippè cum in Adverſariorum libro, ut paullò ante dixi, excuſum extaret prius ſcriptum meum: ubi deſerte illud legitur, quod expungi fratres iſti voluiſſent; cujus etiam in ipſa Franciſci Defenſione, quam Confutationem Reſponſionis Faultinæ Adverſarii nominant, aperta fit mentio. Interim non deerant alii fratres & præſentes & abſentes, qui à me editionem hujuſce Reſponſionis meæ ad Defenſionem iſtam flagitarent: nec ſine infirmorum ſcandalo & meæ famæ nota eam diutius premi poſſe, affirmarent. Itaque tandem ſumptibus mihi ab homine pio & liberali benigniſſime ſuppeditatis, integram meam cum Franciſco Davidis de Chriſti invocatione Diſputationem ſub prælum dedi; nihil dubitans, quin ipſa per ſe omnem offenſionem ſit ablatura, quæ ex iſta ipſius doctrina, ac diſtinctione neceſſitatis ac poteſtatis invocandi Chriſti oriri poſſe videatur. Nam ſi vel hoc unum concedatur, Chriſtum, quantus quantus eſt, in poteſtate ſua exercenda Deo patri ſubordinatum eſſe, quod vix quiſquam, etiam inter ipſos peritiores Trinitarios negare audeat: hoc unum, inquam, ſatis eſt ad diſtinctionem iſtam veriſſimam & maxime neceſſariam oſtendendam. Rogo autem vos omnes & alios, quicumque hanc Diſputationem legerint, ut, præter alia, ea diligenter perpendere velitis, quæ hac de re D. Blandratæ reſpondi; cujus verba ad me ſcripta, poſt quæ reſponſio mea ſtatim conſequitur, extant hîc in ipſa Diſputatione pag. 17. Quod ſi nihilominus intellexero, vobis minime ſatisfactum eſſe; tum neceſſe habuero Diſputationem edere, quam, per ſcripta, hac ipſa de re habui cum fratre noſtro, viro admodum præſtante, qui mihi ejus in lucem emittendæ jam poteſtatem fecit; namque illam nunc edere cogitabam. Sed quia poſtmodum minus neceſſarium id mihi eſt viſum, ac præterea Diſputatio iſta cum alia eſt conjuncta, quæ huc non pertinet, quippe in qua agitur, de defendenda ſententia mea, quod Chriſti expiatoria pro peccatis noſtris oblatio non in cruce, ſed in cœlo peracta fuerit; in aliud tempus utrique Diſputationi opportunius, quod facile non ita multo poſt dabitur, iſtius ſcripti editionem diſtuli.

Rationibus expoſitis, cur tam tarda fuerit hujus meæ reſponſionis integræque cum Franciſco Davidis Diſputationis editio; aliquid ad ea reſpondendum eſt, quæ mihi in ſcripto ſub nomine fratrum Tranſilvanorum ad N. N. ejuſque procœmio quodam in Adverſariorum libro contentis per calumniam objiciuntur. Ac primum, ut quæ fides narrationi, quæ in illis habetur, poſſit adhiberi, quilibet facile intelligere queat, tria inſignia & apertiſſima mendacia, quæ ibi inter alia complura leguntur, indicabo. Primum inſigne mendacium eſt, anno 1578, ad Martini circiter feſtum diem, indicta fuiſſe Claudiopoli Regni comitia. Alterum ſimiliter inſigne mendacium eſt, D. Blandratam, cum ego jam adeſſem & omnibus iſtis intereſſem, monuiſſe Franciſcum Davidis, ut, ſub adventum Principis ad comitia iſta, aliquot ex fratribus congregaret, qui judices eſſent exortæ inter ſe, & ipſum controverſiæ, propter Jeſu Chriſti invocationem: & breviter quidquid, ejus rei occaſione, eo tempore, me præſente eveniſſe, ibi narratur. Totum hoc, inquam, valde manifeſtum eſt mendacium. Nihil enim ego iſtorum vel vidi vel cognovi. Tertium non minus manifeſtum mendacium eſt, me una cum D. Blandrata, Stephano utroque, Demetrio, Eppelio, Thordæ comitiorum tempore, immo ſeptimana una ante comitia, conveniſſe, & conſequenter, quidquid ibi me tum feciſſe narratur. Quandoquidem ego, cum ob alias cauſſas, tum ob vehementem diarhœam, qua tunc temporis laborabam, pedem Claudiopoli, ubi commorabar, non extuli.

Sed jam ad calumnias venio. Quarum prima eſt, me per litteras accuſaſſe Franciſcum Davidis D. Blandratæ, quod pactis non ſtaret, ſed perſeveraret mecum, & cum aliis de Chriſto non invocando, &c. diſſerere, & verba facere. Quomodo enim ego apud D. Blandratam accuſaſſe iſtum hominem, tamquam pactis non ſtantem, dici poſſum, quod mecum iſtis de rebus diſputaret, cum, ut id fieret, ipſe D. Blandrata urgeret, hancque ob cauſſam me in Tranſilvaniam vocaſſet, utque apud ipſum Franciſcum habitarem, curaſſet? cumque ipſe Franciſcus ſua ſponte ſuas theſes de Chriſto non invocando ſcriptas mihi dederit, ut illas, ſi poſſem, refutarem, ac, per ipſum non ſtare, quominus per diſputationes noſtras totius rei veritas inquireretur, D. Blandratæ ſignificarem? Nam quod ad alios attinet, quibuſcum de Chriſto non invocando loqueretur; tantum abeſt, ut à me, hujus rei nomine, apud quemquam accuſatus fuerit, ut potiùs perpetuo, antequam ejus fraus aperte detegeretur, omnibus perſuadere conarer, ſperari poſſe, ut Franciſcus

ciſcus quamvis mecum acriter contenderet, errorem tamen ſuum tandem agnoſceret, quippe qui jam ab eo propagando abſtineret (ſic enim ipſe mecum præ ſeferebat, atque, ut crederem, operam dabat) ita ut ſæpius à D. Blandrata, & ab aliis nimiæ credulitatis ac ſimplicitatis reprehenſus fuerim. Sequitur altera calumnia, quòd à me ſignificaretur (nimirum, D. Blandratæ) quid fieret in ædibus à Franciſco. Quo, ſi diſputationes excipias, quas mecum habebat, de quibus etiam parciſſimè ad D. Blandratam ſcribere ſolebam, nihil magis à veritate abeſſe poteſt. Neque enim explorandi, quod à moribus ipſaque natura mea alieniſſimum ſemper fuit, ſed diſputandi tantùm cauſſa, & interim curandi, ut ipſum ad veram Chriſti majeſtatem agnoſcendam adducerem, in Franciſci ædibus habitabam, & commenſalis ejus eram. Hanc calumniam excipit tertia, me, videlicet tanti incendii facem fuiſſe. Tantum enim incendium intelligit, ut arbitror, calamitates, in quas Franciſcus incidit. In quas tamen non incidiſſet, ſi meis conſiliis paruiſſet. Qua de re aliquid paullo poſt apertiùs dicam. Quarta eaque multiplex calumnia eſt, me, poſthabita provincia reſpondendi ad ſcriptum Franciſci Davidis, & violata promiſſionis fide, de omnibus Blandratam certiorem feciſſe, & Franciſcum ſuoſque accuſaſſe, quòd ad Judaiſmum præcipites ruerent, & Chriſto profligato, Moſem in eccleſias introducerent, aliaque ſimilia de Franciſco ſignificaſſe. Primum enim evidenter calumniatur narrator iſte, cum ait, me provinciam reſpondendi ad Franciſci ſcriptum poſthabuiſſe. Contrarium enim ex iis patet, quæ ab initio dixi. Deinde turpiter calumniatur, cum ſuis verbis inſinuat, me ſanctè promiſiſſe nihil D. Blandratæ ſignificare de iis, quæ inter nos agerentur, deque ipſius, pro ſuarum Theſium Defenſione, ſcripto. Nullo enim pacto veriſimile eſt, me iſta promiſiſſe; cum certiſſimum ſit, conſtitutum jam inter D. Blandratam & Franciſcum fuiſſe, ut ipſe Franciſcus fundamentaliter, prout ipſe narrator paullo ſuperius teſtatur & loquitur, de toto negotio ſcriberet: ego verò reſponderem. Calumniatur etiam cum ait, me accuſaſſe Franciſcum, & ſuos de Judaiſmo &c. Quaſi verò, Franciſci ſcripto iſto primum viſo, hanc occultam accuſationem adverſus ipſum & ſuos inſtituerim, & non ſemper, ab ipſo diſputandi initio, aperte conteſtatus omnibus fuerim, iſtam de Chriſto non invocando ſententiam ad Judaiſmum & Moſem, poſthabito Chriſto, homines adducere: ob eam cauſſam potiſſimum, quod ſi Chriſtus invocari jure nequit, nondum Chriſtus eſt revera, ſed nomine tantum. Et ſane memini, cum, ipſo Franciſco præſente, Glirium ejus Symmyſtam & ex parte præceptorem inter colloquendum, urgerem, ut mihi diceret, an crederet, Jeſum Nazarenum jam revera eſſe Chriſtum, illum nihil reſpondere voluiſſe, & ſermonem noſtrum præfractè alio detorſiſſe. Quinta calumnia eſt, me tantiſper, donec litteræ Principis ad Senatum, de Franciſco ſub cuſtodia aſſervando, eſſent allatæ, Franciſcum celaſſe, quod D. Blandrata jam ſe vellet hoſtem ipſius declarare apud Principem: cum tamen, ut id ipſi Franciſco ſuis verbis ſignificarem, per litteras mihi D. Blandrata mandaſſet. Quas paullo ante ex itinere unius miliaris ſupra Claudiopolim ad me ſcripſiſſet. Primum enim litteras iſtas multo ante ad me Alba Julia D. Blandrata dederat: ſimulatque, videlicet, reſciverat, Franciſcum in Thordana ſynodo quædam, contra datam & ipſi, & mihi, & aliis fidem, conſtitui ac decerni curaſſe, Chriſti invocationi plane adverſantia. (Et hoc fuit initium & fax tanti illius incendii, de quo antea locuti ſumus: non autem ego ulla ex parte) Deinde, hiſce D. Blandratæ litteris acceptis, non deſtiti ego Franciſcum monere, ut caute poſthac ſe gereret, & ea, quæ in ſynodo iſta decreta fuiſſent, ad Chriſti invocationem pertinentia, ſi fieri poſſet, reſcindi curaret; ut pote cum non particularis quodammodo ejuſmodi, ſed vere generalis ſynodi tum jure, tum pacto eſſet de re tanta aliquid conſtituere; alioqui ipſi non leve periculum impendere, cum D. Blandrata, quem plurimum apud Principem poſſe, omnes norant, ægerrime ſynodi decreta iſta tuliſſet. Et cum ipſe Franciſcus præ ſe ferret, nihil omnino ſe timere, & habere, quomodo ſemper oſtenderet, ſe nihil feciſſe, cujus rei cauſſa Princeps ipſi iraſci deberet; memini, me hæc aut ſimilia verba illi dixiſſe: Utinam, mi D. Franciſce, ſic Princeps illuſtriſſimus tua facta interpretetur, ut ipſe facis. Tametſi igitur fortaſſe ob aliquas juſtas cauſſas diſerte id Franciſco tunc non dixi, quod D. Blandrata, ſuo nomine ei dicendum, ad me ſcripſerat; ea tamen certo dixi, quæ ſatis erant, ut animum erga ſe D. Blandratæ immutatum intelligere, ſibique cavere in tempore poſſet. Quamquam quid Franciſco mea hîc taciturnitas obeſſe potuiſſet, cum multo graviora ipſe D. Blandrata, antequam Claudiopoli diſcederet, & litteras iſtas, ut quidem narrator iſte vult, ad me ſcriberet, ei ſuo nomine denunciari per Bernardum ipſius Franciſci intimum familiarem, me præſente, juſſerit? Sed ſprevit ſimiliter Franciſcus denunciationem iſtam; immo pro eo, quod cautior ſaltem poſthac in ſuo impio dogmate ſpargendo eſſe debuerat, poſtridie ejus diei, cum dies dominicus eſſet, & de more in majore templo ad populum concionaretur, diſerte (quod quidem & publica fama, & litterarum monumentis teſtatum eſt) tantumdem eſſe affirmavit, Jeſum Chriſtum invocare, atque Mariam virginem, & alios ſanctos mortuos. Sextæ calumniæ loco ponam id quod in narratione iſta aperte deinceps, & alibi ſupra tacite adverſum me legitur, omneſque alias ſuperiores calumnias quodammodo complectitur, me, videlicet, plane ingratum in Franciſcum ejuſque proditorem fuiſſe. Nihil enim ſtultius aut impudentius dici, vel cuiquam objici potuit. Nam ingratus quomodo, quæſo, in Franciſcum ego eſſe potui, qui ab ipſo revera nullum beneficium accepi? Quod enim domi ipſius habitarem, & ipſius menſa uterer, id ſane non gratis ab ipſo habebam: immo cariſſimo pretio perſolvi, ut mox dicam. Quod tamen pretium mihi à D. Blandrata redditum poſtea fuit. Hac enim conditione Baſilea me evocaverat, ut & itineris, & commorationis meæ in Tranſilvania, ipſe omnes impenſas ferret. Habitavi ego apud Franciſcum ejuſque menſa ſum uſus menſes circiter quatuor cum dimidiato (neque enim ſub initia menſis Octobris, ut in narratione iſta dicitur, ſed paullo ante Novembris medium in Tranſilvaniam veni) Idem contra ejus filio Davidi Baſileæ tunc temporis commoranti per Turriſanos celebres Norimbergæ mercatores curavi de meo ſolvendos quinquaginta Italicos coronatos; quos & accepit, & demum ſibi à D. Blandrata miſſos agnovit; à quo & antea, cum Baſileam proficiſci voluit, non exiguo alio pecuniario munere donatus fuerat, & poſtea, cum jam pater condemnatus carceri incluſus fuiſſet,

quinquaginta prætèrea Hungaricos coronatos Baſileæ adhuc commorans habuit. Nam quòd humaniſſimè, ut habet narratio iſta, à Franciſco domi ipſius tractatus fuerim, ne id quidem, etiamſi veriſſimum eſſet, beneficii ullius ab ipſo in me collati loco ducendum foret. Quandoquidem ingens præmium homini iſti, ob hoſpitium & menſam mihi præbitam, conſtitutum, exquiſitiſſimam ejus erga me humanitatem omninorequirebat. Verùm nullam majorem humanitatem Franciſcum mihi exhibuiſſe, quàm cuivis alii vel infimo & nihili homini exhibere ſoleret, & ego ſanctè affirmare, & alii, qui mores ipſius norant, facilè credere poſſunt. Omnem denique hîc beneficii à Franciſco mihi dati opinionem vel id tollere poteſt, quòd is nec ſua ſponte, nec me rogante, hoſpitio ac menſa me acceperit, ſed D. Blandrata, qui me accerſiverat, & cui ipſe multis nominibus plurimum debebat, ita mandante ac jubente. Jam de proditione nihil attinet dicere, cum certiſſimum ſit, acta illius Thordanæ ſynodi, ubi ipſe Franciſcus nos omnes, qui Chriſto invocationem aſſerebamus, ſi non prodidit, at certè perfidè decepit ac deluſit, primam calamitatum ejus, ut antea dictum eſt, cauſſam fuiſſe; proximam verò ac propriam, verba illa, quæ publicè pro concione habuit contra Jeſu Chriſti invocationem. Nam tertio poſt die accepit Senatus Claudiopolitanus priores Principis litteras; quibus jubebat, Franciſcum à munere publicè populum docendi removeri, & ſub cuſtodia aſſervari. Poſt quas litteras, ut nullo prorſus pacto veriſimile, ſic, niſi ego vehementiſſimè fallor, falſum eſt, Franciſcum, populi docendi cauſſa, ſuggeſtum in templo aſcendiſſe. Quod tamen in narratione iſta, admodum ſanè confidenter affirmatur, nulla præcedentis concionis mentione facta; ut nimirum captivitatis iſtius hominis vera cauſſa tenebris, ſi fieri poſſit, involvatur: ex qua manifeſtum fit, nihil eſſe, cur hic de fraude ſive mea ſive alterius cujuſquam contra Franciſcum ſuſpicari quis poſſit. Septimam ac poſtremam calumniam in me iſtius narratoris faciam, quòd aſſerit, me, ut meipſum excuſarem, coram Luca Franciſci genero, D. Blandratam, & aliis fratres, illum quidem cæcæ iræ, hos verò ambitionis accuſaſſe; quibus, ſcilicet, ego obſecundare, propter ejuſdem D. Blandratæ in me merita, neceſſe habuiſſem. Neque enim ego vel ulli acerbiori contra Franciſcum conſilio ſum aſſenſus, vel aliud D. Blandratæ & fratrum hac in re firmum conſilium reſcivi, aut me reſciſſe unquam dixi, quàm, ut ipſe D. Blandrata curaret, ut Princeps juberet, Franciſcum tantiſper à docendi munere ceſſare, donec per generalem ſynodum, ut conſtitum fuerat, finis iſti de Chriſti invocatione controverſiæ imponeretur. Cujus rei Deum ipſum teſtem appello.

Hæc ſunt, viri præſtantiſſimi & mihi plurimùm colendi, quæ vobis exponere neceſſe habui, ut mea in toto hoc Franciſci Davidis negotio innocentia, priùs, ut ſpero vobis probata, alacriùs vos rogem, ut hanc meam cum ipſo Franciſco Diſputationem attente perlegere velitis. Quamquam enim ſperare juvat, peſſimum illud Judaicum ſemen à Franciſco & aliis iſtic ſatum jam per Dei gratiam propemodum extinctum eſſe; Tamen nec vobis, nec aliis, qui veſtræ curæ ſunt commiſſi, inutile futurum arbitror cognoſcere, quomodo ego ad Franciſci ſophiſmata & audaces pro ſuis Theſibus contra Refutationem meam aſſertiones, reſpondendum inde ab ipſo initio cenſuerim; niſi me atque unà ſeipſos non pauci viri pii ac docti fefellerunt affirmantes, his meis brevibus vigiliis vix quidquam ſolidius inveniri poſſe ad Chriſti invocationis adverſarios (qui apud vos aliquando vigere ſolebant) turpiſſimi ſimul ac perniciofiſſimi erroris convincendos. Quo factum eſt, ut vobis potiſſimum illas offerre, atque hoc pacto (quando aliter id poſſe facere mihi non datur) animum meum humanitatis ac benevolentiæ, qua nec veſtri ordinis homines ipſorumque auditores, dum iſtic commorarer, ſunt proſecuti, memorem & gratum oſtendere auſus fuerim. Deus vos ſaluberrima ſui ipſius & Chriſti cognitione magis magisque quotidie ditare, & immotos atque invictos contra omnes impiorum inſultus & machinationes præſtare velit. Valete. Datum Cracoviæ die 14. Julii, CIↃ. IↃ. XCV.

F S. S.

AD LECTOREM.

QUÒD *in hac diſputatione cum Franciſco Davidis non ſemel affirmamus, nos non teneri invocare Chriſtum, ſed tantùm jurè omnino poſſe; id non ita intelligendum eſt, quaſi numquam neceſſe ſit, ut Chriſtum invocemus, numquamvè evenire poſſit, ut peccemus, ſi Chriſtum non invocaverimus. Hoc enim evenire poſſe, proſus ſtatuimus; velut, ſi in cœtu, in quo præſentes ſimus, Chriſtus publicè invocetur, ut non rarò fieri contingit. Vel ſi ſpiritus nobis ſuggeſſerit, ut id faciamus. Verba enim noſtra de abſoluta tantùm, non autem de qualibet neceſſitate accipienda ſunt. Hæc diligenter nota, atque in ipſo Chriſto Vale.*

De

De non invocando Jesu Christo in precibus ſacris Theſes Francisci Davidis, propoſitæ F. S.

Thesis I.

Quandocunque vocabulum Invocationis accipitur pro cultu & fiducia, qua à Deo petimus bona corporalia, & ſpiritualia, Chriſto invocationem tribui in Scriptura Sacra non legi.

Thesis II.

Chriſtus invocari nec debet nec poteſt, propter has cauſas.

Causae.

Primò, Mandatum Dei ſeverum extat, extra Deum patrem creatorem cœli, & terræ neminem invocandum eſſe.

Secundò, Neminem invocandum eſſe præter patrem cæleſtem, Chriſtum magiſtrum veritatis docuiſſe.

Tertiò, Invocatio vera eſſe definitur, quæ fit in ſpiritu & veritate ad patrem. Ergo falſa, quæ fit ad filium.

Quartò, Formulæ orationis directæ non ad Chriſtum, ſed ad patrem referuntur.

F. S. *Refutatio*

Quæ ſupra ſcripta ſunt, dedit ipſemet Franciſcus Davidis ſua manu exarata Fauſto Socino. Ad quæ ille ita reſpondit.

NOn neceſſe eſt, ipſummet vocabulum invocationis, ſeu verbum invocandi ſcriptum legere, cum aſſeritur, Chriſtum invocatum fuiſſe, aut invocari poſſe. Id eſt, ab ipſo, poſtquam in cœlum aſcendit, aliquid petitum fuiſſe, aut peti poſſe, in ſacra ſcriptura legi. Sed ſatis eſt, ſic rem ſe habere, aliis verbis & ſententiis ibi expreſſum fuiſſe. Verum ipſum quoque invocandi verbum expreſſum eſt, Act. 7. 59. ubi ſcriptum extat, *Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem, Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Neque enim eſt, quod quis dicat, Stephanum invocaſſe Deum, quem Dominum Jeſu appellaverit. Nam profecto, ſi iſta mens Stephani fuiſſet: ut periculi plena amphibolia vitaretur (ſi modo Chriſtus nec invocari potêſt, nec debet) immo ut ea de re conſtare poſſet, quæ alioquin in his verbis penitus latere videretur, non κύριε ἰησοῦ, ſed κύριε Ϝ ἰησοῦ ſcripſiſſet Lucas. Præſertim, cum alibi ſæpiſſime legatur, *Dominus Jeſus*; Deus autem hac ipſa loquendi formula, nempe *Dominus Jeſu*, nuſquam nominetur. Sed cui dubium eſſe poteſt, Jeſum Dominum invocatum fuiſſe à Stephano, cum paullo ante, ipſum Jeſum à dextris Dei ſtantem, quaſi ſibi opem laturus conſurrexiſſet, videre ſe affirmaverit? Quod autem Stephanus à Domino Jeſu petierit id, quod David, & ipſe Jeſus à Deo petierant, nullam abſurditatem continet; Cum ejuſmodi poteſtatem Deus ipſi Jeſu tribuerit, ut id, quod à Deo ſolo priùs peti poterat, nunc ab ipſo quoque Jeſu citra omnem divini nominis injuriam, immo ſumma cum Dei gloria, peti poſſit; ut infra ſatis planum fiet.

Addenda ſuprà ſcripto apertiſſimo teſtimonio ea omnia loca videntur, in quibus ſcriptum eſt, invocatum fuiſſe nomen Chriſti. Quamvis enim fortaſſe dici poſſet, iis in locis nihil aliud ſignificari, quam nomen Chriſto datum fuiſſe; collatis tamen aliis ſacrarum literarum locis, in quibus ſimpliciter de nominis alicujus invocatione fit mentio, & poteſtate, qua nunc præditus Chriſtus eſt, recte perpenſa; in eam ſententiam facilè diſcedo, ut ea locutione, cultus, & imploratio etiam opis ipſius Chriſti, quæ fieri poſſe putetur, contineatur: Non ſecus atque cum de Dei nominis invocatione in Scriptura fit mentio, non tantum denominatio quædam, ſed cultus quoque, & opis imploratio manifeſte ſignificatur. Et ſane nullum adhuc locum in Scriptura legi, ubi Invocare nomen alicujus, locutio hæc, inquam, ita ſimpliciter prolata, cultum, & fiduciam invocantis erga illum, cujus nomen invocatur, non comprehendat. Quocirca, cum, exempli cauſſa, Ananias ipſi Jeſu reſpondens, ait de Saulo, Act. 9. 14. quod poteſtatem haberet à Pontificibus vinciendi omnes invocantes nomen ipſius Jeſu; non dubito, quin ea locutione eos, qui non tantum Jeſu diſciplinam ſe amplecti profiterentur, ſed ipſum quoque Jeſum, ut pote ad dexteram Dei evectum, colerent, &, ubi opus eſſet, ad ejus opem confugere non dubitarent, ſignificare voluerit. Et hæc quidem, quod attinet ad ipſum nomen invocationis.

Quod verò ad rem ipſam, ipſo nomine ſecluſo pertinet, dico, ſatis apparere, invocatum fuiſſe Chriſtum, & invocationem, quæ cultum, & fiduciam, qua aliquid petitur, complectatur, ei in ſcriptura ſacra fuiſſe tributam, ex eo, quod Paulus in initio omnium ſuarum epiſtolarum, non à Deo patre noſtro

tantum, ſed à Domino quoque Jeſu Chriſto gratiam, pacem, & alicubi miſericordiam iis, ad quos ſcribit, precatur, & eaſdem epiſtolas plerumque ita concludit, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis*, ſive *vobiſcum*, ſive etiam, *cum ſpiritu veſtro*. Et in fine poſterioris ad Theſſal. dicit, eſſe ſignum ſuum in omni epiſtola, & ita ſe ſcribere, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis*. Quid enim aliud hoc eſt, quam eis precari favorem Chriſti? quod ſine dubio perinde eſt, ac ſi diceret, *ego precor Chriſtum, ut vobis omnibus adſit*. Idem probatur ex eo loco, ubi Paulus ad eoſdem Theſſal. ſcribens ait, 1 Theſſ. 3. verſ. 11, *Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus dirigat viam noſtram ad vos*. Quod profecto idem eſt, ac Deum, & Chriſtum precari, ut dirigat viam ipſorum ad illos. Hoc autem Chriſti invocationem una cum Dei invocatione continere, non video, quomodo negari poſſit. Sed à Paulo Chriſtum invocatum fuiſſe, apertiſſimum eſt, judicio meo, in illis verbis, quæ habentur 2 Corinth. 12. verſ. 8. & 9. *Super hoc Dominum ter rogavi, ut diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate perficitur*. Nam Domini nomine, ut frequentiſſime in novi Fœderis litteris fit, Chriſtum ſignificatum à Paulo fuiſſe, demonſtrant, quæ ſtatim conſequuntur, verba; *Libentiſſime igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me potentia Chriſti*. Ex his omnibus, junctis præſertim iis, quæ mox dicentur, ſatis apparet, in ſacra ſcriptura invocationem, quatenus cultus eſt atque fiducia, qua aliquod bonum petitur, Chriſto tributam fuiſſe.

Sed quomodo negare audebimus, à Chriſto jam in cœlum tranſlato, aliqua bona peti poſſe, cum ex infinitis prope locis apertum ſit, eum ſumma poteſtate præditum eſſe, & in cœlo degentem curam gerere Eccleſiæ, & ſuorum, & illis adeſſe atque in tempore opitulari? Legantur præter id, quod ipſemet affirmat Matth. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, ea, quæ paſſim hac eadem de re ſcripta ſunt. Primum enim certum eſt, ut Petrus teſtatur, Actor. 2. verſ. 36. eum Jeſum, qui cruci affixus fuerat, non modo reſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe, verum etiam Dominum & Chriſtum à Deo fuiſſe factum. Jam verò ſi dominatur, ſi Chriſtus Dei eſt, ſuprema ſecundum Deum in nos, qui ejus ſervi, & populus ſumus, potentia, & auctoritate eſt præditus. Deinde Paulus ait, Epheſ. 1. 21. Chriſtum conſtitutum fuiſſe in cœlis à Deo ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubjeciſſe ſub pedibus ejus: & ipſum dediſſe caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ. A quo non diſſentiens idem Petrus ſcribit, 1 Petr. 3. 21. eum profectum fuiſſe in cœlum, ſubjectis ipſi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus. Præterea in Apocalypſi ſcriptum eſt, Apoc. 3. 7. cap. 1. 18. eum habere clavem Davidis, atque eum eſſe, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit; & habere claves mortis, & inferni. Et hæc quidem pauca de tam multis, quod ad poteſtatem attinet.

Quod autem ad curam, quam Eccleſiæ, & ſuorum gerat, legantur, quæ ſcripta ſunt in eadem Apocalypſi toto cap. 2. & 3. Quæ profecto talia ſunt, ut vehementer eos mirari debeamus, qui Chriſto nunc in cælo degenti & regnum, & Eccleſiæ gubernationem adimere non dubitant. Nec ſane quiſquam eorum fuerit, qui, ſi nolit manifeſtiſſimæ veritati pertinaciter reluctari, aliud ad ea teſtimonia dicere poſſit, quam Chriſtum eo loco non proprio, ſed patris nomine loqui. Verum ſubterfugium iſtud vanitimum eſt. Nuſquam enim apparet, ibi Chriſtum patris nomine loqui. Immo indicia extant apertiſſima, eum ex perſona ſua omnia dicere. Inquit enim, Apoc. 2. verſ. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in medio paradiſi Dei mei*. Et infra, verſ. 28. *ſicut & ego accepi à patre meo*, &c. *Et* paullo poſt, cap. 3. verſ. 5, 12. *Et confitebor nomen ejus coram patre meo*, &c. Et infra, *ſi quis vicerit, faciam, ut ſit columna in templo Dei mei. Et* rurſus, *& ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novæ Hieruſalem, quæ deſcendit è cœlo à Deo meo*, &c. Et poſtremo, verſ. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno ejus*. Adde, quod in initio ſermonis cum unaquaque ex illis ſeptem eccleſiis ſcriptum eſt, non quidem, *hæc dicit Deus*, ſed, *Hæc dicit*, modo *qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua*, modo *Filius Dei*, &c. modo aliquid aliud, per quod ipſe Chriſtus talis ex parte deſignatur, qualis apparuerat ipſi Johanni. Et certe, ſi non Chriſti proprio nomine, ſed Dei tantum ea verba fieri debuiſſent, quid attinebat Chriſti perſonam intervenire, qui mitteret angelum ſuum? Apoc. 22. verſ. 16. An non ſatis fuiſſet, ut alias ſæpiſſime fieri conſuevit, mitti angelum immediate (ut loquuntur) ab ipſo Deo, qui ipſius Dei nomine loqueretur? Facta ſunt quidem ea omnia auctore Deo, & à Deo Jeſu Chriſto datum eſt, ut Johanni patefaceret, quæ brevi futura erant, ut ex ipſo libri initio manifeſtum eſt. Sed non idcirco privandus eſt Chriſtus regno, & gubernatione illa ſua in Eccleſia, de quibus ibidem manifeſto conſtat, ſibi à patre jam tum, cum è mortuis ab ipſo excitatus in cœlum aſcendit, tributis atque conceſſis. Legatur, & attente conſideretur tota hiſtoria converſionis Pauli, & electionis ad apoſtolatum. Actor. 9. & XXII. & XXVI. Et num Chriſtus, in cœlis degens, Eccleſiæ, & ſuorum gubernationem habeat, & curam gerat, clare apparebit. Neque enim ſolum ipſi Paulo primum ſe conſpiciendum tradit, & ei, quid facere debeat, præcipit; ſed Ananiæ quoque per viſum apparet, & quæ ei facienda ſint, injungit, & quid de Saulo illo, qui ſuum nomen invocantes perſequebatur, conſtituerit, ſignificat; ac ſemper proprio nomine, & tanquam ſummum imperium habens, loquitur. Idem viſus eſt eidem Paulo; & dixit illi, Act. 22. 18. *Feſtina, & exi velociter ex Hieruſalem; quoniam non recipient teſtimonium tuum de me*. Et rurſus, verſ. 21, 23, 11. *Vade; quoniam ego in gentes longe mittam te*. Et iterum, nocte quadam illi adſtans, dixit, *Confide Paule; ſicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet etiam Romæ teſtificari*. An non hæc eum, qui gubernet Eccleſiam, & ſuorum curam gerat, aperte oſtendunt, & qui, ut inquit auctor epiſt. ad Hebræos, Hebr. 3. verſ. 6, 10, 21. domui ſuæ, & Dei præſit? Ipſe Chriſtus dixit, Matth. 28. verſ. 20. ſe futurum cum diſcipulis ſuis uſque ad conſummationem ſeculi. Quid autem eſt pollicери, ſe futurum cum aliquo, niſi ei ſe fauturum eſſe, illique adfuturum? Numquid dicemus, hoc perpetuò verum non eſſe; & Deut. cap. 31. ſcriptum extare, quod Moſes jam jam moriturus Joſuæ dixerit, ſe futurum cum eo? At vero quis eſt, qui non videat, ea non eſſe verba Moſis, ſed ipſius Dei, aut ſaltem nomine ipſius Dei à Moſe prolata? Cum ſuprà Deus dixerit Moſi, ut adduceret Joſuam, velle enim ſe ei præcepta dare, & in illis verbis ad Joſuam dicatur, *Terram, quam juravi* &c. Quæ verba ſoli Deo, non etiam Moſi convenire poſſunt. Dixit idem Chriſtus Luc. 21. 15. diſcipulis ſuis, cum futurum eſſet, ut adducerentur coram magiſtratibus propter nomen ipſius, ne multum ſolliciti eſſent, quid loqui, aut reſpondere deberent; ſe enim illis daturum os, & ſapientiam, cui non poſſent reſiſtere omnes eorum adverſarii. Præterea diſertè ſcriptum eſt, Joh. 10. 28: c. 17. 2. Phil. 3. 21. Apoc. 2. 10. Joh. 6. 39, 40, 44. & 54. Chriſtum daturum nobis vitam æternam, nos à mortuis excitaturum, tranſformaturum corpora noſtra humilia. Nec enim, cum Chriſtus dicit, ſe ſuſcitaturum illos, qui in ipſum crediderint, intelligendum eſt ſimpliciter, futurum, ut qui in ipſum crediderint, à mortuis excitentur: ſed præterea etiam ipſum Chriſtum poteſtate ſibi à Deo tradita eos excitaturum; ut aperte demon-

demonſtrat tertium caput epiſt. ad Philip. ad finem, & locus ille Joh. cap. 6. verſ. 40. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Ex quo loco conſtat, hoc, quòd Chriſtus nos excitaturus ſit à mortuis, non id tantum eſſe ſcilicet, eos, qui ei fidem habuerint, excitandos fore, & habituros vitam æternam, nam id jam proximè dixerat; ſed etiam ab ipſo Chriſto id fieri debere. Quod ſine dubio ideo ab ipſo additum eſt, & alibi ſæpe repetitum, ut major inde confirmatio ejus rei, quam promittebat, eliceretur. Perinde eſt enim, ac ſi dixiſſet; Nolite mirari, quòd ego ita conſtanter, vitam æternam adepturos affirmem, qui in me crediderint. Nam egomet id efficiendi poteſtatem habebo; egomet id re ipſa præſtabo. Idem loquendi modus habetur infrà eodem cap. verſ. 24. *Qui comedit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Cum igitur appareat, Chriſtum, poſtquam in cœlis ad dexteram Dei collocatus eſt, non ſolùm ſumma poteſtate præditum eſſe, ſed etiam Eccleſiæ ſuæ curam gerere, atque ea facere, & facturum eſſe, quæ modò expoſuimus, quis inficiari audeat, eum invocari poſſe? Num, quæſo, ejus diſcipuli, cum propter nomen ipſius coram regibus, & magiſtratibus comparebant, erraſſent, aut errare potuiſſent, ſi dominum Jeſum ad hunc modum precati eſſent, eumque invocaſſent? Domine Jeſu, qui pollicitus es, te nobis daturum os, & ſapientiam, cui adverſarii omnes noſtri reſiſtere nequeant, memento tui promiſſi, & nos in ſermonibus noſtris invictos contra iſtos tuos & noſtros hoſtes redde. Num, ſi quis animam pro Chriſti nomine jam jam poſiturus eſſet, erraret aut errare poſſet, ſi eum invocaret, acdiceret; Domine Jeſu, qui in te credentes ultima illa die te à mortuis excitaturum promiſiſti, memento mei, cum dies illa advenerit; & vitam, quam tui cauſſa profundo, mihi reddere ne obliviſcaris. Certè, niſi velimus, Chriſtum preces noſtras audire, & percipere non poſſe, non video, quomodo ſine apertiſſima veritatis contemptione omnem invocationem illi degenerare poſſimus, & ab ipſo ea bona, quæ nobis largiendi poteſtatem à Deo conſecutus eſt, peti poſſe, dicere exhorreſcamus. Atqui, Chriſtum non modò preces noſtras intelligere, ſed omnia opera noſtra noſſe, quin & corda, & renes ſcrutari, ex prædictis iiſis duobus Apocal. capitibus manifeſtum eſt. Non ſolum enim eccleſiis illis ſingulis ſeptem inquit ipſe, Apoc. 2. 28. *Novi opera tua*, &c. Sed Thyatirenſi eccleſiæ expreſſe ait, *Ego ſum, ſcrutans renes & corda.* Et certè, ſi Chriſtus hac vi, dum in terris ageret, præditus erat, id eſt, quando gubernationem eccleſiæ ſuæ nondum adeptus erat, ut patet ex fine cap. 2. Johan. & non paucis alliis locis abunde confirmatur; multo magis eâ nunc debet eſſe præditus, poſtquam in cœlis vere Chriſtus & dominus factus eſt, & caput eccleſiæ ſuæ omnia in omnibus implens conſtitutus. Actor. 2. 36. Eph. 1. 22. & 23. Certum igitur eſto, Chriſtum & invocatum fuiſſe, & invocari poſſe, ut ex Sacris Litteris, ex quibus multò plura peti poſſent, ſatis me probaſſe confido.

Nec verò obſtat id, quod primo loco adverſus axioma hoc noſtrum allatum fuit: Severum, videlicet, extare mandatum Dei, neminem, extra Deum patrem creatorem cæli & terræ, invocandum eſſe. Nam ſeverum quoque mandatum extat, ut illum ſolum adoremus, illique ſoli ſerviamus, & tamen & Chriſtum quoque adorare non poſſumus tantum, ſed etiam debemus, & illi ſervire tenemur. Nimirum quia illum adorando, illique ſerviendo, hunc cultum non ipſi Chriſto præcipuè, ſed Deo, qui ad tantam majeſtatem illum extulit, revera præſtamus. Hinc Paulus, *Ut omnis lingua confiteatur, quòd Dominus eſt Jeſus Chriſtus ad gloriam Dei patris.* Scriptum ſimiliter extat, maledictum eſſe hominem, qui confidit in homine, & tamen Chriſto homini non ſolùm confidere poſſumus, ſed etiam debemus. Nempe quia, ut ipſe Chriſtus ait Iohan. cap. 12. ℣. 44, qui ei confidit, non ipſi præcipuè, ſed Deo revera confidit, à quo ille, quidquid habet, accepit, & cujus nomine, & auctoritate, ſibi obedientes, poteſtate ſibi ab eo tradita, vita æterna donare promiſit. Non ſecus igitur, quamvis præceptum ſit, ut Deum patrem ſolùm invocemus, Chriſtum tamen invocare poſſumus; quippe, cum, eum invocando, non ipſum Chriſtum præcipuè, ſed Deum, qui illi poteſtatem nobis ſubveniendi dedit, revera invocemus. Nec ſane video, cur eum, quicumque ille tandem ſit, qui ſive in cœlis, ſive in terris aliqua nobis largiendi poteſtatem à Deo ſit adeptus, huicque muneri ab ipſo Deo præpoſitus fuerit, ſi preces noſtras percipere queat, Cur hunc, inquam, nefas ſit invocare. Immo non video, quod ad Chriſti perſonam attinet, ſi ipſum invocari poſſe negemus, quomodo hoc, quod quibuſdam ad Dei gloriam ſpectare videtur, ipſius gloriæ maximè non officiat. Nulla enim præſtantior inter homines videtur eſſe Dei gloria, quàm ea, quæ ex ipſius benignitate reſultat. Ingens autem Dei benignitas erga humanum genus ea fuit, quòd Chriſto homini duci ac principi eorum hominum, qui ad immortalem vitam ab ipſo Deo vocantur, & ea mala experto, quæ ſequentibus eum experiri neceſſe eſt, tantam dederit poteſtatem, ut ad eum, tamquam ab ipſo ordinatum, confidenter in iis, quæ ad eam vitam conſequendam ſpectant, confugere poſſint. Nam, ut fidem quoque & ſpem noſtram ſimili ratione aleret, atque foveret, non propter aliam potiorem cauſſam, Deus ipſum Jeſum Dominum, & Chriſtum fecit, mundique judicem conſtituit. Propterea cum jam fidei, & ſpei noſtræ nullus ampliùs erit locus, id eſt, cum ad vitam illam immortalem tranſlati fuerimus, tradet Chriſtus regnum Deo & patri 1 Cor. 15. 24 & 28; & ipſe, qui nunc, volente Deo, eccleſiam regit, atque gubernat, ſubjicietur ei, qui ipſi poteſtatem omnia ſibi ſubjiciendi dedit. Ex iis autem, quæ dicta ſunt, apparet, Chriſti invocationem aliam etiam ob cauſſam, præter eam, quæ jam expreſſa eſt, invocationi, quæ ſoli Deo debetur, non, adverſari. Invocatio enim, quæ ſoli Deo debetur, ea eſt, qua ad ipſum, tamquam ad omnium bonorum datorem, confugimus. Chriſtum autem non in omnibus invocare poſſumus, ſed in iis tantùm, quorum largiendi poteſtatem à Deo adeptus eſt. Non extat autem præceptum de invocando Chriſto, *ut videtur extare de illo adorando, deque illi confidendo; quia, etſi eum invocare poſſumus, non tamen tenemur. Chriſti enim invocatio, ut modò dicebamus, ad nos in fide confirmandos pertinet, & ad fragilitatem noſtram ſublevandam. Quòd ſi quis tanta eſt fide præditus, ut ad Deum ipſum perpetuò rectà accedere audeat, nec conſolatione, quæ ex Chriſti fratris ſui per omnia tentati invocatione proficiſcitur, indigeat, huic non opus eſt, ut Chriſtum invocet. Quem tamen, quantacumque Dei fide præditus, ſi invocaverit, non modò ipſum Deum non offendet, ſed eum ſuo facto glorificabit; eique re ipſa gratias aget, quòd tantam poteſtatem humanæ naturæ noſtræ in Chriſto conceſſerit.

Ad id, quod ſecundo loco dicebatur, Chriſtum ipſum veritatis magiſtrum docuiſſe, neminem invocandum eſſe præter patrem cæleſtem, etſi non memini, ubi iſtud expreſſe ſcriptum ſit, ſatis ex iis, quæ ad primum argumentum reſpondimus, reſponſum videtur. Illud tamen addam, non mirum futurum fuiſſe, ſi Chriſtus de ſe invocando nullam, dum in terris verſaretur, mentionem feciſſet; cum, ut ipſe teſtatur Ioh. 8. ℣. 30, is gloriam ſuam non quæreret, ſed eſſet alius, qui quæreret; pater ſcilicet, qui eum poſt hanc mortalem vitam ad immortalitatem, ſummamque poteſtatem evehens, ſatis declaravit, eum poſſe laborantibus propter ejus nomen ſubvenire, & idcirco meritò invocari poſſe. Sed ſatis ipſe quoque Chriſtus futurum indicavit, ut invocari à nobis poſſet,

* Ut lector hæc melius percipere queat, videat, quæ ad calcem hujus ſcriptiante Franciſci Davidis reſponſionem ad, ecta ſunt.

cùm, ſe facturum, quidquid petiiſſent diſcipuli in nomine ipſius Joh. 14. 13, & 14, cùm ſe illis os, ſapientiamque daturum Luc. 21. 15, cùm, ſe cum illis futurum uſque ad conſummationem ſæculi, dixit Matth. cap. 28. 20, & alia non pauca, quæ huc pertinere poſſunt, identidem affirmavit.

Ad tertium dico, non eſſe definitum, aut ſcriptum, quòd vera invocatio ea ſit, quæ fit in ſpiritu ac veritate ad Patrem; ſed ſimpliciter dictum fuiſſe, quòd veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Ioh. 4. 28. Tametſi enim, adorationem iſtic pro invocatione accipi concederemus (qua de re nullo modo conſtat) animadvertendum tamen eſſet ibi non fuiſſe quæſitum, quiſnam adorandus eſſet; ſed, utrum in hoc potiùs, quàm in illo loco adoratio fieri deberet; & concluſum fuiſſe, non in uno potiùs, quàm in alio loco patrem adorandum eſſe à veris adoratoribus: ſed in ſpiritu & veritate, ubique, ſcilicet: dummodo ex animo, & verè adoretur. Ex qua concluſione non id efficitur ullo modo, Patris tantùm adorationem, ſive invocationem, veram eſſe, filii autem falſam: ſed veram adorationem Patris, eam tantummodo eſſe, quæ fit in ſpiritu & veritate, cæteras verò, falſas.

Ad quartum reſpondeo, etiamſi daretur, omnes orationis, ſeu precationis formulas directas, quæ in ſcripturis extant, non ad Chriſtum, ſed ad Patrem referri, non tamen inde probatum iri, Chriſtum invocari non poſſe; niſi, ad ea reſpondendo, quæ, ſuprà attulimus, & adhuc afferri poſſent, probetur, vel illum poteſtatem nobis ſubveniendi, noſtraſve preces audiendi non habere, vel, quamvis poſſit & ſubvenire, & exaudire, expreſſè tamen cautum fuiſſe, ne quis eum invocare audeat. Non mirum autem eſſet, ſi formulæ illæ precationis ad Chriſtum non extarent, ſed tantummodo ad Patrem; cum, ut dictum eſt, Pater non poſſit tantum, ſed omnino debeat invocari, Chriſtus verò poſſit tantum: & Chriſti invocatio non revera ipſiuſmet Chriſti, ſed Patris invocatio ſit. Verùm jam probatum eſt, formulas illas extare; cùm & Stephanus Dominum Jeſum invocaverit Actor. 7. ℣. 59, ut ſuum ſpiritum ſuſciperet, & Paulus eum ter rogaverit 2 Cor. 12. 8, ut à ſe Angelus ille Satanæ diſcederet, Quod etiamſi falſum eſſet, ſatis eſt, ut Chriſtus invocari poſſit, obliquas formulas Chriſtum orandi extare; quales ſunt illæ, quæ in initio, & fine epiſtolarum Pauli leguntur; & illa 1 Theſſ. 3. 11. & ſi quæ ſunt ſimiles, de quibus jam dictum eſt.

D. Georg. Blandratæ objectiones.

Cum Excell. D. Georgius Blandrata ſuperius Socini ſcriptum vidiſſet, de eo ad ipſum Socinum ſuam ſententiam perſcripturus, poſt pauca quædam, hæc verba addidit.

CÆterum, ut video, non an debeat, ſed an poſſit Chriſtus invocari, diſputatur; quod proculdubio ille facilè tandem admittet; modo adiaphoram invocationem illam eſſe conceſſerimus. Dicet enim longè conſultius fore, ſi expreſſum mandatum ſecuti, ad fontem acceſſerimus, quàm abſque ullo mandato ad rivulos; quærendaque eſſe, atque retinenda mordicus non quæ facere poſſumus, ſed quæ debemus, & obſtringimur: Nec dubito, quin Adverſarii ſint triumphum reportaturi, ſi invocandi Chriſti aliqua non probabitur neceſſitas, quam ego certe probare multis argumentis & fidei analogia contendam. Ex perpetuo, videlicet, ſacerdotio, ex fide, ex accepta poteſtate, doniſque abſque menſura, ex Dei patris gloria, ex conſolatione noſtra, ab exemplis apoſtolorum, ab ipſa adoratione, quæ neceſſario invocationem requirit. Sed & idem dicet de Mediatoris officio, poſſe nimirum intercedere nunc pro nobis, ſed opus non eſſe. Poſſe item regere Eccleſiam, & ſuis ſuccurrere, ſed non oportere, cum officiis omnibus à Patre illi demandatis perfunctus ſit. Urgenda itaque aliqua neceſſitas. Alioqui ſatius erit ab hac controverſia temperare. Fruſtra enim de poſſibilibus laborabimus, illis prædicantibus, ſe quidem poſſe, ſed nolle temere tentare abſque præcepto. Viam verò tutiſſimam ſequi velle, nobis invocandi, quemcunque voluerimus, relicta libertate. Probetur igitur, membra Chriſti ſuum caput, & ducem, regemque ſuo ordine invocare debere; niſi Deo, & Chriſto injuriam facere velint, & ſummam ſibi ipſis jacturam inferre.

Ad hæc S. *in hunc modum reſcripſit.*

CUm quæritur de invocatione Chriſti, illud ſine dubio quæritur, utrum preces noſtræ ad ipſum Chriſtum dirigi aut debeant, aut poſſint; ita ut, orando, dicamus, Domine Jeſu hoc fac; hoc, & hoc nobis largire, &c. Qui igitur aſſerunt, nos debere Chriſtum invocare, id profecto videntur aſſerere, nos, cum precari volumus, ad ipſum Chriſtum precationes noſtras dirigere debere. Hoc autem à veritate ab eſſe demonſtrant ipſa Sacrarum Litterarum teſtimonia; Actor. 4. 14. &c. Quibus apertum fit, ipſos Apoſtolos Deum aliquando precatos fuiſſe, ad Chriſtum precationis verba nequaquam dirigentes. Id quod perpetuo Eccleſiæ uſu confirmatur, quæ in publicis, ſtatutis & conſuetis precibus non ad Chriſtum, ſed ad Deum verba dirigere conſuevit. Neque noſtrum, arbitror, quiſquam eſt, qui antehac ſæpiſſime in privatis precationibus ſuis ad ipſum Chriſtum verba dirigere non omiſerit. Itaque aut graviſſime & apoſtoli ipſi, & univerſa Chriſti eccleſia peccavit, & nos hactenus una cum illis, aut Chriſtum invocare non tenemur. Sed, quamvis Chriſtum invocare, id eſt, ad Chriſtum verba noſtra, cum precamur, dirigere non teneamur; id jure facere poſſumus tamen, cum & Chriſti diſcipulos id feciſſe conſtet, & Chriſtus in cœlis reſidens eccleſiæ ſuæ, quæ in terris eſt, dominetur, in eaque regnet, poteſtate ei ſubveniendi maxima & perpetua à Deo donatus noſtraſque preces atque adeo cogitationes, & ipſius cordis arcana percipere & penitus intelligere queat. Quocirca, etiamſi nullum extaret exemplum in Sacris Literis ſanctorum hominum, qui Chriſtum invocaverint; tamen nihil prorſus dubitandum videtur, quin à nobis ſummo jure invocari poſſet. Sicut enim Apoſtoli cùm ventis, & undis navicula, in qua una cum Chriſto erant, vehementer jactaretur, ac propemodum ſubmergeretur, non errarunt Chriſtum invocantes, eique dicentes Matth. 8. 28. *Domine ſerva nos, perimus*, quamvis alicujus ſancti hominis, qui ante ipſos in ejuſmodi periculo conſtitutus Chriſtum invocaſſet, exemplum nullum haberent; ſed ſatis fuit, eos in ipſo Chriſto poteſtatem eſſe ab eo periculo ſervandi, aut animadvertiſſe, aut firmiter credidiſſe; ita, etiamſi nullus ex iis, quos Spiritu ſancto plenos & Deo cariſſimos fuiſſe accepimus, in Chriſti invocatione nobis quodammodo præciviſſet, & ante nos preces ſuas ad Chriſtum ipſum direxiſſet; ſatis tamen, ſuperque eſſet, ut id jure facere poſſemus, manifeſto deprehendiſſe, eum in cœlis ſumma poteſtate præditum eſſe, atque ea omnino præſtare poſſe, quæ ab ipſo peteremus, ac precibus poſtularemus.

Cum igitur, ut ad propoſitum revertamur, dicimus, Chriſtum poſſe invocari, non id ſane dicere volumus, poſſe fieri, ut is invocari poſſit, ſeu fieri potuiſſe, ut is invocaretur. Sed conſtanter aſſerimus, poſſe nos, & quidem jure, quocumque loco & tempore, ad ipſum Chriſtum verba precationum noſtrarum dirigere, & ab ipſo in iis omnibus, quæ ad ejus eccleſiam, ſive ad aliquem noſtrum, quatenus ex eccleſia eſt, pertinere aliquo modo poſſunt, auxilium petere, ejuſque opem implorare. Ex quo efficitur, ut ejus regnum, poteſtatem, eccleſiæque gubernationem, quibus æternum illud ipſius ſacerdotium continetur, nullo pacto vel ipſi in dubium revocemus, vel alios revocare patiamur; ſed hæc omnia illi conſtantiſſimè tribuamus, atque ab aliis omnino tribui debere, contendamus. Nam alioqui quomodo, quæſo, eum

eum perpetuò invocari poſſe, & nos prorſus affirmare, & ut alii ſine hæſitatione ulla agnoſcant, & fateantur, curare auderemus?

Porrò illud animadvertendum diligenter eſt, quòd, cum ad Chriſtum ipſum preces noſtras dirigimus, à præcepto invocandi Deum nullo modo diſcedimus, etiamſi nullam expreſſam in verbis noſtris Dei mentionem faciamus; cum non, ut à ſe ipſo, ſive ab alio, quàm ab ipſo Deo, eam poteſtatem habentem, Chriſtum invocemus, ſed ut à Deo nobis regem, dominum, & gubernatorem, ac ſervatorem datum, ad ipſum confugiamus. Adeò ut revera, Chriſtum orantes, non ipſummet Chriſtum, ſed Deum potiſſimùm invocemus. At non viciſſim, cum Deum ita invocamus, ut preces noſtras ad ipſum Chriſtum nequaquam dirigamus, ſi aliquod invocandi Chriſti præceptum extare velimus, ei præcepto ſatis facimus; quamvis per ipſum Chriſtum Eccleſiæ cuncta largiatur Deus. Quemadmodum, ſi quis ſuæ civitatis Præfectum à Rege conſtitutum adeat, ab ipſoque aliquid petat, quod ad ejus munus pertineat, ab ipſo Rege id petere dicendus quidem erit, qui eum illi muneri præfecit, & ſuum vicarium conſtituit. At non viciſſim, ſi ipſummet Regem adeat, ab eoque aliquid petat, etiamſi id, quod petit, ſi impetraverit, Præfectus ille, Regis nomine, omnino ei daturus ſit, ab ipſo tamen Præfecto id petiiſſe dicetur. Itaque, cum extra omnem controverſiam, Deum ipſum, ex ipſius etiam Chriſti præſcripto, Matth. 6. 9. ita invocare poſſimus, ut ad eum ſolum verba precum noſtrarum dirigamus, concludendum omnino videtur, Chriſti invocandi, hoc eſt, ad ipſum preces noſtras dirigendi, nullum præceptum extare, nec ejus rei nobis ullam neceſſitatem ex divina præſcriptione incumbere.

Quòd ſi Invocationis Chriſti nomine non directionem (ut ita loquar) precationum noſtrarum ad ipſum Chriſtum, ſed agnitionem ipſius regni, poteſtatis, & gubernationis, quam à Deo adeptus eſt, quamque perpetuò exercet, intelligere velimus, ex qua veneratio, & adoratio ipſius Chriſti neceſſariò conſequitur, & viciſſim hæc ex illa; jam, ut ex ſuprà dictis apparet, non aliquam modo, ſed maximam Chriſti invocandi neceſſitatem, nobis præſertim, quibus tota Chriſti hiſtoria nota eſt, incumbere non diffitebimur. Verùm neque hæc agnitio per ſe Chriſti invocatio revera dici poteſt, aut potiùs à nobis dicitur; neque hoc illud eſt, de quo verè diſputatur: quamvis huc univerſa diſputatio tandem redigenda ſit. Immo adhuc Adverſarii ajunt, poſſe ſe concedere, Chriſtum id munus, eamque potentiam & dominationem habere quam nos ei tribuimus, & interim tamen, eum invocari nullo modo poſſe, nihilominus aſſeverare. Quod tamen falſiſſimum eſſe, omnes poſtmodum, Deo volente, videbunt. Quin ipſi Adverſarii propterea in hoc ſunt toti, ut Chriſtum invocari poſſe negent, quòd, etſi, ut dictum eſt, aliter loquuntur, vident tamen & ipſi ex univerſa poteſtate illa, quam nos Chriſto tribuimus, neceſſariò ſequi, ipſum invocari poſſe. Ut, ſcilicet, id negando, ejus ſimul poteſtatem negent; quam, neſcio quo ſpiritu acti, illi adimere omnino volunt, hocque potiſſimùm curant. Utinam verò id negare aliquando deſiſterent, & Jeſum Dei filium invocari, id eſt ad eum precationes noſtras dirigi poſſe, confiterentur. Nam pleniſſimè jam & Deo noſtro benigniſſimo, & præpotenti Chriſto ejus ſuus honor, hac in parte, & gloria conſtaret.

At Franciſcus ipſe Davidis, ſuperiorem Theſium & rationum ſuarum refutationem non exiguo ſanè ſcripto refellere eſt conatus, quod integrum quidem, ſed non ſimul totum, verùm in capita quædam, & particulas diſtinctum atque diviſum adſcribemus, interjectis poſt ſingulas particulas ejuſdem Socini reſponſionibus, quas in amicorum gratiam ex multò uberiore abſolutioreque, quod ab initio parabat, reſponſo ſuo ipſemet excerpſit, ac concinnavit.

FAUSTUS SOCINUS

Ad Lectorem.

ANtequam cum Adverſariis congrediamur, te admonendum cenſuimus, uſque ad caput ſeptimum, de priore tantùm theſi Adverſarii agi; & propterea nihil aliud in ſex primis capitibus quæri, niſi, an in ſacra ſcriptura Chriſto invocatio tributa fuerit nec ne: id eſt, an Chriſtus in ſacris litteris invocatus fuiſſe legatur, ſic enim potiſſimùm & nos Theſim iſtam accipimus, & ipſe Adverſarius, cap. 2. part. 1. (quamquam ibidem parum ſibi conſtans) eam interpretari videtur: non autem, an invocari debeat. Quò tamen ipſe ferè ſemper diſputationem pertrahere conatur, atque ea ratione teſtimonia à me de Chriſto invocato allata infirmare, quamvis ea de re in univerſa diſputatione numquam agatur. Quin etiam propter eandem cauſſam hic ne diſputatur quidem apertè, an Chriſtus invocari poſſit, etiamſi huc omnis noſtra diſputatio reſpicit. Id enim fieri demum incipiet ſeptimo capite; ubi de altera Adverſarii Theſi diſputandi initium fiet, in qua, Chriſtum invocari poſſe, planè negatur.

FRANCISCI DAVIDIS SCRIPTUM intermiſta, ut dictum fuit, ad idem FAUSTI SOCINI Reſponſione.

FRANSISCUS DAVIDIS, FAUSTI SOCINI objectis ſic reſpondet:

Cap. I.

IN probandis, vel improbandis controverſis dogmatibus, neceſſe eſt litteram adferre, & id quod aſſeritur manifeſtè demonſtrare. Videmus enim ipſum Deum, in verbo ſuo hoc obſervaſſe, ut id quod fieri velit, manifeſtè præcipiat; id verò quod nolit, prohibeat, ut ex Decalogi præceptis conſtat. Verum præſentem quæſtionem ſumamus loco exempli. Præcipit Deus, Matt. 3. 17. & 17. 5. ut filium ſuum nobis voluntatem ipſius proponentem audiamus, contraria verò huic repudiemus.

Primum igitur omnium inquirendum eſt, an Deus pater præceperit, ut filium ſuum invocemus, an verò ipſe filius unquam dixerit, Me invocate. Quodſi minus in ſacris litteris repertum fuerit, certè admittendum non eſt ut hoc dogma ſtatuamus, Chriſtum invocandum eſſe. Non enim ego ſubtili illi diſtinctioni, poteſt invocari, ſed non eſt neceſſe, inſiſto. Si hoc ἀξίωμα recipi debet in Eccleſia, Non eſt neceſſe ipſummet vocabulum Invocationis ſcriptum legere, verum illi ſimilia, & quæſtio noſtra eſt de invocatione, quomodo quæſtio de invocatione diſſolvi poſſit, non video. Scimus & in prioribus diſceptationibus hoc controverſum eſſe, vocabula quidem Eſſentiæ, & Perſonarum, non inveniri in verbo Dei: at ex ſimilibus locis ſcripturæ id probari poſſe, & explicandi gratia, ſanctos patres illis vocibus uſos fuiſſe, & uti poſſe ad comprobandam illorum aſſertionem; quod infirmum eſſe demonſtratum eſt & rejectum; ut hoc quoque quod dicitur, Etiamſi ipſummet vocabulum Invocationis non legatur, tamen ex ſimilibus poſſe colligi, & affirmari invocationem Chriſti, debile & infirmum eſſe, omnis veritatis amans facillimè cernere poteſt.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Ridiculum eſt litteram eo ſenſu quo tu facis, poſtulare. Non enim uno tantummodo verbo, ſed multis, ſive ſingulis ſive pluribus ſimul, eadem ſententia exprimi poteſt. Alioqui, etiamſi millies diſerte ſcriptum eſſet, poſſe nos à Chriſto, poſtquam in cælum aſcendit, ſummo jure cum cultu, & vera cordis fiducia petere quidquid nobis ſit opus; adhuc tamen tibi negare liceret, Chriſtum invocari jurè à nobis poſſe; quia ſcilicet, hic ipſum Invocandi verbum ſcriptum non fuiſſet. Quod longe abſurdiſſimum eſſe, te ipſum agniturum, non deſpero. Mirum eſt autem, te litteram poſtulare, cum ipſe in tota hac diſputatione, tuis miris quibuſdam conſecutionibus fretus, nec litteram umquam afferas, & allatam perpetuo ſpernas. Cætera, quæ in hoc capite dicis, non ſunt hujus loci propria, & idcirco alibi excutientur.

CAP. II.

FRANSISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. At videamus an ipſum vocabulum Invocandi Chriſto attributum ſit, Et an à Chriſto, fiducia vera cordis, bona ſpiritualia petita ſint. Profertur exemplum ex Act cap. 7. At mandatum expreſſum nullum. An vero ab exemplis, & non per regulas judicandum & ſtatuendum ſit, de controverſiis dogmatum, tu ipſe judicabis.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Cum hoc loco, ut tua ipſius verba fatentur, quæratur, an Chriſtus invocatus fuerit, tantum abeſt, ut exempla invocati Chriſti ad quæſtionem decidendam non ſufficiant, ut potius non niſi ejuſmodi exemplis agi poſſit. Nam etiamſi mille expreſſa præcepta afferrem de invocando Chriſto; tamen hoc loco, nihil agerem. Poſſet enim fieri, ut millies juſſum fuiſſet, nec tamen umquam factum eſſet. Quamquam exempla ſanctorum hominum, dum ſpiritu Dei aguntur, niſi expreſſum Dei verbum repugnet, nobis pro regula actionum noſtrarum eſſe & poſſunt, & debent. Cæterùm, antequam longiùs progredamur, animadvertendum cenſeo, teipſum hîc ſatis oſtendere, in priore tua Theſi verba illa, *à Deo*, perperam, aut certe fruſtra poſita eſſe, & rectiùs te facturum fuiſſe, ſi, ut hic facis, ea omiſiſſes: ac præterea invocationis vocabulum, non *cultum & fiduciam, quæ petimus*, &c, ut feciſti, ſed *petitionem*, quemadmodum hîc loqueris, *quæ cum cultu & fiducia fit*, interpretatus eſſes, atque ita dixiſſes, *Quandocunque vocabulum Invocationis pro petitione accipitur, quæ cum cultu & fiducia fit, bonorum*, &c. Ego quidem, ut apparet, in priori meo ſcripto, Theſim iſtam tuam in hunc ſenſum accepi, & in hoc poſteriore, te ipſo præſertim annuente, perpetuo accipiam.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 2. Sed videamus, an id quod controvertitur hac ratione probetur. Textus habet: *Et lapidabant Stephanum invocantem & dicentem, Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Duo ſunt quæ falſo hinc colligi invocationem Chriſti evincant. Primùm indefinita propoſitio, quæ hîc recitatur. Secundò ambiguitas vocabuli invocationis. Multis enim modis probari poteſt, invocationem hanc non ad Chriſtum, verum ad Deum patrem referendam eſſe.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Verbum Invocandi tranſitivum eſt; & ideo aliquis, qui invocetur, ſubaudiri debet. Nec alius ſubaudiri poteſt, quàm Jeſus, qui in ipſis invocationis verbis compellatur, & ad quem invocatio dirigitur. Quod ſatis eſt, ut Jeſum eo loco invocatum fuiſſe intelligamus; etiamſi Invocandi verbum intranſitivè uſurpatum eſſet.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 3. Primum, quòd ipſe Chriſtus hac forma utens, ad patrem ſe convertit dicens: Luc. cap. 23. 46. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Item, quòd aliæ quoque orationes piorum, eadem phraſi, non ad Chriſtum, verùm ad Deum patrem referantur. Hæc ratio adeo evidens eſt, ut nullis argutiis refelli poſſit.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Exemplum Chriſti nihil ad rem facit; cum Chriſtus ſeipſum invocare non poſſet, & multum interſit inter Chriſtum mortalem adhuc atque in terris degentem, & eundem immortalem factum atque in cœlis ad dexteram Dei ſedentem. Cæterorum exempla, ſi ante Chriſtum ſunt, nullius ſunt ponderis; cum nondum Chriſtus extitiſſet, qui invocari poſſet: Si poſt Chriſtum, nihil ſimiliter probant, niſi demonſtretur, ea, quæ Deo tribuuntur, Chriſto tribui nullo modo poſſe. Id autem nunquam fiet, cum planè contrarium univerſa Scriptura ſonet; ut ſuis locis videbimus. Quamquam nullum (ut arbitror) exemplum poſt Chriſtum glorificatum hominis ſuum ſpiritum commendantis, præter hoc Stephani, in ſacris literis invenies.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 4. Perpetua enim Chriſti doctrina eſt, quod ipſe docuit, ac fecit, id nos quoque docere ac facere debemus. Et ſicut in veteri Teſtamento Anathema fuit, qui aliquid addidit, vel ademit ex verbo Dei, Deut. 4. 2. Deut. 12. 32. Prov. 30. 6. idem quoque de ſcriptis novi Teſtamenti Apoc. 22. 8. dicit. Certe ſi vel ipſius Chriſti, vel patris ſui voluntas fuiſſet, ut ipſe invocaretur, illud vel unico verbo ſignificaſſet. Inquit enim Joan. 15. 15. Omnia quæ audivi à patre meo cœleſti ſignificavi vobis. Quod ipſe dixit & fecit nulli dubium eſſe poteſt nobis quoque idem dicendum & faciendum eſſe. Verùm ipſe dixit & juſſit, patrem ſuum cœleſtem invocari. Quid ergo extra præceptum & mandatum Dei patris & Chriſti alium quærimus? Divinitus nobis commendatum Chriſtum, non invocandum, verùm audiendum eſſe præcepit pater, & ut illum, magiſtrum noſtrum & præceptorem eſſe agnoſcamus, & credamus, illum veram firmam & perpetuam propoſuiſſe doctrinam.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. De eo, quod in hoc invocationis negotio ipſe Chriſtus fecerit, ut proximè dictum eſt, quæri non niſi ineptè poteſt. De eo autem, quod docuerit, quærendum profectò eſt. Sed cum hoc loco quæſtio noſtra ſit, utrum ipſe fuerit invocatus, poſtquam in cœlum aſcendit, niſi ex ejus doctrina apertè probes, non licere ipſum poſt id tempus invocare, nihil efficies; præſertim, cum ante illud tempus Patris invocatio, à Chriſto præſcripta, ipſius Chriſti invocationem non excluſerit. Invocatus enim fuit Chriſtus, dum hic mortalis ageret, ſatis frequenter; quemadmodum apparet Matth. 8. 2. & iterum eodem capite ℣. 5. Marc. cap. 5. 22. Matth. 9. 27, & cap. 15. 22. & cap. 17. 15. Marc. 10. ℣. 47. Joh. 4. ℣. 47. Atque inter cæteros, qui eum invocarunt, ab ipſiuſmet diſcipulis fuit invocatus, Matth. 8. ℣. 25, & capite 14. ℣. 30. Luc. 17. 5. In his enim omnibus locis ab eo vera cordis fiducia, & in multis cultu quoque exteriore adhibito, ea petita ſunt, quæ à ſolo Deo alioqui peti poſſunt

Nec

Nec tamen eorum quiſquam, qui id fecerunt, eo nomine à Chriſto reprehenſus eſt. Immo præterquàm quod omnibus, quæ petierunt, gratificatus eſt, aliqui etiam ex ipſis vehementer ob id ipſum ab eo ſunt commendati. Præterea Chriſtus ut infrà videbimus, non pauca dixit, ex quibus, eum nunc invocari poſſe, apertè conſtat. Quanquam ſatis fuiſſet, id aliunde conſtare; ut certè conſtat ex admirandis operibus, poſtquam hinc abiit, in ejus nomine factis. Patris voluntas, ut ejus doctrinam veram firmam & perpetuam eſſe credamus, invocari poſſe Chriſtum, omnino ſuadet. Vix enim iſtud, quod Pater vult, fieri poſſe videtur, niſi Chriſtus invocari poſſit; ut infrà ad finem cap. 9. & in initiis cap. 13. & 22 oſtendemus.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Secundò, textus ipſe verum hoc eſſe evincit. Non enim ſtantem, verùm Deum illum, cujus gloriam vidit, invocavit. Nam qui aſtant & ipſi petunt & invocant, non ab illis aliquid petitur, neque invocantur, ut ſit ſenſus: Tu vere Deus qui miſiſti Jeſum, ut eſſet Chriſtus, ac ob id vere dominus es ipſius, cujus confeſſionis gratia cum ego jam occidar, commendo ſpiritum meum in manus tuas. Nam verborum præcedentium: *Ego video cælos apertos, & Chriſtum ſtantem à dextris Dei*, hic poteſt eſſe ſenſus: Ego Stephanus, quamvis vos omnes negetis, Jeſum eſſe excitatum à Deo, receptumque in cælos, atque Chriſtum eſſe factum, tamen certò hoc ſcio, ac ſi cæli eſſent aperti, & jam ipſum viderem ſtantem ſeu permanentem ad dexteram Dei.

Faustus Socinus.

Resp. Stantis geſtus, qui orantem declarat, non eſt, cum quis à dextris alicujus ſtat: ſed cum coram aliquo ſtatur. Hierem: 15 ℣. 1. & cap. 18. ℣. 19. Tametſi nihil prohibet, quominus is, qui orat, ab alio ipſe oretur; præſertim, ſi non pro ſeipſo, vel non pro iis ipſis obtinendis, quæ abſe petantur, oret. Chriſtum autem jam non pro ſeipſo orare, vel certè, non ut ſuſcipiatur ſpiritus ſuus, teipſum negaturum non credo. Senſus eorum verborum Stephani, Act. 7. 56. *Ecce ego video cælos apertos*, &c. Non poteſt eſſe, quem tu dicis; cum paullo ante idem prorſus, quod attinet ad Jeſum ſtantem à dextris Dei ab eo conſpectum, in ipſa hiſtorici narratione ſcriptum ſit: in qua ejuſmodi allegorici ſenſus locum habere non poſſunt. Sed ita nimirum locum interpretari contra manifeſtam veritatem tentas, quia animis ſententiæ tuæ obeſt, quod permanſio illa Chriſti à dextris Dei ejuſmodi ſit, quæ oculis noſtris conſpicienda præberi aliquo modo poſſit.

Franciscus Davidis.

Particula 6. Tertiò cum perpetua veritas ſcripturæ ſacræ ſit, unum ſolum verum Deum, creatorem cœli & terræ invocandum eſſe, omnia teſtimonia, & exempla invocationis eo referre oportet, niſi ſcripturam ſacram contra hanc analogiam interpretari velimus; quia impedit, quominus Dominum Jeſum ſeu Salvatorem ipſum patrem intelligere poſſimus. An ille non eſt Salvator? Imò: Tit. 2. 22. & 1 Tim. 1. 1. & paſſim alibi Salvator appellatur. Aut is qui eſt dominus Jeſu non eſſe poſſit pater illius, quemadmodum Matth. 11. 25. deum illum creatorem Dominum appellat? Nimis exile & tenue eſt, non additum eſſe articulum τῷ, ergo κύριε ἰησοῦ non eſſe referendum ad patrem, ſed ad ipſum Jeſum. Nonne ego ſimiliter argumentari poſſum, Non additus eſt articulus Chriſtum deſignans, Tu domine Jeſu, vel O domine Jeſu, quæ evincerent, ſimpliciter hanc invocationem de Jeſu Nazareno intelligendam eſſe, Ergo invocatio hæc ad Jeſum Nazarenum referri non poteſt? Huc pertinet & hoc, quòd Jeſus, cum in terris eſſet, & aliquid ab eo peteretur, ut ab aliis diſtingueretur, qui Jeſu nomine appellati fuerunt, non ſimpliciter Jeſus dictus eſt, verùm Jeſus filius David, Jeſus filius Dei altiſſimi, Item Jeſus Chriſtus & ſimilia. Hæc vera & certa ſunt.

Faustus Socinus.

Resp. De hac perpetua veritate ſcripturæ ſacræ infrà Cap. 17. accuratiùs diſſeremus. Quamquam per eam, utut intelligi debeat, Chriſti invocationem non excludi, jam, teſtimoniis apertiſſimis citatis, oſtenſum eſt; & deinceps, iis examinandis, quæ in priore meo ſcripto attuletam, quibus nonnulla adjungemus, oſtendetur. Non igitur ei ita confidere debes, ut manifeſta verba Scripturæ te eludere poſſe ſperes, in quibus Jeſus invocatus fuiſſe legitur. Nam, quòd Jeſum hîc nihil aliud eſſe vis, quàm Servatorem, quo exemplo id probas? Eſt quidem id nomen ductum à verbo Hebraico, quod ſervare ſignificat; nomen tamen eſt proprium, nec umquam appellativum eſſe poteſt; & hominem quendam, non autem ſervatorem deſignat. Immo talem hominem interdum deſignare poteſt, qui quàm longiſſime à ſervandi officio abſit. Quod autem addis, nomen ἰησοῦ genitivi caſus eſſe poſſe; id hoc loco admitti non debere, rationes à me in priore ſcripto allatæ demonſtrant; quibus tu nihil propemodum reſpondes. Credidiſti fortaſſe, rationi illi meæ, quòd Deus nuſquam hac loquendi formula, nempe, Dominus Jeſu, nominetur, poſſe te opponere locum illum, quem citas Matth. 11. 25. Verum ibi non ſolum iſta loquendi formula non habetur, ſed neque etiam Deus à Jeſu dominus ſuus appellatur; ad quod nominatim extra rem, probandum, locum illum attuliſti. Nam ibi Jeſus Deum non ſuum dominum (quod tamen facere poterat) ſed cæli, terræque dominum appellat. Inſtantiæ autem ſive objectiones tuæ, contra rationem illam meam non additi articuli, nihili ſunt; cum non perinde atque articulus ille, adverbium vocandi O, aut pronomen Tu (quæ ipſe tamen articulos appellas) ſenſum verborum certiorem aut apertiorem efficere queant. Qui ſive eæ voces adſint, ſive abſint, idem prorſus per omnia ſemper erit. Quid autem erat opus, nomini Jeſu aliquam peculiarem notam addere? Nam quis erat præter Chriſtum, qui Jeſu nomine vocaretur, cui Stephanus ſuum ſpiritum commendare poſſet? Certè Lucas, non multò ante recitationem verborum Stephani, Jeſum ipſum Nazarenum ſimpliciter Jeſum appellavit; & Johannes in extrema Apocalypſi ſimili modo, ut hîc fit, nulla certiore nota præterea addita, eum compellat, inquiens, *Etiam veni Domine Jeſu*. Denique nullo proprio hominum nomini in tota ſcriptura ſimplex appellativum nomen Domini præponi invenies, niſi nomini Jeſu, cum Jeſum Chriſtum ſignificat, qui paſſim Dominus Jeſus ſimpliciter appellatur. Nuſquam enim ſcriptum reperies, exempli cauſſa, Dominus Moſes, Dominus Salomon, Dominus Petrus, &c. Nam Num. xi. 28. non *Domine Moſes*, ut apud Theodoretum in Quæſt. Latine converſis legiſſe memini, ſed *Domine mi Moſes*, ut & Latina & Græca, quæ hodie utimur, interpretatio habet, legi debere dicendum omnino eſt. Similis locus eſt de Elia 1 Reg. 18. 7.

Fransiscus Davidis.

Particula 7. Verùm, cum addictis ſuis opinionibus minimè ſatiſfaciant: Demus hęc verba non ad Patrem, ſed ad ipſum Chriſtum referenda eſſe, contra manifeſta ſacræ ſcripturæ teſtimonia, quid conſequetur? Chriſtum invocandum eſſe, & ab eo bona ſpiritualia petenda eſſe? Minimè, Deus enim ſingulari revelatione Stephano oſtendit, Jeſum eſſe Chriſtum, & eſſe illum in gloria ſua; illum ergo invocabat Stephanus, & Jeſum Chriſtum eſſe profitebatur: quo audito, eum lapidabant, Actor. cap. 7. Ut igitur propter hanc profeſſionem, Jeſum eſſe Chriſtum, moritur, & eum

hac

hac ratione invocat; ſic & eum teſtem ſuæ confeſſionis eſſe vult, ut ſpiritum ſuum recipiat, & tanquam juſtus judex in illa die illum corpori ſuo reſtituat, ex præcepto, & poteſtate Dei patris. Hoc ſenſu vocabulum Invocationis accipi, cum Chriſto tribuitur, ex præmiſſis & ſequentibus certum eſt, & patebit magis.

Faustus Socinus.

Resp. Quæ hoc loco dicis, vix teipſum intelligere arbitror. Si, ut apparet Jeſum à Stephano invocatum fuiſſe vis, quatenus, eum Chriſtum eſſe, confeſſus eſt, ineptiſſimè verbum Invocandi interpretaris, ut mox in ſeqq. cap. demonſtrabimus. Si fateris, Chriſtum potuiſſe teſtem advocari confeſſionis Stephani, cur ei alibi, quia à nobis corpore abſit, multa adimis, quæ minùs corporis præſentiam requirunt, quàm videre, & audire ea, quæ dicuntur, & fiunt, requirat? Qua de re vide, quæ dicemus infrà ad finem cap. 5. Neque enim exiſtimandum videtur, ita præſentem Chriſtum Stephano exhibitum fuiſſe, ut vicinior, quàm antea erat, corpore illi fieret, aut certè non ita, ut naturali ratione, quæ Stephanus faciebat, & dicebat, videre, & audire poſſet. Si denique concedis, Stephanum, ſi non petiiſſe, ac certè ſperaſſe a Chriſto, ut reciperet ſpiritum ſuum; jam eam poteſtatem Chriſto concedis, quæ juncta exauditioni precum noſtrarum, quam hîc ſatis apertè affirmas, licet alibi eam neges, eum, ut recipiat ſpiritum noſtrum, à nobis invocari poſſe, demonſtrat. Conſentit autem cum hac Stephani petitione id, quod Paulus dicit; 2 Tim. 1. 12. Scire ſe, cui credidiſſet, & pro certo habere, ipſum ſervaturum depoſitum ſuum in diem illam; & id quoque, quod ipſe Chriſtus teſtatus eſt; Joh. 10. 28. Nempe, ſe vitam æternam dare ovibus ſuis, eaſque in æternum non perituras, nec rapturum eſſe quemquam eas de manu ipſius.

Cap. III.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Vocabulum Invocationis Chriſto attributum, & aliis, 1 Cor. 1. Rom. 10. Actor. 1. Actor. 9. & 10. & paſſim alibi, mutat vocis ſignificationem, Non enim de cultu aliquo & petitione intelligitur, verùm de nomine & profeſſione. Affirmas te nunquam vocabulum Invocationis hoc ſignificatu legiſſe. At ego phraſim hanc in veteri & novo Teſtamento uſitatam eſſe video Geneſ. 48. 16. Iſai. 4. 1.

Faustus Socinus.

Resp. Phraſis de qua controverſamur, eſt ſimpliciter, Invocare nomen alicujus; quam ego nego me umquam legiſſe ſine ſignificatione, aut tacita aut aperta, cultus & fiduciæ, quæ in eo, cujus nomen invocatur, collocetur. Exempla, quæ ex vetere Teſtamento citas, eam phraſim non continent: ſed aliam, quæ eſt, Invocari nomen alicujus in aliquo, ſive ſuper aliquo. Ex novo quæ citare vis, ſunt ea, Act. 1. & 10. quæ inter eos locos commemoras, in quibus vocabulum invocationis Chriſto & aliis attributum, nomen tantùm, & profeſſionem ſignificet. Ibi autem non modò hæc phraſis, invocare nomen alicujus, ſed ne verbum quidem ipſum invocandi habetur, ut poſtea videbimus. Inter prædictos autem locos numeras imprudens etiam illum Rom. 10. qui ſolus, ut infrà dicetur, errorem tuum in tota hac quæſtione noſtra patefacere omnibus poteſt.

Fransiscus Davidis.

Particula 2. Aliud eſt invocare aliquem ut nos ſervet, & aliud ἐπικαλεῖν nominare aliquem ſervatorem. Hoc fit in iis, quibus ſunt indita aliqua cognomina ob eos honores, quos à Deo habuerunt. Illud eſt in eo qui vocatur ut opem ferat. Ad hujus rei firmiorem intellectum legantur omnia Apoſtolorum ſcripta. An alibi ſcriptum ſit, aliquem invocaſſe Jeſum poſt mortem, ut opem ferat, & tunc ſtatuere poſſumus, quale ſignificatum habeat vox ἐπικαλεῖσθαι, cum ad Chriſtum refertur, maxime cum ſcribatur 1 Cor. 1. *Cum omnibus qui invocant nomen Jeſu Chriſti*, Actor. 9. 14. *Omnes qui invocant nomen tuum*. E contrario autem non legamus aliam ob cauſam fuiſſe Paulum Adverſarium Eccleſiæ, niſi quòd illa Jeſum cognominaret eſſe Chriſtum, nec aliud fuiſſe in ore omnium eorum qui ſalutem deſiderabant in omni loco & proprio & alieno, quàm Jeſum eſſe Chriſtum.

Faustus Socinus.

Resp. In locis, de quibus nobis agendum eſt, ubi ſcilicet Jeſu Chriſti nomen invocatum fuiſſe dicitur, non eſt verbum ἐπικαλεῖν, ſed verbum ἐπικαλεῖσθαι: non quidem paſſivum, aut medium τῶ ἐπικαλεῖν, ſed deponens. Quod verbum ſignificationem Cognominandi numquam habet; & in prædictis locis Invocandi tantummodo habere poteſt. Quare quidquid dicis, ut probes, verbum illud non Invocandi propria ſignificatione, ſed Cognominandi in illis locis accipi debere, id omne fruſtra eſt. Præterea, ſi interpretatio tua admitteretur, recipienda eſſet hæc phraſis, Cognominare nomen alicujus; quæ nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara quidem eſt: ſed à te, ſive ab aliquo, quem ſecutus ſis, primum conficta. Nominare nomen alicujus eleganter dicitur, ſed cognominare, nullo prorſus modo. Nihil autem dico, quòd, etiamſi phraſis iſta tua admitteretur, non tamen inde efficeretur, in locis illis dici, Jeſum cognominatum fuiſſe Chriſtum; ſed fortaſſe nomen vel Jeſu, vel Jeſu Chriſti cognominatum fuiſſe. Quo autem cognomine, honorificone, an turpi, id neutiquam conſtaret.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Præterea quem certiorem interpretem verborum, in explicatione quæremus, quàm ipſa facta, & geſta apoſtolica? Quid dicit Paulus? quid Ananias? quid Lucas? Hoc videlicet, omnes Chriſtianos, ubique gentium Jeſum Chriſtum ἐπικαλεῖν Invocare conſueviſſe, quomodo? in precibuſne ad eum pro auxilio recurriſſe? atqui nullus unquam legitur hoc feciſſe. Si igitur ex duobus ſignificatis, quæ habet vox ἐπικαλεῖν unum hoc exluditur, remanet aliud, quod videlicet in omnibus Eccleſiis, & in omni loco, ubi Chriſtiani erant fuiſſe legimus, ut ἐπικαλεῖν ſit Jeſum cognominare Chriſtum, ſicut Simon cognominabatur Petrus, & Joſephus Barſabas, alia tamen atque alia ratione.

Faustus Socinus.

Resp. Paulus, Ananias, Lucas, vel potiùs apud Lucam ii qui Paulum, dum Chriſtum ab initio prædicaret, audiebant, non dicunt, Chriſtianos Jeſum Chriſtum ἐπικαλεῖν conſueviſſe, ſed ἐπικεκλῆσθαι, ſive ἐπικληθῆναι nomen Jeſu Chriſti. Inſpiciantur loci, qui ſunt Actor. 9. 14, & 21: 1 Cor. 1. 2. Ubique enim eſt participium ἐπικαλούμενος verbi deponentis ἐπικαλοῦμαι, regens poſt ſe vocem ὄνομα, id eſt, Nomen, non autem Jeſum. Quapropter, etiamſi verbum illud cognominandi ſignificationem haberet; non tamen, ut paullo ante diximus, ſenſus ullo modo eſſe poſſet, quod Jeſum cognominarent Chriſtum. In locis illis, ubi Simon dicitur cognominatus fuiſſe Petrus, & Joſephus cognominatus fuiſſe, non quidem Barſabas, ut tu ſcribis, ſed Iuſtus, qui ſunt Act. 10. 5, 18, & 32: & cap. 1. 23. Eſt quidem verbum ἐπικαλεῖσθαι, ſed paſſivum, quod verbum Cognominari, ſeu cognomento vocari ſignificat; & neque ibi, neque fortaſſis uſquam alibi per Invocandi verbum reddi poteſt; ut nulla prorſus in iis locis, ſive Latinos, ſive Græcos codices

dices ſequaris, invocationis mentio fiat. Adde, quòd ibi vocem Nomen non habet, quæ ad phraſim noſtram, de qua diſputamus, conſtituendam omnino requiritur. Quid autem, quæſo, commune habet hæc locutio, Simon cognominatur Petrus, cum illa, Invocatur nomen Jeſu Chriſti?

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 4. Poſtremò omnes conatus Pauli, cum accepiſſet literas à principibus Jeroſolymitanis, nonne eo tendebant, ne id fatetentur, quod cum Stephanus negare noluiſſet, ſpectante Paulo à Judæis eſt interfectus? Et quod primum Paulus converſus fateri & concionari cœpit, nihil aliud fuit, quam Jeſum eſſe Chriſtum, & non, invocandum fuiſſe in precibus Jeſum Chriſtum. Occiderunt, inquit Stephanus, eos, qui prænunciabant de adventu juſti illius, cujus vos nunc proditores & occiſores fuiſtis Act. 7; *Et ecce video cœlos apertos, & filium hominis Jeſum ſtantem à dextris Dei eſſe Chriſtum*, quæ verba ut blaſphemiam averſati illi aures immiſſis digitis obturaverunt, ne illa audire poſſent. Et de Paulo Lucas inquit Act. 9, *Continuo ingreſſus Paulus in Synagogas prædicabat Chriſtum, quòd is eſſet Filius Dei*, Rex & Meſſias. Et ſequitur: *Stupebant autem omnes qui eum audiebant nunciantem, quòd Jeſus eſſet Chriſtus. Et dicebant, Nonne hic eſt, qui expugnabat Jeroſolymis eos, qui invocabant nomen iſtud? Saulus autem multo magis invaleſcebat & confundebat Judæos, qui Damaſci habitabant, affirmans, quòd Jeſus eſſet Chriſtus.* Hæc eſt invocatio illa, qua Jeſus Chriſtus omni in loco invocabatur, & de qua ſcribitur, *Domine audivi de viro hoc*, &c.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quidquid hoc loco dicis, nihil te adjuvare poteſt, cum, ut viſum eſt, interpretatio illa tua verbi ἐπικαλεῖσθαι ſuſtineri nequeat. Quinetiam tibi maximè obeſt. Nemo enim ex animo fatetur, Jeſum eſſe Chriſtum, quin ſimul eum pro rege ſuo agnoſcat (nam Chriſtus, ut pueri ſciunt, nihil aliud re ipſa, quàm Regem ſignificat) & proinde, tanquam regem ſuum ſibi à Deo datum colat, & revereatur, ab eoque confidenter ea omnia petere audeat, quæ ad ejus regnum ſpectant. Nam quòd regem quidem, ſed nondum regnum habentem, Paulus, & cæteri Jeſum publicè confiterentur, id quàm veritati adverſetur, infrà cap. 9. partic. 10. breviter oſtendemus. Neque verò, ſi Chriſtiani ea periphraſi nominati fuiſſent, Qui Jeſum cognominant Chriſtum, de ſimplici cognominatione iſtud accipiendum eſſet. Quandoquidem non is Chriſtianus eſt, qui, cum Jeſum nominare vult, eum Chriſtum appellat, ſed qui ex animo profitetur, Jeſum eſſe Chriſtum. Quocumque igitur te vertas, & quomodocumque contra omnem grammaticam, & linguæ uſum, atque adeò contra manifeſtiſſimam veritatem eos locos interpreteris, ubi nomen Jeſu Chriſti invocatum fuiſſe dicitur, effugere non potes, quin fatearis, Jeſum, ut verum regem à Deo datum, cultu & veneratione affectum fuiſſe, & porrò agnitum eſſe, ab eo multa confidenter peti poſſe. Verum, cum Invocare nomen alicujus, ut dictum eſt, cultum, & fiduciam erga illum, cujus nomen invocatur, omnino comprehendat: ut ex diligente examinatione omnium locorum tum veteris, tum novi teſtamenti, ubi ea phraſis reperiatur, conſtare poteſt: ex quo cultu, atque fiducia invocatio, id eſt, imploratio, quæ fieri poſſit, neceſſariò conſequitur: cumque Chriſtianum eſſe, & Nomen Jeſu Chriſti invocare pro edem accipiantur; apparet manifeſtè, non poſſe Chriſtianum jure dici, qui Jeſum Chriſtum non colat, inque eo fiduciam non collocet, ſeque ejus opem implorare poſſe non agnoſcat, & confiteatur. An non ipſe imprudens idem fateris, cum in hujus cap. initio verba illa Pauli Rom. 10. ubi invocationis fit mentio, ad Chriſtum referri concedis? Quis enim eſt, qui Invocandi verbum eo in loco opis implorationem, & eam invocationem, de qua diſputamus, ſignificare non agnoſcat? Nam tu ipſe idem agnoſcis infrà cap. 23. Sec. 4. ut ibi oſtendemus. Ego quidem in priore meo ſcripto locum illum non attuli, quia ſciebam, multos ex noſtris ipſis non ad Chriſtum, ſed ad Deum ea verba referre. Verumtamen, ad Chriſtum omnino referenda eſſe, multa probant, ſed inter cætera maximè id demonſtrat, quòd de eodem dicuntur, de quo dicta ſunt illa apud Eſaiam cap. 28. 26, *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Quæ verba ad Deum referri non poſſe, ſed ad Chriſtum omnino pertinere, cum per ſe apertiſſimum eſt, tum Pauli teſtimonium confirmat Rom. cap. 9. in fine, ac ſimul Petri auctoritas in priore epiſt. cap. 2. verſ. 6. Nec obſtat, quòd ibidem ea verba dicantur Joël. 2. 32, *Nam quicumque nomen Domini invocaverit, ſalvus erit*, quæ apud Joëlem de Deo ipſo dicta ſunt. Nam, quæ de Deo ipſo ſunt ſcripta, ad Chriſtum à Paulo, & aliis novi fœderis ſcriptoribus interdum accommodari, docere videntur hi loci, Joh. 19. ℣. 37. Rom. cap. 14. ℣. 10, & 11: Epheſ. cap. 4. ℣. 3. Hebr. cap. 1. ℣. 6, & 11. &c.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 5. Satis ſuperque ex his manifeſtum eſt, vocabulum Invocationis Chriſto non tribui, quando pro cultu & fiducia ea accipitur, cum à Deo bona corporalia & ſpiritualia petimus: Et cum vocabula non ſint, neque res ipſas exiſtere poſſe, ex vocabulis enim res ipſæ conficiuntur.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Jam te hoc adverſus apertiſſimam veritatem aſſerere, omnes videbunt, atque adeò adverſus ipſum teſtimonium tuum; ut ex locis omnibus, qui à me contra hanc aſſertionem tuam allati ſunt, & ex tua ipſius eorum interpretatione conſtat. Atque ita tandem, ipſomet Invocandi verbo expreſſo, Chriſto invocationem, id eſt, opis implorationem, quæ etiam cum cultu & fiducia conjuncta ſit, tributam in ſacris litteris fuiſſe manifeſtum eſt.

CAP. IV.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Nunc videamus quomodo contra fundamentum & analogiam verbi Dei conſequentiæ extruantur. Primum eſt, Paulus in initio omnium epiſtolarum ſuarum petit gratiam & pacem non ſolùm à Deo patre, verumetiam à Chriſto. Hanc ob cauſam invocandus eſt Chriſtus. Reſpondeo. Plus eſt in conſequente quàm in antecedente. Non enim omnis qui confert gratiam & pacem invocandus eſt. Conferunt enim gratiam, & pacem & Apoſtoli, & ſeptem Spiritus, & ipſe quoque Spiritus ſanctus. Num ergo quis legitime contendet, Apoſtolos, ſeptem Spiritus, & ipſum quoque Spiritum ſanctum invocandum eſſe? Abſit.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Argumenti mei antecedens non eſt, Chriſtus confert gratiam, & pacem: ſed Paulus in ſuis epiſtolis à Chriſto gratiam, & pacem precatus eſt; ut ipſe in argumento meo explicando ſatis apertè teſtaris. Conſequens item non eſt, Ergo Chriſtus eſt invocandus: ſed, Ergo Chriſto in ſacra ſcriptura invocatio tributa eſt. Non enim adhuc aliud quærimus, niſi, an Chriſtus in ſacris litteris, vera invocatione, invocatus fuerit. Sed tu, ſcilicet, perpetuò ferè in hac diſputatione noſtra, quò tuam cauſſam quoquo modo juves, Chriſtum invocandum eſ-

ſe, me dicentem facis, cum tamen ego nuſquam aliud dicam, niſi, vel Chriſtum invocatum fuiſſe, vel invocari poſſe. Nam, quemadmodum tu utrumque negas, ſic ego utrumque affirmo. Igitur, ut dictum eſt, id tantum hoc loco aſſero, Chriſtum invocatum fuiſſe; idque ex eo probo, quod Paulus ab ipſo gratiam, & pacem iis, ad quos ſcribebat, precatus fuerit. Quocirca inſtantia tua, quod ad ſpiritum ſanctum & apoſtolos attinet, futilis plane eſt; cum nuſquam legatur, quempiam ab ipſis gratiam, & pacem precatum fuiſſe. Mitto, quod nec ſpiritus ſanctus perſona eſt, ſed Dei virtus quædam atque efficacia, nec uſquam, quod credam, legitur, apoſtolos gratiam, & pacem conferre. Quod verò attinet ad ſeptem illos ſpiritus, de quibus Apoc. 1. 4. dico, illos, ſive id, quod de ipſis dicitur, pro inſtantia adduci non potuiſſe, quia nihil comperti habemus, eos preces noſtras audire poſſe, ut de Chriſto compertum eſt; quemadmodum in priore meo ſcripto demonſtravi. Quod, tamquam notiſſimum, in meo antecedente tacite ſumpſeram. Deinde, unde habes eos ſpiritus invocatos à Johanne non fuiſſe? Num ex eo, quod ſolus unus Deus pater creator cœli & terræ invocari poſſit? Sed jam de hoc axiomate, in eum ſenſum præſertim accepto, quo tu illud profers, inter nos potiſſimum ambigitur. Quare ex eo nihil prorſus adverſum me colligere potes.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Antecedens quoque falſum eſt. Nam nullibi in epiſtolis Pauli aperte dicitur, Gratia & pax à Jeſu Chriſto conferatur, verùm, à patre Domini Jeſu Chriſti. Sed de phraſi illa ambigua tecum non contendam, cum videam te magis quærere victoriam, quam veritatem. Interim ſemper erit verum, & manebit, ut omne bonum datum ſit à patre luminum Jac. 1. 17. quocunque tandem modo flectas & reflectas textum.

Faustus Socinus.

Resp. Ambiguitas illa in Pauli ſalutationibus (quæ modo ſuſpenſum lectorem aliquantiſper tenere queat) ex ſola voce Noſtro voci Patre appoſita oriri poteſt. Sed ea vox non eſt neque in epiſtola ad Gal. nec in poſteriore ad Tim. nec in epiſtola ad Titum. Ex quibus locis intelligitur, quemadmodum alibi quoque ea ſalutatio intelligenda ſit. Nempe, precatum fuiſſe Paulum gratiam, & pacem à Deo patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto; non autem, & Domini Jeſu Chriſti. Idem, quod in initio trium illarum epiſtolarum eſt, habes ad finem quoque epiſtolæ ad Epheſ. Sed alibi etiam apertiſſime viri Dei gratiam, & pacem à Chriſto precantur, ut habetur in 2 Epiſt. Joh. ℣. 3. & in Apoc. cap. 1. 5. Quomodo autem, quod omne donum datum ſit à patre luminum, nihil impediat, quominus Chriſtus quoque vere gratiam, & pacem conferat, mox videbimus.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Verum demus, Paulum contra ſui ipſius mentem, à Chriſto quoque precari gratiam, & pacem, non tantum à Deo patre, & ſæpe Chriſtum cum Deo patre conjungi, verum cum differentia & diſcretione: Quomodo Chriſtus dat & confert bona? Certe non alia ratione, quam quod ipſe docuit & monſtravit viam veniendi ad patrem, & quomodo illa bona conſequi poſſimus. Hoc ut ratum ſit & confirmetur in omnibus piis, cur non Paulus, & à Chriſto communicari gratiam & pacem cuperet? & in illis verbis, potiùs modum communicationis gratiæ, quam ipſam communicationem gratiæ deſignari dico, ut ſæpe Paulus gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in nobis ut firma ſit & perſiſtat optat. Paulus Eccleſiis gratiam & pacem aut eodem modo optat dari à Chriſto, ut à Deo patre, quemadmodum verba præferunt, aut alio modo; ſi eodem modo, nulla inter patrem, & filium erit differentia, neque ulla inæqualitas. Certum autem eſt non eodem modo petere Paulum gratiam & pacem à filio, ſumma ergo demonſtratur inæqualitas. Quæritur ergo qualis ſit, & quomodo pater, quomodo filius gratiam confert & pacem, Pater ut qui author eſt, & habet omnia & omnia dat, ipſe enim eſt Deus omnibus ſufficiens & ex quo omnia, qui ſolus dat & largitur, filius verò tanquam Legatus, Mediator, miniſter, qui viam & modum monſtravit petendi & impetrandi; propter quam cauſſam ſe illa dare, & conferre promittit: Tam certa enim firma & vera ſunt, quæ ipſe nomine patris nunciavit & promiſit, ac ſi ipſe coram illa daret & exhiberet. Ideo ſæpe repetuntur hæ voces, Ego dabo, Ego faciam; cum tamen alias manifeſte quæ ipſe facit, non ſe, ſed patrem ſuum facere dicat, Et quod ipſe dat, non ſe, ſed patrem ſuum dare dicat, ſe habere poteſtatem, & non habere. Quæ omnia ſi hac ratione non conciliantur, duos habebimus æqualiter dantes & operantes efficaciter. Nihil enim refert, neque impedit, ſi unus ab alio accipit, & is qui accepit eadem bona efficaciter conferat. Differentia enim erit non in rebus & modo conferendi, ſed in perſonis, ille enim huic dedit, & hic ab illo accepit.

Faustus Socinus.

Resp. Verba Pauli, ut ipſe fateris, præ ſe ferunt, eodem modo conferri gratiam & pacem à Chriſto, quo à Patre. Quid cauſſæ igitur eſt, cur alia ratione, quam ſonent, illa interpreteris? Remanet enim differentia & inæqualitas inter Patrem, & Filium, quamvis eodem modo gratiam & pacem uterque conferat. Nam Pater eam poteſtatem conferendi à nemine accepit, neque ea ullo prorſus modo privari poteſt; Filius ab alio, & quidem ab ipſo Patre, accepit, qui eum pro arbitratu ſuo, optimo jure ea, ſi vellet, privare poſſet, niſi quod, id ſe non facturum ſua ſponte promiſit. Ita fit, ut quidquid Filius confert, id per Filium Pater conferre cenſendus ſit, & hoc modo Deus pater eſt, qui omnia largitur. Quem per ſpeciem ejus gloriam aſſerendi eo jure, & facultate ſpoliare velle, ut poteſtatem ſuam cum rebus creatis communicet, non tam imperitè, quam impie factum exiſtimandum eſt. Præſertim cum de Chriſti perſona agitur; cum quo & poteſtatem & gloriam ſuam communicaſſe, tamquam cum eo, qui à ſe alienus non ſit, ſed cujus gloria omnis in ſe redundet, ex multis iiſque apertiſſimis ſacrarum littearum teſtimoniis conſtat; quæ à nobis infra partim cap. 8. part. 3. partim alibi proferentur. Satis nunc erit, ſi lectorem monuerimus, ut legat cap. 5. Apoc. ℣. 12, & 13. atque eum locum cum fine cap. antecedentis conferat. Jam, ſi tibi abſurdum videtur, duos conſtituere efficaciter operantes & conferentes; cur non etiam abſurdum eſſe ſtatuis, duos habere, qui ſimul una monſtratione viam adipiſcendorum bonorum oſtendant? Vis enim Chriſtum conferre gratiam, & pacem, quatenus viam eas petendi & impetrandi monſtravit. Itaque Chriſto ejus viæ munſtrationem tribuis. Et tamen ipſe dicit, *mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*, Joh. 7. 16. & cap. 14. 24. inquit, *ſermo, quem auditis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me, Patris.* Quod tamen numquam de poteſtate ſua dandi & faciendi eum dixiſſe legimus. Seu, quemadmodum tu conſtanter aſſeris, affirmaſſe, quæ faciebat, non ſe, ſed patrem ſuum facere: vel, quæ dabat, non ſe, ſed patrem ſuum dare. De quo infra cap. 9. partic. 5. aliquid explicatus diſſeretur. Quare vel ipſa interpretatio tua verborum Pauli, & modi, quo Chriſtus quoque gratiam & pacem conferat, repudianda tibi eſt, vel confitendum, nihil eſſe, cur mea, & cæterorum rejici debeat: & cur depravanda ſint tibi Pauli verba, quæ manifeſte Chriſto idem, quod Deo tribuunt, & non de eo, quod jam factam à Chriſto ſit, ſed quod fieri poſſit, aperte loquuntur. Nonne vides, inæqualitatem illam, quod unus ab altero acceperit, quam

tu contra

tu contra manifeſtam rationem, nulla propemodum ratione allata, nihil eſſe dicis, tanti eſſe, ut nihil abſurdi in eo deprehendatur, quod idem duo faciant, quamvis unus tantum, id eſt is, qui alteri faciendi poteſtatem dedit, per quem ea ratione ipſe facit, facere dicatur? Eſt vulgatiſſima apud juriſconſultos regula, *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur.* Adeò facit ipſe, qui per alium facit, ut per ſeipſum facere intelligendus ſit. Hinc fit, ut ſexcentis in locis facta, & verba miniſtrorum Dei, ipſius Dei facta, & verba dicantur, quamvis alibi ſimpliciter, & diſerte ipſorum miniſtrorum eſſe ſcriptum ſit. Confer, exempli cauſſa, locum Exod. 29. 44, cum Exod. 28. 41, & Deut. 1. ℣. 31, cum Num. XI. 12. Quamobrem interpretatio iſta tua verborum Chriſti, *Ego dabo, ego faciam*, ut infra cap. 14. partic. 3, & cap. 25, partic. 2, id eſt, ſuis locis, fuſius diſſeretur, & conciliatio locorum, qui contrarii hac in re eſſe videntur, plane inepta & ridicula cenſenda eſt.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Huic primæ rationi ſimilis eſt illa, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit vobiſcum, & cum ſpiritu meo*; quæ ſi forma invocationis cenſenda eſt, oportet & Spiritum ſanctum invocare. 2 Cor. 13, enim dicit, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis.* Imò & ipſum Paulum nos invocare oportet, contra mentem & voluntatem ipſius, qui ſibi talem tribui honorem noluit. 1 enim Cor. 16, inquit, *Charitas mea ſit cum omnibus vobis.* Cum igitur communicatio gratiæ Chriſti, invocatio ipſius Chriſti eſſe non poſſit, quæritur quid ſit. Gratiam Dei patris nobis per Chriſtum annunciatam, & communicatam eſſe ſemel, conſtat. hoc ut firmum & perpetuum ſit Paulus precatur; non quod ipſum Chriſtum invocet, & precetur ut gratiam & pacem fidelibus det. Nam ſi Chriſtum invocaret, & ab ipſo dari hæc bona peteret, ſibi ipſi contrarius eſſet. Nam Eph. 1. 17, hæc bona ſe à Deo Patre Chriſti, in invocatione ſua, petere affirmat, non à Chriſto, & Eph. 3. ℣ſ. 14, 15, 16, 17, 18, & 20, manifeſte declarat, ſe non à Chriſto hæc petere, ſed à Patre Chriſti, illi ſe genua flectere, & gratias agere, ipſi ſoli gloriam eſſe dandam, & propter beneficia celebrandum eſſe, qui hæc omnia in Chriſto Jeſu, & per Chriſtum præſtiterit; non quod Chriſtus hoc nomine invocandus ſit.

Faustus Socinus.

Resp. Verba illa apud Paulum 2 Cor. 13. ℣. 13, *communicatio Sancti Spiritus*, non ſignificant, Spiritum ſanctum aliquid communicare; ſed ipſum Spiritum ſanctum communicari. Nomen enim ſancti Spiritus non active, ſed paſſive in ea locutione accipiendum eſt; ut patet ex aliis ſimilibus locutionibus: Verbi cauſſa, *communicatio corporis & ſanguinis Chriſti*, 1 Cor. cap. 10. ℣. 16. In illis verò 1 Cor. 16. 24. *Charitas mea ſit cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu*, reponis ex tuo ſenſu verbum *ſit*. In textu enim legitur, *Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu.* Veriſimilius autem multo videtur, ſubaudiendum eſſe hoc loco verbum eſt, quam ſit, ut ſit ſenſus, *Diligo vos omnes in Chriſto Jeſu*; id eſt (ut explicat auctor eruditiſſimarum illarum litteralium annotationum in Novo Teſtamento à Roberto Steph. anno 1545. Lutetiæ edito, ſeu mavis in Bibliis Vatabli) *Diligo vos omnes propter Chriſtum*, vel, quod Chriſti ſitis. Qui ſenſus eſt planiſſimus & appoſitiſſimus. Quodſi verbum Sit ſubaudias, vix conveniens ſententia elici inde poterit; niſi dicamus, Paulum precari, ut ament ſe mutuo in Chriſto Jeſu ea charitate, qua ipſe præditus erat. Ex qua ſententia nihil efficitur prorſus ejus, quod quæris. Sed quomodocumque Pauli verba interpreteris, quid hoc ad propoſitum noſtrum? Num Paulus ſeipſum precari potuit, aut à ſeipſo aliquid precatus eſt? Invocari autem Paulum à nobis oportere, ſi bona eſt ratiocinatio mea, quomodo tandem ex verbis illis colligis? Numquid ea poſt Pauli mortem dicta ſunt, quemadmodum, poſtquam hinc abiit Chriſtus, dicta ſunt illa, *Gratia Domini Jeſu Chriſti cum omnibus vobis?* Quorum verborum quæ ſententia eſſe poſſit, indicat finis poſterioris Epiſt. ad Timoth. ubi ſcriptum eſt, *Dominus Jeſus Chriſtus cum Spiritu tuo.* Nam ſi quis non videt, ibi Paulum Chriſti favorem Timotheo precatum fuiſſe; is profecto nihil videt. Nec vero eſt ſibi Paulus contrarius, ſi id, quod à Deo alibi petit, hic à Chriſto petat; immo ſibi maxime ſimilis. Nam, qui à Chriſto petit, ab ipſo Deo petit, qui per eum omnia bona eccleſiæ ſuæ largitur. Quamquam in teſtimoniis à te citatis nulla eſt vel gratiæ vel pacis diſerta petitio. Itaque vides, quanti ipſe facias regulam illam tuam ab initio poſitam de littera afferenda. Sed quid mirum, cum, ut ibi prædixi, & jam conſtare poteſt, eam à me ubique allatam perpetuo ſpernas?

Cap. V.

Franciscus Davidis.

Particula 1. tertium teſtimonium ex 1 Theſ. cap. 3. deſumptum, ubi Paulus precatur, ut Deus Pater & Chriſtus dirigat viam ſuam ad illos, minimè probat, Chriſtum invocandum eſſe. Nam & Moſes, Prophetæ, imò nos ipſi etiam dicimur dirigere vias noſtras Iſai. 1. 8. Jer. 18. 11. Johan. 1. 23. Sic ergo hoc nomine extra unum Deum alii quoque, qui vias noſtras dirigere dicuntur, invocandi ſunt, Angeli, Prophetæ, Apoſtoli, & nos ipſi quoque.

Faustus Socinus.

Resp. Quòd Moſes, & Prophetæ dirigant vias noſtras, id neque à te, ullo teſtimonio allato, probatur, nec, ſi probaretur, aliquid eſſet, niſi ſimul probares, aliquem precatum fuiſſe, ut illas dirigant; ut ex teſtimonio à me prolato probatur, precatum Paulum fuiſſe, ut Chriſtus ipſius, & ſociorum viam dirigat. Quòdſi id etiam probares; non tamen inde ex vi argumentationis mox aliud efficeretur, quàm Moſem, & Prophetas invocatos fuiſſe, non autem invocandos eſſe, ut ipſe ais. Neque enim ego ex eo Pauli teſtimonio, Chriſtum invocandum eſſe, argumentor, ut tu mihi tuo more affingis, ſed invocatum fuiſſe. Idem, quod de Moſe, & de Prophetis, de Angelis, & de Apoſtolis dico. De nobis ipſis verò quod ais, quid, quæſo, tibi in mentem venit? Numquid idem eſt dirigere vias ſuas, & alienas? Quid obſercro, ad invocationem facere poteſt, quòd quis ſeipſum juvare queat, cum invocatio eum, qui alios poſſit juvare, omninò requirat? Et tamen omnia teſtimonia, quæ citas, de hac re tantùm agunt, vel potiùs tibi agere ſunt viſa. Nam in primo nihil prorſus eſt. In tertio, ut Hebraica veritas habet, non de dirigendis, ſed bonis faciendis viis eſt ſermo. In quarto de dirigendis viis Domini agitur. In ſecundo verò contrarium ejus, quod quæris, planè dicitur. Scriptum eſt enim ibi, Hier. 10. 23, *Novi Jehova, quòd non eſt hominis via ejus, nec cujuſquam eſt, ut eat, & dirigat inceſſum ſuum.* Ecquid vides, quomodo juſtiſſimo Dei judicio interdum fœdè labaris, adeò ut etiam adverſus teipſum apertiſſima teſtimonia cites?

Franciscus Davidis.

Particula 2. Quod Chriſtus viam noſtram dirigat, concedo. Atqui quod ex eo fieri colligitur, perperam fieri dico. Secus enim Chriſtus, Prophetæ, & Apoſtoli viam noſtram dirigere dicuntur, quàm Deus ipſe pater. Chriſtus dirigere viam noſtram dicitur, quando ea via incedimus, quam ipſe nobis præſcripſit; non quod deſcendens de cœlis perſonaliter id faciat.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Agnoſce hic quoque alium inſignem errorem tuum. Paulus agit de via itineris ad Theſſalonicenſes, ut ex antecedentibus verbis manifeſtum eſt, & ex verbis illis, *ad vos*, in ipſo teſtimonio expreſſis abunde patet; & tu de via morum eum loqui exiſtimas. Præterea erras, ſi credis, dici poſſe, Chriſtum dirigere viam morum alicujus, quia is ex ipſius præſcripto vivat; niſi Chriſtus ea in re adhuc aliquid efficiat præter id, quod jam fecit, dum, ſcilicet, viam ipſam præſcripſit. Neque, ut arbitror, ejuſmodi locutionis exemplum ullum ex Sacris Litteris proferre poteris. Quale eſſet, ſi Moſes, poſtquam mortuus eſt, alicujus, qui ex Legis præſcripto viveret, viam dirigere alicubi diceretur. Sed quid illud eſt, quod, ſi Chriſto adhuc aliquid ea in re efficiendum eſſet, ut perſonaliter de cœlis deſcenderet, neceſſe futurum, non obſcure affirmas? Ergo Chriſtus adhuc mortalis, licet abſens, eodem momento, quo verba protulit, ſanare potuit puerum centurionis, & filiam mulieris Chananææ, & filium reguli; Matth. 8. 13. cap. 15. 28. Joh. 4. 53. Et nunc factus immortalis non poterit nobis in via morum dirigenda opitulari, niſi perſonaliter ſit præſens? ſi, ut cap. 2. particula 7. vidimus, Chriſto concedis, ut, in cœlis manens, poſſit teſtis eſſe eorum, quæ in terris dicuntur, & fiunt, & porro ipſemet ea exaudire & perſpicere, id quod corporis præſentiam omnino requirere videtur; quomodo audes illi adimere, quod opituletur iis, qui hîc ſunt, niſi ipſe perſonaliter de cœlo deſcendat, cum id per miniſtros ſuos facere poſſit? An non principes viri, & alii homines mortales idem quotidie faciunt, ut, ſcilicet, quantumvis abſentes, per miniſtros ſuos iis, qui ipſorum auxilio indigent, opitulentur, & præſto ſint? Nam, ſi dicas, illum non amplius in officio eſſe (ſic enim loqui ſoletis) nihil ad præſentem quæſtionem iſtud facit. Si enim non eſt in officio, nec, etiamſi corpore præſens eſſet, quidquam ea in re efficere poſſet.

CAP. VI.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Quartum teſtimonium ex 2 Cor. 12. deſumptum non ad Chriſtum, verum ad Deum patrem refertur. Primum enim revelationum, & viſionum Domini meminit. Quem verò intelligat ſubjicit, Deum, quo vocabulo, Paulus Chriſtum minime denotat. Eum ergo, quem Dominum & Deum appellat, Paulus rogat, & invocat, non Chriſtum. In precibus enim ſuis inceſſanter habitis, patrem domini noſtri Jeſu Chriſti, non Chriſtum ſe invocaſſe affirmat.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Paulus ſupra de Deo loquitur, quem Dominum appellat, Ergo hic quoque, Dominum nominans, Deum intelligit, inepte concluſum eſt; cum inter hæc, & ſuperiora verba nulla ſit ſermonis conſtructio, nulla relatio. Sed cur ſupra, revelationum & viſionum Domini mentionem faciens, Domini nomine non potius Chriſtum, quam Deum intellexerit Paulus, cum nullam patefactionem, qualem hic intelligit, eum habuiſſe legamus, niſi per Chriſtum, qui ei primum apparuit, & deinceps ſe appariturum dixit, Act. 26. 6. & cum ipſe, nominatim Euangelium ſe habuiſſe dicat per revelationem Jeſu Chriſti? Gal. 1. 12. Neque verò nomen Deus, quod ſubjicit, ad Dominum ſupra nominatum ullam relationem habet: præſertim cum verba illa, *Deus novit*, proverbialis quidam loquendi modus eſſe videantur. Preces autem à Paulo inceſſanter habitæ non poſſunt aliquid momenti habere ad explicandum, quem hoc loco precatus fuerit, cum hic non de perpetuis & aſſiduis precibus, ſed de ſingulari quadam precatione, eaque ter tantum repetita mentio fiat.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA. 2. Quod autem ex ſequentibus verbis, *Libentiſſime gloriabor in infirmatibus meis, ut inhabitet in me potentia Chriſti*, infertur, non evincit, Chriſtum invocatum fuiſſe à Paulo, virtus enim Chriſti, Dei patris eſt Chriſto communicata, quam in ſe quoque declarari, & demonſtrari cupit. Hæc ad Chriſti invocationem non ſpectant. Per fidem ipſemet Chriſtus in cordibus piorum dicitur habitare, & operari. An ideo virtus, & efficacia illa fidei invocabitur, & non potiùs ipſe Deus pater vera cordis fiducia.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Recte dicis virtutem Chriſti, Dei patris virtutem eſſe, cum Chriſto communicatam. Ob eamque rem merito Chriſtum invocare potuit Paulus, quod cum illo communicatum à Deo noſſet id, unde ipſe juvari poterat. Verum, ut apparet, tu, minus proprie loquens, per virtutem communicatam, effecta, virtutis Dei, quæ in Chriſto fuerant, intelligis. Atqui manifeſte relatio illa ad priora, *potentia mea*, poſteriorum verborum, *potentia Chriſti*, interpretationem iſtam, quæ ejus generis eſt, ut non niſi neceſſitate cogente admitti debeat, omnino diſſuadet ac penitus excludit. Quod ſubjungis de abſurditate invocandi virtutem, & efficaciam fidei, nihil prorſus ad rem facit. Non enim Chriſti virtutem, ſive potentiam, ſed ipſum Chriſtum invocatum fuiſſe contendo.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 3. Infirma ratiocinatio & illa eſt, in fœdere novi Teſtamenti plerumque vocabulum Domini Chriſto tribuitur: Ergo hoc in loco Paulus Chriſtum invocavit. Si enim contrarium datur exemplum, & teſtimonium, collectio non valebit. Omiſſis autem omnibus aliis teſtimoniis, ſi quis diligenter ſcripta Pauli volvet, vocabulum Domini Deo patri ſæpiſſime tribui reperiet, & quidem in ſimili phraſi, ut 2 Theſſ. 3. 3, 5. 2 Timoth. 1. 16. 18.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quamvis tu mihi iſtam ratiocinationem affingas, eam tamen non abjicio; modo recte explicetur. Dico igitur, vix reperiri locum apud Paulum, ubi, τῷ κυρίῳ nomine, quod cum articulo, & ſimpliciter, id eſt, ut grammatici Hebræi loquuntur, in ſtatu abſoluto, poſitum ſit, quemadmodum hic factum eſt, alium, quam Chriſtum ſignificatum fuiſſe conſtet; niſi ad aliquem locum Teſtamenti veteris quoquo modo relatio habeatur. Teſtimonia quæ ad contrarium probandum citas, ad Chriſtum referri debere, affirmo. Et quamvis affirmationis meæ proprias rationes præter communem hanc perpetui Paulini uſus, in ſingulis tuis teſtimoniis habeam; cum tamen tu contrariæ aſſertionis tuæ nullam prorſus rationem afferas: ſatis in præſentia tibi reſponſum volo. Cæterùm teſtimonii Paulini à me prolati interpretationem meam alia præterea ratione in priore ſcripto non allata confirmo. Nuſquam enim in hiſtoria ipſius Novi Teſtamenti, Deum apparuiſſe, aut locutum fuiſſe reperies, quin angeli alicujus in ipſa facti narratione mentio fiat. Quod tamen in hiſtoria teſtamenti veteris frequentiſſimè aliter fieri contingit. Chriſtum autem utrumque, nulla angeli mentione facta, ſæpius feciſſe leges. Ratio autem (ex qua etiam præſens Chriſti poteſtas, ſuæque Eccleſiæ cura confirmatur) nulla alia eſſe poteſt, niſi quòd, cum angeli non ampliùs mittantur immediatè (ut loquuntur) ab ipſo Deo, ſed per Chriſtum, non ita nunc ipſius Dei perſonam ſuſtinent, ut antea faciebant; & propterea non ampliùs Dei nomine appellari poſſunt. At Chriſti nomine,

minè, cum is ſit, qui eos immediatè mittit, merito appellantur. Et quamvis in Novo Teſtamento idem ulus narrandi ſervetur etiam ante natum Chriſtum, non modò ante ejus glorificationem, id tamen ideo fit, quia ſcriptores illi, qui omnes poſt glorificatum Chriſtum ſcripſerunt, propter prædictam cauſſam jam ita loqui conſueverant. Cum igitur in teſtimonio à me prolato is Dominus, qui rogatus a Paulo fuit, cum Paulo, nulla angeli alicujus mentione facta, locutus fuiſſe dicatur; non Deum, ſed Chriſtum illum fuiſſe, intelligendum eſt.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Poſtremò mirum eſt ex hoc loco nos ſtabilire velle Chriſti invocationem, unde Beza probat, Chriſtum & Deum eſſe, & ut Deum invocandum.

Faustus Socinus.

Resp. Beza nihil aliud ex hoc loco colligit, quam divinitatem Chriſti. Id quod, ſi rectè explicetur, jure fieri potuit. Quod ſi ipſe, & qui cum eo ſentiunt, aliquid de Chriſti perſona haud perperam ex aliquo Scripturæ loco concludunt; an nobis propterea rejiciendum eſt, quod ab illis dicatur? Hinc ſane apparet, vos non veritatem, ſed contentiones quærere: &, ut quam maxime adverſariorum diſſimiles ſitis, curare. Quamquam vos in hac quæſtione adverſariorum ſimiles multo magis, quam nos eſſe, infra cap. 18. partic. 8, breviter oſtendetur.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Ex his & iis ſimilibus hucuſque recitatis, manifeſtum eſt, Chriſti invocationis veſtigia quidem extare.

Faustus Socinus.

Resp. Immo ex iis, quæ hucuſque dicta ſunt, Chriſtum invocatum fuiſſe manifeſtiſſimum eſt. Quibus adde primum aliam invocationem Stephani, Act. cap. 7. ℣. 59, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Nam ad eundem Dominum Jeſum, quem invocare cœpiſſet, preces ſuas Stephanum dirigere perrexiſſe, planè veriſimile eſt; præſertim tales preces; cum videlicet, contra ipſum Jeſum illi nominatim peccarent. Deinde adde invocationem illam Johannis ad extremum Apocalypſis, *Etiam veni Domine Jeſu.* Quæ ſimilis eſt invocationi illi in precatione univerſæ Eccleſiæ ad Deum patrem, *Veniat regnum tuum.* Præterea adde precationem illam inſignem Pauli 2 Theſſal. 2. 16. *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur* (ſeu potius *conſoletur*) *corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono.* Adde poſtremò quinque locos apud eundem Paulum, ubi, ut ὁ κύριος id eſt Dominus ſimpliciter, & cum articulo nominatus, aliquid faciat, precatur. Sunt autem hi 1 Theſſal. 3. verſ. 12, & 13. 2 Theſſal. 3. 5, & 16. 2 Timoth. 1. 18, & cap. 2. verſ. 7. In quibus pleriſque locis aliæ præter ſimplex nomen τὸν κύριον ſatis apertæ ſunt conjecturæ, eos ad Chriſtum referri debere; quemadmodum pius & prudens lector per ſe facillime animadvertet.

Cap. VII.

Franciscus Davidis.

*VErum examinemus ea, in quibus ratiocinationis pondus maximum ineſſe videtur. Summa omnium eſt: Quomodo negare audebimus, à Chriſto jam in cœlum tranſlato, aliqua bona peti poſſe, cum ex infinitis prope locis jam apertum ſit, eum ſumma poteſtate præditum eſſe, & in cœlis degentem curam agere Eccleſiæ, & ſuorum, & illis adeſſe ac in tempore opitulari? Quæris quomodo negare audemus, a Chriſto jam in cœlos tranſlato aliqua petenda eſſe bona. Primum hoc nomine facimus, ut doctrinam Chriſti firmam & illibatam retineamus; qui, cum in terris eſſet, docuit, patrem ſuum cœleſtem invocandum eſſe & omnia bona, quibus indigemus, ab eo ſolo petenda eſſe. Quam doctrinam Chriſtus in cœlos tranſlatus non mutavit, imo confirmavit, & nos quoque juſſit illum patrem ſuum invocare, & ſe quoque facturum idem eſſe confirmavit; ut Chriſti ſimus diſcipuli, & veri Dei patris adoratores id facere audemus, & faciendum eſſe docemus.

Faustus Socinus.

Resp. Chriſtus nuſquam diſertè docuit, à ſolo patre ſuo cœleſti omnia bona, quibus indigemus, petenda eſſe. Et, ſi docuiſſet, ſeipſum, per quem pater multa bona jam conferebat, non excluſiſſet. Alioqui non tuliſſet, à ſe peti bona quædam ingentia, & quæ humanis viribus nullo modo præſtari poterant, quemadmodum oſtenſum eſt ſupra cap. 2. partic. 4. Quod ſi ſeipſum adhuc mortalem, & in terris degentem, atque infra angelos demiſſum excluſiſſet; non excluſiſſet tamen immortalem poſtea factum, & ſupra omnes cœlos exaltatum, ac ſuprema, ſecundum Deum, auctoritate, & poteſtate præditum. Nec idcirco tamen ipſe aſcendens in cœlos doctrinam ſuam mutaſſet; ſed rerum ſtatus mutatus fuiſſet, vel potius conditio ipſius Chriſti; cum per aſcenſum ſuum is eſſet ipſe factus, qui antea non erat; adeo ut, quæ à Patre ſolo antea peti poterant, ab ipſo quoque deinde peti poſſent. Cæterum, quod ais, Chriſtum confirmaſſe, ſe quoque patrem invocaturum; id primum nihil eſt; cum, ut dictum fuit cap. 2. partic. 3, & 5. Chriſtus ſeipſum invocare nequeat, & nihil impediat, quominus is, qui invocat, ab alio ipſe invocetur. Deinde hoc pugnat cum eo, quod ſcribis infra cap. 25. partic. 3, & 4 ubi, urgens verba illa ipſius Chriſti Joh. 16. 26. *Non dico vobis, quod rogaturus ſim patrem pro vobis*, Jeſu Chriſto in cœlis degenti omnem pro nobis interceſſionem adimere conaris, quæ, ſcilicet, præſentem actionem requirat; & cum eo etiam pugnare videtur, quod cap. 9, & deinceps aperte contendis, Chriſtum videlicet, poſtquam hinc abiit, Eccleſiæ curam depoſuiſſe. Pars enim ejus curæ eſſet omnino iſta invocatio. Siquidem, pro nobis Chriſtum ſe patrem invocaturum confirmaſſe, dicere, ut arbitror, voluiſti: non autem pro ſeipſo. Quod tamen dicendum tibi erat, ſi vim verbi invocandi, ſimpliciter præſertim, ut à te factum fuit, prolati, retinere voluiſſes, & aliquanto minus, quam feceris, ſophiſticè, & abs re loqui.

Cap. VIII.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Datam eſſe illi omnem poteſtatem in cœlo & in terra, Matth. 28. 18, non negamus; at verba illa ſano ſenſu intelligenda eſſe & interpretanda cenſemus: Propoſitionem enim hanc interprete Paulo Heb. 2. 8, univerſaliter, veram eſſe negamus, inquit enim, Nondum illi omnia ſubjecta eſſe videmus.

Faustus Socinus.

Resp. Is poteſtatem habere dicitur, qui jus dominationis habet; præſertim ſi vires habeat, quibus eos, in quos id jus habet, ſibi ſubjicere poſſit; quamvis adhuc reipſa plane ſubjecti non ſint. Quin etiam ea ipſa verba Hebr. 2. ℣. 2, *Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei*, ſatis aperte indicant, pluri-

* Hic demum, ut à principio monuimus, diſputatio incipit de poſteriore adverſarii theſi, in qua negatur, Chriſtum invocari poſſe. Cujus contrarium nos in priore noſtro ſcripto, refutatis poſtmodum adverſarii argumentis, demonſtrare aggredimur.

ma eaque potiora jam re ipſa Chriſto ſubjecta eſſe; ut certe ſunt, præter ipſum Deum, in cœlis omnia, in terris autem ipſius eccleſia.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Omnes, Omnia, cum de Chriſto prædicantur, de ſubjecta materia, & non de omnibus in genere intelligenda eſſe, Scribæ docti in regno cœlorum intelligunt. Si ſimpliciter dictum intelligitur, vel pater nullam ſibi retinuit poteſtatem, vel ita omnem filio dedit poteſtatem, ut eandem quam pater habet, & filius habeat. At utrumque falſum eſt, & eo ſpectat ut identitatem patris & filii ſtabiliat. Quærenda ergo eſt vera interpretatio. Deus Pater jam olim promiſerat, quod per adventum Meſſiæ ſui non ſolum Judæos, verum etiam gentes in ſui cognitionem perducere velit, ut participes & conſortes fierent regni Dei, idque factum eſſe, poſtquam Chriſtus reſuſcitatus ex mortuis, oſtium fidei aperuit gentibus, ex ſcriptis novi fœderis, Act. 14. 27 apparet. Cœlum & terra, gentes & Judæi ſunt, Aggæi 2. 7, 8. Jer. 23. Iſa. 51. & 66. Joan. 1. 2 Cor. 5. Col. 1. Phil. 2. Et poteſtas illa, non poteſtas omnia dandi, regnandi, & conferendi in cœlo & in terra eſt, ſed miniſterii & doctrinæ per quam Judæi & gentes Deo reconciliantur 2 Cor. 5. 18. Matth. 28. 19.

Faustus Socinus.

Resp. Subjecta materia, cum de Chriſto agitur, eſt quidquid pertinet ad eccleſiam ipſius. Itaque Chriſtum habere omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, nihil aliud eſt, quam, Chriſtum omnia poſſe in iis omnibus, quæ ad ipſius eccleſiam pertinent. Quare, Filio ubique datam fuiſſe à Patre in rebus Eccleſiæ eandem poteſtatem, quam ipſe pater habet, non falſum eſt, ſed veriſſimum. Neque tamen idem vel perſona, vel eſſentia eſt Filius, qui Pater, ſed idem poteſtate. Hocque non in omnibus, ſed, ut dictum eſt, in iis, quæ ad Eccleſiam pertinent. Nec rurſus in his ipſis idem poteſtate per omnia; cum Filius à Patre eam poteſtatem acceperit, & Pater per ipſum eam exerceat; atque in ſolius Patris manu, qui eam, cum voluerit, revocare poterit, omnis Filii poteſtas revera ſit. Nulla igitur alia quærenda eſt verborum Chriſti interpretatio, Matth. 28. ℣. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Nam, quod omnem poteſtatem ad Euangelii prædicationem reſtringis, Primum aut id proprie poteſtas appellari nequit, ſed munus tantum, immo ne munus quidem, ſi vere Chriſtus ea in re nihil amplius agit, & ut vos dicitis, non eſt amplius in officio; aut, ſi poteſtas vere eſt, omnino demonſtrat, Chriſtum adhuc omnia facere, quæ ad Euangelium prædicandum ſpectant. Ex quo ſequitur, rogari ſaltem poſſe illum, ut dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam, & in omnibus invocari, quæ ad Euangelii prædicationem pertinere poſſint. Deinde, nulla ratione adductus iſtam interpretationem ſequeris. Quod enim ſubjungitur, Luc. 24. 47. *Euntes ergo prædicate*, &c. id intelligendum eſt, ut eſt apud Lucam: ut, ſcilicet, poſthac id facerent in nomine ipſius, annunciantes in Chriſti nomine omnibus gentibus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Atqui in nomine Chriſti non poterat id fieri, niſi Chriſtus & in cœlo & in terra omnia jam potuiſſet, quæ ad remiſſionem peccatorum pœnitentiam agentibus dandam, id eſt, illis à peccatorum pœnis perpetuam liberationem concedendam, ſpectare, quoquo modo poſſent. Idcirco, antequam id eis injungat, dicit Chriſtus, datam ſibi eſſe omnem poteſtatem in cœlo, & in terra. Ante Chriſti glorificationem annunciabatur quidem pœnitentibus remiſſio peccatorum: ſed non in nomine ipſius. Et quamvis ſimiliter non annunciaretur adhuc omnibus gentibus, id eſt, tam incircumciſis, quam circumciſis; non hoc tamen eſt id, quod proprie poſt ſuam glorificationem adeptus eſt Chriſtus; neque tunc ea de re præcipuè ipſe agere voluit. Alioquin ita loquutus fuiſſet, ut ab apoſtolis intelligi poſſet. Sed de prædicando in ſuo nomine potiſſimùm in illis verbis egit. Patent hæc ex eo, quòd non niſi deinde poſt aliquod tempus factum eſt, ut incircumciſis prædicaretur, neque ſine ſingulari patefactione Petro priùs exhibita; quod & ipſi Petro, & aliis Apoſtolis tamquam novum quiddam & inexpectatum omnino contigit; ut ex ipſa hiſtoria conſtat Act. 10, 11, & 15. Unde perſpicuum eſt, apoſtolos in verbis Chriſti, Omnium gentium appellatione, omnes Judæos tantùm intellexiſſe. Qui tamen apoſtoli, ſimul atque prædicare cœperunt, in Chriſti nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum annunciarunt. Act. 2. 38. Nempe, quia hoc illud erat, quod ſibi Chriſtum injunxiſſe intellexerant. Cœlum & terram pro Judæis, & gentibus interpretari, ridiculum eſt. Neque ullo ex octo teſtimoniis à te citatis interpretatio iſta confirmatur. In poſterioribus enim quatuor neque cœlum, & terra ipſa, ſed vel omnia, vel ea, quæ in cœlo, & in terra ſunt, nominantur: neque de Judæis, & gentibus, vel certe non de ipſis tantum eſt ſermo. In quatuor verò prioribus, cœlum, & terra, non Judæos, & gentes, ſed univerſitatem quandam rerum ſignificant. Quod ſi tamen iſtæc tua, ſive illorum, à quibus eam accepiſti, cœli, & terræ ſignificatio alicubi inveniretur, ea nihilominus, tamquam prorſus allegorica, atque admodum obſcura, hic locum habere non poſſet, ubi Chriſtus diſcipulos ſuos aliquid docere voluit, & eis apertè cauſſam exponere, cur vellet eos aliquid facere.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Vera hæc, & verbo Dei conſona ſi non admittitur interpretatio, duo ſtatuuntur æqualem habentes poteſtatem, & regnum contra ſcripturæ ſacræ analogiam. Nihil enim refert, nec immutat, etiamſi unus ab alio accipiat, ſi uterque dat & exercet poteſtatem, & quilibet poteſtatem habeat, creandi, conſervandi, regnandi, tuendi Eccleſiam, remittendi peccata, donandi vitam æternam, & reliqua.

Faustus Socinus.

Resp. Nihil prorſus eſt contra ſcripturæ ſacræ analogiam, ſi duo æqualem eo ſenſu, quem ſuprà expoſuimus, poteſtatem in Eccleſia habere dicantur; atque, ut uno verbo, à Paulo edocti, dicamus, ſi unus, ut is, ex quo omnia: alter, ut is, per quem omnia, à nobis agnoſcatur. Immo toti Scripturæ poſt Chriſtum exhibitum id maximè eſt conſentaneum. Agnoverunt Judæi, Chriſtum ſeſe quadam ratione parem Deo facere, Ioh. 5. 18. & ipſum in forma Dei, & æqualem Deo fuiſſe, apertè teſtatur Paulus Philip. 2. 6. Quam æqualitatem ad potentiam operandi referri debere, loci ipſi manifeſtum faciunt. Quod ſi hoc fuit ante ipſius glorificationem, quid dicendum eſt, poſtquam eſt glorificatus, & datum eſt illi nomen ſuper omne nomen, ſeu præſens, ſive futurum, & ipſis angelis multò præſtantior eſt factus Epheſ. 1. 21. Phil. 2. 9. Hebr. 1. 4? De æqualitate autem hac poteſtatis Chriſti cum Dei poteſtate, vide præterea Ioh. 5. 21, & 26. & cap. 10. 30. & cap. 16. 15. & cap. 17. verſ. 2, & 10. Apocal. 3. 21. & cap. 22. ℣. 3. Quibus adde eos locos omnes, in quibus à Chriſto ſimul, & à Deo patre aliquid petitur, & à nobis ſuprà ad probandum, quòd Chriſtus invocatus fuerit, prolati fuere. Nullo autem modo abſurdum eſſe, ut duo ſint æqualem habentes poteſtatem, quorum tamen alter alteri ſubjiciatur, & ſubordinetur, ita ut non duæ, ſed una poteſtas cenſeatur; declarat inter alia permulta Pharaonis, & Joſephi exemplum Geneſ. 41. Cæterùm, quòd creandi poteſtatem tacitè inter ea numeras, quæ nos nunc Chriſto tribuamus; niſi de nova creatione loqueris, id à te nobis falſo aſcribitur; præſertim,

tim, ſi univerſe id, quod dicis, accipiendum eſt. Nos enim Chriſti ſummam illam poteſtatem ad ea tantum pertinere dicimus, quæ ad ipſius Eccleſiam quoquo modo ſpectare poſſunt.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Certè Deum patrem contuliſſe eam poteſtatem Chriſto, honorem & gloriam, ut invocetur, nullibi legitur. Male igitur ex poteſtate Chriſto data invocatio extruitur. Dat Chriſtus ex virtute patris Apoſtolis majorem poteſtatem faciendi miracula, quam ipſe fecit; non tamen legimus ipſos invocari debuiſſe aut poſſe. Imo legimus ipſos cultum hunc divinum reſpuiſſe, quod nunquam facere potuiſſent, ſi extra Deum patrem Chriſtus vel alius aliquis invocari potuiſſet, propter poteſtatem & dominium quam Deus illis & Chriſto contulit. Quæſtio inter nos eſt, non de poteſtate Chriſto collata, verum de ejus invocatione, & poteſtas Chriſto à Patre collata, quod invocationem ejus minime probet quis non videt? Sic enim Prophetæ, Apoſtoli, filii Dei, & judices quocumque in loco conſtituti, invocandi eſſent; quod minime faciendum eſt, ſi crimen idololatriæ effugere volumus.

Faustus Socinus.

Resp. Ex ante dicta Chriſti poteſtate, juncta cum cura, & gubernatione Eccleſiæ, rectiſſime invocatio colligitur, id eſt, petitio, quæ confidenter fieri poſſit eorum, quæ ad eam poteſtatem pertinent. Apoſtolorum poteſtas in eo diverſa potiſſimum à Chriſti poteſtate fuit, quod ipſe virtute Patris in ſe manente & fecit, & facit: illi verò virtute quidem eadem, ſed non in ipſis, verum in Chriſto reſidente faciebant, in cujus nomine operabantur. Videantur de Chriſto hæc teſtimonia Matth. 8. 2, & cap. 9. ℣. 6, & 28. Mar. 4. 38, & 9. 23, & 25. Luc. 4. 35, & 6. 19. Johan. 5. 26. Ex quibus, præter multa alia, quæ afferri poſſent, apparet, Chriſtum poteſtatem in ſe ipſo habuiſſe ea faciendi, quæ faciebat, quantumvis admiranda opera: atque ut id crederetur, voluiſſe. De Apoſtolis verò legantur hæc, Act. 3. 6, 12, & 16. iv. 10. ix. 34. xvi. 18. Ex quibus manifeſtum fit, virtutem, qua miracula ab Apoſtolis fiebant, in ipſis Apoſtolis non fuiſſe: ſed in nomine & poteſtate Jeſu Chriſti omnia facta eſſe. Differentia autem hæc, præter multas alias, quæ inter Chriſti poteſtatem, & Apoſtolorum animadverti poſſunt, magni momenti eſt in hoc invocationis negotio. Quamquam, quæcumque fuerit Chriſti poteſtas, certiſſimum eſt, eum, dum hic eſſet, invocatum fuiſſe. Nec rurſus, quæcumque apoſtolorum poteſtas fuerit, uſquam legitur, eos mira illa opera ab ipſis petentes objurgaſſe, aut petitiones eorum reſpuiſſe. Immo contrarium non obſcure legitur, Luc. 9. 40. Act. 5. 16, & ix. 38, & 39, & xxviii. 9. Reſpuerunt quidem Apoſtoli ſacrificia ſibi, tamquam Jovi & Mercurio, oblata. Sed quid hoc ad invocationem, ſeu petitionem aliquorum bonorum, quæ viribus humanis præſtari nequeant, quæque ab ipſis, ut à veri Dei hominibus, confidenter peterentur? Quod autem nunc eadem invocatione invocari minime poſſint, nihil ad rem facit; cum poſt mortem omni poteſtate fuerint deſtituti. A prophetis, filiis Dei, & judicibus, ſecundum poteſtatem, & gubernationem, quam à Deo habent, aliquid confidenter jure peti poſſe, nemo negabit: non tamen in quocumque loco ſint conſtituti, ut à Chriſto poteſt. Quandoquidem Chriſto, licet abſenti, ipſum cor hominis ſcrutari datum eſt; illis non item.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Hæc de poteſtate Chriſto tradita, quæ nunc virtute verbi illius exercetur, obſervanda ſunt, & teſtimonia Scripturæ diſtinguenda ab iis, quæ de poteſtate futura Chriſti loquuntur, quam pater per manum filii exercebit, dum, illum judicem vivorum & mortuorum conſtituet; quod nili fiat, ex Chriſto Deum patrem fabricabimus, & tempora confundemus, de quibus regula digna obſervatu traditur. Diſtingue tempora, & conciliabis Scripturas.

Faustus Socinus.

Resp. Fruſtra tentas jam datam Chriſto poteſtatem ad futurum tempus trahere, nixus præſertim ea ratione, quia alioquin ex Chriſto Deum patrem fabricaremus. Nam, ſi ratio iſta attendenda eſt, vel potius, ſi ea vera eſt, (quam tamen ego falſiſſimam eſſe non dubito) idem abſurdum erit, ſi aliquando, vel ad horæ quidem momentum, eam poteſtatem Chriſtus ſit habiturus.

Cap. IX.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Quod ad curam quam Chriſtus ſuæ Eccleſiæ gerere dicitur, attinet, etiamſi verum eſſet, & tota ſacra Biblia id unico ore affirmarent, minime tamen illum invocandum eſſe comprobaret; ſi enim omnes qui aliorum curam gerunt extra Deum patrem, & alii invocandi ſunt, videlicet Magiſtratus, patreſſamilias, & omnes pii, qui & ſubditorum & ſui ipſorum jubentur curam habere, & habent, omnino conſequetur invocandos eſſe.

Faustus Socinus.

Resp. Ego non ex ſola cura, ſed ex cura cum ſumma poteſtate conjuncta invocationem colligo. Quare inſtantiæ tuæ nihili ſunt æſtimandæ, cum de iis ſint, qui ſummam poteſtatem non habent. A quibus tamen id, quod præſtare queunt, peti jure poſſe, nemo negabit.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Verum ut non obiter ſaltem hac de re aliquid dixiſſe videar, de cura, quam Deus pater ſuæ gerit Eccleſiæ, & Chriſtus, ſic ſentio. Deus pater inde ab initio ſuæ curam geſſit Eccleſiæ, & geret, quemadmodum dicit Eſai. 46. 4. *Ego feci, ego ſalvavi, ego portabo uſque ad ſenectam.* Chriſtus ex mandato patris, dum in terris eſſet, ſuorum curam geſſit, quemadmodum Johan. 17. 12 teſtatur. *Cum eſſem cum eis in mundo, ego ſervabam eos nomine tuo, quos dediſti mihi, ego cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* At poſtquam cœlos conſcendit, eam curam Deo patri commendavit his verbis: *Pater ſancte ſerva eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus.* Et Chriſtus ipſe docuit, patrem noſtrum cœleſtem omnem noſtri curam gerere, & nos omnem noſtram curam & ſolicitudinem in ipſum conjicere debere.

Faustus Socinus.

Resp. Deus pater curam gerit perpetuo eccleſiæ ſuæ, quamvis Chriſto eam gubernandam dederit. Nam per Chriſtum illius curam gerit; ut ipſemet fateris factum fuiſſe, dum Chriſtus in terris eſſet. Chriſtus autem propterea ſuos, hinc diſceſſurus, Patri commendavit, quia munus, & poteſtatem eos, licet abſens, gubernandi nondum adeptus fuerat. Quod quamvis, ut alibi apparet, ipſe futurum ſciret; decebat tamen, eum, antequam id reipſa fieret, precantem ita loqui; ut ea ratione, & id deinde ſibi ex Patris largitate datum agnoſceretur, ipſeque ſe idem agnoſcere profiteretur, & ipſius diſcipuli, precationem ejus audientes, non ſolum, quam ipſe eos caros haberet, perciperent, verum etiam videntes, ſe Deo tam

efficaciter à cariſſimo ejus filio commendatos fuiſſe, bono animo eſſent, &, abſente licèt ipſo, animum tamen non deſponderent: immo ne mortuo quidem; pro quo tempore potiſſimùm preces illas à Chriſto fuſas fuiſſe, credendum eſt. Illud enim Joh. 17. 13. *Nunc autem ad te venio*, & ſimilia verba, quæ in ea precatione ſunt, non ipſum aſcenſum in cœlum, ſed mortem, quæ niſi interveniſſet, in cœlum ipſe non aſcendiſſet, & quæ idcirco via dici poterat eundi ad Patrem, & mundum reliquendi, eo in loco ſignificare non incommodè poſſunt. Quòd autem Chriſtus, licet ad eum modum convenienter pro tempore, & re præſente loqueretur, ſciret tamen, ſe denuo curam ſuorum geſturum: ſatis ex iis conſtat, quæ ipſe dicit Joh. 14. 21, & 23. ut alia teſtimonia omittam, quæ in priore meo ſcripto protuli, & de quibus infrà accuratè diſſeremus. Quinetiam id ex eadem ipſa precatione ad Patrem perſpicuum eſt. Inquit enim ad finem illius Joh. cap. 17. verſ. 26: *Et notum eis feci nomen tuum, & notum faciam; ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Nonne hîc, ſe id facturum dicit, quod ibi à Patre petierat, ut eadem etiam utrobique cauſſâ, cur ita petat & loquatur, oſtendit? Dixerat enim Joh. 17. 11, *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; ut ſint unum, ſicut & nos.* Nam, ſe quoque ſervaſſe eos in nomine ipſius, teſtatur ipſe ſubjungens ℣. 12, *Cum eſſem cum eis in mundo, ego ſervabam eos in nomine tuo.* Hoc autem idem eſſe reipſa cum illo, *& notum eis feci nomen tuum*, ſatis apertum videtur. Quare idem quoque reipſa cenſendum eſt, *& notum eis faciam nomen tuum*, quod, *& ſervabo eos in nomine tuo.*

Franciscus Davidis.

Particula 3. Neque legimus curam Eccleſiæ Deum patrem Chriſto commendaſſe. Interim verum eſt, futurum eſſe, ut ſit judex vivorum & mortuorum, & denuo uſque ad præfinitum tempus curam gerat Eccleſiæ ſuæ, & cum pater illi omnia ſubjecerit, quod nondum eſſe factum videmus, Hebr. cap. 2. 8. 1 Cor. 15. 24. reddat regnum Deo & patri.

Faustus Socinus.

Resp. Negas, legi, Patrem curam Eccleſiæ Chriſto commendaſſe. Quid igitur eſt illud Joh. 5. 22? *Neque enim Pater judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio.* Judicare ſane hîc vel phraſi Hebræa gubernare, & regere ſignificat, vel ſaltem judicium, quod ante diem illum ultimum perpetuò exercetur, declarat; ut oſtendunt verba ſequentia: *ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum.* Nam hoc de honore nunc ipſi filio exhibendo, quia omne judicium jam habeat, dictum fuiſſe, palàm eſt. Id autem nihil eſt aliud, quam oportere nos Chriſto obedire, & ipſum, non ſecus ac Deum patrem revereri, quia omnia gubernat, & ſibi non obedientes ac contumaces punire pro arbitrio atque imperio poteſt. Hic autem locus ſic dilucide, & ad ipſa verba accommodatiſſimè à nobis explicatus, pro omnibus eſſe queat. Quocirca alios quoſdam paucos, ex quibus ſimiliter, Deum Chriſto Eccleſiæ curam dediſſe, conſtat, tantummodo notabimus Joh. 5. 27. & cap. 10. verſ. 29. & cap. 13. 3. Epheſ. 1. 22. Act. 2. 36. Apocal. cap. 2. ℣. 28. Quibus adde eos omnes locos, ubi ſcriptum eſt, Deum Chriſto omnia ſubjeciſſe. Id quod curam Eccleſiæ complecti ipſe non negas; ſed futurum dicis, contra expreſſam litteram, quæ factum teſtatur: ea tantùm, ſcilicet, ratione fretus, quia ſcriptum ſit, Nondum illi ſubjecta eſſe omnia. Quam autem rectè, vidimus in initio cap. præcedentis. Quod tamen ſi aliquando futurum eſt; non pugnat profectò cura, quam Chriſtus habeat Eccleſiæ, cum ea, quam habet Pater, qui eam, te ipſo teſte, numquam abjecturus eſt.

Fransiscus Davidis.

Particula 4. Cum nullus omnino literaliter extet in Scriptura ſacra locus, qui affirmaret Chriſtum nunc curam gerere Eccleſiæ, miror per conſequentias id te velle extruere. Conſequentiæ enim dialecticæ tunc pro firmis haberi poſſunt, cum id quod colligitur, in verbo Dei demonſtratur, ſi verò in verbo Dei id ſcriptum eſſe minus probatur, tanquam commentum cerebri humani rejicitur, dictum enim eſt Deut. 12. 32. Nec addas, nec adimas. At dices, ſi non eadem verba ad literam habentur, tamen ſimiles loci paſſim in Scriptura ſacra habentur, quæ cominiminium & poteſtatem Chriſto in cœlis nunc exiſtenti tribuunt. Reſpondeo: Cum ex Chriſti aſſertione manifeſtè probetur, Chriſtum in cœlis exiſtentem curam patri ſuo cœleſti commendaſſe, & eum expectare donec pater illi omnia ſubjiciat, non poſſe huic contrarium verè colligi, & ſi quid tale adferri poſſet, id non contra hanc veram & firmam Chriſti aſſertionem retorquendum eſſe, verùm huic conſonam quærendam eſſe interpretationem.

Faustus Socinus.

Resp. Hîc denuo litteram flagitas, quia ſcilicet contra innumerabilia eademque clariſſima alioqui teſtimonia, curæ, quam Chriſtus poſt diſceſſum ſuum gerat Eccleſiæ, aliter ne hiſcere quidem potes; ut infrà in examinatione eorum, quam adverſus locos à me in priore ſcripto allatos ſcripſiſti, apertè demonſtrabo. Ex quibus locis non per conſequentias, ut ais, ſed per ſententiam, perque ipſius rei exempla atque ſpecimina manifeſta, non quidem extruere, ſed planiſſimum facere volo, Chriſtum nunc curam Eccleſiæ gerere. Quibus adde, inter cætera, ea potiſſimum, quæ Eph. cap. 5. 23, 24, & 29. de Chriſto & Eccleſia (ad quorum etiam exemplar virum, & uxorem ſe conformare, jubet Paulus) non per præteritum, aut futurum, ſed per præſens tempus, Chriſto in cœlis manente, efferuntur. Quòd, ſcilicet, Chriſtus ita caput ſit Eccleſiæ, ut eam, tamquam corpus ſuum conſervet, & illa viciſſim ei ſit ſubjecta; quodque Chriſtus Eccleſiam nutriat, ac foveat, ut membra corporis ſui. Nam quid apertius dici potuit, ut ſignificaretur, Chriſtum in cœlis manentem regere & gubernare eccleſiam ſuam? Locus ille Joh. 17. quem à te prolatum ſuprà examinavimus, etiamſi pro ſententia tua apertiſſimus eſſet, non poſſet tamen ſolus tot aliis pro mea apertiſſimis opponi. Quare non aliorum, ſed ipſius commoda aliqua interpretatio quærenda eſſet. Nunc quando, ut vidimus, nihil habet, quod apertè tibi faveat; non eſt ferendum, ut duplici eoque inſigni errore, unum idque dubium teſtimonium, multis iiſque certiſſimis opponatur: nec opponatur tantum, ſed eis plus poſſe cenſeatur. Jam illa Chriſti expectatio in Epiſtola ad Hebr. 10. 13. non eſt quies & otium, ſed permanſio in eodem ſtatu.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Primùm, ut talia dicta de cura & regimine Dei patris intelligantur, quod per filium exercet; doctrina enim & opera illa non ſunt filii, ſed patris; inquit enim Joh. 10. 25. Opera quæ ego facio non ſunt mea, ſed patris mei. Si cum in terris eſſet, & vere ipſe agere putaretur, & paſſim etiam affirmaretur, non ipſe egit & fecit, quanam ratione, ipſe nunc in cœlis facere dicere & regnare cenſendus eſt? Cum ſecundum divinitatem adeſſe non poſſit, non enim talem habet quæ cœlum & terram impleat, multò minus vero quatenus homo eſt, & circumſcriptus in cœlo, quem cœli capiunt, non ut illum Deum patrem qui omnia adminiſtrat, & quem cœli cœlorum capere non poſſunt, cum ubique ſit.

Fau-

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Neſcio, quid apertius à te dici potuerit, ut Chriſto curam & regimen Eccleſiæ aſſeras, & tua prorſus repudiata noſtram ſententiam comprobes, quam id, quod hoc loco dicis, Patrem eſſe, qui curam & regimen iſtud per Filium exercet. Nam quomodo per Filium Eccleſiæ curam, & regimen exercet Pater, ſi interim ipſe Filius huic curæ & regimini non incumbit, immo quemadmodum ipſe ſentis, his Patri commendatis, ad certum tempus interim plane quieſcit? Jam nos quoque non alia ratione Filio curam iſtam, & regimen tribuimus, quam quia dicimus, Patrem per Filium regere, & gubernare. Quod quomodocumque intelligatur, ſatis eſt nobis, Chriſtum eo modo facere nunc in cœlis, quo faciebat in terris. Nam, ſive ipſe vere faceret, ſive non faceret; certum eſt, eum tunc curam Dei populi geſſiſſe, & merito fuiſſe invocatum. Verum quomodo probas, eum tunc non feciſſe? Nuſquam enim dicit Chriſtus, quamvis tu id audacter affirmes, ac ſæpius repetas, opera, quæ facit, non eſſe ſua, ſive, ſe ipſa non facere: Sed tantummodo, Patrem in ſe manentem facere opera, & à ſeipſo ſe nihil facere Joh. 14. 10. v. 19; id eſt, ſe virtute à Patre ſibi conceſſa, non autem ſibi innata, operari: ſæpiſſime alioquin affirmans, ſe facere, atque adeo interdum requirens, ut credatur, ipſum poſſe facere Mat. 9. 28; ut ſuperiore cap. partic. 4. vidimus. Quod attinet ad ejus præſentiam, quæ in faciendo requiratur, jam id falſum eſſe, ad finem cap. 5 demonſtratum eſt.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 6. Secundo de efficacia miniſterii & verbi illius, ut Matth. 28. 20 dicitur, *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſeculi.* Item, *ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum.* & Epheſ. 4. 11, 12, 13. Ut autem in terris miniſterium ipſius efficax fuit per ſpiritum extra menſuram illi datum; inquit enim ipſemet Joan. 6. 63, verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita ſunt. Ita idem miniſterium nunc efficax eſt, per virtutem illius ſpiritus, ut verum ſit illud Heb. 13. 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe eſt in ſecula, peregrinis doctrinis ne circumferamini.*

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Nulla eſt efficacia miniſterii in Chriſto, niſi interim ille vere ea in re aliquid agat. Sicut nulla fuit efficacia miniſterii in Moſe, poſtquam mortuus eſt, quia nihil amplius ea in re vere egit; quamvis poſt ipſius mortem doctrina, quam populo propoſuerat, viguerit. Quid autem refert, miniſterium Euangelii efficax eſſe per eundem Spiritum, ſive per virtutem ejuſdem ſpiritus, ut actiones ipſi Chriſti perſonæ, & cura ac gubernatio Eccleſiæ tribui poſſint, niſi etiam per ipſum Chriſtum ille ſpiritus detur? &, ſi per ipſum dari, ut prædicta illi tribui poſſint, non eſt neceſſe, nec neceſſe quidem erit, ut ullo modo detur. Satis enim erit, Euangelii miniſterium vigere, & efficax eſſe, quacumque tandem ratione id fiat. Sed profectò quid ſit ille ſpiritus, per cujus virtutem Euangelii miniſterium efficax ſit adeo, ut hac ratione Chriſtus, quamvis ipſe nihil revera agens, regere adhuc tamen, & gubernare Eccleſiam dici poſſit, teipſum non ſatis percipere; tuus id explicandi modus unicuique ſatis oſtendere poteſt. De locis duobus apud Matthæum hic à te interpretandis depravatis agetur infra cap. 14. partic. 1.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 7. Tertio, ut præſens pro futuro accipiatur; id enim quod Deus fieri decrevit per filium, tam certo futurum eſſe, ac ſi jam omnino factum fuiſſet, id verum eſſe probatur ex 1 Pet. 3. 22, *profectus in cœlum, ſubjectis ſibi angelis & poteſtatibus & virtutibus,* 1 Cor. 15. 28. dicitur: *Cum autem ſubjecta fuerint illi omnia.* Heb. 2. 8. *Nondum videmus illi ſubjecta omnia.* Heb. cap. 10. 12, 13. *Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei; de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus.* Ecce Petrus in præſenti, Paulus in futuro hanc poteſtatem & ſubjectionem interpretantur. Utrumque verum eſt, ſi hoc ſenſu accipias & interpreteris. Sic Joh. 5. 24. *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, in judicium non venit, ſed tranſiit à morte in vitam.* Ecce præſens habet vitam, in judicium non venit, & tranſiit in vitam, & v. 28, 29, id futurum eſſe Chriſtus affirmat. Vide Epheſ. 2. 6. Col. 3. 3. 1 Joh. 3. 2. Hinc etiam fit, quod & nos ſperare jubemur, & ſuſtinere; ſi enim ſuſtinebimus, ſimul & regnabimus.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Tunc dicendum eſt præſens pro futuro eſſe poſitum, cum res ipſa monet, aliter eſſe non poſſe; ut in locis à te in teſtimonium adductis fit: aut etiam cum id ex aliis locis manifeſtum eſt. Sed neutrum hic habemus. Nam neque Chriſtum nondum regere & gubernare Eccleſiam ſuam apparet (alioquin, & Deum ipſum eam nec regere, nec gubernare, appareret; cum non magis Dei, quàm Chriſti regimen & gubernatio ſenſibus noſtris pateat) neque vel unus quidem locus eſt, qui tot apertiſſimis de præſente gubernatione & regimine Chriſti in eccleſia ſua, opponi poſſit. Petrus dicit, Chriſto ſubjectos eſſe angelos, & poteſtates, & virtutes; Paulus affirmat, nondum ſubjecta illi eſſe omnia. Quid tum? Num propterea Petri verba ad futurum tempus trahenda ſunt? Minime. Nam & verum eſt, angelos, & poteſtates, & virtutes jam eſſe Chriſto ſubjectas, & verum quoque, nondum eſſe illi omnia ſubjecta. Neque enim angeli, poteſtates, & virtutes omnia ſunt; præſertim, cum Petrus, non omnes poteſtates ac virtutes vel dicat, vel dicere velit, jam eſſe Chriſto ſubjectas, aut certe non eodem modo. Nam quædam ſunt, quæ illi omnino ſunt ſubjectæ, & ipſum jam pro Domino agnoſcunt, eique ex animo parent; quædam verò eatenus ſubjectæ ſunt, quatenus ipſe in eas jam imperii jus habet, ipſoque invito, nihil revera efficere poſſunt; quamvis ejus imperium aut nondum agnoſcant, aut detrectent: quas tandem deſtruet & abolebit. Atque ex hac diverſa ſubjectionis ſignificatione, non autem quia, tempus præſens ſeu potius præteritùm pro futuro uſurpetur, factum eſt, ut alicubi ſcriptum ſit, Deum ſubjeciſſe omnia ſub pedibus Chriſti, alibi vero, nondum ei ſubjecta eſſe omnia, ut in initio ſuperioris capitis attigimus.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 8. Neque verè hoc Chriſto, & ejus gloriæ quicquam derogat; ut enim verbum Dei diſtinguit tempora Meſſiæ, dum in terris eſſet: ſic & nunc dum in cœlis eſt. Ante enim & poſt nativitatem uſque ad annum ætatis 30. Jeſus deſignatione tantum erat Chriſtus. Cum verò deſignatus Chriſtus inire eam poteſtatem & munus cœpit quod tribus annis duravit, ab illo priore tempore diſtinguitur. Tertio, cum repulſus à civibus tandem occiſus eſt.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Immo iſtud quam maximè Chriſti gloriæ adverſatur, & animum dicentis ei non ſatis amicum prodit; cum id, quod apertiſſimè in præſente tempore illi tribuit Scriptura, nulla prorſus ratione ſuadente, ad futurum tantum tempus trahitur. Nam quæ de Meſſiæ temporum diſtinctione, dum in terris eſſet, adjungis, ea in Sacris Litteris expreſſa ſunt; nec ex illis ullo modo ſequitur, aliquam, necum ſimilem, diſtinctionem adhibendam eſſe, poſtquam eſt in cœlis. Quamquam aliquam diſtinctionem, etiam ab eo tempore nos quoque, ut ſupra viſum eſt, & mox videbimus, libenter agnoſcimus: ſed non qualem tu inducis.

FRAN-

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 9. Quartò, cum ob id quòd mortem lubens ſubire voluit, ſuper omne nomen, & honorem & dignitatem exaltatus eſt; quod cœpit ab eo tempore, quo Samaritani, & gentiles recepti ſunt à Deo in gratiam, & Paulus illis in apoſtolum cum Barnaba & aliis datus eſt, Petrus verò & alii Judæis.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Hîc tamen fateris ex parte in præſente tempore exaltationem Chriſti ſupra omne nomen. Non omnino igitur, te ipſo teſte, præſens pro futuro poſitum eſt. Sed cur ad exaltationem tantùm prædicationis Euangelii hanc Chriſti præſentem exaltationem refers? Nam quid vetat, obſecro, quominus nulla vi verbis adhibita, nulla nova & inaudita interpretatione allata, dicamus, Chriſtum vere jam ſuper omnia exaltatum, in angelos, dæmones, atque homines imperium habere, quamvis nec dæmones, nec maxima hominum pars illi planè adhuc ſint ſubjecti, quod tamen ſuo tempore fiet? An quia id Dei gloriæ repugnat? Quomodo igitur umquam erit re ipſa verum id, quod Chriſto hac in parte tribuunt ſacræ literæ? Quandocumque enim id futurum ſit, non minùs, quàm ſi hoc tempore eſſet, Dei gloriæ adverſabitur. Verùm quale virus hic lateat paullo poſt indicabimus.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 10. Hæc vera ſunt; neque etiam impediunt quo minus Jeſus ſit Chriſtus. Ita verum eſſe poteſt, & eſt, Jeſum eſſe ad dexteram Dei patris, & deſignatione habere poteſtatem & imperium, imò dici regem, & caput corporis Eccleſiæ; oportet enim ut regnet, donec illi ſubjiciantur omnia: Oportet enim ut evacuet omnem poteſtatem & principatum; & cum evacuaverit omnem poteſtatem & principatum, tunc finis, cum tradiderit Deo patri regnum 1 Cor. cap. 15. 24. Sic David deſignatus rex erat, & ſedebat à dextris Dei, ſatis firmus tutuſque, donec deletis hoſtibus illius, revera rex eſſe cœpit. Sic in Chriſto primitiæ illius declaratæ ſunt; complementum verò illius futurum eſt, cum omnia illi ſubjecta fuerint, quod nondum factum eſſe videmus.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Immo, ſi quæ dicis, vera ſunt, nec Jeſus vere eſt Chriſtus ullo modo, nec ad dexteram Dei ſedet, & conſequenter nec rex dici, nec caput corporis Eccleſiæ debet. Cum Jeſus erat in terris, quamvis ſummum illud imperium & poteſtatem non haberet, Chriſtus tamen non deſignatione tantùm, ſed verè etiam aliquo modo erat; id quod tu ipſe non obſcurè confiteris ſuprà partic. 8. & idcirco ipſe ſe Chriſtum nominare non dubitabat Joh. 4. 26; quia nimirum jam ex parte dominationem & regnum adeptus fuerat, idque adminiſtrabat. Nam quid aliud eſt illud, eum fuiſſe in forma Dei Phil. 2. 6? Nihil ſub cœlo erat, quod ei non obediret. Mare, venti, dæmones ipſi, ſolo ipſius juſſu obmuteſcebant. Depoſuit aliquantiſper Jeſus eam Dei formam, quatenus potentiam ſuam non exeruit, & ſervi formam ſuſcepit, dum crucis mortem ſubiit, ut Patri obediret. Ex qua obedientia conſecutum eſt, ut verè prorſus Chriſtus, & Dominus ſit factus, & in gloriam ſuam ingreſſus fuerit. Luc. 24. 26. Act. 2. 36. Phil. 2. 9. &c. Hebr. 2. 8. Et tamen, eum nunc minùs poſſe, quam antea poterat, dicemus, & Chriſtum deſignatione tantùm eſſe? ſeu, deſignatione tantum imperium ac poteſtatem habere? Itaque Johannem Baptiſtam mendacem faciemus, qui dixit ſe oportere minui, Jeſum autem creſcere Joh. 3. 31, cum Jeſus, ſi iſta vera ſunt, non modò non creverit, ſed minutus fuerit. Nam ſi dicas, Jeſum creviſſe, quia Euangelium prædicatum eſt gentibus; hoc nihil eſt præ illis, quæ adempta ei fuiſſe vis. Præterea hac ratione Baptiſta quoque crevit, quia pœnitentia, & remiſſio peccatorum, quam ipſe primus populo annunciavit, gentibus quoque annunciata eſt. Sedere ad Dei dexteram, non eſt, tutum, firmumque in Dei protectione manere, ut tu interpretaris: ſed primum gradum potentiæ, & auctoritatis poſt Deum habere. Tranſlatio enim eſt manifeſta ab iis, qui regibus à dextris aſſident. Neque hîc dexteram pro tutela, & protectione, ſed pro omnium honoratiſſimo loco accipi id declarat, quòd ea phraſis, In dextera Dei eſſe, alibi ita effertur, Eſſe à dextris Dei. Unde conſtat, tranſlationem non à manu brachii dextera, ſed à dextero latere ductam fuiſſe. Si quis autem apertè intelligere velit, quid ſit Chriſtum ſedere à dextris Dei, & potentiam multam ea locutione ſignificari, nihil ambigere; legat verba ipſius Chriſti apud Matthæum cap. 26. ℣ſ. 64. eaque conferat cum eodem loco apud Lucam cap. 22. ℣ſ. 69. Davidis exemplum tibi quam maximè adverſatur. Nam cum dictum illi fuit à Deo, ut ſederet à dextris ipſius, dumque poſtea ſubjicerentur ei inimici, jam non deſignatione tantum, ſed revera rex erat. Alioqui, cum ſubjectio inimicorum ferè per totam ejus vitam duraverit, ut teſtatur hiſtoria, & Salomon ipſe affirmat in initio cap. 5. prioris libri Regum, non fuiſſet David, rex revera, niſi breviſſimo temporis ſpatio. Et tamen certum eſt, eum poſt Sauli mortem, & ſic non deſignatione tantùm ſed revera, regnaſſe ſuper Iſraëlem quadraginta annis. 2 Sam. 24. 1 Reg. 2. ℣ſ. 10. 1 Par. 29. 27. Quamvis igitur adhuc inimicos omnes non ſubjeciſſet illi Deus; rex tamen revera erat David, & revera imperium & poteſtatem habebat, quam pleniſſimè in pleroſque ſui regni homines, & locos, eoſque potiores exercebat. Sic dominus Jeſus, quamvis nondum à Deo illi hoſtes omnes ſubjecti ſint, revera tamen eſt rex, & revera imperium, & poteſtatem habet, quam pleniſſimè in cælo, & in terra in eos omnes exercet, qui Deo ſunt cari, & potior pars ſui regni ſunt. Et quemadmodum Deus non ita Davidi hoſtes ſubjiciebat, ut interim David quieſceret, & nihil ageret, ſed non aliter, quam per ipſum Davidem id efficiebat, qui eam ob cauſſam, quòd, hoſtes debellando, multum ſanguinis fudiſſet, non potuit, nec dignus eſt habitus, qui templum Deo conſtrueret; 1 Reg. cap. 5. 3. 1 Par. 28. 3. Sic Chriſto non ita Deus inimicos ſubjicit, ut interim Chriſtus ipſe quieſcat, & nihil agat, ſed per ipſummet Chriſtum id efficit, qui (ab ipſo Deo, ſcilicet) ſubjiciendi ſibi omnia poteſtatem & efficacitatem habet. Phil. 3. 23. Quare nunc non primitias tantùm quaſdam regni Chriſti habemus, ſed ipſum regnum, idque, quod ad jus & vim regnandi attinet, planè abſolutum; quamvis nondum id jus, eaque vis peræquè in omnia plenè exerceatur atque exeratur, & nondum perfectè eodem modo omnia Chriſtò ſubjecta eſſe conſpiciantur.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 11. Scripturæ ſacræ hæc conſonantia eſt; quæ ſi admitteretur, non duos regnantes in cœlum inveheremus, verum unà cum Chriſto edocti, de Deo patre conſtanter affirmaremus, *quoniam tuum eſt regnum, tua potentia & gloria in ſecula ſeculorum.* Utinam in hac, & in reliquis diſputationibus, illud tritum obſervaremus. Diſtingue tempora & conciliabis Scripturas. Verùm ut res manifeſta fiat, locos contra veritatem & fundamenta aſſertionis ipſius Chriſti citatos examinemus, & id quod ex fundamento Scripturæ ſacræ propoſuimus, firmum eſſe demonſtremus.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Hîc ſe ſatis prodit virus, & ſimul ingens abſurditas ſententiæ tuæ, cum Chriſtum non aliter, quàm in hoc mundo carnali ratione, ut cæteri reges terræ

terræ faciunt, regnare poſſe velis. Nam profectò ſi duo regnantes in cælo eſſe non poſſunt, numquam Chriſtus in cælo regnabit. Quomodo igitur verum eſt id, quod Paulus affirmat 1 Cor. 15. 27, omnia præter ipſum Deum ei ſubjecta fuiſſe, ſive id de præſente, ſive de futuro tempore accipias? Certè, niſi Paulum delirare velimus, aut jam eſt, aut futurum eſt aliquando, ut Chriſtus non minùs in cælo, quam in terra regnet, & ita duos regnantes in cælo habeamus; niſi Deum, quamvis numquam ſeipſum Chriſto ſubjecturum, regno tamen aliquando ſe paulliſper abdicaturum velimus. Negare autem, Chriſtum in cælo ſpirituali ratione, ut Deus ipſe facit, regnare poſſe, hoc nihil aliud eſt, quàm merum Judaiſmum invehere, & negare, Jeſum eſſe Chriſtum, & conſequenter ejus univerſam diſciplinam peſſundare. Quis enim ex animo credat, eum eſſe Chriſtum, qui ea nondum habeat, quæ propria Chriſti ſunt? Quis ejus præceptis obedire velit, qui præcipere nihil potuit? Numquid, inquiet aliquis, potuit Jeſus ille Nazarenus divinæ legis per Moſem datæ præcepta vel minima quidem ex parte immutare, ſi numquam revera Chriſtus fuit, ſed, ut ſit, adhuc expectatur? Immo an non & ipſe, & ejus apoſtoli falſi prophetæ & doctores exiſtimandi ſunt, qui, cum is huic rei convenientem poteſtatem non accepiſſet, auſi tamen ſunt quædam prohibere, quæ Moſes permittebat, ut in repudianda uxore Jeſus fecit, quædam rurſus, quæ ille prohibuerat, permittere, ut in cibis & aliis ſimilibus fecit Paulus? Sed iſtas blaſphemias miſſas faciamus. Cæterùm, Chriſto, non Deo tantùm, gloriam, & potentiam tribui, probant manifeſtè hi loci, 2 Pet. 3. ỳſ. 18. Apoc. 5. 12, & 13. Regnum verò Chriſti quoque eſſe, dici & poſſe & debere, ſatis oſtendit, quòd rex regum Chriſtus appellatur Apocal. 17. ỳſ. 14. & cap. 19. 16. & quòd Paulus diſertè Dei regnum Chriſti quoque regnum vocat Epheſ. 5. 5.

Cap. X.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Adfertur primùm locus ex Apocal. 3. 7. quòd habeat Chriſtus clavem Davidis, aperiat, & nemo claudat; Et Petro dantur claves regni cœlorum, ut liget & ſolvat, quod claudere & aperire eſt. Sic Johan. 20. 22. omnibus apoſtolus eadem confertur poteſtas, & mittuntur ſicut Chriſtus ipſe miſſus eſt à patre ſuo cœleſti: An ideo Petrus & reliqui Apoſtoli invocandi, & de illis dicendum, quòd nunc in cœlis curam gerant Eccleſiæ, & invocati omnia neceſſaria conferant petentibus? Hac profectò ratione & ſanctos Dei mortuos ut invocemus oportet. Et quòd curam gerant Eccleſiæ fateri nos oportet.

Faustus Socinus.

Resp. Aliæ ſunt claves regni cælorum Petro & cæteris apoſtolis à Chriſto datæ, quas habebant, dum hîc erant, alia clavis Davidis, quam habet ipſe Chriſtus in cælis. Claves illæ ejuſmodi introducendi in regnum cælorum, & excludendi ab illo poteſtatem ſignificant, quæ in terris haberi poſſit, propter doctrinæ, videlicet, cæleſtis miniſterium, & voluntatis divinæ exactam ea in re cognitionem. Hæc autem clavis ſummam poteſtatem, & adminiſtrationem univerſæ domus Dei declarat. Oſtenditur hoc per locum Eſaiæ, unde hæc phraſis ſumpta eſt, prope finem cap. 22. ubi Franciſcus Vatablus ad verba illa, *Et dabo clavem*, &c. ſic annotat, *Id eſt donabo illum conſilio, quo totam aulam Ezechiæ poſſit regere: quicquid ſtatuerit fiet, quicquid fieri noluerit, non fiet:* Quamquam ne claves illas quidem, quas ipſe Petro dedit, nunc habet Chriſtus, niſi Eccleſiam, quod ad verbi miniſterium attinet, ipſemet præſente virtute ſua regit, atque gubernat, & niſi adhuc (quod tu planè negas) verè aliquid ea in re agit. Neque verò Petrus, aut cæteri apoſtoli claves regni cælorum ampliùs habent, quamvis idem miniſterium verbi, quod ipſi primi inter gentes inſtituerunt, adhuc duret, aut certè, ſi duraret, efficax, quod ad Dei decretum attinet, omnino eſſet. Nempe quia ipſi verè ea in re nihil ampliùs agunt. Quocirca, cum Chriſto clavem Davidis nunc in cælis habente apoſtolos, qui claves regni cælorum aliquando in terris habuerunt, nunc verò ampliùs non habent, conferre, & comparare, ſanctoſque Dei mortuos Chriſto à mortuis excitato, & à dextris Dei in perpetuum collocato æquare velle, non minùs ridiculum, quàm impium cenſeri debet.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Secundus locus ex Apoc. 1. 18. adductus, ubi dicitur, quòd Chriſtus habeat claves mortis & inferni, nil aliud eſt, quàm quod Chriſtus ipſe explicuit Joh. 3. 18. *Qui credit in eum non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti filii;* & 36. *Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam: ſed ira Dei manet ſuper illum;* & 1 Johan. 5. 20. *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe: qui non credit filio, mendacem facit ipſum, quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo.* Hæ ſunt claves mortis & inferni, quas Chriſtus miniſtris ſuis commiſit, ut exerceant, dum ipſe peregre abeſt, ut ex hiſtoria Samaritani, Luc. cap. 10. apparet. Quod & Paulus 2 Cor. 2. verſ. 15, 16. docet, & has claves inferni & mortis revera demonſtravit, & exeret, cum venerit judicare vivos & mortuos, & tamquam juſtus judex præmia piis vitæ æternæ conferet, impiis vero infernum & damnationem æternam. Sicut autem Apoſtolos hanc ob cauſſam nemo docet invocandos eſſe, ita nec ipſum Chriſtum; futurum verò eſt, ut ad ipſius tribunal genu flectamus, ut Phil. 2. & Rom. 14. habetur. Nec tamen ut Deum invocabimus.

Faustus Socinus.

Resp. Claves item illæ mortis, & inferni, quas ſe nunc habere Chriſtus affirmat, non eæ ſunt, quas tu exiſtimas. Quandoquidem illas, ut ſatis ex ejus verbis apparet, non priùs habuit, quàm immortalis factus eſt; has verò etiam mortalis habuit. Quoniam igitur, poſtea quam à mortuis excitatus eſt, & in cœlum ad ſempiternam vitam tranſlatus, id propter obedientiam ſuam ad ſuorum æternam conſolationem, & ſpei firmitudinem eſt adeptus, ut ipſi morti etiam, atque inferno dominetur, quos tandem in omnibus membris ſuis penitus abolebit; Idcirco Johanni dicit, Apocal. cap. 1. verſ. 17. *Nolite timere, Ego ſum primus ille & noviſſimus, & is qui vivit* (ὁ ζῶν enim eſt in Græco) *& fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum. Amen. Et habeo claves mortis & inferni.* Quis hîc de ullis clavibus agi ſuſpicetur, quas homo mortalis habeat, aut habere poſſit? Hoc autem propterea etiam dico, quòd tu, tuam ipſius interpretationem interim non intelligens, credis Chriſtum has claves miniſtris ſuis commiſiſſe, cum, ut ais, peregre profectus eſt. Quem loquendi modum à Chriſto de ſeipſo in parabola illa, Matth. cap. 25. verſ. 14: Non autem, ut tu ſcribis, in hiſtoria Samaritani Luc. cap. 10. uſurpatum, aptiſſimum eſſe putaſti ad demonſtrandum, Chriſtum non plus hic agere, quàm domi agant ii, qui peregre abſunt. Sed meminiſſe debueras, eundem prorſus loquendi modum in alia parabola de Deo ipſo uſurpatum fuiſſe, Matth. cap. 21. 33. Cæterùm ſciendum eſt, hunc, & ſuperiorem Apocal. locum non ad curam, & gubernationem, de qua hîc nominatim agitur, ſed ad Chriſti poteſtatem probandam, de qua ſuprà actum eſt, à me allatos fuiſſe.

Cap. XI.

Franciscus Davidis.

Particula 1. *Qui* in Apocal: non Chriſtum, ſed Angelum nomine Dei, à quo miſſus eſt, loqui affirmant, non vaniſſimum quærunt ſubterfugium, verùm perpetuam ſacræ ſcripturæ phraſim ſequuntur. Miſſi enim & perſonam & nomen mittentis ſæpe ſibi vendicant. In Apocalypſi verò illud fieri ex inſcriptione & titulo libri apparet: *Apocalypſis Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis quæ oportet fieri cito, & ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni.* Ecce Deus pater revelat ſuo filio, & ideo Apocalypſis Jeſu Chriſti dicitur; ex quibus verbis apparet Chriſtum in cœlis ad dexteram Dei patris etiam nunc diſcere, & à patre revelari illi aliquid, quod antea non cognoverat. Unde & illud Coloſ. 2. 3. Quomodo intelligendum ſit, quod in ipſo ſint omnes theſauri ſapientiæ bonitatis & ſcientiæ manifeſtum ſit. Ecce Deus per Angelum ſuum manifeſtavit ſervo ſuo Johanni. Si negabis ſenſum hunc loci genuinum eſſe, non contendam anxiè. Illud tamen dabis, Angelum locutum eſſe in perſona Chriſti. Subinde enim repetitur, *Spiritus dixit Eccleſiis.*

Faustus Socinus.

Resp. Ita loqueris quaſi angelus ille uſpiam Dei nomen, aut perſonam ſibi vendicet; & non ubique de eo, tamquam de perſona à ſe diſtincta loquatur. Quòd ſi is, qui miſſus eſt, nomen mittentis, & perſonam vendicare ſolet, Ergo is qui miſit, Chriſtus eſt, cujus nomine, & ex cujus perſona, ut in priore ſcripto demonſtravimus, ea omnia dicuntur. Miſit quidem & Deus angelum illum, ſed mediate & per Chriſtum: Chriſtus verò immediatè. Et ob eam rem quoque, ut ſup. cap. 6. partic. 3. diſſeruimus, is angelus ipſius Dei perſonam ſibi vendicare non potuit: Chriſti vero, potuit. Ab utroque autem angelum illum miſſum fuiſſe, patet ex poſtremo cap. ejus libri verſ. 6. & 16. quibus etiam in locis utriuſque angelus appellatur. Quod ſolum teſtimonium totam hanc quæſtionem regiminis, & gubernationis Chriſti decidere poteſt. Ex eo enim perſpicuum eſt, Deum per Chriſtum in cælis permanentem operari, & à Deo fieri ea, quæ ipſe Chriſtus facit; ita ut Chriſti regimen, & gubernatio ipſius Dei patris ſit. Tantum abeſt, ut regimini, & gubernationi paternæ vel adverſetur, vel ulla ratione officiat. Certum igitur, ut in priore ſcripto dicebamus, eſſe poteſt, vaniſſimum eſſe ſubterfugium eorum, qui dicunt, Dei nomine, non autem Chriſti ea verba Johanni dicta fuiſſe. Nam, quòd non verè ipſe Chriſtus, ſed angelus, ejus perſonam ſuſtinens, locutus fuerit; hoc non modò non minuit, ſed auget Chriſti in cælis gubernationem, atque potentiam; cum, non ſecus, atque ipſe Deus, per angelos à ſe miſſos, & loqui & apparere dicatur. Jam verò, quòd Chriſtus aliqua futura ignoret (quamquam id ex ipſius Apocalypſis initio evinci fortaſſe non poteſt) id nihil ejus gubernationi, & curæ, quam Eccleſiæ gerat, detrahit; quemadmodum gubernationem & curam, quam rex habeat populi ſui, non minuit, quòd rex futura ignoret. Præſertim cum Chriſto, quandocumque opportunum fuerit, omnia ſemper à Deo patefieri poſſint.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Verùm quid hinc evincitur, nunc Chriſtum ſuæ curam habere Eccleſiæ? Minimè. Textus enim contrarium habet. Verba manifeſta ſunt, *Palam facere ſervis ſuis quæ oportet fieri cito.* Non de re præſenti, ſed futura loquitur, Et teſtimonia adducta id verum eſſe confirmant: *Vincenti dabo edere*, Apocal. 2. 7. Non *do*, futurum non præſens; & *ſicut ego accepi à patre meo, dabo.* Et per totum caput ſecundum, non præſens ſed futurum uſurpatur tempus. An iſtud non eſt confundere tempora, & id quod minime probat, in teſtimonium adducere? An non liber Apocalypſeos prophetias continet de rebus futuris; & quid ad rem præſentem reſtringimus, & quid in probandis controverſis dogmatibus ex eo probabimus? de quo an factum ſit, & an adhuc fieri debeat, controvertitur præcipuè, cum quæſtio inter nos ſit de re præſenti non de re futura?

Faustus Socinus.

Resp. Vide quæſo, quomodo loquaris. Vocas contrarium id, quod vix diverſum dici poteſt. Nam quæ contrarietas (ut ita loquar) eſt inter gubernationem præſentem, & annunciationem ſive promiſſum rei futuræ, quæ ex gubernatione pendeat? Ais, per totum ſecundum caput non præſens, ſed futurum tempus uſurpari. Quodnam (rogo te) in Chriſti gubernatione appellas præſens, quodve futurum tempus? An non vides, præſens tempus dici debere totum hoc, in quo res in eodem ſtatu permanent, nec dum illam à vobis cogitatam futuram gubernationem Chriſtus eſt adeptus? futurum autem appellandum eſſe id tantummodo, cum rerum ſtatus mutabitur, & ut vobis placet, Chriſtus Eccleſiæ gubernationem, quam illi nunc adimitis, habiturus eſt? Quare quidquid eo in loco Chriſtus ſe facturum dixit, id, tamquam ſi jam facere ſe dixiſſet, quod ad quæſtionem noſtram attinet, accipiendum eſt; dummodo in tempus illud non differatur, in quo rerum ſtatum mutandum eſſe, & Chriſto aliquid datum iri, quod nondum habeat, dubitari poſſit. Ejuſmodi autem ſunt ea, quæ habentur verſ. 5. 16, 22, 23, & 24. quæ omnia vel ad præſentem illam tunc temporis ætatem omnino pertinere, vel ſaltem ad tempus illud reſpicere, quo Eccleſiæ illæ manſerunt, ipſa luce eſt clarius. Sed quid dicemus de eo, quod ſcriptum eſt, verſ. 21, ubi jam ſe aliquid feciſſe, Chriſtus dicit? Inquit enim, *Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret à fornicatione ſua; & pœnitentiam non egit.* Nonne hoc ſummam adminiſtrationem, & auctoritatem in Eccleſia planè ob oculos ponit? Nec aliud ſanè oſtendunt ea toties repetita verba. *Novi opera tua*, &c. *Sed habeo contra te*, &c. Jam verò in tertio capite, cujus tu non meminiſti, videat lector potiſſimum, quæ ſcripta ſunt verſ. 16, 19, & 20, & judicare poterit, utrum Chriſtus eccleſiæ ſuæ præſentem curam, & gubernationem habeat, nec ne. Non ſunt autem ea, quæ ex duobus illis capitibus ad Chriſti regimen pertinere queunt, ex eorum numero, quæ obſcuritatem aliquam contineant, & neſciatur, an facta jam ſint, an verò adhuc fieri debeant. Quin etiam ne prædictiones quidem Propheticæ dici debent: ſed Chriſti tantum præmonitiones. Vaticinationes enim & obſcuræ narrationes à quarto demum capite initium ſumunt, & ad finem uſque ipſius libri perducuntur. Ex qua tamen libri parte non omittunt, dum de dogmatis religionis noſtræ diſputant, viri præſtantiſſimi teſtimonia citare. Et tu ipſe in hoc ſcripto tuo idem facis ſuprà cap. 2. partic. 4. & infrà cap. 14. partic. 2. & cap. 22. partic. 8. Quamquam ad te revincendum ſatis eſt te ipſum ex primis tribus capitibus teſtimonia citaſſe; quod certè feciſti; ut apparet cap. 4. partic. 2. & hujus capitis partic. ſuperiore.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Non laboro ut rationibus tuis quibus evincere niteris Chriſtum ipſum loqui, reſpondeam, cum inter nos minimè controvertatur, Deuſne pater, Angelus, an Chriſtus loquatur, verùm, an nunc Chriſtus in cœlis exiſtens curam ſuæ gerat Eccleſiæ perſonaliter, An verò quatenus, ſemel conſtituto miniſterio, vi ſpiritus cura & protectio, & defenſio illa adminiſtretur? quorum poſtremum ſacris litteris conſonum, prius verò contrarium eſſe videtur. Sed ad rem ipſam accedamus. Omnia quæ in hanc ſententiam

tiam colligi & proponi poſſunt, videlicet, Chriſtum nunc in cœlis regnare, curam habere ſuæ eccleſiæ, Chriſtum invocandum eſſe minimè probant. Non igitur per conſequentias, ſed manifeſto verbo Dei probes, Chriſtum, ſi non neceſſe ſit, tamen invocari debere.

Faustus Socinus.

Resp. De qua cura, & gubernatione Chriſti in eccleſia ſua loquantur prædicta teſtimonia, 2, & 3. cap. Apoc. videbunt omnes, qui ea legent; & de nulla imaginaria quadam vi ſpiritus, qua, ſemel conſtituto miniſterio, cura, protectio, & defenſio adminiſtretur, ſed de exercitio ejus ſupremæ auctoritatis, & potentiæ, quam revera Chriſti perſonæ Deus dedit, agi perſpicient. Quod ipſemet tandem videns, dicis, inter nos de invocando Chriſto, non autem de ejus cura, & gubernatione diſputari: nec conſecutionibus, ſed expreſſis teſtimoniis agendum eſſe. Hoc autem quàm jurè & rectè, præſertim de propoſito noſtro, a te dictum ſit, omnibus ſimiliter judicandum relinquo; cum conſequentiæ meæ ipſi ſenſui communi ſatis pateant, nec tu vel per inſtantias, vel alio modo adverſus eas quidquam ſolidi afferas. Illud mihi firmiter perſuadeo, neminem futurum, modò veſtris opinionibus planè imbutus non ſit, qui illa duo capita attentè legens, & conſiderans, Chriſtum invocari poſſe, etiamſi priùs ea de re non leviter dubitaſſet, non apertè agnoſcat, & confiteatur.

Cap. XII.

Franciscus Davidis.

Particula 1. At videamus reliqua teſtimonia, & conſecutiones inde expreſſas. Tota hiſtoria converſionis & electionis Pauli ad Apoſtolatum, docet, nunc Chriſtum in cœlis exiſtentem curam habere ſuæ Eccleſiæ; omnia enim quæ geſta ſunt cum Paulo, per Chriſtum geſta ſunt. Quid ſi conceſſerim rem ita ſe habere, cum illud, ad complementum miniſterii Chriſti pertinuerit, An nunc idem fieri comprobabitur?

Faustus Socinus.

Resp. Non ad complementum miniſterii Chriſti, ſed ad confirmandum in mentibus noſtris, Chriſtum, licet corpore abſentem, Eccleſiam regere ac gubernare, eæ Chriſti apparitiones, & actiones, & verba, poſtquam in cœlos aſcendit, omnino pertinent. Quomodo vero hic dicere potes, Chriſti miniſterium, cum ea fierent, nondum fuiſſe completum, tu, qui ſupra cap. 9. partic. 2. aſſeris, Chriſtum, hinc diſcedentem ſuorum curam reliquiſſe, & in fine cap. 5. ſatis aperte affirmas, eum, niſi de cœlo deſcendat, & præſens corpore adſit, nihil, quod ad nos pertineat, facere poſſe?

Franciscus Davidis.

Particula. 2. An ſi ita nunc quoque fiat, conſequitur invocandum eſſe? nulla prorſus ratione. Si enim id verum eſſet, Paulus in precibus ſuis Chriſtum invocaſſet, aut ſaltem docuiſſet formulam aliquam invocationis Chriſti. At contrarium ex Epheſ. cap. 1. 16. demonſtratur; inquit enim, *non ceſſo gratias agere pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationem in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis, & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto.* Examinentur verba hæc Pauli. Primum omnium in orationibus ſuis ſemper quem invocaverit, & cui gratias egerit, docet 2 Tim. 1. 3. 2 Theſſ. 1. 3. 1 Theſſ. 1. 2. Coloſſ. 1. 3. Phil. 1. 3. videlicet Deum Domini noſtri Jeſu Chriſti patrem gloriæ. Sic Epheſ. 3. 14. *Hujus rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Neutrum Paulus dicere potuiſſet, videlicet in omnibus orationibus, & ſemper ſe inceſſanter orare Deum gloriæ patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Verum aliquando & Chriſtum dicere debuiſſet, & ſaltem formulam aliquam in ſcriptis ſuis reliquiſſe, ex quibus teſtatum feciſſet, ſi quando Chriſtum invocaſſet.

Faustus Socinus.

Resp. Tantum abeſt, ut Dei patris invocatio Chriſti invocationi contraria ſit, ut nullam aliam ob cauſſam magis Chriſtus invocari poſſit, quam quia Deus pater invocari debet. Quicumque enim Chriſtum invocat, ipſum Deum patrem invocat; quemadmodum, qui in Chriſtum credit, in Deum, qui illum miſit, credit, Joh. 12. 44. qui Chriſtum videt, Deum patrem videt, Ioh. 14. 9. qui Chriſtum accipit, eum, qui illum miſit, accipit, Matth. 10. 40. & rurſus, qui Chriſtum rejicit, eum rejicit, qui miſit illum, Luc. 10. 16. qui Filium negat, is nec Patrem habet, 1 Joh. 2. 23. qui Filium denique non honorat, Patrem non honorat, Joh. 5. 23. Quocirca noſtri cura, & gubernatio cum ſumma illa poteſtate conjuncta, quam Deus Pater ei dederit, Chriſto concedi non poteſt, quin invocatio illi ob id ipſum, quod Deus pater invocari debet, ſimul concedatur. Ex quo efficitur, ut non ſolum quæcumque apud Paulum de Deo ab ſe invocato teſtimonia leguntur, Chriſti invocationem non excludant, ſed eam complectantur. Id eſt, etiamſi frequentiſſime Chriſtum Paulus invocaſſet, omnium tamen precationum ſuarum, cum dicit ſe Deum patrem invocaſſe, mentionem fecerit. Aude quod, ut ſupra oſtendimus, multis in locis expreſſe eum aut invocat, aut ſe invocaſſe dicit: & interim invocandi Chriſtum formulas aliquas non obſcure nos docet.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Neque ſpiritum revelationis & agnitionis ab eo dari cuperet, ſi revelatio & illuminatio initium à Chriſto haberet. Dicere enim debebat: *invoco Chriſtum, & illi gratias ago, quod me rexit, gubernavit, quod mihi apparuit, & me illuminavit.* At hujus contrarium videmus in ſcriptis Pauli. Id enim omne Deo patri acceptum refert hoc in loco; & 2 Tim. 1. 1. 1 Cor. 15. 10. *ſecundum voluntatem Dei*; & 1 Tim. 1. 1. *ſecundum imperium Dei ſalvatoris noſtri*; Coloſſ. 1. 1. *per voluntatem Dei*; Epheſ. 1. 1. per voluntatem Dei id omne factum eſſe affirmat; & verſ. 10. revelationem illam à Deo patre & ſecundum propoſitum ejus factam eſſe docet. Epheſ. 3. 8, 9. 1 Cor. 15. 9. idem confirmat.

Faustus Socinus.

Resp. Nemo noſtrum eſt, qui dicat, revelationem & illuminationem initium à Chriſto habere, præſertim eo ſenſu, quo tu id nobis tacite tribuis. A Deo enim, tamquam ab eo, ex quo omnia, & hoc, & omne aliud bonum proficiſci, & initium ſumere affirmamus. Id quod veriſſimum eſſe non deſinet, quamvis Deus Chriſto poteſtatem illuminandi, & patefaciendi dederit. Non enim ita dedit, ut vel ſeipſum ea privaverit, vel ipſe jam illuminare, & patefacere dici nequeat. Immo ita dedit, ut ea ſemper in ipſius ſit manu, atque ea ratione, ut ſupra demonſtratum eſt, ipſe per Chriſtum & illuminet, & patefaciat. Negas autem ſatis aperte, Paulum Chriſto gratias egiſſe, quod ſe rexerit, & gubernaverit: quod ſibi apparuerit, ſeque illuminaverit. At verò quid illud eſt? *Gratias ago ei qui me confortavit Chriſto Jeſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit ponens me in miniſterio*, 1 ad Timotheum 1. verſ. 12.

Et paullo poſt, *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem patientiam* (vel potiùs, *clementiam*) *ad informationem eorum, qui crediturí ſunt illi* (ſeu potiùs *in ipſo*) *in vitam æternam.* An non vides, quàm vehementer tua opinione deceptus fueris, & quàm pulchre hoc cum tota hiſtoria, ut verba ipſa ſonant, converſionis Pauli, & electionis ad apoſtolatum per Chriſtum factæ, conveniat? In quibuſdam. Latinis codicibus prioribus verbis additur præpoſitio In, hoc pacto, *Gratias ago ei, qui me confortavit in Chriſto Jeſu.* Sed lectio iſta ab omnibus Græcis exemplaribus, & ab emendatioribus Latinis, nec non à Syriacis codicibus planè reſpuitur.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Non legimus Chriſti apparitiones alias niſi cum in terris eſſet & verſaretur, & deinde, ut Angeli docent, quando venturus eſt conſpicuus, ad judicandum vivos & mortuos, Act. 1. 11. Videmus adverſariorum ineptias, qui finxerunt Chriſtum λόγον cum in cælis Deus eſſet, quod ſæpe apparuerit patribus; & nos nunc in idem ſaxum ex incogitantia impingimus.

Dices, quomodo negabimus manifeſtas ſcripturas, ubi Paulo Chriſtus apparuiſſe legitur? Nequaquam negabimus; verum analoga quærenda interpretatio eſt. Oportet enim ut cœli Chriſtum capiant uſque ad tempora reſtitutionis omnium, Act. 3. 21. & tamen apparuiſſe Paulo, videlicet revelationem factam eſſe vel per Angelum, vel per viſionem à Deo patre præordinatam, id verum eſſe ipſa Pauli hiſtoria teſtatur. Primo enim Actor. 9. dicitur, quod Paulus neminem viderit, ſed vocem audiverit Actor. 9. 7. & Ananiæ quod per viſum apparuerit Dominus; & Act. 16. 7, & 9. per Angelum quem Spiritum Jeſu nominat, & per virum Macedonem apparitionem factam eſſe, Lucas explicat; & Actor. 22. ipſemet Paulus hiſtoriam illam ex verbis Ananiæ ita refert: *Deus patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem* ejus, ut videres (τὸ δίκαιον) quod juſtum eſt, & audires vocem ex ore ejus. Paulus hanc viſionem & apparitionem 2 Corinth. 12. ita explicat: *ſcio hominem in Chriſto ante annos* 14. (*ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio*) *raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum; & ſcio hujuſmodi hominem* (*ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit*) *quoniam raptus eſt in Paradiſum, & audivit arcana verba quæ homini non licet loqui.* Audimus raptum Paulum uſque ad tertium cœlum; uſque ad Paradiſum, ibique audiviſſe arcana verba: ſe ignorare, an id factum ſit in corpore, vel extra corpus; per quem verba ad ſe delata & audita ſunt, ipſe ſe ignorare affirmat; locum appellat tertium cœlum & Paradiſum. Si Chriſtus apparuit & locutus eſt, non aſcendit ſuper omnes cœlos; ſed eſt in tertio cœlo ſeu in Paradiſo. Neque etiam in cœlis aſtat vere vultui Dei. Verum hæc omnia figurate dicuntur. An peccabimus, ſi quoties Angeli & homines apparuerunt, ipſe Deus apparuiſſe dicatur, & ii qui miſſi ſunt nomen mittentis ſibi uſurparunt.

Faustus Socinus.

Resp. Quid eſt lucem tenebras dicere, ſi hoc non eſt? Quæ autem comparatio imaginarii illius ante Jeſum Chriſtum λόγου θεοῦ, de quo nihil in Sacris Litteris habetur, cum Jeſu Chriſto vero & vivo, quem centies, poſtquam in cælum aſcendit, aut ſuis apparuiſſe, aut aliquid feciſſe in divinis litteris legimus? Hinc ſane ſuſpicari licet, te, Jeſum Chriſtum ne vivere quidem, opinari. Alioqui non eum, ut facis, rebus minime exiſtentibus comparares. *Oportet quidem, ut cæli eum capiant uſque ad tempora reſtitutionis omnium.* Act. 3. 21, ſed non propterea ipſe in cælis manens, quibus velit, in terris apparere, eiſque loqui non poteſt. Nam vel per angelos ſuos, vel alia ratione id poteſt efficere, etiamſi ipſe è cœlo in terram non deſcendat, præſertim, cum non ſit exiſtimandum, ipſum in certa aliqua cæli parte perpetuo circumſcriptum, ibique immobilem, & tamquam clavis affixum eſſe. Sive igitur ipſemet, ſive angelus nomine ipſius, per viſionem à Deo patre decretam, Paulo de cœlo apparuerit, & locutus fuerit, nullo modo ejus actionem, & Eccleſiæ adminiſtrationem in cælis negare potes. Falſum eſt autem, quod dicis Actor. 9. ſcriptum eſſe, Paulum neminem vidiſſe, ſed vocem audiviſſe. Id enim non de ipſo, ſed de iis, qui cum illo erant, ſcriptum eſt. Videat lector locum verſ. 7. Paulo autem in ea viſione ipſum Chriſtum aliqua ratione apparuiſſe, adeo ut eum ſe vidiſſe & ipſe teſtetur, & alii dicant, probant apertiſſime hi loci, Actor. 9. verſ. 27. 1 Cor. 9. verſ. 1. & cap. 15. verſ. 8. Sed quid opus eſt probare, à Paulo Chriſtum viſum fuiſſe? An non ſatis eſt, tribus in locis, ubi ea hiſtoria narratur, diſerte ubique ſcriptum eſſe, Paulum audiviſſe vocem dicentem ſibi, *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris?* Actor. cap. 9. verſ. 5. & cap. 22. verſ. 8. (ubi etiam, ne veſtris ridiculis commentis ullus ſit locus, additur *Nazarenus*) & cap. 26. 15. Id, quod Paulus cap. 22. ex Anania refert, nihil momenti afferre poteſt ad revocandum in dubium, utrum Chriſtus Paulo apparuerit, nec ne. Quid enim aliud ibi dicitur, quam, eam viſionem univerſam Dei decreto illi contigiſſe? At nemo eſt, qui iſtud neget. Et ſcimus omnes, & fatemur, Deum converſionis Pauli, & electionis ad apoſtolatum, ſicuti aliarum rerum omnium, quæ in Eccleſiæ commodum fiunt, primarium auctorem eſſe, ac dici debere. Sed ſimul per Chriſtum Jeſum utramque, ut cætera omnia, factam fuiſſe, una cum apertiſſima ipſa hiſtoria, aliiſque nec paucis & clariſſimis teſtimoniis, fatemur atque contendimus. Quinetiam hoc idem apetiſſime confirmant ipſa Ananiæ verba, cum ait, Act. 22. 14. *Ut videres juſtum, & audires vocem ex ore ejus.* Nam juſtum idem eſſe atque illum juſtum (quo nomine Chriſtus à Stephano quoque deſignatus eſt Act. 7. 52.) demonſtrant verba Græca, quæ habent τὸν δίκαιον, non autem τὸ δίκαιον, ut tu affirmas. Iſthæc enim lectio, quam Eraſmus in interpretatione ſua ſecutus eſt, atque ob eam rem in nonnullis impreſſis codicibus hodie habetur, in nullo (quod ſciamus) nec manuſcripto vetere codice, nec emendatiore impreſſo habetur; eamque ipſemet Eraſmus ſatis convellit, cum in annotationibus ait, alteram lectionem ſequentibus verbis multo magis convenire. Et certe ipſa ſequentia verba, ut Beza annotavit, eam quæ per ſe ſatis frigida eſt, ineptam quoque eſſe manifeſtè docent. Ea viſio, quam 2 Cor. 12. Paulus commemorat, non eſt eadem hæc apparitio, de qua hic quærimus, neque cum ea quidquam commune habet. Patet hoc vel ex eo, quòd ibi Paulus dicit, ſe raptum fuiſſe, & neſcire, an id ſibi extra corpus, an in corpore contigerit. Hîc verò certum eſt, eum in terram delapſum, inibi Jeſu Nazareni omnia verba audiviſſe, indeque ſtatim viſione, quæ perbrevis fuit, abſoluta, ſurrexiſſe, & Damaſcum perrexiſſe. Adde, quòd tempora nulla ratione convenire poſſunt. Siquidem Paulus Corinthiis non modò non ſcripſit, ſed ne prædicavit quidem, niſi poſt diſceſſionem illam inſignem inter ipſum, & Barnabam, poſtquam non ampliùs convenerunt. Ex quo apparet, epiſtolam poſteriorem ad Cor. non fuiſſe ſcriptam niſi poſt annum ſaltem 18. ex quo Dominus Jeſus primùm Paulo in via apparuit. Nam poſt annum circiter 18. Paulum & Barnabam conveniſſe ex cap. 1 Epiſt. ad Gal. verſ. 15. & deinceps uſque ad verſ. 2. cap. ſeq. apertè conſtat. Quomodo igitur in apparitione illa potuit Paulo ea viſio contingere, de qua poſteriore epiſt. ad Cor. mentionem facit, cum ibi Paulus dicat, eam viſionem ſibi ante annos quatuordecim contigiſſe?

Fran-

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 5. Verum ad hanc noſtram quæſtionem definiendam, nihil facit ſive Deus pater, ſive Chriſtus apparuerit, cum apparitiones per Angelos factas eſſe legamus, qui ſe nec invocari, nec ſibi offerri ſacrificia paſſi ſunt. Præter ſenſum ergo Scripturæ ſacræ genuinum hinc colligitur, Chriſtum invocandum eſſe. Si verò id tam debile & infirmum eſt in quo totum robur diſputationis collocatur, quid de reliquis judicandum ſit, quilibet facile intelliget.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Immo multum facit, quod conſtet, Jeſum Chriſtum apparuiſſe, atque ea omnia geſſiſſe. Nam inde manifeſtum fit, Chriſtum curam Eccleſiæ gerere, eamque gubernare; quod unum in hac diſputationis parte à nobis urgetur. Angelorum autem apparitiones nequaquam, ne leviter quidem, de ipſis angelis idem ſuadere poſſunt. Non enim angeli nomine proprio, ut pote ſimplices miniſtri, ſed alieno, ſive Dei, ſive Chriſti, loquuntur. At in Chriſti apparitionibus ſive ab Angelo, ut nos quidem credimus, ſive ab ipſo Chriſto, ut fortaſſe alii exiſtimant, ipſius Chriſti nomine, ut Eccleſiam moderantis atque regentis, omnia dicuntur.

CAP. XIII.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Locus ex Heb. 3. 2, adductus docet, Chriſtum & Moſen fidelem fuiſſe in adminiſtratione domus, & illam adminiſtrationem duraturam eſſe, ſi fiduciam & gloriationem ſpei uſque ad finem firmam retinuerimus. Quid ego aliud verum eſſe contendo? An non ſemel facta oblatione, conſummavit ſanctos? An non ſemel inſtitutum miniſterium efficax & durabile eſt?

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Locus ad Heb. cap. 3. à ℣. 2, uſque ad 7, oſtendit manifeſte, Moſem fuiſſe in tota domo Dei, tamquam ſervum: Chriſtum verò, tamquam filium, huic domui præfectum eſſe. Ex quo ſequitur, omnem in Eccleſia curam & gubernationem ei à Deo demandatam fuiſſe. Unde etiam fit, ut nullum ſit dubium, ne aliquando ejus doctrina mutetur, eique ſuccedatur, ut Moſis doctrina mutata fuit, eique ſucceſſum eſt. Servus enim, ut ait ipſe Chriſtus Joh. 8. 35, non manet in domo domini in æternum; ſed filius manet in æternum.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 2. Sed quæſo quid hæc ad invocationem Chriſti faciunt? Si quis hinc invocandum eſſe Moſem aſtrueret, nonne dignus eſſet reprehenſione? Cur ergo nobis tantam ſumimus autoritatem, ut quidlibet ex quolibet emungamus?

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Hic rurſus, quid de Chriſto ſentias, non obſcure indicas, cum ipſum cum Moſe hoc tempore confers. Chriſtus à mortuis excitatus vivit in æternum, multo plura, quàm autea mortalis haberet, propter obedientiam ſuam à Deo conſecutus. Moſes verò mortuus eſt, Deut. 34, neque adhuc revixit, & nihil jam habet, aut habere poteſt eorum, quæ ad populum ſuum regendum Deus ipſi viventi dederat. Quin etiam eo quod Dei verbis fidem non adhibuiſſet, in terram populo promiſſam ipſe ingredi non potuit. Deut. 32. 51.

CAP. XIV.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Dicitur quidem Matth. 28. 20. *Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* At Matth. 26. 11 dicitur, *me non ſemper habebitis vobiſcum.* Item, *Ego vado ad patrem, & relinquo mundum.* Diſtinctio ſecundum humanam & divinam naturam locum non habet. Quid ergo faciemus, & quomodo diſſidentia dicta conciliabimus? Audiamus ipſum Chriſtum magiſtrum veritatis hæc explicantem Joan. cap. 14, cum aperte de ſuo ad patrem diſceſſu diſcipulos commonefeciſſet, illi turbati conſolationem accipiunt, de Chriſti præſentia cum illis futura, iis verbis: *Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*; quæ præſentia Chriſti efficax Dei patris virtus in conſervatione doctrinæ & miniſterii manifeſte cernitur, & permanebit in æternum, ſeu uſque ad conſummationem ſeculi. Et dictum ex Deut. 31, adductum & interpretatum, nonne idem confirmat? Si enim Moſes nomine Dei locutus eſt, ut verum eſt, cum Moſes dicat: *Ego ero tecum*, ut intelligatur dictum, *Jehova erit tecum*; Cur non & eodem modo & iſtud intelligere poſſimus, Ego ero vobiſcum, hoc eſt, Rogabo patrem & dabit vobis alium paracletum ut maneat vobiſcum in æternum?

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Chriſtus eſt cum ſuis per Spiritum ſanctum: & Deus eodem modo. Si inde ſequitur. Chriſtum ea in re amplius nihil agere, ne Deus quidem in eo aliquid aget. Deus non eſt nobiſcum per divinam ſuam naturam aut eſſentiam, ſed per virtutem, favorem, & auxilium ſuum. Alioqui non magis cum piis, quam cum impiis eſſet. Itaque, ut Chriſtus, licet corpore abſens, ſit nobiſcum, non eſt neceſſe, illum habere naturam ſive eſſentiam aliquam divinam ab ejus corpore, & anima diſtinctam. Sed ſatis eſt, ut pro ſumma poteſtate, quam in cœlis, & in terris habet, nobis faveat, adſit, & auxilietur. Quod ipſi homines mortales in terris degentes quotidie faciunt, & pro potentia, qua ſunt præditi, etiam abſentibus præſto ſunt, eoſque & juvant, & fovent. Ob hancque ipſam cauſam Chriſtus, quamvis corpore abfuturus eſſet, dixit Matt. 18. 20. *Ubicumque duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.* In loco Deut cap. 31. ℣. 23, certiſſimum eſt, ea verba Moſis non eſſe. Nam, quæ de Moſe præcedente verſiculo dicuntur, per parentheſim legenda ſunt. Interponitur enim, occaſione præcepti à Deo dati, breviſſima narratio, quod Moſes eadem die canticum poſtea ſcripſerit, & illud populum docuerit. Quo facto, hiſtoria ad inſtitutum de Deo ſermonem redit. Qui, uti prædixerat, poſtquam Moſi præcepta dederat, Joſuæ quoque, quem ad ſe propterea adduci juſſerat, præcepta dedit. Inſpiciat lector totum locum: & nos vera dicere plane agnoſcet. Cæterum, etiamſi Moſes Dei nomine, id eſt, Dei perſonam ſuſtinens, ibi locutus eſſet; cor ſecutio tua tamen & æquiparatio nihili fieri deberet. Chriſtus enim non Spiritus ſancti (quod nec fieri ullo modo poterat) ſed ſuam ipſius in illis verbis perſonam ſuſtinuit. Quamquam præterea, nequaquam in illo Deut. loco, Ego ero tecum, ita accipi deberet, ac ſi dictum eſſet, Jehova erit tecum, ſed illud ipſum omnino ſignificaret quod vere ſonat. Neque enim Moſes, ſed Jehova ipſe loqui conferetur.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 2. Verum quid contendo in re aperta? Demus, præter omnem Scripturæ ſenſum, Chriſtum nobis perſonaliter adeſſe, noſtra curare, & nobis favere. An ex eo conſequetur, Chriſtum invocandum eſſe? Minime gentium. Certe angeli, Prophetæ

& Apoſtoli invocandi erunt, quorum præſentiam, favorem, & reliqua, Scriptura ſacra nobis commendat. Sic & ſanctos mortuos invocare debemus. Apoc. 5. 8.

Faustus Socinus.

Resp. Cum locos ipſos non adſcribas, ubi angelorum, prophetarum, & apoſtolorum præſentiam, favorem, & reliqua nobis Scriptura commendet; ſatis reſponſum fuerit, ſi dicamus, hæc non ſufficere ad veram invocationem ſtatuendam, niſi etiam adſit ſumma ejus largiendi, quod peti debet, poteſtas, atque ejus generis, quam Chriſtum habere ſuprà oſtendimus, quamque alios habere non conſtat. Jam illæ preces in Apocal. 5. 8. non mortuorum, ſed viventium ſanctorum ſunt preces. Nec, ſi mortuorum eſſent, quidquam ad propoſitum facerent; cum nec quales, nec pro quibus ſint, appareat: nec ullam in ſanctis illis noſtri gubernationem declarent.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Simile huic & illud eſt, quod ex Luc. 21. 15. adfertur: *Ego dabo vobis os & ſapientiam.* Matth. 10. 19, 20. ſic explicatur: *Dabitur enim vobis in illo momento quid loquamini Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Marc. cap. 13. verſ. 11. *Ne ſitis ſolliciti quid dicturi ſitis neque meditemini; ſed quicquid datum fuerit vobis in illo momento, hoc loquamini Non enim eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus ille ſanctus.* Luc. cap. 12. verſ. 12. *Spiritus enim ſanctus docebit vos in eo ipſo momento, quid oporteat vos dicere* Dixit Lucas, quòd Chriſtus dixerit, ſe daturum os & ſapientiam diſcipulis; tribus in locis explicatur, Spiritum ſanctum locutum eſſe. Si Chriſtus invocandus eſt hanc ob cauſam, eò quòd ipſe dabit illis, quid reſpondere debeant coram præſidibus, Invocandus erit & Spiritus ſanctus, quia magis perſpicuè de Spiritu ſancto idem affirmatur. Nunc ergo vide, an hoc argumento Spiritus ſancti invocatio non ſtabiliatur.

Faustus Socinus.

Resp. Quis umquam tibi credet, verborum *Ego Dabo*, explicationem eſſe verbum *Dabitur?* An non potiùs contrario modo omnino res ſe habet? Verbo enim *Dabitur* ipſa modò futura datio ſignificatur. Verbis autem *Ego dabo* is præterea exprimitur, qui daturus eſt. Cæterùm ſpiritus patris cæleſtis, ſive Spiritus ſanctus, qui loquuturus erat in Chriſti diſcipulis, ab ipſo Chriſto dandus erat. Propterea dicit ipſe Luc. cap. 21. 15, *Ego dabo vobis os & ſapientiam,* &c. Johannes baptizabat aqua: Chriſtus autem Spiritu ſancto baptizaturus erat. Marc. 1. 8. Itaque ſicut Jonannes aquam ipſe præbebat, & miniſtrabat, quamvis non à ſe ipſo prodeuntem; ſic Chriſtus virtutem illam divinam, quamvis originem non ab ſe, ſed à Patre ducentem, ipſe tamen daturus & largiturus erat. Cujus rei, etiam antè, imaginem quandam exhibuit, cum flans in diſcipulos ſuos ait Joh. 20. 22, *Accipite Spiritum ſanctum.* Atque hac ratione optimè convenire ea teſtimonia apparet, in quibus Chriſtus ipſe dare, mittere, & effundere Spiritum ſanctum dicitur Joh. 4. 14, 15. 26 Act. 2. 33, cum iis, in quibus aſſeritur, Patrem hæc omnia facere. Pater enim per Chriſtum eam virtutem in nos effundit, Tit. 3. 5, & 6. Id quod etiam ex locis illis, Joh. 15. 26, & Act. 2. 33. intelligi poteſt. Porrò quod ais, ſi Chriſtus ob eam rem invocandus eſt, invocandum etiam eſſe Spiritum ſanctum, vide, quæſo, quid dicas. Nam, etiamſi tibi concederetur, Spiritum ſanctum eſſe perſonam (quicquid ille efficiat) invocari tamen nullo modo poſſet; cum, non niſi ad alienum arbitrium miſſus, operetur. At Chriſtus, qui eum pro ſuo arbitratu mittit, & cujus nutui ipſe paret, ut eum mittat, rogari optimo jure poteſt.

Cap. XV.

Franciscus Davidis.

Particula 1. *Non* video præterea quid ad noſtram faciat quæſtionem de invocatione Chriſti quod objicitur: *Præterea diſertè ſcriptum eſt, Chriſtum daturum nobis vitam æternam, nos à mortuis excitaturum, tranſformaturum corpora noſtra humilia.* Et quis ſanæ mentis hoc futurum eſſe negabit, quando noviſſimè mors inimica deſtruetur, & pater omnia illi ſubjiciet? Duo digni errores reprehenſione in hac objectione committuntur. Primùm, quod futurum eſſe dicitur, id nunc fieri affirmatur. Secundò, quod teſtante filio ipſo, & tota Scriptura ſacra, de virtute & efficacia patris in Chriſto operante docetur, id per ratiocinationem quandam infirmam, ad efficaciam, & virtutem ipſius filii propriam tranſfertur; quaſi vero non ſemper verum ſit, *Opera quæ ego facio, non ego facio, ſed ipſe Pater in me manens,* Item: *Deus erat cum illo,* Act. cap. 10. verſ. 38. &: *Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians,* 2 Cor. cap. 5. verſ. 19.

Faustus Socinus.

Resp. Cum quæſtio noſtra ſit, an Chriſtus nunc invocari poſſit, nec magis de re in hac præſenti vita præſtanda, quàm in futura agatur; ad quæſtionem noſtram maximè pertinet, quòd Chriſtus ipſe æternam vitam nobis daturus ſit; præſertim, cum ea efficacitas, qua id tandem re ipſa perficietur, jam in ipſo reſideat, jamque ipſe necis & vitæ noſtræ imperator ſit: quin etiam jam ea ipſa in re, dum ſuſcipit ſpiritum noſtrum Act. 7. 59, & depoſitum noſtrum accipit & ſervat, aliquid præſtet 2 Tim 1. 12. An non tu infrà cap. proximo partic. 3. erraturum affirmas, qui à Chriſto peteret, ut vitam, quam ejus cauſſa profunderet, ſibi in die illa reſtitueret? Cur verò id affirmas? Nempe quia alioquin vides, theſim tuam everti, quæ ſimpliciter, Chriſtum invocari poſſe, negat. Itaque inane prorſus eſt, quod mihi primo loco objicis, me, ſcilicet, id fieri nunc affirmare, quod futurum eſt. Quod autem ſecundo loco objeciſti, de Chriſto propria virtute non operante, non minùs inane eſſe, quæ ſuprà multis in locis dicta ſunt, præſertim cap. 8. partic. 4, & cap. 9. partic. 5. demonſtrare poſſunt: & illud maximè, quòd Chriſtus, dum hic in terris ageret, invocatus fuit. Nam vel tibi confitendum eſt, opera, quæ tunc Chriſtus faciebat, virtute quamvis ſibi à Deo tradita, in ſe tamen manente ac reſidente, ab ipſo facta fuiſſe: vel concedendum, id, ad invocationem Chriſto tribuendam, neceſſarium non eſſe; niſi velis, eum gloria & majeſtate plenum, extremo illo die in mortuis ſuſcitandis minore poteſtate, quam in ejuſmodi miris operibus efficiendis in diebus carnis ſuæ fuerit, præditum futurum. Quamquam te inter hæc duo tempora non diſtinguere, id ſatis demonſtrat, quòd teſtimonia, quibus uteris ad probandum, virtutem, & efficaciam vitâ æternâ donandi non futuram in Chriſto, ad illud tempus pertinent, quo ille in carne vixit.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Quid cauſæ ſit in fervore diſputationis homines eo abripi, ut id, quod pleno ore ſcribant, & dicant, enervent, & refigant. Propriè enim nemo dicitur Deus unus verus, niſi pater, & omnis divinitas illius eſt, & ab eo pendet; nec poteſt de divinitate Chriſti diſputari, niſi quatenus plenitudo divinitatis patris in eo inhabitat; cum illa τῶ λόγω divinitas hypoſtatica ſit figmentum ſophiſtarum. Hanc veritatem ſolidam & firmam hactenus inculcatam deſtruit is, qui Chriſto propriam quandam virtutem, qua ipſe id faciat tribuit: & divinitatem quandam τῶ λόγω ſtatuunt, etiamſi verbis affirment, illam poteſtatem Chriſto

Chriſto à patre tributam eſſe, ut illius propria ſit. Id quid aliud eſt, quam quod Sophiſtæ inculcant: Filius quidem generatione æterna omnia habet, ſed tamen ita, quòd ſint illi propria, eamque ob cauſam a ſe ipſo Deus eſſe, ut pater, contendus eſt. Certe hac ratione & vos concludere poteſtis: Homo Jeſus Chriſtus omnia accepit à patre, ut ſint illius propria, Ergo Jeſus Chriſtus, poſtquam omnia accepit ut illius propria ſint, jam propter acceptam poteſtatem, & propriè Deus, non officio aut appellatione, dici debet & poteſt.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Me, quod ad poteſtatem Chriſti attinet, nihil enervare, aut refigere eorum, quæ ab annis plus minùs viginti vel cogitaverim quidem, nedum pleno ore, ut ais, ſcripſerim, aut dixerim, mihi optime ſum conſcius. Utinam tu idem ab eo tempore præſtitiſſes, cum vel ex meis, vel ex aliorum ſcriptis veritatem perſonæ Chriſti primùm edoctus, quædam de hoc argumento ſcripſiſti. Cæterùm nulla eſt ſimilitudo inter noſtram, & Adverſariorum de Chriſti ſuprema poteſtate, ejuſque à patre acceptione ſententiam. Illi enim eam Chriſto ab æterno innatam eſſe volunt, & non aliter à patre illi datam fuiſſe, quàm per æternam quandam & neceſſariam generationem, eamque, ab ejus natura & eſſentia neceſſariò proficiſci, ab eoque non magis, quàm ab eſſentia, & natura patris, quippe quæ una & eadem numero utriuſque ſit, ſeparari nullo modo poſſe contendunt. Nos verò aliquot annis, poſtquam ex Maria natus eſt, eam poteſtatem Chriſto ex libera & voluntaria Dei benignitate conceſſam fuiſſe dicimus, quæ ab ejus natura, ſive eſſentia non proficiſcatur, quamvis (ita Deo volente) in ipſo reſideat, quemadmodum in hujus mundi principibus multa, quæ alii homines facere non poſſunt, faciendi poteſtas reſidet; qua niſi à Deo priventur, aut in agendo impediantur, pro arbitratu eam exercere poſſunt; quæ tamen ab ipſorum natura, ſive eſſentia non proficiſcitur. Præterea, ejuſmodi Chriſti poteſtatem ab ipſo ſeparari poſſe, & quandocumque Deo viſum fuerit, ceſſaturam affirmamus. Utrùm verò ex iis, quæ nos Chriſto tribuimus, ſequatur, eum hoc, aut illo modo Deum appellari poſſe, & debere, ipſe videris. Nos enim non de verbis ſed de re contendimus.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 3. Quis verò pius, amans veritatis, honoris, prærogativæque Dei patris propugnator, non exhorreſcat ad hæc verba planè Chriſto contraria, ubi in hunc modum loquens inducitur Chriſtus, *Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die* Joan. cap. 6. verſ. 39. *perinde eſt enim ac ſi dixiſſet, Nolite mirari, quod ego ita conſtanter vitam æternam adepturos affirmem, qui in me crediderint; nam egomet id efficiendi poteſtatem habebo, egomet id reipſa præſtabo.*

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Immo verò quis Dei, & Chriſti gloriæ non prorſus inimicus, quis, quin Chriſtus vera dixerit, non dubitans, Chriſto ſæpius inculcante, *Ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die* Joh. 6. 39, 40, 44, 54, non exhorreſcat, ſi quem audiat dicentem, falſum eſſe id, quod ego affirmo, Chriſtum in extrema die ſuos reſuſcitandi efficacitatem, ex Dei erga ipſum, & univerſum humanum genus ingente atque admirabili benignitate, habiturum, idque reipſa præſtiturum?

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 4. Si interpretatio hæc admittitur, Chriſtus ipſe, quodque apoſtoli ipſius docuerunt vera eſſe non poterunt. Chriſtus aſſeveranter dixit, Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit patrem facientem; quæcunque enim ille fecerit, ſimiliter facit filius. Chriſtus ſe nihil facere dicit per ſemetipſum, & à ſeipſo, Imò ne poſſe quidem etiamſi maxime vellet. Cum ipſe nihil à ſeipſo & per ſeipſum operetur, ut alibi inquit, *Opera quæ ego facio, non ego facio, ſed ipſe pater in me manens.* Item Joh. cap. 5. verſ. 30. *Non poſſum ego à meipſo facere quicquam; ſicut audio, judico, & judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed ejus voluntatem qui miſit me.* Chriſtus inquit, Egomet nullam habeo efficiendi poteſtatem, egomet nihil præſto, ſed pater. Hic contra Chriſtum affirmatur, Egomet id faciam, egomet id reipſa præſtabo.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Mea non eſt dicenda interpretatio eo ſenſu, quo tu eam ita nominas, cum ſint ipſa Chriſti verba paullo latiùs expoſita. Nec vero, ut Chriſti verba interpretarer, ſed ut cauſſam, quare id dixiſſet, quod dixerat, commodiùs explicarem, paraphraſi illa ſum uſus. Quæ autem hic contra eam affers, jam ſuprà diluta ſunt, præſertim verò cap. 8. partic 4. & cap. 9. partic. 5.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 5. Sicut autem verbum Dei diſtinguit inter patrem & filium, ſic quæ dantur à patre, & filio diſtinguuntur. Dat pater à ſemetipſo, ipſemet poteſtatem efficiendi habet, ipſemet id reipſa præſtat, filius nunquam. Non enim filius aliter dare, docere, & operari dicitur, niſi quatenus pater illi dat, docet, & operatur, & quatenus vitæ æternæ ἀρχηγός, dux & monſtrator eſt. Vide Act. 26. 23. 1 Cor. 15. 20. Col. 1. ℣. 18. 1 Joh. cap. 1. 1 Joh. 5. Act. 3. 2 Tim. 1. Coloſſ. 3. & paſſim alibi: Dat ergo filius vitam æternam, reſuſcitat, quando credimus quæ Deus pater per filium ſuum de vita æterna nobis annunciavit, & faciendo ea quæ nobis præcepit. Nunc in ſpe poſſidemus vitam æternam; poſtea verò unà cum Chriſto unà poſſeſſuri. Col. 3. 4.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quod diſcrimen ſit inter Patrem & Filium in efficiendo, & in conferendis bonis, explicatum eſt in ſuperioribus: potiſſimùm verò cap. 4. partic. 3. Non tantùm autem, quatenus, ſi credamus Chriſto, futurum eſt, ut vitam æternam habeamus, ſed alia etiam ratione Chriſtum reſuſcitare, ipſemet fateris ſuprà hoc eodem cap. partic. 1. & aliquantò apertiùs cap. 2. partic. 7.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 6. Dato hoc, quod Chriſtus ipſe efficiendi poteſtatem habet, & illemet præſtandi facultatem, ut habeamus vitam æternam & reſurgamus, optimo jure jam Deus non officio ſed natura ut propriè dici poteſt & debet, & rectius illemet Deus, qui pater eſt in eſſentia, alius verò in perſona, quam alius ab illo; cum duo dari non poſſint ex verbo Dei, quorum quilibet facultatem habeat hoc efficiendi. Et propiùs vero accedere videtur, ut unus ſit Deus, qui hanc efficiendi poteſtatem habeat, & ea præſtet, quàm duo. Nec video cauſam, cur non eodem modo creator, ſalvator, conſervator, dans vitam æternam, & reſuſcitans dici poſſit, atque ut Deus pater invocandus, colendus, &c. Neque opus erat Trinitati bellum indicere, cum de Spiritu ſancto Scriptura idem affirmet. Sed hæc magis deplorari, quàm emendari poſſe video, dum nobis ipſis ſcientiam infallibilem & immotam in noſtris tribuimus placitis.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. An Chriſtus, ſi ea habeat, quæ nos ei tribuimus, & apertiſſimo Dei verbo confirmamus, Deus natura, & propriè, non autem officio dici debeat, ut paullo ante dixi, tibi inquirendum relinquimus. Sed ex iis, quæ de Chriſto affirmamus, nullo modo ſequi, illum eſſe eundem eſſentiâ Deum cum patre ſuo, immo planè contrarium inde colligi, alii videbunt. Jam enim conſentaneum Dei verbo eſſe, duos dari, quorum uterque idem efficiendi poteſtatem habeat, quamvis uni tantùm omnis effectio tribuatur, idque in ipſo Deo, & Chriſto re ipſa comprobari, ſuprà cap. 4. partic. 3. & cap. 8. partic. 3. oſtenſum eſt. De ſpiritu ſancto quod dicis, futi'e planè eſt; cum, ut dictum alibi fuit, nec Spiritus ſanctus ſit perſona, nec de eo dicantur, quæ de Chriſto dicuntur. Vide, quæ ſcripſimus in fine capitis ſuperioris.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 7. Comedere carnem Chriſti eſt in ipſum credere, Joh. 6. 53, 40. æquipollenter enim accipiuntur, comedere carnem Chriſti, & in ipſum credere. Credere autem in Chriſtum non eſt credere quod Chriſtus propria ſua virtute poteſtatem habeat dandi vitam æternam & reſuſcitandi. Verùm credere teſtimonio, quod teſtificatus eſt pater de filio 1 Joh. cap. 5. ℣. 20.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Locus Joh. 6. 54. non propter comeſtionem carnis Chriſti, ſed propter id, quod ſuam carnem comedentibus promittit Chriſtus, à me allatus fuerat; ut, ſcilicet, inde probarem, quòd Chriſtus reſuſcaturus nos ſit in noviſſimo die, id non ipſius vitæ æternæ adeptionem tantum ſignificare, quam habituri ſint Chriſto fidem habentes, ſed modum præterea, quo vita illa conferenda ſit, nempe quia Chriſtus ipſe id efficiet, explicare. Cui loco, & ſuperiori, ex quo idem collegeram, verſ. 40. tu nihil planè reſpondes.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 8. Reſuſcitarunt mortuos Elias, Eliſæus, Petrus, Paulus. Quis hinc verè colligat, Eliam, Eliſæum, Petrum Paulumque invocandum eſſe? Nonne de Spiritu Chriſti quoque dicitur, quòd excitabit corpora noſtra Rom. 8. 11. quis hinc colliget, Spiritum ſanctum invocandum eſſe?

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Reſuſcitarunt ſancti illi viri mortuos, non quidem ſibi tradita virtute aut poteſtate aliqua in ipſis reſidente, verùm Dei, vel Chriſti nomine invocato. Sed ne hoc ipſum quidem jam faciunt, aut facturi ſunt, quod ſciamus. Quòd ſi etiam hoc ipſo tempore virtute aut poteſtate propria mortuos ſuſcitare poſſent; adhuc tamen, ut eos invocare liceret, id ſatis non eſſet, niſi etiam, eos preces noſtras audire, pro comperto haberemus. Quòd Spiritus ipſe Chriſti, ſeu Spiritus ſanctus excitaturus ſit corpora noſtra, nuſquam, ut arbitror, legitur, ſed tantùm, quòd is, qui excitavit Chriſtum à mortuis, vivificabit mortalia corpora noſtra propter inhabitantem ejus ſpiritum in nobis; ut locus habet à teipſo allatus Rom. 8. 11.

CAP. XVI.

FRANSISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Ex iis, quæ hucuſque allata ſunt manifeſtiſſimum eſt, Chriſto gloriam & honorem invocationis non eſſe collatam, neque poteſtatem eam per omnia extendendam eſſe, cum videamus, nondum ſubjecta illi omnia eſſe, Hebr. 2. 8. & indignum eſt Apoſtolis hoc affingere velle, cujus ipſi contrarium edocti per Chriſtum fuerunt. In periculis enim & perſecutione conſtituti, non Dominum Jeſum, ut perperam colligitur, invocarunt, ſed Deum patrem. Ut autem tuæ collectionis contrarium cernas, verba ipſa ſubjiciam, Actor. 4. 24. *Qui cum audiviſſent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt, Domine tu es Deus ille, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Qui per os David pueri tui dixiſti, Quare fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes coacti ſunt eodem loci adverſus Dominum, & Chriſtum ejus. Coacti ſunt enim vere adverſus ſanctum filium tuum Jeſum, quem unxeras, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſraël, facere, quæ manus tua & conſilium decreverunt fieri. Et nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*, &c. Non à Jeſu, ut tu vis, hoc petunt, ſed à Deo patre. Et ſi veritati divinæ hoc conſonum fuiſſet, id in hoc loco & periculis conſtituti maximè facere debebant. Verùm, cum id non fiat, quomodo id fieri poſſe colligitur?

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Ex iis, quæ hucuſque à me allata fuerant, non quidem invocatum fuiſſe dominum Jeſum (nam ea diſputatio jam antea abſoluta, & concluſa erat) ſed invocari potuiſſe ac poſſe, collegeram, ut ipſe in fine præſentis partic. fateris, inquiens, *Verum cum id non fiat, quomodo id fieri poſſe colligitur?* Ubi ſanè, ut ſoles, mirificè ratiocinaris. Neque enim animadvertis primùm longè aliud eſſe, aliquid non fieri, aliud, interdum non fieri. Deinde nihil prohibere, quominus id, quod, numquam non dicam factum legitur, ſed ne factum quidem fuit, fieri tamen jure poſſit. Hic quoque præterea Dei patris invocationem Chriſti invocationi contrariam facis; & non minùs ridiculè, quàm impiè, ſi Deus pater invocatus fuit, Chriſtum invocari non poſſe ſtatuis; & falſo mihi tribuis, quòd velim, ea, quæ eo in loco apoſtoli à Deo patre petierunt, à Chriſto vel petita fuiſſe, vel peti debuiſſe. Cum manifeſtum ſit, me tantummodo tacitè affirmare, eadem à Chriſto petere illos potuiſſe. Immo ne id quidem affirmaſſe dici poſſum, ſi id, quod Chriſti diſcipulos à Chriſto petere potuiſſe dixeram, cum eo, quod eo in loco à Deo patre petierunt diligenter conferatur. Non petierunt autem id apoſtoli à Chriſto, non quia non poſſent, ſed quia ſatis fuit id à Deo petere; cui tamen in Chriſti nomine, id eſt, (ut infrà cap. 25. part. 5. explicabitur) Chriſti apud ipſum auctoritate & poteſtate fretos preces ſuas obtuliſſe, ut ab ipſo Chriſto moniri fuerant Joh. cap. 16. verſ. 24, 26, qui etiam ideos facturos prædixerat, planè eſt veriſimile.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 2. Latro in cruce pendens præſentem alloquebatur Chriſtum, ut ſui recordaretur, quando veniret in regnum ſuum, Luc. 23. 42. Sic Joſeph Gen. 40. 14. *Tantùm memento mei cum tibi bene fuerit; & facias mecum miſericordiam, & ſuggeras Pharaoni ut educat me de iſto carcere.* Quis hinc meritò concludet, Joſephum pincernam invocaſſe? Quis Stephanum confeſſionem de Chriſto edentem, & illum Chriſtum eſſe profitentem, Chriſtum vel invocaſſe, vel invocare voluiſſe?

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Hoc latronis exemplum, quod tamen ego non attuleram, ſanè ad id, quod volo, probandum aptiſſimum cenſeri debet. Inſtantia de Joſepho prorſus

inepta eſt. Alio enim ſenſu ei, qui omnino in ſuum regnum, vel potius, ut Græca verba habent, in ſuo, id eſt, cum ſuo regno venturus ſit, dicitur, Tunc memento mei, alio ei, de quo ſperetur, quod apud aliquem ſuggeſtione, aut etiam gratia aliquando juvare poſſit. Quod latro Chriſtum corpore præſentem habuerit, nos verò non habeamus, id, ut ſupra non uno in loco dictum fuit, nullius momenti eſt. Mirum eſt autem, latronem illum, Chriſti in cruce pendentis opem implorari poſſe, optime agnoviſſe, te vero, qui Chriſtianum te eſſe profiteris, Chriſtum dextera Dei exaltatum invocari poſſe, non animadvertere. De Stephano ſatis ſupra cap. 2. viſum fuit.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Quæris ſi quis animam pro Chriſti nomine jam jam poſiturus eſſet, erraret, aut errare poſſet, ſi eum invocaret & diceret, Domine Jeſu qui in te credentes ultima illa die te à mortuis excitaturum eſſe promiſiſti, memento mei cum dies illa advenerit, & vitam, quam tui cauſa profundo, mihi reddere ne obliviſcaris. Reſpondeo. Cum nullum habeat præceptum de Chriſto invocando, ſi invocaret, erraret. Extat enim ſeverum Dei mandatum: Hoc tantum fac, quod præcipio tibi; & legimus ſanctos Dei non Chriſto, ſed patri ſuas commendaſſe animas. Dicere poſſemus cum Paulo, *Ego jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex, non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus* 2 Timoth. cap. 4. verſ. 6, 7. Sic dicere ac teſtari poſſumus de Chriſto, at illum invocare minime.

Faustus Socinus.

Resp. Vides, te hic apertè negare, quod in initio ſuperioris capitis concedere quodammodo videbare. Nimirum quia, ut ibi diximus, agnoſcis id non poſſe à te concedi, quin ſimul theſim tuam falſam eſſe fatearis. Ratio vero prior, cur id negas, infirmiſſima eſt. Quandoquidem verba illa Dei, quæ ſunt ad finem cap. 12 Deut. *Quidquid ego præcipio vobis, id obſervabitis, ut faciatis* (neque enim eſt in Hebræo vox *Tantum* diſerte expreſſa) non ſignificant nihil omnino fieri poſſe, quod à Deo præceptum non ſit. Alioquin, exempli cauſſa, reprehendendus fuiſſet David à Deo, quod ipſi domum extruere cogitaſſet, cum ea de re nullum ipſius præceptum nec ipſe haberet, nec ullus umquam habuiſſet, non autem ab eo laudandus, ut factum fuit, quamvis præterea Deus jam apud ſe decreviſſet, ut non ipſe David, ſed Salomon ejus filius eam extrueret. Quæ omnia ex cap. 8, prioris libri Regum, & ex cap. 6, libri poſterioris Paralip. ſatis aperte colliguntur, ſi quæ ibi hac de re ſcripta ſunt iis addantur, quæ leguntur 2 Sam. 7, & 1 Par. 17, & 22, & 28. Hoc autem exemplum attuli, ut in iis etiam, quæ ad divinum cultum pertinent, non omnia prohibita cenſeri appareat, quæ non ſunt præcepta. Itaque iſtorum verborum Dei in Deut. quibus etiam additur, ne aliquid addatur, aut detrahatur Dei præceptis, quod idem in initio quoque cap. 4, dictum fuerat, hæc eſt ſententia, Dei mandata ad unguem ſervari debere, nec eſſe aliquid faciendum adverſus id, quod Deus præcipit, ſive id fiat in committendo, ſive in omittendo: quorum illud addere divinæ legi, hoc detrahere appellatur. Poteras autem ex eodem Deut. libro alia verba afferre, quæ multo apertius docere videntur, nihil in divino cultu faciendum eſſe, quod à Deo præceptum non fuerit. Ea ſunt cap. 17. verſ. 3. Ubi Moſes populum monet, ut eos lapidibus obruat, quos reſciverit adoraſſe ſolem, aut lunam, aut quemcumque exercitum cœlorum; *quæ* (inquit) *non præcepi.* Ac ſi dicoret, ſatis conſtat, hæc fieri non debere, quando ut ea fierent, non præcepi. Verum animadvertendum eſt, Non præcepiſſe, eo in loco idem ſignificare, ac Prohibuiſſe. Prohibuerat enim Moſes antea diſerte, ne quis iſta faceret, ut apparet ejuſdem libri cap. 4. 19. Eandem locutionem habes Hierem. capite 7, 19, & 23. In his enim omnibus locis dicit Deus, ſe non præcepiſſe populo, ut ſacrificarent filios ſuos idolis, traducendo eos illis per ignem, & cap. 32, nominatim fit mentio Molochi, cui jam ne quid ſeminis ſui darent, neve ut illi traduceretur curarent, expreſſe in Lege vetuerat; ut habetur Levit. cap. 18, & 20. Quamquam, cum aliquid per ſe malum eſt, qualia ſine dubio ſunt omnia iſta, ſatis eſt, ne quis id facere jure poſſit, non fuiſſe præceptum. Qua de re vide, quæ dicturi ſumus cap. 27. partic. 4. Altera ratio, quam tui dicti affers, ſupra cap. 2, partic. 3, ſatis confutata fuit: & exemplis Stephani, & latronis falſa eſſe deprehenditur.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Neque quæſtio eſt, quid poſſumus, verum, quid ex præſcripto & mandato Dei facere debemus.

Faustus Socinus.

Resp. Immo quæſtio eſt, quid poſſimus, ut ex ipſa poſteriore tua Theſi, de qua nunc agimus, manifeſtum eſt. In ea enim non tantum non debere, ſed nec etiam poſſe Chriſtum invocari, diſertè affirmas; idque nos, ut ex priore ſcripto totaque diſputatione noſtra apertiſſimum eſt, nobis impugnandum ſuſcepimus.

Franciscus Davidis.

Particula 9. Certe ut Chriſtus nunquam præcepit ut ipſum invocemus, ita ſe exauditurum quoque eſſe preces nunquam promiſit, verum id quoque patrem ſuum cœleſtum facturum eſſe docuit. At demus, contra veritatem Scripturæ ſacræ, illum exaudire poſſe preces, & opera omnia noſtra intelligere, An ideo conſequitur Chriſtum invocandum eſſe? Minimè. Spiritus enim, qui eſt in homine, omnia ſcrutatur 1 Cor. 2. 10, etiam profunda Dei; & ſpiritus quoque Dei omnia ſcrutari dicitur; & nos quoque homines ſcrutamur vias Dei. Num ergo quiſquam vel nos homines, vel noſtrum ſpiritum, vel ipſum Spiritum quoque ſanctum, recte ſerviens, invocavit? & ubi ejus invocationis formula extat? Nullibi certe, niſi apud Papiſtas, quorum veſtigiis ratiocinando jam inſiſtere incipimus, cum maximo noſtro malo, ut olim experiemur. Satius erat Trinitatem minime impugnaſſe, quam ita præter omnem rationem eam denuo reſtituere.

Faustus Socinus.

Resp. Non poſſum ſatis mirari confidentiam tuam; qui, cum ex Dei verbo aperte demonſtraverim, Chriſtum in cœlis manentem corda ipſa, & renes explorare, nihil prorſus ad teſtimonia à me prolata reſpondens, affirmare tamen audeas, contra veritatem Scripturæ ſacræ eſſe, Chriſtum poſſe exaudire preces, & opera omnia noſtra intelligere. Nec minus miror, te dicere, etiamſi ea vis in Chriſto ineſſet, non tamen inde ſecuturum, Chriſtum invocandum eſſe. Quaſi vero ego ex eo ſolo, quod in Chriſto ea vis inſit, colligi velim, ipſum invocari poſſe; nedum invocandum eſſe, ut tu ſemper loqueris: & non id ex poteſtate, & cura, quam Eccleſiæ habet, ſi preces noſtras audire, & percipere poſſit, ut certe poteſt, omnino ſequi affirmem. Quamobrem inſtantiis tuis, alioquin etiam valde ineptis, & ex parte falſis, non eſt, quod in præſentia quidquam reſpondeam.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 6. Nihil ad quæſtionem & propoſitum noſtrum facit, Chriſto omnem poteſtatem datam eſſe, ipſum exaltatum ſuper omnia, & iis ſimilia. Primum enim ex iis non probatur, gloriam & honorem cultus & invocationis illi datum eſſe, cum Deus ſe ſolum invocari præcipiat, & hunc honorem & gloriam ſe nulli daturum eſſe affirmet, & Paulus Rom. 16. ỳ. 27. 1 Tim. 6. 16, hanc gloriam & cultum ſoli Deo patri attribuat.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quod Chriſti poteſtas illa ſumma, cui cura & gubernatio Eccleſiæ juncta ſit, invocari Chriſtum poſſe demonſtret, quodque opus non ſit, ut illud in verbo Dei expreſſum fuerit, partim vidimus ſupra cap. 8. partic. 4, partim videbimus infra cap. 27. partic. 4. De præcepto ſolius Dei patris invocandi in proximè ſequente cap. videndum erit. Interim dico, Paulum nec ad Rom. 16. 27, nec 1 ad Tim. 6. 16, gloriam & cultum invocationis ſoli Deo patri tribuere, ſed vel ſimpliciter gloriam in æternum Deo, qui ſolus eſt ſapiens, vel honorem, & robur æternum ei, qui ſolus habet immortalitatem, dare, atque aſcribere.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 7. Si quid ex iis juſte colligi debet, certè Deus pater invocandus & glorificandus eſt, qui in eam dignitatem Chriſtum evexit, & nos unà cum illo. Autor enim tanti beneficii agnoſcendus eſt, eique ſoli honos invocationis tribuendus; cum nemo magnus & potens eſſe poſſit, niſi quem ipſe evehit. Exemplum exaltationis & potentiæ Jeſu Chriſti ſæpe à Paulo proponitur, non hoc nomine ut illum invocemus, verum ut exemplum illius imitemur, ſi quando magni & potentes eſſe velimus Hebr. 2, & 12. Phil. 2. Epheſ. 4. 1 Pet. 2, & 3.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Recte dicis, propter exaltationem Chriſti Deum patrem glorificandum eſſe. Nam quantumvis maxima Chriſti exaltatio non modo Dei gloriam non obſcurat, ſed eam vehementer illuſtrat. Verum quomodo propter exaltationem Chriſti Deum glorificabimus, ſi eam exaltationem non agnoſcimus? Agnoviſſe autem illam dici non poſſumus, niſi tantam eſſe confiteamur, ut in neceſſitatibus noſtris eum invocare poſſimus. Scio equidem, alicubi à Paulo non idcirco exaltationis Chriſti mentionem fieri, ut illum invocemus. Nec mirum; cum id ipſum, quod Chriſtus invocari poſſit, tamquam partem, ſive effectum neceſſarium ejus exaltationis, ad aliud quidpiam perſuadendum, dum Chriſti exaltationis meminit, tacite commemoret.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 8. Ex reſponſione & collatione Teſtimoniorum, pro confirmatione invocationis Chriſti adductorum, manifeſtum eſt, firmam & immotam perſiſtere primam meam propoſitionem: *Quandocunque vocabulum invocationis accipiatur pro cultu & fiducia, qua à Deo patre petimus bona corporalia & ſpiritualia, Chriſto invocationem tribui, in Scriptura non legi.* Ut autem verbum Dei inter patrem & filium diſtinguit ſemper: ita & voces illas, quas Scriptura ſacra patri & filio tribuit, nos diſtinguere oportet. Alioquin patrem & filium unum eundemque Deum nos facere oportet, & eaſdem actiones, eundem cultum filio atque patri tribuere: Æqualitatem enim illam nihil impedit, ſi filium à patre illa accepiſſe fateamur, Cum poſtquam accepit, illius propria ipſum ea facere, operari, illique exhibenda aſſeveremus.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Intempeſtive ſatis hoc loco tuæ prioris theſis mentionem feciſti, cum ab ipſo uſque cap. 7, non jam de priore, ſed de poſteriore tantum agatur. Nec verò, etiamſi teſtimonia ad poſteriorem tuam theſim convellendam à me allata, plane infirma eſſent, tamen continuò ſequeretur, priorem tuam theſim (ut ais) firmam & immotam perſiſtere. Fieri enim poſſet, ut ego non recte ex Sacris Litteris probaviſſem, Chriſtum poſſe invocari, & tamen Chriſto in Sacra Scriptura invocatio, de qua controverſamur, attributa legeretur. Ad alia, quæ hic dicis, & jam reſponſum eſt, & poſthac etiam commodioribus locis reſpondebitur.

CAP. XVII.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Firmiter perſiſtit, & perſiſtet axioma illud, Severum extare mandatum Dei, Neminem extra Deum patrem creatorem cœli & terræ invocandum eſſe, ipſo Chriſto magiſtro quoque veritatis docente: *Vos, cum oraveritis, dicite, Pater noſter,* &c. Matth. 6. ỳ. 9. Huic enim contrarium mandatum nullibi extat de invocando Chriſto; niſi fortaſſe alibi alia extent Biblia mihi hactenus incognita.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Tametſi in priore reſponſione mea, quo magis tuæ ratiocinationis infirmitas appareret, conceſſi, extare iſtud ſeverum Dei mandatum, Neminem extra Deum patrem creatorem cœli & terræ invocandum eſſe; hic tamen, ubi exactius de rei veritate agendum eſt, quæro abs te, ubinam præceptum illud extet. Dices, in illis verbis Mat. 4. 10. Luc. 4. 8. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies,* idque ex loco ipſo, ubi id dictum à Chriſto fuit, ſatis perſpicuum eſſe contendes. Sed aliter rem ſe habere, docebimus infra loco ſuo, id eſt, cap. 24. partic. 10. Nec verò Chriſtus ejuſmodi præceptum dedit, cum dixit diſcipulis ſuis Luc. 11. 2. *Cum oratis dicite, Pater noſter,* &c. Non enim, quis orandus eſſet, ſed quomodo pater Deus orandus eſſet, quærebatur, ut ex Matthæo liquet cap. 6. verſ. 5, & deinceps. Fateor tamen, ex univerſo apud Matthæum Chriſti ſermone, atque ex re ipſa ſatis conſtare, ad ſolum Deum patrem, illo tempore & antea, in Dei populo preces dirigi conſueviſſe. Sed quid mirum, cum Chriſtus nondum vel extitiſſet, vel glorificatus eſſet, qui ſolus inter res creatas hoc à Deo obtinuit, ut ad ipſum quoque, licet corpore abſentem, preces noſtræ dirigi poſſint? Quocirca nullo mandato eſt opus, quo præcipiatur, Chriſtum invocandum eſſe, cum nihil in contrarium ſcriptum ſit, quod, ſcilicet, Chriſtum ab invocatione vel expreſſe, vel tacite excludat. Quamquam nonnulla ſcripta ſunt, quæ Chriſti invocandi conceſſiones dici poſſunt, & fortaſſis non paucis præcepta videbuntur. De quibus agemus cap. 27. partic. 4. Quæ quidem, ut Chriſtus invocari poſſit, ſatis ſuperque ſunt, etſi ſeverum illud tuum mandatum de ſolo Deo patre invocando ante diſerte datum fuiſſet.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 2. Demus vocabula invocationis, adorationis, ſerviendi, & fidei, alicubi in Scriptura Sacra tribui Chriſto; an ideo veritas divina evertetur, neminem invocandum eſſe vera cordis fiducia, à nemineque bona corporalia, ſpiritualiaque niſi à patre luminum, à quo omne bonum datum deſuper eſt, petenda eſſe? Quid ergo diſcrepantibus Scripturis faciemus,

faciemus, & quomodo eas conciliabimus? Hac ne ratione, ut Chriſtus quoque invocetur, fiducia cordis in eum locetur, & illi ſerviamus non tamquam autori, ſed tanquam mediatori, aut tanquam ei, cui pater iſta contulit, & quia jam poſtquam accepit hæc omnia, propria virtute dare, conferre, & præſtare poteſt? Abſit. Hæc enim pugnant cum veritate divina, & ſibi ipſis contraria ſunt.

Faustus Socinus.

Resp. Nullo prorſus modo divina veritas evertitur, ſi id, quod prius ſoli Deo, ita ipſo jubente, debebatur, poſtea ex ejuſdem Dei ſive juſſu, ſive conceſſu, Chriſto quoque aut debetur, aut tribui poteſt. Cumque tempora ſint diverſa, nec ſcripturæ diſcrepare dicendæ ſunt, nec ulla porro earum conciliatio quærenda eſt: ſed tantum tempora diſtinguenda. An ita repente ejus vulgaris regulæ oblitus fuiſti, quam ipſe ſupra cap. 8. partic. 5, & cap. 9. partic. 11, ſervandam mones, *Diſtingue tempora; & conciliabis ſcripturas?* Verumtamen, ut etiam appareat, præcepta illa priora de ſolo Deo patre adorando, eique ſoli ſerviendo, & in homine non confidendo, ac denique, quando ita vis de ſolo Deo patre invocando, firma adhuc, & rata eſſe, dicimus, adorationem, ſervitium, fiduciam, & invocationem, Chriſto homini à nobis ex aperto verbo divino tributam, ad ipſum Deum patrem referri, in ipſumque tandem univerſam redundare; cum manifeſtum ſit, non modo quidquid Chriſtus habet, à Deo profectum fuiſſe, ſed etiam quidquid ejuſmodi à nobis Chriſto tribuitur, ab ipſo Deo, tamquam ſibi tributum, agnoſci, & ad ipſius Dei gloriam ſpectare; ut jam ſupra cap. 12. partic. 2, ex parte oſtenſum fuit, & infra alibi, præſertim verò cap. 19. partic. 6, plenius demonſtrabitur. Adeo ut Chriſtus, tamquam medius inter nos, & Deum patrem, cenſendus ſit: per quem, ſcilicet, à Deo in Eccleſia omnia fiant, & viciſſim ad Deum ab Eccleſia omnia referantur. Non pugnare autem cum veritate divina hæc, quæ dicimus, quatenus Chriſto ſummam in ipſo etiam reſidentem poteſtatem tribuunt, ſupra ſatis probatum eſt. Sibi verò ipſis nullo modo per ea, quæ dicis, contraria demonſtrari, ſtatim docebo.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Primum, Mediator is eſſe non poteſt, qui ipſe poteſtatem habet præſtandi, & faciendi ea, quæ petuntur. Mediator enim petit & impetrat ab alio, non ſibi, ſed aliis pro quibus intercedit, & quibus aliquid conferre cupit. Si verò ipſe propria virtute confert & præſtat, jam ejus rei autor, cauſa efficiens erit. Diſcrimen enim illud, quod à patre acceperit, non tollit largiendi & conferendi poteſtatem, æqualitatem, eorumque bonorum collationem. Nec jam Mediator, ſed author erit eorum quæ dantur. Sic in Chriſto cum adverſariis duplicem ſtatuemus perſonam & naturam, unam, qua ut homo petit & accipit, alteram, qua ut Deus poteſtatem habet præſtandi, & largiendi ea, quæ ab ipſo petuntur. En unio hypoſtatica, en duæ naturæ, en totum Sophiſma ſcholaſticum.

Faustus Socinus.

Resp. Cum Chriſtum nunc quoque mediatorem Dei & noſtrum eſſe dicimus, non intelligimus, eum veris precibus aliquid nobis à Deo amplius impetrare. Jam enim æternam redemptionem nobis invenit, Heb. 9. 12, jamque cauſſa æternæ ſalutis factus eſt omnibus obedientibus ſibi Heb. 5. 9, id eſt, jam Dominus & Chriſtus eſt factus, Act. 2. 36, jam in principem, & ſervatorem exaltatus eſt ad dandam remiſſionem peccatorum, Act. 5. 30. Jam, ut uno verbo dicam, omnia portat verbo potentiæ ſuæ. Heb. 1. 3, id eſt cuncta juſſu ſuo potente regit ac moderatur. Sed idcirco etiamnum mediatorem Dei & noſtrum Chriſtum appellamus, quia, ut modò dicebamus, medius inter nos, & Deum eſt, tamquam is, per quem omnia. Sed neque etiam, cum in terris fuit, mediator Dei, & hominum alio potiore ſenſu dicendus erat, quàm, quod per eum Deus hominibus omnia patefaciebat, quæ ad ſui cognitionem ſpectabant, eiſque ſalutem æternam offerebat.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Veritas divina verò hac ratione invertitur. Ut enim in creatione, conſervatione, & ſalvatione *Deus verus qui pater eſt* ſocium nullum admittit, ita & in invocatione. Et ſi dabimus, Chriſtum quoque vera fiducia cordis invocandum eſſe, ab eoque bona corporalia, & ſpiritualia petenda eſſe, de neceſſitate dabimus, ſolum illum verum Deum, quem Scriptura ſacra invocandum eſſe præcipit, non eſſe tantum patrem, ſed & filium, & ſic per conſequens etiam Spiritum ſanctum; Ut ſic non unus Deus pater, ſed trias Deorum invocetur.

Faustus Socinus.

Resp. Si de creatione, & conſervatione novæ & ſpirituali loqueris, non magis rectè utramque, Chriſto adimis, quam ſalvationem. Atqui palam eſt non modo Chriſtum frequentiſſime Servatorem in Sanctis Litteris dici, ſed etiam a Petro affirmari, in nullo alio eſſe σωτηρίαν, id eſt, ſalutem illam æternam & præſtantiſſimam, præter quàm in Jeſu Chriſto Nazareno, Act. 4. 12. Nullum autem in his, & ſimilibus rebus admittit, ſeu potius habet ſocium Deus; non quia ea cum iis, quibus ſibi libuerit, non communicet: ſed quia quicumque in ejuſmodi rebus partem habet, ipſi Deo ſubjicitur, & ex ipſius Dei ſola voluntate, ac benignitate habet, non autem à ſeipſo, ſive ab alio quopiam. Nec patitur Deus, ut cauſſa primaria harum rerum omnium vel ex toto, vel ex parte alii, quam ſibi aſcribatur.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Et ſi in hac quæſtione *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, licet colligere non ſolum Deo, ſed & Chriſto ſerviendum, tamquam ei qui à patre accepta poteſtate, jam confert propria virtute omnia petentibus, licebit itidem colligere, *Ego ſolus, & nullus mecum creavi cœlum & terram.* Ego ſolus ſcilicet tanquam autor, fons, & origo, ſed non ſolus, ſed filius mecum, tanquam is qui à me poteſtatem omnem accepit, propriâ virtute, omnia faciendi.

Faustus Socinus.

Resp. Quiſnam ſimpliciter ita colligit: Soli Deo eſt ſerviendum; Ergo Chriſto eſt ſerviendum? Quaſi vero quidquid ſoli Deo tribuitur, Chriſto quoque tributum apud nos intelligatur. Nos quidem non iſto, ſed hoc pacto colligimus: Chriſto dedit Deus in Eccleſiam omnem dominationem; Ergo Chriſto ſervire debet Eccleſia, quamvis ſoli Deo ſerviendum eſſe ſcriptum ſit. Quia certum eſt, hujuſmodi ſervitium ſecundum voluntatem Dei eſſe; & ex ipſius præcepto fieri, & conſequenter, eum, qui Chriſto ſervit, ipſi Deo ſervire. Quocirca ineptiſſime ex collectione noſtra colligitur, Chriſtum quoque una cum patre cœlum & terram creaſſe, quamvis ſcriptum ſit, *Ego ſolus, & nullus mecum*, &c. Nam quod Chriſtus ea in re ullam partem habere potuerit, nuſquam eſt ſcriptum; imo contrarium ex Sacris Litteris apertiſſime demonſtratur.

Franciscus Davidis.

Particula 6. Itidem argumentari licebit: Dictum eſt Exod. 20. verſ. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus.*

tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, &c. *Non facies tibi ſculptile, non adorabis ea:* Chriſtus eſt imago & ſimilitudo Dei, Ergo illius imaginem licet facere & adorare.

Faustus Socinus.

Resp. Quoniam tu, ut omnes videbunt, peſſimè, hoc loco tuam ſententiam expreſſiſti, explicabimus nos primùm, quid ſentias, deinde illud refutabimus. Hoc igitur (ni fallor) tibi viſe Chriſtum eſſe imaginem Dei; Ergo, ſi Chriſtum adorare licet, Dei imaginem adorare licere, quod eſt contra expreſſum Dei præceptum, qui nullam ullius rei imaginem adorari vult. Reſpondeo, Deum non à ſe factam ſui ipſius imaginem, & à ſe ad adorandum propoſitam, ſed ab hominibus effictam, utque eam adorent, ab ipſis ſibi conſtitutam, eo præcepto manifeſtè vetaſſe.

Franciscus Davidis.

Particula 7. Item: Solus Deus, qui eduxit Iſraëlem ex Ægypto, adorandus eſt: Chriſtus adorandus eſt, Ergo eſt Chriſtus ſolus ille Deus, qui eduxit Iſraëlem ex Ægypto.

Faustus Socinus.

Resp. Non rectè concludis, triplici ratione. Primùm, quia præceptum illud non omnem prorſus adorationem complectitur, & certum eſt, non Chriſtum modo, ſed alias quoque non paucas res creatas jurè adoratas fuiſſe. Deinde, quia Chriſti adoratio ipſius Dei adoratio eſt: quem in Chriſto, & per Chriſtum adoramus. Poſtremò, quia eo præcepto non ſibi eripuit Deus, quominus ipſe alium quoque, præter ſeipſum nobis adorandum proponere poſſet; ſed tantùm, ne nos ex noſtro capite id faceremus, vetuit.

Franciscus Davidis.

Particula 8. Et quomodo quæſo iſta interpretatione effugiemus implicationem contradictionis? Solus Deus adorandus & invocandus eſt, ille pater inquam luminum, Non ſolus, verùm & filius. At dices, non tanquam fons, & origo, ſed tanquam mediator. Nihil refert. Duo enim invocantur & coluntur. Pater enim filius non eſt, & filius pater non eſt. Differentia enim in perſonis, non in ipſa invocatione ſtatuitur. Docetur enim, à filio quoque vera cordis fiducia petenda eſſe bona corporalia & ſpiritualia. Hac autem ratione & pater invocatur, & ab illo bona petuntur; & bona quæ petuntur eadem ſunt, ſi non corporalia, tamen ſpiritualia, quæ in oratione dominica à patre cœleſti petuntur, ut per Chriſtum edocti ſumus, ut hoc ordine, & ratione obſervata, per patrem non ſolum patrem, ſed & filium intelligamus, cum bona ſpiritualia petemus.

Faustus Socinus.

Resp. Ex ſuprà dictis apparet, nullam eſſe contradictionem in eo, quòd ſolus pater ſit invocandus, & adorandus, & tamen Chriſto quoque invocatio, & adoratio tribuatur; quamvis nec perſona, nec eſſentia idem ſit Filius, qui Pater, & manifeſtum eſt, diſtinctionem illam inter patrem, & filium, quòd ſcilicet à Patre Filius omnia acceperit, tanti eſſe, ut non modò perſonas, ſed qualitates etiam utriuſque perſonæ diſcriminet: adeò ut conſequenter etiam alterius cujuſdam qualitatis invocationem, & adorationem Filii eſſe, quàm Patris ſit, planè demonſtret.

Franciscus Davidis.

Particula 6. Indignum certè eſt in dubium vocare veritatem doctrinæ Chriſti, & ipſius Dei patris prærogativam. Chriſtus enim omnia quibus indigemus, & quæ à nobis, quo ad corpus & animam neceſſaria ſunt, ab ipſo Deo patre petenda eſſe docuit. Vel ea quibus indigemus comprehenſa ſunt in oratione dominica, vel non ſunt: Si non ſunt; aliæ formulæ & claſſes rerum petendarum ordinandæ ſunt. Quod nos, ſalva veritate doctrinæ Chriſti, facere non poſſumus. Si verò omnia quibus indigemus, illic comprehenſa ſunt, omnia à Deo patre petere jubemur. Certè hanc Dei patris prærogativam imminuimus, dum inter patrem & filium rerum petendarum materiam partimur. Aut enim pater Deus omniſufficiens non erit, quo ſe nomine inſignivit, ut omnia ipſe ſolus abunde largiatur, aut non omnipotens ſolus, ut omnia neceſſaria largiri poſſit, cum & filius invocandus ſit, & quædam ab eo petenda, quæ vel à patre peti non debeant, vel minùs neceſſe ſit, ut ab ipſo petantur, cum à filio petantur, & ipſe filius invocari debeat.

Faustus Socinus.

Resp. Jam in hujus cap. initio dictum eſt, nec veritatem doctrinæ Chriſti eſſe, ſolum Deum patrem invocari debere, & ſimul ad id reſponſum, quod ex precatione, quam ipſe Chriſtus nos docuit, ad doctrinam iſtam probandam elici poteſt; quæ etiamſi vera eſſet, non tamen contra eam futurum, quòd Chriſtus invocari poſſit, non uno in loco oſtenſum fuit. Non partimur autem ea, quæ petenda ſunt, inter Patrem, & Filium. Sed dicimus, ea, quæ à Patre peti debent, ſi quoquo modo ad Eccleſiam ſpectent, eadem omnia à Filio quoque peti poſſe, per quem Pater, qui omnia dat, ea nobis largitur. Poteſtas porrò dandi, quam Chriſtus habet, nihil minuit de Patris omnipotentia; nec tollit, quin Pater ſolus det, cum ea poteſtas univerſa ab ipſo Patre profecta ſit, & ab ejus nutu perpetuò pendeat. Quamvis enim eam non revocare, donec Filio omnia plane ſubjecta fuerint, decreverit, 1 Cor. 15. 25; hoc tamen non aliunde, quàm ab ipſius ſola voluntate, ac pura liberalitate proficiſcitur. Vide autem, ut ſcias, à Patre peti debere, & tamen à Filio peti poſſe, ea, quæ dicemus infrà cap. 19. partic. 1.

Cap. XVIII.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Ex iis jam dictis manifeſtum eſſe poteſt, pugnantia ſcripturæ ſacræ teſtimonia, hac ratione conciliari non poſſe. Quomodo ergo tollemus diſſidium? Primum quæ de Deo patre ſolo dicuntur, ut ea illibata ipſi ſoli tribuantur. Si verò illa filio quoque attributa eſſe legimus, nec eo modo, nec eo ſignificatu factum eſſe intelligamus: alioquin una & eadem actio patris & filii erit, idemque Deus filius, qui pater eſt.

Faustus Socinus.

Resp. Satis probatum eſt, vel nullam prorſus, ne in ſpeciem quidem, eſſe Scripturæ teſtimoniorum de hiſce rebus repugnantiam, vel conciliationem noſtram & verbis, & rei contentaneam eſſe. Tuam autem nihili æſtimari debere, & jam demonſtratum eſt, & mox apertius fiet.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Hoc verum eſſe per loca Scripturæ demonſtremus. Paſſim in verbo Dei dicitur, Deum patrem ſolum eſſe creatorem omnium, dicuntur & per Chriſtum omnia creata eſſe. Si ſignificatio vocis Creationis, & modus non mutatur, Chriſtum quoque omnium creatorem eſſe, quomodo negabimus? Sive enim dixero, Hic fabricavit domum, & per hunc fabricata eſt domus, ſenſus in idem recidit. Significatum vocis Creatio mutatur; mutatur & modus.

voca-

vocabulum mutatur. Illic enim rerum primordia deſcribuntur; hic verò tranſitus & mutatio in aliam formam, ut Creare idem ſit, quod recreare, reparare, reſtaurare, reconciliare, pacificare. Mutatur & modus non quòd Chriſtus ſua propria virtute, & poteſtate fecerit, & creaverit, verùm Deus pater per illum. Id Chriſtus ipſe docet, *Opera quæ ego facio, non ego facio, ſed ipſe pater vivens, qui in me manet.* Pet. Act. 10. 37, 38. Paul. 2 Cor. 5. 18, 19. Epheſ. 1. 9, 10. Epheſ. 3. 8, 9, 10, 11. Coloſ. 1. 18, 19, 20, idem confirmant.

Faustus Socinus.

Resp. Non ita mutatur ſignificatio vocabuli Creationis, ut unum, cum de Patre Deo dicitur, ſignificet, aliud, cum de Chriſto; ſed ipſiuſmet Patris reſpectu mutatur. Neque enim minùs novam creaturam fecit Deus pater, quàm veterem; & Deus per Chriſtum, non autem ipſe Chriſtus omnia creaſſe dicitur. Nec creandi modus mutatur, ſed ratio quædam, qua in creando Deus uſus eſt, exprimitur; dum per Chriſtum omnia creaſſe, id eſt reformaſſe, & inſtauraſſe dicitur. Quæ ratio, non quidem alio modo Chriſtum eam creationem facere, quàm Pater faciat, oſtendit: ſed, quamvis eodem modo, non tamen ut primam cauſſam, ſicut Pater, ſed ut cauſſam ſecundam. Ut, exempli gratia, Deus terrarum orbem illuſtrat; & ſol quoque idem facit: non quidem diverſo modo, cum unicus ſit illuſtrandi modus utrique communis. Sed Deus, ut prima cauſſa: ſol verò, ut ſecunda. Et quantum Deus in orbe terrarum illuſtrando ſoli anteponendus eſt, quamvis ſol id efficiendi virtutem in ſe habeat, tantum eſt Chriſto in reformando, & inſtaurando mundo anteferendus, quamvis, Chriſtum id efficiendi virtutem in ſe habere, conſtet. Deus enim verè eſt, qui iſta per utrumque efficit; quippe qui utrique eam efficiendi virtutem dederit, & ex cujus voluntate uterque perpetuò eam exerat. Atque hoc ſolis exemplo, & ſimilibus, quæ innumerabilia ſunt, vides quantum interſit inter eum, qui ipſe facere ſimpliciter dicitur, & eum, per quem ab alio fieri aliquid dicatur, & quomodo is, per quem fit, efficiendi nihilominus vim in ſe habere poſſit. Quare quæ citas teſtimonia, potiùs tibi nocent, quàm favent, cum ex ipſis nihil aliud probetur, quàm Deum per Chriſtum feciſſe.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Sic paſſim ille unus Deus pater Chriſti ſalvator eſſe dicitur, & quidem ita categoricè, ut præter illum nullus eſſe cenſeatur. De Chriſto item, quòd ipſe ſalvum faciet populum ſuum; quod nihil aliud eſt, quàm ipſum eſſe ſalvatorem. Si eadem ſignificatio vocis, & idem modus ſalvandi eſt, in quo differt pater à filio? Mutatur ſignificatio vocis. Salvator cum de Chriſto dicitur, ſignificat eum viam ſalutis monſtrare, & docere; ideoque verbum ſalutis Actor: cap. 10. 36. & 13. 26. appellatur. Modus quoque mutatur. Non enim filius propria ſua virtute, aut poteſtate ſalvat, aut ipſe ſalvare aliter dicitur, niſi quia pater per illum ſalutem nobis affert, & confert Luc. 2. verſ. 30. Eſa. 49. 6.

Faustus Socinus.

Resp. Concedis, Chriſtum eſſe ſalvatorem, quia ſcriptum ſit, ipſum ſalvum facturum eſſe populum ſuum; quaſi verò diſertè Salvator centies in novi fœderis ſcriptis non appelletur. Vide tantùm poſteriorem Petri epiſtolam; in qua, licèt admodum brevi, quinquies (ni fallor) eo nomine inſignitur. Nec verò hîc ſimiliter ſervanci aut ſignificatio, aut modus mutatur. Eadem autem ratione, qua Chriſto ſalutis ipſius dationem adimis, quia ſcilicet Deus eam per ipſum confert, adimenda eſt illi etiam monſtratio viæ ſalutis, quia Deus eſt, qui per eum viam ſalutis oſtendit, ut diximus cap. 4. particula 3. Ita Chriſtus falſo ſervator appellatus fuit, ſi nullo prorſus modo ipſe ſervat. Si dixeris, per ſalutis collationem, quæ à Deo per Chriſtum fiat, te nihil aliud intelligere, quam ipſam viæ ſalutis monſtrationem, quæ quamquam Dei ſolius eſt propria, tamen quia Chriſtus ejus rei tamquam inſtrumentum eſt, ſervator dici potuit; Dico, per Chriſtum alia quoque ratione ſalutem nobis à Deo conferri, cum per ipſum nos à mortuis in ultima illa die excitaturus ſit, & immortalitate donaturus Joh. 6. ỳſ. 19 &c. Philip. 3. 21; quæ ipſa vera eſt ſalus, propter quam potiſſimùm Deus ſervator noſter dicitur. Hoc autem ipſemet non negas, ſed negas, virtute aliqua in Chriſto reſidente, quam cum eo Deus communicaverit, aut communicaturus ſit, id factum iri. Ut patet ex iis, quæ ſcribis capite 2. partic. 7. & cap. 15. partic. 1. Atque idem hic dicere velle videris, dum ais: *Non enim filius propria ſua virtute*, &c. Atqui, ſi ita res ſe habet, ex tui ipſius verbis apparet, ſervandi ſignificationem non mutari, licèt modus, ut tu quidem opinaris, omnino mutetur. Hunc autem (ſi modo ea virtus in Chriſto reſideat, ut à nobis abunde confirmatum eſt) eundem planè manere, ex iis conſtat, quæ in ſuperiore partic. diſputata ſunt.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Sic Redemptoris nomen ſolus ille Deus pater in verbo ſuo ſibi vendicat. Dicitur & Chriſtus redemptio; verùm vocis ſignificatio mutatur, & modus. Deus enim pater ſua virtute & poteſtate redimit, in libertatem aſſerit, nullo pretio Eſai. 52. 3. At Chriſtus dato pretio Matth. 18. Modus quoque mutatur. Ille enim propria ſua virtute: Hic cum datur proponitur & fit à Deo patre, Rom. 3. 1 Cor. 1. Luc. 1 redemptio.

Faustus Socinus.

Resp. Neque hîc vel ſignificatio, vel modus mutatur. Deus enim à pœna peccatorum, & ab ipſis peccatis nos redimit, hoc eſt, liberat, & immunes reddit: & Chriſtus idem atque eodem modo facit. Nam ipſe eſt, per quem nanc redemptionem Deus & inchoat, & perficit. Deus redimit ſine pretio, quatenus nihil, tamquam pretium, ut nos redimat, à nobis exigit, cum ipſi nihil, tamquam pretium, nos ipſos venumdantes acceperimus, ut ipſum à te ex Eſaia prolatum teſtimonium probat. Id Chriſtus pariter facit, qui nobis gratis peccata condonat. Col. 3. 13. Quamquam locum illum Eſaiæ de redemptione per Chriſtum facta vaticinationem continere non conſtat. Chriſtus redimit cum pretio, quatenus ſanguinem ſuum pro nobis liberandis profundit, atque ea ratione nos Deo acquirit, Apoc. 5. 9. Deus hoc idem facit. Ipſe enim, dato ſanguine filii ſui, qui propterea proprius ejus ſanguis eſſe dicitur, ſibi acquirit Eccleſiam, Actor. 20. 28.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Qui juſtificat unus Deus eſt pater ille, eſt & Chriſtus qui juſtificat. At vocabulum Juſtificationis attributum Chriſto, & modus quoque mutatur. Juſtificat Deus pater, vel quia propter ſe, & propter nomen ſuum gratis remittit peccata, vel quia viventes in obſervatione mandantorum ſuorum juſtos pronunciat. Chriſtus verò juſtificat, vel quia Dei patris hanc voluntatem nobis annunciat, vel quia credentes illi & obedientes, verè ſumus juſtificati, & juſti eſſe pronunciamur. Mutatur & vocabuli ſignificatio, & modus. Deus enim pater per ſe, Chriſtus autem tamquam datus & factus juſtificatio nobis à Deo patre 1 Cor. 1. 30. dum nos ſibi reconciliat, & non imputat nobis delicta, & facit eum peccatum, ut ſimus juſtitia Dei per illum.

Fau-

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Chriſtus non aliter, neque alio modo juſtificat, aut juſtificare poteſt, quàm Deus pater, qui nos per ipſum juſtificat. Nam & ipſe Chriſtus nobis remittit peccata, ut probat locus ille Col. 3. 13. idque reipſa præſtans, dabit ipſe nobis, qui ei obediverimus, coronam juſtitiæ, 2 Tim. 4. 8. Juſtificatio autem dicitur nobis factus à Deo, quia, ut dictum fuit, Deus eſt, qui auctoritate, & poteſtate id efficiendi illi data, nos per ipſum à peccatis noſtris abſolvit, & vitâ æternâ donat.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 6. Vocabulum Invocationis, & Adorationis paſſim ſoli Deo patri tribuitur, Tribuitur & Chriſto. At mutatur ſignificatio, & modus. Significatio vocis mutatur. Invocamus enim, & adoramus Deum patrem, dum vera cordis fiducia, bona corpoporalia, & ſpiritualia ab eo petimus. Invocamus nomen Chriſti, dum eum Chriſtum & Meſſiam profitemur eſſe, eundemque debito proſequimur honore, confitentes, illum eſſe in gloria Dei patris. Mutatur & modus; per Chriſtum enim offerimus preces patri, at non per patrem Chriſto.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Ex ante dictis intelligitur, quæ eſſe poſſit inter adorationem, & invocationem, quæ Deo tribuuntur, & eas, quæ tribuuntur Chriſto, differentia. Neque enim vel rei ſignificatione, vel modo differunt, ſed ipſius rei quadam qualitate tantùm. Sicut enim Deus is eſt, ex quo omnia ortum habent, & qui primus & ſolus omnia largitur, Chriſtus autem is, per quem in Eccleſia omnia fiunt, & per quem omnia dantur; ſic Deum adoramus, & invocamus, ut primam cauſſam omnium rerum, & unicum omnium bonorum datorem, Chriſtum verò, ut ſecundam cauſſam omnium, quæ fiunt in Eccleſia. Et eum, per quem quidquid nobis, ut Eccleſiæ membris, opus eſt, perpetuò confertur. Tantum igitur inter illam, & hanc adorationem atque invocationem intereſt, quantum inter eum, qui omnia prorſus facit, & donat, & eum per quem ab ipſo permulta fiunt, & donantur. Hinc fit (quod ipſemet fateris) ut per Chriſtum Deo preces offeramus, id eſt, Chriſtum invocando, Deum invocemus, non autem viciſſim per Deum Chriſto preces offerre, nec Deum ipſum invocando, Chriſtum invocare dicamur. Ex quo, invocationem Chriſti ad ipſum Deum univerſam tandem referri atque in eo conquieſcere, certum eſt; quod non ad invocandi ſignificationem aut modum, ſed ad invocationis ipſius qualitatem quandam, & alia accidentia pertinet.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 7. Credendi & confidendi vocabulum Deo patri tribuitur, Tribuitur & Chriſto, at diverſa ſignificatione. Credimus enim in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli, cum ipſe omnia ea, quæ promiſit, propria virtute & poteſtate nobis daturus ſit, & largiturus. At credimus Chriſto, tamquam teſti veraci, à Deo patre miſſo, ſicut, & Iſraëlitæ crediderunt in Moſen, Exod. 14. 31. & 19. 9. vide Joan. 14. 1, 11. 1 Joan. 5. 10. & paſſim alibi. Mutatur & modus, quia per Chriſtum cum fiducia jubemur accedere Deum patrem, verùm per patrem non jubemur accedere cum fiducia ad Chriſtum.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Idem dico de credendo & confidendo. Non ſolum Chriſto, ſed Deo quoque tamquam veraci credimus, & tamquam ei, qui de veritate ipſa, quam Chriſtus patefacit, teſtatus eſt, non modò per ſe, & ſeparatim ab ipſo Chriſto, ut habes Joh. 5. 37. & cap. 8. verſ. 18. Verùm etiam unà cum Chriſto, immo ipſe per Chriſtum. Verbis enim & operibus teſtatus eſt Chriſtus de Euangelii veritate. Atqui utraque Deus per ipſum ea ratione, qua ſæpius à nobis expoſitum eſt, proferebat, atque faciebat, adeò ut ipſius Dei eſſe dicantur. Joh. 9. 4. & cap. 17. 14. Rurſus non Deo tantùm, ſed Chriſto quoque confidimus. Quæ enim Deus nobis promiſit, aut, tanquam Chriſti membris, donat, ea omnia per Chriſtum, poteſtate & efficacitate dandi illi conceſſa, nobis & dat, & daturus eſt. Ita, quemadmodum de invocatione diximus, & fides, quæ Chriſti verbis adjungitur, & fiducia, quæ in eo collocatur, ad Deum ipſum refertur, in eoque tandem conquieſcit.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 8. Ubique Scriptura hortatur, ut Deo viventi, & quidem illi, qui populum ſuum ex Ægypto eduxit, ſerviamus. Paulus ſe ſervum Chriſti appellat. Locus verò ille Coloſſ. 4. anceps eſt, & Ambroſius legit, *Recipietis hæreditatem Domini Chriſti, cui ſervitis*, Neque imperantis eſſe, *Servite Domino Chriſto.* Ut autem alius eſt ille, qui eduxit populum ex Ægypto, cui ſerviendum eſt, & cui ſervimus: Ita aliud ſervitutis genus, quo Deo Iſraëlis, & Chriſto ſervimus. Deo Iſraëlis ſervimus, tamquam creatori noſtro: quem etiam ut Deum colimus, ſperantes in eum, & petentes ab illo omnia bona ſpiritualia & corporalia; cujus & ipſe Chriſtus ſervus eſt. Servi verò & miniſtri Chriſti ſumus, dum ejus doctrinam & facta annunciamus. Extra hoc enim non ſervi, ſed amici ejus eſſe dicimur, Johan. cap. 15. verſ. 15. Videmus & vocis ſerviendi ſignificatum mutari & modum ſerviendi.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Servitus quoque & quæ Deo, & quæ Chriſto debetur, ejuſdem generis eſt, licet diverſę cujuſdam qualitatis. Non eſt autem locus ille ad Col. 4. 24. ſolus, ex quo, (ſive *ſervite*, ſive *ſervitis* legendum ſit) Chriſto ut ſerviamus, oportere, non obſcurè intelligitur; ſed alii ſunt permulti, quorum hic partem tantummodo aliquam notabo: Rom. 14. 8, & 9 & cap. 16. ỳſ. 18. 1 Cor. 7. 22. Epheſ. 6. 5, & 6. 2 Cor. 5. ỳſ. 15. Apocal. 2. 20. Sed quid teſtimonia hujuſce rei congerere eſt opus? Nonne pro omnibus eſſe poteſt, quòd Chriſtus millies Dominus noſter appellatur, & à Paulo unicus etiam dominus noſter dicitur 1 Cor. 8. 6. Eph. cap. 4. verſ. 5? Quomodo verò dominus noſter eſt Chriſtus, niſi nos ejus ſervi ſimus, & ei ſervire debeamus? Differentia autem inter eam ſervitutem, quam Chriſto debemus, & eam, quæ Deo debetur, non ea eſt, quam tu affers. Nam Dei quoque doctrinam, & facta annunciare debemus. Et Chriſto aliter etiam profectò, quàm ejus doctrinam & facta annunciando ſerviendum eſt; ut ex citatis locis intelligi poteſt. Sed in hoc differunt, quòd Deo ſervimus, tamquam ſupremo ipſi Principi: Chriſto verò, tamquam Præfecto cum ſuprema poteſtate nobis à Principe dato, & qui Principis vicem gerat. Cui, licèt ipſius Principis ſervo, eodem tamen genere ſervitutis, quamquam diverſæ cujuſdam qualitatis, quo ipſi Principi ſervimus, omnino ſervire debemus. Cæterùm homines pii & divinorum arcanorum conſcii, non Chriſti tantùm, ſed Dei quoque amici ſunt dicti; ut de Abrahamo legimus. Jacob. 2. 23.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 9. Conciliatio hæc locorum Scripturæ ſacræ pugnantium digna obſervatione eſt. Ut enim ii, qui ſe Catholicos eſſe profitentur, ex iis & ſimilibus colligunt Chriſtum verè & natura Deum eſſe,

eſſe, eumque invocandum, ut patrem, Sic & ex iis, & per hæc, Chriſtum, ut hominem à Deo exaltatum, invocandum eſſe, alii contendunt. Invocatio autem eadem eſt; in utroque enim vera cordis fiducia petuntur bona corporalia & ſpiritualia. Subjecta differunt: Hic enim homo Chriſtus, Illic Deus pater. Ut in aſtruenda ab illis Chriſti divinitate per invocationem peccatur, & ex eo Deus eſſe æternus ſtatuitur: Ita hîc in exaltatione hominis Chriſti in Deum per eandem invocationem. Sed hæc nunc abſcondita ſunt ab oculis multorum. Illis fuit ab æterno Deus & factus eſt homo per aſſumptionem, & unitionem. Iſtis natus eſt homo, & factus eſt Deus per exaltationem uſque ad Dei æqualitatem. Confuſio hæc Babylonica eſt, & mixtio duorum in unum, & unius in duos.

Faustus Socinus.

Resp. Ex prædictis ſatis conſtat, conciliationem, ſeu potiùs conciliationes iſtas tuas, quippe quæ à ſcripturarum ſenſu ipſaque ratione abhorreant, nihili eſſe faciendas: explicationem verò noſtram potiùs, quàm conciliationem, ut pote tam rationi, quàm divinis oraculis conſentaneam, plurimi æſtimandam eſſe. Quòd autem nos Adverſariorum ſimiles facis, non animadvertis, veſtrum hoc eſſe proprium. In eundem enim graviſſimum errorem utrique incidiſtis; quòd ſcilicet, invocari nullo pacto poſſe credidiſtis, niſi eum, qui ſit ille Jehova Deus cæli terræque conditor. Ex quo factum eſt, ut illi, Chriſtum invocari poſſe animadvertentes, affirmaverint, Chriſtum eſſe illum Jehovam Deum: vos autem, qui Chriſtum non eſſe illum Jehovam Deum vidiſtis, negaveritis, Chriſtum invocari poſſe. Sed & illis, & vobis tandem agnoſcendum erit, Jeſum Nazarenum, hominem inquam illum, Chriſtum & Dominum à Deo factum, tanta auctoritate, atque potentia tum in cælo, tum in terra ab ipſo jam donatum fuiſſe, ut eum, quiſquis ad ejus Eccleſiam pertinet, in neceſſitatibus ſuis invocare poſſit, ejuſque opem confidenter implorare. Quod & cæteri omnes, qui nunc Chriſto reluctantur, tunc verum eſſe non agnoſcent tantùm, ſed magno ſuo malo ſentient, cum inimici ejus ſcabellum pedum ipſius facti erunt. Hîc autem nulla prorſus eſt confuſio; ſed omnia planiſſima & explicatiſſima ſunt; honore & prærogativa, quæ ipſius propria eſt, ſummo & unico illi Deo perpetuò conſervatâ.

Cap. XIX.

Franciscus Davidis.

Particulai. Adoratio, invocatio, & ſervitus, quæ ſoli Deo patri competit, Chriſto nullibi tribuitur, eamque ob cauſam de Chriſto invocando, adorando, illique ſerviendo præceptum nullum extat. Et cur hoc in loco dicatur: *Et tamen & Chriſtum quoque adorare non poſſumus tantum, ſed etiam debemus, & illi ſervire tenemur*, paulò poſt verò dicitur, *Quia etſi Chriſtum invocare poſſumus, non tamen tenemur*, non video. Qui talibus antilogiis & ænigmatibus gaudet, ſuis ſe oblectet diſtinctionibus, & ex nigro album, ex alboque nigrum ut faciat, per me licet. Et, ſi *videtur* extare præceptum de Chriſto adorando, & illi ſerviendo; ubi illud *videtur* adductum fuerit, ſuum illius Videtur, ſolvetur per non videtur. Quæſtio enim non eſt, an hæc vocabula alicubi in Scriptura ſacra filio Dei tribuantur, verùm an Chriſtus invocari, adorarique debeat vera cordis fiducia, & ab eo bona corporalia, & ſpiritualia, quæ omnia in oratione dominica comprehenſa ſunt, peti debeant, probandum eſt, & non ambiguis & indefinitis differendum propoſitionibus, quales ſunt hæ: *Invocatio, quæ ſoli Deo debetur, ea eſt, qua ad ipſum, tamquam ad omnium bonorum datorem confugimus. Chriſtum autem non in omnibus invocare poſſumus, ſed in iis tantum, quorum largiendi poteſtatem à Deo adeptus eſt.*

Faustus Socinus.

Resp. Jam dictum eſt, quæ in iſtis differentia inter Deum, & Chriſtum ſit. Servitutis autem, & adorationis, quæ Chriſto tribuuntur, alia ratio, quàm invocationis eſt. Ita ut Chriſto ſervire, eumque adorare omnino debeamus: invocare verò, ſi de abſoluta neceſſitate ſit ſermo, non quidem teneamur, ſed tamen omnino jure poſſimus. Servitus enim, & adoratio, de quibus hoc loco agitur, affectiones quædam potiùs, quàm actiones ſunt animi, & mentis noſtræ, eæque non alicujus temporis, aut occaſionis, ſed perpetuæ, & nobis inhærentes. Invocatio verò, cum pro precum directione, & opis imploratione ipſa accipitur, ut & nos facimus, & uſus loquendi requirit, eſt actio quædam non nobis perpetuò inhærens, ſed quę a nobis pro tempore, & occaſione, quantumvis frequenter id fiat, ſuſcipitur. Hinc fit, ut perpetuò uno eodemque temporis momento & Deo, & Chriſto ſervire, & utrumque adorare poſſimus, at Chriſtum invocare non poſſimus, niſi ad eum nominatim preces noſtras dirigamus. Quocirca, ſi Chriſtum invocare omnino deberemus, numquam ad Deum patrem ſolum noſtras preces dirigere poſſemus. Quod falſum eſſe exempla ſanctorum virorum & purioris Chriſtianæ Eccleſiæ antiquiſſimus uſus oſtendit. Neque enim, ut ſuperiore cap. partic. 6. dictum eſt, qui Deum patrem invocat, Chriſtum ipſum invocat, quemadmodum, qui Chriſtum invocat, ipſum Deum patrem invocat. Et hanc ob cauſſam, quamvis ad Chriſtum, nulla patris expreſſa mentione facta, preces ſuas dirigat, præcepto tamen de invocando Deo patre ſatiſfacit. Sic rex præfectos dat, à quibus ea peti poſſint, quæ ab ipſo ſolo alioquin peti poſſunt. Non tamen, ut omnino à præfectis petatur, jubet. Neque enim, ne quiſquam jam ſe adeat, interdicit. Cum autem ipſe rex aditur, nullo modo à præfectis, ſed ab ipſo tantum rege petitur, quamvis, cum à præfectis petitur, ab ipſo rege, cujus auctoritate ac nomine illi omnia faciunt, petatur. Itaque vides in diſtinctione illa mea nullam eſſe antilogiam, nullum ænigma, ſed eam ſenſui ipſi communi quodammodo patere. Jam, quòd uſus ſum verbo Videtur, cum de præcepto adorandi Chriſtum, illique ſerviendi, ſum locutus; non ideo feci, quòd de eo præcepto dubitarem, ſed quia diſertè, & litteraliter (ut loquuntur) nobis id præceptum fuiſſe, non putabam, & adhuc non puto, niſi ſub typo, ut poſtea docebo; quamvis reipſa præceptum ſit. Atque ad iſtum modum loqui, cum ejuſmodi caſus incidit, ſapientiſſimi quique viri me ſuo exemplo docuerunt. Neque optimorum auctorum exempla deſunt, in quibus verbum Videtur non dubitantis, ſed planè affirmantis eſt. Quin tu ipſe ad eum modum locutus es cap. xi. partic. 3. Reipſa autem mandatum nobis eſſe, ut Chriſto ſerviamus, in ſuperioris cap. part. 7. docuimus. Ut autem illum adoremus, permulta nobis mandatum fuiſſe, demonſtrare poſſunt. Sed inter cætera illud potiſſimum, quod angelis ipſis id præcipitur, qui nobis, præſtantiores multò ſunt. Teſtatur hoc aperte auctor epiſt. ad Hebræos capite 1. 6. Nam quod vos dicitis verba illa, *Et adorent eum omnes angeli Dei*, in Pſalmo, unde ſumpta ſunt, ad ipſum Deum referri; quid tum, ſi ſcriptor ille divinus ad Chriſtum ea accommodat, & in Chriſti perſona, de cujus regno ibi vaticinatur Pſaltes, eam Dei adorationem fieri debere docet? Vide quæ ſcripſimus ſuprà capite 3. ad finem partic. 4. Confirmatur idem per ea, quæ ad Philippenſes ſcribit Paulus, cap. 2. 10. Deum dediſſe Chriſto *nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur*, &c. Præcepti enim vim hæc verba habere, nemo ſanæ mentis negaverit, etiamſi tantummodo de effectu, & de re futura ſermo eſſet. Docemur enim per ea, Deum nunc quoque velle, ut id fiat, quamvis Chriſti hoſtes adhuc id facere recuſent. Quod velint, nolint, tandem aliquo modo facient. Eandem prorſus vim præcepti habent verba illa ipſius Chriſti, Johannis cap. 5.

Ut omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem: quæ etiam ad tempus præſens omnino reſpicere ſuprà docuimus, capite 9 partic. 3. Præterea Pſalm. 45. verſ. 12. Ipſius imperativi modi voce, ſub typo Salomonis regis & ſponſæ ejus, præcipitur Eccleſiæ, ut Chriſtum adoret. In quo ſanè luculentiſſimo teſtimonio diſerte ac litteraliter Chriſti adorationem nobis præceptam eſſe videtur poſſe affirmari. Diſtinctio poſtremò illa mea inter Dei, & Chriſti invocationem quod ad ea attinet, quæ petenda ſunt, apertiſſima eſt. Nec enim aliud ſibi vult, quàm à Deo omnia prorſus bona, cujuſcumque generis ſint, & ad quemcumque pertineant peti poſſe, à Chriſto verò ea tantùm, quæ ad Eccleſiam ſive generatim, ſive ſingulatim quoquo modo pertinent, quorum largiendorum à Deo poteſtatem accepit.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Si invocatio ea, quæ ſoli Deo debetur ea eſt, qua ab ipſo tanquam omnium bonorum datore petimus, quid petendum erit à Chriſto? Si ipſe fons, autor, & largitor, omnium eſt, quid quæſo Chriſtus dat, & confert, & quæ ſunt illa bona, pro quibus impetrandis, ipſum invocare poſſumus. Chriſtus ipſe veritatis Magiſter hanc definitionem ignoravit. Docuit enim omnia, quibus indigemus, petenda eſſe à patre ſuo cœleſti; & Jacobus ejus diſcipulus erravit, cum omnia à patre luminum petenda eſſe aſſeruit, & inde omnia dari, & conferri demonſtravit, non à Chriſto. Potiùs dicendum erat, quædam a Deo patre petenda eſſe, quædam à Chriſto, quædam enim pater danda ſibi reliquit, quædam verò dandi poteſtatem filio tradidit; ut ſic & imperium & dandi poteſtatem diviſam pater cum filio habeat, ut ſi non tres æquali poteſtate præditi in ſolio majeſtatis conſideant ſecundum Papiſtas, tamen duo diviſam habeant poteſtatem & imperium; licebit & tertium hac ratiocinationis forma addere. Nam ille quoque largitor, & diſtributor donorum Dei appellatur. Invocemus ergo Spiritum ſanctum, & petamus ab eo bona, quorum poteſtatem dandi & conferendi à Deo accepit. Si licet hac ratione partiri invocationem, & adorationem inter Deum patrem, & Chriſtum, licebit & juſtificationem, & reliqua omnia partiri inter Deum patrem & Chriſtum; ut ſic non ſolus Deus pater omnia egerit, verùm Deus, & Chriſtus: & non ſolum unus Deus ſit pater, verùm Chriſtus & Deus pater ſimul & conjunctim.

Faustus Socinus.

Resp. Cum omnia, quæ Eccleſiæ à Deo dantur, per Chriſtum dentur, à quo ob eam cauſſam ea peti poſſe dicimus: cumque nec Chriſtus ipſe, nec Iacobus, à Deo patre omnia petenda eſſe, præceperint, &, ſi id præcepiſſent, Chriſtus ipſe tamen non excluderetur, à quo ſi quis petit, ab ipſo Deo petit: cum præterea nulla à nobis partitio fiat inter Patrem, & Filium, immo quidquid Filius confert, à Patre, qui per eum operatur, conferri affirmemus: cum poſtremò Spiritus ſanctus non ſit perſona, ſed Dei virtus, & efficacitas, inane prorſus eſt, quicquid hoc loco meis verbis objeciſti.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Sed pergamus ad reliquarum ratiocinationum conſiderationem, *Chriſtum quoque adorare non poſſumus tantum, ſed etiam debemus, & illi ſervire tenemur: Nimirum quia illum adorando, illique ſerviendo, hunc cultum non ipſi Chriſto præcipuè, ſed Deo, qui ad tantam majeſtatem illum extulit, revera præſtamus.*

Reſpondeo. Si ideo tenemur & debemus Chriſtum adorare, quia ſerviendo Chriſto, præcipue adoramus patrem, ratio nulla eſt, cur Chriſtum adorare debeamus, & illi ſervire. Nam ut pater alius eſt à filio, ita adorando patrem, filium adorare non poſſumus, niſi fingamus Chriſtum in patre eſſe, & patrem in Chriſto unitate eſſentiæ. Si enim Deum patrem præcipue adoramus, Chriſtum adorando, adorando patrem, non præcipuè patrem, ſed ipſum Chriſtum adorabimus. Deinde adorando homines, in quibus Deus eſt, non ipſos homines, ſed Deum ipſum adorabimus, & è converſo: An non hac ratione omnes idololatræ excuſantur, qui ſe in imaginibus, non ipſas imagines, ſed ipſum Deum, qui per illas repræſentatur, adorare profitentur: Sic ſolem, lunam, & ſtellas, in quibus inſignis Dei bonitas, poteſtas, & majeſtas elucet, adorare poſſumus. Deus enim in illis eſt, & omnis illarum actio ad illuſtrandam gloriam unius illius Dei ſpectat. Rom. 1. Pſa. 33.

Faustus Socinus.

Resp. Si Chriſtum adorando, illique ſerviendo, hunc cultum ipſi Deo præſtare non poſſumus, quia Chriſtus unus eſſentia non eſt cum Deo: Ergo neque etiam in Chriſtum credendo, in Deum credere poſſumus. Falſo igitur, exclamans dixit Chriſtus Joh. 12. 44, *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui me miſit.* Nonne vides, quòd, quemadmodum qui credit in Chriſtum, idcirco in Deum credit, quia Deus per Chriſtum, & in Chriſto loquitur, & operatur, atque, ut in illum credatur, præcipit; ſic qui Chriſto ſervit, eumque adorat, hunc cultum Deo præſtat, quia Dei potentia, atque majeſtas per Chriſtum, & in Chriſto nobis apparet, atque refulget, & Deus, ut illi ſerviamus, eumque adoremus, dominum, ac regem noſtrum illum conſtituendo, eique omnia, ſe ſolo excepto, ſubjiciendo, ipſumque ſolium ſuum illi impertiendo Act. 2. 36. 1 Cor. 15. 27. Apoc. 3. 21, ſe velle, apertiſſimè declaravit, angelis etiam ipſis, ut eum adorent præcipiens? Hebr. 1. 6. Nam, ſi hæc futura dixeris, futurum quoque, ſi recta eſt ratiocinatio tua, dicas oportet, ut Dei, & Chriſti eſſentia eadem ſit. quod quia numquam erit, nec eſſe poteſt, perperam te ratiocinatum fuiſſe, planè conſtat. Quid eſt autem, quod dicis, ſi, Chriſtum adorando, Deum præcipuè adoramus, viciſſim, Deum adorando, Chriſtum à nobis præcipuè adorari? quaſi verò Deum Chriſto, ut Chriſtum Deo ſubordinatum eſſe dicamus, vel ſicut quiſpiam præfectum honorando, regem ipſum honorat: ſimiliter regem honorando, præfectum honoret. Vide rurſus, quæ interdum imprudens effutias. Inſtantia de hominibus, in quibus Deus habitat, inepta eſt prorſus. Non enim, quia ſimpliciter Deus in Chriſto habitet, idcirco Chriſto ſerviendum, eumq; adorandum affirmo: ſed quia Deus eum ad tantam ſublimitatem extulit, quæ ſervitium, & adorationem à nobis omnino requirit. Qui cultus interea, quomodo præcepto illi de ſerviendo ſoli Deo, eoque adorando non adverſetur, perſpicuè demonſtro. Idololatræ propterea non excuſantur, quòd ex ſuo ipſorum capite, contra expreſſum ea ipſa de re ipſius Dei præceptum, Deum per imagines, & effigies ſibi repræſentant, vel potiùs repræſentare ſe ſomniant. Sol, Luna, & ſtellæ non adorantur ab hominibus, non dicam divinis, ſed cordatis, quia & multò excellentior illis homo ipſe eſt, & ad hominis, ſervitium & commodum ipſa aſtra condita ſunt. At præterea de illis non adorandis apertum Dei mandatum extat Deut. 4. 19. & cap. 17. 3.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Multa Chriſtus ipſe de poteſtate, honore, & gloria ſibi à patre cœleſti tradita diſſeruit, multa ipſius Apoſtoli ſcripſerunt. Nullus tamen ex iis hoc axioma extruxit, Nos teneri, & debere Chriſtum adorare, invocare verò non debere, ſed poſſe. Imò nec ſimpliciter quiſquam concluſit, Ergo Chriſtum invocate, aut adorate, Ergo me invocate, & adorate. Certè colligere id ex verbis Chriſti, & Apoſtolorum quod in eorum ſcriptis non extat, non eſt interpretari Scripturas, ſed eſt invertere.

Fau-

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quid oportebat, Chriſtum, aut Apoſtolos illud axioma extruere, cum res per ſe ipſa loquatur, & utriuſque rei exempla manifeſtiſſima ſint? Invocationis jam protulimus, præſertim cap. 2. partic. 4, & cap. 6. partic. 5, præter ea, quæ in priore ſcripto allata fuerant. Adorationis verò hæc, locis tantummodo notatis, & tibi, & reliquis conſideranda proponimus, Matth. 2. ℣. 11, & cap. 8. 2. & cap. 9. 18. & cap. 14. 33. & cap. 15. ℣. 22. & cap. 28. ℣. 9, & 17. Mar. 3. 11. & cap. 5. 6. Luc. 24. 52. (in hoc autem Lucæ loco conſulantur Græca exemplaria) Joh. 9. 37. Ex pleriſque autem prædictorum locorum, Chriſtum vera cordis fiducia, ut invocatum, ſic adoratum fuiſſe, & pluſquam civilem, & humanum cultum ei fuiſſe exhibitum, videbunt omnes, qui vel anticipatis opinionibus, vel juſto aliquo Dei judicio excæcati non fuerint. Vix autem dici poteſt, quam graviter erraveris, cum ea verba ſcripſiſti. *Certè colligere id ex verbis Chriſti, & Apoſtolorum, quod in eorum ſcriptis non extat, non eſt interpretari Scripturas, ſed eſt invertere.* Immo verò cum quid colligitur, vel id ſcriptum omnino non extat, vel certè perinde habetur, non ſi Deum patrem in Chriſto adoraverimus, ac ſi ſcriptum non eſſet.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 5. Chriſtus ex profeſſo diſputat Joan. 4, de adoratione, & invocatione vera; de ſui verò adoratione & invocatione, nullam facit mentionem, non reticet verum, Samaritanæ fatetur ſe eſſe Meſſiam, & mulier ipſa inquit, *cum venerit Meſſias, annunciabit omnia*; horum verò nulla annunciat, imo contraria docet; unde ergo hæc axiomata inferimus, & colligimus? Dixit, cum in terris verſaretur Chriſtus, Joan. 15. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Si hæc patris voluntas fuiſſet, ut ipſe in Chriſto adoraretur, aut Chriſtus in ipſo, certe id diſcipulis ſignificaſſet, omnia enim illis ſignificavit, quæ à patre ſuo audivit; certum autem eſt, quod hoc à patre ſuo non audivit. Doctrina igitur iſta, ut non ex Deo patre & Chriſto ſit oportet. Si fortaſſe, ut contendimus, aſſeveraverimus, poſtquam in cœlos aſcendit, omnem accepit poteſtatem, ſuper omnia exaltatus eſt, hanc conſecutus eſt dignitatem, ut adoretur & invocetur, nequaquam conſiſtere poterit. Nam poſt ſuam in cœlum aſcenſionem, miſit diſcipulis Spiritum ſanctum, per quem omnia illis annunciavit. Sed nic nec alia, nec p ioribus contraria docuit. Nam de patre accepit, & illum glorificavit, non docendo, in Chriſto Deum patrem præcipue adorari, aut Chriſtum adorandum, & invocandum eſſe, verum in doctrina, per Chriſtum tradita confirmavit; & ſic nos quoque diſcipulos ſuos, futuros eſſe dixit, & patrem ſuum cœleſtem glorificaturos, ſi ſermonem illius ſervaverimus, aut Chriſtum in Deo patre.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quamquam per ea, quæ modo diximus, ſatis ad ea omnia, quæ hoc loco dicis, reſponſum eſt; illud tamen addemus, te non animadvertiſſe eundem Chriſtum, qui dixerit diſcipulis ſuis, omnia quæ audiviſſet à patre, nota ſe illis feciſſe, eiſdem poſtea dixiſſe, multa ſe habere, quæ illis diceret, quæ nondum portare poſſent Joh. 16. 12. Inter quæ, ſi Dei per ipſum, & in ipſo adoratio, & invocatio à nobis numeraretur: quid quæſo, abſurdi ea in re contineretur, cum hæc ſummam illam poteſtatem, & Eccleſiæ gubernationem in Chriſto, licet corpore abſente, ipſiuſque paterni ſolii participationem omnino requirant, quam, ante ſpiritum illum veritatis acceptum, Chriſti diſcipuli nec intelligebant, aut ſuſpicabantur, nec intelligere, aut ſuſpicari poterant? Chriſtum autem, & in Chriſto Deum adorari, & invocari poſſe, poſtquam ſpiritum illum, qui eis facilia portatu redditurus erat omnia, accepiſſent, Chriſti diſcipulos intellexiſſe, vel id ſatis declarat, quod primus ipſorum, qui ſanguine ſuo veritati divinæ teſtimonium dedit Act. 7. 59. Chriſtum ea in re invocavit, in qua ipſe Chriſtus Deum patrem invocaverat Luc. 23. 46. An non & hoc & alia ipſorum exempla, de quibus ſupra egimus, pluris ſunt, quam verborum commonefactiones?

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 6. Sed videamus, quibus teſtimoniis, & rationibus confirmatur, adorando Chriſtum, & illi ſerviendo, hunc cultum non Chriſto præcipue ſed ipſi Deo præſtari. Paulus inquit Philip. 2. 11. *Ut omnis lingua confiteatur, quod Dominus eſt Jeſus Chriſtus ad gloriam Dei patris.*

Summa verborum Pauli eſt: Sectemini charitatem & humilitatem, idque ab exemplo Chriſti. Hic, cum multis donis à patre ſuo cœleſti ornatus fuerit, iis abuſus non eſt, nec proprium commodum & honorem quæſivit, nec divinum ſibi uſurpavit honorem, quod rapere eſt ſibi æqualitatem Dei. Si Paulus in hoc loco Chriſtum adorandum eſſe contendiſſet, minime contrarium propoſuiſſet, ideo ſubjicit, *exinanivit ſe, humiliavit ſe, formam ſervi aſſumpſit, factus eſt obediens*, &c. Quæ omnia loco explicationis ſubjiciuntur, quid ſit, non rapinam arbitratus eſſe æqualem Deo. Poſt humiliationem & mortem, ejus exaltationem deſcribit, quam non in adoratione & invocatione ejus fundat, verum quod ereptus ex morte, declaratus ſit judex vivorum & mortuorum, imò Meſſias, & Dominus, hoc eſt nomen illi datum, hoc eſt, quod omnis lingua confiteatur, quod Jeſus ſit Chriſtus ad gloriam Dei patris. Vide Act. 2. 36. Facit enim ad gloriam Dei patris, quod Jeſum filium ſuum, Chriſtum eſſe deſignavit, declaratum eſſe, quod ſit Chriſtus; & in eo maximè laborarunt Apoſtoli, ut evincerent ex Scripturis ſacris, Jeſum eſſe Chriſtum; hanc ob cauſſam toties Joannes urget, *qui credit, qui confitetur, Jeſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt*, &c. Sive verò legas, *quod Jeſus Chriſtus Dominus ſit in gloria Dei patris*, ſive, *ad gloriam Dei patris*, nihil refert; utrobique enim idem docetur, poſt humiliationem ſecutam eſſe exaltationem; quod & Chriſtus ipſe ſæpe docuit, *Oportuit filium hominis pati, & ſic intrare in gloriam ſuam*, quæ gloria non adorationis eſt, & invocationis, qua vera cordis fiducia bona corporalia & ſpiritualia ab ipſo peti debeant, ſed ſententiam eſſe, ut vivorum & mortuorum judex demonſtretur & declaretur, ubi omnium cœleſtium, terreſtrium, & inferorum genua coram eo flectantur. Certe Paulus ne ſomniavit quidem, vel in hoc vel in alio loco de adoratione & invocatione Chriſti. Fuiſſet enim falſus doctor, ſi ex iſta genu flexione adorationem & invocationem Chriſti aſtruere voluiſſet. Inquit enim, quod in omnibus ſuis orationibus flectat genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, non autem in omnibus ſuis orationibus genua flectere potuiſſet ad patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſi quoque ſua genua in invocatione ad Chriſtum flexiſſet, & planè contrarium ejus rei docuiſſet, quod ipſe feciſſet; quod minime Paulo, qui vas electionis erat, conveniſſet. Male igitur ex verbis Pauli colligitur, quod ipſe nunquam fecit, vel docuit.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Locus ille Pauli ad Phil. cap. 2, quidquid tu contra dicas, apriſſimus eſt ad demonſtrandum, Chriſto quæ tribuitur adoratio, & ſervitium ipſi Deo tribui, & ad ipſius Dei patris gloriam pertinere; ſi altero, quem ipſe commemoraſti, modo, id eſt, ut quidem debent, ex Græco contextu ipſius loci verba legantur. Inquit enim, *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Quid eſt autem,

obſecro, adoratio, ſi hæc non eſt? Pergit verò & ait, *& omnis lingua confiteatur, quia dominus [eſt] Jeſus Chriſtus.* Quid porro hoc? An non Chriſti ſervitium neceſſariò complectitur? Verùm poſtmodum ſubjungit, *ad*, ſive *in gloriam Dei patris* (ſic enim habent omnia Græca exemplaria) Ex quibus verbis nemo eſt, qui apertè non agnoſcat, omnem cultum, qui Chriſto præſtatur, ipſi Deo præſtari; ut pote in cujus gloriam univerſus redundet. Quòd ais, ex hoc loco Chriſti invocationem non colligi, nihil ad rem facit. Nec enim ego ex eo invocationem Chriſti probare volui, ſed id, quod modò dixi; ut ex ſcripto meo manifeſtiſſimè conſtat, quin etiam tu ipſe hujus Particulæ initio diſertè teſtaris, inquiens, *Sed videamus, quibus teſtimoniis & rationibus confirmatur, adorando Chriſtum, & illi ſerviendo, hunc cultum non Chriſto præcipuè, ſed ipſi Deo præſtari. Paulus inquit*, &c. Ut ſcilicet intelligeres, etiamſi extaret ſeverum illud tuum Dei mandatum, de ſolo ipſo Deo invocando, non tamen Chriſtum ab invocatione excludi debere, quemadmodum ab adoratione, & ſervitio non excluditur, quamvis ſeverum extet Dei mandatum, ab ipſo Chriſto repetitum, ut Deum ipſum adoremus, illique ſoli ſerviamus: & ſimul ejus rei cauſſam eſſe eam, quam ego dicebam, animadvertere poſſes. Quare, quidquid de re futura, non autem præſente, hoc loco comminiſcaris, nihil agis. Satis eſt enim oſtendiſſe, Dei ſolius nobis præcepto cultui, Chriſti cultum non adverſari. Quod profectò veriſſimum eſt, ſive hoc tempore, ſive alio quovis cultus Chriſto, per breviſſimum licèt temporis ſpatium, tribuendus ſit. Quomodo verò gloriam à Deo Chriſto datam, cujus hoc loco meminit Paulus, adorationis gloriam eſſe negas, cum diſertè in ea de genibus illi flectendis mentio fiat? Aut quid te efficere poſſe ſperas, cum eam agnitione, quòd Jeſus ſit Chriſtus, & judex vivorum & mortuorum conſtitutus, contineri contendis? Vide quæ hac de re attigimus ſuprà cap. 3. partic. 4. itemque cap. 9. partic. 10. & eodem cap. partic. 3.

Quod dicis, Paulum aſſerere, Chriſtum ſe Deo æqualem non feciſſe, non ita eſt. Immo Paulus aſſerit, Chriſtum in Dei forma fuiſſe, & quòd Deo æqualis eſſet, id non rapinæ loco habuiſſe, ita videlicet, ut eam æqualitatem, quemadmodum raptores ſolent, mordicus retinuerit. Quandoquidem eam, cum ita viſum eſt patri, cui illam acceptam referebat, quodammodo abjecit, &, Dei formâ depoſitâ, formam ſervi ſumpſit. Sed utcumque Pauli verba depraves, quid hoc ad eam gloriam, quam poſtea Chriſtus, ut ſuæ obedientiæ præmium conſecutus eſt, de qua nos loquimur, & ad quam ob oculos ponendam nihil hoc Pauli teſtimonio accommodatiùs inveniri poteſt?

Cæterùm, ut non ex ſolo hoc loco Chriſti gloriam, Dei gloriam eſſe appareat, de tam multis aliis teſtimoniis hæc pauca, quæ lector inſpicere poterit, hîc notare libuit. Joh. XI. 4. & cap. 12. 28. & cap. 13. 31, & 32. & cap. 14. 13. & cap. 17. 1. Nam quod ais, Paulum affirmare, ſe in omnibus precationibus ſuis genua flectere ad patrem domini noſtri Jeſu Chriſti, id neque uſquam, ut arbitror, ſcriptum eſt, &, ſi eſſet, haud tamen propterea, ſe Chriſtum adoraſſe Paulus negaret; non ſolùm quia adorari Chriſtus etiam citra invocationem poteſt; verùm multò magis, quia, qui Chriſtum adorat, ipſi Deo patri genua flectit, ut ex iis, quæ pluribus in locis ſuprà diſputata ſunt, liquidò apparet. Quid quòd ne ipſam quidem Chriſti invocationem ea a te conficta Pauli verba tollerent? Vide quæ diximus cap. 12. partic. 2. teſtimoniaque ibi à te prolata, paullo diligentiùs expende, & id, quod tu opinaris, ſic omnino ut affirmas, in iis ſcriptum eſſe, nequaquam deprehendes.

Franciscus Davidis.

Particula 7. Sic vocabula confidendi, traditæ poteſtatis, & ſimilia, invocationem minimè confirmant. Aliter enim ea Chriſto, quàm Deo patri tribuuntur; & ex ambiguis non poſſe firmiter concludi, quis non videt?

Faustus Socinus.

Resp. Hæc tua verba primùm nonnihil mihi affingunt (neque enim ex confidentia invocationem confirmaveram, ſed Chriſti invocationi præceptum, (ſi extaret) de ſolo Deo patre invocando non refragari oſtenderam) deinde planè ſunt ſupervacanea, & alieno prorſus loco repetita; nec denique quidquam continent, cui ſuprà abundanter reſponſum non fuerit.

Cap. XX.

Franciscus Davidis.

Particula 1. *Sed* quid ſibi volunt verba illa ex præmiſſis illata, *Nec ſanè video, cur eum, quicumque tandem ille ſit, qui ſive in cælis, ſive in terris, aliqua bona nobis largiendi poteſtatem à Deo ſit adeptus, huicque muneri nominatim ab ipſo Deo præpoſitus fuerit, ſi preces noſtras percipere queat, cur hunc inquam nefas ſit invocare?*

Demus hæc omnia ex ipſis Scripturæ ſacræ penetralibus deſumpta eſſe, quis non videt, confuſe & indiſtinctè proponi? Quæritur enim, etiamſi acceperit poteſtatem largiendi, an ea talis & tanta ſit, ut ſemper quolibet in loco & omnibus illa dare, & conferre poſſit. Solus enim Deus pater hanc habet poteſtatem, & eam ſoli ſibi vendicat; & quamcumque aliis contulit poteſtatem, id non ab æterno, nec in æternum ut daret conſtituit, verùm ſecundùm ſuam voluntatem, & beneplacitum, & quidem ad tempus. An nunc in cœlis exiſtens preces noſtras exaudiat, & an bona conferat, quemadmodum poteſtatem largiendi à patre accepit, controvertitur, quod etſi ſano Scripturæ ſacræ ſenſu, admitti poſſet, quod videlicet conferat, & largiatur bona promiſſa, videndum tamen eſt de modo; Aliud enim ex verbo Dei elici non poteſt, niſi miniſterium illius à Deo patre inſtitutum efficax eſſe, & per illud conferre bona & dare hominibus. Quòd verò ipſe nunc in cœlis exiſtens preces noſtras exaudiat, apertè dici & affirmari non video, niſi id per conſequentias aliquas colligamus.

Faustus Socinus.

Resp. Indiſtinctè quidem, ſed non tamen confuſe à me iſta dicuntur, cum pro re præſente nulla ſit opus diſtinctione. Nec verò, quæ hîc dico, ut tu opinaris, ex prædictis inferuntur, ſed, ut manifeſtum eſt, ad confirmationem prædictorum afferuntur. Jam enim ſuprà illatio facta eſt, cum, ex eo, quòd Chriſtus ex Dei propoſito, atque decreto nunc jam ſumma poteſtate eſt præditus, & Eccleſiam regit, atque gubernat, noſtraſque preces, & ipſa etiam cordis arcana in cælo, ubi perpetuò manet, intelligit, ac percipit, concluſum eſt, eum invocari poſſe, id eſt, ab ipſo confidenter peti licere, quidquid ad Eccleſiam & ſingula ejus membra quocumque modo pertineat. Quod hic ex eo confirmatur, quia nulla ratio eſt, cur unuſquiſque ea in re invocari non poſſit, cujus largiendæ poteſtatem à Deo acceperit, & à quoei muneri nominatim præpoſitus fuerit, quocumque tandem in loco is ſit conſtitutus, ſi modò ex eo loco, ubi eſt, preces noſtras percipere queat. Ita quæ tu de genere poteſtatis & conferendi modo, deque precum exauditione explicari debuiſſe ais, jam ſuprà ſatis explicata fuerant, & in ipſa ratiocinatione manifeſtè aſſumpta. An verò probata fuerint, nec ne, lector judicabit.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Legimus Actor. 10. poſt Chriſti in cœlum aſcenſum, ubi jam plenam poteſtatem acceperat Chriſtus à patre, Cornelii preces exauditas fuiſſe

fuiſſe non à Chriſto, ſed à Deo patre, & Eleemoſynas illius non ad Chriſti, ſed ad Dei patris conſpectum perveniſſe, ſi forte de Angeli legatione dubitari poſſet, Petrus eadem verba recitat, qui tamen ut ſtudioſiſſimus erat præceptoris ſui Chriſti, ita ejus & honorem & gloriam omnibus modis promovere ſtudebat. Si hoc de Chriſto verum eſſet, videlicet Chriſtum preces noſtras exaudire, & poteſtatem habere largiendi ea quæ petimus, certè Cornelium hac de re inſtituiſſet, ſi non primoquoque tempore, tamen poſt, ubi Chriſtum cognovit, & cum multa præclara de Chriſto diſſereret, horum omnium obliviſcitur. Ex quibus manifeſtum eſt, Chriſtum preces noſtras exaudire, poteſtatemque habere nobis largiendi ea bona, quæ à Deo patre accepit, minimè ex analogia verbi divini demonſtari poſſe. Dum in terris eſſet, promiſerat diſcipulis ſuis, ſe rogaturum patrem, ut alium paracletum illis mitteret, Joan. 14. 16, 25. Quod Petrus factum & impletum eſſe confirmat Actor. 2. 33. Minimè tamen ex eo concludit, Chriſtum invocandum eſſe, cum ſciret cultum illum divinum illi Deo ſoli, qui Iſraëlem ex Ægypto eduxit, competere. Ex conſenſu igitur verbi Dei dico, multos ex Angelis, Prophetis, & Apoſtolis certo operi deſtinatos fuiſſe, habuiſſeque poteſtatem conferendi ea bona, quæ a Deo acceperunt, neque tamen adoratos aut invocatos fuiſſe.

Faustus Socinus.

Resp. Perverſe admodum, ut ſuprà, præſertim verò cap. 12. partic. 2. demonſtratum eſt, concluditur, Filium aliquid non facere, quia id faciat Pater. Præterea, quid ad propoſitum facit Cornelii exemplum, qui nondum Chriſtum cognoverat, nec ejus eccleſiæ membrum erat, nec denique ad Chriſtum preces ſuas direxerat? Quamvis enim in Eccleſia omnia à Deo per Chriſtum fiant; cum tamen ad ipſum Chriſtum preces non diriguntur, perperam, aut certè valde impropriè loquimur, ſi tunc quoque, Chriſtum exaudire precantem dicimus. Neque enim exaudit præfectus eum, qui ab ipſo rege petit, etiamſi ipſe is ſit, qui ex regis voluntate id, quod petitum fuit, largiatur. Ad cætera, quæ hîc dicuntur, jam variis in locis reſponſum eſt, potiſſimùm verò ſuperiore cap. partic. 4, & 5, & cap. 8. partic. 4. Illud porrò meminiſſe oportet, Apoſtolos eo ſolo, quòd Jeſum eſſe Chriſtum docerent, ſatis, eum invocari poſſe, docuiſſe. Quis enim neſcit, ſe ad ſuum regem in iis omnibus, quæ ad ejus regnum ſpectant, confugere poſſe? Vide, quæ ſcripſimus cap. 3. partic. 4. & cap. 9. partic. 10. ut interim nihil dicam, quòd Petrus in concione illa ad Cornelium, Actor. 10. 36, 42, & qui cum eo erant, Jeſum omnium dominum eſſe affirmat, eumque vivorum & mortuorum judicem à Deo conſtitutum fuiſſe teſtatur. Quæ ſine dubio, cum poteſtatem, tum gubernationem ejus declarant divinam atque præſentem; unde, eum adorari, & invocari poſſe, apertè conſtat. Nam judicium Chriſto à Deo datum, ad præſens quoque tempus referendum eſſe, docuimus ſup. cap. 9. partic. 3.

Cap. XXI.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Objicitur lædi, & impediri gloriam Dei patris, ſi Chriſtus non invocetur, In eo maximè amplificari gloriam Dei, ſi agnoſcamus, Chriſto homini omnia ea data eſſe, quæ ad ſublevandam inopiam noſtram, & alendam fidem noſtram ſpectant, hancque ob cauſam hæc omnia ab eo petenda eſſe, ipſumque invocandum.

Si omnes locos verbi divini, qui vel de gloria Dei patris, vel Chriſti, aut utriuſque gorificatione adferri poſſunt, perſcrutati fuerimus, nullibi reperiemus, invocando Chriſtum, patrem invocari, aut fatendo, Chriſto homini omnia nobis conferendi poteſtatem collatam eſſe, alere in nobis fidem, aut hac ratione nos confirmari, verùm ejus contrarium. Glorificatus eſt Deus pater in Chriſto per miracula, per doctrinam, & per reſurrectionem, in eo quod agnitus ſit eſſe Meſſias & filius Dei, & glorificabitur in eo, quod conſtitutus judex vivorum & mortuorum in juſtitia, & æquitate mundum terminabit. Dixit Chriſtus Joan. 15. 18. *In hoc glorificabitur pater meus cæleſtis, ut fitis mei diſcipuli, & fructum multum feratis.* Item Joan. 14. verſ. 15. *Si ſermonem meum ſervaveritis.* Item Matth. 5. 16. *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* De ſui verò adoratione, aut patris glorificatione per Chriſti invocationem, altum ſilentium.

Faustus Socinus.

Resp. Niſi adverſus ea differendo, quæ ego dixeram, & ad quæ lectorem rejiciemus, probes, ex invocatione Chriſti Dei gloriam imminutum iri, vel ſaltem augeri non poſſe; fruſtra eſt quidquid hoc loco ſcribis. Nam, etiamſi veriſſimum eſſet, quod ais in Sacris Litteris altum eſſe ſilentium, quòd per Chriſti invocationem Deus glorificetur; id tamen nihil poſſet aliud nobis ſuadere, quam non eſſe verum, Chriſtum invocari poſſe. Id quod ego hoc loco demonſtrare non intendo: ſed tantummodo, ut apparet, oſtendere, tantum abeſſe, ut Chriſti invocatio Dei gloriam imminuat, ut potiùs eam maximè augeat. Hoc autem non eſt neceſſe, ut uſpiam ſcriptum extet. Totum enim ab ipſa ratiocinatione pender, quemadmodum ratiocinatione tantùm contraria ſententia nititur. Neque enim uſquam legitur, Chriſti invocatione Dei gloriam minui. Teſtimonia verò, quæ meam ſententiam contineant, non ad hoc ipſum probandum, ſed ad demonſtrandum, Chriſtum invocari poſſe, mihi adducenda eſſent. Verum hîc agitur perinde ac ſi certum eſſet, nullo prorſus modo ex ipſis divinis verbis conſtare, an Chriſtus invocari poſſit, nec ne, & quæritur utrum ex his duobus Dei gloriam vel minuere, vel amplificare queat, ut inde, utrum veriſimilius ſit, & in utram ſententiam Scripturæ verba potiùs accipienda ſint, ſtatui poſſit. Regula eſt enim receptiſſima, In dubio eum verborum divinorum ſenſum amplectendum eſſe, quem magis divinæ gloriæ favere conſtet. Ex quo intelligi debet, quàm gravis ſit error veſter, cum non dubia, ſed clariſſima invocati Chriſti teſtimonia pervertere conamini, & tantùm non aperte negatis, atque rejicitis: eam, ſcilicet, ob cauſſam potiſſimum, quod Chriſtus invocari nequeat, quin Dei gloria lædatur, & obſcuretur. Cum potius, quia per Chriſti invocationem Dei gloria amplior, & illuſtrior redditur, (quemadmodum à me in priore ſcripto probatum abunde fuit, à te verò ne uno quidem verbo ad ea, quæ dixi, reſponſum) dubia etiam ejus rei teſtimonia ita interpretari deberetis, ut Chriſtum jure invocari poſſe, concluderetur.

At enim contrarium ejus quod ego apertiſſima ratione confirmaveram, Chriſti ſcilicet invocationem ad Dei gloriam pertinere, hujus, inquam, rei contrarium ſcriptum eſſe propterea contendis, quòd ob alias cauſſas per Chriſtum glorificatum fuiſſe Deum, & glorificandum eſſe legatur. Quaſi verò cauſſæ illæ idcirco Chriſti invocationi contrariæ cenſendæ ſint, quia idem prorſus cum ipſa non ſunt: vel, etiamſi nihil cæteroqui cum ipſa commune haberent, invocationis Chriſti cauſſam excludere poſſint. Quid quòd eæ ipſæ, quas glorificationis Dei in Chriſto cauſſas affers, partim non magis expreſſæ in ſanctis litteris ſunt, quam Chriſti invocatio ſit, immo fortaſſe minùs, partim non modo ab ea invocatione non ſunt diverſæ, ſed eam omnino complectuntur? Nam & quod Jeſus ille Nazarenus declaratus, vel potiùs definitus ſit filius Dei per reſurrectionem à mortuis, & quòd Meſſias agnitus fuerit, & quòd deniq; vivorum ac mortuorum judex ſit conſtitutus, hæc omnia, inquam, Chriſtum invocari poſſe, planè evincunt. De Meſſiæ ſive Chriſti,

ſti, & mundi judicis agnitione, & conſtitutione ſuprà vidimus. De filii autem definitione, id eſt, ut ita dicam, plena effectione, nemo dubitare poteſt, quin ea ad Chriſti invocationem ſtatuendam pertineat; ſi modò, Chriſtum non ſimpliciter filium Dei, ſed illum filium paſſim appellari, animadverterit: illum, ſcilicet, primogenitum & unigenitum, qui ſolus ante omnes fratres hæreditatem jam adeptus eſt, & ſolus jam omnium rerum dominus eſt conſtitutus: & ita vineæ illius, quæ eſt Eccleſia, heres extitit, id eſt, ipſius dominus factus eſt, & gubernator Hebr. 1. ỳſ. 2. Matth. 21. 38. Quæ, ut jam viſum fuit, eum ab Eccleſia invocari poſſe, omnino oſtendunt. Quod autem attinet ad conſervationem mandatorum Chriſti, per quam ego, præ cæteris rebus, Deum à nobis glorificari arbitror, huic rei quoque conjunctum eſſe affirmo, quòd Chriſtus invocari poſſit, ut videbimus cap. proximo partic. 1. Ubi per Chriſti invocationem fidem noſtram ali (id quod ob eam rem hîc facere prætermittimus) ex ipſis ſacris litteris præter rationes evidentiſſimas demonſtrabimus.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Ex profeſſo Chriſtus diſſerit Johan. 5. 22, 23. de gloria & honore, quæ illi præſtanda ſit, quam à patre ſuo cœleſti acceperit, iis verbis: *Neque enim pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui miſit illum.* Manifeſtè docetur, in eo glorificari patrem & filium, ſi agnoſcatur eſſe conſtitutus judex vivorum & mortuorum, & in eo honorificari filium ſicut patrem, qui illum miſit. Si hæc honorificatio ad adorationem & invocationem tranſfertur, eodem modo filium, quo patrem adorare, & invocare tenemur, *Ut omnes honorificent filium ſicut honorificant patrem.* Locum non habet hic illud, patrem adorandum & invocandum eſſe tanquam autorem & fontem, filium verò tanquam mediatorem; non enim erit adoratio & invocatio ſimilis.

Faustus Socinus.

Resp. Iſte ipſe apud Joh. locus ſatis apertè docet, Chriſti invocationem ad Dei gloriam pertinere. Suprà enim cap. 9. partic. 3. de gubernatione, ſeu judicio, quod in Eccleſia nunc Chriſtus exerceat, iſtic agi oſtendimus. Propter quod honos illi ſicut patri ejus cæleſti tribuendus ab omnibus ſit. Qui honor profectò aliud ſit neceſſe eſt, quàm ipſum ſimpliciter judicem, ſeu gubernatorem eſſe cognoſcere. Neque enim hac ratione honor ullus Chriſto tribuetur, niſi etiam, quæ judicis, & gubernatoris ſunt, illi tribuantur. Inter quæ id potiſſimùm numerari debet, ut ejus clementiam, & æquitatem implorari poſſe agnoſcatur, & publicè affirmetur. Dictio *ſicut* neque iſtic, neque alibi umquam per ſe plenam ſimilitudinem declarat, id eſt omnium rei qualitatum, ſed ipſius rei tantùm. Quod hoc loco vel ex eo conſtat, quòd, quacumque tandem ratione honorem illum interpreteris, nunquam per omnia ſimilis erit honor, qui Filio debetur, ei, qui debetur Patri.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Ut autem veritas hæc illuſtrior reddatur, expendamus teſtimonium Joan. ex cap. 12. hac de re differentis, *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo dicens, Et clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ ſtabat & audiebat, dicebat tonitrum eſſe factum. Alii autem dicebant, Angelum eſſe locutum ei. Reſpondit Jeſus & dixit, Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos. Nunc judicium eſt mundi, Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Joan. verò 13. 31, *Cum ergo exiviſſet Jeſus, dixit, Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo; Continuò clarificabit eum.* In iis duobus teſtimoniis apertè docetur, glorificationem Dei patris in Chriſto, & Chriſti in patre, non in invocatione & adoratione Chriſti conſiſtere, verùm in morte & reſurrectione ejus, quia per potentiam in ſpiritu ſanctificationis declaratus eſt, eſſe filius Dei.

Faustus Socinus.

Resp. In neutro iſtorum locorum exprimitur, in quo conſiſtat clarificatio illa Filii, ex qua Pater ipſe clarificetur: quamvis ſatis conſtet per mortem, & reſurrectionem ad id perveniri debuiſſe. Quamquam in priore loco ea verba, Joh. 12. 31. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, & quæ ſtatim ſequuntur, *Et ego ſi exaltatus* (ſive *ſublatus*) *fuero à terra, omnia* (ſive, ut in Græcis codicibus eſt, *omnes*) *traham ad me ipſum*, inſignem quandam Chriſti poteſtatem, quam ille, crucis morte interveniente, & reſurrectione ſuccedente in univerſo orbe adepturus eſſet, apertè indicant. Ex qua, ut ſuprà docuimus, invocari poſſe Chriſtum neceſſariò conſequitur. Quod de Chriſti adoratione hîc, & ubique ferè de tuo addis, ubi de ſola invocatione agitur, perinde à me haberi poteſt, ac ſi à te ſcriptum non fuiſſet.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Et ſi omnes clarificationes præcedentes & ſequentes conſideraverimus, hoc verum eſſe demonſtrari poteſt. Naſcitur Chriſtus, canunt Angeli, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*, Luc. 2. 7, 33. Nihil de invocatione & adoratione Chriſti. Hic omnino neceſſe erat, Angelos, paſtores, & reliquos edocere, qui hoc nomine evocati erant, ut Dei patris ſummum hoc beneficium conſiderarent, quod illis Meſſiam juxta ſua promiſſa exhibuiſſet, & cum multa præclara de nato Meſſia dixiſſent, nunquam docuerunt Adorate, & invocate Chriſtum, nam eum adorando, non eum præcipuè ſed ipſum Deum patrem adorabitis, & invocabitis.

Faustus Socinus.

Resp. Angeli in illis verbis, *Gloria in excelſis*, &c. Luc. 2. 14. Non dixerunt etiam, Chriſto obediendum eſſe, & ea in re Deum glorificari. Ergo, ſi ratiocinatio tua bona eſt, non glorificatur Deus, cum Chriſto obeditur. Si dixeris, illud antea ab angelo dictum fuiſſe, cum eum ſervatorem, & Chriſtum dominum appellavit. Primùm hoc revera aliud eſt. Deinde ex eo ipſo, quòd angelus eum & ſervatorem & Chriſtum dominum appellaverit, dico vel evidentiùs, vel certe non obſcuriùs adorationem, & invocationem Chriſti colligi, quam obedientiam præceptorum ejus.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Sic Petrus Actor. 3. 25, 26. *Vos eſtis filii prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres voſtros, dicens ad Abraham, & in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, ut convertat ſe uniſquiſque à nequitia ſua.* Ecce glorificationem Chriſti factam eſſe, & fieri non in eo, quod pater in Chriſto adoretur, aut ipſe in patre, ſed ut Chriſti doctrinam amplectamur, & à nequitia diſcedamus.

Faustus Socinus.

Resp. In Petri verbis Actor. 3. 26. nulla glorificationis Dei mentio eſt. Et, ſi eſſet, dico ibi quoque, Chriſtum invocari poſſe non obſcure inſinuari. Ea enim verba, *Benedicentem vobis in convertendo*, &c. (ſic

(ſic enim in Græco habetur) nihil aliud ex Hebraico idiotiſmo ſignificant, quàm, *vos fortunantem, & ſummis bonis afficientem, ſi converterit ſe*, &c. At, qui à Deo nos fortunandi & ſummis bonis afficiendi poteſtatem eſt conſecutus, huicque muneri peculiariter præfectus, is profecto, ut ſupra diſſeruimus, meritiſſimo invocari poteſt.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 6. Paulus ad Tit. 2. 11. ingens Dei beneficium in Chriſto, & per Chriſtum nobis collatum prædicat iis verbis: *Apparuit gratia Dei ſalvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes omnem impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & caſte & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Conſiderationem beneficii illius in ſancta & ſobria vita, & in expectatione illius collocat, non in eo, ut Chriſtum adoremus & invocemus.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Paulus ſimiliter nullam eo in loco gloriæ Dei mentionem facit, niſi in adventu Jeſu Chriſti, per quem ſumma Chriſti majeſtas oſtendetur, adeo ut & ante tribunal ipſius omnes compareant, 1 Cor. 5. verſ. 10. Rom. 14. 10, & 15. & genua flectant, & ſine dubio, niſi jam nimis ſero id fieri omnino cenſeatur, ejus opem cuncti ſint imploraturi. Quamquam opis imploratio exiſtimanda ſunt verba illa, Matth. 7. 2. quæ tunc dicentur à nonnullis, *Domine Domine nonne in nomine tuo prophetavimus*, &c.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 7. Si claritatem Chriſti in ejus inauguratione factam in baptiſmo conſideremus, Matth. 3. 16. ſi in monte Tabor, ſi poſt ejus reſurrectionem, & aſcenſionem, quid aliud habebimus, niſi illud, Chriſtum audiendum eſſe, & cognoſcendum, quod filius Dei dilectus ſit, in quo patri complacuit, non illum adorandum, & invocandum eſſe. An non in eo Deus pater glorificatur, & Chriſtus, ſi quod ipſe præcepit facimus, & id verum eſſe profitemur.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Glorificatur Deus, cum auditur Chriſtus, ſed, ut ipſe fateris, in eo quoque glorificatur, ſi agnoſcatur, Chriſtum eſſe illum tuum cariſſimum filium, omnium, ſcilicet, heredem ab ipſo conſtitutum, & dominum factum; quod, invocatione illi denegata, nullo modo fit. Præterea, ut ſupra attigimus, vix fieri poteſt, ut Chriſtum audiamus, id eſt, ejus mandata ſervemus, niſi illum invocari poſſe agnoſcamus; ut poſtea videbimus.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 8. Apoſtoli quaſi præſcii rerum futurarum, inſtinctu Spiritus ſancti occurrere voluerunt iis, qui aliquo modo negaturi eſſent, Jeſum eſſe Chriſtum, ex illoque Deum, qui invocandus ſit, eo quod conſcendens cœlum ſummam adeptus ſit poteſtatem, conſtituerunt. Petrus enim Act. 3. 14, 15, 16. uſque ad 21. glorificationem Chriſti à Deo patre factam, & ejus in cœlum aſcenſionem explicans, non ut ad eum nunc confugiamus, & confidenter ab eo petamus, infert, verum ut in ſeria pœnitentia vivamus, & per ſpem firmam tempora refrigerii expectemus, uſque ad illa enim tempora neceſſe eſſe, ut cœli illum capiant; non ut hæc vel illa eum facere putemus, aut nos illum invocare & adorare debeamus.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Immo Petrus eo loco verſ. 16. aperte demonſtrat à Chriſto confidenter peti poſſe, cum claudum illum à nomine Chriſti, id eſt, Hebraica phraſi, ab ipſo Chriſto, ſive à potentia Chriſti ſanatum & confirmatum fuiſſe ait, & fidem, quæ per ipſum, id effeciſſe affirmat.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 9. Certe ut non perperam in Alchorano fingitur, Chriſtum ſuis cultoribus opem ferre non poſſe, quia contra ejus doctrinam, & manifeſtas aſſertiones, ipſum Deum eſſe falſi ſint, cum tamen ipſe, ſe Dei filium eſſe profeſſus ſit. Ita merito reprehenduntur ii, qui Chriſtum adorandum, & invocandum eſſe docent, cum ipſe patrem ſuum invocandum eſſe præceperit.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Jam ſatis, ſuperque notum nobis erat, vos ex Alcorano, & ex Thalmudicis libris, iſtas veſtras contra Jeſum Chriſtum blaſphemias omnes hauſiſſe. Sed quid eſt, quod ais, Non perperam fingi in Alcorano, Chriſtum ſuis cultoribus opem ferre non poſſe? Nam ſi id confictum eſt, quomodo non perperam? Si non perperam, quomodo confictum eſt?

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 10. Gloria, & glorificatio, quæ Chriſto à patre tradita & communicata eſt, non eſt ejus adoratio & invocatio, ſed declaratio ejus, quòd ſit Meſſias & filius Dei. Ideo gloria ea, quæ ſolius Dei eſt, diſtinguitur ab ea gloria, quæ filio communicata eſt, Illa inviſibilis, ut dicitur: *Non poteris videre gloriam meam*, Hæc quæ viſa fuit, ut: *Vidimus gloriam ejus*, & 2 Pet. 1. 16, 17. Hæc communicata & data filio, Illa nulli, ut Johan. 17. Heb. 2. Eſa. 42. 8. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.* Quæ illa gloria eſt, quam nulli dat? Creationis videlicet, conſervationis, regiminis, defenſionis, & cultus ſeu invocationis. Hoc verum eſſe ex perpetuo Scripturæ ſacræ conſenſu liquet, quòd ſe ſolum creatorem, conſervatorem eſſe affirmat, ſe ſolum invocandum eſſe contendit. Ideoque in Decalogo ſimili forma utitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex domo ſervitutis Ægyptiæ: Non habebis Deos alienos, non facies tibi ſculptile, non adorabis, non coles ea.* Item: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Si Chriſtus invocandus & adorandus eſt, duo manifeſte pugnantia cum verbo Dei admittentur: Primum, Chriſtum eſſe illum unum & verum Deum, qui Iſraëlem ex Ægypto eduxit, quod falſum eſſe conſtat iis, qui ſacra legunt Biblia, & aperte confitentur, unum illum Deum Iſraëlis eſſe patrem Chriſti, non tres ſimul, videlicet, patrem, filium, & Spiritum ſanctum, neque duos ſimul, videlicet filium, & patrem; hanc enim gloriam & honorem alteri non dat. Alius enim, & alter ab illo filius eſt. Seipſo atteſtante: *Alius eſt pater, qui de me teſtimonium perhibet.* Secundum igitur hoc evinceretur, Deum alteri dediſſe gloriam ſuam, quod fieri minime potuit: cum dicat, *gloriam meam alteri non dabo.* Si igitur gloriam cultus & invocationis Chriſto contuliſſet, illius gloria minime propagata fuiſſet, verum proſtrata; neque Chriſti ulla eſſet gloria, nec ullam conſecutus eſſet. Paulus enim aperte docet Phil. 2. 7, 9. quia æqualitatem non rapuit, formam ſervi aſſumpſit, habitu inventus eſt homo, hanc ob cauſam Deus illum exaltavit, & dedit illi nomen ſupra omne nomen. Ecce propheta Eſaias, Ecce Paulus, imò & Chriſtus ipſe contraria docet.

Faustus Socinus.

Resp. Quoniam ad alia omnia, quæ hoc loco dicis, ſupra ſatis reſponſum eſt, de verbis illis tantummodo apud Eſa. cap. 42. 8. accurate agemus, *Gloriam meam alteri* (ſive alii) *non dabo, nec laudem meam ſculptilibus*: præſertim, cum iis explicandis ac diluendis, cætera ſimul, quæ hic congeris, plane dilutum iri ſperemus.

Primum igitur, quidquid hic dicis de communicatione divinæ gloriæ cum alio, nullo modo per prædicta verba confirmari poteſt. Non enim de communicatione, quæ ab ipſo Deo fiat, ibi agitur. Siquidem verbum Dare eo in loco, ut alibi ſæpe, nihil aliud ſignificat, quam Permittere, ut exempli gratia in Pſal. 16 10. *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: Non dabis, id eſt, Non permittes. Senſus igitur verborum Dei apud Eſaiam non eſt, ipſum ſua ſponte non communicaturum gloriam ſuam cum alio, ſed non permiſſurum, ut contra aut citra voluntatem ipſius gloria ſua alii tribuatur. Patet hoc ex verbis illis, *nec laudem meam ſculptilibus*. Quis enim neſciebat, Deum numquam ſua ſponte laudem ſuam cum ſculptilibus communicaturum? Quis porro ſuſpicari poterat, fieri poſſe, ut Deus aliquando ſtatueret, ut ſculptilibus ipſius gloria tribueretur? Sed hoc, ut manifeſtum eſt, voluit ſibi Deus, non paſſurum ſe, ut ſculptilibus tribueretur, quod ipſe erat: illis id acceptum referretur, quod ipſe dediſſet: illa id feciſſe dicerentur, quod ipſe feciſſet; vel, ſe non permiſſurum, ut illa ipſi prævaluiſſe viderentur. Sicut etiam intelligi poteſt ex loco huic valde ſimili apud eundem Eai. 48. 11. Adde, quod nullo pacto gloriam ſuam alteri dare dici poteſt Deus, cum eam ita cum alio communicat, ut ad ipſum tandem univerſa referatur; ut certe in gloria, quam Chriſto dedit, evenire palam eſt. Id quod etiam à nobis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis confirmatum fuit; ut videre licet cap. 19. partic. 6. Quinimmo hac eadem ratione fit, ut ne cum Chriſto quidem ipſo gloriam ſuam communicaverit Deus. Gloria enim Dei eſt, ut ipſe primus auctor omnium bonorum eſſe agnoſcatur, & ad ipſum omnis adoratio, & invocatio referatur, in ipſoque tandem conquieſcat. Hanc gloriam numquam cum Chriſto ullo modo communicavit Deus; quamvis, ut adorari debeat, & invocari poſſit, illi largitus fuerit. Quid autem Alterius nomine in prædictis verbis intelligat Deus, declarant eadem illa verba, *nec laudem meam ſculptilibus*: præſertim, cum ſine dubio ἐξήγησις ſeu explicatio quædam ſint antecedentium. Non eſt alius id eſt alienus à Deo is, qui ab ipſo ordinatus eſt, qui ipſi omnia, quæ habet, accepta refert, qui ab ipſo totus pendet; qualis eſt Chriſtus. Sed alius is eſt à Deo, quem ſibi homines ipſi præficiunt, vel nihil cum ipſo Deo commune habet, qualia ſunt ſculptilia. Verum non mirum eſt, vos, quæ de ſculptilibus, & ejuſmodi aliis rebus dicuntur, ad Chriſtum ipſum pertrahere; cum hoc tempore Chriſtus ſculptilis loco apud vos ſit, nihil efficiens, nihil curans, nihil denique agens. Præterea aut gloria, quam ſuam ibi vocat Deus, ita ipſius propria eſt, ut cum alio nulla prorſus ratione communicari queat, aut ejuſmodi eſt, ut cum alio communicari poſſit. Si priore modo; non erat, quòd Deus prædiceret, ſe cum alio gloriam ſuam non communicaturum, quaſi id fieri ulla ratione poſſet. Sin verò poſteriore; falſum iſtud in Chriſti perſona apparet, cum quo, ut cætera omittam, gloriam judicandi orbem terrarum, quæ profectò ipſius Dei gloria eſt, Gen. 18. 25. & paſſim alibi, adeò Deus communicavit, ut Chriſtus ipſe dicere audeat, *Patrem non judicare quemquam* Joh. 5. 22, *ſed omne judicium filio dediſſe, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*. Ex quo efficitur, ut apud Eſaiam vel de ſua ipſius ſponta nea gloriæ ſuæ communicatione non loquatur Deus, vel Alterius appellatione Chriſtus non comprehendatur. Huc accedit, quòd perperam id, quod Deus in re quadam ſingulari, aut quodam certo tempore facturum, aut non facturum ſe dicit, ad omnia accommodatur, & ex eo perpetua regula ſtatuitur. Poſtremò non reticebo id, quod me aliquando amicus ſubmonuit, poſſe Dei verba ita * explicari, ut dicat, ſe non daturum gloriam ſuam alii præter Chriſtum. Nam de Chriſto ibi manifeſta vaticinatio eſt. Ad quem, aut certe de quo verba faciens Deus, & dicens, *Gloriam meam alii non dabo*, aperte dicere videtur, ſe cum ſolo Chriſto communicaturum gloriam ſuam: ſive potius, paſſurum ſe quidem, ut Chriſto gloria ſua tribuatur, utpote quæ ad ſe univerſa tandem reditura ſit, ſed neutiquam ſculptilibus: quibus quidquid tribuitur, ipſi Deo adimitur. Ita qui locus ad invocationis, & adorationis gloriam Chriſto adimendam appoſitiſſimus vobis videtur, ad eam illi tribuendam omnium accommodatiſſimus erit. Verumtamen quia abunde antea demonſtratum eſt, locum iſtum nihil veſtram cauſſam juvare poſſe, quid de poſtrema hac interpretatione ſtatuendum ſit, pio atque erudito lectori judicandum relinquimus.

Cap. XXII.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Præmiſſo ſimile, & illud eſt quod ſubjicitur. *Nam ut fidem quoque & ſpem noſtram ſimili ratione aleret atque foveret, non propter aliam potiorem cauſam Deus ipſum Jeſum dominum & Chriſtum fecit, mundique judicem conſtituit. Propterea cum jam fidei, & ſpei noſtræ nullus amplius erit locus, id eſt, cum ad vitam illam immortalem tranſlati fuerimus, tradet Chriſtus regnum Deo & patri, & ipſe qui nunc volente Deo Eccleſiam regit atque gubernat, ſubjicietur ei, qui ipſi poteſtatem omnia ſibi ſubjiciendi dedit.* Invocando & adorando Chriſtum ſpes & fides noſtra non fovetur & alitur: 1 Corinth. 2. 5. dicitur, fidem noſtram in virtute Dei, non in Chriſti invocatione ſitam eſſe; Phil. 3. fides Chriſti ex Deo eſſe dicitur 1 Pet. 1. 21. res explicatur iis verbis, *qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo*. Aperte Petrus docet, ſpem, fidem noſtram ali, & foveri in Deo, & hanc ob cauſam Deum cum Chriſto omnia feciſſe, illum exaltaſſe, gloria & honore coronaſſe, ut ſpes & fides noſtra ſit in Deo patre, quia cum Deus pater tot & tanta operatus ſit in Chriſto, ſive per Chriſtum, credidimus in Deum patrem, quod nobis quoque tot & tanta daturus ſit, & potentiam ſuam declaraturus. Eandem ſententiam Paulus Epheſ. 1. 19, 20, 21, 22, 23. confirmat.

Qui diligentius hos & ſimiles locos expendet, deprehendet, non in Chriſtum, ſed in Deum patrem fiduciam convertendam eſſe, indeque materiam optimæ ſperandi ſumendam. Si enim in Chriſtum credideri mus, quod omnia communia cum illo habituri ſimus, ſicut filium ſuum ad vitam immortalem tradexit, ſic nos quoque immortalitate donabit, præſertim cum hæredes Dei ſimus, cohæredes autem Chriſti.

Faustus Socinus.

Resp. Fidem, & ſpem noſtram ex eo, quod Chriſtus invocari poſſit, confirmari, nemo negare audeat, qui modò credat, Chriſtum verum hominem & mortalem hîc in terris fuiſſe, atque univerſa ea mala expertum eſſe, quæ nobis ſubeunda ſunt. Nulla enim res in malis ejuſmodi alacriter ſubeundis & patienter tolerandis nos magis confirmare poteſt, quam ſi ſciamus, curam, & poteſtatem nos in ipſis mediis conſolandi, & corroborandi, atque ex eis tandem erripiendi, & ad ſummam felicitatem perducendi, noſtraſque preces & gemitus interim ex audiendi, ei demandatam fuiſſe, qui primus omnium eadem mala ſubiit, & graviſſima eſſe ſenſit, atque adeò humanis viribus ſuperiora, nobiſque niſi aliunde ſulciamur, intolerabilia. Hæc autem ratio, quæ

* Hujus explicationis auctor eſt Juſtinus in Dial. cum Tryph. pag. 51. in Latina Perionii editione.

ipſi

ipſi ſenſui communi patet (namque, ut apud Poëtam eſt, Qui mali non eſt ignarus, miſeris diſcit ſuccurrere) confirmatur aperte in ad Hebræos epiſtola pluribus in locis, ſi quis eam diligenter legat; ſed luculentiſſime id fit ad finem cap. 2 & cap. 4. Videat lector utrumque locum. Adeo autem verum eſt, noſtram fidem, & ſpem invocatione Chriſti, quæ fieri poſſit, ali, atque foveri, ut vix fieri poſſe videatur, ut ſine hac perſuaſione ejus mandatis pareamus. Niſi enim quis, eum ipſum hominem, qui omnes mundanas cupiditates nobis abjiciendas eſſe Tit. 2. 12. Matth. 5. ỳ. 44. Dei nomine præcepit, qui, ut inimicos diligamus, eis benefaciamus, pro ipſis oremus, mandavit, qui, ſi vel fratri temere iraſcamur, condemnationis reos nos eſſe dixit, &, ſi illum fatuum appellaverimus Matth. 5. 21, teneri nos ignis gehenna affirmavit, qui denique angelicam & cœleſtem quandam vitam hic in terris degendam nobis præſcripſit, atque addidit, poſt noſtri ipſorum abnegationem nobis quotidie crucem noſtram tollendam eſſe Luc. 9. 23; niſi hunc ipſum, inquam, ſumma poteſtate in cœlo, & in terra præditum ſua mandata ſervare volentibus perpetuò adeſſe quis ſibi perſuadeat, facile vel tam arduum iter ingredi recuſabit, vel jam ingreſſus, ſpem illud abſolvendi abjiciet. At enim dices, ſatis eſſe, ſi ſibi Deum ipſum perpetuo adfuturum perſuaſus fuerit. Rectè eſt, neque ego aliud quæro. Sed dico, hac demum ratione nobis perſuaderi, Deum nobis in præſtanda ipſi ex Chriſti præſcripto obedientia numquam defuturum, ſi illi ipſi, cujus maxime intereſt, ut ea ad finem uſque præſtetur, utpote cujus gloria ea in re ferme univerſa conſiſtat, quique homo mortalis, & calamitatibus ac perſecutionibus obnoxius, ut nos ſumus, fuit, & frater noſter eſt, poteſtatem & curam ejus rei dederit. Ut enim Deus fragillitatem noſtram per alia multa, quæ in Chriſto fecit, ſublevare voluit, atque, ut ſibi confidamus efficere; ſic propter eandem cauſſam, ne ullus dubitandi locus nobis relinqueretur, fiduciam, quam in ipſo collocare debemus, per Chriſtum fidei noſtræ pontificem, ac ſalutis principem collocari poſſe voluit Hebr. 5. 1, & 2, & 10, &. ita demum ſibi confidi, ſi Chriſto confidatur, qui ab ipſo pendet, & ipſius nomine, ac voluntate omnia facit. Præterea, cum fieri nequeat, ut quiſquam Chriſti mandata ſervet, niſi perſuaſum habuerit, ea firma & rata adhuc apud Deum manere, hac ratione proſpexit Deus, ne ea de re dubitare poſſimus, & Chriſto ipſi tantam vim atque potentiam impertitus eſt, tantamque adminiſtrationem in populo ſuo rerum omnium in perpetuum dedit, ut dubitari non poſſit, quin perpetuam, & ſempiternam in populo Dei ejus diſciplina auctoritatem ſit habitura: nec metuendum ſit, ne, quemadmodum Moſi, ſic quoque Chriſto aliquando ſuccedatur, aut ulla ex parte umquam ejus mandata, & præcepta antiquentur, & refigantur, ut in Moſis mandatis & præceptis factum eſt; quæ tamen omnia in æternum duratura Deus dixerat Deut. 29. 14, 29 Ex quibus omnibus appareret, quidquid vos dicitis de Dei honore, & gloria in Chriſti mandatis ſervandis (quaſi verò id nos negemus) nihil aliud eſſe, quam rudioribus fucum facere; cum, meo quidem judicio, nullam aliam ob cauſſam magis ſententia veſtra, quod Chriſtus invocari nequeat, deteſtanda ſit, quam ob id, quod conſervationem mandatorum ipſius Chriſti labefactat, & tantum non penitus convellit. Cur verò hic teſtimonia quædam protuleris, ut fidem noſtram ex Dei virtute pendere, unaque cum ſpe noſtra in Deo collocandam eſſe demonſtrares, non ſanè video. Quid enim hoc ad probandum, quod propoſueras, nempe per Chriſti invocationem, & adorationem fidem & ſpem noſtram non ali atque foveri? An non, quod Jeſus Chriſtus adoretur & invocetur, id nos à Dei virtute profectum eſſe prædicamus? Quid autem impedit, quominus fides & ſpes noſtra, quæ in Deo collocetur, ex eo, quod Chriſtus adorari, & invocari poſſit, alatur, & foveatur? Certè teſtimonium illud à te ipſo allatum 1 Pet. 1. 21, ſi recte intelligatur, id ad unguem confirmat, quod tu negas. Nihil enim aliud eſt, nos per Chriſtum in Deum credere, quam Chriſto confidendo, ipſi Deo confidere. Gloriam verò Chriſto à Deo datam fuiſſe, ut fides, & ſpes noſtra in Deum eſſet, idem eſt, quod Chriſto omnem poteſtatem fuiſſe conceſſam, ut ad ipſum in neceſſitatibus noſtris confugere poſſemus, & ita quemadmodum à nobis ante explicatum fuit, in ipſo Deo ſpem fidemque noſtram collocandi maximum argumentum haberemus.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Alimentum & robur fidei non aliunde, niſi ex verbo Dei dependet, fides autem in Chriſtum, ſi verbo Dei credimus, ex ipſo Deo patre eſt, & quæcumque ille habet, ab ipſo accepit, neque ulla bonorum communicatio eſſe poteſt, niſi inde hauriatur. Quomodo fides noſtra fulciri poſſit ex eo, quod Chriſtus ea bona largiatur, quæ largiri non poteſt, niſi patre dante & largiente, non video. Si verò certo credimus, qui Chriſto omnia bona contulit, quod ſi Chriſti veſtigia ſequamur, nobis quoque largiturum eſſe omnia, & conformes redditurum imagini filii ejus, hinc demum ſpem noſtram foveri exiſtimamus.

Faustus Socinus.

Resp. Ex verbo Dei probatum à nobis luculenter eſt, Chriſtum hoc tempore ſumma poteſtate præditum eſſe, adeò ut ipſe omnia bona largiatur, quæ Deus in Eccleſiam confert. Quamquam, cum dicimus, ex eo, quod Chriſtus invocari poſſit, fidem noſtram ali, atque foveri, à nobis id requirendum non eſt. Vide quæ diximus in initio cap. præcedentis, & dicemus cap. ſeq. partic. 4. Ad alia quæ hic a te dicuntur, ſuperiore partic. reſponſum eſt.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Nihil plane probat, nec conſequitur, Cum nullus erit locus fidei, & ſpei, Chriſtus reddet regnum Deo patri; Ergo hic in terris ſpei & fidei noſtræ robur in invocatione Chriſti conſiſtit. Imo contrarium concluditur; Reddet regnum Deo patri; Ergo firma fides & ſpes in Chriſto non conſiſtit, cum & ipſe Chriſtus ſuam in patrem collocaret fiduciam, per eum doceatur, & regnum ſuum, ſeu nos quoque, una ſecum patri ſubjecturus ſit.

Faustus Socinus.

Resp. Aliud hoc loco non dicebam, niſi ex eo colligi poſſe, poteſtatem Chriſto datam, ad fidem & ſpem noſtram confirmandam atque alendam pertinere, quod, cum fidei & ſpei noſtræ amplius non erit locus, ceſſabit ea poteſtas. Neque huic rei contrarium eſſe poteſt, quod in Deo ſpes & fides noſtra collocanda ſit, cum hanc ipſam fidem & ſpem, quæ in Deo collocari debet, per eam Chriſti poteſtatem ali, & confirmari dicam. Nec ſane eam fidem & ſpem in Deo per Chriſtum, id eſt, ipſi Chriſto confidendo, & in eo ſperando collocari poſſe, tollit, quod non æterna prorſus futura ſit Chriſti poteſtas; cum, ubi ea defecerit, jam confidendum, aut ſperandum nobis amplius non ſit.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Quomodo verò nunc in cœlis regnet, & quomodo non regnet, ſed expectet, ut illi ſubjiciantur omnes hoſtes, quomodo item regni illius ſit finis, quomodo non, ſcriba doctus intelligit. Regnat in miniſterio & doctrina, quod in nomine patris ſui, ſeu ex mandato ordinavit: non regnat, ſed expectat, ut inimici illi omnes ſubjiciantur nunc perſonaliter & realiter exiſtens in cœlis; finis verò erit regni Chriſti, cum illi omnia ſubjecta fuerint, Non erit finis

regni

regni illius, donec ſedebit in ſede David patris ſui, & regnabit in domo Jacob. At contra erit finis, cum illi omnia ſubjecta fuerint. Sic & reliqui loci Scripturæ de Chriſto & ejus officio conſtanter conciliari poterunt, ſi illum à patre diſtinxerimus, & certa & deſtinata tempora cum nativitatis illius, tum poteſtatis, & regiminis conſtituerimus. Alias enim & ipſum, & regnum illius, & omnia quæ Scriptura Chriſto tribuit, ut æterna ſint, & Deo patri æqualia, oportet. Si verò juſte judicare volumus, hæc omnia ex manifeſto verbo Dei per nos ut falſa refutata ſunt. Ut igitur veritas vincat, & mendacium refellatur, neceſſum eſt.

Faustus Socinus.

Resp. Nihil hic dicitur, quod ſuprà confutatum non fuerit. Verùm id explicatiùs adhuc fiet hujus cap. partic. 7. ubi demonſtrabitur, per veſtras iſtas diſtinctiones, & interpretationes non reſtitui veritatem, ſed everti, ac penitus aboleri.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Locus ille 1 Corinth. cap. 15. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*, non evincit, Chriſtum nunc in cœlis regnare, niſi unà cum papiſtis illud, *Sede à dextris meis*, hoc eſt, Regna mecum æquali potentia interpretari velimus. Quis negabit Paulum ibi differere de reſurrectione corporum noſtrorum, ſumpta probatione & confirmatione à Chriſti reſurrectione. Chriſtus, inquit, reſurrexit, & eſt primitiæ eorum qui obdormiverunt. Ergo & nos reſurgemus, ſed non ſimul; *quiſque* enim *in ordine ſuo. Primitiæ Chriſtus. Deinde ii, qui ſunt Chriſti in adventu ipſius.* Eadem phraſis extat 1 Theſſal. 4. 16.

Faustus Socinus.

Resp. De iſto Pauli loco non multo poſt videbimus. Cæterum non Papiſtarum, ſed ſenſus communis & divini ſpiritus interpretatio eſt dicere, Chriſti ſeſſionem ad Dei dexteram ſive à Dextris Dei primum gradum potentiæ & dignitatis, poſt ipſum Deum, illi datum fuiſſe, ſignificare. Qua de re egimus ſuprà cap. 9. partic. 10.

Franciscus Davidis.

Particula 6. Mirabilis contradictio, & pugna in verbis Pauli, Chriſtus reſurrexit, Ergo & nos reſurgemus. Item, Primitiæ reſurgentium Chriſtus, Chriſtus primus reſurget, deinde ii, qui ſunt Chriſti. Illa reſurrectio, qua credimus ex ſepulchro prodiiſſe, jam olim facta eſt. Hanc verò futuram eſſe, Paulus docet. Ut igitur vocabulum Reſurrectionis hoc in loco alia ſignificatione accipiatur, oportet. Duplici præcipuè ſignificatione accipi vocabulum Reſurrectionis in ſacris Bibliis manifeſtum eſt. Aliàs propriè, quando ex morte reſurgimus ad vitam; aliàs impropriè & figuratè, quando poteſtatem & dominium adipiſcimur, quod per reſurrectionem conſequitur. De præcipua illa ſignificatione vocabuli Reſurrectionis, non eſt quòd laboremus, cum eam qui pius eſt, non neget, & ſatis abunde in Chriſto capite noſtro demonſtrata ſit, quam nobis Euangeliſtæ luculenter deſcripſere, & Apoſtoli, tamquam teſtes fideles Chriſti, obſignavere. Per illam reſurrectionem declaratus eſt Chriſtus, quòd ſit filius Dei, Meſſias, Dominus, caput corporis Eccleſiæ, primogenitus ex mortuis Rom. 1. 2. Per hanc verò non ſolùm declarabitur fore, verùm, quod reipſa & dominetur morti, & omnibus adverſariis poteſtatibus. In illa enim reſurrectione hoc futurum eſſe Paulus oſtendit, & probat hoc in loco, & Rom. 5. 17, 18. Petrus Act. cap. 3. vſ. 20, 21, 22. Apoc. 20. 1, 2, 3, 4, 5, &c. Act. 10. 13. & 16. 17. dum probatur quod Deus per hunc virum ſtatuerit, ſe judicaturum eſſe orbem, quod futurum eſt, & regni illius erit demonſtratio realis.

Faustus Socinus.

Resp. Nulla prorſus, ne in ſpeciem quidem eſt, vel eſſe poteſt in Pauli verbis contradictio, aut pugna, cum manifeſtum ſit ea verba, *Primitiæ Chriſtus*, idem ſignificare, quod quæ paullo ante præceſſerant 1 Cor. cap. 15. 23, *Primitiæ eorum, qui obdormierunt, fuit*: quæ omnino ad præteritum tempus referuntur. Non igitur per ea verba dicere voluit Paulus, Chriſtum aliquando reſurrecturum: ſed hanc corporis Chriſti reſurrectionem à mortuis ad vitam immortalem non fieri univerſam eodem tempore, cum Chriſtus ipſe, qui caput eſt, jam reſurrexerit, & primitiæ fuerit eorum, qui obdormierunt, cætera verò membra, id eſt, quicumque Chriſti ſunt, tum demum reſurrectura ſint, cum ipſe adveniet. Cumque Paulus, ut perſpicuum eſt, de nulla alia reſurrectione toto eo cap. (quicquid dicant homines aut impii, aut ſuis opinionibus excæcati) umquam agat, quam de vera corporum reſurrectione à mortuis, non poteſt ullo modo affirmari, Chriſtum adhuc reſurrecturum eſſe à Paulo dici, quin ſimul affirmetur, Chriſtum, teſte Paulo, poſt reſurrectionem ſuam à mortuis iterum vel jam mortuum eſſe, vel certè aliquando moriturum; idque non figuratè & metaphorice, ſed verè & propriè, contra omnem Chriſtianam religionem, & contra id, quod diſertis verbis idem Paulus docuit ad Rom. cap. 6. 9. Itaque vides, quò & falſitatis & impietatis tendat interpretatio iſta tua, & ſupervacanea Pauli verborum conciliatio. Subjectio porrò illa omnium rerum, quæ in Chriſti adventu conſpicienda eſt, nuſquam (quod credam) ipſius reſurrectio appellatur; nec tollit, quin Chriſtus jam reipſa regnet ac dominetur; ut jam demonſtratum fuit, & mox iterum demonſtrabitur.

Franciscus Davidis.

Particula 7. Propoſitio illa Pauli: Oportet eum regnare, non eſt præſens definitum, ſed infinitum, videlicet, ut ad ſubſequentia referatur tempora, oportet eum regnare, æquè ſit, atque oportet ut regnet. Hoc verum eſſe ſubſequentia declarant verba, *oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum.* Regnum illud Chriſti includit ſubjectionem. At Paulus ipſe de Chriſto nunc in cœlis degente inquit Hebr. 2. 8. *Sed videmus illi nondum ſubjecta eſſe omnia*, unde manifeſtum eſt, illud regnum, de quo Paulus loquitur, nondum reipſa inchoatum eſſe, ſed futurum, ut hoſtes Chriſto ſubjiciantur, & cum omnes ſubjecti fuerint, noviſſimè quoque mors, tunc regnum redditurus ſit Deo patri. Tunc igitur cum regnabit in domo Jacob, & ſedebit ſuper ſedem David patris ſui, regni ejus non erit finis, donec omnia compleantur, quæ de regno illius prædicta ſunt. Ubi verò omnia completa fuerint, tunc erit finis, ut Paulus inquit.

Faustus Socinus.

Resp. Pauli enunciatum apertum eſt, & manifeſtè jam Chriſtum regnare oſtendit, idque duraturum, donec ſubjiciantur ei omnes inimici ejus. Etenim ſatis apparet, hoc dictum 1 Cor. cap. 15. verſ. 25, *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*, ſive *ſuis*, eamdem ſententiam planè continere, quam verba illa continent Pſal. 110. 1, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Ex quo etiam intelligi debet, nihil aliud revera eſſe, Sedere à dextris Dei, quàm, Regnare ſuper Dei populum, & ſupremam in ipſo, ſecundùm Deum, poteſtatem exercere. Eſt autem in Græco infinitum βασιλεύειν temporis præſentis

ſentis. Quod certe non eſſet, ſi de futuro tantum regno eſſet ſermo. Aoriſto enim ſine dubio vel futuro infinitivo Paulus uſus fuiſſet. Nihil autem præſens Chriſti regnum impedit, quod dicatur, nondum illi ſubjecta eſſe omnia Hebr. 2. 8. immo illud non leviter confirmat, ut dictum eſt ſupra in initio capite 8. Quod ſi Chriſtus non ante regnaturus eſt, quam omnia ſibi plene ſubjecta habeat, numquam profecto regnabit. Nam ſimul atque omnia reipſa ei ſubjecta fuerint, reddet regnum Deo & patri. 1 Cor. 15. 24. & 28. Sed quale regnum reddere poterit, ſi nullum ante aut habuerit, aut certe adminiſtraverit? An non Pauli ipſa verba, etiamſi ea ad futurum aliquando regnum per vim trahas, omnino oſtendunt, regnum Chriſti futurum, antequam ei omnia ſubjiciantur? Nam ſi, ut ipſe ait, Chriſtus regnaturus eſt, donec id fiat, certe regnabit antequam fiat. Quomodo igitur ex eo, quod nondum illi ſubjecta ſint omnia, eum nondum revera regnare colligere audetis? Qualis obſecro, exiſtimanda eſt iſta veſtra Scripturarum conciliatio, quæ & rationi, & apertiſſimis earundem Scripturarum verbis, & ſibi ipſi denique penitus adverſatur? Qua ratione verò ex Chriſti præſente regno ſupra partic. 4. conſequi cixeris, æternum illud omnino fore, id eſt, ut ego interpretor, patri Deo a Chriſto numquam, etiam poſtquam ipſi ſubjecta fuerint omnia, illud redditum iri, judicent alii. Nam ego, ut cætera omittam, quomodo id ipſum ex futuro quoque regno, ſi ratiocinatio tua bona eſt, non conſequatur, plane videre nequeo. Quod autem partic. 5. ajebas, in prædicto Pauli loco agi de reſurrectione corporum noſtrorum, quæ cum futura ſit, de re futura prorſus agi videatur, eam reſurrectionem, quod ad Chriſtum ipſum attinet, non futuram ullo modo, ſed plane factam fuiſſe, ſuperiore partic. oſtendimus. Nec ſane ex Chriſti reſurrectione noſtram colligere (quod eum feciſſe, ibidem ipſe affirmas) ulla ex parte potuiſſet Paulus, quatenus Chriſti reſurrectio futura eſſet, cum de eo, quod futurum eſt, nihil nobis conſtet, & non niſi ex iis, quæ indubitata ſunt, aliquid colligere deceat.

Franciscus Davidis.

Particula 6. Si quis porro diligenter prophetias veteris Teſtamenti de regno Chriſti expendet, & quod reperiet Apoc. 20. initar expoſitionis adjiciet, ſpiritus enim Prophetarum eſt teſtimonium Jeſu, facile deprehendet, quid regnum Chriſti ſit, & quomodo adminiſtrandum.

Faustus Socinus.

Resp. Hîc tandem liquido conſtat, te Chriſti regnum non aliud, quam futurum, idque terrenum agnoſcere. Sub qua ſententia quantum veneni lateat, expoſuimus ſup. cap. 9. partic. 11. Non animadvertis autem, poſſe locum illum in Apocal. cap. 20. ℣. 4. de terreno aliquo Chriſti regno accipi, nec tamen cæleſte, quo nunc potitur, per illud excludi. Quod vel ex eo intelligi poteſt, quod tot inſignes antiqui theologi prædicta ratione locum illum ſunt interpretati; nec tamen Chriſto cæleſte regnum jam inde ab eo tempore, quo in cælum tranſlatus eſt, umquam ademerunt. Quamquam, ut verum fatear, cum unicum Chriſti regnum Scriptura prædicare videatur, diligentiorem hæc res conſiderationem deſiderat. Et, cum certiſſimum ſit, Chriſtum cæleſte regnum nunc habere: haud temere concedendum eſt, fieri nihilominus poſſe, ut aliquando terrenum regnum ſit habiturus.

Cap. XXIII.

Franciscus Davidis.

Particula 1. Ex iis jam dictis & reſponſis manifeſtum eſt, invocationem eam, qua firma cordis fiducia à Deo patre bona corporalia & ſpiritualia petimus, Chriſto non tribui poſſe, & ſi tribuatur, maximè adverſari. Una enim tantùm eſt invocatio illa, & uni tantùm Deo convenit, non pluribus. Extra veritatem Scripturæ fingimus duplicem Deum, duplicem fidem, duplicem perſonam, & iis ſimilia.

Faustus Socinus.

Resp. Duplex quidem eſt perſona (ſi Deum modò perſonam appellare licet) ſed non duplex Deus, nec duplex fides. Unus enim tantùm eſt ſummus, & ſua natura Deus (hoc ſiquidem ſenſu unus Deus eſſe dicitur) cui uni Deo, etſi is Chriſtus non eſt, tamen Chriſto confidendo, confidimus.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Si verò extat mandatum de invocando Chriſto, cur quæſo aſſeritur, nos poſſe invocare, cum manifeſte dicatur, *Hoc fac quod ego præcipio tibi.* Ego verò conſtanter affirmo, in cultu divino nos nihil poſſe facere (loquor de poſſibilitate juris) niſi quod præceptum eſt. Si verò non extat præceptum, ut ipſe fateris, non video, cur ſcribatur, Invocare poſſumus, ſed non tenemur.

Faustus Socinus.

Resp. Falſum eſſe, quod ſentis, in cultu divino nihil jurè fieri poſſe, niſi quod præceptum eſt, exemplo allato probatum eſt ſuprà cap. 15. partic. 3. & in invocatione potiſſimùm falſum cenſeri debere, probabimus infrà cap. 27. partic. 4. Quemadmodum autem rectiſſimè à me dictum fuerit, nos Chriſtum invocare poſſe, non tamen teneri, demonſtratum eſt capite 19. partic. 1

Fransiscus Davidis.

Particula 3. Sicut autem non extat mandatum de invocando Chriſto, ſic nec de eo adorando, & fiducia in eum collocanda, dico de adoratione & fiducia, quæ ſoli Deo competit, extra id adorationem regibus, Prophetis, & Angelis, attributam eſſe, ipſi quoque Chriſto. Verùm non de ea adoratione inter nos controvertitur, ſed de cultu, ubi invocatio, & adoratio pro eodem ſumuntur, quemadmodum dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies.*

Faustus Socinus.

Resp. Si fiduciam, & adorationem, quæ ſoli Deo competat, veram cordis fiduciam, & animi interiorem, ac divinam quandam adorationem intelligis; non rectè dicis, cum eas Chriſto denegas, qui ab ipſo Deo tot & tanta accepit, eaque ad finem uſque mundi pro Dei benignitate permanſura, ut, etiamſi nullum his de rebus mandatum extaret, in Chriſto tamen veram cordis fiduciam collocari, & eum plus, quàm humana ratione, ex animo adorari debere perſpicuum eſſet. Verum, de ejuſmodi adoratione mandatum extare, jure dici poſſe, cap. 19. partic. 1. oſtendimus. De fiducia verò, quæ mandata ſit, plena ſunt apoſtolorum, & euangeliſtarum ſcripta, & præcipue Johannis. Nam etiamſi mandatum illud credendi in Chriſtum, ſeu credendi Chriſti nomini, ut ipſum diſerte exponit Johannes in prima ſuarum epiſtolarum cap. 3. verſ. 23. de credendo tantum Chriſti verbis interpreteris; hoc tamen ſatis eſt. Chriſtus enim, ſemet nobis daturum ea, quæ Dei nomine pollicitus eſt, non raro aſſeruit. Quod ais, adorationem, & invocationem pro eodem ſumi, id falſum eſt, nec probatur per teſtimonium à te prolatum; de quo in initio cap. ſeq. agendum erit.

Fran-

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 4. Chriſti invocatio ad fidem noſtram confirmandam, & ad fragilitatem noſtram ſublevandam pertinere, non poteſt; fides enim non confirmatur, nec fragilitas noſtra ſublevatur, niſi ex præſcripto verbi Dei. Cum non extet mandatum Dei, de invocando Chriſto, quomodo quæſo invocatione Chriſti fides noſtra confirmabitur? Fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei, quomodo invocabunt, ſi non credunt? Rom. 10. verſ. 15. Quomodo credunt, ſi non audiunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi miſſi fuerint? Ecce veritas manifeſta. Invocatio ſine fide eſſe non poteſt, fides verò ſine auditu, auditus verò ſine doctrina, doctrina verò ſine mandato & præcepto exiſtere non poteſt. Applicemus ad præſentem noſtram quæſtionem. Contendis, invocandum eſſe Chriſtum, ubi fides, ubi auditus, ubi doctrina, ubi extat mandatum, & præceptum te dicente, & ſcribente, nullum extare mandatum, Te igitur affirmante, nec debemus, nec poſſumus jure invocare Chriſtum.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Jam probatum eſt, Chriſtum invocari poſſe, (id quod ego contendo, non autem, ut tu & hic & ubique fere mihi affingis, invocandum eſſe) Et, ſi probatum non eſſet, nihil tamen ad rem facerent, quæ hoc loco objicis, cum hic aliud non quæratur, niſi, ſi Chriſtus invocari poſſet, in quem finem hoc à Deo conſtitutum fuiſſet, & oſtenditur, finem futurum præſtantiſſimum, & Deo digiſſimum, nempe fragilitatis noſtræ ſublevationem, & fidei confirmationem. Cui aſſertioni tu nihil objicere potes, niſi oſtendas, etiamſi Chriſtus invocari poſſet, non tamen inde fragilitatem noſtram ſublevatum, aut fidem confirmatum iri. Vide quæ ſcripſimus cap. 21. partic. 1. At invocatio, inquis, teſte Paulo ſine fide eſſe non poteſt. Verum eſt. Sed in Pauli ſententia hiſce verbis explicata, fides pro fiducia in eo collocanda, qui invocetur, accipitur. Nemo enim eum invocat, in quo fiduciam non collocet. Quod planiſſimum faciunt ipſius Pauli verba. Rom. 10. 14. *Quomodo ergo invocabunt* [*eum*] *in quem non crediderunt?* Atqui in Chriſto fiduciam nos collocare non tantum poſſe, ſed etiam debere, ex ipſo verbo Dei paullo ante oſtendi. Itaque, quod ad hanc partem attinet, id plane habemus, quod ad invocationem Chriſti ſtabiliendam neceſſarium eſt. Quod idem dico, etiamſi in Paulino illo dicto fides, ſive Credere pro perſuaſione, ſeu firma opinione alicujus rei, quemadmodum à te fit, accipi poſſet. Perſuaſiſſimum enim nobis ex Dei verbo eſt, Chriſtum invocari poſſe. Ad quam perſuaſionem nihil opus eſt mandato expreſſo. Mandatum enim, non poſſe tantum, ſed etiam omnino debere, perſuaderet. Cæterum hic ſatis aperte fateris, Paulum in loco iſto, qui eſt cap. 10. epiſtolæ ad Roma: de vera & propria invocatione, quam nos in diſputatione noſtra intelligimus, agere. Quare cum alibi, hoc eſt cap. 3. part. 1. fatearis, hunc eſſe unum ex illis locis, ubi vocabulum invocationis Chriſto attributum ſit; jam, te ipſo teſte, vides, Chriſto in ſacris litteris eam, de qua controverſamur, invocationem tributam fuiſſe, & non me, quemadmodum hoc loco mihi objicis, ſed te eum eſſe, qui ſuis dictis ſuam ipſius ſententiam evertat.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 5. Edocti per magiſtrum Chriſtum noſtrum, preces noſtras ad patrem noſtrum cœleſtem dirigimus, neque aliò confugiendum eſſe judicamus, & illum, qui juvit Chriſtum, & illius preces exaudivit, nobis quoque ſufficiens levamen, & auxilium præſtare poſſe, & conſolationes in omni tentatione ſufficere, certi ſumus; quemadmodum 2 Cor. 1. 3. *Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, pater miſericordiarum, & totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione, ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipſi à Deo.*

Duo in hoc dicto obſervanda ſunt. Primum: Conſolationem omnem eſſe, & accipi ex Deo patre, qui totius conſolationis & miſericordiarum pater eſt. Secundo: Extra hunc quotquot ſunt, eſſe miniſtros, & media, per quæ Deus nos conſolatur, neque miniſtros, & media invocanda eſſe, neque pro Deo colenda. Paulus enim non Chriſtum, nec Deum patrem in Chriſto invocat, ſed ad ipſum Deum patrem gratiarum actionem, & glorificationem dirigit. Quicumque ergo Chriſtum invocabit, Deum ipſum offendet. Mandatum enim ejus violabit, & Chriſto ea tribuet, quæ ipſe numquam ſibi tribui voluit. Neque enim Deus pater hunc honorem invocationis Chriſto conceſſit, verum ſibi ipſi ſoli retinuit.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Non idcirco Chriſtum invocamus, quod Deum patrem omnia nobis dare, aut non poſſe, aut nolle ſuſpicemur. Immo ideo Chriſtum invocamus, quia Deum patrem per ipſum nobis omnia, quæ ad nos tamquam Eccleſiæ membra pertinent, dare & poſſe & velle, perſuaſi ſumus. Ex quo etiam fit, ut cum ad Chriſtum recurrimus, ad ipſum Deum confugiamus. Per Chriſtum autem in cælis manentem Deum largiri, probat idem ipſe locus, quem tu attuliſti, 2 Cor. 1. 5. Illico enim ſubjicitur, *Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Deus igitur eſt quidem is, qui nos conſolatur, ſed id ab ipſo per Chriſtum fit; adeò ut ipſe Chriſtus quoque nos conſolari dicatur, 2 Theſſal. 2. 16. Quemadmodum etiam confortare, ſeu roborare dicitur, Philip. 4. 13, & 1 Tim. 1. 12. Nam quod ais, media, ſeu miniſtros, per quos Deus nos conſolatur, invocari non poſſe, id in Chriſti perſona falſum eſſe conſtat, ſi modò miniſter ſimpliciter is dici poteſt, qui efficiendi vim ſecum communicatam habet, quem etiam falſo aſſeris, ſibi numquam invocationem tribui voluiſſe, quod nimirum Deus pater hunc honorem ipſi non conceſſerit; cum manifeſtum ſit, ipſum, dum hîc eſſet, & invocatum fuiſſe, & ſe invocari paſſum eſſe, ut demonſtratum eſt ſup. cap. 2. partic. 4. quod ſanè non ſine Dei patris conceſſione fecit. Quomodo verò audes planè negare, Paulum glorificaſſe Deum patrem in Chriſto, cum Chriſtus dixerit, futurum, ut apoſtolorum ætate pater glorificaretur in Filio? Joh. 14. 13. & Paulus ipſe hæc verba de Deo patre ſcripſerit? *Ipſi gloria in Eccleſia in Chriſto Jeſu in omnes generationes ſæculi ſæculorum: Amen.* Epheſ. 3. verſ. 21.

CAP. XXI.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Scribis te non legiſſe, ubi expreſſe ſcriptum ſit, Chriſtum ipſum magiſtrum veritatis docuiſſe, neminem invocandum eſſe præter patrem cœleſtem. Ego verò primum Matt. 4. & Luc. 4. id ipſum reperio. Cum enim Diabolus omnia regna mundi, & eorum gloriam Chriſto oſtenderet, eaque omnia ſe illi daturum promitteret, ſi procidens illum adoraverit, ſeu illum invocando, ab eo illa ſibi dari peteret, dicitur Chriſtus reſpondiſſe, ex ſcripto & ſententia Dei patris, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Tuum eſt commentum, nulla vel ratione vel auctoritate ſuffultum, Diabolum petiiſſe à Chriſto ut ſe invocaret; cum palàm ſit, eum nihil aliud petiiſſe

petiisse, quàm ut se adoraret. Videat lector utriusque Euangelistæ locum. Matth. 4. 9. Luc. 4. 7. Neque enim idem est Adorare, seu potius προσκυνειν (hoc enim verbo utitur uterque Euangelista) & invocare. Adorat, seu προσκυνεῖ is, qui corpus aut animum reverenter alicui inclinat, & coram eo venerabundus procumbit, etiamsi nihil ab eo petat. Invocat autem is, qui, in necessitate constitutus, aut aliquid percupiens, confidenter alienam opem, & benignitatem implorat. Utrum autem ex istis à Christo Diabolus requisierit, aut eum requisiisse sit verisimile, facilè omnes per se, historia etiam ipsa non inspecta, judicabunt.

Franciscus Davidis.

Particula 2. In veteri testamento nec Angeli, nec Prophetæ, nec Christus ipse, cum non esset, adorati sunt, & adorari potuerunt. Dictum ergo hoc, ut in veteri testamento solum Deum patrem, creatorem cœli & terræ, & eum, qui populum suum ex Ægypto eduxit, adorandum, & invocandum esse confirmat: Ita, & in novo testamento per Christum citatum idem docet, videlicet neminem præter Deum patrem cœlestem invocandum esse.

Faustus Socinus.

Resp. Per ea, quæ modò à me dicta sunt, convellitur universa hæc tua ratiocinatio. Confunditur enim per eam adoratio cum invocatione; quas tamen distinguendas esse docui, non solùm prox: particula, sed etiam idque apertiùs atque uberiùs cap. 19. partic. 1. Quamquam ipse alioqui etiam ratiocinationem istam tuam planè destruis, cum fatearis, veteris testamenti tempore Christum non fuisse, & ideo adoratum tunc temporis non esse. Quomodo enim, si Christus tunc non fuit, quidquam pro eo tempore, ex dicto illo, *Dominum Deum tuum adorabis*, &c. quod ad Christum non adorandum vel invocandum pertineat, colligi potest, aut ad Novi Testamenti tempus accommodari, quando, videlicet, Christus non modò est, ac perpetuò vivit, verùm etiam suprema potestate in cælo & in terra est præditus. Adde, quod, cum Christus præceptum illud, citando, confirmavit, supremam istam potestatem ex qua potissimùm eum invocari posse contendo, adeptus nondum fuerat.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Si Christus adorandus & invocandus est, Christus erit solus ille verus Deus Deut. 6. propositus. At illud jam olim per nos negatum & destructum est. Non ergo dicere, & affirmare possumus, Christum adorandum, & invocandum esse, nisi prævaricatores esse velimus.

Faustus Socinus.

Resp. Quod hic objicitur, jam sæpius dilutum est, præsertim verò cap. 17. partic. 7. & cap. 19. partic. 3.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Huc pertinet, quod Christus Matth. 4. 10. Diaboli adorationem rejicere non potuisset, neque unius Dei patris sui adorationem statuere, si ipse quoque invocari, & adorari posset, aut deberet. Ex necessitate enim illi dicendum erat: Tu expetis, ut ego te adorem, An nescis me filium Dei esse, quem tu ex præcepto Dei ut adores obstrictus es? Verùm hæc Christus non dixit, sed subjicit, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Quod si verum est, uti verum esse debet, ipse Christus se astringi præcepto Dei patris declarat, ut ipsum solum adoret

Faustus Socinus.

Resp. Ad hoc responsum satis est hoc eodem cap. partic. 2. Adde, quòd Christus, se à dæmonibus adorari, & invocari deinde sustinuit, Marc. 5. ℣. 6, 7, 10, & 12. Præterea animadvertendum est, non fuisse inter Diabolum, & Christum nec apertam, nec tacitam contentionem, uter ipsorum alterum adorare deberet, sed tentatum fuisse Christum à Diabolo, & experimentum de eo captum, num propter mundana hæc omnia acquirenda contra Dei patris sui mandata aliquid faceret, & eò se demitteret, ut Diabolum adoraret. Quòd si Christus Dei obedientiam omnibus rebus non antetulisset; facilè id fieri poterat, quamvis alioqui optimè sciret Christus, se ab ipso diabolo adorari debere. Quòd autem Christus ipse solum Deum patrem adorare deberet, nulla ratione impedit, quò minùs ipse ab aliis omnibus adorari debeat.

Franciscus Davidis.

Particula 5. An non Christus sibi ipsi contrarius esset, dum unum solum Deum adorandum esse docet, contra verò seipsum quoque adorandum aliquando, vel innuisset, vel docuisset? Certè qui alium invocat, & orat, se invocandum esse, minimè contendit, nisi demus, Christum cum Papistis duplicem sustinere personam, ut quatenus homo adoret patrem, quatenus verò Deus est, adoretur. Hic labyrinthus est ille, ex quo semel egressi, reditum tentamus.

Faustus Socinus.

Resp. Præceptum illud solius Dei adorandi, ut supra sæpius disputatum fuit, nequaquam Christi adorationem excludit, eam potissimùm ob causam, quòd Christi adoratio ipsius Dei adoratio est. Quocirca, etiamsi Christus, seipsum adorandum aliquando esse indicasset, non tamen sibi contrarius esset, qui præceptum unius Dei adorandi & verbis, & factis confirmasset; præsertim, cum, tametsi Christus duplicem illam personam non sustinet, alius tamen postea factus sit ab eo, qui tunc erat, id est, multò præstantior; adeò ut declaratum à Deo fuerit, debere eum ab ipsis angelis adorari, quod tunc nondum factum erat. Nam orbis ille terræ, in quem Primogenitus, id est, Christus introductus, tunc demum ab omnibus angelis Dei adorari debuit, Hebr. 1. 6. orbis terræ futurus est, ut apparet cap. 2. ejusdem epist. ℣. 5. hoc est, novum illud nobisque futurum beatum atque immortale sæculum, in quod Christus, cælos conscendens, immissus fuit. Cæterum, quod hic dicitur, eum, qui alium invocat & orat, se invocandum esse minimè contendere, (quamquam, se invocandum esse Christum contendisse, numquam ego dixi) hoc, inquam, quatenus ad rem facere potest, satis refutatum fuit supra cap. 2. partic. 5.

Franciscus Davidis.

Particula 6. Christi præceptum est, *Vos, quando oraveritis, dicite Pater noster*, Matth. 6. 10. Si hoc præceptum & mandatum non ad solum Deum patrem respicit, vocabulo Patris, & filius comprehenditur, vel etiam Spiritus sanctus. At certum est, hoc in loco nomine Patris illum unum solum numero Deum, qui creator cœli & terræ est, intelligi. Quid ergo ambigimus, severum mandatum Dei patris & filii ejus Christi extare de patre suo solo invocando, nisi velimus Deum patrem & Christum ipsum, postquam cœlos ascendit, mutasse voluntates. Id verò nullibi legitur, hancque ob causam ut infirmum rejicitur.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quod hîc dicis & alibi identidem repetis, ſuprà pluribus in locis abunde refutatum eſt. Vide quæ diximus cap. 7. & cap. 17. partic. 1.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 7. Non reſponſio, ſed effugium eſt, quod Chriſtus, dum in terris eſſet, nullam ſuæ invocationis mentionem fecerit, eò quòd ſuam non quæreret gloriam, ſed pater, evehendo illum, poſt mortem eam gloriam contuliſſet Chriſto: Imò verò eam gloriam, quam pater illi deſtinavit, & quæſivit, & ſibi dari poſtulavit, & cum illi eriperetur, ægrè tulit Joan. cap. 17. & 8. 49. Dum in terris eſſet, hoc ipſo ſe ſolabatur Chriſtus, quod pater ipſius quæreret gloriam. Verùm nec ante conſcenſum in cœlum, nec poſt, invocari, aut adorari juſſit eum. Communem cum illo, in cœlis nos habituri ſumus gloriam, oportet ergo, ut & nos invocemur, & adoremur.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quomodo poterat Chriſtus ægrè ferre, quòd ſibi eriperetur gloria, quam nondum acceperat, ſed tantummodo ei deſtinata fuerat? Num poteſt cuiquam eripi id quod non habet? Locus Joh. 8. 49 loquitur de honore jam illi re ipſa à Deo tributo, quem ſibi jam tum non exhiberi, ſine ſumma ipſius Dei gloriæ contemptione, Chriſtus pati non potuiſſet. Itaque ea in re nullam ſui gloriam, ſed patris tantùm quærebat. Locus autem Joh. 17 de petitione Chriſti à Deo gloriæ ſibi ab ipſo deſtinatæ agit. Sed quid quæſo hoc ad propoſitum noſtrum, ubi quæritur, utrum Chriſtus gloriam ſuam hominibus commendaverit, id eſt, ſe invocari poſſe, dixerit? Quod tamen eum non feciſſe, ego neutiquam tibi conceſſeram, quemadmodum tu mihi non obſcurè affingis. Sed, ſi non feciſſet, cum tamen ſe invocari poſſe ſciret, ejus rei cauſſam nec ridiculam ſanè aut commentitiam, nec (ut mihi quidem videtur) ullo modo rejiciendam attuleram. Quid verò, obſecro te, hîc nos Chriſto pares facis? Numquid nos, ut ille, jam gloriam noſtram adepti ſumus? Aut ita par gloria noſtra Chriſti gloriæ futura eſt, ut & nos angelis ipſis dominemur, & Dei quidam vicarii ſimus, poſtquam ille jam Deo, & patri regnum reddiderit, & ipſi, una cum cæteris omnibus rebus, ſubjectus fuerit? Numquid alii homines tunc futuri ſunt, à quibus invocari & adorari poſſimus? An non te pudet hæc deliramenta efferre?

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 8. Antequam Chriſtus in cœlum aſcenderet, dicebat Matth. XI. 28: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ut non opus fuerit, eam poteſtatem poſtea in cœlis adeptum eſſe, cum eam jam ante haberet. Verùm ut in terris eam poteſtatem habens minimè ſe invocari præcepit, ita eam nunc non exerens, niſi per miniſterium ſemel inſtitutum, minimè invocabitur.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Si ea Chriſti poteſtas, quam verba illa declarant, Matth. XI. 28. *Venite ad me omnes*, &c. Eadem eſt cum ea, quam nos illi poſt reſurrectionem datam fuiſſe affirmamus; profectò in iſtis ipſis verbis Chriſtus omnes monuit, ut ſe invocarent. Sin verò eſt alia; Primùm non eſt, quòd dicas, non opus fuiſſe, ut illam poſtea in cælis adipiſceretur. Deinde, etiamſi antea Chriſtus invocatus non fuiſſet; non tamen, ſi poteſtas illa, quam nos dicimus, ejus in cælum aſcenſum conſecutam eſſe, admittatur, cum poſtea invocari non poſſe, ſequeretur.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 9. Verùm hæc quæ adferuntur de invocatione Chriſti, & poteſtate accepta, poſtquam in cœlos aſcendit, ſimilia eſſe videntur illis, quæ Papiſtæ docent, multa poſt Chriſti aſcenſum in cœlos per Spiritum ſanctum revelata eſſe Apoſtolis, quæ in Canones relata, poſtea in Concilis approbata ſint; ex quorum numero & illud eſt, Chriſtum vel à ſeipſo, vel Deum de Deo eſſe, ideoque invocandum, & glorificandum.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Non vereris Chriſti poteſtatem illi, poſtquam in cælum aſcendit, datam, & ejus invocationem cum Papiſticis illis inventis comparare; cum tamen manifeſtum ſit, ipſoſmet Papiſtas, ea in Sacris Litteris ſcripta non eſſe, confiteri, nedum vere ſint ſcripta: hæc verò, quæ de Chriſto dicuntur, non modò, tamquam divinis litteris conſignata, à nobis affirmari, ſed verè conſignata & diſertè ſcripta fuiſſe; adeò ut vobis ea negantibus, complures Scripturæ loci aliter, quàm verba ipſa apertè ſonant, ſint interpretandi, immo potius pervertendi & corrumpendi, ac reipſa negandi & rejiciendi.

CAP. XXV.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Dictum illud Joannis cap. 14. verſ. 13. *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, ego faciam*, Chriſtum invocandum eſſe minimè docet, imò patrem ſolum invocandum eſſe confirmat, *Quicquid petieritis patrem in nomine meo.* Item: *Petite patrem in nomine meo*, non ſe invocandum eſſe contendit. Cur contra Chriſti ſenſum, & mentem concluditur, illum invocandum eſſe? Quia ſequitur, inquit, *ego faciam*: Si ipſe facit, invocandus eſt. Ratio conſequentiæ nulla eſt, Ego impetrabo, & efficiam, ut preces veſtræ exaudiantur, Ergo me invocate. Si hæc concluſio conſiſtere debet, textus corruptus, *Petite me in nomine meo*, verus erit & legitimus. Ut igitur dignus riſu eſt, qui docet, Chriſtum dixiſſe, *Petite me in nomine meo* (iſtud enim nec verbum Dei, nec ratio verum eſſe patitur.) Ita qui ex hoc loco concludit, Ego faciam, hoc eſt, Me invocate, dignus reprehenſione eſt.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Petere à Patre in nomine Chriſti non excludit, non dicam omnino, ſed ne in hac ipſa quidem petitione petitionem ab ipſo Chriſto. Quinimmo is demum fortaſſis à Patre petit in nomine Chriſti, qui ab ipſo Chriſto petit. Quemadmodum is qui a præfecto petit, petit ab ipſo rege, ſed in nomine præfecti. Verùm quid ſit in Chriſti nomine petere, aliquantò exactiùs diſſeretur hoc eodem cap. part. 5. Si illud, *ego faciam* Joh. 14. 14 ita interpretaris; Ego impetrabo, & efficiam ut preces veſtræ exaudiantur; quomodo deinde, ut videbimus, apertè negas, Chriſtum pro nobis apud Patrem intercedere? Sin eam, tamquam noſtram interpretationem, commemoras, falleris. Nos enim conſtanter aſſerimus, Chriſtum ideo facere, quæ petuntur in nomine ſuo, quia ipſemet ea efficiendi poteſtatem habeat. Lectio vulgata & in omnibus quæ quidem ego viderim, Latinis exemplaribus conſtantiſſima, *ſi quid petieritis me in nomine meo*, non caret authoritate alicujus Græci codicis, & à Syriaco interprete plane agnoſcitur. Nec digna riſu ullo modo eſt, ut tu eam facis. Peti enim aliquid à Chriſto poſſet, ſed non in nomine ipſius, verùm tamquam ab eo, qui tantùm impetrare id poſſet. In nomine enim, idem ſignificare poſſe, quod in poteſtate,

infrà

infra ſuo loco oſtendemus. Præterea ſi, ut tu quidem arbitraris, & infra partic. 3 aſſeris, In nomine meo, idem eſt, quod ut glorificetur nomen meum, quomodo digna riſu eſſe poteſt vulgata lectio? An non rectiſſimè dictum eſt, Si quid petieritis me, ut glorificetur nomen meum?

Franciscus Davidis.

Particula 2. Sed videamus, an illud: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, ego faciam*, inferat invocationem Chriſti, aut ejus interceſſionem. Locus Joan. 14. 12, 13. ita habet, *Ego ad patrem vado; & quicquid petieritis patrem in nomine meo hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam, ut id habeatur rogando patrem. Spiritum mittet pater in nomine meo, fructus veſter maneat, ut quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Hactenus non petiiſtis quicquam in nomine meo, petite & accipietis à patre meo. Cum palam de patre meo annunciabo vobis, In illo die in nomine meo petetis à Deo patre, & non dico vobis, quod ego rogaturus ſim patrem pro vobis; ipſe enim pater amat vos, quia me amaſtis.*

Primum ex collatione horum teſtimoniorum intelligimus illud Ego faciam, idem eſſe, atque pater faciet, ipſe pater dabit vobis. Alibi enim manifeſte Chriſtus inquit, *Opera quæ ego facio, non ego facio*, Joan. 14. 11. & Joan. 8. 28. *Tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil*, & Joan. 5. 19, 30. idem repetitur.

Faustus Socinus.

Resp. Locus Joh. 14. 13, & 14, de quo controverſamur, haud fideliter à te recitatur. Quandoquidem poſtremis verbis, *ego faciam*, addis de tuo, *ut id habeatis rogando patrem*. Quænam licentia hæc tua eſt, ut interpretationes tuas pro Chriſti verbis obtrudas? Nam idem quoque facis in illo loco Johan. 16. verſ. 24, *Hactenus non petiiſtis quicquam in nomine meo, petite & accipietis*. De tuo enim adjungis, *à patre meo*: & rurſus in illo verſ. 26, *In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis*, &c. Nam illico poſt verbum *petetis*, interſeris de tuo, *à Deo patre*. Quomodo verò audes inferre, ex collatione locorum intelligi, idem eſſe, Ego faciam, atque, Pater ipſe faciet, ſi ter, ubi nulla mentio Patris erat, tu, in citandis locis, eam Chriſti verbis affingis? Nonne hoc ſolum & cauſſam, quam defendis, & teipſum merito ſuſpectiſſimum apud omnes reddere debet, quando ita manifeſte Dei verbum ad ſententiam tuam confirmandam corrumpere non vereris? Sed finge locos illos omnes ita ſcriptos eſſe, ut tu citaſti. Quid inde evincere potes aliud, niſi, quæ in Chriſti nomine petuntur, ea à Deo peti, & quæ Chriſtus ſe facere dicit, ea à Deo fieri? At nemo noſtrum id negat, ut ex iis, quæ ſupra variis in locis diſputata ſunt, conſtare poteſt. Dicimus enim una cum univerſa Scriptura, Deum per Chriſtum facere; & ad hunc modum utraque teſtimonia, tam ea, quæ dicunt Deum facere, quam, quæ Chriſtum facere affirmant, illibata conſervamus, atque ut ſonant, interpretamur. Non ut tu, qui per illa hæc pervertis, vel potius ſubvertis ac deſtruis. Et ridicule verba Chriſti, Ego faciam, ſimpliciter interpretaris, Pater faciet; atque interim ab ipſa re facienda Chriſtum revera penitus excludis. Quod ſi id propterea facis, quia, ut putas, Chriſtus alicubi dixerit, ſe non facere opera, quæ faciebat; neceſſe eſt tamen, ut eundem ſaltem faciendi modum, quicumque ille tandem eſſet, ei nunc quoque concedas, & ita eum non minus, quam tunc poterat, nunc quoque invocari poſſe, ſimul confitearis. Vide quæ diximus cap. 9. partic. 5.

Franciscus Davidis.

Particula 3. Secundo videmus ex iis teſtimoniis, aliud eſſe, invocare, & petere à Deo patre, & aliud, nomen Jeſu Chriſti invocare, & à Jeſu Chriſto petere: & aliud eſſe, rogare Deum patrem in nomine Jeſu Chriſti, & aliud, interceſſore velle uti apud Deum patrem Jeſu Chriſto. *Non dico*, inquit Joh. 14. 13, *vobis, quod ſim pro vobis rogaturus patrem; ipſe enim pater amat vos*, ex ſe, & non habet opus, ut aliquis apud eum intercedat pro vobis. Interceſſore enim opus eſt, ubi eſt hoſtilitas. Ubi eſt amicitia, ſatis eſt amico ſignificare, quid velis.

Faustus Socinus.

Resp. Nuſquam dixi ego, idem eſſe, Petere à Deo patre, quod Petere à Chriſto, vel Chriſti nomen invocare, vel etiam Petere in nomine Chriſti. Quamvis enim ſemper verum ſit, à Deo patre peti, quomodocumque Chriſti mentio in petitione fiat, nullo tamen modo idem revera eſſe poſſunt; præſertim, cum à Deo patre petere is etiam dici poſſit, qui nec apertè, nec tacite in petitione ſua Chriſti mentionem faciat. Sed dixi, ex eo, quod Chriſtus dixiſſet, ſe facturum ea, quæ peterentur in nomine ipſius, abunde conſtare, eum invocari poſſe. Nam, ſi quis facit, ab eo etiam peti jure poteſt; niſi nominatim, ne ab ipſo petatur, cautum fuerit. Quod hic factum non fuiſſe id ſatis oſtendit, quod gloria, quæ Chriſto ex eo, quod ipſe faciat, acquiritur, univerſa ad Deum patrem tranſfertur; ut teſtantur aperte verba illa, *ut glorificetur pater in filio*. Quare gloriam ſimiliter Chriſti ex eo, quod quis ab ipſo petat, proficiſcentem atque manantem, univerſam in Deum patrem redundare certiſſimum eſſe debet. Quod putas, ſimulque non obſcure objicis, ex verbis Chriſti colligi, ipſum non ita intercedere, apud patrem pro nobis, ut eum nobis conciliet, id nihil ad præſentem pertinet diſputationem, ut mox oſtendemus.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Fatendum eſt, verba hæc, *quicquid petieritis patrem in nomine meo*, Apoſtolos intellexiſſe, ſi non antequam Spiritum ſanctum acceperunt, tamen poſtea; ubi edocti fuerunt, miſſo Spiritu ſancto, ſenſum eorum aſſecutos eſſe. Proponamus nobis ſpectandas omnes invocationis formas, quibus Apoſtoli precati ſunt Deum; nuſquam inveniemus, aut orationes dirigi ad Jeſum Chriſtum, aut in oratione fieri mentionem interceſſionis Jeſu Chriſti. Et cur nos tantis ducibus, cum quibus omni tempore ſui miniſterii vixit, & ante, & poſt mortem redivivus Jeſus Chriſtus, & ſua omnia patefecit illis arcana, non utimur? Quid ambigimus, ne erremus? nam illos erraſſe, ita Deum patrem orando, nec audemus aſſerere nos, nec ulla unquam ætas aſſeruit. Quid dicemus, nos melius intelligere illa verba Jeſu Chriſti, quam illi intellexerunt. Aut, illos intellexiſſe quidem, ſed ea in precibus obſervare noluiſſe? Potius aſſerendum eſt, ſi nos aliter Deum patrem orare voluerimus, quam Apoſtoli Jeſu Chriſti fecerint, magnam ſubituros culpam, & contra primum legis mandatum, de diligendo Deo ex toto corde, peccaturos.

Faustus Socinus.

Resp. Quoniam aperte vides, quantopere ea verba Chriſti, *ſi quid petieritis in nomine meo, ego faciam*, tibi adverſentur, qui Chriſto non modo poteſtatem aliquid efficiendi, ſed omnem prorſus præſentem actionem adimis; idcirco tantopere laboras, ut ea, ſi fieri poſſit, obſcures, atque pervertas. Et quamvis ego, ut dictum eſt, non ob aliam cauſſam ea protuliſſem, niſi, ut probarem, Chriſtum indicaſſe, futu-

rum, ut ipſe, licet abſens, à nobis invocari poſſet; tu tamen, ne interceſſionem quidem Chriſti apud Deum inde probari, contendis. Quod eo ſenſu, quo à te dicitur, extra propoſitam diſputationem omnino eſt. Aliud eſt enim, Chriſtum veris adhibitis precibus, nunc nobis aliquid à Deo impetrare (qua de re quid nos ſentiamus, expoſitum eſt ſupra cap. 17. partic. 3) aliud, Chriſtum poteſtate ſibi à Deo jam inde à ſuo in cœlum aſcenſu data, quæ petimus, nobis largiri. Cætera quæ hic dicis, per ea, quæ ante diſputata fuere, abunde ſunt confutata. Et niſi aliud haberemus, quam Pauli perpetuam precationem in ſalutationibus ſuis gratiæ, & pacis à Domino Jeſu Chriſto, ſatis id eſſet ad tuorum verborum falſitatem coarguendam. Vide autem, quæ nominatim hac de re ſcripſimus cap. 19. partic. 5.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Errare verò illos, qui petere in nomine Jeſu interpretati ſunt, Interceſſore, & mediatore Jeſu, demonſtrat non ſolum illud, *Ego non rogabo pro vobis patrem, ipſe ſiquidem pater amat vos*, verum etiam conſtructio verborum. Nam petite, & pater dabit vobis in nomine meo, idem eſt, ac Pater dabit vobis Spiritum ſanctum in nomine meo, hoc eſt, ut glorificetur nomen meum, utque glorificato nomine meo, glorificetur nomen ſuum. Ideo dicitur, *Ille me glorificabit*; & ſic glorificatur Deus in Chriſto, non Chriſtum invocando, aut adorando: ut, *petite in nomine meo*, eadem forma ſit dictum, qua ſuperiora, & qua, *ſerva eos in nomine tuo*, hoc eſt, ad nominis tui illuſtrationem, in gratiam tui nominis. Et non diſſimile aliud aliquid, nec invocationis, nec interceſſionis vim habere dicendum eſt, & omnis ſenſus & intelligentia Sacrarum Scripturarum in hoc unum tendit, ut Deus pater unus & ſolus invocetur, non aliquis ſpiritus beatus, & anima ſancta, aut Angeli juſti, aut homines felices, qui ſint apud Deum, nec interceſſoribus nos opus habere voluiſſe eum, qui prius nos audit, quam pro nobis interceſſores ad ſe accedere poſſint. Sed neque interceſſoribus ad eum acceſſus patet, niſi petita & impetrata venia, ut ad intercedendum accedere valeant. Nulla enim eſt interceſſio ſine cura. Curam autem rerum omnium, ſibi uni & ſoli Deus deſumpſit, neque aliis aliud facere permittitur, niſi quantum Deus illis, ut aliquid faciant, aut annuncient, mandat. De duobus ſequentibus, *Ero vobiſcum*: Item, *Ego dabo vobis os, & ſapientiam*, ſupra reſponſum eſt, & demonſtratum, quod per illa invocatio Chriſti ſtabiliri nequaquam poſſit.

Faustus Socinus.

Resp. Non abs re erit, poſtquam tu prior de eò agere cœpiſti, ut quid ſit in nomine Jeſu Chriſti petere, breviter diſpiciamus. Putas tu, id aliud non eſſe, quam Petere aliquid à Deo patre, ut glorificetur nomen Jeſu Chriſti. Verum iſta interpretatio, ut tu eam accipis, nec rei, nec verbis eſt conſentanea. Quod enim ad rem attinet: quomodo, rogo te, aliquid à Deo petendo, ſive etiam impetrando, glorificatur nomen Chriſti, ſi Chriſtus (ut tu quidem vis) ea in re nihil agit, nec in ipſius gratiam aliquid nobis Deus largitur? Quod autem ad verba pertinet: quemnam locum proferre potes, ubi verba illa, In nomine, apertè ſignificent, Ut glorificetur nomen? Nam in eo, quem protuliſti, longè alium ſenſum habent, aut certe habere poſſunt. Quandoquidem, *ſerva eos in nomine tuo*, Joh. 17. 11, nihil aliud eſſe videtur, quam, ſerva eos potentia & virtute tua, ſive, favore & auxilio tuo, ut Vatablus explicat in illis Pſalmi 54. verbis, *Deus in nomine tuo ſalvum me fac.* Quare nequeo ſatis mirari auctorem annotationum Novi Teſtamenti in ejuſdem Vatabli Bibliis, qui, tecum ſentiens, in locum à te prolatum ita annotat, *Id eſt, propter te, propter famam tuam. Id eſt, ne adverſarii detrahant tibi. ſi deſeruerit ipſos.* Hæc enim interpretatio non eſt hujus phraſis, ſed illius, Propter nomen tuum. Quæ tamen alias quoque ſignificationes in Sacris Bibliis habere deprehenditur. Quin ipſemet paullo poſt in illis verbis Joh. 17. ỳ. 12, *ego ſervabam eos in nomine tuo*, ad verba, *in nomine tuo*, quæ eodem ſenſu, quo in ſuperioribus dicta fuiſſe, palam eſt, ſic annotat, *id eſt, virtute tua.* Mitto autem, quod tu ab initio locutionem, de qua agimus, invertis, & *in nomine meo*, non cum *petite*, ſed cum *pater dabit*, conjungis, & perinde atque ſic ſcriptum eſſet, eam explicas; cum tamen id nuſquam extet, & quæſtio noſtra ſit, quid ſit, Petere in nomine Chriſti, non autem, quid ſit, Patrem dare in nomine Chriſti.

Quanquam autem plures reperiuntur in Sacris Scripturis, & in ipſo Novo Teſtamento eorum verborum In nomine (quæ phraſis Hebræa eſt) ſignificationes; duæ tamen præ cæteris ad locum noſtrum accommodari poſſe videntur. Una eſt, ut in nomine Chriſti petere nihil aliud ſit, quàm Petere eo nomine, quod quis Chriſti ſit, & ex numero ſectatorum ejus. Quæ ſignificatio verborum, In nomine Chriſti, diſerte ab ipſo Chriſto confirmatur Mar. 9. 41. & à Petro priore Epiſt. cap. 4. 14. junctо 16. & quod ad ipſum locum noſtrum attinet, ſatis confirmari videtur per ea, quæ idem Chriſtus dicit infra in eodem ſermone cum diſcipulis ſuis Joh. 15. 7, & 8, & 16. Altera ſignificatio eſt, ut in nomine Chriſti petere, idem ſit, atque in poteſtate Chriſti petere, id eſt, Chriſti poteſtati confiſum. Quod tunc maximè fit, cum ab ipſo Chriſto petitur. Tunc enim vere apparet, petentem Chriſti poteſtati confidere. Nec verò, ut demonſtratum eſt ſupra hoc eodem capite particula 1, huic interpretationi obſtat, quod ex ipſius Chriſti verbis dicamur petere ab ipſo Deo patre in nomine Chriſti. Nam ſic Chriſtum, qui non ſuam, ſed patris gloriam quærebat, loqui decebat, ut & nos ſciremus, & ipſe profiteretur, cum ab ipſo petimus, non ab ipſo, ſed à Deo patre peti, & ita Patri ſuus honor illibatus conſervaretur. Confirmatur autem interpretatio hæc non modo ex eo, quod Nomen pro poteſtate in Sacris Litteris frequenter uſurpatur, & in ipſo Novo Teſtamento inter alios hiſce in locis Epheſ. 1. 21. Philip. 2. 9. Heb. 1. 4. in quibus de ipſo Chriſto ſermo eſt, ſed etiam quia hæc eadem phraſis in nomine alicujus, in eodem Novo Teſtamento, idem valere, quod in alicujus poteſtate, ſeu virtute invenitur, ut Joh. 10. 25. & 17. 12. Actor. 4. 7, junctо 9 & 10. Ex quo loco nominatim atque expreſſe apparet, In nomine Chriſti, nihil aliud eſſe, quam in Chriſti poteſtate. Propterea Petrus, qui claudo illi dixerat, *In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & ambula* Act. 3. 6, idem poſtea Æneæ paralytico dixit Act. 9. 34. *Ænea ſanat te Jeſus Chriſtus* (ſic enim eſt in Græco) *ſurge & ſterne tibi ipſi.*

Jam verò prior interpretatio rejicienda hoc loco videtur, cum propter verba illa, *ego faciam*, quæ cum ea non bene cohærent, tum propter id, quod Chriſtus infra cap. 16. ỳ. 24 aſſerit, diſcipulos ad eam diem non petiſſe quidquam in nomine ipſius, monens, ut id faciant; fore enim, ut petita accipiant. Nam profecto vel jam ſatis, ut Chriſti ſectatores petierant, cum Deum, poſtquam, relictis omnibus Chriſtum ſecuti fuerant, aliquid rogaverant, etiamſi in ſuis precibus ejus rei mentionem non feciſſent, vel ea re apud Deum opus non erat, dicente Chriſto ibidem ỳ. 27. *Ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exivi.* Poſteriorem verò interpretationem ea verba *ego faciam*, omnino ſuadent. Quæ alioquin inepte conſequerentur. Ac præterea rectiſſime ea convenit cum Chriſti verbis illis, *Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo.* Verisimile enim plane videtur, Apoſtolos ad eam diem nihil dum Chriſti poteſtati confiſos petiiſſe. Tum demum porro factum iri, ut in Chriſti nomine peterent, cum Spiritum ſanctum accepiſſent, & ob eam rem Chriſti majeſtatem & potentiam agnoviſſent, indi-

cant

ſant aperte, quæ paullo poſt ſequuntur ejuſdem Chriſti verba Joh. 16. 25, 26, *palàm de patre annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis.* Tunc enim demum ſe Chriſti poteſtati confiſos petere poſſe perſpexerunt. Quod ut faciant, monet, quamvis rectà ad patrem accedere confidenter poſſent, qui jam eos amabat; quò nimirum humanæ fragilitati conſuleret. Cujus miſertus Deus, ut eam ſublevaret, quemadmodum ſuprà viſum eſt, poteſtatem Chriſto & faciendi quæcumque nos peteremus, & precibus nóſtris ſibi oblatis annuendi, largitus eſt.

Diximus, quæ nobis explicatio phraſis illius Petere in nomine Chriſti, ex ipſius novi teſtamenti loquendi uſu potiſſimùm probetur. Quamquam non deſunt, qui ex ſacrarum litterarum conſuetudine eam nihil aliud ſignificare contendant, quàm Petere Chriſtum, ſive à Chriſto. Certum eſt enim paſſim in vetere teſtamento, Invocare in nomine alicujus (ut eſt in Hebræo) idem eſſe atque Invocare aliquem. Verùm quo minus explicationem iſtam amplectar, præcipua cauſſa eſt, quòd ea non ubique convenire poteſt. Nam ubi legitur Peti patrem aliquid in nomine Chriſti, certè ibi, In nomine Chriſti, Chriſtum ipſum ſimpliciter ſignificare nequit. Quòd ſi, quemadmodum integra hæc phraſis, Petere aliquem quidpiam in nomine alterius, nova eſt, & præterquam in illis paucis apud Joh. locis, ipſis ſacris litteris (ni fallor) prorſùs incognita, ſic nobis liceat verba, In nomine, nova quadam ratione, ab eo tamen, quod ſonant, minimè abhorrente interpretari; nulla mihi convenientior explicatio videtur, quàm ſi dicatur, verbis illis exprimi, quis nominetur in ipſa petitione, id eſt, à quo nominatim petatur. Ut petere patrem in nomine Chriſti nihil aliud ſit, quàm à Patre ſic petere, ut interim petitionis verba nominatim ad Chriſtum dirigantur. Ut enim ſuprà part. 1. dictum eſt, qui regis præfectum rogat, ipſum regem quidem rogare dicendus eſt, non tamen in ipſo regis nomine, ſed in nomine præfecti, quod idem eſt, ac non ſub ipſo nomine regis, ſed ſub præfecti nomine.

Cap. XXVI.

Franciscus Davidis.

Particula 1. *Negas* Joan. 4. definiri, Eam veram eſſe adorationem, quæ fit in Spiritu, & veritate ad Patrem. Primùm quia ibi non quæratur, quæ vera, aut falſa ſit adoratio, verùm diſputatio ſit de loco, an illic, aut Jeroſolymis, an verò in omni loco veri adoratores patrem in ſpiritu & veritate adorare poſſint & debeant. Si verba ipſa aſpiciamus, de utroque eſt diſputatio, de loco videlicet, falſa & vera adoratione. De loco nulla eſt inter nos quæſtio, diſtinctionem veræ & falſæ orationis illic definiri & declarari ſic probo. Inquit Chriſtus, *Vos adoratis, quod neſcitis.* Non adorabant locum, ſed extra illum unum Deum Iſraëlis alia numina adorabant, & ſibi ipſis falſam adorationem, & cultum divinum excogitaverant, adeò, ut quem adorarent, etiam ignorarent. Iis verbis ergò Chriſtus Samaritanis falſam Dei adorationem extra Deum Iſraëlis exprobrat. Adorare enim & neſcire quid, falſa eſt adoratio, quam ab illa ſic diſtinguit, *Nos adoramus, quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt.* Vera adoratio ex ſcientia eſt. Invocare enim unum Deum Iſraëlis patrem Chriſti, in illum ſolum ſpem & fiduciam collocare, ſcientia eſt, ut Paulus 1 Cor. 8. 7. docet, & vera adoratio. Et hoc eſt, quod Chriſtus dicit, *Nos ſcimus quid adoramus, quia ſalus ex Judæis eſt.* Vide Rom. 9. 4, 5.

Faustus Socinus.

Resp. Samaritana illa mulier, ut ex ipſius verbis apertiſſimum eſt, de loco tantùm, ubi unicus ille Deus Iſraëlitarum, quem ipſorum patres adoraverant, adorari debeat, à Chriſto quærit. Et tu ipſe infrà hoc eodem cap. partic. 8. in illis verbis, *Patres noſtri, inquit illa, in monte hoc adoraverunt. Quemnam?* apertè fateris, vel potiùs contendis, eam de Dei patris adoratione loqui. Non erat igitur, quòd Chriſtus de eo reſpondens, de quo quæſitum non fuerat; ullo modò eam docere inſtitueret, Deum patrem, ſive ſolum Deum patrem adorandum eſſe. Quocirca ea Chriſti verba Joh. 4. 22, *Vos adoratis, quod neſcitis*, non de idolis, quæ à Samaritanis adorarentur, ſed de non legitima Jehovæ Dei adoratione accipienda ſunt. Is enim neſcire quid adoret, dicitur, qui alia ratione, quàm debet, adorat. Præſcriptum autem fuerat ab ipſo Deo, ut adoratio fieret Hieroſolymis in templo. Id quod a Judæis, non ſecus ac multa alia à Deo præſcripta, ſervabatur, utpote apud quos Dei voluntatis notitia perpetuò conſervata fuiſſet, quæ à Samaritanis, in quibus ea notitia, bona ex parte, obliterata fuerat, vel omnino negligebantur, vel alio modo fiebant. Propterea ſubjungit Chriſtus, *Nos adoramus, quod ſcimus, quia ſalùs ex Judæis eſt.* Ac ſi diceret: Vos, patres veſtros imitati, adoratis Deum patrem in hoc monte; ſed erratis. Non enim in hoc monte, ſed Hieroſolymis adorari debet, ut nos Judæi facimus ipſius Dei præceptum ſervantes, &, quid facto opus ſit in Dei cultu, optime ſcientes. Verum tamen jam adventat hora, & nunc eſt, quando non Hieroſolymis potiùs, quam in hoc monte adorandus erit Pater. Veri enim adoratores nulli loco jam alligati erunt; ſed in omni loco in ſpiritu & veritate patrem adorabunt. Itaque apparet, de loco duntaxat, ubi Pater adorari deberet, ut tacitè interrogatus fuerat, ſic Chriſtum reſpondiſſe. Nec tamen negaveram ego, ut tu mihi affingis, eo in loco definiri eam veram eſſe adorationem, quæ fit in ſpiritu, & veritate ad Patrem, quam & novi, & fateor eſſe veriſſimam adorationem; ſed negaveram, ibi definitum fuiſſe, quòd vera invocatio ea ſit, quæ fit in ſpiritu, ac veritate ad Patrem; quaſi nulla alia vera invocatio daretur. Idque cum propterea quia ibi non de invocatione, ſed de adoratione ſermo erat; tum verò quia, etiamſi Adorandi verbum eo loco invocationem quoque comprehendiſſet; non tamen eam veram ſive adorationem, ſive invocationem eſſe definitum fuiſſet, quæ ad patrem fieret, ſed tantummodo, quæ ad patrem fieret in ſpiritu & veritate, eam demum eſſe veram Patris adorationem, atque invocationem.

Franciscus Davidis.

Particula 2. Quid vera adoratio ſit à Chriſto eo in loco explicari, patet ex ſequentibus quoque verbis Joan. 4. 23. Inquit enim, *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate.* Docet, quis ſit adorandus, & quomodo. Si hæc vera adorationis non eſt explicatio; nec illud verum erit, quando diſcipuli Chriſtum peterent, ut doceret eos orare, Chriſtus reſpondit, *Vos vero cum oraveritis, dicite Pater noſter*, &c.

Faustus Socinus.

Resp. Ex ſupra dictis conſtat, verba illa Joh. 4. 23, *venit hora, & nunc eſt*, &c. non ſimpliciter exponere, quæ ſit vera adoratio, ſed quæ ſit vera Patris adoratio: neque hoc etiam ſimpliciter, ſed tantummodo quod ad locum attinet, ubi adorari debeat. Nec aliter ſentiendum eſt de reſponſione illa Chriſti ad diſcipulos ſuos Luc. xi. 2, *cum oraveritis dicite, Pater noſter*, &c. Non enim ſimpliciter, quæ ſit vera precatio, ſed qualis ad Patrem precatio, nec tamen omnis, ſed neceſſaria & perpetua eſſe debeat, ea verba oſtendunt. Vide quæ diximus cap. 17. partic. 1.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 3. Fortaſſis ideo contendis, hic non definiri veram adorationem, quia adorationis Chriſti nulla fit mentio. Imò inverto, Ideo vera eſt adorationis deſcriptio, quia nulla fit Chriſti mentio. Nam illa pro vera invocatione, & adoratione haberi non poteſt, quæ ad Chriſtum dirigitur, cum nec mandata ſit, nec ejus rei extet exemplum.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Non idcirco veræ adorationis ſimpliciter & abſolutè deſcriptionem hic tradi nego, quia adorationis Chriſti nulla mentio fiat: ſed quia locus ipſe id nullo modo patitur. Quamquam ſi, eo conceſſo, Chriſti adoratio excluderetur, propter hoc ſolum, id concedendum non eſſe, aſſerere minimè dubitarem. Tua verò iſta hujus ratiocinationis inverſio, homine, qui uſque adeò Chriſti gloriæ odio excæcatus ſit, ut clariſſima ipſius adorati, & invocati plura teſtimonia non videat, digniſſima profectò eſt.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 4. Definitio igitur veræ adorationis ea eſt, qua pater in ſpiritu & veritate adoratur. Probatur per ipſum magiſtrum Chriſtum, *Nam, & tales pater quærit adoratores.* Si hæc veræ adorationis deſcriptio non eſt, veri adoratores eſſe non poſſunt, qui patrem in ſpiritu & veritate adorant. Omnis qui ſanæ mentis compos eſt, diſcernere poteſt, veros adoratores eos dici, qui verè adorant. Si hæc veræ adorationis diſtinctio non eſt, nulli erunt veri adoratores, nullus etiam erit verus Deus. Manifeſta enim verba Chriſti ſunt, *Nam & pater tales quærit, qui eum adorent.*

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Conſideret, quæſo, non dicam Dialecticus, ſed quilibet ſenſu communi præditus iſtam tuam ratiocinationem. Perinde eſt enim, ac ſi quis diceret, veram definitionem, ſeu deſcriptionem animalis eam eſſe, qua rationabilitas illi aſſeritur, alioquin hominem, qui rationabilis eſt, verum animal eſſe non poſſe. Quis autem eſt, qui neget veros adoratores eos dici qui verè adorant? Sed quid inde elicere potes? Nihil profectò ampliùs, quam veros Patris adoratores eos dici, qui verè Patrem adorant. Sed tu nimirum Patris adorationem nunc pro adoratione ſimpliciter, nunc verò pro ipſa Patris adoratione in eodem argumento accipis. Itaque inſigni eoque multiplici paralogiſmo uteris. Quemadmodum per ſeipſe animadvertet, quiſquis diſſerendi artis planè rudis non fuerit.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 5. Si contrariam opinionem aſſerere voluiſſet Chriſtus, dicere debebat, Pater tales requirit adoratores, qui me adorent, aut ſaltem qui me interceſſore adorabunt patrem, & illud erit patrem adorare in ſpiritu & veritate. At ſubjicit contrarium, *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet eum adorare.* Confirmatio adeò evidens eſt, ut qui ſecus adorent, non Deum, ſed idolum adorent; Deus enim ſpiritus eſt, & Deum, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Hæc tam manifeſta ſunt, ut non niſi ab obſtinato negari poſſint.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Non erat, quòd Chriſtus hoc loco ullam ſui ipſius mentionem faceret, cum nec de adoratione in genere, nec ſimpliciter de Patris adoratione, ſed de loco duntaxat, ubi Pater adorandus eſſet, quæreretur. Quod ais, Chriſtum in verbis ſuis adorationis ſui ipſius, ſive etiam interceſſionis contrarium docuiſſe; ſi id ex eo colligis, quòd Patrem adorandum eſſe apertè declaravit; perverſe colligis. Neque enim, ut ſuprà demonſtravimus, Chriſti adoratio, vel apud Patrem Chriſti interceſſionis fiducia, Patris adorationi contraria eſſe poteſt. Immo in Chriſto Pater adoratur, & per Chriſtum à Patre omnia Eccleſiæ dantur. Quamquam Chriſti interceſſio non ad Patris adorationem, ſed ad invocationem pertinet. Quòd ſi id ex eo colligis, quòd Patrem in ſpiritu & veritate adorandum dixerit; perperam id a te fit. Quaſi verò, qui Chriſtum adorat, is Patrem quoque in ſpiritu & veritate adorare non poſſit, aut etiam per ipſam Chriſti adorationem Pater in ſpiritu, & veritate non adoretur.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 6. Hoc in loco vocabulum Adorationis accipi pro Invocatione multis modis conſtat. Qui enim vel montem illum oraturi, vel Jeroſolymam conſcendebant, invocabant Deum illum Iſraëlis, & ab ipſo bona corporalia & ſpiritualia petebant, ut ex 3 Reg. cap. 8. patet; Ubi & vocabulum Adorationis pro Invocatione ſumitur. Quod quomodo intelligendum ſit, procul omni dubio Chriſtus interpretari voluit.

Secundò interna illa adoratio, quæ fit in ſpiritu & veritate accipitur pro invocatione. Aliàs enim nulla inter internam & externam adorationem differentia inſtitui poteſt. Neque illud, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, pro cultu & vera Dei invocatione ſumi poteſt.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Ex prædictis apparet, non multum laborandum eſſe, utrùm hoc loco vocabulum Adorationis pro Invocatione accipi debeat: ſicut etiam in priore mea reſponſione apertè indicaveram. Neutram tamen ex duabus rationibus, quas attuliſti, id probare, apud me certum eſt. Nam, quod attinet ad priorem, dico, etſi veriſſimum eſt, Hieroſolymis, id eſt in templo, quod Hieroſolymis erat, (nam de monte illo nihil neceſſe eſt dicere) Deum invocatum fuiſſe, non minùs tamen verum eſſe, eum ibidem ſolenniter fuiſſe & ſimpliciter adoratum, cultumque illi publice eo in loco etiam citra precationem aliquam fuiſſe exhibitum. Non igitur, ſi Deus ibi invocari ſolebat, idcirco omnis eo in loco adoratio invocatio cenſenda eſt. Quinimmo, cum certiſſimum ſit, ſanctos viros ex populo Judaico etiam extra ipſum Hieroſolymitanum templum Deum invocaſſe, ſeu precatos fuiſſe, ſolenni autem ritu coluiſſe, non niſi eo in loco conſtet; minimè dubitandum videtur, cum dicitur, Deum patrem Hieroſolymis adorari debuiſſe, quin Adorandi verbo non invocatio, aut preces, ſed ſolennis cultus ſignificetur. Nec verò in loco illo, quem citas, 3 Reg. cap. 8. Adoratio pro invocatione ſumitur, aut ſumi poteſt, cum toto eo cap. numquam verbum Adorandi, ſeu Adorationis nomen legatur. Ex quo etiam, ut ſæpè aliàs, apparet, quàm fideliter in ſacris teſtimoniis citandis verſeris. Quod autem attinet ad rationem tuam poſteriorem, dico, adorationem interiorem differre ab externa, non quia illa invocatio, ſeu deprecatio, hæc ſui ipſius inclinatio ſit; ſed quia in illa animus, in hac corpus inclinatur. Vide quæ hac de re breviter attigimus cap. 24. partic. 1. Quod addis de præcepto illo, *Dominum Deum tuum adorabis*, &c. id nihil eſt, cum jam à me negetur, ibi invocationis, ex ipſorum verborum ſignificatione, expreſſam mentionem fieri.

FRAN-

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 7. Concluditur ergo ex præmiſſis eam adorationem, & invocationem veram eſſe, quæ in ſpiritu & veritate dirigitur ad patrem, reliquas omnes falſas, quæ non ad patrem diriguntur. Nam tales quærit pater adoratores, qui eum, & non alium vere invocare velint, & in ſpiritu & veritate ipſum accedere, ipſum invocare & non alium.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Nulla alia concluſio, ex Chriſti ſermone, ſi recte quis ratiocinetur, quod huc attinet, fieri poteſt, quàm, Veram Patris adorationem eam eſſe, quæ fit in ſpiritu & veritate; reliquas verò Patris adorationes non eſſe veras; quemadmodum jam in priore ſcripto diximus.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 8. Adoratio cum ad primum mandatum pertinet, conjuncta eſt invocationi, & ad ſolum Deum inviſibilem referenda eſt. Is Deus eſt, qui Deus pater dicitur; neque enim alius eſt Deus, qui verus & inconſpicuus Deus ſit, niſi is, qui ita Deus, & Dominus dicitur, & quoque pater noſter, & Jeſu Chriſti, & omnium ſanctorum. Hoc verum eſſe confirmat colloquium Chriſti cum Samaritana, *Patres noſtri*, inquit illa, *in monte hoc adoraverunt*. Quemnam? *Et vos Judæi dicitis Jeroſolymis eſſe adorandum*. Quemnam? *Vos*, inquit Jeſus, *adoratis in hoc monte, quod neſcitis; nos Judæi adoramus quod ſcimus*. Quidnam? *Venit hora, quando vos neque in monte hoc, neque Jeroſolymis adorabitis*. Quidnam? Patrem, inquit, Deum. *Venit hora & nunc eſt, quando vos, & nos veri adoratores adorabunt ſpiritu & veritate*. Quemnam? Patrem nempe Deum, quæ adoratio conjunctis precibus, primi mandati, ad ſolum Deum patrem referri debet, qui eſt unum individuum, qui ſolus verus inconſpicuus Deus dicitur.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Nihil hoc loco dicitur, quod alibi ſupra refutatum non fuerit. Nam ut verum ſit, in primo legis præcepto adoratione invocationem comprehendi, & expreſſe etiam mandatum fuiſſe, ut ſolus Deus pater invocetur; Chriſtum tamen non magis ab invocatione, quam ab adoratione, excludi, de Chriſto autem adorando divina præcepta extare, jam aperte demonſtratum eſt. Quod ſolus Deus pater ſit inconſpicuus, nihil ad rem facit. Non enim idcirco ei adoratio, & invocatio ſive ea, quam cum rebus creatis communicare ſolet, ſive ea, quam cum ſolo Chriſto communicavit, ſive etiam ea, quæ ipſius tantum propria eſt, à nobis tribui debet, quia inconſpicuus ſit: ſed quia princeps ac dominus, & bonorum largitor eſt. Quod Chriſtus & Samaritana illa mulier perpetuò de ipſo loquuti fuerint, hoc te nihil adjuvat; immo non parum tibi obeſt. Nam, ſi mulier Deum primò adorandum intellexit, cum de adorationis loco quæreret, nulla cauſſa fuit, cur Chriſtus, præter id, quod ipſa quærebat, de ſolo Patre adorando cum ea diſſereret; ut etiam attigimus in initio hujus capitis.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 9. Verte ſurſum deorſum omnia, Evolve à Sacris ſcriptoribus perſcriptas ſanctorum Patrum preces à condito mundo, nuſquam aliter invenies, quàm ſanctos Patres, ſanctos Apoſtolos, ſanctos Reges, ſanctam Eccleſiam, Jeſum Chriſtum ipſum, & quicquid fudiſſe preces unquam recitatur, ſive in Propheticis, ſive in Apoſtolicis ſcriptis, unum inviſibilem, & inconſpicuum, verum & ſolum Deum, una natura divina conſtantem adoraſſe, coluiſſe, obſervaſſe, timuiſſe, & in precibus invocaſſe. Et cum decies aut vicies Jeſus Chriſtus, pluries Eccleſia tota Chriſtiana, multoties Paulus narretur adoraſſe, & precatus fuiſſe, nunquam alio directam fuiſſe invocationem, quam ad Deum patrem, oculis ipſis cernimus, & manibus contrectamus. Et cum Jeſus Chriſtianos, hoc eſt diſcipulos ſuos inſtitueret, quid orare ad Deum deberent, cum alioquin ignari ſint homines eorum, quæ petere in precibus debeant, patrem Deum orandum eſſe perpetua lege, quam ipſi omnes Apoſtoli, & ſancti Dei ſervarent omni tempore, ſanxit. *Confiteor tibi*, inquit, *pater cœli & terræ: Pater gratias ago tibi: Pater ſalva me ex hac hora: Pater ſanctifica filium tuum: Pater clarifica filium tuum: Pater omnia tibi ſunt poſſibilia: Tranſeat à me calix iſte: Pater dimitte illis: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Et quando aliter Jeſum Deum patrem oraſſe reperies? Sic Paulus Epheſ. 3, & Apoſtoli omnes Actor. 4. orant.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Quidquid hic congeris, atque exaggeras, fruſtra eſt; cum de eo, quod ante Chriſtum factum ſit, quæritur, in diſputatione noſtra valde ridiculum cenſeri debeat: nec minus ridiculum exiſtimandum ſit, id quod ipſe Chriſtus, in diebus præſertim carnis ſuæ fecerit, conſiderare; & cum, etiam dum hic eſſet, à multis piis, poſt ejus verò diſceſſum, à ſanctiſſimis viris, potiſſimum vero à Paulo Apoſtolo, Chriſtum invocatum fuiſſe legatur. Quæ omnia jam à nobis aperte demonſtrata ſunt.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 10. Ex iis jam dictis manifeſtum eſt, definitum, & ſcriptum eſſe Joannis 4, quid vera invocatio ſit, & quid invocari debeat, Videlicet unus ille Deus pater Chriſti, & quicumque alium invocant, veros non eſſe adoratores liquet, & illud, quod omnia Eccleſiæ neceſſaria non Chriſtus, ſed Deus pater conferat, & conſtitutum in neceſſitate, non ad Chriſtum, verum ad Deum patrem confugere debere. Nam quod ipſe dixit, & fecit, nos quoque facere debere, ſi illius diſcipuli eſſe volumus, oportet.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Satis, ſuperque per ſuperiora reſponſum eſt. Neque enim neceſſe arbitror, alterum epilogum tuo huic epilogo, quaſi ex adverſo, opponere, eaque ſola ratione, ut quidem in promptu eſt, denuò eorum omnium, quæ in ipſo dicuntur, falſitatem, aut fallaciam redarguere.

CAP. XXVII.

FRANCISCUS DAVIDIS.

PARTICULA 1. Poſtrema & ultima ratio mea eſt, Chriſtus invocari non poteſt, quia illius invocationis formula nulla extet. Negas ex eo conſequi, Chriſtum invocari non poſſe, Nam etiamſi nullæ formulæ directæ extent, extare tamen obliquas, & verè dicis obliquas, imò potius ſcribere debebas ambiguas. Teſtimonia enim illa detorquentur à ſuo vero, & genuino ſenſu, & invocationem Chriſti vel ambiguam minimè probant. Nec illa quæ allata ſunt, nec quæ in eandem ſententiam adferri poſſunt, probant Chriſtum invocari poſſe, ut in declaratione locorum illorum demonſtratum eſt.

FAUSTUS SOCINUS.

RESP. Videbit lector, quam perverſe, & imperfecte reſponſionem meam ad rationem tuam recites;

cites; præſertim cum nullam mentionem facias ejus, quod aperte dixi, formulas directas invocationis ad Chriſtum extare: immo, quod non extare conceſſerim, verbis tuis ſignifices. Illudis autem mihi, idque ſatis inſulſe, in nomine Obliquus, quo precationes quaſdam appellavi; cum tamen tu ita loquendi mihi cauſſam dederis, qui prior orationis formulas directas, ſive ipſam orationem directam appellaſti. Quod quidem per ſe reprehendi non debet. Nam certum eſt, alias eſſe directas, alias obliquas precationes, ſeu precandi formulas; quamvis abs re id à te factum hoc loco fuerit, cum nihil referat, an formulæ Chriſtum invocandi, ſive ipſæ invocationes fuerint directæ, an verò obliquæ.

Franciscus Davidis.

Particula 2. At poſtremam videamus rationem, quæ adfertur, Chriſtum invocari poſſe, Quia inquit expreſſe non eſt cautum, ne quis eum invocare audeat. Quid audio? Expreſſe ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, ſolum me invoca.* Item, *Præter me non eſt Deus ſalvans.* Quod verò præcipitur, & affirmatur, nonne à contrario prohibetur & negatur: & contra, quod prohibetur, & negatur, minimè conceditur, & probatur? Prohibetur ne Deos alienos coram uno Deo Iſraëlis habeamus; præcipitur ergo, ut unum ſolum verum Deum habeamus & colamus. Prohibentur ſculptilia, & eorum adorationes, Ergo unius Dei cultus præcipitur. Ita ſi omnia præcepta Dei examinaverimus, hoc verum eſſe deprehendemus. Si præcipitur invocatio unius Dei patris, Ergo in iiſdem verbis, & eadem ratione, quicumque non eſt unus ille Deus Iſraëlis, illius prohibetur invocatio; niſi velis Chriſtum illum unum eſſe Deum Iſraëlis. Alioquin oportet concedere, prohibitum eſſe ne Chriſtus invocetur, ſeu ut verbis tuis utar, Cautum eſſe, ne quis eum invocare audeat.

Faustus Socinus.

Resp. Cum nullum expreſſum mandatum proferas de ſolo Deo patre invocando, mirum eſt, te ita confidenter loqui. Nam illud, *Solum me invoca*, ego nondum legi, aut certe me legiſſe non memini. Nec tu locum citas. Præterea, quidquid de ſolo Deo patre invocando ſcriptum ſit, id petitionem cum fiducia à quovis, qui aliquid dandi poteſtatem habeat, numquam excluſit, niſi nominatim cautum fuerit, ab eo petendum non eſſe. Ut præter innumerabilia alia exempla petitiones ab ipſo Chriſto, dum in terris eſſet, manifeſtè probant. Quocirca vel te negare oportet, Chriſtum hoc tempore poſſe nobis dare aliquid eorum, quæ ab ipſo petamus (quod quidem hujuſce rationis vim ſentiens in hoc tuo ſcripto ſatis apertè facis) vel oſtendendum tibi eſt, interdictum nominatim fuiſſe, ne à Chriſto, poſtquam hinc abiit, aliquid petamus: præſertim cum quoquo modo verbum invocandi, quod in tua theſi eſt, explices, certiſſimum ſit, te negare, nunc aliquid à Chriſto cum fiducia jure peti poſſe. Ejuſmodi autem petitionem, quis invocationem eſſe negabit, & per eam, in Chriſto diviniſſimam quandam virtutem eſſe atque potentiam, agnoſci, non confitebitur? Id, quod præceptum illud, ſi extaret, de ſolo Deo patre invocando, etiamſi nulla præterea prohibitio addita foret, ipſi ſoli Deo ita reſervaret, ut ne Chriſto quidem tribui ullo modo poſſet, non petitio cum fiducia, aut etiam cum cultu eſſet, ſed petitio tamquam ab eo, qui prima origo, & fons omnium bonorum ſit, aut ab alio, quam ab ipſo Deo patre pendeat.

Franciscus Davidis.

Particula 3. In tua reſponſione aliquoties diſtinguis invocationem Dei patris ab invocatione Chriſti, illum tamquam fontem & originem bonorum, hunc verò tamquam qui à patre quodammodo largiendi bona poteſtatem accepit. Si non alia ratione, hoc ſaltem modo concedes, cautum eſſe, ne Chriſtum invocemus. Cur ergo ænigmata proponuntur, & cur quæritur, ubi prohibitum ſit Chriſtum invocare?

Faustus Socinus.

Resp. Ego diſtinctionem inter invocationem Dei, & Chriſti, ſemper ſum profeſſus, nec ænigmata umquam propoſui, ſed apertiſſime ubique ſum locutus. Triplicem enim inter hanc & illam invocationem differentiam ſtatuo, ut ex priore ipſo meo ſcripto perſpicue intelligi poteſt. Prima eſt, quòd Deum invocamus ut primam cauſſam bonorum, quæ petuntur, Chriſtum verò ut ſecundam: ex quo efficitur, ut Chriſti invocatio, ipſius Dei invocatio cenſenda ſit, qui per Chriſtum bona largitur. Altera eſt, quòd à Deo omnia cujuſcumque generis bona, & ad quemcumque pertinentia peti poſſunt, à Chriſto vero ea tantum, quæ ad ipſius univerſam Eccleſiam & ejus ſingulas partes, ſingulaque membra quoquomodo pertinere queant. Quandoquidem horum tantum largiendorum poteſtatem à Deo Chriſtus adeptus eſt. Tertiam differentiam, quæ potius primæ neceſſaria quædam appendix dici debet conſtituo, quia Deum in neceſſitatibus noſtris ſemper, & omnino invocare debemus, ſive ad ipſum Deum nominatim & diſerte, ſive ad Chriſtum preces noſtras dirigendo; nam tunc quoque, cum Chriſtum precamur, ut & modò, & pridem ſæpius dictum, & probatum fuit, Deum invocamus. Chriſtum verò invocare (id quod fieri nequit, niſi ad ipſummet Chriſtum preces dirigamus) poſſumus quidem jure, idque in omni loco & tempore: non tamen ſemper, & omnino debemus. Immo, ut Dei patris prærogativa ob mentis oculos nobis perpetuo obverſetur, & ejus gloria hac in parte ab omni periculo tuta conſervetur, rectum eſſe judico, Ut ordinariæ & perpetuæ preces, quemadmodum hucuſque factum eſt, in Eccleſia ad ipſum Deum patrem potius, quam ad Chriſtum dirigantur. Vides, quid tibi & nunc concedam, & ſemper conceſſerim. Quare concede tu mihi viciſſim, Deum per Chriſtum in cœlis manentem, ſumma Chriſto ea in re poteſtate conceſſa, Eccleſiæ bona largiri, Chriſtumque Eccleſiam regere, ac gubernare, preceſque noſtras audire, ac percipere poſſe, & propterea cum fiducia ejus opem à nobis jure poſſe implorari; & ſtatim conveniemus.

Franciscus Davidis.

Particula 4. Verum ut apertum habeas reſponſum, ubicunque unus ſolus verus Deus Iſraëlis præcipitur invocandus, illic prohibentur Chriſtus, Prophetæ, Angeli, & omnes alii, quicumque extra Deum patrem ſunt, invocandi. Chriſtus enim ille Deus Iſraëlis non eſt, qui invocandus præcipitur. Aut igitur tu demonſtres præceptum eſſe, ut Chriſtum invocemus; quod ſi ex verbo Dei oſtendere non poteris, deſinas quærere, ubi cautum ſit, ne quis illum invocet. Si enim non eſt præceptum, prohibitum eſſe ſcias, niſi invocationem Chriſti inter adiaphora numeremus, eamque ob cauſam minimè de ea diſputandum.

Faustus Socinus.

Resp. De præcepto illo ſolius Dei patris invocandi jam ſatis dictum eſt: & demonſtratum, vel non extare, vel ſi extare velimus, qualem vim habere poſſit: nec, etiamſi extaret, ut tamen Chriſtum invocare poſſemus, neceſſe futurum, ut ea de re præceptum aliquod haberemus: ſatis enim fore, ſi expreſſe cautum non fuiſſet, ne Chriſtus invocaretur.

Quod tamen ut evidentius appareat, dico, invocationem ex genere earum rerum eſſe, quas non neceſſe ſit commemorare, ut eas fieri poſſe ſciamus. Satis enim, ſuperque eſt, notam eſſe nobis poteſtatem illius, de cujus invocatione quæritur. Exempli gratia, ſi rex

quid populo largiendi, eumque ei rei nominatim præfecerit; nihil opus eſt, populum à rege commoneſieri, ut ab illo petat, quod ad hoc attinet, ut populus ſciat, ſe id facere poſſe. Modò enim populo perſuaſum fuerit, illum eam poteſtatem, & munus à rege accepiſſe: ſatis per ſe ipſe intelliget, ſibi licere ab illo non minùs, quàm ab ipſo rege, confidenter ea petere, quæ ad poteſtatem & munus illud pertineant. Propterea reges ſæpiſſime præfectos conſtituentes, à quibus multa, non ſecus atque à ſe ipſis, peti poſſint, nihil aliud præterea curant, niſi, ut populo notum fiat, quatenus eorum auctoritas, poteſtas, & gubernatio, ex ſua ipſorum voluntate, progrediatur.

Cum igitur ex divinis litteris apertiſſimè conſtet, Chriſto in cælo, & in terra ſummam poteſtatem à Deo fuiſſe conceſſam, eique curam & gubernationem perpetuam Eccleſiæ demandatam eſſe; nihil opus fuit ad hoc, ut ſciamus, à Chriſto confidenter nos ea omnia petere poſſe, quæ ad Eccleſiam pertinent, aliqua ejus rei ſingulari commonefactione, nedum expreſſo mandato. Quo, ut alibi dictum eſt, non poſſe modò, ſed etiam omnino debere à nobis Chriſtum invocari, efficeretur. Id quod à me nec quæritur, nec umquam affirmatum fuit. Quinetiam ne exemplo quidem aliquo ullius ſancti viri, qui id fecerit, indigemus. Verumtamen, quemadmodum plura exempla habemus, ſic commonefactiones non deſunt Joh. cap. 14. 13: Nam quid aliud eſt, quæſo, illud, *quidquid petieritis in nomine meo, ego faciam*, quàm expreſſa Chriſti commonefactio, ut ad ipſius opem confugiamus? Vide quid de eo loco cap. 25. ſcripſerim, præſertim verò partic. 5. Cum Paulus Rom. 10. ỳſ. 12. & 13. ait, *Idem enim dominus dives in omnes, qui invocant eum: Nam quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit*, nonne aperte monet, ut confidenter Chriſti opem imploremus? Nam te ipſo teſte, & de Chriſto, & de vera hac, de qua diſputamus, invocatione ſermonem eſſe, oſtenſum eſt cap. 3. partic. 4. & cap. 23. particula 4. Quid porrò ſibi volunt ea auctoris ad Hebræos verba Hebr. 4. 15, & 16? *Non enim habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*, (ſeu potiùs *ad opportunum auxilium*) Potuitne evidentiùs nos commonefacere, ut, Chriſti poteſtate ac benignitate confiſi, ad ipſum confugiamus, ſive per ipſum ad Deum accedamus? Præterea, cum Chriſtus Apoc. cap. 2. verſ. 18. ait, *Suadeo tibi, emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, ut videas*; quid hoc aliud eſt, quàm non obſcura Chriſti commonefactio, ut ſpiritualia bona, quæ nobis deſunt, ab ipſo petentes nobis comparemus? Poſtremò verba illa in eodem libro cap. 5. 8. *Et cum* (agnus) *aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum*, nonne nos ſatis monet, ut ſanctos imitati preces noſtras agno, id eſt, Chriſto offeramus? Certè hæc ita perſpicuè, Chriſtum invocari à nobis poſſe demonſtrant, & docent, ut non dubitem, quin pleriſque aperta mandata, ut Chriſtus invocetur, eſſe videantur. Quod idem mihi quoque videretur, niſi evidentiſſima ratio, quæ à nobis expoſita fuit cap. 19. particula 1. monitiones tantùm atque adhortationes, quibus imbecillitas noſtra ſublevetur, & fides fulciatur, eſſe omnino demonſtraret.

Nam quod ais, ſciendum mihi eſſe, quòd, ſi præceptum non eſt, ut Chriſtum invocemus, idipſum prohibitum eſt, niſi Chriſti invocationem inter adiaphora numeremus; Dico primùm, regulam non minùs veram, quàm vulgarem eſſe, quæ ob eam rem in divina quoque lege vim ſuam obtinet, Quidquid prohibitum non eſt, cenſeri permiſſum; niſi, videlicet, id ejuſmodi ſit, ut per ſe malum eſſe appareat. Tunc enim locum habet Ariſt. in 5. ethicorum regula, quæ huic contraria prorſus videtur, Quæ lex non jubet, vetat. Nam non ita ſimpliciter, ut verba ſonant, regulam iſtam accipiendam eſſe, & ratio adeoque ipſe communis ſenſus aperte docet, & omnes fatentur. Sed ad ea, quæ per ſe mala ſunt, eam referendam eſſe, demonſtrat exemplum ibi allatum de ſeipſo occidendo; cujus exempli occaſione, regulam iſtam attulit Ariſt. Chriſti autem invocationem neutiquam ex eorum eſſe numero, quæ per ſe mala ſunt, ſatis ex iis, quæ hactenùs diſputata fuerunt, conſtare poteſt. Deinde dico, in regula iſta, juſſus nomine conceſſionem quoque intelligi debere. Alioqui, etiamſi lex aliquid fieri concederet, id tamen fieri non poſſet, quia ſcilicet fieri non juberet. Quòd longè abſurdiſſimum eſt. Atqui jam ego, ex ipſo Dei verbo, Chriſti invocationem conceſſam fuiſſe, oſtendi.

Ad id verò, quod poſtea addis, Alioqui Chriſti invocationem adiaphoram futuram: quare etiam concludis, de ea diſputandum non eſſe, Reſpondeo: Si Adiaphori nomine rem intelligis, quæ nec bona per ſe nec mala ſit, conſequentiam tuam non eſſe bonam. Sunt enim multa per ſe bona, quæ tamen præcepta non ſunt. Quòd ſi nomine Adiaphori id modò intelligis, quod nec prohibitum eſt, nec præceptum; jam fateor ipſe, de Chriſto invocando, id eſt, de precibus noſtris ad ipſum dirigendis, nullum certum præceptum extare, ideoque, nos poſſe quidem ſemper jurè id facere, non tamen teneri, nec propterea ſequitur, de Chriſti invocatione diſputandum inter nos non eſſe. Etenim illud, de quo inter nos circa Chriſti invocationem diſputatur, nullo modo nec nobis, nec vobis eſt adiaphorum. Nos enim contendimus, neminem Chriſtianum eſſe poſſe, qui non fateatur, ſe confidenter in neceſſitatibus ſuis Chriſti opem jurè implorare poſſe, & conſequenter ipſius ſummam in angelos, & in homines, & in ipſos dæmones poteſtatem, cum plena ac perpetua præſenteque totius Eccleſiæ cura & gubernatione conjunctam, non agnoſcat, & confiteatur, Deumque per ipſum in Eccleſia omnia facere, & largiri, ſibi non perſuadeat. Vos contrà, eum, qui nunc Chriſti opem, imploret, idololatram eſſe affirmatis; & divino verbo, atque adeò Dei gloriæ ſummopere adverſari contenditis, ſi Chriſtus nunc in cælis manens aliquid efficere, vel largiri ipſe poſſit, aut ſi Eccleſiam regat, atque gubernet aliter, quàm per verbi miniſterium ſemel conſtitutum, ac proinde in Deum graviter peccare, qui aliam præterea, hoc tempore, poteſtatem; aut Eccleſiæ curam in Chriſto agnoſcunt, & eſſe contendunt.

Franciscus Davidis.

Particula 5. Dolendum eſt nos, qui veritatis divinæ inquiſitores & propugnatores haberi volumus, ingredi viam adverſariorum, & iiſdem telis pugnare. Illi unum ſolum verum Deum patrem Chriſti eſſe, hoc nomine impugnant, quia non ſit ſcriptum. Unus ſolus verus Deus pater eſt, & non Chriſtus, ſeu, non eſt cautum, quod unus Deus non ſit Chriſtus. Ut autem illorum argutiæ minus validæ eſſe cognitæ ſunt, eò quòd omnibus veritatem amantibus perſuaſum eſt, quando unus ſolus verus Deus Iſraëlis pater Chriſti eſſe demonſtratus eſt, ſatis apertum fuiſſe, Chriſtum illum unum Deum Iſraëlis non eſſe: Sic cum probetur manifeſte, unum ſolum verum Deum Iſraëlis invocandum eſſe, apertè, & manifeſte probari Chriſtum non eſſe invocandum.

Faustus Socinus.

Resp. Vos ſoli eſtis, qui, ut ſuprà alibi dictum fuit, Adverſariorum viam ingredimini, dum neminem ulla ratione invocari poſſe vultis, niſi unicum illum Deum cæli & terræ creatorem. Nos verò (in eo præſertim, quod hoc loco nobis objicis) ab ipſis quam longiſſimè abſumus. Nullo enim exemplo confirmari

firmari poteſt, nec natura ipſa ullo modo patitur, ut in una numero eſſentia plures ſint diſtinctæ ſuis proprietatibus perſonæ. Quocirca cum non modò Sacræ litteræ teſtentur, Deum illum cæli, terræque creatorem unum eſſe, ſed adverſarii ipſi fateantur, ita unum eſſe, ut unica numero ſit ejus eſſentia, conſtetque inter omnes, Deum patrem Chriſti, Deum illum eſſe, neceſſariò conſequitur, ſolum etiam eſſe, & Chriſtum, qui diſtinctus perſonâ ab ipſo eſt, illum Deum eſſe non poſſe. At verò, quod uni ſoli tribuendum eſſe alicubi ſcriptum eſt, aliis quoque, ab ipſo licèt eſſentia ſeparatis, tribui poſſe, nihil prorſus vetat, dummodo vel illi ita ſint ei ſubordinati, ut, quidquid ipſis tribuitur, ei tribuatur, vel in tribuendæ ejuſdem generis rei qualitate, aliqua differentia ſit; ut innumerabilibus exemplis, & apertiſſima ratione confirmatur. Adeò ut ſi quis velit, Chriſtum, qui in largiendis in Eccleſia bonis ita Deo ſubordinatus eſt, ut quidquid ei hac in re tribuitur, ipſi Deo tribuatur, ab omni vera invocatione excludere, non ſatis ſit proferre teſtimonia de ſolo Deo invocando, ſed aliquid, quod nominatim Chriſtum nullo modo invocandum eſſe doceat, ſit proferendum. Quod idem faciendum eſſet, etiamſi nulla exempla invocati Chriſti, nullæ item eum invocandi commonefactiones extarent. Nunc, cum hæc non exiguo numero extant, ipſi etiam expreſſo præcepto de non invocando Chriſto, ſi nobis datum foret, opponi aliqua ratione poſſent; nedum per præceptum quoddam, de quo expreſſe nihil apparet, ut ſolus unus Deus pater invocetur, perverti debeant, & pro nihilo duci.

Cap. XXVIII.

Franciscus Davidis.

HÆc ſunt, mi Fauſte, quæ breviter & ſimplici ſtylo ad tua volui reſpondere objecta. Tu id, quod ſcriptum eſt, candido animo dextrè accipias. Si enim apud te nullius ſunt ponderis, qui diſcere non vis, ſed docere; fortaſſe apud alios ſuum habebunt pondus, & Deus ex lapidibus Abrahæ filios excitabit, & oro, ut in poſterum apertum adferas verbum Dei; tuis enim collectionibus aliæ rationes ſemper opponi poterunt

Faustus Socinus.

Resp. Plura in præſentia, Franciſce clariſſime; ad ſcriptum tuum reſpondere nolui. In quibus ſi aliquando acriùs errata tua quædam graviora reprehendi; id non alio conſilio à me factum eſt, quàm, ut quò ineptiarum te hominem alioqui acutum & eruditum, divina juſtitia prolabi permiſerit, ſi fieri poſſit, agnoſcas, & à Chriſti ipſiuſque Dei gloria, ac majeſtate inſectanda, &, quantum in te eſt, opprimenda aliquando deſiſtas; ac tandem reſipiſcas, & in viam redeas. Quare æqui bonique conſule, quæſo te, dicendi libertatem meam, præſertim in re tanti momenti, & in qua, licèt ego in aliis adhuc permulta addiſcere & neceſſe habeam, & vehementer cupiam, te tamen non à me ſolum, ſed ab ipſis pueris doceri poſſe, compertiſſimum mihi eſt. Quod me mones, ut in poſterum apertum afferam Dei verbum, hoc planè illud eſt, quod tu moneri debes, qui non modò apertum Dei verbum hucuſque non protuliſti, quo caveatur, ne Chriſtus invocetur, ſed nec etiam, quo mandatum ſit, ut ſolus Deus pater invocetur. Nihil autem umquam proderit, à me apertum Dei verbum afferi (quod tamen jam ſatis ſuperque feci) ſi, ut hactenus feciſti, in diſputatione noſtra, in qua quæritur, an Chriſtus invocatus fuerit, & an invocari jurè poſſit, Dei verbum, ubi apertiſſimè conſtet, Chriſtum invocatum fuiſſe, & illa habere, ex quibus neceſſariò conficitur, eum meritò invocari poſſe, vel penitus rejicere, vel certè non multum curare decreviſti.

Abſoluta eſt hæc de Jesu Christi invocatione Diſputatio anno ipſius Christi nati 1579, menſe Majo, Claudiopoli in Tranſylvania.

In verbis Franciſci Davidis multa ſunt loca, quæ emendationis indigent. Sed illa ſic in manu ſcripto exemplo, quod ipſe Franciſcus Socino dedit, prorſus leguntur: nec non in exemplaribus primùm excuſis; paucis quibuſdam locis exceptis, quæ in excuſis exemplaribus aliter habere poſtmodum animadvertimus, eaque hic notavimus.

Paginâ	Verſu	Col.	
741.	13.	2	*Poſt* ſalvatione, *additur*, Deus verus qui pater eſt
743.	62.	1	*Pro* affert *habetur* offert
748.	39.	2	*Loco* præmiſſa *legitur* promiſſa
749.	72.	1	*Vox* loci *emendata eſt*, *& ſcriptum* locos
754.	7.	1	conſtituemus *mutatum eſt in* conſtituerimus
760.	40.	1	*Ante* opus *legitur* nos

FINIS.

DISPU-

DISPUTATIO
inter F. S. & Chriſtianum Francken, de honore Chriſti.

FRANCKEN.

NOn *pugnabo tecum ſacræ Scripturæ teſtimoniis*, [1] quæ detorqueri poſſunt, atque adeo ab omnibus nunc, etiam abſurdiſſimis ſectariis, detorquentur *ad victoriam; ſed agam ratione, ſi placet.*

1 Plurima ſunt teſtimonia ſacræ ſcripturæ, quæ minime detorqueri poſſunt; nec à quoquam detorquentur. Ad quæ tamquam ad certa quædam principia omnis diſputatio tandem redigitur; ſi modo de ſacræ Scripturæ auctoritate nihil dubitetur. At verò, ſi rationem tantum ſpectes, pauciſſima omninò ſunt principia certa, eaque ſæpiſſime ab eo, de quo diſputatur, tam longe abſunt, ut vix umquam diſputando ad illa perveniri poſſit.

SOCINUS.

2 Placet: *quia vera ratio non eſt contraria theologiæ veræ: ſed verum vero tam conſentit & fævet, quam album albo, aut pulchrum pulchro.*

2 Immo non placebat. Sed quando Francken aliter diſputare nolebat, annuit tandem Socinus. Idque ob eam cauſſam, quæ hic commemoratur.

FRANCKEN.

Itaque ſic argumentor; 3 Quanta eſt diſtantia inter creatorem & creaturam, tanta eſſe debet differentia inter honorem qui creatori exhibetur, & qui creaturæ tribuitur. 4 Atqui inter creatorem & creaturam maxima eſt diſtantia, ſive naturam & eſſentiam ſpectes, ſive dignitatem & excellentiam. 5 Ergo & maxima eſſe debet differentia inter honorem Dei, & creaturæ. *At honor qui* 6 præcipue debetur Deo, *eſt religioſa adoratio.* 7 Ergo hæc non eſt tribuenda creaturæ: *Ergo neque Chriſto, quem tu puram eſſe creaturam fateris.*

3 Hæc propoſitio poteſt eſſe vera, ſi in utroque ejus membro creator, & creatura eadem ratione uſurpentur; id eſt, vel utrobique ſimpliciter, vel utrobique ſecundum quid, ſeu quatenus ſunt creator, & creatura. Alioqui manifeſtam fallaciam continet.

4 Aſſumptio iſta eſt vera, ſi ſecundum quid accipiatur, id eſt, ut dictum fuit, quatenus ſunt creator, & creatura. Alioqui nihil vetat, quominus creaturæ dignitas & excellentia, ex ipſius creatoris voluntate ac beneficio, proxime accedat ad creatoris dignitatem & excellentiam.

5 Si concluſio hæc accipiatur, quatenus honor Deo creatori tribuitur tamquam creatori, creaturæ verò tamquam creaturæ, rectè concluſum eſt. Sed ad propoſitam quæſtionem, & ad ipſius rei veritatem inepte. Cum neque hîc de tali creatoris & creaturæ honore nominatim quæratur, ſed ſimpliciter de honore qui illis tribuitur, nec, quamvis creator tamquam creator honore afficiatur, creaturæ tamen tamquam creaturæ honor tribuatur. Quod ſi concluſio ſimpliciter accipienda eſt, tunc aut aſſumptio ſimpliciter & ipſa accipitur, & jam diximus, ita acceptam eſſe falſam, aut ſecundum quid, & eſt paralogiſmus à ſecundum quid ad ſimpliciter.

6 Aliter loquitur corollarium, quam ipſum argumentum; & ſane rectius. Aliud eſt enim Exhiberi, ſeu Tribui, Aliud Præcipue deberi, quemadmodum in propoſitione quoque dicendum erat. Quamquam nos eam ita accepimus, ac ſi ad hunc modum dictum foret, cum eam veram eſſe poſſe conceſſimus, ſi utrumque membrum eadem ratione uſurpatum creatoris & creaturæ nomen contineat.

7 In hac illatione ineſt fallacia conſequentis. Poteſt enim etiam inter religioſam, & religioſam adorationem eſſe maxima diſtantia, quamvis non poſſit una adoratio religioſa eſſe, alia verò minimè religioſa, quin inter eas ſit maxima differentia. Aſſumptum probatur exemplo aliarum rerum ejuſdem generis, ſive etiam ejuſdem ſpeciei. Poteſt enim inter animal & animal, quin etiam inter hominem & hominem eſſe maxima diſtantia.

SOCINUS.

Etſi ſumma eſt inter Deum & creaturam diſtantia, non tamen eſt neceſſe tantam eſſe differentiam inter honorem Dei & creaturæ. Nam poteſt Deus, cui vult honorem ſuum communicare, Chriſto præſertim, qui dignus eſt tali honore, quique non ſine graviſſimis cauſſis adorari jubetur in Sacris Litteris.

FRANCKEN.

Poſſe Deum alicui creaturæ honorem ſuum communicare, nemo fortaſſe dubitat: ſed an id quoque velit facere, ego vehementer dubito; propterea quod Deus ſapienter omnia velit, atque faciat: nihil autem eſt magis divinæ ſapientiæ contrarium, quam 8 honorem ſoli Deo proprium *communicare non Deo. Quemadmodum enim honor præmium eſt virtutis, & ſummus honor ſummæ datur virtuti:* 9 ita divinus honor divinæ excellentiæ debetur: ac proinde is non minus ſtultè puræ creaturæ datur, *quam ſi ſummus civilis honor homini tribuatur, nulla virtute, nullaque dignitate prædito. Nec cauſſam tuam ſublevat, quod ſacræ Litteræ Chriſtum adorari jubent. Nam & ego multa contra te afferre poſſum ſacra teſtimonia, quibus & ſolus naturâ Deus adorari jubetur, & hunc honorem nulli creaturæ tribuendum eſſe ſignificatur.*

8 Negatur religioſam adorationem (hic eſt enim ille divinus honor) eſſe honorem ſoli Deo proprium. Siquidem Deus hoc loco omnium rerum conditorem ſignificat. Eſt igitur hîc principii petitio manifeſta.

9 In hac probatione pro conceſſo ſumitur, in pura creatura non poſſe eſſe divinam excellentiam. Quod tamen ſimpliciter dictum falſum eſt, aut certè à Socino negatur. Itaque aut Francken petit principium, aut nihil contra Socini ſententiam probat.

SOCINUS.

Ad illa omnia teſtimonia ego poſſum reſpondere.

FRANCKEN.

Et ego ad omnes tuos locos Chriſti adorationem urgentes probabilem potero reſponſionem afferre. Quis igitur nobis præbebit regulam ad quam moderemur hanc diverſitatem.

SOCINUS.

Ita Sacra ſcriptura 10 rectè intellecta, *nobis erit regula.*

10 Nihil erat opus hæc duo verba addere, cum, ut ſupra

ſupra numero 1. dictum eſt, plurimis in locis ſcriptura ſacra adeo aperte loquatur, ut nullus illi detorquendæ ſit locus. Quamquam ſi rationibus veritas rerum in lucem profertur, ut ipſi Francken placet, cur ſimiliter vera ſententia locorum omnium ſacræ Scripturæ in lucem rationibus proferri non poterit. Si modo, ut Francken ipſum concedere omnino exiſtimandum eſt, ſcriptura ſacra ubique optime ſibi conſtat?

FRANCKEN.

Regula debet eſſe recta, & certa, ſcriptura autem quatenus 11 ab hoc vel illo homine recte intellecta affirmatur, *non eſt recta & certa regula:* 12 quoniam dilatatur, coarctatur, & pro varietate ingeniorum in varios ſenſus diſtrahitur.

NOTÆ.

11 Hoc ad rem non facit, cum de ſcriptura rectè intellecta agatur. Non autem, quæ ab hoc, vel illo homine recte intellecta affirmetur.

12 Ad hoc per ſuperiora ſatis reſponſum à nobis eſt.

SOCINUS.

13 De veritate meæ ſententiæ *tam ſum certus, quam certo ſcio me iſtum pileum manibus tenere.*

13 Dixit quidem Socinus diſputans hujuſmodi verba. Sed non tamen hoc loco, neque alibi cum ad Adverſarii rationes reſpondendum erat. Appoſuiſſet ſaltem hic Francken poſt vocem *ſententiæ* verba illa *ex Sacris Litteris*, quæ in proxima ſua reſponſione addidit. Sic enim non omnino abs re loquentem Socinum feciſſet.

FRANCKEN.

14 Tua iſta certitudo non poteſt *mihi & aliis certa eſſe veritatis regula: nam reperietur alius quiſpiam, qui dicat, ſententiam tuæ contrariam ex Sacris Litteris ſibi eſſe perſuaſiſſimam, atque certiſſimam. Cumque in utroque eadem de re ſumma ſit certitudo, eaque diverſa & contraria, quomodo hæc eſſe poteſt veritatis regula? Recta & certa veritatis regula, non poteſt ſibi ipſi eſſe contraria: ſed eodem ſemper ſe modo habet, quibus cumque tandem rebus dimetiendis applicetur.*

14 Ex eo, quod proxime monuimus, patet totum hoc planè ſupervacaneum eſſe, & ſine ulla cauſſa dictum. Nec verò tam amens eſt Socinus, ut ex eo, quod ipſe de ſua ſententia ſit certus, velit concludere, alios itidem debere de ea certos eſſe.

SOCINUS.

Tam vera eſt mea hac de re certitudo, quam verum eſt apoſtolum de Chriſto dixiſſe; adorent eum omnes angeli 15 ejus.

15 *Dei* eſt apud Apoſtolum, id quod non minimi eſt momenti; ut ſtatim apparebit.

FRANCKEN.

16 Poſſet quiſpiam hunc locum de civili adoratione interpretari, *quali nunc apud Chriſtianos Pontifex Romanus, & Regina Angliæ coluntur.*

16 Quaſi verò omnes Dei ipſius angeli, inter quos ſunt intelligentiæ illæ divinæ, & ſpirituales ſubſtantiæ, poſſint civili ratione quempiam adorare, & non ſit neceſſe, ut is, qui ab omnibus Dei angelis adorari debet, divina ratione ab hominibus adoretur.

SOCINUS.

Non poteſt iſte locus ad civilem adorationem trahi, eo quod illud à Propheta dictum ſit de Deo, qui religioſa adoratione honoratur: cum autem Apoſtolus illud ipſum applicet Chriſto, neceſſario inde ſequitur, hunc etiam ita eſſe adorandum.

FRANCKEN.

Quod de Deo dictum eſt, id non recte 17 eodem modo *poteſt applicari homini, niſi & ipſe ſit perfectiſſima ratione Deus: tu autem non concedis Chriſtum eſſe talem Deum: quare interpretationem quoque illam tuam rejicias oportet.*

17 In ſequenti reſponſione Socino tributa rectè corriguntur hæc verba, additâ particulâ *Prorſus*. Iis enim hominibus, per quos Deus aliquid facit, illud applicari ſeu accommodari & poteſt & ſolet, quod ea in re de ipſo Deo dicitur. Idque nec ſimpliciter diverſo modo, nec prorſus eodem; ſed ea (ut ſic loquamur) identitate, & diverſitate ſimul modi, quæ eſt inter primam & ſecundam cauſſam.

SOCINUS.

Non applicatur Chriſto illud eodem prorſus modo, quo dictum eſt de Deo. Etenim 18 duplex eſt adoratio *religioſa: altera quidem, quæ ſine ullo medio dirigitur in Deum: altera vero, quæ per medium Chriſtum defertur ad Deum: illa adoratio eſt ſoli Deo propria, hæc vero convenit Chriſto tantum.*

18 Non eſt hæc reſponſio, quæ Socino attribuitur, vel revera ex ipſius mente, vel ſatis ad rem ipſam accommodata. Itaque ſic reſpondens inducendus fuerat: Deus religioſe adoratur nullo alterius perſonæ reſpectu, ſed tantùm propter ipſummet Deum. Chriſtus verò religioſe adoratur propter alium, id eſt Deum, quia videlicet ipſe Deus eum iis rebus donavit, quibus religioſa adoratio debetur, eumque adorari juſſit, ac præterea quia Chriſti religioſa adoratio in ipſius Dei honorem & gloriam cedit.

FRANCKEN.

Eſtne utraque iſta adoratio ejuſdem ſpeciei?

SOCINUS.

* *Eſt,* 19 quia adoratio Chriſti *eſt ipſius Dei: quippe quæ in Chriſto non conquieſcat, ſed per eum tranſeat in Deum.*

* Aut ejuſdem generis eſſe dixit Socinus utramque adorationem, Dei, & Chriſti, non autem ejuſdem ſpeciei, aut ſi tamen ejuſdem ſpeciei eſſe dixit, ſimplici licet ſpeciei nomine ſubalternam (ut vocant) ſpeciem, ſine dubio, intellexit.

19 Numquam hanc rationem attulit Socinus, cur Dei & Chriſti adoratio ſint ejuſdem ſpeciei. Sed hoc dixit ad oſtendendum, quomodo, licèt Chriſtus adoretur, Deus tamen ſolus adorari jure dici poſſit.

FRANCKEN.

Iſta igitur adoratio, non ſolum ejuſdem eſt ſpeciei, 20 *ſed etiam unus eſt, & idem numero animi motus, cujus medium ſit Chriſtus, terminus ad quem, ut vocant, ſit ipſe Deus.*

20 Hîc addendum erat, cum quanam alia adoratione adoratio iſta dicta fuerit eſſe ejuſdem ſpeciei; nempe cum ea, qua Deus ipſe immediate (ut loquuntur) adoratur. Quod ſi factum eſſet, ei, quod poſtea dicitur, nullus fuiſſet locus, & elenchi ignoratio inſignis, quæ nunc quodam modo latet, cunctis fuiſſet manifeſta. Cum enim agatur de utraque adoratione, & quæratur, quatenus inter ſe conveniant, infert Francken de altera tantum, & explicat, quatenus ſecum ipſa conveniat. Idque quaſi dictum à Socino fuiſſet de ipſa; quod ſui ipſius reſpectu ſit ejuſdem ſpeciei. Quo nihil abſurdius, & à Socini mente alienius excogitari potuit.

SOCINUS.

Sit ſane, quid tum poſtea?

FRANC-

FRANCKEN.

Hoc ſequetur tum poſtea, quod ipſius etiam Chriſti imago ſit adoranda: quia una & eadem adoratio reſpicit in imaginem tamquam medium, in Chriſtum verò tamquam finem, quemadmodum Thomas Aquinas docet, à quo tuum tu commentum es mutuatus.

SOCINUS.

Non valet tua conſequentia [21] quoniam ſcriptura *non jubet adorari imagines, immo etiam prohibet.*

[21] Non propter hanc cauſſam tantum non valet conſequentia iſta. Sed etiam, idque potiſſimum propter hanc, quod non eſt ea proportio inter Chriſtum, & ejus pictam aut ſculptam imaginem, quæ eſt inter Deum & Chriſtum. Et propterea non poteſt Chriſti imago adorandi ipſius Chriſti medium eſſe, ſicut Chriſtus Dei. In Chriſto enim ipſa Dei potentia, divinitas, atque majeſtas reſidet, atque relucet; In Chriſti verò imagine ab homine efficta, vix ac ne vix quidem quicquam ipſius Chriſti vel eſt, vel apparet; Chriſti præſertim immortalis facti, & in cælo regnantis, qualem nos eum adoramus.

FRANCKEN.

Immo valet conſequentia. Nam ſicut ſcriptura non jubet adorari imagines: ita non jubet adorari hominem, immo etiam prohibet.

SOCINUS.

Scriptura excipit Chriſtum, quando eum participem facit adorationis.

FRANÇKEN.

Ubi ſcriptura Chriſtum facit participem adorationis, [22] ibidem eum *nonnumquam ſocium facit creationis, hoc autem tu vel per Apoſtrophen revocas ad Deum,* [23] vel analogica *aliqua interpretatione veſtis: cur ergo mihi illud non liceat de religioſa adoratione ſoli Deo propria dictum, ἀναλογικῶς ad Chriſtum per civilem adorationem derivare? Sed omiſſis noſtris privatis interpretationibus, pergam tecum agere ratione;* [24] *Si Chriſtus particeps eſt adorationis: Ergo & particeps eſt omnipotentiæ ac reliquarum proprietatum Dei: ſed hoc eſt falſum: Ergo & illud unde hoc oritur.*

[22] Numquam facit ſcriptura Chriſtum ſocium creationis, cæli videlicet & terræ. Quod ſi tamen alicubi faceret, idque Socinus per apoſtrophen ad Deum revocaret, is profecto ſcripturæ ſenſum ea in parte perverteret atque corrumperet, nec à quoquam hac in re imitandus eſſet.

[23] Nulla analogica interpretatione veſtit Socinus locum illum (hunc enim ſine dubio intelligit Francken) qui Chriſto accommodari totus videtur Hebr. 1. verſ. 10 *& tu in initio Domine* &c. Sed prima loci verba ad Chriſtum ipſum ex Apoſtoli mente pertinere minime probari poſſe oſtendit. Sequentia verò, licet de Deo dicta, ad Chriſtum idcirco recte accommodari docet, quod ea, quæ ibi Deo tribuuntur tamquam ab eo facienda, Chriſtus ea ipſius Dei voluntate facturus ſit. Itaque nulla prorſus eſt ſimilitudo inter Socini interpretationes, quæ, (ni fallimur) nulla ratione à quoquam erroris coargui poſſunt, & eas, quas allaturus eſſet Francken, quæ nullo pacto cuiquam probari queunt. Præſertim cum ab ipſo pro conceſſo ſumatur, ut creatio ſolius Dei eſt propria, ſic ejuſdem ſolius propriam eſſe religioſam adorationem. In quo illum petere principium jam oſtenſum eſt ſupra numero 8.

[24] Haud recte concluſa eſt ratio iſta. Adoratio enim ſeu divinus cultus non requirit neceſſario omnipotentiam & participationem reliquarum, id eſt (ut nos interpretamur) aliarum omnium proprietatum Dei. Sed ſatis eſt, ſi is, qui adorari debet, iis, qui eum ſunt adoraturi, divina ratione imperet ac dominetur. Nam quemadmodum iis, qui humana ratione nobis dominantur, humanus cultus à nobis debetur, ſic divinus, ei, qui divina. Neque hoc ideo dicimus, quod nihil aliud præter divinum in nos imperium & dominationem in Chriſto agnoſcamus, propter quod à nobis divina ratione coli debeat; ſed ut argumentationis, quam Francken attulit, infirmitas evidentius appareat.

SOCINUS.

Nego eſſe falſum, Chriſtum participem eſſe in Eccleſia omnipotentiæ.

FRANCKEN.

Omnipotentia, ſive in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam eſt proprietas ſolius Dei: Sed Chriſtus non eſt ille Deus: Ergo neque omnipotens: Ergo neque adorationis particeps.

SOCINUS.

Abſoluta omnipotentia eſt proprietas Dei: Chriſti autem omnipotentia eſt in Eccleſia tantum.

FRANCKEN.

Ne gladium in tenebris ventilemus, quæro quid vocet omnipotentiam in Eccleſia?

SOCINUS.

Omnipotentiam in Eccleſia voco, datam Chriſto poteſtatem ſervandi omnes, qui ipſi obediunt. [25]

„ [25] Adde, & ea omnia faciendi, quæ ad Eccleſiam „ quocumque modo pertinent, ſive ad univerſam, ſive „ ad partem ejus, ſeu denique ad ſingulos quoſque, qui „ ex eo numero aliqua ratione ſunt. Atque in hunc eundem ſenſum accipe, quæ proxime ſequuntur Socino tributa verba illa, quæ intra ſunt Eccleſiam.

FRANCKEN.

Quæro rurſum, an iſta poteſtas ſit infinita nec ne?

SOCINUS.

Eſt infinita in Eccleſia, ſimpliciter autem finita; ut pote certis finibus incluſa: cum tantummodo ad ea extendatur, quæ intra ſunt Eccleſiam.

FRANCKEN.

Si ſimpliciter eſt finita Chriſti poteſtas, quia non ad omnia extendatur, Ergo & abſoluta Dei poteſtas eſt finita: quoniam hæc etiam ad omnia non porrigitur. Siquidem Deus non poteſt ægrotare, non poteſt mori, non poteſt ſeipſum abnegare, non poteſt mentiri, non poteſt efficere, ut quod factum eſt non fuerit factum. Nec quippiam aliorum quæ involvunt contradictionem.

SOCINUS.

Deus ſimpliciter eſt * infinitus, & omnipotens, *quod omnia poſſit, quæ non ſunt ἀδύνατα: Chriſtus autem non ſolum illa non poteſt,* [26] ſed neque ea, *quæ minime pertinent ad Eccleſiam.*

[26] Aliud eſt, Chriſtum non habere omnipotentiam in iis, quæ minime pertinent ad Eccleſiam; aliud verò iſta non poſſe, id eſt, nihil iſtorum poſſe efficere. Illud quidem dixit fortaſſe Socinus, hoc verò nullo modo.

FRANCKEN.

Hoc nihil aliud eſt dicere quam majorem eſſe Dei poteſtatem, quam Chriſti. Ego vero ex te ſcire cupio, an

* Infinitè omnipotens, *ſic ſcribendum fuerat.*

hæc Chriſti poteſtas tanta ſit in Eccleſia, ut in ſuo ſaltem genere infinita & omnipotens appellari mereatur?

SOCINUS.

Eſt omnino tanta Chriſti poteſtas, quia prorſus ſingularis eſt, & divina.

FRANCKEN.

Infinita hæc Chriſti potentia in Eccleſia vim ſuam exerere non poteſt, niſi ei par reſpondeat ſcientia, qua ubique omnia ad Eccleſiam pertinentia videat. At finita Chriſti ſubſtantia, non eſt capax 27 ſcientiæ infinitæ: *Ergo neque potentiæ: ergo neque adorationis.*

27 Propriè fortaſſis ac ſimpliciter infinitæ. Sed minùs propriè, & ſecundum quid, ut hîc Infiniti vocabulum accipitur, poteſt omnino finita ſubſtantia infinitæ ſcientiæ eſſe capax. Quid enim vetat, quominus homo quiſpiam omnia ſciat, quæ de re aliqua ſciri poſſunt?

SOCINUS.

Nego aſſumptionem. 28 poteſt enim *qualitas ſuum excedere ſubjectum. Ut videre eſt in calore, qui extra ipſum iguem diffunditur in aëre.*

28 Hoc dixit quidem Socinus (niſi quòd vel Qualitatis voce ipſe non eſt uſus, vel effectivè eam uſurpavit) & ignis exemplum attulit. Sed non de eo diſputans, utrum Chriſti ſubſtantia finita, eſſet capax ſcientiæ infinitæ. Sed utrum qualitas (effectivè nimirum accepta, ut poſtea apparebit) poſſet excedere, id eſt egredi ſuum ſubjectum. Quod fieri non poſſe Francken aſſerebat; & inde Chriſti ſubſtantiam finitam, non eſſe capacem potentiæ infinitæ demonſtrare volebat. De potentia enim Chriſti adhuc, non autem de ſcientia erat ſermo. Et ſanè quid opus fuit, ut Francken de ſcientia ageret, cum de potentia diſputatio eſſet? Nonne ſi finita Chriſti ſubſtantia infinitæ ſcientiæ capax eſſe non poteſt, eadem ratione infinitæ potentiæ non eſt capax? Nec verò ulla cauſſa eſt, cur de ſcientia magis quam de potentia hoc cuiquam verum videatur, niſi inter ſcientiam & potentiam eam differentiam ſtatuat de qua ſtatim dicemus. Atqui hanc minime agnoſcit Francken, ut numero 33 oſtendemus. Non fuiſſet autem ignis exemplum à Socino recte ad ſcientiam accommodatum, ut ad potentiam. Quandoquidem ſciendi effectus in ipſa re ſciente eſt, non autem extra ipſam, ut effectus potentiæ. Qua de re poſtea apertius.

FRANCKEN.

Calor ignis qui extra ſubjectum ſuum reperitur, nequaquam ipſum excedit ſubjectum; 29 Sed eſt effectus ignis *in alio quodam corpore productus: quod corpus tunc illius caloris eſt ſubjectum: ſicut etiam ſcientia quæ à philoſopho inſtillatur indocto, non egreditur ſubjecto ſuo: ſed eſt alia numero ſcientia per ſimilem effecta. Ut autem ille idem calor, qui igni inhæret, numquam latius patet, nec patere poteſt, quam ſubſtantia ignis: ita ſcientia quæ ipſi Chriſto ineſt, non poteſt major eſſe ſuo ſubjecto: ſubjectum autem hujus ſcientiæ eſt finitum: Ergo & ſcientia finita: Ergo non omnia ſcit & cognoſcit Chriſtus: Ergo neque adorandus,* 30 qui abſentes *nec videt, nec audit.*

29 Et hic de effectu quæritur. Nam cum hoc loco diſputatur de infinita Chriſti ſeu potentia, ſeu ſcientia, non de vi ipſa eſſentiali efficiendi & ſciendi agitur, ſed de ejus effectis, id eſt quæritur, utrum effecta, quæ à Chriſti potentia & ſcientia proficiſci poſſunt, ſint infinita, & infinitæ res, quæ ab ipſo fieri poſſunt & ſciuntur. Atque hæc infinitas non proprie & ſimpliciter, ſed, ut dictum eſt, minus proprie, & ſecundum quid accipitur. Jam, quemadmodum licet ignis calor eſſentialis non excedat ipſius ignis ſubſtantiam, negari tamen non poteſt, quin ignis ea calefaciat, quæ extra ipſius ſubſtantiam ſunt; ſic nihil prohibet, quominus vis eſſentialis efficiendi & ſciendi in Chriſto, ipſius ſubſtantiam non excedat, & porrò omnino finita ſit, & tamen Chriſtus infinita quædam & poſſit, & ſciat.

30 Subeſt hîc fallacia conſequentis. Verum ſiquidem eſt, ſi Chriſtus abſentes nec videt nec audit, eum non omnia ſcire & cognoſcere. Sed non contra; ſi Chriſtus non omnia ſcit & cognoſcit, eum abſentes nec videre, nec audire. Quemadmodum hoc loco non obſcure Francken colligit.

SOCINUS.

Etiamſi ſcientia ſeu cognitio Chriſti eſſet finita, non tamen inde concludi poſſet, eum non cognoſcere omnia quæ fiunt in Eccleſia. Nam quæcumque aguntur in Eccleſia ſunt finita, ac proinde ab homine ſciri poſſunt: cui ſubſtantia ſit, & ſcientia finita.

FRANCKEN.

Si finita eſt Chriſti ſcientia, 31 certè ea non aliter eſſe poteſt finita, atque ſubſtantia ejus: *ſed ſubſtantia Chriſti ita eſt finita,* 32 ut ubique non ſit in Eccleſia: 33 ergo nec ſcientia, vel cognitio ejus ad longe poſita extenditur. *Quod ſi Chriſtus etiam longiſſimè à ſe abſentia perſpiciat,* 34 non video quomodo hæc habitare ſcientia poſſit in creatura. *Rectè namque ratiocinantur contra Pontificios Euangelici,* 35 Sanctos invocatos eſſe *omnipotentes & Deos, ſi ex cælis in terram uſque proſpiciant, preceſque noſtras audiant. Nec Pontificii iſtam contemnere conſequentiam audent: ſed ſolummodo negant Sanctos videre nos ipſos abſentes, noſtramque invocationem exaudire. Fingunt autem in Verbo tamquam in ſpeculo omnia ipſis repræſentari, vel ab animabus in cælum migrantibus noſtra vota ad eos deferri. Eodem modo* 36 quilibet ratione præditus *homo de Chriſto ratiocinatur; eum omnia, quæ ubique fiunt in Eccleſia, videre non poſſe, niſi ipſe ſit Deus, qui ubique eſt per eſſentiam, potentiam, præſentiam.*

31 Hoc concedi poteſt de ipſa vi eſſentiali ſciendi, at de vi effectiva, ſeu de ipſis effectis minimè. De effectis autem, ut diximus, hîc quæritur.

32 Non ſolum, ut ubique non ſit in Eccleſia, ſed etiam ut uno tantum in loco ſit. **Quare ſi** recte argumentatur Francken, Chriſtus id **tantum ſcire** poteſt, quod eo ipſo loco continetur, in **quo** ipſe eſt, id eſt ſeipſum. Quo quid abſurdius, cum **nemo** ſit, **qui** multa extra ſeipſum ſcire non poſſit, & porro non ſciat?

33 Vel hinc patet, ipſum Francken in hac diſputatione ſcientiæ nomine, non ipſam ſciendi vim eſſentialem, ſed ejus effecta intelligere. Itaque dupliciter fallitur, & quia credit non latius patere poſſe effecta alicujus qualitatis, quam pateat ſubſtantia ipſa in qua ineſt qualitas, id quod ipſemet ſuperius refutat, cum de ignis exemplo agit. Et quia credit ſcientiam iſtam ſi porrigatur ad longe poſita, ſuum ſubjectum egredi. Quod tamen eſt falſum; nam ipſe ſciendi effectus non eſt extra ipſum ſcientem. Neque enim agit ſciens in rem ſcitam; ſed contra res ſcita in ſcientem. Quemadmodum color viſus agit in videntem oculum, non autem contra. Fitque videndi effectus, ut Peripateticis (ni fallimur) placet, non extra oculum, ſed in ipſo oculo. Quamobrem rectius feciſſet Francken, ſi hoc omiſſo, quod non poſſit cognitio Chriſti extendi ad longe poſita, eo quia finita ſit Chriſti ſubſtantia, quod plane perperam concluſum eſt, dixiſſet, Chriſti ſcientiæ effecta non poſſe eſſe infinita uno tempore. Nam cum effectus ſcientiæ in ipſo ſciente ſit, ſequeretur finitam ſubſtantiam rei infinitæ eſſe capacem. Verum jam dictum eſt, Chriſti ſcientiæ effecta, infinita hoc loco dici, non proprie & ſimpliciter, ſed minus proprie & ſecundum quid, & hujus infinitatis finitam ſubſtantiam capacem eſſe poſſe oſtenſum fuit.

34 Quaſi verò viliſſimæ, præſertim præ ipſo Chriſto, creaturæ non inveniantur, quæ longiſſime à ſe diſtantia perſpiciunt. Ut de lynce compertum eſt. Ne quid dicamus de aliis ſenſibus auditu & olfactu. Aper enim ſonos longiſſimè remotos exaudit. Milvus verò quam remo-

remotiſſimos cadaverum odores ſentit. Unde intelligere licet, Chriſtum glorificatum, creaturam omnium creaturarum quacumque ratione excellentiſſimam, longe remotiſſima à ſubſtantia ſua & abſtruſiſſima videre, audire, & cognoſcere nihil abſurdi in ſe continere. Præſertim cum certiſſimum ſit, dæmones creaturas Chriſto haud paullo inferiores, plurima noſſe, licet alioquin occultiſſima, & ab ipſorum ſubſtantia remotiſſima.

35 Nequaquam ad iſtum modum ratiocinantur, qui inter Euangelicos rectius & loquuntur & ſentiunt; ſed ajunt, quod ſancti in cælis degentes noſtras preces audiant, de hoc nihil extare in Sacris Litteris. Sine quarum teſtimonio, non eſt id à nobis temere ſtatuendum ac ſomniandum.

36 Immo quilibet ratione præditus, ſi modo Sacris Litteris fidem adjungat, cum videt in ipſis expreſſum eſſe, Joh. 5. ℣. 22. & 27. Chriſto à Deo fuiſſe datum omne judicium, idque quia ipſe Chriſtus eſt homo, nihil prorſus dubitat Chriſtum hominem omnia noſſe, quæ à nobis agantur. Cum judicium ſine cognitione exerceri nequeat. Idem etiam citra Sacras Litteras, cum ſciat Deum omnia poſſe, horret prorſus negare, Chriſtum licet rem creatam, cognitionem iſtam habere poſſe. Cum ii qui hanc illi tribuunt, non ab ipſius natura, ſed à Dei voluntate eam proficiſci dicant.

SOCINUS.

37 Philoſophica ſunt iſta, *& Chriſti doctrinæ inimica.*

37 Pſeudophiloſophica potius iſta eſſe dixit Socinus. Quod ſi philoſophica tamen dixit, æquivoce ſic illa appellavit.

FRANCKEN.

Atqui initio diſputationis hujus dicebas, verum verò non eſſe contrarium, quomodo ergo nunc vera mea ratio adverſatur Chriſti doctrinæ?

SOCINUS.

38 Non eſt vera, *ſed ſophiſtica tua ratiocinatio.*

38 Jam ipſe Francken, cum hoc dicentem Socinum facit, ſatis agnoſcit, illum ab ipſo paullo ante dicta pro veris philoſophicis non habere.

FRANCKEN.

Nullam ego video in mea ratiocinatione fallaciam.

SOCINUS.

39 Oſtendam tibi *ſimilitudine fallaciam tuam. Quemadmodum poteſtas quæ Regi traditur, non eſt aliqua vis in ipſo tamquam ſubjecto: (non enim Rex habet ipſe tantas vires, ut omnia per ſe poſſit efficere) Sed eſt tale quiddam externum, ut omnia extra ipſum fiant quæ juſſerit: ita & poteſtas &* 40 ſcientia Chriſti *in Eccleſia ſuum poteſt egredi ſubjectum.*

39 Cum videret Socinus non poſſe Francken adduci, ut tantam vim in Chriſto, licet re creata, agnoſceret, quantam ipſe illi tribuebat, dixit, ſepoſita hac quæſtione, ſatis eſſe ad id, de quo agebatur, ſi Chriſtus poteſtate ſimplici (de potentia enim tantum, non etiam de ſcientia erat diſputatio) ea poſſet, quæ illum poſſe ipſe dicebat. Ad probandum autem ſimplici poteſtate poſſe iſta fieri, exemplum hoc potius quam ſimilitudinem attulit.

40 Quid huc, quæſo, ſcientia pertinet, quæ, ut ſupra dictum eſt, etiam quatenus effective conſideratur, tota in ipſo ſciente eſt?

FRANCKEN.

Qui me ſophiſtam eſſe oſtendere conaris, ipſe ne ſophiſticam quidem, ſed ſenſui communi repugnantem producis rationem. Quis enim umquam intelligens homo tibi dederit, poteſtatem conſiſtere 41 in jubendo tantum aut imperando? *Certe una voce omnes docti affirmant, radicem & fontem ejus quod quis imperet, ſeu poteſtatem imperandi habeat, eſſe virtutem, aut excellens ingenium, ex quo veluti habitu talis actus proficiſcatur.*

41 Non in jubendo tantum aut imperando, ſed in eo, quod ea fiant, quæ quis imperat & jubet. Sic enim ipſe Francken proxime dicentem Socinum fecit in illis verbis, *ut omnia extra ipſum fiant, quæ juſſerit.*

SOCINUS.

Falſiſſimum eſt, virtutem, aut ingenium eſſe cauſſam datæ poteſtatis. Nam ſcriptura etiam ethnico & malo magiſtratui obedire jubet.

FRANCKEN.

Veriſſimum eſt quod dixi, tum quia rationi eſt conſentaneum, poteſtatem eſſe quendam quaſi habitum unde actus jubendi eliciatur: tum etiam quia teſtes habeo omnes eruditos, qui docent ingenioſos natura eſſe dominos: ſtupidos autem & ſtolidos natura eſſe ſervos. Quod ſi quando accidat illos ſervire, hos verò dominari, id non naturæ adſcribendum eſſe, ſed iniquitati fortunæ. Sic etiam quod malis dominis obediendum eſt, id non per ſe fieri credendum eſt, ſed ex accidenti, nempe ut majus malum evitetur.

SOCINUS.

Loquutus ſum ego non de naturali, ſed civili poteſtate, quæ in actum erumpit 42 non quia imperanti inſit, *ſed quia extrinſecus accedat.*

42 Etiamſi hoc recte intellectum & proprie acceptum veriſſimum eſt, non tamen ſic umquam locutus eſt Socinus. Sed tantum dixit, nullam vim ineſſe imperanti, unde civilis poteſtas omnino proficiſcatur.

FRANCKEN.

Mirabilis tu philoſophus, qui non vides quamcumque poteſtatem ſignificare quempiam aliquid poſſe, ſive proprio Marte, ſive per alios efficere: & illud ipſum poſſe, licet extrinſecus adveniat, tamen poſtea quam advenerit 43 eſſe in eo, qui illud poſſit. *Sed nolo diutius in refellenda hac poteſtate parum ad rem faciente laborare.*

43 Minus recte ac proprie iſtud eſt dictum. Multa ſiquidem adveniunt extrinſecus, quæ illius ſubſtantiam non ingrediuntur, cui adveniunt, inter quæ eſt, plurimum aliquid poſſe. Sed verbi Poſſe ambigua ſignificatio nimirum Francken fefellit. Aliud eſt enim Poſſe ex propria vi, vel ſibi innata, vel aliunde comparata. Aliud verò Poſſe ex vi aliena & externa, & ex eorum, in quos Poſſe iſtud exercetur, voluntate. Hæc ſane numquam illum ingrediuntur, qui ex ipſis poteſt. Quare nec ipſum tale poſſe revera eum ingreditur, neque in ipſo ineſt.

SOCINUS.

Immo maxime ad rem facit à me adducta, exempli gratia, civilis poteſtas: ſiquidem ex ea quidam gradus jaciuntur ad cognoſcendam ineffabilem & divinam Chriſti poteſtatem, propter quam ſolam adorari meretur.

FRANCKEN.

44 Maxima illa & divina Chriſti poteſtas, quæ te movet *ad dividendam inter Deum & Chriſtum adorationem, eadem tritheitas impellit ad divinam eſſentiam inter Deum, & Chriſtum, & Spiritum Sanctum partiendam: eademque paullo latius extenſa Trinitarios ita faſcinat, ut tres divinas & æquales ὑποστάσεις conſtituant. Quare ſicut illi ob diviſam inter tres perſonas divinas eſſentiam tres ponere Deos coguntur: hi verò ob diviſas hypoſtaſes tres divinas ſaltem perſonas fabricare compelluntur: ita tu ob diviſam inter Deum & Chriſtum divinam adorationem* 45 ex ipſo quoque Chriſto ſimilem facere Deum

debebis. 46 Et ſanè nullus umquam *in Chriſtiana religione doctus vir fuit, nec nunc præter te quiſquam eſt, nec poſthac, ut arbitror, futurus eſt, qui dicat religioſam adorationem tribui poſſe ulli quantumvis excellenti creaturæ.*

44 Si maximam hanc & divinam Chriſti poteſtatem agnoſcit Francken, mirum eſt ſi & ipſe non movetur ad tribuendum illi cultum religioſum. Quod ſi non agnoſcit, multò magis mirandum eſt, eum tot apertiſſima ejus rei divina oracula aut non videre aut ſpernere, præſertim cum nulla ratio obſtet. Certiſſimum eſt enim, potuiſſe Deum hanc poteſtatem Chriſto concedere. Voluiſſe autem adeò eſt veriſimile, ut aliter credi nequeat; ſi modo certum eſſe velimus, Deum in ſalute noſtra per Chriſtum procuranda nihil omiſiſſe, quod ad nos, noſtri arbitrii libertate manente, aut certe non coactos ſed volentes ſervandos, & ad ipſius gloriam patefaciendam maximè pertinere poſſet.

45 Non cogitur Socinus ob tributam poſt Deum Chriſto adorationem (non autem ob diviſam inter ipſum & Deum) Chriſtum talem Deum facere, qualem vel Tritheitæ, vel Trinitarii faciunt, ſed hoc illi tribuendo Chriſtum Deo ſimilem agnoſcere ſe oſtendit. Nam & talis in ſacris litteris deſcribitur, non ſolùm, poſtquam maximam illam, divinamque poteſtatem planè eſt adeptus, ſed etiam antea. Unde factum eſt, ut antea quoque, ipſo minime repugnante, aliter quàm civili ratione non ſemel adoratus fuerit. Vide Matth. cap. 26. ℣. 17. & Joh. 9. ℣. 38.

46 Injuria afficit Francken complures, qui hac de re idem aut ſenſerunt, aut ſentiunt, quod Socinus, & ne de iis, qui hodie vivunt, quidquam dicamus, duos tantùm nominabimus, quorum alter ante annos amplius mille ducentos, alter verò noſtra ætate vixit. Ille Photinus fuit quondam Sirmii epiſcopus, hic verò Lælius Socini patruus, quorum uterque, præcipue autem Photinus, ipſorum etiam adverſariorum teſtimonio, divinarum litterarum doctiſſimus fuit, & tamen uterque, licèt Chriſtum rem creatam prorſus eſſe ſtatueret, ei nihilominus religioſam adorationem tribui non tantum poſſe, ſed etiam debere contendit.

SOCINUS.

Non divido adorationem eam, quæ ſoli Deo debetur, inter Chriſtum & Deum: ſed dico Deum adorari 47 tamquam authorem rerum omnium, *Chriſtum autem* 48 ut quoddam medium per quod ejuſmodi adoratio tendit in Deum.

NOTÆ.

47 Hoc intelligendum eſt, quod attinet ad diſtinctionem inter Dei, & Chriſti adorationem, id eſt, ad oſtendendum poſſe Deum adorari ob rem aliquam, & aliqua ratione, ob quam & qua Chriſtus non poteſt. Alioqui etiam citra id, quòd Deus ſit auctor rerum omnium, adorari is à nobis & poteſt, & debet.

48 Sic erat enuncianda pars iſta, *ut eum, per quem Deus communicata cum illo divina ſua poteſtate nos regat atque gubernet, omniaque vera bona perpetuo nobis largiatur.* Non autem ita loquens Socinus inducendus, ut nec ſatis ad rem loqui videri poſſit, nec id dicere quod ſit verum. Quandoquidem adoratur Deus ea adoratione, quæ illi ſoli debetur, etiam ſine medio iſto adorationis Chriſti. Nec Chriſti adoratio conſtituta eſt, ut ſit proprium medium adorandi Dei. Licet veriſſimum ſit, qui Chriſtum adorat, ipſum Deum adorare.

FRANCKEN.

Cum una & eadem numero ſit adoratio, quæ in Chriſtum tendit, & per hunc in Deum. Negari non poteſt hanc adorationem 49 intellectu in duas diviſam partes, quarum altera reſpicit in Chriſtum, altera verò in Deum.

49 Nec re ipſa, neque intellectu dividitur adoratio iſta. Sed eadem ipſa adoratio tota, quæ Chriſti eſt, ad Deum refertur, & eadem, quæ in Chriſtum reſpicit, tota in ipſum Deum reſpicit, quamvis Chriſtus non ſit ipſe Deus. Nempe quia Chriſtus ipſi Deo ſubordinatus eſt. Nam quod Francken de hujus adorationis potiore parte Socinum reſpondentem facit, ipſius figmentum eſt.

SOCINUS.

Potiorem hujus adorationis partem non divido, ſed ſoli Deo adſcribo.

FRANCKEN.

Quando ſcriptura ſolum Deum adorari jubet loquitur de tota adoratione, non de aliqua ejus parte.

SOCINUS.

Scriptura loquitur de adoratione quæ exhibetur 50 Deo, ut rerum omnium parenti & architecto.

50 Rectiùs erat, *Alicui ſimpliciter: propter ipſum.*

FRANCKEN.

Si Deum adorari jubet ſcriptura, ut rerum omnium parentem, Ergo Chriſtus 51 cum ſit medium hujus adorationis, *erit quoque medium creationis, conſervationis, & gubernationis mundi hujus: ſicque revolvemur in Trinitariorum errorem.*

51 Chriſtus eſt medium hujus adorationis non per ſe, ſed per accidens. Quatenus ſcilicet, qui Chriſtum adorat, ipſum Deum adorat; idque, ut dictum eſt, quia Chriſtus ipſi Deo eſt ſubordinatus. Atqui non poſſet Chriſtus tanta poteſtate præditus Deo ſubordinatus eſſe, niſi Deus omnium rerum parens foret. Neque enim poteſt tanta poteſtas ab alio proficiſci, quàm ab omnium rerum parente. Verùm hoc ex accidente eſt, quod attinet ad hoc ut Chriſtus ſit medium quoddam adorandi Dei. Id enim per ſe nihil aliud requirit, niſi ut Chriſtus Deo ſit ſubordinatus. Ratio Francken fortaſſe bona eſſet, ſi Chriſtus ejuſque adoratio per ſeipſa, exque natura ſua eſſet medium adorandi Dei tamquam rerum omnium parentis. Alioqui ejus fallacia vel hoc exemplo coarguitur. Fides quæ adhibetur prophetis Dei aliquid ejus nomine promittentibus, eſt medium adhibendi fidem ipſi Deo tamquam effectori & datori omnium quæ promittit; & tamen non ſunt prophetæ medium iſtius effectionis & dationis.

SOCINUS.

Non eſt neceſſarium, ut qui medium eſt adorationis, ſit etiam medium creationis.

FRANCKEN.

Probo eſſe neceſſarium, & quidem ex tuis verbis: Inter medium & finem debet eſſe analogia & proportio aliqua: alioqui non juſta ratione diceretur medium. Atqui finis adorationis, ut paulo antè dixiſti, eſt Deus 52 quatenus author eſt *rerum omnium, id eſt, creationis mundi hujus. Ergo Chriſtus eatenus eſt medium adorationis, quatenus medium eſt creationis.*

52 Hoc, ut diximus, ex accidente eſt, quod pertinet ad Chriſti adorationem, adque eum finem cujus ipſa eſt medium. Interim tamen accipiat Francken hanc quoque inſtantiam ad ſuam argumentationem. Sancti Dei homines honore aliquo affici debent; cujus honoris finis eſt ipſe Deus, quatenus auctor eſt omnis excellentiæ & dignitatis, quæ in rebus creatis invenitur. Nec tamen ſancti Dei homines ſunt medium iſtius auctoritatis. Itaque agnoſcat Francken, debere quidem inter medium & finem eſſe aliquam proportionem; ſed non eam, quam ipſe eſt arbitratus.

SOCINUS.

53 Quotquot ego *vidi adorationis Chriſti oppugnatores, omnes tandem in atheiſmum ſunt prolapſi: quod & tibi accidet, niſi ſententiam mutaveris.*

53 Quid

53 Quid verò attinebat in deſcribenda diſputatione ea commemorare, quæ Socinus non aliquid probandi, aut refellendi gratia, ſed tantùm Francken commonefaciendi paullo liberiùs dixit? Quamquam non dixit Socinus, omnes, quos ipſe vidiſſet, adorationis Chriſti oppugnatores tandem in atheiſmum fuiſſe prolapſos, ſed neminem ſe ex iſtorum numero adhuc noviſſe, qui Chriſtiana pietate, & vitæ ſanctimonia eſſet præditus, immo nonnullos ex ipſis ſe vidiſſe aut ſciviſſe Epicureos & planè atheos factos. Nec mirum eſſe, cum hæc ad epicureiſmum & atheiſmum homini Chriſti ſacris initiato via compendiaria quædam foret.

FRANCKEN.

Quod tu malum narras ex neglectu adorationis Chriſti ortum, 54 *idem Trinitarii nobis objiciunt, tamquam ex contemptu divinæ Chriſti naturæ natum. Quamobrem, ſi quàm longiſſimè abeſſe volumus ab atheiſmo, tunc quàm proximè ad Trinitariorum ſuperſtitionem accedamus neceſſe eſt. Sed redeamus quæſo ad propoſitum: Chriſtus non eſt ſocius creationis: Ergo neque adorationis.*

54 Nulla eſt cauſſa, cur Trinitarii nobis hoc idem objiciant, quippe cum ex doctrina noſtra nullo modo ſequatur, Jeſum non eſſe Chriſtum, (immo revera eſſe plurimùm confirmetur) quemadmodum ſequitur neceſſariò ex doctrina de non adorando Jeſu, qui dicitur Chriſtus: quod ubi perſuaſum ei fuerit, qui Judæos & Mahumetanos errare novit, quid relinquitur porrò, niſi ut ſine ulla religione vivat, & tandem atheus fiat?

SOCINUS.

Nego conſequentiam. Quamvis enim Chriſtus non ſit creationis ſocius, eſt tamen divinæ poteſtatis ſocius; id quod ſufficit, ut ſit divinæ etiam adorationis capax.

FRANCKEN.

55 Nec divina iſta poteſtas eſt adoratione religioſa digna, niſi *eam ad divinam uſque naturam extendamus, quemadmodum faciunt Trinitarii, exiſtimantes indiſſolubili nexu colligatam eſſe divinam poteſtatem cum eſſentia & adoratione divina, verumque eſſe idololatram, qui adorationem à* 56 deitate *ſejungit.*

55 Mirum ſanc eſt, ut ſupra attigimus, quòd Francken hoc dicat, cum planè conſtet, quemadmodum ante numero 24 monuimus, ſicut humanæ poteſtati humanus cultus debetur, ſic divinæ deberi divinum. De poteſtate autem loquimur ſumma, cum imperio videlicet ac dominatione conjuncta; qualem Socinus unà cum divinis ſcriptoribus affirmat eſſe eam, quam Chriſtus ex Dei Patris dono habet. Ut nihil dicamus, quod ipſæ ſacræ litteræ apertè monent, Deum hac ipſa poteſtate Chriſto danda id curaſſe, ut ab omnibus divina ratione coleretur & adoraretur. Vide Joh. 5. 22, & 23; & Philipp. 2. 9, & 10.

56 Vera loquerentur, ſi hoc nomine omnem deitatem intelligerent. Nunc cum planè æternam ac naturalem intelligant, turpiter falluntur, atque interim ſanctas litteras imprudentes mendacii tacitè inſimulant.

SOCINUS.

Decipiuntur ipſi 57 ratione *ſubvertentes Theologiam.*

57 Immo ſophiſmate, & paralogiſmo τῆς ὁμωνυμίας ſive æquivocationis, ſimul & propriæ ignorationis elenchi.

FRANCKEN.

Diſſolve igitur, ſi potes, iſtorum rationes: ſic enim argumentantur: 58 *Ii veri ſunt Idololatræ, qui ſerviunt, id eſt adorant ſeu invocant eos, qui natura non ſunt Dii.* Gal. 4. *At tua ſententia Chriſtus non eſt natura Deus: ergo qui ad eum propriè dirigis tuam invocationem es verus idololatra.*

Deinde, qui conſervos ſuos, & 59 qui ſunt ex fratribus *religioſo cultu adorant, vel invocant, ii ab ipſo ſpiritu ſancto per Angelum reprehenduntur & damnantur.* Apoc. 19. At 60 Chriſtus ſi purus eſt homo, eſt conſervus *& unus ex fratribus noſtris: Ergo Chriſtus non eſt adorandus vel invocandus.*

Præterea 61 qui creaturam invocat, *aut adorat cultu religioſo eſt in Deum blaſphemus,* Deut. 4. 6. 10. 17. Matth. 4. *At Chriſtus tibi eſt pura creatura. Ergo qui eum adoras, in Deum es blaſphemus.*

Adhæc, 62 Ex ipſa Dei *perſona loquens Hieremias,* cap. 17. *maledictum pronunciat virum illum, qui fiduciam habet in homine, & ſi statuit carnem brachium ſuum: Chriſtus autem ut tua fert ſententia, verus eſt,* & 63 nihil aliud quàm homo; *qui autem religioſo cultu quempiam hominem adorat, aut invocat, ille fiduciam ſuam in eo habet, quem ita invocat & adorat. Quare qui ad ipſum Chriſtum adorationem tuam dirigis, aut invocationem, ex ipſius Dei ore maledictus es.*

Poſtremo, 64 Dei gloria eſt *adoratio religioſa, quam Deus per Eſaiam cap.* 42. *ait ſe alteri nolle dare: Ergo neque Chriſto dedit, ſi ipſe non ſit Deus.*

58 In hoc argumento eſt fallacia æquivocationis, in voce Naturâ. Ea enim in loco ad Gal. nihil aliud ſignificat quàm Reipſa, & opinationi opponitur. Quemadmodum ibidem annotavit Theodorus Beza. Atqui hoc ſenſu Chriſtus Socini ſententiâ eſt naturâ Deus. Iſta autem vel ſimilis ejus vocis ſignificatio animadverſa eſt à vetuſtioribus & recentioribus etiam quibuſdam cap. 2. Epiſtolæ ad Epheſios in illis verbis: *Eramus natura filii iræ.* Ubi Hieronymus fatetur vocem Græcam φύσει eſſe ambiguam.

59 Angelus non dicit ſe eſſe ex fratribus, ſed ſe eſſe conſervum Johannis, & fratrum ejus. Deceptus autem eſt Francken, ſeu quivis alius Bezæ interpretatione, quæ hoc loco, judicio noſtro, nulli docto probari umquam poterit.

60 Immo Chriſtus homo eſt dominus omnium noſtrum, adeoque angelorum omnium. Sic, ut nunc non modò conſervus noſter ſimpliciter dici nequeat, quod nec umquam potuit, ſed ne Dei quidem ipſius ſervus proprie dici poſſe videatur. Unde verba illa Pauli 1 Cor. 15. *Tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ipſi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Hinc enim apertè conſtat, Paulum ſenſiſſe, non poſſe Chriſtum hominem, cui Deus omnia ſubjecit, hoc tempore propriè Deo ſubjectum dici; quare neque etiam propriè ejus ſervum.

61 In nullo ex locis, qui hic citantur, hoc revera dicitur. Sed tantùm ex loco Matth. cap. 4. intelligitur præceptum à Deo fuiſſe, ut ipſi ſoli ſerviretur. Atqui hoc non pugnat cum Chriſti rei creatæ cultu. Siquidem cultus qui Chriſto exhibetur, ipſius Dei cultus eſt. De quo latiùs infra. Præterea eſt in hac Francken argumentatione Elenchi ignoratio illa, quæ dicitur non ſecundum idem tempus. Omnia enim iſta oracula ante Chriſtum glorificatum edita ſunt. Nos autem poſt Chriſtum glorificatum loquimur, quo tempore alia divina teſtimonia extitiſſe contendimus, quibus moneamur, ut Chriſtum, licèt rem creatam, adoremus. Quamquam ſumma illa ac divina in nos poteſtas, quam Chriſtus poſt ſuam in nos glorificationem adeptus eſt, ſatis per ſe ipſa ejus rei nos admoniſſe poterat.

62 In hac ratiocinatione ſubeſt fallacia, A ſecundum quid ad ſimpiciter. Maledictum pronunciat Deus apud Hieremiam eum virum, qui fiduciam habet in homine, ſed non in quovis homine, nec quacumque ratione. Verùm in eo homine, qui ab ipſo Deo opi ferendæ conſtitutus non ſit, & quatenus nihil aliud eſt, quàm homo, id eſt, divinis viribus non eſt præditus, unde fiat, ut qui in ejuſmodi homine fiduciam collocet, ab ipſo Deo recedat. Propterea ibidem poſt verba à Francken recitata ſtatim ſubjungitur, *& à Jehova recedit cor ejus.* Qui igitur ita in homine fiduciam habet, ut interim nullo pacto à Deo ejus cor recedat, quippe qui hominē, cui confidit, divina poteſtate præditum eſſe agnoſcat, idq; ipſius Dei conſilio, in eum finē, ut ſibi opem ferat,

is ſane Dei ſententia illa maledictus non eſt. Immo maledictus eſt eadem Dei ſententia is, qui ejuſmodi homini confidere renuit. Deo enim ipſi renuit confidere; atque ita à Jehova recedit cor ejus. Sic enim in re ſimili loquitur Paulus 1 Theſſ. 4. ỳſ. 8. *Itaque*, inquit, *qui ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nobis.* Adde, quod ex verbis illis, *& ſtatuit carnem brachium ſuum*, non obſcure ob vocem carnis colligitur, ibi hominem ſignificari non ſolum mortalem & caducum, ſed etiam divina prorſus potentia deſtitutum. Quorum hoc numquam revera de Chriſto dici potuit; illud verò poſt ejus glorificationem plane eſt falſum. Nam præter ea carnis appellationem glorificatis hominibus non convenire docet Paulus, cum ait, *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt* 1 Cor. 15. ỳſ. 50.

63 Hæc verba numquam dixit Socinus de Chriſto, præſertim poſtquam glorificatus eſt. Nec porrò ea ex ipſius ſententia vera eſſe poſſunt ullo modo, ſi ad locum ex Hieremia citatum referantur. Ut ex proxime dictis intelligi poteſt. Vult enim ipſe, Chriſtum non modo divinis viribus eſſe præditum, ſed iis tantis, quantæ ſatis eſſe poſſunt ad nos beandos, ac vera & perpetua felicitate donandos.

64 De hac ratione, deque Eſaiæ loco mox videbimus.

SOCINUS.

65 Rationes iſtæ *ex Sacris Litteris depromptæ nihil aliud concludunt, quam Chriſtum non eſſe adorandum ut rerum omnium auctorem. Id quod jam toties à me eſt dictum.*

65 Apparet ex prædictis rationes iſtas (de ultimâ nihil dicimus, ad eam enim nihil adhuc eſt reſponſum) nullius eſſe ponderis. Etiam abſque eo, quod hic dicitur Quamvis hoc ſolum ſine dubio ſatis eſſe poſſit ad illas fere omnes penitus convellendas. Nam ad ſecundam evertendam alia reſponſione eſt opus.

FRANCKEN.

66 Quoties id à te eſt dictum, toties idem à me eſt refutatum. *Cæterum ad ultimam rationem nullam adhuc audivi reſponſionem.*

66 Quam hoc verum ſit, intelliget facile quiſquis ea legerit, quæ huc uſque à Francken ſcripta, & à nobis in ejus dictis notata ſunt.

SOCINUS.

Illud Eſaiæ dictum: Gloriam meam alteri non dabo, 67 ſic eſt interpretandum: Non ſinam gloriam meam ab altero accipi, & ſibi arrogari contra voluntatem meam.

67 Immo ſic, ex Socini quidem mente. Non permittam alteri meam gloriam. Id eſt, non permittam ut alius habeat meam gloriam. Quod profecto contra aut citra ipſius decretum habendam gloriam denotat, non autem ex ipſius decreto manifeſto. Tunc enim non quidem permittere, ſed ipſe revera dare eam gloriam diceretur. Verbum autem Dandi non veram dationem, ſed permiſſionem tantum ſignificare in Sacris Litteris interdum ſolere, oſtendunt hi loci, Gen. 20. 6. & cap. 31. ỳſ. 7., Exod. 3. ỳſ. 19. & cap. 12. ỳſ. 23. In quibus omnibus conſulendi ſunt Hebræi codices, qui idem verbum hîc ubique habent, quod in loco illo apud Eſaiam. Adde autem iis locis Pſal. 16. verſ. 10. ubi verbum Dandi in Latinis ipſis codicibus legitur. Idemque agnoſcitur à Petro apud Lucam Actor. cap. 2. verſ. 27. Jam quod omnino verbum Dare in Eſaiæ loco ſignificet Permittere, demonſtrant ſequentia verba: *Nec laudem meam ſculptilibus.* Numquid enim dubitari poterat, ne Deus ipſe curaret, ut ſculptilia ſua ipſius laude afficerentur.

FRANCKEN.

68 Hoc eſt oppoſitum *interpretari per oppoſitum, id eſt, activum Non dabo, per paſſivum, Non patiar accipi, vel rapi contra meam voluntatem: quod quidem perinde eſt, ac ſi quis contrarium contrario explicans, dicat: album eſt, id eſt, nigrum eſt. Quo nihil dici abſurdius poteſt.*

68 Cum jam oſtenſum ſit, Francken Socini mentem in Eſaiæ loco explicando hactenus minime aſſecutum fuiſſe, non eſt quod ad rationes contra explanationem verbi Dandi, quam Socini eſſe putabat, ab ipſo allatas quicquam reſpondeamus. Præſertim cum illæ ejuſmodi ſint, ut etiam alioqui nullius reſponſionis indigere videantur.

SOCINUS.

* Certum eſt aliquando in Sacris Litteris Dare poſitum eſſe pro Accipere.

* Hoc numquam Socino in mentem venit, quod non ſolum eſt falſiſſimum, ſed nihil etiam ad propoſitum facit. Niſi velimus Socinum dixiſſe, verba Dei apud Eſaiam ita accipienda eſſe, ac ſi dixiſſet, ſe gloriam ſuam alteri non accepturum. Quo quid ineptius? Nam ne ab ipſo quidem Francken interpretatio iſta, ſed longe alia hîc Socino tribuitur. Quamquam Francken aliud plane ſentiens, quam ipſa verba ſonent, cum Socinum dicentem facit, Dare pro Accipere aliquando in Sacris Litteris poſitum eſſe, id non ejuſdem perſonæ reſpectu quæ dare dicitur, ſed alterius intelligit. Alioquin ſeipſum in ſequenti reſponſione nihil dicentem faceret, quod vel manifeſte falſum non eſſet, vel ad rem quidquam omnino pertineret.

FRANCKEN.

Quoniam dare & accipere ſunt correlativa, poteſt unum poni pro altero. Verum cum dare & contra voluntatem alterius accipere, id eſt, per vim rapere, non ſe mutuo reſpiciant, non poteſt alterum ſubſtitui in locum alterius.

SOCINUS.

Poteſt hoc etiam modo illud Eſaiæ dictum interpretari, Gloriam meam alteri non dabo, id eſt, 69 totam *meam gloriam alteri non* 70 cedam. *Chriſto autem data eſt pars tantum hujus gloriæ.*

69 Propriam fortaſſe dixit Socinus. Eſt autem Dei propria gloria, ut ipſe primus auctor omnium bonorum eſſe agnoſcatur, & ad ipſum omnis adoratio referatur, atque in ipſo conquieſcat. Hanc gloriam certe Chriſto non dedit Deus.

70 Si hoc verbum in hac Socini interpretatione Francken agnoſcit, nihil eſt cur eum dicentem faciat, Chriſto partem tantum hujus gloriæ fuiſſe datam, vel ullam totius gloriæ mentionem facientem eum inducat. Id enim cedit quis, quod ſibi non retinet. Atqui nec umquam Socinus dixit, nec ejus ſententiæ eſt à Francken objectum, quod inde ſequatur, Deum ſive totam ſuam gloriam, ſive partem ejus ita Chriſto dediſſe, ut ſibi eam non retinuerit. Quamquam nemo negare poteſt, quin aliquo modo recte dicatur, Deum ſuæ gloriæ partem ita Chriſto dediſſe, ut eam ſibi non retinuerit. Teſtatur enim ipſe Chriſtus, Patrem non judicare quemquam, ſed omne judicium filio dediſſe, idque ut omnes honorificent filium ſicut honorificant Patrem, Joh. 5. ỳſ. 22, 23: tantum abeſt, ut abſurdum videri queat, ſi Deus partem ſuæ gloriæ, quam interim ſibi omnino retinuerit, cum Chriſto communicaverit: Idve ipſius Dei verbis illis apud Eſaiam ullo modo repugnet, in quibus, ſine dubio, de ita danda gloria agitur, ut ea non amplius dantis ſit; hoc enim alteri ſive alii ſuam gloriam dare proprie ſignificat.

Jam

Jam verò, quod judicium in homines exercere, & conſequenter gloria quæ inde manat, ad ipſum Deum pertineat, probatur Gen. 18. ℣. 25. ubi Deus ὁ παντοκράτωρ judex univerſæ terræ appellatur.

FRANCKEN.

71 Iſtud non eſt interpretari, ſed torquere ſcripturam. *Nam eodem modo quis poſſit totas ſacras litteras in abſurdiſſimos, planeque contrarios ſenſus trahere, ut primum illud præceptum: Non habebis Deos alienos præter me (ut hoc unum pro multis exempli gratia ponam) te magiſtro ſic interpretabimur: Non habebis Deos alienos præter me,* 72 quibus totum honorem mihi debitum tribuas: 73 habebis autem *alios Deos, quibus meæ partem gloriæ impartias. Sed hæc tibi fortaſſe non abſurda videntur. Ad illud velim mihi planè reſpondeas, cur Chriſtus particeps ſit ejuſdem gloriæ divinæ, qui non eſt particeps ejuſdem eſſentiæ divinæ.*

71 Jam ſupra innuimus, Socinum Dei gloriam apud Eſaiam, non Totam interpretatum fuiſſe, ſed fortaſſe Propriam. Qua interpretatione quid mollius, aut ipſis verbis accommodatius? Immo quid magis neceſſarium, ſi verbum Dandi propria ſignificatione accipiamus. Cum apertiſſimè conſtet, Deum alioqui ſuam gloriam cum hominibus, ne de angelis quicquam dicamus, ſæpe communicare? Quin in ipſa creatione ſuam gloriam cum homine communicavit Deus. Qua de re legatur Pſal. 8. Atque ut initio finis reſpondeat, legimus alibi, Deum vocaſſe nos per Jeſum Chriſtum ad ſuam æternam gloriam 1 Pet. 5. verſ. 10. Sed finge Socinum non Propriam, ſed Totam dixiſſe. Numquid hoc eſt torquere ſcripturam, Meam gloriam, pro, Totam meam gloriam interpretari? An non potiùs is ſcripturam torquet, qui hoc loco Meam gloriam Meæ gloriæ partem interpretatur? Nam profectò qui, exempli cauſſâ, dicit, ſe non daturum alii ſuum patrimonium, is ſi partem ſui patrimonii alicui dederit, nihil faciet contra id quod dixit. Denique ipſa vis verborum, atque adeò ipſe ſenſus communis docet, cum quidquam ſimpliciter nominatur, non partem ejus, ſed totum debere intelligi, niſi ſubjecta materia aliud ſuadeat, vel loquendi uſus alicubi vim verborum immutaverit.

72 Quid hoc rogo ad propoſitum? Ubi enim in allato exemplo ulla honoris Deo debiti expreſſa mentio; ita ut quæri poſſit, num de toto honore iſto, an verò de parte etiam, ſint præcepti illius verba accipienda?

73 Quaſi verò quicquid non prohibetur, juſſum eſſe intelligatur. Igitur non *Habebis autem*, ſed *Habere autem poteris*, dicendum ſaltem fuerat, quando tali exemplo, licet ad rem nihil faciente, idque tali ratione uti certum erat.

SOCINUS.

Non propter eſſentiam ſortitus eſt Chriſtus tantum honorem, ſed propter poteſtatem excellentem.

FRANCKEN.

Cum hæc poteſtas non pertingat ad 74 excellentiam divinam *quomodo meretur excellentiſſimum honorem divinum?*

74 Hîc manifeſtè aut ſeipſum refellit Francken, aut Socini ſententiam confirmat in interpretatione vocis Gloriæ Dei apud Eſaiam. Nam ſine dubio ipſo ſimplici Excellentiæ divinæ nomine totam aut certè ſupremam, ac Dei omnino propriam divinam excellentiam intelligit. Pro conceſſo enim ſumit, quod ait, Chriſti poteſtatem non pertingere ad excellentiam divinam, nec Socinum in reſponſione huic enunciato quidquam objicientem facit, ſed potiùs illi tacite aſſentientem. Atqui ipſemet Francken ſuprà Socinum inducit tribuentem Chriſto ineffabilem & divinam poteſtatem. Quod profectò oſtendit, Francken non putaſſe Socinum ſibi conceſſurum, Chriſti poteſtatem non pertingere ad excellentiam divinam, niſi excellentiæ divinæ nomine, aut Tota, aut Dei omnino propria divina excellentia intelligeretur. Hoc autem ſenſu nomen iſtud à Francken prolatum fuiſſe, indicat præterea id quod infert de excellentiſſimo honore divino. Nam alioqui de excellente tantùm divino honore intuliſſet, quod ejus cauſſam magis juvaſſet, ac Socino ſequentem reſponſionem ademiſſet.

SOCINUS.

Chriſto non datur excellentiſſimus ille honos divinus: non enim adoratur ut naturæ totius parens & architectus.

FRANCKEN.

75 Cauſſa igitur cur Deus adoretur, eſt, quòd ſit rerum omnium parens. At hæc cauſſa Chriſtum non habet medium: Ergo neque Chriſtus adorandus eſt ut mediator.

75 Paralogiſmus hîc eſt manifeſtus à ſecundum quid ad ſimpliciter. Neque enim, ut ſupra numero 47. attigimus, hæc tota, id eſt ſola, eſt cauſſa, cur Deus adoretur. Sunt enim & aliæ cauſſæ, veluti imperium in nos ac dominatio divina, unà cum beneficentia ſumma, perpetuaque noſtrum omnium cura conjuncta, quas religioſæ adorationis cauſſas, cum Chriſto communicavit, eumque ipſarum ratione medium inter ſe & nos conſtituit. Rurſus, quod Deus ſit omnium rerum parens, ſi aliqua ratione ſola & propria cauſſa eſt, cur Deus adoretur, id non ſimpliciter eſt verum, ſed quatenus propter ſeipſum prorſus adoratur, & omnis adorationis finis ſtatuitur. Itaque nihil impedit, quominus hæc cauſſa non habeat Chriſtum medium, & tamen Chriſtus adorandus ſit alia ratione, quàm plane propter ſeipſum, ſeu quia omnis adorationis finis ſtatuatur, videlicet ut mediator. Quod ſi Francken hoc loco idem intelligit, quod ſuprà dixit, non poſſe per Chriſtum tamquam medium adorari Deum ut rerum omnium parentem, videndum eſt, quid nos ibi reſponderimus numero 51, & 52.

SOCINUS.

Chriſtus eſt ſaltem 76 mediator redemptionis, id quod ſufficit ad hoc, ut & medium ſit divini honoris.

76 Si Redemptionis nomine intelligitur ipſa cum effectu liberatio ab æterna morte, aliiſque pœnis peccatorum, rectè omnino loquens Socinus inducitur. Quicumque enim eſt mediator hujus liberationis, id eſt à Deo conſtitutus in hoc, ut hanc liberationem nobis reipſa poteſtate ſua conciliet, qualem nos Chriſtum eſſe aſſerimus, is certè ob hanc ipſam cauſſam divino honore à nobis affici debet, & qui Deo ipſi, eo quod nos hac ratione redemerit, honor exhiberi debet, rectè per ipſius Chriſti adorationem illi exhiberi poteſt.

FRANCKEN.

77 Redemptio poſterior eſt creatione: *medium autem adorationis prius eſt termino ſeu fine adorationis: doce me ergo analogiam inter medium redemptionis & adorationis.*

77 In univerſa hac ratiocinatione & hîc & deinceps Francken dupliciter principium petit. Primùm, quia ponit terminum ſeu finem adorationis eſſe creationem, id eſt Deum quatenus eſt creator. Id quod nec ſimpliciter verum eſſe, & in adoratione potiſſimum, quæ Chriſto à nobis tribuitur, accidentale quiddam cenſeri debere, oſtenſum eſt ſupra numero 51, 52, & 75. Deinde quia pro certo ſumit, Socinum ita

ſtatuere Chriſtum medium divinæ adorationis, ut Deus adorari à nobis nequeat, niſi prius adoretur Chriſtus. Quod ne per ſomnium quidem umquam cogitavit ille. Vide quid ſcripſerimus ſupra numero 48. Quamquam hoc poſterius, quod, licet falſiſſimum, pro certo à Francken ſumi dicimus, ad Elenchi ignorationem potiùs, quàm ad principii petitionem pertinere videtur. Non eſt igitur quod quidquam præterea ad ejus argumentationem reſpondeamus.

SOCINUS.

Quod eſt poſterius poteſt eſſe medium prioris: quare medium redemptionis poteſt etiam eſſe medium adorationis.

FRANCKEN.

Poſterius poteſt quidem eſſe medium prioris, non tamen ſimpliciter, ſed nobis tantum, atqui nobis prior eſt origo noſtri, quàm redemptio: ergo & 78 Deus prius adorandus eſt, ut rerum omnium author, fons & origo, quàm Chriſtus ut redemptionis mediator.

78 Quis hoc negavit umquam? Quamquam non videmus quomodo Francken id ex ſuis præmiſſis colligat. Ex iis enim, ut quidem verba ipſa concepta ſunt, potius contrarium colligi poteſt. Verum putamus in propoſitione aliam fuiſſe ipſius Francken ſententiam, quàm verba exprimunt. Nempe hanc; Tunc demum poſſe poſterius eſſe medium prioris, idque non ſimpliciter, ſed nobis tantum, cum id quod revera prius eſt, nobis eſt poſterius, & contrà. Quæ tamen propoſitio quàm vera ſit alii judicent.

SOCINUS.

Non eſt neceſſaria hac in re prioritas temporis, cum Deo relinquatur prærogativa dignitatis & excellentiæ.

FRANCKEN

Hanc tu prærogativam putas eſſe adorationem Dei ut rerum omnium parentis 79: *Sed quid magni tu Deo tribuis, qui* 80 purum hominem ejuſdem participem facis adorationis, *quæ alio reſpectu dirigatur in Deum, alio in Chriſtum, & quidem prius in hunc quàm in illum, cum tamen ſenſus communis dicat, cui præcipuus debetur honos, eidem deberi quoque* 81 primas partes honoris.

„79 Adde, Et proterea qui propter ſeipſum ſim„pliciter adoretur, & ad quem omnis adoratio refe„ratur, cuique Chriſtus in iis, propter quæ adoratur, „ſubordinatus ſit.

80 Quomodo vero? Numquid Socinus ait, Chriſtum adorandum eſſe tamquam rerum omnium parentem? Verum, ut ex ſequentibus patet, vult Franken dicere, Socinum ſtatuere, Chriſtum & Deum ſimul adorari, idque uno adorationis actu. Atqui hic ingens eſt elenchi ignoratio, & ſimul æquivocatio in verbis Francken, atque etiam fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter. Ignoratio elenchi in eo eſt, quod agebatur de adoratione Dei ut rerum omnium parentis, in qua Socinus Dei prærogativam conſtitueret. Atque in hoc nihil magni à Socino Deo tribui, ſe oſtenſurum præ ſe ferebat Francken, ut ſane hic ejus partes erant. Sed quid facit? Cum ad id oſtendendum aſſumere deberet, Socinum puro homini hanc eandem adorationem tribuere, aſſumit eum velle, ut purus homo & Deus uno actu adorationis ſimul adorentur, & ſic purus homo ejuſdem cum Deo adorationis ſit particeps. Itaque ludit in verbo *Ejuſdem*, non accipiens pronomen illud relative ad adorationem ante nominatam, ut accipere debuerat, ſed abſolutè, & nominis adjectivi loco. In quo mira eſt fallacia æquivocationis. Cui adjungitur, quod, cum uno adorationis actu Chriſtus & Deus ſimul adoratur, eſt quidem Chriſtus particeps ejuſdem adorationis cum Deo; verùm non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Deus enim in ea adoratione adoratur propter ſeipſum, & tamquam is, in quo omnis adoratio conquieſcat. Chriſtus verò non item. Jam quod interim Francken inducit Socinum, qui Chriſtum purum hominem faciat, ad hoc ſatis reſponſum eſt ſupra numero 63.

81 Propoſuit de prioritate temporis, & concludit revera de prioritate dignitatis & excellentiæ. Eſt igitur hic fallacia figuræ dictionis. Quaſi *primæ partes* ſimilis ut figura, ſic ſententia ſit locutio. Atque cum dicimus, verbi gratia, *primi fructus*. Aut ſi mavis æquivocatio eſt in voce *Primæ*.

SOCINUS.

Non ſolùm præcipuus honor, ſed etiam primæ partes hujus honoris Deo dantur: quoniam adoratio Chriſti eſt ipſius Dei.

FRANCKEN.

82 Chriſtus adoratur ut mediator, *Deus autem ut rerum omnium author, ſicut ergo Chriſtus non eſt omnium author, ita Chriſti adoratio non poteſt eſſe ipſius Dei.*

82 Si velimus ſcripturæ teſtimoniis agere, pluribus inſtantiis argumentatio hæc refelli poteſt. Hac verò potiſſimùm. Qui in Chriſtum credit, in ipſum Deum credit. Et tamen in Chriſtum, ſine dubio, ut in mediatorem creditur, in Deum verò ut rerum omnium auctorem, aut certè non ut mediatorem. Probat iſta quæ diximus omnia, vel unus ille locus Johan. 12. 44. ubi Chriſtus ipſe clamat, & dicit. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me.* Sed quando Francken ita vult, jam age cum ipſo rationibus tantùm diſputemus. Quadruplex igitur, ut quidem nobis videtur, in hac argumentatione eſt, aut eſſe poteſt, fallacia, æquivocationis videlicet, compoſitionis, accidentis, & à ſecundum quid ad ſimpliciter. Æquivocatio eſt in particula *ut*. Aliter enim ſumitur, cum dicitur Deus adorari ut rerum omnium auctor. Aliter verò cum Chriſtus adorari dicitur ut mediator. Ibi enim declarat cauſſam, & ſimul eſſentiam quandam ejus adorationis quæ eſt Dei propria. Hic vero neutrum facit quod attinet ad Chriſti adorationem. Neque enim cauſſa cur Chriſtus adoretur eſt, quòd ſit mediator, ſed quod habeat divinam illam poteſtatem, & alia quibus adoratio debetur. Nam quòd iſta habeat à Deo, & in iſtis ſit medius inter Deum, & nos, hoc, quod ad ipſam adorationem pertinet, ex accidente eſt. Non eſt etiam hæc mediatio, ſeu mediationis, quæ habeatur, ratio, eſſentia ulla adorationis, quæ Chriſti ſit propria. Quippe cum Chriſtus revera nullam propriam adorationem habeat, ſed omnis Chriſti adoratio ipſius Dei adoratio ſit, nec ut dictum eſt, ad ipſam Chriſti adorationem quidquam eſſentialiter pertineat, quòd ipſe ſit mediator, id eſt, non ex ſeipſo ea habeat, propter quæ adoratur. Itaque cum dicitur, Chriſtum adorari ut mediatorem, particulæ *Ut* vis eſt tantummodo oſtendendi, quod in Chriſto adorando non illi tribuitur, quòd ſit principium, ſed agnoſcitur interim eſſe medium quoddam inter nos & Deum. Sed dicet fortaſſe Francken, ſe non aliter ſentire, & dixiſſe, Chriſtum adorari ut mediatorem duntaxat, ut inde colligeret, ut fecit, Chriſtum non eſſe omnium auctorem. Verùmtamen quia iſta collectio neceſſaria non erat, cum ſatis per ſe conſtet, Chriſtum non eſſe omnium auctorem, idcirco voluimus, ſi fortaſſe vel ipſe Francken, cum dixit Chriſtum adorari ut mediatorem, alio tacitè reſpexiſſet; vel alius quiſpiam ex eo ipſo, quaſi argumentationem illius perficiens, concludere voluiſſet, cum Deus non adoretur ut mediator, non poſſe Chriſti adorationem ipſius adorationem eſſe, voluimus, inquam, æquivocationis fallaciam inſignem detegere, & ejuſmodi ſophiſmati occurrere. Jam vero compoſitionis fallacia in eo latet, quòd cum dicitur Chriſti adorationem eſſe ipſius Dei, ea quidem ipſa adoratio intelligitur, qua Chriſtus adoratur, ſed non tamen quatenus aliqua ratione ipſius Chriſti eſt. Porrò fallacia accidentis inde apparet, quod, ut numero 51. oſtendimus, quòd Deus per Chriſti adorationem adoretur tamquam omnium rerum auctor, id ex accidente

dente eſt, non ſolum quod attinet ad ipſam adorationem Chriſti, ſed etiam quod attinet ad hoc, ut Chriſti adoratio ſit ipſius Dei. Poſtremo, fallacia à ſecundum quid ad ſimpliciter in eo eſt, quod Deus adoratur quidem ut rerum omnium auctor, ſed non ſimpliciter, verum quatenus eſt omnis adorationis finis. Nihil enim prohibet quin aliam ob cauſſam aliaque ratione præter iſtam adorari queat, & porro adoretur. Ut explicatius diximus numero 75. Quo circa non eſt, cur vereamur ne Chriſti adoratio ipſius Dei eſſe non poſſit, quamvis Chriſtus ob eandem iſtam cauſſam, eademve iſta ratione non adoretur.

Socinus.

83 Demonſtrabo tibi ſimilitudine *quod dixi: quemadmodum liber iſte protruſus per mediam menſam non dicitur eſſe* 84 eorum *quos in curſu pertranſit, ſed ejus tantum, ad quem pervenit: ita Chriſti adoratio cum non permaneat in ipſo, ſed ulterius pergat in Deum, dicitur eſſe ipſius Dei.*

83 Egregium profecto hoc eſt, inducere Socinum demonſtrare conantem ſimilitudine id quod dixit, & interim nihil reſpondentem eum facere ad rationem contra ipſius dictum allatam.

84 Sic ſcribendum erat, *ejus ſpatii, eorumve locorum.* Namque ad hunc modum ſimilitudinem iſtam è re præſente, ut fit, attulit Socinus, non autem quod in ea vim aliquam magnam, ad id quod volebat demonſtrandum, poneret.

Francken.

Craſſiſſimam in re ſubtiliſſima afferſimis litudinem. Liber enim cum ſit res permanens, ſi per medium aliquod tranſeat, 85 non communicatur *ipſi medio: Adoratio autem res eſt ſucceſſiva, ut vocant, utpote quidam animi motus: quare neceſſario ab ipſo medio participatur, non ſecus ac motus caloris per medium aërem in lignum, neceſſario ipſi quoque aëri communicatur.*

85 Immo qua ratione liber iſte ei loco, in quo tandem conſiſtit, communicatur, eodem momento licet temporis iis locis communicatur, per quos tranſit. Neque enim alia ratione ei loco in quo conſiſtit communicatur, niſi quia ibi locatus eſt. Atqui in locis quoque per quos tranſit, prò eo tempore quo tranſit, quamtumvis breviſſimo, locatur, alioqui pro eo tempore nuſquam locatus eſſet. cum tamen neceſſe ſit, ut corpus, quale eſt liber, perpetuo alicubi ſit locatum. Nullum igitur in hac parte diſcrimen eſt, quod attinet ad id, de quo quæritur, inter rem ſucceſſivam & permanentem. Quamquam adoratio, quatenus eſt actus quidam, vix, aut ne vix quidem ſucceſſiva res dici poteſt. Eſt autem animadvertendum, quod Socinus non dixerat, Chriſti adorationem nullo modo eſſe ipſius Chriſti, ſed tantum, quæ Chriſti adoratio eſt, ipſius Dei adorationem eſſe. Nec ſimilitudine quam attulit, aliud oſtendere voluit, quam proprie & ſimpliciter loquendo, adorationem licet Chriſto exhibitam, & conſequenter ipſi communicatam, non ipſius tantum ſed Dei debere dici: utpote in quem, tamquam in ſuum finem, dirigeretur, ubi tandem conſiſteret. Itaque ſucceſſivæ etiam rei ſimilitudine omnino uti poterat; adeoque ea ipſa quam Francken attulit. Calor enim qui ad lignum aliquod accendendum adhibetur, quamvis aëri per quem tranſit communicetur, tamen proprie & ſimpliciter loquendo, non ipſius aëris eſſe, ſive ad ipſum aërem pertinere, ſed ligni illius eſſe, & ad illud pertinere dicetur.

Fragmenta Reſponſionis fuſioris, quam F. Socinus parabat, ad Franciſci Davidis de Chriſto non invocando ſcriptum.

UT & mihi, & tibi, & lectoribus denique omnibus planior, & commodior hæc mea reſponſio, totaque ipſa diſputatio noſtra reddatur, viſum eſt Clariſſime D. Franciſce, univerſum ſcriptum tuum in quædam capita partiri, eaque numeris prænotare, atque eadem ſingulatim ex ordine examinare, ita ut nihil quod vel reſponſione, vel animadverſione dignum viſum fuerit, quatenus per tenues ingenii mei vires fieri poterit, intactum relinquatur. Uniuſcujuſque autem Capitis finis ex ſequentis initio patebit.

Caput I.

In probandis vel improbandis &c.

QUoniam prior illa tua theſis, Quandocumque vocabulum invocationis &c. in duplicem ſenſum accipi poterat. Unum, quod in Scriptura Sacra ipſomet vocabulo invocationis, ſeu verbo invocandi diſerte expreſſo, invocationem Chriſto tributam fuiſſe non legeretur, cum invocatio pro cultu & fiducia accipitur, qua à Deo petimus bona corporalia & ſpiritualia. Alterum, quod in Sacra Scriptura non legeretur Chriſtum invocatum fuiſſe, id eſt, ab eo bona corporalia, aut ſpiritualia eo cultu ac fiducia, qua à Deo petuntur, petita fuiſſe. Idcirco cum neuter eorum admodum conſentaneus quæſtioni, de qua inter nos controverſia erat, mihi videretur, utrique incommodo, uni aperte, alteri tacite in initio prioris meæ reſponſionis occurrere volui. Cumque inter nos non diſputaretur de verbis, ſed de re, tuque negares Chriſtum invocari poſſe, ego affirmarem, dixi, ad probandum in Sacra Scriptura legi Chriſtum invocatum fuiſſe, non neceſſe eſſe ipſummet vocabulum invocationis, ſeu verbum invocandi ibi ſcriptum extare, dummodo ex æquipollentibus verbis eadem ſententia eliceretur, & ita priori incommodo aperte occurrendo, priorem ſimul ſenſum illum admittendum non eſſe docui. Rurſus, cum in diſputatione noſtra ſimpliciter quæreretur, utrum à Chriſto poſteaquam in cælum aſcendit, aliquid in precationibus noſtris peti poſſet, in explicando Invocandi verbo petitionis tantummodo mentionem feci, cultus autem & fiduciæ, qua à Deo quid petatur, tamquam rerum quæſtioni noſtræ à te additarum non memini, atque ea ratione tacitè alterum illum ſenſum repudiandum eſſe monui. Non quod à Chriſti invocatione ipſum cultum, & fiduciam excludam, ut in hac ipſa priore tua theſi refellenda ex verbis meis dilucidè conſtat, ſed quod eodem cultu & fiducia à Chriſto aliquid petitum fuiſſe, qua à Deo petitur (etſi id quoque rectè dictum eſſe oſtendi poteſt) me ultra diſputationis noſtræ fines defendere velle profiteri nolebam. Propterea, cum deinde theſis tuæ refutationem concluderem, ſicut & antea feceram, cultum quidem & fiduciam in Chriſto invocando aſſerui, nomen invocationis te imitatus explicans, quatenus cultus eſt & fiducia, qua aliquod bonum petitur, ſed illa duo à verba *à Deo* omiſi, quæ tu in theſi tua adſcripſeras, præſertim cum non modo plus contineant, quam in quæſtione noſtra poſitum erat, & ego affirmare vellem, verum etiam ambiguam efficiant orationem. Ita ut ex ea, præter jam ſupra expoſitam, ejuſmodi ſententiam colligi poſſe videatur, unde exiſtimetur inter nos diſputari, num Chriſtus ſit ille unus Deus. Quod profecto fieret, ſi nomen Qua, non pro quali, ſed pro ſimplici relativo acciperetur, ſeu mavis non qualitatem rei ſed ſubſtantiam, ut quidem poteſt, ſive ipſam rem ſignificaret. Adde, quod etiamſi omnino in vocabulo invocationis interpretando cultus & fiduciæ mentio fieri debuiſſet, non cultus & fiducia, qua aliquid petitur, dicendum erat, ſed Petitio quæ cultu, & fiducia fit; ſiquidem de ipſa petitione verè & præcipuè inter nos diſputatur, ut ex multis quæ infra dicenda ſunt, planiſſimum fiet. Quamvis enim verbum Invocandi ipſum cultum & fiduciam Hebræa phraſi frequenter declaret: nos tamen hic vulgata apud nos implorandi & orandi ſignificatione, id verbum uſurpamus. Quamquam Hebræa etiam illa phraſi inſpecta atque ſervata, ne ſic quidem invocatio, cultus & fiducia, qua

qua aliquid petitur, dicitur cultus & fiducia, unde contingat ut aliquid petatur, appellari poſſet. Sic me autem ingenue & candidè in quæſtione noſtra explicanda verſatum fuiſſe, vel ex eo apparet, quòd in ipſa explicatione verba illa *Poſtquam in cælum aſcendit*, quæ tu in tua theſi omiſeras, repoſui. Quorum omiſſio cauſſæ tuæ plurimum officere poteſt, cum à Chriſto, dum in terris eſſet, bona non corporalia tantùm, ſed ſpiritualia quoque petita fuiſſe adeò manifeſtum ſit, ut nulla ratione negari poſſit. Et hæc quidem præludii cujuſdam loco, atque ut de iis, quæ cum alibi tum hoc capite ſcribis, rectius dijudicari poſſit, à me dicta ſunto.

Ais igitur adverſus id, quod à me affirmatum fuerat, In controverſis dogmatibus probandis aut improbandis neceſſe eſſe litteram adferre, & id quod aſſeritur manifeſtè demonſtrare. Id quod aſſeritur manifeſte demonſtrari debere, planè concedo. Litteram autem (præſertim eo ſenſu, quo tu hæc verba profers) adferre neceſſe eſſe, prorſus nego. Me autem jure hoc facere id apertè confirmat, quòd quædam dogmata in Chriſti Eccleſia receptiſſima, non ſolùm per expreſſam litteram non probantur, ſed ipſam ſibi contrariam habent. Exempli cauſſà inter omnes fere Chriſtiani nominis homines receptiſſimum eſt, Deum non habere membra aliqua corporis, ut aures, oculos, nares, brachia, pedes, manus, & tamen non modo expreſſe & litteraliter (ut vocant) id ſcriptum in ſacris libris non eſt, verùm etiam contrarium omnino paſſim diſerte ſcriptum extat, & Deum ſuprà dicta omnia habere apertiſſime legitur. Nam quod aliqui putant ex eo loco Joh. 4. 24. πνεῦμα ὁ θεὸς probari, Deum membra corporis non habere, quia ſpiritus ſit, Primum, ut apparet, non quia id diſerte ſcriptum extet, ſed per conſequutionem colligitur. Deinde, non eſt fortaſſe eorum verborum ea ſententia, quam plerique omnes arbitrantur, Deum ſcilicet eſſe ſpiritum, neque enim ſubaudiendum eſſe dicet aliquis verbum ἐστὶ, quaſi vox πνεῦμα recto caſu accipienda ſit, ſed ἀπὸ κοινοῦ repetendum verbum ζητεῖ, quod paullo ante præceſſit, & πνεῦμα quarto caſu accipiendum, ita ut ſententia ſit, Deum quærere, & poſtulare ſpiritum. Cur igitur dogma illud publice receptum eſt? Nempe quia evidentiſſimis rationibus oſtenditur rem ſic ſe habere, & omnia, quæ huic ſententiæ adverſari videntur, teſtimonia figuratas locutiones continere. Plura afferre poſſem ejuſmodi exempla, ſed hoc unum pro omnibus eſſe volo. Quare ſic ſtatuendum cenſeo. Quidquid aut rationibus, aut conſequutionibus adeò apertè probatur, ut mens humana neceſſario acquieſcat, id ſive diſertè ſcriptum extet, ſive minus, credendum, & retinendum omnino eſſe. Nec verò dubium eſt, ne hac ratione aliquod dogma vere Chriſtianum, id eſt verum, & per ſe indubitatum convelli poſſit. Non enim veritas veritatem deſtruere poteſt. Nullum ferè Chriſtianum dogma humanæ rationi adverſari magis videtur, quàm reſurrectio mortuorum. Numquam tamen, ſi rectè dogma illud explicetur, ullis rationibus falſum eſſe evinci poterit, & mortuos non reſurrecturos demonſtrari, quamvis fortaſſe quomodo id facturus ſit Deus, nemo plane aſſecuturus ſit. Quamquam aliud eſt, aliquid affirmare etiamſi nuſquam ſcriptum ſit, aliud id negare, quod apertiſſime ubique ſcriptum extet. Bonas rationes, & rectas ex verbo Dei conſequutiones, in ſacris diſputationibus aſpernari, nec admittere velle, hominis eſt ſuæ cauſſæ parum fidentis. Quod idem multo magis dici debet de iis, qui ipſam litteram tantummodo recipiunt, hoc eſt idem prorſus vocabulum, quod in theſi, de qua diſputatur, poſitum eſt, in teſtimoniis proferendis requirunt. Quod ſane perridiculum cenſeri debet. Quamobrem non poſſum ſatis mirari te ea verba ſcripſiſſe; *Si hoc ἀξίωμα recipi debet in Eccleſia, Non eſt neceſſe ipſummet vocabulum invocationis ſcriptum legere, verum illi ſimilia, & quæſtio eſt de Invocatione, Quomodo quæſtio de Invocatione diſſolvi poſſit non video.* Ergo, ſi tibi credimus, etiamſi millies ſcriptum eſſet, in precibus noſtris poſſe nos petere à Chriſto, poſtquam hinc abiit, quæcumque ad ſalutem noſtram ſpectant, aut è contrario nihil nos ab ipſo petere poſſe, & nihil vel huic vel illi ſententiæ adverſari inveniretur, non tamen eſſet diſſoluta quæſtio noſtra de invocatione Chriſti, quia ſcilicet vocabulum Invocationis, ſeu verbum Invocandi in illis teſtimoniis ſcriptum non legeretur. Vides, opinor, ingentem abſurditatem ſententiæ tuæ. Quid? cum Deus (ut tuo ipſius exemplo utar,) dixerit in lege ſua Ne occidito, numquid ſi Theſis his verbis concepta foret, Non licet privato homini alteri per inſidias vitam eripere, hoc pronunciatum illis Dei verbis veriſſimum eſſe demonſtrari non poſſet, quia in ipſis eripiendi vitam diſerte & litteraliter nulla mentio eſſet facta? Non poteras autem quidquam, quod ſententiæ illorum verborum tuorum magis adverſaretur afferre, quàm exemplum divinæ legis, per quam certiſſimum eſt multa & præcepta, & prohibita eſſe, quæ tamen diſertis verbis & litteraliter in ea expreſſa non ſunt, præſertim ſi vobis credendum eſt, qui vultis quæcumque nobis aut præcepit, aut vetuit Chriſtus, ea in lege Dei per Moſem lata omnino contineri. Nam ubi, quæſo, in ea lege ſcriptum diſerte eſt, Ne dicamus fratri noſtro Fatue, alioquin futuros nos reos gehennæ ignis? Ubi, ne omnino juremus? Ubi alia non pauca, quæ Chriſtus Matth. cap. 5. aut mandavit, aut interdixit? Simile, quod affers de vocabulis Eſſentiæ & Perſonarum à nobis repudiatis, quia in Sanctis litteris non inveniantur, non eſt admittendum. Nemini enim viro cordato umquam perſuadebitis, id, quod per ea vocabula adverſarii ſignificare voluerunt, idcirco repudiandum eſſe, quia ipſa vocabula ſcripta non inveniantur. Immo quicumque ex vobis hac ratione ſunt uſi, ſuſpectam apud nonnullos, alioqui ingenio & eruditione præſtantes viros, cauſſam noſtram reddidere. Satis eſt enim apud omnes veritatis amantes, rem ipſam, de qua quæſtio eſt, rationibus vel teſtimoniis confirmari. Quamvis vocabula quæ in ipſa quæſtione explicanda expreſſa ſunt, diſerte ſcripta non inveniantur. Tametſi enim non aliunde, quàm ex verbis ſententia elicitur, non tamen eadem ſententia diverſis verbis explicari nequit, vel ex uno verbo tantùm, ſed plærumque ex aliis multis aut ſingulis, aut pluribus apertè colligitur. Quare deſinamus hæc puerilia & inania atque ſophiſtica conſectari, & quæ viris digna & ſolidiſſima ac veriſſima ſunt perſequamur. Cum igitur ais, ſi nuſquam ſcriptum eſſet Deum patrem præcepiſſe, ut filium ſuum invocemus, aut filium ipſum dixiſſe Me invocate, non eſſe admittendum, ut hoc dogma ſtatuamus Chriſtum invocandum eſſe. Si, ut ex illis verbis tuis paullo ante recitatis apparet, ipſum Invocandi verbum omnino requiris, rejicienda prorſus eſt iſthæc ratiocinatio tua. Nam ad illud dogma ſtatuendum ſatis eſſet eandem ſententiam aliis verbis fuiſſe expreſſam. Nec verò, ut tua verba præ ſe ferre videntur, vel cælitus ex ipſo Deo patre, vel ex ipſiuſmet Chriſti ore ejuſmodi præceptum prodiiſſe neceſſe eſſet, dum modo Chriſti apoſtolus aliquis, aut miniſter illud nobis dediſſet. Alioqui (quod tamen aliqui ex vobis ſentiunt) ceremonialia (quæ vocant) Moſaicæ legis præcepta, adhuc inviolabilia permanerent, cum nec Deus pater de cælo, nec Chriſtus ipſe ore proprio ea umquam abrogaverit, ſed tantummodo ab apoſtolis, & diſcipulis Jeſu Chriſti, præſertim verò à Paulo id factum fuerit. Cæterùm ſilentio prætereundem non eſt, quòd univerſam diſputationem noſtram, quæ breviter eſt, An Chriſtus invocari poſſit, in eam tranſformare niteris, An Chriſtus invocandus ſit, id eſt, An Chriſtum neceſſe ſit invocare. Et interim me pungere non dubitas inquiens, *Non enim ego ſubtili illi diſtinctioni, Poteſt invocari, ſed non eſt neceſſe, inſiſto.* Cur igitur in altera tua theſi diſertè ſcripſiſti, *Chriſtus nec debet, nec poteſt invocari?* Si diſtinctioni illi non inſiſtis, certè ſatis ſuperque erat dixiſſe, *Chriſtus non debet invocari*, præſertim cum hæc verba Per ſe, non modò neceſſè non eſſe ut Chriſtus invocetur, ſed ne invocari quidem eum poſſe manifeſtè

nifeſtè ſignificent, & in theſibus cum Synonymis, tum verò planè ſupervacaneis verbis uti vitioſum habeatur. Cur in priore hac tua theſi, in qua Chriſto invocationem tributam fuiſſe in Sacra ſcriptura legi negas, vocabulum Invocationis, quo ſenſu à te dicatur, explicare voluiſti? Nonné id propterea à te factum eſt, ut ea omnia teſtimonia aut repelleres quodammodo, aut declinares, in quibus nomen Chriſti invocatum fuiſſe legitur? Atqui ex nullo eorum teſtimoniorum apertè evinci umquam poſſet (ut tibi quidem videtur, qui expreſſum mandatum requiris) Chriſtum omnino invocandum eſſe, ſed tantummodo invocatum fuiſſe. Ergo cum negas Chriſto tributam fuiſſe invocationem, non id tibi potiſſimùm vis, præceptum non extare ut Chriſtum invocemus, ac proinde Chriſtum invocare neceſſe non eſſe, ſed ſcriptum non eſſe, Chriſtum invocatum fuiſſe, unde concludi debere videatur, eum invocari non poſſe. Quocirca ab ipſamet quæſtione, ut à te propoſita fuit, ne latum quidem unguem à me diſceſſum eſt, cum Chriſtum invocari poſſe toto meo ſcripto defendi, & in Chriſti invocatione neceſſitatem à facultate, ſeu poteſtate diſtinxi. Quod quid ſit infrà ſuo loco aptiùs & explicabitur & confirmabitur, iis quæ adverſus eam diſtinctionem allata fuere (Deo volente,) dilutis ac confutatis. Quamquam quid attinebat te, vel diſtinctionem illam meam commemorare, vel de tota quæſtione noſtra verba facere, cum hoc loco de priore tantùm theſi tua agatur, ad quam ſolam verba mea, quæ in hoc tui ſcripti principio ex ordine refellere conaris, omnino reſpiciunt? Mirum autem videri debet (ut ad id, quod hoc primo capite agitur, revertamur) te tantopere laborare, ut littera adferatur, & verbis diſertè ſcriptis, non autem conſequutionibus agendum eſſe non obſcurè profiteri, cum ipſe neque in iis, quæ probanda ſuſcipis unquam ipſam litteram afferas, & miris tantùm quibuſdam conſequutionibus fretus, id quod diſertiſſimis verbis pluribus in locis ſcriptum à me profertur, & pervertere, & planè negare non dubites. Quod ita ſe habere omnes qui diſputationes has noſtras legerint, agnituros ſpero, idque mox in examinatione cap. ſeq. planum fieri incipiet.

Cap. II.

At videamus an ipſum &c.

TRia præcipuè in hoc capite facere conaris. Primum eſt Stephani exemplum à me allatum (de quo uno, toto capite agitur) non ſufficere, nec aptum eſſe ad quæſtionem propoſitam decidendam, cum non ab exemplis ſed per regulas judicandum & ſtatuendum ſit de controverſiis dogmatum. Alterum eſt, falſo ex eo exemplo colligi Chriſtum invocatum fuiſſe: primùm, quia verbum Invocantem indefinitè poſitum eſt. Deinde, quia id verbum eſt ambiguum, cum Stephani invocatio non ad Chriſtum ſed ad patrem ſit referenda, quod multipliciter probare conaris. Tertium eſt, etiamſi concederetur Chriſtum à Stephano fuiſſe invocatum, & verba ipſius omnia ad Chriſtum referri debere, non tamen ibi de ea invocatione Chriſti apertè verba fieri, de qua inter nos diſputatur, & præſertim quatenus ad eam probandam exemplum illud, tamquam id in quo ipſum Invocandi verbum expreſſum ſit, allatum à me fuerit. De quibus ſingulis videamus.

Quod igitur ad primum attinet, dico ex ratiocinatione tua ſatis apparere, qualem fidem Lucæ verbis adhibeas. Nam etiamſi (quod tamen, ut ſuprà dictum fuit, omnino aliter ſe habet) inter nos hoc ipſo loco diſputaretur, utrum Chriſtum invocare omnino debeamus, ſatis ad id probandum unicum hoc Stephani exemplum eſſe deberet, ſi vera ſunt, quæ de eo ſcribit Lucas, ſi modò eam regulam ſequi debemus, quam tu infrà ponis, in cultu divino nihil nos jurè facere poſſe, niſi quod præceptum eſt. Et quodcumque præceptum non eſt, cenſeri prohibitum. Nam profectò ex Lucæ verbis apparet manifeſtè, Stephanum id quod fecit rectè & jurè feciſſe. Ergo (tua regula illa admiſſa) id etiam tamquam ſibi præceptum facere omnino debuit. Rectè autem, & jure Stephanum id feciſſe, Act. 6. 8. Quod fecit, ex Lucæ verbis conſtare quis negare auſus fuerit, cum de eo dicat, quòd fide, & Spiritu ſancto plenus fuerit, & quòd Spiritu ſancto plenus viderit gloriam Dei, atque eam priùs ſe videre dicens, cum poſtea lapidaretur invocaverit & dixerit, *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum?* Numquid exiſtimandum eſt Lucam tam illuſtre exemplum invocationis Chriſti ſimpliciter attuliſſe, ſi id pravè factum fuiſſe vel leviter quidem ſuſpicatus eſſet? An non ſanctorum virorum, cum ſpiritu Dei aguntur, facta à ſacris hiſtoricis ideo potiſſimùm narrantur, ut nobis ea imitanda proponant, & divinæ commonefactionis loco nobis ſint? Nemo igitur, qui Lucæ verbis fidem adhibeat, ſi concedat à Stephano Chriſtum invocatum fuiſſe, negare ullo modo poteſt Chriſtum jurè invocari poſſe, & porrò ſi tibi creditur, etiam eum invocare neceſſe eſſe. Verùm cum hoc loco quæſtio noſtra ſit, utrùm Chriſto in ſacra ſcriptura invocatio tributa fuerit nec ne, quandoquidem hîc de priore tantum theſi tua agitur, dico rectiſſimè à me Stephani exemplum ad probandum id quod debueram, allatum fuiſſe. Nam te ipſo teſte, ad priorem hanc theſim tuam convellendam, ſatis eſt me probaſſe, Chriſtum invocatum fuiſſe. Inquis enim: *At videamus an ipſum vocabulum Invocandi Chriſto attributum ſit, & an à Chriſto fiducia vera cordis bona ſpiritualia petita ſint.* Quid igitur, niſi eam Lucæ hiſtoriam rejicis, aliud præterea quæris, ſi ex ipſa exemplum ejuſmodi invocationis Chriſti profertur? aut quomodo mandatum expreſſum requiris, ubi de exemplo tantùm aperta eſt quæſtio? Quamquam, nihil ad Chriſti invocationem divinæ voluntati conſentaneam eſſe demonſtrandum aptius afferri potuit, quàm exemplum illius, qui primus omnium ſanguine ſuo veritatem nobis à Deo per Chriſtum, & gloriam quam illi dedit patefactam, teſtatus eſt, qui fide & Spiritu ſancto ac potentia plenus fuit Act. cap. 6. 5. VIII. 10, qui ſapientia & ſpiritu, quibus reſiſti non poterat, loquebatur verſ. 15, cujus facies tamquam angeli facies omnibus intuentibus eum viſa eſt, quem denique Deus tanto favore eſt proſecutus, ut antequam pro nomine Chriſti ejus occumberet, gloriam ipſius Dei reſeratis cælis viderit, & Ieſum Chriſtum ipſum ad Dei dexteram ſtantem conſpicatus fuerit. At fortaſſe leve quid petiit à Chriſto Stephanus. Immo id petiit, quod omnium ſummum & præſtantiſſimum eſt, & quod qui præſtare poteſt, omnia etiam, quæ Dei cultoribus neceſſaria ſunt, facilè præſtabit. Petiit enim ut ſpiritum ſuum, quem jam efflaturus erat, ſuſciperet, id eſt animæ, & vitæ ſuæ, quam in ipſius manibus deponebat, curam haberet, & ſibi eam ſuo tempore redderet immortalem. Quod complementum eſt omnium beneficiorum Dei in homines collatorum, quoque nihil majus homini ab ipſo Deo petere fas eſt. Huc reſpiciunt ea verba Pauli, 2 Tim. 1. 12. *Ob quam cauſſam etiam hæc patior, & non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Quod mirum quidem videri non debet, cum Chriſtus ipſe de ovibus ſuis dixiſſet, *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Joh. 10. 28. Quare, ſi concedatur Chriſtum à Stephano invocatum fuiſſe, ea invocatione de qua inter nos diſputatur (ut quidem tu in hac prima tua reſponſione tacitè concedis, cum exempla ad quæſtionem noſtram decidendam, inepta eſſe, & nihil præterea aliud huic exemplo objicias) an à Chriſto vera cordis fiducia bona ſpiritualia petita ſint, contrà quàm tu hoc loco, ipſam theſim tuam quodammodo explicans, non obſcurè affirmas, ipſe videris. In quibus tamen tuis verbis illud notandum eſt, quòd cum in ipſa theſi bonorum ſpiritualium & corporalium mentio facta eſſet, hic ſpiritualia tantùm commemoras. Quaſi verò ſi corporalia

tantùm

tantùm bona à Chriſto, poſtquam in cælum aſcendit, petita fuiſſe demonſtraretur, Chriſto invocationem fuiſſe tributam non eſſet probatum. Nam te in illis verbis theſis tuæ copulam Et, non eo ſenſu protuliſſe, ut utraque bona à Chriſto petita fuiſſe negares, ſed neutra affirmares, ex eo ipſo patet, quòd hîc ſpiritualium tantummodo mentionem feciſti, præſertim cum fieri poſſit, ut quis corporalia bona conferre nequeat, licèt ſpiritualia conferendi poteſtatem habeat. Sed jam ſatis de prima tua reſponſione ad Stephani exemplum, dictum eſto. Quare de ſecunda videamus, & primùm de prima ejus parte differamus.

Cum igitur negas poſſe ex hoc exemplo colligi invocationem Chriſti, quia indefinita (ut tu loqueris) ſit propoſitio, quæ hîc recitatur, id eſt, ut ego interpretor, verbum Invocantem indefinitè &, ut grammatici loquuntur, abſolutè poſitum ſit, nihil agis. Nam verbum Invoco planè tranſitivum eſt, adeò ut omnino aut tacitè, aut expreſſe nomen aliquod, ut iidem grammatici ajunt, poſt ſe regat. Neque enim ita accipi hoc loco poteſt verbum Invocantem, ac ſi dictum fuiſſet Clamantem, aut Vociferantem. Quod nuſquam fieri contingit.

Jam verò, ut interim de ſecunda tuæ reſponſionis parte agamus, cum nullum nomen poſt verbum Invocantem expreſſum fuerit, cui dubium eſſe poteſt ſubaudiendum eſſe Jeſum, cum illico in narratione ſubjiciatur, Et dicentem, *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Num ſi Deum (ut tibi quidem neceſſe eſt) ſubaudire velis, primùm illud ineptiſſimum, id eſt, contra omnes grammaticæ regulas erit, contraque omnem linguæ uſum, cum Dei perſonæ nulla mentio, præſertim in verbis Stephani facta fuerit. Deinde neceſſe erit, ut fatearis invocationis verbis ad Chriſtum directis Deum ipſum invocari. (nam quod illa verba Domine Jeſu &c. ad Chriſtum omnino referenda ſint, paullo pòſt planiſſimum fiet.) & idcirco, contra id quod præcipuè in tota hac diſputatione contendis, hinc evincetur, etiamſi expreſſum extaret mandatum Deum ſolum invocandum eſſe, poſſe nos formulas precationum noſtrarum ad ipſum Chriſtum dirigere, (quod nihil aliud eſt, quàm Chriſtum invocare) quia Chriſtum invocando, ut in priore meo ſcripto dictum eſt, Deum ipſum revera invocemus. Sed hac de re latiùs infrà. Nulla igitur in verbo Invocantem ambiguitas eſſe poteſt, cum omnino poſt verbum illud nomen Jeſum ſubaudiendum ſit. Quod nomen ſubticuit Lucas, ut & brevior, & elegantior ſermo eſſet. Nam ſi dixiſſet Invocantem Jeſum, & dicentem Domine Jeſu &c. nemo non videt, quàm parum concinna fuiſſet tota oratio. Potuiſſet quidem idem incommodum vitare, ſi dixiſſet Invocantem Jeſum, & dicentem, Domine ſuſcipe &c. Sed in aliud multò majus malum incidiſſet. Nempe, quòd Stephani verba integra non recitaſſet, & peſſimè hiſtorici officio functus eſſet, ac præterea non ex verbis ipſius Stephani, cum tamen poſſet, ſed ex ſua tantummodo interpretatione Jeſum à Stephano invocatum fuiſſe nobis aperire voluiſſet. Quod in re tanti momenti peccatum, non leviter condonandum cenſeri deberet. Et hæc ſatis ſint pro ſolutione ejus, quod obſcurè ſatis in ſecunda parte hujus tuæ reſponſionis objectum eſt. Nam cum tria capita tuæ reſponſionis facere debuiſſes, Unum, quòd verbum Invocantem intranſitivè poſitum fuiſſet, Alterum, quòd quamvis reipſa tranſitivè poſitum fuiſſe concederetur, propterea quia abſolute prolatum eſſet, non minùs Deum, quàm Chriſtum tacitè poſt ſe regere poſſet, Tertium, quòd immo ſi tranſitivè accipiatur, non Chriſtum ſed Deum poſt ſe tacitè regere omnino intelligi debeat, cum Stephani invocatio ipſa ad Deum non autem ad Chriſtum referenda ſit; duo tantùm capita feciſti, & primo utcumque explicato, reliqua duo in unum parum commode implicans, ſic ſcribis. Secundo, ambiguitas vocabuli Invocationis. Multis enim modis probari poteſt, invocationem hanc non ad Chriſtum, verùm ad Deum patrem referendam eſſe. Sed jam iſtos tuos modos excutiamus. In iſtis enim tota vis hujuſce tuæ reſponſionis conſiſtit. Niſi enim probaveris Stephani invocationem non ad Chriſtum, ſed ad Deum patrem referendam eſſe, etiamſi ea tibi darentur, quæ de indefinita propoſitione, & ambiguitate vocabuli Invocationis objeciſti, id quidem evinces, Non probari ſcilicet ex hoc loco nomen ipſum Invocationis Chriſto tributum fuiſſe, ad quod nominatim probandum à me allatus fuerat, ſed interim ex eo apertè nihilominus probabitur Chriſtum reipſa invocatum fuiſſe, quod potiſſimùm tuæ priori theſi, ut viſum eſt, adverſatur, eamque funditus evertit.

Quatuor igitur modis, quamvis tu tres tantùm numeres, Stephani invocationem non ad Chriſtum, ſed ad Deum patrem referri debere probare niteris. Nam ſub primo modo duos complecteris, immo in eo ita implicitè loqueris, ut eum quoque, quem tertium facis, ſub eo complecti videaris.

Primus modus eſt, *Quia Chriſtus ipſe hac forma utens ad patrem ſe convertit dicens, In manus tuas commendo ſpiritum meum, item quod aliæ quoque orationes piorum eadem phraſi, non ad Chriſtum verum ad Deum patrem referantur.* Hæc ſunt ipſa verba tua. Quibus ſtatim ſubjungis, *Hæc ratio adeò evidens eſt, ut nullis argutiis refelli poſſit.* Verùm non argutiis, ſed ſolidiſſimis rationibus, ut ſpero, iiſque ipſi ſenſui communi apertiſſimis, iſta tua ratio à me refelletur. Primùm enim quod attinet ad rationem ipſam univerſam, eam prorſus ἀσυλλόγιστον eſſe conſtat. Nemo enim neſcit, ex puris iiſque ſingularibus affirmativis (ut ajunt) nihil tertium concludi ratiocinando poſſe, ne affirmative quidem tantum, nedum & affirmativè & negativè ſimul, ut tu facis, qui ex eo, quòd Chriſtus in manus patris ſpiritum ſuum commendavit, & alii ſancti viri id fecerunt, colligis, invocationem Stephani commendantis ſpiritum ſuum, non modo ad patrem referri debere, ſed ad Chriſtum referri non poſſe. Neque enim ſi ad patrem referri debeat, idcirco continuo ſequitur, ad Chriſtum referri non poſſe, cum, ut & dictum eſt, & dicetur, qui Chriſtum invocat ipſum Deum patrem invocet. Deinde quid attinet ipſius Chriſti invocantis exemplum afferre, cum non Chriſtum, ſed patrem invocatum fuiſſe contenditur? Quaſi verò Chriſtus, etiamſi maxime invocandus eſſet, ſe ipſum invocare umquam potuerit. Quod ſi tibi abſurdum videtur quidquam ab aliquo petere, quod ipſi ab alio petendum fuerit, jam iſtud aliud genus argumentationis erit, & tamen nihilo minus frivolum, quàm id, quo uteris, cum quotidie fieri videamus, ut is, qui antea ab aliis quædam emendicare cogebatur, poſtea ipſe eadem dare aliis poſſit. Nam, ut tu non ſemel in hoc tuo ſcripto intempeſtive mones, diſtinguenda ſunt tempora, & ita conciliantur ſcripturæ. Hebr. 5. 7. Chriſtus cum mortalis eſſet, opus habuit preces & ſupplicationes ei offerre, qui poterat eum liberare à morte, at poſtquam immortalis factus ad plenum ſervare poteſt eos, qui per eum accedunt ad Deum, aliis idem largiendi poteſtatem habet, quod ipſe à patre petiit. Quod ita ſe habere ſuo loco demonſtrabitur. Sed alia quoque diſtinctio temporum in Chriſto obſervanda eſt antequam etiam immortalis factus fuerit, id eſt in ipſa Chriſti vita mortali. De qua diſtinctione luculenter ſcripſit Paulus ad Philipp. cap. ſecundo inquiens de Chriſto, *Qui cum eſſet in forma Dei* &c. *Formam ſervi ſumpſit.* Nam ſi manente eadem vita mortali tanta varietas in Chriſto deprehenditur, ut modo in forma Dei, modo in forma ſervi fuiſſe dicatur, adeo ut illi in crucem jam ſublato ab impiis exprobatum fuerit, quod is qui alios ſervaſſet, ſeipſum ſervare non potuiſſet, quid mirum videri debet, ſi mutata vitæ mortalis conditione, ea mutatio in Chriſto fiat, ut vitam, quam mortalis à patre petere debuit, immortalis aliis largiatur? Verùm ad argumentationem tuam revertamur. Cum igitur ineptum ſit, hoc loco Chriſti ipſius invocantis exemplum afferre, relinquitur, ut ad aliorum exempla tibi ſit confugiendum, quæ profectò paucilſima erant, ut vix rhetoricæ cuidam inductioni locus eſſe poſſit. Qui argumentandi modus, admodum

dum fallax est, & ex quo nihil necessario concluditur. Præterea si ea exempla ante Christum sunt, quale est illud Davidis Psal. 31, quid hoc ad rem facere potest, cum tunc Christus non esset, qui invocari posset? Si Davidis exemplo, eo pacto quo tu facis, argumentari liceret, concluderetur, ut unum de multis exemplis afferam, centurionem illum à Christo tantopere commendatum, non petiisse ab ipso, sed à Deo tantum, ut puerum suum sanaret. David enim idem de filio suo à Deo petiit. Neque hîc quidquam te juvare potest, si dicas tunc Christum in officio fuisse. Nam sive in officio, sive extra officium esset, satis est ab eo id fuisse petitum, quod a Deo David petierat. Neque enim argumentum tuum, quod ad Davidis exemplum attinet, aliud continere potest, quam necesse esse ut Stephanus non à Christo sed à Deo tantum petierit, ut susciperet spiritum suum, cum hoc ipsum à Deo petii set David, nulla, quod Christus tunc esset, aut non esset in officio, habita ratione. Quæ tamen cessationis officii in Christo objectio inanissima est, cum tunc maxime cum Stephanus lapidaretur, illius, qui alterius spiritum suscipere posset, officio fungeretur, ut infra latius disputabitur. Sin verò ea exempla post Christum sunt, nihil similiter ex eo colligere potes, nisi simul colligi debere contendas, nullum ex iis bonis, quæ ab eo tempore à Deo petierunt sancti homines, à Christo, dum in terris erat, sed à Deo tantum petita fuisse. An non ipsi sensui communi patet, multa quæ ab uno, quamvis cæterorum principe ac domino, petuntur, ab alio quoque, licet privato, jure peti posse? Si complures, verbi gratia, à Principe suo singuli mille coronatos dono petierint, an non alius eidem principi subjectus eandem pecuniam dono à privato homine qui eam possideat, jure petere poterit? Quod si dicas, non esse solius Principis pecunias donare, sed solius Dei esse spiritum hominis suscipere, primum in incæpta argumentatione non persistes, quæ tantummodo exemplis aliorum, qui idem petierint, non autem qualitate rei petitæ nititur. Deinde, ne sic quidem recte argumentareris. Solius est Principis, exempli caussa, pœnas legibus à seipso latis statutas condonare, attamen si Præfecto alicui, ut persæpe fit, concesserit, ut easdem pœnas condonare possit, qui sub illo Præfecto sunt, non tantum à Principe ipso, sed à Præfecto quoque eam condonationem precibus contendere recte poterunt. Quare, nisi Christo domino nostro spiritum nostrum suscipiendi à Deo minime potestatem concessam fuisse demonstres, quocumque tandem te vertas, manifestissimas instantias adversus argumentationem tuam nunquam diluere poteris. Et si id demonstraveris, alius prorsus fuerit argumentandi modus, ac supervacaneum plane erit exemplis uti aliorum, qui spiritum suum non Christo sed Deo commendaverint, quibus tamen solis hæc ratio tua, quæ tibi nullo modo refelli posse videbatur, ut dictum est, universa innititur.

Huic autem primo tuo modo probandi, quod Stephani invocatio non ad Christum, sed ad patrem referri debeat, alium, ut dictum est, conjungis, idque per digressionem quandam satis intempestivam. Nam cum hoc loco quæratur, utrum Stephanus Christum invocaverit nec ne, tu de eo loqui aggrederis, quod nos in invocando facere debeamus. Sed videamus quomodo ex ista tua digressione probari possit, à Stephano non Christum sed Deum patrem invocatum fuisse. Itaque ad hunc modum argumentari videris. Nusquam, ne uno quidem verbo significavit Christus, quod vel sui ipsius, vel patris voluntas esset, ut ipse invocaretur, sed patrem tuum cælestem invocari jussit, qui pater ipsum non invocandum sed audiendum esse dixit. Ergo Christus invocari non potest, sed tantum pater, ac proinde à Stephano invocatus non fuit Christus, sed pater. Ut autem consequentiam tuæ argumentationis probes, dicis, non minus in scriptis novi quam veteris testamenti verum esse illud, Anathema esse quicumque verbo Dei vel addit, vel adimit. Ad quod demonstrandum profers testimonium capitis postremi Apocalypsis. Atque addis Christum dixisse discipulis suis Joh. 15. 15, se illis omnia significasse, quæ audiverat à patre cœlesti. In hac tua ratiocinatione plura notanda sunt, quæ eam infirmam esse docebunt. Primum enim dum dicis Christum nusquam, ne uno quidem verbo significasse, quod voluntas aut sui ipsius aut patris esset ut ipse invocaretur, vel eam voluntatem pro præcepto ut eum omnino invocemus accipis, vel pro declaratione ut illum invocare liceat. Si priore modo eam voluntatem intelligis; nihil ad propositam quæstionem id facit, non enim hoc loco utrum necesse sit Christum invocare, sed an invocare eum liceat, & proinde, an Stephanus eum jurè invocare potuerit, quærendum est. Sin posteriore sensu voluntatis illius meministi, falsa est assumptio argumenti tui, nam Christus non uno in loco apertè declaravit ipsum invocare licere. Præsertim verò ubi dixit Joh. cap. 14. 14; *Si quid petieritis in nomine meo, ego id faciam.* Quod ita se habere infra, ubi de hujus testimonii sententia nominatim agemus, demonstrabitur. Quod si priore sensu retento inde colligi existimas Christum invocari jure non posse, quia quidquid in hoc invocationis negotio præceptum non est, censeatur prohibitum, etsi infrà de hac tua regula fusius tractandum erit, id tantum hic dicere libet, falsam esse eam regulam, ex eo apparere, quod Apostoli Matth. cap. 8. vers. 25, à Christo petunt, ut se in navicula periclitantes servet, cujus tamen rei antea nullum præceptum habuerant. Quæ sanè petitio vera invocatio fuit, quippe quæ, sine dubio, & vera cordis fiducia facta fuerit, & id continuerit, quòd à solo Deo alioqui petere licebat. Neque enim salutem, per remigandi aut gubernandi artem quandam eximiam, se à Christo ea in re minime exercitato, consecuturos sperabant ii, qui bona ex parte piscatores erant, & eam artem callebant, sed per divinam aliquam potentiam, qualis ea fuit per quam liberati sunt. Adeo ut obstupescerent qui in navi erant, & dicerent Luc. cap. 8. vers. 25; *Quantus hic est, qui & ventis imperat, & aquæ, & obediunt ei?* Idem dici potest de omnibus iis, qui plures numerari possunt, quos legimus nullo præcepto dato, vera cordis fiducia ea petiisse à Christo, quæ alioqui à solo Deo peti debent. Præterea, si ex eo quod præceptum non sit, ut Christum invocemus, omnino consequi velis eum invocari non posse, dicam istud antecedens tibi probandum esse, id quod numquam facere poteris, nisi ex verbis meis. Quæ quidem, tametsi ego ea verissima esse credam, non debent tamen vel veritatis inquisitioni, vel mihi ipsi fraudi esse, cum & merito an vera sint, dubitari possit, neque ego idcirco mandatum non extare de invocando Christo, dixerim, quod ex eo aliquid vel pro me, vel contra te colligere voluerim. Certe, quamvis fieri posset, ut ea in re malè locutus essem, tamen tantum abest, ut inde vel caussa mea labefactaretur, vel tua confirmaretur, ut potius plane contrarium inde sequeretur. Non igitur ea verba mihi objicere potes, & ex ipsis argumenti tui assumptionem probare, sed aliunde id tibi petendum est. Quod propter rei difficultatem (tales enim negativæ propositiones vix probari posse contingit) ut dictum est frustra conaberis. Quare non debes tu, etiamsi rectè ea regula tradita abs te fuisset, Non potest in invocationis negotio jurè aliquid fieri, quod præceptum non sit, statim sic colligere, Ergo Stephanus Christum non invocavit, quia Christum invocandum esse nusquam mandatum est. Sed potius ad hunc modum tibi ratio concludenda est, Stephanus Christum invocavit: Ergo omnino alicubi ea de re mandatum extat, quamvis nondum ubi id sit deprehendere potueris. Nam à Stephano Christum invocatum fuisse verba ipsa totius narrationis planè præ se ferunt. Mandatum autem non fuisse, ut Christum invocemus, nemo nisi (ut quidem ego feci) ratione ipsa duce pro certo affirmare potest, cum, ut infra non uno in loco dicetur, ex quibusdam Sacris Testimoniis mandatum id fuisse constare videatur. Quæ ratio ubi à nobis explicata fuerit, tunc ex eo quod mandatum non sit, ut Christum invocemus, nullo modo sequi posse, quod non li-

ceat eum invocare, manifeſtiſſimè apparebit. Quin etiam illud addo, Quamvis expreſſum mandatum extaret, ne Chriſtus invocaretur, non tamen continuo ſtatuendum eſſe, Chriſtum à Stephano invocatum non fuiſſe, præſertim cum verba ipſius, ut paullo poſt demonſtrabitur, non niſi ad Chriſtum referri poſſint. Non enim ex duobus ſcripturæ locis, qui invicem diſſidere videantur, unus tantummodo retinendus eſt, alter verò vel reſpuendus, vel quod fortaſſe nocentius eſſe poteſt, perverſis interpretationibus corrumpendus, ſed uterque omnino retineri debet, & alter cum altero decenti aliqua diſtinctione, & à verbis ipſis non abhorrenti interpretatione conciliari. Alioqui cum ſæpius nulla prorſus futura ſit cauſſa, cur hunc magis, quam illum aut planè reſpuas, aut perverſe interpreteris, hærebis, & uterque tandem deſpectui tibi erit. Cæterum quod ais, patrem cæleſtem non juſſiſſe, ut Ieſum invocaremus, Sed ut illum audiremus, dico non juſſiſſe etiam illis verbis ut illum Chriſtum ipſius eſſe crederemus. Multi enim præter Chriſtum aliquando audiendi fuerunt, & præcipue Moſes, qui tamen Chriſtus Dei verè non erat. Sed quemadmodum ſatis juſſit, ut Ieſum ipſius Chriſtum eſſe crederemus, cum filium illum ſuum dilectum eum nominavit, ſic etiam ſatis juſſit, non quidem ut omnino illum invocaremus, id eſt, ad ipſum preces noſtras dirigeremus (nam de eo quod jurè fieri poſſit, non autem de eo quod fieri neceſſe ſit, quærimus) ſed ut à nobis eum invocari poſſe agnoſceremus, cum eum verè Chriſtum fecit, & illi imperium & gubernationem eccleſiæ dedit. Quod ſi dicas, immo in illis verbis: Ipſum audite, juſſiſſe Deum, ut hominem illum Chriſtum ipſius eſſe crederemus, cum inter cætera quæ ille dixit, potiſſimum ſe Chriſtum Dei eſſe affirmaverit, ut nihil dicam, quòd operibus potius quam verbis ſe Chriſtum eſſe oſtenderit, immo publice apud univerſum populum id numquam apertè profeſſus fuerit, ac diſcipulis ſuis aliquando injunxerit Mat. 16. Luc. 9, ne cuiquam dicerent ipſum eſſe Chriſtum Dei, dico eundem illum hominem multa publice dixiſſe, ex quibus agnoſci volebat ſe invocari poſſe, & diſcipulis ſuis id multo etiam apertius frequenter inculcaſſe, ut ex infra dicendis apparebit; quin etiam ſatis ſuperque id factum ab eo fuiſſe affirmo, cum ſe Chriſtum Dei eſſe profeſſus eſt, quemadmodum ſequenti capite me demonſtraturum eſſe confido. Quod poſtremò dicis Deum patrem præcepiſſe, ut credamus Chriſtum veram, firmam, & perpetuam propoſuiſſe doctrinam, recte dicis. Verum tantum abeſt, ut hoc, quemadmodum tu exiſtimas, cum Chriſti invocatione nihil commune habeat, ut immo veram firmam & perpetuam Chriſti eſſe doctrinam nulla ratione magis oſtendere voluerit Deus, quam, ut Chriſtus invocari poſſit efficiendo. Ut infra ſuo loco docebimus. Et hæc quidem quod attinet ad ea, quæ primo loco notanda in tua ratiocinatione videntur.

Secundo loco animadvertendum eſt, te voluntatem Dei de invocando Chriſto ex ipſius tantum Chriſti ore, ſeu patris verbis, nec aliunde colligi aut debere, aut poſſe non obſcure affirmare. Quod tamen falſiſſimum eſt, cum Apoſtoli & diſcipuli Chriſti ab unctione illa Spiritus S. per quam dicit Johannes omnium cognitionem illis contigiſſe, & quem Spiritum illos omnia docturum ipſe Chriſtus prædixerat, & eos in omnem veritatem ducturum, quique propterea non ſemel ſpiritus veritatis ab ipſo appellatus fuerat 1 Joh. 2. 20, & 27. Joh. 14. 26, XVI. 13. Joh. 14 17. XV. 26, multa didicerint, quæ ſi ipſe Chriſtus eis dixiſſet, percipere non potuiſſent. Et ſane ante Spiritus S. miſſionem numquam perfectè intelligere poterant diſcipuli Chriſti, eum, poſtquam hinc abiiſſet, invocari poſſe. At poſtquam miſiſſe eum Spiritum S. ut promiſerat, animadverterunt, & ejus nomine invocato tot miranda opera fieri, ac præterea ejuſdem ſpiritus luce colluſtrati, quale regnum Chriſti eſſet, apertiſſime cognoverunt, tunc demum in cœlum ſublati Chriſti invocationem, divinæ voluntati conſentaneam eſſe perſpexerunt, non ſecus atque illa alia multa viderant, quæ eos ante prorſus latuerant.

Tertio loco dum ais, verbis Chriſti nec addendum, nec adimendum eſſe; quia idem ſervandum ſit in ſcriptis teſtamenti veteris, quamquam ſi id rectè intelligatur eſt veriſſimum, eo tamen ſenſu, quo à te dicitur, falſum omnino cenſendum eſt. Qua de re quoniam infra commodiore loco agetur, hic aperta tantummodo inſtantia rem ſic ſe habere oſtendam. Chriſtus de quibuſdam, quæ ad matrimonium ſpectant non ſolum diſertè verba non fecit, ſed ne per ſpiritum quidem ſanctum ullum præceptum dedit, & tamen audet Paulus de iiſdem rebus præcepta dare 1 Cor. 7. 12, &c. Locus ille Apocalypſis, quem adverſus pontificios multi afferre ſolent, nihil ad rem facit, niſi quod qua ratione intelligendum ſit, mandatum illud in veteri teſtamento, ſatis apertè docet. Nam quid quæſo commune habet, non eſſe addendum aut detrahendum aliquid in libro propheciæ divinæ, cum eo, quod nihil jure fieri poſſit niſi id quod à Chriſto mandatum eſt? Verba à Deo, ſeu Dei nomine prolata, ſive in veteri, ſive in Novo Teſtamento, ſunt tanta cum religione tractanda, ut nemo audeat eis vel aliquid addere, & tamquam verè ab ipſo Deo dictum alicui obtrudere, vel eis aliquid detrahere, & tamquam à Deo non dictum reticere, atque ſupprimere. Sed neutrum facit, qui aliquid, licet ſibi à Deo non injunctum, facere non dubitat, aut fieri poſſe affirmat, dummodo prohibitum non fuerit. Quin etiam is qui vel aliquid, quod ſibi mandatum eſt à Deo non facit, vel id facit, quod Deus ipſi prohibuit, & præterea ea præcepta ſervanda eſſe negat, quamvis alioqui graviſſime peccet, non tamen adverſus eam regulam, quæ utcumque ex eo Apocalypſis loco colligi poteſt, aliquid committit, niſi etiam Deum ea præcepta dediſſe, cum tamen dediſſe ſciat, negare audeat.

Ultimo loco quod ais Chriſtum diſcipulis ſuis nota feciſſe quæcumque à patre ſuo audiverat, nihili eſt faciendum, cum, ut paullo ante attigimus, idem Chriſtus eiſdem diſcipulis dixerit, ſe habere multa, quæ diceret eis, verum ipſos nondum ea portare poſſe, adeò ut prima illa verba planè ea tantum omnia à patre audita ſignificent neceſſe eſt, quæ, ut illis eo tempore patefaceret, audiverat. Chriſti autem invocationem, quæ poſt ejus hinc diſceſſum Deo placitura eſſet, ex eorum genere fuiſſe, quæ ante Spiritus ſancti receptionem & ipſum Chriſti diſceſſum apoſtoli plenè percipere non poterant, jam à nobis ſatis demonſtratum videtur.

Tertius modus, quem tu ſecundum facis, probandi, quod Stephanus non Chriſtum, ſed Deum patrem invocaverit, ita à te explicatur, ut niſi ego illum jam apud alium ſcriptorem legiſſem, vix ac ne vix quidem eum percipere potuiſſem. Nam cum ad hunc modum argumentari velis: Qui ſtant non invocantur, quippe qui ipſi invocant: Sed Chriſtus in Stephani exemplo ſtare dicitur: Ergo Chriſtus ab ipſo invocatus non fuit, & conſequenter Deus pater fuit invocatus, qui non ſtabat. His verbis hanc ſententiam explicas. *Secundo textus ipſe verum hoc eſſe evincit. Non enim ſtantem verum Deum illum, cujus gloriam vidit, invocavit. Nam qui aſtant, & ipſi petunt & invocant, non ab illis petitur, neque invocantur*, &c. Ita loqueris quaſi à me affirmatum fuerit, à Stephano verum illum Deum ſtantem invocatum fuiſſe, & tu probare velis, immo non ſtantem ſed aliter manentem fuiſſe invocatum.

Præterea in verbis argumentationis tuæ animadvertendum eſt, quod medium, quem vocant, terminum mutas, & cum prius verbo ſtandi, quod in ipſa hiſtoria bis ponitur uſus fuiſſes, Aſtandi deinde verbum uſurpaſti, quod ibi non legitur, quamvis neſcio qua ratione motus Caſtellio in ſua verſione eo uſus fuerit. Nimirum, quia ad id probandum, quod volueras tibi multo aptius viſum eſt, & idcirco & argumentandi rationem, & hiſtoriæ veritatem invertere non dubitaſti. Stare igitur ibi Chriſtus dicitur, non Aſtare. Eos verò qui ſtant invocari non poſſe, quia ipſi invocent, perperam dictum eſt.

Primum

Primum quia non ii, qui simpliciter Stare dicuntur, invocant, sed qui coram aliquo stare narrantur. (Nec tamen invocare, sed pro altero petere, ut postea explicabitur, dicendi sunt.) Ut videre est Jeremiæ cap. 15. ỳ. 1, & cap. 18. ỳ. 19 & alibi. Quamquam ea locutio, etiam cum figurate accipitur, aliud potest significare, & sæpe ministerium declarat, ut 1 Reg. 12. ỳ. 6 & 8. Atqui Christus Jesus non modò coram aliquo in ea narratione Stare non dicitur, sed neque etiam simpliciter Stare, ut ad tuam ipsius rationem recte concludendam necesse esset. Porro Stare à dextris Dei, quod ibi de Christo dicitur, nihil ad veram, activam (ut ita loquar) invocationem illius qui eo modo Stare dicitur, id est ad significandum, quod ille Deum proprie invocet, pertinere potest. Immo ipsius aliis subveniendi potestatem ostendit, ut infra alibi differetur.

Secundò, si vim aliquam in significatione propria verbi Stare inesse volumus, dico Jesum Dominum, qui alioqui à dextris, sive ad dexteram, sive in dextera Dei non Stare, sed Sedere, vel etiam simpliciter Esse dicitur, idcirco eo in loco à dextris Dei stantem Stephano visum fuisse, ut eum sibi auxilio ferendo paratum intelligeret. Solent enim qui sedent, si alteri auxilium ferre ipsi velint, consurgere. Propterea David ita frequenter, cum à Deo auxilium petit, rogat illum, ut surgat. Hujus hoc in loco verbi Standi proprie accepti vim, quæ judicio meo, & convenientissima simul atque elegantissima, & satis evidens videri potest, non reticueram ego in priore meo scripto. Cujus tu tamen nullam prorsus facis mentionem. Sed animadvertent alii, quantò plus mihi propria significatio illius verbi faveat, quam tibi. Verumtamen crediderim, ut ingenue fatear, non multum hac in re laborandum esse, cum id verbum hoc loco nihil aliud fortasse quam permanere, seu simpliciter Manere, sive etiam Esse, significet. Quorum primum tu ipse imprudens argumentationem tuam labefactans satis apertè confiteris, dum ad finem paraphrasis priorum verborum Stephani, post habitam concionem, ea verba scribis, *Et jam ipsum viderim stantem, seu permanentem ad dexteram Dei.* Atqui, præter confessionem tuam, id ita, ut dixi, se habere complures in ipsis Sacris Litteris loci testantur, inter quos hi pauci nunc mihi succurrunt. Matth. 16. vers. 28. & cap. 24. ỳ. 15. Rom. 5. 2.

Tertio etiamsi tibi concederetur, ex verbo *Standi* hoc loco, quod Christus ipse invocaret, manifestum esse, non tamen continuo sequeretur Christum invocatum non fuisse. Possunt enim ii, qui alium invocant, aliis ipsi auxiliari, in iis præsertim quorum pro se obtinendorum gratia alterius ipsi opem non implorant. Certum autem est Christum postquam cœlos conscendit, non opus habere ut roget patrem, ut suum spiritum suscipiat.

Quarto, non recte dictum est nunc Christum invocare, quamvis coram ipso Deo astare pro nobis dicatur. Aliud est enim Invocare, aliud pro altero petere. Nam qui invocat pro seipso petit, neque umquam petitionem pro altero eo simplici verbo declarari existimo. Quamquam enim à me in hac disputatione nostra, tamquam testimonia invocati Christi, ii etiam loci afferuntur, in quibus pro aliis Christus rogatus fuit, id tamen quod attinet ad *Invocandi* verbum, ejusque propriam significationem, minus rectè à me fit, sed nullum ea in re est periculum, cum in quæstione nostra id nihil omnino interfit, utrum Christus pro alio, an pro ipso rogante rogatus fuerit. Quare secure potui, brevitati consulens, ea in parte minus proprie loqui. Quod si dicas te eo verbo, sive proprie sive improprie, simpliciter petitionem significare voluisse: Petitionem autem pro altero sine dubio petitionem esse, nec quæri debere de verbis cum de sententia constat. Respondeo, immo debuisse te sententiam tuam explicare, nam de ea alioqui non constat. Cum ex verbis tuis non alia sententia rectius colligi posse videatur, quam idcirco Christum non potuisse tunc invocari, quia ipse pro se peteret. Sic enim omnino sonant ea verba tua: *Nam qui astant & ipsi petunt & invocant, non ab illis petitur, neque invocantur.* Non solum propter verbum *Invocant*, sed etiam quia ipsum verbum *Petunt* simpliciter positum, pro seipso petitionem potius quam pro altero significat, &, quod pluris faciendum est, quia vocula *Et* de ejusdem generis petitione, & invocatione ibi agi, de qua in consequentibus verbis proculdubio demonstrat. Nec te verbo ipso *Invocandi*, de quo in hoc exemplo præcipuè agitur, modo propriè modo improprie in tua ratiocinatione accepto, fucum imperito lectori facere decebat. Certè si sententiam tuam melius explicuisses, melius quoque tuæ argumentationis infirmitas apparuisset. Siquidem Christum pro suis rogantis habitu à Stephano visum fuisse, tantum abest ut impediat, quominus Stephanum eum invocasse credamus, ut potius in ea sententia nos confirmet. Quandoquidem Christum pro suis in cœlis Deum rogare in Sacris Litteris nihil aliud est, quam Christum potestate, quam à Deo impetravit, suos defendere, atque fovere, ut suo loco demonstrabitur. Admisces huic secundo tuo modo per paraphrasim quandam explicationem invocationis Stephani, ut qua ratione ad Deum patrem referri debeat, ostendas, & simul verba, quæ omnino ad Christum eam referri debere suadere videntur, interpreteris. Hæc tua explicatio non magis huic modo, quam cæteris admisceri poterat. Verum nulli admiscenda erat, sed post omnes afferenda. Ut, postquam probavisses Stephani invocationem non ad Christum, sed ad patrem pertinere, verba deinde invocationis, quæ tibi manifesto adversari videntur, ad sententiam tuam accommodares. Quod tamen postea non ea ratione tantum qua hic, sed alia præterea facere conaris. Quare ad eum locum responsionem meam reservo. Hæc autem à me dicta sunt, non ut te carpam, sed ut responsionis meæ rationem reddam. Addis similiter per quamdam paraphrasin, quam putes esse posse sententiam verborum Stephani, quæ ipsam invocationem antecedunt, ipsius invocationis explicationi quam attuleras congruentem, & ais: *Nam verborum præcedentium, Ego video cœlos apertos, & Christum stantem a dextris Dei, hic potest esse sensus, Ego Stephanus, quamvis vos omnes negetis Jesum esse excitatum receptumque in cœlos, atque Christum esse, factum tamen tam certo hoc scio, ac si cœli essent aperti, & jam ipsum viderem stantem seu permanentem ad dexteram Dei.* Antequam de hac tua interpretatione aliquid dicam, illud (si modò per te licet) monere te volui, ut in sanctarum Litterarum verbis recitandis, præsertim cum de eis diligenter explicandis agitur, majorem diligentiam adhibeas. Neque enim Christum, sed Filium hominis dixit Stephanus. Quamvis autem idem qui filius hominis appellatur, Christus sit, habet tamen vox Christus vim quandam hoc loco, qua appellatio Filii hominis caret, cum tu breviter nihil aliud sibi voluisse Stephanum affirmari posse dicas, quam Jesum esse Christum. Nunc paucis de ipsa tua interpretatione differamus. Dico igitur primum hanc eandem interpretationem tuam retineri posse, quamvis ad Christum verba invocationis referenda sint, cum Christi invocatio hoc loco nec necessario, nec ullo modo postulet, ut is prius à dextris Dei stans conspectus à Stephano fuerit. Quin etiam ne mentionem quidem ipsius antea factam esse necesse est. Satis est enim ipsa verba Stephani cum invocat, ad ipsum Christum omnino dirigi. Deinde affirmo, communi interpretatione admissa, non minus quam tua approbata, nisi aliud obstaret, invocationis quam affers explicationem, recipi posse. Quare non erat, quod ita laborares in verbis illis nova quadam ratione interpretandis, nisi alia causa subesset. Nempe quod Jesum seu Filium illum hominis à Stephano, jam à dextris Dei stantem, conspectum fuisse tibi non fit verisimile. Quod quid sibi velit cæteri viderint. Postremo illud asseve-

re non dubito, iſtam tuam interpretationem allegoricam non eſſe admittendam, triplici de cauſſa. Prima eſt, quia in ipſa ſimplici Lucæ narratione, ubi allegoriæ locum non habent, illud idem parum diverſis verbis antea dictum fuerat. Altera eſt quia Stephanus utitur initio ſuorum verborum voce illa Ecce, quæ manifeſte indicare videtur, aut rem ipſam vere factam fuiſſe, aut ſaltem tunc primum id illi contigiſſe. Sed Stephanum certo ſciviſſe Jeſum fuiſſe excitatum à Deo, receptumque in cœlos, & Chriſtum eſſe etiam ante illud extremum tempus, quatenus id ſine viſione aliqua ei contingere poterat, veriſimile admodum eſt, ſi ea quæ illi à Luca tribuuntur, & ſupra à nobis commemorata fuere, perpendantur, & qua fiducia ac πληροφορίᾳ eorum quæ dicebat, jam de Jeſu bonam confeſſionem edidiſſet, conſideretur. Tertia cauſſa eſt, quia ab omni veriſimilitudine abeſt, Stephanum (præſertim jam quodammodo in agone mortis conſtitutum) metaphoricis ejuſmodi locutionibus uſum fuiſſe, quibus plus ſibi tribuere, quam vere poſſet, videretur. Sed jam quomodo poſtremo verba Stephani invocantis non ad Chriſtum, ſed ad patrem referri debere probare coneris, diſpiciamus.

Quartus igitur probationis modus, quem tu tertium nominas, hujuſmodi eſt, veritas Sacræ Scripturæ perpetuo eſt, unum ſolum verum Deum creatorem cæli & terræ invocandum eſſe, & ob eam rem omnia teſtimonia, & exempla invocationis eo referre oportet: Ergo cum Stephanum invocaſſe legimus, non quidem Chriſtum, ſed Deum ab eo invocatum fuiſſe neceſſe eſt. Quamquam ſi verba tua, (quæ tamen ἀνακόλουθα, fortaſſe librarii vitio, ſunt) attendere velimus, non hæc videtur eſſe probatio tua, ſed confirmatio probationis. Probatio autem eſſe videtur, oſtendere verba illa Stephani invocantis, Domine Jeſu, ad patrem referri poſſe. Quod ſi ita eſſet, dupliciter à te erratum foret. Primo, quia cum probare debuiſſes, invocationem illam ad patrem omnino referri debere, quod referri poſſet, tantummodo probaſſes. Secundo, quia probationem illam feciſſes, quæ confirmatio probationis eſt, & confirmationem quæ eſt probatio. Jam vero etiamſi ea probatio tua ſit, quam in initio diximus, in eo tamen lapſus eſſe videris, quod ei probationi eam confirmationem nominatim adjunxeris, quæ non magis ipſius, quam reliquarum confirmatio eſt, & ut ſupra attigimus, poſt omnes probationes tamquam ad omnes reſpiciens ſeparatim ponenda erat. Idem vitium in univerſa ratiocinatione tua deprehenderetur, ſi confirmatio probationis eſſet ea, quam probationem ego feci, cum verba illa, Domine Jeſu, ad patrem referri poſſe, non magis ex hac, quam ex ſuperioribus probationibus ſi modo rectæ ſunt, confirmari queat. Hic tuus autem ſive tertius ſive quartus probandi modus non multa refutatione hoc loco indiget, cum infra de eo diligentiſſime, tamquam de ea ratione, cujus unius vi omnia quæ tibi obſtant, ſubvertere te poſſe confidis, videndum à nobis ſit. Nunc duo tantum dicemus. Unum eſt, te nullum teſtimonium ex Sacris Litteris, neque hîc neque alibi proferre, in quo diſerte ſcriptum extet, unum ſolum verum Deum creatorem cæli & terræ invocandum eſſe. Quod tamen facere debueras, ſi ejus rationis vi ea exempla ſubvertere velis, in quibus diſerte ſcriptum extet alium fuiſſe invocatum. Immo ne ſic quidem id tibi facere liceret. Ut enim ſupra dictum eſt, neuter ex duobus locis, qui ſeſe invicem deſtruere videantur, ſubverti debet. Quod ſi dicas, te non ſubvertere ea exempla, ſed interpretari, primum quam iſtud verum ſit paullo poſt apparebit. Deinde cur potius exempla, quam præceptum illud inauditis quibuſdam rationibus explicare tentas, præſertim cum ejuſmodi præceptum, ità ut exemplis illis non adverſetur, commodiſſime & ex communi loquendi uſu explicari queat? Quod ita ſe habere ſuo loco planiſſimum fiet. Verum fortaſſe hoc loco, cum aſſeris perpetuo veritatem ſcripturæ eſſe ſolum Deum patrem invocandum eſſe, ut verba tua præ ſe ferunt, non aliquod expreſſum ſingulare præceptum intelligis, ſed tenorem quendam perpetuum Sacrarum Litterarum ex quo id colligatur. Nempe quia nec ut alius præter illum Deum invocetur, uſquam mandatum fuerit, nec ullum apertum exemplum extet alicujus, qui alium quempiam invocaverit, ſed omnia exempla invocationis ad unum illum Deum referantur. Hæc ratiocinatio valde infirma eſt, cum propter ſummam difficultatem demonſtrandi id quod in ea aſſeritur, tum verò propterea quod in ipſa id ſumitur, & pro conceſſo ponitur, quod in diſputatione vertitur. Siquidem id maxime à me contenditur, non pauca apertiſſima exempla extare invocati Jeſu Chriſti. Adde quod ejuſmodi argumentatio, etiamſi omnia veriſſima eſſent, quæ in ea ſumuntur, ſuadendi quidem vim haberet, ſed id quod vult ex ipſa neceſſario non conficeretur. Nam neque mandato, ſive etiam admonitione eſt opus ut aliquid facere liceat, ſatis enim eſt id expreſſe interdictum non fuiſſe. Nec exempla Sacrarum Litterarum vim plenæ inductionis dialecticæ habere poſſunt, cum maxima pars invocationum hominum piorum in ipſis non commemoretur. Et quæcumque invocationis exempla ante Chriſtum extant, nihil omnino ad rem pertinere poſſint. Non enim quæritur ſimpliciter & in univerſum, utrum alius præter illum unum Deum invocari poſſit, ſed nominatim utrum Chriſtum invocare liceat, cui ſoli abſenti præter illum Deum invocationem tribuimus omnes, quibus tu contradicis.

Alterum, quod ad tuam probationem hoc loco refellendam dicendum mihi erat, illud eſt, quod ſi invocatio Stephani, vel cujuſvis ad Chriſtum referatur, non tamen propterea ſequitur ad patrem non referri, ſive ad alium referri quam ad patrem, cum quicquid in Chriſtum confertur, in ipſum patrem conferatur, ut tota Scriptura confirmat. Et Chriſtus, quamvis res creata ſit, & perſona atque ſubſtantia diverſus à patre, poteſtate tamen & cura ſubveniendi eccleſiæ ſuæ, & illam ab omni malo liberandi, poſtquam pro ingenti benignitate ſua illum ea in re pater ſocium ſibi adjungere voluit, diverſus non ſit. Manifeſte ex ipſius Chriſti verbis id colligitur, dum Joh. 10. ait, Idcirco neminem rapturum eſſe oves ipſius ex manu ſua, quod pater, qui ipſi eas dedit, omnibus ſit major, nec quiſquam ex ejus manu eas rapere poſſit, ipſe verò, & pater unum ſint. Quis ergo ideo audeat negare à Stephano Chriſtum fuiſſe invocatum, quod unum ſolum Deum patrem invocare liceat. Cum Chriſtus, non modo poteſtatem & curam illi ſubveniendi, & ſpiritum ejus ſuſcipiendi (ad quam unam poteſtatem & curam, quippe qua una illi opus eſſet, Stephanum invocando reſpexiſſe neceſſe eſt) ut ipſe Chriſtus aperte teſtatus erat, voluntate ſui patris haberet, verùm etiam ea in re unum cum ipſo Deo patre eſſet?

Jam viſum eſt qualem vim habeant quatuor probationes tuæ ad evincendum invocationem Stephani non ad Chriſtum, ſed ad Deum patrem referendam eſſe. In quibus illud præterea notandum eſt, quòd nec ſecunda nec quarta ad locum ipſum proprie pertinent, ſed omnibus meis teſtimoniis pariter accommodari poſſunt, obque eam cauſſam, præ hujus teſtimonii propria interpretatione, parvi omnino æſtimanda ſunt. Nunc quomodo ad ſententiam tuam verba Stephani accommodes, (quod ni fiat, ſatis, arbitror, perſpicis, ejuſmodi tuis probationibus nihil agi) diligenter expendamus.

Primò igitur verba illa, Domine Jeſu, in quibus ſolis tibi laborandum eſt, propterea ad patrem referri rectè poſſe affirmas, ſeu potiùs affirmare debueras, quia ut præſens diſputatio requirebat, Ieſus nihil aliud ſit, quàm Servator. Nam certè, ais, pater ſervator eſt. Vide, quæſo, quas ridiculas interpretationes tibi conſectari neceſſe ſit. Nomen Jeſus à verbo quidem Hebræo derivatur, quod ſervare ſignificat, ſed non idcirco idem eſt Jeſus, quod Servator, adeo ut Synonyma

nyma ſint, ut tu ea apertè facis. Jeſus eſt nomen proprium viri. Servator verò eſt nomen, ut vocant, appellativum, & de quocumque qui ſervat, ſive is homo, ſive angelus, ſive Deus fuerit, rectè dici poteſt. Servator officium, qualitatem, actionemvè declarat, Jeſus perſonam deſignat, & ejuſmodi perſonam deſignare poteſt, quæ officio, qualitate, & actione illa penitus deſtituatur. Neque unquam Jeſus appellativum nomen eſſe poteſt, quippe quod formationem appellativi nominis non habeat, & nihil per ſe ſignificet, ſed tantummodo ex accidenti, quatenus ad certam quandam perſonam ſignificandam formatum eſt & conſtitutum. Quoniam verò, ut diximus, hoc nomen à verbo quod Servare ſignificat ductum eſt, idcirco ei perſonæ maximè convenit, quæ ſalutem det. Atque ob eam rem quia filius ille Mariæ virginis ſervaturus erat populum ſuum à peccatis ſuis, id eſt a morte æterna propria peccatorum pœna ſibi fidem habentes vindicaturus, qua ſalute nulla præſtantior humano generi contingere poteſt, meritiſſimò ipſius Dei juſſu Jeſus proprio nomine appellatus eſt. Quid tibi igitur, ſeu potius aliis, quos ſecutus es, in mentem venit, ut nomen Jeſus perſonæ proprium pro appellativo Servatore à Stephano prolatum fuiſſe diceres? Cur unicum ſaltem exemplum ejuſce rei non attuliſti, ſi non in ipſo nomine Jeſu, at in nomine ſimili, cum pæne innumerabilia ejuſmodi nomina propria in ſacris litteris reperiantur, quæ ſcilicet, à verbo aliquo derivantur, ſed tamen per ſe nihil ſignificant? Huc accedat, quod fortaſſe nuſquam invenies nomen Domini præpoſitum nomini alicui verbali, niſi aliquid ei verbali nomini adjunctum fuerit, quod ab ipſo regatur, vel cum ipſo conſtruatur, ſeu, ut grammaticorum Hebræorum more loquar, niſi nomen verbale ſit in ſtatu regiminis, aut cum affixis. Ut verbi gratia, Dominus ſervator meus, Dominus redemptor Iſraëlis. Faceſſant igitur hæ homine non plane rudi indigniſſimæ interpretationes, quæ juſto Dei judicio eruditiſſimis etiam aliquando excidunt, cum divinæ veritati reluctari audent.

Secundò dicis, ſeu potiùs dicendum tibi erat, nomen Jeſu eſſe poſſe genitivi caſus, ita ut Domine Jeſu nihil aliud ſit, quàm, Tu qui es Dominus Jeſu, quod ad patrem ejus profectò referri debet. Sed videamus obſecro quibus verbis ſecundam hanc interpretationem explices & probes. Ais igitur, Aut [quid impedit quin] is, qui eſt Dominus Jeſu non eſſe poſſit pater illius, quemadmodum Matth. XI. Deum illum creatorem Dominum appellat. Vide qua ratione, ut miſeri ſcilicet rudes lectores decipiantur, explicata & probata tua interpretatio ſit. Etenim in verbis tuis ipſam interpretationem pro conceſſa ſumis, & quaſi ea conceſſa, ad patrem tamen verba Stephani referri nec debere, nec poſſe negetur, ita argumentaris. Nam hoc eodem artificio in priore quoque interpretatione explicanda & probanda uſus fueras, cum enim dicere debuiſſes, Quid impedit, quin nomen Jeſu pro Servatore accipiamus, & eo nomine ipſum patrem intelligamus &c. dixiſti, Quid impedit quin Dominum Jeſum ſeu ſalvatorem ipſum patrem intelligere poſſimus? Quaſi verò palàm eſſet nomen Jeſu pro Servatore accipi debere, ſed tamen nihilominus dubitaretur, num id nomen ad patrem referri poſſet. Certè qui hujuſmodi technis in diſputando delectantur, ſatis oſtendunt veritatis inquiſitionem non multum ſibi cordi eſſe. Sed quid eſt illud quod ad alteram hanc tuam interpretationem confirmandam ex Matth. cap. XI. affers? Numquid ibi Ieſus patrem dominum ſuum appellat? Nonnè manifeſtum eſt non ſui dominum, ſed cæli, terræque dominum eum appellaſſe? Inquit enim, *Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abſcondiſti* &c. Quid quæſo agebas, cum teſtimonium illud proferre cogitabas? Præterea quis eſt qui neget, Deum patrem ſui filii dominum appellatum fuiſſe, vel appellari poſſe? An non ex hoc manifeſtum eſt, te ita interpretationem tuam explicaſſe, quaſi in confeſſo eſſet, nomen *Jeſu* à Stephano generandi caſu prolatum fuiſſe, ſed adhuc dubitaretur, quiſnam eſſet iſte dominus Ieſu, & eum ipſius patrem eſſe poſſe negaretur? Atqui cum dubitatio ſit, utrum nomen Jeſu generandi aut vocandi caſu prolatum fuerit, & ſi generandi caſu prolatum ſit, Deum patrem intelligi debere conſtet, atque inter cætera, quæ omnino perſuadere debeant, generandi caſu prolatum non fuiſſe, illud ſit, quòd nuſquam Deus ea periphraſi, nempe *Dominus Jeſu*, ſignificetur, non ſatis eſt te probare, vel à Jeſu ipſo Deum patrem, ſuum dominum appellatum eſſe, vel ab aliis reipſa Jeſu dominum dictum fuiſſe, niſi diſertè iiſdem conceptis verbis Dominus Ieſu nuncupatus inveniatur, aut certè alia ratio ad objectionem illam meam reſpondendi tibi eſt ineunda. Verùm præter hoc aliud etiam tuæ iſti interpretationi objeceram. Id eſt, ſi nomen Ieſu genitivo caſu à Stephano prolatum fuiſſet, ſine dubio Lucam non κύριε ἰησοῦ, ſed κύριε τῦ ἰησοῦ ſcripturum fuiſſe, ne (ſi modo ſciebat Lucas Chriſtum invocari nec debere, nec poſſe) tantam aliis exemplo Stephani in cultu divino graviſſime peccandi occaſionem daret, ut certè, ſi vobis credimus, dedit, cum ab eo tempore uſque ad ætatem hanc noſtram de nullo homine memoriæ proditum ſit, qui ad ipſum Ieſum ea verba non retulerit, voſque, ut plane veriſimile eſt, primi ſitis, qui poſt tot ſæcula ad ipſius patrem ea referatis. Ais tu nimis exile & tenue eſſe, quòd non additus ſit ille articulus τῦ. Nam inquis, *Nonne ego ſimiliter argumentari poſſum: Non additus eſt articulus Chriſtum deſignans, Tu Domine Jeſu, vel ô Domine Jeſu; quæ evincerent, ſimpliciter hanc invocationem de Jeſu Nazareno intelligendam eſſe, ergo invocatio hæc ad Jeſum Nazarenum referri non poteſt.* Vide quæſo quæ tibi exciderint. Primùm neutra ex illis vocibus Tu & O articulus eſt, ſed prior pronomen, poſterior verò adverbium eſt. Deinde cum fatearis, alterutrâ ex illis vocibus additâ conſtiturum fuiſſe, hanc invocationem de Ieſu Nazareno intelligendam eſſe, cur idem non fateris quamvis neutra addita fuerit? Nam quid obſecro, efficeret addita utravis illarum vocum? Certè neutra earum aliam vim habere poſſet, quàm ut ad certam aliquam perſonam tanquam præſentem illa verba dirigi manifeſtè oſtenderet. Atqui hoc idem prorſus per ſe facit nomen κύριε vocandi caſu prolatum. An non etiamſi utravis illarum vocum adderetur, utravis tamen ex tuis iſtis miris interpretationibus nihilominùs, quàm ut nunc ſcriptum eſt, illis verbis accommodari poſſet? Hæc verba, Tu domine Jeſu, ſi Jeſum pro Servatore accipias, nonne perinde omnino, ac ſine pronomine Tu ad Deum patrem referri poſſint, ſin autem Jeſu genitivi caſus eſſe dicas, nonné haud quidem ad ipſum Jeſum, ſed ad patrem ipſius referenda eſſent? An non utrumque plane fieret, ſi, O *Domine Jeſu* ſcriptum fuiſſet? Quid igitur quæris? aut cur me nugis iſtis refellendis occupare voluiſti? Quin etiam in inſtituto pergis, & ais; *Huc pertinet & hoc, quod Jeſus, cum in terris eſſet, & aliquid ab eo peteretur, ut ab aliis diſtingueretur, qui Jeſu nomine appellati fuerunt, non ſimpliciter Jeſus dictus eſt, verum Jeſus filius David, Jeſus filius Dei altiſſimi, Item Jeſus Chriſtus, & ſimilia.* Qui fieri poteſt, ut iſta ſcripſeris? Nam à quo alio, qui Jeſu nomine vocaretur, diſtinguendus erat Dominus Jeſus, cum ab ipſo petendum eſſet, ut morientis ſpiritum ſuſciperet? Numquid ejuſmodi petitio ad hominem ullum mortalem & in terris degentem ullo modo pertinere poteſt? Immortalem autem hominem Dei beneficio factum, & in cælis habitantem Ieſu nomine vocatum quemnam alium vel ſuſpicari quidem licebat præter unum Ieſum Nazarenum, qui Chriſtus cognominatus eſt? Nonne Lucas paullo antè ipſum ſimpliciter Ieſum nominaverat, inquiens de Stephano, *vidit gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei?* Nonné Johannes in extremis Apocalypſis verbis eodem prorſus modo, quo hic Stephanus, eum compellat dicens: *Etiam veni Domine Jeſu?* Denique ut multa alta omittam, quem umquam non modò ex iis, qui Jeſu nomine vocati ſunt, ſed ex omnibus ho-

minibus, præpoſita nomini proprio Domini appellatione, nominatum aut compellatum fuiſſe invenies præter unum Jeſum illum Nazarenum, qui ſæpiſſime in ſcriptis novi fœderis Dominus Jeſus ſimpliciter appellatus eſt? Numquid uſpiam legiſti, exempli gratiâ, Dominus Moſes, Dominus Solomo, Dominus Petrus? Certè ita miror, cum tua verba lego, ut nunquam fortaſſe magis. Et tamen ſtatim ſubjungere non dubitaſti: *Hæc vera & certa ſunt. Verum cum ſuis opinionibus addictis minime ſatisfaciant* &c. Tu igitur ille es, qui litteram ipſam poſtulas, & rectas conſecutiones planè rejicis, & tamen ſolis, iiſque ut vidimus, manifeſtè pravis conſecutionibus utens, expreſſam litteram negligis, eamque puerilibus & ridiculis (da veniam verbis, nam ipſe cognoſces, ut ſpero, me veriſſima loqui) interpretationibus eam eludere tentas, & interim vera & certa eſſe, quæ affirmas, dicere non vereris? & inſuper nobis objicere audes, quòd opinionibus noſtris addicti ſimus, & propterea illa nobis non ſatisfaciant?

Sed jam de tertia tua ad hoc Stephani exemplum reſponſione videamus.

Hæc tua reſponſio duas partes habet. Prior ad verbum ipſum *Invocantem* pertinet. Poſterior verò ipſa verba Stephani reſpicit. Dans igitur omnia ad ipſum Chriſtum referenda eſſe, & nihilominus negans inde conſequi Chriſtum invocandum eſſe, & ab ipſo bona ſpiritualia petenda, ais in priore parte, Deum ſingulari revelatione Stephano oſtendiſſe, Jeſum eſſe Chriſtum, & eſſe illum in gloria ſua, & propterea Stephanum invocaſſe illum, & Chriſtum eſſe profeſſum fuiſſe. Quo audito eum lapidabant. Jam verò cum primò ad totam reſponſionem reſpiciens inquis, non poſſe ſequi ex hoc exemplo Chriſtum invocandum eſſe, & ab ipſo bona ſpiritualia petenda, ut in prima reſponſione animadverſum eſt, non rectè loqueris. Siquidem & quæſtio noſtra, ut ſæpius dictum fuit, in eo tota vertitur, utrùm Chriſtum invocare liceat, non autem utrum invocari debeat, & quod ad priorem tuam theſin, ejuſque à te ipſo allatam explicationem attinet, ſatis ſuperque eſt, ſi ex hoc exemplo probetur, Chriſto in ſacris litteris invocationem tributam fuiſſe, id eſt fiducia vera cordis ab eo ſpiritualia bona petita eſſe. Deinde cum ipſam priorem partem reſponſionis ingrediens ais, Deum ſingulari revelatione Stephano oſtendiſſe Jeſum eſſe Chriſtum, & quia ea patefactione admonitus Jeſum eſſe Chriſtum profiteretur, propterea eum lapidatum fuiſſe, id quoque non rectè dictum eſt, præſertim ſi Jeſum eſſe Chriſtum nihil aliud eſt, ut tu quidem credis, quàm Jeſum deſignatum eſſe regem à Deo, qui aliquando regnaturus ſit in domo vera, non autem allegorica Jacob. Nam & iſtud non Stephanum modò, qui jam fide & ſpiritu ſancto plenus erat, ante illam ſingularem divinam patefactionem palàm profeſſum fuiſſe, verùm etiam omnes, qui baptizabantur in nomine Jeſu, ſi tuam illam interpretationem ſequimur, neceſſe eſt, nec poſt illam patefactionem certiùs quàm antea id Stephano conſtare potuit. Nihil enim commune habet, quod Jeſus tunc ſtaret in cœlis à dextris Dei, cum eo, quod aliquando futurum eſſet, ut hic in terris regnaret ſuper domum Iſraëlis. Potuit enim illud veriſſimum eſſe, etiamſi hoc nunquam futurum ſit. Non igitur lapidabatur Stephanus quia ſimpliciter, ſive etiam eo ſenſu explicitè, in quem tu exiſtimas, nomen Chriſti accipi debere, Jeſum eſſe Chriſtum profiteretur, (ſi modò propter illa ipſius verba, *Ecce video cœlos apertos* &c. eum lapidatum fuiſſe volumus) ſed quia eo ſenſu, quo ego nomen Chriſti, cum Jeſu tribuitur, dici exiſtimo, Jeſum eſſe Chriſtum profitebatur, id eſt eum jam regnare in cœlis ſuper ſpiritualem Iſraëlis domum, quæ eſt univerſa ipſius eccleſia, palàm aſſeverabat, & ſibi compertiſſimum eſſe ajebat, cum diceret ſe videre cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. Hoc enim, ut alibi dicetur, regnum illud planè deſignat, & ob oculos ponit. Sed videamus poſtremò quomodo verbum *Invocantem* interpreteris. Tametſi enim non ſatis te explicas, & verbis uteris planè ambiguis, & quibus videri poſſit, te profeſſionem & confeſſionem illam quòd Jeſus ſit Chriſtus, ab ejuſdem invocatione ſeparare, tamen rectè intuenti apparet, te nihil aliud, a Stephano invocatum fuiſſe Chriſtum, ſignificare velle, quàm Stephanum profeſſum & confeſſum eſſe, quòd Jeſus eſſet Chriſtus. Sed quamnam inauditam & prodigioſam verbi Invocandi ſignificationem nobis affers, & undenam illam hauſiſti? Quis unquam audivit, Invocare idem ſignificare poſſe, quod Jeſum eſſe Chriſtum palàm confiteri? At dices, jam ipſe vis, & ego hoc loco tibi do, poſt verbum *Invocantem* ſubaudiendum eſſe nomen *Jeſum*. Rectè eſt. Sed invocare Jeſum, pro Jeſum eſſe Chriſtum profiteri, paullo minùs prodigioſa, quam ſuperior illa, interpretatio eſt, ut in ſequenti cap. docebimus. Præterea quòd nomen Jeſu ſubaudiendum ſit, ex verbis illis Stephani, *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum*, conſtare diximus, nec aliunde id peti poteſt. Quare neceſſe eſt, ut prædicta Stephani verba explicatio invocationis ſint, & proinde ut Stephanus ea ratione Jeſum invocaverit, quòd eum oraverit, ut ſpiritum ſuum ſuſciperet, non autem quòd illum eſſe Chriſtum profeſſus fuerit. Hoc enim, teipſo teſte, etiam ante verba illa ab ipſo conſtantiſſime factum fuerat. Quæ omnia ita plana ſunt & aperta, ut in eis confirmandis ampliùs laborare ſupervacaneum ſit. Quare de poſteriore tuæ reſponſionis parte agamus.

Nam cum videres, etiamſi exemplum hoc Stephani Chriſtum invocantis, quod attinet ad verbum Invocandi, nihil tibi officeret, id tamen ſatis non eſſe, ſi revera à Stephano Chriſtus ea invocatione, de qua contendimus, invocatus fuiſſet, conaris Stephani verba aliqua ratione interpretari, unde elici non poſſit, verà fiduciâ cordis aliquod bonum à Chriſto petitum fuiſſe, & ais: *Ut igitur propter hanc profeſſionem, Jeſum eſſe Chriſtum, moritur, & cum hac ratione invocat, ſic cum teſtem ſuæ confeſſionis eſſe vult, ut ſpiritum ſuum recipiat, & tanquam juſtus judex in illa die illum corpori ſuo reſtituat, ex præcepto & poteſtate Dei patris.* Ex his verbis tuis, quamvis tu aliud omnino facere conatus fueris, manifeſtè apparet, quædam vera eſſe, quæ tu alibi in ſcripto tuo apertè negas, & Chriſtum à Stephano imploratum fuiſſe, aut certè implorari potuiſſe, conſtat. Primùm dicis, Stephanum voluiſſe, ut Chriſtus eſſet teſtis confeſſionis ſuæ. Verùm quomodo Chriſtus in cœlis exiſtens poteſt audire & videre ea, quæ fiunt in terris, niſi divina aliqua vi ſit præditus, qua etiam poſſit abſens ſuis opitulari? vel ſi concedis, eum licèt abſentem ea, quæ hîc fiunt, percipere, & obſervare, cur tibi durum alibi videtur concedere, quòd, poſtquam hinc abiit, ulla in re amplius nos juvare poſſit, niſi perſonaliter, ut ais, de cœlis deſcendens id faciat? Numquid, ut ad priorem rationem meam revertar, Chriſtus in cœlis habitans ſpectator tantum eſt eorum, quæ in terris fiunt, & nihil præterea agit? Cur verò ſpectator obſecro? Dices fortaſſe, quemadmodum etiam ex verbis tuis colligitur, ut in extrema illa die tamquam juſtus judex unicuique ſecundum opera ſua reddere queat. Atqui niſi alia ſubſit cauſſa, ea re non erat opus. Potuiſſet enim Deus illi ante diem illam omnia patefacere, ex quibus cum rectum judicium ferre cunctis mortalibus conſtaret. Quocirca nulli dubium eſſe debet, propter aliud, tantam vim illi à Deo datam fuiſſe. Id autem aliud eſſe non poteſt, quàm, ut eccleſiæ ſuæ curam habeat, eamque regat, & gubernet, illique in tempore opituletur. Nam ſi dixeris, angelos quoque teſtes à Paulo advocatos fuiſſe 1 Tim. 5. 21. qui tamen nihil eorum habent, quæ à me Chriſto propter eam advocationem tribuuntur, Reſpondeo, apud Paulum eo in loco non nominari ſimpliciter angelos, ſed electos angelos, nempe eos, qui ad Epheſinam eccleſiam, cui Timotheus præerat, cuſtodiendam electi fuerant, quamvis nullius oculis apparerent, quos non mirum eſt, quæcumque Paulus

ad

ad Timotheum scriberet optime percepisse, & idcirco eorum testes advocari potuisse. Quibus tamen ideo datum fuerat, ut quicquid ad Ecclesiam illam pertinebat, inspicerent, non ut spectatores tantum essent, sed ut ei, quemadmodum jussi fuissent, præsto esse, & opem ferre possent. Cur autem ejusmodi angeli non tamen propterea invocentur, alibi à nobis explicabitur. Nec verò est quod dicas, propter singularem illam divinam patefactionem licuisse Stephano Jesum Christum testem advocare confessionis suæ, quippe cum tamquam præsens ei exhibitus fuisset, Id autem aliis non licere, quibus ejusmodi patefactiones non conceduntur. Nam satis est patefactione illa non vere Christum Stephano præsentem fuisse exhibitum, nec ita propinquum, ut sine divina & inexplicabili quadam vi ejus confessionem percipere posset. Aperti enim illi sunt cœli, & ibi a se quam longissimo spatio distantem Christum, Dei beneficio, mirabili quadam ratione conspexit. Atque, ut uno verbo dicam, ea patefactione nihil ipsi Christo additum, sed multum Stephano datum fuit. Quamquam non opus est hac in re multum laborare, cum Paulus, citra ullam singularem personæ Christi patefactionem, eum testem sæpius adhibeat eorum quæ dicit, & præsertim supra dicto loco ad Timoth. & posteriore epistola ad eundem cap. 4. in ipso initio. Sed quanam ratione, cum in verbis Stephani nulla nec tacita nec aperta testimonii alicujus mentio fiat, ausus es dicere, eum voluisse, ut Christus esset testis confessionis suæ? Siccine in Sacris Litteris, quæ summa cum religione nobis tractandæ sunt, & in ipsis plane divinorum hominum verbis interpretandis

Desunt quædam.

Cap. III.

Qui cognominant nomen tuum. Quid quæso hæc verba sibi volunt? Quis unquam vel Græcè, vel Latine, vel etiam Barbare ad hunc modum locutus est? Nominare nomen alicujus, manifesto sensu eleganter dicitur, & est apud Paulum 2 Tim. 2. 19. *Et recedat ab iniquitate quicumque nominat nomen Christi.* Quamquam in vulgata editione est: *Omnis qui invocat nomen Domini.* Sed Cognominare alicujus nomen nec aliquid significat, neque usquam scriptum est. Verum ut tota hac de re melius à lectoribus decerni possit, jam de eo, quod te secundo loco in hoc cap. agere diximus, accuratè videamus. Cum igitur verbum Græcum quod Invocare a Latinis interpretibus redditum fuit (quod tu falso, ut dictum est, ἐπικαλεῖν esse credidisti, cum enim quinquies verbi illius memineris, quater ἐπικαλεῖν scripsisti, & semel tantum ἐπικαλεῖσθαι) duplicem, ut tibi placet, significationem habere queat, ut scilicet vel cultum ac petitionem, vel cognominationem declaret, nulli dubium esse debere ais, quin cognominandi significatio in illis locis, ubi nomen Christi invocatum à fidelibus fuisse dicitur, ei tribui possit. Hoc nimirum sensu, quod Jesum cognominarent Christum, quemadmodum alibi scriptum est, Simeonem cognominatum fuisse Petrum, & Josepnum Barsabam. Sed quomodo hoc fieri potest? Nam, ut allata à te exempla, & sensus ipse communis demonstrat, necesse est, quandocumque in ejusmodi sensum verbum quod cognominandi activam significationem habere velimus, accipi debet, ut & persona quæ cognominatur, & cognomen quo cognominetur, adscribantur, & utrumque quarto casu enuncietur. At in locis illis plerumque nec persona, nec cognomen, est adscriptum, & interdum quidem utrumque, sed secundo casu, & ab alio nomine rectum, ut in testimonio illo 1 Cor. 1, cum τοῖς ἐπικαλουμένοις nomen Domini nostri Jesu Christi. Præterea vox *Nomen*, immediate à verbo illo tanquam persona patiens recta, quæ in ipsis omnibus est, in allatis exemplis nec est, nec esse potest. Quippe, quia in phrasi exemplorum illorum necesse est, ut persona patiens, quæ immediatè à verbo illo regitur, sit vera persona. Neque enim nomina, sed personæ cognominantur: & tu in testimoniis meis non quidem nomen Jesu, sed ipsum Jesum cognominatum fuisse Christum intelligi debere contendis. Adde quòd in exemplis tuis, nulla personæ agentis fit mentio: in testimoniis verò meis apertè fit. Quod non minimi momenti esse non multo post docebo. Breviter, nulla est prorsus, ut uno verbo dicam, inter locorum, de quibus quæritur, phrasim, & eam, quam in exemplis à te allatis, aut in iis, quæ afferri possent, esse constat, similitudo; nec mirum, cum, ut diximus, non idem utrobique sit verbum, nec tamen, si esset, eandem significationem habere posset, cum constructio diversissima sit. Quid enim commune haberet hæc locutio: Cognominant nomen tuum, sive nomen illud, sive nomen Jesu Christi, cum ea, Simon qui cognominatur Petrus, sive cum illa, Joseph qui cognominatur Barsabas? An non ut priores illæ locutiones cum istis posterioribus congruerent, adeò ut illarum sententia esse posset, Jesum cognominatum fuisse Christum, necesse esset scriptas ad hunc modum extare, Te cognominant Christum, Isto nomine Christi Jesum cognominant, Jesum cognominant Christum? Hæc, quæ istas phrases apertissimè discriminant, tu ipse animadvertens, locutionem testimoniorum meorum in aliam, quæ scilicet cum exemplis tuis consentiat, convertere conatus es. Sic enim scribis: *Quid dicit Paulus, quid Ananias, quid Lucas? Hoc videlicet, omnes Christianos ubique gentium Jesum Christum* ἐπικαλεῖν *invocare consuevisse.* Vide quàm parum syncere in testimoniis sacris recitandis verseris. Nemo eorum, quos nominasti, scripsit, Christianos Jesum Christum ἐπικαλεῖν, sed nomen illius personæ, seu nomen Jesu Christi ἐπικαλεῖσθαι. Porro ex tua illa phrasi, quam divinis illis viris affingis, non modo posset tua interpretatio elici, cum in ea & Jesus, qui cognominetur, & cognomen Christus disertè scriptum sit, ac personæ patientis locum à verbo ἐπικαλεῖν immediate rectæ nomen *Jesus* per se tenere queat, sed etiam propter verbum ἐπικαλεῖν fortasse omnino deberet. Neque enim memini me verbum istud invocandi, seu Implorandi propria significatione legere. Cæteræ verò ejus verbi significationes illis locis minime convenire possunt. Itaque vide quam graviter in tota hac verbi invocandi tractatione à te erratum sit, qui non modo ei verbo, quo usi sunt sacri Scriptores, eam significationem, quæ tibi favet, nempe cognominandi falso attribuisti, sed aliud verbum ejus loco substituisti, quod non & invocandi & Cognominandi, ut tu putasti, significationem, sed fortassis cognominandi tantum in iis locis, de quibus agitur, habere posset. Quin etiam vix credo inveniri, ubi verbum ipsum ἐπικαλεῖν cum cognominare significat, aliter, quàm persona agentis nulla expressa usurpetur. In activa quidem significatione per tertiam personam pluralis numeri, ut verbi gratia Simon quem ἐπικαλεῖσι Petrum. In passiva verò per tertiam quidem personam, sed singularis numeri, cum scilicet de uno est sermo, ut in exemplis tuis, Simon, qui ἐπικαλεῖται Petrus. Quare nec tua illa phrasis, quam Paulo, Ananiæ, & Lucæ falso tribuis, quia in ea persona agens expressa est, sustineri fortasse potest, nec in veris verbis eorum virorum propter eandem rationem verbum ἐπικαλεῖν cum cognominandi significatione locum habere posse videtur.

Mitto autem, quod exemplum illud tuum Josephi, quod attinet ad nomen Barsabam ineptum est. Scriptum est enim ibi Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν, non autem ἐπικαλούμενον. Sed quod de nomine Barsabæ dixisti, de Justi nomine sine dubio dicere voluisti, sequitur enim in textu: ὃς ἐπεκλήθη Ἰῦς⟨ον⟩, Qui cognominatus est Justus. Et hic est locus ille, quem in initio hujus capitis inter eos scribis, ubi vocabulum Invocationis non cultum aliquem, aut petitionem significet, sed nomen tantum, & professionem. Atqui quomodo id facere potuisti, cum nec in codice Latino verbum invocandi, sed Cognominandi eo in loco scri-

ptum ſit, & in Græco codice non ſit idem verbum quod in locis illis, in quibus nomen Chriſti dicitur fuiſſe invocatum? ſiquidem, ut ſupra dictum fuit, in illis locis eſt verbum ἐπικαλεῖσθαι deponens, in hoc verò verbum quidem ἐπικαλεῖσθαι, ſed paſſivum. Quod idem dico de teſtimoniis illis tribus, ſub citatione Act. 10, ibidem à te notatis. Namque in duobus ſcriptum eſt, Simon qui ἐπικαλεῖται, ſeu cognominatur Petrus, non autem quem ἐπικαλοῦμαι, ſive invocant Petrum. In tertio verò eſt, Simonem τὸν ἐπικαλούμενον, ſive cognominatum Petrum, non autem, Simonem ὃν ἐπικαλοῦνται, ſive quem invocant Petrum. Manifeſtum igitur, ut ad rem redeamus, jam eſſe poteſt, nulla ratione ſtatui poſſe, etiamſi concederetur verbum Græcum ἐπικαλεῖσθαι eandem in teſtimoniis meis ſignificationem habere, quod verbum Latinum Cognominare, ſenſum eorum locorum eſſe, quod Jeſus cognominaretur Chriſtus. Et certè is, qui, ne Chriſtum imploratum umquam fuiſſe concedere cogeretur, & ſecure illi omnem divinum cultum adimere poſſet, iſtam mirabilem interpretationem excogitavit, jam ipſi Chriſto, hæc ab eruditione ſua quam alieniſſima, & pueris ipſis non condonanda ſcribens, ſui peccati aliqua ex parte pœnas dedit.

Sequitur, quo veriſſimam, eſſe eorum locorum, quam nos attulimus, interpretationem, omnibus perſpicuum fiat, (quod alioqui, cum demonſtratum ſit interpretationem tuam nullum cum iſtis verbis commercium habere, plane ſupervacaneum eſſet) ut id quod tertio loco in hoc capite agis diligenter examinemus. Nam ut, non poſſe tantum ſed omnino debere interpretationem tuam admitti, meam verò rejici, demonſtres, ad hunc modum argumentaris. Ex duabus iſtis interpretationibus ea omnino retinenda eſt, quæ reliquis apoſtolicis ſcriptis eſt conſentanea, quæ verò ipſis conſentanea non eſt, prorſus repudianda. Atqui mea interpretatio illis conſentanea eſt, tua verò minime. Igitur mea omnino retinenda, tua autem prorſus repudianda eſt. Jam verò meam interpretationem, à ſententia reliquorum Apoſtolicorum ſcriptorum, longè abhorrere, ex eo conſtare dicis, quod nuſquam legatur aliquem invocaſſe Ieſum poſt mortem, ut opem ferat. Sed quam iſtud falſum ſit, Stephani exemplum, ſupra à nobis una cum tuis animadverſionibus & interpretationibus, ſatis diligenter excuſſum atque perpenſum, ſi non tibi ipſi (ut ſane deberet) at cæteris plerisque omnibus palam facturum confido, præter apertiſſimum Pauli exemplum 2 Cor. 12, de quo ſuo loco videbimus. Ubi alia nonnulla idem confirmantia afferentur. Præterea, ut interpretatio mea in locis illis verbi Invocandi reliquis ſcriptis Apoſtolicis conſentanea eſſe demonſtretur, ſatis eſt loca proferre, ex quibus cultum Chriſto attributum, & fiduciam in Chriſto collocatam fuiſſe intelligi poſſit. Hoc enim ſenſu id verbum in illis teſtimoniis prolatum fuiſſe contendo, ex quo ſenſu Chriſti auxilii imploratio quæ fieri poſſit, qua de re inter nos diſputatio eſt, neceſſario conſequitur. Proferentur autem ea loca à nobis infra commodiore occaſione oblata. Et hæc quod attinet ad impugnationem tuam interpretationis meæ. Ut autem interpretationem tuam reliquis apoſtolicis ſcriptis conſentaneam eſſe oſtendas, multum laboras, ut probes veros Chriſtianos, & præcipuè Paulum Apoſtolum, totos in hoc fuiſſe, ut affirmarent Ieſum eſſe Chriſtum. Sed nihil efficis, niſi quod ſententiam interpretationis meæ non leviter confirmas. Aliud eſt Ieſum cognominare Chriſtum, aliud aſſerere Ieſum eſſe Chriſtum. Illud ſimplicem appellationem, hoc diſertam confeſſionem declarat. Illi, qui Simonem cognominabant Petrum, nihil aliud faciebant, niſi, quòd cum hominem illum nominare volebant, eum vel Petrum, vel Simonem Petrum vocabant. Nihil cæteroqui de ſignificatione cognominis Petri cogitantes, quaſi ita eum appellantes confiteri vellent eum eſſe firmum & ſtabilem in fide, unde tanquam ejus rei, quæ omnino futura erat indicium, & ſuæ providentiæ perpetuum monumentum, illud cognomen ipſi à Domino Ieſu impoſitum fuerat. Ieſum igitur cognominare Chriſtum poterant ii quoque, qui ipſum Chriſtum eſſe confiteri nolebant, vel ſaltem ea de re nihil cogitabant, id quod à multis ex gentibus, licet à Chriſtiana religione averſis, qui eum hominem ſic nominari à Chriſtianis, & ab ipſis Chriſti diſcipulis ab ipſo initio audierant, factum fuiſſe non eſt dubium. Nam poſtea paſſim inter gentes obtinuiſſe, ut Ieſus Chriſti nomine vocaretur, & ejus ſectatores Chriſtiani dicerentur, hiſtoriæ omnes aperte teſtantur. Sed non mirum eſſet te hæc duo confundere, Ieſum cognominare Chriſtum, & confiteri Ieſum eſſe Chriſtum, ſi eum à quo iſta habuiſti, ut ſane dubitari poteſt, in cæteris quoque ſequereris. Is enim fateri, immo ipſum credere Ieſum eſſe Chriſtum, unde homines juſtos haberi coram Deo ſacræ Litteræ teſtantur, nihil aliud eſſe exiſtimat, quàm id paullo plus quam oretenus profiteri. Alicubi enim id omnibus facilimum eſſe ait. Certe Ieſum eſſe Chriſtum ex animo confiteri facile videri non debet. Nam cum Chriſtus regem ſignificet, eumque ſenſibus iſtis externis regnare non videamus, ſive id regnum præſens, ut vere eſt, ſive futurum, ut vobis placet, intelligatur, difficile eſt id ſibi perſuadere. Verum quicquid ſit, illud certiſſimum eſt ex veſtra iſta interpretationis Invocationis nominis Chriſti confirmatione, neceſſario ſequi confeſſionem veram, quod Ieſus ſit Chriſtus, qua Deo chari efficimur, impiis quoque eſſe communem, dummodo cum Ieſum nominare volunt illum Chriſtum cognominent. Nec vero eſt quod mihi objicias, te alio ſenſu dicere Ieſum cognominatum fuiſſe Chriſtum, quam, exempli gratia, Simonem cognominatum fuiſſe Petrum, ut indicant illa verba tua, *Alia tamen, atque alia ratione.* Non enim potes tu, pro tuo arbitratu, verborum & locutionum ſignificationes inducere, aut mutare, præſertim cum non de tuis verbis, ſed de alienis quæſtio ſit. Si vis verbum *Invocandi* in meis teſtimoniis cognominandi ſignificatione dictum fuiſſe, neceſſe eſt ut cognominandi verbum propria, aut ſaltem non inuſitata ſignificatione accipias, immo ſecundum eam interpreteris, quæ in exemplis, quibus interpretationem tuam confirmare niteris, manifeſta eſt. Quocirca perſpicuum jam eſſe poteſt, nihil ad confirmandam interpretationem tuam pertinere, quod Chriſtiani omnes in hoc toti eſſent, ut aſſererent Ieſum eſſe Chriſtum, cum hoc aliud ſit, quam Ieſum cognominare Chriſtum. Sed finge idem eſſe. Certe ſi Ieſum eſſe Chriſtum aſſerere pro vera, & ex animo facta confeſſione, quòd Ieſus ſit ille Chriſtus Dei, ut debes, accipis, cum concedas, ſeu potius ipſe velis in teſtimoniis meis dici, Ieſum cognominatum fuiſſe Chriſtum, jam ſimul & concedis & vis ipſi Ieſu etiam poſt mortem (ut tu nec ſatis recte, & parum pie loqueris, Ieſus enim à morte ad ſempiternam vitam triduo poſtquam interfectus eſt tranſlatus fuit) cultum aliquem fuiſſe exhibitum, & in eo fiduciam aliquam fuiſſe collocatam. Nam Chriſtum illum Dei eſſe, nihil aliud eſt quam eſſe regem æternum, à Deo populo ſuo conſtitutum & datum. Atqui regibus à Deo populo ſuo datis, quamvis temporariis, & cultum exhiberi & in eis fiduciam collocari debuiſſe, declarant manifeſte ea verba ſecundi Pſal. *Oſculamini filium, ne forte iraſcatur, & pereatis à via. Quoniam brevi exardeſcet ira ejus. Beati omnes qui confidunt in eo.* Certum enim eſt hæc verba, quamvis ad futurum Meſſiam potiſſimum pertinerent, ad Davidem tamen ipſum quoque, qui de ſe ipſo in eo Pſal. loquebatur, accommodari debuiſſe, quemadmodum in infinitis aliis ejuſmodi locis factum fuiſſe neceſſe eſt. Quamvis enim ea verba plus homini mortali tribuere videantur, quàm conveniat, & ea quæ Dei propria ſunt concedere, unde factum eſt ut nonnulli, & præſertim ii, qui male de Chriſto ſentiunt, ad Deum ipſum contra frequentiorem loquendi uſum ea referri omnino velint, eſt tamen conſiderandum alia multa de eodem Davide dicta fuiſſe, quæ modum excedere videantur. Nempe quia ad Ieſum Chriſtum, cujus ille typum gerebat, potiſſimum pertinebant, in quo vere, & ſine ulla hyperbole perficienda

ficienda erant. Et ne longius abeamus in eodem pſalmo dictum eſt: *Poſtula a me & dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quæ nemo non videt de Davide hyperbolice, aut certe figuratè dicta fuiſſe, at de Chriſto Jeſu verè, & propriè. Quare non eſt in verbis ſupra citatis idcirco loquendi uſus receptior ſpernendus, quia nimis magnificè de Davide dicta videri poſſint. Nam quicquid in Davide nimium eſt, in Jeſu Chriſto vix ſatis cerneri debet, qui cum à Deo benigniſſimo ad tantam ſublimitatem evectus fuerit, ut non modò ejus populum regat, atque gubernet in perpetuum, verum etiam ipſis Angelis imperet, ac dominetur, & tandem ſibi omnes inimicos ſuos poteſtate ſumma, quam ab ipſo Deo accepit, ſubjecturus, & pedibus ſuis conculcaturus ſit, meritiſſimò nobis injungitur, ut oſculemur, id eſt veneremur eum, & ipſum pro Domino, ac rege noſtro colamus, & beati prædicantur quicunque in eo, antequam ira ipſius exarſerit, confiſi fuerint. Quod ſi, ut diximus, hic cultus, atque fiducia ipſi Davidi aliquomodo debebatur, propterea quod Chriſtus Dei eſſet temporarius, cujus regnum anguſto terræ ſpacio continebatur, nonne idem omnino Jeſu debetur eo nomine, quod Chriſtus Dei æternus ſit, cujus regnum nullis terræ aut cœli finibus terminatur, præſertim cum de Meſſia, ipſis etiam Hebræis approbantibus, ea pſalmi verba dicta fuerint? Quomodo igitur ex animo confiteri poterant Chriſtiani illi, Jeſum eſſe illum Chriſtum Dei, quin ſimul illum colerent, in eoque fiduciam collocarent? Nam quòd Jeſum eſſe Chriſtum agnoſcerent, & prædicarent, non quia jam vere eſſet, ſed quia aliquando futurus eſſet, adeo ridiculum & impium eſt, ut mirer hominem aliquem cordatum, & qui ſe Chriſtianum eſſe profiteatur, id vel per ſomnium quidem cogitare. Verum quando juſto aliquo Dei judicio factum eſt, ut non deſint qui ejuſmodi monſtra in Chriſti Eccleſia alere non vereantur, infra ea de re aliquanto plenius diſſeremus. Obſervandum eſt autem quod inter cætera teſtimonia, quæ congeris, ut probes Chriſtianos illos primitivæ Eccleſiæ nihil aliud antiquius habuiſſe, quàm ut affirmarent Jeſum eſſe Chriſtum, propter quod ſolum à Judæis affligerentur, & interficerentur, affers Stephani exemplum, & ſic eum loquentem facis: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis Jeſum ſtantem à dextris Dei eſſe Chriſtum.* Et deinde addis, *quæ verba ut blaſphemiam averſati illi, aures immiſſis digitis obturarunt, ne illa audire poſſent.* Certum eſt, ut ſupra animadverſum fuit, in ipſis verbis Stephani, contra quam verba tua expreſſe ſonent, nullam eſſe mentionem nominis Chriſti, & propterea te parum fideliter & hic, & ibi in ipſis recitandis verſatum fuiſſe, præſertim verò hoc loco, ubi ad ipſorum finem de tuo planè addis illa duo verba Eſſe Chriſtum. Nam quod antea quoque poſt filium hominis addis de tuo Jeſum, ut ſcilicet integra ea phraſis tibi conſtet Jeſum eſſe Chriſtum, id nihil miror. Verum quid iſtis tuis additionibus agis? An non tacitè confiteris, vel Stare in cœlis à dextris Dei, idem eſſe, quod eſſe Chriſtum, vel hoc ex illo neceſſario conſequi? Atqui ſuperiore capite demonſtratum eſt neutrum verum eſſe poſſe, quin ſimul verum ſit, Jeſum jam tum revera, non autem deſignatione regnaſſe ſuper Dei populo, qui domus Jacob ſpiritualis ſeu allegorica eſt, & proinde ex tui ipſius interpretatione, quam pro verbo Dei nobis obtrudis, conſtat eos omnes, qui Jeſum eſſe Chriſtum confitebantur, confeſſos quoque fuiſſe eum jam revera regem ſuum eſſe, atque ob eam rem, & eum ex animo fuiſſe veneratos, & ad ipſum in neceſſitatibus ſuis confidenter confugere ſe poſſe optimè & agnoviſſe, & profeſſos eſſe. Itaque vides interpretatione etiam tua admiſſa, in omnibus illis locis, in quibus Chriſti nomen invocatum fuiſſe dicitur, ipſius Chriſti cultum, in eoque fiduciæ collocationem contineri, unde opis imploratio, quæ jure fieri poſſe putetur ſeparari nequit?

Sed quis ea de re dubitare poteſt, cum ea phraſis ab Hebræis accepta, apud ipſos perpetuo cultum & fiduciam comprehendat, adeò ut invocare nomen alicujus nihil aliud ſit, quam, aut cum cultu & fiducia ejus opem implorare, aut (& hoc frequentius eſſe videtur: Nam cum implorandi ſignificatione libentius Invocare aliquem, quam Invocare nomen alicujus dicit ſcriptura) illum ex animo publicè colere, in eoque ſpes ſuas collocare, ſe profiteri.

Ex quo fit, ut, cum ex ſuprà dictis locis pateat idem reipſa eſſe, Invocare nomen Chriſti, quod eſſe Chriſtianum, & proinde Chriſtianum eſſe non poſſe, qui Chriſti nomen non invocet, neceſſe ſit, ut quicumque Chriſtianus meritò dici velit, Chriſtum ex animo publicè colat, atque in eo fiduciam ſuam collocare, ſe profiteatur, & ſe ejus opem precibus ad ipſum directis implorare jure poſſe & agnoſcat, & confiteatur. At enim quid præterea ad te revincendum quæro, cum tu hoc idem abunde fatearis, inter alia teſtimonia, ubi Chriſto Invocatio attributa ſit, locum illum numerans Epiſtolæ ad Rom. cap. 10, ubi omninò de cultu opiſque imploratione verbum *Invocandi* exponere neceſſe eſt? Scriptum eſt enim ibi primum verſ. 12. *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci. Nam idem Dominus omnium dives in omnes qui invocant illum.* Nam quis umquam hic de cognominatione aliqua agi ſomniet, cum ſcriptum videat; *Dives in omnes*, quod manifeſtè declarat hunc talem Dominum eſſe, qui & velit, & poſſit omnibus præſto eſſe, & de ſuo largiri, ſi ad ejus opem confugiant. Siquidem vocabulum *dives*, & opes, & liberalitatem ſimul hoc loco ſignificat. Deinde ſequitur, *Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Quis autem eſt tam hebes, qui hæc verba de ipſo Deo olim dicta, & à Paulo, ut non pauca alia tum ab ipſo tum ab aliis Chriſti diſcipulis, Chriſto tamquam ei, cum quo Deus omnem ſuam poteſtatem in univerſam Eccleſiam ſuam communicaverit, meritò accommodata, una cum cultu opis imploratione declarare non perſpiciat? Poſtremò additur, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Nemo eſt autem qui horum verborum ſententiam eſſe non videat, fieri non poſſe, ut quis eum ex animo colat, ab eoque opem imploret, cui non confidat. Non autem, ut tibi ea interpretari neceſſe eſſet, fieri non poſſe ut quis eum cognominet, in quem non credat, quo nihil ineptius dici poteſt. Aut (ſi priorem illam tamquam prætermiſſam interpretationem repetere velis) Non poſſe fieri ut quis ab eo denominari velit, cui non confidat. Quod parum firmum eſſe, & non rectè concluſum, omnes animadvertent. Contingit enim non rarò, ut quis ab aliquo ſponte denominetur, cui tamen parum fidat. Non dubito autem te imprudentem atque adeò invitum, alterius veſtigiis, qui tejam ſæpius per devia aberrare fecit, inſiſtentem, hunc locum iis adnumeraſſe, in quibus Chriſto invocatio tributa fuerit, ſed Deus eſt, & Chriſtus ipſe, qui hac ratione gloriam ſuam vindicat, & vos ſibi, & ſuæ majeſtati atque potentiæ, dum eam maximè agnoſcere refugitis, & opprimere conamini, clariſſimum teſtimonium dare compellit. Scio equidem ſi ea verba Pauli diligentius perpenderis, te, modò id tibi tua gravitate indignum non videatur, libenter id quod ſcripſiſti revocaturum, & dicturum in illis non de Chriſto, ſed de Deo ſermonem eſſe. Atqui de Chriſto Paulum loqui multa demonſtrare poſſunt. Præcedit enim in textu: Dicit enim ſcriptura, *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Quæ verba ex cap. 28 Eſaiæ petita, & de lapide illo offendiculi à Deo in Sione ponendo dicta, manifeſtum eſt non ad ipſum Deum, ſed ad Chriſtum referri debere, quin de Chriſto apertè ab eodem Paulo citantur ad finem cap. præcedentis. Quod idem fit à Petro prioris epiſt. cap. 2. verſ. 6. In ipſis autem verbis eſt ea locutio, *Nam idem Dominus omnium*, id eſt, & Judæorum, & Græcorum. Quam locutionem in eundem planè ſenſum de Jeſu Chriſto uſurpat Petrus Act. 10. verſ. 36. Poſt autem ipſa verba ſequitur; *Quomodo autem credent in eum, quem* (ſive *de quo*) *non audierunt?* quod ad Chriſtum referri debere, præter alia multa id ſatis evincit, quod poſtmo-

poſtmodum ſequitur, ſed non omnes obedierunt Euangelio, & quod Paulus auctoritate ſcripturæ ſecundum ſenſum anagogicum, & allegoricum conatur oſtendere, Judæos omnes in univerſum audiviſſe illum, ſive de illo, de quo ſermo erat. Nam quid opus erat exquiſitis ejuſmodi propheticis interpretationibus, ſi de Deo eos audiviſſe docere volebat? Immo quid opus id erat docere, cum pluſquàm manifeſtum omnibus eſſet, nec quibuſdam in locis obſcurè in ſacris litteris prædictum, ſed apertiſſimè ubique memoriæ proditum foret? Nam ſi quis dicat, manifeſtiſſimum quoque fuiſſe Judæos fere omnes jam de Chriſto audiviſſe. Primum id planè nego. Ea enim, quæ diverſas urbes peragrando ad Chriſti annunciationem ſpectantia cum populo Hebræo egiſſent Apoſtoli, nondum omnibus nota erant, præſertim cum Paulus non de ſimplici auditione Euangelii loquatur, ſed de ea, quæ per efficacem, niſi contumacia ipſorum obſtitiſſet, verbi prædicationem Judæis contigerat: Quod verbum in vulgata Latina editione, & in non paucis Græcis codicibus, Chriſti verbum ibidem appellatur. Deinde non ſatis fuit Paulo id jam notiſſimum eſſe poſſe, ſed divinis oraculis quoque conſentaneum cenſeri debere demonſtrandum ſuſcepit. Quod, ut dictum eſt, ſi de auditione Dei, ſive de Deo ſermo fuiſſet, ſupervacaneum omnino, atque adeò ineptum videri debuiſſet. Ex quibus omnibus, ut prædiximus, præter ipſam confeſſionem tuam, indubitatum eſſe debet, univerſum locum ad Chriſtum referendum eſſe. Certè is, qui primus hac ætate noſtra, Dei beneficio, perſonæ Chriſti veritatem exactiſſimam in lucem protulit, ſic breviter in hunc locum annotat. *Eadem ratione invocandus eſt Dominus Jeſus, qua fides ei habenda eſt, ſed ut per eum credo ipſi Deo, 1 Petr. 1. 21. ita Deum invoco per Chriſtum, immo Chriſtum ipſum, ut illum in quo mea fiducia collocata eſt.*

Hujus autem teſtimonii, licèt omnium præclariſſimi, in quibus de Chriſti invocatione, ipſo Invocandi verbo diſertè expreſſo, agatur, nec tacitè nec apertè in priori ſcripto meo ullam mentionem feci (de iis enim tantummodo locis egi, ubi non ipſe Chriſtus, ſed Chriſti nomen invocatum fuiſſe legatur) non quia id jam non animadvertiſſem, ſed quia multos ex noſtris ipſis eſſe ſciebam, qui non ad Chriſtum, ſed ad Deum illud referrent. Cui non dubito addi debere locum illum 2 Tim. 2. 22. *cum iis qui invocant Dominum de corde puro*, non ſolùm quia Paulus τὸν κύριον nomine (In Græco enim eſt τὸν κύριον) niſi aliud addatur, Chriſtum perpetuo intelligere ſolet, nec fortaſſe ne unus quidem locus apud ipſum invenietur, in quo nomen illud cum articulo Deum manifeſte ſignificet, niſi ſi ad aliquem veteris teſtamenti locum ejus verba reſpiciant, ſed etiam, quia dubium eſſe non poteſt, quin Paulus eos intelligere voluerit, qui Chriſtianos ſe eſſe ex animo profitebantur, quos ea periphraſi deſignare voluit, quippe cum, ut dictum fuit, non poſſit quis Chriſtianus eſſe, & Chriſtum non publicè colere, in eoque ſpes ſuas collocare, & ad ejus opem ſe confugere ipſum orando poſſe non profiteri.

Itaque tandem vides, quot locis Chriſto ea invocatio, de qua quærimus, in Sacra ſcriptura tributa fuerit, ipſo etiam invocandi vocabulo expreſſo, niſi quod excepto loco illo ad Rom. 10. Invocandi verbum non ipſam imploratione, de qua potiſſimùm inter nos diſputatur, ſed cultum propriè ac fiduciam declarare videtur. Verùm cum ex cultu & fiducia neceſſariò, ut ſæpius dictum eſt, implorandi facultas conſequatur, non immeritò ii à me, tamquam in quibus, per ipſum invocandi verbum, invocatio, id eſt imploratio, Chriſto in Sacra ſcriptura tributa ſit, allati fuere. Et tamen non dubitas aſſerere ſatis ſuperque te manifeſtum feciſſe, vocabulum invocationis Chriſto non tribui, quando pro cultu & fiducia ea accipitur, cum à Deo bona corporalia, & ſpiritualia petimus. Nam te his verbis veram cordis fiduciam intelligere, & omnem veram ejus opis imploratione Chriſto, poſtquam in cœlum aſcendit, adimere, ex iis quæ hactenus à te diſputata ſunt, apertiſſimum eſt. Quinetiam antequam ad alia mea teſtimonia reſpondeas, ex quibus ipſo invocandi verbo non expreſſo Chriſto invocationem tributam fuiſſe docui, iterum illam tuam cantilenam canis, de neceſſitate iſtius verbi ad invocationem Chriſti ex ſacris litteris probandam, inquiens, cum vocabula non ſint, neque res ipſas exiſtere poſſe. Quaſi verò ſolum vocabulum Invocationis, ſeu verbum Invocandi inveniatur, quo id, de quo quærimus, luculenter ſignificari poſſit. Sed jam abunde, ut ſpero, in primo cap. tuus hic puerilis error confutatus fuit.

Cap. IV.

Nunc videamus quomodo contra fundamentum, &c. Primum eſt, &c.

IN hoc cap. de duobus meis teſtimoniis agendum eſt, uno ex initio, altero ex fine epiſtolarum Pauli deſumptis. Quod ad primum attinet, tripliciter ad argumentum meum inde ductum reſpondere videris. Primò enim quòd plus ſit in conſequente, quàm in antecedente. 2. quòd antecedens ſit falſum oſtendere conaris. 3. per ambiguitatem & fallaciam, quæ in antecedente ſit, argumentationem meam inanem eſſe oſtendere tentas.

Jamque de primo videamus. Ais plus eſſe in conſequente, quàm in antecedente, quia non omnis qui confert gratiam & pacem invocandus eſt. Quaſi verò ego ita argumentatus fuerim, Chriſtus confert gratiam & pacem, Ergo invocandus eſt. An non meminiſti, primùm, nos hoc loco agere non quidem an Chriſtus invocandus ſit, ſed an in Sacra ſcriptura invocatio ei tributa ſit, id eſt, an in ſacris litteris legatur Chriſtum invocatum fuiſſe. An non deinde in argumentatione mea diſertè pro antecedente ſcriptum legiſti, quod & ipſemet apertè fateris, Paulum in omnibus ſuis Epiſtolis precari gratiam, & pacem à Domino Jeſu Chriſto? Quomodo igitur non vides argumentum hoc eſſe meum? A Chriſto in ſuis Epiſtolis Paulus gratiam & pacem precatur: Ergo Chriſto in Sacra ſcriptura invocatio eſt attributa. Aut cur injuria meis argumentationibus id objicis, quod tuis ſummo jure objici poteſt? Nam te argumentando plus in conſequente, aut etiam planè aliud quàm in antecedente ponere, etiam ex iis quæ diximus, & deinceps ex iis quæ dicenda ſunt, omnibus, ut ſpero, perſpicuum fiet. Sed quæſo videamus quomodo plus in conſequente, quàm in antecedente ejus argumentationis, quam mihi affinxeras, probes. Ais Apoſtolos ſeptem ſpiritus, & ipſum Spiritum ſanctum conferre gratiam, & tamen neminem ex iſtis ullo modo invocandos eſſe, & interim teſtimonia eorum, quæ ita conſtanter aſſeris, in medium non producis, ut diligenter examinari queant. Et ſanè præter id, quod dicis de ſeptem ſpiritibus, incertum apud me eſt, an cætera quæ affirmas diſertè ſcripta legantur. Immo quod ad Apoſtolos attinet, crediderim me poſſe prorſus negare uſpiam ſcriptum eſſe, ipſos gratiam & pacem conferre. Quod gratiam & pacem annuncient, precentur, & per Euangelii prædicationem eas à Deo & Chriſto oblatas conſequendi facultatem hominibus faciant, & veriſſimum eſt, & ejuſmodi ſententias in divinis litteris legi non diffiteor. Legitur etiam apud Paulum Rom. 1. 11. quòd ipſe cuperet impertiri aliis aliquod donum ſpirituale, & alia hujuſcemodi. Sed mirum quantum diſtant hæc ab ipſa pacis & gratiæ collatione. Declarat hoc locus ille de impertiendo dono ſpirituali, ſi quis ejus rei explicationem, quæ illico in Pauli verbis ſubſequitur, legere non prætermittat. Si umquam teſtimonium aliquod tui dicti protuleris, exactiùs me reſponſurum polliceor. Quod verò attinet ad Spiritum ſanctum, etſi nunc non ſuccurrit locus aliquis ſingularis, ex quo dictum tuum potiùs, quàm ex aliis probari credere poſſeris, concedo tamen id diſertiſſimè ſcriptum eſſe. Quid tum? ſpiritus ſanctus non eſt perſona aliqua, ſed tunc, cum tamquam perſona

perſona aliquid agens inducitur, nihil aliud eſt, quàm virtus, & potentia Dei. Quare non mirum eſt ſi ei omnia tribuuntur, quæ ipſi Deo tribui ſolent, & tamen neque adoratur neque invocatur, niſi quis per proſopopœiam id aut fieri, aut dici poſſe affirmet. Quemadmodum per proſopopœiam innumera alia ei tribuuntur. Neque enim, ut arbitror, abſurdum videri debet, ſi quis dicat ſe adorare virtutem ac potentiam Dei, aut ipſam invocare. Cum non abſimiles, & multo duriores locutiones in Sanctis Litteris legantur, (Pſal. 99. 5. & 132. 7. Prov. 2. 3.) & unuſquiſque per eam phraſin adorandi, & invocandi virtutem & potentiam Dei nihil aliud ſignificari intelligat, quam ipſum Deum qui virtute, & potentia præditus eſt, adorare, & invocare. Et quamquam tu ipſe in iis ſcriptis, quæ hactenus communiter cum aliis edidiſti, ſatis aperte adverſus trinitarios defenderis ſpiritum ſanctum non eſſe perſonam, atque ea diſputatio longiorem tractationem requireret, attamen in examinatione alterius teſtimonii mei aliquid à me hac de re dicetur. De ſpiritibus autem illis ſeptem, qui non modo conferre gratiam & pacem dicuntur, ſed ab ipſis etiam eas Johannes precatur Apocal. 1. 4. dico primum te non poſſe eos pro inſtantia adverſus argumentationem meam afferre, cum inter ipſos & Chriſtum, ſumma quædam differentia ſit, quæ illos in hoc invocationis negotio aperte diſcriminat. Scimus enim de Chriſto, quod & audiat & intelligat, quamvis abſens, ea quæ dicuntur, aut fiunt à nobis. Id quod ne tu quidem negas, ut in exemplo Stephani examinando vidimus, quamvis alibi id prorſus negare videaris. De ſeptem autem illis ſpiritibus nihil tale ſcimus. Quapropter cum gratiam & pacem ab illis precatur Johannes, ea non invocatio, ſed votum cenſeri debet. Hanc mirabilem virtutem non ſolum omnium hominum dicta & facta cognoſcendi, ſed cogitationes quoque eorum percipiendi, uni tantum Chriſto à Deo conceſſam cum ipſoque communicatam legimus. Quare ſolum ipſum poſt Deum invocare quocumque in loco, quocumque modo poſſumus. Reliquæ res creatæ, quantavis poteſtate polleant, ſi à nobis abſint, nullo modo, ſin præſentes ſint, nonniſi voluntate noſtra aut verbis, aut alia quavis ratione patefacta implorari à nobis poſſunt, quamvis optare, ut vel nobis vel aliis præſto ſint, omnino poſſimus. Quemadmodum igitur, ſi quis alicui ab iis qui præſentes ſint & ipſum audiant, & ſimul ab iis, qui abſint, nec ipſum audire poſſint, iiſdem verbis obliquis, id eſt, non tamquam ad ſecundam perſonam directis, ſed de tertia prolatis, aliquod bonum eodem tempore precetur, quod ad priores attinet, petitio, quod verò ad poſteriores, votum ejuſmodi precatio cenſeri debet. Sic etiam quamvis Johannes iiſdem verbis obliquis, & à Deo, & à Chriſto, & à ſeptem illis ſpiritibus gratiam & pacem precetur, quod tamen ad Deum & Chriſtum attinet, qui eum audiebant, invocatione uſus fuiſſe, quòd verò ad ſeptem ſpiritus, votum, & animi ſui deſiderium expreſſiſſe dicendus eſt. Hujus autem differentiæ, inter Chriſtum & cæteras res creatas, in argumentatione ipſa apertè non memini, ſed eam, tamquam quæ notiſſima & indubitata eſſet, tacitè pro conceſſa ſumpſi. Hoc dico, ne iterum hic mihi iſtud objicias, in argumenti mei conſequente plus eſſe, quàm in antecedente. Præterea quid abſurdi ſequeretur, ſi ſeptem illos ſpiritus invocatos fuiſſe à Johanne diceremus? An non aliæ quoque res creatæ, ſi ſubvenire nobis poſſint, invocantur? Quid enim aliud eſt invocare, quàm auxilium & opem implorare, & precibus ad perſonam ipſam directis contendere? Hoc ſanè quotidie fieri videmus, citra ullam gloriæ Dei imminutionem. Quod ſi perſona illa divinitus miſſa, & auxilio opique ferendæ conſtituta ab ipſo fuerit, quales nonnulli homines ante Chriſtum quoque fuerunt, nefas eſt dubitare, an vera fiducia cordis ea imploratio fieri poſſit. Quamquam palàm eſt te Chriſto à nobis abſenti omnem invocationem, qualis etiam ea eſt, quæ hujus mundi principibus tribui jure poteſt, planè adimere, quippe qui eum hoc tempore nulla nobis ſubveniendi poteſtate præditum eſſe, nullamque præſentem curam noſtri gerere prorſus affirmes. Si igitur ex argumentatione mea omnino conſequi velis, ſeptem illos ſpiritus aut invocatos fuiſſe, aut invocari poſſe, nihil aliud efficies, quàm ut tantò magis Chriſti invocationem confirmes, qui, ſine dubio, ut ſuo loco dicemus, hoc præſenti tempore omnibus ſive angelis ſive ſpiritibus longè antecellit.

Poſtremò animadvertendum eſt, illos ſeptem ſpiritus non eſſe quid diverſum ab ipſo Chriſto. Nam infra cap. 5. ℣. 6. iſti iidem ſeptem ſpiritus, qui ubique Dei ſpiritus appellantur (eorum enim etiam cap. 4. ℣. 5. fit mentio, & ibi tamquam ſeptem lampades ardentes ante thronum Dei Johanni viſi ſunt) dicuntur eſſe ſeptem cornua, & ſeptem oculi agni, & in initio 3. capitis deſcribitur Chriſtus hoc pacto, *Hæc dicit qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas.* Quamobrem verba illa in primo capite, Et à Jeſu Chriſto &c. ἐξήγησις præcedentium cenſenda ſunt, tamquam ſi pro Et, ſcriptum fuiſſet Id eſt, cum nihil aliud ſint revera ſeptem illi Dei ſpiritus, à quibus antea gratiam & pacem precatus fuerat Johannes, quàm ipſe Jeſus Chriſtus multiplici, & abſoluta quadam divina poteſtate præditus. Et ſanè cum nuſquam alibi ejuſmodi gratiæ & pacis precatio aliter quàm à Deo & à Chriſto fiat, veriſſimam eſſe hanc noſtram interpretationem viſum iri ſperamus. Præſertim cum parum veriſimile ſit, Iohannem in gratia & pace precanda alterius perſonæ poſt Deum priùs, quàm Jeſu Chriſti mentionem feciſſe. Frequentiſſimum autem eſt, ut omnes ſciunt, apud omnes bonos auctores, præcipuè verò apud ſacros ſcriptores, ſimplicem copulam pro expoſitiva particula uſurpari. Tibi verò in ſcripto hoc tuo, ut ſuprà diximus, adeò familiare, ut nec dura nec inſolens ullo modo explicatio hæc mea tibi videri debeat. Sed jam de ſecunda tua reſponſione agamus.

Secundò igitur dicis antecedens argumentationis meæ falſum eſſe, cum in epiſtolis Pauli nuſquam apertè dicatur, Gratia & pax à Jeſu Chriſto conferatur, verum à Patre domini Jeſu Chriſti. At ego dico ubique id ſatis apertè dici, & quibuſdam in locis apertiſſimè, in quibus, contrà quàm tu aſſeras, nullo pacto vel dicitur, vel dici meritò ſuſpicari quis poteſt, A patre domini Jeſu Chriſti. Nam in initiis epiſtolarum ad Gal. 2. ad Timoth. & ad Titum, in Græco poſt vocem πατρὸς non eſt ἡμῶν, quæ vox alibi alicujus ambiguitatis cauſſa eſſe poteſt, cum quod ad grammaticam attinet, tunc particula καὶ. quæ ſtatim ſubjicitur, non minùs πατρὸς, quam ἀπὸ repetere tacitè queat, ac ſi dictum eſſet, Patre noſtro & patre &c. Quomodo autem id fieri poterit ubi ſcriptum eſt ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ &c. Cum nemo ante particulam καὶ nominatus fuerit, cujus Deus pater eſſe dicatur, nec (tamquam de alio quoque idem poſtea dicendum ſit) ea particula vocem πατρὸς repetere ullo modo poſſit, & prorſus neceſſe ſit ut repetat vocem ἀπὸ? Dices fortaſſe, particulam καὶ in locis illis idem valere quod Etiam, & ſic vertendam eſſe ibi ſalutationem illam, Gratia vobis & pax à Deo patre etiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sed quis ad interpretationem iſtam, præſertim ſi ſenſum, qui inde elicitur, ſpectet, riſum tenere queat? De abſurditate autem ſenſus, qui inde eliciatur non ita multò poſt videbimus. Profectò non queo ſatis mirari hac in re pertinaciam tuam, qui, & à me & ab aliis antea monitus, adhuc in ſententia perſiſtas, & contra omnem loquendi aut rationem aut uſum, adeoque contra ipſum communem ſenſum, ea verba Pauli in prædictis etiam locis ita interpretari velis, ut non à Deo patre & à Jeſu Chriſto, ſed à Deo patre Jeſu Chriſti gratiam & pacem precatus fuerit, tantum abeſt, ut ex iis locis aliorum, in reliquis parium, qui ambiguitatem illam præ ſe ferunt, veram & perſpicuam interpretationem agnoſcere velis. Quin etiam audes præterea mihi, quem in priore ſententia permanere haud falſo exiſtimas, objicere, quòd non veritatem, ſed victoriam quæram. Utri noſtrum id

objici

objici poſſit, aliorum erit judicium. Veram autem in locis illis, ſi grammatica ſpectetur, ambiguis, unà cum cæteris omnibus interpretationem me ſequi, præter tria illa loca, quæ pro apertiſſima ipſorum explicatione eſſe poſſunt, probat quoque finis epiſtolæ ad Epheſios. Ubi Paulus pacem & charitatem cum fide ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ precatur. Confirmatur idem ex eo, quòd in initio ſecundæ epiſtolæ Johannes diſertiſſimè gratiam, miſericordiam, & pacem à Deo patre, & à Domino Ieſu Chriſto filio patris Electæ & ejus liberis, in initio autem Apocalypſis à Ieſu Chriſto teſte illo fideli gratiam & pacem ſeptem illis Eccleſiis manifeſte precatur. Quibus omnibus teſtimoniis etiamſi penitus deſtitueremur, nemo tamen ſanæ mentis in locis illis grammaticalem illam ambiguitatem tanti facere deberet, ut aſſerere non dubitaret poſſe illos ad hunc modum verti, *A Deo patre noſtro, & domini Jeſu Chriſti.* Ex hoc enim loquendi modo colligeretur, Deum vel priùs, vel evidentiùs, ac certiùs eſſe patrem noſtrum quàm Chriſti. Quod omnino contrà ſe habet. Chriſti enim, qui primogenitus eſt inter multos fratres, & filius Dei declaratus dicitur, & tempore prius, & multo clariùs Deus pater eſt, quàm cæterorum. Propterea ipſe Chriſtus non dixit, *Aſcendo ad patrem veſtrum, & patrem meum*, ſed *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum* Joh. 20. 15, & ſic ſemper invenies in Sacris Litteris, cum de divina, ut ita dicam, filiatione & Chriſti, & noſtra fit aliqua mentio, Chriſtum priùs nominari, non ſolùm quia, ut diximus, tempore & rei evidentia in eo nos præcedit, ſed etiam præſtantia, unde unigena filius appellatur, ac præterea per ipſum nos filiationem hanc adepti ſumus. Quare ineptiſſimè loquentem Paulum faciet, quiſquis eum priùs dixiſſe velit, Deum eſſe patrem noſtrum, & poſtea ſubjunxiſſe, Et Domini Jeſu Chriſti, præſertim cum non ſemel, ſed ſæpius, ſeu potiùs ſemper, & ob eam rem non per incogitantiam, ſed conſultò ab ipſo id factum fuiſſe neceſſe eſſet. Sed multò adhuc ineptius loqueretur Paulus, ſi in locis illis, in quibus poſt vocem Patre deeſt vox Noſtro, particulam Et pro Etiam interpretaremur. Nam ex ea interpretatione multò adhuc apertiùs colligeretur, obſcurius fuiſſe an Chriſtus eſſet filius Dei, quàm, an cæteri eſſent. Mitto, quòd ſi in ea ſalutatione Paulus noluiſſet per particulam καὶ repetere vocem ἀπὸ, omnino veriſimile eſt illum præpoſiturum fuiſſe articulum nomini Domini noſtri Jeſu Chriſti, hoc pacto, ἐκ θεοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, hoc enim ad mentem ejus indicandam ſatis fuiſſet, cum vox θεοῦ à voce ἀπὸ manifeſtè antea recta articulo careret. Quin & ob eam ipſam cauſſam linguæ Græcæ proprietas, ut arbitror, non tuliſſet, ut vox ἀπὸ repetita tacitè fuiſſe intelligeretur. Quod autem dicens, te nolle contendere mecum de illa phraſi ambigua, poſtea ais, *Interim ſemper erit verum, & manebit ut omne bonum datum ſit à patre luminum, quocumque tandem modo inflectas textum*, quid quæſo aliud facis, quàm quòd mihi adſcribis quod tuum eſt, & pertinaciam tuam in verbis illis interpretandis ad extremum retinens, contra te ipſum argumentaris, & tuæ ſententiæ de non invocando Chriſto unicum fundamentum evertis? Nam rectè dicis ſemper id manſurum, ut omnia bona à Deo deſcendant. Quamvis enim Chriſtus poteſtatem in cælis habeat gratiæ & pacis conferendæ, non tamen ex eo fit, quin Deus omnem gratiam & pacem conferat, cum Chriſtus eam poteſtatem à Deo acceperit, & ob eam cauſſam Deus ipſe per Chriſtum eam gratiam & pacem, quam Chriſtus confert, conferat, ut non ita multò pòſt fuſiùs diſſeretur.

Sequitur, ut tuam tertiam reſponſionem examinemus. Itaque poſtremò ais, poſſe te concedere, non à Deo patre tantùm, ſed à Chriſto quoque precatum fuiſſe Paulum, contra ſui ipſius mentem, iis ad quos ſcribebat, gratiam & pacem, nec tamen inde ſequi, quod maximè volo. Differentiam enim & diſcretionem inter utrumque adhibendam eſſe, quam deinde explicas. Sed primùm conſideremus

Deſunt nonnulla.

Cap. V.

Deſunt nonnulla

perſiſtat, optat. Jam verò, ſi iſtæc interpretatio tua admittatur, neceſſe eſt, ut Paulus voluerit dicere, Ego precor Deum, ut velit in vobis firmam & ratam habere eam viam impetrandi ab ipſo gratiam & pacem, quam Chriſtus monſtravit, ita ut ſi eam viam ingreſſi fueritis, gratiam & pacem vobis largiatur, aut, Ego opto ut vos eam viam ingrediamini, quam Chriſtus monſtravit, ita enim fiet ut gratiam & pacem Deus vobis donet, aut utrumque. Si primum voluit dicere, ineptam profectò ſalutationem Eccleſiis illis adſcripſit, cum id eis precatur, quod omnino futurum erat, nec fieri alio modo poterat. Quid enim? Numquid deficere poterat umquam fides & conſtantia Dei in promiſſis ſuis? Hæc non quidem precari Paulus, ſed de ipſis commonefacere aliquando conſuevit. Sin autem alterum dicere voluit, nulla erit ſalutatio, nihil enim vere eis precatur, nec ab aliquo optat, ſed ut ipſi id faciant, unde gratiam & pacem à Deo habere poſſint, ſe cupere ait. Quod admonitio, non autem ſalutatio dici debet. Quod ſi utrumque Paulus intellexit, nihil plus efficitur, cum, ut dictum eſt, in uno inepta, in altero prorſus nulla ſalutatio ſit, neque hæc duo ſimul juncta aliquid tertium, quod ad ſalutationem attinet efficere poſſint. Immo dices efficient, ſi hoc pacto conjungantur: Ego Paulus precor Deum, ut vos eam viam ingredi faciat, quam vobis Chriſtus monſtravit, ut hac ratione gratiam & pacem ab ipſo conſequamini. At enim hic jam aliud eſt, quod nec in utrovis eorum neque ex toto neque ex parte reperitur, nec ex tua interpretatione ullo modo elici poteſt. Quod enim Deus faciat, ut illi à Chriſto monſtratam viam ingrediantur, hoc neque in modo, quo gratiam & pacem ab ipſo Deo, neque quo à Chriſto conferri vis, continetur. Nulla enim in ipſis mentio, quòd Deus efficiat ut viam à Chriſto monſtratam ingrediamur, ſed quod attinet ad Deum, de ipſa collatione tantùm gratiæ, & pacis, quod verò ad Chriſtum, de viæ tantùm monſtratione ad collationem illam, ut ita dicam, ad effectum producendam verba fiunt. Quod nec aliter fieri poterat, cum de utroque id tantùm ſimpliciter & quæreretur, & quæri deberet, quomodo ipſam gratiam & pacem conferant, non autem quid præterea in nobis efficiant, quamvis huc quàm maximè pertineat. Si ea multa teſtimonia produxiſſet, in quibus ais contineri votum Pauli, ut gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti firma ſit in nobis atque perſiſtat, non dubito, quin conſtitiſſet, vel admonitionem, non autem votum ſive ſimplicem precationem, eſſe, vel aliud ibi optari, quàm ipſam confirmationem viæ à Chriſto monſtratæ, ad obtinendam gratiam à Deo.

Sed quid in interpretatione iſta tua refellenda laborare attinet, cum nullo modo verbis ſit conſentanea, & nullum prorſus exemplum ejuſdem aut ſimilis locutionis proferas? Si verba Pauli ſalutationem non cum precatione, ſed cum annunciatione continere dixiſſes, & mentem ipſius fuiſſe, à Deo patre tamquam à vero datore, à Jeſu Chriſto autem tamquam ejus rei primario quodam præcone, gratiam & pacem eccleſiis illis annunciare, & ſuis verbis confirmare, non ita manifeſtè à proprietate verborum receſſiſſes. Quam tamen interpretationem ſuſtineri non poſſe non pauca demonſtrant. Primum quia in ſimilibus ſalutationibus, ubi gratiæ & pacis mentio fiat apud alios Apoſtolos, aperte non annunciatio, ſed precatio continetur, nec de re præterita aut præſenti, ſed de futura quæ optetur, agitur, ut in utriuſque epiſtolæ initio apud Petrum, & apud Johannem in ſecundæ initio videre eſt. Quibus addi poteſt initium epiſtolæ Judæ, quamvis ibi gratiæ mentio non fiat. Deinde cum videamus, Paulum

lum eadem ſalutatione, ad ipſum Timotheum & Titum ſcribentem, uti, qui cæteris Euangelium prædicabant, ab omni veriſimilitudine abhorret, eum ea ſalutatione non precari, ſed annunciare gratiam & pacem voluiſſe. Præterea locus ille ad finem epiſtolæ ad Epheſios ſatis declarat in ejuſmodi ſalutatione non annunciationem, ſed precationem contineri. Ibi enim præter pacem charitatis & fidei mentio fit, quæ non annuciantur, ſed optantur & petuntur. Niſi ſi quis velit ea verba, Charitas cum fide, divinam charitatem, quæ fidelis, id eſt, ſtabilis & firma ſit ſignificare. Verum quæcumque ſit eorum verborum ſententia, eo in loco annunciationem eſſe non poſſe ſatis ſuperque id indicare videtur, quod in fine epiſtolæ ſint, ubi annunciationes locum habere nequeunt. Poteras etiam, à verborum proprietate minus recedendo quam feceris, dicere, Paulum precari, ut gratia illa & pax, quam Deus Pater per Chriſtum mundo annunciaverat, & exhibuerat, illis Eccleſiis contingeret. Nec quod ad verba attinet, aliquid huic interpretationi magis obſtitiſſet, quam defectus articuli. Nam certè ſi Paulus hoc intellexiſſet, ἡ χάρις καὶ ἡ εἰρήνη dixiſſet, ut gratiam illam ſingularem ſignificaret. Nunc quando indefinitè χάρις καὶ εἰρήνη dixit, favorem & felicitatem (id enim gratia & pax ſignificant) in genere à Deo patre, & à Chriſto eum precatum illis fuiſſe neceſſe eſt. Atque hanc eandem ob cauſſam, etiamſi in ſupra dicto loco ad Epheſios de divina fideli charitate ageretur, non tamen de ea ſingulari, quæ jam exhibita fuiſſet, ſed de exhibenda in genere verba fierent. Et propterea non annunciatio, ſed precatio, vel (ut ita dicam) optatio omnino eſſet. Quod verò ad ſententiam attinet, illud huic interpretationi objici potuiſſet, quod jam illis Eccleſiis ea gratia & pax contigiſſet. Sed incommodum hoc vitari poteſt, ſi non ut contingeret, ſed ut augeſceret & confirmaretur precatum fuiſſe Paulum diceremus. At verò inquies, hoc illud idem eſt, quod ego dico. Immo longè aliud eſt. Tu enim de gratia & pace, quarum impetrandi viam nos Chriſtus docuerit, loqueris, qualque Deus, ſi eam viam teneamus, nobis conferat, quæ non niſi plus quam improprie in nobis confirmari, & augeri dici poſſunt. Ego vero de illa gratia & pace loquor, quam Deus per Chriſtum ab ipſo initio mundo exhibuit, quæ poſtquam ſemel, Dei beneficio, per prædicationem euangelii alicui populo contigit, propriè creſcere, & ſtabiliri dicitur, cum ejuſdem Dei beneficio continuatur in populo eadem prædicatio, eaque ſincera & incorrupta retinetur, atque, ut præſertim in primitiva Eccleſia fieri ſolebat, externis præterea aliquibus Spiritus ſancti donis fulcitur ac corroboratur. Poteras poſtremò aliquantò commodius Pauli ſalutationem interpretari, ſi dixiſſes, ſententiam eorum verborum à Deo patre noſtro, & à Domino Jeſu Chriſto, eſſe in cognitione, ſive per cognitionem Dei & Chriſti. Tametſi enim vis aliqua verbis fiat, non tamen tanta fit, quanta per interpretationem tuam, cum æqualitas illa inter Deum & Chriſtum, quam præ ſe ferunt, conſervetur. Atque hanc interpretationem id confirmare potuiſſet, quod Petrus ejuſmodi ſalutatione utitur in poſteriore epiſtola inquiens, *Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & Jeſu Domini noſtri.* Verumtamen cum Petri mens ſit, una cum gratia & pace precari cognitionem Dei, & Jeſu Chriſti, neque exprimat à quo precetur, ex verbis Pauli, in quibus id diſertè exprimitur, ſunt ejus verba ſupplenda, tantum abeſt, ut per hæc illa interpretanda ſint, niſi quatenus viciſſim id quod in Pauli verbis deeſſet, ex Petri verbis addendum, id eſt ſubaudiendum foret, ita ut Pauli ſententia eſſet, ſe precari, ut Deus & Chriſtus per cognitionem ſui ipſorum gratiam & pacem illis Eccleſiis largiantur. Ita nec verbis nec ſententiæ aliqua vis fieret. Chriſtum enim, poſtquam in cœlis eſt, ſui cognitionem largiri, vel ille locus apertè indicat, ubi Chriſtus pollicetur ſe amaturum amantes ſe, & eis ſeipſum patefacturum Joh. 14. verſ. 21. Cum igitur, ut ad inſtitutum noſtrum revertamur, nulla alia interpretatio verborum Pauli inveniri poſſit, quæ vel verbis, vel ſententiæ, vel etiam utriſque parum non conveniat præter illam, quam ego cum omnibus aliis ſecutus ſum, quid cauſſæ eſt cur eam repudiemus? aut potius quomodo cæteris rejectis eam ſolam amplecti recuſabimus? Sed tu verba, ut ferè ſoles, licet diverſum profitearis, parum admodum curans, ad ratiocinationes tuas confugis, & dicis non poſſe fieri ut Chriſtus alio modo conferat gratiam & pacem, quam quia viam monſtraverit illas à Deo petendi & impetrandi, alioqui ſi, ut interpretatio mea tibi ferre videtur, velimus Chriſtum quoque, non Deum tantum hæc bona efficaciter conferre, duos habebimus æqualiter dantes & operantes efficaciter. Nihil enim, inquis, refert neque impedit, ſi unus ab alio accepit, & is qui accepit eadem bona efficaciter conferat. *Differentia enim erit non in rebus, & modo conferendi, ſed in perſonis, ille enim huic dedit, & hic ab illo accepit.* Vix dici poteſt quam prave multa dicta ſint in illa ratiocinatione tua. Primum nihil medium facis inter Conferre efficaciter, & Conferre per ſolam viæ adipiſcendi monſtrationem. Quod tamen, te ipſo judice, longè ſecus habet. Nam cum Chriſtus in terris agens, tot miranda opera, quibus beneficia aliis conferebat, faceret, rogo te, ejus perſona ad ea opera facienda quanam ratione concurrebat, adeò ut non omnino falſo locutus ipſemet videatur, qui frequentiſſime ſe ea facere ait? Non dices, opinor, viæ alicujus monſtratione adipiſcendi bona illa, cum multos, ne cogitantes quidem, ſummis beneficiis afficeret, ut de vidua cui mortuum filium viventem reſtituit Luc. 7, de turba eſuriente, quam multiplicatis panibus & piſcibus bis in loco deſerto ſatiavit Matth. cap. 14 & 15, de cæco nato, cui viſum reſtituit, & de aliis multis legitur Joh. 9. Relinquitur igitur, ſi illud medium non datur, ut Chriſtus efficaciter conferret beneficia illa. At tu numquam hoc concedes. Nam alioqui duos efficaciter conferentes, contra vim totius ratiocinationis tuæ concederes. Deum enim efficaciter ea beneficia contuliſſe, & Chriſtus ipſe ubique teſtatur, & tu omnino vis. Quamobrem neceſſe eſt, velis, nolis, ut inter illos duos tertius quidam modus conferendi detur, quo Chriſtus ea beneficia contulerit. Adde quod ſi precatione illa in Apocalypſi à ſeptem ſpiritibus ab ea quæ fit à Chriſto (ut tibi quidem videtur) diſtincta eſt, effugere non potes, quin iſtum tertium modum admittas, niſi illos contra fundamentum tuum efficaciter gratiam & pacem conferre potuiſſe velis. Certum eſt enim eos, nulla viæ ea bona à Deo impetrandi monſtratione, id facturos fuiſſe. Quamquam ad Chriſtum ipſum ea precatio relata ad viæ monſtrationem accommodari nequit, cum ſeptem illi ſpiritus Chriſti potentiam & actionem ea interpretatione admiſſa omnino declarent. Quomodo igitur Chriſto in cœlis degenti iſtum modum conferendi adimere audes, aut cur, ſi efficaciter non confert, per ſolam viæ adipiſcendi monſtrationem eum conferre concludis? quæ monſtratio cum jam antea peracta fuerit, nullo prorſus modo eum vere conferre, ſed tantummodo aliquando contuliſſe planè demonſtrat. Cur ita laboras ut Chriſtum, poſtquam hinc abiit, omni penitus actione, quæ ad nos ſpectare poſſit, deſtitutum oſtendas? Num quia cum abſit à nobis fieri non poſſe credis, ut in nobis ulla ratione nunc verè aliquid agat? Sed quam iſtud & ridiculum & impium ſit ſequente capite explicabitur. Satis hoc loco eſt demonſtraſſe, poſſe aliquem conferre bona, etiamſi nec efficaciter, nec ſola viæ adipiſcendi monſtratione id faciat. Deinde quod ais, non poſſe duos efficaciter conferentes dari, nempe (quamquam hoc non explicas) ubi unus conferre tantum dicitur, id quam longiſſimè à veritate abeſt. Cum enim unus alteri ſubordinatur, tunc uterque idem efficaciter conferre ſine ullo dubio poteſt, & nihilominus tamen prærogativa illius, qui

unus conferre dicatur illibata conſervari. Exempli cauſſa, ſi princeps alicui poteſtatem dederit quædam pro ſuo arbitratu conferendi, quæ ipſe princeps ſolus alioqui conferre poſſit, certè cum ille, cui data eſt ejuſmodi poteſtas, aliquid conferet, efficaciter conferet, & ſimul ipſe princeps idem efficaciter conferet, & tamen ipſe unus princeps conferre meritò dicetur? utpote à quo pendeat omnis illa poteſtas, quamque, quandocumque ſibi libuerit, alteri illi revocando adimere pro jure ſuo poſſit. Ex quo efficitur, ut non modo eadem bona, id eſt ejuſdem generis, (quod tu fortaſſe, cum id mihi ſatis futurum eſſet, negare tantum voluiſti) duo efficaciter conferendi poteſtatem habere poſſint, verum etiam idem ſingulare bonum uni homini, eodem tempore, unica collatione, efficaciter duo ſimul conferre queant, & tamen prærogativa conferendi apud unum ſemper ſit. Neque enim cum dicitur, ſolum Deum largiri bona, id ita accipiendum eſt, quaſi Deus vel nolit, vel non poſſit unquam cum alio eandem poteſtatem, neque ex toto neque ex parte communicare, ſed intelligendum eſt, neminem à ſeipſo eam poteſtatem habere præter unum Deum, & quicumque bona largiuntur, eos à Deo omnes aut mediate aut immediatè eam poteſtatem habuiſſe. Hoc autem declarant ea verba quæ ipſe dicis, & egó veriſima eſſe fateor, Deum patrem eſſe Deum omnibus ſufficientem, quæ verba communicationem cum alio ex ipſius Dei voluntate alteri ſufficiendi poteſtatis minimè excludunt, ſed ab ipſo Deo ſolo, tamquam à prima cauſſa, omnibus quicquid habent ſubminiſtrari ſignificant, nec quemlibet ſocium in bonis dandis & largiendis à Deo removent, ſed eum tantummodo, cujus propria potentia non Deo accepta, vel ſeparatim, vel conjunctim cum ipſo Deo aliquid boni conferatur. Hinc apparet quanto in errore verſeris, dum præterea dicis nihil referre ſi unus ab alio accepit, dummodo is, qui accepit eadem bona efficaciter conferat. Nam ex jam dictis plurimum referre ii omnes intelligent, qui ſciunt quantum prima cauſſa indeficiens, ſecundis cauſſis quæ ab ea omnem vim ſuam habeant & deficere poſſint, præſtet & antecellat. Ratio autem quam tui dicti affers, differentiam ſcilicet in perſonis tantum eſſe, non autem in rebus, & modo conferendi, futilis planè eſt. Quaſi verò ad inæqualitatem conſtituendam, neceſſe ſit differentiam eſſe aut in rebus, quæ conferuntur, aut in modo conferendi. Quare oportuiſſet te addere verbis tuis hæc, aut ſimilia verba. *Aut alia in re, quæ inter ipſas perſonas inæqualitatem in conferendi poteſtate conſtituere queat.* Hoc autem fortaſſe tunc dici poſſet, cum & is qui dedit ipſe quoque ab alio accepit, & is qui accepit, jam eadem prorſus conditione habet, qua is qui dedit. Dixi autem Fortaſſe, quia adhuc differentia ſemper inter utrumque extabit, ſi omnia quæ ad utriuſque poteſtatem ſpectant, & ipſimet inter ſe comparentur. Iſte enim ab hoc accepit, non autem hic ab iſto. Iſte ſemper hunc auctorem ſuæ poteſtatis agnoſcere, ſeque eam ipſi acceptam referre, eique plurimum debere confiteri debebit. Hic autem nihil horum de iſto dicere poterit. Sed quid dicendum eſt, cum is, qui dedit, à nemine ipſe accepit, nec ea poteſtate umquam ullo modo deſtitui poteſt, is verò qui accepit, ab eo ipſo qui dedit, ejuſmodi poteſtate & de jure & de facto (ut ajunt) poteſt privari? Nonne in ipſius poteſtatis modo & qualitate tanta differentia eſt, quæ non modo aliquam, quod ſatis eſſet, ſed magnam quoque inæqualitatem inter utrumque ea in poteſtate conſtituit? Qui dedit non ab alio ſed à ſeipſo habet. Qui accepit ab alio habet, & quidem ab eo, quicum comparatur. Qui dedit, omnibus modis propriam & ſtabilem poteſtatem, qui verò accepit precariam, & ad arbitratum alterius, & quidem illius, cum quo confertur, habet. Quanta igitur inter hunc & illum inæqualitas in ipſa poteſtate eſt? Quocirca jam ineptiſſima apparet interpretatio illa tua verborum Chriſti, Ego dabo, Ego faciam, & ſimilium, & ridicula eorundem conciliatio cum aliis ejuſdem verbis, quæ ipſum nec facere, nec dare, nec poteſtatem habere non quidem dicunt, ſed dicere tibi videntur. De utriuſque autem loci, deque eorum, ſi modò ea opus eſt, vera conciliatione infra explicatius diſſeremus. Poſtremò graviſſimè in eo tota ratiocinatio tua peccat, quòd ab eo qui efficaciter non conferat, vera cordis fiducia aliquid peti poſſe negat, cum palam ſit, à Chriſto dum in terris eſſet vera cordis fiducia multa petita fuiſſe, quem tamen efficaciter contuliſſe hic ſubobſcurè, alibi apertè negas. Quid quod vi ratiocinationis tuæ manifeſtè probatur, Chriſtum, ne viam quidem monſtrando gratiæ & pacis impetrandæ, gratiam & pacem conferre aut contuliſſe, cum ipſa viæ monſtratio ejus fuerit qui ipſum miſit? Certe non minus abſurdum eſt, habere duos ſimul unica monſtratione bonorum adipiſcendorum viæ monſtratores, quàm duos efficaciter ipſa bona conferentes, præſertim cum Chriſtus multò minus ſe auctorem doctrinæ ſuæ fecerit, quæ illa via eſt, de qua loquimur, quam operum. *Mea doctrina*, inquit, *non eſt mea, ſed ejus qui miſit me* Joh. 7. 16. *Et ſermo quem audiſtis non eſt meus, ſed ejus qui miſit me patris* Joh. 14. verſ. 24. Quod numquam de operibus dixit, quamvis tu non hic ſolum, ſed ſæpius infra id inculces, Scripturæ teſtimonia, ut ſuo loco videbimus, prout tuæ cauſſæ conducere videntur, recitando corrumpens. Sed jam tempus eſt, ut, quid adverſus alterum teſtimonium meum attuleris, examinemus.

Negas igitur verba illa Pauli in fine epiſtolarum, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit vobiſcum*, ſive *cum ſpiritu veſtro*, invocationis formam dici poſſe, quia alioqui Spiritum quoque ſanctum invocare oporteret. Scriptum eſt enim ad finem poſterioris ad Cor. *Gratia Domini Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis.* Immo, ſubjungis, ipſum Paulum nos invocare oporteret contra mentem & voluntatem ipſius, qui ſibi talem tribui honorem noluit. 1 Cor. 16 inquit, *Charitas mea ſit cum omnibus vobis.* Videamus primum de Spiritu ſancto, poſtea de Paulo videbimus. Miror equidem vehementer, te in illis verbis *Communicatio Spiritus ſancti*, non intellexiſſe verba, *Spiritus ſancti*, non activè ſed paſſivè accipi debere, ut ſenſus ſit, non quidem precari ut Spiritus ſanctus aliquid communicet, ſed ut ipſe Spiritus ſanctus communicetur. Quemadmodum ſemper ejuſmodi locutio accipitur, ut *communicatio corporis, communicatio ſanguinis Chriſti*, 1 Cor. cap. 10. verſ. 16, & alia ſimilia. Quare nihil ad propoſitum hic Pauli locus facere poteſt, cum nihil ab ipſo Spiritu ſancto precatus fuerit Apoſtolus. Hic verò antequam aliud dicamus obſervandum eſt, te, dum quæſtionem noſtram de facultate invocandi Chriſtum ad neceſſitatem, ut frequentiſſime facis, pertrahere, non ſatis ſincere, conaris, non obſcure fateri, quod ſi hæc forma invocationis Spiritus ſancti eſſet, oporteret ipſum invocare. Ex quo liquet exempla apud te vim præcepti habere, quod tamen in prima reſponſione ad exemplum Stephani aperte negas. Cæterum quicquid

Deſunt non pauca.

Cap. VI.

ruiſſe manifeſtius eſt, quam ut, quicquid commiſeri miſerrime audeas, à te ipſo negari poſſit; ut poſtea videbimus. Quod autem ais illum Dominum, à Paulo Deum vocari, quomodo quæſo id probas? num quia bis ſubjungit *Deus novit*? Sed quænam verborum conſtructio, aut relatio ibi eſt, quæ iſtud ſuadeat? Repone loco Domini vocem Chriſti, & videbis totum Pauli ſermonem optime, & nihilo minus quam nunc cohærere, præſertim verò ſi animadverteris locutionem illam, *Deus novit*, proverbialem quendam loquendi modum eſſe poſſe, ob quam cauſſam nulla ratione in voce Deus relatio ad ſuperiora eſſe queat. Sed quid ſi concedamus, ſuprà Domini nomine Deum deſignatum fuiſſe? num propterea ſequetur eodem nomine infra non Chriſtum ſed Deum fuiſſe

fuiſſe appellatum, cum nulla pariter ſit vel conſtructio, vel relatio verborum inter utramque ſermonis partem, & tot verba, quæ aliæ partes ſermonis ſunt, intercedant? ſi infra ſimiliter pro voce Dominum vocem Chriſtum repoſueris, & ſupra pro Domino Deum ſcripſeris, quid quæſo in toto ſermone hiabit, ſeu malè cohærebit? Sed jam has tuas ex verbis ipſis inanes probationes relinquamus. Quod igitur deinde idem ex eo probare niteris, quia Paulus in precibus ſuis inceſſanter habitis Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, non Chriſtum ſe invocaſſe affirmet, quibuſcumque verbis ea ſententia ſcripta ſit (nam hic tuo more locum non citas) nullam vim habere poteſt, quemadmodum ex iis, quæ quarto capite diſputata ſunt, ſatis liquere exiſtimo, præſertim, cum in teſtimonio meo, non de precibus Pauli perpetuis & inceſſanter habitis, ſed de ſingulari precatione quadam, eaque ter tantum repetita, agatur.

Sed jam videamus qua ratione probationem meam, ex ipſius Pauli verbis ductam, infringere coneris. Paulus manifeſtè eam potentiam, quam Dominus ille ſuam appellaverat, Chriſti potentiam nominat. Ex quo perſpicuum eſt illum Dominum eſſe Chriſtum. Reſpondes hoc pacto: *Virtus Dei patris eſt Chriſto communicata, quam in ſe quoque declarari, & demonſtrari cupit.* Parum apte quid velis dicere explicans, contra te ipſum imprudens ratiocinaris. Nam ſi Deus Pater ſuam virtutem cum Chriſto communicavit, cur Chriſtus ipſe ea virtute Paulum in gravi tentatione illa fulcire & roborare non potuit? immo in quem uſum ſuam virtutem cum Chriſto Deus communicavit, niſi ut fratres ſuos ſimiliter, atque ipſe fuit, tentatos, confirmare queat? Sed, ut conjici poteſt, tu minus propriè loquens, per communicationem virtutis Dei cum Chriſto, effecta virtutis Dei in ipſo Chriſto intelligis, quatenus ſcilicet Chriſtus virtutis Dei vi omnes tentationes, dum in carne eſſet, ſuperare potuit, ita ut hoc loco eodem ſenſu dictum fuerit, Potentia Chriſti, quo in Epiſt. ad Hebr. cap. XI. 26 dictum eſt, Improperium ſive probrum Chriſti, id eſt ejuſmodi probrum quale Chriſtus tulit, ſeu mavis ex Hebraica phraſi potius, quam Græca aut Latina, probrum Chriſtianum, ſic potentia Chriſti idem ſit, quod potentia, qualem Chriſtus habuit, ſive potentia Chriſtiana, id eſt Chriſtiano homine digna. Verum ad iſtas interpretationes, quæ à verborum proprietate communique uſu loquendi recedunt, tunc demum confugiendum eſt, cum alioqui abſurda ſententia futura eſſet, aut ſaltem nihil magnopere ſuadet, ut à conſueta interpretatione non diſcedamus. Hic neutrum eſt. Nam neque ulla abſurditas in ſententia eſt, & verborum manifeſta relatio, ut in ſenſum uſitatum hæc verba accipiamus, non modò vehementer ſuadet, ſed etiam quodammodo cogit. Omitto, quod nuſquam fortaſſe invenies δύναμιν, cum de vi qua tentationes vel feruntur, vel ſuperantur ſermo eſt, accipi pro ea virtute ſive potentia, quæ in nobis divinæ virtutis effectus eſt, ſed ubique pro ipſa divina virtute. Quod verò addis, dici Chriſtum per fidem in cordibus piorum habitare & operari, & tamen virtutem & efficaciam illam fidei non invocari, quid quæſo eſt? Quaſi vero in teſtimonio à me prolato Chriſti potentiam à Paulo invocatam fuiſſe contendam, & non ipſum Chriſtum. Dicere ſaltem debueras, & tamen eo nomine Chriſtum non invocari. Hoc autem nec facile tibi conceſſiſſem, immo nullo modo, quod attinet ad locutionem illam, quod Chriſtus in nobis per fidem operetur, nec ſi id de altera locutione feciſſem, ab eo aliquid adjumenti habere potuiſſes, primum, quia multum intereſt inter hanc phraſin, Habitat in me virtus Chriſti, & Habitat in me Chriſtus per fidem. Hac enim fides in Chriſtum, & imitatio vitæ ejus, illa vero perſonæ Chriſti efficax præſens actio ſignificatur. Deinde quia ego non propterea evincere volo, Chriſtum à Paulo fuiſſe invocatum, quod dicat ſe cupere ut habitet in ſe virtus Chriſti, ſed quod id dicendo apertè oſtendat, Chriſtum eſſe illum Dominum, quem ter rogaverat, ut à ſe abſcederet angelus ille Satanæ, & à quo reſponſum tulerat. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Ad quod reſponſum ejus verba, quæ ſtatim ſubjicit, evidentiſſimam relationem habent.

Infirmam præterea vocas ratiocinationem, quam meam nimirum eſſe putas, & hujuſmodi eſt, Domini nomine plerumque in Novo Fœdere Chriſtus ſignificatur: Ergo Paulus hoc loco Dominum dicendo Chriſtum intellexit, & ſatis eſſe ais, ſi contrarium detur exemplum, præſertim apud ipſum Paulum, atque exempla mox in eadem etiam phraſi proferre tentas, in quibus Paulus nomine Domini non Chriſtum ſed Deum deſignaverit. Ego, ut apparet ex ſcripto meo, nihil ejuſmodi ratiocinatus fueram, ſed tantummodo dixeram, aliud interea agens, frequentiſſimè in Novi Fœderis litteris Domini nomine Chriſtum ſignificari. Hoc autem idcirco dico, quod ita res ſe habeat, non autem quod eam ratiocinationem ejurare velim. Eam autem ſupra jam alio modo explicavi, quam hic à te fiat. Dico enim vix repertum iri apud Paulum, ubi nomen τὸ κυρίου cum articulo diſertè expreſſo, & nulla voce præterea addita, quæ ab eo nomine regatur, ut hoc loco noſtro, in quo ſimpliciter τὸν κύριον ſcriptum eſt, Chriſtum non deſignet, niſi fortaſſe ad aliquem Veteris teſtamenti locum Paulus reſpiciat. Id quod etiam diligentiſſimè ejus ſcripta non evolventi ſaris veriſimile videri debet, cum ipſe manifeſtè inter Dominum & Deum diſtinguat, Dominum appellans Chriſtum, Deum verò ejus patrem, ut videre eſt 8 cap. prioris ad Corinth. & 4 cap. epiſt. ad Epheſ. & rurſus cap. 12, ejuſdem prioris ad Corinth. ſed præcipue & ſingulari quadam ratione in eadem epiſt. cap. 6. verſ. 13 & 14, in his verbis: *Eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hunc & has deſtruet, corpus autem non fornicationi ſed Domino, & Dominus corpori.* Quis ex vobis eſſet, qui hucuſque verba Pauli legens, Domini appellatione Deum ab ipſo intelligi omnino non contenderet, præſertim cum, ut eſt in Græco, Paulus ita ſermonem ſuum concludat, *Glorificate igitur Deum in corpore veſtro, & in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* Sed videamus quæ ſequuntur. *Deus vero & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.* Vides quomodo apertiſſime inter Dominum & Deum diſtinguat, & Domini nomine, etiam ubi veriſimillimum fuiſſet eum de Deo loqui, Chriſtum intelligat. Similis locus eſt apud Petrum prioris epiſtolæ cap. 2. verſ. 3. *Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis* (ſeu potius *benignus*) *eſt Dominus.* Nam quis eſt qui id de Deo dici non crederet, cum in Pſal. 34. verſ. 8 de Deo ſcriptum ſit, *Guſtate & videte quoniam ſuavis* [ſive *benignus*] *eſt Dominus?* Et tamen de Chriſto Petrum loqui, manifeſtum faciunt, quæ illico ſubjicit verba, *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum*, &c. Quamobrem concludendum eſt apud Paulum τὸ κυρίου ſeu Domini, quemadmodum dictum fuit, ſimplici appellatione, ipſum Chriſtum Dominum noſtrum perpetuo deſignari, niſi evidentiſſimè contrarium appareat. Teſtimonia quatuor quæ ad contrarium probandum ex ipſo citas nullius ſunt ponderis. Nam primum ea verba, *Fidelis autem eſt Dominus, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo* 1 Theſſ. 3. 3, ad Chriſtum optimè accomodari poſſunt, de quo alibi ſcriptum eſt 2 Timoth. 2. 13. 1 Cor. 1. 8. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt.* Et rurſus alibi, *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Neque enim video cur neceſſe ſit duriſſima ellipſi hæc ad Deum referre, ut Bezæ placet, nam in illis verbis *in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti*, antecedens pro relativo Hebræorum more poſitum eſſe poteſt, quem loquendi modum cum alibi, tum in paulo ante ſcriptis verbis illis: *Gratias ago Deo meo*

ſemper pro vobis in gratia Dei &c. optimè ipſe Beza agnoſcit. Sed & idem Paulus alio in loco, ut veritas Græca habet, ſcripſit 2 Theſſ. 3. 8. *Omnia valeo in Chriſto* (ſive *per Chriſtum*) *qui me corroborat.* Phil. 4. verſ. 13. Verba autem illa quæ mox ſequuntur, & ſecundum ex tuis teſtimoniis ſunt: *Dominus autem dirigat corda veſtra, in charitatem Dei & patientiam Chriſti,* quid eſt cur Chriſto accomodari non poſſint, aut potius debeant, cum, poſtquam neceſſe eſt hic ſupra dictum illum loquendi Hebræorum morem locum habere, ut ſcilicet antecedens pro relativo poſitum ſit, minus durum videri debeat, ſi id fiat in voce Chriſti, quæ à manifeſto antecedente Dominus longius abeſt, quam in voce Dei, quæ propius eſt, præſertim cum ad finem cap præcedentis Apoſtolus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, una cum Deo & patre noſtro, alterum ab altero Dei & Domini appellationibus diſtinguens, precatus fuerit, ut conſoletur & confirmet eos in omni opere & ſermone bono? Reliqua duo teſtimonia planè tibi adverſantur. Scriptum eſt enim in priore 2 Tim. 1. 16. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui* &c. Quæ autem hæc miſericordia ſit, explicat in poſteriore Apoſtolus, dicens verſ. 18: *Det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino, in illa die.* Ubi animadvertendum eſt in Græco voci Dominus, additum fuiſſe articulum hoc pacto ὁ κύριος, vocem verò Domino ſine articulo enunciatam fuiſſe hoc modo, παρὰ κυρίῳ. Quod ſatis indicat, hic antecedens pro relativo poſitum non fuiſſe, quamvis plerique diverſum ſentiant. Nam profecto ſi id factum eſſet, articulus quoque repetitus fuiſſet. Sed quia de duobus Dominis erat ſermo, propterea uni articulum, ut ferè ſolet, nempe Chriſto præpoſuit 1 Theſſ. 3. 5, alteri verò, nimirum Deo, qui eo modo frequentiſſimè, tamquam nomine proprio, quod in locum nominis Jehovæ ſucceſſit, in Græcis tum Veteris, tum Novi Teſtamenti ſcriptis nominatur, articulum non præpoſuit. Precatur igitur Paulus, ut Chriſtus, qui Judex mundi futurus eſt, in die illa judicii ſui concedat Oneſiphoro, ut miſericordiam apud Deum inveniat, id eſt, ut alibi loquitur Scriptura, ipſum coram patre ſuo confiteatur. Quod ſi mavis Hebraiſmum illum retinere, & de uno tantum Domino verba fieri, an non proprium Chriſti eſt in die illa extrema miſereri piorum, cum ipſe præmia & pœnas daturus ſit, & Paulus nominatim infra in eadem epiſtola 2 Tim. 4. verſ. 8, ſe ab ipſo Chriſto coronam juſtitiæ expectare dicat, quam non ſolum ſibi, ſed omnibus adventum ejus expectantibus illa die redditurus ſit? Nonne, ut ab ipſa loci hujus locutione non diſcedamus, & innumerabilia alia teſtimonia huc pertinentia miſſa faciamus, legiſti apud Judam, verſ. 21. *Vos ipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam?* Quid igitur tibi vis cum ejuſmodi teſtimonia affers, ut probes Domini nomine Chriſtum non intelligi, in quibus hæc ipſa quæ Chriſto maxime conveniunt, ei, qui in illis Dominus appellatur, tributa ſunt? Sed præter ea quæ jam dicta fuere, validiſſima apud me adhuc ratio eſt, propter quam ſtatuendum ſit Paulum in teſtimonio meo non de Deo patre, ſed de Jeſu Chriſto loqui. Ea eſt, quod, in univerſa hiſtoria totius Novi Teſtamenti, nunquam invenies Deum alicui apparuiſſe, aut cum eo locutum fuiſſe, quin Angeli ipſius Dei mentio, dum ea apparitio & allocutio primum narratur, apertiſſima fiat. Quod ita conſtanter à ſcriptoribus illis, ſive ab iis quos ipſi loquentes inducunt, ſervatur, ut etiam cum Veteris Teſtamenti hiſtoria recitatur, in qua ſimpliciter ſcriptum ſit Deum apparuiſſe & locutum fuiſſe, nulla prorſus angeli facta mentione, ipſi tamen qui aliter loqui aſſueverant, angeli interdum mentionem faciant. Chriſtus autem ipſe, omni prorſus angeli mentione prætermiſſa, non infrequenter & apparuiſſe & locutus fuiſſe narratur. Cujus rei cauſſa nulla eſſe poteſt alia quàm hæc, quòd cum ſub Novo Fœdere Deus angelos per quos apparet, & cum hominibus loquitur, non per ſe immediatè, ſed mediate per Chriſtum mittat, angeli illi non amplius ita Dei ipſius perſonam ſuſtinent, ut Dei nomine appellari mereantur, ſed Chriſti, qui eos immediate mittit, perſonam ita omnino ſuſtinent, ut quemadmodum antea Dei, ſic nunc Chriſti nomine meritò appellentur. Et quamvis pleraque teſtimonia divinæ apparitionis, aut allocutionis in Novi Teſtamenti hiſtoria illud tempus reſpiciant, quod fuit antequam Chriſtus vel naſceretur, vel ſaltem ad ſupremam illam in angelos ipſos poteſtatem evectus eſſet, quia tamen omnia poſt illud tempus ſunt ſcripta, & jam, ut diximus, ſcriptores illi aliter, quam antea fieri ſoleret, ob prædictam cauſſam loqui conſueverant, in illis quoque perpetuo eundem narrandi modum ſervaverunt, ita ut Deum ſimpliciter vel apparuiſſe, vel locutum fuiſſe in ipſa narratione nunquam dixerint.

Cum igitur Paulus apertè & ſimpliciter dicat, illum Dominum, cui preces ſuas obtulerat, ſibi locutum fuiſſe, dubium eſſe non poteſt, quin Dominus ille non Deus, ſed Chriſtus fuerit. Nam cum de Deo, qui ſibi apparuiſſet, & ſecum loquutus fuiſſet, loqui voluit Paulus, in ipſa facti narratione non Deum ſimpliciter, ſed Dei angelum nominavit, inquiens Act. 27. verſ. 23, *Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ſum ego, & cui deſervio. Dicens* &c. cum tamen paullo poſt dicat. *Credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi.* Quanquam nihil vetat, quominus hic quoque Chriſti operam interveniſſe ſuſpicari liceat. Nam qui angelus Dei appellatur, ab ipſo Chriſto mitti potuit, & ſic Chriſti ſimpliciter angelus merito appellari potuiſſet, ut in Johannis ſit Apocalypſi.

Jam verò quod poſtremo ais, mirum eſſe hoc loco nos ſtabilire velle Chriſti invocationem, unde Beza probat Chriſtum & Deum eſſe, & ut Deum invocandum, multo magis mirum videri debet, vobis, non ut veritatem inquiratis, ſed ut à Trinitariis quam maxime diſſentiatis, propoſitum eſſe. Cæterum utri noſtrum magis in eo, quod minus decebat, adverſarios imitentur, alibi diſſeretur. Si Beza, & alii, qui cum illo ſentiunt, ex hoc loco colligi poſſe exiſtimant talem Chriſti divinitatem, ut ipſe ſit ille Deus noſter qui fecit cœlum & terram, tanquam is qui eandem prorſus numero eſſentiam cum Patre habeat, (ſiquidem Beza nihil aliud dicit, quam hunc locum pertinere ad probandam Chriſti divinitatem) nos ex eodem colligi debere dicimus, id quod nec ipſi, nec vos adhuc percipere poteſtis, hominem ſcilicet illum Ieſum Mariæ filium, ab illo ſummo Deo ejus patre Dominum & Deum noſtrum factum fuiſſe, & ad tantam majeſtatem ac potentiam evectum, ut merito à nobis in noſtris neceſſitatibus invocari poſſit.

Peroras autem ad extremum, & ais, *Ex his & iis ſimilibus hucuſque recitatis manifeſtum eſt, Chriſti invocati ne veſtigia quidem extare.* Maxima ſanè hac in re videri debet confidentia tua, qui ejuſmodi ridiculis reſponſionibus, quales vidimus, allatis, & miris quibuſdam interpretationibus adverſus ipſam veritatem manifeſte confictis, non modo putes te teſtimonia à me prolata, & illis ſimilia penitus diluiſſe, ſed etiam invocati Chriſti ne veſtigia quidem extare demonſtraſſe. Aliter omnino ſenſuros, qui hanc noſtram diſputationem perlegerint, non dubito. Jam enim præter teſtimonia invocati Chriſti, quæ in priore meo ſcripto attuleram, quæ tu reſponſo tuo magis confirmaſti, à me, dum tecum de illis diſputo, alia tria partim firmiſſima, partim haud infirma expoſita videbunt. Primum eſt, idque apertiſſimum 2 Theſſ. 2. 16. ubi ſic ſcriptum eſt, *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam, in gratia exhortetur* (ſeu potius *conſoletur*) *corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono.* Nam quæ huic teſtimonio à te objici poſſent, ſatis à me ſupra diluta fuere. Alterum eſt, cujus ipſe prior imprudens meminiſti, eadem Ep. c. 3. ℣. 5. *Dominus autem dirigat corda veſtra, in charitatem*

Dei

Dei & patientiam Chriſti. Tertium, quod tu ſimiliter, me quodammodo antevertens, ad aliud probandum citaſti, illud eſt 2 Tim. 1. 18. *Det illi dominus invenire miſericordiam à Domino* [ſive *apud Dominum*] *in illâ die.* Hæc autem poſtrema duo de Chriſto loqui, cum ob τὸ κυρίου ſimplex nomen, tum ob alias ipſorum locorum qualitates, paullo ante me ſatis probaſſe confido. Quibus tacitè addidi alios locos apud Paulum, ubi Domini ſimpliciter, eo modo quo dictum eſt, mertio fiat, à quo aliquid ſimili ratione petatur. Tria autem nunc mihi ſuccurrunt: quæ hæc ſunt.

Primum 1 Theſſ. 3. 12, & 13. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitate in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos, in vos ad confirmanda corda veſtra ſine querela* [ſeu potius *inculpata*] *in ſanctitate ante Deum & patrem noſtrum, in adventum domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus.*

Hîc autem, præter ipſum ſimplex Domini nomen, de Chriſto Paulum loqui oſtendit, quòd præcedenti verſiculo & patrem & ipſum nominans, more ſuo illum Deum, hunc Dominum appellaverat, quodque ea verba in ſua precatione admiſcet, *Ante Deum & patrem noſtrum*, quamvis poſtea ea quoque addat, *In adventum domini noſtri Jeſu Chriſti*, ut ſuprà in explicatione loci illius 2 Theſſ. 3. 5. dictum eſt.

Secundum eſt 2 Theſſ. 3. 16. *Dominus* [ſit] *cum omnibus vobis.* Nam quæ precedunt verba, *Ipſe autem dominus pacis* &c. ubi nomen Dominus ſimpliciter poſitum non eſt, & ſuperioris Epiſtolæ loco illi cap. 5. ℣. 23. omnino reſpondere videntur, *Ipſe autem Deus pacis* &c. de Deo, ut arbitror, dicta, ſequentia de Chriſto dicta fuiſſe non obſcurè, præter ipſum ſimplex Domini nomen, nobis, indicant, præſertim cum ſimiliter ad finem alterius epiſtolæ, nempe poſterioris ad Tim. ut ſupra viſum eſt, legatur, *Dominus Jeſus Chriſtus* [ſit] *cum ſpiritu tuo.*

Tertium eſt 2 Tim. 2. 7. *Det vero tibi Dominus intelligentiam in omnibus.* Sic enim ex Græco legendum eſt, non autem *Dabit*, ut eſt in vulgata tranſlatione. His autem duo alia teſtimonia invocati Chriſti addi poſſunt. Unum eſt in poſtremis Stephani

Cætera perierunt.

Fragmentum quoddam Animadverſionum Fausti Socini, in ſcriptum cujuſdam de differentia Veteris & Novi fœderis.

Cap. 1. Sect. 4. *Novum verò eſt inſcriptio ejuſdem legis in corda hominum.*

PRimo, Ex Jeremiæ verbis cap. 31. non colligitur eandem legem ſub novo fœdere inſcribendam fore in cordibus hominum, quæ ſub vetere inſcripta fuit in lapidibus, ſed tantummodò Dei legem. Quæ ſive eadem, ſive alia fuerit, dum modò ab ipſo lata ſit, ſemper lex Dei erit.

Secundò. Inſcriptio ipſa legis in corda hominum non poteſt ullo modo eſſe ipſum fœdus. Fœdera enim non re aliqua, quæ fiat, ſed quæ fieri debeat, continentur, ut ipſi ſenſui communi manifeſtum eſt. Quod idem planum facit exemplum veteris fœderis. Quod profectò non fuit inſcriptio illa legis in lapidibus, ſed pactio cum populo, ut ea faceret quæ ibi ſcripta erant, &, ſi ea feciſſet, Dei cum fortunandi promiſſio, ſin minùs, affligendi comminatio. Quocirca verba Dei apud Jeremiam non ſunt ita nudè accipienda, ut ſonare videntur, dum ait, *Iſtud eſt fœdus* &c. *dabo legem meam in interiora eorum* &c. quaſi hæc datio in interiora ſit ipſum fœdus, quid enim abſurdius dici poteſt? Sed intelligendum eſt fœdus illud novum ejuſmodi futurum, ut legem Dei in cordibus hominum inſcribendi vim habeat. Qualem vim vetus non habuit. Nec mirum, cum in multò præſtantioribus promiſſionibus novum factum fuerit, Hebr. 8. 6. & in eo non ſpiritum ſervitutis ad metum, ut in vetere, ſed ſpiritum filiationis acceperimus, Rom. 8. 15. hoc eſt, ſub eo non mortis metu & pœnarum, ut ſub vetere, ſed ſpe beatæ immortalitatis, quæ veteribus illis in divino fœdere propoſita non fuerat, & quæ à Chriſto in lucem prolata fuit, 2 Tim. 1. 10. perpetuò ducamur, & in officio contineamur.

5. *Ut fœdus vetus duravit* &c.

Quatuor in hoc capite dicuntur, quæ non ſunt admittenda. Primum. Vetus fœdus non ceſſaſſe in illis Hebræis, qui Meſſiam non receperunt, vel receptum factis abnegarunt. Nam ſi novum fœdus cum populo ſuo Deus aut pepigerat, aut pangere voluit, certe vetus eſt abolitum, etiam in iis hominibus, qui in eo perſeverare voluerint. Neque enim eorum voluntas Dei voluntati, qui illud aboleri voluit, prævalere poteſt. Quamvis igitur illi non ſint ſub novo, quia ipſi aſſenſi numquam fuere, non tamen poſſunt eſſe ſub vetere, quod jam amplius non eſt. Niſi velimus, eos ſub vetere fœdere eatenus eſſe, quatenus Deus ſummo jure, poſtquam illud adhuc durare volunt, & Dei benignitatem agnoſcere recuſant, poteſt ex illius fœderis præſcripto eorum peccata graviter punire. Sed hac ratione illi Hebræi, qui Meſſiam jam receptum factis abnegarunt, non modo ſub vetere fœdere amplius non eſſent, ſed omnino ſub novo (quamvis inviti) remanſiſſent. Nam eos Deus iis pœnis, quæ novum fœdus primò à ſe receptum deinde rejicientibus propoſitæ ſunt, jure optimo punire poteſt.

Secundum. Sub vetere fœdere homines peccare potuiſſe, ſub novo non item, & eos, qui peccarunt, non deſiiſſe eſſe ſub vetere fœdere, ſub novo autem deſiiſſe. Si enim veteris fœderis nomine fœdus per Moſem percuſſum intelligatur, ut 30. capite expreſſè affirmatum eſt, non autem fœdus illud cum Abrahamo ictum, *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, certe qui ſub vetere fœdere peccaverunt, & ita fœderis conditiones expreſſas non ſervarunt, ſub eo fœdere eſſe deſierunt, & idcirco meritò in fœdere illo non manſiſſe dicti ſunt apud Jeremiam ſupra dicto cap. 3. Quare hac in parte nulla inter fœdus per Moſen percuſſum, & fœdus, cujus mediator Chriſtus fuit, differentia eſt. Nam quod illi peccatores ſub vetere fœdere, Dei populus eſſe non prorſus deſinerent, ut profecto deſinunt eſſe, qui ſub novo fiunt, id non ex vetere illo fœdere, cujus Moſes mediator fuit, ſed ex antiquiore illo Abrahamico, quod cum Iſaaco, & Jacobo renovatum, & in ipſo Jacobo, ejuſque poſteris ſtabilitum fuit, totum ſemper pependit, atque provenit.

Tertium. Non fore præſtantius vetere novum fœdus, ſi ſub illo non minùs quàm ſub vetere peccari poſſet. Quaſi verò non multa ſint præterea in novo fœdere, quæ ipſum veteri longè anteponunt. De quibus ſuis locis diligentiùs tractabimus.

Quartum Vetus fœdus fuiſſe abolitum, quia ſub eo homines peccarunt, & novum ſancitum, ſub quo homines non peccent. Siquidem non ita ſimpliciter ſunt Jeremiæ verba accipienda, per quem Deus nihil aliud voluit dicere, quàm abolendum eſſe vetus illud fœdus, quia vim non haberet homines in officio continendi, & pangendum novum, quod eam vim haberet, licet propter hominum ingentem maliciam vim illam ſuam in pleriſque exerere non poſſet. Quod ſi negetur eos, in quibus vim ſuam non exerat, eſſe ſub ipſo, negabitur ſimiliter, ut jam dictum eſt, eos ſub vetere fœdere fuiſſe, qui peccaverunt & ejus conditiones non ſervarunt. Verùm ſi eſſe ſub aliquo fœdere, pro eo quod eſt verbis fœderis aſſentiri, accipere velimus, jam tibi concedam ſimpliciter verum eſſe, vetus fœdus ideo fuiſſe abolitum, quia ſub eo homines peccarent, novum verò in ejus locum ſubſtitutum, ſub quo homines non peccent. Sed mihi quoque abs te concedendum erit, multò præſtantiora quam veteris eſſe novi fœderis promiſſa, quando poterat quis veteris fœderis promiſſis aſſentiri, & tamen non ea facere, quæ ad ea obtinenda in fœdere ſtatuta fuerant, novi verò promiſſis nemo aſſentiri

poteſt, quin ea ſimul faciat, quæ ad ea obtinenda in ipſo requiruntur. Nec verò hic repetere opus eſt, novum ipſum fœdus non poſſe eſſe inſcriptionem illam divinæ legis in hominis corde, ſed totum pactionibus, ſive conventionibus quibuſdam, una vel pluribus, contineri neceſſe eſſe. Nam ſolum fœderis nomen per ſe, id ſtatim apertiſſime docet. Ut tamen clarius adhuc rem ſic ſe habere conſtet, conſideremus obſecro, quidnam ſupra dicto loco dicat Deus apud Jeremiam. Videbimus enim aperte ipſum promittere, ſe percuſſurum novum illud fœdus indefinite, & indiſtincte cum domo Iſraëlis. Nunc cum certiſſimum ſit, ipſum hoc fœdus fuiſſe percuſſum, & ejus mediatorem fuiſſe Jeſum Chriſtum, certe ſi fœdus illud novum eſt ipſa inſcriptio legis divinæ in corde, neceſſe eſt fateri, per Jeſum Chriſtum inſcriptam fuiſſe legem divinam indefinite & indiſtincte in cordibus domus Iſraëlis. Quod tamen falſiſſimum eſt. Non ſolum enim per Jeſum Chriſtum lex Dei in cordibus omnium Iſraëlitarum, ut indefinite & indiſtincte prolata verba requirunt, inſcripta non fuit, ſed plerique eorum nec à priſtinis tranſgreſſionibus & iniquitatibus receſſerunt, & illis multas præterea addiderunt, dum & ipſum Chriſtum Dei rejiciunt & inſectantur, & tandem in crucem agunt, & ejus deinde fideles miris modis affligunt ac perſequuntur. Adeo, ut jure optimo Deus illos, ut ait Paulus, etſi naturales rami erant, ex olea illa exciderit. Aliud igitur, ſine dubio, oportet eſſe novum illud fœdus, quod cum domo Iſraëlis à Deo percuſſum fuit, quam ipſam inſcriptionem legis divinæ in corde, nempe quia Deus fœdus illud pangendo nihil omiſit, quod ad legem ſuam in cordibus Iſraëlitarum inſcribendam valeret, & ſolum ipſum fœdus, ſi ex animo receptum fuiſſet, & promittenti Deo, ex cujus parte vere fœdus percuſſum eſt, fides adhibita eſſet, legem divinam in eorum cordibus omnino inſcripturum fuiſſet. Itaque cum per Deum non ſteterit, quominus id factum fue„rit, recte potuit apud Prophetam dicere, Dabo le„gem meam in interiora eorum &c. Nam & paullo „inferius ſermonem continuans ait, ipſi omnes co„gnoſcent me, à minore eorum, uſque ad majorem eorum, & tamen plerique Iſraëlitarum Deum per Chriſtum non cognoverunt, cum ipſum Chriſtum ignoraverint, teſte Johanne Euangeliſta, & ipſo Chriſto apud eum, & Paulo, & denique tota ſacra hiſtoria. Non tamen propterea fefellit eos Deus. Per ipſum enim non ſtetit, quin Chriſto ſuo ad eos miſſo, qui imago ipſius eſt, illi omnes Dei cognitionem maximam adipiſcerentur. Hæc autem arctiſſime tenenda ſunt, alioqui novum illud fœdus nondum ſancitum fuiſſe concluderetur, & conſequenter Jeſum non eſſe Chriſtum. Quod ut nobis perſuadeatur, nullum lapidem non ſemper movit Satanas, & nunc non alio conſilio iſtas novas novi fœderis, explicationes, & proprietates, ipſo Dei verbo abutens, commentus eſt, & nobis obtrudere conatur, quam ut nos à Jeſu Dei filio & ſervatore noſtro avellat, & eos qui adhuc ſub Moſe ſunt, ſive potius eſſe volunt, à Jeſu pro Chriſto agnoſcendo & amplectendo abſterreat. Quod ſi in eo te mecum ſentire dicas, ut fœdus illud novum, quod ad ea attinet, quæ in hominibus eſſe debent, non ſit ipſamet inſcriptio legis divinæ in cordibus hominum, ſed quidpiam aliud, quod ejus inſcriptionis cauſſa ſit, cæterum id non aliud eſſe, quam credere Jeſum eſſe Chriſtum, reliqua autem omnia, quæ ſub novo fœdere præſtanda ſint, prorſus eadem eſſe, quæ antea erant; hujuſce rei pleniorem tractationem ſuis locis reſervans, nunc, quod attinet ad præſentem diſputationem, id primum animadvertendum cenſeo, te, ſi iſta vera ſunt, non recte locutum fuiſſe, cum tertio capite dixiſti, novum fœdus eſſe inſcriptionem legis divinæ in corda hominum. Neque enim figuratum illum loquendi modum, qui apud prophetam eſt, ibi uſurpare debueras, ubi de ipſius rei nuda veritate agitur, & ob eam cauſſam maxime propriis, cum verbis, tum loquendi modis, & ab omni figura alienis, utendum eſt. Deinde dico, ipſum credere Jeſum eſſe Chriſtum, ſi is nec aliquid nos docuit, nec alicujus boni ſpem fecit iis, qui divinam legem conſervaſſent, quod jam in vetere fœdere expreſſum non eſſet, nullam inſcribendæ ejus legis in hominis corde vim habere majorem, quam vetus fœdus haberet. Quid enim commune habere poteſt, credere Jeſum eſſe Chriſtum, cum ea inſcriptione legis divinæ in cordibus noſtris, (nedum ut ejus cauſſa eſſe poſſit) niſi quatenus nos Chriſti verbis fidem habere neceſſario faciat, adeo, ut de iis penitus perſuaſi quæ docuit, & promiſit, divinæ legis conſervandæ ſtudio toti inflammemur, & ad ejus normam nos Deo obedientes reddamus? Si igitur ejus præcepta & promiſſa jam antea extabant, ipſum credere Jeſum eſſe Chriſtum nihil addit veteri fœderi, quod pertinet ad inſcribendam divinam legem in cordibus hominum, niſi ſaltem multo evidentius per Chriſtum utraque explicata & patefacta fuerint, quam antea erant. Quod tamen nec veriſimile eſt, cum omnino credendum ſit, Deum ſemper ſuorum fœderum conditiones luculentiſſime expreſſiſſe: nec, ſi verum eſſet, id tanti momenti eſſe poteſt, ut ob eam rem duo fœdera conſtitui deberent, & hoc novum illud autem vetus appellari. Omitto, quod etiamſi mihi concederes, Chriſtum nova quædam docuiſſe & promiſiſſe, non tamen recte loquereris, ſi diceres, novum fœdus Dei eſſe, ut credamus Jeſum eſſe Chriſtum, niſi in alium ſenſum credere Jeſum eſſe Chriſtum acciperetur, quam à te, ni fallor, accipitur, & niſi oportere nos credere Jeſum eſſe Chriſtum, nihil aliud reipſa ſignificaret, quam oportere nos obedire mandatis ejus, & per ipſum omnem retributionem noſtram omnemque felicitatem ſperare. Sed quoniam hac eadem de re ſæpius agendum erit, ſatis hoc loco eſſe volumus, ea quæ jam dicta ſunt.

Cætera deſiderantur.

Quæſtiones nonnullæ Franciſci Davidis & ad eas Fausti Socini reſponſio.

1. *An in verbo Dei ſint aliqua ipſius Dei epitheta ejus eſſentiam deſcribentia?*

Cum duplicia ſint divina teſtimonia, alia ſcilicet Deum ipſum viſum fuiſſe affirmantia, ſive ejus majeſtatem & gloriam, alia verò id fieri poſſe expreſſe negantia, hinc colligimus diſtinguendum eſſe inter ipſam Dei eſſentiam, ac perfectiſſimam Dei naturæ cognitionem, & inter Dei potentiam, ac voluntatis ejus, quatenus ad noſtram ſalutem, cum ejus gloria conjunctam, pertinet, exactam notitiam. Illam dicimus nobis patefactam non fuiſſe, immo prohibitum eſſe ne in illam inquiramus, hanc verò affirmamus nobis fuiſſe in verbo ejus, inque ejus operibus abunde patefactam, & de hac præceptum ut eam diligentiſſime perſcrutemur.

2. *Divinitas Dei communicata creaturis qualis ſit?*

Duplex omnino Dei divinitas eſt, altera quam eſſentialem appellare poſſumus, de qua loquitur ipſe Deus, cum affirmat gloriam ſuam viſum non iri, altera, quam effectualem, id eſt, effectum naturæ & eſſentiæ illius nominare licet. Illam, cum ab ipſa divina eſſentia ſejungi nequeat, creaturis non communicat Deus, quippe cum ejus eſſentia nemini communicari poſſit, hanc verò communicat. Cum nihil impediat, quominus effecta alicujus rei in alia re conſpiciantur, & ſint.

3. *An divinitas communicata creaturis ſit perpetua & immutabilis, an vero temporaria & mutabilis?*

Non dubium eſt quin omnis divinitas creaturis à Deo conceſſa mutabilis ſit, quatenus Deus poteſt illam cui conceſſit eripere Hoc autem fieri contingit duplici de cauſſa, vel quia Deus illam ab initio non in perpetuum, ſed ad tempus dare decreverit, vel quia is cui data fuerat, ſe illa indignum reddiderit. Poſſet autem Deus, ſi vellet, eam quoque conceſſam divinitatem eripere, quam numquam erepturus eſt, ut, exempli

exempli cauſſa, immortalitatem quam nobis dabit: ut extet ſemper inter ipſius, & creaturarum divinitatem illam effectualem, aliqua differentia, præter eam, quòd is à ſeipſo, & ab æterno eam habet. Creaturæ verò ab eo illam acceperunt, & in tempore eam ſunt conſecutæ.

4. *Cum Deus dicatur hoc vel illud per media feciſſe, quomodo intelligendum?*

F. D. Deus cum omnium ſit fons & origo, & ipſe omnia faciat per ſe, per media aliter facere non dicitur, quàm ſuam virtutem in illis & per illa exerere, quæ actiones in mediis magis formam & modum agendi explicant, quam illius actionis efficaciam.

F. S. Deus per ſe omnia facit, quia virtus qua fiunt, ab ipſo profecta, & data eſt. Ideoque cum per media aliquid facit, licèt illa media vim illud faciendi & actionis illius efficaciam habeant, quia tamen eam ab ipſo Deo habuerunt, qui eis illam adimere quandocumque voluerit, poteſt, meritò id etiam Deus per ſe facere dicitur.

5. *Vocabulum Patris cum Deo tribuitur, an ſit nomen naturæ vel affectionis?*

Naturæ vocabulum duplicem habet ſignificationem. Aliquando enim ſumitur pro ipſa eſſentia, aliquando pro effectis, ſive qualitatibus eſſentiæ. Si ſumatur pro ipſa eſſentia, tunc nomen Patris in Deo non poterit dici eſſe naturæ, cum divina eſſentia propagari non poſſit. Sin verò accipiatur pro effectis, ſive qualitatibus eſſentiæ, poterit nomen Patris in Deo eſſe nomen naturæ. Hinc eſt, ut ii qui boni & juſti ſunt, maximè autem qui ſunt natura immortales, filii Dei appellentur, eò quòd qualitates habeant, quæ effecta ſunt & propriæ qualitates eſſentiæ Dei. Et tunc Patris nomen Deo tributum affectionis quoque eſt. Nam ſine dubio eos impenſe, & tamquam pater filios ſuos amat Deus qui tales ſunt. Eſt autem aliquando vocabulum Patris tantummodo affectionis nomen, ut cum Deus pater illorum eſſe dicitur quibus benefaciat aut facere velit, & quorum ſingularem aliquam curam gerat.

6. *Quomodo Deus ſolus ſervare, conſervare, juſtificare, & regnare dicatur, cum tamen alii quoque hæc eadem facere dicantur?*

Fr. D. Deus ſolus, tamquam origo & prima cauſſa, hæc omnia facit, & ob eam rem meritò ipſi ſoli aſcribuntur. Cæteri qui idem facere dicuntur, tamquam ipſius miniſtri, & inſtrumenta quædam ea omnia facere ſunt dicti.

F. Soc. Idem ſentiendum eſt in hac ſexta, quod in quarta quæſtione.

7. *Quidnam ſit imago illa Dei, ad quam primus homo conditus fuiſſe dicitur?*

Reliqua non abſolvit auctor.

ANTITHESES,

Ex diſputatione de Invocatione Chriſti, inter *Fauſtum Socinum* Senenſem, & *Franciſcum Davidis* habita, ab ipſo Socino collectæ.

1.

QUandocumque vocabulum Invocationis pro cultu & fiducia accipitur, qua petimus à Deo bona corporalia & ſpiritualia, Chriſto invocationem in Scriptura ſacra attributam fuiſſe non legitur.

2.

Chriſtus invocari nec debet, nec poteſt.

3.

Cap. 2. Sect. 1. Exempla invocati Chriſti ex ſacris litteris petita, non evincunt Chriſtum invocatum fuiſſe, aut invocari poſſe.

4.

Cap. 4. Sect. 7. Contra mentem Pauli eſt, precari gratiam aut pacem à Chriſto, & non à Deo patre tantum.

5.

Si tamen Chriſtus confert gratiam & pacem, id fit quatenus viam & modum monſtravit eas petendi & impetrandi, non quòd ipſe verè eas det & efficaciter conferat.

6.

Cap. 5. Sect. 2. Chriſtus viam noſtram dirigere dicitur, quando ea via incedimus quam ipſe nobis præſcripſit, non quòd deſcendens de cælis perſonaliter id faciat.

7.

Cap. 8. Sect. 2. Chriſtus habere omnem poteſtatem in cælo & in terra dicitur, quia per miniſterium & doctrinam ejus, non minus gentes quam Judæi Deo reconciliantur. Nam cælùm & terra gentes & Judæi ſunt, non autem quod Chriſtus omnia det, regnet, & conferat in cælo & in terra.

8.

3. Quod ſi aliam poteſtatem tribui Chriſto legamus, ſunt ea teſtimonia de futura Chriſti poteſtate, cum judex vivorum & mortuorum conſtituetur, non autem de præſenti interpretanda.

9.

S. 2. & 3. Chriſtus cum in terris fuit curam geſſit ſuæ Eccleſiæ: At poſtquam hinc abiit, eam curam patri

1.

INvocationem, ſive pro cultu & fiducia accipiatur, ſive pro petitione bonorum & corporalium & ſpiritualium, Chriſto tributam fuiſſe deſertiſſimè in ſacra Scriptura legitur.

2.

Chriſtum colere, in eoque fiduciam collocare debemus, & ad ipſum preces noſtras dirigere poſſumus.

3.

Exempla ſola invocati Chriſti ex Sacris Litteris petita, nec præterea aliud, evincunt Chriſtum invocatum fuiſſe. Et proinde & invocari poſſe.

4.

Nihil magis vel cum mente, vel cum verbis Pauli congruit, quàm precari gratiam & pacem non à Deo patre tantùm, ſed & à Chriſto.

5.

Quemadmodum Deus per Chriſtum verè docentem & præcipientem, viam & modum monſtravit petendi & impetrandi gratiam & pacem, ſic per eundem verè dantem & efficaciter operantem utraque confert & largitur.

6.

Chriſtus viam noſtram dirigit, quia non modo viam nobis præſcripſit, ſed nos ad eam tenendam præſenti virtute ſua adjuvat. Quod ut faciat, non eſt neceſſe ut de cælis deſcendat.

7.

Chriſtus habere omnem poteſtatem in cælo & in terra dicitur, quia nihil neque in cælo neque in terra eſt, quod ejus voluntati reſiſtere queat, & quia omnia efficere poteſt, quæ ad eccleſiam ſuam quoquo modo pertineant.

8.

Cum Chriſtus veniet ad judicandum vivos & mortuos, nullam adipiſcetur poteſtatem quam nunc non habeat, ſed eam quam nunc habet conſpicuam omnibus faciet.

9.

Chriſtus tum demum vere curam eccleſiæ gerere incæpit, cum hinc ad patrem abiit. Nec eam umquam

patri commendavit, quam denuo uſque ad præfinitum tempus ſuſcipiet.

10.

Sect. 3. & 4. Quod autem Deus pater Chriſto eccleſiæ curam commendaverit, non legitur, neque ex ſcriptura ſacra colligi rectè poteſt, Chriſtum nunc gerere curam Eccleſiæ.

11.

4. & 7. Quare quicquid de Chriſti gubernatione & cura, quam eccleſiæ gerat, ſcriptum legitur, id aut ad efficaciam miniſterii eſt referendum, aut de futuro illo tempore intelligendum.

12.

7. Porrò Chriſtus hoc tempore angelos, poteſtates, & virtutes revera ſubjectas non habet, ſed aliquando habebit.

13.

9. Nam quod dicitur, eum propter mortem crucis exaltatum fuiſſe ſuper omne nomen, ab eo tempore incæpit, cum Samaritanis quoque & gentibus euangelium annunciatum eſt.

14.

10. 22. 7. Hæ ſunt primitiæ regni Chriſti. Cæterùm quamvis nondum regimen ipſius inchoatum ſit, rex tamen & caput corporis eccleſię dicitur, propterea, quia deſignatione poteſtatem & imperium habet.

15.

11. Neque verò ſunt duo regnantes in cælo ſtatuendi.

16.

10. Ex quo apparet Chriſtum ad dexteram Dei ſedere, donec &c. nihil aliud eſſe, quàm tutum & firmum ſub protectione Dei expectare, ut ſibi à Deo ſubjiciantur omnes inimici.

17.

10. 1. Quod Chriſtus nunc habeat clavem Davidis, & claves mortis & inferni, hoc nihil ampliùs illi tribuit, quàm Petro & aliis ſanctis mortuis hoc tempore tribuant, quòd aliquando habuerint claves regni cælorum.

18.

Cap. 12. 1. 3. & 4. Quicquid geſtum eſt cum Paulo in ejus converſione & electione ad apoſtolatum, non eſt geſtum per Chriſtum, & ſi geſtum eſſet, id pertineret ad complementum miniſterii Chriſti. Nec inde nunc aliquid ſimile à Chriſto fieri colligi poſſet.

19.

5. Perinde eſt Chriſto, poſtquam in cælum aſcendit, tribuere apparitiones aliquas, ac ſi diceres, λόγον illum ante Chriſtum natum patribus apparuiſſe.

20.

13. 2. Nihil plus nunc habet Chriſtus, quia ſit domui Dei præpoſitus, quàm habeat Moſes, quia fuerit fidelis in ejuſdem domus adminiſtratione.

21.

14. 2. Præter omnem ſcripturæ ſenſum eſt, quòd Chriſtus nobis perſonaliter adſit, noſtra curet, & nobis faveat.

22.

15. 2, 3, 4, 5, 6. Chriſtus nihil umquam facit virtute aliqua propria, quam illi pater dederit.

23.

5. Itaque quod legitur Chriſtum dare vitam æternam, & reſuſcitare, idem eſt ac credentes ea, quæ Deus per Chriſtum de vita æterna annunciavit, & ejus præcepta ſervantes, nunc in ſpe poſſidere, poſtea vero unà cum Chriſto reipſa poſſeſſuros eſſe vitam æternam.

24.

16. 12. Verba illa latronis, *Memento mei cum veneris in regnum tuum*, invocationem Chriſti non magis continent, quàm verba illa Joſephi, *Memento mei cum tibi*

depoſuit, aut deponet, donec præſens hoc ſeculum permanebit.

10.

Patrem Chriſto eccleſiæ curam commendaſſe multis in locis legitur. Sed ex multò pluribus evidentiſſimè conſtat eum nunc eccleſiæ curam gerere, eamque gubernare.

11.

Quare non eſt ad futurum aliquod tempus ejuſmodi cura & gubernatio pertrahenda; ea autem omnia complectitur quæ ad eccleſiam pertinent, non miniſterii tantummodo efficaciam, quæ à præſenti actione ſejuncta nullam curam aut gubernationem Chriſto tribuit.

12.

Porrò Chriſtus hoc tempore angelis dominatur, & omnes poteſtates ac virtutes cæleſtes, revera ſibi ſubjectas habet.

13.

Nam quòd dicitur, eum propter mortem crucis fuiſſe exaltatum ſuper omne nomen, ab eo tempore incœpit, cum in cælum tranſlatus angelis ipſis præſtantior eſt factus.

14.

Hoc enim non primitias quaſdam regni tantùm, ſed regnum ipſum, & dominationem in univerſam eccleſiam, Chriſtum, ſimul atque in cælum aſcendit, revera adeptum fuiſſe, perſpicuè declarat.

15.

Itaque, præter Deum ipſum, omnia cæleſtia jam Chriſto ſubjecta ſunt.

16.

Ex quo apparet; Chriſtum ad dexteram Dei ſedere donec &c. nihil aliud eſſe, quàm ſuprema poſt Deum potentia præditum regnare, donec funditus deleat omnes hoſtes ſuos.

17.

Cum quæritur, Quid Chriſtus nunc habeat, cum eo apoſtolos, & alios ſanctos mortuos ullo modo comparare, ridiculum ac planè impium cenſeri debet.

18.

Quicquid geſtum eſt cum Paulo, in ejus converſione & electione ad apoſtolatum, per Chriſtum omnino geſtum eſt. Quod non ad complementum miniſterii, ſed ad initia exercendi veri regni Chriſti pertinuit. Et quid Chriſtus jam in cælis faciat, & facere poſſit, evidenter demonſtrat.

19.

Qui Chriſtum cum λόγῳ illo ante Chriſtum natum confert, ſatis oſtendit, ſe aut non credere, aut certè dubitare, an Chriſtus ſit & vivat.

20.

Qui hoc tempore Chriſto Moſem ulla in re comparat, & ineptiſſimè facit, & Chriſtum non ſecus ac Moſem mortuum eſſe opinari videtur.

21.

Secundum omnem ſcripturæ ſenſum eſt, quòd Chriſtus nobis ita adſit, ut perſona ejus, licet abſens, ea in re operetur, quòd noſtra curet, quodque nobis faveat.

22.

Chriſtus facit virtute ſibi à patre tradita, quæ, propterea quòd in ipſo manet, & reſidet, ejus propria appellari poteſt.

23.

Chriſtus dicitur dare vitam æternam, & reſuſcitare, propter id potiſſimùm, quòd ipſemet in extremo die illud præſtabit, ſecundum eam efficacitatem, qua ſibi ſubjicere poteſt omnia.

24.

Qui Chriſtum in ſuum regnum venientem, cum pincerna, in ſuum locum apud Pharaonem reſtituto, confert, Chriſtum ex rege famulum facit.

Nullam

tibi bene fuerit &c. pincernæ illius invocationem contineant.

25.

17.2.&7. Pugnant hæc invicem, quòd Chriſtus ſit mediator, & ipſe præſtet, & faciat quæ petuntur.

26.

5. Contra veritatem Scripturæ ſacræ eſt, Chriſtum poſſe exaudire preces noſtras, & omnia opera noſtra intelligere.

27.

18.3. Cum vox Salvator de Chriſto dicitur, ſignificat viam ſalutis monſtrare & docere.

28.

7. In Chriſtum credere, & Chriſto confidere, hodie nihil plus continet, quam olim contineret credere in Moſem, ut Iſraëlitæ fecerunt, quod attinet ad utriuſque perſonam.

29.

Chriſti ſervi ſumus, dum ejus doctrinam & facta annunciamus, extra hoc non ſervi ſed amici ejus ſumus.

30.

19.3. Si Deum patrem præcipuè adoramus Chriſtum adorando, adorando patrem non præcipuè patrem, ſed ipſum Chriſtum adorabimus.

31.

Si Deum in Chriſto adorare licet, ſolem quoque, lunam, & ſtellas adorare licet, & excuſantur omnes idololatræ, qui Deum in imaginibus adorare ſe profitentur.

32.

Non perperam fingitur in Alchorano, Chriſtum ſuis cultoribus opem ferre non poſſe.

33.

Chriſtus non eſt interceſſor pro nobis apud Deum, nec eſſe poteſt, cum nullam curam habeat. Curam enim rerum omnium ſibi uni reſervavit Deus.

25.

Nullam potiorem ob cauſſam Chriſtus nunc Mediator Dei & hominum dici poteſt, quàm ob munus & poteſtatem, quam habet à Deo, præſtandi & faciendi quæ petimus.

26.

Veritas Scripturæ ſacræ eſt, Chriſtum non modò exaudire poſſe preces noſtras, & omnia opera noſtra intelligere, ſed ſcrutari etiam corda, & renes noſtros.

27.

Chriſtus dicitur & eſt Servator, non modò quia viam ſalutis monſtravit & docuit, ſed etiam, & quidem potiſſimùm, quia propria vi, ſecum à patre communicata, ipſum ſalutem confert.

28.

Inter fidem in Chriſtum, & fidem in Moſem, quod attinet ad utriuſque perſonam, multùm intereſt. Chriſtus enim ea quæ promiſit efficere poteſt, Moſes verò non poterat.

29.

Chriſti ſervi ſumus, dum illi tamquam domino noſtro verum animo cultum, factis obedientiam præſtamus. Eadem autem ratione, qua Chriſtus diſcipulos ſuos non ſervos ſed amicos vocavit, ipſius quoque Dei non ſervos ſed amicos dicere potuiſſet.

30.

Chriſtus Deo ſubordinatus eſt, non Deus Chriſto. Et ideo qui Chriſtum adorat, ipſum Deum præcipuè adorat. Sed non contra. Quemadmodum qui præfectum honorat, principem præcipuè honorat. Sed non contrà.

31.

Deum in Chriſto adorare licet, quia mandatum eſt ut ipſi angeli Chriſtum adorent. Aſtrorum verò & imaginum adoratio diſertè prohibita eſt. Conferre autem cum Chriſto æternum vivente, & angelis præſtantiore facto, res mortuas & inanimas, quales ſunt imagines & aſtra, valde ridiculum & impium eſt.

32.

Pluſquàm perperam fingitur in Alchorano, Chriſtum ſuis cultoribus opem ferre non poſſe. Nam hæc ſola, aut ſaltem præcipua via fuit Chriſtum rejiciendi, & Mahumetem amplectendi.

33.

Chriſtus, ut Scriptura diſertè teſtatur, intercedit in cælis pro nobis. Et ideo intercedit, quia pater cum ſumma poteſtate ei noſtrum curam dedit. Itaque ſub ejus cura ab omni ira divina tuti ſumus.

THESES

Quibus *Franciſci Davidis* ſententia de Chriſti munere explicatur, una cum antitheſibus Eccleſiæ à *Fauſto Socino* conſcriptis, & Illuſtriſſimo Tranſylvaniæ Principi Chriſtophoro Bathoræo oblatis.

1.

HOmo ille Jeſus Nazarenus, qui Chriſtus appellatur, non per ſpiritum propheticum, ſed tantummodo per Spiritum ſanctum locutus eſt. Id eſt, quamvis legatus à Deo fuerit, non tamen quæcunque verba docendo dixit, ex ipſius Dei ore proceſſiſſe cenſenda ſunt.

2.

Hinc fit, ut illius & Apoſtolorum ejus verba, ad Moſaicæ legis, & aliorum propheticorum oraculorum normam expendenda ſint. Et ſi quid vel contrarium, vel diverſum ab his in illis reperitur, aut reperiri videtur, id aut rejiciendum, aut certè ita interpretandum ſit, ut cum Moſis & prophetarum doctrina planè conſentiat, quæ ſola morum, vitæ, & divini cultus regula nobis eſſe debet.

3. Nam

1.

Homo ille Jeſus Nazarenus, qui Chriſtus appellatur, non modò per ſpiritum propheticum, ſed plus quàm propheticum locutus eſt, quippe qui expreſſa imago Dei fuerit, & in quo omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitaverit, adeò ut ne verbum quidem unum docendo dixerit, quod ab ipſo Deo, ore proprio prolatum fuiſſe cenſendum non ſit.

2.

Hinc fit, ut illius & Apoſtolorum ejus verba, tantam auctoritatem habere debeant, ut quicquid in Moſis aut prophetarum quorumcunque ſcriptis, vel illis adverſetur, vel adverſari videatur, aut prorſus rejiciendum ſit, aut certè ex ipſis interpretandum, tanquam illis, quæ non modò Moſis & prophetarum dicta, ubi opus fuerit, explicaverint, verumetiam ea partim abrogaverint, partim perfecerint, & ex quibus omnis morum, & vitæ noſtræ, cultuſque divini regula petenda ſit.

3. Nam

3.

Nam inter Vetus per Moſen, & Novum per Chriſtum percuſſum fœdus, nulla penitus vel in doctrina (ea præſertim, quæ ad mores ſpectat) vel in divinis promiſſionibus differentia ſtatuenda eſt, ſed in hoc tantummodo differre dicenda ſunt, quod in vetere fœdere Litteræ, in novo verò Spiritus miniſterium fuit, adeo ut cæteroquin per hoc illud nec antiquatum, nec immutatum ullo modo, ſed confirmatum dici debeat.

4. Præſertim cum Novum illud fœdus vere hactenus ad tempus tantum, idque per breve, extiterit, id eſt, uſque ad Hieroſolymæ excidium, nec poſtea locum, niſi ex parte aliqua, habuerit, aut habiturum ſit, donec Jeſus iterum ad nos redierit, & in hoc mundo, in ipſa urbe Hieroſolyma inſtaurata, ſuper carnali populo Jacob, ut cæteri reges terræ ſolent, juſtiſſime tamen & ſanctiſſime regnaverit.

5. Interim Jeſus eſt quidem Chriſtus, ſive rex populi Dei, ſed deſignatione tantum, cum ex omnium prophetarum oraculis certum ſit, Chriſtum illum à Deo promiſſum, nullum aliud regnum quam terrenum, & quale ſupra dictum eſt, habiturum.

6. Ut ejuſmodi regnum ſtatim haberet miſſus fuit Jeſus à Deo in mundum, ſed quia noluerunt eum Judæi, quibus promiſſus fuerat, & quorum rex eſſe debebat, recipere, poſtquam ab ipſis contra Dei propoſitum interemptus fuit, ſuſtulit eum Deus ab illis, & in locum tranſtulit, ubi tuto in Dei protectione quieſcit. Hoc ſiquidem eſt eum ſedere vel eſſe in cælis, a dextris ſive in dextera Dei.

7. Itaque ibi expectans, donec ſubjiciantur illi à Deo omnes inimici ejus, & ita regnum ſibi promiſſum habeat, nihil interea agit.

8. Non igitur Deus amplius dici poteſt, quemadmodum fortaſſe, cum in mundo verſaretur, poterat ratione officii. Nam ab officio, ut dictum eſt, nunc plane ceſſat.

9. Propter hanc eandem cauſſam turpiter errant. Qui eum nunc abſentem adorant, quod non niſi divina ratione fieri poteſt, cum ne tum quidem, cum præſens erat, ſine maxima Dei offenſione, aliter quam civili & humana quadam ratione adorari poſſet.

10. Quare etiam nec illi ſervire, nec cultum aliquem præſtare alia ratione, quam ei obediendo, id eſt, ejus præcepta conſervando, aut poſſumus aut debemus.

11. Neque etiam illi confidere, niſi quatenus ea quæ nobis dixit, vera eſſe credamus, & quæ nobis Dei nomine promiſit, accepturos nos eſſe firmiter ſperemus.

12. Illum invocare, id eſt, auxilium ejus & opem in neceſſitatibus noſtris implorare, perinde eſt, ac ſi quis Mariam, & alios ſanctos mortuos imploret, qui nec quod exaudiant preces noſtras, nec quod aliquid largiri nobis poſſint, nuſquam ne minimum quidem teſtimonium habent.

13.

Sed nec ipſum etiam ita invocare poſſumus, ut pro nobis Deum oret, vel nobis à Deo aliquid impetret, non magis, quam prædictos ſanctos mortuos. Non enim amplius inter Deum & nos mediatoris officio fungitur. Nam quod ſcriptum eſt, eum adhuc pro nobis interpellare, nihil aliud ſibi vult, quam preces, quas, dum hîc erat, pro omnibus ſibi fidem habituris Deo obtulit, efficaces etiamnum in ipſius Dei conſpectu eſſe.

14.

Porro ejus Sacerdotium, (ſi modo revera ſacerdos umquam fuit) tunc reipſa finem habuit, cum in cruce ex-

3.

Nam inter Vetus fœdus per Moſen, & Novum per Chriſtum percuſſum, tanta differentia conſtituenda eſt, quanta inter umbram corporis, & ipſum corpus, & cum in doctrina (ea etiam quæ ad mores pertinet) tum in divinis promiſſionibus inſignis differentia agnoſcenda, adeo ut veteri (niſi quatenus cum novo conſentiat) ſepoſito, in novo acquieſcamus, quippe cum per hoc illud non immutatum modò, ſed etiam antiquatum fuerit.

4. Præſertim cum novum fœdus æternum ſit, durareque debeat uſque ad hujus mundi finem, nec unquam ulla ex parte aut ceſſaverit, aut ceſſaturum ſit, donec Dominus Jeſus de cœlis deſcendens, iterum ad nos veniat vivos ac mortuos judicaturus, & iis, qui id fœdus receperint ac ſervaverint, vitæ cœleſtis & æternæ præmia, iis vero qui vel rejecerint, vel receptum non ſervaverint, mortis æternæ pœnas daturus.

5. Interim Jeſus eſt revera Chriſtus, ſeu rex populi Dei, regnum verò Chriſti illius à Deo promiſſi, non terrenum, ſed cæleſte futurum erat, ut nobis ipſe Jeſus, & ejus diſcipuli divina oracula interpretantes, expoſuere.

6. Ut autem ejuſmodi regnum Jeſus reipſa obtineret, opus illi fuit, ita Deo jubente ac decernente, ut mortem crucis, ſibi ex Dei propoſito à Judæis, ad quos nominatim miſſus fuerat, inferendam, ſubiret. Quo facto, à Deo ex mortuis excitatus, in ipſum verum ſublimius cælum tranſlatus eſt, ubi ad dexteram Dei ſedet, hoc eſt, poſt ipſum Deum ſupremam, in univerſam cum cœleſtem tum terreſtrem Eccleſiam, poteſtatem obtinet.

7. Itaque hac ratione regnum ſibi promiſſum adeptus totam gubernat Eccleſiam, atque eodem tempore, prædicta Dei poteſtate ſecum communicata, & porrò ipſo Deo auctore ſubjiciendis ſibi inimicis ſuis vacat, donec eandem ad unum omnes debellaverit.

8. Deus igitur nunc ſummo jure dici poteſt, utpote qui ex ordinatione Dei officio fungatur omnium maximo, ac ſumma divina poteſtate & in cælo & in terra ſit præditus.

9. Propter hanc eandem cauſſam nunc abſens divina ratione omnino adorandus eſt, cum ante regnum acceptum, dum in terris ageret, plus quàm humana & civili ratione, meritò adoratus fuerit, quod qui non faciunt turpiſſimè in ipſum Deum peccant.

10. Quare etiam illi tanquam Domino & Deo noſtro, nobis à ſummo illo Deo conſtituto, & jam ſuper nos pleniſſimè regnante, & ſervire, & cultum exhibere, præter mandatorum ejus conſervationem, omnino debemus.

11. Atque etiam tamquam in eo, qui ſummum bonum nobis, Deo approbante, ipſe ſeſe daturum promiſerit, & dare poſſit, fiduciam in ipſo & ſpem noſtram collocare.

12. Illum autem invocare, id eſt, auxilium ejus & opem in neceſſitatibus noſtris implorare, perinde eſt ac ſi quis ipſum Deum imploret, quippe quem certum eſt Dei nomine & preces noſtras exaudire, & omnia, quæ nobis ſunt opus, ipſum poſſe largiri.

13.

Poſſumus etiam ita ipſum invocare, ut pro nobis Deum oret, vel à Deo nobis aliquid impetret, ſed tamen quatenus hiſce loquendi modis, poteſtatem quam habet ſubveniendi nobis, non à ſeipſo, ſed à Deo eum habuiſſe (ſi quidem hoc ſenſu dicit Scriptura Chriſtum nunc pro nobis interpellare) coram ipſo Deo agnoſcere velimus. Multò enim excellentiore ratione in cœlis, inter nos & Deum nunc mediator eſt, quàm in terris fuit. In terris Dei benignitatem nobis annunciavit, eumque pro nobis verè rogavit. In cœlis verò eandem Dei benignitatem ipſe nobis præſtat, & quæ à Deo in Eccleſiam bona proficiſcuntur, per ipſum cuncta donantur.

14.

Porro ejus ſacerdotium æternum eſt, quo tunc verè inauguratus fuit, cum poſt mortem crucis, in ſan-

ce expiravit, nec alia ratione ejus oblatio nobis prodeſt, aut prodeſſe poteſt, quam propter ipſius oblationis, quamvis jam tranſactæ, efficaciam, quæ perpetuo duret, propter quod etiam ejus ſacerdotium perpetuum, & ipſe ſacerdos in æternum eſſe dicitur, & adhuc peccata noſtra eum expiare alicubi fortaſſe ſcriptum eſt.

15.

Quamobrem Jeſu Chriſto in quiete ſuo placidè verſari permiſſo, nihil nos ab eo nunc juvari apud Deum, vel credamus, vel curemus, niſi quatenus dum hic inter nos fuit, ſalutiſque viam nobis oſtendit, & ad Deum accedendi modum docuit, donec ad nos regnum accepturus revertens vere Chriſtus Dei fiat, & in hoc mundo perſonaliter præſens, nos Dei virtute foveat atque ſuſtentet. Interim ad Deum ipſum ſolum, nulla Chriſti præſente alia ope aut poteſtate confiſi, perpetuo confugiamus.

ćta illa ſanctorum cœleſtia ingreſſus, pro nobis coram Deo apparuit, ubi ſui ipſius Deo facta oblatio, non efficacia tantum rei jam tranſactæ, ſed præſentis potiſſimum virtute nobis prodeſt, quatenus per eam oblationem ſupremam illam poteſtatem eſt adeptus, qua jugiter noſtra peccata expiare, id eſt à pœnis peccatorum noſtrorum nos continenter ac perpetuo liberare, apertiſſime in Sacris Litteris traditum eſt.

15.

Quamobrem, cum ejuſmodi pontificem habeamus in cælis, Domui Dei præpoſitum, qui ſemper vivens ad plenum perpetuo ſervare poteſt eos, qui per ipſum accedunt, ad Deum, ejus præſente ope ac poteſtate confiſi, per ipſum Deo & patri noſtro, preces noſtras offerre ne intermittamus, donec ipſe de cœlo veniens ea efficacitate, qua jam Chriſtus vere factus ſibi ſubjicere omnia poteſt, corpora noſtra vilia tranſformet, eaque corpori ſuo glorioſo conformia reddat.

Quædam in diſputatione de Invocatione Chriſti præcipue obſervanda.

IN diſputatione de invocatione Jeſu Chriſti illud præcipue animadvertendum eſt, quo ſenſu Invocationis verbum proferatur. Certum eſt autem, adverſarios eo verbo preces ipſas Sacras intelligere, ſive in ipſis precibus opis imploratione. Tum cavendum eſt, ne ipſis, dum Jeſu Chriſto invocationem iſtam merito tribuimus, anſam nos calumniandi, veritatemque opprimendi demus, quaſi nos Chriſtum Deo per omnia æqualem faciamus, nec Chriſto invocatio tribui poſſit, quin ſimul eum, ipſiſſimum Jehovam Deum eſſe ſtatuatur. Sunt igitur hæ duæ differentiæ inter Dei, Chriſtique invocationem potiſſimum conſtituendæ.

Una eſt, quod Deum invocamus tamquam omnium bonorum ſolam ac primariam cauſſam, Chriſtum verò tamquam ſecundariam cauſſam, & à primaria illa plane pendentem. Ex quo efficitur, ut Chriſti invocatio ipſius Dei invocatio ſit. Nam is per Chriſtum bona largitur. Non autem contra, Dei invocatio ſit Chriſti invocatio. Neque enim Chriſtus per Deum aliquid largitur.

Altera differentia eſt, quod Deum quiſque omnino in omnibus invocare poteſt, ab eoque quæcumque bona, & ad quemcumque pertinentia petere. Chriſtum verò in iis tantum nos Chriſtiani invocare poſſumus, quæ ad nos tanquam Chriſtianos, adque ejus eccleſiam quoquo modo ſpectant. Hujus enim generis bona per Chriſtum Deus largitur, id eſt Chriſto ea largiendi poteſtatem conceſſit, non alia.

Ex his duabus differentiis, potiſſimum verò ex priore, id neceſſario ſequitur, quod tertiæ differentiæ loco eſſe poteſt. Nempe debere quidem nos ſemper & omnino Deum invocare, Chriſtum verò poſſe tantum, idque ſemper, dummodo in iis invocemus, quæ ad ipſius Chriſti eccleſiam, ſeu publice, ſeu privatim quacumque ratione pertinere poſſunt. Nam, cum Chriſtum in hiſce rebus invocamus, quia, ut ſupra dictum eſt, Deum ipſum invocamus, nihil adverſus obligationem iſtam Dei, ſemper & omnino invocandi committitur, etiamſi ipſius Dei in precibus nulla aperta mentio fiat. At verò cum Deum ipſum rogamus, niſi Chriſti quoque, ad quem preces dirigamus aperta mentio fiat, Chriſtum nequaquam invocamus. Quocirca ſi Chriſtum invocare omnino deberemus, numquam id facere poſſemus. Quod tamen & ab apoſtolis factum fuiſſe, & in Chriſti eccleſia perpetuò uſurpatum eſſe, atque etiamnum à nobis uſurpari videmus, ut ſcilicet ad ipſum Deum tantùm in publicis precibus plerumque preces dirigamus, Jeſu Chriſti quidem (ut aſſolet) mentione facta, ſed non tamen tamquam ejus, ad quem preces ipſæ dirigantur.

Quod ſi vocabulum Invocationis, ſive Invocandi verbum in alium ſenſum accipiatur, ut videlicet cultum atque fiduciam declaret, tum planè affirmare poſſumus, omnes, qui Chriſtiani eſſe velint, quibuſque Chriſti notitia, quæ in ſacris litteris explicatur, divinitus conceſſa fuerit, omnino & ſemper Chriſtum invocare debere.

Sic planè ſentio ego Fauſtus Socinus, paratus ſemper ſententiam meam abjicere, ubi meliora & veriora doctus fuero.

De libro Apocalypſeos, & teſtimoniis, quæ exinde adverſus eos, qui Jeſu Chriſti invocationem prorſus negant, petuntur.

LIber Apocalypſis, quamvis ejus auctor ignoretur, ſeu potius ignorari à quibuſdam aſſeratur, (univerſalis enim Eccleſiæ conſenſus eum Johanni Apoſtolo vendicat) eſt tamen jam à multis ſæculis, & hodie præſertim in Eccleſia receptiſſimus. Teſtimonia, quæ ex ipſo à nobis citantur, ſunt apertiſſima, neque eam libri partem attingunt, quæ obſcuras illas ratiocinationes continet, quas ad aliquod dogma confirmandum non multum momenti habere poſſe nos quoque fatemur. Suntque ea teſtimonia reliquæ Sacræ Scripturæ maxime conſentanea, eaque tanti ponderis, ut iis ſolis adverſariorum errorem manifeſtum omnibus fieri debere, confidere poſſimus. Utinam illi huc confugiant, ut vel librum illum non admittendum dicant, vel ejus auctoritatem non magni faciendam. Nam hoc ſolum eos peſſimam cauſſam defendere apud homines cordatos maximo argumento eſſet. Sed non facient. Quod ſi eorum tacitos clamores curare velimus, nec ex Epiſtola etiam ad Hebræos, cujus multo magis hodie auctor ignoratur, quamque ipſi multis modis lacerant, atque irrident, aliquid afferri poterit. Quin etiam univerſa Apoſtolorum, & Euangeliſtarum ſcripta, niſi quatenus cum ſcriptis Moſis & prophetarum apertiſſime conſentiunt, & ab illis evidenter, & litteraliter, ut vocant, confirmantur, minimi nobis facienda erunt. Quare cavendum diligenter eſt, ne vel apicem quidem unum in receptis ab eccleſia libris, nedum ipſos libros, in dubium vocari illis aliqua per nos occaſio præbeatur. Alioquin, ad univerſa Novi Fœderis ſcripta ſubvertenda, eis ampla feneſtra aperietur. Teſtimonia illa, ex initiis epiſtolarum Pauli prolata, ſunt firmiſſima. Nam ea Græci ſermonis ambiguitas plane ceſſat in epiſtola ad Galatas, in poſteriore ad Timotheum, & in epiſtola ad Titum, in quibus ſtatim poſt Patre, non eſt Noſtro, quæ vox totius amphiboliæ cauſſa eſt. Cum initiis autem harum trium epiſtolarum conſentit finis epiſtolæ ad Epheſios. Eademque precandi formula indubitata eſt in initio ſecundæ epiſtolæ Johannis, & in primo capite Apocalypſeos.

Adver-

Adverſus Semijudaizantes ſcriptum Fausti Socini.

MIſera omnino conditione ii omnes eſſe videntur, qui cum Hebræi genere non ſint, nec porrò Moſis legem per omnia ſervent, Jeſum tamen Nazarenum pro Servatore ſuo agnoſcere recuſant, id eſt, ei fidem habere, eique obedire ſub ſpe æternæ ſalutis, planè renuunt, dicentes, eum non eſſe illum Meſſiam, ſive Regem, qui per Prophetas à Deo promiſſus fuerat. Quam enim (quæſo) ſpem iſti habere poſſunt, quamve religionem ſequi, quæ Deo illos charos & gratos efficiat? Nam ſi dixerint, ſe ſperare omnia ea, quæ Deus in Moſis lege promiſit; Primùm animadvertendum eſt, Deum in ea lege nihil apertè promiſiſſe, niſi iis qui ex Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo nati eſſent. Deinde promiſſiones illas iis tantùm eſſe factas, qui totam eam legem ſervaſſent Deut. 28. 2. Si igitur aliquis eſt, qui non modò ex patribus illis Hebræis originem non habeat, verùm etiam unam tantùm Moſaicæ legis partem ſibi ſervandam eligat, quantumvis maximam atque præcipuam, ejuſdem legis præceptis quibuſdam interim omnino ſpretis, nulla profectò cauſſa eſt, cur iſte vel quidquam, tanquam divinæ legis per Moſen datæ ſtudioſus, à Deo ſperare queat, vel ſe Dei cultorem eſſe affirmare audeat. Itaque etiamſi ii legem Moſis ſervaverint, licèt ex Iſraële, ſeu Jacobo oriundi non ſint, ea omnia ſe conſecuturos ſperare poſſent, quæ in ipſa Moſis lege promiſſa ſunt: non tamen, ut quidam opinantur, iſtis ſatis eſſet, decalogum, id eſt, decem illa præcepta, quæ omnium prima, & ſeorſum ab aliis ſub Moſe ſunt data, ſibi præſtanda deligere, & quædam alia præterea, quæ cum natura magis conſentire videantur, ex iis, quæ illico per eundem Moſen fuerunt adjecta. Non magis enim horum, quàm aliorum præceptorum in ea lege Deus auctor eſt, nec minùs ſe vindicem atque ultorem futurum profeſſus eſt eorum, qui præcepta quædam non ſervaſſent, quæ cum natura minimè conſentiunt, quàm eorum, qui ea, quæ conſentire cum ipſa videntur, violaſſent. De omnibus enim præceptis per Moſen datis dictum eſt, Num. 15. quod ſi quis, prudens ſciens, unum ex illis violaſſet, excindenda eſſet anima illius e Dei populo. Et Gen. cap. 17. de circumciſione idem nominatim dictum fuerat, quam tamen certum eſt, non eſſe ex illis præceptis, quæ cum natura aliquid commune habeant. Et ſane, quod ad circumciſionem attinet, quemadmodum Paulus Apoſtolus ait Gal. 5. 2, Chriſtum nihil illis profuturum, qui omnino circumcidi volunt, ſic dicendum eſt, Moſen, & quicquid ad ejus legem ſpectat, nihil profuturum iis, qui non circumciduntur, præſertim cum etiam ante Moſen hoc præceptum Patribus à Deo datum fuiſſet, idque fœderis nomine inter ſe & illos appellatum, cujus conſervatio, etiam ante Moſis legem, Exod. 4. tanti apud Deum erat, ut Moſen etiam ipſum occidere voluerit, eò quòd filium ſuum conſtituto tempore circumcidere omiſiſſet. Verùm fingamus licere unicuique, pro ſuo arbitratu, ex Moſis lege eam partem retinere, quæ ſibi retinenda videbitur, reliquum verò ſpernere, & interim tamen ea omnia nihilominus ſperare, quæ Moſis legem ſervantibus promiſſa ſunt, quo tamen nihil abſurdius excogitari poteſt. Fingamus, inquam, iſtud unicuique licere, ecquid tandem conſecuturus eſt is, qui ejuſmodi fuerit? quidnam promittit Moſes Dei nomine iis, qui legem per ſe datam ſervaverint? Certè (dicant quicquid velint Judæi) nihil umquam Moſes promiſit præter hujus vitæ bona, eamque felicitatem, quæ ex iis potiſſimùm, quæ extra nos ſunt, in hac vita contingere poteſt; quemadmodum univerſam ejus legem perſcrutanti cuilibet apertè conſtabit. Quanquam ſatis eſt eos locos inſpicere, in quibus nominatim, & ex profeſſo promiſſa recenſentur, iis facta, qui Dei mandata illa conſervaverint; quales præcipui ſunt, Exod. 23. Lev. 26. Deut. 7. & 28. in quibus nulla prorſus bonorum futuræ vitæ, ſive aliqua ratione vitæ ipſius futuræ facta eſt mentio. Jam verò hujus tantum vitæ bona, quid quæſo ſunt, etiamſi omnia ſimul uni ſoli obveniant? An non ad oſtendendum, ea nihili propemodum eſſe, id ſatis eſt, quod aliquando tandem, vel potius & reipſa, & multò magis ea poſſidentis opinione, quàm celerrimè ceſſatura ſint, & finem habitura? Morte enim adveniente, quæ perpetuò nobis imminet, omnia prorſus deficere neceſſe eſt. Satis ſuperque rem ſic ſe habere, ut diximus, bona videlicet hujus vitæ, aut certè ea hujus vitæ bona, quæ Moſes promiſit, parvo omninò eſſe æſtimanda, Judæi ipſi nobis declarant, qui omnes, præter quoſdam paucos, nihil intentatum relinquunt, ut futuræ vitæ bona, ipſamque vitam æternam, ſibi aliquo modo promiſſam fuiſſe, & aliis oſtendant, & ſibi ipſis perſuadeant. Qua in re duplici ratione ſe irridendos præbent. Primùm, quia ad id probandum ſæpiſſime iis teſtimoniis utuntur, quæ nihil ad rem faciunt, nec ibi extant, ubi promiſſiones divinæ enumerantur. Deinde, quia neceſſe habent myſticas, ſive allegoricas interpretationes ad ea, pro ſuæ ſententiæ confirmatione, adhibere: cum tamen ipſi, ubi de prædictionibus futuri Meſſiæ apud Prophetas, deque ejus regno per eoſdem promiſſo agitur, ejuſmodi interpretationes nullo prorſus pacto admittant; immo ſi quis eas adhibere velit, eum planè ludibrio habeant, & riſu prorſus excipiant. Ut igitur ad propoſitum revertamur, miſeri omninò ii eſſe videntur, qui, cum Judæi natura non ſint, nec Judaicam tamen religionem omnem amplectuntur, Jeſu Nazareni religionem ſpernunt, vel potiùs abjiciunt: quæ, ut undique perfectiſſima eſt, ſic futuræ vitæ bona, ipſamque æternam vitam, & perfectiſſimam felicitatem ſuis cultoribus apertiſſime promittit, ejuſque rei non levia argumenta omnibus proponit. Nam quod ajunt, Jeſum Nazarenum non eſſe vel fuiſſe Meſſiam illum à Deo promiſſum, quia ſcilicet, in Jeſu Nazareno ea conſpecta non fuerint, quæ de Meſſia illo Prophetæ prædixerant: hic, antequam aliud dicatur, videndum eſt, an iſti credant, aut concedant, ea vera eſſe, quæ de Jeſu Nazareno à pluribus ſcripta ſunt, qui vel ipſi iis, quæ narrant, interfuerunt, aut certè ſe interfuiſſe profitentur, vel ſaltem ea ætate vixerunt, & cum iis conſuetudinem habuerunt, qui Jeſu Nazareni familiariſſimi fuiſſe perhibentur. Si ea vera eſſe non credunt, nec concedunt, quomodo poſſunt ipſi conſtituere, Jeſum Nazarenum ea non habuiſſe, quæ de Meſſia illo prædicta fuerunt? Aut quomodo quicquam de Jeſu Nazareno penitus affirmare poſſunt, niſi prius conſtituant, quibus ſcriptoribus de eo narrantibus ſtandum ſit, cum tot ſæculis ante ille extiterit? Quibus autem ſcriptoribus ſtandum eſſe conſtituent, niſi iis ſtare velint, qui tunc temporis fuerunt, & quæ ſcribunt, ſe vel vidiſſe, vel ab aliis qui viderant, accepiſſe, aperte aut teſtantur ipſi, aut ab iis, qui conſecuti ſunt, teſtimonium ſunt adepti? Nam ſi hoc non ſatis eſt, ut illis fides adhibeatur, nihil eſt, cur Moſi & reliquis veteris Teſtamenti ſcriptoribus fides adhiberi debeat; quorum tamen bona pars ea narrant, quæ nec ipſi viderunt, nec ab aliis, qui vidiſſent, acceperunt. E quorum numero ipſe Moſes eſt, qui, quicquid in primo ſuorum librorum ſcripſit, nec ipſe vidit, nec ab alio qui vidiſſet, accepit, nec qua ratione factum ſit, ut ipſe ea reſciverit, ne commemorat quidem. Nec verò minùs incredibilia ea ſunt, quæ vel ipſe Moſes, vel cæteri veteris Teſtamenti ſcriptores narrant, quàm ea, quæ ab Apoſtolis & diſcipulis Jeſu Nazareni narrantur; nec quidquam ad auctoritatem antiquis illis ſcriptoribus conciliandam facit, quòd ii ipſi, qui de Jeſu Nazareno ſcribunt, illorum teſtimoniis utuntur, niſi iſti ejuſmodi ſunt, quibus alioqui fides adhiberi debeat. Quòd ſi ex effectis veritas alicujus rei percipienda eſt, nulla unquam fuerunt ſcripta, quorum veritas tot ac tantis effectis confirmata fuerit, quot quantiſque veritas ſcriptorum, quæ de Jeſu Nazareno extant. Adeò ut effecta, quæ veritatis veterum illorum ſcriptorum viſa ſunt, præ his & pauciſſima, & exilia admodum

admodum cenſeri debeant. Sed hæc diſputatio longiorem tractationem requirit, & nos hac de re jam aliquid latiùs explicavimus in eo libello quem de Scripturæ S. auctoritate ſcripſimus. Quòd ſi concedunt iſti, ea vera eſſe, quæ de Jeſu Nazareno à prædictis hominibus ſcripta extant, miror ſanè, quid amplius quærant, ut ejus religionem amplectantur. Nam ſi ſatis non habent, quòd (ut alia non pauca omittam) & vitæ fuerit innocentiſſimæ, & infinita admiranda opera fecerit, quòd ſanguine ſuo doctrinam ſuam confirmaverit, quodque à mortuis excitatus, ſeipſum ſuis diſcipulis per multos dies conſpiciendum & contrectandum dederit, quòd denique poſtmodum ſurſum in cælum aſſumptus fuerit, ejuſque nomine invocato, diſcipuli ejus tot ac tanta miracula fecerint, ut inermes alioquin ac nudi, immo ſæpiùs verberibus ac plagis conciſi, ac tandem necati, maximam vim hominum, qui antehac, vel Jeſu Nazareni nomini prorſus infenſi erant, vel religionem ab ipſius religione penitus diverſam, eamque à patribus multorum ſæculorum ſerie acceptam colebant, variis in locis ad ipſum Jeſum Nazarenum adduxerint. Si hæc, inquam, illis ſatis non ſunt, ut ei fidem habeant, ne ſi Angelus quidem de cælo deſcenderet, eiſque Jeſu Nazareni religionem veriſſimam eſſe teſtaretur, ſatis habituri eſſent. Verùm, ſi hæc ſatis omninò unicuique eſſe debent, quid nos ampliùs torquemus, ut diligenter inſpiciamus, numquid notæ, quæ in Jeſu Nazareno fuerunt, illis exactè reſpondeant, quæ de Meſſia à Deo promiſſo prædictæ fuerant? Contraria profectò, ni fallor, ratione prorſus utendum eſt, atque diligente iſta inſpectione omiſſa, concludendum, eum & Meſſiam illum fuiſſe, & notas illas omnes habuiſſe. Quandoquidem & is ſe eum eſſe dicebat, & ejus diſcipuli idem diſertiſſime & frequentiſſimè confirmarunt, qui, fieri nullo modo poteſt, ut mentiti fuerint, ſi ea, quæ ſuprà expoſuimus, vera ſunt. Prædictionum igitur de futuro Meſſia explicationes ab ipſo Jeſu, ejuſque diſcipulis ſunt petendæ, eæque recipiendæ, quicquid prima fronte duræ atque alienæ videantur, (nec enim ſunt revera) non autem contrà ex prædictionibus, quarum ſemper proprium fuit, ut obſcuritatem multam habeant, veritas hæc, quod Jeſus Nazarenus ſit Meſſias ille promiſſus, petenda eſt; iis, inquam, qui hiſtoriæ de Jeſu Nazareno fidem adjungunt, ex qua hiſtoria multò clariùs ea veritas patet, quàm ut de ea quiſquam dubitare poſſit. Immo ex qua hiſtoria manifeſtum eſt, Jeſu Nazareno omnem fidem habendam eſſe, quiſquis tandem ille fuerit. Ego quidem is ſum, qui, ſi ulla ratione fieri poſſet, ut quæ de Jeſu ſcripta ſunt, vera eſſent, nec tamen ille is Meſſias eſſet, qui à Deo multo antè promiſſus fuerat, eandem nihilominus fidem ejus dictis eſſem habiturus, quam nunc habeo, quæque à veris Chriſtianis ſemper fuit habita. Quamquam, quid tandem eſt, cur Jeſum Nazarenum Meſſiam illum eſſe, vel prorſus negemus, vel affirmare non audeamus? Duo præcipuè ad hoc animos quorundam movere ſolent. Unum, quòd Jeſus nullum regnum hic in terris habuerit, cum tamen illum Meſſiam in terra omnino regnaturum prædictum fuiſſet. Alterum, quòd multa præceperit, vel promiſerit, vel etiam vetuerit, quæ pugnant cum divina lege per Moſen data, quam æternam fore Deus ipſe ſæpiùs dixerat, quamque ulla ex parte mutare Meſſiæ munus non erat futurum.

Quod ad regnum attinet, etiamſi Jeſus ea ratione in terris nec regnaverit, nec regnet, qua alii reges ſolent, non tamen ſequitur, eum in terris regnum ſuum nec habuiſſe, nec habere. Quemadmodum intelligi poteſt ex iis, quæ in ſcripto adverſus Sejdelium explicavimus. Nam ſi quis dixerit, neutiquam fieri poſſe, ut Jeſus in terris umquam regnaverit, aut regnet, cum pauci ſemper fuerint ii, qui illi ex animo paruerint, eadem ratione concludendum eſſet, ne Deum quidem in terris regnaſſe umquam, aut regnare, cum pauci fuerint illi, qui ei ex animo paruerint. Regnum Chriſti, quod futurum erat in terris, ſicut & regnum Dei, non ſubditorum voluntate, ſed regnantis poteſtate continetur, eaque metiendum eſt. Quam poteſtatem non omnibus apparere neceſſe eſt, ſed iis tantum, qui oculos ad videndum habent. Dei poteſtas, quam ſummam in mortales omnes & habet, & pro arbitratu ſuo exercet, non omnibus eſt conſpicua, alioqui non tantus eſſet atheorum numerus. Quinetiam ex illis ipſis, qui non ſunt planè athei, quos infinitos pœne eſſe credendum eſt, non adeò multi ſunt ii, qui Dei potentiam rectè noverint. Inſigni enim probitate & juſtitiæ amore ad hanc rem opus eſt, quæ oculos mentis illuminet, in apertamque hujus veritatis cognitionem hominem producat. Sic Jeſu Nazareni à mortuis excitati, & ſupra omnem dominationem à Deo evecti, ſuperque ſuum populum ab ipſo conſtituti, quique propterea Chriſtus Dei eſt, poteſtas, quam in omnes mortales in iis omnibus, quæ ad Dei populum quoquomodo ſpectant, & habet, & pro ſuo arbitratu exercet, paucis omninò eſt conſpicua, licèt maximus ſit numerus eorum, qui Jeſum Dei Chriſtum eſſe confitentur; iis videlicet, qui ſe ab hujus mundi inquinamentis ſeparantes, ſobriè, juſtè, piè & caſtè vivere inſtituunt, qui denique Jeſu ipſius præcepta & probant, & minimè averſantur. Nec, quominus eorum abſoluta * ſanctitate, & divino ſplendore capiantur, eorum exequendi difficultate deterrentur. Quæ difficultas hominibus carnalibus tanta eſſe videtur, ut hinc potiſſimùm fiat, ut ex eorum numero complures, omnibus modis ſibi perſuadere conentur, Jeſu Chriſti religionem ementitam ac falſam eſſe: & idcirco, ſi quid carnali prudentiæ ſeſe offert, unde colligi poſſe videatur, Jeſum non eſſe illam Meſſiam, quem Deus promiſerat (quemadmodum multa ejuſmodi Deus eſſe voluit, quò carnales homines à ſpiritualibus internoſcerentur, mali à bonis) id ſtatim arripiunt, aliaque innumera prætermittunt, ex quibus apertè colligitur, Jeſum illum Nazarenum, qui ſub Pontio Pilato Judææ præſide crucifixus fuit, Meſſiam illum eſſe, nec alium præter ipſum eſſe poſſe. Ea verò hîc colligere non eſt animus, nec porrò opus eſſe videtur, cum majore ex parte ab aliis multis & collecta & diligenter explicata fuerint. Jam, quæ hactenus ſunt à me dicta, ſi cum iis conjungantur, quæ in ſcripto meo, de futuro olim regno Meſſiæ, quod promiſerat Deus, adverſus Sejdelium diſputata ſunt, ſatis eſſe poterunt ad priorem rationem diluendam ex duabus, quas ſuprà attuleramus pro iis, qui Jeſum Nazarenum illum Meſſiam eſſe confiteri nolunt. Altera ratio de mutata Dei lege per Moſen data, nullas vires habet, cum Jeſus non antè eam mutationem aggreſſus fuerit, quàm ipſum ea poteſtate præditum eſſe conſtaret, ut id jure optimo facere poſſet. Nam, quod dicebatur Meſſiæ munus futurum non fuiſſe, ut legem jam à Deo datam mutaret, contrà potiùs res ſe habere videtur. Namque neminem magis decet, leges, quibus populus aliquis utitur, mutare, quàm ipſum regem. Hocque unum ex præcipuis & manifeſtis indiciis eſt, quòd aliquis ſit rex, ſi leges ipſe quas velit, populo ferat, & jam antea latas pro arbitratu refigat. Quod tamen in iis tantum fieri contingit, aut certe debet, quæ à natura ipſa nullo modo pendent, ſed totæ in legiſlatoris voluntate ſunt poſitæ. Cujuſmodi cum multæ eſſent inter eas leges, quas Deus per Moſen populo dederat, eas merito potuit Jeſus auctoritate ſibi ab eodem Deo tradita abrogare; & meritò ipſo Deus voluit ut à Jeſu abrogarentur, quò vel hinc perſpicuum omnibus fieret, eum à ſe populi ſui verum atque æternum regem fuiſſe conſtitutum. Nec verò, cum Deus olim dixit, leges illas quas Jeſus abrogavit fore æternas, ſibi ipſi eas abrogandi poteſtatem ademit, per quemcumque tandem id facere aliquando voluiſſet; ſed populo ipſi omnem poteſtatem adimere voluit, eas, quicquid illæ parum Deo dignæ viderentur, abrogandi, aut ulla ratione mutandi, æternas eas eſſe & fore prænuncians, niſi ſcilicet ipſe aliter aliquando decreviſſet. Decreviſſe autem eum, ut ceremonialia illa abrogentur, quæ

Jeſu Nazareni Apoſtoli, potiſſimùm verò Paulus per ipſum Jeſum abrogata fuiſſe conteſtati ſunt, non modò ejuſdem Jeſu poteſtas ſumma, ac imperium, quod illi multis rationibus conſpiciendum quodammodo exhibuerunt, prædictæ conteſtationi juncta planè oſtendit, verùm etiam ipſius rei natura id omninò fert. Publicè enim atque apertè novo fœdere in veteris locum ſubſtituto, quo vita æterna, cæleſtiſque beatitas omnibus illud ſervantibus promittitur, nullo pacto diutiùs conſiſtere potuerunt præcepta illa planè terrena, quæque ſua natura ex ſola legiſlatoris voluntate pendent, & propterea temporaria cenſeri debent. Sed quemadmodum bona in novo fœdere promiſſa, vera ac ſolida bona fuerunt, ſic oportuit præcepta earum rerum eſſe, quæ veram ac ſolidam hominis juſtitiam continerent, iiſque convenirent, qui naturæ divinæ, ſi ea conſervaſſent, participes fieri digni aliquando habendi eſſent.

Martini Sejdelii

Epiſtolæ ad cœtum olim Cracovienſem, dictum minorem, qui Patrem Domini noſtri Jesu Christi eſſe illum unum Deum Iſraëlis confitetur, cujus nomine F. Socinus eidem Sejdelio reſpondit.

Epistola I.

In qua continetur Sententia ejuſdem Sejdelii de Meſſia, ſeu rege illo promiſſo, & de religione.

EX promiſſione facta Davidi 2 Sam. 7. ubi dicitur Davidi: *Stabilietur domus tua, & regnum tuum uſque in ſæculum*, item ex promiſſionibus Prophetarum, qui ex ea promiſſione reſtitutionem regni, ſeu Regem Judæis poſt captivitatem Babylonicam promittunt; ita argumentor. *Quale regnum Davidi uſque in ſeculum promiſſum eſt, tale neceſſe fuit, ut poſteri ejus, in quibus hæc promiſſio debebat impleri, haberent. Sed regnum mundanum Davidi uſque in ſeculum promiſſum eſt. Dicit enim ei Deus*: tuum regnum ſtabilietur uſque in ſeculum. *Ergò regnum mundanum poſteri Davidis, ut haberent, neceſſe fuit: & per conſequens etiam Rex ille, quem Prophetæ ex hac promiſſione poſt captivitatem Babylonicam, regnaturum promiſerunt, perinde ut cæteri poſteri Davidis, mundanum regnum debuit habere. Quod quia Jeſus ille non habuit, non enim regnavit ut David, & poſteri ejus: ſed dicitur habere cæleſte regnum, quod eſt diverſum à mundano regno, Ergo Jeſus non eſt Rex ille, quem Prophetæ promiſerunt.*

Ad hoc argumentum non reſpondetis, ſed meæ concluſioni opponitis veſtram ſententiam, nam dicitis, Deum majora & præſtantiora præſtitiſſe, quàm promiſerit; promiſiſſe quidem mundanum Regem, & mundanum regnum, dediſſe autem cæleſtem regem & cæleſte Regnum, quod cæleſte Regnum majus & præſtantius eſſet mundano Regno. Ad quod reſpondeo: Si illa majora & præſtantiora, de quibus dicitis, ejuſdem generis eſſent cum iis, quæ promiſſa ſunt, tum conſentirent cum promiſſionibus. Ut ſi Deus regi illi promiſſo, præter Iſraëliticum regnum etiam alia mundana dediſſet, tum Deus plura præſtitiſſet, quam promiſiſſet.

Veſtra autem majora & præſtantiora, quæ in Jeſu præſtita eſſe dicitis, ſunt diverſa, & pugnantia cum iis, quæ promiſſa ſunt. Nam cæleſte regnum eſt diverſum à mundano. Et, ſi Rex ille promiſſus debuit eſſe Rex mundanus, ſequitur, quòd non debuerit eſſe Rex cæleſtis. Nam iſta ſecum pugnant. Atque ita novum Teſtamentum opponitis Phrophetis, ego contrà, Prophetas oppono novo Teſtamento. Prophetæ dicunt, quòd Rex ille promiſſus debuit eſſe Rex mundanus, novum Teſtamentum id negat, & dicit, quòd Rex ille promiſſus non debuit eſſe mundanus, ſed cæleſtis. Cum itaque Prophetæ & novum Teſtamentum hac in re ſibi contradicant, & contradictoriæ non poſſint ſimul eſſe veræ, ſed alterutrum oporteat eſſe verum; ego hac in re malo credere Prophetis, quorum doctrina eſt vetuſtior novo Teſtamento, & quia novum Teſtamentum ſuam doctrinam ex Prophetis oſtendere conetur, atque ideo Prophetas pro fundamento ſuo agnoſcat, Vos autem, novo Teſtamento magis creditis. Idque, quemadmodum ex vobis intelligo, ob miracula Jeſu, & diſcipulorum ejus; item ob martyria eorum; item quia iſta doctrina mirabiliter per totum mundum propagata & recepta fuerit, & multis ſeculis durarit; item quòd multa ſanctiſſima præcepta præcipiat, quæ in nulla alia religione præcipiantur; denique quòd vitam æternam patefaciat & promittat. Quàm firma autem iſta veſtra argumenta & fundamenta ſint, id vobis oſtenderem, ſi vobis gratum fore ſcirem: ſed quia exiſtimo, vos, ſicut & reliquos Chriſtianos, non libenter audire, ſi quis de fundamentis Chriſtianæ religionis diſputet, ideo vobis nolo eſſe moleſtus. Hoc unicum tantùm vobis ob oculos pono, quòd quemadmodum ego adhærens Prophetis, novum Teſtamentum rejicio, ita vos adhærentes novo Teſtamento, cogimini rejicere Prophetas: nam quemadmodum novum Teſtamentum mihi contradicit, ita Prophetæ vobis contradicunt. Neque eſt quod objiciatis, Prophetæ quidem promiſerunt mundanum regnum, ſed id intelligendum eſt de cæleſti regno. Nam ego non tantùm hoc demonſtro, quòd Prophetæ promiſerint Regem mundanum, ſed etiam hoc demonſtro, quòd Rex ille promiſſus neceſſariò mundanum Regnum habiturus erat, ſi miſſus fuiſſet. Nam iſta eſt mea concluſio. Et hæc quidem eſt ſententia mea in controverſia de Meſſia ſeu rege illo promiſſo; quam ſententiam ſcio eſſe veriſſimam & certiſſimam.

Cæterum, ut ſciatis, cujus ſim Religionis, quamvis id ſcripto meo, quod habetis, oſtenderim, tamen id breviter hic repetam. Et primùm quidem doctrina de Meſſia, ſeu Rege illo promiſſo, ad meam religionem nihil pertinet; nam Rex ille tantùm Judæis promiſſus erat, ſicut & terra illa Canaan: ſic etiam circumciſio, ſacrificia, & reliquæ ceremoniæ Moſis ad me non pertinent, nam iſta non mihi, ſed tantùm populo Judaico, promiſſa, data, & mandata ſunt: neque iſta fuerunt cultus Dei apud Judæos, ſed inſerviebant cultui divino, & ad cultum divinum deducebant Judæos. Verus autem cultus Dei, quem meam religionem appello, eſt Decalogus, qui eſt æterna & immutabilis voluntas Dei: qui Decalogus ideò ad me pertinet, quia etiam mihi à Deo datus eſt, non quidem per vocem ſonantem de cælo, ſicut populo Judaico, at per creationem inſitus eſt menti meæ: quia autem inſitus Decalogus, per corruptionem naturæ humanæ, & pravis conſuetudinibus aliqua ex parte obſcuratus eſt, ideo ad illuſtrandum eum, adhibeo vocalem decalogum, qui vocalis Decalogus ideo etiam ad me & ad omnes populos pertinet, quia cum inſito nobis Decalogo conſentit, imò idem ille Decalogus eſt.

Hæc eſt mea ſententia de Meſſia, ſeu Rege illo promiſſo, & hæc eſt mea Religio, quam coram vobis ingenuè profiteor. Neque me ideò huc contuli, quòd de hac mea religione dubitarem, tantum abeſt, ut eam mutare voluerim. Cum ſciam eam ſolam eſſe veriſſimam & certiſſimam; ſed hanc ob cauſſam, ſicut vobis initio dixi, quòd de Germanis meis deſperarim, quos hactenus per aliquot annos ſcriptis meis ab idololatria avocare conatus ſum, & quidem tanto ſtudio, ut poſtremò, etiam, cum præſenti periculo vitæ meæ, voluerim cum ipſis hac de re colloqui. Quod quia renuerunt, nihil ampliùs facere potui. Atque ideo inde diſceſſi & rectà ad vos profectus ſum, utpote ad eos, qui propiùs, quàm aliæ ſectæ, ad veritatem acceſſerunt. Nam cum neminem ſciam meæ ſententiæ, neque quiſquam hanc ſententiam ſuſcipere velit, ego verò ſciam quòd hæc ſit ipſa veritas Dei, atque ideo ab hac veritate Dei bona conſcientia diſcedere non poſſim, & mihi tamen cum hominibus vivendum ſit, malo

me

me conjungere melioribus, quam deterioribus. Et quia adulti nolunt à me doceri de religione, ideo pueros docebo litteras, item neceſſarias linguas & artes. Non itaque ambio munus eccleſiaſticum, non enim volo turbare inſtitutum veſtrum, ſed peto ſcholam aut pædagogiam aliquam. Quid autem hac in re ſit animi veſtri, & an locum apud vos habere poſſim, id mihi ut ſignificetis, peto.

MARTINUS *Sejdelius*
Olavienſis Sileſius.

Reſponſio FAUSTI SOCINI.

ETſi nos minime dubitamus, quin in promiſſione illa Davidi facta 2 Sam. 7. promiſſio etiam de Meſſia, ſeu Rege illo inſigni myſtice contineatur: tamen, quod ad ipſum verborum corticem, quem tu ſolum attendis, attinet, dicimus ex illa promiſſione hanc non pendere, ſed eſſe duas diverſas promiſſiones. Promiſſionis enim illius prioris executio, & ſic revera ipſa promiſſio duravit uſque ad captivitatem Babylonicam Regni Judæ, in qua, & poſt quam per multa ſæcula non fuit Rex ullus populi Dei ex ſtirpe Davidis, cum tamen in promiſſione illa contineretur, fore, ut Davidis ſolium in perpetuum firmaretur. Promiſſionis autem poſterioris executio, te ipſo teſte, poſt captivitatem Babylonicam expectanda erat. In priore dictum tantummodo fuerat, regnum domus Davidis nunquam ceſſaturum: in poſteriore verò Rex quidam valde conſpicuus, & qui reſtituturus Iſraëlis eſſet regnum, quod jam ceſſaverat, aut ceſſaturum erat, promiſſus fuit. Hæc ideo à nobis dicuntur, non quia in poſteriore promiſſione ejuſmodi Regem promiſſum fuiſſe negare velimus, qui in ſolio Davidis ſeſſurus eſſet, ſed ut promiſſiones diſtinguantur, quod non minimi momenti in tota hac diſputatione eſſe, jam ipſe probe animadvertere potuiſti. Jam verò quod ais, ſi Rex iſte futurus Davidis Regnum habiturus erat, Davidis autem regnum mundanum fuit, mundanum quoque Regis iſtius Regnum eſſe debuiſſe. Reſpondemus, Davidis Regnum fuiſſe Regnum ſuper Dei populum peculiarem, atque hac præcipua nota regnum iſtud à cæteris regnis diſtinctum fuiſſe. Cum igitur Jeſus, peculiare populi Dei regnum obtinuerit, merito regnum Davidis habuiſſe dicendus eſt, nec neceſſe eſt, ut alia præterea in re ejus regnum cum Davidis Regno conveniat; præſertim, cum propter id, in quo non convenit, multo excellentius hoc, quam illud, eſſe conſtet.

Nam quod dicimus, ſi Deus mundanum Regem mundanumque regnum verbis promiſit, cæleſtem autem Regem, cæleſteque Regnum reipſa præſtitit, plus eum præſtitiſſe, quam promiſerit; recte omnino dicimus, nec ſolum ſententiam noſtram (ut ais) tuæ concluſioni opponimus, ſed etiam ad argumentum tuum (quod tu negas) eadem opera reſpondemus. Nam qui plus præſtat, quam promiſit, ſuis promiſſis non modo ſtetiſſe, ſed ea etiam cumulate præſtitiſſe eſt agnoſcendus. Neque obſtat, quod ais, hoc verum eſſe, cum ea, quæ præſtantur, ejuſdem generis ſunt, cujus ea, quæ ſunt promiſſa; cæleſte autem regnum, quale Jeſum habere dicimus, penitus diverſum eſſe à mundano, quod promiſſum fuit, & cum eo pugnare.

Primum enim dicimus, tuam iſtam regulam minime admittendam eſſe, ſed ſatis omnino exiſtimari debere, ſi id, quod præſtatur, quiddam eo quod promiſſum fuerat, majus, & illi ipſi, cui erat promiſſum, utilius & gratius ſit; præſertim ſi promiſſum prorſus gratuitum fuit, & promiſſionis verba ejuſmodi fuerunt, quæ ſaltem per allegoriam ad rem præſtitam recte accommodari poſſint. Atqui nemo futurus eſt ita ſtolidus, ut multo majus & excellentius cæleſte, quam mundanum regnum eſſe, dicturus non ſit, & non multo magis velit ejuſmodi regem habere, à quo ex morte liberetur, & ad æternam beatitatem tranſferatur, quam eum, cujus ope in hac mortali vita ſecurus ac felix vivat. Quid enim aliud omnia hujus vitæ commoda ſunt, quam inaniſſima quædam umbra, ſi cum ſempiternis illis bonis conferantur? Jam verba, quibus illius, poſt captivitatem Babylonicam, futuri Regis & Regni promiſſio, quam prorſus gratuitam fuiſſe conſtat, conſignata fuit, ejuſmodi ſunt, ut, ſi non alia ratione, at certe per allegoriam quam appoſitiſſime ad cæleſte regnum, & Regem accommodari queant, & meritiſſimè Deus ſuo tempore dicere potuerit, ſe, cum promiſſum illud fecit, quamvis verba aliud præ ſe ferre viderentur, tamen de cæleſti regno, ac Rege locutum fuiſſe.

Deinde dicimus, cæleſte regnum, quale nos Jeſum habere, & aſſerimus & gloriamur, ſive ipſius Jeſu, ſive etiam noſtrum ratione, non adeo diverſum à mundano regno eſſe, ut tu exiſtimare videris: immo quidquid veri ac ſolidi boni in mundano regno eſſe potuiſſet, in eo contineri. Quandoquidem non ita regnare Jeſum in cælis dicimus, ut interim in terris etiam non regnet. Non ſolum enim in cælo, ſed in terra quoque omnem poteſtatem ei datam fuiſſe affirmamus, ipſumque principem regum terræ, & regum regem, dominumque dominatium agnoſcimus, quatenus & ipſe ſolus plus iis omnibus in terris poteſt, nec illi, ipſo invito, quidquam facere poſſunt, & tandem omnes ejus potentiam experiri & confiteri cogentur. Quis umquam Rex mundanus fuit, cui tot populi Regeſque ſervierint, ſeſeque ſua ſponte ſubmiſerint, quot Regi noſtro Jeſu? Cui porro unquam tot tantique honores in univerſo orbe terrarum exhibiti fuerunt, quot quantique ipſi Jeſu? Quod verò ad nos attinet, cum vera in hac vita hominis felicitas in eo conſiſtat, ut ſecundum virtutem agat, & in divinarum rerum contemplatione verſetur, nulli homines unquam fuerunt, aut futuri ſunt, quibus iſta duo æquè contingant, atque iis qui Jeſum Regem agnoſcunt, eique obediunt; nec ulli mortalium magis ſecuri, dum hîc vivunt, eſſe poſſunt, quam ii, qui ſub cura ipſius Ieſu vitam degunt, qui ab omnibus malis longè melius, quam ullus mundanus Rex ſubditos ſuos, eos tueri poteſt. Quòd ſi iſti ad majorem Dei, ipſiuſque Ieſu gloriam ſuo tempore clarius patefaciendam ſæpe affliguntur, vexantur, interficiuntur, in iſtis omnibus, quæ mala eſſe videntur, cum propter virtutem ac robur ipſis à Ieſu ſubminiſtratum, tum propter ſpem haud dubiam ab ipſo hauſtam beatiſſimæ atque æternæ vitæ, feliciores multò ſunt iis omnibus, qui in ipſis deliciis vivunt. Non igitur in hoc regis illius promiſſi negotio Prophetæ & novum Teſtamentum ſibi contradicunt, ut tu arbitraris, ſed per Novum Teſtamentum Prophetæ explicantur; nec porrò, ut tibi videtur, Novum Teſtamentum Prophetas pro fundamento ſuo agnoſcit, quamvis ipſorum teſtimoniis, ad majorem rei fidem faciendam, utatur. Solidiora his nimirum, multo ſunt novi Teſtamenti & Chriſtianæ religionis fundamenta, quæ, quomodo tu convellere tentes, libenter ex te audiemus; non quidem, quod de Chriſtiana religione rectè explicata, ullo modo dubitemus, ſed potiùs quia nihil prorſus de ea dubitamus, & certo ſcimus fore, ut ſemper, quò magis in dubium revocabitur, eò magis ejus ſanctiſſima veritas eluceat.

Quod ad religionem tuam attinet, primùm quod ais, doctrinam de Meſſia, ſeu rege illo promiſſo, nihil ad tuam religionem pertinere, hoc, ſive verum ſive falſum ſit, nihil ad rem facit. Nam etiamſi doctrina de promiſſo illo rege, ad tuam religionem minimè pertineret, ea tamen doctrina, quam ille Rex promiſſus attulit, quem nos Ieſum Nazarenum eſſe dicimus, ad te omnino pertineret: non ſolum quia ea ad quemcunque pertinet, cui annunciata fuerit, & ipſe Jeſus Deo cælitus id comprobante, non Judæis tantum, ſed omnibus hominibus eam annunciari voluit; verum etiam quia id multò antè per divinos Prophetas, quibus tu fidem adhibes, non obſcurè prædictum fuerat.

Quod deinde ais, te nullum alium Dei cultum habere, niſi ſolum Decalogum, etſi in eo te laudamus,

damus, quod aliquam religionem habes, & Deum ratione quadam ab ipſo non planè improbata colere vis: tamen in eo te culpamus, idque tui cauſſa vehementer dolemus, quòd in rudi neſcio qua, & imperfecta religione velis acquieſcere, quàm Deus nulli unquam mortalium, quamvis tu Decalogum tuæ menti per creationem inſitum eſſe tibi perſuadeas, nec tacitè, nec apertè tradidit, (de ſolo enim ipſo decalogo loquimur) quæque ipſa per ſe, divinas promiſſiones nullas nec præſentis nec futuræ vitæ habet, & eam rejicias, quæ omnium abſolutiſſima & perfectiſſima eſt, quæque à Deo benigniſſimo, ab ipſis quodammodo incunabulis tibi fuit tradita, atque etiam nunc multò apertius traditur & inculcatur; ac præterquam quod hominem manifeſtiſſime ipſa per ſe ſatis felicem in hac vita reddere poteſt, certiſſimis etiam cum temporalium bonorum, tum vero æternæ vitæ promiſſis, ab ipſo Deo ornata & conſtabilita fuit.

FAUSTUS *Socinus.*

EPIST: II. MARTINI Sejdelii.

MIror vos negare, promiſſiones Prophetarum de reſtitutione regni, ab illa promiſſione facta Davidi 2 Sam. 7. dependere, cùm tamen id ex Prophetis, & potiſſimùm ex 33. cap. Jeremiæ apertiſſimum ſit: nam cum ibi propheta Regem illum promiſiſſet, ſubmittit poſtea promiſſionem illam factam Davidi, tanquam cauſſam, ſeu fontem, inquiens: *Quia ſic dixit Jehova, Non excidetur vir ſedens ſuper ſolium domus Iſraël.* Quam promiſſionem poſtea magis explicat & inculcat, inquiens: *ſi irritum facere poterunt fœdus meum cum die & nocte, etiam fœdus meum irritum fiet cum Davide, ut non ſit ei filius regnans ſuper populum Iſraëliticum.* Ex quo non tantùm hoc manifeſtum eſt, Jeremiam ex illa promiſſione facta Davidi, promiſiſſe illum regem; ſed etiam hoc inde apparet, quòd illa promiſſio facta Davidi, etiam tum firma fuerit, cum Judæi jam amiſiſſent regnum, & eſſent in captivitate Babylonica: id quod vos etiam negatis, & dicitis promiſſionem illam factam Davidi, tantummodò uſque ad captivitatem Babylonicam duraſſe, & in captivitate Babylonica finem habuiſſe. Sed quæro, cur Jeremias promiſſionem illam factam Davidi adducit, ſi jam facta erat irrita? immo dicit, illam promiſſionem per captivitatem Babylonicam, non abolendam, neque aboleri, ſed firmam eſſe, & firmam futuram, quàm firmus eſſet & futurus eſſet ordo ille inter diem & noctem: quaſi diceret Propheta, etiamſi vobis Deus regnum veſtrum ob peccata noſtra adempturus ſit, aut jam ademerit, non tamen debetis exiſtimare, Deum planè promiſſionem illam factam Davidi, aboleviſſe aut aboliturum, ſed dabit vobis rurſus regem ex poſteris Davidis, modo poſteri Davidis & vos etiam, poſtquam lueritis pœnam illam exilii, rurſus ad Deum convertamini.

Quòd hic vobis abſurdum videtur, Prophetas conſolari eos ipſos, quibus ob malitiam eorum minatur exilium, ad hoc reſpondeo: Jeremiam tum demum addidiſſe ſuis minis promiſſiones, cùm jam videret Judæos in captivitate, ubi malitia & improbitas eorum coërcebatur; id quod etiam de Ezechiele ſtatuendum eſt. Eſaias verò & reliqui prophetæ, qui ante captivitatem Babylonicam vixerunt & prophetarunt, non tam ob ſui temporis Judæos, qui neque minis, neque promiſſionibus crediderunt, quàm ob poſteros eorum, promiſſiones de reſtitutione regni addiderunt; ut quemadmodum minas ipſorum non inanes fuiſſe experturi eſſent, ita etiam promiſſiones non inanes futuras ſtatuerent. Hoc reſpiciebant Prophetæ, nempe ut ii, qui tempus captivitatis, nempe 70. illos annos ſupervicturi eſſent, non deſperarent de reſtitutione regni ſui, & fierent ethnici, ſicut plurimi, & præſertim ex decem illis tribubus, non credentes promiſſionibus Prophetarum, inter ethnicos manſerunt, & ethnici facti ſunt; ne, inquam, omnes ita deſperarent, promittunt ipſis Prophetæ reſtitutionem regni, ut ipſis adderent animum ad convertendum ſe ad Deum. Neque opus erat tum ipſis addere conditionem, nam tum ſuo malo experiebantur & ſentiebant, & hanc promiſſionem de perpetuo regno & reliquis, fuiſſe conditionales. Deinde, ſi Prophetæ non ex illa promiſſione Davidi facta Regem illum promiſerunt, quàm ob cauſam igitur dicunt eum futurum ex poſteritate Davidis, item ſeſſurum ſuper ſolium David?

Fateor quidem, aliam eſſe illam promiſſionem factam Davidi 2 Sam. 7, & alias Prophetarum promiſſiones, ſed in hoc tantummodo eſt diverſitas, quòd in ſuperiore promiſſione duratio regni Davidici ſeu Iſraëlitici promittitur, in poſterioribus verò promiſſionibus ejuſdem regni, quia propter peccata populi conciderat, reſtitutio promittitur: quia verò reſtitutio illa regni non per vulgarem Regem poterat fieri, ideò Prophetæ promittunt, regem illum valde futurum ſapientem, fortem, robuſtum &c.

Cæterùm non intelligo, ad quid afferatis differentias inter Iſraëliticum regnum, & alia regna mundi, cum de ea re non ſit quæſtio: differentia inter mundanum & cæleſte regnum nobis hîc opus eſt, cum Prophetæ mundanum regnum promiſerint, Ieſus verò dicatur habere cæleſte regnum, & cæleſte regnum ſit diverſum à mundano, id quod etiam quodammodo videmini negare, & vultis, Ieſum & mundanum & cæleſtem Regem eſſe, cum tamen ipſe Ieſus hoc negaverit, inquiens: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quòd igitur Ieſus regnum de hoc mundo dixit, id ego mundanum Regnum appello; & quia mundanum aliter accipitis, quam ego volo, ideò utar vocibus ipſius Jeſu, ſic inquiens: *Quale regnum Davidi uſque in ſeculum promiſſum eſt, tale neceſſe fuit ut poſteri ejus, in quibus hæc promiſſio debebat impleri, haberent. Sed regnum de hoc mundo Davidi uſque in ſeculum promiſſum eſt; nam Davidicum ſeu Iſraëliticum Regnum fuit de hoc mundo: Ergò regnum de hoc mundi poſteri Davidis ut haberent, neceſſe fuit; & per conſequens etiam Rex ille, quem Prophetæ ex hac promiſſione poſt captivitatem Babylonicam regnaturum promiſerunt, perinde ut cæteri poſteri Davidis, regnum de hoc mundo debuit habere: quod quia Jeſus non habuit, nam ipſemet hoc fatetur, inquiens:* regnum meum non eſt de hoc mundo: *Ergo Jeſus non eſt Rex ille, quem Prophetæ promiſerunt.* Reliqua ideo non attingo, quia oportet ut de hoc priùs aliquid firmi ſtatuamus, antequam ad alia perveniamus, ne omnia commiſceamus.

MARTINUS *Sejdelius.*

Reſponſio FAUSTI SOCINI.

SI paullo diligentiùs & verba noſtra, & Sacrarum Litterarum teſtimonia perpendiſſes, non mirareris, nos negare, promiſſionem illam Dei de Meſſia ſeu Rege illo inſigni, non pendere ex promiſſione, quam idem Deus Davidi fecit 2 Sam. cap. 7. Rationes enim (ut de verbis noſtris primùm agamus) quas attulimus, ejuſmodi profectò ſunt, ut convelli non poſſint, nec tu ad eas revera quidquam reſpondes. Nam quomodo (quæſumus te) ante tempus promiſſionis de Meſſia præſtandæ, non ceſſavit effectus promiſſionis illius ipſi Davidi factæ, & ſic ipſa promiſſio, ſi ante tempus illud jam deſierat Davidis poſteritas regnare in ipſius Davidis ſolio? Promiſſio enim illa diſertè continebat, perpetuò futurum aliquem ex poſteritate Davidis, qui in ipſius ſolio ſederet; quod abunde confirmatur ex eo, quod ſcriptum eſt 2 Reg. 8. 19. Verùm ſi ceſſavit, certiſſimum eſſe debet, ab illa alteram iſtam promiſſionem pendere non potuiſſe. Quomodo item non eſt promiſſio de Meſſia admodum diverſa à promiſſione illa Davidi facta, & propterea talis, quæ ab illa pendere nequeat, cum Davidi nihil aliud promittatur, quàm perpetuitas regni in ejus familia? Meſſias vero promittatur reſtitutor & amplificator regni Iſraëlis, & ſummæ ac perpetuæ felicitatis populo Dei conciliator? Quamobrum quod ais, idcirco non vulgarem regem fuiſſe promiſſum,

ſed

ſed ſapientem, fortem, robuſtum, quia ejuſmodi Rege ad reſtituendum regnum Iſraëli opus erat, hoc prorſus nihil eſt. Primum, quia multo plura de rege illo promiſſa ſunt, quam opus eſſet ad regnum Iſraëliticum per ipſum reſtituendum. Deinde, quia, ut Deus ex promiſſione illa Davidi facta, regnum in ejus familia iterum ſtabiliret, nihil neceſſe erat, ut ſapientia ac virtute illius, qui regnaturus fuiſſet, id fieret: ſed ſatis erat poſt captivitatem Babylonicam, ex qua ſolo Perſarum Regis Cyri conceſſu liberati fuerant, aliquem ex familia Davidis exiſtere, qui Rex populi eſſet, ſive ſapiens ſive inſipiens, ſive fortis ſive ignavus, cujus poſteri Dei benignitate in eodem regno perſeverarent. Et hæc quod attinet ad verba noſtra.

Quod verò pertinet ad ſacra teſtimonia, dicimus nihil in eo 33 cap. Hieremiæ ſcriptum eſſe, ex quo concludere liceat, Deum ibi ad promiſſionem illam ipſi Davidi, 2 Sam. 7. factam, reſpexiſſe, nedum id, quod ibi promiſit, ex promiſſione illa pendeat. Apparet enim omnino, ea verba, quæ tu ex eo loco recitas, in quibus pacti cum Davide fit mentio, ad ſuperiorem promiſſionem ibidem factam referenda eſſe. Sic enim antea ad verbum legitur Jerem. cap. 33. à verſ. 14, ad 23. *Ecce dies veniunt, dicit Jehova, & erigam verbum illud bonum, quod locutus ſum ſuper domum Iſraëlis, & ſuper domum Judæ. In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam Davidi germen juſtum, & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſervabitur Juda, & Hieruſalem habitabit confidenter, & hoc [eſt] quod vocabit eum Jehova juſtitia noſtra. Quoniam ſic dicit Jehova, Non excindetur Davidi vir ſedens ſuper ſolium domus Iſraëlis. Et ſacerdotibus Levitis non excidetur vir à conſpectu meo offerens holocauſtum, & adolens oblationem, & faciens ſacrificium omnibus diebus.* Et illico adjungitur. *Et factum eſt verbum Jehovæ ad Jeremiam, dicendo: Sic dicit Jehova, ſi irritum facietis pactum meum diei, & pactum meum noctis, atque ut non ſit dies & nox in tempore ipſorum, etiam pactum meum irritum fiet cum Davide ſervo meo, ut non ſit ei filius regnans in ſolio ejus, & cum Levitis ſacerdotibus miniſtris meis.* In quibus verbis quis non videt, id ipſum confirmari, quod proxime promiſſum fuerat, & pacti nomine proxime antecedentem promiſſionem intelligi? Sed ſtatim additur. *Quemadmodum non numerabitur exercitus cælorum, nec metietur quis arenam maris, ſic multiplicabo ſemen Davidis ſervi mei, & Levitas miniſtros meos.* Certe hoc nihil ferme commune habet cum antiqua illa promiſſione. Jam verò promiſſionem, quæ in ſupra recitatis verbis continetur, ut ex particula, *Quoniam*, perſpicuum eſt, ad præcedentia reſpicere ac referri indubitatum eſſe debet. Atqui præcedentia ex antiqua illa promiſſione nullo modo pendent, ſed ad ea omnino referuntur, quæ per eundem Hieremiam cap. præſertim 23. & 29. jam Deus promiſerat. Nec verò te moveat, quod in hac promiſſione dicitur, *Non excindetur Davidi*, &c. Quaſi iſtud antiquæ promiſſionis continuationem declaret. Eſt enim modus loquendi iſte apud Hebræos (ut noſti) perquam familiaris, quo non continuatio ejus quod jam ſit, aut fuerit, ſed ejus quod futurum ſit, ſignificatur, ut in vaticinatione illa Jacobi: *Non recedet ſceptrum de Juda*, &c. Gen. 49. Nec ſimiliter te moveat, quod in confirmatione illa nominatur pactum cum Davide, qui tot annis ante erat mortuus. Nam vel per proſopopœiam id dicitur (perinde enim erat, ac ſi cum ipſo Davide eam pactionem Deus feciſſet, cum ipſius cauſſa ſine dubio eam faceret) vel merito id cum Davide fieri dictum eſt, quod cum ejus poſteritate fiebat.

Quid quod ipſe fateris, aliam eſſe promiſſionem factam Davidi 2 Sam. 7. & alias Prophetarum, ſed in hoc tantummodo eſſe diverſitatem, quod in ſuperiore promiſſione duratio regni Davidici, ſeu Iſraëlitici promittatur, in poſterioribus verò promiſſionibus ejuſdem regni, quia propter peccata populi conciderat, reſtitutio? Quis enim ex ipſis verbis tuis non aperte colligat, promiſſiones Prophetarum, ex promiſſione illa Davidi facta, minime pendere, cum plane aliud ſit durare, aliud reſtitui, immo reſtitui non poſſit id, quod duravit? Quare, etiamſi id verum eſſet quod ais, iſtas duas promiſſiones in cæteris omnibus eſſe pares: tamen id non ex eo proficiſceretur, quod poſterior à priore penderet, ſed aliunde, nempe ex eo, quod cæteroquin idem prorſus in poſteriore promiſſum fuiſſet, quod in priore. Faceſſat igitur iſta tua duarum iſtarum promiſſionum connexitas, & alterius ab altera (ut ita dicam) dependentia; & jam (ſi aliqua ratione id fieri poteſt) agnoſce errorem tuum, qui in ſuperiore ſcripto autus fueras affirmare, ex promiſſione illa Davidi facta, 2 Sam. 7. Prophetas reſtitutionem regni ſeu Regem poſt captivitatem Babylonicam promittere, cum ipſe Deus ſit, qui, priore promiſſione, propter ipſius poſteritatis Davidis peccata, non autem ſolius populi, irrita facta, alteram multo ampliorem & auguſtiorem eidem Davidis poſteritati & populo facere pro bonitate ſua dignetur. Nam quid illud eſt, quod interrogas, cur igitur Prophetæ Regem illum futurum ex poſteritate Davidis, & ſetlurum ſuper ſolium Davidis promiſerunt, ſi ad antiquius illud promiſſum ipſi Davidi factum non reſpexerunt? An non vides te inconſequentis fallaciam cum accidentis fallacia mixtam incidere? Quaſi verò non potuerit Deus, propterea quia David verè ipſius ſervus fuerat (id quod etiam diſertis verbis ab ipſo ibidem commemoratur) ejus poſteritati hoc promittere & præſtare, ut denuò Iſraëlis regnum obtineret, & in Davidis ſolio ſederet, etiamſi nulla prorſus promiſſio de regno in illius poſteritate perpetuando præceſſiſſet. Quocirca ſi Meſſiæ regnum mundanum eſſe debuiſſe, idque, ut te dicentem audivimus, propter populi peccata, à Deo præſtitum non fuiſſe, demonſtrare velis, jam ad alia confugias neceſſe eſt, quàm ad verba ſive ad rationem illius promiſſi 2 Sam. 7. Davidi facti. Quo tamen ſi confugere poſſes, id, ut oſtenſum eſt, nihil te adjuvaret.

Porrò quod ais, te non intelligere, ad quid aferamus differentiam inter regnum Iſraëliticum, & alia regna mundi: nos verò ii ſumus, qui, cur iſtud dicas, planè non intelligamus, cum non inter Iſraëliticum regnum & alia regna mundi, ſed inter Davidis regnum & cætera regna, qualiacumque tandem illa fuerint, aut futura ſint, differentiam afferamus; quæ ea eſt & fuit, ut regnum Davidis regnum ſuper Dei populum peculiarem ſit, cætera vero minimè. Et hanc dicimus eſſe differentiam ſpecificam (ut vocant) illius regni, ut ſcilicet intelligas, in quocumque regno ea differentia fuerit, ibi Davidis regnum eſſe, etiamſi cætera omnia deſint, quæ in ipſo regno fuerunt, quod Deus obtinuit. Quemadmodum cum animal, in quo ratio ſit, deprehendimus, ſcimus eſſe hominem, quidquid illi deſit, quod in primo homine, quem Deus condidit, fuiſſe conſtet. Fuit enim ratio, forma ſeu differentia ſpecifica primi illius hominis, quatenus animal erat. Itaque cum tu ex eo concludas, Meſſiæ regnum mundanum eſſe debuiſſe, quia Davidis regnum ei promiſſum fuerat, recte & ad rem ipſam accommodatiſſime ejus differentiæ à nobis facta eſt mentio, ut hac ratione perſpicias, aliquod regnum, Davidis regnum eſſe poſſe, quamvis mundanum non ſit; & Jeſu Nazareni regnum licet non mundanum, Davidis tamen regnum merito appellari, cum ei Davidis regni forma & ſpecifica differentia inſit, nempe quod regnum ſit ſuper Dei populum peculiarem. Quamobrem quod dicis, differentia hîc opus eſſe inter mundanum & cæleſte regnum, in eo bifariam (ut quidem credimus) idque graviter, erras. Primum quia principium petis, cum non modo non probaveris, regnum Meſſiæ mundanum eſſe debuiſſe, ſed hoc illud ſit, de quo in præſentia inter nos controverſia eſt. Deinde, quia ſi id probaſſes, nobis neutiquam differentia, ſed ſimilitudine inter mundanum & cæleſte regnum opus eſſet,

ut videlicet inde concluderemus, potuiſſe Meſſiam cœleſte regnum habere, etiamſi mundanum ei promiſſum fuiſſet, ut tua ipſius verba confitentur, dum ais, nos negare cæleſte regnum diverſum eſſe à mundano, atque Jeſum & mundanum & cœleſtem Regem eſſe velle. Quod tamen multo aliter ſe habet, cum nihil aliud dicamus, niſi cœleſte regnum Ieſu Nazareni, quem nos Meſſiam eſſe contendimus, non adeò à mundano regno differre, ut tu exiſtimas, & quidquid veri boni in mundano regno continetur, in Ieſu cœleſti regno contineri; ut vel hinc appareat Deum cum cœleſte iſtud regnum Ieſu dedit, promiſſa ſua de Meſſia in ipſo Ieſu impleſſe, etiamſi mundanum regnum ſe ei daturum apertè promiſiſſet. Hæc ſatis dilucide à nobis ſcripta ſunt, & tamen tu (neſcimus quam ob cauſſam) quamvis bene doctus, & non mediocri ingenio præditus, ea non percipis. Etſi enim affirmamus, Chriſtum in terris regnare, tamen hoc aliud eſt, quam mundanum Regem eſſe, vel mundanum Regnum habere. Nam Deus ipſe ſine dubio in terris regnat, nec tamen mundanus rex eſt, aut mundanum regnum habet. Non erat igitur, quòd ipſius Ieſu verba, qui dixit, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, nobis objiceres, vel in argumento tuo Mundani appellationem, in *de hoc mundo* mutares, quaſi nos Ieſu Regnum mundanum eſſe velimus.

Cæterum, ut tibi plenius ſatisfaciamus, argumento iſti tuo alia adhuc ratione, quæ magis propria, magiſque Dialectica videri poterit, reſpondendum cenſuimus, &, quam fallax & captioſum ſit, tibi demonſtrandum. Etenim argumentum tuum, quod eſt: *Quale regnum Davidi uſque in ſeculum promiſſum eſt, tale neceſſe fuit, ut poſteri ejus, in quibus impleri debebat iſta promiſſio, haberent: Sed Davidi mundanum regnum uſque in ſeculum promiſſum eſt. Ergo*, &c. iſtud, inquam, argumentum, vel ex quatuor terminis conſtat, vel ejus major propoſitio falſa eſt. Nam ſi in ea propoſitione vox *Quale* non omnem qualitatem comprehendit, ſed eas quæ rem ipſam conſtituunt, ex quatuor terminis conſtabit ſyllogiſmus: cum ea qualitas, quod regnum Davidi promiſſum eſſet mundanum, rem ipſam non conſtituat, id eſt, ut ſupra diſputavimus, non pertineat ad ejus regni formam & differentiam ſpecificam. Sin autem in ea propoſitione verbum *Quale* omnes qualitates complectitur, falſa eſt propoſitio; ut ex eo apparet, quod Deus in poſteris Davidis, quibus decem tribus ademptæ fuerant, promiſſum ſuum Davidi factum præſtitum eſſe dicit 2 Reg. 8. 19. Hinc enim perſpicuum eſt, non omnino, quale erat regnum, quod Davidi uſque in ſæculum promiſſum fuit, tale poſteros ipſius, in quibus ea promiſſio impleri debebat, habere debuiſſe. Quod ſi dicas, majorem tui argumenti propoſitionem non accipiendam eſſe, ac ſi his verbis concepta fuiſſet: *Quale erat regnum, quod Davidi uſque in ſæculum promiſſum fuit, tale*, &c. ut nos modo illam accepimus: ſed omnino ita intelligendam eſſe, ut ipſa verba ſonare videntur, ut ſit ſenſus: *Cujus qualitatis promiſſum eſt Davidi regnum uſque in ſæculum, ejus qualitatis neceſſe fuit, ut poſteri*, &c. tum dicimus, aut minorem propoſitionem falſam eſſe, aut ſyllogiſmum quatuor terminos habere. Nam dum ais, Davidi regnum mundanum uſque in ſæculum fuiſſe promiſſam, aut intelligis fuiſſe illi promiſſum uſque in ſæculum regnum ejus qualitatis, ut eſſet mundanum, & hoc eſt falſum; nuſquam enim ea qualitas in promiſſione apponitur: aut intelligis ſimpliciter, regnum quod Davidi uſque in ſæculum promiſſum fuit, fuiſſe mundanum, & ſyllogiſmus quatuor terminos habet; cum in majore propoſitione non de qualitate ſimpliciter regni uſque in ſæculum promiſſi, ſed de ipſa regni qualitate promiſſa agatur.

Quæ de promiſſionis illius, de qua quærimus, tacita conditione ſcribis, cum ea ad exceptionem ejus, quod adverſus te afferri poſſet, pertineant, nos vero in ſuperiore ſcripto noſtro tantummodo ad tuum argumentum reſpondere conati ſimus, non eſt, cur hoc loco à nobis refelli debeant; nec tu in ſcriptis tuis aliquid (judicio noſtro) afferre deberes, niſi id vel ad ea, quæ nos ſcribimus, reſponderet, vel tuam ſententiam confirmaret, præſertim cum nos nondum actoris partes ſumpſerimus, & tu (quod nos quoque vehementer probamus) pedetentim in hac diſputatione noſtra progrediendum cenſeas. In qua tam diu æquo animo perſeverabimus, donec te pertinacem eſſe non appareat. Sed vide, ne aliter, quam deceat, noſtra verba interpretando, & ad reſponſiones noſtras quodammodo connivendo, ejus rei nomine nobis merito ſuſpectus eſſe incipias.

FAUSTUS SOCINUS.

Epiſt. 3. MARTINI SEJDELII.

QUod Prophetæ reſtitutionem Regni ſeu Regem Judæis promittentes, ad promiſſionem illam factam Davidi 2 Sam. 7, reſpiciant, atque ex ea promiſſione reſtitutionem regni ſeu Regem Judæis promittant, id tam firmum eſt, ut nullo modo everti poſſit. quod ex omnibus locis, ubi Rex ille promittitur, apparet, maxime verò ex 33 cap. Ierem. ubi Propheta ſic inquit: *Ecce diebus venturis, dicit Jehova, ſuſcitabo verbum illud bonum, quod locutus ſum domui Iſraël, & ſuper domum Juda ſuſcitabo*, id eſt, rurſus in actum producam, *verbum bonum*, id eſt, bonam illam promiſſionem, quam locutus ſum domui Iſraël, & domui Juda. Quæritur, de qua promiſſione Ieremias loquatur. Reſpondeo, quamvis etiam de illa promiſſione poſſit intelligi, qua Iſraëlitico populo terra illa uſque in ſæculum promiſſa fuit, ita ut ex ea promiſſione Ieremias reſtitutionem illius terræ Judæis promittat, quam reſtitutionem terræ, etiam aliis in locis Prophetæ cum reſtitutione Regni conjungunt: tamen ego magis de illa promiſſione intelligendum puto, quæ facta eſt Davidi 2 Sam. 7, ubi regnum Iſraëliticum poſteris Davidis uſque in ſeculum promittitur. At, inquies, verbum illud bonum, non Davidi, ſed domui Iſraël, & domui Judæ factum eſſe Ieremias teſtatur. Reſpondeo; promiſſionem illam factam Davidi, non tantum ad poſteros Davidis ſeu reges, ſed etiam ad Iſraëlitas ſeu ſubditos pertinuiſſe. Cum enim poſteris Davidis Iſraëlitarum regnum uſque in ſæculum promittitur, Iſraëlitis ſimul promittitur, eos uſque in ſeculum habituros reges, & per conſequens regnum & terram ſuam. Quia verò Iſraëlitæ poſt Salomonem in duo regna diviſi fuerunt, nempe in regnum Juda, & regnum Iſraël, ne aliqua pars putaret, ſe excluſam ab illa promiſſione, ideo ſingulatim eas nominat, inquiens, & regno Judæ, & regno Iſraël promiſſionem illam factam eſſe; quia nimirum tunc nondum diviſi fuerant, cum illa promiſſio Davidi fieret, & Davidi & poſteris ejus regnum ſuper totum populum Iſraëliticum promiſſum ſit, non ſuper unam partem populi. Denique propheta dicit: *Suſcitabo illud, verbum bonum*, ex quo verbo apparet, quod de promiſſione tali loquatur, quæ tunc temporis deſierat, & quodammodo conciderat & evanuerat; ideo dicit, *Suſcitabo illud*, id eſt, producam eam rurſus in effectum, hoc eſt, rurſus vobis dabo Reges ex poſteris Davidis, ſicut antè dare ſolitus eram. Quod autem de promiſſione illa facta Davidi loquatur, id in ſequentibus apertius dicit, inquiens: *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam Davidi germen juſtum, & faciet judicium, & juſtitiam in terra*, &c. Deinde promiſſionem illam factam Davidi expreſſè tanquam cauſſam ſuæ promiſſionis adducit, inquiens: *Quia ſic dixit Jehova, non excindetur Davidi vir, ſedens ſuper ſolium Iſraëliticum.* Quod autem iſta præmiſſa verba, nempe *non excindetur Davidi vir ſedens ſuper ſolium Iſraël*, non ſit nova promiſſio, per Ieremiam primum prolata ut vos vultis, ſed quod ſit vetus illa promiſſio facta Davidi 2 Sam. 7, inde oſtendo, quia promiſſio illa facta Davidi, omnibus in locis, ubi repetitur, his verbis repetitur, atque ideo hæc verba idem denotant, quod verba illa 2 Sam. 7, denotarunt. Ut 1 Reg. 2 cap. David promiſſionem illam ſibi factam repetens,

tens, ſic inquit ad Salomonem, *Cuſtodi ſtatuta Jehovæ Dei tui, ut ſuscitet Jehova verbum ſuum, quod loquutus eſt ſuper me, dicendo, ſi cuſtodirent filii tui viam ſuam, non excindetur tibi vir de ſolio Iſraël.* Sic 1 Reg. 9 capire Deus repetens illam promiſſionem factam Davidi, ſic inquit ad Salomonem. *Et tu ſi ambulaveris coram facie mea, confirmabo ſolium Regni tui ſuper Iſraël uſque in ſæculum, ſicut dixi Davidi patri tuo, dicendo: Non excindetur tibi vir de ſolio Iſraël.* Sic. 1. Paralip. 7 cap. dicit Deus Salomoni. *Et nunc elegi & ſanctificavi domum hanc, ut ſit ibi nomen meum uſque in ſeculum, & ſi tu ambulaveris coram facie mea, firmabo ſolium Regni tui, quemadmodum fœdus feci cum Davide patre tuo, dicendo: Non excindetur tibi vir, qui dominetur in Iſraël.* Item 1 Reg. 18. inquit Solomo. *Et nunc Jehova Deus Iſraëlis, cuſtodi ſervo tuo Davidi patri meo, quod locutus es ei, dicendo: Non excindetur tibi vir à facie mea, ſedens ſuper ſolium Iſraël.* Cum itaque in omnibus aliis locis, per hæc verba denotetur promiſſio illa Davidi facta 1 Sam. 7. ſequitur, quod etiam apud Jeremiam promiſſionem illam factam Davidi denotent, atque ideo falſum eſſe, quod dicitis, Jeremiam per illa verba non veterem illam promiſſionem, ſed novam, & quæ ſit ab illa veteri diverſa, denotare. Quid igitur novi iſta verba apud Jeremiam denotant, quod aliis in locis eadem verba non denotarunt? Sed tædet me probare ea quæ ſunt manifeſtiſſima. Unum tantummodo addo, non ſolum Prophetæ reſtitutionem regni ſeu Regem, ex promiſſione illa facta Davidi, promiſerunt & populo promiſſionem illam quaſi digito monſtrarunt; ſed populus quoque Judaicus deſtitutus rege & regno ſuo, ad illam promiſſionem antiquam factam Davidi reſpexerunt, atque ex illa promiſſione potiſſimum conſolationem & ſpem reſtitutionis regni concipiebant. Nam ita precatur populus Dei 89. Pſal. *Tu Jehova ſcutum noſtrum es, tu loquutus es olim ſanctis tuis, atque dixiſti: Dabo Heroi* (id eſt Davidi) *robur, eveham electum ſuper populum*, &c. *Omnino juravi per ſanctitatem meam, ſi Davidem fallam, ſemen ejus in perpetuum durabit, & ſolium ejus coram me tamquam Sol. Nunc autem deſpicis & abjicis, ſimultatem exerces cum Meſſia* (id eſt, cum Davide) *reſcindis fœdus ſervi tui, humi contaminas coronam ejus*, &c. *Ubi eſt priſca bonitas tua, quam jurejurando promiſiſti Davidi?* Hic populus Judaicus quodammodo expoſtulat cum Deo, quod ipſis non daret regem ex poſteris Davidis, cum tamen Davidi promiſiſſet poſteros ejus uſque in ſeculum ſuper Iſraëlitas regnaturos, & antiquam illam promiſſionem factam Davidi, opponunt Deo. Unde hoc didicerant, quod ad illam promiſſionem potiſſimum reſpicere deberent? à prophetis. Non itaque crediderunt, promiſſionem illam antiquam per captivitatem Babylonicam irritam factam, ut vos dicitis, ſed crediderunt, poſteris Davidis ſemper patuiſſe aditum ad impletionem illius promiſſionis, id quod ipſos Prophetæ docuerunt.

Aliter etiam reſpondetis ad meum argumentum, quod ita concluſi. *Quale regnum Davidi uſque in ſæculum promiſſum eſt, tale neceſſe fuit, ut poſteri ejus, in quibus hæc promiſſio debebat impleri, haberent. Sed regnum mundanum Davidi uſque in ſæculum promiſſum eſt. Quia Iſraëliticum. Ergo regnum mundanum poſteri Dævidis ut haberent, neceſſe fuit; & per conſequens, etiam Rex ille, quem Prophetæ ex hac promiſſione poſt captivitatem Babylonicam regnaturum promiſerunt, perinde ut reliqui poſteri Davidis, mundanum regnum debuit habere.* Quamvis conſequentia hujus argumenti manifeſta ſit, tamen quia hic facitis ambiguitatem in *Quale*, & *Tale*, cum tamen nulla ſit, & ſatis apertum ſit, me illis verbis ad mundanum & cæleſte reſpicere, igitur ſyllogiſmum aliter formabo, & quidem in tertia figura in modo Diſamis: quæ licèt quodammodo puerilia ſint, tamen quia etiam in his aliquid deſideratis, ideo vobis etiam in hac re morem gerò. Sic igitur argumentor.

Regnum Iſraëliticum Davidi & poſteris ejus uſque in ſæculum promiſſum eſt.

Regnum Iſraëliticum fuit mundanum. Ergo

Regnum mundanum Davidi & poſteris ejus uſque in ſæculum promiſſum eſt: & per conſequens, etiam Rex ille, qui ex hac promiſſione poſt captivitatem Babylonicam, ſecundum promiſſiones Prophetarum regnaturus erat, perinde ut cæteri poſteri Davidis mundanum ſeu terreſtre regnum debuit habere.

Reliqua quæ affertis ſunt ejuſmodi, ut mihi non videantur egere reſponſione, & quæ à vobis ipſis poſſetis videre, quod ſint infirma, ne quid contemptius dicam: ipſimet, inquam, poſſetis videre, ſi ſepoſito affectu paullo diligentius ea conſideraretis. Quamvis autem mihi hactenus ad meam petitionem non reſponderitis, facile tamen poſſum colligere reſponſum tale futurum, me non poſſe apud vos habere locum, niſi in doctrina de Meſſia vobiſcum conſentiam, quod cum certo ſciam, & multo certius ſciam, ſententiam meam hac in re eſſe certiſſimam, atque ideo bona conſcientia eam non poſſim abnegare, ideo cogor hinc diſcedere, præſertim cum ſim deſtitutus ſumptibus, & nolim diutius gravare benefactores meos. Gratias itaque vobis ago pro humanitate & benevolentia veſtra quam mihi oſtendiſtis, nominatim verò & præcipue gratias ago Domino Alexandro pro beneficiis ſuis in me peregrinum collatis, utinam aliquando ei gratiam referre poſſim, ſed quia jam non poſſum, rogo Deum, ut ei centuplum reddat, quod in me boni contulit. Atque vos Deo opti: maximo commendo, & quamvis vobiſcum in doctrina de Meſſia non conſentiam, tamen optarem ut omnes Chriſtiani veſtram ſententiam amplecterentur, & ab idololatria ſua diſcederent, à qua idololatria etiam ego ipſos conor abſtrahere, ſed ex aliis fundamentis quam vos facitis. Valete.

MARTINUS *Sejdelius.*

Reſponſio FAUSTI SOCINI.

ITerum aſſeveras, ex cap. 33 Jeremiæ apertiſſimè conſtare, Prophetas promittere Judæis reſtitutionem regni, ſeu Regem ex promiſſione Davidi facta 2 Sam. 7. idque tam firmum eſſe, ut nullo modo everti poſſit. Et tamen tu ipſe paullo poſt concedis, Hieremiam eo in loco potuiſſe Judæis terræ illius reſtitutionem promittere ex promiſſione illa, quâ populo Iſraëlitico terra illa uſque in ſæculum promiſſa fuit, cum eam terræ reſtitutionem etiam aliis in locis Prophetæ cum regni reſtitutione conjungant. Verùm ais te putare, magis Hieremiæ verba ad promiſſionem illam 2 Sam. 7. Davidi factam, referenda eſſe. Igitur, te ipſo teſte, nec firmum eſt, nec apertè conſtat, ex promiſſione iſta Davidi facta, Hieremiam eo loco Judæis reſtitutionem, ſeu regem promiſiſſe, ſed tu ita putas. Nihil autem dicimus, quod adhuc retines tuum illum modum loquendi, Prophetæ promittunt ex promiſſione &c. Quaſi verò in locis, de quibus quæritur aut quæri poteſt, Prophetæ interpretentur aliquam antecedentem Dei promiſſionem, & non manifeſte ipſe Deus per Prophetas aliquid promittat. Qui Deus præterea, cum apud Hieremiam loco prædicto promittit, ſe ſuſcitaturum ſive erecturum verbum illud bonum, quod locutus erat ſuper domum Iſraëlis (ſive ut tibi placet, tibique magis adverſatur, domui Iſraëlis) & ſuper domum Judæ; Suſcitandi ſive Erigendi verbo non ſignificat, verbum illud tunc temporis deſiiſſe, ut tu opinaris: quod vel ex eo loco patet, quem tu ex 1 Reg. 2. infrà recitas, ubi David ad hunc modum Salomonem alloquitur. *Cuſtodi ſtatuta Jehovæ Dei tui* &c. *Ut ſuſcitet Jehova verbum ſuum, quod locutus eſt ſuper me.* Nam certe verbum illud, quod locutus erat Deus Davidi, nondum defierat. Quodnam verò eſſet verbum illud bonum, quod Deus locutus eſſet ſuper domum, ſive domui Iſraëlis, & ſuper domum Judæ, apparet ex ipſius verbis apud eundem Hieremiam cap. 23. ubi eadem ferè verba leguntur, quæ ſcripta ſunt cap. 33. Neque ibi ulla fit mentio alicujus præcedentis promiſſionis, ad quam illa, quæ inibi fit, referatur, ut intelligere poſſis principium atque originem ejus quod cap. 33. promittitur, inde

omnino petendam eſſe, non autem ex promiſſione illa Davidi facta 2 Sam. 7. Nam, quidquid illa promiſſio revera ad domum Iſraëlis, & domum Judæ poſtea pertineret, ex uſu tamen loquendi apud Prophetas, & alios Sacros ſcriptores Veteris Teſtamenti, nulla ratione admitti poteſt, illud bonum verbum ſuper domum, & multò minùs domui Iſraëlis, & ſuper domum Judæ fuiſſe factum, ubi nec Iſraëlis nec Judæ domus nominatur, nec ad ipſas ſermo dirigitur, nec denique ipſarum, ſed Davidis tantùm cauſſa, verbum illud bonum locutus eſt Deus, idque ſuper Davidem, & ſuper poſteros ejus factum eſſe dicitur. Ut nihil dicam, quòd tunc temporis non diſtinguebatur Juda ab Iſraële, nec fortaſſe exemplum ullum invenietur, ubi id, quod ante illam diviſionem de Iſraële dictum aut promiſſum fuerit, de Iſraële & Juda dictum fuiſſe, diſertè ſcriptum extet, etiamſi effectus dicti aut promiſſionis poſt diviſionem illam, ex parte vel etiam ex toto dilatus fuiſſet. Nam quòd addis cap. 33, deinde promiſſionem illam factam Davidi, expreſſè tanquam cauſſam ſuæ promiſſionis à Deo afferri, dum (ais) inquit: *Quia ſic dixit Jehova, Non excindetur Davidi vir*, &c. Animadvertendum eſt in codice Hæbræo legi *ki cho amar*. Quæ verba ex proprietate Hebræi ſermonis, non cauſſam antecedentem ejus, quod priùs dictum à Propheta fuerit, ibi exponi declarant, ſed explicationem ſeu confirmationem antecedentium oſtendunt: nec verbum *amar*, præteritum aut certe non pridem tranſactum, ſed vel præſens, vel vix præteritum tempus ſignificat. Quocirca multò commodiùs, *dicit*, quam *dixit*, redditur. Et ſanè indignum eſt vel eruditione, vel diligentia tua, hæc te ipſum non animadverſiſſe, cum verba illa frequentiſſimè apud Prophetas, præſertim verò apud ipſum Hieremiam legantur, nec tamen ferè umquam aliter, quàm nos dicimus, accipi poſſint, ut, præterquam tibi, omnibus certiſſimum eſſe non dubitamus. Nec verò, ſi iiſdem verbis *Non excindetur* &c, commemoratur alibi antiqua illa promiſſio Davidi facta, idcirco ſequitur, non eſſe apud Hiere: novam promiſſionem, ſed veterem illam, quaſi Deus iiſdem verbis, quibus veterem fecerat, novam promiſſionem faciendo uti non potuerit, immo uſum fuiſſe admodum veriſimile non ſit, cum nova promiſſio, non minùs quàm vetus illa, perpetuitatem regni in poſteritate Davidis complexa fuerit, quæ verbis iſtis *Non excindetur* &c, omnino exprimitur. Poſtremò quæ ex Pſal. 89. affers, non modò tuam ſententiam non confirmant, ſed eam non mediocriter labefactant. Ut enim ipſe ais, expoſtulat quodammodo ibi populus cum Deo, quòd fœdus ſuum, quod cum Davide & ejus poſteritate pepigerat, non ſervaſſet, immo illud reſcidiſſet. Quod etſi falſum erat (nam ſub conditione, quàm Davidis poſteritas non ſervaverat, fœdus illud à Deo promiſſum fuerat) tamen inde manifeſtum eſt, populum ſenſiſſe, fœdus illud irritum fuiſſe factum, ut verè (quod ad litteralem ſenſum attinet) propter poſterorum Davidis & ipſius populi peccata, fuerat. Quare, ſi propter illud fœdus adhuc populus ſperabat futurum, ut è malis eriperetur, quibus undique premebatur, (qua de re tamen nihil apertè conſtat) illud non ideo ſperabat, quòd vel ipſe per ſe, efficaciam promiſſionis illius adhuc durare, ſibi perſuaſiſſet, vel Prophetæ, poſteris Davidis ſemper patuiſſe aditum ad impletionem illius promiſſionis, eum docuiſſent: ſed quia ex fœdere illo, quantus fuiſſet Dei erga Davidem & ejus poſteros amor & charitas, per ſe ipſe intelligebat, ex quo in eam ſpem adducebatur, ut non in perpetuum eos Deus abjecturus eſſet. Et profectò mirum eſt, te, qui promiſſionem de Meſſia ex poſteritate Davidis, propter conſueta & jam tum exiſtentia peccata populi, prorſus irritam factam eſſe velis, velle ad promiſſionem illam Davidi factam, quamvis & populus & poſteri ipſi Davidis degenerantes ſæpè ac diu graviſſimè peccaſſent, ſemper poſteritati aditum patuiſſe; præſertim cum illam promiſſionem ab hac pendere prorſus contendas. Nam (quæſumus te) cur, ſi aditus iſte ſemper patuit, poſt captivitatem Babylonicam, in qua & populus & Davidis poſteritas ex Dei bonitate atque decreto ſatis pœnarum ſuorum peccatorum dederat, non ſtatim creatus eſt Rex aliquis in populo ex poſteritate Davidis, ſed dux tantùm populi, unà cum Jehoſua ſacerdote, Zorobabel factus eſt? qui quantumvis probus & Deo carus, nec pro ſe, nec pro filiis ad regalem aut dignitatem aut poteſtatem aditum habuit. Argumentum tuum, quod nos, non ut nobis, ſed ut tibi pleniùs ſatisfaceremus, dialectica ratione ideò diſſolveramus, quod Rhetoricam quandam rationem, qua à nobis antea diſſolutum fuerat, percepiſſe non videreris, cur mutares nulla fuit cauſſa; namque in pejus ſemper ruis. Verum tamen, quale nunc ſit, videamus. Sic igitur argumentum tuum refingis:

Regnum Iſraëliticum Davidi & poſteris ejus uſque in ſæculum promiſſum eſt.

Regnum Iſraëliticum fuit mundanum. Ergo

Regnum mundanum Davidi & poſteris ejus uſque in ſæculum promiſſum eſt.

Vide quæſo, an non poſſit quis, te imitatus, ita argumentari:

Deus populum Iſraëliticum in terram Chanaan introducere promiſit.

Populus Iſraëliticus fuit ſine lege ſcripta.

Ergo Deus populum ſine lege ſcripta in terram Chanaan introducere promiſit.

Numquid non vides, te hîc omnino ex quatuor terminis ſyllogiſmum conſtituere, cum in majore propoſitione Regnum Iſraëliticum ſimpliciter ponatur, in minore verò quale tunc fuit, cum promiſſum eſt, conſideretur. Oportuiſſet te non per verbum *fuit*, ſed per verbum *eſt* minorem propoſitionem efferre, & cum in modo Diſamis te ſyllogiſmum formaſſe profitearis, univerſalibus verbis eam propoſitionem concipere, hoc pacto: *Omne Regnum Iſraëliticum eſt mundanum.* Quod ſi feciſſes, jam falſa ea propoſitio apparuiſſet, aut certe à nobis meritò negari poteſſet, qui regnum Davidicum (quod idem hîc eſt, atque Iſraëliticum) non mundanum dari & contendimus, & demonſtrare conati ſumus. Itaque quocumque te vertas, nunquam in forma (ut loquuntur) es argumentaturus, quin alterutrius propoſitionis aut falſitas manifeſta, aut maximè dubia veritas appareat. De reliquis, quæ attuleramus, tuum non erat ita confidenter ſententiam ferre, quòd infirma ſint, nequid contemptiùs dicas, ſed ea, ut nos tua ſemper fecimus, refellere, aut ſaltem ſilentio præterire. Nos quidem, teſte Deo & conſcientia noſtra, ea firmiſſima eſſe putamus, & in hac diſputatione, quam tecum habuimus, nimium noſtri ipſorum amorem planè depoſuimus, & quàm diligentiſſimè fieri potuit, in ipſa verſati ſumus; nec tu ullos alios invenies umquam, qui veritatis ſint amantiores & ſtudioſiores, quàm nos ſumus. Utinam de te hæc eadem verè dicere & nos & alii poſſint. Certe ex ipſa hac diſputatione noſtra, periculum eſt, ne quis, te tuis potiùs opinionibus, quàm veritati addictum eſſe, meritò ſuſpicetur.

FINIS.

INDEX

INDEX PARTIUM, ET CAPITUM

Diſputationis de Jeſu Chriſto Servatore

PARS PRIMA.

IN qua refelluntur rationes, quas Covetus, ad ſuam ſententiam confirmandam, & Socini convellendam, ex Sacris Litteris ductas afferre tentavit. Pag. 121

CAP. I. *Reſellitur ratio à divina juſtitia ducta; & oſtenditur, nullam Dei juſtitiam omnino poſtulaſſe, ut peccata noſtra punirentur.* Ibidem.

CAP. II. *Ratione liberationis ab æterna morte, ac ſalutis noſtræ per Chriſtum breviter expoſita, oſtenditur, Chriſtum, ſervatorem noſtrum vel ob id merito dici, quòd ſalutis æternæ viam nobis annunciaverit; iis refutatis, quæ in contrarium Adverſarius attulerat.* Pag. 124

CAP. III. *Docetur. Chriſtum meritò ſervatorem noſtrum dici eam ob cauſſam, quòd ſalutis æternæ viam nobis confirmaverit, Adverſarii objectione diluta.* Pag. 127

CAP. IV. *Demonſtratur, refutatis Adverſarii objectionibus, nos Chriſtum imitari poſſe, hancque eſſe æternæ ſalutis viam: ob idque Chriſtum jure Servatorem noſtrum appellari.* Pag. 128

CAP. V. *Explicatur, quomodo Chriſtus, à mortuis reſurgendo, ſalutis æternæ viam nobis oſtenderit, ac propterea noſter ſervator ſit: refutatis Adverſarii objectionibus.* Pag. 130

CAP. VI. *Probatur, refutatis Adverſarii contrariis ratiocinationibus, Chriſtum ideo Servatorem noſtrum & eſſe & nominari, quod ipſe vitam æternam nobis daturus ſit. Cujus rei efficiendæ poteſtatem eum, ut hominem & mediatorem, habere demonſtratur.* Pag. 132

CAP. VII. *Reſpondetur rationi ex nomine Mediatoris Chriſto attributo ducta; & oſtenditur, eo nomine nullam divinæ juſtitiæ exhibitam ſatisfactionem, ſed nec ullam iræ Dei placationem ſignificari.* Pag. 134

CAP. VIII. *Refutatur ratio ducta ex reconciliatione noſtra cum Deo per Chriſtum facta; ac docetur, nullo modo inde conſequi, quòd Chriſtus iræ Dei pro nobis ſatisfecerit eamque placaverit. Et, brevi ad hoc & ſuperius caput appendice addita, tota hæc diſputatio de Socini ſententia à Coveto impugnata concluditur.* Pag. 136

Diſputationis de Jeſu Chriſto Servatore

PARS SECUNDA.

IN qua reſpondetur ad ipſa Sacrarum Litterarum teſtimonia, quæ Covetus pro ſua ſententia confirmanda vel protulit, vel proferre poterat. Pag. 140

CAP. I. *Revocatis ad certa quædam capita Adverſarii teſtimoniis, oſtenditur, redemptionem noſtram per Chriſtum factam, eſſe metaphoricam, id eſt, in ea peragenda nullum verum pretium interveniſſe, ſive nihil cuiquam pro nobis ſolutum fuiſſe.* Ibidem.

CAP. II. *Explicatur diligentiùs tota redemptionis noſtræ per Chriſtum metaphora; & interim non pauca ex iis ſacris teſtimoniis explanantur, in quibus de redemptione iſta agitur, quæ per ipſam Chriſti mortem & ſanguinis fuſionem nobis contigerit.* Pag. 143

CAP. III. *Explicatur, unde fiat, ut non potiùs Chriſti reſurrectio, quàm mors, redemptionis noſtræ pretium dicatur; cum tamen per Chriſti reſurrectionem maximè nobis liberatio iſta contigerit. Et reliqua teſtimonia ſacra explanantur, in quibus redemptionis noſtræ per Chriſtum ejuſve mortem factæ ſit mentio.* Pag. 146

CAP. IV. *Explanantur loca ſacrarum litterarum, in quibus ſimpliciter dicitur, aut Chriſtum portaſſe peccata noſtra, aut quidpiam ſimile; atque oſtenditur, hinc minimè concludi debere, Chriſtum omnes pœnas pertuliſſe, quas nos propter peccata noſtra pendere debuiſſemus.* Pag. 148

CAP. V. *Tria Eſaiæ prophetæ loca* cap. 53. *expenduntur atque explicantur, ex quibus colligi poſſe videtur, Chriſtum perſolviſſe pœnas noſtrorum peccatorum, ejuſque morte iræ Dei pro nobis ſatisfactum fuiſſe; hæcque minimè inde colligi poſſe demonſtratur.* Pag. 150

CAP. VI. *Expenditur locus* 1 Pet. 2. verſ. 23. *Et docetur, ibi nec verbis nec ſententiâ dici, Chriſtum ſuo corpore in cruce peccatorum noſtrorum pœnas ſuſtinuiſſe. Oſtenditur inſuper, etiamſi & apud Eſaiam & apud Petrum ea legerentur, quæ Adverſarius putat, non tamen ipſius ſententiam inde confirmatum iri.* Pag. 151

CAP. VII. *Explicantur ea ſacra teſtimonia, quæ affirmant, Chriſtum propter peccata noſtra, ſive pro peccatis noſtris mortuum fuiſſe; & planum fit, inde minimè colligi poſſe, Chriſtum morte ſua pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe.* Pag. 153

CAP. VIII. *Reſpondetur ad ea loca, in quibus ſcriptum eſt, Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum eſſe; ac potiſſimùm demonſtratur, dictionem Pro, in ejuſmodi locutione, nullo modo ſignificare Vice, ſeu Loco.* Pag. 154

CAP. IX. *In primis adverſarii verbis quatuor errata indicantur; & interim quædam explicantur, quæ ad totam hanc de Chriſti mortis cum legalibus ſacrificiis collatione tractationem, viam quodammodo ſternere poſſint.* Pag. 156

CAP. X. *Ex adumbratione mortis Chriſti in Legis ſacrificiis expiatoriis, nullo modo poſſe colligi, Chriſti mortem pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe.* Pag. 157

CAP. XI. *Docetur, nuſquam ullo pacto dictum fuiſſe, ſacrificia illa legalia pro peccatis ſatisfacere.* Pag. 158

CAP. XII. *Explicatur ratio & finis illius anniverſarii ſacrificii, de quo præcipuè ac pleniſſimè ſcriptum eſt Levit. cap. 16. & oſtenditur, nihil inde elici poſſe, quod iis, quæ hactenus diſputata ſunt, quidquam adverſetur.* 160

CAP. XIII. *Facta collatione ipſius mortis Chriſti cum legalibus victimis expiatoriis, & quomodo in expiandis peccatis conveniant, oſtenſo; planum fit, per Chriſti mortem longè alia ratione expiari peccata noſtra, quàm divinæ juſtitiæ pro illis ſatisfaciendo.* Pag. 162

CAP. XIV. *Incipit oſtendi, ipſam Chriſti mortem multo plus efficere in expiandis peccatis noſtris, quam efficerent victimæ illæ legales, adeoque ipſum illud anniverſarium ſacrificium, in expiandis peccatis, pro quibus offerebantur.* Pag. 163

CAP. XV. *Per occaſionem explanandi locum ad Hebr. 9. verſ. 13, & 14. docetur, oblationem Chriſti expiatoriam peractam fuiſſe in cælo; & concluditur demonſtratio ex eodem loco, quomodo per Chriſti mortem à peccatorum noſtrorum pœnis perpetuo liberemur.* ibid.

CAP. XVI. *Per Chriſti mortem homines à peccando retrahi; legales autem victimas neque hanc vim, neque alteram illam habuiſſe, ut in perpetuum à reatu & pœna peccatorum illorum liberarent, propter quæ expianda offerebantur.* Pag. 166

CAP. XVII. *Explicantur quædam ſacra teſtimonia, quæ Adverſarii ſententiæ favere videntur; &, re quadam expreſſa, in qua mors Chriſti legales victimas in peccatis expiandis præcipuè excellit, itemque alia, in qua illarum eſt diſſimilis: tractatio hæc collationis inter ipſam, & illas abſolvitur atque concluditur.* Pag. 168

CAP. XVIII. *Ex ipſa adumbratione Chriſti mortis in legalibus victimis, quid eandem mortem in expiandis peccatis noſtris præſtare, intelligendum ſit, breviter exponitur; & diſcrimen Veteris & Novi Fœderis in expiandis peccatis attingitur.* Pag. 169

CAP. XIX. *Ex eo, quod Chriſtus in ſummi legalis pontificis perſona adumbratus fuerit, minime concludi poſſe, Chriſtum pro peccatis noſtris Deo ſatis feciſſe; ſed neque inde probari, Deum à Chriſto nobis placatum fuiſſe.* Pag. 170

CAP. XX. *Collatione facta inter legalem pontificem, & Chriſtum, oſtenditur, qua ratione Chriſtus peccata noſtra expiaverit; & pro eis illum minimè Deo ſatisfeciſſe, eumve nobis placaſſe, docetur, exinde ratio prædictæ expiationis noſtræ pleniùs explicatur, & confirmatur.* p. 172

CAP. XXI. *Ex eadem collatione colligitur* (id quod etiam *divinis teſtimoniis confirmatur*) *Chriſtum noſtrorum peccatorum expiationem, antequam poſt mortem ſuam in cælum ingrederetur, non peregiſſe. Quinetiam, ibi in*

cælo

cælo ipſum peccata noſtra perpetuo expiare, iiſdem ſacris teſtimoniis demonſtratur, atque ex eadem collatione oſtenditur; quamvis ea in re aliqua diſſimilitudo indicetur. Pag. 173

CAP. XXII. *Chriſtum non minus, quam legalem pontificem pro ſe quoque obtuliſſe oſtenditur; non quidem ex ipſa hujus collationis vi, ſed ex apertiſſimis epiſt. ad Hebr. teſtimoniis; quidque id ſibi velit, dilucide explicatur; & inde Chriſtum per ſatisfactionem peccata noſtra minime expiaſſe, evincitur.* Pag. 175

CAP. XXIII. *Oſtenditur, Chriſtum revera ſacerdotem non fuiſſe ante ſuum in cælum ingreſſum, hacque in re legali pontifici eſſe diſſimilem; & paucis adjectis, tota hæc de ſacrificio Chriſti ejuſque in legalibus ſacrificiis adumbratione diſputatio concluditur. Inde explicatur locus Rom. 8. ab ipſo initio uſque ad verſ. 5. quod reliquum erat ex omnibus teſtimoniis ab Adverſario pro ſua ſententia allatis.* Pag. 177

CAP. XXIV. *Examinantur tria Pauli Apoſtoli teſtimonia, quæ pro Adverſarii ſententia afferri ſolent: nempe Gal. 2. verſ. 21. & cap. 4. verſ. 4. Coloſ. 2. 14. & planum fit, nihil in illis eſſe, quod ſuadere poſſit, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe.* Pag. 179

CAP. XXV. *Perpenditur diligentiſſime locus 1 Joh. 2. verſ. 12. & demonſtratur, opinionem iſtam ſatisfactionis Chriſti pro peccatis noſtris ex eo confirmari nullo modo poſſe; & finis ſit reſpondendi ad teſtimonia, quæ pro Adverſarii ſententia proferri ſolent.* Pag. 182

CAP. XXVI. *Examinantur duo loca Hebr. 9. verſ. 26. & Apoc. 13. verſ. 8. quatenus ex illis probari videtur, Chriſti mortem & ſacrificium ad eos etiam pertinuiſſe, qui ante ipſum fuerunt. Hinc enim putavit ipſe hujus diſputationis auctor forte ab Adverſariis concludi, Chriſti mortem ideo peccata noſtra expiaſſe, quod pro illis ſatisfecerit. Verum hujus argumentationis & aſſumptio & conſequentia falſa eſſe oſtenditur. Quo facto, Adverſarii ſententiam divinis teſtimoniis minime juvari poſſe, concluditur.* Pag. 184

Diſputationis de Jeſu Chriſto Servatore PARS TERTIA.

IN qua rationes, & teſtimonia explicantur, quibus evincitur, falſam eſſe ſententiam iſtam, quod Chriſtus morte ſua Deo, ſive ejus juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfecerit. Et reliquum argumentum quoddam ad eam confirmandam ab Adverſario allatum abunde refellitur. Pag. 187

CAP. I. *Deum jure potuiſſe nobis condonare peccata noſtra, nulla pro ipſis vera ſatisfactione accepta.* ibid.

CAP. II. *Deum voluiſſe nobis peccata noſtra condonare, nulla pro ipſis vera ſatisfactione accepta.* Pag. 188

CAP. III. *Nobis non pereuntibus, divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris nullo modo ſatis fieri potuiſſe.* Pag. 195

CAP. IV. *Chriſtum, pœnarum, quas nos, ex lege Dei, ſubire tenebamur, ſolutione, divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere non potuiſſe.* Pag. 197

CAP. V. *Chriſtum, eorum, quæ nos ex lege Dei facere debebamus, præſtatione, divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfacere non potuiſſe.* Pag. 202

CAP. VI. *Concluditur ex ſupra diſputatis, Chriſtum non potuiſſe divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfacere; idque amplius confirmatur; atque oſtenditur, vera & propria Chriſti merita ex Adverſariorum ſententia ſtatui: quæ cum Dei gratia manifeſte pugnant.* Pag. 204

CAP. VII. *Argumentum, quo maxime probari credebat Adverſarius, Chriſtum mortuum fuiſſe, ut pro peccatis noſtris ſatisfaceret, nullius momenti eſſe, breviter primum demonſtratur.* Pag. 205

CAP. VIII. *Argumentationis Adverſarii propoſitionem, Neminem mori, niſi pro peccatis aut ſuis aut alienis, falſam & ineptam eſſe, de quacumque tandem morte eam interpretari velimus, apertè oſtenditur.* Pag. 207

CAP. IX. *Adverſarii indicata propoſitio, dum penitiùs examinatur, magis etiam & falſa & inepta demonſtratur, & quòd Chriſtus ſit mortuus, nec tamen illi peccata noſtra imputata fuerint, hoc vel maximè Dei juſtitiam commendare, ratione concluditur.* Pag. 209

CAP. X. *Non potuiſſe Chriſto à Deo peccata noſtra imputari, niſi, ut ſibi imputarentur, commeritus fuerit, ex quo Adverſarii argumentum, cui tantopere fidebat, multò magis & inutile & ineptum eſſe concluditur.* Pag. 211

CAP. XI. *Ex Coveti ſuorumque ſententia multa mala, ex Socini vero, nulla prorſus provenire poſſe, demonſtratur.* Pag. 212

Diſputationis de Jeſu Chriſto Servatore PARS QUARTA.

IN qua Coveti ſententiæ appendices quædam maximi momenti diligenter examinantur. Pag. 213

CAP. I. *Explicatur opinio Adverſarii de imputatione ſatisfactionis Chriſti per fidem, ejuſque abſurda quædam attinguntur; deque ea diſputandi ordo proponitur.* Ibidem.

CAP. II. *Nullo pacto, ut rectè dictum, ſuſtineri poſſe id, quod Covetus affirmat, videlicet, Chriſti ſatisfactionem nobis imputari.* Pag. 214

CAP. III. *Perperam ab Adverſario dictum fuiſſe, per fidem nobis impurari, id eſt applicari ſeu impartiri Chriſti ſatisfactionem.* Pag. 216

CAP. IV. *Chriſti juſtitiam nobis imputari, merum commentum eſſe oſtenditur, iis Scripturæ locis examinatis omnibus, ubi imputationis fit mentio, quæ in ſalute nobis per Chriſtum parta interveniat.* Pag. 217

CAP. V. *Oſtenditur, nullo modo ex loco 1 Cor. 1. 30. colligi poſſe, Chriſti juſtitiam nobis imputari.* Pag. 220

CAP. VI. *Idem demonſtratur de loco Rom. 3. 12, &c. cujus rei gratiâ illa, quam Paulus ibi inſtituit, Chriſti cum Adamo collatio diligenter explicatur; & totus locus haud mediocriter illuſtratur.* Pag. 221

CAP. VII. *Eos, qui ſalutis nobis per Chriſtum partæ participes ſint futuri, neceſſe habere, ut revera ſint pii, & revera, non imputatione tantùm, ſanctè atque innocenter vivant.* Pag. 227

CAP. VIII. *Ex ante dictis breviter indicatur abſurditas ejus ſententiæ, quod nobis Chriſti juſtitia imputetur, quia credamus, illum pœnas peccatis noſtris debitas perſolviſſe. Hæcque de Chriſti juſtitiæ imputatione diſputatio concluditur.* Pag. 229

CAP. IX. *Credere, per ea, quæ paſſus eſt Chriſtus, noſtra peccata deleta fuiſſe, nullo modo eam fidem in Chriſtum eſſe poſſe, qua juſtificamur.* ibidem.

CAP. X. *Reſpondetur ad rationes, & teſtimonia, quæ ſuadere videntur, fidem in Chriſtum, qua juſtificamur, eſſe, credere, per ea quæ paſſus eſt Chriſtus, deleta fuiſſe peccata noſtra.* Pag. 233

CAP. XI. *Explicatur ſatis accuratè ac diligenter, quidnam ſit ea in Chriſtum fides, qua coram Deo juſtificamur, nec non, qua fide ipſe Abrahamus, qui omnium noſtrûm eſt pater, juſtificatus fuerit.* Pag. 234

CAP. XII. *Ordine propoſito, Adverſarii dicta refellendi, quomodo fides in Chriſtum donum Dei ſit, breviter explicatur & confirmatur. Inde cauſſa exponitur, cur ex iis, quibus Chriſtus annunciatur, quidam credant, quidam verò non credant.* Pag. 239

CAP. XIII. *Reſpondetur ad teſtimonia, quæ Adverſarius pro ſua ſententia, quomodo Chriſtus ſit Dei donum, protulit. Cujus rei occaſione, de divina ad vitam æternam prædeſtinatione, deque humanis in fide Euangelio adhibenda, viribus, nonnihil diſputatur.* Pag. 242

CAP. XIV. *Gratiæ aguntur adverſario pro ipſius benevolentia & humanitate. Excuſatur reſpondendi ad ejus ſcriptum tarditas: & de cætero quid illi faciendum ſit oſtenditur*

INDEX RERUM & VERBORUM,

Phraſiumque S. Scripturæ memorabilium.

In quo numerus Latinus I. & II. primum ſecundumque Tomum, vulgaris vero additus, aut ſequens, Tomi indicati paginam, & a. b. primam aut ſecundam paginæ columnam, denotat.

A.

Quondam, à diebus ſeculi, quid ſignificat. II. 606. *a.*
Abominatio deſolationis quid ſit. I 482.
Abrahamus an ex operibus juſtificatus ſit? II. 236. *a.* Fides ejus quid fuerit & in quibus rebus conſtiterit. *ibid.* & ſeq. In Abrahamo primum fuit juſtificatio inchoata, cum Deo promittenti crederet, ſed perfecta fuit, cum in omnibus paruiſſet. II. 101. *b.*
De actionibus humanis bonis & malis. I. 368. *a.* & ſeq.
Adamus ante lapſum mortalis fuit, quod probatur. I. 537. *a.* an habuerit ante lapſum, juſtitiam aliquam originalem. I. 539. *a.* an immortalis fuerit ante lapſum. II. 258. & ſeq. & quatenus mortalis 274 *a.* ejus cum Chriſto comparatio quam vim habeat. II. 343. *b.* quomodo poſteritatem ſuam in eandem ſecum ruinam & mortem præcipitaverit. II. 222. *a.* quo pacto typus ſit futuri Adami, ſeu Chriſti. 223. *a.* in Adamo quomodo omnes mori dicantur? qua ratione mors æterna ab Adamo in poſteros ejus dimanarit. *ibid.*
Adorare Chriſtum omnes Chriſtianos poſſe. I. 387. *a.* vide *Chriſtus*. an id facere teneantur. I. 98. *a.* 390. *b.* & ſeq. 404. *a.* & ſeq. 412 *a.* & ſeq. I. 483. & ſeq 669. *a.* 681. & ſeq. vide Chriſtus. adorari nec Angeli nec homines ſub N. T. debent, & quare. I. 483.
Adoratio quid proprie ſignificet. I. 398.
Adumbratio perſonæ Chriſti, in legali Pontifice, nec in Sacrificiis, nec aliis rebus, ſatisfactionem pro peccatis noſtris, vel iræ divinæ placationem evincit. II. 170. & ſeqq.
Æternitas Chriſto tributa quomodo accipienda. II. 606 *a.*
Ἀγαπάω plus ſignificat quam diligo I. 211. *a.*
Agni inculpati & immaculati ſimilitudo in Chriſto, an aliud ſignificet, quam leonis, quæ ei poſt mortem adſcribitur II. 6. & ſeq.
Almah virginem denotari probatur I. 297. *b.* & ſeqq.
Altiſſimi nomen an Chriſto tribuatur II. 603. *a.*
Amen, quam vim habet I. 55. *a.*
De Amphibolia I. 638. & ſeqq.
Ananias à Petro punitus, an argumentum præbeat pro repetitione ſuorum per Magiſtratum II. 90. *a.*
Angariare quid ſit II. 25. *b.*
Animalis Homo quis II. 347. *a.*
Anti-Chriſtus quis ſit I. 216, 217. quando extiterit I. 345. *b.* ejus ſpiritus jam tempore Apoſtolorum, in mundo extitiſſe dicitur. *ibid.*
Apex quid Hebræis ſignificet I. 12. *b.*
Apoſtoli & Prophetæ cur non appellentur in S. Literis Salvatores, cum tamen homines per doctrinam ſuam ad ſalutem æternam perduxerint II. 125. *b.*
De libero arbitrio I. 780. *a.*
Argumenta demonſtrantia in Religione non dari nec eſſe neceſſaria I. 279. *b.* & ſeq.
Ariæ Montani verſio in innumerabilibus locis Socino non placet I. 211. *b.*
Ariani qui I. 329. *a.* refutantur I. 656. *a.*
De Athanaſii fucata pietate I. 330. *a.*
Attributa Dei Chriſto attributa, quid evincant II. 606. *a.*

B.

BAptiſmum & S. cœnam adminiſtrare licet cuivis Chriſtiano I. 325. *b.* 384. *a.* De baptiſmo I. 350. *b.* & ſeq. 383. *b.* & ſeq. illum non in perpetuum inſtitutum eſſe. *ibid.* an ſit res indifferens I. 428 & ſeq. an neceſſario ſuſcipi debeat I. 430 & ſeq. 458, 467. baptiſmum ad ſalutem non eſſe neceſſarium iis qui in Chriſtiana religione ſunt educati I. 710. & ſeq. cur Chriſtus baptizatus fuerit I. 722. *a.*
Baptizare in nomine Spiritus S quid I. 435. *a.*
Battologia quid ſit I. 39. *b.*
Bellum gerere Chriſtianis eſſe illicitum I. 463, *a.* Item II. 6. & ſeqq.
Beſtiam Romanum imperium denotare Apoc. 13. 3. I 479. *b.* quomodo bellum cum Sanctis ſit geſtura 480 *a, b.*
Beſtiæ an poſſint peccare & merito à Deo puniri II. 309. & ſeq. an immortales fuerint creatæ 310. *b.* & an propter Adami delictum immortalitate fuerint privatæ 209. & ſeqq. & an etiam ultimo die ſint reſurrecturæ & immortalitate donandæ 320. *a.* & ſeq. De Beſtiis Apocalypticis II 448. *b.* quid ſignificent 449 *a.*
Blaſphemia in Sp. Sanct. vide peccatum.
Bonum quomodo dicatur à Moſe id quod Deus creavit Gen. 1. 10. II. 276 & ſeq.

C.

CÆlum & terram vere aliquando eſſe peritura II. 302. *b.* & ſeq.
In *Carne* veniſſe Chriſtum confiteri quid ſignificet I. 212. *b.* & ſeq. De *carne* Chriſti, an eam ex cœlo deduxerit II. 461 & ſeq.
In Cathedra Moſis ſedere quid ſignificet II. 98. *b.*
Cerinthi & Ebionis ſententia I. 7 . *b.* 329 *a.*
Charitas ſub Euangelio quid complectatur I. 172. *b.* & qua in re à legali differat 172 & ſeq. quo ſenſu major fide & ſpe, ſemperque duratura dicatur 1 Cor. 13. 13. I. 448 & ſeq.
Chiliaſtarum opinio refellitur II. 446. *b.* & d. 457. d.
Chriſtus an novam legem dederit I 9. *b.* & ſeq. quomodo legem impleverit I. 10. *a.* 13. *a.* & eandem non ſolverit *ibid.* an ſemper & unquam ipſum invocare teneamur I 60. *b.* & an liceat ipſum invocare *ibid.* ſine Chriſti cognitione an quis poſſit ſalvari I. 246 & ſeq. an non ſit verus Deus, ſi creator cœli & terræ non ſit I. 285. an abſolute neceſſe fuerit ut ex virgine naſceretur I. 315. *b.* an ſit adorandus. Vide *adoratio*. an in cruce ſeipſum victimam Deo obtulerit I. 403 & ſeq. propter Chriſtum an Deus peccata remittat I. 437. *b.* an ſit Deus altiſſimus I. 465 & ſeq. 782 & ſeq. ejus imperium quouſque ſe extendat I. 472. *a.* an neceſſario obediens eſſe & ſalvari debuerit. Author id concedit I. 564. *a.* an antequam munus ſuum abiret, in cœlo fuerit I 675. *a.* officia ejus quænam I. 775 & ſeq an ante mortem alias leges tulerit, & alio modo ſe adverſus peccatores geſſerit quam poſt mortem II. 6 & ſeq. an Legiſlator fuerit II. 9. *b.* Chriſtum poſt adſcenſionem in cœlum, regnum ſuum in terris per ſeipſum adminiſtraſſe probatur II. 111. *a.*

Index rerum & verborum Phraſiumque.

& ſeq. quam ob cauſam merito Servator noſter dicatur I 124 *b.* nempe inter alia quia viam ſalutis nobis confirmavit II. 127. *b.* & ſeq. quomodo peccata noſtra expiaverit II. 172. & an id in terris an in cœlo fecerit 173. pro ſe quoque obtulit 175. ante ingreſſum in cœlum revera Sacerdotem non fuiſſe 164. *b.* 177. *a.* non ſolum miraculis, ſed etiam ſanguine ſuo viam ſalutis confirmaſſe II. 127. *b.* non fuiſſe Sacerdotem ante ingreſſum ſuum in cœlis II. 178. *a.* & ſeq. pro nobis non præſtitit ea quæ lex Dei facere nos jubet II. 199. *b.* an iiſdem membris quæ ante reſurrectionem habuit, poſt eandem præditum fuiſſe probari poſſit II. 336. *a.* de Chriſti natura II. 375 & ſeq. Chriſtum eſſe creaturam II. 379. *a.* quomodo ante Abrahamum fuerit *ibid. b.* an non poſſit adorari niſi ſit Deus altiſſimus 385. *b.* quando ſeipſum Deo ut Sacerdos obtulerit 392. *b.* & ſeq. Chriſti cum legali Pontifice comparatio *ibid.* & de ſatiſfactione & in prælectionibus paſſim. non eſſe Deum ſummum 436. & ſeq. an antequam è Maria naſceretur, fuerit Dei Filius unigenitus 493 & ſeq. quam pauper fuerit 502 & ſeq. quomodo ante reſurrectionem ſuam in cœlis fuerit 510. *a.* & ſeq. an ſeipſum ex mortuis ſuſcitaverit 513. & ſeq. quomodo ab Iſraëlitis fuerit tentatus 541. *b.* Chriſtum pro ſeipſo quoque obtuliſſe I. 598. *b.* quomodo filius Davidis dicatur in Euangelica Hiſtoria I. 148. *a.*

Chriſtus quomodo & qualis filius Dei ſit II. 573. *a.* an invocari debeat II. 713 & ſeq Eccleſiam an in cœlis exiſtens regat ac gubernet 728 & ſeq.

Chriſti concio Matth. 5, an eadem ſit cum illa quæ Luc. 6 habetur I. 1. *a.* an ad omnes Chriſtianos, an vero ad ſolos Apoſtolos pertineat I. 5. *b.* & ſeq. 6. *b.* II. 9 & ſeq.

Chriſtiani quinam vere dici poſſint I. 503. *b.*

De Cœna Domini I 755 & ſeq. in quem finem ſit inſtituta, & in quibus rebus conſiſtat, *ibid.* an nobis Dei benevolentiam teſtetur II. 754. *b.*

Cognitio Dei in quibus rebus conſiſtat I. 166, 345. *b.* 651 & ſeq. de Cognitione Chriſti I. 653. *b.*

Comedere & bibere an in vita æterna locum ſit habiturum II 337. *a.*

De Conciliis I 330. *a.*

Concio Chriſti Matth. 5, an diverſa ab illa ſit quæ Luc. 6 habetur, & cur multum referat id ſcire I. 5. *a.* 6. *b.* & ſeq. Vide Chriſti concio &c.

Concionatorium munus exercere cuivis Chriſtiano licet, etiam adminiſtrare Sacramenta I. 325. *a.* & ſeq etiam cum ordinarii doctores ab eccleſia ſunt conſtituti I. 376. *a*

Confiteri peccata quid I. 62. *a.*

Conſenſus Doctorum vel Eccleſiarum in opinibus nullam vim habet nec authoritatem ut propterea aliquid credere vel rejicere debeamus I 343. *b.* & ſeq.

Cordis mundities quid. I. 3 *a.*

Creare pro regenerare 527 & ſeq.

Creaſſe dicitur Deus omnia per Chriſtum, & quomodo. II. 927.

Creatio cœli & terri, ad Chriſtum quomodo referatur, & cur. II. 914. *a.* corr. 614. & ejuſdem conſervatio *ibid. b.*

Creatura omnis an ante lapſum Adami immortalis fuerit à Deo creata II. 270 & ſeq. an & qualis cultu religioſo affici poſſit 700 & ſeq.

De cauſis cur Euangelio *creditur* aut non creditur II. 455 & ſeq.

D.

DAvidis uxores quomodo Deus Abſalomo ſtuprandas dediſſe dicatur I. 562. *a.* quomodo eum Deus incitaverit ad populum numerandum *ibid. b.*

Defectio an impediat Eccleſiæ reſtaurationem I. 373. *b.* & ſeq.

Deum eſſe credere, naturæ humanæ non inſitum eſſe I. 537. *b.* ad Dei cognitionem quo modo homines pervenire queant I. 538. *b.* De Dei attributis I. 682. & ſeq.

Deus an quod ſemel mandavit vel permiſit, non poſſit poſtea mutare II 103. *a.* De Deo Trino & Uno II. 423 & ſeq. facere dicitur *Deus* ea quæ per alios facit II. 658. *a.*

Deus gloriæ & rex gloriæ an Chriſtus dicatur, & quid inde concludi poſſit II. 603. *b.*

Διὰ pro *per* II. 165. *b.*

Diabolus cur tantopere nobis adverſetur 153. *a.* qualis fuerit creatus *ibid. b.*

Dignitas perſonæ Jeſu Chriſti non poteſt efficere ut paſſiones ipſius pretii valorem æquent II. 199. *a* & ſeq.

Dimittere uxorem an & quatenus liceat I. 21. *a.*

E.

EBionis & Cerinthi ſententia I. 77. *b.* 329. *a.*

Ebrietas an in V. Teſtamento fuerit prohibita 69. *b.* & ſeq.

Eccleſia Chriſti quid ſit I. 323. *b.* 345. *a.* deficere poſſe & errare, ſalva veritate & in Scriptura ſuperſtite I 323. *a.* veritati pondus & authoritatem minime dat, neque ante inquiſitionem veritatis ex notis aliquibus cognoſcitur I. 324. *a.* ex Eccleſiis Chriſtianis cui ſe adjungere quis debeat plane incertum eſſe I. 517. & ſeq.

Eccleſia viſibilis an ſemper exiſtere debeat I. 329. *a.* 341. *b.* de notis Eccleſiæ I. 342. *a.* de Eccleſiæ defectione plena, ejuſque inſtauratione I. 345. *b.* 347. *b.* & ſeq. 373. *b.* & ſeq. 374. *b.* & ſeq. quæ cauſa ſit defectionis 346. *a.* an plures Eccleſiæ, ſententiis diſcrepantes eſſe poſſint 347. *a.* nulli earum Chriſtianus ſe merito interdum adjungit 349. *a.* De Eccleſiæ ſenioribus. vide Seniores. an aliqua exiſtat eccleſia I. 373. *b.* & ſeq. & an quæ ſit viſibilis 501. *b.* an poſſit errare I. 501. *a.* & ſeq.

Ab Eccleſia particulari quando & quibus ſeſe ſejungere liceat I. 381. *a.* & cui nos adjungere debeamus *ibid.*

Electi qui? I. 557. *a.* dicunturque electi ad gratiam, à quibus male diſtinguuntur electi ad gloriam *ibid.* ſtrictior electorum ſignificatio quæ *ibid. b.* quomodo pauci dicantur, multi vero vocati? 558. *a.*

Eleemoſyna quid & quomodo aut in quos eroganda? I. 36. *b.* & ſeq. 38. *b.*

Eſurientes quinam tum apud Lucam, tum apud Matthæum intelligantur? I. 2. *b.*

Et pro ſed I. 19. *b.* 73. *a.* 76. *a.* pro aut I. 7. *a.*

Euangelicorum multa dogmata quam ſint noxia I. 694. & ſeq.

Euangelio qui fidem adjungunt pauciſſimos eſſe demonſtratur I. 276. *b.* & ſeq. an Euangelium à Chriſto prædicatum, diverſum fuerit ab eo quod Apoſtoli poſt ejus mortem annunciabant? II 100. *b.* & ſeq.

Euchariſticus ritus Chriſtianorum à quovis Chriſtiano adminiſtrari poteſt I. 383 *b.* quid ſit, & an Chriſti corpus in ea comedatur I. 433.

Execratio, quomodo Chriſtus factus ſit I. 142. *b.*

F.

FAlſa in N. Teſtamento non reperiri I. 267. *a.*

Fides qua juſtificamur quid ſit I. 610. *b.* II. 230. *a.* & ſeq. quomodo ante legem non extiterit, & tamen homines per fidem juſtificatos eſſe aſſerat S. Scriptura I. 619. *b.* fidei cur ſalus adſcribatur? I. 622. *a.* De fide & operibus I. 622. *b.* & ſeq. *fides* & obedientia ſæpe in S. Literis pro eadem re ſumuntur & quare II. 238 *b.* quomodo ſit donum Dei 239. *b.* & ſeq. cur eam multi non recipiant *ibid.*

Fides ſalvifica quid ſit II. 234. quomodo ſit Dei donum II. 239.

Ob furtum an aliquem vita privare liceat I. 494. *b.* & ſeq.

Index rerum & verborum Phraſiumque.

G.

GEhenna quid I. 15. *a.*
Genealogiæ Chriſti à Matthæo & Luca deſcriptæ defenſio & conciliatio 306. *b.* & ſeq.
Generare an in Deum cadat I. 473.
Gratiæ divinæ tempus poſt Chriſtum exhibitum, quandiu durare debeat II. 57. *a.*

H.

HÆreſiarcha quid ſit, & an is Socinus fuerit I. 474. *b.* & ſeq.
Heli filii quomodo dicantur Patris monitis non auſcultaſſe, quia Deus eos volebat interficere I. 562. *a.*
Hircus emiſſarius, quomodo peccata abſtulerit II. 149. *b.*
De ſtatu primo Hominis ante lapſum II. 257 & ſeq. an à Deo immortalis ſecundum animam ſit creatus, vide *Adamus.*
Hoſtes, vide *Inimici.*

I.

JEhovæ nomen, quatenus Dei ſit proprium I. 472. *a.*
De Jejunio, vide I. 61 *a.* & ſeq. id eſſe bonum opus I. 63. *a.* & an per ſe an vero per accidens 65. *a.* de iis quæ cum jejunio conjungi ſolent I 66. *a.* precibus nimirum & eleemoſyna. an jejunandi præceptum in N. F. extet 68. *a.*
Nomen *Jehovæ* Chriſto an tribuatur in S. Literis. & quid inde concludi poſſit II. 601. *b.*
Imago Dei, quid I 539. *b.* cur Chriſtus dicatur 527. *a b.*
Imitari nos poſſe Chriſtum probatur II. 128. *b.*
Immenſitas an & quo ſenſu Chriſto tribuatur II. 610. *a.*
De *imperio* Chriſti divino I. 655. *b.*
Impoſſibile quid II. 637. *b.* aliquid, varie dici poteſt *ibid.*
Imputari ad juſtitiam, quid II. 217 & ſeq.
Incarnatio Chriſti refellitur I. 784 & ſeq.
Inimici quinam ſint ſub V. & N. Teſtamento I. 32. *a.* quatenus olim ſub V. Fœdere & nunc ſub Novo diligi debeant I. 33. *a.* II. 28 & ſeq.
Injuriam an tolerare liceat II. 109. *b.*
Inquirere res ad religionem pertinentes omnes teneri I. 343 & ſeq.
Inviſibilis an dicatur Chriſtus II 603. *a.*
Invocatio pro cultu divino I. 248. *a.* Chriſti quomodo à nonnullis convellitur, & contra eoſdem evincatur II. 465 & ſeq. an cuiquam præter Deum & Chriſtum competat I. 59. *b.* eam Chriſto competere probatur *ibid.* & 60. *b.* 353. *a.* & ſeq. & an neceſſario ei ſit tribuenda II. 467. *a.* 713 & ſeq. Vide *Adoratio* & *Chriſtus.*
Iram divinam an Chriſtus ſuo ſanguine placaverit II. 375. *b.* 388. *a.*
Judas Iſcariotes, quomodo perierit ut Scriptura impleretur I. 563. *a.*
Jurare Deo quid I. 26. *b.* quatenus licitum ſit Chriſtianis I 24 & ſeq. & quomodo *ibid.* an & quatenus à Moſe permiſſum & à Chriſto prohibitum ſit II. 43. *b.* & ſeq 59 *b.* jurare per cœlum, templum, altare, quid ſit, & quomodo id Phariſæi & Scribæ intellexerint II. 95. *b.*
Juſtificationis noſtræ coram Deo ratio explicatur I. 564. *a.* & ſeq. 601 & ſeq juſtificari gratis & ex merito quid ſit I. 615 *a.* an abſque bonis operibus poſſimus juſtificari II. 101. *b.* 247 & ſeq.
Juſtitiam Dei nullo modo poſtulare ut omnia peccata noſtra punirentur II. 121 *a.* & ſeq. ei non potuiſſe ſatisfieri nobis non pereuntibus II. 197 & ſeq. Juſtitiæ Dei ne ab ipſo quidem Chriſto potuiſſe ſatisfieri I. 570. *a.* & ſeq. Chriſti nobis non potuiſſe imputari II. 217. & ſeq.
Juſtitia quid Matth. 5. 10. I. 4. *b.*

L.

LEgiſlator an Chriſtus fuerit, vide Chriſtus.
Lex Moyſis quomodo à Chriſto non ſoluta ſed impleta ſit I. 10. *a.* 31. *b.* an aliquid addiderit ad mores pertinens II. 14 *b.* Legis Moſaicæ & Euangelicæ quodnam ſit diſcrimen, & quibus in rebus conſiſtat II. 106 & ſeq.
Leges humanæ, quando cum Dei voluntate conſentiunt, pro divinis legibus eſſe habendas II 33 *a.*
Libros à ſe editos ante annum 1595. author recenſet I. 456. *a*
Λοιδορος quid ſignificet in N. Teſtamento II. 220. *a.*
Lux pro puritate I. 59. *b.* mundi omnes Chriſtianos denotare II. 12. *a.*

M.

MAgiſtratui an inter Chriſtianos ſit juſſum vel permiſſum talionis pœnam repetere I. 31. *a.* II. 9 & ſeq. quatenus id munus licitum ſit gerere Chriſtianis I 462. *b.* II 73. *a.* & ſeq. quatenus obedire ei teneamur II. 78. *b.* an patientia & charitas à Magiſtratu exigatur per Chriſtum II. 103. *a.* an ei à Deo leges dari non poſſint 104. *b.*
Majeſtas divina an Chriſto tribuatur & quomodo II. 611. *b.*
Malo an liceat reſiſtere I. 29. *a.* & ſeq. & quatenus I. 434. II. 19 & ſeq.
Malum nemini pro malo reddendum II. 19 & ſeq.
Mandata vide *præcepta*, & *Moſes.*
Maria virgo, mater Chriſti, an fuerit ex Davidica familia I. 316.
Martyres, quamvis in quibuſdam rebus erraverint, non fruſtra tamen fuiſſe paſſos I. 330. *b.*
Matthæus, cur à Luca in Chriſti genealogia deſcribenda differat I 148. *a.* ejus Euangelium an ab ipſo ſit conſcriptum I. 321. *a.* qua lingua *ibid b* & ſeq.
Mediatoris nomen, Chriſto tributum, nullam ſatisfactionem nec placationem includit II. 134 & ſeq
Miniſterium verbi divini, vide *munus concionatorum*, de miniſtris eligendis I. 347. *a.*
Miracula faciendi poteſtas quatenus ſolius Dei ſit propria I. 616. *b.* ad perſuadendum aliquid in religione quam efficacia eſſe dicantur 619. *b.* iis non veritas Euangelica, ſed fraus antichriſtiana indiget *ibid.*
Miſericordes quinam I. 2. *b.* & ſeqq.
Miſſale Romanum multa impia & horrenda Mariæ virginis partui tribuere I. 512. *b.*
Mors quando & quas ob cauſas pro aliis ſit ſubeunda I. 204 & ſeq.
Mortis Chriſti cum legalibus ſacrificiis comparatio II. 156. & quod ex illa comparatione ſatisfactio pro peccatis probari non poſſit 157, 162. *b.* quam vim habeat in nobis à peccando retrahendis 166 an ad eos pertinuerit qui ante ipſius adventum mortui ſunt, & quid inde concludi poſſit 184. mortis Chriſti cur tam crebro mentio fiat, cum de noſtra liberatione agitur II. 147. Chriſti quomodo nobis remiſſionem peccatorum pariat I. 577.
Mortis Chriſti fines & effectus I 577. cauſa impulſiva ſunt peccata *ibid.* ea quomodo credentes ſalventur I. 578 & ſeq.
Mors quænam in mundum ingreſſa ſit per unum hominem Adamum II. 329. *a.* & ſeq. pro morte æterna II. 342. *b.* & paſſim.
Moſes an revera ſit mortuus, & an revixerit I. 472. *b.* an eadem quæ Chriſtus præceperit II. 25 & ſeq. an ſua præcepta præceptis *Moſis* Chriſtus oppoſuerit II. 36 & ſeq. ejus legem quomodo correxiſſe dici poſſit II. 38. *a.* & ejus præceptis aliquid addidiſſe II. 39. *a.* *Moſis* cathedra quid ſit, vide *Cathedra.*
Mundities cordis quid I. 3. *a.*
Mundus quid ſignificet in S. L. I. 176 & ſeq.
Mutatio perſonæ in S. Literis frequens II. 559. *a.*

Index rerum & verborum Phraſiumque.

N.

De natura Chriſti I. 653. *b.* 782 & ſeq.
Nazarenum Chriſtum dictum iri, quomodo in Prophetis aut Scripturis contineatur I. 301. *a.*
Neceſſario neminem damnari aut ſalvari 553 & ſeq.
Nemen pro perſona I. 43. *a.*
Nomina Deo ſoli propria an Chriſto tribuantur in S. Lit. & quare II. 604. *b.*
Normam fidei eſſe S. Scripturam I. 512 & ſeq.
Novi Teſtamenti ſcriptorum veritas probatur I. 287 & ſeq.

O.

OBlationem Chriſti in cœlo fuiſſe peractam II. 163.
De *Officio* hominis Chriſtiani I. 780 & ſeqq.
Omnipotentia an & quo ſenſu Chriſto tribuatur II. 611. *a.*
Per opera neminem juſtificari quomodo Paulus neget, Jacobus vero affirmet I. 290. *a.* quid ſit non ex *operibus* juſtificari I. 620. *b.* De *operibus* & fide I. 622. *b.* & ſeq.
Orationem Dominicam an ſemper orare debeamus I. 57. *b.* inter orationem & invocationem quæ ſit differentia *ibid.* Orare Deum an in V. T. fuerit mandatum, I. 58. *a.* cur orare debeamus 159. *a.* pro inimicis quatenus teneamur II. 64. *b.*

P.

PAcifici qui I. 3. *b.*
Panis ἐπιούσιος quid ſit I. 45 & ſeq. angelorum quis II. 339. *a.*
Paradiſus qualis hortus fuerit II. 292. *a.*
Patres antiqui an ſpem ac fidem in Chriſtum habuerint I. 352 & ſeq. 397. *b.* 620. *a.* II. 226. antiqui inter Chriſtianos, quam authoritatem apud nos obtinere debeant II. 617. *b.* quid eorum multi de Chriſto ſenſerint 618. *b.*
Paulus Apoſtolus, an cap. 7. ad Rom. ſub ſua ipſius, an vero alterius irregeniti perſona loquatur 189 & ſeq.
Pauli appellatio ad Cæſarem an vocationem in jus licitam eſſe probet II. 868. an Magiſtratui Philippenſi minatus fuerit 87. *a.*
Pauperes ſpiritu, quinam dicantur I. 1. *a.* II. 11. & an apud Lucam pauperes proprie dicti intelligantur *ibid.*
Paupertas animi duplex eſt, ſumitur enim etiam pro humilitate. non tamen ſola paupertas ad ſalutem ſufficit *ibid.*
An ſancti ſemper peccaverint I. 109. *b.* peccare ad mortem quid ſit I. 250 & ſeq. peccatum in Sp Sanctum quodnam ſit I. 253 & ſeq. peccata remittere an poſſint Sacerdotes & quomodo I. 338. *b.* 339 *b.* & ſeq.
Peccata quænam intelligantur, quorum veniam petimus in oratione Dominica I. 49. *habere peccatum* quid ſit I. 161. *a.* 162. *b.* confiteri peccata quid 162. *a.* Peccatum originis an detur & quale I. 540. *a.* peccata noſtra quomodo coram Deo deleantur 565. *b.* peccata noſtra non potuiſſe Chriſto imputari, niſi id commeritus fuiſſet II. 211.
Peccare quid ſignificet 1 Joh. 2. 1. I. 163. *b.* peccata auferre quid ſit 192. *b.* & ſeq. in nullo peccato manere debere qui ſalvus vult fieri I. 693. *b.* & ſeq. peccata noſtra quomodo Chriſtus *portaverit* II. 148. *b.* & expiaverit 172. *b.* & ſeq. & quando id fecerit 174. *a.* auferre multorum, quomodo Chriſtus dicatur I. 577. *a.*
Perſona quid I. 685. *b.*
Perſonæ 3 in Deo, vide, Pluralitas perſonarum.
Petrus Apoſtolus an Princeps Apoſtolorum & Eccleſiæ caput fuerit I. 32. *a.* & ſeq.
Pharao quomodo dicatur à Deo excitatus & induratus I. 561. *a, b.*
Pios veritatem cognoſcere I. 329. *b.*
Pluralitas perſonarum in Deo, non ex eo mox colligi debet aut poteſt, ſi Scriptura alicubi de Deo in numero plurali loquatur I. 683 & ſeq. nulla eſt in Deo *ibid.* 789.
Pœnæ peccatorum quales etiam per ſanguinem & ſacrificium Chriſti expientur II. 153. quales primo homini ob peccatum ſint infictæ II. 350. *a.*
Pontificios ſua dogmata Eccleſiæ auctoritate tueri non poſſe I. 323 & ſeq.
Portare peccata noſtra quid ſit II. 148.
Portare peccata quid ſit I. 580. *a.* & ſeq.
De divina *poteſtate* Chriſti I. 668. *a.*
Præceptis Moſis an ſua oppoſuerit Chriſtus II. 36 & ſeq. Dei & Chriſti an poſſimus ſervare II. 128. *b.*
De *prædeſtinatione* I. 553 & ſeq. I. 780. *b.* II. 242. de verbis *prædeſtinandi*, eligendi & vocandi I. 557. *a.* & ſeq. Prædeſtinationis Calvinianorum ulterior refutatio I. 561. *a.* & ſeq. dogma illud quam ſit perniciosum I. 694. *a.*
Prædictiones Veteris Teſtamenti ſæpe duplicem habere ſenſum, literalem & myſticum I. 292. *a.* *prædicto* futurorum an ſit opus ſoli altiſſimo Deo proprium II. 615. *b.*
Premium in vita æterna an futurum ſit in omnibus æquale I. 463. *b.* 587. *b.*
Preces, quomodo inſtituendæ ſint ut eas Deus ſemper exaudiat I. 248 & ſeq.
Pretium quomodo Chriſtus dicatur II. 146. *a.*
Pro & *propter* quam vim habeant II. 153. *b.* *pro* nobis quomodo Chriſtus mortuus eſſe dicatur 154 & ſeq.
Procreatio liberorum an in vita æterna locum ſit habitura II. 340. *b.*
Promiſſionum Veteris Fœderis cum Novi comparatio, & has illis longe antecellere I. 498. *b.* & ſeq. II. 107. *b.* Promiſſa Novi Fœderis an præſtitu ſint poſſibilia I. 535. *a.* & ſeq.
Prophetæ cur non dicantur ſervatores, quamvis homines ſervaverint II. 125.
Vox *propitiatorium* & *propitiationis* quam vim habeat in Sacris Literis II. 145. *a.*
Mori *Propter* peccata & *pro* peccatis vel aliquo quid ſignificet I. 577. *b.*
Proximus quis in V. & N. Teſtamento I. 32. *a.* 34. II. 27. *b.* quomodo ſub V. T. diligi debeat, & quomodo ſub Novo II. 58. *b.*
Puccii vita deſcribitur I. 379. *a.* & hiſtoria diſputationis inter ipſum & Socinum 380.

R.

RAcha dicere quid ſit II. 445. *b.*
Reconciliationem noſtram cum Deo, non præbere argumentum Chriſtum iram Dei placaſſe, vel pro nobis ſatisfeciſſe II. 136 & ſeq. quomodo cum Deo ſimus reconciliati II. 138. *b.* & ſeq.
Redimere pro liberare I. 573 & ſeq 601. *b.* II. 143. *a.*
Redemtio noſtra per Chriſtum eſt metaphorica, quod oſtenditur II. 140. ulterior *redemtionis* iſtius explicatio & confirmatio 143. verbi *redimendi* explicatio 141. *b.* & ſeq. quomodo Chriſtus nos redemerit ab omni iniquitate, & mundaverit ſibiipſi populum peculiarem, zelatorum bonorum operum II. 573. *a.* & ſeq.
De regno Chriſti millenario II. 450 & ſeq.
Regnum Dei quid in S. Literis ſignificet I. 43. *b.* Chriſti millenarium refutatur I. 440 & ſeq.
Regulæ tres, ſecundum quas de veritate alicujus dogmatis ſit judicandum I. 525. *b.*
Religionis Chriſtianæ veritas confirmatur I. 271. *b.* & ſeq. ejuſdem compendium I. 281, 651 & ſeq.
Repetere ſua per Magiſtratum, quatenus liceat II. 84. *b.*
Repugnantias in Novo Teſtamento revera nullas inveniri I. 267. *a.* repugnantiæ in ſpeciem ſolvuntur I. 289. & ſeq.
Reſiſtere malo an ſit licitum, vide *Malus.*
Reſpondere ad quæſtiones quatenus tenantur Chriſtiani I. 496. *a, b.*
Reſurrectio Chriſti magnam vim ad fidem accendendam habet

habet II. 130. *a.* majus robur habet quam mors ejus. *ibid.* II. 143 cur tamen non dicatur potius pretium redemtionis noſtræ quam mors ejus II. 128 *a.* credita, ſervare homines quomodo dicatur. *ibid.* quomodo ex ea remiſſio peccatorum ſeu liberatio à pœna peccati, peti poſſit. *ibid.*

Rex regum & *rex gloriæ* Chriſtus appellatur, & quid inde conſequatur II. 604. *a.*

S.

SAcerdotale munus Chriſti in quo conſiſtat I. 664. *a.* De Sacramentis I. 350. *b.*

Sacrificii anniverſarii ratio & finis II. 160. in comparatione ſacrificiorum legalium quid ſitum ſit ad probandum ſatisfactionem Chriſti II. 156. *a.* & ſeq. 156. & ſeq.

Sacrificia legalia pro peccatis non ſatisfeciſſe II. 158. *b.* ſed tantum per ea peccata fuiſſe expiata 159. *b.*

Sacrificium Chriſti, quæ peccata tollat, & quomodo? II. 465 & ſeq. quomodo differat à ſacrificio legali *ibid.*

Salvare ſeu ſervare, quomodo Chriſtus dicatur II. 615. *a.*

De ratione *ſtatus* noſtræ 778 & ſeq.

Sanctitas Chriſti an hominibus imputetur II. 250. qualis & quanta ab iis exigatur qui vitæ æternæ participes futuri ſunt 359 *b.*

Sanguis pro perpeſſionibus I. 237. *b.* ſanguis & ſuffocatum quomodo à Paulo quoque interdicta ſint I. 456 *b.* & an iis veſci liceat. *ibid.* per ſanguinem Chriſti quomodo redemptionem in eo habeamus, remiſſionem peccatorum I. 601. *b* qua ratione per ſanguinem Chriſti ſanctificemur ſeu emundemur I. 160. *b.*

Solus ſapiens an Chriſtus appelletur II. 611. *a.*

Satanæ aliquem tradere in perditionem carnis, quid? II. 91. *a.* an ex ea argumentum poſſit duci pro ulciſcenda injuria per Magiſtratum *ibid.*

De ſatisfactione Chriſti pro peccatis I. 565. *a.* & ſeq. 665. *a.* II. 121 & ſeq. abſque ea Deum poſſe peccata remittere 566. *a.* imo velle id facere *ibid. b.* refutatur dogma ſatisfactionis II. 187 & ſeq. 202 & ſeq. eamque nobis non poſſe imputari 214 & ſeq. ſatisfactionem cum remiſſione adverſa fronte pugnare II. 192. *b.* abſurda ex opinione de ſatisfactione Chriſti II. 212. *a.* & ſeq

Scripturæ S. auctoritas demonſtratur I. 265 & ſeq.

Scriptoris alicujus auctoritas quatuor rebus evertitur I. 265 & ſeq

Scriptores Novi Teſtamenti an falſa ſcripſiſſe, ſive decepti, ſive dedita opera poſſit eſſe verum I. 266. quinam fuerint an nobis conſtet nec ne I. 267. *b.* & ſeq. 320. *b* & ſeq.

Scrutari corda, Chriſti tributam, an arguat ipſius cum Deo Patre eandem eſſentiam II. 616. *a.*

A ſeculo quid denotet II. 28 & ſeq.

De ſenioribus Eccleſiæ I. 351. *a.* & ſeq.

Servator Chriſtus appellatur, quia vitam æternam nobis eſt daturus II. 132 & ſeq.

Serveti ſententia de Chriſto II. 535. *a.* à Socinianorum multum differt *ibid.* Serveti ejus conſtantia *ibid.*

De Sibyllarum carminibus quid ſentiendum ſit II. 618. *b.*

Signa quæ credentes ſequi debebant, an debeant eſſe perpetua I. 346. *b.*

Sihon Rex Chesbon quomodo a Deo induratus I. 561. *b.*

Simei quomodo Deus juſſerit Davidi maledicere I. 562. *b.*

Sobrietas quid 69 *a.* an ſit res Deo grata *ibid.* in cibo quænam obſervanda I. 72 *a.*

Socini iracundia à Squarcialupo perſtringitur I. 349. *b.* & a Socino diluitur 367. *a.* cur contra Palæologum ſcripſerit I. 361 & ſeq.

Sophiſtici argumentandi modi ab auctore exponuntur I. 629 & ſeq.

Spiritus Sanctus quatenus datus fuerit ad Eccleſiam ab erroribus conſervandam I. 328. *b.* an ſit perſona tertia in Trinitate II. 620. *a.*

Studiorum quodnam genus eligendum, & qua ratione ſtudia inſtitui debeant I. 470 & ſeq.

Succeſſionem ab Apoſtolis in munere docendi nullam dari I. 341. *a.*

T.

TAlionem reddere aut per Magiſtratum repetere, an ſit licitum I. 29. *a.*

Tentatio pro afflictione 417. *b.* in *tentationem* incidere quid I. 50. *b.* quid ſit *tentare. ibid.* & ſeq.

Terrarum orbis an in noviſſimo die renovanda ſit II. 321.

Teſtacea vaſa, pro corporibus infirmis I. 417. *a.*

Teſtamenti Veteris & Novi ſcripta an ſint immutata vel depravata I. 269 *b.* de illorum convenientia & differentia I. 781. *b.* II. 35. *a.* 169.

Teſtimonia ex V. *Teſtamento* à Scriptoribus Novi non ſemper afferuntur ad probandum verum eſſe id quod affirmant I. 291 *a.*

Theſauros colligere in terris quomodo Chriſtus prohibeat II. 100. *b.* & ſeq.

Tiatyrenſe oppidum an tempore Johannis Eccleſiam Chriſtianam habuerit? 306. *a.*

Tob Hebræum, vide *bonum.*

Tractio Dei quid ſit I. 554. *a.*

Traditiones I. 448 *b.* quatenus recipiendæ *ibid.*

Pro *Trinitate* uſitatiſſimi argumenti refutatio I. 281 & ſeq. -iſtius dogmatis abſurdæ conſequentiæ I. 511. *a.* & ſeq. & examen I. 527. *a.* & ſeq.

V.

VEritatis cognitionem bonis dari, malis eripi I. 329. *a.* *Victimas* legales non potuiſſe homines à peccando retrahere, nec in perpetuum à reatu peccati liberare II. 166. *b.* & ſeq.

Vim vi repellere illicitum eſſe firma Socinianorum eſt ſententia I. 70. *a.* & probatur id eſſe illicitum II. 9. & ſeq.

Vindicta quatenus à Moſe fuerit permiſſa II. 60. *b.* præcepti de *vindicta* ne per Magiſtratum quidem repetenda, ignoratio, & neglectus in Chriſtiano homine, vi Novi Fœderis à ſalute æterna excludit, & vindictam omnem eſſe illicitam II. 18 & ſeq.

Vindicare pro liberare II. 63. *a.*

Virtutes Judaicas, virtutibus Chriſtianis poſthabendas eſſe II. 75. *b.*

Vita æterna quo ſenſu Chriſtus appelletur II. 656 *a.*

Unigenitus pro chariſſimus ſeu unicè dilectus II. 652 *b.* id nomen Chriſto tributum an evincat eum eſſe Deum altiſſimum 653. *a.*

Vocari pro eſſe ponitur I. 4. *a.* de *vocandi* verbo in negotio ſalutis I. 558. *a.*

De voluntate Dei I. 653. *a.*

Uſuram accipere an Chriſtianis ſit licitum I. 457 & ſeq.

Uxores an viros unquam poſſint repudiare I. 21. *a.* pluresſimul an habere liceat I. 22. *a.* an ob quamcunque cauſam dimittere Moſes permiſerit II. 40. *b.* & ſeq. 59. *a.*

INDEX ALTER

Locorum S. Scripturæ qui in hoc opere explicantur vel illuſtrantur.

Ubi numerus latinus I. & II. primum vel ſecundum Tomum, literæ a. b. paginæ columnam primam aut ſecundam denotant.

Geneſis.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag.	Col.
1	10	II.	258.	a. 276. a. & ſeq.
	26	I.	142.	a.
	31	I.	539.	b. 687. a.
3	5	I	688.	b.
	15	I.	354.	b.
	17	I.	395.	b.
	22	I.	141.	a.
4	15	I.	3 2	b.
6	3	I.	393.	b.
25	7	II.	65.	
35	7	II.	652.	b.
42	23	I.	289.	b.

Exodus.

3	6	II.	541.	a.
4	21	I.	561.	b.
10	20	I.	561	a.
24	7	II.	149.	a.

Leviticus.

16	1 d.	II.	160.	a.

Numeri.

24	5	II.	540.	a.
30	2	I.	24.	b.

Deuteronomium.

2	30	361.	b.	
6	4,5	I.	235.	a.
21	20	I.	70.	a.
28	7	I.	70.	b.

1 Samuelis.

2	25	I.	562.	a.

2 Samuelis.

7	14	I.	295.	b.
12	11,12	I.	562.	a.
16	7 & d.	I.	562.	b.
24	1	I.	52. b.	562. b.

1 Regum.

18	26	I.	289.	b.

1 Paralipomenon.

21	1	I.	52.	b.

Jobus.

10	9	II.	325.	a.
14	2		11.	a.
19	26	I.	3.	a.

Pſalmi.

14	4	II.	651.	b.
19	2	I.	538.	a.
32	5	I.	162.	a.
37	11	I.	2.	a.
67	17	II.	543.	b.
96	7	II.	544.	b.
97	7	I.	354.	a.
101	26	II.	546.	a.

Proverbia.

2	3	II.	648	a.
8	19	II.	66. a.	667. a.
23	2	I.	70.	a.
	4	*ibid.*		
25	21	I.	33.	b.

Eccleſiaſtes.

1	4	II.	305	a.
	14	II.	319.	b.

Eſaias.

5	11,22	I.	69.	b.
6	1	II.	549.	a.
	8	I.	689. b.	794. b.
	9	II.	559.	b.
8	13	II.	552.	a.
28	7	I.	69.	b.
35	4	II.	560,	b.
36	1	II.	289.	b.
40	3	II.	552.	b.
42	1 & d.	I.	142.	a.
43	11	II.	655.	b.
	24	II.	651.	b.
44	3	I.	303	b.
45	14,15.	II.	562. a	651. b.
	23	II.	553.	a.
48	12,16	II.	559.	a.
49	5	I.	144.	
52	5	II.	561.	b.
	12	I.	3 4	a.
53	1 & d.	I.	143.	
	4 & d.	I.	581. a. & ſeq.	II. 15 b
	9	*ibid*	394. b.	
54	5 & d.	I	465 & ſeq.	
58	3	I.	63.	b.

Jeremias.

2	20	II.	298.	b.
5	15	I.	289.	b.

Threni.

5	7	II.	152.	b.

Ezechiel.

16	51,52	I.	565.	a.
33	2	II.	14.	a.
34	23,24	II.	447.	b.
36	23	I.	44.	a.
37	totum	II.	447.	b.
	22	I.	26.	b.
38	23	I.	44.	a.

Daniel.

11	31	I.	482.	b.
12	11	II.	452.	b.

Hoſeas.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag.	Col.
8	4	I.	563.	a.

Zacharias.

2	8	II.	563.	b.
	11	I.	492.	b.
3	1	II.	565.	a.
11	12	I.	302.	a.
12	10	II.	566.	a.

1 Macchabæorum.

3	1	II.	556.	b.

Baruch.

3	36	II.	563.	a.

Matthæus.

1	20	II.	438.	a.
	22,23	I.	293. b.	& ſeq.
2	15	I.	252.	a.
	18	*ibid.*		
	23		299. b.	& ſeq.
3	11	II.	438.	a.
	15	I.	710.	a.
5	totum	I.	1. & ſeq.	
	5	II.	447.	a.
	21,27,33	I.	144.	
	22,23,27	II.	64.	a.
	33 & d.	II.	44 & ſeq.	
	38 & ſeq.	II.	8, 4	b.
	40	I.	434.	a.
6	1 & d	I.	36. & ſeq.	
	9	I.	354	b.
	19,34	II	100	b
	23	I.	171. b.	II. 98. a.
	31	*ibid.*		
	34	*ibid.*		
7	9	I.	389.	b.
8	5	II.	77.	a.
9	13	I.	144.	
	14,15	I.	64.	a.
10	28	I.	454.	b.
11	11	II.	655.	a.
	27	II.	456.	b.
12	32	II.	438.	a.
15	7	I.	291.	b.
16	17	II.	567.	a.
	18	I.	334.	& ſeq.
	28	II.	98.	a.
17	24	II.	94. a.	100. a.
18	14	I.	198.	a.
	18	I.	338.	a.
	20	II.	60	b.
	32	II.	193.	a.
22	19	II.	155.	b.
	27	II.	55.	a.
	36	I.	234.	b.
23	4,5	II.	110.	a.
	21 d.	II.	88.	a.
24	24	I.	179.	a.
27	9	I.	301.	b.
28	18,19,20	I.	711.	a. & ſeq.
	19	II.	438.	a.

Index Locorum S. Scripturæ.

Marcus.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag.	Col.
13	11	II.	438.	b.
16	15	I.	144. 715.	b.

Lucas.

1	16	II.	575.	a.
	33	II.	447.	b.
	34 & d.	II.	552.	b.
	76	II.	556.	b.
2	25	II.	489.	a.
3	1	II.	76.	a.
	14	II.	75.	b.
	22	II.	439.	a.
4	1	II.	439.	b.
7	1	II.	77.	a.
9	55	I.	211.	a.
12	12	II.	439.	b.
16	8	I.	159.	b.
	19	I.	145. 394.	b.
17	3	II.	88.	a.
	10	I.	618.	a.
18	7	II.	63.	a.
	27	II.	637.	b.
19	15	II.	110	a.
20	36	I.	35.	a.
	38	*ibid*	145.	
22	19	I.	753.	b.
	36	II.	82.	a.
23	50	II.	77.	b.
24	47	I.	145.	

Johannes.

1	1 & d.	I.	74 & ſeq. 641.	a.
	3	II	522. b. 589. a	642. b.
	13	I.	145.	
	14	II.	461. a. 646. b.	647. a.
	15	I.	145.	
	16	I.	153.	a.
	18	II.	496.	b.
	29	II.	108.	b.
	33	II	439.	b.
2	19	II.	513.	b.
3	5	I.	717.	b.
	9 ad 17	I.	145.	
	11	I.	688. a	710. a.
	13	I.	146. II.	610. a.
	16	I.	734.	b.
	31	I.	153.	b.
	35	I.	284.	b.
4	24	II.	439	b.
5	4	I.	213.	b.
	8	II.	576.	a.
	22,23	I.	61. a. 353.	b. 387. a
	25	II.	409.	b.
	27	I.	147.	
	46	I.	*ibid.*	
6	paſſim	I.	147.	
	29	I.	643.	b.
	44	I.	554.	a.
	51	I.	158. b.	642. a.
	62,63	II.	380 a.	510. a.
7	38	I.	303.	a.
8	58	II.	379. a.	504 & ſeq.
9	41	I	161.	a.
10	11 & d.	I.	577. b.	II. 15. a.
	16	II	509.	a.
	18	II	513	b.
	30	II.	577.	a.
11	42,43	I.	673.	b.
	49,50	I.	579. a.	II. 154. b.
12	29	I.	289.	b.
14	1	II.	579.	a.
	9	I.	194.	b.
	13,14	I.	669. b.	671. a, 672. b.

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag.	Col.
	26	II.	437.	b.
15	22	I.	161.	b.
	26	II.	440.	a.
16	7	II.	440.	a.
	8,9,10	I.	147.	
	15	II.	580.	b.
17	1	II.	507.	b.
	3	II.	431.	a.
	5	I.	147. II.	379. b.
	11	I.	*ibid.*	
	12	I.	563.	a.
19	34	I.	238	a.
20	28	I.	395 & ſeq.	
	29	II.	581.	a.
21	15,16,17	I.	342.	b.

Acta Apoſtolorum.

1	16	II.	440.	b.
2	38	I.	719.	a.
3	22	I.	293.	a.
4	12	I.	246.	a.
5	3	II.	90. a.	441. a.
7	37	I	293.	a.
	51	II.	441.	a.
	59	II.	713. a.	725. a.
8	29	II.	441.	b.
	38	I.	713.	b.
9	7	I.	289.	a.
12	15	I.	637.	a.
13	2	II.	441.	a.
	38	I.	594.	a.
	48	I.	555. b.	II. 243. a.
15	7 & d.	I	382.	b.
	28	II.	441.	b.
16	6	II.	441.	b.
17	26,27	I.	538.	b.
18	10	I.	555.	a.
19	3	I.	435.	b.
20	28	II.	441. b.	600. a.
21	11	II.	442.	a.
22	9	I.	289.	a.
	16	I.	724.	a.
23	17	II.	80.	a.
25	10	II.	86	b.
26	18	I.	170.	a.
	37	II.	87.	a.

Ad Romanos.

1	20	I.	538.	b.
3	29	*ibid.*	565.	a.
	24,25	I.	575. b.	II. 145. a.
	25	II.	234. a.	388. a.
4	3,5,9, d.	II.	218.	b.
	5	II.	227.	b.
	6,11	II.	218	b.
	11,16	II.	235	b.
	22	II.	218.	b.
5	totum	I.	148.	
	6,7	I.	579.	b.
	10	II.	136	a.
	12 & d.	II.	222 a & ſeq.	362. b.
	13	II.	359. b	261. b 243. b.
	14 & d.	II.	364. a. & ſeq.	
7	1 & d.	I.	89. & ſeq.	
	24	I.	646.	b.
8	1 & d.	I.	149. II.	178. b.
	19,20	I.	35. a. II.	313. a.
	26 & d.	II.	442.	a.
	28 & d.	I	559.	a.
	32	II.	670. b. & ſeq.	
	33	II.	175.	a.
	35	I.	642.	b.
9	totum	I.	556.	a.
	5	II.	377. b.	581. b. 600. a.
	6 ad 22	I.	139. & ſeq.	
	11	I.	452. b. & ſeq.	

Cap.	Verſ.	Tom.	Pag.	Col.
	29	I.	291.	b.
11	2	I.	637.	b.
	17	II.	238.	a.
12	19	I.	638.	b.
13	9	I.	235.	a.
14	10	II.	553 a,	b.
	17	I.	43.	b.
15	16	II.	442.	a.
16	27	I.	611.	a.

1 ad Corinth.

1	17	I.	149.	b.
2	10 d.	II	442.	a.
	14	I.	95. a. II.	347. a.
	16	II.	657.	a
3	6,7	I.	492. b.	553. a
	10,11	I.	215.	a.
6	7	I.	434 b. & ſeq.	
	8	II.	85. a, b.	
	11	II.	442.	b.
	18	I.	149.	b.
7	10	I.	23.	b.
8	6	II.	437. II.	499. b.
	8	I.	64.	b.
9	2	II.	39.	b.
	27	I.	67.	b.
10	9	II.	541	b.
	16	I.	643.	a.
	30	II.	220.	b.
11	12	II.	462.	a.
	24	I.	753. b.	II. 155. b.
12	13	I.	725	a.
13	13 & d.	I.	448. a.	449. a.
15	21	II.	358.	a.
	23	I.	442.	a.
	32	I.	149.	b.
	37	II.	317. a. & ſeq.	
	44 & d.	I.	263.	a.
	50	II.	282. a.	345. a.
	53	II.	351.	a.

2 ad Corinth.

5	14,15	I.	222. b.	580, a.
	17	II.	137.	a.
	18 & d.	II.	389.	a.
6	2	I.	291.	b.
8	9	II.	501.	a.
13	13	I.	643. a.	II. 442. b.

Ad Galatas.

1	12	II.	582.	a.
	15	I.	564.	a.
2	6	II	219	b.
	21	II.	179	b.
3	11	I.	619. b.	677. b. & ſeq.
	13	II.	387.	a.
	19	II.	134.	b.
	24	II.	58.	a.
	27	I.	728. a.	746. a.
4	4	II.	180. b.	517. a.
5	14	I.	235.	a.
6	1	I.	109. a.	197. b.
	4	I.	111.	b.
	10	I.	36.	b.

Ad Epheſ.

1	4	I.	558.	a.
	7,10	II.	400.	b.
	23	I.	462.	b.
2	8	II.	242.	a.
	10	II.	526	a.
	13 d.	I.	138.	a.
	20	I.	645.	b.
3	8	II.	314.	b.
4	4,5,6	I.	727.	a.

Index Locorum S. Scripturæ.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
	7 & d.	II.	543. b.
	15,16	I.	149. b. & seq.
	20 & d.	I.	150. a.
	26	I.	13. a.
	27	I.	638. b.
5	2	II.	407. b. 473. a.
	8	I.	159. b.
	11	I.	149. a.
	13,14	I.	305. a.
	26	I.	337. b.
6	12	I.	462. a. & 463. a.

Ad Philippenses.

2	6,7	II.	381. a 583. a. 651. b.
	9	I.	354. a II. 554. a.
	13	I.	224. a. 387. b. 553. a.

Ad Colossenses.

1	14	II.	145. b.
	15	II.	377. a.
	16	II.	595. b.
	20	*ibid.*	152. b. II. 138. b. 398. a.
	8	I.	150. a.
	14	II.	181. a.
	20	I.	62. b. 150. a.

1 Thess.

5	5	I.	159. b.
	9,10	I.	580. a.
	23	I.	150. b.

2 Thess.

	9	I.	261. b.
3	1	II.	242. b.
	5	II.	657 b.

1 Timoth.

1	5 & d.	I.	150. b.
2	5	II.	134. b.
3	15	I	342. b. 382. a.
6	15	II.	611. a.

2 Timoth.

1	9	II.	508. a.
4	8	I.	644. a.

Titum.

Cap.	Vers.	Tom.	Pag. Col.
3	5	I.	644. b.

Hebr.

1	2	II.	401. a. 597. a.
	3	II.	173. a. 569. a.
	4	II.	381. b.
	5	II.	671. a.
	6	II.	354. a. II. 520. a. 544. b. 662. a.
	10	II.	433. b. 506. a. 597. a.
2	9,10	I.	678. b. II. 154. b.
	14	I.	217. a. 646. a.
	17,18	I.	599. a. II. 174. b.
3	7 & d.	II.	442. b.
	17	I.	163 b.
4	14	II.	174. b.
5	1 & d.	I.	598. b. II. 175. b.
	7	I.	217. a.
6	1	I.	729. a.
	6	I.	444. & seq.
7	3	I.	151. b. II. 609. b.
	27	II.	177. a.
8	6	II.	135. a.
9	4	II.	157. b.
	11,12	II.	146. a. 164. a. II. 393. a.
	12,24	I.	675. b.
	13,14	I.	408. a. II. 164. b.
	14	I.	588. a & seq II. 391. a. 473. b.
	15	II.	135 a. 148. a.
	25,26	I.	4 9. a. II. 165. a. 392. a. 474. b.
	26	II.	184. a. & seq.
10	1	II.	167. a.
	11 & d.	I.	590. b. & seq. II. 168. a, b.
	15 & d.	I.	591. a.
11	6	I.	677. a.
	10	I.	462. a.
12	5	I.	464. b.
	24	II.	127. b. 135. a
13	8	II.	609. b.

Jacobi.

1	13	I.	50. b.
2	13	I.	553 a.
3	2	I.	109 a.
	17,18	I	3 b.
4	5	I.	306. a.
	ult.	I.	161. b.
5	12	I.	27. b.

1 Petri.

1	23	I.	553. a.
2	20	I.	579. a.
	23	II.	62. a. II. 151. b. & seq.
	28	I.	556 b.
3	15	I.	43. a.
	17 d.	I.	151. b.
	21	I.	729 b.
4	1	I.	460. a, b
	17	II.	20-. a.

2 Petri.

1	4	I.	464. a.
	5	I.	152. a.

1 Johan.

1	2	I.	49. a.
2	1	I.	153. b.
	2	II	1 4 b.
	12	II.	182. a. & seq.
3	9	I.	153. b. 517. a.
	16	II.	600. a.
4	9,10	I.	559. a.
5	7	II.	442. b. 585. a.
	18	I.	153. b.
	20	II.	587. b.

Judæ.

	4	I.	563. b.
	5	II.	543. a.
	9	I.	154. a.

Apocalypsis.

1	4	II.	453 a.
	8	II	555. b.
2	7	II.	293 a.
	18	I	306 a.
4	8	II.	550. b.
5	5	I.	116 b.
	13	II.	410. b.
7	5,17	II.	447 b.
13	8	II	185 a.
20	4	I.	441. b. & seq.
	5	II.	448. a. 451. b. 458. b.
	10	II.	452. a.

Errata sic corrigito.

In primo Tomo.

Pag.	linea	error	correctio.
3. a.	18	saimul	simul
11. b.	46	paci	pauci
42. a.	36	Fratris	Patris
77. a.	38	minori	minoris
159. a.	11	Deum	ad Deum
211. a.	ult.	ui	qui
223. a.	23 à fine	its	iis
259. b.	12 à fine	cetetis	cætetis
281	8 à fine	nnus	unus
293. a.	17	asseramus	afferamus
359. b.	37	id	in
402. a.	11	testet	te stet
411. b.	28	perponderis	perpendetis
428. b.	29	condide	candide
459. b.	13	aique	atque
470. b.	8	al quo	aliquo
495. b.	5 lineæ priores deleantur		
497. b.	4 à fine	φιλανθρωπια	φιλενθρωπια
505. b.	27	putet	patet
519 a.	2 à fine	ancepisque	ancepsque
524. a.	47	ccilliationes	conciliationes
673. b.	36	& 42.	& 43.
31. a.	16	fit	sit
767. a.	20 a fine	institutione	institutionem

In Tomo secundo.

Pag.	linea	error	correctio.
67. a.	12 à fine	tepore	tempore
91. a.	26	verbi	verbi causa
113. b	36,37	blaue	plane
272. a.	ultima	n	non
425. b.	32	aperta	aperte
457. a.	34 à fine	quod	quò
b.	6 à fine	afferere	allerere
463, 464 & pars 465	deleantur omnia, bis enim sunt		
468. b.	14 à fine	dianian	dianœan
493. a.	7	defendere	descendere
509. a.	9	accipiendum	accipienda
543 a.	33	allis	aliis
619. b.	33 à fine	insolibile	insolubile
648. b.	23	aperuit	asseruit
656. a.	2 à fine	petio	petuo.

Reliqua per se facile benevolus Lector corriget.